A
3
12

R. 2181

S. a. 4.
- 5 -

R. 2181





S. a. 4.

— 5 —

R 2181



P. DIDACI

RVIZ

DE MONTOYA

HISPALENSIS

è Societate IESV,

IN COLLEGIO HISPALENSI

S.Hermenegildi Theolog.professoris.

COMMENTARIA

Ac Disputationes in primam partem sancti Thomæ

DE TRINITATE

LVGDVNI,

Sumptib. LVDOVICI PROST,

Hæredis ROVILLE.

M. DC. XXV.

Cum Privilegio Regis.

es del Colegio de Gda uso del P. Trov.co de Mont.

PIO LECTORI SALVTEM.

MIRARIS, *tot annis parturientes lucubrationes, & à multis optatas, nunc in lucem prodire postpositis prioribus Theologiæ tomis, incipientes à tomo quinto de Trinitate. Nec miraris vires non fuisse fractas, nec animum concidisse, priuatum fructu diuturni maximiq; laboris. An ignoras tanto magis luxari brachium, quanto fortior est impetus iacientis ictum, vel adnitentis in casum? Tria iusta volumina iam dudum expectant aperiri ianuam ab Apostolica Sede, vt typis mandare liceat auxilia diuinæ gratiæ. Prævios illos præmittere decreueram, vt magis operosis difficultatibus expeditus, possem facilius, & breuius cæteras Theologiæ partes percurrere, quas ego vix ausim ex professo tractare, nisi dicendo, vel alibi dicta supponendo, quæ possunt circa gratiam auxiliatricem dubitari. Huiusmodi sunt præscientia futurorum, siue absolutâ, siue conditionata, Dei voluntas, prouidentia, prædefinitio bonorum, aut malorum actuum, prædestinatio & reprobatio, nonnulla etiam circa gratiam, & peccatum angelorum. Actus humani, eorumq; dominium, ac libertas, peccata, gratia, non pauca ex materia de fide, spe, & charitate, plurima de libertate, & merito Christi Domini, ac deniq; de pœnitentiæ virtute nonnulla. Fateor ingenuè nisi mihi satisfaciam prius, nihil dicere posse, vel scribere: nec sperabam posse satisfacere, nisi prius superatis auxiliorum difficultatibus, quæ solent in prædictis omnibus Theologiæ partibus incurrere. Languentem igitur animum erexit Sanctissima Trinitas, eam præcipuè cogitationem ejiciens, nullum in eius disputationibus interuenire auxiliorum impedimentum, & interim intellectum iucundissima Scripturarum, & Sanctorum Patrum lectione, laudibusq; Patris, & Filij, & Spiritus sancti suauissimis recreari. Non accusabis moras, si periculum feceris legendi, & examinandi tam multa scripta Patrum, & Scholasticorum, quæ in hoc opere non nisi diligenter examinata citantur. Me iam accinctum, atque currerem, incitauit Augustinus lib.1. de Trinitate cap.8. ante med. dicens:* Vtile est, plures libros à pluribus fieri diuerso stilo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic. *Denique si quid boni repereris in hoc opere, totum diuinæ gratiæ, purissimisq; Theologiæ fontibus, à quibus haustum est, referas; si quid verò displicuerit, id totum mihi tribuas, & ignoscas.*

FRANCISCVS DE ALEMAN Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Bœtica, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Mutio Vitellesco Generali Præposito nostræ Societatis, facultatem concedo, vt Commentarij in primam partem S. Thomæ Aquinatis, compositi à R.P. DIDACO RVIZ DE MONTOYA sacræ Theologiæ Professore, & nostræ Societatis virorum grauium, atque sapientum iudicio examinati, & approbati, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, ac nostri officij sigillo munitas dedimus Hispali 27. die Martij anni 1623.

Franciscus de Aleman.

Martinus de Vega.

DE mandato supremi Senatus euolui Commentaria hæc, quæ pro Trinitatis mysterio, vnico digesta volumine, Reuerendus admodum Pater DIDACVS RVIZ DE MONTOYA (presbyter Societatis IESV, & apud Hispalense S. Hermenegildi Collegium publicus Theologiæ professor) plenè & ad summum confecit. Omnium siquidem dicendorum in hac parte summam ditiori simul, latioríque calamo mirè complexus est: & tamen nec longiori, nec longo. Siquidem non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis. Omnia enim valent authoritate plurimum: præsertim authoritates Sanctorum quibus mirum in modum effluunt (& quidem non sine maximo authoris sudore) Commentaria ista. Sic tamen obfusa omnibus huius mysterij abditis caligo dispellitur, & fauces complanantur. Quare digna prælo iudico in obsequium fidei, & Theologorum progressum. Matriti apud S. Martini Benedictinum cœnobium. Non. Maij anni salutis 1623.

Fr. Antonius Perez.

FACVL

INDEX QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM, QVÆ IN HOC Opere discutiuntur.

PROOEMIVM. folio 1.

QVÆSTIO XXVII.

De processione diuinarum personarum.

ARTICVLVS I.

Vtrum processio sit in diuinis.

DISPVTATIO I.

Quanta necessitas exigat processiones Deo realiter, & propriè conuenire.

Sectio 1. NEgantium processionem errores præsertim Autotheanorum. fol. 3
2. Soluuntur argumenta Autotheanorum. 4
3. Necessitas processionum ad multiplicandas personas. 4
4. Ratio naturalis ostendit absque processione non posse diuinas personas multiplicari. 6
5. Præcedens discursus, & illius membra singula corroborantur aliis rationibus. 7
6. Processiones ad intra Deo realiter, & propriè conuenire cum subordinatione originis. 9

DISPVTATIO II.

An processiones diuinæ sint operationes intellectus & voluntatis.

Sectio 1. Negantium tres sententiæ & earum fundamenta. 10
2. Processiones diuinas esse intellectionem & volitionem. 11
3. Præcedentes probationes corroborantur & extenduntur ad Spiritum sanctum. 14
4. Præoccupatis obiectionibus soluuntur argumenta Durandi posita in sectione prima. 15
5. Attinguntur incidentes quæstiones, & remittuntur. 17

DISPVTATIO III.

Quot sint processiones.

Sectio 1. Duas esse processiones in Deo. 17
2. Non esse plures processiones quàm duas. 19
3. Raymundi Lullij periculosæ assertiones contra superiorem doctrinam. 20

ARTICVLVS II.

Vtrum aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione Verbi.

ARTICVLVS IV.

Vtrum processio amoris in diuinis sit generatio.

DISPVTATIO IV.

Quænam processio in diuinis sit generatio.

Sectio 1. Diuersis verbis gignendi, concipiendi, & pariendi, testatur Scriptura generationem Filij. 21
2. Genuina quidditas filiationis naturalis probat æternam generationem. 25
3. Quoniam verè & propriè Filius est, colligitur vera & propria quidditas generationis. 27
4. Vtrum vniuersalibus nominibus geniti & filij, quæ viuentibus etiam insensibilibus conceduntur, significare liceat Dei Filium. 29
5. Spiritum sanctum non esse genitum, nec Filium. Vbi de nominibus matris, aui, nepotis, & fratris. 31
6. Diluuntur obiectiones contra superiorem Doctrinam. 33
7. De primogenito, prout repugnat vnigenito, postrema obiectio. 34

DISPVTATIO V.

Vtrum inquirere liceat peculiarem quidditatem generationis diuinæ, quæ distinguitur à spiratione.

Sectio 1. Præmissis erroribus extremis, referuntur decreta Patrum aduersus scrutatores. 37
2. Quæ vitia disputationis accusent Patres citati, qualémve disputationem commendent. 39

DISPVTATIO VI.

Quæ sit propria quidditas constituens generationem distinctam à spiratione.

Sectio 1. Vera ratio discriminis ex imagine, ac similitudine naturæ traditur communiter à Patribus. 40
2. Formalissima ratio processionis vt imago similis in natura, consistit in processione Verbi per intellectionem. 43
3. Sanctus Thomas, eiúsque discipuli quantum ad

ad substantiales articulos conspirant in eandem rationem discriminis. 44
4. Eodem sensu plures scholastici distinguunt procedere per modum naturæ, & per modum voluntatis. 45
5. Per formalia principia & terminos ac modum producendi, generatio distinguitur à spiratione. 46
6. Exponitur definitio generationis. 48
7. Ex vi processionis formaliter similitudo requiritur ad generationem. 50
8. Verbum esse genitum, & Filium, deducitur ex doctrina sectionum præcedentium. 52
9. Soluuntur argumenta, quæ probare contendunt, processionem Verbi non esse generationem. 53

DISPVTATIO VII.

Quare productio Spiritus sancti non sit generatio, sed generalia nomina vendicet processionis, emissionis, &c.

Sectio 1. De mysterij profunditate & ratione retinendi generalia nomina. 56
2. Ex vi formalissima processionis Spiritus sanctus non habet similitudinem in natura. 57
3. *Soluuntur* argumenta, quæ contendunt, ad generationem non exigi formalissimam vim processionis. 58
4. Diluuntur argumenta, quæ formalissimam lineam similitudinis deducunt ex eo quod Spiritus sancti processio sit diuina. 59
5. De vniuoca vel æquiuoca productione, vel de immanente actione dilectionis argumenta, quæ restant. 61

DISPVTATIO VIII.

Aliæ rationes Patrum & Scholasticorum quid vtilitatis afferant, vt generatio discernatur à spiratione.

Sectio 1. Variæ rationes Patrum exponuntur. 63
2. Examinantur antiquorum Scholasticorum nonnullæ sententiæ, dissidentes à vero discrimine generationis & processionis. 66
3. Refutatur sententia, concedens, Spiritum sanctum ex vi processionis formaliter esse similem, & negans esse imaginem. 68
4. Num Filio sapientia communicetur immediatiùs, quàm natura diuina. 70
5. Recentior explicandi modus generationis discrimen refutatur, quoniam actualis volitio, seu amor, naturam diuinam constituit non minùs quàm actualis intellectio. 71
6. Sapientiam non magis identificari cum natura diuina quàm volitionem, bonitatem, aut alia attributa. 75
7. Græcorum Patrum testimonia, quibus nituntur rationes, & obseruationes positæ in sectione præcedenti. 76
8. Latinorum Patrum testimonia pro eisdem rationibus positis in sectione sexta. 78
9. Sanctus Thomas & cæteri Scholastici distinctionem rationis aut identitatem realem eodem modo tribuunt volitioni, & cæteris attributis, sicut intellectioni. 80
10. Radicale intelligere cum essentia diuina identificatur magis, quàm radicale velle. 82

ARTICVLVS V.

Vtrum sint plures processiones in diuinis quàm duæ. 83

QVÆSTIO XXVIII.

De relationibus diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

DISPVTATIO IX.

Num relationis quidditas propriè realiterque conueniat diuinis relationibus.

Sectio 1. Errores & opiniones contra realitatem relationum. 83
2. In Deo sunt propriè atque simpliciter relationes. 85
3. Ex definitione relatiuorum, & prima eorum proprietate, probatur diuinas esse simpliciter ac propriè relationes. 86
4. Quoniam simul cognitione, & ad conuertentia sunt relatiua diuina, probatur eadem veritas. 88
5. Relationes Dei ad intra sunt reales secundum vltimam rationem constitutiuam in esse relationis. 89
6. Probationes aliæ prædictæ realitatis conuenientis formalissimæ quidditati relationis secundum *esse ad*. 92
7. Satisfit argumentis positis in sectione prima. 94

DISPVTATIO X.

Vtrum pendere ab inuicem vel ad prædicamentum pertinere, diuinis relationibus repugnet.

Sectio 1. Argumenta quæ dependentiam probare videntur. 96
2. Propriè non dependet relatio diuina, sed exigit aliam. 97
3. Soluuntur argumenta posita in sectione prima. 98
4. Vtrum duo tantùm prædicamenta substantiæ & relationis propriè Deo conueniant. 99
5. Diluuntur obiectiones, quæ probare videbantur, proprietatem prædicationis & significationis in cæteris prædicamentis. 100

ARTICVLVS II.

Vtrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia.

DISPVTATIO XI.

Vtrum diuinæ relationes à Deitate suapte natura, vel sola ratione distinguantur.

Sectio 1. Errores asserentium realiter distingui. 102
2. Ante opus intellectus distingui relationem ab essentia, quidam Scholastici tradunt. 103
3. Diuinæ

3. Diuinæ relationes & essentia realiter, & ante operationem intellectus, sunt idem & nullo modo distinguuntur. 104
4. Aliæ probationes ex eo quod tres personæ sunt vnum, infinitæ perfectionis, nihil creatum habentes. 106
5. Simplicitas compositioni repugnans probat relationem ab essentia non distingui. 107
6. Mutua prædicatio concretorum de abstracto & abstractorum de concretis & abstractis est vltima probatio præsentis dogmatis. 110
7. Censura sententiarum, quæ repugnant identitati relationis cum essentia 112

DISPVTATIO XII.

Vtrum ratione ratiocinata relationes distinguantur à Deitate.

Sectio 1. Errores negantium distinctionem, & testimonia Patrum quæ fauere videntur. 112
Ratione ratiocinata relatio distinguitur à Deitate. 113
3. Eadem distinctio traditur à Patribus. 115
4. Inter se comparantur variæ distinctiones diuinarum relationum. 116
5. Vtrum relatio seu personalitas à substantia Dei distinguatur tanquam modus illius. 117
6. Vtrum relatio seu personalitas ab essentia distinguatur per intellectionem diuinam. 118
7. Ad beatificam visionem & cognitionem angelicam applicatur doctrina præcedentis sectionis, & argumenta soluuntur. 120

DISPVTATIO XIII.

Vtrum essentia diuina claudatur in quidditatiua ratione personalitatis aut relationis.

Sectio 1. Pars affirmatiua probatur. 121
2. Aliæ probationes eiusdem inclusionis quidditatiuæ. 123
3. Satisfit argumentis contrariæ sententiæ. 125
4. Vtrum communitas seu communicabilitas sit de essentia Deitatis. 126

DISPVTATIO XIV.

Vtrum relationes sint de essentia Deitatis siue naturæ aut essentiæ diuinæ.

Sectio 1. Partem affirmatiuam quæ suadere possunt testimonia. 129
2. Relationes seu personalitates nõ sunt de quidditate Deitatis aut naturæ, vel essentiæ diuinæ. 130
3. Aliæ probationes eiusdem veritatis. 132
4. Probatione quadam, & altera solutione, refutatis, notatur peculiaris acceptio essentiæ. 133
5. Intellectus ad testimonia quæ contrariam sententiam suadere videbantur in sectione prima. 134
6. Soluuntur argumenta. 135
7. Vtrum hæc sit prædicatio per se, *Deitas est Paternitas*; vel, *Essentia diuina est Paternitas*. 136
8. Corollaria inferuntur circa prædicationes *per se* vel *per accidens*. 138

ARTICVLVS III.

Vtrum relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem distinguantur.

DISPVTATIO XV.

Vtrum mysterium Trinitatis repugnet principijs metaphysicis ac dialecticis de identitate cum vno tertio, forma syllogistica, & contradictionibus.

Sectio 1. Sobrietas & humilitas in hac potissimùm disputatione seruanda. 139
2. Trinitatis mysterio non repugnat illud principium: *Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. 140
3. Concordia & legitimus intellectus ad varias solutiones doctorum. 141
4. Num forma syllogistica fundetur in prædicto principio: *Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. 143
5. Forma syllogistica non violatur, sed perficitur mysterio Trinitatis. 144
6. Tres aliæ classes syllogismorum. 145
7. Affirmatio & negatio eiusdem prædicati non probat realem distinctionem relationis aut essentiæ. 146
8. Cætera argumenta de affirmatione & negatione eiusdem prædicati. 147

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Deo sint tantùm quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, spiratio & processio.

DISPVTATIO XVI.

Vtrum sit realis relatio spirationis actiuæ.

Sectio 1. Dubitandi rationes à quibusdam propositæ. 148
2. Realem esse relationem spirationis actiuæ. 149
3. Magis Scholasticæ rationes, & obiectionum solutio. 150
4. Gradus certitudinis, & Scholasticorum consensus. 152

DISPVTATIO XVII.

Quomodo Spiratio actiua distinguatur à Paternitate & Filiatione.

Sectio 1. Quinam authores existiment distingui ex natura rei ante opus intellectus. 152
2. Spiratio actiua realiter & ante opus intellectus non distinguitur à Paternitate & Filiatione. 153
3. Probationes aliæ cum censura contrariæ sententiæ. 155
4. Soluuntur argumenta, posita in prima sectione magis explicita distinctione quasi specifica relationum & proportione cum origine passiua & termino producto. 157
5. Spiratio actiua distinguitur ratione ratiocinata, & comparatur cum aliis relationibus. 159
6. Spiratio actiua continetur implicitè in Paternitate & Filiatione, quarum constitutionem ac distinctionem complet. 160

7. Vtrum

7. Vtrum ſpiratio actiua prædicari poſſit de Paternitate, vel de Filiatione, & è cõuerſo. 161

DISPVTATIO XVIII.

Vtrum in Deo ſint quatuor relationes & non plures.

Sectio 1. Quatuor eſſe relationes in Deo. 162
2. Vtrum ſpiratio actiua ſit realiter ſimplex & vnica, vel potius duplex relatio. 163
3. Satisfit rationibus dubitandi poſitis initio ſectionis præcedentis, comparatúrque ſpiratio cum ſuo fundamento & termino. 164
4. Concluditur non eſſe plures quàm quatuor relationes, ſolutis argumentis poſitis ſectione prima. 165

DISPVTATIO XIX.

Vtrum realiter diſtinguantur ab inuicem tres relationes, & tres perſonæ diuinæ.

Sectio 1. Negant hæretici realem diſtinctionem perſonarum, ſeu relationum in Deo. 166
2. Sabellianorum argumenta retorquentur aduerſus ipſos. 168
3. Præoccupantur teſtimonia Patrum, in quibus aliquod præſidium quærere poſſent hæretici. 170
4. Tres perſonas realiter diſtingui, probatur aliis teſtimoniis Scripturæ. 171
5. Conciliorum & Patrum cætera teſtimonia pro diſtinctione perſonarum. 174
6. Eſſe de Fide realitatem prædictæ diſtinctionis magis Scholaſticè probatur, & explicatur. 174. & 175
7. Vtrum maxima ſit diſtinctio diuinarum perſonarum. 176

DISPVTATIO XX.

Vtrum tres relationes, ſiue tres perſonæ, ſint coëſſentiales, ſiue conſubſtantiales.

Sectio 1. Præuiæ notationes & explicationes. 177
2. Vetuſtiores hæretici aſſerentes plures Deitates, aut plures eſſentias diuinarum perſonarum. 178
3. Iuniores etiam hæretici variis modis multiplicant eſſentias diuinas. 179
4. Vtrum Origenes negauerit conſubſtantialitatem perſonarum. 180
5. Vis & ſignificatio nominum, eſſentia, ſubſtantia & natura, prout prædicantur de Deo. 182
6. Conſubſtantiales eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, peculiariter ex verbis Ioannis 10. *Vnum ſumus.* 183
7. Spiritus ſanctus eſt vnum cum Patre & Filio, & illis conſubſtantialis. 185
8. Quibus caſibus conuenienter ſignificetur vnitas eſſentiæ trium perſonarum. 186

DISPVTATIO XXI.

Vtrum Homouſij nomen à Nicænis Patribus tanto labore ac diſpendio meruerit propugnari.

Sectio 1. Vtilitas huius vocabuli maior fuit quàm diſpendium cuiuſcunque contradictionis, ac difficultatis quantumcunque maximæ. 187
2. Homouſion ex ſacris litteris depromptum. 188
3. Nec nouum erat, neque à Nicæno Concilio inuentum homouſion. 190
4. Reliquæ obiectiones ex quibuſdam Conciliis & Imperatore Conſtantino. 191
5. De Homæuſio, Synuſio, & Eteruſio. 192

DISPVTATIO XXII.

Vtrum ſit realis & numerica vnitas ſubſtantiæ diuinæ, vel ſola ſit ſpecifica vnitas ſecundum rationem. Vbi quare non tres dij.

Sectio 1. Occaſionem huius diſputationis dedere Patres. 193
2. Realem & numericam atque indiuiduam eſſe vnitatem diuinæ ſubſtantiæ. 195
3. Clariora teſtimonia Patrum de ſingularitate diuinæ ſubſtantiæ, propter quam tres perſonæ non ſunt tres dij. 195
4. Rationibus probatur idem intentum. 197
5. Exponitur mens antiquorum Patrum, qui dubitandi occaſionem dederunt ſectione prima. 198
6. Origo duarum perſonarum ab vnica, quomodo ſit ratio, vt tres perſonæ non ſint tres dij. 199
7. Rationis alterius robur explicatur ad præcedentis explicationem. 201

DISPVTATIO XXIII.

Vtrum tres perſonæ diuinæ ſint tres ſubſtantiæ.

Sectio 1. Rationes dubitandi, breuiſque reſolutio. 202
2. Abſolutè loquendo, tres perſonæ non ſunt tres ſubſtantiæ, ſed vna tantùm. 202
3. Niſi obſtaret communis vſus Eccleſiæ, tres ſubſtantiæ potuiſſent appellari de rigore ſermonis. 204
4. Tres ſubſtantias expreſsè dicunt aliqui Patres, idque duplici ſenſu. 206

DISPVTATIO XXIV.

Vtrum tres perſonæ ſint tres eſſentiæ, vel tres naturæ.

Sectio 1. Argumenta quę ſuadere poſſent eſſe tres eſſentias, vel naturas. 208
2. Tres diuinas perſonas non eſſe tres eſſentias, ſiue naturas. 210
3. Aperitur à priori ratio negandi tres eſſentias vel naturas. 211
4. Soluuntur argumenta poſita in ſectione 1. 212
5. Vtrum ſint tres quidditates, rationes, diffinitiones, ſpecies & genera trium perſonarum. 213
9. Vtrum ſint tres formæ trium perſonarum. 215

DISPVTATIO XXV.

Vtrum ſint tres exiſtentiæ trium perſonarum, ſiue relationum.

Sectio 1. Certum eſt Deo conuenire vnicam exiſtentiam abſolutam & eſſentialem. 216
2. Aliæ

2. Aliæ relationes probantes eandem exiſtentiam abſolutam, eſſentialem & communem. 217
3. Qui tres exiſtentias negant, melius conſonant aliis dogmatibus Trinitatis. 218
4. Neque cum addito concedendæ ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ, ſiue perſonales. 220
5. Sine vlla nota, vel reprehenſione licebit concedere tres exiſtentias relatiuas. 221
6. Quibuſdam obiectionibus reſpondetur. 223

DISPVTATIO XXVI.

Vtrum tres relationes diuinæ ſint tres res ſiue realitates; tria entia, ſiue entitates, & ſine addito tria.

Sectio 1. Eſſe tres res & tres realitates. 224
2. Tria entia adiectiuè, & ſubſtantiuè tres entitates. 225
3. Vtrum tres perſonæ dici poſſint tria, nullum explicando ſubſtantiuum. 226
4. De totalitate entitatis communicatæ, & de comparatione cum aliis tranſeendentibus, obiectiones. 227

DISPVTATIO XXVII.

De cæteris tranſcendentibus multiplicandis.

Sectio 1. Vtrum tres relationes ſiue perſonalitates ſint tres durationes, & tres vbicationes, ac proinde ſint tres æternitates & immenſitates. 229
2. Tres relationes diuinæ non ſunt tres durationes, neque tres vbicationes, ſiue præſentiæ locales. 230
3. Vtrum tres relationes ſiue tres perſonæ diuinæ ſint tres vnitates. 232
4. Vtrum tres relationes diuinæ ſint tres veritates. 234
5. Tres relationes diuinæ non ſunt tres veritates niſi impropriè, nec tres intelligibilitates. 235
6. Appendix ad Precedentes. Vtrum tres perſonæ ſint tria lumina. 237
7. Quodammodo & metaphoricè tria lumina ſunt tres perſonæ. 238

DISPVTATIO XXVIII.

De quibuſdam perfectionibus negatiuis, vtrum multiplicentur pro numero relationum.

Sectio 1. Vtrum relationes ſint tres infinitates, vbi etiam de magnitudine. 240
2. Tres relationes ſunt tres infinitates ſecundum quid; eodémq; modo tres magnitudines. 241
3. Vtrum ſint tres increabilitates, immutabilitates, & impaſſibilitates. 242
4. Vtrum ſint tres incorporeitates, ſiue immaterialitates, & tres indiuiſibilitates, inuiſibilitates, incomprehenſibilitates, ineffabilitates. 244

DISPVTATIO XXIX.

Vtrum diuina relatio ſecundum rationem formaliſſimam relationis ſit bonitas & perfectio.

Sectio 1. Negatiuæ ſententiæ. 245
Ruiz. de Trinitate.
2. Formaliſſima ratio diuinæ relationis eſt quidditatiuè perfectio & bonitas. 247
3. Sine relationibus imperfectus eſſet Deus, non ſolum in quantum Pater, ſed etiam in quantum Deus, ac ſubinde non eſſet Deus. 250
4. Diuinitas ipſa & abſoluta ſubſtantia foret imperfecta, ſi defuiſſent relationes. 251
5. De facto nunc imperfectum & indigentem eſſe Deum, vel Patrem, colligere ex eo quod foret imperfectus ſi non haberet Filium; eſt mala conſequentia. 253
6. Relatiuæ perfectionis aliæ probationes quaſi à priori. 254

DISPVTATIO XXX.

Vtrum tres relationes diuinæ ſint tres perfectiones ſeu bonitates, vel potius vna ſimpliciter ſimplex.

Sectio 1. Duæ ſententiæ multiplicant perfectiones pro numero perſonarum. 256
2. Tres perſonæ ſimul ſumptæ non ſunt aliquid perfectius, quàm vnaquæque perſona ſigillatim. 256
3. Tres relationes non ſunt tres perfectiones, nec tres bonitates tranſcendentales. 258
4. Præcedens doctrina explicatur magis & applicatur ad perfectionem tranſcendentalem. 259
5. Vnaquæque perſona habet in ſe perfectiones relatiuas aliarum perſonarum, ſed ordine modóque diſtincto. 261
6. Circuminſeſſio perſonarum, inuicem immanentium, complet in vnaquaque perſona plenitudinem perfectionis. 263
7. Diluuntur obiectiones quæ contendunt relationes non pertinere ad integritatem Dei neque alterius perſonæ. 265
8. Alia difficultas, & argumenta poſita in ſect. 1. ſoluuntur. 266
9. Vtrum relationes diuinæ ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices. 267
10. Soluuntur argumenta quæ in præcedenti diſputatione 29. ſect. 1. contendunt relationem vt ſic, non eſſe perfectionem. 269

QVÆSTIO XXIX.

De perſonis diuinis.

ARTICVLVS I.

De *diffinitione perſonæ.*

ARTICVLVS II.

Vtrum perſona ſit idem quod hypoſtaſis, ſubſiſtentia & exiſtentia.

DISPVTATIO XXXI.

Vtrum Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſint tres hypoſtaſes.

Sectio 1. Contra nomen *hypoſtaſis* obiectiones. 271
2. Vox *hypoſtaſis* ex Scriptura & antiquiſſimis Theologis ac Philoſophis authoritatem habet. 272

3. Quinam Patres hypostasim acceperint pro essentia. 272
4. Tres hypostases esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum. 274
5. Latinis Doctoribus probatur hypostasis, & eius significatio restringitur. 276

ARTICVLVS III.

Vtrum nomen persona *sit ponendum in diuinis.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc nomen persona *significet relationem.*

DISPVTATIO XXXII.

Quid sit persona diuina formaliter in quantum persona.

Sectio 1. Vocis etymologia & propria significatio. 277
2. Quænam sit personæ definitio, & vtrum animæ separatæ conueniat. 279
3. Plures definitiones personæ tradit Ricardus Victorinus. 280
4. Rem ac rationem personæ consequentérque nomen illius, Deo verè ac propriè conuenire. 281
5. Vtrum sit realis ratio constitutiua personæ. 283
6. Quo discrimine Patres personam ab essentia distinxerint. 286
7. Nomen personæ relationem vt subsistentem significat per modum substantiæ. 288
8. Cum doctrina sectionis præcedentis conciliantur placita plurium Scholasticorum. 290
9. Naturam siue essentiam non in recto & de formali, sed in obliquo vel de materiali nomen personæ significat. 290
10. Prosopon, Res naturæ & Vsiosis quid valeant. 292

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum in diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit ponere plures personas in diuinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo sint plures personæ quàm tres.

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrum Pater, Filius & Spiritus sanctus sint tres personæ.

Sectio 1. Catholica Fides affirmat. 292
2. Diuinas personas esse tres & non plures ratione probatur. 294
3. De perfectione numeri ternarij. 295

DISPVTATIO XXXIV.

Vtrum sint tres substantiæ relatiuæ, vel potius vna substantia absoluta cum illis aut sine illis.

Sectio 1. Tres primariæ sententiæ referuntur, aliquid prænotando circa vocabula. 296
2. Tres relatiuæ subsistentiæ probantur. 297
3. Subsistentiam apud Patres idem esse, quod hypostasis vel persona. 299
4. Tres substantiæ in abstracto, id est, tres rationes subsistendi probantur. 300
5. Nullam esse subsistentiam absolutam, probatur authoritate. 301
6. Refutantur solutiones quæ variant significationem substantiæ, vel concedunt semipersonam, aut suppositum absolutum. 303
7. Subsistentiam absolutam & communem pugnare cum tribus subsistentiis peculiaribus personarum. 305
8. Respondetur ad testimonia Patrum, qui subsistentiam absolutam affirmare videntur. 306
9. De aliis testimoniis Anselmi, Ricardi & sancti Thomæ. 308
10. Rationibus aduersariorum satisfit. 309

ARTICVLVS III.

Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc nomen persona *possit esse commune tribus personis.*

DISPVTATIO XXXV.

Vtrum tres personæ sint tres species, vel individua numero distincta, comparatione personæ in communi, vel comparatione Deitatis.

Sectio 1. Vtrum possit abstrahi communis ratio personæ, quidditatiuè conueniens Patri, Filio & Spiritui sancto. 311
2. Vtrum ratio personæ vel relationis sit vniuersalis, aut genus, aut species. 313
3. Vtrum vninoca vel analoga sit ratio personæ. 314
4. Quomodo persona sit quasi vagum individuum. 315
5. Vtrum personæ differant numero. 316
6. Vtrum tres personæ sint individuæ. 316
7. Vtrum tres personæ sint subiecta, vel primæ substantiæ. 317
8. Vtres tres personæ sint species, & earum distinctio sit specifica. 318

QVÆSTIO XXXI.

De ijs quæ ad vnitatem vel pluralitatem pertinent in diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit Trinitas in diuinis.

DISPVTATIO XXXVI.

An sit Trinitas.

Sectio 1. Negantium errores. 319
2. Veteris & noui testamenti differentia, clariùs aut obscurius, reuelantis hoc mysterium. 320
3. Noui testamenti clariora testimonia de Trinitate. 321
4. Veteris testamenti loca, quæ minus obscura dederunt indicia Trinitatis. 323
5. Psalmus 32. & Isaiæ caput 6. & 48. Trinitatem efficaciter probant. 326
6. De nomine Trinitatis ac Trini, & vtriusque authoritate & etymologia. 328
7. Vtriusque nominis significatum & modus significandi. 329
8. Vtrum Trinitas sit in vnitate, & vtrum sit trina. 331

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrum pluralitas diuinarum personarum sit numerus propriè, simpliciter ac positiuè.

Sectio 1. Tres sententiæ negant propriè vel simpliciter numerum. 332
2. Numerus transcendentalis diuinarum personarum concedendus est simpliciter, sed tamen inadæquatè. 333
3. Maiori explicatione veritatis addita, soluuntur argumenta posita in sectione prima. 335
4. Vtrum numerus in diuinis formaliter in negatione consistat, vel in aliqua formalitate positiua. 336
5. Vtrum in Trinitate formalis ratio numeri sit ens reale. 337
6. Neque ens per accidens, nec finitum esse numerum personarum Trinitatis. 338

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrum compositionis & partium expers sit & omnino simplex numerus Trinitatis.

Sectio 1. Affirmantium dogma probatur. 339
2. Exponuntur verba Patrum, quæ sonant compositionem. 341
3. Difficultates aliæ de toto & partibus componentibus numerum. 342
4. Vtrum Deus sit triplex & triplicitas, vel multiplex & multiplicitas. 344
5. Vtrum simplicitas Trinitatis sit prædicatum relatiuum, vel potius absolutum, ab vnitate distinctum. 346

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius sit alius à Patre.

DISPVTATIO XXXIX.

Identitas aut distinctio diuinarum personarum quibus vocabulis & eorum casibus exactè vel propriè significetur.

Sectio 1. Necessitas huius doctrinæ, & generales regulæ. 346

2. Testimoniis probatur, ea quæ significant vnitatem in neutro, & non in masculino genere, posse de diuinis personis affirmari. 347
3. De interrogatione *quid est?* neutraliter; vel *quis est?* masculinè. 349
4. Non *aliud* sed *alius*: non *alterum* sed *alter*. 350
5. De Christo Domino contrarius modus loquendi, cum generali ratione à priori. 351
6. Aliarum obiectionum solutio, maiórque declaratio præcedentis doctrinæ. 354
7. Vtrum Filius sit alius Deus à Patre, vel potius sit idem Deus. 355
8. Postrema obiectio de hac propositione: *Idem Deus est Filius.* 356
9. Distinctionis nomen Theologis omnibus probatur; differentia & diuersitas vt suspecta vitatur à mulris. 357
10. Nihil omnino peccat in Theologicam sermonis proprietatem qui dicit, differre personas vel habere discrimen. 358
11. De nominibus *diuersitas* atque *diuersum.* 360
12. De diuisione ac discretione diuinarum personarum. 361
13. De cæteris nominibus, quibus distinctio significari potest. 362

ARTICVLVS III.

Vtrum dictio exclusiua solus *sit addenda termino essentiali in diuinis.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum dictio exclusiua possit adiungi termino personali.

DISPVTATIO XL.

Exclusiuæ dictiones & exceptiuæ quid propriè significent in diuinis.

Sectio 1. Num Deus appellari debeat singularis, individuus & vnicus. 363
2. Vtrum Deus possit appellari *solus* aut *solitarius.* 365
3. De nomine *solus* accepto syncategorematicè, & coniuncto cum termino essentiali. 365
4. Quid si nomen *solus* afficiat terminum personalem? 367
5. Plenior & exactior intellectus ad omnia testimonia, quibus diuinitas soli Patri vel soli Filio tribuitur. 368
6. Duas personas à cognitione rerum diuinarum excludere videntur aliqua loca Scripturæ. 370
7. Scholasticæ difficultates circa doctrinam exclusiuarum suprà traditam. 371

QVÆSTIO XXXII.

De diuinarum personarum cognitione.

ARTICVLVS I.

Vtrum Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.

DISPVTATIO XLI.

Vtrum ratio naturalis peruenire possit ad euidentem aut probabilem notitiam Trinitatis.

Sectio 1. Errores extremi de cognitione diuinarum personarum. 372
2. Fide præsupposita, demonstrationem euidentem quidam Doctores concesserint; & quid Athanasius senserit. 373
3. Naturalis ratio nunquam peruenire posset ad cognitionem diuinarum personarum sine reuelatione. 374
4. Ratione probatur eadem veritas. 375
5. Ampliatio ad cognitionem certam vel dubiam etiam angelicam, vel apprehensiuam tantum. 377

DISPVTATIO XLII.

Vtrum euidens notitia Trinitatis absque visione clara sit possibilis.

Sectio 1. Euidens cognitio Trinitatis, quæ sit quodammodo naturalis, & quodammodo supernaturalis, est impossibilis. 378
2. Circa *quid est* Trinitatis abstractiua cognitio est impossibilis. 379
3. Circa quæstionem *an est*, euidentia Trinitatis quousque possit supernaturaliter communicari. 380

DISPVTATIO XLIII.

Vtrum reuelatione præsuppositа possit ratio naturalis probare Trinitatem.

Sectio 1. Duplicem esse acceptionem reuelationis, & non demonstrati Trinitatis impossibilitatem. 380
2. Neque euidenter, neque probabiliter Trinitatem probare potest ratio naturalis, etiam præsuppositа fide. 381
3. Quomodo cedat in contumeliam Fidei, rationes ad probandum adducere. 382
4. Solutionibus debilitantur rationes ad probandam Trinitatem inuentæ. 383
5. Quare Deus credendum proposuit mysterium adeo superans omnem facultatem intellectus humani. 385

DISPVTATIO XLIV.

Ad intelligendam vtcunque Trinitatem, quæ similia iuuent, & quo temperamento.

Sectio 1. In similitudinibus creaturarum vtilitas est, licet perexigua proportio cum infinita dissimilitudine. 386
2. A luminosa substantia solis vel ignis, aut iridis acceptæ similitudines. 387
3. Fons, arbor, lucerna, fragrantia quomodo Trinitatem indicent. 389
4. Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis. 390
5. Num similitudo vel imago Trinitatis reperiatur in hominibus secundum corpus. 390
6. Multiplex modus assignandi similitudinem Trinitatis in anima rationali. 391
7. Vtrum homo sit factus ad imaginem Dei, quatenus est Trinus. 393

DISPVTATIO XLV.

Qualem & quantam notitiam Trinitatis adepti fuerint antiqui philosophi.

Sectio 1. Maiorem naturæ vitibus, sed laceratam, diminutam & adulteratam. 395
2. Vndenam acquisierint philosophi qualemcunque notitiam Trinitatis. 395

ARTICVLVS II.

Vtrum sint ponendæ notiones in diuinis.

DISPVTATIO XLVI.

An sit & quid sit notio.

Sectio 1. Quid nominis & rei. 398
2. Sunt in Deo notiones seu proprietates in abstracto significatæ. 399
3. Rationes aliæ quibus probantur notiones potissimùm ex quidditate proprietatis. 401
4. Post censuram contrariæ sententiæ soluuntur argumenta contra distinctionem notionis à persona. 403
5. Notiones à personis non distinguuntur ante opus intellectus. 404

ARTICVLVS III.

Vtrum sint quinque notiones.

ARTICVLVS IV.

Vtrum liceat contrariè opinari de notionibus.

DISPVTATIO XLVII.

Vtrum notiones totidem sint, quot proprietates aut relationes.

Sectio 1. Notiones esse quinque. 405
2. Soluuntur argumenta quæ contendunt notiones esse pauciores, excluſa præsertim innascibilitate. 407
3. Defenditur spirationem actiuam esse notionem. 409
4. Soluuntur argumenta quæ contendunt notiones esse plures quàm quinque. 410
5. Proprietas à notione relationéque distinguitur quantum ad numerum & rationem formalem. 412

QVÆSTIO XXXIII.

De Persona Patris.

ARTICVLVS I.

Vtrum competat Patri esse Principium.

DISPVTATIO XLVIII.

Quo gradu Patri cæterisq; personis conueniat ratio principij.

Sectio 1. Pater est principium Filij & Spiritus sancti. 414
2. Ana

2. Analogia principij quatenus Deo conuenit. 414
3. Vtrum Parer sit initium Filij, & Filius habeat principium, & sit principiatus. 415
4. Vtrum Filius sit principium de principio. 417
5. Totius Diuinitatis principium & fontem esse Patrem. 418
6. Intellectus duplex ad principium totius Deitatis, & solutiones argumentorum. 419

DISPVTATIO XLIX.

Vtrum author & causa sit Pater ad Filium & Spiritum sanctum, itidemq; Filius ad Spiritum sanctum.

Sectio 1. Author est Pater & Filius, insuper est fons & radix. 421
2. Patrem esse causam contendunt argumenta nonnulla. 422
3. Causæ nomen respectu personarum diuinarum euitare conuenientius & tutius est. 424
4. Soluuntur argumenta posita in sect. 2. 425

DISPVTATIO L.

Vtrum Patrem esse Principium significent varia testimonia, quæ Filio & Spiritui sancto videntur præponere Patrem.

Sect. 1. Generalis decisio respondens affirmatiuè. 426
2. *Ioann.* 4. Pater est maior, *id est*, principium & origine prior quàm Verbum. 427
3. Humanitatis assumptæ minoritas significatur simul cum prioritate originis, explicata in sectione præcedenti. 428
4. Duplex ratio primi principij, propria personæ Patris, significatur quando dicitur: *Caput Christi Deus* 1. Corinth. 11. vbi de locutionibus, quibus Pater Filio præponitur, vt *princeps* vel *excellens*, &c. 430
5. Vna persona dat alteri tanquam principium producens: alia verò persona recipit, prout à principio procedit. 431
6. Ad aliqua testimonia dandi & accipiendi peculiariter applicatur generalis solutio supradicta. 332
7. Quo sensu dicatur Spiritus sanctus accipere vel debere, aut pendere, sicut & Filius. 453
8. Christus Dominus subiectus dicitur esse Patri tanquam suo principio suæ personæ diuinæ, sed longè diuerso subiectionis genere ratione humanitatis, vel ratione corporis mystici. 1. Corinth. 15. 434
9. Pater vt principium Filij dat illi mandata siue præcepta, quæ seruat ille ratione personæ genitæ, aliter autem ratione humanitatis assumptæ. 436
10. Tanguntur alia de obedientia, voluntate, sermone, doctrina, quæ Filius attribuit Patri, vt principio. 438
11. Primarias sedes parare, sicut & alia multa, Filius attribuit Patri tanquam primo principio. 439
12. Diem iudicij Filius scit non à seipso, sed à Patre tanquam à principio. 439

Ruiz. de Trinitate.

ARTICVLVS II.

Vtrum hoc nomen Pater *sit nomen propriè diuinæ personæ.*

ARTICVLVS III.

Vtrum hoc nomen Pater *dicatur in diuinis per prius, secundum quod personaliter sumitur.*

DISPVTATIO LI.

Quanta veritate ac proprietate Patrem esse conueniat primæ personæ.

Sectio 1. Omnimoda proprietate conuenit. 441
2. Æterna paternitas Dei comparatur cum paternitatibus animalium. 442
3. Duæ quæ restant comparationes. 444

ARTICVLVS IV.

Vtrum esse ingenitum sit Patri proprium.

DISPVTATIO LII.

Multiplex significatio vocis ingenitum, *quibus personis, & quomodo conueniat.*

Sectio 1. Qua occasione vel ratione vocabulum *ingenitum* displicuerit antiquioribus Patribus. 445
2. Variæ significationes *ingeniti* quibus rebus cõueniant. 447
3. *Ingenitum* esse proprietas est personalis solius Patris. 448
4. Ratione demonstratur vnicam esse personam ingenitam. 450
5. Paternitatem non emanare realiter ab essentia diuina. 451
6. Ingenitum non est essentia Dei. 452
7. Filius non est ingenitus, licet ipse & ingenitus Pater vnum sint. 454
8. Vtrum Spiritus sanctus debeat ingenitus appellari. 454

DISPVTATIO LIII.

Quæ sit ratio formalis, & quod materiale fundamentum ingeniti.

Sectio 1. Pro ratione positiua sententiæ Catholicorum, & argumenta. 456
2. Nihil positiuum esse formale significatum ingeniti. 457
3. Num mera negatio, vel priuatio sit ratio formalis ingeniti. 459
4. Quænam realis formalitas immediatè fundet rationem ingeniti. 460
5. Partialis quidã conceptus paternitatis fundat ingignentiam, & conciliat omnes sententias. 462
6. Innascibilem à seipso realiter procedere, contradictionem implicat magis, quàm ab alio procedere. 464

QVÆSTIO XXXIV.

De persona Filij.

ARTICVLVS I.

Vtrum Verbum in diuinis sit nomen personale.

ARTICVLVS II.

Vtrum Verbum sit proprium nomen Filij.

DISPVTATIO LIV.

Vtrum Filius sit Deus æqualis Patri.

Sectio 1. Negantium commemorãtur errores. 465
2. Filij diuinitas probatur ex locis sacræ Scripturæ, multipliciter exponentibus intimam & summam coniunctionem Filij cum Patre. 465
3. Testimonia, quæ diuinitatis Filij mentionem expressam faciunt. 467
4. Nomen *Deus* & *Dominus* absolutè dictum confirmat præcedentem probationem. 468
5. Opera Filij probant diuinitatem illius. 469
6. Æqualitatem Filij cum Patre probat locus Philippens. 2. Qui cum in forma Dei. 471
7. Æqualitatem etiam testatur Christus Dominus *Ioann.* 5. & plurimi Patres. 473
8. Antiquissima testimonia de Filij diuinitate, & ratio æqualitatis omnimodæ. 474

DISPVTATIO LV.

Vtrum propriè ac sine metaphora sit Verbum illud, quod est apud Deum.

Sectio 1. Vocabuli significatio multiplex. 474
2. Errores multi contra Verbum Dei. 475
3. Origenes metaphoricam esse vult significationem Verbi, cui Patres aliqui fauere videntur. 476
4. Propriè ac verè Verbum esse Filium. 477
5. Num sermo potius quàm Verbum appellandus sit Filius Dei. 479
6. Cum nomine Verbum conferuntur cætera vocabula. 480

DISPVTATIO LVI.

Vtrum Verbum Dei sit prolatiuum.

Sectio 1. Non esse prolatiuum subsistens in Deitate. 481
2. Num aliquo sensu concedi possit prolatiuum & enunciatiuum esse Verbum Dei. 482

DISPVTATIO LVII.

Vtrum ratio Verbi sit essentialis.

Sectio 1. Attinguntur errores, & exponuntur sententiæ Catholicorum, & argumenta. 483
2. Ratio Verbi non est essentialis, sed personalis, ita vt Verbum sit eadem persona quæ Filius. 484
3. Conciliorum, Pontificum Romanorum, & aliorum Patrum testimonia. 486
5. Spiritus sanctus non est Verbum, & totius decisionis ratio, certitudo & declaratio. 487
5. Satisfit argumentis adductis sect. 1. 489

DISPVTATIO LVIII.

Quæ sit formalis ratio constitutiua Verbi diuini.

Sectio 1. Relatio termini producti per intellectionem. 491
2. Verbi correlatiuum est Pater, nec non Spiritus sanctus. 493
3. Vnica est relatio Verbi & Filij, quasi partialiter distincta per intellectum. 494
4. Sapientia multoties supponitur pro persona Verbi. 495
5. Vtrum diuinum Verbum sit prorsus idem quod sapientia vel intellectio seu notitia. 496
6. Soluuntur argumenta posita in præcedenti sect. 5. & posita in sect. 1. 498

DISPVTATIO LIX.

Sub qua ratione diuinum intelligere sit producere Verbum, ac dicere, vel distinguatur ab illis.

Sectio 1. Vtrum Verbum diuinum producatur per notitiam notionalem, procedentem à notitia essentiali. 499
2. Vtrum Verbum producatur per intellectionem, quatenus perfectè comprehendit & intuetur obiectum prius ratione, quàm producatur Verbum. 501
3. Nec verbum creatum est obiectiua ratio, propter quam priùs cognitam intelligatur alia res cuius est verbum. 504
4. Vtrum diuinum dicere sit intelligere. 505
5. Quomodo *intelligere* sit principium *quo* producendi Verbum, & simul etiam sit actio, & sit Verbum. 506

DISPVTATIO LX.

Vtrum diuinum dicere *sit producere Verbum ac subinde solus Pater dicat.*

Sectio 1. Duplex est *dicere*, aliud essentiale, aliud verò notionale. 507
2. Solutis obiectionibus, magis explicatur decisio tradita in sectione præcedenti. 509
3. Num locutioni essentiali correspondeat aliquod verbum essentiale. 510
4. Æterno suo Verbo loquitur Pater ad seipsum, & ad Verbum, & ad Spiritum sanctum, imo etiam ad creaturas. 511
5. Verbum Dei seipso loquitur. 512
6. Eodem æterno Verbo loquitur Spiritus sanctus & tota Trinitas. 513
7. Vtrum passiuè dici conueniat essentialiter tribus personis, vel potius soli Verbo personaliter. 514

DISPVTATIO LXI.

Vtrum Verbum procedat per cognitionem intuitiuam trium personarum.

Sectio 1. Status quæstionis, & variæ sententiæ. 515
2. Trium personarum intuitiua cognitio per se requisita est, vt per eam procedat Verbum diuinum. 516
3. Corroboratur eadem veritas, euasionibus confutatis. 518
4. Verbum esse imaginem Spiritus sancti & sui ipsius, non sequitur ex eo, quod procedat per cognitionem vtriusque. 519
5. Alia argumenta pro sententia Scoti soluuntur. 520
6. Appendix de Spiritu sancto procedente per amorem sui. 522

ARTICVLVS III.

Vtrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam.

DISPVTATIO LXII.

Vtrum Dei Verbum personali proprietate respiciat creaturas possibiles & non existentes.

Sectio 1. Verbi ad creaturas relatio nulla est realis, nisi quæ transcendentalis est. 523
2. Num illa transcendentalis relatio ad creaturas conueniat Verbo ratione proprietatis personalis? 524
3. Veritas explicatur & corroboratur magis. 526

DISPVTATIO LXIII.

Vtrum Verbum diuinum procedat per cognitionem creaturarum, non solum vt possibilium, sed etiam vt existentium.

Sectio 1. De possibilibus abstrahendo ab existentia. 527
2. Quid si creaturæ non essent possibiles? 528
3. De quacunque veritate contingente rationes vtriusque partis & opiniones. 529
4. Non absolutè sed ex suppositione diuinum Verbum per se postulat procedere per cognitionem contingentium veritatum. 530
5. Spiritum sanctum procedere per amorem creaturarum. 532
6. Cætera Scoti argumenta soluuntur. 533
7. Soluuntur aliorum authorum argumenta pro eadem sententia Scoti. 533
8. Multiplex nomen significans imaginem esse Filium.

QVÆSTIO XXXV.

De imagine.

ARTICVLVS I.

Vtrum imago in diuinis dicatur personaliter.

ARTICVLVS II.

Vtrum nomen imaginis sit proprium Filij.

DISPVTATIO LXIV.

Quæ sit imaginis ratio, & cui personæ conueniat propriè.

Sectio 1. Naturæ similitudo requiritur ad rationem imaginis diuinæ. 535
2. Non est satis ad imaginem similitudo nisi producta sit ex vi processionis formaliter. 536
3. Vtrum in diuinis imago referatur ad essentiam vel potius ad Patrem. 538
4. Solum Verbum esse imaginem. 540
5. Vtrum essentia diuina sit imago, ad quam factus est homo, vel potius Verbum Dei. 542
6. Declarantur testimonia quæ suadere videbantur rationem imaginis Patri vel Spiritui sancto conuenire. 544
7. Obiectiones quæ contendunt Verbo Dei quidditatem imaginis impropriè conuenire. 545

QVÆSTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti.

ARTICVLVS I.

Vtrum hoc nomen Spiritus sanctus *sit proprium nomen alicuius personæ diuinæ.*

DISPVTATIO LXV.

Vtrum tertia persona Trinitatis conuenienter appelletur Spiritus sanctus.

Sectio 1. Plurimas esse ac varias acceptiones huius nominis *spiritus*. 549
2. Spiritus nomen ex se commune tribus personis reseruatum est tertiæ. 550
3. Vtrum ab halitu & vitalibus spiritibus animalium accepta fuerit appellatio Spiritus sancti. 551
4. Elucidantur proprietates & officia quibus respirationis halitus nos ducit in cognitionem spiritus sancti. 553

DISPVTATIO LXVI.

Vtrum Spiritus sanctus sit Deus subsistens & æqualis Patri & Filio.

Sectio 1. Refutatur eorum error, qui Spiritum sanctum existimant non esse personam, aut non à Patre Filióue distinctam. 554
2. Aliorum errores qui Spiritui sancto diuinitatem eripiunt licet eum subsistere ac personam esse permittant. 556
2. Spiritus sancti diuinitas probatur Scripturæ locis magis apertè significantibus substantiam & diuinitatem. 557
4. De attributis essentialibus, operationibus ac superioritate Spiritus sancti probationes aliæ. 560
5. Ab Apostolis perpetua successione deriuata est doctrina diuinitatis Spiritus sancti. 562
7. Consubstantialitas & æqualitas Spiritus sancti. 563
7. Obiectiones aduersus diuinitatem Spiritus sancti soluuntur. 563

ARTICVLVS II.

Vtrum Spiritus sanctus procedat à Filio.

DISPVTATIO LXVII.

Vtrum Spiritus sanctus à Patre Filioq; procedat.

Sectio 1. Sine pertinacia nonnulli, sed plures pertinaciter negauerunt. 566
2. Quoniam Spiritus sanctus accipit à Filio, conuincitur ab eo procedere. 567
3. Ex eodem Euangelio, & ex Apostolo alia testimonia de processione ab vtroque. 569
4. Concilia, summique Pontifices decreuerunt Spiritus sancti processionem à Filio. 571
5. Quando primum & quam ob causam Nicæno Symbolo fuerit addita particula *Filioq;* 573

6. Græcorum Patrum acies prior ad processionem Spiritus sancti à Filio, propugnandam. 574
7. Posterior acies Patrum pro eodem dogmate. 577
8. Latinorum authoritas & ratio pro eodem dogmate, & rationes. 578
9. Soluuntur argumenta contra processionem sancti Spiritus à Filio. 579

DISPVTATIO LXVIII.

Vtrum Spiritus sanctus distingueretur à Filio, licet ab illo non procederet.

Sectio 1. Quæstionis istius vtilitas. 581
2. Ex hypothesi non supponente existentiam Spiritus sancti, vel Filij, sequitur non distingui. 582
3. Status quæstionis. 583
4. Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo. 584
5. Contrariæ sententiæ censura, & generalis solutio argumentorum. 586
6. Prædicta solutio accommodatur argumentis quæ distinctionem inferunt ex diuerso modo procedendi. 587
7. Cæteris argumentis solutio eadem satisfacit. 589
8. Vtrum personæ diuinæ realiter ac personaliter distinguantur eisdem proprietatibus quibus constituuntur. 590

ARTICVLVS III.

Vtrum Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

DISPVTATIO LXIX.

Vtrum Spiritus sanctus à Patre procedat magis principaliter, magis propriè, prius, & mediante Filio.

Sectio 1. Non magis principaliter, nec magis propriè procedit à Patre. 591
2. Non prior à Patre quàm à Filio procedit Spiritus sanctus. 593
3. Obiectiones ex eo quod Filius propter Patrem aut Pater propter Filium spirat. 593
4. Mediatè simul & immediatè procedit Spiritus sanctus à Patre. 595
5. Vtrum eodem modo procedat Spiritus sanctus ab vtroque. 596

ARTICVLVS IV.

Vtrum Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

DISPVTATIO LXX.

Vtrum duæ personæ sint duo principia, vel vnicum principium Spiritus sancti.

Sectio 1. Constituitur Catholica veritas cum censura falsitatis contrariæ. 597
2. Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ, discutitúrque veritas aliarum locutionum. 599
3. Vtrum subsistentia, realiter vna, constituat principium spiratiuum in ratione vnius suppositi. 602
4. Vtrum relatio spirationis actiuæ sit, quæ constituit principium spiratiuum in ratione principij. 604
5. Principium *quod* & *quo* spirationis & solutio argumentorum contrariæ sententiæ. 605

DISPVTATIO LXXI.

Vtrum duas personas spirantes Spiritus sanctus per se requirat ex vi suæ processionis formaliter.

Sectio 1. Decisio quæstionis affirmatiua. 606
2. Tres difficultates expediuntur. 609
3. Prioris opinionis argumenta soluuntur. 610

DISPVTATIO LXXII.

Vtrum Spiritus sanctus quidditatiuè referatur ad Patrem & Filium mutua relatione.

Sectio 1. Relatio ad Patrem & Filium quidditatiuè conuenit Spiritui sancto. 612
2. Mutuam esse relationem Spiritus sancti. 612

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, qui est Amor.

ARTICVLVS I.

Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

DISPVTATIO LXXIII.

Vtrum amor sit personalis ratio Spiritus sancti.

Sectio 1. Decisio quæstionis primariæ. 614
2. Soluuntur obiectiones & incidentes quæstiones. 615

ARTICVLVS II.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

DISPVTATIO LXXIV.

Vtrum propriè vereq; dicatur Patrem & Filium Spiritu sancto se diligere.

Sectio 1. Quæstionis sensus & negatiuæ sententiæ. 616
2. Veram & propriam esse præsentem propositionem in sensu notionali. 618
3. Solutis argumentis positis in sect. 1. quæstiones incidentes expediuntur. 619
4. Pater non est sapiens sapientia genita. 621
5. Pater non est potens potentia genita, nec est sanctus sanctitate spirata. 622

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXVIII.

De nomine Spiritus sancti quod est donum.

ARTICVLVS I.

Vtrum donum sit nomen personale.

ARTICVLVS II.

Vtrum donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

DISPVTATIO LXXV.

Vtrum Spiritus sanctus sit donum propriè ratione suæ proprietatis personalis.

Sectio 1. Conclusio affirmatiua probatur esse certa. 623
2. Quæ videbantur probare tribus personis esse communem rationem doni, vel repugnare diuinæ perfectioni. 625
3. Magis explicatur quidditas doni comparatione donatoris, & personæ cui donatur. 627
4. Expediuntur aliæ difficultates. 629

DISPVTATIO LXXVI.

Quid reale ac proprium significent metaphorica nomina Spiritus sancti.

Sectio 1. De digito Dei. 630
2. Mens, facies, complementum, signaculum & quæ ad vnionem pertinent. 631
3. Sigillum & omnia quæ ad vnctionem & odorem pertinent. 632
4. Virtus, qualitas, aqua & ignis quo sensu dicitur Spiritus sanctus. 633

QVÆSTIO XXXIX.

De personis ad essentiam relatis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in diuinis essentia sit idem quod persona.

ARTICVLVS II.

Vtrum sit dicendum tres personas esse vnius essentiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

DISPVTATIO LXXVII.

Vtrum nomina concreta singulariter tantum enuncientur, quotiescunque est vnica forma quam significant.

Sectio 1. Abstractis breuiter expeditis refertur sententia negatiua de concretis. 634
2. Concreta substantiua, quæ significant aliquid absolutum, singulariter tantùm de tribus personis & non pluraliter prædicantur. 635
3. Ratio à priori & corollarium, amplians regulam supradictam. 637
4. Adiectiua nomina licet significent aliquid absolutum, possunt de tribus personis pluraliter prædicari. 639
5. Vtrum *Elohim* plurali vel singulari numero Deus in sacris litteris appelletur. 640
6. Vtrum formæ pluralitas sufficiat, vt pluraliter prædicetur substantiuum concretum non obstante singularitate suppositi. 642
7. Eiusdem veritatis ratio à priori, & solutio argumentorum quæ posita sunt sectione præcedenti, & sectione 1. 644

ARTICVLVS IV.

Vtrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.

DISPVTATIO LXXVIII.

Vtrum indiuiduum Deus, *vel*, Hic Deus *personas significet, vel intelligatur prius quàm personæ, nihilominus autem pro illis supponatur.*

Sectio 1. An *hic Deus* significet, ac supponatur pro personis, duæ sententiæ singulares, ac tertia communis & vera. 645
2. Rationibus probantur quæ pertinent ad significationem & singularitatem huius Dei. 646
3. Prioritas & suppositio eiusdem concreti declaratur & probatur. 648
4. *Deus* vel *hic Deus* pro vna persona quandoque supponitur, sicut & alia nomina essentialia. 649
5. Pro duabus aut tribus personis aliquando supponitur *Deus*, vel *hic Deus*. 650
6. Vtrum hæc propositio sit vera, Hic Deus est hic Deus. 651

DISPVTATIO LXXIX.

Vtrum vera sit hæc propositio: Deus generat Deum. *Et illa.* Deus non generat Deum.

Sectio 1. De veritate affirmatiuæ propositionis. 653
2. Absolutè falsam esse propositionem: *Deus non generat*, & similes. 653
3. Soluuntur argumenta quæ contendunt probare veram esse propositionem: *Deus non generat.* 655
4. Deus non genuit alium Deum, nec seipsum Deum. 656
5. Expediuntur aliæ difficultates de propositionibus supradictis. 657

ARTICVLVS V.

Vtrum nomina essentialia, in abstracto significata, possint supponere pro persona.

DISPVTATIO LXXX.

Vtrum veræ sint propositiones: Essentia generat: Essentia generatur, *& aliæ similes.*

Sectio 1. Quæ suadere videbantur esse veram propositionem: *Essentia generat.* 659

2. Quod

2. Quod Essentia generetur, suadere videntur alia quædam argumenta. 661
3. Simpliciter falsas esse propositiones: *Essentia generat*, vel *Essentia generatur*. & cæteras huiusmodi. 662
4. Quid hac in re sit de fide, quidue sit erroneum aut temerarium. 665
5. De suppositione abstractorum & veritate quarumdam propositionum. 666
6. Essentia communicatur à Patre & Filio, sed ipsa non se communicat. 667
7. Soluuntur argumenta quæ sectione 1. contendunt probare, quod essentia generet. 668
8. Soluuntur argumenta, quæ sectione secunda contendunt, quod essentia generetur. 670

ARTICVLVS VI.

Vtrum personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.

DISPVTATIO LXXXI.

Vtrum veræ sint propositiones huiusmodi: Deus est tres personæ, *vel* Essentia est tres personæ, *vel* Deus *aut* Essentia est Trinitas, *& aliæ similes.*

Sectio 1. Negatiuæ sententiæ authores & argumenta. 671
2. Prædictas propositiones esse veras. 672
3. Ratio prædictæ veritatis, & gradus certitudinis. 673
4. Soluuntur argumenta posita in sectione prima. 674

ARTICVLVS VII.

Vtrum nomina essentialia sint appropriandæ personis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum conuenienter à sacris doctoribus sint essentialia personis attributa.

DISPVTATIO LXXXII.

Quænam fuerit ratio tribuendi peculiariter vni personæ, quod est commune tribus.

Sectio 1. Generales rationes ac leges appropriationis. 675
2. Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui sancto appropriatur. 676
3. Æternitas, species & vsus quomodo tribus personis appropriantur. 677
4. Vnitas, æqualitas, & earum concordia cum aliis appropriationibus Augustini. 678
5. Quæ restant appropriationes perfectionum essentialium. 679
6. Operationes Dei transeuntes ad creaturas appropriantur etiam distinctis personis. 679
7. De oratione, propitiatione, satisfactione, & intercessione appropriationes aliæ. 680

QVÆSTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes seu proprietates

ARTICVLVS I.

Vtrum relatio sit idem quod persona.

ARTICVLVS II.

Vtrum personæ distinguantur per relationes.

DISPVTATIO LXXXIII.

Vtrum origo formaliter sit relatio vel actio seu passio.

Sectio 1. Acceptiones originis, & modus includendi notionales operationes. 681
2. Formaliter & in recto relationem importat origo actiua. 682
9. Solutis obiectionibus doctrina præcedens extenditur ad passiuam originem. 684
4. Vtrum origo diuina sit actio vel passio. 685

DISPVTATIO LXXXIV.

Quænam origines realiter ab inuicem, & à relationibus distinguantur.

Sectio 1. De origine passiua potissimùm. 687
2. Originis actiuæ realis distinctio vel identitas cum relatione, vel cum alia origine. 688
3 Veritatis eiusdem aliæ probationes defenduntur, refutatis earum solutionibus. 690
4. Licet in creaturis actio & passio realiter identificentur, in diuinis tamen realiter distinguuntur origo actiua & passiua. 691
5. Realis identitas vtriusque originis actiuæ, & solutio aliorum argumentorum. 693

DISPVTATIO LXXXV.

Qualis sit illa distinctio rationis per quam origines ab inuicem distinguuntur & à personis.

Sectio 1. Vtrum ratione ratiocinata distinguantur origines à personis. 694
2. Minimam esse distinctionem originis. Et solutio argumentorum. 695
3. Originum mutua distinctio, qualis sit & vnde proueniat. 696

DISPVTATIO LXXXVI.

Vtrum proprietatibus constituantur ac distinguantur diuinæ personæ.

Sectio 1. Negantium quorundam error, & aliorum temeritas refutatur. 697
2. Proprietatibus constituuntur, distinguunturque personæ diuinæ. 698
3. Latinorum Patrum testimonia, subiunctis aliis, quæ minùs expressè testantur eandem veritatem. 700
4. Vtrũ sit realis constitutio personæ diuinæ. 701
5. Vtrum omnis proprietas constituat, atque distinguat personam diuinam. 702

DISPV

DISPVTATIO LXXXVII.

Vtrum relationibus aut originibus constituantur ac distinguantur personæ.

Sectio 1. De proprietate absoluta & origine plures opiniones. 703
2. Relationibus personaliter constituuntur ac distinguuntur tres personæ diuinæ. 704
3. Latinorum Patrum clariora testimonia. 706
4. Aliæ probationes ex auctoritate & ratione. 708
5. Per relationes priùs & principaliter constituuntur, ac distinguuntur personæ; posterius autem & consequenter per origines. 710

ARTICVLVS III.

Vtrum abstractis per intellectum relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases.

DISPVTATIO LXXXVIII.

Vtrum relatio constituat non solùm in ratione personæ, sed etiam in ratione subsistentis vel hypostasis.

Sectio 1. Negatiuæ sententiæ. 712
2. Decisio quæstionis & testimonia Patrum. 712
3. Rationes Theologicæ cum aliis conclusionibus. 713

DISPVTATIO LXXXIX.

Vtrum relatio sub proprio conceptu relationis constituat personam.

Sectio 1. Conclusio affirmatiua probatur, eo quod non sit alius conceptus hypostaticæ formæ nisi conceptus proprius relationis. 714
2. Non minus sinister & obliquus est intellectus, quo detorquent formalitatem relationis alij doctores. 715

DISPVTATIO XC.

Vtrum relatio constituat personam, in quantum est relatio transcendentalis, vel prædicamentalis.

Sectio 1. Constituit relatio non vt merè transcendentalis, quamuis eius perfectionem includat. 716
2. Propius accedit ad prædicamentalem relatio quæ constituit personam diuinam. 718

ARTICVLVS IV.

Vtrum actus notionales præintelligantur proprietatibus.

DISPVTATIO XCI.

Relationis quidditas, & attributa varia quomodo cum personarum constitutione consentiant.

Sectio 1. De prioritate inter relationem & originem opiniones. 719
2. Relationes & origines sunt quodammodo simul, & quodammodo priores, & sub alia ratione posteriores ad inuicem. 720
3. De fundamento & ratione fundandi relationes. 721
4. De termino relationis & productionis argumenta duo. 723
5. Ex eo quod relatio videatur esse posterior quàm persona vel origo, nonnulla argumenta. 724
6 Quæ restant argumenta contra constitutionem personæ per relationem in quantum relatio est. 725

QVÆSTIO XLI.

De personis in comparatione ad actus notionales.

ARTICVLVS I.

Vtrum actus notionales sint attribuendi personis.

ARTICVLVS II.

Vtrum actus notionales sint voluntarij.

DISPVTATIO XCII.

Vtrum actus notionales sint liberi, vel potiùs necessarij, ac naturales.

Sectio 1. Sola vocis æquiuocatione non re dissentiunt scholastici. 726
2. Notionales actus necessarij sunt & non liberi. 728
3. Notionalis actus est naturalis vterque; sed spiratio propinquior libertati. 730
4. Duplex genus necessitatis exponit testimonia Patrum, qui negant necessitate generari Filium. 732
5. Argumenta quæ volunt libertatem cum necessitate copulare in dilectione Dei & spiratione. 734
6. Quæ restant obiectiones ex authoritate Philosophi, & ratione. 735

DISPVTATIO XCIII.

Vtrum generatio sit voluntaria.

Sectio 1. Nec præcedente voluntate, nec deliberatione seu consilio, generatio est voluntaria. 737
2. Concomitante voluntate generatio est voluntaria, & quodammodo etiam volunrate præcedente vt principio. 738
3. Duæ obiectiones ex cap. 3. & 5. Ioan. 740
4. Explicantur Patres qui videntur asserere Patrem voluntate genuisse. 742
5. Quod voluntas melioris boni probet generationem æternam, & voluntas genuerit voluntatẽ, quo sensu Patres affirmauerint. 743

DISPVTATIO XCIV.

Vtrum generatio diuina sit prior quàm voluntas generandi.

Sectio 1. Duæ sententiæ negatiuè respondent. 745

2. Gene

2. Generatio est absolutè prior, & quodam modo posterior voluntate generandi. 745
3. Soluuntur argumenta posita in sect. 1. 748

DISPVTATIO XCV.

Vtrum spiratio voluntaria sit, ac posterior spirandi voluntate.

Sectio 1. Spiratio per seipsam intrinsecè voluntaria est. 749
2. Spiratio est voluntaria tanquam obiectum volitum. 749
3. Spiratio est prior in aliquo genere, & in alio posterior spirandi voluntate. 750

ARTICVLVS III.

Vtrum actus notionales sint de aliquo.

DISPVTATIO XCVI.

Vtrum Filius & Spiritus sanctus producantur ex nihilo, vel potius ex aliqua substantia.

Sectio 1. Hæreticorum blasphemiæ circa hunc articulum. 751
2. Non ex nihilo sed ex substantia genitoris est generatio. 752
3. Spiratio quoque non est ex nihilo, sed ex substantia spiratoris. 753
4. Totius substantiæ productio, quomodo non sit creatio. 755
5. Scripturæ testimonia, quæ Verbum esse creatum videbantur asserere, declarantur. 755
6. Incarnationis mysterium, & omnium iustorum sapientia significatur, etiam quoties sapientia dicitur esse creata. 758
7. Quæ factum esse Filium, videntur asserere, declarantur. 759

DISPVTATIO XCVII.

Vtrum materiale principium, vel formale denotetur præpositionibus de *&* ex, *quando iunguntur diuinis personis.*

Sectio 1. Præmissis notabilibus, referuntur errores ac refutantur. 760
2. Quasi materiam esse substantiam de qua producuntur personæ, quodammodo tantum verificatur. 761
3. Formæ potiùs quàm materiæ similis est diuina substantia, quatenus de illa producitur Filius & Spiritus sanctus. 763
4. Soluuntur argumenta posita in sectione 1. 764

DISPVTATIO XCVIII.

Quid propriè significetur prædictis præpositionibus ex *&* de, *num terminus* à quo *vel* ad quem?

Sectio 1. Vtrum in diuinis productionibus propriè detur aliquis terminus *à quo*. 765
2. Præpositio *de* frequenter ex vi sua significat consubstantialitatem cum principio producente, quam ex vi sua non significat præpositio *ex*. 766
3. Vtrum efficiat discrimen sensum qui dicit, *ex Patre*, vel qui dicit, *ex substantia Patris*. 768
4. Quid propriè denotent præpositiones *è*, *à*, vel *ab*. 769
5. Terminus *ad quem*, & quod est de Patre vel de Filio, est tota persona producta. 769
6. Formalem terminum productionis non esse diuinam substantiam, contendunt authores aliqui. 771
7. Essentiam esse terminum formalem. 772
8. Soluuntur argumenta posita in sect. 1. 773

ARTICVLVS IV.

Vtrum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

DISPVTATIO XCIX.

Vtrum realis sit ac positiua potentia producendi diuinas personas.

Sectio 1. Negantium placita. 774
2. Realem & positiuam esse potentiam non modò respectu personæ producendæ, sed etiam respectu productionis ipsius. 775
3. Soluuntur argumenta posita in sect. 1. 778
4. Potentiam productiuam esse ratione distinctam à principio producente *vt quod*. 779
5. Potentia generandi & spirandi comparatur cum potentia creandi, quantum ad analogiam prioritatis & perfectionis. 780
6. Satisfit argumentis contrariæ sententiæ positis in sect. præcedenti. 782

ARTICVLVS V.

Vtrum potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

DISPVTATIO C.

Vtrum formaliter sit aliquid relatiuum vel absolutum potentia productiua diuinarum personarum.

Sectio 1. Solam relationem esse potentiam productiuam, opinio paucorum est. 782
2. Essentiam sine dubio pertinere ad rationem formalem potentiæ, siue principij *quo*. 783
3. Formalitas aliqua notionalis complet ac determinat rationem potentiæ productiuæ. 785
4. Non æquè primò, nec in recto relatio seu personalitas continetur in formalitate potentiæ productiuæ. 787
5. Quomodo potentia productiua significet in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem. 788
6. Satisfit argumentis contrariæ sententiæ positis in sect. 1. 789

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.

DISPVTATIO CI.

Vtrum omnes personæ sint æquales in qualibet potentia productiua.

Sectio 1. Vtrum potentia generandi & spirandi conueniat omnibus personis. 791

2. Vtrum eadem sit potentia, per quam Pater potest generare, & Filius potest generari. 793
3. Satisfit argumentis quæ sect. 1. contendunt distinctas esse potentias Patris & Filij. 794
4. Potentiam generandi & spirandi sub omnipotentia, communi tribus personis, comprehendunt Patres. 795
5. Post alias probationes eiusdem veritatis additur secunda conclusio. 797
6. Diluuntur argumenta sententiarum, quæ contrahunt omnipotentiam ad solas creaturas. 799

ARTICVLVS VII.

Vtrum actus notionalis ad plures personas terminari possit

DISPVTATIO CII.

Vtrum potentia productiua Dei extendatur ad personas plures quàm duas.

Sectio 1. Plurium vltra duas potentia productiua pugnat non modò sacris litteris, sed etiam vnitati Dei. 802
2. Numerus immanentium operationum, & perfectio terminorum probat, non esse productas plures personas quàm duas. 804
3. Rationes aliæ suadent eandem veritatem. 805

QVÆSTIO XLII.

De æqualitate & similitudine diuinarum personarum ad inuicem.

ARTICVLVS I.

Vtrum æqualitas locum habeat in diuinis.

DISPVTATIO CIII.

Quid sint & quomodo distinguantur in Deo relationes æqualitatis, similitudinis, & quæ consequuntur ex illis.

Sectio 1. Errores inter se pugnantes de æqualitate & similitudine. 807
2. Æqualitas & similitudo perfectissima diuinarum personarum. 808
3. Aliqui non esse relationes, sed negationes, alij verò reales esse relationes æqualitatis & similitudinis opinantur. 809
4. Relatio rationis est æqualitas & similitudo secundum vltimam rationem formalem. 811
5. Satisfit argumentis aliarum opinionum positis in sect. 1. 813
6. Num æqualitas sit etiam in relatiuis personalitatibus, & ratione illarum. 814
7. Reciprocam & triplicem esse relationem æqualitatis, atque relationem similitudinis. 816
8. De similitudine comparata cum æqualitate, de spiratione actiua, nec non de relatione distinctionis, tres difficultates. 817
9. De cæteris relationibus, societate, consortio, communione, consonantia, & vnione. 819

ARTICVLVS II.

Vtrum persona procedens sit coæterna suo principio, vt Filius Patri.

DISPVTATIO CIV.

Vtrum æternitas diuinarum processionum conuenientiùs significetur verbo præsentis temporis, quàm verbo præteriti vel futuri.

Sectio 1. Post hæreticorum argumenta præmittuntur quæ certa sunt. 820
2. Quanta sit conuenientia verborum præsentis aut præteriti temporis. 821
3. Præteritum imperfectum quibus in verbis & quo vsque sit præferendum. 823
4. Num liceat verbo futuri temporis loqui de productionibus diuinis. 824
5. Soluuntur hæreticorum argumenta posita in sect. prima. 824

ARTICVLVS III.

Vtrum in diuinis personis sit ordo naturæ.

DISPVTATIO CV.

Vtrum aliqua prioritas dignitatis aut naturæ vel originis in ordinem redigat personas diuinas.

Sectio 1. De ordine dignitatis. 825
2. De ordine rationis & naturæ, præscindendo à prioritate. 826
3. Nullam esse prioritatem naturæ vel originis inter personas diuinas, suadere videntur aliquæ probationes. 827
4. Prioritatem originis aut naturæ Patrum & Scholasticorum authoritas, & rationes aliquæ probant. 829
6. Decisio quæstionis vtramque sententiam concilians. 832

DISPVTATIO CVI.

Vtrum origines inter se ipsas habeant ordinem prioris & posterioris.

Sectio 1. Ordinem naturæ recipiunt omnes; sed de proprietate valde dissident. 833
2. Variæ prioritates originum iuxta varias earum comparationes. 834
3. Prædictum ordinem & prioritatem per se conuenire processionibus diuinis. 835

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius sit æqualis Patri secundum magnitudinem.

ARTICVLVS V.

Vtrum Filius sit in Patre, & è conuerso.

DISPVTATIO CVII.

Vtrum circuminsessio diuinis personis conueniat secundum se totas.

Sectio 1. Contra circuminsessionem errores & argumenta. 838

2. Circuminſeſſio perſonarum omnium probatur eſſe de fide. 837
3. Quælibet perſona ſecundum ſe totam eſt in alia tota perſona. 839
4. Vtrum primò & per ſe non tantum eſſentia, ſed etiam relatio perſonalis vniuſcuiuſque perſonæ ſit in alia. 841
5. Ex vnitate ſubſtantiæ rectè probatur circuminceſſio perſonarum. 843
6. Quidditas relationis & operationis immanentis ſunt etiam rationes circuminſeſſionis. 844
7. Vtrum circuminſeſſio quidditatiuè formaliterque conſiſtat in vnitate naturæ, vel potius in præſentia ſecundum immenſitatem inſeparabilem. 846
8. Soluuntur argumenta poſita in ſect. 1. 848

ARTICVLVS VI.

Vtrum Filius ſit æqualis Patri ſecundum potentiam.

QVÆSTIO XLIII.

De miſsione diuinarum perſonarum.

ARTICVLVS I.

Vtrum alicui perſonæ diuinæ conueniat mitti.

ARTICVLVS II.

Vtrum miſsio, ſit æterna vel temporalis tantum.

DISPVTATIO CVIII.

An ſit miſsio, & quibus perſonis conueniat.

Sectio 1. Mittuntur perſonæ Trinitatis non tantùm earum dona. 850
2. De quidditate miſſionis variæ ſententiæ. 853
3. Proceſſionem æternam eſſe de quidditate miſſionis. 854
4. Productionem alicuius doni creati vel manifeſtationem perſonæ requiri ad complendam quidditatem miſſionis. 856
5. Soluuntur Aureoli obiectiones, & aliæ nonnullæ. 858
6. Vtrum importet miſſio principaliter & in recto proceſſionem æternã: ideoque ſit notionalis, Filio & Spiritui ſancto cõmunis. 859
7. Non eſt æterna, nec increata miſſio, ſed temporalis & creata potiùs quàm datio. 861
8. Non Pater ſed tantum Filius & Spiritus ſanctus mittitur, atque illorum alter aliquando ſine altero. 862
9. Vtrum ſeipſam miſerit aliqua perſona diuina. 864
10. Vtrum Spiritus ſanctus actiuè miſerit Filium, ac ſubinde tota Trinitas. 866
11. Doctrina præcedentis ſectionis explicatur, ſolutis obiectionibus, præſertim de creatura non mittente perſonam diuinam. 868

ARTICVLVS III.

Vtrum miſsio inuiſibilis perſonæ ſit ſolum ſecundum donum gratiæ gratum facientis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Patri conueniat mitti.

ARTICVLVS V.

Vtrum Filio conueniat inuiſibiliter mitti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum miſsio inuiſibilis fiat ad omnes, qui ſint participes gratiæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Spiritui ſancto conueniat inuiſibiliter mitti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliqua perſona diuina mittatur, niſi ab ea à qua procedit æternaliter.

DISPVTATIO CIX.

Miſsionis inuiſibilis & viſibilis quodnam ſit ſubiectum, quiſue modus, aut terminus ad quem.

Sectio 1. Sola gratia gratum faciens eſt effectus & terminus, ratione cuius perſona diuina ſimpliciter & plenè mittitur. 870
2. Solutio argumentorum, inſeparabilitas & diſtinctio miſſionum Filij & Spiritus ſancti, naturalium verò donorum indignitas. 872
3. Declaratur magis ille modus ſpecialis veniendi ad animam ratione charitatis & gratiæ. 873
4. Vtrum per augmentum gratiæ fiat inuiſibilis miſſio. 875
5. Vtrum ad omnes participes gratiæ fiat inuiſibilis miſſio. 877
6. Vtrum ad creaturam irrationalem mittatur diuina perſona. 878
7. Vtrum de potentia abſoluta poſſit Spiritus ſanctus inuiſibiliter mitti ſine productione alicuius doni realis. 879
8. Viſibilis miſſionis quidditas, & partes, quæ ſint. 881
9. Vtrum viſibiles miſſiones diuinarum perſonarum Patribus veteris teſtamenti factæ fuerint. 883
10. Vtrum Angelorum miniſterio factæ fuerint rerum ſpecies, ſub quibus diuinæ perſonæ viſibiliter mittebantur. 884
11. Signa miſſionis viſibilis nec vniebantur hypoſtaticè, nec diuinam ſubſtantiam in ſe ipſa oſtendebant. 886
12. De qualitatibus & circumſtantiis rerum, quæ ſentiuntur in miſſione viſibili. 887
13. De congruentiis in particulari ſingularum miſſionum viſibilium attinguntur & remittuntur præcipua capita. 888

DISPVTATIO CX.

Vtrum æqualis eadémque ſit operatiua virtus, & operatio trium perſonarum.

Sectio 1. Sequentium diſputationum neceſſitas, & errores aduerſus æqualitatem operationis. 889

2. Æqualitatem & identitatem operationis non impugnat, ſed efficaciter probat, quod Filius non operetur à ſeipſo, *Ioan.* 5. & 8. 891
3. Quod Ioannis 5. & 8. demonſtrat Pater & docet, Filius autem videt & audit, operationis identitatem probat. Vbi etiam explicatio ſecundum humanitatem. 892
4. Quoniam Spiritus ſanctus non à ſemetipſo loquitur, ſed quæ audit, colligitur identitas & æqualitas operationis. 894
5. Filius eadem, quæ Pater, ſimiliter operatur vt Dominus agendi quæ vult. 895
6. Exponuntur teſtimonia Patrum, quæ vocibus inſtrumẽti, vel miniſtrantis, aut ſeruientis ſignificare videntur inferioritatem in operando. 897
7. Filium non vt inſtrumentum, nec vt miniſtrum aut ſeruum operari teſtantur alij Patres, vbi etiam de Spiritu ſancto. 899
8. Deum Patrem non interpoſita creatura, ſed immediatiſſimè ſeipſo creare & facere quæcunque fiunt, eſt euidentiſſimum. Vbi quod nulla creatura poſſit creare. 900
9. Si Verbum Dei non eſſet æqualis virtutis & operationis cum Patre, non fuiſſent omnia facta per ipſum. 901
10. Vnitas naturæ, virtutis & operationis per illationem reciprocam ſe inuicem probant. 903
11. Non obſtant operationes, quæ tribuuntur vni perſonæ potius quàm aliis duabus. 904

DISPVTATIO CXI.

Vtrum perſona Verbi & Spiritus ſancti per ſe requirantur vt Pater operetur, ita vt ſine illis non poſſet operari.

Sectio 1. Refutatur practica intellectio & volitio, quæ non ſit abſoluta & eſſentialis: ac proponitur ſententia, quæ ſimpliciter negat requiri pluralitatem perſonarum. 905
2. Patrem non potuiſſe operari, niſi per Verbum, & in Spiritu ſancto, declaratur. 907
3. De neceſſitate Verbi ad dicendum & imperandum vt creaturæ fiant. 908
4. Vt Pater operari poſſit, neceſſarium eſt Verbum, tanquam ſapientia vel ars ordinans & dirigens, atque potentia exequens. 909
5. Sine Verbo nequit operari Pater, quoniam eſt imago, idea, exemplar & ratio cuiuſlibet operis. 911
6. Sine Spiritu ſancto quælibet productio creaturarum foret impoſſibilis, non minùs quàm ſine Verbo. 911
7. Metaphora brachij, manus, ac digitorum ſignificat ſine Filio & Spiritu ſancto non eſſe poſſibilem productionem creaturarum. 913
8. Vnitas eadem probatur, oſtendendo fallaciam argumentorum opinionis aduerſæ. 913

DISPVTATIO CXII.

Quid propriè ſignificent præpoſitiones per, cum *&* in, *adiunctæ Filio vel Spiritui ſancto.*

Sectio 1. Neceſſitas huius rei, & errores circa illam. 915
2. Præpoſitiones *per* & *in*, adiunctæ cuilibet diuinæ perſonæ, ſignificant cauſalitatem, nullo perfectionis gradu minorem quàm præpoſitiones *ex*, *de*, *è*, vel *à*. 917
3. Filio magis quàm Patri congruit præpoſitio *per*, denotans ordinem originis. 919
4 Num Filius operetur per Patrem, aut Spiritus ſanctus per Filium. 920
5. Præpoſitio *in* peculiariter exponitur. 920
6. Probatur vſus præpoſitionis *cum*. 922

COMMEN

COMMENTARII ET DISPVTATIONES DIDACI RVIZ DE MONTOYA E SOCIETATE IESV,

DE TRINITATE.

Ad primam partem S. Thomæ à Quæstione 27. vsque ad 43.

PROOEMIVM.

1 *Trinitatis cognitio supra naturæ vires.*

HVMANVM captum adeò superat mysterium Trinitatis, vt non modò sine fide fuerit impossibile probabilem aliquã illius probationem inuenire, ne dum euidentem demonstrationem; sed etiam fide præsupposita, neque possimus naturalem aliquam demõstrationem comparare, neque probabiliter probare naturali ratione; sed tantum emõllire difficultatem congruentiis, & hæreticorum argumenta soluere.

2 Hæc impossibilitas ex professo probabitur disput. 41. & 43. Vnde nunc sufficiat illud præoccupare Dionysij cap. 13. de diuinis nominib. post med. *Nulla monas, aut trias, neque numerus, neque vnitas, aut fœcunditas, neque quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud Summæ, omniaq; superantis Diuinitatis, quod rationem omnem, mentemq; vincit, enuntiat, nec eius nomen est, neque ratio; sed in ijs, ad quæ aditus non patet, secreta est.* Quamuis autẽ Dionysius similia scripserit etiam de attributis essentiæ diuinæ; horum tamen plurima ratione naturali probantur euidenter. Quapropter intra secretum illud, ad quod aditus non patet, intelligendum est latere Diuinitatem præcipuè propter mysterium Trinitatis: licet in vnitate essentiæ & illius operationibus occurrant non pauca, quorum difficultas nunquam à Theologis exhauritur.

Difficultas cognoscendi aliqua absoluta.

3 Propterea cum fides nullo modo possit cum naturali ratione pugnare, ne Deus vtriusque author secum ipse pugnare probetur; quærendæ sunt rationes, quibus aduersariorum obiectiones debilitentur, & euidenter ostendatur, intellectum humanum deludi frequenter apparentibus euidentiis inter se pugnantibus, etiam circa res infimas, & quas intra nos habemus, aut manibus contrectamus, vt circa multitudinem ac distinctionem partium quantitatis, circa realitatem ac distinctionem relationum, circa morborum causas atque remedia, denique circa res alias sine numero.

Fallitur humana ratio.

Quam ob causam nihil euidentius potest ratione naturali demonstrari, quàm in rebus diuinis, quas Dei authoritas reuelatione tradit Ecclesiæ, contemnendas esse quasi fallaces, quaslibet rationes in contrarium occurrentes, licet apparentem euidentiam ostentare videantur. Scitè namque Nazianz. oratio. 34. quæ est. 2. de Theol. propiùs ad fin. quàm ad med. *Ducem*, inquit, *potius fidem, quam rationem sequamur, si modo ingenij tui imbecillitatem in propinquioribus didicisti; rationisq; id esse cognouisti, vt, quænam sint ea, quæ rationis humanæ captum excedant, cognoscas: ne alioqui terrenus sis, ipsam tuam ignorantiam ignorans.* Sed de hoc plura disput. 15. sect. 1.

4

5 *Vtilitas huius studij.*

Non est igitur desistendum à studio melius percipiendi, ac defendendi mysterium Trinitatis, sed in eo gnauiter, & strenuè laborandum, exemplo antiquorum Patrum, maximè Athanasij, Nazianzeni, Basilij, Nysseni, Chrysostomi, Ambrosij, Hilarij, & Augustini. Sed manifestam huius laboris adhortationem addiderunt Nazianzenus, Hilarius, & Augustinus, disput. 15. sectio. 1. post medium referendi. Nam pium & vtilissimum esse sobriè, prudenter, & humiliter disserendo quærere, possibiléque inuenire multa, quæ fidei lucem aliquam afferant, & fallacias aduersariorum aperiant, ex sacris literis & Ecclesiæ doctoribus ostendemus disput. 5. sectio. 2. Vbi notabimus etiam vitia, quæ cauenda præcipiunt Patres, quando prohibent inquirere rationes, aut disputare de hoc, quos referemus eadem disput. 5. sect. 1.

6 *Loquendi modus.*

Verborum autem ac *modi* loquendi cautissimam, temperatissimámque modestiam, quæ nihil, etiam leui mutatione vocis, recedat à modo loquendi Scripturarum, & antiquorum Patrum, esse necessariam in hoc mysterio magis, quàm in aliis, facilè colligitur ex dictis; & admonent Dionysius, Augustinus, Nazianzenus, Basilius, Damascenus, Hieronymus, & omnes Scholastici;

quorum testimonia proferemus disput. 39. sect. 1.

Syllaba minimæ. Præterea magnum esse momentum in minimis quibusque syllabis & præpositionibus, earúmque vim esse diligenter obseruandam, & retinendam Basilius & alij Patres admonent in postrema disputatione 112. referendi præsertim sectione 1. Hæc ratio Patres & Scholasticos impulit, vt in docendis loquendi modis non minus, quàm in explicando mysterio desudauerint, atque ita detexerint latentes insidias hæreticorum in vocis mutatione perexigua.

7 *Arianorum calumnia.* Nihilominus aliena prorsus est à ratione, ficta-que religio Arianorum, ea vocabula respuétium, quibus communis Catholicorum cõsensus commodè, synceréque declarat suos de Trinitate conceptus. Causantur enim hæretici, talia vocabula in sacris literis non reperiri. Et quidem licet expressa non sint, euidenti tamen illatione deducuntur ex illis; cum tamen aduersarij, secum ipsi pugnantes, introducant alias voces, non modo non repertas in Scriptura, sed etiam illius menti contrarias. Sed de hoc dicemus ex professo disput. 21. & 31. & 32. tractantes de homousio hypostasi & persona. De aliis quoque vocibus dicemus in aliis disputationibus, cuiusmodi sunt Trinitas, subsistentia, notio, potentia, actus notionalis, relatio, circuminsessio.

8 *Scripturæ testimonia quomodo exponenda.* Principia, quibus hæc scientia nititur, sunt Scripturæ testimonia: sed quoniam hæc ipsa perperam intellecta vertuntur in hæreticorum arma contra fidem; eadémque perfunctoriè narrata, debilitate languent ad fidei protectionem: operæ pretium duxi, sensum eorum ex contextu & aliorum collatione locorum, & ex mente conciliorum & antiquorum Patrum aperire. Hoc igitur quicunque bene perpenderit, neque superfluum, nec à Scholastica professione alienum putauerit, quòd in præcipuis scripturæ locis exponendis laboramus.

9 *Breuitas quousque utilis.* Breuitas in tradenda Theologia laudabilis sit; ea tamen lege, vt præsidium, munitionem & robur eorum omnium, quæ breuiter disseruntur, petat ex libris, in quibus ea copiosè, non quidem verborum, sed authoritatis & argumentorum pondere propugnantur. Sine quibus quantum foret in breuitate periculum, præsertim in mysterio Trinitatis, indicauit satis Hilarius lib. de Synod. propius ad med. quàm ad finem in expositione Canonis 27. Syrmiensis Synodi, sub illius initium: *Fallit enim plerunque audientes & docentes breuitas verborum: & compendia sermonum aut non intelligi potest quod requiritur, aut etiam corrumpitur, quod significatum magis, quàm enarratum rationis absolutione non constat.* Cùm autem ab eo tempore theologicæ quæstiones creuerint & numero & pondere argumentorum: opus erit hodie maiori copia differendi, quàm tunc; alioqui non plenè satisfiet emergentibus difficultatibus.

10 *Allegationũ copia.* Multiplicabuntur non rarò testimonia Patrum, aut citationes Scholasticorum pro eadem veritate; sed non sine fructu vel iniiciendi maiorem pudorem hæreticis contradicentibus, vel addendi animos ac vires Catholicis doctoribus. Quin etiam in iis conclusionibus, à quibus Catholicorum aliqui dissentiunt, non posset deprehendi quanta sit certitudo, nec qua censura digna sit contraria sententia; nisi certò constet non solum de rationibus, sed etiam de patronis & authoribus vtriusque partis. Proderit etiam, vt cohibeatur quorundam audacia, qui tanquam communem sanctorum Patrum, aut Scholasticorum sententiam aliquando venditant, quod nullius aut valde paucorum authoritate nititur.

11 Curabimus autem pro viribus, quas Deus dare dignabitur, venari mentem omnium, quos retulerimus. *Intelligentia,* quippe, *dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei sermo subiectus est,* vt scribit Hilarius lib. 4. de Trinit. circa medium, receptus à Magistro & Scholasticis 1. dist. 5. §. *Sed quia.* Seruiemus etiam commoditati lectorum, ita singula disponentes, vt facilè possint, quæ voluerint prætermittere, quæve desiderant inuenire.

12 *Commentaria.* Commentaria licet à disputationibus separata non inuenias, non ideo deesse putes: inserta sunt enim disputationibus ipsis, vt cum suis principiis & conclusionibus aptius cohærerent, nec opus esset eadem repetere. Minutiora textualia prætermitto, quæ nihil ad mysterij cognitionem conferunt, nec ad circumspectam & tutam locutionem.

13 *Ordo.* Ordinem in omnibus ferè sequor eundem, quem S. Thomas; hoc enim exigit Commentariorum ratio. In quo licet quædam videantur anticipata supponi, vel à posterioribus quæstionibus pendere: non ideo conuincitur, alium ordinem esse meliorem. Est enim hoc inconueniens ineuitabile: quia sunt omnes huius materiæ partes insolubiliter adeò copulatæ, non modo quantum ad rem, sed etiam quantum ad cognitionem, vt quælibet iure suo postulare videatur priorem locum doctrinæ, quoniam ad cæteras requiritur; & aliunde, quoniam cæterarum cognitionẽ exigit, postremum locum postulare videatur. Nihil igitur immorabor *in ordine* S. Thomæ, defendendo, vel confirmando.

14 *Oratio.* Exordium denique totius operis nullum erit decentius & vtilius, quàm illud, quod suo de mystica Theologia libro Dionysius dedit hac oratione: *Trinitas, essentia, Diuinitate ac bonitate superior ac præstantior, Christianorum Theologiæ dux, dirige nos ad ignotissimum splendidissimumq́, ac summum mysticorum scriptorum diuinorum cacumen, in quo simplicia & absoluta immutabiliaq́ Theologiæ mysteria abstrusa sunt, præfulgente silentij obscura docentis caligine.*

Pluribus diuinam opem implorat Hilarius lib. 1. de Trinitate, columna postrema.

Pluribus etiam nos mente, quàm scripto precabimur.

***

QVÆ

QVÆSTIO XXVII.

DE PROCESSIONE diuinarum personarum.

ARTICVLVS I.

Vtrum processio sit in diuinis.

DISPVTATIO I.

Quanta necessitas exigat processiones Deo realiter, & propriè conuenire.

SECTIO I.

Negantium processionem errores præsertim Autotheanorum.

1 *Errores circa processiones diuinas.* QVONIAM processio in diuinis est impossibilis, nisi vna persona procedat ab alia, processionem radicitus conuellunt, qui vnius Dei vnicam tantummodo personam esse dicunt: ij verò duplicem extremè distantem sequuntur errorem. Alij quippe dicebant tres essentias Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ex quibus Filius esset factus, & similiter Spiritus sanctus. Itaque non ad intra, sed ad extra procedere Filium, & Spiritum sanctum existimabant. Ita de Filio peculiariter olim Eunomius, Arius, & alij, quorum errorem refutabimus disput. 20. sect. 2. & sequentibus sectionibus, ac disputationibus. Sed de Spiritu sancto Semiarij Basilius, & Georgius Vrbicus, Macedonius, Ætius, Arius, & alij, quorum errorem refutabimus agentes de Spiritu sancto.

2 Nostra verò tempestate Valẽtinus Gentilis, & Transyluani parum ab Arianis distant, ponentes Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres æternos spiritus, essentiæ numero differentes, & inæquales; quorum erroré refutabimus disp. 20. & quatuor sequentibus.

3 Secundus error è contrario extremo dicebat, vnicam personam esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quæ solis nominibus, & operationibus distinguatur. Ita olim Praxeas, Noëtus, Hermogenes, Montanistæ, præcipue verò Sabellius, eiúsque sectatores dicti Sabelliani, vel Patripassiani, cum aliis sectatoribus antiquis. Ex recentioribus autem hæreticis Deistæ, seu Trinitarij in Deo negabant vllam esse distinctionem personalem. Deinde Michaël Seruetus, Georgius Blandrata, & Franciscus Dauidis, & multi Transyluani. Horum omnium communis error refutabitur tota disput. 19.

4 Tertiò magis directè, & immediatè processionem impugnabant nostris temporibus Autotheani; dicebant enim Christũ Dominum esse Deum à seipso, non à Patre. Hanc hæresim Genebrard. lib. 1. de Trinit. *in* med. tribuit Caluino, & Bezæ, suspicatúrque Franciscum Stancarum authorem primum huius hæresis fuisse. Bellarminus autem tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 19. multis coniecturis suadere nititur, Caluinum non re ipsa, sed modo loquendi absurdo & improprio negasse processionem Filij: ait enim Caluinus Filium habere à se essentiam.

5 *Processiones esse de fide.* Nihilominus de fide est Filium à Patre procedere, & ab illo habere essentiam, & omnes perfectiones, iuxta illud Ioan. 8. *Ego ex Deo processi.* & cap. 7. *Ego scio eum, quia ab ipso sum.* Ioan. 5. *Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*; & iterum: *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ioan. 6. *Ego viuo propter Patrem.* Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

6 Alia quamplurima testantur, Filium à Patre accepisse sapientiam, vitam, virtutem, operationem, & cæteras perfectiones. Cùm igitur essentia diuina sit ipsa vita, sapientia, virtus agendi, cæteráque omnes perfectiones complectatur: consequens est Patrem dedisse essentiam, cui prædictas perfectiones dedit. Plura videri possunt infra sect. 6. & disp. 50. præcipuè sect. 5. & 6.

7 Probatur secundò testimoniis scripturæ, & Patrum, quibus infra disput. 4. & 6. constabit Filium esse genitum à Patre: nam quod generatur realiter; & propriè producitur, ac subinde procedit à generante. Confirmatur primò, nam Pater Filium generans omnia illi contulit præter esse Patrem, vt ostendemus disp. 19. sect. 2. & disp. 30. sect. 6. sed essentia Patris, & Filij non est esse Patrem. Ergo Pater Filio contulit essentiam.

8 Probatur tertiò. Quia Filium esse Deum de Deo, lumen de lumine, non solum *Ecclesia* docet in symbolo Nicæno, recepto à *sequentibus* Conciliis, & Patribus, sed etiam *priùs* eam loquendi formam Gregorius Thaumaturgus tradidit in regula fidei, quam *diuinitus* accepisse refert Gregorius Nyssenus in eius vita; eodem modo loquuntur *communiter* Patres prout referemus disput. 27. *sect.* 6. Quo tandem sensu *Filius sit* autotheos, vel non sit, declarabitur disp. 50. sect. 5. post med. & disp. 53. sectio 6.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta Autotheanorum.

1 PRimum argumentum. Quia diuina essentia nec genuit, nec genita est, cap. *Damnamus*, de summa Trinitate. Respond. Aliud est essentiam generari, aliud verò generari personam, & illi communicari essentiam. Hoc postremum est simpliciter verum: illud absolutè falsum. Quamuis non deessent testimonia Patrum, ea forma loquentium, sed alio sensu quàm Ioachimus Abbas in prædicto c. *Damnamus*, vt videbimus disp. 80.

2 Secundum argumentum. Quoniam si Filius à Patre procederet, sequeretur Patrem esse essentiatorem: Filium verò esse essentiatum. Hic autem fuit error Valentini Gentilis, & Transyluanorum, qui propterea tres personas inæquales faciebant: vt retulimus sectione præcedenti. Respond. Voces illę, *essentiator*, & *essentiatus*, quantum est ex primitiuo, à quo deriuantur, & componuntur, significant essentiam produci, & Patrem esse productorem essentiæ per se primò, inquantum essentia est. Propterea simpliciter forent refutandæ, licet non fuissent ab hæreticis inuentæ. Nunc verò potiori iure fugiendæ sunt, quoniam constat in eis latere supradictum venenum. *Essentiator.*

3 Potest tamen nomine essentiati significari Filium, & Spiritum sanctum habere essentiam à Patre communicatam; quo sensu Dionysius de diuinis nomin. cap. 2. dixit: *ὑσιωθὲν*, quod est essentiari. Et Pachymeres vetustus interpres Dionysij dixit, Spiritum Filij *simul essentiatum*. Nec non Eusebius Cæsariensis, lib. 1. histor. Eccles. cap. 4. Filium appellauit *essentiatum*, vt obseruat Genebrar. lib. 1. de Trinitate, paulò post med.

4 Tertium argumentum. Nam Epiphanius hæresi 69. Filium vocat *autotheon*, quod prædicti hæretici interpretantur à seipso essentiam habere. Respond. Epiphanius tantum intendit, Filium esse verè, & propriè Deum, non supposititicium, nec fictitium, nec habere diuinitatem quasi alienam, & indebitam, sed propriam, & debitam sibi, non minus, quàm Patri, qui eam communicauit. Nam *auto*, siue in compositione, siue extra, aliud ferè nihil notat, quàm *propriè*, & *per se*, quemadmodum ex Platone, & Aristotele notat Genebrardus lib. 1. de Trinitate non longè post med. ad argum. 2. Autotheanorum. *Autotheon.*

5 Aliunde manifestum est Epiphanium sæpissimè in aliis locis, maxima verò prædicta hæresi 69. & in Ancorato Filiũ dicere *genitum*, & fontem ex fonte, & lumen de lumine, & Patrem authorem, & principium Filij, vt referemus disput. 48. præsertim sect. 1. & 5.

6 Quartum argumentum. Quia Filius dicitur *Iehoua*, sicut Pater. Hoc autem nomen significat ipsum esse, ceu fontem essendi: ergo à seipso habet essentiam. Respond. Filius, non minus, quàm Pater, est fons essendi quibuslibet creaturis, & ipse de se dixit Ioann. 8. *Ego sum*. & Ioann. 13. *Nisi credideritis quia ego sum*. & Ioan. 8. *Principium qui & loquor vobis*. Habet autem essentiam à seipso, quatenus suæ quidditati personali naturaliter est debita, ita vt Pater nõ possit eam denegare Filio, sicut denegat creaturis. Denique huius argumenti solutio ferè eadem est, quæ præcedentis. *Iehoua.*

7 Quintum argumentum. Si Filius non haberet essentiam à seipso: foret precariò Deus. Hac enim voce, petita ex iure ciuili, significant aduersarij, Filium non natura, sed gratia, & libera voluntate Patris essentiam accepisse, quemadmodum creaturæ, eodémque modo participasse diuinitatem. Respond. negando sequelam, quia licèt Filius non à se, sed per generationem à Patre habeat essentiam, habet tamen illam necessariò, & naturaliter debitam suæ personæ, vt diximus ad argumenta præcedentia. Præterea cum Filius sit Deus per eandem numero essentiam, qua Pater est Deus: consequens est non esse participatione Deum, nec titularem, sicut creaturæ. *Non precariò Deus.*

8 Sextum argumentum. Quoniam Augustinus in Psalm. 109. & Cyrillus lib. 7. de Trinit. dicunt Patrem, & Filium esse vnum principium. Ex quo videtur sequi Filium carere principio, ac proinde non à Patre, sed à seipso esse. Respond. Non solum prædicti, sed etiam alij plerique Patres dicunt, Filium esse principium; vt videbimus disput. 48. sect. 4. Manifestè tamen loquuntur, vt plurimũ de ratione principij comparatione creaturarum, aliquando de principio comparatione Spiritus sancti. Alioqui Patrem esse principium Filij frequentiùs docent: vt constabit in eadem disp. 48. sect. 1. & 2.

9 Septimum argumentum. Quoniam Augustinus in Psalm. 68. initio, & tract. 39. in Ioan. ait: Filium ad Patrem dici, Deum autem ad seipsum; sicut Pater ad Filium dicitur Pater, ad se dicitur Deus. Ergo Filius habet diuinitatem à seipso. Respond. Mens Augustini ex eisdem verbis manifesta est, videlicet, Deitatem esse perfectionem absolutam, quæ formaliter non est ad aliquid, id est, non est relatiua: Filiationem verò relationem esse ad Patrem, Vnde potius colligitur Filium à Patre produci, propterea̓que ab eodem accipere essentiam. Sed de locutionibus eiusmodi plura videbimus disp. 9.

SECTIO III.

Necessitas processionum ad multiplicandas personas.

1 NVnc disputationis titulo, directè respondendo, dicimus processiones in Deo simpliciter necessarias esse non minus, quàm necessarium est in Deo esse plures personas, vt ostendemus disput. 33. quoniam est simpliciter impossibile personas multiplicari, nisi per realem & veram processionem.

2 Pro cuius declaratione, & probatione præmitto simpliciter necessarium esse personam aliquam omnino improductam, priùs origine præsupponi, quæ prorsus à nulla re procedat; ac subinde neque ab alia persona, neque à seipsa, nec à sua essentia, nec ab alia realiter deriuetur. Quod demonstrabimus disput. 52. Nunc conclusio probatur primò. Quia de fide est solam Patris personam esse ingenitam, prout ingenitum excludit quamlibet productionem, licet non sit generatio; vt in eadem disp. 52. constabit.

3 Probatur secundò. Quoniam implicat contradictionem diuinas personas ab inuicem distingui, nisi per originem, & relationes fundatas in origine: vt ex Concilio Florentino, & aliis Patribus ostendemus disput. 9. sect. 5. confirmatur. Quoniam vna ex præcipuis rationibus propter quam tres personæ non sunt tres Dij, sed vnus Deus, Patres assignant, quoniam Filius, & Spiritus sanctus procedunt ab vnico principio, videlicet Patre: qui suam eandem essentiam Filio, & Spiritui sancto communicat per originem. Qua sublata, *Processio est ratio, vt non sint tres Dij.*

sublata, sequeretur Filium esse debere alterius essentiæ, diuersúmque primum principium.

4 Ita ratiocinantur Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. & vlt. de theologia non longè ante med. illis præsertim verbis: *Nobis vnus Deus est, quoniam vna Deitas, atque ad vnum ea, quæ ex eo sunt, referuntur.* & in eadem oratione col. penult. de Spiritu sancto: *Omnia ad primam causam referri debent; vt ex quo sit, ostendatur, ac non tria principia diuisa, proindéque plures Dij admittantur.*

5 Quin potiùs Nicænum Concilium in professione fidei, quam refert Nazianzenus in breuissimo tractatu de fide Nicæna, qui est orat. 50. postquam profitetur Diuinitatem Patris, Filij, & Spiritus sancti, addit: *Vnum tamen Deum; quia ex vno Patre totum, quod Patris est, Deus natus est Filius, & in Patre totum quod inest, totum genuit Filium.* Damascen. lib. 1. fidei, c. 11. circa med. ostendit omnimodam identitatem personarum, quantum ad essentialia. Vnde post med. infert. *Quapropter neque tres Deos dicimus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sed vnum potius sanctam Trinitatem Deum, Filio, & Spiritu sancto in vnam causam, Patrem videlicet, relatis.*

6 Synodus Syrmica canone 26. anathematizat eum, qui *innascibilem, & sine initio dicat Filium: tanquam duo sine principio, & duo innascibilia, & duo innata dicens, duos faciat Deos.* Quem canonem Hilarius lib. de Synodis multo propiùs ad med. quàm ad fin. ita declarat: *Cum ergo vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possint: cum idcirco Deus vnus sit, cum Pater Deus sit, & Filius Dei Deus sit, quia innascibilitas sola penes vnum sit.* Eandem verò rationem frequentius reperit Hilarius lib. 4. de Trinit. multo propiùs ad med. quàm ad princip. & inter med. & fin. & lib. 5. col. antepenult. & lib. 7. inter med. & fin. quorum verba referemus disp. 22. sectione 6.

7 Fulgentius lib. ad decem obiectiones Arianorum, obiectione 1. prope med. ait: *Si ambo vocarentur Patres, essent profectò natura dissimiles. Vnusquisque enim ex semetipso constaret, & communem substantiam cum altero non haberet, nec Deitas vna esset, quibus vna natura non esset. Consequens autem fuit, vt duo Patres duos Filios gignerent, quoniam nisi vera de singulis proles existeret, paterni nominis in nullo veritas appareret.* Et ad 5. obiectionem sub init. *Duo quippe ingeniti non possunt vnam habere naturam, vbi nec vnus in vno veram ex se generationem inuenit, nec vnus ex vno verè in se substantiam natiuitatis agnoscit.* Plura testimonia pro eadem ratione referemus disput. 22. sect. 6.

8 Necessitatem processionum ad multiplicandas personas propter supradictas rationes, tradunt omnes scholastici, S. Thom. de potentia quæst. 9. art. 9. & quæst. 10. art. 2. & 1. p. q. 33. art. 4. ad 4. & 1. dist. 2. q. 1. art. 4. Henricus quodlibet. 6. quæst. 1. & in summa art. 53. q. 8. & 9. & artic. 54. quæst. 2. Scotus 1. distinct. 2. q. 5. Durand. 1. dist. 2. q. 4. Albert. 1. part. quæst. 42. memb. 3. Alexand. 1. p. q. 43. memb. 5. & q. 45. memb. 7. S. Bonauent. 1. dist. 2. art. 1. quæst. 4. vbi Ægidius distinct. 2. q. 2. quem sequitur Argentina ibidem, & dist. 10. q. 1. art. 2. Ricard. 1. dist. 2. art. 2. quæst. 2. vbi Carthus. distinct. 2. quæst. 6. Marsil. 1. quæst. 14. art. 2. Maior. 1. dist. 10. quæst. 2.

9 Prædictis testimoniis Patrum corroborantur duæ rationes S. Thomæ in articulo 4. citato ad 4. Prima est. *Quia sicut in quolibet genere oportet ponere vnum primum, ita in diuina natura oportet ponere principium, quod non sit ab alio, quod ingenitum dici-*

tur. Ponere igitur duos innascibiles, est ponere duos Deos, & duas naturas diuinas.

Hanc rationem redarguit Scotus dicta q. 5. Quia vnitas Dei probatur ex hoc, quod diuina infinitas non diuiditur in plures essentias, non autem ita manifestum est, quòd ratio ingeniti, vel innascibilis non sit in pluribus suppositis: tum quia ratio innascibilis non dicit aliquam perfectionem simpliciter, ex qua perfectione simpliciter possit concludi vnitas innascibilis: sicut ex perfectione infinita concluditur vnitas diuinæ essentiæ. 10 *Obiectio.*

Nihilominus ratio supradicta solida est, & traditur ab Athanasio oratione contra Gregales Sabellij prope med. dicente: *Neque duo sunt Dij, quum non duo sint Patres, neque diuersæ substantiæ sit genitor à genitore. Qui enim duo principia introducit, is duo numina prædicat.* Et post pauca. *Vbi autem vnum principium, ibi vnum ex eo germen, ibi imago absolutissima, & naturalis, nimirum genita ex eo. Vnus quidem Deus, eo quod perfecta Deitas in Patre intelligatur, & perfecta paternitas in Filio subsistat.* Eadem ratione vsi sunt Nazianzenus, & Syrmica Synodus locis supra citatis. 11 *Si forent duo innascibiles, essent duo Dij.*

Quin etiam Plotinus Philosophus lib. de tribus hypostasibus apud Eusebium Cæsariensem lib. 11. de præparatione Euangelica inter principium, & med. tractans de sapientia, & splendore, quæ est imago genita per intellectum diuinum, ait: *Quis igitur hunc genuit? ille simplex scilicet, qui ante hunc est, qui causa est, vt ille sit, & tantus sit, qui numerum facit. Non enim numerus primus est, ante dualitatem enim vnum est, deinde dualitas est ab vno nata.* Adde quod S. Thom. ad præcedentis, & sequentis rationis confirmationem de potentia quæst. 9. art. 9. corp. ante med. ait: *Quidam philosophi dixerunt, quòd in rebus, quæ sunt sine materia, non potest esse pluralitas, nisi secundùm originem.* 12

Ad obiectionem autem Scoti respondetur. Siue ratio innascibilis dicat perfectionem simpliciter, siue non dicat; esse debet propria vnius tantùm personæ, quæ sit in Trinitate principium numeri; quemadmodum paternitas, siue sit perfectio simpliciter, siue non sit, debet esse propria vnius tantum personæ. Accedit quòd innascibilitas quantum ad perfectionem positiuam, quam includit (siue de materiali, siue de formali) est perfectio simpliciter simplex, sicut paternitas, vt probabimus disput. 30. sectione 9. & 10. Denique quamuis creaturæ omnes procedant à tribus personis diuinis, tanquam ab vno principio: nihilominus necessarium est diuinarum personarum numerum reduci ad aliquod primum principium altioris ordinis, quoad modum producendi; hoc enim per se constituit maiorem perfectionem, ac nobiliorem. 13 *Solutio obiectionis.*

Secunda ratio S. Thomæ fuit; Quia si essent duo innascibiles, vnus eorum non esset ab alio, & sic non distinguerentur oppositione relatiua. Oporteret igitur quòd distinguerentur diuersitate naturæ. Hanc rationem redarguit Scotus citatus, quoniam antecedens non est notius conclusione. Qui enim *poneret* plures personas ingenitas, non diceret eas formaliter constitui aliquibus relationibus. Et ad testimonium Hilarij, quo S. Thomas vtitur, respondet Scotus; authoritas *Hilarij dicit*, quòd ita est, non tamen probat esse ita. 14 *Duo innascibiles natura differrent.*

Verumtamen quia non solùm Hilarius, sed etiã generale Concilium Nicænum, aliique grauissimi Patres in hac sectione citati, eadem ipsa 15

ratione redarguebant hæreticos, qui negabant dogmata circa Trinitatem reuelata: contra quos vitium esset assumere pro antecedenti, quòd lumine naturalis rationis non poterat intellectus cernere faciliùs, & clariùs, quàm consequens: ideo postquam eorum authoritas constiterit alicui, non vacaret aliqua temeritate, si concederet rationem S. Thomæ supradicto defectu laborare: maximè, cùm argumenta sequentis sectionis quartæ, & quintæ probent esse multò notiùs, & manifestiùs personas diuinas aliter non posse distingui, nisi per relationes originis. Nec clariora sunt principia quibus suas rationes instruit Scotus: vt ad finem sectionis quintæ referemus.

SECTIO IV.

Ratio naturalis ostendit absque processione non posse diuinas personas multiplicari.

1 ETiamsi possibilitatem mysterij Trinitatis nec probabiliter possit inuestigare ratio naturalis (vt demonstrandum erit disp. 41. & sequentibus) cæterùm esse impossibilia plurima, quæ vel ab hæreticis iam excogitata sunt, vel ab inquirentibus possunt excogitari contra veritates de præsenti mysterio reuelatas; hoc naturalis ratio probare potest multoties euidenter, aliquoties verò tantummodo probabiliter. Nec euidentiam, aut probabilitatem quorundam argumentorum eneruat formido partis alterius, quam parit profunditas rerum, & experimentum deceptionum, quas patitur intellectus humanus, destitutus lumine fidei, circa mysteria supernaturalia; quoniam ab hac formidine liberat fides supernaturalis.

2 Quemadmodum enim naturalis euidentia, qua iudicamus eum, quem ante consecrationem videmus esse panem, non obscuratur, licet fide credamus post consecrationem non esse panem; quia naturalis euidentia suas vires exerit, quamdiu superiori lumine non corrigitur: sic etiam euidentia, vel probabilitas, refutans ea, quæ discrepant à dogmatibus circa Deum reuelatis, eo ipso, quod fidei superiori lumine corroboratur, non debilitatur, sed potius proficit certitudinis incremento. Sequens igitur discursus ita subnixus erit naturali ratione quantum ad aliquas sui partes euidente, quantum ad alias verò probabili; vt naturale lumen intellectus proprium acumen retineat integrum, quo veritatem cernere possit absque formidine, licet conceptam erga recondita Trinitatis arcana, formidinem non posset excludere, nisi suffultum reuelatione diuina.

3 Probationis ergo præsentis membra sunt tria secundum totidem genera distinctionis, quæ possunt inter diuinas personas excogitari sine processione vnius ab alia. Primum, vt omnes personæ distinguantur proprietatibus absolutis. Secundum, vt vna persona distinguatur per absolutam proprietatem, alia verò per proprietatem relatiuam. Tertium, vt omnes distinguantur proprietatibus relatiuis.

4 *Proprietatibus absolutis non possunt multiplicari personæ.* In primis esse impossibile plures personas in Deo distingui proprietatibus absolutis, probatur primò. Quia proprietates absolutæ inter se non repugnarent, neque vna excluderet aliam ab eadem persona, quod necessarium est ad multiplicationem personarum. Declaratur, & confirmatur primò. Quia illæ proprietates non opponerentur contradictoriè, nec priuatiuè, siquidem vtrumque extremum esset positiuum. Neque opponerentur contrariè, quia contrarietas imperfectionem affert; prærequirit enim subiectum capax vtriusque contrarij, & limitationem capacitatis, ne subiectum possit vtroque contrario simul perfici. At verò quælibet res diuina necessariò existit in Deo simul cum cæteris omnibus perfectionibus diuinis. Restat ergo solummodo relatiua oppositio, quæ non potest merè absolutis proprietatibus conuenire. Confirmatur secundò. Quia repugnantia, si non prouenit ab oppositione propriè dicta, debet prouenire à limitatione entitatis, quemadmodum Angeli distinguuntur ab hominibus, & homines inter se. At verò limitatio repugnat cuilibet personæ diuinæ propter infinitatem simpliciter.

5 Confirmatur tertiò. Quia in Deo non est ponenda distinctio nisi in his prædicatis, in quibus repugnat identitas, tum quia esset superflua, tum etiam quoniam vnitas pertinet ad perfectionem, vbicumque non repugnat. Confirmat quartò Ricardus lib. 4. de Trinitate cap. 15. dicens: *Quoniam identitas substantiæ omnem qualitatis differentiam penitus excludit: differentes personarum proprietates circa solam originem quærere oportebit.* Qualitatis differentiam appellauerat absolutam perfectionem, de qua prius dixerat: *Quibus per omnia est vnum & idem summè simplex esse, nullo modo possunt aliqua qualitatis differentia ab inuicem distare.*

6 Vnde sumitur probatio secunda. Quia quælibet absoluta perfectio, diuinitatis est formaliter substantia: sed plures personæ non possunt in substantia diuinitatis distingui, nisi fuerint plures Dij. ergo non possunt absoluta perfectione distingui, nisi fuerint plures Dij. Maior probatur discurrendo per singula prædicamẽta, quia quantitas molis manifestè Deo repugnat, cui solummodo conuenire potest quantitas perfectionis, videlicet infinitudo, quam essentialiter ab substantiam Dei pertinere nemo dubitauerit. *Prædicamenta singula conferuntur.*

7 Rursus qualitas in Deo non potest esse accidentalis, sed tantummodo perfectio, cum prædicamento qualitatis analogicè conueniens, quatenus est potentia, vel operatio immanens. Hanc autem esse formaliter ipsam Dei substantiam, etiam Aristoteles, aliique philosophi naturaliter demonstrarunt, probantes Dei essentiam esse actum purissimum, ac perpetuam sui ipsius fruitionẽ per cognitionem, & amorem. Quas perfectiones cuilibet diuinæ personæ necessariò conuenire demonstrat prædicta ratio philosophorum. Deinde *vbi*, & *quando* non aliter in diuinis personis reperiri possunt, nisi quantum ad immensitatem, & æternitatem, quas perfectiones naturalis ratio demonstrat, cuilibet diuinæ personæ necessariò conuenire, ac proinde ad substantiam pertinere.

8 Cum autem de duobus illis prædicamentis *situ*, & *habitu* dubitari non possit quin à Deo sint prorsus aliena; restant solummodo tria prædicamenta, videlicet *Actio* & *Passio*, nec non *Relatio* in illis fundata, ratione quorum personæ possint distingui: ac proinde non distinguentur proprietatibus absolutis absque origine.

9 Probatur tertiò. Quoniam singulæ personæ per absolutas proprietates constitutæ, carerent perfectione aliarum personarum, ita vt vna persona non haberet in se perfectionem hypostaticam alterius personæ, non modò per identitatem realem, sed neque per insessionem realem vnius personæ in altera. Mutuæ namque circuminsessionis

sessionis ratio est origo: & ea præbet vltimum complementum perfectioni vniuscuiusque personæ prout ostenditur disput. 30. sect. 5. & sequentibus. Hanc rationem attigit Athanasius præcedenti sectione citatus circa primam rationem S. Thomæ, & Fulgentius ad 5. obiectionem Arianorum relatus eadem sectione præcedenti.

10 Confirmatur. Quia si proprietates forent absolutæ, vna persona non perficeret aliam immediatè, nisi præcisè ex eo, quod perficerer naturam diuinam. Vnde quasi per accidens copularentur personalitates, in quantum cohærent cum vno tertio, videlicet, natura diuina, non verò quia vna personalitas aliam per se postulet, sicut Filius exigit Patrem, & Pater Filium, & persona dicens postulat immanens in se verbum.

11 Probatur quartò. Quia si personæ constituerentur per absoluta; non redderetur ratio, propter quam non essent plures personæ, quàm tres, vel certè non ita efficax, & à priori, sicut ratio, quæ nunc redditur, ex eo quod non sint plures processiones, quàm per intellectum, & voluntatem, de quo disp. 3. sect. 2. & disp. 33. sect. 2.

12 Consultò prætermito rationem, cui nititur Caietanus infra q. 33. art. 4. supra citato, & alij recentiores. Quia proprietas absoluta est perfectio simpliciter simplex, ideóque debet esse communis cuicumque personæ: relatio tamen non est perfectio simpliciter simplex: Hoc enim argumentum deficit propter dicenda disput. 30. sect. 9. & 10.

13 *Vnius tãtum persona proprietas absoluta impossibilis.* Secundum membrum erat. Non potest vna persona distingui per absolutã proprietatem, alia verò per proprietatem relatiuam. Probatur primò. Quia præcedentes rationes, probantes proprietatibus absolutis non posse distingui, & multiplicari personas; eædem non minus efficaciter probant vnicam proprietatem absolutam non posse propriam esse vnius tantum personæ, nec incõmunicabilem alteri personæ. Quælibet enim absoluta proprietas directè, & formaliter ratione sui non opponitur relatiuè, siue comparatione alterius absolutæ proprietatis, siue comparatione alterius proprietatis relatiuæ: sine qua oppositione impossibilem esse distinctionem, ostendit probatio 1. membri præcedentis.

14 Deinde, quælibet absoluta proprietas est substantia diuinitatis, etiamsi comparetur cum alia proprietate relatiua, quemadmodum dicebamus probatione 2. Denique quantum ad personam, absoluta proprietate constitutam, defuisset perfectio circuminsessionis, & ratio limitans numerum personarum; de quibus agebat probatio 3. & 4.

15 *Sola relatio originis in Deo.* Probatur secundò. Quia in Deo non est possibile aliud genus relationis, nisi quod fundatur in origine (vt probabitur membro sequenti) quapropter ex vnica relatione concluditur processio, quam probare intendimus. Declaratur, & confirmatur. Quoniam ex origine resultat necessariò mutua relatio inter principium, & personam procedentem à principio. Hæc igitur relatio sufficiet, vt distinguat vtramque personam: propterea quæ fruſtra ponitur prior alia proprietas absoluta, distinguens vnam personam ab alia.

16 Probatur tertiò. Nam quælibet relatio, distinguens personam relatiuam ab alia persona absoluta, vel esset relatio personæ productæ, vel personæ improductæ. Si ponitur esse relatio personæ productæ, iam eo ipso conceditur processio, quam probare intendimus. Si verò ponitur esse relatio personæ improductæ: non potest esse alia relatio, nisi personæ producentis (vt constabit membro sequenti.) Quælibet autem relatio personæ producentis necessariò debet esse communis cuilibet personæ diuinæ, quæ non producitur per illam productionem in qua fundatur talis relatio. Vnde sequitur, per talem relationem distingui non posse duas personas improductas, licet vna earum constituatur absoluta proprietate. Quod autem relatio personæ producentis deberet esse communis, sectione sequenti constabit. Nam quidquid vna persona produceret, æqualiter, & per modum vnius producentis, producet etiam alia.

17 *Absque origine non esset possibilis distinctio relatiua.* Membrum tertium, videlicet omnes personas diuinas nõ posse relationibus distingui, nisi præsupponatur origo. Probatur primò: quia relationes reales intra Deum existentes, esse nõ possunt aliæ, nisi quæ fundantur in origine, nimirum inter personam producentem, & productam. Tria quippe solummodo genera relationũ agnoscunt philosophi, videlicet vnitatis, mensuræ, & originis. Reales relationes vnitatis sunt impossibiles, nisi præsupponant extrema iam distincta per alias formalitates, sic enim esse poterunt similia, vel æqualia. Idcirco relationes vnitatis personarum distinctionem non possunt primariò, & formaliter constituere: vt omittamus aliam difficultatem, vtrùm realis relatio æqualitatis, aut similitudinis possit interuenire inter personas, quarum est omnimoda identitas substantiæ. De quo dicemus ad quæstionem 42. S. Thomæ.

18 Deinde relatio mensuræ non solùm prærequirit prius ratione constitutam esse distinctionem extremorum (quemadmodum dicebamus de relationibus vnitatis) sed etiam semper supponit defectum in altero extremorum, quod regulatur, & mensuratur ab altero: ideóque imperfectius est illo. Quælibet ergo relatio mensuræ repugnat cuicumque personæ diuinæ propter eius infinitatem, æternitatem, & immensitatem. Restat ergo sola relatio originis, quæ distinguere possit personas diuinas. Hæc autem necessariò præsupponit processionem vnius personæ ab alia. Hac ratione vtitur S. Thom. infra quæst. 28. art. 4.

19 Secunda, & tertia probatio sumi debet ex duabus postremis rationibus adductis pro membro primo, quippe quæ possunt eisdem viribus instaurari. Quia nisi relatio sit originis, nec locum inueniet circuminsessio personarum, nec numerus personarum limitationem accipiet ex numero processionum.

SECTIO V.

Præcedens discursus, & illius membra singula corroborantur aliis rationibus.

1 QVandoquidem probatum est, diuinas personas distingui non posse, nisi per relationes originis; ad huius assertionis complementum restat, ostendere, quòd vna persona non possit ab alia distingui, nisi per relationem originis mutuæ, videlicet, qua producat eam personam, vel producatur ab illa: quapropter inter duas personas improductas impossibilis erit distinctio per relationes originis, quas habeant in ordine ad alias personas productas ab illis. *Producẽs non posset distingui, nisi à persona; quã producit.*

2 Probatur primò. Quia relationes non habent vim distinguendi personas diuinas, nisi præcisè ratione oppositionis relatiuæ, ratione cuius solummodo

lummodo vendicant incommunicabilitatem: vt in præcedenti sect. memb. 1. probat. 1. dicebamus. At verò relationes originis non habent oppositionem relatiuam inter se inuicem, nisi præcisè quatenus sunt relationes mutuæ producentis, & producti. Ergo nullam oppositionem relatiuam inter se haberent duæ relationes originis in duabus personis improductis, fundatæ in productione aliarum personarum.

3 Confirmatur primò. Quia tales relationes personarum improductarum in ordine ad se inuicem non exercent respectum relatiuum, quin potius ita se habent ad inuicem, ac si essent proprietates absolutæ. Ergo cõmunicationem mutuam, & identitatem non magis excludunt, quam si essent proprietates absolutæ. Confirmatur secundò. Quoniam incommunicabilitas, & distinctio, quæ non fundatur in oppositione relatiua, prouenit ex limitatione, & imperfectione rerum distinctarum, & incommunicabilium.

4 Quibus suppositis facile fuerit instaurare rationes cæteras allatas pro memb. 1. sectionis præcedentis: vt quemadmodum probant, diuinas personas distingui nõ posse proprietatibus absolutis: sic etiam probent, distingui non posse proprietatibus relatiuis, nisi referantur ad inuicem.

5 *Secunda probatio.* Probatur secundò. Quia relationes personarum improductarum, & producentium vel referuntur ad eundem terminum productum, vel ad diuersos terminos productos. Si referuntur ad eundem terminum productum; non erit duplex, sed vnica tantum relatio in vtraque persona, quoniam vtraque concurret per modum vnius principij, vt magis constabit statim. Quòd autem relationes illæ referãtur ad diuersos terminos productos, inuoluit cõtradictionem, eo quòd quemlibet terminum produceret vna persona, produceret etiam alia; quia simul omnino coëxistit cum illa per æqualem necessitatem connexionis cum essentia diuina absque vllo prioritatis ordine, non solùm secundùm rem, sed etiam secundùm rationem.

6 Deinde quòd in illis personis non esset ordo realis, probatur; quia realis ordo in Deo non est possibilis alter, nisi ordo originis. Vnde colligitur præterea, inter duas personas improductas nullum esse rationis ordinem, quia nullum fundamentum excogitari posset, vt intellectus rationabiliter intelligeret vnius personalitatem, præsupponi ad aliam, vel priusquam aliam cum essentia cohærere. Ergo si duæ personæ improductæ forent eiusdem substantiæ diuinæ, & consequenter eiusdem potentiæ, voluntatis, & intellectus: consequens erit, vt quemcumque terminum produceret vna persona, ex necessitate produceret alia, & in eodem signo rationis absque vlla prioritate, vel discrimine in ratione principij producentis, ac proinde vnica tantùm esset earum personarum relatio: ergo per illam non possent ab inuicem distingui duæ personæ improductæ.

7 Confirmatur primò. Quia impossibile est ab eadem numero potentia produci aliquem terminum tanquam à principio, *Quo*, nisi procedat etiam tanquam à principio, *Quod*, ab omnibus suppositis quorum æqualiter est illa potentia, & simul absque prioritate procedat ab illis. Confirmatur secundò. Nam ob eam rationem Spiritus sanctus non potest à Patre procedere, quin procedat à Filio, nec potest à Filio procedere quin procedat à Patre, quia prius ratione, quàm voluntas amet, intelligitur productum verbum per intellectionem, quod est Filius, habens iam eandem voluntatem cum Patre, ideóque terminus per volitionem productus, debet à Filio, & Patre, tanquam ab vno principio procedere. Quod euidentius constat in creaturis ad extra productis, ad quas tres personæ absque prioritate, & inæqualitate concurrunt tanquam vnum principium.

Confirmatur tertiò. Quia licet per duas personas improductas plures aliæ personæ diuinæ producerentur, quasi specie distinctæ; & consequenter in ordine ad illas, tanquam ad terminos specie distinctos, distinctæ relationes essent in personis producentibus: adhuc illæ distinctæ relationes non distinguerent personas producentes; quia omnes, & singulæ relationes simul, & æqualiter deberentur cuilibet personę producenti, & improductæ, eo quod simul, & æqualiter quælibet persona produceret; quemadmodum si Pater, & Filius per impossibile producerent aliam personam specie distinctã ab Spiritu sancto; aliam relationem haberent vltra spirationem actiuam, sed ea non distingueret Patrem à Filio, sicut eos modò non distinguit spiratio actiua. 8

Vnde sumitur probatio tertia. Quia relationes existentes in personis improductis, vel essent quasi specie diuersæ; túncque diuersos specie terminos respicerent; ideóque supponeretur, terminum ab vna persona productum, non esse productum ab alia persona, quod iam ostendimus esse impossibile. Vel dictæ relationes forent quasi eiusdem speciei; idque contineret imperfectionem, quia distinctio numerica sub eadem ratione formali specifica, & infima, quasi materialis est duarum veluti partium vnius rationis, nec habet intra Deum vnde possit oriri, vt obseruat egregiè S. Thom. de potent. q. 10. artic. 2. corp. Præterea nullum habet terminum multitudo indiuiduorum solo numero distinctorum; sed vbi sunt possibilia duo indiuidua, sunt possibilia infinita, quod in personis diuinis absurdissimum foret. Vide quæ dicemus disp. 35. sect. 5. 9 *Tertia probatio.*

Eiusdem veritatis quarta ratio simul etiam probare potest totam assertionem, primariò intentam duabus præcedentibus sectionibus, videlicet diuinas personas aliter multiplicari non posse, nisi vnica persona sit improducta, cæteræ producantur ab illa. Nam vt fusiùs ponderat Ricardus Victorinus lib. 5. de Trinit. cap. 4. diuina persona improducta non secundum participationem, sed secundum plenitudinem habet potentiam productiuam. Rursus vbi est plenitudo potentiæ naturaliter operantis, ibi est productio cuiuslibet termini distincti à tali persona; cuius ratio est. Quia si ex persona improducta, *est omne posse, ex ipsa est omne esse, ex ipsa omne existere. Ex ipsa itaque est omne quod est, & omnis persona humana, angelica, & diuina.* Excessit autem Ricard. in fine præcedentis capitis secundi, cum dicit, hanc rationem non probabilem tantùm; sed etiam necessariam esse. 10 *Quarta probatio.*

Vnde sumitur ratio quinta non minus vniuersalis, quia personæ diuinæ, si omnes multiplicarentur sine origine; totus Deus esset sterilis, impotens, & infœcundus: quo argumento desumpto ex sacris literis, antiqui Patres communiter vrgent Arianos, negantes æternam generationem Verbi, vt referemus disp. 29. sect. 3. & 4. Si autem aliquæ personæ multiplicantur per originem; fruſtra, & per accidens ad eas producendas concurrerent plures improductæ personæ; siquidem 11 *Quinta probatio.*

dem vnica persona improducta propter infinitatem potentiæ foret sufficientissimum principium producendi quamlibet personam, cui sua natura potuisset communicari.

12 Confirmatur. Nam ex eo quod multæ personæ improductæ producant alias personas, inferuntur mille monstruositates absurdissimæ, quas extorquebit facilè, qui rogauerit, vtrùm illæ omnes personæ producerent terminum intellectionis, & volitionis, videlicet, verbum, & amorem in facto esse: Rursus vtrum omnes producerent eosdem, vel diuersos terminos: Deinde vtrùm verbum vnum ab illis productum esset imago diuersæ naturæ ab alio verbo, si fortè producuntur duo verba: si verò producitur vnicum verbum, quid opus erat, vel qua subordinatione, vel perfectate cohærerent plures personæ ad vnius verbi productionem? Insuper vtrùm plures personæ forent vnicus Pater illius verbi: præterea vtrùm verbo communicarent omnia præter esse Patrem: sic enim communicarent etiam personalitates, quibus illæ personæ distinguuntur ab inuicem: nam illæ non sunt esse Patrem.

13 Interroget etiam, cui muneri, vel vtilitati deseruirent tot personæ, si non forent otiosæ, & superuacuæ; nam Verbum modo est terminus intellectionis, & Spiritus sanctus est terminus amoris; ideoque per se requiruntur ad complementum perfectionis diuinæ, vt ostendemus disp. 29. sect. 3. & 4. Verbo Pater dicit, & iubet quæcumque dicit, & iubet, Pater, & Verbum Spiritu sancto amat quæcumque amat, & vult. Nec restat aliud munus, quod cæteris personis committatur.

14 *Sexta probatio.* Sextam rationem accipe ex Scoto 1. dist. 2. q. 5. supra citata. Quia vnica essentia non videtur ex se immediatè habere posse plures modos essendi, videlicet, plures subsistentias, sed vnam primò, & per illam subordinatè per originem, mediantibus productionibus, aliam, aut alias subsistentias. Addit præterea Scotus inconueniens illatum ex pluribus personis improductis, quod eadem ratione possent in infinitum multiplicari. Nam ingenitum si potest esse in pluribus suppositis, non determinaretur ab aliquo, vt sit in tot suppositis, & non in pluribus. Etenim determinari ab alio ad esse in tot suppositis, est contra rationem ingeniti.

15 *Congruitia.* Tandem aptissimæ congruentiæ probabilitatem habet ratio Ricardi Victor. lib. 5. de Trinit. cap. 2. quia iucundissima personarum germanitas deesse non potest summæ fœlicitati, & perfectionis plenitudini. At verò si plures personæ fuissent improductæ, carerent iucundissima germanitate, quam modo habent ex eo, quod secunda persona sit Filius primæ, & tertia persona sit nexus amoris inter vtramque personam, & ab vtraque procedens. Confirmat Ricard. quia foret absurdum, si personæ, quæ ex parte substantiæ sunt vnum, ex parte substantiarum forent ab omni cognatione, vel coniunctione, aut connexione distantes.

SECTIO VI.

Proceßiones ad intra Deo realiter, & propriè conuenire cum ſubordinatione originis inter ipſas proceßiones.

1 PRimum istius assertionis membrum ex parte probatum est sect. 1. Nunc præterea confirmatur primò: nam Ioann. 8. *Ego*, inquit, *ex Deo proceſſi.* & cap. 15. fin. *Paraclitus qui à Patre procedit.* Quibus in locis obseruanda est certissima regula exponendi sacram Scripturam absque metaphora, seruata proprietate verborum, quoties aliud testimonium Scripturæ, vel efficax ratio non compellit à proprietate deficere ad figuram sermonis minus propriam.

Atqui contra proprietatem, & realitatem diuinarum processionum non modò Scriptura nihil habet; sed etiam abundat plurimis locis veteris, & noui testamenti, quæ Filij processionem non obscurè docent, vt illud Ecclesiastici 24. *ſub init. Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam*: & illud Psalm. 44. meritò celebratum à Patribus communiter. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Clariora sunt testimonia noui testamenti propriis verbis *Filium*, & *Vnigenitum* proferentia. Vt magis constabit disp. 4. De Spiritus sancti processione plura videbimus in propria disput. In his proferentur testimonia conciliorum, & Patrum, qui manifestè decernunt processionem vtriusque personæ. 2

Nunc prima ratio manifestè deducitur ex tribus positis in sect. præced. Quia personæ diuinæ non possunt multiplicari, & distingui realiter, nisi per relationem originis fundatam in processione. Ergo metaphorica processio, vel illa, quæ non realiter, sed tantummodo secundùm rationem esset processio, non sufficeret, vt personæ distinguerentur reali, & propria distinctione, sed tantùm metaphorica distinctione, vel secundum modum concipiendi; quemadmodum attributa diuina distinguuntur ab inuidem, & à personalitatibus. At verò de fide est, personas diuinas realiter, & propriè distingui: ergo processiones, à quibus prouenit distinctio, sunt reales, & propriæ. Confirmatur. Quia vnica tantùm persona potest esse propriè, & realiter improducta, vt in præcedentibus sectionibus probatum est: ergo cæterę personę sunt propriè, & realiter productæ. 3

Secundò probari potest ex virtute, ac potestate diuinæ intellectionis, vt per eam persona intelligens producat proprium illius terminum, videlicet, verbum: nec non ex virtute, ac potestate diuinæ volitionis, vt per eam producatur proprius terminus, videlicet, amor in facto esse. Verùm hæc tractabuntur ex professo disp. 3. sect. 2. 4

Hucusque positæ sunt rationes supponentes multitudinem personarum, vltra quas operæ pretium erit attingere rationes, quæ simpliciter, & absque prædicta suppositione probant, Deo conuenire realem processionem: vnde etiam probant multitudinem personarum, propterea quæ fusius tractabuntur disput. 33. sect. 2. Prima ratio congruentiæ, quia bonum est sui communicatiuum, secundùm Dionysium de cælesti Hierarchia cap. 4. sed Deus est summè bonus. Ergo summè se communicabit. Rursus creaturis non potest summè se communicare, quia non capiunt totam Dei bonitatem. Oportet *igitur*, quòd se communicet alteri personæ diuinæ. Hæc autem communicatio fieri non potest nisi per processionem vnius personæ ab altera. Siquidem impossibilis est communicatio, multiplicando naturam diuinam. 5 *Congruentia multiplicationis personarum.*

Secunda congruentia est. Quia perfecta charitas est amor gratuitus, qui tendit in alium: hic autem non erit amor summus, nisi summoperè diligat. Insuper summoperè diligere creaturam foret inordinatum; quoniam creatura non est summa dilectione digna. Ergo necessarium est, in 6

in ipsa creatrice essentia reperiri summè diligentem personam, & summè dilectam. Cum autem dilectio sit alteri velle bonum, & communicare bonum; summa dilectio consistet in consummatione summi boni; quæ non fit nisi persona vna communicet alteri suam essentiam per productionem, & processionem. Confirmatur. Quoniam processio sicut arctius coniungit personam procedentem cum producente, sic etiam auget rationem summæ dilectionis.

7 Secundam congruentiam, quæ sumitur ex charitate, fusiùs persequitur Ricard. Victor. lib. 3. de Trinit. à c. 2. vsque ad 20. & lib. 5. à cap. 16. vsque ad 24. vtrobique certitudinem, euidentiamque tribuens, qua necessariò concludat. Excessit tamen. Nõ enim necessario cõcludũt prædictæ congruentiæ, quemadmodum admonuit S. Thom. 1 sent. dist. 2. quæst. 1. art. 4. quamuis illas afferat vt probabiles: fusiùs autem illas, & alias exponunt, atque defendunt in eadem dist. 2. Bonauent. art. 1. q. 4. Ricard. art. 2. q. 1. Alex. 1. p. q. 43. memb. 5. & quæst. 45. membr. 7. Albert. 1. p. q. 42. memb. 3. iuncta etiam q. 30. membr. 1. Henricus in sum. art. 43. q. 8. & 9. & art. 54. quæst. 2. & quodlibet. 6. q. 1. Aliis rationibus congruentiæ maiorem probabilitatem arrogat Duran. 1. dist. 2. q. 4.

8 *Subordinatio inter processiones.* Secundum membrum assertionis, in titulo præfixæ, fuit subordinatio, per quam vna processio prius origine supponit aliam: quod probatur ex dictis sect. præcedenti, præsertim à principio, quia vna persona non potest ab alia distingui, nisi per relationem originis mutuæ, videlicet, qua producat personam, à qua distinguitur, vel producatur ab illa. Ergo non distinguentur realiter inter se personæ productæ, nisi subordinentur earum processiones, ita vt prius origine supponatur persona producta, quæ est principium producens, & posterius origine sit alia persona producta ab eo principio producto, & producente.

9 Confirmatur primò. Quia nisi personæ productæ dicto modo subordinarentur, non haberent inter se relatiuam oppositionem originis, per quam distinguerentur ab inuicem, vt sect. præcedenti sub init. probatum est. Confirmatur secundò. Quia strictior necessitudo, germanitas, & connexio inter personas productas sequitur ex prædicta subordinatione processionum, iuxta rationem congruentiæ ex Ricardo allatam in fine sect. præcedentis. Denique certiùs hæc veritas constabit, quando probauerimus, Spiritum sanctum à Patre, Filióque procedere disp. 67. & disp. 106. processiones habere ordinem naturæ.

DISPVTATIO II.

An processiones diuinæ sint operationes intellectus, & voluntatis.

SECTIO I.

Negantium tres sententiæ, & earum fundamenta.

1 *Prima sent. Ricard. Victor.* PRima sententia asserit, vtramque processionem, videlicet, Filij, & Spiritus sancti esse per voluntatem. Ita Ricard. de S. Victor. docuit lib. 3. de Trinit. à cap. 2. vsque ad 20. in quibus pluralitatem personarum vsque ad tres personas probat ea tantùm ratione, quæ pertinet ad perfectionem amoris, nulla mentione facta de peculiari modo procedendi per intellectum, & lib. 6. de Trinit. cap. 6. prope med. *Quærendum*, inquit, *in primis iuxta intentionem producentis quid sit inter processionem vnius, & processionem alterius. Quamuis enim vterq; procedat de voluntate Paterna, potest tamen esse in hac gemina processione causa diuersa.*

2 Rationem autem diuersitatis statim assignat. *Quod innascibilis condignum habere voluit, & pro voluntate habere oportuit.* Condignũ intelligit Filium, nam de Spiritu sancto continuo subiungit; *Nec solum condignum, sed etiam condilectum habere voluit, & pro voluntate habere oportuit.* &c. Quam rationem fusiùs explicat in eodem cap. 6. & 7.

3 Quin etiam toto lib. 3. & sequentibus vsque ad 6. oblatis occasionibus nõ paucis, Ricard. nullam mentionem facit processionis per intellectum, etiam quando reddit rationem, propter quam Filius sit sapientia, verbum, & imago Dei; vt videre est peculiariter lib. 6. cap. 11. 12. & 13. & in sequenti tractat. ad Diuum Bernard. de tribus appropriatis personis. Quapropter pietas est magis laudanda, quàm veritas quorumdam theologorum, qui conantur ab hac opinione vindicare Ricardum.

4 Sed obiiciunt, etiam Alexandrum 1. p. q. 43. memb. 5. & q. 45. memb. 7. Bonau. 1. dist. 2. q. 4. Marsil. 1. q. 6. art. 1. conc. 3. Eadem ratione probare personas diuinas esse debere tres, quoniam alicui perfectus non esset amor. Verumtamen eadem congruentia ponitur à S. Thoma, & omnibus ferè antiquioribus scholasticis nuper citatis in disp. præced. sect. 6. & citandis in disp. 3. sect. 1. post congruentias. Ideo Respond. Si nihil amplius dixisset Ricardus, quàm Scholastici prædicti, & suam illam rationem cohibuisset, ac temperasset, ne procederet vlterius, quàm scholastici prædicti processerunt: valde probabilis esset coniectura, quòd nihil sensisset contra processionem intellectualem. Aliter autem res habet, vt nuper ostendimus. Denique Alex. Bonauent. & Marsil. non minus apertè, quàm cæteri scholastici fatentur, alteram processionem esse per intellectũ, alteram per volũtatem. Quo circa nullũ ex illis argumentum sumitur, quod non posset ex cæteris accipi.

5 *Secunda sententia.* Secunda sententia Durandi 1. dist. 6. quæst. 2. & dist. 10. q. 2. & dist. 27. q. 3. asserit, Filium propriè non per intellectum, neque Spiritum sanctum per voluntatem procedere, sed proximè vtrumque per naturam diuinam, vt natura est: quadam autem accommodatione intellectui processionem Filij; sed Spiritus sancti processionem tribui voluntati, vt videbimus sect. 3. Vnde infert, nullam esse rationem congruentiæ, qua S. Thomas in præsenti q. 27. art. 5. numerum processionum deducit ex numero operationum immanentium: de quo dicemus disput. 3. Eidem sententiæ valde fauent, & consensisse dixissem Argentinam 1. dist. 2. q. 2. art. 4. ad argumẽta primę opinionis, & Marsil. 1. sent. q. 6. art. 1. prope finem, nisi postea reperissem alia loca, quibus eam sententiam ex professo refutant, quæ citabimus sect. sequenti.

6 Durandi fortasse argumentis, & authoritate fretus Hieronymus quidam Zancklius, nostra tempestate, licet alioqui hæreticus, pro Trinitatis mysterio librum Heydelbergæ conscribens, dixit: *Theologorum axioma*, quod Filius procedat per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem, esse temerarium. Quod referunt Valentia controuersia de Trinit. lib. 2. cap. 4. & Vazquez 1. p. disp. 111. cap. 1.

Argumenta

7 *Argumenta.* Argumenta Durandi sunt hæc. Primum, quia productiones personarum sunt actus notionales, & non essentiales; sed intelligere, & velle sunt actus essentiales, & non notionales; ergo non sunt ipsæ productiones.

8 Secundum. Quia cuicumque conuenit actus, per quem persona producitur, eidem competit producere personam, ad quam actus terminatur; sicut cui competit generare, competit producere Filium. Sed intelligere & velle competunt omnibus personis diuinis: ergo si isti actus essent productiones personarum, cuilibet personæ competeret producere Filium, & Spiritum sanctum, quod est falsum.

9 Tertium argumentum. Quia productiones personarum differunt realiter, sed intelligere, & velle non differunt aliquo modo realiter, nec absoluta, nec relatiua realitæ. ergo non sunt productiones.

10 Quartum argumentum. Quia cõditio actuum intelligendi, & volendi est opposita fœcunditati. Hæc enim est conditio actus intelligendi, vel volendi, quod ex ipsis nihil aliud constituitur, seu consequitur, vt patet ex 9. Metaphysicæ. Confirmat. Quia secũdum idem proportionaliter competit fœcunditas creaturis, & Deo. Sed fœcunditas aliquid producendi competit creaturis, non ex hoc, quòd sunt intelligentes, & volentes, sed per aliquid aliud prius, & communius. Vnde, & virtus generandi per aliud inuenitur in rebus inanimatis, vel in animalibus carentibus intellectu: & vbi inuenitur in rebus habentibus intellectum, hoc non est per intelligere, & velle, aut per aliquid ad hoc pertinens. Ergo similiter Deo non competit fœcunditas ex eo, quod sit intelligens, aut volens, sed immediatè propter infinitatem, potentiámque naturæ.

11 Quintum argumentum. Quia natura diuina prior est quàm intellectus, & voluntas: sed natura diuina propter suam infinitatem potens est generare, & spirare sine vlla potentia media. Ergo ante intellectum, & voluntatem iam immediatè per naturam diuinam intelligitur existere vtraque processio.

12 Sextum argumentum accipit ex impugnatione rationis, quæ probat, Verbum produci per intellectionem: quia Durandus existimat, Verbum, quatenus per intellectionem procedit, solummodo prodire intentionaliter simile; at verò quatenus per naturam producitur, euadere simile in natura.

13 His adiungunt Authores alij (sub nomine Durandi) aliud argumentum ex Patribus, qui dicunt, Filium à Patre procedere natura, & non voluntate, quemadmodum Hilarius lib. de Synodis post med. *Omnibus*, inquit, *creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit Filio ex impassibili, ac non nata substantia perfecta natiuitas.* Et Augustinus 15. de Trinit. cap. 20. ait. *Verbum esse Filium naturæ, non voluntatis.* Cuiusmodi plura testimonia referemus quæst. 41. art. 2.

14 *Tertia sententia.* Tertia sententia docet, naturam diuinam, intellectum, & voluntatem esse principium immediatum vtriusque processionis, neque magis immediatè principiũ esse vnius processionis, quam alterius; quoniam existimat, naturam diuinam non modò non re, verum neque ratione ratiocinata distingui ab intellectu, & voluntate, sed nudis nominibus, idem prorsus significantibus: quamuis quorundam attributorum nomina diuersas creaturas connotent. Ita docuit expresse Gregorius in 1. distinct. 13. quæst. vnica, iuncta distinct. 8. quæst. 2. art. 1. & cum Ochamo Gabriel distinct. 7. quæst. 2. iuncta distinct. 11. q. 1. artic. 2. Quapropter absque pleno examine Gregorius à quibusdam Authoribus excusatur.

Eodem in genere veriùs, sed minus consequenter Maior. in 1. distinct. 8. quæst. 1. negat omnem distinctionem rationis inter intellectum, voluntatem, & naturam Dei. Sed distinct. 10. quæst. 1. ad 4. & distinct. 13. quæst. vnica post med. concedit Filium procedere per intellectum, non per voluntatem; sed Spiritum sanctum procedere per voluntatem, & non per intellectum. Fundamentum huius opinionis, videlicet, distinctio, vel identitas inter naturam, intellectum, & voluntatem, examinabitur disput. 12.

SECTIO II.

Processiones diuinas esse intellectionem, & volitionem.

1 NOtandum est primò, multa de processionibus, & earum quidditate fore tractanda in aliis disputationibus: Peculiariter autem actus notionales, seu processiones non solùm esse operationes intelligendi, & volendi; sed etiam quidditatiuè claudere aliquid relatiuum, tractandum erit disput. 59. sect. 4. & 5. Potentias item per quas procedunt Filius, & Spiritus sanctus, non solum esse intellectum, & voluntatem, sed etiam quidditatiuè continere aliquid relatiuum, tractandum erit inferius circa quæstionem 41. art. 4. & 5. Nunc verò tantum intendimus, processionem Filij secundùm suam rationem formalem, explicitam, & propriam, esse intellectionem, non autem volitionem: è contrariòque processionem Spiritus sancti, secundùm suam rationem formalem, explicitam, & propriam, esse volitionem, non verò intellectionem. *Quomodo processio Filij sit intellectio.*

2 Secundò aduertendum est, idem prorsus esse procedere per intellectum, & per intellectionem, seu per operationem intelligendi: sicut etiam idem prorsus est procedere per voluntatem, siue per volitionem, aut amorem, siue per operationem volendi. Cuius ratio est, quia nec re, nec ratione ratiocinata distinguitur potentia intellectiua ab intellectione diuina, sicut neque potentia volitiua distinguitur à volitione; vt probatum est supra quæst. 14. art. 1. & quæst. 19. art. 1.

3 *Distinctio rationis sufficit ad contradictoria prædicata.* Tertiò notandum est, absque distinctione reali, & actuali satis esse distinctionem rationis cum fundamento in re, vt prædicatum aliquod affirmari possit de vno subiecto, & non de altero, licet identificetur realiter cum illo; sic enim verè dicimus, Deum per volitionem formaliter amare, non autem per intellectionem. Et quamuis de fide sit, quòd Pater Filium generet: nihilominus contra fidem erit hæc propositio: *Essentia generat essentiam*, vt ostendemus ad quæstionem 39. artic. 5.

4 Impræsentiarum verò fundamentum distinguendi, & verificandi propositionem vnam, & aliam falsificandi, consistit in eo, quòd Verbi proprietas, illius constitutiua formaliter, vt talis est, exigat perfectionem intellectionis, non autem volitionis: sed proprietas constitutiua Spiritus sancti formaliter, vt talis est, exigat perfectionem volitionis, non autem intellectionis. Vnde fit naturam diuinam, vt natura est, præcisa operatione intelligendi, & amandi, non esse immediatè sufficientem,

cientem, neque proximè aptam, vt ex ea procedat Verbum, aut Amor in facto esse.

5 *Conclusio certa.* Sit igitur conclusio omnino certa, & fidei proxima. Processiones diuinæ non sunt immediatè per essentiam diuinam, vt ab intellectu, & voluntate distinguitur: sed quidditatiuè sunt operationes intelligendi, & volendi. Ita sentiunt omnes scholastici (præter Durandum, Gregorium Ochamum, & Gabrielem citatos sect. 1.) Peculiariter S. Thom. tota hac q. 27. præsertim ar. 1. 3. & 5. quæst. 41. art. 2. & alibi sæpe. Alexander. 1. p. q. 42. memb. 2. & q. 43. memb. 3. Albert. 1. p. quæst. 30. memb. 2. & q. 31. memb. 2. D. Bonauent. in 1. dist. 6. art. 1. q. 2. & dist. 10. per plures quæstiones. & dist. 27. p. 2. q. 1. Henric. quodlibet. 6. quæst. 1. & in summa art. 54. q. 9. & 10. & multo copiosiùs artic. 60. quæst. 1. Scotus quodlib. 2. art. 2. & in 1. Sententiarum dist. 2. quæst. 1. illius dist. quæst. 4. quæ est in ordine 7. & dist. 27. q. 1. & 2. Ricard. dist. 2. art. 2. quæst. 2. & dist. 10. art. 1. q. 1. & fusius dist. 27. art. 2. q. 1. & 2.

6 Magis ex professo, & expresè refellentes fundamenta Durandi Argentinas 1. dist. 10. quæst. vnica art. 2. Marsilius in 1. sentent. quæst. 14. art. 2. non longe post princip. Communiter schola S. Thomæ, vt Capreolus in 1. dist. 9. 10. & 27. q. 2. Ferrarien. 4. contra gentes cap. 11. 12. & 13. & c. 19. Cæteri expositores 1. p. tota q. 27. vbi Caietanus Canarien, Bañez, Zumel, Molina, Valentia, Vazquez, Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 5.

7 Probatur primò. Quia sacra Scriptura Filium Dei appellat Verbum. Ioann. 1. & 1. Ionn. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & ij tres vnum sunt.* Apocal. 19. *Nomen eius Verbum Dei.* Verbum autem non procedit, nisi à dicente, in quantum dicens est, ideoque dicere est actio, per quam producitur Verbum. Insuper omne dicere Dei est intelligere, quia omne dicere est cognoscere, & significare, seu repræsentare modo cognoscitiuo; in Deo autem alia cognitio, significatio, seu repræsentatio non est possibilis, nisi intellectio. Obiter admoneo, hoc argumento non definiri *dicere* secundum suam integram differentiam, sed tantum assumi pro medio prædicatum commune, quod illi necessariò conuenit, veluti si probares hominem esse sensitiuum, quia est animal. Aliquid autem peculiare importat *dicere*, quod explicabitur disp. 59. & 60.

8 *Ex eo quod sit Verbum, infertur processio per intellectionem.* Confirmatur. Nam Patres communiter ex eo, quòd Filius sit verbum, inferunt procedere ex mente, cogitatione, ratione, sensu, & vi enuntiatiua. Sic Irenæus lib. 2. aduersus hæreses. cap. 48. init. *Deus*, inquit, *totus existens mens, & totus existens logos; quod cogitat, hoc & loquitur, & quod loquitur, hoc & cogitat. Cogitatio enim eius logos, & logos mens, & omnia concludens mens, ipse est Pater.* Vbi quamuis ambiguum esse videatur, vtrum personæ Patris attribuat esse logon: cæterum hoc relinqui soli Filio, colligitur ex postremis verbis eiusdem capitis: *Quoniam ex cogitatione, & sensu verbum emittitur, hoc vtiq; omnes sciunt homines.* Magis autem constabit disp. 57. sect. 2. ad fin. & sect. 5. ad 12. argumentum. Quod ad præsens attinet, est per quam actionem emittatur verbum, & quam certum id existimauerit Irenæus.

9 Clariora sunt aliorum Patrum testimonia de processione Verbi ex mente Patris, vt dictum est. Nazianz. orat. 36. quæ est 4. de Theologia multo propius ad finem, quàm ad med. num. 81. ait: *Verbum dicitur, quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre, vimq; enuntiatricem. Fortasse etiam, quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum* &c. Perpende; *vim enuntiatricem, definitionem*, ac *sermonem*, omnia solius intellectus esse operationes.

10 Chrysost. orat. 1. de illo Euangelico oraculo. *In principio erat Verbum.* prope init. *Quemadmodum*, inquit, *mens nostra sermonem, vel verbum procreans, nulla id perpessione facit: sic etiam omni perpessione vacua est, illa quæ neque dicendo explanari, neque mente comprehendi potest diuina generatio.* Idem Chrysost. tomo 5. versus fin. orat. 9. de illo Abrahami: *Pone manum tuam sub fœmur meum:* multo propius ad med. quàm ad princip. *Quemadmodum*, inquit, *sese habet sermo ad mentem; sic vnigenitus Deus, Verbum sese habet ad Patrem.*

11 Basilius homil. 16. ad illud: *In principio erat Verbum.* post med. ait: *Cur Verbum? vt quod ex mente procedit, ostendatur.* Idémque lib. 5. contra Eunom. multo propius ad med. quàm ad fin. *Pater Filij genitor, vt mens Verbi Pater, vt sapiens, qui sapientiam genuit.*

12 Magis ex professo similitudinem ex verbo creato desumptam exposuit Nyssenus orat. Catech. cap. 1. sub init. dicens: *Qui fatetur Deum non carere ratione, omnino assentietur, eum, qui non caret ratione, habere rationem. Atqui humana quoq; ratio æquiuocè dicitur. Si ergo dicat se rationem, & verbum intelligere ad similitudinem eorum, quæ sunt in nobis: sic ad sublimiorem deducetur opinionem. Omnino enim necesse est, vt credat, rationem esse naturæ congruentem, vt & alia omnia.*

13 Idem Nissenus epist. contra Apollinarem, quæ est de imagine, & similitudine multo propius ad med. quam ad princip. *Generatur*, ait, *in corde Verbum generatione quadam incomprehensibili, atque incorporea: manetq; intus incognitum: ac secunda generatione corporea per labra generatur tuncq; omnibus innotescit: sed ab anima tamen quæ ipsum genuit, non auellitur: vt per duplicem verbi nostri generationem manifestè duas Dei Verbi generationes secundum imaginem, & similitudinem ediscamus. Genitus enim est indiuisibili, & inexplicabili, atque incomprehensibili ratione ex Patre ante sæcula, eratq; incognitus tanquam in anima quadam apud Patrem* &c. & inter med. & fin. eiusd. epistol. *Si Deum Verbum negaris, dixerisque cum Deo, & Patre non esse: rationis expertem, ac belluinum prædicaturus Deum.*

14 Athanasius oratione contra Gregales Sabellij paulo post princip. illos refellit, quia Deum *magis sterilem existimarent, quàm vt gignat viuens Verbum, & sapientiam veram.* Et sequenti contextu concedens quod dicebant: *Deum in mente habere Verbum:* refellit quod addebant; *non esse reuera ex ipsa genitum, & personam subsistentem, & viuentem* Et orat. 5. contra Arianos prope med. ait: *Quis ex Patre est, nisi Verbum ex corde progressum?* & infra: *Vt enim ex corde Verbum, ita ex vtero filius:* & confirmat psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* collato cum psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Quem versum communiter Patres intelligunt de processione Verbi ex æterno Patre, quos referemus disp. 58. sect. 1.

15 Dionysius Alexan. tam in primo quàm in secundo volumine fusè declarat similitudinem Verbi procedentis ex mente, apud Athanas. epist. de sententia Dionysij Episcopi Alexan. contra Arianos non longè ante fin. Peculiariter notanda sunt illa verba: *Estq; mens, quia per se existit Verbi Pater: Verbum autem veluti Filius mentis, quod vt ante mentem extiterit impossibile est, ita nequaquam sine ea, sed vnà cum ea extitit, & ab illa progerminatum est. Eodem quoque modo Pater maximus, & in solidum mens, Filium suum Verbum, interpretem, & nuncium sui habet.* Vnde Athanasius infert quòd Dionysius *Verbum proprium substantiæ Patris esse doceat, idque eadem ratione, qua Verbum ex mentis substantia.*

16 Theodotus Ancyræ Episcopus homilia in natale Seruatoris, quæ habetur in Concilio Ephesino tomo 6. illius cap. 10. in principio paulo post med. homiliæ, adducto prius exemplo Verbi, quod tuæ mentis proles est, adiungit post pauca: *Cum ergo exemplum hoc euidens existat, expressamq; imaginem gerat, agedum similitudinem hanc ipsi prototypo adaptemus. Hìc itaque cernis mentem, ibi Patrem. Hìc Verbum ex mente productum agnoscis; ibi Verbum essentiale, subsisténtsque ex Patre natum vides.*

17 Eusebius Cæsariensis de præparat. Euangelica lib. 11. cap. 10. ad probandam Verbi diuinitatem productis testimoniis veteris testamenti vt Psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* & Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* & Psal. 106. *Misit Verbum suum, & sanauit eos.* Et quoniam *Salomon vocabulo sapientiæ, pro vocabulo Verbi vsus, hæc ex persona ipsius sapientiæ dicit: Dominus possedit me, &c.* Refert inferius sententiam Plotini in lib. de tribus hypostasibus, vbi Patrem appellat perfectissimum, ac maximum, & secundum post illud intellectum, *qui à summo intellectu natus est.* Et post pauca subiungit: *Quando autem etiam optimum est illud quod genuit, necessariò cum illo simul est, vt in eo solummodo, quod alius est, separetur, imaginem enim illius intellectum esse dicimus.*

18 Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioann. cap. 5. paulo post med. *Filius*, inquit, *appellatur Verbum ac sapientia, quoniam ex intellectu immediatè, atque indiuisibiliter est. Et propter istarum rerum (vt ita dixerim) reciprocam immissionem, mens enim, & intellectus in Verbo, si sapientia est, & Verbum rursus ac sapientia in intellectu conspiciuntur.* Idem confirmat toto illo cap. & sequenti, quemadmodum & lib. 1. thesauri, cap. 5. & 6.

19 Idem Cyrillus Dialog. de Trinit. lib. 2. inter med. & fin. *Mens*, inquit, *humana parit, & emittit à se ipsa verbum, & mota subtili parturitione profert quod placet, & discursibus ad superiora, & exteriora substantiali quodammodo natiuitate Verbum nobis fingitur.* Quod exemplum non longè inferius Patri, & Filio accommodat: *Quia Verbi ex mente enunciatio, etiam natiuitas est passionis expers, & genitum non diuidetur, manet autem magis in mente quæ genuit, & mentem quæ genuit in se habebit, sufficientissimèque, & manifestè demonstrabit.* Hæc autem colligit ex Psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.*

20 Theodoretus in Epitome diuin. decret. cap. 2. de Filio ferè inter med. & fin. *Vnigenitus*, inquit, *Filius ex Patre quidem est genitus: est autem vnà cum mente, vt Verbum cum eo, qui genuit.* Et paulo inferius rationem ita reddit: *Neque enim mens nostra sermonem parturiens sopnes habet coniunctione fœmina: aut sectionem, fluxionémve sustinet, sed vt quæ perfecta ipsa est, perfectum sermonem efficit.* Et lib. 2. Græcanicarum affectionum, qui est de principiis, propius ad fin. quàm ad med. refert à Platone, iuxta expositionem Plotini, & Numenij, Filium, seu Verbum appellatum fuisse *mentem.*

21 Damascenus lib. 1. fidei cap. 6. in med. *Quem-Ruiz. de Trinitate.*

admodum, inquit, *ex mente verbum nostrum prodiens*, &c. Et cap. 18. prope finem de Filio sic loquitur: *Verbum est naturalis mentis motio, secundum quam mouetur, intelligit, & cogitat, veluti lux ipsius existens, atque splendor. Verbum rursus est, quod internum, & in corde promitur. & iterum, Verbum est nuncius intelligentiæ.*

22 Theophylactus Ioan. 1. non procul à princip. *Sicut Verbum gignitur ex mente sine passione, ita & hic à Patre natus est absque vlla affectione.* Et post pauca: *Sicut dici nequit mentem aliquando esse absque Verbo, ita neque Patrem, & Deum absque Filio.*

23 Lactantius de vera sapientia lib. 4. cap. 8. & 9. probat Filium Dei esse Verbum, non vtero, sed mente conceptum. Ita intelligens id Psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum*, &c. & Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.*

24 Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 5. post med. *Generatus est*, inquit, *quasi verbum ex corde.* & lib. 4. cap. 4. defendit aduersus Arianos *ideo dici genitum & natum, quia Verbum est.*

25 Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 6. prope fin. *Illic* (ait, videlicet in animo nostro) *intelligendo conspicimus tanquam dicentem, & Verbum eius, id est Patrem, & Filium, atque inde procedentem charitatem, vtrique communem, scilicet Spiritum sanctum. An trinitates istas ad sensus nostros, vel ad animos pertinentes videmus potius, quàm credimus?* Et post pauca concludit: *Ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet, & notitia sui, & dilectio sui. Sic enim & in homine inuenimus trinitatem, id est mentem, & notitiam, qua se nouit, & dilectionem, qua se diligit.* Et in eodem lib. 15. c. 13. ad fin. & cap. 14. & cap. 27. persequitur eandem similitudinem humani Verbi, vt ostendat quomodo Pater seipsum perfectè dicendo producat Verbum. Fusiùs autem apud Augustin. tomo 9. Liber de cognitione veræ vitæ cap. 14. 16. 17. & 18. licèt in aliis ab Augustino degenerans, in hoc tamen sensum, & verba sequutus.

26 Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. in med. *Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente Verbum.* Et post pauca: *Nihil aliud est apud se dicere, quàm apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, cogitando Verbum generat*, &c.

27 Anselmus in Monolog. cap. 46. *Rem*, inquit, *cogitare, cuius memoriam habemus, hoc est, mente eam dicere; Verbum verò rei est ipsa cogitatio, ad eius similitudinem ex memoria formata: Hinc itaque liquido animaduerti potest de summa sapientia, quæ sic semper se dicit, sicut semper sui memor est: quia de æterna memoria cœternum Verbum nascitur. Sicut igitur Verbum congruè intelligitur proles: ita memoria, parentis nomen aptissimè suscipit.* Quod magis explicat in sequente cap. 47. & cap. 53. vt referemus disput. 6. sect. 2. ad fin.

28 Isidorus etymolog. lib. 7. cap. 2. circa med. ait: *Filius vocatur Verbum, quia per eum Pater omnia condidit, siue iussit.* Et lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 5. *Filius est Verbum, quia propriè ex diuino ore processit.*

29 Hugo Victor. vestigiis insistens prædictorum Patrum, præsertim Augustini, processionem Verbi ex mente Patris æterni. In ratione sapientiæ genitæ, nec non processionem Spiritus sancti in ratione amoris declarat exemplo humani Verbi, & amoris lib. 7. eruditionis theologicæ de Trinitatis per visibilia cognitione cap. 21. & in summa sentent. tract. 1. cap. 6. Denique Magister in 2. sentent. distinct. 5. prope finem. & dist. 39. sub init. recipit aliqua ex citatis verbis Augustini.

30 Probatur secundò. Quia Filius Dei propter

Filius sapientia Patris.

peculiarem rationem personalem dicitur in sacris literis, & verè est sapientia Dei, videlicet, Patris, ex eius namque persona Prouerb. 8. dicitur: *Dominus possedit me. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* Et Sapientiæ 7. ad fin. *Vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam,* & quæ sequuntur in eo cap. Quæ testimonia de Filio Verbo Dei Sixtus Papa secundus intelligit, in epist. 1. ad Gratum Episc. quæ habetur post Carthaginense Concil. tomo 1. Similiter etiam intelligunt Orientales Episcopi canone 5. quem confirmat Hilarius lib. de Synodis, col. 8.

31 Nec solum citata testimonia veteris testamenti, sed potissimum illud Pauli 1. Corinth. 1. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* communiter Patres referunt ad personalem proprietatem Verbi pertinentem ad intellectum diuinum, quos referemus disputat. 58. sect. 4. & 5. Sufficiat nunc Athenagoras antiquissimus in legatione pro Christianis propiùs ad med. quàm ad princip. dicens: *Filius Dei, est Verbum Patris in idea, & efficacia.* Et post pauca: *Mens, & Verbum Dei, Filius Dei est.*

32 Regula fidei, quam Ioann. Euangelista iussu beatissimæ Virginis in visione tradidit Gregorio Thaumaturgo, quam Gregorius Nyssenus in eius vita refert, & cui summam defert authoritatem, sic habet: *Vnus est Deus Pater Verbi viuentis, sapientiæ, subsistentiæ, & potentiæ, & figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filij vnigeniti. Vnus Dominus solus ex solo, Deus de Deo, figura, & imago deitatis, verbum efficax, sapientia constitutionis rerum vniuersarum comprehensiua.*

33 Confirmatur primò. Quia illud primogenitæ sapientiæ, *Ego ex ore Altissimi prodiui*, non potest aliud os significare, nisi Patris intellectum, per quem loquitur, & iubet. Vnde Ambrosius lib. vnico de Filij diuinitate, cap. 6. prope med. *Hoc*, inquit, *Verbum nuncupatur, quia ex proprio diuino ore processit, & nihil Pater sine eo aut iussit, aut fecit.*

34 Confirmatur secundò ex Patribus, qui Filium Dei appellant sermonem, rationem, cogitationem, quemadmodum Athan. in compendio de Spiritu sancto prope init. docet, *Nefarium esse dictu, Deum sine Verbo, aut ratione fuisse, ne insipiens, aut irrationalis habeatur.* Et orat. 5. contra Arianos paulo post princip. *Cum enim ratio sit vnius Dei, ideo Filius in eum refertur, cuius est Filius.* Multo plura de ratione, logo, cogitatione, & sermone referemus disput. 55. sect. 5. & 6.

Sermo, ratio, cogitatio vocatur Filius.

SECTIO III.

Præcedentes probationes corroborantur, & extenduntur ad Spiritum sanctum.

1 PRimario fundamento veræ sententiæ Durandus 1. distinct. 7. dicta quæst. 2. num. 18. fine respondet, secundum *adaptationem, & accommodationem* à Patribus dictum esse Filium per intellectionem, & Spiritum sanctum per volitionem procedere. Vnde consequenter dist. 27. quæst. 3. num. 6. & 10. colligit Verbum diuinum propriè esse aliquid essentiale, sed *ex appropriatione*, ait, *trahitur ad personale, vt sapientia*: propterea quæ per-

Euasio Durandi.

sonam Filij *non esse propriè Verbum*: similitérque personam Spiritus sancti *non esse propriè amorem*: sed hæc nomina personis diuinis aptari propter illa, quæ videmus in Trinitate creata, quæ attenditur secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem.

Hæc tamen euasio confutatur primò. Quia 2
excluſa proprietate verborum, nihil ad veritatem restat, nisi metaphora, vel improprietas verborum. At verò scripturæ verba non licet ad metaphoram, & multo minus ad improprietatem detorquere. Quin potius recta ratio interpretandi præscribit, scripturæ dictiones accipiendas esse propriè, quoties ad oppositum non compellit alter locus scripturæ, vel efficax ratio theologica. Huiusmodi nulla occurrunt in præsenti, sed potius è contrario plurima testimonia veteris, & noui testamenti, accuratissimè tradita à scriptoribus sacris in eundem sensum proprium conspirant, & in eo exponuntur à Patribus communiter; vt videmus in præcedenti sectione, & rationes theologicæ infra dicendæ persuadent esse proprium sensum.

Refutatio.

Secundò. Quia Filium esse Verbum, non propriè, sed appropriatione quadam, pars quædam est erroris Alogianorum: quamuis illi manifestius quàm Durandus fidem oppugnauerint, negando, Verbum esse personam distinctam à Patre; de quibus ex professo disput. 55. sectione 2. & 3. in cuius disputationis sect. 4. & sequentibus disputat. 56. & 57. referemus alios Patres asserentes, Filium propriè, ac sine metaphora Verbum esse. 3

Refutatur tertiò. Nam accommodatio, siue 4
appropriatio, quam Durandus assignat, valde remota est, & violenta; ait enim: *In creaturis prior est emanatio secundum intellectum, quæ est cognitio boni; posterior verò, & vltima est emanatio secundum voluntatem, quæ est amor boni cogniti. Sed Filius procedit prima emanatione diuina: Spiritus autem sanctus sequente & vltima: ergo Filius dicitur procedere per modum intellectus, & Spiritus sanctus per modum voluntatis.* Vide quantum distet veritas à metaphora. Insuper repugnantiam inuoluit, nam si vtraque processio est immediate per naturam diuinam, vt natura est, ante omnem intellectionem, & volitionem (vt Durandus ait) nulla est subordinatio originis, ratione cuius vna sit prior, & altera posterior, sed æque primò, & immediatè per naturæ necessitatem erumpit vtraque processio ex suo principio.

Hactenus peculiariter de processione Verbi; 5
nunc verò de Spiritus sancti processione, & de vtraque communiter afferendæ sunt probationes. Spiritum ergo sanctum per volitionem, & amorem procedere, ideóque charitatem, amorem, & donum appellari, docent non solum citati in sectione præcedenti Augustin. Anselm. Hugo, & communiter Scholastici locis citatis, sed etiam alij Patres, quos referemus circa q. 37. & 38. S. Thomæ. Impræsentiarum verò quæ dicta sunt de processione Verbi per intellectionem, efficaciter persuadent, Spiritum sanctum procedere per volitionem, vt debita proportio seruetur inter vtramque personam, & inter vtramque immanentem operationem.

Spiritus sanctus per volitionem procedit.

Vtrique processioni probatio communis sumi- 6
tur ab inconuenientibus. Collabuntur enim plurimæ conclusiones theologicæ, nisi Verbum per intellectionem, & Spiritus sanctus per volitionem procedat. Primò quippe non redditur ratio, propter

Probationes vtrique processioni communes.

propter quam processio Verbi sit generatio, sed processio Spiritus sancti non item, ac subinde nulla erit ratio, propter quam Verbum sit Filius, non verò Spiritus sanctus, de quo disput. 6. & sequentibus. Secundò. Imaginis, sigilli, characteris, & speculi nomina Verbo Dei non conuenirent potiori ratione, ac propriùs, quàm Spiritui sancto, de quo disput. 64. & sequent.

7 Tertiò. Nulla reddi posset ratio discriminis inter vtramque processionem, si à sola natura immediatè proueniret; esset enim modus idem producendi. Vnde quartò infertur, quòd natura diuina totas suas vires effunderet in vnam personam, & superfluè multiplicaret duas. Quintò. Quia processiones diuinæ non essent operationes immanentes; siquidem in natura purè intellectuali nulla alia operatio immanens potest excogitari, præter intellectionem, & volitionem; præsertim cum Scriptura sacra nullam aliam Deo tribuat immanentem operationem.

8 Confirmatur primò. Quia iuxta opinionem Durandi processiones non essent per modum actuum vitalium, sed per modũ naturalium operationum, qualis est illuminatio, vel calefactio: ideóque forent per modum actuum non immanentium, sed transeuntium: quod est imperfectio repugnans productionibus diuinarum personarum. Confirmatur secundò. Quia in Deo alia nulla possibilis est vita, nisi intelligere, & velle: ideóque non vitaliter procederent personæ, nisi procederent per intelligere, & velle.

9 Sextum inconueniens est; Quia non posset assignari ratio, propter quam Spiritus sanctus procederet non solùm à Patre, sed etiam à Filio: de qua infra circa quæst. 36. S. Thomæ. Septimum. Nullus erit ordo prioris, & posterioris secundum originem, nec vlla poterit afferri probabilis ratio prioritatis inter vtramque processionem: de qua dicemus disputantes articulum tertium quæstionis 42. de ordine personarum.

10 Octauò. Sequeretur ex opinione Durandi, Filium non esse in sinu Patris ex vi processionis, sed tantum identicè propter vnitatem substantiæ. Vnde multis gradibus deprimitur à sua perfectione, & dignitate circuminsessio, per quam vnaquæque persona est in qualibet alia, de quo disput. 30. sect. 5. & 6. Nonò, Verbum diuinum, & Spiritus sanctus non essent per se requisiti, vt Pater operaretur ad extra, sed concurrerent solummodo propter identitatem naturæ: de quo dicemus disput. 62. sect. 2. & 3. Decimò. Non poterit reddi sufficiens ratio, propter quam neque plures, neque pauciores in Deo sint processiones: de quo disput. sequenti.

11 Ex quibus tandem efficitur, iustam esse censu- *Censura sententiæ Durandi.*
ram authorum, qui sententiam Durandi appellant non solùm temerariam, & periculosam, sed etiam erroneam. Ita Molina 1. p. q. 27. art. 5. disp. 2. §. *sententia hæc.* Valentia in controuers. de Trinit. lib. 2. c. 4. §. *Cæterum.* Vazquez in præsenti disp. 111. cap. 2. ait. Saltem in modo loquendi videri in hæresim Alogianorum incidere. Suarez lib. 1. de Trinit. c. 5. num. 4. appellat temerariam, & errori proximam. Quamuis antiquiores Scholastici, vt Argentina in 1. distinct. 10. quæst. vnica, art. 2. & Marsilius ibi quæst. 14. artic. 2. solum dixerint, *deuiare, & distare à dictis sanctorum.*

12 Opinio Gregorij, Ochami, & Gabrielis, posita *Censura aliorum sententiæ.*
sub finem primæ sectionis, est improbabilis, & temeraria. Denique opinio Maioris inconsequens est, & improbabilis.

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO IV.

Præoccupatis obiectionibus soluuntur argumenta Durandi posita in sectione prima.

1 AD eneruandas primarias probationes nostras sect. 2. & 3. quatuor obiectiones occurrunt. Prima. Quia Pater æternus est etiam Verbum: inde tamen non colligitur Patrem procedere per intellectum: ergo licet Filius sit Verbum, inde non colligitur procedere per intellectum. Maior probatur ex Ambrosio lib. vnico de Filij diuinitate cap. 5. sub init. vbi de Filio sic loquitur: *Siue lumen de lumine dicas, siue Verbum de Verbo, siue Spiritum de Spiritu, siue Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, vnius tamen essentiæ Patrem, & Filium credas.*

Pater non est Verbum propriè.

2 Respond. Ambrosius hoc loco *Verbi* nomen permisit ab aliis extendi per abusum ad impropriam, & inusitatam acceptionem, vt significet loquentis operationem, quæ est in Patre, dummodo retineatur fides eiusdem essentiæ. Nihilominus idem Ambrosius in sequenti cap. 6. *Verbum* accipit pro termino procedente ex ore diuino: vt vidimus sect. 2. prope finem, & plurimis aliis in locis tam Ambrosius, quàm cæteri Patres Verbum accipiunt notionaliter pro sola persona Filij: vt cõstat nõ solùm ex testimoniis adductis in sect. 2. sed etiam adducendis disp. 57. & sequentibus.

3 Secunda obiectio præcedenti similis, quia Spi- *Spiritus sanctus non est Verbum propriè.*
ritus sanctus est Verbum Filij, & tamen non procedit per intellectum. Ergo licet Filius sit Verbum, nõ procedit per intellectionem. Maior probatur: nam Hebr. 1. Filius dicitur *Portans omnia Verbo virtutis suæ.* Vnde Basilius lib. 5. contra Eunomium multo propiùs ad med. quàm ad princip. videlicet sect. 11. colligit Spiritum sanctum esse Verbum Filij.

4 Cæterùm solutio eadem est, quæ præcedentis obiectionis, videlicet minùs propriam, & prorsus inusitatam apud alios Patres esse Verbi acceptionem pro Spiritu sancto, vt ostendemus disput. 57. sectione 4.

5 Tertia sit obiectio Durandi 1. dist. 27. q. 3. n. 10. Quia Filius dicitur etiam *datus*, Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Ergo Filius est donum, quamuis nomen doni frequẽtius approprietur Spiritui sancto. Quapropter simili ratione Pater, & Spiritus sanctus erit Verbum, licet Verbum approprietur Filio: ideóque nõ poterit inde colligi processio per intellectum.

6 Respond. Istæ voces, *dare, datus*, & aliæ similes, *Datum esse quomodo conueniat Filio.*
quoniam plerumque significant idem, quod *mittere*, & *communicare* per effectus creatos: ideo tunc conueniunt vtrique personæ procedenti. Sed quando referuntur ad notionalem proprietatem, conuenientem ex modo procedendi per voluntatem, tunc soli Spiritui sancto conueniunt, non per appropriationem, sed per constitutionem personalem. De quo plura disput. 75. sect. 2.

7 Quarta obiectio. Si proprerea Filius per intel- *Eccles. 24.*
lectum procedit, quoniam dicit: *Ego ex ore Altissimi prodiui:* Os autem non est aliud in rebus spiritualibus, nisi intellectus, qui est potentia loquendi: consequens est, etiam Spiritum sanctum procedere per intellectum, quia est Spiritus oris. Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vnde præterea sequitur, Spiritum sanctum esse Verbum, quoniam ex vi processionis procedit ex ore. Confirmatur primò. Nam Spiritus sancti proprium est docere

Ex ore quomodo Filius & Spiritus sanctus.

Ioann.14. *Ille vos docebit omnia.* & cap.16. *Docebit vos omnem veritatem.* Docere autem est propria operatio intellectus, exercenda per Verbum.

8 Confirmatur secundò. Nam Athanasius ad
Psalm.109. prædicta verba psalmi, Ioannísque respiciens dialog.1. de sancta Trinitate contra Anomœum propiùs ad fin. quàm ad med. dialogi ait: *Veteri nomine gignendi vim, oris, docendi vim intellige. Idcirco igitur dictus est Filius ex vtero, quod sit genitus, & propterea spiritus est oris spiritus, quoniam is est qui docet.* In eodem dialog.1.inter princip.& med. & prope med. repetit eaidem declarationes, veteri, & oris. Et consequenter inter med. & finem eiusdem dialogi docet, inter Filium, & Spiritum sanctum *differentiam esse non habita ratione, quòd sunt ex hypostasi, sed quod vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore.* Subdit autem: *Verum declarare generandi vim, os docendi facultatem.*

9 Respond. primò. Ex ore nostro duo valde distincta procedunt, videlicet, verbum, & halitus, siue spiraculum, aut spiritus respirationis vitalis, & afferentis vitam. Hoc secundo modo procedit Spiritus sanctus ex ore, tanquam halitus vitalis, & afferens vitam, vt dicemus tractantes de Spiritu sancto. Ideo Spiritus sanctus ex ore non procedit vt Verbum, neque procedit per intellectionem.

10 Respond.secundò. Si adhuc contendas,Spiritum sanctum procedere ex ore, prout est potentia loquendi; debes intelligere potentiam loquendi, non ad intra solùm, sed etiam ad extra. Hæc autem non est sola intellectio,sed intellectionem supponens, consistit in volitione, prout potens est communicare donum sapientiæ, intellectus, scientiæ,& artis, vt nuper dictum est.

11 Vnde ad vtramque confirmationem respond. Docere præsupponit intellectionem, sed præterea requirit volitionem communicandi prædicta dona, quæ intellectum creatum illustrant. Hæc volitio est amor,ideóque peculiariter pertinet ad Spiritum sanctum vt dicemus circa quæst. 37. S.Thomę.Adde quòd,*docere*,vt accipitur in Euangelio,& ab Athanasio,significat practicam disciplinam,quæ discipulos reddat promptos ad executionem. Quomodo comprehendit omnia dona Spiritus sancti.

12 Restat satisfacere argumentis Durandi positis
Intelligere & velle quomodo sint actus notionales. in sect. 1. Ad primum respond. Intelligere, & velle, præcisa relatione productionis ad terminum productum,sunt actus essentiales. Cæterum intelligere, & velle coniuncta, & considerata simul cum relatione productionis ad terminum productum, non sunt actus essentiales, sed sunt notionales, ac peculiares principio producenti: vt magis constabit, sect.sequenti quæst.2.

13 Obiter etiam notandum est, prædictum argumentum retorqueri posse cótra suum authorem, quia diuina natura non est aliquid notionale, sed essentiale, tribus personis commune. At per essentiam non generat Filius, & Spiritus sanctus. Ergo nec Pater generat per essentiam. Quod igitur Durandus responderit de essentia, prout essentia est; idem, proportione seruata, respondebimus de intellectione, & volitione.

14 Ad secundum respond.concessa maiore,distinguendo minorem. Intelligere, & velle præcisa relatione productionis ad terminum productum, competunt omnibus personis diuinis. Sed intelligere, & velle, considerata simul cum relatione productionis ad terminum productum,cõpetunt soli personæ producenti, vt dictũ est ad primum.

15 *Quomodo distinguuntur.* Eadem distinctione soluitur argumentum tertium. Intelligere, & velle præcisa relatione productionis passiuæ ad terminum productum, non realiter, sed tantum ratione ratiocinata distinguuntur. At intelligere,& velle,prout includuntur in prædicta relatione productionis passiuæ, distinguuntur realiter ab inuicem eodem modo, quo distinguuntur ab inuicem Spiritus sanctus, & Filius. Præterea distinctio supradicta rationis ratiocinatæ satis est, vt vna processio secundum formalissimam rationem explicitam sit intelligere, & non velle; alia verò processio sit velle, & non sit intelligere, vt magis constabit disput.11. & 12.

16 *Fœcunditas intellectionis.* Ad quartum respond. In creaturis propter earum limitationem, & imperfectionem, conditio actuum intelligendi, & volendi est opposita fœcunditati: at in Deo non est opposita, sed valde consentiens, propter rationem dicendam disp.6. & 7. Insuper Aristoteles minime negauit terminum intrinsecum, productum per intellectionem, & volitionem.

17 Ad confirmat.respond. Proportionalitas inter Deum, & creaturas seruanda, postulat creaturarum imperfectiones resecare priùs, quàm Deo tribuamus perfectiones in creaturis inuentas.Est autem imperfectio fœcunditatis creatæ, per naturam proximè, & immediatè sine concursu intellectionis,aut volitionis producere substãtiam. Cuius imperfectionis argumentum est huiusmodi fœcunditatem corporeis substantiis conuenire, cum desit intellectualibus, spiritualibúsque substantiis. Superest igitur, vt fœcunditas Deo conueniat, qua parte proximior, & similior est intellectualibus, perfectissimísque substantiis,videlicet intellectione, & volitione. Alioqui Durandi argumentum probaret Patrem non posse commnicare substantiam alteri personæ, quia nulla persona spiritualis creata potest suam substantiam communicare, neque per naturam; neque per intellectionem: sic enim rigida illa proportionalitas seruabitur inter Deum,& creaturas.

18 Ad quintum respond.Inter naturam diuinam, ciúsque intellectũ,& voluntatem,sicut non datur distinctio adæquata,sed cũ mutua inclusione implicita:ita non datur prioritas adæquata,sed cum mutua inclusione implicita: ac proinde natura diuina intelligitur esse principium, *quo*, potens generare,& spirare,quoniam natura diuina essentialiter includit intellectum,& voluntatem:quas potentias nisi essentialiter includeret, non intelligeretur natura diuina esse principium, *quo*, generationis,& spirationis,nisi remotè, & radicaliter,quatenus eadem natura diuina esset radix intellectus, & voluntatis, quæ sunt immediata principia, *quibus*. Plura dicemus disput.100.

19 Ad sextum respond.disp.6.& 7.constabit,Verbũ, quatenus per intellectionẽ procedit, euadere simile in natura, & non tantum intentionaliter.

20 *Filius naturæ quo sensu.* Ad vltimum respond.Non tantum Hilarius,& Augustinus,sed etiam reliqui Patres communiter similes propositiones affirmant, nihil aliud intendentes, quàm significare excellentiam filiationis æternæ, ratione cuius Verbum est Filius naturalis, non adoptiuus, per essentiam, non per gratiam adoptionis: quia non consilio, & libera voluntate(sicut creaturæ producuntur cum potestate non producendi) sed naturali necessitate generatur, & ex vi formalissima suæ productionis euadit similis in natura, & perfectissima imago. Testimonia Patrum videbimus disp.6.sect.1. & 2.

SECTIO

SECTIO V.

Attinguntur incidentes quæstiones, & remittuntur.

1 *Quæstio prima.* TRes aliæ quæstiones solent ab aliquibus hoc loco disputari. Prima, vtrùm per operationes intelligendi, & volendi prout tales sunt,procedat Filius,& Spiritus sanctus. Summa decisionis est, actum intelligendi, prout est actus intelligendi, esse processionem Verbi:& actum amandi,prout est actus amandi,esse processionem Spiritus sancti. Et hanc esse mentem Patrum, & Scholasticorum, quos retulimus sect.2.

2 *Quæstio secunda.* Secunda quæstio est. Quales operationes intellectus, & voluntatis sint processiones, nimirum, an processio Verbi sit notitia notionalis, procedens à notitia essentiali: & vtrùm sit dicere diuinum distinctum ab intellectione,atque idem proportionaliter inquiritur de amore. De hac, & præcedenti quæstione tractabitur ex professo disput.59. & sequenti disput.60.

3 Interim breuiter asserò, actum dicendi, quo Pater producit Verbum, esse formaliter intellectionem, addita relatione productionis Verbi:& cõsequenter actum spirandi,quo producitur Spiritus sanctus, esse formaliter amorem, addita relatione productionis Spiritus sancti. Nec propterea duplicatur intellectio diuina, circa idem obiectum, concedendo aliam intellectionem essentialem, & aliam notionalem: quoniam intellectio essentialis includitur in formalissima ratione dicendi, quod est intelligere, addita relatione productionis Verbi. Eadem ratione non duplicatur amor, quoniam essentialis amor includitur in formalissima ratione spirandi, quod est amare, addita relatione productionis Spiritus sancti. Denique in his processionibus præter hanc, alia nulla reperitur formalitas intellectionis, aut amoris.

4 *Quæstio tertia.* Tertia quæstio est, vtrùm a[illegible]bus intelligendi, & amandi sit principium, *quo*, [illegible]endi, vel ipsa productio. Dico primò: intellectio in ratione notitiæ essentialis,præcisa ratione productionis, est proximum principium, *quo*, generationis, in quantum hæc formalitas includitur in Paternitate, concepta per modum tribuentis fœcunditatem. Vnde fit,vt sit intellectio fœcunda tanquam potentia: & consequenter sit generatiua potentia proxima: vt dicemus circa quæst. 41. art.4. & 5.

5 Secundò, eadem intellectio in ratione notitiæ essentialis est veluti actio, seu productio actiua, seu generatio in quantum eadem formalitas includitur in Paternitate, concepta per modum actionis, seu actualis influxus, aut productionis. Tertiò, eadem intellectio est passiua productio, seu generatio, in quantum includitur in relatione filiationis, concepta per modum passiuæ processionis. Hæc, & præcedens assertio declaranda erit, & probanda disputat.83. circa quæst.40. agendo de origine actiua,& passiua. Quartò,eadem intellectio est Verbum, in quantum includitur in relatione filiationis concepta vt termino,quem Pater dicendo producit, vt ostendemus disput.58. sectione 4. & 5. & disput.59.

Ruiz. de Trinitate.

DISPVTATIO III.

Quot sint processiones.

SECTIO I.

Duas esse processiones in Deo.

QVamuis S. Thomas in articulum tertium, & quintum reiecerit hanc difficultatem, præoccupatur à nobis, quoniã appendix est præcedentium disputationum,ex illarum fundamentis illata. Manifestum igitur est numerum binarium processionum esse de fide, qui satis apertè cõstat ex verbis Ioann.8. & cap.15. quæ retulimus disput.1. sect. 6. initio. Rursus in symbolo Nisseno definitur, & Filium à Patre, & Spiritum sanctum à Patre, Filióque procedere. Plura testimonia constabunt in sequentibus disput. instituendis de generatione Filij, & de processione Spiritus sancti. 1

Has verò processiones esse distinctas, manifestè deducitur ex prædicto fundamento fidei:quoniam vbi sunt distincti procedentes, ibi sunt distinctæ processiones eorum. Sed Filius, & Spiritus sanctus sunt distincti procedentes; ergo processiones eorum sunt distinctæ. Confirmatur primò,ex distincto principio, nam Filius procedit à solo Patre, sed Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Confirmatur secundò, quoniam Filius à seipso procedere non potest;sed Spiritus sanctus procedit à Filio simul cum Patre. Ergo processio Filij non est processio Spiritus sancti. 2 *Distinctio processionum.*

Ratione naturali demonstrari non potest duas esse processiones. Verumtamen fide præeunte, naturalis ratio suggerit valde probabile argumentum ad earum veritatem confirmandam:primò,quoniam,vt vidimus tota disput.præcedenti, diuinæ processiones non possunt esse, nisi operationes immanentes. At in substantia purè intellectuali, & perfectissima, necessarium est reperiri operationes intellectus, & voluntatis. Ergo secundum illas erunt duæ processiones. 3 *Duas esse processiones.*

Confirmatur. Quia non est maior ratio, propter quam sit in Deo processio intellectionis,potius quàm processio volitionis: siquidem vtraque operatio requirit terminum in facto esse productum, & manentem in producente. Nec esse potest vnica processio, & vnicus terminus vtriusque operationis, videlicet, intellectionis, & volitionis, vt magis constabit ex solutione argumentorum. 4

Præcedens fundamentum fusiùs traditur à S. Thom. 4.contra gentes,cap.26. & de potent.q.9. art.9.corp.& quæst.10.art.2.corp.& 1.sent.dist.2. quæst.1.art.4.& in præsenti quæst.27.art.5. Idem docet Bonauent.1.distinct.2.art.1. quæst.4. corp. init. Scotus 1. distinct.2. p.2. q.2. quæ est quinta in ordine. Henricus quodlib.6.q.1.inter princip. & med. & in summa art.53.quæst.8. & 9. Ricard. in 1. dist.2. art.2. quæst.2. Carthusianus 1. dist.2. quæst.6. Maior.1.dist.10.q.2. Marsil.1.q.14.art.2. Argentina 1.distinct.10.quæst.1.art.2. 5

Ab eodem fundamento parum discrepat aliud antiquorum Scholasticorum, ij namque numerum processionum colligunt,quia duo sunt modi emanandi, videlicet, per modum naturæ, & per modum voluntatis, siue (quod idem reputant) per modum rationis. Exponunt autem, emanare per modũ naturæ, esse emanare ab vnica tantùm 6 *Modus emanãdi per modum naturæ & per modũ voluntatis.*

persona: sed emanare per modum voluntatis, & rationis, esse emanare à duabus personis: ita procedunt Albert. 1. p. quæst. 42. memb. 3. Alexand. 1. p. quæst. 45. memb. 7. Henric. 1. p. art. 53. quæst. 9. & art. 60. q. 1. Imo etiam S. Thom. S. Bonauent. & alij, qui disput. 6. sect. 3. referentur pro discrimine generationis à spiratione, eo quòd sit per modum naturæ.

7 Prædictam rationem refutat S. Thom. de potent. quæst. 10. art. 2. corp. à medio, quatenus in ea significatur immediatum principium vnius processionis esse naturam, alterius autem immediatum principiũ esse voluntatem. Insuper inquantum in eadem significatur, Filio immediatè communicari naturam, sed non intellectionem, aut volitionem: contra verò Spiritui sancto immediatè communicari volitionem, non intellectionem, aut naturam. Cæterùm in fine corp. adiungit aliũ sensum iuxta quẽ authores citati conuenienter dixerint, vnam processionem esse per modum naturæ, & intellectus, aliam per modum voluntatis. *Quantum ad id quod processio, quæ est secundum naturam, non præexigit aliam processionem: processio autem, quæ est per modum voluntatis, aliam processionem præexigit. Nam amor alicuius rei non potest à voluntate procedere, nisi præintelligatur processisse ab intellectu illius rei Verbum conceptum. Bonum enim intellectum est obiectum voluntatis.* Quod magis explicabimus disput. 8. sect. 2.

8 Duas alias rationes eiusdem locutionis adiungit in solutione ad 11. eiusdem articuli. Altera, quæ sequitur ex præcedenti, quia processio naturæ est tantum ab vno supposito, si fuerit perfectum agens. Similiter autem processio intellectus est à solo Patre, sed amicitia, quæ est amor mutuus procedit ex duobus se inuicem amantibus. Altera ratio est. Quia sicut natura producit aliquid in similitudinem sui; sic etiam seipsum intelligens producit Verbum ad similitudinem sui ipsius; vt dicimus tota disput. 6.

9 *Circulatio intellectionis & volitionis.* Tertiam rationem cõgruentiæ tradit S. Thom. in præcedenti quæst. 9. de potent. art. 9. corp. post medium. Eo quod tàm in nobis, quàm in Deo circulatio quædam est in operationibus intellectus, & voluntatis. Nam voluntas redit in illud ipsum obiectum, à quo desumptum fuit principium intelligendi. Sed in nobis prædictus circulus ad extra concluditur, quia bonum exterius mouet intellectum nostrum; intellectus autem voluntatem, vt per amorem redeat in illud bonum exterius. Verum è contrario Deus circulum in seipso claudit. Quia ipse est summum verum, & summum bonum, quod intelligendo concipit Verbum, ex quo procedit in amorem sui spirando Spiritum sanctum. Ita S. Thom. intelligit illud cuiusdam philosophi: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflectit ardorem.*

10 *Congruentia ex charitate perfecta.* Quarta congruentia ex Ricard. Victor. lib. 3. de Trinit. à cap. 2. vsque ad 20. quam breuius tangit lib. 5. cap. 8. Quia ad perfectionem diuinæ bonitatis, fœlicitatis, & gloriæ, requiritur vera, & perfecta charitas: ea quippe nihil est perfectius, iucundius, aut dulcius. Porrò perfecta charitas in diuinis requirit tres personas; amor enim, quo persona seipsam tantum diligit, est amor priuatus, & non charitas vera: aliam autem personam summè diligere foret inordinatum, *nisi* esset persona diuina. Consequens igitur est, in Deo charitatem summam esse non posse, nisi plures sint personæ. Rursus, charitas non esset perfecta, si duæ tantùm sint personæ, quia ad perfectionem charitatis requiritur, quòd amans velit personam à se dilectam, ab alia etiam æqualiter diligi. Indicium namque magnæ infirmitatis est non pati consortium amoris: illud autem libentissimè suscipere maximæ perfectionis est, videlicet, vt persona non solum gaudeat habere dilectam, sed etiam condilectam. Oportet igitur esse duas processiones, videlicet, personæ dilectæ, & condilectæ.

11 *Boni communicatio.* Confirmatur. Quia de ratione boni est communicatio, & consequenter de ratione summi boni est summa communicatio. Hæc autem non esset in Deo, nisi communicaret infinitas delitias mutuæ charitatis. Oportet igitur procedere prius secundam personam, mutua charitate diligendam deinde procedere tertiam, cui communicentur delitiæ perfectæ charitatis. Ex eodem principio quartam congruentiam Ricard: Victorinus lib. 5. de Trinit. prædicto cap. 8. sumit ex eo, quod aliqua persona debet accipere à persona improducta idem posse, quod habet, videlicet, posse producere.

12 Alias eiusdem authoris congruentias attingemus sectione sequenti. Easdem autem breuiùs præstrictas ferè omnes antiquiores Scholastici recipiunt, in primis S. Thom. de potent. quæst. 9. art. 9. in *sed contra.* & 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 4. vbi S. Bonauent. art. 1. quæst. 4. Ricard. artic. 2. q. 1. Albert. 1. part. quæst. 42. memb. 3. iuncta etiam q. 30. memb. 1. Alexand. 1. part. quæst. 43. memb. 5. & quæst. 45. memb. 7. Henric. in summ. artic. 43. quæst. 8. & 9. & art. 54. quæst. 2. & quodlib. 6. q. 1. Ægid. in 1. distinct. 10. quæst. 3. Carthus. 1. dist. 2. quæst. 6. Marsil. quæst. 6. art. 1. conclus. 3. Maior 1. distinct. 10. quæst. 2. Magnam igitur authoritatem prædictis congruentiis conciliant citati Doctores, licet ab aliquibus recentioribus minoris æstimentur, & impugnentur. Quorum obiectiones euanescunt, si respondeas, congruentias exigendas non esse ad rigorem demonstrationum, nec argumentorum maximæ probabilitatis.

13 *Binarius est compositionis numerus.* Postremam adiungere possumus ex Nazianzeno orat. 13. quæ est 2. de pace prope med. cuius verba referemus disput. 33. sect. 2. Quia diuinæ personæ binarium excedere debent: binarius enim proprius est compositionis. At verò personæ non excedent binarium, nisi duæ sint processiones, videlicet secundæ, & tertiæ personæ.

14 Solus igitur Durand. 1. distinct. 2. quæst. 4. cæteris rationibus postpositis alias affert non magis probabiles, acceptas ex infinitate perfectionis, & ex simplicitate relationis, quæ non componit cum absoluto.

15 *Processionum distinctio qualis sit.* Difficultas restat qualis sit distinctio processionum. Et primo quantum ad realitatem distinctionis, certum est, passiuas processiones realiter distingui, sicut realiter distinguuntur termini pẽ illas producti, videlicet Filius, & Spiritus sanctus: ideóque generatio passiua realiter distinguitur à spiratione passiua.

16 Cæterum processiones actiuæ non ita plenam, & adæquatam distinctionem habent; distinguuntur enim realiter, vt includens, & inclusum, quemadmodum Pater, & Filius simul sumpti realiter distinguuntur à solo Patre. Sic enim spiratio actiua realiter identificata cum vno principio spiratiuo, quod est Pater, & Filius, realiter distinguitur à generatione realiter identificata cum Patre, & realiter distincta à Filio. Sed de hoc dicemus fusius disput. circa quæst. 40. comparando personarum origines.

Occurrit

17 *Obiectio.* Occurrit tamen obiectio, quia intellectus, & voluntas in Deo non realiter, sed sola ratione distinguuntur, & consequenter actus intelligendi, & amandi. Ergo ex distinctione intellectionis, & volitionis non potest colligi maior distinctio inter processiones diuinas. Consequentia probatur, quia nec inter terminos, nec inter processiones illorum requiritur maior distinctio, quam inter immediata principia, & immediatas operationes. Respond. maior distinctio requiritur inter terminos productos, & eorum processiones passiuas, cum ipsis identificas: eo quod vnus terminus productus, videlicet, Filius est simul cum Patre principium productiuum: ideoque realiter distinctum à termino producto per secundam processionem.

18 Ratio autem à priori, propter quam diuinus intellectus, & voluntas, licet non distinguantur realiter, possint esse principium processionum realiter distinctarum, hæc est, quia intellectus propter infinitatem suæ perfectionis obtinet vim producendi suum proprium, & adæquatum terminum non minus perfectè, quàm si foret realiter distinctus à voluntate, & à quolibet alio attributo: similitérque voluntas.

19 Aliam rationem addit S. Thom. de potent. q. 9. art. 9. ad 25. & quæst. 10. art. 2. ad 7. quia nimirum, processio per voluntatem necessariò præsupponit processionem per intellectum, vt ab illa procedat, tanquam à Verbo, proponente bonum vt cognitum. Ergo processio per voluntatem ducit originem à processione per intellectum, ac proinde realiter ab illa distinguitur per relationem originis. In idem recidit solutio S. Thom. in præsenti quæst. 27. art. 3. ad 3. quia non est processio amoris, nisi in ordine ad processionem Verbi. Quod autem Verbum mentis, in quantum proponit bonum, in genere causæ efficientis, sit principium amoris, tractauimus lib. 3. de auxil. disp. 8. sect. 4. & 5. ex quibus, & ex 1. 2. q. 9. art. 1. supponendum est in præsenti.

20 Secundò, quod attinet ad formalem distinctionem, quæri posset, an vniuocè, vel analogicè distinguantur processiones. Cui breuiter respondemus, analogicè distingui per analogiam transcendentiæ. Nam ab vtraque processione passiua potest abstrahi communis ratio processionis passiuæ, quæ tamen imbibitur in vltimis differentiis vtriusque processionis. Quod idem, proportione seruata, verificatur in processionibus actiuis. Quemadmodum de communi, & abstracta ratione personæ dicemus disp. 35. sect. 1. & 2.

Solutio. *Analogicè distinguuntur processiones.*

SECTIO II.

Non esse plures processiones quàm duas.

1 *Non infinita multitudinis.* TAnquam euidẽtissimum naturæ lumine supponitur, non esse multitudine infinitas processiones. Quod fusius quam alij demonstrat S. Bonau. 1. dist. 2. art. 1. quæst. 3. Breuius Albert. 1. p. quæst. 42. memb. 3. ad arg. Quoniam infinitudo multitudinis confusionem affert, & inordinationem, tum quia nimium recedit ab vnitate, & à sua origine, tum etiam quoniam ordo requirit principium, medium, & terminum.

2 Quo supposito, processiones diuinas non esse plures, quam duas, probatur ab eisdem doctoribus, eisdemque fundamentis, quæ sect. præcedenti probant processiones esse duas. Primo, quoniam in substantia purè intellectuali plures operationes immanentes non sunt impossibiles, vltra intellectionem, & volitionem. Rursus quoniam intellectio diuina, cum sit infinita, ita prorumpit in Verbum, repræsentans adæquate omne obiectum intelligibile: ideóque nõ restat illi verbum aliud producendum, præter illud vnicum adæquatum intellectioni, & toti collectioni obiectorum omnium intelligibilium. *Verbum exhaurit omne dicibile.*

3 Confirmatur, quoniam vnicum Verbum propter suam infinitatem adæquat totam virtutem dicentis, vt vlterius nihil restet dicendum. Quod Athanasius obseruauit aduersus Eusebium Nicomediensem, & Arium, dicentes. *Multa verba profert Deus.* in epistola de decretis Nyssænæ synodi ferè in ipso medio, sic redarguens: *Quasi vnum ex Deo Verbum non sufficiat, quod vniuersam mundi ex voluntate Patris creationem, curamque, & prouidentiam sustineat. Si enim Deus multa verba loquitur, hoc ipsum indicio est in omnibus eius verbis esse quandam imbecillitatem. Contra autem si vno Verbo vtatur, vt reuera vtitur, id eius potentiam, & Verbi, ex eo nati, perfectionem declarat.* Eandem vniuersalitatem, & adæquationem diuini Verbi docent Basilius, Cyrillus, Augustin. Fulgent. Anselm. quorum testimonia referemus disput. 6. sect. 2.

4 Propter eandem rationem vnicus amor spiratus, & nihil amplius procedere potest per vnicam processionem volitionis. Sed de hoc plura dicemus circa quæst. 41. art. 5. & 6. Secunda ratio consequens ex præcedenti, quia non possunt esse plures modi producendi, quàm duo, videlicet, per modum naturæ, & per modum voluntatis, prout explicatum est in sect. præced.

5 *Congruentia circuli operationum.* Tertia. Quia per operationem voluntatis clausus manet circulus operationum explicatus in sect. præced. quapropter vlterius non potest addi processio immanens in natura diuina, sed necessariò sequitur, vt si velit vlterius procedere, communicando bonitatem, effundat processionem extra naturam diuinam: vt subtiliter notauit S. Thom. de potent. q. 9. art. 9. corp. inter medium, & finem. Quarta. Quia perfectio charitatis non requirit plures cõmunicationes bonitatis, quàm duas, vt in eadem sect. declaratum est.

6 Adde quintam congruentiam, quia non expedit in Deo alter modus amoris infiniti nisi amor omnino gratuitus, & nullo modo debitus, conueniens personæ improductæ, videlicet, Patri: & amor omnino debitus, & nullo modo gratuitus, conueniens personæ non producenti, videlicet, Spiritui sancto, & amor simul debitus, & gratuitus conueniens personæ productæ, & producenti, videlicet, Filio. Hanc tradit Ricard. Victor. lib. 5. de Trinit. à cap. 16. vsque ad 24. notans in cap. 20. fin. sanum intellectum illarum vocum, ne *gratuitus* amor esse intelligatur, quasi non sequatur necessariò, & naturaliter ex dignitate personæ dilectæ, & bonitate personæ diligentis; nec *debitus* intelligatur quasi à persona subiecta, & non ex natura sua, sed per gratiam accipiente diuinum esse, quod accipit; sed tantummodo significetur respectus dantis, & accipientis totam perfectionem, quam habet. Eandem rationem attingunt S. Bonau. 1. dist. 2. art. 1. q. 4. corpor. & quidam alij ex Scholasticis citatis in sect. præcedenti.

7 Sextam exponit Ricard. eodem lib. 5. de Trinit. cap. 13. 14. & 15. Sic enim est summa concordia, & proportio, quam appellat geometricam,

quoniam vnius personę proprium est dare, & non accipere: alterius proprium est accipere, & non dare: & inter vtramque personam intercedit media, cuius proprium est dare simul, & accipere. Quam ratione explicabimus magis disp. 33. sect. 2.

8 Prima obiectio aduersus primam rationem, quoniam eadem probaretur, in Deo non esse, nisi vnicam processionem. Illa namque propter infinitam perfectionem adæquare deberet & exhaurire totam virtutem productiuam ad intra. Respond. negando sequelam, eo quod sint duæ rationes formales producendi, quasi specie distinctæ, intelligere, & amare, vt vidimus sect. 1. quæ non possunt conflari in vnicam productionem ad intra; siquidem ratio productionis ad intra est vniuersalis, & quodammodo generica, quatenus in duas quasi species distribuitur. Consequens igitur est, vt producendi virtus non possit exhauriri, & adæquari vnica numero productione.

Intellectionis & volitionis diuersa ratio ad productionem.

9 Secunda obiectio, sicut enim scientia, & voluntas in Deo sola ratione distinguuntur, sic etiam alia quædam attributa, sicut potentia, & bonitas. Ergo secundum potentiam, & bonitatem erunt accipiendæ processiones aliæ: præsertim quoniam virtus productiua est potentia: bonitas autem est diffusiua sui, propterea que principium processionis.

Quare aliorum attributorum nõ sint alia productiones.

10 Respond. Potentia, quando accipitur, vt condistincta à principio proximo generationis, & processionis, non est principium productionis ad intra, sed tantum operationis ad extra. Ideoque secundum attributum potentiæ non accipitur processio diuina, sed processio creaturarum. Bonitas autem (vt Boet. ait in lib. de Hebdomad.) pertinet ad essentiam. Ideoque bonitas neque est operatio, neque est proximum, & immediatum principium operationis, sed remotum, in quantum bona, idest perfectissima essentia secundùm modum intelligendi radix est intellectionis, & volitionis: & iterum in quantum bona est obiectum voluntatis, supposito quòd prius cognita est per intellectionem. At verò processiones diuinæ non accipiuntur nisi secundũ operationes immanentes, vt vidimus sect. 1. & constat etiã ex disp. 2. Ita ferè respondet S. Thom. q. 27. art. 5. ad 1. & 2. Ricard. 1. dist. 2. a. 2. q. 2. & quidam alij citati sect. 1.

11 Tertia obiectio militat contra secundum illud fundamentum de duplici modo producendi, videlicet, *per modum naturæ*, & *per modum voluntatis*, vltra quos tertius occurrit producendi modus, videlicet, *per modum artis*. Ergo tertia processio concedenda erit. Respond. Per artem nihil producitur naturaliter, & necessariò, sed tantum liberè. Ideo quidquid arte producitur, potuit non esse, & consequenter illius productio potuit non esse. Hæc autem imperfectio manifestè repugnat diuinis prosessionibus, & Personis. Propterea diuina ars nihil ad intra, sed tantum creaturas ad extra producit, mouente voluntate, siue amore, & exequente imperio intellectus. Ad imperiũ autem satis est Verbum diuinum, & ad amorem satis est Spiritus sanctus. Ab hac solutione parũ discrepat, quod S. Bonau. respondet 1. dist. 2. art. 1. q. 4. fine.

Quare non sit productio per modum artis.

potiùs periculosa somnia Raymundi Lullij per extrema inter se pugnantia. Siquidem plures operationes ad intra multiplicat in quibusdam articulis: in aliis autem asserit, non esse nisi vnicam actionem, apud Eymericum in direct. inquisit. p. 2. q. 9. apud quem articulus secundus ex lib. de centum Dei nominibus, & ex lib. 1. sent. q. 2. sic habet: *In diuinis essentia non est otiosa, sed essentiat, & natura naturificat, bonitas bonificat, & infinitas infinitificat, & æternitas æternificat.* Et articulus tertius ex eodem 1. sent. *Sicut leo se habet ad leonificandum, & homo ad homificandum: sic & multo plus diuina natura se habet ad naturificandum, & diuinitas ad diuinificandum.* Nec non articulus quartus ex eodem lib. *Sicut diuina natura requirit agere intrinsecè, scilicet, naturare: sic sua bonitas requirit bonificare, magnitudo magnificare, æternitas æternificare: & sic de aliis cum sint cum ipsa natura vnum numero.* Quibus consonant quæ Gabriel Vazquez ex libris Raymundi commemorat 1. p. disp. 133. cap. 1.

2 Deinde Raymundum prædictis verbis non intellexisse solummodo formalem constitutionem, sed intellexisse operationem ad intra; quemadmodum sunt operationes in Deo intelligere, & amare, colligitur non obscurè ex sequentibus articulis 5. & 6. *Sicut Deus*, inquit, *naturale habet intelligere, & amare intrinsecè: ita intrinsecè habet naturale bonificare, æternificare, possificare, & virtuificare.* Et iterum. *Quia non est altera æternitas, nisi Dei, oportet quod substantia se habeat vt suppositum æternans, vt de se ipsa producat æternum bonum.* Hoc ex lib. de contemplatione, illud ex lib. de centum Dei nominibus.

3 Huius doctrinæ periculum manifestè deducitur ex dictis sect. 1. & 2. Quoniam tanta numerositate multiplicans operationes omnium attributorum ad intra; deberet consequenter totidem multiplicare personas procedentes; vel è contrario dicere numerum personarum, non adæquare numerum operationum ad intra. Illud autem maximè vrget, atque conuincit, quod cæteras omnes actiones possificandi, magnificandi, æternificandi, & similes eodem modo intelligit Lullius sicut in prædicto art. 6. *Suppositum æternans de se ipso producit æternum bonum, & sicut leo se habet ad leonificandum, & homo ad homificandum.* in prædicto art. 3.

Periculosa doctrina.

4 Nec satisfaciet Lullista, si respondeat, terminos earum operationum, & ipsas processiones sola ratione distingui, & in vnam personam conuenire. Nam intelligere, & velle in Deo sunt operationes sola ratione distinctæ: nihilominus ex earum distinctione colliguntur duo termini realiter distincti, & duæ processiones, vt in præcedentibus sect. probatum est.

Euasio præcluditur.

5 E contrario vnicam, & solam actionem, docet Raymundus, pertinere ad infinitam perfectionem diuinæ essentiæ in agendo, in qua tantum reperitur vnicum agens, seu producens, videlicet, Pater, & vnicum productum, videlicet Filius, & vnicus actus, siue vnica productio, videlicet Spiritus sanctus, quem dicit esse ipsum agere, seu producere, & ipsum distinguere, quo Filius distinguitur à Patre: vt videre est apud Vazquez 1. p. dicta disp. 133. cap. 2.

6 In qua doctrina plurima sunt absurda primò: quia per vnicum actum, siue vnicam actionem, aut productionem non procedit, nisi vnica persona. Vnde sequitur duas tantum personas esse in Deo, alterum improductam, alteram verò productam. Secundò sequitur, Spiritum sanctum non

Absurda plurima.

SECTIO III.

Raymundi Lullij periculosæ assertiones contra superiorem doctrinam.

1 COntra primarium fundamentum præsentis disputationis directè pugnant errores, vel

non esse personam productam, sed esse productionem, quæ si intelligitur esse productio actiua, identificabitur cum Patre; si intelligitur esse productio passiua, identificabitur cum Filio: ideóque Spiritus sanctus non distinguetur realiter ab vtraque persona, cuius est spiritus.

7 Simul etiam sequitur tertiò per oppositum extremum vt minimum esse quatuor, vel quinque personas diuinas. Quoniam de fide sunt actus productionis duo, nimirum generare, & spirare: debet igitur consequenter ad illum modum distribuendi personas, ponere vnicum generans, & vnicum genitum, & vnicum generare, quod sit distinctus actus, & distincta persona. Deinde ponere debet vnicum spirans, & vnicum spiratum, & vnicum spirare, quod sit persona distincta ab spirante, & spirata persona.

8 Quartò sequitur, Spiritum sanctum non procedere à Patre, & Filio, sed à solo Patre procedere, tanquam processionem ipsam Filij. Quintò quod ait, Patrem esse distinctiuum Filij, & Spiritum sanctum esse *ipsum distinguere, per spirare, & amare*: pugnat cum Philosophia & Theologia iuxta quam est impossibile *distinguere* ipsum esse personam, quoniam nihil aliud distinguit Filium à Patre, nisi proprietas, siue relatio filiationis, realiter identificata cum eius persona, vt constabit in disp. circa quæst. 40.

9 Prædicta inconuenientia nec temerè, nec impugnandi libidine, sed iuxta rerum exigentiam, maturo iudicio deduci ex libris Raymundi, clarius constabit consideranti duas alias propositiones, quibus Spiritum sanctũ existimat, esse ipsum agere cuiuslibet perfectionis diuinæ. Nam per singulas perfectiones discurrens in lib. de septem arboribus ait: *In diuinis sunt tres personæ, & non plures, nec pauciores: scilicet vniens, vnibilis, & vnire: deificans, deificabilis, & deificare: æternificans, æternificabilis, & æternificare.* Et tã in eodẽ lib. quàm in lib. de centũ Dei nominibus. *In diuinis deificatiuus, bonificatiuus, & æternificatiuus, virtuificatiuus, possificatiuus, & in amore intellectiuus est Pater: deificabilis, bonificabilis, æternificabilis, virtuificabilis, possificabilis, & in amore intelligibilis est Filius: sed deificare, bonificare, æternificare, virtuificare, possificare, & in amore intelligere est Spiritus sanctus.* ij duo sunt articulus octauus, & nonus apud Eymericum in direct. inquisit. part. 2. dicta q. 9.

Alia propositiones Lullij.

10 Multo plures processiones esse possibiles in diuinis, quasdam diuersæ rationis, alias eiusdem rationis manifestè deducitur ex a. 14. quem scripsit in lib. de contrit. confessione, satisfact. & orat. *Deus Pater est multiplicabilis, & Deus Filius consimiliter.* At verò processio, per quam multiplicari posset Deus Pater, diuersæ rationis esset à processionibus de facto existẽtibus. Processio autem, per quam multiplicari posset Filius, simul esset eiusdem, & diuersæ rationis à generatione Filij. Hæc attigisse sufficiat, quibus facilè inspicitur, quam periculosa sit huius stultitiæ temeritas, & aperitur via deducẽdi multo plura inconueniẽtia.

ARTICVLVS II.

Vtrùm aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

DE hoc dicendum erit sequentibus disput. præsertim disp. 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit in diuinis alia processio à generatione Verbi.

1 VOD primariò, & ex instituto tractatur in præsenti articulo, iam præcedenti disput. 3. sect. 1. discussum est. Incidenter autem quod S. Thom. ait; *amatum esse in amante*, solummodo dirigitur ad explicandum processionem amoris, non tendere in aliquid extrinsecum, sed manere in ipso agente, propterea que terminum illius non esse aliquid extra Deum, sed aliquid immanens in Deo. Quapropter ad rem præsentem interest nihil discrepare, quomodo amatum sit in amante, vel amans sit in amato: præsertim cum vterque modus loquendi metaphoram potius, quam rei proprietatem, & formalitatem contineat.

Amatum in amante.

2 Illud satis erit monuisse, in sacris literis præcipuè verò apud Ioannem, frequentem esse mutuam inexistentiam, & amantis in amato, & amati in amante. Cuiusmodi est illud 1. Ioann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* De quo disserit ex professo S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 2. (vbi Caiet.) & 4. contra gentes cap. 19. (vbi Ferrarien.) Capreol. 1. dist. q. 1. art. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrum processio amoris in diuinis sit generatio.

DISPVTATIO IV.

Quænam processio in diuinis sit generatio.

SECTIO I.

Diuersis verbis gignendi, concipiendi, & pariendi *testatur Scriptura generationem Filij.*

1 AEtius, Eunomius, Arius, & sequaces, vt negarent diuinitatem, & naturalem filiationem Christi Domini: vehementer oppugnabant generationem æternam, dicentes, ex ea sequi quoscumque defectus & sordes, contingentes in humana generatione; veluti personam gignentem constare partibus, ex quibus per corruptionem, ac decisionem defluat aliqua pars, ac desinat esse in Patre, vt ad Filium transmittatur. Vnde posterioritatem temporis, & alia inconuenientia subnectunt. Præcipuè verò insistunt in ratione *ingeniti*, quam contendunt esse quidditatiuam substantiam Patris.

Generationis diuinæ oppugnatores.

2 Sic Ætius in epist. ad Alexandrum Alexandrinum Episcopum; vt Filij generationem, à catholicis assertam, inuidioso vocabulo traduceret, iactat, *se non dicere, sicut Manichæus, partem coessentialem Patris fœturam, introduxit.* Et iterum in eadem epist. *Velut pars coessentialis, & velut emissio à quibusdam intelligitur*, videlicet, à catholicis Filius Dei. Hæc refert Epiphan. hæresi 69. pag. 2.

3 Cæterùm Ætium huius erroris authorem fuisse, sed Eunomium auxisse, & propagasse notat Basil.

Basil. lib.1. contra Eunom. in princip. & tam in eo lib. quàm in sequenti 2. refert prædictas obiectiones aduersus æternam generationem. Nec non tract. de vera, & pia fide paulo post med. Epiphan. hæresi 76. multo propius ad princip. quàm ad med.dum refert libellum Ætij.Et in ancorato. Cyrillus Alexand. lib.1. thesaur. cap.7.& lib.2. cap.1. Hilarius lib.3. de Trinit. colum.4.& sequenti. Nazianz. orat.35. quæ est 3. de Theologia, referens varias obiectiones Arianorum. Athanas. Dial. 2. de S.Trinit. contra Anomæos, & orat.3. contra Arianos inter princip. & med. Breuiùs Damascenus lib.1. fidei cap.8.& 9.& alij plerique citandi disp.6. & 7. & disput.52. sect.1. & sequentibus.

4 *Mahumetus ex Iudaismo.* Mahumetus autem, monstrum erumpens ex Iudaismi cadauere, inter Arianorum fæces putrescente, dicit: *Vnum Deum qui nec genitus sit, nec generauerit.* vt refert Damascenus lib. de hæresibus prope fin. §. *Valet.* appellat autem Damascenus Mamedium, quem alij Mahumetum.

5 *Vera & propria generatio.* Nihilominus conclusio de fide est. Processio secundæ personæ sanctissimæ Trinitatis verè, & propriè est generatio. Probatur 1. Psalm.109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Hoc autem de Christo Domino intelligendum esse constat ex sequenti vers. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quem Paulus Hebr. 5. de Christo Domino intelligit. Nec non ex præcedenti versu. *Dixit Dominus Domino meo.* quo diuinitatem suam Christus Dominus aduersus Iudæos conformauit. Matthæi 22. ad finem.

6 *Ponderatur ex Psal.109. Ex vtero.* Confirmatur. Quia sicut vox *ante luciferum*, æternitatem generationis denotat; ita particula, *ex vtero*, significat ex substantia Patris solius Filium procedere per veram generationem.Quemadmodum Basilius lib.5. contra Eunomium pag. 2. notat. *Non quoniam Deus vterum habeat, verum quoniam propriæ suæ, & non nothæ genitura ex vtero parentum nascuntur.* Nazianz. in fusiori tractatu de fide, qui est oratio 49. propius ad med. quàm ad princip. perpendens illud Psalm.44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* infert: *Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde, quàm de paterno pectore, & de vtero cordis Dei credimus extitisse.* Ambrosius lib.4.de fide ad Gratianum capit.4. inter princip. & med. *Est quidam vterus paternæ arcanum substantiæ, interiusq; secretum, quod non aliqua creaturarum potuit penetrare natura.* Quod notat ad præsentis Psalmi declarationem. Similiter Anastasius Sinayta lib.1. de rectæ fidei dogmatibus multo propius ad med. quàm ad princip. notat quod Psalmista nomine *vteri* intelligit arcanam illam, & indicibilem essentiam.

7 Ferè omnes antiquissimi Patres prædictum versum Psalm.109. contra Iudæos, & Arianos adducunt ad confirmandam æternam Verbi generationem: ex quibus plerique metaphora vteri substantiam Patris, & profundum arcanum intelligunt. Ita Clemens Roman. epist.1. ad Iacobum paulo post med. Iustinus in Dialogo cum Triphone multo propius ad med. quàm ad princip. Cyrillus Hierosolym. Cathechesi 11.colum. 2. Alexander Alexandrinus epist. ad Alexandrum Constantipolitan. non longe post med. (habetur in antiquis inter præcedentia concilium Nicænum, & in nouis codicibus ponitur in Concil. Alexandrino) *Ecclesia per Illyricum* &c. in epistola ad Symmachum Papam multo propius ad finem, quàm ad med. Refertur autem tomo 3. biblioth. Sixtus Papa secundus epist.1. Cyrillus Alex. Dialog. de Trinit. lib.2. longè post med. & lib.12. thesauri cap.5. in med. Athanas. Dialog. 1. de sancta Trinit. propiùs ad princip. quàm ad med. & in quæst. ad Antiochum quæst.136. & in expositione fidei. & lib.2. de propriis personis prope med. & sermone 3. contra Arianos & orat.5. quæ incipit. *Ex Deo Deus est Verbum.* quinque columnis ante finem. Hilarius lib.12. de Trinit. propiùs ad princip. quàm ad med. Epiphanius hæresi 65. Pauli Samosatani, inter princip. & med. Gregor. Nissen. in lib. de cognitione Dei, cuius fragmenta referuntur tom.3. Bibliothecæ. Greg. Bæticus lib. de Trinit. & fide contra Arianos non longè post med. satis ex professo. Theodoretus lib. 2. de curat. Græcanic. affect. & Micheæ. cap.5. ad illud. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Tertullianus contra Praxeam cap. 7. & 11. Hieronymus Micheæ cap.5. ad illud. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Et in Esai. cap.46. Augustin.1. de Trinit. cap.12. & tract.3. in Ioann. & in commentario Psalm.109. & contra Maximinum lib.3. c.18. & alibi sæpe. Fulgen. ad obiectionem 9. Arianorum.Isidorus lib.1.contra Iudæos cap.1. ante med.Concilium Tolet.11. in professione fidei col.1. Concil. Hispalense secundum cap.13. col.1. Venantius in expositione symboli sub init. tomo 2. bibliot. Communiter expositores Latini, & ex Græcis etiam Euthymius in eum Psalm.

8 *De temporali natiuitate alij Patres intelligunt.* Neque obstat à multis etiam Patribus intelligi de temporali natiuitate Christi Domini. Nam vtrumque sensum literalem admittit Psalmus (quemadmodum de sequenti testimonio ex Psalmo 2.dicemus) Ideoque iidem Patres supra citati simul cum æterna generatione temporalem natiuitatem intelligunt. Ita Augustin. & Prosper in Psalm.109. & iterum Augustin. lib.3. contra Maximinum cap.18. Hilarius lib.12. de Trinit. Isidorus de natiuit. Domini cap.6. & 9.

9 *Psalm.2. ponderatur.* Secundò probatur ex Psalm.2. quem Rabini communiter exponunt de Messia, vt notat Galatinus lib.3. c.7. & Lorinus in argumento Psalm. 2.Quapropter Apostoli huius Psalmi testimoniis frequentius, & libentius vtebantur ad probanda mysteria Christi Domini.Quemadmodũ Actuum 4. & 13. & quod ad præsens attinet Apostolus ad Hebræos 1. Christi Domini diuinitatem probat ex ver.7. eiusdem Psalm. dicens: *Cui enim angelorum dixit Deus: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Quod nisi Paulus de æterna generatione intelligeret, non rectè colligeret veram,& substantialem Christi diuinitatem, naturalémque filiationem.Nam vt sapienter Fulgentius ad 2.obiect. Arianorum versus finem. *Quis Filium dicat, & genitum nesciat? quis Patrem valeat credere, quem non consideret genuisse?*

10 Atque ita de æterna generatione intelligunt Cyrillus Hierosolym. Catechesi 10. sub init. & Catechesi 11. colum.2. Alexander Alexandrinus Episcopus epist. ad Alexand.Constantinop.col.6. Basil. lib.2. contra Eunom. Chrysost. Hebr. 1. homil. 2. prope med. Quem sequuntur Theophylac. & Eucumen. ibidem. Augustin. non solum in Psalm.2. sed etiam in Enchiridio cap.49. & quæst.54. vtriusque testam. Athanas. contra Arianos orat.2. & 5. & lib. de decretis Synodi Nicænæ. Cyrill. Alexand. lib.1. in Ioan. cap.4.& de recta Fide ad Theodosium.Nyssenus in fragm. citatis pro testimonio præcedenti. Ruffinus in Psalm.2. Tertullian.contra Praxeam cap.7.& 11. Anastasius Sinaita lib.1. de rectæ fidei dogmat. col.

col. penult. Fulgentius ad obiect.10. Arianorum, ex professo probat, *multum falli, qui non credit, hunc locum diuinæ natiuitati conuenire.* Gregor. lib. 32. moral. cap.5. fine. Isidorus lib.1. contra Iudæos cap.1. ante med.

11 *Obiectio.* Videbitur alicui fortassis, ambiguam esse præcedentem expositionem de generatione æterna, quoniam Apostolus Paul.actuum 13.locum eundem intelligit de regeneratione Christi Domini per resurrectionem, licet ipse de æterna generatione intellexerit,Hebr.1. Quin etiam de humana Christi Domini natiuitate, de sacerdotali dignitate, vel de manifestatione filiationis in baptismo facta3 varij Patres explicant, vt videre est apud Vazq.1.p.disp.18.cap.2.& Lorinum,actuum 13. vers.33. & in Psalm.2. ver.7.

12 *Solutio.* Nihilominus inde nihil firmissimæ certitudinis detrahitur expositioni de generatione Verbi: non modo propter communem, atque verissimam Scholasticorum sententiam, admittentem in eadem litera plures sensus literales; sed præcipuè quoniam in rigore non est multiplex, sed vnicus sensus, constans multis quasi partibus integrantibus, qui generationem vtramque, resurrectionem, sacerdotium, manifestationémque complectitur. Vt enim *licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus:* ita licet generatus sit Deus, & generatus sit homo, atque iterum regeneratus, ac manifestatus; omnes istæ generationes reuocantur ad vnitatem, non solùm propter identitatem personæ, sed etiam propter analogiam, eximiámque proportionem minus principalium generationum ad primam generationem æternam. Omnes quippe, quantum rerum natura patitur,referebant *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre*, à quo tanquam à primo principio totius efficientiæ manabant, & requirebantur ad integram,atque completam illius Vnigeniti Dei, & hominis constitutionem in præsenti *Hodie* æternitatis ab eo productæ, qui fecit ventura. Isai 45. iuxta lectionem Septuaginta, & multorum Patrum.

13 *Verba diuersis rebus accommodata diuersimodè significant.* Innumera sunt exempla, quibus confirmari posset, non solum apud sacros, sed etiam apud prophanos scriptores, eadem omnino verba plurimis, diuersisque rebus, iuxta naturam, & proprietatem vniuscuiusque variato sensu, conuenire. Quin etiam manifesta ratio conuincit, esse impossibile aliter scribere, nisi nimium impedita dictione passim ad alias scientias, & artes ab instituto digressa.

14 Sufficiat vnum exemplum Geneseos 8. ver.17. *Cuncta animantia, quæ sunt apud te, ex omni carne tam in volatilibus, quàm in bestijs, & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram: Crescite, & multiplicamini super eam.* Hoc multiplicationis imperium, conferens vim effectiuam cum omnibus requisitis ad generandos filios, manifestè pertinet non solùm ad homines,sed etiam ad animalia cætera.Et quidem multiplicatio brutorum longè distat à multiplicatione hominum, quantum ad causam efficientem, quia per illam totum animal generatur, educendo formam de potentia materiæ, virtute maris, & fœminæ,Deo solummodo concurrente in genere causæ vniuersalis. Qui tamen ad multiplicationem hominum, tanquam particularis causa, creare debet animam rationalem, parentes autem non aliter concurrunt ad multiplicationem prolis, quàm disponendo corpus organicum, & vniendo cum anima rationali.

15 Nunc igitur nemo sapientum dixerit, illorum verborum,*crescite, & multiplicamini*, tres esse literales sensus, in quantum aliter multiplicantur irrationalia, aliter hominum corpora, & aliter eorum animæ. Quin etiam alienum à ratione foret exigere ab scriptore sacro, (vel etiam à prophano) vt diuersos multiplicandi modos diuersis verbis exponeret, & non complecteretur omnes vnico verbo. Certum ergo debet esse, lectoris sapientiæ, prudentiæque committi, vt analogiam, & proportionem vnius verbi diuersis rebus, de quibus pronuntiatur, accommodet.

16 *Isaiæ 53. ponderatur.* Tertiò probatur Isaiæ 53.*Generationem eius quis enarrabit?* Quem locum ad probandam æternam Christi Domini generationem, eiúsque profunditatem, angelis etiam incomprehensibilem, adducunt Patres communiter. Sixtus Papa secundus epist.1. ad Gratum Episcop. ante med. tomo 1. concil. Clemens Roman. epist.1. ad Iacob. paulò post med. Iustinus in Dialog. cum Triph. multo propiùs ad med. quàm ad princip. Irenæus aduersus hæreses lib.2. cap.48. Alexand. Alexandrinus Episcopus epist. ad Alex. Constantinop. colum.4. & 8. videlicet, prope med. Epistolæ, & iterum inter med. & finem. Eusebius Cæsarien. demonstrat. Euangelicæ lib.4. cap.3. & lib.5.c.1. Athanas. Dialog.3. de S.Trinit. col.4. & lib.5.de vnita substantia Trinit. sub init. Gregor. Bæticus lib. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad finem. Chrysost. hom.1. de incomprehensib. Dei natura paulò post med. eadémque videtur esse mens eius Matthæi 1. hom.2. colum.2. & Author imperfecti in Matth. homil.1. initio. Cyrillus Alexand. lib.1. Thesau. circa med.& in expositi.symboli Nicæni col. penult.quæ habetur tom.2.concilij Ephesini, appendice 1. cap.6. Cyrill. Hierosolym. Catechesi 11. col.2. Augustin. lib. 1. de symb. ad catechum. cap.3. & lib.2.cap.3.& lib.3. contra Maximinum cap.14. & lib.2. de consensu Euangelistarum, cap.1. Hieronym. Isaiæ 53. & lib.1. commentar. in Matth. ad illud, *Liber generationis*, &c. Ambros. in Symbol. Apostol.cap.10. & 11. initio. Isidor. lib.1. contra Iudæos cap.2. Fulgen. ad obiect.2. Arianorum.Anselm. in Monolog. cap. 62. ad med. Bernard. inter sermones paruos serm. 53. & serm.1. in Pentecost. propius ad princip. quàm ad med. Venantius in expositione symboli sub init. tom.2. bibliothecæ.

17 *De temporali natiuitate alia expositio.* Neque obstat eundem locum ab eisdem,aliisve Patribus nonnunquam intelligi de temporali natiuitate, vel de numerosa prole filiorum, per gratiam, & adoptionem multiplicanda. Possunt enim prædicti sensus pertinere ad complementum primarij de generatione diuina: quemadmodum in simili probatum est testimonio præcedenti. Vnde Leo Mag. serm. 9. de natiuit. in princip. *Non solum*, inquit, *ad diuinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam: Generationem eius quis enarrabit?*

18 *Qui generationem tribuit, non est sterilis.* Quartò non est silentio prætereundum aliud testimonium Isaiæ cap. vltimo, quod ita ponderat Isidor. lib. 1. contra Iudæos capit. 1. versus finem. *Antequam pariuiret, peperit: & antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quasi apertè diceret. Antequam Christum Virgo parturiret in carne, genera uit Filium in diuinitate Pater, & antequam tempus Virginis parturiendi ueniret, genuit eum sine tempore Pater. Vnde inferius ait. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Reuera quia nihil tale in hominibus accidit, aut quippiam simile, & post hæc subiungit: Numquid qui alios parere facio, ipse*

ipse non pariam? dicit Dominus. & qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus.

19 Hunc itaque velut literalé sensum ad probandam Christi Domini diuinitatem vrget Isidorus, & ad idem affertur à Concilio Hispalensi secundo, act. 13. col. 1. Cui valde fauet Augustinus epist. 66. ad Maxim. propiùs ad med. quàm ad fin. dicens: *si temporalibus, & passibilibus rebus Deus tribuit, vt quod sunt hoc generent, quanto magis ipse æternus, & impassibilis non aliud, quàm quod est ipse, generauit vnus vnicum?* Quæ ratio nō tam ad probandam generationem quàm ad probandam specificam identitatem Filij, supposita generatione, videtur adducta.

20 S. Thom. de potent. q. 9. art. 9. in argum. 9. & in eius solutione supponit quasi certum, hoc testimonio probari generationem Verbi. Notat autem, ex eo solum, quod aliis generationem tribuat in genere causæ efficientis, non probari generationem diuinam. Alioqui probaretur Deum moueri, quoniam creaturis motum tribuit. *Sequitur autem quod sit in Deo generatio ex hoc, quod tribuit aliis generationem vt causa effectiua, & exemplaris. Pater autem est exemplar generationis vt generans, sed Filius vt genitus. Vnde non oportet quod generet.* Verumtamen probabitur etiam rectè, Deum generare, ex eo quod aliis generationem tribuat, si supponatur, generationem esse intellectualem operationem absque imperfectione, quemadmodum psalm. 93. Deum videre probat ex eo, quia *finxit oculum*, supponendo possibilem esse visionem intellectualem absque imperfectione. Sed hæc possibilitas est euidens naturæ lumine, sed non illa.

21 *Obiectio.* Prædictus sensus verborum Isaiæ minus efficax videtur ad probandam generationem. Est enim spiritualis sēsus, inde collectus, quod Filios adoptionis per gratiam Deus generat ad instar Vnigeniti, producti per æternam generationem, vt breuiter notat Interlinealis ibi. Præsertim quoniam cæteri Patres, nulla mentione facta de Verbi generatione, declarant de multiplicatione filiorum Ecclesiæ. Vt Hieronym. Cyrill. & Theodor. & Glossa ibi. Ambros. in exhortatione ad Virg. prope med.

22 *Corroboratio probationis præcedentis.* Adhuc tamen authoritatis pondus non exiguum præsenti probationi conciliat argumentum quorumdam Patrum aduersus Arianos. Nam eandem rationem eisdem prope verbis vrgentes, tacitè citare videntur testimonium Isaiæ cap. vltimo. Sic enim Athanasius in 3. sermone gestorum Nicæni Concilij. *Dicunt* (inquit videlicet Ariani) *sterilem esse, & infructuosam naturam Paternam quæ omnibus rebus instram, & propagatiuam similium dedit naturam.* Cyrillus Hierosolym. Cateches. 7. sub init. *Nam qui omnibus vim gignendi impartitur, eum hac facultate priuare impium sanè fuerit.*

23 Cyrillus Alexand. Dialog. de Trinit. lib. 1. colum. penult. Arianos ita vituperat; *Ipsam Dei Patris naturam in hoc simul dehonestant, quandoquidem dicunt non esse fruciferū, & spoliant eum gignendi facultate, cuius tamen figuras parturiens, & fructificans creaturarum natura in se declarat.* Cui consonat eiusdem ratiocinatio in lib. 2. Thesaur. cap. 1. propius ad princip. quàm ad med. *Si non potuisse dixerint* (videlicet, generare Filium consubstantialem) *impudenter impotentiam Patri attribuent: Si noluisse, turpissimam illi pigritiam imponent.* Similiter Basil. lib. 4. contra Eunom. non longè à princip. *Si Deus non generat, quia non potest; minor est quàm generans, & perfecta natura. Cum adhoc etiam imbecillitas insit. Quod si potest, & noluit; quod natura habet, voluntate retinuit.*

Quintò probatur Prouerb. 8. Vbi sapientia increata seipsam ita manifestat: *Nondū erant abyssi, & egò iam concepta eram.* Et post pauca. *Ante omnes colles ego parturiebar.* Quod de sapientia creata primariò, & principaliter intelligi nō posse, constat euidenter ex sequenti contextu. Sola quippe sapientia increata dicere potest: *cum eo*, videlicet, cum Deo Patre, *eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Et Ecclesiast. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* 24 *Prouerbiorū 8. ponderatur.*

Creatoris autem omnipotentiā sibi propriam esse continuò declarat, dicens: *Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens* &c. Vnde sapientiæ 7. dicitur: *Omnium artifex docuit me sapientia.* Et post pauca: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit vna, omnia potest.* &c. Alia testimonia manifestè probantia, diuinum Verbum esse sapientiam increatam, & creatricem rerum omnium, videbimus disp. 58. sect. 4. & 5. & disp. 62. & 63. 25

Idcirco Patres communiter de generatione diuina intelligunt esse primariò dicta, quæ retulimus ex cap. 8. Prouerb. & 24. Ecclesiastici. Videndus est præcipuè Ambrosius lib. de diuinit. Filij c. 2. ad med. vsque ad finem. & lib. 4. de fide ad Gratian. c. 4. inter princ. & med. Alexander Alexandrin. epist. ad Alexand. Constātinop. in medio. Athanas. orat. 3. contra Arianos propius ad med. quàm ad finem. & in quæstionibus ad Antioch. q. 136. multo propiùs ad princip. quàm ad med. & in Synopsi sacræ Script. lib. 13. de Prouerbiis Salom. inter princip. & med. Sixtus Papa secundus supra citata epist. 1. ad Gratum Episcopum. Orientales Episcopi Canone 5. apud. Hilar. in lib. de Synodis, colum. 8. exponente eodem Hilario non solum ibi, sed etiam lib. 12. de Trinit. post med. grauiter, & acutè deducente ex contextu sapientiam, quæ est Filius, esse coæternam, & æqualem Patri. Similiter Nazianz. orat. 36. quæ est 4. de Theologia sub init. & tract. de fide, qui est oratio 49. propiùs ad med. quàm ad princ. Epiph. in Ancorato multò propiùs ad med. quàm ad princ. Cui consonat hæresi 69. pag. 6. & 7. Ignatius epist. 7. ad Tarsenses in med. Hieron. tom. 3. in exposit. Psalm. 89. ad Cyprian. presbyterum propiùs ad med. quàm ad princip. & in commentar. ad Ephes. cap. 2. ad illud: *Ipsius factura.* & Ephes. 5. ad illud: *Vt innotescat principibus.* Et Isaiæ 26. ad illud: *Possederunt nos Domini.* Et in Mich. lib. 2. initio. Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 12. & epist. 49. quæst. 3. Fulgent. ad 3. obiect. Arianor. ante med. Tertullian. lib. contra Prax. cap. 7. & 11. Phæbadius lib. contra Arianos prope med. Isidor. lib. 1. contra Iudæos cap. 2. Concil. Hispalense secundum act. 13. col. 1. Gregor. Bæticus lib. de Trinit. & fide non longè post med. & iterum propiùs ad finem, quàm ad med. Euseb. de præparatione Euang. lib. 11. cap. 10. sub init. & demonstrationis Euangelicæ lib. 5. cap. 1. à princip. Origenes lib. 1. periarchon. cap. 2. in princ. 26

Quin etiam alij Patres, qui Prouerb. 8. iuxta Septuaginta legentes, *Dominus creauit me*, probant intelligendum esse de natiuitate secundum carnem: iidem obseruant, de eadem persona Christi Domini dictum esse in sequenti contextu, *Genuit me*, siue, *concepta eram*, &, *parturiebar*, vt ad eandem personam secundum vtramque naturam pertineret 27 *De temporali natiuitate.*

pertineret creatio secundùm humanitatem, & generatio secundùm diuinitatem. Ita Chrysost. homil. de Ioanne Baptista (quæ est secunda in Euangelium Ioann. post Commentaria in eius Euangel.) colum. 2. & serm. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad finem.

28 Basilius lib. 4. contra Eunom. pag. penult. circa præsentem locum Prouerb. 8. *Capiendum*, ait, *Verbum genuit, de Deo Filio: creauit verò de Deo, qui formam serui accepit.* Idem habetur in fragmentis Gregorij Nysseni, sub titulo. *Dauidis, & Iob*, &c. tomo 3. bibliothecæ prope med. Cui consonat Nyssenus lib. de fide contra Arianos ad Simplicium inter princip. & med.

29 *Creauit me, quomodo intelligendum.* Vnde constat, nihil obstare certitudini præsentis testimonij de generatione diuina, quod iuxta Septuaginta legitur Prouerb. 8. *Dominus creauit me.* Et Ecclesiastici 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Primò, quia præferenda est lectio. *Dominus possedit me.* Secundò, quoniam Prouerbialiter, & non iuxta proprietatem sapientia dicitur creata, vt eius productio liberetur ab imperfectionibus, quas, audito nomine generationis, solemus concipere. Tertiò, quoniam licèt sit propriè creata secundùm humanitatem: est propriè genita secundum diuinitatem, quæ omnia eorumdem, & aliorum Patrum testimoniis confirmabuntur disput. 96. sect. 5. & sequentibus.

30 Præterea non obstat, ab aliquibus expositoribus illa capita Prouerbiorum, & Ecclesiastici explicari de sapientia creata. Hic enim sensus esse potest secundarius, non modò non repugnans, sed etiam illatus ex primario iuxta doctrinam traditam in probatione secunda ex Psal. 2.

31 Denique S. Thom. contra gent. cap. 11. prope finem rationem reddit, ob quam sapientia dicit; *Ego iam concepta eram.* Videlicet, quia genitum *quamdiu manet in generante, dicitur esse conceptum. Verbum autem Dei ita est à Deo genitum, quod in eo manet.* Et post pauca notat, additum esse *Parturiebar, ad insinuandam perfectam eius distinctionem à generante.*

32 Vltima probatio sit Ecclesiæ definitio de fide in symb. Nicæno. *Genitum non factum.* Et in symb. Athanas. *Filius à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus.* Plura testimonia Conciliorum, & Patrum constabunt in sequentibus disputationibus.

SECTIO II.

Genuina quidditas filiationis naturalis probat æternam generationem.

1 PRobatur primò. Quia necessaria consecutio, generationem inferens ex filiatione naturali, non modo sapientibus, & adultis, sed etiam stolidissimis, ac pueris est euidentissima naturæ lumine, concurrente familiari sermone parentum. Ratio philosophica est, quia relationi filiationis fundamentum proximum præbet generatio passiua, sicut actiua generatio relationi Paternitatis. Quod Augustinus obseruauit 5. de Trinit. cap. 6. prope med. dicens: *Ideo Filius, quia genitus; & quia filius, vtique genitus.* Et seq. cap. 7. initio. *Hoc significatur cum dicitur genitus, quod significatur cum dicitur filius. Ideo enim filius, quia genitus; & quia filius, vtique genitus.*

2 Constat idem frequentibus testimoniis omnium ferè librorum Scripturæ sacræ, potissimum Geneseos. Sufficiat illud Zachariæ 13. sub init. *Dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum.*

Ruiz. de Trinitate.

Et iterum: *Et configent eum pater eius, & mater eius, genitores eius.* Ideo Psalm. 2. cum dixisset Pater: *Filius meus es tu.* subintulit: *Ego hodie genui te.* Vt vidimus sect. 1. probatione 2.

Quin etiam hæretici videbant, negari non posse consecutionem generationis ex filiatione naturali. Quapropter vt excluderent naturalem filiationem, oppugnabant generationem naturalem, conantes adoptiuam substituere. Vnde Hilarius lib. 4. de Trinit. colum. 2. *Aiunt*, inquit, *hæretici, Filium non ex Patre natum, neque Deum ex natura, sed ex constitutione esse: Adoptionem, scilicet eius esse in nomine, quia sicut plures Deo filij, ita & hic filius sit.* Eundem errorem refert lib. 6. de Trinit. col. 2. & 3. & Epiphan. hæresi 69. pag. 2. ex Ario in epist. ad Alexandrum. Rursus ex Eunomio Basil. lib. 2. contra Eunom. inter princip. & med. Nazianz. orat. 35. quæ est tertia de Theolog. col. 3. Cyrill. Alexand. in thesaur. lib. 3. & 4. & lib. 8. thesaur. cap. 1. 3

Porrò Dominum nostrum Iesum Christum esse Filium, constat Lucæ 1. *Filius Altissimi vocabitur.* Matthæi 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Marci 14. *Filius Dei benedicti.* 1. Ioann. 5. *Simus in vero Filio eius.* Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit.* Et sæpius ibidem appellatur Filius. Sic etiam intelligitur à Patribus illud Prouerb. 30. *Quod est nomen eius, & quod nomen Filij eius, si nosti*, prout exponit August. epist. 49. quæst. 5. & Beda in commentar. ad eum locum. 4 *Filium Dei esse Iesum Christum D.*

Ideo Patres communiter generationem, & genitum esse, coniungunt inseparabiliter cum filio naturali. Quemadmodum Nicæna Synodus lib. 2. paulò post medium. §. *quomodo*, ait, *Naturā Filius æterni Dei.* & §. *sæpenumero*, ait, *ex substantia Patris genitus Vnigenitus eius Filius.* Athanas. dialog. 1. de sancta Trinit. contra Anomæum pag. 4. & 6. *Filius est*, inquit, *ex hypostasi vt generatus, spiritus verò vt procedens.* 5

Basil. homil. 28. contra Sabellian. ante med. ait: *Ex Patre Filius non mandato factus, sed ex illius natura genitus est.* Et lib. 5. contra Eunom. cap. 12. versùs finem. *Vnus Filius æterna generatione natus.* Chrysostom. Hebr. 1. homil. 2. prope morale scribit: *Nisi esset germanus Filius* (*germanus autem Filius nil est aliud quàm de ipso genitus*) *quomodo posset ex hoc amplitudinem honoris asserere? si enim gratia esset Filius, non solum non excelleret Angelos*, &c. Similia notat homil. in Psal. 44. *Eructauit cor meum.* colum. 4. 6

Epiphan. hæresi 62. non procul à princip. *Perfectus existens Pater in substantia, & Filius perfectus existens semper in substantia, ex Patre in veritate genitus, Filius genuinus*, &c. Similia repetit hæresi 69. pag. 5. & hæresi 73. in med. & hæresi 76. ad varia capita Aëtij. 7

Cyrill. Alexand. eandem veritatem confirmat contra Paulum Samosat. lib. 1. thes. cap. 9. fine, & toto lib. 2. & lib. 3. cap. 1. & lib. 8. c. 1. & lib. 13. cap. 1. & lib. 14. cap. 2. 3. & 5. Quibus in locis multoties repetit *generari, gigni, nasci, procedere, prodire Filium essentialiter, naturaliter, secundum naturam.* Non simul copulando omnes has voces, sed diuerso contextu singulas inserens ad significandam generationem naturalem. Eodem modo loquitur dialog. de Trinit. lib. 1. propius ad finem, quàm ad med. & lib. 2. multo propiùs ad med. quàm ad princip. & lib. 3. circa med. 8

Similiter Theodor. in Epit. diuinorum decret. cap. 2. sub init. Gregor. Bæticus lib. de Trinitat. propius ad med. quàm ad princip. Ambros. in 9

symbol. Apost. cap. 11. fine. *Domino Christo*, ait, *Deus Pater propria generatione Pater est, nobis autem adoptione voluntaria: illi Pater est per naturam, nobis per gratiam.* Quam diuersitatem vtriusque filiationis explicat fusiùs lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 6. prope med. Denique manifestè colligitur ex Patribus: qui solent nomine *genitoris* æternum Patrem, & nomine *geniti* Filium intelligere. Quorum testimonia frequenter occurrent in variis disputationibus totius operis.

10 *Vnigenitum esse.*

Probatur secundò. Quia nomen ipsum *vnigeniti* manifestè significat generationem vnici Filij. Quod autem Verbum sit vnigenitus, ita docet ipse dicens Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et iterum: *Quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* & Ioann. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse narrauit.* Vnde, quod in eodem cap. 1. Ioann. dicitur. *Gloriam quasi vnigeniti à Patre.* non minuit gloriam, sed potius denotat veritatem, & æqualitatem secundum phrasim Hebraicam, ac si diceret, tanta gloria, quanta decebat vnigenitum Filium. 1. Ioann. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum.* Ideo symbol. Nicænum postquam dixit: *Filium Dei vnigenitum*, infert, *& ex Patre natum.*

11 *Refutatur hæreticorum solutio.*

Impudentissima fuit solutio hæreticorum dicentium: *Idcirco vnigenitus, quoniam à solo natus, & creatus perfectissimus factus est minister.* Quæ verba Eunomij refert Basil. lib. 2. contra Eunom. in med. validissimisque rationibus refellit, & inter alia ait: *Vnigenitus non qui à solo natus, sed qui solus natus, in communi consuetudine appellatur.* Et non longè inferius deducit ad inconueniens, nam ex prædicta ratione Eunomij sequitur, *nullum hominem esse vnigenitum, nec Sara vnigeniti filij mater erat: non enim sola, sed cum Abraham simul eum genuit.* Eandem responsionem hæreticorum refert, & confutat Athanas. in epist. de decret. Nicænæ Synodi. Nazianz. oratione 36. quæ est 4. de Theolog. propiùs ad fin. quàm ad med. & Cyrill. Alexandr. lib. 10. thesaur. cap. 4. prope med.

12 *Alia hæreticorum euasio refutatur.*

Ad eundem scopulum negandi generationem æternã, & naturalem Filiationem impegit Franciscus Dauid & alij Seruetiani Transyluani. Dicunt enim, *Christum esse vnigenitum, & naturalem Filium Dei, quia sine virili semine à solo Deo, & ex ipsius Dei substantia in vtero Virginis conceptus est: quo factum est, vt Deus sit ipsius naturalis Pater, vt qui vicem viri in eius generationem supplerit.* Ita refert Valentia lib. 1. de vnit. & Trinit. secundum se cap. 17. in med.

13 *Vnigeniti rationẽ Patres exponunt.*

Sed Vnigeniti rationem longè aliter Patres intellexerunt. Athanas. dialogo 2. de Trinit. contra Anomæum multo propius ad princip. quàm ad med. dum respondet ad scholia Eunomij. *Sic cum*, inquit, *vnigenitum esse fateberis, qui solus ex essentia genitus sit. Nam si & ipse voluntatis filius est, nempe non est vnigenitus, cum multa sint quæ peperit voluntas: voluntariè enim genuit nos Verbo veritatis.* Iacobi cap. 1.

14

Cyrillus Alexand. dicto lib. 10. thesauri cap. 4. in med. Verba Ioann. 1. *Gloriam quasi vnigeniti à Patre*, postquam dignè ponderauit, concludit: *Non ergo quia solus à Patre creatus est, sed quia solus ex Patre naturaliter nascitur, idcirco vnigenitus appellatur.* Cyrillus Hierosolym. catechesi 11. in princip. illud symboli. *Filium Dei vnigenitum.* ita ponderat: *Non existimes esse adoptiuum, sed naturalem vnigenitum Filium, qui fratrem alium habet nullum, propterea enim vocatur vnigenitus, quod in dignitate Deitatis, & ex Patre generatione fratrem non habet.* Confirmatque Ioann. 1. & 3. citatis, quibus consonat catech. 4. cap. 2. 3. & 10. & catech. 6. initio, & catech. 7. & 10.

15

Nazianz. in fusiori tract. de fide, qui est orat. 49. sub titulo, *fidei conscriptæ apud Nicænam.* sub init. ait: *Natum de Patre vnicum, hoc est, de substantia Patris.* Theodor. epit. diuinor. decret. lib. 5. cap. 2. *de Filio*, sapienter confutat hæreticos ex propria ratione vnigeniti. Fulgent. ad 3. obiect. Arian. non procul ante finem. *In illa*, inquit, *natiuitate verè est vnigenitus, in qua sine initio de solo Deo solus natus est Deus.* Damascenus 1. fidei cap. 9. propiùs ad princip. quàm ad med. ait: *Vnigenitus, quod solus ex solo Patre singulariter est genitus*, &c. Plura de ratione vnigeniti videbimus sectio. 5.

16 *Dilectionis excellẽtia nomine Vnigeniti.*

Confirmatur primò testimonio Patris æterni, Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus.* Nam Scriptura nomen dilecti Filij solet vnigenito referuare ad dilectionis excellentiam explicandam: vt sapienter obseruat Athanas. orat. 5. contra Arian. inter med. & finem, vsque ad finem orationis. Quod probat Genesis 22. *Tolle Filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac.* Videlicet vnicum ex præcipua vxore Sara. & in titulo Psalm. 44. *Eructauit*, &c. *Canticum pro dilecto.* Isaiæ cap. 5. *Cantabo dilecto meo.* Et post pauca: *Vinea fuit dilecto.* Recitat etiam Homeri sententiam in 2. odyss. Vbi Telemachum vnigenitum Vlyssis *dilectum* appellat.

17

Quibus adde quod in parabola vineæ scribitur Marci 12. *Adhuc habens vnum Filium charissimum.* & Lucæ 20. *Mittam Filium meum dilectum.* Hac enim appellatione intelligi vnigenitum, constat ex sequenti contextu: quia eo interfecto, hæreditatem eius se habituros esse putabant vineæ coloni.

18

Confirmatur secundò. Nam è contrario etiam *Vnigenitus* quandoque per tropum significat vnicè dilectum, licet fratres habeat, quo sensu Salomon Prouerbiorum 4. dicitur *Vnigenitus*, de quo infra sect. 6. obiectione 7.

19 *Ficta professio Vnigeniti.*

Monstruositate tandem, ac simulatione recentiores hæretici nuper commemorati Franciscus Dauid, & Seruetus superant Arij, Eunomiique furorem. Simul enim fatentur Christum D. esse *Vnigenitum, & naturalem Filium Dei ex eius substantia productum.* Quod sine vera Diuinitate, per æternam generationem communicata, nec esse, nec intelligi potest. Quamobrem diuinam generationem Verbi cum excludant, nihil restat, quod intelligere possint oratione supradicta, nisi ordinem effectus ad causam efficientem, & exemplarem; quo sensu cæteræ omnes creaturæ, potissimúmque rationales dici possunt *ex substantia Dei* naturaliter productæ.

20

Maiórque ratio fuerit appellandi Adamum Vnigenitum, & naturalem Filium Dei, quoniam Deus vicem viri simul, & fœminæ in eius productione supplerit. Vnde naturalis eius Pater, & mater Deus erit, magis quàm Christi D. quod est impium. Quod si respondeant, Adami productionem non fuisse generationem: animaduertant Christi D. productionem, licet comparatione Virginis sanctissimæ fuerit generatio; comparatione Dei non fuisse generationem: quia non fuit productio viuentis à viuente per principium coniunctum in similitudinem naturæ.

Plura

Plura aduersùs hoc figmentum Valentia d. lib. 1. controuersiar. de Vnitate & Trinit. secundum se cap. 17. à medio.

SECTIO III.

Quoniam verè, & propriè Filius est, colligitur vera, & propria quidditas generationis.

1 *Voluntate & consilio genitum dicebant hæretici.*

VErè, & propriè Filium esse Dominum nostrum Iesum Christum, negant hæretici dicentes, voluntate, & consilio genitum esse, vt vidimus ad quæst. 40. art. 2. Peculiariter notanda sunt quæ refert Alexander Alexandrinus epist. ad Alexand. Constantinopolit. col. 3. dixisse Arium, & Achilleum: *Nec naturaliter Dei Filius est, nec aliquam habet ad Deum proprietatem, quando etiam ipsum naturæ mutabilis existentem, propter diligentiam, & virtutem non mutatũ in deterius elegit Deus, cum etsi Paulus, & Petrus ad hoc peruenissent, nihil Iesus poterat ab horum filiatione differre.* Quam impudentissimam blasphemiam copiosè, & grauiter refutat Alexander citatus.

2 *Patrũ testimonia exponuntur.*

Quin etiam grauissimi Patres verborum quorumdam superficie negare videntur proprietatem Paternitatis, Filiationis, & generationis in Deo. Nam Dionysius de mystica Theologia c. 5. ad medium ait, Deum *nec spiritum esse, vt nos sciamus, nec filij, nec patris rationem esse, nec aliquid eorum, quæ nobis, aut cuipiam naturæ sunt cognita.*

3

Cæterum mens Dionysij constat ex toto illo capite, præsertim ex eius fine, & cap. 1. de diuinis nominibus, non procul à princip. & cap. 2. inter princip. & med. & parum ante med. & cap. 4. Nam vbique dicit, Deum esse superiorem, & superexcedentem omnia, quæ cognoscuntur à nobis: & in eo sensu dicit in eo cap. 5. Deum *neque esse scientiam, nec veritatem, nec regnum, nec sapientiam, nec vnitatem, nec diuinitatem.* Quam sententiam ex Dionysio fusius tractat Elias Cretensis in orat. 1. Nazianzeni, num. 127. ad illa verba: *Cælum excelsum.* & orat. 24. num. 13. ad illud: *Duas summas.* Eisdémque testimoniis probat Cyparisiotus decade 4. cap. 10.

4

Non dissimili sensu Nazianzenus, Basilius, & Hilarius negare videntur proprietatem Filiationis, & generationis. Sed eorum verissimam, & vtilissimam doctrinam explicabimus statim. Videri possunt etiam quæ disput. 9. sect. 2. & disp. 10. sectio. 4. differemus de proprietate, qua dicitur Deus esse substantia, vel Pater, & Filius dicuntur esse relatiua.

5 *Proprie Filiũ esse.*

Dico igitur primò, Verbum esse verè, ac propriè Filium. Probatur 1. Ioann. 5. *Simus in vero Filio eius.* Cæterisque omnibus testimoniis de Filio, & Vnigenito, citatis sect. præcedenti. Quorum verba non possunt ad improprietatem, aut metaphoram detorqueri, siquidem omnia conspirant, neque vllus inuenitur scripturæ locus, significans improprietatem, aut metaphoram. Ideo Nicæna Synodus lib. 2. paulo post med. §. *sæpenumero* ait: *Filius non solo nomine verus, & perfectus*, videlicet in ratione filij perfectus. Iterum autem propius ad princip. quam ad med. §. *Sancta, & magna.* dixerat: *Verè Filium veri Patris.*

6 *Vocabula à rebus creatis ad Deũ elevata.*

Alij autem Patres nuper citati sapienter admonent, vocabula Patris, & Filij, & generationis priùs imposita fuisse ad res humanas significandas, propterea que non posse quadrare rebus diuinis, nisi ab eiusmodi vocabulis resecauerimus passiones sensuũ, & reliquas imperfectiones, solummodo significando productionem viuentis à viuente per principium coniunctum in similitudinem naturæ. Hoc videlicet sensu Nazianz. orat. 45. de diuinit. ad Euagrium colum. 2. probat, nomina Patris, & Filij, & Spiritus sancti non esse propria, quemadmodum rerum omnium spiritualium hominibus nullum est nomẽ proprium Nec propterea negat nomina connotiua, quæ significationis proprietatem habent quantam patitur status viatorum.

Idémque Nazianz. orat. 37. quæ est 5. de Theologia colum. 4. prope num. 18. refutans Arianos, inferentes fratrem, aut nepotem ex Filio ait: *Non enim quia secundum excelsiorem quandam relationem Filius est Filius (quod videlicet aliter, quam hoc modo, indicare nequeamus id, quod ex Deo est essentiaque idem cum ipso) Idcirco terrena quoque omnia cognationisque nostræ nomina ad Deum necessariò transferenda esse putandum est.* Perpende rationem vnicã propter quam vtimur vocabulo Filij, quoniam aliter nequimus significare secundam personam ex vi processionis eiusdem substãtiæ cum Patre: quamuis hæc relatio filiationis excelsior sit filiationibus creatis. Alioqui Nazianz. tractatu de fide, qui numeratur oratio 49. non procul à princip. multoties repetit, & tandem in fine ait: *Patrem verè, & propriè esse Patrem.* Similitérque, *Filium verè, & propriè esse Filium* & sequenti tract. de fide Niccena, qui numeratur oratio 50. ex verbis Concilij dicit: *Patrem verum, qui genuit Filium verum.*

7

8

Basilius tom. 2. tract. de vera, & pia fide in med. ait: *Cum ad omnes fimal de Deo notiones explicandas, omnémque pariter depromendam gloriam, non vnicum nomen sufficiat: at neque singula si cum integra ipsorum significatione seruentur, sine periculo assumantur.* Quod ita exemplo confirmat: *Vocabulum Patris, si cum integra eius significatione sicut apud nos est in vsu, accipiamus in Deo; impiè facimus.* Idem ergo generali lege vocabulorum comprehendit nomina generationis & Filij. Quod expressit lib. 5. contra Eunom. versus med. dicens: *Nec Filius nec generatio deitatis proprium est, sed ex humana generatione adductum, ex qua etiam spiritus dictio adducta est.* Videlicet ex humana spiratione.

9

Nihilominus post pauca subdit in eodẽ lib. 5. *Generat Deus non vt homo: generat autem verè, & edit Verbum verè.* Et lib. 2. contra Eunom. multo propius ad med. quam ad finem de vocibus: *Generatio, Pater.* Et *Filius* dixerat: *Qui has negligere voces audet, vniuersam Euangelij simul delet virtutem.* Monet autem resecandum esse passionis significationem, ac retinendam solummodo productionem similis in natura.

10

Quod scholastico more solemus dicere, necessarium esse species colligere à rebus corporeis, vt in hac vita possimus res diuinas intelligere: Hilarius ita docuit lib. 1. de Trinit. paulo post. med. *Infirmitas nostræ intelligentiæ cogit species quasdam ex inferioribus, tanquam superiorum indices quærere: vt rerum familiarium consuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur.*

11

Nihilominus idem Hilarius lib. 3. de Trinit. propius ad med. quàm ad princip. Illud Ioan. 12. *Clarifica Filium tuum*, ita ponderat: *Non solum nomine contestatus est esse se Filium, sed & proprietate, qua dicitur tuum.. Multi enim nos filij Dei;*

sed non talis hic Filius est. Hic enim est verus, & proprius est Filius origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione: natiuitate, non creatione. Idémque in lib. de Synodis propius ad med. quam ad princip. refert, & approbat Antiochenam fidem, quæ profitetur, *Patrem verè Patrem, Filium verè Filium, Spiritum sanctum verè Spiritum sanctum.*

12 Ambros. etiam multis in locis docet, Patrem verè, & propriè Patrem esse, Filiúmque verè, ac propriè Filium esse. Quemadmodum in symbolum Apostol. cap.11. & lib.1. de fide ad Gratian. cap.6.& cap.9.& in prologo ad lib.2.de fide prope med. ait: *Tria illa, id est generatio, Filius, Vnigenitus principaliter, & propriè indicant ex Deo Filium.* Cyrillus item Hierosol. cateches.11. col.2. *Porro cum Filium audis, non abusiuè Dei Filium putes, sed verè Filium naturalem: non ex seruitute in adoptionis prosperitatem ascendentem, sed imperscrutabili generatione productum.*

13 Cyrillus Alexand.1.thesaur.cap.9. fine. *Quod si quis*, inquit, *audebit dicere, non verè Filium appellari Deum, neque natura sed gratia Patris Filium vocari (vt Paulum Samosatenum imitatus) contemnetur à nobis.* Et sequenti lib.10.cap.6. prope finem ita ponderat illud Ioann.17. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes. Ioannes etiam ait: & simus in vero Filio eius Iesu Christo.*

14 Eandem veritatem ac proprietatem naturalis Filij, generatione producti, probat Gregor. Bæticus lib.de Trinit. propiùs ad med. quàm ad princip. & in medio, & versus finem. Fulgentius ad 7. obiectionem Arianorum non procul à princip. *Si vera est*, inquit, *paternitas Patris, vera est natiuitas prolis.* Denique veram, & propriam rationem Filij Patres intendunt significare, quoties appellant Filium *naturalem, germanum, genuinum.* Quorum testimonia posuimus sect.2. Germanus quippe, quando non significat fratrem,eodem patre,eadémque matre genitum, valet idem quod *verus*, atque *sincerus*. Vt Cic. 2. de legibus. *Hæc est mea, & fratris mei germana patria. Genuinus* autem idem valet quod *natiuus*, & *peculiaris.*

15 *Quidditas Patris vera & propria in ordine ad Filium verum & proprium.* Ratione probatur efficaciter, quia vera, & propria quidditas Patris constituitur in ordine ad Filium verum proprium. Quemadmodum Clemens Roman. epist. 1. ad Iacob. paulo post med. obseruat. *Patrem cum audis, agnosce quod haberat Filium veraciter genitum: sicut possessor dicitur, qui aliquid possidet, & dominus, qui habet cui dominetur. Deus ergo Pater secreti Sacramenti vocabulum est, cuius verè Filius est Verbum.* Eodem modo ratiocinatur Cyrill. Alexandr. lib. 3. thesaur. cap.2. post med. *Verus Filius, propter quem Deus Pater est verus.* & Dialogor. de Trinitat. lib.2.colum.2. docet: *Propriè Patrem esse non ob aliam causam, quàm quod genuit ex seipso Filium, & propriè Filium esse, quia natus est ex Deo Patre.* Hoc eodem argumento deducitur eadem veritas ex aliis testimoniis, confirmantibus æternum Patrem verè, & propriè esse Patrem, quæ referemus disputat.51.

16 *Dictum 2.* Ex dictis infero, & sit assertio secunda. Ex Filiatione tali manifestè colligitur generatio, propriè, non metaphoricè dicta. Sicut enim Filius non esset, nisi per generationem produceretur; sic etiam verè, ac propriè Filius non esset, nisi per veram ac propriam generationem productus. Propterea Patres nuper citati, præsertim Clemens, Hilar. & Basil. natiuitatem, & generationem adiungunt ad probandam veram, & propriam filiationem. Augustin. serm. 38. de tempore inter med. & fin. *Filius*, inquit, *propriè de eo genitus dicitur, quia Patrem habet, qui eum genuit.*

Ambros. in symb. Apost. cap.11. fine ait: *Domino Christo Deus Pater propria generatione Pater est, nobis autem adoptione voluntaria, illi Pater est per naturam, nobis per gratiam.* Et lib.1. de fide ad Gratian. cap.6. post med. obseruat, Christum D. Ioann. 20. *Ostendisse distantiam generationis, & gratiæ*, quia *non dixit: Ascendo ad Patrem nostrum, sed ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Separatio ista diuersitatem ostendit, quod illius genitor, noster creator sit. & addidit: Deum meum, & Deum vestrum, quia licet ipse, & Pater vnum sint, & illi Pater sit proprietate naturæ, nobis Deus Pater, caperit esse per Filium, non naturæ iure, sed gratiæ.* 17

Vnde colligo, & dico tertiò. Magis verè, magísque propriè Verbum est Filius Dei, quàm Angeli, aut homines iusti sunt filij Dei. Hoc satis ostendunt Ambrosij verba nuper adducta, quibus similia scribit Chrysost. serm. de sancta Trinit. in med. tomo 3. ad finem, ponderans eadem verba Christi D. Ioann. 20. & fusiùs Alexand. Alexandrinus epist. ad Alexandrum Constantinopol. in medio ab illis verbis: *Filietas eius naturalis existens Paternæ diuinitatis ineffabili sublimitate differt ab eis, qui adoptati sunt filij.* Et inter alia probat, quia Rom.8. appellatur *proprius Filius ad distinctionem non propriorum.* His similia notat Sardicense Concil. generale, qua parte Catholicum, & approbatum est, in epist. ad omnes Episcopos, col.vlt. 18 *Dictum 3. Filiatio naturalis excedit adoptiuas.*

Rationes autem maioris proprietatis, ac veritatis ad hæc capita reuocantur. Primò, quia Verbum naturaliter,substantialiter, ac necessariò est Filius, nec potuit non esse Filius: Angeli autem, & homines accidentaliter, & contingenter sunt Filij. Potuit enim Deus liberè denegare gratiam filiationis, & ipsi potuerunt ab illa liberè resilire. Secundò, quia Verbum est Filius non participatione creata: sed increata communicatione eiusdem substantiæ, nos autem illius participatione sumus filij. 19

Vnde Athanas. orat. 2. contra Arian. propiùs ad med. quàm ad finem ait: *Saltem hinc cognoscite, participatores Domini cæteros omnes Psalmistam appellasse. Hic si vnus ex non entibus, & creatis esset, fuisset & ipse vnus ex istis participatoribus. Atqui cum eum, vt Deum æternum suo hymno celebrarit, & reliqua omnia ex eo partem capere declararit*, &c. Pergit autem exponere Filiationis excellentiam Verbo diuino conuenientem. Prior autem Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. ferè inter med. & finem docuit: *Diuinam omnem Patris, ac Filij rationem à prima & Patris, & Filij ratione, quæ ab omnibus secreta est, & nobis donatam esse, & naturis cælestibus: à qua & Dij, & Deorum filij, & Deorum patres, mentes, quæ Dei speciem gerunt, & sunt, & nominantur.* 20

Tertiò ex his sequitur, Angelos, & homines iustos non esse propriè filios Dei, sed cum additio minuente, videlicet, per adoptionem, & gratiam. Vnde Nazianz. orat. 36. quæ est quarta de Theolog.respondens ad obiect.4.ait: *Deus propriè Deus noster est, non autem propriè Pater.* Videlicet comparatione nostri. 21

Dico quartò. Verbum magis verè, magísque propriè Filius est, quàm homines sunt filij suorum 22 *Dictum 4.*

Filiatio diuina confertur cum filiatione naturali hominum. rum parentum, naturaliter generantium. Prima ratio maioris proprietatis, & veritatis est, quia sicut ex æterno Patre *omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* Ephes. 3. ita ab æterno Filio, quæcumque filiatio terrena deriuatur,tanquam à causa efficienti, & exemplari.

23 Vnde Dionys.de diuinis nomin.cap.2. ferè inter med.& finem de creatis parentibus ita loquitur: *Pater,& Filius à diuina omni Patris Filiíq; ratione, ac natura singulari modo secreti sunt. Neque enim perfecta est inter effecta, & causas similitudo, sed effecta quidem causarum, quas possunt, præferunt imagines: causæ autem secretæ sunt ab effectis, suntq; principij sui ratione superiores.* Hoc ipsum intendit Damascenus lib.1. fidei cap.9. post med. admonens: *Nomen paternitatis, filiationis, & processionis non esse à nobis ad beatam Diuinitatem translatum: sed contra inde nobis traductum. Propterea inquit Apost. ex quo omnis paternitas*, &c.

24 *Occurritur obiectioni.* Nec obstat euidentissima prioritas diuturni temporis, in quo nominibus patris, & filij, & procedentis nihil diuinum, sed tantum humanas res intelligebant homines, vnde manu ducti ascenderunt ad intelligendum, quo sensu Deus esset Pater,& Filius,& procedens.Hinc enim non sequitur ea nomina translata fuisse ad Deum, sicut humanarum passionum, aut membrorum nomina per translationem, quæ est metaphora contraria proprietati. Nam perfectio quidditatiua Paternitatis,Filiationis, & Processionis prius, proprius,atque perfectius Deo conuenit vt principio, à quo deriuatur in homines.

25 Secunda ratio. Quia Verbum est Filius substantialiter; hominibus autem accidétaliter conuenit esse filios. Etenim relatio filiationis non constituit rationem specificam, vel numericam hominum. Ideo Epiphan. in Ancor.col.9. *Verus*, inquit, *Pater in substantia, verus Filius in substantia.* Cyrill.Alexandr. lib.12. thesaur. cap. 5. prope med. confitetur, *ex Patre essentialiter prodire Filium.*

26 Huic rationi consequens est tertia, quoniam inter creaturas homo, vel aliud animal priùs sit filius, postea verò pater alterius, & filiationem amittit mortuis parentibus. At verò Pater æternus semper Pater, & Filius semper Filius, vt notant communiter Patres,præcipue verò ad ostendendam maiorem proprietatem,& perfectionem Paternitatis. Epiphan. in Ancorato non longè post medium, & Gregor.Bæticus lib.de Trinitat. prope finem. Quod ipsum confirmant plurima testimonia de constitutiuis personarum Patris,& Filij; testantur enim constitui,atque distingui relationibus Paternitatis,ac Filiationis infra disputationibus circa quæst.40.

27 Ab hac essentialitate, & substantialitate filiationis homines vsque adeo distant,vt non solùm, quilibet potuerit non esse filius, si non existeret, sed etiam si existeret potuerit non esse filius, si produceretur à Deo sicut primi parentes. Insuper licèt esset filius, potuerit non esse filius huius patris, sed alterius.

28 Quarta ratio, quoniam *in hominibus propriè non seruatur patris, & filij appellatio*, eo quod vnius hominis filius est pater alterius;vt sapienter ponderat Athanasius longiori epistola ad Serapionem in medio. Eandem rationem ita notat Nazianzen.orat.35.quæ est 3.de Theolog. colum.3. ad obiect. 3. *Pater propriè est, quia non etiam Filius, quemadmodum & vicissim Filius propriè Filius, quia non etiam Pater. Nam quod ad nos attinet, neutro modo propriè appellari possumus, quoniam vtrumque sumus (neque hoc potius quàm illud) nec ex vno, sed vtroque parente nascimur, ac proinde diuidimur* (bipartitam habentes paternitatem, vt nemo illam obtineat integram) *paulatimq; homines, imo vt formicæ quidem fortasse efficimur.*

Quintam rationem in eisdem verbis animaduerte, quoniam Verbum totus est Filius ex toto Patre, & adæquatè procedens: at verò quilibet hominum nec totus, nec totaliter, & adæquatè producitur à suo patre. Nam materia, & anima à solo Deo, dispositiones autem, & vnio producuntur etiam à matre, & à causis vniuersalibus rerum sublunarium, & magis principaliter à Deo. 29

Sextam rationem adiunge,quoniam tanto verior, proprior,atque perfectior erit filiatio,quanto filius ex vi suæ processionis euaserit similior suo patri. Creatorum autem nulla similitudo filiorum comparari potest cum illa, *quæ est figura substantiæ, & imago Dei inuisibilis*, vt monstrabimus disput.64. 30

Ex quibus deducitur assertio quinta. Ratio generationis Deo prius, proprius, atque perfectius conuenit, quàm hominibus, aut cæteris animalibus. Consequentiæ probatio manifesta est,quia generatio est proximum, & adæquatum fundamentum filiationis; ideóque perfectiones nuper probatæ de Filiatione diuina, quasi radicaliter præexistunt in eius generatione; sicut imperfectiones,quibus humana filiatio deficit à perfecta ratione filiationis, radicaliter præexistunt in humana generatione. Excessum perfectionis in generatione diuina obseruant S.Thom. infra q.33. artic.2.ad 4. & 4. contra gentes cap. 11. post med. Scot. 1.distinct.7.quæst. 1.Torres 1.part.quæst.27. hoc artic. 2. versùs finem, & communiter recentiores. 31 *Assertio 5. Diuina generationis collatio cum cæteris.*

Sextò, & postremò dicendum est,supradictum excessum perfectionis, & proprietatis esse tantum, vt propterea meritò dici possit, solum Verbum esse Filium, & solam eius processionem esse generationem. Quemadmodum Matth. 19. *Vnus est bonus Deus.* Sic Gregor. Bæticus lib.de Trinit. versus finem: *Proprium*, inquit, *& verum vocabulum Filij in solo Filio Dei est, habens hoc naturaliter, sicut & naturaliter verus Deus est.* 32 *Assertio 6.*

SECTIO IV.

Virum vniuersalibus nominibus geniti, & Filij, quæ viuentibus etiam insensibilibus conceduntur, significare liceat Dei Filium.

1 *Rationes dubitandi.* ALiqui Theologi notant,Filium Dei non debere *genituram* appellari. Quoniam Basil. lib.2. contra Eunom. pag.3. & 4. eum reprehendit, quòd Filium Dei appellasset *gemmema.* Pro quo *genituram* transtulit interpres. Porro *gemmema* Latinè idem est quod *genimen*, seu *germen, fœtus, fructus, progenies.* Rationes Basilij sunt.Prima, quoniam id nomen nunquam Scriptura sacra tribuit Dei Filio. Secunda, quia nulla mater, aut pater filium suum *eiusmodi* nomine vocare consueuit. Tertia,quia rerum inanimatarum (hoc est non animalium) nomina sunt talia, vt Marci 14. *De hoc genimine vitis.* Sunt etiam nomina eadem quorumdam animalium, quæ prauitatis symbola sunt. Sicut Matth.3. & Lucæ 3. Baptista Iudæos vocat *genimina viperarum.* Vlterius autè processit

Epiphan. hæresi 73. circa med. consulens, ne vtamur nomine *geniti*, & *ingeniti*, sed tantum *Patris*, & *Filij*.

2 *Gennema, abutebantur hæretici.*

Sed pro explicatione dico primò. Græcis ratio est maior cauendi ab illa voce *gennema*, non modò propter summam duarum vocum similitudinem cum perexigua differentia, quæ facilè potest audientes, vel legentes fallere: sed etiam propter abusum, & fraudem hæreticorum. Etenim *Genneton* duplici, n, scriptum, significat *natum*, & *genitum*. Contra verò *Geneton* simplici, n, scriptum, aut pronuntiatum, significat factum.

3 *Psalm. 134.*

Quamobrem Athanas. dialogo 1. de sancta Trinit. non longe post med. tom. 2. Anomæo redarguenti, quare D.N. Iesum Christum non appellaret *Agenneton*, cum tamen eum appellaret *Ageneton*. Respondet Athanasius: *Quoniam Genneton illud est, quod ex hypostasi gignitur, ideóque ex ventre, vel vtero dicitur: Geneton verò illud est, quod est à potestate opificis. Quæcumque enim voluit fecit.* Quod idem fusiùs explicat, & confirmat sequenti contextu, & sequenti dialog. 2. non longè ante med. Breuiùs, & clariùs Cyrillus Alexand. idem discrimen obseruat lib. 11. thesau. inter princip. & med. & Epiphan. hæresi 76. in exordio refutationis capitum Aëtij, vt videbimus disputat. 52. sect. 1. & 2.

4

Hæc (vt reor) occasio fuit, ob quam Ariani confundebant *genema*, & *poiema*: idcóque dicentes, *genema*, intelligebant *opus creatum*, aut *factum*, vt notat Athanas. orat. 3. contra Arian. propius ad med. quàm princip. quibus consonant quæ scripserat præced. orat. 2. in med. Consonat etiam Damascenus lib. 1. de fide cap. 9. prope med. dicens. *Ingenitum homonymum* (id est æquiuocum) *esse, & nunc non factum significare, nunc verò non genitum.*

5 *Dictum 2. Genitura cauenda.*

Dico secundò. Latinis Theologis cauendum est à voce *genitura*. Quia nunquam significare solet rem genitam, sed generationis actionem, aut semen, aut constellationem, vt videre est apud authores linguæ Latinæ.

6 *Dictum 3.*

Dico tertiò. Theologis cauendum est, ne pronunciemus sola, vel seiuncta, & absque declaratione expressa generationis, & filiationis propriissimæ, prædicta nomina generalia, quæ viuentibus etiam insensibilibus conceduntur, videlicet, *genimen, germen, fœtus, fructus, progenies.* Ratio in promptu est, vt euitetur occasio suspicionis, quæ suboriri potest, negandi propriam, & specialem quidditatem generationis, & perfectissimæ filiationis. Hoc probant optimè superius adductæ rationes Basilij, & ipse nihil amplius intendit.

Alia nomina non efferenda sine declaratione.

7 *Dictum 4.*

Dico quartò. Si tamen in eodem sermone vel eodem scripto disertis verbis professus fuerit Theologus veram propriissimam, & perfectissimam quidditatem generationis, & Filij: nullum inconueniens erit, sed expediet quandoque ad ornatum, & varietatem orationis vsurpare prædicta nomina generalia, quæ fructibus etiam insensibilibus tribuuntur. Probatur primò, quia nomina per vniuersalitatem abstracta ab imperfectionibus creaturarum, Deo tribuuntur in sacris literis, & ab omnibus Patribus, licèt ea verè conueniant viuentibus irrationabilibus: vt hoc ipsum nomen *viuens, operans, causans, potens, videns*, & alia sexcenta. Etenim vniuersalis ratio primario analogato prius magis, & perfectius conuenit, quàm secundariis.

8

Probatur secundò, nam Patres acerrimi propugnatores generationis, & Filiationis, etiam quando cum illius oppugnatoribus disputabant, non rarò prædicta nomina generalia interponebant, etiam ipse Basil. vt statim videbimus. Concilium Nicænum in 3. responsione, quam dedit per Leontium, & Eupsychium Episcopos lib. 2. eiusdem Concilij prope med. Filium Dei appellat *prolem*. Dionys. Areopag. de diuinis nomin. cap. 2. *Filius*, inquit, *& Spiritus sanctus fœcundæ diuinitatis (si sic loqui oportet) surculi, à Deo producti, & tanquam flores.* Dionys. Alexandr. Filium appellat *sobolem*. Apud Athanas. epist. de sent. Dionys. Alexand. propius ad med. quam ad finem.

9 *Soboles.*

Athanas. autem variis nominibus vtitur, nunc enim *sobolem propriam substantiæ Patris* appellat, vt orat. 1. contra Arian. post med. & orat. 2. pag. 6. & 11. & orat. 3. passim, & orat. 4. versùs finem, & dialogo 1. de sancta Trinit. contra Anomæum pag. 4. *Prolem* insuper appellat orat. 2. contra Arian. pag. 10. & 12. & in med. oration. & orat. 3. pag. 2. & orat. 4. & alibi sæpe. Præterea *germen Patris* appellat orat. 2. pag. 12. & 13. & 21. & orat. 3. propius ad med. quàm ad fin. & orat. 4. & alibi sæpe. Rursus *germinationem* appellat orat. 3. pag. 8. *genimen Patris* appellat orat. 2. contra Arian. pag. 12. & 14. & 20. & orat. 3. pag. 3. & alibi sæpe. *Fœtum, & partum* appellat orat. 2. pag. 11. & 20. & 21. & in med. orat. & orat. 3. contra Arian. pag. 8. & alibi sæpe. *Progeniem* appellat orat. 3. propius ad med. quàm ad finem.

10

Nazianz. *sobolem* appellat orat. 35. quæ est 3. de Theolog. colum. 2. num. 10. vbi Græcum originale dicitur habere eandem vocem, quæ Latinè redditur *genimen*, seu *germen*, sicut etiam oratione 36. colum. 2. num. 12. vbi Latinus interpres ait: *Hæc enim factus est opera eius qui genitus est.* Chrysost. *Fructum radicis, & sobolem luminis* appellat orat. 9. de illo Abrahami: *Pone manum tuam sub femur meum.* propius ad med. quàm ad princip. Basilius *progeniem* appellat homil. 28. ante med. & post med. & *Dei fructum* lib. 5. contra Eunom. cap. 13. post med. Epiphan. *genimen non alienum à Patre* appellat hæresi 73. versus finem, & hæresi 76. multoties repetit *genimen*, intelligens Filium.

11

Cyrillus Alexand. *genimen* appellat lib. 1. thesau. cap. 5. 6. & 7. & lib. 6. thesaur. cap. 2. ante med. frequenter. Deinde *fructum Dei Patris* appellat lib. 5. thesaur. cap. 1. in med. quod nomen sæpius repetit in sequentibus libris præcipuè lib. 12. c. 15. in med. *Fructum* verò simul, & *prolem* appellat sæpe dialogor. de Trinit. lib. 2. & 3. Cyrill. Hierosol. cateches. 7. col. 2. *prolem* appellat.

12

Theodor. *prolem* appellat in epitome diuinor. decretor. cap. 2. de Filio sub init. Gregor. Bæticus *progeniem sempiternam* frequenter appellat lib. de Trinit. propiùs ad finem quàm ad med. Athenagoras *primigeniam Patris progeniem* appellat in legatione pro Christianis propiùs ad med. quàm ad princip. tom. 9. bibliothecæ.

13

Hilar. *progeniem* frequenter appellat lib. 2. de Trinit. & lib. 3. & 6. inter princip. & med. & lib. 7. similiter inter princip. & med. & lib. 9. prope med. Generationem autem Verbi *Naturæ propaginem* appellat lib. de Synodis propiùs ad finem, quàm ad med. paulo post symbolum Nicænum.

Ambros. *progeniem* appellat lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 5. fine. *Prolem* appellat Fulgent. ad obiect. 7. Arianorum.

SECTIO

DISPUTATIO IV.

SECTIO V.

Spiritum sanctum non esse genitum, nec Filium.

Vbi de nominibus matris, aui, nepotis, & fratris.

1

VNus Raymundus Lullius lib. de Ecclesiasticis prouerbiis ait: *Spiritus sanctus est conceptus de Patre, & Filio.* Quæ propositio est articulus 19.

Nouus error.

inter eius errores, numeratos ab Eymerico in directorio inquisitorum parte 2. q. 9. Fortasse propter ignorantiam propriæ significationis vocum Theologicarum excusari potuit ab errore, sed non à temeritate dictionis illiteratus ille Theologus.

2

Apud vetustos tamen hæreticos dictus error est inauditus. Nemo quippe (quem inuenerim) affirmauit, Spiritum sanctum esse conceptum, siue genitum, aut Filium. quamuis Ariani, Ætiani, Eunomiani, & Macedoniani diuinitatem Spiritus sancti, & Verbi filiationem oppugnarent, deducendo ad inconueniens hoc, videlicet, dilemmate: Aut Spiritus sanctus est Deus genitus, aut ingenitus; si est ingenitus, erunt duo dij originis expertes, & ingeniti: Si verò est Deus genitus; vel genitus est à solo Patre, sicut Verbum: & tunc erunt duo gemelli fratres, si ab æterno nati sunt; alioqui Spiritus sanctus erit Filius natu posterior, quam Verbum. Vel Spiritus sanctus genitus est à solo Filio, vnde sequetur esse nepotem Patris; & consequenter Patrem esse auum. Vel denique Spiritus sanctus genitus est à Patre, & Filio, sicque fiet, alterum parentem esse masculum, & Patrem, alterum verò fœminam, & matrem.

Dilemma hæreticorum.

3

Vrgent autem difficultatem, exigendo rationem discriminis, ob quam Spiritus sanctus non sit Filius, nec genitus, cum procedat eiusdem substantiæ, & naturæ, sicut Verbum. Hæc & similia referunt Nazianz. orat. 37. quæ est 5. & vlt. de Theolog. col. 4. & 5. Athanas. epist. longiori ad Serapionem in medio. & in 2. & ex aliis breuioribus epistolis ad eundem Serapionem; & aliqui alij Patres ex modo citandis. Eundem errorem ab orco reuocauit Abailardus, inde probans, Spiritum Sanctum procedere de Patre, & Filio, sed non de substantia illorum; *quia si esset de substantia Patris, genitus esset.* Vt refert Bernard. epist. 190. colum. 1.

4 *Prima conclusio.*

Nihilominus sit 1. concl. de fide. Spiritus sancti processio non est generatio, ideóque Spiritus sanctus nec est Filius, nec conceptus, nec genitus. Probatur primò, quoniam hanc fidem Ecclesia profitetur Athanasij symbolo, dicens, Filium esse genitum, & adiungens, *Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quod idem Concil. Toletanum primum à Leone I. confirmatum, & Toletanum vndecimum in confessione fidei profitentur.

5

Probatur secundò, nam si Spiritus sancti processio foret generatio, sequeretur Spiritum sanctum esse genitum Filium: ideóque Verbum Dei non esset Filius Dei vnigenitus, & vnicus. Consequens autem est contra Ioan. cap. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* & Ioan. 3. *Vt Filium suum vnigenitum daret.* Alia testimonia de vnigenito retulimus sect. 2. probatione 2.

6

Quod apertius manifestant Concilia, & Patres, vt symbolum Apostolorum dicens: *Filium eius vnicum.* Symbolum Nicænum; *Filium Dei vnigenitum.* Et Nicæna Synodus lib. 2. paulo post med. §. *Sæpenumero. Vnus*, inquit, *ingenitus Deus, & Pater: Vnus ex eo genitus Vnigenitus Filius Deus Verbum. Sicut non est alter Deus cum Deo, & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, nec posterior filius, diuersus à Deo vnigenito Filio eius.* Quam eandem comparationem Filij cum Patre, quantum ad singularitatem, negata qualibet pluralitate filiorum, prius tradiderat Ignatius ad Philippenses non procul. à princip.

7

Confirmatur primò, quia consectionem per quam ex Vnigenito deducitur, Spiritum sanctum non esse genitum, magis expressè notarunt aliqui Patres. Vt Basilius lib. 3. contra Eunomium prope fin. dicens: *Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus, quia vnus Vnigenitus.* & lib. vnico de Spiritu sancto cap. 18. circa med. *Spiritus sanctus non per generationem vt Filius à Patre veniens, sed tanquam Spiritus oris eius.* Et post pauca: *Non natura generabilis.* Quibus similia scribit hom. 17. in sanctum Baptisma, fine.

8

Nazianz. orat. 37. quæ est 5. & vlt. de Theolog. col. 4. fuse hoc tractans, & col. 5. post num. 21. ait: *Nec Spiritus est Filius, quia ex Deo est; vnus enim Vnigenitus, sed quod Filius.* Videlicet, vnum, & idem est Spiritus sanctus quod est Filius. Idem confirmat inter med. & finem, & multo propiùs ad finem, quàm ad med. eiusdem orationis. Nec non orat. 26. de moderatione in disput. seruanda col. 3. & carmine arcano 3.

9

Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. propiùs ad princip. quàm ad med. *Vnigenitus, quod solus ex solo Patre singulariter est genitus.* Nec enim assimilatur alia generatio generationi Filij Dei, quandoquidem nec vllus est alius Filius Dei. Tametsi enim Spiritus sanctus a Patre procedit: non tamen per generationem, sed per processionem. Idem docent Cyrill. Alex. lib. 10. Thesau. cap. 4. Cyrill. Hierosolym. catechesi 11. & Fulgentius ad 3. obiectionem Arianorum, quorum testimonia vidimus sect. 2. probatione 2.

10

Præ cæteris Athanasius non solùm loco ibi citato, sed præcipuè dialogo 3. de sancta Trinitate contra Macedonium multo propiùs ad princip. quàm ad med. ita concludit: *Dicitur Vnigenitus, quoniam solus ex essentia genitus est.* & statim negat Spiritum sanctũ esse Filium: *Nec enim scriptum est: Spiritus ex me genitus est, sed, ex me procedit.* Et lib. 3. de Trinit. cui titulus est, *de assumptione hominis*, in fine. *Vnigenitum dum scriptura refert, secundum diuinitatem indicat, quia in Deitate Vnigenitus à Deo Patre omnino fratres non habet.* Talia fusiùs scribit orat. 3. contra Arianos inter med. & finem. Vnde multis aliis in locis refellit Arianorum ludibria, docens; *Spiritum sanctum fratrem*, aut *nepotem non esse, quia nec Filius est, nec genitus, sed procedens.* Quod magno cum stomacho tractat tota epist. 2. de Spiritu sancto ad Serapionem, quæ incipit: *Versatus sum.* Et dialogo 1. contra Macedon. propiùs ad med. quàm ad fin. & dialogo 1. de sancta Trinit. contra Anomæum propiùs ad med. quàm ad fin. & lib. 4. contra Vrbicum Potentinum initio, & quæstionibus de natura Dei q. 15.

11

Confirmatur secundò, nam alij Patres concinunt. Epiphan. hæresi 62. versus med. *Semper*, inquit, *Spiritus cum Patre, & Filio, non consrater Patri, non genitus, non creatus, non frater Filij, non soboles Patris.* & hæresi 69. pag. 5. frequenter repetit. *Filium Vnigenitum*, & *Spiritum sanctum non genitum.* Hæresi 73. propiùs ad fin. quàm ad med. de Spiritu sancto ait: *Non consrater, non compater.*

& hæresi 74. multo propius ad fin. quàm ad med. *Non confrater, non propater, non nepos.* Idem repetit hæresi 76. ad caput 29. Ætij. & in Ancorato colum. 7. *Spiritus sanctus non genitus, non creatus, non confrater, non patruus, non propater, non Filius.*

12 Alij Patres apertè docent Spiritum sanctum non esse genitum, nec Filium, sed procedentem; & hac peculiari productione distinguunt Spiritum sanctum à Filio. vt Iustinus in expositione fidei paulo post princ. & iterum in med. Ephræm Syrus posteriori opusculo de sui reprehensione (quod ponitur tomo 3.) propiùs ad med. quàm ad princip. opusculi. S. Martialis epist. 1. ad Burdegalen. Gregor. Bæticus de Trinit. versus finem. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus inter princip. & med. & iterum prope med. Theodoretus in Epitome diuinor. decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto in princip. & lib. 2. de principiis colum. penult. & ad Rom. 8. declarans primogenitum in multis fratribus.

13 Ambros. in symb. Apost. cap. 3. post med. Hilar. lib. 12. de Trinit. col. penult. August. lib. 12. de Trinit. cap. 5. & sermone 38. de tempore, qui est 3. de Trinit. colum. 2. 3. & penult. & sermone 125. de temp. ante med. Isidor. lib. 7. Etymol. cap. 3. & 4. & lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 3. Damascenus lib. 1. de fide cap. 10. ante med. Fulgentius de fide ad Petr. cap. 1. fine, & cap. 2. initio. Anselmus epist. de processione Spiritus sancti contra Græcos cap. 2. 3. & 4. & alibi sæpe. Veruntamen in monologio cap. 53. & 54. illud peculiare notat, Spiritum sanctum impropriè dici genitum, idest productum, *vt cum dicimus, splendorem, aut calorem gigni ex igne.* Quam acceptionem ex Cyrillo Alexandrino videbimus sect. seq. obiectione 4.

14 Tertiò probatur à priori, ratione discriminis, ob quam Spiritus sancti processio non sit generatio, licet euadat similis in natura, quæ tractanda est disp. 7. & 8. Postremò probari potest, quoniam eiusdem rationis processiones duæ sunt impossibiles in Deo, quoniam vnica processio propter suam infinitatem exhaurit totam potentiam generatiuam Dei, vt vidimus disputat. 3. sect. 2.

15 *Secunda conclusio.* Secunda conclusio de fide. Nomina consanguinitatis, aut cognationis, quæ fabulabantur hæretici, longè distant à perfectione diuinæ generationis, ideóque *frater, mater, compater*, aut *auus*, aut *nepos*, diuinis personis, nisi per blasphemiam tribui non possunt. Hoc notant expresè Patres citati pro conclusione præced. probat. 2. & eius confirmationibus. *Nomina consanguinitatis.*

16 Nazianz. orat. 37. quæ est 5. & vlt. de Theolog. col. 4. num. 19. ait: *Quod si iuxta veteres fabulas hoc quoque modo luseris, vt dicas Deum voluntate sua congressum, Filium genuisse: Marcionis videlicet, & Valentini, qui nouos Æonas commentus est, hermaphroditum quendam Deum induxeris.*

17 Insuper matrem quandam, & alium *hermaphroditum* inter Æones Dei commemorasse Valentinum refert Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 5. sub initium & in fine; de quo videri potest etiam eiusdem libri 1. cap. 1. & 6. & copiosior expositio Feuardentij ante caput 1. Irenæi. & Castro Verbo, *Deus*, hæresi 1. vbi breuiùs refert Valentinum ita delirasse, vt veritas, & intellectus sit Filius natus ex coniugio profundi tanquam patris, & silentij tanquam matris, à quo plures Æones propagati fuerint, idest plura sæcula, vel ætates, aut æuum multiplex. Denique Marcionis hæresim fusè exponit Epiphan. hæresi 42. non procul à princip.

Sed peculiariter quantum attinet ad nomen 18 *Matris nomẽ imperfectionem denotat.* matris plures rationes obseruandæ sunt, quæ non modò præsentem, sed etiam præcedentium sectionum doctrinã illustrãt, & corroborant. Prima est, præsenti conclusione seruari perfectissimam quidditatem vnigenituræ, quæ nulli vnigenito conuenire possit, nisi Verbo diuino. Constat autem ea perfectio duabus partibus. Altera est, quòd nulla alia persona diuina est Filius genitus, nec ab eodem parente (quod in hominibus sufficit ad rationem vnigeniti) nec ab alio parente, auo, seu progenitore Filij, nec ab ipso Filio, ideóque in ordine diuino totaliter est vnicus Filius.

Altera pars perfectionis est, quod est vnici parentis totaliter Filius, ita vt nec ab alio auo, nec alio progenitore, nec à matre, nec ab alio qui simul sit pater, fuerit genitus, mediatè, nec immediatè; nec vllo modo dependeat, vel producatur ab alio vllo principio, quemadmodum hominum Filij dependent etiam à causis vniuersalibus Deo, astris, elementis &c. 19

Quod intendit Damascenus, allatus pro con- 20 clusione 1. verbis illis: *Vnigenitus quòd solus ex solo Patre singulariter est genitus.* August. serm. 38. de tempore paulò post med. *Vnigenitus*, inquit, *Dei Filius hoc habet proprium, quod ex solo id consubstantialiter, ideſt Patre, & coessentialiter solus genitus est, & in hoc persona sua proprietas.* Fulgent. ad obiect. 3. Arianorum non procul ante finem: *In illa natiuitate verè est Vnigenitus, in qua sine initio de solo Deo solus natus est Deus.*

Secunda est ratio, propter quam scriptura tra- 21 *Generat & concipit idem Pater.* ctans de generatione diuina, tribuit Patri quæcumque matri, & Patri conueniunt in humana generatione: qualia sunt non modò generare, sed etiam concipere, parturire, ex vtero generare, & in sinu habere, & dare filio vitam. Nimirum vt ostendatur, imperfectionem matris, qua distinguitur à patre, procul esse ab æterna generatione: quoniam passiua virtus, recipiens à Patre virtutem, principaliter actiuam, est, quæ matrem constituit, & distinguit à Patre. At verò virtus passiua, recipiens ab alio virtutem principaliter actiuam, Deo repugnat, non solùm quoniam est actus purissimus, sed etiam quoniam eius generatio est operatio intellectionis, quæ consistit in actu, & non in potentia, vt vidimus disp. 2. Prædicta ratio traditur à S. Thom. 4. contra gentes cap. 11. fine.

Tertia ratio, quoniam de quidditate matris est, 22 *Discrimina matris à patre.* vt supponat; Patrem esse personam distinctam, & vtraque persona sit prius origine, tanquam principium Filij. At verò prius origine, quàm generetur Verbum, non est possibilis alia persona diuina, nisi vnica ingenita: eo quod diuinæ personæ non possunt multiplicari, nisi per processionem; vt vidimus disp. 1. sect. 3. & sequentibus. Prima verò processio debet esse generatio Verbi, vt vidimus disp. 2. sect. 2. & sequentibus.

Quarta ratio est illa, qua probat Augustinus, 23 Spiritum sanctum non esse Filium: *Quia nec Filius hominis simul ex matre, & patre, procedit; sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre, & cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de vtroq; procedit.*

Vnde etiam probatur, quod nec filius à prima 24 persona procedat, tanquam à matre, quia non

fuit alia persona, à qua Filius procederet in primam personam, prius, quàm à prima persona procederet. Prædicta ratio est Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 27. sub init. & tract. 99. in Ioann. prope finem & lib. 3. contra Maximinum c. 14. Quorum locorum aliqua verba refert Magist. 1. dist. 13. c. 3. de quo dicemus disp. 8. sect. 1.

25 Confirmatur. Nam illud discrimen inter patrem, & matrem significatur ea permutatione præpositionum, quam diuino consilio posuit Apost. 1. Corint. 11. *Sicut enim mulier de viro, ita & vir per mulierem.* Vbi Theophilact. *Mulier*, inquit, *est administra generationi hominis: potior autem seminis est operatio, ita vt vir non propriè dicatur ex fœmina esse, sed ex patre suo per mulierem.* Licet enim dictio, *per*, quando refertur ad *Filium Dei*, vel ad Deum, significet causam principalem, vt ostendemus disputantes de communi trium personarum operatione transeunte in creaturas: aliquando tamen, vt hoc loco, significat minus principalem causam, per quam virtus actiua transmittitur à principali efficiente. *Discrimen matris in verbis Apostoli.*

26 In eisdem verbis Pauli discrimen matris à patre subtiliter obseruarunt Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium (qui ponitur post quinque libros contra Eunom.) cap. 5. fine notans *Transitorium generationis intellectum significari.* cuius eadem verba refert Theodoretus in Polymorpho, seu Dialogo immutabilis sex columnis ante finem. Æcumenius 1. Corinth. 11. Vbi breuiùs, & obscurius Chrysost. hom. 26. colum. vlt. ante morale.

27 Nihil attinet hîc disputare quæstionem difficillimam inter Aristot. & Galenum: An mater sit principium efficiens, vel solummodo passiuum. Sufficit enim ad rem præsentem, quod matris quidditas vel nullam requirat efficientiam, vel requirat minorem, & secundariam, post quam pater transmiserit principalem vim effectiuam. Vide expositores S. Thom. 3. p. quæst. 32. art. 4.

28 *Alia ratio minus satisfacions.* Quintò ex præcedentibus colligitur, bonam, sed non ita plene satisfacientem esse rationem Ricardi Victorini. lib. 6. de Trinit. cap. 4. & 5. notantis, propterea in Trinitate vnum dici Patrem, & non matrem, alium Filium, & non filiam, *vt ab eo sexu, qui dignior esse cognoscitur, ad id quod omnium dignissimum est, nomina transferrentur.* Et quidem quod attinet ad matris nomen, vix vllum eius vestigium in Scriptura reperitur, præter conceptionem, parturitionem, & alia, quæ retuli ratione 2.

29 *Verbum an filia.* Clariùs autem Verbum esse filiam, indicatur, quoties sapientia nominatur in veteri testamento, constat Prouerb. 8. *Ego iam concepta eram.* Suppetit autem ratio sufficiens, propter quam Scriptura sacra minus abstineat à nomine filiæ, quàm à nomine matris, videlicet, quoniam filia eodem modo procedit à Patre, & tam perfectam, & principalem vim productiuã in Patre requirit, quàm Filius. At mater non est perfectum principium productiuum, ideo ad significandas relationes originis perfectæ, matris nomen obest, sed filiæ nomen nihil obest. Aliunde filiæ nomen indicat amoris teneritudinem, & delitias, iuxta illud Prouerb. 8. secundum lectionem ferè omnium antiquorum Patrum: *Ego eram, cum adgaudebat, siue applaudebat.*

SECTIO VI.

Diluuntur obiectiones contra superiorem doctrinam.

1 PRima sit illa, quam retulimus sub init. præcedentis sectionis. Quia si Spiritus sanctus non est genitus, erit ingenitus. Vnde non erit propria notio Patris ingenitum esse. Respond. Ingenitum apud Patres vt plurimum significat quod à nullo principio producitur. & in hoc sensu Spiritus sanctus non est ingenitus, sed solus Pater. Aliquando tamen strictius accipitur ingenitum pro quacumque re, quæ non procedit per generationem propriè dictam. Hoc sensu Spiritus sanctus appellatur ingenitus ab aliquibus Patribus referendis disp. 52. sect. 8. *Spiritus sanctus an sit ingenitus.*

2 Secunda obiectio posset accipi ex Clemente Romano lib. 6. constit. Apostol. cap. 11. dicente: *Annuntiamus vnum Deum vnius Filij Patrem, non multorum, vnius Paracleti per Christum.* Vbi personam primam facere videtur Patrem non solùm Filij, sed etiam Paracleti; & consequenter Paracletum facere Filium. Respondet primò Turrianus in annotationibus ad eum locum, non esse repetendum Patrem vnius Paracleti, sed Deum vnius Paracleti, supplendo principium, vel præbitorem.

3 Respondetur secundò. Pater æternus simplicissima relatione, qua constituitur Pater, refertur etiam ad Spiritum sanctum, cuius principium est, non tanquam Filij, sed tanquam Spiritus ex ore procedentis. In hoc sensu potuit Clemens dicere Patrem vnius Filij, & vnius Paracleti, non tanquàm Filij: pro vt explicabitur magis disput. 51. sect. 3. Fuit autem sufficiens ratio tunc vsurpandi hanc loquendi formam, quia nondum à Theologis inductum erat proprium ac peculiare nomen Spiratoris, quo Pater, & Filius referuntur ad Spiritum sanctum. Aliunde contextus ipse manifestè docet Spiritum sanctum nõ esse Filium illis verbis: *Vnius Filij non multorum.* Et alibi frequentissimè Filium appellat Vnigenitum, vt lib. 2. recognit. prope finem, & lib. 8. constitut. cap. 16. & 17 & aliis multis. *An pater sit Spiritus sancti.*

4 Vnde sumitur intellectus ad aliam sententiam eiusdem Clementis dicto lib. 2. recognitionum pag. penult. Vbi *Filium*, inquit, *Dei vnigenitum dicimus, non ex alio initio, sed ex ipso ineffabiliter natum.* Et continuo subiungit. *Similiter etiam de Paracleto dicimus.* Vnde posset aliquis inferre Paracletum ex Deo ineffabiliter natum, ac subinde Filium esse. *Tertia obiectio.*

5 Respond. primò. Quoniam Vnigeniti nomine filiationis consortem excluserat, manifestè significauerat, hanc exceptionem subintelligendam esse, videlicet, vt Paracletus ex Deo ineffabiliter processerit, non vt Filius, sed vt Spiritus. Aduerbium igitur illud, *Similiter*, Paracletum cum Filio comparat in eo, quod vterque non ex alio primo principio, quàm ex ingenito Patre processerit, licet diuersa processione. Respond. secundò. Fortasse partipium illud, *Natum*, accepit latiori, & minùs propria significatione, vt comprehendit omne productum. Quemadmodum de Cyrillo dicemus ad obiectionem sequentem.

6 Quarta obiectio. Nam Cyrillus Alexand. Dialogorum de Trinit. lib. 7. inter princip. & med. docet, Spiritum sanctum intelligi esse Deum *ex his, ex quibus natus est.* Respond. Participium, *natus*, extenditur ad impropriam significationem, *Natus*, idest, *productus Spiritus sanctus.*

vt

vt comprehendat omne productum quocumque genere processionis, aut originis; quam acceptionem obseruauit Anselm. in Monolog. cap. 54. vt vidimus sect. præcedenti.

7 Quod autem Spiritus sanctus propriè non sit *natus*, manifestè notauit ipse Cyrillus in eodem lib. 7. prope med. dicens: Spiritum sanctum *esse ex diuina natura, & in illa naturaliter, etiamsi neque Pater, neque Filius sit.* Et lib. 10. Thesauri cap. 4. in med. de Verbo ait: *Quia solus ex Patre naturaliter nascitur, idcirco Vnigenitus appellatur.* Et duodecim libris Thesauri; & septem libris Dialogorum de Trinit. & in expositione symboli Nicæni frequentat appellationem Vnigeniti.

8 Quinta obiectio. Basilius lib. 5. contra Eunom. cap. 12. videtur concedere, Spiritum sanctum esse Filium Filij quantum ad rem ipsam, licet appellationem Filij dicat esse denegandam ratione inconuenientis. Siquidem initio capitis proposita quæstione, *Cur & Spiritus Filius Filij non dicitur?* Respondet: *Non quia nō est ex Deo per Filium, sed ne Trinitas Filios ex Filijs habere suspecta, vt est in hominibus, infinita putetur multitudo.* Et post med. eiusdem capitis: *Si quis Filium ex Filio diceret, in suspicionem multitudinis Trinitatem Deitatis hominibus adduceret; Facile enim suspicari erat, quod si Filius ex Filio natus est, & ex hoc alius vtique natus est, ac rursus alius, & deinceps ad multitudinem.*

Non Filius Filij.

9 Respondetur. Illud caput 12. & sequens 13. diriguntur ad reuincendum Eunomium, quod non sit neganda diuinitas Spiritus sancti, licèt in Scripturis non appelletur Filius, cum manifestè doceat Scriptura, Spiritum sanctum esse ex Deo per Filium, sicut Filius est ex Deo. Hoc Basilius contendit esse commune vtrique personæ, videlicet, esse ex Deo, & consequenter esse Deum.

10 Aliunde monet sub initium capitis 13. quod hac dictione *Spiritus in diuino Spiritu diuina Scriptura vsa est, aliter ex Deo esse ostendens*, videlicet, aliter quàm Filius est ex Deo per generationem; vt manifestè constat ex superiori contextu. Itaque, quamuis obiter, fatetur tamen expressè, processionem Spiritus sancti differre à generatione. Cæterum incumbit præsertim ad retundendam audaciam hæreticorum, ostendo, credendam esse diuinitatem Spiritus sancti, licet ignoretur, quare non sit appellatus Filius: vt constat ex cap. 12. ante med. & 13. post med.

11 Eodem intellectu locutus est August. serm. 38. de tempore qui est 3. infra Octauam Epiphan. inter med. & fin. cum ait: *Spiritus sanctus nec ingenitus nec genitus alicubi dicitur, nec si ingenitus diceretur, sicut Pater duo patres in sancta Trinitate intelligerentur. Aut si genitus diceretur sicut Filius, duo itidem Filij in eadem æstimarentur esse sancta Trinitate.* Sententiam eandem cum exigua mutatione verborum transcripsit Author libri de Trinitate, & vnitate cap. 1. apud Augustin. tom. 4.

12 Aliam rationem reddit Augustinus *Cur Spiritus sanctus non dicatur natus esse, sed potius procedere.* lib. 15. de Trinit. cap. 27. & tract. 99. in Ioann. prope finem, quam retulimus sect. 5. fine. Hîc solum admonemus, hoc modo loquendi non intendere Augustinum significare, quòd non in re, sed verbo tenus differat à generatione processio.

13 Sexta obiectio. Quia verbum Dei producitur per generationem, & eo ipso, quo Verbum est Filius, vt Augustinus ait 7. de Trinit. cap. 2. initio. Sed Spiritus sanctus est Verbum Filij: vt Basilius ait lib. 5. contra Eunom. cap. 11. Respondetur non esse propriè Verbum, sed metaphoricè, vt gis constabit disp. 57. præsertim sect. 4.

Spiritus sanctus non est Verbum.

14 Septima obiectio dirigitur ad debilitandas vires argumenti, quo præcedenti sect. 5. ex eo, quod Verbum sit Vnigenitus, probatur, Spiritum sanctum non esse genitum, nec Filium. Vnigenitus quippe nonnunquam in Scriptura dicitur vir, habens plures fratres ex eisdem parentibus ortos. Sic enim Salomon Prouerb. 4. *Vnigenitus*, inquit, *coram matre mea.* Nec vlla probabilitate defendi potest sententia Galatini, negantis Bersabee plures filios, nec sententia Abulen. Lyrani, Hugonis, & aliorum dicentium ex Dauide non suscepisse plures filios Bersabee, sed ex Vria. Quibus manifestè repugnat textus 1. Paralip. c. 3. & lib. 2. Regum cap. 5. vbi dicitur expressè Dauidi natos esse quatuor filios de Bersabee. Quod ex proprio instituto probant fusiùs Iansenius Prouerb. 4. & noster Pineda de rebus Salomonis lib. 1. cap. 8.

15 Respondetur. Salomon dicitur vnigenitus non propriè, sed figurata locutione, ad significandam eximiam, & singularem dilectionem qua parentes prosequuntur vnigenitos. Quemadmodum è contrario nonnunquam vox hæc, *dilectus filius*, significat esse vnigenitum, vt vidimus sect. 2. prope finem. Ideo potest esse pro commentario quod Septuaginta legunt: *Dilectus in facie matris.* Et Theodorus Peltanus in catena prouerbiorum ex Patribus Græcis: *Matri vnicæ charus.* quæ dictionis figura colligitur etiam ex verbis Vulgatę. quia non dicit absolutè *Vnigenitus*, sed cum addito significante respectum, videlicet, *Vnigenitus coram matre mea.* Non solùm quoniam vnicus ad successionem Regni, sed fortassis etiam quoniam præ cæteris eius infantiæ Bersabee fuerit nutrix, gerula, custos, & magistra. Quamobrem adiungit: *& docebat me.* &c.

Salomō vnigenitus non propriè.

16 Hinc ergo soluitur obiectio primò, quoniam Verbum absolutè dicitur Vnigenitus, & non cum illa limitatione, *coram Patre*, aut *in facie Patris.* Ergo significat non esse alium Filium. Secundò, quoniam Scripturæ verba non sunt detorquenda ad figuratam significationem, sed accipienda propriè, nisi locus alter Scripturæ, vel ratio Theologica resistat. Tertiò, quia quando plurima testimonia Scripturæ conspirant, simpliciter, & absolutè affirmando aliquid eisdem verbis; euidens indicium est, verborum significationem esse propriam, & simplicem. Hoc autem contingit in appellatione Vnigeniti Dei.

17 Vnde sumitur ratio quarta, quia semel tantùm Scriptura sacra per figuratam locutionem vsurpat vocē *Vnigenitus.* Alioqui semper intelligit Filium, cui nullus est frater ex eodem parente genitus; quoties homines appellat vnigenitos. Nam & Genesis 22. Isaac appellatur Vnigenitus Abrahami, quoniam vnicus erat ex præcipua vxore Sarra, cui vni benedictio promissa fuerat.

18 Quintò denique, quia si Spiritus sanctus esset Filius, cū aliunde sit infinitè dilectus à Patre non minus, quàm Verbum: sequeretur Spiritū sanctum esse Vnigenitū in eodem sensu metaphorico, quoniā esset vnicè dilectus. Vel potius nec Verbū, nec Spiritus foret Vnigenitus, quia neuter est vnicè dilectus præ alio, sed æqualiter vterque diligitur.

SECTIO VII.

De Primogenito, pro vt repugnat Vnigenito, postrema obiectio.

1 PRimogeniti relationem, qua necessariò, & quidditatiuè respicit alios fratres, eiusdem parentis

Arianorum obiectio.

parentis Filios, opponebant Ariani, Ætiani, & Eunomiani contra naturalem, & æternam generationem Verbi, contendentes esse adoptiuum Filium, libera Dei voluntate genitum, sicut omnes iusti, de quibus Iacobi 1. *Voluntariè genuit nos Verbo veritatis.*

2 Vnde præterea debilitari videtur ratio, qua sect. 5. probauimus, Spiritum sanctum non esse genitum, quia Verbum est Vnigenitus. Etenim si Verbum est primogenitus inter multos fratres, & simul est Vnigenitus: appellatio Vnigeniti non excludet alium genitum esse, videlicet, Spiritum sanctum.

3 Primogenitum autem legimus Hebr. 1. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ.* Rom. 8. *Vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* Colos. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ.* & post pauca. *Primogenitus ex mortuis.* Apocal. 1. *Primogenitus mortuorum,* Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.*

4 Docti Iuniores existimant communem expositionem antiquorum Patrum non de generatione diuina, sed de temporali generatione secundum carnem, ac regeneratione resurrectionis accipere primogenituram Christi Domini. Et consequenter vt singularem referunt expositionem Ambrosij.

Expositio Primogeniti.

5 Cæterùm attentiùs inter se conferenti plurima loca eorumdem, ac diuersorum Patrum, perspicuum erit, omnium Patrum expositiones in vnam plenam, & integram conspirare, licèt alij magis explicuerint vnam partem, quam alij tacitè supponebant.

6 Dico igitur primo. *In Primogenito* clauduntur duo, videlicet, quod sit genitus, & sit primus. Ex quibus quod Verbum sit genitus, propriè, ac sine metaphora, verificatur ratione solius generationis æternæ. At verò quod primus sit inter alios genitos, non habet ratione solius incarnationis, vel ratione solius iustificationis, aut alterius operis in tempore facti; nec habet ratione solius generationis æternæ; sed ratione vtriusque simul, videlicet, æternæ, ac temporalis generationis, ac regenerationis habet esse primogenitum.

Dictum primum.

7 Hic autem primatus, & primigenia dignitas complectitur plurimas prioritates, quibus Dei Filius naturalis præcedit adoptiuos. quarum hæc sunt præcipua capita. Prima est prioritas durationis. Nam verbum ab æterno genitum est, sed eius fratres in tempore, ideo dicitur, *Ex ore Altissimi produsse primogenita ante omnem creaturam.* Et Colos. 1. de primogenito dicitur. *Ipse est ante omnes.* Vt infra videbimus.

Primogenitus ratione vtriusq; generationis simul.

8 Secunda est prioritas perfectionis, & dignitatis, quia solus supra cunctos adoptiuos fratres naturaliter genitus, idem Deus, & imago perfectissima Genitoris est. Hoc intendisse, reor, Chrysostomum in symbolum Apostol. hom. 1. versus med. illis verbis: Quare primogenitus? Quia *in sæculo nemo sic natus est.* Istum vnicum Dei Filium de substantia Patris natum & genitum confitemur.

9 Tertia est prioritas principij, & causæ, non tantùm efficientis, sed etiam meritoriæ exemplaris, & finalis; non modo respectu naturalium bonorum, sed præcipuè respectu supernaturalium, ratione quorum iusti constituuntur fratres Christi Domini. Vnde prouenit quarta prioritas proprietatis, & analogiæ, in qua primarium analogatum est illud à quo cætera participant nomen, & rationem. Nam Dei vnigenitus solus ratione sui propriè retinet rationem geniti à Deo. At verò angeli, & homines iusti non propriè, nec ratione sui, sed per attributionem, & analogiam ad Vnigenitum participant rationem generationis diuinæ. Quintam prioritatem mysticam addit Ambrosius infra citandus, quia primogenita omnia Deo sancta erāt; & solus Christus sanctus.

Tota hæc expositio dignior est Spiritu sancto, & Apostolo, sicut est Christo Domino honorificentior. Eius autem præcipuam substantiam, videlicet, generationem æternam, & prioritatem principij, rectè colligunt plerique Patres infra citandi, ex allatis supra verbis Colos. 1. tribus argumentis. Primò, quia non dixit Apostolus: *primocreatus omnis creaturæ.* Sic enim debuisset dicere, si voluisset significare creatam generationem eiusdem ordinis cum creaturis aliis, sed dixit: *Primogenitus omnis creaturæ:* Vt ostenderet, illum solum non esse creatum, sed genitum; cætera esse creata, non propriè genita.

10

Secundò, quia præmisit Apostolus formalissimam rationem, per quam æterna generatio constituitur, videlicet, quia procedit in ratione imaginis, dicens: *Qui est imago Dei inuisibilis, Primogenitus omnis creaturæ.* Tertiò, nam ratione personæ diuinæ verificatur quod his continuo cohæret: *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa.* &c. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

11

Hæc, & similia ponderat Chrysost. Colos. 1. hom. 3. colum. 1. quibus consonat Rom. 8. serm. 15. col. 2. dicens: *Quod Vnigenitus natura erat, hoc & ipsi iuxta gratiam facti sunt*, videlicet, *prædestinati conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Adiungit tamen dispensationem incarnationis, per quam adquisiti sunt fratres, & ordo prioris geniti ad posteriores.

12

Basilius lib. 4. contra Eunom. inter medium, & finem magis ex professo ponderat non esse dictum *primocreatum*, sed *primogenitum creaturæ.* Notat præterea rationem principij, dicens: *Si primogenitus mortuorum dictus est, quoniam causa sit resurrectionis è mortuis: sic & primogenitus creaturæ, quoniam causa sit, vt à nihilo ad esse creatura producta sit.* Epiphanius hæresi 78. propius ad med. quàm ad finem, præcipuè notat prioritatem durationis dicens: Primogitus creaturæ ante creaturam genitus. *non enim dixit*, Apostolus, *primocreatus.*

13

Cyrillus Alexand. fusiùs, quàm cæteri, refutans prædictam obiectionem lib. 10. Thesauri toto cap. 4. præter alias rationes ponderat supradictam prioritatem analogiæ, dicens inter med. & finem capitis: *Quæ prima simpliciter sunt, causa sunt cæterorum, quæ secundo loco sunt. Dei ergo Filius primogenitus aliorum potest dici, quia ipse primus causa est, vt Filij appellatio cæteris omnibus accommodaretur: ita vt Deus primus Pater est, quia primus omnium genuit qui æternaliter generat.* Vnde sicut prioritas Patri conuenit ratione personæ diuinæ, & æternæ generationis actiuæ; sic etiam primogenitura conuenit Filio ratione personæ diuinæ, & æternæ generationis passiuæ. Ad finem eiusdem capitis prioritatem principij, & causæ notat, dicens: *Sicut Pater principium se ipsum esse omnium ostendens, dicit: Ego primus: sic & Filius totius creaturæ primus dicitur, quia per ipsum omnia facta sunt, & ipse principium omnium, atque creator est.* Theodoretus Colos. 1. egregiè ponderat quæ retulimus ex Chrysostomo.

14

Isai 44.

Hilarius

15 Hilarius in commentario ad psalm. 2. in eo versu: *Ego hodie genuit te*, probat illud Coloss. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, dictum esse *de beata illa, & nullis circunscripta temporibus natiuitate*. Ad æternitatem etiam refert primogenituram Alexander Alexandrinus epist. ad Alexand. Constantinop. colum. 4. Ambrosius eandem durationis prioritatem præcipuè respexit lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 4. in medio, ponderans dixisse Paulum: *Omnis creaturæ primogenitus, non primo creatus, vt & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate dicatur*. Cui rationi mysticâ aliam adiungit lib. 1. Hexameron. cap. 4. versus finem dicens: *Primogenitus omnis creaturæ, siue quia ante omnem creaturam; siue quia sanctus quia primogeniti sancti sunt, vt primogenitus Israël*. Exodi 4. quamuis aliter Israëlis primogenituram exponat Hieronym. Isaiæ 1. ad id: *Filios enutrini*.

16 Nazianz. orat. 1. quinque columnis ante finem num. 173. respexit solummodo ad prioritatem æternitatis, referens nomen *Primogeniti ante res conditas*. Quam rationem fusiùs exponens Elias Creten. in eius loci commentario, adiungit aliam rationem principij creantis, & iustificantis: quam repetit ad orat. 16. Nazianz. ante num. 4. similiter Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus col. 5. tomo 1. bibliot.

17 Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium prope med. de vtraque prioritate durationis æternæ, atque principij creantis intelligit Primogenitum omnis creaturæ. Fusiùs autè Eusebius Cæsarien. lib. 5. demonstrat. Euang. toto cap. 1. ex cap. 8. Prouerb. probans, Verbum esse *primogenitam virtutem, & sapientiam*. Nec dissimiliter (quamuis obscuriùs) Primogenitum, & vnigenitum Deum ex eisdem verbis Salomonis docet Origenes lib. 1. Periarc. c. 2. initio, & magis ambiguè Rom. 8. ad illud, *Primogenitus in multis fratribus*.

18 Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 19. *Ptimognitus*, inquit, *conditionis vt sermo creatoris, per quem omnia facta sunt*. Concilium Hispalen. secundum act. 13. col. 2. docet naturam diuinam Christi Domini significari, quando Colossen. 1. appellatur *Primogenitus omnis creaturæ*.

19 Denique S. Thomas ad æternam generationem, cuius similitudinem nobis per incarnationem communicauit Vnigenitus, refert prioritatem Primogeniti ad Rom. 8. lect. 6. in med. & Hebræ. 1. sect. 3. post med. sed magis ex professo Coloss. 1. lect. 4. propius ad med. quàm ad princip. scholastica subtilitate penetrans rationem, ob quam est *Primogenitus creaturæ*. nimirum quoniam per simplicissimam cognitionem, qua Pater intelligit se ipsum, & creaturas, generatur Verbum, quod est principium productiuum creaturarum per eandem ipsam cognitionem.

20 *Dictum secundum.* Dico secundò. Præcedenti expositioni non contradicunt, sed aptè consonant Patres, qui dicunt ratione diuinitatis, siue personæ diuinæ Christum Dominum non esse Primogenitum, sed Vnigenitum: At verò ratione humanitatis assumptæ Primogenitum vocari. Quorum legitima mens est excludere diuinitatem, aut personam Verbi separatam à carne; cæterum includere totum Verbum incarnatum, & illius æternam generationem coniunctam cum regeneratione temporali. *Exponuntur Patres qui ad humanitatē referunt primogenitū.*

21 Quod probo primò. Nam plurimi Patres citati pro assertione præcedenti aliis in locis rationem Primogeniti referunt ad humanitatem (vt statim citabimus (nec est credibile tot grauissimos Patres immemores, vel inconstantes esse suarum expositionum. Probatur secundò, quia rationes, quibus confirmant, Primogenitum non dici, comparatione Patris æterni, nec ratione generationis diuinæ; solummodo probant quod nuper asseruimus.

22 Exemplum sit Athanas. copiosè rem tractans orat. 3. contra Arianos inter princip. & med. & vsque ad med. cuius præcipua fundamenta sunt, quoniam in Scriptura non dicitur *Primogenitus Dei*: sicut dicitur *Vnigenitus Dei*, sed dicitur *Primogenitus omnis creaturæ, Primogenitus mortuorum, & inter multos fratres*: Quod argumentum rectè probat, prioritatem, ac primatum, quem importat primogenitus, non referri ad Patrem, sed ad creaturas: ideóque ratione solius æternæ generationis, absque temporali propagatione fratrum, non esse primogenitum.

23 Vnde cernitur etiam, quid probet secundum fundamentum. *Non enim*, ait, *idem esse potest Vnigenitus, & Primogenitus, nisi alio, atque alio referatur*. Eandem verò sententiam breuius complectitur Athanas. lib. 3. de Trinitate per modum Dialogi *de assumptione hominis*, in fine. Nyssenus lib. de perfecti Christiani forma propiùs ad med. quàm ad fin. Cyrill. Alexand. epist. ad Ioannem Antiochenum, quæ habetur in Concilio Ephesimo tomo illius 5. cap. 9. sed magis copiosè in Dialogo de Trinit. lib. 4. propiùs ad med. quàm ad princip. & supra citato lib. 10. Thesauri cap. 4. ante med. Sardicense Concil. generale, qua parte catholicum, & approbatum est, epist. ad omnes Episcopos colum. vlt. Chrysost. Rom. 8. serm. 15. col. 2. & Hebræ 1: hom. 3. initio. Theodoretus Rom. 8.

24 Idem sentiunt ex Latinis Hilarius lib. 8. de Trinit. quatuor columnis ante finem, & lib. 11. inter princ. & med. Hieronym. breuissimè Rom. 8. & Colossen. 1. Augustinus lib. contra Epistolam Manichæi cap. 37. ante med. & serm. 161. de tempore. Fulgentius ad obiectiones Arianorum, responsione. 3. à med. Anselm. Colossen. 1.

25 *Primogenitus licet nihil creatorum,* Denique tertiò. Licet Verbum non fuisset incarnatum, nec vllos haberet fratres, imo quamuis nihil omnino creandum esset: ei conueniret ratio Primogeniti, quam Scripturæ significant, agentes de primogenitis hominum, & animalium offerendis ac redimendis, Exodi 13. & c. 22. & cap. 34. & Leuitici 27. & Numerorum cap. 1. & cap. 8. & 18. & alibi sæpe. Vbi prioritatis ordo negatiuè intelligitur, vt sit primogenitus, ante quem nullus alius frater est genitus: siue postea fuerit genitus alius, siue nullus.

26 Hæc est tertia solutio, quam ad obiectionem Arianorum, initio huius sectionis positam, adhibet Basilius lib. 4. contra Eunomium inter med. & fin. & confirmat testimonio Matthæi cap. 1. fine, & Lucæ cap. 2. vbi Maria Virgo *peperit Filium suum primogenitum*. Eandémque solutionem supradictis addit Cyrill. lib. 10. Thesauri d. cap. 4. post medium. Epiphanius hæresi 78. propiùs ad med. quàm ad finem. Ac de primogenito Mariæ Virginis solummodo tractantes Hieronym. lib. aduersus Heluidium in medio tom. 2. & in commentar. Matthæi 1. fine. Basil. hom. 25. de humana Christi generatione in med. Author imperfecti apud Chrysost. Matthæi 1. hom. 1. fine. Ildefonsus Archiep. Toler. serm. 1. de parturitione, & purificatione Beatæ Mariæ circa med. tom. 9. bibliothecæ.

27 Verùm hæc solutio nō potest plenè satisfacere citatis

citatis locis scripturæ: quia Christus D. dicitur *primogenitus inter fratres, & primogenitus creaturæ, & primogenitus mortuorum*.

28 *Dictum 4. Primogenitus ex mortuis.* Dico quartò. Si quis est locus, ad solam humanitatem Christi D. pertinens, est ille Coloss. 1. *primogenitus ex mortuis*. Quia primus omnium resurrexit nunquam moriturus, sed in æternum victurus; vt intelligit Athanas. tractatu de definitionibus prope finem. Augustinus serm. 161. de tempore. Elias Cretensis, S. Thomas, & alij Patres supra citati. Quamuis Basilius dicto lib. 4. contra Eunomium inter med. & fin. aliíque nonnulli referre videantur ad personam diuinam, eo quod *causa sit resurrectionis è mortuis*.

29 Vnde constat solutio ad vtrumque membrum obiectionis, positæ in principio sectionis. Ad primum quippe respondetur primò. Quemadmodum homines iusti non sunt filij Dei naturales, sed adoptiui; sic etiam Christi Domini non sunt fratres naturales, sed adoptiui: & consequenter Christus Dominus non est naturaliter primogenitus, quatenus refertur ad fratres; licet sit naturaliter primogenitus, prout refertur ad Genitorem, & Patrem. Quod ipse significauit Ioann. 20. præcipiens: *Dic fratribus meis: Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum*; aliter meum & aliter vestrum, vt ex Ambrosio ponderauimus sectione 3. ante dictum tertium. Itaque Primogenitura duplicem affert relationem Dei Filio, alteram realem, & æternam ad Patrem; alteram relationem rationis, & temporalem ad fratres filios adoptiuos. *Naturaliter primogenitus quomodo.*

30 Respond. secundò. De libera, & temporali generatione Christi Domini per Incarnationem Verbi potest intelligi primogenitura: tunc autem nihil obstabit, ne Verbum sit Vnigenitus ratione generationis æternæ. Ad posterius membrum obiectionis respond. Appellatio Vnigeniti excludit alium genitum naturali generatione diuina, & æterna; ideóque probat productionem Spiritus sancti non esse generationem.

DISPVTATIO V.

Vtrum inquirere liceat peculiarem quidditatem generationis diuinæ, qua distinguitur à spiratione.

SECTIO I.

Præmissis erroribus extremis, referuntur decreta Patrum aduersus scrutatores.

1 *Primus error.* VINCVE potissimùm errores incidio circa possibilitatem, aut impossibilitatem intelligendi generationem Verbi diuini. Primus fuit Gnosticorum, videlicet, Valentini, Marcionis, Saturnini, Basilidis, & sequacium, qui se iactabant scire hoc mysterium. Quos refutat Irenæus lib. 2. toto cap. 48.

2 *Secundus error.* Secundus Arianorum asserentium, Filium neque suam ipsius substantiam cognitam habere, quanto minus posse ad plenum, & exactè cognoscere substantiam Patris. Hunc refert, ac refutat Athanasius oratione 1. contra Arianos ante med. & orat. 2. pag. 5. & Fœlix Papa primus epist. 3. ad Benignum Episcop.

3 Quin etiam Origenem docuisse, quod Patrem

non potest videre Filius, nec Spiritus sanctus, refert Epiphan. hæresi 64. pag. 2. & in Ancorato circa med. Vnde consequens est vt actiuam generationem Patris videre, & comprehendere nequeat. Huius erroris refutatio constabit disp. 41. sect. 1. & tota disput. 54.

4 *Tertius error.* Tertiò prodierunt ex eadem Arianorum hæresi quidam insidiosi, ac simulati conciliatores sui erroris cum fide Catholica. Qui desperantes à fidelibus obtinere, vt expressè negarent Filij diuinitatem, aut dicerent esse diuersæ substantiæ, & essentiæ quàm Pater; conati sunt religionem iniicere, ne dicere auderent, Filium esse eiusdem substantiæ, & essentiæ cum Patre, nec dicerent esse similis substantiæ, & essentiæ (vt semiarij dicebant apud Epiphan. hæresi 73. sub init.)

5 Hoc fine conciliabulum Syrmicum, præcipuis authoribus Osio, & Potamio, decreuit, *Homo vsion, quod dicitur, aut Homæusion nullam omnino fieri oportere mentionem, nec quemquam prædicare ea de causæ ratione, quod nec in scripturis contineatur, & quod super hominis scientiam sit, nec quisquam possit natiuitatem Filij enarrare, de quo scriptum est: Generationem eius quis enarrabit?* Sic abutebantur profunditate mysterij, & testimonio Prophetæ, vt refert Hilarius lib. de Synodis col. 5. Eodem spectabat obiectio secunda, quam refert Fulgentius in responsione ad obiectiones Arianorum. *Isai. 53.*

6 *Quarta temeraria sententia.* Quartò connumerare possumus temeratiam sententiam Aureoli 1. sentent. distinct. 9. part. 1. art. 4. §. 2. & in solutione instantiarum, dicentis, *demonstratiuè probari generationem*, eo quod *Deus se ipsum verè, & realiter generauit, si se ipsum verè, & realiter intellexit*. Cuius doctrinam refutabimus disput. 8. sect. 2.

7 Constanter è contrario Patres Homo vsion retinentes, interrogantibus aduersariis, quomodo possit esse genitus, & Deus eiusdem substantiæ cum Patre; præterea quare Spiritus sanctus non sit Filius, & genitus, cum sit eiusdem substantiæ: fatentur ingenuè se ignorare generationis modum, & rationem discriminis. Addunt insuper idem ignotum fuisse Prophetis, Euangelistis, & Angelis, ac soli Deo notum. Denique temeritatis, insaniæ, imò & erroris accusant eos, qui scrutari, vel inuestigare præsumunt. Aliqui etiam damnant philosophicas, & nominatim Aristotelicas ratiocinationes hac de re. *Generatio inenarrabilis.*

8 Præcipuæ probationes sunt. Prima, testimonium supradictum Isai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quod in hoc sensu accipiunt communiter Patres infra citandi (prout retulimus præced. disp. 4. sect. 1. probat. 3.) Probat secundò. Matt. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater, & Patrem quis nouit, nisi Filius?* &c. Quod ad rem præsentem adducunt Concil. Nicænum, Clemens Rom. Cyrillus Hierosolym. Basil. Eusebius, Hilarius, & aliqui alij locis infra citandis.

9 Tertiò, accumulant aliqui quæcumque testimonia scripturæ prohibentia, ne scrutemur mysteria, vel iudicia Dei. Quale est illud. Prouerb. 25. fine. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Ecclesiastici 3. post med. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei.* Quartò, quoniam ignoramus quomodo Pater sit ingenitus; nec minus abstrusa profunditas est, quomodo Filius sit genitus.

10 *Tenuitas ingenij nostri.* Quintò. Nam creatos spiritus, & animæ nostræ substantiam, imo & corporis cōstitutionem,

& ea quæ manibus contrectamus, non penetramus, nec intelligimus, niſi ruditer, & craſſa minerua. Ita Concil.Nicenum lib.2. multo propiùs ad med. quàm ad finem, quintam reſponſionem earum, quas dedit per Euſebium, ita incipit: *Ne quæras ô philoſophe, alioquin ſtudes, te præcipitem agere, perſcrutari tentans quæ inſcrutabilia ſunt.*

11 Sixtus Papa ſecundus epiſt.1. ad Gratum Epiſcopum (habetur tomo 1. conciliorum) vltra dictum teſtimonium Iſaiæ confirmat Iob 28. *Sapientiam Dei vnde inuenies? latet enim ab oculis hominum, & à volucribus cæli abſconſa eſt.* Clemens Rom. epiſt.1. ad Iacobum fratrem Domini, col. 10.addit: *Deum à nobis diſcutiendum non eſſe, qui in nobis ipſis neſcimus quod ſapimus; quomodo mens noſtra generat verbum.*

12 Irenæus lib.2. contra hæreſes dicto cap.48. ex Matth.24. & Marci 13. *De die illa nemo ſcit, neque Filius, niſi Pater ſolus:* à fortiori concludit: *Quicumque nituntur generationes, & prolationes enarrare, non ſunt compotes ſui, ea quæ inenarrabilia ſunt, enarrare promittentes.* In plurali *generationes* dicit, quoniam ſupra relatos Gnoſticos ſuggillat, qui plures generationes ſomniabant.

13 Alexander Alexandrinus epiſt. ad Alexandr. Conſtantinopolitanum col.4. & col.8. Verbi generationem Angelis etiam incomprehenſibilem dicens, ita concludit: *Meo quidem iudicio ne in pijs numerandi ſunt, qui iſtarum rerum inquiſitionem intrare non dubitant.* Ephræm Syrus tomo 3. ſermonem 17. inſcribit: *Aduerſus eos, qui Filij Dei naturam curiosè ſcrutari nituntur.* Intelligit autem natiuitatem, & Filiationis quidditatem nomine naturæ, vt conſtat ex acri reprehenſione, quam ſermo continet. Eadem omniũ ignoratione reſpondet Athanaſ. dialogo 3. de ſancta Trinitate col.4. Macedonio percontanti, *Quodnam diſcrimen eſt generationis, & proceſſionis?* & dialogo 1. contra eundẽ Macedon. propiùs ad med. quàm ad finem. & dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæum inter med. & fin. & lib.5. de vnita ſubſtantia Trinit. ſub init. & in quæſtionibus de natura Dei quæſt.14. & 15.

14 Chryſoſt. Hebr.1. homil.2. non procul à princip. *Dico*, inquit, *quoniam Filium genuit ex ſe ipſo: ſed neſcio qualiter intellectu hoc percipiam.* Idémque docet homil.1. de incomprehenſibili Dei natura paulò poſt med. & Matthæi 1. homil.2. colum.2. & homil.4. col.4. ineffabilitatem diuinæ generationis ita deducit ex temporali natiuitate. *Si enim iſtam, quæ mille celebrata teſtibus, oculis inſpecta, manibuſq; contrectata eſt, interpretari tamen nullus poteſt; quem cumulum non excedunt furoris, qui ineffabilem illam generationem Dei ex mera curioſitate anxiè, ſcrupuloſeq; rimantur?*

15 Copioſior in hac re Nazianzen. orat. 29. de dogmate, & conſtitutione Epiſcoporum duabus poſtremis column. & orat. 23. ad centum quinquaginta Epiſc. poſt med. inuehitur in eos, qui generationis, & proceſſionis modum curioſiùs inueſtigant; cum intelligere nequeant, quæ intra ſe ipſos habent, nec corpora ſenſibus expoſita. Eandem temeritatem accuſat oratione 35. quæ eſt 3. de Theologia propiùs ad med. quàm ad princip. & num.30. & orat.37. quæ eſt 5. de Theolog. col.4. & 5.

16 His ſimilia Baſilius diſſerit homil. 28. contra Sabellianos, & Anomæos longè poſt med. & lib. 1. contra Eunom. poſt med. & lib.3. ad finem fatetur ſe ignorare quomodo Filius ſit genitus; & quare Spiritus ſanctus non ſit genitus. Similiter ſermone de humana Chriſti generatione in die natali, vel Epiphaniæ in princip. Sed fuſiùs idem Baſilius oratione aduerſus eos, qui calumniantur, quòd tres Deos colamus, poſt med. multis rationibus perſuadet, Verbi generationem ſilentio eſſe colendam, & prope finem ait: *Ne mens, velut oculus totum ſolem intueri volens, perdat etiam id quod habet lumen.*

Cyrillus Alexandr. lib.1. theſaur. circa med. & 17
dialogorum de Trinit. lib.2. longè poſt med. notat, Filium *ante luciferum genitum*; *quoniam in obſcuritate, & incomprehenſibilitate, & quaſi in tenebris profundis generationis modus vocatus ſit.* Quem intellectum pſalmi fuſiùs exponit, & confirmat. Eandem impoſſibilitatem cognoſcendi quomodo Pater genuerit, repetit Cyrillus Hieroſolym. catecheſi 4. 6. 7. 10. 11. & 16. Quibus adde Epiphanium hæreſi 76. confutatione 7. capitis Aëtij. Gregor. Bæticum lib. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad fin. Euſebium Cæſar. demonſtrat. Euang. lib.4. cap.3. & lib.4. cap.1. Anaſtaſium Sinaytam lib.1. de rectæ fidei dogmatibus col.3. & 4. *Pſalm.109.*

Acacius epiſt. ad Cyrillum Alexand. ſub init. 18
quæ habetur tomo 1. Concilij Epheſini cap.23. ſilentium admonet periculo Apollinaris, qui lapſus eſt in errores, de generatione differens. Damaſcen. lib.1. fidei, cap.10. ante med. *Generationis*, inquit, *& proceſſionis differentiam eſſe dicimus: at quis ſit differentiæ modus, nequaquam.* Idem fatetur Author imperfecti in Matth. apud Chryſoſtom. homil.1. initio.

Ambroſius lib.1. de fide ad Gratian. toto cap.5. 19
verſus med. ait: *Si Paulus ea, quæ audiuit raptus in tertium cælum, ineffabilia dicit, quomodo nos exprimere poſſumus paternæ generationis arcanum, quod nec ſentire potuimus, nec audire?* Eodem ſpectant quæ ſcribit in ſymbolum Apoſtolorum cap. 10. poſt med. & 11. initio. Hilarius lib.2. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad princip. multis ex ſupradictis argumentis vtitur. Hieronym. Iſaiæ 53. ad verba citata, & Matth.1. ad *librum generationis*, breuiter attigit ineffabilitatem æternæ generationis. Fuſiùs autem qui ſenior Hieronymo fuit, Phæbadius Epiſcopus Galliarum lib. contra Arianos propius ad med. quàm ad princip.

Auguſtin. tract.99. in Ioann. colum.3. ait: *Quid* 20
illic interſit inter procedere, & agere, longum eſt quærendo differre; & temerarium cum differueris, definire, &c. Quod iterum repetit ad finem tractatus, reddens qualemcumque rationem pro noſtro captu, quàm repetit lib.15. de Trinitate c.27. à princip. commendans ineffabilitatem myſterij, ſicut etiam lib. 3. contra Maximinum cap.14. & lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 1. & lib.1. de ſymbolo ad Catechum. cap.3. & lib.2. cap.3.

Idem fatentur Fulgentius ad obiectionem 2. 21
Arianorum. Iſidorus lib.1. contra Iudæos cap.2. Beda Ioan.16. ad illud: *Quæcumque audiet, loquetur.* tranſcribens ſupradicta verba Auguſtini. Bernardus ſerm.1. in Pentecoſ. propiùs ad princip. quàm ad med. & inter ſermones paruos ſerm.53. initio. Venantius in ſymbolum Apoſtol. ſub init. tomo 2. bibliothecæ. Et apud Cyprianum alter Expoſitor ſymboli à principio.

Confirmatur, nam etiam Scholaſtici affir- 22
mant, differentiæ proceſſionis à generatione nullam poſſe reddi rationem ſufficientem; ideóque obiectiones hæreticorum non tam rationibus, quàm perpetua Eccleſiæ traditione, & ſcripturæ teſtimoniis eſſe diluenda. Ita præſertim Magiſter 1. diſt.13. cap. 3. & 4. vbi communiter Scholaſtici

Proceſſionis diſcrimen à generatione nõ oſtenditur euidenter.

Scholaſtici præſertim Gregor. & Gabriel, & Maior. quæſt. vnica. Marſil. quæſt. 16. art. 2. poſt med. Feuardentius in Irenæum lib.2. cap.48. Valentia in controuerſ. lib.2. de Trinit. cap.5. Bellar. lib.2. de Chriſto cap.14.

SECTIO II.

Quæ vitia diſputationis accuſent Patres citati, qualémve diſputationem commendent.

1 DIco primò. Multa vitia contingunt in diſputatione de Trinitate, ac præſertim in aſſignanda peculiari quidditate generationis, qua diſtinguitur à proceſſione Spiritus ſancti. Hæc autem vitia ſunt quæ damnantur à Patribus citatis, minimè verò diſputatio humilis, & ſobria.

2 *Impugnare veritatem.* Primum, & maximum vitium eſt diſputare ad impugnandam veritatem fidei, & confirmandos errores, ſiue vt Gnoſtici ad introducendas fictitias, & indignas generationes, contra quos diſſerebat Irenæus: ſiue ad euertendam generationem æternam, introducendámque Filij creationem. Vt Sabelliani, & Ariani, Eunomius, Aëtius, Macedonius, & ſimiles; contra quos diſſerebant ferè omnes Patres citati, ac præcipuè Nicænum Concilium.

3 *Facere periculũ veritatis examine.* Secundum vitium eſt diſputare ad veritatem examinandam ea præparatione animi, vt æterna generatio Verbi, vel diſcrimen proceſſionis Spiritus ſancti non credatur; niſi rationes ſatisfecerint, aut placuerint. Hoc enim eſt fidei contrarium, & prohibitum peculiariter Eccleſiaſtici cap.3. *Multa ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* id eſt, multos decepit opinio vana, quam ſuis ratiocinationibus concipiunt. Tertium vitium eſſet defectus promptitudinis & alacritatis ad credendum (quamuis adeſſet abſoluta credendi voluntas) donec præcedens diſputatio cauſaret promptitudinem credendi. Tunc enim propter rationem nuper expoſitam minueretur meritum fidei, vt ſapienter S. Thom. 2.2. quæſt. 2. art. 10. corpore.

Defectus in fide.

4 *Solis naturæ viribus inniti.* Quartum eſſet inniti ſolis naturæ viribus ad intelligendũ conuenienter hoc myſterium, quod indiget ſupernaturali lumine. Vnde Epiphan. hæreſi 76. ad 7. caput Aëtij ait: *Hoc myſterium reuelari non ijs, qui de ipſo per ſyllogiſmos ratiocinantur, ſed qui in ipſum legitimè, ac perfectè credunt.* Et Acacius præcedenti ſect. citatus notat Apollinarem fuiſſe lapſum, *dum ſuæ ſapientiæ nimium fidit*, &c. Vnde S. Thom. 2. 2. q. 167. art. 1. corp. inter vitia curioſitatis numerat, *ſtudere ad cognoſcendam veritatem ſupra proprij ingenij facultatem.*

5 *Affectare cõprehenſionem aut euidentiam.* Quintum vitium, præcedenti vicinum, eſt, inquirere ad conſequendam comprehenſionem, vel euidentiam rei, etiam ſi diſputans nitatur auxilio Dei (quod in hac vita non erit ſpei, ſed præſumptionis) imo non ſolum euidentem, ſed etiam plenè ſatisfacientem rationem diſcriminis inter generationem, & proceſſionem in hac vita inuenire de lege ordinaria eſt impoſſibile. Hoc vitium notauit Eccleſiaſticus dicto cap. 3. *Non eſt tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis.* In hoc ſenſu Patres dixerunt, etiam Angelos ignorare, quatenus naturæ viribus non poſſunt euidenter penetrare, & quatenus etiam per lumen gloriæ non poſſunt comprehendere, licèt euidenter cognoſcant. Huc etiam ſpectat quod ferè omnes Patres citati dicunt; eſſe inenarrabilem, & inexplicabilem eſſe Filij generationem iuxta teſtimonium Iſai. 53.

Sextum vitium eſt diſputare, non habito de- 6
lectu auditorum, nec habita ratione temporis, & loci, & argumentorum, vnde poſſit auditorum fidei ſuboriri periculum ambiguitatis, vel erroris contrarij. Quo ſenſu Baſilius monet in homil. 25. de humana Chriſti natiuitate in princip. & prope finem. *Taceant curioſi, & in Eccleſia Dei ſuperuacanea veſtigare deſistant, ac de quibus ratio omnino non redditur, ne veſtigentur.*

Delectus auditorum.

Septimum eſt ita circa curioſas, & inutiles, 7
vel certè minus neceſſarias quæſtiones occupari, vt retrahatur mens ab eorum ſtudio, quæ ſcire teneris ratione muneris, & ſtatus; vel ab eorum neceſſaria meditatione, ac memoria. Proptereà Eccleſiaſticus c.3. monet: *Quæ præcepit tibi Deus, hæc cogita ſemper, & in pluribus operibus illius ne fueris curioſus.* Ideóque S. Thom. 2.2. dicta quæſt. 167. artic. 1. corp. hoc refert inter curioſitatis vitia. Omitto finem iactantiæ, & inanis gloriæ; talis enim intentio non eſt proprium diſputationis & ſtudiorum vitium, ſed generaliter quæcumque bona opera ſolet inficere.

Curioſitas.

Quod autem Patres aduersùs prædicta curio- 8
ſitatis vitia locuti fuerint locis adductis in ſect. præced. conſtat ex eorum contextu; præſertim cum eorum aliqui expreſsè ponant dictiones *curioſè*, aut *curioſitatem*, vt Ephræm, Athanaſ. Chryſoſtom. Nazianz. in aliquibus ex locis ibi citatis, idémque magis conſtabit probationibus aſſertionis ſequentis. Eodem ſenſu, quo Patres intelligendi ſunt nobiliores Scholaſtici in eorum doctrina verſati, præcipuè Magiſter 1. diſtinct. 13. cuius mentem exponit S. Bonauent. ibi dubio literali 4.

Dico ſecundò. Pium eſt, & vtile ſobriè, hu- 9
militer, ac prudenter diſputando quærere, & poſſibile eſt inuenire rationem diſcriminis, quo generatio Verbi diſtinguitur à proceſſione Spiritus ſancti: dummodo diſputatio fidei primariò nitatur, & ſecundariò reddatur clarior naturali ratione, quæ fidei ſeruiat vt ancilla, eiúſque manum ſequatur vt cæca: eóque conſilio diſputatio ſuſcipiatur, vt oſtendat eſſe vanas, & ſophiſticas obiectiones hæreticorum.

Dictum 2. Vtile diſputare de hoc myſterio.

Probatur primò. Nam ſcriptura, & Patres ſicut 10
de generatione Verbi diſputare prohibent, eodem modo loquuntur de cæteris myſteriis ſupernaturalibus: imò etiam de attributis quæ naturali ratione demonſtrantur, qualia ſunt æternitas, & immenſitas Dei: vt videre eſt apud Chryſoſtom. Hebr. 1. homil. 2. ſub initium; ſimilitérque de humana Chriſti natiuitate ex Virgine loquitur homil. 4. in Matth. Nihilominus Apoſtolorum Princeps 1. Petr. 3. præcipit eſſe *paratos ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea, quæ in vobis eſt ſpe.* At non poteſt reddi ratio ſpei, niſi prius reddatur ratio fidei. Eſt enim *fides ſubſtantia rerum ſperandarum.* Hebr. 11. init.

Vel fortaſſis vno ſpei nomine fides etiam com- 11
prehenditur ab Apoſtolo. Ideo mirandum non eſt plurimos antiquorum Patrum pro *ſpe* legiſſe *fide*, vt Oecumenius, Beda, Gloſſa & S. Thom. in comment. Gratian. diſt. 36. cap. *qui Eccleſ.* §. *Hinc & Petrus*: quin etiam Cyrillus in expoſitione ſymboli Nicæni ad finem Prologi ante ſymbolum (habetur tom. 5, Concil. Epheſin. append. 1. cap. 6.) Fulgentius autem ſtatim citandus legit vtramque dictionem *de fide & ſpe.* Hoc igitur

consilio Petri, (quod respectu magistrorum habet etiam vim præcepti) Chrysost. homil.16. in Ioannem duabus postremis columnis persuadet fidelibus rationes addiscere mysteriorum fidei. Quam exhortationem præcipuè ad Episcopos dirigit lib.4.de sacerdotio col.penult. vrens eodem testimonio Petri. Vnde Fulgentius ad Trasimundum lib. 1. cap. 1. fine probat, imminere sibi respondendi obligationem de fide.

12 Confirmatur primò, quia rationes ita quæsitæ non se habent antecedenter, sed consequenter ad promptitudinem credendi, quippe quæ mouet fidelem intellectum ad earum inquisitionem: ideo fidei meritum non minuunt, sed augent, vt ex eodem testimonio Petri deducit S.Thom. 2.2. quæst.2. art.10. Confirmatur secundò, quoniam vtriusque assertionis primæ, & secundæ veritatem apertè complexus est Iustinus Martyr in expositione fidei de Trinitate prope med. vbi postquam ostenderat, *nullo modo nos posse penetrare ad diuinam essentiam, nec ad eius mysteria*, subdit: *Non debemus tamen in totum ab ea quærenda desistere, sed pro sua quisque portione accepta à Domino scientia strenuè rem examinet, certus non quidem exactè se percepturum, profuturum tamen per huiusmodi contemplationem accedendo ad illum propius.*

13 *Patres reddunt rationes probabiles.* Probatur secundò communi Patrum exemplo, qui de quibuslibet mysteriis fidei reddunt rationes probabiles, & satisfaciunt obiectionibus hæreticorum. Peculiariter autem circa discrimen generationis, & processionis Athanasius in longiori epistola ad Serapionem in medio, postquam reprehendit eos, qui *volunt perscrutari profunda Dei, quæ nullus scit, nisi spiritus:* retorquet aduersus hæreticos eorum argumenta, quoniam *ita ludentibus*, inquit, *æquum est obludere, vt sic saltem ex ista absurditate, & impia scisitatione suam ipsi stultitiam sentire queant.*

14 Aggreditur autem cõtinuò rationem aliquam explicare discriminis, ita præfatus: *Sed tamen ne tuciurnitas nostra causam illis impudentiæ præbeat, audiant è nobis vicissim.* Rationem autem referemus disputat.8. sect.1. Idem Athanasius in quæstionibus de Natura Dei quæst.14. & 15. post inexplicabilitatem generationis, & processionis, adiungit, quodammodo declarari, *vt sermo hominis generatur ab anima, ita Filius* (quod etiam dixerat quæst. 4. post med.) *& quemadmodum respiratio hominis ex anima procedit, ita & Spiritus sanctus à Patre.* Sic etiam aliquam rationem discriminis reddunt Basilius, & Augustin. citati supra disp.4. sect.5.prope finem,& sect.6.obiectione 5.Gregor. Nyssenus lib. ad Ablabium *quod non tres Dij.* prope fin. & alij Patres, quorum testimonia referemus disput. seq. & disput.15. sect. 1. dicto 4. Denique S.Thom. S.Bonauent. Albert. Alexand. & cæteri nobiliores Scholastici de præsenti discrimine disputant ex professo.

15 Probatur tertiò, quia scire oportet non solum quid sit credendum, sed etiam *quomodo & pijs opituletur, & contra impios defendatur.* vt scribit Augustin. lib.4.de Trinitate cap.1. prope finem, & fusiùs, atque ex instituto lib. 2. de doctrina Christiana cap.16. 28. 29. 31. 36. 37. 40. docet, quantus sit vsus dialecticæ, ac totius philosophiæ ad fidei doctrinam melius intelligendam. De eodem argumento differit Basilius concione ad adolescentes de vtilitate capienda ex Græcis authoribus. Clemens Alexand. lib. 1. & 5. stromatum. Socrates lib.3.Ecclesiasticæ historiæ cap.16. Cassiodorus lib. de Instituto diuinarum lectionum: & in Cantica cap. 8. ad illud: *Si murus est, adificemus super eum propugnacula argentea.* Breuiter etiam eandem vtilitatem attigit Clemens Rom. lib. 1. recognit. prope medium.

Ex quibus omnibus corollarium est id, quod 16 præcedentia cuncta corroborat, videlicet, indigere maiori declaratione, & temperamento, quæ scribunt Ludou. Viues lib.11. de ciuitate cap.24. & Feuarden. in lib.2. Irenæi cap.48. ita silentium imperantes circa generationem Verbi, vt videantur suggillare scholasticorum disputationes. Quod non est credendum de illorum pietate, alioqui fauerent errori 29. Vuitclephi, damnato in Concil. Constantiensi sessione 8. nec non Lutheri in lib.contra Latomum, & lib.de abroganda missa priuata, Melanchthonis apologia contra Parisienses, & Caluini lib.3.institut.cap.2. sect.2. vide Vualden.tomo 1.lib.2.doctrinalis fidei c.67. & seq. Valentiam 1.p. quæst.1. princip.2.

Qui suggillãt scholasticas disputationes.

DISPVTATIO VI.

Quæ sit propria quidditas constituens generationem distinctam à spiratione.

SECTIO I.

Vera ratio discriminis ex imagine, ac similitudine naturæ, traditur communiter à Patribus.

1 *Ordo seruandus.* VAMVIS vsitata methodus scholasticorum vt plurimum sit commodior ad docendum, quæ prius proponit sententias refutãdas, postremò veram sententiam explicat, & defendit: at in quæstione præsentine varietas, & multitudo nimia sententiarum, ac refutationum obruat memoriam, & confundat intelligentiam, antequam veritatem puram ex fontibus hauriat: priùs explicabimus veram rationem discriminis, probationibus, solutionibúsque munitam. Ad eam verò reuocabimus postea rationes varias Patrum, & Scholasticorum; obiter etiam adnotando quid in eis à veritate, vel à plenitudine deficiat.

2 *Discrimẽ generationis à processione.* Sit igitur conclusio vnica. Propterea productio Verbi est generatio, sed productio Spiritus S. non item; quia productio Verbi secundum suum explicitum, formalissimúmque conceptum ordinatur ad personã, quæ secundum suam vltimam, & formalissimam rationem personæ est expressa similitudo, & perfectissima imago producentis, & consequenter est eiusdem naturæ cum illo. At verò productio Spiritus sancti secundum suum explicitum, & formalissimum conceptum ordinatur ad personam, quæ secundum vltimam, & formalissimam rationem personæ, non est similitudo expressa, nec imago producentis; sed est mutuus impulsus vtriusque personæ in alteram per eandem voluntatem, & est veluti nexus, & vinculum vtriusque personæ.

3 Hanc rationem discriminis Patres colligunt ex sacris literis, vbi peculiariter Verbo Dei Filio tribuitur imago, & similitudo Patris, vt Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* & 2.Corinth. 4. *Qui est imago Dei.* Roman.8. *Prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Hebr.1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura*

& figura substantiæ eius. Sapient.7. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius.* Confirmant autem Ioan.14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Videlicet, propter expressam imaginem, & similitudinis vnitatem, vt exponunt cõmuniter Patres non solùm locis statim citandis, sed in aliis multò pluribus. Potest confirmari secundò, nam vt ex humana generatione fulgor aliquis emicaret ad facilius intelligendam quidditatem diuinæ generationis, notatum est Geneseos 5.in princip. *Adam genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocauitq; nomen eius Seth.*

4 Tertiò, quia non casu, sed profundissimo consilio Deus inter Hebræos ita disposuit vulgarem modũ loquendi, *vt filius hominis*, significet hominem, & *filius tauri*, significet taurum, & sic de reliquis animalibus. Quem modum loquendi frequenter vsurpat Scriptura: licèt breuiùs, & clariùs foret dicere hominem, aut taurum, videlicet, vt homines assuescerent intelligere, Deum esse similis; & eiusdem naturæ cum Patre, qui dictus erat in veteri testamento, & clariùs in nouo dicendus erat *Filius Dei.* E contrario scriptura hoc complexo *spiritus hominis*, non intelligit hominem, neque similitudinem in natura, nec solet dicere spiritum tauri, aut equi ad significandum taurum, vel equum, & sic de cæteris animantibus: quamuis halitum spirent, & spiritum oris habeant, vnde vox *spiritus* eleuata est ad significandum Spiritum sanctum iuxta id Psalm.32. *Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Prius membrum istius confirmationis constat Matthæi 12. *Dominus est filius hominis etiam sabbati.* In Psalmis frequentissimum est reprehendere vel hortari *filios hominum.* Psalm. 28. *Afferte Domino filios arietum.* Prouerb.30. *Oculum qui subsannat Patrem, &c. comedant eum filij aquilæ.* Ecclesiastici 28. *Sermo eius in filijs taurorum.*

Spiritus non significat similitudinem in natura.

5 Confirmatur quartò, nam ob prædictam quidditatem generationis verum est illud axioma Christi D. Ioann.3. *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Nimirum quod naturaliter natum est ex spiritu, est naturaliter spiritus; & consequenter, quod participatione, & gratia natum est ex spiritu, spiritus est gratia, & participatione eiusdem naturæ diuinæ. iuxta illud 1. Petri 1. *Magna & pretiosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ.*

6 *Adoptiua etiam filiatio similitudinẽ affert.* Vnde consurgit confirmatio quinta, quoniam adoptiua, & participata filiatio constituitur per similitudinem Dei, & imaginem participatam. Ergo naturalis, & primaria filiatio constituitur per naturalem, & adæquatam imaginem, & similitudinem perfectissimam. Consequentia probatur, sic enim exemplar, & prototypon filiationis altiori modo, & cum debita proportione præhabet in se, quod tanquam ab exemplari causa participatur ab eius effectis.

7 Antecedens autem constat Rom. 8. *Quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* Videlicet, quatenus Primogeniti naturalem imaginem, & similitudinem multi fratres per gratiam imitantur, iuxta illud 1. Corinth.15. *Portemus imaginem cœlestis.* 2. Corinth.3. *In eandem imaginem transformamur, tanquam à Domini spiritu.* Colossens.3. *Secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Præcipuè verò ponderandum est testimonium 1.Ioann. cap.3. init. *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo perfecta filiatio adoptiua consistit in perfecta similitudine, quæ participatur per visionem beatificam; inchoata verò, & occulta filiatio per aliam magis occultam similitudinem gratiæ.

Sexta confirmatio procedit ex præcedenti; 8 nam imitatio constituit filios Dei, & filios diaboli propter similitudinem iuxta illud Matth. 5. *Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum.* Et è contrario Ioann.8. *Vos,* inquit, *ex Patre diabolo estis.* 1.Ioann.3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est, in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.* Videlicet, imitatione sanctitatis, aut peccati.

Secundò probatur testimoniis Patrum, qui cla- 9 riùs assignant rationem generationis ex perfecta similitudine, & imagine, per quam à processione distinguitur. Alexander Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum propius ad med. quàm ad finem. *Patris filius,* inquit, *paternam effigiem accuratè seruare solet, quippe cum eius similitudinem à natura in se impressam habeat, & perfecta sit patris imago, & expressa similitudo exemplaris primarij. Vnde Dominus Philippo Patrem videre cupienti, apertè commonstrat. Qui videt me, videt & Patrem.* Et prosequitur insistens in similitudine, & imagine, quam filiatio continet. Obiter autem obseruandum est prædicta verba apud antiquiores interpretes illius epistolæ aliter haberi.

Ratio generationis ex perfecta similitudine. Ioann.14.

Nazianz. oratione 36. quæ est 4. de Theolog. 10 multo propiùs ad fin. quàm ad med. num.79. *Filius mihi dici videtur, quia essentia idem est cum Patre, tum etiam quia ex illo est.* Et post pauca num.82. *Compẽdiosa facilisq; Paternæ naturæ declaratio est Filius. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* Dixerat autem Verbum esse definitionem Patris. Quo eodem sensu orat.38.num.20.& orat.40.num.19. Filium vocat *Patris terminum, & rationem,* hoc est definitionem, adæquatè declarantem eius naturam. Quapropter hæc nomina coniungit cum *perfecta imagine per omnia simili.* De quo dicemus iterum in testimonio Nicænæ.

Athanasius epist. de decretis Nicænæ Synodi 11 ferè in ipso medio. *Quod si eum,* inquit, *imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim est simile Deo nisi sua ipsius progenies?* Perpende reduplicatiuam dictionem, *eo ipso.* Idem orat.2. contra Arianos inter princip.& med. docet: *Quod integrè, & solidè ex substantia Patris editum est, id esse proprium Filium: nam integrè, & solidè impertiri Patrem, id idem est ac si dicas, ex Patre gigni.* Quod intelligit de totali communicatione substantiæ ex vi processionis formaliter; sicut etiam quod paulò post adiungit: *Demonstratum sit, & pro confesso habeatur, Deum suæ Deitatis participem reddere, & gignere idem esse.*

Item in compendio de Spiritu sancto paulo 12 post med. *Si Pater,* inquit, *Deus est, omninò Pater est eius Filij, qui secum est eiusdem generis.* Hoc nomine *generis* naturæ identitatem significare solent multi Patres, citandi disput. 24. sect. 5. versus finem. Inde colligit Athanas. Patrem non fuisse conditorem Filij, sed genitorem. Quia *nunquam appellauerimus Patres conditores suorum liberorum, sed genitores. Abraham certe non condidit Isaacum, sed genuit. Sebeleel, & Eliam non genuerunt, sed fecerunt omnia opera tabernaculi.* Nimirum, quia cum illis non erant eiusdem generis.

Ruiz. de Trinitate.

13 Basil. lib. 2. contra Eunom. multò propiùs ad med. quàm ad finem. *Diligenter*, inquit, *consideranti palam est, non corporeæ passionis primò, ac propriè patris, ac filij nomina sensum facere solere: sed solam ex se ipsis, cum dicantur, quam inter se habeant habitudinem ostendere. Pater enim est qui essendi principium alteri secundum similem sibi naturam præbuit. Filius verò qui ab altero essendi principium per generationem habuit.* Et longè inferius: *Generatio naturæ coniunctionem significat.* Perpende, non esse alium, nisi filium, cui *Pater essendi principium secundum similem sibi naturam præbuit.* Nec aliam esse illius actionem, nisi generationem.

14 Rursus in epist. 43. ad Gregor. Nyssenum versùs finem insistit in charactere, figura, & imagine, quatenus est propria quidditas Filij, vt propter identitatem naturæ ducat in cognitionem prototypi. Quoniam verò doctrinam eandem rescribit Gregor. Nyssenus lib. de differentia vsiæ, & hypostasis in postrema parte illius, discutiens illud Hebr. 1. *Figura hypostaseos.* Ideo potest ex illo etiam inferri prædicta quidditas generationis.

15 Epiphan. hæresi 69. pag. 7. *Omne*, ait, *quod generat, simile quod generat, homo hominem generat, & Deus Deum. Et qualis est homo, qui generat, talis est & qui ab ipso genitus est.* Et hæresi 73. in med. *Alterutrum solum dictum, conducit ad alterius intelligentiam: & non nomen solum, sed cum nomine etiam naturæ consortium. Patrem enim intelligentes Deum, Dei Patrem intelligimus; & Filium intelligentes Dei, Deum intelligimus relatum Filium Dei, & similem illi secundum naturam, cuius intelligitur Filius.*

16 Idem hæresi 76. col. 6. *Siquidem genuit ex se Filium, impossibile est, non esse æqualem, ac similem Patri. Omne enim quod gignit, simile sibi gignit, & non solum simile, sed æquale identitate. Homo hominem gignit, & Deus Deum.* (Non te conturbet identitas, quibuslibet generationibus attributa: nam identitatem Patres appellare solent specificam vnitatem, abstractam ab omnibus differentiis: vt videbimus disput. 22. sect. 1.) & longè inferius respondens ad primum caput Aëtij: *Impossibile est gignentem dissimilem, & inæqualem sibi ipsi gignere, & genitum genitori dissimilem esse.*

17 Cyrillus Alexand. lib. 12. thesauri cap. 15. ferè inter med. & finem: *Quomodo ex ipso Deo Patre non Deus nasci naturaliter poterit, cum nec creatura quidem vlla hoc patiatur? Homo enim ex homine, & bos ex boue nascitur. Deum igitur verum de Deo vero nasci necesse est. Aliter verior in creaturis generatio, quàm in Deo inuenietur, quod absurdum est.*

18 Eusebius Cæsarien. demonstrationis Euangelicæ lib. 4. cap. 2. in med. *Non immeritò oracula theologicè loquentia, Deum genitum illum enunciant, tanquam eum, qui diuinæ naturæ solus in se ipso ferat imaginem, propter quam & Deum quoque & esse illum, & dici, eius videlicet, quæ quod primum est refert, expressæ similitudinis gratia.* Obserua dictionem exclusiuam, *solus*, vnde Spiritus sanctus licèt Deus sit, non erit Filius, quia non est Deus gratia similitudinis, id est, ratione similitudinis, & imaginis expressæ; quæ referat id quod primum est, videlicet Patrem principium Diuinitatis.

19 Theodorus Ancyræ Episcop. homil. 2. de Natali Domini in medio, quæ habetur in Concil. Ephesino tomo 6. cap. 10. ait: *Naturæ consubstantialitatem adstruere volens scriptura, Vnigenitum Patris Filium vocat; nam & tuus quoque filius, eiusdem tecum nascitur naturæ. Vnam itaque Patris, & Filij substantiam esse ostendere volens, Vnigenitum ex Patre natum, Patris Filium appellat.* Quibus consonat Clemens Rom. epist. 1. ad Iacobum col. 10. dicens: *Deus Pater secreti sacramenti vocabulum est, cuius verè Filius est Verbum, & speculum, & character, & imago viuens Patris viuentis, in omnibus Patri similis, eiusdem naturæ in diuinitate genitus, & genitori per omnia coæqualis.*

Elias Cretensis in orationem 1. Nazianz. num. 72. §. *Cum contra.* requirit genitum procedere ex principio coniuncto, & simile gignenti, vt videbimus sect. 6. ad secundam particulam. Nicætas autem ad orationem 42. Nazianzeni num. 19. col. 2. *Imago*, inquit, *est viui archetypi, & viua ipsa, longeq; maiorem similitudinem habet, quàm sit ea, qua Seth Adamum refert, vel qua quidquid gignitur id à quo generatur exprimit.* Et paulò inferius: *Quam igitur rationem habet definitio ad definitum, eandem filius ad patrem. Ipsum enim declarat, quemadmodum definitio definitum. Quamobrem Christus dicebat; qui me intellexit (hoc enim significat qui vidit me) Patrem quoque intellexit. Omnis enim proles parentis sui tacita est ratio, seu definitio.* Gen. 5. Ioann. 14.

Luculentiora testimonia tulit Hilarius. Nam lib. 7. de Trinit. in med. *Vniuersa natiuitas*, inquit, *non potest non in ea esse natura, vnde nascitur. Non affert externi generis substantiam, quia ex vno non subsistit alienum.* Et in eodem lib. col. antepenult. *Quod ergo imago est eo proficit, vt Deum Patrem Vnigeniti Dei significet natiuitas, significet autem vt forma, & imago inuisibilis Dei.* Vnde lib. 9. col. 2. *Perfecta natiuitas*, inquit, *perfectam imaginem præstat.*

Rursus lib. de Synodis colum. 7. ad Canonem 3. Orientalium. *Omnem in se diuinitatis Paternæ, qualis, & quanta est, formam inuisibilis Dei Filius, & imago complectitur: & hoc verè est esse filium, paternæ scilicet formæ veritatem coimaginatæ in se naturæ perfecta similitudine retulisse.* Perpende filij definitionem quidditatiuam. Cui consequens est quòd longè inferius ad Canonem 7. Orientalium ait: *Cum non possit paterni nominis veritas, nisi ex naturæ sua progenie acquiri; Pater non potest aliena à se, ac dissimilis substantia pater dici: quia natiuitas perfecta non habet dissidentem originalis substantiæ diuersitatem.* Denique inter med. & finem eiusdem libri: *Omnis itaque filius secundum naturalem natiuitatem æqualitas patris est.*

Augustl. lib. 5. quæstionum in Deuter. quæst. 4. in med. *Quod in Genesi scriptum est*, inquit, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei: manifestum est ita dictum, vt non eiusdem substantiæ sit imago, quæ facta est. Si enim eiusdem esset, non facta, sed genita diceretur.* Et paulo superius dixerat, *patrem esse prototypum, & filium esse imaginem expressam.* Loquitur autem generaliter de quocumque filio. Quibus consonant plura, quæ ex eodem Augustino referemus sect. sequenti.

Ricardus Victorinus magis ex professo, quàm cæteri Patres, inuestigans rationem discriminis, ob quam Spiritus sanctus non sit filius, nec genitus lib. 6. de Trinit. duodeviginti capitibus videlicet à cap. 4. vsque ad 21. veram generationis quidditatem explicat, eodem modo, quo Patres supra citati. Sed generalem definitionem minùs aptè, & conuenienter applicat ad personam Verbi, & Spiritus sancti. Rectè igitur dicto lib. 6. cap. 18. ante medium ita definit: *Idem videtur esse naturalis productio animantis de animante in conformitatem substantiæ, quod parenti prolem generare.* Quod à dissimili confirmat, quia propter naturæ dissimilitudinem vermis, ex homine productus, non est proles hominis, nec homo pater illius. Et cap. 19. propius ad princip. quàm ad med. *Rectè ingeniti*

Definitio generationis.

ingeniti Filius dicitur, quem producit de se ad imaginem similitudinis suæ. Vnde prope finem eiusdem capitis concludit: *Vbi ad imaginem, & similitudinem producentis procedens non gignitur, iuxta vsum loquendi nec pater qui gignit, nec filius dicitur, qui generatur. Legitur de Adam, quod genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Genes. 5.

25 *Deficit Ricardus in applicatione.* Deficit autè in applicatione Ricardus. Primò, quia prædicto cap. 18. post med. & sequentibus vsque ad 21. ad rationem imaginis exigit similitudinem non solùm in natura diuina, & absolutis perfectionibus, sed etiam in notionali proprietate dandi, & communicandi plenitudinem diuinitatis alteri personæ. De quo dicemus disp. 8. sect. 1. in octaua ratione Ricardi. Secundò deficit, quia non recurrit ad formalissimam vim producendi similitudinem, & imaginem, quæ est producere Verbum intelligendo: quin potius existimat volendo produci Filium, sicut & Spiritum sanctum: vt probatum est disput. 2. sect. 1. initio.

26 Postremò Patres ferè omnes, innumeris in locis probantes diuinitatem Filij, vel Spiritus sancti, adduci possunt ad confirmandam præsentem rationem discriminis. Omnes enim assumunt vt generale principium, Filium hominis esse hominem, vt inde inferant Filium Dei esse Deum, vim argumenti ponentes in quidditate filiationis in generali, quæ etiam in viuentibus creatis postulat similitudinem naturæ. Aliter tamen diuinitatem Spiritus sancti colligunt ex eo, quod sit Spiritus Dei, non ex generali quidditate Spiritus, siue halitus spirati. Siquidem halitus hominis non est homo, nec halitus equi est equus.

SECTIO II.

Formalissima ratio processionis vt imago similis in natura, consistit in processione Verbi per intellectionem.

1 VT discrimen imaginis, ac similitudinis positum in sectione præcedenti, applicetur ad Filium, & Spiritū sanctum, necessarium est recurrere ad formalissimam vim processionis, vt sect. 4. & consequentibus constabit. Quamobrem vt doctrina tunc rationibus corroboranda, nunc accipiat sufficiens fundamentum ex authoritate Patrum; referemus testimonia, quæ probant, similitudinem, & imaginem ideo conuenire Filio, quia procedit vt Verbum ex mente.

2 *Ideo procedit vt similis, quia vt Verbum,* Nazianz. orat. 36. quæ est 4. de Theolog. n. 81. *Verbum*, inquit, *dicitur, quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem, non modò propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre, vimq; enunciatricem. Fortasse etiam, quia eodem modo se habet ad Patrem, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque logos dicitur. Qui enim Filium cognouit, ait Christus (hoc enim significat illud, qui vidit) Patrem quoque cognouit: ac breuis, & compendiosa, facilisq; Paternæ naturæ declaratio est Filius. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* Perpende cohærentiam similitudinis in natura cum propria quidditate Verbi, & confer cum his, quæ ex Nazianz. & ex Nicæta illius expositore retulimus sect. præcedenti.

3 Eadem verba prope omnia transcribit Nicætas in orationem 42. colum. 2. Peculiariter notandum est illud: *Patris terminus, & ratio Filius appellatur, vt Patrem ostendens, ac definiens.* & post pauca: *Vt sermo parentem suam mentem profert, & enuntiat, ita Filius Patrem.* Et illud: *Omnis proles parentis sui tacita est ratio, seu definitio.*

Præterea connexionem similitudinis, & filiationis cum Verbo notauit Athanasius Epistola de decretis Nicænæ Synodi ferè in med. illis præsertim verbis: *si concesserint Deum non nisi semel Verbum proferre, fieri non potest, quin agnoscant, eum ita loquentem Verbi sui Patrem esse.* Et post pauca: *Filius Dei quisnam fuerit, nisi Verbum eius?* & infra: *Quandoquidem vnus est Deus, necessarium quoque est, vnam Dei imaginem esse, quæ ipsius est Filius. Siquidem Filius Dei, vt ex Scripturis patet, ipse est Dei Verbum, & sapientia, & imago.* Vnde post pauca, subiungit: *Quod si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso esse indicaueris.* 4

Idem oratione prima cõtra Arianos post med. ait: *Verbum non creatur, sed gignitur.* Et orat. 2. prope med. *Eo ipso, quo Verbum Patris sui est Filius, & Filius est Verbum Patris eiusq; sapientia.* Perpende reduplicatiuam dictionem. *Eo ipso.* Rursus orat. 5. contra Arian. initio. *Cum enim ratio sit vnius Dei, ideo Filius in eum refertur, cuius est Filius.* 5

Obserua causalem propositionem, vt colligas, ideo secundam personam esse Filium, quia est verbum, ratio, & sapientia genita vnius Dei. Deinde prope medium eiusdem orationis 5. *Ex Patre esse, Filium est esse. Quis enim ex Patre est, nisi verbum ex corde progressum, & vtero genitum?* & infra: *Vt ex corde verbum, ita ex vtero fœtus.* Similiter oratione contra Gregales Sabellij, ea præcipuè de causa redarguit eos, quia negabant, *à Deo genitum esse viuens Verbum, & subsistens.*

Chysost. in Ioan. hom. 1. paulo post med. docet, Euangelistam ideo præoccupasse Verbi appellationem, vt *inde & Filium, & nulli passioni subiectum significaret.* Vnde continuo infert: *cum de Filio loquitur*, Ioannes, *Patrem non subticet.* Mirum quia dicendo Verbum, virtualiter dicebat esse Filium Patris. Quibus consequentia sunt quæ de duplici Verbi natiuitate scribit tomo 5. prope finem orat. 9. de illo Abrahami. *Pone manum tuam sub fœmur meum.* multo propius ad med. quàm ad princip. orationis. 6

Gregor. Nyssenus epist. contra Apollinar. quæ est de imagine, & similitudine multo propiùs ad med. quàm ad princip. *Generatur*, inquit, *in corde Verbum generatione quadam incomprehensibili.* Et post quam explicuit secundam generationem, qua Verbum manifestatur per labia, subiungit: *Vt per duplicem Verbi nostri generationem, manifeste duas Dei Verbi generationes secundùm imaginem, & similitudinem edisseramus.* Plura ex Nysseno retuli disp. 2. sect. 2. 7

Basilius homil. 16. circa illud: *In principio erat Verbum*, post med. ait: *Cur Verbum? vt quod ex mente procedit, ostendatur. Cur, inquam, Verbum? quoniam sine motu genitum est. Cur Verbum? quoniam imago est genitoris totum in se monstrans genitorem &c.* 8

Cyrillus Alexand. lib. 1. Thesaur. cap. 7. inter med. & finem. *Sic ex se ipso absque passione Filium genuit Pater, sicut si sapiens ex sapientia sua quidquam excogitauerit, atque pepererit, veluti Geometriam, Musicam, aut aliquid huiusmodi. Hæc enim fœcundæ sapientiæ fructus sunt, & sic se habent secundum naturam, vt excogitatum artificium à sapientia, non sit separatum ab ea. Nam quum sit ex ipsa, in ipsa etiam est, & imago eius est.* Et post pauca: *Intelligendum est, sic ex Patre natum Filium vt sapientia ex mente, quæ quodam modo esse à mente per ex-* 9

pressionem ipsius videtur, & in ipsa verè est. Nec defluxum mens passa est aliquem, quia sapientiam genuit, sed tota mens in sua natura conseruata est, & tota in sapientia depingitur. Vides ergo generationem diuinam propterea terminari ad imaginem expressam, in qua tota Patris natura depingitur, quia terminatur ad Verbum, & sapientiam genitam, quæ est imago sapientiæ generantis.

10 Theodotus Ancyræ Episcopus hom.2. de natali Domini in medio (tomo 6. Concilij Ephesin. cap.10.) *Dum Scriptura Verbum nominat, solam natiuitatis ipsius impatibilitatem per hoc insinuat. Nam & humana quoque mens citra patibilitatem Verbum suum generat.* Et post pauca: *Generationis impatibilitatem Verbum significat, consubstantialitatem Filius indicat.* Et longè inferius: *Nam & tuum quoq; Verbum mentis tuæ proles est.*

11 Augustinus lib.9. de Trinit. c. 12. prope med. sapienter huius rei principia posuit dicens: *Omnis res quamcumq; cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab vtroque enim notitia paritur à cognoscente, & cognito. Itaq; mens cum se ipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ, & cognitum enim, & cognitor ipsa est.* Continuò rationem reddit, ob quam mens non dicatur generare amorem, quando se ipsam amat, sed ea ratio discutietur disp.8. sect.1. ratione 6. Fusiùs autem lib. 15. de Trinit. cap.6. & 13. prope finem & cap.14. à princip.nos dirigit, vt ex generatione Verbi creati colligamus notitiam generationis Verbi Domini.

12 Quod ipsum non solùm confirmat in cap.27. longè post med. sed etiam ex instituto tractans rationem discriminis, ob quam Spiritus sanctus non sit filius, & professus, neminem sufficere ad hoc dilucide, perspicuéque cernendum, subiungit discrimen, quia Verbum est imago, sed amor non est imago. In eo contextu notandæ sunt illæ propositiones aliis insertæ: *Ipsa ostendit tibi Verbum tuum esse in te, quando de scientia tua gignitur. Fitq; in acie cogitantis imago simillima cogitationis eius, quam memoria continebat, ista duo velut parentem, & prolem tertia voluntate, siue dilectione iungente. Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere, non tamen esse cogitationis imaginem, & ideo quandam in hac re intelligibili natiuitatis, & processionis insinuari distantiam* &c.

13 Idem manifestè deducitur ex verbis Augustini lib.7. de Trinit. cap.2. initio, receptis à Magistr. & omnibus Scholast. in 1. dist.27. cap. *hic non. Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.* Et post pauca præcipit, quando sapientia dicitur nata, *in eo quod nata est, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur.*

14 Clariùs, ac propè Scholasticè Anselmus in Monol. cap. 53. initio proponit rationem dubitandi, eo quod Spiritus sanctus *similis sit Patri, & Filio, & omnino idem. Numquid Filius eorum aut proles æstimandus est?* & respondet: *sicut Verbum mox vt consideratur, se prolem esse eius à quo est, euidentissimè probat, promptam præferendo paretis imaginem: sic amor apertè se prolem negat; quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti eius, ex quo est, similitudinem: quamuis ipsum considerata ratio doceat, omnino id ipsum esse, quod est Pater & Filius.*

15 Valde significatiuæ sunt illæ phrases. *Mox vt consideratur promptam præfert imaginem. Non statim tam perspicuam exhibet.* &c. Valent enim prorsus idem, quod recentiores Scholastici dicunt formalissimam, & explicitam vim processionis, de qua in sectionibus sequentibus. Huius doctrinæ fundamenta iecerat Anselm. in eodem Monol. cap.46. dicens, Verbum esse prolem memoriæ mentis nostræ, & consequenter diuinum Verbum esse Filium Dei dicentis, siue loquentis. Anselmi verba posuimus disput. 2. sect. 2. prope finem.

Fauet Concil. Nicænum lib.2. in med. in secunda responsione per Leontium, quæ incipit *Cum sit copiosa.* prope finem dicens: *Per similitudines infirmiores accipe documenta. Verbum tuum, vt & cuiusq; hominis; prolatiuum est, gignitur autem insecabile, & ex mente, quemadmodum spiritus tuus procedit ex te.* Obserua consulto permutatum verbum *gignitur*, quod mentali verbo tribuitur, in verbum, *procedit*, quod humano spiritui conuenit. Hæc enim Concilium dirigit ad explicandam vtriusque personæ processionem, vt constat ex superiori, ac inferiori contextu. 16

Fauet etiam Damascenus lib. 1. fidei cap. 8. post med. definiens: *Generatio est ex substantia gignentis proferri quod gignitur, & simile secundum substantiam.* Vnde ad finem capitis concludit: *Generat ergo Deus suum verbum* &c. Denique valde fauent alij Patres, comparantes diuini Verbi generationem, cum productione verbi creati ex intellectu, siue ex mente, notantésque peculiariter expressam similitudinem, & imaginem, per quam mens cognoscitur, esse Verbum. Quemadmodum Chrysost. Basilius, Alexander Alexandrinus, Euseb. Cyrillus, Alexand. Theodoretus, Damascenus, Lactan. Fulgent. Hugo Victor. citati disp.2. sect.2. 17

SECTIO III.

Sanctus Thomas, eiusq; discipuli, quantum ad substantiales articulos, conspirant in eandem rationem discriminis.

PRæ cæteris Scholasticis S. Thomas magis apertam, expeditam, atque conspicuam reddidit rationem discriminis, quàm Patres in sectionibus præcedentibus tradiderunt. Nam in præsenti quæst. art.4. corp. ait: *Processio, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile.* Singulæ voces optimè comparatæ sunt ad significandam formalissimam rationem explicitam. Nam Verbum, *attenditur*, significat rem non vt est à parte rei, sed pro vt subest conceptui formali. Deinde nomen, *Ratio*, sæpius repetitum significat quidditatem formaliter præcisam. Insuper illas voces *secundum, & in tantum*, constat esse reduplicatiuas. Quapropter audiendi non sunt aliqui recentiores, existimantes, non esse depromptam ex mente S.Thomæ distinctionem illam *ex vi processionis formaliter.* Vt videbimus sect.7. 1 *S.Thomæ sententia.*

Nec prætermittit S. Thomas discrimen applicare Spiritui sancto continuo subiungens: *Processio autem, quæ attenditur secundùm rationem voluntatis, non consideratur secundùm rationem similitudinis, sed magis secundùm rationem mouentis, & impellentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt Filius, sed magis procedit vt Spiritus.* 2

Sed quoniam obiicere posset aliquis, solam intentionalem similitudinem probari ex processione per intellectum, eámque non sufficere ad generationem: requirit enim similitudinem in natura: 3 *Obiectio præoccupatur.*

natura: obiectionem præoccupauit S. Thom. in art.1. eiusdem q.27. ad 2. dicens: *Quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis est magis intima intelligenti, & magis vnum. Nam intellectus secundum hoc quod actu intelligit, secundum hoc fit magis vnum cum intellecto. Vnde cum diuinum intelligere sit in fine perfectionis; necesse est quòd Verbum diuinum sit perfectè vnum cum eo absque omni diuersitate.* Perpende supremam perfectionem intelligendi rationem esse supremæ vnitatis absque vlla diuersitate.

4 Quamobrem iuxta rationem, & lineam formalissimam intellectionis, & Verbi, non secundum materialem entitatem illorum, accipiendum est fundamentum, quo nititur S.Thom. in præsenti quæst. ad finem corporis, & in solutione ad secundum videlicet: *Intelligere diuinum est ipsa substantia intelligentis. Vnde Verbum diuinum procedit vt eiusdem naturæ subsistens.*

5 Hoc multo fusius explicuerat in 4.contra gentes cap.11. col.2. vlterius inferens, *quod in Deo intelligente se ipsum, sit idem intellectus, & res quæ intelligitur, & intentio intellecta.* quam exponit esse Verbum. Vnde multo propiùs ad med. quam ad princ. capitis constituit discrimen inter verbum repræsentatiuum hominis intellecti, & Verbum Dei. *Nam verbum hominis non posset dici simpliciter, & absolutè homo, sed secundum quid, scilicet homo intellectus. At verò Verbum Dei non solum est intentio intellecta, sed etiam Deus in eadem numero natura subsistens.*

6 Consulto prætermitto nonnulla dubia, quæ mouent Caietan. in art.2. quæst. præsent. & Ferrar.4. contra gent. cap. 11. non solum eo quod loquendi modum potius, quàm rem ipsam excutiunt; sed potissimum quoniam eorum solutio poterit sumi ex dicendis in hac, & duabus sequentibus disputationibus, & à disp.56. vsque ad 63. Nunc autem obscuriorem redderet doctrinam S.Thomæ, quam perginus exponere.

7 In prædicto igitur cap.11. lib.4.contra gentes post med.notat omne verbum esse similitudinem rei intellectæ; nihilominus non omne verbum esse imaginem rei intellectæ. Quia illud tantum verbum est imago, quod procedit à re, cuius est similitudo. Hac ratione deducit Verbum diuinum esse imaginem Patris. Vnde inferius filiationem, & generationem ita deducit: *Relinquitur ergo, quod Verbum Dei non solum sit imago, sed etiam Filius. Non enim sic esse imaginem alicuius, vt eiusdem naturæ sit, in aliquo inuenitur, qui filius dici non possit; dummodo hoc in viuentibus accipiatur. Nam quod procedit ex aliquo viuente in similitudinem speciei, dicitur filius eius.* Et infra: *Hac est verè generationis ratio in rebus viuentibus, quod id quod generatur, à generante procedat, vt similitudo ipsius, & eiusdem naturæ cum ipso. Est ergo Verbum Dei genitum.* &c.

8 Eandem doctrinam breuiùs perstringens in eodem lib.4. cap.19. post med. colligit, Spiritus sancti processionem non esse generationem. Quia processus rei ad hoc, quod sit in voluntate sicut amatum in amante, non est secundùm similitudinem speciei. His similia notat de potentia q.10. art.2. ad 11. & ad 22. & Colossen. 1. sect. 4. declarans *Primogenitum.* Et ad eandem sententiam reduci possunt quæ alibi docet, vt infra videbimus. Consonat etiam de Potentia q. 10. art.2. & 1. sentent. dist.13.q.1.art.2.& 3. vt magis explicabitur disp.8. sect.2. sententia 4.

9 Secundò suum Magistrum in hac re sequuntur communiter discipuli S.Thomæ, quamuis in ea declaranda, & defendenda quædam interserant, quibus inter se dissident, & ab authoris mente: pro vt in sequentibus sectionibus, ac disputationibus, occasione data, notabimus. Sequuntur itaque Capreolus 1. dist.9. quæst. vnica concl.1. Vbi Deza præsertim art. 3. notab. 2. & art.4. ad argumenta contra primam concl. Caietan. in præsent. quæst.27.art.2.& 4.& infra q.35. art.5. Ferrarien. 4. contra gentes cap.11. & c.19. Expositores S.Thomæ in præsenti quæst.27. a.2. & 4. vbi Banez, Molina, & Zumel; Bellarm. tomo 1. lib.2. de Christo cap. 14. fine. Valentia in controuer. lib. 2. de Trinit. cap.5. ad 1. & ad 4. & 1. p. q.1. de processione diuinarum personarum princip. 4. concl.2. ad arg. 1.4. & 5. Suarez lib.9. de Trinit. cap. 1. dicto 1. & lib.11. cap.5. ferè toto. Palacios 1. sentent.dist.13.disp.1. *Conspirant Thomistæ.*

Tertiò quantum ad subsistentiam huius discriminis idem sentit Canarien. in hac quæst.27.a.2. p.4. commentarij. Quem sequitur Vazquez disp. 113. cap.7. licèt nonnulla permisceant, quæ refutabuntur disp.8.sect.3. Quartò Scholastici antiquiores idem sentiunt, quando generationem, quia procedit per modum naturæ, distinguunt à spiratione, quæ per modum voluntatis procedit, vt de singulis constabit sect. sequenti. 10

Quintò, plures, & præstantiores Nominalium aperte docent, generationis discrimen esse, quia Verbum ex vi suæ processionis procedit, vt viuens à viuente in similitudinem naturæ, tanquam genitoris imago, quemadmodum creatum verbum procedit ab intellectu creato: sed Spiritus sanctus non ita procedit, sed vt datus, & vt donum. Ita expressè Ocham. 1.dist.13. q.vnica post med. quod eius discipulus Gabriel magis explicat ibidem. Maior. in eadem dist.13. quæst. vnic. Bacon. 1. dist. 5. q.1. art.2. ante med. in quodam arg. & dist.13. q.1. art.5. & dist.27. art.2. dict.5. In eandem magis inclinat Marsilius 1.q.16.art.2. post med. licet nulli rationi simpliciter acquiescat. Ex quibus tandem efficitur, omnes Scholasticos in substantiales articulos prædicti discriminis conspirare, præter Aureolum, Ægidium, Argentinam, & Durandum, de quibus dicemus disp.8. sect.2. sent.2. & 3. 11 *Nominales.*

SECTIO IV.

Eodem sensu plures Scholastici distinguunt procedere per modum naturæ, & per modum voluntatis.

QVantum ad rerum substantiam, vix à doctrina nuper exposita diffident antiquiores Scholastici, assignantes hanc rationem discriminis, quod verbum procedit per modum naturæ, ideóque processio est natiuitas à natura dicta, seu generatio; Spiritus autem sanctus non procedit per modum naturæ, sed per modum voluntatis. Ita Albertus 1. p. quæst. 42. memb.3. Alexand.1. p. quæst.43. memb.1. *fine*, & quæst.45. memb.7. S.Thomas in 1. dist.13. quæst. 1. art.2. & 3. & fusiùs de Potentia q.10. art.2. corp. & ad arg.7. & 11. S.Bonau. dist. 6. art.1. q.1. & 2. & dist.10.q.1. Henricus in summa art.53.q.9.& art.60. quæst.1. Scotus in 1.dist.10.q.vnica §. *Quantum ad primum.* Et dist.2. quæst.4. §. *Dico tunc.* Et longè inferiùs dum respondet ad tertiam instantiam. Ricard. dist.13. art.1.quæst.3.& dist.6.art.1. quæst.1. & 2. Carthusian. dist.13. quæst. 1. Capreolus dist.13. quæst.1. 1

quæst. 1. sub initium, vbi Deza præsertim art. 3. notab. 3.

2 *Exponitur per modum naturæ, & per modum voluntatis procedere.*

Nihilominus iidem authores sub prædicto modo loquendi comprehendunt præcipuas, & magis substantiales partes discriminis inter generationem, & spirationem: vt clariùs constabit discurrendo per singulas. Albertus 1. p. quæst. 30. memb. 2. & quæst. 31. memb. 2. docet generationem diuinam esse operationem intelligendi, & spirationem esse operationem amandi. Et consequenter dicta q. 31. memb. 2. corp. post med. ait: *In generationis intellectu est quod sit processio naturæ in similitudinem speciei, & formæ. In processione autem Spiritus sancti nihil tale est secundum intellectum illius.* Quod ipsum breuiùs dixerat quæst. 30. membr. 3. art. 1. notans, generationem esse opus naturæ, non voluntatis. Obserua illa verba Alberti dicta quæst. 31. memb. 2. corp. & ad 2. *Secundum intellectum eius.* Et iterum: *Modus emanationis secundum communem modum intelligendi.* Valent enim hoc ipsum, quod recentiores scholastici dicunt *secundum rationem formalem processionis*; vel *ex vi processionis formaliter.*

3 Alexand. in eo conuenit cum vera sententia, quia expresè fatetur, generationem esse productionem similis in natura, & perfectæ imaginis; insuper generationem esse operationem intelligendi, & spirationem esse operationem amandi. Vt constat ex his, quæ tradit 1. p. q. 42. memb. 2. in med. & memb. 3. a. 2. & q. 49. memb. 3. post med. & q. 62. memb. 3. a. 2. ante med. Dissidet autē à cæteris scholasticis, eo quod exigit similitudinem personalis proprietatis, quæ potens sit producere aliam personam, secutus Ricardum Victorinum, vt referemus disp. 8. sect. 1. ratione 8.

4 S. Thomam in illis locis libri 1. sententiarum, & quæstionum de potentia nihil dissidere à sua sententia relata in sect. præced. ostendimus disp. 8. sect. 2. sententia 4. S. Bonau. semper docet, processionem Verbi esse per intellectum, & processionem Spiritus sancti per voluntatem; vt constat in 1. dist. 6. art. 1. quæst. 2. & dist. 10. per plures quæst. & dist. 27. p. 2. quæst. 1. Insuper dist. 13. art. 1. quæst. 2. ad 1. ait: *Generatio est productio substantiæ similis per modum fœcunditatis naturæ.* Quem modum magis explicat ad 2. dicens, discrimen sumi ex eo, quod hypostasis, ad quam terminatur generatio, est imago, sed hypostasis ad quam terminatur spiratio, non est imago.

5 Rationem autem, propter quam Spiritus sanctus non sit imago, sed solum verbum sit imago, assignat S. Bonau. dist. 31. art. 1. tota quæst. 2. quia licet Spiritus sanctus sit similis in substantia; cæterùm modus emanandi per modum naturæ, & ita per modum Verbi, & speciei, & similitudinis expressæ, non conuenit Spiritui sancto. Addítque cum August. 7. de Trinit. cap. 2. *eo ipso Verbum, quo Filius, & eo ipso est imago.* Vt retulimus sect. 2. Quibus locis inter se collatis S. Bonau. nihil differt à substantia veræ sententiæ, propositæ in sect. præcedenti.

6 Henricum de Gandauo fuisse in eadem sententia præcedentis sectionis, manifestum erit patienter legenti prolixam eius quæstionem primam in prædicto art. 60. Nam distinguens quatuor acceptiones naturæ, secundam acceptionem assignat esse *vim productiuam similis ex simili.* Addítque intellectum esse naturam hoc modo, quatenus simplici notitia informatus, est principium producendi verbum. At verò spirandi principium est voluntas, quæ non est natura in prædicta acceptione, quia non est productiua similis ex simili. Hæc in postrema parte corporis illius quæst. probat testimonio Augustini 15. de Trinit. cap. 17. quod retulimus sect. 2. Denique ex eo, quod principium producendi Spiritum sanctum; non sit intellectus, colligit, Spiritum sanctum non esse imaginem, sed impulsum, & spiritum, ideóque non esse Filium.

Scotus dist. 10. quæst. vnica §. *Quantum ad primum.* Henricum imitatus, ita definit naturam secundo modo dictā: *Est vis productiua similis ex simili, & sic potentia generandi in Patre est natura.* Vnde post medium eiusdem dubij primi deducit, intellectum diuinum, vt ex natura prædicto modo, elicitiuum esse generationis. Et quia producitur natura eliciente, dicitur Filius, & quia producitur intellectu eliciente, dicitur Verbum. Voluntas autem non est natura modo supradicto, ideo terminus per eam productus non est Filius. Et in solutione ad 1. ait: *Spiritus sanctus non producitur vt similis ex vi productionis suæ, & non est imago Patris, sicut Filius, qui ex vi productionis suæ procedit vt similis Patri.* Quid clarius dici potuit ad mentem recentiorum Thomistarum? 7

Quibus consonant multa, quæ scribit Scotus aliis in locis frequenter, cum Augustino Dei Verbum explicans similitudine verbi creati, & dicens esse prolem diuinæ mentis, non solùm vt est intelligens, sed etiam vt est obiectum intellectum. Quemadmodum in 1. dist. 4. præcipuè dum soluit obiectiones. & dist. 27. §. *Ad quæst. istas.* & quodlibet. 1. art. 3. & quodlibet. 2. art. 3. Denique quantum ad distinctionem per principia, & terminos, subscribere communi sententiæ, videbimus sect. 5. 8

Ricardus semper dicit, generationem esse operationem intellectus, spirationem autē esse operationem voluntatis. ac peculiariter dist. 2. art. 2. quæst. 2. ad 2. ait: *Quod procedit per modum intellectus, vt Verbum, ex ratione modi procedendi procedit per modum similitudinis, sicut & Filius, qui procedit per modum naturæ.* & dist. 6. art. 1. quæst. 4. in 4. arg. concedit quod Pater cognoscendo se producit Filium. & dist. 27. art. 2. tota quæst. 1. & 2. docet Filium procedere per modum naturæ intellectualis, vt Verbum. Vnde quæst. 4. recipit illud Augustini. *Eo Filius, quo Verbum.* &c. Carthusianus loco citato sententiam S. Thomæ defendit præsertim circa finem quæstionis, dum argumenta soluit, & antea refutauerat contrarias sententias, conciliátque modum naturæ cum modo intellectus, vt sæpe dictum est. De Capreolo, & Deza dictum est sect. præcedenti. 9

SECTIO V.

Per formalia principia, & terminos, ac modum producendi, generatio distinguitur à spiratione.

1 *Processiones se ipsis distingui.*

ANtiquorum sententia fuit, diuinas productiones, non per principia, neque per terminos, sed tantum se ipsis distingui. Quam postea secutus fuit Scotus 1. dist. 13. quæst. vnica, prius ex professo probans, diuinas emanationes non distingui penes principia elicitiua formalia, videlicet vim generatiuam, & spiratiuam; nec penes principia sola ratione distincta, videlicet naturam, & voluntatem, siue (quod idem est) intellectum & voluntatem. Illius fundamenta prætermitto, quia facilè diluentur ex dicendis in hac & sequentibus sectionibus. Denique in §. *Ad quæstionem.* Respondet; productiones se ipsis formaliter distingui. Generatio enim formaliter se ipsa est generatio, & spiratio se ipsa formaliter est spiratio. Quod inferius declarat exemplo differentiarum, quæ se ipsis, & se totis differunt, vt primò diuersæ, ita vt nihil formaliter inclusum in vna, sit formaliter inclusum in alia.

2 Breuiùs alij scholastici dixerunt diuinas productiones *se ipsis* esse distinctas. Ita S. Bonau. 1. dist. 13. art. 1. quæst. 3. corp. & ad 4. Gregor. Arimin. eadem dist. 13. quæst. vnica longè post med. Durand. dist. 13. quæst. 2. prope finem. num. 34. Ocham. dist. 13. quæst. vnic. sub init. vbi Gabriel. art. 2. conc. 3. Ægidius eadem dist. 13. art. 2. Quem fusiùs defendit Argentina ibi quæst. 1. art. 2. probans, neque per principia formalia, neque per terminos, neque per modum tendendi productiones diuinas distingui.

3 *Status quæstionis.* Pro decisione suppono, in præsenti non disputari de distinctione reali, videlicet, vtrum generatio siue actiua, siue passiua realiter, aut sola ratione distinguatur à spiratione siue actiua, siue passiua. Huius enim distinctionis proprius locus erit, vbi disputabimus de originibus circa q. 40. sed inquirimus solummodo distinctionem formalem, & quidditatiuam vtriusque productionis, propter quam vna est generatio, alia non est generatio.

4 *Discrimen non tantum à principio, sed etiam à termino.* Communior igitur & vera sententia diuinæ generationis quidditatiuam differentiam accipit, non solùm à formali principio producente, sed potissimum à termino producto; Attamen fatetur prædictam differentiam formaliter consistere in modo producendi. Quod attinet ad principium, & terminum, ita docent S. Thomas de potentia quæst. 10. artic. 2. corp. & dist. 13. artic. 2. S. Bonauent. distinct. 13. artic. 1. quæst. 2. ad 2. Henricus quodlibet. 6. quæst. 1. & in summa art. 60. quæst. 1. Carthusian. dist. 13. quæst. 1. dum impugnat Ægidium, & Scotum, eorúmque fundamenta: & magis ex professo Bacon. 1. dist. 10. quæst. 1. art. 2. Capreolus 1. dist. 13. quæst. 1. art. 1. Caiet. quæst. 27. art. 4. prope finem. Ferrarien 4. contra gent. c. 14. inter med. & fin. Et pro eadem sententia referri possunt omnes scholastici citari sect. 3. & multi alij ex citatis sect. 4. vt Alber. & Alex. Et in re nihil differt Ricardus 1. dist. 13. art. 1. quæst. 3.

5 Quin etiam ipsi authores primæ sententiæ aliis in locis propria sponte fatentur, diuinas productiones distingui per principia productiua, habentia distinctas rationes formales producendi. Præsertim Scotus in 1. dist. 2. quæst. 4. §. *Dico tunc.* Et longè inferius, dum respondet ad 3. instantiam. & in postremo §. respondens ad argumenta quædam. Eandem doctrinam fusiùs exponit dist. 27. §. *Ad quæstiones istas*; Præterea non modo principium, sed etiam formalem terminum esse debere distinctum, vt productio Filij distinguatur à spiratione, atque vt Filius *ex sua reali productione* sit Verbum, & non sit Spiritus sanctus expresè tradit Scotus quodlibet. 2. art. 3. prope medium, cui consonat quodlibet. 1. art. 3. ante solutionem argumentorum. Sed vtrum hæc loca Scoti possint aliqua ratione conciliari cum dicta dist. 13. non vacat examinare. Denique Durand. Ægidius, Argentina, & alij recurrunt aliis in locis ad distinctionem principiorum, vel terminorum, vel modi procedendi, vt magis constabit ex disp. 8. sect. 2.

Veritas igitur supra declarata probatur supponendo 1. ex physica, & metaphysica, specificam constitutionem, ac distinctionem operationum, siue actionum, atque passionum prouenire ex distinctione principij formalis actiui; nec non ex distinctione termini per se producti: eámque constitutionem, atque distinctionem consistere in diuerso modo exeundi à tali principio, & tendendi ad talem terminum. Sic Aristoteles 2. physicorum textu 14. declaratus à S. Thom. ibi lect. 2. §. penult. docet, actiones denominari à principiis, passiones verò à terminis; quia vnumquodque denominatur ab actu, qui est principium actionis, & terminus passionis. Sic natiuitas denominatur à natura, quia est passio & via ad naturam. Vnde concludit Aristoteles, formam esse naturam, quia natiuitas tendit ad formam. Cui consequens est quod 5. Physicorum text. 4. & 5. (vbi S. Thom. lect. 1.) Aristoteles distinguit motus penes terminos, ad quos per se diriguntur, sicque species motuum colligit eodem lib. 5. text. 18. & 19. & S. Thom. ibi lect. 4. 6 *Generalis ratio distinguendi operationes.*

Consequenter S. Thomas in Theologia frequenter nititur hoc axiomate. Distinctio actionis sumenda est à principio, siue à forma, quæ est principium: sed distinctio passionis à termino: vt videre est præsertim 1. p. quæst. 14. art. 5. ad 3. & 1. 2. quæst. 1. art. 3. corp. & 3. p. q. 19. art. 1. ad 3. & de potentia quæst. 6. art. 8. corp. initio & 2. sentent. distinct. 40. quæst. 1. artic. 1. corp. & ad 5. 7

Supponendum est secundò, productionem vtriusque personæ diuinæ se habere ad modum actionis, & ad modum passionis: continet enim quidquid perfectionis reperitur in actione, & passione, sublatis omnibus imperfectionibus (vt ostendemus disputantes de originibus ad quæst. 40.) At verò nulla imperfectio est distinctionem accipere ab eo ipso principio, à quo accipiunt esse productiones diuinę, pro vt sunt veluti actiones; nec distinctionem accipere in ordine ad personas diuinas, quarum sunt passiuę productiones: siquidem ad eas quidditatiue destinantur. 8 *Ad modum actionis est processio.*

Ex his colligitur tertio, formalem, & quidditatiuam distinctionem generationis actiuæ à spiratione actiua, prouenire à principio formali distincto, videlicet, à persona, pro vt tali potentia producit: At verò generationis passiuæ distinctionem formalem à spiratione passiua, colligendam esse ex distinctione termini formalis, videlicet, à persona secundum formalissimam rationem, sub qua producibilis est. 9

Quartò, ad maiorem declarationem obserua, sermonem esse in præsenti non de quocumque termino formali, sed de termino realiter producto. Constat autem naturam diuinam, vt præscissam à persona, non esse productam; sed personam, relatione constitutam, esse terminum productum. Ideo à persona, & eius relatione, non à natura diuina colligenda est prædicta distinctio; cui veritati nihil obstabit concedere, naturam diuinam esse terminum formalem processionis, vt communis sententia fert, cuius veritatem examinabimus circa quæst. 41. 10

Quintò, colligitur ex dictis, quæ sit conuenientia, & differentia productionis creatæ & increatæ, quantum ad distinctionem præsentem. Quamuis enim conueniant in eo, quod vtraque specificationem, ac distinctionem accipit à termino producto: differunt autem, quoniam productio creata non à suppositalitate, sed à natura sumit 11 *Productio creata naturam producit, increata personam.*

sumit speciem, & distinctionem: quia natura creata producitur, & ea præstantior est suppositalitate creata. Quod magis perspicuum est in temporali generatione Christi Domini. At increata productio non ad naturam, sed ad personam producendam dirigitur, & ab illa speciem sumit, ac distinctionem.

12 Sextò, restat aliquid dicere de modo producendi, in quo formaliter consistit quidditatiua constitutio, & distinctio productionis siue actiuæ, siue passiuæ. Hic autem intrinsecus modus euidenter infertur ex distincto principio formali, & distincto termino formali, & ita necessario colligatus est cum illis, vt nequaquam possint explicari formalitates principij, & termini, nisi explicata formalitate modi producendi, nec è contra. Id quod frequentius experimur, quando explicamus distinctionem creatarum productionum, vel actus virtutum, aut scientiarum, Sed quoniam in diuinis productionibus est manifestius discrimen termini producti; ad illud recurremus ferè semper in hac, & seqq. disputationibus. Lectoris erit inde colligere distinctionem modi producendi, & principij formalis.

Modus producendi distinctus.

13 Confirmatur, quia productio non constituitur formaliter per suum principium formale, siquidem ab illo formaliter distinguitur: eadémque ratione non constituitur formaliter per suum terminum formalem. Ergo datur formalitas intrinseca, quidditatiuè constituens hanc peculiarem productionem. Hanc igitur formalitatem appellamus modum producendi. Ideo Anselmus epist. de processione Spiritus sancti contra Græcos cap. 2. 3. & 4. insistit in dissimili modo, quo Filius est à Patre, & Spiritus sanctus est à Patre.

14 Septimò, peculiariter redarguitur, quod asserit contraria sententia, diuinas productiones esse primò diuersas, & se ipsis distingui. Nam si mens illius esset solummodo, quod non habeant differentias, propriè dictas, quæ non includant in se totam quidditatem productionis, quemadmodum rationale non includit totum hominem, quia non includit animal: verum dixisset, quod à nullo scholasticorum negatur; inde tamen non posset prædicta sententia colligere, diuinas productiones non distingui per principia, neque per terminos, nec aliqua ratione conuenire.

Discutitur sententia dicens, differre se ipsis.

15 Propterea quod Scotus dixit, nihil formaliter inclusum in vna productione esse formaliter inclusum in alia, refutatur; quia in generatione, & spiratione includitur formaliter non solum natura diuina, realiter vna, sed etiam communis, & abstracta ratio productionis diuinæ; Insuper abstracta ratio procedendi à principio viuente, & tendendi ad producendam personam viuentem; præterea generalis ratio operationis immanentis per principium intrinsecum; denique abstracta ratio communicandi eandem numero naturam. Quamuis autem prædictæ rationes transcendentaliter imbibantur in vltimis differétiis vtriusque productionis; restat vlterius explicare quid sit istud, quo formaliter, & quidditatiuè distinguitur generatio à spiratione. Quo circa quæstioni nõ bene satisfacit, qui respondet, diuinas productiones distingui se ipsis. Vide quę dicemus disp. 85. sect. 3.

SECTIO VI.

Exponitur definitio generationis.

1 SVpponendum est primò, generationis nomen apud Philosophos, & Theologos dupliciter accipi. Quãdoque minus propriè significat quamlibet productionem substantiæ ex præsuppositа materia, sub qua significatione Aristoteles 1. de generat. cap. 4. text. 23. & 24. definit, generationem esse mutationem totius in totum, nullo sensibili manente, vt subiecto eius. Vel, esse mutationem de non subiecto in subiectum. Vt ait 5. physic. cap. 1. text. 7. Cæterum est magis propria generationis acceptio, quæ restringitur ad sola viuentia, & quamuis ex hac parte limitetur, ne comprehendat productioné inanimatorum corporum; aliunde tamen latiùs ampliatur, vt comprehendat etiam productionem diuinarum personarum: nam vt sic generatio abstrahitur à mutatione, materia, loco, tempore, cæterisque imperfectionibus, propriis generationis physicæ, quam Aristoteles definiuit.

Duplex acceptio generationis.

Pro cuius maiori declaratione supponendum 2
est secundò, generationis nomen, etiam quando restringebatur ad productioné viuentium, prius ex vsu & consuetudine loquentium, significasse non solum perfectionem, quæ est in productione tali, sed simul etiam imperfectiones, quæ in viuentibus creatis generationem necessariò comitantur. Sed postquam, Spiritu sancto authore, ab scriptoribus sacris, Apostolis, omnibúsque Theologis eleuatum est generationis nomen ad significandam productionem diuini Verbi, purificatum est, resecatis omnibus imperfectionibus: at nõ est traductum nomen à creaturis ad Deum, quia non metaphoricè, sed propriùs, perfectiùs, & priùs conuenit æternæ generationi: vt probatum est disp. 4. sect. 3.

Tertiò constat ex eadem disp. 4. sect. 1. 2. & 3. 3
generationem strictè sumptam, vt est propria substantiarum viuentium, conuenire Deo, non solùm quia Deus est substantia viuens; sed inde manifestius, quoniam huius generationis proprium est, per eam produci filium, propriè dictum. Effectus enim non viuentium, licet sint eiusdem naturæ, non dicuntur propriè filij. At verò Verbum esse propriissimè Filium, satis demonstratum est ibi. Huius ergo generationis definitio est: *Processio viuentis à viuente per principium coniunctum, in similitudinem naturæ.* Hanc expresè tradit Ricard. Victorinus lib. 6. de Trinitate c. 18. vt vidimus disp. præsenti sect. 1. & magis explicuit S. Thom. in hac quæst. 27. art. 2. corp. & 4. contra gent. cap. 11. & omnes scholastici citati sect. 3. & 4. Colligitur autem ex Patribus citatis sect. 1. & 2.

Generationis definitio.

Prima particula prædictæ definitionis distin- 4
guit generationem propriè, & strictè dictam à generatione laxiùs accepta, quæ comprehendit productiones substãtiarum inanimatarum. Hanc autem particulam magis adhuc restringit Maior. 1. dist. 13. q. 1. dicens: *Viuentis cognoscentis.* Quam probat Gabriel Vazquez disp. 113. cap. 1. num. 6. & 7. quia vna arbor alterius filia non dicitur, etiamsi ex eius semine in eadé natura fuerit producta; & quamuis vulgo appellentur filij ramusculi, & germina, ex eadem radice, vel trunco prodeuntia; verè tamen non sunt filij, sed partes eiusdem arboris, aut plantæ, cui coniunctæ sunt.

Processio viuentis.

Nihilominus de vulgari sermone non est ha- 5
benda ratio, quando constat de rei quidditate. Constat autem quidditatem generationis creatæ non, nisi per accidens, habere coniunctam sensitiuam cognitionem tactus, absque cognitione generationis, & filiationis, quam habere bruta non possunt. Ergo per accidentalem differentiam limitatur

limitatur generatio ad sola animalia. Confirmatur primò. Nam animalia quædam sexu carent maris, & fœminæ, & tamen generant, vt Aristoteles author est de generatione animal. lib. 1. cap. 18. post med. Illa igitur animalia sine cognitione, & coitu generabunt.

6 Confirmatur secundò. Quia generare animalibus conuenit ratione virtutis nutritiuæ, vt constat ex Aristot. 2. de anima, cap. 4. textu 34. & de generatione animalium lib. 1. cap. 2. & sequentibus. At verò nutritiua virtus arboribus, & plantis conuenit, & generant per principium coniunctum in similitudinem naturæ. Confirmatur tertiò. Quia ramusculi seu palmites quandoque viuunt, radice mortua, & ab inuicem separati, & tunc non sunt partes, attamen dicuntur filij. Et quidem Aristoteles de generat. animal. cap. 1. fine notat proportionem generationis stirpium ad generationem animalium. Fateor tamen viuentia insensibilia esse in infimo gradu generationis, vt statim dicemus.

7 Secunda particula *per principium coniunctum,* colligitur ex Aristot. 8. Ethicorum cap. 12. sub initium, vbi de parentibus, & filiis ait: *Magis coniunctum est id, quod natum est, ipsi nato, quam factum ei, quod fecit. Est enim ei, ex quo est ortum, proprium id, quod ex ipso est ortum, vt dens, crinis, & quidquid habenti.* Colligitur etiam ex aliis eiusdem locis infra citandis.

Per principiũ coniunctum.

8 Hoc naturali principio sic ad Theologiam vtitur Nazianz. oratione 1. non procul ante med. num. 71. *Cuius enim Pater fuerit, si Filius natura disiungatur, atque vnâ cum rebus creatis semoueatur. Non enim filius est, quod externum, atque alienum est.* Quod exponens Elias Cretensis num. 71. aliàs num. 72. §. *Cum contra. Generatio,* inquit, *propriè est, cum ex gignentis essentia, id quod gignitur, genitori quantum ad essentiam simile producitur: procreatio autem, & effectio, cum id quod creatur, & efficitur, externæ, ac non ex creantis & efficientis essentia existit, ei dissimile.* Basilius lib. 4. contra Eunom. sub init. obseruat discrimen inter genitum, & factum. *Quod generatur ex ipsa substantia est eius, qui generat: quod fit non ex substantia eius, qui facit.*

9 Ratio à priori, propter quam requiritur principium coniunctum, accipitur ex propria quidditate viuentis. Nam viuens est, quod se ipsum mouet ad agendum: hoc autem præstare non posset, nisi interius sibi coniunctum haberet sui motus principium. Quoniam igitur generatio est actio vitalis, proptereáque procedit à viuente, qua ratione viuens est: requirit coniunctam, & interiorem potentiam effectiuam generationis. Vnde præterea sequitur, etiam materiam, & partem substantiæ, qua constare debet genitum, debere prius intrinsecam esse genitori, & illius partem, vt generans in se ipsum vitaliter agens, illam disponat ad generationem, videlicet per nutritiuam virtutem, *cuius officia sunt generare, nutrimentoq; vti.* Vt Aristot. ait lib. 2. de anima cap. 4. text. 34. Ideo semen animalia disponunt intra se ipsa, quod sit generationis instrumentum, vt fusiùs exponit Aristot. lib. 1. de generatione animalium cap. 2. & sequentibus, præcipuè cap. 18.

10 Inde prouenit vt etiam in ratione iuris, & iniuriæ, filius, quandiu manet sub potestate paterna non emancipatus, reputetur vt pars & membrum patris, vt ait Aristot. 5. Ethicorum cap. 6. ad finem, & magnorum moral. lib. 1. cap. 34. inter med. & finem.

Ruiz, de Trinitate.

Propterea sunt in promptu rationes, propter 11
quas Euæ productio non fuerit generatio, licèt fuerit de substantia Adami, & in similitudinem naturæ; Primò enim Eua non fuit ab Adamo producta, nec per potentiam effectricem insitam, & coniunctam Adamo, sed Deus fuit totalis causa efficiens illius. Deinde materia Euæ non fuit ab Adamo vitaliter ministrata, nec vitali virtute decisa, sed à Deo tanquam particulari causa fuit assumpta. Tertio, quantum ad physicam entitatem productionis, valde per accidens se habuit materiam accipere ex substantia Adami: licèt morales vtilitates attulerit amoris mutui, & mysticæ significationis, quæ ad quidditatem generationis nihil conferunt.

Tertiam definitionis particulam *in similitudi-* 12
nem naturæ, probat illud Genes. 5. *Adam genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Vt rectè obseruauit Ricard. Victorinus lib. 6. de Trinit. c. 19. prope finem. Scio Chrysostomum, Rupertum, & glossam ordinariam ibi similitudinem intelligere de moribus, aliisve qualitatibus animi, & corporis, quibus Seth imitabatur Adamum. Verùm hoc ipsum indicat, generationis vim esse tantam, vt, quod ex se est, nisi per accidens impediatur, non modo substantiæ, sed etiam accidentium similitudinem possit efficere, vt statim ostendemus.

In similitudinem naturæ.

Alia quædam ex nomine filij, & eius signifi- 13
catione in sacris literis obseruauimus sect. 1. sub initium, in qua, & in seq. sect. 2. videbimus Patres omnes in eandem similitudinem conspirare, quibus etiam Scholastici subscribunt sect. 3. & 4. Nazianzeni & Eliæ Cretensis testimonium posui nuper ad explicandam particulam præcedentem. Quibus adde Bernardum epist. 190. colum. 1. vbi notat, vermes propterea non esse filios, nec genitos, licet viuentes à viuente, & de illius substantia procedant, quia non sunt eiusdem naturæ specificæ. Verba referemus disput. 8. sect. 1. fine.

Præterea probatur ex Aristot. 2. lib. de anima 14
cap. 4. text. 34. dicente: *Hæc operatio maximè omnium operationum viuentibus est naturalis. Vnumquodque aliud sibi simile procreare; animal quidem animal, plantam autem plantam,* &c. Obseruat autem, hac ratione diuinam æternitatem imitari conseruatione speciei, cum indiuidua non possint esse æterna. His concordant, quæ ad obiectionem secundam referemus ex 7. metaphys. Deinde lib. 1. de gener. anim. cap. 1. notat, omnia animalia perfecta generare prolem eiusdem generis, & solum imperfectissimis animalibus permittit generare genus diuersum. Vnde in eodem lib. 1. cap. 19. propius ad princip. quàm ad med. ait: *Vt filij parentibus similes sint, ratio exigit.* Et lib. 2. polit. cap. 2. ad med. Socratis Rempublicam reprehendit, quia *nec vitari quidem potest, quin agnoscantur à quibusdam fratres, & filij, & patres, & matres: nam per similitudines natorum ad parentes, necessarium est, vt fidem recipiant de se se inuicem.* Quod testimonio confirmat quorundam in sua Cosmographia referentium, nonnullis superioris Libyæ populis mulieres esse communes: filios tamen partiri inter se secundum similitudines natorum. Vnde constat non modo naturæ; sed etiam lineamentorum, & qualitatum similitudinem causari, quantum est ex vi generationis. Ideo apud Iureconsultos similitudo est filiationis indicium.

Pilorum, & capillorum exemplo S. Thom. q. 27. 15

Pilorum productio non est generatio.

art.2. corp. probat, non omne viuens, procedens à viuenti principio coniuncto, esse genitum & filium, eo quod pilis desit naturæ similitudo. Verumtamen aliæ præterea deficiunt conditiones. Capilli namque coniuncti cum animali, sunt illius partes, si forte illius anima informantur: & consequenter non sunt filij. Nam filij debent esse suppositi, realiter à parentibus distincti, non vt pars, sed vt totum distinguitur à toto suppositi. Quod si dicas, non eadem anima viuere capillos: consequens erit, non esse viuentia, sed inanimata corpora, crescentia per iuxta positionem, ideóque non esse filios. Sed in his non oportet amplius immorari, cum vermium exemplum, adductum à S. Thom. & S. Bernard. citatis, sufficiat euidenti probationi.

16 Corollarium ex dictis infertur, intentionalem similitudinem sine reali similitudine naturæ, non esse satis ad verificandam quidditatem generationis. Quod etiam ex D. Thom. notatum est sect. 3.

17 Obiicies primò. Deus etiam dicitur creasse hominem ad imaginem, & similitudinem suam: & tamen hæc similitudo non est propria differentia creationis. Ergo licèt Adamus genuisse dicatur ad imaginem, & similitudinem suam; inde non colligitur, similitudinem esse propriam differentiam generationis. Respond. Quin potius hoc argumento confirmari propriam differentiam generationis. Nam quantum Adamus accepit imaginis ac similitudinis Dei, tantum accepit generationis, & filiationis. Sed quoniam Adamus non erat perfecta, & adæquata imago, ac similitudo diuinæ naturæ: propterea non erat naturaliter genitus, nec filius naturalis atque proprius, idque significatur dicendo, *ad imaginem*, vt videbimus disput. 64. sect. 1. fine. Cæterùm imperfecta, & remota diuinitatis imago, in vita intellectiua, & libera consistens, præbebat aptitudinem, vt eleuaretur ad perfectiorem similitudinem per gratiam, qua Deus *voluntariè nos genuit verbo veritatis*: Participatam igitur, & imperfectam accepit Adamus generationis, & adoptiuæ filiationis proprietatem.

Adami similitudo imperfecta.

18 Secunda obiectio est, quia mulus est filius ab equo genitus; & tamen natura, & specie dissimilis est illi. Ergo generatio, & filiatio non requirit similitudinem naturæ. Respondet Canariensis in præsentem articulum 2. & communiter recentiores distinguendo consequens. Etenim filiatio, & generatio per se, & naturaliter exigit naturæ similitudinem in specie infima. Per accidens autem præter naturam, & propter monstruosum congressum contingit dissimilitudo in specie infima, seruata similitudine in genere infimo.

Monstruosa generatio.

19 Quod obseruauit Aristot. 7. metaphys. cap. 8. propè finem text. 28. fine, dicens: *In quibusdam manifestum est, quod generans tale est, quale quod generatur: non tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie: vt in naturalibus. (Homo namque hominem generat) nisi quid præter naturam fiat, vt equus mulum: & hæc quoque similiter. Quod enim est commune equo, & asino, non est nominatum propinquissimum genus: fuerint ambo autem fortassis vti mulus.* Valde ponderanda sunt postrema verba Philosophi, ex quibus manifestè deducitur summa virtus generationis ad causandam similitudinem naturæ. Etenim hæc similitudo respicere debet vtrumque parentem, videlicet; patrem, & matrem, ex quibus coalescit vnum integrum principium generationis. Ideo quando equus & asina, pater & mater ad generandum concurrunt, considerandum est vnum aliquod animal monstruosum ex duabus illis speciebus constatum, & illud est veluti mulus, cui filius assimilatur. Cui doctrinæ valde consonat expositio S. Thom. 7. metaphys. lect. 7. fine.

Præterea quoniam impossibilis est specifica similitudo duorum animalium specie distinctorum; efficit generatio totam possibilem similitudinem, magis accedendo ad speciem patris, minùs ad speciem matris. Denique quantùm hæc generatio recedit à specifica similitudine, tantum deficit à perfecta, & naturali quidditate generationis. Ideo perfecta & naturalis generatio causabit similitudinem in specie infima. Fuerit autem supremus gradus perfectionis; si generatio attulerit etiam naturæ numericam vnitatem. 20

Tertia obiectio. Quia generatio diuiditur in æquiuocam & vniuocam, apud Scotum 1. dist. 2. dum respondet ad quoddam principale argumentum in quæst. 7. *in ordine* totius dist. & dist. 7. q. 1. §. *Loquendo*. & sequẽtibus. Et alij Scholastici. Ergo non omnis generatio causat similitudinem naturæ in specie infima. Respond. Æquiuocum est additum, alienans generationem à proprio & perfecto significato. Quemadmodum si prudentiam diuideres in naturalem instinctum, conuenientem brutis animantibus, & virtutem intellectualem hominibus propriam. Nam prius illud membrum ampliata, & impropria significatione, prudentia diceretur. Sed de æquiuoca generatione dicemus iterum sect. 9. ad secundum argumentum. 21

Generatio æquiuoca.

SECTIO VII.

Ex vi processionis formaliter similitudo requiritur ad generationem.

DEfinitioni nuper expositæ non additur, sed in lucem eruitur conditio, quæ virtualiter, & implicitè continebatur in illa, nimirum, vt naturæ similitudo non proueniat ex materiali latitudine productionis, quod est ex vi processionis materialiter; sed proueniat ex formali, & peculiari differentia productionis, quod est ex vi processionis formaliter. Sed quia dictionem hanc nonnulli recentiores, vt superfluam, & ab antiquis minimè traditam reiiciunt, operæ prætium erit eam authoritate & ratione munire. Quamuis enim diuersis vocibus, eodem tamen sensu traditur ab antiquis. 1

Ricard. Victor. lib. 6. de Trinitat. cap. 7. & 8. probat, non rem productam, sed modum producendi considerandum esse, quo discernamus generationem à processione. S. Thom. vbique reduplicat formalissimum conceptum, vt constabit obseruanti voces illas: *Ratio, secundum rationem similitudinis, secundum rationem mouentis, vt eiusdem naturæ, vt similitudo ipsius*: & alias, quas retulimus sect. 3. ex præsenti quæst. 27. artic. 4. & lib. 4. contra gentes cap. 11. Vnde 1. sentent. distinct. 13. quæst. 1. art. 3. ita soluit 3. argum. *Processio amoris, in quantum huiusmodi, non habet quod per ipsam natura aliqua communicetur: sed hoc habet, in quantum est in diuinis: vbi non potest esse aliquid imperfectum.* Et sæpius ibidem distinguit propriam rationem generationis à propria ratione processionis. 2

Reduplicatio ex vi processionis formaliter probatur authoritate.

Albert.

3 Albert. similiter 1. p. q. 31. memb. 2. corp. & ad 2. vtitur similibus dictionibus, dicens: *Modus emanationis secundum communem modum intelligendi.* Et itetum: *Secundum intellectum eius.* S. Bonauent. 1. distinct. 13. art. 1. q. 2. ad 1. notat discrimen creatæ generationis à diuina, quod productio substantiæ similis in natura, semper est generatio in viuentibus creatis, quoniam naturaliter procedit ex vi generationis: *Sed in diuinis*, ait, *oportet addi per modum fœcunditatis naturæ. Et quia ista conditio defecit in productione Spiritus sancti, &c.*

4 Scotus expressè dicit: *Ex vi suæ productionis*, non solum 1. dist. 10. q. 1. ad 1. sed etiam quodlibet. 1. artic. 3. inter med. & finem. & quodlibet. 4. artic. 3. ante med. In eadem reduplicationem *ex vi suæ productionis*, reflectit Gabriel. 1. dist. 13. quæst. vnica non longè à princ. Cæteríque Scholastici citati sectio. 4. propterea distinguunt non materialem entitatem productionis, sed illius modum, dicentes, *per modum naturæ*, vel *per modum voluntatis*. De Caiet. Ferrariens. aliíque Thomistis manifestum est, quantum nitantur in hac formalissima ratione processionis.

5 Eadem conditio generationis probari potest primò. Nam licet homo, supernaturaliter eleuatus, per transubstantiationem, aut per creationem produceret alium hominem: talis productio non esset generatio, licèt per illã produceretur homo eiusdem naturæ cum altero homine producente. Cuius ratio est, quia transubstãtiationis, aut creationis actio ex propria ratione formali non habet producere effectum, producenti simile in natura. Quæ ratio sufficeret, vt talis actio non esset generatio; quamuis per impossibile fuisset homo causa principalis transubstantiãdi, vel creandi alium hominem; & quamuis fingeremus, eas actiones fieri per principium coniunctum.

Eadem reduplicatio probatur ratione.

6 Explicatur, & probatur secundò. Nam eadem entitas formæ substantialis potest fieri per generationem, & per creationem sub diuersa ratione formali. Creatio quippe dirigitur ad producendum ens, in quantum est ens finitum, & factibile. Sed generatio ex sua ratione formali dirigitur ad producendum tale ens eiusdem formæ, & speciei, cuius est generans. Vnde sic argumentor. Creatæ productiones ad eandem rem terminatæ, possunt ex sua ratione formali respicere diuersas formalitates eiusdem rei. Ergo productiones diuinæ licèt terminentur ad communicandam eandem naturam diuinam, & producendam personam, quæ sit Deus: nihilominus poterunt distingui secundum diuersas formalitates personarum, quas ex sua ratione formali respiciant.

7 Tertiò declaratur ampliùs, & cõfirmatur, quoniam in præsenti vox, *formaliter*, strictissimè sumitur, vt sit idem, quod *formalissimè secundum explicitum conceptum, & vltimò constitutiuum talis rei.* Vnde consequens est, vt *materialiter conuenire* dicatur in præsenti magis vniuersaliter, & amplictur ad quæcumque prædicata, quæ non conueniunt secundum formalissimum, explicitum, & vltimò constitutiuum conceptum: quamuis alioqui conueniant formaliter, & essentialiter. Ideóque licet non sint materia *ex qua*, nec *circa quam*, sunt materia comparatione conceptus magis formalis, sicut obiectum formale *quod*, censetur quasi materiale comparatione rationis formalissimæ *sub qua*.

Formalissimè seciũdum explicitum conceptum.

8 Id quod exemplo metaphysico declaratur. Omne bonum essentialiter ac formaliter est ens non fictum, sed verum. Nihilominus quoniam formalissima ratio boni differt à formalissima ratione entis, quam essentialiter includit: idcirco hæc differentia sufficit, vt voluntatis obiectum sit bonum, secundum explicitam, & formalissimam rationem boni, non vero secundum formalissimam, & explicitam rationem entis. Non aliter proportione seruata, si formalissima ratio explicita, & vltimò constitutiua productionis, non fuerit producere similitudinem in natura, & imaginem naturalem, & consequenter formalissima, explicita, & vltimò constitutiua ratio personæ productæ, non constituerit eam in ratione similis in natura, & imaginis: eius productio non erit generatio, & terminus, per eam productus, non erit filius: quamuis essentialiter, & formaliter productio, & persona postulent, imbibere similitudinem naturæ, tanquam rationem communem, & transcendentem; vt magis constabit sectionibus sequentibus, præcipuè verò disput. 7.

Quartò declaratur, & confirmatur, distinguendo duplicem inclusionem vnius perfectionis in alia. Prima *inclusio est intra eandem lineam*, & gradum quasi specificum. Quomodo intra eandem lineam, & gradum diuinæ scientiæ includitur, non solùm comprehensiuè cognoscere se ipsum, sed etiam creaturas, & earum omnes veritates, non modò necessarias, sed etiam contingentes. Secunda inclusio est extra eandem lineam, & gradum quasi specificum. Sic enim in scientia diuina includitur essentialiter diuina volitio & cætera attributa diuina. Hæc enim se inuicem includunt essentialiter, vt constabit ex dicendis disput. 8. sect. 6. & sequentibus, & disp. 12. & 13. Nihilominus volitio pertinet ad aliam lineam, quasi specificè diuersam ab intellectu, & scientia. 9

Igitur in præsenti disp. duabúsque sequentibus ea cuncta dicuntur *formalissimè conuenire* productioni, vel personæ, quæ conueniunt eisdem secundum gradum, & lineam quasi specificam & infimam, sibi propriam. Ea verò quæ transeunt ad aliam lineam quasi specifiam, licèt per se conueniant & essentialiter, dicuntur *materialiter conuenire*, quoniam descendunt, ac deficiunt à summo gradu formalitatis, qui non extenditur vltra lineam indiuisibilem quasi vnius speciei infimæ. 10

Quintò declaratur ampliùs, & confirmatur, quoniam attributa diuina, licèt realiter, & actu non distinguantur, formaliter tamen habent distinctionem quasi virtualem, & eminentem, quæ satis est, vt vnum attributum possit esse formale principium *quo* vnius operationis, non tamen alterius operationis, cuius aliud attributum est formale principium *quo*. Quemadmodum sublenandi miseriam formale principium, *quo* est diuina misericordia, quæ non est formale principium, *quo* puniendi, cuius operationis formale principium, *quo* est iustitia, quæ tamen non est formale principium, *quo* miserendi. Eadem ergo ratione formalissimum principium, *quo* prima persona producit secundam, est essentia diuina sub ratione intellectionis, & non sub ratione amoris. Econtrariò autem formalissimum principium *quo* producit tertiam personam, est essentia sub ratione amoris, non sub ratione intellectionis; vt probatũ est disp. 2. & magis constabit ex sequentibus. 11

Attributorũ distinctio vt sint principia distinctarum operationum.

Reduplicatiuas eiusmodi tradunt aliquando Patres, vt Bernard. de consideratione ad Eugen. lib. 5. prope med. *Deus*, inquit, *amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, tuetur vt salus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, assistit vt pietas.* 12

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO VIII.

Verbum esse genitum & Filium, deducitur ex doctrina sectionum præcedentium.

1 *Vtrique processioni communia.*

DIco primò. Excepta formalissima vi productionis, afferentis similitudinem, & imaginem in natura, reliquæ omnes conditiones generationis, expositæ in sect. 6. sine controuersia conueniunt non solum productioni Verbi, sed etiam spirationi tertiæ personæ. De spiratione dicemus disput. seq. sect. 2. & sequentibus. Nunc verò processioni secundæ personæ conuenire conditiones supradictas, demonstratur, quoniam in primis Verbum diuinum est viuens intellectualis vitæ supremo gradu. Deinde producitur à viuente, scilicet, æterno Patre, prout viuit eadem intellectuali vita. Præterea producitur per principium coniunctum, id est per essentiam, prout est intellectio, quæ est operatio immanens, ideóque propria viuentis, idemque Verbum ex substantia, & essentia primæ personæ procedens, in eadem persona semper manet.

2 *De substãtia Dei generari Filium.*

De substantia Dei per principium coniunctum generari Filium, reuelauit Spiritus S. Psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Vt notant Basil. Nazianz. Anastasius, Clemens Roman. Athanasius, Cyrillus, Hilar. Ambrosius, August. Fulgent. Isidorus, & alij citati disput. 4. sect. 1. probat. 1. Deinde Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Per *sinum* Ariani dilectionem intelligebant, quos validè refutat Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 22. ostendens, intelligendã esse substantiam Patris, quemadmodum etiam Chrysostom. homil. 14. in Ioan. Athanas. lib. 3. de vnita Trinit. substantia cui titulus est *de Assumptione hominis*, propius ad med. quàm ad finem, & sequenti lib. 4. non longè ante med. & in epist. de decret. Nicænæ Synodi prope med. & iterum in med. Ambros. lib. de benedict. Patriarch. cap. 11. & serm. 18. exponit sinum esse intimum naturæ secretum. Plura videbimus probantes Filium, & Spiritum S. esse de substãtia Dei circa q. 41. art. 3. & circa eiusdem art. 4. tractantes de potentia generatiua, vel spiratiua. Peculiariter autem Basil. Nazianzen. & Elias Creten. adducti sect. 6. pro secũda particula definitionis, notarunt esse de quidditate geniti procedere à principio intrinseco, & de propria substantia generantis.

3 *Maior cõiunctio diuinæ generationis.*

Dico secundò. Sicut in cæteris conditionibus generationis, ita etiam in coniunctione principij, atque substantiæ, diuina generatio superat generationes creatas infinita perfectione. Quem excessum S. Thom. 4. contra gent. c. 11. col. 1. colligit hac fere gradatione. Viuentis ratio consistit in eo, quod se ipsum moucat ad agendum. Ideo tam efficiens potentia, quæ est proximum principium *quo* mouendi, & agendi, quàm materia, in quam agit, debet esse interior, & coniuncta. Alioqui viuens non se ipsum, sed aliquid extra se ipsum moueret, ideóque actio non esset immanens & vitalis: sicut non esset actio illius propria, sed aliena, si proximum principium *quo*, foret extrinsecum, & extraneum.

4 *Gradus infimus coniunctionis.*

Istius igitur vitalis perfectionis infimus gradus est vegetabilium, qui deficit à perfectione, quoniam aliud prius principium accipit ab extetiori materia, & causa. Sumit enim humorem à terra dispositum, quem postea per interiorem virtutem conuertat in suam substantiam; ex qua producit semina, & fructus. Qui deficiunt iterum à perfectione coniunctionis intimæ, quoniam extremo cortice copulantur arbori, aut herbæ, & statim separantur ac decidunt.

5 *Medius gradus.*

Medius gradus est vitæ sensitiuæ, quæ licèt in eo deficiat à perfectione supremi, quod initium accipit ab exteriori obiecto causante sensationem: in eo tamen est perfectior, quàm infimus, quia producit terminum semper immanentem in sensu, & in memoria. Supremus gradus est intellectualis vitæ, quæ quoniam in se ipsam reflectitur, se ipsam intelligendo, magis intimè coniunctum habet operationis principium, & terminum; præsertim in Angelis, qui per suam substantiam seipsos intelligunt, nec indigent exteriori obiecto, mouente ad sui cognitionem, sicut indigent homines in vita præsenti.

Supremus.

6 *Culmen est coniunctio diuina.*

Istius supremi gradus culmen & apex est coniunctio diuinæ operationis vitalis, quæ est intellectio, vel amor. Nam obiectum quod intelligitur, & intellectio per quam intelligitur, & intentio intellecta, quæ est Verbum, sunt realiter idem, & sola ratione distinguuntur. Est igitur in Deo perfectissima, & summa cõiunctio proximi principij *quo* & summus apex immanentiæ infimæ, tam operationis, quàm termini producti.

7 *Formalissima ratio Verbi est similitudo.*

Dico tertiò. Diuini Verbi processio propterea est propriè generatio, quoniam explicitus, & formalissimus conceptus productionis per intellectionem diuinã ordinatur ad producendam personam Verbi, quæ secundum explicitã, & formalissimam rationem talis personæ est perfectissima imago, & expressa similitudo Patris in gradu perfectissimo substantialis similitudinis. Probatur, quia differentia constitutiua diuinæ productionis accipitur potissimum à termino producto, vt probatũ est in sect. 5. Quapropter differentia cõstitutiua diuinę generationis debet accipi potissimum à persona Verbi. Hæc enim sola per generationem producitur; ideóque secundum formalissimam, & explicitã rationem Verbi examinãda est similitudo, & imago, iuxta dicta in fine sect. præcedentis.

8

Explicitam ergo formalissimámque rationem Verbi continere similitudinem substantialem, & imaginem perfectissimã, docuerunt Patres citati sect. 1. & 2. nec non Scholastici citati sect. 3. & 4. Plures referemus disp. 64. Nunc probatur primò. Quia persona Verbi, secundum explicitam, & formalissimam rationem talis personæ, distinguitur à Spiritu sancto, quia Spiritus S. propriè loquendo, non est substantialis imago Patris, neque Filij, quamuis includat eandem numero substantiam, & naturam diuinam. At verò Verbum est *splendor gloriæ, & figura substantiæ.* Hebr. 1. *& imago Dei.* Coloss. 1. & 2. Corinth. 4. & Sapient. 7. Secundò probatur. Nam omne verbum, in quantum verbum, est expressa similitudo obiecti cogniti, præsertim obiecti formalis: & est illius naturalis imago, & repræsentatio actũalis.

9

Ad huius rationis robur explicandum, obiicio contra illam 1. Verbum, in quantum verbum, est similitudo intentionalis obiecti, quia est ipse terminus productus per intellectionem, siue ipsa sapientia in facto esse producta. Attamen intentionalis similitudo nec sufficit, nec requiritur ad generationẽ, aut filiationem propriè dictam. Siquidem nostri cõceptus sunt intentionales similitudines suorum obiectorum, & tamen, propriè loquendo, non sunt eorum filij ab eis geniti. E contrariò Seth fuit filius propriè genitus ab Adamo, & tamen nõ erat intentionalis similitudo Adami.

10

Respond. Verbum diuinum non esset propriè Filius & genitus; si eius personæ, atque productioni,

Similitudo in natura ex formalissima ratione Verbi.

ctioni, secundum explicitam & formalissimam rationem, non conueniret substantialis similitudo in natura, sed sola similitudo intentionalis: quamuis esset infinita in ratione intentionalis similitudinis, præscindendo prorsus à substantiali similitudine. Cæterum aliter res se habet. Nam Verbum propter formalissimam, & explicitam rationẽ Verbi diuini, & propter formalissimam, & explicitam lineam, & vim suæ productionis, euadit perfectissima similitudo, & imago sui obiecti formalis, quæ perfectio intra suam lineam explicitam cõtinet similitudinem substantialem.

11

Huius ratio colligitur ex discrimine cuiusque intellectus creati, cuius imperfectio, & limitatio causa est, vt verbum intellectuale non euadat perfecta similitudo sui obiecti formalis. Ideóque non est substantialis similitudo substantiæ verbum Angeli supremi, intelligentis suam substantiam, vel quamcumque aliam. Imo verbum cuiuslibet beati, clarè videntis Dei substantiam, non est substantialis similitudo Dei, & multò minùs est substantia eiusdem speciei infimæ cum Deo. At verò diuinæ intellectionis est infinita, & suprema perfectio intra formalem, & explicitam lineam intellectionis. Insuper vnicum est obiectum formale intellectum, non indigens alia specie intelligibili, perfectissimum, & infinitum intra lineam obiecti intelligibilis. Quamobrem intra suam explicitam, & formalissimam lineam claudit supremam similitudinem, quæ est substantialis.

12 *Similitudo in natura nõ ex formalissima ratione Spiritus sancti.*

Sed obiicies secundò. Nam eadem ratione dici potuisset, propter infinitam perfectionem diuinæ voluntatis, & obiecti amabilis, Spiritum sanctum euadere perfectissimam similitudinem, & imaginem Patris, & Filij: quamuis amor creatus non euadat perfecta similitudo & imago sui obiecti amabilis, propter creaturarum imperfectionem. Respond. negando consequentiam. Disparitatis ratio, quatenus pertinet ad Spiritum S. magis explicabitur disput. sequenti. Nunc autem explicatur præcipuè quatenus pertinet ad Verbum diuinum, & perfectionem per intellectum.

13 *Non tantum intentionalis, sed etiã substantialis similitudo Verbi.*

Dico igitur quartò. Intra lineam & gradum formalissimum & explicitum Verbi, & intellectionis clauditur non solùm intentionalis similitudo, sed etiam alia infinitè perfectior, quæ simul sit substantialis, & intentionalis similitudo, simul includens identitatem naturæ, & cognitionem *in facto esse*. Probatur primò. Quia si Verbum ex sola sua materiali & implicita ratione fortitur similitudinem in natura: idque reputatur esse satis, vt eius processio sit generatio: nulla sufficienti ratione generationis quidditas negabitur spirationi. Siquidem Spiritus S. ex materiali & implicita ratione suæ processionis exigit similitudinem in natura, eo quod sit processio diuina, per quam non possit procedere, nisi Deus ex Deo. Quod autem in Verbo sit intentionalis tantum similitudo, non sufficit, vt vidimus in obiectione 1.

14

Probatur secundò. Quia non solùm similitudo substantialis manifestè continetur intra lineam explicitam similitudinis: sed etiam omnimoda vnitas, & identitas substantiæ, quoniam est vnio perfectissima, continetur intra lineam explicitam, & formalissimam vnionis: & ea ratione pertinet ad infinitam intellectionem, & Verbum secundum formalissimam, & explicitam rationem illius. Quemadmodum S. Thom. præsent. q. 27. art. 1. ad 2. dixit: *Intellectus secundum hoc quod actu intelligit, secundum hoc fit magis vnum cum intellecto. Vnde cum diuinum intelligere sit infinitæ perfectionis,* Ruiz. de Trinitate. *necesse est, quod Verbum diuinum sit perfectè vnum cum eo absque omni diuersitate.*

Probatur tertiò. Quoniam si aliquid obstaret veritati præsentis assertionis, maximè distantia similitudinis intentionalis à similitudine substantiali cum identitate naturæ. Sed hæc distantia non obstat, quominus explicita, & formalissima linea diuini Verbi, claudat similitudinem substantialem. Aliæ namque perfectiones, in creaturis dispersæ, summoperéque distantes, copulantur in Deo intra eandem lineam, & gradum explicitum: sicut intra lineam, & gradum intellectus, & voluntatis diuinæ conuenit illis efficacitas causandi ad extra, non solum accidenria, sed etiam substantias, & quidquid est possibile quolibet modo possibili: cum tamen humanæ voluntati, & intellectui non conueniat efficacitas, nisi ad mouendum immediatè proprium corpus; sicut Angelico intellectui, & voluntati non conuenit alia efficacitas, quàm mouendi se ipsum, & tantùm locali motu mouendi corpora, nihil aliud in illis immediatè causando. Quod si distantiam productionis accidentium à productione substantiarum, & maximè spiritualium, compares cum distantia similitudinis intentionalis Dei, cognoscentis & cogniti, à similitudine substantiali: reperies, hanc distantiam esse minorem illa, vel certe non esse maiorem.

15 *Nõ obstat distãtia vtriusque similitudinis.*

Similiter intra lineam, & gradum intuitiuæ cognitionis, Deo conuenit ab æterno præuidere futura; cum tamen nulla cognitio naturalis possit esse intuitiua futurorum, sed tantùm præsentium. Quid igitur mirum, si eo vsque ascendat similitudo diuini Verbi, vt intra eundem gradum, & lineam sit substantialis, intentionalisque similitudo perfectissima.

16

SECTIO IX.

Soluuntur argumenta, quæ probare contendunt, processionem Verbi non esse generationem.

PRæter eas obiectiones, quæ nuper solutæ sunt, aliæ restant, ex obliquo tantùm & indirectè pugnantes cõtra generationem Verbi, postquam resiliunt à processione Spiritus S. quam generationem esse, contendunt à paritate rationis. Hæc tractabuntur disput. sequenti. Nunc illæ tantum obiectiones diluentur, quæ magis directè, & per se respiciunt ipsam generationem.

1

Primum argumentum. Prima, & secunda persona distinguuntur quasi specie. Ergo secunda persona non procedit vt similis primæ personæ ex vi formalissima suæ productionis. Antecedens probatur, quia personæ constituuntur, & distinguuntur relationibus, vt constabit q. 40. Sed relatio, constituens secundam personam, quasi specie distinguitur à relatione, constituente primam personam. Ergo personæ distinguuntur quasi specie. Minor probatur, quia relationes primæ, & secundæ personæ, sub quolibet partiali conceptu consideratæ, sunt relationes disquiparantiæ, videlicet, diuersimodè respicientes. Nam ingeniti, & producentis relatio diuersa est à relatione producti seu geniti, sicut & relatio Patris à relatione Filij, & relatio principij à relatione procedentis: ac denique relatio intelligentis, & obiecti formalis cogniti, quasi specie distinguitur à relatione Verbi, sicut & relatio prototypi à relatione imaginis.

2

3 Confirmatur. Quia Deus est actus purissimus, & formalissimus: ideóque non potest in eo reperiri distinctio realis, quæ sit merè materialis, & numerica; est enim imperfectissima, sed realis distinctio in Deo debet esse quidditativa, & formalis: ac proinde quasi specifica, vt videbimus disput. 35. sect. 8.

4 Vera solutiq est, quæ concesso antecedenti principalis argumenti, negat consequentiam. Imò potius ex illo antecedenti sequitur oppositum: quia differentia constitutiua Verbi, in ratione Verbi, & in ratione secundæ personæ, non est alia, nisi relatio similitudinis & imaginis perfectissimæ, productæ per intellectionem à perfectissimo intelligente, comprehendente se ipsum. Quapropter eisdem partialibus relationibus, per quas Pater, & Verbum quasi specie distinguuntur, Pater essentialiter constituitur tanquam principium, quod simul est intelligens, & obiectum intellectum, producens sui perfectissimam imaginem; Verbum autem constituitur perfectissima imago, & similitudo substantialis, afferens eandem naturam sibi communicatam. Vnde per eandem differentiam formalissimã Verbum procedit vt simile in natura, & vt distinctum quasi specie in ipsa ratione similitudinis.

5 *Distinctio quasi specifica Patris à Filio secundũ relationes nõ obstat similitudini.* Quod explicari potest analogia creaturarum, in quibus relationes Patris, & Filij distinguuntur specie; quamuis essentialiter sint relationes prototypi repræsentati, & imaginis repræsentantis naturaliter in similitudine naturæ. Cæterum prædictæ relationes creaturarum accidentales sunt, ideóque non constituunt personas, at verò diuinæ relationes essentialiter imbibunt eandem numerò substantiam, & personas constituunt. Hanc solutionem valde confirmat doctrina S. Bonau. 1. distinct. 13. art. 1. q. 2. in solutione ad quoddam argum. *Differt*, inquit, *emanatio in his inferioribus, & in Deo; quia in his inferioribus terminatur ad essentiam, vel substantiam, quæ multiplicatur: sed in diuinis, terminatur ad hypostases. Quoniam ergo hypostasis; ad quam terminatur processio, est amor: hypostasis ad quam terminatur generatio, est imago, & imaginis est generari, non spirari: cum non sit consimilis ratio propria hypostaseon secundum se, nec erit consimilis emanatio.* Quam doctrinam ex professo probauerat distinct. 5. art. 2. quæst. 1.

6 *Alia solutiones insufficientes. Prima.* Ex dictis colligitur, insufficientes esse solutiones alias, nisi reuocentur ad supradictam. Primò namque respondent aliqui, rationem generationis non postulare similitudinem in personalitate, sed tantum in natura: quemadmodum Christus D. fuit verè filius, & genitus à beatissima Virgine, & de potentia absoluta potuisset esse filius alicuius viri sui patris: quamuis nec beatissima Virgo, nec ille possibilis pater creatus produceret sibi similem subsistentiam, sed tantùm sibi similem naturam. Hæc solutio satisfaceret, si Pater æternus produceret naturam, & substantiam Verbi, non eius personalitatem: sicut beatissima Virgo produxit naturam humanam Christi D. non producens subsistentiam, & personalitatem Verbi. Cæterùm, quia natura, & substantia, siue diuinitas Verbi non est terminus productus, sed ipsa persona Verbi est terminus productus: ideo necessarium est recurrere ad priorem solutionem.

7 Secundò respondent alij, ad generationem non requiri, quòd producatur eadem natura, seu diuinitas; sed satis esse, quòd Pater Filio communicet eandem naturam. Quod humanæ generationis exemplo confirmant, per quam non producitur anima rationalis, nec materia, sed sola producitur vnio, per quam anima rationalis communicatur materiæ, & tribuit esse hominis. Verùm hæc solutio non satisfacit, quoniam similitudinem in Diuinitate cómunicata, habet etiam Spiritus S. ex vi processionis essentialiter, & per se. Quapropter nisi recurramus ad formalissimam rationem personæ productæ, quæ non est imago, & similitudo naturalis: non datur sufficiens ratio discriminis.

8 *Secunda solutio.* Tertiò respondent alij, essentiam diuinam esse terminum formalem, vt communicatam personæ, sed relationem filiationis esse conditionem, propter quam ea productio formaliter ad communicationem naturæ dirigitur. Sed non satisfacit. Primò, quoniam quidditatiua distinctio productionis non sumitur à conditione termini formalis, sed ab ipsomet termino formali, vt vidimus sect. 5. Secundò, quia minùs exactè formalem terminum assignat, vt videbimus disputantes articulum 3. quæstionis 41. Præcedens solutio viam sternit argumentis sequentibus diluendis.

9 *Tertia solutio.* Secundum argumentum est, quoniam sequeretur, diuinam generationem esse æquiuocam, quia generans, & genitus quasi specie differunt. Respond. Quin potius sequitur, diuinam generationem non esse æquiuocam, sed vniuocam: quia licèt persona producens, & persona producta distinguantur quasi specie: nihilominus distinguuntur quasi prototypus producens, & imago naturalis eiusdem naturæ producta; in qua similitudine substantiali, coniuncta cum aliquali dissimilitudine personarum, consistit vniuocatio summa. Alioqui nulla generatio foret vniuoca, quia nullum genitum assimilatur generãti, quantum ad relationem generantis, nec quantum ad eius differentiam numericam, & personalitatem. Et ita diuinam generationem esse vniuocam, docent Alexand. & Albert. quos refert, & sequitur Carthusian. 1. distinct. 4. quæst. 1. initio. Durand. in eadem dist. 4. q. 1. fine. Ferrarien. & alij citandi disput. 7. sect. 5. ad 1.

10 *Vniuoca generatio.* Quod fusiùs confirmat Scotus 1. dist. 7. quæst. vnica in med. §. *Loquendo tunc*, ad finem illius §. Quia ratio generationis vniuocæ postulat, simul esse assimilatiuam in natura, & distinctiuam suppositorum gignentis, & geniti. Quod autem hæc suppositа distinguantur materialiter, hoc non pertinet ad perfectionem vniuocæ generationis, sed potius ad eius imperfectionem. Ideóque perfectissima generationis vniuocatio postulabit, naturam eandem communicari suppositо, formaliter & quasi specie distincto.

11 Tertium argumentum. Verbum non assimilatur Patri in ratione Patris, quia non est potens generare, sicut Pater. Ergo Verbum non procedit vt simile Patri, ac proinde non est Filius. Respond. negando consequentiam, quoniam, vt nuper dictum est, ad rationem generationis non requiritur, Filium assimilari Patri, in ratione Patris: satis est quantum ad naturam, & substantiam assimilari: & consequenter quantum ad omnes perfectiones, sola Paternitate excepta. Addé præterea, generandi potentiam Filio communicari, quatenus ei communicatur essentia, & intellectio, per quam Pater generat. Sed quia ipse non est Pater, & persona ingenita, & quoniam inuenit productum adæquatum illius potentiæ generationisque terminum, ideo potentiam illam non potest ad actum reducere, vt dicemus q. 41. art. 5. vel 6.

Quartum

12 Quartum argumentum. Verbum, in quantum Verbum, non est similitudo intelligentis, sed obiecti cogniti. Ergo Verbum non procedit vt simile producenti, nisi per accidens, in quantum eadem persona, quæ est intelligens ac producens Verbum, est etiam obiectum passiuè cognitum per Verbum. Vnde præterea sequitur, ex vi formalissima suæ productionis Verbum non procedere vt simile producenti.

13 *Verbum procedit vt simile obiecto cognito.* Respond. negando primam illationem, quoniam obiectum intelligibile, pro vt vnitum cum persona intellectiua, constituit integrum, & perfectum principium productiuum Verbi, tanquam expressiæ similitudinis eiusdem principij perfecti, & adæquati. Nam vt sect. 2. retulimus ex August. lib. 9. de Trinit. cap. 17. prope med. *Omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab vtroque enim notitia paritur à cognoscente, & cognito.* Ex quibus efficitur, per se, & essentialiter, ac formalissimè conuenire Verbo, similitudinẽ esse sui compleri, & integri principij productiui. Rursus per se, & essentialiter, ac formalissimè conuenit perfectissimo obiecto intelligibili realis identitas cum perfectissimo intelligente, & perfectissima intellectione. Consequens igitur est, Deo, in quantum est intelligens, per se & formalissimè conuenire vim formalissimam producendi perfectissimam, & expressam sui similitudinem.

14 Huius solutionis fundamentum posuit Arist. 12. metaphys. cap. 7. text. 39. inde probans, Deo conuenire optimam, & sempiternam vitam, quæ consistit in contemplatione perfectissima sui ipsius, qui est optimum intelligibile; quoniam *intellectus seipsum intelligit assumptione intelligibilis. Intelligibilis namque fit attingens & intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit*, &c. Quorum expositio non est instituti præsentis: videri potest apud S. Thom. 12. metaph. lect. 8. & breuius atque clariùs 1. p. q. 14. art. 4. corp.

15 Eidem solutioni consonat S. Thom. in præsenti quæst. 27. art. 2. præsertim illis verbis ad finem corporis: *Secundum rationem similitudinis. Quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ*, &c. Et in art. 4. sub initium corporis: *Intellectus sit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem.* &c. Sic etiam Scotus 1. dist. 2. quæst. 4. dum soluit obiectiones, & quodlibet. 2. art. 3. & aliis in locis recurrit ad formalitatem obiecti cogniti, coniunctam cum formalitate intelligentis, vt defendat principium productiuum imaginis. Cæterique Theologi cum Philosophis communiter dicunt, Verbum prodire simile intellectui, quatenus per speciem est determinatus, & in actu primo constitutus proximum principium intelligendi.

16 Solitur etiam ex dictis argumentum 5. videlicet, Pater non alia ratione constituitur principium productiuum Verbi, nisi quatenus operari potest per potentiam intellectus, & per suam essentiam in ratione speciei intelligibilis: sed Verbum non procedit vt simile porentiæ intellectus, nec speciei intelligibili. Ergo Verbum non procedit vt simile principio producenti, quatenus producens est, sed quatenus est obiectum, extrinseca denominatione terminans intellectionem.

17 *An essentia diuina, vt speciei intelligibili, assimiletur Verbũ.* Respond. Duplex est species intelligibilis. Alia quæ substituitur loco obiecti, vt eius vicem gerat, cuius officium est producere Verbum, simile suo prototypo & obiecto; quemadmodum semen producit viuens, simile alteri viuenti, cuius instrumentum est illud semen. Talis species creaturis tantum conuenit: nam propter imperfectionem Deo repugnat. Altera species est, quæ non substituitur loco alterius obiecti, sed ipsa determinat intellectum ad cognitionem sui, ideóque producit Verbum sibi simile. Huiusmodi est essentia diuina. Præterea quod attinet ad potentiam intellectiuam, in Deo non reperitur propriè potentia, sed purus actus intelligendi: Quapropter Verbum procedit vt simile Deo, quatenus est actu intelligens, & simul est obiectum motiuum, & terminatiuum, quod est non indigere specie, sui vicem gerente, sed ipsum sibi esse speciem intelligibilem.

18 Sextum argumentum. Quia Verbum euadit simile intellectui, quatenus est determinatus per speciem intelligibilem: sed sola essentia diuina, pro vt est quid absolutum, est intellectus & species intelligibilis: atque in his conceptibus nihil notionale, seu personale includitur. Ergo Verbum diuinum procedit vt simile essentiæ diuinæ; & non personæ Patris: & consequenter Verbum non erit Filius personæ Patris, sed erit Filius essentiæ diuinæ, pro vt est quid absolutum. Consequens autem implicat contradictionem, quia essentia diuina, pro vt est quid absolutum, foret Pater Filij.

19 *Non est Filius essentiæ, sed Patris.* Respond. maiorem absolutè falsam esse, licet aliquid veritatis contineat. Nam intellectualis similitudinis duplex est terminus, cui assimilatur imago. Alter est terminus *qui*, nimirum ipse prototypus, producens suam imaginem tanquam principium *quod*, & suppositum operans. Huiusmodi terminus *qui*, & principium *quod*, est Pater, cui Verbum assimilatur: ideoque simpliciter dicendum est Verbum esse simile Patri. Alter est terminus *quo*, nimirum ratione cuius extrema similia referuntur ad inuicem vt similia, & quo suppositum aliquod in actu primo constituitur potens producere sibi simile. Huiusmodi terminus *quo* est essentia diuina, secundum rationem intellectiui principij, determinati per se ipsam, vt per speciem intelligibilem. Ideo, propriè loquendo, dici non potest, Verbum esse simile intellectui, quatenus est determinatus per speciem intelligibilem. Primò, quia vnum relatiuum non dicitur in ordine ad rationem fundandi, sed in ordine ad aliud relatiuum, suppositа ratione fundandi. Secundò, ac præcipuè; quoniam similitudo, cum sit relatio realis, postulat extrema realiter distincta. Verbum autem non distinguitur realiter ab intellectu & specie intelligibili.

20 Septimum argumentum. Generatio est productio viuentis similis in natura. Sed verbum in natura non est simile Patri, sed potius est vnum, & idem Patri. Ergo productio verbi non est generatio. Respond. Omnimoda vnitas, identitásque naturæ non destruit, sed summoperè similitudinem perficit; dummodo retineat realem distinctionem personarum, quæ requiritur, vt vna persona sit prototypus, & altera sit imago producta. Sed de relatione similitudinis plura dicemus circa quæst. 42.

21 Octauum argumentum. Notitia essentialis, quæ communis est tribus personis; est substantialis, & expressa similitudo trium personarum: sed tamen non est earum filia. Ergo filiationi, & generationi non sufficit expressa similitudo intellectualis. Respond. primò. Realis, & naturalis similitudo, propriè dicta, realem distinctionem supponit; vt vidimus in præcedenti solutionc.

tione. Ideo intellectio non est propriè similitudo realis, & naturalis, licet sit intentionalis similitudo, quatenus est intellectio comprehensiua. Respond. secundò. Similitudo expressa; si non fuerit realiter producta, non sufficit filiationi, nec generationi. Ideo notitia essentialis non est filia, nec genita, quia non est similitudo producta. Solum itaque Verbum est notitia, & similitudo producta.

DISPVTATIO VII.

Quare productio Spiritus sancti non sit generatio, sed generalia nomina vendicet processionis, emissionis, &c.

SECTIO I.

De mysterij profunditate, & ratione retinendi generali nomina.

1 *Inenarrabilis est processio.*

DIco primò. Spiritus sancti processio non minus inenarrabilis est, quam generatio Verbi. Id quod Patres communiter admonent; vt vidimus tota disp.5. Nunc igitur testimonia pauca sufficient. Nazianz. orat. 37. quæ est 5. de Theologia ferè inter princ. & med. ita redarguit aduersarium Spiritus sancti: *Quæ ergo est hæc processio, inquies? dic tu, quæ Patris ingenitura sit, & ego Filij generationem, & Spiritus processionem explicare aggrediar, vt ambo mentis vesania præcipites agamur, in Dei mysteria oculos inijcientes: idque quî tandem? nempe qui ne ea quidem, quæ ante pedes sunt, scire possumus,* &c. Chrysost. de incomprehensibili Dei nat. hom.1. multa de hoc argumento differens à principio, sic loquitur in colum.4. *Filium esse à Patre Deo immortali genitum noui, sed quemadmodum, ignoro. Spiritum procedere ex eo scio, sed quemadmodum, nescio.* Inuehitur autem postea in arrogantiam eorum, qui hæc se scire præsumunt.

2 *Psalm.17.*

Damasc. lib.1. fidei cap.9. inter princ. & med. ait: *Spiritus sanctus à Patre procedit, non tamen per generationem, sed per processionem. Alius hic substantiæ modus incomprehensibilis, & incognoscibilis, quemadmodum & Filij generatio.* Quod iterum repetit in med. Bernard. sermone 1.in Pentecostem propiùs ad princip. quàm ad med. *Processio*, inquit, *à Patre, & Filio posuit tenebras latibulum suum.*

3 *Cõmune nomen processionis restringitur.*

Dico secundò. Processionis nomen, licèt plerúmque sit commune vtrique productioni, videlicet, generationi, & spirationi: meritò tamen à Christo Domino, & cõmuniter à Thelogis accommodatur frequenter, atque restringitur ad solam productionem Spiritus sancti. Quemadmodum Ioan.15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Propterea in Athanas. Symb. canit Ecclesia: *Nec genitus, sed procedens.* Sic Greg. Nyssen. in epist. de imagine, & similitudine contra Apollinarem colum.2. Spiritum sanctum appellat personam, *ex processione ortam.* Et tam ibi, quàm alibi frequenter dicit procedere Spiritum sanctum.

4

Nazianz. orat 35. quæ est 3. de Theologia post num.10. de Filio, & Spiritu sancto ait: *Alter soboles, alter processio.* Et paulo inferius repetit: *Ex Patre procedentem.* orat.36. propius ad fin. quàm ad med. *Qui citra generationem processit, aut progreditur Spiritus sanctus.* Talia reperiuntur vbique apud eundem Nazianz. veluti orat.37. ferè inter princip. & med. num.21. & paulo inferius. item orat. 13. quæ est 2. de pace, & orat. 29. de dogmate, & constitutione Episcop. prope finem, & orat.32. ad centum quinquaginta Episc. propius ad med. quam ad fin. & carmine Arcano 3. ante med. Epiphan. hæresi 69. versus med. *Solus*, inquit, *Filius Dei genitus est, & solus Spiritus sanctus ex Patre processit, & ex Filio accepit.* Eandem sentent. sæpius ibi repetit.

5

Ephræm Syrus opusc. de sui reprehensione, quod ponitur tomo 3. propius ad med. quàm ad princ. opusculi ait: *Spiritus sanctus non genitus est, sed processit ex substantia Patris* & post pauca. *Pater non genuit, sed produxit Spiritum sanctum*, &c. Similiter loquuntur Theodor. in Epitome diuinorum decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto & lib.2. de principiis col. penult. Damascenus citatus in assert.1. Ambros. in Symb. Apost. cap. 3. August. in libris de Trinit. frequenter præcipuè lib.15. cap.26. & 27. & lib.3. contra Maximinum cap.14. cuius verba refert Magister 1. dist.13. & reliqui omnes Patres citati disp.4. sect.5.

6

Dico tertiò. Multæ rationes assignãtur à scholasticis, propter quas processionis nomen accommodatum fuerit, & restrictum ad processionem Spiritus sancti. Quas expendunt Albertus 1. p. quæst.31. memb.2. corp. Alexand. 1. p. quæst.42. memb.2. corpore. S. Thom. 1. dist.13. q.1. a.3. ad 2. & infra q.36. art.1. corp. S. Bonau. in eadem dist. art.1. q.2. ad 3. Durandus q.1. ad 2. Ricardus a.1. q.2. corp. Carthusianus, & alij apud eum in eadem dist.13. tota quæst.2.

7 *Prima ratio restringendi nomen processionis ad spirationem.*

Prima, & præcipua ratio est, quoniam in creaturis inuenitur aliquod suppositum viuens, quod verè, & propriè generatur; quoniam ex vi productionis euadit simile in natura. Ideóque possumus inde conueniens nomen accipere, & eleuare ad significandam diuinam generationem. E contrariò tamen in creaturis non inuenitur aliquod suppositum viuens, quod verè & propriè spiretur, & ex vi processionis procedat vt amor mutuus, quemadmodum Spiritus sanctus procedit. Propterea processionem Spiritus sancti non potuerunt Theologi nominare nomine proprio. Ideóque cõmune processionis nomen ei accommodatur. Hæc ratio magis probatur sancto Thomæ, Durando, & Carthusiano citatis, & ea sola redditur communi consensu Græcorum, & Latinorum in Concil. Florent. sessione 18. col.2. §. *Omissis*, & §. *Ex tua.*

8 *Obiectio. Solutio.*

Eam verò refutat S. Bonau. quoniam spirationis nomen propriũ est processionis Spiritus sancti. Cæterum Respond. Licet ita sit proprium, vt non conueniat generationi: nihilominus non est ita proprium, vt ex creaturis accipere possimus illius notitiam, ita determinatam, & plenam, sicut generationis. Quia nullum viuens suppositum per spirationem producitur à creaturis respirantibus, & multo minus producitur per mutuum amorem. Nihilominus spirationis nomen eo gradu proprium, & accommodatum est processioni Spiritus sancti, quo nomen ipsum *spiritus* tertiæ personæ proprium, & accommodatum esse, probabitur disp.65. sect.3. & 4.

9 *Quo sensu dixerint aliqui non addere perfectionem peculiarem,*

Ad hanc rationem reuocatur quod antiquorum aliqui dixerunt. Quia secundum rationem processio generationis addit perfectionem aliquam supra communem rationem processionis: ideo speciale nomen sortitur. Processio autem amoris nil addit perfectionis, sed potius de ratione

tione perfectionis diminuit: idcirco retinet commune nomen. Ita Vdalricus in sum. lib.3. apud Carthusian. citatum. Cui consonat Alexander citatus dicens, *procedere* præcisè sumptum absque superadditione alicuius dignitatis, seu differentiæ, proprium esse Spiritus sancti. Et Albertus citatus rationem assignans, quia Spiritus sancti processio nihil addit, per quod in speciem trahatur.

10

Hanc rationem S. Thomas & S. Bonau. citati meritò refutant, quantum ad sensum, quem offert verborum cortex, quoniam Spiritus sanctus prorsus æqualis est Filio, non modò quantum ad substantiam absolutam, sed etiam quantum ad notionalem proprietatem personę. Ideo processio Spiritus sancti, quantũ ad rem ipsam, nihil minus dignitatis, & perfectionis addit, quam generatio, nec posset ab illa distingui, nisi aliquid adderet supra rationem communem, vt Albertus dicebat. Cæterũ quoniã in rebus creatis amoris processio supra rationem communem processionis non addit differentiam, quæ perficiat in ratione processionis: generatio tamen in ratione processionis maiorem perfectionem addit: Ideo factum est, vt etiam in diuinis foret nobis magis ignota, & magis incapax nominis proprij processio Spiritus sancti. Non dubito, antiquissimos, & grauissimos Theologos hoc voluisse mente, licèt vocibus minus explicuerint.

11 *Secunda ratio.*

Secunda ratio S. Bonauenturæ citati, quia sicut *ingeniti* nomen soli Patri accommodatur, nec ita propriè tribuitur Spiritui sancto, quia Pater nec generatur, nec procedit à persona generata: sic etiam è contrariò *procedens* dicitur esse persona, quæ procedit à persona procedente. Quam rationem admittunt etiam S. Thom. Durand. & Carthusian. citati.

12 *Tertia ratio ex analogia motus.*

Tertia ratio, quia processionis nomen videtur primo fuisse impositum ad significãdum motum progressiuum animalium, incedentium ab vno loco in alium. Vnde postea translatum est ad significandam omnem mutationem, & insuper omnem emanationem ab aliqua causa, siue principio. Rursus Spiritus sancti processio prædicto motui progressiuo similior est, quam Verbi processio. Quoniam amor mutuus ab vna persona tendit in alteram, non sicut in recipientem sed sicut in obiectum. Hanc etiam rationem admittunt S. Thom. S. Bonau. Durand. Richard. & Carthus. citati. Sumitur autem & ex Nazianz. cum dixit *citra generationem processit, aut progreditur Spiritus sanctus*; vt retulimus pro dicto 2.

13 *Ioan.15.* *Genes.2.* *Hierem.2.*

Clarius autem ex Chrysost. tomo 3. homil.3. de Spiritu sancto quæ incipit; *Heri à nobis*. col.1. dicente: *Quæ autem vis nominis procedit? audi: vt nomen natiuitatis prætereat Scriptura, ne Filiũ ipsum dicas, dicit Spiritus sanctus qui à Patre procedit. Inducit eum procedentem, vt aquam de fonte scaturientem. Sicut de paradiso dictum est: Fluuius autem procedit ex Eden, procedit, & scaturit. Pater fons aquæ viuentis dicitur iuxta Hieremiam: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Quid procedit? Spiritus S. sicut à fonte aqua.* Quod probat Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu*, &c. Respexit ergo Chrysost. ad analogiam motus localis, coniuncti simul cum emanatione à fonte, & principio. Idque authoritate Christi Domini confirmans. Quin etiam ipsum nomen *spiritus* ab impulsu reciproco, & motu respirationis accepit analogiam; vt videbimus disp.65. sect.3. & 4.

14 *Alia nomina processionis.*

Dico quartò. Propter easdem rationes alia quędam nomina generalia, quæ vtrique processioni conueniunt, peculiariter accõmodantur ad significandam peculiarem productionem Spiritus sancti. Huiusmodi est *emittere*, & *emitti*, quod accipitur ex Psalmo 103. *Emitte spiritum tuum.* Hoc *Emitti.* enim quamuis referri possit solummodo ad operationem transeuntem, de qua continuo dicitur; *& creabuntur, & renouabis faciem terræ.* nihilominus inde nonnulli Patres idem verbum arripiunt ad significandam etiam immanentem productionem Spiritus sancti.

15

Sic Athanas. Dialog.1. de sancta Trinit. contra Anomæum col. 3. quatuor notiones enumerans, inter eas ponit *emittere*, & *emitti* pro spiratione actiua, & passiua, cum ait: *Nulla differentia, neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere, & gigni, emittere, & procedere, siue emitti inter se differunt.* Et post pauca. *Quia Pater emittit spiritum, spiritus autem procedit.* Eadem significatione *Emittendi Spiritum sanctum*, id est, producendi, vtitur Athanas. in quæstionibus de natura Dei. quæ incipiunt, *Quid est Deus?* q.11. & 12. Cyrill. Alexand. lib.13. Thesau. cap.2. non longè ante fin. *Perspicuum*, inquit, *est, Spiritum sanctum non esse alienum à deitatis essentiæ, sed ex ipsa naturaliter emissum.*

16 *Accipere.*

Eiusmodi est etiam vox *accipere*, quæ licet Filio etiam conueniat ratione generationis passiuæ, nihilominus à Christo Domino & Patribus peculiariter accommodatur processioni Spiritus sancti. Ioan.16. *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Vnde antiquiores Patres, & potissimum Græci, quo significarent, Spiritum sanctum non solum à Patre, sed etiam à Filio procedere, dicebãt; *à Patre procedit, & de Filio accipit.* Quemadmodum Athanas. frequenter repetit septem libris de vnita deitate, præsertim lib. 1. inter med. & fin. & lib.4. qui est contra Vrbicum Potentinum. Et lib.5. ad med. & Dialogo 1. contra Macedonium propius ad finem, quàm ad med. Epiphan. hæresi 57. pag.2. in med. & hæresi 62. inter princ. & med. & hæresi 69. pag. 5. & sequentibus, & hæresi 74. multo propius ad fin. quàm ad med. & hæresi 76. col.6. & 9. & ad 35. eaput Aëtij, & ad 38. & ad 48. & in Ancorato col.7. & alibi frequenter. Chrysost. serm. de Trinitate propius ad finem, quàm ad med. Cyrillus Alexandr. Dialogor. de Trinit. lib.6. col.5. & 6. Nazianz. in lib. de fide prope fin. Hilar. lib.8. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princip. Quos omnes aliósque Patres alibi clarius manifestare Spiritus sancti processionem ex Filio, probandum erit disp.67. & sequentibus.

17 *Produci.* *Donum.*

Sic denique nonnulli *producendi* Verbum accommodant processioni Spiritus sancti, quemadmodum Ephræm. citatus pro assertione 2. Augustinus autem lib.5. de Trinit. cap.11. vsque ad 15. *Donatoris*, & *doni* voces accommodat processioni Spiritus sancti. Gregorius Mag. lib.30. moral. cap.5. alias 8. *Is*, air, *qui per processionem producitur, à proferentibus non præitur.*

SECTIO II.

Ex vi formalissima processionis Spiritus sanctus non habet similitudinem in natura.

1

HÆc ratio, propter quã Spiritus sanctus non est Filius, nec genitus, licet in præcedenti disput. cæperit explicari: maiori tamen indiget discussione

disc̃ussione per quam & quidditas generationis comparetur cum productione Spiritus sancti, & argumenta difficiliora soluantur. Dico igitur primò. Spiritus sancti processio in eo conuenit cum generatione Filij, quod Spiritus sanctus est viues intellectuali vita, procedens à viuente per principium coniunctum; quia procedit à spiratore amante, præcedítque per essentiam sub ratione amoris mutui, & ideo per actionem immanentem, communicata eadem numero substantia: quemadmodum, proportione seruata, de Filio dictum est disp. præced. sect. 8. assertione 1. & 2.

Conuenientia processionis & generationis.

2 Dico secundò. Spiritus sancti processio propterea non est propriè generatio, quia explicitus, & formalissimus conceptus diuinæ productionis per voluntatem, ordinatur ad producendam personam Spiritus sancti. Hæc autem, secundum suam explicitam, & formalissimam rationem talis personæ, non est expressa similitudo, nec imago repræsentatiua sui principij producentis: sed tantum est vinculum, & nexus duarum personarum inuicem amantium, & impulsus, seu inclinatio mutua.

Differentia processionis à generatione.

3 Probatur eodem ordine, quo disp. præcedenti sect. 8. probatum est dictum tertium. Primo. Nam differentia constitutiua diuinæ productionis accipitur potissimum à termino producto (vt probatum est disp. 6. sect. 5.) quapropter differentia constitutiua productionis Spiritus sancti, sumi debet à persona Spiritus sancti. Hæc autem persona producta, secundùm explicitam, & formalissimam rationem, non affert expressam similitudinem in natura, neque repræsentationem, aut imaginem, siquidem Spiritus sanctus peculiari ratione suæ personalitatis non est imago sui principij spiratiui; vt notant communiter Patres, licèt à nonnullis extenso vocabulo minus propriè dicatur imago. De quo dicemus ex professo disp. 64. sect. 4. & sequentibus. Confirmatur. Quia Spiritus sanctus licèt aliquando minus propriè fuerit appellatus Verbum: propriè tamen non est Verbum: vt constabit disp. 57. præsertim sect. 4.

4 Vnde sumitur probatio secunda, quoniam si communem rationem amoris producti abstrahamus à Deo, & creaturis: Hæc ratio formaliter, & explicitè non exigit, quod amor sit imago, vel repræsentatio, aut similitudo. Quapropter quamuis eadem ratio communis, intra eandem lineam amoris, sine vlla extrahente differentia, perficiatur vsque ad infinitum amorem: adhuc tamen eius explicita linea non includet similitudinem, repræsentationem, aut imaginem. Antecedens probatur. Quoniam amor, vt sic, & in communi neque est similitudo obiecti formalis, à quo specificatur, neque est similitudo personæ amantis, neque est similitudo voluntatis, per quam producitur amor.

Amoris linea non affert similitudinem in natura.

5 Cuius ratio explicatur à contrario, nam Verbum cum essentialiter sit obiecti notitia, in facto esse producta; debet esse obiecti similitudo, & imago, quæ faciat obiectum præsens intelligenti. Attamen amor neque hoc sine, neque vllo alio postulat similitudinem intentionalem, nec similitudinem naturalem, & substantialem, siue respectu sui obiecti formalis, siue respectu sui principij elicientis. Amor enim quamuis supponat similitudinem, qua proponatur obiectum amabile; non geminat frustra secundam similitudinem, sed velut impulsus mouet ad bonum cognitum, & velut nexus aut vinculum, amantem vnit cum amato.

Dico testiò. Id quod viam aperit soluendis argumentis sequentium sectionum: si vox *formaliter* sumatur minus strictè pro vt comprehendit quodcumque prædicatum, quomodocumque sit de essentia alicuius subiecti: sic concedendum est, similitudinem in eadem numero substantia conuenire Spiritui sancto ex vi suæ processionis, per se, formaliter, & essentialiter, non per accidens, neque materialiter. Quantum ad hoc rectè sentiunt Canarienſis in præsenti quæst. 27. art. 2. in p. 4. commentarij, & Vazquez disp. 113. cap. 6. & 7.

6 *Minus stricta acceptio vocis* formaliter.

Probatur, quoniam diuinitas est ratio essentialiter transcendens vltimas differentias vniuscuiusque personæ, vt ostendemus disp. 13. Quapropter eo ipso, quod productio Spiritus sancti quidditatiuè postulat, producere Spiritus sancti personam: postulat producere personam, quæ sit essentialiter Deus. Confirmatur, nam alioqui personalitas Spiritus sancti non esset increata, & diuina, vt fusiùs probant argumenta soluenda in sect. 4. & 5. quorum solutio semper concedere debet præsentem assertionem, & ea concessa, defendere processionem Spiritus sancti non esse generationem, quoniam intra lineam, & gradum formalissimum, & explicitum amoris, non est similitudo.

7

Fauet August. lib. 15. de Trinit. cap. 26. & 27. vbi frequenter docet, Spiritum sanctum per processionem à Patre, & Filio habere diuinitatem, vitam, & cæteras perfectiones, sicut eas Filius habet à Patre per natiuitatem. Insuper Spiritum sanctum appellat communionem substantialem Patris, & Filij. Clarius fauet S. Thom. de potent. quæst. 10. art. 2. ad 22. dicens: *Quod Spiritus sanctus naturam, & formam Dei Patris recipiat sua processione, hoc habet in quantum est amor Dei, in quo non est aliquid, quod non sit natura ipsius Dei.* Et in præsenti quæst. 27. art. 4. ad 1. si conferatur solutio cum argumento, concedit, processionem Spiritus sancti afferre similitudinem, & vnitatem in natura diuina, quatenus est processio diuina, sed non quatenus est processio per voluntatatem.

8

SECTIO III.

Soluuntur argumenta, quæ contendunt, ad generationem non exigi formalissimam vim processionis.

PRimum argumentum. A creaturis ad Deum translata, vel eleuata sunt nomina generationis, & Filij. Sed in creaturis quæcumque productio viuentis à viuente per principium coniunctum est verè generatio: si ex vi productionis essentialiter affert similitudinẽ naturæ. Ergo idem erit in Deo concedendum; nec opùs erit distinguere formalissimam rationem productionis, nec similitudinem in persona. Quapropter Spiritus sancti productio erit generatio, siquidem ex vi productionis essentialiter affert similitudinem, & identitatem in natura diuina; vt vidimus sect. præcedenti, assertione 3.

1

Confirmatur, quoniam in creaturis nulla reperitur productio viuentis à viuente per principium coniunctum in similitudinem naturæ, quæ non sit generatio. Ergo ad rationem generationis non requiritur, quod similitudo proueniat ex formalissima ratione productionis: vel si requiritur, hoc necessario comitatur quamcumque productionem viuentis à viuente per principium coniunctum

2

coniunctum in similitudinẽ naturæ, ita vt eo ipso habeat similitudinem secundùm formalissimam, & explicitam rationem productionis. Vnde sequitur, è duobus vnum esse concedendum; aut Spiritui sancto secundum formalissimam, & explicitam rationem suæ productionis conuenire similitudinem, & ideo generari: aut si non conuenit; ea formalissima ratio non requiritur ad veram, & propriam quidditatem generationis.

3 Ad principale argumentum consequentia nenegatur, propter discrimen productionis creatæ ab increata. In qualibet enim productione creata supposítalitas, & personalitas nec solùm, nec primariò producitur, sed primariò producitur natura. Quamobrem in creaturis quodcumque viuens per principium coniunctum producens effectum, sibi similem in natura: eo ipso producit naturam similem ex vi formalissima suæ productionis, quæ potissimum intendit naturam illam producere. Sed è contrario natura diuina non producitur, sed communicatur; producitur autem persona. Vnde prouenit, vt quamuis persona similis euadat in natura communicata, si tamen similitudinem non exigit ex formalissima ratione personæ productæ: non producatur vt similis, ex vi formalissima, & explicita suæ productionis: quoniam hæc respicit personam sub ratione personæ. Nunc verò Spiritus sanctus in ratione personæ non est similitudo, nec imago, vt vidimus sect. præcedenti.

Productio increata terminatur ad personam.

4 Inde soluitur confirmatio; nã in creaturis etiam ad veram, & propriam rationem generationis exigitur similitudo ex vi formalissima productionis. Cæterum hæc formalissima vis necessariò comitatur omnem productionem per principium coniunctum in similitudinem naturæ, quoniam vis cuiusque productionis formalissima destinatur ad producendam primariò naturam, & cum ea suppositalitatem. Quod in Deo non contingit. Insuper ex limitatione creaturæ, & eminentissima perfectione Dei prouenit, vt quæ non separantur in productione creata, separentur in aliqua productione diuina. Ideo sicut in productione diuina communicatio naturæ datur sine productione naturæ: sic etiam datur communicatio naturæ, sine similitudine naturæ ex vi formalissima processionis. Foret autem in creaturis aliquod vestigium prædictæ doctrinæ, si aliquis homo, tanquam instrumentum, supernaturaliter eleuatum, per transubstantiationem produceret alium hominem sibi similem, quæ tamen non esset generatio, vt vidimus disput. 6. sect. 6. & 7.

5 Secundum argumentum. Hæc vox *generatio* non est imposita ad significandam rationem formalissimam productionis, sed tantum ad significandam vim propriam, & essentialem productionis. Sed tota hæc vis propria, & essentialis reperitur in productione Spiritus sancti. Ergo productio Spiritus sancti dicenda est absolutè generatio, iuxta propriam significationem, quam generationis nomen à suis impositoribus accepit. Maior probatur, nam impositores eiusmodi vocum nihil vnquam cogitarunt de similitudine, prouenìente ex ratione formalissima rei productæ, vel prouenìente ex natura, & substantia communicata. Idem intellige de hac voce *Filius*, & de quibuscumque vocibus Hebræis, Græcis, aut cuiuscúmque linguæ barbaræ, quibus filius, aut generatio significatur.

6 *Dictum* 1. Respondeo & dico primò. Prætermissis nominibus, quibus singula viuentia Genes. 2. vocauit Adamus, aliisque nonnullis, quæ sunt à sapientioribus imposita: vulgarium nominum impositores communiter nihil expresè cogitarunt de formalissima differentia rerum. Cæterùm eo ipso, quòd peculiari nomine rem istam volebant ab illa distinguere, virtualiter intendebant, significare proprium conceptum, & differentiam illius rei, qua distinguebatur ab alia. Nemo quippe dubitauerit, hac voce *homo* significari formalissimam differentiam rationalis, qua distinguitur non solum à cæteris animantibus, sed etiam ab angelis: cum tamen non constet, vtrum istius vocis impositores penetrauerint differentiam rationalis, quæ plurimos antiquorum latuit. Confirmatur, nam impositores virtualiter voluerunt, voces accipi eo modo, quo melius subseruire possent conceptibus explicandis, rebúsque distinguendis. Melius autem subseruiunt, si formalissimas rationes significant.

Impositores nominum intendebant significare rerum differentiam.

Vnde infero, & dico secundò. Licet impositores huius vocis *generatio* nihil expresè cogitauerint de formalissima differentia generationis; cæterùm eo ipso, quod peculiari nomine talem productionis speciem à cæteris distinguebant, virtualiter intendebant, significare formalissimam, & vltimam illius differentiam. Quod S. Thom. in præsenti quæst. 27. art. 4. ad 1. ita docet: *Secundum propriam rationem voluntatis, & intellectus sortitur in diuinis nomen vtraque processio, quod imponitur ad propriam rationem rei significandam.*

7 *Dictum* 2.

Dico tertiò. Si scriptura sacra, & Theologi quibuslibet hominibus permisissent accommodationem ad res theologicas significandas per has voces *generatio*, & *filius*: fortasse licuisset, ampliare nomen filiationis, & generationis ad minus propriam acceptionem, iuxta quam etiam spiratio vocaretur generatio, quoniam affert similitudinem in natura, licet non ex ratione formalissima. Nihilominus Scriptura sacra, & Patres diuino consilio nomen generationis, & filij magis propria, & rigida significatione vsurparunt, quæ postulat similitudinem ex formalissima ratione productionis: quoniam oportebat vtriusque processionis diuinæ distinctionem hominibus explicari per nomina productionum creaturarum quæ sunt hominibus notæ. Nullum autem aliud nomen poterat à nostris productionibus eleuari ad eam distinctionem significandam, nisi *generatio*, & *filius*. Propterea conueniens fuit, vt Scriptura sacra, & Theologi non extenderent ad processionem Spiritus sancti significationem eorum nominum.

8 *Dictum* 3.

Propria & rigida significatio generationis.

SECTIO IV.

Diluuntur argumenta, quæ formalissimam lineam similitudinis deducunt ex eo, quod Spiritus sancti processio sit diuina.

HVius, & sequentis sectionis argumenta, licet immediatè colligant, Spiritum sanctum procedere similem in natura ex vi formalissima processionis: inde tamen vnum è duobus infertur. Aut enim Spiritus sancti processio concedetur esse generatio; vel ad generationem non sufficiet similitudo in natura ex vi formalissima processionis, nisi addatur vlterior alia conditio, vt voluit Canarien. hac quæst. 27. art. 2. 4. p. Comment. præsertim argum. 4. & Vazquez disput. 13. cap. 6.

1

cap.6. Quorum fundamenta partim refutabuntur disput. sequenti sect. 3. sed maiori ex parte diluentur in præsenti.

2 Primum argumentum, quia Verbum diuinum similitudinem in natura non habet ex vniuersali ratione productionis per intellectum, sed ex peculiari, & quasi specifica ratione productionis, per intellectum diuinum, & infinitum, supra disp. 6. sect. 8. & 9. Non aliter amor quamuis similitudinem in natura nō habeat ex vniuersali ratione productionis per voluntatem: attamen ex peculiari, & quasi specifica ratione productionis per voluntatem diuinam, & infinitam, amor sortitur similitudinem in natura. Ergo sicut productio Verbi per intellectum, ita etiam productio Spiritus sancti per voluntatem erit generatio. Respond. Productioni per intellectum intra suam lineam, & gradum, absque transitu ad aliam lineam, & gradum, conuenit similitudo in natura. Quæ similitudo non conuenit productioni per voluntatem, nisi quatenus egreditur, transit, & extrahitur ad alias lineas, & gradus.

3 *Secundum argum.* Aduersus hanc solutionem arguitur secundò, nam creatum, & increatum sunt differentiæ per se distinguentes amorem intra eandem lineam, & intra eandem quasi speciem amoris sicut distinguunt Verbum intra eandem lineam, & quasi speciem Verbi. Nulla enim est ratio propter quam esse increatum sit differentia Verbi magis propria, quàm amoris. Rursus increatus amor essentialiter est substantialis, & essentialiter est Deus; alioqui non erit increatus. Ergo amor increatus intra eandem lineam, & quasi speciem amoris, ex vi productionis per voluntatem affert similitudinem in substantia diuinitatis.

4 Respond. concedendo Maiorem, videlicet, creatum, & increatum esse differentias, per se distinguentes amorem intra eandem lineam, & quasi speciem amoris. Sed minor eiusdem argumenti declaratione indiget, vt sit vera. Quamuis enim amor increatus essentialiter sit substantialis, & essentialiter sit Deus: attamen ex gradu & linea explicita, & formalissima amoris diuini, nec postulat esse substantialem, nec esse Deum: sed hæc explicita perfectio accrescit, atque superuenit propter alias lineas perfectionum, quasi specie distinctarum, quas transcendenter imbibit diuinus amor, sicut imbibit diuinam sapientiam, immensitatem, & omnipotentiam. Cuius ratio posita est in sect. 2. quoniam diuinus amor, ex formalissima ratione diuini amoris, non est expressa similitudo, nec imago, sicut Verbum.

5 Tertium argumentum. Diuina productio per voluntatem essentialiter, atque formaliter habet vim producendi personam non in vniuersali, sed in particulari, secundùm rationem quasi specificam, & numericam huius personæ. Quæcumque autem persona secundum suam rationem quasi specificam, & numericam non potest præscindi per abstractionem à substantia simul, & accidenti, nec ab ente creato simul, & increato: sed quæcumque persona in particulari, necessariò, determinatè, & essentialiter dicit alteram ex his rationibus. Ergo diuina productio per voluntatem essentialiter, determinatè, atque formaliter habet producere talem personam, quæ sit substantia increata, & consequenter personam, quæ in substantia, & natura increata similis existat principio producenti. Confirmatur, quia quælibet productio particularis essentialiter, atque formaliter postulat, terminari ad particularem terminum productum. Ergo diuina productio per voluntatem essentialiter postulat, terminari ad particularem personam diuinam, & increatam.

Respond. distinguendo consequens principalis argumenti. Diuina productio per voluntatem essentialiter, atque formaliter habet producere talem personam, quæ sit substantia diuina: dummodo vocem *formaliter* intelligas minus strictè, vt comprehendit quæcumque prædicata essentialia, licet pertineant ad diuersam lineam, & gradum. Cæterum strictè intelligendo vocem formaliter, vt idem sit quod formalissimè intra eandem lineam, & gradum, sic productio per voluntatem nihil amplius formaliter habet, nisi producere personam, quæ sit amor spiratus, cui reliquæ perfectiones, & attributa conueniant propter mutuam transcendentiam omnium attributorum. Huius ratio est, quia persona Spiritus sancti, secundum suam rationem quasi specificam, & numericam, essentialiter est substantia diuina, quatenus in sua peculiari quidditate transcendenter imbibit diuinitatem, & omnia eius attributa, quasi perfectiones alterius lineæ: nam formalissima, & explicita linea Spiritus sancti, est solummodo diuinus, & infinitus impulsus, mouens ad rem amatam, & vniens cum illa; vt dictum est sect. 2. 6

Ad confirmationem Respond. Diuina productio per voluntatem essentialiter postulat particularem personam diuinam increatam; videlicet, amorem spiratum. Cæterum alia prædicata, quæ huic particulari personæ essentialiter conueniunt, non postulat, nisi veluti gradus quasi specie distinctos, & transcendenter imbibitos. 7

Similem solutionem exigit argumentum 4. quod est huiusmodi. Natura diuina est de essentia personæ Spiritus sancti, secundum vltimam rationem personalitatis, non minùs transcendenter, quàm ens est de essentia cuiusque vltimæ differentiæ creaturarum; vt dicemus disp. 13. Ergo illa productio, quæ per se, ac formalissimè destinatur ad producendam personam Spiritus sancti, sub ratione personæ, destinatur etiam ad producendam personam, quæ sit essentialiter Deus, secundum vltimam rationem suæ personalitatis. Sicut productio, quæ destinatur ad producendum equum, secundum vltimam rationem equi, eo ipso destinatur ad producendum ens, quoniam equus secundum vltimam rationem est ens. Confirmatur, quoniam inde constat, absurdam esse solutionem quorundam Theologorum, qui diuinitatem ita comparant cum persona producta, vt per accidens ratione subiecti coniungantur: sicut per accidens ratione subiecti contingit ab igne calefieri album, vel nigrum. 8 *Argumẽtum quartum.*

Respond. Diuinitas quidem transcendit vltimam differentiam cuiusque personalitatis, sed non eodem modo, quo transcendit ens. Nam vniuersalissimum, & merè transcendens est ens, quia non affert aliam lineam, neque gradum peculiarem, quasi specie distinctum ab vnaquaque differentia. Contra verò diuinitas ipsa gradus est, quasi specie distinctus à personalitate Spiritus sancti, quæ non consistit in similitudine perfectissima sicut consistit personalitas Verbi. Quapropter productio, quæ per se, ac formalissimè destinatur ad producendam personam Spiritus sancti; destinatur quidem ad producendam personam, quæ sit Deus: verum hæc destinatio non est 9

est formalissima, & explicita intra gradum, & lineam eandem productionis, sed tantùm est essentialis inclusio alterius lineæ. Ad confirmationem conceditur, illam solutionem esse absurdam.

10 Quintum argumentum. Quidquid habet Spiritus sanctus, accipit à suo principio spiratiuo, iuxta illud Ioan. 16. *De meo accipiet.* Sed à principio spiratiuo nihil accipit, nisi per spirationem. Ergo quidquid habet Spiritus sanctus, accepit per spirationem. Ergo subsistantiam, & naturam eandem sibi communicatam accipit per spirationem, & consequenter subsistantiam, & naturam eandem accipit ex vi suæ productionis formaliter, & essentialiter.

11 Respondeo, concedendo totum discursum, dummodo vox, *formaliter*, accipiatur minus strictè, vt comprehendit omnia prædicata essentialia, etiamsi pertineant ad lineam, & gradum quasi specie distinctum. Si autem dictio, *formaliter*, sumatur strictè, vt idem est, quod formalissimè, secundùm gradum explicitum eiusdem lineæ; sic falsum est vltimum consequens; & non sequitur ex antecedenti: nam quamuis Spiritus sanctus omnia, quæ habet, accipiat à principio spiratiuo ex vi, & essentia suæ productionis: nihilominus ex vi formalissima, & explicita non habet, nisi esse amorem spiratum; cætera habet ex vi productionis quasi materiali.

SECTIO V.

De vniuoca, vel æquiuoca productione, vel de immanente actione dilectionis, argumenta, quæ restant.

1 SVpponendum est, quod *omnino agens ad similitudinem suam patibile componit.* Vt loquitur Aristot. lib. 1. de gener. cap. 7. præsertim text. 5. vbi quamuis tractet de agente vniuoco; philosophi, & theologi communiter eandem doctrinam extendunt ad agens æquiuocum, vt illud etiam intendat afferre similitudinem, non vniuocam, sed analogam. Hinc à posteriori colligunt, primam causam in se præhabere creaturarum omnium perfectiones; quemadmodum Sol præhabet rerum generabilium perfectiones: vt cum Dionysio cap. 5. de diuinis nomin. docet S. Thom. 1. p. quæst. 4. art. 2.

2 *Cõmunis ratio productionis quam similitudinem afferat.* Quo supposito, sic arguitur primò. Producens in communi, secundum vniuersalem rationem producentis, affert similitudinem, abstrahendo ab analoga, vel vniuoca similitudine. Ergo apud Deum omne producens, eo ipso quòd est infinitum, & perfectissimum intra lineam producentis, formaliter postulabit, producere perfectissimam similitudinem: ac proinde producens per voluntatem, ex vi productionis formaliter producet simile in natura, producétque simile secundùm vltimã rationem personæ. Confirmatur, quia non est maior ratio, propter quam producens per intellectum, producat simile in natura, ex vi formalissima productionis. Siquidem producens per intellectum, vt sic, abstrahitur à similitudine vniuoca, vel analoga. Nam apud creaturas nō producit vniuocã similitudinem obiecti; cum tamen apud Deum producat similitudinem vniuocã, eo quod intra lineam talis agentis est perfectissimum, & infinitum, vt vidimus disput. 6. sect. 8. & 9.

3 Ad principale argum. Respond. concedendo totum, præter vltimam partem de similitudine secundùm vltimam rationem personæ. Hoc enim non infertur ex præcedentibus, sed potius infertur oppositum. Duplex enim productio Deo conuenit, ita distributa, vt altera correspondeat productionibus vniuocis, altera correspondeat productionibus æquiuocis. Quia Deum ad intra producere vtroque modo, melius est, quàm altero tantummodo producere. Vnde fit, vt quamuis vtraque productio diuina, eo quòd sit perfectissima, & infinita in genere productionis, intra lineam, & gradum productionis exigat essentialiter, & formaliter producere personam, quæ in natura sibi communicata, & transcendenter inclusa, similitudinem habeat cum producente: nihilominus vnica tantùm productio postulat eam vniuocationem, ac similitudinem, quæ attenditur secundum rationem formalissimam personæ; alia verò productio talem vniuocationem non postulat. Parum ab hac solutione dissider illa, quam adhibet Ferrariens. 4. contra gentes cap. 19. post med. Magis distat solutio Caietani quæst. 27. art. 4. §. *Ad euidentiam*, & sequenti.

4 *Productio partim æquiuoca, partim vniuoca.* Sed quoniam aliqui Scholasticorum magis ex professo prædictam æquiuocationem, vel vniuocationem examinant. Dico primò. Vtrique processioni commune est, quod tàm spiratio, quàm generatio sit partim vniuoca, partim æquiuoca. Nam propter identitatem naturæ communicatæ, partim est vniuoca, sed propter distinctionem quasi specificam, quæ reperitur inter personam productam, & principium producens, ad æquiuocationem inclinat. Ideo Argentina 1. dist. 4. quæst. 1. art. 1. ad 6. dixit, diuinam generationem propriè nec esse æquiuocam, nec vniuocam, sed largè posse vtroque modo dici. Atque ferè idem sensit Aureol. 1. distinct. 19. p. 2. art. 4. propè finem solutionis argumentorum.

5 *De vniuocatione plus habet vtraque productio.* Dico secundò. Vtraque productiõ plus habet de vniuocatione, quàm de æquiuocatione; quia naturæ identitatem non modo specificam, sed etiam numericam affert, cum tamen creatæ productiones vniuocæ solam afferant vnitatem specificam. Aliunde autem personarum distinctio non est propriè specifica, sed quasi specifica. Ita sentiunt Durand. 1. dist. 4. q. 1. fine. Gabriel. dist. 9. tota quæst. 2. præsertim art. 2. Parum recedit Scotus dist. 7. quæst. vnica in med. §. *Loquendo tunc.* & dist. 13. q. 1. in 2. argum. principali, & in eius solutione, defendens vtramque processionem esse vniuocam ratione formalis termini, quem dicit esse naturam, quamuis nulla ratio communis, & vniuoca conueniat vtrique processioni; de quo dicemus disput. 35. sect. 1. & 2.

6 *Generatio est magis vniuoca.* Dico tertiò. Diuina generatio est vniuoca magis, quàm spiratio, propter similitudinem naturæ, postulatam ex formalissima ratione Verbi procedentis per intellectionem: quam similitudinem quia non postulat spiratio; accedit ad æquiuocationem magis, quàm generatio. Hoc igitur sensu appellatur ab aliquibus authoribus æquiuoca productio; sicut à Ferrarien. 4. contra gentes cap. 19. post med. Quod idem supponit Caietan. q. 27. art. 4. §. *Ad euidentiam.* & seq. licèt non dicat expressè. Clarius autem hoc docuerunt Alexand. Albert. & Carthus. citati disput. 6. sect. 9. ad 2.

7 Hinc constat solutio ad confirmationem argumenti. Maior enim est ratio, propter quam productio Verbi ex vi formalissima debuit producere similitudinem quasi vniuocam, sed productio Spiritus sancti debuit inclinare magis ad æquiuocationem: eo quod vltima differentia productionis per intellectum postulat similitudinem, &

imaginem, quæ si perficiatur intra suam lineam, peruenit ad perfectissimam imaginem, quæ est Filius, vt sæpe dictũ est: sed vltima differentia productionis per voluntatem non postulat similitudinẽ, & imaginem; sed potiùs eam similitudinem analogam, quam affert vniuersalissima ratio productionis, extrahit ad alium gradum impulsus, & vnionis cum amato. Quapropter superueniens infinitudo perfectionis est ratio, vt sit infinitè perfectus impulsus, & vnio intra lineam impulsus, & vnionis, non intra lineam similitudinis.

8 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum. Productio per voluntatem essentialiter ac formaliter est actio immanens. Ergo essentialiter, ac formaliter postulat, terminum à se productum, esse intra Deum producentem. Sed quidquid est intra Deum, est ipse Deus, (nam creatura non potest esse intra Deum.) Ergo diuina productio per voluntatem essentialiter, ac formaliter postulat, terminum à se productum, esse Deum.

9 Respond. concedendo totum discursum, si vox *formaliter* sumatur minus strictè (vt in præcedenti sect. diximus) si autem vox *formaliter* accipiatur strictiùs, vt est idem quod *formalissimè*: sic productio per voluntatem formalissimè est actio immanens, & formalissimè postulat, terminum, à se productum, esse Deum: sed hoc postulat propter necessariam transcendentiam, qua gradus omnes, ac lineæ diuinitatis, licet distinguantur quasi specificè, clauduntur essentialiter in qualibet alia linea, & gradu diuinitatis. Idque satis est, vt terminus, per diuinam voluntatem productus, sit immanens in Deo.

10 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum. Productio Spiritus sancti propter communem rationem productionis per voluntatem, postulat similitudinem termini producti. Nam voluntas essentialiter respicit bonum, quasi inclinatio in actu primo, siue impulsus in actu primo, vel pondus. At verò amor est inclinatio in actu secundo, & actualis motus. Vnde potens producere amorem, & amor ipse productus conueniunt in communi ratione inclinationis, & impulsus, abstrahentis ab actu primo, & actu secundo. Ergo productio per voluntatem infinitè perfectam, habebit huiusmodi similitudinem perfectissimam, non solum in ratione communi, sed etiam in eadem numero substantia, & natura. Consequentiam probo, sicut disput. præcedenti sect. 8. & 9. probatum est, per intellectum perfectissimum produci, non solùm intentionaliter, sed etiam in eadem numero substantia simile: quamuis per intellectum creatum non producatur simile in substantia, & natura, sed tantùm intentionaliter.

11 Respondeo, negando consequentiam. Et ad probationem; ex dictis in solutione primi argumenti, colligitur discrimen inter Verbũ, & amorem. Nam Verbi perfectio consistit in eo, quòd perfectissimè repræsentet vltimam quamque rationem sui obiecti, tanquam illius adæquata imago. Sed amoris perfectio non consistit in eo, quod perfectissimè repræsentet obiectũ, sed in eo, quod voluntatem vniat cum obiecto. Quapropter illa similitudo, quæcumque sit, inter amorem, & obiectum, aut inter amorẽ, & voluntatem, remanet semper intra limites similitudinis analogicæ, & ad perfectionẽ suæ lineæ non postulat, ascendere ad similitudinem vniuocam: quin potius vniuoca similitudo dilectionem extrahit, & transire facit ad aliam lineam. Ideo Spiritus sanctus, quatenus est terminus productus per amorem infinitè perfectum, & diuinum, secundum vltimam differentiam formalissimam, non postulat similitudinem in eadem natura: sed tantum postulat, perfectè habere illam analogam similitudinem, quæ est inter principium potens amare, & ipsum amorem, atque similitudinem, quæ est inter amorem, & bonum amatum.

Amor non est repræsentatio, sed vnio.

Quartum argumentum. Amor amicitiæ partim 12
supponit, & partim causat similitudinem, æqualitatem, & communicationem omniũ bonorũ inter amicos. Quapropter amicitiam esse quandam similitudinem, dicebant antiqui Philosophi apud Aristot. 8. Ethic. cap. 1. Vnde ortum fuit prouerbium: *Pares cum paribus, graculus cum graculo, & cætera generis eiusdem.* Et Ecclesiasticus cap. 13. *Omne animal*, inquit, *diligit sibi simile: sic & omnis homo proximum sibi.* Et iterum: *Omnis homo similis sui sociabitur.* Quod sequenti textu confirmat, & c. 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad eos, qui operantur illam, reuertetur.* Hinc Cicero in lib. de amicitia, quem sequitur Hieronymus Micheæ 7. inter princip. & med. *Amicitia pares aut accipit, aut facit: vbi inæqualitas est.* Hæc magis ex professo probat Arist. dicto lib. 8. Ethic. cap. 5. & 7. & lib. 9. cap. 3. & 6. Præterea quod amicitia fundetur in communicatione bonorum, & quod esse debeat reciprocus amor, afferens consensum voluntatis, & intellectus, & iucundissimum conuictum, probatum est fusè disput. 2. de charitate.

Similitudo in amicitia qualis.

Quo supposito, sic argumentor. Spiritus sanctus ex vi suæ processionis formalissimè, & explicitè procedit vt amor amicitiæ, reciprocus inter Patrem, & Filium, vt constabit disp. 67. & sequentibus. Ergo non solum supponit similitudinem inter Patrem, & Filium, sed etiam per se, & formaliter, ex vi suæ processionis affert, esse similitudinem reciprocam amoris, & esse consensum omnimodum voluntatis, & summam bonorum communicationem, iucundissimúmque conuictum. Rursus hæc omnia dicunt æqualitatem, & similitudinem. Ergo amor ex ratione amoris affert similitudinem: ac proinde si fuerit perfectissimus amor, afferet perfectissimam similitudinem; sicut Verbum perfectissimum affert perfectissimam similitudinem. 13

Respond. negando consequentiam vtramque; 14
quoniã ex fundamento, & antecedente præmisso, quamuis optimè probetur, perfectissimam similitudinem esse prærequisitã, vt principium amandi amore amicitiæ; ideóque similitudinem esse priorem origine; præterea quoque probet, perfectissimam similitudinem, & communicationem bonorum omnium, vsque ad æqualitatem inter personas inuicem amãtes, posterius origine consequi debuisse, tanquam effectum secundarium amoris, si fuerit possibilis: nihilominus ipse amor reciprocus, in facto esse productus, non est formaliter expressa similitudo, & imago amicorum inuicem diligentium.

Ideo argumentum non probat, Spiritum sanctum, ex vi formalissima suæ processionis, procedere vt similem in natura: sed tantùm probat, ex perfectissimo amore amicitiæ rectè colligi, quod prius origine præcesserit summa similitudo, & æqualitas inter Patrem, & Filium: & quod ex Spiritu sancto iam producto, tanquam secundarius effectus, debuisset consequi consensus omnimodus voluntatis, summa bonorum communicatio, iucundissimúsque conuictus; & cõsequenter omnimoda similitudo, & æqualitas Filij ad Patrem, & Patris ad Filium; si fuisset possibilis maior, quàm 15

quàm supponebatur prius origine. Perpende igitur quantum intersit inter similitudinem Verbi, & similitudinem amoris producti in facto esse. Amor enim formaliter non consistit in eo, quòd sit expressa similitudo: cum tamen è contrario constet, Verbum ipsum formalissimè consistere in eo, quod sit expressa similitudo, & imago. Hæc solutio sumitur ex S. Thom. q. 27. art. 4. ad 2.

16 Quintum argumentum. Productio per voluntatem, secundum rationem formalissimam, & explicitam, habet producere vnionem. Ergo perfectissima, & infinita productio per voluntatem, habebit, secundum suã rationem formalissimam, & explicitã, producere perfectissimam vnionem. Ergo Spiritus sanctus, secundùm rationem suæ personæ formalissimam, & explicitam, erit perfectissima vnio. Sed vnio perfectissima debet esse substantialis in natura. Ergo Spiritus sanctus, secundum rationem suæ personæ formalissimam, & explicitam, est vnio substantialis in natura, & consequenter est perfectissima similitudo. Confirmatur, quoniam huiusmodi argumentatione disput. 6. sect. 8. & 9. ex eo, quod productio per intellectum formaliter habeat producere similitudinem, collegimus, quod productio per intellectum perfectissimum, & infinitum, habeat producere similitudinem in natura, & substantia.

17 Respond. Productio per voluntatem diuinam, secundum rationem formalissimam, & explicitam, habet producere perfectissimam vnionem affectus. Sed inde non sequitur, quòd secundum eandem rationem formalissimam, & explicitam habeat producere vnionem substantialem in natura. Cuius ratio à priori sic explicatur. Quia vel argumentum intelligitur de vnione secundum substantiam, & naturam inter eos, qui mutuò se diligunt, videlicet, inter Patrem, & Filium. Et hæc vnio supponitur prius origine, quàm existat amor, tanquam principium amoris (vt dictum est ad præcedens argumentum.) Ergo hæc vnio non potest produci per amorem; neque enim potest iterum produci Filius, & illi communicari natura diuina: & multo minus potest produci Pater. Vel argumentum intelligitur de vnione substantiali eiusdem naturæ, quæ sit ipse amor spiratus, & per quam ipse referatur ad suum principium spirans. Hæc autem vnio contradictionem inuoluit, quia formalis ratio vnionis in eadem numero natura, licèt sit ratio fundandi relationem similitudinis, supposita distinctione personarum, constitutiua per aliam formalitatem, & relationem: nihilominus ipsa ratio formalis vnionis in eadem numero natura, neque est formaliter relatio, neque potest constituere distinctionem vnius personæ ab alia: ideóque non potest esse terminus realiter productus, & consequenter non potest esse persona Spiritus sancti.

Vnio substantialis an ex vi productionis formaliter?

18 Huius solutionis efficacitas declaratur, & corroboratur à dissimili, paritérque soluitur argumenti confirmatio. Nam imago quæcumque, siue imperfecta, siue perfectissima, siue finita, siue infinita, quidditatiuè postulat distinctionem realem imaginis à prototypo: & consequenter quodcumque Verbum cuiuslibet perfectionis minimæ, vel maximæ, quidditatiuè postulat realem distinctionem à principio dicente. Ideo formalissima, & explicita ratio verbi, & imaginis, quando peruenit ad summam perfectionem, quidditatiuè postulat esse terminus realiter distinctus, & similis in natura cum persona producente. Cæterum vnio summa consistens in omnimoda vnitate naturæ, non postulat realem distinctionem, per quam ipsa vnio in natura realiter distinguatur ab illis personis, quas constituit vnum in natura: & multo minus postulat, produci ab illis personis: quia quidditas, & natura earum personarum non potest ab illis produci. Et confirmatur, quia vnitas in natura non est relatio, sed fundamentum relationis, vt nuper dicebamus, ideóque non potest in Deo realem distinctionem afferre.

Quòd si obiicias, inde sequi, nullam personam realiter distinctam per diuinum amorem 19
posse produci. Respondeo negando consequentiam, quia vnio, quandiu se continet intra limites vnionis secundum affectum, & non dicit vnitatem in natura, quam inter se habeant inuicem diligentes: tandiu postulat realem distinctionem amoris producti à suo principio producente. Nec in huiusmodi vnione secundum affectum, & amorem militat ratio supradicta de omnimoda vnitate naturæ.

DISPVTATIO VIII.

Aliæ rationes Patrum, & Scholasticorum quid vtilitatis afferant, vt generatio discernatur à spiratione.

SECTIO I.

Variæ rationes Patrum exponuntur.

MIRETVR nemo, si viderit, aliquas 1
antiquorum Patrum rationes minus exactè satisfeciſſe discrimini, quod explicuimus duabus sectionibus præcedentibus. Vel potius miretur eorum animosam fidem, labores, & industriam, immortales gratias agens sacerdotibus: qui priusquam aperiretur Iordanis, *pedibus eorum* Iosue 3.
in parte aquæ tinctis, nec trepidauerint inundationem fluuij, nec dubitauerint, obscuram fidem, velut clausam mysteriorum arcam portare. Qui nisi priores ingressi fuissent viam, adhuc clausam, & impeditam; nunquam nobis per Iordanis alueum facilior via fuisset aperta. Adde quod iidem Patres non multo post stabant super siccam humum in medio Iordanis, ostendentes nobis viam, tradentésque rationem discriminis magis exactam, vt videmus disput. 6. sect. 1. & 2.

Sit igitur vnica, generalísque conclusio. Omnes, aut ferè omnes rationes discriminis, à Pa- 2
tribus antiquis allatæ, valent, vt minimum, ad *Valent aliquid omnes rationes discriminis à Patribus assignatæ.*
probandum, aliquod interesse discrimen generationis à spiratione, depromptum ex sacris literis; & aliud discrimen occultum latere, & inquirendum restare. Hoc sensu tradebantur à Patribus illæ rationes, ideóque singuli profitebantur, sibi non satisfacere.

Primò Athanasius dialogo 1. de sancta Trinit. 3
contra Anomæum inter med. & fin. obseruat, *Primum discrimen.*
inter Filium, & Spiritum sanctum *differentiam esse non habita ratione, quòd sint ex hypostasi; sed quod vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore.* Hæc ratio in primis validè conuincit hæreticos, vt concedant, aliquod esse discrimen generationis à spiratione, iuxta Psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* & Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius*, &c.

4 Deinde notat Athanasius, non ex principio producente, secundùm rationem materialem, & communem, quæ est hypostasis, accipiendam esse differentiam; sed ex principio secundum rationem formalem peculiariter producendi, quæ significatur nomine vteri: quam explicauerat in eodem dialogo 1. inter princip. & med. & iterum prope med. & tandem propius ad finem, quàm ad med. dicens: *Vteri nomine gignendi vim, oris, docendi vim intellige. Idcirco igitur dictus est Filius ex vtero, quod sit genitus; & propterea spiritus est oris, quoniam is est qui docet.*

5 Itaque Spiritus sanctus non est Verbum oris, vt Sapientia, quæ Ecclesiastici 24. dicit: *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita*: sed est Spiritus oris, tanquam vitalis respirationis halitus, ex ore procedens, proximiùs, & formaliùs potens communicare vitam, docendo, & inspirando. Ideo igitur Spiritus sanctus non est Filius, quia non procedit vt Verbum ex intellectu; sed tanquam spiritus ex corde per voluntatem, infra disp. 65. sect. 3. & 4. Et consequenter ex vi processionis Spiritus sanctus non procedit vt imago similis in natura, quemadmodum diximus disp. 2. sect. 4. ad obiect. 4.

6 *Secundum discrimen.* Secundam rationem assignat Athanasius in longiori epist. ad Serapionem (quæ habetur tomo 1.) in medio epist. notans discrimen Dei ab hominibus, inter quos eadem persona prius est filius, & postea pater respectu diuersorum hominum. Vnde fit, nullum hominem esse propriè patrem, ita vt paternitas solam eius personam quidditatiuè constituat, & in eodem sensu neminem esse propriè filium. *In Deitate autem Pater propriè est Pater, & Filius propriè est Filius. Atque ea de causa Pater semper Pater consistit, & Filius semper Filius. Et quemadmodum Pater nunquam fuerit Filius, ita nunquam Filius fuerit Pater: & quia Pater nunquam desinet solus esse Pater; ideo Filius nunquam desinet solus esse Filius.* Quod si Spiritus sanctus esset filius, cum procedat non solùm à Patre, sed etiam à Filio: sequeretur etiam Filium esse Patrem Spiritus sancti: vnde nec solus ipse foret Filius, nec propriè Filius, quia simul etiam Pater esset.

7 Hæc ratio satis efficax est, vt conuincat, Spiritum sanctum non esse Filium, deducendo ad inconueniens, contrarium diuinis oraculis, in quibus persona Filij per filiationem constituitur in ratione Vnigeniti, vt probatum est disp. 4. sect. 2. 3. & 5. Simul autem ibidem insinuat quidditatiuam, & intrinsecam rationem discriminis; eo quod Filius est imago non partialis, sed totalis, & integra totius Patris, quia non diuisam partem essentiæ, sed totam integram naturam communicat illi Pater, tanquam imagini adæquatæ, atque totali. Vnde non restat alia ratio imaginis, quæ conueniat Spiritui sancto, propterea que Filius esse non potest. Hæc est vis illorum verborum: *Non enim vt homo Deus, nec diuisam habet naturam; ideoq; ipse diuisus non gignit Filium, vt ille vicissim efficiatur Pater alterius. Quoniam autem ipse Pater ex Patre non est, nec Filius pars est Patris; ideo nec ipse gignit, vt genitus est, sed integer est integri splendor, & imago.*

8 *Tertium discrimen.* Tertia ratio probat, Spiritum sanctum non esse dicendum filium, ne sint Filij concedentes in Trinitate, veniamus in suspicionem maioris, atque infinitæ multitudinis filiorum. Hanc rationem tradit Basilius lib. 5. contra Eunom. c. 12. & Augustinus sermone 38. de tempore, qui est tertius infra octauam Epiphaniæ inter med. & fin. Verumtamen non à priori, sed ab inconuenienti probat, Spiritum sanctum non esse Filium, quia si non exhauriretur adæquatè potentia generatiua vnico filio, sed potuisset generari secundus; consequens esset, neque per secundum, aut tertium filium exhauriri. Hac igitur ratione sufficienter Basilius redarguit Eunomium. Quidditatiuum verò discrimen generationis, & spirationis non intendebat Basilius ibi exponere, sicut neque Augustinus in prædicto sermone ad vulgares, & imperitos. Sed de hoc plura diximus disput. 4. sect. 6. obiectione 4.

9 *Quartum discrimen.* Quarta ratio, quia Spiritus sanctus procedit à duabus personis, idcóque si procederet vt Filius, ex vna persona procederet vt ex Patre, & ex altera vt ex matre. Vnde præterea sequeretur, à Patre procedere in matrem, priusquam ex matre procedat. Ita ratiocinatur Augustinus 15. de Trinitat. cap. 27. sub init. & tract. 99. in Ioann. prope fin. Quem sequitur Anselmus in Monologio cap. 53. & pauci Scholasticorum. Augustini verba posuimus disput. 4. sect. 5. probatione 4. Eiusdem rationis pars est illa, quam Augustinus tradit lib. 3. contra Maximinum cap. 14. sequiturque Magister 1. distinct. 13. cap. 3. quia Spiritus sanctus *non potest esse filius amborum.* Eandem attigit Ricard. Victorinus lib. 6. de Trinitat. cap. 8. in medio, quia cum Spiritus sanctus eodem modo procedat à Patre, & Filio, non esset maior ratio, vt esset filius Patris, potiùs quam Filij, nec è contra.

10 Hanc rationem sibi non plenè satisfacere, manifestè significauit Augustinus in prioribus locis; ideo meliorem aliam subiunxit in dicto cap. 27. quam retulimus disput. 6. sect. 2. Et quidem si Spiritus sanctus ex vi suæ productionis formaliter, euaderet imago, & similitudo principij producentis secundùm naturam; nihil obstaret hoc vnum principium coalescere duabus personis per se primò concurrentibus. Quemadmodum contra Durandum dicemus sect. 2. sententia 3. Vnde præterea sequeretur, non esse duos parentes, sed vnicum; ideóque non matrem, sed patrem esse vnicum illud principium Spiritus sancti. Cæterùm quoniam in hoc etiam esset monstruositas bipertitæ paternitatis, & geminatæ in eadem prima persona: ideo hæc ratio suam vim habet non ad explicandam, sed ad probandam distinctionem formalem vtriusque processionis.

11 Potest insuper ita confirmari, quia in omnibus generationibus, quas nouimus, vnicum est agens sinonymum, vt arbor ad generandum ramum, & aliam arborem. Quod si secundarium agens interuenit, vt mater in generatione animalium, illud est magis passiuum, quam actiuum principium; ideóque imperfectum, & Deo repugnans, vt vidimus dicta disput. 4. sect. 5. versus finem.

12 *Quintum discrimen.* Quinta ratio cum præcedenti conuenit in eo, quod immediatam processionem asserit, esse proprietatem Vnigeniti. Quam Gregor. Nyssenus lib. ad Ablabium *Quod non tres dij*: prope finem: obseruat ita distinguens duplex suppositum diuinum, quod procedit à primo supposito, videlicet, à Patre: *Aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est, aliud verò per id, quod immediatè, & ex continenti est: vt & Vnigeniti proprietas absque ambiguitate in Filio maneat, & ex Patre Spiritum esse non dubitetur, Filio, qui medius intercedit, sibi Vnigeniti proprietatem seruante.*

Mediatio,

13 Mediatio, quam Nyssenus affirmat, non est totalis, sed coniuncta cum immediatione, quoniam Spiritus sanctus procedit à Filio, qui prius origine procedit à Patre: qua ratione præcisè considerata, Spiritus sanctus à Patre procedit, mediante Filio: quamuis etiam procedat immediatè à Patre; prout explicabimus disput. 69. & sequenti. Propterea Ricard. Victor. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 8. notauit, esse simul immediatam, & mediatam processionem. Sed quare mediata processio repugnet filiationi, declarat Ricard. Vict. lib. 6. de Trinit. cap. 7. & 8. nepotis exemplo, qui comparatione personæ, à qua mediatè procedit, non potest esse filius.

14 *Dilnitur obiectio.* Obijcies tamen. Hæc ratio nihil obstat, ne Spiritus sanctus sit filius Filij, à quo procedit immediatè. Respondeo. Huius solutio sumitur ex eisdem Patribus, & corroboratur ex rationibus præcedentibus. Quia non comparatione principij, per se supponentis aliud prius principium in eodem genere, sed comparatione primi principij, consideratur quidditas filiationis, ita vt non sit filiatio, nisi immediatè procedat à principio, quod in eo genere primum est. Ideo Nyssenus citatus dixit: *Continenter, & sine medio ex primo.* Et Ricard. citatus similiter mediationem solummodo considerat comparatione personæ improductæ. Sic enim creata generatio viuentium per se non supponit priorem aliam productionem eiusdem generis, ab eodem primo principio profectam. Sed omnis pater est primum principium in ratione generantis, & in ratione particularis causæ principalis: vt ex Augustino vidimus disput. 4. sect. 5. probatione 4. Ideo rectè S. Thomas dixit, eam solam processionem esse per modum naturæ, quæ est vnius ab vno, & non supponit per se aliam processionem, vt videbimus sect. sequenti in quarta sententia.

15 *Sextum discrimen.* Sexta ratio Augustini lib. 9. de Trinit. in fine totius libri, fuit, quoniam Verbum diuinum procedit vt notitia, quæ partus, proles, aut conceptus dicitur, eo quod reperiatur (nam *reperio* dicitur à verbo *pario*) præcedátque parturitio, id est, desiderium, & inquisitio veritatis. Hanc rationem minus probare videtur S. Bonauent. 1. distinct. 6. art. 1. quæst. 2. ad 2. & ex professo refutant Henricus in summa art. 60. quæst. 1. corp. versus finem, & multi recentiores. Primò, quoniam Dei notitiam non præcedit inquisitio, nec inquisitionem sequitur inuentio. Quia nihil priùs ignoratur, & postea scitur; & multo magis repugnat Deo labor inquirendi, similis parturienti. Secundò, quoniam inquisitio, & labor, parturienti similis, solummodo probaret, notitiam, aut verbum esse metaphoricè filium, aut partum, non autem propriè filium, & propriè genitum; etiamsi Deo conueniret inquisitio, & labor.

16 Nihilominus attentius consideratus contextus Augustini, consonat optimè cum vera ratione discriminis, explicata in disput. 6. Obseruentur potissimum illa verba paulo ante finem dicti libri 9. *Quæ reperiuntur, quasi pariuntur, vnde proli similia sunt, vbi, nisi in ipsa notitia? ibi enim quasi expressa formantur.* Respexit igitur Augustinus ad rationem imaginis expressæ, quam notitia continet, propter quam res ipsa, quæ prius erat ignota, denuo existit in imagine. Dixerat autem paulo superius, huiusmodi notitiam Dei esse partam ab eodem Deo, tanquam ab obiecto, & tanquam à cognoscente. Vt retulimus disp. 6. sect. 2. post med. addítque *Deum gignere parem sui notitiam, quia non minus se nouit, quàm est, nec alterius essentiæ est notitia eius, non solum quia ipsâ nouit, sed etiam quia se ipsam.* Itaque Augustinus nititur in expressa similitudine eiusdem naturæ, quæ soli Verbo conuenit, ex vi suæ processionis.

17 Reliqua verò de appetitu inueniendi, & inquisitione præcedente, magis explicant accidentales similitudines humani conceptus mentalis, cum humana generatione. Sed nemo dubitauerit, quin alienum fuerit à mente Augustini, talia diuinæ generationi tribuere.

18 *Septimum discrimen.* Septima ratio Augustini lib. 5. de Trinit. c. 14. sub init. Vbi proposita quæst. *cur non sit Filius etiam Spiritus sanctus, cum & ipse à Patre exeat?* Respondet: Exiit enim non quomodo natus, sed quomodo datus. Hanc rationem recipit Magister, & communiter Scholastici 1. dist. 13. cap. 2. & dist. 18. cap. *sed quæritur*, & cap. *secundum hoc* & Hugo Victor. eruditionis theologicæ summæ sentent. tract. 1. cap. 7. ante med. tomo 3. Eam redarguunt aliqui recentiores, non vt falsam, sed vt insufficientem: quia non reddit rationem, ob quam Spiritus sanctus non procedat vt natus, & Filius non procedat vt datus, nec quare vterque non possit esse simul datus, & natus.

19 Cæterum si consideraueris attentiùs sequentem Augustini discursum, te non latebit illa probatio, *Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solum refertur, cum dicitur Filius.* Et post pauca: *Quod autem datum est, ad eum, qui dedit, refertur, & ad eos, quibus dedit.* Duplex igitur argumentum iis continetur in verbis. Primum. Spiritus sanctus non refertur ad solum Patrem, sed ad Patrem simul, & ad Filium. Ergo non procedit vt natus. Quod argumentum recurrit ad illud fundamentum eiusdem Augustini, quod ponderauimus in ratione 4. & 5. & 6. videlicet, de ratione generationis, ac filiationis esse procedere ab vnica persona, tanquam à primo, & immediato principio.

20 Secundum argumentum erat, quoniam Spiritus sanctus refertur non solùm ad personas diuinas, sed etiam ad creatas: sed Filius præcisè sub conceptu Filij, non refertur ad personas creatas (quamuis sub ratione Verbi referatur ad illas, vt disput. 62. diximus:) explicat autem Augustinus in eo cap. 14. & seq. 15. se intelligere *datum* non actu, sed aptitudine, quia Spiritus sanctus eo quod procedat per voluntatem vt amor, est donabilis. Quamobrem si solummodo suppleas, quod in aliis libris eiusdem operis de Trinitate magis explicuit Augustinus: Spiritum sanctum non esse imaginem, hoc inferens ex eo, quod ex vi processionis sit donum; nihil deerit ad plenitudinem discriminis explicati disput. 6. Atque ita declarant aliqui Scholastici, vt Gabriel distinct. 13. sub init. Dionys. Cisterc. 1. distinct. 9. & sequentib. quæst. 2. art. 2. con. 4.

21 *Octauum discrimen.* Octaua ratio est Ricardi Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 11. & cap. 18. vsque ad 21. Vbi quamuis rectè supponat, similitudinem, & imaginem esse de ratione procedentis per generationem (vt retulimus disput. 6. sect. 1. prope finem.) Addit tamen, Spiritum sanctum ideo non esse imaginem, quia licet sit eiusdem substantiæ, non tamen est similis personæ Patris in eo, quod det, atque communicet plenitudinem diuinitatis, sicut eam communicat Pater, & Filius. Quamuis autem Spiritus sanctus euadat similis personæ Filij in eo, quod à Patre accipit communicatam plenitudinem

tudinem diuinitatis; non est filius Filij: quoniam Spiritus sanctus à Filio procedit eodem modo, quo procedit idem Spiritus à Patre, cuius filius non est Spiritus sanctus propter rationem dictam. Hanc rationem sequitur Alexander 1. part. quæst. 62. memb. 3. artic. 2. ante med. & quæst. 42. memb. 2. in med. & memb. 3. artic. 2. & tanquam concomitantem rationem admittit S. Bonauent. 1. distinct. 31. art. 1. quæst. 2. & Maior 1. dist. 13. quæst. 1. in vlt. particula definitionis, quam ipse concinnauit.

22 *Refutatur.* Sed eam refutant Albertus Magn. 1. part. q. 31. memb. 2. in fine corporis. S. Thomas infra q. 35. art. 2. corp. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 10. Maior 1. distinct. 13. q. 1. & communiter recentiores in præsenti q. 27. & infra q. 35. art. 2. Primò, quia non personalitatis, ac differentiæ numericæ similitudo, sed solius naturæ specificæ similitudo, & imago requritur ad veram, & propriam quidditatem generationis, & filiationis, tam in humanis, quàm in diuinis. Et sine sufficienti fundamento dicitur, exigi similitudinem in notionali, relatiua, & personali proprietate communicandi naturam.

23 Secundò, quia licet Pater debeat communicare Filio naturæ fœcunditatem, quam habet; attamen hoc sufficienter præstat communicando totam naturam, quæ ex se est fœcunda; quamuis suppositum, cui communicatur, non sit generationis principium, eo quod est quidditatiuè terminus totalis, & adæquatus totius generationis possibilis per illam fœcunditatem. Similiter ergo satis erit Spiritui sancto communicare naturam, quæ ex se communicabilis est multis personis, quamuis Spiritus sanctus non possit esse communicationis principium, quoniam tota communicabilitas est iam terminata. Quapropter sicut Verbum est Filius, licet non sit generationis principium, ita Spiritus sanctus posset esse filius, licèt non sit principium communicandi naturam.

24 Tertiò, quia si ratio imaginis in Verbo requirit similitudinem *in proprietate relatiua* communicandi naturam; cum ea similitudo sit imaginis perfectissimæ; sequeretur, opus esse vt Filius posset esse duarum personarum principium sicut Pater, & vnius quidem personæ solus Filius, alterius autem personæ Filius simul cum altera persona per ipsum producta; imo sequeretur, quod Filius deberet esse ingenitus, & Pater, sicut & ipse Pater. Denique optatum, ac diligenter quæsitum in hac ratione probabilitatis fundamentum, reperire non potui; licèt ab authore quasi euidenter conuincens afferatur. Plura dicemus disp. 64. sect. 4. ad finem.

25 *Nonum discrimen.* Nona ratio Ricardi Victorini in prædicto lib. 6. de Trinit. cap. 6. 7. & 8. & 17. Quia etiam inter homines germanitas filiationis est prior origine cæteris omnibus germanitatibus, & coniunctionibus, prouenientibus ex origine, & est principalior quasi caput cæterarum, quia cæteræ coniunctiones, siue germanitates ab illa proficiscuntur. Sed tertia persona Trinitatis *non est principali germanitate coniuncta* (sic loquitur Ricardus) quia eius coniunctio, siue germanitas supponit priorem germanitatem Filij, à qua ducat originem Spiritus sanctus. ergo non est Filius. Confirmat Ricard. quia dualitas est prior quàm Trinitas, & prius est persona producta ab vno, quàm persona producta à duobus, & prius est habere dilectum, & coæqualem, qui est Filius, quàm habere condilectum, qui est Spiritus sanctus.

Hanc rationem amplectitur Alexander 1. part. q. 42. memb. 2. in med. & memb. 3. art. 2. præsertim ad 2. Eandem refutat Henricus in summa art. 60. quæst. 1. Verumtamen sano modo intellecta non nihil habet probabilitatis, excepta processione per voluntatem, quam vtrique personæ procedenti communem existimat, quam refutauimus disput. 2. sect. 1. initio. Fundamento Ricardi concordat Aristoteles 8. Ethicor. cap. 12. sub init. dicens: *Consanguinea amicitia multiplex: pendet autem omnis ex paterna.* 26

Decimò prætereundum non est, immeritò à quibusdam insufficientiæ notari rationem, quam reddit Bernard. epist. 190. ad Innocen. col. 1. Quoniam ille non intendit ostendere discrimen, propter quod Spiritus sanctus non est filius: sed tantùm intendit probare, fallax esse argumentum Abailardi, negantis Spiritum sanctum esse de substantia Patris. Quia *si esset de substantia, genitus esset. Quasi verò omne quod de substantia est, continuò ipsum à quo est, habeat genitorem. Num verò pediculi, aut lendes, vel filij carnis sunt, vel non sunt de substantia carnis*, &c. 27 *Bernardi mens.*

SECTIO II.

Examinantur antiquorum Scholasticorum nonnullæ sententiæ, dissidentes à vero discrimine generationis, & processionis.

PRima sententia Aureoli 1. distinct. 9. p. 1. art. 2. 3. & 4. continet tres assertiones, ad præsentem quæstionem attinentes, aliis prætermissis. In primis namque fatetur, ad rationem generationis requiri productionem similis, & imaginis, & hanc consistere in productione diuini Verbi per intellectionem perfectissimam sui ipsius: idque confirmat testimoniis Augustini, adductis supra disput. 6. sect. 2. In hoc igitur concordat veræ, & communi Patrum sententiæ. 1

Dissidet autem, quoniam ex professo contendit, ad veram quidditatem generationis non requiri productionem termini similis in natura, & substantia, sed perfectiorem generationem esse, per quam producitur intentionalis similitudo, & imago repræsentans. Vnde quantum ad vim, & proprietatem producendi substantialem personam diuinam, tanquam æquales exponit processionem Verbi, & processionem Spiritus sancti. Denique in prædicto art. 4. §. 2. concludit: *Deus seipsum verè, & realiter generauit, si seipsum verè, & realiter intellexit.* Et ea ratione *demonstratiuè probari generationem esse in diuinis*, defendit in solutione instantiarum. 2

Hæc sententia non modò singularis est, ac temeraria; vtpote contraria cæteris omnibus Scholasticis: sed etiam periculosa, & errori proxima. Probatur primò, nam Scriptura sacra Christum Dominum appellans Filium Dei, & genitum, intendit significare consubstantialitatem eius cum Patre. Ergo quidditas generationis, & filiationis postulat, filium produci similem in substantia, & natura. Antecedens probatur, quia Patres cuncti, quoties Filij diuinitatem, & omousion probant aduersus Arianos, & cæteros illius hostes, præcipuè nituntur testimoniis Scripturæ, quibus asseritur Filius, aut genitus; inde per euidentem illationem concludentes similitudinem in substantia. Vidimus aliqua Patrum testimonia sect. 1. & 2. alia Scripturæ, & Patrum disp. 4. sect. 2. & 3. 3 *Censura & eius probatio.* *Requiritur similitudo in natura: nec sufficit intentionalis.*

Plura

Plura referemus probantes consubstantialitatem disput. 20. & quatuor sequentibus, & disput. 54. sect. 2. Confirmatur, quoniam Patres imaginem, quæ generatur, non intentionalem, sed realem identitate substantiæ intelligunt, vt qui videt Filium, videat substantiam Patris. Ioan. 14. vt notant Patres citandi disp. 64.

4 Probatur secundò, quia generatio, propriè & strictè sumpta, non est, nisi per quam producitur terminus, qui verè, & propriè sit Filius. At vero non est verè, & propriè Filius sola similitudo, & imago intentionalis, sed debet esse persona subsistens in natura simili, & eiusdem speciei: quod ratione naturali ostendimus disp. 6. sect. 5. & sequentibus. Confirmatur, nam Aureolus inuenit nouam, & antea nunquam auditam generationem, quæ consistat præcisè in perfectissima cognitione sui, qualem Philosophus naturaliter demonstrauit conuenire Deo, & in ea consistere beatitudinem illius. Nam licèt analogicè dicatur generatio, quælibet conceptio mentis: propriè tamen non dicitur generatio, nisi perueniat ad similitudinem in natura.

5 Probatur tertiò, quia, quantum est ex vi generationis, ab Aureolo definitæ, posset esse generatio sine multiplicatione diuinarum personarum, imo etiam sine reali distinctione genitoris, & geniti; quia non requiritur realis distinctio intelligentis se ipsum, à se ipso intellecto. Ideóque Sabellius, solis nominibus distinguens Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in vna persona, facilè diceret, Deum vt intelligentem esse Patrem generantem, atque vt intellectum à se ipso, appellari filium.

6 Quartò Patres antiqui diserti verbis, atque frequenter fatebantur, Deum intelligere se ipsum perfectissimè, & Filium esse sapientiam, rationem, & Verbum Dei; fatebantur etiam, Deum amare se ipsum perfectissimè, & Spiritum sanctum esse amorem, & charitatem: vt vidimus disp. 2. sect. 2. & 3. & disp. 6. sect. 1. & 2. & magis constabit disp. 58. & 59. & disput. 72. vel sequen. Nihilominus iidem Patres fatebantur se ignorare rationem discriminis, ob quam Verbum sit Filius, & genitus, sed Spiritus sanctus nec sit filius, nec genitus; vt vidimus disput. 5. sect. 1. Ergo supponebant, rationem, & quidditatem generationis non consistere in eo præcisè, quod Deus se ipsum verè, & realiter intelligat intentionali sui similitudine.

7 Secunda sententia est Ægidij distinct. 13. art. 2. quem vt proprium authorem defendit Argentina in eadem dist. 13. quæst. 1. art. 2. docens, generationem à processione Spiritus sancti distingui formaliter, eo quod generatio ordinatur ad relationem Filij, sed processio ordinatur ad relationem Spiritus sancti. Probat autem, quoniam in diuinis nulla est distinctio, nisi per relationes.

8 Quantum ad hanc primariam assertionem, vera est Ægidij sententia, sed valde diminuta, nihilque conferens ad solutionē quæstionis, quam tractabant scholastici, quos refutat. Etenim restat explicare rationem discriminis, quæ importatur in hoc ipso, quod persona Verbi constituatur relatione Filij, & tamen Spiritus sanctus non constituatur relatione filij; cum tamen Spiritus sanctus procedat eiusdem naturæ diuinæ, cuius est Verbum.

9 *Processionum distinctio per terminos.* Insuper manifestè repugnat veritati, quando negat Ægidius processiones distingui per suos terminos, in quo sibi contradicit, siquidem per relationes nō possunt distingui, nisi distinguantur per terminos, ad quos producendos ordinantur. Excludit etiam distinctionem, quæ sumitur ab intellectu, & voluntate, siue à natura, & voluntate, quam tamen probauimus disp. 6. sect. 5. in quo sibi contradicit Argentina, siquidem ipse dist. 4. quæst. 1. art. 1. sub init. rectè cum communi sententia docet, generationem esse productionem, quâ communicatur natura per modum naturæ; confirmátque ex Arist. 2. physi. text. 14. & Damasceno; idémque repetit in solut. ad 5. & 8.

Tertia sententia Durandi, qui 1. dist. 4. quæst. 1. num. 8. rectè probat in diuinis esse generationem, quia *illud quod accipit ab alio esse & naturam, & modo naturæ, dicitur ab eo generari*, &c. Sed in exponendo *modo naturæ*, quo generatio distinguitur à spiratione, deficit à vera, & communi sententia non solum ibi, sed etiam latius dist. 6. quæst. 2. refutans processionem per intellectum, & voluntatem, (vt vidimus disput. 2. sect. 1.) & tandem num. 17. dicit, ea solum ratione Filium procedere per modum naturæ, quia procedit ab vno tantum, & non à pluribus eiusdem gradus, & ordinis. At Spiritus sanctus procedit à duobus, scilicet, Patre, & Filio æquè perfectè producentibus, ita vt ambo simul non producant perfectius, quàm illorum alter. 10

Refutatur primò, quia postrema verba significant, vel supponunt Patrem, præciso concursu Filij, esse sufficiens principium spirandi; similitérque Filium, præciso concursu Patris. Hoc autem falsum est, quoniam vtraque persona per se requiritur ad productionem Spiritus sancti infra disp. 71. & sequenti. Vnde consurgit refutatio secunda, quia licet mille supposita concurrant ad vnam productionē, si tamen sunt per se requisita, & necessariò, atque sine præcedēte deliberatione, conueniunt ad eam productionem; agunt vt natura, & per modum naturæ, non verò per modum voluntatis. Hoc autem modo conueniunt Pater, & Filius ad spirandum. 11 *Sententia Durandi refutatur.*

Tertia refutatio. Quoniam gratis, absque fundamento sufficienti, quæsitus est potius, quam inuentus ille *modus naturæ*, & *modus intellectus*, condistinctus à *modo voluntatis*, ne sententia præsens videatur tanto discrimine distare à doctrina Theologorum. Nihil enim interest vnum; aut plura principia conuenire, vt nuper dicebamus. Quartò refutatur, quia si Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procederet, vt similis in natura, atque vt imago principij producentis; nihil obstaret, hoc vnum principium coalescere ex duabus personis: haberet enim totam quidditatem Filij, & geniti: pro vt probatum est tota disp. 6. præsertim sect. 4. & sequentibus. 12

Confirmatur, nam eandem naturam humanam assumere potuissent simul duo suppositā diuina; potuissentque de potentia absoluta per illam naturam generare filium. Tunc autem à duobus suppositis procederet *generatio*, in quantum sustinerent eandem naturam humanam. Eadem verò ratio tunc foret, aut valde similis, quod ad præsens attinet (licet innumera forent alia, quibus distaret in infinitum.) Nam Pater, & Filius, inquantum habent eamdem voluntatem, & naturam, spirant Spiritum sanctum. 13

Quarta sententia S. Thomæ 1. dist. 13. quæst. 1. art. 2. & 3. & de potentia quæst. 10. art. 2. corp. & ad 7. & 11. primo aspectu videtur eadem, quam nuper ex Durando refutauimus. Nam ex professo probat, ideo processionem Verbi esse gene- 14 *Verba tenus cum Durādo consentit S. Thomas.*

rationem, quia est per modum naturæ, & per modum intellectus, eo quod est processio vnius ab vno, & non præsupponit aliam processionem; sed è contrario processionem voluntatis per se requirere duos, & per se supponere priorem aliam processionem; ideoque non esse per modum naturæ, nec esse generationem. Nam amor supponit cognitionem, per quam procedit Verbum, & amor amicitiæ requirit duas personas se mutuo diligentes.

15 Nihilominus in horum verborum sensu longè distat à sententia Durandi; & nihil recedit à vera sententia, quam postea docuit 1.p.& 4. contra gent. vt vidimus disp.6. sect.3. Etenim 1.cum dicit processionem Verbi esse per modum intellectus, non intelligit similitudinem metaphoricam vt Durandus; sed intelligit verè, & realiter esse Verbum, procedens per intellectionem, & non immediatè per naturam, vt expressè probauerat in prædicta quæst.10.de potentia art.1.& in 1. sentent. dist.27.q.2.art.1. & 2.

16 Secundò rationem discriminis, quæ sumitur ex imagine, & similitudine, quam intellectio producit, & quam non producit amor ex formali ratione amoris; expressè posuit S. Thom. in eadem quæst.10.de potentia art.2. ad 11.& simul cum illa coniunxit discrimina supradicta, supponendi aliam processionem, & procedendi à duobus. Tertiò notat discrimen, quod per processionem amoris non producitur aliquid vt recipiens formam, & naturam producentis, sed hoc habet processio Spiritus sancti, in quantum est amor Dei, vt videre est dicta quæst.10. de potent.art.2. ad 22. & 1. sentent. dist. 13. quæst. 1. art. 3. ad 3. & 4.

17 Quartò verissimum etiam est quod S.Thom.in vtroque loco principaliter intendit, videlicet vtramque processionem non posse realiter distingui, nec terminari ad terminos realiter distinctos, nisi vna processio procederet ab alia; & consequenter persona procedens per secundam processionem procederet à duabus personis: cuius veritatis rationes attulimus disp.1. sect.6. Quintò quantum ad hæc rectè sensit Ricard. Victorinus lib.6. de Trinit. cap. 7. & 8. imo & Nyssenus quorum sententiam retulimus sect. præcedenti, ratione quinta. Eum autem aliqua ex parte secutus est S.Thom. in locis citatis.

18 Propter hæc nec falsam, nec diminutam simpliciter dixerim sententiam præsentem, sed minùs explicatam, quàm 1. p. & 4. contra Gentes. Quod si prædicta bene perpendantur, sponte corruent quorumdam recentiorum obiectiones aduersùs hanc sententiam.

SECTIO III.

Refutatur sententia, concedens, Spiritum sanctum ex vi processionis formaliter esse similem; & negans esse imaginem.

1 DVæ sunt primariæ assertiones, quas prior quasi sub dubio Canariensis inuexit 1. p. q. 27. art.2. p.4. Comentarij, quem sequitur Vazquez disp. 113. cap.3. cui consonat disp.145. c.3. & 4. Prima est. Spiritus sanctus ex vi processionis formaliter procedit similis in natura. Hanc probant argumentis antiquorum scholasticorum, quibus oppugnare solebant rationem acceptam ex quidditate processionis per voluntatem, quoniam hæc non dicit similitudinem. Insuper adductis solutionibus Caietani, & Ferrariensis, eas acriter impugnant. Veruntamen eorum obiectiones, & alias plures ac difficiliores diluimus disp.6. sect.9. & disp.7. sect.3. 4. & 5. Ideo nihil opus est in præsenti repetere, nec immorari circa singula, quæ permiscentur in illis, veritati contraria.

Prima assertio illius sententiæ.

2 Secunda eorum assertio est. Ideo Spiritus sanctus non est Filius & eius processio non est generatio, quia Spiritus sanctus non est imago, nec procedit per modum imaginis. Probant primò authoritate Nazianzeni, Athanasij, Augustini, Anselmi, & Hugonis, dicentium, Verbum diuinum ideo esse Filium, & genitum, quoniam est imago Patris; sed Spiritum sanctum non esse genitum quia non est imago. Horum, & aliorum Patrum testimonia plura posuimus disp.6. sect.1. & 2.

Secunda assertio eiusdē.

3 Probant secundò, nam ad rationem imaginis non sufficit, ex vi processionis formaliter procedere vt simile, sed requiritur destinari ad repræsentandum: quemadmodum Verbum quidditatiuè destinatur ad repræsentandum. Probant tertiò, quia ignis igni similis est, & tamen non est imago illius, & ouum ouo simile est. Ergo similitudo non sufficit ad rationem imaginis.

4 Nihilominus dicendum est; huius sententiæ primam assertionem simpliciter esse falsam: At verò secundam assertionem, licet simpliciter vera sit, incompossibilem esse cum prima. Probatur primò, nam iidem Patres Nazianzenus, Athanasius, Augustinus, Anselmus, & alij plures citati dicta disp.6. sect.1. & 2. pro eodem semper vsurpant procedere, vt similem ex vi processionis, & procedere vt imaginem. Quapropter indifferéter vtuntur his vocibus, quandóque solummodo dicentes similitudinem, quandoque solummodo dicentes imaginem, & nonnunquam simul copulantes imaginem cum similitudine. Peculiariter Anselmus in Monolog. cap. 53. prius dicit: *Verbum promptam præferre parentis imaginem.* Et subdit Spiritum sanctum non esse Filium, quia *non statim tam perspicuam exhibet se contemplati eius, ex quo est, similitudinem.*

Refutatur vtraque assertio.

5 Quod similitudo in natura, conueniens ex vi processionis, sufficiat ad eam quidditatem imaginis, quam postulat generatio, & filiatio: multò clariùs constat apud S.Thom. in præsenti q.27, art.2. & 4. & lib.4. contra gentes cap. 11. & 19. & apud cæteros omnes scholasticos citatos disp. 6. sect.3. & 4. Exemplum sit definitio, quam tradit S.Thom.dicto lib.4.contra gentes longè post med. *Hæc est veræ generationis ratio in rebus viuentibus, quod id, quod generatur, à generante procedat, vt similitudo ipsius, & eiusdem naturæ cum ipso. Est ergo Verbum Dei genitum,* &c. Cui definitioni concordant cæteri scholastici citati.

6 Gratis autem, & contra mentem authorum, contraria sententia respondet, nomine similitudinis, quam Anselmus, & S.Thom. negant Spiritui sancto non intelligere similitudinem, quæ consistit in vnitate naturæ, saltem specifica, sed intelligere similitudinem repræsentationis. Nec obstat quod S.Thom. dicto cap.19. semel, & iterum repetat, *rem intellectam in intelligente esse secundum similitudinem speciei.* Cum tamen intellectus creatus non possit producere Verbum, quod in natura specifica conueniat cum obiecto cognito. Nam similitudinem speciei analogicè, & imperfectè sumendam esse, quando refertur ad intellectum creatum, constat ex aliis locis S. Thomæ, citatis

citatis disp.6.sect.5.præsertim 1.p.quæst.27.art.2. ad 2. & art.4. corpore.

7 Probatur secundò, quia impossibile est aliquod viuens ex vi processionis formaliter procedere vt simile suo principio; nisi procedat vt repræsentatiuum illius, & imago tali modo repræsentationis, & imaginis, qui sufficiat, vt propriè sit filius, & genitus. Nam intentio, & finis repræsentandi, non requiritur eo modo, quo pictor per actum elicitum voluntatis intendit exprimere imaginem Imperatoris: siquidem equus propriè filius est, & genitus ab alio equo; qui tamen habere non potuit prædictam intentionem elicitam producendi imaginem *sui* repræsentatiuam. Necessarium igitur est, (quod etiam contraria sententia fatetur) finem, & intentionem naturæ sufficere, vt repræsentet, & sit imago, atque filius. Hæc autem intentio naturæ continetur in quacumque processione, si viuens ex vi talis processionis formaliter procedit, vt simile suo principio.

8 Confirmatur, nam vt inquit August. lib. quæstionum in Deuteronomium quæst.4. sub init. *Omnis,* inquit, *imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago est. Vnde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cuiuslibet in altero, non imago. Si autem Patri Filius similis sit, etiam imago rectè dicitur, vt sit Pater prototypus, vnde illa imago expressa videatur.* Ergo quæcumque persona, formaliter ex vi processionis habens totam similitudinem, filiationi sufficientem: eo ipso verам, & propriam obtinet rationem imaginis, quæ requiritur, vt sit Filius: ita vt sit impossibilis quæcumque similitudo, sufficiens ad filiationem, quæ non euadat imago, si concurrat cum prædicto requisito procedendi à viuenti ex vi processionis formaliter.

9 Vnde sumitur pobatio 3. quoniam præter similitudinem ex vi processionis formaliter, nulla alia repræsentatio fingi potest ad quidditatem imaginis requisita, vt magis constabit disput.64. Nunc probatur, quia fingi non potest vlla repræsentatio, quæ non sit intentionalis, vel realis. Intentionalem seu formalem repræsentationem appellamus eam, quæ personam formaliter constituit in facto esse cognoscentem, & dicentem illud obiectum, quod repræsentatur. Realem siue obiectiuam repræsentationem dicimus illi rei conuenire per quam prius cognitam potest aliquis intellectus venire in cognitionem alterius obiecti repræsentati. Nam de repræsentatione ad placitum nihil attinet ad præsens, cum non sit naturalis repræsentatio, quam in præsenti tractamus.

10 Quo supposito, sic argumentor. Intentionalis repræsentatio non requiritur ad rationem imaginis, & filiationis, sed sufficit sola realis repræsentatio. Hæc verè conuenit Spiritui sancto: si ex vi processionis formaliter procedit vt similis in natura. Ergo Spiritus sanctus esset Filius, si ex vi processionis formaliter procederet, vt similis in natura. Maior probatur in filio equi, vel filio hominis: ille namque est propriè imago (vt contraria sententia fatetur) & tamen non constituit formaliter in facto esse cognoscentem, & dicentem, quia neque est actus intelligendi, neque verbum mentis. Ergo ad imaginem filiationis propriæ non requiritur intentionalis, seu formalis repræsentatio, sed sufficit realis, naturalis, & obiectiua repræsentatio, quæ sola conuenit filiis hominum, & aliorum animalium. Minor probatur, quia si Spiritus sanctus ex vi processionis formaliter procederet, vt similis in natura; nihil illi deesset ad realem, naturalem, & obiectiuam repræsentationem, quæ conuenit cuicumque homini respectu sui patris, vel cuicumque filio alterius viuentis. Nam quidquid ex vi suæ originis formaliter procedit vt perfectè simile, eo ipso procedit ad repræsentandum, & vt sit imago principij à quo procedit.

11 Respondent, Spiritum sanctum nulli repræsentare Patrem, & Filium, quia Pater, & Filius se ipsos non cognoscunt in Spiritu sancto, neque vllus intellectus creatus in Spiritu sancto cognoscit Patrem, & Filium. Sed hæc solutio non satisfacit. Primò, nam ad rationem imaginis, quam in præsenti tractamus, nihil interest actualis repræsentatio, quamuis enim mulier sit communis, ita vt ignoretur prorsus à quo fuerit impleta, vel ante natiuitatem infantis eius pater rapiatur à latronibus ad regiones valde distantes, & nemo sit, qui per cognitionem infantis de facto veniat in cognitionem sui parentis; nemóque cogitet vnquam, vtrum ille patrem repræsentet, vel non repræsentet: nihilominus erit naturalis imago patris, quia quantum ex se est, potest patrem repræsentare propter specificam naturæ identitatem, acceptam ex vi processionis formaliter.

Euasio. *Refutatur.*

12 Refutatur secundò, quia sicut Pater seipsum cognoscit, non solùm in se ipso, sed etiam in Filio, non solùm tamquam in obiectiua, & formali repræsentatione, sed tanquam in reali, & obiectiua imagine: & sicut Filius seipsum cognoscit, non solum in seipso, sed etiam in Patre, tanquam in suo principio naturaliter simili: sic etiam Pater, & Filius in Spiritu sancto tamquam in obiecto per omnia simili, & tanquam in termino producto, seipsos intelligunt. Nec est vllum inconueniens hæc mutua cognitionis veluti circuminsessio; prouenit enim ex reali circuminsessione personarum, & pertinet ad summam perfectionem reflexiuæ cognitionis.

13 Ex quibus corollarium est. Primò, prædictam sententiam immeritò particulas addere, atque detrahere definitioni generationis communiter receptæ, idque minus consequenter; nam in re ipsa recurrit postea ad illam particulam, *ex vi processionis*, eam admittens, quam antea reiceret. Quæ particula rectè intellecta, superfluum est addere quod *procedat vt imago.* Hæc enim conditio continetur in similitudine *ex vi processionis formaliter.*

14 Secundò constat ex dictis solutio fundamentorum contrariæ sententiæ. Peculiariter autem ad probationem tertiam respondetur. Ignis quilibet, quantum ex se est, repræsentat eum ignem, à quo productus est. Cæterùm iuxta communem vsum illi non tribuitur nomen imaginis, quia rebus homogeneis, & imperfectis non conceditur, sed reseruatur perfectioribus rebus, videlicet viuentibus. Denique ouum erit imago illius tantum oui, à quo per generationem procedit. Sed non ita propriè, *sicut pullus*, dicetur imago nec filius, quoniam de ratione filij, & imaginis est, viuere vt principale viuens, & efficiens, & vt terminus principaliter, & vltimatè productus. At verò ouum non viuit, nisi vt instrumentum viuentis, productum non propter se ipsum, sed propter pullum principaliter intentum, & vltimatè producendum.

Solutio ad fundamenta cōtraria sententia.

SECTIO

SECTIO IV.

Num Filio ſapientia communicetur immediatius, quàm natura diuina?

1 NOnnulli recentiores exiſtimant, non poſſe defendi naturæ ſimilitudinem, Verbo communicatam ex vi proceſſionis formaliter; niſi Verbo communicetur natura immediatius, quàm intellectio, vel ſapientia. Quibus fauere videtur S. Thom. de pot. quæſt. 10. art. 2. corp. inter med. & fin. dicens: *Ex quo omnia attributa eſſentialia concurrunt in vnam proceſſionem Filij, non poteſt proceſſionum differentia inueniri ſecundum rationes attributorum diuerſas, ita quòd per vnam proceſſionem attendatur communicatio vnius attributi, & per aliam communicatio alterius.*

2 Eorum argumenta ſunt. Primum. Quoniam ſi natura diuina mediatè cõmunicatur Verbo, iuxta noſtrum modũ intelligendi, in quantum Verbo cõmunicatur ſapientia, conſequens eſt, quoad communicatam naturæ ſimilitudinem, Verbum nihil differre à Spiritu ſancto, cui ſimiliter communicatur natura diuina mediatè, in quantum communicatur immediatè amor, qui eſſentialiter imbibit naturam diuinam.

3 Secundum argumentum, quoniam creaturis per generationem communicatur priùs, & immediatiùs natura ſubſtantialis; proprietates verò, & paſſiones communicantur mediante natura; ſed ſapientia, & notitia Dei eſt veluti proprietas naturæ diuinæ. Ergo, ex noſtro modo intelligendi accommodato ad naturas rerum, prius diuino Verbo communicatur natura, & mediante illa, communicatur ſapientia, & reliqua attributa.

4 Tertium, quia licet animal generet non immediatè per ſubſtantiam, ſed mediante potentia generatiua: *nihilominus filio genito communicatur natura ſubſtãtialis immediatiùs, quàm* potentia generatiua. Ergo quamuis Pater generet immediatè non per naturam diuinam, ſed per intellectionem: Filio tamen non communicabitur immediatè intellectio, vel ſapientia, ſed priùs, & immediatiùs noſtro modo intelligendi communicabitur natura.

5 *Sapiẽtia immediatius cõmunicatur Filio.* Nihilominus ſit prima concluſio. Filio ſapientia communicatur immediatiùs, quàm natura diuina. Ita exiſtimant Mol. in præſenti quæſt. 27. artic. 3. diſputat. 4. col. 2. & 8. & infra quæſt. 40. artic. 2. diſputat. 2. memb. 3. §. 3. Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 5. præſertim num. 9. & 12. Explicatur, & probatur primò, quia licet natura diuina eſſentialiter includatur in ſapientia diuina, & viciſſim ſapientia eſſentialiter includatur in natura diuina: ideóque tantũmodo diſtinguantur penes implicitũ & explicitũ: nihilominus ratio ſapientiæ magis explicitè, magiſq; formaliter affertur à perſona Verbi, qua ratione Verbum eſt. Nã Verbum eſt idẽ, quod ſapientia, ſeu notitia in eſſe producto, & quaſi in facto eſſe. Quod teſtimoniis Conciliorum, & Patrum oſtẽdemus diſp. 58. ſect. 3. & ſequentibus. Recolantur ea teſtimonia Patrum, quæ vidimus diſp. 6. ſect. 2. præſertim illud Cyrilli Alex. lib. 1. Theſauri cap. 7. *Sic ex Patre natum Filium, vt ſapientia ex mente*, &c. Et quæ vidimus ex Auguſtino lib. 9. de Trinit. cap. 12. prope med. & lib. 15. c. 6. 13. 14. & 27. vbi ſemper inſiſtit in ſimilitudine notitiæ, quæ paritur à cognoſcente, & cognito.

6 *Patris definizio eſt Verbi.* Confirmatur primò, quia *vim enuntiatricem*, & *definitionem* Patris eſſe diuinum Verbum, docent Nazianz. & Nicetas, quorum verba poſuimus in eadem diſp. 6. ſect. 2. Cui conſequens eſt, quod Patres communiter ex ſacris literis accipiunt, Patrem loqui, & dicere Verbum æternum tanquam ſermonem, rationem, ſeu logon, vt videbimus diſp. 55. & 58. Hæc autem omnia formaliſſimè, & explicitè conceptum ſapientiæ continent.

7 *Eo Verbum, quo Filius.* Confirmatur ſecundo, nam vt Auguſt. ait. lib. 7. de Trinit. cap. 2. initio: *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.* Et poſt pauca: *Quoniam verò, & Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo ſapientia, Verbum enim relatiuè, ſapientia verò eſſentialiter intelligitur: id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac ſi dicatur nata ſapientia.* Multáque ſubiiciens in eandem ſententiam, in ſequenti c. 3. prope initium infert: *Pater eam* (ſapientiam) *dicit vt Verbum eius ſit.* Conſonat Athanaſ. orat. 2. contra Arianos prope med. dicens: *Eo ipſo, quo Verbum Patris ſui eſt Filius, & Filius eſt Verbum Patris, eiuſq; ſapientia.* Conſequens igitur eſt, vt quamuis formalitas ſapientiæ diſtincta ſit à formalitate Verbi, ſicut abſolutum diſtinguitur à relatiuo: cæterùm formalitas ſapientiæ magis immediatè, & magis explicitè, quàm cæteri conceptus abſoluti communicetur Verbo, vt ea ratione Verbum ſit terminus, ad quem formaliſſimè, & explicitè dicendi, atque intelligendi operatio terminetur.

8 *Infima diſtinctio partialiũ formalitatũ.* Denique licet formalitas Verbi, & formalitas Filij quadam infima diſtinctione rationis ratiocinatę diſtinguãtur, vt partiales formalitates vnius, & eiuſdem perſonalitatis: immediatiſſimè tamen inter ſe cohærent, & conſequenter non ſolum formalitas Verbi, ſed etiam formalitas Filij cohæret immediatiſſimè cum attributo ſapientiæ, conſideratæ quaſi in facto eſſe. De quo videri poteſt S. Thom. infra quæſt. 34. art. 2. ad 3. Confirmatur tertio, nam & S. Thom. dicta quæſt. 34. art. 1. ad 2. & art. 3. corp. peculiari ratione Verbo tribuit eſſe ſapientiam genitam, & eſſe expreſſiuum non ſolum ipſius Dei, ſed etiam creaturarum. Vnde quod retulimus pro contraria ſententia ex quæſt. 10. de potent. art. 2. nihil aliud ſignificat, niſi per quamlibet proceſſionem communicari omnia attributa, nullo excepto, nam & in fine corporis eiuſdem articuli cõcedit *vnam proceſſionem eſſe per modum naturæ, & intellectus, aliam verò per modum voluntatis.*

9 Probatur ſecũdò, quia ſecundum rectum modum intelligendi, prius intelligimus Verbum diuinum procedere, quaſi Verbum ſummè perfectum in ratione Verbi, ac proinde ſumma ſimilitudine repræſentans: poſtea verò animaduertimus, in hac ſumma ſimilitudine ſubſtantiæ, & naturæ identitatem afferri, ſine qua ſimilitudo, & repræſentatio non foret ſumma.

10 *Secunda concluſio. Magis immediata cõmunicatio naturæ.* Secunda concluſio. Filio communicatur natura diuina magis immediatè, quam Spiritui ſancto. Probatur, quia cum perſonalitate Verbi, & eius vltima, formaliſſimáque ratione, magis explicitè, magiſque formaliter connectitur natura diuina, inquantum perfectiſſima ſapientia genita, ſeu perfectiſſimum Verbum ex ſua ratione formaliſſima dicit eſſe perfectiſſimã repręſentationem, ſimilitudinem, & imaginem: vt vidimus tota diſput. 6. præſertim ſect. 2. 3. 8. & 9.

11 Ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum ſequela negatur. Quamuis enim tam Verbo, quàm Spiritui ſancto quaſi mediatè communicetur natura diuina, noſtro modo intelligendi; peculiaris tamen eſt Verbo communicatio

nicatio naturæ magis immediata, quàm Spiritui ſancto, magiſque pertinens ad vim formaliſſimam, & explicitam intellectionis; & ad lineam ſapientiæ genitæ ſeu Verbi, vt nuper dictum eſt.

12 Secundum argumentum in ſuos authores facile retorquetur, eadem quippe ratione probabit, Spiritui ſancto communicari naturam diuinam prius, quàm communicetur amor; ac proinde Spiritum ſanctum ſimilem eſſe ex vi proceſſionis formaliter, quã creaturis non modo per generationem viuentis à viuente, ſed etiam per quamcumque ſubſtantialem productionem prius, & immediatius communicatur natura ſubſtantialis; proprietates verò, & paſſiones communicantur mediante natura. Reſpondeo igitur, ſapientia, & quodlibet attributum Dei aliquando intelligitur à nobis per modum proprietatis reſultantis ex natura diuina: cæterum aptior, & verior intelligendi modus erit conſiderare omnia attributa quaſi rationes partialiter conſtituentes naturam diuinam. Ex omnibus ergo rationibus quaſi partialibus, ſicut intellectio, ſeu ſapientia eſt formalitas, per quam Pater immediatè generat, & non generat per naturam immediatè (vt probatum eſt diſp. 2. ſect. 2. & 3.) ſic etiam intellectio, ſeu notitia in facto eſſe, vel ſapientia eſt, quæ per generationem immediatè communicatur. Quoniam hæc ratio formalis naturæ diuinæ eſt, quæ formaliſſimè reſpicitur à productione per intellectum. Aliquod huius exemplum obſeruare licet in homine generante filium, cui formaliùs, & immediatiùs communicat naturam animalem, quoniam per animalem potentiam generat pater: deinde quaſi mediatè, & minus formaliter communicat naturam rationalem, quoniam homo non generat per intellectum, & voluntatem, neque eſt alia rationalis potentia per quam generet.

Attributa conſtituunt naturam diuinam.

13 Ad tertium omitto diſputare de potentia generatiua quid ſit, & vtrum Filio communicetur, de quo dicemus circa quæſt. 41. art. 4. & 5. Illud in præſenti ſatis eſt, intellectionem, aut ſapientiam conſiderari poſſe non inquantum eſt potentia generatiua, nec in quantum eſt operatio, per quam Pater generat: ſed præcisè inquantum eſt intellectio, notitia, vel ſapientia quaſi in facto eſſe communicata, ideſt, quatenus eſt terminus immediatiſſimè terminans intellectualem operationem communicatiuam, & productiuam. Etenim vt ſic intellectio, vel ſapientia immediatiſſimè communicatur Verbo diuino: ſicut homini genito immediatiſſimè communicatur ratio ſubſtantiæ, inquantum ratione compoſiti generabilis eſt: licet mediatè communicetur ratio ſubſtantię, quatenus eſt ingenerabilis, & immortalis ſecundùm animam.

Sub qua præciſione communicatur intellectio.

SECTIO V.

Recentior modus explicandi generationis diſcrimen, refutatur, quoniam actualis volitio, ſeu amor naturam diuinam conſtituit non minus, quàm actualis intellectio.

1 *Primus modus dicẽs intellectionem eſſe conſtitutiuũ formale diuinæ naturæ.* BIpertitus eſt hic modus dicendi. Alij namque rationem diſcriminis, propter quam Spiritus ſancti proceſſio non eſt generatio, colligunt hoc diſcurſu. Diuina natura formaliſſimè, & eſſentialiter eſt natura viuens perfectiſſimo gradu vitæ, videlicet intellectuali: & licet in Deo propriè non ſit ſpecies, nec ſpeciei conſtitutio, tamen eo modo, quo in Deo concipimus conſtitutionem eſſentialem, nulla poteſt eſſe prior, nec formalior, quàm per gradum intellectualis vitæ. *Viuere autem viuentibus eſt ipſum eſſe eorum.* Vt patet per Philoſophum 2. de anima textu 16. quem ſequitur S. Thom. 1. contra gentes capit. 98. Rurſus, quia natura diuina eſt intellectualis per eſſentiã, tanquam purus actus (non ſicut creaturæ ſunt intellectuales per participationem tanquam actus admixtus potentiæ) conſequens eſt, vt natura diuina ſit intellectualis per ſummam actualitatem intellectionis. Ideóque actualis intellectio eſt quaſi formale conſtitutiuum illius naturæ. Cum igitur Verbo diuino formaliſſimè, & immediatiſſimè communicetur actualis ipſa intellectio, vt intellectio eſt (quod oſtendimus ſect. præcedenti) concluditur, Verbo diuino formaliſſimè, & explicitè, ex vi ſuæ proceſſionis, communicari naturam diuinam ſecundum propriam rationem formalem illius conſtitutiuam. Aliter autem diuinus amor ſe habet ad eſſentiam diuinam, non ſicut conſtitutiuum illius, ſed tanquam quid conſequens intellectionem, & eſſentiam conſtituram, ſicut in vniuerſum appetitus conſequitur eſſe rei iam conſtitutum. Quapropter Spiritui ſancto licet communicetur amor ex vi proceſſionis formaliter: non tamen communicatur natura diuina, ſed quid quaſi conſequens naturam diuinam.

2 Confirmatur. Nam in vnaquaque natura illud cenſetur eſſe maximè eſſentiale, quod eſt veluti primum, ante quod non intelligitur talis natura in ſuo particulari eſſe conſtituta, & quod eſt veluti radix, aut ratio cæterorum. Ita verò ſe habet actualis intellectio. Hæc enim eſt radix, & ratio amoris adeo, vt hæc cauſalis vera cenſeatur: *Quia Deus intelligit ſe ipſum, amat ſe ipſum.* Inde quoque manat omnipotentia, & prouidentia comparatione creaturarum. Hunc dicendi modum, quem Franciſcus Suarez velut aliorum ſententiam retulerat tomo 4. metaphyſ. diſput. 30. ſect. 16. num. 12. poſtea lib. 11. de Trinit. cap. 5. num. 16. & 17. tradit tanquam probabilem, minimè refutando, ſed potius defendendo, priùs communem, & verum modum explicandi rationem diſcriminis, propter quod Spiritus ſancti proceſſio non eſt generatio, quem vidimus tota diſp. 6. præſertim ſect. 8. & 9.

3 *Secũdus modus nullam omnino diſtinctionem admittẽs inter naturam & intellectionem.* Rigidior eſt ſecundus modus exiſtimandi, quem ſequuntur neoterici quidam Theologiæ profeſſores; ſupponunt enim, notitiam, ſiue actualem intellectionẽ eſſe idem formaliter cum diuina eſſentia, & natura, ita vt nec ratione ratiocinata diſtinguatur ab illa: ſed actualis volitio, vel amor ratione ratiocinata diſtinguitur à natura diuina, ideo, inquiunt, Verbum ex vi proceſſionis formaliter accipit ſimilitudinem in natura, quam Spiritus ſanctus non accipit ex vi proceſſionis formaliter. Addunt autem, aliter eſſe impoſſibile rationem reddere, propter quam Verbum ex vi proceſſionis formaliter procedat vt ſimile in natura, non verò Spiritus ſanctus. Verumtamen in hoc poſtremo refutando nihil opus eſt immorari, cum diſp. 6. & 7. ſatis declarata, & propugnata fuerit vera ratio diſcriminis. Cætera fundamenta huius ſententiæ commemorabimus, quando fuerint refutanda, vel potius retorquenda, vt probent aſſertiones, tradendas in hac, & ſequentibus ſectionibus.

4 *Dictum 1.* Dico primò. Non eſt conueniens, nec vera ratio

ratio discriminis, propter quam Spiritus sancti processio non sit generatio, quæ traditur prædictis dicendi modis. Probatur, quia non sola intellectio constituit naturam diuinam, & actualis volitio constituit non minus, quàm intellectio; ac denique intellectio ratione ratiocinata distinguitur à natura diuina non minus, quàm actualis volitio. Quæ singula membra sequentibus assertionibus & sectionibus probabuntur.

5 Dico secundò. Deus essentialiter, & quidditatiuè est vita intellectualis, & intellectio seu sapientia in actu secundo. Quantum ad hoc rectè sentiunt Theologi nuper citati. Ratio demonstrans est, quæ tangitur in primo dicendi modo. Quia Deus essentialiter est vita in supremo gradu viuendi, qui est intellectualis vita, cuius perfectionem quidditatiuè continet non in potentia, sed in actu secundo, & vltimo, tanquam purissimus actus, non admixtus potentiæ.

Dictum 2.

6 Dico tertiò. Nihilominus naturam diuinam non constituit sola intellectio, sed eam etiam constituit actualis amor, & collectio cunctorum attributorum, & perfectionum, quæ sunt simpliciter simplices, & nullam inuoluunt imperfectionem. Probatur primò, Exodi 3. *Ego sum qui sum. Ait: sic dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos.* Iob. 23. *Ipse solus est.* Ioan. 8. *Nisi credideritis, quia ego sum.* & Ioan. 13. *Vt cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.* Ad ponderandum robur istius argumenti, notanda sunt duo. Primum, apud plerosq; Patres, & expositores prædicta verba significare, solum Deum esse, de cuius essentia sit esse, siue existere: ideóque Deum necessariò esse, & non ab alio principio, sed à seipso esse; & consequenter ab æterno, & in æternũ immutabiliter in eodem esse perseuerare. Quod prior obseruauit Plato delectatus verbis Mosis, vt refert, & laudat Iustinus oratione ad gentiles paulò post med.

Dictum 3. Collectio cuiuslibet perfectionis simpliciter constituit naturã diuinam.

Solus Deus est à se ipso, necessariò & immutabiliter.

7 Plenius autem idem exposuerunt Hilarius 1. de Trinit. col. 4. Hieronymus Epheseos 3. ad illud: *Ex quo omnis Paternitas.* Augustinus in Psalm. 9. ad illud: *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum.* & fusius tract. 38. in Ioann. ad illud: cap. 8. *Nisi credideritis quia ego sum.* & lib. 3. contra Maximin. cap. 26. & lib. 2. de moribus Manich. cap. 1. & de vera relig. cap. 49. & lib. de fide, & symb. cap. 4. Ambrosius lib. 8. epistolar. epist. 63. prope med. Chrysost. hom. 14. in Ioan. propius ad med. quàm ad princip. & serm. de Trinit. col. 3. Gregor. 16. Moral. cap. 16. fine, alias cap. 18. ad illud Iob. 23. *Ipse solus est.* & lib. 18. cap. 27. alias cap. 34. & homil. 2. in Ezech. prope finem, & in quintum psalm. pœniten. ad illud: *Tu autem idem ipse es.* Et in lib. 1. Reg. cap. 2. colum. 3. ad illud Annæ. *non est alius extra te.* Anastasius Sinayta de rectis fidei dogmatibus lib. 2. ad 3.

8 Secundò notandum est, prædictis expositionibus ostendi riuulos diuinæ perfectionis, procedentes ab immenso pelago totius esse, & perfectionis, quod est quidditatiuè ipsum esse Dei. Ideo profundior, & ab Spiritu sancto magis intentus verborum intellectus est, Deum quidditatiuè, & essentialiter comprehendere, & in vnum colligere totum esse, idest, quidquid est esse, non habens admixtum non esse, quia non habet admixtam imperfectionem, nam quælibet imperfectio priuat aliquo esse. Idem aliis verbis dici potest, Deum essentialiter esse quidquid est melius esse, quàm non esse; vel quidquid est perfectio simpliciter simplex. Sed actualis volitio, seu diuinus amor est esse, non habens admixtum non esse, perfectióque simpliciter simplex, inter primarias numeranda; quoniam ab illa multæ aliæ proficiscuntur. Ergo non solum actualis intellectio, seu sapientia, sed etiam actualis volitio, seu amor quidditatiuè continetur in natura diuina, tanquam partialis formalitas illius collectionis, per quam adæquatè constituitur essentia.

Dei natura complectitur quidquid est esse.

9 Antecedens probatur authoritate Patrum. Nazianz. orat. 38. de natiuit. Domini ferè inter princip. & med. *Deus*, inquit, *semper est, atque hoc modo se ipsum nominat, cum in monte Mosi oraculum edit. Vniuersum enim id, quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentiæ immensum, & interminatum, omnem, tum temporis, tum naturæ cogitationem superans.* Eadémque verba repetit orat. 42. quæ est 2. in Pascha col. 2. num. 7.

10 Idem Nazianz. orat. 36. quæ est 4. de Theologia inter med. & finem probat, *entis vocem ad indicandam essentiam diuinam esse aptiorem.* Et paulo inferius subiungit: *Naturam eiusmodi exquirimus, quæ ipsum esse per se habeat; ac non cum alio quopiam copulatum. Ens verò proprium sanè est Dei, ac totum, nec priori aliqua re, nec posteriori (nec enim erat, aut erit) definitum, ac circumcisum.* Perpende primò dictiones illas, *totum non definitum, ac circumcisum*, hoc enim æquiualet infinitati totius esse, nulla essendi parte detracta. Secundò perpende illud, *non cum alio copulatum*, idest, non habens admixtum non esse; solum quippe non esse est aliud ab esse, & ideo non copulandum cum esse Dei.

11 Consequenter Nazianz. tract. de fide, qui numeratur oratio 49. in med. totum esse, ac subinde perfectiones omnes simpliciter simplices in substantia; siue essentia Dei comprehendi, notat, dicens: *Quæ est substantia Dei, nisi ipsum quod Deus simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum totum?* Et post pauca: *Cuius nutu, & imperio vniuersa geruntur, cuncta deseruiunt: & bone quod de Deo in lege scriptum est. Ego sum qui sum, & Qui est misit me.* Vnde colligit. *Ergo ipsum quod est, hoc erit substantia huius rei; quæ esse defenditur.*

12 Damasc. lib. 1. de fide cap. 12. *Videtur*, inquit, *principalius omnium de Deo, dictorum nominum esse, Qui est, quemadmodum ipse, dans responsum Mosi in monte, inquit; Dic filijs Israël: Qui est misit me. Totum enim in se ipso comprehendens, habet ipsum esse, veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminatum.* Quemadmodum hæc verba Damascenus mutuatus est à Nazianzeno dicta orat. de natiuitate: sic etiam Ambros. ex dicta orat. 49. mutuatus est illa verba lib. vnico de Filij diuinitate cap. 4. in med. *Quæ est substantia Dei? ipsum quod Deus est, simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum.*

13 Hilarius lib. 12. de Trinit. multo propius ad med. quam ad princip. ita ratiocinatur: *Secundum ad Moysem dictum, Misit me ad vos is, qui est. Deo proprium esse id quod est, non ambigens sensus est: quia id quod est, non potest intelligi, dici, non esse.* Quod postquam explicuit fusius, obseruat, id ipsum *Vnigenito Deo esse proprium Euangelista testante: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Rursus vniuersa attributa intra Dei esse contineri, docet idem Hilarius lib. 9. de Trinit. multo propiùs ad med. quàm ad princip. Nam enumerata Dei *virtute, æternitate, prouidentia, & potestate*, subiungit: *Non quod hæc Deus ita habeat, tanquam aliud quid extra esse credendum*

credendum sit, sed quod in his ad aliquantulam sensus nostri opinionem significatus sit ipse, qui habeat.

14 Clariùs ad præsens institutum Exodi verba ponderauit Bernard. lib. 5. de consideratione ad Eugen. prope med. dicens: *Nihil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quid tale de eo dixeris; in hoc verbo instauratur: quod est, Est. Nempe hoc ei est esse quod hæc omnia esse. Si centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris nihil addidisti, si non dixeris, nihil minuisti.* Idem fusiùs corroborat sequenti contextu, & in sequenti columna, dum probat quòd omnes perfectiones diuinæ sunt vnicum simplicissimum esse Dei. Potest pro eadem expositione referri Anselmus in Prosologio toto cap. 22. præcipuè notando quæ post medium scribit: *Sed tu vita es, & lux, & sapientia*, &c. Denique S. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 11. corp. recipit eam sententiam, quam ex Damasceno retulimus.

15 Confirmatur primò, à posteriori. Nam ideo Deus est primus & vniuersalissimus fons omnium perfectionum, quas creaturæ participant, quia est fons totius esse participati, quod est vniuersalissimum, & primum in qualibet perfectione participata. At verò Deus non posset esse fons totius esse participati, & omnium perfectionum illius; nisi primitiuum esse totum in se formaliter, & essentialiter contineret, in quo deriuatiuæ perfectiones continerentur eminenter. Ita fere discurrit Anastasius Sinayta suprà citatus.

16 Profundius autem Dionys. de diuinis nominibus cap. 5. inter princip. & med. *Deus*, inquit, *non quodammodo est, sed absolutè, & liberè, sine vllo termino, vniuerso illo, quod est esse, in se comprehenso, & occupato.* Vnde prope medium capitis infert: *Ex ipso esse tanquam antiquiori alijs Dei donis, ipse Deus celebratur. Enim verò rerum principia omnia ipsius esse participatione & sunt, & principia sunt, & prius quidem sunt, & inde principia sunt. Quod si velis dicere, vitam esse initium viuentium, vt viuentia sunt; & vnionem esse principium coniunctorum, vt coniuncta sunt; & ordinem esse principium ordinatorum, vt ordinata sunt; & alia quæcumque esse initia eorum, quæ illorum participatione gaudent; inuenies profectò, ipsas participationes primùm ipso esse participare, & eo ipso esse, primum existere; mox verò huius, & illius principia esse, & ipso esse participando existere.* Vnde concludit: *Primum igitur ipsius esse munus cæteris præponens suprema illa bonitas, ipso esse vt antiquissimo, primoq; omnium eius participationum, potissimum celebratur.* Consonat idem Dionys. c. 2. de diuinis nominib. sub init. & August. lib. 12. de ciuit. cap. 2.

17 Vnde sumitur probatio secũda. Quoniã actualis intellectio, & sapientia non ita comparata est, nec amplitudinis ita capacis vt cõprehendat omnes perfectiones & omne esse, sicut ipsum esse. Intellectio quippe, seu sapientia est vna ex perfectionibus, quas esse comprehendit. Actualis igitur intellectio seu sapientia non est ita proportionata, sicut esse, vt intelligatur quasi substantia, & natura Dei plenè, & adæquatè constituta. Confirmatur primò, quia citati Patres, ex professo tractantes de nominibus, explicãtibus diuinã essentiam, seu naturã, inter ea non enumerant diuinam sapientiam, nisi tamquã vnum ex attributis essentiæ. Quod si sapientia cõstitueret diuinã essentiã; debuisset hoc nomen ad illam significandã assumi tanquam aptissimũ, & maximè quidditatiuũ.

18 *Bonitas non minus quàm sapietia constituit naturam diuinã.*

Confirmatur secundò, quia potius è contrario Princeps Theologiæ de diuinis nominibus Dionysius cap. 2. initio. *Ipsa quoque bonitas*, inquit, *diuinam totam essentiam, quidquid tandem sit, definiens, atque enuntians.* Siue vt alij vertunt: *Thearchicam totã essentiam quodcumque est per se bonitas determinans, & manifestans.* Vbi S. Tho. lect. 1. exponit, *distinguens ab alijs.* Ergo si aliquod constitutiuum, aut distinctiuum diuinæ naturæ foret assignãdum; deberet esse bonitas potius, quàm sapientia: quoniam vniuersalior est eius cõceptus, cõprehendens omnes perfectiones. Ponderandum namq; est, illud præcipuè constitutiuũ esse, quod definit, determinat, distinguit, & manifestat totam essentiam rei.

19 Confirmatur tertiò, quia non solùm perfectiones diuinarũ, vt sunt in seipsis, sed etiam pro vt in actu primo sunt essentialiter principiũ potens, & propensum ad omnẽ processionem, & communicationem, bonitas est manifestatiua magis, quã sapientia. Ideo Dionys. de diuin. nomin. c. 3. initio dicit, *Boni nominationẽ esse primam, perfectã, & manifestatiuam totarum processionum.* Quam sententiam secutus Damasc. dicto li. 1. de fide c. 12. ait: *Quemadmodum autem sanctus ait Dionysius, primarium Dei nomen est bonũ, non enim primum est dicendum de Deo esse, sed ipsum bonum. Sequens verò nomen est Deus.*

20 Confirmatur quartò, quia sicut Deus appellatur sapientia in sacris literis, sic etiam charitas & amor 1. Ioan. 4. *Deus charitas est.* Cõfirmatur quintò, quia nullum nomen est naturã diuinam significans, etiã nomen *vidents*, & *intuentis*, quod pertinet ad sciẽtiam, vt ex Nysseno referemus sect. 7. Idem generaliter de omnibus nominibus docet Nazianz. orat. 36. inter med. & finem n. 67. Cyrillus lib. 11. Thesauri cap. vnico prope finem, Damasc. lib. 1. fidei, cap. 12.

21 Tertiò probatur argumẽto ad hominem, quia prædicta sententia propterea Deũ actuali sapientia, & intellectione constitutum esse putat, quia intellectio, seu sapientia est vita perfectissima in actu secundo. Sed volitio, seu actualis amor est vita in actu secundo. Ergo non solùm intellectio, sed etiam actualis volitio, & amor constituet naturam diuinam, vel si non constituit volitio, non constituet intellectio. Minor probatur argumẽto S. Thom. 1. contra Gent. c. 97. initio: *Ostensum est Deum esse intelligentem, & volentem: intelligere autem, & velle non nisi viuentis est: ergo Deus est viuens.*

Amor etiam est vita.

22 Confirmatur primò, ratione à priori, quam ibidem tradit S. Th. & 1. p. tota q. 18. præsertim art. 3. corp. nam viuere dicitur quod operatur à seipso, non quasi ab alio motum. Hoc autẽ maximè conuenit Deo, non solum quoad operationem intellectionis, sed etiam quoad operationem amoris, quoniam ad amandũ à nullo alio mouetur prius, quã ab infinita sua bonitate per se ipsam cognita. Vnde quod Arist. 12. Met. c. 7. text. 39. vbi S. Thom. lect. 8. & 1. p. citata, mentionẽ faciãt solius operationis intellectus, ad eius vitam probandam nihil obstat, quia sub illa cõprehendunt aliam, quæ necessariò cõsequitur, videlicet amorem, & delectationem, qua completur vita contemplatiua, vt ex eodẽ Philosopho, & S. Thoma deducitur ibidem.

Viuere est operari à se.

23 Ex quo principio confirmatur secundò, nam intellectualis vita rectè, & adæquatè diuiditur in contemplatiuam, & actiuam, vt probat S. Thom. 2. 2. q. 179. art. 1. & 2. Rursus contemplatiua vita complectitur omnes operationes, quæ nõ propter faciendum opus externum, sed propter seipsas appetuntur, vt Aristot. notat lib. 7. Politic. cap. 2. & 3. & expressius S. Thom. 2. 2. q. 180. art. 1. comprehendens in vita contemplatiua plures actus voluntatis, potissimum Dei amorem. Quod euidenter constat etiam apud Prosperum duobus

Vita actiua & contemplatiua.

libris de vita contemplatiua. Denique Dei vitam esse contemplatiuam, docet idem Aristot. Ethicorum lib.10. cap.8. à med. & dicto lib.7. Politicorum cap.3.fine.

24 *Præoccupatur solutio.* Sed respondebit contraria sententia ex illo suo fundamento, quod ad illius confirmationem attulimus sub initium præsentis sectionis; nimirum in vnaquaque natura illud censetur esse maximè essentiale, quod est veluti primum, & est radix, & ratio cæterorum: sic autem actualis intellectio est radix, & ratio amoris.

25 *Quarta probatio.* Hæc solutio refutatur, & sit quarta probatio conclusionis. Nam licèt illud sit maximè essentiale, quod est veluti primum, & radix, ac ratio cæterorum, quæ non sunt de quidditate eiusdem naturæ: attamen quoties alia perfectio posterior, & ab alia, tanquam à ratione proueniens, est etiam de quidditate alicuius naturæ, tunc natura potius dicenda est *constitui* per posteriorem, & vltimam perfectionem; quia per illam completur: vel potius dicendum est, non constitui per solam priorem radicem, sed simul adæquatè constitui posteriori perfectione. Confirmatur primò, quia radicale intellectiuum non constituit adæquatè Angelum, licèt ex eo tanquam ex radice proueniat radicale volitiuum: sed vtrumque, videlicet, radicale intellectiuum, & radicale volitiuum adæquatè constituit Angelum.

26 Vnde confirmatur secundò, nam ex prædicta solutione sequitur oppositum eius, quod intendit defendere contraria sententia: sequitur enim, Verbum diuinum ex vi processionis formaliter non procedere totaliter simile in natura, & essentia: quia ex vi processionis formaliter non habet, nisi dimidiam vitam, quæ consistit in intellectione, vt nuper ostensum est. Quod si respondeas, sufficere quod ex ea parte vitæ procedat altera, videlicet amor: inde sequitur, potiori iure Spiritum sanctum procedere similem in natura ex vi processionis formaliter, quia procedit vt vita Dei, quæ est amor, & necessariò supponit vitam, quæ est intellectio: vnde totam vitam magis actualiter complectitur, quàm processio Verbi.

27 *Substantiæ ratio prior quàm sapientia.* Quinta probatio, præcedentem corroborans. Quia si ad instar creaturarum excogitare licet, naturam diuinam constitui per illud prædicatum, quod est in ea prius, & ratio cæterorum: dicendum esset, naturam diuinam constitui per rationem substantiæ potiùs, quàm per sapientiam, vel intellectionem: quoniam in Deo substantia prior est, quàm sapientia & eius radix, seu ratio. Quod obseruauit Chrysost. de incomprehensibili Dei natura. homil.1. prope med. dicens: *Prophetas non solum quid substantia Deus sit, ignorare videmus, sed etiam de sapientia eius quanta sit, planè ambigere: quamquam non à sapientia substantia est, sed ex substantia sapientia.*

28 Confirmatur primò. Nam & Dionysius, & alij Patres nuper citati, notant, esse Dei, vel essentiam esse quid antiquius, id est, secundum rationem, prius cæteris perfectionibus, etiam sapientia. Similitérque Aristoteles 12. metaphys. cap.7. & 8. primam immobilem, & æternam substantiam videtur ponere quasi prædicatum primum Dei, cui attribuit intellectualem vitam, quia se ipsam intelligit. Confirmatur secundò, quoniam ante intellectionem actualem præsupponitur obiectum intelligibile, & substantia, quæ simul sit obiectum intelligibile, & intellectio.

29 Probatur sextò, quia natura Dei complectitur omnem plenitudinem Diuinitatis. Ideóque Patres aliqui Christum Dominum esse Patri æqualem, & omnes Patris perfectiones continere, sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, æternitatem, ac cæteras, probant testimonio Pauli Colossens. 2. *Quia in ipsa inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Et ad hunc finem, frequenter vtuntur hoc nomine *plenitudo*. Sic Athanasius frequenter lib. 1. de vnita Deitate versus finem. & lib.2. de propriis personis in fine, & seq. lib.3. de assumptione hominis prope finem. & orat. contra Gregales Sabellij paulo post med. *Vniuersa*, inquit, *plenitudo, & integritas Deitatis est Pater, vt Pater: vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius vt Filius; quandoquidem amborum vna forma intelligitur, quæ integrè se in vtroque & solidè exhibet.* Formam appellat Athanasius constitutiuam rationem naturæ, & eam requirit integram, & solidam, vt sit plenitudo diuinitatis. *Plenitudo Diuinitatis est Verbum.*

30 Ambros. lib.3. de fide ad Gratian. cap. 6. fine: *Cum omnem*, ait, *plenitudinem diuinitatis corporaliter Filius habeat, quid est quod Patri æstimant amplius adscribendum, cum amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit.* Similia tradit lib. 4. de fide cap.4. propiùs ad med. quàm ad finem, & iterum propiùs ad finem, quàm ad med. & tract. in symbolum Apostolorum. Vnde sumitur confirmatio prima, quoniam, vt nuper dicebat Ambros. *Nihil amplius est plenitudine.* Ergo nulla perfectio restat, quæ in natura diuina non claudatur.

31 Confirmatur secundò, nam, vt Chrysost. ait, ad verba citata Colossens. 2. homil. 6. col. 3. *Plenitudo non est quod aliud capit. Quod totum est, plenitudo dicitur.* Ergo diuina natura non capit aliam vllam perfectionem vltra suam plenitudinem: ac proinde omnem perfectionem, & totam illius collectionem complectitur.

32 *Totus à toto, plenus à pleno.* Confirmatur tertiò. Nam ad eandem plenitudinem respicientes antiqui refutatores Arianorum, profitebantur, Filium esse *perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno.* Sic habet fides Nicæna, quam scribit Nazianzenus in secundo breuiori tractatu de fide Nicæna, qui numeratur oratio 50. & in præcedenti fusiori tract. de fide, qui est oratio 49. *Tantus*, inquit, *est Filius, quantus videbitur Pater, totus de toto, integer ex integro, perfectus de perfecto, consummataq; virtute, sicut Apostolus dicit ad Colossens. In quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat.* Quam sententiam ad verbum transtulit Ambrosius lib. de Filij diuinitate cap.7. sub init. Sicut priora verba, quæ retuli ex orat. 50. transtulit Augustinus serm.125. de tempore, init. & epist.66. ad Maximum ait: *Integrum ex integro.* Quibus consonat Antiochena ecclesia in professione fidei, quam probat Hilarius lib.de Synodis inter princip. & med.

33 Confirmatur quartò, quoniam, vt plurimi Patres, atque Philosophi demonstrarunt, ac peculiariter Anselm. in Monolog.cap.16. Ricard. lib.1. de Trinitat. cap. 11. & cap. 16. aliisque plurimis præcedentibus, & sequentibus. *Deitas non est aliud, quàm summa substantia.* At summa substantia non erit, nisi comprehendat omnes perfectiones possibiles, quidditatiuè identificatas cum sua perfectissima essentia: quia summa substantia debet esse summum bonum, summè simplex, & vnum sibi; quod requirit omnium perfectionum plenitudinem, quidditatiuè identificatam, vt demonstrat idem Ricard. lib. 2. de Trinitat. cap. 16. 19. & 20. ad cuius finem concludit: *Ibi vera vnitas cum plenitudinis vniuersitate, ibi summa simplicitas* *Deitas est summa substantia.*

simplicitas cum perfectionis immensitate. Ibi summè simplex identitas cum totius consummationis infinitate. Atque vt in hoc fundamento nitatur cæterorum librorum doctrina de Trinitate frequenter in eis repetit plenitudinem perfectionis simul cum summa simplicitate, & identitate. Videatur præsertim liber 3. cap.21. & 22.

SECTIO VI.

Sapientiam non magis identificari cum natura diuina, nec minùs ab illa distingui, quàm volitionem, bonitatem, aut alia attributa.

1 PRæsens identitas, vel distinctio petenda foret ex aliis quæstionibus de scientia Dei, vel de voluntate Dei, vel de attributis in generali; si fuisset iis in locis ad vnguem examinata comparatio scientiæ cum amore, quantum ad distinctionem rationis. Sed quoniam ibi parum aut nihil de hac comparatione tractari solet; compellimur in præsenti de illa dicere quantum satis erit, ad refutandam inæqualitatem identitatis, & distinctionis, quam retulimus sect. 5. in principio, & refutare cæpimus ibidem. Vnde tota hæc sectio, & sequentes destinantur ad corroborandas rationes, quibus assertionem primam, & secundam probauimus dicta sect.5.

2 Æqualitas ergo, sine vestigio discriminis inter sapientiam, & bonitatem, seu volitionem, & amorem, non modò quantum ad omnimodam identitatem realem, cum natura diuina, sed etiam quantum ad distinctionem rationis ratiocinatæ, qua sapientia non minùs, quàm volitio, aut bonitas distinguitur à natura diuina: hæc inquam æqualitas sequenti sect.7. & 8. probabitur testimoniis Patrum, & sectione 9. probabitur testimoniis S.Thom. cuius authoritate præcipuè nititur contraria sententia, necnon aliorum Scholasticorum testimoniis, & rationibus. Verumtamen ne sæpius in diuersis testimoniis opus sit easdem collectiones, & obseruationes repetere: placuit in præsenti sectione simul in vnum omnes colligere, quas postea lector applicet singulorum Patrum, vel Scholasticorum sententiis, secundum vniuscuiusque exigentiam.

3 *Non magis identificari sapientia quàm volitionem cum natura Dei.* Generale igitur argumentum est, quia Patres omnes, tractantes de hac identitate, vel distinctione significant, eodem modo identificari, vel distingui prædictas perfectiones, vel attributa diuina. Hoc autem probatur primò, quia eodem loquendi modo dicunt, volitionem, & amorem, seu bonitatem, aut alia attributa esse idem cum substantia Dei, vel cum esse Dei, & eodem modo prædicant siue nominibus abstractis, siue concretis, sicut loquuntur de diuina sapientia: vt constabit ex omnibus Patribus, & Scholasticis citandis in sect.7. & 8.

4 Secundò, quia iidem Patres identitatem subsistentiæ, ac personalitatis cum esse diuino significant eodem modo, quo significant identitatem sapientiæ. Sed subsistentia & personalitas absque controuersia distinguitur ab esse, siue natura diuina, distinctione rationis ratiocinatæ, vt constabit disput.12. sect.2. & 3. Nec oppositum potest ex Patribus colligi: ergo pari ratione non erit colligenda tanta identitas sapientiæ cum natura diuina, quæ excludat distinctionem rationis ratiocinatæ. Ad hoc peculiariter ponderandum est, quod docent August. lib.7. de Trinit. cap.4.5. & 6. Nazianz. Athanasius, Cyrillus, Iustinus, Epiphanius, Damascen. Irenæus, & Boëtius locis referendis sect.sequentibus.

5 Tertiò probatur, quia Patres quando significant distinctionem sapientiæ à diuina substantia, siue natura, loquuntur eodem modo, sicut quando significant distinctionem bonitatis, volitionis, aut aliarum perfectionum: & exp esse constituunt distinctionem rationis inter sapientiam, & substantiam Dei. Ad hoc peculiariter obseruanda sunt quæ notabimus ex Basilio, Nysseno, Chrysostomo.

6 Quartò, quoniam omnes Theologos etiam antiquos Patres, vt assererent, quod scientia, vel sapientia Dei est idem, quod esse Dei, vel essentia Dei, duæ rationes præsertim impulerunt, ad quas cæteræ reducuntur: altera est summa simplicitas Dei, cuiusque compositionis expers, quæ non patitur sapientiam esse aliud ab eo, quod habet sapientiam. Altera est ratio primæ substantiæ, seu primi entis, quod non potest participatam habere sapientiam, & ideo nec ab ipso habente distinctam, & consequenter debet habere sapientiam, cum sua natura realiter, & essentialiter identificatam. Quas rationes fusiùs ponderabimus disp. 11. sect.3.4. & 5. Nunc peculiariter obseruandum est, eandem esse vim earumdem rationum, vt probent quod volitio, amor, bonitas, & alia attributa sint idem, quod esse Dei, vel substantia Dei: insuper à multis Patribus eodem modo applicari ad hæc attributa, sicut ad scientiam: vt videre est in Dionys. Basilio, Nysseno, Cyrillo Alexand. Iustino, Damasceno, Hilar. Augustino, Boëtio, Gregor. Anselmo, Prospero, Bernardo, Ricard. Victor. referendis sect.7. & 8. *Simplicitas & ratio primi entis æqualiter probant identitatem volitionis & sapientiæ.*

7 Quintò, quia nemo Theologorum negare audebit, verum esse quod Augustin. lib.7. de Trinit. cap.3. & lib.15. cap.7. & tractatu 99. in Ioan. referendus in sect. 8. asseruit, Spiritum sanctum esse intellectionem, & sapientiam, & esse vnam sapientiam simul cum Patre, & Filio. Inde tamen non colligitur, sapientiam ratione ratiocinata non distingui ab Spiritu sancto, nec esse constitutiuum Spiritus sancti. Ergo licèt Patres dicant, Deum esse sapientiam; inde non infertur identitas, excludens prædictam distinctionem; nec infertur constitutio diuinæ essentiæ. Sic etiam Spiritum sanctum esse sapientiam, asserit Anselmus citandus. His consonant Patres, qui dicunt Spiritum sanctum esse veritatem, vt referemus ex Boëtio sect.8. *Spiritus sanctus est etiam intellectio, & sapientia, & veritas.*

8 Sextò, quia de Filio Dei Patres plerique dicunt, esse Patris voluntatem, virtutem, potentiam, vel iustitiam: inde tamen non infertur, hæc attributa ratione ratiocinata non distingui à Filio, nec infertur esse constitutiuum Filij. Ergo negatio distinctionis prædictæ non bene colligitur ex eo, quod Patres dicant, Deum esse sapientiam, vel sapientiam esse substantiam Dei; nec colligitur constitutio supradicta. Pondera præsertim quæ referemus ex Epiphanio, Cyrillo Alexand. Damasceno, Prospero, Fulgentio, & Ricard. Victor. sect.7. & 8. *Filius est voluntas & virtus & potentia Patris.*

9 Probatur septimò, eodem ipso fundamento, cui nituntur aliqui authores contrariæ sententiæ, quia, videlicet, sacra Scriptura, & Patres asserunt, Filium, seu Verbum esse ipsam Dei sapientiam natam, vel genitam, & ipsam rationem, notitiam, seu conceptionem Patris. Quorum testimonia non pauca vidimus disp.2. sect.2. & disp.4. sect.1. probatione 5. & aliqua videbimus sect. sequenti.

quenti. Plura referemus disput. 58. sect. 4. & 5.

Verbum non est natura genita, licet sit sapientia genita.

Hoc autem aduersus eosdem retorquetur, quia si sapientia, & natura diuina forent idem formaliter; sequeretur, esse idem formaliter sapientiam genitam, & essentiam genitam. Consequens autem esse falsum, demonstratur, nam hæc propositio est absolutè vera, propria, & à Patribus recepta: *Verbum est sapientia, vel notitia genita.* Cæterum hæc propositio est absolutè falsa, & reiicienda (licèt ab aliquibus sano sensu fuerit scripta) *Verbum est natura, vel essentia genita.* At verò naturam diuinam, seu Deitatem esse genitam, vel natam, notatur erroris cap. *Damnamus* de Summa Trinit. & fide cath. Confirmatur, etenim vbi nulla est distinctio, nec rationis ratiocinatæ, non potest de vno verificari aliquid, nisi possit etiam verificari de alio, sibi prorsus identificato secundùm rationem.

10 Octauo probatur, quia sicut Patres asserunt, Verbum seu Filium esse sapientiam genitam, quoniam est terminus productus per intellectionem: sic etiam asserunt Spiritum sanctum esse amorem spiratum, seu dilectionem, aut donum, aut vnionem, quia Spiritus sanctus est terminus productus per volitionem, vt constabit disput. circa quæstionem 37. & 38. S. Thomæ. Sed ex hoc non licèt colligere omnimodam rationis identitatem amoris, seu doni cum natura diuina. Ergo nec licèt inferre omnimodam rationis identitatem sapientiæ cum natura diuina.

11 Nonò retorquetur aduersùs contrariam sententiam aliud eius argumentum, ait enim. Verbum diuinum non est similitudo intentionalis, sed naturalis: ergo producitur per intellectionem prorsus identificatam cum natura diuina, nec ratione distinctam ab illa. Sed contrario modo deberet arguere, vt solida esset veritas antecedentis, & bonitas illationis, hoc modo. Verbum diuinũ est similitudo intentionalis, propter eximiam perfectionem per se coniunctam afferens similitudinem naturalem: quia Verbum est notitia in facto esse, siue conceptus productus cum perfectissima repræsentatione, qua formalissimè continet identitatem naturæ: ideóque Verbum diuinum ratione ratiocinata distinguitur à natura diuina, vt constabit disput. 12. Ergo pari ratione intellectio, per quã producitur Verbum, erit intentionalis repræsentatio, quasi in fieri, & velut operatio; & per hanc formalitatem ratione ratiocinata distinguetur ab essentia, quam quidditatiuè claudit, & communicat ex sua vi formalissima. Sic deniq; proportio seruatur inter intellectionem, & Verbum, quantum ad identitatem cum natura.

SECTIO VII.

Græcorum Patrum testimonia, quibus nituntur rationes, & obseruationes positæ in sectione præcedenti.

1 *Abstractorũ prædicatio requirit identitatem.*

SVppono generaliter ex dicendis disp. 13. sect. 1. abstracta non posse prædicari de concretis, neq; de aliis abstractis, nisi eorum significata sint prorsus idem in re. Ideo namque quoties Scriptura sacra, vel Patres vtuntur eiusmodi prædicationibus, perinde est, ac si manifestè dicerent, vnum esse idem quod aliud.

2 Quo supposito, prædictam identitatem significat Dionys. de diuin. nomin. cap. 7. initio, præcipiens, *vt veram, æternamq; vitam & vt sapientem, & vt sapientiam ipsam laudemus.* Nihilominus in eodem lib. de diuin. nom. cap. 2. paulo post princip. probat, vnitè, & non discrete, de tribus personis simul, & de singulis earum dici perfectiones omnes (excepta Paternitate, Filiatione, & Spiratione.) Atq; sine discrimine numerat bonitatem, & sapientiam, vt de singulis personis prædicentur. Quod dilucidè exponit S. Thom. ibi lect. 1.

Rursus eiusdem libri cap. 4. à principio notat, 3 *Bonitas & alia perfectiones in abstracto prædicantur de natura Dei.*

à Theologis diuinam essentiã appellari bonitatem, quod hoc ipso quod bonum est, vt bonum per se, & essentia sua, in ea quæ sunt omnia bonitatem diffundat. Et cap. 5. multo propiùs ad princip. quàm ad med. docet, *non aliud esse ipsum bonum, aliud id quod est, aliud vitam, aut sapientiam.* Perpende, Dionysium non solum de Patre, Filio, & Spiritu sancto prædicare bonitatem in abstracto, & alia attributa eodem modo, sicut de illis prædicat sapientiã: sed etiam eius rationem esse, quia Deus à seipso habet has perfectiones non participatas, & nõ distinctas ab habente: vt dicebamus sect. præced. probat. 4.

Nazianz. orat. 13. quæ est 2. de pace paulo propiùs ad med. quàm ad finem, num. 24. dicit, Trinitatem esse *vitas & vitam, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam, veram ac veritatem, ac spiritum veritatis, sancta & sanctitatem ipsam, Deum vnumquodque, si separatim cõsideretur, mente videlicet ea, quæ separari nequeunt, seiungere.* Manifestè igitur Nazianzenus docet, non modò de tribus personis simul, sed etiam de singulis separatim prædicari perfectiones, ab eo commemoratas non solùm in concreto, sed etiam in abstracto, idque sine discrimine personarũ, & sine discrimine inter attributa vitæ, & veritatis à cæteris attributis. Quomodo autem dixerit in plurali numero, & non in singulari tantùm, dicemus circa quæst. 39. art. 3. & 4.

Athanasius dialogo 1. de Trinit. contra Anomæum inter med. & fin. *Immortalitas*, inquit, *est hypostasis Patris, & immortalitas est hypostasis Filij, nec tamen sunt duæ immortalitates.* Et paulo inferius: *Hypostasis est incorruptibilitas, iustitia, sanctificatio, & dominatio.* Subdit autem: *Hæc omnia vt in Patris, ita & in Filij hypostasi considerari.* Nec dubium, quin idem intellexerit de Spiritu sancto. Nihilominus hypostasim à Deitate, & illius attributis ratione distingui, licet non distinguatur realiter, satis apertè docet Athanas. in eodem dialogo 1. col. 2. & in medio dialogi. & post med. vt referemus disput. 12. sect. 3. & in sequenti dialogo 2. de Trinitate contra Anomæum fatetur, in Deo *non esse idem voluntatem, & essentiam.*

Basil. lib. 2. contra Eunom. prope med. de Spiritu sancto sic loquitur: *Sanctitas ei natura est, sicut Patri, etiam & Filio.* Et lib. vnico de Spiritu sancto cap. 19. sub init. de Filio differens: *Bonus*, inquit, *ex Bono natus est, cui bonitas est ipsa essentia.* Et de Spiritu sancto subiungit, appellari *Spiritum rectum, eo quod per se sit ipsa virtus, & ipsa iustitia*, &c. Et homil. 15. de fide prope med. *Pater*, ait, *Filius, & Spiritus sanctus increata natura, Dominica maiestas, naturalis bonitas.* Naturam porrò diuinam, & singulas personas illius esse simplices, & incompositas, docet lib. vnico de Spiritu sancto cap. 8. & cap. 18. & lib. 1. contra Eunom. multo propius ad finem, quàm ad med. & sequenti lib. 2. similiter multo propiùs ad fin. quàm ad med. 6

Nihilominus idem Basilius lib. 1. contra Eunom. propiùs ad med. quàm ad princip. distinctionem rationis attributorum à substantia Dei, & nominatim eorum, quæ pertinent ad sapientiam, ex professo declarat, & contrarium errorem confutans, inter alia dicit: *Quonã pacto non irridendus, si creandi* 7

si creandi virtutem substantiam esse dicat? si prouidentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam, & omnem item operationem substantiam putet? Quæ cuncta si ad vnum tendunt significatum, necesse est vt idem valeant, sicut sit in multiuocis. Videlicet in sinonymis, quippe quæ sola vocis articulatione differunt; sed eorum significatum est prorsus idem re, & ratione.

8 Gregorius Nyssenus sicut in oratione aduersus eos, qui ægreferunt reprehensiones, sub init. dicit *Deum esse primam rationem*; sic etiam in lib. de vita Mosis col. 2. dicit, *Deum esse propriè bonum, cuius natura bonitas est.* Et post pauca: *Deus vera virtus est.* Et oratione catech. cap. 1. explicata simplicitate Dei, colligit: *Omnino necesse esse, cum constet de simplicitate, ipsam per se vitam Verbum esse putare, non autem vitæ participationem.* Eandémque Dei simplicitatem exponit orat. 1. in id: *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. col. 3.

9 Nihilominus Nyssenus in posteriori lib. de Trinit. ad Eustathium inter med. & fin. vniuersaliter probat, nullo Dei nomine, quod à nobis profertur, significari Dei naturam ipsam, sed aliquid circa Dei naturam, videlicet, attributum ratione distinctum à natura diuina. Tantum abest vt Nyssenus sapientiam, & scientiam; putet, esse constitutiuum naturæ diuinæ, vel non distingui, nec ratione ratiocinata à natura diuina. Quin potius horum nominum significata secundum diuersos conceptus distingui à natura diuina, manifestè docet his verbis: *Cum aliquis vniuscuiusque horum nominum, & ipsius naturæ, circa quam ea nomina intelliguntur, rationem reddit, ac definitionem, non eandem reddit vtrorumque rationem. Quorum autem ratio, definitióve diuersa, eorum natura quoque differens est. Igitur aliquid aliud essentia, cuius nondum oratio index cogitata, atque inuenta est; alia verò nominum, quæ circa eam proferuntur.* Et tam in præcedenti, quàm in sequenti cõtextu commemorauerat nomina, *Deum, Regem, benefactorem, iudicem, bonum, iustum, & quotquot sunt alia talia nomina.* *Distinctio rationis.*

10 Similiter in sequenti lib. ad Ablabium, *Quòd non tres dij.* propiùs ad med. quàm ad princip. *Peculiarem*, inquit, *vnumquodque* (nomen) *continet in se sententiam comprehensam: nec vllam in diuinis nominibus vocem reperias, aliquo carentem intellectu*, (videlicet peculiari.) *Ex hoc itaque demonstratur, quod non ipsa diuina natura per aliquod eorum nominum denotetur.* Et protinus ostendit hoc ipsum de nomine *Deus*, prout significat *efficaciam inspectricem, spectatricem, visitatricem, contemplatricem, quæ omnia intuetur, & videt.* Demõstrat ergo Nyssenus, scientiæ distinctionem à natura diuina non esse minorem, quàm aliarum perfectionum diuinarum.

11 Chrysost. in Ioan. ad illud capitis 1. *Et vita erat lux hominum.* homil. 4. post med. notat, Deum non esse compositum, licet alibi dicatur *vitam habere, & in ipso vitam esse.* Propriùs enim, & exactius dicit Christus Dominus. *Ego sum vita, & ego sum lux.* Ioan. 14. Cæterum sapientiam à Dei substantia distinxit in homil. 1. de incomprehensibili Dei natura; vt vidimus sect. 5. probat. 5.

12 Cyrillus Alexandr. lib. 11. thesaur. cap. vnico prope finem. *Si aliud*, inquit, *Deus, aliud cognitio sua esset, compositio in ipso esse profecto videretur: verum quoniam simplex est, non erit aliud ipse, aliud cognitio sua.* Et ex præcedenti contextu propiùs ad med. quàm ad princip. eiusdem capitis constat, apud Cyrillum idem inconueniens compositionis inferri, si Dei cognitio sit differentia constitutiua Dei. *Videmus enim*, ait, *substantialem differentiam in compositis solum inueniri: Deus verò simplicissimus est.*

Præterea summam Dei simplicitatem in eo 13 *Summa simplicitas Dei.*

consistere, quod nihil aliud à Deo, nec diuersum in eo sit; & quod nihil possit præintelligi, ex quo componatur; repetit in plurimis libris thesauri, quemadmodum lib. 3. cap. 4. prope finem, & lib. 6. cap. 3. prope finem, & lib. 14. cap. 3. fin. Consequenter quod solus Deus sit à natura sua, & non participatione lux vera, & illuminans, non illuminata; & quod *substantia Filij lux est*, docet Cyrillus in Ioan. lib. 1. toto cap. 8. & sequenti cap. 9. col. 2. *Lux*, inquit, *vera, quæ illuminat non illuminata, ea vnigenitus est Dei Filius, quia natura simplex est.* & col. 3. dicit, Filium esse *naturaliter vitam, & substantialiter lucem.*

Cæterum hæc, & alia similia probant, apud 14 *Cyrilli sententia.*

Cyrillum non esse minorem distinctionem, siue maiorem identitatem sapientiæ, vel cognitionis cum essentia diuina, quam aliorum attributorum. Quod probatur primò, nam in prædicto lib. 11. thesauri cap. vnico prope finem. de vniuersis nominibus, per quæ nos possumus venire in cognitionem Dei, ait: *Hæc omnia non substantiam sed aliquid eorum, quæ in substantia inspiciuntur, significant.* Secundò, quoniam simplicitas, & illius rationes à Cyrillo adductæ, non magis probant identitatem sapientiæ cum natura diuina, quàm identitatem aliorum attributorum. *Probatur primò.* *Secundò.*

Probatur tertiò, quia nomine *lucis, illuminantis* 15 *Tertiò.*

omnem hominem, Cyrillus in Ioan. dicto cap. 8. & 9. intelligit non modò sapientiam, sed etiam bonitatem ac potentiam, in quantum creando, & iustificando vitam communicant, & lucem, vt manifestè constabit legenti. Quocirca sine vlla inæqualitate significat Cyrillus identitatem horum omnium attributorum cum natura diuina. Quartò, quia de persona Filij affirmat prædictam simplicitatem, & identitatem in prædictis cap. 8. & 9. in Ioan. similitérque de persona Patris dicto lib. 3. thesaur. cap. 4. Vnde corroborat probationem octauam positam in sect. 6. quia manifestum est, sapientiam ratione distingui à persona siue Patris, siue Filij.

Iustinus quæst. 144. ad orthodoxos, *Dei simpli-* 16 *De simplicitate Dei. Iustinus.*

citas, inquit, *tota est Filius, & tota est habens Filium, & tota est consilium, & tota est habens consilium.* Rationémque reddit, quoniã quidditatiuè à seipso, non per participationem ab alio, nec per compositionem has perfectiones habet. Vbi perpende primò, cum simplicitate Dei consilium identificari eodem modo, quo Filius, & Pater identificantur cum simplicitate diuinæ naturæ: ac proinde, sicut Pater, & Filius identificantur salua distinctione rationis ratiocinatæ, sic & consilium. Secundò, ex alio postremo ordine quæstionum Græcanicarum ad orthodoxos quæst. 7. constat, consilij nomine cõprehendere non modo actum intellectus, qui est iudicij consideratio, & deliberatio, sed etiam actum voluntatis. Quod adhuc manifestiùs constabit consideranti translationem aliam, quæ pro *consilio* transfert in vtraque quæstione *voluntatem.* Itaque Iustinus operationes intellectus, & voluntatis æqualiter identificat cum simplicitate Dei.

Denique in q. 3. Christiana ad Gentiles, quam- 17

uis obscurum sit, quid concludat ex propria sententia, & non tanquam inconueniens, deductum ex erroribus Gentilis, cum quo disputabat: verè tamen à Dei simplicitate probat nõ distingui, sed idem esse Dei voluntatẽ, & volitionem, seu velle,

& esse, seu essentiam Dei. Simul autem admittit aliquâ distinctionem rationis inter velle, & esse; verùtamen omnes rationes illius, siue pertinentes ad simplicitatem, siue ad distinctionem, æqualiter applicari possunt diuinæ scientiæ, quatenus versatur circa creaturas, sicut applicantur diuinæ volitioni, quatenus versatur circa creaturas.

18 Epiphan. in Ancorato multo propiùs ad med. quàm ad princip. ait: *Sapientia est Pater, & sapientia Filius.* Verumtamen eodem modo de personis eisdem prædicat voluntatem, & dominationem, dicens hæresi 57. pag. 2. *Duo vnum sumus, hoc est, vna Deitas, vna voluntas, vna dominatio.* Sic etiam, *Trinitas est vna dominatio, vna glorificatio,* ait hæresi 62. non longè à principio, & ad finem.

19 Damascenus lib. 1. fidei toto cap. 12. præmissa Dei simplicitate docet, solum nomen, *Qui est,* significare ipsum esse Dei, non autem, quid sit; cætera cuncta nomina, *non significare quid est secundum substantiam, sed quid non est,* aut habitudinem ad creaturas, aut Dei operationem; vnde colligit, nomen, *Deus,* non esse primarium, sed esse posterius, & consequens post nomen, *Qui est,* & nomen, *Bonum.* Quia Deus significat operationem, quatenus significat æternam intelligentiam, intuitum, & prouidentiam. Ergo scientia, seu sapientia Dei distinguitur ab essentia, & non est illius constitutiua. Rursus in eodem lib. 1. de fide cap. 18. sub init. ait: *Bonum Deus habet concurrens, & coincidens ipsi substantiæ.* Et prope med. *Voluntas, & sapientia, & virtus Patris est Filius.*

20 Irenæus lib. 2. c. 48. initio quod Deus est mens, & cogitatio probat, quoniam ex opposito sequeretur compositio; vnde similiter ait, quod Pater est mens, & cogitatio: & Verbum similiter est mens, & cogitatio. Nec dubium quin idem affirmaret de Spiritu sancto, si rogaretur. Fauet itaque probationi secundæ, & quartæ positæ in sectione præcedenti.

SECTIO VIII.

Latinorum Patrum testimonia pro eisdem rationibus positis in sectione 6.

1 Hilarius in Matth. can. 11. ad illud: *Et iustificata est sapientia à filijs suis,* ait: *ipse,* videlicet Christus Dominus, *est sapientia, non ex efficientijs, sed ex natura.* Et subdit, *in eo esse naturam sapientiæ,* probátque 1. Corinth. 1. *Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Præterea lib. 7. de Trinit. inter med. & fin. ait: *Deus vita est.*

2 Lib. 8. de Trinit. inter med. & fin. illud Ioan. 16. *Omnia, quæ habet Pater,* ita declarat Hilar. *Per id quod habet Pater, ipsum illud significat habendo, quia non humano modo ex compositis Deus est, vt in eo aliud sit quod ab eo habetur, & aliud sit ipse, qui habeat; sed totum quod est, vita est, natura, scilicet, perfecta, & absoluta, & infinita, & non ex disparibus constituta.* Vnde colligo primò apud Hilarium, volitionem, bonitatem, & cæteras perfectiones esse vitam Dei non minùs, quàm sapientia est vita Dei. Secundò, easdem perfectiones à vita Dei non magis distingui, quàm sapientia; quia in omnibus æqualiter militat ratio simplicitatis.

3 Quod amplius corroboratur, nam in sequenti lib. 9. multo propiùs ad med. quàm ad fin. ponderans prædicta verba Ioan. 16. *Deum,* inquit, *in his ostendit intelligendum esse, quæ sua sunt, in virtute, in æternitate, in prouidentia, in potestate. Non quod hæc Deus ita habeat, tanquam aliud quid extra esse credendum sit.* Itaque non extra, sed intra diuinum esse, & identificata cum illo sunt virtus, æternitas, potentia, & alia attributa non minus, quàm prouidentia, pertinens ad cognitionem intellectus: præsertim cum paulo inferius ex professo probet prius eandem scientiam (sub nomine conscientiæ) deinde voluntatem naturalem eandem esse Patris, & Filij. Et multo propius ad fin. quàm ad med. repetit, Deum esse simplicem.

Ambros. lib. 8. in Lucam ad illud cap. 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus,* ait: *in Diuinitate bonitas est, & in bonitate Diuinitas.* Appellátque *substantiam bonitatis.* 4

Augustinus multoties docet, quod Deo, vel Patri sapere est idem quod esse. Quemadmodum lib. 7. de Trinitate cap. 1. in med. & prope finem, & cap. 2. initio, & post med. & lib. 11. de ciuitate cap. 10. propè med. & prope finem. Nihilominus Augustinus non minorem identitatem existimauit conuenire perfectionibus aliis, quales sunt velle, & posse. Id verò manifestè colligitur primò, quia dicto lib. 7. de Trinit. cap. 1. & lib. 11. de ciuitate cap. 10. vtitur ratione simplicitatis diuinæ, & quia sapientia separari non potest à Deo, quæ ratio æqualiter probat identitatem volitionis, & omnium attributorum. 5

Secundò, quia expressè in eodem lib. 7. cap. 1. fine, & cap. 2. in princip. eandem identitatem notat in cæteris attributis, de Patre, & Filio, dicens: *Quia in illa simplicitate non est aliud sapere, quàm esse, eadem ibi sapientia est, quæ essentia. Pater igitur, & Filius simul vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia.* Et rationem reddit, quia hæc essentialiter, & ad se dicuntur, non relatiuè ad alteram personam. Quapropter eadem ratione concedet eandem vnitatem in cæteris perfectionibus essentialibus. Vnde in eodem lib. 7. c. 5. sub init. ait: *Bonitas est substantia Dei.* 6

Tertiò, quia in eodem lib. 7. de Trinitat. cap. 3. prope finem ex verbis 1. Ioann. 4. *Deus charitas est,* colligit, quòd Spiritus sanctus non solum est charitas, sed etiam est *vnum lumen, & vna sapientia* cum Patre, & Filio. Quartò, quia manifestum est subsistentiam, siue personalitatem ratione distingui ab essentia, siue existentia. Nihilominus Augustinus in eodem lib. 7. cap. 4. longè post med. & sequenti cap. 5. & 6. probat, quod in Deo sit *idem esse, & subsistere,* siue *personam esse.* 7

Quintò in aliis libris eodem modo loquitur de variis attributis, sicut lib. 6. de Trinit. cap. 4. prope med. *Deo,* inquit, *hoc est, esse, quod est fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur.* In eodem lib. 6. cap. 6. fusè declarat simplicitatem solius Dei propriam. Vnde in principio sequentis cap. 7. colligit, quod *eadem magnitudo Dei est, quæ sapientia, eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo, & eadem veritas quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, aliud magnum esse, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Obserua postrema verba, quibus Dei esse identificatur non magis cum sapientia, quàm cum bonitate, & cæteris attributis. 8

Sextò, nam lib. 15. de Trinit. toto cap. 17. notat, quod licèt Filio sapientia, & Spiritui sancto charitas appropriétur; nihilominus etiam Spiritus sanctus est sapientia, sicut Pater, & Filius, & Pater ac Filius charitas, sicut Spiritus sanctus, & propter substantiæ simplicitatem est idem, qui habet, & quod habet. Et tractatu 99. in Ioan. colum. 3. 9

lum. 3. ad illud: *Quæcumque audiet, loquetur.* probat quod de Spiritu sancto ait: *Audire illi scire est, scire verò esse.* Et post pauca: *A quo ille essentia, ab illo scientia, à quo nihil est aliud quàm scientia.* Et paulo inferius: *Scire hoc illi est quod esse.* Nihilominus Spiritū sanctum ratione distingui à scientia, dubitari non potest. Imo de tota Trinitate similibus verbis, identitatem significantibus, enunciari posse omnia attributa, docet in serm. 38. de tempore col. 3. dicens: *Trinitas vnus est Deus, solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens, ipse sibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quidquid ad se substantialiter dicitur.*

10 Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 8. ad finem ait: *Hoc est Deo videre quod esse, & quantam insinuat visionem suam, tantam vult credi substantiam suam.* Itaque scientia intuitiua est ipsum esse Dei, & substantia Dei. Sed eandem identitatem volitionis cum esse diuino scribit respondens ad septimam obiectionem Arianorum. *Si autem hoc in Deo (sicut certum est) putatur esse quod velle; dum voluntatis vnitas asseritur, substantialis etiam vnitas non negetur.* Item de fide ad Petrum cap. 2. multo propius ad fin. quàm ad med. ait: *Deus est veritas, Pater est verus & veritas, Filius est verus & veritas.* & similes propositiones. In eodémque lib. cap. 3. multo propius ad princip. quàm ad med. dicit: *Deus naturaliter vita est.*

11 Prosper aduersus Collatorem cap. 27. sub init. *Virtus,* inquit, *principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem. Huius cum participes sumus, habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus, & Dei sapientia.* Perpende, *virtutem* hic non significare potentiam, sed honestas operationes, præcipuè voluntatis: & in hoc sensu Prosper affirmat, Christum esse Dei virtutem. His consonat Leo Magnus serm. 2. de natiuitate initio, dicens, *Dei natura bonitas, cuius voluntas potentia est.* Itaque sicut alij Patres citati nonnunquam dicunt, Dei naturam esse sapientiam, ita Leo ait, Dei naturam esse bonitatem.

12 Luculentiora testimonia tulit Boëtius, qui lib. de Trinit. & vnitate in med. *Nec enim,* ait, *aliud est quod est, aliud est quod iustus est, sed idem est esse Deo quod iustus.* Idque fusiùs explicat, comparando distinctionem creatæ iustitiæ ab homine, cum identitate diuinæ iustitiæ. *Differunt,* inquit, *quod homo alter, alter est iustus. Deus verò est idem ipsum quod iustum.* Idem dicit de magnitudine, cæterísque perfectionibus, quæ de Deo prædicari possunt.

13 Insuper in sequenti lib. *An Pater, Filius, & Spiritus sanctus de diuinitate substantialiter prædicentur.* prope med. ait: *Pater veritas est, Filius veritas est, Spiritus sanctus veritas est. Non tres veritates, sed vna veritas. Si igitur vna in his substantia vna veritas, necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de incommutabilitate, de iustitia ac de cæteris omnibus, quæ tam de singulis, quàm de omnibus singulariter prædicamus.* Similes prædicationes attributorum in abstracto repetit ad finem eiusdem libri. Rursus sequenti lib. *An omne quod est, bonum sit.* inter med. & fin. notat, quod Deo *idem est ipsum esse, & ipsum esse bonum.* Atque in sequenti lib. de vnitate, & vno, præsertim post med. Dei vnitatem esse summam, probant, quia est *vnum essentiæ simplicitate.*

14 Gregor. lib. 16. moral. cap. 20. alias 21. ad illud Iob. 24. *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora.* Ex eo quod *natura Dei simplex sit,* colligit, *Deum hoc esse quod habet. Æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Claritatem habet, sed ipse est claritas sua. Non est ergo in eo aliud esse, aliud habere.* Fusiùs autem Dei simplicitatem comparando cum creaturarum compositione declarat, lib. 18. moral. cap. 27. prope med. alias cap. 34. dicens: *sapientia est, & sapit: nec habet aliud esse aliud sapere. Habet vitam sapientia; sed non aliud habet, & aliud est, quippe cui hoc est esse quod viuere.* Et postquam ostendit, in creaturis aliud esse sapere, aliud viuere, aliud ipsum esse, subiungit: *Sapientia habet essentiam, habet vitam, sed hoc quod habet ipsa est.* &c.

Gregorium imitatus Isidorus, vt solet lib. 7. Ethimologiarum cap. 1. post med. *Deus,* inquit, *habet essentiam, habet sapientiam; sed hoc quod habet, hoc & est, & omnia vnus est, ac proinde simplex est, quia non in eo aliquid accidentis est, sed & quod est, & quod in ipso est, essentialiter est, excepto quod relatiuè ad quamcumque personam est.* Et lib. 1. sententiarum cap. 1. post med. *Non aliud putare debemus Deum, aliud pulchritudinem eius, atque aliud magnitudinem ipsius.* Et post pauca. *Dum pulchritudo, & magnitudo Dei ipse Deus sit: ideo Deus dicitur simplex, siue non amittendo quod habet, seu quia non est aliud ipse, aliud quod in ipso est.* 15

Anselm. in Monolog. cap. 14. à med. probat, Deū essentialiter esse quidquid est melius ipsum quàm non ipsum. In cap. 15. ex eo, quod non participatione, sed per se ipsum Deus est quidquid melius est, infert, quod istæ omnes prædicationes, & aliæ similes sunt quidditatiuæ, significantes *quid sit Deus.* videlicet, *summa natura est, summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa bonitas,* &c. Rursus sequenti cap. 16. ex eo, quod natura diuina non potest esse composita, colligit, omnes has perfectiones esse vnum, & singulas includere totum, quod omnes simul sumptæ significant. Quod valde nota pro mutua, & quidditatiua inclusione omnium attributorum in se inuicem. Ait enim: *Cum illa natura nullo modo composita sit, & tamen omnimodo tot illa bona sit: necesse est, vt illa omnia non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum quod omnia simul, siue singula; vt cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat quod alia, vel omnia simul, vel singula.* 16

Quod vsque adeo premit, vt negare videatur omnem distinctionem rationis; cæterum intelligendum est de distinctione adæquata, per quam in vno conceptu implicitè, & quidditatiuè non clauditur conceptus alterius. *Illa summa essentia,* inquit, *nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundam aliam considerationem non sit; quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est.* Perpende quantam æqualitatem, & quam alienam ab omni disparitate, docet Anselmus, circa identitatem omnium attributorum cum essentia, & circa constitutionem illius. Denique in eodem Monolog. cap. 56. docet, quod etiam *Spiritus sanctus est essentia, & sapientia, vel virtus Patris, & Filij, quia habet omnino eandem, quam illi.* Similia reperies apud eundem Anselmum in Prosolog. cap. 22. & 23. 17

Bernard. serm. 80. in Cantica post med. & lib. 5. de considerat. ad Eugen. ante med. multa disserit de simplicitate Dei, & identitate omnium, quæ prædicantur de Deo, nullam insinuans inæqualitatem distinctionis, vel identitatis inter ea, quæ ad intellectum, vel ad voluntatem diuinam pertinent; vt propterea quæcumque abstracta propriùs prædicentur, quàm concreta, non 18

solùm de substantia Dei, sed etiam de relationibus diuinis, siue in abstracto, siue in concreto significatis. Quæ referemus disput. 11. sect. 5. refutat. 2. & sect. 6. prope finem. Similia referemus ex Concil. Lateran. cap. *Damnamus.* de summa Trinit. & ex Concil. Rhemensi sub Eugen. III. definiente, omnia quæ sunt in Deo, esse ipsum Deum, in disp. 11. sect. 3.

19 Ricard. Victorinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. de summa substantia dicit: *Vt habeat non nisi à semetipsa, quod habet de ipsa potentia, quod habet de ipsa sapientia, necesse est vt illæ omnino non sint aliud aliquid, quàm ipsa. Alioqui sine potentia, atque sapientia potens, vel sapiens esse non valet, quod ab ipsis habet, non tam à se, quàm ab ipsis habet. Consequens autem est, quoniam si vtraq; illarum est idem, quod summa substantia, quælibet illarum est idem, quod altera.* Quod ipsum in eodem libro 1. capit. 17. 23. & 24. confirmat, quoniam Deus non potest esse sapiens participatione sapientiæ, nec potens participatione potentiæ. Perpende obiter illud aduerbium *omnino*, quod refertur ad omnium attributorum identitatem, ne putes, peculiarem aliquam identitatem significari, quando simile aduerbium relatum fuerit ad intellectionem diuinam, vt sectione sequenti dicemus in S. Thoma.

20 Vnde Ricard. lib. 2. de Trinit. cap. 16. probat, quod *Deus ipse sibi sua summa bonitas, sua summa fœlicitas est.* Deinde simplicitate Dei probata, prius in cap. 17. ex illa sequenti cap. 18. ad finem infert: *Quoniam igitur verè, & summè vnum est quidquid in summa substantia est, imo quidquid summa substantia est; non est ei aliud esse, quàm viuere, nec viuere quàm intelligere; nec ab his aliud potentem, vel sapientem fore; sed nec à semetipsis diuersum aliquid, bonum, vel beatum esse.* Quibus similia repetit in eodem, & præcedentibus, sequentibúsque capitibus prædicando abstracta de abstractis, & de concretis, & præferendo prædicationem abstractorum vt magis propriam.

21 Præcipuè verò potuisset adduci ex lib. 3. de Trinit. totum cap. 21. & 22. vbi post mutuas abstractorum prædicationes concludit: *Non solum itaque idem ipsum est totum, quod est qualibet persona, verum etiam idem ipsum est quæuis vna, quod qualibet alia.* Vnde idem Ricard. lib. 5. de Trinit. cap. 9. ante med. *Nihil aliud est ibi sapere, quam esse.* Quod repetit ad finem capitis. Verumtamen in eodem lib. 5. cap. 20. sub initium de tribus personis ait: *Numquid ex his tribus aliud aliquid est, & aliud aliquid amor suus? nunquid eorum alicui aliud est esse, quã diligere, diligere quam esse? Vbi ergo est vera illa & summa simplicitas, quam superius multa rationum attestatione probauimus? Oportet itaq; absq; dubio, vt in summa simplicitate idem ipsum sit esse, quod diligere.* Et paulo inferius de personis singulis prædicat dilectionem in abstracto ab illis verbis: *Nihil aliud est ibi persona ista, quam dilectio summa, hac proprietate distincta*, &c. *Quoniam quælibet persona est idem quod amor suus.*

22 Tandem apud Marium Victorinum videri possunt multa de simplicitate diuinæ naturæ, & de prædicatione omnium perfectionum in abstracto, per quam tribuuntur non solum Deo, sed etiam singulis personis in particulari, in quatuor libris aduersus Arium, præsertim lib. 1. & lib. 4. à med. tomo 4. Bibliothecæ.

SECTIO IX.

S. Thomas, & cæteri Scholastici distinctionem rationis, aut identitatem realem eodem modo tribuunt volitioni, & cæteris attributis, sicut intellectioni.

Quoniam authoritate S. Thomæ potissimum nititur sententia, quam retulimus sect. 5. & præcedẽtibus sectionibus refutare cæpimus; plura illius testimonia pòderare compellimur. Obiicit enim 1. quod S. Thom. 1. p. q. 14. art. 2. ad 2. & art. 4. corp. ait: *Intelligere Dei est eius substantia.* & infra. *Intelligere est eius essentia, & eius esse.* Et concludit: *Esse omnino idem id quod intelligitur, & intelligere.* &c. Ponderat autem prædicta sententia maximè aduerbium, *omnino*, quod hoc loco, & alibi etiam legitur apud S. Thomam, vt per illud excludatur etiam distinctio rationis ratiocinatæ. Inde quæst. 34. art. 1. corp. repetit esse omnino idem intelligere, & illud quod intelligitur. Et in eadem quæst. 34. art. 2. ad primum ait: *Idem est intelligere, & esse.* Et in commentariis ad Colossen. 1. lect. 4. *Natura Dei est ipsum esse intelligere.* Eodem modo loquitur 1. contra gent. cap. 45. & duobus sequentibus, & cap. 55. prope finem, & 4. contra gentes cap. 11. inter princip. & med. & inter med. & fin. & cap. 12. in med. & in fine. 1 *S. Thomæ testimonia pro cõtraria sententia.*

Confirmant præcipuè, quoniam 4. contra gent. cap. 11. citato, & præsenti quæst. 27. art. 2. corp. & ad 2. S. Thomas inde colligit, Verbum diuinum esse productũ in similitudine naturæ, quoniam intelligere Dei est esse Dei. Quæ ratio fallax esset: si cum essentia Dei eius intelligere non identificaretur magis, quàm velle Dei. Nam si foret æqualis identitas, potuisset similiter inferre, Spiritum sanctum esse productum in similitudine naturæ, quoniam velle Dei est esse Dei non minus, quàm intelligere. Loquitur ergo S. Thomas de omnimoda identitate, ita vt nec ratione ratiocinata distinguantur Dei intelligere, & esse. Nam hæc sola distinctio reperitur inter velle, & esse Dei. 2

Nihilominus sit prima conclusio. S. Thomas æqualem distinctionem rationis, & realem identitatem æqualem constituit inter intelligere, & esse, sicut inter velle, & esse Dei: nec oppositum potest colligi ex prædictis, aliísque locis S. Thomæ. Probatur primò, nam 1. p. q. 19. art. 1. in fine corporis ait: *sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.* & in præsenti quæst. 27. art. 3. prope finem, ait, eandem substantiam Dei esse intellectum, & conceptionem intellectus, & voluntatem. Similiter secundo contra gent. cap. 10. prope finem: *Multitudo actionum*, ait, *quæ Deo attribuuntur, vt intelligere, velle, producere res, & similia, non sunt diuersæ res; quum quælibet harum actionum in Deo sit ipsum eius esse, quod est vnum, & idem.* Rursus 4. contra gent. cap. 19. in med. *Voluntas Dei est substantia Dei, sicut intellectus Dei,* &c. Et inferius: *Velle Dei est eius esse, sicut voluntas Dei est eius esse. Esse igitur Dei, in voluntate sua per modum amoris, non est esse accidentale, sed essentiale.* 3 *S. Thomas æqualem distinctionem ponit volitionis & intellectionis.*

Probatur secundò, quia S. Thomas expresè declarat, identitatem intellectionis cum essentia non excludere distinctionem rationis 1. p. q. 19. art. 2. ad 1. dicens: *Licet diuinum velle sit eius esse secundum rem, tamen differt ratione secundũ diuersum modum intelligendi.* & 1. p. quæst. 26. art. 2. corp. *In Deo non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantùm secundum intelligentiæ rationem.* Vnde ad primum 4

primum colligit, quod licet beatitudo Deo conueniat secundum essentiam; conuenit tamen *non secundum rationem essentiæ, sed magis secundum rationem intellectus.*

5 Confirmatur primò, nam 1. p. quæst. 13. art. 4. generaliter docet, nomina dicta de Deo, non esse ſinonyma, quia licet Dei substantiam simplicissimam significent; attamen rationes, & conceptus intellectus, formati ex proportione creaturarum cum Deo, sunt distincti. Vnde in art. 12. eiusdem quæst. corp. fine concludit; quod *pluralitatem, quæ est secundum rationem repræsentat per pluralitatem prædicati, & subiecti: vnitatem verò repræsentat intellectus per compositionem.* Ideſt, per propositionem affirmatiuam. Itaque quantumcumque dicat aliquis: *intelligere Dei est esse Dei:* ipsa eadem propositione significat distinctionem rationis ratiocinatæ.

6 Confirmatur secundò, quia manifestissimè in quæst. 2. de veritate art. 1. ad 2. & 2. & 3. argumentum docet, scientiam Dei ab essentia *distingui secundum modum intelligendi, & secundum diuersas conceptiones.* & in 1. sentent. dist. 2. quæst. 1. art. 2. & 3. expresè ait, ratione distingui. Confirmatur tertiò, quia omnes discipuli S. Thomæ agnoscunt eandem distinctionem intellectionis ab essentia diuina, vt Caiet. Capre. & Ferrar. referendi post conclus. 2.

7 Probatur tertiò, nam S. Thom. locis in principio citatis identitatem intellectionis cum essentia diuina, probat ex suprema simplicitate Dei, quæ ratio generalis est, & æqualiter probat de volitione, bonitate, & qualibet alia forma. Sic enim d. quæst. 14. art. 4. corp. *In Deo*, inquit, *non est forma, quæ sit aliud, quam suum esse, vt supra ostensum est*, videlicet, tota quæst. 3. præsertim art. 7. vbi multæ simplicitatis, & identitatis rationes adducuntur, omnes autem æqualem vim habent in volitione, & intellectione. Quartò, quia similiter S. Thom. concedit tres personas esse vnam essentiam, & idem esse substantiale: inde tamen non infertur, personalitates ratione non distingui ab essentia. Sic denique possent ad præsentem conclusionem adduci aliæ probationes positæ in sect. 6.

8 Quintò probatur, quoniam aduerbium, *omnino*, supra ponderatum à contraria sententia, distribuit omnem modum identitatis realis, non verò secundùm rationem. Alioqui teneberis concedere, tres personas diuinas ratione ratiocinata non distingui, sed prorsus identificari cum essentia diuina, quoniam cap. *Damnamus*, de summa Trinit. post med. decernitur: *Id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus idem omnino.* Similiter Anselm. in Monolog. cap. 16. de mutua identitate cunctorum attributorum absque discrimine pronunciat illud aduerbium, *omnimodo*, & *omnino* (vt vidimus sect. præcedenti prope finem) cum tamen negare non possit distinctionem rationis ratiocinatæ multorum attributorum ab inuicem, & ab essentia. Quod argumentum sumitur etiam ex verbis Ricardi Victorini 1. de Trinit. cap. 13. in sect. præcedenti prope finem.

9 Sextò probatur, simúlque soluitur confirmatio fundamenti contrariæ sententiæ. Quia productionem in similitudine naturæ nunquam colligit S. Thomas ex eo præcisè, quod intelligere Dei sit esse Dei, sed adiuncta formalissima ratione intellectionis perfectissimæ, quæ postulat producere perfectissimam similitudinem rei intellectæ, quia intelligere Dei est esse substantiale Dei, sequitur similitudinem euadere perfectissimam *in tota ipsa substantia Dei*: pro vt fusius explicatum est tota disp. 6. & 7.

Confirmatur, nam 4. contra gent. cap. 19. ante med. & post med. ad explicandum qua ratione processio Spiritus sancti conferat eandem omnino substantiam Patris, & Filij, dicit, esse idem velle, seu diligere, & esse Dei, siue substantiam Dei: vt retuli probat. 1. Nihilominus statim adiungit, non esse generationem, quoniam *amatum in amante non secundum similitudinem speciei, sicut intellectũ in intelligente.* Manifestè igitur S. Thom. in eo capite pares omnino facit intellectionem, & volitionem, quantum ad idemtitatem; discrimen autem constituit solum modo in virtute producendi similitudinem. 10

Septimò, quoniam ex eisdem principiis non modò soluuntur obiectiones aliæ; quæ solent adduci pro eadem sententia, sed etiam retorquentur aduersus illam. Quale est quod S. Thom. 4. contra gent. cap. 11. colum. 2. & 3. ex professo probat, quod intentio intellecta & similitudo concepta de Deo sit ipsum esse Dei. Rursus quod Diuinum Verbum sit Deus intellectus in ipso intelligente, & intentio intellecta. Huiusmodi plura verba congeruntur ex variis locis S. Thomæ. Verumtamen in illis manifestum est, tales locutiones non significare identitatem rationis, quæ cõtradicat distinctioni rationis ratiocinatæ. Nam Verbum diuinum sine dubio ratione ratiocinata distinguitur ab esse diuino, siue ab essentia Dei. Vnde necessariò sequitur, alteram illarum propositionum, vel vtramque non significare identitatem rationis, sed solam identitatem realem cum distinctione rationis. Hic enim vim habet argumentum, quod attigi probatione 4. 11

Octauò, solam identitatem realem cum distinctione rationis probat quod adducitur pro cõtraria sententia ex Aristot. 12. metaphys. cap. 7. tex. 39. *Intellectus fit intelligens assumptione intelligibilis.* Quod S. Thom. ibi sect. 8. & alibi, nec non alij scholastici declarant, quatenus creatus intellectus quodammodo fit ipsum obiectum, quod intelligit, recipiendo in se intentionalem similitudinem impressam, videlicet, speciem in actu primò repræsentatiuam obiecti; & producendo similitudinem expressam, quæ est verbum mentis. Sed in Deo intellectus intelligens, & obiectum intelligibile, & ipsum intelligere sunt idem re: vt notat ibidem Arist. & S. Thom. 1. p. q. 14. art. 4. Hinc autem potius infertur rationis ratiocinatæ distinctio. Quoniam manifestum est, diuersum esse conceptum rei intelligibilis, & intellectus intelligentis. Nam *vnumquodque cognoscitur secundum quod est in actu*, sicut Arist. ait 9. Metaphys. tex. 20. quem sequitur S. Thom. 1. p. quæst. 14. a. 3. corp. Cæterum vt sit intelligens, aliquid amplius requiritur. Cõfirmatur, nam intelligibilitas communis est omnibus entibus, etiamsi careant intellectu, imo licet non sint substantiæ: sed intelligere solummodo cõuenire potest perfectissimis substantiis Deo, Angelis, & hominibus. 12

Vnde magis vrget ratio nona, quoniam vt per cõceptus nostros distinguamus intelligere Dei ab essentia Dei, fundamentũ est non solũ ex eminentia diuinę simplicitatis, sed etiam ex parte creaturarũ, in quibus esse, & intelligibilitas sunt rationes transcendentes distinctæ ab intellectione: nec non ex parte nostræ capacitatis, quæ vt melius, & clarius cognoscat essentiam intelligibilem, & intellectionẽ, indiget diuersis conceptibus. Hanc 13

rationem

rationem corroborant quæ notat S. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 4. corp. & de verit. q. 2. art. 1. ad 3. & ad 11. Sed de hoc fusiùs Ricard. 1. dist. 2. art. 1. tota quæst. 3. vbi Durand. Similiter q. 3. Henric. quod lib. 5. quæst. 1.

14 *Magister & antiqui Scholastici æqualē distinctionem docent.*

Secunda conclusio. Magister, & antiquiores scholastici communiter inter essentiam, & intellectionem eandem distinctionem rationis, & realem identitatem eandem constituunt, quam inter essentiam, & volitionem, ac cætera attributa. Magister enim 1. dist. 8. cap. *Creatura*, & cap. *Hic diligenter*, cum Augustino 6. de Trinit. cap. 4. & 6. & 7. (cuius verba retulimus sect. 2. præced.) docet, idem esse Dei magnitudinem, bonitatem, virtutem, sapientiam; & veritatem. *Et non est*, inquit, *aliud ipsum beatum esse, & aliud magnum aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino esse.* Obseruat autem rationem, ob quam Augustinus ibidem dixerit: *Simplicem multiplicitatem, & multiplicem simplicitatem*, videlicet, propter multitudinem nominum, intellige in ordine ad diuersos conceptus. Alioqui nulla dignitas esset in simplicitate multiplicitas, quantum ad nomina merè sinonyma, sine diuersitate conceptuum. Rursus in eodem lib. 1. sentent. dist. 32. cap. penult. ait: *Sicut idem est Deo sapere, quod esse, ita est idem diligere quod esse.* Et dist. 45. initio: *Sicut idem est ei esse bonum, quod esse Deum, ita idem est esse volentem, & esse Deum.* & addit: *Volitionem esse Dei vsiam.*

15 Idem omnino sentiunt, qui sequuntur Scholastici, Albertus quantum ad intellectionem 1. p. tract. 15. quæst. 60. memb. 1. & quantum ad volitionem 1. p. tract. 20. quæst. 79. memb. 1. ad 3. Alex. quantum ad intellectionem, 1. p. quæst. 48. memb. 3. & quantum ad volitionem 1. p. quæst. 34. memb. 1. & 2. sanct. Bonau. de intellectione in 1. distinct. 8. in exposit. literæ, & clarius priori parte distinctionis art. 1. quæst. 1. fine, nec non dist. 45. art. 1. quæst. 1. Ricard. 1. dist. 2. art. 1. q. 3. & dist. 45. art. 1. quæst. 1. Durand. 1. dist. 2. q. 2. & 3. tradit generalem doctrinam de omnibus attributis, & dist. 45. in exposit. literæ ait: *Voluntas idem est quod diuina essentia differens ab illa solum ratione, sicut & scientia.* Henricus quodlib. 5. q. 1. & 1. p. art. 36. q. 1. ad argum. 1. & 2. & art. 39. q. 2. Ægidius 1. dist. 2. q. 2. art. 3. quem referunt Argentina, & Carthusian. Idémque tenent Argentina 1. dist. 6. q. 1. art. 2. 3. & 4. & Carthusianus dist. 2. q. 2. propiùs ad fin. quàm ad med. Marsil. in 1. q. 12. a. 3. p. 2. Capreolus ex professo 1. dist. 8. tota q. 4. & dist. 45. q. 1. præsertim conc. 2. & in solutione argumentorum contra illam, Ferrarien. 1. contra gent. c. 31. & 2. contra gent. c. 10. in fine Caiet. locis citatis ex S. Thom. 1. p. collatis cum sequenti q. 28. art. 2.

16 Confirmatur primò, nam & Nominales, negantes attributa ratione distingui, æqualiter hoc negant de sapientia, seu intellectione, atque de volitione, & bonitate, vt Ocham, Gabriel, Gregorius, & Maior; siue sola vocis æquiuocatione dissideant à cæteris scholasticis, siue modo sentiendi, & è contrario Scotus 1. dist. 8. q. 4. sicut volitionem, ita etiam scientiam, siue intellectionem ab essētia diuina distinguit ante opus intellectus.

SECTIO X.

Radicale intelligere cum essentia diuina non identificatur magis, quàm radicale velle.

1 ALiqui recentiores cum videant, negari non posse, quin actualis intellectio distinguatur ab essentia diuina secundum diuersos conceptus; confugiunt ad radicale intelligere, dicentes, hoc nec ratione ratiocinata distingui ab essentia diuina. Hic autem dicendi modus aliquid falsitatis inuoluit, & nihil deseruit ad explicandam rationem, propterquam intellectio potius, quàm volitio producat similitudinem in natura.

2 Ad huius explicationem dico primò. Radicale intelligere non est propriè in Deo. Probatur primò, quia essentia diuina non est realiter radix intellectionis essentialis (vt manifestè constat. Alioqui realiter distingueretur) nec est radix secundum rationem ad eum modum, quo essentia creata radix est quarumdam passionum, sola ratione distinctarum. Quia essentia diuina non tanquam passionem, sed tanquam primariam sui quasi partem quidditatiuè claudit actualem intellectionem, eo quod sit purissimus actus. Vt in sect. 5. monstrauimus de omnibus perfectionibus diuinis.

3 Confirmatur primò, quia radicalitas est quædam potentialitas. Omnem autem potentialitatem aduersantur Aristoteles, & S. Thom. citati in sect. 5. Ideóque nec ex genere, & differētia Deum componi permittūt communiter Theologi. Confirmatur secundò, nam optima essentia debet perfectissimo modo continere perfectiones suas. Perfectissimus autem modus est, formaliter in actu secundo continere quidditatiuè, non autem continere radicaliter.

4 Vnde sumitur probatio secunda, quia valde impropriè dixeris esse in homine radicale rationale, intelligendo; ipsam quidditatiuam differentiam, hominis constitutiuam, tanquam à radice prouenire ab essentia hominis; cum illam potiùs constituat. Ergo non minor erat improprietas Deo tribuere radicale intelligere, aut radicale velle, aut similia; quia per collectionem omnium perfectionum possibilium constituitur; & ideo non est radix illarum, sicut non est radix sui ipsius, etiam secundùm rationem, & conuenientem modum intelligendi.

5 Dico secundo. Quodam modo, & impropriè datur in Deo radicale intelligere, & radicale velle, ratione distinctum ab actuali intellectione, & volitione, quatenus essentia diuina, licet implicitè & quidditatiuè claudat intelligere, & velle actualiter; attamen explicitè, & distinctè non affert has perfectiones solus conceptus essentiæ. Cuius aliquod exemplum, licet non omnino simile, potest esse hominis essentia; quæ quodam modo, & impropriè dicetur esse radicale rationale; quia conceptus essentiæ hominis non dicit explicitè rationale; quamuis illud contineat implicitè, vt propriam differentiam.

6 Ex quibus infero, & dico tertiò. Falsum est quodcumque discrimen constituatur inter radicale intelligere, & radicale velle, quantum ad identitatem cum essentia diuina, vel constitutionem illius. Probatur primò, quia discrimen illud supponit falsum. Etenim non modo secundùm rem, sed etiam secundùm rectum & sapientem modum intelligendi, nullum est in Deo radicale intelligere, nec radicale velle, vt probatum est.

7 Probatur secundò, quia si concedendum foret in Deo radicale intelligere, & radicare velle; vtrumque debere æqualiter identificari cum natura diuina; nec ab illa distingueretur magis radicale velle, quàm radicale intelligere; nec minus constitueret naturam diuinam radicale velle, quàm

quàm radicale intelligere. Antecedentis huius rationes sunt. Prima. Quæcumque natura creata, quæ per suam differentiam quidditatiuam est radix intellectus, eadem ipsa differentia indiuisibili constituitur etiam radix voluntatis: nec sequitur quasi passio radix voluntatis ex radice intellectus. Ergo potiori iure si potuisset essentia diuina rectè concipi quasi radix intellectionis; eadem ipsa quidditatiua differētia, seu constitutiuo intelligeretur radix volitionis: nec magis distingueretur ab essentia radix volitionis; nec intelligeretur vt passio alterius radicis.

8 Secunda ratio, quia contemplatiua vita, Dei propria non minùs constituetur per velle, quàm per intelligere vt probatum est sect. 5. probat. 4. Ergo si constitueretur per radicale intelligere, non minus constitueretur per radicale velle. Tertia ratio, quia licet intelligere supponatur prius ratione, quàm existat velle: atque inde rectè colligatur, processionem per intellectum esse prius origine, quàm processio per voluntatem: inde tamen non colligitur, quod radix volitionis tanquam passio sequatur ex radice intellectionis; sed tanquam compars posterius, & vltimatè constituens naturam diuinam: vt de actuali volitione, & intellectione dictum est sect. 5. probat. 4.

9 Quarta ratio, quia Patres, & scholastici citati in tribus sectionibus præcedentibus æqualem identitatem, & æqualē distinctionem significant inter essentiam, intellectionem, sapientiam, volitionem, bonitatem, & reliquas perfectiones diuinas: nec insinuant vllam rationem discriminis, ob quam possit nostris conceptibus ab essentia diuina distingui radicale velle, & tamen non possit eisdem conceptibus distingui radicale intelligere. Omnes enim eorum rationes desumptæ ex simplicitate Dei, vel ex comparatione creaturarum, vel ex limitatione nostri intellectus, & aliæ quæcumque rationes æqualem vim haberent in radicali volitione & intellectione radicali; si tales conceptus rectè & propriè de Deo formari potuissent.

ARTICVLVS V.

Vtrum sint plures processiones in diuinis quàm duæ.

VOD attinet ad hunc articulum, iam est tractatum disp. 3. sect. 2. & 3.

QVÆSTIO XXVIII.

De relationibus diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

DISPVTATIO IX.

Num relationis quidditas propriè realitérque conueniat diuinis relationibus.

1 DE relationibus, quatenus diuinas personas constituunt, atque distinguunt, ex instituto proprio, tractabimus ad quæstionem 40. disp. 87. & sequentibus. Nam disputatio præsens, obiter attingens realem personarum distinctionem, & constitutionem, incumbet ad examinandam realitatem, & propriam quidditatem relationum; sed distinctionem rationis ratiocinatæ, simul cum inclusione quidditatiua, repertam inter relationes, & essentiam, nec non inter spirationem actiuam, aliásque duas relationes, tractabunt disputationes proximè sequentes.

SECTIO I.

Errores, & opiniones contra realitatem relationum.

PRimò quidem Arius, vt subterfugere posset Catholicorum argumenta, quibus compellebatur concedere, Filium esse coëternum Patri, quia relatiua sunt simul natura; dixit: *Nec simul cum Patre ipsum esse habet, velut quidam de his, quæ ad aliquid appellantur, dicunt, duo ingenita principia introducentes.* Vbi licet insinuet sibi non probari sententiam philosophorum, qui dicunt esse simul ea, quæ *ad aliquid* appellantur: præcipuè tamen suggillat Patres Ecclesiæ, constanter asserentes, *Filium Dei* esse relatiuum ad Patrem, & consequenter Patri coæternum. Hoc venenum eiaculatus est Arius epist. ad Alexandrum Alexandrinum apud Epiphan. hæresi 69. pag. 2. 2 *Primus error.*

Secundus error fuit Guillelmi Parisiensis in tractatu de Trinitate, probantis ex professo, tam in Deo, quàm in creaturis omnibus, relationes non esse reales entitates, sed tantum entia rationis. Cuius verba probationésque reperies apud Chartusianum. 1. dist. 26. quæst. 2. post med. Huic affinis est alter error, qui ad nonnullos Theologos, alioqui Catholicos, manauit ex Ochamo in 1. sent. dist. 30. tota quæst. 4. præcipuè à med. & Gabriele in eadem dist. & quæst. 4. art. 1. præsertim conc. 5. concedentibus, dabilem esse viam negandi omnes respectus, non solum in creaturis, sed etiam in diuinis; si dicamus personas diuinas non constitui per relationes, sed per proprietates absolutas. Additque Ochamus, nihilominus posse concedi, quod Deus realiter est Pater, & realiter est Filius: sicut realiter est creans, videlicet, per denominationem extrinsecam à creatura, & ab actione transeunte in creaturam. 3 *Secundus error.*

In hanc sententiam propendere proprium eorum iudicium, ostendunt, quoniam vniuersaliter è medio tollunt omnem relationem creatam, dicētes, nihil aliud esse prēter extrema absoluta, ita vt similitudo nihil amplius importet, quàm duo alba simul existentia, vel duas alias substantias eadem qualitate affectas: sicque paternitas ac filiatio nihil importet, nisi istum hominem, qui genuit, & istum hominem, qui genitus est. Ita loquitur Ocham. Et eiusdem sententiæ est Gabriel locis citatis. Et quantum ad generalem doctrinam de relatione creata, in eandem sententiam euadit prolixa, & obscura disputatio Gregorij in 1. sent. dist. 28. tota q. 2. Vbi de relationibus diuinis idem sensisse crediderim; quia non inuenio, quid diuersum explicet in relationibus diuinis. 4

Nihilominus ij authores à culpa, directè cōtraria fidei, excusantur primò, quia Ochamus dicta quæst. 4. conclus. 1. fine ait, non conceduntur in diuinis plura absoluta realiter distincta; ergo oportet, quod sint ibi plures relationes distinctæ realiter 5 *Excusantur authores.*

realiter. Quod prædixerat se tenere propter authoritatem Patrum. Gabriel autem in fine eiusdem quæstionis 4. submissionem animi, vt cedat saniori sententiæ, profitetur. Quod idem intelligendum est de Gregorio. Cæterum error est fidei contrarius, negare relationes, realiter in Deo existentes, & formaliter distinctas ab absolutis formalitatibus Dei, vt ostendemus sectionibus sequentibus. Omittimus autem quod pertinet ad relationes creatas, in logica tractatum, videri potest Durandus 1. dist. 30. q. 2. dum impugnat secundam opinionem.

6 *Voce tenus relationem admittunt aliqui.*

Tertia sententia voce tenus admittit relationes in Deo; verumtamen re ipsa negat. Reiicit enim relationes ad instar prædicamentalium, quę solæ sunt propriè relationes, ab absolutis primò diuersæ. Concedit autem solas relationes, quæ sint ad instar relationū transcēdentalium: quales sunt omnes res absolutæ quorumlibet prædicamentorum. Substantia quippe, quantitas, qualitas, & reliqua omnia accidentia transcendentales relationes plurimas quidditatiuè claudunt ad causas, effectus, subiectum, accidentia, variósque terminos. Huius sententiæ authores, & argumenta videbimus ad quæstionem 40. S. Thomæ disputantes, vtrum relationes diuinæ sint quasi prædicamentales, & ea ratione constituant personas.

7 *Secundum vltimam rationem relationis an sint reales.*

Quarta sententia concedit, Dei relationes esse reales: addit tamen, non esse reales secundum vltimam rationem relationis, quæ est *ad aliquid*, sed reales esse tantummodo, quatenus includit esse per se, videlicet, diuinam substantiam. Vult enim hæc sententia, formalitatem *ad aliquid*, per quam relationis prædicamentum distinguitur à cæteris accidentibus, non esse realem præcisè ratione sui; sed abstractam esse à reali, & intentionali relatione: fieri verò reale prædicamentum per esse *in*, siue inhærentiam propriam accidentis, sibi coniunctam, & per fundamentum reale, ex cuius natura relatio proueniat. Vnde, quoniam Deo repugnat esse *in*; quæ est quidditas accidentis; consequens est, Dei relationes esse reales per esse substantiale, & absolutum, quod quidditatiuè claudunt; sed non esse reales sub præcisa ratione formali relationis. Quamuis hæc sententia non satis apertè pronunciet, quod attinet ad relationes diuinas, colligitur tamen ex illius generali doctrina, & cohærentia cum instituto sibi proposito.

8

Hanc sentētiā expresè docuit Paludanus in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad finem & art. 4. Capreolus in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. ad 3. contra primam concl. & dist. 33. art. 3. ad argumenta Aureoli, præsertim ad 1. & 3. & 8. Quam diuersimodè, nec sine verborum ambiguitate sequuntur Ferrarien. 2. contra Gent. cap. 9. in med. & 4. contra gent. cap. 14. circa medium, §. *Dicit secundo*. Et propius ad finem, quàm ad med. §. *Ad primi dubij*. Caietanus hoc art. 1. §. *Ad has dubitationes*. Canarien. in eodem art. 1. ad argumentum 4. Valdéque fauet Henricus in summa art. 34. q. 2. toto corpore, & solutionibus argumentorum.

9 *Argumentū primum sententiæ quartæ.*

Primum, ac præcipuum fundamentum accipiunt ex verbis S. Thomæ, nam de potentia q. 2. art. 5. corp. à med. *Relatio*, inquit, *secundum rationem sui generis in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit verò aliquid secundum rem, habet ex illa parte, qua inest, vel vt idem secundum rem, vt in diuinis, vel vt habens causam in subiecto, sicut in creaturis*. Eandem sententiam breuius posuerat in 1. dist. 20. quæst. 1. art. 1. ad 3. & dist. 26. quæst. 2. art. 2. ad 3. *Quamuis relationi ex hoc, quod ad alterum dicitur, non debeatur, quod sit res quædam: est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur, & ex hoc vlterius habet, in quantum est diuina, quod sit hypostasis*, &c.

Confirmatur primò. Nam S. Tho. in hoc art. 1. 10
corp. & clarius in sequenti art. 2. corp. notat, relationis prædicamentum hoc differre à cæteris accidentibus, quoniam horum *propria ratio accipitur secundum comparationem ad subiectum, sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud, in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra*. Vnde infert S. Thom. *relationes, secundum id quod relationes sunt, esse assistentes, non intrinsecus affixas*. Ergo secundum quod relationes sunt, non sunt reales; quia in Deo nihil est reale, nisi quod est illi intrinsecum.

Confirmatur secundò, quia si relatio præcisè, 11
& formaliter secundum esse ad aliquid, foret ens reale; nullum esset discrimen illius à cæteris prædicamentis, quantum ad hoc, quod in prædicamento relationis inueniantur aliqua secundum rationem tantùm (quod notat S. Thom. in hoc art. 1. corpore.) Siquidem in cæteris prædicamentis reperiuntur entia rationis; vt chimera in prædicamento substantiæ, & chimeræ proprietates in prædicamento qualitatis, numerus autem & extensio quorumdam entium rationis in prædicamento quantitatis, sicut & in prædicamento actionis, & passionis, eorumdem entium productio secundum rationem. Quin etiam spatium imaginarium pertinebit ad prædicamentum *vbi*, & imaginaria successio temporis, ab æterno fluentis, ponetur in prædicamento *quando*.

Secundum argumentum sit, quoniam Cyrillus 12
Alex. lib. 2. Thesauri cap. 3. propius ad princip. quàm ad med. dicit, *differentiam personarum, quæ secundum relationem est, quasi extrinsecus intellectam esse*. Quod si diuinæ relationis tota quidditas esset realis; non esset quasi extrinseca, sed intrinseca Deo, vt pote realiter identificata. *Secundū argumentum.*

Tertium argumentum. Dicit enim Boëtius lib. 13
de Trinitate inter med. & fin. *Illa, quæ aliquid esse designant, secundum rem prædicationes vocentur, quæ cum de rebus subiectis*, (idest creatis) *dicuntur, vocantur accidentia secundum rem: cum verò de Deo, qui subiectus non est*, (idest receptiuus accidentium non est) *secundum substantiam rei prædicatio nuncupatur*. Mox de relatiuis addit: *Maximè hæc non videntur secundum se facere prædicationem, quæ persiciuè ex alieno aduentu constare persiciuntur*. Ergo relatio nihil reale constituit intrinsecum Deo, sed solam extrinsecam denominationem. *Tertium argumentum.*

Confirmatur primò, nam paulò inferius ad- 14
dit: *Prædicationem relatiuam nihil rei addere, vel minuere, vel mutare, quæ tota non in eo, quod est esse, consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere*. Ergo respectus siue comparatio relationis non consistit in esse reali, sed in eo quod per intellectum vna res alteri comparetur. Cui consonat quod idem Boëtius in prædicamenta Aristotelis lib. 2. prope finem exponens postremam definitionem relationis, ait: *Ea sunt relatiua, quæ in quadam comparatione, & relationis habitudine consideramus*. Confirmatur secundò. Nam relationes nihil addere, vel minuere, vel mutare probat Boëtius exemplis relationum, consistentium in mera denominatione extrinseca, cuiusmodi

modi est relatio dextri, vel sinistri, serui, vel domini, & similes.

15 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum. Nam in medio eiusdem libri de Trinitate Boëtius, enumeratis omnibus prædicamentis, ait: *Hæc cum quis in diuinam verterit prædicationem, cuncta mutantur, quæ prædicari possunt. Ad aliquid verò omnino non potest prædicari*. Ergo relatio non conuenit Deo realiter. Explicat autem continuò, quomodo cætera prædicamenta mutentur, quia, videlicet, in Deo cuncta, quæ illi conueniunt, substantia sunt, quæ sit vltra substantiam, licèt significentur per modum quantitatis, qualitatis, *vbi*, aut *quando*, vel actionis, & passionis.

16 *Quintum argumentum.*

Quintum argumentum. Nam in eodem lib. de Trinit. prope finem. *Similis est*, inquit, *in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum sanctum, vt eius, quod est idem, ad id, quod est idem*. Sed relatio identitatis non potest esse realis: quia realis relatio requirit extrema realiter distincta. Ergo relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum sanctum non est realis.

Sextum argumentum.

Sextum. Relatio principij in Deo non est realis: sed Paternitas est relatio principij. ergo non est realis. Maior probatur, quia Deus est creaturarum principium absque relatione reali, per solam extrinsecam denominationem à temporali, & creata productione creaturarum.

17 *Septimū argumentum.*

Septimum argumentum. Relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, sunt relationes rationis. Sed Paternitas, & Filiatio in diuinis consequitur generationem Verbi, quæ est operatio intellectus. Ergo Paternitas, & Filiatio sunt relationes rationis.

Octauum argumentum.

Octauum. Ratio *Ad aliquid*, præcisè sumpta, non considerando rationem *in*, solummodo respicit terminum: hoc autem est commune relationi rationis, & reali. Ergo relatio secundum propriam rationem, quæ est *Ad aliquid*, est communis relationi rationis, & reali, & consequenter non est ens reale determinatè.

18 *Nonum argumentum.*

Nonum argumentum, quia si relatio diuina, secundùm vltimum esse relationis, foret ens reale, sequeretur, esse in Deo tres entitates, tres essentias, tres existentias, tres perfectiones, tres immensitates, tres æternitates, & alia similia: quæ

Decimum argumentum.

censentur inconuenientia. Decimum. Sequeretur etiam aliquam realitatem Patris realiter pendere à Filio, & Spiritu sancto, potiorique iure realitas Filij, & Spiritus sancti penderet à Patre. Quoniam totum esse relationis est in ordine ad terminum: ideóque non potest existere sine termino, & multo minus existere potest relatio producti sine suo principio producente.

SECTIO II.

In Deo sunt propriè, atque simpliciter relationes.

1 *Propriè conuenit Deo res significata, nō modus significandi.*

NOn est modò disputanda, sed supponenda proprietas, improprietati permixta, nominum omnium, quæ Deo tribuuntur à nobis. Nam vt S. Thomas ex mente Ambrosij lib. 2. de fide in Prologo (quem cum pluribus Patribus retulimus disput. 4. sect. 3.) docet supra quæst. 13. art. 3. corp. propriè Deo conuenit illud, quod per nomina significatur, & propriùs quàm creaturis: modus autem significandi non propriè conuenit Deo, quia proportionatus est creaturis. Nostra quippe vocabula significant per modum qualitatis, adia-

centis subiecto, vel ab illo distinctæ: significant etiam per cōceptus connotatiuos effectuum corporalium, in ordine ad quos species intelligibiles abstrahimus, & mentis conceptus formamus. Ideo Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 10. fine, & serm. 38. de tempore col. penult. postquam enumerauit ea, quæ propriè dicuntur de Deo, subiungit præcastigationem: *Si tamen propriè de illo aliquid dici ore hominis potest*.

Cypariſſiotus verò decade 4. cap. 8. & 9. ex quibusdam testimoniis Patrum concludit, hæc nomina non significare propriè naturam diuinam, sed eius *operationem*, id est, opera, vel effectus, si consideremus materiam, vnde nomina colligimus; nam ex creaturis colligimus nomina Dei: ac rursus eadem nomina propriè significare Dei substantiam, si respiciamus rem subiectam, siue significatam, ad quam nominibus ducimur. Eandem doctrinam confirmant testimonia Patrum posita disput. 4. sect. 3. sub init. & quæ dicemus sect. 5. sub init. & sequenti disput. 10. sect. 4. Peculiariter autem proprietatem significationis admittit etiam Dionys. de diuin. nominibus cap. 2. sub init. dicens, quædam nomina *absolutè, & integrè totiq; diuinitati tribui*. Quod autem improprie tribuitur, non tribuitur absolutè, & integrè. 2

In hoc igitur sensu sit conclusio. Absque vlla 3
metaphora, vel improprietate, & absque addito diminuente, Deo conueniunt relationes. Probatur primò ex Scriptura sacra. Quoniam diuinas personas nunquam appellat, nisi nominibus, importantibus relationem, vel originem, quæ proximum fundamentum est relationis, cuiusmodi sunt, *Pater, Filius, Verbum, Vnigenitus, Spiritus Dei, Spiritus Filij*, & *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*. Vt constat Ioann. 1. 8. 15. 16. 17. & 1. Ioann. cap. 5. Roman. 8. Galat. 4. & alibi sæpè. Confirmatur primò, quoniam Spiritus sanctus ea nomina singulis personis imposuit, quæ meliùs quadrarent in personas diuinas, prout à nobis in hac vita possunt virtute fidei concipi, credi, atque distingui. *Relationes Deo conueniunt simpliciter & propriè.* *Singulis personis optimè quadrant nomina.*

Quod obseruauit Cyrillus Alexand. dialogo- 4
rum de Trinitat. lib. 2. multo propiùs ad princip. quàm ad med. videlicet, col. 5. notans, hanc fuisse rationem propter quam Christus Dominus, prætermissis aliis nominibus, veluti, *incorruptibilis*, & *ingeniti*, quæ Deo conueniunt, *Baptizare iusserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Nimirum, quia *collegit, & præ aliis proposuit nomina, distinctissimè nobis constituentia vniuscuiusque significati propriam existentiam*. Et postquam ostendit, communia Diuinitatis nomina non significare propriè, atque distinctè personas singulas, adiungit: *Patrem autem, & Filium, & Spiritum sanctum dicens, non eorum, ex quibus est indiscretè omnis Deitatis natura, manifestationem facit, sed eorum, ex quibus sanctæ Trinitatis dignoscitur identitas, in substantiam eorum, quæ intelliguntur in subsistentiis propriis, sermone vnicuique distribuente conueniens nomen*, &c. Et Nazianzenus oratione 37. quæ est 5. de Theologia col. 5. de Patre & Filio sic loquitur: *Mutuæ eorum relationis differentia, diuersa quoque ipsis nomina procreauit*.

Confirmatur secundò, nam ad significatum 5
improprium, vel secundum quid, & quodammodo verificatum, detorquere non licet Scripturæ verba, constanter, & vniformiter plurimis in locis repetita, quando contextus non est prouerbialis, sed doctrinalis, nec præbet indicium locutionis impropriæ. Quæ omnia reperimus, quo- *Scripturæ verba nō nisi proprio sensu licet exponere in hoc casu.*

ties Diuinæ personæ prædictis relationum nominibus indicantur.

6 Secundò probatur Conciliorum authoritate. Nam Toletanum vndecimum, tacita Pontificum, & Ecclesiæ approbatione munitum, in confessione fidei cap. 1. ait: *In relatiuis personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus sanctus ad vtrosque refertur. Quæ cum relatiuè tres personæ dicantur, vna tamen natura per substantiam creditur.* Et non longè inferius: *In relatione personarum numerus cernitur.* Et post pauca: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt: & in hoc numero carent, quòd in se sunt.*

7 In Concilio Florentino sessione 18. post med. §. *Diuina substantia*, Ioannes Theologus ex sententia Græcorum Patrum, & præsertim Gregorij Nazianzeni in sermone Epiphaniæ, qui est oratio 39. in sancta lumina: *Proprietates*, inquit, *nequaquam communicabiles sunt, quod ex relationis vi creditur euenire.* Et post pauca: *Nil nisi principij habitudo est, in quo hæc duo considerantur, a quo aliquid, & ad quod aliquid.* Et in eadem sess. §. *Dixi quidem: Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos Doctores diuina processione personas multiplicat, ita vt non alia ratione, quàm vi relationis, vna persona ab alia differat.* Similiter Bessarion in orat. pro vnione, quæ habetur post sessionem 25. Concilij Florentini, & tacitam eiusdem Concilij approbationem habet, cap. 6. eiusdem orationis, col. 8. & 9. docet diuinas personas constitui, & distingui prius, & principaliter per eas relationes, quæ fundantur in origine.

8 Concilium VVormacience Prouinciale in professione fidei sub init. repetit eadem verba, quæ nuper ex Concilio Toletano retulimus: *In relatiuis personarum nominibus*, &c. Subditque, *Quod Pater est, non ad se, sed ad Filium; & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est.*

9 Tertiò probatur ex Patribus. Nazianz. orat. 1. procul ante med. num. 71. *Filius*, inquit, *ad Patrem tanquam ad causam refertur.* orat. 13. quæ est 2. de pace in medio, & longè post med. repetit, *Relationem & ordinem inter se habere personas.* orat. 29. de dogmate, & constitutione Episcoporum prope medium docet, *Filium ad Patrem tanquam ad authorem referri.* Similia scribit orat. 35. quæ est 3. de Theologia inter med. & fin. & orat. 37. quæ est 5. de Theolog. colum. 4. & 5. & longè ante med. *Ad vnum Deum*, inquit, *ea, quæ ex eo sunt, referuntur*, videlicet, ad Patrem, Filium, & Spiritus sanctus.

10 Athanas. orat. 3. contra Arian. inter med. & fin. *Pater*, inquit, *propriè ad Filium refertur, non ad creaturam.* Obserua illud aduerbium, *propriè.* & orat. 4. contra Arian. initio: *Filius ad eum refertur, cuius est Filius.* Idem Athanas. dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum propiùs ad medium, quàm ad fin. *Spiritus*, inquit, *veritatis Patrem nobis, & Filium prædicauit, quæ nomina relationes in diuina essentia nobis indigitant.* & dialogo 1. contra Macedonium in principio: *Nomina Patris, & Filij relatiua sunt.* & in dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomæum pag. penult. *Nomen Dei naturam indicat, nomen autem Patris eam rationem, quam ad Filium habet.*

11 Gregorius Nyssenus variis in locis notat, esse relatiua nomina non solùm *Patris*, & *Filij*, sed etiam *Verbi*, & *Spiritus sancti*. Cuius aliqua verba referemus sequentibus sect. 4. & 5. Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri cap. 6. colum. penult. illud Ioann. 20. *Ascendo ad Patrem meum*, &c. Sic ponderat; *Vides hinc, Patrem ad Filium dici, Deum ad creaturas?* Videlicet, vt creator, & gubernator earum. & sequenti lib. 2. thesauri cap. 3. propiùs ad princip. quàm ad med. personas diuinas relationibus constituit; atque distinguit. & lib. 11. thesauri cap. vnico, non longè ante fin. de nominibus *Pater, Filius, Spiritus sanctus. Relationem*, inquit, *quandam ad exprimendam distinctionem ostendunt.*

12 Hilarius 7. de Trinit. inter med. & fin. *Inuicem*, inquit, *sunt, cum vnus ex vno est*, videlicet Filius ex Patre. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 5. 6. 8. 11. & 12. & lib. 15. cap. 3. ante med. faciens epilogum præcedentium librorum, & alibi sæpe Deo tribuit *relatiuum, ad aliquid*, & *relatiuè dici, ad Patrem, ad Filium.* & his similia vocabula. Nam absolutas Dei perfectiones appellat *ad se*, & *secundum substantiam.* Sic in Psalm. 68. initio, & tractat. 39. in Ioan. notat, *Filium ad Patrem dici, Deum autem ad se ipsum, sicut Pater ad Filium dicitur Pater, ad se dicitur Deus.* Relationes etiam frequenter Deo tribuit in sermone 38. de tempore.

13 Idem ex Boëtio lib. de Trinitate à med. & lib. de prædicatione personarum post med. constabit sect. 5. & sect. 7. ad 3. & 4. argum. Et ex Anselmo de incarnatione Verbi cap. 3. & lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. & 3. aliisque multis, constabit in prædicta sectione 4. Bernardus tandem epist. 190. ad Innoc. colum. 2. *Quod alter*, inquit, *ex altero, & alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum designatio est.* Et rursus: *Non quod ad se, sed quod ad Filium est, Patris nomine designatur.*

14 Ex prædictis testimoniis aliqua expresè dicunt, esse *propriè* ad aliquid, aut relationem; cætera verò, quæ prædictum aduerbium prætermittunt, eo ipso quòd simpliciter affirmant relationem, intelligunt, esse propriè, non abusiuè, nec metaphoricè, nec impropriè relationem, vt videbimus sect. 5. sub init.

SECTIO III.

Ex definitione relatiuorum, & prima eorum proprietate, probatur, diuinas esse simpliciter, ac propriè relationes.

1 *Vtilitas tot testimoniorum.*

SVperfluam esse, nemo putet, numerositatem Patrum, quorum testimonia referuntur in hac, & sequentibus sect. cum sufficere possent quæ vidimus sect. præcedenti. Nam quidditas & proprietates relationis, solidè, atque constanter in Deo constituta, firmissimum fundamentum est non modò ad metaphysicas considerationes, ac decisiones de Trinitate, sed potissimum ad vindicandam gloriam, diuinitatémque Filij, & Spiritus sancti à blasphemiis hæreticorum. Ad eas namque refutandas esse summam efficacitatem in præsenti dogmate de diuinis relationibus, manifestè demonstrat frequentissimus Patrum recursus ad illas exactè tradendas, & ex sacris literis colligendas.

2 Labor itaque præsentis disputationis non solùm proderit ad refutandos errores, atque sententias improbabiles, positas in sect. 1. sed etiam ad constituendas personas diuinas, & inuicem distinguendas infra circa quæst. 40. S. Thomæ. Proderit etiam vt constet, Spiritum sanctum à Filio non potuisse distingui, nisi procederet ab illo infra disput. 68. Insuper vt firma constet necessitas processionum ad multiplicandas personas diuinas, quam probauimus disput. 1. sect. 3. & sequen

& sequentibus. Et quod caput est, tres personas licèt realiter distinguantur, non esse diuersæ substantiæ, nec esse tres deos, prouenit ex eo, quod solis relationibus distinguantur; vt videbimus disput. 22. sect. 6. & 7. & multi Patres notant in sequentibus sectionibus. Denique fundamento nituntur eodem quæcunque tractanda restant, de multiplicatione trium essentiarum, aut perfectionum, de subsistentiis relatiuis absque absoluta subsistentia, de numero, vnitate, vel simplicitate diuina, de notionibus, de propria quidditate Verbi, & Spiritus sancti, de termino formali diuinarum processionum, ac de potentia productiua, de ordine inter personas diuinas, in summa tandem omnia, quæ de Trinitate disseruntur, à relationum doctrina dependent.

3 *Definitio relatiuorum.* Relatiuorum ergo propria definitio, quam ex alterius refutatione colligit Aristoteles in prædicamento relationis, hæc est: *Sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum esse, est ad aliquid quodammodo se habere.* Vbi verbum, *habere*, significat *habitudinem*, seu *comparationem*, vt notat Boëtius in eius capitis commentario, & Basilius lib. 2. contra Eunom. propiùs ad princip. quàm ad med. variis exemplis ostendit, *quæcunque ad alia dicuntur, hæc ad ea, quæ dicuntur, habitudinem solum ostendere.* Hoc igitur modo quod Patris esse sit ad Filium se habere, & Filij esse sit ad Patrem, constat ex testimoniis citatis in præcedenti sect. & magis constabit ex sequentibus.

4 *Eam definitionem conuenire Patri & Filio.* Peculiariter autem Basilius dicto lib. 2. contra Eunom. propius ad med. quàm ad fin. notat *Patris, & Filij nomina solam, quam inter se habent, habitudinem ostendere.* Et Augustinus 5. de Trinitate cap. 5. *Quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei Filius, & Filius non dicitur, nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur. Quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad inuicem, atque ad alterutrum ista dicuntur.* Quibus similia sunt quæ notat Augustinus serm. 38. de tempore prope med. & in med.

5 *Proprietates relatiuorum.* Proprietates verò relatiuorum tres sunt, quæ solis, omnibúsque conueniunt, prout distinguuntur ab absolutis. Omnes autem proficiscuntur ex intrinseca connexione, & concatenatione relatiuorum. Propter quam primò, sunt simul natura. Secundò, sunt simul cognitione, seu definitione. Tertiò, dicuntur ad conuertentia. Quemadmodum etiam Cyrillus Alexand. ex Aristotele notauit, ad refutandam obiectionem Eunomij lib. 2. thesauri, cap. 3. post med. dicens: *Quæ ad aliquid sunt, & natura, & ratione simul sunt: & alterum ex altero infertur.* Et post pauca: *Quæ ad aliquid sunt, sicut vno posito, alterum ponitur; sic vno interempto, alterum interimitur.*

6 Quod attinet ad primam proprietatem, modus quo relatiua sunt simul natura, non nihil differt à modis existendi simul natura, quos idem Philosophus docuit in post prædicamentis cap. *de modis simul.* Atque vt exponit Aristoteles in cap. *Ad aliquid.* Clariùs autem Boëtius, & S. Thomas in eius commentario, relatiuorum simultaneitas consistit in eo, quod sibi mutuo inferant existentiam, vel se mutuò interimant, vt Cyrillus etiam dixit nuper citatus.

7 Nec obstat quod S. Thomas docuit 1. p. q. 13. artic. 7. ad 6. & de potentia quæst. 7. artic. 8. ad 1. quoniam vtrobique non assignauit rationem formalem, in qua consistit esse simul natura; sed indicauit signum discernendi quædam, participantia nomen, & rationem relationis, quæ tamen non sunt simul natura, videlicet, illa, *quorum vnum in sui intellectu claudit aliud, sed non è conuerso*, quia *non pari ratione referuntur*: cuiusmodi sunt scientia & scibile, Deus & creatura. Hoc discrimen relatiuorum ad rem præsentem obseruauit Athanasius orat. 2. contra Arianos præsertim circa med. dicens: *Opifex quidem dici, & esse poterit, etiamsi nondum opera existant; Pater verò nec dici, nec esse poterit, si non sit ei Filius.* Sed ex Athanasio plura videbimus infra.

8 *Patrem & Filium esse simul natura.* Propterea Patrem, & Filium esse simul natura, & vtrumque inferre existentiam alterius per mutuam illationem, manifestè colligitur in primis ex 1. Ioan. 2. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Quia concessa Filij existentia, consequens est existentia Patris: sicut negata existentia Filij, consequens est non existere Patrem.

9 Quem locum ponderans Cyrillus dialogorum de Trinit. lib. 4. colum. 5. reddit illius rationem: *Nam Filius quia genitus, & si non est Filius existens genitus, neque Pater esset iuxta rationem congruam, Pater quidem quia genuit. Igitur & simul subsistere, & simul tolli per ambo vtrumque verum, & vno subsistente subsistat omnino, & quod ideo dicitur, & est quod est.* Hæc autem Cyrillus colligit ex eo, quod paulo superius probauerat: *Nomen relatiuum vel ad aliquid est Pater, æqualiter autem sicut illud est Filius.* Idem lib. 1. thesauri cap. 5. & sequentibus frequenter repetit argumentum, probàs æternitatem Filij, quoniam Deus ab æterno fuit Pater. Nec non lib. 1. de fide ad Theodos. col. 11. rationem reddit, propter quam *Qui confitetur Filium, & Patrem habet.* 1. Ioan. 2. *Vterque est enim per vtrumque.*

10 Eadem verba Ioannis ad probandam æternam coëxistentiam Filij cum Patre, producunt Athanas. in priori epist. ad Serapionem non procul à principio tomo 2. & lib. 4. de singulis nominibus personarum aduersus Potentinum sub init. Hilarius lib. 6. de Trinitat. propiùs ad fin. quàm ad med.

11 Secundò probatur ex Patribus. Basilius lib. 2. contra Eunom. propiùs ad princip. quàm ad med. postquam, adductis relatiuorum exemplis, probauit, etiam hæc esse relatiua, *Natus, genitus, Vnigenitus.* Adiungit: *Nullus (quoniam habitudo communis est) dignitatem Vnigeniti deprimi putet. Non enim in eo quod est ad aliquid quodammodo se habere, differt ab aliis Filius, sed in proprietate substantiæ*, &c. Vnde inferius inter princip. & med. eiusdem libri Eunomium dicentem, quod Pater aliquando fuerit sine Filio, refutat, quoniam *Ex quo Pater est, & Filius est, & illico cum quis Patris cogitationem capit, Filij etiam incurrit. Nam Pater Filij videlicet Pater.* Vbi ex inseparabili connexione cogitationis & conuertentiæ, probat esse simul natura & existentia. Sicut in lib. 4. contra Eunom. non longè à princip. ait: *Si Pater ante Filium erat, cuiusdam alterius necessariò Pater erat. Nam absque Filio Pater non diceretur.*

12 Porrò aduerbium illud, *quodammodo*, positum à Basilio in priori testimonio, non est additum diminuens propriam quidditatem relationis, sed alludit ad definitionem Aristotelis initio propositam, in qua ponitur idem aduerbium; insuper denotat peculiarem, & superexcellentem modum relationis esse in diuinis. Eodem quippe sensu Nyssenus Gregor. orat. catech. inter med. & fin. ostendens Verbi quidditatē esse relatiuam, & consequenter nēc existere posse sine dicente,

nec intelligi sine illo, dicit, esse *aliquo modo ex his, quæ dicuntur ad aliquid.*

13 Idem Nyssenus lib. de differentia essentiæ, & hypostaseos in med. *Quemadmodum*, inquit, *ex catena qui vnam extremitatem apprehendit, alteram quoque extremitatem simul attrahit: eodem modo qui spiritum traxit, vt inquit Propheta, per eum Filium quoque & Patrem simul traxit. Ac si quis Filium reuera acceperit, habebit eum vtrinque, hinc quidem suum Patrem, illinc verò suum spiritum simul adducentem.* Obserua dictionem, *simul*, iterum atque iterum repetitam.

Psalm. 118. *Attraxi Spiritum.*

14 Athanasius lib. 5. de vnita substantia Trinitatis paulo post init. ex professo premit hæreticos argumentis huiusmodi: *Cur ergo iam non est talis professio vestra, nouus Pater, nouus & Filius? incipit Pater, incipit & Filius?* Et post pauca: *Considera ergo non posse dici sempiternum Patrem sine Filio, dum magis sempiternus sit Pater cum Filio, quia non potest tantum hic Pater dici sine suo Filio.* Et longe inferius: *Sine dubio non erat Pater, si non habebat Filium.* Quibus consequentia notat orat. 2. contra Arianos, præsertim circa medium.

15 Damascenus 1. de fide cap. 8. ad med. *Pater*, inquit, *sine filio nequaquam vocabitur, si verò fuit non habens Filium, minime fuit pater: & si postea adeptus est filium, postea effectus est pater, cum ante id pater non esset. Atque ita mutatus est de non esse patrem, in fieri patrem: quod omni blasphemia grauius est.*

16 Anastasius Sinayta de rectæ fidei dogmatibus lib. 1. inter princip. & med. ait: *Pater vtique Filij est. Nec aliter potest esse Pater, nisi (velis nolis) subsistat & Filius, sine enim Filio Pater non est.* Cuius rationem esse relatiuam habitudinem, notauit in medio eiusdem libri, dicens: *Non enim qui pronunciauit Patrem, mox significauit eius substantiam, sed solum omnino eius habitudinem. Quod si hæc dictio Pater habitus est; nimirum per eam & Filius intelligitur. Vtrumque enim alterius positio conciliat, simulq; inducit: contra semel ablatum simul aufert. Si enim negaueris Abelem fuisse, simul etiam negasti, Adam fuisse eius Patrem.*

17 Concilium generale Sardicense, qua parte Catholicum, & approbatum est, in epistola ad omnes Episcopos prope fin. hanc fidei professionem habet: *Indubitanter credentes, nunquam Patrem sine Filio, nec Filium sine Patre fuisse. Absurdum namque est dicere, aliquando Patrem non fuisse Patrem. Patrem enim sine Filio nominari nec esse posse, est ipsius Filij testimonium: Ego in Patre & Pater in me est. Ego & Pater vnum sumus.* Concilium Toletanum vndecimum in professione fidei sub init. *Sempiternus quoque est & Filius, quoniam si Pater semper fuit, semper habuit Filium.*

Ioan. 10. & 14.

18 Ambrosius in symbolum Apostolorum cap. 2. ante medium. *Cuius*, inquit, *erit Pater secundum hos impios, si ab ea Filij natura separatur? & rursus Filius cuius erit Filius, si non origo sua referatur ad Patrem?* & cap. 5. ad fin. *Omnipotens Pater nomen Patris per Filium sortitus est, quia nemo sine Filio Pater esse, vel dici potest, nec Filius sine Patre.* Hilarius lib. 8. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad fin. *Audiat*, inquit, *vnum Deum Patrem, quisquis negat Filium: quia cum Pater non nisi per Filium Pater sit, Filius per id significatur in Patre.* Quibus similia frequenter repetit sequentibus libris de Trinit. præsertim lib. 12. versus med. ostendens, non fuisse ab æterno Patrem, si non fuit ab æterno Filius. Phœbadius denique Galliarum Episcopus lib. contra Arianos in med. *Nec Pater*, inquit, *est pater, nisi habens filium, nec filius est filius, nisi habens patrem.*

SECTIO IV.

Quoniam simul cognitione & ad conuertentia sunt relatiua diuina, probatur eadem veritas.

1 SEcunda proprietas relatiuorum est, simul esse cognitione, seu definitione, quam Aristoteles in cap. *Ad aliquid*, notauit his verbis: *Si quis aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid, definitè sciet, & illud, ad quod dicitur, definitè sciturus est.* Hanc Patri, Filio & Spiritui sancto conuenire, Patres communiter optimo iure colligunt ex verbis Christi Domini, Ioan. 12. *Qui videt me, videt eum, qui misit me.* & Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.*

2 Clemens Roman. epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini colum. 10. sic exponit fidei symbolum: *Patrem cum audis, agnosce quod habeat Filium veraciter genitum: sicut possessor dicitur, qui aliquid possidet, & Dominus qui habet, cui dominetur.* Cyrillus Hierosolym. catechesi 7. sub init. *Patris nomen*, ait, *simul cum ipsius nominis appellatione exhibet intelligendum & Filium. Quemadmodum similiter Filium quis nominans, statim & Patrem intelligit. Si enim Pater, omnino Filij est Pater: & si Filius, omnino Patris est Filius.*

3 Athanas. orat. 2. contra Arian. paulo post med. ait: *Pater ad Filium refertur, & qui Deum Patrem vocat, statim quoque Filium intelligit, & ad eum oculos intentos habet.* Et infra: *Pater in solo Filio intelligitur, & consistit.* Nazianzenus non modo rem significatam, sed ipsas etiam voces Aristotelis, supra positas, imitatus orat. 38. num. 20. & orat. 40. nu. 19. Filium appellat *terminum* & *rationem*, id est, definitionem Patris, eo quod terminet relationem Patris, & definiat eam, sicut mutuæ relationes inuicem se definiunt: vt exponit Nicetas in orat. 38. num. 20. & Psellus in prædictam orat. 40. num. 19.

4 Basilius lib. 1. contra Eunom. inter princip. & med. ait: *Patris vox propter relationem, coniunctam sibi Filij cogitationem adducit.* Et lib. vnico de Spiritu sancto cap. 6. prope med. docet, Patrem & Filium *simul intelligi iuxta naturam eorum, quæ dicuntur ad aliquid.* Epiphan. hæresi 73. in med. *Patris & Filij nomen cognationem ad aliquid, & relationem significat. Quare etiam si Patrem solum nominauerimus, habemus in nomine subintellectam notionem Filij. Pater enim Filij Pater dicitur. Et si Filium solum nominauerimus, habemus notionem Patris. Quia Filius Patris Filius dicitur. Haret enim alterum ex altero, & non dirimitur cognationis habitus.* Quibus similia scribit hæresi 69. propiùs ad fin. quàm ad med. & in Ancorato col. 5.

5 Gregor. Nyssenus epist. contra Apollinarem de imagine & similitud. multo propius ad fin. quam ad med. ita differit de Patre & Filio: *Vt infiniti relatas inter se, ac mutuo nexas, & proprias habent appellationes. Vbi enim quis Patrem nominauerit, certum est, eum Filij cuiusp iam significationem intuliss e. Quomodo enim Pater appellabitur, nisi Filius etiam intelligatur?* Eandem intelligentiæ connexionem notat lib. de differentia essentiæ, & hypostaseos prope finem, & orat. caches. cap. 1.

6 Cyrillus Alexand. non modò respectu creatæ, sed etiam respectu diuinæ cognitionis esse inseparabiles Patrem & Filium, notauit lib. 1. thesauri cap. 8. prope finem, dicens: *Si Pater scit, semper se esse Patrem, semper in seipso cognitionem de Filio suo habet. Pater enim ad Filium & est, & dicitur. Et conuersim Filius Patrem nouit, quia scit quid ipse sit.*

Vniuer

Vniuersaliter autem respectu cuiusque cognitionis esse inseparabiles Patrem & Filium, docet lib. 12. thesauri cap. 15. fere inter med. & fin. & luculentius dialogorum de Trinit. lib. 4. col. 5. ab illis verbis. *Quæ ad aliquid se habent, & relatiua sunt; ipsa per vtraque significantur, & vtraque mutuam inter se notitiam simul pariunt*, &c.

7 Gregor. Bœticus lib. de Trinit. col. 6. prædictam connexionem deducit ex Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Hilarius lib. 7. de Trinit. inter med. & fin. *Nomen Patris habet in se Filij nomen. Non enim nisi per Filium Pater est: & significatio Filij, demonstratio Patris est, quia non nisi ex Patre sit Filius.* Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. sub init. *Inuicem*, inquit, *in se Pater in Filio, & Filius in Patre cognoscitur. Cum enim patrem dixeris, etiam filium eius designasti: quia nemo sibi ipsi pater est: & cum filium nominas, etiam patrem eius fateris, quia nemo ipse sibi filius est.*

Bœticus.

8 Augustinus serm. 38. de tempore prope med. & in medio, & longè post med. repetens; *Ideo esse Patrem, quia habet Filium*, & cætera, notat, inseparabilitatem personarum, quantum ad existentiam, & quantum ad cognoscibilitatem, prouenire ex eo, quod relationibus constituantur: & addit: *Nominantur quidem illæ personæ aliquando singulæ, sed ita se voluit ipsa Deus Trinitas inseparabilem ostendere in personis, vt nullum ibi nomen sit in qualibet persona, quod ad aliam secundum relationis regulam non referatur.* Et post pauca: *In hoc ostenditur, personas non posse diuidi in Trinitate, quia cuiuslibet persona semper ad alterum recipit personam. Si Patrem dicis, Filium ostendis: si Filium nominas, Patrem prædicas: si Spiritum sanctum appellas, alicuius esse Spiritum necesse est intelligas, id est, Patris & Filij.*

9 Fulgentius ad primam obiectionem Arianorum prope init. *Relatiuum*, ait, *illud dicimus, quod ad alium agnoscendum referimus, vt dum vnum nominamus, alium demonstremus. Nam ideo pater dicitur, vt filium genuisse noscatur, & filius ideo dicitur, vt de patre genitus demonstretur.* Quæ postquam in humanis relationibus exposuit, colligit, in diuinis *relatiua nomina* personarum *diuersitate sui non naturarum diuersitatem ostendere.*

10 *Tertia proprietas esse ad conuertentia.* Tertia proprietas sic ab Aristotele traditur: *Omnia relatiua dicuntur ad conuertentia*, siue, vt alij vertunt, *dicuntur ad ea, quæ conuertuntur.* Conuerti autem iuxta Boëtium in commentario prædicamentorum lib. 2. prope finem, est, *vt si prima res dicatur ad secundam, secunda rursus dicatur ad primam.* vt pater est filij pater, filius est patris filius. Hæc conuertibilitas, propriè & strictè sumpta; solis & omnibus relatiuis secundum esse, mutuisque conuenire potest, quoniam est reflexio mutua respectus & habitudinis, vnde prouenit significabilitas per eundem modum prædicandi, siue in genitiuo, siue in alio casu. Quemadmodum suo loco declarauimus in prædicamentis. Nunc verò colligimus inde, relationes diuinas esse propriè relationes secundum esse, mutuásque, quoniam propriè dicuntur ad conuertentia.

Diuinæ relationes sunt ad conuertentia.

11 Id quod Patres præterire noluerunt, aduersus Arium disputantes. Quemadmodum Athanas. in lib. 2. de propriis personis ad Theophilum paulo post med. ait: *Pater est Filij, quem genuit, & Filius est Patris, qui verè de ipso genitus est.* Easdem conuersiones obseruauit Cyrillus Hierosol. relatus prope init. præsentis sect. & paulo inferius Epiphanius hæresi 73. Isidorus etymologiarum lib. 7. c. 4. §. 2. Bernardus autem epist. 190. ad Innocent. multo propiùs ad med. quàm ad princip. conuer-

SECTIO V.

Relationes Dei ad intra sunt reales, secundum vltimam rationem constitutiuam in esse relationis.

1 DVo membra complectitur assertio, quæ titulus est præsentis sectionis. Primum est, relationes Dei esse reales. Secundum est, hanc realitatem cõuenire relationibus diuinis secundùm esse ad aliquid formalissimè sumptum, & non ea tantum ratione, quatenus includit absolutum esse per se, siue substantiam Dei. Quamuis enim vltima, & formalissima ratio diuinæ relationis implicitè, & quidditatiuè claudat diuinam substantiam, nec possit ab illa præscindi, vt ostendemus disput. 13. Cæterum hanc inclusionem quidditatiuam habet formalissimum relationis constitutiuum ratione sui; quoniam in quantum est esse ad aliquid, est reale quid increatum. Vt explicabimus loco citato. Vtrumque membrum conclusionis probandum est simul, quoniam eædem sunt vtriusque probationes, quarum duas dabit sectio præsens, sequens verò sectio cæteras.

2 *In Scriptura & Patribus subintelligitur aduerbium propriè, nisi aliunde probetur oppositum.* Ad primam probationem suppono. Quamuis Scriptura sacra nõ expresserit aduerbium *propriè*, imo etiam Concilia & Patres aliquibus tantùm in locis expresserint, in aliis autem prætermiserint huiusmodi proprietatem: nihilominus ex eo solum, quod dixerint, Deum esse Patrem & Filium, & esse correlatiua, atque in Deo esse relationes; subintelligitur aduerbium *propriè*. Quamobrem illis directè contradicit, qui negat esse propriè relationes. Sapienter enim Gregorius Nyssenus apud Cyparissiotum decade 4. cap. 9. *Quomodo*, inquit, *verè esse aliquid dicitur, quod non probatur etiam propriè esse? Necesse est enim in quibus non est certum proprium esse, cum nominibus oppositis collocari. Quare cum quid argumentamur non esse propriè, funditus per se non esse demonstramus.* Idcirco qui diceret, Paternitatem & Filiationem Dei esse impropriè relationes, funditus demonstraret, non esse relationes, & collocaret cum oppositis, videlicet, cum formalitatibus absolutis & essentialibus.

3 *Non essent simpliciter relationes, si nõ essent reales secundum vltimam differentiam.* Hoc supposito, tota conclusio probatur primò, quoniam si relationes Dei ad intra forent relationes rationis, & non reales; non essent simpliciter & propriè relationes; sed tantùm secundum quid & impropriè: sicut entia rationis sunt secundùm quid entia & impropriè. Constat autem ex tribus præcedentibus sectionibus, Dei relationes esse simpliciter & propriè relationes. Confirmatur primò, quia proprietates relationis, & illa præsertim, quæ prima fuit in sect. 3. nempe simultanea coëxistentia, & mutua illatio vtriusque non conueniret simpliciter, & propriè, si non foret existentia realis, quæ sola propriè dicitur existentia. Quod autem Patres citati in sect. 3. tribuentes hanc proprietatem relationibus diuinis, loquantur de reali, & propriè dicta coëxistentia relationum, manifestum est; quoniam inde probant, Filium esse coæternum Patri, quod est coexistere realissimè atque perfectissimè.

4 Confirmatur secundò, quoniam verba Conciliorum & Patrũ, ex professo tractantium dogmata

fidei, non sunt detorquenda à dicto simpliciter ad dictum secundùm quid. Sed Patres simpliciter, & sine addito minuente dicut relationes. Ergo non sunt trahendi ad relationes rationis. Confirmatur terriò, quoniam Dei relationes ad intra sunt altioris ordinis, & infinitè perfectiores, quàm relationes creatæ, vt ex terminis constat, & aliqui Patres adnotarunt in sectionibus præcedentibus, præsertim Nazianzenus oratio. 37. quæ est 5. de Theolog. col. 4. ait: *secundum excelsiorem quandam relationē Filius est Filius.* Sed relationes creatæ secundùm esse ad aliquid, & secundùm formalissimam rationem illius, sunt reales, vt probatum est in prædicamento ad aliquid. Ergo potiori iure diuinæ relationes sunt reales secundùm esse ad aliquid & secundum formalissimam rationem illius.

5 Confirmatur quartò, quoniam præcisa vltima differentia constitutiua diuinæ relationis in esse ad aliquid, tota formalitas realis, quæ relinquitur in Deo, est prorsus absoluta & ad se, siquidem non est ad alterum. Quamobrem si non est realis vltima differentia constitutiua; diuinæ relationis; consequens est, in Deo solas formalitates merè absolutas esse reales; at verò relatiuas omnes formalitates esse entia rationis. Vnde non solum falsitatis, sed etiam contradictionis conuincitur quarta sententia, posita in sect. 1. quoniam pro certo supponens, Dei relationes esse reales, idem ipsum euertit, adiiciens, vltimam & formalissimam rationem relationis non esse realem ratione sui, sed ratione absolutæ substantiæ, quam includit.

6 Ad probationem secundam suppono primò, diuinas personas non secundò intentionaliter, sed realiter esse personas, ita vt formaliter quatenus personæ sunt, sint entia realia vt constabit disput. 32. sect. 5. Secundò personas diuinas non sola ratione, sed realiter ab inuicem distingui; vt constabit tota disput. 19.

7 *Sola relatione distinguuntur personæ.* Tertiò atque principaliter suppono, solam relationem esse, per quam distinguuntur diuinæ personæ, cuius dogmatis clariora Conciliorum & Patrum testimonia proferemus in præsenti, cætera remittentes ad disput. 86. vsque ad 91. In omnibus autem obseruandus est modus affirmandi tanquam certum, absque dubitationis indicio. In primis enim Concilium Florentinum sess. 18. longè post med. §. *Dixi quidem*, tacitè approbat, quod Ioannes Theologus ait: *Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos doctores, diuina processione personas multiplicat, ita vt non alia ratione, quàm vi relationis vna persona ab alia differat.* Perpende exclusiuam dictionem, *sola*, & iterum, *non alia ratione.*

8 Toletanum Concilium vndecimum in confessione fidei profitetur: *In relatione personarum numerus cernitur.* Et post pauca: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt: & in hoc numero cauent, quod in se sunt.* Hoc, sicut & præcedens testimonium, duplici exclusiua prohibet, ne aliquid possit multitudinem, siue distinctionem realem constituere, nisi sola relatio. Eadem verba scribit Concilium VVormacien. in professione fidei. Ex his Conciliis plura vidimus sectione 2. parum à principio.

9 Nazianz. orat. 37. quæ est 5. de Theolog. col. 5. *Manifestationis, vt ita dicam, mutuaq; eorum relationis differentia, diuersa quoque ipsis nomina procreauit.* Et post pauca: *Ex his verbis, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, hoc effectum est, vt alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur: atque ita inconfusa trium personarum distinctio in vna diuinitatis natura conseruetur.* Ac totus illius loci contextus indicat, sola relationis differentia distingui personas diuinas. Eundem Gregor. Theologum in serm. de Epiphania, qui est oratio 39. in sancta lumina, *tennisse, proprietates nequaquam communicabiles esse*, idque, *ex vi relationis euenire*: refert Ioannes Theologus Latinorum nomine in Concil. Florent. sess. 18. post med. §. *Diuina substantia.* Hæc verò sententia non ita perspicuè traditur in illa oratione; colligi tamen potuit ex eo, quod circa medium illius orationis 39. propositis verbis Apostoli, quibus diuersas præpositiones, *ex quo, per quem*, & *in quo* distinctis personis accommodat, vocat eas *proprietates*, & *verborum ordines*, & paulo inferius ait eas proprietates non posse *moueri*, seu *mutari*, videlicet, ita vt Pater sit Filius, aut Filius sit Pater. Ex Epiphanio similia quædam refert ibidem Ioannes Theol. nec alio fundamento, vt coniicio, quam ex ancorato, vbi dixerat, *Filium ex Patre, Spiritum ex vtroque.* Vt referemus disput. 67. sect. 7.

10 Clariùs hoc testatur Cyrillus variis in locis. Nam lib. 2. thesaur. c. 3. propius ad princip. quam ad med. *Cum simplex*, inquit, *natura Deitatis sit: nunquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia, non secundùm essentiam, sed secundùm relationem, & quasi extrinsecus intellecta, per quam vtriusque persona in propria hypostasi constituitur.* Videlicet, Patris & Filij. De quibus eisdem personis ita disserit lib. 7. thesaur. c. 1. paulo post med. *Sola diuersitate relationis, quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur. Relationes eonsubstantialium diuersæ, nominaq; ipsarum relationum diuersa non possunt (vt exemplo docuimus) naturalem coniunctionem delere.* Quod si relationis diuersitas, in quantum relatio est, non esset realis, nisi in quantum includit rem absolutam; sequeretur personas distingui alia re vlla, præter relationem; vel certè nulla prorsus re distingui, sed sola ratione. Idem lib. 11. thesauri cap. vnico non longè ante fin. *Multa de Deo nomina feruntur, quorum singula non quid Deus substantialiter sit, significant, sed aut quid non sit, aut relationem quandam, ad exprimendam distinctionem ostendunt.* Et post pauca relationes ita exponit: *Pater genitorem Filij demonstrat, à quo distinguitur, quia Pater non Filius est.*

11 Fauet etiam quod ad rem præsentem adduci solet ex Gregor. Nysseno in lib. ad Ablabium circa finem, ibi namque non aliam differentiam personarum agnoscit, nisi quia vna persona est *causa*, alia est *ex causa*, & vna immediatè, alia mediatè (vt explicabimus disput. 69.) Hæc enim omnia sunt origines, immediatè fundantes relationes personarum.

12 Augustinus lib. 11. de Trinitat. cap. 10. prope med. *Ideo simplex dicitur* (Deus) *quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relatiuè quæque persona ad alteram dicitur.* Exceptionis sensus est hic, Deus Pater habet Filium, sed non est Filius, ea nimirum ratione, quoniam Pater est relatiuè ad Filium. Similitérque quoniam Filius est relatiuè ad Patrem, Filius non est Pater, licet sit Deus habens Patrem.

13 Constans proinde doctrina eiusdem Augustini est, Patrem, Filium & Spiritum sanctum non esse tres, sed vnum tantum, secundum ea omnia, quæ substantialiter dicuntur, vt diuinitas, essentia, sapientia, potentia, æternitas, cæterum quoad ea solummodo, quæ relatiuè dicuntur, non esse vnum, nec prædicari de se inuicem. Vnde colligit, quod Pater non est Filius, & vterque non est vnum verbum, nec vna imago, sed solus Filius est imago. Ita docet lib. 5. de Trinit. cap. 8. à princ. & cap. 11. à princip. & fusius lib. 7. cap. 2. & cap. vlt. inter med. & fin. & per epilogum lib. 8. cap. 1. initio, frequentérque repetit serm. 38. de tempore (qui est tertius post Epiphaniam) præsertim inter princip. & med. & propius ad med. quàm ad princ. & paulo post med. & propiùs ad finem, quàm ad med. Hanc Augustini doctrinam recipiunt Magister & communiter Scholastici 1. dist. 22. cap. *Sciendum*, & c. *Deus.*

14 Boëtius in lib. de Trinit. versus finem ait: *Quocirca si Pater, & Filius ad aliquid dicuntur, nihilq; aliud, vt dictum est, differt, nisi sola relatione: relatio verò non prædicatur ad id de quo prædicatur, quasi ipsa sit, & secundum rem de qua dicitur; non faciet alteritatem rei, de qua dicitur, sed personarum si dici potest*, &c. Perpende primò in Deo *nihil differre, nisi sola relatione.* Secundò, hinc prouenire, vt in Deo non sit alteritas, seu distinctio naturæ, siue substantiæ, sed tantum personarum.

15 Consequenter igitur paulò inferiùs. *Quoniam*, inquit, *nulla relatio ad se ipsum referri potest, idcirco quod ea secundum se ipsum est prædicatio, quæ relatione caret: facta est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis; sed seruata est substantiæ vnitas in eo, quod est indifferentia vel substantiæ, vel operationis, vel omnino eius, quæ secundum se dicitur, prædicationis. Ita igitur substantia continet vnitatem; relatio multiplicat Trinitatem. Atque ideo sola sigillatim proferuntur, atq; separatim, quæ relationis sunt.* Vnde merito tanquam sententia Boëtij receptum est à S. Thom. & omnibus Scholasticis illud axioma: *sola relatio multiplicat Trinitatem.*

16 *Anselmi sententia probatur magis ex professo.* Anselmus perspicuè tradit eandem sententiam non solum in lib. de incarnatione Verbi cap. 3. (cuius tenorem referemus in fine præsentis sectionis) sed præcipuè tota propemodum epistola contra Græcos de processione Spiritus sancti; in qua manifestum habet firmúmque fundamentum illud axioma, quod ab Scholasticis communiter recipitur Anselmi nomine: *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Sed quoniam inter præstantissimos & exactissimos huius ætatis authores, sunt qui dicant, illud axioma nullum fundamentum habere in Anselmo: plura illius verba referre compellimur in præsenti, quamuis ea, quæ opponuntur contra mentem Anselmi, soluenda sint disput. 68. quoniam illius sunt propria.

17 Anselmus igitur dicta epist. de processione Spiritus sancti cap. *Credunt*, quod est secundum post med. *Hæc*, inquit, *sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem: sed alij sint ab inuicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatiuè.* Vnde sic arguitur. Deum à Deo procedere, totum est relatio, & hoc ipsum est sola causa pluralitatis & distinctionis. Ergo totum quod est relatio, est vnica & sola causa distinctionis, & pluralitatis.

18 Confirmat autem sequenti cap. 3. non longè à principio dicens: *supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem & Filium & Spiritum sanctum de inuicem dici, & propria singulorum alijs attribui.* Totúsque sequens contextus idem significat. In quo lector obseruare debet duas præfertim orationes. Prima, *pluralitas quæ sequitur relationem.* Secunda, *nec vnitas amittat aliquando suam consequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio.* Quid clarius ad rem præsentem? nam vnitatis consequentiam dixerat esse: per quam colligitur, quamlibet personam esse, quidquid est altera: vt ex eo, quod Pater est æternus, sapiens, bonus, &c. necessariò sequitur, Filium, & Spiritum sanctum esse æternum, sapientem, bonum, &c.

19 Consequenter igitur in medio eiusdem capitis 3. *Videamus*, inquit, *quomodo hanc vnitatis Dei consequentiam restringat relatio. Dicimus enim, quia Deus est Pater. Quoniam ergo vnus est Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, exigit vnitas Dei, vt Filius sit Pater, & Spiritus sanctus sit Pater; sed obuiat relatio, quæ prohibet Filium, aut Spiritum sanctum esse Patrem*, &c. Aliqua his similia repetit cap. *Qui ergo*, quod est 6. post med. & aliis sequentibus. Cæteris autem prætermissis, venio ad caput penultimum, prope finem cuius ait: *In hoc itaq; quod relatiuè Deus ad Deum dicitur, sicut plures homines, personarum admittit diuersitatem. In hoc verò, quod per se, ideſt, in Deo: inseparabilem, ad similitudinem vnius hominis, seruat vnitatem.* Quam sententiam aliis verbis repetit in c. vlt. post med.

20 Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus c. 2. ait: *In relatione personarum Trinitas est, in substantia verò naturæ vnus est Deus.* Bernardus epist. 190. ad Innocen. col. 2. *Quod alter*, inquit, *ex altero, & alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum designatio est*; ideſt, notio, per quam distinguuntur personæ, ac discernuntur, est relatio, & origo.

21 *Colligitur ex aliis Patribus.* Idem colligitur primò ex Patribus asserentibus, ea solum ratione distingui personas, quia Pater est genitor, Filius est genitus, & Spiritus sanctus procedit. Quemadmodum Iustinus docet in expositione fidei prope init. Athanas. Dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæ. col. 3. & iterum in medio, & lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. Ambros. lib. 1. de fide ad Grat. cap. 2. propiùs ad med. quàm ad princip. & lib. de incarnationis Dominicæ mysterio, cap. 9. in med. Fulgent. ad obiectionem primam Arian. sub init. & lib. de fide ad Petrum cap. 1. fine; aliíque Patres, quorum testimonia referemus, agentes de constitutione personarum circa quæstionem 40. S. Thomæ.

22 Secundò colligitur idem ex cæteris Patribus, quorum authoritate probabitur diuinas personas constitui, atque distingui relationibus, quasi prædicamentalibus infra circa prædictam quæst. 40. Propterea non obstant, sed potius eandem veritatem confirmant Concilia, Patrésque dicentes, proprietatibus, vel originibus constitui, atque distingui personas diuinas, quia proprietates, & origines assignant relatiuas: vt ostendemus circa quæst. eandem.

23 *Probatur itaque esse realem relationē secundùm vltimam rationem.* Hoc suppositò, sic demonstratur vtrumque membrum conclusionis initio propositæ. Quæcumque proprietas entia realia constituens, & realiter distinguens, est ens reale secundum rationem formalem, qua constituit, & distinguit. Sed sola relatio, secundum formalissimam rationem relationis, est proprietas constituens diuinas personas, & illas realiter distinguens. Ergo relatio secundum formalissimam rationem relationis est ens reale. Maior ex terminis est cuidens. Vlterius autem cuidentior redditur declaratione, & confirmationibus. Primò quoniam constitutio, & distinctio est velut effectus formalis,

lis, quem per modum formæ tribuit proprietas, quę est differentia constituens, atque distinguens. Insuper est realis effectus, quando entia sunt realia, & realiter distincta. At verò realis effectus non potest, quasi in genere causæ formalis, tribui per formam, quæ sit ens rationis, sed tantum per formam, quæ sit realis, quantum ad formalissimam rationem, qua constituit, & distinguit. Etenim hunc effectum formalé non aliter præbet, quàm exhibendo seipsam: quod si ipsa non est realis, quantum ad id, quod exhibet, non erit realis effectus quem exhibet.

24 Secundò declaratur magis, quia cum entia constituta non distinguantur ab inuicem, nisi per illas solummodo formalitates: si fuerint illæ secundò intentionales, & non reales; entia per illas constituta, qua parte per illas constituuntus, erunt secundò intentionalia, & non realia: & quatenus per illas distinguuntur, non distinguentur realiter, sed sola ratione. Formalis enim accipi debet sensus illius propositionis, quam ad hoc proposítum scripsit S. Thom. de potent. q.8. art.1. *sed contra. Nulla res constituitur, nisi per rem.*

25 Minor autem principalis syllogismi probatur primò, quia sola relatio constituit, atque distinguit personas diuinas, vt in præcedenti fundamento probatum est. Sed non est relatio sola, nisi secundùm formalissimam rationem relationis. Ergo relatio, secundum formalissimam rationem relationis, est proprietas constituens diuinas personas, & illas realiter distinguens. Confirmatur primò, quia si præscindas formalissimam rationem relationis secundum esse *ad*: nihil aliud in Deo relinquis, nisi solas perfectiones merè absolutas: siquidem inter formalitates relatiuas, & absolutas, nihil est medium, præsertim in Deo. Consequens igitur est, vt personæ diuinæ realiter distinguantur per absolutas formalitates, si non distinguuntur per formalissimam rationem relationis. Quapropter cum absoluta omnia sint essentialia; sequeretur, diuinas personas distingui per essentiam, quod est Arianum, vt Arguit S.Thom.de potent. quæst.8. ar.1. corp. initio.

26 Secundò falsum erit, quod Patres tanquam certum docuerunt in fundamento probationis secundæ, quoad omnia absoluta, diuinas personas esse vnum, sed plures, atque distinctas esse sola relatione. Confirmatur tertiò, nam ex alio capite sequitur etiam, diuinas personas ab inuicem non distingui, nisi sola ratione; quia formalissima ratio relationis distinguentis, non est ens reale, sed ens rationis secundum sententiam, quam impugnamus. At ex eo, quod sola ratione distinguerentur personæ, sequitur hæresis Sabellij, quemadmodum deducit S.Thom. d. quæst.8. de potentia art.1. corp. inter princip. & med. & constabit disp.19.

27 Quartò. Diuinæ personæ realiter distinguuntur, sub ea tantum ratione, secundùm quam opponuntur: quia sub ea tantum ratione non possunt esse vnum: vt communiter obseruant Theologi. Sed opponuntur solummodo per formalem rationem relationis, prout relatio est, & non provt includit realitatem absolutæ substantiæ (in hac enim vnum sunt) ergo realiter distinguuntur per formalem rationem relationis, provt relatio est, & non prout includit realitatē absolutæ substantiæ. Ergo formalis ratio relationis est realis secundum se, & non prout includit realitatem absolutæ substantiæ.

28 Confirmatur quintò, quia Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt tres res, vt ostendemus tota disp.26. At verò non sunt tres res per aliquid absolutum, sed præcisè per relationes. Vnde Anselmus de incarnatione Verbi cap. 3. propiùs ad princip. quàm ad med. ait: *Non sic Pater & Filius sunt duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.* Et paulo post med. *Relatio nullatenus est, nisi secundum hoc, quod alij sunt ab inuicem.* Itaque realis harum rerum distinctio tam adæquatè respondet relationi, vt neque relatio sine distinctione sit, neque distinctio sine relatione, ita præcisa, vt in ea non intelligatur substantia personarum,

SECTIO VI.

Probationes aliæ prædictæ realitatis, conuenientis formalissimæ quidditati relationis, secundùm esse ad.

1 THeologicæ demonstrationes, in præcedenti sect. ponderatæ, licet abunde sufficerent ad ostendendam certitudinem conclusionis: alias tamen cognatas sibi rationes accersunt, quibus manifestior euadat æquitas & benignitas censuræ, quam inferunt aduersus contrariam sententiam, in fine sectionis præsentis. Prima ratio sit, quoniam si formalis ratio relationis diuinæ secundum esse ad aliquid foret ens rationis: sequeretur Trinitatis mysterium esse ens rationis, aut totum, aut maiori ex parte. Trinitas enim constituitur formaliter per distinctionem trium personarum, in quantum sunt tres distinctæ. Vnde si non distinguuntur, nisi per relationes, quæ sub ratione relationis sint, entia rationis; Trinitas constituitur per entia rationis.

Trinitatis mysterium non est ens rationis.

2 Confirmatur, quia Deum esse Trinitatem, est formaliter esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, iuxta illud Matth. 28. *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Et 1. Ioann. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*, &c. Sed esse Patrem est formaliter esse relatiuum ad Filium, & esse Filium formaliter est esse relatiuum ad Patrem; vt obseruarunt ferè omnes Patres citati sect.2. 3. & 4. Quapropter si relatiuum formaliter, secundum esse relatiuum, non est ens reale; Deus, secundum esse Patris, & Filij formaliter acceptum, non erit ens reale, & consequenter non erit ens reale, secundùm proprium, & formalissimum esse Trinitatis.

3 Secunda ratio nascitur ex præcedenti confirmatione. Nam diuina Paternitas, secundùm formalissimam rationem paternitatis, est entitas realis; sed paternitas, secundùm formalissimam rationem paternitatis, est relatio ad filium. Ergo relatio secundum formalissimam rationem relationis, est entitas realis. Idem argumentum fieri potest de Filiatione; non minus euidenter, vnde consequens erit, idem esse dicendum de relatione spirationis passiuæ, qua constituitur Spiritus sanctus. Maior probatur, quia Pater est verè, & propriè Pater; similitérque Filius est verè, & propriè Filius, multo perfectius, & propriùs, quàm quilibet creatus pater, aut filius (vt probatum est disp.4. tota sect.3. & probabitur amplius disp. 51.) Quod si diuina Paternitas, secundùm formalissimam rationem paternitatis, non esset entitas realis; Deus non esset verè, & propriè Pater & Filius, sed per quandam comparationem intellectus humani, vel certè multo minus propriè, minúsque

Paternitas est realis.

minúsque verè Deus foret Pater & Filius, quàm homo, qui realiter est pater & filius.

4 *Relatio dominij differt à relationibus personalibus.* Hæc sequela probatur, ex discrimine inter relationem, qua Deus constituitur dominus creaturarum, & relationem Paternitatis ac Filiationis ad intra. Nam Deus in tempore realiter, & propriè dominus denominatur à reali seruitute, & subiectione creaturarum, supposito fundamento volitionis, & imperij quo Deus ab æterno prædefiniuit, creaturas producere & gubernare. Quapropter vt eodem modo diceretur extrinseca denominatione Pater; opus esset saltem in Filio esse realem relationem Filiationis, à qua denominaretur extrinsecè Pater. Vnde iam saltem vnum extremum relatiuum esset reale, in quantum relatiuum est. Atque inde sequeretur, alterum etiam extremum esse reale, in quantū relatiuum est; quia non est maior ratio vnius, quàm alterius, siquidem sunt eiusdem ordinis, & dignitatis, & non vt creaturæ, quibus in tempore relatio realis aduenire potest, quasi subiectis temporalibus, Deo autem repugnat, quoniā altioris ordinis est, & æternus. Atque hinc declarata manet ratio S.Thomæ in hoc art. 1. in *sed contra*, & solutæ manent obiectiones, quæ solent aduersus illam opponi.

5 Confirmatur, nam apud omnes Theologos, & Philosophos hæc vocabula, pater & filius, significant ipsas relationes intrinsecas, & non solùm earum fundamentum, nec solam extrinsecam denominationem à termino. At verò Spiritus sanctus in scripturis propterea his vocibus diuinas personas nominauit, vt intelligeremus similiter relationes ipsas Deo intrinsecas: vt constat ex Patribus citatis sect. 2. 3. & 4. præsertim ex illis verbis Basilij lib. 2. contra Eunom. propius ad princip. quàm ad med. *Nullus (quoniam habitudo communis est) dignitatem Vnigeniti deprimi putet. Non enim in eo, quod est ad aliquid quodammodo se habere, differt ab alijs Filius, sed in proprietate substantiæ.* Perpende filiationis habitudinem esse communem Deo cum hominibus, & quantum ad eam, vt sic, non differre Filium Dei à filiis hominum.

6 *Pater, vt Pater, est subsistens.* Tertia ratio, quia Pater, secundum rationem formalem Paternitatis, realiter subsistit; vt constabit disp.32. sect.6. & disp.34. & est reale principium realiter productiuum vt *quod*, quemadmodum infra disputantes de potentia videbimus circa quæst.41. art.4. & 5. Similiter autem spirator, secundum rationem formalem spiratoris, est principium realiter productiuum vt *quod*. Filius autem secundum rationem formalem Filij; est terminus realiter productus. Hæc autem omnia, & singula requirunt, formalitatem, ratione cuius conueniunt, esse realem.

7 Quarta ratio, quia Pater aliquid reale sibi proprium reseruauit, quod non dedit Filio. Sed non reseruauit, nisi Paternitatem sub ratione Paternitatis. Ergo Paternitas sub ratione Paternitatis est aliquid reale. Maior est euidens, quia nisi reseruaret aliquid reale, non essent personæ realiter distinctæ. Minor traditur expresè à Patribus communiter infra cap.19. sect. 2. asserentibus: *Pater omnia sua dedit Filio, præter esse Patrem.* Qui modus loquendi significat formalitatem Patris.

8 *Non in sola comparatione intellectus existunt relationes diuinæ.* Quintam rationem metaphysicam S. Thom. tradit in præsenti art. 1. corp. quia quicumque respectus existens in ipsa rerum natura, & non in sola comparatione intellectus, est realis relatio, sed respectus Patris ad Filium est in ipsa rerum natura Dei, & non in sola comparatione intellectus. Ergo est relatio realis. Minorem probat S. Thom. quia cum aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, tunc principium, & terminus ab illo procedens conueniunt in eodem ordine. Ideóque in ipsa eorum natura existit mutuus respectus, nec opus est consideratione rationis comparantis. Huiusmodi verò sunt in Deo principium, & terminus ab illo procedens.

9 *Consequitur propriam operationem.* Confirmatur primò, quia omnis relatio, quæ consequitur propriam & connaturalem operationem alicuius agentis, realiter existit in eo. Sed relatio Patris consequitur propriam, & connaturalem operationem Dei, se ipsum intelligentis; similiter relatio Spiratoris cōsequitur propriam, & connaturalem operationem amandi seipsum. Ergo relatio Patris & Spiratoris realiter existit in Deo. Vnde à fortiori realiter existit in Deo relatio Filij & Spiritus sancti, quia termini producti semper realiter referuntur, siue ad principium eiusdem ordinis, vt Isaac ad Abraham, siue ad principiū superioris ordinis, vt creatura ad creatorem. Hæc est ratio S. Thom.4. contra gentes cap. 14. post med. bene declarata à Ferrarien. *ibi* col. 3. §. *Sed duplex.* Eadémque fusiùs traditur à S.Thom. de potentia quæst.8. art. 1. corp. Confirmatur secundò, nam quæcumque sunt ad realem relationem simpliciter necessaria, Deo conueniunt altiori modo, quem postulat eius infinita perfectio. Hæc autem indigent peculiari examine infra, disputatione de constitutiuis circa quæst.40.

10 *Vrgetur præcedens ratio.* Vlterius autem ex præcedenti ratione quinta deducitur, formalissimam rationem diuinæ relationis esse realem. Quoniam si ea formalissima ratio non esset realis, nisi ex eo solum, quod realis est substantia Dei, & intellectio & amor Dei similiter sunt reales: sequeretur, æternas relationes Dei non esse reales perfectiori & veriori modo, quàm sint reales relationes, ex tempore conuenientes Deo, à quibus denominatur realiter Dominus & creator. Etenim istæ similiter fundantur in substantia Dei & operationibus intellectus, & voluntatis diuinæ, atque cum illis identificantur eo modo, quo dicunt authores quartæ sententiæ, formalissimam rationem relationis identificari, & fieri realem per substantiam diuinam, quæ est eius fundamentum. Fruſtra igitur S. Thom. & cæteri Scholastici laborant in reddenda ratione discriminis, propter quam relationes, ex tempore superuenientes Deo, non sint reales: cum deberent potius illis concedere realitatis tantum, quantum possibile est habere perfectissimas relationes, siue increatas, siue creatas, videlicet; realitatem fundamenti.

11 *Relatio non potest abstrahere ab ente reali & rationis.* Sexta ratio, quia differentia constitutiua relationis realis, non potest esse abstracta ab ente reali & ente rationis (vt fingit quarta sententia posita in sect. 1.) cuius demonstratio est, quia tota essentia relationis realis *existit* ante opus intellectus (ideſt, non indiget intellectu considerante illam, vt tanquam obiectum accipiat esse ab intellectu considerante) sed quidquid existit totum ante opus intellectus, est totaliter & determinatè ens reale. Ergo non abstrahit ab ente reali & rationis. Confirmatur, quia si communis illa differentia, constitutiua relationis, formalissimè sumpta, non existeret, antequam ab intellectu consideraretur; eo ipso foret ens rationis: & consequenter non posset esse constitutiua relationis realis.

Septima,

12 Septima, licet relatio realis, & relatio rationis conuenirent in aliqua ratione communi, ab illis abstracta: adhuc ex hoc impossibili necessariò sequeretur aliud, videlicet, hanc rationem communem transcendentaliter imbibi in formalissima ratione relationis realis, secundum se totam: & ideo relatio realis etiam secundùm formalissimam rationem *ad aliquid*, esset realis, ratione sui, & non præcisè ratione fundamenti realis.

13 *Authoritas S.Thom.* Sed quoniam contrariæ sententiæ authores præcipuè nituntur authoritate S.Thomæ; considerent quod perspicuè docuit in Commentariis ad Euangelium Ioannis cap.16. lect.4. post med: *Paternitas potest considerari per comparationem ad oppositam relationem, puta ad Filiationem: & sic Paternitas est relatio realis: quia secundum hoc importat ordinem naturæ, quem Pater dat Filio per æternam generationem. Qui quidem ordo est in Deo secundum rei veritatem.*

14 *Censura.* Censuram ergo contrariæ doctrinæ poteris ex hac, & præcedentibus sectionibus colligere. Conuincunt enim, errorem esse dicere, Relationes Dei ad intra non esse reales. Nam vt S.Thomas ait de potentia quæst.8. art.1. in principio corporis. *Sententiam fidei sequentes oportet dicere, in diuinis relationes reales esse.* Quod idem sentiunt omnes Scholastici 1. dist.33. Vnde sequitur, periculosum, & errori proximum esse dicere, non esse teales secundùm formalissimam rationem relationis, siue secundum esse ad aliquid. Etenim ex hoc dicto per supradictas rationes infertur, relationes diuinas simpliciter non esse relationes reales: vt in hac & præcedenti sectione licet inspicere.

SECTIO VII.

Satisfit argumentis positis in sectione prima.

1 *Sententia S. Thom. de realitate relationum.* AD primum dico primò. Dubium non est, quin S.Thomas existimauerit, esse realem vltimam differentiam relationis diuinæ, constitutiuam in esse relationis. Quod probatur non modò generalibus argumentis, quibus à sect. 2. vsque ad 6. probatum est, hanc fuisse mentem antiquorum Patrũ & Scholasticorum; sed etiam peculiari ratione, quia S.Thomas 4. contra gent. cap.14. respondens ad 5. obiectionem ait: *Sunt plures res subsistentes, si relationes considerentur: est autem vna res subsistens, si consideretur essentia.* Quod si differentiæ constituentes in ratione relationis, non essent realẽs ratione sui, sed præcisè, & formaliter ratione essentiæ absolutæ; non essent plures res subsistentes, etiam in ratione relationis, sed tantum esset vnica res subsistens, videlicet essentia, habens tamen triplicem respectum minimè realem, quantum ex se est præcisè consideratum. Pluribus hanc fuisse mentem S.Thomæ, probat Deza 1. sent.dist.33.q.1.art.3.nòtab. 4. directè refutans imaginationem Capreoli.

2 Dico secundò. Quamuis sint distincti conceptus obiectiui relationis realis, & secundò intentionalis: ambo tamen quodammodo sunt vnum, analogica similitudine, seu proportione relationis secundò intentionalis ad relationem realem, & magis vnum sunt vnitate nominis *relatio*, siue *ad aliquid*. Sub hac igitur vnitate comprehendens vtrumque conceptum, S.Thom. rectè dixit, quod relatio, in quantum est relatio, & pro vt ad alterum dicitur, non habet quod sit aliquid reale, nec debetur illi quod sit res: quia

Explicatur quo sensu non sit realis relatio in quæstum relatio.

distinctiuè potest esse vel relatio rationis, vel relatio realis. Asserit præterea S.Thomas, relationi reali perfectionem hanc, & differentiam intrinsecam, per quam constituitur in esse realis relationis, prouenire ex fundamento & ratione fundandi: non quia relationis realitas formaliter consistat in eo, quod eius fundamentum sit reale; sed quia realitas fundamenti est secundum rationem causæ & origo, vnde prouenit realem esse relationem, quam fundat. Quod autem S. Thom. præcipuè respexerit vnitatem nominis analogi, manifestiùs expressit in præsenti art.1. corp. dicens: *Ea quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud*, &c.

3 Ex eadem doctrina respondetur ad primam confirmationem. Relationes, secundum prædictam vnitatem analogam, quæ distinctiuè comprehendit relationem realem & rationis, non exigunt esse intrinsecus affixæ; possunt enim esse assistentes per denominationem merè extrinsecam. Cæterùm relationes reales creatæ quidditatiuè claudunt realem differentiam, realiter identificatam cum inhærentia, quæ propria est accidentis. Relationes autem diuinæ quidditatiuè claudunt realem formalitatem, & quasi differentiam constitutiuam, realiter identificatam cum diuina substantia, licet ab illa formaliter distinguatur. Hæc est mens S.Thom.in prædicto art.2.

4 *Quare in solo prædicamento relationis ens rationis.* Ad secundam confirmationem Respond.Vt in prædicamento relationis potius, quam in cæteris prædicamentis, inueniantur aliqua secundum rationem tantùm: legitima & solida ratio est, quia solius relationis quidditas realiter constituitur in ordine ad terminum extrinsecum. Quapropter soli relationi reali similis est, & proportionata denominatio merè extrinseca, quæ realiter verificatur in re existere, licet nihil reale intrinsecum constituat in re denominata. Quemadmodum columna realiter est mihi dextra ex eo solum, quod illi mea manus dextra propinquior est, quàm sinistra; licet esse dextram nihil reale sit in ipsa columna. Similiter hominem esse cognitum, vel abstractum à singularibus, vel comparabilem ad singularia, realiter verificatur, quatenus intellectualis cognitio, abstractio & comparatio possibilis est realis: sed hoc in homine nihil est realiter illum afficiens. E contrario cæterorum quidditas prædicamentorum non constituitur in ordine ad extrinsecum terminum. Ideóque non est illis adeo similis & proportionata quælibet extrinseca denominatio vel fictio, extrinsecus aduenies per nostrum intellectum.

5 Confirmatur, quia rem vnam cum alia extrinseca comparare, proprium munus est intellectus, cuius est componere atque diuidere, réque ab inuicem discernere, penetrando proportionem, conuenientiam & differentiam. Hoc autem simillimum est relationi reali, quæ est respectus & veluti comparatio realis. At verò rebus in seipsis absolutum esse tribuere, quasi substantificando, & quantificando vel qualitatem efficiendo, hoc non est proprium intellectus quasi per se requisitum ad bene intelligendum entia realia, sed quasi per accidens introductum, vt fingat varia entia pro libito: quamuis sine his fictionibus posset entia realia intelligere.

6 *Obiectio.* Quod si obiicias relationes transcendentales esse in aliis prædicamentis, quarum quidditas constituitur in ordine ad terminum. Resp. Transcendentalium relationum quidditas, cum sit absoluta

soluta simpliciter, non est totaliter respectus ad terminum extrinsecum, sed precipuè est ad ipsam, & in se ipsa: ideoque relationes rationis, quoniam nihil omnino constituunt extrinsecum & reale in subiecto denominato, sed tantum extrinsecè assistunt, magis similes, proportionatæ, magísque reducibiles sunt ad relationes prædicamentales, quarum totum esse ad aliud aliquo modo se habere, nullam partem habentem absolutæ quidditatis, quæ sit ad seipsam.

7 *Spatiũ imaginarium.* Obiter etiam notandum est, spatium imaginarium esse reale vbi possibile; & tempus imaginarium esse reale tempus possibile: sicut rosa intellecta tempore hyemis est realis rosa possibilis. Verùm hæc & alia multa, quæ tanguntur in hac difficultate, prætermitto. Videri possunt Caietanus in hoc art.1. circa med. Canarien. in Commentario. fusiùs Vazquez.1. part. disp.114. n.12. & sequentibus. Suarez tom.2.metaphys. disp.54. sect.4. num.3. & sequentibus.

8 Ad secundum argumentum Respond.Cyrillus ibi tantum intendit, quod relationes diuinæ & differentia personarum non claudantur quidditatiuè intra Dei essentiam absolutam, vt ea ratione quælibet persona diuina possit quidditatiuè claudere secum identificatam totam diuinitatis essentiam, quamuis non claudat relatiuam differentiam alterius personæ.

9 Ad tertium Respond.negando consequentiam, quia Boëtius *prædicationem secundum se* vocat formalitatem absolutam, quæ non constat ex ordine ad terminum realiter distinctum. Talem verò prædicationem non faciunt relatiua, licet faciant realem prædicationem in ordine ad terminum realiter distinctum. Hanc verò fuisse mentem Boëtij, constat ex illius verbis multo propius ad finem eiusdem libri. *Sed quoniam nulla relatio ad seipsum referri potest, idcirco quod ea secundum seipsum est prædicatio, quæ relatione caret; facta quidem est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis.* Vide cætera quæ retulimus ex Boëtio sect. 5. ad probandum esse reales relationes diuinas.

10 Ad primam confirmationem Respond. distinguendo consequens. Licet enim relatio non consistat in eo, quod est esse secũdum se absque comparatione ad alterum: consistit tamen in eo, quod est realiter se habere in comparatione aliquo modo. Nimirum, quoniam *ad aliquid sunt quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere.* Quam definitionem Aristotelis ponderans Boëtius in dicto libro 2. prædicamentorum, notat: *Non in eo quod est dici, sed in eo quod est esse, ad aliquid consideramus.* Quod si comparationem intellectus, putaret Boëtius, esse relationem, potius in eo, quod est dici, per intellectum considerantem, quàm in eo quod est esse, consisterent apud eum relatiua.

11 *Prædicatio relatiua quomodo nihil addit.* Quod autem Boëtius ait, prædicationem relatiuam nihil rei addere, vel minuere, vel mutare, intelligit quantum ad esse absolutum quod habet in se sine comparatione ad alterum terminum: vt manifestè constat ex sequenti contextu: nam inde colligit in Deo, quantum ad essentiam & substantiam, nullam esse differentiam neque multiplicationem, eo quod Pater non sit Filius, nec Spiritus sanctus, sed sola relatione factam esse numerositatem Trinitatis.

12 Vnde colligitur solutio ad secundam confirmationem, quia cum reales relationes in eo conueniant cum relationibus rationis, quod nihil mutant, nec addunt, quantum ad esse absolutum: potuit Boëtius hoc explicare exemplo relationum rationis; fortassis etiam Boëtius existimauit, ex diuersa vbicatione prouenire realem respectum dextri & sinistri, & ex reali victoria in bello, vel ex reali contractu venditionis prouenire relationem dominij. Denique potuit Boëtius eisdem exemplis vti, quibus etiam Aristoteles declarauit prædicamẽtum ad aliquid, vterque nihil examinans exemplorum realitatem, quia præsens illius institutum non exigebat examen realitatis singulorum exemplorum.

13 Ad quartum argumentum Respon. supponendo, Boëtium in proximè sequenti libro. *Vtrum Pater & Filius & Spiritus sanctus de diuinitate substantialiter prædicentur.* post medium libri ita concludere. *Ex his igitur intelligimus, Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum non de ipsa diuinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Si enim substantialiter prædicaretur de singulis, & de omnibus singulariter diceretur. Nec verò ad aliquid dici manifestum est: nam & pater alicuius pater est*, &c. Vbi Boëtius manifestè fatetur, hæc, quæ sunt ad aliquid, prædicari & dici de Deo tanquam ad aliquid, qui est alius quidam modus prædicationis, distinctus à prædicatione substantiali, quæ de singulis personis & de omnibus singulariter verificatur.

14 *Ad aliquid non mutatur in substantiam.* Hoc igitur ipsum voluit significare Boëtius verbis adductis in argum.4. videlicet, *ad aliquid* omnino non posse prædicari de Deo taliter, vt mutetur in substantiam Dei, sicut cætera prædicamenta mutantur, & consequenter prædicari possit de omnibus personis, singulariter dicendo; Filius est Pater, & Pater est filius, &c. sicut cætera prædicamenta dicuntur de singulis personis: vt rectè intellexit Alexander.1. p. quæst.48. memb. 4. art.3. §. *Tertiò quæritur*, ad primum argumentum. Hanc fuisse mentem Boëtij deprehendet, qui semel & iterum attentè considerauerit totum librum de Trinitate, & sequentem librum de prædicatione personarum. Confirmatur, quoniam ex aliis verbis, adductis pro solutionibus præcedentibus, constat Boëtium ibi concedere relationes reales in Deo. Alias igitur expositiones prætermitto, quasi magis violenter illatas, aut minus consonas textui. Videri potest S. Thom. in hoc art.1. ad 2. & eius expositores, ac Suarez lib.5.de Trinitate cap.1. num.4.

15 *Quomodo similis est relationi identitatis.* Ad quintum Respond. ex eo, quod in Trinitate relatio similis sit relationi eiusdem ad seipsum, non sequitur esse relationem identitatis, nec sequitur quantum ad omnia similem esse. Boëtius autem explicuit, similitudinem in eo tantum consistere, quod eadem omnino substantia & essentia est vtriusque extremi relatiui, & sola relatione distinguitur vnum extremum ab alio. Ideo præmiserat: *substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Et postea notat, prædictum identitatis modum esse proprium relationum diuinarum, dicens: *Quod si in cunctis alijs rebus non* potest inueniri, facit hoc cognata rebus caducis alteritas, idest diuersitas essentiæ. Vnde corroboratur & exponitur solutio S. Thom. ad 2. arg. in art.1. cui consonat de potentia quæst. 8. artic.1. ad 2.

16 *Discrimen principij ad intra, & ad extra.* Ad sextum Respond. Relatio principij *ad intra* realis est, quia procedit ex ipsa essentia diuina, & ex eius operationibus non liberè, sed naturali necessitate, & terminatur ad terminum eiusdem ordinis. At verò relatio principij *ad extra*, non est realis in Deo, quia terminatur ad res inferioris ordinis,

ordinis, & infinitè distantes à Deo; & ex essentia diuina non procedit naturali necessitate, sed liberè per volitionem & imperium intellectus. Hoc discrimen attigit S.Thom. in hoc art. 1. ad 3. sed fusiùs exposuit supra quæst. 13. toto art. 7. vbi de relationibus Dei ad creaturas ex professo disseritur.

17 *Ex operatione intellectus aliquæ relationes reales.* Ad septimum Respond. ex S.Thom. in solutione ad quartum distinguendo Maiorem. Relationes, resultantes in obiecto cognito ex eo præcisè, quod sit cognitum ab intellectu, sunt relationes rationis. Sed relationes, resultantes in principio, realiter producente verbum per intellectionem, & in verbo tanquam in termino realiter producto, sunt relationes reales, quoniam operatio intellectus, vt sic considerata, nihilo inferior est quibuslibet aliis principiis productiuis, quantum ad præbendam realem & propriam rationem fundandi relationem principij & relationem procedentis à principio.

18 *An vnicus conceptus relationis abstrahi possit.* Ad octauum Respond. Ratio *ad aliquid*, siue respectus ad terminum, quoties abstrahitur à relatione rationis & reali, non est vnicus simplex conceptus obiectiuus, sed sunt duo conceptus obiectiui, habentes proportionem & similitudinem; vt probatum est ad finem præcedentis sectionis. Quod si relationem realem, quæ sola simpliciter est relatio, velis abstrahere, poteris illam præscindere ab inhærentia accidentali, & à substantiali subsistentia, quod est abstrahere à relatione creata & increata. Sed nulla ratione poteris relationem, quę simpliciter sit relatio, præscindere à reali entitate: nam realem entitatem excludendo, nihil poteris relinquere, quod simpliciter sit relatio, sed tantum secundum quid per attributionem & similitudinem ad relationem realem.

19 Ad nonum Respond. Addendo singulis nominibus hanc limitationem *relatiuas*. non est inconueniens, sed simpliciter verum in Deo esse tres entitates, essentias, existentias relatiuas. Cæterum de his ac de cæteris prædicatis transcendentibus sigillatim & ex professo differendum erit disp. 23. & sequentibus vsque ad 30.

20 Ad decimum Respond. negando sequelam. Quamuis enim vna relatio diuina exigat aliam: attamen propriè loquendo non pendet ab illa, vt constabit disput. sequent. sect. 2. & 3.

DISPVTATIO X.

Vtrùm pendere ab inuicem, vel ad prædicamentum pertinere, diuinis relationibus repugnet.

SECTIO I.

Argumenta, quæ dependentiam probare videntur.

1 AD complementum doctrinæ, traditæ in disputatione præcedenti, pertinent vt appendices, quæ differemus in hac disputatione de independentia cum exigentia, & de sensu, quo dicitur, in Deo duo tantum prædicamenta reperiri. Dependentiam mutuam diuinarum relationum, ac præcipuè dependentiam relationis, procedentis à suo principio, probare videntur argumenta nonnulla.

2 Primum, quoniam à principio, dante vitam, pendet quicumque vitam accipit. Sed Pater est principium, dans vitam Filio. Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*; Ioan. 6. *Ego viuo propter Patrem.* Ioan. 10. *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Ioan. 13. *omnia dedit ei Pater in manus.* Matthæi 11. *omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Similiter autem Pater & Filius sunt principium, à quo vitam accipit Spiritus sanctus. Ioan. 16. *de meo accipiet.* Confirmatur. Nam dependentia, quantum ad operationem, indicium est dependentiæ, quantum ad esse. Filius autem, quantum ad operationem, pendet à Patre. Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam.* Similitérque Spiritus sanctus, quantum ad operationem, pendet à suo principio Ioan. 16. *Non enim loquetur à semetipso.*

3 Secundum argumentum. Nam aliqui Patres absolutè docent, Filium à Patre & Spiritum sanctum à Patre & Filio pendere propter processionem. Gregorius quippe Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos multo propius ad med. quàm ad principium, sic loquitur de Spiritu sancto: *A Filio pendet; à Patris verò causa, vnde etiam procedit, ipsum esse habet dependens.* Cyrillus Alexandrinus lib. 13. thesauri cap. 2. propius ad med. quam ad princ. ait: *Spiritus sanctus modo quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter inde dependet, sicut ex humana manu digitus.* Quibus consonat, quod Hilarius scribit lib. 12. de Trinitate, col. 2. *Non per se est qui per natiuitatem est.*

4 Tertium argumentum. Quia omne correlatiuum pendet à suo correlatiuo, siquidem totum esse vnius est in ordine ad aliud, ideóque non potest existere, nisi existente illo, ad quod refertur, vt vidimus disp. 9. sect. 3. Ideo Gregorius Nyssenus tom. 2. epist. de imagine & similitudine contra Apollinarem col. penult. sic scribit de Patre, Filio & Spiritu sancto. *Sicut relatam, & à se mutuo pendentem habent appellationem, ita communem & indiuiduam habent essentiam & efficacitatem.* Basilius ad eandem connexionem relatiuorum respexisse videtur epistola 43. ad Gregorium Nyssenum propius ad medium quàm ad princip. dicens: *Spiritus sanctus à Filio dependet, quo cum vna sine vlla distantia concipitur mente.*

5 Quin etiam Lactantius diuinarum institutionum lib. 4. cap. 29. sub initio. *Nec Pater*, inquit, *sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem: vna vtiq; mens, vnus Spiritus, vna substantia est.* Abutitur quidem *faciendi* verbo: sed contextus euidenter excludit Arianam significationem, contrariam generationi & identitati substantiæ: præsertim quoniam dicit, etiam Patrem esse à Filio, quod non verificatur, nisi propter relatiuam dependentiam, seu connexionem, quam præmisit prioribus verbis.

6 Confirmatur, nam præpositio, *per*, significare videtur dependentiam: At verò Deum esse Patrem per Filium, nonnulli sanctorum affirmant. Vt Hilarius lib. 7. de Trinitate inter medium & finem ait: *non nisi per Filium Pater est.* Et lib. 8. propius ad med. quàm ad finem. *Cum Pater non nisi per Filium Pater sit*, &c. Ambrosius in Symbolum Apostolorum cap. 5. ad finem. *Nomen*, inquit, *Patris per Filium sortitus est Pater.* Cyrillus Alexan. lib. 1. de fide ad Theodos. col. 11. de Patre & Filio ait: *vterq; est per vtrumq;.* Consonat Epiphan. hæresi 73. cuius verba posuimus disput. 9. sect. 4.

sect. 4. non procul à princip. *Filius, Patris Filius dicitur; haret enim alterum ex altero, & non dirimitur cognationis habitus.* id est habitudo seu relatio.

7 Quartum argumentum, Quia dependere nihil aliud esse videtur, quàm alterius indigere virtute, ita vt aliqua res non possit existere, nisi alterius virtute semper influente, & concurrente, atque communicante existentiam. Filius autem indiget virtute generatiua Patris, ita vt existere nequeat, nisi ea semper influente, & communicante existentiam. Similiter Spiritus sanctus indiget suo principio spiratiuo.

8 Confirmatur primò, quià nulla videtur excogitari posse dependentia maior, quàm termini producti à suo principio producente per verum & realem influxum, sine quo non existeret. Confirmatur secundò, quia effectus pendet à causa & ab authore. Pater autem est author & causa filij. Atque vterque author & causa est Spiritus sancti, vt multi Patres affirmant, referendi disput. 49.

9 Quintum argumentum. Quia nihil imperfectionis assignari potest in propria ratione dependentiæ, quod non reperiatur in productione passiua. Sed productio passiua non repugnat perfectioni diuinarum relationum. ergo nec dependentia. Confirmatur, quoniam (vt asserebant aliqui apud Aureolum citandum in sect. sequenti) mutua saltem dependentia non erit imperfectio, quia rependitur mutua perfectione correlatiui, à quo dependet alterum: est enim perfectionis esse id, à quo pendet alterum.

SECTIO II.

Propriè non dependet relatio diuina, sed exigit aliam.

1 *Exigentia mutua.* DIco primò. Realis existentia vniuscuiusque diuinæ relationis, exigit existentiam realem vtriusque relationis aliarum personarum, ita vt contradictionem implicet sine illis existere. Atque verbum exigendi, siue postulandi propter intrinsecam connexionem, vnionem siue coniunctionem, propriè dicitur de diuinis relationibus; sicut voces coniunctionis, & vnionis; vt referemus ex Patribus infra disput. 38. sect. 2.

2 Rationes autem huius exigentiæ mutuæ, sunt tres, communes omnibus relationibus diuinis, videlicet, vnitas substantiæ, circuminsessio, & quidditas relatiuorum, quæ posita se ponunt, & perempta se perimunt; vt vidimus disput. 9. sect. 3. Rationes verò singulis relationibus peculiares sunt; nam Paternitas exigit existentiam Filij & Spiritus sancti tanquam terminorum, quos non potest non producere, sed necessariò, naturalitérque producit, & alioqui non erit Pater, nec Spirator. Relatio Filiationis exigit realem existentiam Patris, vt principij semper producentis, & existentiam Spiritus sancti tanquam termini, à se necessariò & naturaliter producendi, sine quo non erit Spirator. Denique Spiritus sanctus exigit existentiam Patris & Filij, tanquam duarum personarum, quæ concurrere debent, vt sint vnum principium Spiratiuum.

3 *Dependentia nõ valde impropria.* Dico secundò. Non est valde improprium, nec vlla nota dignum, concedere, diuinas relationes siue personas ab inuicem pendere. Probatur primò authoritate Patrum, quos retulimus sect. 1. Quibus accedit Albertus probat. 2. citandus, & Alexander 4. parte q. 91. memb. 1. ad 2. vbi concedit, pendere Filium à Patre, & Spiritum sanctum

Ruiz. de Trinitate.

à Patre & Filio. *Si licet ibi dependentiam ponere quadam improprietate loquendi.*

4 Secundò probatur, quia dependentia non valde impropriè poterit extendi, ad significandam exigentiam, ratione cuius est impossibile relationem vnam existere sine aliis, vt modò explicatum est. atque in hoc sensu dependentiam mutuam inter Patrem & Filium, & inter omnes relationes mutuas, quarum vtrumque extremum est relatio realis, concedit Albertus 1. part. q. 39. memb. 1. fine. Imo etiam Ferrariensis statim citandus concedit relationem sub ratione relationis & Paternitatem sub ratione Paternitatis pendere à Filio, quoniam includitur in ratione illius.

5 *Nõ dependent propriè relationes.* Dico tertiò. Propriè loquendo & in rigore Scholasticorum, diuinæ relationes, siue personæ non dependent ab inuicem, etiam secundùm formalem rationem relationis. Ita docet S.Thom. 4. contra gentes cap. 14. ad 9. rationem. Vbi Ferrariensis col. penult. §. *ad secundum.* & §. *considerandum.* limitat vt esse materiale relationis non dependeat, licèt pendeat sub ratione relationis. Alexand. 1. p. q. 48. prope finem totius quæstionis, & 4. parte nuper citata pro concl. 2. absolutè negat dependentiã. & S.Bonau. 1. dist. 26. art. 1. q. 2. Similiter Aureol. 1. dist. 9. part. 1. art. 3. ad penultimam difficultatem, Scotus 1. dist. 2. in 2. part. distinctionis paulo ante q. 4. de numero productionum.

6 Probatur primò authoritate Bessarionis Archiepiscopi Nicæni oratione pro vnione, habita in sess. vlt. Concilij Florentini, ponitur autem hæc oratio post subscriptiones Episcoporũ. Ille igitur post caput 9. orationis adiungit declarationem aliquarum vocum, & in eius initio ait: *Sancti Doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine causæ & causati largo modo, non quidem vt limitationem & dependentiam importat.* Videtur autem habere magnam authoritatem ex tacita approbatione Concilij, quod dicta sess. vlt. in literis vnionis post medium admittit, *Filium secundum Græcos esse causam, & secundum Latinos principium Spiritus sancti.*

7 *Dependentia imperfectionis.* Probatur secundò ratione, quoniam dependentia, propriè & in rigore dicta, continet defectum perfectionis, ac limitationẽ: supponit enim egestatem & infirmitatem essentiæ propriæ, non habentis à se ipsa quidquid requiritur, vt existat atque subsistat. Vnde prouenit indigentia alieni auxilij, emẽdicati ab alia essentia. Sed è contrario exigentia, per quam Filius sine Patre non potest existere, nullã continet indigentiã alieni auxilij, nec egestatem aut infirmitatem essentiæ propriæ. Quoniam Filius licet essentiam & existentiam & totũ quod est, accipiat à Patre; accipit tamen tanquam sibi debitum proprio iure, non minus, quàm Patri, qui naturali necessitate dare tenetur; sicut Filius tenetur accipere: ideóque pares sunt.

8 *Singulæ personæ ab intrinseco habent omnia.* Cõfirmatur primò, quia Pater Filiò communicans eandem essentiã & perfectionem infinitam, eo ipso cõmunicat, vt à sua ipsius essentia habeat necessariò existere; habeat Patrem, & Spiritum sanctũ qui sibi necessarij sunt, vt existat; ideo non indiget emẽdicare auxilium ab aliena essentia vt existat. Quod de Filio dictum est, eadem omnino ratione verificatur de Spiritu sancto, & euidẽtiori ratione verificatur de Patre, quoniam omnino est à se ipso, & non procedit ab alia persona diuina.

9 Confirmatur secundò, nam impossibile est Patrem intelligere sine Verbo, & amare sine Spiritu sancto, vt videbimus disput. 58. & tribus sequentibus, & disput. 73. & 74. Nihilominus Pater ad intelligendum non indiget Verbo, similitér-

que Pater & Verbum non indigent Spiritu sancto, vt ament, eo quod vna sit omnium personarum essentia & infinita perfectio. Quemadmodum Anselmus in Monolog. cap. 58. probat. *Nam cum in his tribus vnusquisque singulus sit summa essentia, & summa sapientia, sic perfecta, vt ipsa per se memor sit & intelligat & amet, necesse est, vt nullus eorum trium alio indigeat, aut ad memorandum, aut ad intelligendum, aut ad amandum. Singulus enim quisque essentialiter est & memoria & intelligentia & amor, & quidquid summè est necesse in esse essentiæ.* Ideo Filius essentialiter est habès Patrem, & hunc habens à sua ipsius essentia, quia hoc necesse est in esse summæ essentiæ. Et qua ratione Pater non indiget Verbo ad intelligendum, eadem Verbum non indiget Patre ad existendum; & eodem modo ratiocinare de cæteris comparationibus trium personarum ad inuicem.

10 *Dependentia non sine diuersitate essentia.* Confirmatur tertiò, nam propter prædictas rationes S. Thom. & Scotus citati pro concluſ. 3. dependentiam non admittunt, nisi inter duas res, quarum esse sit absolutè diuersum, tam quoad essentiam, quàm quoad existentiam. Vnde quoniam esse diuinarum relationum est absolutè vnum & idem, videlicet, esse substantiæ diuinæ, & hoc esse quidditatiuè clauditur in vltima differentia cuiusque relationis, vt videbimus disp. 13. consequens est, vt relatio quælibet à se ipsa habeat totum suum esse, quasi proprium & debitum suæ quidditati, licet sit communicatum à principio producente, & licet existere non possit sine correlatiuo; quia correlatiuum & principium producens quælibet relatio habet à suo ipso esse & non aliunde.

11 *Dependentia propriè inter affectum & causam.* Tertia ratio, quia dependere proprium est effectiuum causatorum, qui dependent à causa, vel ab aliqua conditione, complente causam. Ideóque propter dependentiam, quam denotat causæ nomen propriè sumptum, non admittitur à Latinis respectu diuinarum personarum; vt Besſarion, adnotauit in probatione 1. atque inde prouenit ratio, quam docti recentiores reddere solent, vt diuinis relationibus repugnet dependentia; quoniam requirit entitatem, quæ absolutè potuerit non existere. Nam si necessariò existeret, eo ipso existeret à se ipsa, & consequenter à nullo penderet. Ad hoc fortasse respexit Aureolus supra citatus, dicens, *dependentiam* esse *manutentionem*. Alioqui principium petit eius ratio.

12 Quartò probatur, quia diuinæ relationes substantiales sunt, quidditatiuè continentes totam Dei substantiam. Ideóque continent totam substantiæ perfectionem, quæ est non dependere à termino, nec à subiecto: simúlque retinent propriam quidditatem relationum, quæ est exigere terminum, & sine illo existere non posse.

13 *Exigẽtia sine dependentia aliquando.* Quintò denique probatur, quia exigentia propter quam vnum sine alio non potest existere, reperitur aliquando sine dependentia. Quemadmodum scientia visionis Dei & Beatorum, quæ terminatur ad quaslibet veritates contingentes, existere nó posset, nisi illæ veritates existerent in sua differentia temporis, ideóque illas exigit; sed non pendet ab illis: & multo minus ab illis pendet, sed potius illas causat Dei voluntas efficax, existens ab æterno, quæ tamen non existeret, nisi res illæ virtute diuinæ voluntatis haberent existentiam in aliqua differentia temporis. Ergo quamuis necessaria connexio, & mutua exigentia sit inter relationes diuinas, ita vt vna existere nequeat sine alia; non sequitur dependere.

14 *Etiã formalissima ratio relationis non dependet.* Eisdem rationibus contra Ferrariensem probatur, relationem, etiam sub formalissima ratione relationis, non pendere ab alia. Primò, quia formalissima ratio relationis formaliter & realiter est in Deo, vt probatum est tota disp. 9. Quapropter si formalissima ratio relationis penderet, sequeretur in Deo esse dependentiam, indigentiam & defectum perfectionis contra dicta, in ratione secunda, & eius confirmationibus.

15 Secundò, nam formalissima ratio relationis quidditatiuè claudit idem esse diuinæ substantiæ, totámque illius sufficientiam sibi, absque alterius indigentia, & necessitatem existendi, & perfectionem substantiæ iuxta dicta in tertia confirmatione rationis secundæ, & in ratione tertia & quarta. Tertiò, nam illa doctrina Ferrariensis procedit ex alia eiusdem existimantis formalem rationem relationis non esse ens reale ratione sui, quod quantum distet à solida Theologia, notatum est disput. 9. sect. 6. fine.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta posita in sectione prima.

1 *Vitam accipiens quando dependeat.* AD primum respond. distinguendo Maiorem. A principio dante vitam diuersam à sua, dependet quicumque diuersam vitam accipit. Cæterum à principio, dante propriam ipsius vitam & non aliam, non dependet qui solam eandem vitam accipit: quoniam totam illius vitæ perfectionem, sufficientiam & independentiam accipit, vt constat ex sect. præced. in secunda ratione pro dicto tertio. Propterea testimonia illa ex Euangeliis, dicentia Patrem Filio dedisse vitam & omnia, similitérque Filium Spiritui sancto, & à Patre accepisse Filium, & à Filio Spiritum sanctum, exponuntur à sacris doctoribus communiter, vt nullam imperfectionem, aut inferioritatem, sed omnimodam æqualitatem personarum significent, eo quod vna simplicissima substantia, essentia & vita sit personæ dantis & accipientis: de quo plura loca sanctorum Patrum citabuntur infra disput. 50. sect. 5.

2 *A semetipso facere aut loqui quamuis non possit, non pendet Filius & Spiritus sanctus.* Ad confirmationem respond. Quamuis Filius non possit à semetipso facere quidquam, nec Spiritus sanctus possit à semetipso loqui; non sequitur, eos dependere à Patre, sed tantùm sequitur, exigere, & necessariò cõiunctos esse, quantum ad operationem; quemadmodum quantum ad essentiam & existentiam se inuicem exigunt, & necessariò coniuncti sunt. Etenim sicut Filius à semetipso non potest esse, nisi à Patre sit, ab eo accipiendo eandem essentiam: ita non potest à semetipso operari, nisi à Patre sit, accipiendo à Patre eandem operationem Patris, quæ Filio sit non minus debita, nec minus essentialis, quàm Patri, & ideo sit independens. Idem intellige de locutione Spiritus sancti. Hac ratione Patres communiter exponunt illa testimonia Ioann. 5. & 16. vt videbimus disput. 50. sect. 5. & 6.

3 Secundum & tertium argumentum, eiúsque cõfirmatio rectè probant, esse tolerabilem, & non valde impropriam acceptionem dependentiæ pro exigentia & inseparabili connexione diuinarum personarum: in quo sensu Patres ibi citati sunt locuti, vt diximus sect. præced. assertione 1. & 2.

4 Ad quartũ respond. negando Minorem. Quamuis enim Filius exigat Patrem & eius virtutem generatiuam, ita vt existere nequeat, nisi ea virtute semper influente; adhuc ea non indiget, quoniam

niam à sua quidditate habet eam necessariò coniunctam cum sua essentia, nec opus habet eam aliunde emendicare, vt diximus sect. præced. probatione 2.

5 Ad primam confirmationem respond. Termini producti à suo principio producente tunc erit vera dependentia, quando fuerit alterius essentiæ: tunc enim alieno indigebit auxilio, iuxta supra dicta. Ad secundã confirmationem respond. Propriè loquẽdo, iuxta Latinorum acceptionem, Pater non est causa nec author; vt videbimus disput. 49. sect. 2. & sequent.

6 Ad quintum argumentum respond. Productio passiua non necessariò continet diuersitatem essentiæ, indigentis alterius ope. Hanc autem continet dependentia, vt sæpe dictum est. Ad confirmationem respond. Dependentia licet sit mutua, continet imperfectionem & indigentiam alieni auxilij; quemadmodum forma corruptibilis indiget & pendet à materia; rursúsque materia pendet à forma: & in animali cor pendet à capite, & caput pendet à corde. Recompensatio verò perfectionis in eo consistentis, quod ab ea pendeat aliud ens, valere quidem poterit, vt quod pendet, non protinus conuincatur esse minùs perfectum, quàm illud, à quo pendet: poterit enim esse magis aut æquè perfectum. Sed ea recompensatio non liberat ab indigentia suprà dicta.

SECTIO IV.

Vtrùm duo tantùm prædicamenta substantiæ & relationis propriè Deo conueniant.

1 *Relatio & substãtia propriè in Deo.* QVæstionem excitauit Augustinus, & difficilem reddidit aliqua varietate verborum ac sententiarum. Quam vt facilius sit expedire, statuo conclusiones duas. Prima conclusio. Deo propriè conueniunt prædicamentum relationis & substantiæ modo explicando in concluſ. 2.

2 Probatur primò, nam Augustinus sermone 38. de tempore colum. penult. *Decem sunt*, inquit, *genera locutionis, quibus homines suos sensus solent inter se conferre. non de illis dico, quas Grammatici partes orationis vocant; sed de illis quas Philosophi Græcè categorias, Latinè prædicamenta appellare solent.* Et breuiter explicatis singulis prædicamentis adiungit: *His ergo omnibus modis solet sancta Scriptura de Deo loqui, sed aliter propriè, aliter translatiuè, aliter relatiuè. Propriè Deus dicitur substantia*, &c. Et paulo inferius. *Relatiuè autem de Deo dicitur Pater & Filius & Spiritus sanctus, situs verò & habitus, & loca, & tempora, & pati, non propriè, sed translatiuè per similitudines dicuntur de Deo.* Vnde constat, ea quæ relatiuè dicuntur, non translatiuè per similitudines, sed propriè dici. Cæterum non vt absoluta prædicamenta, quæ priùs enumerauerat.

3 Confirmatur. Nam lib. 5. de Trinitate cap. 10. fine. *Hoc*, inquit, *de bonitate, de æternitate & de omnipotentia dictum sit, omnibusq; omnino prædicamentis, quæ de Deo possunt pronunciari, quod ad se ipsum dicitur non translatè ac per similitudinem, sed propriè.* Cum igitur Augustinus locis citandis in sect. sequenti ad obiect. 3. doceat, substantialiter dici Deum quodcumque dicitur ad se ipsum; consequens est Deum propriè dici substantiam.

4 Quod autem relatiua propriè Deo conueniant, efficaciter colligitur ex toto cap. 11. & 12. sequenti in eodem lib. 5. & dicto sermone 38. col. 3. 4. & 5. Vnde non immeritò graues Scholastici tanquam Augustini sententiam in lib. 5. de Trinitate referunt, aliqua prædicamenta de Deo propriè dici, sed alia impropriè: vt Scotus 1. dist. 8. quæst. 2. §. *Alia opinio*. Gregorius dist. 8. quæst. 3. art. 2. Marsilius in 1. quæst. 12. art. 2. & alij Nominales & S. Thom. in præsenti q. 28. art. 2. ad 1. exponit, quo sensu, & qua ratione *dicuntur duo tantùm prædicamenta esse in diuinis*.

Probatur secundò, nam tota disput. 9. præsertim sect. 2. probatum est, relationem Deo propriè conuenire; substantiam autem vnicam esse tres personas, Nicænum Concilium & omnes Patres fatentur per *omousion*. vt videbimus disput. 20. & sequentibus. Quæ locutio si fuisset impropria, non fuisset ab Ecclesia tanto labore, tantóque bellorum ciuilium & schismatum periculo dispendióque propugnata. Tertiò probatur solutione sequentium obiectionum & conclusione sequenti.

Prima obiectio est, quia communis sententia Patrum antiquorum admonuit, Deum non esse substantiam, sed supra substantiam: quia non substat accidentibus & infinito interuallo superat substantias nobis notas. Ita Augustinus 7. de Trinitate cap. 4. fine, & cap. 5. initio, Boëtius lib. de Trinitate circa medium: Damascenus 1. de Fide cap. 8. à princ. Anselmus in monolog. cap. 25. & 26. Ricard. Victorin. lib. 2. de Trinitate cap. 22. & lib. 4. cap. 20. Cyparissiotus ex Dionysio & aliis Patribus, decade 4. cap. 9. fine, & cap. 10. Magister sentent. lib. 1. distinct. 8. cap. penult. quem sequuntur ibi omnes Scholastici. 6 *Qui negare videtur Deũ esse substantiam.*

Desumpta est autem hæc doctrina ex alia vniuersaliori Dionysij Areopagitæ, & aliorum antiquorum Patrum, asserentium, Deum nihil esse eorum, quæ nobis nota sunt, sed esse aliquid superexcellens illa omnia; vt vidimus disp. 4. sect. 3. post init. & præced. disput. 9. sect. 2. initio. Quibus consonat S. Thom. 1. p. q. 3. art. 5. ad 1. & quæst. 13. art. 3. præsertim ad secundum argumentum. 7

Confirmatur primò, nam eadem ratione dicere potuissent Patres, in Deo non esse relationes, sed aliquid supra relationes. Secundò confirmari posset argumentis, quæ in præced. disp. 9. sect. 1. contendunt, non esse reales relationes diuinas. 8

Horum solutio prompta consurgit ex generali doctrina, tradita in disput. præcedenti, sect. 2. in princip. & sect. 5. sub initium. Nam si rem significatam per nomen substantiæ respiciamus, quæ consistit in eo, quod per se sit, propriissimè conuenit Deo potius, quàm creaturis. Nihilominus improprietas est in modo significandi. Primò, quantum ad id, quod denotat etymologia: substantia namque dicitur à subsstando. Hoc autem Deo repugnat: qua ratione vtitur Anselmus, in obiectione citatus, & Albertus 1. p. q. 37. prope finem. Secundò, quia substantia secundum modum significandi, acceptum à creaturis, significat essentiam, cui competit per se esse, ita vt esse non sit de eius essentia. At verò de essentia Dei est esse, & per se esse, vt S. Thom. obseruat 1. part. dicta quæst. 3. art. 5. ad 1. Tertiò, quia significat per conceptus connotatiuos corporum. Ad has improprietates modi significandi refertur præcastigatio, quam adhibuit Augustinus dicto lib. 5. de Trinitate, cap. 10. fine, & sermone 38. de tempore col. penult. *Si tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis potest.* 9 *Res significata Deo conuenit, nõ modus significandi.*

Ad primam confirmationem respond. Potuissent Patres dicere, in Deo non esse relationes, 10

quantum ad improprietatem modi significandi, non quantum ad rem significatam, vt nuper de substantia dictum est. Ad secundam confirmationem solutio data est in disputat. præcedenti, sect. vltima.

11 *Deus non est in prædicamento.*

Secunda obiectio, Deus in prædicamento non est propriè, sed supra prædicamentum; vt fert communior sententia grauiorum Scholasticorum in 1. distinct. 8. & 1. p. quæst. 3. art. 5. Idque primò, propter transcendentiam, ratione cuius in vltima quaque differentia Dei clauditur ratio substantiæ & reliquæ omnes perfectiones, affirmabiles de Deo. Transcendentia verò repugnat generi, quoniam genus esse debet extra essentiam differentiarum ex Aristot. 3. metaphysic. textu 10.

12 Secundò, quia generi repugnat analogia resultans ex dicta transcendentia, insuper ex dependentia, qua omnia entia pendent à Deo. Ac denique Deus ita superior est rebus omnibus omnium prædicamentorum, vt comparatione illius omnia censeantur esse nihil. Ad has rationes respexit Anselmus in Monologio cap. 26. probans, *substantiam Dei nullo communi tractatu substantiarum includi*, quia cum nulla natura creata *essentialem communionem habet*. Nomine *tractatus* intelligit prædicamentum; vt ex contextu perspicuum est.

13 *Quo sensu Deo conueniant prædicamentiè substantiæ & relationis.*

Respondeo, & sit secunda conclus. Prædicamentum substantiæ & relationis non eo sensu dicuntur conuenire Deo, quasi Deus ponatur in illis prædicamentis. Tum quia perfectio infinita non capitur angustiis prædicamentorum, vt rectè probatur in obiectione. Tum etiam, quoniam impossibile est, vnam rem simplicissimam poni in duobus prædicamentis, vt præ cæteris obseruauit S. Bonauent. 1. distinct. 8. artic. 1. quæst. 4. corp.

14 Sensus igitur primæ conclusionis est, aliquam rationem substantiæ analogicè communem Deo, & substantiis creatis, propriùs conuenire Deo, quàm creaturis: similitérque communem aliquam & analogam rationem relationis. Propterea Boëtius, statim citandus, pro conclusione tertia dicit, *cuncta prædicamenta mutari, cum quis ea verterit in diuinam prædicationem, & talia esse, qualia subiecta permiserint.*

15 *Cætera prædicamenta Deo non conueniunt propriè.*

Tertia conclusio. Cætera prædicamenta, præter substantiam & relationem, Deo non conueniunt propriè, sed quædam sola denominatione extrinseca, quædam impropriè & per metaphoram, alia verò non in sua propria quidditate sed quatenus in Deo transeunt ad substantiæ prædicamentum, deposita differentia aliorum prædicamentorum, & non retenta propria ratione sui generis. Ita docuit Alexand. 1. part. quæst. 48. memb. 4. artic. 3. §. 3. ad 2. & §. 4. corpore. & fere idem S. Thom. in præsenti quæst. 28. artic. 2. ad 1. A cæteris Scholasticis supponitur, sed non dicitur expressè.

16 Probatur primò ex Boëtio lib. de Trinitate in medio, vbi ait: *Decem omnino prædicamenta traduntur, quæ de rebus omnibus vniuersaliter prædicantur. Id est substantia, qualitas, &c. Hæc igitur talia sunt, qualia subiecta permiserint.* Vnde post pauca infert: *Hæc*, scilicet prædicamenta, *cum quis in diuinam verterit prædicationem, cuncta mutantur, quæ prædicari possunt.* (excipit autem *ad aliquid*, quod non potest prædicari de omnibus personis sigillatim modo iam expositio in disput. præcedenti sect. 7. ad 4.) & addit exempla. *Nam cum dicimus Deum, substantiam quidem significare videmur, sed eam, quæ sit vltra substantiam. Cum verò iustus, qualitatem quidem, sed non accidentem, sed eam quæ sit substantia, sed vltra substantiam.* Idem dicit de quantitate, quæ videtur significari cum Deus dicitur magnus, aut maximus. Idem docet in sequenti lib. *Vtrum Pater, Filius, & Spiritus sanctus de diuinitate substantialiter prædicentur.* Eandem fuisse mentem Augustini constabit sect. sequenti, obiectione 1.

17 Secunda probatio magis à priori, sit ratio discriminis singulorum prædicamentorum, quæ differunt à substantia & relatione, quantum ad proprietatem prædicationis diuinæ: quam trademus sect. sequenti.

SECTIO V.

Diluuntur obiectiones, quæ probare videbantur proprietatem prædicationis & significationis in cæteris prædicamentis.

1 *Prædicamentum actionis an in Deo?*

PRima obiectio. Nam per singula prædicamenta discurrens Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 8. post med. ait: *Quod autem ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissimè dicitur.* Quod ipsum in serm. 38. de temp. colum. penult. confirmat Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* & Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Hæc quippe in prædicamentis suprà nominatis de Deo dicuntur.* Ergo prædicamentum actionis propriè dicitur de Deo.

2 Respondeo. Prædicamentum actionis ad extra, propriè dicitur de Deo per extrinsecam denominationem, non ab æterno, sed in tempore conuenientem Deo; quæ actio creata est, sicut effectus omnes per illam producti. Generale namque cunctis agentibus est, vt in se ipsis non recipiant actionem transeuntem ad extra, sed ea recipiatur in effectis productis, & per illam extrinsecè denominentur realiter agentia. In præsenti verò non agimus nisi de prædicamentis, Deo formaliter & ad intra conuenientibus ab æterno.

3 Sed inde obiicies secundò, quoniam ad intra formaliter & ab æterno Patri conuenit productio actiua, & Filio productio passiua; at productio actiua videtur habere generalem & analogam rationem prædicamenti actionis, non minùs quàm Paternitas habet analogam rationem relationis. Similiter autem productio passiua Filij videtur habere generalem & analogam rationem prædicamenti passionis.

4 Respondetur primò. Ratio actionis & passionis non conuenit propriè diuinis productionibus: quoniam imperfectionem inuoluit, explicandam infra disput. 83. sect. 4. Respond. secundò. Quæcumque sit illa communis ratio actionis & passionis, quæ in diuinis productionibus reperiri potest, ea reuocatur ad prædicamentum substantiæ, qua parte claudit essentiam diuinam; & ad prædicamentum relationis, qua parte dicit aliquid notionale & personale, vt explicabimus dicta disput. 83. sect. 1. 2. & 3. Ideo non efficit nouum prædicamentum sicut ex Boëtio diximus in fine præcedentis sect. & ex Augustino dicemus statim.

5 *Quantitatis & qualitatis prædicamentum an in Deo?*

Tertia obiectio, quoniam inter ea prædicamenta, quæ dicuntur propriè de Deo, magnitudinem & bonitatem numerat Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 10. & 11. & sermone 38. de tempore colum. penult. Boëtius autem lib. de Trinitate propiùs ad med. quàm ad finem ait: *Qui iustus, refertur ad qualitatem; qui magnus, ad quantitatem.* Confirmatur primò, quia cui propriè conuenit species alicuius prædicamenti, conuenit propriè genus illius prædicamenti: sed Deo propriè conuenit bonitas, iustitia, sapientia, quæ sunt species qualitatis. Ergo Deo propriè conuenit qualitas eadem proprietate rationis analogæ, qua conuenit iustitia, sapientia & bonitas.

6 Confirmatur secundò, quia numerus est quantitatis species: at verò numerus ternarius est in diuinis personis, vt constabit disputat. 37. sect. 2. & sequent. Confirmatur tertiò, quoniam aliqua ratio analogicè communis, potest abstrahi à qualitate & quantitate, quæ Deo creaturísque conueniat. Quod si hoc non sufficit, vt de Deo dicantur qualitas & quantitas; non sufficiet, vt de Deo dicantur substantia & relatio: quippe quæ non dicuntur nisi secundùm rationem analogam.

7 Ad obiectionem tertiam respond. imprimis vt *intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum*, præcipit Augustinus in eodem lib. 5. de Trinitate cap. 1. fine, receptus à Magistro & communiter scholasticis 1. distinct. 8. cap. *quod autem*. & lib. 15. de Trinitate cap. 5. post med. de huiusmodi prædicatis *sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus*, ita loquitur: *Cætera verò huius substantiæ* (diuinæ) *qualitates significare videntur: Sed non ita est in illa ineffabili simplicitate naturæ. Quidquid enim secundùm qualitates illic dici videtur, secundùm substantiam vel essentiam est intelligendum.* & alibi frequenter repetit, *Dei substantiam significari, cum dicitur fortis, sapiens, iustus, magnus, & quidquid ad se dicitur.* Quemadmodum lib. 5. de Trinitate cap. 5. & 10. & 11. citatis, & lib. 6. cap. 4. & lib. 7. cap. 1. & 7. & serm. 38. de temp. col. 2. fine, & colum. 3. Eandem doctrinam ex Boëtio vidimus ad finem sectionis præcedentis.

8 Ad primam confirmationem distinguenda est maior. Nam cui conuenit species propriè secundùm peculiarem essentiam, inclusam intra prædicamentum, conuenit etiam propriè genus illius prædicamenti. Cæterum cui propriè conuenit species secundùm rationem analogam superiorem prædicamento, illi non semper conuenit propriè genus illius prædicamenti. Quoniam genera prædicamentorum quantitatis & qualitatis denotant imperfectionem accidentis, afficientis substantiam, qualificando illam, & extendendo per partes. At verò specierum nomina videlicet, bonitas, iustitia, sapientia, primariò significant perfectionem, quam addunt supra genus, non significando communem rationem accidentis & qualitatis. Propterea propriè conuenit Deo ratio communis & analoga, conueniens speciebus qualitatis, secundùm peculiarem earum differentiam: sed abstrahi non potest ratio communis, quæ Deo conueniat propriè, simúlque conueniat qualitati, secundum peculiarem differentiam, per quam differt à substantia. Videri potest Alexander 1. p. q. 48. memb. 4. art. 3. §. 4. ad 4.

9 Ad confirmationem secundam respond. Solus numerus corporeus, resultans ex diuisione quantitatis, est species illius prædicamenti, non verò numerus transcendentalis, qui solus reperitur in personis diuinis, & supra illas nihil aliud addit, nisi proprietatem, per quam vna persona distinguitur, & quasi diuiditur ab alia, simúlque negationem diuisionis, per quam est vna: consequens igitur est, in diuinis numerum constitui per relationis prædicamentum, non verò per quantitatem, vt fusiùs disput. 37. præsertim sect. 4. & seq. Hæc ex S. Thom. 1. part. quæst. 30. art. 3. corp. Ad tertiam confirmationem solutio constat ex dictis ad confirmationem primam.

10 *Obiectio.*

Quartò vrgebis, quia si quantitas & qualitas propterea non dicuntur propriè de Deo, quoniam mutantur in substantiam Dei; eadem ratione non poterit relatio propriè dici de Deo, quia mutatur in substantiam Dei, siquidem non est accidens, sed substantia & subsistentia. Confirmatur primò. *Nam cum audimus, Pater, & omnipotens, nihil aliud præterquam substantiam eius, qui est, intelligimus.* Vt loquitur Athanasius in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, & in apologetico pro Synodo Nicæna. Quem refert & sequitur Cyparissiotus decade 4. cap. 8. & August. 7. de Trinitate cap. 6. sub init. *Cum dicimus*, inquit, *personam Patris non aliud dicimus, quàm substantiam Patris.* Confirmatur secundò, nam alij Patres concedunt tres personas esse tres substantias infra disput. 23. sect. 4. quod non potest verificari, nisi relationes sint substantiæ.

Subsistentia.

11 *Relatio quomodo distinguatur à substantia Dei.*

Respond. Substantiæ duplex est acceptio: prima, & vniuersalior, pro quacumque re, quæ non est accidens, & in hoc sensu diuina relatio est substantia. Sed strictior & magis propria substantiæ acceptio refertur ad rem absolutam, & per se existentem: sic enim quæ ponuntur in prædicamento substantiæ, omnia sunt entia simpliciter absoluta. Igitur iuxta strictiorem & propriam acceptionem, diuina relatio non mutatur in substantiam: sed abstrahi potest communis & analoga ratio relationis, quæ neque sit accidens, nec sit substantia, quia non dicit essentiam Dei absolutam. At verò cætera prædicamenta vel eorum species, quando referuntur ad Deum, dicunt essentiam absolutam Dei, & ideo transeunt in substantiam strictè sumptam. Propterea August. lib. 5. de Trinitate toto cap. 5. docet, relatiua de Deo neque secundùm accidens, neque secundùm substantiam dici. & cap. 8. & seq. & alibi sæpe quasi opposita membra distinguit dici relatiuè, & dici ad se, vel secundum substantiam.

12 Ad primam confirmationem respond. primò, Athanasius accepit substantiam vt condistinguitur contra accidens. Respond. secundò, si strictiori significatione substantiam vsurparet, potuisset adhuc eius propositio simpliciter esse vera propter identitatem realem, ratione cuius essentia diuina prædicatur de relationibus; vt constabit disput. 11. sect. 6. & disput. 13. sect. 1. Ad secundam confirmationem respond. primò. Illi Patres substátias accipiunt pro subsistentiis; vt dicemus in eadem disput. 23. Respond. secundò. Possunt etiam accipere substantiam, vt est res condistincta ab accidente.

13 *Prædicamentum quando & vbi.*

Quinta obiectio. Nã ex prædicamento *Quando* potest abstrahi ratio communis durationis, analogicè conueniens æternitati, tempori, & æuo: & in eo sensu prædicamentum *Quando* dicetur de Deo tanta proprietate, quanta dicitur substantia vel relatio. Similitérque dicetur propriè prædicamentum *Vbi*, quoniam ab eo potest abstrahi communis quædam ratio fixionis immobilis, analogicè conueniens immensitati diuinæ, per quam infinito spatio præsens est immobiliter,

mobiliter, & immobili vbi corporum aut Angelorum.

14 Solutio tamen colligitur ex præcedentibus. Primò, quoniam æternitas & immenſitas mutantur in ſubſtantiam Dei: & prædicamentum ſubſtantiæ, qua ratione diſtinguitur à ceteris prædicamentis, dicit perfectionem eſſendi per ſe: reliqua verò prædicamenta etiam *vbi* & *quando*, prout à ſubſtantia diſtinguuntur, inuoluunt imperfectionem inhærentiæ. Secundò, quoniam ipſis vocabulis, ab interrogatione deſumptis, ſupponitur, rem cui conueniunt, hæc prædicamenta, non eſſe ſemper & vbique, ſed aliquando, & alicubi, propterea̓que repugnant Deo.

15 Adde, duobus his prædicamentis connotari fortaſſe ordinem ad extrinſecum motum, & ad extrinſecum locum definientem, vel circumſcribentem, qui Deo repugnat. Sic ergo melius intelligitur diſcrimen, quod Boëtius lib. de Trinitate paulo poſt medium conſtituit, vt hæc quatuor prædicamenta, *vbi, quando, ſitus, & habitus*, non ſolùm de Deo, ſed neque de homine prædicentur, niſi oſtendendo illum eſſe *aliis rebus informatum*. Denique ſitus & habitus & loca & tempora non propriè, ſed tranſlatè ac per ſimilitudines dicuntur in Deo. Ita Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 8. in medio, & ſerm. 38. de tempore colum. penult. vtrobique declarans metaphoricè ſcripturæ verba; quæ pertinent ad hæc prædicamenta.

ARTICVLVS II.

Vtrum relatio in Deo ſit idem, quod ſua eſſentia.

1 ALIENÆ quædam difficultates in hunc locum inferuntur à quibuſdam expoſitoribus. Primò Caietanus diſſerit, an creata relatio realiter à ſuo fundamento diſtinguatur. Quod in Logica ſatis à nobis expoſitum fuit circa prædicamentum relationis. Secundò, generalis difficultas, quam in formalitatibus, etiam creatis ingerit diſtinctio rationis ratiocinatæ, propter quam de eadem re verificatur affirmatio & negatio eiuſdem prædicati, expedita fuit in quæſtionibus præuiis ad prædicamenta, ſiue de prædicamentis in generali. Vnde quæ neceſſaria fuerint, accipiemus in hac & in diſputat. 15. ſect. 7.

2 Tertiò tractatur etiam ab aliquibus authoribus ad art. præſentem diſtinctio attributorum ab eſſentia; ſed hæc controuerſia propriam ſedem habet ſupra quæſt. 13. art. 4. vbi S. Thom. oſtendit, nomina Dei non eſſe ſynonyma, inſuper quæſt. 14. art. 4. vbi probat, intelligere Dei eſſe ſubſtantiam illius. Nos autem non ſolum prædictis in locis ea de re ſufficienter egimus, ſed etiam in ſuperiore diſput. 8. ſect. 6. & ſequentibus, neceſſitate compulſi, multa de identitate reali ac diſtinctione rationis inter eſſentiam & attributa facta digreſſione tractauimus. Quapropter ad propria præſentis articuli gradum colligentes, cætera prætermittimus.

DISPVTATIO XI.

Vtrum diuinæ relationes à Deitate ſuapte natura, vel ſola ratione diſtinguantur.

SECTIO I.

Errores aſſerentium realiter diſtingui.

1 SVPPONO, perſonalitatem, & proprietatem perſonalem eſſe idem, quod relatio. Ideo quæ dixerimus de diſtinctione perſonarum vel proprietatum perſonalium ab eſſentia, de relationibus etiam intelligenda ſunt: & ſimiliter è contrario.

2 *Antiquus error.* Ex hæreticis, qui magis directè videntur, aſſeruiſſe diſtinctionem realem Deitatis & naturæ diuinæ à perſonis, fuere, qui in tertia ſecta Sueritarum dicti ſunt Theodoſiani, & Angelitæ & Damianiſtæ. Aſſerebant enim Patrem non eſſe per ſe ipſum naturam, nec Filium, nec Spiritum ſanctum eſſe per ſe ipſum naturam: ſed habere communem Deum ſiue Deitatem in eis exiſtentem. Ita refert Nicephorus lib. 18. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 49. ante med. de quibus dicemus iterum diſput. 20. ſect. 2.

3 *Errauit etiã Clericus quidam in Francia.* Primus autem ex catholicis, de quo memoriæ proditum fuerit, erraſſe circa perſonarum diſtinctionem ab eſſentia, fuit quidam clericus in Francia. Nam, vt Anſelmus in lib. de incarnatione Verbi, præſertim cap. 1. & 3. refert, à quibuſdam monachis ſe per literas accepiſſe, talis erat eius aſſertio. *Si in Deo tres perſonæ ſunt vna tantum res, & non ſunt tres res vnaquæque per ſe ſeparatim, ſicut tres Angeli aut tres animæ; ita tamen vt potentia & voluntate omnino ſint idem; ergo Pater & Spiritus ſanctus cum Filio eſt incarnatus.* Ex quibus verbis, & impugnationibus Anſelmi colligitur prædictum clericum voluiſſe; vt quamuis potentia & voluntas trium perſonarum eſſet omnino eadem res; nihilominus tres perſonæ diſtinguerentur ab illa vna re, ſicut tres res ſeparatæ. Hoc enim putabat eſſe neceſſarium, ne incarnato Filio, Pater etiam & Spiritus ſanctus incarnati forent.

4 *Error Gilberti.* Poſt ſexaginta circiter annos idem error, vel alter ſimillimus excitatus fuit à Gilberto Porretano Pictauienſi Epiſcopo, huius aſſertiones diuerſimode referuntur à diuerſis authoribus. Quorum vnus Matthæus Paris in hiſtoria Anglicana anno 1119. relatus in tom. 3. conciliorũ pro concilio Rhemenſi ſub Calixto Papa II. Apud quem tertia aſſertio Gilberti hæc eſt: *Proprietates perſonarum relationes quædam æternæ ſunt, quæ non ſunt quidem quod ipſæ perſonæ, ſed diuiſæ numero, & diuiſa ſubſtantia, & habent tres vnitates, & ſic multa æterna ſunt, quorum nullum ſit Deus.*

5 Atque prædictam fuiſſe vnam ex aſſertionibus Gilberti colligitur efficaciter ex decretis duorum conciliorum Rhemenſium aduerſus Gilbertum ſub Calixto II. & ſub Eugenio III. in quibus Epiſcopi *Credimus*, inquiunt, *ſolum Deũ Patrem, Filium & Spiritum ſanctum æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, & huiuſmodi alia in Deo eſſe* (alias adeſſe Deo) *quæ ſint ab æterno & non ſint Deus.* Hic verborum ambitus erat indignus, quem illius concilij

lij Patres vſurparent, niſi foret neceſſarius, vt directè repugnaret errori tunc temporis graſſanti.

6 Prædictum decretum inter alia refert Otto Friſingenſis Epiſcopus de geſtis Federici imperat. lib. 1. cap. 56. & habetur tom. 3. conciliorum p. 2. pro concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. & quantum ad rei ſubſtantiam nihil diſcrepant quę refert ex manuſcripto codice Gabriel Vazquez 1. p. diſp. 120. cap. 2. & quæ refert Matthæus Paris loco nuper citato.

7 Non dubito Gilbertum eiúſque ſectatores eſſe, quos ſuppreſſo nomine refert, & refutat Magiſter in primo, tota ferè diſt. 33. Nam vterque videlicet, Magiſter ſententiarum & Gilbertus, eodem tempore floruit circa annum 1140. Inſuper aſſertioni nuper relatæ congruunt, quæ refert Magiſter diſt. 33. Etenim cap. *hoc autem*, refert quoſdam negaſſe identitatem proprietatis cum perſona, & cum natura diuina, dicentes, *proprietates eſſe in perſonis, ſed non eſſe perſonas ipſas, quia ita dicunt eſſe in perſonis vel in eſſentia diuina, vt non ſint interius, ſicut ea ſunt, quæ ſecundum ſubſtantiam dicuntur de Deo, ſed extrinſecus affixæ ſint.*

8 Authoris nomen expreſſerunt antiquiſſimi ſcholaſticorum, apud quos Gilbertus Porretanus dixit, quod relationes in diuinis ſunt aſſiſtentes, ſiue extrinſecus affixæ. Ita refert S. Thom. in præſenti art. 2. corp. Alexand. 1. p. quæſt. 68. memb. 5. art. 6. §. 3. Albertus 1. p. quæſt. 39. memb. 2. art. 1. prope finem, dum ſoluit arg. 1. in contrarium S. Bonau. 1. diſt. 33. art. 1. quæſt. 1. corp. & quæſt. 2. corpore. Henricus quodlib. 5. quæſt. 7. ſub initio & communiter ſcholaſtici 1. diſt. 33. vbi Carthuſ. q. 1. Maior diſt. 26. quæſt. vnica, initio. Quos ſequitur Prateolus, verbo, Gilbertus.

9 *Non fuit impoſitus hic error Gilberto.* Nec audiendi ſunt aliqui recentiores, exiſtimantes, hunc errorem impoſitum fuiſſe Gilberto. quibus fauet loquendi modus Bonau. quæſt. 2. citata, valde diſſimilis modo loquendi, quo retulerat errorem quæſt. 1. Imò etiam Otto Friſingenſis ſupra citatus dubitare videtur de culpa Gilberti.

10 Nihilominus Magiſter ſcribens eodem ipſo tempore Gilberti non potuit ignorare, qualis fuerit illius error: præſertim cum eſſet Epiſcopus Pariſienſis, de Alexandro poſt centum circiter annos Pariſijs docente, de Alberto S. Thom. & S. Bonau. non eſt credibile, ignoraſſe perſonam, cuius error notabatur à Magiſtro loco citato, præſertim cum per manus traditione perpetua peruenerit ad ipſos doctrina Theologiæ per expoſitionem Magiſtri ſententiarum. Confirmatur, nam relationes aſſiſtentes & extrinſecus affixæ valde conſonant errori, quem de Gilberto refert Bernardus ſerm. 80. in cantica poſt med. & lib. 5. de conſiderat. ad Eugenium circa medium, conſonant etiam iis, quæ referunt Matthæus Paris, & Otto vt ſupra vidimus.

11 *Non vt rem à re, ſed vt rem à modo diſtinguebat Gilbertus.* Diſtinctionem realem plenam, quam appellamus rei à re, poſitam fuiſſe à Gilberto, coniiciunt aliqui authores, ex eo, quod Bernard. dicto lib. 5. de conſiderat. circa medium, inferat quaternitatem in Deo. Cæterum veriſimilius eſt, ſolam diſtinctionem, quam modalem appellamus, ab eo fuiſſe poſitam; quoniam, vt Albertus loco citato refert, dicebat Gilbertus: *Proprietas nec eſſentia eſt, neque perſona, nec eſt propriè res, ſed ratio ex comparatione rei ad rem ſumpta.* Cui valde conſonat decretum vtriuſque concilij Rhemenſis, quod ſuprà retulimus, propterea ſub diſiunctione dicentis, *ſiue dicantur res, ſiue relationes*, &c.

Confirmatur primò, quia Bernardus refutat quaternitatem reſultantem ex formarum vel modorum pluralitate, vt oſtendemus ſect. 4. probat. 5. confirmat. 2. Confirmatur ſecundò, nam diſtinctio modalis, ſi daretur in Deo, ſatis erat vt verificarentur aliæ propoſitiones Gilberti, videlicet, Patrem & Filium non eſſe eandem rem, & proprietatem, qua Pater eſt Pater, non eſſe Deum, & proprietatem ab eſſentia poſſe diuidi *non ſolum abſtractione mathematica ſed etiam Theologica conſideratione.* Quarum priores propoſitiones referuntur à Magiſtro diſt. 33. cap. *Cæterum.* & cap. *Verumtamen.* Sed ab Ottone Friſingenſi loco citato ſuperius refertur poſtrema, videlicet, *quod inter naturam & perſonam non mathematica abſtractione, ſed Theologica conſideratione quoquomodo diuideret ratio*, ideſt, vnam negaret de altera. Nam diuidere eſt negare; vt videbimus ſect. 3. probat. 2. 12

Argumenta quibus errorem hunc probare tentabat, referemus diſp. 15. ſect. 5. & ſequentibus. Aliqua verò teſtimonia Patrum, quæ citabat, adducemus ſequenti diſp. 12. ſect. 3. ad probandam diſtinctionem rationis ratiocinatæ. Præterea notandum eſt primò, Gilbertum, à D. Bernardo conuictum in Rhemenſi concilio ſub Eugenio III. tam ſupradicta quàm cætera reprehenſione digna proprio ore damnaſſe: vt ſcribit Bernard. ſerm. 80. in Cantica, fine, & Otto Friſingenſis prope finem illius fragmenti, quod refertur in prædicto concilio. Nec obſtat quod Magiſter dicta diſt. 33. cap. *Cæterum*, aſſertores huius erroris appellet *hæreticos*. Nam eodem compellat nomine Bernard. in eodem ſerm. ſiue reſpiciens ad præcedens tempus, quando nondum errorem correxerant, ſiue fortaſſe reſpiciens ad aliquos, qui nondum cum Gilberto retractauerant errorem. 13 *Fundamenta Gilberti vbi diſcutienda.*

Secundò notandum, abſurdiorem fuiſſe errorem Abbatis Ioachim, licet aliquibus viſum fuerit conuenire cum errore Gilberti, de quo dicemus aliquid ſect. 7. ſub initium. 14

Tertiò videtur idem quod Gilbertus, ſenſiſſe Hugo Ætherianus tom. 9. bibliot. lib. 3. de hereſibus, quas Græci in Latinos deuoluunt cap. 2. fine, dicens, *Inſignitiua proprietas non eſt perſona, quam inſignit, & circa quam conſiſtit vt character circa ſubſtantiam.* Loquitur autem de Paternitate, Filiatione & Spiratione, quas toto præcedenti contextu videtur extra quidditatem perſonarum excludere. 15

SECTIO II.

Ante opus intellectus diſtingui relationem ab eſſentia, quidam Scholaſtici tradunt.

1 *Prima ſententia.* PRima ſententia inter eſſentiam diuinam & relationem cõſtituit diſtinctionem ante opus intellectus, quæ ſit aliquo modo realis diſtinctio, qualis eſt inter rem & eius modum; & conſequenter non ſit diſtinctio media inter realem & rationis; hæc enim eſt impoſſibilis; ita exiſtimat Durandus in 1. diſt. 5. q. 1. num. 5. & ſequentibus & diſt. 33. q. 1. & diſt. 34. quæſt. 2. & lib. 3. ſentent. diſt. 1. quæſt. 2. num. 15.

2 *Secunda ſententia.* Secunda ſententia recuſat appellare realem diſtinctionem eam, quam conſtituit inter relationem & eſſentiam diuinam: appellat autem illam diſtinctionem ex natura rei, aut formalem, aut virtualem, in re ipſa exiſtentem ante opus intellectus. Notat autem, eam diſtinctionem eſſe minorem, quàm ſit diſtinctio rei à re, concludit-

que tandem posse vocari distinctionem rationis. ita Scotus in 1. dist. 2. quæst. 4. in ordine, dum soluit quæstionem 1. §. *sed hic restat.* & dist. 8. q. 3. §. ad *quæstionem.* & quantum ad distinctionem ante opus intellectus, idem sentiunt Ocham in 1. dist. 2. quæst. 1. & dist. 30. quæst. 4. sub initium. Gabriel 1. dist. 2. quæst. 1. art. 1. nota b. 3. & 4. & art. 3. dub. 3. in eadem dist. 2. q. 1 1. art. 2. conc. 2. & art. 3. dub. 2. vbi expresè notat, esse distinctionem mediam inter realem & rationis. & dist. 30. q. 4. & dist. 33. quæst. vnica.

3 *Argumẽtum primum.* Durandi fundamentum est primò, quia essentia diuina est in aliquo supposito formaliter, in quo non est quælibet relatio formaliter. Verbi gratia in Patre est essentia diuina formaliter, in quo tamen non est Filiatio eodem modo formaliter. Alioqui sicut Pater formaliter est Deus per diuinam essentiam existentem in eo; sic Pater esset formaliter Filius per Filiationem formaliter existentem in eo, sed hæc differentia inter essentiam & relationem diuinam est ex natura rei, circumscripta & præscissa omni operatione intellectus. ergo essentia & relatio differunt non purè & præscisè secundum rationem, sed ex natura rei ante operationem intellectus.

4 *Secũdum argumentum.* Huic simile est secundum argumentum Scoti, quoniam essentia diuina realiter est communicabilis Filio; sed Paternitas realiter & ante considerationem intellectus est incommunicabilis Filio. Tertiò probat Scotus, quia sequeretur, incommunicabilitatem, quæ est proprietas Paternitatis, esse relationem rationis, quia resultaret ab intellectu, distinguente Paternitatem ab essentia, siquidem essentia est communicabilis. *Tertium argumentum.*

5 *Quartum argumentum.* Quartò, fundamenta Gabrielis in re nihil differunt à prædictis; assumit enim generale principium, quod necessarium sit in re esse distinctionem ante opus intellectus, siue non identitatem, inter duo extrema, si de illorum altero negatur idem prædicatum, quod affirmatur de altero. Verùm hic, & similibus argumentis satisfaciemus disp. 15. sect. 5. & sequentibus.

6 *Argumẽtum ex authoritate.* Argumentatur etiam Durandus ex authoritate Damasceni 1. de fide cap. 9. & 13. vbi proprietates, quibus personæ distinguuntur, appellat *modum existentiæ.* Verum hoc nomine compellatas esse à pluribus aliis Patribus, videbimus disp. 12. sect. 5. Vbi ostendemus. quod non realiter afficiunt & modificant, sed tantum secundum considerationem, habentem fundamentum in ipsa quidditate illarum.

7 Denique quod adiungit Durandus ex Augustino lib. 7. de Trinitate, nihil amplius probat, quàm distinctionem formalem, quæ est rationis ratiocinatæ: vt videbimus disput. 12. sect. 3. In hoc sensu dicit August. dicto lib. 6. cap. 1. *Omnis res, quæ relativè dicitur, est aliquid, excepto relativo,* ex quo concludit, quod in Patre, præter Paternitatem, est aliquid, scilicet essentia, & cap. 4. prope finem ait: *Aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel dominum esse; Quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium.*

SECTIO III.

Diuinæ relationes & essentia realiter, & ante operationem intellectus, sunt idem & nullo modo distinguuntur.

1 *Identitas realis extenditur ad omnia diuina.* IDentitas eadem intelligenda est de proprietatibus personalibus, siue de personalitatibus aut subsistentiis, aut notionibus, quibus personæ constituuntur; nam cum istæ sint relationes, (vt disp. 87. probabimus) non distinguuntur ex natura rei, nec ante opus intellectus ab essentia: imò nec à persona diuina distinguuntur tanquam inclusum ab includente, quo vsque nostra consideratio distinguat inter essentiam & proprietatem personalem. Nam persona continet essentiam & personalem proprietatem, infrà, disp. 32. præsertim sect. 7. 8. & 9.

2 Realem hanc identitatem affirmant omnes Scholastici, paucis exceptis, quos retulimus sect. 2. S. Thom. in præsenti quæst. 28. art. 2. & q. 39. art. 1. & 2. & 4. contra gentes cap. 4. & de potentia quæst. 8. art. 2. & quæst. 9. art. 1. & 1. dist. 33. art. 1. Magister 1. dist. 8. fine & tota dist. 33. & 34. Alexand. 1. p. quæst. 56. memb. 2. & q. 68. memb. 5. art. 6. Albert. 1. p. q. 39. memb. 2. art. 1. particula 2. & art. 2. & q. 44. memb. 4. S. Bonau. 1. dist. 7. art. vnico quæst. 3. & dist. 33. art. 1. quæst. 1. & 2. & dist. 34. art. vnico q. 1. & 2. Henricus 2. p. summæ art. 56. q. 4. præsertim ad arg. & quodlib. 5. q. 6. & 7. Ægidius & Argentina dist. 33. quæst. vnica a. 2. & 3. & dist. 34. quæst. vnica, Ricardus dist. 33. art. 2. quæst. 1. & distinct. 34. art. 1. quæst. 1. & 2. Vbi Gregorius dist. 33. quæst. 1. art. 2. & dist. 26. quæst. 1. Aureolus valde copiosè in 1. dist. 1. tota quæst. 1. & dist. 33. tota q. 1. & dist. 26. art. 1. propositione 1. Maior 1. dist. 26. & 27. Almain. 3. dist. 1. q. 1. dub. vlt. Chartusianus cum aliis Scholasticis dist. 33. quæst. 1. & dist. 34. quæst. 1. & cum Adamo Marsilius 1. quæst. 6. art. 2. concl. 3. & 4. & quæst. 30. art. 4. dub. 1. & 2. & quæst. 23. art. 3. in notabilibus & corollariis, & quæst. 36. art. 2. Capreolus dist. 33. quæst. 1. art. 1. & art. 3. præsertim colum. vltima ad argumenta Scoti. Ferrariens. 4. contra gentes c. 14. Expositores S. Thom. in præsenti quæst. 28. art. 2. vbi Caietanus Canariensis, Bañez, Molina, Vazquez, Valen. Suarez lib. 4. de Trinitate cap. 2. & 4.

3 Probatur primò ex concilio Florentino sess. 18. & 19. in quibus communi consensu Latini & Græci disputatores frequenter docent realem identitatem cum sola distinctione rationis. Præsertim Ioannes Latinorum nomine sess. 18. post med. §. *Diuina substantia*, ait: *Diuina substantia & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur. Nam persona ex substantia proprietatibusq; consistit, quæ tametsi ratione ac secundum intelligentiam nostram differant,* &c. Quibus annuit Marcus Græcorum nomine in sequenti §. declarans, *substantiam & personam differre simpliciter, vt commune differt à proprio, vt Magnus Basilius ad suum fratrem Gregorium scribit.* & sequenti §. *dixi equidem.* Ioannes repetit realem identitatem.

4 Denique sess. 25. col. 5. §. *quibus Latini,* prope finem. *Ne identitatem coniunctionemq; diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione, ab hypostasibus & personis differre, excedere videamur.* &c. Ita Latini reddunt rationem suæ fidei, & quamuis primarium institutum illius concilij non fuerit, identitatem aut distinctionem supradictam definire, tanquam de fide; cæterum, quia necessariò cohærebat cum processione Spiritus sancti à Patre & Filio, tanquam ab vno principio, quæ primariò definienda erat: ideo prædictæ identitati reali & distinctioni rationis cõciliatur authoritas summa, quæ possibilis est infra canonem fidei.

5 Secundò probatur, nam Eugenius III. habito priùs

prius Rhemensi Concilio, & adhibito postea consilio cardinalium, contra Gilbertum definiuit: *Nec aliqua ratio Theologica inter naturam & personam diuideret: néve Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam ex sensu nominatiui:* vt scripsit Otto Frisingens. Episcopus lib. 1. de gestis Frederici imperatoris cap. 56. relatus tom. 3. conciliorum parte 2. in concilio Rhemensi sub Eugenio III. Cuius decisionis primum membrum accipitur iuxta modum loquendi Aristotelis & Peripateticorum 1. Periherm. cap. 1. & 3. de anima, textu 21. & 6. metaph. textu 8. apud quos intellectus siue rationis compositio & diuisio idem est, quod affirmatio & negatio. Quapropter idem est ac si Pontifex definiret, ne qua ratio Theologica negaret, naturam esse personam, aut personam esse naturam, sed potius concederet, quod Deus & Pater est diuina essentia in nominatiuo accipiendo essentiam; perinde ac si diceret, Pater non solum est Deus deitate, sicut Petrus humanitate est homo, sed etiam Pater est Deitas, licet Petrus non sit humanitas. Refugiebat enim Gilbertus concedere, quod *Diuina essentia est persona* vel *est Pater.* Vt ex Ottone refertur loco nuper citato. *Exponitur Rhemẽse concilium.*

6 *Confessio fidei Rhemensis concilij.* Confirmatur, nam Patres concilij Rhemensis ita suam fidem contra Gilbertum professi sunt: *Credimus solum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, siue relationes, siue singularitates vel vnitates dicantur, & huiusmodi alia in Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint ipse Deus.* & quamuis hoc decretum, sicut & alia eiusdem concilij, neque à summo Pontifice fuerit confirmatum, neque redactum in ordinem aliorum Conciliorum, quoniam absentibus Cardinalibus, & postea reclamantibus, Eugenius III. acquiescens, noluit tantam illis decretis authoritatem concedere: Cæterum à Bernardo præcipuo Theologo illius Concilij, & à cæteris Episcopis, præsente Eugenio III. magnam habet authoritatem, præsertim cum consonet omnino definitio eiusdem Eugenij nuper adducta. Hæc constant ex eodem Ottone nuper citato. *Gradus authoritatis.*

7 In his igitur diffinitionibus ponderanda sunt duo. Primum, affirmatio naturæ siue essentiæ de persona & de supposito, quæ non verificaretur, si realiter distinguerentur. Secundum est, hanc propositionem esse absolutè veram, & non posse negari: Omnes singularitates, siue relationes, siue vnitates, siue personalitates, aut proprietates, existentes ab æterno, sunt ipse Deus. Vnde abstracta omnia notionalia prædicari possunt de Deo significato in concreto, quod vt minimum supponit realem identitatem: vt videbimus sect. 6. & disp. 13. sect. 1.

8 *Realem identitatem docent Patres.* Tertiò probatur ex Patribus. Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de Theologia propiùs ad med. quàm ad princ. post num. 30. ait: *Quum naturæ animo & cogitatione distinguuntur, simul quoque nomina diuiduntur. Quod ex Paulo audire licet, his verbis vtente: vt Deus domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ. Vides quomodo Christi quidem Deus, gloriæ autem Pater dicatur. Quamuis enim hæc duo personam vnam efficiant; id tamen non natura fit, sed eorum coitione.*

9 Idem in præcedenti oratione 35. quæ est 3. de Theologia circa med. num. 49. Vnam quoque Dei essentiam, & naturam, & appellationem esse, tametsi per cogitationes quasdam distincta nomina quoque simul distinguantur. Agit autem de essentia & nominibus Patris & Filij, quatenus occasionem præbent, ratione distinguendi naturam diuinam, prout in patre non est communicata; sed in Filio est communicata, vt agnoscit Elias Cretensis in eum locum. Eodem sensu in orat. 13. quæ est 2. de pace, propius ad finem quàm ad med. Postquam tria supposita diuina distinxit notionibus propriis, adiungit: *Deum vnumquodque si seorsum consideretur, mente videlicet ea, quæ separari nequeunt, separante.*

10 Insuper orat. 46. de diuinitate ad Euagrium in med. *Simplex,* inquit, *Dei essentia indiuidua, vniusq; modi est: cæterum ad animarum nostrarum vtilitatem, partitionẽ quoque propter appellationes subire videtur, diuisionisq; necessitati subiici.* Loquitur autem de diuisione in tres personas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, in quo essentia diuina distribuitur, non reali diuisione, sed conceptibus mentis & appellationibus diuersis à conceptu & appellatione diuinæ naturæ. His consentanea sunt, quæ ex eodem Nazianzeno refert Cyparissiotus decade 4. cap. 8. in med.

11 Athanasius dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomœum col. 2. *Aliud,* inquit, *est hypostasis, & aliud Deitas, non vt alia & alia res: sed quod hypostasis quidem aliud, aliud verò Deitas significet; nam hypostasis declarat esse; Deitas verò quiddam esse.* Et post medium eiusdem dialogi reperit: *Hypostasim & essentiam esse aliud & aliud, non tamen vt rem aliam & aliam, sed quod hypostasis aliud quiddam declaret, aliud verò essentia: vt granum frumenti dicitur & est tum semen, tum fructus, non vt res alia & alia; aliud enim declarat semen, aliud fructus: quoniam semen quidem futuræ culturæ semen, fructus verò est præteritæ culturæ fructus.*

12 Hilarius lib. 8. de Trinitate inter medium & fin. illud Ioan. 6. *sicut Pater habet vitam in semetipso,* ita declarat; *Per id, quod habet Pater, ipsum illud significat habendo, quia non humano modo ex compositis Deus est, vt in eo aliud sit, quod ab eo habetur, & aliud sit ipse, qui habeat, sed totum quod est, vita est, naturæ scilicet perfectæ,* &c. Perpende, Patrem esse suppositum, habens naturam, vitam & cæteras perfectiones: hoc autem suppositum non esse aliud, quàm ipsam naturam & vitam & cæteras perfectiones, quæ habentur à supposito.

13 Augustinus 7. de Trinitate cap. 4. prope finem probat, *non esse aliud Deo esse, aliud subsistere,* vnde sequenti cap. 6. fine: *Hoc est,* inquit, *Deo esse, quod subsistere: & ideo si vna essentia Trinitas, vna etiam substantia.* Et cap. 6. initio: *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.* Et post pauca: *Neque in hac Trinitate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus, quàm substantiam Patris.* Et post med. eiusdem cap. 6. *Tres,* inquit, *personas vnam essentiam dicimus: tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud, quod persona, sicut tres statuas ex eodem auro possumus dicere:* similia multa dicit lib. 15. c. 6.

14 Anselmus in monolog. cap. 43. fine, de Patre & Filio sic loquitur: *Quoniam vtrique non aliud est habere essentiam, quàm essentiam esse; sicut habet alter alterius essentiam, ita est alter alterius essentia.* Imo tantum à reali distinctione distare conatur Anselmus, vt etiam distinctionem rationis negare videatur, vt explicabimus disp. 12. sect. 1.

15 Ricardus Vict. lib. 5. de Trinit. cap. 20. probat realem identitatem amoris cum essentia. Rursus amoris identitatem cum personis tradit ab illis verbis: *Nihil aliud est ibi persona ista quàm dilectio summa, hac proprietate distincta,* &c. *Quoniam quælibet persona est idem, quod amor suus:*

SECTIO

SECTIO IV.

Aliæ probationes ex eo, quod tres personæ sunt vnum, infinitæ perfectionis, nihil creatum habentes.

1 *Tres personæ sunt realiter vnum.*

PErsonalitates & relationes realiter identificari cum essentia diuina, & ante opus intellectus non distingui, probatur 4. quia si distinguerentur, consequens esset, tres personas simpliciter & absolutè non esse vnum: contra illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* & 1.Ioan.5. *Hi tres vnum sunt.*

2 Confirmatur primò, quia tantæ vnitati, quantam Scriptura & Patres affirmant de tribus personis, non satisfaceret, qui responderet, personas diuinas esse vnum Deum, quemadmodum forent vnus homo, si tres personæ assumerent vnam humanitatem, à qua nihilominus realiter distinguerentur illæ personæ. Ratio autem euidens est, quia licet vnitas humanitatis assumptæ satis esset, vt tres personæ forent vnus homo (de quo disserendum erit disp. 77. præsertim sect. 2. & 3.) Nihilominus non sufficeret, vt tres personæ forent simpliciter *vnum* in neutro genere, quod significat esse vnum ens; subindeque totam personarum entitatem reuocari ad vnitatem simpliciter. Quam ob causam clarior est significatio summæ vnitatis, quando Pater & Filius dicitur esse vnum, & minus aperta, quando dicitur vnus Deus.

3 Confirmatur secundò testimoniis Patrum, ita intelligentium vnitatem personarum. Hierotheus apud Dionysium de diuinis nomin. cap. 2. prope finem de Deo ita disserit: *Neque vnum est, neque vnius est particeps, nec vnum in se continet, sed procul ab his distat, superatq; vnum, quod & vnum est ijs quæ sunt, & multitudo indiuidua, inexplebilis, plusquam plena & expleta, omneq; vnum ac multitudo, quæ res & in lucem proferunt, & perficiunt, & continent.*

4 Atque in eodem cap. 2. propius ad medium quàm ad principium idem Dionysius: *Totius*, inquit, *proprietatis, quæ omnes superat, vt ita dicam, identitas præstans omnibus: vnitas, quæ vnum principale superat: quod dici non potest.* Et non longè inferius: *Quandoquidem etiam coniunctionem illam essentia superiorem, superare dicimus non solum coniunctiones, quæ in corpore, sed etiam eas, quæ in animis ipsis fiunt, & in mentibus: quas habent sine permixtione ac singulari quadam ratione, diuina caleſtiáque lumina tota in totis.*

5 Nazianzenus oratione 39. in sancta lumina circa med. de Deo & de tribus personis ait: *Distinguitur indistinctim, vt sic loquar, & distinctim connectitur. Vnum enim in tribus diuinitas est, & tria vnum, ea inquam, in quibus diuinitas est, vel, vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est. Excessus autem ac defectus missos faciamus, nec per vnionem confusionem, nec rursus per diuisionem seiunctionem efficientes.*

6 Athanasius lib. 1. de vnita Deitate non longè post princip. docet: vnitatem Deitatis vniter non pluraliter in Trinitate consistere. Et inter med. & fin. eiusdem lib. adducto testimonio 1. Ioan. 5. *ij tres vnum sunt, vides*, inquit, *quia in deitate & substantia plenitudinis per omnia vnum sunt & in nominibus personarum tres sunt.* Quam sententiam sequenti contextu fusiùs explicat.

7 Epiphanius hæresi 57. pag. 2. ait: Ego in Patre, & Pater in me, & duo vnum sumus, hoc est, vna Deitas & vna voluntas. Et tam in dicta hæresi 57. quam hæresi 62. 69. 73. & 76. multoties repetit, *Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse vnam essentiam, vnam Deitatem, siue dignitatem.* Similitérque in Ancorato paulo post medium ait: *Trinitas hæc sancta vocatur, tria existentia, vna Deitas*, &c.

8 Cyrillus Alexand. Dialog. de Trinitate lib. 2. multo propius ad princip. quàm ad med. videlicet col. 5. *Diuinam*, inquit, *si quis agnominaret naturam, integram nobis quasi in vno significato ostenderet statim sanctam Trinitatem, quæ in vna Deitate intelligitur.* Cum igitur integra Trinitas ex tribus personis coalescat, si naturæ diuinæ significato Trinitas ostenditur & intelligitur; consequens est, tres personas ostendi & intelligi significato diuinæ naturæ. Quod si personæ realiter distinguerentur à natura, non ostenderentur in significato naturæ.

9 Damascenus lib. 1. fidei c. 11. propius ad princ. quàm ad medium. *Nam istic*, ait, *commune & vnum re consideratur, propter coæternitatem & identitatem substantiæ & operationis & voluntatis, & consilij conspirationem, & propter potestatis & virtutis & bonitatis identitatem.* Et post pauca: *Secundum omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & processionem. Ratione autem & intelligentia hoc distinctum.* Et paulo post medium, Diuinitatem cum personis comparans, adiungit: *Cum verò ad ea, in quibus est Diuinitas, siue (vt exactius loquar) quæ sunt, Diuinitas*, &c.

10 Ephrem Syrus serm. de pœnitentia propius ad medium quàm ad principium. *Nec enim sola vnitas, neque Trinitas est diuinitas, sed vtrumque simul.* Et in posteriori opusculo de sui ipsius reprehensione propiùs ad med. quàm ad principium: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres quidem personæ sunt, sed vna substantia, & vna diuinitas.* Huiusmodi plurima videbimus disp. 20. & tribus sequentibus, & disp. 39. sect. 2.

11 *Quaternitas sequeretur ex reali distinctione essentiæ à relationibus.*

Probatur quintò, quia si relatio vel proprietas personalis ante considerationem intellectus distingueretur ab essentia diuina (licet non distingueretur vt res à re, sed tantum vt modus à re) sequeretur, in Deo reperiri quaternitatem rerum, ex natura rei ante considerationem intellectus distinctarum. Quaternitatem verò Lateranense Concilium cap. *damnamus.* de summa Trinitate, refutat, ita vt non solum excludat distinctionem rei à re, sed etiam quamlibet distinctionem, à parte rei existentem, independenter à conceptibus intellectus. Nam quælibet talis distinctio repugnat summæ identitati ac simplicitati, quam Concilium ibi definit, dicens: *In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas.* & infra: *id quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus idem omnino.* Et iterum: *Substantia Patris omnino simplex est.* Atque iterum: *eadem res est Pater & Filius & Spiritus sanctus.*

12 Confirmatur primò, quia prædictæ decretalis, & argumenti vim quamuis eludere conetur Durandus dist. 33. quæst. 1. num. 36. ostendens suæ sententiæ discrimen ab errore Ioachimi Abbatis, cuius tractatum Lateranense Concilium damnare voluit eo decreto: nihilominus effugere non potest, quia quæcumque repugnant dogmatibus, redactis in canones Conciliorum, eodem ipso gradu fidei repugnant, licet ea dogmata declarata fuerint ex primaria intentione refutandi alios errores. Quæ regula passim à Theologis non tam verbis, quàm re ipsa, & praxi docetur, dum ex antiquis Conciliorum decretis refutant sententias

tias recens exortas. Quis autem fuerrit error Ioachimi, notabimus sect. 7. quantum satis est instituto præsenti.

13 Confirmatur secundò, quia Gilbertus proprietatem personalem ab essentia nõ distinguebat, vt rem à re, sed quasi modum & formam à re, vt vidimus sect. 1. prope finem. Nihilominus Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium prope medium ita redarguit: *Nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.* Et iterum: *Quaternitas orbem disterminat, non signat Deitatem. Deus Trinitas est, Deus trium singula personarum. si quartam adijcere placet, quæ Deus non est, persuasi mihi minimè adorandam.*

14 Quod autem Bernardus loquatur generaliter contra quamlibet distinctionem realem, etiam modi vel formæ, constat ex toto sequenti contextu, vel refutat euasionem Gilberti, dicentis, Diuinitatem non esse Deum, sed esse formam qua Deus est. Vnde paulo post medium eiusdem libri subiungit: *Si diuidere quis conetur vel personas à substantia, vel proprietates à personis; nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit. Diuidere* autem Bernardus intelligit, negare vnum de alio, & dicere non esse idem & vnum: vt ex toto superiori & inferiori contextu constat.

15 Confirmatur tertiò, quoniam altissima profunditas mysterij ferè tota coæquatur rebus creatis, earúmque regulis & principiis; si personalitates à Deitate distinguuntur ex natura rei & ante opus intellectus, etiam si distinguantur sola distinctione modali. Sequela probatur, nã quantitas lapidis afficitur multiplici modo, qui non vt res à re distinguitur à quantitate: modus enim illius est actualis inhærentia, vbicatio, raritas aut densitas & figura. Propterea tamen non violatur principium illud & lex, creaturis omnibus inuiolabilis: *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Ergo præcisè ex vi huius principij, nec non ex vi formæ syllogisticæ, nihil aut certè parum erit in Trinitate mirabile, superexcedénsque limitationem creaturarum: si tres proprietates personales distinguuntur ex natura rei ante opus intellectus, tanquam modi Deitatis vnius, prout magis declarabitur disp. 15. sect. 2.

16 Hoc videlicet indicauit Bernardus lib. 5. de considerat. ad Eugenium paulo post med. dicens: *Substantia vna est, persona tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc, si personæ seorsum à substantia cogitentur?*

17 Probatur sextò, quoniam in diuinis sine relatiua oppositione non est possibilis distinctio realis, vt probatum est disp. 9. sect. 5. fundamento 3. sed inter relationem vel proprietatem personalem ex vna parte, & essentiam seu diuinitatem ex alia, non est oppositio relatiua. Ergo neque realis distinctio, existens ante opus intellectus.

18 *Processio sequeretur ex distinctione reali.*

Probatur septimò, quia sine reali processione non possunt in Deo multiplicari entitates realiter distinctæ, vt constat ex principiis traditis supra disp. 1. sect. 3. & seq. Vnde si Paternitas realiter distingueretur ab essentia; sequeretur ab illa procedere. Vnde præterea sequeretur dari quartam processionem priorem processione Filij, & quæ non sit per intellectionem nec volitionem,

19 *Infinitudo in genere entis obstat reali distinctioni essentiæ à relationibus.*

quod est contra fidem traditam disp. 2. & 3. sed de hoc plura disp. 52. sect. 5.

Probatur octauò, quia sicut Philosopus 12. metaph. cap. 7. textu 57. ostendit, intellectionem Dei non esse re ipsa distinctam à substantia Dei, ne diuinæ substantiæ deficiat infinitudo in genere entis, si perfectio intellectionis non contineatur in illa; imò sicut omnes Patres citati supra disput. 8. sect. 5. docent, naturam diuinam esse pelagus perfectionis, comprehendens omnem perfectionem possibilem, ideóque cum omnibus perfectionibus identificari; sic etiam conuincitur, in re non posse distingui relationem ab essentia diuina, ne maneat imperfecta res illa; cum qua non identificatur perfectio, quæ est subsistentia, personalitas, & relatio. Nam relationem esse perfectionem, ostendemus disp. 29. & 30.

20 *Ex reali distinctione ab essentia sequeretur, relationes esse creatas.*

Probatur nonò, quia si relatio vel proprietas personalis in re non est idem, quod Diuinitas; sequitur, relationem seu proprietatem personalem non esse increatam, sed creatam, siue factam: & consequenter non poterit constituere personam diuinam, nec in Deo necessariò erit, sed per liberam Dei voluntatem poterit esse & non esse. Sequela probatur, quia Deus & creatura immediatam oppositionem habent; ideóque quidquid non est Deus, est creatura; vt apertè sumitur ex Augustino lib. de Trinit. cap. 6. sub init.

21 Confirmatur primò, quia si relatio seu personalitas esset à seipsa, absque vllo sui principio, esset eo ipso Diuinitas: cuius proprium est à seipsa sine vllo sui principio esse. Vnde forent quatuor diuinitates, videlicet, essentia, & tres personalitates. Si verò relatio seu personalitas non est à seipsa, sed ab essentia diuina; sequitur esse productam ex nihilo, si realiter ab illa distinguitur; quia non est producta ex ipsamet essentia; quemadmodum suo loco dicemus, Filium & Spiritum sanctum esse productos ex substantia sui principij, quia communicat illis suam substantiam, cum illis realiter identificatam.

22 Confirmatur secundò, quoniam ad veram efficientiam seu resultantiam, quæ reducitur ad efficientiam, sufficit distinctio modalis. Constat enim veram efficientiam esse, per quam corpus localiter mouetur, cum tamen per eam non adquiratur nisi modus, videlicet, vbi successiuum in motu, & permanens in termino motus. Vnde si personalitas est modus, & non est realiter idem cum Diuinitate, sed ab illa productus, siue per veram efficientiam, siue per resultantiam; efficietur ex nihilo.

23 Tertiò, quia si personalitas seu relatio esset perfectior quàm essentia, sola personalitas esset Diuinitas; si foret æquè perfecta, foret altera diuinitas; si foret imperfectior, esset creatura. Quod argumentum vrget Bernard. dicto ser. 80. in cantica col. vlt. §. *recedant.* Confirmatur quartò, quia sequitur, relationem diuinam realiter non esse substantiam diuinam, ideo erit imperfecta & indigna, quæ diuinæ substantiæ copuletur.

SECTIO V.

Simplicitas, compositioni repugnans, probat relationem ab essentia non distingui, nisi per conceptus.

1 *Probatio decima.*

INsistimus in eadem veritate probanda, sitque in ordine probatio decima; quia si relationes prædictæ distinguuntur ab essentia ex natura rei, & ante considerationem intellectus; consequens est, simplicitatem Dei non esse summam, imo simpliciter & absolutè non esse simplicem Deum, sed compositum ex rebus distinctis à parte rei. Consequens autem esse contra fidem, constat ex

cap.

cap. *firmiter*, nuper allegato, & fuſius Dei ſimplicitas traditur 1. p. quæſt. 3. in præſenti verò notandum eſt, quamlibet perſonam diuinam eſſe ſummè ſimplicem, quia ſumma ſimplicitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.

2 *Euaſio prima.* Reſpondet primò Durandus diſt. 33. quæſt. 1. num. 37. ad compoſitionem requiri pluralitatem rerum, quæ diſtinguantur ab inuicem, vt res à re: nullam verè compoſitionem fieri rei cum ſuo modo eſſendi, ideóque non tolli ſimplicitatem. Quod probat, quia Paternitas, Filiatio & Proceſſio realiter differunt; & tamen in toto Deo nulla eſt compoſitio ex tribus illis relationibus, ſed ſumma ſimplicitas: ergo non omnis realis differentia ſemper facit compoſitionem.

3 *Refutatur primò.* Sed hæc ſolutio multis implicatur falſis, & inuicem repugnantibus. Imprimis enim Pater æternus à Filio non diſtinguitur, vt res à modo, quia nec Pater Filium modificat, nec Filius Patrem: ſed diſtinguuntur vt res à re, & tanquam duo ſuppoſita ſubſiſtentia & realiter diſtincta. Nihilominus eorum diſtinctio non ſufficit ad compoſitionem, vt fatetur ipſe Durandus. Ergo ad faciendam, vel non faciendam compoſitionem nihil intereſt, quod diſtinguantur vt res à re, vel vt res à modo.

4 Confirmatur, quoniam ex doctrina prædictæ ſolutionis ſequeretur, quod Deus non eſſet compoſitus, quamuis eſſentia & relatio diſtinguerentur realiter, ſicut duæ res, & non ſicut res & modus; quemadmodum Pater & Filius diſtinguuntur, & tamen compoſitionem non efficiunt.

5 *Refutatur ſecundò.* Refutatur ſecundò, nam vera ratio, propter quam non ſufficit ad compoſitionem, realis diſtinctio diuinarum perſonarum, hæc eſt, quia rediguntur ad vnicam entitatem, quatenus realiter identificantur cum eſſentia vnica & ſingulari. De qua ſapienter Bernard. dicto ſerm. 80. in cantica propiùs ad medium quàm ad princip. *Quod habet eſt, & quod eſt, ſemper & vno modo eſt. In ea, & multa in vnum, & diuerſa in idem rediguntur.*

6 Et lib. 5. de conſideratione ad Eugenium circa med. vrget argumentum præſens de ſimplicitate diuina, deinde contra ſimplicitatem opponit Trinitatem perſonarum, & reſpondet cum Boëtio: *Hoc verè vnum, in quo nullus eſt numerus, nullum in eo aliud præter id quod eſt.* Et paulo inferius: *Perſonarum proprietates non aliud, quàm perſonas, ipſaſq; non aliud, quàm vnum Deum, vnam diuinam naturam, fides catholica confitetur.*

7 Confirmatur, quia ſi perſonalitas, ſeu relatio non eſſet realiter & omnino idem cum eſſentia diuina; compoſitionem efficeret cum oppoſita ſibi relatione ſeu perſonalitate, ſi coniungeretur cum illa, quamuis mediante eſſentia coniungeretur. Nã quod modali diſtinctione diſtinguatur ab eſſentia, quæ mediat, non obſtaret compoſitioni: ſicut compoſitio eſt inter materiam & formam, vnione mediante, quæ modali tantùm diſtinctione diſtinguitur à materia & forma.

8 *Modalis diſtinctio ſufficit compoſitioni.* Refutatur tertiò, quia diſtinctio modalis ſufficit ad veram & realem compoſitionem. Hæc enim conſtituitur vnione diſtinctarum entitatum. Quapropter licet diſtinguantur vt res & modus; ſi tamen ante opus intellectus diſtinguantur, efficiunt compoſitionem ante opus intellectus: quoniam ante opus intellectus entitas vna coniungitur alteri. Confirmatur, quoniam figura & *vbi* realem compoſitionem efficiunt cum quantitate, & tamen illam modificant. Et ſubſiſtentia creata, ſi realiter à natura diſtinguitur, modaliter tantùm diſtinguitur; & tamen cum illa compoſitionem efficit.

9 *Habens & quod habetur, idem in Deo.* Quartò, quia Patres, paulo inferius citandi, & citati diſput. 8. ſect. 7. & 8. quando comparant Dei ſubſtantiam ſiue cum attributis, ſiue cum relationibus aut perſonalitatibus: ad ſummam Dei ſimplicitatem pertinere dicunt, vt habens, & id quod habetur, ſit realiter vnum & idem. At verò res eſt habens modum; qui modus ſi non eſt realiter idem, quod res ipſa: non eſt idem habens & id, quod habetur, ac proinde non ſeruatur ſumma ſimplicitas, quam Patres tradiderunt. Eadem autem erit huius argumenti vis, ſiue dicas, Dei ſubſtantiam eſſe rem, quæ habet modum, relationem autem ſiue perſonalitatem eſſe modum, qui habetur: ſiue fingas è contrario, ſubſiſtentiam ſiue perſonalitatem, relatiuam eſſe rem, quæ habet modum; at verò ſubſtantiam ſiue naturam diuinam eſſe modum illius.

10 *Non participat Deus ab alia re.* Refutatur quintò, nam iidem Patres notant, ad ſummam Dei ſimplicitatem pertinere, quod Deus non participet vllam perfectionem ab aliqua entitate, realiter diſtincta; ſed à ſeipſo: & inde inferunt, Deum eſſe ſuam ſapientiam, ſuámque volitionem, & conſequenter eſſe ſuam perſonalitatem aut relationem. Quod ſi relatio vel perſonalitas eſſet modus, re ipſa diſtinctus à ſubſtantia Dei; iam per illum, vt per formam, acciperet eſſe relatiuum perſonalitatis & ſubſiſtentiæ; quapropter Dei ſubſtantia à ſeipſa non haberet eam perfectionem. Idem probant refutationes ſequentis ſolutionis.

11 *Euaſio ſecunda.* Secunda ſolutio reſpondet, perſonam non eſſe compoſitam, licet conſtet natura & relatione, diſtinctis à parte rei; quia iſtæ duæ res non comparantur vt actus & potentia, quod ad compoſitionem neceſſarium eſt. Sed refutatur primò, quia præſcindendo nunc à quidditate actus & potentiæ, ſi admittitur vnio ſiue coniunctio duarum entitatum, ex natura rei diſtinctarum; eo ipſo admittitur compoſitio. Quia euidens eſt illud vnum, quod reſultat ex duabus entitatibus coniunctis, non eſſe ſimplex, vel certè non in ſumma perfectione ſimplicitatis; ſiquidem altera illarum entitatum ſimplicior eſt, quàm coniunctum ex vtraque. *Refutatur.*

12 *Non coalescunt in vnũ, niſi actus & potentia.* Refutatur ſecundò ratione D. Thom. 1. contra gentes cap. 18. Nam duæ entitates non poſſunt coaleſcere in vnam rem, quæ ſimpliciter ſit vna; niſi altera entitas ſe habeat vt actus, altera verò vt potentia. Si enim vtraque ſit actus, non efficient vnum ſimpliciter & per ſe vnum, ſed vnum per accidens, conſtans ex rebus quaſi congregatis & coaceruatis. Quapropter ſi relatio eſt entitas, ante opus intellectus à Deitate diſtincta; ſequitur; aut Deitatem aut relationem ſe habere vt potentiam, vel potius ſequitur, Deitatem & relationem ſibi mutuo ſimul eſſe potentiam & actum. Eſt autem imperfectum quidquid vnitur alteri tanquam potentia actui, licet viciſſim habeat etiam adiunctam rationem actus, vt cernitur in partibus integrantibus continui.

13 Refutatur tertiò, quoniam illa entitas realis, quæ ante opus intellectus diſtinguitur à Deitate, erit eſſentialiter incompleta; quia neceſſariò ſupponit aliam Deitatem, quam vt modus afficiat: Deitáſque ſimiliter erit incompleta; quoniam indiget alia entitate diſtincta, per quam terminetur, ſubſiſtat & fœcunda reddatur.

14 *Euaſio tertia refutatur.* Eiſdem rationibus refutata manet ſolutio quorundam recentiorum, dicentium, niſi entitates ſint

ſint ab inuicem ſeparabiles, ſaltem de potentia abſoluta; neque realiter diſtingui, nec venire in compoſitionem. Sed hæc doctrina non eſt digna peculiaribus impugnationibus. Nam quod attinet ad realem diſtinctionem, ea ſine dubio reperitur inter Parrem, Filium & Spiritum ſanctum; quos tamen ab inuicem ſeparari, ſumma impoſſibilitas eſt. Deinde, quod attinet ad ſeparabilitatem, ea non requiritur vt vna entitas in vnum per ſe coaleſcat cum alia, & comparatione illius ſe habeat vt actus & potentia, quod ſatis eſſe ad compoſitionem, nuper oſtendimus.

15 *Ex ſimplicitate Dei colligunt Patres realem identitatem.* Redeo nunc ad primariam probationem corroborandã authoritate Conciliorum & Patrum, quorum aliquos, ex Dei ſimplicitate colligentes identitatem naturæ cum proprietate perſonali, retulimus ſectio. 3. & 4. præſertim Lateranenſe Concilium cap. *Firmiter.* Nunc verò Nyſſenus oratione catech. cap. 1. explicata ſimplicitate Dei, colligit; *Omnino neceſſe eſſe, cum conſtet de ſimplicitate, ipſam per ſe vitam Verbum eſſe putare, non autem vitæ participationem.* Ponderandum eſt, Verbum eſſe perſonam Filij, quapropter hæc perſona eſt ipſa per ſe vita, & non participat vitam ab entitate realiter diſtincta. Quibus conſonant alia teſtimonia eiuſdem Nyſſeni poſita ſupra diſp. 8. ſect. 7. prope med.

16 Athanaſius in Apologetico pro Synodo Nicæna: *Si Deus eſt*, inquit, *aliquid ſimplex, vt quidem eſt, cum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil tanquam circa eum, ſed ipſam ſubſtantiam eius intelligimus.* Hoc refert & ſequitur Cypariſſiotus decade 4. cap. 8. Chryſoſtomus ad illud Ioann. 1. *Et vita erat lux hominum.* homil. 4. notat, Deum non eſſe compoſitum, licet alibi dicatur, *vitam habere, & in ipſo vitam eſſe.* Proprius enim & exactius dicit Chriſtus Dominus: *Ego ſum vita, ego ſum lux.* Ioan. 14.

16 Cyrillus Alexand. frequenter ex diuina ſimplicitate colligit, quod nihil aliud à Deo, nec diuerſum in eo ſit, ſed omnia, quæ ſunt in Deo, ſint ipſe Deus. Quemadmodum lib. 3. theſauri cap. 4. prope finem, & lib. 6. cap. 3. prope finem, & lib. 11. cap. vnic. prope fin. & libr. 14. cap. 3. fine. Peculiariter autem lib. 1. in Ioann. toto cap. 8. & cap. 9. colum. 2. docet: *Quod ſubſtantia Filij lux eſt.* Et iterum: *Lux vera, quæ illuminat non illuminata, ea vnigenitus eſt Dei Filius,* quia natura ſimplex eſt. & col. 3. dicit: *Filium eſſe naturaliter vitam, & ſubſtantialiter lucem.* Simplicitatem igitur & identitatem affirmat Cyrillus etiam inter perſonam Filij, & rationem vitæ, quæ eſt eſſentialis.

17 Similitérque diſſerit de perſona Patris dicto lib. 3. theſauri cap. 4. & 1. theſauri cap. 8. prope fin. *Non eſt*, inquit, *aliud natura Dei, aliud ipſe Deus: ſimplex enim atque incompoſitus eſt.* Obſerua concretum, *Deus*, accipi pro ſuppoſito habente naturam, & hoc non eſſe aliud à natura, Cyrillus colligit ex ſimplicitate.

18 Iuſtinus quæſt. 144. ad ortodoxos: *Dei ſimplicitas*, inquit, *tota eſt Filius, & tota eſt habens Filium, & tota eſt conſilium, & tota eſt habens conſilium.* Obſerua quod habens Filium, propriè eſt ipſe Pater. Quapropter tota ſimplicitas Dei realiter eſt idem, quod eſt Pater, & quod eſt Filius, & quod ſunt omnes perfectiones attributorum, quarum vna eſt conſilium. Rationem verò reddit Iuſtinus, quoniam quidditatiuè à ſe ipſo, non per participationem ab alio, nec per compoſitionem has perfectiones Dei ſimplicitas continet.

19 Irenæus lib. 2. cap. 48. initio. Quod Pater eſt mens & cogitatio, Verbúmque ſimiliter eſt mens & cogitatio, probat, quoniam ex oppoſito ſequeretur compoſitio. Quapropter etiam inter perſonas & attributa eſſentialia requirit identitatem, ne ſubintret compoſitio.

20 Damaſcenus 1. fidei cap. 12. in princip. *Deus ſimplex eſt, & incompoſitus: quod autem ex multis & differentibus coaleſcit, compoſitum eſt.* & in princip. ſequent. cap. 13. *Illa igitur omnia communiter in tota diuinitate ſunt ſuſcipienda, & (vt ita dicam) identiter & ſimpliciter & indiuiduè & vnialiter.* Notandum eſt iuxta phraſim Dionyſij cap. 2. de diuinis nominibus: diſtributionem illam totius diuinitatis referri ad tres perſonas, tam collectiuè, quàm diuiſiuè ſumptas. Conſequens igitur, eſt *identiter, indiuiduè & vnialiter*, perſonis omnibus, & ſingulis conuenire omnia attributa diuinitatis, de quibus illi loquebatur Damaſcenus. Ex Hilario de ſimplicitate Dei quæ repugnat diſtinctioni nonnulla retulimus ſectio. 3. prope finem.

21 Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 1. & lib. 11. de ciuitate cap. 10. prope med. & prope fin. vtitur ratione ſimplicitatis diuinæ, vt probet, Deo vel Patri ſapere idem eſſe, quod eſt eſſe. Itaque non ſolum ad Deum vt ſic, ſed etiam ad perſonam Patris refert ſimplicitatem, & identitatem cum ſapientia. Vnde prædicto lib. 7. cap. 1. fine, & cap. 2. in princip. *Quia in illa*, inquit, *ſimplicitate non eſt aliud ſapere quam eſſe; eadem ibi ſapientia eſt, quæ eſſentia.* Pater igitur & Filius ſimul vna eſſentia & vna magnitudo, & vna veritas, & vna ſapientia. Perpende identitatem eſſentialium perfectionum non modò cum Deo vt ſic, ſed etiam cum perſona Patris & Filij. Vnde in eodem lib. 7. de Trinitate cap. 3. prope finem colligit Spiritum ſanctum *eſſe lumen vnum, & ſapientiam vnam* cum Patre & Filio. Plura de ſimplicitate Dei ex eodem Auguſtino, necnon ex Boëtio lib. de Trinitate & vnitate, & ſequentibus duobus libellis retulimus diſput. 8. ſect. 8.

22 Eodem modo de ſimplicitate diuina ratiocinantur Gregorius lib. 16. moralium cap. 20. & lib. 18. cap. 27. & Iſidorus lib. 7. etymologiarum cap. 1. poſt medium, & lib. 1. ſententiarum cap. 1. poſt med. In eo ſemper inſiſtentes, quod non ſit aliud Deus, & aliud quod eſt in Deo, ſiue quod habet Deus; vt vidimus dicta diſput. 8. ſect. 8. vbi ponderauimus plura ex Anſelmo in monologio c. 14. & cap. 16. Peculiariter identitatem perſonæ Spiritus ſancti cum eſſentia & attributis notat in eodem monologio cap. 56. dicens: *Spiritus ſanctus eſt eſſentia & ſapientia vel virtus Patris & Filij, quia habet omnino eandem quam illi.*

23 Ex Bernardo nihil opus eſt fragmenta tranſcribere, quoniam magna pars ſermonis 80. in Cantica poſt medium, & lib. 5. de conſideratione circa med. impenditur ad ponderandas vires argumenti quod ex Dei ſimplicitate ſumitur, vt omnia, quæ ſunt in Deo, ſint ipſe Deus per omnimodam identitatem realem.

24 Eandem ſententiam de ſimplicitate tradit Ricardus Victorinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. 17. 23. & 24. & lib. 2. cap. 17. & cap. 18. ad finem concludit: *Verè & ſummè vnum eſt quidquid in ſumma ſubſtantia eſt, imo quidquid ſumma ſubſtantia eſt.*

25 *Euaſio prima reijcitur.* Reſpondere conatur Durandus 1. diſtinct. 33. quæſt. 1. prope fin. dicens primò, conſimiles authoritates intelligi de abſolutis, non de relationibus & perſonalitatibus. Cæterum hanc expo-

sitionem esse contrariam verbis & menti Sanctorum, satis constat ex his, quæ ponderauimus circa singula testimonia præcedentia, neque oppositum insinuat Augustinus 11. de Trinitate. nec lib. 15. præsertim cum Augustinus mentem suam satis expresserit locis nuper adductis & sect. 3. prope fin.

27 *Enasio secunda reijcitur.* Secundò respondet, si prædictæ authoritates intelliguntur de relationibus; exponendas esse, vt relatio & essentia non sint idem adæquatè, & conuertibiliter; aut si sunt idem identicè, non tamen sunt idem formaliter. Nihilominus non satisfacit, quia si distinctio formalis & inadæquata est ante opus intellectus & realis: repugnat omnino simplicitati & identitati, quam Patres supra citati testantur expresse. Denique de simplicitate redibit iterum sermo disput. 13. sect. 2. probatione 6. & disput. 38.

SECTIO VI.

Mutua prædicatio concretorum de abstractis, & abstractorum de concretis & abstractis, est vltima probatio præsentis dogmatis.

1 *Abstractorum prædicatio requirit identitatem realem.* SVpponendum est ex Logica, non esse veras propositiones, in quibus abstracta prædicantur de concretis, vel de aliis abstractis, vel concreta prædicantur de abstractis; quando nominum significata distinguuntur ante operationem intellectus, etiam si distinguantur tantum vt res & modus. Quod primum inductione probatur, quia quantitas non est figura neque raritas; corpus non est vbicatio nec duratio, calor aut frigus non est inhærentia: Petrus denique non est humanitas, licet sit homo, quia suppositum Petri addit humanitati modum in re distinctum.

2 Ratio autem à priori est, quia pars non prædicatur de toto, neque id, quod se habet ad modum partis, videlicet, entitatis coniunctæ cum alia realiter distincta. Imo ad veritatem eiusmodi propositionum non sufficit realis identitas, sed requiritur præterea essentialis inclusio vnius extremi in altero, vt dicemus disput. 13. sect. 1.

3 *Solutio Durandi.* Respondet Durandus distinct. 33. q. 1. num. 34. illa quæ prædicantur de se inuicem in abstracto, sunt penitus idem realiter; si prædicantur de se inuicem & de aliis adæquatè conuertibiliter: si autem non est sic, sed de aliquo reali prædicatur vnum, de quo non prædicatur aliud; tunc vnum eorum differt ab altero realiter hoc modo, scilicet, quod non sunt idem adæquatè & conuertibiliter.

4 *Non satisfacit.* Hæc tamen solutio non satisfacit, nam inadæquatio & inconuertibilitas, quæ reperitur in diuinis, prouenit ex singulari mysterio Trinitatis, in quo tres personæ realiter distinctæ sunt vnus Deus, & vna substantia. Idcirco, quemadmodum Deus in concreto prædicatur inadæquatè de Patre, siquidem prædicatur etiam de Filio & Spiritu sancto: nihilominus hæc inadæquatio non infert, Deum in concreto realiter esse distinctum à Patre, neque à Filio, (alioqui forent quatuor Dij, realiter distincti) sic etiam inadæquatio non efficiet, vt diuinitas realiter distinguatur à Deo, neque à Patre, neque à Filio: sed prædicationes abstractorum seruabunt leges & significationes, quas Logica dictat in abstractis creaturarum, in quibus non reperiuntur prædictæ inadæquationes & inconuertibilitates.

5 *Solutio Scoti.* Aliter respondent Scotus, & Nominales citati sect. 2. prædicationes abstractorum inter relationes & essentiam esse veras identicè, non tamen formaliter; quia formaliter vnum extremum differt ab alio ex natura rei.

6 *Contradictionē inuoluit.* Sed hæc solutio contradictionem inuoluit. Aliunde quippe concedit realem identitatē, quam probare intendimus, adiungens formalem distinctionem, quam nos etiam fatemur, si non existat ante opus intellectus. Cæterum identitati reali repugnat illa distinctio formalis, quæ sit ante opus intellectus. Hæc enim eo ipso distinctio realis erit; etenim est ens reale quidquid existit ante opus intellectus. Et quemadmodum inueniri non potest medium ens inter ens reale & ens rationis, ita non potest inueniri distinctio media inter distinctionem realem & rationis. Confirmatur, quia impossibile est medium inter has contradictorias: *Hæc distinctio existit actu & formaliter ante opus intellectus. Hæc distinctio non existit actu & formaliter ante opus intellectus.* Ergo impossibilis est distinctio media, quæ nō sit realis nec rationis tantum. Sed de hoc plura diximus in anteprædicamentis.

7 Refutatur secundò, quoniā huiusmodi prædicationes esse magis proprias, quàm prædicationes concretorum de concretis, & ideo nulla indigere expositione; contra Gilbertum probat Bernardus infra citandus, imo etiam Damasc. 1. de fide c. 11.

8 *Instauratur probatio suppositi.* His igitur non obstantibus, firma consistit huiusmodi probatio. In sacra Scriptura, Conciliis & Patribus, abstracta essentiæ diuinæ prædicantur de personis in concreto, & relatio seu personalitas in abstracto prædicatur non solum de diuinitate, siue essentia in abstracto, sed etiam de Deo in concreto: ergo in vnoquoque prædictorum extremorum nihil includitur, quod realiter distinguatur ab altero extremo, neque vt res à re, neque vt modus à re. Consequentia constat ex præcedenti fundamento. Antecedens autē probatur Ioan. 14. vbi Filius *Ego sum*, inquit, *veritas & vita*. Quæ abstracta Deitatis & essentiæ sunt, & tamen prædicantur de persona Verbi, quam designat pronomen, *Ego*. Vbi licet plerique Patrem explicent Christum Dominum esse authorem cognitionis & gratiæ, quæ nobis est æterna vita: propterea tamen nō excluditur primarius sensus, vnde prouenit ille secundarius. Etenim ex eo, quod persona Christi Domini sit realiter & substantialiter veritas & vita, prouenit esse authorem veritatis & vitæ communicandæ Angelis & hominibus.

9 *Patres, qui prædicāt abstracta de abstractis aut de concretis.* Confirmatur, nam illud Ioan. 1. *in ipso vita erat*, Patres nonnulli in præcedenti sect. citati declarant, ita vt Verbum sit ipsa vita. Lateranense Concilium cap. *Damnamus*, de summa Trinitate asserit: *Qualibet trium personarum est illa res, videlicet, substantia, essentia, seu natura diuina*. Præterea Eugenius III. decreuit, *Deum esse diuinam essentiam*, vt vidimus sect. 3. probat. 2. in cuius confirmatione Rhemense Concilium decernit relationes diuinas esse Deum. Nicænum Concilium lib. 2. colum. 8. §. *Sancta & magna*, sic loquitur per Osium: *Diuinitas non est vna persona, sed tres personæ verè subsistentes*.

10 Iacobus Apostolus apud Clementem lib. 8. Apostolicarum constitut. cap. 12. prope initium: Deum Patrem ingenitum sic alloquitur: *Tu es cognitio sine principio, aspectus æternus, auditus non generatus, sapientia non tradita à doctore, & lex eo ipso, quod es*. Deinde Filium Vnigenitum appellat *Sapientiam*. Dionysius de diuinis nominib. cap. 2. à princip. de Patre, Filio & Spiritu sancto collectiuè sumptis,

sumptis, & de singulis personis prædicat essentiam, sapientiam, bonitatem, & potentiam in abstracto. Similitérque loquitur cap. 4. 5. 6. & 7. notátque rationem esse, quia Deus à seipso prædictas perfectiones habet, non ab alio participatas, neque ab habente distinctas.

11 Cyrillus & Synodus Alexandriæ in epistola ad Nestorium, quæ habetur tom. 1. actorum Concilij Ephesini cap. 14. col. 8. ait: *Ipse quoque Spiritus sanctus potentia & sapientia est*. Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de Theologia in fine. *Patrem*, inquit, *& Filium & Spiritum sanctum adorent vnam Diuinitatem ac potentiam*. & oratione 13. quæ est 2. de pace paulo propiùs ad med. quàm ad fin. num. 24. Trinitatem dicit esse *vitas & vitam, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam, veram & veritatem, ac Spiritum veritatis, Sancta & sanctitatem ipsam*. Trinitas autem est tres personæ collectiuè sumptæ. & de illis Nazianz. prædicat essentiales perfectiones tam in abstracto quàm in concreto. Idem orat. 39. in sancta lumina prope med. *Vnum*, inquit, *in tribus diuinitas est, & tria vnum, ea inquam, in quibus diuinitas est, vel vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est*.

12 Athanasius dialogo 1. de Trinit. contra Anomæum inter med. & finem. *Immortalitas*, inquit, *est hypostasis Patris, immortalitas est hypostasis Filij, nec tamen sunt duæ immortalitates*. Et paulo inferius: *Hypostasis est incorruptibilitas, iustitia, sanctificatio, & dominatio*. Subdit autem: *Hæc omnia vt in Patris, ita & in Filij hypostasi considerari*. Quod idem, propter rationis paritatem, de hypostasi Spiritus sancti negare non posset Athanas. Qui similiter in compendio de Spiritu sancto versus med. ait: *Filius quia ipsa essentia est, super omnia Deus est, non aliter, quàm Pater*. & dialogo 2. de sancta Trinitate contra Anomæum prope fin. ait: *Pater, Filius & Spiritus sanctus ingenita sunt essentia*.

13 Chrysostomus Rom. 8. homil. 13. prope morale dicit: *Vbicumque Spiritus vna Triadis substantia, adfuerit, adest & ipsa Trias: à se enim ipsa diuelli non potest*. & in Psal. 44. *Eructauit cor meum*, &c. col. 4. ait: *Spiritus sua natura est Dei substantia*.

14 Basilius homil. 15. de fide prope med. ait: *Pater, Filius & Spiritus sanctus increata natura, dominica maiestas, naturalis bonitas*. Rursus lib. vnico de Spiritu sancto cap. 19. sub initium de Spiritu sancto notat appellari *Spiritum rectum, eo quod per se sit ipsa virtus & ipsa iustitia*. Denique naturam diuinam singulásque personas esse simplices, & compositionis immunes, docet non solùm eodem lib. vnico de Spiritu sancto cap. 8. & cap. 18. sed etiam lib. 1. contra Eunom. multo propiùs ad fin. quàm ad med. & sequenti lib. 2. propiùs ad finem quàm ad med.

15 Damascenus lib. 1. de fide cap. 18. prope med. *Voluntas*, inquit, *& Sapientia & virtus Patris est Filius*. & cap. 11. circa med. de personis diuinis ait: *Cum verò ad ea, in quibus est diuinitas (sine vt exactius loquar) quæ sunt ipsa diuinitas*, &c.

16 Hilarius lib. 9. de Trinitate inter med. & finem: *Natiuitas*, inquit, *non est extra innascibilitatis naturam: quia non sumpsit aliunde, quod subsistit. Nam, etsi non consecuta sit, vt connascibilis effecta sit: accepit tamen ex innascibili Deo esse, quod Deus est*. Nota relationis personalis aut originis abstractum esse natiuitatem. Nihilominus Hilario teste, natiuitas est quod Deus est. Rursus quinque columnis ante finem eiusdem lib. *Natura vnigenita Patrem in se habet, & manet in Patre, dum Deus est*. Natura *vnigenita est quidditas personalis vnigeniti*, & hæc

Deus est, quod valet non minus, quam si dixisset Hilarius: Relatio filiationis est Deus. & in lib. 6. in med. ait: *Natiuitas proprietas est, veritas est*, vt refert Magister 1. distinct. 33. cap. 3.

17 Augustinus serm. 38. de tempor. col. 3. *Trinitas*, inquit, *vnus est Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens; ipse sibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quidquid ad se substantialiter dicitur*. Trinitas complectitur omnes relationes personales, eásque significat in abstracto. Nihilominus authore Augustino, de Trinitate prædicantur omnia abstracta essentialia, non solum in præsenti loco, sed etiam 6. de Trinitate cap. 4. & 7. vbi ex summa simplicitate deducit, Deum esse sapientiam, bonitatem, magnitudinem, &c. Concedit igitur, habens Deitatem & Sapientiam, esse realiter idem cum perfectionibus essentialibus.

18 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. multo propiùs ad fin. quàm ad med. *Deus*, inquit, *est veritas, Pater est verus & veritas*. Et rursus: *permansit æqualis vero Deo Patri, de quo natus est verus & veritas*. Et post pauca: *Euangelista plenum eum gratia & veritatis prædicat: quia in diuina natura, in qua Deus veritas est, plenus est*. Et cap. 3. in principio: *Principaliter*, inquit, *tene, omnem naturam, quæ non est Trinitas Deus, creatam ex nihilo ab ipsa sancta Trinitate*: sed iuxta doctrinam Gilberti & aliorum, quos impugnamus, propriè & absolutè loquendo, natura diuina non est Trinitas Deus. Ergo natura diuina erit creata à Trinitate: quo nihil excogitari potest absurdius. Addit postremò Fulgentius multo propius ad princip. quàm ad med. eiusdem cap. 3. *Deus naturaliter vita est*.

19 Prosper aduersus Collatorem cap. 27. sub init. *Virtus*, inquit, *principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem. Huius cum participes sumus, habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus, & Dei sapientia*.

20 Bernardus serm. 80. in Cantica prope finem refert expositionem Gilberti, qui propositiones, nuper ex Fulgentio relatas, ita exponebat, *Pater est veritas, id est, Pater est verus*. Idémque de similibus propositionibus. Notat autem hanc expositionem suspectam & peruersam fuisse visam Eugenio III. cæterisque Episcopis Concilij Rhemensis; & tanquam certum dogma Catholicorum docet: hanc propositionem esse veram & propriam: *Pater est veritas, Filius est veritas*, Quinimo minus propriam esse propositionem aliam; *Pater est verus, Filius est verus*. Confirmat autem testimonio Fulgentij dicentis: *vna veritas vnius Dei, imo vna veritas vnus Deus*.

21 Boëtius lib. *An Pater, Filius & Spiritus sanctus de diuinitate substantialiter prædicentur*. prope med. ait: *Pater veritas est, Filius veritas est, Spiritus sanctus veritas est, non tres veritates, sed vna veritas. Si igitur vna in his substantia vna veritas, necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de incommutabilitate, de iustitia, ac de cæteris omnibus, quæ tam de singulis, quàm de omnibus singulariter prædicamus*. Alias eiusdem prædicationes attributorum in abstracto reperies ad finem eiusdem libri.

22 Ricardus Victorinus libr. 2. de Trinit. cap. 16. probat, quod *Deus ipse sibi sua summa bonitas, sua summa fœlicitas est*. & lib. 3. cap. 21. & 22. post mutuas abstractorum prædicationes, concludit: *Non solum itaque idem ipsum est totum, quod est qualibet persona, verum etiam idem ipsum est quæuis vna, quod qualibet alia*. Denique in festo sanctissimæ Trini-

tatis ad maturinum canit Ecclesia; *Veritas Pater est, veritas Filius.* Et iterum: *Charitas Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus sanctus.* De prædicationibus huiusmodi fusiùs quàm alij tractat Henricus in summa p.2.art.75.quæst.2.

SECTIO VII.

Censura sententiarum, quæ repugnant identitati relationis cum essentia.

1 *Error est distinguere vt rem à re relationem ab essentia.*

DIco primò. Manifestus error erit concedere, relationes seu proprietates personales à Deitate, vel ab essentia distingui tanquam res à re. Quoniam decreta Pontificum, Conciliorum & Patrum, cæteræque probationes, positæ quatuor sectionibus præcedentibus, directè manifestéque pugnant cum huiusmodi distinctione, quippe quæ summa distinctio est, quæ potuit ab illis impugnari.

2 Potissimum vrget Lateranense Concilium cap. *damnamus*, de summa Trinitate, sub init. vbi damnauit tractatum Abbatis Ioachimi, quia, *Quamuis concedat, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaq; natura: verùm vnitatem huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariā esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Ecclesia.* Ille igitur non distinguebat vnicam Deitatem realiter à personis, sed triplicem Deitatem realiter distinctam in triplici persona multiplicabat. Vnde necessariò sequebatur, personam vnam realiter distingui à Deitate personæ alterius, & à Deitate totius Trinitatis collectiuè sumptæ. Propterea Ioachimi error erat magis absurdus, quàm error Gilberti, relatus in sect.1.

3 *Non possunt negari de se inuicē relatio & essentia.*

Dico secundò. Error est ita distinguere relationes aut personalitates à natura, vt propterea negari possint de se inuicem; veluti dicendo: Relatio, vel paternitas non est Deitas: vel, Filiatio non est natura diuina; vel, Deitas non est Deus: vt retulimus sect.1. Cuius erroris damnatio peculiariter constat ex Eugenio Papa & Rhemensi Concilio supra sect.3.probat.2.

4 *Periculū maius in sententia Durandi.*

Dico tertiò. Sententia Durandi periculosior est quàm sententia Scoti. Quoniam disertis verbis concedit realem distinctionem relationum à Deitate seu natura diuina; quam distinctionem Scotus saltem verbis negat, licet re ipsa concedat: vt vidimus sect. 2. Cæterum, quia Durandus expresè limitat, vt hæc distinctio sit minima, nimirum velut distinctio inter rem & modum, & minimè concedit propositiones illas negatiuas, quas nuper ex Gilberto retulimus: ideo Durandi sententia minùs apertam repugnantiam cum fide continet, quàm error Gilberti.

5 *Temeraria sententia Scoti.*

Dico quartò. Iam hoc tempore temeraria est & parum tuta sententia Scoti. Ita censuit Molina hic quæst.28.artic.2. disput.5. Imo Vazquez tota disput.120. contendit, Gilbertum non asseruisse maiorem distinctionem, quàm Scotus. Sed licet ille maiorem distinctionem asseruerit; nihilominus decreta, testimonia, & rationes adductæ, quatuor sectionibus præcedentibus, apertè refutant omnem distinctionem ante opus intellectus, relicta sola distinctione rationis. Peculiariter notanda sunt, quæ sect. 6. sub init. diximus ad refutandam solutionem Scoti.

DISPVTATIO XII.

Vtrum ratione ratiocinata relationes distinguantur à Deitate.

SECTIO I.

Errores negantium distinctionem, & testimonia Patrum, quæ fauere videntur.

1 *Primus error.*

ISTINCTIONEM rationis acriter oppugnabant Ariani, quoniam eam videbant, necessariam esse Catholicis, vt defendant consubstantialitatem Filij. Sic Eunomius reiecta distinctione rationis, inferebat, ingenitum siue innascibilitatem nihil à Deo differre: idéoque Filium non esse Deum, quia non est ingenitum quid, neque est innascibilitas: vt videre est apud Basilium lib. 1. contra Eunomium propius ad med. quàm ad princip. cuius oppugnationem referemus sect.3.

2 *Secundus error.*

Non dissimiliter Psatyriani hæretici dicebant: *Pater Deus, semper autem etiam Filius à Deo creatus est. Idem est enim in Deo & creare & gignere.* Erupit autem ex Arianis horum secta, vt refert Theodoretus hæreticarum fabularum lib.4. col. 5. Eandem cauillationem hæreticorum ex simplicitate Dei colligentium, *idem esse gignere & condere*, vt præterea deducerent Filium Dei esse *conditum:* refert atque refutat Cyrillus Alexandrinus dialogo de Trinit.lib.2.circa med.

3 *Præpositiui opinio.*

Præpositiui opinio fuit, quod proprietas in abstracto, scilicet, Paternitas, & persona in concreto, scilicet, Pater, solo nomine & vocabulo differunt, & nullo modo ratione, nec conceptu. Ita refert Altisiodorensis contemporaneus Magistri apud Maiorem 1. distinct. 26. quæst. vnica sub init. Eandem sententiam Præpositiuo tribuunt S.Thom.infra quæst.32. art.2. & quæst.40. art.1. & cæteri Scholastici, tractantes de identitate notionis seu proprietatis cum persona. Hæc sententia, iuxta verborum sonitum intellecta, erit erronea, vel errori proxima, vt constabit ex sequentibus sectionibus. Cæterum Præpositiui, doctoris planè Catholici, mens fortasse fuit non alia, quàm Aureoli.

4 *Aureolus exponitur.*

Aureolus autem, quamuis prius asserat disertis & perspicuis verbis, quod proprietas, siue Paternitas & essentia non possunt distingui ratione siue conceptu, sed eundem & indistinctum conceptum habere debent: cæterum hoc intelligit de conceptibus claris, siue explicitis, qui nullo modo neque implicitè se inuicem includant. Postea namque perspicuè concedit, personalitatis & essentiæ dari diuersos conceptus, quorum vno expresè, & directè concipiatur essentia, & per implicitam inclusionem in eodem concipiatur personalitas: alteróque conceptu expresè & directè concipiatur personalitas, & per implicitam inclusionem in eodem concipiatur essentia. Ita docet Aureolus 1.distinct.1.quæst.1.art.2. init. & in 3.ratione principali. & artic.3. dum respondet ad obiect.11,12. & 19. & distinct.33.q.3. art.3. §. *ad propositum*, & in sequentibus solutionibus obiectionum, præsertim primæ, dum recedit ab opinione Præpositiui.

5 *Loquēdi modus reprehenditur.*

In hac sententia nihil inuenio reprehensione dignum, nisi loquendi modum contrarium modo loquendi Patrum & Scholasticorum, qui legentibus occasionem præbet existimandi, quamlibet distinctionem rationis penitus ab Aureolo fuisse negatam inter relationes & essentiam: cum tamen re ipsa concesserit Aureolus eandem distinctionem, quam infra probabimus.

6 *Falsò imponitur Gregorio & Gabrieli.*

Gregorio & Gabrieli in 1. distinct. 33. tribuitur existimasse, distinctionem personalitatis ab essentia, tantum esse rationis ratiocinantis. Falsò tamen hoc illis imponitur, vt constat ex locis Gregorij, quæ retulimus disputat.11. sect.3. sub init. & ex locis Gabrielis, quæ retulimus eadem disput.11. sect.2.

7 *Exponitur Hierosolymitanus.*

Nec desunt aliqui Patres, qui distinctionem rationis inter personalitates & essentiam negare videantur. Nam Cyrillus Hierosolymitanus catech. 6. initio, adductis verbis Apostoli: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*, subinfert: *Simul vt enim intelligitur Deus, intelligitur & Pater, vt indiuisa Patris & Filij gloria perficiatur.*

8 Sed mens authoris fuit, quando nominamus Deum, statim occurrere menti, non solum Dei, sed etiam Patris conceptum, prius, quàm occurrat Filius, aut Spiritus sanctus conceptus in recto. Cuius ratio est, quoniam Pater est origine prior & principium Filij & Spiritus sancti. Nihilominus idem Hierosolymitanus fatetur, Patrem & Filium esse simul cognitione, quatenus Pater intelligi non potest in recto, nisi Filius intelligatur in obliquo, cuius verba retulimus disp.9. sect.4. prope initium.

9 *Cyrill. Alex. exponitur.*

Cyrillus Alexandr. lib.11. thesauri cap. vnico propius ad med. quàm ad princip. tanto conatu incumbit ad excludendam à Deo quamlibet distinctionem, seruandámque summam simplicitatem, vt videatur etiam negare distinctionem rationis, quando probat, Ingenitum *non esse substantialem differentiam Dei. Videmus enim substantialem differentiam in compositis solum inueniri, Deus verò simplicissimus est.* Veruntamen respexisse videtur ad axioma dialecticorum: *Genus sumitur à materia; differentia verò sumitur à forma.* Præterea compositionem intelligit Cyrillus ex actu & potentia secundùm rationem, qualis est in Angelis ex genere & differentia. Talis itaque distinctio rationis negatur à Cyrillo, qui tamen expresè concedit minorem aliam distinctionem rationis, vt videbimus sect.3.

10 *Exponitur Anastasius.*

Anastasius Sinayta de rectæ fidei dogmat. lib. 1. inter princip. & med. distinctionem rationis negare videtur, cum ait: *Nec enim solum Deus est, sed & Pater: & per quod Deus, per illud & Pater.* Intelligendus est tamen dixisse, per vnam & eandem realitatem esse Deum & Patrem. Alioqui distinctionem rationis, personarum & relationum à substantia diuina, manifestè supponit toto contextu eiusdem libri, veluti quando prope medium illius de Patre æterno sic loquitur: *Non enim, qui pronunciat Patrem, mox significauit eius substantiam, sed solum omnino eius habitudinem.*

11 *Anselmus exponitur.*

Anselmus in Monolog. cap.16. ad finem adeo premit identitatem omnium, quæ sunt in Deo, vt quamlibet distinctionem rationis refutare videatur, dicens: *Illa summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod ipsa est.*

12 Nihilominus Anselmus ibi negauit solummodò distinctionem adæquatam, ratione cuius in *Ruiz. de Trinitate.* vno conceptu nullo modo includitur alter quidditatiuè nec implicitè. Loquitur autem peculiariter de attributis essentialibus: vt vidimus disput.8. sect.8. prope finem. Alioqui distinctionem rationis inter relationes & substantiam, manifestè supponit Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. & 3. & lib. de processione Spiritus sancti multis capitibus. Vbi constituit discrimen inter ea prædicata, quæ Deo conueniunt substantialiter & ad se, non relatiuè, neque ad aliquid; aliáque prædicata, quæ Deo non substantialiter & ad se conueniunt, sed relatiuè ad aliud. De quo nonnulla testimonia posita sunt disputat. 9. sect.5.post med. & in fine.

13 *Eugenius mēs.*

Eugenius III. definiuit: *Ne aliqua ratio theologica inter naturam & personam diuideret*; vt vidimus disput.præcedenti sect.3.probatione 2. Videtur itaque verborum cortex distinctionem rationis excludere. Sed aliter res se habet, quia non excludit, nisi propositiones, in quibus natura negatur de persona, vel persona de natura negatur, vt in eodem loco probatum est.

14 *Ioannes in Concilio Florentino, quid senserit.*

Denique videbitur alicui, Ioannem Latinorum nomine in Concilio Florentino sessione 18. post med. non admittere, nisi solam distinctionem rationis ratiocinantis. Quoniam quæ differunt solo modo intelligendi, non differunt ratione ratiocinata, sed tantum ratione ratiocinante, quemadmodum Deus & Deitas, vel sapiens & sapientia in Deo. Ioannes autem citatus ait: *Diuina substantia & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur.*

15 Nihilominus Ioannes, sicut & cæteri graues & antiqui Theologi, nihil curabat de modo intelligendi, cuius nullum est in re fundamentum. Dixit itaque substantiam & personam differre secundùm modum intellectionis nostræ, habentem fundamentum in re. Propterea que communia tribus personis, distinxit à proprietatibus, vnicuique personæ peculiaribus, vt vidimus disp.11. sect.3. parum à principio. Differunt ergo ratione ratiocinata, quæ differunt solo modo intelligendi, habente fundamentum in re. Fundamentum autem explicabitur initio sequentis sectionis. Vnde facile colligetur, non esse fundamentum in re, vt sapiens & sapientia distinguantur in Deo. Neque vt distinguantur Deus & Deitas, si Deus non supponatur pro persona, sed accipiatur vt absolutum præscissum à relationibus. Eodem modo sunt intelligendi alij Patres vt videbimus sect.3. initio.

SECTIO II.

Ratione ratiocinata relatio distinguitur à Deitate.

1 *Ad distinctionē rationis ratiocinatæ tria requiruntur.*

VT clariùs constet, hanc esse mentem Patrum & Scholasticorum, simúlque ratione probetur, notandum est primò, ad distinctionem rationis ratiocinatæ tria requiri. Primum est, pluralitas conceptuum, qui quamuis non semper distinguantur realiter; attamen, vt minimum, distingui debent sicut prædicatum & subiectum distinguuntur in propositione cathegorica & doctrinali: nimirum, vt secundum modum concipiendi possit vnus conceptus cum alio componi per propositionem affirmatiuam, vel abeo diuidi per negatiuam propositionem. Secundò requiritur, rebus cognitis, realiter verè ac

ratione sui, conuenire prædicata, quæ conceptibus significantur. Tertiò requiritur, rem pluribus conceptibus intelligi penetraríque melius, quàm vnico illorum conceptuum.

2 In his tribus consistit essentia distinctionis, quam appellamus rationis ratiocinatæ: nam hoc ipsum est habere fundamentum in re. Quoniam aliud fundamentum extrinsecum, accipiendum ex rebus realiter distinctis, in ordine ad quas intellectus noster distinguat formalitates: non requiritur per se propter obiecti fœcunditatem & limitationem conceptuum: sed requiritur per accidens, eo quod in corpore non possumus res intelligere, nisi per conceptus connotatiuos & per discursum: vt fusius ostendimus in antepræ dicamentis.

3 *Fundamentalis distinctio quala.* Secundò notandum est, à quibusdam authoribus constitui ante opus intellectus distinctionem rationis fundamentalem, inchoatam, virtualem, siue in potentia. Et rectè quidem, si nihil aliud intelligant, nisi rem in se ipsa realiter habere totam illam perfectionem quæ multis conceptibus potest intelligi melius quàm vno. Si autem aliquid aliud existimant esse ante opus intellectus, totum est omnino fictitium. Cum eisdem igitur limitationibus appellari poterit *distinctio ex natura rei, fundamentalis seu virtualis.*

4 Tertiò ex hac distinctionis essentia sequuntur duæ proprietates: prima, posse diuersæ rationis esse, quæ ratione ratiocinata distinguuntur. Vnde prouenit secunda, videlicet, contingere posse, vt idem prædicatum, quod affirmatur de vno, de alio negari debeat, licet sola ratione ratiocinata distinguantur: vt videbimus disputat. 15. sect. 7. & 8.

5 *Deitas & relatio distinguuntur ratione ratiocinata.* Ex his euidenter ostenditur, Deitatem & relationem non distingui sola ratione ratiocinante, sed distingui ratione ratiocinata. Primò, quoniam Deus minus bene intelligitur solo conceptu Deitatis, aut solo conceptu relationis; melius autem penetratur vtroque conceptu relationis & Deitatis. Vnde S. Thom. in præsenti quæst. 28. art. 2. ad 2. *In Deo*, inquit, *non est alia res, sed vna & eadem: quæ non perfectè exprimitur relationis nomine, quasi sub significatione talis nominis comprehensa.* Et ad 3. adiungit, *Quod si in diuina perfectione nihil plus contineretur, quam quod significat nomen relatiuum; sequeretur, quod esse eius, esset imperfectum; vtpote ad aliquid aliud se habens: sicut si non contineretur ibi plus, quàm quod nomine sapientiæ significatur, non esset aliquid subsistens.*

6 *Diuersa definitionis sunt relatio & essentia.* Secundò probatur, quia quæcumque sunt diuersæ rationis, seu definitionis, distinguuntur ratione ratiocinata. At verò relatio & essentia sunt diuersæ rationis aut definitionis. Quamuis enim diuinarum perfectionum non possit esse propriè definitio, quia propriè non constant genere & differentia: si tamen intelligatur aliqua definitio, quæ peculiarem vniuscuiusque perfectionis quidditatem explicet, prout ab alia distinguitur: alia erit definitio Paternitatis, alia verò definitio essentiæ, similiterque Filiationis & processionis erunt aliæ definitiones. Vt S. Thom. exposuit 1. distinct. 33. quæst. 1. art. 1. ad 1. fine. & fusiùs tota solutione ad 3. & de potentia quæst. 8. art. 2. ad 2. & ad 6. Cui consonat quod in præsenti artic. 2. in fine corporis asserit, ratione distingui, *prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ.*

7 Confirmatur ex Gregor. Nysseno lib. ad Ablabium prope finem, dicente: Alia est ratio eius quod quid est; alia eius, quod quomodo est; intelligit autem essentiam & personam: vt ex contextu manifestè constat.

8 Probatur tertiò, nam idem prædicatum, quod affirmatur de relatione, seu personalitate, negatur de essentia diuina: & è contrario, quod affirmatur de essentia diuina, negatur de relatione seu personalitate. Sic enim Deitas siue diuina essentia est Filius & communicatur Filio: Paternitas autem non est Filius nec communicatur Filio. Deinde Paternitas realiter distinguitur à Filio, & generat Filium: sed essentia diuina seu Deitas nec realiter distinguitur à Filio, nec generat Filium. Tanta contradictionis differentia verificari nullo modo potest, sine distinctione conceptuum, habentium fundamentum in ipsa reali perfectione Dei: vt videbimus disput. 15. sect. 7. & 8.

9 Probatur quartò, nam Gentilis aut Arianus, concedens essentiam diuinam increatam & infinitam, non concedit relationes Patris & Filij & Spiritus sancti. Ergo postquam intellectus humanus concepit essentiam diuinam, increatam & infinitam, adhuc ei restat res eadem melius penetranda sub conceptibus trium relationum Paternitatis, Filiationis & Spirationis.

10 Quintò, quia si Deitas vel essentia non distingueretur à relatione, saltem ratione ratiocinata: Deitas vel essentia relationem includeret. Consequens autem esse falsum, constabit disput. 14. Sextò, quia relatio, secundùm modum intelligendi, se habet vt modus Deitatis, vt videbimus sect. 5. Modus autem distingui debet à re modificata.

11 Septimò probatur præoccupando obiectionem, quæ posset occurrere, quia distinctio rationis ratiocinatæ nihil derogat simplicitati diuinæ, quippe quæ solum consistit in summa identitate rei cum omnibus rationibus realibus, quæ in illa sunt, siue de illa dicuntur. Quemadmodum Cyrillus Alexand. lib. 6. thesauri cap. 3. prope fin. redarguit Arianos: *Si aliud est apud Deum præscire, aliud facere, neque hinc simplicitas eius lædetur: erit similiter aliud generare, aliud creare in Deo, nec vlla propter hoc compositio erit.*

12 Confirmatur, quia distinctio rationis ratiocinatæ manifestè manifestat excellentiam diuinæ simplicitatis, quæ perfectionem omnem complectitur absque vlla reali multiplicitate. Vnde prouenit impossibilitas exhauriendi totam eius intelligibilitatem per vnum aut alterum conceptum, sed opus esse quam plurimis conceptibus, vt melius penetretur. Quemadmodum S. Thom. attigit in præsenti artic. 2. in solut. ad 2. & 3. remittens ad quæstionem 13. peculiariter artic. 4.

13 Probatur octauò. Scholasticorum communi consensu locis adductis disputat. 11. sect. 3. init. vbi prædicti authores omnes intelligunt rationem ratiocinatam, quoties dicunt, relationes, aut personalitates ratione distingui à Deitate vel essentia. Hæc autem eorum mens manifestatur rationibus & solutionibus, quibus probant, explicant, & defendunt distinctionem rationis.

14 Confirmatur, quoniam Scholastici prædictis in locis nullam omnino mentionem faciunt *rationis ratiocinantis*, neque alterius nominis æquipollentis. Imo apud antiquiores inaudita fuit talis distinctio, quæ potius appellari debet omnimoda identitas secundùm rem, & secundùm rationem.

tionem. Ideóque si putarent Scholastici, sola ratione ratiocinante distingui Deitatem & relationem; non affirmarent simpliciter ratione distingui; sed proprius & verius dixissent, nec re, nec ratione distingui, sed esse idem etiam secundùm rationem. Denique falsum esse, quod tribuitur Gregorio & Gabrieli de distinctione rationis ratiocinantis, vidimus sect. 1. ante med.

SECTIO III.

Eadem distinctio traditur à Patribus.

1 *Multipliciter significatur distinctio ratiocinata.* VArius & multiplex est modus loquendi, quo Patres significant distinctionem rationis ratiocinatæ: veluti cum dicunt diuersam esse significationem nominum, & quod vno nomine significatur, non significari alio nomine. Nam cum voces impositæ sint ad significandos conceptus; necessarium est distinctos esse conceptus earum vocum, quarum vna non significat, quod significat altera.

2 Non aliter quando dicunt, distingui secundùm intellectum vel secundum rationem, aut vnum non esse aliud, semper intelligunt distinctionem rationis ratiocinatæ. Cuius euidens indicium est primò, quia Patres exponunt diuersas rationes formales, seu definitiones Deitatis & relationis seu personalitatis. Secundò, quia nulla alia distinctio rationis, præter ratiocinatam, inuenitur apud antiquos Patres: eo quod distinctio rationis ratiocinantis sit omnimoda identitas; vt vidimus in fine sect. 1. & 2.

3 Hoc sensu Florentinum Concilium docuit, substantiam & personam diuinam differre secundum modum intellectionis nostræ, & sola ratione, vt vidimus disp. 11. sect. 3. tota probatione 1. Iustinus in expositione fidei de Trinitate nõ procul à princip. demonstrat: *Quod ingenitus, genitus, procedens, non significent ipsam essentiam, sed substantias, & essendi modos determinent.* Ergo conceptus essentiæ distinctus est à conceptibus relationum, seu personalitatum ingeniti, geniti, & procedentis.

4 Magis ex professo distinctionem rationis exponit Basilius lib. 1. contra Eunom. propiùs ad med. quam ad princip. dicens: *Quæcumq; repentina comprehensione simplicia videntur, ac vnica. Varia verò ac multiplicia, si subtilius exquiruntur, hæc cum mente diuidantur, opinione sola diuisa dicuntur.* Quod post pauca declarat exemplo: *vt tritici simplex intellectus omnibus inest, quod id cum occurrerit, statim cognoscimus: cum verò diligentius inquirimus, tunc multarum rerum speculatio accedit, & diuersa nomina res ipsas significantia. Idem enim triticum nunc fructum, nunc semen, nunc cibum appellamus.* Exemplum, *triticum, fructus, semen.*

5 Quod ipsum magis explicans & aliis exemplis confirmans, applicat suo instituto dicens: *incorruptibilem ac ingenitum Deum dicimus, diuerso mentis obiectu his nominibus appellantes*, &c. idest, diuersis conceptibus obiectiuis. Paulóque inferius ostendit, magnam confusionem inferri cognitioni Dei, nisi diuersis quibusdam nominibus diuersam rationem intelligamus, vt sapientia, bonitate & similibus. Vnde in sequenti lib. 2. contra Eunom. pag. 2. *In Patre*, inquit, *& Filio non significant substantiam nomina, sed proprietates designant.*

6 Eodem exemplo frumenti, quod idem diuersa ratione dicitur semẽ & fructus, distinctionẽ Deitatis ab hypostasi, declarauit Athanasius dialogo 1. de sancta Trinit. contra Anomœum, cuius verba posita sunt disput. 11. sect. 3. prope finem. Idem Athanasius lib. 1. Dialog. de sancta Trinit. contra Maced. in princip. *Licet Deus sit Spiritus sanctus*, ait; *non protinus sequitur, eum vel Patrem esse vel Filium. Etenim vocabulum, Deus, naturam significat omnia contemplantem aut peruidentem. Nomina verò, Patris, & Filij, relatiua sunt. Nec relatiuum igitur nomen naturam peruidentem aliquid designat: nec contemplantis & peruidentis aliquod naturæ nomen, Patris ad Filium relationem inducit.*

7 Gregorius Nyssenus toto lib. de differentia essentiæ, & hypostaseos defendit, *hæc nomina differre significatione atque ratione.* Quam differentiam generaliter de quibuscumque nominibus Dei ostendit in lib. ad Eustathium. & lib. ad Ablabium, quorum testimonia posita sunt disput. 8. sect. 7.

8 Nazianzenus orat. 32. in præsentia centum quinquaginta Episcoporum paulò post med. Filium appellat *principium*, hoc nomine distinguens eius personam à Patre & Spiritu sancto, & addit: *Nec principium, eo quod principium est, ab eo quod principio caret, dirimitur. Non enim in eo naturæ rationem habet vox principij, quemadmodum nec in illo, quod principij expers sit. Circa naturam enim hæc considerantur, non autem natura ipsa sunt.* Rursus orat. 35. quæ est 3. de Theologia inter med. & fin. *Nec enim*, ait, *essentiæ nomen est Pater, nec actionis: sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius ergo Patrem.*

9 Idémque orat. 44. in sanctam Pentecostem paulo post med. num. 14. *Omnia*, inquit, *quæcumque Pater habet, sunt Filij, præterquam quod ingenitus non est. Omnia quæcumque Filius, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis. Hæc porro nequaquam substantiam secernunt, verùm circa substantiam secernuntur.* Quod ait: *Circa substantiam*, aut, *circa naturam.* supra orat. 32. non realem, sed solius rationis distinctionem indicat, iuxta quam ingignentia, gignentia, spiratio & similia notionalia non includuntur in essentia: ideóque circa illam esse dicuntur, vt videbimus sect. 5. & disput. 32. sect. 10. explicantes, quomodo personalitas sit res naturæ. Distinctionem eandem testatur expresè Nazian. orat. 35. & 36. & 45. & orat. 13. quas retulimus disp. 11. sect. 3. probat. 3.

10 Cyrillus Alex. Dialog. de Trinit. lib. 2. longè post med. vt probet, in Deo, *condere*, non esse idem quod, *gignere*, distinguit varia perfectiones diuinas, & concludit: *Nonne melius, & magis rationabile videtur, putare quidem Deum, naturam simplicem, gerentemq; se & operantem vario modo?* Mens eadem est Theodoreti lib. 4. hæreticarum fabularum col. 5. Qui dialogo 1. *immutabilis.* à prin. fusè declarat discrimen inter hypostasim & substantiam, siue essentiam.

11 Damascenus lib. 1. fidei cap. 11. prope med. *Secundum omnia vnum sunt*, inquit, *Pater, Filius & Spiritus sanctus præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam & processionem. Ratione autem & intelligentia hoc distinctum.* Distinguit autem statim proprietates personales à Deitate. Fusius autem lib. 3. cap. 6. à princ. & post pauca concludit: *Substantia secundum se ipsam hypostasis non est, sed in hypostasibus seruatur.*

12 Ambrosius lib. de incarnationis Dominicæ mysterio cap. 9. in med. *Cum dico genitum*, inquit, *non proprietatem naturæ, sed significationem generationis expressi: & hoc exemplis euidentioribus approbabo.* Et post exempla subiungit: *ita ergo si natu-*

ram cupio designare diuinam, Deum verum debeo nominare. Cum autem Filium dico, generatum significo. Cum Patrem quoque dico, genera sse declaro.

13 Hilarius lib. 8. de Trinit. multo propiùs ad med. quàm ad principium. *Non idem est*, inquit, *natura, quod res naturæ.* Hoc nomine personam intelligens: vt videbimus disp. 32. sect. 10. Ex quo testimonio sectatores Gilberti colligebant realem distinctionem inter personam & naturam. Cæterùm non colligitur, nisi distinctio per considerationem, vt explicat optimè Magister 1. dist. 34. sub init. quem sequuntur ibi communiter Scholastici.

14 Augustinus 7. de Trinit. cap. 1. paulo post med. *Omnis*, inquit, *essentia, quæ relativè dicitur, est etiam aliquid excepto relativo, sicut homo dominus, homo servus*, &c. Vnde colligit, Patrem esse aliquid ad se ipsum, videlicet Deum, vt præterea possit ad Filium relativè dici. Et seq. cap. 2. sub init. *Non eo verbum, quo sapientia; quia verbum non ad se dicitur, sed tantum relativè ad eum, cuius Verbum est, sicut Filius ad Patrem: sapientia verò ex quo essentia.*

15 In eodem lib. 7. cap. 4. prope fin. *Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse: quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium, & Dominus ad seruientem creaturam dicitur.* Et quamuis in eodem lib. 7. dicat Augustinus, non esse aliud Deo esse, & aliud personam esse; vt videbimus disput. 11. sect. 3. prope fin. sibi tamen non contradicit. Affirmat enim realem identitatem simul cum distinctione rationis.

16 Anselmus lib. de incarnatione Verbi toto c. 3. & toto tract. de processione Spiritus sancti frequenter. Substantiam, seu diuinitatem, quæ tribus personis communis est, distinguit à relationibus, seu proprietatibus personarum.

17 *Reduplicatiuæ supponunt distinctionẽ.* Cófirmatur, quia distinctionem rationis ratiocinatæ supponunt Patres, quoties vtuntur dictionibus reduplicatiuis; quippe quæ referuntur ad diuersas rationes formales, sine quarum distinctione non solum inutiliter, sed etiam falsò adhiberentur sub vna reduplicatione affirmãdo, quod sub alia negatur. Quemadmodum Athanasius dialog. 1. de Sancta Trinitate contra Anomæum in med. *Deus*, inquit, *à Deo nihil differt, quatenus Deus.* Vnde cum Anomæus obiiceret: *Nihil igitur differt Pater à Filio.* Respondet Ortodoxus: *Nequaquam sanè differt respectu Dei, siue in Deum esse; sed in Patrem esse, & Filium esse.* Quod Scholastici solemus dicere: *In hoc, quod est Deum esse, in hoc, quod est Patrem esse.* Et orat. 4. contra Arianos col. 3. *Quamquam alius est Filius, quatenus est genitus: attamen idem existit quatenus est Deus.*

18 Basilius lib. 5. contra Eunomium sub init. ait: *Quæcumque Patri vt Deo, non vt Patri insunt, & quæcumque Filio vt Deo, non vt Filio insunt, ea etiam Spiritui insunt.* Epiphan. in Ancorato col. 10. *Honoratur*, inquit, *Pater, secundum quod Pater est: honoratur Filius, prout Filius est: honoratur Spiritus sanctus prout Spiritus verus est.*

19 Chrysostomus in Ioan. homil. 1. in med. quæstionem proponit: *Quonam pacto nulla habita Patris mentione, de Filio sermonem aggreditur? Quoniam omnibus*, inquit, *Patrem esse constabat; si non vt Patrem, saltem vt Deum. Vnigenitus autem ignorabatur.* Idémque ad Hebræos. 1. hom. 2. col. 2. *Causa Filij Pater est, secundum quod Pater est.*

20 Cyrillus Alex. dialog. de Trinit. lib. 1. inter med. & fin. dicit: *Filium esse non in substantia alia ab ea, quæ vt Dei, sed in subsistentia, quæ vt Filij.* Subintelligit, alia præter eam, quæ Patris est. Et col. sequenti. *Coaptantes maximè necessariam personarum, vel nominum distinctionem, vel subsistentiarum varietatem, quæ vt in Patre & Filio secundum hoc ipsum & solum.* Similes reduplicatiuas inuenies in sequenti lib. 2. dialog. de Trinit. & lib. 7. prope med. ait: *Non in hoc, quod est Pater, Deus est Pater, neque in hoc, quod est Filius, Deus est Filius.* Et post pauca: *Non enim Pater Deus est, quia genuit, neque Filius Deus, quia genitus est: sed Deus existens, genuit Pater, & Filius existens Deus, genitus & Filius.*

Gregorius Bæticus lib. de Trinit. propiùs ad 21
med. quàm ad fin. ait: *Quâ Deus, Deo æqualis est Filius, tamen quâ Filius minor dicitur Patre, ideſt, quia Filius de Patre sit.* Sophronius Patriarcha Constantinopol. in 6. Synodo act. 11. in Epistola professionis fidei. col. 4. de Patre, & Filio, & Spiritu sancto sic disserit: *Iuxta quod Deus est, id ipsum existit vnumquodque, dum seorsum consideratur, ipsa intelligentia, quod non separabile, separante.*

Damascenus 1. fidei cap. 6. fin. *Filius, quâ sub-* 22
sistit secundum se ipsum discernitur ab eo, à quo subsistentiam habet: quâ verò eadem in se ipso ostendit, quæ circa Deum conspiciuntur, illi secundum substantiam idem est. Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 2. fine. *Pater*, inquit, *& Filius distinctionem habent, vt Pater & Filius; separationem Diuinitatis non habent.*

Augustinus in Psalm. 68. ad illud, *& non est* 23
substantia, col. 3. ait: *Quidquid est Pater quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus. Cum autem Pater est, non illud est, quod illud est. Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur. Ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est, Et quia eiusdem substantiæ Filius, proculdubio & Filius Deus. At verò quod Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse.* Obserua, reduplicatiuam esse illam orationem: *Cum autem Pater est.* Sicut & illam: *Eo quod Deus est, hoc ipso.* Et iterum: *Quod Pater est.* Vt sapienter obseruat Magister dist. 33. cap. penult. contra Gilbertum & sequaces, ex hoc testimonio colligentes, Deitatem vel essentiam non esse personam.

Idem Augustinus serm. 38. de tempore col. 2. 24
Quidquid est Pater, quo Deus, quo substantia est, quo æternitas est; hoc Filius, hoc Spiritus sanctus. Idémque vicissim repetit de Filio & Spiritu sancto. & lib. 5. de Trinit. cap. 5. fine. *Non secundum hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri, restat vt secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur.*

SECTIO IV.

Inter se comparantur variæ distinctiones diuinarum rationum.

1 *Maximum fundamentũ distinguendi relationẽ ab essentia.* Dico primò. Distinctio per intellectum facienda inter Deitatem & relationes, inuenit in re fundamentum maius, quàm quælibet alia distinctio rationis facienda in creaturis, vel etiam in Deo. Probatur, quia fundamentum huius distinctionis sunt tria entia relatiua, distincta realiter, & realiter identificata, cum vnica re absoluta. Quod in nulla alia distinctione creata, nec increata reperitur.

2 Inde prouenit, vt communia trium personarum distinguere possimus à proprietatibus & relationibus, absque respectu & consideratione creaturarum. Quoniam huius distinctionis sufficiens, ciens, & integrum fundamentum est intra Deum. Attributorum autem distinctio semper, aut ferè semper accipitur per habitudinem, seu proportionem ad distinctos effectus creatos. Et quamuis voluntatem & intellectum possemus in Deo distinguere per ordinem ad Verbum, & Spiritum sanctum: Cæterum præcedere debet cognitio distinctionis in creatam intellectionem & volitionem, vt inde possit intellectus noster ascendere.

3 *Maiores tamen distinctiones inueniuntur in creaturis.* Dico secundò. Nihilominus plures distinctiones rationis, in creaturis factæ, sunt maiores, quàm distinctio Deitatis à relatione. Nã in creaturis aliquæ formalitates omnino genericè vel specificè distinguuntur, quamuis sint idem realiter; veluti actio & passio. Aliæ verò formalitates creaturarum distinguuntur, vt partes componentes, quarum neutra includit aliam: sicut animal & rationale. Deitas autem quidditatiuè claudit in relatione, vt videbimus disp. 13.

4 *Maior est distinctio relationis, quàm attributorũ.* Dico tertiò. Distinctio Deitatis à relatione maior est, quàm distinctio voluntatis ab intellectu diuino, vel cuiuslibet attributi ab altero. Probatur primò, quoniam attributa omnia se mutuò quidditatiuè claudunt, veluti voluntas intellectum, & intellectus voluntatem. Deitas autem non includit essentialiter relationem quamuis in illa includatur: vt videbimus disp. 13. & 14.

5 Probatur secundò. Nam attributa omnia sunt idem conuertibiliter, ideſt, quidquid prædicatur de vno attributo, prædicatur etiam de quolibet alio attributo: & vicissim de quocumque prædicatur vnum attributum, de eodem prædicantur attributa cætera. Relatio verò & essentia non sunt idem conuertibiliter; nam essentia est Paternitas, & essentia est Filiatio; sed Paternitas non est Filiatio, essentia est tres personæ: Paternitas non est tres personæ. Hanc inconuertibilitatem meritò obseruarunt antiquorum aliqui, vt Maior 1. distinct. 26. quæst. vnica. & dist. 27. quæst. vnica. Gregor. 1. dist. 33. quæst. 1. art. 3. dub. 4. Marsilius 1. quæ. 6. post concluſ. 4.

6 *Distinctio relationis à persona est minor.* Dico quartò. Distinctio relationis à Deitate maior est, quàm distinctio eiusdem relationis à persona, quam constituit. Probatur, supponendo; quod ratione ratiocinata relatio distinguitur à persona, quatenus persona magis explicitè dicit incommunicabilitatem suppositi rationalis naturæ, sed implicitè dicit relatiuam oppositionem, ac de materiali supponit essentiam. At verò relatio de materiali non dicit essentiam, & magis explicitè dicit relatiuam oppositionem, sed magis implicitè incommunicabilitatẽ suppositi. Quamuis ergo tanta sit distinctio relationis à persona: nihilominus, quia relatio & persona sunt eiusdem lineæ relatiuæ, propterea earum distinctio minor est, quàm distinctio Deitatis à relatione; quoniam hæc duo extrema pertinent ad diuersas lineas. Deitas enim est absoluta & communicabilis, relatio verò, nec est absoluta, nec communicabilis. Hæc igitur ratio sufficiès est, vt amplius in hac comparatione non oporteat immorari.

7 *Nõ est dicenda relatio de essentia personæ.* Quintò quamuis relatio sit de conceptu formali, siue intrinseco, & quidditatiuo personæ: nihilominus dici non debet esse de essentia personæ. Quoniam essentiæ nomen ex vsu Theologorum, restrictum est ad absolutam substantiam communicabilem: vnde non dicuntur esse tres essentiæ realiter distinctæ trium personarum relationes; nisi declarando & limitando ad *essentias relatiuas*, vt videbimus disp. 24. Sextò, quomodo Paternitas distinguatur à Patre, & reliquæ notionibus distinguantur è personis, erit tractandum disput. 46. sect. 4. & 5.

SECTIO V.

Vtrum relatio seu personalitas à substantia Dei distinguantur tanquam modus illius.

1 RElationem seu personalitatem esse realiter modum, qui realiter afficiat, modisiétque substantiam Dei, docuit expresè Durandus. Minus expresè & in re ipsa Scotus & Nominales citati disp. 11. sect. 2.

2 Nihilominus dico primò. Relatio, seu personalitas non est realiter modus diuinæ substantiæ. Probatur, quia non est realiter modus, nisi qui realiter afficit & modificat: nec potest realiter afficere & modificare, nisi quod realiter distinguitur à re modificata, saltem minima distinctione, quæ in re ipsa reperiri potest ante opus intellectus. At verò nullam esse distinctionem ante opus intellectus inter relationem & substantiam Dei, probatum est tota disp. 11.

3 *Relatio est modus secundum rationẽ.* Dico secundò. Relatio seu personalitas est modus diuinæ substantiæ secundum rationem, & rectum ordinem intelligendi. Ita docuit ex professo Henricus 2. p. summæ. art. 55. quæst. 6. post med. & in solutionibus argumentorum. Multi alij Scholastici obiter, siue dum oppugnant præcedentem sententiam Durandi, siue dum exponunt aliqua verba Damasceni, siue definitionem personæ ex Ricardo Victorino, quæ referemus ad finem sectionis præsentis. Ita Alex. 1. p. q. 44. corp. & ad 5. q. 49. memb. 2. Albert. 1. p. q. 44. memb. 2. dum defendit secundam definitionem Ricardi. S. Bonau. 1. ad 25. a. 1. q. 2. prope fin. & dist. 19. part. 2. art. 1. quæst. 1. ad 3. Ricard. 1. dist. 2. art. 2. quæst. 3. Marsil. 1. quæst. 6. art. 3. ad 8. Aureol. 1. dist. 19. part. 2. art. 4.

4. *Necessitas appellandi modum.* Primaria ratio, quæ Patres impulit, vt relationes, seu personalitates appellarent *modos*, fuit necessitas distinguendi substantiam & essentiam communem, vt videlicet aduersus hæreticos, ac potissimum Arianos defenderent, totam substantiam & essentiam Patris, & totum quod quid est Patris, conuenire Filio, licet illi non conueniat innascibilitas nec Paternitas; quia hæc non est substantia & essentia, sed modus substantiæ & essentiæ: Similitérque totam essentiam, & totum quod quid est Filij, cõuenire Spiritui sancto, licet ei non conueniat esse genitum, nec esse principium alterius personæ; quia hæc non sunt essentia, nec quod quid est, sed sunt modus essentiæ.

5 Confirmari potest primò, quia relatio non transit in substantiam Dei, sicut cætera prædicamenta, sed in Deo seruat suum peculiarem modum prædicandi; vt probatum est disp. 10. sect. 4. & 5. Ideo relatio maiorem, quàm cæteræ perfectiones diuinæ, rationem habet, vt consideretur, quasi fundata in substantia, supponens illam, superueniens illi, & consequenter illam afficiens & modificans. Confirmatur secundò, nam relatio in creaturis se habet vt modus sui subiecti; quod refert ad aliud. Vnde conueniens erit vniuersali quidditati relationis, eam intelligere quasi modum.

6 Secunda ratio sit, quoniam commune atque indifferens modificatur, ac determinatur per proprietates peculiares, & velut individuales. At verò essentia Dei communis est & indifferens tribus personis, modificatur autem, ac determinatur

eius

eius indifferentia per relationes, vt sunt proprietates velut indiuiduales. Tertia, nam subsistentia est terminus essentiæ. Terminus autem modificat rem terminatam. At verò relatio, seu personalitas est subsistentia.

7 *Modum appellant Patres.* Propter has rationes, ac præcipuè propter primam, multi Patres induxerunt appellationem *modorum*, sic nimirum. Iustinus in expositione fidei de Trinitate prope initium notat: *Ingenitum, genitum, procedentem, nomina hæc non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ, quod modus subsistentiæ vocibus his exprimatur, vt Pater à Filio iuxta subsistentiæ modum differat, salua identitate iuxta rationem essentiæ.* Sæpiúsque repetit subsistentiæ modum, tam in eadem pag. quam in medio eiusdem operis. & q. 129. ad orthodoxos ait: *Differentia est in sancta Trinitate modis essentiæ hypostaseon.*

8 Eosdem Basilius appellat *demonstratiuos proprietatum modos*, videlicet, ingenitum & genitum, Paternitatem, & Filiationem. Modum etiam negatiuum admittit Basilius lib. 4. contra Eunomium, sect. 2. probans, *Ingenitum esse*, siue *innascibilitatem, esse modum substantiæ.* Quod magis declarans lib. 5. paulo post med. ait: *Ingeniti appellatio significat, quomodo esse habeat substantia Dei, quod nota non sit.*

9 Gregor. Nyssenus lib. ad Ablabium, *quod non tres Dij*, prope finem docet, *Modo* solum separari personas, non verò naturam earum. Vnde post pauca subiungit: *Alia est ratio eius, quod quid est; alia eius, quod quomodo est. Quo circa si quis dicat, aliquid ita esse quasi non genitum sit, quomodo sit, ponit; quid autem sit, hac voce simul non indicat.* Ita ratiocinatur de distinctione Patris à Filio. Dixerat autem paulo superius: *Causam & id, quod ex causa est, dicentes, non naturam per hæc nomina significamus, sed eam quæ est, secundum aliqualiter esse differentiam indicamus. Aliqualiter* autem idem est, quod *aliquo modo.*

10 Nazianz. orat. 29. de dogmate & constitutione Episcoporum inter med. & finem ait: *Simul atque Pater ingenitè erat, Filius quoque genitè erat.* Loquitur itaque de his notionibus, quasi de modis existendi, per aduerbia.

11 Cyrillus Alex. lib. 11. Thesauri cap. vnico non longè ante fin. *Multa*, inquit, *nomina de Deo feruntur, quorum singula, non quid Deus substantialiter sit significant, sed aut quid non sit, aut relationem quandam ad exprimendam distinctionem ostendunt.* Et post pauca: *Pater autem atque ingenitus alterum gentiorem Filij demonstrat, à quo distinguitur; quia Pater non Filius est: alterum non esse factum ostendit. Sed hæc omnia non substantiam (vt diximus) sed aliquid eorum, quæ in substantia inspiciuntur, significant.*

12 Idem Cyrillus dialog. de Trinit. lib. 1. inter med. & fin. subsistentiarum varietatem esse dicit, Quæ *in Patre & Filio deducat modum quendam & differentiam.* Et sequenti lib. 2. col. 4. *Non quia Pater,* inquit, *ideo omnimodo & ingenitus, sed quia non genitus est ab aliquo: verum dum est modo ingenito, habet ex se & in se proprium Filium genitum, atque hac ratione Pater nominatur.* Et post pauca: *Tergiuersari nullus potest, quin aliud sit esse ingenito modo, & esse genito modo.* Quas dictiones *genitum modum & ingenitum modum* frequentat toto eodem lib. 2. Dialogorum. Quorum lib. 7. prope med. nominibus personarum Patris, Filij & Spiritus sancti dicit inesse *proprietatem, non quæ diuinitatem indicet, sed quæ bene significet, quis modus existentiæ singulorum nominatorum à nobis intelligatur.*

Theodoretus in Epitome diuin. decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto, init. *Spiritum*, inquit, *sanctum ex Deo, & Patre substantiam habere dicimus. Substantiæ autem modus nec creaturæ est similis, nec Vnigenito Filio. Nullus enim sanctus sancti Spiritus substantiam appellauit generationem.* 13

Anastasius Synaita de rectæ fidei dogmatibus. libr. 1. prope med. *Deus vnus est Trinitas*, inquit, *etiam si diuersis appellationibus vocetur, quæ quidem non id, quod est, manifestant, sed quomodo est tantùm subindicant. Non enim qui pronunciauit Patrem, mox significauit eius substantiam, sed solum omnino eius habitudinem.* 14

Alexander Alexandrinus epistol. ad Alexand. Constantinop. col. 3. lib. 1. actorum ante Concil. Nicænum *Proprium*, inquit, *substantiæ modum Filij Ioannes declarauit his verbis: In principio erat Verbum*, &c. 15

Damasc. lib. 1. fidei c. 9. propius ad med. quàm ad princ. *Spiritus sanctus*, inquit, *à Patre procedit, non tamen per generationem, sed per processionem. Alius autem hic subsistendi modus incomprehensibilis*, &c. Et de innascibilitate ait: *Non significat substantiæ differentiam neque dignitatis, sed subsistentiæ modum.* Et cap. 11. prope med. *In solis quidem proprietatibus Paternitatis, Filiationis & Processionis secundum causam & causale, & personalem perfectionem, idest, existentiæ modum, differentiam intelligimus.* Eadem relationes personales tractans cap. 13. sub init. ait: *Non substantiæ sunt indicia, sed habitudinis ad inuicem, & modi subsistendi.* 16

Ricardus Victorinus lib. 4. de Trinitate cap. 19. probat diuinas personas distingui, quia *quamuis vtriusque sit vnus modus essendi, non tamen vtriusque est vnus modus existendi.* Et c. 24. init. sic personam definit: *Est existens per se solum iuxta singularem quemdam rationalis existentiæ modum.* Quam definitionem suo loco declarabimus: & hanc appellationem *modi existendi* repetit in eodem capite, & alibi sæpe, vt lib. 5. de Trinit. cap. 5. & 6. 17

SECTIO VI.

Vtrum relatio, seu personalitas ab essentia distinguatur per intellectionem diuinam.

1 *Quæstiones generales indissolubiliter coniunctæ.* TOta ferè difficultas quæstionis præsentis reuocatur ad generalem, de quibuscumque rebus creatis, aut increatis; vtrum intellectus diuinus possit in illis efficere distinctionem rationis inter eas formalitates, quæ realiter identificantur. Idémque dubitatur de quolibet intellectu beato, quatenus per beatificam visionem aliquid cognoscit. Est autem quæstio hæc indissolubiliter coniuncta cum alia: Vtrum distinctio relationis ab essentia fuerit formaliter in Deo ab æterno per comparationem ad intellectum diuinum; vel solum fuerit fundamentaliter & virtualiter in ordine ad intellectum creatum. Præstringemus ergo breuiter quę generalia sūt cuilibet cognitioni diuinæ. Ideóque proprium locum habent 1. p. quæst. 13. art. 4. vel 12. vel q. 14. art. 14. Et quod attinet ad visionem beatificam quæst. 12. art. 10. Magis ex professo differentes, quæ peculiaria sunt instituto præsenti.

2 *Rationes dubitandi. Prima.* Huiusmodi sunt aliquæ rationes dubitandi. Prima, quia Deus cognoscit tres personas realiter ab inuicem distingui: & tamen à Deitate non distingui realiter. Ergo Deus cognoscit essentiam, siue Deitatem tanquam distinctam à tribus personis.

Secunda,

3 *Secunda.* Secunda, quia Deus cognoscit, quod per suam intellectionem producit Verbum, & per eam non producit Spiritum sanctum. Præterea cognoscit, quod per suam volitionem producit Spiritum sanctum, & per eam non producit verbum: ergo in ordine ad illas duas personas cognoscit suam intellectionem, vt distinctam à volitione. Tertia, quia Deus cognoscit, Verbum diuinum vnitum esse humanitati, ratione personalitatis, & non ratione Deitatis seu naturæ.

4 *Quarta ratio dubitandi.* Aliæ rationes sunt generales quibuslibet attributis, videlicet, quarta, quia Deus vult cómunem rationem actionis & volitionis, quæ continetur in actione turpi; tamen non vult peculiarem differentiam actionis turpis. Similiter per voluntatem antecedentem vult Deus bonum secundum se, & in communi, abstrahendo à particularibus circunstantiis. Quod vtrumque probatum est fusiùs, dum agerem de voluntate Dei 1. p. q. 19. & in peculiari libro de auxilio sufficienti. Deus igitur præscindit communem rationem à particulari, hoc autem est, efficere distinctionem rationis.

5 *Quinta.* Quarta, Deus cognoscit se intelligere mala, & tamen non velle mala. Ergo suam intellectionem Deus cognoscit tanquam distinctam à sua volitione. Plures rationes dubitandi videri poterunt apud authores infra citandos, quibus in varias sententias adducti sunt.

6 *Affirmatiua sententia.* Primò Henricus quodlib. 5. quæst. 1. longè post med. docet, in essentia diuina esse pluralitatem, multitudinem & distinctionem actualem rationum; quatenus Deus post simplicem intelligentiam, qua seipsum comprehendit, negotiatur circa seipsum, distinguendo penes se, quæ sunt in essentia adunata, & distinctionē reducendo, quasi de potentia ad actum. Addítque hanc distinctionem fieri posse sine vllo respectu ad creaturas.

7 Secundò, quantum ad hunc postremum articulum dissidet Durandus, in eo tantum consentiens, quod Deus possit distinctionem rationis efficere, cognoscendo suas perfectiones in ordine ad distinctas creaturas, & non aliter, ita sentire videtur 1. dist. 2. quæst. 3. num. 20. præsertim ad finem.

8 *Distinctio rationis ab æterno.* Tertia sententia concedit ab æterno fuisse distinctionem diuinarum rationum, non solum potentia, virtute, & aptitudine, sed etiam actuali & formali distinctione rationis. Ita Canariens. in præsenti art. 2. disput. 2. dub. 1. 2. & 3. Vbi etiam Molina disp. 3. fine, concluſ. 5.

9 Probant quia distinctio rationis actu pullulat in re cognita, non solum per operationem intellectus creati, formantis de illa plures conceptus, sed etiam per operationem intellectus diuini, simplicissima notitia cognoscentis eandem rem vt plura. Exempli causa, cognoscit Deus punctum medium, quatenus est finis vnius lineæ, alterius verò principium. Cognoscítque suam essentiā vt principium, *Quo*, producendi Filium sub ratione intellectus, & principium, *Quo*, producendi Spiritum sanctum.

10 Confirmant, quoniam in re cognita pullulat etiam actualis distinctio rationis per operationem intellectus diuini, quatenus cognoscit rem, vt potest producere diuersas notitias in intellectu creato. Sic enim Deus cognouit, suas perfectiones in se ipsis esse tales, vt de illis intellectus creatus formare posset multos conceptus inadæquatos; atque adeo sortiri rationem multorum distinctorúmque conceptuum.

Nihilominus *sit* conclusio. Propriè loquendo, per intellectionem diuinam, relatio vel personalitas, non distinguitur ab essentia diuina; nec Deus potest efficere distinctionem rationis in aliquo obiecto creato, nec increato. Itaque diuinarum perfectionum nulla est actualis distinctio secundum relationem ab æterno, comparatione diuini intellectus, sed tantum est distinctio virtualis, fundamentalis & in potentia comparatione intellectus creati. Hæc est sententia Capreoli in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. ad fin. cuius fundamenta iecerat art. 1. concluſ. 4. & 5. & art. 3. dum respondet ad 15. Scoti. Caietanus supra quæst. 13. art. 4. versus fin. Ferrariensis 1. Contra gent. cap. 31. dub. penult. Magis copiosè Vazquez disput. 118. Breuiter Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 4. num. 17. & aliqua ex parte consentit Molina in præsenti q. 28. art. 2. disp. 3. dub. vlt. concluſ. 3. 11 *Deus nullam efficit distinctionem intelligendo.*

Primarium fundamentum est, quia distinctio rationis, vt actualiter existens, formaliter consistit in extrinseca denominatione à distinctis & inadæquatis conceptibus. Vnde quamdiu non existunt actualiter inadæquati conceptus, non potest distinctio rationis actualiter existere. Nulla quippe denominatio extrinseca potest actualiter existere, quandiu non existit actualiter forma denominans. Præterea, cum ab æterno distincti conceptus & inadæquati non extiterint, nec Deus potuerit intra suam mentem efficere distinctos, & inadæquatos conceptus: consequens est, distinctionem rationis non extitisse ab æterno actualiter & formaliter, nec Deum per suam intellectionem potuisse illam efficere. 12

Declaratur & cōfirmatur, quia distinctio conceptuum, constituens in obiecto distinctionem rationis, debet esse talis, quæ sufficiat ad compositionem propositionis affirmatiuæ, aut negatiuæ; vt notauimus sect. 2. & bene obseruauit Durandus 1. dist. 2. dicta quæst. 3. num. 20. Porrò compositionis, ac diuisionis essentiam fusius explicuimus supra quæst. 14. circa art. 7. & 14. tractantes vtrum Deus intelligat componendo & diuidendo: Similitérque de angelis quæst. 58. art. 4. Inde colligo, compositionem non consistere formaliter in pluribus conceptibus, realiter distinctis: quin potius omnem propositionem nostram esse qualitatem realiter simplicem, ostendi supra q. 12. de visione beata, art. 7. Consistit ergo compositio formaliter in hoc, quod subiectum intelligitur per modum recipientis in se prædicatum: at verò prædicatum intelligitur per modum afficientis subiectum. Qui modus intelligendi non esset possibilis, nisi prædicatum & subiectum intelligerentur quasi distincta. 13 *Rationis distinctionem efficiens, potest componere.*

Exemplum sit hæc propositio: *homo est rationalis.* In qua licet rectè scias, eandem rem esse hominem, & rationalem: nihilominus hanc eandem rem aliter intelligis à parte subiecti, aliter à parte prædicati, intelligendo magis *distinctè* & magis explicitè in vno extremo, quod magis implicitè & minus distinctè conceptum erat in alio extremo. Nam si prorsus eodem modo rem eandem conciperes à parte *subiecti* & à parte prædicati: propositio esset prorsus identica & inutilis, vt hæc: *homo est homo.* Quantum ad hoc rectè Durandus 1. dist. 38. q. 2. n. 5. docuit impossibile esse, quod Deus intelligat componendo & diuidendo; quia eius intellectio non solū est formaliter simplex, sed etiam non includit virtualiter duas intellectiones. Et Ricard. eadem dist. art. 1. q. 4. quia non redigit in vnum seorsum intellecta. 14

Denique

15 Denique S.Thomas supra quæst.14.art.14.corpore;quod in diuino intellectu non sit compositio & diuisio enuntiabilium, probat, quia *vnumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam vniuscuiusque; sicut si ipsos in hoc ipso, quod intelligimus quid est homo, intelligeremus omnia, quæ de homine prædicari possunt.* Videlicet, intelligeremus distinctè & explicitè non minus, quàm per alios conceptus intelligere possemus, & præcedenti q.13.art.12. corp. docet, ad compositionem opus esse, vt prædicatum significetur tanquam diuersum secundum rationem à subiecto.

16 *Imperfectio intellectionis est facere distinctionem.* Vnde sumitur probatio secunda, quoniam ex imperfectione creati intellectus prouenit, rem, quæ in se ipsa est vna, distinguere in plures rationes, quia non potest vno conceptu adæquatè concipere totam rei perfectionem, ideo pluribus conceptibus pergit ad eam melius penetrandam. Hæc autem imperfectio longissimè distat à Deo. Ita docet Bernardus, referendus sect. sequenti. Et S.Thom.supra quæst.13.art.4.corpore & ad 3. & art.12. corpor. & quæst.14.art.14.corp. à med. & 1. contra gent. cap.31.fine.& fusius de potentia quæst.7. art.6. & 1. sentent. dist.2. q.1. art.3. post med.

17 *Intellectio Dei non contrahit imperfectiones obiectorum.* Probatur tertiò, quia Deus materiales cognitiones sensuum intelligit immaterialiter,contingentia & indeterminata intelligit certò & absque contigentia ipsius intellectionis; nostros conceptus, connotatiuos rerum corporalium, intelligit conceptu minimè connotatiuo; eásdem intellectiones,dependentes à phantasmatibus; intelligit independenter à phantasmatibus: enuntiationes compositas intelligit non per modum enunciabilium, & absque compositione; nostros discursus intelligit absque discursu: de quibus actũ est supra q.14.art.7.& 14. Ergo similiter distinctionem nostrorum conceptuum, & denominationem extrinsecam, ex eis resultantem in obiecto cognito, Deus intelligit simplicissimo conceptu, nullam efficiendo distinctionem: vt magis constabit in solutione ad vltimum argumentum, sect. sequenti.

18 Quartò, quia superflua est, ac sine fundamento negotiatio illa,quam Henricus in secunda sententia superaddit supra simplicissimum intuitum, quo Deus comprehẽdit se ipsum.Nam post comprehensionem nihil vlterius restat intelligẽdum. Aliunde nihil fauet Durando multiplicitas creaturarum, in ordine ad quas Deus cognoscit sua attributa: nam omnem multitudinem complectitur summa simplicitate vniuæ intellectionis, modo nuper explicato. Denique confirmatur ex dicendis sect. sequenti.

SECTIO VII.

Ad beatificam visionem & cognitionem angelicam applicatur doctrina præcedentis sectionis, & argumenta soluuntur.

1 *Visio beata nõ distinguit in Deo formalitates.* Dico primò. Quilibet intellectus creatus, in quantum videt Deum, sicut in se est, non potest in eo distinctionem rationis efficere propriè loquendo. Ita expresè Vazquez & Suarez citati sectione præcedenti pro conclusione. Nec contrarium,sed potius idem docuerunt Capreol. Caiet. & Ferrarienſis, quos statim explicabimus. Rationes sunt eædem, seruata proportione, quas attulimus sect. præcedenti. Nam quilibet intellectus creatus simplicissimo intuitu Deum videt absque vlla compositione, aut diuisione, & absque multiplicitate conceptuum. Iuxta mentem S.Thomæ supra quæst. 12. art. 10. vbi probatum est à nobis.

2 Docuit hoc expresè Bernard. lib. 5. de consideratione ad Eugenium col.penult.vbi postquam notauerat multiplicitatem nostrorũ conceptuum & nominum ad explicandam simplicissimam Dei entitatem, adiungit: *Nobis autem quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum & enigma, per quod solum interim videre datur. Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, dissilietue in suam pluralitatem. Colliget se magis, adunabit, conformabitq; vnitati illius, vel potius vnitati illi vt vna vni facies respondeat faciei. Neque similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Perpende, non solum de facto beatum non multiplicare conceptus, sed etiam non posse, licet velit,atque conetur. Quod significant illa verba. *Quantumlibet vehementer intendens,* &c.

3 *Obiectio.* Sed obiicies. Solius Dei proprium est vnico conceptu totam suam perfectionem capere: at verò intellectus creatus,licet Deum clarè videret per essentiam, non posset vnico conceptu totam Dei perfectionem intelligere: ideóque multis conceptibus melius intelligere posset,iuxta quos imponeret multa nomina: vt expresè docet S. Thomas 1.dist.2.quæst.1.art.3.post med.Capreolus 1. dist.8.quæst.4. art.3. inter med. & fin. §. *ad argumenta, quæ vltimo loco,*&c. Caiet.1.p.q.13.a.4. ad fin. Ferrarien. 1. contra gent. capit. 31. dub. penult.

4 *Distincta visiones efficiũt distinctionẽ in Deo.* Respondeo & dico secundò. Quamuis quilibet intellectus creatus, per se sumptus, nullam distinctionem rationis efficere possit in Deo: vt vidimus assertione prima. Cæterum diuersi intellectus per distinctas & inæqualés visiones quodammodo efficiunt distinctionem rationis, in quantum per vnam visionem perfectiorem videtur in Deo aliqua veritas, quæ non videtur per aliam imperfectiorem visionem. Hoc tantummodo intendunt S.Thom. & eius discipuli citati. Adhuc tamen non fieret propriè distinctio rationis, quia illæ distinctæ visiones non possunt conflari in vnam, quæ illas virtualiter contineat cum aliqua distinctione, componendo prædicatum cum subiecto, sed quidquid vnica visione visum fuerit, absque vlla compositione vel distinctione conceptum videbitur intuitu simplicissimo.

5 *Angelus efficit distinctionem.* Dico tertiò. Angelus per solas vires naturæ Deum cognoscens, poterit efficere distinctionem rationis in Deo.Cognoscit enim Deum per suam ipsius angeli substantiam, & per omnes effectus creatos, quorum habet multiplicem speciem: proptereáque potest Deum multiplici concepiu inadæquato intelligere, componendo & diuidendo. Quamuis angelus non componat, nec diuidat, nec multiplicet conceptus circa illa omnia obiecta, quæ per vnicam speciem cognoscit, vt probatum est q.58. de angelis art.4.

6 *Deus cognoscit quæ significantur nostris propositionibus,sed non eo modo cognoscit,quo significantur.* Ad rationes dubitandi propositas initio præcedentis sectionis respondetur. Ad primam, distinguendo antecedens,& consequens. Quamuis enim Deus cognoscat, tres personas realiter ab inuicem distingui, non tamen à Deitate: Cæterum Deus hoc non cognoscit eo modo, quo per istas

propositiones significatur, sed alio eminentiori & simpliciori modo. Ideo in cognitione diuina non affirmatur distinctio de vno subiecto, & de altero negatur, nec dicit Deus isto modo; *hoc non est illud formaliter*, aut *differt formaliter ab illo.* Simplicissimus intuitus Dei rem videt, vt est realiter in se ipsa, nec potest à nobis amplius explicari practicè, & quasi in exercitio; quia non possumus explicare, nisi per nostros conceptus, qui omnes distinctionem & compositionem continent: proptereáque necessariò discrepant à modo diuinæ intellectionis.

7 Propterea Deus essentiam suam siue Deitatem cognoscit, tanquam omnino idem cum tribus personis, absque vlla distinctione in ordine ad modum intelligendi ipsius Dei, cognoscit tamen esse distinctam per creatas intellectiones.

8 Eodem modo respondetur ad cæteras rationes dubitandi. Ad secundam. Deus quidem cognoscit,quod per suam intellectionem producit Verbum,& per eam non producit Spiritum sanctum, &c. Sed non cognoscit eo modo, quo per istas propositiones significatur, sed modo simplicissimo, & omnino proportionato cum simplicitate & identitate suæ realitatis. Ideóque per suam intellectionem nullam superaddit distinctionem, quam sua realitas non haberet, præcisa intellectione.

9 Ad tertiam respondetur. Eodem modo simplicissimo, Deus cognoscit, Verbum diuinum esse vnitum humanitati ratione personalitatis, & non ratione Deitatis. Itaque non cognoscit, vt per istas propositiones significatur à nobis alio conceptu personalitas,alio verò Deitas seu natura.

10 *Diuina voluntas quodã modo præscindit.* Ad quartam respondetur.Diuina voluntas quodam modo præscindit rationem communem à particulari,volendo vnam, & non aliam,vt in argumento probatur. Cæterùm hoc, propriè loquendo, non est efficere distinctionem rationis; hæc enim distinctio non fit, nisi per intellectum. At verò diuinus intellectus simplicissimo conceptu proponit suæ voluntati non modo rationem communem amandam, sed etiam particularem rationem respuendam,vel non amandam. Voluntas ergo diuina per illam quasi præcisionem præbet fundamentum, vt nos possimus diuersis conceptibus efficere distinctionem rationis, sed voluntas ipsa non efficit. Ad quintam, solutio constat ex præcedentibus.

11 *Vtrum Deus cognoscat rem vnam, vt plura.* Ad postremum argumentum tertiæ sententiæ respondetur. Æquiuoca est illa oratio: *cognoscere rem vt plura.* Si enim significetur modus, quem Deus cognoscit existere in obiecto; Deus cognoscit rem vnam, vt plura, quando cognoscit eam extrinsecè denominatam à pluribus conceptibus creatis, in ordine ad distinctos terminos. Atque ita Deus vnicum punctum medium cognoscit vt plura,cognoscendo,quod pluribus conceptibus à nobis intelligitur, vt est principium vnius lineæ, & finis alterius. Si autem per illam orationem significetur modus, cognoscendi formaliter existens in diuina intellectione;sic Deus nullam rem cognoscit, vt plura, neque punctum medium cognoscit eo modo, quo per nostras propositiones significatur: vt diximus ad præcedentes rationes dubitandi.

12 Ad confirmationem respondetur. Aliud est actualiter distinguere,videlicet actualiter intelligendo distinctis conceptibus.Aliud est intelligere distinctionem,quæ potest fieri,vel actualiter facta est per alios intellectus: & intelligere fundamentum distinctionis,quod præbet eminentia obiecti. Deus igitur cognouit ab æterno totam suam realitatem,omnémque perfectionem illius,quatenus in se ipsa talis est,vt de illa creatus intellectus formare posset multos conceptus inadæquatos:& eo ipso cognouit, quod realitas diuina multiplicem distinctionem rationis potuerit accipere ab intellectu creato. Cæterum totum hoc est obiectum cognitum à Deo, & non est modus cognoscendi, formaliter existens in diuina intellectione.

13 Vnde sicut Deus non discurrit, neque componit, aut diuidit, neque conuertitur ad phantasmata;quamuis Deus sciat, humanum intellectum discurrere, componere ac diuidere, & intelligere per conuersionem ad phantasmata, & quamuis Deus sciat suas perfectiones esse tales, vt illas intellectus humanus possit intelligere discurrendo, componendo,& conuertendo se ad phantasmata: ita Deus non distinguit perfectiones diuinas, licet cognoscat,esse tales in se *ipsis*, vt à nobis possint distingui per conceptus inadæquatos. Vide quæ diximus præcedenti sect. probatione 3.

DISPVTATIO XIII.

Vtrum essentia diuina claudatur in quidditatiua ratione personalitatis aut relationis.

SECTIO I.

Pars affirmatiua probatur.

1 *Negatiua sententia.* DEITATEM siue essentiam esse de quidditate relationis, seu personalitatis,negant imprimis Authores, qui existimant, ante opus intellectus esse distinctas: videlicet Durandus,Scotus, Ochan, & Gabriel, citati disp.11. sect.2. Insuper ex authoribus,qui fatentur,essentiam à relatione non distingui ante operationem intellectus, aliqui existimant, Deitatem non esse de quidditate relationis, seu personalitatis; vt Gregor.1.distinct.3.quæst.1.art.2.conclus.4. Albertus 1.p.quæst.39.memb.2. art.2. fine, & art.3. Ludouic. Molina in præsenti quæst. 28. artic. 2. disput.6.Vazq.disput.121. cap.2. Videtur illis fauere S.Thomas de potentia quæst. 8. art. 2. ad 6. Sed ejus mens declarabitur,& cætera fundamenta huius sententiæ diluentur sect.3.

2 *Inclusio quidditatiua essentiæ in relationibus.* Nunc sit conclusio vnica Quælibet relatio diuina quidditatiuè atque implicitè claudit in se Deitatem,siue essentiam diuinam,sicut rationalitas quidditatiuè claudit entitatem. Quapropter personalitas, siue relatio non potest ita præscindi per nostram considerationem, vt nec implicitè claudat Deitatem in suo quidditatiuo conceptu. Ita existimant Alexand. 1.p. q.68. memb.5. art.5. fin. cui consonat in præcedentibus artic. 2. & 4. Aureolus 1.distinct.1.q.1.art.2.& sequentibus,& distinct.33.q.1.art.1.& 3. Marsilius 1.q.23. art.3. in notabilibus & corollariis. Capreol. 1. dist. 2. quæst.3. fine. Henricus quodlibet.5. q.6. (quamuis oppositum sentire videatur in summa parte 2. art.75. quæst.2. corpore ad finem.) Canariens. in præsenti quæst.28.art.2.disput.2.dubio vlt. col.2. & disput.3.p.2. conclus.4. Suarez lib.4. de Trinitate cap.7. Bellarm.tom.1.lib.2.de Christo cap.9. ad finem, & multi alij recentiores.

3 Colligitur efficaciter ex S. Thoma quæst. 33. art. 3. ad 1. dicente. *Quod communia absolutè dicta secundum ordinem intellectus nostri, sunt priora quàm propria, quia includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuerso.* Cum igitur omnes relationes sint propriæ, & essentia sit communis, consequens est, essentiam includi in intellectu relationum.

4 Idem intendit in præcedenti quæst. 27. artic. 2. ad 3. illis postremis verbis: *In ipsa enim perfectione diuini esse continetur, & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad eius perfectionem pertinent.* Hic autem continendi modus non est actualis & quidditatiuus, sed ad modū totius potentialis & transcendentis: quemadmodum ens sub se continet quaslibet differentias vltimas, & ideo clauditur in earum quiditate. Hanc verò fuisse mentem S. Thomæ, manifestum est, quoniam alioqui sibi contradiceret; siquidem in præcedenti testimonio manifestè docuit, propria non esse de intellectu communium; vt videbimus disput. sequenti. Quapropter expositio Caietani in prædicto art. 2. fine. non congruit menti S. Thomæ.

5 Idem colligitur ex S. Bonauent. 1. distinct. 28. artic. vnico quæst. 3. ad argumenta vbi existimat, in proprietate personali venire totum esse personæ. At verò persona in suo esse continet essentiam. Propter similem rationem colligitur idem ex Ricard. Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 16. & sequentibus. Definit enim, *personam esse incommunicabilem existentiam.* & cap. 17. Ipsas etiam proprietates personales, dicit, esse incommunicabiles existentias. Rursus vtrobique communicabilem existentiam, asserit, includi in singulis personis, & consequenter in singulis existentiis incommunicabilibus, & proprietatibus personalibus. Aliud testimonium eiusdem Ricardi videbimus sect. 2. probat. 4. fine.

6 *Relatio essentiam non includit explicitè.* Antequam probem, suppono primò, non esse dubium, quin possit à nobis distinctè, & expresè concipi Paternitas, aut Filiatio diuina, non concipiendo distinctè & expresè diuinitatem, siue essentiam. Hoc enim sæpe contingit in conceptu inferioris, respectu superioris, sed tunc præcipuè quando difficillimum est, exactè penetrare connexionem superioris cum inferiori, vel communis cum particulari. Atque ad hoc probandum abunde sufficere posset sententia, quam in principio retulimus; in illa quippe concipitur expresè ac distinctè relatio & personalitas, & tamen in eius conceptu non intelligitur distinctè & expresè diuinitas, vel essentia diuina. Quapropter quidditatiua inclusio, quam asseruimus in conclusione ita intelligenda est, vt in conceptu explicito relationis claudatur implicitè, & quasi confusè conceptus essentiæ, siue Deitatis.

7 *Inclusio requiritur ad prædicationē abstractorū.* Secundò suppono ex logica & metaphysica, non esse veras propositiones, in quibus abstracta prædicantur de concretis, vel concreta de abstractis, vel abstracta de abstractis; quamuis prædicatum & subiectum sint realiter idem: nisi saltem vnum illorum includatur in alterius quiditate. Quam ob causam conceduntur hæ propositiones: *Rationalitas est ens. Rationalitas est bona,* quoniam ens transcendit cuiusque subiecti naturam & vltimam differentiam. Negantur autem aliæ prædicationes de abstractis, quæ quidditatiuè non imbibunt prædicatum.

8 Hanc doctrinam aliis verbis S. Thomas docuit de veritate quæst. 21. quæ est de bono art. 4. ad 4. dicens: *In formis specialibus non recipitur prædicatio concreti de abstracto, vt dicatur, albedo est alba, vel calor est calidus, vt patet per Dionysium 2. cap. de diuinis nominibus. Sed in formis generalibus huiusmodi prædicatio recipitur: Dicimus enim, quod essentia est ens & bonitas est bona.* Quod aliis exemplis illustrat, & ratione probat.

9 Confirmatur, quia licet aliqui Doctores probabiliter admittant hanc propositionem: *Humanitas est animalitas,* quoniam animalitas est de essentia humanitatis: nullus tamen, aut ferè nullus admittit hanc propositionem: *Rationalitas est animalitas.* Sicut nec istam: *Animalitas est rationalitas.* Quia quamuis rationalitas & animalitas in homine sint realiter idem: attamen animalitas non est de quiditate rationalitatis, neque rationalitas est de quiditate animalitatis. De quo videndi sunt præsertim S. Thomas & Caietanus in opusculo de Ente & essentia cap. 3. & 4. & Scotus 1. distinctione 5. quæst. 1. §. *hæc quantum.* & authores in logica circa 2. caput de genere, vel in metaphysica tractantes de prædicationibus abstractorum. Vt Fonseca tom. 2. metaphysicæ lib. 5. cap. 28. quæst. 13. Suarez disputat. 6. metaphys. sect. 10.

10 Huic fundamento nititur prima probatio conclusionis, adiuncto testimonio Lateran. Concilij sub Innocent. III. & decreto Eugenij III. atque Concil. Rhemens. Imo etiam Concilij Nicæni & Alexandrini, necnon Dionysij & Clementis Romani, Nazianzeni, Athanasij, Chrysostomi, Basilij, Damasceni, Hilarij, Augustini, Fulgentij, Bernardi, Boëtij & Ricardi, quos citauimus disp. 11. tota sect. 6. Nam inde constat, veras, proprias, & exactas esse has omnes propositiones: *Quælibet trium personarum est illa res,* videlicet essentia & natura diuina. *Pater est ipsa Deitas, relationes, singularitates, seu proprietates, quæ sunt in Deo, sunt ipse Deus. Pater est veritas, Filius est veritas; Pater est charitas, Filius est gratia. Quidquid est in Deo est ipse Deus. Tria sunt ea, quæ ipsa diuinitas est. Persona Patris est diuinitas. Persona Patris est substantia Patris. Deus est vnitas. Deus est Trinitas.* & aliæ similes propositiones, ex quibus omnibus & singulis infertur, vnum extremorum in alio quidditatiuè claudi. Cum autem relationes, siue proprietates personales non includantur essentialiter in Deitate, secundum eam acceptionem, iuxta quam Deitas est de essentia cuiusque personæ (vt ostendemus disput. sequenti) consequens est, Deitatem siue essentiam quidditatiuè contineri in conceptu relationis seu proprietatis personalis.

Prædicationes abstractorū, quæ traduntur à Patribus.

11 Responderi solet, prædictas propositiones esse veras in sensu identico, sed falsas in sensu formali. Ita respondent non solum authores, qui relationem ab essentia distinguunt ante opus intellectus, sed etiam qui non distinguunt, nisi per intellectum, & citati sunt initio præsentis sectionis. *Euasio.*

12 Nihilominus hæc solutio refutatur primò, quoniam vt propositiones eiusmodi verificentur in sensu identico, non sufficit realis identitas subiecti & prædicati: siquidem huiusmodi propositiones sunt falsæ, *animalitas est rationalitas;* quamuis in homine sint realiter idem. Propterea sensus identicus tunc erit verus, quando prædicatum & subiectum, licet ratione formali differant, nihilominus vnum implicitè clauditur in ratione formali alterius, idque simul cum identitate reali. *Refutatur primò.*

13 Refutatur secundò, quia licet concederemus, realem identitatem, sine inclusione essentiali, sufficere

sufficere ad veritatem talium propositionum: certè non sufficeret, vt essent propriæ & exactæ magis, quàm propositiones, quibus concreta prædicantur de concretis, vt fatentur authores prædictæ solutionis. At verò magis exactas, magisque proprias esse, docent Patres, præcipuè Nazianzenus orat. 39. in sancta lumina circa med. dicens: *Tria vnum, ea in quibus diuinitas est, vel vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est.* Damascenus lib. 1. fidei cap. 11. circa med. ait: *Cum verò ad ea, in quibus est diuinitas, siue (vt exactius loquar) quæ sunt ipsa diuinitas,* &c. Et Bernardus testimonio Fulgentij confirmat, hanc propositionem: *Pater est veritas,* esse magis propriam, quàm hæc: *Pater est verus;* vt vidimus disput. 11. sect. 6. prope fin.

14 *Abstractorū vsus aduersus hæreses inductus.* Refutatur tertiò, quoniam, vt sapienter obseruauit Alexand. 1. part. quæst. 68. memb. 5. art. 6. §. 2. post med. In primitiua Ecclesia non erant nomina abstracta, sed pullulantibus hæresibus, inuenta sunt à Catholicis ad infringendam pertinaciam eorum, qui disputabant de Deo secundùm rationes, creaturæ conuenientes. Cum igitur Patres contra communem modum loquendi Philosophorum de creaturis, nec non vltra modum loquendi de Deo, vsitatum in Ecclesia primitiua; licet essent amatores antiquitatis, introduxerint prædicationes concretorum de abstractis, & abstractorum de concretis, essentialia componendo cum notionalibus: euidens est aliquid speciale suorum conceptuum significare voluisse, quando tanquam proprias & magis significatiuas diuinæ simplicitatis & identitatis introduxerunt prædictas prædicationes. Quamobrem omnia testimonia Patrum, adducta disput. 11. sect. 6. probant præsentem conclusionem, quia non est concedendum, affectasse toties improprietatem sermonis, qui foret in rigore falsus.

15 *Abstracta cū reduplicatione prædicantur.* Confirmatur. Nam prædictæ propositiones aliquando verificantur etiam cum reduplicatione, quæ manifestè denotat, esse formales & proprias. Sic enim Athanasius, oratione contra gregales Sabellij, multo propiùs ad med. quàm ad princip. *Vniuersa,* inquit, *plenitudo, & integritas Deitatis est, Pater vt Pater: vniuersa item plenitudo Deitatis est, Filius vt Filius.* Idémque postea dicit de Spiritu sancto. Ergo in Paternitate, secundùm quam Pater est Pater, quidditatiuè clauditur plenitudo Diuinitatis: & consequenter etiam in Filiatione & spiratione.

SECTIO II.

Aliæ probationes eiusdem inclusionis quidditatiuæ.

1 *Proprietas personalis est persona.* Secunda probatio sit, quia persona quidditatiuè claudit essentiam siue Deitatem. Sed proprietas personalis est persona. Ergo proprietas personalis quidditatiuè claudit essentiam, siue Deitatem. Maiorem esse de fide constabit tota disput. 32. præsertim sect. 6. & 9. Minor probatur à Magistro 1. distinct. 33. cap. 1. 2. & 3. aduersus Gilbertum, præsertim ex Hieronymo in expositione Symboli ad Damasum illis verbis: *Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel vt Græci exprimunt, hypostases, hoc est, subsistentias confitemur.* Cum Magistro consentiunt communiter Scholastici in eadem distinct. 33.

2 Præterea S. Thomas 1. part. quæst. 40. artic. 3. corpor. post med. *Remota,* inquit, *proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis. Non enim proprietates personales sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis, sicut forma subiecto præexistenti, sed ferunt secum sua supposita, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes. Sicut Paternitas est ipse Pater.* & in 1. distinct. 33. quæst. 1. art. 4. in 4. argumento & eius solutione ex omnium sententia docet, *quod Paternitas est Pater, excepto modo significandi.* Vnde clarius & magis in particulari conficitur idem syllogismus. Pater essentialiter includit Deitatem (vt fides docet) sed Paternitas est Pater (vt præsentibus testimoniis probauit S. Thomas) Ergo Paternitas essentialiter includit Deitatem.

3 *Concretum in diuinis nō includit amplius, quam eius abstractum.* Confirmatur, quia concretum in diuinis nihil amplius includit, quàm abstractum illius proprium & immediatum. Cuius ratio est, quia Deus est omnino quidquid in se habet, ita vt qui habet, & quidquid habetur, sit ipse Deus, nec sit aliud quod habet Deus, & aliud ipse Deus: vt ex Augustino, Hilario, Isidoro & Boëtio, deducit Magister prædicta distinct. 33. cap. 2. Sed pluribus testimoniis Patrum probatum est disput. 11. sect. 5.

4 *Quidquid est Deus, est essentialiter Deus.* Probatur tertiò, quia quidquid est Deus, est essentialiter Deus; sed proprietas, seu relatio est Deus: ergo est essentialiter Deus. Maior probatur primò, quia quidquid est Deus, est summè perfectum. Sed maioris perfectionis est, Deitatem essentialiter includere. Ergo quidquid est Deus, est essentialiter Deus. Vnde confirmatur; quoniam indignum est perfectione Dei, quod aliquid sit Deus, & non sit essentialiter Deus; quia essentialitas pertinet ad perfectionem Dei. Minor eiusdem syllogismi definita est ab Eugenio III. & in Concilio Rhemensi: vt vidimus disput. 11. sect. 3. probat. 2. Et fusiùs eam tradit Bernard. serm. 80. in Cantica, & lib. 5. de consideratione ad Eugenium sæpe iam citatus.

5 *Essentia communis est personis.* Probatur quartò, quia quod est essentialiter vniuersale, seu commune, quidditatiuè clauditur in conceptu particularis. Sed diuina essentia comparatur ad relationes, etiam in abstracto conceptas, tanquam essentialis forma communis. Ergo diuina essentia quidditatiuè clauditur in conceptu relationis, etiam in abstracto conceptæ. Minor constabit sect. 4. vbi ostendemus essentiam esse communem. Necnon disputat. 32. sect. 6. & disput. 35. sect. 5. & sequentibus: vbi ostendemus, hypostases seu personas esse veluti individua vel singularia.

6 Vnde Iustinus in expositione fidei de Trinitate non longè ante med. ait: *Quatenus Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnius Deitatis dignoscendo subsistentias; quatenus autem Deus, essentiam communem subsistentiarum intelligendo.* Suppono, subsistentias in abstracto esse relationes, seu personalitates (vt disput. 34. sect. 4. & disput. 87. & 88. monstrabitur:) quo supposito, perpende, essentiam Dei esse *essentiam communem subsistentiarum.* Qui modus loquendi significat propriam vniuscuiusque rei quidditatem, veluti si diceres, essentiam communem hominum, vel essentiam communem Angelorum. Perpende præterea, non dixisse quatenus Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnius Deitatis dignoscendo *subsistentes,* sed *subsistentias:* vt inde colligas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non solum esse subsistentes in concreto, sed etiam esse subsistentias ipsas, in abstracto significatas, vt in præcedenti probatione dicebamus.

Confirmatur primò, quia Paternitas diuina, quantumcumque præcisa per abstractionem maximam, essentialiter includit esse ens reale, cui repugnet esse creatum. Ergo in suo conceptu essentialiter includit esse ens increatum, & consequenter esse à se ipso, & non ab alia causa creante, quod est proprium essentiæ diuinæ, cuius quidditas est ipsum esse à se.

8 *Euidentius ostenditur essentiã in Paternitate cõtineri.* Vnde confirmatur secundò, quia prædictum principium vrget magis in prima relatione, seu personalitate. Paternitas enim quidditatiuè continet illam positiuam perfectionem, quæ declaratur à nobis per negationem, dicendo, *ingignentiam*, vel *innascibilitatem*. Per hanc verò non solùm excluditur processio vnius personæ ab alia, sed multo magis excluditur processio per creationem, vel per generationem à causa diuersæ naturæ. Ergo Paternitas quidditatiuè continet essentiam, quæ à se ipsa necessariò & quidditatiuè habeat existere. Hæc autem est essentia diuina. Huic rationi valde fauet discursus Ricardi Victorini lib. 5. de Trinitat. cap. 4. præsertim prope finem.

9 *Ex quidditate generationis probatur eadem inclusio.* Probatur quintò, quia Paternitas, secundùm formalissimam rationem Paternitatis, est exemplar, cuius similitudinem imitatur Filiatio. Rursus Filiatio, secundùm formalissimam rationem Filiationis, est perfectissima similitudo Patris, non quidem in Paternitate, sed in eadem natura: vt ostensum est disput. 6. 7. & 8. Ergo Paternitas, secundùm formalissimam rationem Paternitatis, & Filiatio, secundùm formalissimam rationem Filiationis, quidditatiuè continent eandem naturam diuinam.

10 Confirmatur primò, nam generans, in quantum generans, communicat suam ipsius naturam; ergo in quantum generans continet eam naturam. Rursus genitum, in quantum genitum, recipit communicatam eandem naturam generantis: ergo eam quidditatiuè continet terminus productus per generationem. Nec potest aduersus hanc rationem opponi creata relatio generantis & geniti. Hæc enim, nec est principium generans, nec terminus productus per generationem; ideóque non continet essentialiter eandem naturam.

11 Confirmatur secundò, nam relatio Patris, secundum formalissimam rationem, est quidditatiuè principium productiuum Verbi per intellectionem. Ergo relatio Patris quidditatiuè continet intellectionem. Intellectio autem, iuxta simpliciorem & clariorem acceptionem, est attributum essentiale: & iuxta aliam acceptionem magis reconditam est aliquid notionale in se continens intellectionem essentialem: vt videbimus disput. 59. Similiter relatio Spiritus sancti secundùm formalissimam rationem, includit essentialiter attributum amoris, infrà, disputat. 73. & 74. At verò singula attributa quidditatiuè & implicitè continent reliqua omnia & totam essentiam diuinam.

12 Confirmatur tertiò, nam amoris attributum, cum sit actus perfectissimus, non productus à potentia, debet esse ipsamet substantia, cuius est actus: ac proinde *implicitè includit omnes* perfectiones essentiales substantiæ diuinæ, quamuis eas includat quasi perfectiones alterius lineæ, prout explicatum est disput. 7. sect. 4. & 5.

13 *Maior est Dei simplicitas si Deitas essentialiter includitur in relatione.* Probatur sextò, quia diuina perfectione dignior est summa simplicitas, quæ non solùm excludat realem compositionem, sed etiam nullum fundamentum præbeat compositioni secundum rationem. Quamobrem probabilius iudicatur, Deum non componi ex genere & differentia (vt docet S. Thom. supra quæst. 3. art. 5. licet alij sentiant oppositum.) Erit autem compositio secundùm rationem, si neque essentia relationem, nec relatio essentiam quidditatiuè contineat. Cæterùm si relatio quidditatiuè includit essentiam; nulla erit compositio secundùm rationem, sed summa simplicitas: quia compositio requirit duos conceptus, quorum vterque sit extra rationem alterius: quemadmodum animalitas est extra quidditatem rationalitatis. Ideóque nulla differentia reperiri potest, quæ faciat compositionem cum ente: & consequenter suprema prædicamentorum capita sunt conceptus simplices. & hoc nomine censentur à Philosophis & Metaphysicis.

14 Confirmatur primò, quia ratione simplicitatis, quamlibet substantialem differentiam Deo repugnare, docuit Cyrillus Alexand. lib. 11. thesauri cap. vnico propiùs ad med. quàm ad princ. probans: Ingenitum *non esse substantialem differentiam Dei. Videmus enim substantialem differentiam in compositis solùm inueniri: Deus verò simplicissimus est.* Obserua, Cyrillum agere de differentia notionali, quæ componat cum Deitate.

15 Confirmatur secundò ratione, qua idem Cyrillus probat; etiam secundum intelligendi modum non esse compositum Patrem, lib. 3. thesaur. cap. 4. prope finem. *Quomodo*, inquit, *Pater omnium rerum principium erit; si non simplex, sed compositus erit? Primum enim simpliciter haud quaquam compositum esse potest: quia nihil potest ipso præintelligi, à quo componatur.* Confirmatur tertiò, nam & Anselmus in monolog. cap. 16. ex eo quod natura diuina nullo modo sit composita, colligit, in quolibet vno attributorum includi totam perfectionem reliquorum attributorum: vt vidimus disp. 8. sect. 8. versus fin. Eorundem igitur attributorum inclusionem in personalitate, colligere deberet Anselmus ex eo, quod personalitas nullo modo sit composita. *Mera inclusio attributorũ.*

16 *Non esset infinita relatio sine inclusione Deitatu.* Probatur septimò, quia relatio non erit infinita in genere entis, nisi includat essentialiter Diuinitatem; siquidem non includit omnem perfectionem, quæ sibi non opponitur: nec includit essentialiter naturam, quæ reliquarum relationum radix & vinculum est. Hæc ratio magis vrget eos authores, qui concedunt mutuam inclusionem attributorum, propter infinitatem in genere entis, & tamen eadem attributa negant in personalitate, seu relatione contineri; quia relatio non dicit essentialiter perfectionem. Verùm hoc fundamentum falsum esse constabit disput. 29. & 30.

17 *Corollarium.* Ex toto discursu præsentis disputationis colligitur altera conclusio, quæ sit ampliatio alterius, positæ in sect. 1. Omnia attributa, omnésque perfectiones absolutæ quidditatiuè conueniunt cuilibet relationi diuinæ, seu proprietati personali. Tum, quoniam præcedentes rationes inclusionem cuiusque perfectionis absolutæ probant non minus, quàm inclusionem essentiæ. Tum etiam, quia diuina essentia, siue Deitas essentialiter includit eas omnes perfectiones, & attributa; vt ostendimus disputat. 8. sect. 6. & sequentibus.

Quapropter si relatio quidditatiuè continet Deitatem (vt probant præsentes sectiones) continet etiam quidditatiuè omnes perfectiones absolutas & attributa.

SECTIO

SECTIO III.

Satisfit argumentis contrariæ sententiæ.

1 PRimum sit testimonium S. Thomæ de potent. quæst. 8. art. 2. ad 6. vbi docet, *Paternitatem de essentia diuina non prædicari propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei, nec essentiam de Paternitate.* Præmiserat autem, non prædicari per se, quod non prædicatur secundùm propriam rationem, sed propter identitatem rei.

2 *Non mutauit sententiam S. Thomas.* Respondere posset aliquis, S. Thomam mutasse sententiam in summa, locis in sect. 1. citatis pro concluſ. clariùs autem quæst. 39. art. 6. ad 2. Nihilominus attentè considerato contextu totius articuli, non contradicit; etenim expresè distinguit duplicem perfeitatem, alteram comparatione rei significatæ, alteram comparatione modi significandi. Negat autem solummodo perfeitatem comparatione modi significandi. Quoniam essentia significatur per modum substantiæ; contra verò relatio significatur & prædicatur per modum accidentis, *in quantum ea, quæ de se inuicem prædicantur secundum accidens, & differunt ratione, sunt vnum subiecto:* vt loquitur S. Thomas in fine solutionis eiusdem ad 6. quibus similia dixerat in fine corporis.

3 *Exponitur S. Thomas.* Confirmatur, nam in sequenti solutione ad 7. docet, propter modum significandi non propriè, sed impropriè dici, quod essentia diuina sit bona & sapiens, quia essentia diuina non significatur per modum suppositi. Sed alioqui de fide est, diuinam essentiam esse quidditatiuè bonam & sapientem. Ergo S. Thomas in eo articulo præcipuè tractabat perfeitatem & proprietatem, quæ consurgit ex modo significandi; neque negauit perfeitatem, quæ clauditur in ratione obiectiua significata per nomen, quam ex professo probabimus disput. 14. sect. 7.

4 Secundum argumentum, quoniam alia est ratio essentiæ, alia verò relationis diuinæ: vt vidimus disput. 12. sect. 2. probat. 2. ergo essentia non includitur in ratione formali relationis. Quo argumento videbatur vsus S. Thom. de potent. nuper citatus. Respond. negando consequentiam, siquidem alia est ratio entis, aliáque ratio substantiæ: nihilominus ens quidditatiuè includitur in substantia. Vnde sequitur, quod licet Paternitas sit essentialiter & formaliter Diuinitas, nihilominus est diuersa formalitas, sicut est diuersa ratio, & quasi definitio vtriusque.

5 Tertium argumentum. Absolutum non est de essentia relatiui, sed Deitas est absoluta: ergo non est de essentia relationis. Respond. Absolutum non est de essentia relationis finitæ, sed tamen est de essentia relationis infinitæ in genere entis.

6 *Relatio non est absoluta.* Vrgebis, inde colligens, hanc propositionem esse veram: *Relatio diuina est absoluta*, vel *relatio diuina est ens absolutum.* Respond. Propositionem esse falsam, quoniam nomen *entis absoluti* significat præcisionem à relatione: sic enim dicitur absolutum, quasi solutum à respectu. Si tamen ita explicetur, vt relatio simul sit quidditatiuè respectus & Deitas absoluta: sine dubio vera erit propositio. Huic quodammodo simile est, quod relationibus creatis euenit. Quas nullus dicet esse entia absoluta: & tamen in illis essentialiter includitur ratio entis, quæ est absoluta præcisiuè, quamuis positiuè non sit absoluta, quemadmodum Diuinitas est absoluta positiuè.

Ruiz. de Trinitate.

7 Quartò *instabis*, quia si Deitas est de essentia relationis, relatio erit essentialiter substantia. Sed relatio non est substantia (vt cum Augustino, Boëtio, & aliis ostendimus disputat. 10. sect. 4. & 5.) ergo Deitas non est de essentia relationis. Respond. Augustinum, Boëtium & alij distinguunt rationem formalissimam, per quam Pater, Filius & Spiritus sanctus constituuntur personæ distinctæ: tantum igitur intendunt ostendere, rationem formalem substantiæ, quæ in tribus personis est eadem, non esse rationem formalem relationis, videlicet, Paternitatis, Filiationis, & processionis, per quam constituuntur personæ distinctæ. Denique nihil agunt de quidditatiua inclusione, quam in præsenti tractamus. *Relatio quo sensu est substantia.*

8 Sit quintum argumentum, quo præcipuè nititur Gregorius in 1. distinct. 33. quæst. 1. art. 2. versus finem. Quia quotiescumque prædicatio est formalis *in primo modo dicendi per se*, verum est dicere, quod esse hoc, est esse illud: Quemadmodum, quia hæc propositio est formalis, *homo est animal:* ideo esse hominem, est esse animal. At verò Deum esse, non est esse Patrem, nec esse Patrem est esse Deum. Augustinus enim lib. 7. de Trinitat. cap. 4. prope finem docet, quod *aliud est Deo esse, & aliud Patrem esse.* Vt vidimus disp. 12. sect. 3. post med. & Anselmus tract. de proceſſ. Spiritus sancti. *Non est*, inquit, *idem esse Deum, quod est esse Patrem, aut Filium.* *Esse Patrem an sit esse Deum.*

9 Respond. distinguendo Maiorem, in propositione formali veritas consistit, quod esse hoc, est esse illud, saltem inadæquatè & inconuertibiliter: quamuis aliquando esse hoc, non sit esse illud adæquatè & conuertibiliter. Hoc igitur modo Augustinus & Anselmus in argumento citati dixerunt, aliud esse Deum, & aliud esse Patrem esse, videlicet, quia non sunt idem adæquatè & conuertibiliter: cum tamen idem Augustinus in prædicto lib. 7. cap. 6. initio. & post medium scribat: *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.* Et cætera quæ retulimus disput. 11. sect. 3. prope finem. Cui concordat Anselmus ibi citatus.

10 Sextum argumentum. Res non est de essentia sui modi. Sed personalitas seu relatio est modus Deitatis. Ergo Deitas non est de essentia personalitatis, seu relationis. Respond. Personalitas, seu relatio non est realiter modus, qui realiter afficiat & modificet Deitatem; sed dicitur esse modus secundùm rationem: sicut *per se*, & *in alio*, dicuntur esse modi entis; & tamen in illis essentialiter includitur ens: quemadmodum probatum est disput. 12. sect. 5.

11 *An Paternitas toto suo esse distinguat Patrem à Filio.* Septimum argumentum. Si Deitas est de essentia relationis v. g. Paternitatis: sequitur, quod Paternitas distingueret Patrem à Filio, non secundùm totum esse Paternitatis, neque secundum se totam esset propria Patris: siquidem ratione Deitatis inclusæ, foret communis Patri cum Filio. Respond. Huius argumenti difficultas prouenit ex æquiuocatione verborum. Dicimus enim substantiam, & accidens esse conceptus simplices, propterea que differre se totis: quoniam in illis non est propria compositio propter transcendentiam entis, quod imbibitur in modis *per se*, &, *in alio*; vt vidimus sect. præced. probat. 6. Vnde prouenit, vt modus *per se*, sit etiam tota substantia, & modus *in alio*, sit etiam totum accidens.

12 Alio tamen sensu diximus, substantiam & accidens non differre se totis, quatenus conueniunt in ente. Sic etiam Paternitas, secundum totum suum esse, distinguit Patrem à Filio, & secundum

se totam est tota Patri; quatenus Paternitas est conceptus simplex, in quo non est propriè compositio: ac proinde impossibile est intelligere aliquid Paternitatis, in quo non includatur Deitas, & consequenter tota persona Patris. At verò secundum alium sensum, Paternitas, non secundum totum suum esse, distinguit Patrem à Filio, neque secundum se totam est propria Patris; quatenus aliquid essentialiter inclusum in Paternitate, videlicet, Deitas est communis Patri cum Filio.

13 *Inconuenientia obijciuntur.*

Octauum. Si Paternitas includit essentialiter Deitatem; inde sequuntur inconuenientia multa. Sequitur enim primò, Paternitatem non posse intelligi quasi determinatiuam Deitatis: Secundò, Paternitatem significare idem prorsus, quod Pater significat, quia nihil restat vltra quod significet Pater. Tertiò sequitur, Patrem non constitui Paternitate; quia nihil constituitur se ipso, sed requiritur aliqua distinctio inter constituens & constitutum. Quartò nugatoriè, atque superfluè theologos dicere, Patrem constare Deitate atque Paternitate. Nam Deitas bis repetitur, semel enim ponitur præcisa Deitas, & iterum Deitas inclusa in Paternitate. Quintò sequitur, definitum constitui definitione, aut definitionem constitui definito: quamuis idem prorsus significet definitio magis explicitè, & definitum magis implicitè.

14 *Retorquetur argumẽtum.*

Respond. Eadem prorsus argumenta vim habent in ente comparatione substantiæ, quæ constituitur modo *per se*, & comparatione accidentis, quod constituitur modo *in alio*. Quam instantiam, quoniam animaduertunt authores huius argumenti; conantur acriter oppugnare conceptum communem entis. Sed illum defendere, non est instituti præsentis: satis est illum ex logica & metaphysica supponere. Quo supposito, ad

Ad primum inconueniens.

singula inconuenientia respondeo. Ad primum Paternitas non ita est propriè determinatiua Deitatis, sicut rationalitas est determinatiua animalis; sed minus propriè, quamadmodum perfectas est determinatiua entis; quoniam ens vt sic, non dicit substantiam determinatè; perfectas verò determinatè & explicitè significat modum peculiarem entis, qui est substantia, & essentialiter est ens.

15 *Ad secundum.*

Ad secundum inconueniens. Sicut perfectas non significat prorsus idem quod substantia, quoniam perfectas magis explicitè significat modum peculiarem, quo substantia differt ab accidenti, & ex modo significandi affectat nihil aliud significare, quamuis propter maximam transcendentiam entis essentialiter includatur in re significata: ita Paternitas non significat idem prorsus, quod Pater: nam Paternitas magis explicitè significat relationem, qua Pater distinguitur à Filio: & ex modo significandi Paternitas affectat non significare Deitatem; quamuis propter infinitam perfectionem Deitatis, & summam simplicitatem cuiusque perfectionis diuinæ, Deitas essentialiter includatur in re significata per Paternitatem. Attamen Pater non solùm propter simplicitatem rei significatæ, sed etiam propter modum significandi nominis concreti, significat integram personam, Deitate & relatione constantem.

Ex modo significandi abstracta affectant significare minus, quam concreta.

16 *Constitutio Patris per Paternitatẽ.*

Vnde respondetur ad tertium inconueniens. Prædicta distinctio Patris à Paternitate secundùm explicitum & implicitum, sufficiens est, vt Pater dicatur constitui Paternitate, sed non ita propriè, sicut homo constituitur rationalitate. Quia constitutio propriè dicta, est rei compositæ: at verò Pater neque secundùm rationem compositus est: vt vidimus sectione præced. probat. 6. Vnde etiam respondetur ad quartum. Non est nugatio, neque superflua repetitio, quando magis explicatur res eadem multis conceptibus; quamuis vnus includatur in alio propter natiuam rei transcendentiam. Ad quintum inconueniens negatur sequela, quia tam definitio, quàm definitum ex modo significandi æque primò rem totam & integram important. At verò Paternitas ex modo significandi affectat, nihil aliud explicitè dicere, nisi præcisam relationem, qua Pater distinguitur à Filio.

17 *Sophismata.*

Nonum argumentum, quoniam hæc consequentia bona est, Paternitas est Deitas: sed Pater intelligit Deitate: ergo Pater intelligit Paternitate: similitérque ista consequentia: sapientia est id, quo Pater intelligit: sed Paternitas est sapientia. Ergo Paternitas est id, quo Pater intelligit. Cum autem vtrumque consequens sit absurdum; antecedens erit falsum, qua parte dicit, Paternitatem esse Deitatem & sapientiam.

18 *Fallit appellatione variata.*

Respondeo, consequentiam huiusmodi etiam in creaturis fallere, quanto magis in mysterio sanctissimæ Trinitatis. Neque enim valet hæc consequentia: Rationalitas est entitas: rationalitas constituit hominem, illíque tribuit intellectum. Ergo entitas constituit hominem, illíque tribuit intellectum. Fallaciæ ratio generalis est: nam quotiescumque significatur non solum essentialis inclusio, sed etiam reduplicatio supra conceptum explicitum: nihil valent similes consequentiæ; vitiantur enim appellatione variata. Eodem igitur modo propositiones illæ: Pater Deitate intelligit, vel sapientia est id, quo Pater intelligit, significant reduplicationem supra explicitum conceptum Paternitatis. Idcóque non verificantur de illa, quamuis Deitas & sapientia includantur in Paternitate. Habet autem hæc solutio clariorem vim in Trinitatis mysterio, in quo fallax est hic syllogismus: *Hic Deus est Pater, hic Deus est Filius. Ergo Pater est Filius:* & alij similes syllogismi, de quibus dicemus disput. 15. sect. 5. & 6.

SECTIO IV.

Vtrum communitas, seu communicabilitas sit de essentia Deitatis.

1 POstremum argumentum, oppugnans quidditatiuam inclusionem Deitatis in relationibus, est huiusmodi. Deitas essentialiter est communis tribus personis. Sed Paternitas non est essentialiter communis tribus personis. Ergo Paternitas non est essentialiter Deitas: ac subinde diuina essentia non est de quidditate Paternitatis. Maior probatur primò, quia quodcumque prædicatum conueniens diuinitati ratione sui, & non ratione relationis, est essentiale; sed esse communem tribus personis, conuenit diuinitati ratione sui, & non ratione relationis. Ergo est prædicatum essentiale. Secundò, quia communitas est prædicatum absolutum, non respectiuum, neque personale, aut notionale. Tertiò, quia communitas, seu communicabilitas conuenit ratione infinitatis in genere entis, hæc autem essentialiter conuenit Deitati.

2 Confirmatur primò, quia quidquid Deitati realiter, & ante operationem intellectus conuenit, est illi essentiale. Sed communitas Deitati conuenit

conuenit in re ipsa, & ante considerationẽ intellectus. Ergo communitas Deitati conuenit essentialiter. Minorem apertè docuisse videtur Damasc. 1. fidei cap. 11. à principio, quantum ad hoc, discrimen obseruans inter communitatem naturæ creatæ & communitatem naturæ increatæ: *In omnibus sanè creaturis*, ait, *distinctio suppositorum re ipsa consideratur: re enim Petrus à Paulo distinctus concipitur. Communio autem, & naturæ affinitas & vnio ratione & intelligentia consideratur. Mente enim concipimus, Petrum & Paulum eiusdem naturæ esse, & vnius naturæ communionem habere.* Quod postquam explicuit, adiungit: *In sancta Trinitate è diuerso comperitur. Nam istic commune & vnum re consideratur propter coæternitatem & identitatem substantiæ*, &c.

3 Confirmatur secundò, quoniam vt multi Patres obseruant, cuicumque personæ diuinæ communia sunt omnia, quæ propria sunt diuinæ substantiæ, siue essentiæ: sed communitas est propria diuinæ essentiæ. Ergo communis esse debet tribus personis. Maiorem tradit Athanas. Dialog. 1. de sancta Trinitate contra Anomæum, non longè post medium, dicens: *Essentia declarat communitatem, & si quid est essentiæ proprium, id quoque commune est hypostasibus, quæ essentiæ subsunt.* Et post pauca: *Quæ propria sunt essentia, similiter sunt communia Patri, Filio, & Spiritui sancto.* Quam sententiam multoties repetit in eodem dialogo.

4 Cyrillus Alex. lib. 12. Thesauri c. 5. paulo post med. de Filio ait: *Cui omnia Paternæ substantiæ propria communia sunt, sicut vero Patris fructui.* Et dialogor. de Trinit. lib. 2. multo propius ad princip. quàm ad med. videlicet colum. 5. *Communia*, inquit, *vt sic dicam, totius Trinitatis dicerentur, quæ substantiæ summæ agnata sunt.* Boëtius in libello de prædicatione substantiali personarum sub init. *Quæcumque*, inquit, *de diuina substantia prædicantur, ea tribus oportet esse communia.* Idem notant Damascen. Anselmus & Ioannes in Concilio Florent. locis infra citandis.

5 *Communitas fundamentaliter accepta conuenit essentialiter Deitati.*

Propterea dico primò. Communitas siue communicabilitas Deitatis, fundamentaliter sumpta, conuenit essentialiter Deitati. Quia est prædicatum reale & absolutum; vt probant argumenta initio posita: & præ cæteris expresè docuit Damascen. in prima confirmatione citatus. Fundamentum quippe communitatis est ipsa ratio substantiæ infinitæ in genere entis absoluti, cui necessariò connectitur fœcunditas; eidémque repugnat à relationibus realiter distingui, quin potius postulat per illas terminari, & vltimò compleri. Confirmatur, quia realiter, & independenter ab operatione nostri intellectus, Deitati conuenit esse rem simplicissimam, realiter eandem cum tribus personis.

6 Hanc Patres confirmant, non solum nomine *communitatis*, aut *communicabilitatis*, aut *communionis*, sed etiam nomine *indifferentiæ*, & *vniuersalitatis ad indiuidua*. Quorum testimonia, non modò præsentem assertionem corroborant, sed etiam decisionem sequentis disputationis, aliásque non paucas comparationes essentiæ siue substantiæ cum hypostasi vel persona, tractandas in aliis disputationibus. Propterea proferre semel eorum copiam, operæ pretium erit. Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. ferè inter principium & med. distinguit perfectiones Dei & nomina quædam *coniuncta & communia, & in quibus reciprocatio indicitur*, videlicet, absoluta & essentialia: alia verò distincta & propria singulis personis. Et frequenter repetens *communionem & distinctionem* adiungit prope med. capitis. *Hoc commune est coniunctumq; atque vnum toti Diuinitati, eam totam cum vnoquoque eorum, qui ea participant, communicari, & cum nemine vllam eius partem.*

7 Iustinus in expositione fidei de Trinitat. inter principium & medium de tribus personis ait, *habere hæc communem essentiam, quæ vbique coniuncta sunt.* Et non longè ante med. *Quatenus Deus essentiam communem substantiarum intelligendo.* Gregorius Bœticus lib. de Trinit. colum. 9. ad med. ait: *secundum indifferentiam substantiæ audiendum est: Ego in Patre, & Pater in me est. Sed & illud quod ait: Ego & Pater vnum sumus; secundum indifferentiam substantiæ, vnum sunt Pater & Filius.*

8 Basilius homil. 15. de fide in medio ait: *Ex naturali communitate patriæ Diuinitatis dignitatem obtinente Filio.* & homil. 28. contra Sabellianos inter princ. & medium dicit: *Diuinitatem indifferentem, & naturæ indifferentiam.* Præterea, *communem esse substantiam*, vel *Deitatem*, vel *naturam*, & *omnia esse communia*, præter relationes, scribit alibi frequenter: vt lib. 1. contra Eunom. propius ad fin. quàm ad med. & lib. 2. similiter propiùs ad fin. & lib. 5. in princ. lib. vnico de Spiritu sancto cap. 18. inter princip. & med. & cap. 19. sub init. Denique idem Basil. epist. 43. ad Gregor. Nyssenum ex professo probat, differentiam vsiæ ab hypostasi in eo consistere, quod vsia communis, hypostasis propria & singularis est.

9 In eadem sententia fuit Gregor. Nyssenus peculiari lib. de differentia essentiæ, & hypostasi inter cuius medium & fin. ait: *In sancta Trinitate communis ratio ad essentiam reducitur: hypostasis verò peculiare ac proprium vniuscuiusque signum est.* Idem docet Athanas. in dialog. 1. de sancta Trinitate nuper citato, & in quæstionibus, quarum prima est, *Quid est Deus.* q. 5. ait: *Sanctæ Trinitati commune est essentia, commune est principio carere, commune potentia* &c.

10 Chrysostom. hom. 5. de incomprehensibili Dei natura col. 2. *Nomina*, inquit, *diuina partim communia, partim propria habentur. Communia, vt eadem atque indifferens substantia ostendatur: propria vt personarum denotetur proprietas.* Cyrillus Alex. non solum locis proximè citatis, sed etiam lib. 7. Thesauri cap. 1. à medio, & dialog. de Trinit. lib. 1. inter med. & fin. præsertim cum penult. notat, tribus personis vniuersale & commune esse quodcumque bonum, pertinens ad naturam: & dialog. lib. 5. inter princ. & med. Patri & Filio, dicit, esse *omnia communia*. Idem docet Theodoretus dialogo *immutabilis*, tribus prioribus columnis, & in c. vltimo additionum ad breuiarium Liberati, tomo 1. Concil. ante Concil. Aruernense.

11 Damascenus lib. 3. fidei cap. 6. in princip. *Quæ communia*, inquit, *& vniuersalia sunt, prædicantur de subiectis sibi particularibus. At quia substantia communis est, particulare verò hypostasis*, &c. Et lib. de decretis primæ institut. cap. 2. *Natura*, inquit, *essentia & forma quiddam commune est, eaq; omnia, quæ eiusdem sunt essentiæ naturæq; complectitur. At hypostasis indiuiduum & persona quiddam speciale est, vt res singulæ, quæ eadem specie continentur.* Similiter in lib. de duabus Christi voluntatibus pag. 2. & 3. & tota epist. de Tusagio præsertim in medio, Deitatem, essentiam, siue naturam frequenter appellat, *communem, vniuersalem, indeterminatam*; sed vnamquamque hypostasim *determinatam & particularem, indiuiduam.*

12 Hilarius duodecim libris de Trinitate & toto lib. de Synodis frequenter repetit *indifferentem naturam*, vel *essentiam*, vel *substantiam*. Augustinus lib.7.de Trinitate inter med.& fin.ait: *Quam est illis commune nomen essentia, ita vt singulus quisque dicatur essentia; tam illis commune est vel substantia, vel persona vocabulum*. Eandem communitatem testatur frequenter Anselmus præsertim de incarnatione Verbi cap.3. & toto tractatu de processione Spiritus sancti,& Ricardus Victor.lib.4. de Trinitate cap.16.

13 Quin etiam Lateranense Concilium cap. *firmiter* de summa Trinitate prope med. *Hæc*, inquit, *sancta Trinitas secundum communem essentiam, indiuidua*. Ioannes Theologus in Conc.Florent.sess.18. paulo post medium §. *diuina substantia*, postquam cum Gregorio Nazian. substantiam à persona distinxit, quoniã illa est communicabilis,hæc verò incommunicabilis,concludit. *Igitur diuina omnia, proprietatibus personarum exceptis, communia sunt*. Continuò Marcus Græcorum nomine subscribit: *Quemadmodum diuina substãtia & persona differant inter se,nõ opus est in præsentia dicere,cum præsertim in hoc minimè forsã differamus. Costat enim,ipsas differre simpliciter, vt commune differt à proprio, vt Magnus Basilius ad suum fratrem Gregorium scribit*. In hanc igitur communitatem Græci cum Latinis conspirarunt, tacitè approbante Concilio. Quapropter debet esse certissima.

14 Idem decernitur in edicto Iustiniani ad Ioannem secundum colum. 9. (Habetur autem post Concilium Toletanum secundum) vbi notatur hanc esse communem doctrinam Patrum. Verumtamen iterum oportebit naturæ communitatem probare disp.32. præsertim sect.6.

15 *Communitas formaliter sumpta est ens rationis.* Dico secundò. Communitas seu communicabilitas formaliter sumpta, non est prædicatum reale in Deitate; sed est formaliter relatio rationis: & consequenter non conuenit essentialiter Deitati. Ita existimat Scotus in 1.dist.23.q.1.post med. & fin. Idem apertè deducitur ex S.Thom. in 1. dist.33. quæst.1. art.4. corpor. quoniam docet, omnia illa, quæ prædicant conditionem rei absolutæ, prædicari non solum de essentia, sed etiam de proprietate & persona. Subiungit autem, communitatem essentiæ non prædicari de personis; quia in communitate exprimitur modus significandi, in quo essentia distinguitur à proprietate & persona. Idem docet Petrus Palud. quem refert & sequitur Carthusianus 1. dist. 33. quæst.2. col. 1. Fauet Bonauent. 1. dist. 34. art. vnico quæst.2. ad vltim.

16 Probatur primò, quia licet in Deitate sit realis identitas, cum tribus personis, simul cum vnitate reali (quod non habent vniuersalia creata) nihilominus Deitas ante opus intellectus non distinguitur à personis, quibus cõmunicatur. Quapropter relatio essentiæ ad personas, quam formaliter importat communitas, non potest esse realis; quia nihil reale pendere potest à distinctione facienda per intellectum. Confirmatur, quoniam abstractionem intellectus respiciẽs Damascenus lib. de decretis primæ inst.cap.6.in medio. Diuinitatem appellat *speciem*, comparatione indiuiduorum, quæ sunt personæ. Quod idem apertè significat lib.3. fidei cap.7. à principio, & frequentius repetit lib. de duabus Christi voluntatibus pag.2. & 3.

17 Probatur secundò, quia quæ sunt realia & essentialia Deitati, tribus personis quidditatiuè cõueniunt. Sed cõmunitas vel communicabilitas formaliter sumpta, nulli personæ quidditatiuè conuenit. Ergo non est aliquid reale & essentiale Deitati. Confirmatur, quoniam hæc est vna ex rationibus, propter quas communitas, vel vniuersalitas, probatur, non esse de quidditate hominis; quia non est de quidditate Petri.

18 *Relatio realis requirit realẽ distinctionem.* Tertiò probatur, nam quod aliqui recentiores existimant, communitatem esse relationem transcendentalem essentiæ ad relationes: est impossibile. Quia relatio realis, etiam transcendentalis, requirit realem distinctionem extremorum, excepta intellectione, aut volitione; qui actus hoc singulare habent præ cæteris omnibus formalitatibus, vt reflectant supra se ipsos. Cum igitur in formalitate Deitatis aut essentiæ nulla sit ratio ponendi reflexionem supra se ipsam (sicut non est ponenda in humanitate, quæ identificatur cum Petro vel cum Paulo) consequens est, neque transcendentalem relationem posse dari realem inter Deitatem, & relationes.

19 Quod autem alij authores dicunt, communicabilitatem Deitatis, nihil aliud esse, quàm fœcunditatem & infinitatem, relationibus terminatam: hoc solummodo est communitas fundamentalis: vt vidimus in assertione 1. nam formalis communitas expresè continet respectum vnius ad multa, quibus conuenit.

20 Ad argumentum initio positum respondetur, iuxta duplicem acceptionem communitatis. Nam si totum argumentum agat de communitate formali; Maior est falsa, vt constat ex assertione 2. Et ad primam probationem negatur minor. Nam esse formaliter communem, non conuenit Deitati ratione sui solius, sed dependenter ab operatione intellectus, distinguentis Deitatem à relationibus, & cum eis comparantis. Ad secundam probationem respond. Communitas, formaliter sumpta, non est prædicatum personale, nec notionale, neque absolutum, sed est relatio rationis. Ad tertiam, quod communicabilitas formaliter sumpta, licet supponat infinitatem in genere entis, non consistit in ea formaliter, sed est superaddita relatio rationis.

21 Ex quibus constat solutio ad confirmationes. Quia Damascenus agit de communitate fundamentali, quæ maior est in natura diuina, quàm in natura creata, propter realem vnitatem. Cæteri verò Patres agunt de realibus perfectionibus Deitatis.

22 Idem argumentum, initio positum potest intelligi de communitate, seu communicabilitate fundamentali: atque in hoc sensu negatur consequentia. Quamuis enim Deitas sit essentialiter communis fundamentali communitate; potest Paterniras non esse communis communitate fundamentali; & inde non sequitur, Paternitatem non esse essentialiter Deitatem: quia variatur appellatio. Qui defectus consequentiam vitiat, tunc præcipuè quando prædicatum requirit præcisionem faciendam per intellectum. Quemadmodum sect. præcedenti ad tertium dictum est, relationem diuinam non dici ens absolutum, quamuis sit essentia diuina, quoniam *absolutum* significat præcisionem à relatione. Simili ratione Paternitas vel Filiatio non poterit dici fundamentaliter communis, quia in hac ipsa communitate significatur præcisio & distinctio inter Deitatem & relationes. *Paternitas non est communis fundamentaliter.*

23 Manifestum exemplum est in omnibus generibus & speciebus prædicamentorum realium. Nam humanitati v. g. realiter conuenit esse fundamentaliter

damentaliter communem Petro & Paulo,& fundamentaliter speciem. Nihilominus de Petro affirmari non potest esse fundamentaliter communem, sed tantum affirmatur, in Petro essentialiter contineri naturam, quæ est fundamentaliter communis. De similibus defectibus syllogismorum in Trinitate plura dicemus disput.15.sect.5. & 6.

24 Ad omnes probationes Maioris, nihil opus est respondere, quoniam Maiorem atque Minorem concessimus in sensu præsentis solutionis. Propter eandem rationem solutione non indiget vtraque confirmatio, quia verum probat, quantum ad fundamentalem communitatem.

DISPVTATIO XIV.

Vtrum relationes sint de essentia Deitatis, siue naturæ, aut essentiæ diuinæ.

SECTIO I.

Partem affirmatiuam quæ suadere possunt testimonia.

1 VOD relatio siue proprietas necessariò includatur in conceptu essentiæ, sicut essentia includitur in conceptu proprietatis, affirmant Aureol. 1. dist.1. quæst.1. art.2. & sequentibus. & distinct.33. quæst.1. art. 1. & 3. Valentia lib.1. de Trinitate cap. 29. colum. 3. in 4. argum. Eadem videtur esse sententia Capreoli 1.dist.2.quæst.3.fine & Gregorij 1. dist.27.quæst. vnica, art.2. post 3. conclus.probat.3. & sequentibus. Tribuitur sancto Thomæ in præced. q.27. art. 2. ad 3. præcipuè verò iuxta expositionem Caietani ibidem in fine articuli. Sed mentem S.Thomæ iam aperuimus disput. 13. sect.1. non longè à principio. Caietanus autem huic sententiæ fauet non solùm loco citato, sed etiam infra. quæst.39. art.1. §. *Ad euidentiam*. Qui tamen alibi veram sententiam negatiuam docuit, vt videbimus sect. sequenti.

2 Eidem sententiæ affirmatiuæ fauere videtur Ferrariens. 4. contra gentes, cap. 26. longè post med. §. *considerandum*, & sequenti. Veruntamen alibi manifestè docet oppositum, vt referemus sect.2. Fauet etiam Canariensis. quæst. 40. art.1. præsertim col.penult.Verùm ibi remittit ad quæstionem 28. quam sect. sequenti citabimus pro vera sententia. Videtur etiam Suarez relationes includere in essentia Deitatis lib.5.de Trinit.c.3. num.6. & sequentibus. Attamen veram sententiam docuit lib.4. cap.5. & 6.

3 Propter hos, & alios Theologos notandus est etiam locus S.Thomæ infra quæst.40. art.1.corp. & ad 1. vbi docet, Paternitatem esse idem cum Patre, & generaliter proprietatem esse idem cum persona; quoniam in Deo propter summam simplicitatem idem sunt concretum & abstractum, quemadmodum Deus & Deitas. Cęterum S.Thomas ibi, neque Patrem, neque Paternitatem includit in essentia, sed solummodo dicit, totum quod significatur nomine Patris, significari nomine Paternitatis, cum diuerso modo significandi per modum formæ in abstracto, vel per modum suppositi subsistentis in concreto.

4 *Primum argumentum.* Valentia suam sententiam probat primò, quia ita docet Athanas.orat.contra Greg.Sabellij paulo post med. Vbi explicans propriam & adæquatam rationem diuinitatis, *Vniuersa*, inquit, *plenitudo & integritas Deitatis est Pater vt Pater, & Filius vt Filius*. & infra *idem*, inquit, *de Filio & Spiritu sancto est existimandum*. Iam si diuina essentia est Pater & Filius & Spiritus sanctus, vt tales sunt: igitur Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt de ratione essentiæ diuinæ. Confirmat, quia clarissimè idem Athanas. dicit, *ipsam proprietatem Patris, essentiam Filij constituere*. Serm.4.contra Arianos non longè ab init. videlicet colum.4.

5 *Secũdum argumentum.* Secundò argumentatur, quia Nazianz.orat.39. in sancta lumina prope med. *Vnum*, inquit, *in tribus diuinitas est, & tria vnum, ea, inquam, in quibus diuinitas est, vel, vt magis proprie dicam, quæ Diuinitas est*. Atque eadem ratione Valentia potuisset referre Damascenum lib. 1. fidei cap.11. circa med. vbi de personis ait: *Cum verò ad ea, in quibus est Diuinitas (siue vt exactius loquar) quæ sunt ipsa Diuinitas*, &c.

6 *Tertium argumentum.* Tertiò, quoniam Euagrius monachus cum obiecisset Nazianzeno, videri diuinam essentiam compositam, si ex tribus ipsa personis constat: nequaquam D. Gregor. Nazianzenus negat, illam ex tribus personis esse constitutam, sed aliis modis conatur defendere, eam nihilominus non esse compositam. Hæc nimirum ex Nazianzeno orat.45. de Diuinit. ad Euagrium.

7 *Quartum argumentum.* Quartò, nam omnes, inquit, alij Orthodoxi Patres cum fatentur, essentiam vnam (& quod idem est) vnum Deum esse tres personas, proculdubio intrinsecè, & essentialiter tres personas esse intellexerunt: cum in Deo ipso nihil insit extrinsecum, vel accidentarium, essentiæ suæ, Quintò, quia S.Thomas 1.p. quæst.27. art.2. ad 3. docet, personas ab essentia nullo modo formaliter ex natura rei distingui. Vnde euidenter sequitur, esse illas de adæquata ratione essentiæ.

8 *Sextum argumentum.* Nos insuper addimus rationes, & plura testimonia, quæ possent mouere Theologum, vt in eandem sententiam veniret. Sextum igitur argumentum sit, quia Cyrillus Alex. dialo. de Trinit. lib.2. multo propius ad princ. quàm ad med. videlicet colum.5. *Diuinam*, inquit, *si quis agnominaret naturam, integram nobis quasi in vno significato ostenderet statim sanctam Trinitatem, quæ in vna Deitate intelligitur*. Confirmatur, quia non longè inferius explicatis proprietatibus trium personarum, adiungit: *Sic manifestam & inconfusam trium subsistentiarum in propriis existentijs proprietatem seruans, vnam & consubstantialem naturam omnium reginam adorabis*. Videtur ergo Trinitatem appellare naturam, non verò Deitatem præcisam à personis: hæc enim ita præcisa neque est consubstantialis, sed est subsistantia; nec seruat manifestam & inconfusam trium subsistentiarum in propriis existentiis proprietatem.

9 *Septimũ argumentum.* Septimum argumentum, nam idem Cyrillus lib.13. Thesaur. cap.1. sub init. *Spiritus*, inquit, *sanctus in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex eo prodit*. Quam locutionem repetit in eodem cap. Ergo de essentia Dei est Spiritus sanctus: & propter eandem rationem Pater & Filius. Confirmatur, nam in eodem lib.13. cap. 2. post med. & in fin. *Spiritum sanctum appellat operationem naturalem, & essentialem in propria hypostasi prodeuntem & manentem in Deo*. Similiterque lib.13.c.4.in medio: *Spiritus sãctus essentialiter est. Naturalis enim & viua & subsistẽs Dei operatio est*. Et lib.14.c.1.fin. dicit Spiritum sanctum esse *naturalem virtutẽ Dei*.

Octauum

10 *Octauum argumentum.* Octauum argum. quoniam essentia, subſtantia vel natura Diuina est idem quod Diuinitas. At verò Diuinitatem constare tribus personis, & non esse integram atque totam, nisi prout includit omnes atque singulas personas: significat Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. sub init. dicens: *Nomina omnia, quæ eo digna sint, semper non singillatim per partes, sed in tota, perfecta, integra plenaq; Diuinitate à diuinis scriptis laudari: eaque omnia sine diuisione, absolutè, sine diuisionis obseruatione, integrè omni integritati perfectæ, totiq; diuinitati tribui.* Hanc autem totalitatem frequenter inferius repetit, omnibus & singulis personis seorsum tribuens Diuinitatis perfectiones.

11 *Nonum argumentum.* Nonum argumentum. Quoniam *totius Deitatis principium Pater est*, vt scribit Augustinus lib. 4. de Trinitat. cap. 20. versus fin. receptus à Magistro, & communiter Scholasticis 1. dist. 15. cap. *hic quæritur.* Vnde Concil. Toletanum Vndecimum in professione fidei init. *Fons*, inquit, *& origo totius Diuinitatis ipse est.* Quas sententias sæpe numero repetitas inuenies in Concil. Flor. sess. 22. 24. 25. insertásque literis vnionis Eugenij, quibus omnes Patres subscribunt col. 2. Sic Nazianz. orat. 3. quæ est 2. de pace circa med. Patrem appellat *Deitatis principium.* Rursus; *Authorem esse Diuinitatis, quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur*, asserit orat. 29. de dogmate & constitutione Episcoporum prope med. Similiter loquuntur alij Patres citandi disp. 48. sect. 5. & 6. Vnde colligitur, in Diuinitate, seu Deitate comprehendi personas; quoniam Deitatis, vt præscinditur à personis, nullum est principium; neque fons; quia Diuinitas ita præcisa, non ducit originem ab aliquo principio.

12 *Decimũ argumentum.* Decimum, quia pletique Patres *essentiam*, siue *naturam* extendunt ad significandas relationes, origines atque personas, vt ex Epiphanio, Gregorio Nysseno, Athanas. Chrysost. Nazianz. aliisque Patribus, potissimum verò ex Hilario referemus disput. 24. sect. 1. Vndecimum accipi potest ex aliquibus Patribus, asserentibus, Patrem *natura*, siue *subſtantia*, siue *essentia*, esse Patrem, similitérque Filium esse natura, subſtantia & essentia Filium: nec non Spiritum sanctum natura, subſtantia & essentia esse Spiritum sanctum, vt vidimus supra disp. 4. sect. 2. non longè à princ. Obiectiones alias, seu rationes dubitandi, petitas ex ratione Theologica, in sectionem 6. & 7. reiicimus propter maiorem Lectoris commoditatem.

SECTIO II.

Relationes seu personalitates non sunt de quidditate Deitatis aut naturæ, vel essentiæ Diuinæ.

1 HVius sententiæ sunt in primis Scholastici, qui relationes seu personalitates à Deitate distinguunt ante opus intellectus & ex natura rei. Videlicet, Durandus, Scotus, Ochan. & Gabriel. citati disp. 11. sect. 2. Insuper authores, qui existimant, Deitatem non esse de quidditate relationis seu personalitatis: videlicet, Albertus Magnus, Greg. Ariminen. Ludouicus Molina & Gabriel Vazquez, citati disp. 13. sect. 1. sub init.

2 Sequentes verò Doctores magis directè & adequatè præsentem assertionem docent, quia supponentes, essentiam à relatione non distingui, nisi sola ratione; Insuper essentiam esse de quidditate relationis: adhuc existimant, relationes seu personalitates non esse de quidditate Deitatis vel essentiæ. S. Thom. in 1. distinct. 33. quæst. 1. art. 1. corpor. post med. *Verus*, inquit, *respectus pertinens ad naturam relationis, quæ non pertinet ad rationem essentiæ*, &c. Et 1. p. quæst. 33. art. 3. ad 1. docet, quod communia, absolute dicta, includuntur in intellectu propriorum; sed non è conuerso: prout retulimus disp. 13. sect. 1. Idem q. 39. art. 4. corp. supponit, essentiam posse præscindi à personalitatibus, seu relationibus.

3 Clariùs præsentem assertionem docuit S. Bonauent. 1. dist. 34. art. vnic. quæst. 1. & 2. Cuius sententiam tacitè probat Carthusianus in eadem dist. & quæst. Alex. 1. p. quæst. 68. memb. 5. art. 5. fine & quæst. 56. memb. 7. art. 1. ad 8. Ægidius in 1. dist. 34. art. 2. quem vt proprium authorem sequitur Argentina dist. 33. quæst. vnic. art. 3. & dist. 34. quæst. vnica. §. *Tertio dico.* Ricardus 1. dist. 34. art. 1. quæst. 1. & 2. Marsil. 1. quæst. 37. art. 3. conc. 2. Idem supponit Caietanus apertè infra quæst. 39. artic. 6. circa responsionem ad secund.

4 Ferrariensis verò lib. 2. contra gentes cap. 9. in med. *Paternitas*, inquit, *vt relatio est, non esset de ratione Deitatis, etiam si secundum quod est, conciperetur.* Procedit autem ex falso fundamento, videlicet, quoniam existimat, relationem vt relatio est, non dicere aliquam realitatem neque perfectionem; quam doctrinam refutauimus tota disput. 9. præsertim sect. 5. & 6. Propter eandem rationem non aliter responderet Caietanus, iuxta doctrinam, quam tradit quæst. 28. art. 1. §. *ad has dubitationes.* Magis ex professo præsentem conclusionem docet Canarien. in præsenti quæst. 28. art. 2. disp. 2. dubio vlt. colum. 2. & disput. 3. p. 2. & fusius infra quæst. 39. art. 6. disput. vnic. p. 2. conclus. 3. Suarez lib. 4. de Trinit. c. 5. & 6. Bellar. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 9. ad fin. Tribuitur Henrico quodlib. 5. quæst. 6. nec sine aliquo fundamento, præsertim prope fin. dum soluit argumenta. Cæterum ambiguè loquitur, ita vt potuisset etiam pro contraria sententia citari.

5 *Exponitur, relationes nõ esse de essentia Deitatis.* Antequam assertionem probemus, exponenda erit & amplianda, quia de quidditate Deitatis, siue naturæ, vel essentiæ diuinæ non sunt relationes in particulari, videlicet Paternitas, Filiatio, & spiratio; nec ratio communis relationis abstracta à Paternitate, Filiatione, & spiratione. Hæc enim secunda pars ex priori necessariò sequitur; quia cum Deitas seu natura diuina singularis sit, & indiuidua (vt in hac & sequentibus sectionibus constabit, fusius autem tota disp. 22.) necessarium est, vt quælibet ratio communis, conueniens essentialiter Deitati, habeat aliquod singulare, quod sit essentiale Deitati. Quapropter, si nullum indiuiduum relationis essentialiter conuenit Deitati; consequens est, neque communem rationem relationis essentialiter conuenire.

6 *Deitas & natura strictè sumpta.* Deinde distinguendà est analogia vocis, siue multiplex eius acceptio. Primò namque Deitas siue natura, subſtantia vel essentia diuina sumitur, vt plurimum, & magis propriè pro ratione formali & quasi specifica, per quam vnaquæque persona constituitur integrè & perfectè in ratione Dei, sed non constituitur in ratione personæ. Nam secundùm principia Theologiæ & philosophiæ, natura siue essentia est, quæ tribuit simpliciter esse, & quæ est principium operationum. Secundò accipiuntur aliquando illæ omnes voces pro tota realitate illius entitatis, quæ *Secunda acceptio.*

Deus est. Quo sensu comprehendit personas.

7 *Tertia acceptio. Quarta acceptio. Quinta acceptio.* Tertiò, nonnunquam etiam accipitur natura & subſtantia, prout condistinguitur ab accidenti. Quarta acceptio, præcedenti proxima est, iuxta quam subſtantia & natura est idem, quod quidditas cuiusliber rei, non solum absolutæ, sed etiam relatiuæ. Quintò denique, subſtantia, natura & essentia sumitur, prout opponitur libero & voluntario, gratuito & adoptiuo; significátque necessitatem absolutam ab intrinseco prouenientem. Quo sensu dicere poteris, ignem esse naturalem calidum. Ex his acceptionibus, iuxta primam loquitur assertio præsens. Nam acceptiones aliæ commemorantur ad explicandas locutiones Patrum sect. 5. & 6. *Loquimur iuxta primã acceptionem.*

8 *Patrum testimonia pro relatione non inclusa in essentia Deitatis.* Nunc assertio probatur primò testimoniis Patrum: Nazianz. enim orat. 32. de relationibus loquens ait: *Circa naturam hæc considerantur:* & orat. 44. *Nequaquam subſtantiam secernunt, verùm circa subſtantiam secernuntur.* Quæ verba magis integrè posuimus disp. 12. sect. 3. propius ad princ. quàm ad med. Hic autem modus loquendi contrarius est inclusioni quidditatiuæ, adeo vt videatur quasi accidẽtales constituere relationes Athanas. dialog. 2. de sancta Trinit. contra Anomæum in medio docet, *Generationem non esse quiddam essentiale.*

9 Cyrillus Alex. lib. 2. Thesauri cap. 3. propiùs ad princ. quàm ad med. appellat *quasi extrinsecus intellectam differentiam, non secundùm essentiam, sed secundùm relationem, per quam Patris & Filij persona in propria hypostasi constituitur.* Omnia verba sunt Cyrilli, quamuis ordine mutato, sed eorum sensu fideliter retento.

10 Damascenus lib. 3. fidei cap. 6. à princ. *Numero*, inquit, *& non natura differre dicuntur hypostases. Prædicatur igitur subſtantia de hypostasi. Quapropter vnaquæque hypostasεon eiusdem speciei perfecta subſtantia est: quare non differunt ab inuicem hypostasès secundùm subſtantiam, sed secundùm accidentia, quæ quidem sunt characterica signalesq; proprietates. Characterica autem hypostasεos non naturæ sunt: nam & hypostasin diffiniunt subſtantiam cum accidentibus.* Vbi nomen accidentis ampliat, vt comprehendat quidquid non est de quidditate subſtantiæ absolutæ. *Accidentis vox latè sumpta.*

11 Isidorus 7. ethymol. cap. 1. post med. ait: *Deum non esse essentialiter, quod relatiuè ad quamcumque personam est.* Vbi Loaysa notat, hoc fuisse desumptum ex Augustino 11. de ciuit. cap. 10. Et quidem fundamentum præbet Augustinus inter prin. & med. capitis, licet non dicat expressè.

12 Anselmus in monolog. cap. 14. sub init. *De relatiuis*, inquit, *nulli dubium, quia nullum eorum subſtantiale est illi, de quo relatiuè dicitur. Quare si quid de summa natura dicitur relatiuè, non est eius significatum.* Vbi quamuis Anselmus expressè non constituat exemplum, nisi tantum in relationibus Dei ad creaturas; nihilominus eius doctrina generalis est, & generaliter intellecta, consonat eiusdem Anselmi doctrinæ lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. & toto lib. de processione Spiritus sancti. Idem sumitur ex Ricard. Victor. toto ferè lib. 4. de Trinitate, dum exponit, quid sit subſtantia, & quid sit persona. Alia testimonia Patrum inferenda sunt sequentibus probationibus.

13 *Si Paternitas esset de quidditate Deitatis: esset etiã de quidditate Filij & Spiritus sancti.* Probatur secundò, quia si Paternitas esset de conceptu quidditatiuo Deitatis; foret etiam de conceptu quidditatiuo Filij. Deitas enim est de essentia Filij, ac proinde quidquid est de quidditatiuo conceptu Deitatis, debet esse de quidditatiuo conceptu Filij. Nec interuenit in hac consequentia defectus ille variatæ appellationis, qui præced. disp. 13. sect. 4. notatus est circa fundamentalem communitatem Deitatis; quoniam in hoc argumento non denotatur distinctio Deitatis à Paternitate, neque à Filiatione, sed potius denotatur identitas.

14 Eadem igitur ratio explicatur magis & confirmatur primò, quia si Deitas vel natura Diuina in suo conceptu quidditatiuo complecteretur tres personas copulatiuè; non posset prædicari de singulis personis diuisiuè, dicendo: *Filius est essentia diuina*, nec *Filius est Deitas.* Quoniam perinde foret ac dicere, Filius est Deus Pater, Filius est Spiritus sanctus: ac proinde Filius esset tota Trinitas, quo nihil est absurdius. Aliunde verò naturam siue essentiam Diuinam prædicari de qualibet persona diuisiuè, decernitur in Lateran. Conc. cap. *Damnamus*, de summa Trinit. circa med. dicente: *Vna quædam summa res veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul personæ ac sigillatim quælibet earumdem: & ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet, subſtantia, essentia, seu natura Diuina.* Similia referemus ex Concil. Toletan. Vndecimo in fine sectionis præsentis.

15 Confirmatur secundò, nam eandem hanc rationem tradit Boëtius in libello, *Vtrum Pater & Filius & Spiritus sanctus de Diuinitate subſtantialiter prædicentur.* Vbi postquam respondit, non prædicari subſtantialiter, in medio libri sic probat, *Nam qui Pater est, hoc vocabulum non trasmittit ad Filium, neque ad Spiritum sanctum. Quo fit, vt non sit subſtantiale nomen hoc inditum. Nam si subſtantiale est, vt Deus, vt veritas, vt iustitia, vt ipsa quoque subſtantia, de cæteris diceretur.* Videlicet dicendo: Filius est Pater, & Spiritus sanctus est Pater. In hoc discursu perpende primò, vocem *subſtantialiter*, accipi non præcisè, prout opponitur accidentali prædicationi; sed magis propriè, vt significat essentiam, siue naturam absolutam, condistinctam à relatione, quam Deus in ratione Dei continet, vt constat ex toto discursu illius tractatus. Perpende secundò, vocabulum *Pater*, non esse subſtantiale, sicut ipsa subſtantia Dei; quia non prædicatur de cæteris personis, sicut prædicatur subſtantia. Ergo subſtantia Dei non includit quidditatiuè Paternitatem. Alioqui subſtantia non prædicaretur de Filio, sicut Pater non prædicatur de Filio.

16 *Ariani contendebant, rationem ingeniti esse de quidditate Dei.* Confirmatur tertiò, quia rationem Ingeniti, siue innascibilis pertinere ad subſtantiam & naturam Dei, tanquam illius quidditatem, contendebant Ariani, vt inde colligerent, Filium esse diuersæ subſtantiæ, quoniam non est ingenitus. Ita de Eunomio refert Basilius lib. 1. contra Eunomium ante med. Et de Aëtio refert Epiphanius hæresi 76. præsertim à cap. 13. Aëtij vsque ad c. 22. Et non solum hi Patres, sed etiam Nazianz. orat. 32. paulo post med. & orat. 35. in med. Cyrillus Alex. toto lib. 11. Thesauri & dialog. de Trinit. lib. 2. colum. 4. August. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. Aliique Patres constanter negant, ingenitum esse de quidditate, natura vel subſtantia Patris; ne possit inferri aliqua diuersitas in subſtantia & natura Patris & Filij. Foret autem ea diuersitas, si Paternitas esset de quidditate, siue de essentia subſtantiæ Dei.

17 *Pater vt Pater non esset integrè Deus, si relationes essent de quidditate Deitatis.* Probatur tertiò, premendo præcedentem rationem vrgentius; quia si Filiatio & spiratio forent de quidditate Deitatis; sequeretur Patrem, vt

vt Patrem, non esse vniuersam plenitudinem & integritatem Deitatis. Consequens autem esse falsum, docuit Athanas.orat.contra Gregales Sabellij paulo post med. dicens: *Vniuersa plenitudo & integritas Deitatis est, Pater, vt Pater; vniuersa item plenitudo Deitatis est, Filius, vt Filius; quando quidem amborum vna forma intelligitur, quæ integrè se in vtroque & solidè exhibet.* Vbi primum obserua, sensum horum verborum, vt scribuntur ab Athanasio, longè diuersum esse ab eo sensu, quem verba reddunt, vt afferuntur pro contraria sententia sect.1. in argum.1. Nam ibi significant, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, collectiuè sumptos, esse plenitudinem Diuinitatis. Contra verò Athanasius singulas personas diuisiuè, sigillatim & per se solas, asserit esse plenitudinem & integritatem Deitatis.

18 Confirmatur primò, nam eodem sensu diuisiuo subiunxit illa verba: *Amborum vna forma intelligitur, quæ integrè se in vtroque & solidè exhibet.* Forma est idem, quod essentia, seu natura Deitatis iuxta illud Philip.2. *Qui cum in forma Dei esset.* Quod si hæc integrè & solidè se exhibet in Patre, cuius forma non est Filiatio; consequens est, Filiationem non esse de quidditate naturæ, seu formæ Diuinæ.

19 Confirmatur secundò, nam illud Coloss.2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter:* immediatè atque directè non significat, Patrem & Spiritum sanctum esse in Filio; sed significat, Filium formaliter, & præcisè ratione sui, esse plenitudinem Diuinitatis. Propterea namque Athanas. non solum loco citato, sed etiam alibi passim clamat, *Filium esse plenitudinem Deitatis*, vt orat.4.contra Arianos.prope init.& lib.2.de propriis personis præsertim in fine. Atque idem obseruat Ambros. tract. in Symb. Apostolorum, & quinque libris de fide ad Gratianum, præsertim lib.3. cap.6. fine, & lib.4. cap.4. propius ad med. quàm ad fin.

20 *Tota substantia Deitatis communicatur.* Confirmatur tertiò, nam eadem ratione totam substantiam totamque Deitatem Patris communicatam fuisse Filio, docent Patres, quod falsum esset, si Paternitas esset de quidditate Deitatis vel substantiæ. Sic nimirum Hilarius lib.9.de Trinit. propiùs ad fin. quàm ad med. ait: *Dum non ex portione compositius est, sed ex simplicitate perfectius est; necesse est, vt secundum quod est Pater, ipse sit omnium suorum ei, quem ex se genuit, Pater totus, dum eum Patrem ex suis omnibus natiuitas Filij perfecta consummat.* Obserua distributiuas dictiones *omnium suorum, ex suis omnibus.* Præterea quinque columnis ante fin. eiusdem libri. *Viuens,* inquit, *natura naturæ viuenti indifferens est, quippe quæ ex tota tota sit.* Igitur tota natura est Pater, & tota natura est Filius; vt ita tota sit ex tota.

21 *Filius est totus de toto, plenus à pleno.* Eodem sensu *Filium esse Deum de Deo, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno,* profitetur Nicæna fides, apud Nazianz. in breuiori tract. de fide Nicæna, qui numeratur orat.50. Et in præced. tract. de fide, qui est orat.49. colum.3. & inter med. & fin. confirmat prædicto testimonio Coloss.2. Nazianzeni sententiam ad verbum transtulit Ambrosius, & inseruit suo lib. de Filij Diuinitate cap.7. sub init. Eandem fidem Antiochena Ecclesia profitetur apud Hilarium lib. de Synodis inter princ. & med. Augustin. serm. 125. de tempore in princ. Atque aliis in locis iidem, aliíque Patres.

22 *Tota natura diuina in singulis personis.* Confirmatur quartò, nam Damascenus lib.3. fidei cap.6. inter princ. & med. *Confitemur,* inquit, *Deitatis naturam omnem in vnaquaque suarum hypostaseon perfectè esse, omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu sancto: quapropter & perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus. Sic & in humanatione, vnius sanctæ Trinitatis, Dei Verbi, dicimus omnem & perfectam Diuinitatis naturam, in vna sui ipsius hypostaseon vnitam omni humanæ naturæ, & non partem parti. Ait enim Diuinus Apostolus, quod in ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.*

23 *Totus Deus ingenitus.* Quintò, quia non esset totus Deus ingenitus; si Deus quidditatiue comprehenderet etiam Filium. At verò *Totus Deus est ingenitus,* vt Epiphan. ad 7. caput Ætij hæres.76. prope med. significans, quod Diuinitas quidditatiue non claudit relationem geniti. Confirmatur sextò, nam Concil. Toletanum Vndecimum in profess. fidei colum.3. *Singulariter,* inquit, *vt vnaquæque persona plenus Deus, & totæ tres personæ vnus Deus.* Quod si vnica persona singulariter accepta est plenus Deus, non sunt de quidditate Deitatis reliquæ duæ personæ.

SECTIO III.

Aliæ probationes eiusdem veritatis.

1 *Non essent vnius substantia, si tres personæ forent de essentia Deitatis.* SIt probatio quarta, quia de fide est *Homousion,* id est, tres personas esse vnius substantiæ, hoc essentiæ. Vnde ita ratiocinatur Augustinus in Psalm. 68. concione 1. colum. 3. *Quid est vnius substantiæ? v.g. Si aurum est Pater, aurum & Filius, aurum & Spiritus sanctus. Quidquid est Pater quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus.* Pondera generalitatem, *quidquid est Pater quod Deus est.* Quapropter in ratione Dei, prout Deus est, non possunt includi relationes, quibus personæ distinguuntur. Alioquin Pater, quatenus Deus, foret etiam Filius & Spiritus sanctus; & consequenter Filius, quatenus Deus est, foret etiam Pater & Spiritus sanctus: siquidem Filius est, quidquid est Pater quatenus Deus. Cuius oppositum continuò subiungit illis præsertim verbis: *Pater quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia eiusdem substantiæ Filius, proculdubio & Filius Deus. At verò, quod Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse.* Quam doctrinam recipiunt non modò Magister & cõmuniter Scholastici in 1. dist.33. & 34. sed etiam Concil. Toletan. Vndecimum in profess. fidei, colum.3.

2 *Nulla distinctio in substantia, tota in personis.* Confirmatur primò, quia vnitatem essentiæ, siue substantiæ Concilia & Patres intelligunt talem, quæ non includat in se distinctionem vllam, siue diuisionem; sed tota diuisio, siue distinctio consistat in personis, seu relationibus. Quod argumentum Boëtius vrget in prædicto lib. *Vtrum Pater & Filius ac Spiritus sanctus de Diuinitate substantialiter prædicentur?* prope init. *Vna igitur substantia trium, nec separari vllo modo, aut distingui potest, nec velut partibus in vnum coniuncta est, sed est vna simpliciter. Quæcumque igitur de Diuina substantia prædicantur, ea tribus oportet esse communia, idque erit signi, quæ sint, quæ de Diuinitatis substantia prædicentur.* Et prope fin. eiusdem libelli. *Quod si personæ diuisæ sunt, substantia verò indiuisa sit, necesse est vocabulum, quod ex personis originem capit, id ad substantiam non pertinere. At Trinitatem personarum diuersitas facit: Trinitas igitur non pertinet ad substantiam.* Id est, nõ ita pertinet, vt substantialiter prædicetur, tanquam de quidditate Deitatis.

Confirma

3 Confirmatur secundò, nam eodem sensu, cap. *Firmiter.*de summa Trinit. decernitur: *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundùm personales proprietates discreta.* & cap. *Damnamus* à med. *Vt distinctiones,* inquit, *sint in personis, & vnitas in natura.* Et infra; *Secundùm substantiam idem omnino.* Et iterum: *Substantia Patris indiuisibilis est,* &c. Athanas. in symbol. *Non confundentes personas, neque substantiam separantes.* Similiter indiuiduam Deitatem dicit Concil. Toletanum XI. in profess.fidei colum.3.

4 Nyssenus epist.de imagine & similitudine contra Apollinarem colum.penult.de tribus personis ait: *Communem & indiuiduam habent essentialem efficacitatem.* Et lib. ad Ablabium, *quod non tres Dij,* multo propiùs ad princ.quàm ad med. *Natura vna est ipsa secum vnita, penitusq; ac prorsus vnitas indiuidua est.* Et post pauca: *Quæ non vna cum singularibus, qui eius participes sunt, diuiditur.*

5 Ex eodem fundamento sumitur probatio. 5. quia si substantia vel essentia diuina quidditatiuè includeret relationes; sequeretur quod in substantia siue essentia cerneretur numerus multiplicans. Consequens autem est falsum, quia sola relatio personas multiplicat, & in sola relatione personarum numerus cernitur: in substantia autem atque Deitate non cernitur nisi vnitas & identitas. Vt ex Concil. Florentin. & Toletan. XI. necnon ex Nazianzeno, Cyrillo, Augustino, Boëtio, & Anselm. multis in locis probatum est disput.9.sect.5. non longè à princ.

6 *In essentia ab est numerus.* Probatur sextò, quia si Deitas essentialiter includeret Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sequeretur, in ipsa Deitate, prout Deitas est, contineri discrimen Patris à Filio: & consequenter Pater à Filio differret non solum inquantum Pater; sed etiam inquantum Deus, reduplicando Deitatem. Huius autem oppositum, videlicet Patrem à Filio non differre, prout Deus est, sed tantùm prout Pater est, docent Athanas. Basil. Cyrillus Alex. Gregorius Bœticus, Sophronius Constantinop. Ambros. Augustin. citati disp.12.sect.3.post med.

7 Probatur septimò, quia si Deitas in suo quidditatiuo conceptu relationes includeret; Deitas diceretur esse non solum *ad se,* id est, absoluta, sed etiam esse *ad aliquid,* id est, relatiua. Consequens autem esse falsum, constat non solum ex Toletano XI. & August. in Psalm.68. sed etiam lib.7.de Trinitate, toto cap.2. & lib.5. cap.8. & cap.11. & lib.8.cap.1.& lib.11.cap.10.& alibi sæpe. Confirmatur, quia Concilia & Patres communiter relatiua & notionalia, non appellant essentialia; sed appellant proprietates personales aut notiones, aut alio aliquo nomine condistincto ab essentialibus & absolutis, vt videbimus disputat. 86. & sequentibus.

8 *Deitas esset relatiua si clauderet relationes.* Probatur octauò, quia diuina substantia vel essentia non esset communis tribus personis; si clauderet illas in suo quidditatiuo conceptu: at verò substantiam siue essentiam esse communem tribus personis, Concilia Patrésque decernunt; vt vidimus disputat.13. sect.4. Confirmatur primò, quoniam in eadem sect. probatum est, omnia essentialia esse communia.

9 *Nõ esset communis essentia, si relationes includeret.* Confirmatur secundò, quia Diuinitas est veluti species comparatione personarum, tanquam indiuiduorum, quemadmodũ supponit Damascen. lib.3.fidei cap.6.& lib.de decretis primæ institut. cap.6.post med. *Hypostasis,* inquit, *est indiuiduum, & persona, Pater, Filius & Spiritus sanctus: species autem, quæ illa complectitur, est, quæ & omnem superat essen-*

tiam & comprehendi non potest, Diuinitas. Indiuidua verò non includuntur in conceptu quidditatiuo speciei; sicut neque in conceptu quidditatiuo generis, cui substantiam Diuinam comparat Cyrillus Alexand.dialog.de Trinit. lib.1. inter med. & fin. *Nomen,* inquit, *substantiæ habet se vt homo, & gerit in se nomen vniuersale & communem rationem generis. Contra subsistentia intelligetur conuenientius vt singulare.*

10 *Prioritas originis idem probat.* Probatur nonò, quia Pater priùs origine, quàm Filius sit genitus, est cõpletè & essentialiter Deus: ergo Filius non est de essentia Deitatis. Consequentia probatur, quia Filius non est genitus priùs origine, quàm ipse sit genitus; ac proinde non potest constituere Patrem completè & essentialiter Deum priùs origine, quàm ipse sit genitus. Probatur decimò, quia si de conceptu quidditatiuo Deitatis, vel essentiæ foret Paternitas; nihil prorsus deesset essentiæ, quominus integrum principium generationis esset: ac proinde generaret essentia, & propter eandem rationem generaretur essentia. Quas propositiones reprobat Lateran. Concil. cap. *Damnamus,* de summa Trinitate: vt videbimus fusiùs disp.80.sect.3.& sequentibus.

SECTIO IV.

Probatione quadam, & altera solutione refutatis, notatur peculiaris acceptio essentiæ.

1 *Ineffica prohatio.* ALiqui authores nostram sententiam probare solent eisdem testimoniis Hilarij, Augustini, Boëtij, Anselmi & aliorum, quibus supra disp. 12. sect.2. & 3. probatum est, Deitatem & essentiam ratione ratiocinata distingui à relatione seu personalitate. Verùm hoc argumentum aut probat Deitatem non esse de essentia relationum (quod esse falsum, constat ex præced. disput.13. sect.1.& 2.) aut minimè probat, relationem non esse de quidditate Deitatis. Etenim quantum est ex tenore verborum, & propria significatione, non est maior ratio, vt ea testimonia probent, relationes esse extra quidditatem essentiæ, quàm vt probent, essentiam esse extra quidditatem relationum. Ac re vera neutrum probant; quoniam distinctio rationis ratiocinatæ retinetur, quamuis vtrumque extremum sit de quidditate alterius implicitè, vt constat in attributis.

2 *Generalis solutio refutatur.* Generalis quædam solutio traditur ab authoribus contrariæ sententiæ; quæ si vera foret, euerteret præcipuum fundamentum omnium probationum, quas attulimus sect.2.& 3. Dicunt ergo. Quamuis vnaquæque persona non sit tres personæ; est tamen aliquid, quod est idem, & nullo modo ex natura rei distinctum à tribus personis, & quod in se etiam continet totam illam rationem trium personarum intrinsecam essentiæ. Hoc autem satis est, vt vnaquæque persona per se sit Diuina essentia: neque opus est, vt vnaquæque persona sit etiam ipsæ tres personæ, quatenus distinctæ sunt inter se.

3 Atque hoc totum, adiungunt, præclarè indicasse Nazianzenum orat.5. de Theologia cum dixit: *Filius non est Pater, sed quod Pater: nec Spiritus sanctus est Filius, sed quod Filius. Atque ita inconfusa trium personarum distinctio in vna Diuinitatis natura conseruatur.* Addunt alia verba Augustini, quæ pro nobis attulimus sect.præced. in princip. Nec magis fauent prædictæ solutioni verba Nazianzeni, quæ non indigent explicatione.

4 Solutio autem ipsa refutata manet omnibus proba

Prima refutatio. probationibus vtriusque sect. præced. Primò namque contradicit aperte Nazianzeno, Cyrillo, Isidoro, & Anselmo citatis sect. 2. probat. 1. Secundò contradicit Boëtio, apud quem vna persona non est de substantia & quidditate Dei, quia non prædicatur de cæteris personis, vt vidimus sect. 2. probat. 2.

Secunda.

5 *Tertia refutatio, instaurando probationes præcedentium sectionum.* Tertiò refutatur, quia si relationes secundùm proprias rationes, quibus ab inuicem distinguuntur, sunt de quidditate Deitatis; non potest intelligi Deitas integra & completa esse de quidditate vnius personæ; nisi omnes relationes sint de quidditate illius. Quemadmodum si de quidditate humanitatis esset hæceitas Petri & hæceitas Pauli & Ioannis; sequeretur, quod de essentia Petri non esset tota plenitudo humanitatis; nisi de essentia Petri foret etiam hæceitas Pauli & Ioannis. Et quantum ad vim huius illationis, nullum est discrimen inter naturam Diuinam & humanam; licet quantum ad alias sit infinita distantia. Videnda sunt, quæ ponderauimus sect. 2. probat. 3.

6 Confirmatur, quia si Pater esset plenitudo Diuinitatis ex eo præcisè, quod formaliter contineret Paternitatem, & illam rem absolutam, quæ identificatur realiter cum aliis duabus personis; & quæ continet illam rationem intrinsecam suæ essentiæ: sequeretur tres plenitudines Deitatis esse concedendas, quemadmodum conceduntur tres personæ; quia in prædicto sensu, nihil amplius affert plenitudo Diuinitatis, quàm persona; sed idem omnino, videlicet peculiarem personalitatem formaliter, & insuper essentiam cum aliis personis identificatam.

7 Consequens autem esse falsum, probatur ex Athanasio libr. 1. de vnita Deitate versus fin. vbi refutat Arianos, quia concedebant *tres plenitudines Deitatis*. Vnde in sequenti lib. 2. de propriis personis in fin. *Vna est*, inquit, *in ipsa Trinitate plenitudo diuinitatis*. Et sequent. lib. 3. de assumptione hominis prope fin. *Vbique præsens est hæc vnita plenitudo.*

8 Refutatur quartò, quia si vera foret illa solutio, personæ non essent eiusdem omnino substantiæ, neque indiuisæ, neque indiuiduæ. Immò substantia contineret pluralitatem & numerum, atque differentiam personarum; & non esset communis tribus personis, vrgerémque cæteræ probationes, positæ in vtraque sect. præced.

9 *Deitas & substantia quãdoque sumitur pro tota re diuina.* Denique notandum est, Deitatem, essentiam, naturam siue substantiam aliquando sumi pro tota realitate Dei, prout cõprehendit quamcumque formalitatem identificatã sibi, sicut est in se ipsa. Iuxta quam acceptionem, dici potest, relationes seu personas esse de conceptu quidditatiuo Deitatis, essentiæ, naturæ, siue substantiæ Diuinæ. Veruntamen Deitas, essentia, natura, siue substantia, secundùm istam acceptionem, non est de conceptu quidditatiuo cuiusque personæ Diuinæ, sigillatim ac diuisiuè sumptæ, sed tantum collectiuè.

10 In hac significatione Deitatem, siue essentiam, aut naturam vsurparũt aliqui Patres citati sect. 1. pro contraria sententia, veluti Cyrillus in argum. 6. Dionysius in argum. 8. August. Nazianz. Concilium Florent. & Toletan. in argum. 9. Epiphanius, Nissænus, Athanas. Chrysost. Nazianz. citati in argum. 10. Frequentiùs tamen hi Patres atque alij, etiam quando naturæ, siue substantiæ nomen accipiunt pro relatione, vel origine; non significant tres relationes, siue tres personas collectiuè, sed singulas personas diuisiuè, subindéque vnicam personam, aut vnicam relationem, aut originem appellant, quandoque naturam, essentiam, siue substantiam, id est, quidditatem relatiuam personæ, vt videbimus disp. 24. sect. 2. 3. & 4.

Frequentior acceptio magis præcisa.

SECTIO V.

Intellectus ad testimonia, quæ contrariam sententiam suadere videbantur in sectione prima.

1 AD primum testimonium Athanasij respond. primò probare potiùs assertionem nostram vt vidimus sect. 2. probat. 3. fideliter & integrè referendo verba Doctoris. Agunt enim de singulis personis diuisiuè. Respond. secundò licet Athanasij verba de tribus personis, collectiuè sumptis, affirmarent, esse plenitudinem Deitatis: adhuc in rigore dialectico nihil aliud probarent, nisi Deitatis plenitudinem & integritatem esse de quidditate Patris & Filij & Spiritus sancti, collectiuè sumptorum, sicut est de quidditate Trinitatis: quod nemo Catholicorum negat. Aliud autem longè diuersum est, Patrem, Filium & Spiritum sanctum collectiuè sumptos esse de quidditate plenitudinis Deitatis: quod in præsenti negamus.

Quomodo vnaquæque persona sit plenitudo diuinitatis.

2 *Athanasius exponitur.* Ad confirmationem respondetur: integra verba Athanasij sic habent. *Quoniam Filius est imago Patris, necessum est vt cogites, Deitatem & proprietatem Patris ipsam essentiam Filij constituere. Et hoc est quod ait, qui cum in forma Dei esset.* Sensus igitur est, essentiam Filij constitui eadem Deitate, quæ est propria essentia & forma Dei, ratione cuius Filius est imago Patris. Nec te moueat illa vox *proprietatem Patris*, nam in præcedenti col. dixerat: *Vnum sunt Pater & Filius suitate & proprietate naturæ, & identitate vnius Deitatis.* De quo disput. 47. sect. 5. Itaque proprietatem intelligit non personæ sed Deitatis. Denique totum præcedentem eiusdem orationis contextum afferre possemus, ad probandam omnimodam identitatem Deitatis, quæ tota sit in Filio: ac proinde non includat Paternitatem. Philip. 2.

3 Ad secundum respond. Ex illo testimonio Nazianzeni, & Damasceni tantummodo colligitur, Diuinitatem esse de quidditate trium personarum. Hæc enim inclusio quidditatiua sufficit, vt singulæ personæ diuisiuè, & omnes etiam collectiuè dicantur esse Diuinitas.

4 Ad tertium respond. Euagrius non obiicit, naturam siue essentiam Diuinam esse constitutam ex tribus personis, sed esse ternarium, siue Trinitatem; & tria nomina constitui ad explicandas personas. Respondet autem Nazianzenus tota oratione 45. præsertim in med. *Quod Diuina & simplex Dei essentia indiuidua, vniusque modi est.* Et quod separari non possunt ab inuicem personæ. Porrò ex eo, quod indiuidua sit, potius colligitur, non includere essentialiter tres personas: sunt enim veluti tria indiuidua, vt videbimus disp. 35. sect. 5. & 6. Verùm hanc fuisse mentem Nazianzeni magis constat ex aliis locis adduct. sect. 2.

Nazianzenus exponitur.

5 Ad quartum respond. Vt Deo nihil insit extrinsecum; vel accidentarium essentiæ suæ, sufficit abunde, substantiam, siue naturam Deitatis esse de quidditate vniuscuiusque personæ. Partes autem potius intellexerunt, essentiam vnam esse tres personas intrinsecè & essentialiter in personis inclusam: sed non includentem essentialiter personas, vt ostendimus in præced. sectionibus.

Ad

relationes habent se sicut singularia & indiuidua, Deitas autem tanquam vniuersalis & communis ad instar generis vel speciei, vt docent communiter Patres citati disp. 13. sect. 4. & citandi disp. 32. sect. 6. & disput. 35. sect. 6. & 7. Ergo personæ & earum relationes per accidens prædicantur de natura Diuina. Quinta ratio dubitandi, nam proprietates hypostaseon respectu Diuinæ substantiæ, vocantur accidentia à Damasceno citato suprà sect. 2. non procul à principio.

5 Huius quæstionis difficultas, ad rem ipsam pertinens, iam superata est in sectionibus præced. atque in præced. disput. in quibus probatum est, Diuinam essentiam esse de quidditate relationis, secundùm vltimam rationem relationis; è contrario tamen relationem non esse de quidditate Diuinæ essentiæ siue naturæ. Quo supposito, quod restat difficultatis, ferè totum consistit in quæstione de nomine, videlicet, quid & quotuplex sit prædicatio *per se*, & quomodo illam vsurpauerit Aristoteles.

6 *Sunt propositiones per se.* Dicendum est igitur absolutè ac sine limitatione, prædictas propositiones esse *per se*. Ita S. Thomas infra quæst. 39. art. 6. ad 2. Vbi Caietanus, Canarien. Vazquez, Suarez lib. 4. de Trinitat. cap. 6. num. 6. Fauet Alexand. quæst. 67. memb. 3. art. 2. §. 4. post med. S. Bonauentura 1. dist. 30. art. vnico quæst. 2. corp. Hanc perfeitatem sine dubio concedent authores, qui supra sect. 1. dicunt, relationes esse de essentia Deitatis. Rursus Scholastici, qui dicunt, essentiam à Deitate distingui ex natura rei, & ante opus intellectus, supra disput. 11. sect. 2. non coguntur propterea negare quamlibet perfeitatem huiusmodi propositionũ, quamuis primum modum dicendi per se non possint verificare.

7 Probatur primò, quoniam imprimis certum est, huiusmodi prædicationes non esse accidentales, siquidem naturæ Diuinæ non per accidens conuenit esse Patrem aut Paternitatem: etenim comparatione Diuinæ naturæ nihil est accidens, vt ostendit August. lib. 5. de Trinit. cap. 4. & 5. & 16. Boëtius in lib. de Trinit. & multi alij Patres citati disputat. 11. sect. 3. & sequentibus. & citati disp. 10. sect. 4. & 5. At verò inter prædicationem per se & prædicationem per accidens non est medium, sed necessariò debet esse prædicatio per se, quæ non est prædicatio per accidens, præsertim si fuerit prædicatio directa.

8 Confirmatur, quia prædicatio per se nomen accepit ex eo, quod subiectum, ratione sui & propter se ipsum, exigat sibi conuenire prædicatum: ideóque reduplicationem admittat; vt docet Aristot. 1. poster. dicto cap. 4. post med. At verò Deitas, ratione sui & propter se ipsam, exigit sibi conuenire Paternitatem, & Filiationem & Spirationem.

9 Probatur secundò & efficacius; quia licet Aristot. supernaturalium mysteriorum ignarus, non potuerit ad vnguem explicare peculiarem modum perfeitatis, conuenientem Diuinis prædicationibus: cæterùm inter creatas propositiones adumbrauit huiusmodi perfeitatem. Potest enim reuocari partim ad primum modum per se, magis autem ad secundum modum.

10 *Primum perfeitatis modũ participant dicta prædicationes.* Ex primo perfeitatis modo præsentes propositiones, id tantummodo participant, quod vnum extremum est de ratione alterius in recto, & non in obliquo. Sed ex secundo perfeitatis modo participant, quod subiectum est de ratione, seu definitione prædicati, non solum in recto, sed etiam in obliquo, quatenus essentia Diuina, siue Deitas ab intrinseco postulat esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Idque magis necessaria connexione, quàm linea postulat esse rectam vel curuam; aut numerus postulat esse parem aut imparem: quibus exemplis Aristoteles explicat secundum modum dicendi per se.

11 Sed Caietanus in eodem art. 6. limitat prædictam assertionem, dicens, huiusmodi prædicationem esse *per se identicam*, non *per se formalem*. Quam limitationem tacitè probare videtur Canariens. in eodem art. 6. disput. vnic. p. 1. fine. Eadem videtur fuisse sententia Capreoli 1. distin. 2. q. 3. art. 1. circa med. Cæterùm non solùm identicè, sed etiam in sensu formali, prædictam propositionem esse per se, deducitur ex præcedenti probatione. Quoniam non solùm tota realitas Dei, vt in se est, sed etiam ratio formalissima naturæ Diuinæ siue Deitatis, propter se ipsam, exigit esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, per exigentiam magis intrinsecam, & magis necessariam, quàm linea exigit esse rectam vel curuam. Insuper formalissima ratio essentiæ Diuinæ est de quidditate Paternitatis, secundùm formalissimam rationem illius.

Non tantùm identicè sed etiam formaliter est perfeitas ista.

12 *Etiam in nostris conceptibus perfeitas.* Vnde præterea refutantur nonnulli Thomistæ, dicentes, harum propositionum perfeitatem in re ipsa reperiri, non verò in nostris conceptibus: nam & ex præcedentibus constat, realitatem Dei, non solùm, vt in se est, sed etiam prout subest nostris conceptibus, præscindentibus Deitatem à relationibus, habere perfeitatem suprà dictam.

13 *Alia limitatio reijcitur.* Gabriel Vazquez, & Franciscus Suarez pro conclusione citati limitãt superiorem doctrinam Caietani, dicentes: Quoties Deitas vel essentia diuina significatur in abstracto, veluti cum dicitur: *Deitas est Pater*, vel, *essentia est Paternitas*, non esse propositiones per se in sensu formali, sed tantùm in sensu identico. Quoniam vt S. Thomas docuit quæst. 39. art. 5. corpor. essentia vel Deitas non habet ex modo suæ significationis, quod supponat pro persona, quia significat essentiam vt formam abstractam.

14 Hæc tamen ratio non obstat, quia perfeitas à nobis probata non consistit in hoc, quod Deitas vel essentia supponatur pro persona. Si enim supponeretur pro persona; prædicatio foret quidditatiua in primo modo per se. Quemadmodum cum dicis: *Deus est Pater*, accipiendo Deum pro persona Patris. Quoniam igitur etiam si Deitas non supponatur pro persona; adhuc Deitas est de ratione sui prædicati: atque insuper exigit suum prædicatum per summam necessitatem; ideo est prædicatio per se, quamuis subiectum sit Deitas in abstracto significata.

15 *Ad primam rationem dubitandi.* Ex dictis colligitur solutio ad rationes dubitandi, initio positas. Ad primam dictum est nuper probatione secunda, propositiones, de quibus agimus, reduci partim ad primum modum dicendi per se, magis autem ad secundum modum. Ad confirmationem respond. huiusmodi propositiones esse directas, quia relationes seu personalitates sunt in essentia & illam quasi modificant, determinant & informant, vt probatum est disp. 12. sect. 5. Quamuis eædem personalitates propter suam eminentiam, simul etiam sint veluti subiecta, recipientia Deitatem & essentiam tanquam formam.

Sunt propositiones directæ.

16 *Ad secundã. Cõuersio propositionum per se.* Vnde respond. ad secundam. Propositio per se non conuertitur in aliam per se, si non constat terminis transcendentibus. At verò propositio, constans

Ruiz. de Trinitate.

constans terminis transcendentibus, in aliam per se conuertitur, quoniam ex transcendentia prouenit vt vtrumque extremum mutuo sit veluti forma alterius existens in illo, & necessariò postulatum ab illo. Quapropter hæc propositio; *ens est verum*, est directa & per se, conuertiturque in aliam propositionem directam & per se, *Verum est ens*. Atque idem erit in abstractis, veritate scilicet, & entitate. Quoniam igitur Deitas, siue natura Diuina transcendit formalissimam rationem cuiusque personalitatis, propterea propositio hæc: *Paternitas est Deitas*, conuertitur in aliam per se, videlicet, *Deitas est Paternitas*.

17 *Ad tertiam.* Ad tertiam, expositio S. Thomæ in quæst.8.de potentia, iam tradita fuit supra disput.18. sect. 3. init. cuius summa est, huiusmodi propositiones in modo significandi præ se ferre similitudinem prædicationis per accidens: cæterùm simpliciter esse propositiones per se, quantum ad rem significatam, etiam prout subiacent conceptibus formalibus, quemadmodum superius explicatum est.

18 *Ad quartam.* Ad quartam respondet S. Thomas quæst. 39. dicto artic.6. ad 2. huiusmodi prædicationes non esse, *sicut inferioris de superiori, quia in diuinis non est vniuersale & singulare*: intellige propriè, quantum attinet ad perfectatem excludendam. In rebus enim creatis accidere potest superius esse sine aliquo inferiori, quemadmodum in die quinta creationis mundi extitit animal nondum existentibus multis speciebus animalium, quæ die sexta creata sunt. Insuper ratio superior non est realiter vna in omnibus inferioribus. Inde prouenit in creaturis inferiora per accidens prædicari de superioribus. At verò Deitas ex intrinseca ratione postulat identificari cum tribus relationibus, & in illis subsistere, ita vt summam contradictionem implicet esse sine illis.

19 *Ad quintam.* Ad quintam. Explicatio Damasceni posita est in eadem sect.2.

SECTIO VIII.

Corollaria inferuntur circa prædicationes per se *vel* per accidens.

1 *Reduplicatiuæ dictiones possunt adhiberi propositionibus per se.* PRimum sit, eisdem propositionibus, quas diximus esse per se, posse reduplicatiuas dictiones apponi, veluti dicendo: *Deus in quantum Deus*, vel, *secundum quod Deus est Pater*. Etenim (vt superius vidimus ex Aristot. 1. poster. cap. 4. & in alia quæst. Durandus obseruat.1.distinct.12. q.1. num.6. recipitúrque ab aliis theologis) particulæ *in quantum, secundum quod ipsum* & *per se* idem significant, tunc videlicet, quando reduplicatio abstrahitur ab hoc, quod referatur ad immediatam & vltimam rationem formalem, vel referatur ad radicalem & quasi mediatam.

2 Cæterùm valde notandum est, aliquando prædictas dictiones reduplicatiuas non solum à Philosophis, sed etiam à Theologis vsurpari summo rigore, ad significandam identitatem in ratione formali subiecti & prædicati. In hoc sensu non quælibet propositio per se, poterit admittere dictionem reduplicatiuam: neque erit verum dicere: *Deus in quantum Deus*, vel *secundum quod Deus est Pater*; quia alia est ratio Patris, & alia est ratio Dei. Ideóque Pater, non eo est Pater, quo Deus; neque eo est Deus, quo Pater, quemadmodum Augustinus 7. de Trinit.cap.2. in princip. dixit: *Eo Filius, quo Verbum*, & post pauca: *Non eo Verbum, quo sapientia*. In hoc igitur rigore reduplicatiuis dictionibus vtuntur Athanasius, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus & alij citati disput.12.sect.3. post med.

3 *Propositio per se* Deitas est Trinitas. Secundum corollarium est, hanc propositionem esse per se: *Deus est Trinitas*, siue, *Deitas est Trinitas*. Cuius eadem ratio est, quæ illarum propositionum: *Deitas est Pater*, aut, *Deitas est Paternitas*: imò sicut in vsu Theologorum frequentiores sunt propositiones, quibus Trinitas prædicatur de natura Diuina siue Deitate: ita perfectas illarum est manifestior. Denique reduplicatiuas dictiones Theologi admittunt in sensu declarato superius.

4 *Vtrũ sint per se propositiones* Deus creat, &c. Tertium corollarium breuiter expediet occurrentem dubitationem circa propositiones, quibus Deo tribuitur aliqua operatio ad extra, veluti; Deus creat, Deus iustificat. Vtrum sint prædicationes per se. Quam ex professo tractat sanctus Bonauent.1.distinct.30.art.vnic.quæst.2. vbi Ricardus eodem artic. & quæst. Artigit autem Alexand:1.p.quæst.67. memb.3. art.2. §.4. post med. Canarienſ. 1.part. quæst.39. artic.6. disput.vnica p.2.post med. Vazquez in comment.eiusdem art. num.53.

5 *Sunt in quarto modo per se.* Dico primò. Prædictæ propositiones sunt in quarto modo dicendi per se, posito ab Aristot. 1. poster. cap. 4. Qui modus exigit causalitatem per se distinctam à prædicatione per se; consistit autem in eo quod causa, ratione sui, propriáque virtute causet, non ratione alterius adiuncti; quemadmodum musicus non per se sed per accidens ædificat.

6 Notandum autem est, ad perfectatem huiusmodi non requiri, quod effectus necessariò sequatur ex causa: sufficit enim, causam suapte natura productiuam esse illius effectus. Alioqui omnes prædicationes, positæ in quarto modo per se, pertinerent etiam ad primum vel secundum modum perfectatis. Cuius oppositum docuit Aristot. ibi, & ad eum locum obseruauimus.

7 Confirmatur, quoniam causalitatem per accidens, directè oppositam causalitati per se, declarauit Aristoteles hoc exemplo: *Si ambulante quopiam coruscauerit, id accidens dicimus: non enim ob id ipsum coruscauerit, quia ambulauerit*. Falsò autem tribuitur Aristoteli, quod dixerit, scientiam haberi posse de omnibus propositionibus, positis in quarto modo per se. Hoc enim non dixit, nisi de propositionibus, in quibus est perfectas prædicationis, videlicet in primo & secundo modo. Itaque quamuis Deus infinita duratione nõ creauerit, & postea liberè, nullàque necessitate creauerit; id non obstat, quo minùs per se creauerit hoc perfectatis genere.

8 Sic Hilarius lib.9.de Trinitat. propiùs ad med. quàm ad fin. exponens illud Ioannis 5. *Non potest Filius à se facere quidquam: Naturæ*, inquit, *cui contradicis, hæc vnitas est, vt ita per se agat, ne à se agat; & ita non abs se agat, vt per se agat*. Atque in hoc sensu rectè Alexander cum aliis Theologis admisit, Deum per se agere, loco suprà citato.

9 *Non sunt prædicationes per se.* Dico secundò: Prædictæ propositiones non sunt prædicationes per se. Quia perfectas in genere prædicationis solummodo est, quando prædicatum est de ratione, seu definitione subiecti, aut quando necessariam connexionem habet cum illo; vt in præcedenti sectione, probat. 2. declaratum est. Confirmatur, quoniam accidentalis prædicatio est, quando prædicatum adesse potest,

6 *S.Thomæ sensus.* Ad quintum respond. ea verba non haberi apud S.Thomam dicta quæst.27. art.2. ad 3. Sensus autem illorum accipi potest ex aliis locis, præsertim quæst. 28. art. 2. Et quamuis personæ non distinguantur ab essentia ex natura rei, & ante opus intellectus; non sequitur, personas essentialiter includi in Deitate siue essentia Diuina.

7 Ad sextum respond. primò, vt nomine Diuinæ naturæ, quasi in vno significato, integra Trinitas ostendatur, satis est quod integra Trinitas essentialiter includat Diuinam naturam; licet Trinitas non includatur essentialiter in Diuina natura. Etenim natura Diuina in suo significato ostendit Patrem, qui essentialiter est natura Diuina, & Filium similiter, & Spiritum sanctum, qui essentialiter est natura Diuina. Respond. secundò. Fortasse Cyrillus *naturam Diuinam* vsurpauit acceptione minùs vsitata, vt comprehendit etiam relatiuas essentias, vt diximus sect.4.ad fin.

8 Ad confirmationem respond. Diuinitas, præcisa à personis, potest appellari natura consubstantialis, quatenus tres personas formaliter constituit consubstantiales: & ita seruat inconfusam trium subsistentiarum in propriis existentiis proprietatem, quatenus eas non constituit vnam hypostasim, sed vnam naturam & Deitatem.

9 Ad septimum respond. negando consequentiam: solum quippe colligitur, quod de essentia Spiritus sancti sit esse Deum vnum cum Patre & Filio; & consequenter esse in Patre & Filio. Ad confirmationem respond. Spiritus S. appellatur essentialis aut naturalis operatio, vel virtus Dei; quoniam est amor, non liberè per gratiam, sed naturaliter, propter essentiæ fœcunditatem, & necessariò prodiens ex Deo Patre & Filio.

10 *Deitatis nomen collectiuum est quodammodo.* Ad octauum respond. *Deitas, in quantum est vna in pluribus, habet quandam conuenientiam cum forma nominis collectiui. Ideoq; potest sumi pro vniuersitate personarum.* Vt notauit S.Thomas 1.p.q.39. art.5. ad vltim. Propterea, sicut dicimus tota Ecclesia habet fidem, quia singula eius membra fidem habent: ad imitationem aliquam nominis collectiui Dionysius dixit, nomina essentialia toti & integræ Diuinitati conuenire, vt significaret conuenire cuilibet indiuiduo illius collectionis. Cæterùm cauendum est ab ea collectione, quæ sit contraria vnitati naturæ; fuit enim Ioachimi error, notatus in cap. *damnamus*, de sum.Trinitate. Itaque non infertur, personas esse de essentia Deitatis, sed tantùm infertur, quasi collectiuè comprehendi quandoque nomine Deitatis, quia omnes & singulæ personæ sunt vna Deitas.

11 *Pater est principiũ totius Diuinitatis.* Ad nonum, prima solutio colligi potest ex præcedenti, videlicet, ad instar nominis collectiui, totius Diuinitatis nomine significari personas. Respond. secundò, sensum esse: Pater est principium Filij, qui est Diuinitas, & Spiritus sancti, qui est Diuinitas: ac proinde principium est totius entitatis, quæ est Diuinitas. Respond. tertiò. Fortasse Patres in argumento citati, Deitatem vsurpant acceptione minus vsitata, vt comprehendit etiam personas modo dicto in sect.4. fine. Sed de hoc plura dicemus disput.48.sect.5.& 6.

12 Ad decimum respond. eos Patres aliquando sumpsisse essentiam siue naturam pro quidditate cuiusque personæ, quemadmodum diximus ad alia testimonia. Illud tamen obseruandũ est, quod naturam, siue substantiam aut essentiam referunt ad singulas personas diuisiuè & separatim acceptas. Vnde manifestum est iuxta eorum Patrum acceptionem, personas non esse de quidditate naturæ siue substantiæ Diuinæ, quia de quidditate vnius tantum personæ nõ sunt aliæ duæ personæ.

13 Ad vndecimum respond. illis in locis Patres naturam, essentiam, siue substantiam accipiunt, vt opponitur gratiæ, per liberam voluntatem & adoptionem communicatæ. Atque vt opponitur rei accidentariæ, vt vidimus disput.4.sect.2.& dicemus iterum disput.51.

SECTIO VI.

Soluuntur aliæ obiectiones.

1 PRima, quia Deitas essentialiter est vna suo peculiari modo vnitatis, sed iste modus vnitatis est simul includens esse Trinam. Ergo Deitas essentialiter est Trina. Rursus Deitas, in quantum Trina essentialiter includit tres personas, relationibus distinctas. Ergo Deitas essentialiter includit tres personas relationibus distinctas.

2 Confirmatur, nam id significare videntur Concilia & Patres, quemadmodum Nicænum Concil. lib.2. colum. 8. §. *sancta & magna*, vbi sic loquitur per Osium: *Diuinitas non est vna persona, sed tres personæ verè subsistentes*. Quod magis vrget Ephræm Syrus in serm.de pœnit.propiùs ad med. quàm ad princ.pag.571. *Nec enim sola vnitas, neque Trinitas est Diuinitas, sed vtrumque simul*. Quin etiam quidditatiuam constitutionem Deitatis affirmare videtur Athanas. libr.1. de vnita Deitate sub init.dicens: *Consistit in Trinitate Deitas*, & longè inferius ait: *Vnitatem Deitatis vniter non pluraliter in Trinitate consistere*. Damascenus lib.de decretis primæ institut.init.ait: *Patris & Filij & Spiritus sancti vna in tribus personis consistit Diuinitas*.

3 *Vnitas quomodo Trinitatem includat.* Respond. Deitas essentialiter est vna tali modo vnitatis, qui suapte natura postulet adiunctam habere proprietatem, quia simul etiam sit trina. Cæterùm Deitas non est essentialiter vna tali modo vnitatis, qui essentialiter includat esse trinam formaliter & actu; sed tantùm quasi virtualiter & radicaliter. Eadem ratione dicendum est, Deum non esse essentialiter trinum, neque esse accidentaliter trinum; sed per se & ex natura sua, summáque necessitate postulare, vt sit trinus, atque vt Deus sit de essentia trium personarum.

4 Ad confirmationem respond. Prædicta testimonia Nicæni, Ephræm, aliáque similia nihil amplius significant, nisi quod nuper in argumenti solutione concessum est. Apud Athanasium autem, sicut apud alios Patres maximè Græcos, *consistere*, sumitur pro *subsistere*; quemadmodũ & *consistentia* pro *subsistentia*. Quã acceptionem cõtextus euidenter ostendit, quoniam indifferenter nunc vno, nunc altero verbo vtuntur ad eandem veritatem significandã: siue hæc permutatio verborũ inuenta sit aliquando ab interpretibus Latinis, siue postulata fuerit à Græcis originalibus. Vide testimonia referẽda disp.34.sect.1.& sequentib. Deitas ergo cõsistit in Trinitate, tanquã in Trinitate subsistẽs, non tanquam essentialiter constituta per Trinitatem.

5 Secunda obiectio. Attributa se inuicem essentialiter includunt, atque relationes essentialiter includunt essentiam & omnia attributa; idque propter infinitam perfectionem in genere entis, quã essentialiter includit relatio, & quodcumque attributũ; vt ostendimus disp.13.sect.2. præsertim probat. 7. Sed Deitas essentialiter est infinita in genere entis. Ergo essentialiter includit relationes, maximè cum relationes essentialiter afferant perfectionem, vt videbimus disput.29.& 30.

6 *Mutua inclusio attributorum non infert mutuã inclusionem essentiæ & relationis.*

Respond. esse discrimen, quia Deitas comparatione relationum, ac personarum, habet se per modum prædicati vniuersalis & communis comparatione inferiorís, prorsus incommunicabilis ac determinati. Vnde sicut ens est de quidditate vltimæ differentiæ, quamuis vltima differentia non sit de quidditate entis: sic Deitas potest esse de quidditate relationum; quamuis relationes non sint de quidditate Deitatis. Insuper Deitati, naturæ, vel essentiæ, prout intelligitur præcisè secundum esse absolutum, conuenit infinitudo in genere entis, non integra & completa quantum ad perfectiones relatiuas; sed radicaliter & quasi eminenter. Neque est inconueniens aliquam perfectionem non esse formaliter in essentia, prout præscinditur à perfectionibus relatiuis; vt videbimus disput. 29. sect. 3. & sequentibus.

7 Sed vrgebis, eadem ratione dicendum fuisse, non esse inconueniens contra infinitatem in genere entis; si diuinæ relationes essentialiter & formaliter non includant Deitatem & essentiam. Respond. negando sequelam, quia relationes non continent essentiam, siue Deitatem radicaliter, virtualiter, seu eminenter, sicut essentia continet relationes. Ideo si relationes non includerent formaliter & essentialiter Deitatem; nihil haberent, ratione cuius essent infinitæ in genere entis.

8 *Si Deus esset vna tantùm persona, personalitas esset essentialis illi.*

Tertia obiectio. Si Deus esset vnica tantùm persona, personalitas eius foret essentialis Deitati. Ergo quamuis sint tres personæ, earum personalitates erunt essentiales Deitati. Consequentia probatur, quia sicut se habet vna personalitas ad Deum in eo casu fictitio; sic modo se habent ad Deum tres personalitates. Respond. esse discrimen, quia si Deus esset vna tantùm persona, Deitas non esset ita communis tribus personis, vt de singulis prædicaretur essentialiter: ac proinde non fuisset opus Deitatem præscindere à personalitate. Nunc verò necessarium est Deitatem à tribus personis præscindere; vt de singulis possit integra Deitas prædicari.

9 Quarta obiectio. Vnica tantùm essentia, & vnica existentia est trium relationum & personarum. Ergo vnica essentia Dei essentialiter complectitur tres relationes ac personas. Respond. primò, negando consequentiam. Infertur quippe solummodo, quod essentia Diuina, licet sit vnica, sit essentia relationum, siue personarum, in quibus quidditatiuè clauditur. Respond. secundò. Licet sit vnica essentia & existentia simpliciter dicta; quoniam hoc nomine Theologi communiter intelligunt absolutam essentiam & existentiam, vt vidimus in præcedentibus sectionibus: *Tres existentiæ relatiuæ.* nihilominus tres essentias relatiuas, & tres existentias relatiuas, cum hoc videlicet addito declarante, videbimus disp. 24. sect. 1. & 4. & disp. 25. sect. 4. & 5.

10 *Non sequitur absolutæ subsistentiæ.*

Quinta obiectio, quia si relationes, siue subsistentiæ relatiuæ non sunt de quidditate Deitatis, necessarium erit, Deitatem essentialiter continere subsistentiam absolutam, communem tribus personis: tum, quia Deus dicit essentialiter suppositum subsistens: Deitas autem est idem quod Deus. Tum etiam, quoniam indignum est Deitatem aliena subsistentia subsistere, Respond. negando consequentiam propter rationes ex professo tractandas disp. 34. sect. 5. & sequentibus.

11 *Visio essentiæ sine personis.*

Sexta, quia posset à beatis essentia Diuina videri, non videndo personas, si non includeret illas. Respond. quamuis essentia quidditatiuè includeret personas, non minor difficultas esset circa visionem vnius sine aliis: quemadmodum difficultas est circa visionem personarum sine essentia, aut circa visione vnius attributi sine alio, licet inuicem essentialiter includantur. Decisio tamen pendet ex principiis propriis visionis beatificæ, vbi eam tractauimus ad quæst. 12. artic. 8. licet ad hunc locum trahatur ab aliquibus authoribus.

Septima, quia si relationes non sunt de essentia Deitatis; accidentaliter prædicabuntur de illa & non per se. Verùm hæc difficultas peculiarem sectionem postulat, videlicet proximè sequentem. 12

Octaua, Pater non habet aliam essentiam nisi Dei, sed Paternias est de essentia Patris. Ergo Paternitas est de essentia Dei. Respond. Fallaciam esse propter æquiuocationem vocis; *essentia*, quam explicuimus sect. 2. nam si essentia sumatur propriè secundùm primam atque propriissimam acceptionem; sic Paternitas non est de essentia Patris, sed sola Deitas est de illius essentia. Cæterùm quando vox, *essentia*, refertur ad aliquid relatiuum, alienatur à magis propria significatione, accipitúrque pro quidditate relatiua: & in hoc sensu Pater habet aliam essentiam, id est, quidditatem, ratione distinctam à quidditate Dei, vt Deus est. 13 *Sophisma.* *Æquiuocatio vocis essentia.*

SECTIO VII.

Vtrum hæc sit prædicatio per se: Deitas est Paternitas; *vel*, essentia Diuina est Paternitas.

IDem quæritur de quibuslibet propositionibus, in quibus aliquod prædicatum notionale, significatum in abstracto, prædicatur de natura, essentia, substantia, vel Deitate. Dubitandi ratio prima est, quoniam huiusmodi propositiones, nec sunt in primo modo dicendi per se, quia prædicatum non est de ratione subiecti, quod exigit Aristoteles 1. poster. cap. 4. Nec sunt in secundo modo dicendi per se, quippe qui postulat, subiectum esse de ratione prædicati, non in recto, sed in obliquo: quemadmodum quando prædicantur passiones de proprio subiecto; vt colligitur ex Aristot. loco citat. At verò relationes seu personalitates non sunt passiones Deitatis. 1 *Prima ratio dubitandi.*

Confirmatur, quia propositiones indirectæ non sunt prædicationes per se. Propositiones autem, de quibus agimus, videntur esse indirectæ, quoniam à parte subiecti ponitur quod se habet vt forma, videlicet, Deitas, vel essentia: cum tamen à parte prædicari ponatur quod est, veluti subiectum recipiens formam, videlicet, suppositalitas, seu personalitas relatiua. 2

Secunda ratio est, quia iuxta probabiliorem sententiam Dialecticorum, propositio per se non conuertitur in aliam per se: sed hæc est propositio per se, *Paternitas est Deitas*. Ergo illius conuertens non erit per se, videlicet, *Deitas est Paternitas*. Mouet tertiò dubium authoritas S. Thomæ de potentia quæst. 8. art. 2. ad 6. asserentis, non esse prædicationem per se in hac propositione, *essentia Diuina est Paternitas*. 3 *Secunda.* *Tertia ratio dubitandi.*

Quartò, quia inferiora non prædicantur per se de suis superioribus, sed per accidens: hæc enim est accidentalis, *animal est homo*, quoniam est inferioris de superiori. Sed personæ & earum relationes 4 *Quarta.*

quod solutio satisfaceret, si relationes ab essentia realiter distinguerentur. Propter eandem rationem Ocham. & Gabriel eadem solutione satisfacere potuissent, existimant enim, ex natura rei & ante opus intellectus relationes esse distinctas ab essentia, vt vidimus disp. 12. sect. 2. Et sanè quamuis maximus difficultatis rigor mitigaretur; si vera foret illa sententia, hoc tamen est vnum ex indiciis suæ falsitatis, vt ostendimus in eadem disp. 11. sect. 4. probat. 5. confirmat. 3.

4 *Adhuc non plenè satisfacit.*

Nunc autem adiungimus, etiam si relationes distinguerentur ea distinctione modali, quam Durandus asseruit, adhuc non plenè satisfieri præsenti difficultati. Et enim (quemadmodum Aureolus argumentum vrget) talis est identitas extremorum inter se, qualis est eorũ identitas cum vno tertio: & consequenter talis est distinctio extremorum ab inuicem, qualis est eorum distinctio ab vno tertio. Sed tres relationes ab essentia Diuina non distinguuntur vt res à re, sed tantùm vt modus à re (iuxta sententiam Durandi.) Ergo relationes ab inuicem non distinguuntur realiter vt res à re, & multo minus, vt distincta suppositalitas subsistentia, sed tantùm distinguuntur vt duo modi eiusdem rei. *Talis est identitas extremorum inter se, qualis eum vno tertio.*

5 *Exemplum.*

Exemplum sit quantitatis, raritas & vbicatio, quæ ab inuicem non distinguuntur vt res à re, sed tãtum vt duo modi eiusdem rei; quoniam ab ipsa quantitate non distinguuntur vt res à re, sed sicut modus à re. At verò tres personalitates ab inuicẽ distingui vt res à re, atque vt tria suppositalitas subsistentia, de fide est. Quo supposito, restat Durãdo, dicendũ, quomodo possit distinctio personarum ab inuicẽ esse maior, quàm distinctio personarum ab essentia. Atque idem argumentum fortius vrget solutionem Scoti: nec potest ille multis adhibitis solutionibus effugere, quin conuincatur, maiorem aliquam distinctionem esse personarum inter se ipsas, quàm sit distinctio personarum ab essentia. Sed eius plurimas replicas & solutiones consulto prætermitto. Videri possunt apud eundem Scotũ ad finem totius distinctionis secundæ.

6 *Primaria solutio ex infinitate vnius tertij, cum quo identificantur extrema.*

Nos autem redeamus ad catholicam doctrinam de reali identitate relationum cum essentia, qua suppositalitas, maior est difficultas argumenti initio propositi. Eius verò primaria solutio, quæ radix est & fundamentum cæterarum, consistit in discrimine rei finitæ ab infinita. Quæcumque igitur sunt idem realiter vni tertio finito & limitato, sunt etiam idem realiter inter se. Verumtamen, quæ sunt idem realiter vni tertio simpliciter infinito in genere entis; possunt nihilominus inter se realiter distingui; si relatiuè opponantur inuicem, & tamen non opponantur illi tertio. Hoc discrimen Dei à creaturis prouenit ex summa & eminentissima plenitudine perfectionis, quæ simul complectitur summam simplicitatem sine vlla diuertitate substãtiæ, & absque vlla compositione; prætereáque summam fœcunditatem in producendo & communicando substantiam. Fœcunditas enim requirit distinctionem realem inter personam producentem & productam: simplicitas verò requirit identitatem vtriusque cum essentia.

7 *Notatur à Patribus hac eminentia.*

Hæc eminentia identitatis cum distinctione, tanquam propria excellentia Trinitatis, magno studio notatur à Patribus. Iacobus frater Domini in liturgia sub initiũ ait: *Luci Diuinitatis, quæ singulariter est in Trinitate, & quæ sine diuisione diuiditur.* Gregorius Nyssenus lib. de differen. essentiæ & hypostaseos paulo post med. *idẽ*, inquit, *& coniunctum & separatum atque discretum dicimus, & quoddam quasi per ænigma excogitamus, nouum & à communi sensu & opinione abhorrens. Tum discrimen coniunctum, tum discretam coniunctionem.* Aliud testimonium eiusdem ex oratione catechetica cap. 3. referemus disput. 22. sect. 3. Basil. epistol. 43. ad eundem Gregor. Nyssenum statim à medio. *Tanquam in ænigmate nouam quandam insolitè coniunctam discretionem, & discretam coniunctionem construimus.*

Sophronius Patriarch. Constantinop. in 6. Synodo art. 11. epistola professionis fidei colum. 2. *Indiuisibilem*, inquit, *habet diuisionem, & inconfusam gerit distinctionem.* Hierotheus apud Dionys. de Diuin. nomin. cap. 2. fine. *In diuinis*, inquit; *rebus coniunctiones diuisiones & vincunt & antecedunt; nec minùs tamen coniunctæ sunt triam post vnius non abeuntem, singularemq; diuisionem. Has nos communes, coniunctasq; totius Diuinitatis diuisiones*, &c. Quibus similia Dionysius dixerat in eodem capite. 8

Nazianzenus orat. 38. in Christi natiuit. ad fin. num. 16. Diuina suppositalia appellat *Vnum diuisim existentia, & coniunctim diuisa*; & orat. 39. in sancta lumina prope med. *Distinguitur indistinctim, vt sic loquar, & distinctim connectitur.* Quod testimonium aliter transtulit ad sua decreta confirmanda Ioannes secundus epistol. 2. ad senatores (alias lib. de duabus naturis contra Eutychianos) inter princ. & med. dicens: *Diuiditur, vt ita dicam, indiuisibiliter, coniungitur diuisibiliter, vna est in tribus Deitas.* Anastasius Synaita ad rectæ fidei dogmatibus lib. 1. in med. *Trinitatem*, vocat, *admirabili prorsus vnione simul & diuisione subsistentem.* 9

Explicatur amplius hæc ratio, nam eadem essentia, propter suæ perfectionis infinitatem, est suæ cognitio & suæ volitio, non solùm necessaria, sed etiam volitio libera. Idque lumine naturæ demonstratur euidenter esse verum; quamuis aliunde multæ difficultates, humanum ingenium superantes aduersus hanc demonstrationem occurrant. Ergo non est rationi contrarium, si propter eandem infinitatem & eminentiam, essentia Diuina identificetur in relationibus realiter oppositis & pertinentibus ad originem & operationem ad intra. Sic nimirum intellectus conscenso prius supremo culmine veritatum naturalium, minori difficultate laborat aspiciendi supernaturalia: 10 *Eadem essentia est sua cognitio & volitio.*

SECTIO III.

Concordia & legitimus intellectus ad varias solutiones doctorum.

EX præcedenti doctina colligitur primò vera & solida declaratio & conciliatio plurimarum solutionum, quibus doctores satisfacere conantur prædicto principio de identate cum vno tertio. Quæ omnes solutiones tantùm abest, ne inuicem pugnent, vt potius coalescant in vnam, integram, plenámque solutionem, atque se inuicem ab impugnationibus protegant & corroborent. Cum tamen singulæ diuulsæ à cæteris, ideóque destitutæ præsidio infinitatis & eminentiæ supradictæ, facilè conuincantur aut falsitatis, aut insufficientiæ. 1 *Coalescunt omnes solutiones in vnã integram.*

Colligitur secundò, absolutè verum esse illud principium in tota vniuersalitate entis, abstrahendo à creato & increato, finito & infinito; dummodo distinctione limitetur. Quæcumque absoluta 2 *Limitatio ad absoluta extrema, quæ sint eadem vni tertio.*

absoluta sunt realiter eadem vni tertio singulari, quantumcumque infinito, sunt realiter eadem inter se. Cæterum relatiua, quamuis sint realiter eadem vni tertio singulari & infinito, non sunt eadem realiter inter se, nisi referantur ad eundem terminum.

3 *Relationibus proprium distingui manente identitate substantiæ.* Sumitur hæc solutio ex Boëtio in lib. de Trinit. post med. quatenus docet, hoc esse proprium relationibus præter alia prædicamenta, vt possint realiter distingui, manente identitate substantiæ: quia relationes nec addunt, nec minuunt esse rei ad se, nec illud mutant; sed tantum se habent in comparatione ad alium terminum. Cum igitur relationis totum esse sit ad aliud se habere; consequens est, vt non variet, nec multiplicet absolutum esse rei ad se ipsam. Sic Boëtius dicto lib. de Trinit. propiùs ad fin. quàm ad med. docet, *Prædicationem relatiuam nihil rei addere, vel minuere, vel mutare, quæ tota non in eo, quod est esse, consistit; sed in eo, quod est in comparatione aliquo modo se habere.* Et infra: *Sed quoniam nulla relatio ad se ipsum referri potest, idcirco quod ea secundum seipsum est prædicatio, quæ relatione caret: facta quidem est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis.* Quæ omnia declarauimus supra disput. 9. sect. 7.

4 Athanas. dialog. 1. de Trinitate contra Maced. in princ. cum inferret Macedonianus, Spiritum sanctum esse Patrem vel Filium, quoniam est Deus; respondet, negando consequentiam: *Etenim vocabulum Deus naturam significat, omnia contemplantem aut peruidentem. Nomina verò Patris & Filij, relatiua sunt. Nec relatiuum igitur nomen naturam peruidentem aliquid designat: nec contemplantis & peruidentis aliquid naturæ nomen Patris ad Filium relationem inducit.* Perpende, concordiam identitatis cum distinctione desumi ex eo, quod distinctio sit in relationibus tantum, sed vnitas in absoluta natura.

5 Cyrillus Alex. lib. 7. Thesauri post med. *Sola,* inquit, *diuersitate relationis, quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur. Relationes autem consubstantialium diuersæ, nominaq; ipsarum relationum diuersa non possunt naturalem coniunctionem delere.* Idem confirmant cætera Conciliorum & Patrum testimonia, quæ supra disp. 9. sect. 5. fundamento 3. probant, solam relationem esse, quæ possit in diuinis realem distinctionẽ afferre.

6 *Distinctio personarum per solam originem.* Pro eadem solutione possunt referri omnes Patres, qui dicunt, realem distinctionem personarum afferri per solam originem, siue per causam & causatum; vt Greg. Nyssenus lib. ad Ablabium. *Quod non tres Dij.* prope fin. *eam,* inquit, *quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus.* Cuius veritatis plura testimonia videbimus disp. 87. disp. 2. & sequentibus.

7 Huius autem partis concordia cum præcedenti hæc est, quoniam in Diuinis personæ multiplicari non possunt per differentias absolutas, neque per quascumque relationes oppositas, sed tantum per relationes originis, vt probatum est disp. 1. sect. 3. 4. & 5.

8 Summa verò totius probationis hæc est, quoniam plures essent Diuinitates, nec posset vnitas essentiæ Diuinæ retineri; nisi foret vnicum principium à *quo* personæ distinctæ reciperent eandem naturam, sibi communicatam per originem, propter quam personæ productæ referantur ad vnicam personam producentem. Quemadmodum Nazianzenus ratiocinatur, orat. 37. quæ est 5. & vlt. de theologia non longè ante med. illis præsertim verbis: *Nobis vnus Deus est, quoniam vna Deitas, atque ad vnum ea, quæ ex eo sunt, referuntur.* Quibus similia ex Concil. Nicæno & Syrmica Synodo, apud Hilar. ex Fulgentio, Athanasio, Epiphanio, aliisque Theologis vidimus disp. 1. sect. 3.

9 *Alia solutio S. Thomæ.* Colligitur tertiò, veram esse solutionem, quam adhibet S. Thom. in præsenti quæst. 28. art. 3. ad 1. quod secundum Philosophum 13. physic. tex. 21. *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se;* si fuerint idem re & ratione: sicut tunica & indumentum: non autem si ratione differant. Quibus similia respondet in quæst. 8. de potent. art. 2. ad 10.

10 *Obiectio.* Quam solutionem non solum Aureolus redarguit 1. dist. 2. part. 3. art. 3. sed etiam docti recentiores, quoniam idem S. Doctor. 2. contra gent. cap. 9. eo probat, potentiam Dei & eius operationem esse idem secundum rem, quod sunt idem cum essentia: atqui operatio Dei, & potentia eius ratione differunt. Confirmant, quia solutio Ferrariensis ibi, dicentis; D. Thomam intelligendum esse de distinctione rationis, non quacumque, sed habente fundamentum in re: non satisfacit. Tum quia distinctio rationis inter potentiam Dei & eius operationem habet etiam fundamentum in re: præcipuè verò distinctio inter operationem & essentiam. Tum etiam, quoniam ea, quæ sola ratione differunt ab vno tertio, non possunt nisi sola ratione inter se differre; vt constat exemplo Aristotelis de actione & passione realiter identificatis cum eodem motu.

11 *Recurrit ea solutio ad præcedentes.* Nihilominus attentius consideranti perspicuum erit, prædictam solutionem S. Thomæ recurrere ad quidditatem relationis & originis, quando subiungit, quod in eodem 3. physic. text. 22. Aristoteles dicit; *quod licet actio sit idem motui, similiter & passio: non tamen sequitur, quod actio & passio sint idem: quia in actione importatur respectus, vt à quo est motus in mobili; in passione verò, vt qui est ab alio. Et similiter licet Paternitas sit idem secundum rem cum essentia Diuina, & similiter Filiatio: tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus.* Quapropter S. Thomas præcipuè nititur in oppositione relatiua pertinente ad originem. Quam solutionem breuiter & acutè complexus est Caietanus, quæst. 39. art. 1. §. *In responsione ad* 1. dicens, quod illa maxima non tenet, vbi natura est absoluta, & suppositum respectiuum, & hoc propter oppositionem relatiuam.

12 Fusiùs hanc solutionem de relatione originis explicuit S. Bonauent. 1. dist. 34. art. vnico q. 1. corpor. probans, hoc esse proprium relationis secundum originem, quod non afferat compositionem cum essentia, & tamen afferat distinctionem à correlatiuo. Vnde sumit solutionem ad vltimum argumentum. Breuius idem docuit Ricardus, 1. dist. 2. art. 2. quæst. 1. ad 2. & dist. 33. art. 2. q. 1. ad 2. Ægidius, 1. dist. 33. vbi eum refert & sequitur Argentina, quæst. 1. toto art. 4. à quo parum distat, quod idem Argentina dixerat dist. 27. quæst. vnica art. 2. ad 3.

13 *In rebus finitis nõ est possibilis prædicta identitas extremorũ cum vno tertio sine identitate inter se.* Notandum tamen est, neque in actione & passione, neque in aliqua alia re creata contingere posse, vt relationes extremæ realiter differant inter se; cum tamen sola ratione differant ab vno tertio. Cuius ratio est finitudo, limitatio & imperfectio cuiuslibet naturæ creatæ: insuper imperfectio relationis creatæ, quæ non potest esse

potest, & abesse, manente subiecto. Quam assertionem fusiùs probant Bonauent. Ricardus, Canariensis & Vazquez citati.

10 *Prædicationes per accidens.* Ex quibus infero, & dico tertiò, has esse prædicationes per accidens, prout hoc nomine persæitas prædicationis excluditur; sed non sunt per accidens, vt excluditur persæitas causalitatis, nec sunt per accidens, prout accidens significat inhærentiam realem & intrinsecam.

11 *Interior actio libera Dei an per se prædicetur.* Dico quartò. Si creãdi verbo significetur actio Dei ad intra, videlicet, volitio & imperium creandi; non est propriè in quarto modo per se; quia nulla causalitas interuenit propriè dicta; est autem quodammodo causalitas secundum rationem. Aliunde autem prædicatio magis distat ab accidentalitate; quia prædictæ actiones immanentes sunt ipsa substantia Dei, & ab æterno immutabiliter existunt: Insuper necessarium est, Deum ab æterno decreuisse creare, vel decreuisse non creare: sicque de cæteris omnibus obiectis & actionibus decreuisse. Quapropter secundum modum perfectatis participant propositiones, in quibus decreta libera Dei ad intra prædicantur de ipso.

ARTICVLVS III.

Vtrum relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem distinguantur.

VOD attinet ad probandam realem distinctionẽ relationum, quoniam eisdem fundamentis nititur, quibus personarum realis distinctio, remittimus ad disput. 19. In præsenti verò solummodo tractabitur difficultas omnium maxima, quæ possunt in vniuersa Theologia occurrere: consurgit enim ex profundissimo mysterio trium personarum, quæ licet ab inuicem realiter distinguantur, nihilominus omnes & singulæ sunt vnica substantia & essentia indiuidua & simplicissima, neque ab illa distinguuntur, nisi sola ratione, vt in præcedentibus disp. probatum est.

DISPVTATIO XV.

Vtrum mysterium Trinitatis repugnet principijs metaphysicis ac dialecticis de identitate cum vno tertio, forma syllogistica, & contradictionibus.

SECTIO I.

Sobrietas & humilitas in hac potissimum disputatione seruanda.

1 *Dubitationis motus & difficultas non excluditur naturali discursu.* DICO primò. Impossibile est inuenire rationem, aut solutionem, quæ vndique satisfaciat lumini naturali, non relinquens in eo difficultatis & dubitationis motus. Cuius impossibilitatis causa est, identitas substantiæ, coniuncta cum reali distinctione relationum, quæ infinito interuallo superat capacitatem cuiusque luminis naturalis. Propterea solutiones argumentorum istius mysterij non sunt exigendæ ad regulas & principia creaturarum. Quia *in nulla re creata inuenitur aliquid simile Diuinæ simplicitati: vt habens sit id quod habetur. Omnia enim similia, quæ possent induci, vel de punctis vel de differentijs existentibus in genere, plus habent de dissimilitudine, quàm de similitudine. Et omnino magis abducunt à veritate, quàm in rerum intellectum inducunt;* vt scribit S. Thomas, 1. dist. 33. quæst. vnica art. 1. ad 2.

2 Quod ipsum admonuit Dionysius de diuin. nomin. cap. 13. post med. *Diuinitas,* inquit, *quæ omnia superat, vnitatis & trinitatis nomine celebrata, non est vt vnitas & trinitas, aut à nobis, aut ab aliquo alio eorum, quæ sunt cognita.* Et post pauca: *Nulla autem monas, aut trias, neque numerus, neque vnitas, aut fœcunditas, nec quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summæ, omniaq; superantis Diuinitatis, quod rationem omnem mentemq; vincit, enuntiat: neque eius nomen est, neque ratio, sed in ijs, ad quæ aditus non patet, secreta est.*

3 *Fides subijciendus intellectus.* Vnde infero & dico secundò, Fidei submittendum esse intellectum in argumentis huius mysterij: quemadmodum Patres præcipiunt, profitentes humani ingenij imbecillitatem & ignorantiam. Nazianzenus orat. 34. quæ est 2. de Theologia propius ad fin. quàm ad med. post num. 67. *Ducem,* inquit, *potius fidem, quàm rationem sequamur; si modo ingenij tui imbecillitatem in propinquioribus didicisti, rationisq; id esse cognouisti, vt, quænam sint ea, quæ rationis humanæ captum excedant, cognoscas: ne alioqui prorsus terrenus sis, ipsam quoque ignorantiam tuam ignorans.*

4 Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos inter med. & fin. *Vt enim,* ait, *in ijs, quæ oculis apparent, experientia validior, quàm vt contradici possit, videtur: Ita insuper eminentibus, captumq; nostrum superantibus doctrinis quoque, ea comprehensione atque perceptione, quæ per ratiocinationes conciliatur, potior ac firmior esto fides, quæ & in hypostasi separationem & in essentia coniunctionem docet.* Idest, quæ docet in hypostasi distinctionem, & vnitatem in essentia.

5 Cum paralogismos de hoc mysterio Catholicis obiiceret Aëtius apud Epiphanium hæres. 76. præsertim versus med. ad cap. 7. respondet: *Omnia præteruolant & excedunt, & omnem causam syllogisticam relinquunt doctrinali illi ex diuina scriptura sententia, nempe: Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, & cui is reuelauerit. Reuelat autem per sanctum Spiritum, non his, qui de ipso per syllogismos ratiocinantur, sed qui in ipsum legitimè ac perfectè credunt.*

6 De hoc argumento copiosiùs scribit Hilarius, cuius aliqua verba refert Magister 1. dist. 33. cap. *horum,* & cap. *sed fortè.* Videndus est præsertim lib. 2. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad princ. & in præsenti notandum, quod lib. 1. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Respuit captiosas & inutiles philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallacijs succumbens, spolium se præbet veritas falsitati: non secundum sensum communis intelligentiæ Deum retinens,* &c. Vt propterea merito Hieronymus lib. 18. in Esaiã in præmio sub init. dixerit: *Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiæ.*

7 Augustinus lib. 1. de Trinit. toto cap. 1. 2. & 3. eandem profitetur imbecillitatem ingenij, peculiariter ad fin. cap. 1. *Afferimus,* inquit, *aliquando rationem non quam petunt, cum de Deo quærunt: quia nec ipsi eam valent sumere, nec nos fortasse vel apprehendere, vel proferre: sed quæ demonstretur eis*

quam sint inhabiles, minimeq; idonei percipiendo quod exigunt.

8 Fusius eandem veritatem probat Anselmus in monolog. toto cap. 62. & 63. & lib. de incarnat. Verbi cap.6. ad fin. *Si negat*, inquit, *tria dici de vno posse, & vnum de tribus, cum tria non dicantur de inuicem, sicut in his tribus personis & vno Deo facimus: quoniam hoc in alijs rebus non videt, nec in Deo intelligere valeat: sufferat paulisper aliquid, quod intellectus eius penetrare non possit esse in Deo.* Et post pauca: *Credat aliquid in illa esse, quod in istis esse nequit.* Idémque probant omnia testimonia Patrum adducta disp.5. sect.1. Propterea nonnulli Scholastici fatentur, se ignorare solutionem horum argumentorum, secuti Magistrum 1. dist.33. cap. *Horum.* & cap. *Sed forte*, vt Marsil. 1. quæst.36. art.2. dubio postremo.

9 *Solutiones probabiles, non euidentes.* Dico tertiò. Non sunt quærendæ solutiones, quæ euidenter ostendant, esse fallacia contraria argumenta; sed quæ illa probabiliter diluant. Attamen quærendæ sunt solutiones & rationes, quæ demonstrent euidenter, nostrum intellectum multoties deludi, fictis & apparentibus euidentiis, inter se pugnantibus etiam circa res minimas, vt circa partes continui, earúmque infinitatem; circa relationes creatas, earúmque quidditatem & distinctionem; circa morbos humani corporis, & eorum causas atque remedia; circa quotidiana negotia; imo circa proprias atque præsentes vniuscuiusque hominis actiones. Ideo naturalis ratio dictat, Diuinæ authoritatis comparatione, cunctis in rebus, maximè verò Diuinis ac supernaturalibus, calcandas esse quascumque laruas euidentiæ & certitudinis, quibus veluti solidis corporibus, nos tutò ac firmiter subnixos esse, deliramus, in densissima nocte vitæ præsentis somniantes meridianam lucem.

10 *Diligens studium cum sobrietate.* Dico quartò. Nam debemus propterea desistere à studio, diligentiáque differendi. Theologus quippe tenetur, sobriè & humiliter quærere rationem & modum ostendendi, doctrinam fidei non repugnare lumini naturæ, nec veræ philosophiæ. Neque enim possibile est repugnare, quoniam Deus non solum fidei, sed etiam naturalis rationis author secum pugnare non potest. Hoc igitur studium ac diligentiam authoritate Scripturæ sacræ commendant Patres citati suprà disp.5. sect.2.

11 Vnde Naziãzenus orat.42. quæ est 2. in Pascha. prope med. num.32. *Nos*, inquit, *media quadam via inter eos, qui crassiore omino ingenio sunt, & eos, qui nimio contemplationis & anagogiæ studio ducuntur, incedentes, vt nec prorsus inertes ac torpidi maneamus, nec rursus curiosiores simus, quam par sit, atque à proposito argumento excidamus & euagemur (alterum enim Iudaicum quodam modo & abiectum, alterum ineptum ac somniorum coniectore dignum est, paremq; vtrumque reprehensionem meretur) ad hunc modum de his rebus, pro virium nostrarum modulo, non nimis absurdè nec ridiculè disseremus.*

12 Hilarius lib.2. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad princ. *Insere te in hoc secretum*, inquit, *& inter vnum ingenitum Deum, & vnum Vnigenitum Deum; arcano te inopinabilis natiuitatis immerge. Incipe, procurre, persiste: & si non peruenturum sciam, gratulor tamen profecturum. Qui enim pie infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo.* Quod sequitur S. Thomas de potent. quæst.9. art.5. corpore.

13 Augustinus lib.1. de Trinit. cap3. sub init. obseruat, hoc esse placitum, & pium atque tutum coram Domino Deo nostro: *maximè in his, vbi quæritur Vnitas Trinitatis Pater & Filius & Spiritus sanctus; quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* Fructus autem eximius est, non solum vt piorum mentes in Dei cognitione proficiant, sed etiam vt aduersariorum audacia impudentiáque retundatur. Quemadmodum in præced. c.2. dixerat Augustinus: *Istis garrulis ratiocinatoribus, elatioribus quàm capacioribus, atque ideo morbo periculosiore laborantibus, sic fortasse seruiemus, vt inueniant aliquid, vnde dubitare non possint, & ob hoc in eo, quod inuenire nequiuerint, de suis mentibus potius, quàm de ipsa veritate, vel de nostris disputationibus conquerantur.* Inueniendi verò fiducia in diuina illustratione, assiduáque precatione, non in nostris conatibus est collocanda.

Postremò Ricardus Victor. lib. 1. de Trinit. 14
cap.3. init. *Ad eorum*, inquit, *notitiam, de quibus rectè dicitur nobis* (Isaiæ 7.) *si non crediderit is, non intelliget is, oportet quidem per fidem intrare; nec tamen in ipso introitu subsistere; sed semper ad interiora, & profundiora intelligentiæ properare, & cum omni studio & summa diligentia insistere, vt ad eorum intelligentiam, quæ per fidem tenemus, quotidianis incrementis proficere valeamus.*

SECTIO II.

Trinitatis mysterio non repugnat illud principium: *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

HÆc est vna ex dignitatibus, lumine natu- 1
ræ notissimis. Traditur autem ab Aristotele lib.7. topic. cap. 1. in med. videlicet loco 5. his verbis: *Si cui alterum idem, & alterum:* supple idem est etiam. *Nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum quoniam nec sibi inuicem*, supple sunt eadem. Hinc consurgit primarium argumen- *Primum argumentum.*
tum, quia quæcumque sunt eadem vni & eidem, sibi inuicem sunt eadem. Sed tres relationes sunt eædem realiter vni & eidem essentiæ Diuinæ. Ergo tres relationes sunt inuicem realiter eędem; ac subinde non distinguuntur realiter. Vnde à contrario consequentis ad contrarium antecedentis arguitur etiam sic: Relationes diuinæ non sunt idem realiter inter se. Ergo non sunt idem realiter cum vnica & simplicissima essentia Diuina. Hoc erat præcipuum argumentum Gilberti Porretani, quo probare tentabat, relationes ab essentia realiter distingui: vt vidimus disp.11. sect.1.

Eiusdem argumenti veluti appendix est istud: 2
Eorum, quæ sunt idem re, vnum multiplicati non potest, quin multiplicetur & reliquum. Sed in Diuinis essentia est idem realiter cum relatione. Ergo relatio non potest multiplicari realiter, quin realiter multiplicetur essentia.

Scotus 1. dist.2. quæst.4. quæ est vltima totius 3
distinctionis, §. *ad primum princip.* & sequentibus *Facilior solutio in sententia Scoti & Durandi falsitatē eius indicat.*
respondet: *Quæcumque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sunt eadem.* Existimat enim, personalitates ante opus intellectus esse distinctas ab essentia, nec alia maiori distinctione ab inuicem esse distinctas. Similiter etiam Durandus 1. dist. 2. quæst. 4. fine putat se facilè expeditum ab hac difficultate, quoniam relationes realiter ab essentia distinguit. Nec desunt docti recentiores, qui consentiant quantum ad illationem ex falsa suppositione, dicentes, quod

esse subsistens, sicut relatio Diuina: ideóque non potest distinguere suppositа, manente identitate essentiæ: vt optimè obseruauit S. Thomas infra quæst.39. art.1. ad 1.

14 *Alia explicatio de adæquata identitate.* Colligitur quartò quo sensu vera sit alia explicatio prædicti principij, videlicet, siue in Deo, siue in creaturis, quæcumque sunt eadem adæquatè vni tertio, sunt etiam eadem inter se: siue, quod idem est, quæcumque sunt eadem realiter vni tertio incommunicabili, sunt etiam eadem inter se. Ita respondet Capreolus 1. dist. 2. quæst. 3. art. 1. versus finem. Carthusianus 1. dist. 33. q. 1. fin. Imo etiam S. Bonauent. dist. 34. art. vnic. q. 1. ad vltimum argumentum in prima solutione illius, dicens, quod fallit illud principium, *vbi est conuenientia plurium, tanquam in communi.* Eandem solutionem sequitur Molina in præsenti quæst. 28. art. 3. disput. 2. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 18. Ad eandem euadit tandem solutio Aureoli 1. dist. 2. p. 3. art. 4. circa med. & in solutione ad 7. Quam magis explicat dist. 36. in fine, cum respondet ad 11. argumentum.

15 *Prima obiectio.* *Secunda obiectio.* Hæc solutio redarguitur à recentioribus. Primò, quia in creaturis nulla talis inadæquata identitas inuenitur: & ipsummet principium videtur concludere, quod inueniri non possit. Secundò, quia sequeretur, ex hoc principio non posse concludi actionem & passionem esse idem realiter inter se, quia sunt idem realiter vni motui; quia quicumque defenderet, actionem & passionem realiter inter se distingui, licet identificentur cum motu: eo ipso diceret, cum motu non identificari adæquatè, sed inadæquatè.

16 *Solutio.* Verumtamen has obiectiones enadit solutio præsens, coniuncta cum præcedenti primaria solutione per quam redditur ratio discriminis, propter quam in creaturis nulla talis inadæquata identitas realis inueniri potest; sed quodcumque extremum realiter identificatum cum vno tertio, identificatur adæquatè cum illo, & consequenter cum cæteris extremis, realiter identificatis cum illo tertio. Ratio enim est finita limitatio. Sed in Deo inadæquatæ identitatis & communicabilitatis ratio est infinita eminentia, & quidditas relationis nuper explicata.

17 *Alia explicatio de identitate secundum idem.* Colligitur quintò, quo sensu vera sit alia expositio, videlicet, tam in Deo, quàm in creaturis, quæcumque sunt eadem realiter vni tertio, sunt etiam idem realiter inter se, *secundum id, secundum quod idem sunt*; vt loquitur S. Thom. 1. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 2. & S. Bonauent. 1. dist. 33. art. 1. quæst. 3. ad 1. Capreolus 1. dist. 2. quæst. 3. art. 1. fin. Caietanus in hoc art. 3. prope fin. Ferrariens. 2. contra gent. cap. 9. sub init. Marsil. 1. quæst. 6. art. 3. prope fin. Melius autem explicatur à Gregor. 1. dist. 33. quæst. 1. art. 3. ad 3. In sensu eadem est solutio Alberti, licet verba sint alia 1. p. quæst. 39. memb. 1. inter med. & fin. dum respondet ad tertiam particulam. Et quamuis aliter intelligens identitatem relationum cum essentia, eadem tamen distinctione vtitur Scotus 1. dist. 2. dum respondet ad quæst. 4. §. *Ad prim. argumentum principale.*

18 *Obiectio prima.* *Secunda obiectio.* Hæc solutio ab eisdem authoribus redarguitur primò, quoniam secundùm hanc explicationem, illud principium reddit sensum prorsus identicum & inutilem dispurationibus, perinde atque si diceres, *quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem in eo tertio.* Vnde non posset inferri identitas extremorum inter se. Secundò, quia in creaturis manifestum est, identitatem absolutam extremorum euidenter probari per identitatem cum vno tertio.

Verumtamen ex S. Thoma in eadem dist. 33. 19
quæst. 1. art. 1. in corpor. articuli, aliisque autho- *Solutio.*
ribus, potissimum ex Gregorio locis citatis constat, quod hæc solutio supponit, non solum infinitatem essentiæ Diuinæ, sed etiam peculiarem quidditatem relationis, propter quam, licet in creaturis inferatur realis identitas extremorum; in Deo tamen non infertur. Nec propterea principium illud, ad Diuina relatum, redditur identica propositio; sed potius est valde doctrinalis & vtilis, quoniam per illam rectè probabitur, Patrem & Filium esse vnum & idem in neutro genere dictum, insuper esse vnam rem, vnum Deum, vnam intellectionem, vnam volitionem, vnam potentiam, & cætera absoluta prædicata; quoniam Pater & Filius sunt idem realiter cum vno tertio, videlicet essentia Diuina.

SECTIO IV.

Num forma syllogistica fundetur in prædicto principio: *Quæcumque sunt eadem vni tertio, &c.*

AFfirmant Aureolus 1. dist. 2. p. 3. tit. 3. Sco- 1
tus eadem dist. 2. quæst. 4. §. *Ad primum argum. prin.* Marsil. quæst. 6. art. 3. prope fin. Limitans ad syllogismum expositorium. Sententię Aureoli tacitè consentire videntur Capreol. 1. dist. 2. quæst. 3. art. 1. circa med. & Torres in præsenti quæst. 28. art. 3.

Negatiuam verò sententiam docet Caieta- 2
nus quæst. 28. art. 3. §. vltimo. Molina in eodem art. 3. disput. 3. Vazquez disput. 123. cap. 2. Videtur idem supponere Gregor. 1. dist. 5. quæst. 1. colum. 2.

Sed quia res est dialectica potius, quàm Theo- 3
logica, breuiter dico primò. Syllogistica forma, *Syllogistica forma fundamentum non est identitas cum vno tertio.*
generaliter sumpta, atque vt comprehendit potissimam partem istius artis, non potest fundari in prædicto principio, *Quæcumque sunt eadem vni tertio*, &c. Probatur primò, quoniam primarij syllogismi sunt, qui fiunt in prima figura, constantes ex terminis communibus & distributo medio. In his autem medium non est realiter vnum, & multo minus est vnum, secundum rationem, cum suis extremis. Exemplum sit hic syllogismus: Omne animal est corpus; omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus. Vbi animal, quod est medium, non est realiter vnum; siquidem complectitur realitates omnium animalium. Insuper animal non est idem ratione cum homine, nec cum corpore, quæ sunt extrema. Imo quandoque extrema realiter distinguuntur à medio; vt in hoc syllogismo: omne calidum calefacit, hoc ferrum est calidum; ergo hoc ferrum calefacit. Vbi calefacere, cum sit actio transiens, realiter distinguitur à calido; & similiter calor realiter distinguitur à ferro.

Probatur secundò, quoniam Aristot. 1. prior. 4
cap. 4. & sequentibus, & toto lib. 2. priorum, vbi ex professo tradit syllogisticam artem, nunquam vtitur hoc principio: *Quæcumque sunt eadem vni tertio*, &c. Sed nititur semper illi fundamento, *Dici de omni, & Dici de nullo.* Et quamuis ad hanc vniuersalitatem affirmationis, aut negationis conentur aliqui reducere principium illud: *Quæcumque sunt eadem vni tertio*, &c. Violenter tamen reducitur: & tandem vis illationis sumitur ex distributa

distributa & vniuersali affirmatione, seu negatione, quæ significatur per *Dici de omni*.

5 *Syllogismus expositorius fundatur in indentitate cum vno tertio.*

Dico secundò. Syllogismus expositorius, videlicet, cuius medium est terminus singularis, potest fundari in prædicto principio: *Quæcumque sunt eadem vni tertio*, &c. Cæterum huius etiam syllogismi robur procedit ex vniuersaliore principio, *Dici de omni*, & *dici de nullo*, quatenus bonitas consequentię probari potest per reductionem ad modos perfectos primę figuræ syllogismorum.

6 *Nihil obstaret mysterio Trinitatis, licet, &c.*

Dico tertiò. Quamuis syllogistica forma fundaretur in illo principio. *Quæcumque sunt eadem vni tertio*, &c. nihil obstaret mysterio Trinitatis, nec probaret esse bonas consequentias, in quibus infertur, personis conuenire quidquid conuenit essentiæ; vel non conuenire, quod non conuenit essentiæ. Ratio est, quoniam illud principium, licet sit vniuersaliter verum: attamen ratione materiæ diuersam applicationem exigit in Trinitate; vt vidimus in præced. sectionibus, & in sequentibus dicemus de principio formæ syllogisticæ.

SECTIO V.

Forma syllogistica non violatur, sed perficitur mysterio Trinitatis.

1 *Valere formã syllogisticam in hoc mysterio.*

QVidam existimant, syllogisticam formam in diuinis non valere. Sed horum ignorantia Logicæ, ac Theologiæ conuincitur primò, quia viam obstruunt vniuersis ratiocinationibus Theologicis, quibus aliquid demonstratur, siue circa Diuina attributa ex principiis naturalibus, siue ex principiis supernaturalibus circa Diuinas personas, earúmque substantiam; aut circa prædestinationem, aut reprobationem. Ideóque catholicis, volentibus aliquid probare, hæretici pro libito responderent, discursum & omnem illationem non valere, quantumcumque seruauerit omnes regulas syllogismorum. Propterea que nullum errorem Catholici poterunt ex principiis fidei conuincere.

2 Secundò refutatur, quia syllogistica forma abstrahit à materia, & consequenter abstrahit à Deo & creaturis. Quapropter ex vi formæ, aut in nulla materia valebit ars syllogistica: aut si valet ex vi formæ in aliqua materia, necessarium est, in omni materia valere: quoniam forma semper, & in omni materia est eadem.

3 Tertiò, quoniam Trinitas ipsa est principium & author cuiusque scientiæ naturalis, etiam syllogisticæ, sicut est author cuiuslibet veritatis. Ergo non potest alicui scientiæ, neque alicui naturali veritati repugnare. Antecedens constat ex Ambros. 1. Corinth. 12. ad illud: *Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* August. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 15. & soliloq. lib. 1. cap. 6. sub init. Iustino in dialogo cum Triphone paulo post med. Clemens Alex. lib. 6. strom. fol. penult. & vlt. Videri potest Gregorius Arimin. 1. dist. 5. quæst. 1. prope med.

4 *Prima conclusio.*

Ex his colligo, & sit primaria, certáque conclusio. Forma syllogistica, integrè, formalitérque seruata, etiam in mysterio Trinitatis, retinet vim inferendi: sed propter materiæ discrimen, hoc est, propter infinitam eminentiam Diuinæ substantiæ, & propter quidditatem relationum, aliquid singulare, atque mirabile conuenit syllogismis istius mysterij, cuius nullum exemplum est in cæteris syllogismis.

5 *Prima classis syllogismorũ.*

Pro cuius declaratione quatuor in classes distribuo syllogismos Trinitarios. Duæ classes sunt syllogismorum, constantium terminis quasi communibus & distributis. In prima classe sunt syllogismi cõcludentes, alicui personæ cõuenire, quod est proprium alterius personæ; vel concludentes, alicui personæ non conuenire, quod est proprium illius. Quales sunt syllogismi sequentes: *Omnis essentia diuina est Pater; Filius est essentia diuina: ergo Filius est Pater,* Idem syllogismus erit, si dicas: *omnis Deus est Pater; Filius est Deus: ergo Filius est Pater.* Syllogismus vterque est in optima figura. Sed in secunda figura, qui sequitur: *omnis essentia diuina est Pater; Filius non est Pater: ergo Filius non est essentia Diuina.* Atque idem syllogismus erit, si dicas: *omnis Deus est Pater; Filius non est Pater: Ergo Filius non est Deus.* In tertia denique figura: *omnis essentia diuina est Pater; omnis essentia diuina est Filius: ergo Filius est Pater.*

6 Omnes supradictæ argumentationes eadem syllogizandi forma transferri possunt ad Spirationem actiuam, comparatam cum Paternitate & Filiatione, in quibus realiter identificatur; vt si dicas; *omnis Spirator est Pater; Filius est Spirator; ergo Filius est Pater.* Sic variatis terminis, instaurare poteris reliquos syllogismos.

7 *Secunda conclusio. Defectus plenæ distributionis.*

De his omnibus sit secunda conclusio. In illis violatur lex syllogistica, communis rebus creatis, atque diuinis. Debet enim distributio esse plena atque perfecta, quoties modus arguendi requirit distributionẽ medij & extremitatum. Vnde sicut homo, quia per rationem est communis Petro & Paulo, debet ita distribui, vt supponatur pro Petro & pro Paulo: ita quia Deitas siue Deus, non per rationem, sed per realem identitatem est vna res, communis tribus personis, debet in Syllogismis ita distribui, vt supponatur pro Patre & pro Filio & pro Spiritu sancto.

8 Tertia conclusio. Prædicta lex, quæ secundum se indifferens est Deo & creaturis, variam applicationem accipit ratione materiæ, semper tamen retenta identitate in sua ratione formali. Nam in creaturis homo, exempli gratia, quia nullo modo est realiter vnus, singularis & indiuiduus, sed complectitur entitates omnium hominum, realiter distinctas, ideo completè & perfectè distribuitur, dicendo *omnis homo*. Propter quam distributionem *homo* supponitur pro omnibus suis indiuiduis realiter distinctis. Contra verò, *Deus*, siue *Deitas*, quia realiter est vnica res indiuidua & singularis, quod est ex parte sui præcisè consideratæ; ideo non distribuitur completè, quamuis dicas: *omnis Deus*, vel dicas: *omnis Deitas*. Quoniam adhuc non accipitur pro singulis tribus personis, realiter distinctis, cum quibus realiter identificatur: sed tantum accipitur pro indiuiduo, communi tribus personis. Idem intelligendum est de illa distributione, *omnis spirator*, cæteríque similibus. Hoc igitur defectu plenæ distributionis, vitiantur supra dicti syllogismi.

Discrimen distributionis in rebus creatis.

9 *Plena distributio Deitatis quæ.*

Foret autem completa distributio Deitatis, ac proinde foret legitimus syllogismus: si distributio fieret ad hunc sensum. *Omnis res, quæ est Deitas, est Pater; Filius est res, quæ est Deitas: Ergo Filius est Pater.* In quo syllogismo, licet consequentia sit legitima, falsa tamen est Maior. Eadem falsitas continget in Maiori vel in Minori, quoties cæteri omnes syllogismi suprà dicti habuerint completam distributionem.

10 Doctrinæ secundæ & tertiæ conclusionis consentiunt Marsilius 1. quæst. 6. art. 3. ad 4. & q. 8. toto

toto ferè art. 3. Gregor. 1. distinct. 5. quæst. 1. Canarienfis in præsenti quæst. 28. art. 2. disp. 3. prope finem. vbi Molina disput. 3. Vazquez disput. 123. cap. 3. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 3. fine. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 18. fine.

11 *Nõ est discrimen inter distributionem vniuersalem & dici de omni.*

Duo notanda sunt circa conclusiones præcedentes. Primum, falsam, & soluendis argumentis minimè necessariam esse distinctionem illam, inter vniuersalem distributionem, & *dici de omni*. Quam tradunt Gregor. & Marsil. suprà citati. Existimant enim, aliquam distributionem vniuersalem non æquiualere *dici de omni*, propterea que non sufficere ad syllogismos. Conantur id probare ex Aristotele & Auerroë, sed frustra. Tum, quoniam Aristotelis lib. 1. prior. cap. 4. & sequentibus, & toto lib. 2. & vbique indifferenter vtitur signis distributiuis, *omnis, quilibet, totus*, ad exercendas formas syllogismorum, quæ fundantur in *dici de omni*. Tum etiam, quoniam in creaturis omnibus, nullum inueniri potest exemplum, in quo verificari possit illud discrimen inter distributionem vniuersalem & *dici de omni*. Quapropter Aristoteles & Auerroës diuinare non poterant discrimen, quod in solo Trinitatis mysterio reperitur.

12 *Alia solutiones.*

Secundo notandum est, alias solutiones ab antiquis Doctoribus adhiberi, veluti quod in huiusmodi syllogismis committatur fallacia accidentis; vt docet S. Thom. de potent. quæst. 8. art. 2. ad 6. & alibi sæpe: vel committatur fallacia figuræ dictionis, mutando quid in quale quid: quemadmodum respondet Scotus 1. distinct. 2. quæst. 4. post §. *ad primum argum. principale*. Vtramque solutionem validè refutat Gregorius 1. distinct. 5. quæst. 1. Ego verò non video, quo modo prædictæ solutiones satisfacere possint; nisi per declarationem reuocentur ad ea, quæ diximus in secunda & tertia conclusione: qua declaratione adhibita, satisfacient.

SECTIO VI.

Tres aliæ classes syllogismorum.

1 *Secũda classis syllogismorum.*

IN secunda classi sunt syllogismi, concludentes, essentiæ conuenire, quod est proprium personæ, vel personæ conuenire, quod est proprium essentiæ: necnon syllogismi, concludentes, vni attributo conuenire, quod est proprium alterius. Exempla sunt, quæ sequuntur: *Omnis Pater distinguitur realiter à Filio; Omnis essentia diuina est Pater: Ergo omnis essentia diuina distinguitur realiter à Filio.* Idémque syllogismus ita fieri potest: *Omnis Pater relatiuè opponitur Filio; Omnis Deitas est Pater; Ergo omnis Deitas relatiuè opponitur Filio.* Item syllogismus Gilberti & sequacium apud Magistrum 1. distinct. 33. cap. *hoc autem: Proprietas est diuina essentia: personæ non differunt diuina essentia: Ergo non differunt proprietate.* Præterea: *Pater generat; Pater est essentia diuina: Ergo essentia diuina generat.* Deinde: *Diuinus intellectus est voluntas; Diuinus intellectus est principium, quo Pater generat: ergo voluntas est principium, quo Pater generat. Paternitas generat Filium: Spiratio actiua est Paternitas: ergo Spiratio actiua generat Filium.* Ad hunc modum inueniri possunt fallaces syllogismi pene innumeri.

2. *Defectus plenæ distributionis & variatæ appellationis.*

De quibus omnibus dicendum est primò, laborare defectu plenæ distributionis, requisitæ in omnibus syllogismis, prout explicatum est sect. præced. conclus. 2. & 3.

3 Dico secundò, in eisdem committi defectum variatæ appellationis. Ad cuius explicationem ex Logica recolendum est, adiectiua nomina, & verba vim habere appellandi supra formale significatum. Vnde quando dicimus: *Pater generat*, reduplicamus supra formalissimam & vltimam rationem Patris. Similitérque dicentes: *Essentia generat*, reduplicamus supra formalem rationem essentiæ. Contra verò cum dicimus: *Essentia est Pater*, vel *Pater est essentia diuina*, non reduplicamus formalissimam rationem essentiæ. Variatur ergo appellatio. Qui defectus vitaretur, seruaretúrque lex syllogistica; si tantum inferres: *Ergo essentia diuina, prout est Pater, generat.* Vel si inferres: *Ergo aliqua res, quæ est essentia diuina generat.* Idem existima dictum esse de cæteris syllogismis.

4 *Variatio appellationis frequentior in diuinis.*

Dico tertiò. Prædicta variatio appellationis contingere potest in diuinis frequentius, quàm in rebus creatis: qui defectus, quando contingit in diuinis, absurda maiora concludit, propter realem identitatem vnius rei absolutæ cum tribus rebus relatiuis realiter distinctis.

5 *Tertia classis syllogismorũ.*

Tertia classis syllogismos continet ad instar eorum, quos appellant expositorios, videlicet, quorum medium est singulare, v. g. *Hæc essentia diuina est Pater; Filius est hæc essentia diuina: ergo Filius est Pater*, idémque syllogismus erit, si pro medio sumas, *hic Deus*, vel *hic Spirator*, vel aliquid huiusmodi.

6 *Non est completa singularitas medij.*

De his igitur dico quartò, eorum fallaciam in eo consistere, quod singularitas medij non est completa, & omnimoda, ita vt non prædicetur de pluribus. Debet autem in syllogismo expositorio medium esse completæ singularitatis: hæc enim ad inferendum vim habet eandem, quam distributio completa in termino communi. Lex hæc communis est Deo & creaturis; sed ratione materiæ recipit materiale discrimen: quoniam in quibuscumque creaturis, quæcumque singularitas est completa & omnimoda singularitas: quia nihil realiter vnum identificatur cum tribus realiter distinctis. At in Deo non quæcumque singularitas est completa singularitas; siquidem essentia realiter vna, realiter identificatur cum tribus suppositis.

7 Hoc defectu incompletæ singularitatis vitiantur omnes syllogismi expositorij de mysterio Trinitatis, nisi medium singularizetur vsque ad incommunicabilem entitatem personæ, veluti dicendo: *Hæc entitas incommunicabilis est Pater: hæc entitas incommunicabilis est Filius: ergo Filius est Pater.* Sed in hoc syllogismo antecedens est falsum, si in Maiori, & Minori designas eandem entitatem incommunicabilem Patris; vel si designas eandem entitatem incõmunicabilem Filij. Quod si Maiori designatur incommunicabilis entitas Patris, & Minori designatur incommunicabilis entitas Filij; latet æquiuocatio in medio, & perinde fallax est syllogismus, ac si quatuor terminis constaret. Assertioni prædictæ consentiunt Gregor. 1. distinct. 5. quæst. 1. ad 2. Marsil. 1. q. 6. art. 3. ad 4. & quæst. 8. art. 3. Molina, Vazquez & Suarez suprà citati.

8 *Quarta classis syllogismorum. Dictum 5.*

Sit quarta classis eorum syllogismorum, in quibus suppositio simplex variatur in suppositionem personalem; de quibus, Dico quintò. Quemadmodum vitiosus est hic syllogismus: *Homo est species; Petrus est homo; ergo Petrus est species.* Quia in Maiori *homo* supponitur simpliciter, vt præcisus à singularibus: sed in Minori supponitur

personaliter pro singularibus hominibus: eadem ratione vitiosus est hic syllogismus: *Essentia diuina est communicabilis; Pater est essentia diuina: ergo Pater est communicabilis.* Similiter hic: *Essentia diuina est Trinitas; Pater est essentia diuina; ergo Pater est Trinitas.* Nam quando dicitur, *essentia diuina est Trinitas*, essentia diuina sumitur pro natura communicabili & abstracta, prout prædicari potest de singulis personis diuisiuè, & de omnibus collectiuè. Atque idem erit, si dicas: *Deus est Trinitas*, vt notat S. Thomas infra quæst. 39. art. 6. ad 1. Denique de modo loquendi per vniuersalem distributionem Dei, aut Deitatis, vel per demonstratiua pronomina, *hic* vel *iste*, ac de nonnullis aliis syllogismis infra disput. 78. & tribus sequentibus.

SECTIO VII.

Affirmatio & negatio eiusdem prædicati, non probat realem distinctionem relationis, aut essentiæ.

1 EX præcedentibus sectionibus facilior cuadit solutio ad alia sophismata, quæ præcipuè nituntur in oppositione contradictoria. Primum est, si duæ formalitates sunt omnino idem secundùm rem, impossibile est, vnam communicari realiter, & alteram non communicari realiter. Sed Deitas, siue essentia diuina realiter communicatur Filio; Paternitas verò realiter non communicatur Filio. Ergo impossibile est Deitatem & Paternitatem esse omnino idem secundum rem.

Primum sophisma.

2 Respond. Maiorem esse veram in rebus finitis; falsam autem in ente simpliciter infinito, quod propter suam eminentiam, retenta vnitate substantiæ, communicatur suppositis, realiter distinctis. Quapropter huius argumenti Maior, quemadmodum in sensu nihil differt ab illo principio: *Quæcumque sunt eadem realiter vni tertio, sunt eadem realiter inter se*: sed differt solo modo loquendi: sic etiam eandem postulat explicationem & distinctionem datam sect. 2.

Solutio.

3 Secundum argumentum. Quæ sunt idem realiter, non possunt ita distingui, vt vnum sit in aliquo, in quo nō est aliud. Sed Deitas ineſt Filio, in quo non est Paternitas. Ergo non sunt idem realiter. Respond. Minorem esse simpliciter falsam. Paternitas enim est in Filio, & Filiatio in Patre, & quælibet personalitas est in qualibet alia per circuminsessionem.

Secundum argumentum.

Solutio.

4 Si autem vrgeas. Paternitas non est in Filio, tanquam eius prædicatum essentiale, nec ita vt Filius sit Pater: in hoc sensu vera est Minor argumenti. Sed Maior est distinguenda, vt verificetur solummodo in rebus finitis, non autem in substantia infinita, quæ propter suam eminentiam identificari potest cum relationibus oppositis, vt sæpe dictum est. Ideóque substantia infinita potest essentialiter esse in vna relatione, in qua non est alia relatio.

5 Tertium argum. supponit regulam Aristotelis lib. 7. topic. cap. 1. prope fin. *Vniuersaliter*, inquit, *dicendo, ex ijs, quæ quouis modo de vtroque prædicantur, & de quibus hæc prædicantur, considerandum si alicubi dissonent. Nam quæcumque de altero prædicantur, & de altero prædicari oportet: & de quibus alterum prædicatur, & alterum prædicari oportet.* Vnde sic arguitur; impossibile est secundum rem esse eadem illa subiecta, de quibus secundum rem verificantur contradictoriæ affirmationes & negationes eorundem prædicatorum: sed hæ secundum rem verificantur de Paternitate & essentia diuina. Ergo impossibile est secundum rem esse idem.

Tertium argumentum.

Minoris exempla sunt, quæ sequuntur. Essentia diuina realiter communicatur; Paternitas realiter non communicatur. Paternitas realiter distinguitur à Filiatione & opponitur illi; essentia diuina non distinguitur realiter à Filiatione, nec opponitur illi. Paternitas realiter generat & Filiatio realiter generatur; Deitas neque generat, neque generatur. Quod si Deitas, siue diuina essentia foret idem realiter cum Paternitate & Filiatione: Deitas siue essentia generaret se ipsam. Quo argumento vrgebat Gilbertus citatus disp. 11. sect. 1. 6

Confirmat primò Durandus citatus eadem disput. 11. sect. 2. quoniam distinctio rationis sufficit solummodo ad diuersa prædicata rationis: quemadmodum vt animal sit genus, homo sit species, & Petrus indiuiduum: attamen distinctio rationis non sufficit vt realiter conueniat Petro, quod realiter non conuenit homini, aut animali, realiter identificato cum Petro. Confirmat secundò Scotus in eadem sect. 2. citatus, quia sequeretur incommunicabilitatem personarum esse relationem rationis, vtpote, quæ resultat ab intellectu distinguente Paternitatem incommunicabilem ab essentia communicabili. 7

Respond. Aristotelis regulam intelligendam esse de illis tantùm, quæ sunt idem adæquatè: quemadmodum definitio & definitum, aut aliæ formalitates, quæ non distinguuntur, nisi penes explicitum & implicitum, aut etiam non distinguuntur ratione ratiocinata. Vnde Maior principalis argumenti simpliciter est falsa; quoniam distinctio rationis ratiocinatæ sufficit, vt de vno possit negari reale prædicatum idem, quod de altero affirmatur. Quin potius vbicumque reperitur aliqua distinctio rationis ratiocinatæ, necessarium est inueniri negationis & affirmationis oppositionem. Etenim, quæ secundum nullam affirmationem & negationem differunt, penitus indistincta sunt; quia quantum ad omnia vnum est, quod est alterum. Quam rationem tradit S. Thomas 4. contra gent. cap. 14. fine. (vbi etiam Ferrariensis) solutionem autem tradit 1. part. quæst. 39. art. 1. ad 2. (vbi Caietanus) Alexand. 1. p. quæst. 56. memb. 7. art. 1. ad 8. & 9. argumentum. S. Bonauentura 1. distinct. 34. art. vnic. quæst. 1. ad penult. argum. illis præsertim verbis: *Quantulacumque distinctio rationis sufficit*, &c. Scotus 1. distinct. 2. quæst. 4. post §. ad 1. *argum. principale.* Capreolus 1. dist. 2. quæst. 3. art. 3. à principio, referens plura testimonia S. Thomę. Cæterique Scholastici, contra distinctionem realem relationis ab essentia, citati disput. 11. sect. 3. sub init. 8

Solutio.

Distinctio rationis sufficit ad prædicata contradictoria.

Huius veritatis exempla plurima suppetunt etiam in creaturis: animal enim in Petro realiter identificatur cum rationali. Et tamen animal non est radix intellectus, neque principium discursus, cuius principium & radix est rationale. Præterea secundum Aristotelem 3. physic. text. 22. Actio & passio est motus realiter idem; & tamen actio importat respectum, vt à quo est motus in mobili, quem respectum non importat passio; sicut è contrario, passio importat respectum motus, prout est ab alio, quem respectum non importat actio. Propterea que Logici obseruant, non esse contradictorias propositiones, nisi vtriusque subiectum 9

sit prorsus idem re & ratione, similitérque vtriusque propositionis prædicatum.

10 *Quid peculiariter habeat in Deo prædicta regula.*

Hæc generalis regula, licet in Deo, creaturisque verificetur; illud peculiare mutatur ratione materiæ in mysterio Trinitatis, quod amplietur hæc regula etiam ad prædicata communicationis, distinctionis realis, oppositionis & generationis, quæ in rebus creatis nunquam prædicantur de vno subiecto, nisi prædicentur etiam de quocumque alio subiecto, quod realiter identificetur cum illo. Quæ ampliatio prouenit ex infinitatis eminentia, vt dictum est sect. 2. Hoc discrimen Trinitatis à creaturis, bene obseruauit Gregor. 1. distinct. 5. quæst. 1. ad 3. & dist. 33. quæst. 1. art. 3. ad 4. & 5.

11 Ad primam confirmationem, ex dictis constat esse negandum antecedens. Ad secundam confirmationem respond. Licet incommunicabilitas personæ, formaliter sumpta, sit negatio communicationis: & consequenter non sit ens reale: attamen incommunicabilitas, fundamentaliter accepta pro ratione suppositi subsistentis, est formalitas realis. Quæ non resultat à nostro intellectu, distinguente personam ab essentia; quemadmodum hæceitas Petri non resultat à nostro intellectu, distinguente rationem numericam à ratione specifica; quæ distinctio solummodo requiritur, vt per humanos conceptus rectè penetretur differentia numerica, & differentia specifica. Sed de his dicemus disput. 32. sect. 5. & 6.

SECTIO VIII.

Cætera argumenta de affirmatione & negatione eiusdem prædicati.

1 QVartò vrgent aduersarij hac arguendi forma: secundum rem, ante opus intellectus Deitas communicatur Filio: secundum rem, ante opus intellectus Paternitas non communicatur Filio: ergo secundum rem, ante opus intellectus, Paternitas non est idem quod Deitas. Eadémque forma argumentantur de cæteris prædicatis, quæ conueniunt personæ, & non conueniunt essentiæ: vel è contra conueniunt essentiæ, non verò personæ.

Quartum argumentum.

2 Respondeo, distinguendas esse quascumque dictiones, destinatas ad significandam realitatem. Veluti *secundum rem, à parte rei, realiter, ante opus intellectus, ante distinctionem rationis.* Omnes enim & similes, si referuntur solummodò ad obiectum propositionis, reddunt propositionem veram: si verò referuntur etiam ad modum significandi, reddunt propositionem falsam, & contradictionem implicant.

Solutio.

3 Quoniam igitur communiter prædictæ particulæ referuntur tantummodò ad obiectum propositionis: propterea simpliciter verum est secundum rem, ante opus intellectus, & realiter Deitatem communicari, non verò Paternitatem. Quia sensus est, obiectum significatum per affirmatiuas propositiones esse reale & verum; at verò non esse reale, neque verum, quod negatur in huiusmodi propositionibus negatiuis. Cæterùm, quando disputatur de distinctione reali, concedenda vel neganda; prædictæ particulæ referuntur ad modum significandi, proindéque significant, à parte rei existere diuersitatem ipsam, quæ per nostras propositiones importatur ex modo significandi. Itaque similium argumentorum authores intendunt, vt sit res significata, quod non erat nisi tantum modus significandi. Hoc igitur sensu, tales propositiones redduntur falsæ, & inuoluunt contradictionem.

Pro cuius doctrinæ explicatione ac probatione, notandum est, voces duplici modo significare. Quædam significant rem sine præcisione formalitatum, vt cum dicis: *Petrus currit.* In his nulla contradictio inuoluitur, licet addas particulam *realiter*, & eam referas ad modum significandi, dicendo: *Petrus realiter & ante opus intellectus currit.* Aliæ tamen voces significant rem cum præcisione rationis; ideóque cum additur, *realiter*, vel *ante opus intellectus*, vt referatur ad modum significandi; eo ipso inuoluitur contradictio; quia talis distinctio non est in re, nisi prout repræsentatur conceptibus præcisis: ac proinde contradictionem implicat, eam distinctionem esse ante opus intellectus. Quapropter, quando in hoc sensu dicis: *Ante opus intellectus Deitas communicatur, & ante opus intellectus Paternitas non communicatur*, contradictionem inuoluis. Quoniam ante opus intellectus non est præcisa Deitas à Paternitate, nec Paternitas à Deitate; sed earum præcisio fit per intellectum. 4 *Voces aliæ significant rem cum præcisione, aliæ sine illa.*

Petis autē, quibus vocibus dicemus hoc ipsum obiectum prædictæ propositionis, absque præcisione rationis? Respondeo. Possumus designare Deum sine præcisione rationis, & dicere: *Res hæc communicatur.* Quæ propositio erit vera: falsa verò negatiua contradicens, videlicet, *Res hæc non communicatur*, quia negatiua est vniuersalis, & remouet communicationem sub quacumque ratione. 5 *Quibus vocibus significetur Deus absque præcisione.*

Cæterùm diligenter obseruandum est, à nobis prædicto nomine demonstratiuo, *hæc res*, designari quidquid est in Deo sine vlla præcisione. Poterit autem eisdem vocibus designari essentia, prout præcisa à relationibus. In quo sensu Lateran. Concil. cap. *Damnamus.* de summa Trinit. dixit: *Illa res non est generans, neque genita, neque procedens; sed est Pater, qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit.* Quod propterea dixit Concilium, quoniam in præcedenti contextu rem, quæ est essentia, sumpserat vt est communis tribus personis, ita vt quælibet persona sit essentia diuina: atque sub hac præcisione subiunxit demonstrationem per pronomen *illa res.* 6

Quintum argumentum aduersus prædictas solutiones instat; quoniam Deus & Beati simplici conceptu, absque præcisionibus nostris cognoscunt, essentiam communicari; Paternitatem verò non communicari; idque clariùs ac distinctiùs cognoscunt, quàm nos: qui tamen cognoscunt rem, vt est in se ipsa. Ergo in se ipsa communicatur essentia, & non communicatur Paternitas. 7 *Quintum argumentum.*

Respond. Quamuis Deus & Beati simplicissimo conceptu cognoscant, essentiam communicari, Paternitatem verò non communicari: nihilominus ille simplicissimus conceptus Dei aut Beatorum à nobis non potest explicari, sicut est in se ipso, sed tantùm per nostros conceptus præcisiuos, ac distinctiuos formalitatum. Idcirco postquam affirmauerimus, Deum cognoscere, quod sua essentia communicatur; sed sua Paternitas non communicatur: debemus reflecti, dicendo, hæc à Deo non agnosci hoc genere præcisionis, compositionis, aut diuisionis, quomodo cognoscitur à nobis: ideóque non supponere distinctionem vllam in re cognita. 8 *Beatorū conceptum, sicut est, non possumus explicare, sed sicut nos concipimus.*

9 *Sextum argumentum.*

Sextum argumentum. Ante opus intellectus ratio Deitatis non est ratio Paternitatis: Ergo ante opus intellectus distinguuntur. Respond. negando consequentiam; quoniam ante opus intellectus neque ratio Deitatis, neque ratio Paternitatis existit sub esse rationis. Nam ratio est id, quod intellectus concipit de re, quodque significat per vocem, vt S. Thomas docet supra quæst. 5. art. 2. & quæst. 13. art. 4. Quapropter ante opus intellectus non existit ratio, nisi fundamentaliter: id est, res, quæ apta est per intellectum concipi & explicari. In hoc sensu, verum est realem esse fundamentaliter rationem Deitatis, & rationem Paternitatis; insuper vtramque rationem ante opus intellectus existere.

Ratio, definitio, formalitas Paternitatis, an sit ratio, definitio & formalitas Deitatis.

10 Eodem modo soluenda sunt hæc argumenta. Ante opus intellectus definitio Deitatis, non est definitio Paternitatis. Ergo ante opus intellectus distinguuntur. Item in re non sunt eadem formalitas, Paternitas & Deitas, vel non sunt idem formaliter ex natura rei: ergo distinguuntur ante opus intellectus.

11 *Fundamentalis aut virtualis distinctio.*

Iuxta præsentem doctrinam rectè sentiunt, qui concedunt in re ipsa fundamentalem aut virtualem distinctionem, simul etiam asserentes actualiter & formaliter in re ipsa non existere distinctionem vllam, nec affirmationem aut negationem eiusdem prædicati. Quemadmodum respondet Capreolus 1. distinct. 2. quæst. 3. art. 3. in med. Sed cauendum est in hoc modo loquendi, ne relabatur in opinionem Scoti de distinctione, ante opus intellectus existente inter essentiam & Paternitatem, supra disput. 11. sect. 2.

12 *Octauum argumentum.*

Octauò Gilbertus & ille alter Clericus Franciæ (quem refert Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 1. vt vidimus disput. 11. sect. 1.) sic argumentantur. Si realiter idem omnino sunt natura diuina & persona Verbi; consequens est, vt dicamus, naturam diuinam incarnatam fuisse, passam & mortuam, sicut dicimus, Verbum incarnatum fuisse, passum & mortuum. Vnde præterea sequitur de Patre & Spiritu sancto idem affirmari posse, dicendo: Pater est incarnatus, passus & mortuus, necnon Spiritus sanctus.

13 *Natura diuina non est passa nec mortua.*

Respond. Præcedenti sectione in solutione ad tertium, & tota doctrina præsentis sectionis abunde probatum est, distinctionem rationis sufficere, vt negentur de natura diuina, quæ affirmantur de persona Verbi. Peculiariter autem nullo modo concedenda est hæc propositio: *Natura diuina est passa, aut mortua*, quamuis à multis Patribus concedatur hæc propositio: *Natura diuina est incarnata.* Ratio discriminis est, quoniam incarnari non est prædicatum hominis proprium, sed est proprium Verbi, quod propterea Deitati communicatur. At verò pati & mori prædicatum est hominis proprium; ideóque soli Verbo communicatur, quia Verbum est homo. Denique inde non sequitur, Patrem esse incarnatum, quoniam Deitas non est incarnata, nisi prout est in Filio: vt notauit Rhemense Concil. citatum disputat. 1. sect. 1. Fusius autem solutionis fundamentum aperit Anselmus de Incarnat. Verbi c. 4. à med. videlicet quia Deus assumpsit humanitatem in vnitatem personæ Verbi, non in vnitatem naturæ diuinæ. Sed de his ex professo tractare pertinet ad materiam de Incarnatione 3. p. quæst. 2. & quæst. 16. art. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Processio.

DISPVTATIO XVI.

Vtrum sit realis relatio Spirationis actiuæ.

SECTIO I.

Dubitandi rationes à quibusdam propositæ.

1 PRo parte negatiua citatur Gregorius 1. distinct. 26. eo quod absolutè negauerit, Spirationem esse quartam relationem. Cæterum Gregorium rectè sensisse cõstabit disp. 17. sect. 2. sub init. Videntur etiam id sentire, qui dicunt, Spirationem actiuam eo solum dici realem relationem, quod ad terminum realem suapte natura refertur, non per intellectum.

2 *Prima ratio dubitandi.*

Alij mouent varias rationes dubitandi. Prima: quoniam apud antiquos Patres, nulla videtur inueniri mentio huius relationis: quamuis enim Concilium Lugdunen. sub Gregorio X. in cap. vnico de summa Trinitat. in Sexto, & Concil. Florent. sessione 24. dicant, Patrem & Filium vna Spiratione producere Spiritum sanctum, ibi tamen non sumunt Spirationem pro relatione, sed pro origine, vel actu notionali. Quod ex ipso contextu constare, dicunt huius obiectionis authores.

3 Confirmant, quoniam esse potest origo actiua realis; quamuis relatio in producente non sit realis; vt patet in creatore respectu creaturarum. Hoc enim exemplo & comparatione ad hanc originem declarandam, vtitur Augustinus 5. de Trinit. cap. 14. Vnde sicut relatio creatoris non est realis, licet Pater, Filius & Spiritus sanctus sint vnum reale principium per vnam creationem; ita relatio Spirationis non erit realis, etiam si Pater & Filius realiter spirent vna Spiratione.

4 *Secunda ratio dubitandi.*

Secunda ratio dubitandi, quia Albinus Flaccus lib. 1. de Trinitat. cap. 5. dixit, *Relationem Spiritus sancti ad Patrem & Filium, non esse reciprocam*, id est, *mutuam.* Quod Philosophi & Theologi dicere solent de relatione creaturæ ad creatorem. Confirmatur primò, nam idem sensisse videtur Hugo Ætherianus lib. 3. contra Græcos c. 2. Prius enim ait, *Spiritum sanctum distingui à Filio per relationem ad ipsum.* Deinde vero subdit: *licet sit proprietas relatiuorum, vt cum termino recipiant conuersionem; hoc quidam non arbitrantur de Spiritu sancto recipiendum, quia licet ipse sit Patris, & Filij, non tamen conuersim Pater & Filius ad ipsum referuntur.*

5 Confirmant secundò. Quoniam Augustinus 5. de Trinitat. cap. 11. & Concil. Tolet. Vndecimum in confessione fidei, aliique Patres expresè dicunt: *Patrem ad Filium, & Filium ad Patrem referri.* Sed de Spiritu sancto solummodo dicunt, *Ipsum referri ad Patrem & Filium*, non dicentes Patrem & Filium referri ad Spiritum sanctum.

6 *Tertia ratio*

Tertiò dubitant, quia Patres solummodo ponunt tres proprietates personales positiuas; & Concil.

Concil. Lateranen. cap. *Damnamus.* excludit à Deo omnem numerum realem, præter ternarium. Ergo non agnoscit quartam relationem realem. Confirmant primò, quia Damascenus libr. 1. de fide cap. 10. & 11. copiosè de relationibus, ac proprietatibus differens, nullam mentionem facit Spirationis actiuæ. Quod idem notari potest in aliis Patribus. Confirmant secundò, quia Basilius epist. 43. multo propius ad med. quàm ad princip. dicit, *Filium non habere cum Patre aliquam communicationem notionis, secundum proprietatem suam, sicut neque cum Spiritu sancto.* Sed Filius cum Spiritu sancto non habet communem aliquam relationem. Ergo neque cum Patre habet communem relationem realem Spirationis.

7 *Quarta ratio dubitandi.*

Quarta ratio dubitandi, quia persona constituta per relationem, non est vlterius referibilis per aliam relationem realem. Hac enim ratione S. Thomas quæst. 42. artic. 1. ad 4. probat, vnam personam diuinam non referri ad aliam relatione reali distinctionis. Confirmant, quia relatio realis, resultans ex alia priori relatione, videtur imperfectionem includere, quia non connectitur per se & immediatè cum essentia, nec videtur per se necessaria.

SECTIO II.

Realem esse relationem Spirationis actiuæ.

1 HÆc theologica conclusio Conciliorum & Patrum testimoniis clarioribus frequentioribúsque munitur, quàm existimant authores præcedentium obiectionum. Probatur primò, nam Boëtius lib. de Trinit. prope fin. *Similis est*, inquit, *in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum sanctum, vt eius quod est idem, ad id quod est idem.* Vbi manifestè concedit relationem Patris, & Filij ad Spiritum sanctum non aliter, quàm concedit relationem Patris ad Filium. Quomodo autem intelligenda sit relatio identitatis, cui Boëtius comparat diuinas relationes, diximus disput. 9. sect. 7. ad 5. argum.

2 Augustinus serm. 38. de temp. colum. 3. *Ipsa*, inquit, *relatio Spiritus sancti non ita reciproca ratione conuerti poterit, sicut Pater & Filius. Nam Pater Filij Pater dicitur, & Filius Patris Filius dicitur; Spiritus verò sanctus vniformiter dicitur ad Patrem & Filium, quia Patris & Filij Spiritus est. Dicimus enim Spiritum sanctum Spiritum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne Filius eius intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus Spiritum sanctum Spiritum Filij, sed non dicimus Filium Spiritus sancti, ne Pater eius intelligatur Spiritus sanctus.*

3 Vnde sumitur huiusmodi argumentum: Pater & Filius non referuntur ad Spiritum sanctum per relationem Patris & Filij (vt constat ex præcedentibus verbis) & tamen Pater & Filius realiter referuntur ad Spiritum sanctum (vt constat ex verbis continuò subiunctis.) Ergo Pater & Filius realiter referuntur ad Spiritum sanctum per aliam relationem, distinctam à Paternitate & Filiatione. Augustini verba sunt: *Dicitur & idem Spiritus donum Dei, quia donator est Deus doni sui. In quibus nominibus circumferri potest vicissim relationis regula, vt si dicamus donator doni, & donum donatoris, quia in his vocabulis potuit inueniri vsitata huic cathegoriæ, quæ dicitur ad aliquid, circumlatio.* Perpende, mutuam esse relationem inter Spiritum sanctum & eius principium.

Ruiz. de Trinitate.

Quam eandem fusius declarauit lib. 5. de Trinit. cap. 11. vsque ad 15. Nam cap. 11. post med. *Ipsa*, inquit, *relatio non apparet in hoc nomine* (videlicet, *Spiritus sanctus*) *apparet autem cum dicitur donum Dei. Donum enim est Patris & Filij, quia à Patre procedit, sicut Dominus dicit, & quod Apostolus ait: Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius: de ipso vtique sancto Spiritu ait: Donum ergo donatoris, & donator doni, cum dicimus, relatiuè vtrumq; ad inuicem dicimus.* Obserua, mutuam esse relationem donatoris & doni, quam postea notat, esse personalem. 4

Præterea paulo inferius sequenti cap. 12. postquam ostendit, relationi Spiritus sancti non esse correlatiuam relationem Patris, nec relationem Filij, subiungit: *Cum dicimus donum Patris & Filij, non quidem dicere possumus Patrem doni, aut Filium doni, sed vt hæc sibi vicissim respondeant, dicimus donum donatoris, & donatorem doni; quia hic potuit inueniri vsitatum vocabulum, illic non potuit. Dicimus ergo relatiuè Pater, idémque relatiuè dicitur principium, & si quid fortè aliud; sed Pater ad Filium dicitur, principium verò ad omnia, quæ ab ipso sunt.* Ergo Pater relatiuè dicitur principium ad Spiritum sanctum, qui ex ipso est. 5

Vnde cap. 14. fine. siue in princ. 15. capitis. *Si ergo quod datur, principium habet eum à quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab ipso procedit; fatendum est, Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus; sic relatiuè ad Spiritum sanctum vnum principium:* & paulo inferius ostendit, relationem doni esse æternam & personalem, sicut est relatio Filij. De quo videri potest S. Thomas dicta quæst. 38. art. 1. ad 2. vbi fusiùs probabitur à nobis disput. 75. 6

Probatur secundò, nam Anselmus lib. de proces. Spirit. sanct. cap. penult. quod incipit, *patet ergo*, post med. ait: *Est autem tribus commune ad duos habere relationem. Pater enim ad Filium & Spiritum sanctum refertur, sicut ad illos qui de se sunt: Filius ad Patrem & Spiritum sanctum, quia est de Patre, & Spiritus sanctus de illo: Spiritus sanctus ad Patrem & Filium, quia est de vtroque.* Quibus valde consonat in Monologio cap. 57. 7

Tertiò probatur ex aliis Patribus, qui magis vniuersaliter dicunt, esse mutuam relationem inter omnes personas. Quemadmodũ Concil. Toler. Vndecimum in confessione fidei cap. 1. ait: *Hoc solo numerum insinuat, quod ad inuicem sunt.* Quod idem transcribit Concil. Vuormacien. in profess. fidei. 8

In Concil. Florent. sess. 18. post med. §. *Diuina substantia*, & §. *dixi equidem.* Ioannes Theologus ex sententia Græcorum Patrum ait: *Nil nisi principij habitudo est, in quo hæc duo cõsiderantur à quo aliquid, & ad quod aliquid.* Hæc igitur habitudo est Patris & Filij ad Spiritum sanctũ, veluti principij, à quo est Spiritus S. Cui concordat decretum Eugenij Papæ in literis vnionis à medio, decernentis, Spiritum sanctum procedere *tanquam ab vno principio* à Patre & Filio. Nazianz. etiam orat. 37. quæ est 5. de Theologia, col. 5. *Manifestationis*, inquit, *vt ita dicam, mutuæq; eorum relationis differentia, diuersa quoque ipsis nomina procreauit.* Est igitur mutua relatio Patris & Filij ad Spiritum S. ac proinde realis. 9

10 *Relatio Spiritus sancti est simul naturæ & cognitione cum relationibus Patris & Filij.*

Probatur quartò, nam esse simul natura & existentia, necnon simul cognitione, proprium est mutuæ relationis; vt vidimus disput. 9. sect. 3. non multum à princ. & sect. 4. At verò relatio Spiritus sancti est simul natura & existentia, necnon simul cogni

cognitione cum Patre & Filio. Ergo Pater & Filius adiunctam habent aliquam relationem, qua mutuo respiciant Spiritum sanctum.

11 Minorem docent Patres, peculiariter Basilius & Nyssenus; & hic quidem lib. de differentia essentiæ & hypostaseos in med. cum ait: *Qui Spiritum solum dixit vna cum hac confessione comprehendit, & id cuius Spiritus est, & quia Christi Spiritus est, & ex Deo est; vt inquit Apostolus: Quemadmodum ex catena, qui vnam extremitatem apprehendit, alteram quoque extremitatem simul attrahit: eodem modo qui Spiritum traxit, vt inquit Propheta, per eum Filium quoque & Patrem simul traxit: ac si quis Filium venera acceperit, habebit eum vtrinque, hinc quidem suum Patrem, illinc verò suum Spiritum simul adducentem. Neque enim à Patre, qui semper in Patre est, abscindi, atque separari poterit, neque vnquam à Spiritu suo disiungetur: quippe cum per eum omnia operetur.* Eandem sententiam eadem catenæ similitudine, & totidem ferè verbis tradit Basilius epistola 43. ad Gregor. Nyssen. in med.

12 *Nisi relatione reali respicerent Spiritum sanctum, nō distinguerentur ab illo Pater & Filius.* Probatur quintò, quia Pater & Filius non distinguerentur realiter à Spiritu sancto, nisi eum relatione reali respicerent. Nam vt vidimus disp. 9. sect. 5. fundamento 3. personæ diuinæ non distinguuntur ab inuicem, nisi per relatiuam oppositionem originis *à quo aliquid, & ad quod aliquid*, siue principij vel causæ & procedentis ab illa, vt peculiariter ex multis Patribus probatur in Concil. Florent. sess. 18. & sess. 25. Sed de hoc plura dicemus disput. 87.

13 Confirmatur primò, nam relationem originis, quæ Patrem & Filium distinguit à Spiritu sancto, propriis & peculiaribus nominibus exprimunt aliqui Patres. Athanas. dialog. 1. de S. Trinitat. contra Anomæum colum. 3. *Nulla*, inquit, *differentia neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, siue emitti inter se differunt.* Vbi *emittere* ponit pro actiua Spiratione. Vnde post pauca subdit: *Quia Pater emittit Spiritum, Spiritus autem procedit.* Eisdémque vocibus emittendi Spiritum sanctum, prout correspondent processioni, tanquam eius actiua productio; vtitur Athanas. in quæstionibus de natura Dei, quæ incipiunt: *Quid est Deus*, quæst. 11. & 12. Vide quæ de aliis nominibus eiusdem Spirationis notauimus disputat. 7. sect. 1. prope fin.

14 Confirmatur secundò ex Patribus, asserentibus, Deum esse authorem, causam & fontem Spiritus sancti. Nam hæc & similia significant, esse principium. At verò principium relatiuè dici ad terminum, procedentem ex principio, iam vidimus ex Augustino citato in probatione 1. Sic Athanas. aliquoties non facta mentione Patris, nec Filij dicit: *Deum esse authorem, causam & fontem, à quo procedit Spiritus sanctus.* Vt in dialog. 1. de S. Trinit. contra Anomæum inter med. & fin. & sequenti dialog. 2. col. penult.

15 Hilarius lib. 2. de Trinit. inter med. & fin. ait: *Spiritus sanctus de Patre & Filio authoribus confitendus est.* Gregor. lib. 30. moral. cap. 5. alias 8. *Vtrorumque Spiritus*, inquit, *vtrique coæternus procedit, & is qui per processionem producitur, à proferentibus non præitur.* Perpende, nomen proferentium propriè significare relationem originis actiuæ, per quam producitur Spiritus sanctus.

16 Sextò, nonnullas ex probationibus, hactenus adductis, complectitur Bessarion. Archiepisc. Nicænus in orat. pro vnione, quæ habetur post Concil. Florent. cap. 6. Nam circa med. capitis ex Gregor. Thaumaturgo, Nazianzeno, Nysseno, Basilio & Cyrillo probat, relationem Filij ad Spiritum sanctum significari ab his Patribus verbo *manifestandi.* Deinde probat, hanc relationem esse, *quæ secundum causam & causatum sit, secundum quam Filius quidem ad Spiritum, vt causa se habeat: Spiritus vero è conuerso ad Filium, vt causatum ad causam.*

17 Probat autem, nullam aliam relationem reperiri, per quam Filius referatur ad Spiritum sanctum. *Etenim si quis nobis illam opponet, quod Spiritus dicatur Spiritus Filij: primò quidem ista relatio & secundum ipsum Nyssenum, Gregorium, & alios omnes doctores non conuertitur. Nec enim Filius dicitur etiam Spiritus, nec huic ad Filium Spiritus relationi, aliqua alia Filij ad Spiritum correspondet relatio, nec eadem nec diuersa secundum actionem & passionem.* Vnde propius ad med. quàm ad fin. eiusdem capitis 6. in §. *patet ergo*, init. ita concludit: *Patet ergo, quod hæc relationum diuersitas relationis distinctio est, & relatiuè Filius ad Spiritum, & ad Filium Spiritus refertur. & cum Filius, prout Filius, non referatur ad Spiritum, (non enim dicitur Filius Spiritus) restat, vt referatur ad Spiritum tanquam Spirans, cum Spiritus etiam referatur ad Filium tanquam Spiritus. Spiritus enim Spiranti, & passiua Spiratio actiuæ Spirationi correspondet. Spiritus verò & Spiritus Filij, multis locis sacræ Scripturæ dicitur & Spiratio eius (hic enim Spiritus, Sacer Athanasius ait, Spiratio est Filij.) cum igitur ad Filium Spiritus & tanquam Spiratio, & tanquam Spiritus referatur, Filius quoque tanquam Spirans refertur ad Spiritum.* Lectori ponderandas relinquo singulas ratiocinationes, satis perspicuè traditas à Bessarione in his aliisque verbis eiusdem orationis.

SECTIO III.

Magis scholasticæ rationes, & obiectionum solutio.

1 AD probandam realitatem Spirationis actiuæ, quam ex Patribus in præced. sect. deduximus, præcipua ratio traditur à D. Thoma in præsenti art. 4. corpore, quia inter principium & terminum, realiter procedentem à principio, mutua & realis relatio intercedit, quando extrema in eodem ordine sunt, ideſt, quando terminus, procedens à principio, est eiusdem naturæ cum suo principio. Sed Pater & Filius sunt vnum principium, à quo realiter procedit Spiritus sanctus, existens in eodem ordine, & eiusdem naturæ cum Patre & Filio. Ergo Pater & Filius reali & mutua relatione respiciunt Spiritum sanctum, tanquam principium illius. Hæc autem relatio principij, producentis Spiritum sanctum appellatur à Theologis *Spiratio actiua.* Hanc rationem tradit etiam Bessarion, citatus circa fin. sect. præcedentis.

Realis relatio mutua inter principiū & terminum eiusdem ordinis.

2 Minor huius syllogismi est de fide. Maior autem constat ex principiis Philosophiæ & Metaphysicæ, cōmuniter receptis, quæ non solùm verificātur in qualibet productione creata absque vlla exceptione, sed etiam in diuinis productionibus quasi certa recipiuntur à Conciliis & Patribus, vt ex eis colligant relationes diuinas: de quo diximus etiam supra disp. 9. sect. 6. ratione 2. Confirmatur primò, quia nulla est maior ratio, propter quam inter primam & secundam personam intercedat mutua relatio realis principij & termini procedentis, videlicet Paternitas & Filiatio: sed tamen inter Spiritum sanctum & suum principium non intercedat realis & mutua relatio.

3 *Concurrunt omnia requisita ad realem relationem.* Confirmatur secundò, quia relatio realis consurgit, vbicumque concurrunt omnia requisita. Concurrunt autem in principio Spiritus sancti, quia respicit realem terminum realiter distinctum cum reali fundamento, reali ratione fundandi, ad eum modum, quo possibile est diuinis relationibus habere fundamentum, vel rationem fundandi; de quo disput. 91. sect. 3. Denique nihil est in prima persona requisitum ad relationem Paternitatis, quod non reperiatur, proportione seruata, circa relationem spirationis actiuæ.

4 *Secunda ratio.* Secunda ratio sit, quoniā relatio principij producentis in Deo, vel est eadem formalitas originis actiuæ, vel est quasi pars eiusdem formalitatis intra eandem lineam complens, vt videbimus disp. 85. sect. 2.

5 *Spiratiua virtus requirit realē relationem spirationis actiuæ.* Tertia ratio, quia virtus spiratiua, quæ communis est Patri & Filio, non solum includit aliquid essentiale, videlicet voluntatem, sed etiam postulat aliquid notionale, siue in recto, siue in obliquo, saltem vt conditionem requisitam (de quo dicendum est disp. 70. sect. 4. & disput. 100.) Hoc autem notionale non potest esse absolutum, quia si foret absolutum, conueniret etiam spiritui sancto. Ergo debet esse relatio: & quidem realis, quia relatio rationis, neque in recto, neque in obliquo potest esse requisita ad realem potentiam productiuam.

6 *Cognatio spiratoriū & spirati.* Quarta ratio. Quia minus perfecta foret coniunctio, & quasi cognatio inter principium spirans, & personam Spiritus sancti, nisi principium reali, diuina & increata relatione respiceret Spiritum sanctum, sicut æternus Pater Filium respicit. Omnia denique corroborabuntur disp. 72. de relatione Spiritus sancti.

7 *Ad primam rationem dubitandi.* Ex his constat solutio rationum dubitandi, quę positæ sunt sect. 1. Ad primum respond. Lugdunen. Concil. non solum dicit, *vna spiratione*, sed etiam dicit, Patrem & Filium esse *vnum principium* Spiritus sancti. At verò principium manifestam relationem realem habet ad terminum eiusdem ordinis; vt prima ratione probatum est, & ex Augustino vidimus sect. 2. Atque idem clarius constat ex testimonio Concilij Florent. quod retulimus sect. 2. probat. 3. & videbimus disp. 18. sect. 2. probat. 1. Quod attinet ad cæteros Patres abunde constat ex sect. 2.

8 Ad confirmationem respond. Non potest origo actiua esse realis, nisi eam comitetur relatio realis, quando principium & terminus productus sunt eiusdem ordinis; vt dictum est in ratione prima. Porro verba Augustini, quibus declarat processionem Spiritus sancti per similitudinem processionis creaturarum ex Deo, iam retulimus sect. 2. quibus nihil amplius intendit, quàm Patrem & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, sicut tres personæ sunt vnum principium creaturarum, & non tria principia. Neque est in cæteris quærenda similitudo, ne cogamur dicere, productionem Spiritus sancti nec æternam esse, neque ad intra, neque à duabus tantum personis, sed à tribus; quemadmodum productio creaturarum.

9 *Ad secūdam rationem.* Ad secundam rationem dubitandi respond. Albinus Flaccus. Alcuinus lib. 1. de Trinit. cap. 5. transcripsit eandem sententiam, eandémque rationem, qua sanctus Augustinus, citatus in sect. 2. sub init. probauit non esse reciprocam relationem Patris & Filij ad Spiritum sanctum. Nec prætermisit addere, quod idem Augustinus obseruauit, *circumferri posse vicissim relationis regulam, vt si dicamus donator doni, & donum donatoris.*

Eodem sensu intelligenda sunt, quæ scripsit 10
Hugo Ætherianus lib. 3. contra Græcos, non cap. 2. sed cap. 3. sub init. Propterea namque continuo subiecit: Spiritus sanctus *amborum donum dicitur, & comparibus alterutri* (Pater & Filius) *donatorum honoribus decorantur.* Nisi maluerit aliquis non multum curare de illius testimonio, quoniam in eisdem libris de Trinit. reperiuntur aliqua minus exactè dicta: veluti *donatores* in plurali numero, præsertim verò lib. 3. cap. 2. ante med. dixerat: *Spiritus sanctus vt priuatio ab habitu, à Patre differt & à Filio.* & post med. videtur ponere proprietatem quasi superadditam personæ, ita vt Paternitas, Filiatio & Spiratio non sint de quidditate personarum. Sed in his non oportet immorari. Ad secundam confirmationem ex sect. præcedenti constat, Augustinum & Concil. Toletan. asseruisse relationem Patris & Filij ad Spiritum sanctum.

Ad tertiam rationem dubitandi respond. Patres 1
solummodo ponunt tres proprietates personales, *Ad 1.*
realiter distinctas, & personarum constitutiuas. *Quare Patres non connumerāt spirationē actiuam.*
Ideo inter eas actiuam spirationem non connumerant, quia nec constituit personam nec realiter distinguitur à Paternitate & Filiatione. Virtualiter tamen illam affirmant, quatenus affirmant processionem Spiritus sancti à Patre & Filio, tanquam ab vno principio; vt vidimus sect. præced. Præterea numeralia nomina, rebus addita, multiplicant eas secundum rem. Quapropter non solemus dicere actionem & passionem eiusdem effectus esse duas res; quamuis dicamus, esse duas relationes transcendentales, vel duo prædicamenta.

Ad primam confirmationem respond. argu- 12
mentum ab authoritate negatiuè, nunquam esse *Argumētum ab authoritate negatiuè quando sit minoris ponderis.*
magni roboris: tunc verò minoris est, quando sunt in contrarium positiuæ authoritates. Cæterum neque in Damasceno desideratur sufficiens fundamentum asserendi realem relationem spirationis actiuæ. Nam lib. 1. in eodem cap. 11. quod citatur in argumēto, circa med. dicit, Deum intelligi, *in solis proprietatibus Paternitatis, Filiationis & processionis, secundum causam & causale,* Vbi manifestè denotat mutuam reciprocationem causæ siue principij producentis, & termini producti. Vnde post pauca: *Filio*, inquit, *& Spiritu sancto in vnam causam, Patrem videlicet, relatis.* Denique ad finem capitis ex Apostolo confitetur, *Spiritum sanctum per Filium apparuisse, & nobis traditum esse.* Quam phrasim esse significatiuam processionis actiuæ, probat Bessarion in orat. pro vnione, quæ habetur post Concil. Florent. cap. 6. ante med. & post med. vt vidimus ad finem sectionis præcedentis.

Ad secundam confirmationem respond. Basi- 13
lius in eo loco de notionibus ac proprietatibus agebat, quibus vnaquæque persona constituitur. Propterea non meminit Spirationis actiuæ, quæ communis est Patri cum Filio, quia personis iam constitutis quasi superuenit. Aliunde tamen mutuam & reciprocam relationem satis explicuit in eadem epist. 43. eadémque sententia, quam communem habet cum Gregorio Nysseno; vt vidimus sect. 2. probat. 4.

Ad quartam rationem respond. Persona, con- 14
stituta per relationem, non est vlterius referibilis *Ad quartam.*
per aliam relationem eiusdem rationis: sic enim

daretur processus in infinitum. Atque inde S. Thomas quæst.42. art.1. ad 4. rectè probat, non esse aliam relationem distinctionis realis, quoniá hæc quidditatiuè clauditur in oppositione relatiua. Præterea notanda est peculiaris ratio, propter quam relationes diuinæ sunt vlterius referibiles per aliam relationem, alterius rationis, quia sunt per se subsistentes, ideóque non minus aptæ sunt, vt relationem recipiant, quàm absoluta suppositа. Sed de his fusius disp.103.sect.4.& 8.& 9.

15 Ad confirmationem respond. Non est imperfectio connecti cum essentia, mediante relatione, constitutiua personæ; quia per se, & quidditatiuè se inuicem exigunt istæ relationes, vt essentia possit exercere suam virtutem producendi per voluntatem. Et non est realis mediatio, sed tantum secundum rationem, quoniam Spiratio actiua sola ratione distinguitur à Paternitate & Filiatione simul sumptis, & ab essentia.

SECTIO IV.

Gradus certitudinis, & Scholasticorum consensus.

1 *Temerarium & periculosum negare Spirationem actiuam.*

EX toto discursu præsentis & præcedentis sectionis colligitur, realitatē Spirationis actiuæ certam esse, ita vt eam negare temerarium sit & periculosum. Quoniam non solum efficaciter infertur ex multis dogmatibus theologiæ, communiter receptis, & corroboratur authoritate Patrum; sed etiam vt certa recipitur expressè, vel tacitè supponitur ab omnibus Scholasticis 1. dist. 13. & dist.26. ac 28. & 1. p. q.28. art. 4. & q.32. art.2. & 3. quibus in locis eam expressè probat S.Thomas.

2 Quod autem S.Thomas de potentia quæst.8. art.1. in princ. dicere videtur, esse de fide in diuinis *relationes esse reales*, verificatur sufficienter de tribus relationibus constitutiuis personarum, nec habet eundem gradum certitudinis circa relationem Spirationis actiuæ. Sed de hac censura diximus disp.9. sect.6. fine.

3 Realitatem Spirationis actiuæ docet Henricus 2. p. summæ art.55. quæst.7. corp. Alexand. 1. p. quæst.68. mem.3. §.1. & 2. dum notat discrimen Spirationis actiuæ à relatione principij creaturarum. Colligitur ex S.Bonauentura 1. dist.26. art. vnico, quæst.4.& dist.29.art.2. quæst.1.& 2. & ex Alber.1.p.q.39.memb.2.a.1.part.1.ad 2. Clarius ex S. Bonauent. Ricard. Durand. Henrico, Scoto, Gabriel. & Bassoli, qui disp. seq. sect. 1. dicunt, Spirationem actiuam realiter distingui à generatione: nec non ex reliquis doctoribus, qui disp. sequent. sect.2. dicunt, Spirationem actiuam sola ratione distingui à generatione; & ex illis, qui dicunt, esse quartam relationem disp.18.sect.1.

DISPVTATIO XVII.

Quomodo Spiratio actiua distinguatur à Paternitate & Filiatione.

SECTIO I.

Quinam authores existiment, distingui ex natura rei ante opus intellectus.

1 VRANDVS 1.dist.13. tota quæst.2. præsertim art.2. & 3. contendit, Spirationem actiuam realiter distingui à generatione & à Paternitate & Filiatione; siue consideretur Spiratio in ratione originis, siue in ratione Filiationis. Videtur autem inter Spirationem actiuam & Paternitatem ponere distinctionem maiorem, quàm inter essentiam & Paternitatem. Eiusdem sententię fuit Henricus in summa, art.60. quæst.2. corpor. & argumenta, dicens, Spirationem actiuā à generatione actiua, & à generatione passiua distingui *realiter re relationis*. Qua etiā phrasi suam sententiam temperat Durandus citatus dicens; *re relatiua distingui*. Bassolis autem in eadem dist.13. quæst. vnica, art.1. simpliciter ait; *realiter differre*. Eandem distinctionem realem affirmant Ricard. dicta dist.13.art.1.quæst.3. corpor. (licet contrarium expressè doceat locis citandis in sect. sequenti.) Atque idem videtur sensisse S.Bonauen. in eadem dist.13. art. vnica quæst.3. in princ. corpor. collato cum argumentis initio positis, quæ non soluit. Idem Alberto tribuitur à Carthusiano distinct. 27. quæst. 1. ad fin. vbi ipse videtur idem sentire.

2 Scotus quodlib.5. ar.2. versus fin. & clarius in ipso fine docet, Spirationem actiuam ex natura rei, præter considerationem intellectus, differre à Paternitate & Filiatione. Vnde planè videtur recurrere ad eandē distinctionem mediam, quam inter essentiam & Paternitatem posuit 1. dist. 2. & distinct.8. prout retulimus disp.11. sect.2. Aliis verbis idem docet Gabriel dist.27. quæst. 1. concluſ.1. & 2. & dist. 28. quæst. 1. art.3. concluſ.2. & 5. dicit enim, formaliter distingui suo illo modo formalitatis, quem explicuerat distinct.2. quæst. 11. esse distinctionem ante opus intellectus, & mediam inter realem & rationis; vt vidimus disp.11. sect.2.

3 Præterea videtur, hanc sententiam olim fuisse communem, quoniam Bassolis citatus, dicit, *omnibus constat*, & infra, *conceditur ab omnibus*. Durand. dicta q. 2. num. 14. dicit, magnis viris ita videri. Capreolus autem distinct.13. quæst. vnica art.2. prope med. dicit multos alios vltra Durandum ita sensisse.

4 *Fundamenta prædictæ sententiæ.*

Fundamenta quædam sunt simillima generalibus argumentis, quibus probari solet, relationes ante opus intellectus, & ex natura rei distingui à Deitate, siue essentia diuina. Tum, quia non possunt inter se distingui Paternitas & Filiatio, si realiter identificantur cum vno tertio, videlicet cū Spiratione actiua. Tum etiam propter formam syllogisticam, aut propter contradictorias affirmationes & negationes eorumdem prædicatorum. De quibus in simili forma dictum est satis tota disp. 15. nec opus est aliquid addere propter materiæ distinctionem.

5 *Primum argumentum.*

Nihilominus alia sunt argumenta, peculiarem vim habentia circa distinctiones Spirationis actiuæ; quæ licet à citatis authoribus variis & obscurioribus verbis proponantur; ita possunt clarius eadē argumenta conflari. Primum. Illæ relationes distinguuntur realiter, quarum termini completi distinguuntur realiter; sed terminus completus Paternitatis est Filiatio, & terminus completus Filiationis est Paternitas; atque ij realiter distinguuntur à Spiritu sancto, qui est terminus completus Spirationis actiuæ. Ergo distinguuntur realiter Paternitas & Spiratio actiua.

6 Confirmatur primò, quia quæ non possunt conuenire eidē respectu eiusdem, non sunt vnum & idem realiter (saltem re relata) quia relationis est ad aliud se habere. Sed generatio & Spiratio actiua non possunt conuenire eidem respectu eiusdem. Ergo, &c. Confirmatur secundò, quia relationes reales, oppositæ relationibus realiter oppositis, distinguuntur realiter; sed generatio & Spiratio actiua opponuntur per se & directè Filiationi & Spirationi passiuæ, quæ sunt realiter distinctæ. Ergo realiter distinguuntur.

7 *Secūdum argumentum.*

Secundum argumentum. Sicut se habet generare ad generari; ita se habet spirare ad spirari. Ergo permutata proportione, sicut se habet generare ad spirare, ita se habet generari ad spirari. Sed generari & spirari realiter distinguuntur: ergo generare & spirare realiter distinguuntur. Confirmatur, quia non est maior ratio distinctionis in vno binario extremorum, quàm in altero.

8 *Tertium argumentum.*

Tertiò, duabus relationibus disparatis, specie, vel quasi specie realiter differentibus, correspondentiduæ relationes disparatæ, specie, vel quasi specie realiter differentes. Sed generari & spirari sunt duæ relationes specie, vel quasi specie differentes realiter. Ergo relationes, quæ eis correspondent, scilicet generare & spirare, specie, vel quasi specie differunt; & ita realiter differunt; cum sint relationes reales & non rationis. Maior patet, quia eadem relatio, secundum speciem non opponitur pluribus relationibus.

9 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum. Ab vna actione non possunt esse immediatè duæ passiones; sed generari & spirari sunt duæ passiones, vel emanationes dictæ passiuæ. Ergo non possunt esse ab vnica actione immediate. At generatio passiua est immediate à generatione actiua, & Spiratio passiua est immediatè à Spiratione actiua. Ergo generatio actiua & Spiratio actiua non sunt actio realiter eadem.

10 *Quintum argumentum.*

Quintum argumentum. Impossibile est esse eandem relationē producentis & producti, etiam si persona eadem sit producens & producta respectu diuersorum: sicut idem homo est Pater & Filius respectu diuersorum. Sed Spiratio actiua & generatio passiua sunt relationes producentis & producti in eadem persona Filij, licet respectu diuersarum personarum. Ergo impossibile est esse vnicam relationem.

11 *Sextum argumentum.*

Sextum argumentum. Generare potest esse in Patre sine spirare, quia dato etiam, quod Pater & Filius non spirarent; adhuc Pater generaret, & Filius generaretur. Ergo generare & spirare non sunt omnino idem. Si enim generare & spirare forent omnino idem; Pater produceret Filium per spirare, & sic Filius esset Spiritus. Confirmari potest, quia Paternitas essentialiter est relatio producentis se solo Filium. Ergo non potest identificari cum relatione producentis simul cum Filio, qualis est communis Spiratio.

12 *Septimū argumentum.*

Septimum argumentum quia sicut se habet absolutum ad absoluta, ita relatio ad relationes; sed essentia diuina vna existens, quantumcumque sit infinita, non potest esse eadem realiter cum pluribus absolutis realiter inter se differentibus; imò hoc ponere esset contradictio. Ergo fortiori ratione Spiratio actiua, existens vnica relatio (vt definitum est in Concil. Lugdunen. & Florent. citandis sequent. disp. sect.2.) non potest esse idem realiter cum pluribus relationibus, videlicet Paternitate & Filiatione. Confirmatur, quia relatio non est infinita simpliciter, alioquin essent plures infinitates in Deo.

13 *Octauum.*

Octauum, quia Spiratio actiua non habet esse sine præuia generatione; & ideo est à generatione, sicut à principio *sine quo non*. Ergo distinguitur realiter à Patre, cum quo est idem realiter generatio actiua: & consequenter Spiratio actiua distinguitur realiter à Filio, cum quo est idem realiter generatio passiua. Confirmatur primò, quia quantum ad hoc, Spiratio actiua relatiuam oppositionem habet cum Paternitate & generatione, nec non cum Filiatione & eius natiuitate; siquidem ab illis procedit tanquam à principio. Confirmatur secundò, quia inter generare & spirare actiuum, reperitur ordo naturæ; nam Spiratio actiua necessario supponit generationem. Ergo realiter ab illa distinguitur.

14 *Nonum.*

Nonum, quia sufficit, relationes esse disparatas, licet non sint oppositæ, vt realiter distinguantur, quemadmodum Scotus ait.

15 *Decimū argumentum.*

Decimum argumentum, quia realis identitas sufficit, vt abstracta prædicentur de abstractis; sed Spiratio actiua non prædicatur de Paternitate & Filiatione: ergo Spiratio actiua non est idem realiter cum Paternitate & Filiatione. Minor probatur, quia hæc propositio tanquam falsa negatur à Theologis: Paternitas est Spiratio actiua. Confirmatur, quia Spiratio actiua, sicut Paternitas & Filiatio, nihil secundæ intentionis reduplicat, sicut reduplicat notio Spirationis, aut attributum sapientiæ, aut bonitatis, propter quam reduplicationem vnum de alio prædicari nō potest.

16 *Vndecimum argumētum.*

Vndecimum argumentū, quia si Spiratio actiua realiter identificaretur cum Paternitate & Filiatione; non esset quarta relatio; sed relationes forent tantummodo tres. Sequela probatur, quia Paternitas & Spiratio actiua non solum foret vna res absoluta, quæ est essentia; sed etiam res vna relatiua. Ergo foret vna relatio.

SECTIO II.

Spiratio actiua realiter & ante opus intellectus non distinguitur à Paternitate & Filiatione.

1 *Certa & indubitabilis identitas ante opus intellectus.*

SEntentia posita in sect. præced. propter authoritatem tot támque nobilium Scholasticorum, & propter argumentorum pondus, valde probabilis censeri potuisset; nisi fundamenta multo firmiora certam & indubitabilem redderent contrariam sententiam, quæ asserit, in re ipsa, & ante opus intellectus, nullam esse distinctionem formaliter & actualiter existentem inter Spirationem actiuam & relationes Patris & Filij: sed ratione tantum ab illis distingui.

2 Ita S.Thomas infra quæst.32. art.3. ad 3. & in 1.dist.27.quæst.1.art.1. Caietan. eadem quæst.32. art.3. Capreolus 1. distinct.13.quæst.1.art.2.concluſ.1. Ægidius 1. dist.27. quem referunt & sequuntur Argentina in eadem dist.27.quæst. vnica art.2. Carthusianus dist. 27. quæst. 1. Maior 1. dist.26.quæst.vnica. Vbi Gregorius eadem dist.26. quæst. vnica art. 2. ad 2. obiectionem contra 2. conclusionem. Marsil.1. quæst.30. art.4. dubio 1. & 2. dicens, esse sententiam communem doctorum sui temporis. Quin etiam Ricardus, sibi contrarius, in 1. dist.28. art. 1. quæst. 1. corpor. & dist.33. art.1. quæst.2. ad 3. Ochan.1. distinct.27. tota quæst.1. Communiter recentiores 1.p.q.32. art.2. & 3. Vbi Canarien. art.2. in 2. parte commentarij. Molina disp.3. Vazquez disp. 138. Valentia in controuer. lib.2. de Trinit. cap.14. Suarez lib.5. de Trinit. cap.5.

3 Colligitur ex antiquioribus Scholasticis, quoniam vniuersaliter dicunt, proprietatem, relationem, siue notionem esse realiter idem cum persona,

persona, cum tamen Spirationem actiuam numerent inter relationes, proprietates & notiones. Sic Alexand. 1. p. quæst. 68. toto memb. 5. præsertim art. 1. & 6. Albertus 1. p. quæst. 39. toto memb. 2. præsertim art. 3. & in art. 1. particula 1. ad 2. concesserat has propositiones: *Communis Spiratio est Pater: communis Spiratio est Filius.* Eandem identitatem relationis cum persona docet generaliter S. Bonauentura 1. dist. 33. art. vnico quæst. 1. & sequentibus solam memorat distinctionem relationis. Aureolus denique dist. 13. quæst. vnica art. 4. propositione 2. non modò realem, sed etiam distinctionem rationis negat inter Spirationem & generationem, de quo dicemus sect. 5.

4 *Foret quarta relatio & quaternitas, si realiter distingueretur Spiratio.*

Spirationem igitur actiuam, ante opus intellectus non esse distinctam à Paternitate & Filiatione, probatur primò; quia si ante opus intellectus, & à parte rei distinguitur ab illis; erit quarta relatio, realiter distincta ab aliis tribus relationibus, quæ proinde quarta res erit: dabiturque quaternitas in Deo contra definitionem Concilij Lateranen. in cap. *Damnamus.* de summa Trinit. dicentis: *In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas.*

5 *Euasio Durandi.*

Duran. dist. 13. dict. quæst. 2. num. 29. respondet: Illud Concilium expressè condemnat quaternitatem personarum, & ex consequenti condemnat quaternitatem rerum, in quarum numero includatur essentia simul & personæ: cæterum quaternitatem constantem solummodò ex quatuor relationibus, non condemnat illud Concilium. Hanc expositionem fusè probare nititur. Primò, quia decretum illud destinabatur contra Ioachimum abbatem, dicentem, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus non sunt vnum in essentia, nisi collectiuè. Secundò, quoniam idem Abbas ex Catholica doctrina Magistri sententiarum deducebat, quod Magister, *non tam Trinitatem, quàm quaternitatem asserebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam.* Vbi Durandus subintelligit *personam quartam.*

6 *Præcluditur.*

Sed hæc solutio non satisfacit. Primò, quia postquam concedit consequenter (siue, vt ipse loquitur, concomitatiuè) damnari quaternitatem rerum, quarum aliqua non sit persona; non potest negare, quin damnetur etiam quaternitas rerum, quæ sint relationes realiter ab inuicem distinctæ. Nam quælibet illarum relationum censenda erit in numero rerum, etiam si non sit persona; sicut essentia censetur in numero rerum, si realiter distinguitur à personis.

7

Confirmatur primò, quia generalia verba Conciliorum non sunt restringenda, vt solummodò damnent errorem, cuius occasione decretum fuit in concilio definitum, sed quantamcumque amplitudinem habuerint verba propriè sumpta, tantam & non minorem amplitudinem habet sensus & definitio Concilij, quamuis fortiorem circa dogma primariò intentum, ad extirpandum aliquem errorem. Confirmatur secundò, quoniam Bernard. etiam *lib. 5.* de consideratione generaliter & absque limitatione damnat rerum *quaternitatem* in Deo; vt vidimus disp. 11. sect. 4. ad confirmandam probat. 5.

8

Vnde refutatur secundò, quia si Concilium prædictum damnat quaternitatem rerum, quarum vna sit essentia, & tres sint personæ; potiori iure damnabit quinquenitatem, vt ita dicamus, constantem ex tribus personis, & essentia realiter ab illis distincta; nec non ex relatione Spirationis, realiter à personis distincta. Has enim quinque res, ante opus intellectus distinctas concedit Durandus.

9

Tertiò quod Duran. respondet, essentiam non ponere innumerum rerum cum quacumque persona, quia includitur intrinsecè in quacumque persona; non satisfacit, quia nihilominus iuxta sententiam Durandi, essentia diuina non includitur intrinsecè in relationibus, seu personalitatibus; & ideo saltem ex illis conflabitur quaternitas, vel potius quinquenitas.

10 *Ponderatur negatio quaternitatis.*

Quartò, ponderanda est illa causalis prædicti capitis *Damnamus: Ideo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet, substantia, essentia seu natura diuina.* Cui dicto deberet contradicere Durandus, si vera foret eius sententia, dicendo: Quin potius ob eandem causam quaternitas est & non Trinitas, quia quælibet trium relationum, realiter distinctarum, est illa res, videlicet, substantia, essentia seu natura diuina. Consequens autè est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Postremò refutatur per secundam probationem proximè sequentem.

11 *Foret suppositū quartum, si realiter distingueretur Spiratio actiua.*

Secunda probatio principalis est, quia si Spiratio actiua est realiter distincta à tribus personis; consequenter erit per se subsistens, & suppositum diuinum; ac proinde est quarta persona. Quod esse directè & expressè damnatum, fatetur Durandus citatus, & nemo Catholicorum negare potest. Sequela probatur, quia in primis illa relatio, realiter à cæteris distincta, non est inhærens. Ergo est per se subsistens. Deinde quidquid est subsistens, à cæteris realiter distinctum, est suppositum; sed illa relatio foret subsistens à cæteris distinctum. Ergo foret suppositum: & consequenter foret persona, quia quodlibet suppositum intellectualis naturæ est persona.

12 *Durandi solutio.*

Durandus dicta quæst. 2. num. 22. & sequentibus respondet primò, ideo Spirationem actiuam non esse suppositum, quia non est incommunicabilis. Incommunicabilitas enim est de ratione suppositi. Addit secundò, Spirationem actiuam subsistere quidem non ratione sui, sed ratione subsistentiæ communis & absolutæ, quæ vna numero & indistincta est ratio subsistendi etiam relationibus diuinis, ita vt personæ non subsistant, nisi per communem subsistentiam.

13 *Refutatur.*

Quod attinet ad communem subsistentiam, falsum esse constabit disp. 34. sect. 5. & sequentibus. Prior autem solutionis pars non satisfacit. Primò, quia Spiratio actiua est incommunicabilis Spiritui sancto: & quantum habet huius incommunicabilitatis, tantum habet subsistentis suppositi & personæ. Vel certè necessarium est nouam aliquam & inauditam rationem suppositalitatis & personalitatis excogitare. Cuius incommunicabilitas sit respectu vnius tantum personæ, & non respectu duarum, videlicet Patris & Filij.

14

Refutatur secundò, quia quæcumque relatio, realiter distincta ab aliis relationibus; eo ipso est incommunicabilis eisdem relationibus. Habet enim peculiarem sibi quasi differentiam indiuiduationis & singularitatis, ratione cuius diuiditur ab aliis relationibus eodem modo, quo Patres communiter dicunt, diuinas personas esse quasi indiuidua & singularia Deitatis. Confirmatur, quia prædicta differentia indiuidualis erit proprietas illius relationis, nulli alteri relationi conueniens, tanquam illius proprietas. Porrò proprietate distingui à cæteris, est aliquid peculiare personis; vt dicemus disp. 86.

Refutatur

15

Refutatur tertiò, quia Spiratio actiua per identitatem in essentia non amittit incommunicabilitatem personæ; sicut eam non amittunt Paternitas & Filiatio. Quo supposito non restat alia communicabilitas, propter quam Spiratio actiua impediatur à peculiari ratione suppositi & personæ, nisi communicabilitas per identitatem realem cum Paternitate & Filiatione. Confirmatur, nam actiua Spiratio non potest esse communis per aliquam vnionem, quæ non consistat formaliter in identitate reali, siue cum essentia, siue cum Paternitate & Filiatione. Nam quælibet alia vnio non solum erit noua & inaudita inter diuinas entitates; sed etiam erit similis vnionibus rerum realiter distinctarum, quæ finitæ sunt & limitatæ, & realiter superueniunt personis iam constitutis. Vnde sequitur compositio & alia absurda sequuntur tractanda in sequentibus probationibus.

16 *Omnia sunt vnū in Deo vbi nō obuiat oppositio relatiua.*

Probatur tertiò, quia in Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Quod abunde probatum est disput. 9. sect. 5. & fusius infra disp. 87. sect. 2. & sequentibus, ex multis Conciliis & Patribus asserentibus, solam relationem esse differentiam inter personas diuinas. Quo supposito, cum Spiratio actiua non opponatur relatiuè, neque Paternitati, neque Filiationi, sed tantum Spirationi passiuæ; consequens est, vt non possit realiter distingui à Paternitate & Filiatione, sed tantum à Spiratione passiua.

17 *Durandi solutio & obiectio.*

Durandus in fine prædictæ quæstionis 2. respondet, prædictum axioma esse intelligendum de sola identitate quo ad suppositum. Et ideo Spiratio actiua, quia relatiuè non opponitur Paternitati, neque Filiationi, potest esse in eisdem suppositis, licet ab illis realiter distinguatur. Hoc autem superius confirmauerat, quoniam alias Paternitas & Filiatio non distinguerentur realiter à Spiratione passiua, siquidem ei non opponuntur. Nec satis est Paternitatem & Filiationem identificari cum Spiratione actiua, quæ directè opponitur Spirationi passiuæ. Nam eadem ratione Deitas distingueretur realiter à Filiatione, quoniam identificatur realiter cum Paternitate, quæ opponitur Filiationi.

18

Huic obiectioni respondeo. Paternitas & Filiatio directè & formaliter opponuntur Spirationi passiuæ, quoniam in suo conceptu formali Spirationem actiuam includunt, vt videbimus sect. 6. Imo apud eos etiam doctores, apud quos Spiratio actiua non includitur in conceptu formali Paternitatis & Filiationis: adhuc Pater & Filius quidditatiuè sunt vnum principium principale, vt, *quod*, Spirans Spiritum sanctum. Qua ratione habent formaliter oppositionem principij cum termino, procedente à principio. Deitas autem, siue diuina essentia non est principium, vt *quod* generans, nec spirans.

19 *Instauratur ratio tertia.*

Vnde instauro probationem tertiam, quoniam Patres & cæteri theologi, dicentes, in Deo omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio: manifestè loquuntur de reali identitate & vnitate; qualis est in substantia Dei, & in omnibus essentialibus attributis. Tantum abest, vt illud axioma limitent eo modo, quo limitatur in præcedenti solutione Durandi.

20

Confirmatur primò, quoniam illa solutio non retinet proprium sensum verborum; quia non sunt simpliciter vnum, quæ realiter distinguuntur, nisi in quantum identificantur realiter cum aliquo realiter vno. Qua ratione Spiratio actiua est vnum etiam cum Spiritu sancto, quoniam realiter identificatur cum Deitate. Confirmatur secundò, quoniam, vt inquit Damascenus 1. fidei cap. 11. inter prin. & med. *Secundum omnia vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam & processionem.* Ergo sunt vnum etiam secundum Spirationem actiuam.

21 *Sine processione non est realis distinctio in diuinis.*

Probatur quartò, quia in diuinis quod non procedit ab alio, non distinguitur realiter ab illo: sed Spiratio actiua non procedit à Paternitate & Filiatione. Ergo non distinguitur realiter ab illa. Minor ab omnibus Catholicis supponitur, assentibus duas tantum processiones supra disp. 3. & euidentius erit sect. sequenti probat. 8. Maior constat ex dictis disp. 1. sect. 3. & sequent. & magis constabit disp. 68. sect. 4. Nunc sufficiat Florentinum sess. 18. post med. §. *diuina substantia* & §. *dixi equidem*, cuius ante med. *Sola*, inquit, *relatio, quam principalem habitudinem superius nominauimus, apud omnes tam Græcos, quàm Latinos doctores, diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa à quo, & ad quod, de quibus est supra dictum, conueniunt. Siquidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt non vlla ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant, quem quidem in modum Spiritus etiam ab alio est.*

22

Quod si Spiritus sanctus sola relatione *à quo* distinguitur à Patre & Filio, non poterit ab illis distingui Spiratio actiua, quoniam, vt vidimus, non habet relationem *à quo* respectu illorum. Idem ex Gregorio Nysseno, Basilio & aliis Patribus, confirmat Bessarion in orat. pro vnione, quæ habetur post Concilium Florentinum cap. 6.

23

Probatur quintò, quia in prædicta sess. 18. post med. §. *diuina substantia.* Ioannes tacitè approbante Concilio ait: *Persona ex substantia proprietatibusq; consistit, quæ tametsi ratione ac secundum nostram intelligentiam (vt supra dictum est) differant, ipsa tamen substantia cum personis communicat: proprietates verò nequaquam communicabiles sunt.* Hic igitur interrogo, vtrum nomine proprietatis incommunicabilis comprehendatur Spiratio actiua. Nam si comprehenditur, expressè dicitur proprietates à persona sola ratione distingui: ac proinde Spiratio actiua sola ratione distinguitur à persona Patris & Filij. Si verò nomine proprietatis incommunicabilis non comprehenditur Spiratio actiua; consequens erit, Spirationem actiuam communicabilem esse Spiritui sancto, quoniam in prædicto §. post pauca subiungitur: *Diuina omnia, proprietatibus personarum exceptis, inter se communicabilia sunt.*

SECTIO III.

Probationes aliæ cum censura contrariæ sententiæ.

1 *Pater & Filius sunt omnino idem, ea tantum exceptione, quod Pater non est Filius, nec Filius est Pater.*

SExta probatio sit, quia si Spiratio actiua realiter non est idem prorsus cum Paternitate, nec idem prorsus cum Filiatione: consequens est, vt Pater & Filius non sint in re prorsus idem, quo ad ipsam Spirationem actiuam. Est enim impossibile realiter identificari omnino Patrem & Filium in aliquo realiter distincto à se ipsis. At verò Patrem & Filium esse prorsus idem & vnum, ea tantum exceptione adhibita, quòd Filius non est Pater, & Pater non est Filius, docent communiter Theologi. Quemadmodum Damasc. citatus sect. præced. probat. 3. confirmatione 2.

Athanas.

Athanas. dialog. 1. de sancta Trinit. contra Anomæum colum. 3. *Nulla*, inquit, *differentia, neque in natura neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, siue emitti inter se differunt.* Ergo inter se non differunt gignere & emittere, quod est spirare actiuum.

3 Nazianz. orat. 37. quæ est 5. de theologia inter prin. & med. *Neque Filius est Pater, sed quod Pater: nec Spiritus est Filius, quia ex Deo est; sed quod Filius: tria hæc vnum, si Diuinitatem spectes: & vnum tria, si proprietatum rationem habeas.* Idémque tractatu de fide, qui est orat. 49. propius ad med. quàm ad fin. enumeratis perfectionibus Filij, addit: *Hæc est enim Filius Dei, eo, quod Pater est alius idem.* Et longè inferius post duas columnas ait: *Hoc est quod Græci Homousion appellant, idest alium ipsum*, subintellige Patrem.

4 Hunc loquendi modum imitatus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. init. *Filius*, inquit, *est hoc omnino quod Pater, non tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater.* Et epistol. 66. ad Maximum medicum ante med. *Pater genuit alterum se*, & circa med. *Pater genuit quod est ipse.* Concil. Tolet. Vndecimum in confes. fidei post med. *Non ipse Pater, qui Filius, sed ipsum esse.* Sixtus Papa Secundus epistol. 1. ad Gratianum Episcop. quæ habetur post Concil. Carthagin. tomo 1. Concil. ait: *Quod Pater est, id etiam est Filius.*

5 Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 8. fine. *Pater*, inquit, *in Filio est, & Filius in Patre, non tamen vt idem numero. Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est. Hæc enim solum differentia inter ipsos est.* Ergo non est inter eos relatio Spirationis realiter distincta, quæ numero distinguatur ab illis. Plura testimonia videbimus disp. 19. sect. 2.

6 *Spirator neque est* aliud *neque* alius *à Patre & Filio.*

Confirmatur primò, nã Patres, & omnes theologi, tractantes de identitate & distinctione diuinorum, non agnoscunt, nisi *aliud* in neutro genere, quod in diuinis omnino negant: & *alius* in genere masculino, siue *alia persona*, quam alietatem solummodo concedunt. At verò Spiratio actiua, siue Spirator, neque est *aliud* à Patre & Filio, quia est eiusdem essentiæ. Neque est *alius*, neque alia persona, vt constat. Prædictum loquendi modum multis testimoniis confirmabimus disput. 39. sect. 4. & 5. Nunc erit satis Innocentij definitio in cap. *Damnamus* de summa Trinit. post med. *licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud: sed id quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus idem omnino.* Confirmatur secundò, quoniam præter distinctionem personarum & subsistentiarum, alia nulla realis distinctio reperitur apud Patres.

7 *Donatoris nomen significat spirationẽ actiuam.*

Probatur septimò ex Augustino, locis adductis disp. 16. sect. 2. sub init. dicente, mutuam relationem Patris, & Filij ad Spiritum sanctum non significari nomine Patris, neque Filij, sed nomine donatoris. Itaque solis nominibus & conceptibus relationem donatoris Augustinus distinguit à relatione Patris & Filij. Alioqui debuisset Augustinus, absolutè concedere, Patris & Filij relationes non esse mutuas ad Spiritum sanctum, neque correlatiuas illius; sed aliam superadditam esse correlatiuam Spiritus sancti.

8 *Nec esset producta, nec improducta spiratio actiua, si distingueretur ante opus intellectus.*

Probatur octauò, quia si Spiratio actiua distinguitur ante opus intellectus à Paternitate & Filiatione; vel est realiter producta, vel improducta. Vtrumque autem est impossibile. Imprimis enim non potest esse producta; quoniam ingenitum esse, prout excludit omnem productionem, est notio peculiaris & propria Patris. Ideóque conuenire non potest relationi realiter distinctæ, & multo minus conuenire potest Filio, vt sit ingenitus, quatenus Spirator est. Confirmatur primò, quia nihil ingenitum & improductum potest esse origine posterius, quàm genitum & productum: sed Spiratio actiua est origine posterior, quàm Filius, cuius generatio supponitur ad spirandum. Ergo Spiratio actiua non potest esse producta

9 Confirmatur secundò, quia Spiratio actiua naturam diuinam habebit communicatam à Patre & Filio per aliquam realem communicationem: siquidem naturam diuinam non potest habere à se ipsa relatio, quæ supponit Filium, qui non à se ipso, sed à Patre naturam diuinam communicatam habet. Realis autem communicatio naturæ non est possibilis, nisi per realem productionem. Rursus Spirationem actiuam nõ esse realiter productam, probatur primò, quia non potest esse producta à solo Patre. Ergo deberet esse producta à Patre & Filio. Quo supposito, inquiro per quam operationẽ diuinam producatur? Non enim producitur per intellectionem; quia si per intellectionem produceretur Spiratio actiua, esset Verbum: Ideóque Verbum diuinum produceret se ipsum, vel produceret aliud Verbum, à se realiter distinctum. Vnde sequerentur innumera impossibilia.

10 Deinde non producitur per volitionẽ & amorem; quia si per hanc operationem produceretur Spiratio actiua; ipsa esset Spiritus sanctus. & ideo non posset esse principium Spiritus sancti, nisi producendo se ipsam, & producendo secundum alium Spiritum sanctum, ita vt essent quatuor personæ. Denique per naturam immediatè, & non per intellectionem aut volitionem producere, contradictionem implicat in diuinis productionibus, vt probatum est disput. 3. Inde colligendo non esse plures processiones quàm duas.

11 Idem intentum probatur secundò, quia Pater & Filius deberent aliqua relatione respicere spirationem actiuam, vt terminum ab ipsis realiter productum. Et de hac vlteriori relatione peto, num identificetur realiter cum Paternitate & Filiatione? Nam si realiter identificatur; eadem ratione poterit realiter identificari cum illis Spiratio actiua. Quod si prædicta vlterior relatio non identificatur realiter cum Paternitate & Filiatione; sequitur opus esse quarta processione istius relationis: & sexta alia relatione, qua Pater & Filius eam respiciant: sicque procedemus in infinitum.

12 *Pater Filio communicat spirationem actiuam.*

Totus iste discursus confirmatur, quia Pater Spirationem actiuam communicat Filio, neque est possibilis alius modus communicandi, nisi per realem identitatem rei communicabilis cum termino producto, cui communicatur; quemadmodum communicatur natura diuina: siquidem hoc genere communicationis negato, necessarium erit, Spirationem actiuam per nouam actionem resultare ad generationem Filij, ptius ratione existentem; nisi dicas, eadem ipsa generatione Filij produci Spirationem realiter distinctam. Quæ omnia sunt absurda.

13 Nona probatio conclusionis principalis est, quia quæcumque res, in sua quidditate constituta, eo ipso distinguitur à qualibet alia re, nec opus habet realitate superaddita, per quam distinguatur: sed Pater & Filius à Spiritu sancto distinguuntur per Spirationem actiuam, & absque illa non distinguerentur. Ergo Spiratio actiua non est realitas superaddita, realitérque distincta à Patre & Filio.

14 *Foret composita persona Patris, si Spiratio realiter distingueretur.*

Probatur decimò. Quoniam ex opposito sequeretur, personam Patris esse realiter compositam ex duplici entitate Paternitatis & Spirationis actiuæ, distinctis ante opus intellectus: similitérque Filius compositus erit ex Filiatione & Spiratione actiua. Vnde præterea sequitur, prædictas relationes esse incompletas, aut efficere vnum ens per accidens iuxta fundamenta probata disp. 11. sect. 5.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta, posita in prima sect. magis explicita distinctione quasi specifica relationum, & proportione cum origine passiua & termino producto.

15 *Solutio.*

Respondebit aliquis. Sicut tres diuinæ personæ, licet realiter distinguantur, nõ efficiunt compositionem in Deo; quoniam realiter identificantur cum vna simplicissima essentia diuina: sic etiam Spiratio actiua compositionem non efficiet, licet realiter distinguatur à Paternitate & Filiatione.

16 *Refutatio.*

Hæc tamen solutio refutatur primò, quia persona Spiritus sancti, v. g. non est persona Patris, neque Filij, neque completur per aliquam illarum in suo esse personali: sed hæc persona est solummodo totum id quod secum realiter identificatur. At verò Pater ad complementum, perfectionem & distinctionem suæ personalitatis, requireret aliquid à sua personalitate realiter distinctum, vt ipse esset Spirator (idem intellige de Filio) quod summæ simplicitati repugnat.

17 Confirmatur, quia sequeretur, Spiritum sanctum simpliciorem esse, quàm Pater & Filius; quia eius persona non complectitur duas entitates realiter distinctas, quemadmodum eas comprehendit persona Patris & persona Filij. Atque hac ratione Spiritus sanctus erit perfectior, quàm Pater, & Filius; quamuis aliunde sit imperfectior Spiritus sanctus; quoniam non continet entitatis & perfectionis relatiuæ tantum, quantum continet Pater.

18 *Censura opinionis Durandi.*

Quod attinet ad censuram contrariæ sententiæ, quam exposuimus sect. 1. Molina 1. p. q. 32. art. 2. disput. 3. §. *contraria sententia.* censet, esse parum tutam in fide, & posse appellari erroneam opinionem Durandi. Ego verò simpliciter dixerim esse periculosam, propter repugnantiam illius cum plerisque dogmatibus de Trinitate, quæ veram sententiam efficaciter probant in hac & præced. sectione. Notanda quippe sunt tria. Primum est solutiones, à Durando superius datas aliquibus argumentis, id tantum efficere, vt eius sententia non sit error manifestus; aliorum autem Scholasticorum authoritatem valere ad excusandos à culpa theologos, qui olim adhærebant eorum sententiæ.

19 Secundò notandum est, illud temperamentum, & quasi limitationem eidem sententiæ additam, videlicet *re relatiua*, profuisse, vt eadem sententia liberetur à suspicione hæresis Arianæ: quia in diuinis est vna tantùm res simpliciter dicta iuxta illud: *Ego & Pater vnum sumus.* Quando autem Pater, Filius & Spiritus sanctus dicuntur *tres res*, addenda est explicatio, *tres res relatiuæ*: vt videbimus disp. 26. sect. 1. & 2. Vnde colligo, prædictam limitationem non impedire, quo minus actiuæ Spirationis à Paternitate distinctio sit tãta, quanta est distinctio Patris à Spiritu sancto.

20 Notandum tertiò, sententiam Scoti & Gabrielis, positam in sect. 1. minùs periculosam esse, quàm aliorum sententiam. Quoniam Scotus & Gabriel minorem aliam distinctionem affirmant, licet fictitiam: vt in simili vidimus disp. 11. sect. 7. dicto 4.

1 *Etiã in creaturis relationes, solæ ratione distinctæ, respiciũt terminos realiter distinctos.*

AD primum respond. primò, negando Maiorem. Plurima quippe sunt exempla relationum transcendentalium, quæ licet in ratione relationis differant, ideóque respiciant adæquatos terminos, quandoque realiter distinctos; nihilominus sunt idem realiter. Sic enim potentia visiua realiter eadem respicit Deum, vt creatorem; sensitiuam animam, vt radicem & essentiam, cuius est potentia: respicit colorem, vt obiectum; & species visibiles, vt principium determinatiuum: ac denique respicit actus videndi, tanquam proprios effectus, & finem ad quem destinatur. Præterea iuxta sententiam, quam vt probabiliorem in logica sum secutus, relatio prædicamentalis sola ratione distinguitur à fundamento; propterea que contingit multas relationes, specie distinctas, quæ respiciunt terminos realiter diuersos, realiter identificari cum eadem entitate fundamenti.

2 Quo circa nihil est mirandum, si diuinis relationibus conueniat quidquid eminentiæ atque vnitatis reperitur in creatis relationibus trãscendentalibus, aut prædicamentalibus. Quamuis enim diuinæ relationes sint ad modum prædicamentalium, continent tamen perfectionem relationum transcendentalium: vt vidimus disp. 90. Itaque licet existimaueris, relationes prædicamentales realiter distingui à suo fundamento; præsenti solutioni sufficiet exemplum relationum transcendentalium.

3 Respond. secundò. Dato, quod Maior argumenti verificaretur in relationibus finitis & limitatis; adhuc non sequeretur esse verificandam in relationibus infinitis, quæ propter suam eminentiam identificari possunt cum alia relatione; sicut earum essentia & subsantia, cum qua realiter identificantur. Atque ea potissimum ratione, quia quælibet relatio debet distingui ab omnibus terminis productis, & non potest distingui nisi per relationem originis.

4 Primæ & secundæ confirmationi satisfaciunt eædem solutiones: nam ex prima solutione constat falsam esse Maiorem vtriusque. Et ex secunda solutione constat, quod licet Maior verificaretur in relationibus finitis, non posset de relationibus infinitis verificari.

5 *Permutatæ proportio quando seruanda sit.*

Ad secundum argum. negatur consequentia, quia permutata proportio, licet in quantitate vim habeat inferendi; cæteris tamen in rebus nihil probat, sed fallit multis exemplis. Vnum sufficiat. Sicut se habet ignis ad calorem, ita se habet aqua ad frigus. Ergo, permutata proportione, sicut se habet calor ad frigus, ita se habet *ignis* ad aquam. Vnde sicut calor & frigus possunt esse simul in gradibus remissis; sic etiam aqua & ignis poterunt esse simul in gradibus remissis. Constat autem falsitas consequentis.

6 Ratio verò *disparitatis* inter spirare actiuum & spirari passiuum, hæc est: quoniam spirari passiuum realiter procedit à generari passiuo, quod est ipse Filius productus. Ideóque necessario distinguitur ab illo tanquam à principio producente. At verò spirare actiuum non procedit tanquam à principio producente à generatione actiua,

Propterea non seruant eandem proportionem permutatam.

7 Tertij argumenti solutio postulat, vt priùs exponamus, vtrum diuinarum relationum distinctio sit specifica, vel quasi specifica. De quo breuiter dico primò. Inter relationes diuinas non est propria distinctio specifica. Cuius ratio est primò, quoniam in Deo non est compositio ex genere & differentia, quæ requiritur ad speciem propriè dictam.

Non est propriè specifica distinctio relationum.

8 Secundò probatur, quia species propriè consistit in essentia seu natura, ratione & definitione. At verò tres personas diuinas esse eiusdem essentiæ, naturæ, speciei, rationis ac definitionis, docent Patres communiter, & meritò, vt videbimus disput. 20. & quatuor sequentibus. Quin potius ipsas etiam *subsistentias proprias eiusdem speciei* esse, dicit Cyrillus Alexand. dialog. de Trinitat. lib. 3. propiùs ad med. quàm ad fin. Tertiò, quia personæ constituuntur relationibus; & tamen communiter Patres dicunt, personas distingui tanquam indiuidua siue singularia; vt videbimus disputat. 32. sect. 2. & sequentibus, præcipuè sect. 6.

9 Dico secundò. Tres relationes, personarum constitutiuæ, videlicet Paternitas, Filiatio & Spiratio passiua, distinguuntur ab inuicem, quasi specifica distinctione: quoniam in modo respiciendi terminum, sunt quasi diuersæ rationis relatiuæ. Quo sensu Basilius lib. 2. contra Eunomium propiùs ad fin. quàm ad med. appellat *specificas proprietates.* Et Tertullianus lib. contra Praxeam pag. 3. dicit, personas esse tres *non potestate, sed specie.*

Quasi specifica est distinctio relationũ diuinarum.

10 Eandem distinctionem quasi specificam supponere videntur S. Bonauentura, Ricardus, Henricus, Durandus, Bassolis, Scotus & Gabriel, quatenus locis adductis in sect. 1. dicunt, Spirationem actiuam realiter distingui à Paternitate & Filiatione, eo quod respicit diuersum correlatiuum, & diuerso modo productum. Clarius autem Durandus distinctionem specificam affirmat 1. distinct. 4. quæst. 1. ad 2. Gabriel. 1. dist. 9. quæst. 2. art. 1. fine, & artic. 2. init. Peculiariter autem inter doctores, qui sola ratione distinguunt Spirationem actiuam à Paternitate & Filiatione, quasi specificam distinctionem affirmant S. Thom. 1. distinct. 27. quæst. 1. art. 1. Clariùs in hac quæst. 28. art. 4. vt dicemus sect. sequenti. Capreolus 1. dist. 13. quæst. vnic. art. 2. ad 5. Gregor. 1. dist. 26. quæst. vnic. ad 2. contra secundã conclusionem, & communiter recentiores, vt Molina, Vazquez, Suarez citati sect. 2. Denique quantum ad rem ipsam, nihil aut ferè nihil dissentit Aureolus 1. distinct. 19. part. 2. art. 4. propos. 2.

11 Dico tertiò. Spiratio actiua differt à Paternitate & Filiatione, non quasi specie prorsus completa, sicut Paternitas differt à Filiatione, sed quasi specie incompleta: quoniam Spiratio actiua pertinet ad complendam distinctionem realem Patris & Filij & Spiritus sancti; vt dicemus sect. 6. Quo supposito, ad formam argumenti. Respond. concedendo, generare & spirare quasi specie differre modo nuper explicato: sed inde non sequitur realiter distingui, licet sint relationes reales propter rationes dictas ad primum argumentum.

Quasi specie incompleta differt Spiratio à Paternitate & Filiatione.

12 Ad quartum respond. licet in creaturis ab vnica actione non possint esse immediatè duæ passiones, realiter distinctæ, quoniam actio & passio realiter identificantur, & quoniam sunt limitatæ perfectiones: Attamen in diuinis à duabus actionibus, sola ratione distinctis, quæ sunt realiter vnum, possunt immediatè procedere duæ passiones realiter distinctæ. Quoniam in diuinis origo quasi actiua distinguitur realiter ab origine passiua, quam formaliter respicit; vt dicemus disp. 84. Præterea, quoniam diuinæ relationes & origines, propter infinitam perfectionis eminentiam; admittunt prædictam identitatem.

Ab actionibus sola ratione distinctis passiones realiter distinctæ.

13 Ad quintum respond. in diuinis sufficere distinctionem rationis inter relationem producentis & producti, respectu diuersarum personarum; quamuis in creaturis requiratur realis distinctio; quoniam relatio producentis non identificatur realiter cum principio producente, sed cum termino producto, qui necessariò debet esse realiter distinctus à principio producente. Atque hæc quidem de relatione prædicamentali. Nam transcendentalis relatio producibilis & productiui potest esse realiter eadem in quolibet agente creato; quippe quod essentialiter refertur ad Deum, & ad suam causam efficientem particularem, tanquam producibile: prætereáque transcendentaliter refertur ad omnes effectus, quos potest sua virtute producere.

Realis identitas relationum producentis & producti.

14 Ad sextum respond. concedendo totum. Si enim spirare & generare essent omnino idem, non differrent ratione ratiocinata. Quæ distinctio sufficit, vt generatio sit prior Spiratione, atque Spiratio non possit terminari ad Filium generandum. Ad confirmationem negatur consequentia. Siquidem in aqua relatio transcendentalis, quæ est potentia producendi frigus, & formam aquæ per solas vires proprias, identificatur realiter cum relatione transcendentali, quæ est potentia producendi mixtum simul cum aliis elementis, & causis vniuersalibus. Quapropter non est mirandum, si propter infinitam Dei perfectionem, relatio realiter eadem sit producentis se solo, & producentis simul cum alio, videlicet cum Filio.

Generatio prior Spiratione.

Relatio producentis se solo, & simul cum alio.

15 Ad septimum negatur Maior. Quin potius inter rem absolutam, & relationes discrimen est, quoniam relationis totum esse est ad aliud se habere, & consequenter afferre relatiuam oppositionem, quæ sola oppositio est ratio distinctionis realis in Deo; vt supra vidimus. Insuper hoc peculiare habet quidditas relationis infinitæ, vt possit identificari cum vno tertio, licet distinguatur realiter à suo correlatiuo, similiter identificato cum eodem tertio: Quemadmodum probatum est disput. 15. sect. 2. & 3. Hæc autem oppositio & quidditas relationis repugnat rei absolutæ, in quantum absoluta est.

16 Ad confirmationem respond. Relatio diuina est infinita in genere relationis: atque hoc sufficit, vt possit realiter identificari cum relationibus sibi non oppositis. Quamuis non sit infinita simpliciter in omni genere, comprehendendo etiam perfectionem absolutam.

17 Ad octauum respondetur. Paternitas & Filiatio, similitérque generatio actiua & passiua non sunt realiter principium Spirationis actiuæ, sed tantum secundum modum intelligendi. Ex quo non infertur realis distinctio, sicut nec realis oppositio. Inde constat solutio ad primam confirmationem. Ad secundam confirmationem respond. Inter generare & spirare actiuum non est ordo realis, sed tantum secundum rationem; sicut inter diuinam intellectionem & amorem. Quamuis enim amor non distinguatur realiter ab intellectione; supponit tamen essentialiter intellectionem, quasi proponentem obiectum, vt infra sect. 6.

Paternitas & Filiatio non sunt realiter principiũ Spirationis actiuæ.

18 Ad nonum respond. antecedens esse minus consonum doctrinæ Patrum, quæ distinctionem realem semper ad oppositionem reuocat. Adde quòd Spiratio actiua non est omnino disparata à Paternitate & Filiatione, quoniam per se supponit illas: imo etiam quidditatiuè includit vt videbimus sect. 6. Ad decimum cum confirmatione dicemus sect. 7. tractantes de prædicationibus Spirationis actiuæ. Ad vndecimum dicemus disp. 18. sect. 1. & 4.

SECTIO V.

Spiratio actiua distinguitur ratione ratiocinata, & comparatur cum alijs relationibus.

1 PRæpositiuus negasse videtur distinctionem rationis ratiocinatæ inter Spirationem actiuam & Patrem, quando generaliter negauit huiusmodi distinctionem inter notionem seu proprietatem atque personam: vt vidimus disput. 12. sect. 1. inter princ. & med. Aureolus autem 1. dist. 13. art. 4. propositione 2. perspicuè comparans generationem cum Spiratione actiua, negat ratione distingui, & in hoc sensu refutatur à Capreolo in eadem distinct. 13. quæst. vnic. art. 2. in med. Cæterum mens Aureoli fuit solummodo negare, tantam esse distinctionem rationis, vt neutrum extremum includatur in conceptu alterius, prout in simili declaratum est disput. 12. sect. 1. id quod ex Aureoli contextu colligitur, quoniam argumenta, quibus secundam propositionem probat, inferunt aliquam distinctionem, & oppugnant omnimodam identitatem.

Qui videtur negare distinctionem rationis.

2 Sit igitur prima conclusio certa. Spiratio actiua ratione ratiocinata distinguitur à Paternitate, necnon à Filiatione, ita docet S. Thom. infra quæst. 32. artic. 3. ad 3. & magis explicuerat in 1. distinct. 27. quæst. 1. artic. 1. Atque idem sentiunt Capreolus, Caietan. Ægidius, Argentin. Carthus. Maior. Gregor. Marsil. Ricard. Ochan. & cæteri Doctores citati sect. 2. in principio.

Spiratio actiua distinguitur ratione ratiocinata à Paternitate & Filiatione.

3 Fundamenta sunt eadem, quæ supra disput. 12. sect. 2. probant distinctionem relationis ab essentia. Primò, quoniam Deus minùs intelligitur solo conceptu Paternitatis aut Filiationis, meliùs autem penetratur addito conceptu Spirationis actiuæ. Secundò, quia Paternitas secundum explicitum conceptum refertur ad Filiationem, non ad Spiritum sanctum. Contra verò Spiratio actiua, secundum explicitum conceptum refertur ad Spiritum sanctum, non ad Filium, nec ad Patrem. Ergo diuersa est ratio harum relationum.

4 Probatur tertiò, nam aliqua prædicata realia negantur de Spiratione actiua, quæ affirmantur de Paternitate & Filiatione. Spiratio namque communis est duabus personis; sed non est communis duabus personis Paternitas nec Filiatio. Deinde Paternitas relatiuè opponitur Filiationi; sed Spiratio actiua non opponitur Filiationi. Paternitas est principium Filij; non verò Spiratio. Filiatio per generationem producitur; non verò Spiratio. Denique Spiratio actiua est correlatiua Spirationis passiuæ; non verò Paternitas, nec Filiatio. Probatur quartò, nam argumenta, quæ soluta sunt in sect. præced. probant eandem distinctionem rationis ratiocinatæ; vt notatum est in eorum solutionibus.

Ruiz. de Trinitate.

Prædicata quædam negãtur de Spiratione, quæ affirmãtur de Paternitate & Filiatione.

5 Secunda conclusio. Inter Spirationem actiuam & Paternitatem, siue Filiationem distinctio rationis est minor, quàm distinctio Deitatis à Paternitate, siue Filiatione, vel Spiratione actiua. Quoniam Spiratio actiua est in genere relationis, & pertinet ad integrandam distinctionem relatiuam Paternitatis à cæteris relationibus, & consequenter pertinet ad integrandam & complendam relatiuam constitutionem Paternitatis. Confirmatur, quoniam hac ratione, quasi specie incompleta distinguitur Spiratio actiua non verò quasi specie completa: cum tamen distinctio cuiusque relationis ab essentia sit ad instar distinctionis duorum prædicamentorum.

Minor est distinctio Spirationis, &c.

6 Tertia conclusio. Præscindendo à distinctione reali, & considerando præcisè distinctionem rationum formalium, Spiratio actiua distinguitur à Paternitate & Filiatione quodammodo magis, quàm distinguuntur inter se Paternitas & Filiatio. Probatur, quia Paternitas & Filiatio, sicut & passiua Spiratio conueniunt in multis, in quibus ab illis differt Spiratio actiua.

Comparatur eadem distinctio cũ distinctione Paternitatis à Filiatione.

7 Ac primò quidem Spiratio actiua non est relatio personalis, nec primariò & ratione sui constitutiua personæ, sed complens constitutionem duarum personarum: vt sect. seq. dicemus. Aliæ tamen relationes sunt personales ac ratione sui primariò constituunt personam. Secundò, Paternitas & Filiatio conueniunt in hoc, quod sunt veluti radix & subiectum, nostro modo intelligendi: sed Spiratio actiua est veluti forma, nostro modo intelligendi resultans ex Patre & Filio, & illos afficiens, quantum ad rationem explicitam, licet in illis claudatur implicitè: vt videbimus sect. sequenti. Tertiò ex dictis sequitur, Paternitatem & Filiationem per se, & ratione expliciti, ac formalissimi conceptus, esse subsistentes, cum tamen Spiratio actiua ratione sui formalissimi conceptus non afferat subsistentiam, sed illam supponat in Paternitate & Filiatione: vt magis constabit disput. 70. sect. 3.

8 Quartò Paternitas & Filiatio quasi immediatè vniuntur essentiæ diuinæ, quatenus Paternitas est improducta, & Filiatio est per generationem producta. At verò Spiratio actiua, quasi per resultantiam & consecutionem, conuenit essentiæ, quasi mediante Paternitate & Filiatione, secundum modum intelligendi, & hæc resultantia supponit priorem processionem Filij. Quintò notari possunt alia discrimina quantum ad modum constituendi principium operatiuum, vel supponendi fundamentum, aut rationem fundandi, vel terminandi respectum sui correlatiui, vel quantum ad alia, de quibus dicemus eadem disput. 70. sect. 3. & sequentibus, & disput. 91. sect. 2. & sequentibus.

9 Quarta conclusio. Absolutè loquendo Paternitas & Filiatio magis differunt ab inuicem, quàm à Spiratione actiua, non modò secundùm rem, sed etiam secundùm rationem formalem. Probatur primò, quia inter se differunt quasi specie completa, sed à Spiratione actiua, non nisi specie incompleta: vt vidimus sect. 4. ad 3. Secundò quia nec Paternitas Filiationem, nec Filiatio Paternitatem implicitè includit; sed vtraque includit implicitè Spirationem actiuam; vt sect. sequenti probabitur.

Magis differunt ab inuicem Paternitas & Filiatio, quàm à Spiratione.

SECTIO VI.

Spiratio actiua continetur implicitè in Paternitate & Filiatione, quarum constitutionem, ac distinctionem complet.

1 *Spiratio non includit Paternitatē & Filiationem.*

CIrca implicitam inclusionem dico primò. Spiratio actiua non includit implicitè & quidditatiuè Paternitatem & Filiationem. Probatur, quoniam Spiratio actiua semper aut ferè semper accipitur à theologis, vt relatio communis Paternitati & Filiationi. Quod si quidditatiuè clauderet Paternitatem, non posset conuenire Filiationi; sicut è contrario non posset conuenire Paternitati, si quidditatiuè clauderet Filiationem; quemadmodum in simili disput. 14. sect. 2. & sequentibus probatum est, relationes non includi in conceptu naturæ diuinæ, quia sequeretur, naturam diuinam non posse conuenire singulis personis, diuisiuè sumptis.

2 Posset tamen aliquis, præter consuetudinem theologorum, vsurpare nomen Spirationis actiuæ pro toto integro principio Spirante: secundum quam acceptionem Spiratio quidditatiuè clauderet Paternitatem & Filiationem copulatiuè, propterea que non posset de singulis personis diuisiuè prædicari. Cæterùm hæc acceptio vitanda est, ne videatur tres relationes in vnicam conflare, néve recedat à communi modo loquendi.

3 *Paternitas & Filiatio non explicitè sed implicitè claudunt Spirationem.*

Dico secundò. Paternitas & Filiatio in suo conceptu formali non dicunt explicitè Spirationem actiuam. Probatur, quoniam Spiratio actiua est relatio diuersæ rationis quasi specificæ à Paternitate & Filiatione; vt probatum est sect. 4. ad 3. Confirmatur, quia Paternitas & Filiatio secundum conceptum explicitum præintelliguntur ante Spirationem actiuam ad eum modum, quo intellectus diuinus præintelligitur voluntati, quamuis eam essentialiter includat. Huius proprietatis ratio est, quia Verbum prærequiritur ad volitionem & amorem, & consequenter prærequiritur ad spirandum; vt bene Ricard. 1. dist. 28. art. 1. quæst. 1. corpor. & dictum est sect. 4. in fine solutionis ad 8. argum.

4 Falsa igitur est sententia Aureoli 1. distinct. 11. quæst. vnic. artic. 3. in conclusionibus asserentis, Spirationem actiuam simul cum Filiatione concurrere ad constituendam secundam personam, ita vt sublata Spiratione actiua; non maneret in ratione personæ.

5 Dico tertiò. Paternitas & Filiatio in suo conceptu implicitè & quidditatiuè includunt relationem Spirationis actiuæ ad eum modum, quo supra disput. 13. probatum est, naturam diuinam implicitè & essentialiter includi in conceptu cuiusque relationis. Ita existimat S. Thom. infra quæst. 40. art. 1. ad 1. quamuis obscurè. Neque oppositum sensit alibi, vt constabit in solutione primæ obiectionis.

6 *Simplicitas Dei requirit illam inclusionem.*

Probatur primò, quoniam hæc inclusio requiritur, vt Spiratio actiua non efficiat compositionem rationis cum Paternitate & Filiatione. Quam compositionem esse fugiendam probabilius est, vt vidimus disputat. 13. sect. 2. probat. 6. Confirmatur, quoniam Spiratio actiua, si non includeretur implicitè in Paternitate & Filiatione; compositionem efficeret magis indignam Deo, quàm sit cõpositio ex genere & differentia. Nam compositio ex genere & differentia est essentialis. At verò compositio, quam efficeret actiua Spiratio, foret per modum accidentis, ratione distincti, superuenientis personæ iam constitutæ.

7 *Plena constitutio personarū requirit illam inclusionem.*

Vnde probatur secundò, nam in Paternitate & Filiatione quidditatiuè clauditur integra plenáque constitutio duarum personarum. Ergo in eisdem quidditatiuè clauditur integra plenáque ratio distinctionis à tertia persona Spiritus sancti. Sed Spiratio actiua est ratio distinctionis Patris & Filij à Spiritu sancto. Ergo Spiratio actiua quidditatiuè continetur in Paternitate & Filiatione. Confirmatur, quia Pater & Filius distinguuntur à Spiritu sancto eadem ipsa proprietate, qua constituuntur. Quapropter sicut radicaliter tantum distinguuntur à Spiritu sancto per Paternitatem & Filiationem; ita etiam non plenè & integrè constituuntur explicito conceptu Paternitatis & Filiationis, quousque intelligatur explicitè Spiratio actiua, per quam sicut formaliter distinguuntur à Spiritu sancto; ita etiam vltimatè, & plenè constituuntur, vt videbimus disp. 68. sect. 8.

8 *Verbū creatē est pronunciatiuum ad amorem.*

Probatur tertiò, quoniam in quolibet verbo repræsentatiuo veri boni, quidditatiuè continetur virtus siue potentia prouocandi amorem eiusdem boni. Ergo in verbo infinito, repræsentatiuo infiniti boni, quidditatiuè continetur virtus, siue potestas, vt simul cum suo principio loquente, producat amorem eiusdem boni in facto esse. Vnde etiam persona producens verbum, eo ipso quod est productiua verbi, est etiam simul cum verbo productiua amoris in facto esse.

9 *Spiratio quomodo superueniat personis cõstitutis.*

Probatur quartò, quoniam, citra controuersiam, Paternitas & Filiatio sunt radicale principium Spirationis, quibus Spiratio conuenit tanquam actus vltimus, & tanquam relatio constituens principium Spiratiuum; vt videbimus disp. 70. sect. 3. & 4. At verò proprium est infinitæ perfectionis diuinæ, vt in omni conceptu potentiæ radicalis, quidditatiuè contineatur, implicitè imbibitus actus; sicut in diuina essentia intellectuali quidditatiuè & implicitè continetur actualis intellectio, nec non actualis volitio; vt probatum est disput. 8. sect. 5. & sequentibus.

10 *Obiectio prima.*

Obiicies primò, quoniam S. Thomas infra quæst. 30. artic. 2. ad 1. ait, Spirationem actiuam non esse proprietatem personalem, neque constituere personam. Quod idem affirmant communiter Scholastici citati sect. 2. sub init. & citandi disputat. 18. sect. 1. Consequenter D. Thomas quæst. 40. art. 3. corpor. docet, manere personam Patris, remoto per intellectum, quod sit Spirans, & 1. sentent. distinct. 33. quæst. 1. art. 3. corp. & ad 4. docet, Spirationem actiuam per modum accidentis aduenire personis iam constitutis, cui doctrinæ consonat infra quæst. 36. art. 4. corpor. & ad argum. & Ricard. citatus in dicto 2. Sed fusiùs hoc probat Henricus in summa art. 60. tota quæst. 5.

11 *Solutio.*

Respondeo. Ex eodem D. Thoma in eisdem locis constat, prædictas sententias pertinere solum ad explicitum modum intelligendi. Quemadmodum intellectio diuina, iuxta nostrum modum intelligendi, supponit constitutum Deum, & intelligitur illi superuenire quasi actualis operatio; quamuis essentialiter includatur in illo. Confirmatur, quia S. Thom. dicta quæst. 40. art. 3. & 1. sentent. distinct. 33. citata, idem dicit de ingenito siue innascibili, quod dicit de Spiratione actiua. Nullus autem dubitare potest, de essentia Paternitatis esse totum illud reale, quod affertur per innascibilitatem, prout est infinita perfectio, & digna

& digna primæ personæ diuinæ. Aduenit ergo personis, radicaliter & primariò constitutis, actiua Spiratio: sed non ita de nouo aduenit, vt non præextiterit, implicitè & virtualiter in illis inclusa; & quando formaliter & explicitè profertur in lucem; tunc integrè, plenè & explicitè manent personæ constitutæ, atque distinctæ à Spiritu sancto.

12 *Secunda obiectio.*

Secundo instabit aliquis, quoniam ex dictis sequeretur, Patrem in ratione formali Patris constitui per Spirationem actiuam. Respond. negando sequelam. Quia Pater in ratione Patris, formaliter & præcisè, non dicit integram & plenam constitutionem & distinctionem suæ personæ, nisi præcisè in ordine ad Filium: quod non efficitur formaliter per Spirationem actiuam, quæ formaliter & explicitè tantummodo præbet constitutionem & distinctionem in ordine ad Spiritum sanctum.

13 *Tertia obiectio.*

Tertia obiectio, quia Spiratio, prout est origo actiua Spiritus sancti, non includitur quidditatiuè in generatione & natiuitate. Ergo Spiratio actiua, prout est relatio, non includitur quidditatiuè in Paternitate & Filiatione. Sequela probatur, quia talis est proportio relationis communis ad peculiares relationes Patris & Filij; qualis est communis originis actiuæ ad peculiares origines, videlicet actiuam generationem Patris, & passiuam natiuitatem Filij.

14 *Spiratio includitur in generatione & natiuitate.*

Respond. primò, negando antecedens. Quin potius Spiratio, prout est origo actiua Spiritus sancti, quidditatiuè includitur in generatione actiua, & natiuitate passiua, quatenus istæ origines quidditatiuè habent præire Spirationem actiuam & terminari ad verbum, quod quidditatiuè habet virtutem excitandi amorem, vt supra dicebamus. Cæterum hæc virtualis inclusio magis occulta est inter origines, quam inter relationes, quia longiori discursu opus est, vt inueniatur.

15 Respond. secundò, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia nomina Paternitatis & Filiationis semper, aut ferè semper à Theologis accipiuntur pro persona, vel proprietate, constituente personam integrè atque completè. Ad cuius complementum pertinet relatio Spirationis, vt probatum est. At verò generatio & natiuitas non accipiuntur pro persona, sed pro operatione, seu productione, procedente à persona in personam. Ideo probabilius videtur, Spirationem actiuam non includi in generatione & natiuitate: vt dicemus disput. 85. sect. 3. fine.

16 *Quarta obiectio.*

Quarta obiectio. Si Spiratio actiua quidditatiuè contineretur in Paternitate & Filiatione; sequeretur, Spirationem actiuam esse priorem Paternitate & Filiatione, tanquam id, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: quemadmodum omne commune prius est, quàm particulare, iuxta Aristot. in postprædicam. cap. de modis prioris. Quemadmodum S. Thomas infra quæst. 33. art. 3. ad 1. docet, quod in diuinis *Communia absolutè dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quàm propria, quia includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuerso.* Consequens autem videtur esse falsum; quia Spiratio actiua est, secundum rationem, posterior Paternitate & Filiatione: eo quod per modum cuiusdam formæ superueniat suppositis, iam subsistentibus, vt constat ex hac & præcedenti sectione.

Prioritas & posterioritas secundum diuersum ordinem rationis inter Spirationē & Paternitatem, &c.

17 Respond. Vtraque prioritas est simul com-

posibilis, quoniam vtraque est secundum diuersum ordinem rationis. Cuius aliquod exemplum est in creaturis: nam existentia singularibus conuenit priùs ratione, quàm vniuersalibus. Hæc enim non existunt, nisi singularibus existentibus, & quoniam singularia existunt. Nihilominus vniuersalia sunt priora subsistendi consequentia.

SECTIO VII.

Vtrùm Spiratio actiua prædicari possit de Paternitate, vel de Filiatione, & è conuerso.

1 SEnsus est, vtrum istæ propositiones sint veræ: *Paternitas est Spiratio actiua: Filiatio est Spiratio actiua.* Huiusmodi propositiones absolutè concedit Albertus 1. p. quæst. 39. memb. 2. art. 1. partic. 1. ad 2. Sed Argentina 1. distinct. 27. quæst. vnica art. 2. in med. cum limitatione concedit eas propositiones esse veras identicè. Tribuitur eadem sententia Gabrieli; falsò tamen.

2 *Negatiua sententia communis & vera.*

Communior sententia Scholasticorum negat eiusmodi propositiones. Ita S. Thomas infra q. 32. art. 3. ad 3. & 1. dist. 27. quæst. 1. art. 1. ad 3. S. Bonauentura ex professo. 1. distinct. 33. artic. vnic. q. 3. & 4. Scotus & Bassolis locis citatis in sect. 1. sub init. Capreolus 1. distinct. 13. artic. 2. conclus. 3. Caietanus dicta quæst. 32. art. 3. §. *in responsione ad tertium.* Vbi communiter expositores S. Thomæ, Canarien. in fin. commentarij, Vazquez disput. 138. cap. 3. Suarez lib. 5. de Trinitat. cap. 7. num. 6. & sequent.

3 *Rationes insufficientes.*

Sed in reddenda ratione prædictæ sententiæ, Scotus & Bassolis multum dissident à cæteris authoribus. Inde namque probare nituntur realem distinctionem Spirationis actiuæ, quia si realiter identificaretur cum Paternitate & Filiatione; verificarentur prædictæ propositiones, eo quod realis identitas sufficit, vt abstracta prædicentur de abstractis, vt vidimus sect. 1. argum. 10. Quapropter apud hos authores vnica ratio negandi prædictas propositiones est realis distinctio. Alij concedentes realem identitatem, propterea negant prædictas propositiones, quoniam existimant vniuersaliter omnes abstractorum prædicationes, formaliter & in rigore sumptas, esse falsas, quoniam indicant vnam formalitatem esse aliam.

4 Cæterum hanc doctrinam, ita generaliter acceptam, non esse veram, constat ex frequentibus locutionibus Patrum, quas retulimus disput. 11. sect. 6. & ex doctrina, quam probauimus disp. 13. sect. 1. fundam. 2. Nam deficiente quidditatiua & implicita inclusione, realis identitas non sufficit, vt abstracta prædicentur de abstractis. Quæ tamen rectè prædicantur, si saltem vnum illorum quidditatiuè contineatur in alio. Quam ob causam nos præsenti difficultate magis vrgemur, quàm alij, quoniam in præced. sect. probauimus, Spirationem actiuam quidditatiuè contineri in Paternitate & Filiatione.

5 *Solidior ratiò ex appellatione formali.*

Ratio ergo negandi prædictas propositiones hæc esse debet, quoniam vbi prædicatum habet vim appellandi supra rationem formalissimam subiecti, vt præcisam ab aliis formalitatibus; non est vera prædicatio, licet prædicatum includatur in subiecto. Quapropter quamuis hæc propositio sit vera, *Paternitas est Deitas*, nihilominus hæc propositio est falsa, *Paternitas est*

absoluta, vel, *Paternitas est entitas fundamentaliter communis*. Vt vidimus disput. 13. sect. 4. præcipuè prope finem. Hanc verò vim appellandi habet Spiratio actiua, quoniam significatur per modum rationis constituentis principiũ actiuum, siue per modum relationis actualiter respicientis. Quam rationem sapienter attigit S. Bonauentura supra citatus, propterea negans eiusmodi prædicationes, quia notio in abstracto denotat solam relationem.

6 Confirmari potest primò, quia termini prædictarum relationum realiter distinguuntur; nec potest vnus de alio prædicari: qui proinde viderentur confundi & permutari; si vna relatio prædicaretur de alía: nam quælibet relatio suum terminum affert in obliquo. Confirmatur secundò, quoniam propter easdem rationes, licet voluntas & intellectus diuinus implicitè se mutuo includant; proptereáque vera sit hæc propositio: *Intellectus est voluntas*; adhuc falsa erit hæc propositio *Pater producit Verbum per voluntatem*; & hæc: *Pater & Filius per intellectum spirant*. Similiter hæc erit falsa: *Potentia generandi est Potentia Spirandi*, & hæc: *Generatio & natiuitas est Spiratio*.

Exẽplis corroboratur.

7 S. Thomas aliud exemplum adhibuit in huiusmodi propositionibus, *Attributum potentiæ est attributum sapientiæ*. Quod redarguit Scotus & Basolis citati sect. 1. in argum. 10. quia *attributum* significat secundam intentionem. At verò Paternitas, Filiatio & Spiratio actiua non significant secundam intentionem. Respond. tamen, illud exemplum non afferri tanquam simile in formali significato secundæ intentionis, sed ad explicandam vim & proprietatem præscindendi & formalizandi, quam affert Paternitas & Spiratio, propter quam non possunt de se inuicem prædicari. Ab hac explicatione non multum distat Caietanus loco citato.

DISPVTATIO XVIII.

Vtrum in Deo sint quatuor relationes & non plures.

SECTIO I.

Quatuor esse relationes in Deo.

1 POST grauiores difficultates, præcedenti disput. 16. & 17. superatas, expeditè poterit satis fieri præsenti quæstioni; eam S. Thomas tractauit in art. 4. quẽ præ manibus habemus.

2 Authores aliqui realiter distinguentes Spirationem actiuam à Paternitate & Filiatione, citati disput. 17. sect. 1. præcipuè verò Durandus dist. 13. quæst. 2. ibidem citata, existimant, Spirationem actiuam non esse quartam relationem, distinctam à Paternitate & Filiatione, nisi realiter distinguatur ab illa. Vnde ex eo, quod Spiratio actiua sit distincta relatio; colligunt, esse rem distinctam, ac subinde realiter distinguunt.

Primum argumentum.

3 Confirmatur primò, quia Paternitas & Spiratio non modo sunt vna res absoluta, quæ est essentia diuina, sed etiã sunt vna res relatiua: quemadmodum probatum est disput. præced. sect. 2. & 3. Ergo sunt vna relatio. Confirmatur secundò, quia essentia non auget numerum, relationibus addita vel personalitatibus, eo quod non distinguitur realiter ab illis.

4 Secundum argumentum sit, quia multiplicato inferiori, necessarium est multiplicari superius, perfectè transcendens; vt videbimus disput. 26. sect. vltima. Ergo multiplicata relatione, multiplicanda erit res, quæ perfectè transcendit omnia entia realia, siue absoluta, siue relatiua. Quapropter si Spiratio actiua numeranda foret vt quarta relatio, distincta à tribus personalibus relationibus; sequeretur etiam esse numerandam vt quartam rem.

Secũdum argumentum.

5 Tertium argumentum. Quia si sola distinctio rationis sufficit, vt Spiratio actiua tanquam relatio quarta numeretur; multo plures numerandæ forent relationes in diuinis, sola ratione distinctæ, veluti relatio Verbi & imaginis, & relatio doni, necnon æqualitas, similitudo, identitas in essentia, siue consubstantialitas, atque societas, consortium & communio. Confirmatur primò. Nam relationes oppositionis & distinctionis, relationes mutuæ inexistentiæ, vel circuminsessionis, & relationis prioris & posterioris secundum originem, augere deberent numerum relationum diuinarum. Confirmatur secundò. Nam Ricardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 25. (quod est vltimum) inter diuinas relationes commemorat priores, positas in argumento, aliarum autem mentionem faciunt Patres variis in locis, vt videbimus disput. 103. sect. 9.

Tertium argumentum.

6 Quartum argumentum, quoniam, vt aliqui recentiores existimant, hic modus loquendi consentaneus est modo loquendi quorumdam Patrum, qui videntur quamlibet aliam relationem negare, præter Paternitatem, Filiationem & Spirationem. Quos retulimus disput. 16. sect. 1.

Quartum argumentum.

7 Prima sententia fuit, quod sicut Deus vno modo se habet ad creaturas, quamuis creaturæ diuersimodè se habeant ad ipsum: sic Pater vna relatione refertur ad Filium & Spiritum sanctum cum tamen illi duabus relationibus referantur ad Patrem. Hanc sententiam Præpositiuo tribuit S. Thomas infra quæst. 32. art. 2. cui concors est Gabriel. Nam in 1. dist. 27. quæst. 1. sub init. Paternitas, inquit, & spiratio non sunt plures relationes. Et seq. dist. 28. quæst. 1. art. 3. conclus. 2. & 5. decernit, de rigore sermonis neque esse quatuor relationes, neque quinque notiones, quod tamen sequent. conclus. 6. temperare videtur, concedens *in actu signato* esse quatuor relationes, & quinque notiones. Sed quæ fuerit mens & intellectus horum verborum, est minus necessarium, quàm obscurum; ideóque prætermittendum.

Sententia negãs esse quartam relationem.

8 Eadem sententia tribuitur Gregorio, sed sine fundamento sufficienti. Nam in 1. dist. 26. quæst. vnic. dum respondet ad secundam obiectionem contra secundam conclusionem, Pater, inquit, refertur ad Filium & Spiritum sanctum relatione, quæ est vna secundum rem, & est in pluribus speciebus relationis. Aliqui tamen expressè docent, Paternitatem & Spirationem actiuam non esse plures relationes: ita Maior. 1. dist. 26. quæst. vnic. ad 3. argum. Ochan. 1. distinct. 19. quæst. 1. fine, & dist. 27. quæst. 1. sub init. & Gabriel ibidem corol. 2. dicit, non esse quatuor relationes.

9 Hæc difficultas, licet in modo loquendi potius, quàm in re posita sit, supposita veritate & realitate Spirationis, absque distinctione reali: nihilominus perfunctoriè tractanda non est, quoniam ex modo loquendi minùs cauto, vel minùs exacto, poterit aduersus processionem Spiritus sancti, vel aduersus eius correlatiuum principium aliquis error emergere.

Necessitas huius disputationis.

Sit

10 Sit igitur conclusio. Simpliciter concedendæ sunt quatuor relationes, videlicet, Paternitas, Filiatio, & Spiratio, & Processio. Hic modus loquendi, licet non reperiatur apud Magistrum, & theologos, illo antiquiores; taditur tamen ab Alberto 1. p. quæst. 39. memb. 2. partic. 1. ad 2. Alex. 1. p. quæst. 68. memb. 3. §. 1. & 2. S. Bonauent. 1. dist. 26. quæst. 4. S. Thoma, Caietano & cæteris expositoribus in præsenti q. 28. art. 4. & infra q. 32. art. 2. Marsilio 1. q. 30. art. 4. dubio 2. Carthus. 1. dist. 26. quæst. 4. Argentina cum Ægidio dist. 27. quæst. vnica art. 1.

Quatuor sunt relationes diuina.

11 Probatur primò. Quia Pater & Filius realiter referuntur ad Spiritum sanctum; & tamen non referuntur per relationem Patris & Filij. Ergo datur alia realis relatio Spirationis actiuæ, per quam referantur. Huius syllogismi Maior & Minor satis probata est disp. 16. sect. 2. & 3. Imo & tota collectio est Augustini serm. 38. de tempore & lib. 5. de Trinit. vt in prædicta sect. 2. notauimus sub init. in cuius fine clarius idem constat ex Bessarione.

12 Probatur secundò ex S. Thoma dicta quæst. 32. art. 2. Quia relationes specificantur à terminis: sed Filiatio & processio sunt relationes diuersæ rationis. Ergo similiter sunt diuersæ rationis Paternitas & Spiratio actiua; siquidem ad illas terminantur Filiatio & processio. Confirmatur primò ex dictis disp. 17. sect. 4. ad 3. de distinctione quasi specifica Spirationis actiuæ à Paternitate & Filiatione. Confirmatur secundò, quia totum esse relationis est esse ad terminum. Ergo quoties in re ipsa plures terminos formaliter distinctos inuenimus, debemus plures relationes reales concipere & nominare.

13 Probatur tertiò ex eodem D. Thoma in præsenti quæst. 28. art. 4. quia relatio in diuinis datur in ratione principij & procedentis à principio: sed in diuinis sunt duæ processiones duarum personarum procedentium à principio. Ergo sunt duæ rationes principij, ac proinde duæ relationes, in illis fundatæ. Nec non aliæ duæ relationes, procedentis à principio, quæ prioribus additæ quaternarium numerum efficiunt. Confirmatur, etenim quando extrema in eodem ordine sunt, ideſt, quando terminus productus est eiudem naturæ cum suo principio producente: relatio principij est realis, vt fusius dictum est disp. 16. sect. 3. disp. 9. sect. 6. ratione 2.

Secunda. Quia relatio Spirationis actiuæ non solum identificatur realiter cum relatione Patris & Filij, sed etiam quidditatiuè & implicitè includitur in illis; vt probatum est disp. 17. sect. 6. Sed relationes Patris & Filij distinguuntur realiter. Ergo distinguuntur relationes Spirationes, cum eis identificatæ. Confirmatur primò, quia non potest vna numero relatio realiter identificari cum relationibus, realiter distinctis; quia hoc est proprium essentiæ absolutæ, & simpliciter infinitæ in genere entis.

Secunda.

Confirmatur secundò. Quoniam ex fide habemus, tres relationes realiter distinctas, esse vnam rem absolutã, videlicet essentiam diuinam: quod autem duæ relationes, realiter distinctæ, sint vna entitas relatiua, non inuenimus expressè traditum à Conciliis aut Patribus: neque est multiplicandum mysterium adeo excellens sine euidenti testimonio, aut ratione conuincente.

3

Vnde procedit tertia ratio dubitandi, quia metaphysicis principiis magis consentaneum esse viderur, Spirationem actiuam esse duplicem entitatem, quia Spiratio actiua potius, quàm aliæ tres relationes, videtur similis relationibus prædicamentalibus, quæ resultant posito fundamento & termino. Vnde sic arguitur. Relatio non est aliud, quàm ipsum fundamentum, prout, existente termino, realiter & ratione sui est conceptibile in ordine ad illum terminum. Ergo in Patre relatio Spirationis actiuæ nihil aliud erit, quàm ipsum fundamentum, scilicet, persona Patris, prout, posito Spiritu sancto à se producto, est conceptibilis in ordine ad illum realiter & ratione sui, non ex mero beneplacito intelligentis. Idémque erit dicendum de Spiratione actiua, quæ est in Filio. Quapropter, sicut sunt duo fundamenta, realiter & ratione sui conceptibilia in ordine ad Spiritum sanctum; ita eruit duæ relationes Spirationis actiuæ. Confirmatur. Quia Spiratio actiua, quæ fundatur in Patre, adæquatè identificatur cum Patre, & Spiratio actiua, quæ fundatur in Filio, adæquatè identificatur cum Filio.

4 *Tertia ratio dubitandi.*

Quarta ratio, quia retineri potest modus loquendi concedens, Spirationem actiuam esse vnicam relatione; quamuis asseramus, esse duas entitates, realiter distinctas; quia vnitas, vel pluralitas relationis, sumitur ex vnitate, vel pluralitate termini. At verò vnitas, aut pluralitas entitatis, quam habet relatio, sumitur ex subiecto, siue fundamento. Quemadmodum Ægidius notauit in 1. dist. 27. art. 1. quæst. 1. & refert Argentina in eadem dist. 27. art. 2. dum probat conclusionem, & iterum prope fin. articuli, dum defendit suum authorem Ægidium. & Carthusianus 1. dist. 29. quæst. 4. §. *verum*. Ergo quamuis Spiratio actiua constet duabus entitatibus, realiter distinctis; erit vnica relatio; quia respicit vnicum terminum, videlicet Spiritum sanctum.

5 *Quarta.*

SECTIO II.

Vtrum Spiratio actiua sit realiter simplex & vnica, vel potius duplex relatio.

1 ALiqui Scholastici proponunt rationes dubitandi. Num Spiratio actiua sit realiter duplex relatio, vel duplex entitas, realiter distincta; sicut realiter distinguuntur ab inuicem Paternitas & Filiatio, cum quibus realiter identificatur Spiratio actiua. Prima ratio dubitandi est, quia licet Eugenius quartus in literis vnionis, quæ habentur ad finem Concilij Florent. post med. decernat, Spiritum sanctum *à Patre & Filio, tanquam ab vno principio & vnica Spiratione procedere*. Similitérque Gregorius X. in cap. vnico de summa Trinit. in sexto: nihilominus apud eos Spiratio non pro relatione, sed pro actiua productione, siue origine sumitur, vt inquiunt prædicti doctores: Quapropter inde non constat, vnicam esse entitatem, aut vnicam relationem Spirationis.

Prima ratio dubitandi.

6 Confirmatur à contrario, nam Paternitas & Spiratio actiua, licet sint vna entitas realis, sunt tamen duæ relationes, quia respiciunt duos terminos realiter distinctos: Ergo pluralitas relationis sumitur à termino, non obstante reali identitate. Quapropter vnitas relationis similiter accipitur à termino.

7 Nihilominus sit conclusio. Spiratio actiua non est duplex entitas, sed vnica simplex entitas, simpléxque relatio, non constans duabus entitatibus, realiter distinctis, nec duabus relationibus. Hæc veritas est adeo certa, vt oppositum sit non modò temerarium; sed etiam errori proximum.

Vnica simplex relatio est Spiratio actiua.

8 Probatur authoritate omnium Scholasticorum, quorum Magister 1. dist.29. cap. vltimo, proponens expresè quæstionem, vtrum alia sit notio, qua Pater est principium, & alia qua Filius: Respondet, *Patrem & Filium eadem relatione, vel notione principium dici.* Idem, nemine contradicente, recipiunt omnes Scholastici ibidem & aliis in locis. Alex.1. p. quæst.68. memb.3. art. vnico §.1. Albertus 1. p. quæst.31. memb.3. prope fin. ad 1. quæstionem incidentem. & q.39. memb.2. partic.1. ad 2. S.Thom. in præsent.art.4. & q.36. toto art.4. probat, vnam esse proprietatem, significatam hoc nomine *principium.* Quam inferius appellat *proprietatem relatiuam, communem Patri & Filio.* quæst. 40. art.4. corpor. Sed magis directè & expresè in 1. dist. 29. quæst. 1. art.3. & S.Bonauent.1. dist.13.art. vnico quæst.3.præsertim ad argumenta,& dist.29.art.2.tota q.1.Carthusianus 1. dist. 26. q. 4. & magis ex professo dist.22. q.4. Henricus in summa art.54.q.4.ad 9.& art.55.q.4. corp.& art.60.quæst.2.6.& 7.Durandus 1.dist.13. quæst. 2. n.30. merito notans, hoc esse determinatum in Lugdunen. Concil. (vt statim videbimus) & magis ex professo dist.29.q.2.expositores S.Thom.1. p. q.36. artic.4. vbi Canar. p.1. commentarij prope finem. Idem supponunt scholastici, quando dicunt, relationes in Deo esse tantum quatuor, locis citatis in sect. præcedenti. & quando dicunt, notiones esse tantum quinque, locis citandis disp.45.præsertim sect.1.

9 Probatur primò, nam vt vidimus initio huius sectionis. Eugen. IV. in Concil Florentin. in literis vnionis in med. decernit, Spiritum sanctum *à Patre & Filio tanquam ab vno principio & vnica Spiratione procedere.* Vbi Spiratio non tantum pro origine, siue actiua productione, sed præcipuè pro relatione originis accipitur. Quod probatur, quoniam illud decretum est veluti conclusio totius Concilij Florentini, iuxta mentem illius editum: in eo autem nihil est frequentius repetitum, solidiúsque probatum, quasi fundamentum totius decisionis, quam solam relationem principij esse. quæ Patrem & Filium possit à Spiritu sancto distinguere; vt videre est sess.18. post med. & in orat.Bessarionis c.6.colum.8.& 9.quæ habita fuit sess.25.& ponitur post totum Conc. Vnde aliqua verba posuimus supra disp.16.sect.2.proba.3.& 6.

10 Cõfirmatur primò, quoniã ratio principij consistit in relatione originis, potius, quàm in origine, siue productione actiua, vt statim videbimus.

11 Confirmatur secundò, nam idem aliquanto clarius definiuit Gregorius X.in generali Concil. Lugdunen. dicens: *Non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus Spirationibus, sed vnica Spiratione procedit.* Quod licet annis centum quadraginta circiter ante Concil. Florentinum fuerit decretum; eadem tamen Latinorum mente definitum fuit, quæ clarius explicatur in prædicto Concil. Florentino.

12 Confirmatur tertiò, quoniam vnitas Spirationis non est vnitas collectionis, neque alia vnitas secundum quid; sed est vnitas simpliciter, nimirum, formæ simplicis, constituentis principium spiratiuum. Atque ita intelligendi sunt cæteri Patres dicentes, Patrem & Filium esse vnicum principium Spiratiuum, vt videbimus disp.70.

13 Confirmatur quartò, quia quando Concilia & Patres dicunt, aliquid esse vnum in diuinis, non intelligunt de sola vnitate rationis, & quasi collectiua, nec de alia vnitate secundum quid; sed de vera vnitate singulari, cum identitate reali & simplicissima. Nam hoc modo loquẽdi imitantur illud Ioannis: *Ego & Pater vnum sumus.* & 1.Ioannis c.5. *Hi tres vnum sunt:* quibus de fide est significari vnam simplicissimam & indiuiduam rem quæ est essentia diuina. Ergo quando prædicta Concilia & Patres dicunt, vnum principium & vnam Spirationem, intelligendum est simpliciter vnam & indiuiduam esse; maximè cum expresè negauerint esse duas; vt vidimus.

14 *Principium vnum constituitur vna relatione.* Probatur secundò, quia principium Spiritus sancti relatione constituitur, vt ex Augustino vidimus supra disp.16.sect.2. & 3. Fusius autẽ infra disput.70. sect.4. constabit, relatione Spirationis actiuæ constitui principiũ Spiratiuum in ratione principij. Quod si foret duplex relatio in duobus suppositis; nõ posset propriè vocari vnum principium; quia tam forma, quàm habẽtia formam non essent vnũ: ideóq; siue principij nomẽ acciperetur adiectiuè, siue substantiuè, nõ posset appellari vnũ.

15 Probatur tertiò, quoniam in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, quemadmodum probatum est disp.9. sect.5. fundam.3. Sed Spiratio actiua, quæ est in Patre, nullo modo opponitur relationi Spirationis actiuæ, quæ est in Filio. Ergo nullo modo distinguitur ab illa: Confirmatur primò, quoniam vt rectè notauit Albertus supra citatus ex Aristotele 1.Topic. vnum tantum vni opponitur; sed Spiratio actiua opponitur Spirationi passiuæ. Ergo non opponitur alteri Spirationi actiuæ.

16 Confirmatur secundò, quia nec fingi potest, esse duas relationes disparatas, cum Spiratio Patris quidditatiuè procedat etiam à Filio; vt suo loco probabitur. Nec fingi potest esse duas Spirationes subordinatas, quemadmodum Spiratio subordinatur generationi, quia per illas non procedunt distinctæ personæ, sicut procedunt per generationem & Spirationem.

17 *Pater Filio communicat suam spirationem.* Probatur quartò, quia Pater Filio communicat ea omnia, quæ habet præter esse Patrem, vt vidimus disp.17.sect.3.& videbimus disput.19.sect.2. Vnde Patres & Concilia colligunt, eandem simplicissimam & vnicam substantiam æterni Patris communicari Filio. Ergo propter eandẽ rationem colligere debemus, eandẽ simplicissimã & vnicam Spirationem actiuam Patris Filio communicari: quamuis non eodem modo cõmunicetur, vt communicatur substãtia; quia Spiratio actiua supponit vtramque personam, non verò diuina substantia.

18 *Solo numero distingui realitates diuinas inauditum.* Quintò. Probatur, quia in diuinis personis inauditũ est, aliquas realitates, solo numero realiter distingui. Etenim relationes personales, licet indiuidua sint & singularia quædã, adhuc quasi species distinguuntur supra disp.17.sect.4.ad 3. Quod si duæ realitates essent in Patre & Filio Spirationis actiuæ: sequeretur, eas solo numero distingui, quoniam ad eundum terminum referũtur, & eodem modo illum respiciunt, siquidem eodẽ modo spirãt Pater & Filius. Confirmatur, quia distinctio merè numerica, absque vlla distinctione quasi specifica, cõtinet imperfectionem quasi materialem duarum partium eiusdem omnino rationis.

SECTIO III.

Satisfit rationibus dubitandi, positis initio sectionis præcedentis, comparaturq; Spiratio cum suo fundamento & termino.

1 AD primam, solutio constat ex precedent. sect.1. videlicet Concil. Florentinum & Lugdunense

Lugdunense decreuisse potissimum sub ratione relationis principij.

2 Ad secundam negatur consequentia, quemadmodum in simili forma non valet in diuina substantia, quæ retinet simplicissimam vnitatem; licet realiter identificetur, & quidditatiuè contineatur in tribus relationibus realiter distinctis. Ad primam confirmationem respond. Quia relationes diuinæ sunt etiam infinitæ in genere relationis, possunt identificari cum vna tertia relatione, licet realiter distinguantur: nam vt dictum est disp. præced. sect.4. præsertim ad 7. & eius confirmationes, nec non disp.15. sect.2.& 3. relationis proprium est, extrema posse inter se opponi, licet non opponantur cum vno tertio. Ad secundam confirmationem respond. Satis expresè traditum est à Conciliis citatis in sect.præced. probat.1. insuper efficaci & conuincenti ratione colligitur ex principiis theologiæ simplex vnitas Spirationis actiuæ.

3 *Relatio spirationis est origine prior quàm Spiritus sanctus.* Ad tertiam rationem respondeo & dico primò. Falsum est, quod argumentum supponit, relationem Spirationis actiuæ, posito termino, idest, producto Spiritu sancto, resultare. Quin imo relatio Spirationis actiuæ præcedit prioritate originis Spiritum sanctum tanquam constituens principium *quod* Spiritus sancti, vt præcedenti sect. dicebamus. Confirmatur primò, nam prædicta relatio est etiam simpliciter prærequisita ex parte principij *quo*, scilicet virtutis spiratiuæ, saltem tanquam conditio, sine qua diuina essentia etiam sub ratione amoris non esset potentia proximè & vltimatè potẽs spirare Spiritum sanctum.

4 Confirmatur secundò, quia Pater ex se & quasi independenter à cæteris personis, ab eo procedentibus, præhabet omnem suam perfectionem, non modò absolutam, sed etiam relatiuam. Ergo Spiratio actiua Patri conuenit, quasi independenter à Spiritu sancto producto, & prius origine: quapropter non resultat eo termino posito, sed præexistit prius origine, quàm ponatur terminus. Confirmatur tertiò, quoniam Spirationem actiuam Pater Filio communicat concomitãter cum Diuinitate. Diuinitatem autem communicat Filio prius origine, quàm productus sit Spiritus sanctus.

5 *Spiratio quodammodo posterior Spiritu sancto.* Dico secundò, ad temperandam præcedentem assertionem. Quodammodo dici potest, relationem Spirationis actiuæ resultare, posito termino producto, videlicet Spiritu sancto, quatenus relatio Spirationis actiuæ quodammodo posterior est actu notionali spirandi, quo producitur Spiritus sanctus. Sed de huiusmodi prioritatibus ex professo dicendum est disput. 91. sect. 2. & sequentibus.

6 *Spirationis fundamẽtum integrum Pater & Filius.* Dico tertiò. Eiusdem rationis tertiæ Minor indiget declaratione, qua melius ad rem præsentem applicetur generalis doctrina, tradita in maiori. Spiratio actiua nihil aliud est, quàm fundamentum integrum & totum, prout est fundamentum. Est autem fundamentum integrum Pater & Filius, prout sunt vnus Deus, per vnicum amorem producens Spiritum sanctum. Quemadmodum S.Thomas infra quæ.36. art. 4. ad 1. *Si attendatur,* inquit, *virtus spiratiua, Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, in quantum sunt vnum in virtute spiratiua, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate,* &c. Quibus cõsonat D.Bonauentura 1. dist.29.a.2.q.1.corp.fine. Sed de fundamento Spirationis fusius dicendum erit disp. 91. sect.3. Ad cõfirmationẽ tertiæ rationis negatur antecedens.

7 Ad quartam rationem dubitandi respond. Illa vnitas est solummodo secundum quid. At verò probationes, pro vera conclusione adductæ in sect. præcedenti, probant vnitatẽ simpliciter. Ad confirmationem respond. Paternitas & Spiratio actiua, licet sint idem realiter, sunt tamen duæ relationes; quoniam illarum termini distinguuntur quasi specie. At verò numerica distinctio, vel identitas terminorum non efficit distinctionem aut vnitatem numericam relationum. Quapropter forent duæ relationes, solo numero distinctæ, si Spiratio actiua Patris distingueretur realiter ab Spiratione actiua Filij.

SECTIO IV.

Concluditur, non esse plures, quàm quatuor relationes, solutis argumentis positis sect.1. initio.

1 NOn esse plures quàm quatuor relationes, docent Scholastici citati sect.1. pro conclusione. Colligitur autem ex Patribus citatis tota disp. 16. Nam eorum alij tres tantum relationes personales exprimunt, subintelligentes quartam, alij clarius exprimunt Spirationem actiuam sub nomine donatoris. Nemo tamen vltra quatuor auget numerum relationum.

2 *Quia originis sunt duæ tantum, relationes sunt quatuor tantum.* Numerum non esse maiorem, probatur primò; quia in Deo non sunt possibiles aliæ relationes, nisi originis (vt vidimus disp.1. sect.3. & 4.) Sed in Deo non sunt possibiles origines plures, quàm duæ (vt probatum est disp. 3. sect. 2.) Ergo non sunt possibiles in Deo plures, quàm quatuor relationes. Probatur consequentia, quoniam ex vnaquaque processione non consurgunt plures relationes, quàm duæ: altera principij producentis, altera termini producti. Ergo si processiones sunt tantum duæ; relationes non possunt esse plures quàm quatuor. Confirmatur, quia in processione per intellectum solummodo sunt relationes Patris & Filij; & in processione per voluntatem solummodo sunt relationes Spiratoris, & Spirati.

3 Vnde probatur secundò, quia plures relationes non possunt esse, nisi in ordine ad plures terminos, quasi specie distinctos, à quibus specificentur relationes; vt vidimus sect. 1. Sed tantummodo sunt duo termini producti, quasi specie distincti, videlicet Filius & Spiritus sanctus. Ergo tantummodo possunt esse duæ relationes, quasi specie distinctæ, quæ dictos terminos respiciãt, & cum illis compleant numerum quaternarium.

4 Tertiò probatur, quia relationes plures, quàm quatuor, apparenter fingi non possunt, nisi duplici tantum ex capite. Primum, si Spiratio actiua foret duplex relatio. Veruntamen hoc refutatum est duabus sectionibus præcedentibus. Superest igitur secũdum caput, quoniam vltra Spirationem actiuam videntur in Deo concedendæ plures aliæ relationes, nominatæ sect.1. in 3. argumento. Cæterum de his omnibus certum est, non augere numerum diuinarum relationum, quoniam plures earum non sunt reales: & quæ reales sunt, non distinguuntur à quatuor prædictis relationibus, prout constabit per singulas discurrendo.

5 *Relatio imaginis. Relatio Verbi.* Imprimis enim relatio imaginis est veluti pars magis explicita, quidditatiuè inclusa in Filiatione, vt constat ex dictis tota disp.6. & 7.& magis constabit disp.64.sect.3.& 4. Similiter relatio

Verbi

Verbi quasi pars est magis explicita, quæ continetur in ratione imaginis intellectualis, & in relatione Filij diuini, qui non potest aliter generari nisi per intellectum: vt magis constabit disp. 58. sect. 3.

6 Quod si Verbum diuinum importat relationem ad creaturas; illa est relatio rationis, prout est quasi prædicamentalis & actualis. Cæterum prout est quasi transcendentalis & potentialis relatio, imprimis est ipsa Dei essentia, communis tribus personis; proptereáque non potest inter relationes numerari, maximè cum ex illa nihil intra Deum originem ducat, sed tantùm aliquid creatum ad extra. Rursus eadem ipsa relatio Verbi, prout Verbum est, creaturas transcendentaliter respicit, vt ostendemus disp. 62. & hæc relatio est ipsa Filiatio.

7 *Relatio doni.* Idem proportionaliter intellige de relatione doni, quæ est veluti pars magis explicita relationis constituentis Spiritum sanctum & ad creaturas refertur eadem proportione, qua Verbum; vt dicemus disp. 63. sect. 5. Æqualitatem, similitudinem, & identitatem in essentia non esse relationes reales; sed tantum rationis, docet S. Thomas in præsenti art. 4. ad 4. & infra q. 42. art. 1. ad 4. Sed de hoc dicemus ex professo disp. 103. Quod si aliquis existimaret, esse relationes reales, adhuc non essent adnumerandæ supra relationes quatuor principales; quia non fundantur in ratione principij, & procedentis à principio. Hoc enim titulo excluduntur à numero per aliquos Scholasticos, existimantes, esse relationes reales.

Æqualitas, similitudo & identitas.

8 *Consubstantialitas, societas, &c.* Quod dictum est de identitate, intelligendum est etiam de consubstantialitate, societate, consortio & communione personarum. Realis autem distinctio est eadem relatio, quæ est oppositio relatiua: hæc autem oppositio identificatur formaliter & specificè cum singulis relationibus oppositis secundum originem; vt rectè S. Thomas dict. quæst. 42. art. 1. ad 4. Relatio prioritatis & posterioritatis secundum originem, non est alia relatio formaliter distincta ab origine actiua & passiua. Denique relatio circuminsessionis, siue mutuæ inexistentiæ partim reducitur ad relationem rationis, quæ consistit in identitate essentiæ; partim verò ad relationes originis, vt dicemus disp. 107. sect. 8. prope fin.

Relatio circuminsessionis.

9 *Non sequitur esse quatuor res.* Ad argumenta quæ sect. 1. in princ. contendunt non esse quatuor relationes respond. Ad primum, negatur collectio, quia nomina numeralia quando rebus adduntur, eas multiplicant secundum rem, & non sola ratione. Quam ob causam non solemus dicere duas res esse, actionem & passionem eiusdem effectus; quamuis dicamus esse duas relationes transcendentales, alteram ad agens, à quo procedit effectus, alteram ad subiectum, in quo recipitur. At verò nomina numeralia, relationibus addita, eas non multiplicant, nisi secundum specificam rationem, abstrahendo ab hoc, quod ante opus intellectus distinguantur, aut non distinguantur relationes.

10 Confirmatur, nam quia totum esse relationis est esse ad terminum; ideo quoties in re ipsa plures terminos inuenimus, plures respectus numeramus; vt dictum est sect. 1. probat. 2. At verò quando dicimus plures res, aut plures entitates, aut plura entia, tunc res numeramus per modum entis absoluti, secundum esse quod habet in seipso: ideóque significamus pluralitatem & distinctionem conuenire rei secundum se ipsam, & ante opus intellectus. Copiosius hanc doctrinam defendit Argentina 1. distinct. 27. art. 2.

11 *Vna res relatiua Paternitas & Spiratio.* Ad primam confirmationem respond. Paternitas & Spiratio actiua in eo sensu dici possunt vna res relatiua, quatenus non distinguuntur in esse rei & ante opus intellectus; quamuis duplici formalitate, quasi specie distincta, respiciant duplicem terminum; ideóque numerentur vt duæ relationes, distinctæ solummodo secundum rationem ratiocinatam. Ad secundam confirmationem respond. Essentia diuina non potest augere numerum relationum; quia essentia non est relatio; sed solummodo est res. Quod si essentia diuina foret relatio; realis identitas illius cum personis, non impediret, quominus augeret numerum relationum.

12 Ad secundum argumentum solutio constat ex dictis ad primum negando consequentiam. Ad tertium cum prima confirmatione dictum est nuper in tertia probatione. Ad secundam confirmationem respond. Ricardus Victor. ibi non decernit, an relationes, quas commemorat, sint reales, vel rationis tantum; nec vtrum illæ relationes identificentur cum relationibus personalibus, vel distinguantur ab illis. Cæteri Patres, dicentes consubstantialitatem, consortium, societatem, communionem, & similia, nihil aliud intendunt, quàm identitatem in natura; sicut è contrario dicentes diuisionem personarum, aut separationem subsistentiarum, aut discretionem, aut similes voces nihil aliud significant, nisi realem distinctionem quidditatiuę contentam in oppositione relatiua, vt supra dictum est.

13 Ad quartum respond. Illi Patres & alij, toto verborum contextu, attentius considerato, potius significant quartam relationem Spirationis actiuæ; vt vidimus supra sect. 1. & disp. 16. sect. 2. & 4.

DISPVTATIO XIX.

Vtrum realiter distinguantur ab inuicem tres relationes, & tres personæ diuinæ.

DE reali distinctione relationũ differit S. Thomas præced. art. 3. præsentis quæstionis 28. Personarum autem distinctionem realem exposuit quæst. 30. art. 1. Sed quoniam eadem omnino difficultas est quæstionis vtriusque, nec non eadẽ omnino fundamenta probant realem distinctionẽ trium relationum, quæ probant realem distinctionem trium personarum: propterea commodius erit vtramque simul discurere, prius quàm accedamus ad plurimas, quæ iam instant, disputationes de multiplicandis variis prædicatis, & perfectionibus diuinis, iuxta numerum personarum.

SECTIO I.

Negant hæretici realem distinctionem personarum, seu relationum in Deo.

1 PRætermissis Æthnicis atque Paganis, quibus naturalis ratio, destituta lumine fidei, non potuit personarum distinctionem ostendere, sed tantum vnitatem essentiæ diuinæ; Iudæi, licet vtantur supernaturali doctrina veteris testamenti, claudunt oculos, ne videant in ea personarum

narum distinctionem, quam eis ostẽdunt Catholici per testimonia referenda disp. 36. sect. 4. & 5.

2 Sed ex his, qui nomine Christi gloriabantur, multi, quantum ad hunc articulum, ad Iudæos defecerunt. Primus, cuius extet memoria, Praxeas *Deum Patrem omnipotentem Iesum Christum esse dixit, hunc crucifixum passumq; contendit*; itaque Patrem & Filium in vnam personam confundit. Huius hæresim Victorinus quidam corroborare curauit, vt refert Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. vltimo fine. & lib. contra Praxeam cap. 1. in princ. & August. lib. de hæresibus cap. 41. *Praxeianos* vocari refert huius erroris sectatores; idémque Philastrius catalogo 2. num. 7. in Sabellio.

3 Noëtus ante Epiphanij tempora centum triginta plus minus annis, vt Epiphanius refert hæresi 57. init. & non longè inferius, *Vnum Deum esse eundem Patrem, Filium & Spiritum sanctum in carne passium & genitum putauit*. Negauit itaque Patrem esse distinctum à Filio, & à Spiritu sancto. Eius sectatores dicti sunt Noëtiani. Idem refert Philastrius in 2. catalogo hæreseon num. 6. Damascenus lib. de hæresibus ante med. Hermogenem & Hermogenianos in eodem errore fuisse, refert Augustin. lib. de hæresibus dicto cap. 41. & Philastrius in Sabellio, catalogo 2. num. 7.

4 Montani sectatores aliqui, *tres diuinas subsistentias esse vnam sunt opinati, eundem esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicentes*, vt Nicephorus refert lib. 4. historiæ cap. 22. de quibus propterea Hierony. epistol. ad Marcellam contra Montanum, quæ est 54. *Trinitatem*, inquit, *in vnius personæ angustias agebant*. Cæterum eorum Propheta Montanus & prophetissæ Priscilla & Maximilla, *De Patre, Filio & Spiritu sancto similiter sentiunt, vt sancta Catholica Ecclesia*. Vt scribit Epiphanius hæres. 48. sub init. & Philastrius catalogo 2. hæreseon sub Apostolis num. 2. & Nicephorus nuper citatus. Itaque quantum ad hoc, suo magistro deteriores euasere discipuli.

5 Iidem hæretici vocati sunt etiam Phryges, siue Phrygastæ, Cataphrigæ, & Donatiani, & Propuziani, vt refert Epiphanius dicta hæresi 48. Philastrius & Nicephorus nuper citati. Tertullianus autem lib. de præscriptionibus aduersus hæret. c. 52. distinguit duas factiones Cataphrygarum, quorum alij dicebantur Kata Eschinem, qui dicebant, *Christum ipsum esse Filium & Patrem*. Cæteri dicebantur Kata Proclum, in hoc art. nihil à Montano dissentientes.

6 Post multos annos prope tempora Epiphanij Sabellius hanc hæresim reuocauit ab inferis, & multo frequentiorem ac celebriorem reddidit: proptereáque communiter appellatur Sabelliana. Dicebat autem, eundem esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vt sint in vna substantia tres nomenclaturæ secundum incarnationis & sanctificationis distinctas actiones. Hæc referunt & refutant Epiphanius hæresi 62. init. Athanas. lib. 4. aduersus Potentiñũ Vrbicum, prope fin. & lib. 6. de beatitudine Filij Dei in medio & in epistol. de sententia Dionysij Alex. versus fin. & orat. contra Gregales Sabellij prope init. & orat. 5. cõtra Arianos & alibi frequenter. Gregorius Bæticus lib. de Trinit. colum. 4. & sequentibus. Aug. lib. de hæres. hæresi 41. Basilius tomo 1. hom. 28. contra Sabellianos & Anomæos & tom. 2. epist. 63. & 64. & 78. Nazianzen. orat. 25. ad Arianos, & de se ipso colum. vltima, & orat. 37. quæ est 5. de theologia. Plerique alij Patres locis infra citandis. Clarius verò quàm cæteri Sabellianam hæresim expressit Nicephorus hist. Ecclesiast. lib. 6. cap. 26. dicens: *Docuit vnam subsistentiam esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnamq; trinominem personam.*

7 Sabelliani potissimum atque frequentius appellati sunt Patripassiani. Quamuis idem nomen cæteris hæreticis, superius enumeratis, videlicet Praxeianis, Noëtianis, Hermogenianis, & Montanistis iure suo debeatur. Quod nomen videre est apud Augustinum loco citato, & Philastrium in 2. catalog. hæreseon. sub Apostolis, num. 7. Hoc autem nomen apud Romanos habuisse, notatur in quadam confessione fidei, apud Athanasium lib. de Synodis Arimini, & Seleuciæ circa med.

8 Dissimilis erat alter modus, quo suam hæresim explicabant Sabelliani, dicentes, *Patrem esse corpus, animam verò Filium, sed Spiritum sanctum esse velut Spiritum hominis*. In quo iam realiter distinguebant entitates Patris, & Filij & Spiritus sancti, quamuis eas in vnam personam conflarent: vt videre est apud Epiphanium hæres. 62. initio. Apud alios autem non reperi hanc Sabellianorum explicationem.

9 Hac igitur ex parte Paulus Samosatenus affinis fuit Sabellio. Nam licet Paulus primariò intenderet, Verbi diuinitatem negare, dicerétque, tantum esse prolatiuum Verbum (vt disp. 55. sect. 2. & disp. 56. videbimus) simul etiam dicebat, *Deum vnam personam vna cum verbo, velut vna persona est homo, & ipsius verbum siue sermo*. Hic itaque solam vnitatem personæ merè accidẽtalem admittebat. Ita refert Epiphanius hæresi 65. nõ procul à principio, & Basilius hom. 28. contra Sabellianos &c. *Vnam*, inquit, *constituunt Patris & Filij personam, quod & homo vnus dicatur, non diuisus, propter Verbum, quod habet & sapientiam*. Sed huius articuli non meminerunt alij, referentes errorem Samosateni, quemadmodum Nicephorus lib. 6. hist. Eccles. cap. 27. & tribus sequentibus. Philastrius dicto catalog. 2. num. 17.

10 Faustus Manichæus apud Augustinum lib. 20. contra Faustum cap. 2. dicebat, *Vnum sub triplici appellatione colimus numen*. Personas itaque non distinguebat.

11 Photinum & Photinianos *Verbum prolatiuum* dixisse, sicut Paulus Samosatenus, refert Epiphanius hæres. 71. Sed non refert expresse, asseruisse illam identitatem Verbi cum Deo, quam ex Samosateno retulimus. Theodoretus autem lib. 2. hæreticarum fabul. cap. penult. & vltimo notat, Photinum & Marcellum aliis verbis prædicasse sensum Sabellij. Idem notat Vincentius Lyrinensis contra hæreses.

12 Magis perspicuè totam hæresim Sabellij secuti sunt Priscillianistæ, aliis erroribus coaceruatis, vt refert Leo Magnus epist. 93. ad Turibiũ Asturicensem Episcopum cap. 1. & Concilium Bracarense 1. can. 1. August. hæres. 70.

13 Seueritarum quarta secta, qui etiam Theodosiani, Angelitæ & Damianistæ sunt appellati, opinabantur, vnam subsistentiam esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum; simul etiam è contrario dicentes, alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum, & habere communem Deitatem in eis existentẽ: vt refert Nicephorus histor. Eccles. lib. 18. cap. 49. ante med.

14 Seruetus natione Hispanus, in Africam trajiciens, Mahumetanis & Iudæis consensit, vnicam tantùm in Deo personam affirmans, & nullam proinde personarum distinctionem. Quem secuti sunt Gregorius Blandrata, Franciscus Dauidis,

Paulus

Paulus Alciatus, & Lælius Zozinus & Trãsyluani ministri; vt refert Sanderus hæresi. 227. lib. 7. de visibili monarchia, & Bellarminus lib. 1. de Christo in præfatione pag. 1. & seq. capit. 1. sub init. Fusiùs autem Serueti & sequacium errores exponit Valentia controuersi. de Trinit. lib. 1. cap. 7.

15 Rursus Bellarminus lib. 2. de Christo c. 1. & 2. refert, Valentinũ Gentilem & eius sectatores dixisse, personam primam esse sophisticam & diabolicam: ideóque noluisse Patrem appellari personam primam, ne distinctio sit personarum: Transyluanos autem dixisse, Verbum & Spiritum sanctum esse potentias seu virtutes Patris, non distinctas ab eo persona, relatione, aut proprietate. Horum & aliorum blasphemias aduersus distinctionem trium personarũ in Trinitate, commemorat idem Bellarm. in dicta præfatione ad libros de Christo inter princ. & med. præcipuè. §. *Porro genus.*

16 Ministri quidam Germani & Galli proximis temporibus, præcipuè verò Skegkius in vnica essentia & vnica persona diuina solas distinguunt proprietates & officia, quemadmodum anima vna vegetans est, & sentiens, & intelligens. Aquo vix distat error quorundam Rabinorum, dicentium, Deum in se esse vnum, trinum autem ratione & attributis, apud Genebrardum lib. 1. de Trinit. propius ad princ. quàm ad med. pag. 11. & tribus sequent.

17 Raymundus Lullius distinctionem personarum prorsus excludere videtur in lib. de confessione, contritione, satisfactione, tempore & oratione, dicens: *Deo Patre, Filio & Spiritu sancto sic est, quod quilibet eorum stat tam completus, sicut alius, & stant omnes tres vnus Deus, non distincti in aliquo.* Hic est art. 22. inter illius errores relatus ab Eymerico in direct. inquis. p. 2. q. 9. Suspectus planè loquendi modus hominis illiterati & temerarij. Fortasse tamen intellexit, non esse distinctos in sola ratione Deitatis. Nam alibi plus nimio personarum distinctionem exaggerat, vt videbimus sect. 7. Plures alios ex recentioribus hæreticis, oppugnantes personarum distinctionem, refert Coccius lib. 1. de Trinit. art. 4. sub init.

SECTIO II.

Sabellianorum argumenta retorquentur aduersus ipsos.

1 *Primum argumentum.* PRimarium argumentum ad contrarios errores persuadendos erat, quia si tres personæ, realiter distinctæ, verã diuinitatem, substantialiter haberent, essent tres Dij. Vnde Ariani & alij hæretici, cõcedentes personas Filij & Spiritus sancti distinctas à Patre, negabãt illis Diuinitatem. E contrario Sabelliani, cõcedentes Filio & Spiritui sancto Diuinitatem, negabant personarum distinctionem, obiicientes illud Deu. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus vnus est*, Deut. 4. *Dominus ipse est Deus, & nõ est alius præter ipsum.* Isai. 43. & 45. *Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus, verè tu es Deus absconditus.* Et his similia plurima, quæ in veteri testamẽto Dei vnitatem ostendunt.

2 Confirmatur primò Christi Domini verbis, Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Secũdò ex c. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Hæc fuisse Sabellianorum argumenta referunt Epiphanius hæresi 62. sub init. Tertullianus in princip. libri contra Praxeam, & ex parte Basil. hom. 28. pag. 2.

3 Nihilominus hæc eadem probant realem ac personalem distinctionem Patris & Filij & Spiritus sancti. *Trina repetitio Deitatis significat Trinitatem.* Quoniam mirabili artificio Dei Spiritus Moysem & cæteros scriptores direxit in veteri testamento, vt ipsam Dei vnitatem trina repetitione, vel pluralis numeri verbis significarent, quibus & rudiori populo Iudæorum occultaretur distinctio personarum, & per clariorem Euangelij lucem manifestaretur.

Atque vt omittamus illud Geneseos 1. *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & fecit Deus & benedixit.* Ex quibus quam plurimi Patres colligunt tres distinctas personas: vt videbimus disp. 36. sect. 4. in illa repetitione: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Et in supra dicta: *Dominus Deus tuus Deus vnus est*, personarum trinitatem ac distinctionem significari, notat Athanasius lib. 1. de vnita Deitate post med. Theodoretus lib. 2. ad Græcos de principiis circa med. Fulgentius ad 4. obiectionem Arianorum. 4

Præterea in citatis verbis Isaiæ 43. & 45. *Tantum in te est Deus*, &c. significari tres personas, docet Athanasius dialogo 3. de Trinit. contra Maced. inter princ. & med. Hilarius lib. 4. de Trinit. multo propius ad fin. quàm ad med. eadem Isaiæ verba de Filio sic ponderat; *Habitantem ab eo, in quo habitat, discernens* (Isaias) *personæ tantùm distinctione, non generis. Deus enim in eo est, & in quo est Deus, Deus est. Non enim Deus in diuersa atque alienæ à se naturæ habitaculo est.* 5

Similia ponderat ibidem circa versum psal. 44. *Propterea vnxit te Deus Deus tuus*, &c. & lib. 5. de Trinit. colum. penult. circa illud Deuter. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit Deus præter me.* Plura testimonia Scripturę & Patrum afferemus ad exponendas dictiones exceptiuas, quando diuinis personis adiunguntur, disp. 40. Quod autem personarum distinctio non inferat Deorum pluralitatem, sed tres personæ sint vnicus tantùm Deus, propter vnitatem naturæ, probabitur disput. 77. sect. 2. & sequentibus. 6

Ad primam confirmationem similiter respondetur, ex illa probari distinctionem personarum. *Vnũ sumus, probat plures personas vnius essentia.* Quemadmodum ratiocinatur Athanasius lib. 4. aduersus Vrbicum Potentinum prope fin. *Ego & Pater vnum sumus, vtique quia vnitum nomen naturæ, plures naturæ non sint; & sumus vna persona non sit.* Basilius lib. vnico de Spiritu sancto c. 18. versus med. de Patre & Filio sic loquitur: *Iuxta personarum proprietatem vnus sunt, & vnus. At iuxta communem naturam, vnum sunt ambo.* 7

Nazianz. lib. de fide col. 3. *Vnum*, inquit, *ad vnitatem diuinitatis refert: sumus autem personis assignat.* Cyrillus Hierosolym. catech. 11. *Non dixit vnus sum, sed ego & Pater vnum sumus. Vt neque abalienemus, neque contractionem Filiopatoriæ fabricemus*, ideſt, confusionem Patris cum Filio. Eodem modo prædicta verba Christi Domini ponderat Epiphanius hæres. 57. pag. 2. & hæres. 62. ad med. & iterum propius ad fin. quàm ad med. 8

Augustl. lib. 7. de Trinit. cap. 6. inter med. & fin, *Vnum*, inquit, secundum essentiam, *sumus* secundum relatiuum. Et serm. 56. de verbis Domini secundum Ioan. post med. *Quod ait* vnum, *audiant Ariani; quod ait* sumus, *audiant Sabelliani.* Præterea tract. 36. in Ioan. propius ad fin. quã ad med. pulchrè ratiocinatur: *Non dixit, Pater ego sum, aut ego & Pater vnum est: sed cum dicit, ego & Pater vnum sumus, vtrumque audi, & vnũ & sumus, & à Carybdi, & à Scilla liberaberis. In duobus istis verbis, quod dixit, vnum, liberat te ab Ario: quod dixit, sumus, liberat te à Sabellio. Si vnum, non ergo diuersum: si sumus, ergo* 9

ergo & Pater & Filius: sumus enim non diceret de vno, sed vnum non diceret de diuersis.

10 Eandem sententiam totidem ferè verbis legimus apud Cyrillum lib. 7. in Ioann. cap. 10. ante med. Similiáque ponderauerat contra Sabellium & Arium lib. 1. in Ioan. cap. 2. prope med. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem longè post med. *Qui tres*, inquit, *vnum sunt, non vnus: quomodo dictum est: Ego & Pater vnum sumus ad substantiæ vnitatem, non ad numeri singularitatem.*

11 Denique personarum distinctionem simul cum vnitate substantiæ probant ex eisdem verbis, Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 1. & frequenter in eodem & quatuor libris sequentibus. Necnon tribus libris de Spiritu sancto, præsertim lib. 3. multo propius ad med. quàm ad princip. & lib. de Filij diuinitate cap. 2. prope med. Hilarius lib. 3. de Trinitat. multo propius ad fin. quàm ad med. Hieronymus Isaiæ 6. ad illud *& audiui vocem.* Phæbadius lib. contra Arianos propius ad fin. quàm ad med. Gregor. Bœticus lib. de Trinit. præsertim col. 7. & 8. Fulgentius in responsione ad obiectionem 7. Arianorum. Idacius lib. contra Varimadum col. 10. & 11. Marius Victorinus lib. 4. aduersus Arium colum. 7.

12 Ac denique Nouatianus presbyter Romanus, antequam deficeret ad hæresim in lib. de Trinit. cap. 22. (inter opera Tertulliani) premit argumentum idem ex verbo *sumus*, in plurali. Sed cautè legendum, quod dicit ibidem de vnitate concordiæ, atque minoritate Filij, quamuis alioqui diuinitatem illius probet ex professo.

13 *Alia similiter in plurali dicta de Patre & Filio.* Eodem modo ponderari possunt verba Christi Domini ad Patrem, Ioannis 17. *Sicut & nos vnum sumus.* Quæ omnia confirmari possunt verbis Ioannis 14. *Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Neque enim vna & eadem persona, licet pluribus nominibus, aut etiam officiis, aut virtutibus polleat, verè dicere poterit, *veniemus*, aut, *faciemus*, hæc verba referendo aut ad plura nomina, vel plura munera. Quemadmodum si diceret Cicero, ego & orator vel consul, vel ego & Tullius veniemus & faciemus. Sed hanc rationem vrgebimus communi Patrum sententia circa illud Genes. 1. *Faciamus hominem*, &c. disput. 36. sect. 4.

14 *Ego in Patre, & Pater in me, probat distinctionem personarum eũ identitate naturæ.* Ad secundam confirmationem argumenti respond. etiam illis verbis probari non solùm identitatem substantiæ, sed etiam distinctionem personarum. Vnde Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. col. 2. *Ne quis*, ait, *Patrem Filium, & Filium Patrem esse putaret: & dualitatem nominum solummodo faceret, & vnam, non duas personas arbitraretur, necessariò illud exposuit, dicens: Ego in Patre, & Pater in me est. Vt quemadmodum ex illis verbis identitatem substantiæ ostendit, sic ex istis dualitatem personarum, vt verè subsistentem Patrem, & verè subsistentem Filium significaret.* Et post pauca: *Nec vt eadem persona modò Pater, modò Filius vocetur, sicut Sabellius blasphemabat, sed sint (vt diximus) numero personarum duo.* Quibus similia scripserat lib. 1. thesauri cap. 8. fine.

15 Propterea circuminsessionem, quæ prædictis verbis Christi Domini significatur, sapienter exposuit, & quasi definiuit Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. inter princip. & med. *Primarum*, inquiens, *principaliumq; personarum (si ita dicendum est) aliarum in alijs omnino coniuncta & nulla cum parte confusa mansio & sedes.*

16 Non dissimiliter Hilarius lib. 6. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princip. Filium sic alloquitur: *Cognoui te in Deo Deum, non ex permixtione confusum, sed ex virtute naturæ: dum quod tu Deus es in eo, qui ex te est, inesses. Non vt idem tu esses & inesses*, &c. Et lib. 7. de Trinit. inter med. & fin. *Filius*, inquit, *in Patre est, & in Filio Pater, non per transfusionem, refusionemq; mutuam, sed per viuentis naturæ perfectam natiuitatem.*

17 Damascenus lib. 1. fidei cap. 11. prope med. *Immanentes*, inquit, *& in se inuicem personæ existunt. Non quod confundantur, sed quod se inhabitent quidem, secundum Domini sermonem, inquientis: Ego in Patre & Pater in me.* Et post pauca: *Dicimus*, inquit, *vnum Deum, Filio & Spiritu sancto in vnam causam Patrem videlicet relatis, non compositis, neque coniunctis secundum Sabellij contractionem. Vniuntur enim (vt diximus) non quod confundantur, sed quod in se inuicem habeantur, & quod ab inuicem habeant discretionem.*

18 Ex eisdem verbis distinctionem personarum colligit Marius Victorinus lib. 4. aduersus Arium colum. 7. & Phœbadius lib. contra Arianos paulo post med.

19 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum Sabellianorum est, quoniam omnia, quæ Pater habet, Filius etiam accepit & habet. Ergo nihil relinquitur, in quo Filius possit à Patre realiter distingui. Antecedens probant Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ioannis 16. *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt.* & cap. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Quibus additur illud Ioannis 3. ad fin. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Tale argumentum Sabellianorum refert Athanas. orat. 4. contra Arianos paulo post med.

20 *Omnia quæ Pater habet. Filio dedit, præter esse Patrem.* Nihilominus eisdem testimoniis validè probatur realis distinctio personarum, supponendo, saltem in aliquibus eorum significari, non modo cunctas creaturas traditas esse Filio & suas esse; verum etiã omnes perfectiones diuinas esse suas, & substantialiter à Patre datas. Quo supposito, dictiones vniuersales intelligendæ sunt per distributionem, quam Dialectici vocant *accommodam.* Sicut enim *quod regit omnia cælum*, non regit se ipsum; quoniam hoc est impossibile: sic etiam Pater, dans omnia Filio, non intelligitur dare Filio, vt sit Pater: nam inter dantem & accipientem necessaria est distinctio realis. Itaque in eisdem ipsis verbis implicitè, sed non obscurè continetur exceptio, quam expresè tradunt communiter Patres; vt videlicet, Pater omnia dederit Filio, præter esse Patrem.

21 Sic in fine Concilij Florentini Eugenius IV. in literis vnionis in medio ait: *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Athanas. orat. 4. contra Arianos colum. 4. ait: *Eadem dicuntur de Filio, quæcumque de Patre dicuntur, excepto quod Pater non appellatur.* Hoc autem continuò probat verbis Domini: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Atque eandem sententiam non esse referendam ad res creatas, sed ad Deitatem, immortalitatem, incomprehensibilitatem & reliqua attributa, magis ex professo probat in disputatione contra Arium, habita in Concilio Nicæno paulo post med. & tota orat. ad illud Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quod testimonium ad refutandam Sabellianam identitatem personarum Patris & Filij, producit etiam Athanas. orat. contra Gregales Sabellij colum. 3. Idémque docet multis aliis in locis.

22 Nazianzenus orat. 44. in sanctam Pentecostem paulo post med. num. 14. *Omnia*, inquit, *quæcumque Pater habet, sunt Filij, præterquam quod ingenitus*

non est. Omnia quæcumque Filius, Spiritus sancti sunt, si generationem excepseris. Basilius homil. 15. de fide circa med. ita scribit: *Cuncta existens, quæ est Pater, Filius inquam & Pater. Has mihi proprietates custodi. Manens igitur in essentia Filius omnia est, quæ Pater est, secundum ipsius vocem dicentis: omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Quibus consonat homil. 28. contra Sabellianos prope med. & epistol. 43. ad Gregor. Nyssenum in fine.

23 Cyrillus Alex. lib. 4. thesauri cap. 2. prope med. *Omnia*, inquit, *quæ Pater est, Filius similiter est, præterquam quod Pater non est Filius, & Filius non est Pater.* Idem omnino repetit lib. 10. thesauri cap. 1. sub init. & lib. 12. cap. 15. propiùs ad med. quàm ad fin. & multoties alibi. & lib. 11. in Ioann. cap. 2. init. Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. inter princip. & med. *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater, Filij sunt, præter ignascendi proprietatem.* Et cap. 11. propius ad med. quàm ad princip. *Secundum omnia vnum sunt Pater Filius & Spiritus S. præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignetiam & processionem.* Et lib. de duabus Christi voluntatibus inter princ. & med. *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater, sunt Filij, sola gignendi vi excepta. Cuius rei ipse Dominus verus testis. Omnia*, inquit, *quæ Pater habet, mea sunt. Et ipsi Patri dixit: Tua sunt mea omnia.*

24 Gregor. Bœticus lib. de Trinit. propius ad med. quàm ad fin. ait: *Hoc solo differens à Patre Filius, quod ille Pater est, & hic Filius, id est, quod ille genuit, & hic natus est.* Quod inferius inter med. & fin. probat, sic Filium allocutus: *Omnia omnino, quæ Patris sunt, tua sunt, quia & quæ tua sunt, Patris sunt.*

25 Quod autem prædicta exceptio virtualiter & implicitè contineatur in ipsis verbis Christi Domini, sapienter ponderat Athanas. orat. 4. contra Arianos post med. dicens: *Sed ne quis videns, Filium habere omnia quæcumque Pater habet, ex indiscreta similitudine eorum, quæ habentur; Sabelliano more deceptus, impiè sentiat: existimétque, Filium etiam Patrem esse: ea de causa hoc verbum prolatum est: datum est mihi, & accepi, & traditum est mihi: nulla alia de causa, quam vt ostenderet, se Patrem non esse*, &c. Et paulo inferius illud Ioann. 5. *Quemadmodum Pater habet vitam in semetipso: ita quoque Filio dedit vitam habere in semetipso.* Ita ponderat: *Nam ex hac voce, dedit, indicat, se se Patrem non esse: ex isto autem dicto, ita, Filij similitudinem proprietatemq́, cum Patre significat.*

Ex ipsis verbis Christi D. elicitur prædicta expositio.

26 Cyrillus Alexand. lib. 10. thesauri cap. 1. prope med. *Ne quis*, inquit, *omnia Patris in Filio perspiciens, propter incommutabilem similitudinem atque identitatem, eundem putet Patrem & Filium esse (quod Sabellio accidit) necessario à Patre se accipere ait, quæ ab eo naturaliter habet; vt cum alter det, alter accipiat, dualitas personarum demonstretur, non nominibus solum, sed verè ac personaliter distincta. Nec tamen falsus sermo est. Nam cum ex substantia Patris Filius prodeat, omnia Patris æternaliter habet: æternaliter etiam hac ratione ex eo accipit omnia, quæ ipsius Patris sunt.* Quod magis declarat inter med. & fin. eiusdem cap. 1. *Dicit autem cum semper habeat accipere, vt & originem suam ostendat, & alium se personaliter esse à Patre demonstret, nec identitati naturali aliquid deroget.*

27 Didymus, S. Hieronymo interprete in eius tomo 9. fine, lib. 2. de Spiritu sancto ferè inter med. & fin. *Procul absint*, ait, *Dialecticorum tendiculæ, quæ dicunt: Ergo Pater est Filius, & Filius Pater. Si enim dixisset: Omnia quæ habet Deus, mea sunt; haberet impietas occasionem confingendi; cum verò dixerit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt, Patris nomine se Filium declarauit, Paternitatem qui Filius erat, non vsurpauit.* Quam sententiam transcripsit D. Thomas in Ioan. cap. 16. lect. 4. circa med.

Ioann. 16.

Notandum tamen est primò, ab aliquibus Patribus illa verba Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, de rebus creatis intelligi. Iuxta quam expositionem clariùs, quàm iuxta præcedentem, contra Sabellianos militat eorum argumentum. Quod obseruat Athanas. dicta orat. 4. contra Arianos post med. Atque ita de rebus creatis exponunt Hieronymus, Beda & Chrysostomus Matthæi 11. Irenæus lib. 4. cap. 37. Tertullianus lib. 4. contra Marcion; vt videre est apud S. Thomam in catena, & Maldon. Matthæi 11. num. 27. Cæterum eadem verba Matthæi de Diuinitate intelligunt non modò Patres citati in priori explicatione atque exceptione, sed etiam Hilarius, Euthymius & Theophylactus Matthæi 11.

28 *Quid peculiare in verbis Matt. 11.*

Secundò notandum, illud Ioan. 3. ad fin. *Omnia dedit in manu eius*, ad res creatas referri multo verisimilius est. Nam illud, *in manu*, significat liberam potestatem & dominium, sub quo non sunt perfectiones & attributa diuina; vt rectè ponderat ibi Toletus annotat. 40. Sed non propterea excluduntur à sensu perfectiones diuinæ; vt videbimus disput. 50. sect. 6. assert. 5.

29 Ioann. 3. *Refertur ad res creatas.*

Notandum est tertiò, quamuis Sabellianis concederetur, sub illa vniuersalitate *omnia*, comprehendi etiam Paternitatem; adhuc non inferri personam Filij eandem esse, quæ Patris. Nam Paternitas etiam est Filij, & data est Filio, non vt Filius sit Pater, sed vt Pater sit Filij Pater; necnon vt Pater sit in Filio, & Filius in Patre; atque vt Filius eam essentiam accipiat, quæ velut eminenter Paternitatem continet. Alias demum difficultates, natas ex eo quod Filius dicatur accipere, tractabimus disput. 50. sect. 5.

30 *Abundantior solutio ex circuminiessione.*

SECTIO III.

Præoccupantur testimonia Patrum, in quibus aliquod præsidium quærere possent hæretici.

NE forte recentioribus hæreticis arma ministrent, vel Catholicis incutiant formidinem, aut antiquos Patres reddant suspectos oscitantiæ, vel lapsus contra præcipuum fidei articulum; operæpretium erit sequentium Patrum mentem exponere, qui primo verborum cortice videntur negare realem distinctionem personarum, asserentes, solis nominibus & consideratione intellectus esse distinctas. 1

Imprimis enim Nazianz. orat. 13. quæ est 2. de pace propiùs ad fin. quàm ad med. Postquam tria supposita distinxit notationibus propriis, adiungit. *Deum vnumquodque, si seorsim consideretur, mente videlicet ea, quæ separari nequeunt separante.* Idem orat. 35. quæ est 3. de Theologia circa med. n. 49. *Vnam quoque Dei essentiam & naturam & appellationem esse, tametsi per cogitationes quasdam distinctas nomina quoque simul distinguantur.* Agit autem de essentia & nominibus Patris & Filij, vt agnoscit Elias Cretensis in cũ locum. Quapropter non sine fundamẽto quidam obiiciebãt Nazianzeno, quod aliquando scripsisset: *Pater & Filius etsi duo nomina appellantur, ratione tamen & substantia idem sunt.* 2

Sed huic obiectioni satisfacit Nazianzenus in lib. de fide, qui numeratur oratio 49. colum. 3. ostendens, se simul in eo priori opusculo professum fuisse personarum distinctionem. *Quippe cum & hanc* 3 *Nazianzenus se ipsum defendit & exponit.*

& hanc sectam, id est, Sabellianam (inquit) *in eodem libello damnauerim, & personarum distinctionem, secundum vocabulum scripserim. Nam & nemo pro vna persona potest, vnum sunt, dicere, vel vnitatem generis, nisi personis assignare.* Alia loca, quibus Nazianzenus apertè Sabellianam hæresim refutat, citauimus in vtraque sect. præcedenti, & alia referemus in sequentibus.

4 Mens igitur Nazianzeni fuit, per illum modum loquendi significare duo valde notanda. Primum, quod Deitas, licet realiter identificetur cum Patre, Filio & Spiritu sancto, realiter distinctis: inde tamen realem distinctionem non contrahit, sed solam distinctionem rationis; nimirum quia Deitas, prout est in Patre, intelligitur ingenita, & non communicata: sed eadem Deitas intelligitur communicata Filio per generationem intellectualem, & Spiritui sancto communicata per processionem amoris. Huc etiam euadit commentarius Eliæ Cretensis. Secundum, quod Nazianzenus intendit, est, eam separationem, per quam accipimus vnam personam seorsim, non intelligendo simul cum illa reliquas duas personas, non posse fieri re ipsa, sed sola consideratione intellectus. Nam à parte rei quælibet persona habet in se manentes duas reliquas personas, & quantum ad substantiam est idem realiter cum illis: ideóque non potest ab illis realiter separari.

Separatio personarum sola consideratione.

5 Eodem modo intelligendum est, quod Epiphanius in ancorato col. 6. scribit: *Tria nomina vna Deitas Patris, Filij & Spiritus sancti.* Quia non solum ex locis, quæ citata sunt in sectionibus præced. & citabuntur in sequentibus: Sed etiam ex reliquo discursu eiusdem libri ancorati manifestè colligitur, esse realiter distinctos per ordinem originis Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

6 Clariùs autem vtrumque notabile voluit docere Damascenus lib. 1. fidei cap. 11. circa med. dicens: *Vnaquæque enim ipsarum* (personarum) *se habet ad aliam nihilominus, quàm ad se ipsum. Hoc autem est, quia secundum omnia, vnum sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam & processionem. Ratione autem & intelligentia hoc distinctum.* Cuius expositionem continuò subiungit. Primò, quoniam vnus Deus solis proprietatibus & existentiæ modis intelligitur differre, videlicet in quantum Deus. Secundò: *Non enim localem distinctionem (ceu in nobis) possumus in incircumscripta assignare Deitate. Nã immanentes & in se inuicem personæ existunt.* Notandum est etiam, Damascenum in eodem cap. 11. paulo post med. apertè profiteri personarum distinctionem contra Sabellium, vt retulimus præced. sect. prope secundum argumentum.

Sola ratione distingui personas, quo sensu dixerint aliqui Patres.

7 Iuxta prædictam expositionem verificari potest expositio S. Thomæ in 1. sentent. dist. 2. quæst. vnica art. 5. ad 1. & distinct. 25. quæst. vnica art. 4. fine. vbi respondet, Damascenum in prædictis verbis ita intelligendum esse, vt tres personæ dicantur distingui *ratione, id est, relatione; quia relatio dicitur ratio per comparationem ad essentiam.* Hoc igitur verificari potest ad mentem Damasceni, quatenus Deitas ipsa, prout includitur in tribus relationibus, non distinguitur realiter à se ipsa, sed sola ratione; vt superius dictum est.

8 Non longè distat intellectus verborum, quæ legimus apud Sophronium in epist. quæ habetur in 6. Synodo, quæ est Constantinopolitana tertia, act. 11. col. 4. illius epistolæ: *Neque vnum*, inquit, *quod extra vnum est, tria recipit: neque tria, secundum quod tria sunt, vnum admittunt.* Id est, neque vnus Deus recipit tria secundum Deitatem, secundum quam est vnus; neque tria suppositа admittunt vnum esse suppositum, quia in ratione suppositorum sunt tria. Alioqui præcedenti contextu manifestè professus est personarum distinctionem ab illis verbis: *Sabellianorum hæc impietas est, in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias, & in vnam personam easdem tres conspergens personas.* & quæ sequuntur.

SECTIO IV.

Tres personas realiter distingui, probatur aliis testimonijs Scripturæ.

PRobatur primò ex numero binario vel ternario, quos legimus in Scriptura. Cuiusmodi est illud 1. Ioannis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Non tamen vnus est, quia non est eorum vna persona.* Hunc enim commentarium Apostoli verbis adhibet Athanas. lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. 1 *Tres.*

Horum trium testimonium legimus etiam in Euangelio, nam Ioan. 15. de Spiritu sancto Christus Dominus ait: *Ille testimonium perhibebit de me.* & Ioan. 8. dixerat: *Solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Quod ita ponderat Athanasius oratione contra Gregales Sabellij colum. 3. *Cur non planè defectionis & apostasiæ crimen sit, negare tria, & solum illum, qui ista locutus est, vnum esse dicere? Non sum solus*, &c. Et post pauca: *En tibi duas personas. Et nisi dicas verè duos esse, cum hæc loquitur, non permittis, testimonium verum existere: id enim testimonium confirmat, si non ab vno, sed à duobus perhibeatur.* 2 *Duo.*

Basilius homil. 28. contra Sabellianos pag. 2. *Numera, si placet, personas. Ego*, inquit, *vnus sum, qui testificor. Et testificatur de me qui misit me. Ecce duos testes. Ego non ausim ita numerare. Verum Dominus ipse ita docuit dicens: In lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit.* 3

Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratianum cap. vltimo propius ad fin. quàm ad med. Christum Dominum inducit, Sabellianos ita redarguentem. *Non audis Patrem? non audis Filium? Nunquid hic vlla confusio est? Scriptura ipsa te docet, Patrem esse qui detulit iudicium, Filium esse qui iudicat. Non audisti me dicentem: solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater?* Fusiùs prædicta verba Ioann. 8. contra Sabellianos vrget Augustin. tract. 36. in Ioan. circa med. Breuiter autem Fulgentius lib. de fide ad Donatum cap. 3. pòderat illud, *solus non sum.* Origenes expresè colligit distinctionem personarum ex eo, quod alius sit, qui testimonium perhibet de Filio, & Spiritus sanctus sit alius paracletus homil. 12. in caput 21. Numerorum col. 2. 4 *Non est solus Filius.*

Probatur secundò, quia Pater est verè Pater, & Filius est verè Filius. Et Pater verè atque priè genuit Filium. Nullum autem suppositum potest generare se ipsum; sed tantum generat suppositum, realiter distinctum à se. Vnde Athanas. lib. 2. de propriis personis paulo post medium: *Nemo*, inquit, *sibi ipsi Pater, Pater est: & quis sibimetipsi Filius, Filius est? Dum Pater non sit genitus, & Filius non sit ingenitus. Sed planè Pater Filij est, quem genuit, & Filius est Patris, qui verè de ipso genitus est.* Epiphanius hæres. 57. sub init. *Si Pater est,* 5 *Pater nõ esset Pater nisi realiter distinctum Filium generaret.*

inquit, *se ipsum generare impossibile est: rursus quod vocatur Filius, se ipsum non genuit, sed ex Patre genitum est.*

6 Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioann. cap. 2. prope med. ait: *Genitum à Patre scriptura prædicat; & veritas ita se habet, quod necessariò à generante genitum re ipsa distinguitur.* Clemens Alex. lib. 8. stromat. pag. vlt. *Non est aliquid ipsum sui ipsius causa, nec aliquis Pater suus.* Quod sequenti discursu fusiùs probat, & Tertullianus eleganter lib. contra Praxeam cap. 10. & 11.

7 Hilarius lib. de Synod. post 8. canonem Orientalium, *Cum non possit, nisi alius atque alius esse generans & generatus.* & lib. 2. de Trinit. prope med. *Alius ab alio, quia Pater & Filius.* & lib. 5. de Trinit. colum. penult. *Non vt natus sit ipse, qui genuit: nam quomodo erit ipse, cum genitus sit?* Augustlib. 1. de Trinit. cap. 1. *Qui putant*, inquit, *eius potentiæ esse Deum, vt se ipsum ipse genuerit; eo plus errant, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura. Nulla enim res se ipsam gignit, vt sit.* Quam Augustini sententiam à Magistro receptam 1. sentent. distinct. 4. cap. 1. sequuntur omnes Scholastici. Eandem impossibilitatem notat Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. prope fin. Consonat Aristot. lib. 2. de anima textu 47. dicens: *Generat autem nihil ipsum se ipsum, sed conseruat.*

8 Nititur hoc argumentum omnibus testimoniis Scripturæ, quibus appellatur Pater & Filius: cuiusmodi est illud Lucæ 1. *Filius Altissimi vocabitur.* Ioann. 1. *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Ioan. 3. *Pater diligit Filium.* 1. Ioannis 5. *Simus in vero Filio eius.* & alia quam plurima, quæ testimoniis Patrum illustrata sunt disputat. 4. sect. 2. & 3. Nititur etiam testimoniis Scripturæ, docentibus Filij generationem, vt Psalm. 2. & Hebræos 1. *Ego hodie genui te.* & Psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Aliisque ponderatis in eadem disput. 4. sect. 1.

9 *Quam vitam Pater Filio dederit.* Confirmatur primò, nam Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*; quod de vita substantiali atque diuina intelligunt multi Patres; peculiariter Cyrillus lib. 12. thesauri c. 15. paulo post med. Chrysostomus homil. 38. in Ioan. Augustinus tract. 22. in Ioannem, Hilarius autem lib. de Synodis col. 7. ad canonem 2. Orientalium, perpendens illud Ioan. 5. *Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Discernitur*, inquit, *persona accipientis & dantis, ne ipse sit idem vnus & solus.* Et post pauca: *Alius est sibi viuens, alius profitens se viuere per authorem.* Denique dare vel accipere supponit realem distinctionem personarum; vt vidimus sect. 2. ad 2. argument.

10 Confirmatur secundò, nam Ioann. 8. Christus Dominus *Ego*, inquit, *ex Deo processi.* & Ioan. 15. fine. *Paracletus, qui à Patre procedit.* Processio verò est passiua productio, necessariò præsupponens principium producens, realiter distinctum à termino producto.

11 *Ex missione realis distinctio.* Confirmatur tertiò, quoniam eadem persona non mittitur à se ipsa, sed ab alia realiter distincta. Constat autem, & Filium à Patre, & Spiritum sanctum à Patre & Filio missum esse; nam missionem Filij in Euangelio Ioannis in omnibus ferè capitibus legimus. Missionem autem Spiritus sancti Ioann. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Vnde Basilius homil. 28. contra Sabellianos, non procul à princip. *Consequere*, inquit, *eum, qui dixit. Non sum solus, sed Pater, qui misit me, mecum est. Alius itaque est Pater, qui misit, & alius Filius qui missus est.*

Probatur tertiò, ex præpositionibus quibusdam, denotantibus distinctionem, præsertim *cum*, & *apud*, quemadmodum Prouerb. 8. *Cum illo eram cuncta componens.* Ioann. 1. *Verbum erat apud Deum.* Quod si Pater & Verbum essent vna persona solis nominibus & officiis distincta; nec Verbum aut sapientia esset cum Patre, nec apud Patrem. Hoc testimonio ad probādam distinctionem personarum vtitur Concilium Nicænum lib. 2. col. 6. §. *sancta & magna.* 12 *Cũ, & apud distinctionem realem cõnotant.*

Propterea Basilius homil. 16. ad prædicta verba Ioann. 1. inter med. & fin. homiliæ obseruat: *Non in Deo Verbum erat, sed apud Deum, vt hypostaseos proprietas consistat. Non dixit in Deo, ne auferendæ hypostaseos occasionem daret. Etenim peruersa est eorum blasphemia, qui vnum subiectum statuere; Patris verò ac Filij, ac Spiritus sancti differentes appellationes vni rei adaptatas esse asserere conantur.* 13

Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 2. propiùs ad princip. quàm ad med. *Cum autem apud Deum Verbum esse prædicet, vnum quidem esse Filium, subsistentemq; in se ipso, & vnum rursus Deum Patrem, apud quem Verbum est, apertissimè ostendit. Quomodo enim, quod vnum numero est, ipsum apud se ipsum esse intelliget?* Ideo in sequenti contextu fusiùs confirmat distinctionem personarum. 14

Insuper alij Patres ex prædicta præpositione *apud*, colligunt, hypostasim Verbi distinctam esse ab hypostasi Patris, quamuis sit eiusdem substantiæ. Ita Athanas. orat. contra Gregales Sabellij colum. 2. & serm. de sanctissima Deipara colum. 3. Theophylactus Ioan. 1. ad verba supradicta. Epiphan. hæres. 65. inter princip. & med. Chrysostomus breuiter indicauit homil. 2. in Ioannem prope med. & homil. 3. col. 2. Hilarius lib. 2. de Trinit. prope med. Fusiùs autem Augustinus lib. quæst. veteris & noui Testamenti quæst. 122. sub init. Fulgentius toto lib. 7. ad Monimum præsertim cap. 7. & 8. Seuerus Antiochenus & Leontius in Græcorum catena, quos refert Maldonatus ad prædicta verba Ioan. 1. Tertullian. lib. contra Praxeam cap. 7. & 8. 15

Sed obiicies aliquis primò, præpositionem *apud*, in sacris literis idem significare ac præpositio *in*. Quod multis scripturæ testimoniis probat Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 4. & sequentibus vsque ad fin. libri. Sumitur etiam ex Augustino lib. 6. de Trinit. cap. 2. & Irenæo lib. 3. cap. 8. 16 *An idem valeant præpositiones* in & apud.

Respond. Significatio vtriusque præpositionis, quantum ad hoc, est eadem, quod non repugnat intimæ & interiori inexistentiæ vnius intra alium. Propterea que Verbum, quod est apud Patrem, idem est in sinu Patris, & in Patre, & Pater in eo. Hoc præcipuè probare intendit Fulgentius contra Arianos loco citato. Nec est credibile persuadere voluisse, significationem vtriusque præpositionis esse prorsus eandem, cum sit manifestum, quoties actorum 9. 10. 18. 21. & 23. dicitur, Petrum aut alios Apostolos mansisse apud aliquos homines, non dici quod in illis fuerint. Vnus enim homo non est in alio, licet sit apud illum. 17

Difficilior est secunda obiectio ex plurimis scripturæ locis, in quibus apud Deum & apud homines esse dicitur aliquid, quod ab illis non distinguitur realiter, sed sola ratione vt Iob 12. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo.* & cap. 14. *Numerus mensium eius apud te est.* Psalm. 21. *Apud te laus mea.* Psalm. 41. *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* Psalm. 129. *Apud te propitiatio est, & apud Dominum misericordia.* Prouerb. 3. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* 18

temetipsum. Lucæ 18. Publicanus & Pharisæus *apud se orabat.* Huiusmodi alia plura ponderat Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 4. & sequentibus.

19 *Præpositio apud, quando non denoteat realem distinctionem.* Respondeo & dico primò. Multa ex prædictis testimoniis corroborabant præsens argumentum. Quoties enim eadem persona est, apud quam est aliquid eiusdem personæ; notatur hoc pronominibus & reciprocis: quemadmodum dicto Psal. 41. *Apud me oratio*, &c. & Prouerb. 3. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* & Lucæ 18. *Apud se orabat.* & id genus cætera.

20 Quapropter, vt vim præsentis argumenti percipias, finge, Publicanum illum appellatum fuisse Iacobum, & habuisse filios, atque diuitias multas. Quo supposito, non dixisset Christus Dominus, neque Euangelista sic retulisset: *Publicanus apud Iacobum orabat*, vel *apud diuitem*, vel *orabat apud Patrem talium filiorum.* Sed vt intelligeretur, non oraße apud alium hominem exterius, sed tantùm apud se ipsum interius, oportuit dicere: *Apud se orabat.* Quapropter Ioannes in principio Euangelij, ne præberet occasionem erroris, debuisset dicere; *Verbum erat apud se ipsum*, & non dicere, *Verbum erat apud Deum:* Si Verbum & Deus Pater non distinguerentur personaliter ac realiter; sed tantùm distinguerentur nominibus & attributis. Quemadmodum Ioann. 6. dicitur: *Sciens Iesus apud semetipsum.* Itaque vim & significationem præpositionis *apud*, necessarium est per pronomina & reciproca retorquere in eandem personam. Ideóque quoties non retorquentur, rectà directéque tendunt ad distinctam personam.

21 Confirmatur primò, nam ex adiunctis in eodem contextu, constabat, Verbum esse personam subsistentem; vt Patres communiter obseruant in illo verbo *erat*, iterum atque iterum repetito, & rursum: *Omnia per ipsum facta sunt*, & iterum: *In ipso vita erat.* Confirmatur secundò, quia modus loquendi, sæpius vsurpatus in libris historialibus & doctrinalibus sacræ Scripturæ, in quibus non interponuntur figuratæ locutiones & prouerbiales, aut poëticæ, manifestè denotat, dictiones accipi iuxta propriam vim & significationem. Hoc autem contingit in præpositione *apud*, non solum in Euangelio Ioannis, sed etiam 1. Ioann. 2. *Vitam æternam quæ erat apud Patrem.* Et paulo inferius: *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Ioann. 8. *Ego quod vidi apud Patrem.* *Indicia propriæ significationis in Scriptura.*

22 Vnde colligitur, eodem modo intelligi debere de Verbo Filio Dei, quæcumque in veteri Testamento pertinent ad intellectionem & vitam Patris, & dicuntur esse apud Deum; vt Psal. 35. *Apud te est fons vitæ*, de quo alibi: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* & Iob 12. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo.* Nam iuxta Apostolum, Christus Dominus est virtus & sapientia Patris.

23 Similiter de persona Spiritus sancti possunt exponi perfectiones amoris, quæ dicuntur esse apud Deum, intelligendo Patrem & Filium; vt Psalm. 129. *Apud te propitiatio est, & apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Nisi malis hæc intelligere de Filio, qui est apud Patrem, nam *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Ioan. 2.

24 *Dictum 2.* Dico secundò. Quibusdam in locis satis est, distinctam esse personam illam, cuius aliquid est apud aliam personam; sicut numerus mensium hominis est apud Deum. Iob 14. & Sapient. 5. *Apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum*

apud Altissimum. Et Actor. 2. *Sepulchrum eius est apud nos.* Quamobrem diuinum Verbum deberet saltem esse alterius personæ distinctæ à Deo Patre, vt diceretur esse apud Deum, seruata proprietate sermonis; si Verbum ipsum non esset persona distincta.

Dico tertiò. Locutione non propria sed figurata in libris Scripturæ, poëtico aut prouerbiali stylo conscriptis, cuiusmodi præcipuè sunt Iob, Psalmi & Sapientiales, non erit mirandum si præpositio *apud*, referatur ad eandem personam: nec carebit mysterio talis figura dictionis, quam non vacat exponere. Illud tamen videtur certum, quod simplex & proprius sermo, expers figuræ & improprietatis, semper inter distinctas personas constituit præpositionem *apud*, vt præter loca citata in confirmatione 2. constat Ioan. 14. *Apud vos manebit*, & iterum: *Mansionem apud eum faciemus*, & iterum: *Apud vos manens.* Matthæi 26. *Apud vos sedebam docens.* Et alia quam plurima ex omnibus libris noui Testamenti, vt constabit discurrenti per singulos. 25 *Quando possit* apud *referri ad eandem personam.*

Redeo ad primarium institutum probandum, & sit probatio quarta. Nam imago non est propriè, nisi realiter distinguatur ab exemplari. Filius autē est perfectissima & propriissima Patris imago iuxta illud Hebræos 1. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* & Colossens. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Vnde Chrysostomus Hebr. 1. homil. 2. col. 3. *Character*, inquit, *alter est ab ipso suo exemplari: alter autem non in omnibus, sed secundum quod per se ipsum subsistit.* 26 *Imago realiter distinguitur.*

Probatur quartò, nam Scriptura sacra Patrem vocat *alium* à Filio, & Spiritum sanctum *alium* ab vtroque. Quod sine reali distinctione non potest esse simpliciter verum. Sic Ioan. 5. Filius de Patre *alius*, inquit, *est qui testimonium perhibet de me.* & de Spiritu sancto Ioan. 14. *Alium paracletum dabit vobis.* Nemo tamen rectè dicere potuisset, alius est Simon Barjona, alius Petrus, alius Princeps Apostolorum, alius Primus Romanorum Pontificum. De quo fusiùs disput. 39. sect. 4. & 5. 27 *Alius ab alio realiter distinguitur.*

Hilarius lib. de Synodis post 9. canonē Orientalium vtitur hoc argumento ad probandam distinctionem personarum, & multo propius ad med. quàm ad fin. eiusdem libri refert & approbat canonem 20. Syrmicæ fidei: *Si quis, sicut docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum à Filio, dixit enim: & alterum Paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo eum ego: anathema sit.* Eadem verba Ioann. 14. ponderat Basilius lib. vnico de Spiritu sancto cap. 19. sub init. & Phæbadius lib. contra Arianos prope fin. Sed vtrumque testimonium Ioan. cap. 5. & 14. confert ad hoc propositum Origenes homil. 12. in cap. 21. Numer. col. 2. & communiter expositores ibi August. Chrysost. Cyrillus, Theophyl. Eutym. 28

Notant autem omnes Patres, licet Filius sit *alius* à Patre, non esse *aliud* in genere neutro; quoniam hæc vox denotat distinctionem substantiæ & essentiæ, vt constabit disput. 39. sect. 4. & 5. 29

Confirmatur, quoniam alibi sæpe Pater de Filio & Filius de Patre, quasi de tertia persona loquitur, non quasi de se ipso. Vnde Athanas. orat. contra Gregales Sabellij colum. 3. *Cum igitur de se loquitur* (Christus Dominus) *Ego, inquit: cum de Patre, ille, dicit: cum de Spiritu sancto, alium subiungit.* Idem argumentum vrget Epiphan. hæres. 57. & Phæbadius lb. contra Arianos propiùs ad fin. quàm ad med. 30

SECTIO V.

Conciliorum & Patrum cætera testimonia pro distinctione personarum.

1 CONcil.Nicæn.lib.2.col.6.in prima sententia per Osium §.*sancta & magna. Diuinitas*, inquit, *non est vna persona,vt Iudæi opinantur; sed tres personæ verè subsistentes, non solo nomine. Et hoc pluribus testimonijs in nouo & veteri Testamento prædicatur.* Idem Nicænum in professi. fidei, quam refert Nazianzenus in tractatu breuiori de fide Nicæna, qui numeratur oratio quinquagesima sub init. *Confitemur*, inquit, *non sic vnum Deum, quasi solitarium, nec eundem, qui sibi ipsi Pater sit, & ipse Filius, sed Patrem verum, qui genuit Filium verum.* Constantinopolitanum primum quod est Concilium generale secundum cap. 1. anathematizat Sabellianos.

2 Orientales Episcopi canon. 1.2.8. & 9. anathematizant eos, qui dixerint, vnum & eundem esse Patrem & Filium, solis nominibus distinctos; vt refert & approbat Hilarius lib. de Synodis col.6. 7. & 11. Præterea multo propiùs ad med. quàm ad princ. eiusdem libri, anathematizatur, qui dixerit, *Filium ipsum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum.* Et paulo post med. eiusdem libri, fidei Syrmicæ canon.18. sic habet: *Si quis Patrem, & Filium vnam personam dicit: anathema sit.*

3 In Concilio Florent.sess.19.col.vlt. tres disputatores Ioannes, Marcus & Bessarion, tacitè approbante Concilio, in eo conueniunt, quod *Patris persona non nisi ratione ab ipsa Paternitate, substantiaq; differt,cum ab alijs duabus personis re quoque differat.* Ita Ioan. §.*in Patre.*& paulo inferius,§.*ex tuo sermone*, in fine ait: *Sequeretur, vt persona ratione solummodo differant: quod impium esset credere.* Cui Marcus continuò respondet: *Non equidem protuli, personas ratione tantum differre.* Itaque non solum Ioan. nomine Latinorum, sed etiam Marcus Græcorum nomine concedit, realiter distingui personas. Quod idem euidenter colligitur ex tota præcedenti sessione 18. præcipuè post med. §.*diuina substantia*, & §.*dixi equidem*, & sequentibus. In quibus distinctio rationis ponitur inter relationem & essentiam;sed inter relationes ipsas, & inter principium producens,& terminum productum, exigitur distinctio, secundum quam terminus productus sit *alius* à principio producente & *processio personas multiplicet.*

4 Sanctus Martialis cognomento Apostolus, & contemporaneus Apostolorum,epist.1.ad Burdegalenses cap.10. fine: *Hæc*, inquit, *in personis tria diuisa; in Diuinitate vnus Deus indiuisus est.* Ignatius epist.ad Philipp.non procul à princ.ait: *Præcepit*, Christus Dominus, *baptizare eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, non in vnum quendam trinomium; sed in tres vnius eiusdemq; honoris.* Dionysius Romanus Episcopus, apud Athanasium in epist. de decretis Nicænæ Synodi vltra med. *Ille*, inquit, videlicet Sabellius, *cum blasphemia dicit Filium esse Patrem, Patremq; Filium.*

5 Nazianzenus orat.25. ad Arianos & de se ipso col.vlt.inter alias hæreses hanc enumerat: *Sabellij resolutionem & confusionem, atque (vt ita loquar) absorptionem, tres personas in vnam contrahentis, ac non vnam in tribus personis essentiam constituentis.* Idem orat.37. quæ est 5.de Theologia. *Paris impietatis est*, inquit, *vel Sabellij more personas connectere; vel Arij instar naturas distinguere ac separare.* Quibus similia dixerat orat.13. quæ est 2. de pace col.2.num.6.& orat.de dogmate & constitutione Episcoporum, quæ est 29. propiùs ad med.quàm ad princip.

Rursus orat.38. in Christi natiuitatem, non procul ante med. *Deum cum dico, Patrem, Filium & Spiritum sanctum dico, nec vltra hæc diffusa diuinitate,ne deorum turbam inducamus; nec rursus infra hæc finita & restricta, ne Deitatis inopia premi iudicemur, vel propter vnius principatum in Iudaismum, vel propter deorum multitudinem in gentilismum incidentes. Nam vtrobique malum æquale est, tametsi in contrarijs reperiatur.* His similia scribit orat.32. ad centum quinquaginta Episcopos paulo post med. vltra tractatum de fide citatum sect.3. 6

Athanas. non modò in orat. contra Gregales Sabellijs in præcedentibus sectionibus citata, sed etiam in epistola de sententia Dionysij Alexandrini versus fin. ex professo refutat eundem errorem. Et in dialogo 1. contra Macedonium inter med.& fin. *Non est*, inquit, *vnus & idem Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Et subdit: *Non est vt trinominis.* Idem lib.6.de beatitudine Filij Dei in med. & post med. & lib.4. aduersus Vrbicum Potentinum prope fin. & alibi sæpe confutat eundem errorem. Quemadmodum etiam Gregorius Bæticus lib.de Trinitate col.4.6.& 7. 7

Iustinus quæst.17.ad orthodoxos: *Diuinarum*, inquit, *consistentiarum vnum, substantia est indiuiduum: sed tres est diuiduum. Itaque tres consistentiæ proprijs nominibus sunt tres: ac quam consistentiam vocamus Patrem, non iam eandem vocamus Filium, sed aliam. Trinitatem enim nominum dicimus esse Trinitatis consistentiarum, non vnitatis earum. Itaque vnus est Deus vno & indiuiduo substantiæ: sed tres personæ diuisione consistentiarum.* Eandem veritatem docet sequenti quæst.18.& quæst. 129.ad orthodoxos, & in expositione fidei, de coëssentiali Trinitate propius ad princip. quàm ad med. 8

Hilarius vltra librum de Synodis superiùs citatum lib.2. de Trinit. col.2. & iterum atque iterum post med.libri,& lib.6.inter princ.& med. & lib.7.col.4.& 5.idem docet. Atque sanctus Maximus toto ferè libello de duabus Iesu Christi naturis,qui habetur apud Damascen. post librum de duabus Christi voluntatibus. 9

Ambros. in symbol.Apostol. cap.2. ad fin. *Sabellius*, inquit, *docuit, vnam subsistentiam esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnamq; trinominem personam: sed dum omnes vnam esse personam reputat, nihil esse vnamquamque designat: quoniam definit esse quod est, cum alterutrum, id quod esse dicitur, vniuscuiusque transfunditur.* Quin etiam omnia Concilia & Patres, ac potissimum Nicæni non solum vnitatem substantiæ, sed etiam personarum distinctionem professi sunt celeberrima dictione *Homousion*; vt sapienter obseruant plerique Patres referendi disputat.21.sect.1. Denique eandem veritatem probant omnia,quæ disput.31. & tribus sequentibus probant, esse tres hypostases, aut tres personas; & quæ disput.36. probant Trinitatis mysterium. 10

SECTIO VI.

Esse de fide realitatem prædictæ distinctionis, magis scholasticè probatur, & explicatur.

1 DIco primò. De fide est,distinctionem personarum in Deo esse realem,ita vt hæresis esset dicere,

non esse realem.Hanc assertionem ex præcedentibus sectionibus euidèter inferri, probatur primò. Nam in Concilio Florentino communi consensu Latinorum & Græcorum docemur, impium esse dicere, quod personæ *ratione solummodo differant*, & præmittitur, *re quoque differre*,vt vidimus in præcedenti sect. sub init.

2 Et Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 2. prope med. *Veritas*, inquit, *ita se habet, quod necessario à generante genitum re ipsa distinguitur.* Quod obseruandum est, quoniam aliqui authores, licet egregiè versati in lectione Conciliorum & Patrum, fatentur, se non inuenisse tractatam ab illis distinctionem personarum sub hac voce *realis*.

3 Secundò probatur, quoniam solam distinctionem rationis propter actiones, officia, nomináque distincta Sabelliani & Noëtani fatebantur. Quapropter Concilia & Patres, damnantes eorum hæresim, maiorem aliam distinctionem, quàm rationis, affirmant.

4 *Varia nomina significantia realè distinctionem.* Tertiò, quia nonnulli Patres, *diuisionem, discretionem, separationem, varietatem, alterationem, diuersitatem* appellant.Quibus omnibus non potest significari distinctio minor, quàm realis. Vt præter Iustinum paulo superius citatum,Athanas. lib. 2. de propriis personis prope fin. ita de Trinitate loquitur:*Diuisa est in nominibus personarum,in Deitate autem indiuisa.*

5 Gregor. Nyssenus orat. catechetica cap. 1. ad fin.Verbum appellat *distinctum* ac *diuisum à Patre.* Et lib. de Trinit. ad Eustathium colum.2.fine dicit: *Diuisionem hypostaseon.* Et lib. de differentia essentiæ & hypostaseos versus med. *Separationem* dicit hypostaseon *& separatum.* Quas voces repetit post med. eiusdem libri,& lib. de fide ad Simplicium propius ad fin. quàm ad med.

6 Cyrillus lib. 1. dialogor. de Trinit. inter med. fin. appellat *subsistentiarum veritatem.* Basil. hom. 28.contra Sabellianos inter princip.& med.dicit: *Diuidi & diuisionem & alterationem personarum.* Nazianzenus orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos multo propius ad med. quàm ad fin. dicit, esse *tria, quæ diuidantur, non naturis sed proprietatibus.*Boëtius lib.*An Pater, Filius & Spiritus sanctus de Deitate substantialiter prædicentur*, dicit, personarum *diuisionem* ac *diuersitatem.*

7 Et ante cæteros Hierotheus apud Dionysium de diuin. nomin. cap.2. fine. & ipse Dionysius in eodem cap. *diuisiones* appellat. Sed de nominibus & verbis significantibus diuinarum personarum distinctionem, ac de proprio illorum vsu, dicemus ex professo disp.39. sect.9. & sequentibus.

8 *Personalis distinctio est realis.* Quartò probatur,quia distinctio personalis & hypostatica indiuiduorum & suppositorum quidditatiuè est realis distinctio.Talis autem expressè traditur à Patribus & Conciliis. Quintò, quoniam quælibet persona simpliciter & absolutè negatur de alia, veluti dicendo:Pater non est Filius, neque est idem cum Filio, quantum ad personam siue subsistentiam, nec est vnus Pater & Filius. Sextò, quia generatio & processio requirunt distinctionem realem,supra sect.4. Denique probatur ex assertionibus sequentibus.

9 *Dictum 2.* Dico secundò. Personas diuinas, prout relationibus constituuntur, realiter distingui, peculiariter probatur; imprimis, cunctis testimoniis Conciliorum & Patrum, qui supra disp.9. sect.5. fund. 3. dicunt, sola relatione multiplicari personas,& in Deo omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio; & numerum consurgere ex relatione.Agunt enim non de numero & multiplicatione, secundum rationem, sed in re ipsa.

Præterea probatur ratione S. Thomæ in præsent.q.28. art.3. corpor. Quia relatiua oppositio in sui ratione includit distinctionem secundum rem relatiuam, sed in Deo verè & propriè est relatiua oppositio. Ergo relatiua oppositio, quæ est in Deo, in sui ratione includit distinctionem secundum rem relatiuam. Confirmatur, quia ratio relationis vniuersalissima, prout abstrahitur à Deo & creaturis,quidditatiuè claudit huiusmodi distinctionem; quemadmodum vniuersalissima ratio volitionis, prout abstrahitur à Deo & creaturis,quidditatiuè claudit tendentiam ad bonum cognitum. Itaque distinctio realis non est propria relationis creatæ, quemadmodum esse formam accidentalem, est proprium sapientiæ creatæ,aut volitionis creatę.Hinc denique S.Thomas infra q. 30. art. 1. colligit realem distinctionem personarum, quia constituuntur relationibus oppositis, & subsistentibus. 10

Dico tertiò.Personarum in Deo distinctio non solùm est realis, tanquam in rebus existens ante opus intellectus; sed etiam est propriissimè realis vt rei à re. Probatur, quoniam in re ipsa & ante opus intellectus distinctio duplex tantummodo reperitur. Altera inter rem & modum, altera inter duas res, quarum neutra est realiter modus alterius. At verò personarum diuinarum nulla est realiter modus alterius personæ. Quia realis modificatio est imperfectio modificantis, & modificati; est enim genus realis informationis, perficientis, & componentis aliquid, coalescens ex re & modo. Confirmatur, nam rei per se subsistenti, quatenus per se subsistens est, repugnat modificare aliàm; quia si modificaret illam; esset in illa, tanquam illam afficiens; & ideo subsisteret illius subsistentia, subindéque non per se subsisteret. 11 *Personæ distinguuntur vt res à re.*

Dico quartò. Distinctio diuinarum personarum formaliter non consistit in mera negatione alicuius imperfectionis, sed consistit in ipsa reali entitate & quidditate relationis diuinæ, prout opponitur suo correlatiuo: completur autem, ac declaratur per negationem. Probatur primò,quia nulla negatio quidditatiuè continetur in ratione alicuius entitatis realis. Sed realis distinctio quidditatiuè continetur in ratione relationis diuinæ (vt vidimus in assertione 2.) relationem verò diuinam esse realem, probatum est disput.9. sect.5. & sequentibus. Ergo realis distinctio diuinarum relationum non est mera negatio alicuius imperfectionis. Declaratur, & confirmatur, quia distinctio relationum, seu personalitatum diuinarum, non est realis eo tantum realitatis modo, quo reales sunt tenebræ aut cæcitas; & realis est in Deo incorruptibilitas formaliter sumpta: sed est realis distinctio per realem ordinem oppositionis, realiter constituentis vnam rem, & aliam rem relatiuam. 12 *Positiua formalitas distinctionis.*

Probatur secundò. Nam distinctio supponitur ad pluralitatem seu multitudinem rerum. Pluralitas autem,seu multitudo significat res ipsas,cum indiuisione circa rem vnamquamque, nec aliam negationem includit multitudo. Prædicta verò negatio, quæ est indiuisio, pertinet ad complendam quidditatem vnitatis in vnaquaque re: propterea que non consistit in ea negatione formalis ratio distinctionis realis. Hæc sumuntur ex D. Thoma infra quæst. 30. art. 2. & 1. dist.24. art.3. & 4. S. Bonauentura 1. distinct. 2. dubio 7. & distinct.24. art.2. quæst. 1. & communiter Scho- 13 *Distinctio realis requiritur ad realem pluralitatem.*

lasticis ibidem. Quod magis corroborabitur, quando probauerimus, in diuinis numerum esse realem quantum ad entitates & earum distinctionem ac multitudinem infra disput. 37. sect. 4. & 5.

14 Quapropter, vt S. Bonauentura refert vtroque loco citato, communiter à Parisiensibus Theologis reiiciebatur opinio Magistri sententiarum dist. 2. cap. *Hilarius*, & tota dist. 24. præsertim cap. *cum autem*, dicentis, nomine pluralitatis & distinctionis non poni aliquid positiuum; sed tantummodo remoueri solitudinem, aut singularitatem; aut confusionem, aut permixtionem personarum. Probat autem testimonio Hilarij, cui satisfacit S. Thomas citatus, vt vidimus in prædicta disput. 37.

15 *Quo sensu sit de fide realis distinctio.* Vnde sequitur, realitatem distinctionis personarum diuinarum, non esse de fide in hoc sensu, qui negatur à Magistro, & affirmatur in nostra assertione 4. Est igitur de fide, realitas prædictæ distinctionis, abstrahendo ab hoc, quod formaliter cõsistat in negatione reali; quemadmodum Deus realiter est incorporeus, & immaterialis: vel consistat in formalitate positiua, sicut Deus realiter est Pater, & realiter est Filius.

SECTIO VII.

Vtrum maxima sit distinctio diuinarum personarum.

1 *Prima ratio dubitandi.* RAtio dubitandi est. Prima, quia distinctio realis in Deo vel est perfectio vel non: si est perfectio, debet esse summa & maxima distinctio: propterea quæ non poterit admittere realem identitatem in natura. Quod si non est perfectio, non est in Deo concedenda realis distinctio. Secunda, quia distinctio diuinarum personarum est infinita, sicut omnia, quæ sunt in Deo: ergo est maior omni distinctione creaturarum.

2 *Lullij temeritas.* Raymundus Lullius apud Eymericum in directorio inquisitorum p. 2. q. 9. art. 25. dixit: *Tres personæ diuinæ distinguuntur maiori distinctione, quæ potest esse.* & artic. 26. *Sicut inter Patrem & Filium in diuinis est maior vnitas, & concordia, quæ possit esse; sic inter eos est maior distinctio, quæ possit esse*; ac ne posset piam interpretationem admittere, subdit in art. 27. *Malefaciunt illi, qui dicunt, quod inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum non sit tanta distinctio, quanta est inter Deum & equum, cum inter diuinas personas sit maior concordia, quàm inter Deum & equum, quæ maior concordia non potest esse sine maiori distinctione personarum.* Quibus concordant, quæ de maiori distinctione refert ex eodem Raymundo Gabriel Vazquez disp. 133. cap. 1. n. 3.

3 *Censura.* Verba prædicta hæresim Arianam sonant. Eorum author propter extremam stultitiam excusari potest ab hæresi, non à temeritate. Illius autem argumentum est ridiculum, quoniam summa personarum concordia consistit in identitate substantiæ, intellectionis, volitionis & operationis: quæ vnitas repugnat summæ distinctioni. Nec multum ab hoc absurdo distat Petrus de Aliaco lib. 1. sentent. quæst. 5. art. 1. prope fin. dicens, distinctionem personarum diuinarum esse maiorem qualibet distinctione creaturarum, quoniam est infinita. Periculosa quidem & hæresim sapiens doctrina; licet author sit planè Catholicus.

4 *Minima est distinctio realis personarum.* Sit igitur certa conclusio prima. Distinctio diuinarum personarum est minima, quæ possibilis est inter personas distinctas, vel inter entitates, realiter. Esse minimam distinctionem, docet S. Thom. 4. contra gent. cap. 14. prope fin. ad decimum argumentum. Vbi Ferrariensis in medio commentarij §. *dicit secundo* fine. Durandus 1. dist. 26. q. 1. fine. Vbi Ricardus art. 3. q. 2. ad 1. Argentina dist. 26. quæst. vnica ad 3. prope fin. dicit, personas esse idem in summa entitate, distingui verò per minimam entitatem. Cui consonant antiqui Scholastici, dicentes, relationes etiam diuinas esse minimæ entitatis.

Primaria ratio conclusionis est, quia distinctio realis directè & immediatè repugnat vnitati & identitati. Ergo quanto maior fuerit identitas & vnitas, compossibilis cum distinctione, tanto minor erit realis distinctio. Sed inter diuinas personas est maxima vnitas, & identitas in maxima entitate siue realitate substantiæ diuinæ, atque omnium attributorum, ac proinde in tota Deitate. Ergo personarum distinctio est minima omnium distinctionum realium. 5

Confirmatur primò, quia non modò nullę personæ, nullaue suppositа creata, sed etiam nullæ res aliæ sunt possibiles, quæ retenta omnimoda vnitate & identitate, quantum ad essentiam absolutam sibi intrinsecam, distinguantur solis relationibus. Confirmatur secundò, quoniam diuinæ relationes potissimam rationem entitatis & perfectionis habent ex eo, quod essentiam quidditatiuè imbibunt, in qua sunt vnum. Quo sensu, diuinæ relationes dici possunt minimæ entitatis, quia non essent diuinæ, & infinitæ perfectionis, nisi quidditatiuè continerent essentiam absolutam. 6

Obiicies. Distinctio realis fundat repugnantiam omnimodæ entitatis. Sed maxima repugnantia est, per quam implicat, vt diuinæ personæ sint idem in personalitate & subsistentia: sicut summa necessitas est diuinarum omnium veritatum, & consequenter summa impossibilitas oppositi. Ergo diuinarum personarum distinctio est maxima. 7 *Obiectio.*

Confirmatur, quoniam impossibilitas identificandi duas personas diuinas, est maxima, quantum ad repugnantiam vtriusque extremi. At verò repugnantia identificãdi Deum cum aliqua creatura est maxima tantum ex parte vnius extremi, videlicet, Dei; nam ex parte creaturæ minor est repugnantia, sicut eius quidditas minus necessariam habet connexionem prædicationem. 8

Propter hoc argumentum aliqui recentiores existimant; distinctionem diuinarum personarum esse maximam intensiuè, non extensiuè. 9

Nihilominus sit secunda conclusio. Non extensiuè tantùm, sed etiam intensiuè minima est distinctio diuinarum personarum: & contrarius modus loquendi vel est valde improprius, vel significat aliquid falsum. Probatur primò, quia quæ sunt capacia intensionis & extensionis, appellantur simpliciter maxima, vel minima ratione intensionis, non habita ratione extensionis. Sic enim maximus est calor ignis, licet sit exiguæ quantitatis, vt in pruna vel lucerna; & non est maximus calor aquæ, licet extẽsus sit per immensa maria. Quapropter, si personarum distinctio fuisset intensiuè maxima, foret appellanda simpliciter maxima contra primam conclusionem. 10 *Minima est hæc distinctio extensiuè & intensiuè.*

Probatur secundò, quia licet in ea distinctione non sit propriè intensio; si quid tamen excogitari post ad analogiam intensionis, illud est vnicum, aut præcipuum, quod summus & maximus intensionis 11 *Quæ intensio concipitur in distinctione personarum.*

intensionis gradus nihil secum compatitur qualitatis oppositæ: quemadmodum calor vt octo nihil in eodẽ subiecto patitur esse frigoris. Econtrarióque minimus gradus secum patitur maximam partem qualitatis oppositæ. quemadmodum calor vt vnum, secum patitur frigus vt septem. Consequens igitur est, vt ad analogiam intensionis in diuinis illa dicatur distinctio realis intensiuè maxima, quæ nihil omnino patitur realis identitatis; qualis est inter indiuidua vel species rerum creatarum: & illa rursus dicatur distinctio realis intensiuè minima, quæ summam identitatem realem admittit, quæ possibilis est manente distinctione. Huiusmodi autem est distinctio diuinarum personarum, vt in prima conclusione probatum est.

12 *Directè respondetur obiectioni.* Probatur tertiò, simúlque satisfit obiectioni, & illius cõfirmationi; quoniam in illa repugnantia & implicatione identificãdi Patrem & Filium in ratione vnius personæ, maioritas siue excessus supra reliquas distinctiones, non prouenit ex formalissima ratione distinctionis; sed ex formalissima ratione summæ necessitatis, quæ conuenit omnibus perfectionibus diuinis. Vnde sicut est maxima implicatio cõtradictionis, quod Deus non sit sapiens aut bonus, ita est maxima implicatio contradictionis, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus nõ sint vnum in essentia, & distincti in personis. Id quod explicari potest exemplo duorum *vbi*, vix latum vnguem distantium: quæ tamen non rectè diceres magis ab inuicem distare, quàm cœlum & terrã, quamuis cœlum & terram coniungi in eodem loco non implicet contradictionem; quia non sunt essentialiter immobilia; sed duo illa *vbi* coniungi localiter implicet contradictionem, quia sunt essentialiter immobilis fixio localis. *Exemplum duorum vbi.*

13 *Nõ omnis distinctio est perfectio.* Ad primam rationem dubitandi initio positam respond. Non omnis distinctio est perfectio, sed illa tantum, quæ compossibilis est cum summa vnitate substantiæ. Hæc autem non est simpliciter maxima in toto genere distinctionis, sed est maxima in genere distinctionis inter extrema perfectissima, non admiscentis imperfectionem, sed afferentis solum perfectionem simpliciter simplicem. Quod idem obseruare licet in quibusdam aliis perfectionibus diuinis, quæ per alias perfectiones temperantur & perficiuntur. Sic enim Iustitia Dei nõ est maxima in ratione Iustitiæ, quia necessario temperatur, & superexaltatur admixta misericordia & liberalitate. Fœcunditas Dei nõ est maxima, quantum ad producendam non modò suppositalitatem, sed etiam substantiam numero distinctam, quemadmodum animalia generant, sed est maxima quantum ad perfectissimum Filium generandum.

14 *Distinctio infinita.* Ad secundam rationem dubitandi respond. Diuinarum personarum distinctio est infinita, quia est maxima, quæ sine imperfectione reperiri potest: sed non est maior iis distinctionibus, quæ includunt imperfectionem: sicut in Deo multitudo personarum & numerus, non est maior qualibet multitudine vel numero creato.

15 *Remittuntur alia quæstiones.* Cætera quæ pertinent ad distinctionem realem in Deo concedendam, iam superius tractata sunt, vel in sequẽtibus disputationibus tractanda. Nam vtrum prædicta realis distinctio sit specifica vel numerica, tractandum est disput. 35. sect. 5. & sequentibus. Vtrum eadem distinctio appellari possit diuersitas aut differentia, disp. 39. sect. 9. & sequentibus, non esse plures quàm tres relationes realiter distinctas, constat ex disp. 17. quæ probauit Spirationem actiuam realiter identificari cum Paternitate & Filiatione. Non esse plures personas, quàm tres, ex numero processionũ probatum est disp. 3. & magis constabit disp. 33. sect. 2. & 3.

DISPVTATIO XX.

Vtrum tres relationes, siue tres personæ sint coessentiales, siue consubstantiales.

SECTIO I.

Præuiæ notationes & explicationes.

1 EADEM omnino quæstio est, vtrum Pater, Filius & Spiritus sanctus sint vna essentia & vna substantia: vel, vtrum sint vnius essentiæ, & vnius substantiæ, vel naturæ. Hæc licet à D. Thoma tractetur inferius q. 39. art. 2. potissimum examinando loquendi modum per gignendi casum, dicendo, *vnius essentiæ*: nobis tamen necessariò præmittenda fuit ante disputationes proximè sequentes, in quibus agendũ est de transcendentalibus prædicatis, multiplicandis iuxta numerum diuinarum relationum, siue personarum. Nam in illis omnibus, tanquam de fide certissimum, supponitur, quodcumque prædicatum transcẽdens esse realiter vnũ, & in numero singulari prædicari debere. Nihilominus, hac suppositione non obstante, quæritur, vtrũ simul sint tria?

2 Verbi gratia, supponitur ex fide, tres personas diuinas esse vnum ens, vnam rem, vnam entitatem, vnam essentiam. Nihilominus, hac suppositione non obstante, quæritur, vtrum sint tria entia relatiua, tres res, tres entitates, tres essentiæ relatiuæ. Similiter ex fide supponitur, personas diuinas esse vnam existentiam & vnam perfectionem absolutam. Nihilominus quæritur, vtrum simul sint, tres existentiæ, & tres perfectiones relatiuæ. Idémque intellige de immutabilitate, increabilitate, æternitate, immensitate, infinitate, veritate, intelligibilitate, imcomprehensibilitate, vnitate, & quibuscumque aliis prædicatis transcendentibus.

3 Exemplum autem affirmandi prædicatum idem de tribus personis simul in singulari & plurali numero præbuit Nazianzenus, orat. 13. quæ est 2. de pace, propius ad med. quàm ad fin. vbi Diuinitatem appellat *Vtas & vitam, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam: sancta & sanctitatem ipsam.*

4 Contrarius modus enuntiandi seruandus est in prædicatis notionalibus, tractandis disput. 31. & sequentibus. Ita namque dicuntur tres hypostases, tria suppositа, tres subsistentiæ, tres personæ, tres relationes, vt nullo modo supponatur, esse vnam relationem, vnam personam, vnum suppositum, vnam hypostasim, vt suo loco de singulis constabit.

5 Vltra hæc sunt aliqua prædicata absoluta, non transcendẽtalia, qualia sunt, sapiens, amans, iustus, omnipotens, & similia, de quibus an multiplicari possint iuxta numerum personarum, dicendo tres sapientes, vel tres omnipotentes, &c. videbimus disput. 77.

6 Præterea notandum est, theologos, & peculiariter Scholasticos, ad examinandas sequentes disputationes de prædicatis transcendentalibus, indifferenter

differenter vti nomine relationis diuinę & nomine personæ diuinæ. Quoniam quodcumque prædicatum multiplicatur ratione personarum, eo ipso multiplicatur propter relationes realiter distinctas; sicut è contrario quodcumque prædicatum multiplicatur propter relationes realiter distinctas, multiplicatur ratione personarum. Idcirco quicumque theologus de relationibus affirmat aliquid eiusmodi prædicatum in numero plurali, censendus est, idem & eodem numero ternario dixisse de tribus personis diuinis: & similiter è contrario.

SECTIO II.

Vetustiores hæretici, asserentes plures Deitates, aut plures essentias diuinarum personarum.

1 ADemes, Caryſtius, & Peraticus Euphrates, cuius ſequaces appellati ſunt Peratæ, dixerunt tres Deos, tres rationes, tres mentes, tres homines ſimul cum aliis diliriis, vt refert Theodoretus lib. 1. hæreticar. fabul. cap. 19. *Metangiſmonitæ*, ideſt, Franſuaſantes hæretici dicebant, *Filium intrare in Patrem, vt vas minus in maius.* Ita refert Philaſtrius in ſecundo catalogo hæreſeon ſub Apoſtolis num. 4. & Auguſt. lib. de hæreſibus cap. 58. Ioannes Philoponus Dei naturam ſola communitate vnam, quemadmodum natura humana multorum hominum eſt vna; ſed in tribus perſonis eſſe tres diuinas naturas diſtinctas; atque ideo Verbi naturam incarnatam eſſe, non Patris naturam, aſſeruit, vt refert Nicephorus hiſtoriæ Eccleſ. lib. 18. c. 47. poſt med. vſque ad fin. & c. 48. initio. De quo videri poteſt etiam Suidas verbo *Ioannes Grammaticus*, qui idem eſt Philipponus.

2 Seueritarum, ſiue Theodoſianorum quarta & quinta ſecta, variis nominibus nuncupata, licet in aliis diſſentiret, in id tamen conſpirabat, quod tres aſſerebat naturas & ſubſtantias per omnia ſimiles. Harum authores & ſequaces à ſuis aduerſariis quidam appellati ſunt Trithæitæ, licet ipſi tres Deos negarẽt, quorum dux fuit Philoponus. Alij appellati ſunt Tetraditæ, vt refert Nicephorus hiſt. Eccleſ. lib. 18. cap. 49. à medio, & cap. 50. init. Hos videtur notaſſe Dionyſius Romanus Epiſcopus apud Athanaſ. in epiſt. de decretis Nicænæ Synodi vltra med. cum dicit: *Iſti quodammodo tres Deos conſtituunt, dum in tres ſubſtantias alienigenas ſanctam vnitatem diſpartiuntur.*

3 Clericus quidam in Francia dicebat, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum *non eſſe vnam tantùm rem, ſed tres res eſſe tres perſonas, ſicut tres angeli, aut tres animæ; ita tamen, vt potentia & voluntate omnino ſint idem.* Ita refert Anſelm. lib. de incarnat. Verbi, præſertim cap. 1. & 3. vt vidimus etiam diſp. 11. ſect. 1. A prædictis verbo tenus diſſidebat Abbas Ioachin; licet enim concederet, *quod Pater & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vna eſſentia, vna ſubſtantia, vnaque natura: verum vnitatem huiuſmodi non veram & propriam, ſed quaſi collectiuam & ſimilitudinariam eſſe fatebatur. Quemadmodum, dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Eccleſia.* Ita refertur cap. *Damnamus.* de ſumma Trinit.

4 Prædicti quidem hæretici tres eſſentias diuinas, increatas, & non factas aſſeruiſſe videntur, vel certè non expreſſerunt, eſſe creatas aut factas. Alij tamen hæretici dicentes, diuerſas eſſentias eſſe Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſolam eſſentiam Patris increatam, ac verè diuinam exiſtimabant: nam eſſentias Filij & Spiritus ſancti creatas ſiue factas, & inæquales eſſentiæ Patris, eſſe dicebant. Arius huic hæreſi nomen dedit, ſiue quoniam fuerit primus author illius, ſiue tanquam præcipuus diſſeminator, ita vt ſuis fraudibus vniuerſum ferè mundum faſcinauerit. Hic in epiſt. ad Alexandrum Alex. Epiſcopum, vt ex obliquo ſuggillaret catholicos, quaſi Manichæos, profitetur ſe non dicere, *ſicut Manichæus partem coëſſentialem Patris fœturam introduxit.* Vnde poſtea infert: *Tres ſubſtantiæ Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Hæc refert Epiphanius hæreſ. 69. pag. 2. Hæc igitur erant Arianorum verba in eorum profeſſione. *Tres ſubſtantiæ ſunt Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Ita refert Hilarius lib. 4. de Trinit. inter princ. & med. & lib. 6. colum. 3.

5 Ariana hæreſis, in multas ſectas continuò diuiſa, communem appellationem retinuit in omnibus: quas enumerat Sanderus lib. 7. de viſibili monarchia ſub Syluestro & Conſtantino, atque ſub annum Domini 214. ex quibus tria primaria capita referemus. Prima ſecta ſit eorum, qui retinent, vt proprium, commune nomen Arianorum, quorum caput fuit Acacius: quamuis poſtea conſenſerit Aëtianis, vt videre eſt in tripartita lib. 5. cap. 39. & cap. 42. De Acacio etiam & eius errores ſcribit Epiphanius hæreſ. 72. & eius ſophiſmata refutat hæreſ. 76.

6 Secunda ſecta fuit Aëtianorum ſub Aëtio Syro, qui prius diuturno tempore Catholicus, poſtea defecit ad hæreſim Arij. Eunomius autem, Aëtij fama permotus, ex Cappadocia veniens Anthiochiam, eius diſciplinæ ſe tradidit; vt fuſius narrat Nicephorus lib. 9. hiſtor. eccleſ. c. 17. præſertim propiùs ad med. quàm ad fin. & lib. 11. cap. 11. Ruffinus lib. 11. cap. 25. Vt propterea merito Baſilius lib. 1. contra Eunomium initio notauerit, authorem huius ſectæ fuiſſe Aëtium, *qui primus auſus eſt, apertè dicere, Filium eſſe alterius ſubſtantiæ.* Eunomium verò perfeciſſe & auxiſſe, cui concordat Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 54.

7 Aëtiani autem appellati ſunt Anomij, vt refert Damaſcenus lib. de hæreſibus paulo poſt med. in verbo, Aëtiani; apud Anaſtaſium autem & alios nonnullos Patres appellantur Anomæi. Dicti ſunt etiam diſſimiles, quia diſſimilem Patri Filium eſſe dicebant, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum voluntatem; & qui ex non exiſtentibus eſſet, vt refertur hiſtoriæ tripartitæ lib. 5. cap. 42. & apud Philaſtrium in 2. catalogo hæreſeon. num. 21. verbo *Eunomiani.*

8 Aërius autem & eius ſectatores Aëriani poſteriores Aëtio fuiſſe videntur; ſed Arianæ impietatis ſimiliter ſectatores, addentes peculiares errores; vt refert Damaſcenus lib. de hæreſibus paulo poſt med. in verbo, *Aëriani.* Auguſt. lib. de hæreſibus cap. 53.

9 Tertia ſecta fuit Semiarianorum, quorum dux fuit Macedonius, à quo dicti ſunt Macedoniani. Qui licet Filium facerent minorem Patre, ſimilem tamen ei eſſe prædicabant. De Semirianis ſcribunt Epiphanius hæreſ. 72. & 73. Theodoretus lib. 4. hæreticar. fabul. Auguſt. lib. de hæreſibus c. 51. & 52. Damaſcen. lib. de hæreſibus paulo poſt med. verbo *Semiariani.* Philaſtrius in 2. catalogo hæreſeon num. 20. Nicephorus lib. 9. hiſtor. Eccleſ. capit. 47. ſub init. & Socrates lib. 5. tripartitæ cap. 41. qui duo authores notant, opinionem eſſe apud multos, quod hoc inuentum non

non ſit Macedonij ſed potius Marathonij, quem Nicomediæ Epiſcopum fecerat Macedonius. Vnde ſectatores vocantur etiam Marathoni.

10 Quamuis autem Arianorum aliqui, præſertim Macedoniani conceſſerint, Patrem & Filium eſſe diſtinctos Deos, diſtinctas Deitates, ac diſtinctas eſſentias; negauerintque Deitatem vnicam & vnicam eſſentiam; vt refert Athanaſ. dialogo 3. de ſancta Trinit. contra Macedonium, propius ad prin. quàm ad med. & vſque ad medium Dialogi. Verumtamen æquiuocè, vel per analogiam vtebantur nomine Deitatis ac Dei. Solum quippe Patrem exiſtimabant eſſe increatum & maximum; vt nuper retulimus. Hac fortaſſis occaſione Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 52. exiſtimauit, Macedonianos rectè de Patre Filióque ſenſiſſe, quod ſint vnius ciuſdémque ſubſtantiæ; quoniam Deum eſſe Filium concedebant. Cæteri tamen Patres oppoſitum affirmant intelligentes eorum fraudem.

11 Arianam hæreſim cum aliis plurimis conflarunt Priſcillianiſtæ, dicentes: *Quod Pater aliquando fuerit ſine Filio; & tunc Pater eſſe caperit, quando Filium genuerit.* Quapropter, in hoc articulo fuiſſe Arianos, merito notat Leo Magnus epiſt. 93. ad Turibium Auſterienſem Epiſcopum cap. 2. His antiquior fuiſſe videtur Varimadus Arianus, contra quem ſcripſit Idacius Hiſpanus libros tres, qui habentur tom. 4. alias tom. 5. bibliot.

SECTIO III.

Iuniores etiam hæretici varijs modis multiplicant eſſentias diuinas.

1 EX recentioribus illi, qui à quibuſdam appellantur Trinitarij, verius autem ab aliis Tritheiſtæ, dicebant, in eo ſe differre ab Arianis, quod pares ſiue æquales tres eſſentias trium perſonarum aſſerebant: ſed poſtea eorum princeps Valentinus gentilis aſſeruit inæqualitatem; quia *ſolum Patrem, dixit, eſſe immenſæ ſubſtantiæ, & eſſentiatorem, & eminentiorem cæteris.* Filium autem & Spiritum ſanctum dixit, *eſſe circunſcriptibilem*, & eſſentiatum, licet non in tempore, ſed ab æterno genitum & ſpiratum ex Patris ſubſtantia: quemadmodum poſteriores Arianos ſenſiſſe, refert Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 1. Vnde etiam Maximinus apud Auguſt. lib. 1. contra ipſum confitetur, Filium nõ ex nihilo, ſed ex Patris ſubſtantia genitum iuxta ſententiam Concilij Ariminenſis. De Tritheiſtis ſcribit Genebrardus lib. 2. de Trinit. propius ad princ. quàm ad med. §. *ex iis igitur.* Et magis ex profeſſo Bellarminus lib. 1. de Chriſto, toto c. 2. & in præfatione eiuſdem libri inter princ. & med. & ante ipſos Benedictus Aretius in hiſtoria de ſupplicio Valentini gentilis.

2 Eraſmus in Scholiis tomi 3. epiſtolarum Hieronymi, dicit, Arianos non tam hæreſim docuiſſe, quàm ſchiſma feciſſe, cum eſſent illi noſtris numero ferè pares, eloquentia doctrináque ſuperiores. Conatus eſt etiam eneruare, & impugnare Patrum expoſitiones ad varia teſtimonia Scripturæ, quibus Arianam hæreſim efficacius expugnabant, vt illud Roman. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* & Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.*

3 Idem in epiſtol. Ioann. 1. cap. 5. ſecutus nonnullos Græcorum codices, & neglecta authoritate Hieronymi, prætermiſit illa verba, *& hi tres vnum ſunt.* Poſtea facti pœnitens, in alia editione reſtituit; ad vomitum tamen rediens, contendit ſe malè reſtituiſſe; vt refert Salmeron diſput. 33. ad illud capit. 5. Ioann. inter med. & fin. Imo & in annotatione ad eundem locum non de vnitate naturæ, ſed de vinculo charitatis, intelligendum putat illud; *Hi tres vnum ſunt*, & illud, *Ego & Pater vnum ſumus.* De quibus videri poteſt Bellarminus in præfatione ad libros de Chriſto circa med.

Denique vt refert Catherinus in tract. de Immaculata Conceptione: *Si quid authoritatis (Eraſmus ait) habuiſſem in illis ſynodis, in quibus de orbis concordia tractabatur; ſuaſiſſem præſtare, neſcire quid ſibi vellet homouſij verbum in perſonis diuinis, quàm tanto rerum tumultu, vel tueri, vel impugnare.* Quem eundem in vtilitatis prætextum obtẽdebant Ariani, vt abrogaretur *homouſion* diſp. 21. ſect. 4. præſertim obiect. 6. 4

Quamuis Lutherus, Philippus Melanchthon, Caluinus, & ſimiles Arium habuerint pro hæretico. Cæterum eiuſdem erroris ſemina ſuis ſcriptis ſparſerunt, ex quibus nati ſunt noui Ariani. Lutherus enim in lib. contra Iacobum Latomum: *Anima mea*, inquit, *odit hoc verbum homouſion.* Et impudenti mendacio teſtatur, eandem vocem ſancto Hieronymo diſplicuiſſe, quod neſcio quid veneni latere in ſyllabis arbitraretur. Verumtamen Hieronymus de nomine *hypoſtaſis* tantummodo timuit, donec à Summo Pontifice redderetur ſecurus, vt videbimus diſp. 31. ſect. 1. Nihil autem timuit de *homouſio.* 5

Præterea Lutherus in primum cap. Geneſeos, Filium appellat inſtrumentum Patris. Quas voces Arianorum fuiſſe conſtabit in extremis diſputationibus, quando tractauerimus de vnica operatione trium perſonarum. Inſuper ex Germanorum precibus expunxit illam prædicandi formulam, *Sancta Trinitas Vnus Deus* &c. Quin etiam ex 1. Ioan. 5. detraxit illud: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus & hi tres vnum ſunt.* 6

Philippus Melanchthon variis in locis ſcripſit: *In Filio aliquid eſſe diuinæ naturæ.* Et iterum: *In Chriſto aliquam eſſe diuinam naturam.* Itaque ſupponit, plures eſſe naturas diuinas. Atque naturam Filij fecit inferiorem, cum dixit: *Non eſt lacerata aut mortua diuina natura, ſed fuit obediens Patri, quieuit, ceſſit iræ æterni Patris.* Idem in lib. contra Stancar. & in epiſt. ad Electorem Brandeburgenſem, Filio ſecundum diuinam naturam tribuit eſſe miniſtrum Patris, & illi Patrem imperare, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes*, &c. 7

Caluinus conceſſit, Dei nomen per excellentiam quandam ſoli Patri attribui. Inſuper non eſſe veritati contrarium, quod Valentinus Gentilis aſſerebat, Deum habuiſſe vim generandi Filium, ac propagandi Spiritum ſanctum, quia voluit. Itaque non ſolum notionales actus, ſed etiam eorum potentiam liberæ voluntati ſubiiciebat; in quo Caluinus ſuperat Arianos. Quin etiam quodammodo Filium & Spiritum ſanctum omnibus creaturis inferiores facit, quia vim creandi Deus neceſſariò habuit, non quia voluit; ſed vim generandi & propagandi Filium & Spiritum ſanctum, non habuit, niſi quia voluit. Præterea Caluinus dixit, Filium non niſi impropriè vocari creatorẽ cœli & terræ, nec Deum de Deo, & ad vtramque naturam diuinam & humanam retulit ſubiectionem, quam Apoſtolus 1. Corinth. 15. 8

rinth. 15. significauit, dicens: *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.*

9 Theodorus Beza in magna confessione Gallicana art. 2. puncto 1. dixit, *essentiam diuinam esse realiter, & secundum veritatem distinctam in tres personas.* Ita refert Coccius infra citandus. Henricus Bullingerus, Zuuingli successor, diuinas personas, asseruit, esse gradu, forma & specie differentes. De his videri possunt Bellarminus in præfat. ad libros de Christo. Gregor. Valentia controuer. de Trinitate lib. 1. cap. 7. à med. Gabriel Vazquez 1. p. disp. 109. cap. 1. prope fin. Plures autem recentiorum hæreticorum blasphemias refert Coccius lib. 1. de Trinit. art. 4. pag. 2. & 3.

10 Raymundus Lullius inter alia sic delirauit: *Deus habet multas essentias.* Hic est primus articulus, quem ex lib. de philosophia amoris refert Nicolaus Eymericus in directorio Inquisitorum p. 2. quæst. 9. num. 5. Eundémque dixisse, tres personas esse tres essentias, testatur Bernardus Lucemburgensis apud Bellarminum lib. 1. de Christo cap. 2. ante med.

11 Omnium hæreticorum argumenta, quoniam varias implicant difficultates, soluuntur sparsim per varias disputationes totius voluminis de Trinitate, tam præcedentes, quàm sequentes. Quales sunt præcipuè disputationes de processione per intellectionem & volitionem; de generatione & eius quidditate, per quam à spiratione distinguitur; de identitate personarum cum natura diuina; de distinctione reali personarum ab inuicem, de vnitate Dei, simul cum Trinitate: de numero, de ingenito, de diuinitate & æqualitate Filij, de Verbo diuino, de Spiritus sancti diuinitate & processione; de necessitate aut libertate processionum; de earum termino à *quo*, an ex substantia Dei vel ex nihilo, an earum terminus sit creatus aut factus, de potentia generatiua & spiratiua; de vnica operatione trium personarum; de circuminsessione, de missione, de variis modis loquendi, præsertim exclusiuis. Quas difficultates & alias multas propriis in locis inuenire lectoribus promptum erit.

SECTIO IV.

Vtrum Origenes negauerit consubstantialitatem personarum.

1 ARianorum ars ad simpliciores decipiendos fuit, clarissimos superioris ætatis viros adstruere sui erroris assertores; quamuis constaret, fuisse potius refragatores. Sic Dionysium Episcopum Alexandrinum, insignem pietate atque eruditione, suam in sententiam vocabant; quem Athanasius in peculiari epist. de sententia Dionysij Alexandrini ab ea columnia vindicauit.

2 Eadem astutia conati sunt facere Arianum Origenem, licet inuitum & reluctantem; vt confirmarent obiectionem, quam vehementius vrgebant aduersus Catholicos de nouitate doctrinæ, cui satisfaciemus disput. sequenti sect. 3. Propterea non erit inutilis labor exponere, quid aduersus Arianos Origenes senserit de consubstantialitate Filij.

3 *Arianismum Origeni tribuunt hi Patres.* Arianam hæresim Origeni tribuunt viri grauissimi, Epiphanius in epistol. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, quæ inter epistolas Hieronymi est 60. Idem etiam hæresi 64. pag. 3. & in ancorato circa med. Theophilus Episcopus Alexand. in suo paschali lib. 2. August. lib. de hæresi. cap. 43. Nicephorus lib. 17. hist. Eccles. cap. 27. ad fin. & cap. 28. Iustinianus Imperator epistol. siue orat. ad Mennam Patriarch. Constantinop. sub init. & prope fin. Habetur tom. 2. concil. post epist. 3. Vigilij Papæ. Idem videtur supponere Damascenus lib. de hæresibus circa med. quoniam Origenianos, dicit, fuisse discipulos Origenis Adamatij scriptoris, & arbitratos, Filium & Spiritum sanctum creaturas esse. Similiter Breuiarium Liberati cap. 23. versus finem tom. 2. Concil. Ideo mirandum non est, D. Thomam infra quæst. 34. art. 1. ad 1. asseruisse: *Arianorum fons Origenes inuenitur.* & quæst. 32. art. 1. ad 1. Origenis & Arij errorem fuisse, dicit, ponere Patrem & Filium secundum substantiam differentes.

4 *Fundamenta.* Superfluum erit huius sententiæ fundamenta referre, quæ sumuntur ex libris Origenis; cum sit manifestum erroribus esse repertos, quibus Filius aut Spiritus sanctus asseritur inferior Patre, & in ordinem creaturarum redigitur: vt constat ex Hieronymo in epist. ad Auitum de erroribus Origenis. Videri possunt errores librorum Origenis de Trinit. de Spiritu sancto & de Christo, in collectanea de vita illius præfixa operibus Origenis per Genebrardum cap. 6. à princ. Vbi contendit, Origenem à culpa liberare; nunc ad sensum catholicum verba reuocando; nunc verò dicendo, eos errores ab Arianis fuisse respersos.

5 *Origenę defendunt ij authores.* Contrariæ proinde sententiæ, quæ Origenem ab Ariana hæresi defendit, assistunt non ignobiles Patroni, Russinus in apologia pro Origene, alij Patres apud Socratem lib. 6. historiæ tripartitæ cap. 15. Ex recentioribus etiam Picus Mirandul. in apolog. de hac re. Espencæus in appendice vltima ad epist. ad Titum. Sixtus Senensis annotatione 165. Fusiùs Genebrardus in epist. & in prædicta collectanea, quã præfixit operibus Origenis. Peculiariter autem contra præsentem articulum consubstantialitatis nihil vnquam scripsisse Origenem, probabile putant plurimi & eruditissimi recentiores, vt Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 10. col. 4. §. *tertiæ ætatis.* Valentia controuers. lib. 1. de Trinit. cap. 20. col. 2. Vazquez 1. p. tom. 2. disp. 109. cap. 1. sub init.

6 Baronius autem quamuis tom. 2. anno 232. probet Origenis damnationem, & anno 256. versus fin. §. *sanè quid.* vehementer miretur, à quibusdam recentioribus defendi post damnationem, authoritate Pontificia ab Anastasio Papa inflictam, post eiusdem reprobationem in quinta Synodo pronunciatam, vt dicemus assertione 3. post tot antiquorum Patrum aduersus Origenem conspirantes sententias. Nihilominus tom. 3. anno 344. circa med. §. *sed neque*, ait, hac in parte, quam Ariani oppugnabant, Origenem fuisse catholicum.

7 *Contrarium erroris Ariani docuit Origenes.* Dico igitur primò. Certum est aliquibus in locis, Origenem manifestè docuisse catholicum dogma contrarium Arianis. Nam lib. 1. periarchon, siue de principiis toto cap. 2. fusè probat Filij generationem æternam & diuinam. Sequenti verò cap. 3. propius ad med. quàm ad fin. trium personarum æqualitatem ita docet: *Nequis existimet nos, ex eo, quod diximus, Spiritum sanctum solis sanctis præstari, Patris verò & Filij beneficia vel inoperationes peruenire ad bonos & malos, iustos & iniustos: prætuliſſe per hoc Patri & Filio Spiritum sanctum, vel maiorem eius per hoc asserere dignitatem; quod vtique valde inconsequens est. Proprietatem namque gratiæ eius operisq; descripsimus. Porro autem*

autem nihil in Trinitate maius, minúsve dicendum est, quum vnius diuinitatis fons verbo ac ratione sua teneat vniuersa, Spiritu verò oris sui quæ digna sunt sanctificatione sanctificet, sicut in Psalmo scriptum est: Psalm. 32. *Verbo Domini*, &c. Notandum autem est prædictos libros periarchon præ cæteris esse densioribus & maioribus refertos erroribus, vt potest colligi ex Hieronymo in epistol. ad Auitum, & tamen in eis verum de Trinitate testimonium tulit Origenes.

8 Idem in dialog. de recta in Deum fide contra Marcionistas sub initium: *Credo*, inquit, *vnum omnium conditorem esse & opificem, & qui ab illo est, Deum Verbum consubstantialem, iuxtaq; peremnem.* Obserua vocem *consubstantialem.*

9 In commentariis autem epistolæ ad Rom. ad cap. 3. colum. penult. *Fidere*, inquit, *in Patrem Filium & Spiritum sanctum, qui integram substantiam, plenam, perfectam, qui nihil diuersum, nil discrepans aut extraneum in Trinitate profitetur.* Et in eadem epistol. ad Rom. lib. 7. cap. 9. colum. 2. perpendens illa verba, 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*, miratur eos, qui non agnoscunt Christi Domini Diuinitatem, subiungítque *vnus autem vterque est Deus*, scilicet Pater & Filius, *quia non est aliud Filio diuinitatis initium, quàm Pater, sed ipsius vnius Paterni fontis (sicut Sapientia dicit) purissima est emanatio Filius.* Et paulo inferius: *Qui autem super omnia est, supra se neminem habet. Non enim post Patrem ipse, sed de Patre. Hoc autem etiam de S. Spiritu intelligi dedit, vbi dicit: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & qui continet omnia scientiam habet vocis. Si ergo Filius Dei super omnes dicitur, & Spiritus sanctus continere omnia memoratur, Deus autem Pater est ex quo omnia, euidenter ostenditur natura Trinitatis & substantia vna.*

10 Idem Origenes in caput 21. Numerorum homil. 12. col. 2. postquam dixit, Patrem esse alium à Filio, & Spiritum sanctum esse alium à Patre & Filio. *Est*, inquit, *hæc trium distinctio personarum.* & post pauca: *Vna substantia est, & natura Trinitatis.* & paulo post: *Quod pluraliter dictum est personis, singulariter substantiæ conuenit.* Plura de isto dogmate, *Arianos* proprio nomine compellans, atque refellens scribit homil. 2. *in diuersos* de illo, *In principio erat Verbum*, col. 2. 3. & 4. Alia testimonia Origenis pro æternitate, dignitate & consubstantialitate Filij producit Athanasius in epist. de decretis Nicænæ Synodi, & adiungit, neminem ex antiquioribus Patribus pro suo errore ab Arianis allegari potuisse.

11 *Probabilius est nunquam scripsisse Arianismum.* Dico secundò. Probabilius videtur, Origenem nunquam Arianum dogma scripsisse: tametsi quibusdam in locis verborum obscuritas, & frequens theoria dederit occasionem timendi, vel suspicandi Arianismum: propterea quæ desideret piam interpretationem. Probatur primò, quia non est verisimile, Athanasium in libris Origenis non deprehendisse Arianismum; si foret in illis scriptus. Neque ausus fuisset Athanasius, contradicentibus Arianis, asseuerare nullum testimonium Origenis afferri posse pro illorum errore: nisi tutus esset ac certus, contrarium ab Arianis non posse deprehendi in quibuslibet operibus Origenis.

12 Secunda coniectura est, quia magister Origenis Clemens Alex. & eius discipulus Gregorius Thaumaturgus optimè de cõsubstantialitate senserunt; aliíque Patres in Origenis scriptis apprimè versati, vt Basilius & Nazianzenus; de quibus *Ruiz. de Trinitate.*

Nicephorus lib. 11. historiæ Eccles. cap. 17. prope fin. refert, se exercuisse in libris Origenis; & strenuè restitisse Arianis, afferentibus Origenis testimonia, ostendisséque, Arianos non satis Origenis sententiam assecutos.

13 Tertiò, quia valde probabile est, Origenistas hæreticos, aut Arianos inseruisse suos errores, vt Patronum inuenirẽt Origenem, quemadmodum Ruffinus ait in apolog. pro Origene. Fateor tamen commentaria in Ioannem tom. 1. & 2. non insertum, sed à radice natum videri Arianissimum, quia totum afficit contextum, ita vt non cohæreat sine illo errore. Ideo non admodum certa videtur hæc coniectura, nisi dicas, totum contextum fuisse mutatum.

14 Quartò, quoniam, vt Athanasius in prædicta epistola de decretis Nicænæ Synodi scribit: *Quæ Origenes disputandi, certandiq; gratia scripsit, ea non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita sentiat, sed eorum, qui cum eo contentiosius disputarunt, accipienda sunt.*

15 Quintò, quia terribilis illa contentio Patriarcharum Chrysostomi, & Theophili. Alexandrini potuit in errorem trahere Epiphanium, alioqui sanctissimũ & sapientissimum virum: nam Theophilus Alexand. coactis etiam Synodis exterminandos curabat libros Origenis, resistente Chrysostomo, Theotimo Scythiæ, & Methodio Olympi Episcopis: de quo videri potest Nicephorus lib. 13. c. 10. 12. & 13. & historia tripartita lib. 10. à cap. 10. vsque ad 14. Præterea contentionis ardor sequaces Theophili potuit impellere, vt ex Arianorum mendaciis arma sumerent aduersus Origenem.

16 Probatur sextò, nam quinta Synodus generalis Constantinopolitana collat. 8. iuxta nouam editionem, can. 11. licet anathematizet Origenem simul cum Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinari, Nestorio, aliisq; hæreticis, & simul cum impiis eorum scriptis: ibi tamen nulla fit mentio errorum contra consubstantialitatem Trinitatis. Neque in vllo alio loco eiusdem alteriúsve Synodi. Confirmatur, quia licet acta priora quintæ Synodi perierint malitia Origenistarum; nihilominus Nicephorus dicto lib. 17. cap. 27. ad finem. & cap. 28. profitetur, se transcribere de verbo ad verbum Anathematismos, quos Quinta Synodus in Origenem contorsit. In illis autem nihil notatur, quod manifestè pugnet cum dignitate aut consubstãtialitate Filij; licet alij errores notentur.

17 *Origenes scripsit alios errores.* Vnde infero & dico tertiò. Certum est Origenem alios errores scripsisse, & aliorum semina posuisse, vt constat non solum ex Quinta Synodo nuper adducta, & Nicephoro, sed etiam ex Hieronymo in apolog. aduersus Ruffinum præsertim lib. 2. & epistol. ad Auitum, cui titulus est, *quid cauendum in libris periarchon.* Confirmatur, nam & Breuiarium Liberati cap. 23. versus fin. (habetur tom. 2. Concil.) refert fuisse damnatum Origenem, & Iustinianus Imperator, supra citatus, prope init. huius sectionis, enixè postulabat illius damnationem. Præterea constat, excommunicatum fuisse à Demetrio Alexandrino Episcopo, & à cæteris Ecclesiis probatam fuisse excommunicationem illius; vt refert Hieronymus in prædicta apolog. lib. 2. Deinde ab Anastasio Papa fuisse damnatum, refert Baronius supra citatus. Denique doctrinæ corruptæ consonant mores & familiare contubernium puellarum.

SECTIO V.

Vis & significatio nominum, essentia, substantia & natura, prout prædicantur de Deo.

1 QVia frequens nobis nuncupatio essentiæ ac substantiæ (necnon & naturæ) *necessaria est, cognoscendum est quid significet essentia; ne de rebus locuturi, rem verborum nesciamus:* vt sapienter præfatur Hilarius lib. de Synodis col. 6. Dico igitur primò. Si primæuam impositionem nominũ consideremus, abstrahendo à Deo & creaturis; nomen *essentia* generalius est, quàm *substantia* vel *natura:* conuenit enim omnibus rebus cuiusque prædicamenti; quemadmodum illis conuenit ens, quod in decem prædicamenta diuiditur. Cæterum ob peculiarem excellentiã proprietatis per antonomasiam Deo conuenit essentia, quippe quæ dicitur à verbo substantiuo, *est:* Deus autem solus est *Qui est*, Exod. 3.

Essentia generalior quàm substantia vel natura.

2 Sic Athanas. tractatu de definitionibus col. 3. docet, quod essentia *dicta est tanquam existens & in veritate cognita.* Augustin. 7. de Trinit. cap. 5. *Ab eo*, inquit, *quod est esse, appellatur essentia.* Ambrosius idem obseruat, non solùm lib. 1. de fide cap. 9. sed etiam clariùs lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 9. post med. & cap. 10. in med. præcipit obseruari, quod *vsia diuina* significet *Deum semper esse.* Boëtius libr. de duabus naturis inter princ. & med. *Deus*, inquit, *vsia est & essentia. Est enim, & maximè ipse est, à quo omnium esse proficiscitur.*

3 *Acceptio substantiæ præcipua.* Dico secundò. *Substãtia* magis particulare nomen est, quàm essentia, iuxta primam impositionem, iuxta quam propriè non conuenit nouem prædicamentis accidentium. Sed quoniam in Deo nullum est accidens, ideo tota eius essentia totaliter est substantia. Quamuis autem antiquissimi Patres, Deum non esse propriè substantiam, propterea dixerint, quia non subsłat accidentibus, nec ponitur in prædicaméto: nihilominus prætermissa nominis etymologia, quantum ad rẽ ipsam significatam, Deus propriissimè substantia est; vt vidimus disput. 10. sect. 4. non solùm propter essentiam omnino distantem ab accidentibus; sed etiam, quia solus Deus *in suo esse maneat, nec ope subsistat aliena;* vt sapienter obseruauit Ambrosius lib. de Incarnat. nuper citato. Atque Phebadius Galliarum Episcopus libr. contra Arianos inter princ. & med. eadem ratione probat, *vni & soli Deo competere substantiæ definitionem, quòd propria intra se virtute subsistit.* Denique varias acceptiones *substantiæ* reperies disput. 23. sect. 2. fine. & sect. 3. initio.

4 *Natura stricè pro rebus physicis.* Dico tertiò. *Natura* nomen est magis contractæ significationis: nam apud Philosophos refertur solummodo ad res corporeas, quas physicas, id est naturales appellant; quoniam in se habent principium motus localis augmentationis vel alterationis, vt definit Aristoteles 2. physic. cap. 1. sub init. Cui consonat etymologia vocis, quam tradit Athanasius tractat. de diffinitionibus col. 3. *Inde natura dicta est*, inquit, *quod ita nata sit & existat.* & post pauca: *Rursus dicta est natura à nascendo & germinando.* Eiusdem nominis varias acceptiones explicat Boëtius lib. de duabus naturis prope init.

5 Prædicta proprietas causa fuisse videtur, ob quam Nazianz. orat. 45. ad Euagrium Monachum sub init. notat: *Essentiam rectius, quàm naturam,* appellari. Cyrillus Alexand. lib. 7. thesauri cap. 1. in medio dixit: *Supernaturalem Dei substantiam.* Theophylactus autem Ioan. 1. ad illud, *& Deus erat Verbum*, &c. contra Porphyrium repetit, *Verbum Dei esse super naturam.*

6 *Natura pro qualibet essentia.* Dico quartò. Nihilominus natura, iuxta communem theologorũ acceptionẽ, significat etiam quamlibet essentiam, quantumcumque spiritualem & diuinam, inde sumpta nominis analogia; quoniam sicut apud physicos natura est principium motus; sic etiam quæcumque substantialis essentia, non solum angelica, sed etiam diuina, principium est alicuius operationis. Quam rationem indicauit S. Thom. infra quæst. 39. art. 2. ad 3.

7 Confirmatur, nam & Boëtius libr. de duabus naturis non valde procul à princ. *Est*, inquit, *alia significatio naturæ per quam dicimus, diuersam esse naturam auri atque argenti, in hoc proprietatem rerum monstrare cupientes. Quæ significatio naturæ definietur hoc modo: Natura est vnamquamque rem informans specifica differentia.* Et multo propius ad med. quàm ad princ. libri: *Natura est cuiuslibet substantiæ specifica proprietas.* Athanasius autem dicto tract. de diffinitionibus col. 3. ait: *Natura, essentia, genus & forma vnum sunt.* Vnde sumpsisse videtur Damascenus quod lib. de decretis primæ institut. cap. 1. & 6. ait: *Essentia, natura, genus & forma, vt sanctis Patribus placet, idem valent.*

8 *Essentia, substãtia, & natura Dei significant idẽ.* Ex quibus infero & dico quinto. Essentia, substantia & natura, quando referuntur ad Deum, in eadem prorsus significatione sumuntur; vt constat ex Athanas. in disput. contra Arium, Laodiceæ habita prope med. vbi postquam distinxit acceptiones vocis *substantia*; *Nos*, inquit, *de illo substantiæ genere disputamus, qua vnaquæque natura, ob id quod est, vel subsistit, substantia nuncupatur.* Confirmatur, nam (vt habent antiquiores editiones Conciliorum tomo secundo) in additionibus ad Breuiarium Liberati capit. vltim. prope Concil. Aruernense, Theodoretus proposita quæstione, *Quid est natura & substantia?* Respondet: *Natura & substantia in nullo significatorum differunt, nisi nomine.* Idem constat ex Iustiniano in edito fidei, multo propius ad med. quàm ad princ.

9 *Antiquioribus Latinis non erat in vsu substantia nec essentia.* Quamuis autem Augustinus 7. de Trini. cap. 6. ante med. obseruauerit, apud antiquiores Latinos non fuisse in vsu nomina *substantiæ* vel *essentiæ*, sed *naturam* dixisse pro *essentia:* nihilominus substantiæ & essentiæ nomine frequenter vtitur ipse, tam in libris de Trinit. quàm alibi. Vnde sermo 38. de tempore non longè post medium. *vnum*, inquit, *naturæ nomen, quo dicitur Deus substantia vel essentia.* Denique Patres, in hac & sequentibus disputationibus referendi, passim ac sine discrimine vsurpant nomina essentiæ & substantiæ vel naturæ, tanquam eiusdem omnino significationis.

10 *Ratio significationis eiusdem.* Rationem verò nuper allatam, propter quam hæc tria nomina sint eiusdẽ significationis, quando referuntur ad Deum, sic indicauit Hilarius lib. de Synodis col. 6. *Essentia est res, quæ est, vel ex quibus est, & quæ in eo quod maneat subsistit. Dici autem essentia & natura & genus & substantia vniuscuiusque rei poterit. Propriè autem essentia idcirco est dicta, quia semper est.* Ecce rationem nominis essentiæ, quæ Dei propria est. De substantia verò continuo subiungit: *Quæ*, scilicet, *essentia idcirco etiam substantia est, quia res, quæ est, necesse est subsistat in sese: quidquid autem subsistit, sine dubio in genere, vel in natura vel substantia maneat.*

Vbi

11 Vbi propterea subsistentiam ponit in definitione essentiæ, quoniam de illa essentia loquitur, quæ *semper est*: propterea; cum ea cõparata nulla sit creaturarum essentia: vt magis constabit ex sequentibus verbis. Neque intelligit, subsistentiam esse de ratione prædictæ substantiæ vel essentiæ; sed tantum esse de ratione substantiæ vel essentiæ, quod exigat subsistere per subsistentias relatiuas, quarum sit veluti radix ipsa substantia; vt probabitur disput. 34. sect. 5. & sequentibus. Complectitur autem Hilarius etiam naturæ nomen, tam in præcedentibus, quàm in sequentibus verbis, ita concludens: *Cum ergo essentiam dicimus significare naturam, vel genus, vel substantiam, intelligimus eius rei, quæ in his omnibus semper esse subsistat.* Prædictas voces esse desumptas ex Sacris literis constabit disput. 21. sect. 2. & disput. 24. init.

SECTIO VI.

Consubstantiales esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, peculiariter ex verbis. Ioan. 10. Vnum sumus.

1 PRobationes potissimæ præsentis dogmatis sunt eædem, quæ probant diuinitatem Filij, infra disp. 54. Similiter quæ probant diuinitatem Spiritus sancti, infra disp. 66. Præterea quæ probant Trinitatis mysterium, infra disput. 36. *Quæ* probant verbum esse propriè Filium & genitum supra disput. 4. & sequentibus. Quæ probant, non esse creatum, nec factum infra disput. 96. Quæ probant trium personarum vnicam esse operationẽ ad extra in postremis disputationibus. Alia denique quam plurima in variis disputationibus tractata, atque tractanda.

2 *Vnum essentiã.* Illud solummodo argumentum præsentis instituti magis proprium esse videtur, quod accipitur ex Ioanne 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Catholici omnes, qui contra Arianos disputarunt, hoc imprimis testimonio vsi sunt ad probandam vnitatem essentiæ. Neque immerito, quia illud *vnum* in neutro genere sine alio substantiuo nomine, valet idem quod *vnum ens:* vnius autem entis vnica est essentia, quæ abstractum est entis, & solo significandi modo distinguitur ab ente. Cum autem Pater & Filius non sint vnum accidente, quod in Deum cadere non potest, nec sint vnum relatione: cõsequens est vnum esse substantia, sicut Aug. infert lib. 6. de Trinit. cap. 2. fine.

3 Vnitatem igitur essentiæ, siue substantiæ ex hoc loco probant Alexander Alexandrinus Episcopus in epist. ad omnes Episcopos, quæ ponitur ante Concil. Nicænum. Athanasius in quinque orationibus cõtra Arianos, præsertim orat. 4. circa med. & orat. 5. circa med. & lib. 4. aduersus Vrbicum Potentinum prope fin. & epist. ad Africanos post med. & alibi passim. Nazianzenus lib. de fide, quæ est orat. 49. col. 3. & 4. Basilius lib. vnico de Spiritu sancto cap. 18. versus med. & lib. 1. aduersus Eunomium prope fin. & lib. 4. cap. 1. ad fin. Epiphanius hæres. 57. pag. 2. & hæres 62. ad med. & iterum propiùs ad fin. quàm ad med. & hæres. 69. Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 2. prope med. & fusiùs lib. 7. cap. 10. ante med. & libr. 12. thesauri cap. 15. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 11. Gregor. Bœticus lib. de Trinit. præsertim col. 7. & 8. Chrys. in Ioan. hom. 60. multo propiùs ad med. quàm ad princ. Theodorus Mopsuesten. in Græcorum catena apud Maldonatum Ioan. 10.

Ruiz. de Trinitate.

4 Ex Latinis, Ambrosius valde frequenter quinque libris de fide ad Gratianum, præsertim lib. 1. cap. 1. & lib. 4. cap. 2. versus fin. & tribus libris de Spiritu sancto, potissimum lib. 3. cap. 18. multo propiùs ad med. quàm ad princ. & lib. de Filij diuinitate prope med. Hilarius lib. 3. de Trinit. multo propiùs ad fin. quàm ad med. fusiùs autem lib. 7. circa med. Hieronymus Isaiæ 6. ad illud, *& audiui vocem*, Augustin. in Ioan. tract. 36. propiùs ad fin. quàm ad med. & lib. 4. de Trinit. cap. 9. & lib. 5. cap. 3. & 9. & lib. 6. cap. 2. & 3. & lib. 83. quæstionum. q. 69. & lib. 3. contra Maximinum cap. 14. inter princ. & med. *Quid est*, inquit, *homousion, nisi ego & Pater vnum sumus?* & alibi frequenter. Idacius lib. de Trinit. contra Varimadum col. 10. & 11. Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium col. 5. & lib. 4. col. 7.

5 *Torquetur ille locus ad vnitatem concordiæ.* Hoc testimonium debilitare conantur aduersarij, exponentes, Patrem & Filium esse vnum non essentia siue substantia, sed animorum consensu & vnanimi concordia voluntatum. Ita respondebant olim Ariani, apud Synodum Sardicensem, qua parte catholica & approbata est, in epistl. ad omnes Episcopos col. vlt. & apud Athanasium orat. 4. contra Arianos. Et Gregor. Bœticum lib. de Trinit. col. 8. & Augustin. loçis infra citandis. Similiter respõdebat Eunomius apud Basil. lib. 1. cõtra Eunom. Atque Nouatianus presbyter Romanus, qui creditur esse author libri de Trinitate, extantis inter opera Tertulliani cap. 22. Nec enim Tertulliani potest esse liber, qui Sabellianos refellit Tertulliani tẽpore nõdum exortos.

6 Eandem explicationem ad alium longè diuersum errorem defendendum, induxit Abbas Ioachin, vt refert cap. *damnamus*, de summa Trinit. Et ad nouum Arianismum siue Tritheismum defendendum, Transyluani, & Franciscus Dauid. Quin etiam Erasmus ita contendebat exponendum; vt videmus sect. 3.

7 *Argumentum hæreticorum.* Prædictam expositionẽ probant pluribus Scripturæ testimoniis, quibus fideles vnum corpus, vna Ecclesia, vnum regnum esse dicuntur. Potissimum verò Ioan. 17. versu 11. *Vt sint vnum sicut & nos.* & rursus versu 21. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* & iterum; *Vt sint vnum sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Sed fideles inter se, & cum Christo Domino non sunt vnum substantia & essentia, sed consensu fidei & concordia charitatis. Ergo Pater & Filius ex prædicto testimonio non probantur esse vnum essentia; sed tantùm consensu & concordia.

8 Confirmabant, quia 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimoniũ dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnũ sunt.* Vbi continuo subiungitur: *Tres sunt qui testimoniũ dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt:* sed hi tres non sunt vnum substantia & essentia. Ergo neque illi tres sunt vnum substantia & essentia.

9 *Non satis facit, nisi vnitas naturæ.* Hanc tamen expositionem & obiectionem validè confutant Patres citati, & communiter doctores Catholici. Primò, quoniam in sacris literis quoties plura sic dicuntur vnum, vt non addatur quid vnum; significatur eadem natura atque essentia, vt August. notat libr. 6. de Trinit. cap. 3. & lib. 2. contra Maximinum Arianum cap. 12. fusiùs autem libr. 3. contra eundem cap. 22. Huius significationis fundamentum ex vi verborum notauimus sub init. huius sectionis. sed Augustinus eam probat exemplis, vt 1. Corinth. 3.

qui plantat & qui rigat vnum sunt, videlicet, vt ministri Dei: præmiserat enim, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum Dat Deus.* 1.Corinth.6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*, non dixit vnum absolutè, sed vnum corpus: & rursus: *Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est*, non dixit vnum simpliciter; sed vnus Spiritus. Nec reperietur aliquis locus, in quo plura dicantur esse simpliciter vnum, non explicando quid vnum.

10 *Obiectio. Refutatio.* Si respondeas, etiam hoc citato Ioannis 17. simpliciter dici *vt sint vnum*; non addendo quid vnum. Respond. & præcedens argumentum confirmatur primò, quia propterea prædicta sententia repetitione declaratur versu 21. *vt & ipsi in nobis vnum sint.* Cum autem in Deo fideles vnum esse non possint per identitatem substantiæ & essentiæ diuinæ: consequens est, eo ipso significari solam vnitatem fidei & charitatis, per quam primariò constituuntur vnum cum Deo; secundariò autem constituuntur vnum inter se ipsos. Sumitur hæc ponderatio ex Concil. Sardicen. & Augustino locis citatis.

11 Confirmatur secundò, quia modus rogandi Patrem, euidenter probat, non per naturam, sed per gratiam futurâ esse vnitatem fidelium, quam postulat Ioann. 17. At verò Ioann. 10. non orat Christus Dominus, vt ipse & Pater vnum sint; sed affirmat, quod & necessariò est: ita vt impossibile sit aliter esse, *ego & Pater vnum sumus.*

12 *Dictio sicut inaqualitatem significat aliquando.* Tertiò confirmat Innocentius III. in cap. *damnamus*, de summa Trinit. prope fin. quia dictio *sicut* denotat inæqualem similitudinem, quando creaturæ referuntur ad imitationem Creatoris: si quidem *inter creaturam & Creatorem non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.* Quemadmodum Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Idem obseruat Athanas. orat. 4. contra Arianos inter princ. & med. At verò Ioan. 10. non ad imitationem alicuius exemplaris dicit: *Ego & Pater vnum sumus*, sicut vnum sunt tales res; sed simpliciter proponitur vnitas, quæ totius vnitatis est principium & exemplar.

13 Confirmatur quartò, quoniam vt sapienter ponderant August. dicto lib. 6. de Trinit. cap. 3. & lib. 3. contra Maximinum cap. 22. prope med. & Athanas. dicta orat. 4. contra Arianos, non solùm de se ipso nemo propter summam excellentiam sanctitatis auderet dicere; *Ego & Deus vnum sumus*; sed neque de vllo alio id pronuntiare auderet, veluti dicendo: *Petrus & Deus vnum sunt*, non explicando quod sint vnum charitate, aut Pontificia potestate, vel alia qualibet perfectione. Confirmat quintò Fulgentius ad obiectionem septimam Arianorum post med. quoniam Christus Dominus potuisset dicere, *vnum volumus*: sed cum dixit, *sumus*, significauit essentiam, à qua dicitur esse.

14 *Ex contextu deducitur vera expositio.* Refutatur secundò, ex ipso contextu Ioan. 10. volebat enim probare Christus Dominus, neminem posse suas oues de manu sua rapere, quia ipse & Pater vnum sunt, & nemo potest de manu Patris rapere. Cuius argumenti vis in eo consistit, quod Christus & Pater vnius & eiusdem potentiæ sint. Vnde necessariò sequitur, vnius & eiusdem esse naturæ atque voluntatis. Ita ratiocinantur Chrysostom. dicta homil. 60. multo propius ad med. quàm ad princ. Basilius lib. 1. contra Eunomium prope fin. & libr. 4. contra Eunom. cap. 1. ad fin. Hilarius lib. 7. de Trinit. circa med. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. multo propius ad med. quàm ad fin. August. tract. 48. in Ioan. circa med.

15 Confirmatur: nam si Christus D. intellexisset non vnû secundum potentiam, sed tantùm vnum secundum concordiam: inde probare non valeret, neminem posse suas oues de manu sua rapere, sicut nec de manu Patris; quia sola concordia, sine vnitate potentiæ non constituit eius manum æqualis fortitudinis cum manu Patris. Cui consonat quod subiungit ad probandam, quam prædixerat, vnitatem: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, &c.* Ex operibus autem immediatè atque formaliter infertur vnitas potentiæ: consequenter autem vnitas substantiæ.

16 *Etiam Iudæi naturæ identitatem intellexerunt illis verbis.* Tertiò refutant Augustinus & Chrysostomus in Ioan. 11. locis nuper citatis. Athanas. orat. 5. contra Arianos, Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 15. & alij plerique Patres, quoniam auditis verbis Christi Domini de sua vnitate cum Patre, Iudæi planè intellexerunt, Christum Dominum affirmasse naturæ atque Deitatis vnitatem: *Sustulerunt*, inquit Ioannes, *Iudæi lapides, vt lapidarent eum*, &c. & post pauca: *De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia; quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Vnde iure optimo Patres colligunt, Arianos esse stolidiores rudioresque Iudæis; siquidem non intelligunt verborum sensum, quem obcæcati Iudæi intellexerunt. Confirmatur, quia Christus Dominus nunquam vt falsum correxit intellectum, quem Iudæi tribuebant suis verbis; sed potius corroborabat argumenta, probantia vnitatem Diuinitatis & potentiæ.

17 *Obiectio.* Sed obijciunt hæretici, Christum sequentibus verbis correxisse prædictum intellectum Iudæorum, ac declarasse, per solam gratiam, non per substantiam, se Deum esse, cum ait: *In lege vestra scriptum est, ego dixi, Dij estis vos*, &c. *Solutio.* Verumtamen ibi contineri argumentû à minori ad maius, & ex his, qui sunt Dij per gratiam & participationem, inferri, quod naturalis Filius sit Deus per naturam, notant communiter expositores. De quo videri possunt Augustinus & Beda in eum locum, & Hilar. 7. de Trinit.

18 *Quid correxerit Christus D. illis verbis:* in lege vestra scriptum est, &c. Illud maximè notandum est, quod obseruauit Athanasius orat. 5. contra Arianos prope med. Christum Dominum illis verbis correxisse Iudæos, siniſtrè interpretantes, eum dixisse, quod esset Deus Pater. Propterea vim argumenti constituit in eo, quod sicut filij Excelsi per adoptionem, in mundo geniti, & non missi de cælo, neque insigniter à Patre sanctificati, dicuntur Dij: potiori iure Filius in cælo natus, & inde missus in mundum, & insigniter sanctificatus (siue per vnionem hypostaticam, siue per æternam generationem) dicendus est Deus, licet non sit Deus Pater, sed Deus Filius: Quod amplius exponit & confirmat sequens contextus, & illud præsertim: *Vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Quod ad hoc propositum ponderat Athanasius, non tantùm loco citato, sed etiam contra Gregales Sabellij paulo post med. orationis.

19 Ex iis constat solutio ad principalem obiectionem ex cap. 17. Ioannis. Ad confirmationem autem ex 1. Ioan. 5. solutio constabit ex sect. seq.

SEC

SECTIO VII.

Spiritus sanctus est vnum cum Patre & Filio, & illis consubstantialis.

1 QVia testimonium Ioan. 10. præced. sect. ponderatum, nihil affert expressum de Spiritu sancto, valde conueniens fuit vt Spiritus sancti consubstantialitas & vnitas eodem vocabulo, quo Verbum æternum suam vnitatem & consubstantialitatem significauerat, doceretur. 1. Ioan. 5. cum ait: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Vbi significari substantiæ siue essentiæ vnitatem, obseruat Athanasius lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. & in disput. cum Ario in Concilio Nicæno. Fulgentius lib. contra obiectiones Arianorum prope fin. citans pro eodem sensu Cyprianum in epist. de vnitate Ecclesiæ, quæ alias appellatur liber de simplicitate prælatorum, vbi pag. 3. supponit potius, quàm dicit, substantialem vnitatem his verbis significari.

2 Quod clarius Tertullianus adnotauit lib. 4. in Marcionem longè post med. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. Magis ex professo Hieronymus prolog. in catholicas epist. August. in eum locum Ioannis, & lib. 3. contra Maximinum cap. 22. post med. Higinius epist. 1. ad omnes Christi fideles. Ioannes II. Papa epist. ad Valerium. Idacius lib. aduersus Varimadum. Bernard. serm. 1. & 2. in octaua Paschæ. Eugenius Carthaginensis in explicatione fidei catholicæ, Innocentius III. cap. *damnamus*, de summa Trinit. Victor Vticens. lib. 2.

3 *Hæretici negant verba:* Hi tres vnû sunt. Quapropter impudens est mendacium hæreticorum dicentium, illa verba, *Hi tres vnum sunt*, à nullo authore legi, excepto Hieronymo. Frigidior autem est admiratio Erasmi, quòd Magnus Cyrillus non fuerit vsus hoc fortissimo telo contra Arianos; quasi omnia testimonia veritatis à quolibet doctore ponderari debeant; & protinus expungendum sit, quod ab vno doctore prætermittitur, licet ab aliis ponderetur.

4 *Obiectionis solutio prior.* Ad illud verò, quod obijciunt hæretici, non aliter dici de *Spiritu, aqua & sanguine, & hi tres vnum sunt.* Vnde sicut Spiritus aqua & sanguis non sunt vnum numero, imo neque specie; ita Pater, Verbum & Spiritus sanctus non erunt vnum numero, neque specie. Docti recentiores respondent, in multis Latinis codicibus nõ haberi *hi tres vnum sunt*, quando sermo est de Spiritu, aqua & sanguine. Græci autem Codices legunt de Spiritu, aqua & sanguine, *Hi tres vnum sunt*, id est, conspirant in vnum testimonium.

5 *Solutio posterior.* Sed quoniam Vulgata totidem verbis, sicut de Patre, Verbo & Spiritu sancto: ita de Spiritu, aqua & sanguine, legit, *hi tres vnum sunt*: aliter respondet obiectioni Augustinus lib. 3. contra Maximinum dicto cap. 22. post med. *Hæc sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia. Si ergo illa, quæ his significantur, intelliguntur, ipsa inueniuntur vnius esse substantiæ.* Videlicet, Pater, Verbum & Spiritus sanctus significati per Spiritum, aquam & sanguinem, quando Christus Dominus in cruce *inclinato capite tradidit Spiritum*, & aperto latere, *continuo exiuit sanguis & aqua.* Quapropter in priori ternario substantialis est vnitas formaliter & ratione sui; sed in posteriori ternario substãtialis vnitas non est formaliter, sed obiectiuè, tanquam obiectum eiusdem significationis illorum trium testium.

6 *Consubstantialitas Spiritus sancti ab Apostolis vsque.* Secunda probatio sit, quoniam ab Apostolis vsque manauit consubstantialitas Spiritus sancti. Iacobus enim frater Domini in Liturgia sub init. Spiritum sanctum appellat *Consubstantialem*: & propius ad fin. quàm ad med. post quam sacerdos accipit calicem vocat *simul cũ Deo Patre & vnigenito Filio assidentem, simul regnantem, consubstantialem & coæternum.* Ac prope fin. liturgiæ dicit, *consubstantialem Trinitatem Patrem, Filium & Spiritum sanctum.*

7 S. Marcus Euangelista in liturgia longe post med. in orat. *Hoc facite, &c.* vocat Spiritum sanctum *consubstantialem Deo*, & longè inferius in orat. *Sanctæ summæ* dicit: *Incõprehensibile Dei Verbum, Patri & sancto Spiritui consubstantiale.* Quod si fides adhibenda est libro sub nomine Procori de vita Ioannis Euangelistæ, ipse etiam Ioannes *consubstantialem Trinitatem* appellauit, vt refert cap. 1.

8 Tertiò probatur decretis Conciliorum & summorum Pontificum, quibus, fateor, Filij consubstantialitatem definitam esse celebriùs atque frequentiùs, quàm cõsubstantialitatem Spiritus sancti. Ratio cuius ea fuit, quia Nicæni Patres aduersus Arianos pro consubstantialitate Filij potissimum dimicabant: ideóque in Symbolo Nicæno Filius tantum expresè appellatur consubstantialis: *Sententia tamen de Spiritu sancto in transcursu sine omni diligentia posita est, propterea quod nondum mota esset ista quæstio*, videlicet directè & primariò, vt notat, Basilius epistol. 78. post med. & epistol. 60. fin. Idem admonuit Nazianzenus orat. 52. quæ est epistol. 2. ad Cledonium sub init.

9 Nihilominus Nicænos Patres eandem cõsubstantialitatẽ, quã expressere magis de Filio, similiter etiam intellexisse de Spiritu sancto; constat apertè, non solum ex omnimoda paritate rationis; sed etiam ex libr. 2. eiusdem Concilij inter med. & fin. in responsione per Leontium, quæ incipit, *si quidem inexplicabilis.* vbi Patres: *vnam*, inquiunt, *diuinitatem cogitari, & credi asseruimus, vnam substantiam, dominationem, & sententiam vnam Patris & Filij & Spiritus sancti.* & post pauca, appellat *Trinitatem consubstantialem.* & eodem modo appellat in §. *audi iam*, in fin. Postea verò *plurimi Episcopi, in Alexandria cõgregati cum Athanasio & Eusebio, Nicæni Concilij decreta roborauerunt: & consubstantialem Patri ac Filio Spiritum sanctum sunt professi.* Ita refert Sozomenus lib. 6. tripartitæ cap. 20. fine.

10 Damasus Papa epistol. 1. ad Paulinum Antiochenum confirmat expositionem fidei, *quæ apud Nicæam pia Patrum voluntate firma est*: & epist. 6. Non solum Damasi, sed etiam Episcoporum, qui ad eum conuenerant: *Patres*, inquit, *nostri trecenti decem & octo Episcopi, habito tractatu in vrbe Nicæna, hunc murum fortissimum contra arma diabolica statuerunt, & hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, vt Pater & Filius vnius diuinitatis, vnius virtutis, vniusq; magnitudinis debeat credi, vniusque essentiæ, siue substantiæ, simul & Spiritus sanctus.*

11 Concilium Cõstantinopolitanum Secundum, quod appellatur Quinta Synodus, cõfessione seu collatione 8. can. 1. *Si quis*, inquit, *non confiteatur Patris & Filij & Spiritus sancti, vnam naturam, siue substantiam, & vnam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem, in tribus subsistentijs siue personis adorandam, talis anathema*

sit. Consubstantialem Trinitatem appellat etiã Concilium Nicænum Secundum, quod est Generale Septimum act. 3. in confessione fidei, Tharasij sub init. quam probat idem Concilium, & longè inferius in exemplari literarum Theodori Patriar. Hierosolym.

12 Martinus Papa I. in decretis Synodicis contra Theodorum & Cyrum cap. 1. dicit: *Vnum Deum in tribus subsistentijs consubstantialibus.* & cap. 2. *Consubstantialis Trinitatis.* Ioannes Papa II. epist. 2. ad Senatores, quæ solet appellari *liber de duabus naturis* contra Eutychianos cum Augustino lib. 11. de ciuit. cap. 24. initio, decernit, *Quod Spiritus sanctus simul Patris & Filij sit, & ipse consubstantialis & coæternus ambobus.*

13 Agatho Papa simul cum Romano Concilio in epist. 2. quæ habetur in sexta Synodo actione 4. in 2. col. epistolæ Trinitatem appellat *coëssentialem*, & inter med. & fin. vocat eandem *consubstantialem.* Sophronius Patriarcha Constantinop. in sexta Synodo actione 11. epist. professionis fidei colum. 2. & sequentibus, identidem docet *consubstantialem*, siue *vnam essentiam*, siue *identitatem substantiæ* Trinitatis. Quibus adde Concilium Anglicanum, apud Bedam lib. 4. historiæ Anglicanæ cap. 13. dicens etiam *consubstantialem Trinitatem.*

14 Quartò probatur ex aliis Patribus. Iustinus *coëssentialem* esse Trinitatem probat in expositione fidei, cui titulus est de *coëssentiali Trinitate*, explicátque esse vnius essentiæ, siue substantiæ ac Deitatis. Idémque repetit quæst. 17. & 18. & 129. ad orthodoxos & in dialogo cum Triphone. Epiphanius hæres. 57. 62. 64. 69. 73. 74. & 76. atque in ancorato frequenter scribit *Trinitatem coëssentialem*, & Patrem, Filium & Spiritum sanctum *esse coëssentiales*, vnam essentiam & vnam Diuinitatem.

15 Nyssenus lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos cap. 1. fine, appellat *coëssentialem Trinitatem.* Basilius serm. de ascesi, siue exercitatione monastica appellat *Trinitatem coëssentialem*, & eandem *consubstantialem* appellat lib. 5. contra Eunomium init. Peculiariter autem Spiritũ sanctum esse *consubstantialem*, probat Basil. homil. 28. contra Sabellianos post med.

16 Chrysostomus tom. 3. homil. 3. de sancto & adorãdo Spiritu sub init. & sequent. serm. de Trinit. ad fin. eiusdem tomi tertij frequenter repetit *consubstantialem* siue Trinitatem, siue Filium, aut Spiritum sanctum. Ephrem Syrus opusc. de sui ipsius reprehensione el 2. (quod habetur tom. 3.) propius ad med. quàm ad princ. *Spiritus*, inquit, *& Verbi vna & eadem est principij expers essentia, atque substantia*, & opusc. de recta viuendi ratione cap. 46. commendat *fidem consubstantialis Trinitatis.* Eodem modo de Trinit. loquitur Anastasius Patriar. Theopolitan. in compendiaria expositione fidei inter princ. & med.

17 Hieronym. epistol. 57. ad Damasum prope fin. *Homousion Trinitatem* dicit. August. autem lib. 1. de Trinit. cap. 6. inter med. & fin. de Spiritu sancto concludit: *Ergo Patri & Filio prorsus æqualis & in Trinitatis vnitate consubstantialis.* Quod idem scribit lib. 11. de ciuit. cap. 24. supra citato.

18 Gregorius Bœticus lib. de Trinit. quatuor postremis columnis, *Spiritum sanctum consubstantialem* esse probat. Identidem verò Cyrillus Alex. dialogis de Trinit. & variis libris thesauri, sed peculiariter lib. 13. thesauri cap. 1. 2. & 3. & lib. 14. cap. 4. & in dialogis de Trinit. lib. 3. & 7. & in expositione Symboli Nicæni col. 4. & 5. & vltima nunc *Spiritum sanctum*, nunc verò *Trinitatem consubstantialem* esse probat.

19 Cyrillus Hierosolymitanus catechisi 17. col. penult. semel & iterum, notat, Spiritum sanctum esse *consubstantialem* Patri & Filio. Idémque docet Damascenus lib. 1. fidei cap. 10. initio. Fusiùs id probat Bernard. contra Petrum Abailardum, qui licet fateretur, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio; negabat tamen esse de illorum substantia; confutátque testimonio Athanasij in lib. de vnita Trinitate & Hieronymi epist. ad Auitum, Bernard. inquã, epist. 190. ad Innocent. col. 2.

20 Testimonia tandem scripturæ & Patrum afferenda disput. 66. pro Diuinitate Spiritus sancti, probant esse consubstantialem.

SECTIO VIII.

Quibus casibus conuenienter significetur vnitas essentiæ trium personarum.

1 QVæstionis sensus est, vtrum dicendum sit: Tres personę sunt vnius essentiæ; vel vna essentia est trium personarũ; vel tres personæ sunt vna essentia: vel sunt vnum secundum essentiam, vel sunt vnũ in essentia, vel essentialiter: vel sunt ex eadem essentia: vel de eadem essentia. Quod autem de essentia dictum fuerit, intelligendum etiam erit de substantia siue natura. Quæ difficultates licet videantur esse grammaticæ, potius quàm theologicæ; non sunt perfunctoriè tractandæ, ne concipiendi modus à recta theologia deflectat occasione locutionis incautæ.

2 *In nominatiuo vna essentia, substãtia, natura, Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Dico igitur primò. Conuenienter dicimus, Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vna essentia, vna substãtia, siue vna natura diuina. Sic loquuntur communiter Patres, quorum plures citauimus sectionibus præcedentibus, alios referemus disputationibus sequentibus, præsertim disp. 22. 23. & 24. Ratio à priori est, quoniam de quolibet particulari prædicatur in recto commune, conueniens illi quidditatiuè: quemadmodum dicimus, Petrus est homo, Petrus est substantia. Quod autem essentia significetur per modum abstracti, nihil impedit prædicationem in recto de concretis; quoniam in diuinis abstractũ & concretum idem omnino significant, vt vidimus disput. 11. sect. 6. & dicemus disp. 80. & 81.

3 *In genitiuo vnius essentiæ, substantiæ, natura.* Dico secundò. Rectè dicimus, tres personas esse vnius essentiæ, siue substantiæ. Concilium Nicænum lib. 2. col. penul. ante subscriptiones in fragmento, quod incipit, *his hoc modo*: confitetur, *Filium & Spiritum sanctum eiusdem substantiæ cum Patre.* Ita loquitur etiam Damasus Papa & Episcopi ad eum congregati epist. 6. cuius verba retulimus in sect. præcedenti. Agatho & Romana Synodus in 2. epist. quæ habetur in sexta Synodo actione 4. in 2. colum. epistolæ, *Filium*, dicit, *consubstantialem, id est, eiusdem cum Patre substantiæ.*

4 Sophronius Patriarch. Constantinop. in sexta Synodo act. 11. in epist. professionis fidei col. 2. & & sequentibus sæpe repetit *vnius & eiusdem substantiæ.* Basilius epistol. 73. ad suos monachos post med. *Homousion, hoc est, eiusdem essentiæ confitemur.*

5 Augustinus de Trinit. lib. 7. cap. 6. circa med. *Tres*, inquit, *personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus: tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud quod persona, sicut tres statuas ex eodem auro possumus dicere.* Et lib. 3. contra Maximinum cap. 14. inter princ. & med. *Pater*, inquit, &

& Filius vnius sunt eiusdemque substantiæ. Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno firmatum est. Et paulo inferius: *Quid est enim homousion, nisi vnius eiusdemque substantiæ?*

6 Concilium Toletanum Sextum in professione fidei dicit: *Vnius essentiæ & naturæ.* Quod idem frequenter repetit Concilium Toletanum Vndecimum in professione fidei. Concilium Bracarense Primum, can. 1. similiter dicit: *Tres personas vnius substantiæ & virtutis.* Quæ nuper retulimus ex Augustino, recipit Magister 1. dist. 25. cap. *quibusdam*, & cap. *hic sensus*, & dist. 34. cap. *hoc quidam*, fine, & cap. *non ergo*, & cap. *hic non est.* Quod tacito consensu recipitur ibidem ab omnibus Scholasticis, & magis expresè à S. Bonauentura dist. 25. dubio literali 2.

7 *Ratio huius locutionis.* Vnus ex professo S. Thomas præsentẽ loquendi modum examinauit quæst. 39. art. 2. in cuius corpor. & in sol. ad 4. rationem reddit, quoniam essentia diuina significatur vt forma trium personarum, eo quod in creaturis natura specifica se habet vt forma suppositorum singularium. Rem autem habentem formam, licet non dicamus esse *formæ* simpliciter, sine additione alicuius adiectiui: cæterum cum adiectione alicuius adiectiui, quod designet, siue determinet illam formam; rectè dicimus rem aliquam esse *formæ*. Vt cum dicimus, ista mulier est egregiæ formæ, iste homo est perfectæ virtutis. Propterea tres personas rectè dicimus vnius essentiæ, siue vnius substantiæ vel naturæ, vt duplex genitiuus vim habeat designandi formam.

8 *Persona in genitiuo, & essentia siue substantia in nominatiuo.* Dico tertiò. Rectè dicimus etiam esse vnam essentiam, siue substantiam trium personarum, nimirum personas constituendo in casu gignendi. Sic Nicænũ Conciliũ citatum præcedenti sect. 7. dixit, vnam substantim Patris & Filij & Spiritus sancti. Nec non Quinta Synodus ibidem citata. Agatho & Romanum Concilium in epist. 2. quæ habetur in Sexta Synodo actio. 4. colum. 2. epistolæ dicit *Trium subsistentiarum vnam substantiam.* Et iterum de Patre, Filio & Spiritu sancto: *Quorum vna substantia, essentia &c.*

9 Iustinus in expositione fidei de Trinit. inter princip. & med. *Patris*, inquit, *& Filij, & Spiritus sancti eadem est essentia.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. inter princip. & med. *Est*, inquit, *Patris & Filij & Spiritus sancti vna substãtia.* Iterumque inter med. & fin. *Vna enim est Patris & Filij & Spiritus sancti essentia, quam Græci vsiam vocant.* Rationem locutionis reddit S. Thomas, nuper citatus, quia forma absolutè accepta, sine vllo adiectiuo, consueuit significari vt eius, cuius est forma; veluti cum dicimus: Sapientia Salomonis, fides Petri, pulchritudo mulieris.

10 *Per accusatiuum etiã additis præpositionibus.* Quartò præpositionibus additis, possumus per accusatiuum aut ablatiuum significare substantiæ vel essentiæ vnitatem. Quemadmodum Augustinus lib. 7. de Trinit. ca. 6. post. med. exponit illud Ioannis 10. *Vnum sumus, secundum naturam.* Et Iustinus in expositione fidei de Trinitate prope init. dicit, personas distingui *salua identitate iuxta rationem essentiæ.* Præterea *Vnum in natura* esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum dicit Augustin. serm. 38. de tempore non longè post. med. & Innocentius III. cap. *damnamus.* de Summa Trinit. dicit, *Vnitas in natura.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. circa med. *Deus*, inquit, *in vna natura vnus est.*

11 *Aduerbialiter.* Quintò, per aduerbium quoque significatur vnitas essentiæ, quemadmodum Concil. Toletanum Sextum in profess. fidei: *Substantialiter*, inquit, *vnum sunt.* Eodem modo dicere potuisset *essentialiter vnum.* Fulgentius autem de fide ad Petrum cap. 1. circa med. *Teneamus*, inquit, *Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse vnum naturaliter Deum.*

12 *Ex eadem essentia nõ possunt dici personæ.* Sextò, non possumus dicere, tres personas esse *ex eadem essentia*; (licet dicamus Filium & Spiritum sanctum esse ex eadem essentia Patris.) Quod adnotauit Augustinus verbis citatis pro assertione 2. & Sanctus Thomas quæst. 39. art. 2. ad 5. & communiter Scholastici cum Magistro locis citatis pro assertione 2. Ratio est; quia præpositio *ex*, vel *de*, non designat habitudinem causæ formalis; sed potius habitudinem causæ efficientis, vel materialis, quæ realem distinctionem requirit, non solùm in creaturis, sed etiam in Deo. Sed de his præpositionibus fusius disp. 97. & 98.

DISPVTATIO XXI.

Vtrum Homousij nomen à Nicænis Patribus tanto labore, ac dispendio, meruerit propugnari?

SECTIO I.

Vtilitas huius vocabuli maior fuit, quàm dispendium cuiusque contradictionis, ac difficultatis quantuncumque maximæ.

1 HIVS assertionis veritatem probat imprimis constantissima fidei confessio, qua sapientissimi Patres non solum in Niceno concilio, sed etiam sequẽtibus sæculis restiterunt apertis contradictionibus, & insidiosis machinationibus Arianorum, acerbissimas ab eis persecutiones & calumnias tolerando; quamuis oblata sibi conditione tranquillitatis & concordiæ, si vocabulum istud abrogari permitterent. Contra verò Nicænum Concilium, quo firmius hæreret in fide ac memoria Catholicorum, inseruit Symbolo *homousion*, quod Ecclesia Latinè transtulit *consubstantialem.*

2 *Nicænũ symbolum recipitur in sequẽtibus cõsilijs.* Nicænum Symbolum recipitur in omnibus sequentibus Conciliis; sed magis expresè in Sardicensi Generali Concil. qua parte Catholicum fuit, vt refert Athanasius epist. ad Antiochenses col. 2. & in Alexandrino Concilio epistol. ad Cyrillum Alex. quæ est 10. in tom. 4. Cyrilli, & in Ariminensi, qua parte Catholicum & approbatum fuit; vt constat ex eius definitione Catholica, quæ refertur tom. 1. Conciliorum ex Hilario, & ex epist. Synodali ad Constantinum, quam refert Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleu. propiùs ad princ. quàm ad med. Recipitur etiam in Constantinopolitano Primo, quod est vniuersale Secundum cap. 1. Nec non in Prima Generali Synodo Ephesina in epist. ad Nestoriũ, & tom. 2. cap. 3. & tom. 5. c. 1. anathematismo 1. Et in Calcedonensi, quæ est Quarta Generalis Synodus, act. 2. & act. 16. Et in Quinta Synodo Generali act. 3. in professione fidei & act. 8. can. 1.

3 *Idem Symbolũ à Summis Pontificibus.* Recipitur etiam Nicænum Symbolum à Summis Pontificibus in variis Conciliis & Epistolis: quemadmodum in Sexta Synodo act. 4. in epist.

Agathonis, & Concilij Romani ad Sextam Synodum inter med. & fin. epistolæ. Vbi veneratur authoritatem Nicæni Concilij, nominatim in defensione *consubstantialis Trinitatis*. Eandem veneratur Liberius Papa epist.9. quæ est ad Episcopos Italiæ, & habetur non solum tom.1. Conciliorum,sed etiam apud Hilarium in lib. fragmentorum multo propiùs ad med. quàm ad princip. & epist.11.ad Orientales. Leo Magnus epist.193. ad Turibium Austerienſ. cap.1. *Catholica*, inquit, *fides Homousion confitetur*.Ioannes I I.epist.ad senatores (alias lib. de duabus naturis contra Eutychianos) §. vltimo, veneratur & sequitur Concilium Nicænum cum aliis tribus.

4 *Eiusdē symboli expositores.* Hoc symbolum tanquam summæ authoritatis exponendum suscepere Patres plerique; vt Athanasius multis in locis, præsertim orat. 1. contra Arianos versus fin.& in dialogo.3. de Trinit.contra Macedonium & disput. contra Arium, habita Laodiceæ ante med. Nazianzenus tract. de fide, qui est orat. 49. prope med. & orat. 50. Hilarius lib. de Synodis prope fin. & in lib.fragmentorum quorumdam ante med. Magis ex professo Cyrillus Alex. in peculiari tractatu, qui est expositio Symboli Nicæni ad fin. tom. 4. & lib. dialog. de Trinit. propius ad princip. quàm ad med. Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium, præsertim à med. & peculiari opusculo *de Homousio recipiendo*, inter cuius med.& fin.ait: *Non desperatum hoc,sed cum miraculo dictum est*. Existimat itaque, vocabulum fuisse diuinitus traditum.

5 *Pater venerantes Nicænam synodū.* Præterea Nicænam Sinodum & eius definitionem de consubstantialitate, magna veneratione recipiunt & defendunt omnes Patres, vt Basilius epist.73.& 78. & 60. Ambrosius in libris de fide ad Gratianum, præsertim lib. 1. cap. 9. & lib. 3. cap.7. & lib.vnico de Filij diuinitate. Augustinus epist.174.& 178.& lib.3.contra Maximinum cap. 14.Fulgentius ad obiectionem septimam Arianorum. Isidorus lib.7. etymolog. cap.2. Concilium Toletanum Vndecimum in confessione fidei.

6 *Homousion non poterat eludi ab Arianis.* Probatur secundò,quoniam vt Athanasius lib. de decretis Nicænæ Synodi admonet, Ariani cæteras voces Catholicorum de Filij diuinitate tolerabant, præter *Homousion*: quia cæteras poterant ad suum sensum trahere, sed *Homousion* per eorum astutiam non poterat eludi. Rectè igitur Nazianzenus tractatu de fide,qui est orat.49.prope med. postquam retulit insidiosa vocabula,quibus Ariani fingebant se profiteri Diuinitatem Filij,subiungit: *Denique & nunc potuissent Homousiō,sicuti & cætera verbo tenus nominare,si habuissent, quo modo illud ad aliam intelligentiam seuo sensu peruerterent. Sed cum viderent se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem huius rei fieri voluerunt; ne aut profitendo crederent, aut credentes professi viderentur; subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oporteret, ne corporeus crederetur* &c.

7 Liberius Papa dicta epist.11.ad Orientales circa med. de fide Nicæna sic loquitur: *Quæ nomine Consubstantialis comprehensa, tanquam propugnaculum firmum & inexpugnabile, omnes impetus & machinas Arij retundit & reprimit.*

8 *Homousion contra Sabellianos simul & Arianos.* Tertiò probatur ex alia præstantissima vtilitate vocabuli, quod vnicum simul refellit duos extremos & contrarios errores Sabellianorum & Arianorum. Quod subtiliter obseruarunt Patres. Epiphanius enim hæres.69. propiùs ad fin. quàm ad med. postquam explicuit & probauit *Vsiam*, siue essentiam, subiungit: *At particula, con, non vnum rursus significat; sed de coëssentiali duo perfecta significat*. Similia repetit hæres.73. ante med. & post med. & in ancorato col. 5. cuius verba referemus sect.5. prope fin.

Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 7. paulo post.med. *Frustra Verbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt*, Ariani,*& in eo suam imperitiam produnt. Homousion enim aliud alij, non ipsum est sibi. Rectè ergo Homousion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio & naturæ vnitas significatur*. Idem obseruat Fulgentius ad obiectionem 7. Arianorum post.med. 9

Confirmatur, quoniam *Homousion* non dicitur de his suppositis, quæ quomodocumque habent similem essentiam; sed de illis tantum, quorum vnum est ab altero, & ab eo recipit eandem essentiam. Vt notant Athanasius in epist.de Synod. Arimini & Seleuciæ, non longè à fin. Basilius in epist.ad ancillas Dei. Hilarius lib.de Synodis versus fin.paulo post Symbolum Nicænum. 10

Quartò probatur: quia nullius momenti sunt Arianorum obiectiones contra *homousion*, vt sequentibus sectionibus constabit. 11

SECTIO II.

Homousion ex Sacris litteris esse depromptum.

PRimaria obiectio Arianorum aduersus hoc vocabulum erat, quia vox hæc non legitur in Scriptura, de qua iniuria conqueritur apud Probum Iudicem Arius in disputatione cum Athanasio, habita Laodiceæ inter prin.& med. Extat autem in 2. tom. Athanas. Eandem obiectionem referunt omnes Patres infra citandi. Confirmari potest verbis Dionysij cap. 1. de diuin. nomin. sub init. *Omnino non audendum est quidquam de summa abstrusaque Diuinitate, aut dicere, aut cogitare præter ea, quæ nobis diuinitus Scripta diuina enuntiauerunt*. 1

Respondent Patres 1. nihil esse curandum, licet vox in Scripturis non reperiatur expressè: dummodo res significata & sensus illius ex Scripturis eruatur. In hoc conueniunt cuncti Patres infra citandi. Peculiariter autem Epiphanius hæres.73.prope med. *Essentia*,inquit,*nomen nudo modo in veteri ac Nouo Testamento non habetur, sensus autem & significatio eius vbique habetur*. Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ inter med.& fin. *Nihil*, inquit, *id refert, si quis voces in Scriptura non repertas vsurpet, quandiu pias sententias complectitur: contra hæreticus, tametsi voces suas è sacris literis mutuetur, animo corruptus* &c. Idem respondet in disputatione Laodiceæ habita inter princip.& med. 2 *Res significata per Homousion legitur in Scripturis.*

Fusiùs id explicat Cyrillus lib. 1. dialog. de Trinit. colum. 5. & sequentibus vbi inter alia: *Nihil*, ait, *damni Verbum secum affert, siquidem verissimum fuerit, quod per id significatur*. Subdit autem, consubstantialitatem Filij cum Patre, quæ per *Homousion* significatur, manifestè contineri in Sacris literis.Quod satis constat ex præcedenti disp. sect.5. & sequentibus. 3

Nunc sufficiat, quod Augustinus lib.3. contra Maximinum cap.14.& tract.97. in Ioannem, adnotauit, *Homousion* nihil aliud esse quàm illud, *Ego & Pater vnum sumus*. Sed multo fusiùs in alteratione inter Augustinum & Pascentium tom. 2. epist. 178. Quod idem obseruauit Fulgentius ad 7. obiectionem Arianorum post.med. 4

Propterea Cyrillus Hierosolymitanus licet catechesi 5

catechesi 16. init. & 17. init. præfatus fuisset de Spiritu sancto, *se commemoraturum ea tantum, quæ sunt in sacris Scripturis*. nihilominus catechesi 17. col. penult. semel & iterum Spiritum sanctum appellat *consubstantialem* Patri, & Filio. Intellexit igitur, esse satis, quod hac voce significatur, in sacris literis esse.

6 *In radice vel semine Scriptum est* Homousion. *Substantia in sacris literis.* Exodi 3. Respondent secundò Patres, in primitiuo & radice, vel semine, & quasi virtualiter in vocibus sacræ Scripturæ Homousion cōtineri.Ita Cyrillus Alex. lib.1. dialog.de Trin.propiùs ad prin. quàm ad med. *In primitiuo*, inquit, *& in radice plantatum fuisse* Homousion, probat Exod.3. *Ego sum qui sum* &c.

7 Hierem.23. Hebræ. 1. Exod.3. Epiphanius hæres. 69. propiùs ad fin.quàm ad med. ita redarguit Arianos: *Non sciunt quod substantia & essentia idem est ratione, consistit enim Dominus in substantia sua, & hoc,splendor gloriæ & character substantiæ ipsius*. Idque deducit ex definitione Dei data Exod.3. *Qui est. quod verò est, essentia existens est. At particula, con,non vnum rursus significat* &c. Similia repetit hæres. 73. ante med. & post.med.peculiariter ponderans vocabulum *erat* sæpius repetitum Ioan. 1. quo significetur Verbi, tanquam veri Dei, proprium esse, quod hoc verbo substantiuo significatur.

8 Nazianzenus tractat. de fide, qui est orat. 49. paulo post med. vt abundantius satisfaceret obiectioni præsenti, commemorat testimonia Scripturarum, in quibus mentio fit diuinæ substantiæ, dicens: *Hieremias propheta ait: Quis stabit in substantia Domini? & iterum apud eundem:& si stetissent in substantia mea, auertissem eos ab studijs eorum pessimis. Et apud Salomonem, substantia mea dulcedo mea est*. Quod Nazianzenus refert ex Hieremia, habetur cap.23.vers.18. *Quis assuit in consilio Domini*. Et iterum vers. 22. *Si stetissent in consilio meo*. Pro quo Septuaginta legunt: *Quis stetit in subsistentia Domini?* & iterum: *Quod si stetissent in subsistentia mea*. Vbi sanct. Hieronymus inquit, *Septuaginta & Theodotionem interpretatos esse verbum Hebraicum substantiam,siue subsistentiam*.Quod autem ex Salomone retulit Nazianz. legimus Sapient.16. vers. 21. *Substantia enim tua dulcedinem tuam,quam in filios habes,ostendebat*.

9 Ad prædicta verba Hieremiæ respiciens Hilarius lib.1. de Trinit.in med. *Standum*, inquit, *per fidem ante est, vt S.Hieremias admonet, in substantia Dei, vt de substantia Dei auditurus, sensum suum ad ea,quæ Dei substantiæ sint digna, moderetur*.

10 Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 9. prope med. ait: *Si de nomine substantiæ,aut naturæ diuinæ voluerint dicere, facile reuincuntur, quia & vsiam Græcè, & Latinè substantiam frequenter Scriptura memorauit. Et Petrus vult, nos,vt legimus, diuinæ consortes fieri naturæ*. Ad idem probandum instauratur plura testimonia Scripturæ lib. 3. de fide cap.7. ferè per totum, quale est illud Psalm. 138. *Substantia mea in inferioribus terræ*. Quod probat, intelligendum esse de substantia Diuinitatis, quæ per animam rationalem post mortem descendit ad inferos. 2. Petri 1.

11 Item. Nahum 2. *Portæ ciuitatum effractæ sunt, montes ceciderunt, & reuelata est substantia*. Vbi Septuaginta pro *montes*, legunt *regalia*: cætera legunt eodem modo. Sed Vulgata legit: *Portæ fluuiorum apertæ*,&c. Exponit autem Ambrosius:*Cadentibus regnis Satanæ de corde fidelium, reuelatum est, Paternæ Dei Filium Christum esse substantiæ*.

12 Præterea confirmat verbis Ieremiæ 9. *Non acceperunt vocem substantiæ, à volatilibus vsque ad iumenta, expauerunt & defecerunt*. Quod eodem sensu Septuaginta legunt: *Non audierunt vocem substantiæ*. Vbi licet Hieronymus *substantiam* dicat *non pro vsia, ideſt pro essentia, sed pro diuitijs accipi:* Ambrosius tamen accipit pro essentia diuina.

Deinde, commemoratis verbis Ieremiæ 23. quæ nuper ex Nazianzeno retulimus, addit Mathæi 6. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, exponens sic appellari, *quod ex Verbi substantia, substantiam virtutis manentis cordi & animæ subministret*. Denique lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 4. post med. adiungit illud Sapientiæ 16. *Substantia mea dulcedo mea est*. Nec non ex 14. & 23. Hieremiæ verba, quæ supra retulimus. 13

Eodem fine Marius item Victorinus ex iis testimoniis Scripturæ nulla ponderat in peculiari opusculo de Homousio recipiendo,& plura Phæbadius lib. contra Arianos inter prin.& medium. 14

Ex quibus omnibus constat, ridiculam esse responsionem Transyluanorum, dicētium,Deum posse vocari ens, sed non essentiam; sicut homo non appellatur humanitas. Cæterum hoc esse Deo peculiare propter summam simplicitatem,vt abstracta prædicentur de concretis, vidimus disp. 11. sect.6. Sed dato quod Deus non esset essentia sua, nihilominus sufficiens fundamentum in Sacris literis haberet nomen *essentia Dei*,eo quod Deus sit *qui est*. 15 *Ridicula solutio.*

Totus præcedens discursus confirmari potest primò,quia *forma* non minus philosophicum nomen est, nec minus aptum ad significandam Dei quidditatem,quam *essentia*,vel *substantia*:legimus autem Philip.2. *Qui cum in forma Dei esset*, &c. 16 Confirmatio prima. *Forma Dei est essentia.*

Secundò confirmant Patres,quia plurimis aliis nominibus vti conceditur Theologis, quæ in Sacris literis non reperiuntur expressa. Nemo quippe sanæ mentis reprehenderit cum, qui dixerit, Deum esse incorporeum, infigurabilem, incircunscriptum, regi non subditum, & similia, quæ Cyrillus Alexandrin. persequitur lib. 1. dialog. col. 5. Nec non Epiphanius hæres. 69. propius ad fin. quàm ad med. Arianis obiicit nomina increati & ingeniti, quibus ipsi etiam vtebantur, licet non sint de Scriptura. 17

Tertiò magis vrgentur aduersarij; quoniam illi vtuntur nominibus non solum alienis à Scriptura; sed etiam falsum significantibus, & manifestè contrarium eidem Scripturæ. Vnde Ambrosius lib.1. de fide ad Gratianum cap. 9. prope med. *Quomodo*, inquit, *reprehendunt, quia nos in Deo, aut vsiam Græcè aut Latinè substantiam dicimus,cum ex alia dicendo substantia Deum esse Filium, etiam ipsi substantiam Dei esse confirment?* 18 *Hæretici nominibus vtūtur nō solum alienis à scriptura, sed etiam cōtrarijs.*

Sed vehementius hoc telum retorquet Athanas. in epist. ad Africanos, præsertim circa med. obiiciens blasphemas voces, *Ex non entibus, fabricam & creaturam esse Filium, & erat, quando non erat, & esse mutabilis naturæ, & heterousios*, ideſt diuersæ substantiæ. Quo argumento Athanasius in disputatione, habita Laodiceæ, aduersarium eo denique adegit, vt pateretur, ex consequentia ipsa Scripturarum argumenta vltro citroque duci pro homousio,vel heteriusio. 19

Idem Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ propiùs ad med.quàm ad fin. *Arqui, inquiunt, ista in Scripturis non reperiuntur, ac proinde voces alienas à Sacris literis reijcimus. Caterum illa ipsa est impudentis hominis cauillatio. Si enim eijcienda putant verba in Sacris literis non obuia, cur Ario tantum aceruum dictionum, quas nusquam in Scriptura reperias,accumulante,&c.* Merito proinde Aërium, 20

Aëtium, ab Imperatore Constantio postulantem, vt abrogaretur homousion, quod Scripturæ non haberent; Syluanus ita redarguit, *Et ex non entibus, & creatura, & alterius substantiæ, scripta nusquam sunt. Iustum ergo est hoc abrogare.* Ita refert Theodoretus lib. 5. historiæ tripartitæ cap. 42.

SECTIO III.

Nec nouum erat, neque à Nicæno Concilio inuentum homousion.

1 NOuitas erat secunda calumnia, qua traducebant hoc nomen Ariani veteres, & ipse Arius in disp. cũ Athanasio habita Laodiceæ inter prin. & med. Quos imitantur recẽtiores Transyluani, dicentes, in Concilio Nicæno introductum esse Deum recentem, antiquis Patribus incognitum, & æterno Patri coëssentialem. Et quidem in rebus theologicis nouitatem esse vitandam, constat 1. Timoth. 6. *Depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* Et prouerb. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos.* Atque ita præcipiunt Sixtus Papa epist. ad Episcopum Antioch. de causa Nestorij. Cælestinus ad episcopos Galliæ epist. 1. c. 1. in med. Quod pluribus testimoniis & decretis vtriusque iuris confirmat Radulphus Decanus Tungrensis in lib. de canonum obseruantia, propositione 6. tom. 6. Bibliothecæ.

Nouitas vitanda.

2 Prima solutio Patrũ est, vocabulum *homousion* non esse nouum, neq; inuentum à Nicæno Concilio, sed à prædecessoribus acceptum. Probatur primò. Nam vocis antiquitate, non minus quàm aliis rationibus supra dictis, & infra referẽdis, adducti sunt Patres Nicæni, vt eam decernerent. Sic enim habetur in fragmẽto Nicæni Concilij, quod ex Græco Vaticano desumptum, ponitur in lib. 2. Concilij, ante subscriptiones colum. penult. *Visum est omnibus nostris, consubstantiale in Ecclesia definiri oportere: ad eum modum, quo & post Apostolos Sancti Patres nostri fidem hanc tradiderant, hoc est, confiteri Filium & Spiritum sanctum eiusdem substantiæ cum Patre.* Perpẽde illud *post Apostolos*: significat enim Apostolica traditione quasi per manus deriuatam esse consubstantialitatem.

Homousion antiquissimorum Patrum vox erat.

3 Et quidem eximia rei dignitas persuadet, hunc articulũ fuisse vnũ ex potissimis, de quibus Christus Dominus, Ioan. 16. *Multa habeo vobis dicere,* ait, *sed non poteſtis portare modò, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quid enim magis, quàm consubstantialitas re ipsa præstat claritatẽ Filij, quæ post pauca promittitur; *Ille me clarificabit?* De quo videndus est Augustinus tractat. 97. in Ioan. propius ad fin. quàm ad med.

4 Secundò probatur ex Athanasio & Hilario. Athanasius enim epist. ad Africanos episcopos in ipso medio, vocis & dogmatis antiquitatem aduersariorũ confessiõne cõprobat; inter alia dicens: *Eusebius Episcopus Cæsariensis cum prius suffragaretur Arianæ sectæ, postea tamen Nicæni Concilij decretis subscripsit, & apud suos id ipsũ proprijs literis affirmauit, cuius hæc verba sunt: Nouimus quosdam ex priscis eruditos & præclaros antistites aliosque Scriptores cum de Patris & Filij Deitate loquerẽtur, voce consubstantialis vsos esse.* Exemplar istius epistolæ Eusebij reperies apud Theodoretũ lib. 1. historiæ Ecclesiast. cap. 12. & confirmat c. 13. Insuper in eodem lib. 1. cap. 8. ad fin. recitat prædicta verba Athanasij.

5 Iterum Athanas. epist. de sententia Dionysij Alex. refert, eum in apologia, ad Dionysium Roman. Pontificẽ inter alia scripsisse: *Ostendo falsum esse crimen, quo mihi obijciunt, quod Christum Deo consubstantialem esse negassem.* Asseuerat autem Dionysius, se vsum esse hoc nomine. Rursus idem Athanasius lib. de decretis Nicænæ Synodi, *Homousion* non esse nouum, probat ex vtroq; Dionysio Romano, & Alex. Item ex Theognosto & Origene. Quod ex parte repetit in lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ multo propius ad fin. quàm ad med.

6 Hilarius lib. de Synodis prope fin. paulo ante Nicænum Symbolum ita præfatur: *Nihil nouum loquimur, pluribus edita literis, ipsa Arianorum perfidia sibi testis est.*

7 Tertiò probatur, quoniam multis annis ante Nicænum Concilium scripsere Patres infra referendi, & tamen consubstantialitatẽ docuere. Clemens Romanus in epist. 1. ad Iacobũ fratrem Domini in medio, Symbolum exponens, de Filio ait: *In omnibus Patri similis, eiusdem naturæ.* Imò Iacobus frater Domini in liturgia sub init. dicit *consubstantialem Spiritum:* & inter med. & fin. appellat Filium *consubstantialem Patri & Spiritui sancto*; & prope finem, consubstantialem Trinitatem Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.

8 Prochorus in vita Sancti Ioannis (nisi alienum sit opus) cap. 5. fine refert, Ioannem docuisse *quod tres hypostases sint vna substantia:* Et cap. 1. appellauerat *consubstantialem Trinitatem.* S. Martialis Episcopus temporibus Apostolorum epist. 1. ad Burdegalen. cap. 10. apertè fatetur vnam essentiam trium personarum.

9 Iustinus multis in locis coëssentialem Trinitatẽ nominat, vt retulimus disp. 20. sect. 7. non longè ante fin. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. longè post med. ad *substantiæ vnitatem* refert illud: *Vnum sumus:* vt vidimus disp. 19. sect. 2. Origenes autem clariora testimonia tulit, quæ allegauimus disp. 20. sect. 4. inter quæ præsenti proposito, præ cæteris concinit illud ex dialog. de recta in Deum fide contra Marcionistas sub init. Vbi Filium appellat *Deum, Verbum consubstantialem.*

10 Quartò probatur, nam prior alia Synodus, collecta diutius ante Nicænã, præcipuè per legatum Sedis Apostolicæ Osiũ Cordubensem & Alexandrum Alexãdrinum Episcopum, decreuerat idem, quod postea stabiliuit Nicænum Concilium: vt testatur Iulius Papa in Epist. 4. ad Orientales, quæ extat in secunda apologia Athanasij pro fuga sua inter prin. & med. Nam prope init. epistolæ ait: *Episcopi in magna Synodo Nicæa congregati, non sine Dei consilio permiserunt, prioris Synodi acta, in alia Synodo examinari, vt & illi qui Iudices erant, præ oculis habentes secũdum de ea ipsa re iudicium futurum, cum omni diligentia causam expenderẽt; & illi qui sententiã acceperant, certò cognoscerent, se non per simultatem priorum iudicum, sed iure & merito damnatos esse.* Atque ex toto contextu epistolæ constat, agere potissimum de consubstantialitatis decreto.

11 Quintò, nam ante Concil. Nicænum exorta fuit hæresis Ariana, cuius excitandæ occasionem arripuit Arius, eo quod Alexander Alex. prædicaret; *Filium esse eiusdem cum Patre substantiæ.* Vt Theodoretus refert hæreticarum fabul. lib. 4. in prin. Hic Alexander primus aduersus hanc hæresim depugnauit & Arium eiecit ab Ecclesia, vt est apud Athanasium orat. 1. contra Arianos inter med. & finem.

12 Sextò, quoniam Arianorum antesignani, vel inuiti aliquando agnouerunt, veram Christi D. Diuinitatem hoc melius, quàm cæteris significari. Quapropter *Homousion* refutantes, arma ministrarunt Catholicis. Quod ita refert Ambrosius lib. 3. de

Fatebantur Ariani significationem egregiã Homousion.

fide ad Gratianum cap. 7. statim à med. *Auctor ipsorum Eusebius epistola sua prodidit, dicens: Si verum Dei Filium & increatum dicimus Homousion cum Patre incipimus confiteri. Hæc cum lecta esset epistolæ in Concilio Nicæno, hoc Verbum in tractatu fidei posuerunt Patres. Quod id viderunt aduersarijs esse formidini, vt tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput hæresis amputarent.*

13 Secunda solutio est. Dato quod à Nicæno Concilio recens inuentum fuisset vocabulum *Homousion:* non esset nouum simpliciter, & quantum ad rei substantiam; cuiusmodi sunt quas Apostolus 2. ad Timoth. 6. vocat *prophanas nouitates,* quoniam repugnant antiquis dogmatibus Ecclesiæ. Sed in eo casu foret nouum quodammodo, quantum ad accidentia; quoniam virtualiter & implicitè continebatur in veteri & nouo Testamento, docente, Filium esse Deitatis eiusdem cum Patre. Huiusmodi nouitas non est vitium, sed potius necessaria virtus theologorum, quando recentiores hæreses indigent nouis refutationibus. Qua de causa *transubstantiationis* vox inducta est in Ecclesiam. His enim vocabulis quasi tesseris Catholici ab hostibus Ecclesiæ dignoscuntur.

Licet fuisset hoc nomẽ inuẽtum à Nycæno Cõcilio, nõ fuisset nouum quãtum ad rem significatam.

14 Probatur primò, quia mandatũ diligendi proximos simul est simpliciter vetus, quoniam & in cordibus per legẽ naturæ & in veteri Testamento scriptum est, Deut. 6. idemque mandatum est quodammodo nouum, quoniam magis in particulari & explicitè declaratum est Matth. 5. circa dilectionem inimicorum, & in sermone Cænæ, quantum ad modum diligẽdi, sicut Christus Dominus nos dilexit. Hac ratione 1. Ioan. 2. *Non mandatum nouum,* ait, *scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum, quod audistis. Iterum mandatum nouum scribo vobis.*

Nouitas in mandato dilectionis.

15 Probatur secundò. *Nam Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula mutare, & significantius rerum naturas exprimere, quæ tamen existentium causarum virtutibus congruant, & quæ magis eadem antiquitatis fuisse demonstrent.* Sic Ario respõdit Athanasius in disputatione Laodiceæ, habita corã Probo, propius ad med. quàm ad prin. disputationis, & confirmat exẽplo Christiani nominis, quod cæpit Actorum 11. iuxta vaticiniũ Isaiæ *Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum.*

Noua vocabula requiriũtur aduersus nouos errores.

16 Fulgentius ad septimam obiectionem Arianoversus fin. *Mirum,* inquit, *est, quod in hoc nomine sonus tantum attenditur, nec dicti intelligentia vestigatur; cum pleraque non sint antiquitus dicta, & pro temporum causarumque opportunitatibus professioni fidei reperiantur inserta.* Quod exemplis confirmat August. tract. 97. in Ioan. inter med. & fin. *Aduersus impietatem,* inquit, *Arianorum nouum nomen Patres Homousion condiderunt, sed non rem nouam tali nomine significarunt.*

17 Tertiò, quia tales nouitates non sunt profanæ, quas deuitandas esse præcepit Apostolus, vt multis exẽplis probat Augustinus dicto tract. 97. propius ad fin. quàm ad medium, & Hilarius statim citandus. Sed copiosè, subtiliter & elegantèr Vincentius Lyrinen. lib. contra hæreses cap. 26. Breuiter autem S. Thomas infra q. 29. art. 3. ad 1. tractans de voce *persona.* Has rationes fusius corroborauimus lib. 8. de auxiliis disp. 13.

Non est hæc profana nouitas.

18 Denique retorquet obiectionem Hilarius lib. contra Constantium Augustum in med. *Nouitates vocũ,* inquit, *sed prophanas deuitari iubet Apostolus. Tu cur pias excludis? cum præsertim ab eo dictum sit: Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est. Innascibilem scriptum nusquã legis. Num quid ex hoc negandum erit, quia nouum est? Decernis similem Patri Filium, euangelia non prædicant. Quid est, quod non refugis hanc vocem? In vno nouitas eligitur, in alio submouetur. Vbi impietatis occasio patet, nouitas admittitur. Vbi autem religionis maxima & sola cautela est, excluditur.* Similia repetit lib. de Synodis fidei Catholicæ contra Arianos, multo propius ad fin. quàm ad med.

Eodem modo retorquent Athanas. in disput. contra Arium, Laodiceæ habita, propius ad med. quàm ad princ. & Epiphan. hæres. 69. propius ad fin. quàm ad medium, aliíque Patres in priori solutione citati. 19

SECTIO IV.

Reliquæ obiectiones ex quibusdam Concilijs, & imperatore Constantino.

1 TErtia obiectio, quia vocabulũ hoc reiectum fuit in Ariminensi Concilio tanquã nouum, teste Athanasio in epistol. de Synodis Arimini & Seleuciæ. Et Augustino lib. 3. contra Maximinum c. 14. ante med. Respõdet Augustinus propter nouitatem *in verbis minus, quam oportuit, intellectum* (vocabulum Homousion) *quam tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas, sub hæretico Imperatore Constantino labefactare tentauit. Sed post non longum tempus libertate fidei catholicæ præualẽte, posteaquam vis verbi sicut debuit, intellecta est, Homousion illud Catholicæ fidei sanitate longè latèque defensum est.*

Ariminense cõcilium deceptũ ab Arianis.

2 Illud itaque Concilium non fuit legitimum, quippe cui defuit non solum authoritas Summi Pontificis; sed etiam requisita libertas, quæ fraudibus Arianorum & Imperatoris, vel authoritate ligata, vel illecebris inescata tenebatur. Sed paulo post ad Homousij cõfessionem respirauit Ariminense Concilium, & anathema dixit fidei prius editæ Arimini, vt fusius scribit Liberius Papa epist. 11. ad Orientales post med. Similis fuit progressus & exitus Cõcilij Sardicensis, priùs Ariani, postea Catholici & approbati: quemadmodum de vtroque retulimus sect. 1. non longè à princ.

Nõ fuit legitimum.

3 Quarta obiectio, quia non solum Arianis, sed etiam quibusdam Catholicis displicuisse videtur Homousion: siquidem Patres Antiocheni Concilij contra Paulum Samosatenum disertè negauerunt Filium Patri Homousion. Respond. Imprimis, hoc accidit ante natam hæresim Arij. Deinde Antiocheni Patres nõ simpliciter, sed ad mentem Samosateni refutarũt Homousion: ille namque significare volebat, Patrẽ & Filium esse duas substantias ejusdem speciei, quemadmodum Petrus & Paulus sunt inuicem consubstantiales: quanuis id non asserendo, sed sophisticè argumentando, tanquam inconueniens conaretur inferre contra Catholicos, vt refert Athanas. in epist. de Synod. Arimini & Seleuciæ multo propius ad fin. quàm ad med.

4 Et Hilarius lib. de Synodis versus fin. *Male homousion,* inquit, *Samosatenus confessus est, sed numquid melius Ariani negauerunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt, sed trecenti decem & octo nuper receperunt. Illi contra hæreticum improbauerunt, si & probando & improbando vnum vtrique statuerunt, quid bene constituta conuellimus?* Denique idem error refutandi

refutandi præsens vocabulum, non tam sensu, quàm loquendi modo per fraudem Arianorum irrepserat in Episcopos vtriusque Germaniæ, Belgiæ, & Galliæ, vt constat ex inscriptione libri de Synodis, & toto eius contextu, præsertim septem postremis columnis.

5 *Obijciunt occasionem erroris in Homousio.* Quintam obiectionem ex propriis ipsorum erroribus arripiebant Ariani, contendentes, abrogandum esse Homousion, quoniam occasionem erroris præbet, quam euitare debent Ecclesię Doctores. Ariani namque sic interpretabantur Homousion: *Tanquam ipse sit Pater, qui Filius, ex infirmitate sua protensus in Virginem, ex qua corpus assumens, Filij nomen addiderit in corpore, quod assumpsit.* Ita refert Hilarius lib. 4. de Trinit. colum. vltima. Sabellianam ergo hæresim interpretabantur hoc vocabulo significari.

6 Præterea in lib. de Synodis inter med. & fin. post. 27. canon. fidei Syrmicæ in 4. col. illius comment. refert varios sensus, ad quos non solum hæretici, sed etiam quidam Catholici decepti, detorquebant Homousion. Primò namque sub nomine vnius substantiæ, intelligebant vnicam & solam personã. Secundò alij substantiam personis priorem intelligebant, quę postea personis communicaretur. Tertiò intelligebant alij substantiam, quæ diuideretur in tres portiones trium personarum. Quos distortos intellectus hoc vel vt epilogo complectitur Hilarius: *Ita vna substantia Patris & Filij prædicata, aut vnum, qui duas nuncupationes habeat, substistentem significat: aut diuisam vnam substantiam, duas imperfectas fecisse substantias; aut tertiam priorem substantiam, quæ à duobus & vsurpata sit, & assumpta: quæ idcirco vna dicatur quia in duas vna defecta sit.*

7 *Nõ sũt omittenda bona propter abusũ iniquorum.* Solutionem autem adhibet in eodem lib. de Synod. quatuor columnis ante fin. enumerans plurimas res sanctissimas, quibus abutuntur hæretici, vel etiam aliqui Catholici. Nihilominus necessariò sunt retinendæ; & inter alia, *Malè*, inquit, *Sanctis rebus præiudicatur, si quia non sanctè à quibusdam habentur, esse non debeant. Non ergo gloriemur in Cruce Christi, quia scandalum mundo est: neque in viuente Deo mortem prædicemus, ne ab impijs mortuus Deus arguatur. Malè intelligitur Homousion: quid ad me bene intelligentem?* Eandem solutionem transcribit S. Thomas infra q. 39. art. 2. ad 6.

8 *Constantinus quo Zelo reprehenderet Homousion.* Sexta obiectio, quoniam Constantinus, piissimus Imperator, reprehendit Homousion, vt nouum & inutile in epist. quam per Hosium Cordubensem scripsit ad Alexandrum & Arium. Extat autem in tom. 1. Concilior. iuxta editionem Venetiis anno 1585. in lib. 1. de actis, quæ præcesserunt Concilium Nicænum pag. 508. Nam in secunda colum. huius epistolæ: *Valde exilis*, ait, *& neutiquam tanta contentione digna visa est.* Et post pauca: *De inani quadam quæstionis particula scisciteberis.* Et paulo inferius: *De rebus huiusmodi, nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis. Tales enim quæstiones, quales nulla lex, Canonue ecclesiasticus necessariò præscribit, sed inanis dissoluti otij certatio proponit* &c.

9 Respond. Nimius Zelus componendi turbas, in ecclesiis excitatas, pium Imperatorem impulit, vt facile crederet deceptoribus, affirmantibus, de sola voce dissidium esse Arianorum à Catholicis. Sed Concilij definitione certior factus veritatis, *Laudabat Deum, cum diuina hæc audisset dogmata, & gaudens de nostrorum episcoporum concordia, exultabat Spiritu. Studebat enim neminem neque magnum neque parium ab hac confessione dissentire.* Ita scriptum legimus lib. 2. Concil. Nicæni paulo ante subscriptiones in fragmento, cui titulus est. *Ex Græco Vaticano, de omnium consensu circa consubstantiale.* Vnde epistolas scripsit ad omnes Orthodoxos aduersus Arium, quæ referuntur lib. 4. Concilij Nicæni colum. 4. & sequentibus.

10 Ex dictis tandem confutatæ manent non dissimiles obiectiones Transyluanorum aduersus omnes voces, quibus Catholici Trinitatis mysterium exponunt. De quibus videri potest Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 2.

SECTIO V.

De Homæusio, Synusio, & Eterusio.

1 INiqua Semiarianorum permutatio nominum vna vel altera tantum litera differentium, destinata fuit ad significandum perexiguo discrimine suum dogma recedere à decretis Nicænis; cum tamen sensus & mens vocabulorum infinito interuallo distaret. Eorum antesignanum fuisse Macedonium, vidimus disput. 20. versus fin. *Qui Filium esse eiusdem cum Patre substantiæ, omnino repudiauit; vt similis autem in omnibus diceretur, constituit, & vt Homæusion pro Homousion diceretur, excogitauit.* Hæc Theodoreti verba sunt, hæreticarum fabul. lib. 4. col. 6. Quanuis alij potius existiment, Marathonium, quem Nicomediæ episcopum fecerat Macedonius, fuisse inuctorem Homæusij, vt refert Nicephorus lib. 9. hist. eccles. c. 47. sub init. & in re cõcordat Socrates lib. 5. tripatiæ cap. 41. Maced. *Homousij author.*

2 Sed quidquid sit de primo authore, certum est eam vocem fuisse propriam quorumdam Arianorum, vt refert Ambrosius lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 2. Eundem errorem admittendi Homæusion, Homousio refutato, ex animis Occidentalium episcoporum ex vtraque Germania, Belgia & Gallia conatur euellere Hilarius in lib. de Synodis, vt constat ex eius titulo & toto libri discursu, potissimum septem postremis columnis.

3 *Contra Homæusion Catholicorũ cõstantia.* Id tamen vocabulum omnes Catholici respuebant, vt constat non solum ex nuper citatis, sed etiam ex Cyrillo Alexan. lib. 1. dialog. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad prin. dicente: *Prætereuntes nomen Homousion, cum signanter identitatem naturalem manifestet, tanquam friuolum: accedunt autẽ quam libenter ad ea, quæ ipsi inuenerunt, nempe ad suum Homæusion, id est similis naturæ, verbulo isto externam similitudinem inferentes, miraque versutia assertionem suam adumbrantes.* Eadem ratione refutat Augustinus sermone 38. de tempor. fin. Fusiùs autem Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium propius ad fin. quàm ad med.

4 Tanta verò constantia fuit Catholicorum aduersus eam vocem, vt quanuis Ariani pacem Ecclesiæ pollicerentur; si ea permutatio reciperetur; Catholici repugnauerint, ad Imperatorem scribentes, nefariũ esse de rebus iam definitis aliquid immutare: & si quid iustarum sanctionum fuerit immutatum; inde grauius bellum imminere. De quo videndus est Theodoretus lib. 2. histor. Eccles. cap. 18. & 19. vel tripartitæ lib. 5. c. 21. & 33. Illud autem præsagium fuisse verissimum, experientia docuit in Ariminensi Concilio. Nam cum simpliciores Catholici, propter ignorantiam vocis, nomen Homousion decreuissent esse tollendum: mox Ariani, toto terrarũ orbe prædicarunt, se vicisse: & paulo post ipsum *Homæusion* permutarunt in *Eterusion*, idest, dissimilis substantiæ, vt Theodoretus refert dicto lib. 2. historiæ cap. 21.

Propterea

5 Propterea Basilius, rogatus à Præfecto Valentis Imperatoris, vt tempori pareret, & non tot Ecclesias, propter paruam dogmatum subtilitatem, vexari pateretur, respondit: *Qui sunt in sacris literis educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt, sed pro istorum defensione, si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur,* vt scribit Theodoretus lib. 4. historiæ cap. 17. inter princip. & med.

6 *Non obstat verus sensus possibilis.* Nec obstat, eam vocem admittere potuisse verum aliquem intellectum: potuisset quippe Homæusion significare similitudinem substãtiæ tantam, quæ consisteret in omnimoda vnitate essentiæ siue naturæ: quo sensu theologi dicunt, Filium ex vi processionis per intellectum, produci similem in natura. Quam significationem prædictæ vocis ad extenuandam culpam Occidentalium Episcoporum, vt suauitate maiori reuocarentur ab errore, Hilarius notat lib. de Synodis inter med. & finem: *Testor*, inquit, *Deum cœli atque terræ, me, cum neutrum audissem, semper tamen vtrumque sensisse, quod per Homæusion, Homousion oporteret intelligi, id est nihil simile sibi secundum naturam esse posse, nisi quod esset ex eadem natura.*

7 Athanasius item in prædicto lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ, videtur probare vocabulum Homæusion: & Isidorus lib. 7. etymolog. cap. 2. Nihilominus apud Athanasium & Hilarium citatos, cæterosque Catholicos, primaria ratio refutandi vocabulum fuit hæreticus sensus authorum, qui significare volebant similitudinem, qualis esse potest perfectissimæ creaturæ ad creatorẽ.

8 *Similitudo non significat originem.* Huic accedebat alia ratio magni momẽti, quoniam asserendo similitudinem substantiæ, nondũ significabatur Origo vnius personæ ab altera: imò nec propriè dicitur similitudo in natura & substantia: consueuit enim similitudo intelligi circa formã & alias qualitates. De quo præter Athanasium, videdus est Hilarius, citatus in commentario ad canon. 27. fidei Syrmicæ. Denique Semiariani desperantes, se obtinere posse, vt Homæusion reciperetur à Catholicis, enixè contendebant, vt nulla omnino mentio fieret vtriusque vocis *Homousion*, & *Homæusion*; vt Hilarius refert *in exemplo blasphemiæ apud Syrmium.* Quod refert dicto lib. de Synodis colum. 5.

9 *Synusion restituitur.* Aliud etiam vocabulum inuenerunt Semiariani, videlicet *Synusion*, quod sicut præcedens Catholici doctores respuendum iudicarunt. Neque immeritò; quia licet idem valeat, quod *simul substantiam habens*: attamen non excludebat vtramque hæresim Sabellij & Arij. Significabat enim vnitatem, aut coëxistentiam, non significando distinctionem personarum, quam significat Homousion; vt vidimus sect. 1. probat. 3. Quapropter Sabellius admitteret *Synusion*, qui tamen non admitteret *Homousion*.

10 Hoc Epiphanius in ancorato colum. 5. obseruauit his verbis: *Filius coëssentialis Patri, non Synusios, hoc est simul essentiam habens: sed Homousios, idest coëssentialis, hoc est non extra Patrem genitus, vel vt quidam per cauillum dicunt adoptione volentes esse Filium* &c. & post pauca: *Si dixeris coëssentialem, soluisti Sabellij potestatem. Non enim vnius substantiæ significationem habet vox coëssentialis, sed significat & in substantia esse Patrem, & in substantia Filium, & in substantia Spiritum sanctum. Quum verò coëssentiale dicis, non alienum ab eadem Deitate significat: sed Deum ex Deo* &c. Quod negat *vnius substantiæ significationem*, explicabitur disp. 23. sect. 3. & 4.

Ruiz. de Trinitate.

DISPVTATIO XXII.

Vtrum sit realis & numerica vnitas substantiæ diuinæ, vel sola sit specifica vnitas secundum rationem. Vbi, quare non tres dij?

SECTIO I.

Occasionem huius disputationis dedere Patres.

1 VNITATEM non realem, sed solius rationis, quasi specificam vel genericam, asseruerunt hæretici nonnulli, qui tres substantias vel essentias diuinas & increatas multiplicarunt: quemadmodum Peratæ, Philoponus, Thriteitæ, quidam clericus in Francia, & Abbas Ioachim. Quorum alij tres deos expressè concedunt. Alij verò fateri recusant, quod ex suo errore deducitur, vt vidimus disp. 20. sect. 2. princ. *Error asserẽtium vnitatẽ specificam.*

2 Sed huic articulo cum in eadem disputatione fuerit abunde satisfactum, nihil opus esset disput. præsenti, nisi quædam ratiocinationes, à plerisque Patribus sæpius iteratæ, possent commouere lectores, propter obscuritatem illationis, vt pusilli ad eas offenderent, aut fallerentur incauti. Patres namque videntur, non maiorem vnitatem substantiæ vel Deitatis asserere, quàm sit vnitas humanæ naturæ, conuenientis multis hominibus. Id quod occasionem dedit, vt negotium faceſſeret, olim difficilius, quàm nunc, argumentum ex distinctione reali trium personarum inferens esse tres Deos: sicut Petrus, Paulus & Ioannes sunt tres homines, licet illorum vna sit natura specifica. *Patres videtur asserere tantum vnitatem specificam.*

3 Constat hæc difficultas ex integro libro Nysseni ad Ablabium, vbi multum in variis & operosis solutionibus desudauit, de quibus dicemus sect. 3. & 4. Quod præ cæteris difficultatem affert, legimus propius ad princ. quàm ad med. prædicti libri ad Ablabium; nam in prædicta paritate naturæ humanæ cum diuina, quantum ad vnitatem, eo vsque processit, vt diceret; *Abusum quendam esse consuetudinis, vt eos qui natura diuisi non sunt, per ipsum naturæ nomẽ pluraliter nominemus, ac dicamus, multi homines. Cui simile est, si quis dicat, multæ naturæ humanæ.* Id multis rationibus probare conatur, eo fine dicens, Scripturam sacram, non propter sermonis proprietatem, sed vt consuetudini sermonis humani se accommodet, dicere multos homines; eo quod ex hac proprietate nullum immineat periculum. *At vocem Deus cum cautione, & obseruatione per singularem figuram enuntiat* (Scriptura) *hoc proficiens & cauens, ne diuersæ naturæ plurali significatione deorum in diuina essentia subintroducantur.*

4 Rursus idem Gregorius Nyssenus epist. aduersus Apollinarem ex quæstionibus, *quid sit ad imaginem & similitudinem Dei* col. 2. quamuis dubitando proponere incipiat sententiam Methodij: eam tamen ratione confirmat, dicens: *An verò tria primorum parentum capita totius humanæ naturæ personæ consubstantiales, ad imaginem quandam, (vt Methodio visum est) sanctæ & consubstantialis Trinitatis figuratè sunt facta?* & consequenter explicat, quomodo Adamus Patrem, Cain filium, & Eua repræsentauerit Spiritum sanctum.

5 Præterea lib. de fide ad Simplicium intermed. & fin. *In diuinis quoque dogmatibus*, inquit, *nullam*

naturæ differentiam efficit genitum vel non genitum esse, sed quemadmodum in Adamo & Abele vna humanitas siue natura humana, eodem modo in Patre quoque ac Filio Deitas seu diuina natura vna est. Tandem in hac paritate ne desideraretur Homousion; lib. de differentia essentiæ & hypostaseos, non longè à princip. perspicuè docet, Petrum, Paulum & Siluanum esse *Homousion, id est eiusdem inter se essentiæ.*

6 Iustinus in expositione fidei de sancta Trinit. non procul à princip. ait: *Sicut Adam, quamuis non eodem, quo ipsius posteri, modo genitus, tamen communem cum eis habet essentiam: sic nulla ratio cur propter ingeniti nomen diuellatur essentia communis Patri, Filio Spirituiq; sancto.*

7 Athanasius cõtra Macedonium dialogo 1. propius ad med. quàm ad princ. ait: *Vt Paulus, Petrus, ac Timotheus tres sunt, vnitas tamen naturæ personæ; ita Patrem, Filium & Spiritum sanctum tres personas dico & vnam naturam.* Insuper dialog. 2. de sancta Trinit. contra Anomæum non longè post med. identitatem naturæ inter Patrem & Filium ita explicat: *Nec Adamus est ex muliere, nos verò nati sumus, interim tamen ab Adamo non differimus quoad naturam, sed eo tantum, quod nos nati sumus.* Atque in præcedenti dialog. 1. de sancta Trinitate contra Anomæum col. 2. & 3. dixerat, tres personas esse vnam Deitatem, *Quemadmodum Petrus, Paulus & Timotheus sunt tres hypostases, & vna hominitas.* Negat autem, eos esse tres homines, quia eorum erat cor vnum.

8 Basilius lib. 2. contra Eunomium pag. 2. scribit, *Vnam esse substantiam in omnibus hominibus.* Et lib. 4. sect. 1. sub fin. docet, *Filios & patres esse eiusdem substantiæ; & omnium, quæ genita sunt, eandem esse cum genitore naturam.* Deinde sect. 2. sub init. tanquam inconueniens infert, *homines inter se non esse consubstantiales.* Denique in epist. 43. ad Gregor. Nyssen. de different. Vsiæ & hypostasis à princip. latè & ex professo docet, vnam esse Vsiam & definitionem Petri, Pauli & Timothei, & ideo esse Vsiam, quia est communis.

9 Cyrillus Alex. lib. 7. thesauri cap. 1. prope med. *Si ea de causa*, inquit, *putant hæretici, non esse Filium Patri consubstantialem, quoniam neque Pater; & propter differentiam personarum, substantiarum quoque differentiam inducunt. Quomodo Abel & Adam consubstantiales dici poterunt, quum neque Abel possit esse Adam, neque Adam Abel? Quod si differentia personarum identitatem naturæ non destruit in hominibus: quomodo non erit impium, ea de causa putare, supernaturalem Dei substantiam diuersificari?* Paritatem hanc fusiùs confirmat, distinguens naturam vniuersalem à singularibus: & similia scribit dialog. de Trinit. lib. 1. inter princ. & med.

10 Eodem modo ratiocinatur Theodoretus dialog. *immutabilis* 1. col. 2. Anastasius Patriar. Theopolitanus in compendiaria expositione fidei ad fin. Consonat Theophylactus Ioan. 1. ad illud *& Deus erat Verbum*, in fin.

11 *Deus non est singularis.* Confirmatur primò, quia *Deum non esse singularem*, docet Hilarius multoties, vt lib. de Trinit. col. 5. ponderans illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, ait: *Illud* sumus *non patitur singularem.* Similiter *singularem* negat in med. eiusdem lib. 7. inter med. & fin. & colum. penult. ait: *Patrem & Filium singularem Deum prædicare, sacrilegum est.* & lib. 8. col. 2. & iterum propius ad med. quàm ad fin. & col. vltima, & lib. 9. post med. Eodem sensu, *Deum non esse vnicum* scribit in prædicto lib. 7. de Trinit. col. penult. & lib. 8. ferè inter med. & fin. & lib. 9. sub init. & lib. de Synodis colum. 7. ad canon. 2. Orientalium: & iterum inter med. & fin. libri.

Ambrosius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 1. 12
versus fin. ait: *Quod ad substantiam pertinet, non est singularitatis, sed vnitatis. Singularitas ad personam pertinet, vnitas ad naturam.* Et in eodem lib. 5. cap. 2. circa fin. *Quod vnius est substantiæ separari non potest, & si non sit singularitatis, sed vnitatis. Singularitas ad personam pertinet, vnitas ad naturam.*

Augustinus in quæstionib. veteris Testament. 13
q. 9. ait: *Vnus quidem Deus, sed non singularis.* Hoc autem ex August. lib. quæstionum veteris & noui Testamenti q. 122. refert Magister 1. dist. 24. cap. penult. ea fortasse occasione, quia circa med. eiusdem 122. quæstionis dicit: Deum non esse *solitarium.* Insuper ex lib. 7. de Trinitat. cap. 4. Magister ibidem refert Augustinum dixisse: *Humana inopia quærens quid diceret tria, dixit tres personas, vel substantias. Quibus nominibus non diuersitatem voluit intelligi, sed singularitatem noluit.* Contrarium sensum reddit lectio, quam apud Augustinum non longè ante fin. prædicti cap. 4. reperio, videlicet, *non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem, vt non solum ibi vnitas intelligatur ex eo quod dicitur vna essentia*, &c. Cæterum prior illa lectio cõgruentior est cõtextui, & recipitur ab omnibus Scholasticis.

Leo Magnus serm. 2. de Pentecoste cap. 2. *In* 14
nullo, inquit, *ab vnitate sua discrepat Diuinitatis essentia.* Et cap. 3. *In Deitate Patris & Filij & Spiritus sancti, nec singularitas est, nec diuersitas cogitanda.* Et paulo inferius: *Vt & solitudinem non recipiat Trinitas, & vnitatem seruet æqualitas.* Sic etiam Deum esse *singularem*, negat commentarius in Boëtium de Trinit. inter med. & fin. apud Bedam tomo 8. colum. 1116. initio.

Ex doctrina Patrum Magister 1. dist. 23. cap. 15
penult. colligit, *Quod nec singularis, nec diuersus, nec vnicus, vel solitarius confitendus est Deus, quia singularitas vel solitudo personarum pluralitatem excludit.* S. Thom. 1. p. q. 31. art. 2. corpor. post med. præcipit euitare *singularitatis & vnici* nomen (probans ex Hilario 7. de Trinitat.) necnon 1. sentent. dist. 24. q. 2. art. 1. Idem obseruat S. Bonauent. 1. dist. 24. in expositione literæ dub. 1. Albert. 1. p. q. 40. prope fin. Alexand. 1. p. quæst. 60. memb. 1.

Confirmatur secundò, nam Anselmus in mo- 16
nolog. cap. 26. probat, essentiam diuinam non esse *Non esse indiuiduã essentiam dicunt aliqui.* *indiuiduam.* Et celeberrima definitio personæ, quam Boëtius tradidit, personæ tribuit tanquam propriam quidditatem, qua distinguitur ab essentia, vt sit *indiuidua substantia.* Ergo Diuinitas secundum suam essentiam non est indiuidua substantia. Atque ita ex hoc fundamento decernit Ricard. Victorinus lib. 4. de Trinit. cap. 21. & 23. vbi definit, indiuiduum esse illud, quod nisi soli vni non possit aptari. Quo sensu definit: *Persona est rationalis naturæ indiuidua existentia.*

Confirmatur tertiò, quoniam essentia siue sub- 17
stantia diuina communis est tribus personis, & in eo distinguũtur essentia & persona; quod essentia est communis, vniuersalis, & communicabilis. Persona verò est incommunicabilis, indiuidua & singularis. Quapropter si dicamus, essentiam diuinam esse singularem, aut indiuiduam; tenebimur consequenter concedere, substantiam siue essentiam diuinam esse personam. Antecedens plurimis Patrum testimoniis probatum est disput. 13. sect. 4.

Confirmatur quartò, nam essentia diuina est 18
veluti species comparatione personarum, tanquam indiuiduorũ. Quemadmodum Damascenus obseruat lib. de decretis primæ institut. cap. 6. post med. & lib. 3. fidei cap. 6. Quin etiam Cyrillus Alexand. dialog. de Trinit. lib. 1. inter med. & fin. comparat vniuersalitati generis, vt vidimus disp. 14. sect. 3. probat. 8.

SECTIO II.

Realem & numericam atque indiuiduam esse vnitatem diuinæ substantiæ.

1 VT præsentis assertionis certitudo sit euidentior, opus est præmittere distinctionem. Duplex enim est indiuiduatio, siue singularitas, aut vnitas numerica. Alia enim est singularitas mera & omnimoda, quæ videlicet non affert eminenter adiunctam vniuersalitatem, propter quam res singularis realiter communicetur suppositis realiter distinctis. Talis est singularitas omnium rerum creatarum, quæ sunt indiuidua, prorsus. distincta, & separata à cæteris indiuiduis.

Singularitas non mera & omnimoda diuinæ substantiæ.

2 Alia est singularitas non mera neque omnimoda, sed propter perfectionis infinitatem, eminenter adiunctam afferens vniuersalitatem, propter quam res aliqua singularis communicatur, & realiter identificatur cum multis suppositis, abinuicem realiter distinctis. Hæc licet minus habeat singularitatis; habet tamen plus perfectionis, reiecta imperfectione singularitatis finitæ atque limitatæ. Quamuis enim perfectio sit Diuinitatis esse singularem; non sequitur summam, & omnimodam singularitatem esse perfectionem. Quemadmodum in aliis perfectionibus diuinis similem illationem non valere probatum est disp. 19. sect. 7. prope finem. Adde quod etiam personæ diuinæ singularitas non est mera & omnimoda; quia realiter identificatur cum substantia realiter communi, & identificata cum aliis personis, vt suo loco dicemus.

3 *Diuinitas singularis, indiuidua & vna numero.* Iuxta præsentem declarationem conclusio de fide est. Diuinitas, essentia, siue substantia Dei, est realiter vna numero, singularis & indiuidua: nec illius vnitas fit per intellectum abstrahentem, quemadmodum humanitas fit vna sola vnitate rationis. Probatur primò plurimis Scripturæ testimoniis, asserentibus, Deum esse vnum & non esse plures deos, quale est illud Deut. 6. *Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Roman. 3. ad finem, *vnus Deus*, &c. 1. Corinth. 8. sub init. *Non est Deus nisi vnus.* & Galat. 3. ver. 20. & Ephes. 4. ver. 6. *Vnus Deus.* Nam ex vnitate & singularitate Dei per euidentem illationem deducitur singularitas & indiuiduatio Deitatis, siue substantiæ diuinæ, quæ necessariò præsupponitur ad singularitatem Dei, vt dicemus sect. 4.

4 Propterea Dionysius de diuin. nomin. cap. 1. propius ad med. quàm ad princip. *In omnibus fermè sacris libris aduertimus*, inquit, *diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem atque vnicam ob simplicitatem, atque vnitatem illius excellentis indiuidui.* Sixtus Papa I. tota epist. 1. supra dictis & aliis testimoniis Scripturæ probat, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse vnum Deum, & non esse alium Deum, sed eundem.

5 Secundò probant Patres ex hymno Seraphim apud Isaiam, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quem Epiphanius ita ponderat in ancorato colum. 9. *Non dicunt: Sancti, Sancti, Sancti, quò singulare celebre pronuntient, neque trium numerum occultent, sed ter quidem dant sanctificationem. Vniformiter autem & singulariter proferunt sermonem, vt ne multitudinem*

Ruiz. de Trinitate.

deorum nominent. Quod idem obseruant plerique alij Patres citandi disput. 36. sect. 5.

Probatur tertiò, nam Christi Domini verba 6
Ioann. 10. *Vnum sumus*, significant vnitatem realem, quæ sit vnitas simpliciter & numerica; iuxta quam non posset dicere Petrus: *Ego & Paulus vnum sumus*; & cui vnitati non est æqualis vnitas omnium hominum in natura specifica, vt ex Innocentio III. Athanasio, Augustino, Chrysostomo, Basilio, Cyrillo, Hilario & Fulgentio probauimus disput. 20. sect. 6. refutantes explicationem distortam hæreticorum.

Probatur quartò ex Conciliis, nam Antiochenum Catholicum negauit *Homousion* eo sensu, 7
quem Samosatenus intelligebat, videlicet Patrem & Filium esse duas substantias eiusdem speciei, & numero distinctas: sicut Petrus & Paulus: quod tanquã inconueniens illatum ex Diuinitate Christi Domini Catholicis obiiciebat, vt vidimus disput. 21. sect. 3. obiect. 4. Sophronius Patriar. Hierosolymit. in sexta Synodo act. 11. epist. professionis fidei colum. 2. & 3. semel & iterum profitetur *singularitatem Deitatis.*

Lateranens. Concil. cap. *firmiter*, de summa Tri- 8
nitat. *Hæc*, inquit, *sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua.* Et cap. *damnamus*, definit, vnitatem substantiæ diuinæ esse infinitè perfectiorem, quàm sit vnitas humanæ naturæ, ita vt substantia diuina sit vna & eadem res in tribus personis. In Concil. Florentino sessione 18. post med. §. *dixi equidem*, versus med. Ioannes nomine Latinorum de natura diuina sic disserit: *Quæ cum vna numero sit, idcirco non ea ratione communis dicitur esse, qua est humanitas, sed rationem tantum habet communis, quatenus communicabilis est.* Et subiungit; *realem identitatem naturæ manere in vnaquaque persona.*

Concilium Tolet. vndecimum in profess. fidei 9
in medio: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus singulariter dicitur.* Et post pauca: *Singulariter ergo vnaquæque persona vnus Deus confitetur & creditur.* Consonat Nicænum Concil. dicens: *indiuiduam Trinitatem*, lib. 2. col. 6. §. *sancta & magna*, & post med. libri §. *siquidem*, in fine, asserit esse *indiuiduam.* §. *audi iam*, in fine vocat *indiuisam.* Et ex contextu constat, hoc referri ad vnitatem essentiæ, & inseparabilitatem personarum. Quam appellationem vsurpant plerique Patres.

SECTIO III.

Clariora testimonia Patrum de singularitate diuinæ substantiæ, propter quam tres personæ non sunt tres dij.

DAmasus Papa primus in profess. fidei & ana- 1
thematismis aduersus hæreses Apollinaris, Arij, &c. prope finem anathematizat eum, *qui diuiserit Deum Patrem & Deum Filium & Deum Spiritum sanctum, affirmans Deos dici, & non Deum propter vnam Deitatem ac potestatem, quam esse credimus Patris & Filij & Spiritus sancti.* Et post pauca: *De Patre & Filio & Spiritu sancto propter vnam æqualemq; Diuinitatem, non deorum nomina, sed Dei nostri traditur*; & in præcedenti & sequenti contextu dicit *vnam substantiam.* Notandum obiter est, alia exemplaria non nihil in verbis variare, nihil tamen in sensu præsentis dogmatis.

Iustinus quæst. 17. ad orthodoxos: *Diuinarum,* 2
inquit, *consistentiarum vnum substantiæ est indiuiduum.* Et post pauca: *Itaque vnus est Deus vno & indiuiduo*

indiuiduo subſtantiæ: ſed tres perſonæ diuiſione conſtſtentiarum. & quæſt.129.ad orthodoxos fine: *Vnus eſt Deus vnitate ſubſtantiæ, ſine vlla (quod ad hoc attinet) diuiſione aut diſcretione.*

3 Nazianzenus orat.37.quæ eſt 5.de Theologia, non longè ante med. Indiuiduam ſingularitatem eſſentiæ non impediri perſonarum diſtinctione, ſic explicat: *Nec voluntate ſcinduntur, aut potentia diuiduntur, aut denique quidquam eorum, quæ diuiduis rebus contingunt, hic quoque reperitur. Sed indiuiduum in diuiduis (vt vno verbo dicam) eſt Diuinitas, ac velut in tribus ſolibus inter ſe cohærentibus, vna lucis commixtio & temperatio.*

4 Refert autem obiectionem hæreticorum, dicentium, apud Ethnicos etiam eſſe vnam Diuinitatem: *Atque apud nos genus vniuerſum humanitas vna: & tamen diy ſunt non vnus, quemadmodum & multi homines.* Satisfacit verò diſtinguens vnitatem abſtractionis, ab vnitate reali, dicens: *Illic* (videlicet in diis Ethnicorum & in hominibus) *communitas vnitatem habet, cogitatione ſola conſiderabilem. Singularia autem & tempore & affectionibus, atque adeo potentia & facultate plurimum inter ſe diuiſa ſunt.*

5 Quod fuſiùs explicans & confirmans, regreditur ad diuina ſuppoſita num.41. dicens: *Horum quodlibet vnitatem habet, non minus eius, cum quo coniungitur, quàm ſui ipſius reſpectu propter eſſentiæ & potentiæ identitatem.* Idem Nazianzenus orat.45. de Diuinitate ad Euagrium in med. *Simplex*, inquit, *Dei eſſentia, indiuidua, vniuſque modi eſt: cæterum ad ſalutis animarum noſtrarum vtilitatem, partitionem quoque propter appellationes ſubire videtur.* Agit autem de nominibus Patris & Filij & Spiritus ſancti.

6 Gregor.Nyſſen.orat.catechetica cap.3.init.dicit, eſſe ineffabilem profunditatem myſterij. *Quomodo idem & cadat ſub numerum, & non cadat; & diuiſum cernatur, & comprehendatur in vnitate; diſtinctumq; ſit ac diſcretum conſiſtentia, & hypoſtaſi, & ſubiecto non ſit diuiſum.* Vnitas illa, quæ non cadit ſub numerum, eſt ſola numerica vnitas. Deinde quod ſubiecto non eſt diuiſum, eſt vnum ſubiecto, id eſt realiter vnum numero. Hac enim appellatione Ariſtoteles, S. Thomas & alij diſtinguere ſolent realem & numericam vnitatem ab vnitate ſpecifica ſecundum rationem, vt conſtat ex Ariſtotele 1. phyſic. à text.68. vſque ad 61. Et S.Thoma ibidem lect.13. litera E. & G. & 3. ſentent. quæſt.1.art.3.ad 4.& 5.

Vnum ſubiecto.

7 Idem Nyſſenus epiſt. de imagine & ſimilitudine contra Apollinarem colum. penult. de Patre, Filio & Spiritu ſancto ita diſſerit: *Sicut relatam & à ſe mutuo pendentem habent appellationem, ita communem & indiuiduam habent eſſentialem efficacitatem.* Præcipuè verò lib.ad Ablabium: *Quod non tres dij*, multo propius ad princip. quàm ad med. *Natura*, inquit, *vna eſt ipſa, ſecum vnita, penituſq; ac prorſus vnitas indiuidua eſt.* Et poſt pauca de eadem natura ait: *Quæ non vna cum ſingularibus, qui eius participes ſunt, diuiditur.*

8 Ex hac indiuiduatione deſumit rationem, propter quam tres perſonæ non ſunt tres dij, in fine prædicti libri ad Ablabium, videlicet, quia in Deo ſunt omnia prorſus vnum, excepta ſolummodo cauſalitatis oppoſitione: *Quoniam igitur*, ait, *hypoſtaſeis quidem ſanctæ Trinitatis cauſæ ratio diſcernit, aliud quidem abſque cauſa, aliud verò ex cauſa eſſe poſtulans, diuina autem natura & variationis & diuiſionis per omnem conſiderationem expers eſſe deprehenditur: idcirco propriè vna Deitas, & vnus Deus eſt, & alia omnia Deo conuenientia nomina ſingulariter efferuntur.*

Ad hanc legitimam & validam rationem reuocari debent aliæ, quas in eodem lib.ad Ablabium affert Nyſſenus, quæ licet per ſe non ſatisfacerent; veram tamen rationem illuſtrant, & corroborant. Altera eſt infinitas incircumſcripta, de qua dicemus ſect. 4. Altera eſt inſeparabilitas & identitas operationis ex qua tanquam à poſteriori deducitur indiuiſibilitas naturæ. Quam rationem tradit prope med. eiuſdem libri. 9

Athanaſ. lib. 2. de propriis perſonis prope fin. ait: *Trinitas diuiſa eſt in nominibus perſonarum, in Deitate autem indiuiſa.* Rurſus in dialog.1. de Trinit. contra Anomœum col. 4. docet, *Nullam eſſe differentiam Patris, Filij & Spiritus ſancti in natura nec in voluntate, ſed in eo demum aliqua quod gignere & gigni, emittere & procedere inter ſe differunt.* Præterea non longè poſt med. *Eſſentia*, inquit, *neque proprietatem habet non communem hypoſtaſibus, quæ eſſentiæ ſubſunt, nec numeri multiplicationem admittit, cum ſit vnica & ſingularis.* Tandem ſermone in Euangelium de ſancta Deipara prope initium dicit *ſingularitatem ſubſtantiæ*, loquitur de Diuina. 10

Baſilius lib. 3. contra Eunomium in fine dicit, Spiritum ſanct. *eſſe vnum & ſolum ſingularis cuiuſdam naturæ.* Et totis quinque libris contra Eunomium & ſequenti lib. de Spiritu ſancto frequenter repetit, Filium & Spiritum ſanctum eſſe vnius ſubſtantiæ & Diuinitatis cum Patre. 11

Cyrill.Alex.dialog.de Trinit.lib.1.inter princ. & med. *Filius*, inquit, *quum in propria exiſtat ſubſiſtentia, qua valde rectè creditus eſt ſe habere; non ſicut nos inter nos, vel certè iuxta legem corporum diſtinctus erit, habens & ipſe à Patre in vniuerſum ſectionem.* Perpende non ita diſtinctum atque ſeiunctum eſſe Filium à Patre, ſicut nos inuicem; licet natura humana in nobis ſit vna. Quod diſcrimen clarius explicuit lib.6.dialogorum col.4. dicens: *Non ſecernitur Pater à Filio, ſicut Angelus ab Angelo, neque ſicut nobis cum aliquis ab aliquo; totus à toto diſtinctus eſt. Neque etiam vtrinque vnum differentiæ ratio ſeorſim omnibus modis vtrique conſtituit.* Probat autem, inter Patrem & Filium non eſſe prædictam diſtinctionem totalem, ne Pater & Filius eſſent duo dij. Quantum ad aliquid ergo ſunt prorſus vnum & idem. 12

Damaſcenus lib. de duabus Chriſti voluntatibus propius ad princ. quàm ad med. rationem ob quam homines ſint multi licet in natura humana conueniant, aſſignat his verbis: *Eorum propriæ rationes, diſtinctiq; motus proprietates ſunt verum ſingularium. Eandem enim naturam eorum indicat communio. Ratio autem cohærendi, diuiſaq; & proprio quodammodo conglutinata hypoſtaſis, & cuiuſque coagmentatio & proprius in mouendo, diuerſuſq; eorum, quæ naturæ ſunt vſus, hypoſtaſes, id eſt, res ſingulas diſtinctas declarat, facitq; vt multi homines eſſe dicantur.* 13

Poſtquam hoc argumento à poſteriori probauit diſtinctionem realem & numericam hominum; continuo ſubiungit diſcrimen diuinarum perſonarum, dicens: *Quapropter in Patre, Filio & Spiritu ſancto, quoniam diuerſa eſt vniuſcuiuſque perſona, nec ſeparatim, aut diſtinctè quaſi diſcreta vnaquæque vult & agit, ſed coniunctè: non tres, ſed vnus eſt Deus.* Quaſi à poſteriori colligit vnitatem naturæ ex vnitate operationis. 14

Idem Damaſcenus lib.1.fidei cap.11.ante med. *In omnibus*, inquit, *creaturis diſtinctio ſuppoſitorum re ipſa conſideratur: re enim Petrus à Paulo diſtinctus concipitur. Communio autem & naturæ affinitas & vnio* 15

& vnio ratione & intelligentia conſideratur. Quam vnitatem non realem, ſed ſolius rationis, poſtquam magis explicuit; diſcrimen diuinæ naturæ ſubiungit: *In ſancta Trinitate è diuerſo comperitur. Nam iſtic commune & vnum re conſideratur propter coæternitatem & identitatem ſubſtantiæ*, &c. Atque inde infert non eſſe tres deos.

16 Ambroſius lib.5.de fide ad Gratian.cap.1.alias cap.2. longè poſt med. refert Arianorum obiectionem, dicentium: *Si vnius ſubſtantiæ Patrem & Filium confitemini: non vnum Deum, ſed duos deos inducitis: quia qui vnius ſubſtantiæ ſunt, non vnus Deus, ſed duo dy videntur, ſicut duo homines*, &c. Reſpondet autem: *Dominicis eloquijs approbamus: quia vbi plures ſunt, ibi aut naturæ, aut voluntatum & operationum eſt differentia. Denique vt ſuis ſibi teſtimonijs reuincantur, duo homines dicuntur, quia licet vnius naturæ ſint iure naſcendi, tamen & tempore, & cogitatione, & opere, & loco diſtant: & ideo non poteſt vnus homo dici in ſignificatione & numero duorum, quia non eſt vnitas, vbi eſt diuerſitas: vnus autem Deus dicitur, & Patris & Filij ac Spiritus ſancti gloria & plenitudo ſignatur.* Quibus circumlocutionibus apertè declarat indiuiduationem & numericam vnitatem, non hominibus, ſed tantùm diuinis perſonis conuenire, quantum ad naturam Deitatis.

17 Confirmat autem teſtimonio Chriſti Domini Ioannis 8. poſt pauca ſubiungens: *Dominus cum diuerſitatem inter ſe hominum deſignaret, qui nihil habent inter ſe, quod poſſit ad vnitatem indiuiduæ ſubſtantiæ pertinere: In lege veſtra, inquit, ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum eſt. Et cum præmiſiſſet, duorum hominum teſtimonium verum eſt; vbi venit ad ſuum & Patris teſtimonium non dixit, verum eſt teſtimonium noſtrum; quia duorum Deorum teſtimonium eſt: Sed ego, inquit, ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater. Supra quoque ſimiliter ait: Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater.* Plura in eandem ſententiam non ſolum in eo cap. 2. ſed etiam lib. 3. de Spiritu ſancto cap.14.& 17.& lib. de Filij Diuinitate cap.7. ſub init. ex vnitate ſubſtantiæ probans non eſſe tres deos.

18 Hilarius lib.9.de Trinit. multo propius ad fin. quàm ad med. *Indiuiduam & non diuiduam naturam Dei* appellat. Fulgentius lib.de fide ad Petrum cap.1. prope med. *Vnus Deus*, inquit, *Trinitas ipſa non eſſet, ſi quemadmodum Pater, Filius & Spiritus ſanctus perſonarum ſunt ab inuicem proprietate diſtincti, ſic fuiſſent naturarum quoque diuerſitate diſcreti.* Et reddit rationem, ob quam ſit vnus Deus, *quia in vna natura vnus Deus eſt.* & in med. *Ob hoc ergo tres, vnum rectè credimus, & dicimus Deum, quia vna prorſus æternitas, vna immenſitas, & vna naturaliter eſt trium perſonarum Diuinitas.*

19 Anſelmus de Incarnat.Verbi cap.3. inter princip. & med. expreſsè docet, *Deum eſſe vnum numero*, addítque, ſolas relationes, ſeu proprietates diſtingui; cætera prorſus eſſe rem vnicam: probat autem, quoniam ex oppoſito ſequeretur eſſe tres deos. Præterea in monolog. cap. 26. dicit, ſubſtantiam Dei non eſſe vniuerſalem, *quæ pluribus ſubſtantijs communis ſit, vt hominem eſſe, commune eſt omnibus hominibus, quia neque in plures ſubſtantias ſe diuidit*, &c.

20 Rurſus lib. de proceſſione Spiritus ſancti, cap. *patet*, quod eſt penult. ad fin. *In hoc*, inquit, *quod relatiuè Deus ad Deum dicitur, ſicut plures homines:*

Ruiz. de Trinitate.

perſonarum admittit pluralitatem & diuerſitatem. In hoc verò quod per ſe, id eſt, in Deo: inſeparabilem ad ſimilitudinem vnius hominis ſeruat ſingularitatem; pluralitas namque humanarum perſonarum non eſt, niſi in pluribus hominibus: nec vnus homo pluralitatem accipit perſonarum. Deus verò vnus eſt tres perſonæ, & perſonæ tres vnus Deus.

Idem intendit ſignificare Gregor.Magn.lib.30. moral. cap. 5. alias 8. cum ait: *Tunc videbimus, quomodo & vnum diuiſibiliter tria ſint, & indiuiſibiliter tria ſint.* Et S. Martial. epiſt.1. ad Burdegalen. cap. 10. fine de Patre, Filio & Spiritu ſancto ſic loquitur: *Hæc in perſonis tria diuiſa; in diuinitate vnus Deus indiuiſus eſt.* Indiuiſum autem idem eſt, quod indiuiduum; vt loquuntur etiam authores profani. Hormiſda Papa epiſt.1. aduerſus Neſtorium, &c. cap.2. *Adoremus*, inquit, *Patrem, Filium & Spiritum ſanctum indiſtinctam diſtinctæ Trinitatis ſubſtantiam.* Et poſt pauca: *Nec perſonis Diuinitatis ſingularitas denegetur*, &c. 21

Tertullianus lib.contra Praxeam cap.12. appellat *Vnicum Deum & ſingularem.* Eodem nomine *ſingularem* vocat Lactantius diuin. inſtitut. lib. 4. cap.29. prope fin. & magis explicat, dicens: *Cum mens & voluntas alterius in altero ſit, vel potius vna in vtroque; meritò vnus Deus vterque appellatur; quia quidquid eſt in Patre ad Filium transfluit, & quidquid in Filio à Patre deſcendit.* 22

Iſidorus lib.2. de differentiis ſpiritualibus c.2. ſub init. *In perſonis*, ait, *diſcretio eſt, in Diuinitate nulla diſtinctio.* Ricard.Victor. lib.4. de Trinitat. cap. 8. magis expreſsè conſtituit diſcrimen inter vnitatem diuinæ atque humanæ ſubſtantiæ; quod multæ perſonæ hominum ſunt multæ ſubſtantiæ. Attamen tres perſonæ diuinæ non ſunt tres ſubſtantiæ, ſed tantum vnica. Quod etiam tradiderat præced.lib.3.cap.8. 23

S.Thom. 4.contra gent.cap.11.prope med. explicat manifeſtè, diuinam ſubſtantiam, non ſolum ſpecie, ſed etiam numero vnicam & eandem eſſe; propterea que non eſſe tres deos. Nam *quod apud nos duo habentes humanam naturam ſint duo homines, ex hoc contingit, quod natura humana numero diuiditur in duobus.* Idem repetit 1.part.q.39. artic.3.corpor. & addit: *Eſſentia diuina ſignificatur per modum formæ, quæ ſimplex eſt, & maximè vna. Vnde nomina, ſignificantia diuinam eſſentiam, ſubſtantiuè, ſingulariter, & non pluraliter de tribus perſonis prædicantur*; & de potentia quæſt.10.artic.2. ad 12. dicit, naturam diuinam eſſe vnam numero & non multiplicari per generationem. Alexand. 1.part. quæſt.44. dum reſpondet ad quintam rationem (neque enim diſtribuitur in membra vel articulos) dicit, eſſentiam diuinam eſſe *indiuiduam*, in eo ſenſu, quod ſola eſt & vnica; neque enim ſunt tres eſſentiæ diuinæ. Idem exiſtimat Durandus 1. diſtinct. 9. quæſt.1. in fin. corporis. 24

SECTIO IV.

Rationibus probatur idem intentum.

PRima ratio ſit ſumma & perfectiſſima vnitas diuinæ ſubſtantiæ, ſuperexcellens omnes vnitates. Eſſet autem vnitas imperfectior vnitatibus creatis, ſi realiter & numero diſtinguerentur plures eſſentiæ diuinæ, & ſolummodo ſecundum rationem eſſet vna eſſentia; quemadmodum eſt vna humanitas abſtracta à ſingularibus. Talis 1

Nõ eſſet ſumma vnitas eſſentiæ, niſi numerica & indiuidualis.

enim vnitas solius rationis, est vnitas secundum quid, non simpliciter: ideóque longissimè distat ab ea vnitate, quæ requiritur ad verificanda dicta Scripturæ & sanctorum Patrum.

2 Dionysius de diuin. nomin. cap. 13. non longè à princip. *Vnum*, inquit, *dicitur, quod singulari eximioq; modo sit omnia vna vnitatis præstantia:* & propius ad med. quàm ad princip. capitis: *Vnus*, inquit, *dicitur ex præstanti totius diuinæ vnitatis vacuitate partium, in qua singillatim collecta & coniuncta sunt omnia.* Cuius vnitatis perfectionem toto illo capite exponit. Ideo Patres frequenter dicunt, *Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate*; vt videbimus disput. 36. sect. 8.

3 Confirmatur, quia Deus est simplicissimus, nullam in essentia distinctionem realem admittens, vt vidimus disput. 11. sect. 5. Peculiariter autem totam Trinitatem esse simplicissimam, ostendemus disp. 38. Simplicitas autem non esset verè & propriè; si numero & realiter distinguerentur tres essentiæ diuinæ: ita vt non esset vnica & indiuisibilis essentia: id quod probari potest exemplo humanæ naturæ, quæ in omnibus hominibus non est propriè & verè simplex, quia constat multis naturis realiter distinctis, & sola rationis abstractione redditur vna.

4 *Idem probat infinitudo.* Secunda ratio est infinitudo diuinæ essentiæ: nam vt acutè ratiocinatur Nyssenus lib. ad Ablabium, *quod non tres dij.* inter med. & fin. *Ea sola secundum compositionem numerantur* (id est numero distinguuntur) *quæ secundum propriam circumscriptionem considerantur.* Et post pauca: *Quod autem non circumscribitur, non numeratur; & quod non numeratur, in multitudine considerari non potest.* Cuius ratio est, quoniam essentiæ plures solo numero distinctæ, singulæ carent perfectione alterius essentiæ, quæ possibilis est in ea specie. Quapropter vnaquæque circunscribitur & finitur, ne capiat perfectionem alterius essentiæ.

5 *Plus Deitatis esset in tribus personis quàm in vna, nisi realiter vna & singularis Deitas esset.* Tertia ratio procedens ex præcedenti, & eam quasi à posteriori declarans. Quia in tribus hominibus plus, & maius aliquid est humanæ substantiæ, quàm in homine vnico. At verò diuinæ substantiæ nihil plus, aut maius est in tribus personis, quàm in vnica tantum. Hanc rationem reddidit Augustinus serm. 38. de tempor. prope med. *Non tres dij, Pater, Filius & Spiritus sanctus, sed vnus Deus plenus & perfectus: nec aliquid maius tres simul dici Pater & Filius & Spiritus sanctus, quàm vnus quilibet, vel Pater vel Filius vel Spiritus sanctus: quia eadem natura est in vnaquaque persona simul dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis. Non ita dicimus in hominibus fieri posse: Abraham plenus homo, Isaac plenus homo, Iacob plenus homo, & hi omnes vnius substantiæ, quantum ad humanam pertinet naturam: non tamen hi tres vnus homo, sed tres omnimodis homines, & aliquid maius in tribus cognoscitur, quàm in quolibet vno eorum.*

6 Sed magis ex professo lib. 7. de Trinitat. cap. 4. 5. & 6. varias rationes disparitatis proponens atque reiiciens, propter quas tres personæ humanæ sint tres homines; sed tamen tres personæ diuinæ non sint tres dij. Tandem cap. 6. post med. ita quæstionem soluit: *Non tantum est vnus homo, quantum tres homines simul. Et plus sunt aliquid homines duo, quàm vnus homo. Et in statuis æqualibus plus auri est tres simul, quàm singulæ statuæ; & minus auri est vna, quàm duæ. At in Deo non ita est. Non enim maior essentia est Pater & Filius & Spiritus sanct. simul, quàm solus Pater aut solus Filius: sed tres simul illæ substantiæ, siue personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis.* Concil. Tolet. sextum cap. 1. *In Trinitate*, ait, *tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in singulis, quam in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in singulis personis manet.* Eadem sententia traditur in Concilio Toletano vndecimo in profess. fidei circa medium.

7 *Non excederet humanũ captum vnitas triũ personarũ, si non esset realis & numerica.* Quarta ratio: quia Trinitatis mysterium nihil contineret admirationis, excedens humanum captum, & modum vnitatis creaturarum: si Diuinitas, siue diuina natura non esset realiter vna, sed tantùm secundum rationem; sicut natura humana in tribus hominibus. Contra verò Patres obseruant ineffabilem profunditatem mysterij, & velut ænigma rationem humanam superans, esse indiuiduâ & singularem vnitatem essentiæ simul cum distinctione, seu diuisione personarũ. Quod ex Gregor. Nysseno, Nazianzeno, Basilio, Sophronio, Hierotheo & Dionysio, vidimus disput. 15. sect. 2. versus fin.

8 *Patres omnes consentiunt.* Quinta ratio, quia licet aliqui Patres concesserint, tres personas diuinas esse tres *substantias*, accipiendo substantiam pro subsistentia; vt videbimus disputat. sequenti sect. 3. & 4. Alij verò semper negauerint esse plures substantias: omnes tamen vnanimi consensu tanquam fidei dogma profitentur, esse vnicam substantiam, quantum ad omnia absoluta, quæ tribus personis communia sunt: quemadmodum est vnica Diuinitas. Hæc autem vnitas substantiæ non verificaretur, si tantùm secundum rationem esset vnitas, quemadmodum in natura humana respectu multorum hominum.

9 Confirmatur, quia propter hoc discrimen deciperetur, qui existimaret, Abrahamum dedisse Filio Isaac totam suam naturam humanam. At verò commune proloquium antiquorum Patrum est, æternum Patrem Filio dedisse totam suam substantiam & quidquid ipse est præter esse Patrem, iuxta illud Ioan. 16. *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Patrum testimonia retulimus disput. 19. sect. 2.

10 *Ex immaterialitate vnitas.* Sexta probatio sit; quia, *natura, quæ est vna secundum speciem, non diuiditur in plura secundum numerum, nisi propter materiam: diuina autem natura omnino immaterialis est: Impossibile est igitur, quod natura diuina sit vna specie, & numero differens.* Sic argumentatur sanctus Thomas 4. contra gent. cap. 11. prope med.

SECTIO V.

Exponitur mens antiquorum Patrum, qui dubitandi occasionem dederunt sectione prima.

1 PAtres illos rectè de singularitate & indiuiduatione, atque reali vnitate diuinæ substantiæ sensisse, satis apertè constat imprimis ex eorum verbis, adductis in sect. 3. Deinde, quoniam aliis in locis apertè profitentur ea dogmata, ex quibus pro eadem veritate rationes desumuntur in præcedent. sect. 4. Peculiariter autem circa paritatem illam diuinæ & humanæ naturæ, iuxta quam Patres in sect. 1. videntur asserere, Deitatis, siue diuinæ substantiæ vnitatem non esse maiorem in tribus personis, quàm sit vnitas humanæ naturæ, conuenientis multis hominibus: Certum est, Patres non intellexisse paritatem omnimodam, sed solummodo, atque præcisè quantum ad vnitatem

Patres non intellexerunt esse paritatẽ omnimodam vnitatis naturæ humanæ & diuinæ.

tatem specificam & æqualitatem naturæ.

2 *Solum intendebãt Patres probare non esse naturam diuersi generis in Filio.* Constat enim ex eisdem tractatibus in sect. 1. citatis, institutum eorum Patrum fuisse confutare hæreticos, qui dicebant, Filium esse substantiam diuersi generis à Patre, & consequenter inæqualem; sicut res creata diuersi generis est & inæqualis creatori. Hos igitur redarguebant, quia quicumque filius, si verè & propriè filius naturalis est, euadit necessariò æqualis & eiusdem substantiæ cum patre: sicut filius Adami fuit eiusdem substantię cum Adamo, & quantum ad essentiam prorsus æqualis. Atque alia simili ratione probant, Spiritum Patris & Filij esse eiusdem substantiæ & essentiæ cum vtroque.

3 *Prudẽti consilio tacebant in illo argumento numericam vnitatem.* His igitur argumentis aduersus hæreticos dimicantes prudentissimo consilio nihil tunc pronunciabant de numerica & reali vnitate naturæ diuinæ, cuius mentio poterat aduersariis occasionem ministrare plurium sophismatum, quibus obscuriorem redderent euidentiam argumentorum. Satis enim erat eò deducere disputationẽ, vt aduersarij negare nõ possent specificam identitatem & æqualitatem substantiæ. Quam postquam obtinuissent, erat in promptu numericam & realem identitatem probare, ne darentur tres substantiæ diuinæ eiusdem speciei, propter rationes adductas in sect. præcedenti. Hoc genus argumenti magis elucet apud Athanasium in disputatione contra Arium, Laodiceæ habita ante med. & post med.

4 *Excessit Nyssenus.* De Gregorio tamen Nysseno in lib. ad Ablabium propius ad princ. quàm ad med. quod retulimus sect. 1. non nisi per abusum dici *multos homines*; negari non potest, quin excesserit præ nimio zelo diluendi contrariam obiectionem, quæ tres personas esse tres Deos, inferebat ex tribus hominibus. Cæterum nihil contra Theologiam, sed tantum contra dialecticam, aut philosophiam dixit.

5 *Athanasij verba temperanda.* Præterea per alia testimonia eiusdem Athanasij temperandum est, quod in eadem sect. 1. retulimus ex dialogo 1. contra Anomœum; alioqui relaberetur Athanasius in declarationem hæreticam, quæ Patrem & Filium dicebat esse vnum tantummodo per concordiam. Quam acriter Athanasius & alij Patres reprehendunt supra disput. 20. sect. 5. Hæc de præcipua ratione dubitandi sufficiant.

6 *Quo sensu Deus non sit vnicus & singularis.* Ad primam confirmationem respond. Hilarius in eo tantum sensu negat, Deum esse singularem & vnicum, quo Sabellius asserebat, vnicam & solitariam esse personam: atque in eo sensu rectè intelligit Hilarium S. Thomas 1. p. quæst. 31. art. 2. corpor. post med. Deus itaque non est singularis & vnicus singularitate mera & omnimoda, quæ repugnat identitati reali cum multis personis, vt explicuimus sect. 2. init. Eodem modo intelligendi sunt Ambrosius, Augustinus, Leo magnus, Magister, S. Thomas, & S. Bonauentura citati in eadem confirmatione prima. Sed iterum de singulari & vnico & indiuiduo dicemus disp. 40. sect. 1.

7 *Quo sensu nõ sit indiuidua substantia Dei.* Ad secundam confirmationem respond. Anselmus ibi citatus accipit indiuiduum respectu speciei. Dicit enim: *Indiuidua, quæ vniuersalem essentiam communem habet.* Et iterum: *Cum aliqua alia per vniuersalem communionem se colligit.* In hac acceptione manifestum est, diuinam substantiam non esse indiuiduam. Deinde Boëtius & Ricard. indiuiduum accipiunt, prout affert meram & omnimodam singularitatem; vt constat ex eorum contextu. Sed de indiuiduatione, quæ ponitur in definitione personæ, dicemus disp. 32. sect. 2. & 3.

8 *Nec vniuersalitas nec indiuiduatio est omnimoda in Deo.* Ad tertiam confirmationem respond. Sicut indiuiduatio & singularitas diuinæ substantiæ non est mera & omnimoda; sic etiam vniuersalitas & communitas eiusdem substantiæ non est mera & omnimoda; nec omnino similis est communitati generum vel specierum: hæc enim vniuersalia non habent vnitatem realem. At verò communitas diuinæ naturæ constituitur per realem vnitatem, vt ex Concil. Florentino vidimus sect. 2. probat. 4. & ex Damasceno sect. 3. post med. Propter hanc igitur communitatem, essentia non potest esse persona: sicut è contrario propter supradictam indiuiduationem non est propriè vniuersalis. Vt expressè docet Anselmus in monolog. cap. 26. Atque idem supponere videtur August. lib. 7. de Trinit. cap. 6. propius ad med. quàm ad princ.

9 Vnde constat solutio ad quartam confirmationem, videlicet, essentiam diuinam non esse propriè speciem, & minus esse genus.

10 *Omnis perfectio absoluta est realiter vna & singularis.* Ex hac & præcedentibus sectionibus euidenter sequitur declaratio & ampliatio doctrinæ, quam probant, videlicet, non solam formalitatem essentiæ, substantiæ vel naturæ, sed etiam quodlibet attributum, siue quamlibet perfectionem absolutam, quæ tribus personis communis est, consequenter esse realiter vnam, indiuiduam & singularem, quemadmodum sapientia, potentia, bonitas, immensitas, & cæteræ perfectiones absolutæ sunt singulares & indiuiduæ; quoniam omnes rationes & testimonia superius citata, vim æqualem sortiuntur in omnibus.

SECTIO VI.

Origo duarum personarum ab vnica, quomodo sit ratio, vt tres personæ non sint tres dij.

1 IMmediatissima & quasi formalissima ratio, propter quam tres personę non sunt tres dij, sed vnus Deus, conciliorum & Patrum authoritate rationibúsque fuit corroborata quatuor præcedentibus sectionibus, nimirum; quia sicut Deus constituitur formaliter Deitate, siue essentia diuina; sic vnicus Deus singularis, indiuiduus & simplicissimus constituitur Deitate siue essentia diuina vnica, singulari & simplicissima. Quapropter ratio negandi tres deos, non solum nec primariò sumitur ex modo loquendi, recepto in omnibus linguis theologiæ seruientibus (de quo dicemus tota disp. 77.) sed primariò sumitur ex ipsa veritate & quidditate rei significatæ.

Deus est vnicus, quia Deitas & essentia est vnica singularis.

2 Verumtamen, vt plenius satisfieret importunis obiectionibus hæreticorum, dicentium, esse impossibile, tres personas, realiter distinctas, non habere substantias siue naturas numero atque realiter distinctas: huius etiam difficultatis solutionem tradidere Patres, ostendentes rationem possibilitatis. Propterea namque tres personę, realiter & numero distinctæ, non habent substantias, siue naturas realiter distinctas, sed vnicam numero & indiuiduam essentiam: quia Pater Filio per generationem communicat eandem substantiam siue naturam, per quam ipse Pater constituitur in ratione Dei. Similitérque Pater & Filius eandem numero substantiam & naturam per Spirationem cõmunicat Spiritui sancto: sine qua communicatione per originem impossibile foret eandem numero substantiam siue naturam esse trium personarum. De quo plura disp. 52. sect. 4. Hæc

Ratio propter quã tres personæ non sunt tres dij, est communicatio naturæ per originem.

ratio per se sola non est integra & sufficiens ad probandum tres personas non esse tres deos; sed est pars necessariò cohærens cum priori ratione, cum illáque complens integram & plenam solutionem difficultatis, quantum in hac vita consequi potest intellectus humanus, illustratus lumine fidei.

3 Nonnulla testimonia Patrum de hac re posuimus disp.1. sect.3. pleniorem tamen tractatum ad præsentem locum, tanquam ad proprium remisimus. Ad hanc igitur rationem ante Nicænum Concilium antiquissimi patres respexerunt. Origenes enim epist. ad Rom. lib. 8. cap.9. colum.2. *Vnus*, inquit, *vterque est Deus* (scilicet Pater & Filius) *quia non est aliud Filio Diuinitatis initiũ, quam Pater, sed ipsius vnius paterni fontis (sicut sapientia dicit) purissima est emanatio Filius.* Tertullianus lib. contra Praxeam. *Diuisionem*, inquit, *præsumunt vnitatis, quando vnitas ex semetipsa deriuans Trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur*, &c.

4 Dionysius Rom. Episcopus apud Athanasium in epist. de decretis Nicænæ Synodi vltra med. de Tritheitis sic loquitur: *Isti quodammodo tres deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas sanctam vnitatem dispartiuntur. Vniri enim necesse est omnium Deo Dei Verbum, & in eodem hærere, versariq; Spiritum sanctum, & sanctam Trinitatem, in vnum omnium verum Deum omnipotentem, veluti in verticem & principem consummari, & coalescere.*

5 Ex his coniectura ducitur, quæ mihi non est dubia, prædictam rationem ab aliis etiam Patribus antiquioribus, vel etiam ab Apostolis fuisse traditam. Nihil igitur nouum decreuit Nicænum Concilium, quando postquam profitetur Diuinitatem Patris, Filij & Spiritus sancti, subiungit: *Vnum tamen Deum, quia ex vno Patre totum, quod Patris est, Deus natus est Filius; & in Patre totum, quod inest, genuit Filium.* Leguntur hæc in professione fidei, quam refert Nazianzenus in breuiori tractatu de fide Nicæna, qui numeratur orat.50. *Antiquitas huius rationis.*

6 Sed copiosius & clarius idem Nazianzenus præsentem doctrinam explicuit non solum orat. 37. quæ est 5. & vltima de theologia non longè ante med. prope num.30. dicens: *Nobis vnus Deus est, quoniam vna Deitas, atque ad vnum ea, quæ ex eo sunt, referuntur.* Obserua postremum verbum: nam vt ex contextu colligitur, non modo significat, Filium & Spiritum sanctum habere relationem ad Patrem; sed præterea Nazianzenus intelligit, ad perfectionem Patris, imo ad ipsum esse Patris, requisitum esse habere Filium & Spiritum sanctũ, sine quibus erit imperfectus ac truncus, & omnino non erit. Ex hoc fundamento hæreticus qui negabat Diuinitatem Spiritus sancti, sic à Nazianzeno corripitur in superiori contextu: *Nullo modo vnam illam naturam, ac pereaquè venerandam truncam.*

7 Insuper eadem orat.37.colum.penul. rationem assignat, propter quam Spiritus sanctus dicatur mitti, donari, & tribui: quoniam eiusmodi omnia *ad primam causam referri debent, vt, ex quo sit, ostendatur; ac non tria principia diuisa, proindeq; plures dij admittantur.* Vides igitur, Nazianzenum insistere in eadem ratione, propter quam non sunt tres dij; quia nimirum ex vnico principio reliquæ duæ personæ procedunt.

8 Rursus orat.29. de dogmate & constitut. Episcopor. ferè in med. ait: *Hac ratione, mea quidem sententia, vnus Deus retinebitur, si ad vnum authorem Filium & Spiritum sanctum referamus.* Item orat.32. ad Centum quinquaginta Episcopos paulo post med. *Vnio Pater est, ex quo, & ad quem ea, quæ deinceps sequuntur, referuntur, non vt fundantur ac permisceantur, sed vt cohæreant.* Ea, quæ deinceps sequuntur, appellat Filium & Spiritum sanctum, quibus vnionem esse, dicit, Patrem, quoniam quod sint vnus Deus, habent ex relationibus procedentium à Patre. Prærerea perpende, quantum placuerit Nazianzeno relatio duarum personarum ad vnam, toties ab eo repetita pro refutanda pluralitate deorum. *Vnio Pater esse dicitur quo sensu.*

9 Denique Nazianzenus in longiori tractatu de fide, qui est orat.49. colum. 3. Cuius verba proponit ecclesia in officio sanctissimæ Trinitatis: *Ideo vnum Deum dicimus*, inquit, *quia vnitas maiestatis plurium vocabulo deos prohibet appellari. Duos deos dicere nec possumus nec debemus. Non quod Filius Dei Deus non sit, imo Deus verus de Deo vero: sed quia non aliunde, quam de ipso vno Patre Dei Filium nouimus, perinde vnum Deum dicimus.* Semper itaque processionem ab vno Deo Patre, dicit, esse rationem, propter quam non sint tres dij.

10 Athanasius orat. 5. contra Arianos in princ. *Ideo*, inquit, *vnus Deus in sacris scripturis renunciatur; cum enim ratio sit vnius Dei, ideo Filius in eum refertur, cuius est Filius: ita vt duo quidem sint, Pater & Filius; sed tamen vnitas Deitatis remaneat, eaque & indiuisibilis & minimè discissa.* Et post pauca: *Ex ipso deinde principio per naturam existit Filius, qui est Verbum, non quasi alterum principium seorsum subsistens, neque aliunde genitus, ne ratione secundi duo principia, pluriumq; principatus oriantur.* Et post alia, quibus eandem sententiam explicat, ita concludit: *Quemadmodum vnum principium, & pro eo principio vnus Deus; ita planè ac reuera vna est essentia*, &c. Idem orat. contra Gregales Sabellij non procul ante med. *Nec ideo nefas dictu existimaueris, vnum esse Deum, quia & Pater qui vnus est, sit Deus, & Filius, qui alter est, sit Deus: cum ille, vt pote Filius, identitatem habeat cum Patre; ipse interim tamen Pater non est, sed vnitus natura cum Patre.*

11 Damascenus, vt solet, imitatus non modo sententiam, sed etiam verba Nazianzeni & Athanasij lib.1. fidei cap.11. post med. *Quapropter*, ait, *neque tres deos dicimus Patrem, & Filium & Spiritum sanctum: sed vnum potius sanctam Trinitatem, Deum, Filio & Spiritu sancto in vnam causam, Patrem videlicet relatis.* Et lib.3. cap.5. ante med. *Eo quod non distant neque discedunt à Paterna hypostasi, & vnus Deus & sunt & dicuntur.* Quibus consonat in lib.1. cap.10. prope finem dicens: *Has tres hypostases in se inuicem adstruimus, vt non multitudinem & quandam deorum turbam inducamus.*

12 Synodus Syrmica canon.26. anathematizat eũ, *qui innascibilem & sine initio dicat Filium: tanquam duo sine principio & duo innascibilia, & duo innata dicens, duos faciat deos.* Nimirum quia si forent duo innascibilia, & duo sine principio; vnum non communicaret alteri eandem numero essentiam: sed ab illo distingueretur tota sua entitate, siquidem non distingueretur sola oppositione relatiua producentis, & producti. Vnde Hilarius prædictum canonem exponens lib. de Synodis multo propius ad med. quam ad fin. ista concludit: *Cum ergo vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt: cum idcirco Deus vnus sit, cum Pater Deus sit, & Filius Dei Deus sit, quia innascibilitas sola penes vnum sit.* Obserua postremã causalem. Cui similia multa frequenter repetit in eodem lib. de Synodis, videlicet paulo superius, dum exponit Synodum Sardicam; & inferius ad canon.17. Syrmicæ fidei.

Idem

13 Idem lib. 4. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princ. *Filius*, inquit, *est Deus ex Deo, vnus ex vno: ob id vnus Deus, quia ex se Deus. Contra verò, per id Filius Deus, quia Pater Deus vnus sit. Est enim vnigenitus Filius Dei, non innascibilis, vt Patri adimat quod Deus vnus sit, neque aliud ipse quam Deus, quia ex Deo natus est: de quo quamuis ambigi non oporteat, quin nascendo ex Deo Deus sit, per quod Fidei nostræ Deus vnus est*, &c. Filius itaque sit foret innascibilis; adimeret Patri, quod Deus vnus sit. Propterea verò Deus vnus est, quia Filius est Deus ex Deo propter originem, ratione cuius seruatur omnimoda identitas essentiæ, cum reali distinctione per solam oppositionem originis. Quam rationem magis explicat in eodem lib.4. inter med. & fin. dicens: *Vterque vnus & solus est, proprietate, videlicet, in vnoquoque & innascibilitatis & originis: ac sic vterque Deus: vnus est: cum inter vnum & vnum, idest, ex vno vnum, Diuinitatis æternæ non sit secunda natura.* *Propterea nõ duo dij quia non duo patres, nec duo filij.*

14 Deinde lib. 5. de Trinit. colum. antepenult. *Vt per eandem*, inquit, *naturam Diuinitatis vnius, vnus Deus per id intelligatur, quo in Deum alterum Deus vnigenitus non refertur.* Et colum. vltima: *In eo*, inquit, *quod subiecit* (Isaias cap.45.) *& præter te non est Deus: ostendit præter eum Deum non esse, quia in se Deo Deus inesset.* Inest autem propter originem, per quam eadem essentia communicatur.

15 Denique lib.7. de Trinit. inter med. & fin. *Nec duos*, inquit, *deos Dei ex Deo veritas perficit, nec non vnum sunt, qui inuicem sunt. Inuicem autem sunt, cum vnus ex vno est: quia neque vnus vni aliud per generationem, quàm quod suum est, dedit, nec vnus ab vno aliud per natiuitatem obtinet quàm vnus.* Integram igitur rationem, initio sectionis propositam, complexus est, videlicet, omnimodam identitatem naturæ, communicatæ per originem.

16 Quam breuiter attigit August. lib.1. de doctrina Christiana cap.5. fine, dicens: *In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitaris; concordia. Et hæc tria vnum omnia propter Patrem*, &c. Quod magis explicabitur disp.82. sect.4. Lactantius quoque citatus ad finem sectionis 3. dicens: *Vnus Deus vterque, quia quidquid est in Patre, in Filium transfluit.* &c.

17 Fulgentius lib. ad obiectiones Arianorum obiect.1. prope med. *Si ambo vocarentur Patres, essent profectò natura dissimiles. Vnusquisque enim ex semetipso constaret, & communem substantiam cum altero non haberet, nec Deitas vna esset, quibus vna natura non esset. Consequens autem fuit, vt duo Patres, duos filios gignerent; quoniam nisi vera de singulis proles existeret, Paterni nominis in nullo veritas appareret.* Et ad 5. obiectionem sub init. *Duo quippe ingeniti non possunt vnam habere naturam, vbi nec vnus in vno veram ex se generationem inuenit, nec vnus ex vno verè in se substantiam natiuitatis agnoscit.*

18 Concil. denique Tolet. Sextum c.1. postquam dixerat; *Vnum Deum solum non solitariũ vnius essentiæ, & Trinitatem indiscretam essentialiter substantia.* subdit, *Spiritũ sanctum de Patre Filioq; procedentem vtriusque esse Spiritũ, ac per hoc substantialiter vnũ esse.*

SECTIO VII.

Rationis alterius robur explicatur ad præcedentis confirmationem.

1 EX præcedenti discursu perspicua redditur ratio multorum Patrum, cuius alioqui robur lateret in tenebris. Plurimi namque dicũt, Patrem & Filium propterea non esse duos deos, quia nec duo patres sunt, nec duo filij. Quæ ratio primo aspectu videtur esse non minus fallax, quàm si quis probaret, Abrahamum & Dauidem nõ fuisse duos homines, quia non fuerunt duo Abrahami, nec duo Dauides. Cæterùm supponendo præcedentem rationem vnius essentiæ, quæ non foret vtrique communis; si foret vtraque persona Pater, vel vtraque foret Filius: manifesta redditur efficacia rationis.

2 Sic Epiphanius hæres.69. inter princ. & med. *Pater*, inquit, *& Filius & Spiritus sanctus vnus Deus Trinitas in veritate, & monas in vnitate. Propterea enim vnus Deus, quia non duo patres, neque duo filij, neque duo spiritus sancti.* Et in ancorato colum.5. *Nec enim*, ait, *si dixerimus Filium & Patrem Deum, duos deos dicimus.* Et post pauca: *Nec enim est multitudo deorum in Deo. Verum per tria nomina vna Deitas, Patris & Filij & Spiritus sancti. Et non duo filij, vnigenitus enim vnus ipse Filius.*

3 Basilius lib.3. contra Eunomium prope fin. ait: *sic etiam in Trinitate vnitatis ratio conseruabitur, si vnum Patrem profiteamur, & vnum Filium & vnum Spiritum sanctum.* Rursus lib. 5. de Spiritu sancto cap. vel sect.12. post med. *Filium*, inquit, *Filij dicere cauit* Apostolus, *vt vnus sit Pater Deus, semper Pater permanens.* Additque: *Vnus Filius, vnus Spiritus sanctus.* Et concludit: *Vt nusquam additus multitudini fiat, sed quilibet in Trinitate vnum ens cognoscatur, vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus.*

4 Hilarius lib. 4. de Trinit. inter med. & fin. illud Deuter.32. *Ego sum Dominus, & non est Deus præter me*, ita ponderat: *Est enim vnigenitus Deus: neque consortem Vnigeniti nomen admittit, sicut non recipit innascibilis, in eo tantum quod est innascibilis, participem. Est ergo vnus ab vno, neque præter innascibilem Deum Deus innascibilis alius est. Neque præter vnum vnigenitum Deum vnigenitus Deus quisquam est.* Vnde post pauca concludit, non esse Diuinitatis secundam naturam, vt in præcedenti sect. retulimus.

5 Ignatius epist. ad Philipp. paulo post princ. Dei vnitatem confirmans testimonio Pauli Ephes.4. *Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes & per omnes, & in omnibus.* Inde subinfert: *Vnus ergo Deus Pater, & non duo vel tres.* Et post pauca: *Vnus quoque Filius Deus Verbum vnigenitus.* Et iterum: *Vnus spiritus.* Et paulo post: *Ergo nec tres sunt Patres, neque tres Filij, sed neque tres Paracleti, sed vnus Pater & vnus Filius, & vnus Paracletus.*

6 Propterea tanto studio id obseruandum curauit Athanas. in Symbolo, quod Ecclesia canit: *Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres filij*, &c. Vt inde confirmaret, quod paulo superius declarauerat, non esse tres deos; & paulo inferius infert, *Vnitas in Trinitate, & Trinitas in Vnitate*, &c.

7 S. Thomas infra quæst. 33. art. 4. ad 4. *Ponere*, inquit, *duos innascibiles, est ponere duos deos, & duas naturas diuinas. Vnde Hilarius dicit in lib. de Synodis: Cum vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt. Et præcipuè, quia si essent duo innascibiles, vnus eorum non esset ab alio. Et sic non distinguerentur oppositione relatiua. Oportet igitur quod distinguerentur diuersitate naturæ.* Eodem argumento ad idem dogma probandum vtuntur omnes Scholastici antiquiores locis notatis supra disput.1. sect.3.

DISPV

DISPVTATIO XXIII.

Vtrum tres personæ diuinæ sint tres substantiæ.

SECTIO I.

Rationes dubitandi, breuiſq; reſolutio.

1 POSTQVAM tribus diſputationibus, proximè præcedentibus, tanquam fidei dogma conſtitutum eſt, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum eſſe Homouſios, quia ſunt vna ſubſtantia ſimpliciſſima numerica & ſingularis: videbitur alicui ſuperfluam eſſe præſentem diſputationem, nullámque ſupereſſe dubitandi rationem. Nihilominus reſtant graues dubitandi *Prima ratio dubitandi.* rationes: primò, quia res ipſa Diuinitatis, & eius vnitas examinata fuit tribus præced. diſputationibus, non prout peculiariter hoc nomine *ſubſtantiæ*, ſignificabatur. Cæterum in præſenti, licet non agatur de ſolo nomine *ſubſtantiæ*; agitur tamen de re ipſa potiſſimum, pro vt hoc peculiari nomine ſubſtantiæ ſignificatur.

2 *Secunda.* Secunda ratio dubitandi eſt, quoniam, vt vidimus diſput. 20. ſect. 1. fieri poteſt, vt de tribus perſonis idem prædicatum verificetur tanquam vnum in numero ſingulari, & ſimul verificetur vt tria in numero plurali. Quemadmodum tres perſonæ ſunt vna res, & tres res, ſiue tria entia infra diſp. 26. & ſequentibus. Ergo quamuis ex ſuperioribus diſputationibus conſtet, tres perſonas eſſe vnicam ſubſtantiam; inde tamen adhuc non conſtat, vtrum ſimul verificari queat, vt nequeat eſſe tres ſubſtantias.

3 *Tertia.* Tertia, quia Scriptura nonnunquam *Hypoſtaſim* vſurpat pro *ſubſtãtia*, vt videbimus ſect. 3. & 4. Sed ſunt tres hypoſtaſes; ergo tres ſubſtantiæ.

Quarta. Quinta. Quarta, quia grauiſſimi Patres aliquando concedunt tres ſubſtantias infra ſect. 4. Quinta, quia tres perſonæ in quantum perſonæ ſunt, tria entia ſunt, & non ſunt accidentia: ergo ſunt ſubſtantiæ. Tres igitur ſubſtantiæ.

4 *Texta.* Sexta, quia primæ ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ: ſed ſunt tres primæ ſubſtantiæ, quia ſunt tria indiuidua, incommunicabilia ſubſtantiæ. Ergo ſunt *Septima.* tres ſubſtantiæ. Septima, quia perſona definitur eſſe *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*; ſed ſunt tres perſonæ. Ergo tres ſubſtantiæ indiuiduæ.

5 Pro reſolutione recolendum eſt primò, quod diſpu. 10. ſect. 4. & diſp. 20. ſect. 5. ſub init. declaratum eſt, Deum, licet impropriè dicatur ſubſtantia, prout hæc vox deducitur à ſubſtando; nihilominus eſſe perfectiſſimam ſubſtantiam, prout hæc vox ſignificat eſſentiam, condiſtinctam ab accidentibus, & per ſe ſubſiſtentem.

6 *Acceptiones ſubſtantiæ.* Secundò notandum eſt diſcrimen maximum in huius vocis acceptione, repertum apud grauiſſimos Patres. Nam licet multi in eo conueniant, quod pro eodem prorſus ſignificato, *ſubſtantia* & *hypoſtaſis* nomen accipiant: in eo tamen ſummopere diſtant, quod alij nomen vtrumque, videlicet *ſubſtantiam* & *hypoſtaſim* accipiunt pro eſſentia abſoluta, communi tribus perſonis. Inter quos eſt Concilium Sardicenſe, Athanaſius, Paulinus Theſſalonicenſis, Theodoretus, Hieronymus, Auguſt. & alij referendi diſp. 31. ſect. 3. Alij verò nomen vtrumque ſubſtantiæ atque hypoſtaſis accipiunt pro perſona, quos referemus ſect. 3. Melius autem communior vſus Concilio- *Deciſio diſtinguens acceptionem.* rum & Patrum diſtinguit ſignificationem vtriuſque nominis, ita vt *ſubſtantia* ſumatur pro eſſentia abſoluta communi tribus perſonis: *hypoſtaſis* verò accipiatur pro ſuppoſito relatiuo & incommunicabili.

Tertiò colligitur ex præcedenti deciſione, quantum ad rem ſignificatam, nihil inter ſe diſſi- *7 Concordia Patrum.* dere Patres; quamuis alij tanquam ſacrilegas & hæreticas condemnent tres ſubſtantias, accipiendo ſubſtantiam pro eſſentia abſoluta. Alij verò tres ſubſtantias admittant intelligendo tria ſuppoſita incommunicabilia. Quartò denique quod dictum fuerit de tribus perſonis, idem intelligendum erit de tribus relationibus, vt illæ dicantur eſſe tres ſubſtantiæ.

SECTIO II.

Abſolutè loquendo, tres perſonæ non ſunt tres ſubſtantiæ, ſed tantùm vna.

ITa loqui debemus, quoties abſque limitatione 1
vel explicatione nominamus tres ſubſtantias: quia communior vſus Patrum ita fert; & hic modus loquendi tutus eſt à periculo ambiguitatis, & à ſuſpicione ſenſus hæretici; vt ex ſequentibus conſtabit. Probatur primò, nam *tres ſubſtantias*, vt hæreticas voces, contrarias vnitari diuinæ eſſentiæ, communiter concilia & Patres reſpuunt. Quemadmodum Concilium Alexandrinum, cui præfuit Athanaſius, tanquam certum ſupponit, quod *Tres ſubſtantias non dicimus*, vt refert Ruffinus lib. 1. ſuæ hiſtoriæ (qui eſt decimus in hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij) cap. 29. Vnde factum eſt, vt à quibuſdam citetur liber primus, ab aliis liber decimus.

Concilium Sardienſe, qua parte catholicum & 2
approbatum eſt, epiſt. Synodali 3. inter med. & fin. *Cohors*, inquit, *hæreticorum diuerſas eſſe ſubſtantias Patris & Filij & Spiritus ſancti pronunciant, & eas eſſe diuiſas. Nos autem hanc habemus catholicam Apoſtolicamq; traditionem, & fidem atque confeſſionem, vnam eſſe ſubſtantiam Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Sic habetur in 1. tomo. Conciliorum: ſed apud Thodoretum lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 8. propius ad med. quam ad fin. ita legitur, *quod vna ſit hypoſtaſis.* Cæterum hoc nomine ſubſtantiam intellexiſſe manifeſtiſſimè conſtat ex ſequenti contextu.

Concilium Tolet. Sextum cap. 1. verſus med. 3
In Trinitate, inquit, *tanta eſt vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat.* Et Tolet. Vndecimum in profeſſ. fidei colum. 2. *Nec ſicut tres perſonas, ita tres ſubſtantias prædicamus, ſed vnam ſubſtantiam, tres autem perſonas.* Totidem verbis hanc fidem profitetur Vuormacenſe concil. ſub init.

Athanaſ. diſp. contra Arium Laodiceæ habita 4
prope med. *Quod ſit impium*, inquit, *atque ſacrilegum, diuerſas Patris & Filij & Spiritus ſancti profiteri ſubſtantias, & quod pium ſit atque religioſum, vnius eos, religioſa ac pia ſubſtantia confiteri, non coniecturis & argumentis inuentum, ſed cæleſtis doctrinæ magiſterio traditum demonſtrabo.* Idem lib. 1. de vnita Deitate verſus fin. docet eſſe aduerſus Scripturas concedere *tres virtutes, aut tres ſubſtantias*, &c. Et lib. 6. de beatitudine Filij Dei prope med. *Maledicus*, inquit, *qui ſecundum tres diuinas perſonas, tres diuerſas ſubſtantias confitetur.*

Baſilius lib. 4. contra Eunomium capit. 2. ſub 5
init. tanquam inconueniens infert, quod *Deus*

duæ non vna ſubſtantia erit. Et propius ad med. quàm ad fin. eiuſdem capitis refert obiectionem Eunomianorum: *Ingenitus & genitus non erunt vnius ſubſtantiæ.* Cui reſpondet: *At nos hæc non dicimus ſubſtantias, verum nomina ſubſtantiam cuiuſlibet illorum ſignificantia: nihil autem prohibet diuerſorum nominum vnam eſſe ſubſtantiam.*

6 Theodoretus in fragmento penultimo contra Sabellium, quod extat in additionibus ad Breuiarium Liberati vetuſtiorem editionem ante conc. Aruernenſe tom. 2. ait: *Non alterius naturæ Pater, & alterius Filius, & alterius Spiritus ſanctus, ſed vna natura atque ſubſtantia.* Et longè inferius: *Vna ſubſtantia ſiue natura confiteatur, & nõ tres naturæ ſecundum Arium.* Vbi ſemper ſubſtantiam cum natura prorſus æquiparat, quantum ad ſignificatum & vnitatem.

7 Cyrillus Alexand. dialog. de Trinit. lib. 1. inter med. & fin. Hermiæ percontanti; Num placeret, *dicamus eſſe duas ſubſtantias, vnam quidem Patris, alteram autem Filij.* Reſpondit: *Caue, ne in alienum ſenſum illorum ſermonibus auertaris, & relicta quodammodo via regia, per male tritam, & imperuiam incedas.* Ita ſignificat, eſſe contra communiorem vſum Eccleſiæ, ideóque periculoſum, duas vel tres ſubſtantias dicere.

8 Iuſtinianus Imperator in Edito fidei multo propius ad med. quàm ad princ. *Omnes*, inquit, *ſancti Patres conſonanter nos docent, aliud eſſe naturam ſiue ſubſtantiam, & formam, & aliud ſubſiſtentiam ſiue perſonam: & naturam quidem vel ſubſtantiam & formam, hoc quod eſt commune ſignificare.* Vnde poſt pauca ſubdit: *Tres ipſius confitemur ſubſiſtentias, in vnaquaque ſubſiſtentia eandem naturam ſiue ſubſtantiam cognoſcentes.*

9 Apud Hilarium lib. 4. de Trinit. inter princ. & med. & iterum lib. 6. colum. 3. Arianorum hæc erat profeſſio inter alias blaſphemias: *Tres ſubſtantiæ ſunt Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Contendit autem Hilarius probare, ſubſtantiam vnicam eſſe. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum ait: *Quis rogo ore ſacrilegos tres ſubſtantias prædicabit?* Proptereáque formidabat admittere *tres hypoſtaſes*, quoniam idem ſignificare putabant.

10 Auguſt. ſerm. 38. de tempore prope fin. *ſubſtantia*, inquit, *non eſt alia Patris & Filij & Spiritus ſancti, nec ſunt tres ſubſtantiæ ſimiles, ſed vna trium.* Rurſus lib. 5. de Trinit. cap. 9. in princ. *Quia noſtra*, inquit, *loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus eſſentiam, quod intelligitur, cum dicimus ſubſtantiam; non audemus dicere vnam eſſentiam tres ſubſtantias, ſed vnam eſſentiam vel ſubſtantiam.* Fuſiùs autem lib. 7. cap. 4. poſt med. & toto cap. 5. ex eo, quod ſubſtantia dicatur de Deo non relatiuè, ſed eſſentialiter, probat, non eſſe dicendas tres ſubſtãtias, ſicut non dicuntur tres eſſentiæ, nec tres ſapientiæ.

11 Boëtius lib. de Trinit. prope fin. *Facta*, inquit, *eſt Trinitatis numeroſitas, in eo quod eſt prædicatio relationis; ſed ſeruata eſt ſubſtantiæ vnitas, in eo quod eſt indifferentia, vel ſubſtantiæ vel operationis, vel omnino eius, quæ ſecundum ſe dicitur, prædicationis. Ita igitur ſubſtantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Anſelmus in monolog. c. 26. *Summa natura nec in plures ſubſtantias ſe diuidit.* Magis perſpicuè & ex profeſſo *tres ſubſtantias* negat Ricardus Victorinus lib. 4. de Trin. cap. 8. 9. 10. 19. & 20. & lib. 5. cap. 1. & lib. 6. cap. 23.

12 *Qui dicunt vnam ſubſtantiam, intendunt refutare tres ſubſtantias.* Probatur ſecundò, quia multo plures Synodi & Patres innumerabilibus pene locis affirmant, Patris & Filij & Spiritus ſancti eſſe vnam ſubſtantiam ſub hoc ipſo nomine ſubſtantiæ apud Latinos, & apud Græcos ſub nomine Vſiæ: rarò autem ſub nomine hypoſtaſis, intelligendo ſubſtantiam vnam; vt ex eorum contextu conſtat. Quod autem eiſdem in locis, quanuis expreſsè non reſpuant tres ſubſtantias: cæterum ex eorum diſcurſu & verbis interpoſitis euidens fiat, eorum mentem fuiſſe, prorſus excludere quancumque pluralitatem ſubſtantiarum, probatur primò, quia diſiunctiuè & indifferenter dicunt vnam eſſentiam, ſubſtantiam vel naturam. Conſtat autem à Patribus ſimpliciter negari, tres naturas vel eſſentias, vt videbimus diſp. ſequenti.

Eadem mens Patrum probatur ſecundò, quo- 13
niam inde inferunt vnam Deitatem, ſiue Diuinitatem, & dicunt eodem modo eſſe vnam ſubſtantiam, ſicut eſt vna Deitas: at verò manifeſtum eſt non eſſe tres Deitates. Tertiò, quoniam ex eiſdem locis *vnam ſubſtantiam* opponunt cõtra *tres ſubſtantias*, quas multiplicabãt hæretici, vt probat. 1. retulimus præſertim ex Athanaſio & Hilario.

Confirmatur, quoniam eandem vocem vnius 14
ſubſtantiæ dirigebant Patres, ad excludendas plures ſubſtantias ſimiles, vel ſimul habentes ſubſtantiam, vel alterius ſubſtantiæ, quas aduerſarij conabantur inducere, dicentes Homouſion, vel Synuſion, vel Eteruſion; vt vidimus diſp. 21. ſect. 5. Cõcilia & Patres, qui ſub prædicto ſenſu, & ſub hoc nomine *ſubſtantiæ* decernunt eſſe vnã ſubſtantiam, celebriores ſunt, qui ſequuntur. Concilium Nicænum lib. 2. propius ad med. quàm ad princ. §. *ſi vt tu: Pater*, inquit, *& Filius ſecundum ſubſtantiam Deitatis vnum ſunt.* Et toto lib. 2. in variis reſponſionibus repetit *vnam ſubſtantiam* vel *eſſentiam.*

Præcipuè verò id definitum eſt Symbolo Ni- 15
cæno, quod receptum eſt in omnibus catholicis conciliis, quorum primaria loca citauimus diſp. 21. ſect. 1. ſub init. Vbi etiam notauimus Patres, qui magis ex profeſſo prędictam vocem *vnius ſubſtantiæ* cum ſymbolo ſuſceperunt defendendam & explicandam. Peculiariter ponderandum eſt, quod ex Damaſo Papa epiſt. 1. ad Paulinum Antiochenum, & ex Quinta Synodo collat. 8. cap. 1. retulimus diſp. 20. ſect. 7. circa med. Vbi ſubſtantiæ vnitatem exponunt adiuncta vnitate naturæ, vel eſſentiæ, vel virtutis, & adiungunt vnitatem Deitatis.

Præterea in ſexta Synodo act. 4. Agatho Papa 16
in epiſt. ad Conſtantin. Maiorem, &c. colum. 2. dicit tres perſonas *vnius naturæ, ſubſtantiæ*, ſiue *eſſentiæ.* Vbi quod intendat excludere tres ſubſtantias, indicat apertè quod ſequitur, nam è contrario dicit, in Chriſto Domino duas eſſe ſubſtantias, & vnicam ſubſiſtentiam. Eodem modo procedit in altera epiſt. quæ fuit velut inſtructio legatorum col. 2. Eandémque fuiſſe fidem Martini Papę, notat in ſequent. col. 3. Quam exponit etiam in eadem ſexta Synodo act. 11. Sophronius Patriar. Conſtantinop. in epiſtola profeſſionis fidei.

Inſuper *vnam ſubſtantiam*, ſiue *eſſentiam*, ſiue na- 17
turam eodem prædicto ſenſu decernit Innocẽtius III. in concil. Lateran. cap. *firmiter*, & cap. *damnamus*, de ſumma Trinit. Martinus Papa Primus in decretis Synodicis cap. 1. Concil. Tolet. ſecundum c. 1. & Tolet. ſextum cap. 1. & Tolet. vndecimum in profeſſione fidei col. 2. Naziãzenus in vtroque tractatu de fide, qui eſt orat. 49. & orat. 50. & orat. 29. de dogmate & conſtitut. Epiſcoporum. & orat. 32. ad centum quinquaginta Epiſcopos, & aliis in locis, quorũ præcipuos retulimus diſp. 22. ſect. 3. ſub init.

Eodem

18 Eodem sensu & eodem nomine vnam esse substantiam Patris & Filij & Spiritus sancti, dicit Chrysostomus tom.5.hom.1.in Symbolum Apostolorum prope med. & homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, colum.2.& tom.3. homil.3. de sancto & adorando Spiritu sub init. & in sequenti serm. de Trinitate ad fin. tomi 3. Et in Ioan. hom.4. in med. & Roman.8. hom.13. prope morale. Et Hebræos 1. hom.2.colum.3. Athanas. totis quinque orationibus contra Arianos: totis septem libris de vnita Deitate per dialogum inter Athanasium & hæreticum. Et aliis quinque dialogis de Trin.& 1.dialogo cõtra Macedonium:ac denique omnibus ferè suis opusculis, aut disputationibus. Cyrillus Alex.totis septẽ libris dialog.de Trinit. & in expositione Symboli Nicæni; & totis quatuordecim libris thesauri peculiariter toto lib.2. & lib.3. cap.1. & lib.4. c.1.& lib.7.c.1.& lib.12.c.15.& lib.13.c.1.& 2.& lib.14. cap.3.& 4. Theodoret. in Genes.q.19. in med. & dialog.1. immutabilis col.1. & lib.4.hæreticarum fabular. col.1. & col. 7. & in epitome diuinorum decret. lib.5. cap.2. de Filio col.2. & c. de Spiritu sancto sub init. & lib.2. de principiis versus fin.

19 Idem docent Hilarius in omnibus libris de Trinit. potissimum lib.2. 4. & 6. & frequentius toto lib. de Synodis & lib.aduersus Constantium & in fragmentis.Ambrosius toto lib. de diuinit. Filij in omnibus capitibus. & lib. 3. de fide ad Gratian. c.4.5.& 7.& lib.4.c.2.4.& 5. & magis ex professo lib.5.c.1.3.& 7. & lib.2. de Spiritu sancto c.10.& 12. & lib.3.c.2.& in symbol.Apostolorum c.2. & Hexæmeron. lib.2. c.5. & lib.6. c.7. & alibi sæpe. Augustinus infinities in libris de Trinit. & ser.38. de tempore, & serm.125.de temp.& serm.190.de tem.& libris.contra Maximinum.Fulgentius dum respondet ad decem obiectiones Arianorum, & lib. ad Trasimundum, & de fide ad Petrum,& de fide ad Donatum, præsertim c.2.& 3. Boëtius lib. de Trinit.& sequentibus libris de substantiali prędicatione & de vnitate & vno.Leo Magnus serm. 2. de Pentecost.c.2.& 3.& sequenti serm.3.c.2.& 3. & alij Patres citati disp.20.21.&.22.

20 Probatur tertiò quia tres substantias absolutè non esse dicendas, existimant communiter Scholastici.Alex.1.p.tota q.44.Albert.1.p.q.43.mem.1. respondens ad opinionem tertiam, & mem.3.a.2. ad 1.S.Thomas 1.p.q.39.art.2. ad 1.& q.30.art.1. ad 1.& q.29.a.2.ad 2.& art.3.ad 3.S.Bonauentura 1.dist.23. art.2.q.1. Vbi Carthusianus q.2. Communiter recentiores 1.p.q.29.art.2.Vbi Torres & Molina disp.1. Bellarmin. tom.1.lib.2.de Christo c.4. fine. Vazquez. disp.124. cap. 5. fine. Suarez lib.1. de Trinit. cap.2.num.9. & 10.

21 Probatur quartò per regulam, generaliter perscriptam ab Augustino multis in locis, quorum aliquos referunt & sequuntur Magister & communiter Scholastici lib.1. senten. dist.22.& 23.& S.Thom.1.p. q.39. artic.3. videlicet, omnia substantiua nomina essentialia, quoniam secundum substantiam dicuntur de Deo tantum singulariter affirmari,& non posse pluraliter dici. Cuius ratio à priori est, quoniam substãtiua non plurificantur plurificatis habentibus formam; si vnica est forma, quæ habetur ab illis, vt fusius explicabimus disp.77. Quapropter à fortiori nomen ipsum *substantiæ*, quod est maximè essentiale, non poterit affirmari in plurali numero.

22 Probatur quintò, nã qui absolutè & sine limitatione aut explicatione concederet,tres personas esse tres substantias; videretur concedere tres essentias diuinas & Deitates: aut certè præberet occasionem audientibus dubitandi ea de re.Nam substantia plerumque accipitur pro quidditate, quam significat definitio: quemadmodum in anteprædicamentis vniuoca dicuntur *quorum nomen est commune, & ratio substantiæ eadem*; æquiuoca verò diuersam habent rationem substantiæ. Iuxta quam acceptionem substantię nomen complectitur etiam quidditates accidentium. *Substãtia pro essentia & definitione.*

23 Nã authore philosopho 5.metaph.tex.15.quem sequitur S.Thomas q.29.a.2. corp.Primus modus dicendi substantiã est, in quo substantia est quidditas rei, quam significat definitio, & Græci vocant *Vsiam*. Iuxta quam acceptionem Athanas.in disp.contra Arium, habita Laodiceæ prope med. dicit,primam appellationem substantiæ esse, *Quæ existentis naturæ essentiam indicat.*

24 Cæterum magis propriè substantia sumitur pro quidditate rei, quæ non est accidens; & hæc acceptio frequentior est apud Latinos; vt ostendimus disp.20. sect.5. & satis constat ex testimoniis adductis probat.1. & 2. Confirmatur,quia in hac voce substantia, periculosior-est ambiguitas sermonis, siquidem in ea hæretici studiosè quæsierunt latibula æquiuocationis, vt argumenta Catholicorum eluderent. Quamobrem Athanas. in nuper citata disp. contra Arium,habita Laodiceæ prope med. supposuit, se disputare de illo substantiæ genere, *qua vnaquæque natura, ob id quod est, vel subsistit, substantia nuncupatur.* *Substãtia vt distinguitur ab accidente.*

SECTIO III.

Nisi obstaret communis vsus Ecclesiæ, tres substantiæ potuissent appellari de rigore sermonis.

1 QVantum ad rem ipsam & veritatem dogmatis,nulla prorsus affertur differentia,si sensu Catholico dicas, esse tres substantias. Tunc enim accipitur substantia pro subsistentia, suppositо, siue persona, iuxta secundam acceptionem substantię,quam docuit Aristoteles 5.metaph.tex.15. quem sequitur S.Thomas 1.p.q.29. art.2. corp.& S.Bonauentura 1. dist. 23. art. 2. q. 1. Sed de hac acceptione dicemus plura disp.31. sect.2. & 3. *Substantia pro supposito, subsistentia, siue persona.*

2 Probatur primò, quoniam substantia quandoque significat idem quod apud Latinos hypostasis, iuxta vulgatum interpretem Scripturæ; sed rectè conceduntur *tres hypostases*. Ergo in eodem sensu concedi poterunt *tres substantiæ*.Maior probatur, nam Hebr.1. quod Græcè dicitur *character hypostaseos*,vulgatus interpres trãstulit, *figura substantiæ*. Vbi substantiæ nomine personam Patris intelligunt plerique Patres, præcipuè verò Nyssenus in lib. de differentia Vsiæ & hypostasis, postrema parte illius.Chrysostomus Hebr.1.hom.2. colum.1. & 3. in quibus notanda potissimum est comparatio imaginis ad exemplar, vt subsistentis ad subsistentem personam. *Substantia pro persona sumi Hebræos 1.Patres existimant.*

3 Propter eandem rationem alij plerique Patres videntur, in eodem loco personam Patris intellexisse nomine *hypostasis*, non solum Theophylactus & Oecumenius in eundẽ locum Pauli,Chrysostomum imitatus. Sed etiam Basilius epist. 43. ad Gregor. Nyssenum prope fin. Idem Apostoli testimonium ponderans: *Etiamsi in confusa fidei doctrina separatam doceat ton hypostaseon differentiam oportet tamen & continuam, & velut cõnaturalem habitudinem Vnigeniti ad Patrem per iam dicta demonstrari.* Et post pauca: *Vt qui in characterem Vnigeniti mentis*

mentis oculos intenderit,ex Patris hypostasi in cogitationem veniat Paternæ substantiæ, nec permutata, nec commixta, quæ in ipsis consideratur proprietate. Et paulo inferius: *Non enim consistere poterit imaginis ratio, nisi per omnia ad archetypum expressa suis omnibus numeris sit, nihilq; variet. Igitur qui imaginis pulchritudinem considerauerit, & de archetypo quoque cogitabit: & qui Filij quasi formam mente conceperit, Paternæ quoque hypostaseos characterem animo impressit suo, per istum & illud videns.*

4 Hæc igitur sit generalis coniectura, sufficienter probãs, personam Patris intellectam fuisse ab antiquis doctoribus Ecclesiæ,vbi vulgatus interpres legit, *substantiæ*; quia quoties vtuntur prædicto testimonio Apostoli,characterem & imaginem,vel similitudinem, dicũt,esse Genitoris,personæ Patris,prototypi,archetypi,exemplaris.Quę omnia significant correlatiuum realiter distinctum à charactere, quod non est aliud,nisi persona Patris.

5 Atque ita Basil.homil.16. in illud. *In principio erat Verbum*,post med. *Imago est*, inquit, *Genitoris, tuum in se monstrans Genitorem.*Idémque hom.28. contra Sabellianos prope med. *Vnum*, inquit, *archetypon, ac illius vna imago traditur, propterea quod ex Patre genitus,Patremque in se ipso naturaliter exprimens.* Similia scribit lib. 2. contra Eunomium propius ad med.quàm ad prin.& lib.vnico de Spiritu sancto cap. 18. ante med. ait. *Imaginis honor ad exemplar primum refertur.*

6 Epiphan.hæres.76.colum.3. ait: *Imago Dei per generatiuam coëssentialitatem tanquam Filio ad Patrem exprimẽte genus.* Atq; in ancorato propius ad princ.quàm ad med. *Qui ex Patre procedit, splendor gloriæ,character substantiæ, imago Patris in veritate.*

7 Cyrillus Alex.lib.3.thesauri cap.1.inter prin.& med.*Naturales*,inquit,*dignitates Patris incommutabiliter habet Filius, & ideo Patris imago est,& ipsum genitorem in se mõstrans.* Et lib.1.thesauri c.9.prope init.ita reprehendit hæreticos:*Indoctè nimium, non duarum hypostasum similitudinẽ quæritis,sed hypostasim nõ hypostasi conferre studetis.* Atque in med.eiusdem cap.concludit:*Idcirco non voluntatis, sed ipsius Patris imago est.* Præterea lib. 1. de recta fide ad Theodosium colum.12.*An non Genitoris imaginem & characterem illum appellant Sacræ literæ?* Et deinde comparat cum prototypo.

8 Athanasius orat.3.contra Arianos versùs med. dicit,*Characterem personæ Patris semper existere,& Filium similitudinem & imaginem Patris incommutabilem in se conseruare.* Et in quinque orationibus contra Arianos,aliisque tractatibus frequenter eo potissimum argumento premit aduersarios, quoniam Filius est imago Patris.Naziãzenus orat.36. quæ est 4. de theologia,multo propius ad fin.quã ad prin.prope num.83.obseruat, Filium appellari *Characterem,vt purum Patris sigillũ minimè mendax.* Et addit; *esse viuam imaginem & effigiem viui exemplaris.*Exemplar autem est Pater.

9 Alexan.Alex.epist. ad Alexandrum Constantinop.col.3.eos qui dicebant, Filium aliquãdo non extitisse,ita redarguit: *Cum dicitur formã subsistentiæ Dei nõ esse, tollitur vnà etiam ille,qui omnino ab ea figurabatur,*videlicet Pater. Clemens Roman.epistol.1.ad Iacobum col.10.*Filius*,inquit,*est Verbum, character, speculum, imago viuens Patris viuentis.* Theodoretus in epitome diuinorum decretorum lib.5. cap. 2. de Filio inter med.& fin. *Character*, inquit, *substantiæ & perfectã similitudinem ostendit, & personarum docet differentiam.* Atq; in commentario præsentis loci Hebr.1. semper characterem refert ad Patrem, imitatus Chrys. supra citatum.

10 Hilarius lib.de Synodis colum. 6. ad canonem 1.Orientalium,postquam dixit,neminem esse sibi ipsi imaginem, infert: *Imago itaque est rei ad rem coæquata imaginata, & indiscreta similitudo. Est ergo Pater,est & Filius,quia imago Patris est Filius.*

11 Fateor tamen, non nihil debilitari robur præcedentis probationis, eo quod aliqui Patres in prædicto testimonio Hebræ.1.nomine hypostasis substantiam intelligunt, prout idem valet quod essentia: maximè verò Epiphanius hæres.69. fol. penult. dicens: *substantia & essentia idem est ratione. Consistit enim Dominus in substantia sua. Et hoc, splendor gloriæ & character substantiæ ipsius.* Eodem planè modo characterem substantiæ pro essentia sumpsit Ambrosius li. de Incarn.Dominicæ mysterio c.8. ante med.Cui expositioni fauet potius, quàm repugnat in eius loci cõmentario Hebr.1. *Aliqui Patres nomine hypostasis essentiam intelligunt,Hebraor. 1.*

12 Concilium Ephes. primum tom.5. cap.1. anathematis. 1. in declaratione post med. *Dei verbum*, inquit, *Paternaque substantiæ character est.* Vbi substantiam non accipi pro subsistentia vel supposito, colligitur ex duobus sequentibus anathematismis, quibus decernit, Verbum carni secundum hypostasim esse vnitum; & non habere duas subsistẽtias. Distinguit itaq; significatũ substantiæ à significato hypostasis & subsistẽtię.Thaumaturgus in regula fidei diuinitus tradita apud Nyssenũ ait: *Deus de Deo figura & imago Deitatis.*

13 Athanasius dialog. 2. de sancta Trinit. contra Anomæum,multo propiùs ad med. quàm ad prin. *Filium*, inquit, *esse ipsius essentiæ imaginem*, dixit Apostolus, *Qui,inquiens,splendor est gloriæ,& character hypostaseos. Nam character hypostaseos nihil aliud est,quàm essentiæ imago.* Eodem sensu videtur accipere imaginem hypostaseos in dialog. 1. contra Anomæum pag. 5. declarans discrimen inter imaginem Trinitatis, ad quam factus est homo. Nec non in epistol.ad Episcopos Africæ,aliquantulum ante med. Nec mirandum est, quoniam Athanasius existimauit aliquando, hypostasim nihil aliud significare,quàm essentiam; vt videbimus disp. 31. sect. 3.

14 Eusebius Cæsarien. lib. 4. demonstrationis Euangelicæ capit. 2. ait: *Oracula Deum genitum illum enuntiant,tanquam eum,qui diuinæ naturæ solus in seipso ferat imaginem.* Cyrillus Alexand. libr. 2. thesauri cap. 2. in med. *Necesse est*, inquit, *eiusdem esse substantiæ Patri Filium, sicut incommutabilem eius imaginem & characterem substantiæ suæ.* Hilarius lib. de synodis multo propius ad med. quàm ad princ.*Imago*,inquit,*paternæ essentiæ nata.*Eodem sensu imaginem substantiæ pro essentia Deitatis accipit lib. 3. de Trinit. multo propius ad finem quàm ad med. Huic expositioni fauet quod sapient.7. dicitur:*Imago bonitatis illius.* Et Colos.1. *Imago Dei inuisibilis.*

15 Cæterum probabilior est expositio prior, quæ imaginem substãtiæ siue hypostaseos accipit pro imagine suppositi & personæ Patris. Quod probo, quoniam à doctoribus frequentiùs, & euidentiùs traditur. Ex illis quippe doctoribus,quos nuper retulimus, aliqui fortassis substantiam accipiunt pro supposito, propter adiunctum genitiuum *Patris*. Nam, vt obseruauit Andreas Colossensis in Concilio Florent.sess.19.col.3.§.*bene. Doctores,diuinam substantiam simpliciter proferentes, commune quoddam Patris & Filij,& Spiritus sancti, intelligunt: substantiam verò Patris dicentes, Patris personam mente concipiunt.* Cui Marcus continuò respondet: *Id quandoque, non autem semper, ac necessariò* *Probabilior expositio est, quæ suppositum siue personam intelligit.*

cessario contingere creditur. Quod tacito consensu videtur à Concilio receptum.

16 Olim autem eodem modo locutus fuerat Damasus Papa in professione fidei, & anathematismis aduersus hæreses Appollinaris, Arij, Sabellij, &c. Nam anathematis.2. damnatur, *Qui non dixerit, Filium natum de Patre, id est, de substantia diuina ipsius.* Atque idem repetit de Spiritu sancto anathematis.8. Ideo quando dicitur imago bonitatis, aut imago Dei, aut substantia Paterna, aut essentia Paterna, vel aliquid simile: possumus intelligere Patris personam, ad hoc significandum determinante nomine imaginis, aut characteris, quod respicere debet terminũ realiter distinctum.

17 *Imaginis relatio ad exẽplar, quod est persona.* Vnde confirmatur primò, quia probabilius est Paulum in præsenti testimonio Hebr.1. personam Patris intellexisse nomine hypostaseos siue substantiæ: quoniam imaginis relatio requirit exemplar, realiter distinctum; & illius est imago, nõ est imago suæ essentiæ, secum realiter identificatæ; maximè quoniã illius est imago cuius est Verbum & Filius: at verò nõ est Verbũ essentiæ, nec Filius essentiæ. Confirmatur secundò, nã apud Philosophos & Patres Ecclesiæ hypostasis, vt plurimum, accipitur pro persona, & valde rarò accipitur pro essentia, vt videbimus d.31. præsertim sect.4. & 5.

18 *Vulgatus substantiam transtulit pro hypostasi.* Confirmatur tertiò, nam vbi nomen hypostasis habetur in scriptura, vulgatus interpres transtulit nomine substantiæ, veluti Hebr.3. *Si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus.* Et Heb.11. *Sperandarum substãtia rerum*, quãuis vtrobique per metaphoram, aut analogiam vsurpetur nomen hypostasis & substantiæ pro fundamento, quo spiritualis vita & Dei participata gloria subsistit in nobis. Alias acceptiones eiusdem analogiæ referemus disp.31. sect.1. & 2.

19 *Latini aliquãdo pro eodem accipiũt substãtiam & subsistentiam.* Quartò, nam ipsi etiã interpretes Latini nonnunquam pro eodem accipiunt *substãtiam*, & *subsistentiam*. Quemadmodũ Hierony. Ierem.23. vers. 18. & 22. refert; *Septuaginta & Theodotionem interpretatos esse Verbum Hebraicum substantiam siue subsistentiam.* Videlicet vbi Vulgata legit, *consilio.* Quintò, nam in Concil. Florent. sess.19. col. pen. & vltima traditur, apud Græcos Patres vocabulum substantiæ quandoque pro essentia vel existentia sumi, quandoque verò pro persona.

Sextò, nam Boëtius, ex professo declarãs significationem Græcorum & Latinorum nominum, quæ ad essentiam & personas diuinas pertinent, in lib. de duabus naturis inter prin. & med. *Græcia*, inquit, *Essentiam vsiam, subsistentiam vsiosin, substantiam hypostasin, personam prosopon appellat. Ideo autem hypostases Græci indiuiduas substantias vocauerunt, quoniam cæteris subsunt; & quibusdam quasi accidentibus suppositæ, subiectæq; sunt. Atque idcirco nos quoque eas substantias nuncupamus quasi suppositas.* Quamuis idem Boëtius substantiam pro essentia sumpserit in aliis libris, vt vidimus sect.2.

SECTIO IV.

Tres substantias expressè dicunt aliqui Patres, idque duplici sensu.

1 COnclusionis eiusdem, positæ in sect. præced. secundam & potissimam probationem efficiunt, qui loquendi modum, & acceptionem substantiæ mutarunt aliquando; & quamuis locis citatis in sect. 2. refutauerint tres substantias, easdem tamen alibi & alio sensu concesserunt.

2 Imprimis Greg. Nyssen. orat. catechet. cap. 1. in prin. *Pietatis*, inquit, *ratio scit etiam aliquam hypostaseon, seu substantiarum ac personarum cernere differentiam in vnitate naturæ.* Et inter med. & fin. eiusdem capitis: *Necesse est omnino fateri, in vita Verbi esse hypostasim, ac substatiam.* Et quod mirabilius est in ipso lib. de differentia vsiæ & hypostasis col.2. *Hypostasim* ita interpretatur, *quasi dicas, substantia.* Et multo propius ad fin. quàm ad med. *Ratio fidei inconfusam & diuersam hypostaseon, siue substantiarum differentiam docet.* Et in fine eiusdẽ libri dicit: *Hypostaseon, id est naturarum subsistentium, siue substantiarum indiuiduarũ & personarum discretionem.* *Patres, qui tres substantias dicunt.*

3 Basil. homil.28. contra Sabellianos, non procul à princ. vt probet, non esse vnã Patris & Filij personã, vtitur testimonio Ioan.1. *Et Deus erat Verbum, qua sanè sententia propriam Filio substantiam tribuit.* Ita Basil. Et paulo inferius: *Illi substantiam Filij concedunt, & Filio propriam personã, Patri verò propriam statuunt.* Videtur ergo duas substantias Patris & Filij distinguere, personas intelligendo.

4 Epiphan. hæres.69. ad fin. *Cum sint*, inquit, *tres perfectæ substantiæ, vna verò Deitas Patris & Filij & Spiritus sancti.* Quæ locutio propterea maiorem difficultatem ingerit; quoniam in ead. hæres.69. tribus retro paginis asseruerat, *Essentiam & substantiam idem esse ratione.* Vt paulo superius retulimus. Rursus hæres.73. prope med. ait: *Ne perturbet substantiarum nomen. Propter hoc enim substantias dicunt Orientales* (nimirum Catholici doctores Orientis) *vt proprietates personarum subsistentes & existentes notas faciant.* Probat autem, quia Pater subsistit, & nõ est Filius nec Spiritus sanctus, &c. Vnde concludit: *Proinde proprietates personarũ subsistentium substantiæ nominant Orientales, non tres substantias, tria principia, aut tres Deos dicentes.* Deinde propius ad fin. quàm ad med. eiusdem hæres. 73. dicit: *Patrem, Filium & Spiritum sanctum tres substantias, vnam essentiam, vnam Deitatem, quemadmodum est vera fides Apostolica, quam confessi sunt Patres nostri in Nicæna Synodo congregati.* Denique in Ancorato col.3. notat, quod *non vnius substãtiæ significationem habet vox coëssentialis.* Perinde ac si diceret, homousion non significare vnam personam, sed duas vel tres, vt constat ex eius cõtextu.

5 Cyrill. Alex. dialog. de Trinit. lib.7. prope med. *Simplex*, inquit, *& incomposita est summa natura, & substantiarum proprietatibus, personarumq; & nominum dilatata differentijs.* Origenes homil.2. in Varios, ad illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* col. 2. in Trinit. concedit *substantiarum differentiam*, retinendo tamen identitatem essentiæ & Deitatis aduersus Arianos.

6 Sophronius Patriar. Constantinopol. in sexta Synodo actione 11. epist. profess. fidei col.4. *Neque substantias*, inquit, *confundentes, & in vnam eas subsistentiam deducentes.* Theodoretus in penult. fragmento de Trinit. quod extat in additionibus ad Breuiarium Liberati, iuxta vetustã editionem Conciliorum ante Cõcilium Aruernense, ait: *Spiritus sanctus propriam habens substantiam, descendens ostendebatur in specie columbæ.*

7 Antiochenum Cõcil. in profess. fidei post med. tribus personis concedit, *Propriam vniuscuiusq; nominatorum substantiam & ordinem & gloriam, vt sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò vnum.* Ita refert ac defendit Hilar. lib. de Synodis paulo propius ad med. quàm ad fin. exponit autem his verbis: *Idcirco tres substantias esse dixerunt, subsistentium personas per substantiam edocentes, non substantiam Patris & Filij & Spiritus sancti, diuersitate dissimilis essentiæ separantes.*

Ioannes

8 Ioannes Papa II. epistol.2. ad Senatores (quæ alias dicitur *liber de duabus naturis* contra Eutychianos) sub init. decernit, Christum Dominum esse vnam ex tribus *personam siue substãtiam, quam Græci hypostasim dicunt.* Quamuis alia exemplaria pro substantia legant *subsistentiam.* Atque in eadem epist. propius ad med. quàm ad princ. ex Nazianzeno dicit: *substantias siue personas*, cum tamen Nazianzenus orat.39. quæ citatur à Ioan.2. dicat *hypostases siue personas.*

9 Augustin. lib.7. de Trinit. cap.4.5. & 6. planè concedit *tres substantias*, ad explicationem addendo, vel *personas*: quemadmodum ibidem dicens *vnam substantiam*, ad explicationem addit, vel *essentiam.* Et sequent. lib.8. cap.1. ante med. explicat, *dici tres personas vel tres substantias, non vt aliqua intelligatur diuersitas essentiæ, sed vt vel vno aliquo vocabulo responderi possit, cum dicitur, quid tres, aut quid tria.* Isidor. etymolog. lib.7. cap.4.§. vlt. dicit: *Tres hypostases, quod resonat in Latinum tres substantias. Quoniam verè apud Græcos substantia persona intelligitur, non natura.*

10 Boëtius lib. de duabus natur. multo propius ad med. quàm ad princ. *Dicimus*, inquit, *tres vsioseis, id est, tres substantias. Et quidem secundum hunc modum dixere vnam Trinitatis essentiam tres substãtias, trésque personas; nisi enim tres in Deo substãtias Ecclesiasticus loquendi vsus excluderet, videretur idcirco de Deo dici substantia.* Quasi diceret Boëtius, iuxta proprietatem vocis, tres personæ dicẽdæ fuissent tres substantiæ, nisi cõmunior Ecclesiæ vsus hanc locutionem excluderet. Quod ipsum adnotauit bene commentarius Boëtij in librum de Trinit. col. vlt. apud Bedam tom.8. ad fin.

11 Anselmus in monolog. cap.76. postquam dixerat propriè loquendo, *non esse plures substantias*, adiungit: *Nisi fortè indigentia nominis propriè conuenientis coactus, elegerit aliquid ad significandum id, quod congruo nomine dici non potest; vt si dicat, illam admirabilem Trinitatem esse vnam essentiam vel naturam, & tres personas siue substantias.* Rationem autem reddit; quia *substantia principaliter dicitur de indiuiduis, quæ maximè in pluralitate subsistunt.*

12 Prædictam Augustini doctrinã sequuntur Magister & communiter Scholastici. 1. distinct. 23. cap. 4. & cap. 8. quod incipit, *quod enim.* Vbi S. Bonauent. artic. 2. quæst. 1. Hilarium autem nuper citatum sequitur S. Thomas infra quæst. 39. artic. 2. ad 1.

13 *Accipiendo substantiam pro hypostasi, sunt tres substantia.* Sit probatio tertia, quoniam duplex est sensus, in quo verificari potest esse tres substantias diuinas. Primus & manifestior effingitur, accipiendo substantiam pro hypostasi. Secundus sensus redditur, abstrahendo substantiam ab essentia absoluta, & relatiuis proprietatibus, de quo postea notab. 3. Primus autem sensus manet probatus, non solùm ex vulgata interpretatione hypostasis, sed etiam ex omnibus ferè Patribus in hac & præced. sectione citatis, vbi tres substantias intelligunt, tres personas siue hypostases.

14 *Prima substantia quo sensu.* Confirmatur, nam indiuidua primi prædicamenti appellat primas substantias, & dicit esse *proprijssimè & maximè substantias.* Aristoteles in prædicam. cap. de substantia, & 5. metaphys. cap. 8. text. 15. Vnde cum definitur persona esse *indiuidua substantia*, Scholastici declarant, esse *primam substantiam*, vt S. Thomas quæst. 29. art. 1. ad 2. Et ad diuinas personas applicat etiam S. Bonauent. 1. dist. 5. art. 2. q. 1. corp.

15 Notandum tamen est primò, non in eo sensu diuinas personas appellari primas substãtias, quoniam subsistent propriè secundis substantiis, videlicet generibus aut speciebus; sed quoniam aliquo modo subsistent essentiæ communi, & ipsæ primæ substantiæ sint indiuiduæ & incommunicabiles.

16 *Cautio locutionis huius.* Secundò notandum est, quod ex præcedentibus apertè deducitur, videlicet tuto, & absque suspicione vlla falsitatis, affirmari posse, tres personas esse tres substantias, quoties agendo cum Catholicis ex adiunctis ostenditur, substãtiæ nomen accipi pro persona. Quemadmodum si dicas primas substantias, vel indiuiduas aut singulares substantias, vel incommunicabiles, vel relatiuas substantias, vel dicas tres substantias vnius essentiæ. Vel quoties ad declarationem substantiarum adiunguntur etiam personæ vel hypostases. Licebit denique tres substantias dicere, quando per genitiuum *Patris*, aut per adiectiuum *Paterna*, determinatur substantia ad personam Patris; vt ex Florentino Concil. vidimus sect. præced. confir. 1. Sed in disputationibus cum hæreticis consultius erit, hanc æquiuocationem vitare.

17 *Substantiam accipiẽdo vt abstrahitur ab absoluto & relatiuo, sunt tres substantiæ.* Tertiò notandus est ille secundus sensus, quo verificantur tres substantiæ, communissimam rationem substantiæ præscindendo ab absoluto & relatiuo, & solum intelligendo entitatem realem, quæ non est accidens, sed ens per se, abstrahendo ab hoc, quod sit ipsa subsistentia, vel essentia subsistens formaliter per subsistentiam: ad eum modum, quo in prædicamento substantiæ abstrahitur quædam ratio analoga, conueniens non solùm completis substantiis, directè positis in prædicamento, sed etiam creatæ suppositalitati, aliisque modis substantiæ, reductiuè pertinentibus ad idem prædicamentum.

18 Quod autem in hoc sensu tres substantiæ dici possint verè & propriè, probatur primò, quoniam ens adæquatè diuiditur in substantiã & accidens: ideóque nihil realiter existens est, quod non sit substantia vel accidens. Sed tres relationes seu personalitates diuinæ sunt tria entia, realiter existentia, & non sunt tria accidentia. Ergo sunt tres substantiæ. Confirmatur, quia multiplicato inferiori, multiplicatur etiam superius, quod est perfectè transcendens: vt dicemus disputat. 26. sect. 1. & 2.

19 Probatur secundò sensus ille substantiæ, quia iuxta illum aliqui Patres dicunt, *Patrem in substantia esse Patrem, & Filium in substantia esse Filium, & Spiritum sanctum in substantia esse Spiritum sanctum*, vt significent, non accidentaliter per liberam electionem, aut adoptionem, aut ex tempore, sed ab æterno, necessariò & quidditatiuè conuenire singulis personis suam proprietatem. Ita loquitur Epiphanius hæres. 57. col. 4. & hæresi 62. à med. ponderat, ideo Spiritum sanctum apparuisse in specie columbæ, vt ostenderet; *Quoniam in substantia est Spiritus per se, & in substantia Pater, & in substantia Vnigenitus, sed non diuisa Deitate.*

20 *Cautio seruanda.* Cæterùm in hoc etiam sensu, qui voluerit tres substantias dicere, tenebitur adiungere explicationem aliquam, veluti dicendo, *relatiuas*, aut *notionales*, aut *personales.* Nam explicatione destitutus, erit suspectus hic loquendi modus.

21 Ex his omnibus constat solutio ad rationes dubitandi, positas in sect. 1. Probant enim solummodo, quod in hac & præcedenti sect. concessum est.

DISPVTATIO XXIV.

Vtrum tres personæ sint tres essentiæ vel tres naturæ.

VBI etiam de quidditate, siue quod quid est, de ratione, seu definitione, specie, genere, & forma, vtrum dici possint in plurali vel tantùm in singulari.

SECTIO I.

Argumenta, quæ suadere possent esse tres essentias vel naturas.

1 NOminis essentiæ vel naturæ varias acceptiones, & propriam significationem, iuxta quam accipitur in mysterio Trinitatis, explicuimus disp. 20. sect. 5. Deinde quod nomen *essentiæ* depromptum fuerit ex sacris litteris, ostendimus disput. 21. sect. 2.

2 Quod autē nomen *naturæ* Deo tribuatur etiam sacra Scriptura, ad hæreticorum calumniam retundendā, docet Athanas. dialog. 1. de sancta Trinit. inter prin. & med. nam Anomæo percontanti: *Vbi de Deo scriptum est naturæ nomen?* Respondet: *apud Apostolum: sed olim quidem Deum ignorantes, seruistis ijs, qui natura non sunt dij: nunc autem cognito Deo*, &c. *Et in epistolis Catholicis scriptum est. Ex eo quod nobis data sunt maxima & pretiosa promissiones, vt fiatis diuinæ naturæ participes.* Idem testimonium Petri ad præsens institutū probandum, breuiter attigit Hilarius lib. 1. de Trinit. in med.

Natura Deo tribuitur in scriptura.

Galat. 4.

2. Petr. 1.

3 Fusius autem vtrumque testimonium ponderat Ambros. lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio, cap. 8. non solum inde probans, Deo conuenire *naturam*; sed etiam vnicam esse illius naturam; quoniam vterque Apostolus vtrobique naturam in singulari nominat, quamuis de pluribus personis diuinis, vel de pluribus dæmonibus, aut idolis loquatur.

4 Ad probandas in Deo tres essentias, siue naturas, primum argumentum esse potest, quoniam essentia est abstractum entis, sicut entitas. Sed tres relationes diuinæ sunt, & dicuntur tres entitates, vt videbimus disp. 26. sect. 2. Ergo similiter sunt tres essentiæ. Confirmatur, quoniam in Deo, vel est vnica essentia relatiua, vel sunt tres essentiæ relatiuæ; sed non est vnica essentia relatiua. Ergo sunt tres essentiæ relatiuæ.

Argumenta quæ probant tres essentias siue naturas.

5 Secundum argumentum, quia diffinitio explicat essentiam rei; sed tres relationes diuinæ explicantur tribus definitionibus distinctis. Ergo sunt tres essentiæ distinctæ. Confirmatur primò, quia quæ differunt specie vel quasi specie, distinguuntur per diuersas naturas, siue essentias specificas; sed tres relationes, siue personalitates diuinæ specie vel quasi specie differunt. Quemadmodum Tertull. lib. cōtra Praxeam pag. 3. de personis ait: *Esse tres, non statu, sed gradu, nec substantia sed forma, nec potestate sed specie.* Quam distinctionem specificam indicat etiā in sequenti contextu. *Gradum* autem appellauit ordinem originis.

Secūdum argumentum.

Tres definitiones.

6 Clariùs autem Basil. lib. 2. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. *Si quisquam*, inquit, *quod verum est, genitum, atque ingenitum, vt specificas quasdam proprietates in substantia consideratas ad veram & inconfusam Patris ac Filij sententiam perducentes esse putat; Is impietatis periculum effugiet, & quod est rationi consentaneum conseruabit.* Deinde non longè inferius repetit: *Genitum atque ingenitum specificæ ac declaratiuæ quædam sunt proprietates.* Accipit autem *ingenitum*, non formaliter pro negatione, sed fundamentaliter pro relatione Patris, vt ex contextu constat.

Specificæ differentia.

7 Confirmatur secundò, quia tres personæ diuinæ non possunt solo numero differre, quia merè numerica differentia non prouenit, nisi ratione materiæ, vt ex D. Thoma vidimus disput. 22. sect. 4. fine. Et de poten. q. 10. artic. 2. ad 12. *Paternitas* inquit, *& Filiatio sunt relationes secundum speciem diuersæ.*

8 Tertium argumentum, quia singulæ hypostases habent essentiam sibi propriam. Ergo sunt tres essentiæ vel naturæ. Antecedens sumitur ex Iustino. q. 129. ad Orthodoxos, dicente: *Differentia est in sancta Trinitate modis essentiæ hypostaseon.* Videtur itaque singulis hypostasibus essentiam concedere. Confirmatur, quia naturam propriam Patris, prout distinguitur à Filio & Spiritu sancto; itémque Verbi propriam naturam atque Spiritus sancti, Patres concedunt.

Tertium argumentum.

Essentiæ vel naturam pro quidditate personæ propria, nō nunquam Patres accipiunt.

9 Sic enim Athanasius in 3. serm. gestorum Nicæni Concilij Arianos reprehendit, quoniam dicunt, *Sterilem esse, & infructuosam naturam Paternam.* Agnoscit ergo naturam fœcundam Patris.

10 Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia inter med. & fin. respondens ad 10. obiectionem, Patrem appellat, *principem Naturam.* Rursus orat. 29. de dogmate & constitut. Episcopor. inter med. & fin. *Profitemur*, inquit, *quod simul atque Pater ingenitè erat, Filius quoque genitè erat: ita cōcurrit essentia Patris cum Vnigeniti generatione.* Insuper orat. 35. quæ est 3. de theologia inter med. & fin. nu. 61. *Cum Patrem*, inquit, *causæ natura maiorem Filio esse concedamus; ipsi* (videlicet Eunomiani) *hinc colligunt natura maiorem esse. Quod perinde est ac si dicentibus nobis, hic mortuus homo est, colligerent ipsi: Ergo homo.* Supponit itaque *naturam causæ*, quamuis maioritas in natura causæ, sit tantum secundum quid maioritas non simpliciter.

11 Cyrill. Alex. lib. 7. thesauri. cap. 1. sub init. *Vides*, inquit, *quomodo ipsum esse Filij secundum naturā hoc nomen significat. Deus enim erat Verbum, ait Ioannes. Quod si non esse Filij secundum naturam Verbi vocabulum ostendat, aliud quid certè significabit. Quare necesse est quærere, quid est Filius secundum naturam. Si Verbum non est, nec esse ipsius vocabulo Verbi significatur.* Rursus dialog. de Trinit. lib. 4. col. 2. dicit: *Natura diuina gignitur & nata est.* Et lib. 5. dialog. prope med. *Spiritus sancti naturam* appellat modum existentiæ quo distinguitur à Patre & Filio, quoniam procedit ab vtroque.

12 Ephræm Syrus tomo 3. sermonem 17. instituit *aduersus eos, qui Filij Dei naturam curiosè scrutari niuntur.* Vbi naturam accipit pro constitutiua quidditate Filij in ratione Filij, vt ex progressu sermonis constat.

13 In hac acceptione *naturæ*, vel essentiæ pro notionali quidditate alicuius personæ frequētior est Hilarius, quàm cæteri Patres. Nam lib. 6. de Trin. multo propiùs ad med. quàm ad fin. *Naturam*, inquit, *generationis seu natiuitatis*, quod iterum repetit longè inferius. & illud. Ioan. 16. *à Deo exiui.* notat, esse dictum, *ne in eo alia, quàm natiuitatis natura existimaretur.* Insuper Patrem appellat *authorem naturæ Filij.* Præterea lib. 7. de Trinit. col. 2. dicit: *Filiū natiuitatis subsistentem natura.* Et multo propius ad med. quàm ad princ. eiusdem libri: *Cum natura Dei in naturam Dei subsitisset, id est, ex Patre*

Patre Filius natus esset. Et versus med. eiusdem libri illud Ioan. 5. *Omnia demonstrat ei, quæ facit.* Declarat, *demonstrationem ipsam operum natiuitatis esse substantiam.* Multoties etiam ante med. & post med. lib. 7. repetit: *Naturam natiuitatis.* Præterea lib. 9. de Trinit. quinque columnis ante fin. *Dum viuens*, inquit, *natura naturæ viuenti indifferens est, quippe quæ ex tota tota sit, quæ & dum vnigenita est, Patrem in se habeat, & maneat in Patre, dum Deus est.* Et seq. lib. 10. col. 3. dicit: *Natiuitatem naturæ.* Et col. 4. *Vnigenitam Diuinitatem.*

14 Idem lib. de Synodis col. 7. ad canon. 3. Orientalium: *Filius*, inquit, *per naturam in se genitam consistit.* Et ad sequentem canonem 4. *Quæ ex Patre generata est essentia.* Et post pauca: *Vita quæ generatur ex vita, id est essentia, quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur, scilicet, quia vita ex vita est, tenet in se dissimilem naturam originis suæ; quia & natæ & gignentis essentia, id est vitæ, quæ habetur & data est, similitudo non discrepet.* Denique versus med. eiusdem libri, & iterum in med. & multo propius ad med. quàm ad fin. videlicet ante exemplum fidei Syrmicæ, & ad canonem 4. illius. & canon. 26. vtitur eisdem vocibus naturæ vel essentiæ ingenitæ vel innascibilis, nec non essentiæ vel naturæ genitæ, vel natæ vel vnigenitæ.

15 Quin etiā Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. inter princ. & med. *illa*, inquit, *natura, quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam suscepit.*

16 Ex quibus aliisque similibus testimoniis procedit hoc argumentum; Natura siue essentia princeps, innascibilis & ingenita distinguitur à natura, quæ propria est Filij & est genita vel vnigenita, & vtraque natura distinguitur à natura siue essentia, quæ propria est Spiritus sancti, & procedit per spirationem. Ergo sunt tres naturæ siue essentiæ distinctæ.

Natura princeps, innascibilis, ingenita & natura genita vel vnigenita.

17 Quartum argum. nam Gregor. Nyssenus lib. de differentia vsiæ & hypostaseos in fine, personas appellat *naturas subsistentes.* Agnoscit igitur plures naturas relatiuas, & notionaliter dictas. Quod idem colligitur ex Epiphanio hæres. 69. quia multo propiùs ad fin. quàm ad med. docuerat, *essentiam & substantiam idem esse ratione:* Et tamen prope fin. eiusdem hæresis, & aliis in locis concedit tres substantias; vt vidimus disput. præced. sect. 4. non longè à principio.

18 Quintum argument. nam omne constitutiuum constituit aliquam essentiam, siue naturam. Ergo distincta constitutiua cōstituunt distinctas essentias siue naturas. Sed trium personarum tria sunt distincta constitutiua. Ergo sunt tres essentiæ siue naturæ distinctæ.

5. Argumentum.

19 Sextum argum. August. 7. de Trinit. cap. 1. circa fin. & lib. 15. cap. 14. in princ. dicit, quod Filius est *Sapientia de sapientia, & essentia de essentia.* Sed præpositio, *de*, significat ordinem originis. Ergo consequenter significat realem distinctionem, ac proinde duæ distinctæ essentiæ concedendæ sunt Patri & Filio.

Essentia de essentia Filius.

20 Septimum argum. quia tres personæ dici possunt tres substantiæ relatiuæ, vt vidimus disp. præcedenti sect. 3. & 4. ergo similiter dici possunt tres essentiæ siue naturæ. Confirmatur, nam existentia immediatè & adæquatè correspōdet essentiæ, nec multiplicatur existentia, nisi ad multiplicationem essentiæ. Sed sunt tres existentiæ relatiuæ infra disp. 25 sect. 5. Ergo sunt tres essentiæ vel naturæ relatiuæ.

7. Argumentum.

21 Octauum, quia natura quandoque pro subsistētia ponitur. Ergo in eo sensu licebit dicere tres

Natura pro

naturas. Antecedens probatur: nam Athanasius & Cyrillus dicunt, *vnam Verbi naturam esse incarnatam.* Confirmatur primò, nam idem Cyrillus lib. ad Euoptium in defensione secundi anathematismi, contra Theodoretum ait: *Nihil aliud dicendo, secundum subsistentiam significare volentes, quàm hoc solum, quod verbi natura, hoc est, subsistentia, quæ est ipsum Verbum, humanæ naturæ verè vnitum sit.*

subsistentia videbatur accepta.

22 Confirmatur secundò, nam & Martinus Papa Primus in decretis Synodicis ad fin. Lateranensis Synodi consultat. 5. cap. 5. damnat eum, *Qui non confitetur, propriè & secundum veritatem vnam naturam Dei Verbi incarnatam.* Additque profitendum id esse *secūdum sanctos Patres*, videlicet Athanasium & Cyrillum. Tertiò, quia Iustinianus Imperator in edicto fidei ad Ioannem Papam secundum (quod extat in fine primi tomi, alias tom. 2. Conciliorum) prædicta verba Cyrilli explicat, ita vt naturam acceperit pro subsistentia. Atque eodem modo exponit Rusticus in disp. contra Acephalos inter prin. & med. Videtúrque idem intellexisse Ioan. Maxentius in sua confessione fidei, quæ habetur tom. 4. alias tom. 5. Bibliothecæ. Imò etiam Damascen. lib. 3. de fide cap. 6. fine, tractans præsentem sententiam Cyrilli concludit: *Naturam Verbi dicentes, ipsum Verbum significamus: siquidem Verbum, & quod commune substantiæ est, habet, & quod proprium hypostaseos.*

23 Nonum argum. quia nonnunquam essentia vel natura sumitur, vt opponitur gratuito, adoptiuo & libero: sed tres personæ diuinæ habent esse non gratuitum, adoptiuum aut liberum; sed necessarium & naturale. Ergo saltem in hoc sensu poterunt appellari tres essentiæ. Confirmatur, nam in hoc sensu Athanasius orat. 3. contra Arianos inter med. & finem docet, Patrem ex natura Patrem esse Verbi, & Verbum esse naturalem & natura sua Filium eius substantiæ proprium, quod repetit iterum inferius.

Natura vt opponitur gratuito & libero.

24 Chrysostomus in Psal. 44. *Eructauit cor meū*, &c. col. 4. ait: *Spiritus, quoniā sua natura est Dei substantia, dona nobis præbet in æternum.* Rursus tom. 3. prope fin. homil. 3. de Spiritu sancto sub init. *Natura*, inquit, *inseparabilis est, vt pote qui ex inseparabili & indiuisibili natura progressus est. Nomen autem eius Spiritus sanctus.* Et post pauca repetit: *Spiritus sancti naturam*, prout est propria Spiritus sancti.

25 Gregorius Nyssenus orat. catechetica cap. 4. sub init. *Verbum*, inquit, *& Spiritus Dei essentialiter consistunt.* Et in fine eiusdem cap. 4. *Mysterium veritatis dictat, esse dicendum Verbum in essentia.* Et cap. 5. sub init. addit: *Verbum esse quandam, quæ per essentiam consistit, virtutem.* Epiph. hæres. 69. pag. 5. probat, *Dei Filium esse secundum naturam Filium.* Et hæres. 57. pag. 2. *Patrem esse natura Patrem, & Filium natura Filium.*

26 Cyrillus lib. 13. thesauri c. 1. sub init. *Spiritus*, inquit, *Sāctus, in ipso Deo essentialiter est.* Quam locutionem repetit nō solum in eodem cap. sed etiam c. 4. in med. Præterea Spiritum sanctū esse *naturalem, & essentialem operationē, siue naturalē virtutem.* Scribit, in eodem lib. 13. cap. 2. paulo post med. & in fin. & cap. 4. in med. & lib. 14. cap. 1. fine.

Natura pro tota Trinitate.

27 Decimum argumentum, quoniam essentiam vel naturam Patres aliquando accipiunt pro tota Trinitate, tribúsque relationibus collectiuè. Ergo licebit, aliquando essentiam vel naturam accipere notionaliter pro vna vel altera relatione; atque secundum eam acceptionem dicere, tres essentias vel naturas. Antecedens probatur, quia Nazianz. orat. 13. quæ est 2. de pace, propiùs ad med.

quàm ad fin. vniuersam Trinitatem nomine *naturæ* comprehendit, cum ait: *Nos vnam & eandem Diuinitatis naturam agnoscamus: Principij vacatione, generatione ac processione cognoscibilem.* Et consequenter de eadem natura multa prædicans, adiungit: *Sancta & sanctitatem ipsam, Deum vnumquodque.* Sic videlicet diuina supposita coniungit cum natura diuina, vt constabit cõsideranti contextum. Confirmatur, quia essentia diuina est idem quod Deitas: at verò Deitas aliquando pro tribus personis collectiuè sumitur à Patribus: vt à Dionysio, Nazianzeno, Cyrillo, Augustino & aliis citatis disput. 14. sect. 1. argum. 6. 8. & 9. quorum intellectus explicatus est sect. 4. prope fin. & sect. 5. in eadem disput. 14.

28 Vndecimum argum. quoniam essentia est idem quod quidditas seu ratio alicuius rei: sed trium personarũ sunt tres quidditates vel rationes. Ergo tres essentiæ. Cæterum de hoc dicemus sect. 5.

VI. Argumentum.

SECTIO II.

Tres diuinas personas non esse tres essentias siue naturas.

1 ITa dicendum esse, quando propriè & absolutè loquimur, probatur primò ex August. lib. 7. de Trinit. cap. 4. longè post med. vbi postquam inuestigauit rationem, propter quam non possumus dicere tres essentias, ita concludit: Humana inopia *timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate vlla diuersitas.* Atque in cap. 6. eiusdem libri confirmat, non esse dicendas tres essentias, sed vnam essentiam trium personarum. Quod idem intelligendum est de natura propter identitatem rationis & significationis. Quemadmodum Fulgentius lib. de fide ad Donatum cap. 3. sub init. *Iis testimonijs,* inquit, *ostenditur, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, tres esse personas: sed non tres esse naturas.*

2 Athanasius tractatu de diffinitionibus col. 3. *Si quis,* inquit, *de Diuinitate quærat, quot confitearis naturas? Responde, vnam, hypostases verò tres.* Obserua discrimen numerandi hypostases & non naturam. Sophronius Patriarc. Constantin. in Sexta Synodo, actione 11. colum. 4. *Neque tres naturas* ait, *in sancta Trinitate glorificamus, nec tres essentias.* Damascenus lib. 3. fidei cap. 6. paulo post princip. *Characterica autem hypostaseos, non naturæ sunt.* Dixerat autem huiusmodi proprietates esse *accidentia,* id est, non de quidditate substantiæ. Et hac ratione naturã distinguit ab hypostasi. Quin etiã naturam à nemine fuisse vsurpatã pro hypostasi, defendit eodem lib. 3. toto ferè cap. 11. vt dicemus sect. 4. ad 8. Anselmus in monolog. cap. 76. apertè negat tres essentias. Atque ita non esse dicendas tres essentias, decernũt communiter scholastici cum Magistro 1. distin. 23. cap. *ideo,* & cap. *verum,* atque dist. 25. S. Bonauentura dist. 23. art. 2. quæst. 2.

3 Probatur secundò, quia Patres disp. præc. sect. 2. prohibentes, ne dicamus *tres* substantias, à fortiori prohibent tres essentias aut naturas: nam in ea tantum acceptione refutant tres substantias, iuxta quam substãtia sumitur pro vsia siue essentia vel natura: vt constat ex iis quæ diximus disp. 23. sect. 3. & 4. Confirmatur, quoniam iidem Patres acriter oppugnabant hæreticos, qui dicebant Filium vel Spiritum sanctum esse alterius essentiæ, & heterusion, vt videmus tota disput. 21. peculiariter sect. 5. Vnde Iustinianus in edicto fidei multo propius ad med. quàm ad princ. *Nemo,* inquit, *vnquam ausus est in Catholica Ecclesia dicere, quod sicut tres substantiæ, sic & tres naturæ sunt sanctæ Trinitatis.* & post pauca: *Tres enim naturas in sancta Trinitate, solius Arius ausus est dicere.*

Qui prohibent tres substãtias, à fortiori tres essentias.

Probatur tertiò, quia Concilia & Patres vnanimi consensu decernunt, Patris & Filij & Spiritus sancti vnã esse naturã & essentiam: & quamuis multis in locis non refutauerint expressè tres naturas vel essentias; cæterum euidẽs est, ea mente dixisse vnam, vt excluderent plures. Cuius indicium est, quoniam eodem contextu simul dicũt vnam Deitatem: constat autem eorum mentem esse negare plures Deitates. Porrò de nomine *essentiæ* nihil opus est citare loca, quoniam tertio quoque verbo reperiuntur apud Patres, differentes de Trinitate. 4

Qui dicunt vnam essentiam, negant plures.

Cæterum de nomine *natura,* posset aliquis dubitare, quia solet opponi supernaturalibus essentiis, atque non rarò restringitur ad essentiam corporum naturalium. Propterea operæpretium erit adnotare præcipua testimonia, quibus decernitur esse vnica natura trium personarum, prænotando, quod in Græco vox significans naturam apud concilia & Patres, non laborat illa æquiuocatione, quam patitur *substantia:* quæ vox Latina respondere potest Vsiæ, vel hypostasi, vt vidimus disput. præcedenti. 5

Maior ratio dubitandi de natura.

Vnam igitur *naturam* decernit Quinta Synodus citata disput. 20. sect. 7. & Sexta Synodus citata disp. 23. sect. 1. probat. 2. & in eadem Synodo Sexta action. 4. Agatho Papa cum Concilio Romano in epist. ad Sextam Synodum colum. 2. & in action. 11. Sophronius Patriar. in epist. professionis fidei colum. 2. & sequentibus. Martinus Primus in decretis Synodicis cap. 1. Concil. Lateran. cap. *firmiter,* & cap. *damnamus* de summa Trinit. Concil. Toletanum Sextum cap. 1. & Toletanum Vndecimum in confessione fidei. Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum in med. Alexand Alex. epistol. ad Alexandrum Constantinop. non longè post med. Athanasius frequenter in dialog. 1. de sancta Trinit. contra Anomæum, & in lib. 3. de assumptione hominis præsertim post med. & in quibusdam quæstionibus, incipientibus ab hac: *Quid est Deus,* quæst. 4. post med. & in sequentibus quæst. 5. & 6. 6

Vnam naturam dicunt Patres.

Nazianzenus vbique veluti orat. 25. ad Arianos & de se ipso versus fin. & orat. 13. quæ est 2. de pace à med. orat. 35. quæ est 1. de Filio col. 2. & in med. orationis, & lõgè post med. & orat. 36. prope med. & post med. orat. 37. quæ est 5. de theologia frequenter, orat. 26. de moderatione in disputationibus seruanda col. 3. orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos post med. orat. 44. prope med. num. 11. & orat. 49. col. 3. Gregor. Nyssenus orat. Catechet. cap. 1. 2. 3. & 39. post med. & lib. de opificio hominis cap. 6. à med. & lib. de Trinitate ad Eustathium ante & post med. & lib. ad Ablabium, *quod non tres dij,* & lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos non longè à princ. & epist. de imagine & similitudine contra Apollinarem. Et passim in lib. de differentia Vsiæ & hypostaseos, nec non in lib. de fide ad Simplicium, 7

Basilius lib. 1. contra Eunomium inter med. & fin. & lib. 3 non longè à princ. & lib. 4. init. & circa med. & lib. 5. paulo post med. & frequenter toto lib. de Spiritu sancto, & homil. 15. de fide, & homil. 28. contra Sabellianos ante med. & post med. Chrysostomus tom. 3. versus fin homil. 3. de Spiritu sancto, & tom. 5. orat. 1. de illo Euangelico oraculo 8

oraculo. *In principio erat Verbum,* Et sequenti orat. 2. de serpente & de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princ. atque in med. Denique quinque homilias inscripsit *de incomprehensibili Dei natura,* in quibus etiam frequenter *naturam* repetit.

9 Cyrillus Alex. dialog. de Trinit. totis septem libris frequenter, nec non totis quatuordecim libris thesauri peculiariter lib. 1. cap. 9. prope fin. & lib. 2. cap. 1. 2. 3. & 4. & lib. 3. cap. 1. 2. & 3. & lib. 5. cap. 3. 5. & 7. & lib. 6. cap. 1. & 2. & lib. 7. cap. 1. & lib. 8. cap. 1. & 2. & lib. 10. cap. 8. & lib. 12. cap. 5. 8. 13. & 15. & lib. 13. cap. 1. 2. & 3. & lib. 14. cap. 3. & 4. Damascenus lib. de decretis primæ institut. in proœmio & cap. 1. 2. & 6. & lib. de duabus Christi voluntatibus in prioribus paginis, & inter opera Damasceni B. Maximus in libello de duabus naturis Christi Domini.

10 Theodoretus in Genes. quæst. 19. in med. & in epitom. diuinorum decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto, & lib. 2. de principiis propius ad fin. quàm ad med. Theophylactus Ioan. 1. ad illud: *Et verbum erat apud Deum.* Origenes lib. 7. in epistolam ad Ro. exponẽs id c. 9. *Vnus Deus & Pater ex quo omnia.* Ecclesia per Illyricũ epist. ad Symmacũ Papã propius ad fin. quàm ad med. tom. 3. Bibliothecæ.

11 Hilarius sepissime in omnibus & singulis duodecim libris de Trinit. & lib. de Synodis. Ambrosius lib. 2. Hexæmeron c. 5. & in Symbol. Apostolorum cap. 1. init. & c. 3. 5. 6. & 7. & lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 1. & 7. & lib. 2. cap. 1. & 4. & lib. 4. cap. 3. post med. & cap. 4. & lib. 5. cap. 1. & 5. Nec non lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. & lib. 2. cap. 10. post med. & cap. 12. ante med. & lib. 3. de Spiritu sancto c. 8. 13. & 14. Maximè verò in omnibus capitibus libri de Diuinitate Filij. Augustinus serm. 38. de tempore non longè post med. & serm. 125. in med. Et aliquoties etiam in libris de Trinit. nisi malè memini, quãuis in eis frequentior sit appellatio *essentia.* Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 1. & 2. & lib. de fide ad Donatum cap. 3. Et serm. de duplici natiuitate Christi Domini. Marius Victorinus lib. 4. aduersus Arium colum. 7.

12 Probatur quartò, quoniam Augustinus & Hieronymus ideo recusabãt cõcedere tres hypostases, quia dubitabant, vtrũ hypostasis significaret idem quod *Vsia* siue essentia; vt videbimus disp. 31. sect. 3. Ergo semper supponebant vt certum, non esse concedendas tres Vsias siue essentias.

13 Probatur quintò, nam si concedas plures essentias, teneberis consequenter admittere, naturam siue essentiam generantem, & aliam naturam siue essentiam genitam, aliam verò procedentem, contra definitionem Lateranens. Concilij cap. *damnamus,* de Summa Trinit. De qua fusius disp. 80. sect. 3. & sequentibus.

Non essentia generans neque genita.

SECTIO III.

Aperitur à priori ratio negandi tres essentias vel naturas.

1 POtissima ratio est, quoniam *essentia,* quamuis formatione vocis esse videatur abstractum entis; attamẽ significatione non parum discrepat ab adæquato abstracto entis. Hanc autem significationem contulit vsus Philosophorum & Theologorum, apud quos *Vsia* siue *essentia* vel *natura* propriè significat quidditatem, abstractam à singularibus differentiis, & consequenter abstracta etiam à suppositalitate seu personalitate, quę superuenit singularibus differentiis. Cuius rationem reddit S. Thomas 1. p. q. 29. art. 2. ad 3. *Quia essentia propriè est id, quod significatur per diffinitionem. Diffinitio autem complectitur principia speciei, non autem principia indiuidualia.*

Essentia est quidditas abstracta à singularitatibus & suppositalitatibus.

Boëtius autem lib. de duabus naturis prope init. *Natura est,* inquit, *cuiuslibet substantiæ specifica proprietas.* Prior autem Aristoteles lib. 5. metaphys. cap. 8. text. 15. Secundam acceptionem Vsiæ, siue substantiæ assignat, *Quod quid erat esse, cuius ratio est & definitio, & hæc substantia videtur vniuscuiusque.* 2

Confirmatur primò, nam in vnaquaque republica gubernatores possunt præscribere vim & significationem intelligendam in vocibus; quoniã ad placitum significãt. Id autem potiori iure præstare debent vniuscuiusq; scientiæ vel artis principes. Hoc igitur expressè præstiterunt Ecclesiæ principes, & doctores maximi. Nam vt scribit Sozomenus lib. 6. tripartitæ cap. 20. fine. *Plurimi Episcopi in Alexandria congregati cum Athanasio & Eusebio, Niceni Concilij decreta roborauerunt: Et quoniam de substantia & subsistentia quæstio turbabat Ecclesias, sapienter decretũ est, vt his nominibus contra Sabellianos solum vtamur, ne vocabulorũ inopia idem putetur esse substantia, quod subsistentia.* Constat autẽ ex præcedenti contextu, & ex sequenti c. 21. quod substantiam accipit author pro *Vsia,* siue *essentia,* quæ distinguitur ab hypostasi, siue subsistentia. 3

Authores prædicta significationis.

Hoc igitur historiæ fundamẽto Augustinus 7. lib. de Trinitate cap. 4. inter med. & fin. ait: *Cum conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro capitu tenet, de Domino Deo creatore suo, siue per piam fidem, siue per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate vlla diuersitas. Rursus non esse tria quædam non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæresim lapsus est.* 4

Confirmatur tertiò ex discrimine, quod inter Vsiam & hypostasim assignant communiter Patres referendi disp. 32. sect. 6. videlicet, quoniam essentia est communis tribus personis, sed hypostasis est incommunicabilis, indiuidua, singularis & propria. Quartò, nam illi etiam Philosophi, qui existimant subsistentiam Petri realiter distingui à natura Petri; non concedunt Petro duas naturas siue duas essẽtias; alteram, quæ sit subsistentia; alteram, quæ sit natura humana, condistincta à subsistentia. Ergo naturæ siue essentiæ nomen apud Philosophos non comprehendit subsistentiam, siue personalitatem; sed tantum significat essentiam vt præcisam à personalitate. 5

Humanitas & subsistẽtia non sunt in Petro duæ essentiæ.

Confirmatur quintò, quia concilia & Patres communiter affirmant, naturam & essentiam hominis assumptam fuisse à Verbo Diuino, sed non fuisse assumptam personalitatem, siue subsistentiã humanam. Insuper, naturam humanam non fuisse immediatè vnitam naturæ, siue essentiæ diuinæ, sed tantùm ratione personæ siue subsistentiæ diuinæ: quibus dogmatibus essentia vel natura manifestè condistinguitur à personalitate siue subsistentia. 6

Assũpta natura non subsistentia.

Accedit, quoniam vt Damascenus ait, lib. 3. de fide cap. 6. ante med. & in med. *Omni humanæ naturæ vnita est Diuinitatis substantia.* Sed nõ est vnita subsistentiæ siue personalitati humanæ. Ergo subsistẽtia, siue personalitas non est natura. Consonat Leo Magnus serm. 7. de natiuitate c. 2. dicẽs: *totum hominem* fuisse acceptum, vbi non potest intelligere totalitatem aliam nisi naturæ. Similiter loquitur Damasus Papa in epist. 1. ad Paulinum. 7

8 *Essentia & natura radix est proprietatum.*

Sextò, quoniam essentia, natura, & quidditas, quoties absolutè & sine addito dicitur de substãtiis creatis, significat eam rationẽ substantialẽm, quæ radix est proprietatum, vt indicat S.Thomas q.39.art.2.ad 3. Quapropter licet aliqua substantia creata prædita sit multis proprietatibus realiter diuersis; absolutè & sine addito non dicitur habere plures essentias, naturas, vel quidditates. Propterea nomen essentiæ & naturæ merito Diuinitati reseruatur à theologis: Diuinitas enim, secundum nostrum modum intelligendi, radix est proprietatum siue subsistentiarum, quæ Diuinitatem complentes, constituunt diuinas personas.

9 *Essentia & natura non solet referri ad modũ rei, sed ad rem.*

Confirmatur septimò, nam essentia vel natura referri solet non ad modum rei, sed ad rem ipsam, quæ modo afficitur. Relationes autem diuinæ se habent tanquam modi, Deitatem afficientes; vt vidimus disp.12.sect.5. Ergo tres relationes diuinæ non dicentur esse tres essentiæ vel naturæ, sed tres modi essentiæ vel naturæ, iuxta magis receptum, & conuenientem loquendi modum.

10 *Tres essentias relatiuas seu naturas relatiuas non expedit concedere.*

Ex omnibus probationibus istius sectionis & præcedentis corollarium infertur ad maiorem explicationem eiusdem assertionis primariæ. Non expedit concedere in Deo tres essentias relatiuas, siue tres naturas relatiuas. Neque enim additum illud, *relatiuas*, satis est, ad euitandum inconueniens locutionis. Quoniã, vt vidimus, totius Ecclesiæ vsus *essentiam*, vel *naturam* restrinxit, vt solã & præcisam Diuinitatem significarent. Quapropter qui dixerit tres essentias relatiuas, poterit audientibus aliquam mouere dubitationem de sua mente vel fide, nũ existimet, esse tres Diuinitates relatiuas, ita vt per illas constituantur tres dij relatiui. Denique in re summi momenti, de qua periculosissimum bellum fuit semper Ecclesiæ cum hæreticis; cautè recedendum est semper à modo loquendi hæreticorum, & insistendum verbis in Ecclesia receptis & vsitatis.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta posita in sectione prima.

1 *Generalis solutio.*

GEneralis solutio ferè omnium argumentorum esse potest concedere, quod illis optimè probatur, videlicet, dicẽdas fuisse tres essentias relatiuas vel tres naturas relatiuas, nisi nomina fuissent restricta communi cõsensu doctorũ Ecclesiæ; vt ex præced.sect.constat. Primum igitur argumẽtum alia solutione non indiget. Ad eius verò confirmationẽ negatur Maior, quia essentia relatiua, propriè loquendo, nulla est in Deo; ac proinde neque sunt tres essentiæ, neque vnica.

2 *Non tres definitiones.*

Ad secundum respond. Simpliciter loquendo, nõ sunt tres definitiones, sed vnica, sicut est vnica essentia trium personarũ; vt videbimus sect.5. Ad confirmationem primam & secundam respond. Diuinæ personalitates vel relationes non propriè distinguuntur specie, vt ex parte dictum est disp. 17. sect. 4. in solutione ad 3. & plenius dicetur disp.35.præsertim sect.8. & quanuis tolerari possit loquendi modus dicentium, specie distingui; non est tolerandus modus dicendi tres essentias siue naturas, propter rationes dictas sect.2.& 3.

Non propriè distinguuntur specie.

3 *Natura & essẽtia supponitur pro persona licet eã non significet.*

Ad tertium respond. primò, probare tantummodo, quod in generali solutione dictum est in principio huius *sectionis*. Secundò responderi potest, quod apud Patres ibi citatos, natura siue essentia supponitur pro notionali & relatiua formalitate; cæterum illam non significat quemadmodum hoc nomen, Deus, supponitur pro persona, quando dicimus, *Deus generat Deum*, vel dicimus, *Deum de Deo*; quanuis hiuiusmodi suppositio locum habeat in concretis propter modum significandi. proprium illorum: sed minus propriè in nominibus abstractis, nisi quando sumuntur pro concretis; vt videbimus disput. 80. sect.1.& 2.collatis cum sect.7.& 8. Et satis explicat S.Thomas quæst.39.art.4.& 5.

Vnde respondetur tertiò testimoniis adductis in argumento tertio, potius confirmari conclusionem, probatam præcedẽtibus sectionibus; quia licet illis locutionibus proximum, & consequens esset ex vi sermonis, affirmare tres essentias vel naturas: nihilominus Patres ibi citati nunquam ausi sunt progredi ad tres essentias vel naturas, sed in *vna* semper continuere calamũ. Ergo animaduerterunt aliquod præcipitium aut periculum, si vel vno gradu progrederentur vlterius, dicendo tres naturas, vel essentias. 4 *Retorquetur argumẽtum.*

Respond.quartò. Nonnullę locutiones illarum impropriæ sunt, & absolutè negãdæ. Qualis est illa: *Essentia generat* vel *generatur*, vel *est genita*; vt videbimus disp.80. *Sancti nãque doctores ad exprimendam vnitatem essentiæ aliquando expressius locuti sunt, quàm proprietas locutionis patiatur*; vt obseruat S. Thomas q.39.art.5.ad 1.& S.Bonauent.1.dist.23. art.2.q.2. ad 1. Maximè verò Hilarius aliquando pœticas figuras imitatur, & Gallicano cothurno attollitur, vt Hieronymus censuit in epist.ad Paulinum de institut.monachi prope fin. 5 *Impropriæ locutiones.*

Ad quartum. Satis est generalis *solutio*, posita in principio sectionis, insuper obseruando nostrã assertionẽ confirmari, quia vix vnum aut alterum testimonium dicit in plurali naturas vel essẽtias; cum innumera sint quæ dicunt *vnum*. 6

Ad quintum respond. absolutè negando Maiorem; quia relatiuum, constitutiuum personæ non constituit naturam siue essentiam, strictè & propriè dictam: quanuis constituat essẽtiam, extenso vocabulo vltra vsum & proprietatem Ecclesiæ. 7

Ad sextum argum. solutio constat ex dictis in postrema solutione ad 3. nimirum, impropriam locutionem esse: *Essentia de essentia*. Et quãuis Scribatur ab Augustino, ipse tamen ibidem præcauet, ne propterea dicantur tres essentiæ vel tres sapientiæ; sed vna essentia & vna sapientia. *Ad sextum argumẽtum.*

Ad septimum negatur consequentia, propter discrimen vtriusque nominis. *Substantia* quippe, licet sæpius pro essentia, multoties tamen pro hypostasi sumitur. Cæterum essentia & natura, communi doctorum vsu condistinguitur ab hypostasi siue persona; ideóque nunquam accipitur pro illa. Non aliter respõdetur ad confirmationem: existentia quippe multoties accipitur pro subsistẽtia; & in eo sensu conceduntur tres existentiæ relatiuæ. Quod si existẽtia accipiatur propriè & strictè, vt correspondet essentiæ, non essent concedendæ tres existentiæ, vt videbimus disp.25.sect.3.& 4. 8

Ad octauum ita respondet Damascenus 3. fidei capite 11. *Dicendo naturam Verbi, neque hypostasim solam significat* (Cyrillus) *neque commune hypostaseon, sed communem naturam in Verbi hypostasi vniuersaliter consideratam.* Quam expositionem toto illo cap. probat, defendens, quod natura nunquam fuerit accepta pro persona. Quod si aliquando ille modus loquendi fuit inductus à disputantibus de Incarnatione, non sequitur inde, talem acceptionem naturæ prudenter vsurpari in mysterio Trinitatis, contradicente constanter Ecclesiæ more, propter grauissimas rationes. 9 *Natura non accipitur pro hypostasi.*

Ad

10 *Naturã Verbi incarnatã, qui Patres dicunt.*

Ad maiorem firmitatem istius solutionis, operæpretium erit, magis in particulari discutere singula verba Cyrilli & Athanasij, quorum testimonium in argumento producitur. Imprimis ergo Cyrillus in priori libro de recta fide ad Reginas, non longè à princ. hæc refert, & approbat ex Athanasio in lib. de Incarnatione: *Confitemur, ipsum esse Filium Dei, & Deum secundum spiritum, & Filium hominis secundum carnem, non duas naturas vnum Filium, vnam, quæ adoratur, & vnam quæ non adoratur, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorabilem cum carne sua, vna adoratione.*

11 In eo lib. de Incarnatione nunc non reperiuntur hæc verba apud Athanasium: Cæterum apud eundem Athanasium serm. in Euangelium de sanctissima Deipara prope med. & paulo post med. Et iterum propius ad med. quàm ad fin. legimus *Solam naturam Dei Verbi incarnatam.* Quamuis ex contextu sermonis satis apertè constet, vnionem fuisse factam secundùm personam, non secundùm naturam. Cyrillus autem non solum prędicto lib. 1. ad Reginas, sed etiam in epist. 29. quæ est ad Acacium post med. Et in epist.30.quæ est ad Eulogium repetit *Vnam naturam Verbi incarnatam.*

12 In iis igitur aliisque locis dubitare poterit aliquis, quæ fuerit ratio, propter quam prædicti Patres dixerint vnam naturam Verbi incarnatam; cũ possent clariùs & propriùs dicere, vnum Deum, Verbum, vnámque hypostasim, siue personã fuisse incarnatã. Ratio igitur est manifesta apud Athanasium in prædicto sermone prope med. refutabat enim *blasphemias eorum, qui autumant, vocem angeli fuisse materiam substantiámque Verbi.* Et post pauca: *Quum igitur diuersa sit à voce archangeli, hypostasis Verbi & Filij Dei, simul ac aperirentur aures Virginis per angelicum sonum, introgressa est in eam diuina Filij essentia.* *Ratio prædictæ locutionis.*

13 *Altera ratio.*

Cui similis est altera ratio, quam reddit Theodorianus legationę ad Armenos in med. videlicet, vt Athanasius refutaret hæresim Arianorum, asserentium duos sermones; siue duo Verba Dei: aliud quidem proprium substantiæ Dei increatæ, per quod creauit Filium in tempore; quem Filium appellauit alium sermonem, seu Verbum aliud, quanuis esset alterius naturæ, videlicet, creatæ. Cuius refutationem directè respexisse videntur priora illa verba Athanasij apud Cyrillum: *Non duas naturas, Vnum Filium, vnam, quæ adoratur, & vnam, quæ non adoratur.*

14 *Occurritur obiectioni.*

Prætera, quanuis Cyrillus, frequenter hæc verba defendens, & explicans, nunquam expresè dixerit, se nomine naturæ non intellexisse hypostasim, sed essentiam communem tribus personis: nullum inde argumentum accipi potest contra præsentem explicationem. Quoniam ille solummodo pugnabat aduersus Eutychem, Eusthatium & Dioscorum, ex prædictis verbis Cyrilli colligentes, non esse in Christo Domino duas naturas, sed tantùm vnicam.

15 Quin potius ex illis locis efficaciter colligitur, nomine naturæ non intellexisse hypostasim; quia si hoc intellexisset, promptior & facilior esset obiectionum solutio declarare hanc acceptionem naturæ pro hypostasi; quod tamen nunquam fecit Cyrillus, præsertim epist.2.ad Successum, quæ est cum Scholiis de Incarnatione Vnigeniti in fine. Et epist. 29. quæ est ad Acacium post med. Atque eodem modo Cyrillũ intellexisse videntur Gelasius Papa in lib.contra Eutychem de duabus naturis in Christo tom.4.bibl.alias tom.5. Petrus Diaconus lib. de incarnatione & gratia Christi c.2. Leontius Bizantinus apud Damascenũ lib.3. fidei dicto c.11.vbi Clichtoueus in commentario fusè hanc explicationem defendit. Et diligẽtiores Neotherici præcipuè Vazquez 3.p.tom.1.disp.14. cap.2.

Ad primam confirmationem respond. Illa verba Cyrilli sub nomine Apologiæ ad accusationes secundæ detestationis, refert etiam Damascenus dicto c.11.post med. Et ex illis potius confirmat suam explicationem, videlicet vt illa declaratio *id est*, siue, *hoc est*, referatur ad explicandum, naturam diuinam non esse accipiẽdam, prout est communis tribus personis, sed prout est peculiariter terminata ad hypostasim, siue subsistentiã, quæ est ipsum Verbum. Nam hypostasis Verbi complectitur vtrumque, videlicet naturam & proprietem personalem; vt notauit Damascenus, citatus in 3. confirmatione. Ad secundam confirmationem respond. Martinum Papam exponẽdum eodem sensu, quo nuper expositi Athanasius & Cyrillus. 16

Ad tertiam confirmationem respond. Quidquid sit de aliis authoribus, quos aliter sensisse mirandum non est: certè Damascenus lib.3. cap.6. prope fin. manifestè notat, naturam accipi pro Diuinitate, ait enim: *Quando dicimus naturam Verbi incarnatam esse, secundũ beatos Patres Athanasium & Cyrillum Diuinitatem dicimus vnitam esse carni. Quapropter nequaquam dicere valemus naturã Verbi passam fuisse.* Quod si naturam Verbi acciperet pro hypostasi, rectè dici potuisset esse passam; sicut rectè dicitur Deum Filium aut Verbũ fuisse passum. 17

Ex iis omnibus tandem efficitur, vt quãuis nomen *hypostasis*, non rarò fuerit à prophanis & Ecclesiasticis authoribus vsurpatum pro natura siue vsia, vel essẽtia, vt videbimus disp.31.sect.1.2.& 3. nihilominus neque apud prophanos, neque apud Ecclesiasticos authores Græcũ nomen *physis*, nec Latina vox *natura* fuerit vsurpata pro subsistẽtia, supposito vel persona. Et de octauo arg. hactenus. 18

Ad nonum respond. Illa acceptio, licet recepta sit ad significandam necessitatem quidditatiuam, & excludendam libertatem, aut contingentiam accidentariam; cæterum vsitata non est ad numerandas essentias, siue naturas. Ad decimũ respond. solummodo probare, quod ex vi vocis potuissent dici tres essentiæ relatiuæ; sed obstat vsus Ecclesiæ. Ad vndecimum dicemus sect. sequenti. 19

SECTIO V.

Vtrum sint tres quidditates, rationes, diffinitiones, species & genera trium personarum.

1 *Tres quidditates triæ quod quid est.*

DE quidditate dico primò. Tolerabile est, in Deo tres quidditates relatiuas admittere, siue tria *quod quid est* relatiua. Quoniã hęc nomina iuxta philosophorũ & scholasticorũ vsum, magis accommodata sunt, ad significandas formalitates, vt præcisas ab aliis formalitatibus. Confirmatur, quia licet antiquorum Patrum neminem reperire potuerim, qui prædictis vocibus vtatur, ad asserendam vnam quidditatem trium personarum & multo minus ad asserendas tres quidditates: cæterum Scholastici nobiliores admittũt tres quidditates relatiuas.

2 Quemadmodum S.Thomas 1.dist.25. q.vnica art.4.ad 2. *Si per quidditatem*, inquit, *intelligitur non solum natura absoluta; sed ratio vel intentio cuiuscumque, vel substantiæ vel accidentis, vel relationis: sic in diuinis,*

diuinis, quamuis sit vna quidditas absoluta: tamen sunt plures rationes relationum realium: & ita plures quidditates quodammodo. Illud additum, *quodammodo*, videtur ab Angelico Doctore positũ, ad significandas quidditates relatiuas, siue notionales, vel quocumq; alio nomine determinatas ad aliquid personale. Nam sine aliqua eiusmodi limitatione, seu declaratione non posse propriè cõcedi tres quidditates, obseruat continuo subiungens: *Quamuis hoc non possit propriè concedi: quia quidditas & essentia & diffinitio est simpliciter tantum substantiarum; vt probat Philosophus 7. metaphy.* text. 11. & 13.

3 Consonat S. Thomas 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 1. concedens relationibus quidditatem, quæ diffinitione significetur. Et de poten. q. 8. art. 2. ad 11. dupliciter dici *quid est* de essentia & relationibus diuinis. Consonat etiam Scotus 1. dist. 11. q. 2. prope fin. quidditatem relationis distinguens à quidditate essentiæ. Et quodlib. 4. art. 3. §. ad argumentum princ. distinguẽs, aliud esse simpliciter & absolutum, & aliud esse hypostaticum & relatiuum. Clarius præsentem assertionem docuit Capreol. 1. dist. 29. q. vnica a. 3. ad 4. Vbi Deza a. 3. notabili 1.

4 *Prudentius consilium.* Notandum tamen est, ab huiusmodi locutionibus abstinere, prudentioris esse consilij, nisi eadem oratione perspicuis verbis explicaueris, vnicam esse quidditatem absolutam, quæ sola simpliciter & propriè quidditas appelletur: sed extenso vocabulo, nec sine improprietate, dici tres quidditates relatiuas.

5 *Tres definitiones, tres rationes.* De ratione atque definitione, Dico secundò, in summa censendum esse omnino idem, quod nuper de quidditate diximus. Pro cuius maiori declaratione suppono, definitionem, genus, & speciẽ in Deo non esse propriè. Vt docuit Euagrius relatus in historia tripartita lib. 6. cap. 21. fine. Et *Nõ est propriè definitio Dei.* Auicena 8. metaphys. cap. 2. apud Ricard. 1. dist. 25. art. 1. quæst. 2. ait: *Primus, qui est altissimus, non habet definitionem.*

6 Cæterum extenso vocabulo diffinitionis & rationis, Patris & Filij & Spiritus sancti vnicam tãtum esse rationem ac definitionem, docuit Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri c. vltimo prope fin. & dial. de Trin. lib. 1. paulo propius ad fin. quàm ad med. Ex vnitate substantiæ & naturæ colligit vnitatem definitionis & rationis. Similiter Ambrosius lib. de Filij Diuinitate cap. 7. sub init. Augustinus sermone 190. de temp. ad fin.

7 Probationem obtulit S. Thomas nuper citatus ex dist. 25. quoniam iuxta doctrinam Aristotelis 7. metaphy. text. 2. & 11. & à 13. vsque ad 20. *quod quid erat esse* primariò conuenit substantiæ, & est illorum tantum, quorũ est ratio & definitio. Vnde text. 16. colligit, *Diffinitionem primò & simpliciter esse substantiarum.* Videri potest S. Thomas 7. met. lect. 4. lit. C. Nihilominus, quodãmodo rationem ac diffinitionem esse aliorum prædicamentorum à substantia & consequenter etiam relatiuorum ibidem obseruant Aristoteles & S. Thomas.

8 Quapropter diuinæ personæ rationem esse distinctã à ratione naturæ diuinæ, Nyssenus, S. Tho. aliique theologi docuerunt supra disp. 12. sect. 2. præsertim probat. 2. Et peculiariter Henricus in summa a. 34. q. 2. prope fin. Vnde sumi potest huiusmodi argumẽtum. Relationis aut personalitatis, aliqua ratio est propria, prout distinguitur ab essentia diuina. Sed sub hac præcisione & formalitate nó est vnica ratio trium relationum & personalitatum. Ergo sunt tres rationes: & consequenter etiam tres definitiones, quibus vniuscuiusque personæ quidditas explicetur, prout ab alia persona distinguitur. Denique quod attinet ad prudentiam, in locutione seruandam, idem intelligendum est de ratione ac definitione, quod dictum fuit de quidditate.

9 *Non sunt tres species, propriè loquẽdo.* De *Specie* dico tertiò. Absolutè ac propriè loquendo, tres personæ, siue tres relationes nó sunt tres species, nec sũt diuersę speciei. Probatur, quia species propriè sumitur pro substantia & essentia rei, vt cõstat ex Aristotele 5. metaph. tex. 15. & 16. Vnde quamuis quinque assignentur modi, quibus aliqua dicuntur specie diuersa; omnes tamen illi requirunt specificã differentiam, prout distinguitur à differẽtia numerica & indiuiduali; & requirunt diuersam rationem, ac diffinitionem; vt constat non solum ex loco citato, sed etiam ex 7. metaph. tex. 37. & sequentibus, illis præsertim verbis: *Vniuersalis & speciei est diffinitio.* Constat autem ex præcedentibus eamdem esse naturam, essentiam, & diffinitionem trium personarum.

10 Propterea Cyrillus Alexand. dialog. de Trinit. lib. 3. propius ad med. quàm ad fin. docuit, *esse conformes & eiusdem speciei* tres subsistentias proprias naturæ diuinæ. Et lib. 5. dialog. inter prin. & med. docet. *Etiam substantia in specie identitatem.* Et post pauca: *In similitudine & specie idem sunt exemplar & imago.*

11 Damasc. 1. fidei cap. 6. à princ. *Numero*, inquit, *& non natura differre dicuntur hypostases. Prædicatur igitur substantia de hypostasi. Quapropter vnaquaque hypostaseon eiusdem speciei perfecta substantia est.* Vides igitur, ex identitate naturæ Damascenum probasse identitatem speciei. Denique cuncti Patres, statim adducendi, cum dicunt identitatẽ generis, specificam identitatem intelligunt.

12 *Quodãmodo tres species relatiuæ.* Quod si volueris aliquando dicere, tres species relatiuas, siue relationes trium specierum iuxta modum loquendi, rarò vsurpatum à Patribus citatis sect. 1. arg. 2. temperare debes improprietatem addito diminuente, veluti *quodammodo*, vel *quasi*, simul adnotando, simpliciter esse personas eiusdem speciei.

13 *Nõ tria genera sed vnum.* De *genere* dico quartò. Nullo modo, nulláue limitatione concedi potest, tres personas, siue tres relationes esse tria genera, sed tantum esse vnum genus, vel esse eiusdem generis. Pro cuius declaratione suppono, *genus* multoties idem significare, quod *species*, non solum in vulgari sermone, sed etiam apud authores sacros atque philosophos. Quemadmodum Genes. 9. *Ab his*, inquit, *disseminatum est omne genus hominum.* Iuxta quam acceptionem herbæ & ligna dicuntur habere *semen generis sui*, genesis 1. Aristoteles autem 5. metaphys. text. 33. primam assignat acceptionem generis: *Si generatio eorum, quæ eandem speciem habent, continua sit.* Et probat exemplo, dicentium, *Quousque genus hominum sit.*

14 Vnde licet nomen generis ad significandam omnimodam identitatem minus aptum sit, quàm nomen speciei: Cæterum ad significandam originem personarum ab vnico principio simul cum identitate specifica, commodius est nomen generis, præsertim comparatione Filij, producti per generationem. Iuxta præsentẽ acceptionẽ Athanas. in tract. de diffinitionibus col. 3. dixit, *Natura, essentia, genus & forma idem sunt.* Vt propterea merito dixerit Damascenus lib. de decretis primæ institutionis cap. 1. *Essentia, natura, genus & forma, vt Sanctis Patribus placet; idem valent.* Idem repetit cap. 6. post med.

15 Ideo Hilarius lib. de Synodis col. 6. pro synonimis ponit naturam, genus & substantiam. Quo sensu

sensu dicit, personas diuinas esse *vnius & eiusdem generis*, non tantùm in sequenti colum. 7. ad canonem 3. 8. & 9. Orientalium, & infra, dum exponit Sardicẽsem Synodum, & in med. libri dum exponit Syrmiensem, & propius ad fin. quàm ad med. Sed etiam lib. 7. de Trinit. in med. & sæpius vsque ad finem libri: & lib. 8. col. 4. & inter med. & fin. Et lib. 9. prope med. & ferè inter med. & fin. & lib. 10. col. 2. & 3. & lib. 11. col. 4. & inter med. & finem. Augustinus sermone 190. de temp. ad fin. tanquam Synonima scribit *rationis & generis vnitatem* in diuinis personis.

16 Ambros. lib. de Filij Diuinitate cap. 7. sub init. *Vnitatem*, inquit, *generis assigno.* Quam sententiam accepisse videtur ex Nazian. orat. 49. de fide col. 3. vbi defendit, quod alibi dixerat: *Cum Patrem & Filium statuo, vnitatem assigno generis*; quod repetit inter med. & fin. Basilius homil. 28. contra Sabellianos in med. *Vnus itaque Deus, quoniam vtriusque* (Patris & Filij) *vnum genus consideratur.* Similiter *vnum genus* scribit Athanasius in quæstionibus incipientibus ab hac: *Quid est Deus* quæst. 5. & 6.

17 *Non esse tolerandum qui dixerit tria genera.* Ex quibus tandem infertur, nulla ratione tolerandum esse, qui dixerit *tria genera.* Primò quia Patrum aut Scholasticorũ nemo dixit, neque significauit. Secundò, quia dicẽs diuersa genera, videretur negare originem duarum personarum ab vna, & Filij generationẽ, iuxta modum loquendi Scripturæ & Philosophi, nuper expositũ. Tertiò, quia dicens plura genera, quantum est ex vi verborum, maiorem diuersitatem significat, quàm dicens plures species; magísque fauere videtur hæreticis asserentibus diuersitatem essentiæ, eo quod Filius & Spiritus sanctus non essent increatæ substantiæ sicut Pater.

SECTIO VI.

Vtrum sint tres formæ trium personarum.

1 *Non sunt tres formæ.* BImembri conclusione respõdeo. Absolutè loquendo, tres personæ, siue tres relationes non sunt tres formæ, sed vnica: cæterum in aliquo sensu, & cum declaratione limitante, concedi possunt tres formæ. Membrum primum probatur supponendo, quod *forma*, quando non accipitur vt est pars corporis physici, significat idẽ, quod species, essentia, natura, siue substantia, vt constat ex Aristotele 5. metaph. cap. 8. text. 15. fine.

2 Ad Græcam igitur & philosophicam proprietatem exacta fuit Apostoli sententia Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset.* Rationem autem, propter quam, *esse in forma Dei sit esse in natura Dei*, assignat S. Thomas ibi lect. 2. sub init. *Quia vnumquodque dicitur in natura generis vel speciei per suam formam.* Vnde *in diuinis esse vnicam tantum formam*, colligit S. Thomas. 1. p. q. 31. art. 2. ad 2. Quod Hilarius lib. 12. de Trinit. colum. 3. ita notat, *esse in forma Dei, non alia intelligentia est, quàm in Dei manere natura.* Sícque formæ idẽtitatem & vnitatem frequenter docet in lib. de Trin. præsertim lib. 8. inter med. & fin. & dicto lib. 12. & lib. de Synodis colum. 7. ad canon. 3. Orientalium.

3 Probationem huius significationis adiunxit Basilius lib. 1. contra Eunomium inter med. & fin. *Nam sicut formam serui suscepisse, hominis substantiam Dominum suscepisse significat: sic cum in forma Dei esse dicat, diuinæ substantiæ ipsi attestatur proprietatem.* Quod idem confirmat lib. 4. contra Eunomium sub init. & lib. de Spiritu sancto non procul à princ. & Exæmeron hom. 10. p. 2. Quibus in locis vnam esse formam, affirmat.

4 Idem docet Athanas. dialogo 1. de Sancta Trin. contra Anomæum prope fin. & disp. habita in Concil. Nicæno contra Arium propiùs ad princ. quàm ad med. & orat. 2. contra Arianos nõ longè post. med. & orat. 4. col. 5. & lib. de sententia Dionysij Alexandrini propius ad med. quàm ad fin. & orat. contra Gregales Sabellij paulo post med. & propius ad fin. quàm ad med. & tract. de diffinitionibus col. 3. & alibi frequenter. Chrysost. serm. de Trinit. inter prin. & med. & iterum circa med. Cyrillus Alex. lib. 3. thesauri cap. 1. inter prin. & med. Nyssenus orat. 1. in illud Gens. 1. *Faciamus hominem* &c. col. 2. & lib. de differentia vsiæ & hypostaseos versus fin. & orat. de Deitate Filij & Spiritus sancti circa med. Gregorius Bæticus lib. de Trinit. col. 3. & 4. & propius ad med. quàm ad princ. libri & inter med. & fin. Theodoretus in 2. dialogo *inconfusus*, paulo propius ad med. quàm ad fin. & Philipp. 2. Damascenus lib. de decretis primæ institut. cap. 1. Anastasius Patriar. Theopolitanus in expõsitione fidei prope fin. Iustinianus Imperator in edicto fidei multo propiùs ad med. quàm ad prin.

5 Eandem expositionem sequuntur Latini Patres Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. colum. 2. & epist. 47. prope med. Aug. lib. 2. contra Maximinum cap. 5. & tract. 17. in Ioan. ad fin. Vigilius lib. 2. contra Eutichen col. 3. Leo Magnus serm. 5. de natiuitate cap. 2. & 4. & epist. 97. ad Leonem August. cap. 5. circa med. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 2. propiùs ad med. quàm ad fin. & lib. 3. ad Trasimundum cap. 5. & alij Patres referendi disp. 54. sect. 6. Quibus concordant plures scholastici, docentes, non esse tres formas, sed vnam trium personarum, vt S. Thomas supra citatus, & S. Bonauentura 1. dist. 19. p. 1. art. 1. q. 1. fine.

6 *Forma pro figura substantiæ.* Confirmatur, præoccupando rationem dubitandi, quæ posset occurrere. Quoniam Dei formam idem esse quod figuram substantiæ & imaginem Dei, exponunt plerique Patres, quos referemus disp. 54. sect. 6. dicto 2. Quo sensu non est vna forma Pater & Filius, quia Pater non est imago & figura substantiæ, sed solus Filius. Nihilominus etiam in ea significatione non sunt tres, neque duæ, sed vnica forma, quæ est Filij, tanquam personalis proprietas illius; eadem autem est Patris tanquam exemplaris, quod repræsentat.

7 *Qua cõditione tolerari possint tres formæ relatiuæ.* Secundum membrum conclusionis erat, tolerari posse, qui dixerit, tres relationes esse tres formas relatiuas; dummodo expresè fateatur, absolutam & essentialem formam esse vnicam. Probatur, quoniam Basilius lib. 2. contra Eunomium propius ad finẽ quàm ad med. appellat in plurali *formas*, intelligens proprietates personales, quibus personæ distinguuntur. Gregorius verò Nyssenus lib. de differẽtia vsiæ & hypostas. ad fin. dicit: *Formam principalem Patris.* Iuxta quam acceptionem potuisset etiam dicere *Formam genitam Filij*, & *Formam procedentem Spiritus sancti.*

8 Agnellus epist. de ratione fidei post. med. (tom. 3. bibliothecæ) ait: *Apostolus duas formas æquales in Patre & Filio posuit, vt æqualitatem exprimeret, dicit enim sic de Filio: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam* &c. Hoc igitur sensu Tertullianus dixit *esse tres formâ*, vt retulimus sect. 1. argum. 2. in confirmatione. Et S. Thomas 1. dist. 25. art. 4. ad 4. concedit, esse *plures formas relatiuas.* Quem sequitur Capreolus 1. dist. 29. a. 3. prope init. Deza ibidem art. 3. notabili 1.

DISPV

DISPVTATIO XXV.

Vtrum sint tres existentiæ trium personarum, siue relationum.

SECTIO I.

Certum est Deo conuenire vnicam existentiam absolutam & essentialem.

1 *Existentiam absolutæ aliqui negant.*

VIDAM huius ætatis theologi tres existentias relatiuas ita Deo concedũt, vt propterea prorsus excludant existentiam absolutam & essentialem communẽ tribus personis. Primarium fundamentum est, quoniam existimant existentiam substantiæ nihil omnino differre à subsistẽtia. Quapropter sicut affirmant, humanitatem Christi Domini existere non humana, sed diuina existentia Verbi; sic etiã consequenter asserunt, Diuinitatem existere sola existentia relatiua personarum, quæ sit idem quod subsistentia relatiua: proptereáque Diuinitatem non existere existentia absoluta, essentiali & communi, sicut non subsistit subsistentia absoluta, essentiali & communi.

2 *Erroris nota.* Hæc doctrina, licet prima fronte videatur sola vocis æquiuocatione vel abusu laborare; cæterum rem ipsam fide certam & euidentem lumine naturæ, non parum lædit; vt propterea non immeritò erroris nota censeatur à theologis.

3 *Existentia vnica absoluta.* Sit igitur conclusio certa. Diuinitas essentialiter includit existentiam vnicam, absolutam, & communẽ tribus personis. Probatur primò, Exodi 3. *Ego sum qui sum*, ait: *Sic dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos.* Iob. 23. *Ipse solus est.* Ioan. 8. *Nisi crediderit is quia ego sum.* Ioan. 13. *Vt cum factum fuerit credatis, quia ego sum.* Apocalyp. 1. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.*

4 *Existentia significatur verbo est.* Sed vt constet vis illationis, per quam ex iis testimoniis deducitur existentia communis & absoluta: supponendum est primò apud Aristotelem nullum aliud esse Verbum, quo significetur actus existendi nisi substantiuum verbum *est*, & *esse*: ac meritò quidem, quoniam essentiæ prima & immediatissima actualitas est esse: ideóque Græcè *Vsiosis*, dicitur ab *Vsia*, quemadmodum Latinè dicimus esse ab essentia, de quo infra sect. 3. probat. 4. Supponendum est secundò, quàm plurimos Patres & expositores ex prædictis verbis potissimum Exod. 3. colligere, solum Deum esse, de cuius essentia sit esse, siue existere. Quorum testimonia retulimus disp. 8. sect. 5. non procul à princ. & referemus etiam statim.

5 *Nomẽ qui est communem existentiam denotat.* Ex quibus accipitur validum argumẽtum; quoniam illud nomen, *qui est*, maximè proprium est Dei nomen, quia significat ipsum esse, quod est existere. Vnde cum esse Dei, siue existere sit ipsa eius essentia, & hoc nulli alteri rei conueniat; consequens est, vt existentia Deo conueniat ratione essentiæ absolutè, atque communis tribus personis. Quantum sit robur istius rationis, constabit ponderanti quæ scribit Sanctus Thom. supra quæst. 13. art. 11. corpore, & quæst. 3. toto art. 4. & 4. contra gentes cap. 11.

6 Confirmatur testimoniis Patrum, qui omnes ad communem essentiam referunt illud nomen, *qui est*. Sic Nazianzenus intelligit orat. 38. de natiuit. ferè inter princ. & med. & orat. 36. quæ est 4. de theologia inter med. & fin. & orat. 42. colum. 2. num. 7. & orat. 49. de fide in med. Cuius omnia verba retulimus disput. 8. sect. 5. Athanasius contra Arianos orat. 5. sub init. *Quemadmodum*, inquit, *vnum principium, & pro eo principio Vnus Deus: ita planè ac re verâ vna est essentia & hypostasis, quæ dicit: Ego sum qui sum, & non duplex, ne duo sint principia.* Hypostasim hic posuit Athanas. pro substantia, vt notauimus disput. 23. sect. 4. Idem lib. de decretis Nicænæ Synodi multo propius ad med. quàm ad fin. *Cum dicit; Ego sum qui sum, ego sum Dominus Deus, & vbicumque dicit Scriptura, Deus, nos qui hoc vocabulum audimus, nihil aliud, nisi ipsam incomprehensibilem substantiam indicari intelligimus.* Idem repetit in epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ propiùs ad med. quàm ad fin. & epist. ad Africanos inter princ. & med.

7 Epiphanius hæres. 69. propius ad fin. quàm ad med. & hæres. 73. ante med. & post. med. Cyrillus Alex. lib. 1. dial. de Trinitate propius ad prin. quã ad med. Damascenus lib. 1. fidei cap. 12. Chrysostomus tom. 3. serm. de Trin. col. 3. Irenæus aduersus hæres. lib. 4. cap. 6. ante med. S. Martialis cognomento Apostolus epist. 1. ad Burdegalens. cap. 10. in med. Prædicti omnes ad communem essentiam referunt illud nomen, *qui est*.

8 Similiter etiam Patres Latini. Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum c. 9. circa med. & post med. & lib. 5. de fide cap. 2. inter prin. & med. sed magis ex professo lib. 3. de fide cap. 7. in med. Hilarius 1. de Trinit. non procul à principio & lib. 9. de Trin. multo propius ad med. quàm ad princip. & lib. 12. multo propius ad med. quàm ad prin. Augustinus 5. de Trin. cap. 2. & lib. 6. cap. 4. & lib. 7. cap. 1. & 5. & lib. 12. de ciuit. cap. 2. & tract. 38. in Ioannem ad illud cap. 8. *Nisi crediderit is, quia ego sum.* Hieronymus epist. 57. ad Damasum & Ephes. 3. ad illud *ex quo omnis paternitas.* Gregorius homil. 2. in Ezech. prope fin. & 16. moral. cap. 16. fine ad illud Iob 23. *Ipse solus est.* & lib. 18. cap. 27. & in 5. Psalm. pænitent. ad illud: *Tu autem idem ipse es.* & lib. 1. regum cap. 2. colum. 3. ad illud Annæ: *Non est alius extra te.* Anselmus in prosologio cap. 22. Bernard. lib. 5. de considerat. ad Eugen. prope med. Agnellus epist. ad Armenium contra Arianos init. tomo 3. bibliot.

9 Prædicti doctores licet in aliis non nihil discrepent, in eo tamen omnes conueniunt, quod actualiter esse, siue existere semper & immutabiliter assignant, vt perfectionem essentialem Diuinitatis, & communem Patri, Filio & Spiritui sancto.

10 *Attributa quædam existentiã includunt peculiari ratione.* Vnde secunda probatio nascitur, quoniam aliqua attributa Dei, licet infimo distinctionis modo secundum rationem differant ab existentia; illam tamen essentialiter includunt peculiari ratione (vltra mutuam inclusionem omnibus attributis communem) sed attributa omnia sunt essentialia & absoluta: communiáque tribus personis, vt vidimus disp. 22. sect. 5. fine. Ergo etiam existentia est essentialis & absoluta, communísque tribus personis. Consequentia probatur, quia de quidditate perfectionis absolutæ & essentialis non potest esse aliquid relatiuum & notionale; siquidem hoc impediret, vt illud essentiale communicaretur tribus personis; vt dicemus etiam sect. sequenti. Ergo quidquid est de quidditate alicuius attributi absoluti & essentialis, est etiam absolutum & essentiale.

11 *Immutabilitas & immortalitas.* Confirmatur descendendo ad aliqua attributa in particulari. Atque imprimis immutabilitas &

& immortalitas est attributum essentiale conueniens tribus personis, quia licet afferat negationem potentiæ mutationis & mortis; supponit tamen, quidditatiuè Deum esse purum actum absque permixtione potentiæ. Qua ratione quidditatiuè comprehendit plenitudinem totius esse, vt propterea nihil ei restet acquirendum per mutationem, nihilque possit amittere, vt sapienter ratiocinatur S. Thomas 1. p. q. 9. art. 1. In hoc igitur attributo primariò & quidditatiuè clauditur existere, superaddita necessitate omnimoda semper existendi eodem modo.

12 *Immensitas.* Secundò immensitas est Deum vbique præsentem adesse, siue existere. Vnde manifestum est, existentiam esse de quidditate immensitatis. Est autem vnica immensitas Dei iuxta symbolum Athanasij: *Non tres increati, nec tres immensi.* Ergo vnica est existentia essentialis & absoluta communis tribus personis. Tertiò, ex eodem principio constat, idem probari posse per attributum innascibilitatis, prout solummodo significat, non posse diuinam essentiam creari, neque produci ab alia causa. Hæc enim perfectio communis est tribus personis & quidditatiuè claudit à se ipso & non ab alio habere suam existentiam. Quartò, æternitas etiam consequitur immutabilitatem, & in eo consistit, quod totum esse Dei simul & indiuisibiliter existat, absque vlla partium successione, proptereáque sine principio & fine existendi, de quo S. Thomas supra tota quæst. 10.

13 *Vita.* Quintò *viuere viuentibus est esse*, vt Aristoteles docuit 2. de anima text. 37. & S. Thom. supra quæst. 18. art. 2. Sed vita est essentialis, absoluta & communis tribus personis. Ergo esse, siue existere est essentiale, absolutum & commune tribus personis. Minor probatur Ioan. 1. *In ipso vita erat.* Et cap. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Et cap. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Confirmatur, nam in festo sanctissimæ Trinitatis canit Ecclesia: *Te semper idem esse, viuere, & intelligere profitemur.* Ergo sicut viuere & intelligere non multiplicatur in personis, ita nec esse siue existere.

SECTIO II.

Aliæ rationes, probantes eandem existentiam absolutam, essentialem & communem.

1 PRima sit, quia diuinus intellectus, voluntas, potentia, & quæcumque perfectiones absolutæ comprehenduntur in ipso esse Dei, & per illud probantur, quasi per rationem à priori. Ergo esse Dei est perfectio essentialis, absoluta & communis. Consequentia probatur, quia quælibet perfectio relatiua & notionalis est secundum rationem posterior, & quasi procedens à perfectione absoluta, sicut à radice: quemadmodum relationes diuinæ intelliguntur procedere ab essentia diuina. Ergo non potest esse perfectio relatiua & notionalis, sed debet esse perfectio absoluta & essentialis illud ipsum esse Dei, quod est ratio prior omnium perfectionum essentialium.

2 Confirmatur eadem consequentia, quia relatiuæ perfectiones Filij, & Spiritus sancti, quidditatiuè supponunt intellectionem & volitionem diuinam, per quas procedunt; sed intellectio & volitio supponit existentiam Dei. Ergo perfectiones relatiuæ Filij & Spiritus sancti necessariò supponunt existentiam priorem & communem. Rursus relatio Patris est simul natura & cognitione cum relatione Filij: siquidem impossibile est intelligere Patrem actualiter esse, nisi actualiter existente Filio. Ergo similiter perfectio relatiua Patris supponit quasi ratione priorem existentiam & intellectionem Dei.

3 *Optima ratio probãdi quãlibet perfectionem Dei, est, quia Deus est totũ quod est esse, non admixto non esse.* Antecedens, initio positum, probatur, quoniam optima ratio probandi quasi à priori, Deum esse actualiter intelligentem, hæc est; quia melius est esse intelligentem, quàm non esse; & quia esse actualiter intelligentem non habet admixtum aliquod non esse; vnde prouenit, esse perfectionem simpliciter simplicem, quæ, videlicet, non habeat admixtam imperfectionem. Sicut enim ratio entis est prior quam ratio boni, siue perfecti: sic etiam esse, non habens admixtum non esse, prius est, quàm perfectio, non habens admixtam imperfectionem. Idem autem quod de intellectione diximus, verificatur etiam in volitione, potentia & quibuscumque perfectionibus absolutis. Omnes igitur perfectiones absolutæ comprehenduntur in ipso esse Dei, & per illud probantur quasi à priori.

4 Confirmatur, ideo namque Patres obseruant, Deum esse pelagus comprehendens totum esse; atque in hoc consistere maximam excellentiam Deitatis illius propriissimam: quoniam esse Dei continet omnes perfectiones, quarum esse non habet admixtum non esse. Huius doctrinæ nonnulla testimonia Nazianzeni, Damasceni, Hilarij & Bernardi retulimus disput. 8. sect. 5. Nunc sufficiat recolere illud Dionys. de diuin. nomin. inter princ. & med. *Deus non quodammodo est, sed absolutè & liberè, sine vllo termino, vniuerso illo, quod est esse, in se comprehenso & occupato.*

5 *Existere est quidditatiue Deitatis.* Secunda ratio, quia nihil notionale seu relatiuum est de quidditate Deitatis vel essentiæ diuinæ. Sed existere vel actu esse est de quidditate Deitatis vel essentiæ diuinæ. Ergo existere, vèl actu esse non est notionale & relatiuum; quapropter absolutum erit. Maior probata est tota disp. 14. & breuis illius ratio est, quodlibet enim notionale seu relatiuum est proprium vnius personæ; proindéque incommunicabile cæteris duabus. Quapropter quodcumque prædicatum foret de quidditate Deitatis, redderet illam vnius personæ propriam & incommunicabilem aliis duabus personis.

6 Minorem probat S. Thomas, & omnes eius expositores supra quæst. 3. art. 4. nunc autem breuiter declaratur, quia contradictionem implicat diuinam essentiam actu non existere. Ergo in ipsa diuina essentia quidditatiuè continetur actu existere. Hoc enim est contradictorium non existendi, sine quo non implicaret contradictionem, diuinam essentiam actu non existere. Quod idem fit euidentius ex disparitate cuiuslibet essentiæ creatæ, cum qua nullam contradictionem implicat non existere, sed absolutè est possibile non existere, quia de essentia illius non est existere.

7 Confirmatur, quia licet erraret aliquis, existimans, existentiam non esse de quidditate diuinæ essentiæ; adhuc existentia diuina deberet essentiæ diuinæ correspondere, tanquam immediatus actus illius: ideóque foret absoluta perfectio communis tribus personis, sicut actualiter esse Deum, est absoluta perfectio communis tribus personis. Antecedens probatur, quoniam vt inquit S. Thomas supra quæst. 3. art. 4. corpor. post med. *Esse est actualitas omnis formæ vel naturæ: non enim bonitas vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus*

camus eam esse: oportet igitur, quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam.

8 *Occasio erroris contrarij.*

Tertia ratio remouet occasionem erroris contrariæ sententiæ, cuius authores propterea cuilibet substantiæ nullam aliam existentiam concedunt, nisi subsistentiam: quoniam actualitatem essentiæ, quæ verè est existentia, nolunt, aut nesciunt ab essentia distinguere. Vnde prouenit, vt nomen existentiæ transferant ad aliam posteriorem formalitatem. At verò actualitatem essentiæ, quæ formalissimè est existentia, ratione atque conceptu distinctam esse ab essentia, probatum est in metaphysica. Summa verò probationis vires exerit comparatione creaturarum. Nam in creaturis omnes propositiones, essentiam affirmantes, sunt perpetuæ veritatis, simpliciter necessariæ, & abstrahentes à tempore: quemadmodum hæc, homo est rationalis. Sed è contrario propositiones affirmantes existentiam, sunt omnino contingentes, & non perpetuæ veritatis; vt hæc, homo existit, vel, homo creatur. Ergo illarum propositionum conceptus sunt absolutè distincti. *Distinguitur existentia ab essentia.*

9

Confirmatur, quia magna distinctio est illorum conceptuum, quorum vnus potest esse falsus, alio manente vero: sic autem conceptus, affirmans existentiam alicuius creaturæ, potest esse falsus, ea creatura non existente; cum tamen verus permaneat conceptus, affirmans essentiam eiusdem creaturæ.

10 *Etiæ in Deo existētia distinguitur ab essentia.*

Rursus ex prædicta distinctione, quæ demonstratur in creaturis, efficaciter colligitur, etiam diuinam existentiam ratione formali & conceptu distinctam esse ab essentia diuina. Tum, quoniam diuinas perfectiones intelligimus, atque ratione distinguimus ad instar formalitatum, quas prius in creaturis intelleximus. Tum etiam, quoniam quæcumque attributa, licet quidditatiuè & implicitè contineantur in essentia diuina; nihilominus ab illa distinguuntur infimo gradu rationis ratiocinatæ, quatenus attributa singula distinctè & explicitè dicunt aliquid, quod essentia non dicit distinctè & explicitè; vt vidimus disput. 12. in prioribus *sectionibus*. At verò existentia diuina explicitè dicit actualitatem essendi, quam non dicit explicitè essentia diuina. Ergo quamuis existentia quidditatiuè contineatur in essentia diuina, adhuc erit formalitas ratione distincta ab essentia.

11 *Dilemma.*

Quartò, ex præcedenti ratione dilemma conficitur, interrogando authores, qui nullam aliam formalitatem existentiæ concedunt in substantia, nisi subsistentiam: vtrum actualitas essendi sit in Deo formalitas prorsus eadem, quæ Dei essentia, vel sit formalitas aliquo modo distincta ab essentia diuina. Si dicant, actualitatem essendi non solum re, sed etiam ratione prorsus eandem formalitatem esse; iam subsistentiæ tribuunt nomen inane, sine re significata, quando dicunt, existentiam esse prorsus idem quod subsistentia, & non rem sed solum nomen negant, quando negant existentiam absolutam, essentialem & communem. Denique in præcedenti ratione satis impugnata manet omnimoda identitas formalitatis essentiæ & existentiæ diuinæ.

12

Si verò dicant, actualitatem essendi ratione ratiocinata distingui ab essentia diuina, saltem infimo gradu distinctionis; consequens erit, vt non vacuum nomen, sed realem formalitatem existentiæ confundant cum subsistentia, quando dicunt in substantia diuina non esse aliam existentiam, nisi subsistentiam relatiuam & incommunicabilem. Hoc autem esse falsum, probatur; nam subsistentia est idem, quod terminus constituens suppositum vltimò terminatum, ita vt vlterius terminari nequeat per aliam subsistentiam, & consequenter sit incommunicabile alteri supposito, vt ex communi Patrum consensu videbimus disp. 34. sect. 5. & sequentibus. Existentia verò est actualitas essendi præcisè atque formaliter, vnde prouenit, vt existentiæ, quod ex se est, non repugnet communicari multis suppositis, quia non dicit vltimum terminum naturæ. Ergo existentia est formalitas distincta à subsistentia, & non est ens relatiuum & notionale: siquidem omne relatiuum affert repugnantiam communicationis cum opposito correlatiuo. Vnde præterea infertur, esse formalitatem essentialem, absolutam & communem tribus personis.

13

Quinta ratio, quia in Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio: sed in hac formalitate, quæ est actualiter esse Deum, nulla obuiat relationis oppositio; quæ tamen obuiat in subsistentia, quia non subsistunt personæ, nisi per formalitates, quibus redduntur incommunicabiles. Ergo existentia est vna & communis tribus personis, & distincta à subsistentia personali.

14

Postremò idem probatur ex Patribus, referendis sect. sequenti, qui vnam subsistentiam communem affirmant, eo nomine existentiam intelligentes.

SECTIO III.

Qui tres existentias negant, melius consonant aliis dogmatibus Trinitatis.

1

PRæcipuæ difficultati, titulo disputationis propositæ, directè respondet duæ sententiæ scholasticorum. Alij namque licet agnoscant vnicam existentiam, absolutam, essentialem & communem tribus personis, addunt insuper tres alias existentias relatiuas, quos referemus sect. 5. non procul à princip. Veruntamen illi vix aliter, quàm modo loquendi recedunt à communiori sententia; atque modus ille nec reprehensione, nec vlla nota dignus est; quamuis modus loquendi negantium tres existentias relatiuas, tutior sit, aptior & congruentior rerum *naturis*, & verbis antiquorum Patrum & scholasticorum, aliisque dogmatibus, quæ probata sunt præcedentibus disputationibus.

2 *Non tres existentiæ sed vnica tantum.*

Sit igitur conclusio. Absolutè dicendum est, Deo non conuenire plures existentias, sed vnicam tantum, & vnicum esse: quamuis Deus habeat tres modos existendi, hoc est, tres proprietates relatiuas. Ita Capreolus 1. dist. 33. quæst. vnic. art. 3. ad 5. & 3. sentent. dist. 1. q. 1. art. 2. ad 2. contra secundam conclusionem. Caietanus 1. p. q. 28. art. 2. colum. 1. §. *corollarium est.*

3

Veruntamen ij Doctores parum authoritatis huic sententiæ conferunt, quoniam procedunt ex improbabili fundamento, quod diuinæ relationes, secundum formalem rationem *esse ad*, non sint entia realia, vt vidimus disput. 9. sect. 1. Cæterum Deza verè docet præsentem conclusionem, quoniam refutat hoc fundamentum Capreoli & Caietani, concedens realitatem relationibus diuinis, secundum formalem rationem relationis diuinæ; nihilominus ait, non esse aliud esse relationis ab esse essentiæ diuinæ, sed est omnino idem

idem esse re & ratione, loquendo de esse, quod est actus essendi. Ita loquitur 1. distinct. 33. quæst. 1. artic. 3. notab. 4. & distinct. 29. quæst. vnica art. 3. notab. 1.

4

Citatur pro eadem sententia Torres dicta q. 28. artic. 3. disput. 3. par. 2. vbi nihil expressè docuit; fauet tamen huic conclusioni, quatenus defendit, esse vnicum ens & vnicam essentiam trium relationum. Interim tamen in quodam secundo argumento videtur concedere diuersa *esse* relationum & essentiæ. Expressè tamen & ex professo præsentem assertionem probat Vazquez 1. part. disput. 126. cap. 2. & 3.

5

Probatur primò, quoniam August. 7. de Trinit. cap. 4. prope fin. probat, *Non esse aliud Deo esse, aliud subsistere.* Vnde sequent. cap. 5. fine: *Hoc est,* inquit, *Deo esse quod subsistere.* Et cap. 6. init. *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse.* Atque ex toto eius contextu constat apertè, mentem esse negandi *tria esse*; nam ad hoc probandum insistit in illo principio, quod esse non est in Deo relatiuum, sed absolutum; sicut essentia, quæ dicitur ab esse. Obiter obseruandum est, Augustinum ibi verbum *subsistere* accepisse pro *substantialiter esse*; vt dicemus disput. 34. sect. 8.

6

Consonat Anselmus in monologio cap. 43. fine. cum de Patre & Filio sic loquitur: Quoniam vtrique non aliud est habere essentiam, quàm essentiam esse; sicut habet alter alterius essentiam, ita est alter alterius essentia, id est, idem esse est alteri quod alteri. Et paulo superius tanquam falsum & inconueniens infert, quod non *erit idem esse Patris & Filij.* Confirmatur, nam ad matutinum festi sanctissimæ Trinitatis canit Ecclesia: *Te semper idem esse, viuere & intelligere profitemur.* Esse autem communiter significat existere, vt vidimus sect. 1.

7 *Vsiosis.*

Probatur secundò, nam Boëtius lib. de duabus naturis propiùs ad med. quàm ad princ. quamuis asseruerit *Vsiosin*, esse idem, quod substantia: cæterum contextus manifestè subsistentiam accipit pro substantiali esse, prout condistinguitur à supposito & persona, quod accidentibus, vt possit esse, non indiget. Vnde subiungit: *Dicimus vnam esse Vsiam, vel Vsiosin, id est essentiam, vel subsistentiam Deitatis, sed tres hypostases, id est tres substantias.* Ex quo posteriori membro constat, negare Boëtium tres Vsioses, quas ille semper interpretatur subsistentias iuxta sensum nuper explicatum. Nam si nomine subsistentiæ intelligeret suppositalitatem aut personalitatem, non posset negare tres subsistentias.

8

Consonat idem Boëtius in comment. prædicamentor. dicens: hypostasim appellari materiam, sed Vsiosin, id est, subsistentiam vocari formam: *Quia materia est principium substandi, & forma est principium subsistendi.* Vt exponit S. Thomas 1. p. quæst. 29. art. 2. fine. & in 1. distinct. 23. q. 1. art. 1. Necnon dissimiliter Albertus 1. p. q. 43. memb. 1. D. Bonauentura 1. distinct. 23. art. 2. quæst. 1. Clarius autem explicuit Alexander 1. part. quæst. 57. memb. 3. à medio.

9 *Sub nomine subsistentiæ negant tres existentias.*

Probatur tertiò, quoniam Nyssenus, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Anselmus & alij, concedunt alicubi subsistentiam vnam trium personarum, ibidémque negant tres subsistentias relatiuas. Ergo re ipsa sub nomine subsistentiæ negare intendunt tres existentias, & concedere tantum vnicam existentiam. Horum Patrum testimonia referemus disput. 34. sect. 8. & 9. Quartò, quia Hieronymus epist. 57. ad Damasum. *Vna est,* inquit, *Dei & sola natura, quæ vera est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est.*

10

Quintò videtur ex Euangelio colligi, iuxta communem Patrum expositionem ad primum cap. Ioannis, nam illud verbum *erat,* toties repetitum intelligunt significare sempiternam existentiam Filij absque principio; atque inde conuincunt esse sacrilegas Arianorum voces, dicentium: *Erat, quando non erat Filius.* De quo fusiùs quàm alij Athanas. orat. 2. contra Arianos fere à princip. *Erat in Euangelio Ioannis, significat* existentiam.

11

Quo supposito, Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de Theologia non longè à princip. num. 8. *Erat,* inquit, *lux vera, quæ dum Pater. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Filius. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, alius Paracletus. Erat, & erat, & erat, sed vnum erat. Lux, & lux, & lux; sed lux vna, Deus vnus.* Ergo quemadmodum Pater Filius & Spiritus sanctus ita sunt vnus Deus, vt non sint tres Dij, atque ita sunt vna lux, vt propriè loquendo non sint tres luces, infra disput. 27. sect. 6. & 7. Sic etiam ita sunt vnum *erat,* id est vnica existentia sempiterna, vt non sint tria *erat,* id est, tres existentiæ sempiternæ.

12 *Essentia dicitur ab esse.*

Sextò probatur, quia tres personæ propterea dicuntur esse vnius essentiæ, quoniam habent vnicum esse: nam *essentia* dicitur ab *esse*, vt Augustinus docuit lib. 7. de Trinitat. cap. 5. Athanas. Ambrosius, & Boëtius citati disput. 20. sect. 5. sub init. Quam Augustini sententiam recipiunt Magister & cæteri Scholastici 1. distinct. 8. cap. *Vnde nec.* Atque ita ratiocinatur S. Thomas infra quæst. 39. art. 2. ad 2. inde probans personas esse vnius essentiæ. Et supra quæst. 27. art. 2. ad 3. dixerat, quod Filius *procedens ab alio, habet esse diuinum, non quasi aliud ab esse diuino existens. In ipsa enim perfectione diuini esse continetur & verbum intelligibiliter procedens, & principium verbi.* Et quæst. 30. art. 4. ad 3. *Personæ diuinæ habent vnum esse.* Quod idem repetit quæst. 42. art. 4. ad 3. & 3. part. quæst. 17. art. 2. ad 3. & de potentia quæst. 2. art. 6. & quæst. 8. art. 2. ad 11. *In diuinis,* inquit, *nullo modo est esse, nisi essentiæ, sicut neque intelligere, nisi intellectus. Et propter hoc sicut in Deo est tantum vnum intelligere, ita etiam vnum esse. Et ideo nullo modo concedendum est, quod aliud sit esse relationis in diuinis, & aliud essentiæ.* Supradictis consonat Alexand. 1. part. quæst. 49. memb. 1. artic. 2. Carthus. in 1. distinct. 2. quæst. 5. prope fin. cum S. Thom. & quæst. 7. prope med. cum Ægidio docet, quod trium personarum non plura, sed vnicum est *esse.* Commentator Boëtij in librum de Trinitate apud Bedam tom. 8. colum. penult. commentarij ait: *Quoniam tribus personis vnum est esse, ideo vnius Vsiæ esse dicuntur.*

13 *Cõgruentior acceptio existentiæ.*

Vnde sumitur septima probatio, quoniam *existentia* frequentiùs & congruentiùs ad rerum naturas accipitur pro actualitate illius essentiæ, quæ simpliciter & communiter à theologis & philosophis appellatur essentia; quia non est tanquam modus alterius essentiæ, quasi prioris, sed est substantia & essentia, quasi prior & radix modorum. Ergo modus existendi per se & incommunicabiliter propter relationem originis, non addit naturæ diuinæ diuersam existentiam. Vnde præterea infertur, tres personas diuinas non esse tres existentias: sunt enim tres modi existendi per se & incommunicabiliter, vt probatum est disputat. 12. sect. 5. Substantia verò absoluta est simpliciter essentia, quasi prior radix modorum.

14 Confirmatur primò, quia Iustinus in expositione fidei de Trinit. non procul à princip. dicit: *subsistentias & essendi modos*, videlicet, in numero plurali. Idémque quæst. 129. ad orthodoxos: *Modos essentiæ* appellat. Ergo existimat esse modos vnius esse, sicut sunt modi vnius essentiæ. Itaque non concedit *plura esse*.

15 *Modos essendi & existendi appellant Patres.* Confirmatur secundò, quia plerique alij Patres notionales proprietates appellant modos essendi, vel dicunt significare, quomodo esse habeat substantia Dei. Vt Basil. lib. 5. contra Eunomium, Nyssenus lib. ad Ablabium, *quod non tres dij*. Nazianzenus orat. 29. Cyrillus dialog. de Trinitat. lib. 2. Anastasius Synaita lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus. Quorum testimonia retulimus disp. 12. sect. 5. Peculiariter autem hanc rationem confirmant Cyrillus Alexand. dialog. de Trinitat. lib. 7. prope med. vbi docet, nomina Patris, Filij & Spiritus sancti *bene significare quis modus existentiæ singulorum nominatorum à nobis intelligatur*. Perpende non dixisse *quæ existentiæ*, *sed quis modus existentiæ*.

16 Similiter Damascenus lib. 1. fidei cap. 11. prope med. dicit, secundum *existentiæ modum* differentiam intelligi; quamuis in cap. 9. & cap. 13. dicat, *modos subsistendi*, vbi *subsistendi* verbum pro existentia videtur accipere. Idem lib. 3. fidei cap. 5. non longè à princip. *Hypostasis suam proprietatem, id est, existentiæ modum differentem possidet*. Sic etiam Ricardus Victorinus lib. 4. de Trinit. c. 19. & cap. 24. init. & lib. 5. cap. 5. & 6. appellat *modos existendi*, vel *existentiæ*. Eadem phrasi loquuntur cum Ricardo Albertus, Alexander & Bonaventura citati probat. 2. fine, & alij Scholastici.

17 *Natura humana Christi D. eandem existentiam habuit separata.* Confirmatur tertiò, quia natura humana, diuino Verbo vnita, dicitur habere eandem existentiam, quam haberet separata à Verbo; licet habeat diuersam subsistentiam, videlicet, diuinam; nec propterea natura humana dicitur habere duas existentias. Ergo non appellatur existentia, nisi sola actualitas naturæ: at verò actualitas modi non appellatur existentia. Confirmatur quartò, quia quantitas Eucharistiæ dicitur habere eandem existentiam, quam habebat prius, vnita substantiæ panis; & non habere nouam existentiam, postquam est separata; quamuis habeat modum existendi realiter diuersum. Ergo nomen existentiæ non tribuitur modo existendi, sed tantum rei, quæ tali modo existit.

18 *Angelus non habet duas existentias.* Confirmatur quintò, nam Angelus non dicitur habere duas existentias, alteram naturæ, alteram suppositalitatis. Ergo suppositalitas non numeratur quasi existentia, sed quasi modus existendi. Ex quibus tandem efficitur, quod licet omnis modus propriam actualitatem habeat, suæ peculiari quidditati correspondentem, quæ posset appellari propria existentia modi, vt videbimus sect. 5. nihilominus nec ita consueuit appellari, nec talis appellatio congruenter responderet appellationi essentiæ, nec distinctioni modorum à rebus modificatis.

SECTIO IV.

Neque cum addito concedendæ sunt tres existentiæ relatiuæ, siue personales.

1 HÆc assertio est explicatio & corroboratio assertionis probatæ in sect. præcedenti; cui tres alias probationes adiungimus. Prima, quia ferè nusquam apud antiquos Patres reperimus existentias plures, aut plura *esse*, accipiendo hæc nomina in ea significatione, quam communiter habent in scholasticis quæstionibus theologorum, & philosophorum, quam explicuimus in præcedentibus sectionibus. Et quamuis vnus, aut alter asseruerit existentias personarum proprias, tunc etiam eo nomine non intellexerunt actualitatem quidditatis, prout à quidditate distinguitur, & est existentia quam in præsenti tractamus; sed potius intellexerunt communem rationem quidditatis substantialis, quæ potest abstrahi ab essentia absoluta & quidditate relatiua.

2 Hunc sensum clariùs explicuit Ricardus Victorinus statim referendus: si prius attulerimus Cyrillum Alexand. qui licet minus explicuerit suam mentem, potest tamen eodem sensu congruenter accipi. Cyrillus itaque dialog. de Trinit. lib. 1. inter princip. & med. de Patre & Filio ait: *Quum vterque sit, ac subsistat, propriamq; habeye dicatur existentiam.* Idem lib. 2. dialog. multo propius ad princip. quàm ad med. notat, conuenientissima fuisse nomina, quibus tres personas Christus Dominus significauit, *distinctissimè nobis constituentia vniuscuiusque significati propriam existentiam.* Et sequenti lib. 2. colum. 5. *Manifestam*, inquit, *& inconfusam trium subsistentiarum in propriis existentijs proprietatem seruens.* Vbi non possumus *existentiam* accipere pro *subsistentia*. Foret enim absurdum si dixisset Cyrillus *trium subsistentiarum in propriis subsistentijs proprietatem*. Præterea nec existentiam congruenter accipiemus pro actualitate, quam significat apud Scholasticos: nam sub huiusmodi acceptione existentia non constituit, nec distinguit personas. Cyrillus autem citatus agit de proprietate constitutiua & distinctiua personarum. Quapropter existentiarum nomine debemus intelligere quidditates substantiales siue relatiuas & personales tantùm, siue rationem communem quidditatis substantialis, abstrahendo ab absoluta & relatiua quidditate. Nihil enim prohibet, ita Cyrillum intelligere.

3 *Acceptio existentiæ pro quidditate.* Veruntamen vniuersalem hanc acceptionem existentiæ pro quidditate, prout dicit aut non dicit respectum originis, conuenítque non solum essentiæ absolutæ, sed etiam quidditatibus relatiuis, manifestè docuit Ricardus Victorinus toto ferè lib. 4. de Trinit. Imprimis enim euidens est, quod existentiæ nomine significauerit aliquid commune non solum personalitatibus, sed etiam essentiæ absolutæ: siquidem lib. 4. cap. 16. ante med. *In diuina*, inquit, *proculdubio natura est existentia, quæ est pluribus communis, & est ibi existentia, quæ omnino est incommunicabilis.* Et post med. eiusdem cap. *Sciendum est, quod existentia designat substantiale esse, sed aliquando quod sit ex communi, aliquando quod sit ex incommunicabili proprietate. Communem autem existentiam dicimus, vbi intelligitur esse habens ex proprietate communi. Incommunicabilem verò, vbi intelligitur esse habens ex proprietate incommunicabili.* Quod postquam explicuit & confirmauit in eo & sequenti cap. concludit in fine cap. 17. *Oportet vt sit incommunicabilis existentia, cui est incommunicabilis differentia. Quot igitur in Diuinitate personæ, tot incommunicabiles existentiæ.*

4 *Existentiæ acceptio denotans processionem.* Pro cuius declaratione notandum est, apud Ricardum dicto lib. 4. existere nihil aliud esse, quàm *ex aliquo sistere*, vt notat cap. 12. declarans, significari originem, per quam habeatur esse, vel negationem

tionem originis, ratione cuius aliquid habeat à se ipso & non ab alio. Quam negationem magis explicat cap. 15. 16. & 19. & cap. 23. Propterea que dicit, Patrem existere, atque communem essentiam Deitatis existere, quoniam à se ipsis habent esse, & non ab alio per originem. Et dicto cap. 19. & 23. dicit, eadem præpositione, *ex*, denotari proprietatem, qua vnum singulare separatur ex aliis omnibus, atque diuiditur, ideóque constituitur indiuiduum.

5 Secundò, Ricardum existentiæ nomine non intellexisse actualitatem, vt condistinguitur à quidditate, sed intellexisse quidditatem ipsam siue absolutam, siue relatiuam, probatur primò. Nam dicto cap. 16. prope med. *Existentiam*, inquit, *demonstratum est superius substantiam significare, non tamen simpliciter, sed cum proprietatis alicuius denotatione, quæ pertineat ad considerationem originalis causæ.*

6 Deinde probatur, nam actualitas, vt condistinguitur à quidditate, non est quasi genus ponendum in definitione personæ: proprius enim ponendum erit quidditatiuum aliquod prædicatum abstrahens à quidditate absoluta & relatiua. Porro Ricardus in definitione personæ ad instar generis constituit existentiam, & ad huiusmodi definitionem corroborandam dirigit quæcumque de existentia disserit à cap. 12. vsque ad 23.

7 Denique notandum quod in eodem lib. 4. c. 24. init. *Fortassis*, inquit, *erit planius, & ad intelligendum expeditius, si dicimus, quod persona sit existens per se solum iuxta singularem quendam rationalis existentiæ modum.* Quapropter Ricardo magis placet appellari *modum existentiæ*, quàm existentiam. Quemadmodum etiam cap. 19. ante med. dixerat, esse *diuersum modum existendi*.

8 *Explicatur Ioannes in Concilio Florentino.* Eisdem rationibus probari potest *existentiam* pro quidditate substantiali fuisse vsurpatam à Ioanne Latinorum nomine in Concil. Florentino sessione 19. non longè post med. §. *quoniam.* & sequenti §. *in genere*. Vbi quando addit *incommunicabilis*, vel ex contextu significat esse supplendum; tunc pro persona, siue hypostasi accipit existentiam. Sed in his non oportet amplius immorari.

9 *Existentia adæquatur essentiæ.* Secunda probatio principalis est, quoniam existentia correspondet essentiæ, tanquam actualitas illius propria & adæquata. Ergo quicumque concedit tres existentias relatiuas, supponit, esse tres essentias relatiuas. Sed non sunt concedendæ tres essentiæ relatiuæ, vt vidimus disputat. 24. præsertim sect. 2. & 3. Ergo minus congruens erit concedere tres existentias relatiuas: Confirmatur, quia si concedas tres existentias relatiuas; viam aperies concedendi tres existentias sine addito, abstrahendo communem rationem existentiæ à relatiuo & absoluto: siquidem multiplicato inferiori, multiplicatur superius. At verò minus conueniens est concedere tres existentias absque vllo addito.

10 *Alia inconuenientia.* Probatur tertiò, quia si darentur tres existentiæ relatiuæ; darentur tres æternitates relatiuæ, & tres immensitates relatiuæ. Hoc autem esset minus conueniens, & minus consonum Ecclesiasticæ doctrinæ: vt videbimus disput. 27. sect. 1. & 2.

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO V.

Sine vlla nota vel reprehensione licebit concedere tres existentias relatiuas.

1 *Quid si nomen nõ fuisset restrictũ.* PRo declaratione notandum est primò. Si nomen essentiæ & existentiæ non fuisset à doctoribus restrictum, vt propriè diceretur tantummodo de rebus, prout condistinguuntur à modis; sed fuisset extensum essentiæ nomen, vt comprehenderet etiam quidditates modorum: similitérque nomen existentiæ fuisset ampliatum, vt comprehenderet omnem actualitatem cuiusque quidditatis etiam modorum: in eo casu propriè atque congruenter dicerentur tres existentiæ, sicut tres essentiæ. Verum aliter se habet vsus theologorum, nec sine fundamento rationis; ideóque minus propriè, minúsque congruenter dicuntur tres existentiæ; quamuis addatur limitatio ad relatiuas, vt probatum est sect. 3. & 4. Nam simpliciter & sine addito dicere tres existentias, magis suspectum erit, & reprehensione dignum; vt constat ex sect. 3.

2 *Per relatiuas existentias nõ existit formaliter essentia absoluta.* Secundò notandum est, quando conceduntur tres existentiæ relatiuæ, non eo sensu concedi, quasi per illas existat Diuinitas siue essentia absoluta Dei. Quemadmodum subsistit, & suppositatur per relatiuas subsistentias & suppositalitates: hoc enim esset valde absurdum, quoniam in essentia diuina quidditatiuè clauditur existentia absoluta & communis tribus personis, vt probatum est sect. 1. & 2. Sensus igitur legitimus & verus est, relatiuas existentias esse rationes formales, per quas diuinæ suppositalitates, personalitates siue relationes actualiter sunt.

3 His suppositis, nulla nota vel reprehensione dignum esse theologum, qui concesserit tres existentias relatiuas, probatur primò, quoniam de diuersa & inferiori existentia, sub hoc ipso nomine, non fuit in Ecclesia cum hæreticis bellum adeo periculosum, sicut de diuersa & inferiori essentia; imò nullibi concilia, & Patres reperiuntur, expressè refutasse plures existentias sub nomine existentiæ; quamuis refutent expressè plures essentias. Quin potius è contrario Cyrillus & Ricardus sect. præcedenti citati, dixêre personarum existentias in numero plurali, qui licet non intenderint significare actualitates personarum, de quibus in præsenti disserimus; cæterum his vocibus vsos fuisse, videtur sufficere, vt illæ sint tolerandæ.

Patres nõ refutant plures existentias, sicut plures essentias.

4 Præsertim, quoniam eundem loquendi modum imitati sunt Ioannes Theologus in Concilio Florentino, quem retulimus sect. præced. Albertus 1. p. q. 44. memb. 2. dum defendit secundam definitionem Ricardi. Alexander 1. p. q. 44. corp. & ad 5. rationem, & q. 49. memb. 2. D. Bonauent. 1. dist. 25. art. 1. q. 2. fine. Vbi Ricard. de Mediauilla artic. 1. q. 2. corpor. Henricus in summa art. 53. q. 1. prope fin. & alij Scholastici, recipientes vt bonam definitionem Ricardi, iuxta quam *Persona est rationalis naturæ incommunicabilis existentia.*

5 *Tres existentias relatiuas concedunt recentiores.* Probatur secundò, nam huius ætatis graues authores apertè concedunt tres existentias relatiuas post accuratum examen. Vt Suarez 3. part. tom. 1. disp. 11. sect. 2. & 1. p. lib. 3. de Trinit. cap. 5. & lib. 5. cap. 2. fine. Zumel 1. p. quæst. 28. art. 2. sua quæst. 4. concl. 1. Medina 3. p. q. 17. art. 2. dubio 3. & quidam alij recentiores. Eiusdem sententiæ fuisse videtur Scotus 1. dist. 11. q. 2. prope fin. dicens, manere relationem à substantia distinctam,

non solùm secundum quidditatem relationis, sed etiam secundum esse suum, quod est esse ad aliud. Vbi distinguens inter quidditatem relationis & illius esse, non potest intelligere esse essentiæ; siquidem hoc ipsum est quidditas, quapropter intelligit esse existentiæ. Quod idem intellexisse videtur quodlib. 4. art. 3. ad argum. principale, distinguens in Deo duplex esse, aliud esse simpliciter & absolutum, aliud esse hypostaticum & relatiuum. Fauet etiam Ricardus de Mediauilla 3. sentent. distinct. 1. art. 1. quæst. 2. ad 1. dicens: Existere personam Patris, non est existere personam Filij vel Spiritus sancti.

6 *Aliud est esse Patrem, aliud esse Deum.*

Probatur tertiò, quia nonnulli Patres asserunt, quod aliud est esse Patrem, & aliud est esse Deum. Quibus verbis intellexisse videntur, esse existentiæ, distinguendo existentiam personalem ab existentia essentiali & communi. Sic Athanasius dialog. 1. de sancta Trinit. contra Anomæum in med. de Filio ait: *A Patre non differre, in Deum esse; sed in Patrem esse, & Filium esse.* Et orat. 4. contra Arianos col. 3. *Quanquam alius est Filius, quatenus est genitus: attamen idem existit, quatenus est Deus.* Epiphan. in Ancorato col. 10. *Honoratur*, inquit, *Pater, secundum quod Pater est; honoratur Filius, prout Filius est: honoratur Spiritus sanctus, prout Spiritus verus est.* Chrysostomus in Ioan. homil. 1. in med. de seculis quæ præcesserunt aduentum Christi Domini, ait: *Omnibus Patrem esse constabat; si non vt Patrem, saltem vt Deum.*

7 Augustinus in Psalm. 68. ad illud; *& non est substantia*, col. 3. ait: *Quidquid est Pater, quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus; cum autem Pater est, non illud est, quod illud est.* Et serm. 38. de temp. colum. 2. *Quidquid est Pater quo Deus, quo substantia est, quo æternitas est; hoc Filius, hoc Spiritus sanctus.* Et lib. 7. de Trinit. cap. 4. prope finem: *Aliud*, inquit, *est Deo esse, aliud Patrem esse*, quod idem constat ex eius lib. 5. cap. 6. fine. Idem omnino sumitur ex Anselmo in epist. de processione Spiritus sancti sub init. §. *creduut*. ante med. & post med. & toto §. *his præmissis.*

8 Est autem verisimilius, hos Patres fuisse locutos, non de quidditate præscindendo ab actualitate, sed de quidditate, prout actualiter & realiter est, & habet esse actuale, quod est existentia. Confirmatur, sic enim antiqui Scholastici nonnulli affirmant, vnam personam habere personale esse distinctum à personali esse alterius personæ: & hæc plura esse numerari, vt Albertus in summa quæst. 42. memb. 2. partic. 1. 2. & 3.

9 *Actualitas relationis est existentia relationis.*

Probatur quartò, nam existentia nihil aliud est, quàm actualitas rei, vt ex D. Thoma supra q. 3. artic. 4. vidimus sect. 2. probat. 2. Per existentiam itaque formaliter res quælibet est actu. Sed relatio Patris non solùm in ratione Deitatis, sed etiam in ratione personalitatis relatiuæ actu est. Ergo in ratione personalitatis relatiuæ conuenit Patri peculiaris actualitas, quæ non conuenit Filio, neque Spiritui sancto, tanquam eorum quidditas; ac proinde peculiaris est existentia Patris, ratione distincta ab existentia Deitatis: & propter eandem rationem alia peculiaris existentia conuenit Filio, alia Spiritui sancto. Confirmatur primò, quamuis enim existentia personalitatis relatiuæ, simpliciter & absolutè loquendo, non dicatur existentia, quia non est actualitas rei, prout condistinguitur à modo, sed est actualitas modi; vt vidimus sect. 3. fine. Cæterum quoniam verè est actualitas modi, poterit, licet minus propriè, vocari existentia, declarando esse relatiuam aut personalem.

10 *Non est realiter modus relatio diuina.*

Confirmatur secundò, quia diuina relatio seu personalitas non est realiter modus, imo nec secundum rationem & rectum modum concipiendi, totaliter modus est. Habet quidem aliquam rationem modi, declaratam supra disput. 12. sect. 5. Veruntamen simul habet adiunctam perfectionem rei, per quam excludatur imperfectio propria modorum. Cuius indicium est, personalem Dei relationem, & subsistentiam terminare posse alienam naturam, licet eam non possit afficere tanquam illius modus. Confirmatur tertiò, nam in rebus creatis quanta est distinctio inter rem, & modum, tanta est distinctio inter actualitatem rei, & actualitatem sui modi. Propterea quæque tot sunt actualitates modorum, distinctæ ab actualitate rei, quam modificant; quot sunt modi. Ideo in humanitate Christi Domini vltra propriam illius essentiam, datur existentia vnionis hypostaticæ, & in cæteris hominibus datur existentia propria subsistentiæ creatæ. Idémque proportionaliter erit intelligendum de cæteris omnibus modis.

11 *Solutio quorundam.*

Respondent aliqui, quorundam modorum existentiam distingui ab existentia rei modificatæ, quoniam modificant rem, non prout existens est: at verò subsistentiæ, seu personalitates relatiuæ modificant essentiam diuinam, quatenus existens est. Propterea non possunt habere distinctas existentias, quia vna existentia non potest esse modus alterius existentiæ.

12 *Refutatur.*

In hac solutione duo continentur, merè gratis dicta. Imprimis enim nulla ratione probari potest, vnam existentiam non posse modificare alteram existentiam, sicut vna essentia modificat alteram essentiam. Sicut enim ratio formalis, essentiæ constitutiua, capax est alterius quidditatis, ipsam modificantis in genere causæ formalis; neque hæc posterior causalitas formalis impeditur per priorem causalitatem formalem: sic etiam modificatio existentiæ per aliam existentiam non repugnabit priori existentiæ.

13 *Paternitatis existentia concipitur vt immediatè actuãs quidditatem Paternitatis.*

Rursus nihil prohibet, relatiuam personalitatem Patris, intelligere, priùs in ratione quidditatis modificare Deitatem in ratione essentiæ: deinde quasi consequenter, nostro modo intelligendi, Paternitatis existentiam esse modificatiuam existentiæ Deitatis. Cæterum melior erit intelligendi modus, si Paternitatis existentia concipiatur tanquam immediatè afficiens, actuans & informans solam quidditatem Paternitatis, ita vt existentiam Deitatis non aliter afficiat & actuet, nisi præcisè quatenus actuat quidditatem Paternitatis; quæ modificat essentiam Deitatis; vt magis explicabimus sect. sequenti obiectio. 1.

14 *Paternitas est veluti forma tribuens aliquid esse.*

Probatur quintò, quia Paternitas est, veluti quædam forma Patris. Ergo tribuit Patri aliquod esse; sed hoc non est esse quidditatis sine actualitate. Ergo est esse actuale; ac proinde est esse non solum quidditatis, sed etiam existentiæ. Confirmatur primò, quia existentia, iuxta præsentem acceptionem, non minus trãscendens est, quàm ens, vel res; siquidem est actualitas cuiuslibet entis. Sed tres modi incommunicabiliter existẽdi appellantur tres res & tria entia; vt videbimus disput. sequenti. Ergo similiter eorumdem modorum actualitates dici potuissent tres existentiæ, nisi obstaret communior vsus theologorum. Confirmatur secundò, nam tres essentiæ relatiuæ dici potuissent, nisi essentiæ vocabulum fuisset restrictum, supra disp. 24. præsertim sect. 3. & 4. atque ibidem sect. 5. tolerabile

tolerabile est dicere tres quidditates relatiuas. Ergo tolerabile est dicere tres actualitates & existentias earumdem quidditatum.

15 *Verbi productio destinatur vt existat.*

Probatur sexto, quia omnis productio immediatè destinatur ad hoc, vt terminus productus existat, & actu sit in rerum natura. Ergo Verbi diuini productio immediatè destinatur ad hoc, vt Verbum diuinum, sub propria ratione Verbi, existat, & actu sit in rerum natura. Quocirca persona Verbi, secundum vltimam rationem personæ productæ, fortitur suam peculiarem actualitatem, quæ possit appellari existentia.

16 *Solutio.*

Contraria sententia respondet. Sicut in diuinis productionis genus in eo differt à productione creaturarum, quia non producitur natura siue essentia diuina, sed eadem essentia personæ producentis communicatur personæ productæ; sic etiam existentia diuina non producitur, sed communicatur personæ productæ. Confirmatur, quia non producitur sola personalitas, sed producitur persona, constans ex essentia & personalitate; sed ita producitur, vt eadem essentia personæ producentis constituatur in persona producta, penes hoc, quod alia distincta relatione subsistat, quæ eandem essentiam & existentiam determinet ad esse nouæ personæ.

17 *Instauratur præcedens ratio.*

Cæterum hac solutione corroboratur potius prædictum argumentum primò, quia quemadmodum integra quidditas personæ productæ non consistit in natura siue essentia diuina, præcisè considerata; sed vltra naturam absolutam includit relationem, qua constituitur in esse talis personæ; sic etiam integra existentia personæ debet includere nõ solum existentiam absolutam, communem tribus personis, sed etiam peculiarem existentiam, per quam formaliter actu sit relatio, constituens talem personam.

18 Vnde confirmatur secundò, quia sicut absoluta essentia non producitur, sed tantum communicatur; nihilominus integra persona verè producitur, quoniam habet aliquam quidditatem relatiuam, realiter distinctam à persona producente: Sic etiam absoluta existentia non producitur, sed communicatur; nihilominus productio personæ destinatur ad hoc, vt integra persona sit actu per integram existentiam personalem, quæ constat ex actualitate relatiua simul cum actualitate absoluta.

19 *Per generationem accipit vt actu sit Filius & Verbum.*

Confirmatur tertiò, quia Filius à Patre per generationem accipit non solum vt actu sit Deus, sed etiam vt actu sit Filius, Verbum & imago. Hæc igitur secunda actualitas erit existentia relatiua, ratione cuius, Filius est producibilis à Patre, quamuis vterque habeat eandem existentiam absolutam. Et ratione dictæ existentiæ relatiuæ Patres dicere solent, quod *Filius habet esse à Patre*, vel *est de Patre*, vel *existit de Patre*. Atque idem dicunt de Spiritu sancto videlicet esse vel existere à Patre & Filio. His locutionibus abundat præ cæteris Anselmus toto ferè lib. de processione Spiritus sancti præsertim in prioribus capitibus. Et quod caput est, Apostolus 1. Corinth. 2. *Spiritus*, ait, *qui ex Deo est.*

20 *Creatis relationibus existentia relatiua conuenit.*

Probatur septimò, quia creatis relationibus propria existentia conuenit, non quidem absoluta (vt quidam falsò existimant) sed respectiua; tum quia actualitas proportionatur formæ, per illam actuatæ. Tum etiam, quia forma relatiua etiam secundum *esse ad*, realiter existit. Ergo diuinis relationibus potiori iure conueniet propria existentia relatiua. Eo vel maximè, quia relationes diuinæ sunt per se subsistentes, & per se producibiles, cum tamen relationes creatæ nec per se producantur, quoniam ad relationem non est per se motus; neque per se subsistant.

21 *Existentia relatiua est de quidditate relationis diuinæ.*

Existentiam denique relatiuam esse de quidditate cuiuslibet relationis diuinæ, probari potest eisdem rationibus, quibus probari solet, existentiam absolutã esse de quidditate Diuinitatis, quia non minus implicat contradictionem, Paternitatem non existere actu, quam essentiam diuinam actu non existere, vt dicebamus sect. 2. ratione 2.

SECTIO VI.

Quibusdam obiectionibus respondetur.

1 *Generalis solutio ad multa argumenta.*

ADuersus tres existentias, nuper explicatas, à nonnullis doctoribus obiiciuntur argumenta, quibus vsi sumus in sect. 3. & 4. probantes, minus propriam locutionem esse, minúsque consonam aliis Theologiæ dogmatibus. Quapropter disputatoribus erit diligenter obseruandum, eadem argumenta, sublato temperamento, quod à nobis est adhibitum, pugnare contra tres existentias. Cæterum eorum solutio facilis est, semper eisdem argumentis adhibere temperamentum, dicendo, totam eorum vim ex eo pendere, quod acceptio vocis *existentia* communiori Theologorum vsu fuerit restricta secundum acceptionem essentiæ. Veruntamen, laxiori & minus propria acceptione existentiæ præsupposita, eneruari.

2 *Existentia absoluta nẽ existat per existentias relatiuas.*

Nihilominus restant aliæ obiectiones. Prima. Si darentur in Deo tres existentiæ relatiuæ, sequeretur, diuinam existentiam absolutam terminari & existere per alias tres existentias. At impossibile est vnam existentiam existere, nisi per se ipsam. Alioqui dabitur processus infinitus in omnibus formalitatibus.

3

Respond. distinguendo consequens illius sequelæ, quæ ponitur in antecedenti. Nam vna existentia non existit per alias existentias, quasi per rationes, quibus constituatur formaliter in ratione existentis. Attamen existere potest per alias tres existentias, quibus in ratione trium existentium formaliter constituantur tres relatiuæ subsistentiæ, quas necessariò requirit, & sine quibus esse non posset existentia communis & absoluta: quemadmodum declaratum est sect. præced. probat. 4. refutando illius solutionem.

4 *Secunda obiectio.*

Secundò vrgebis, quoniam ex præcedenti solutione sequitur, existentiam Deitatis esse insufficientem, quippe quæ non sufficiat in ratione existentium constituere tres subsistentias, seu personalitates relatiuas. Confirmatur, quia si prædictarum existentiarum quælibet, per se sumpta, sufficiens est, & completa in ratione existentiæ: consequens est, vt illarum collectio efficiat vnum ens per accidens, non solum inter se ipsas, sed etiam cum Deitate. Si autem quælibet illarum existentiarum est incompleta & insufficiens; indigna est, quæ Deo conueniat.

5 *Retorquetur.*

Respond. imprimis ab eisdem authoribus petendo, quare non vtantur eodem argumento, ad oppugnandas tres entitates relatiuas: sequitur enim esse insufficientem entitatem absolutam Deitatis: prætereáque dicere possent, entitates relatiuas aut esse incompletas & indignas Deo, aut efficere vnum ens per accidens. Hoc enim genus argumenti priorem atque potiorem vim habet circa entitates, quàm circa existentias.

6 *Existentia Deitatis quomodo sola sufficiat.*

Solutio igitur vtriusque difficultatis hæc est. Entitas & existentia Deitatis, prout in re est, sufficientissima est, quia prout est in re, continet tres existentias relativas, secum realiter identificatas. Cæterum eadem entitas & existentia, prout nostra consideratione præscinditur à relativis entitatibus & existentiis, eo ipso præscinditur etiam à plenitudine sufficientiæ: propterea æque indiget vlteriori conceptu entitatis & existentiæ relativæ, vt plenè sufficiens sit, quemadmodum indiget vlteriori conceptu Paternitatis, Filiationis & Spirationis, vt sit Trinitas, vt subsistat, vt operationes intellectionis & volitionis habeant proprios terminos productos, vt in Deo non sit solitudo, sed mutuus amor personarum, ac denique vt seruentur aliæ multæ perfectiones: de quibus ad argumentum similis formæ dicemus disp. 29. sect. 5. & 6.

7 *Eodem modo sufficiens est quælibet existentia relativa.*

Similiter existimandum est de sufficientia cuiuslibet existentiæ relativæ, nam prout est in re, sufficientissima est, quia vt est in re, quidditatiuè continet existentiam absolutam, realiter identificatam cum cæteris existentiis relativis; atque ea ratione, prout est in re, continet omnem existentiam diuinam. Cæterum vna existentia relativa, prout nostra consideratione præscinditur ab aliis duabus existentiis relativis, non habet totam plenitudinem perfectionis & sufficientiæ in ratione existentiæ relativæ, sed tantum in ratione talis existentiæ relativæ, videlicet Paternitatis. Idem intellige de Filiatione & processione.

8 *Relatio creata propriam existentiam habet.*

Tertiò obiiciunt alij, quia relatio creata, licet specie differat à suo fundamento, non existit, nisi per existentiam fundamenti. Ergo à fortiori diuina relatio non existit, nisi per existentiam diuinitatis. Antecedens contra Scotũ probat Caietanus. Sed in hac re neque Theologica, neque difficili, satis est negare antecedens simul & consequentiam. Nam relationi creatæ respondet proportionata actualitas respectiua: & quamuis illi non responderet, deberetur propria actualitas relationibus, per se subsistentibus, & per se terminantibus productionem, vt vidimus sect. præcedenti probat. 7.

DISPVTATIO XXVI.

Vtrum tres relationes diuinæ, sint tres res, siue realitates, tria entia, siue entitates, & sine addito tria.

SECTIO I.

Esse tres res, & tres realitates.

1 *Vna res sunt tres personæ.*

AB omnibus Catholicis supponitur vt certum, tres relationes, siue tres personas diuinas esse rem vnicam & simplicissimam; neque esse plures res, prout rei nomen significat esse absolutum & subsistentiale. Sic enim Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 5. init. *Trinitas*, inquit, *vna quædam summa res, communisq; omnibus fruentibus ea; si tamen res, & non rerum omnium causa sit.* Concil. Lateranense cap. *Damnamus* de summa Trinit. *Eadem*, inquit, *res est Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Atque idem obseruat Anselm. lib. de incarnat. Verbi cap. 1. & 3. S. Thomas infra quæst. 39. art. 3. ad 3. & cæteri scholastici infra citandi. Idem intelligendum est de realitate, entitate & ente, ac cæteris transcendentibus nominibus.

2 *Qui negant tres res.*

Difficultas igitur solummodo restat, accipiendo prædicta nomina in sensu transcendentali, prout complectuntur non solum esse absolutum & substantiale, sed etiam relatiuum & personale. Singularis est sententia Henrici, probantis, quod relationes in Deo non dicuntur res; quamuis de personis dicatur, quod sunt res 1. p. summæ art. 34. quæst. 2. prope fin. corporis & ad 5. & 2. p. art. 55. quæst. 6. in quodam dubio. Ita loquebatur Gilbertus Porretanus, dicens, quod proprietas non est propriè res, sed ratio, prout retulimus disp. 11. sect. 1. longè post med. Nec minus singularis est opinio Gregorij 1. distinct. 27. quæst. vnica art. 2. conc. 3; & in eius probationibus, asserentis, nullam entitatem esse in Patre, quæ non sit in Filio; de rebus idem dicit expresse, §. *aduertendum*. Fundamentum eius diluemus sect. 4.

3 *Tres personæ sunt tres res.*

Nihilominus dico primò. Simpliciter & absque hæsitatione concedi potest, tres personas, siue tres relationes diuinas esse tres res. Probatur primò. Nam Alexander Alex. in epist. ad Alexandrum Constantinop. col. 3. dicit, Patrem & Filium esse *duas res indiuisas*. Extat lib. 1. actorum ante Concil. Nicænum circa med. Hilarius lib. 7. de Trinit. longè post med. ponderans illud Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus, Ego & Pater*, ait, *rerum nomina sunt*. Augustinus dicto lib. 1. de doctrina Christiana cap. 3. init. *Res ergo aliæ sunt, quibus fruendum est.* & cap. 5. init. *Res igitur, quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus sanctus est.* Theodoretus in fragmento penult. contra Sabellium, quod extat in additionibus ad breuiarium Liberati paulo ante Concilium Aruernense, ait: *Propter subsistentias, tres res eadem est res.*

4

Solet etiam ad idem probandum afferri Damascenus lib. 3. fidei cap. 5. init. dicens: *Tres hypostases secundum veritatem entes asserimus.* Sed alius interpres non legit *entes*, sed *existentes*. Cæterum hæc etiam litera fauet tribus rebus, aut tribus entibus; quoniam vt minimum concedit tria secundum veritatem habentia existentiam. At verò nihil secundum veritatem est habens existentiam, nisi res, siue ens.

5

Præ cæteris clarius conclusionem docuit Anselmus de incarnat. Verbi cap. 1. sub init. & toto cap. 3. cuius aliqua verba referemus postea. Nunc illa notentur parum à principio capitis: *Nemo Christianus confitetur Patrem & Filium, secundum hæc duo principia esse vnam rem, sed duas*, videlicet Paternitatem & Filiationem. Ideo paulo inferius explicat, *In duabus rebus intelligendas esse duas relationes.* Denique fauet vtrunque concilium Rhemense illis verbis: *siue dicantur res, siue relationes*, &c. vt retulimus disp. 11. sect. 1.

6

Secundo. Tres personas esse tres res, perspicuè & ex professo tradiderunt Scholastici. S. Thomas infra quæst. 39. a. 3. ad 3. & quæst. 30. art. 1. corpor. & art. 3. corpor. post med. Et in 1. senten. dist. 25. quæst. vnica toto art. 4. Et 4. contra gentes c. 14. ad 5. obiectionem. Et de potentia quæst. 8. art. in *sed contra*. Magister & communiter Scholastici cum Augustino citato 1. senten. dist. 25. §. *sciendum*. & tribus sequentibus. S. Bonauentura 1. dist. 25. sub. init. dubio literali 3. & lib. 2. distinct. 38. dubio literali 3. Albertus 1. p. quæst. 43. memb. 3. art. 2. prope fin. Alexand. 1. p. quæst. 49. memb. 3. & quæst. 15. memb. 6. corp. Ricardus 1. dist. 25. in fine totius distinctionis §. *circa literam*. Durandus eadem

eadem dist. 25. quæst. 2. prope fin. Marsilius in 1. quæst. 30. art. 4. dub. 2. Gabriel 1. dist. 27. quæst. 1. & dist. 28. quæst. 1. artic. 3. Capreolus 1. dist. 29. quæst. vnica art. 3. sub init. Deza 1. dist. 29. quæst. vnica, art. 3. notab. 1. & 1. dist. 33. quæst. 1. art. 3. notab. 4. à princ. Carthus. dist. 24. quæst. 3. referens S. Thomam in summa q. 30. Et idem Carthus. dist. 25. in breui expositione literæ. Bellarminus tom. 1. controuersia 2. lib. 2. de Christo cap. 8. & 16. Canarien. infra quæst. 39. art. 3. ad 3. Vazquez 1. p. disput. 122. cap. 3. & cap. 7. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 6. Communiter recentiores expositores D. Thomæ ad quæst. 28. & 29. & 39. art. 3.

7 *Quidquid est aliquid, est res.*

Tertiò, probat Anselmus lib. de incarnat. Verbi dicto cap. 3. non longè à prin. *Solemus enim vsu dicere rem, quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid. Qui autem dicit de Deo Patrem aut Filium: aliquid de eo dicit, & omnes sciunt, in Deo Patrem non esse Filium: & Filium non esse Patrem.* Quod post pauca magis explicat, dicens: *Hoc ergo modo nihil prohibet dicere duas personas, Patrem & Filium esse duas res; si tamen intelligatur cuiusmodi sunt res: Non enim sic sunt Pater & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.*

8

Confirmatur primò, quia vnaquæque persona & vnaquæque relatio siue personalitas est aliqua res simpliciter. Et enim aliquid substantiale per se subsistens. Vnde potiori iure vendicat nomen rei, quàm accidentia creata, quibus rei nomen sine controuersia conceditur. Rursus, quælibet persona, ratione personalitatis & relationis, realiter distinguitur ab aliis duabus personis. Ergo est res ab illis distincta. Consequens igitur est, vt quemadmodum tres sunt personalitates, siue relationes realiter distinctæ; sic etiam sint tres res.

9 *Numerus nõ est nisi inter multas res.*

Confirmatur secundò, quia per hanc numerationem nihil aliud significatur, nisi realis & vera distinctio inter illas res. Tertiò, quia numerus non est verè & realiter, nisi inter multas res; sed in Deo verè ac realiter est numerus ternarius. Ergo verè ac realiter sunt multæ res. Vtraque propositio antecedentis, ex Conciliis & Patribus probabitur disp. 37. præsertim sect. 2. & 3.

10 *Non producitur, nisi res realiter distincta à producente.*

Probatur quartò, nam implicat contradictionem produci, nisi rem, distinctam realiter à producente: sed Filius producitur à Patre. Ergo Filius est res, distincta realiter à Patre. Eadémque ratione Spiritus sanctus erit res, distincta realiter à Patre & Filio. Quintò, quia res est transcendens, ideóque multiplicatur pro multitudine inferiorum, quibus conuenit.

11

Quod si obiicias hoc nomen *res* à quidditate sumptum esse, vt cum Auicena docet S. Thomas 1. senten. dist. 25. artic. 4. ad 4. sed non sunt tres quidditates. Ergo non sunt tres res. Solutio constat ex dictis disp. 24. sect. 5. sub init.

12 *Tres realitates.*

Dico secundò. Tres personalitates, siue tres relationes, sunt tres realitates simpliciter. Id quod facilè deducitur ex præcedentibus probationibus; quia *realitas* vel accipitur, vt idem prorsus significet, quod *res*, vel accipitur quasi abstractum à re. Quapropter supponitur, realitates esse multiplicatas, vt multiplicentur res, quoniam concreta substantiua multiplicari non possunt, nisi multiplicentur etiam abstracta. Cæterum, quoniam hæc vox *realitas* non erat in vsu apud Patres; apud eos non inueniuntur tres realitates.

13 *Simul cum tribus dicendum est esse vnam.*

Dico tertiò. Tres personæ diuinæ siue tres relationes, communiter loquendo, non debent appellari tres res, neque tres realitates, nisi notetur eodem contextu simul esse vnam rem, vnam realitatem, aut vnam essentiam. Vel dicatur aliquid aliud, quo significetur, earum rerum multiplicitatem non esse adæquatam, sed inadæquatam, hoc est coniunctam cum identitate reali. Probatur, nam ita loquũtur omnes Patres & Scholastici, citati pro conclusione prima: sicque sufficienter distamus à suspicione erroris in re summi momenti. Confirmatur, quoniam res aliquando strictiùs accipitur, vt condistinguitur à modo. At verò personalitates siue relationes, quæ solæ multiplicantur, se habent ad instar modorum comparatione essentiæ vel existentiæ absolutæ; vt vidimus disput. 12. sect. 5. & disput. 25. sect. 3. prope finem.

14

Cæterum opus non erit semper addere vocabula hæc, *relativas*, aut *personales*; satis namque fuerit aliquid aliud attexere propositioni, quod significet identitatem naturæ siue essentiæ; vt satis indicauit Anselmus verbis adductis probat. 3. concluſ. 1. Sic igitur erit vel exponendum, vel temperandum, quod Durandus admonuit dist. 25. q. 2. fine semper esse vel distinguendas tres res, vel semper cum additione *relativas* esse concedendas.

SECTIO II.

Tria entia adiectiuè, & substantiuè tres entitates.

1 *Tres entes adiectiuè.*

DE multiplicandis entibus inter doctores difficultas est maior, quàm de rebus multiplicandis. Pro cuius explicatione dico primò. Si nomen *ens* adiectiuè sumatur; sine vlla controuersia tres personæ dicuntur *tres entes*, aut *tria entia*, quoniam in acceptione idem est, atque dicere tres personas esse tres habentes entitatem siue esse. Quæ propositio, quantum est ex modo significandi verificari posset, licet non essent tres entitates, sed tantum vnica, nec tria *esse*, sed tantum vnicum *esse*: siquidem adiectiua multiplicantur multiplicatis habentibus, licet forma habita non multiplicetur. Quam ob causam rectè dicere possumus esse tres sapientes, & tres omnipotentes, adiectiuè sumptis eiusmodi nominibus. Ideóque potiori iure multiplicabuntur transcendentia nomina, quando sumuntur adiectiuè.

2 *Substantiuè non posse concedi tria entia, docent ij doctores.*

Quando tamen substantiuè sumuntur, non posse concedi, tres personas esse tria entia, docent plerique Scholastici. S. Thomas 1. senten. dist. 25. quæst. vnica, art. 2. ad 4. S. Bonauentura dist. 23. art. 2. quæst. 2. ad vltim. Henricus in summa artic. 34. quæst. 2. ad 6. Alexander, Ricard. de Mediauil. & Capreolus sect. præcedenti citati. & non nihil fauet etiam Deza infra citandus. Atque probabile est, Magistrum dist. 25. §. *sciendum*, & §. *hic sensus*, ea ratione ductum, dixisse *tres entes*, & non dixisse *tria entia*, vt *entes* quasi adiectiuum personarum poneret, fugiendo neutram terminationem, quæ solet etiam substantiuè sumi.

3

Probat S. Thomas ex discrimine inter nomen rei, & nomen entis. Etenim, vt Auicena docuit, res à quidditate dicitur, propterea æque possunt in Deo concedi tres res, quasi tres quidditates relatiuæ. Contra verò nomen entis accipitur ab *esse*, quapropter si substantiuè dicuntur tria entia, dicuntur habere tria *esse*; in Deo autem non est nisi vnicum esse. Confirmant aliqui, quoniam tres personæ sunt vnum ens substantiuè, iuxta illud Ioan. 10. *Vnum sumus.* Et 1. Ioan. 5. *ij tres vnum sunt,*

sunt, de quibus diximus disp. 20. sect. 6. & 7. Vbi vnum substantiuè sumptum non multiplicatur.

4 *Tria entia substantiuè.* Nihilominus dico secundò. Tres personæ siue tres relationes rectè & absque improprietate dicuntur tria entia substantiuè sumpta. Probatur; quoniam ens substantiuè sumptum idem prorsus significat, quod res siue realitas: sed tres personæ sunt tres res, siue tres realitates; vt probatum est sect. præcedenti. Ergo sunt tria entia substantiuè sumpta.

5 Probatur secundò. Nam diuinis personis conuenit triplex esse relatiuum (quamuis illud, non tam appelletur esse, siue existentia, quàm modus essendi siue existendi) vt vidimus disp. præced. sect. 3. & sequentibus. Ergo diuinis personis conuenit triplex forma, significata per ens substantiuè sumptum. Cum igitur sint habentia tria, & tria esse relatiua; nihil omnino deficit, vt in plurali dicantur entia substantiuè sumpta.

6 Probatur tertiò, quia S. Thomas infra quæst. 39. art. 3. ad 3. videtur, tacitè retractasse prædictam doctrinam, quoniam ex eo, quod res sit transcendens, infert, posse dici tres res: neque ibi neque alibi in summa Theologiæ limitat, ne idem intelligatur in ente, quod est non minus transcendens, quàm res. Sunt enim hæc duo prædicata conuertibilia. Quin potius hæ duæ voces *ens*, &, *res* quantum ad conceptum significatum, sunt omnino synonymæ, vel tenuissima distinctione differunt; quamuis fortasse habeant etymologias diuersas.

7 Confirmatur, quia prædicta ratio S. Thomæ nullam haberet vim, nisi supponendo, quodlibet transcendens multiplicari posse pro numero personarum. Atque ita tria entia relatiua concedunt recentiores expositores S. Thomæ, vt Canariensis quæst. 30. artic. 3. ad 3. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 6. num. 4. imo etiam Deza 1. dist. 29. q. vnica art. 3. notab. 1. concedit posse dici substantiuè tria entia, & tres entitates, sed non communi vsu.

8 *Tres entitates quidam negant.* Restat dicere de entitatibus, quas posse multiplicari, negant expresè S. Bonauentura dist. 23. art. 2. q. 2. ad vltim. & Capreolus dist. 29. quæst. vnica, artic. 3. ad 1. Et virtualiter idem existimarunt cæteri Scholastici, negantes tria entia substantiuè sumpta, quæ negari non possent, si concederentur tria entia abstracta, videlicet, tres entitates. *Sed cõcedendæ sunt.* Nihilominus dico tertiò, tres personas esse tres entitates eadem ratione, qua sunt tria etiam substantiuè dicta.

9 *Cautio & declaratio.* Denique cautio illa & declaratio, circa tres res adhibenda in fine sectionis præcedentis, magis necessaria est, quando dixerimus, tria entia substantiuè, vel tres entitates; quoniam de hac locutione, illiúsque significatione magis formidant graues scholastici. Inde constat solutio ad rationem D. Thomæ, primò, quoniam diuinis personis tria esse relatiua conueniunt, vt diximus probat. 2. Deinde significatio vocis non semper commensuratur eius etymologiæ, & ex vsu sapientum ens, & res idem significant. Ad confirmationem constat, consequentiam esse nullam; sicut enim tres personæ sunt vna res absoluta, simúlque sunt tres relatiuæ; sic etiam ex eo, quod sint vnum ens absolutum, non infertur esse neganda tria entia relatiua.

10 *Tria eloquia.* Ex his colligo & dico quartò. Nomen illud transcendens *aliquid* multiplicari potest, & in plurali numero prædicari, quemadmodum multiplicatur ens, quoniam *aliquid* conuertitur cum ente. Quapropter Anselmus citatus in sect. 1. probat, 3. inde probat, personas esse tres res, quia singulæ sunt aliquid. Supponit ergo esse tria aliquid. Et August. 7. de Trinit. cap. 4. circa med. dicit, *tria quædam*. Cui consonat Ricardus Victorinus 4. de Trinit. cap. 8. dicens: *Cum nominantur tres personæ, absque dubio intelliguntur tres aliqui*. Quamuis diuersa significatio sit in genere masculino & in genere neutro, quantum ad alias locutiones de Trinitate, vt videbimus disp. 39. sect. 2. 3. & 4.

SECTIO III.

Vtrum tres personæ dici possint tria, nullum explicando substantiuum.

SAnctus Bonauentura 1. senten. dist. 23. art. 2. quæst. 2. ad 1. ita existimat: *Quod Augustinus dicit 6. de Trinit. cap. 4. hæc tria; minus expresè loquitur & impropriè, & ideo verbum eius est exponendum.* Sic etiam Carthusianus dist. 24. quæst. 4. post med. dicit, propriè loquendo, non esse concedendum, quod personæ diuinæ sint tria, quamuis sint tria suppositа. Faueret S. Thomas, si scripsisset, quæ ex eo refert Carthusianus, citatus, videlicet quod Hilarius dicens, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse *per substantiam* tria, *accipit tria, pro, tres: sicut & Augustinus.* Sed ea verba variis in exemplaribus non reperiuntur apud S. Thomam 1. dist. 24. quæst. 2. corpor. & ad 1. vnde Carthusianus transcripsit cætera verba. 1 *Negãt ij auctores.*

Probari potest hæc sententia, quia nomina distinctionis, vel identitatis in genere neutro, & substantiuè sumpta referuntur ad essentiam, & non ad personas; sicut illud: *Vnum sumus, & vnum sunt.* Quam ob causam, licet Patres concedant, Filium esse alium siue alterum à Patre; negant tamen esse *aliud* à Patre; quia genus neutrum substantiuè dictum refertur ad substantiam, siue essentiam absolutam; vt videbimus disp. 39. sect. 1. & sequentibus. 2 *Fundamentum.*

Nihilominus dicendum est, concedi posse tres personas esse *tria*, licet nullum adiungatur expresè substantiuum nomen; dummodo ex superiori vel inferiori contextu manifestè constet, supponi tanquam indubitabilem vnitatem in essentia siue substantia. Probatur primò, quoniam ita loquuntur Patres non pauci. S. Martialis epist. 1. ad Burdegalen. cap. 10. fine ait: *Hæc in personis tria diuisa; in Diuinitate vnus Deus indiuisus est.* 3 *Tres personæ sunt tria.*

Nazianzenus orat. 37. inter princ. & med. dicit: *vnum esse tria, si proprietatum rationem habeas.* Et in med. eiusdem orat. *Tria quidem ea nomino, quæ totidem numero sunt.* Et longè inferius hæreticum reprehendit, quod grauaretur in Deitate *appellare tria*, postquam dixerat: *vnum & vnum & vnum.* Rursus orat. 13. quæ est 2. de pace paulo post med. num. 16. in numero plurali dicit: *Ea, quæ à principio manant, vnum diuisim existentia*, &c. Et infra propius ad med. quam ad fin. sæpius vsurpat *tria*, & *bona* & *sancta* substantiuè. Vnde videtur subintelligere tria entia bona & sancta. Insuper orat. 29. de dogmate & statu Episcoporum propius ad med. quàm ad prin. *Nec in vnum*, inquit, *tria contrahimus, ne in Sabellij morbum prolabamur.* Et orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos Trinitatis adoratorem laudat, *Qui horum trium nihil à Diuinitate disiungat.* Et non longè inferius: *Hæc tria effecerunt, vt multa simus.* Et infra: *Vnum quantum ad essentiam, tria quantum ad hypostases, siue personas.* Et iterum: *Eandem horum trium essentiam profitemini.* Et post pauca: *Tria esse, quæ* 4

quæ diuidantur non naturis sed proprietatibus. Denique epist. 1. ad Cledonium, quæ est orat. 51. col. 2. *Tria, quoad Diuinitatem, vnum sunt.*

5 Eum igitur, qui propter excellentiam Theologi cognomen consecutus est, toties eadem sermonis improprietate fuisse lapsum, in negotio summi momenti, vel ignorasse, vel neglexisse, nec ipsi doctores contrariæ sententiæ crederent, præsertim cum alij Patres eodem modo loquantur; vt Theodoretus lib. 2. de principiis col. antepenul. Nominatis Patre & Filio & Spiritu sancto subiungit: *Tria hæc, vnum esse substantia & Diuinitate credentes.* Et col. penult. de Filio & Spiritu sancto ait: *Quæ duo vnita quidem, eo quod eiusdem naturæ sint, proprietate verò differentia.*

6 In sexta Synodo generali actione 11. Sophronius Patriarch. Constantinopol. epist. professionis fidei col. 3. *Vnum hæc tria, & tria vnum, quorum est Deitas.* Et frequenter repetit *tria*, nullum explicando substantiuum. Similiter autem in Concil. Nicæno secundo, quod est Generale septimum actione 3. Tharasius in professione fidei, quam approbat concilium, ait: *Secundum singularitatem personarum tria adoranda*: Et longè inferius in exemplari literarum Theodori, dicitur, *Vnum hæc tria, in quibus Diuinitas prædicatur.* Anastasius Patriar. Theopolitan. in expositione fidei inter princ. & med. *Tria dico, propter triplicem subsistentiam coëssentialis Trinitatis.* Edictum Iustiniani Imperatoris de fide non procul à princ. ait: *Tria vnum, in quibus Deitas est, aut (vt subtilius dicamus) ipsa tria est Deitas.* Et post pauca: *Tria vnus Deus.*

7 Ambrosius libello de dignitate conditionis humanæ cap. 2. & alibi sæpe dicit *tria* substantiuè sumpta, nullo alio substantiuo posito. Et in symbol. Apostol. cap. 1. & cap. 2. post med. *Vna est*, inquit, *in tribus Deitas, & tria sunt, in quibus vna Deitas.* Et sequenti cap. 2. *Vnus Deus in iis tribus, & hæc tria vnus est Deus.* Antiochena professio fidei dicit, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse *per substantiam tria.* Quod refert atque defendit Hilarius lib. de Synodis paulo propius ad med. quàm ad finem.

8 Augustinus 6. de Trinit. cap. 4. post med. *Ita sunt*, inquit, *illa tria, Deus vnus.* Et in fine eiusdem capitis: *Non amplius quàm tria sunt*, Et lib. 6. c. 9. prope med. *Ipsa tria simul Patrem & Filium & Spiritum sanctum.* Et lib. 7. cap. 4. circa med. *Vbi nulla est essentia diuersitas, oportet vt speciale nomen habeant hæc tria.* Et post pauca: *Hæc tria simul vnus Deus, cur non etiam vna persona?* Et propius ad fin. quàm ad med. eiusdem capitis. *Non esse tria quædam non poterat dicere quod Sabellius, quia dixit, in hæresim lapsus est.* Et paucis interiectis: *Quæsiuit, quid tria diceret.* Denique frequenter alibi apud Augustinum inueniisse me recolo eundem modum loquendi. Quem etiam recipiunt Magister & communiter Scholastici 1. dist. 10. cap. *Siue enim.* Et dist. 23. cap. *verum.*

9 Gregorius lib. 29. moral. cap. 16. inter princ. & med. ait: *Vnum tria*, quæ dixerat intimauisse Dauidem Psalm. 66. *Benedicat nos Deus Deus*, &c. Et sequenti lib. 30. c. 5. circa med. dicit, *vnum diuisibiliter tria, & indiuisibiliter tria vnum.* Isidorus lib. 7. etymolog. c. 4. §. 1. ait; *In personis tria.* Et iterum: *Tria propter personarum proprietatem.* Et lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 3. *Tria vnum sunt, & vnum tria.* Quæ verba scribuntur etiam in Concil. Tolet. vndecimo in professione fidei propiùs ad med. quàm ad fin.

Secundò probatur ratione, quia vox *tria*, sine alio addito, significat tria entia: sed ex præced. sectione constat, tres personas propriè appellari tria entia, siue substantiuè, siue adiectiuè. Ergo propriè appellantur tria. 10 *Tria, significant tria entia.*

Ad fundamentum verò contrariæ sententiæ respondetur, inde tantummodo probari, quod Pater & Filius non possint dici, *vnus*, & debeant dici *alius & alius*, quamuis non possint dici aliud, sed debeant dici *vnum.* Inde tamen non infertur, quod non possint dici tria simul & vnum, propter rationem suprà dictam. 11 *Soluitur argumentum cõtrariæ sententiæ.*

SECTIO IV.

De totalitate entitatis communicatæ, & de comparatione cum alijs transcendentibus, obiectiones.

PRima obiectio, quia si tres personæ diuinæ sunt tres res, siue tres entitates; consequens est, quod Pater Filio non communicet omnem rem, siue omnem entitatem, quam habet Pater, nec communicet totam suam entitatem, sed aliquam entitatem, aut partem illius retineat Pater, quam non habeat Filius (idem intellige de Spiritu sancto.) Consequens autem esse falsum, probat Gregorius 1. dist. 27. quæst. vnica artic. 2. in rationibus pro tertia conclusione. Imprimis ex cap. *damnamus.* de summa Trinit. post med. dicente: *Pater suam substantiam Filio dedit.* Et post pauca: *Dici non potest quod partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit: cum substantia Patris indiuisibilis sit, vt pote simplex omnino.* 1 *Num Pater Filio communicet totam entitatem.*

Hoc idem dogma probare potuisset innumeris penè testimoniis Conciliorum & Patrum, dum refellunt calumnias Arianorum, inferẽtium, substantiam Patris esse dissectam, vt illius pars Filio daretur per generationem. De quo dicemus disp. 98. sect. 5. Idémque sumitur apertè ex Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et Ioan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Et Ioan. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* 2

Addit Gregorius aliqua testimonia Patrum, vt Hilarij 3. de Trinit. prope fin. dicentis: *Vnum sunt*, scilicet, *is qui est, nihil habens, quod non sit etiam in eo à quo est.* Et 7. de Trinit. *Neque vnus vni aliud per generationem, quàm quod suum est, dedit; neque vnus ab vno per natiuitatem obtinet quàm quod vnus.* Isidorus de summo bono lib. 1. cap. 15. *Ideo vnum sunt Pater & Filius, quia nihil habet Pater, quod non habeat Filius.* Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Ideo Verbum veritas est, quoniam quidquid est in ea scientia, de qua genitum est, etiam in ipso est.* Scientia autem, de qua genitum est Verbum, est Pater. 3

Ex quibus omnibus infert, nullam omnino entitatem esse in Patre, quam non communicauerit Filio: ac proinde communicatam esse Filio totam indiuisibilem entitatem Patris, siue omnem rem & omnem entitatem. 4

Confirmat Gregorius primò, quia si Pater & & Filius essent duæ res; sequeretur, quod Pater & Filius non essent vna res, videlicet essentia diuina, neque essentia diuina esset Pater, neque esset Filius: contrà Lateranense Concilium c. *damnamus.* de summa Trin. decernens: *Quod vna quædam summa res est, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus: tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem.* 5

Vnde confirmat secundò, quia si essentia diuina tres entitates includeret, sequeretur, quod neque 6

neque Pater eſſet eſſentia diuina, neque eſſentia diuina eſſet Pater: quia nihil includens plura eſt vnum illorum ſigillatim ac per ſe ſumptum. Denique deducit alia inconuenientia, veluti quod Diuinitas non ſit ſummè ſimplex, & quod ſint tres Diuinitates aut tres res creatæ.

7 Pro ſolutione ſupponendum eſt, ſigna diſtributiua, *omnem & totam*, non accipi in ea proprietate, qua diſtribuunt entitates realiter diſtinctas, aut eas quæ ſunt realiter partes alicuius totius; ſed diſtribuere formalitates, ſola ratione diſtinctas. Vt cum dicimus omne attributum, & totam perfectionem ſubſtantiæ Filio communicari. Et Dionyſius de diuin. nomin. cap. 2. non procul à prin. iterum atque iterum repetit *totam diuinitatem*. Quapropter nulla ratio cogit ab his vocibus abhorrere.

8 *Pater Filio communicat totam entitatē abſolutam, non relatiuā.* Sub hoc ſenſu verborum ſumma reſolutionis hæc eſt. Licet Pater Filio communicet omnem ſiue totam entitatem abſolutam; non communicat omnem ſiue totam entitatem relatiuam; ita vt Filius ſit eadem entitas relatiua, quæ eſt Pater. Communicat tamen totam entitatem relatiuam, vt Filius in ſe habeat manentem totam entitatem relatiuam Patris & Spiritus ſancti. Atque idem eſt dicere, quod Filius habet omnem ſiue totam entitatem Patris; ſed non habet eodem ordine, neque eodem modo.

9 *Non eſt ſine diſtinctione reſpondendū de tota entitate.* Pro cuius maiori declaratione dico primò. Si proponatur abſolutè & ſine diſtinctione quæſtio, *Vtrum Pater Filio communicet totam, vel omnem entitatem*; &, *vtrum Pater habeat aliquam entitatem, quam non habet Filius*: non eſt reſpondendum ſine diſtinctione. Nam entitas diuina plerunque ſumitur pro ſubſtantia, ſiue eſſentia abſoluta; iuxta quam acceptionem Pater Filio communicat omnem ſiue totam rem, ſiue entitatem ſuam, & non habet Pater aliquam rem ſiue entitatem, quam non habeat Filius, & ſit ipſe Filius. Cæterum rei & entitatis nomine tranſcendenter accepto, Pater Filio non communicat omnem entitatem; ſed Pater eſt aliqua entitas, quæ non eſt Filius, & quam hoc modo non habet Filius.

10 In ſubſtantia præſentis deciſionis conueniunt; licet in explicandi modo nonnihil differant. Capreolus 1. diſt. 29. quæſt. vnica art. 3. ad 1. Gregorij. Vbi Deza artic. 4. ſub init. Torres q. 39. art. 3. poſt ſolutionem ad 3. Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 2. num. 4. & alij recentiores.

11 *Tacita exceptio in verbis Scripturæ.* Probatur primò. Quoniam Scriptura ſacra, Concilia & Patres, quoties dicunt; Patrem deciſſe Filio omnia, quæ habet Pater, vel expreſſam vel tacitam exceptionem adiungunt; vt fuſiùs contra Sabellianos probatum eſt diſp. 18. ſect. 2. & ſequentibus. Vnde ſufficiat recolere illud Eugenij IV. in fine Concil. Florent. in literis vnionis in med. *Omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater Vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem.* Quam exceptionem multis in locis exprimunt Athanaſius, Nazianzenus, Baſilius, Cyrillus Alex. Damaſcenus, & Gregorius Bæticus, in eadem ſect. 2. citati; vbi etiam efficaciter probant, eandem exceptionem virtualiter contineri in quibuſlibet locis Scripturæ & Patrum: quoniam diſtinctio realis extremorum, virtute cuius Pater non ſit Filius, & Filius non ſit Pater, requiritur, vt vnus verè ſit Pater, & alter verè ſit Filius; & Pater realiter det ſiue tribuat, & Filius realiter accipiat.

12 *Inconuenientia ex ſententia Gregorij.* Vnde ſecundò refutatur Gregorius, quoniam ex eius doctrina ſequitur, aut paternitatem non eſſe entitatem, & Filiationem non eſſe entitatem; aut Filiationem eſſe Paternitatem, & Paternitatem eſſe Filiationem: eandémque perſonam eſſe Patrem & Filium, ſolis conceptibus nominibúſque diſtinctam. Sequela probatur, quia perſonæ realiter diſtingui non poſſunt, niſi per entitates reales realiter diſtinctas. Quapropter Gregorius, incautè conatus defendere ſimpliciſſimam vnitatem diuinæ ſubſtantiæ, nolens Sabellio militauit, oppugnans diſtinctionem perſonarum.

13 *In aliquo ſenſu verificatur etiam entitatem relatiuam Patris communicari.* Dico ſecundò. Totam ſiue omnem rem & entitatem Patris, non ſolum abſolutam, ſed etiam relatiuam & notionalem, communicari Filio, & & eſſe in Filio, verum eſt in aliquo ſenſu; videlicet, in quantum per circumin ſeſſionem quælibet perſona diuina eſt in aliis duabus, & eas perficit. Ideóque totus Pater, ciúſque Paternitas eſt in Filio, ſicut in ſuo Verbo & imagine. Vnde in eodem ſenſu verum eſt, quod Pater nullam entitatem habet, quam non habeat etiam Filius. Atque idem omnino intelligendum eſt de Patre, reſpectu Filij & Spiritus ſancti: & de Spiritu ſancto, reſpectu Patris & Filij.

14 *Nō eodem modo & tota Filius habet totam entitatem Patris.* Ad præcedentem aſſertionem explicandam dico tertiò. Quamuis Filius accipiat, & habeat totam, ſiue omnem rem & entitatem, quam habet Pater; cæterum non eodem modo & ordine, ſed alio modo & ordine. Quia ſubſtantiam abſolutam Pater habet à ſe ipſo, & à nullo communicatam, & cum ordine principij & fontis totius Deitatis. Filius autem eandem ſubſtantiam habet à Patre, vt communicatam & cum ordine ſiue relatione Geniti. Rurſus relationem Paternitatis Pater habet, tanquam propriam ſubſiſtentiam, conſtitutiuam ipſius Patris in ratione perſonæ. Filius verò non habet relationem Paternitatis, vt propriam Filij ſubſiſtentiam, qua conſtituatur in ratione perſonæ; ſed tanquā principium coniunctum ſuæ ſubſiſtentiæ, quod loquendo eructat ſubſiſtens Verbum; vt magis conſtabit diſp. 30. ſect. 5. & ſequentibus.

15 Ex his conſtat ſolutio ad fundamentum Gregorij, ſupponendo, ex ſuperioribus diſputationibus, præſertim 15. hoc eſſe myſterium Trinitatis, quod eadem indiuiſibilis ac ſimpliciſſima ſubſtantia realiter identificetur cum tribus realibus relationibus, realiter diſtinctis, & ſit de quidditate ſingularum. Vnde prouenit, nullam cum eis compoſitionem efficere, vt videbimus diſp. 38.

16 *Ad teſtimonia quæ Gregorius attulit.* Ad teſtimonia Scripturæ & Patrum, quæ Gregorius attulit, reſpondetur primò. Virtualiter excipiunt relatiuam entitatem, vt diximus aſſertione 1. probat. 1. Reſpond. ſecundò. Etiam entitatem relatiuam Patris accipit Filius in aliquo ſenſu, declarato in aſſertione 2. & 3.

17 *Vna res inadæquatè identificatur cum tribu.* Ad primam confirmationem reſpond. negando ſequelam; quoniam vna res, videlicet, eſſentia diuina, licet eſſe non poſſit eadem adæquatè cum tribus rebus, ſiue entitatibus relatiuis; attamen poteſt inadæquatè cum illis identificari, propter infinitatem diuinæ ſubſtantiæ, maximámque ſimplicitatem propriam relationis, vt ex profeſſo declaratum eſt tota diſp. 15.

18 Ad ſecundam confirmationem reſpond. negando ſequelam, quia vnum infinitum, includens plura, ſi non includat quidditatiuè, ſed tantum per identitatem realem; poteſt eſſe quælibet illorum ſigillatim & per ſe ſumptum, ſi quodlibet illorum ſit relatiuum; atque hoc eſt proprium eſſentiæ diuinæ comparatione trium relationum, vt conſtat ex diſput. 13. 14. & 15. Ex quibus etiam conſtat, non inferri cætera inconuenientia, quæ Gregorius

Gregorius opponit. Et de prima obiectione hactenus.

19 *Secunda obiectio.* Secunda obiectio. In Deo nihil multiplicatur, niſi propter relatiuam oppoſitionem. Sed nulla oppoſitio relatiua reperitur in entitate, realitate, ſiue in ente; quoniam iſtæ formalitates non ſunt relatiuæ. Ergo in Deo non ſunt tres entitates, tres realitates, aut tria entia. Reſpond. Oppoſitio relatiua non ſolum multiplicat prædicata, quæ ſunt formaliter relatiua; ſed etiam ſuperiora prædicata, quæ propter tranſcendentiam includuntur in vltima ratione relationis. Vnde prouenit, vt intelligi nequeat multiplicata relatio, niſi ea tranſcendentia multiplicentur cum illis. Aliquando tamen cōtingit impediri multiplicationem, quando non ſunt perfectè tranſcendētia, quod prouenire ſolet ex aliqua totalitate, quam important. Quemadmodum de æternitate, & immenſitate dicendum eſt diſput. ſequenti, & de perfectione diſput. 30.

Oppoſitio relatiua multiplicat prædicata ſuperiora.

20 *Tertia obiectio.* Tertia obiectio. Diuinitas, omnipotentia, ſapientia & attributa cætera tranſcendunt vltimam differentiam diuinæ perſonalitatis, ſiue relationis; vt probatum eſt diſp. 13. Nihilominus nō ſunt tres diuinitates, neque tres omnipotentiæ, vel ſapientiæ, &c. Ergo quamuis ens, res, aut entitas tranſcendat vltimam differentiam relationis, non ſequitur eſſe tria entia, vel tres res aut entitates.

21 *Attributa nō ſunt trāſcendentia.* Reſpond. diſtinguendo antecedens. Diuinitas, omnipotentia, ſapientia & cætera attributa, non ſunt tranſcendentia, propter ſuam lineam & gradum explicitum ac formaliſſimum: ſed ex infinitate in genere entis, quæ diuinis relationibus quidditatiuè conuenit, conſequens eſt, quod relationes eſſentialiter includant diuinitatem & omnia attributa. E contrario tamen ens, ſiue res, aut entitas ſunt tranſcendentia propter ſuam lineam & gradum explicitum & formaliſſimum. Cuius ſignum eſt, quod tranſcendunt vltimam differentiam cuiuſlibet creaturæ, quantumlibet imperfectiſſimæ. Inde prouenit, quod tres relationes, neque eſſe, neque intelligi poſſint diſtinctæ realiter, niſi fuerint tres entitates reales; & tamen ad earum diſtinctionem non requiratur eſſe tres diuinitates, omnipotentias, aut ſapientias.

22 *Quatuor relationes non ſunt quatuor res.* Quarta obiectio, quia ſi tres relationes ſunt tres entitates, quatuor relationes erunt quatuor entitates. Sed in diuinis ſunt quatuor relationes. Ergo ſunt quatuor entitates. Reſpond. Rerum vel entitatum numerus multiplicatur pro multitudine relationum, realiter diſtinctarum; non pro numero relationum, quæ ſola ratione diſtinguuntur: At verò quarta relatio, videlicet, ſpiratio actiua, ſola ratione diſtinguitur à cæteris, vt fuſius dictum eſt diſp. 18. ſect. 4. ad primum & ſecundum argumentum.

DISPVTATIO XXVII.

De cæteris tranſcendentibus multiplicandis.

SECTIO I.

Vtrum tres relationes ſiue perſonalitates ſint tres durationes, & tres vbicationes, ac proinde ſint tres æternitates & immenſitates.

1 *Tres æternitates relatiuas aliqui concedunt.* IRCA durationem. Prima ſententia eſt quorundam recentiorum, qui concedentes, eſſe tres exiſtentias relatiuas, intrepidè concedunt etiam tres æternitates relatiuas. Primum eorum fundamentum eſt, quoniam duratio vel eſt idem formaliter quod exiſtentia, vel adæquatè ſequitur ab exiſtentia, ita vt cum illa multiplicetur. Sed in diuinis perſonis ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ: ſi nomen exiſtentiæ amplietur, vt comprehendat quamlibet actualitatem cuiuſlibet formalitatis realis, ſupra diſput. 25. ſect. 5. & 6. Ergo ſunt tres durationes, ampliando durationis nomen, vt comprehendat perſiſtentiam cuiuſlibet exiſtentiæ relatiuæ. Vnde præterea ſequitur, eadem ampliatione vocis eſſe tres æternitates. Et conſequenter erunt tres immenſitates, hoc eſt, tres coëxiſtentiæ ad infinitum ſpatium.

2 *Secūdum argumentum.* Secundum fundamentum, quoniam in Deo multiplicantur ea prædicata tranſcendentia, quæ abſtrahuntur à relationibus, & à natura abſoluta Dei; vt vidimus diſp. præcedenti prope finem. Sed duratio & vbicatio abſtrahuntur à relationibus, & à natura abſoluta; quoniam omni enti, eo ipſo quod ens eſt, conuenit aliqua duratio, & aliqua vbicatio. Ergo duratio & vbicatio multiplicantur. Confirmatur, quia duratio & vbicatio tranſcendunt vltimam quamque differentiam cuiuſlibet creaturæ, quantumcumque imperfectiſſimæ; quod eſſe ſignum perfectæ tranſcendentiæ, vidimus diſput. præced. prope fin.

3 *Tertium argumentum.* Tertium fundamentum, quia relationes creatæ durationem habent, diuerſam à duratione fundamenti; ſiquidem extinguitur multoties duratio relationis, permanente poſtea duratione fundamenti. Ergo ſimiliter durationes diuinæ gaudebunt duratione propria, atque diſtincta à duratione eſſentiæ.

4 *Alij tres durationes, non tres æternitates admittūt.* Secunda ſententia cum præcedenti concedit, durationes multiplicari; quoniā duratio eſt tranſcendens: addit tamen, æternitates non multiplicari; quoniam æternitas eſt attributum Dei proprium. Ita Suarez 3. p. tom. 1. diſput. 11. ſect. 2. & 1. p. lib. 3. de Trinit. cap. 11. num. 6. Similitérque non multiplicari immenſitatem, docet cap. 11. num. 9. Tertia ſententia pariter negat vtrumque, docétque nec tres æternitates, neque tres eſſe durationes. Ita Vazquez diſp. 122. cap. 7. & diſp. 126. cap. 3. Similiter negat tres immenſitates dicta diſput. 122. cap. 7. poſt med.

5 *Nō tres æternitates nec tres immenſitates.* Dico igitur primò. In Deo non ſunt tres æternitates, neque tres immenſitates. Probatur primò, quia ſi forent tres æternitates, ſequeretur, eſſe tres æternos, ſubſtantiue dictos. Conſequens autē eſſe falſum, Eccleſia teſtatur in ſymbolo Athanaſij canens: *Non tres æterni, ſed vnus æternus*. Sequela probatur, quoniam termini ſubſtātiui multiplicantur in tribus ſuppoſitis diuinis, quoties multiplicatur forma, per eos terminos ſignificata; vt videbimus diſput. 77. ſect. 2.

6 Confirmatur primò, nam Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 1. cap. 5. poſtquam dixerat, tres perſonas eſſe tres res, & vnam; continuò ſubiunxit: *Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maieſtas*. Itaque non exiſtimat, vnam æternitatem eſſe tres æternitates, ſicut vna res eſt tres res; ſed ſicut vna maieſtas non eſt tres maieſtates. Sophronius Patriarc. Conſtantinopol. in ſexta Synodo act. 11. col. 4. ſicut dicit, *Vnam diuinitatem & vnam prouidentiam*, ita dicit, *Vnam ſempiternitatem*.

7 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. propius ad fin. quam ad med. *Æternitatem & immenſitatem* connumerat inter ea, *quæ naturaliter atque æqualiter communia cum Deo Patre, habet Dei Filius.*

Ruiz de Trinitate.

Et Isidorus lib.7.originum siue etym. cap.1. circa med. & post med. æternitatem & immensitatem connumerat inter attributa,quæ *ad totam pertinent Trinitatem, propter vnam & coæternam substantiam.*

8 Confirmatur secundò ex Nazianzeno, cuius verba retulimus disput.25.sect.3.probat.5.in quibus peculiariter ponderandum est illud: *Erat, & erat,& erat,sed vnum erat,*id est,æternitas,& æternitas,& æternitas,sed vna æternitas,iuxta expositionem Patrum ibidem commemoratam.

9 *Cõnexio personarũ quantum ad æternitatem.* Probatur secundò, quoniam æternitas Patris non modò connexionem habet necessariam cum æternitate Filij (quia nisi Filius semper & incommutabiliter existat, non potest semper, & incommutabiliter existere Pater,vt probatum est disp.9. sect.3. & 4.) sed etiam æternitas vtriusque personæ requiritur ad æternitatem substantiæ siue naturæ, & in ea consistit. Quemadmodum Athanasius orat. 2. contra Arianos ferè inter princip. & med.ait: *Quod si id, quod genitum est ex Patre,æternum dicitis, rectè dicitis: non enim Patris substantia vnquam imperfecta fuit, ita vt eius æternitas ipsi superueniat.* Supponit igitur, æternitatem Paternitatis esse eandem æternitatem substantiæ; quia nulla fuisset æternitas substantiæ, quousque superueniret Paternitas,iuxta præsentem ratiocinationem Athanasij.

10 Vnde subiungit: *Dei proles est,& vt Dei existentis proprius Filius, idémque sempiternus. Hominibus enim proprium est in tempore gignere, ob imperfectitudinem ipsorum naturæ: Dei contrà soboles æterna est ob æternitatem naturæ.* Æternitas ergo naturæ ratio formalis est,per quam constituitur æternus Filius sub ratione Filij, sicut Pater sub ratione Patris. Idem proportionali ratione dicendum est de Spiritu sancto. Quod significare voluit Athanasius lib.5.de vnita substantia Deitatis à medio dicens: *Sempiternitas Patris Filius eius est, & sempiternitas Filij Pater eius est, & sempiternitas Spiritus sancti vnita Deitas eius est cum Patre & Filio.*

11 *Immortalitas & incorruptibilitas supponit æternitatem.* Tertiò probatur,quia negationes, quas expressè,ac vocis cortice significant immortalitas,& incorruptibilitas, vt propriam & immediatam rationem fundandi positiuam, supponunt æternitatem.Quapropter si forent tres æternitates;forent etiam tres immortalitates, & tres incorruptibilitates trium hypostaseon. Consequens autem esse falsum, constat ex Athanasio dialog. 1. de sancta Trinit.contra Anomæum inter med.& fin. dicente: *Immortalitas est hypostasis Patris,& immortalitas hypostasis Filij, nec tamen sunt duæ immortalitates.* Et post pauca: *Ista hypostasis est incorruptibilitas,& tamen est vna incorruptibilitas,* non duæ; vt colligitur apertè ex contextu. Subdit autem: *Et eiusmodi alia,* videlicet, ostendens, esse vnum & non plura in Patre & Filio cætera, quæ Dei perfectionẽ significant,negando imperfectionem:vt infinitudo,immutabilitas,& reliqua,de quibus sequenti disp.28.

12 *Ad immensitatem applicãtur eadem probationes.* Præcedentes probationes maximè prima & tertia,seruata proportione,possunt ad immensitatem applicari; siquidem in Athanasij symbolo, sicut Ecclesia profitetur,non esse tres æternos;ita etiam profitetur, non esse tres immensos, sed vnum immensum. Explicatur magis, & confirmatur, quia licet immensitas iuxta corticem vocis immediatè videatur significare negationem mensuræ, circa præsentiam in quocumque loco & spatio; nihilominus profundiori sensu significat perfectionem positiuam, quæ est immediata ratio fundandi talem negationem. Huic perfectioni positiuæ simplex nomen nondum est à theologis impositum. Appellari tamen potest *vbique præsentia*;quia sicut Deus per indiuisibilem æternitatem semper est,& ambit omnia tempora; ita per indiuisibilem vbique præsentiam omnia spatia & loca replens,existit vbique præsens.

Vnde sic arguitur.Si forent tres vbique præsentiæ,forent etiá tres illæ negationes,quas importat nomen immensitatis; ideóque simpliciter forent tres immensi;quia nó solum forent tres habentes; sed etiã tres formæ,tam positiuæ,quàm negatiuæ, quas significant *immensi* substantiuè dicti. Consequens autem est contra symbolum supradictum. 13

Probatur quartò, quoniam æternitas & immensitas, vel includunt, vel supponunt infinitatem in genere entis, vt videbimus sect.sequenti. Sed non sunt tres infinitates in genere entis, eo quod hæc infinitas relationibus non cõuenit, nisi ratione essentiæ,vt videbimus disp.28.sect.1.Ergo non sunt tres æternitates, nec tres immensitates. 14

Probatur quintò,quia æternitas,& vbiquepræsentia,siue immensitas non consequuntur rei existentiam, ratione cuiusque formalitatis, aut proprietatis realis;sed ratione totius & integræ realitatis simul sumptæ. Vnde prouenit, vt quemadmodum tota & integra realitas Diuinitatis non est tres, sed tantùm vnica: sic etiam non sint tres æternitates & immensitates, sed tantum vnica;vt magis explicabitur sect.sequenti. 15

SECTIO II.

Tres relationes diuinæ non sunt tres durationes, neque tres vbicationes, siue præsentiæ locales.

1 *Ratio maioris dubij.* QVoniam esse poterat maior dubitandi ratio de duratione,prout abstrahitur ab æternitate,æuo,& tempore;sic enim videtur esse prædicatum trãscendens quamlibet entitatem increatam siue creatam:similitérque de præsentia locali,siue vbicatione, prout abstrahi potest ab immenso *vbi* Dei, & ab indiuisibili *vbi* substantiarũ spiritualiũ, & ab vbi corporum;nam vt sic videtur esse prædicatum trãscendens quamlibet entitatem:propterea subiungenda fuit præsens conclusio, videlicet, *Non sunt tres durationes, nec tres vbicationes.* non esse tres durationes, neque tres vbicationes, neque simpliciter, neque limitando ad relatiuas.

Probatur primò,quia si fuissent in Deo tres durationes, forent etiam tres æternitates: siquidem illæ durationes fuissent indiuisibiles, inuariabiles sine principio & fine:quapropter illis conueniret definitio æternitatis. Cõfirmatur,quoniam si tres illæ fuissent durationes,& non æternitates;oporteret fingere nouã speciem durationis, hucusque inauditam,quæ multiplicaretur in tribus personis, & tamẽ neque esset æternitas propria,neque æternitas participata, neque esset æuum nec tempus. 2

Eadem ratio,seruata proportione, probat, non esse tres vbicationes; quia forent indiuisibiles,& immobiles præsentiæ ad omnem locum, & omne spatium possibile,sine principio & fine præsentiæ permanentis, & absque vlla mensura;quapropter forent tres immensitates. 3

Probatur secundò,& simul aperitur via soluendi fundamenta contrariæ sententiæ: quoniam essentia durationis siue æternitatis, necnon essentia vbicationis siue immensitatis prohibet eam vocabuli extensionem siue ampliationem, quam in suo nomine patitur natura existentiæ. Cuius à priori ratio est,quia duratio & vbicatio,sicut æternitas & immensitas, sunt prædicata, non perfectè transcen- 4 *Duratio & vbicatio sunt prædicata nõ perfectè trãscendentia.*

transcendentia:quamuis duratio & vbicatio quibuslibet rebus conueniant; attamen non conueniunt ratione cuiusque formalitatis, aut proprietatis realis, quemadmodum conueniunt entitas & existentia. Sed duratio & vbicatio conueniunt ratione totius & integræ realitatis,simul sumptæ, prout existit à parte rei. Quapropter æternitas etiam & immensitas diuinis personis non conuenit, nisi ratione totius Diuinitatis integræ, & simul sumptæ,prout existit à parte rei. Vnde consequens est, vt nequeat multiplicari.

5 Ad explicandum istius rationis robur, obseruandum est, omnibus rebus esse communes duas proprietates,quarum quidditas est fixa, vel potius est ipsamet fixio.Talis autem fixio prorsus est absoluta, nullum omnino continens respectum ad imaginarium spatium fixum, siue successiuum, siue permanens: quamuis à nobis in hac vita nequeat explicari talis fixio, nisi in ordine ad spatium imaginarium fixum;quoniam in hac vita res insensibiles & spirituales intelligere non possumus, nisi per ordinem ad obiecta sensibilia.

6 *Vbi est essentialiter fixũ.* Ex his proprietatibus vna est *vbi*,quod est modus essentialiter fixus, & absolutus ab ordine ad spatium imaginarium fixum: cæterum à nobis explicari non potest, nisi per ordinem ad illud spatium;vt suo loco probauimus tam in philosophia quàm in theologia. Quapropter immensitas Dei essentialiter est *vbi* substantiale, & infinitè fixum, & indiuisibiliter quasi extensum atque diffusum: sed eius infinitas non potest à nobis explicari,nisi per ordinem ad infinitum spatium imaginarium fixum & permanens,veluti dicendo, si crearentur infinita corpora extensa in ordine ad locum, sine vlla penetratione dimensionis,& quæ versus omnem partem nullo prorsus limite clauderentur: illa omnia corpora inuenirent Deum iam præsentem toti spatio imaginario, fixo & permanenti, quod prædictis corporibus repleretur; neque fingi potest aliqua pars spatij, quantumcumque minima,vel quantumcumque distans ab vniuerso mundo, cui non intelligatur Deus coëxistere indiuisibiliter & immobiliter.

7 *Duratio est ipsa fixio existentiæ.* Altera proprietas est duratio, quæ est ipsa existentiæ fixio; sed à nobis explicatur in ordine ad tempus imaginarium. Quapropter æternitas Dei est substantialis duratio diuinæ existentiæ, infinitè & indiuisibiliter fixa, quæ non potest à nobis explicari, nisi per ordinem ad infinita tempora imaginaria, quæ siue præcessissent sine vllo principio, siue sequerentur, aut durarent sine fine, diuinam durationem inuenissent prius, & semper inuentura forent præsentem,& coëxistentem omnibus instantibus & partibus temporis, ita vt sit impossibile imaginari aliquod instans, vel tempus,aut durationem,cui Deus non coëxisteret per suam durationem indiuisibilem & inuariabilem.

8 *Infinitudo in genere entis supponitur ad æternitatẽ & immensitatẽ.* Ex iis fundamentis colligo, ad rationem formalem æternitatis & immensitatis essentialiter præsupponi infinitudinem in genere entis: nam ab hac infinitudine prouenit,ambire, & comprehendere vniuersa loca & tempora possibilia & imaginaria.Cõfirmatur,quoniam æternitas quidditatiuè claudit aut supponit immutabilitatem circa durationem, vt constat ex definitione æternitatis. Ac simili ratione immensitas quidditatiuè claudit aut supponit immobilitatem circa *vbi*. At verò vtraque immutabilitas supponit infinitudinem in genere entis;vt videbimus disput.28. sect. 3.

9 Quibus suppositis, facilè probatur fundamen- tum quartæ & quintæ probationis, positæ sect.1. ad fin. Quia prædicatum,quod in sua ratione formali requirit infinitudinem in genere entis, non conuenit ratione vnius formalitatis præcisè ac per se sumptæ: conuenit enim ratione totius & integræ Diuinitatis,simul sumptæ.Vnde tale prædicatum non multiplicatur propter multiplicationem relationum;quoniam vniuscuiusque relationis formalissima ratio non determinat sibi durationem æternam, neque immensum *vbi*, nisi quatenus includit essentiam diuinam, & ratione infinitudinis in genere entis. *Ideo nõ multiplicatur.*

10 *Neque formalitas abstracta durationis & vbicationis multiplicatur.* Respondebit aliquis, saltem formalitatem aliquam abstractam, atque minus perfectam durationis & vbicationis conuenire singulis relationibus diuinis ratione sui,eo ipso, quod sint entia; quamuis illis non conueniat æternitas neque immensitas. Veruntamen hoc etiam refutatur, instaurando præcedentem rationem, quia duratio essentialiter est fixio, explicabilis comparatione temporis imaginarij: similiter *vbi* essentialiter est fixio,explicabilis comparatione spatij permanentis.Sed nulla fixionum ambarum conuenit rebus, nisi pro sua dignitate ac perfectione. Ideóque duratio & vbicatio Angelorum est superioris ordinis, quàm duratio & vbicatio corporum: imo quanto perfectior est Angelus, tanto maiori spatio coëxistere potest. Ergo quousque intelligas integram rei alicuius essentiam, neutram illius fixionem intelligis, ac proinde non intelligis durationem neque vbicationem.

11 Confirmatur, quia Paternitas v.g. considerata per se sola (præscindendo ab aliis duabus relationibus in recto consideratis) præsens est vbique locorum,ita vt eius præsentia nihilominor,aut contractior sit,quàm vbicalis præsentia totius Trinitatis. Ergo requirit infinitudinem in genere entis propter rationem supradictam. Idem probari potest de æternitate, quoniam duratio propria Paternitatis est non minus inuariabilis, nec minus tota simul atque indiuisibilis,quàm duratio totius Trinitatis;ideóque requirit eádem infinitudinem.

12 *Ad primum argumẽtum. Duratio discrepat ab existentia.* Vnde constat solutio ad fundamenta contrariæ sententiæ posita sect.1.in princip.Ad primum respond. Duratio neque est existentia,neque correspondet existentiæ cuiusque formalitatis præcisè consideratæ: requirit enim totam & integram entitatem.Quod autem duratio plurimum ab existentia discrepet,explicari potest,in quolibet corporeo motu, clarius autem in motu locali:quippe qui quanto fuerit velocior,tanto constabit pluribus existentiæ partibus, sed paucioribus partibus durationis.Contra verò motus quanto fuerit tardior, tanto paucioribus existentiæ partibus constabit; pluribus autem partibus durationis. Vnde fit æqualem esse durationem motus in signis Zodiaci & in stella,quæ proximior est axi totius motus cælestis; cum tamen incomparabiliter maior sit entitas & existentia motus signorum Zodiaci, quàm entitas & existentia motus prædictæ stellæ. Inde prouenit durationis aut æternitatis nomen ampliari non posse ad eum modum,quo nonnunquam ampliatur existentiæ nomen,vt videmus in præsenti sect. probat.2. Idem, seruata proportione,probari potest de vbicatione, quam contingit esse minorem, siue magis contractam in pluribus partibus entitatis & existentiæ.

13 *Duratio & vbicatio non perfectè trans cendunt.* Ad secundum fundamentum respond. Duratio & vbicatio sunt prædicata, quodammodo transcendentia, quatenus cuicumque rei conueniunt. Sed non sunt perfectè transcendentia, quia non conue-

conueniunt ratione cuiuſque formalitatis præciſæ: vt nuper explicatum eſt. Ad confirmationem ex dictis conſtat, antecedens eſſe falſum. Quamuis enim vltima quæque differentia cuiuſque creaturæ durationem habeat, & vbicationem: vtramque tamen proprietatem non ſortitur præcisè ratione ſui; ſed in quantum continetur in aliqua totali & integra entitate reali.

14 *Relationis creatæ diſcrimen quàtum ad durationẽ diſtinctam à fundamento.*

Ad tertium fundamentum conſequentia negatur; quoniam relationes creatæ habent ſuam eſſentiam, adæquata ſpecie diuerſam à fundamento: ideóque poſſunt interire, manente fundamento. Quod non eſt poſſibile diuinis relationibus non ſolum, quoniam vtcumque ſunt entia diuina, ſed etiam propter ſummam connexionem & mutuam exigentiam ſummopere neceſſariam; maximè verò propter ſummam identitatem eſſentiæ cum infimo gradu diſtinctionis per intellectum. Sed in præſenti non eſt opus diſputare de relatione creata, quomodo finiatur eius duratio, manente duratione fundamenti, ſi diſtinguantur ſola ratione. Satis eſt notare diſcrimen, quod eſſentia fundamenti non includitur quidditatiuè in eſſentia relationis creatæ. Ideóque neque duratio fundamenti quidditatiuè clauditur in duratione relationis creatæ.

SECTIO III.

Vtrum tres relationes, ſiue tres perſonæ diuinæ ſint tres vnitates.

1 *Vnum caret plurali numero.*

QVamuis inter tranſcendentia communiter referatur *vnum* in concreto, non *vnitas* in abſtracto; quæſtio præſens agit de multiplicandis vnitatibus in abſtracto, non ſolum, quia ſeruata proprietate Latini ſermonis, quæſtio præſens adaptari non potuit ad *vnum* in concreto: ſiquidem hoc nomen plurali numero caret, ne poſſimus dicere *tria vna*, neque *tres vnos*; ſed etiam quoniam vnitas in abſtracto plerunque ſumitur pro re vna, veluti cum dicimus, numerum ex vnitatibus conſtare. Quapropter licet terminatio ſit tanquam abſtracti nominis; attamen ſignificatio eſt eadem, quæ nominis concreti. Vnde Boëtius lib. de Trinit. propius ad med. quàm ad princip. ait: *Vnum res eſt vnitas, quæ vnum dicimus.*

2 *Tres vnitates negãt aliqui.*

Non deſunt, qui abſolutè negauerint, tres perſonas eſſe tres vnitates tranſcendentales. Quæ ſententia tribuitur Ricardo de Mediauilla. Sed ille contrarium exiſtimat, vt ſtatim referemus.

Fauere videtur Anaſtaſius.

Potuiſſet autem pro eadem ſententia referri Anaſtaſius Sinayra lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus prope med. cum ait: *Trinitatem ipſi dicimus, non eam, quæ vnitatum compoſitione conflatur, non item, quæ ab vnitate p. greditur ad ternionem. Hunc enim numerum prætergreditur vnitas, dein duernio, dein ternionem conſequitur quaternio: hac autem Trinitate non vnitas exiſtit prior,* &c. Mens tamen Anaſtaſij eſt, ſolummodo negare compoſitionem, ex vnitatibus reſultantem, & realem prioritatem, per quam vnitas realiter præcedat numerum; inſuper negare completam & adæquatam rationem vnitatis; de qua dicemus aſſertione ſecunda.

3 *Argumẽtum.*

Nonnulli argumentantur, quia vel talis vnitas eſſet ſpecifica, vel numerica. Non ſpecifica, quia hæc eſt vnitas rationis, & communis ſiue vniuerſalis: at perſona quælibet eſt ſingularis. Neque eſſet vnitas numerica, nam alias tres perſonæ forent tria indiuidua, ſolo numero differentia; quod videntur aliqui Patres negare. Nihilominus ſolutio conſtat ex dictis diſp. 17. ſect. 4. Nam diſtinctio relationum eſt quaſi ſpecifica, propter diuerſum modum reſpiciendi diuerſum terminum; & eſt diſtinctio quaſi numerica, quoniam omnes relationes ſunt eiuſdem ſubſtantiæ & eſſentiæ: ſed de hoc plura dicemus diſp. 35. ſect. 5. & ſequentibus.

4 *Remittuntur alia.*

Alias obiectiones, procedentes ex eo, quod tres vnitates efficiant numerum, qui videatur imperfectionem aliquam continere, tractabimus diſput. 37. & 38.

5 *Tres vnitates ſimpliciter.*

Dico igitur primò. Tres perſonæ, ſiue tres relationes ſimpliciter dici poſſunt tres vnitates. Nam & Nazianzenus orat. 35. quæ eſt 3. de theologia col. 2. num. 7. & 8. de tribus perſonis ita loquitur: *Etiam ſi numero differant, potentia tamen minimè inter ſe diſſident. Quocirca vnitas principio in binarium mota, in Trinitate conſtitit.* Boëtius lib. de Trinit. propiùs ad med. quàm ad princ. tanquam certum ſupponit, eſſe tres vnitates, cum ait: *Tres vnitates non faciunt pluralitatem numeri in eo, quod ipſæ ſunt.* Videlicet, in eſſentia & ſubſtantia non faciunt pluralitatem, quia vna eſt eſſentia trium relationum. Atque iterum paulo inferius perſonas appellat *vnitates.*

6

Idem Boëtius lib. de vnitate & vno prope fin. *Omnis*, inquit, *pluralitas ex vnitatibus eſt.* Et in fine concludit: *Vnitas ergo eſt, qua vnaquæque res vna eſt, & eſt id quod eſt.* Quibus verbis per identitatem poſitiuam, quæ eſt relatio rationis rei ad ſe ipſam, Boëtius explicuit, quod Scholaſtici infra citandi definiunt per negationem diuiſionis. Rhomenſe concilium ſub Eugenio III. manifeſtè ſupponit, eſſe in Deo relationes & *vnitates.* Addit autem contra Gilbertum, has *vnitates* eſſe ipſum Deum; vt vidimus diſp. 11. ſect. 1. non procul à princ.

7 *Tres vnitates non prædicamentales, ſed tranſcendentales, & inadæquatã pluralitatẽ habentes.*

Ad explicationem atque probationem præcedentis aſſertionis. Dico ſecundò. Tres perſonæ diuinæ, ſiue tres relationes, non ſunt tres vnitates prædicamentales, ſed tres vnitates tranſcendentales, non habentes omnino completam & adæquatam quidditatem plurium vnitatum; eo quod tres vnitates relatiuæ realiter identificantur cum aliqua tertia vnitate; ita vt tres vnitates ſimul ſint vna vnitas. Quapropter, quemadmodum Trinitas non habet plenam & adæquatam rationem numeri, vt videbimus diſput. 37. ſect. 2. & 3. Ita etiam non habet plenam & adæquatam rationem plurium vnitatum.

8

In hoc ſenſu plures vnitates tranſcendentales manifeſtè cõcedit S. Thom. infra q. 30. art. 3. corp. præſertim in fin. illis verbis: *Cum dicimus, perſonæ ſunt plures, ſignificantur illæ perſonæ, & indiuiſio circa vnamquamque earum; quia de ratione multitudinis eſt, quod ex vnitatibus conſtet.* Et conſequenter ad primum: *Vnum*, inquit, *cum ſit de tranſcendentibus, eſt communius, quàm ſubſtantia, & quàm relatio, & ſimiliter multitudo. Vnde poteſt ſtare in diuinis & pro ſubſtantia, & pro relatione, ſecundum quod competit his, quibus adiungitur.* Quam doctrinam fuſiùs explicuerat S. Thomas 1. diſtinct. 24. tota quæſt. 1. præſertim art. 3. & 4.

9

Idem exiſtimant Alexander 1. p. q. 45. memb. 2. & 3. Albertus q. 42. memb. 2. partic. 1. & ſequentib. S. Bonauent. diſt. 24. art. 2. q. 1. Henricus 2. p. art. 43. q. 3. fine. Durandus 1. diſt. 24. art. 1. & 2. & 3. inter ſe collatis. Gregor. eadem diſt. 24. q. 1. & q. 2. præſertim art. 3. & 4. inter ſe collatis. Marſilius q. 27. art. 2. concl. 2. & art. 3. præſertim à med. Clarius ac fuſiùs Ricardus 1. diſt. 2. art. 2. q. 1. ad 4. & diſt. 19. art. 3. ad 4. & diſt. 24. art. 1. q. 1. ad 4. & q. 3. & art. 2. q. 2. corp. Carthuſian. eadem diſt. 24. quæſt. 2. & 3. Capreolus

Capreolus diſt. 24. q. vnic. art. 2. Vbi Deza art. 3. & 4. Caietanus, Canarien. & alij expoſitores S. Thomæ 1. p. q. 30. art. 3. Vazquez diſp. 129. præſertim cap. 2. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 7.

10

Conſonat Gabriel. 1. diſt. 24. q. 2. art. 2. & 3. poſt med. & fortaſſe nihil in re diſſentiunt Scotus in eadem diſtinct. 24. quæſt. vnica, & Argentina ibidem præſertim art. 4. negantes in Deo numerum ſimpliciter & propriè dictum; nam eodem ſenſu videntur negare plures vnitates: veruntamen non intendunt negare vnitates tranſcendentales, conuenientes in vnica vnitate abſoluta.

11

De quidditate vnitatis & numeri, & vtrum conſiſtant formaliter in poſitiuo, vel in negatione, copiosè & ex profeſſo diſputant antiqui ſcholaſtici 1. diſtinct. 24. non modò, qui nuper citati ſunt, ſed etiam alij plerique. Veruntamen quia res eſt metaphyſicæ propria, atque ibi iam ex profeſſo diſputata; quod ſi tractanda foret in theologia, magis opportunum locum habere debuiſſet ſupra quæſt. 11. quando S. Thomas diſſerit de vnitate Dei: propterea ſatis erit in præſenti ſupponere, plures ac nobiliores authores cum Ariſtotele, ac D. Thoma, ſolidiori rationis fundamento decreuiſſe, quod vnum nihil aliud eſt, quàm ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio. Vnde conſequenter vnitas, vel eſt entitas, indiuiſa in ſe, & diuiſa à qualibet alia; vel ſi magis abſtractè ſumitur vnitas, eſt ipſamet indiuiſio in ſe, & diuiſio à quolibet alio.

Vnum eſt ens indiuiſum in ſe & diuiſum ab alijs.

12

Quo ſuppoſito, primam & ſecundam aſſertionem ſimul probo primò. Quia vnaquæque perſona diuina eſt entitas indiuiſa in ſe, & quodammodo diuiſa, id eſt, diſtincta à qualibet alia perſona: ergo vnaquæque habet propriam & peculiarem ſibi perſonalem vnitatem, per quam conſtituitur in ratione vnius perſonæ.

13 *Nõ ſunt plenè & adæquatè plures.*

Quod autem vnaquæque perſona non ſit adæquatè atque plenè diuiſa à qualibet alia perſona, hoc probat ſecundam aſſertionem, videlicet tres perſonas non eſſe plenè & adæquatè plures vnitates; eo quod tres perſonæ identificantur inadæquatè in vnica vnitate, quæ eſt diuinitas, ſiue eſſentia diuina. Confirmatur, nam quod Pater ſit formaliter vna perſona, non habet ex vnitate eſſentiæ; alias Pater & Filius & Spiritus ſanctus, omnes ſimul ſumpti, eſſent vna perſona, ſicut ſunt vnus Deus. Ergo quod Pater ſit vna perſona, habet ex propria & peculiari vnitate perſonali & relatiua. Similiter autem Filius & Spiritus ſanctus. Quapropter vnicuique perſonæ ſua peculiaris vnitas conueniet.

14

Vnde probatur ſecundò ex frequenti doctrina Patrum, aſſerentium idem, quod Eccleſia canit in ſymbolo Athanaſij: *Vnus Pater, non tres patres, vnus Filius, non tres filij, vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti*, addendo, Patrem nõ eſſe Filium neque Spiritum ſanctum, ſimiliter Filium non eſſe Patrem, neque Spiritum ſanctum, &c. Quod fuſiùs perſequitur Damaſcenus lib. 1. fidei c. 11. poſt med.

15

Eodem modo loquuntur Ignatius, Epiphanius, Baſilius & Hilarius, citati diſp. 22. ſect. 7. Quibus adde Ambroſium lib. 4. de fide ad Gratianum c. 4. poſt med. Vbi confirmat teſtimonio Pauli 1. Corinth. 8. dicentis: *Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia & nos in illum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Sumendo etiam ex cap. 12. eiuſdem epiſtolæ, *Vnus & idem Spiritus.*

16

Ex quibus ita conficitur argumentum, Pater eſt vnus non ſolum in ratione Dei, ſed etiam in ratione Patris: ſub qua ratione Filius non eſt vnus Pater, neque Spiritus ſanctus eſt vnus Pater. Ex oppoſito Verbum eſt vnus Filius, cum tamen Pater non ſit vnus Filius, & ſimiliter Spiritus ſanctus. Ergo quælibet trium perſonarum eſt peculiari quadam ratione vna, ac proinde ſortitur vnitatem ab alia diſtinctam.

17

Declaratur & confirmatur, quia licet Pater ſit Deus, & Filius ſit Deus, & Spiritus ſanctus ſit Deus: inde tamen non ſequitur, eſſe tres Deos; quia Diuinitas eadem eſt tribus perſonis; neque Diuinitas conuenit propter peculiarem & propriam quidditatem Patris, aut quidditatem Filij, vel Spiritus ſancti. At verò quod Pater ſit vnus Pater, & nõ plures patres; hoc ei conuenit propter propriam, perſonalem & relatiuam quidditatem Patris. Idem intellige de Filio & Spiritu ſancto.

18 *Negationes multiplicantur, entitate multiplicata.*

Probatur tertiò, quoniam vnitas, vt ſupra diximus, formaliter conſiſtit in negatione diuiſionis: huiuſmodi autem negationes multiplicari in tribus perſonis non eſt inconueniens; quandoquidem earum proximum fundamentum ſunt entitates. Vidimus autem diſput. 26. ſect. 1. & 2. tres perſonas, ſiue tres relationes diuinas eſſe tres entitates, ſiue tres realitates. Quocirca ſiue reſpicias materialia habentia, ſiue formaliſſimam rationem vnitatis ex vtraque parte reperies multiplicationem: ſemper tamen addita ea limitatione, quam diximus probatione 1.

19

Probatur quartò. Nam vnitas eſt vnum ex tranſcendentibus; abſtrahit enim à relatiuo & abſoluto, vt obſeruauit S. Thomas dicta quæſt. 30. art. 3. ad 1. Ergo multiplicari poteſt multiplicatis relationibus, iuxta doctrinam traditam præcedenti diſput. 26. præſertim ſect. 4. Vnitas enim eſt perfectè tranſcendens ſicut ens vel res, ideóque multiplicari debet ſicut ens & res.

20 *Ternarius numerus in Deo.*

Probatur quintò, quoniam in Trinitate reperitur ternarius numerus, quamuis ille non habeat plenam & adæquatam rationem numeri, vt videbimus diſput. 37. ſect. 2. & 3. Sed numerus ternarius nihil aliud eſt, quàm tres vnitates. Ergo in Trinitate reperiuntur tres vnitates; quamuis illæ non habeant plenam & adæquatam rationem vnitatis, vt ſupra explicatum eſt.

21 *Simul eſt dicendum eſſe vnicam vnitatem, quãdo dixeris tres vnitates.*

Ex dictis infero & dico tertiò. Quoties aſſerueris, tres relationes diuinas eſſe tres vnitates, oportebit adiungere, ſimul eſſe vnicam vnitatem eſſentialem & ſubſtantialem; vt procul abſis à ſuſpicione contrarij erroris. Sic Eccleſia in veſperis ſanctiſſimę Trinitatis canit; *Sancta & vna Vnitas.* Et in ſymbolo Athanaſij; *Vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate.* Qua eadem loquendi forma libenter vtuntur plerique Patres, præcipuè Iuſtinus in expoſitione fidei de Trinit. prope med. Cyrillus Alexand. in dialogis de Trinit. necnon in libris theſauri. Ambroſius in ſymbolum Apoſtolorum & in libris de fide ad Gratianum. Sophronius Patriarc. Conſtantinopol. in ſexta Synodo actione 11. in epiſtola profeſſionis fidei col. 2. Agatho Papa in eadem ſexta Synodo in epiſtola quæ eſt inſtructio legatorum colum. 2. Martinus I. in decretis ſynodicis contra Theodorum & Cyrum c. 1. Concilium Anglicanum apud Bedam lib. 4. hiſtoriæ Anglicanæ cap. 13. Nazianzenus orat. 23. in laudem Heronis prope fin.

22

Baſil. lib. 1. contra Eunomium inter med. & fin. ait: *Vt diſtinctio per numerum ſit, & proprietatibus, quibus vtrumque deſignatur: ratione verò Deitatis vnitas inſpiciatur.* Epiphanius hæreſ. 69. inter princip. & med. *Pater Filius & Spiritus ſanctus vnus*

Deus Trinitas in veritate,& monas in vnitate. Similiter loquitur in ancorato propius ad princ.quàm ad med.& iterum pag.penult. *Vna est*, inquit,*vnitas Patris,Filij & Spiritus sancti.* Ephræm.Syrus in serm. de pœnitentia propius ad med. quàm ad princ. pag.571. *Nec enim sola vnitas, neque Trinitas est diuinitas,sed vtrumque simul.* Anastasius Synaita lib.1. de rectæ fidei dogmatibus prope med. *Vnitas cum sit,conspicitur esse Trinitas: Trinitas nihilominus animaduersa vnitas est.*

23 Augustinus serm.38. de tempore non procul à princip.dicit: *Pater,Filius & Spiritus sanctus est inseparabilis in Diuinitate vnitas.* Anselmus in prosologio cap.23. à med. *Quod autem est singulus quisque,hoc est tota Trinitas, simul Pater,& Filius & Spiritus sanctus*; *quoniam singulus quisque non est aliud, quàm summè simplex vnitas,& summè vna simplicitas: quæ nec multiplicari, neque aliud & aliud esse potest.* Bernard. lib.5.de considerat. ad Eugenium paulo post med. *Dices*, inquit,*tres, sed non ad præiudicium vnitatis, pluralitas in vnitate,& ipsa in pluralitate.*

SECTIO IV.

Vtrum tres relationes diuinæ sint tres veritates.

1 *Veritas primaria in intellectu.* EX Metaphysica & ex Theologia, præsertim apud S.Thomam supra quæst.16.art.1.suppono, duplicem esse veritatem. Altera quippe veritas est primaria,consistens in intellectu,iudicante rem, prout est in se; de qua Philosophus 1.posterior. text.5.dixit: Ex eo quod res est, vel non est, orationem dici veram vel falsam. Et Augustinus lib.de vera relig. cap.36. *Veritas est, qua ostenditur id quod est.* Et Hilarius apud S.Thomam dicto art.1. *Verum est declaratiuum, aut manifestatiuum esse.* Hæc igitur veritas in Deo idem est, quod sapientia diuina: quapropter est attributum absolutum, tribus personis conueniens ratione essentiæ, cuius intellectus & iudicium non solum est maximè conforme quibuslibet rebus increatis, siue creatis, prout in se sunt: sed etiam est ipsum esse suum, quod est præcipuum illius obiectum cognitum: sicut obseruauit S.Thomas dicta q.16. artic.5.

2 *Secundaria veritas in rebus.* A veritate intellectus, quæ est primarium analogatum, deriuatur secundaria veritas, quæ est in rebus per comparationem ad intellectum verum, cui possunt conformari. Porrò quantum attinet ad Deum, hæc veritas est duplex, altera est idem, quod veracitas, videlicet; in quantum sermo vel oratio est signum conforme vero intellectui. Huiusmodi veritas est attributum non minus absolutum, quàm præcedens, tribus personis conueniens ratione essentiæ, non ratione relationis: consistit enim in eo, quod propter infinitam sapientiam non possit falli, & propter infinitum amorem veritatis non possit velle fallere. De hac igitur veracitate,sicut de præcedente,certissimum est, non multiplicari pro numero relationum; ideóque tres personas non esse tres veritates in iudicando, neque tres veracitates in loquendo & significando exterius. *Veracitas nõ multiplicatur.*

3 *Veritas transcendens.* In præsenti subdiuisione veritatis rerum, restat solummodo veritas transcendens, quæ conuertitur cum ente, in quantum ordinem habet ad cognitionem.Quod Augustinus soliloq.lib.2.cap.5. in fin.definit,*Verum est id quod est.* Et Anselmus in dialog.de veritate cap.12. *Veritas est rectitudo, sola mente perceptibilis.* Et ex præcedentibus capitibus 7. 8. & 10. constat, hæc intelligere comparatione diuinæ mentis & summæ veritatis, ita vt *idcirco veritas sit in rerum essentia, quia hoc sunt, quod sunt in summa veritate.*

De hac veritate transcendente sit prima conclusio certa. Tres personæ,siue tres relationes diuinæ sunt vna veritas transcendentalis, in quantum sunt vna essentia siue substantia, cuius esse *non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est suum intelligere.* Quo fundamento S.Thom. dicta q.16. art.5.probauit,veritatem rei Deo maximè conuenire, vt rectè explicuit Caietanus ibi. Confirmatur. Nam Damasus Papa I. in professione fidei & anathematismis aduersus hæreses Apollinaris, Arij, &c. anathematizat eum,qui non dixerit Patris & Filij & Spiritus sancti *vnum regnum, atque vnam voluntatem ac veritatem.* 4 *Prima conclusio. Tres personæ sunt vna veritas transcendentalis.* 5

Augustinus lib.6.de Trinit.cap.7. in princ. *Eadem*, inquit, *magnitudo Dei est,quæ sapientia*; *eadem bonitas,quæ sapientia & magnitudo*; *& eadem veritas, quæ illa omnia, & non est ibi aliud beatum esse, aliud magnum esse aut sapientem aut verum,aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Vbi planè veritatem connumerat inter alia attributa absoluta.Consequenter igitur lib.7.cap.2.in princ. concludit: *Pater igitur & Filius simul vna essentia & magnitudo,& vna veritas, & vna sapientia.*

Rursus lib.8. de Trinit. c.1. circa med. eandem esse magnitudinem trium personarum, nec maius aliquid esse tres personas simul, quàm vnam illarum, probat hoc argumento; *Vbi magnitudo ipsa veritas est,quidquid plus habet magnitudinis,necesse est vt plus habeat veritatis. Quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porrò, quidquid plus habet veritatis profectò verius est*; *sicut maius est quod plus habet magnitudinis: hoc ergo ibi est maius quod verius. Non autem verius est Pater & Filius simul, quàm singulus Pater, aut singulus Filius. Non igitur maius aliquid vtrumque simul, quàm singulum eorum. Et quoniam æquè verè est etiam Spiritus sanctus, nèc Pater & Filius simul maius aliquid est, quàm ipse, quia nec verius est. Pater quoque & Spiritus sanctus quoniam veritate non superant Filium, non enim verius sunt,nec magnitudine superant. Atque ita Filius & Spiritus sanctus simul tam magnum aliquid sunt,quàm Pater solus,quia tam verè sunt. Sic & ipsa Trinitas tam magnum est, quàm vnaquæque ibi persona. Non enim ibi maior est, quæ verior non est, vbi est ipsa veritas magnitudo. Quia in essentia veritatis, hoc est verum esse quod esse,& hoc est esse quod est magnum esse, hoc est ergo magnum esse quod verum esse.* Quæ verba ponderabimus pro conclusione secunda. 6

Fulgentius lib.de fide ad Petrum cap.2. multo propiùs ad fin.quàm ad med.tanquam de attributo communi Patri & Filio, de veritate loquitur, dicens: *Deus est veritas. Pater est verus, & veritas. Filius est verus & veritas, & similes propositiones.* 7

Clariùs ad rem præsentem locutus est Boëtius lib. *An Pater & Filius & Spiritus sanctus de Diuinitate substantialiter prædicentur.* prope med. dicens: *Pater veritas est,Filius veritas est,Spiritus sanctus veritas est, non tres veritates,sed vna veritas. Si igitur vna in his substantia vna veritas, necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de incommutabilitate, de iustitia, ac de cæteris omnibus, quæ tam de singulis, quàm de omnibus singulariter prædicamus.* 8

Anselmus in prosologio cap.23.sub init.sic Patrem alloquitur: *Verbum tuum sic est verum,quomodo tu verax. Et idcirco est ipsa veritas,sicut tu non alia, quàm tu.* Quibus consonat in dialog. de veritate 9

c.7. & 11. probans,*summam veritatem esse vnicam,* Bernardus serm.80. in canti. prope fin. *Pater*, inquit, *est verus,ideſt, veritas. Filius est verus,ideſt,veritas.Spiritus sanctus est verus,ideſt,veritas. Et hi tres vnus verus, ideſt, vna veritas.* Confirmátque testimonio Fulgentij dicentis:*Vna quippe veritas vnius Dei, imo vna veritas vnus Deus nõ patitur,seruitium atque cultura creatoris creaturæq; coniungi.*

10 *Tres veritates relatiuas affirmant alij.* Non obstante veritate conclusionis præcedentis, inquirendum superest, vtrum tres personæ sint tres veritates transcendentales relatiuæ. Affirmant docti recentiores, vt Vazquez disp. 122. cap.7. n.28. Suarez lib.3. de Trinit. cap.3.& 4.Et à fortiori idem affirmant omnes qui infra disp.30. sect.1. docent, esse tres bonitates.

11 *Primum argumentum.* Primum argumentum accipiunt ex 1. Ioan. 5. *Vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus.* Vnde inferunt, personæ Filij dupliciter conuenire veritatem in essendo,scilicet,in ratione Filij & in ratione Dei.Veritatem in ratione Dei habet ex Diuinitate,communi tribus personis:alteram autem veritatem in ratione Filij habet ex proprietate relatiua & incõmunicabili. Rursus, cum Pater non sit verus Filius, sed verus Pater; illius veritas in ratione Patris erit realiter distincta à veritate Filij in ratione Filij. Similitérque veritas, per quam Spiritus est verus Spiritus sanctus,erit veritas realiter distincta. Ergo in tribus personis sunt tres veritates personales & incommunicabiles inter se realiter distinctæ:quamuis realiter identificentur cum vnica veritate absoluta nuper explicata.

12 *Pater est verè Pater & Filius verè Filius.* His adde confirmationem primam ex omnibus testimoniis Patrum,asserentium,Patrem verè esse Patrem, & Filium verè esse Filium, & Spiritum sanctum verè esse Spiritum sanctũ, quorum multa retulimus disput.4, sect. 3. pro assertione 1. & referemus disp.51.de persona Patris, & iterum de Verbo disp. 55. & de persona Spiritus sancti disp. 66. & 67. Secundò confirmari potest, quoniam Damasus Papa in professione fidei & anathematismis, relatus pro conclusione 1. postquam dixerat *vnam veritatem*, anathematizat eum, *qui tres personas non dixerit veras Patris,Filij & Spiritus sancti.* Vbi veritatem in ratione trium personarum contra Sabellium distinguit à veritate in ratione Dei; ac proinde videtur distinguere tres veritates. Confirmatur tertiò, nam hæc veritas, Pater est ingenitus, & generat, est distincta realiter ab alia veritate, Verbum generatur per intellectum, & simul cum Patre spirat Spiritũ sanctũ.Denique ab his realiter distinguitur alia veritas, Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit per voluntatem.

13 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum. Quoniam prædicata transcendentalia multiplicantur, vt vidimus disp. 26. Veritas autem est transcendentalis & conuertitur cum entitate,quatenus omnis entitas,secundum propriam quidditatem, potest esse conformis proprio conceptui alicuius intellectus. Confirmatur,quia tres relationes diuinæ sunt tres entitates, siue realitates; vt ostendimus disp.26.sed vt sic non sunt falsæ realitates,nec falsò sunt tres, in ratione realitatum. Ergo propriam veritatem habent in ratione trium realitatum.

SECTIO V.

Tres relationes diuinæ non sunt tres veritates, nisi impropriè, nec tres int[illegible]ibilitates.

1 NOn obstantibus argumentis [illegible]tis in fine præcedentis sectionis,sit secun[illegible] conclusio, magis directè respondens difficultati propositæ in principio sectionis eiusdem. Absolutè propriéque loquendo, tres relationes diuinæ non sunt tres veritates in essendo siue transcendentales. Ita existimant S.Bonauent. lib.2. sent.dist.38.dubio literali 3. Ricardus 1. dist. 19. art.3. quæst.3. ex professo, & distinct.24. artic.1. quæst. 3. ad 1. Henricus 1.p.art.34. tota quæst.2. Alex.1.p.q.15. memb.7. ad 1. Aureolus 1.distinct.19. p.3. art.3. in fine corporis. Bellarmin.tom.1.lib.2. de Christo cap.16.

Idem colligitur ex Magistro, & communiter Scholasticis 1. dist.19. prope fin. quatenus recipiunt doctrinam Augustini, quam statim ponderabimus. De quo S.Thomas præ cæteris Scholasticis dist.19. quæst.5.art.3.corp. & ad 1. expressè docuit, sicut est trium personarum vnum esse, & vna essentia; ita esse vnicam veritatem; quamuis sint plures proprietates personales. Eadémque videtur fuisse mens illius 1.p.q.16. art.5. corp. & art.6. Alij Scholastici tacendo, & non disputando, consentire videntur, vt S.Bonauentura, Durandus, Scotus,Carthusianus. Præcipuè verò Albertus 1.p.q.25. memb.1. art.2. part.2. post med. 2

Valde probabiliter præsens conclusio colligitur ex testimoniis Patrum, adductis sect. præcedenti pro conclusione 1. Potissimum autem ex Boëtio, expresè dicente: *Non tres veritates.* Nec non ex Augustino lib.8. de Trinit.cap.1.tum quia si tres personæ forent tres veritates; maior esset veritas trium personarum simul, quàm vnius tantum personæ: quod Augustinus citatus negauit. Tum,quia secũdum eundem,veritas in Deo idem est, quod magnitudo & esse: atque in Deo non sunt tres magnitudines, nec tria esse. 3 *Colligitur ex Patribus.*

Ratione probat Ricardus citatus, quia veritas nominat essentiam,in quantum est conformis intellectui vero: sed trium personarum non sunt tres essentiæ, verùm vnica tantùm. Atque eadem ferè ratio est Alexandri citati. Verum hæc principium petit. Cur enim veritas transcendentalis non erit quælibet res siue quidditas, etiam relatiua, in quantum est conformis intellectui. 4 *Insufficiens probatio.*

Idem fundamentum probare nititur Henricus art.34. dicta quæst.2. corp. prope med. Quia respectus in Deo nihil essentialitatis, vel substantialitatis, vel realitatis habet; nisi per illud,super quod fundatur. Omnis ergo natura realitatis in Deo, consistit in Diuina essentia, vt essentia vel substantia est; & super ipsam fundantur omnes respectus diuini: ita etiam quod etsi persona in Deo habeat aliquid realitatis, in quantum dicuntur tres personæ esse tres res: ratio tamen veritatis non fundatur super rem, vt est personæ, siue personalis: sed vt est naturæ, siue essentialis. Vnde cum veritas non est in aliquo, nisi id in quo firmitas sua, & realitas absoluta consistit; sequitur, quod in Deo non potest esse nisi vnica & essentialis veritas. Hanc rationem licet prolixè confirmet Henricus, nihil tamen auget roboris. 5 *Falsum fundamentum Henrici.*

Eius ergo refutatio facilè constat, non solum ex tota disput.9. præsertim sect.5.& 6. vbi probatum est, diuinas relationes esse reales, secundum vltimam rationem relationis; sed etiam ex disp. 26. sect.1. & 2. vbi contra eundem Henricum & alios probatum est, tres relationes esse tres realitates, tres entitates & tria entia, non solum adiectiuè, sed etiam substantiuè. 6

Solida tandem ratio præsentis conclusionis est, quoniam veritas propriè & absolutè dicta,non est perfectè transcendens; quia non conuenit rei 7 *Veritas propriè dicta non est perfectè transcendẽs.*

propter vnamquamque formalitatem illius, præcisam ab aliis; sed requirit, & complectitur integram totius rei entitatem. Vnde prouenit, veritatem non multiplicari, nisi res multiplicentur totaliter & adæquatè. At verò relationes diuinæ non sunt res totaliter & adæquatè multiplicatæ. Huius consequentiæ vis in simili declarata est sect. 1. & 2. Antecedens autem probatur; quia sicut propositio copulatiua constans mille propositionibus cathegoricis, non erit absolutè vera, sed absolutè falsa; nisi omnes cathegoricæ fuerint simul veræ; ita rei entitas, vt intelligibilis & affirmabilis est ab intellectu per iudicium verum, non erit absolutè vera; nisi contineat omnes formalitates ac realitates, pertinentes ad sui complementum.

8 *Dei veritas includit tres personas.* Confirmatur primò; quia Deus non esset verus Deus, si non esset Pater generans, & Filius genitus, & Spiritus sanctus procedens: & consequenter Deus esset Trinitas. Rursus Pater non esset Pater; nisi ab æterno existeret Filius, consors eiusdē Diuinitatis: & vtraque persona non esset verus Spirator; nisi existeret Spiritus sanctus, consors eiusdem Diuinitatis, per voluntatem procedens. Idem intellige de cæteris omnibus propositionibus, pertinentibus ad Trinitatem. Ergo veritas Dei, & veritas cuiusque personæ diuinæ, per se sumptæ, necessariò coharet cum cæteris omnibus veritatibus, ita vt sine illis reddatur falsa. Quocirca veritates omnes coalescunt in vnam quasi copulatiuam.

9 Confirmatur secundò, nam in hoc sensu vim habet argumentum Alexandri dicta q. 15. mem. 6. ad 2. simul diluens obiectionem oppositam, quia Patrem generare nihil aliud est, quàm Patrem esse: Filium generari, idem est quod Filium esse: Spiritum sanctum procedere idem est quod Spiritum sanctum esse. Sed cum dico Patrem esse, & Filium esse, & Spiritum sanctum esse; dico vnum & idem esse, siue eandem essentiam. Ergo tres illæ veritates actiuæ generationis & passiuæ atque processionis reducuntur ad essentiam diuinam, & ab illa habent rationem veritatis, & cum illa coalescunt in vnam indiuisibilem veritatem.

10 Confirmatur tertiò, quoniam definitio, communiter recepta ab antiquioribus Scholasticis, atque deducta ex variis definitionibus Augustini & Anselmi sic habet: *Veritas est adæquatio rei & intellectus.* Sed res diuina non adæquat intellectum diuinum ex eo solum, quod sit infinita, sapiens, omnipotens, &c. nisi eadem res sit Pater generans, & Filius genitus, & Spiritus sanctus procedens. Ergo non est veritas vnius personæ per se sumptæ, nisi prout cōpulatur cum cæteris personis, adæquantibus diuinam comprehensionem. Antecedens constat apud Alex. 1. p. q. 15. memb. 3. in 4. definitione. Albertum 1. p. q. 25. memb. 2. art. 1. ad 5. Henricum in summa art. 34. quæst. 2. post med. corpor. & alios.

11 Iuxta quod principium verum est, quod idem Henricus prope init. corpor. dixerat, perfectam rationem veritatis in eo consistere, quod res sit hoc, quod natura sua requirit, continendo scilicet in se quidquid ad naturam & essentiam suam concurrit, & hoc sub ratione huiusmodi, qua est declaratiua sui apud intellectum.

12 *Impropriè loquendo sunt tres veritates transcendentales.* Tertia conclusio. Tres diuinæ personæ quodammodo, & impropriè loquendo, sunt tres veritates transcendentales. Nam impropriè loquendo, possumus accipere veritatem pro quadam quasi parte veritatis, quæ sola ratione distinguitur à reliquis quasi partibus, & complet cum illis veritatem essentiæ. Et hoc modo tres personæ sunt quasi tres partes, sola ratione distinctæ à veritate essentiæ diuinæ, & illam complētes. Quod explicari potest exemplo præcedentis conclusionis. Quamuis enim absolutè loquendo sit vnica tantùm veritas propositionis copulatiuæ; attamen quodammodo sunt plures partiales veritates illius. Hanc conclusionem solummodo probant argumenta contrariæ sententiæ, posita sect. præced. ad fin. Quorum solutio constat ex hac & præcedenti conclusione.

13 *Ille veritates sunt primæ.* Ex dictis sumitur facilis & expedita solutio quarundam difficultatum. Prima est, vtrum dictæ veritates partiales sint primæ vel secundæ veritates. Respondeo esse primas veritates partiales, impropriè loquendo; quia propriè coalescunt in vnicam integram veritatem primam.

14 *Vnica veritas cōstituit Trinitatem veram.* Secunda difficultas, vtrum sit alia distincta veritas, per quam Trinitas constituitur in ratione veræ Trinitatis. Respondeo, non esse aliam veritatem, præter illam vnicam, integram & completam veritatem totius Diuinitatis, quam diximus conclusione 2.

15 *Aliqua veritas propria Verbi.* Tertia difficultas, vtrum aliqua veritas sit propria & personalis Verbi diuini. Cui respondeo affirmatiuè iuxta sententiam Augustini lib. de vera religione cap. 36. sub init. dicentis: *Dari aliquid, quod vnius principij ita simile sit, vt hoc omnino impleat, ac sit id ipsum, & hoc est veritas & Verbum in principio.* Et post pauca: *Hæc autem ipsa eius similitudo, & ideo veritas.* Et prope fin. eiusdem libri, videlicet cap. 55.. ad finem: *Ipsam*, inquit, *veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso & cum ipso* (Patre) *veneremur.*

16 Hæc Augustini testimonia Scholastici communiter exponunt, vt Verbo diuino veritas conueniat per appropriationem, sicut ei conuenit sapientia, eo quod per intellectum procedat. Ita S. Thom. 1. p. quæst. 16. art. 5. ad 2. Magis ex professo S. Bonauentura 1. dist. 3. p. 1. dubio literali 4. Alex. 1. p. q. 15. memb. 3. corpor. fine & ad obiectionem contra 7. definit. Albert. 1. p. q. 25. mem. 2. art. 1. prope fin. Henric. in summa art. 34. q. 2. ad 2. 3. & 4. Ricard. 1. dist. 8. art. 1. q. 1. fine. Carthus. 1. dist. 3. q. 5.

17 Pro cuius declaratione dico primò. Veritas iudicij intellectus, & transcendentalis veritas in essendo; vtraque est prædicatum absolutum, sicut sapientia vel essentia, vt probatum est in hac & præcedenti sect. Propterea de vtraque veritate rectè citati doctores dicunt, Verbo non esse peculiarem & propriam; nisi per appropriationem.

18 *Veritas in repræsentando Verbi propria.* Dico secundò. Veritas in repræsentando, consistit in perfecta adæquatione Verbi cum obiecto & cum mente dicentis, & in ratione imaginis, atque similitudinis perfectæ. Hæc igitur veritas est propria Verbi personaliter, non per appropriationem; sicut eius est proprium esse Verbum & imaginem.

19 Dico tertiò. Prædicta veritas in repræsentando non conuenit personaliter Spiritui sancto, licet sit perfectè similis suo principio, iuxta dicta disp. 7. sect. 2. Quapropter Albertus & Alex. citati minus propriè loquuntur, quando prædictam veritatis appropriationem extendunt ad Spiritum sanctum. Sed S. Thom. S. Bonauentura & Henricus soli Filio tribuunt.

20 *Tres intelligibilitates eodē modo quo veritates.* Quarta difficultas est, vtrum tres relationes sint tres intelligibilitates. Respondeo, idem esse dicendum, quod de veritate dictum est, quoniam intelligi

intelligibilitas est idem, quod veritas transcendentalis; vt ostendimus in metaphysica. Quamobrem propriè & absolutè loquendo, non sunt tres intelligibilitates, sed vnica. Quodāmodo tamen & impropriè sunt tres intelligibilitates, quasi partialiter secundum rationem complentes vnicam intelligibilitatem.

SECTIO VI.

Appendix ad præcedentes. Vtrum tres personæ sint tria lumina.

1 QVoniam lux aut lumen, prout est appellatio Dei, non parum de transcendentia participat: affert enim perfectissimam veritatem; atque intelligibilitatem, vt statim explicabitur: quæstio præsens nullum potuit inuenire locum aptiorem, quàm post sectiones præcedentes.

2 *Error Arianorum.* Prius quàm quæstionis titulo satisfiat, præmittendæ sunt dubitationes duæ. Prima, vtrum Filius verè sit lumen de lumine. Arianorum aliqui negabant, Patrem esse lumen, vt facilius negare possent, Filium esse lumen de lumine. Dicebant autem, Patrem esse authorem & Patrem luminis; sed Filium esse lumen factum.

3 *Pater est lumen.* Hos egregiè refellit Fulgentius in responsione ad obiectionem sextam Arianorum, quia 1. Ioan. 1. *Deus lux est.* Sed Pater est Deus, etiam apud Arianos. Ergo Pater est lux. Deinde sapient. 7. *Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit, candor est enim lucis æternæ: quam lucem æternam Patrem esse vniuersaliter Ecclesia confitetur*; vt Fulgentius citatus loquitur, apud quem plura de hac re videri possunt. Confirmatur; nam Ecclesia in Symbolo Nicæno profitetur, Filium esse lumen de lumine. Quomodo frequenter loquitur Epiphanius præsertim hæres. 57. 62. 67. & 69. Ambrosius de diuinitate Filij cap. 5. Augustinus 7. de Trinit. c. 2. & lib. 3. contra Maximinum cap. 23. Aliique Patres infra citandi.

Lumen de lumine Filius.

4 *Spiritus sanctus etiā lumen de lumine.* Notandum autem est, huiusmodi appellationem non solum Filio, sed etiam Spiritui sancto conuenire. Quemadmodum Iustinus in expositione fidei de Trinit. in med. de Filio ait: *Quatenus autem lumen è lumine, rationem luminis præsefert, ex quo enatum est.* Et post pauca: *Alter lumen è lumine, non tamen genitiuè, sed processiuè prouenit, videlicet Spiritus sanctus.* Præterea Nicænum Concilium lib. 2. paulo propius ad fin. quàm ad med. §. *illud*, exponit, Patrem esse fontem vitæ; Filium verò lumen, in quo videbimus lumen, videlicet, Spiritum sanctum, iuxta illud Psalmi 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Idem magis constabit ex sequentibus conclusionibus.

5 *Quomodo nulla sit metaphora in luce.* Secunda dubitatio est, vtrum diuinis personis propriè & sine metaphora conueniat appellatio luminis. Cui breuiter respondemus. Si primam vocis impositionem respicias; non propriè, sed metaphoricè Deum appellari lumen aut lucem. Si tamen attendas vsum sacrarum literarum; nulla est metaphora, sed proprietas in nomine. Quoniam eius significatio iam extensa est ad significandam entitatem cælestem, supremam, gloriosissimam, subtilissimam, summè incorruptibilem, maximè potentem & efficacem, ac præcipuè summam veritatem, maximè intelligibilem & intellectiuam. Itaque quamuis hæc appellatio lucis cæperit à metaphora illius qualitatis, quæ inter corporales est perfectissima, purissima, cælestis, efficacissima, & obiectum perfectissimæ cognitionis sensitiuæ: nihilominus vsu & authoritate sacrorum scriptorum factum est nomen proprium rerum spiritualium, ac præcipuè diuinarum. Ideo Ioannes in Euangelio & in epistolis abundat appellatione lucis & veritatis.

6 *Non sunt tria lumina, prout creaturas illuminant.* Ad quæstionem verò primariam directè respondendo, sit prima conclusio certa. Quando personæ diuinæ lumen, aut lux appellantur, quoniam homines & angelos illuminant, aut omnibus creaturis perfectionem cōmunicant (vt communiter Patres exponunt lucem Ioannis 1.) in ea acceptione, tres personæ non sunt tria lumina, nec tres luces, sed vnica: sicut tres personæ non sunt tres creatores, & authores gratiæ, sed vnicus; quoniam per vnicam sapientiam, bonitatem, omnipotentiam & vnicam operationem ad intra tres personæ illuminant, & communicant omnem perfectionem naturæ, & gratiæ.

7 *Simpliciter propriè non sunt tria lumina.* Secunda conclusio. Simpliciter & propriè loquendo, confiteri debemus, Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse vnum lumen, & non tria lumina. Sic Iacobus frater Domini in liturgia sub initium: *Gloria*, inquit, *Patri, Filio & Spiritui sancto, trino & vni, luci Diuinitatis, quæ est singulariter in Trinitate, & quæ sine diuisione diuiditur.* Nicænum Concilium lib. 2. inter med. & fin. §. *illud*, in medio: *lumen*, inquit, *est Filius ex Patre lumine: lumen etiam Spiritus sancti ex eodem lumine.*

8 Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de Theologia non longè à princ. post numerum octauum, postquam notauerat, Patrem esse lucem veram, & Filium similiter & Spiritum sanctum, adiungit: *Erat, & erat, & erat; sed vnum erat. Lux, & lux, & lux: sed vna lux, Deus vnus. Atque hoc illud est quod Dauid quoque ipse ante velut per imaginem quandam vtcumq; conspicatus est, cum diceret: In lumine tuo videbimus lumen. Nunc autem nos, & perspeximus, & prædicamus, ex luce nimirum, ideſt, Patre, lucem, hoc est, Filium, in luce, hoc est in Spiritu sancto percipientes.* Vnde quamuis sint tria suppositа lucem habentia; lux tamen ipsa vnica est, quemadmodum in eadem oratione 37. non longè ante med. Nazianzenus notat: *Diuinitas est velut in tribus Solibus, inter se cohærentibus, vna lucis commixtio & temperatio.* Psalm. 35.

9 Athanasius orat. 4. contra Arianos pag. 3. ait: *Quod genitum est, necessum est, vt sit cum gignente eadem lux. Nec est, vt quisquam ea dixerit duo lumina. Duo tamen sunt sol & iubar: vna tamen solis lux in ipso iubare.* Rursus lib. 1. de vnita Deitate versus fin. tanquam Arianum, & scripturis contrarium, refutat dogma, concedens *tres claritates.*

10 Gregorius Bæticus lib. de Trinit. col. 7. sic ex prædicto Psalm. 35. ratiocinatur: *Legisti, & in lumine tuo videbimus lumen? Quæ hic distantia luminis à lumine est? potuisset enim distantiam, si fuisset, non ergo duo lumina, sed vnum lumen est, cum in lumine Patris, & Filij lumen agnoscitur.* Et post pauca: *Vnum Patris & Filij lumen est, quia in Patre & Filio nullæ discretio est, nulla separatio luminis est.* Confirmat testimonio Danielis 2. *Et lumen cum ipso est.*

11 Augustinus 7. de Trinit. cap. 3. ex professo id probat. Cuius peculiariter notentur illa verba prope med. *Singulus Pater lumen, & singulus Filius lumen: & singulus Pater Deus, & singulus Filius Deus: ergo & singulus Pater sapientia, & singulus Filius sapientia. Et sicut vtrumque simul vnum lumen, & vnus Deus, sic vtrumque simul vna sapientia.* Quod postquam explicuit sequenti contextu concludit

concludit prope finem capitis: *Quid autem est sapientia, nisi lumen spirituale, & incommutabile? Lumen ergo Pater, lumen Filius, lumen Spiritus sanctus. Simul autem non tria lumina, sed vnum lumen*, &c. Similia scribit lib. 15. de Trinit. cap. 4. & tract. 29. in Ioan. in med. ait: *Simul vnum lumen, non duo lumina.*

12 Idem Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 23. prope fin. *Cum dictum esset: Apud te est fons vitæ: continuo subiunctum est, In lumine tuo videbimus lumen: hoc est in Filio tuo Spiritum sanctum. Fons ergo de fonte, lux de luce, Filius de Patre, & simul ambo lux vna: sicut Deus de Deo, & simul ambo Deus vnus.*

13 His consonat Fulgentius in fine dictæ responsionis ad obiectionem sextam Arianorum, dicens: *Non inuenitur diuersitas luminis.* Glossa ex Rabano ad illud Sapientiæ 7. *Candor est lucis æternæ*, transcribit postrema verba, quæ nuper retulimus ex Augustino. Idem docet S. Thomas opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 3.

14 *Lumini propria significatio in Deo.* Ratione probatur, quoniam lumen, secundum propriam & vsitatam acceptionem, non significat ordinem originis, aut aliquid notionale; nec aliquid perfectè transcendens; sed significat intellectualem vitam, scilicet sapientiam, quæ est attributum absolutum; ideóque non multiplicatur in tribus personis. Vel lumen significat veritatem transcendentalem, quæ est in ipsa diuina realitate, prout adæquatur diuino intellectui. Et hæc etiam veritas, simpliciter & propriè loquendo est vnica, non tres; vt probatum est sect. præcedenti.

15 Confirmatur primò, nam euidentia, & vis prouocandi voluntatem diuinam ad infinitum amorem, quasi ad ardorem; necnon incorruptibilitas, spiritualitas, aliæque perfectiones, propter quas diuina veritas appellatur lumen; omnes sunt absolutæ, communésque tribus personis. Confirmatur secundò, quia non multiplicatur in tribus personis, quod illis conuenit, in quantum sunt Deus. At verò lucem esse, conuenit in quantum sunt Deus. Iuxta illud 1. Ioan. 1. *Deus lux est.* & 1. ad Timoth. 9. *Lucem habitat inaccessibilem.* Nulla verò lux alia est inaccessibilis simpliciter, nisi solus Deus. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, toto cap. 16. corroborat hanc rationem illis præsertim verbis: *Ergo quia Deus lux est, lux autem vera Dei Filius, sine dubio Deus verus est Dei Filius.* Et post pauca: *Eadem claritate fulget.*

16 Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. non procul à princ. *Pulchrum*, inquit, *& sapiens in tota Diuinitate laudatur, itemq; lux*, &c. Notandum autem, totius Diuinitatis nomine Dionysium intelligere tres personas collectiuè sumptas, vt euidenter constat ex contextu. Deinde considerandum, lucem siue lumen adnumerari inter alia attributa absoluta, quæ communia sunt omnibus personis. Vnde post plurium attributorum enumerationem subiungit: *Neminem eorum, qui in diuinis scriptis non deprauata corruptaq; intelligentia educati sunt, contra dicturum esse arbitror, quin omnia, quæ Deo digna sunt, in tota Diuinitate insint, ratione absoluta Diuinitatis.* Idest, secundum perfectum modum explicandi Diuinitatem, & loquendi de ea. Lux igitur propter communem rationem Diuinitatis conuenit personis diuinis.

17 *Licet sit lumen de lumine, non sequitur esse duo lumina.* Confirmatur tertiò, quoniam ex eo, quod Filius sit *lumen de lumine*, non sequitur, Patrem & Filium esse duo lumina; quemadmodum non sunt duo dij, quamuis Filius sit Deus de Deo Patre. Hoc autem modo loquitur non modò Nicænum symbolum, sed etiam Ecclesiasticum officium ait: *Consors Paterni luminis, lux ipse lucis.* Et alibi: *lux lucis & fons luminis.* Hæc conclusio temperabitur, & explicabitur sect. sequenti.

SECTIO VII.

Quodammodo & metaphoricè tria lumina sunt tres personæ.

1 *Tertia conclusio. Impropriè tria lumina.* PRosequendo seriem conclusionum, respondentium quæstioni, propositæ in præcedent. sect. Sit tertia conclusio. Quodammodo & impropriè tria lumina dici possunt; quatenus tres personæ diuinæ quodammodo & impropriè sunt tres quasi partiales veritates & intelligibilitates; vt explicatum est sect. 5. conc. 3. & in fine sectionis. Et in hoc sensu fortasse nonnulli Patres, citandi pro sequenti conclusione, dixerunt *tria lumina.*

2 *Metaphoricè tria lumina.* Quarta conclusio. Si lumen accipiatur metaphoricè; possumus pluraliter dicere, tres personas esse tria lumina. Ita S. Thomas in cap. 2. Dionysij de diuin. nomin. lect. 4. prope med. & opuscul. 1. contra errores Græcorum cap. 3. Hoc modo intelligendi sunt Patres, qui dicunt in plurali lumina.

3 Ioan. Papa secundus epist. 2. ad senatores (quæ aliàs dicitur liber de duabus naturis contra Eutychianos) propius ad medium quàm ad princ. ex Gregorio Nazianzeno in serm. de Epiphania: *Omnino*, inquit, *vno lumine illustramur, simul & tribus; tribus quidem secundum vniuscuiusque proprietates, siue substantias, sicut placet aliquibus dicere, siue personas.* Hoc in nostris codicibus habetur apud Nazianzenum orat. 39. in sancta lumina prope med. his verbis: *Deum porro, cum dico, vnoeodemq; triplici lumine perstringamini: triplici quidem quantum ad proprietates siue hypostases, si cui hoc verbum magis arridet, siue personas.* Idem repetit Nicetas in scholiis ad eum locum.

4 Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmat. propius ad med. quàm ad fin. ait: *Cum Dauid dicat Deo: In lumine tuo videbimus lumen, hisce verbis omnino sanctam Trinitatem designat. Tria enim lumina subindicat Prophetes: illud ad quod preces fundit, hic autem est Pater. Lumen insuper Paternum Filium insinuat, & in lumine tuo, lumen sanctum Spiritum exprimit.*

5 Dionysius cap. 2. de diuin. nomin. post med. *Pater*, inquit, *est fontana Deitas, Filius autem & Spiritus sanctus Deigenæ Deitatis (si ita oportet dicere) pullulationes diuinæ, & sicut flores, & supersubstantialia lumina à sanctis eloquijs accepimus.* Et paulo ante med. eiusdem capitis appellat, *Diuina cælestiaq; lumina.*

6 Cyrillus Alex. lib. 3. thesauri cap. 1. col. 3. ait: *Patrem & Filium esse duo lumina.* Quibus tertium addit Epiphanius dicens: *Spiritus sanctus Spiritus veritatis, lumen tertium à Patre & Filio.* Et postmodum explicat magis, alia quæ dicuntur lumina, *non esse his tribus luminibus similia.* Quæ verba refert S. Thom. dicto opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 3. Eusebius denique Cæsarien. demonstrationis Euangelicæ lib. 4. c. 3. circa med. ait: *Pater alterum lumen sibi ipsi simile subtitit.*

7 *Origo sine corruptione significatur nomine luminis.* Ratio conclusionis est, quia lumen aliquando significat originem rei absque corruptione, cum identitate naturæ: quemadmodum corporeum lumen absque corruptione procedit à lumine, & vlterius diffundit lumen. Cum igitur in diuinis personis

personis sint tres distincti ordines originis, propter duas processiones incorruptas, subtilissimas, & glorioßissimas, retenta identitate naturæ: conuenienti metaphora dicuntur tria lumina.

8 *Scripturæ fundamentum.* Fundamentũ verò præbuit Scriptura sacra, quibusdam in locis luminis & splendoris mentionem faciens simul cum emanatione, vel aliis dictionibus, significantibus distinctionem personarum. Quemadmodum sapient. 7. Sapientia genita dicitur *emanatio claritatis omnipotentis Dei.* Emanatio autem idem est, quod processio. Et post pauca: *Candor est lucis æternæ.* Vbi lucem esse Patrem, confitetur vniuersaliter Ecclesia: vt Fulgentius testatur in præcedent. sect. sub init. *Candor* autem est idem quod splendor, siue splẽdescentia. Quod autem hoc referatur ad personam Filij, ostendit, quod subiungitur, *& imago bonitatis illius.* Imago enim relatiuè dicitur ad prototypon, vt videbimus disp. 64. sect. 3. & 4. Vnde sumptum videtur illud Hebræos 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.*

9 Rursus Psalm. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Fons quippe nuper dictam emanationem significat. Deinde præpositio, *apud*, denotat distinctionem personalem; vt ex Concilio Nicæno, Basilio, Cyrillo, Alex. Athanasio, Chrysostomo, Augustino & aliis vidimus disput. 19. sect. 4. probat. 3. Quorum authoritatem, quia nonnulli fortasse non animaduerterunt; reiiciunt prædictam vim & significationem istius præpositionis.

10 Denique pronomen illud, *tuo*, supponit lumen esse alicuius, & ideo relatiuum esse. Nam ad aliquid talia dicuntur, quæcumque hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur. Et confirmatur, quia non diceret Scriptura; *in lumine tuo*, nisi forte, quando lumen Dei supponitur pro persona; sicut nonnulli intelligunt illud Ioannis 20. *Deum meum & Deum vestrum.* & Psalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus*; vt videbimus disputat. 78. sect. 4. probat. 3.

11 *Similitudo splendoris & lucis ac radij ad explicandam generationem Verbi, frequẽs apud Patres.* Propterea tribus his locis, vel illorum vno, Patres communiter vtuntur ad probandam distinctionem personarum cum idẽtitate substantiæ, atque generationem æternam, incorruptibilem & inseparabilem à Patre, passim vsurpantes similitudinem, ductam à splendore vel radio, comparato cum lumine seu luce. Alexander enim Alexandrinus epist. ad Alexandrum Constantin. colum. 5. (habetur lib. 1. actorum ante Concilium Nicænum tom. 1.) de Filio Dei sic loquitur: *Cum quis splendorem gloriæ neget, tollit etiam primariam lucem, cuius est splendor.* Pater igitur est primaria lux, vt principium primum: Filius autem est lux de luce, quæ est splendor. Et infra col. 7. eiusdem epistolæ: *Filium*, inquit, *Patri similem in psalmis pronunciatum memorant sanctissimi viri in quibus scriptum est: In lumine tuo videbimus lumen.*

12 Eadem similitudine vtitur Nicænum Concilium lib. 2. inter med. & fin. §. *audi iam*, & paulo propiùs ad fin. quàm ad med. §. *illud*, docet, Patrem esse fontem vitæ, & Filium esse lumen, in quo videbimus lumen Spiritum sanctum, & ita exponit Psalm. 35. *Apud te est*, &c. Eundem versum de Filio intelligit Euaristus epist. 1. ad omnes Episcopos Africanos.

13 Athanasius autem vtroque loco passim prædicta dogmata probat. Quemadmodum orat. 1. contra Arianos circa med. & orat. 2. propius ad princ. quàm ad med. & multo propius ad med. quàm ad princ. & longè inferius prope med. Et orat. 3. prope med. Et orat. 4. multo propiùs ad fin. quàm ad med. Fusius autem dialogo 2. de Trinit. à medio, & sequenti dialogo 3. inter Macedonium & Orthodoxum. Et lib. de decretis Nicænæ Synodi inter princ. & med. & in quæstionibus, quarum prima est, *quid est Deus.* tota q. 4.

14 Idem præstat Iustinus in expositione fidei de Trin. in med. & Basilius lib. 2. contra Eunomium, multo propius ad med. quàm ad princ. & lib. 4. contra Eunomium non procul à princ. & in re nihil distat expositio, quam tradit lib. de Spiritu sancto cap. 18. prope med.

15 Eadem similitudine splendoris ad idem probandum vtitur Gregorius Nyssenus lib. de differẽtia essentiæ & hypostaseos propius ad fin. quàm ad med. & lib. de fide ad Simpliciũ in med. Chrysostomus Hebræos 1. ad illud. *Qui cum sit splendor.* Nazianzenus orat. 37. de Spiritu sancto num. 16. & prope fin. eiusdem orationis n. 75. & sequentibus. & orat. 45. de Diuinitate ad Euagrium post med. Theodotus Ancyræ Episcopus homil. 2. de natiuitate Domini col. 5. quam habuit in Concilio Ephesino, extátque tom. 9. eiusdem Concilij. Cyrillus Alex. lib. 1. Thesauri cap. 7. in med. & dialog. de Trinit. lib. 2. inter med. & fin. & lib. 1. in Ioann. cap. 7. inter princ. & med. Anastasius Sinaita lib. 1. de rectis fidei dogmat. propius ad med. quàm ad fin. Eusebius Cæsariensis lib. 4. demonstrationis Euang. cap. 3. & lib. 5. c. 1. post med. Gregorius Bœticus lib. de Trinit. colum. 7. Damasc. 1. fidei cap. 9. propius ad princ. quàm ad med. Tertullianus lib. contra Praxeam pagina 4. & 6. Ambrosius 1. de fide cap. 4. & lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. & lib. de Diuinitate Filij cap. 5. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. & lib. 7. cap. 3. non longè à princ. & sermone 38. de verbis Domini cap. 8. Lactantius lib. 4. diuinar. institut. cap. 29. ante medium.

16 *Quinta conclusio.* Ex dictis sequitur quinta conclusio, præcedentem explicans & confirmans. Tutior erit loquendi modus, magísque consentaneus sacris literis & earum expositoribus, Patrem appellare lumen, & duas personas ab eo procedentes appellare *splendores*, aut *radios*, aut *iubar*. Hæc enim nomina significant lucem, quasi procedentem à fonte lucis. Sic enim Clemens Romanus epist. ad Iacobum fratrem Domini paulo post med. ait: *Lux genuit splendorem, sicut ait Propheta: In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Psalm. 109. Nazianzenus dicta orat. 45. de Diuinitate ad Euagrium inter med. & fin. *Saluator*, inquit, *noster & Spiritus sanctus, geminus ille Patris radius.*

17 Athanasius in quæstionibus, quarum prima est, *Quid est Deus*, quæst. 4. *Sicut orbis*, inquit, *& radius & lumen vnum sunt & tria, indiuisè diuisa; ita & Deus Trinitas Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnum est tria, diuisa quidem personis veluti sol, indiuisa verò substantia permanente.* Et orat. 4. contra Arianos, quam retulimus sect. 6. concedit, *esse duo solem & iubar. Splendorem autem & radium solarem* appellat serm. in Euang. de sanctissima Deipara propiùs ad med. quàm ad princ.

18 Ad eandem conclusionem probandam adduci possunt alij plerique Patres, paulo superius citati. Nam vt Filium à Patre distinguant, eum appellant splendorem aut radium, à fonte lucis procedentem, accepta similitudine ex Sapientiæ 7. & Hebræos 1. supra citatis.

OCTAVA SECTIO *deberet esse de bonitate transcendentali*, vel, *perfectione multiplicanda pro numero relationum.* Sed ea quæstio magis operosum examen requirit in peculiari disp. 29.

DISPV

DISPVTATIO XXVIII.

De quibuſdam perfectionibus negatiuis, vtrum multiplicentur pro numero relationum.

DE poſitiuis attributis ſemper in ſingulari numero, nunquam in plurali pronunciandis, agendum erit diſp. 77. quoniam illa ſequuntur vnitatem Deitatis; & nullam habent rationem peculiarem difficultatis circa multiplicationem, ſed gubernantur generali lege, diſtinguente ſubſtantiua nomina & adiectiua, vt hæc multiplicari poſſint, & non illa. Sed negatiuæ perfectiones indigent præſenti examine.

SECTIO I.

Vtrum tres relationes ſint tres infinitates. Vbi etiam de magnitudine.

1 *Negatiua ſententia prima.* NEgatiuam ſententiam frequentiori Scholaſticorum calculo receptam reperio, quamuis fundamenta contraria vel diuerſa ſint, quibus diuerſi nituntur authores. Primò namque nonnulli, exiſtimantes, formaliſſimam & explicitam rationem diuinæ relationis reale nihil afferre; non poſſunt vllam realem infinitatem admittere, vbi nulla eſt entitas realis. Ita Capreol. Ferrarien. Caiet. & Canarien. & alij locis notatis diſput. 9. ſect. 1. Sed eorum fundamentum quam longè diſtet à probabilitate, ſatis probatum eſt tota diſp. 9.

2 *Secunda ſententiæ.* Secundò alij doctores, licet concedant, eſſe realem formaliſſimam rationem diuinæ relationis; aſſerunt tamen, vt ſic non eſſe perfectionem neque imperfectionem, & conſequenter nullam eſſe peculiarem infinitatem tribus perſonis. Horum Scholaſticorum plures locos notabimus diſp. 29. ſect. 1. peculiariter autem notandi ſunt Duran. 3. ſenten. diſt. 1. quæſt. 3. num. 13. dicens; relationes nec eſſe finitas, nec infinitas: & qui dicunt, eandem infinitudinem eſſe in tribus perſonis, vt Marſilius 1. quæſt. 23. art. 3. corolar. 5. Gregor. 1. diſt. 34. quæſt. vnica art. 3. Sic etiam D. Bonauentura 1. diſt. 7. art. 1. quæſt. 2. corpor. ad fin. ait, quod *totam infinitatem Pater communicat Filio*, cui conſonat tota diſt. 19. ſemper ſupponens, vnicam eſſe quantitatem perfectionis in tribus perſonis.

3 *Tertia ſententia.* Tertiò pro eadem ſententia referri poſſunt authores, ex quorum doctrina neceſſariò & euidenter infertur, ſiue quia dicunt, formaliſſima ratione relationis nullam perfectionem afferri, vt Ricard. Argent. Molina, Bellar. citandi diſp. 29. ſect. 1. ſiue quia dicunt vnicam tantum perfectionem eſſe trium relationum, vt Henricus, Carthuſ. Maior, Gregorius, citandi eadem diſp. 29. ſect. 2. & diſp. 30. ſect. 3. ſub init.

4 Quartò præ cæteris magis ex profeſſo Scotus docuit, relationem Paternitatis non eſſe formaliter infinitam, ſicut neque aliæ duæ relationes. Id quod obiter docet in 1. ſenten. diſt. 26. quæſt 1. §. *quantum ad tertiam viam arguitur.* & quando reſpondet ad illud argumentum. §. *ad primum tertiæ viæ*, dicens, Paternitatem non eſſe perfectionem ſimpliciter. Quod prius dixerat diſt. 2. poſt quæſtionem 5. in ordine. §. *ad primam quæſtionem dico.* Sed ex inſtituto & prolixè, relationes diuinas non eſſe formaliter infinitas, probat toto quodlibeto 5. præſertim art. 2.

5 *Primum argumentum.* Scoti argumenta, breuiorem ad formam redacta, ſunt hæc. Primum, quia infinito nihil deficit entitatis, ſed omnem perfectionem ſimpliciter habet per identitatem realem. Paternitas autem per identitatem realem non habet in ſe relationes Filij neque Spiritus ſancti (ſiquidem ab illis realiter diſtinguitur. Ergo neque Paternitas, neque aliæ relationes ſunt infinitæ. Confirmatur, quia infinitum debet eſſe ſummè perfectum. At non eſt ſummè perfectum, cui deficit aliqua perfectio ſimpliciter.

6 *Secundum argumentum.* Secundum argumentum, quia ſi forent tria infinita æqualia, ſequeretur, quod illorum collectio foret maioris bonitatis, & perfectionis, quàm vnum illorum per ſe ſumptum; præſertim, quoniam vnum illorum, v. g. Spiritus ſanctus non continet eminenter in ſe Patrem & Filium.

7 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum, quia infinitum intenſiuè cõtinet eminenter omnem perfectionem creatam, tanquam vnicum principium, à quo dependet. Ergo non poſſunt eſſe plura infinita. Conſequentia probatur, quia ſi eſſent plura infinita, ſequeretur, quod à nullo illorum determinatè dependerent perfectiones creatæ, quoniam poſſent exiſtere, licet non concurrerent duo infinita, dummodo vnum aliquod illorum influeret ad illarum productionem.

8 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum, quia infinitum eſt obiectum adæquatum intellectus infiniti, ratione cuius intelliguntur cætera omnia obiecta, & in quo quieſcit intellectus, tanquam in ſua beatitudine obiectiua. Sed huiuſmodi obiectum intellectus non poteſt eſſe, niſi vnum: quia ſi forent tria, nullum illorum per ſe ſumptum adæquaret intellectum; & nullum eſſet ratio intelligendi cætera; nec intellectus quieſceret in vno tantum, tanquam in ſua beatitudine. Ergo non poſſunt eſſe plura infinita.

9 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum, quia omne infinitum intenſiuè eſt perfectio ſimpliciter. Paternitas autem non eſt perfectio ſimpliciter; quia non eſt melior, quàm Filiatio, vel ſpiratio paſſiua, quæ eſt incompoſſibilis illi.

10 *Sextum argumentum.* Sextum argumentum, quia ſi aliqua relatio diuina foret infinita; prædicari poſſet etiam in abſtracto de cæteris relationibus, propter realem identitatem. In quo miſcet Scotus multa de prædicationibus abſtractorum, quæ proprio in loco tractata ſunt diſp. 11. ſect. 6. & diſp. 13. ſect. 1. §. *ſecundò ſuppono*, vſque ad finem.

11 *Poſtremum.* Denique Vazquez 1. p. diſp. 122. cap. 7. n. 29. ſimiliter negat, relationes diuinas eſſe infinitas, quia relationis infinitudo prouenit ex termino; nec ipſe videt, quam infinitatem habeant ex parte termini diuinæ relationes.

12 Sententiam verò, quæ affirmat, tres relationes eſſe tres infinitates ſecundum quid, & in proprio genere, docet ex profeſſo Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 12. num. 7. & eiuſdem ſententiæ fuit Aureolus 1. diſt. 19. p. 2. art. 3. propoſitione 2 quia poſtquam dixerat, relationes non eſſe ſimpliciter infinitas, ex profeſſo probat, Verbum in ratione Verbi eſſe infinitum, & ſic de aliis relationibus. Maior autem in eadem diſt. 19. quæſt. vnica circa med. concedit *tria infinita perſonaliter diſtincta.* Idem apertè ſumitur ex Ochamo eadem diſt. 19. q. 1. dum reſpondet ad dubium primum.

13 *Relationis infinitudo in genere entis.* Dico igitur primò. Quælibet relatio diuina, prout eſt in re, eſt infinita ſimpliciter & in genere entis. Probatur, quia quælibet relatio quidditatiuè includit eſſentiam diuinam, vt probatum eſt diſput. 13. Vnde prouenit, vt reliquas duas relationes in ſe cõtineat intimè immanentes per circuminſeſſionem, & mediatè identificatas; quoniam identificantur realiter cum eadem re communi, videlicet eſſentia.

14 Dico ſecundò. Relatio diuina, præcisè conſiderata ſecundùm explicitum conceptum relationis, non eſt infinita ſimpliciter in genere entis. Probatur, quoniam explicitè relatio nõ dicit omnem perfectionem poſſibilem; ſiquidem explicitè non dicit eſſentiam; neque vna relatio includit aliam relationem explicitè neque implicitè. Confirmatur primò, quia *ſi in diuina perfectione nihil plus contineretur, quàm quod ſignificat nomen relationis; ſequeretur quod eſſe eius eſſet imperfectum, vtpote ad aliquid aliud ſe habens: ſicut ſi non contineretur ibi plus, quàm quod nomine ſapientiæ ſignificatur, non eſſet aliquid ſubſiſtens.* Vt ſapienter adnotauit S. Thom. ſup. q. 28. art. 2. ad 3.

15 Confirmatur ſecundò, quia nec ipſa diuina eſſentia, ſecundum explicitum formaliſſimúmque conceptum, præciſum à relationibus eſt explicitè infinita ſimpliciter in genere entis; ſed tantùm implicitè, prout realiter includit relationes ſecum identificatas, per quas ſubſiſtit, & ſine quibus neque ſubſiſteret, neque haberet rationem fœcunditatis, neque terminos intellectionis ac volitionis; vt magis conſtabit diſp. 29. ſect. 4. & ſequent. & diſput. 30. ſect. 4. & ſequentib.

16 *Non tres infinitates ſimpliciter in genere entis.* Vnde infero & dico tertiò. Tres relationes diuinæ non ſunt tres infinitates ſimpliciter & in genere entis. Probatur primò, quoniam infinitatem ſimpliciter in genere entis non habet diuina relatio, niſi prout quidditatiuè claudit Deitatem. Deitas autem eſt vnica tantum. Oporteret autem eſſe tres Deitates realiter diſtinctas in tribus relationibus, vt eſſent tres infinitates ſimpliciter in genere entis. Quemadmodum in ſimili dicemus diſput. 30. ſect. 9. & 10. Secundò probatur omnibus argumentis, quæ nuper retulimus pro ſententia Scoti. Hanc enim aſſertionem, vt minimum, probant, prout explicabitur infra in eorum ſolutione.

17 Probatur tertiò, quia licet infinitudo formaliter & explicitè ſignificet negationem, aut veluti priuationem finis & termini in quantitate perfectionis: attamen immediatiſſimum iſtius priuationis fundamentum eſt magnitudo perfectionis, (vt agnoſcunt communiter Scholaſtici, ex quibus aliqui dicunt, in hoc poſitiuo conſiſtere infinitatem) at verò magnitudo perfectionis eſt vnica tantum & non tres, vt Auguſtinus docet vbique cuius aliqua teſtimonia retulimus diſput. 27. ſect. 4. pro concl. 1. potiſſimum lib. 5. de Trin. c. 8. poſt med. *Quoniam*, inquit, *non aliud eſt Deo eſſe, aliud magnum eſſe; propterea ſicut non dicimus tres eſſentias; ſic non dicimus tres magnitudines.* Quod idem affirmant Magiſter & communiter Scholaſtici. 1. diſt. 22. cap. *Deus enim*, & S. Thom. 1. p. q. 42. art. 4. ad 2.

18 Confirmatur primò, quoniam ex hac magnitudinis vnitate prouenit, tres perſonas non eſſe aliquid maius, quàm vnam, vt ex eodem Auguſtino, aliiſque nõnullis Patribus, videbimus diſp. 30. ſect. 2. Confirmatur ſecundò ex Pſalm. 144. *Magnitudinis eius non eſt finis.* Vbi negationem finis, conſtitutiuam infinitudinis, Spiritus ſanctus adiungit magnitudini ſingulariter dictæ & nõ pluraliter. Cui conſonat Baruch. cap. 3. *Magnus eſt, Ruiz. de Trinitate.*

SECTIO II.

Tres relationes ſunt tres infinitates ſecundum quid; eodemq; modo tres magnitudines.

AD plenam deciſionem quæſtionis propoſitæ in ſect. præced. Dico quartò. Relatio diuina ſecundum explicitum conceptum, eſt quodammodo infinita in genere talis relationis, & in genere talis perſonalitatis: v. g. Paternitas eſt ſecundum quid infinita, videlicet in genere Paternitatis, quia continet omnem perfectionem poſſibilem Paternitati, & perſonalitati Patris. Idem intellige de Filiatione & ſpiratione, quæ eſt relatio Spiritus ſancti. Probatur primò, quia per quãlibet relationem ſubſiſtit & terminatur Deitas infinita. Secundò, quia conſtituitur perſona infinita in ratione talis perſonæ, quia continet omnem perfectionem tali perſonalitati poſſibilem. Et eſt ſummæ perfectionis in ratione perſonalitatis & relationis. 1 *Dictũ quæſtum.* *Primæ probatio.* *Secunda.*

Probatur tertiò, quia Paternitas cõſtituit principium *quod* productiuum infiniti Verbi per generationem, continentem omnem perfectionem generationi poſſibilem. Verbum autem eſt infinitũ, quia per illud dicit Pater quidquid eſt poſſibile dicere, & eſt adæquatus terminus infinitæ intellectionis, & in ratione Filij adæquat totam virtutem generatiuam eſſentiæ diuinæ. 2 *Verbum infinitum in ratione Verbi.*

Huiuſmodi argumentũ debilitare conatur Scotus dicto quodlibeto 5. verſ. fin. §. *ad primum iſtorum*, reſpondens, Verbum in quantitate perfectionis non adæquari ſuo principio formali, videlicet eſſentiæ, ſiue memoriæ infinitæ; ſed tantùm adæquari in ratione termini: quemadmodum maxima lux, quam ſol producere poteſt, adæquatur ſoli, quamuis ſit imperfectior ſole. Quæ ſolutio rectè defendit, relationes non eſſe infinitas ſimpliciter. Nihil tamen obſtat infinitati ſecundum quid in proprio genere, quam in præſenti probamus. Ad hanc enim ſufficit habere totam perfectionem poſſibilem termino producibili per potentiam infinitam. 3 *Solutio refutatur.*

Quartò, ex præcedenti ſumi poteſt ſimilis probatio de relatione conſtitutiua principij ſpiratiui vt *quod*. Eſt enim productiuum infiniti amoris per ſpirationem, quæ continet omnem perfectionem poſſibilem ſpirationi. Spiritus autem eſt infinitus in ratione amoris producti, quia per illum Pater & Filius amat quidquid eſt amabile, & donat quidquid donare poteſt, & quidquid eſt donabile. Inſuper Spiritus ſanctus eſt adæquatus terminus infiniti amoris eſſentialis, qui eſt eius principium *quo*. Denique exhaurit & adæquat totam virtutem ſpiratiuam. 4 *Spiratiuum infinitum in ſua ratione.*

Probatur quintò, nam quælibet relatio ſupponit fundamentum, aut quaſi fundamentum infinitum, videlicet eſſentiam diuinam, eiúſque intellectionem aut volitionem. Sextò, quia Paternitas peculiariter eſt fons totius Diuinitatis, à quo manant cæteræ omnes perſonæ. 5 *Probatio quinta.* *Sexta.* 6 *Paternitas eſt incomprehenſibilis, ergo infinita.*

Septimò. Paternitas enim eſt incomprehenſibilis cuilibet intellectui finito. Solus autem in-

finitus intellectus poteſt eius cognoſcibilitatem adæquare & comprehendere. Neque obſtat ſolutio Scoti dicto §. *ad primum iſtorum*, quia licet Paternitas non ratione ſuæ formalitatis explicitæ, ſed ratione eſſentiæ, quam includit, obtineat incomprehenſibilitatem ſimpliciter: nihilominus ſecundum quid incõprehenſibilitatem in ſuo genere formalitatis diuinæ Paternitas habet ex ſuo formali & explicito conceptu: ſimilitérque Filiatio & ſpiratio. Confirmatur, quia perfectio intellectuũ creabilium eſt infinita ſyncategorematicè, ita vt quolibet intellectu dato, ſit creabilis alius intellectus perfectior. Sed intelligibilitas Paternitatis actualiter eſt maior, quàm tota potentialis, & ſyncategorematica infinitudo intellectuum poſſibilium. Ergo in hoc genere quandam infinitatem habet.

7 *Infinitæ relationes creatæ non adæquãt diuinam.*

Octauò, quia infinitæ relationes creatæ perfectiores & perfectiores, & infinitæ perſonalitates perfectiores & perfectiores, etiã collectiuè ſumptæ, non adæquant, ſed infinitum diſtant à perfectione cuiuſlibet relationis & perſonalitatis diuinæ. Nonò, quia quælibet perſonalitas diuina terminare poteſt, & hypoſtaticè ſuſtentare plures & plures naturas creatas in infinitum. Quod ex infinitate diuinæ perſonæ, prout eſt ſubſiſtens & perſona, prouenire, notat S. Thom. 3. p. q. 3. art. 1. ad 2. illis præcipuè verbis: *Hoc eſt proprium diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt ſiat in ea concurſus naturarum, non quidem accidentaliter, ſed ſecundum ſubſiſtentiam.*

8 *Finitum & infinitum opponuntur ſine medio.*

Decimò. Quemadmodum enim comparatione corporeæ quantitatis immediatè opponuntur finitum & infinitum, ita vt ſit impoſſibile dari quantitatem, quæ non ſit finita, vel infinita: ſic etiam comparatione perfectionis, ita vt impoſſibile ſit, eſſe aliquam perfectionem, quæ non ſit finita, vel infinita in ſuo formali conceptu. Sed Paternitas, v.g. non eſt finita in ſuo genere. Ergo eſt infinita in ſuo genere. Gratis enim ac ſine fundamento ſolido Scotus in fine dicti quodlib. 5. limitat, vt ſola perfectio totalis, aut partialis abſoluta & eſſentialis debeat eſſe finita, aut infinita; ſed perfectio hypoſtatica & relatiua poſſit eſſe nec finita neque infinita.

9 *Tres relationes ſunt tres infinitates ſecũdum quid.*

Ex quibus infero & dico quintò. Tres relationes ſunt tres infinitates ſecundum quid, & in proprio genere talium relationum & talium perſonalitatum. Probatur, quia ſunt tres entitates, realiter diſtinctæ, quarum vnaquæq; ſortitur propriam infinitatem ſecundum quid & in ſuo genere: Quemadmodum Paternitas eſt infinita in genere Paternitatis relatiuè, vt concluſione præcedenti probatum eſt. Confirmatur, quoniã infinitudo idem eſt quod ſumma perfectio, nullo fine limitata. Sunt autem quodammodo tres perfectiones in ſuo genere; vt oſtendemus diſp. 30. ſect. 4. concluſ. 3.

10 *Tres magnitudines quodammodo.*

Infero præterea, & dico ſextò. Tres relationes ſunt tres magnitudines quodámodo, & in proprio genere. Quia magnitudo eſt quantitas perfectionis, proptereáque cum vnitate vel pluralitate perfectionis neceſſariò coniuncta eſt vnitas aut pluralitas huius quantitatis ſiue magnitudinis.

11 *Generalis ſolutio.*

Ad argumẽta Scoti, poſita in ſect. præc. generalis ſolutio eſt, rectè probare diuinas relationes, ſecundum conceptum explicitum præciſas à Deitate, non eſſe infinitates ſimpliciter; vt vidimus ſect. præcedẽti aſſertione 2. & 3. cæterum, quia procedere videntur etiam contra primam aſſertionem, & contra quintam, reſpondere oportebit ad ſingula? *Ad primum.* Ad primum Maior & Minor ſimul eſt diſtinguenda. Quamuis enim Paternitas non identificetur realiter cum Filiatione; cæterum inadæquatè identificatur cum vnica realitate infinita, cum qua ſimiliter identificatur realiter Filiatio. Hoc autem ſufficit, vt Paternitati, prout eſt in ſe, nihil deficiat; ſed habeat ſecum copulatam omnem perfectionem ſimpliciter, ſiue per identitatem immediatam ſiue mediatam, quatenus omnes entitates relatiuæ realiter identificantur cum vnica tertia entitate, videlicet Deitate. Rurſus ad idem argumentum, quatenus impugnare videtur aſſertionem quintam, reſpondetur. Infinito, quod ſecundum quid; & in aliquo tantum genere infinitum eſt, nihil deficit entitatis illius generis; ſed omnem illius perfectionem continet, non verò alterius generis. Sic Paternitati nihil deficit in ratione Paternitatis. Inde conſtat ſolutio ad confirmationem.

12 Ad ſecundum argumentum reſpondetur. Si forent tria infinita ſimpliciter in genere entis; ſequeretur, illorum collectionem, prout in re eſt, maioris bonitatis & perfectionis eſſe, quàm vnũ illorum, prout in re eſt abſque præciſione intellectus. Hoc autem non ſequitur ex eo, quod ſint tria infinita ſecundum quid in proprio genere: ſed tantùm ſequitur, quod illorum collectio ſit maius aliquid, quàm vnum illorũ præcisè ſumptum ſecundum explicitum conceptum. Quemadmodum videbimus diſput. 30. ſect. 4. concl. 3.

13 Ad tertium reſpondetur. Infinita ſimpliciter non poſſunt eſſe plura. Nihilominus infinita ſecundum quid & in proprio genere, poſſunt eſſe plura; dummodo coaleſcant in vnum ſimpliciter infinitum. Inde namque proueniet, vt omnes perfectiones creatæ pendeant ſimul & æqualiter per eandem omnino dependentiam à tribus relationibus; vt ſuo loco dicemus.

14 Ad quartum reſpondetur. Infinitum ſimpliciter eſt obiectum adæquatum infiniti intellectus & voluntatis; ideóq; non ſunt plura infinita ſimpliciter. Attamen infinitum ſecundum quid non eſt obiectum adæquatum. Ad quintum dicemus diſput. 30. ſect. 3. 4. & 9. Quomodo Paternitas eſt perfectio ſimpliciter, prout eſt in re, non verò ſecundum explicitũ cõceptum præciſum à Deitate. Ad ſextum reſpondetur. Si relatio foret infinita ſimpliciter; poſſet in abſtracto propter identitatem prædicari de cæteris relationibus. Hoc autem nõ ſequitur ex eo; quod ſit infinita ſecũdum quid.

15 Ad fundamentum tertiæ ſententiæ, poſitum in eadem ſect. 1. reſpondetur. Cuiuſlibet relationis terminus eſt infinitus ſecundum quid; ſi loquamur de ratione formali terminandi, quæ eſt ipſa relatio. Terminus autem *vt quod* terminans eſt infinitus ſimpliciter, accipiendo totam integram perſonam, quæ producit aut producitur; quamuis ea non terminet vt abſoluta, ſed vt relatiua: de quo dicendum erit diſput. 71. ſect. 4.

De Immensitate dicendum foret in præſenti, niſi dictum fuiſſet diſput. 27. ſect. 1. præcipuè poſt tertiam probationem.

SECTIO III.

Vtrum ſint tres increabilitates, immutabilitates, immortalitates, & impaſſibilitates.

16 Ratio dubitandi eſt prima, quoniam increabilitas, immutabilitas, immortalitas, & impaſſibilitas videntur conuenire perſonis, non ſolùm ratione naturæ diuinæ, ſed etiam ratione perſonalium

nalium proprietatum. Ergo quamuis ratione diuinæ naturæ non poſſint enunciari, niſi tantùm in ſingulari numero: ratione tamen proprietatum perſonalium in plurali numero poterũt affirmari. Conſequentia probatur: nã omnia prędicata, conuenientia perſonis ex vi propriarum relationum & perſonalitatum, multiplicãtur in eiſdem etiam ſubſtantiuè dicta: ſiquidem multiplicata forma cum ſuppoſito, multiplicatur etiam ſubſtantiuum, infra diſp. 77. ſect. 2. & ſequent.

2 *Increabilitas Paternitatis propria.*

Antecedens probatur, quia Paternitati, qua ratione Paternitas eſt, cõuenit eſſe ingenitam. Qua notione non modò negatur proceſſio per generationem, ſiue per ſpirationem; ſed etiam magis & prius negatur proceſſio per creationem, aut per quamlibet aliam productionem. Ergo Paternitati propter formalem & explicitam rationẽ Paternitatis cõuenit increabilitas. Vnde neceſſariò ſequitur, Paternitati ſub eadem ratione formali conuenire immutabilitatem, immortalitatem & impaſſibilitatem. Hæc enim neceſſariò comitantur, aut conſequũtur increabilitatem; ac in eadem formalitate poſitiua immediatè radicantur.

3 *Increabilitas propria Filij & Spiritus ſancti.*

Idem probatur de Filiatione. Nam eius formaliſſima ratio poſtulat, per intellectionẽ ſimpliciter infinitã procedere ex ſubſtantia Patris. Quæ ratio ſummopere repugnat creationi, ſimilitérq; mutationi, aut morti, quoniam de ratione huius generationis eſt ſemper & indiuiſibiliter eſſe in actu. Propter eandem rationẽ increabilitas & aliæ perfectiones, de quibus tractamus, conuenient relationi Spiritus ſancti ſub formali & explicita ratione, per quam exigit, per ſpirationem procedere ex ſubſtantia ſpiratoris.

4 Secunda ratio dubitandi eſt, quia ſaltẽ concedi poterunt impropriè & quodammodo dictæ tres increabilitates, immutabilitates &c. quemadmodum conceduntur tres æternitates & tres infinitates impropriè & ſecundum quid.

5 *Non tres increabilitates, &c.*

Nihilominus ſit vnica concluſio. Propriè & abſolutè loquendo, tres perſonæ ſiue tres relationes diuinæ non ſunt tres increabilitates, neq; tres immutabilitates, neque tres immortalitates, ſiue incorruptibilitates, neque tres impaſſibilitates. Hæc omnia ſimul coniungimus, quoniam eorum eadẽ eſt ratio, videlicet, quoniã increabilitas, immutabilitas & aliæ duæ perfectiones non ſunt propriè tranſcẽdentes, neque abſtrahunt à relatiuo & abſoluto, ſed ſunt prædicata determinatè abſoluta, quæ relationibus diuinis non conueniunt ex formaliſſima ratione relationis, ſed ex Diuinitate, quam eſſentialiter includunt. Ergo non multiplicantur ſubſtantiuè, ſicut nec cæteræ perfectiones abſolutæ. Antecedens probo, quia quatuor iſtæ perfectiones & quælibet illarum neceſſariò exigit, & includit infinitatem ſimpliciter in genere entis. Hæc autem infinitas perſonis non conuenit ratione perſonalium proprietatũ aut relationem, ſed tantummodo ratione naturæ diuinæ, quam eſſentialiter includunt, vt vidimus ſect. 1.

6 *Increabilitatis perfectio in quo conſiſtit.*

Huius autem veritatis ratio de ſingulis perfectionibus in particulari ſic exponitur. Primò increabilitatis perfectio realis conſiſtit formaliter in ſumma perfectione primi entis, in quantum ab ea prouenit, quod nulla prior cauſa ſit poſſibilis, à qua poſſit ex nihilo produci. Hæc autem ſumma perfectio manifeſtè continet infinitudinem ſimpliciter in genere entis. Confirmatur primò, quia per increabilitatem ſignificatur in Deo neceſſitas eſſendi, ex qua prouenit, vt à nulla cauſa pendeat eius eſſe. Nam ſi penderet, non neceſſariò exiſteret. At verò neceſſitas eſſendi neceſſariò includit infinitatem ſimpliciter in genere entis.

7 Confirmatur ſecundò, nam ex dictis ſequitur, vt rationabilior modus intelligendi negationem creabilitatis ſit, intelligere nõ plures, ſed tantùm vnicam negationem in tribus perſonis. Quod ſi pro libito quiſpiam tres negationes intellexerit; non ideo propriè loquetur, concedendo tres increabilitates: ſed locutio participabit impropriętatem conceptus; & præterea repugnabit modo loquendi theologorum, vt infra videbimus.

8 *Immutabilitatis perfectio realis.*

Secundò immutabilitatis perfectio realis conſiſtit formaliter in tanta, támque indiuiſibili plenitudine perfectionis, cui propterea nihil poſſit addi, vel detrahi. Quapropter ex ſua linea explicita claudit infinitatẽ ſimpliciter in genere entis, & neceſſitatem eſſendi ſemper eodẽ modo. Confirmatur primò: Nam Iſidor. lib. 7. originum ſiue etym. cap. 1. circa med. *Immutabilis eſt*, inquit, *quia ſemper manet, & mutari neſcit: nec proficit, quia perfectus eſt: nec deficit, quia æternus.* Et longè inferius ſubiungit: *Hæc igitur quæ de Deo dicta ſunt, ad totam pertinent Trinitatem propter vnam & coæternam ſubſtantiam.*

9 Confirmatur ſecundò, quoniam immutabilitas immediatè prouenit ex eo, quod Deus eſt purus actus; propterea namque non eſt in potentia, vt aliquid acquirat vel amittat; at ſine acquiſitione vel amiſſione non eſt poſſibilis mutatio. At eſſe purum actum eſt infinitudo ſimpliciter ratione eſſentiæ. Denique quod attinet ad vnicam negationem mutabilitatis, idem omnino dicendum eſt, quod nuper de negatione creabilitatis. Idémq; dictum ſit pro duabus perfectionibus ſequentibus.

10 *Immortalitas quæ Deo propria.*

Tertiò circa immortalitatem, ſiue incorruptibilitatem, opus eſt diſtinctione. Nam in præſenti concluſione non intelligimus eam immortalitatem, ſiue incorruptibilitatem, quæ Deo cõmunis eſt cum angelis & anima rationali, quorum vita non poteſt deſtrui ab aliquo agente naturali. Hæc enim immortalitas, ſiue incorruptibilitas multiplicari poteſt pro numero perſonarum, quoniam in ſuo conceptu formali non includit infinitatem ſimpliciter (ſiquidem creaturis conuenit) & aliunde tranſcendit vltimas differentias & proprietates rerũ Spiritualium. Intelleximus igitur in concluſione immortalitatem ſiue incorruptibilitatem, Deo propriam, per quam excluditur vis cuiuſlibet agentis, ita vt annihilari non poſſit, quemadmodum annihilantur angeli, & anima rationalis.

11 *Diuina immortalitas in quo conſiſtit.*

Hæc itaque perfectio neceſſariò & immediatiſſimè copulatur cum increabilitate. Quod enim à nullo poteſt ex nihilo creari, à nullo poteſt ad nihilum redigi. Quapropter immortalitas, ſiue incorruptibilitas includit eandem perfectionem ſimpliciter infinitam, quam ſupra probauimus de increabilitate. Cõfirmatur, nam immortalitas neceſſariò continetur in æternitate, quam non multiplicari pro numero relationum propter infinitatem ſimpliciter, quam includit, oſtendimus diſput. 27. ſect. 1.

12 *Impaſſibilitas.*

Quartò tandem ea impaſſibilitate reiecta, quæ Deo cum Angelis eſt communis, & conſequitur rationem communem Spiritus: ideóq; multiplicari poteſt pro numero perſonarum eadem ratione, quam nuper expoſuimus circa immortalitatem. In præſenti concluſione locuti ſumus de impaſſibilitate ſimpliciter, ſolius Dei propria, quoniam ſolus eſt incapax cuiuſlibet accidentis.

Hæc autem perfectio consistit in summa perfectione substantiæ, quæ propterea non potest vlterius perfici accidentibus additis, neque à perfectione diminui detractis accidentibus, & contrariis superadditis. In hoc autem manifestè continetur infinitudo simpliciter in genere entis, conueniens in ratione substantiæ.

13 *Conclusio probatur ex sacra Scriptura.*

Præterea tota conclusio colligitur ex 1. Timot. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* Nam ibi Deo, quatenus Deus est, ac proinde sub ratione substantiæ communicabilis tribuitur immortalitas: ideóque immortalitas communis est Patri, Filio, & Spiritui sancto, quemadmodum deducit Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 3. & 4. Cui consonat 1. Timotheum 1. *Regi sæculorum immortali & inuisibili soli Deo.* Cum autem immortalitas, soli Deo conueniens, excludat possibilitatem annihilationis, eo ipso excludit possibilitatem creationis passiuæ, vt constat ex præcedenti discursu. Non aliter ratiocinari possumus de immutabilitate, quæ Deo conuenit, quatenus Deus est, iuxta illud Malach. 3. *Ego Deus & non mutor.* Et Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

14 *Ex Patribus.*

Ex Patribus etiam efficaciter colligitur, & totius Ecclesiæ confessione in Athanasij symbolo: *Non tres increati,* videlicet accipiẽdo nomen istud substantiuè (nam si adiectiuè sumatur, cõstat multiplicari pro numero habentium, sicut adiectiua cætera.) Ergo non sunt tres formæ significatæ per hoc nomen *increatus,* ac proinde tres personæ nõ sunt tres increationes passiuæ, nec tres increabilitates. Nam apud Athanasium & vniuersam Ecclesiam, *Increatus* non dicitur Pater aut Filius aut Spiritus sanctus ad excludendum solummodo creationis actum, sed etiam ad excludendam possibilitatem. Nec dubitari potest, quin Athanasius & Ecclesia diceret idem de immortalitate; immutabilitate & impassibilitate, tum propter immediatissimam connexionem, quam habent cum increabilitate; tum etiam propter identitatem rationis, quæ in priori discursu declarata est.

15

Id autem expressit Athanasius dialogo 1. de sancta Trinitate contra Anomæum inter med. & fin. dicẽs: *Immortalitas est hypostasis Patris, & immortalitas hypostasis Filij, nec tamen sunt duæ immortalitates.* Et post pauca: *Ista hypostasis est incorruptibilitas, & tamen est vna incorruptibilitas.*

16

Augustinus de doctrina Christiana lib. 1. cap. 5. *Eadem,* inquit, *tribus æternitas, eadem incommutabilitas; eadem maiestas.* Cui consonat, quod scribit lib. 2. de symbolo ad Catechumenos cap. 4. prope fin. *Non audemus dicere tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres inuisibiles, nec tres immortales, sed vnum Deum, de quo dicit Apostolus: Immortali, inuisibili, incorruptibili soli Deo, &c.*

17

Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. propiùs ad fin. quam ad med. postquam enumerauerat nonnulla, quæ soli Filio personaliter conueniunt, excipit ea, quæ ratione Diuinitatis conueniunt tribus personis, dicens: *Salua tamen æternitate, immensitate, immortalitate, incommutabilitate, inuisibilitate Deitatis eius. Quæ naturaliter atque æqualiter communia cum Deo Patre habet Dei Filius. Naturaliter* autem intelligit conuenire, quod ratione naturæ siue substantiæ conuenit, & ideo est communicabile, sicut ipsa substantia.

18

Boëtius lib. *an Pater & Filius & Spiritus sanctus de Diuinitate substantialiter prædicentur,* prope med. *Necesse est,* inquit, *veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de incommutabilitate, de iustitia, ac de cæteris omnibus, quæ tam de singulis, quàm de omnibus singulariter prædicamus.* Constat autem ex phrasi Boëtij tam in hoc libro, quàm in alio de Trinitate, non posse multiplicari prædicata, quæ notat substantialiter ac singulariter prædicari de singulis & omnibus personis.

19

Isidorus libro 7. originum siue etymolog. capite 1. circa medium postquam inter absolutas perfectiones connumerauit immortalitatẽ, incorruptibilitatem, incommutabilitatem, & impassibilitatem, adiungit, ea omnia *pertinere ad totam Trinitatem propter vnam & coæternam substantiam;* vt supra retulimus. Concil. Hispalen. Secundum act. 13. in med. *Immortalitas,* inquit, *Patris cum Filio communis est.*

20 *Creabilitati non opponitur formaliter Paternitas nec Filiatio.*

Ad primam rationem dubitandi, positam in principio, constat ex dictis, negandum esse antecedens. Ad probationes singularum partium eiusdem antecedentis respond. Ad primam, Paternitas propter explicitam rationem Paternitatis excludit solummodò generationem & spirationem passiuam, quibus tantummodo opponitur: creabilitati verò sicut & omnibus rebus creatis, Paternitas non opponitur relatiuè, sed ea omnia negat ratione Deitatis. Ac proinde increabilitas non conuenit propter formalissimam rationem Paternitatis, sed propter imbibitam & communem rationem Deitatis.

21

Non aliter de Filiatione dicendum est. Quamuis enim eius formalissima ratio postulet, procedere per intellectionem infinitam in genere intellectionis, & ex infinita substantia Patris: ast infinitudinem simpliciter non postulat, propter explicitam & formalissimam rationem Filiationis, nisi quatenus Filiatio postulat identitatem naturæ, perfectissimámque similitudinem in ipsa. Quod ipsum est includere Diuinitatem, siue substantiam absolutam. Aliunde verò sicut Filiatio non opponitur relatiuè finitudini, creabilitati, mutabilitati, aut mortalitati: sic etiam ex sua formalissima ratione non affert earum negationem. Idem proportionaliter intellige de relatione Spiritus sancti.

22 *Impropriè & secundù quid tres increabilitates, &c.*

Ad secundam rationem dubitandi, fateor, impropriè & secundùm quid concedi posse tres personas esse tres increabilitates, immutabilitates, immortalitates & impassibilitates: quoniam sunt tres res diuinæ; de quarum singulis negantur illæ imperfectiones, & quarum singulis ratione sui conuenit infinitudo secundum quid; vt vidimus sect. 2. Cui consonant tres æternitates impropriè & quodammodo dictæ disput. 27. sect. 1. Talem autem infinitudinem & æternitatem consequitur proportionata quædam negatio creabilitatis, mutabilitatis, &c. videlicet secundum quid & impropriè dicta.

SECTIO IV.

Vtrum sint tres incorporeitates, siue immaterialitates, & tres indiuisibilitates, inuisibilitates, incomprehensibilitates, ineffabilitates.

1 *Tres incorporeitates.*

DIco primò. Propriè loquendo, tres relationes sunt tres incorporeitates & immaterialitates. Ratio est, quia incorporeitas & immaterialitas, propriè dicta, est perfectio Deo non peculiaris, sed communis cum Angelis, & transcendenter imbibita in quacumque formalitate, quantumcumque præcisa Dei vel Angelorum. Propterea multipli

multiplicari potest sicut cætera prædicata, quæ propriè transcendentia sunt: ideóque non supponunt infinitatem simpliciter in genere entis.

2 *Tres indiuisibilitates.*

Vnde infero, & dico secundò. Propriè loquendo, tres relationes sunt tres indiuisibilitates, prout hoc nomine significatur negatio partium integralium, quæ solis rebus corporeis conuenire potest: ideoque talis indiuisibilitas necessariò & immediatè consequitur immaterialitatem. Si tamen indiuisibilitatis nomen restringatur, vt excludat omnem compositionem, non solùm materiæ & formæ & partium integralium, sed etiam subiecti & accidentium: talis indiuisibilitas est formaliter idem, quod simplicitas explicata per modum negationis. Simplicitas autem omnimoda supponit infinitatem in genere entis, & est attributum merè absolutum: ideóque propriè loquendo, sicut tres relationes non sunt tres simplicitates; ita nec sunt tres indiuisibilitates in hoc strictiori sensu. Rectè siquidem Isidorus libro 7. originum siue etymol. cap. 1. post medium simplicitatem, sicut etiam inuisibilitatem (de qua dicemus statim) connumerat inter attributa, quæ *ad totam pertinent Trinitatem, propter vnam & coæternam substantiam.*

3 *Non tres inuisibilitates, nisi quodammodo.*

Dico tertiò. Tres relationes diuinæ non sunt tres inuisibilitates simpliciter, licet sint tres inuisibilitates secundum quid. Explicatur, nam inuisibilitas extenditur nonnunquam ad quodlibet obiectum, quod non potest sensitiuam cognitionem terminare; licet possit terminare claram & intuitiuam cognitionem intellectus: ideóque non est simpliciter inuisibilitas. De hac Colossenses 1. *In ipso condita sunt vniuersa visibilia & inuisibilia.* Hæc igitur, quoniam Angelis & quibuscumque rebus spiritualibus communis est, multiplicari potest pro numero relationum, propter eandem rationem, ob quam multiplicatur immaterialitas nuper in assert. 1.

4

Propriè tamen & absolutè dicta inuisibilitas excludit etiam intuitiuam cognitionem cuiuslibet intellectus creati. Quapropter necessariò supponit infinitatem simpliciter in genere entis, quia supponit, obiectum esse tam perfectæ cognoscibilitatis, vt excessu infinito superet infinitos intellectus possibiles, qui habent virtutem intellectiuam sincategorematicè infinitam, id est, perfectiorem & perfectiorem sine termino. Vnde prouenit, vt intuitiuè cognoscere possint infinitas substantias perfectiores & perfectiores, etiam superiores cognoscentibus, dummodo non sint perfectionis infinitæ simpliciter. Ad eandem infinitatẽ simpliciter pertinet, quòd Deus sit suum esse subsistens. Vnde prouenit, quod naturaliter cognosci non possit, nisi à se ipso, vt S. Thomas discurrit 1. p. q. 12. art. 4.

5

Confirmatur, nam ex hac ratione prouenit, vt in sacris literis Deo tanquam propria ratione Diuinitatis tribuatur inuisibilitas vt 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Et 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali & inuisibili.* Vnde Patres meritò colligunt, non modò Patrem, sed etiam Filium esse inuisibilem ratione Diuinitatis. Peculiariter Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 3. & 15. & lib. 3. cap. 9. Athanasius in quæstionibus ad Antiochum q. 28. Chrysost. 1. Timoth. 6. hom. 18. circa med. Et Theodoret. ibid. Clarius autem Fulgentius citatus sect. præcedenti prope fin. inuisibilitatem connumerat inter attributa, quæ naturaliter, id est, ratione naturæ conueniunt. Augustinus autem ibidem citatus negat *tres inuisibiles,* quos negare non posset, si forent tres inuisibilitates.

6 *Non tres incomprehensibilitates.*

Dico quartò. Tres relationes, propriè loquendo, non sunt tres incomprehensibilitates, quoniam incomprehensibilitas necessariò supponit infinitatem simpliciter in genere entis. Huius enim solius cognoscibilitas est tanta, quantã adæquare nulla vis cognoscitiua creaturarum possit, quamuis in infinitum crescat & sine termino sit possibilis perfectior & perfectior intellectus.

7 *Non tres ineffabilitates.*

Vnde infero & dico quintò. Tres relationes diuinæ non sunt tres ineffabilitates. Nam ineffabilitas simpliciter dicta comparatione cuiusque personæ, potentis intellectualiter loqui, necessariò præsupponit incomprehensibilitatem & inuisibilitatem, quas nuper diximus non multiplicari. Denique ineffabilitas Dei non excludit intellectualem locutionem, per abstractiuam cognitionem Dei.

DISPVTATIO XXIX.

Vtrum diuina relatio, secundum rationem formalissimam relationis, sit bonitas, & perfectio.

SECTIO I.

Negatiuæ sententiæ fundamenta.

1 *Distinguendo bonitates, elicitur, quæ propria est huius disputationis.*

NOn agitur in præsenti de bonitate seu perfectione morali Dei. Hæc enim est perfectissima & omnimoda rectitudo voluntatis, quæ nihil turpe siue contra rationem potest amare; sed in omnibus seruat omnimodam conformitatem cum dictamine diuinæ sapientiæ. Nam bonitatem huiusmodi perfectionémque non multiplicari pro numero personarum, sed esse tantum vnicam, fides docet; quemadmodum etiam decernit, tres relationes non esse tres volitiones, aut tres amores, nec tres sapientias, sed tantùm vnicam in tribus essentialiter includit.

2

Nec minus certum est idem, accipiendo bonitatem, prout est idem quod æquitas, iuxta quam vir bonus, & æquus dicitur, qui est ad ignoscendũ proclivis; ideóque non exequitur exactè iustũ legale, quamuis legem habeat adiutricem, vt Aristoteles docet 5. Ethic. cap. 10. & lib. 6. cap. 11. Nec dissimili sensu perfectionem dixit Christus D. Matth. 5. Dilectionem inimicorum, & beneficentiam etiam in malos persuadens illis verbis: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.*

3

Etymologiam nominis obseruauit Isidorus lib. 7. originum siue etymolog. cap. inter med. & fin. *De consummatione alicuius facti perfectio dicitur. Deus autem, qui non est factus, quomodo est perfectus? Sed hoc vocabulum de vsu nostro sumpsit humana inopia, sicut & reliqua verba, quatenus id quod ineffabile est, vtcumque dici possit.* Quod idem repetit Isidorus lib. 1. sentent. cap. 2. post med. Et magis explicat S. Thom. in Dionysium de diuin. nomin. cap. 2. lect. 1. non procul à princip. Idemque 1. p. qu. 4. art. 1. ad 1. *Quia in iis, quæ fiunt,* inquit, *tunc dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentia educitur in actum; transumitur hoc nomen perfectum ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu.*

4 *Bonitas & perfectio entitatiua tractatur in præsenti.*

Præsens igitur disputatio tractat de bonitate & perfectione entitatiua, quæ generalissima est: abstrahit enim à qualibet morali, & liberali bonitate, siue perfectione, conueniréque potest rebus irrationalibus & inanimatis; abstrahit etiam à Deo & creaturis. Consistit autem in eo, quod res actu habeat quidquid sibi conueniens & consentaneum est; ita vt nihil ei desit, siue simpliciter, siue in tali genere, siue tantum quoad essentiam, siue etiam quantum ad accidentia.

5 *Negatiua sententia.*

Prima sententia est, relationem, secundum formalem rationem relationis, neque esse perfectionem, neque imperfectionem, neque finitam, neque infinitam: sed totam perfectionem & infinitatem diuinis relationibus conuenire ratione solius essentiæ. Ita docent imprimis authores, qui supra disp. 9. sect. 1. in 4. sententia dixerunt, quod relatio formaliter, in quantum relatio, nihil reale ponit; vt Paludanus 3. senten. dist. 1. q. 2. art. 3. ad fin. & art. 4. Capreolus 1. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 3. contra primam conclusionem: & dist. 33. art. 3. ad argumenta Aureoli, præsertim ad 1. 3. & 4. Caietanus in præsenti q. 28. art. 1. & 2. circa ad 3. consonatque 3. parte, qu. 3. artic. 1. Ferrarien. 2. contra gentes capit. 9. in medium, & libr. 4. cap. 14. circa medium, §. *dicit secundò*, & propius ad finem quàm ad med. §. *ad primi dubij*. Canariensis 1. p. q. 28. art. 1. ad argumentum. 4. quamvis nonnihil dissidere videatur in sequenti art. 2. disp. 3. p. 2. duabus columnis vltimis.

6 Præterea inter eos doctores, qui rectè senserunt de realitate relationis, in quantum relatio est, nonnulli nihilominus dixerunt, neque esse perfectionem neque imperfectionem, neque finitam neque infinitam. Ita Scotus quodlib. 5. art. 2. & præcipuè in fine totius quodlibeti; docet enim relationi formaliter, vt relatio est, non conuenire quantitatem perfectionis; ideóque neque finitam esse neque infinitam. Cui doctrinæ consonat idem Scotus 1. dist. 2. post q. 5. in ordine §. *ad primam quæstionem dico*. versiculo, *hoc etiam arguitur*. Et dist. 26. qu. vnica. §. *ad primum tertiæ viæ*. versiculo, *per hoc patet*. Et dist. 19. q. 1. ad secundum principale. Quamvis inconsequenter loquatur ad ea, quæ scripserat 1. dist. 1. q. 2. ad primum principale.

7 Durandus etiam perfectionem relationibus negat modo suprà dicto in 1. senten. dist. 13. q. 2. num. 26. & in 3. senten. dist. 1. qu. 3. num. 13. Cui consonat 1. dist. 19. q. 1. sed clarius q. 4. num. 9. & in 2. sentent. distinct. 34. quæst. 1. num. 22. & 23. In Scoto & Durando plus aliquid inconsequentiæ videtur esse, quàm in cæteris, eo quod relationes constituunt, ante opus intellectus distinctas ab essentia. Quapropter entitati tam distinctæ manifestiùs debebatur perfectio realiter distincta à perfectione essentiæ. Eandem sententiam negandi perfectionem relationibus, licet illis cõcedant realitatem, docent Marsil. 1. q. 6. art. 1. in arg. 8. & art. 3. in solution. ad 8. & q. 23. art. 3. corollario 2. 3. 5. & sequentibus vsque ad 8. Ricar. 1. dist. 19. art. 1. q. 3. & clariùs dist. 24. art. 1. q. 3. ad 1. Argentina 1. dist. 4. q. 1. art. 1. prope fin. Dionys. Cistercien. dist. 33. q. vnic. art. 3. in fin. solutionis argumẽti 2. Deza. 1. dist. 7. q. 1. art. 3. notab. 4. & art. 4. ad 3. Aureoli. Molina 1. p. q. 28. art. 2. disp. vlt. & latiùs infra q. 42. art. 6. disp. 2. Bellarm. breuiter tom. 1. lib. 2. de Christo, cap. 12. fine.

8 *Fundamentum iam refutatum.*

Fundamentum Capreoli, Caietani & Ferrariensis erat, quia relatio, secundùm rationem formalem relationis, quæ appellatur *esse ad*, non est ens reale. Cæterum istius falsitas demonstrata est tota disp. 9. præsertim sect. 5. 6. & 7. ex quibus constat, non solùm esse realem communem rationem relationis, à Deo & creaturis abstractam: sed etiam peculiari quadam ratione concedendam fuisse realitatẽ relationibus diuinis, propter summam excellentiam earum; & quia subsistentes sunt, & propter alias rationes perfectionis (quas explicabimus sequentibus sectionibus & disp. sequenti) quamuis omnibus creatis relationibus realitas & perfectio negaretur.

9 *Testimonia Patrum.*

Posset eadem sententia probari testimoniis Patrum, quæ disp. 9. sect. 1. retulimus, eo quod videantur realitatem negare relationibus diuinis, sub ratione formali relationis. Præsertim verò, quia Boëtius lib. de Trinit. propius ad fin. quàm ad med. asserit, *Prædicationem relatiuam nihil rei addere, vel minuere, vel mutare*. Quod explicat exemplo relationis dextri vel sinistri vel Domini. Verùm hæc omnia declarata sunt disp. 9. sect. 7. præsertim quoad Boëtium attinet in solutione 3. argumenti & primæ confirmationis.

10 *Argumentum ex verbis S. Thomæ.*

Quæ restant argumenta quædam Capreolus & Deza sumunt ex authoritate S. Thomæ dicentis, eandem Diuinitatem, eandémq; potentiam, quæ in Patre est Paternitas, & est potentia generandi; esse in verbo Filiationem, & potentiam vt generetur. Atque ita defendit, eandem omnipotentiam Patris esse in Filio cum alia tamen relatione. Sic enim loquitur S. Thomas 1. dist. 7. q. 2. art. 2. ad vltimum. Et 1. p. q. 42. art. 6. ad 3. Vnde Capreolus infert, quod omnem perfectionem, quam Pater habet, Filius etiã habet, cum alia tamen relatione, quæ in quantũ huiusmodi nõ dicit perfectionem.

11 Confirmari potest primò, quoniam dicta qu. 42. art. 4. ad 2. ea ratione defendit, æqualem, vel potius eandem esse dignitatem & magnitudinem Patris & Filij, Quia *magnitudo in diuinis significat perfectionem naturæ, & ad essentiam pertinet. Et ideo æqualitas in diuinis & similitudo secundùm essentialia attenditur, nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici.* Ergo secundum distinctionem relationum non est aliqua perfectio. Secundò, quia de potentia q. 2. art. 4. ad 14. S. Thomas ait: *Sicut Paternitas & Filiatio sunt vna essentia, ita sunt vna dignitas & vna bonitas.* Quod idem confirmat sequenti art. 5. Et 1. p. q. 30. art. 2. ad 4. docet, quod Spiritus sanctus non habet bonitatem numero aliam à bonitate Patris, sed vnam & eandem.

12 *Inconuenientia quæ opponuntur.*

Difficiliora sunt aliorum authorum argumenta; sumuntur autem ex plurimis inconuenientibus, quæ videntur inferri, si diuina relatio, secundùm rationem formalem relationis, esset perfectio. Primò namq; sequeretur, in Deo esse tres reales perfectiones realiter distinctas. Secũdò, in Patre aliquam perfectionem esse, quæ Filio desit: similitérq; Patri deesse duas alias perfectiones, videlicet Filiationis & Spirationis passiuæ. Tertiò, Patrem non esse infinitũ in genere entis; quia non habet omnẽ perfectionem possibilem: caret enim perfectione Filiationis & Spirationis passiuæ.

13 Quartò, quia concessa perfectione relationis, aperitur via defendẽdi plures deos, quorũ quilibet sit infinitus in genere entis, quamuis careat perfectionibus aliorum deorũ; quoniam vnus Deus habet perfectionem sibi propriam, æqualem & æquiualentem perfectioni alterius Dei, sicut persona Filij habet perfectionem relatiuam æquialentem perfectioni Paternitatis. Quintò sequitur, vnicam personam, sigillatim acceptam, v. g.

(v. g. Patrem) esse rem minus perfectam, quàm totam Trinitatem, videlicet, Patrem, Filium & Spiritum sanctum simul sumptos. Hoc autem esse falsum, testimoniis Patrum & Scholasticorum ostendemus disp. sequenti sect. 2.

14 Sextò, sequitur, personas esse inæquales in relatiua perfectione; quoniam relationes sunt quasi diuersæ speciei, suprà disput. 17. sect. 4. ad 3. Species autem inæquales sunt ad instar numerorum, iuxta communem sententiam philosophorum cum Aristot. 8. met. text. 10. Vnde vna persona foret perfectior, quàm alia. Confirmatur, quia si Filiatio formaliter esset perfectio, æqualis perfectioni Paternitatis, sequeretur esse duas Paternitates, & nullam esse Filiationem. Sequela probatur argumento Augustini lib. 3. de liber. arbit. cap. 9. sub init. ita redarguentis hæreticum; *Quod si non dicit, luna non esset: sed qualem solem videt, talem dicit lunam esse debuisse: non intelligit, nihil aliud se dicere, quàm non esset luna, sed essent soles duo.* Vnde Gregorius Arimin. 1. dist. 19. q. 1. art. 1. circa med. infert, vniuersaliter omnia æqualia esse debere eiusdem rationis & speciei.

15 Septimò, sequitur, Patrem esse perfectiorem Filio, quia producere perfectius est, quàm produci. Sed Paternitatis perfectio est producentis, Filiationis verò perfectio est personæ productæ. Octauò, sequitur, Filium esse perfectiorem Spiritu sancto. Personalis namque perfectio Filij complectitur perfectionem producentis & producti; cum tamen Spiritus sanctus solam habeat perfectionem producti.

16 Nonò, sequitur, quamlibet relationem diuinã, sigillatim acceptam, esse perfectiorem Deitate, quoniam Deitatem includit supra disp. 13. atque insuper ex sua formalissima ratione, peculiarem sibi vendicat perfectionem relatiuam. Decimò, sequitur, vnicuique personæ conuenire perfectionem aliquam, quæ non tribuatur illi ab eius essentia. Hoc autem videtur impossibile, quoniam cuiusque rei tota perfectio prouenit ab eius essentia, præsertim quando perfectio non est accidentalis.

17 Vndecimò, sequitur, in qualibet relatione diuina duas alias sibi oppositas relationes essentialiter includi. Sequela probatur, quia si diuina relatio est perfectio; erit infinita in genere entis, ac proinde includet in se quamlibet aliam perfectionem similiter infinitam. Confirmatur, quia sicut omnis corporea quantitas est suo modo finita vel infinita; sic etiam omnis perfectio debet esse suo modo finita vel infinita: sed perfectio diuinæ relationis non potest esse finita. Ergo erit infinita. Duodecimò, sequitur, relationẽ esse perfectionem simpliciter simplicem, quoniam est perfectio sine vlla imperfectione. Vnde cuilibet personæ defuissent duæ perfectiones simpliciter simplices aliarum personarum.

18 Decimotertiò, sequitur, rationem perfectionis esse relatiuam; siquidem in Deo non multiplicantur, nisi quæ relatiuè opponuntur. Consequentis autem falsitas constat ex perfectione Deitatis inquantum est substantia absoluta, & perfectione angelorum & hominum. Decimoquartò, sequitur, esse in Deo similiter multiplicandas alias rationes generales entium, veluti tres veritates, tres vnitates, tres æternitates, & his similia prædicata.

SECTIO II.

Formalissima ratio diuinæ relationis est quidditatiuè perfectio & bonitas.

1 Conclusio præsens, in hac & sequentibus sectionibus probanda, sequenti verò disputatione defendenda, hæc est. Quælibet relatio diuina, secundum vltimam & formalissimam rationem relationis, ac subinde secundum *esse ad*, quidditatiuè continet communem rationem perfectionis seu bonitatis transcendentalis. Quocirca Dei perfectio exigit terminari tribus relationibus, realiter distinctis. In hac conclusione conueniunt non solùm authores, qui dicunt, tres relationes esse tres perfectiones relatiuas, sed etiam qui recusant tres perfectiones etiam relatiuas admittere.

2 Tres perfectiones affirmant Ocham. 1. dist. 19. q. 1. dum respondet ad dubium primum & in fine quæstionis. Gabriel. 1. dist. 7. q. 2. art. 2. post med. Aureolus 1. dist. 19. part. 2. art. 3. propositione 1. & sequentibus. Clichtouæus in Damasc. lib. 1. fidei cap. 11. inter princ. & med. comment. Valentia in controuersiis de Trin. lib. 2. c. 12. Suarez 1. p. lib. 3. de Trin. cap. 9. & 10. & 3. p. tom. 1. disp. 11. sect. 4. col. 5. & alij docti recentiores.

3 Qui verò perfectionem vnicam affirmant, in peculiari & formalissima ratione relationis allatam, ij sunt: Henricus quodlib. 1. q. 1. Quamuis enim aliquando probet, in Deo non esse vnitatem personalem, sed tantùm essentialem: tunc tamen apertè loquitur de bonitate vltimi finis. Aliã verò transcendẽtalem bonitatem concedit esse personalem. Henricum sequitur Carthusianus 1. dist. 24. q. 7. Quin etiam Scotus, in hoc sibi contrarius 1. dist. 1. q. 2. argumento principali 1. & in eius solutione concedit, relationes diuinas habere rationem boni conuertibilis cum ente, licet non boni fruibilis; quia relatio non est bonum perfectum.

4 Præterea præsentem conclusionem affirmant Gregorius 1. dist. 20. q. 1. a. 1. dum impugnat oppositas sententias & in fine. Et in eodem 1. sent. dist. 33. q. vnica art. 3. ad 6. vbi solummodò negat relationibus perfectionẽ simpliciter, aliam verò perfectionem in propro genere concedit. Maior autẽ etiam perfectionem simpliciter cõcedit 1. dist. 19. q. vnica ad argumenta. Marsilius 1. q. 23. art. 3. corollario 4. & sequentibus. Canariensis, in hoc sibi parum consentiens, 1. p. 1. 28. art. 2. disp. 3. part. 2. duabus colum. vltimis refutans opinionem Capreoli. Vazquez 1. p. disp. 122. cap. 6.

5 *Occasio erradi in allegationibus authorum.*

Lectorem autem esse monitum oportet, ne turbetur, licet viderit, prædictos aliósque doctores falsò citari ab aliis in hac frequentius, quàm in aliis controuersiis. Nam vt omittam ea loca, in quibus doctores, à quibusdam aliis citati, prorsus nihil agunt de re præsenti: perplexitas & ambiguitas aliorum locorũ est tanta, quæ facilè potuerit ad cõtrarias sententias detorqueri. Adde quod authores aliqui sibi non constant, & sola voce videntur recedere à sententia, quam oppugnant, illi præsertim, qui postquam relationi concesserunt perfectionem ratione sui propriam, deinde vt defendant, non esse plures perfectiones, & totam perfectionem vnius personæ conuenire alteri; recurrunt ad perfectionem essentiæ, quasi sola illa foret in tribus personis.

6 *Probatur cõclusio ex S. Thomæ & aliis Scholasticis.*

Nostra conclusio colligitur ex D. Thoma supra quæst. 27. art. 2. ad 3. cum ait: *In ipsa perfectione diuini esse continetur Verbum.* Quæ Caietanus in

fine Commentarij, notat, esse *aurea verba*. Quapropter Verbum, vt Verbum pertinet ad perfectionem diuini esse. Consonatque S. Thomas quæst. 28. art. 2. ad 3. supponens, subsistentiam esse perfectionem. Ad hæc de potentia quæst. 8. art. 1. conferendo argumentum 8. cum solutione manifestum est supponere, quod essentiæ diuinæ deesset aliquid ad suam perfectionem, si deessent illi relationes identificatæ cum illa.

7 Rursus 1. p. quæst. 29. artic. 3. corp. in princ. *Persona*, inquit, *significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Vnde, cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod eius essentia continet in se omnem perfectionem, conueniens est, vt hoc nomen, persona, de Deo dicatur.* Quod euidentissimum testimonium obscurat commentarius Caietani, quem refutabimus sect. 6. sub init. Præterea 3. p. quæst. 3. art. 1. ad 3. *Hoc*, inquit, *est proprium diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.*

8 Insuper opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 2. fine Basilij testimonium de dignitate Patris exponit, *Non de dignitate naturali, sed de personali: sicut & secundum nos dicitur, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente.* Eodémque modo intelligit *authoritatem*, quam infra referemus ex Hilario. Et capit. 7. post med. *Commune est*, inquit, *Patri & Filio & Spiritui sancto quod nullus eorum sit indigens. Item commune est cuilibet eorum, quod nullus sine alijs duobus potest esse Deus perfectus.*

9 Idem colligitur ex S. Bonauentura 1. dist. 23. artic. 3. quæst. 1. in fine corporis dicente: *In Deo est reperire suppositum distinctum proprietate nobilissima.* Quibus consonat personæ definitio, recepta communiter olim apud Magistros: *Persona est hypostasis, distincta proprietate ad dignitatem pertinente.* Cuius appellationis rationem reddunt, quoniam viri in dignitate constituti; solebant appellari personæ. Quam definitionem exponunt, atque defendunt Albertus 1. p. q. 44. mem. 2. Alexander q. 56. memb. 3. S. Thomas infra quæst. 29. art. 3. ad 2.

10 Insuper eadem veritas colligitur ex Alexandro 1. p. q. 69. mem. 2. fine dicente, quod innascibilitas secundum positiuum quod dicit, & Paternitas est perfectio Dei. Et ex Alberto in Summa quæst. 42. mem. 2. partic. 1. ad 2. & partic. 2. ad fin. dicente, diuinam personam esse ens perfectum, & possidere perfectam rationem & veritatem personæ. Et sequenti memb. 3. corpore, dicente, in tribus personis esse sufficientiam perfectionis personarum, vt propterea non possint esse plures personæ.

11 *Concilia & Patres affirmant perfectionem relationibus propriam.* Probatur primò testimoniis Conciliorum & Patrum, qui subsistentias aut personas appellant perfectas, & Trinitatem perfectam. Loquuntur autē de formali ratione subsistentiæ siue personæ, ac de formali ratione Trinitatis, vt ex contextu constabit: eo vel maximè, quoniā de his loquuntur, prout includunt distinctionem, pluralitatem, ac numerum. Ita Nicænum Concilium definit, *Verbum esse personam perfectam ex perfecta, & Filium perfectum sicut & Patrem*; vt habetur in lib. 2. de actis in Concilio Nicæno ante constitutionem decreto. um col. 10. §. *Sancta & magna*. Et longè inferius post med. eiusdem libri secundi, responsione data per Protogenem Sardicensem §. *non difficile. Vna est diuinitas Sanctæ Trinitatis, quæ in tribus subsistentijs perfectis & æqualibus consideratur.*

12 Prima Synodus Constantinopolitana in epist. ad Damasum Papam, & Synodum Romanam (quæ in antiquioribus editionibus præponitur ante Synodum Constantinopolitanā) prope med. *Credimus*, inquit, *æqualem honorem ac dignitatem & imperium coæternum in tribus perfectissimis subsistentijs, seu tribus perfectis personis.* Sophronius Patriar. Hierosolym. in epistola, quæ habetur in Sexta Synodo generali, actione 11. colum. 4. eiusdem epist. asserit: *Subsistentijs & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem.*

13 Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. sub init. *Demonstratum est*, inquit, *nomina omnia, quæ Deo digna sunt, semper non sigillatim per partes, sed in tota, perfecta, integra, plenaque Diuinitate à diuinis Scripturis laudari.* Intelligit autem vniuersam Trinitatem, quæ tres personas complectitur, vt euidens erit legenti. Trinitas ergo, prout amplectitur tres personas, est perfecta, integra, plenáque Diuinitas. Vnde post pauca subiungit, ea nomina *integrè omni integritati perfectæ, totiq; Diuinitati tribui.* Et longè inferius. *Quæ Deo digna sunt, in tota Diuinitate insunt, ratione absoluta Diuinitatis.* Hoc est, vt perfecta & absoluta sit Diuinitas, omnibus personis insunt, quæ Deo digna sunt.

14 Alexander Alexandrinus epist. ad Alexandrum Constantinopol. colum. 5. quæ extat lib. 1. Actorum ante Concil. Nicænum, inde probat, Patrem, in ratione Patris, omnino perfectum esse, quia semper habet Filium, dicens: *Cum sit ei semper Filius, & semper Pater perfectus, atque in ipso, quod verè bonum est, expletus omnibus suis partibus.* Sic etiam colum. 8. *Perfectum Filium* appellat. Sed magis formaliter, ac rigore prope Scholastico per abstracta notionalia significat, relationibus, sub ratione personali conuenire dignitatem & perfectionem colum. 8. *Dignitas ingenititas est, ingeniti propria: & honor debitus Filio tribuendus est, assignandáque illi generatio initio carens.* Quod si generatio passiua nullam perfectionem afferret formaliter ratione sui, nullus honor Filio tribueretur, assignando illi generationem æternam: licet tribueretur honor ex eo, quod diceretur æternus & non in tempore genitus.

15 Iustinus in expositione fidei de Trinit. prope med. *Maluimus*, inquit, *vnius Deitatis in tribus perfectis subsistentijs notitiam exponere.*

16 Athanasius orat. 2. contra Arianos propius ad med. quàm ad princ. *Si non est*, inquit, *Filius proprium substantiæ Patris germen, sed ex non entibus emersit; ex non entibus quoque constata est Trinitas, fuitq; aliquando, quando non Trinitas, sed vnitas duntaxat erat, ipsáque aliquando Trinitas non integra, aliquando autem plena fuit: non integra quidem, cum nondum esset Filius; plena autem, cum Filius esse incœpisset.* Et infra vocat *Trinitatem perfectam & eius Diuinitatis vnitatem integram.*

17 Basilius hom. 28. contra Sabellianos ante med. *Filius*, inquit, *ex Patre sempiternè perfecto perfectus resplendens.* Vnde paulo inferius ex verbis Heb. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ & character substantiæ*, ita concludit: *Idem est ergo subsistentia quod gloria, & character quod splendor. Manente itaque gloria ista perfecta, ita vt nihil inde minuatur, perfectus quoque ex ipsa procedit splendor.* Et post med. eiusdem homil. *Quando sanctam Triada coniungimus, trium perfectorum & incorporalium inseparabilem coniunctionem intellige.* Et lib. 5. contra Eunomium inter med. & fin. *Verbum viuens est persona perfecta, & Spiritus similiter.*

18 Epiphanius hæres. 69. multo propius ad med. quàm

quàm ad princ. ait: *Tria perfecta vna Deitas.* Quod iterum atque iterum repetit non longè post med. & propius ad fin. quàm ad med. ait: *Duo perfecta Pater & Filius.* & prope fin. eiusdem heref. 69. *Cum tres sint perfectæ substantiæ, vna verò Deitas Patris & Filij & Spiritus sancti.* Substantias intelligit hypostases, vt vidimus disp. 23. sect. 4. Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 6. prope med. *Perfectus*, inquit, *est non solum quia Deus, sed etiam quia Pater est.* Perpende reduplicatiuam, quam magis explicat inferius, adiungens: *Notio ergo perfectionis fecunditas est.*

19 Damascenus 1. fidei cap. 11. prope med. *Secundum causam*, inquit, *& causale & personalem perfectionem, ideſt, existentiæ modum, differentiam intelligimus.* Idem lib. de decretis primę institutionis cap. 1. *Hypostaseis*, inquit, *& persona, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: vnusquisque enim eorum perfecta est hypostasis, & perfecta persona.* Rursus in epist. de Trisagio in med. docet: *Soli supersubstantiali Deo decens esse Verbum, & Spiritum Patris esse hypostases perfectas.* Propter claritatem sententiæ transpositæ sunt voces, quæ aliter ordinatæ sunt apud Damascenum. Hieronymus epistol. 57. ad Damasum post med. *Sufficiat*, inquit, *nobis dicere, vnam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales.*

20 *Imago & exēplar dicit perfectionem,* Confirmatur primò, nam imago significat propriè relationem perfectæ similitudinis ad exemplar, prout est propria notio diuini Verbi. Hanc autem imaginem esse perfectam in ratione imaginis, & consequenter in ratione formali relationis, docent communiter Patres Alexander Alex. epist. ad Alexandrum Constantinop. col. 7. Basil. hom. 16. ad illud *In principio erat Verbū*, post med. Damascen. lib. 1. fidei cap. 8. circa med. Theodoretus etiam in epitome diuinorum decretorum lib. 5. cap. 2. de Filio inter med. & fin. exponit apud Apostolum Hebr. 1. *Characterem substantiæ perfectam similitudinem ostendere.*

21 *Authoritas, dignitas, gloria &c.* Confirmatur secundò, nam Patris authoritatem, dignitatem, gloriam, magnificentiam, præstantiam, honorem, laudem, taliáque nomina quædam legimus apud Patres, quibus etiamsi nullatenus intellexerint aliquem perfectionis excessum in vna persona comparatione alterius: verè tamen significant perfectionem vnicuique personæ peculiarem, propter respectum ad aliam personam. Nazianzenus enim orat. 13. quæ est 2. de pace fere in med. num. 13. *Quanto Deus*, inquit, *rebus creatis excellentior est, tanto vtique primæ causæ magnificentius est Diuinitatis, quàm rerum creatarum principium esse, ac per interpositam Deitatem ad res creatas venire. Diuinitatis principiū esse*, manifestè proprium est solius Patris, inquantum Pater est, vt videbimus disputat. 48. sect. 5. & 6. Hoc tamen dicitur esse magnificētius, quàm esse principium creaturarum, quod ratione naturæ diuinæ conuenit.

22 Et paulo inferius: *Deo quidnam maius, ac præstabilius erit, quàm Filij Patrem esse, quod quidem gloriæ accessio est, non decessio, quemadmodum & spiritus productorem esse.* Quod si accessio est supra Deitatem, consequens est, Paternitatem & Spirationem actiuam, etiam prout à Deitate distinguitur, esse perfectionem præstantissimam. Vnde paulo post med. orationis ait: *Ea quæ à principio, videlicet Patre, manant, non minus ob relationem, quam inter se habent laudanda, quàm vnumquodque per se acceptum & intellectum.* Cum igitur ex Aristot. 1. rhetor. cap. 6. & 1. ethycorum cap. 12. nihil laudabile sit, nisi propter bonitatem & perfectionem: consequens est, personas diuinas secundum *relationem*, quam inter *se habent*, esse bonas & perfectas.

23 Idem Nazianzenus orat. 26. de moderatione in disputationibus col. 3. dicit: *Spiritum sanctum hoc solo nomine cedentem Patri, quod ingenitus non sit; hoc item Filio, quod non genitus sit; cætera autem eiusdem omnino naturæ, dignitatis, honoris & gloriæ.* Vbi manifestè supponit, quod *esse ingenitum*, honoris, dignitatis, & gloriæ aliquid continet Patri conueniens, sed non Filio, nec Spiritui sancto. Similiter esse genitum aliquid honoris, dignitatis, & gloriæ continet, quod Spiritui sancto non conuenit. Sed non propterea Nazianzenus negat æqualitatem omnimodam personarum; vt videbimus disp. 103. & sequent. Denique orat. 36. quæ est 4. de theologia inter med. & fin. respondens ad decimam obiectionem: Patrem appellat *principem naturam*. Videlicet ob relationem principii, non propter dignitatis excessum supra Filium & Spiritum sanctum.

24 Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos, multo propius ad med. quàm ad princ. postquam exposuit notiones Filij & Spiritus sancti, subiungit: *Atqui super omnia est Deus præcipuum quoddā & eximium insigne notamque suæ hypostaseos solus habet, quod Pater est, quod ex nulla causa subsistat.* Et ad fin. eiusdem libri semel & iterum appellat *formam principalem* Patris. His debetur eadem ponderatio, quam Nazianzeni testimoniis nuper adhibuimus. Cyrillus Ierosolimitanus cateches. 7. non longe à princ. ait: *Ante omnia sæcula Patriam dignitatem habet Pater.*

25 Basilius homil. 28. contra Sabellianos prope med. *Idem est*, inquit, *subsistentia, quod gloria, & character, quod splendor.* Vt supra retulimus. Idem lib. vnico de Spiritu sancto cap. 18. ante med. *Imaginis honor ad exemplar primum refertur.* Obserua relationis honorem, ac subinde perfectionem relatiuam, ratione cuius debeatur. Præterea lib. 3. contra Eunomium non longè à princ. dicit: *Filium esse secundum à Patre ordine & dignitate, quoniam origo & causa essendi Pater ipsi est.* Atque idem subiungit de Spiritu sancto comparatione Filij, quem longè inferius appellat *Dignitate tertium à Patre & Filio.* Qui gradus euidenter includunt realem distinctionem personarum, & secundum eam distinctionem vnicuique peculiarem dignitatem.

26 Dionysius Summus Episcopus Romanus, apud Athanasium in epist. de decretis Nicænæ Synodi vltra med. Deum Patrem appellat *verticem & principem, in quem consummatur Trinitas.* Id-est in ordine ad quem constituuntur aliæ personæ, requisitæ ad consummationem, ideſt perfectionem Trinitatis.

27 Hilarius *paternam authoritatem & innascibilitatis authoritatem* dicit multis in locis, veluti lib. 4. de Trinit. col. 3. & lib. 9. multo propius ad med. quàm ad fin. & lib. 11. propius ad med. quàm ad princ. & lib. de Synodis propius ad med. quàm ad princ. & iterum propius ad med. quàm ad fin. post 27. canonem Syrmic. Et rursus multo propius ad fin. quàm ad med. Atque inferius post Symbolum Nicænum. Peculiariter est notandum quod lib. 7. de Trin. multo propius ad med. quàm ad fin. asserit: *Profectus dignitatis est genuisse potestatem, nec alienasse naturam.*

28 Augustinus tract. 59. in Ioannem prope fin. ait: *Qui me secundum Deum accipit, accipit eum, qui me misit: sed cum ista dicebat*, Christus Dominus, *non ab illo naturæ vnitas: sed in eo qui mittitur, mittentis commenda-*

commendabatur authoritas. Rursus in quæstionibus Veteris & Noui testamenti q. 122. ad fin. *Differt,* inquit, *in causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est, & in substantia minor non est Filius: authoritate tamen maior est Pater, ipso Domino testante: Pater maior me est.* Sic etiam Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 6. col. penult. dicit, esse *dignitatem* Filij, quod eius Pater sit Deus.

29 Quibus testimoniis satisfacere tentabit aliquis illa expositione, quam authores primæ sententiæ, citati sect. 1. solet adhibere Hilario lib. 9. de Trin. dicenti *authoritatem dantis,* nimirum, quod Paternitas est authoritas & dignitas Patris; sicut Paternitas est essentia Patris. Vnde sicut Filiatio est eadem essentia, sic etiam est eadem dignitas, & authoritas. Quæ doctrina simpliciter est vera: quemadmodum concedemus disp. 30. sect. 10. sub init.

Solutio refutatur.

30 Cæterum nihil eneruat vires argumenti præsentis, quoniam Patres citati in persona dante & mittente, prout est dans atque mittens, ac subinde prout realiter distinguitur à persona recipiente & missa, constituunt authoritatem, & dignitatem. Atque ita intelligit S. Thomas dicto opusc. 1. c. 2. fine. Præsertim cũ hæc expositio nulla veri similitudine possit aptari cæteris testimoniis Nazianzeni, Nysseni, Basilij & Dionysij; vt constat ex eorum ponderationibus.

SECTIO III.

Sine relationibus imperfectus esset Deus, non solum inquantum Pater, sed etiam inquantum Deus; ac subinde non esset Deus.

1 PRo conclusione primaria, posita in principio sectionis præcedentis, sit hæc secunda probatio principalis, frequenti Sanctorum Patrum ratiocinatione corroborata; quã per aliqua membra distribuam. Imprimis enim diminutus & imperfectus fuisset Deus; si defuisset illi formalis & explicita ratio personalitatis aut relationis: Ergo formalis & explicita ratio personalitatis aut relationis, affert aliquid peculiare perfectionis, ad complementum perfectæ Diuinitatis.

2 Consequentia probatur, quoniam vniuersaliter loquendo, quæcumque priuatio constituitur per absentiam formæ, qua priuat, quemadmodum indoctus est, cui doctrina deficit; indignus, cui deficit dignitas; inops, cui desunt opes; & sic de cæteris omnibus. Ergo imperfectus Deus non constitueretur per absentiam formalis rationis personalitatum aut relationum, nisi ratio formalis illarum esset quidditatiuè perfectio peculiaris, quę non tribueretur præcisè ratione essentiæ.

3 Antecedens probatur primò, quia detracta formali ratione personalitatis ac relationis, Deus nõ esset fœcundus, neque potens generare, aut spirare. Nam sine distinctione personarum impossibilis est productio. Confirmatur, quia licet fœcunditas, aut potentia eadem quæ in Patre est potentia generandi tanquam principiũ *quo,* sit aliquid essentiale & commune tribus personis: attamen principium *quod,* simpliciter necessarium ad generationem, est relatiuum & personale (vt constabit disp. 99. & duabus sequentibus.) Quapropter sine huiusmodi relatiuo & notionali principio, necessariò frustraretur exercitio diuina fœcunditas, ac proinde maneret sterilis & imperfecta.

Sine relationibus Deus non esset fœcundus.

4 Secundò. Deficiente principio *quod* generandi, deficeret etiam actualis generatio, tam actiua, quàm passiua; & actualis spiratio tã actiua, quàm passiua: deficeret etiam actualiter habere Filium & ad illum referri. Quæ omnia perfectiones esse probatur, quia si deficerent, constituerent Patrem imperfectum; vt docent Patres infra citandi. Tertiò. Deus esset mutus sine locutione, & Verbo, careretque sapientia & ratione. Quartò. Deus careret amore reciproco inter duas personas, qui suauissimus est.

Alia incõuenientia.

5 In huiusmodi argumentationibus frequentior & copiosior fuit Athanasius variis in locis præcipuè orat. 2. propius ad med. quàm ad princ. dicens: *Si enim Patri non æterna est sua sapientia; siue Verbũ; sequitur, vt Trinitas æterna non fuerit. Sed principio non nisi vnitas fuit, secundum eos, postea verò ex additamento superuentúque nouarum personarum, Trinitas effecta est, ac temporis circa illas progressu increuit & coaluit diuinæ rationis cognitio.* Multáque subiungit inconuenientia, quæ sequũtur contra perfectionẽ Dei. Vt propterea merito paulo superius in eadem orat. sic increpauerit Arianos: *Quasi plagiary, Deum Verbo suo spoliatis, & manifesto aduersus eum loquimini, quasi fuerit aliquando Deus sine sua ratione, sine sua sapientia: & lucem splendore caruisse, & fontem veluti sterilem exaruisse.*

Deus fuisset sine sapientia si non esset Verbum.

6 Quibus similia sunt, quæ disserit orat. 3. contra Arianos propius ad med. quàm ad princ. & quæ ex eodem Athanasio in 3. serm. gestorum Concilij Nicæni refert S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 7. prope med. *Dicunt,* ait, *sterilem esse, & infructuosam naturã paternã, quæ omnibus rebus insitam & propagatiuam similium dedit naturam. Et mutum faciunt Patrem & sine Verbo, qui omnibus rationalibus facultatem dedit loquendi. Mortuũ etiam ipsum Patrem, dicunt, & expertem viuentis naturæ.* Inquantum, scilicet, negant, posse spirare Spiritum sanctum eiusdem naturæ cum Patre; vt paulo inferius Nyssenus Gregorius notat.

7 Iterum autem Athanasius in compẽdio de Spiritu sancto prope init. *Si fons,* inquit, *& lux & Pater est Deus, nefarium dictu est, fontem exaruisse, lucem sine splendore, Deum sine Verbo, aut ratione fuisse, ne Deus insipiens, aut irrationalis, aut lucis expers habeatur.* Ac disput. contra Arium, habita in Con. Nicæno, paulo post med. *Sequitur,* inquit, *fuisse aliquando tempus, quando Pater fuit irrationalis, ideſt, sine Verbo.* Basilius item lib. 4. contra Eunomium in med. *Si Christus,* inquit, *Dei virtus & sapientia est, hæc autem increata & coæterna Deo (non enim erat, quando erat insipiens, & absque virtute) increatus & coæternus Christus est Deo.*

8 Prædictam ratiocinationem fuisse quorumdam catholicorũ aduersus Arianos, refert Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 1. circa med. & impugnat, quoniam *ad id cogit, vt dicamus, Deum Patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam, quam genuit, non existendo per se Pater ipsa sapientia.* Vnde infert alia inconuenientia, vt quod Filius non sit sapiẽtia de sapientia, quia Pater non est sapientia. Quorum opposita probat sequenti cap. 2. sed magis apertè lib. 7. de Trin. cap. 1. præsertim ad fin. & cap. 2. & 3. & lib. 15. de Trin. cap. 6. parum à principio.

Videtur impugnare Augustinus.

9 Nihilominus Augustinus cum antiquioribus Patribus ita conciliandus est, vt Pater non constituatur sapiens formaliter per Verbum genitum, sed per sapientiam essentialẽ; vt dicemus disp. 74. sect. 4. Attamen sicut ex sapientia & notitia Dei. necessariò sequitur producere Verbum & perfectam imaginem (vt idem Augustinus clamat præsertim lib. 15. de Trinit. cap. 11. & sequent.) ita etiam ex oppositio consequentis oppositum antecedentis infertur, videlicet, ex eo quod non producat

Conciliatur Augustinus cum cæteris Patribus.

ducat Verbum perfectam imaginem, infertur non habere sapientiam neque notitiam. Quo sensu valida est ratiocinatio Athanasij & Basilij. Quã alij quoque Patres aduersus Arianos utuntur.

10 Gregorius Nyssenus orat. catech. c. 5. sub init. *Si dederint,* ait, *Verbum seu rationem, & sapientiam non fuisse ducem rerum creationis; statuent rationis & artis egestatem fuisse in principio vniuersitatis. Sin autem hoc constat esse planè absurdum & impium; Verbum & sapientiam rerum fatebuntur esse ducem.* Sic videlicet corrigendus est error typographi, qui negationem alteram addidit in principio, per quã redditur sensus ratiocinationi contrarius. Rursus epist. contra Apollinarem de imagine & similitudine ferè inter med. & fin. *Si Deum Verbũ negaris, dixerisque cum Deo & Patre non esse; rationis expertem ac belluinum prædicaturum Deum. Si verò Spiritum à Deo seiunxeris, tum fieri, vt mortuum quendam non viuentem asseras Deum.*

11 Nazianzenus tractatu de fide, qui est orat. 49. paulo propius ad med quàm ad princ. *Ideo,* inquit, *sapientia appellatur, vt nunquam Pater sine sapientia, hoc est sine Filio suo esse credatur.* Theophylactus in Ioan. c. 1. non procul à princ. *Impossibile est,* inquit, *Deum esse absque sermone & sapientia & virtute. Idcirco quia Verbum sapientia & virtus Patris existit Filius, credimus, ipsum semper esse apud Deum, hoc est cum Patre.*

12 Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri c. 6. fine. *Cum Pater semper perfectus sit, nunquam desijt generare.* Et Matth. 11. cap. 7. col. 2. *Parit mens hominis cogitationes bonas, vt Saluator dicit: Quomodo nõ erit absurdum, supremum intellectum infœcundum opinari.* Et in eodem lib. 1. cap. 5. circa med. *Si nihil Deo de foris accedit (perfectus enim est, & nullius indigus) non accessit Filius de foris, sed erat & est Patri coæternus.* Et post pauca: *Si Patri Filius coæternus non est, necesse erit concedere, imperfectam aliquando fuisse Sanctam Trinitatem.* Et infra: *Erat ergo semper cum Patre Trinitatis plenitudo,* videlicet, Filius & Spiritus sanctus.

13 Hilarius lib. 12. de Trinit. col. antepenul. Deum precatur, vt auertat ab eo, ne aliquãdo *sine sapientia & virtute, & Verbo suo, vnigenito Deo fuisse præsiniat.* Et col. penul. de Filio sic Patrem alloquitur: *Nec sine tuo fuisse confitendus aliquando es,* (videlicet Filio) *ne aut imperfectus sine generatione, aut superfluus post generationẽ arguaris.* Phœbadius lib. contra Arianos inter med. & fin. *Totum,* inquit, *defuit Patri, si aliquid defuit de toto. Defuit autem, si Filius suus, hoc est virtutum suarũ plenitudo initio non caret.* Et post pauca: *Si solus ipse sine initio dicitur vsque ad Filij generationem, imperfectus fuisse dicendus est. Imperfectus enim, si cœpit habere, quod ante non habere voluit. Is omnia autem habere debuit semper, qui semper debuit esse perfectus: quia non recipit augmentũ quidquid occupauerit totum.* Anselmus 1. Corin. 1. ex illis verbis, *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam,* ita concludit: *Si aliquando fuit Deus sine Filio, fuit sine virtute & sapientia, id est, fuit infirmus & insipiens.*

14 In secundo membro referamus eos, qui dicunt, propterea perfectè potẽtem & beatum esse Patrẽ, quoniã ab æterno Filium habet. Athanasius orat. contra Gregales Sabellij multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Cum Dei potestas Filius sit, ideóque plenè, & ad perfectum potens est Pater, quoniam Pater potestatis est.*

Propterea perfectè potẽs & beatus Pater, quia Filiũ habet ab æterno.

15 Basilius lib. 2. contra Eunomiũ propius ad med. quàm ad princ. *Si bonum,* inquit, *si pulchrum est diuinæ beatitudini Patrem esse, quomodo ergo à principio, quod decebat, ipsi non aderat? At enim melioris ignoratione, aut impotentia hunc fuisse defectum ratiocinabimur.* Et lib. 4. contra eundem non longè à princ. *Si Deus non generat, quia non potest; minor est, quam generans & perfecta natura: cum ad hoc etiam imbecillitas insit. Quod si potest, & noluit; quod natura habet, voluntate retinuit.*

16 Eodem modo ratiocinatur Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 1. propius ad princ. quàm ad med. & sequenti cap. 2. inter med. & fin. Aëtium dicentem, quod Filius non fuit naturaliter productus, sed quia Pater voluit, ita deducit ad inconueniens: *Quoniam Filius & sapientia & virtus Patris est: non erit natura Pater sapiens & virtute pollẽs, & sapientia & virtus non erit sibi connaturalis, quod absurdissimũ est.* Idémque lib. 12. thesauri cap. 6. prope med. *Si Christus,* inquit, *qui est sapientia & virtus Patris, à nihilo productus sit; necesse erit confiteri insipientem aliquando & impotentem Patrem Deum fuisse, postea verò & sapientem & potentem factum, quando Filius à nihilo ad esse productus est.* Ambrosius in symb. Apostol. cap. 2. *Num quidnam potuit esse tempus, quando Pater sine vita, sine sapientia, sine virtute, sine Verbo, quod Christus est, fuerit?*

17 Tertium membrum præsentis probationis esse potest, quia potentia, dignitas & perfectio non crescit, nisi quod acquiritur, aliquid bonitatis & perfectionis superaddat vltra præexistẽtem perfectionem & bonitatem. Quod autem diuina potẽtia, dignitas & perfectio creseret; si Filius non extitisset ab æterno, sed fuisset in tẽpore genitus: Patres deducunt ex errore Arianorum. Athanasius enim lib. 5. de vnita substantia Trinitatis in med. ait: *Si omnipotenti tanquam homini egenti per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens nõ fuisse cognoscitur: quia cui honor accedit, dum vsque ad summum gradum peruenerit, adhuc inferior ab eo esse videbitur; & si peruenerit, melior incipit esse in nouissimo, quàm fuerat in primo, dum de humilitate vsque ad summum fastigij culmen accedat.*

Creuisset diuina potentia & perfectio, si Filius in tẽpore natus esset.

18 Et paulo inferius: *Vides, omnipotentem esse Dei Filium in natura, sicut & Patrem? Ideo nihil nuper accessit, in vnita Diuinitate sempiternæ omnipotẽtiæ, Patri & Filio. Sanè neque omnipotenti Deo sancto Spiritui aliquid accessisse cognoscitur, quoniã de vnita omnipotentiæ substantia est: quia hæc vnita natura nec augmentum aliquod, nec detrimentum patitur.* Idem orat. contra gregales Sabellij paulo post med. *Nunquã solum Patrem fuisse intelligendum est, eo quod Trinitas semper Trinitas fuerit, neque auctarium Deitatis accipiat, neque quasi Filius, qui ante cum Patre non fuit, post modum fuerit, ac cum iam extiterat, aliquid incrementi addiderit, aut Filio Spiritus superaccreuerit.*

19 Eodem argumento Epiphan. hæres. 69. multo propius ad fin. quàm ad med. Ex eo quod *Pater semper perfectus est, & nunquam perfectione indiget, ideoque non potest profectum facere in Deitate,* colligit nunquam fuisse Patrem sine Filio, quia veniret ad profectum, quando Filium genuisset. Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. multo propius ad fin. quàm ad med. *Si aliquando, vt volunt, Filius non fuit (quod nefas dictu est) non fuit ergo in Deo perfectionis aliquando plenitudo diuinæ, si postea processum generationis accepit.*

SECTIO IV.

Diuinitas ipsa, & absoluta substantia foret imperfecta, si defuissent relationes.

1 ASsertio præsens adducitur ad maiorem confirmationẽ perfectionis, quam affert ratione sui formalis & explicita ratio relationis diuinæ, prout

Sufficere possent testimonia sectionis præcedentis.

prout in sectione prima probare cæpimus. Eius autem veritatē sufficienter probare poterant omnia testimonia Patrum,adducta sect.præc. Siquidem ex eo, quod Filius aut Spiritus sanctus non existerēt ab æterno,consequens esse,dicunt,quod ab æterno fuisset irrationalis,mutus,sterilis,infæcundus, mortuus; & caruisset perfecta potentia, beatitudine, seu fælicitate, nec non plenitudine bonitatis, suauitate charitatis, & pulchritudine ordinis,aliisque perfectionibus,simpliciter necessariis ad perfectionem Diuinitatis secundum esse substantiale, absolutum & essentiale.

2 *Clariora testimonia de perfectione Deitatis exigente relationes.*

Addimus tamē alia testimonia,magis perspicuè declarantia Deitatis imperfectionem, quam aliæ confirmationes corroborant. Athanasius igitur orat.2.in medio ait: *Res conditæ si non sunt in rerum natura,non diminuunt conditorem: proles autem si non coæternaliter coexistat cum Patre detrimentum adfert perfectitudini illius substantiæ.*

3 Gregorius Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de Theologia colum.2. *Si vnum,*inquit,*deijcis (audax hoc dicam) ne duo quidem superiori loco colloces. Quæ enim imperfectæ Deitatis vtilitas? imo quæ Deitas, si imperfecta? Perfecta autē quomodo erit,in qua ad perfectionem aliquid desideretur? Desideratur enim si sanctitate careat. Hanc porro quomodo habere queat, nisi Spiritum habeat?* Et post pauca: *Quasi verò præstiterit Deo,aliquando imperfectū extitisse, ac Spiritus expertem.* Quod in hac sentētia difficile videtur de sanctitate spirata,declarabitur disp.65.sect.4.ad fin.

4 Cyrillus Alex.lib.2. thesauri cap.1. propius ad prin.quàm ad med. *Non potest,* inquit, *esse perfecta Deitas,nisi Filium habeat,& fructum ex se pariat: nec potest esse creator Deus absque Filio, per quem omnia fiunt.* Idemque dialogorum de Trin.lib.1.col. penul.Arianos ita vituperat: *Ipsam Dei Patris naturam in hoc simul dehonestant, quandoquidem contendunt,non esse fructiferum, & spoliant eum gignendi facultate, cuius tamen figuras parturiens & fructificans creaturarum natura in se declarat.*

5 Leo Magnus serm.5.de natiu.Domini c.3. post med.*Si ideo Patri impar est genitus,quia vt tibi videtur,generando eum,qui non erat,genuit;imperfecta erat etiam generantis essentia, quæ adhibendo,quod non habuit,generando perfecit,*vel potius,profecit.Ricardi Victorini multa capita lib. 3. de Trin. videlicet à cap.2.vsque ad 20.& lib.5.cap.2.ac deinde à c.16. vsque ad 24.tota pertinēt ad rem presentem;quibus probat, si personarum pluralitas non esset in Deo,vel originis ordo non eas distingueret; esse consequens,vt deficeret Deo plenitudo bonitatis, ac fælicitatis,sūmus ac suauissimus amor, germanitas iucundissima, & ordinatissima pulchritudo. Quibus authoritas crescit ex communi consensu scholasticorum,recipientiū rationes,quibus hanc illationē probat Ricard. vt vidimus disp.1.sect.6.

6 Denique pro eadem veritate recolēdum est testimonium S.Thomę opusc.1.cap.7.quod vidimus sect.2. Quibus omnibus consequēs est,quod Ric. de Mediauilla scribit in 1.dist.2.art.2.q.3.corpore. Diuinam essentiam non existere perfectè prius secundum rationem intelligendi, quàm sit in ea pluralitas personarum: si intelligatur existentiæ perfectio,quantum ad omnes modos,quibus existere apta nata est essentia diuina.

7 *Trinitas perfectio simpliciter.*

Confirmatur primò, quoniam Deitatem esse Trinitatem est perfectio simpliciter simplex, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa. Deficeret autem Trinitas, nisi multiplicaretur relationibus originis;vt probatum est disp.1.sect.3. & sequentibus. Rursus vel vnica persona,seu relatione sublata,tota Trinitas aufertur:quemadmodum ratiocinatur Athan.in priori epist. ad Serapionem Episcopum de Sancto Spiritu versus fin.ab illis præcipuè verbis. *Quod si sempiterna est Trinitas, non est creatura Spiritus* &c. Quibus similia retulimus sect. 2. ex eodem Athanasio orat. 2. contra Arianos, & ex Cyrillo. Basilius etiam lib. 5. contra Eunomium prope med.videlicet sect.14.idem obseruat.

8 *Spiritus sanctus complet Trinitatem. Basilius.*

Deinde si defuisset Spiritus sanctus, incōpleta foret Trinitas,quoniā Spiritus sanctus *per se ipsum complet super omnia glorificādam ac beatā Trinitatem,* vt loquitur Basil.lib.vnico de Spiritu S.c.18. ante med. Quem imitatus Cyril. Alex.lib.14. thes.c.3. post med.ait: *Sanctæ Trinitatis ipse cōplementum est,* Videlicet Spiritus sanctus,de quo disp.76. sect.2.

9 *Infinitudo in genere entis.*

Confirmatur secundò.Deficeret enim infinitudo in genere entis; si diuina natura non identificaret secum entitates relatiuas,realiter distinctas, quod infinitæ perfectionis indicium vltra cætera omnia mirabilius est, magisque superans quemlibet intellectum creatum:vt vidimus disput.15.Vt propterea sapienter Hilar. lib.12.de Trin.in med. dixerit: *Quantum Filio temporis, ne semper Filius fuerit,abnegabitur,tantum Patri deest, ne Pater semper sit,vt licet semper Deus, non tamen & Pater in ea fuerit infinitate,qua Deus est.*

10 *Deus sine Verbo aut sine Spiritu sancto creare non posset.*

Confirmatur tertiò, quoniā imperfecta Deitas esset,quæ nō posset creare. Deus autem sine Verbo,vel sine Spiritu sancto creare non posset, quia sine illis non posset mandare ac dicere,vt creaturæ fierent; careret etiam sapientia & arte, ac ideis, ad quarum exemplar creaturæ producuntur; ac denique careret potestate donandi liberaliter, & communicandi perfectionem. Propterea Basilius lib.5.contra Eunomium inter princ. & med. videlicet sect.6.*Omnium,*inquit,*imago,quæ creatur, à primitiuo ad materiam transmutata, similitudinem capit, & charactere participat per artificis mentem, & manus confirmationem: sic pictor,sic lapidum sculptor, sic qui auream aut æneam statuam fingit, materiam cepit, in exemplar respexit, recepit rei, quam speculatus est figuram, hanc in materiam impressit. Quod si hominibus nō possunt ad similitudinem informari materiæ, nisi idea ipsorum participent: quomodo ad similitudinem Dei creatura ascēdet, nisi diuino charactere participarit? Diuinus verò character viuens est & verè ens imago,imaginis efficiens.* Videlicet Christus Dominus.Et prope med.eiusdem lib.5.videlicet,sect. 13.post med. *Qui Filium,* inquit, *tollit,is creationis omnium principium abstulit, principium enim est substantiæ omnium Dei Verbū,per quod omnia facta sunt. Qui Spiritū aufert,perfectionē eorum,quæ sunt,abscindit.Nam quæ fiunt,emissione & participatione Spiritus fiunt.*Et paulo inferius confirmat aliis testimoniis.

11 Athan.orat.3.contra Arianos prope init. *Si non sit Filius,* inquit, *quomodo Deus creator esse dici poterit? Siquidem per Verbum in sapientia omnia fiunt sine quo nihil fieri poterit?* Quod argumentū magis vrget sequenti discursu. Cui simile est, quod ex eodem Athanasio in epist.ad Serapionem S.Thom.refert opusc.1.c.7.post med.fortasse non verba transcribens,sed mentem colligens. *Quod Pater non potuit creare creaturā,nisi per Verbū: & deificandis creaturis se non potest communicare, nisi per idem Verbum. Et similiter nec Filius,nisi in Spiritu sancto.* Quod sumi potuit ex vtraq; epistola ad Serapionem episcop. de Spiritu sancto, sicut etiam ex Nazianzeno, Nysseno,Damasceno, Ambrosio & aliis, referendis disp.111.sect.3.& sequentibus.Et expresè docuit Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 1. vt retulimus paulo superius ante primam confirmationem.

Nec

12 Nec obstat, quod iidem Patres docent, Patrem non indiguisse Filio ad creandum,aut Filium non indiguisse Patre. Quia solummodo negant indigentiam propriè dictam, vt explicabimus sect.sequenti prope finem.

SECTIO V.

De facto nunc imperfectum & indigentem esse Deum, vel Patrem, colligere ex eo, quod foret imperfectus, si non haberet Filium; est mala consequentia.

1 *Labor inutilis.*

FRustra desudant multi Theologi, defendere laborantes, quod Patris perfectio foret integra & plena, nullóque gradu diminuta; licet per impossibile non existeret Filius, vel Spiritus sanctus. Hoc enim præcipuè fine relationes & personalitates omnes à perfectionis gradu deturbare conantur,ne vna persona maneat imperfecta,quia formaliter & in recto non includit personalitatem seu relationem alterius. His conatibus apertè resistunt grauissimi quique Patres, tribus præcedentibus sectionibus citati, & eorum validissimæ rationes, quibus alias adiungimus in hac & sequenti sectione,præmissa distinctione pro maiori luce ac robore.

2 *Imperfectio Deitatis immediatè consequens negationem relationum.*

Dico igitur primò. Duplex est modus consecutionis, virtute cuius infertur, imperfectam esse Deitatem; si deficerent illi personalitates aut relationes. Primus est per absentiam vnius tantùm formæ,constituentis perfectionem. Secundus est quia defectus vnius formæ resultaret ex absentia alterius formæ. Primo modo, Deitatem futuram fuisse imperfectam, sequitur ex eo, quod non haberet relationes seu personalitates, quatenus in hoc immediatè & formaliter includitur, quod Deitas non subsisteret,nec esset persona,nec identificaretur realiter cum tribus personis.Quæ consecutio magis explicabitur sect. sequenti. Nunc autem obseruandum est,quod in hac consecutione præcisè sumpta, nihil Deitati detrahitur de perfectione absoluta,sed solùm illi detrahitur relatiua perfectio,quæ secundum rationem perficit & consummat absolutam perfectionem.

3 *Imperfectiones absolutæ, quæ resultarent ex priori absentia relationum.*

Secundo modo, quod Deitati deficerent aliquæ perfectiones absolutæ, naturales & essentiales; si deficerent illi relationes; sequitur non immediatè tanquam per absentiam formæ constituentis perfectionem absolutam & essentialem: sed per resultantiam, propter inseparabilem connexionem relatiuæ perfectionis cum absoluta. Hoc igitur modo,Deum esse irrationalem & mutum, & sapientia carere, sequitur ex eo, quod Filius seu Verbum non existat: quia non potest existere operatio intelligendi, nisi existente Verbo, tanquam termino producto per illam. Idémque sequitur de operatione volendi,si non existat eius terminus Spiritus S. Atque ex eadem suppositione sequitur,quod absoluta & essentialis fœcunditas tanquam potentiæ & principij *quo*, deficeret Deitati, sicut & infinitas, & nonnullæ aliæ perfectiones superius explicatæ.

4 *Imperfectiones quæ sequerentur in Patre.*

Dico secundò.Totidem modis imperfectio Patris sequitur ex negatione relationum. Idémque intellige proportionaliter de Filio & Spiritu sancto,quod fuerit dictum de Patre. Primo namque modo, quòd persona Patris foret imperfecta; si deficeret ei respectus ad Filium, sequitur immediatè, quasi per absentiam formæ constituentis quidditatem & perfectionem istius personæ.

5 Secundo modo, quòd foret imperfecta persona Patris, si per impossibile Filius non existeret, infertur per resultantiam absentiæ vnius formæ, propter absentiam alterius, cum qua necessariam connexionem habet. Quamuis enim per impossibile supponamus, non existente Filio, primam personam existere cum tota essentia Diuinitatis: nihilominus deficiente Filio, deficeret fructus viuenti personæ, deficeret loquenti Verbum, deficeret relationi terminus. Vnde præterea sequeretur, personam esse orbatam, mutam & destitutam relationis termino. Nam personam viuentem fructus immanens perficit, Verbum loquentem, & relatiuam terminus. Ideo perfectio primæ personæ quidditatiuè postulat, intra se ipsam habere Filium & Spiritum sanctum: vt magis explicabitur disputat. sequenti sectione 5. & sequentibus.

6 *Non existeret Pater, si non esset relatio.*

Dico tertiò. Eodem illationis modo sequitur, quod Pater omnino non existeret,si non existeret relatio Filij. Quod ex professo probat Damascenus lib.1. fidei cap.8. à medio vsque ad fin. & Patres communiter,qui supra disp.9.tota sect.3. docent, diuinas relationes esse simul natura, ita vt vna posita ponatur altera, & vna relatione non existente, non ponit altera existere.

7 *Præcisio nostra quomodo relinquat imperfectū Deū.*

Neque est inconueniens,manere Deum imperfectum; si per nostram considerationem ab eo præscindantur perfectiones, quas realiter & necessariò coniunctas quidditatiuè postulat & obtinet (sicut falsò putabant Theologi in principio sectionis commemorati.) Nam vt acutè S. Thomas ait quæst.28.art.2.ad 3. *Si in diuina perfectione nihil plus contineretur, quàm quod significat nomen relationis; sequeretur, quod esse eius esset imperfectum, vtpote ad aliquid aliud se habens: sicut si non contineretur ibi plus, quàm quod nomine sapientiæ significatur, non esset aliquid subsistens.* Sufficit ergo perfectioni Dei & Patris, quod in re sit integer & completus, non solum essentialibus prædicatis & relatione constitutiua personæ, sed etiam terminis immanentibus in ipso per circuminsessionem.

8 *Indigentia obijcitur.*

Sed obiicies, quoniam ex præcedenti doctrina sequeretur, quod Pater indigeret Filio & Spiritu sancto, ac dependeret ab illis. At verò dependentiam excludit Bessarion Archiepiscopus Nicænus in Concilio Florentino, & Anselmus in monologio cap.58.quorum verba retulimus disputat. 10. sect. 2. Quin etiam vt operetur ad extra vna persona, non indiget alia, vt notat Basilius lib. de Spiritu sancto cap.16. inter princ. & med. Chrysostomus homil. 3. de Spiritu sancto quæ incipit *Heri à nobis* circa med.

9 Confirmatur primò, nam vt refert S. Thomas opusc.1.contra errores Græcorum cap.7.in princ. *Athanasius dicit in epist. ad Serapionem, quod Pater per se & in se sine alicuius indigentia plenus & perfectus existens Deus ad sui perfectionem, neque Filio,neque Spiritu sancto indiget.* Confirmatur secundò, quoniam vt communiter Scholastici docent, *non propter indigentiam* multiplicantur personæ:Deus enim non indiget,sibi namque sufficit.Ita S.Thomas 1.dist.2.q.1.art.4.fine. S.Bonauentura eadem dist.2. art.1. q.2. ad 1. Ergo sine relationibus,quæ personas multiplicant,Deus maneret perfectus.

10 *Non indiget Pater quoniā à se ipso habet.*

Respondeo,non esse bonam illationem tam in obiectione,quàm in eius cōfirmationibus.Quamuis enim ex negatione Filij sequatur imperfectio Dei Patris: non sequitur indigentia; quoniam illud est propriè indigens, quod in se ipso & à se ipso non habet aliquid requisitum ad suam perfectio

fectionem; sed illud accipere debet ab aliena substantia & essentia distincta. At verò Deus & persona Patris realiter in se ipsa,& à se ipsa quidditatiuè continet quidquid ad sui perfectionem requiritur, non solum tanquam formaliter constitutiuum Dei aut Patris,sed etiam tanquam terminus & fructus & Verbum,vt nuper dicebamus.

11 Confirmatur primò, quia licet Filius totum suum esse & perfectionem accipiat à Patre; nihilominus non indiget Patre; quia totum accipit vt proprium ac debitum suæ quidditati. Confirmatur secundò,quoniam exigentia,propter quam vnum sine alio non potest existere,nec est,nec infert indigentiam,sed aliquando reperitur sine illa. Quemadmodum scientia visionis Dei & beatorum exigit existentiam veritatum contingentium in aliqua differentia temporis, sed tamen propriè loquendo non indiget.

12 Tertiò, quoniam indigentia propriè dicta respicit causam, vel aliquod illius complementum aut conditionem causandi: proptereáque requirit extrema, quæ distinguantur secundum essentiam. Quemadmodum circa dependentiam fusius ostendimus dicta disput.10. sect.2. & 3. Quartò. *Peculiariter Pater non indiget.* Peculiari quadam ratione Pater potius,quàm aliæ personæ, dicitur ad sui perfectionem non indigere Filio, neque Spiritu sancto, quia Pater suam perfectionem non accipit ab alia persona producente: Filius autem & Spiritus sanctus suam perfectionem accipiunt ab alia persona producente, vt notat S.Thomas opusc.1. dicto cap.7.

SECTIO VI.

Relatiuæ perfectionis aliæ probationes quasi à priori.

1 HActenus quasi à posteriori, deducendo ad inconueniens, probauimus rationem formalem & explicitam relationis esse perfectionem. In præsenti verò sectione quasi ostensiuè & à *Ratio personæ est perfectio.* priori probatur primò, quoniam formalis & explicita ratio personæ est perfectio vltimo complens naturæ perfectionem, vt ex D.Thoma 1.p. q.29.art.3. aliisque Scholasticis retulimus sect.2. Sed relatio personam constituit in formali & explicita ratione personæ, vt videbimus disput. 87. & 88. Ergo ratio formalis & explicita relationis est perfectio. Confirmatur primò, quia si formalissima ratio personæ abstraheret à perfectione & imperfectione (vt vult Caietanus in commentario prædicti articuli 3. post med.) nullius roboris esset argumentum D. Thomæ & aliorum Scholasticorum, quo probant in Deo esse personam, quia omne illud, quod est perfectionis, reperitur in Deo.

2 Respondet Caietanus, ex perfectione diuinæ *Caietani solutio.* essentiæ prouenire non solum, quod sit omnis perfectio, sed quidquid necessariò inest iis, quæ perfectionem dicunt, de quorum numero est incommunicabilitas; inest enim essentiæ diuinæ, *Refutatur.* quatenus inest ei personalitas. Verùm hæc expositio manifestè contraria est literæ S.Thomæ, & aliorum Scholasticorum,qui expresè dicunt: *Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Vnde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod eius essentia continet in se omnem perfectionem,*&c. Nunc studiosus lector conferat hoc fundamentum cum eo,quod nuper retulimus ex Caietano, videbítque manifestam contradictionem.

Insuper principium, quod Caietanus substituit reiecto fundamento S.Thomæ, supponit falsum; quia nihil necessariò inest his omnibus rebus,quæ perfectionem dicunt, nisi quod est perfectio, ita vt melius sit ipsum habere,quàm nō ipsum. Alioqui, si non est melius habere illud,superfluum est & inutile, vt dicemus probatione 2.

Confirmatur secundò ad hominem.Nam idem 3 Caietanus 3. p. q.3. art.1.§. *ad horam,* & sequent. cum D.Thoma defendit, personalitatem & subsistentiam esse perfectionem infinitam. Cui repugnat,quod adiungit,relationem nō esse perfectionem. Etenim diuinæ relationes à se ipsis ex propria quidditate relatiua habent, esse subsistentes & personales. Præterea per explicitam rationem relationis constituitur distinctio personarum & earum incommunicabilitas. Ac proinde constituitur quidquid perfectionis additur supra substantiam vnicam & communicabilem.

Confirmatur tertiò, quia quidquid est notio- 4 nale siue personale,est relatiuum: ergo relatiuum in diuinis continet omnem perfectionem personalem. Quartò, ne forte quis resiliat ab hoc argumento, negando antecedens, asserátque, sub- *Subsistētiam esse perfectionem ratione sui.* sistentiam non esse perfectionem formaliter & præcisè ratione sui: hoc etiam refutatur,quia nullius perfectionis esset,naturam diuinam communicari tribus suppositis subsistentibus; si suppositа formaliter, secundum peculiarem rationem, quam addunt supra naturam communicabilem, non afferrent perfectionem transcendentalem entitatiuam,imò superflua essent, ideóque imperfectam redderent naturam.

Confirmatur quintò, quia lumine naturæ ma- 5 nifestum est, ab omnibúsque concessum, esse maximam perfectionem illam rationem positiuam à qua prouenit immediatè,quod substantia non inhæreat alteri,neque sustentetur ab alio:hęc autem est formalissima ratio per se subsistendi. Confirmatur sextò, quia persona Verbi per suam proprietatem personalem & relatiuam terminat humanitatem Christi Domini. Fatentur verò theologi ratione personalitatis maximam perfectionem ac dignitatem humanæ naturæ conferri.

Secunda probatio, quoniam implicat contra- 6 dictionem,aliquid in Deo existens neque esse per- *Non est medium inter perfectionem & imperfectionem.* fectionem ex sua ratione explicita, neque imperfectionem: nihil enim determinatum in singulari & indiuiduo potest abstrahi à transcendentali perfectione vel imperfectione. Nam, vt exempli gratia, loquamur de relatione Paternitatis, secundum explicitam rationem illius: hæc formalitas vel requiritur ad ornatum & complementum Diuinitatis, ita vt melius se habeat Diuinitas cum illa, quàm sine illa: & sic relatio paternitatis erit perfectio. Quod si relatio Paternitatis nullo modo requiritur ad ornatum & complementum Diuinitatis, ita vt æquè bene Diuinitas se haberet sine illa, sicut se habet cum illa; manifestum est inferri, superfluam esse hanc relationem & sine fructu; quidquid autem est superfluum, & infructuosum est imperfectum.

Confirmatur primò, quoniam imperfectio fo- 7 ret Deitatis, secum identificare realiter formalitates omni perfectione destitutas & vacuas,quantum ex se est. Confirmatur secundò, quia satis imperfectum est illud, quod secundum se consideratum,nullam affert perfectionem:imperfectio quippe non est positiuum quid, sed carentia perfectionis,& tanto maior erit imperfectio, quanto minus

minus debita fuerit illi perfectio secundum eius quidditatem.

8 Probatur tertiò, quia transcendentalis bonitas *Perfectio est passio entis.* seu perfectio est propria passio entis realis, tanto magis necessariò conueniens cuilibet enti, quanto illud ens fuerit altius, magísque accedens ad Deum. Sed relatio diuina, secundum suam formalem & explicitam rationem, est ens reale, non quidem accedens ad Deum, sed verè diuinum. Ergo relationi secundum suam formalem & explicitam rationem,conuenit transcendentalis bonitas & perfectio magis necessariò, quàm omnibus creaturis.

9 Confirmatur primò, ex Augustino lib.3. de liber. arbit. cap. 5. dicente: *Omnia quæ sunt, eo ipso quod sunt, bona sunt.* Et lib.83.quæstio.q.24. *Omne quod est, in quantum est, bonum est.* Et lib.1. de doctrina Christiana cap.32.circa princip. *Quia Deus bonus est, sumus; & in quantum sumus, boni sumus.* Confirmatur secundò,nam vt Aristot.lib.1.ethic. cap.6. sub init. *Bonum,* inquit, *& in substantia dicitur & in quali, & in eo quod est ad aliquid.* Et post pauca: *Cum bonum æquè ad id quod est dicatur, nam & in substantia dicitur bonum, vt mens & Deus: & in quali virtus; & in quanto mediocre; & in relatione vtile,* &c. Atque ita S.Thomas supra quæst.5.toto artic.3. defendit, omne ens, in quantum ens, esse bonum,& quodammodo perfectum. Tertiò,nam *omnis creatura Dei est bona,* 1.Timoth.4.Ergo à fortiori,bona erit quæcumque realis formalitas Deo conueniens: foret enim indignissimum, imperfectissimum accidens creatum perfectione atque dignitate superaret relationem ac personalitatem diuinam; si nulla foret illius propria & quidditatiua perfectio.

10 Probatur quartò, nam adoratio est quædam *Adorantur etiam relationes.* speciesnoris exhibiti. Honor autem est reuerentia alicui exhibita in testimonium virtutis & excellentiæ bonitatis; vt constat ex Philosopho 4. ethic. cap. 3. aliquantulum à principio, & 5. ethic.cap.6.& 8.ethic.cap.8. prout fusius exponit S.Thom.2.2.q.103. art.1. & 2. & 3.p. q.25. art.1. Sed Trinitatem adoramus sub formali ratione Trinitatis, & trium personarum, atque vnamquamque personam ratione suæ peculiaris proprietatis adoramus. Ergo Trinitas, sub ratione Trinitatis ac trium personarum, atque vnaquæque persona ratione suæ peculiaris proprietatis, habet bonitatis excellentiam & perfectionem.

11 Minor probatur, nam vt Ecclesia profitetur symbolo Athanasij: *Fides Catholica hæc est,vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Perpende, venerationem referri non solum ad Deum,prout est vnus, sed etiam prout est Trinus in vnitate. Atque in officio sanctissimæ Trinitatis frequenter Trinitati & singulis personis sigillatim defertur adoratio, laus, gloria, benedictio & gratiarum actio, quæ omnia respiciunt excellentiam bonitatis. Ideóque sexta Synodus Constantinopolitana *in tribus perfectissimis subsistentijs,* credit æqualem honorem ad dignitatem, vt vidimus sect.1. inter testimonia Conciliorum.

12 Sophronius Patriarc.Hierosolym. in epist.quæ ponitur in sexta Synodo act.11. colum.3. epistolæ, dicit; *Sicut subsistentias tres exorare didicimus, ita & tres glorificare personas instruimur.* Concilium Nicænum secundum,quod est generale septimum act.3. probat Tharasij professionem fidei,in cuius initio ait: *Secundum singularitatem personarum tria adoranda.*

Ruiz. de Trinitate.

Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. non valde 13 procul à princip. docet, quod diuina Scriptura Patri & Filio & Spiritui sancto communiter & coniunctè tribuit venerationem. Epiphanius hæres.69. in med. videlicet pag.12. ait: *Trinitas nihil habet in se ipsa euarians, sed totum perfectio, tria perfecta, vna glorificatio.* Et in Ancorato colum. 10. dicit: *Honoratur Pater, secundum quod Pater est: honoratur Filius, prout Filius est; honoratur Spiritus, prout Spiritus verus est.* Obserua reduplicatiuas dictiones, vt honor & adoratio feratur ad formalem & explicitam rationem Paternitatis,Filiationis & Spirationis.

Athanasius disp.contra Arium,habita in Con- 14 cil. Nicæno, prope fin.ait: *Cum vidissēt Isaias maiestatem Domini, & exercitus sanctarum potestatum, quid ait eas clamare in sacris hymnis? nonne Sanctus, Sanctus,Sanctus? Cur neque supra hunc numerum, in hoc hymno modulando transcendunt? neque inferius descendendo Odem illam comminuunt?Certè ea de causa quod præter Trinitatem nefas sit, quemque istiusmodi honoribus affici.*

Basilius lib.vnico de Spiritu sancto cap.12.an- 15 te med. appellat *Super omnia glorificandam Trinitatem.* Damascenus 1.fidei cap.11. inter med.& fin. *Tres,* inquit, *sunt,qui adorantur,Pater Filius & Spiritus sanctus.* Quibus similia dixerat initio capitis 10. Confirmatur primò,nam in personis proprietas est formaliter relatio, sed *adoratur in personis proprietas,* vt Ecclesia monet præfatione Missæ in festo Trinitatis. Ergo adoratur formalis & explicita ratio relationis.

Confirmatur secundò,nam & Paulus Ephes.3. 16 *flectit genua ad Patrem,* videlicet sigillatim ad eius personam. Et Ioann.5. Iudicium Filio datum est, *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Sícque nonnulli Patres, alibi referendi,notant,Christum Dominum *honore Patrem affeciſſe,* quando dixit: *Pater maior me est,* denotans prioritatem originis: vt Damascen.lib.de duabus Christi voluntatibus inter princ. & med.

Probatur quintò, quoniam amoris proprium 17 obiectum est bonum, ideóque quidquid est ama- *Amabile Pater, in quantum Pater, & Filius, in quantum Filius.* bile, bonum est. At verò Pater est amabilis, non solum in quantum est Deus,sed etiam qua ratione Pater est, & principium Filij atque Spiritus sancti: similiter autem Filius amabilis est,non solum in quantum Deus,sed etiam in quantum Filius & Verbum, ac Spirator: Spiritus quoque similiter est amabilis, prout est Spiritus procedens per voluntatem, & complens numerum Trinitatis.

Confirmatur primò,quia si Pater & Filius non 18 diligerent relationes ac personalitates, quibus realiter distinguuntur, sed solummodò diligerent Diuinitatem sibi communem; Spiritus sanctus non esset amor mutuus inter duas personas, sed esset amor simplex vnius Dei præcisè,prout vnus est. At verò Spiritum sanctum esse amorem mutuum inter Patrem & Filium ex communi theologorum sententia dicemus disput.73.& 74.

Confirmatur secundò, quia si respondeas,rela- 19 tiones & personalitates diuinas à Deo diligi, sed *Solutio refutatur.* non propter ipsarum quidditatem relatiuam, sed præcisè propter absolutā essentiam;eo ipso facies eas obiectum materiale diuinæ dilectionis, quod nō diligitur propter se ipsum.Hoc autē indignum est quacumq; formalitate diuina.Denique diuinas relationes seu personalitates pertinere ad integritatem & complementum obiecti formalis, quod respicit charitas,ostendimus ex professo 2.2.q.23.

SEPTIMA SECTIO deberet esse de solutione argumentorum quæ posita sunt in sect. 1. nisi præsupponeret alias difficultates, expediendas in disput. sequenti, cui finem imponet argumentorum solutio in illius sect. 10.

DISPVTATIO XXX.

Vtrum tres relationes diuinæ sint tres perfectiones seu bonitates, vel potius vna simpliciter simplex.

SECTIO I.

Duæ sententiæ multiplicant perfectiones pro numero personarum.

1 *Principaliorē dixit Clichtoueus.*

NIMIVM imprimis excessit Clichtoueus in Damascen. lib. 1. cap. 11. inter princ. & med. comment. dicens: Principalior est existēdi modus Patris, qui à nullo est, quàm cæterorum duorum, qui ab eo sumunt originem. Principalior item modus subsistendi Filij, & ratione ordinis perfectior, quàm Spiritus sancti ab eo prodeuntis. Hæc tamen personalis perfectio, & eminentia originis nullam arguit in ipsis naturis differentiam aut distantiam, nullámque vnius vltra alias in iis, quæ ad naturam attinent, perfectionem.

2 *Occasio ex Patribus accepta.*

Vt hoc modo loqueretur, aut sentiret Clichtoueus, potuit occasionē accipere ex Patribus multis, & peculiariter ex eodem Damasceno libr. 1. fidei cap. 9. exponentibus illud Christi Domini Ioan. 14. *Pater maior me est*, vt intelligatur propter ordinem originis, quia Pater est principium Filij, quos referemus disput. 50. sect. 2. Veruntamen si prædictus author id sensit quod verba sonant, errauit contra fidem, quamuis fortasse sine culpa: quemadmodum de viro pio credendum est. Nam Patres omnes, nullo excepto, quamlibet inæqualitatem perfectionis negant, & solummodo concedunt ordinem principij & procedentis à principio.

3 *Æqualia sūt notionalia.*

Alioquin Scholastici omnes, nullo excepto docent, personas æquales esse, non solum in essentia, sed etiam in omnibus notionalibus ac personalibus. Et siqui Doctores negant relationem æqualitatis, multo fortius atque constantius negant relationem inæqualitatis etiam in personalibus & relatiuis, vt videbimus disput. 103. & seq. Atque in hac veritate conueniunt omnes authores in omnibus locis citatis præcedenti disput. 29. sect. 1. & 2. & citandis tota præsenti disputatione.

4 *Refutatio erroris.*

Præterea Ricard. Victorinus 5. de Trinit. c. 24. in principio præoccupauit non secus, ac si præuidisset, futurum eundem errorem, dicens: *Inter hæc aliquis fortassis, humanum aliquid cogitans, de diuinis personis, illam personam maioris dignitatis reputat, & cæteris excellentiorem iudicat, quæ à semetipsa habet totum, quod eam habere constat. Sed absit quod ibi credatur esse aliqua dignitatum distantia, vbi verè & absque dubio est æqualitas summa.* Sed à se ipsa habere totum quod habet, est notio propria Patris. Ergo non solum in essentia, sed etiam in notionibus nulla est dignitatum distantia, sed æqualitas summa. Quod fusius toto cap. probat Ricardus deducendo ad inconueniens. Idem apertè supponunt, & à fortiori docent omnes Patres, referendi sect. sequenti, ad cuius finem peculiariter notetur Ambrosius lib. 4. de fide cap. 4.

5 *Esse tres perfectiones seu bonitates cēcedunt alii qui.*

Verisimilior est secunda sententia, concedens, tres relationes diuinas esse tres perfectiones seu bonitates: & consequenter in vna persona bonitatem, perfectionem seu magnitudinem aliquam esse, quæ non sit in alia persona: nihilominus æqualem esse perfectionē omnium personarum, defendit ex eo, quod vnius relatio sit non minus perfecta, quàm relatio alterius. Ita Ocham. 1. dist. 19. quæst. 1. dum respondet ad dubium 1. & in fine quæstionis. Aureolus in eadem dist. 19. p. 2. art. 3. propositione 1. & sequent. Gabriel. 1. dist. 7. q. 2. art. 2. post med. Valentia in controuersiis de Trinit. lib. 2. cap. 12. Suarez lib. 3. de Trinitat. cap. 9. à num. 14. & cap. 10. & 3. p. tom. 1. disput. 13. sect. 4. col. 5. & alij recentiores.

6

Quibus fauere videtur S. Thomas de potentia quæst. 9. art. 9. ad 17. dicens: *Sicut communicare diuinam naturam est perfectionis de Patre in Filio, ita perfectè accipere communicatam est perfectionis in Spiritu sancto, & vtraque perfectio non differt secundum quantitatem, sed secundum relationem, quæ inæqualitatem non constituit.* licet hæc litera videatur esse diminuta & incongrua; sic tamen habent correctiora exemplaria. Ponderandum igitur est illud complexum, *vtraque perfectio*, quod referri non potest, nisi ad duas perfectiones, quæ licet in quantitate non differant, relatione distinguantur.

7 *Fauet Damasceno.*

Fauet præterea Damascenus 1. fidei c. 11. prope med. Nam vt vidimus disp. præcedenti sect. 2. post med. ait: *Secundum causam & causale & personalem perfectionem, id est, existentiæ modum, differentiam intelligi.* Ergo perfectiones relatiuæ distinguuntur, sicut personæ distinguuntur per ordines originis.

8 *Primum fundamentum.*

Rationis fundamentum est, primum, quia tres relationes diuinæ sunt tres entitates reales, & vnaquæque, iuxta peculiarem sibi quidditatem, continet peculiarem & propriam perfectionem, ratione distinctam à perfectione essentiæ; vt tota præcedenti disputatione probatum est. Ergo sunt tres perfectiones. Confirmatur, quoniam vt constat ex disput. 26. transcendentia prædicata multiplicantur pro numero relationum. Bonitas autem siue perfectio transcendens est: consequitur enim rationem entis realis; vt vidimus disput. præced. sect. 6. probat. 3.

9 *Secundū fundamentum.*

Secundum fundamentum est, quia tres relationes diuinæ non possunt coalescere in vnam perfectionem, & pertinere ad integritatem Diuinitatis; sed vnaquæque per se sumpta retinet rationem perfectionis. Cuius fundamenti probationes videbimus sect. 8.

SECTIO II.

Tres personæ simul sumptæ non sunt aliquid perfectius, quàm vnaquæque persona sigillatim.

1

ANtequam directè respondeam titulo disputationis, operæpretium erit ostendere, quàm solida sit firmitas vnius ex fundamentis, quibus nostra sententia nititur, videlicet, tantam esse simplicitatem & omnimodam vnitatem diuinæ perfectionis & magnitudinis, vt omnes personæ, simul sumptæ, non sint aliquid maius, vel melius, aut perfectius, quàm vnica persona; sed solus Pater tantus sit & tam perfectus, quantus & quam perfectus est totus Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, simul sumpti: propterea quæ vnam personam non esse partem Dei, neque esse tertiam partem Trinitatis; quoniam vnica tantum magnitudo, bonitas & perfectio reperitur in tribus personis.

2

Sic Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 7. ait: *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater & Filius.* Et cap. 8. init. *Cum itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est.* Idem docet cap. 10. prope fin. eiusdem libri 6. prout referemus sect. 6. probat. 2.

3

Præterea lib. 7. de Trinit. cap. 6. post med. *Non maior essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius: sed tres simul illa substantia siue persona, si ita dicende sunt, æquales sunt singulis.* Et sequenti lib. 8. in procemio docet: *Tantam esse æqualitatem in ea Trinitate, vt non solum Pater non sit maior, quàm Filius, quod attinet ad Diuinitatem, sed nec Pater, nec Filius simul aliquid sint, quàm Spiritus sanctus, aut singula quæque persona quælibet trium, minus aliquid sit, quàm ipsa Trinitas.* Quod fusiùs probat cap. 1. ex eo, quod nihil amplius veritatis sit in tribus personis, quàm in vna.

4

Et lib. 15. de Trinit. cap. 3. in med. *Ratione reddita intelligentibus clarum est, in substantia veritatis non solum Patrem Filio non esse maiorem; sed nec ambos simul aliquid maius esse, quàm solum Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate maius esse aliquid, quàm vnum, aut omnes simul tres maius aliquid esse, quàm singulos.* Idem Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 10. post med. *Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus S. Deus est, & simul hi tres vnus Deus: nec huius Trinitatis tertia pars est vnus, nec maior pars duo, quàm vnus est ibi: nec maius aliquid sunt omnes, quàm singuli; quia spiritalis hæc, non corporalis est magnitudo.*

5

Insuper serm. 38. de tempore prope med. docet, esse necessarium credere; *Neque aliquid maius tres simul dici Pater & Filius & Spiritus sanctus, quàm vnus quilibet vel Pater vel Filius vel Spiritus sanctus: quia eadem natura est in vnaquaque persona simul dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis.* Et non longè inferius in med. eiusdem sermonis: *Cum itaque tantus solus est Pater vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater & Filius & Spiritus sanctus; nullo modo triplex dicendus est Deus, quia non est, quo crescat illa perfectio summæ Trinitatis.* Obserua postrema verba, vt colligas, Augustinum vniuersaliter negare quodlibet incrementum perfectionis plurium personarum supra vnicam: ideóque non solùm in natura, sed etiam in proprietatibus relatiuis perfectionis incrementum non admittit.

6

Denique epist. 66. ad Maxim. ante medium: *Hæc, inquit, Trinitas vnius est eiusdemq; naturæ atque substantiæ, non minor in singulis, quàm in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in singulis, sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul & Filio; & tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre & Filio & Spiritu sancto. Neque enim Pater, vt haberet Filium de se ipso, minuit se ipsum, sed ita genuit de se alterum se, vt toties maneret in se, & esset in Filio tantus, quantus & solus. Similiter & Spiritus sanctus integer de integro, non præcedit vnde procedit, sed tantus cum illo, quantus ex illo, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo.* Quibus in verbis, non modò ratione substantiæ, sed etiam relationum originis, comparat Augustinus æqualitatem vnius personæ cum tota Trinitate.

Ruiz. de Trinitate.

7 *Authoritas prædicta doctrinæ.*

Multa sunt, quæ doctrinæ supradictæ magnam authoritatem conciliant. Imprimis ita constans & frequens eiusdem authoris repetitio: deinde pronunciatio dogmatis tanquam certi & indubitabilis: tertiò aliorum Patrum & omnium Scholasticorum conspiratio. Maximè verò authoritas Ioann. Papæ II. epist. 2. ad Senatores (quæ solet appellari liber de duabus naturis contra Eutychianos) Nam vt statuat dogmata de Trinitate & Incarnatione inter princip. & med. epistolæ ita præfatur: *Augustini doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta Romana sequitur & seruat Ecclesia.* Et paulo inferius allegat Augustini testimonia, quæ nuper retulimus ex lib. 3. contra Maximinum cap. 10. & lib. 15. de Trinit. cap. 3. Quamuis ob typographi negligentiam minus fideliter respondeant exemplari.

8

Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. prope fin. *Tantum est*, ait, *ipsum Verbum, quanta simul est & mens ipsa cum Verbo.* Concil. Toletan. sextum in profess. fidei non longè à princip. *Trinitas*, inquit, *nec minor in singulis, quàm in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in singulis personis manet.* Similiter Concil. Toletan. vndecimum in profess. fidei circa med. *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus; quia nec minus aliquid habet, cum vnaquæque persona Deus singulariter dicitur: nec amplius, cum totæ tres personæ vnus Deus enunciantur.*

9

Anselm. in profologio cap. 23. circa med. sic Patrem alloquitur de Spiritu sancto: *Idem amor tuus non est impar tibi, aut Filio tuo: quia tantum amas te & illum, & ille te & se ipsum, quantus es tu & ille: nec est aliud à te & ab illo, quod dispar non est tibi & illi.* Itaque Spiritus sanctus, dicit, æqualem esse Patri & Filio simul sumptis, à quibus procedit. Vnde post pauca subdit: *Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul Pater & Filius & Spiritus sanctus. Quoniam singulus quisque non est aliud, quàm summè simplex vnitas, & summè vna simplicitas.*

10

Bernardus epist. 190. ad Innocentium colum. 2. circa med. *Totum*, inquit, *est Pater, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse & Pater & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod & ipse & Pater & Filius. Et totum, vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec inanimutum in singulis. Nec enim verum summúnque bonum quod sunt, inter se particulariter diuidunt, quoniam nec participialiter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt.* Denique tres personas simul non esse plus, nec maius aliquid, quàm vnam, docet Guitmundus Archiepisc. Auersanus in confess. de Trinit. tom. 6. bibliot. alias tom. 4.

11 *Æqualitas non solum quantum ad absolutā sed etiam quantum ad relatiuam perfectionem.*

In his testimoniis obseruandum est, prædictam æqualitatem affirmari, non solum quantùm ad absolutam & communicabilem perfectionem siue magnitudinem; sed etiam quantùm ad omnem perfectionem personalem, nulla excepta. Quamuis enim pro ratione afferant vnitatem essentiæ siue Diuinitatis: aliud tamen est, quod ex hoc antecedenti colligunt tanquam consequens, videlicet omnimodam æqualitatem. Confirmatur primò, quoniam simpliciter, vniuersaliter, & absque vlla exceptione prædicti Patres affirmant, tres personas, simul sumptas, non esse maius, melius, aut perfectius aliquid, quàm vnam illarum. Hoc autem foret absolutè falsum; si propter perfectiones relatiuas tres personæ simul sumptæ forent aliquid perfectius, quàm vna; siquidem quando dicuntur personæ, nihil magis explicitè formalitérque dicitur, quàm personalitates siue relationes earum constitutiuæ.

12 Confirmatur secundò,nam peculiariter Augustinus in serm.38.de tempore. & epist.66. ad Maximinum superius citatis , magis expresè notat æqualitatem quãtum ad relationes originis.Confirmatur tertiò , quia si tres personæ quantum ad relationes originis simul sumptas, forent maioris perfectionis, quàm vnica persona : sequeretur, in Trinitate maius aliquid aut minus reperiri. Consequens autem omnino falsum esse non solum omnes Patres nuper citati,sed etiam vniuersa Ecclesia profitentur in Athanasij symbolo , *In hac Trinitate nihil maius aut minus , sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Propterèaque Ricardus Victor. lib.5. de Trinitat. toto cap.24. probat summam æqualitatem personarum , etiam quantum ad notionalia , vt retulimus sect.præcedenti.

Nihil maius aut minus in Trinitate.

13 Confirmatur quartò,quia si tres personæ simul sumptæ , quantum ad perfectiones relatiuas , forent aliquid maius aut perfectius, quàm vna sola persona ; sequeretur quod Patris imperfectio sit non esse Filium nec Spiritum sanctum : aut certè quod illi desit aliqua perfectio Filij & Spiritus sancti.Sequela probabitur magis in sect.sequenti. Nunc consequentis falsitas ostenditur authoritate Patrum. Nazianzenus enim orat.37.quæ est 5. de Theologia inter princ.& med. ait : *Neque Filio uliquid deest , ad hoc vt sit Pater (neque enim defectus est Filiatio) nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit , ad hoc vt sit Filius. Neque enim Pater Filius est, sed hæc defectum proculdubio non arguunt, nec essentiæ summissionem.*

Deesset aliqua perfectio uni personæ, si forent tres perfectiones.

14 Ambrosius lib.4. de fide ad Gratianum cap. 4. propiùs ad med.quàm ad princ.refert Arianorum obiectionem, qui contendebant , Filium esse minus perfectum, quàm Pater. *Cur*, inquiunt, *Filius Pater non est ? Quia & Pater Filius non est. Cur non iste genuit? Quia nec ille genitus est. Nec ideo minus habet Filius , quia Pater non est ; nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius : Omnia, quæ Pater habet, mea sunt. Adeo generatio in paterna proprietate, non in iure est potestatis.*

15 Confirmatur denique, quoniam prædictas sententias Augustini recipiunt Magister & communiter Scholastici 1. distinct. 19. multis capitibus. S.Thom.1.p.q.42.art.4.fine. & 1.sentent. dist.13. quæst.vnica art.3. ad 2. Alexander 1.p. quæst.47. memb. 4. Albertus item 1.p. q.47. art.3. S.Bonauentura 1.dist.19.p.2.art.1.q.1. Sic etiam Ricard. 1.dist.2.art.2.q.1.ad 3. & quæst.3. in fine corpor. docet , de perfectione existendi non esse plus in tribus personis simul, quàm in vna.

SECTIO III.

Tres relationes non sunt tres perfectiones , nec tres bonitates transcendentales.

1 SImpliciter & absolutè loquendo dicendum atque sentiendum est , non esse tres perfectiones aut bonitates , sed vnicam tantum (quamuis quodammodo possint tres appellari , vt dicemus sect.4.concluſ.3.) Ita sentiunt non illi tantùm authores,qui negant, relationibus secundum earum explicitum & formalem conceptum , conuenire perfectionem , videlicet Capreolus , Caietanus, Ferrariens. Canarien. Scotus , Durandus, Marsil. Ricard.Argent. Dionysius Cistercienſ. Molina & Bellarm. citati præced. disp.28. sect.1. Sed etiam authores,qui concedunt perfectionem relationibus , secundum earum explicitum & formalem conceptum, videlicet S.Bonauent. lib.2.sentent. dist.38.dubio literali 3. Henricus quodlib.1. q.1. Carthusian. 1.dist.24. q.7. Scotus sibi contrarius 1.dist.1.q.2.ad 1. principale. Gregorius 1.dist.20. q.1. art.1. dum impugnat oppositas sententias & in fine. & dist.33.quæst.vnica art.3. ad 6. Maior. 1.distinct.19. quæst. vnica ad argumenta. Marsil. 1.q.23.art.3.corollar.4.& sequent. Canarienſ.1.p. q.28.art.2.disput.3.p.2.duabus vltimis columnis. Vazquez 1.p.disp.122. cap.6. Quorum sententias explicuimus magis disput.præced.sect.2.

Nunc addimus Caietanum, qui 3.p. q.3. art.1. §. *ad horum* , existimat quod licet relatio non sit perfectio , personalitas tamen & subsistentia perfectio est : ac nihilominus Patri non deest aliqua perfectio,licet ei desit personalitas & subsistentia Filij, quia est eadem perfectio. 2

Prima validissimáque probatio sumitur ex fundamento , quod iactum est in sect. præced. Nam vt tres personæ simul sumptæ nihil maius perfectiúsque contineant,quàm vnica sola persona;necessarium est , vnicam esse tantùm perfectionem omnium personarum : etenim si tres fuerint perfectiones realiter distinctæ , singulíque personis propria & peculiaris fuerit aliqua perfectio ; manifestè sequitur , in vna persona tantum non esse duas perfectiones aliarum personarum ; sed vnicam tantum perfectionem illi peculiarem conuenire : cum tamen tota Trinitas , siue tres personæ simul sumptæ complectantur tres perfectiones personales.Denique plus perfectionis habent tres perfectiones,quàm vnica eaundé perfectionum. 3

Si forent tres perfectiones, plus perfectionis esset in tribus, quàm in vna persona.

Confirmatur , quoniam ex terminis & ratione sui videtur esse impossibile, quod personæ infinitæ simpliciter desint perfectiones duæ. Hoc autem consequens esse , si sunt tres perfectiones trium personarum , demonstratur hoc syllogismo expositorio. Paternitas est aliqua perfectio,in ratione perfectionis realiter distincta à perfectione Filij.Sed Paternitas non conuenit Filio : ergo aliqua perfectio, in ratione perfectionis realiter distincta à perfectione Filij, non conuenit Filio. 4

Infinitæ personæ non possunt deesse perfectiones duæ.

Existimabit aliquis,instari posse præsens argumentum Diuinitatis exemplo, dicendo ; Paternitas est Diuinitas. Sed Paternitas non conuenit Filio. Ergo Diuinitas non conuenit Filio. Veruntamen hic syllogismus non est similis formæ cum præcedenti , quoniam Paternitas non est Diuinitas, in ratione Diuinitatis, distincta realiter à Diuinitate Filij. At verò Paternitas est aliqua perfectio , in ratione perfectionis distincta realiter à perfectione Filij ; si tres relationes sunt tres perfectiones. 5

Respondent aliqui primò,totam perfectionem relationum eminenter in essentia contineri, propter illius infinitatem & fœcunditatem. Vnde sicut in qualibet persona est tota essentia diuina, sic etiam est tota perfectio relationum. 6

Prima solutio insufficiens.

Hæc doctrina vera est;sed vim argumenti non debilitat. Quia licet perfectio cuiuslibet relationis quodam eminentiæ genere,ac veluti in radice contineatur in essentia diuina : nihilominus formaliter & explicitè nõ continetur, imò foret imperfecta diuina essentia, si non adderetur illi formalis & explicita perfectio relationis , vt probatum est tota disput.præcedenti , præcipuè sect. 4. Quamobrem persona , cui deficeret explicita & formalis ratio duarum perfectionum,esse: imperfecta saltem negatiuè , quia non haberet formaliter & explicitè,sed tantum quasi virtualiter & in radice duas illas perfectiones. 7

Vnde refutata manet secunda solutio , præcedenti

Secunda solutio refutatur.

denti similis,dicentium,perfectionem relatiuam, quæ Patri conuenit , etiam Filio conuenire non respectiuè,sed absolutè, eo ipso, quod in Filio est ipsamet essentia & Diuinitas Patris. Quæ doctrina licet rectè defendat , aliquo modo conuenire Filio relatiuam perfectionem Patris ; non defendit , illi formaliter & simpliciter conuenire , vt constat ex præcedenti discursu.

9 Tertia solutio respondet, vnam personam esse tantæ perfectionis,quantæ sunt tres personæ,quia potest personare ac terminare omnes naturas possibiles. Sed non satisfacit, tum quia vna persona diuinam essentiam non ita adæquatè personat & terminat,vt essentia non appetat & admittat duas alias personas. Tum etiam quia dato , quod in præcisa ratione personandi & terminandi , foret vna persona tã perfecta, quàm tres personæ simul sumptæ : adhuc Paternitas non contineret perfectionem Verbi, qua ratione Verbum & imago & Filius est,nec perfectionem Spiritus sancti,prout est amor & donum. Idem, vice versa,intellige de Filiatione & Spiratione.

Tertia solutio refutatur.

10 Secunda probatio supponit , *Perfectum esse id, extra quod nihil eorum , qua sunt ipsius , accipi potest*, vt definit Aristoteles lib.1.de cœlo cap.4.text.23. & magis ex professo lib.5.metaph.cap.16.tex.21. dicens : *Perfectum dicitur vno quidem modo , extra quod non est vllam accipere particulam :* Et paulo inferius : *Quæcumque igitur per se perfecta dicuntur, toties dicuntur,quædam eo quod secundum bene in nullo deficiant , nec habent in aliquo genere excessum nec est quidquam extra.* Propterea : *Totum & perfectum aut idem penitus sunt, aut naturam finitimam habent.* Vt notat idem Philosophus 3.physicor.cap.6.tex.63. & 64. Rationem reddens , quia *Cuius nihil est extra , id est perfectum, ac totum. Hoc enim pacto totum consueuimus definire, totum dicentes id esse,cuius nihil prorsus abest.*

Perfectiõ est id , extra quod nihil est.

11 Rectè igitur Isidorus lib.7. originum siue etymol. cap.1.post med.ait: *Deus perfectus dicitur,quia nihil ei possit adiyci.* Propterea bonum , siue perfectum esse debet ita plenum, vt nihil ei desit , quia continere debet quæcumque pertinent ad suum esse, tam substantiam & potentias , quàm operationes & vltimum actum , vt magis explicat S. Thom.5. metaphy. tex.21.lect.18.& 1.p.quæst.4. art.1. ad 1. & quæst.5. art.5. corpor.

12 Vnde manifestè sequitur , vt qui simpliciter & absolutè loquẽdo, affirmaret tres relationes diuinas esse tres perfectiones : eo ipso diceret esse tres entitates integras,totales & cõpletas vltimo actu; ita vt vniusciuiusque completio & integritas esset realiter distincta ab integritate, completione, seu totalitate alterius entitatis ; & consequenter extra illam entitatem nihil esse accipere , pertinens ad esse vel complementum eiusdem entitatis. Quapropter significaret , tres relationes esse tres essentias , adæquatè diuersas cum diuersis potentiis & operationibus, & diuersis earum terminis, videlicet tres intellectiones terminatas ad tria verba, & tres volitiones terminatas ad tres amores in facto esse.

Inconueniens secutum ex tribus perfectionibus.

13 Confirmatur primò , nam & S.Thomas exponens Dionysium de diuin. nomin. cap. 2. lect.1. col.2. prope med. notauit,integrum & perfectum idem esse. Confirmatur secundò, nam propterea Patres vnicam tantum agnoscunt *plenitudinem Diuinitatis*, quam dixit Apostolus Colos.2. Peculiariter autem Athanas. lib. 1. de vnita Deitate versus fin. obseruat , Scripturis repugnare *tres plenitudines Deitatis*,quas Ariani concedebant. Et

Integrũ, plenum & perfectum idem est.

sequenti lib. 2. de propriis personis in fine ait: *Vna est in ipsa Trinitate plenitudo Diuinitatis.* Qua voce plenitudinis frequenter vtitur in eodem libro , & sequenti lib. 3. de assumptione hominis prope fin. *Vbiq; præsens est hæc vnita plenitudo* , videlicet naturæ atque personarum,vt colligitur ex superiori contextu. Denique orat.4. contra Arianos prope init. *Plenus*, inquit, *& integer est Pater, & plenitudo Deitatis est Filius.*

Confirmatur tertiò,quoniam hæc nomina perfectio, bonitas, plenitudo , dignitas , magnitudo (& si quæ sunt alia eiusmodi) nunquam apud Patres reperiuntur multiplicata in tribus personis, imò semper in numero singulari de Deo personísque diuinis prædicantur. Neque inuenitur aliquis antiquorum , qui tres perfectiones relatiuas concesserit. Confirmatur quartò , quia si forent tres perfectiones propriè ac simpliciter dictæ;forent tres infinitates simpliciter in genere entis: quia perfectioni deesse potest nihil , vt vidimus, & consequenter forent tres immensitates , tres æternitates, tres immutabilitates, increabilitates & immortalitates. Quorum omnium oppositum probatũ est disp.27.& 28. Sequela verò probatur, quoniam perfectio eodem modo transcendens est , sicut infinitudo , & cætera prædicata , quæ commemorauimus. Atque eodem modo complectitur totum globum & ambitum omnium formalitatum diuinarum. 14

SECTIO IV.

Præcedens doctrina explicatur magis , & applicatur ad perfectionem transcendentalem.

AD æquiuocationem vitandam distinguenda est duplex perfectio. Alia perfectio simpliciter , alia verò secundum quid. Simpliciter & absolutè vocatur perfectio, cui simpliciter & absolutè nihil deest eorum , quæ ad eius esse pertinent ; vt vidimus sect.præcedenti probat.2. 1

Perfectio alia simpliciter, alia secũdum quid.

Sed obseruandum est , perfectionem simpliciter dictam , non esse idem quod perfectio simpliciter simplex , sed esse quid magis vniuersale & abstractum. Nam leoni vel tauro conuenit perfectio simpliciter,si habeat substantiam integram omnibus membris, omnésque suas potentias expeditas , & operationes earum. Ideóque à principio creationis quælibet viuentia producta,sunt simpliciter & absolutè perfecta ; iuxta doctrinam de perfectione traditam ab Aristotele & D.Thoma, citatis in sect. præcedenti. Nihilominus nec leoni nec tauro nec alicui creaturæ conuenit perfectio simpliciter simplex,quia melior est non ipsa , videlicet , Diuinitas , quàm ipsa creatura quantumcumque perfectissima. Quapropter in præsenti appellamus perfectionem *simpliciter*; vt distinguamus à perfectione secundum quid, nihil curando , vtrum sit perfectio relatiua , vel absoluta. 2

Huiusmodi perfectio simpliciter non est passio entis ; constat enim , plurimis entibus non conuenire, quia desunt illis aliquæ partes substantiæ, vel aliquæ potentiæ, vel aliquæ operationes ; vel quia vitiantur contrariis accidentibus. Quapropter facilè ostenditur , in huiusmodi perfectione simpliciter, nullam esse vim illius argumenti,quo supra sect. 1. prope fin. authores contrariæ sententiæ probare contendunt , tres relationes esse tres perfectiones , eo quod perfectio sit prædica- 3

Perfectio simpliciter nõ est passio entis.

tum transcendens; vt dicemus infra sect. 8.

4 Confirmatur ex discrimine inter ens & perfectum, nam vt notauit S. Thomas 1. p. q. 5. art. 1. ad 1. quod sufficit, vt aliquid dicatur ens simpliciter, non sufficit, vt dicatur perfectum simpliciter. Quemadmodum equus claudus & cæcus, est ens simpliciter, & simpliciter equus, sed non est equus simpliciter perfectus; idque propterea quoniam perfectio dicit completionem & integritatem seu totalitatem, quam non dicit entitas, vt vidimus sect. præced.

5 Ex quibus omnibus efficitur, vt perfectio transcendentalis, quæ sit passio entis, non possit esse alia, nisi perfectio secundum quid. Hanc enim sortitur vnaquæque res, vt quælibet illius formalitas ratione suæ quidditatis quantumcumque præcisæ vel diminutæ, quamuis careat debitis operationibus, aut potentiis, aut dispositionibus, aut membris, aliisve complementis, ad suum esse pertinentibus. Propterea circa perfectionem huiusmodi maior est difficultas prædicti argumenti, quod tres relationes esse tres perfectiones transcendentales, atque secundum quid, probat ex eo, quod sunt tres entitates.

6 *Nō tres perfectiones transcendentales.* Nihilominus sit prima conclusio. Propriè loquendo, tres relationes diuinæ non sunt tres perfectiones transcendentales. Probatur, quia licet perfectio transcendentalis à Deo & creaturis abstracta, vel creaturis applicata, sit solummodo perfectio secundum quid: nihilominus perfectio transcendentalis Dei, secundum lineam formalissimam perfectionis transcendentalis, affert totam integram & completam perfectionem Dei.

7 *Perfectio trãscendentalis in Deo est perfectio simpliciter.* Huius discriminis ratio à priori est, quoniam minima perfectio secundum quid, quæ est passio entis, est ea formalitas, per quam intelligitur res aliqua esse in actu, & habere quidquid requiritur, vt sit talis essentiæ, v.g. formalitas per quam intelligitur equus habere quidquid requiritur, vt sit essentialiter equus, quod facilè sumi potest ex D. Thoma supra quæst. 5. art. 1. ad 1. & art. 3. corpore. Et ex Aristotele lib. 1. Ethic. cap. 6. & Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. & aliis in locis, quæ retulimus disp. præced. sect. 6. probat. 3. confirmat. 1.

8 Huiusmodi perfectio creaturis contingit frequenter, licet careant perfectione potentiarum, dispositionum & operationum; quoniam hæc illis tanquam accidentia superueniunt. Attamen diuina persona non intelligitur habere quidquid requiritur, vt sit persona diuina, nisi quidditatiuè contineat omnes potentias, & operationes & quamlibet formalitatem, qua perfici possit. Hoc enim est peculiare diuini entis, quod includat quidditatiuè quidquid pertinet ad sui perfectionem & complementum. Quapropter etiam si personalitatem ac relationem Patris consideres in ratione perfectionis transcendentalis, quæ præcisè requirit perfectionem quidditatis; in ea debes quidditatiuè claudere diuinam essentiam & attributa, vt probatum est disp. 13.

9 Quo supposito, sic argumentor. Tres perfectiones transcendentales debent esse tres entitates plenæ & integræ, vt minimum, quoad totum esse quidditatiuum sibi: sed relationes diuinæ non sunt distinctæ ac multiplicatæ, quoad totum esse quidditatiuum sibi; multiplicantur enim solummodo quantum ad relatiuam oppositionem originis. Ergo tres relationes diuinæ non sunt tres perfectiones transcendentales, propriè loquendo.

Sed contra præcedentem discursum obiicies. 10 *Obiectio.* Si perfectio transcendentalis, applicata diuinæ personæ seu relationi, requirit totam integram essentiam diuinam, & omnes eius potentias & operationes; consequens erit, vt propter eandem rationem perfectio transcendentalis non conueniat Diuinitati, quatenus præintelligitur præcisa à relationibus: quia nondum integra est, completáque Diuinitas. Consequens autem est falsum: ergo & antecedens. Confirmatur, nam Patri conuenit essentialiter perfecta Diuinitas: cui tamẽ non conuenit relatio Filij & Spiritus sancti. Ergo essentia præcisa à relationibus est perfecta.

Respondeo. Diuinitas prout est præcisa à relationibus, est perfecta perfectione transcẽdentali: quoniã ita præcisa retinet quidquid requiritur, vt sit Diuinitas: quippe quæ nõ includit essentialiter relationes. Adhuc tamen Diuinitas non obtinet perfectionem simpliciter & absolutè; quousque intelligatur completa per relationes: vt constat ex dictis non solum in sect. præsenti, sed præcipuè disp. præced. sect. 3. & 4. & apertè significauit S. Thom. de potent. quæst. 8. art. 1. solut. ad 8. collata cum argumento. 11 *Solutio. Diuinitas à relationibus præcisa, præscinditur à perfectione in genere entis.*

E contrario relationes, quia Diuinitatem essentialiter includunt, non habent quidquid requiritur, vt sint relationes diuinæ, nisi in quantum Diuinitatem includunt: ac proinde non habent integritatem, totalitatem, ac plenitudinem, in qua consistit ratio perfectionis, nisi in quantum sunt vna perfectio Diuinitatis. Quapropter quando relationes dicuntur esse tres perfectiones transcendentales, multiplicantur etiam tres Diuinitates. 12

Ad confirmationem respond. Patri conuenit essentialiter Diuinitas perfecta perfectione transcendentali: sed non conuenit essentialiter Patri Diuinitas, quoad omnia, quæ requirit Diuinitatis perfectio simpliciter dicta. Nam hæc requirit etiam relationes Filij & Spiritus sancti, quæ non conueniunt essentialiter Patri, quamuis ei conueniant eo modo, quo perfectio Patris eas exigit, videlicet, vt termini operationum immanentium modo explicando in sect. 5. & 6. 13 *Quomodo Patri conueniunt aliæ relationes.*

Ex dictis colligo, & sit secunda conclusio. 14 Quamuis addatur limitatio, dicendo *perfectiones relatiuas*, non sunt dicendæ tres perfectiones. Probatur, quia licet illa vox, *relatiuas*, limitare videatur perfectiones, vt multiplicentur solummodo, prout opponuntur secundum originem: nihilonus nomen trium perfectionum habet vim multiplicandi totam essentiam relationis diuinæ, & quidquid requiritur, vt verè sit relatio diuina, propter rationem nuper explicatam. Confirmatur, nam ita sensisse antiquos theologos, valde probabiliter indicat eorum modus loquendi. Quamuis enim Deo concedant *tres res*, quas protinus explicant, esse relatiuas & personales, vt vidimus disp. 26. sect. 1. & 2. nunquam tamen concedunt tres perfectiones, quas protinus explicent, esse relatiuas & personales. *Non tres perfectiones relatiuæ.*

Vtramque conclusionem præcedentem authores nonnulli confirmant, quoniam perfectio transcendentaliter sumpta, debet distingui realiter ab ea re, quam perficit. Cæterum hoc principium gratis ac sine sufficienti fundamento supponitur, vt facilius potuisset impugnari ex principiis metaphysicæ. 15 *Insufficiens probatio.*

Tertia conclusio. Impropriè dicere poteris, tres relationes diuinas esse tres perfectiones relatiuas, siue tres bonitates, extendẽdo has voces, vt significent 16 *Impropriè tres perfectiones relatiuas.*

significent quidquid integrat & complet aliquam entitatem, etiam si fuerint partialis & inadæquata formalitas, quæ prædictæ entitati conueniens sit & consentanea. Sic enim tres relationes diuinæ sunt tres formalitates, inter se quidem realiter distinctæ distinctione inadæquata cum identitate Diuinitatis, cui conuenientes sunt & consentaneæ.

17 Confirmatur, nam sub hac acceptione perfectionis quamuis impropria, dicere poteris, Dei sapientiam, charitatem & omnipotentiam esse tres perfectiones ratione distinctas: quamuis vnaquæque illarũ, prout præscinditur à reliquis attributis, non afferat formaliter & explicitè eam plenitudinem, totalitatem & integritatem, quam esse requisitam, probauimus ante conclusionem primam. Atque ita voce pluralis numeri Hilarius lib. 3. de Trinit. colum. 2. dicit: *Vt omnia in ingenito Patre perfecta sunt, ita omnia in vnigenito Filio perfecta sunt.* Ergo sub eadem aut simili acceptione, licet impropria, licebit dicere, tres relationes diuinas esse tres perfectiones.

18 *Quare sit impropria illa acceptio perfectionis.* Sed petis, quare prædicta acceptio perfectionis sit impropria? Respondeo, quia perfectio dicit formaliter totalitatem, integritatem & complementum siue quoad omnia, nullo excepto, si fuerit perfectio simpliciter; siue quoad essentiam tantummodo, si fuerit perfectio secundum quid; vt vidimus sub initium præsentis sectionis. Quare vbi non affertur tale complementum & integritas; non affertur propriè perfectio: sed perfectionis nomen tribuitur per analogiam, quatenus ad complementum & perfectionem conducit illud, quod non est propriè perfectio.

19 *Eadem sunt intelligenda de bonitate.* Quarta conclusio. Quicumque in hac & præcedentibus sectionibus de perfectione traduntur, intelligenda sunt etiam de bonitate. Quoniam bonitas & perfectio prorsus idem significant, eademque acceptiones habere solent apud Philosophos & Theologos melius sentientes. Confirmatur. Nam Augustinus 5. de Trinit. cap. 8. ante medium. *Bonus Pater*, inquit, *bonus Filius, bonus Spiritus sanctus: nec tres boni, sed vnus est bonus.* Vbi non potest adiectiuè sumere *bonos*, sed substantiuè, & cum sint tres habentes bonitatem, non potest negari pluralitas bonorum, nisi quia negantur plures bonitates.

20 Ideo Isidorus 7. etymolog. cap. 1. post med. bonitatem numerat inter ea prædicata, quæ *ad totam pertinent Trinitatem propter vnam & coæternam substantiam.* Anselmus in prosologio cap. 23. fine. *Hoc*, inquit, *est illud vnum necessarium, in quo omne bonum, imo quod est omne, & vnum totum, & solum bonum.* Damascenus lib. 1. fidei cap. 11. inter princ. & med. dicit esse *bonitatis identitatem, non similitudinem, sed identitatem.* Et post pauca: *Vna bonitas, vna virtus*, &c. *non tres ad inuicem similes.*

21 *Nõ tres amabilitates, nec appetibilitates.* Ex quibus infertur denique, tres relationes non esse tres amabilitates, siue appetibilitates, quoniam istæ formalitates secundum rationem proueniunt ex perfectione seu bonitate. Nec sunt tres dignitates siue authoritates, prout ista nomina perfectionem significant, non significando relationem principij, pro qua sumuntur aliquando. Vide quæ diximus disp. 29. sect. 2. confir. 2. & S. Thomam infra quæst. 42. art. 4. corp. & ad 2. Sic Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. inter princ. & med. notat. *Ignascendi proprietatem non significare substantiæ differentiam neque dignitatis, sed subsistentiæ modum.* Perpende, quod Damascenus minimè negat, innascibilitatem esse dignitatem, sed tantùm negat, esse differentiam dignitatis, nimirum, quoniam eadem est dignitas omnium proprietatum.

SECTIO V.

Vnaquæque persona habet in se perfectiones relatiuas aliarum personarum, sed ordine modoq; distincto.

HVius & consequentium sectionum doctrina dirigitur ad explicandum, quomodo quælibet persona diuina sit perfecta simpliciter, ita vt habeat totalitatem & plenitudinem, ad hoc requisitam, nec aliqua perfectio desit ei. Ex dictis enim nondum expedita est tota difficultas, imò crescit aliqua ex parte; quamuis enim nulla perfectio, propriè dicta, deficiat alicui personæ, quia non sunt tres perfectiones, propriè loquendo, sed vnica tantum, eaque reperiatur in qualibet persona; vt probatum est sect. 3. & 4. Restat adhuc difficultas de perfectione, impropriè dicta, prout significat quidquid integrat & complet aliquam entitatem. Sic enim sect. præcedenti concluf. 3. concessimus, tres relationes esse tres perfectiones realiter distinctas. Vnde consequens esse videtur, in Patre non includi perfectionem Filij, neque perfectionem Spiritus sancti. 1 *Augetur difficultas.*

Confirmatur primò syllogismo expositorio. Filiatio non est in Patre; Filiatio est perfectio seu dignitas Filij. Ergo aliqua perfectio seu dignitas Filij non est in Patre. Confirmatur secundò, quia Patres communiter Paternitatem excipiũt, quando dicunt omnia, quæ habet Pater, esse Filij, vel Filium esse per omnia similem Patri: quorum plurima testimonia vidimus disp. 19. sect. 2. Sic Athanasius quæstionibus de natura Dei, quarum prima est, *Quid est Deus.* quæst. 5. ait: *Omnia æqualiter habet Pater, Filius & Spiritus sanctus, præter proprietates suas: proprium enim Patris est ingenitum esse, Filij verò genitum; at Spiritus sancti procedere.* Similia scribit epist. ad Serapionem contra dicentes Filium esse creaturam, circa med. & aliis in locis notatis dicta disp. 19. 2 *Proprietates excipiuntur quando dicitur Filius habere omnia, quæ Pater.*

Cyrillus Alex. in anathematismis, quos contra Nestorium edidit, & explicuit, hortante Concilio Ephesino, (habetur in 5. tom. eiusdem concilij) cap. 1. anathematis. 9. in eius declaratione ait: *Vnigenitum Dei verbum omnia, præter solam Paternitatem, cum Patre æqualia & communia habẽs.* Ac lib. 2. thesauri c. 1. propiùs ad med. quàm ad princ. *Nihil proprium vni est, quod alteri non insit, exceptæ solummodo Patris & Filij appellatione, ac re.* Et lib. 3. thesauri cap. 1. col. 2. *Si quis diligenter scripturam scrutetur, inueniet, omnia dici de Filio, quæ de Patre dicuntur; & omnia de Patre, quæ de Filio, absque hoc solum, quod alter Pater est, alter Filius.* Et inter princ. & med. eiusdem capitis: *Nihil habet alter, quod alteri non sit, nisi quod hic Pater, ille Filius est.* 3

Augustinus 5. de Trinit. cap. 14. *Est Filius*, inquit, *hoc omnino, quod Pater, non tamen est Pater.* In fine Concilij Florentini Eugenius IV. in literis vnionis in med. *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* 4

Nihilominus respondeo, & dico primò. Quæcumque persona diuina habet quamlibet perfectionem alterius personæ, quamuis ordine ac modo distincto. Ac proinde Pater æternus in se habet quidquid quomodocumque est perfectio in Filio & Spiritu sancto, licet modus habendi sit distinctus. 5 *Assertio 1. Ordine & modo distincto quælibet persona habet quamlibet perfectionem alterius personæ.*

distinctus. Similiter Filius in se habet quidquid quomodocumque est perfectio in Patre & Spiritu sancto. Denique Spiritus sanctus in se habet quidquid quomodocumque est perfectio in Patre & Filio. Quod attinet ad distinctionem ordinis & modi habendi, declarandum est & probandum assert. 2. & sect. sequenti.

6 Generalitas autem habendi quamlibet perfectionem, probatur primò, Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ioan. 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* Ioan. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Quæ testimonia cum distributiua sint, & Scriptura sacra nunquam illis addiderit exceptionem: neque nos debemus, eam exceptionem addere, quam aliqui recentiores, dicentes, intelligi solummodo de perfectione siue entitate absoluta; præsertim cum personarum realis distinctio non probet, limitandas esse prædictas propositiones, vt ostendemus assertione sequenti.

7 *Exceptio Patrum exponitur.* Confirmatur, nam sacri doctores, licet exceptionem addiderint, ex verbis Scripturæ depromptam, videlicet, vt Pater Filio non dederit ingignentiam, nec Spiritui sancto dederit gignëtiam, sed vnaquæque persona peculiares sibi proprietates reseruet; vt vidimus in testimoniis nuper adductis, & in aliis plurimis disp. 19. sect. 2. nihilominus iidem Patres suam exceptionem clariùs exponunt, quando dicunt, quod Pater omnia dedit Filio, *præter esse Patrem.* Itaque Paternitas datur Filio, & habetur à Filio, sed Filius non est Pater. Idem intellige de cæteris personis & earum relationibus seu proprietatibus.

8 *Sine limitatione omnia Patris esse Filij dicunt aliquãdo Patres.* Hoc sensu melius intelligimus Patres, quando absolutè & sine limitatione pronunciant, omnia quæ sunt Patris esse Filij. Vt Athanasius frequenter orat. contra Arianos præsertim col. antepenult. & tota orat. ad illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* & in compendio de Spiritu sancto, & dialog. 1. contra Macedonium multo propius ad fin. quàm ad med. Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 8. fine. Ambrosius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 6. prope fin. de Filio sic loquitur: *Omnia à Patre iure generationis accepit, & totum Patrem gloria suæ maiestatis expressit.*

9 Hilarius lib. 3. de Trinit. multo propius ad fin. quàm ad med. ex verbis Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus,* ita ratiocinatur: *Quid distrahis Filium à Patre? Vnum sunt, scilicet is qui est, nihil habens, quod non sit etiam in eo à quo est.* Similia notat Hieronymus Matth. 24. ad illud: *Nemo scit nisi solus Pater.* Et Isaiæ 1. ad illud: *Nisi Dominus exercituum,* &c. Isidorus lib. 1. senten. de summo bono cap. 15. sub init. *Nihil habet Pater,* ait, *quod non habet Filius.* Lactantius verò lib. 4. diuinarum institut. cap. 29. prope fin. *Quidquid est in Patre ad Filium transfluit.*

10 Propterea meritò S. Thomas in Ioan. cap. 16. lect. 4. post med. concludit: *Simpliciter concedimus, quidquid habet Pater, habet Filius. Non tamen quod eodem ordine habeat Filius, quo Pater habet: nam Filius habet sicut ab alio accipiens; Pater verò sicut alij dans.* Et 1. p. quæst. 42. art. 4. ad 2. ait: *Verè ergo dicitur quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius.* Quando verò negat, quod Filius habeat Paternitatem, intelligit, ita vt sit Pater. S. Bonauentura 1. dist. 19. p. 2. art. 1. quæst. 1. ad 3. docet, tantum perfectionis esse in essentia vel in vna persona, quantum in tribus, *sed non tot modis.* Ricard. 1. sent. dist. 19. art. 2. quæst. 3. ad 1. & ad 3. concedit, quod omnis res, quæ est in Patre, etiam ipsa Paternitas, est in Filio, *alio tamen modo.* Idémque Carthusianus dist. 19. quæst. 2. post medium §. *cuius tota.*

11 Secundò probatur, nam perfectum illud est, extra quod nihil est, & cuius nihil abest, vt ex multis locis Aristotelis, Isidori, & S. Thomæ vidimus sect. 3. probat. 2. Sed Pater est perfectus. Ergo extra Patrem nihil est, & nihil illius abest. Quapropter tota realitas & perfectio aliarũ duarum personarum erit intra Patrem, & non aberit à Patre. Quod idem argumentum fieri poterit de Filio & Spiritu sancto.

12 Probatur tertiò, quia nisi quælibet persona contineret intra se formaliter totam perfectionem & entitatem aliarum personarum; sequeretur, tres personas diuinas, simul sumptas, esse maius aliquid & perfectius, quàm vnam personam. Cuius oppositum docent grauissimi Patres & Scholastici supra sect. 2. citati. Consequentiæ bonitas constat ex dictis sect. 3. probat. 1. vbi refutatæ sunt solutiones, quæ solent adhiberi. Quartò, idem probant rationes sequentis assertionis, afferendæ in hac & seq. sect.

13 *Secunda assertio.* Dico secundò. Distincto modo & ordine quælibet persona continet perfectionem alterius personæ; ita docet expressè S. Thom. & idem ferè S. Bonauentura, Ricardus, Carthusianus, paulo superius citati. Explicatur & probatur primò. *Explicatur distinctus modus & ordo habendi perfectiones.* Quamuis enim Pater habeat in se non solùm eandem essentiam Filij, sed etiam relatiuam perfectionem Filij, atque adeo Filiationem ipsam: cæterum Pater non habet eam, sicut eam habet Filius. Filius enim Filiationem habet tanquam proprietatem, qua constituitur vt verè sit Filius. At verò Pater non est Filius, nec per Filiationem constituitur. Sed Pater habet in se totum Filium & eius Filiationem tanquam terminum perfectissimæ operationis vitalis, hoc est, tanquam Verbum eiusdem omnino substantiæ: proindéque Pater intra se ipsum Filiationem habet tanquam perfectionem sibi debitam & suam, sine qua foret defectuosus: vt in disp. 29. sect. 3. & 4. probatum est.

14 *Exemplũ arboris & fructus.* Confirmatur primò, nam & arbor perficitur fructu sibi vnito & in ipsa manente; intellectus creatus perficitur verbo mentis, producto per intellectionem, & manente in ipso intellectu. Ergo à fortiori Pater perficitur Filio: quippe qui fructus est, vitaliter productus, & quidditatiuè postulans coniungi cum sua radice seu principio; & est Verbum productum per actionem immanentem intellectus Paterni. Ergo Pater ad sui perfectionem quidditatiuè postulat intra se ipsum & in se continere perfectionem Filiationis, non tanquam constitutiuam suæ personæ, sed tanquam decus & ornamentum suæ personæ.

15 *Matris exemplum.* Explicatur amplius secundò, nam mater, in quantum mater est, perficitur, ornatúrque filio, quem in vtero gestat, vel in sinu pendentem ab vbere. Magis autem perficeretur, si filium adultum atque perfectum & nulla prorsus perfectione destitutum, semper actualiter generans, mater gestaret sine onere aut deformitate secum inseparabiliter coniunctum. Sed æternus Pater eminentiori quadam ratione complectitur vim generatiuã Patris & matris, supra disp. 4. sect. 5. post med. Ergo Pater æternus perficitur vnigenito, *qui est in sinu Patris.* Ioan. 1. & quem *ex vtero ante luciferum genuit*, Psalm. 109. ac semper actualiter generat, semper in vtero continendum; quia nec incrementum, nec lumen, nec aliquid perfectionis desideratur in vtero.

Idem

16 *Applicatur idem discursus ad spiritum.* Idem argumentũ fieri potest de Patre & Filio, prout sunt vnum principium Spiritus sancti, qui etiam est terminus operationis immanentis, & amor in facto esse, vitalisque fructus illius arboris, & anhelitus seu spiritus vitalis in corde, ac toto veluti corpore Trinitatis. Quam ob causam Spiritus sanctus ornat & perficit principium suum videlicet Patrem & Filium.

17 *Quomodo Filius habet Patrem in se.* Præterea Pater est in Filio tanquam intrinsecum principium vitæ Filij. Pater enim est fons Diuinitatis, & *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Ioan. 5. Insuper Pater existit in Filio ea ratione, qua res essentialiter dicta per locutionem, reflectentem, supra seipsam, existit in ipsa locutione seu verbo: altiori tamen modo propter identitatem obiecti & verbi, quantum ad naturam.

18 *Idem de Spiritu sancto.* Denique propter easdem rationes, proportionaliter exceptas, efficitur, Patrem & Filium esse in Spiritu sancto, tanquam intrinsecum principium vitæ Spiritus sancti, & tanquam rem amatam in amore, reflectente supra se ipsum. Sic intellecta doctrina S. Thomæ 1. p. q. 42. art. 5. corp. fine, liberabitur ab obiectionibus Aureoli, quibus respondet Caietanus ad finem commentarij.

19 Confirmatur tertiò, quia circuminsessionem Patres similibus exemplis declarant, cum dicunt Filium esse in Patre, sicut eius sapientiam, mentem, verbum, splendorem. Et Spiritum sanctum esse in Patre & Filio, vt eius operationem vitalem, aut possessionem. Quorum testimonia videbimus sect. sequenti, vbi potissimum inde probatur præsens conclusio, quoniam Patres expressè dicunt, ideo vnam personam esse omnino plenéque perfectam, quoniam in ea sunt aliæ personæ. Pro hac ratione testimonia Patrum sect. sequenti probat. 2. videbimus.

SECTIO VI.

Circuminsessio personarum, inuicem immanentium, complet in vnaquaque persona plenitudinem perfectionis.

1 SVpponendum est primò, quod diuinarum *personarum aliarum in alijs omnino coniuncta, & nulla cum parte confusa mansio & sedes est,* vt loquamur Dionysij verbis cap. 2. de diuin. nomin. inter princ. & med. Quod omnes Patres colligunt ex Ioan. 14. *Pater in me manens ipse facit opera.* Et iterum: *Ego in Patre, & Pater in me est.* & Ioan. 17. *Vt sint vnum, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Eodémque sensu multi Patres accipiunt illud: *In principio erat Verbum,* ideſt in Patre. Et 1. Corinth. 2. quod Athanas. statim referendus ponderat.

2 Secundò supponendum est illud Colos. 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Quod frequens est in ore Patrum ad probandam Christi Domini, non solum Diuinitatem, sed etiam æqualitatem cum Patre. Tertiò, quoniam Patres existimant, omnes & singulas personas pertinere ad plenitudinem Diuinitatis: ideo perfectionem & omnimodam plenitudinem Patris constituunt in eo, quod Pater in se manentes habeat Filium & Spiritum sanctum. Atque idem vicissim intelligunt de plenitudine Filij & Spiritus sancti.

3 *Prima probatio ex plenitudine Diuinitatis.* Vnde quod in sectionis titulo præfiximus, probatur primò sequentibus testimoniis Athanas. lib. 5. de vnita substantia Trinitatis pro fin. *Inenarrabilis est,* inquit, *hæc plenitudo substantiæ indiuisa Trinitatis, sicut ipse Deus Dei Filius indicat: Ego in Patre & Pater in me. Sed & Spiritus sanctus in Patre & Filio inuicem & in se consistens est, sicut scriptum est: Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus, qui in ipso est? ita quæ sunt Dei, nemo cognouit nisi Spiritus Dei.* 1. Corinth. 2. Vnde post pauca concludit: *Vides, indiscretam esse hanc plenitudinem diuinæ Trinitatis?* Et orat. 1. contra Arianos ait, *Patrem vnius Verbi genitorem esse, qui sit plenitudo Diuinitatis eius.* Ergo Diuinitas Patris non esset plena & perfecta, nisi haberet in se Verbum, de quo Fusius disp. præcedenti sect. 3. & 4.

4 Quem imitatus Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 5. post med. Spiritum sanctum appellat *plenitudinem Trinitatis,* vt retuli disput. 29. sect. 3. Ad quam phrasim Dionysius alludit cap. 2. de diuin. nomin. sub init. apud quem *integra & plena Diuinitas* est tota Trinitas, ideſt, tres personæ simul sumptæ; vt vidimus disp. 29. sect. 2.

5 Ambrosius autem magis explicuit quod intendimus, quia non solum recurrit multoties ad *plenitudinem Diuinitatis*, existentem in Filio, tam quinque libris de fide ad Gratianum, quàm in symbol Apostol. sed etiam lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 6. fine declarat, plenitudinem esse idem, quod perfectio, & inde colligit, nihil amplius perfectionis adscribendum esse Patri, quàm Filio, quia non est alia perfectio, quàm plenitudo Diuinitatis: *Cum omnem,* inquit, *plenitudinẽ Diuinitatis Filius habeat, quid est quod Patri æstimãt amplius adscribendum; cum amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit.* Ideóque sequenti lib. 4. de fide c. 4. multo propius ad fin. quàm ad med. concludit: *Non fuit ergo in Deo perfectionis aliquando plenitudo diuinæ; si postea processum generationis accepit.* Ergo generatio & Filius pertinent ad plenitudinem diuinæ perfectionis.

6 Hilarius lib. 3. de Trinit. tractans ex professo, quomodo Pater in Filio, & Filius in Patre sit, col. 2. ait: *Pater in Filio, quia ex eo Filius: Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius: Vnigenitus in Ingenito, quia ab Ingenito Vnigenitus. Ita in se inuicem, quia vt omnia in Ingenito Patre perfecta sunt; ita omnia in Filio Vnigenito perfecta sunt.* Perpende primò, quod circuminsessionis rationem non solum dicit esse vnitatem essentiæ, sed etiam relationem originis. Secundò, *vt omnia sint perfecta* in Patre & in Filio, necessarium fuisse, quod *in se inuicem* existerent Pater in Filio, & Filius in Patre. Vnde in eodem lib. 3. colum. antepenult. dicit: *Patrem in Filio, & Filium in Patre esse, plenitudo Diuinitatis in vtroque perfecta est.* Et lib. 7. inter med. & fin. *Patrem,* inquit, *consummat Filius.*

7 Idémque lib. 9. de Trinit. sub init. simul ponderans vtrumque testimonium, & Colos. 2. de plenitudine Diuinitatis, & Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me,* subiungit: *Apostolo corporaliter habitantis Diuinitatis plenitudinem in Christo docente, abscissa est omnis impiæ temeritatis assertio; cum naturalem vnitatem incorporalis Diuinitatis, habitatio corporalis efficeret: vt id quod non solus Filius est, sed quod in eo manet Pater* &c. Ergo quod Pater in Filio maneat, requiritur ad hoc, quod in ipso inhabitet corporaliter omnis plenitudo Diuinitatis.

8 Consonat Nazianzenus tractatu de fide, qui est orat. 49. col. 3. & iterum inter med. & fin. dicens, Filium esse de Patre, *Totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto.* Confirmánsque præsenti testimonio Colos. 2. *In quo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Vnde paulo inferius subiungit: *Totum Patri adscribimus quod est*

est Filij: & totum Filio quod Patris est. Nihil enim non videbitur Patris, quod iudicabitur Filij: nihil non Filij, quod iudicabitur Patris. Denique quod nuper retulimus ex Hilario lib. 3. de Trinit. ad explicandum, quomodo vna persona sit in alia, recipitur à Magistro & communiter Scholasticis in 1. sent. dist. 19. cap. *Et inde.*

9 Alicui fortasse videbimur inconsequenter locuti, quoniam supra disput. 14. sect. 2. nonnullis eiusmodi testimoniis de plenitudine Diuinitatis, probauimus, personas non esse de essentia Diuinitatis. Cæterum repugnantia nulla est, sed apta cohærentia. Quamuis enim personæ non sint de essentia Deitatis; nihilominus sunt de complemento, totalitate, integritate & perfectione totius Deitatis, sed etiam vniuscuiusque personæ sigillatim acceptæ.

Concordia dictorum.

10 Probatur secundò eadem assertio, in titulo sectionis proposita, nam Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. in fine totius libri ait: *In summa Trinitate tantum est vna, quantum tres simul sunt; nec plus aliquid sunt duæ, quàm vna, & in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.* Considera, mutuam immanentiam omnium personarum in se inuicem, cohærere cum ea perfectionis infinitate, ratione cuius *tantum est vna persona, quantum tres simul*, &c. Et certè sublata circuminsessione, non potest reddi sufficiens ratio, propter quam vna persona sit tantæ magnitudinis, & perfectionis, quantæ tota Trinitas est, iuxta doctrinam Patrum & Scholasticorum, quam vidimus sect. 2.

Circuminsessio est ratio, vt vna persona sit tam perfecta quàm tres.

11 Eandem rationem magis explicans Anselmus in monolog. cap. 57. *Iocundum*, inquit, *est intueri in Patre & Filio, & vtriusque Spiritu, quomodo sint in se inuicem tantæ æqualitate, vt nullus alium excedat.* Cuius rationem reddit, non solum ex vnitate essentiæ: sed etiam, Quia *totus Pater est in Filio & communi Spiritu, & Filius in Patre & eodem Spiritu, & idem Spiritus in Patre & Filio: quia memoria summæ essentiæ tota est in eius intelligentia & amore, & intelligentia in memoria & in amore, & amor in memoria & intelligentia.* Vnde post pauca concludit: *Tanta igitur Pater & Filius & vtriusque Spiritus, æqualitate sese complectuntur, & sunt in se inuicem, vt eorum nullus alium excedere, aut sine eo esse probetur.*

12 Attigit eandem rationem Fulgentius ad 5. obiectionem Arianorum sub initium, dicens. *Contumelia est diuinæ naturæ, si Pater Filium generàs, non potuit esse in Filio, quantus permanet in ipso.* Quod magis explicuit lib. 3. ad Monimum c. 7. in med. dicens: *Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente Verbum, sicut in corde consilium.* Quam similitudinem prosecutus adiungit: *Sicut de tota mente nascitur Verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea Verbum non sit: Ideo Verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est, & cum apud illam est, in illa est, & quanta illa est, tantum etiam Verbum est, quia de tota & in tota est: tantumq; est ipsum Verbum, quanta simul est & mens ipsa cum Verbo.* Fulgentius igitur ideo dicit, Verbum esse tantum, id est, ita perfectum, sicut est ipsum Verbum simul cum mente, id est cum Patre; quia mens, id est Pater, est in Verbo, & Verbum in mente.

13 Probatur tertiò, quia licet circuminsessionis & immanentiæ mutuæ ratio à priori sit vnitas essentiæ; vt Patres vbique docent referendi disp. 107. nihilominus simul etiam concedunt, non solùm essentiam communem, sed etiam peculiarem & propriam personalitatem vniuscuiusque personæ manere & existere in alia persona & ab illa haberi. Nam & Dionysius de diuin. nomin. c. 2. inter princ. & med. ait: *Diuina cælestiaq; lumina tota in totis sunt.*

Personalitas etiam vnius personæ tota est in alia.

14 Gregorius Nyssenus orat. de Deitate Filij & Spiritus sancti multo propius ad med. quàm ad princ. *Totus*, inquit, *Pater in toto Filio est, & totus Filius in toto Patre.* Basilius autem epist. 43. ad Gregorium Nyssenum fine, ait: *Totus Filius in Patre manet, & totum vicissim in se ipso Patrem habet.* Athanasius orat. 4. contra Arianos ex professo disputans, quomodo sit Pater in Filio, & Filius in Patre, non procul à princ. ait: *Est Pater in Filio, eo quod quidquid est Filius, id vniuersum sit proprium substantiæ Patris.*

15 Cyrillus Alex. in anathematismis, quos edidit & declarauit, hortante Concilio Ephesino (extant in 5. tomo actorum eiusdem concil. cap. 1.) anathematismo 9. in eius declaratione sic loquitur de Verbo: *Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsiq; essentialiter inest, tanquam proprium peculium possidens, diuinæ potentiæ signa operabatur.* Idem lib. 1. thesauri, præsertim cap. 6. 7. & 8. docet, *Hypostasim Filij esse in hypostasi Patris, sicut solis splendor est in sole.*

16 Præterea lib. 3. Thesauri cap. 1. col. 2. *Pater*, inquit, *in Filio est, sicut sol in suo splendore, & sicut mens siue intellectus in Verbo suo, & sicut in fluuio fons. Natura enim paternæ substantiæ, ac (vt ita dicam) species tota in Filio est, & ostendit ipsum in se ipsa.* Vnde col. 3. concludit: *Quia omnia Patris Filij sunt, conuersim quoque verè dicit: Ego in Patre & Pater in me est.* Ideóque non longè inferius infert, *Totum Patrem esse in toto Filio, & totum Filium in toto Patre.*

17 Prolixum esset recensere omnia verba Cyrilli, quibus docet, Spiritum sanctum esse in Patre & Filio, *quasi naturalem immanentem, & in propria hypostasi subsistentem operationem.* Quemadmodum lib. 13. thesauri cap. 2. paulo post med. & in fine. & cap. 4. in med. Ac denique dialog. de Trinit. lib. 2. propius ad fin. quàm ad med. fusius explicata similitudine Verbi, concludit, quod diuinum Verbum *manet in mente quæ genuit, & mentem, quæ genuit, in se habet.* Damascenus lib. 1. fidei cap. 10. prope fin. dicit: *Immanentiam in se inuicem hypostaseon.* & sequent. cap. 11. post med. *Immanentes & in se inuicem personæ existunt.* Et infra *In se inuicem habentur & ab se inuicem habent discretionem.*

18 Ex Ambrosio canit Ecclesia. *In Patre totus Filius & totus in Verbo Pater.* Rursus idem Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto frequenter præsertim cap. 10. docet, Spiritum sanctum esse in Patre & Filio, nec non Patrem & Filium esse in Spiritu sancto, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre est. Idémque lib. 3. de Spiritu sancto cap. 1. post med. *Sicut Pater*, inquit, *in Filio, & Filius in Patre: ita Dei Spiritus & Spiritus Christi & in Patre est & in Filio, quia oris est spiritus. Manet enim in Deo, quia ex Deo est, sicut scriptum est: Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, & manet in Christo, quia à Christo accepit, & in Christo est, quia iterum scriptum est: Ille de meo accipiet.* Psalm. 31. 1. Corinth. 1. Ioan. 16.

Hilarius lib. 3. de Trinit. præsertim col. 2. & lib. 4. de Trinit. multo propius ad fin. quàm ad med. & lib. 5. col. penultima, & lib. 6. propius ad med. quàm ad princ. & toto ferè lib. 7. & lib. 8. col. vltima. & lib. 9. paulo post med. & lib. 10. col. 4.

col. 4. ponderans varia loca Ioann. 14. Isaiæ 55. Deut. 32. & Ioan. 17. semper docet, vnam personam esse in alia, non solum quantum ad essentiam, sed etiam quantum ad totam personam & relationem originis, ita vt subsistens sit in subsistente, prout magis explicat 7. de Trinitat. prope fin.

20 Celeberrimum est testimonium Fulgentij lib. de fide ad Petrum cap. 1. prope med. *Propter vnitatem naturalem totus Pater in Filio & Spiritu sancto est; totus Filius in Patre & Spiritu sancto est; totus quoque Spiritus sanctus in Patre & Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, propter diuinæ naturæ vnitatem.* Quod recipit Magister 1. dist. 19. cap. *& inde*, & ibidem communiter Scholastici, nemine contradicente. Quin potius magis explicant, quod non solum propter identitatem essentiæ, sed etiam propter propriam exigétiam vniuscuiusque relationis & originis, quælibet persona est in alia, vt videre est apud sanctum Thom. dist. 19. q. 3. art. 2. ad argumenta. & 1. p. quæst. 42. art. 5. in fin. corporis & ad arg. Idem docet S. Bonauent. dist. 19. part. 1. art. vnico q. 4. in argumentis initio positis. Scotus dist. 19. q. 2. art. 1. & 2. & ad argum. Ricard. dist. 19. art. 2. q. 3. corpor. & ad 1. Ægidius & Albertus apud Carthusian. dist. 19. q. 2. sub initium & prope finem. Et ipse Carthus. ex propria sententia post med. quæstionis §. *cuius tota.*

SECTIO VII.

Diluuntur obiectiones, quæ contendunt, relationes non pertinere ad integritatem Dei, neque alterius personæ.

1 INsistit in his præcipuè Franciscus Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 9. à num. 7. vsque ad 13. vt euertat vnicum fundamentum defendendi simul relationes diuinas secundum proprias rationes afferre perfectionem; ac nihilominus non esse tres, sed tantum vnicam perfectionem. Prima igitur obiectio est, quia nullus Sanctorum Patrum aut Theologorum dixit, relationes pertinere ad integritatem Dei.

Prima obiectio.

2 Respondeo. Athanas. in primis orat. 2. contra Arianos propius ad med. quàm ad princ. non modò Trinitatis, sed etiam Diuinitatis vnitatem *integram* vocat, si habet Filium; sed non *integram*, si aliquando non habuit Filium. Cuius verba retulimus disput. 29. sect. 2. circa med. Idem autem in orat. contra Gregales Sabellij paulo post med. ait: *Vnus igitur & vnus, & dualitas non diuisa est natura, quum sit indeficiens ad suam integritatem. Vniuersa enim plenitudo & integritas Deitatis est Pater, vt Pater; vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius, vt Filius; quandoquidem amborum vna forma intelligitur, quæ integrè se in vtroque & solidè exhibet.* Vnde colligitur quod ad suam integritatem non esset indeficiens, sed deficiens; si non esset vnus & vnus, videlicet Pater & Filius; & quod Deitatis plenitudo deficeret, si deficeret Filius Patri, aut Filio Pater deficeret.

Relationes pertinere ad integritatem Dei, dixerunt Patres.

3 Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. sub init. sub hoc nomine, *Tota, perfecta, integra plenaq; Diuinitate*, intelligit tres personas, simul sumptas, vt euidens est in contextu; & S. Thom. in commentario lect. 1. col. 2. prope medium exponit, esse idem integrum, & perfectum.

4 Deinde cum integritas & plenitudo sint idem in re præsenti, Patres omnes, qui sect. præcedent. probat. 1. dixerunt, vnam personam pertinere ad plenitudinem alterius personæ, in qua est, vel ad plenitudinem Dei, censendi sunt re ipsa dixisse pertinere ad integritatem. Denique Patres & Scholastici, qui disput. 29. tota sect. 3. & 4. dixerunt, quod sine relationibus, Deus foret imperfectus, & Pater foret imperfectus absque Filio; eo ipso dicunt, relationes & personalitates pertinere ad perfectionem & integritatem Dei, & personæ, non modo, quam constituunt, sed etiam in qua manent per circuminsessionem.

5 Secunda obiectio. Si tres relationes sunt de integritate Dei, cum Pater non sit tres relationes; consequens erit, vt Pater non sit integer & perfectus Deus. Respondetur negando consequentiam. Solummodo namque sequitur, quod Pater non esset integer & perfectus Deus, nisi contineret in se immanentes relationes Filij & Spiritus sancti, vltra relationem, qua constituitur in esse Patris: vt magis explicabitur ad obiectionem 6. In hoc igitur sensu relationes pertinent ad integritatem & perfectionem Dei, quod nulla persona foret integer Deus & perfectus; nisi tres relationes in se haberet; vnam, qua constituitur; & duas alias, ad quas refertur, & quas requirit intimè & vitaliter in se ipsa manentes.

Secunda obiectio.

Pater nō esset integer nisi haberet immanentes relationes Filij & Spiritus sancti.

6 Tertia obiectio. Nihil est in Deo, quod non sit absolutum vel relatiuum. Sed ista perfectio requirens relationes, non potest esse absoluta, nec relatiua. Ergo nulla est perfectio, ad cuius integritatem pertineant relationes. Respond. Aliqua sunt in Deo, quæ nec sunt solummodo absoluta nec solummodo relatiua, sed includunt vtrumque. Cuiusmodi est infinitas in genere entis, quæ sola est simpliciter infinitas: imò etiam æternitas, immensitas, & alia quædam prædicata; de quibus diximus disput. 27. & 28. Præterea Trinitatis nomen apud omnes complectitur simul absolutum & relatiuum. Imò etiam *persona diuina* complectitur non solam & præcisam relationem, nec solam & præcisam essentiam absolutam, sed vtramque.

Tertia obiectio.

Aliquæ perfectiones Dei nec solum absoluta nec solum relatiua sunt.

7 Quartò reiiciunt hanc solutionem, dicentes, hic non agi de perfectione essentiali Dei, sed de illa tantùm, quam relationes diuinæ, nostro modo intelligendi, addunt, vltra perfectionem essentialem Dei. Respond. De hac ipsa perfectione nos dicimus, non habere rationem perfectionis transcendentalis, absolutè loquendo, nisi prout in vnum coalescunt omnes relationes cum essentiali perfectione. Cæterum, impropriè loquendo, iam concessimus, esse tres perfectiones realiter distinctas, modo explicato in sect. 4. præsertim concl. 3.

Quarta obiectio.

Soluitur.

8 Quinta obiectio. Ex numero rerum distinctarum, prout distinctæ sunt, non conficitur vnum, nisi vel compositione, vel collectione, vel omnino per accidens. Ergo ex tribus perfectionibus relatiuis non potest coalescere vna perfectio, nisi compositione, vel collectione, vel omnino per accidens. Sed omnes isti modi propter imperfectionem Deo repugnant. Ergo tres illæ perfectiones relatiuæ non coalescunt in vnam perfectionem.

Quinta obiectio.

9 Respond. Hoc argumentum efficacius pugnat aduersus authorem. Concedit enim tres perfectiones personales, quæ non vniantur in ratione perfectionis personalis, sed tantum in essentia sint vnum. Apud illum ergo, prout distinctæ perfectiones sunt, nullam habebunt vnitatem, nisi per accidens, aut collectiuam, potius quàm in nostra sententia, quæ dicit, illas per se coniungi, & inuicem se perficere in ratione personalis perfectionis. Quod autem in hoc genere vnionis non interueniat

Retorquetur argumentum.

terueniat compositio nec realis, nec secundum rationem, prouenit ab vnitate essentiæ, quæ transcendentaliter & quidditatiuè clauditur in relationibus, sicut dicemus disp. 38. præsertim sect. 3. tractantes, quare Trinitas & numerus in diuinis non efficiat compositionem. Nulla quippe maior difficultas est in præsenti, quàm illa disputatione.

10 *Sexta obiectio.* Sexta obiectio, quia vnaquæque persona per se sumpta est integra & perfecta persona, & integrum & perfectum suppositum, & Pater est integer Pater, ac Filius est integer Filius, & Spiritus sanctus est integer Spiritus sanctus: ergo sunt tres integritates & perfectiones realiter distinctæ, quemadmodum sunt tres res, tria supposita, & tres personæ perfectæ, non obstante identitate essentiæ.

11 *Duplex consideratio vniuscuiusque personæ per se sumptæ.* Respond. primò distinguendo antecedens. Nam vnaquæque persona dupliciter potest sigillatim ac per se considerari. Primò quidem sicut est in re ipsa realiter distincta à duabus aliis personis, cæterùm eas intra se ipsam continens vitaliter immanentes, & perficientes ipsam. Hoc modo quælibet persona, per se sumpta, est integra & perfecta persona, integrum & perfectum suppositum, & Pater est integer Pater, similitérque Filius & Spiritus sanctus. Secundo modo, potest vnaquæque persona sigillatim ac per se sumi, abstrahendo ab hoc, quod intra se ipsam vitaliter immanentes contineat alias personas. Atque vt sic accepta persona abstrahitur à perfectione sua, ideóque nondum est perfecta, nec Pater esset perfectus Pater: prout probatum est disput. 29. sect. 3. & 4. & in præsenti disput. sect. 4. & sequentibus.

12 Deinde quod attinet ad consequentiam, & eius probationem, recolendum est discrimen perfectionis à cæteris prædicatis. Perfectio namque transcendentalis formaliter consistit in plenitudine totali & integra propriæ quidditatis; vt probatum est sect. 3. & 4. At verò nec persona, nec suppositum, neque res consistunt formaliter in ea plenitudine & integritate. Ideóque secundum realem distinctionem eorum, possunt in plurali numero affirmari.

13 *Septima obiectio.* Septima obiectio. In creaturis quod vna bonitas totalis ex pluribus rebus consurgat, hoc non impedit, quominùs illarum rerum singulæ habeant propriam integritatem & bonitatem distinctam, licet partialem. Ergo singulæ personæ diuinæ habent propriã integritatem & perfectionem quasi partialem, comparatione numeri ternarij. Respond. Propterea dari possunt partiales bonitates creatæ, quoniam quidditas vniuscuiusque, in suo genere peculiari est integra & plena, licet intra se non habeat immanentem aliam. Quemadmodum quidditas materiæ, in ratione materiæ, est integra & plena, licet intra se non habeat immanentem formam. At verò Pater in quidditate Patris generantis Verbum, non est integer & plenus, *nisi* intra se habeat vitaliter immanens Verbum: vt constat ex dictis sect. 4. & disput. præced. sect. 3. & 4. Nihilominus, impropriè loquendo, dici posse tres perfectiones quasi partiales, iam concessimus sect. 4. concluſ. 3.

Soluitur. Quidditas vniuscuiusque creaturæ integra est licet non includat aliam.

14 *Octauæ obiectio.* Octaua obiectio est, quoniam Damascenus existimat, perfectionem Deitatis præintelligendam esse relationibus, & vnamquamque personam, secundum se spectatam, esse perfectam, nec posse sine compositione cõsurgere perfectionem vnãm ex personis, quatenus distinctæ sunt, & relatiuè opponuntur. Hoc autem colligit author, quia lib. 1. de fide cap. 10. post med. ait: *Non ex tribus imperfectis vnam compositam naturam perfectam intelligamus: sed in tribus perfectis personis vnam simplicem substantiam superperfectam, & anteperfectam.*

15 *Anteperfecta substãtia quo sensu.* Respond. Imprimis substantia non dicitur *anteperfecta*, quia sit perfecta prius, quàm adueniant subsistentiæ; sicut non dicitur *superperfecta*, quia perfectione superet subsistentias; sed illud *ante*, & *super*, dicitur comparatione cuiusque perfectionis creatæ. Præterea Damascenus in sequenti contextu declarat rationem, propter quam tres diuinæ personæ siue subsistentiæ sint perfectæ, consequentérque *sit impossibile ex illis compositionem euadere*: Quia videlicet, *Imperfecta pronunciamus, quæ speciem non saluant eius rei, quæ ex ipsis absoluitur. Lapis enim & lignum & ferrum, vnumquodque secundum se ipsum, perfectum secundum propriam naturam: ad ædificium autem, quod ex ipsis absoluitur, imperfectum vnumquodque illorum.*

16 *Mens Damasceni.* Damascenus ergo diuinas personas siue subsistentias propterea existimat, esse perfectas, propterèaque iudicat, impossibilem esse compositionem ex illis, quoniam persona, siue subsistentia, non solùm vnaquæque perfecta est, secundum propriam quidditatem, sed etiam vnaquæque illarum saluat speciem eius rei, quæ ipsis absoluitur (perinde ac si lapis per se sumptus esset totum ædificium.) Res autem, quæ ex diuinis personis absoluitur, vel potius *in illis* (vt Damascenus loquitur) est Trinitas. Ideo igitur vnaquæque persona perfecta est, & compositionis expers, quia totam Trinitatem in se saluat, quatenus quidditatiuè est Deus & talis persona, & quidditatiuè postulat intra se vitaliter immanentes habere alias personas. Vnde post pauca commemorat *immanentiam in se inuicem hypostaseon*, ad excludendam compositionem, ac declarandam simplicitatem & vnitatem.

17 Ex dictis facilè poterit explicari, quod refertur ex lib. 1. fidei cap. 11. *Perfectas ipsas hypostaseis personasq; dicimus, vt nullam in diuina natura compositionem intelligamus.* Sed hoc non extat in cap. 11. videtur autem acceptum ex præcedenti cap. 10. proximè ante verba, quæ retulimus sub initium huius sectionis.

SECTIO VIII.

Alia difficultas, & argumenta posita in sect. 1. soluuntur.

1 *Quomodo Patri non deest perfectio Filij.* REstare videtur adhuc difficultas, ex superiori discursu resultans, etenim Patri deest perfectio relatiua Filij, quatenus Pater non est Filius: quia non solum est perfectio Filiatio, habita per vitalem immanentiam, sicut eam habet Pater, sed etiam est perfectio, prout constituens personam in esse Filij, quemadmodum eam habet solus Filius, & non Pater. Vnde consequens esse videtur primò, quòd Pater & Filius simul sumpti, sint aliquid perfectius, quàm solus Pater: secundò, quòd Pater careat aliqua perfectione, quæ est esse Filium. Idem, proportione seruata, dubitari potest de cæteris personis diuinis.

2 Respond. distinguendo postremum membrum antecedentis. Filiatio, prout cõstituens personam in esse Filij, est perfectio solummodo comparatione vnius personæ, quæ nec sit Pater, nec Spiritus sanctus. At verò non est perfectio comparatione Patris, quod in eo sit Filiatio tanquam constituens eandem personam Patris in esse Filij: sed quod in eo sit Filiatio tanquam constituens terminum Paternitatis, & Verbum vitaliter immanens.

Porrò

3 Porrò comparatione Patris non esse perfectionem, quod Filiatio constituat eum in ratione Filij, manifestum est, quia eo ipso Patris persona destrueretur omnino, tum quia deficiente Filio realiter à se distincto, non posset esse Pater, deficeret autem Filius realiter distinctus, si Filiatio constitueret in esse Filij eandem personam Patris: tum etiam, quia relatio Filiationis quidditatiuè habet constituere personam, realiter distinctam à Patre, ideóque non esset persona Patris, si per illam constitueretur. Præterea Pater maneret solus, & non posset habere mutuum amorem, nec esset principium Spiritus sancti. Sequerentúrque aliæ omnes imperfectiones, dictæ in præcedenti disputatione sect. 3. & 4.

4 Confirmatur primò, testimonio Nazianzeni orat. 37. & Ambrosij lib. 4. de fide cap. 4. dicentium, non esse imperfectionem Patris, quòd Filius non sit, nec imperfectionem Filij, quòd non sit Pater; vt vidimus sect. 2. prope fin.

5 *Perfectio Patris habere talẽ Filium realiter distinctum, &c.* Confirmatur secundò, quia magna perfectio Patris est habere talem Filium realiter distinctum, & magna perfectio Filij est habere talem Patrem realiter à se distinctum. Quemadmodum adnotauit Nazianzenus orat. 35. quæ est 3. de theologia paulo post medium. *Si magnum Patri est à nullo profectum esse, non minus illustre Filio est, ex tali Patre prodijsse. Nam præterquam quod gloria illius, qui causam à nullo habet, particeps est, quia ex eo est; accedit etiam generationis decus, res tanta, tamq; veneranda.* Et orat. 36. quæst. 4. de theologia multo propius ad med. quàm ad princip. ait: *Quia ab eo, qui principio caret, originem trahit, eius quoque gloriæ partem sibi vendicat: & accedit insuper generationis prærogatiua, res tanta tamq; veneranda.* Idem in carmine arcano. 2. de Filio propius ad med. quàm ad princ. ita cecinit: *Quod si non vllam causam Deitatis habere, ad decus est amplum Genitori: non minus hercle illustre est Nato tali fluxisse Parente.*

6 *Ad testimonia S. Thomæ posita in sect. 1.* Ad argumenta posita in sect. 1. respondetur. Imprimis S. Thom. de potentia q. 9. dixit: *vtraque perfectio.* Cæterum simul adiunxit: *Non differre secundum quantitatem, sed secundum relationem,* & tam ibi, quàm alibi semper dixit, esse eandem magnitudinem, eandem dignitatem & perfectionem: vt constat ex locis citatis disput. 29. sect. 1. in principio argumentorum, & sectione 2. non procul à principio. Secundò respondeti potest, S. Thomam intellexisse duas perfectiones, impropriè loquendo, & quasi partialiter, vt explicatum est sect. 4. concluſ. 3.

7 *Ad Damasceni verba.* Eodem modo potest intelligi Damascenus, ibidem citatus, cum dicit, differentiam intelligi secundum personalem perfectionem. Melius autem exponendus erit, dicendo, potius fauere perfectionis vnitati, quia non in plurali *personales perfectiones* dixit, sed *personalem perfectionem* in singulari, quo significaret, differentiam siue distinctionem intelligi secundum tres ordines originis, & tres existentiæ modos, qui coalescant in vnicam perfectionem personalem.

8 Ad fundamentum primum cum confirmatione respond. De multiplicatione transcendentium, ex parte dictum est disput. 26. sect. 4. Quo supposito, dico primò, de perfectione simpliciter dicta, nullam esse rationem dubitandi, quoniam huiusmodi perfectio nec est transcendens, neque passio entis; propterèaque non debet multiplicari; vt vidimus sect. 4. sub init. Secundò, perfectio secundum quid dicta transcendens est, & passio entis. Quapropter multiplicari debuisset; nisi propter

Ruiz. de Trinitate.

specialissimam rationem Dei, ad ipsum applicata perfectio transcendentalis exigeret totam Diuinitatem, & infinitatem in genere entis. Quam ob causam multiplicari non potest, vt vidimus sect. 4. concluſ. 1. Ad secundum fundamentum negatur antecedens. Quin potius tres relationes diuinæ coalescunt in vnam perfectionem, & pertinent ad integritatem Deitatis, vt supra probatum est sect. 3. & sequentibus.

SECTIO IX.

Vtrum relationes diuinæ sint perfectiones simpliciter simplices.

1 *Negatiua sententia.* NEgatiuam sententiam ex professo probauit Scotus quodlib. 5. art. 2. in prima & secunda ratione principali. Et 1. sentent. distinct. 2. post quæstionem 5. in ordine. §. *ad primum quæstionem dico*, versiculo, *hoc etiam arguitur.* & sequenti. Et distinct. 19. quæst. 1. ad secundum principale. Et in re idem sentit 1. dist. 1. quæst. 2. ad primum principale. Eandem sententiam probat Aureolus 1. dist. 19. p. 2. art. 3. propositione 1. Caietanus 1. p. q. 28. art. 1. & 2. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 10. num. 4. & 3. p. tom. 1. disput. 11. sect. 4. ad obiectionem primam. Ex parte & sub distinctione quadam negat etiam Gabriel. 1. distinct. 7. quæst. 3. art. 3. Gregor. distinct. 19. quæst. 1. art. 1. Colligitur ex Henrico quodlib. 1. q. 1. quoniam personalem bonitatem dicit non esse bonitatem vltimi finis.

2 *Fundamentum ex Anselmo.* Præcipuum fundamentum est definitio Anselmi Monologij cap. 14. & Profologij cap. 5. communiter à Scholasticis recepta: Perfectio simpliciter simplex est, quam in vnoquoque melius est esse, quàm non esse; vel, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa. Sed esse Patrem non est melius, quàm non esse Patrem; siquidem Pater non est melior, quàm Filius, aut Spiritus sanctus, qui non est Pater. Ergo Patrem esse, non est perfectio simpliciter simplex. Idem argumentum fieri potest de Filio & Spiritu sancto.

3 *Perfectio simpliciter simplex quid requirat.* Confirmatur primò, nam ad rationem perfectionis simpliciter simplicis, non sufficit esse meliorem sui negatione: sic enim quæcumque perfectio creata foret perfectio simpliciter simplex, quia quæcumque perfectio creata melior est, quã eius negatio: sicut albedo melior est, quàm negatio albedinis: & potentia visiua melior est, quam cæcitas. Quapropter ad rationem perfectionis simpliciter simplicis requiritur esse meliorẽ quolibet positiuo incompatibili, quod expresè declarauit Anselmus monolog. dicto cap.: 4. paulo post med. illis præsertim verbis: *Melius est in aliquo non ipsum, quàm ipsum: vt non aurum quàm aurum. Nam melius est homini esse non aurum, quàm aurum.* Vnde consequens est, perfectiones simpliciter simplices non esse quæ sunt inuicem incompossibiles. Sed tres relationes sunt inuicem incompossibiles: ergo non sunt perfectiones simpliciter simplices.

4 Confirmatur secundò, quia omnis perfectio simpliciter simplex est infinita simpliciter: ideóque realiter identificatur cũ qualibet perfectione simpliciter simplici. Sed Paternitas non identificatur realiter cum Filiatione. Ergo nec Paternitas nec Filiatio est perfectio simpliciter simplex. Tertiò confirmat Aureolus, quoniam Anselmus expresè in monologio dicto cap. 14. (pro quo falsò citat caput decimumquintum) declarauit, quod nullum eorum, quæ relatiuè dicuntur, significat aliquid tale, quod sit simpliciter melius.

5 *Relationes sunt perfectiones simpliciter.*

Nihilominus dico primò. Relationes diuinæ siue personalitates sunt perfectio simpliciter simplex. Ita existimat Gregorius 1. dist. 20. quæst. 1. art. 1. post med. & distinct. 34. quæst. vnica art. 3. ad 6. Maior 1. dist. 19. quæst. vnica ad 1. Gabriel 1. distinct. 7. quæst. 3. art. 3. post med. (quamuis limitationem addat, quæ nihil obest conclusioni.) Idem sentire videtur Ocham 1. dist. 19. quæst. 1. ad dubium 1. & in fine quæstionis. Magis expressè docet Valentia in controuersiis lib. 2. de Trinitat. cap. 12. Vazquez disp. 122. cap. 4. num. 10. & cap. 6. & 7. Imò etiam Caietanus 3. p. q. 3. artic. 1. §. *ad horum*, & sequent. concedit, personalitatem & subsistentiam secundum explicitam & formalem rationem esse perfectionem simpliciter, quamuis relatio non sit perfectio simpliciter. Cuius inconsequentiam impugnauimus iam disput. 29. sect. 6. sub init. Denique colligitur idem ex omnibus authoribus, qui suprà disp. 30. sect. 3. sub initium, dicunt, relationes diuinas esse perfectionem vnicam; quod propterea dicunt, ne personæ alicui desit perfectio alterius personæ.

6 *Melius est ipsum esse relatiuum, quàm non ipsum.*

Probatur ex definitione Anselmi, nuper tradita in argumento contrariæ sententiæ. Quia Deum esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum & esse Trinitatem, esséque relatiuas entitates, incommunicabiles, subsistentes, realiter ab inuicem distinctas, melius est quàm Deum non esse hæc omnia. Melius est enim Deum esse personam, quàm non esse personam; melius est Deum generare & generari & spirare & spirari: melius est dicere Verbum realiter distinctum, & amando producere amoris terminum realiter distinctum. Confirmatur, quoniam indignum est Deo genus aliud perfectionis non simpliciter simplicis.

7

Quapropter ad assertionem hanc defendendam, opus non est recurrere ad varias acceptiones perfectionis simpliciter simplicis, veluti quod sit perfectio nihil melius, vel æquè perfectum excludens à suo supposito; vel quæ conuenit omni supposito simpliciter perfecto, vel perfectio nullam imperfectionem includens (de quibus Gabriel suprà citatus:) quamuis enim hæc verificentur de relationibus diuinis, verificatur etiam definitio Anselmi nuper commemorata.

8 *Non est quæstio de nomine.*

Vnde præterea infertur, præsentem quæstionem non esse de solo nomine: quemadmodum significare videntur authores aliqui, litem dirimentes solummodo distinguendo vocis acceptionem. Nam perfectio simpliciter simplex in re ipsa debet esse summa perfectio; quemadmodum expressè notat Anselmus dicto cap. 14. monologij. Et consequenter debet esse perfectio infinita simpliciter in genere entis.

9 *Esse Patrē est melius, quàm non esse.*

Ad argumentum contrariæ sententiæ respond. Esse Patrem est melius, quàm non esse Patrem. Quamuis enim Filius non sit Pater, idem tamen Deus est Pater & Filius; & consequenter eidem Deo melius est simul esse Patrem & Filium, quàm non esse Patrem & Filium. Quod abunde sufficit ad verificandam definitionem Anselmi.

10 *Impugnatio prima.*

Ex qua solutione nonnulli authores deducunt explicationem definitionis Anselmi; vt videlicet, perfectio simpliciter simplex debeat esse melior ipsa, quàm non ipsa comparatione Diuinitatis. non verò comparatione cuiusque personæ. Hanc verò doctrinam impugnant alij. Primò, quia non respectu vnius vel alterius entis, sed respectu cuiuslibet, quatenus est indiuiduum & singulare ens, debet perfectio simpliciter esse melior: ergo non tantum respectu essentiæ, sed etiam respectu personæ. Respond. Non requiritur singularitas incommunicabilis suppositis, qualis est propria personæ, sed sufficit ea singularitas & indiuiduatio, per quam Deus est vnicus & singularis. *Solutio.*

11 *Secunda impugnatio.*

Impugnant secundò, quoniam comparatione Diuinitatis, nec relationes considerantur vt oppositæ, nec comparantur ad rem omnino incommunicabilem, sed ad naturam, vt communem: respectu autem rei communis, perfectiones non simpliciter, possunt non habere inter se repugnantiam. Respond. distinguendo postremam propositionem. Perfectiones non simpliciter simplices possunt inter se non habere repugnantiam respectu rei omnino communis, quæ videlicet nullo modo singularis & indiuidua sit. At verò Deus siue Diuinitas res est singularis & indiuidua, quantum ad vnitatem numericam, vt probatum est disp. 22. ideóque comparatione illius non possunt inter se non habere repugnantiam perfectiones, quæ non fuerint simpliciter simplices. *Solutio.*

12 *Impugnatio tertia.*

Impugnant tertiò, quia perfectio relationis, in rigore & propriè loquendo, etiam respectu Diuinitatis non est melior, quàm non ipsa: quia Diuinitas ipsa affecta relatione non est melior se ipsa, præcisè spectata sine relatione, quia ipsa per se & absque relatione est ens simpliciter infinitum in genere entis. Respond. totum hoc antecedens non esse verum, satis probatum est disp. 29. sect. 3. & 4. & præsenti disputat. sect. 4. & sequentibus præsertim sect. 7. *Solutio.*

13 *Pōderatur locus Ioan. 10.*

Confirmationem adiungunt authores præcedentis impugnationis ex illo Ioan. 10. *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.* Dedit autem Deitatem, & non Paternitatem. Ergo nihil melius excogitari potest, quàm Deitas, etiam à Paternitate præcisa. Huic fauere videtur, quod Innocent. III. ait in Concil. Lateranensi cap. *Damnamus*, de summa Trinit. post med. *Pater, ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit; iuxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.*

14 *Pater Filio dat essentiam & Filiationem.*

Respond. primò. Pater Filio dedit non modo Deitatem communicando naturam, sed etiam dedit Filiationem ipsam generando Verbum. Quod fusius exponit Augustinus tract. 48. in Ioann. ante med. & commentarium ita concludit: *Quia ille, cuius est Verbum, non est de Verbo, Verbum autem de illo est, cuius est Verbum: ideo ait, quod dedit mihi Pater maius est omnibus, id est, vt sim Verbum eius, vt sim Vnigenitus Filius eius, vt sim splendor lucis eius, maius est omnibus.* Eodem modo exponit Hilarius lib. 7. de Trinitat. in med. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. Hieronymus in Ezechiel cap. 18. & alij Patres. Consequens autem est, vt Pater Filio dederit circuminsessionem, per quam in se habeat Patrem & Spiritum sanctum, sicut inter citatos infert Hilarius. Hæc autem tota plenáque Diuinitas est simpliciter maius & melius omnibus, vt constat ex dictis sect. 5. 6. & 7.

15 *Secunda expositio secundum humanitatem.*

Respond. secundò. Clarius intelligitur Verbum *dandi*, si huic homini, qui est Christus Dominus, intelligamus, datam esse vnionem hypostaticam, & per illam, vt idem homo esset Verbum Dei, habens in se Patrem & Spiritum sanctum. Veruntamen adæquata expositio complectitur omnia diuina simul & humana, iuxta dicenda in disput. 50. præcipuè sect. 1. & 6. Tertiò prætermitto, quod Græci Patres, Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius aliter legunt, videlicet, *Pater qui dedit mihi, maior omnibus est.*

Vnde

16 *Ad præcipuū fundamētum initio positū.*

Vnde redeundo ad supra dictam definitionem perfectionis simpliciter, sumi potest alter intellectus, congruentior ad mentem Anselmi, & ad rem ipsam, vt perfectio simpliciter simplex debeat esse melior comparatione cuiusque personæ, si bene intelligatur. Quamuis enim Patri non sit melius ipsum Patrem esse Filium & Spiritum sanctum: nihilominus Patri melius est, Filium & Spiritum sanctum esse immanentes intimè in Patre, tanquam terminos, ab eo vitaliter productos, vt explicatum & probatum est sect. 5. 6. & 7.

17 *Quid requirat perfectio simpliciter.*

Ad primam confirmationem, initio positam respond. concedendo, quod perfectioni simpliciter simplici nō sufficit esse meliorem sui negatione, sed requiritur, esse meliorem quolibet positiuo incompossibili respectu eiusdem numero indiuidui; quamuis illud indiuiduum sit communicabile. Relationes autem diuinæ sunt compossibiles, imo necessariò & quidditatiuè connexæ respectu vnius & singularis indiuidui, videlicet Dei. Deinde in eadem persona sunt compossibiles modo nuper explicato. Quod autem non sint compossibiles, tanquam constituentes vnam & eandem personam in esse Patris & Filij & Spiritus sancti, nihil obstat ad rationem perfectionis simpliciter simplicis.

18

Ad secundam confirmationem respond. Non est opus ratione sui immediatè Paternitatē identificari cum qualibet perfectione simpliciter simplici. Satis est, Paternitatem realiter identificari cum diuina substantia, cum qua realiter identificatur etiam Filiatio, & in se vitaliter immanentem habere Filiationem, & cum illa coalescere in vnam integram perfectionem.

19

Ad tertiam confirmationem respond. Anselmus dicto cap. 14. prope med. solummodo dicit, quod *Nihil eorum, quæ relatiuè dicuntur, simpliciter demonstrat alicuius essentiam.* Et paulo post medium docet, *multa relatiua esse, quæ nequaquam hac contineantur diuisione. Vtrum autem aliqua contineantur, inquirere superse deo.* Manifestum est igitur, Anselmum non dixisse, quod ex illo refert Aureolus.

20 *Non tres perfectiones simpliciter simplices.*

Dico secundò. Tres relationes non sunt tres perfectiones simpliciter simplices, sed vna tantum. Quod à fortiori constat ex dictis sect. 3. & sequentibus: siquidem infinitatem simpliciter in genere entis quidditatiuè contineri in ratione formali perfectionis simpliciter simplicis, euidentius est, quàm contineri in ratione perfectionis transcendentalis.

21 *Nisi valdè impropriè.*

Dico tertiò. Valde impropriè loquendo, poterunt appellari tres perfectiones simpliciter simplices, intelligendo tres realitates, quarum vnaquæque requiritur ad perfectionem simpliciter simplicem, ita vt perfectioni simpliciter simplici, melius sit illam habere, quàm non habere illam. Hæc conclusio facile colligitur ex dictis sect. 4. præsertim concluſ. 3.

SECTIO X.

Soluuntur argumenta, quæ in præcedenti disputatione 29. sect. 1. contendunt, relationem, vt sic, non esse perfectionem.

1 *De sententia S. Thomæ.*

IMprimis, quod S. Thomas expressè concesserit, relationem, prout est relatio, perfectionem esse, constat abunde ex locis adductis in eadem disputat. 29. sect. 2. non procul à principio. Quo

suppositio, necessarium est alia eiusdem testimonia reuocare ad concordiam cum vera sententia.

Ad primum ergo testimonium respond. primò, non valere argumentum, a Diuinitate & potentia colligens perfectionem. Quia perfectio est formalitas transcendens non solum absolutas formalitates, sed etiam relatiuas. Diuinitas autem & potentia non est formalitas transcendens, sed merè absoluta. Respond. secundò. Eadem perfectio, quæ in Patre est Paternitas, est in Verbo Filiatio cum alio ordine & modo, prout explicatum est & probatum sect. 5. & 6. Inde tamen non bene infertur, quod relatio Paternitatis & Filiationis, in quantum huiusmodi, non dicat perfectionem, sed potius supponitur, dicere perfectionem, non tamen realiter distinctam, sed eandem, propter circuminsessionem, & mutuam immanentiam, vt ibidem probatum est. 2

Ad primam confirmationem respond. S. Thomas, sicut Augustinus, quem sequitur dicta q. 42. art. 1. ad 1. & art. 4. ad 2. loquitur de primaria magnitudine perfectionis, quæ secundum modum concipiendi, est veluti radix totius perfectionis relatiuæ, necnon æqualitatis in illa. Hæc enim perfectionis magnitudo se habet tanquam *quid est*, & tanquam res, prout res distinguitur à modo rei, qui est ad aliquid referri. Præterea quemadmodum Patres cōmuniter, quos imitatur S. Thomas, *essentiam*, & *esse* limitant ad absolutam substantiam, nec extendunt ad relationes, nisi prout identificantur cum absoluta substantia, quamuis attenta primitiua impositione, & etymologia possent ea nomina laxiori significatione comprehendere quamcumque formalitatem, etiam relatiuam, & esse transcendentia; vt vidimus disp. 24. & 25. Sic etiam proportionaliter Augustinus & S. Thomas limitant significationem magnitudinis, quia magnitudo non est magis transcendens, quàm esse & essentia. 3

Ad secundam confirmationem respond. Eadem expositio quadrat in quæstionem 2. de potentia, & 1. p. q. 30. citatam in argumento. Nam iis in locis S. Thomas dignitatis & bonitatis acceptionem restrinxit eadem mensura, qua restrinxerat essentiam & magnitudinem. Atque hoc modo processit etiam Deza 1. dist. 7. q. 1. art. 3. notabili 4. referens mentem S. Thomæ. 4

5 *Ad inconuenientia respond.*

Ad rationes, ex inconuenientibus acceptas, respond. Ad primam, quod absolute loquendo non sint tres perfectiones, sed vnica, probatum est sect. 3. & sequentibus. Ad secundam ex sect. 5. & sequentibus constat, quomodo quælibet perfectio cuiusque personæ sit in qualibet alia persona, & illam perficiat, ac proinde nulla perfectio desit illi. Ad tertiam respond. Pater est infinitus in genere entis, quoniam omni modo possibili habet omnem perfectionem possibilem. Nam perfectionem Diuinitatis & Paternitatis habet Pater vt quidditatiua prædicata: perfectionem verò Filiationis & passiuæ spirationis habet Pater, quasi terminos operationis immanentis, quidditatiuè postulatos, & intra se retentos.

Pater infinitus in genere entis.

6 *Non aperitur via defendendi plures Deos.*

Ad quartam respond. Non aperitur via defendendi plures Deos; quia si forent plures Dij, nullus eorum quidditatiuè postularet, intra se continere vitaliter immanentem alterum Deum, tanquam terminum productum per suam operationem, cui suam essentiam communicat. Quod totum quidditatiuè postulat Paternitas, quamuis sit infinita perfectio, & Filiatio similiter sit infinita perfectio. Ad quintam. Quomodo vnaquæque

persona, sigillatim accepta, sit perfecta non minus, quàm tota Trinitas, siue tres personæ simul sumptæ, declaratum est iam in superioribus sectionibus, peculiariter sect.8.sub initium.

7 Ad sextam respondeo & dico primò. Si tres relationes, simpliciter & propriè loquendo, forent tres perfectiones: tunc potuisset inferri, eas esse inæquales: quoniam forent distinctæ totaliter & adæquatè, nec vllo modo se inuicem includerent. At verò cum tres relationes, simpliciter & propriè loquendo, sint vna perfectio, manifestum est, nullum esse locum inæqualitati; nam eiusdem ad se ipsum inæqualitas est impossibilis.

8 *Nõ sunt inæquales perfectiones, quia non differunt specie adæquata.* Dico secundò. Ea, quæ totaliter, & adæquatè differunt specie, quoniam habent diuersam essentiam, sunt inæqualia sicut numeri. Relationes autem diuinæ non differunt specie totaliter adæquatè & propriè, sed tantum quodammodo differunt specie, quia conueniunt in vna numero substantia & essentia, à qua velut à radice sicut proueniunt relationes; sic etiam earum magnitudo & æqualitas. De hac distinctione specifica dictum est disput.17.sect.4.ad 3. & dicemus disputat.35. sect. 8.

9 *Mens Augustini lib.3. de libero arbit. c.9.* Ad confirmationem respondet Maior. 1. dist. 19. quæst. vnica ad 3. illam Augustini doctrinam verificari solummodo in rebus specie distinctis. Hoc licet verum sit; & satisfacere posset obiectioni: cæterum magis ad mentem Augustini est, illum egisse potissimum de æqualitate in luce (nihil curando de specifica distinctione vel conuenientia) quia comparatione vniuersi luna, habens lucem æqualem soli, perinde foret incommoda & nociua, quemadmodum si non fuisset creata luna, sed duo soles. Vnde proueniret vt luna diem efficeret, non minus quàm alter sol: ideóque luna non præesset nocti, quod est illius munus Gen.1. Hanc verò fuisse mentem Augustini, constat ex verbis, continuo subiunctis; *In quo dupliciter erat, quod rerum perfectioni & addere aliquid cupit, cum desiderat alterum solem, & minuere, cum lunam vult detrahi.*

10 *Replica.* Sed vrgent aliqui, quoniam omnia æqualia sunt inuicem commensurabilia; sed quæ sunt diuersæ rationis non sunt inuicem commensurabilia, quia nihil habent commune, quo mensurentur. Ergo quæ sunt diuersæ rationis non possunt esse æqualia, propterea que debent inæqualitatem perfectionis habere. Et confirmant ex Aristotele 5.metaphys. cap.8. text.18. illis præsertim verbis: *Si itaque non similiter, patet, quod alterum minus.*

11 *Retorquetur.* Respond. Eodem argumento probare potuissent, quod verum est, videlicet diuinas relationes non esse inæquales, prout in esse relatiuo, quasi specie differunt, quoniam inæqualia propriè non sunt nisi commensurabilia. Cæterum æqualitas diuinarum relationum consistit in identitate substantiæ simul cum mutua circuminsessione superius explicata, per quam quodammodo commensurantur. Imo propriè loquendo, non sunt æquales perfectiones, sed vnica tantum perfectio, cui respectu sui ipsius, nec æqualitas, nec inæqualitas conuenit.

12 *Videtur qualibet persona excedere aliam; ideo æqualis illi.* Ad septimam respond. Sicut Pater videtur excedere Filium & Spiritum sanctum, quia duas personas producit, tanquam fons & principium Deitatis; ita Spiritus sanctus videtur excedere, quoniam vltimò complet Trinitatem, nihil perfectionis vlterius expectans. Et Filius videtur excedere, quoniam vtramque perfectionem complectitur producentis & producti. Sed inde præsertim concluditur, perfectionem vniuscuiusque personæ constitutiuam non esse maiorem alia, quoniam vnaquæque Diuinitatem essentialiter includit, & quidditatiuè postulat, intra se immanentes duas alias personas. Confirmatur, quia si quis concederet, Paternitatem esse perfectiorem Filiatione, teneretur eo ipso concedere, Filiationem ex alio capite esse perfectiorem Paternitate non solum, quia perfectiorem terminum respicit, absque vlla imperfectione & indigentia, sed etiam quia perfectiorem personam, quidditatiuè postulat, intra se continere, tanquam eiusdem vitæ principium. Quibus consonant, quæ ex Ambrosio & Nazianzeno retulimus sect.8. confir.1.& 2.

13 *Ad octauum & nonum argum.* Ad octauam solutio constat ex præcedenti. Ad nonam respond. nullum inconueniens esse, quod relatio quælibet, sigillatim accepta, sit perfectior Deitate, si Deitas præscindatur à relationibus; nam Deitatem ita præcisam à relationibus, esse imperfectam præscisiuè, hoc est vt sic, non habere suæ perfectionis complementum, iam ostendimus disput.29. sect.3.& 4.

14 *Ad decimũ.* Ad decimam respond. Vniuscuiusque rei tota perfectio prouenit ab eius essentia veluti à radice, non tamen tanquam à forma constituente formaliter totam perfectionem. Sic ergo vnicuique personæ conuenit aliqua perfectio, videlicet, sua relatiua personalitas, quæ non tribuitur illi ab essentia diuina, tanquam à forma ratione sui constitutiua illius perfectionis: Tribuitur tamen tanquam à prima radice, quæ continet quasi eminenter omnes relationes seu personalitates.

15 *Ad vndecimum.* Ad vndecimam respond. In qualibet relatione diuina quidditatiuè clauduntur aliæ duæ relationes, ei oppositæ, non tanquam proprietas constitutiua eiusdem personæ, sed tanquam terminus immanentis operationis, vt explicatum est sect.5. & sequentibus. Ad confirmationem respond. Perfectio relationis vnius, si præscindatur omnino à cæteris relationibus, est in suo tantum genere infinita, sicut Paternitas est infinita solum in genere Paternitatis, non in genere Filiationis. Quapropter simpliciter & in omni genere non est infinita, sed finita negatiuè, seu potius præscisiuè, quatenus, vt sic præscissa non affert omnem perfectionem in omni genere, vt constat ex dictis disput.28. sect.1.& 2. Nihilominus perfectio relationis vnius, prout in re est, simpliciter & in omni genere est infinita; quoniam est perfectio simpliciter simplex, intra se quidditatiuè claudens etiam perfectiones aliarum relationum; vt vidimus sect.5.& sequentibus præsertim sect.9.

16 *Ad duodecimum.* Ad duodecimam. In sect.9. probatum est, diuinam relationem esse perfectionẽ simpliciter simplicem, at non plures, sed tantum vnicam; ideóque nulli personæ deesse perfectionem alterius, quoniam eas intra se vitaliter immanentes continet, ostendimus sect.5. & sequentibus.

17 *Ad decimum tertium.* Ad decimamtertiam respond. In Deo non solùm relatiua, sed etiam prædicata propriè transcendentia, multiplicantur pro numero personarum: vt vidimus disput.26. præsertim sectione 4. Sed perfectio propriè sumpta non est propriè transcendens, quia formaliter & quidditatiuè claudit infinitatem in genere entis, vt vidimus sect. 4. & sequentibus. Ideóque non multiplicatur pro numero personarum, sicut falsò supponit argumentum. Ad decimamquartam de singulis prædicatis generalibus entium, vtrum multiplicentur vel non, diximus satis disputat. 26. & 27. *Ad decimum quartum.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIX.

De personis diuinis.

ARTICVLVS I.

De diffinitione personæ.

Explicabitur disputatione 32. sectione 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia & existentia.

DISPVTATIO XXXI.

Vtrum Pater, Filius & Spiritus sanctus sint tres hypostases.

SECTIO I.

Contra nomen hypostasis *obiectiones.*

1 *Nouitas impropria.* NOMEN *hypostasis* tanquam nouum, prophanum & improprium Ariani vetustiores atque recentiores abiiciunt. Vrsacius enim, Valens, ac Demophilus, *Semel atque iterum, imo iam tertiò depositi in Arimenensi conuentu, ea audacia fuere, vt affirmauerint, illicitum dictum esse, essentiam aut hypostasim habere Deum.* Vt scribit Athanasius epist. ad Africanos aliquantulum ante med. Inter recentiores Arianos Franciscus Dauid, & Transyluani, apud Bellarminum lib.2. de Christo c.1. & 4. magis apertè diridentes non solùm vocem hypostasis, sed etiam illius acceptionem, pro persona diuina. Sumunt autem argumenta tum ex sacris literis, tum etiam ex historia Ecclesiastica, quibus alia nos addimus ad maiorem rei explicationem.

2 Hypostasis *pro accidentibus.* Primum, nam aliquando in sacris literis *hypostasis* accipitur pro aliquo accidente. Ergo non propriè significat substantiam. Antecedẽs probatur Hebræ.3. *Si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus.* In cuius originali hypostasis accipitur pro vita spirituali gratię & charitatis. & Hebræ 11. *Fides est sperandum hypostasis rerum.* Et 2. Corinth. 11. *In hac substantia gloriæ.* Et in eadem epist. 9. *Ne erubescamus in hac substantia.* Quibus in locis hypostasis habetur in originali Græco.

3 Confirmatur, nam & Leontius de sectis scholæ sect.7. non procul à princ. (tomo 4.bibliot.) *Sciendum*, inquit, *hypostasim duo significare. Nam & significat id quod simpliciter existit, quo significato dicimus, & accidentia hypostasim habere, licet in alijs esse suum habeant. Significat & id quod seorsum & per se extitit, qualia sunt individua substantiarum.* Vnde post pauca deducit, posse dici duas naturas Christi Domini, duas hypostases iuxta priorem acceptionem.

4 Hypostasis *pro entitate reali.* Vnde sumitur secundum argumentum. Nam author libri de mundo ad Alexandrum (inter opera Aristotelis) dixit, ea quæ in aëre cernuntur, habere hypostasin, idest, non fictam, & sola cogitatione fabricatam speciem, sed realem & solidam entitatem. Ait enim: *Alia apparent, alia secundum hypostasim sunt*, quod interpres transtulit *Alia substant.* Quamuis Budæus in commentariis linguæ Græcæ putauerit, hoc loco significari substantiam individuam. Econtrario Dionysius c.4. de diuin. nomin. inter med. & fin. dixit, malum non habere hypostasim, nec causare hypostasim, pro qua interpretes alij vertunt *substantiam*, alij *essentiam* aut *existentiam.* Itaque generalissima est hęc acceptio *hypostasis* pro qualibet reali entitate.

5 *Alia significationes.* Tertium argumentum quoniam apud Græcos antiquiores, nomen *hypostasis* habuit acceptiones longè diuersas à persona, siue individua substantia. Nam Sophocles in Phænice hypostasim pro insidiis collocatis posuit. Menander autem idem verbum pro iuris condimento, alius autem pro vini fæce in fundo cadi subsistente vsurpauit; vt ex Ireneo Grammatico in suo dictionario Græco, referunt Sozomenus lib.5. historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. & Socrates lib.3. cap.7. positus etiam in Tripartita lib. 6. cap. 21. & Nicephorus lib. 10. histor. cap.15.circa med. Quibus adde, à medicis etiam fæcis sedimentum appellari hypostasim.

6 *Nouitas.* Quartò nouitatis arguitur hoc vocabulum. Nam qui à primis initiis philosophiam apud Græcos gentiles docuerunt, ne mentionem vllam prorsus fecerunt hypostasis. Et Ireneus Grammaticus hanc dictionem vocat barbaram, dicens, apud veteres non reperiri, vt referunt Nicephorus & Socrates nuper citati.

7 *Author huius vocis.* Quintum, quia primus de vsia & hypostasi, earúmque differentia mentionem intulisse videtur Hosius, qui ab Imperatore Constantino missus Alexandriam, vt excitatam ab Ario turbam sedaret, quæstionem de vsia & hypostasi mouit, vt simul cum Ariana hæresi Sabellianam etiam radicitus extirparet; vt scribunt Nicephorus lib. 10.cap.15.sub init. & Socrates lib.3.cap.7.relatus in Tripartita lib.6. cap.10. post med.

8 Sextum argumẽtum, nam ex quæstione de substantia & subsistentia siue hypostasi multa nugamenta fuisse exorta, quæ turbabant Ecclesiam, referunt Sozomenus & Nicephorus nuper citati.

9 *Reprobata videtur hæc vox.* Septimum, quia præsentem quæstionem de vsia & hypostasi Nicæna Synodus indignam esse iudicauit, quæ tractaretur ibi: vt refert Nicephorus dicto lib.10. cap. 15. prope med. Omittimus autem Ariminensem & Syrmiensem Synodum quoniam damnatæ sunt, qua parte prædictas voces abiiciunt.

10 Octauum argumentum, quoniam excussa significatione & proprietate dictionum vsiæ & hypostasis, Alexandrina Synodus constituit, *Non opus esse in Deo talibus dictionibus. In sacris enim literis nullibi substantiæ Verbum extare: dogmatis verò exponendi necessitate, diuum Apostolum Paulum subsistentiæ nomine abusum esse.* Vt scribit Nicephorus lib.10 historiæ cap.15. sub initium.

11 Hypostasis *pro essentia.* Nonum, quoniam Hebræ.1. *hypostasis* à Paulo ponitur pro essentia: sic enim Filium esse figuram & imaginem essentiæ, intelligunt Epiphanius, Concil.Ephes.Thaumaturgus, Athanas.Eusebius, Cyrillus, Hilarius, citati disp.23. sect.3.

12 Decimum argumentum, quia plurimi, grauissimíque Patres vel respuebant nomen hypostasis, vel pro essentia diuina sumebant. Sed de hoc dicendum est fusiùs sect.3.

SECTIO II.

Vox hypoſtaſis *ex Scriptura & antiquiſsimis Theologis ac Philoſophis authoritatem habet.*

1 *Excesserunt historiographi.* HVius assertionis probationes erunt omnes solutiones argumentorum, quæ sectio præcedens obiecit. Pro quarum fundamento, Notandum est primò, citatos historiographos Sozomenum, Socratem & Nicephorum excessisse, digressos ab institúto historiæ proprio (vt ipsi fatentur) dum reprobant huius dictionis vsum, minùs attendentes ad necessitatem explicandi dogmatis, nimium intenti ad Ecclesiæ pacem, quam turbari videbant. Vnde consequenter dixerunt substantiam nec propriè nec rectè dici de Deo. Quod præcipuè intendebant à catholicis extorquere Semiariani: vt tacerentur voces istæ, prout vidimus disp. 22.

2 Notádum est secundò, rationem, propter quam nomen *hypoſtaſis* inductum fuit à philosophis & Theologis, ad significandum suppositum subsistens, siue primam & indiuiduam substantiam fuisse, quam reddit Boëtius lib. de duabus naturis inter princ. & med. *Ideo hypoſtaſes Græci indiuiduas ſubſtantias vocauerunt, quoniam cæteris subsunt, & quibuſdam quaſi accidentibus ſuppoſitæ ſubiectæq; ſunt.* Nec propterea nomen *hypoſtaſis* per metaphoram vel attributionem, aut analogiam dicitur de suppositis substantialibus, sed propriè & immediatè illis conuenit nomen, propter impositionem & communem consensum philosophorum & Theologorum. Quemadmodum apud Latinos subsistentiæ vel suppositi nomen, aut etiam substantiæ, significat propriè, & non per metaphoram, aut analogiam ad res alias, licet eorum nominum impositio duxerit originem ex rebus, quæ subiiciuntur & supponuntur aliis. *Ratio nominis.*

3 Inde respond. ad primum argumentum. In quatuor illis locis hypostasis accipitur pro fundamento & basi, cui nititur ædificium spiritualis vitæ, vel alicuius gloriæ temporalis. Quaproter analogicè vel metaphoricè sumitur ibi; verùm ea metaphora confirmat, veram esse rationem nominis, propter quam hypostasis significat suppositum subsistens, vt nuper explicuimus.

4 Ad confirmationem respond. Accidentia, quatenus verè & realiter existunt, hypostasim habere dicuntur per attributionẽ ad suppositum substantialiter subsistens. Quippe quod primò ratione sui & per se, neque alio subsistẽtante, indigens, existit realiter: nec aliquid realiter existit, nisi receptum & substentatum ab hypostasi substantiali. Veruntamen illa acceptio hypostasis pro accidentibus, non est à Theologis vsurpanda. Quoniam ab *ſcholis* est *omnino* relegata, & potest occasionem erroris afferre.

5 Vnde constat etiam solutio ad secundum. In omnibus enim seruatur analogia rei positæ sub alia. Siquidem quando species exterior non est inanis & vacua, sed illi subest interius, quod apparet sub esse; tunc dicitur secundum hypostasim esse. Dionysius autem hypostasim accepit pro reali entitate, iuxta ea quæ diximus ad confirmationem argumenti præcedentis. Ad tertium respond. Eadem nominis etymologia & analogia tot acceptiones inuexit multarum rerum, quæ sub aliis existunt.

6 *Antiquitas.* Ad quartum respond. Sufficiens nobis antiquitas est Aristotelis, vel cuiusque authoris libri ad Alexandrum, & Themistij nobilissimi philosophi. Maximè verò Pauli ad Hebræos, vel cuiusque interpretis Græci, qui iuxta communem sententiam fuit Paulo contemporaneus, siue Lucas, siue Clemens fuerit. Nam hi omnes vtuntur dictione hypostasis in eadem ferè significatione. Et de Paulo quidẽ dicemus ad 9. argum. Eisdem prope temporibus Dionysius 1. c. de Diuin. nomin. ante med. notat, in sacris libris Diuinitatẽ laudari non solum vt vnitatem, sed etiam *vt Trinitatem propter Trisſypoſtaton ſuperſubſtantialis fœcunditatis enarrationem.* Et cap. de diuin. nomin. post med. ter vtitur eodem nomine hypostasis, vbi Latinè habemus *principalium perſonarum & vnaquæque perſonarum.*

7 Sic etiam Iustinus in expositione fidei de Trinit. non procul à princip. frequenter repetit hypostases, vbi Latinus interpres transtulit subsistentias. Similiter in quæst. 17. ad gentiles. Eandem autem vocem retinuit interpres in q. 129. ad ortodoxos dicens: *Differentia eſt in ſancta Trinitate modis eſſentiæ hypoſtaſeon.* Quin etiam Ioannem Apostolum docuisse, *Quod tres hypoſtaſes ſint vna ſubſtantia*, refert Procorus, vnus ex septem Diaconis in vita Ioannis cap. 5. fine. Quod tanquam verum retinere probabiliter possumus, licet reiicienda sint fabulosa multa, quæ in ea historia permixta sunt, fortasse per insidiosas fraudes hæreticorum. Conciliorum & Patrum alia testimonia referemus in solut. ad 8. & 9. argum. & in consequentibus sectionibus.

8 *Capit à tempore Apoſtolorum.* Ad quintum respond. Licet Hosius cæperit eorum nominum proprietatem atque discrimen excutere disputando, vt de illorum vsu certum aliquid cõstitueretur à Catholicis: priores tamen Apostoli, vel eorum contemporanei non disputatione, sed vsu atque ipso exercitio nos docuerunt illud discrimen, vt vidimus in præcedenti solutione. Adde quod valde commendat authoritatem vocabuli hypostasis, illius examen, & frequẽtiorem vsum in Ecclesia cæpisse simul cum *Homousio*, vt vel sic theologica doctrina vitaret scopulum Arij, tutior iam à periculo incidendi in Sabellianam hæresim.

9 Denique dato, quod hypostasis acceptio & vsus pro supposito cæpisset ab Hosio, non solum hac ætate post annos mille trecentos, sed etiam Hosij tempore non esset in voce nouitas simpliciter, quam deuitare præcipit Apostolus 2. Timoth. 2. sed tantum nouitas secundum quid, quoniam illius sensus est antiquissimus, vt in simili declaratum est disp. 21. sect. 3. solut. 2.

10 *Necessitas & vtilitas huius vocis.* Ad sextum respond. Nugamenta, non propter naturam quæstionis eo tempore necessariæ, sed propter abusum & impietatem Arianorum, exorta sunt. Quanta verò sit necessitas explicandi discrimen inter *vsiam & hypoſtaſim*, ostendunt Gregorius Nyssenus lib. de differentia vsiæ & hypostaseos in princ. Basilius epist. 43. in princ. & alij referendi disp. 32. sect. 6. Eadem astutia contendebant Ariani, vt taceretur *Homousion*, quia occasionem dabat erroris; de quo disp. 21. sect. 4. ad obiectionem 5. & 6.

11 *Excessit Nicephorus.* Ad septimum respond. Excessisse videtur Nicephorus in ea voce *indignam*. Quamuis enim Synodus Nicæna non explicuerit ex professo discrimen hypostasis ab vsia; eisdem tamen vocibus vtitur secundum earum proprietatem; vt constat ex Symbolo, quod est apud Cyrillum lib. 1. dialogorum de Trinit. col. 4. & habetur etiam Græcè

Græcè in Latinis codicibus; in eo namque symbolo vtrumque nomen est vsiæ & hypostaseos, quando prope finem Latinè legimus; *vel ex alia ſubſtantia, vel dicunt eſſe ſubſtantias.* Plura ex Nicæno referemus sect. 3. post medium.

12 *De vsu hypostasis decretum Ecclesiæ.* Ad octauum respond. ex eodem Nicephoro ibidem: quia continuo subiungit, Patres Alexandrinæ Synodi sanxisse, alio modo, idest, in alia significatione hæc verba fore vsurpanda, quando Sabellij hæresim oportuerit refutare, ne nominum inopia, veluti vnam rem trinominem in Diuinitatis contemplatione esse putemus: sed tribus vsurpatis nominibus, res quæque in Trinitate tripliciter distincta, peculiari subsistentia sua intelligatur. Quod idem notant Sozomenus lib. 5. historiæ cap. 11. relatus in Tripartita lib. 6. cap. 20. fin.

13 Ruffinus etiam suo lib. 1. (qui est decimus in historia Eccles. Eusebij) cap. 29. de concilio Alexandrino, cui præfuit Athanasius, ita scribit: *Quidam dicebant, ſubſtantiam & ſubſiſtentiam vnum videri: & quia tres ſubſtantias non dicimus in Deo, nec tres ſubſiſtentias dicere debeamus. Alij verò, quibus longè aliud ſubſtantia, quàm ſubſiſtentia ſignificare videbatur, dicebant; quia ſubſtantia ipſa rei alicuius naturam rationemq; qua conſtat, deſignet: ſubſiſtentia verò vniuſcuiusque perſonæ hoc ipſum quod extat, & ſubſiſtit, oſtendat. Ideoq; propter Sabellij hæreſim tres eſſe ſubſiſtentias confitendas.* Quod autem adiungitur, subsistentiam nullibi extare in sacris literis, & ea dictione Paulum abusum fuisse, non est credibile fuisse sancitum decreto Synodi, sed additum à Nicephoro, iuxta sententiam aliquorum, in ea Synodo dissidentium. Quia decernendi, vt his nominibus contra Sabellianos solos vterentur, causa fuit, *quia quæſtio turbabat Eccleſias.* Hanc enim solam rationem Sozomenus & Ruffinus citati ponunt.

14 Nec mirandum est, plurimos Græcorum existimasse, *hypoſtaſis* nomen impropriè conuenire diuinis personis: cum etiam inter Latinos, Augustinus, Boëtius, Anselmus & alij putauerint, Deum propriè non esse substantiam, sed supra substantiam. Imò etiam Dionysius, Damascenus & alij, quos retulimus disput. 9. sect. 2. initio, & disp. 10. sect. 4. obiect. 1. Sicut enim Latini considerabant etymologiam nominis, quæ denotat subiectum accidentibus substans, sic etiam Græci considerabant in hypostasi eandem imperfectionem in eius etymologia denotatam.

15 Ad nonum respond. primò. Verisimilior & communior est expositio aliorum Patrum, qui Hebr. 1. figuram *hypoſtaſis* exponunt figuram *perſonæ*, siue *ſubſiſtentiæ Patris*, vt ex Nysseno, Basilio, Chrysostomo, Theophylacto, Occumenio, Epiphanio, Cyrillo, Athanasio, Nazian. Alexandro Alexandrino, Clemente Romano, Theodoreto & Hilario aliis in locis retulimus disp. 23. sect. 3. Respond. secundò. Dato, quod hypostasis nunquam pro supposito subsistente poneretur in sacris literis; satis foret ad vsum illius vocabuli, quod sensus illius haberetur in sacris literis. Habetur autem in eis distinctio personarum siue suppositorum, vt probatum est disput. 19. præsertim cum plurimas alias voces in theologiam induxerint antiqui doctores, quæ non leguntur in sacris literis; vt ad similem obiectionem de *Homousio* dictum est fusiùs disput. 21. sect. 1. sub init.

SECTIO III.

Quinam Patres hypostasim *acceperint pro essentia.*

1 ATHanas. orat. 5. contra Arianos paulo post princ. *Quemadmodum*, inquit, *vnum principium, & pro eo principio vnus Deus, ita plane ac reuera vna est essentia & hypoſtaſis, quæ dicit; Ego ſum qui ſum, & non duplex, ne duo ſint principia.* Iterum Athanas. epist. ad Episcopos Africanos non procul ante med. scribit, *Nicænos Patres ſcripturas ſpirare, ac redolere, loquente ipſo Deo tum in libris Exodi, Ego ſum qui ſum; tum per Hieremiam, Quis eſt in ſubſtantia eius?* Et paulo post: *Et ſi ſteriſſent in hypoſtaſi mea, & audiſſent verba mea: Hypoſtaſis autem essentia eſt, neque aliud ſignificatum habet, niſi hoc ipſum quod eſt, quod Hieremias hyparxin nominauit, dicens. Non audiſti vocem hyparxeos. Nam & hypoſtaſis & vſia id ipſum eſt quod hyparxis.* Budæus autem in commentariis linguæ Græcæ notat, hyparxin parum ab hypostasi distare. Exod. 3. Hierem. 23.

2 Eodem modo *characterem hypoſtaſeos* nihil aliud esse, quam essentiæ imaginem, scribit Athanasius dialog. 2. de sancta Trinit. contra Anomæum multo propius ad med. quàm ad princ. & dialog. 1. pag. 5. Præterea de prædicto testimonio Hieremiæ 23. dictum est satis disput. 21. sect. 2. ex Epiphanio, Nazianzeno, Hilario & aliis.

3 Quod ad rem præsentem attinet in eisdem verbis Hieremiæ essentiam & hypostasim idem esse, suppositit Epiphan. hæres. 69. fol. penult. dicens: *Subſtantia & eſſentia idem eſt ratione. Conſtitit enim Dominus in ſubſtantia ſua. Et hoc ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ ipſius.* Et Hieronymus Hieremiæ 23. versu 18. & 22. refert, Septuaginta & Theodotionem interpretatos esse verbum Hebraicum *ſubſtantiam* siue *ſubſiſtentiam.*

4 Vnde clarius quàm cæteri, Marius Victorinus Afer lib. de Homousio recipiendo sub initium (tom. 4. Bibliot.) ait: *Hoc eſſe quod Græci vſiam vel hypoſtaſim dicunt, nos vno nomine Latinè ſubſtantiam dicimus. Et vſiam Graci pauci & rarò, hypoſtaſim omnes. Diſtat quidem, verum nunc omittamus. Scriptura diuina Græcè hypoſtaſin ſæpe dixit, Latinè ſubſtantiam. Et dixit de Dei ſubſtantia propheta Hieremias. Quod ſi ſteriſſent hi in ſubſtantia Domini, Verbum meum vidiſſent.* Exponit autem, quod si Dei substantiam intellexissent; vidissent, Verbum Dei esse consubstantialem Patri.

5 Concilium Sardicense, qua parte catholicum & approbatum est, epistola Synodali 3. inter med. & fin. vbi Latini codices legunt: *Nos hanc habemus catholicam & apoſtolicam traditionem, & fidem atque confeſſionem, vnam eſſe ſubſtantiam Patris & Filij & Spiritus ſancti.* In Græco, & apud Theodoretum lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. propius ad med. quàm ad fin. ita legitur, *quod vna ſit hypoſtaſis.* Sed idem Concilium ibidem exponit, vnam esse hypostasim, si hypostasis accipiatur pro essentia, vt hæretici solebant accipere.

6 Liberius Papa in fragmento epistolæ ad Athanasium, quæ in recentioribus Conciliorum editionibus est epistola 10. & inter opera Athanasij ponitur post expositionem fidei Athanasij, ait: Trinitatem esse *ſub vna hypoſtaſi. Non enim diſſertitur Filius aut Spiritus ſanctus à Patria hypoſtaſi, quæ implet cœlum & terram. Eſt igitur, vt dixi, Trinitas in vna hypoſtaſi non diuiſa: ſed per eſſentiam vna.* Nam in codice Græco-Latino Athanasij legitur *hypoſtaſis*, quoties interpres vertit *ſubſtantia*, quam

ex

ex contextu manifeſtum eſt accipi pro natura ſubſtantiali,& communi tribus perſonis. Quamuis nonnulli codices,quales ſunt impreſſi Baſileæ anno 1566. pag. 82. ſemel legant *vna ſubſiſtentia*, Qui non ſolum reprehendendi ſunt, quoniam vocabulum *hypoſtaſis* nó ad mentem Liberij tranſtulerunt;ſed ideo potiſſimum, quoniam eandem vocem ter in eodem contextu repetitam, nunc interpretantur *ſubſtantiam*, nunc verò *ſubſiſtentiam*. Veruntamen cum Nicæno Concilio Liberium etiam conceſſiſſe tres hypoſtaſes, dicemus ſect. ſequenti.

7 Paulinus etiam Theſſalonicenſis & Acacius, Beroeæ epiſcopus, aliquando recuſarunt, concedere tres hypoſtaſes, exiſtimantes, hypoſtaſin idem eſſe, quod eſſentia. Sed poſtea, veritate cognita, tres hypoſtaſes conceſſerunt,vt videbimus ſect. ſequenti.

8 Ex Latinis Hieronymus epiſt.57.ad Damaſum in med. *Tota*, inquit, *ſæcularium literarum ſchola, nihil aliud hypoſtaſin, niſi vſiam nouit.* Vnde poſt pauca infert: *Quiſquis tria eſſe, hoc eſt tres eſſe hypoſtaſes, ideſt vſias dicit: ſub nomine pietatis, tres naturas conatur aſſerere.* Et paulo inferius: *Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur.* Atque iterum: *Venenum ſub melle latet, transfiguravit ſe Angelus Satanæ in Angelum lucis.* Magiſter 1. diſt.26. cap.1. conatur excuſare Hieronymum, & rectè quidem quantum ad ſententiam de re ipſa & dogmate fidei; falsò tamen ait; Hieronymum minimè negaſſe, dicendas eſſe tres hypoſtaſes, & hoc nomine vtendum eſſe.

9 Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap.8. prope fin. ait: *Eſſentiam dico, quæ vſia Græcè dicitur, quam vſitatius ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hypoſtaſim, ſed neſcio quid volunt intereſſe inter vſiam & hypoſtaſim: ita vt pleriq, noſtri, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere conſueuerint, miam vſiam, treis hypoſtaſeis, quod & Latinè, vnam eſſentiam, tres ſubſtantias.* Et lib. 7. cap. 4. init. *Dictum eſt à noſtris Græcis, vna eſſentia, tres ſubſtantiæ: à Latinis autem vna eſſentia vel ſubſtantia, tres perſonæ; quia non aliter in Latino ſermone eſſentia, quam ſubſtantia, ſolet intelligi.*

10 Propterea philoſophi, qui tempore Socratis hiſtoriographi, & Nicephori recentiores appellari poterant,frequenter hypoſtaſim pro vſia ſiue eſſentia acceperunt,vt ſcribit Nicephorus lib.10. hiſtoriæ cap.15.inter med.& fin.& Socrates lib.3. cap.5. in Tripartita lib.6. cap.21. in med.

11 Ruſticus in diſputatione contra Acephalos inter princ. & med. ait: *Subſiſtentia interdum perſonam ſignificat, nonnunquam verò ſubſtantiam.In ſancta enim Synodo Epheſina vtrumque monſtratur.* Acceptionem autem hypoſtaſis,ſiue ſubſiſtentiæ pro natura, probat paulo inferius, adducto teſtimonio Cyrilli, qui epiſt. 3. ad Neſtorium ad finem ſubiiciens, quæ debuiſſet Neſtorius anathematizare, anathematiſmo 3. ait: *Si quis poſt vnionem hypoſtaſis in Chriſto diſtinguit,eaque duntaxat coniunctione eaſdem inter ſe nectit, quæ eſt ſecundum dignitatem & authoritatem vel poteſtatem, & non ea potius, quæ eſt ſecundum naturalem vnionem, anathema ſit.* Extant hæc tom. 1. Concilij Epheſini cap.14. prope fin. Cum igitur ex fide conſtet, & ipſe Cyrillus vbique profiteatur, vnicam tantum perſonam in Chriſto Domino; conſequens eſt, vt hypoſtaſes coniunctas, pro naturis duabus hoc loco Cyrillus acceperit. Atque id euidens eſſe putat Ruſticus.

Cyrillo imponitur accepiſſe hypoſtaſim pro natura.

12 Eodem autem ſenſu videtur accepiſſe Fulgentius. Nam lib. de Incarnatione & gratia c.3. ante med. referens prædictum anathematiſmum tertium Cyrilli, pro *hypoſtaſes diſtinguit*, legit Fulgentius *diuidit ſubſtantias*, non dicit *ſubſiſtentias*, ſed *ſubſtantias*.

Sed indignum eſt Cyrillo, ſapientiſſimo doctore & conſtantiſſimo,tam breui interuallo contextus mutare acceptionem vocis,in re tanti momenti, maximè verò contra communem vſum Conciliorum & Patrum, ea tempeſtate, ſimul aduerſus hæreticos defendentium,non minus eſſe vnicam hypoſtaſin,quàm duas naturas in Chriſto Domino. Confirmatur primò, nam in proximè præcedenti anathematiſmo 2. decernit Cyrillus: *Verbum carni ſecundum hypoſtaſin vnitum & vnum tantum.* Et in 4. anathematiſmo damnat eum, *qui duabus perſonis vel hypoſtaſibus eas voces attribuit, quæ in Euangelicis & Apoſtolicis ſcripturis occurrunt de Chriſto Domino.* 13

Confirmatur ſecundò, nam & S.Thomas 3. p. quæſt.2. art. 3. corp. in med. prædicta verba anathematiſmi tertij profert, intelligendo ſubſiſtentiam & perſonam Verbi. Atque ita communiter intelligunt Scholaſtici. Plura teſtimonia Cyrilli, quibus in Chriſto Domino vnicam profitetur hypoſtaſin, legere poteris apud eundem Ruſticum. Nec non apud Theorianum in legatione ad Armenos col.7. & ſequentibus, & expoſitores D.Thomæ 3.p.quæſt.2. 14

Quapropter Cyrilli mens in prædicto anathematiſmo tertio fuit, damnare, quam hæretici nonnulli ponebant, vnionem accidentalem duarum perſonarum; & affirmare naturalem vnionem.Sed quod ea vnio fuerit duarum naturarum in vnica perſona ſiue hypoſtaſi,hoc in præcedenti & ſequenti anathematiſmo declarauit. 15

Contrariam acceptionem naturæ pro hypoſtaſi ſiue perſona, quæ Cyrillo tribuitur, iam refutauimus diſp.24. ſect.4. ad argum.8. 16

SECTIO IV.

Tres hypoſtaſes eſſe Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.

QVod nomen *hypoſtaſis* iam debeat ſemper vſurpari pro ſuppoſito ſubſiſtente,ſiue perſona, & quod in eo ſenſu Patrem, Filium & Spiritum ſanctum eſſe tres hypoſtaſes, profiteri teneamur, adeo certum eſt, vt erroris nota digna ſit hoc tempore contraria ſententia. Quoniam hoc dogma conſtat ex communi conſenſu Conciliorum & Patrum, etiam eorum, qui prius de ſignificatione hypoſtaſis aliter ſentiebant aut dubitabant, quos retulimus ſect. præcedenti. 1 *Hypoſtaſis pro ſuppoſito debet accipi.*

Atque imprimis de Athanaſio hæc ſcribit Nazianzenus orat. 21. de laudibus illius col. penult. poſt num.46. *Cum eſſentia vna, & tres hypoſtaſes à nobis piè dicerentur (quod alterum Diuinitatis naturam, alterum trium perſonarum proprietates declaret) atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur; cæterum ob linguæ illius anguſtiam, & verborum inopiam hypoſtaſim ab eſſentia diſtinguere non poſſent, eóque factum eſſet, vt pro ea, ne tres ſubſtantias admittere viderentur, perſonarum vocabulum induceret.* Et poſt pauca: *Vtraque parte leniter & benignè accita, verborúmque ſententia diligenter & accuratè perpenſa, poſteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam vllo modo inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſegit* Athanaſius, *vt nominum vſum concedens, rebus eos conſtringeret.* 2 *Concordia Græcorum & Latinorum.*

Eandem

3 Eandem concordiá Conſtantinopoli Nazianzenus conciliauit orat. 32. ad centum quinquaginta Epiſcopos,ſimiliter inter ſe diſſidentes circa voces hypoſtaſis & perſonæ. Vnde paulo poſt med. orationis num. 57. poſt acrem increpationem diſſidij circa voces, ſuppoſito vero ſenſu, quem omnes credebant, ita concludit: *Quid igitur vobis hypoſtaſes volunt,aut vobis perſonæ? Nimirum tria eſſe, quæ diuidantur, non naturis, ſed proprietatibus. Optimè. An fieri poteſt, vt quidam magis inter ſe concordent, atque idem dicant, quàm cum ita ſentiunt, tametſi alioqui ſyllabis diſcrepent? Videte qualem vobis pacificatorem me præbeam à litera ad mentem traducens.*

4 Idem orat.39. in ſancta lumina prope med. dicit: *Proprietates ſiue hypoſtaſes, ſi cui hoc verbum magis arridet, ſiue perſonas, neque enim de vocabulis diſſidebimus, quandiu ſyllabæ ad eandem ſententiam ferent.* Quam Nazianzeni doctrinam refert & approbat Ioannes Papa II. epiſt.2.ad ſenatores(alias appellato libro *de duabus naturis*)propius ad med. quàm ad princ. ſub nomine ſermonis de Epiphania, nonnihil tranſlatione variata. Inſuper non longè à princ. eiuſdem epiſtolæ decernit: *Chriſtum vnam de tribus ſanctæ Trinitatis eſſe perſonam, ſiue ſubſiſtentiam, quam Græci hypoſtaſin dicunt.* Alij codices pro ſubſiſtentia legunt *ſubſtantiam*.

5 Redeo ad Athanaſium, in cuius ſymbolo, vbi Latina canit Eccleſia *non confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes: alia eſt enim perſona Patris*, &c. Et infra: *Totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt.* in Græco pro perſona ſemper legitur hypoſtaſis, cuius exemplar extat apud Genebrardum de Trinitate lib.3.pag.189. (quamuis Conſtantinopolitani legant *proſopon*, ideſt perſonam, vt idem author refert)ſimiliter *hypoſtaſes* legit quod in Græco-Latino Athanaſio ponitur tom.2. pag. 38. Idem Athanaſius dialog. 1. de ſancta Trinit. contra Anomœum col. 2. & iterum propius ad med.quàm ad fin. ex inſtituto probat, & explicat diſcrimen inter hypoſtaſin & vſiam: & toto dialogo frequenter repetit *tres hypoſtaſes*, & dialogo 3.de ſancta Trinit.contra Macedonium poſt med. qui dialogus diſtinctus eſt ab alio,qui inſcribitur primus contra Macedonium.

6 Rurſus in tractatu de diffinitionibus col. 3. ita decernit: *Natura, eſſentia, genus & forma, vnum ſunt. Facies autem, character, hypoſtaſis proprium & individuum, vnum quoque & idem ſunt. Nam aliud eſt natura,aliud hypoſtaſis. Si quis ergo de Diuinitate quærat, quot confitearis naturas? Reſponde, vnam; hypoſtaſes verò tres. Quod ſi quis de Incarnationis diſpenſatione interroget, quot naturas confiteare? Reſponde, duas; vnam verò hypoſtaſim.* Eadem ſignificatione vocabulo hypoſtaſis vtitur Athanaſius ſerm. in euangelium de ſanctiſſima Deipara inter princ. & med.

7 Ad probationes ſequentes ſuppono ſemper aut ferè ſemper quoties interpretes Græcorum ſcriptorum ſubſiſtentiam vertunt, in Græco non haberi aliud nomen,niſi hypoſtaſin; quod aliquando retinent etiam in tranſlatione Latina: quandoque verò pro libito interpretantur nomine ſubſtantiæ vel ſubſiſtentiæ.Quemadmodum probabimus diſp.34. ſect.2. & ſequentibus. Quod ſi aliquando Græcè non habetur *hypoſtaſis*, nullum aliud nomen reſtat, quod ſubſiſtentiæ reſpondeat, niſi *vſioſis*, de quo dicemus diſp.32. ſect.10. idem ſignificare,quod *hypoſtaſis*. Quapropter omnes Græci Patres, quos Latinè legimus, dixiſſe *tres ſubſiſtentias*, manifeſtum erit affirmaſſe tres hypoſtaſes,id quod eorũ *ipſe* contextus oſtendit.

Nicænum ergo Concilium præter illud teſtimonium, quod ex ſymbolo, apud Cyrillum, retulimus ſect. 2. in ſolut. ad 7. alia nobis offert. Nam in lib. 2. poſt med. Nicæni Patres per Protogenem Sardicen. Epiſcop. §. *in libro Iob. Vna eſt*, aiunt, *Diuinitas ſanctæ Trinitatis,quæ in tribus ſubſiſtentijs perfectis & æqualibus cõſideratur.* Et poſt duas columnas §. *ſiquidem*, per Leontium reſpondent: *Trinitatis hypoſtaſes non eſſe diſiunctas.* Deinde prope fin. eiuſdem libri 2. §. *cum ſit copioſa*, dicunt: *Vna eſt Diuinitas vtriuſque perſonæ iuxta hypoſtaſim conſiderationem.* 8

Vnde colligitur, Liberium Papam virtualiter & implicitè conceſſiſſe tres hypoſtaſes, quando Nicænam fidem approbauit epiſt.9. ad Epiſcopos Italiæ,& epiſt.11.ad orientales. De concilio Alexandrino dictum eſt ſatis ſect.2. ad 8. 9

Concilium Epheſinum primum,tom.5. cap.1. anathematiſmo 2. definit, *Verbum carni ſecundum hypoſtaſim vnitum.* Et ſequenti anathematiſmo decernit, non eſſe duas *ſubſiſtentias* Chriſti Domini. Et anathematiſmo 4. *Si quis*, inquit, *eas voces,quæ ab apoſtolicis & euangelicis ſcriptis de Chriſto dicuntur, duabus perſonis, hoc eſt ſubſiſtentijs diſtribuit*, &c. Quos omnes anathematiſmos hoc, quem referimus, ſenſu Cyrillus ibidem exponit. Atque eodem modo loquitur frequenter idem concilium in profeſſione fidei. Chalcedonenſe concilium act.5.in ſecunda fidei confeſſione, quæ eſt in fine actionis. *In vnam*,inquit, *ſubſiſtentiam concurrente*, licet alia tranſlatio legat,*In vna coëunte perſona.* 10

In ſexta Synodo,quæ eſt Conſtantinopolitana tertia, act.4. Agatho Papa in epiſt. 2. quæ eſt inſtructio legatorum colum. 2. dicit *Trinitatem ſubſiſtentiarum ſiue perſonarum.* Et ſæpe repetit *ſubſiſtentias*, pro perſonis. In eadem ſexta Synodo Sophronius Patriarch.act.11.epiſt.profeſſionis fidei col. 2. 3. & 4. *Tres ſubſiſtentias* repetit tertio quoque verbo. Et actio 17. in definitione fidei propius ad fin. quàm ad med. decernit iterum atque iterum *vnam perſonam*, & *ſubſiſtentiam* Chriſti Domini. 11

Quinta Synodus generalis, quæ eſt Conſtantinopolitana ſecunda in confeſſione ſeu collatione 8. can.1. anathematizat eum, *qui non confitetur vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis.* Et eadem collat.8. can.5. & 8. decernit, non eſſe *duas perſonas*, ſiue *ſubſiſtentias*, *ſed vnam perſonam & ſubſiſtentiam* Chriſti Domini. Concilium Nicænum ſecundum, quod eſt generale ſeptimum, act.3. in confeſſ. fidei Tharaſij frequenter dicit, *tres ſubſiſtentias*, & longè inferius in exemplari literarum Theodori Patriarc. Ieroſolym. ſub initium, *Tres hypoſtaſes prædicamus*, & damnat Sabellianos, quoniam Deum *contrahebant in vnam hypoſtaſim.* 12

Magis directè,magiſque perſpicuè dogma præſens tradiderunt plerique Patres. Nam præter Dionyſium & Iuſtinum, citatos ſect.2.in ſolutione ad 4. Gregorius Nyſſenus lib.de Trinit.ad Euſtathium inter med. & fin. ait: *Tres hypoſtaſes ſiue perſonas confiteamur vnam potentiam.* Et orat. catechet. cap.1.in princ.*Pietatis*,inquit,*ratio ſcit,etiam aliquam hypoſtaſeon ſeu ſubſtantiarum, ac perſonarum cernere differentiam in vnitate naturæ.* Eandem ſententiam repetit lib. de differentia vſiæ & hypoſtaſis, multo propius ad fin. quàm ad med. & in fine eiuſdem libri; atque indifferenter tanquam Synonymis vtitur nominibus *hypoſtaſis*, *ſubſiſtentiæ*, *& perſonæ*, variis in locis eiuſdem libri. 13

Rurſus

14 Rurſus ad Ablabium, *Quod non tres dij*, propius ad princ. quàm ad med. *Hypoſtaſeon*, inquit, *ratio per eas, quæ in vnoquoque conſiderantur proprietates, diſpertitionem admittit.* Et frequenter dicit perſonas & hypoſtaſes in numero plurali. Idem Nyſſenus lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos cap. 1. fine. *Coëſſentialis*, inquit, *Trinitatis probatæ ſunt hypoſtaſes, ideſt perſonarum eius propriarum repræſentationes.*

15 Sic etiam Baſilius Hexæmeron hom. 10. pag. 2. ponderans illud *faciamus hominem*, cui poſtea ſubiungitur *& fecit Deus hominem. Vt vnias*, inquit, *non eas, quæ hypoſtaſes dicuntur, hoc eſt, ipſas tres perſonas.* Et poſt pauca: *Diſcreta licet ſit Patris, ac propria hypoſtaſis, perſona videlicet, propria item Filij, propria quoque Spiritus ſancti.* Idem epiſt. 78. ad Euſtathium Sebaſtiæ epiſcop. ſub init. refert nonnullos Sabellianorum, qui hypoſtaſin & vſiam idem eſſe, probare contendebant, eo quod in fide Nicæna ita ſcriptũ eſt: *Si verò quiſquam ex alia eſſentia vel ſubſiſtentia Filium eſſe dixerit, hunc anathemate reijcit catholica & apoſtolica Eccleſia.* Quorum argumentum ita refellit Baſilius. *Non enim idem eſſe dixerunt Patres illi eſſentiam & ſubſiſtentiam. Si enim voces iſtæ vnam ac eandem ſignificationem haberent, quid alterutram ponere opus fuiſſet? ſed liquet ideo poſitas, quod alij quidem Filium eſſe ex Patris eſſentia negabant: alij verò & ipſi non eſſe ex Patris eſſentia Filium dicebant: adijciebant autem ex alia quoque eſſe ſubſiſtentia quadam, atque ita vtramque opinionem tanquam alienam à ſenſu Eccleſiaſtico à ſanctis Patribus reiectam eſſe.* Sed magis ex profeſſo diſcrimen inter hypoſtaſim & vſiam Baſilius exponit epiſt. 43. ad Gregorium Nyſſenum, in cuius initio dicit: *Hypoſtaſim, ſubſiſtentiam ſiue perſonam*, accipiens hæc nomina vt idem ſignificantia.

16 Chryſoſtomus homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura col. 2. indifferenter vtitur his nominibus, dicens: *Perſonam ſiue hypoſtaſim aliam* eſſe Filij, quàm Patris. De quo poſt pauca ſubdit: *Prima illa & ingenita hypoſtaſi, ſiue perſona.* Alexander Alexandrinus epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopolitanum col. 3. & 4. lib. 1. actorum ante concilium Nicænum: *Propriam*, inquit, *Filij ſubſiſtentiam*, Ioannes, *declarauit his verbis: In principio erat Verbum*; & poſt pauca ſubdit: *Ineffabilem Vnigeniti & Verbi ſubſiſtentiam, de qua ita loquitur ſpiritus propheticus; Generationem eius quis enarrabit?*

17 Cyrillus Alex. lib. 2. theſauri cap. 3. propiùs ad princ. quàm ad med. *Differentiam*, inquit, *ſecundum relationem eſſe, per quam vtriuſque perſona in propria hypoſtaſi conſtituitur.* Et poſt pauca: *Vt hypoſtaſin, quæ generat, & quæ generatur, diuina Scriptura notionibus diſtingueret, Patris & Filij nominibus vſa eſt.* Et lib. 12. theſauri cap. 15. ſub init. docet, Filiũ eſſe *alium hypoſtaticè à Patre.* Et lib. 13. theſauri cap. 1. 2. & 3. ſub init. aliquoties nominat *propriam hypoſtaſin Spiritus ſancti.* Simili modo de diſtinctione *ſecundum hypoſtaſin* loquitur dialogor. de Trinit. lib. 7. prope med.

18 Paulinus Theſſalonicenſ. licet prius vnicam ſolam hypoſtaſin, id eſt, eſſentiam agnouerit (vt refert Acacius ſtatim citandus) attamen poſtea neceſſarium iudicauit, concedere tres hypoſtaſes in profeſſ. fidei ſub init. illis verbis: *Tribus ſubſiſtentijs & vna eſſentia.* Cuius profeſſionis exemplar extat apud Epiphanium hæreſ. 77. in med. Acacius Beroeæ Epiſcopus ad Cyrillum Alex. epiſt. quæ habetur inter acta Concilij Epheſini tom. 1. c. 23. ait: *Beato Paulino Epiſcopo ſic accidiſſe traditur. Hic enim licet tres hypoſtaſes palam dicere recuſaret, re tamen & virtute ab illorum ſententia & fide, qui iſtuc profitebantur, non recedebat, propterea quod Romanæ linguæ anguſtia, perinde ac Græca phraſis, tres hypoſtaſes dicere commodè non ferat.*

Theodoretus dialog. 1. *immutabilis* col. 2. *Hypoſtaſim*, inquit, *perſonam & proprietatem idem ſignificare, dicimus, ea, quæ à ſanctis Patribus ſunt definita, ſequentes.* Ea propter indifferenter in eodem contextu tres hypoſtaſes, ſiue tres perſonas appellat, vt in Geneſim q. 19. & hæret. fabul. lib. 4. col. 7. in Apollinari. Atque idem Theodoretus in fragmento penult. & vlt. quod inſcribitur in Breuiario Liberati, ſæpe repetit *tres ſubſiſtentias ſiue perſonas*, quaſi omnino idem ſignificantes. 19

Damaſcenus lib. de decretis primæ inſtitutionis c. 1. 4. & 6. docet eſſe *tres hypoſtaſes* Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, notans idem eſſe hypoſtaſim & perſonã. Eodem modo loquitur lib. de duabus Chriſti Domini voluntatibus in prioribus foliis. Et lib. 1. fidei cap. 9. & 11. & lib. 3. ca. 4. & 6. Et in epiſt. de Triſagio poſt med. millies dicit *tres hypoſtaſes*, & dicto lib. 2. cap. 9. & 11. declarat, *hypoſtaſes, id eſt, ſubſiſtentias, ſiue perſonas.* 20

Ephrem Syrus in poſteriori opuſc. de ſui ipſius reprehenſione tom. 3. *de hypoſtaſi* Patris loquitur, quaſi de propria & conſtitutiua illius. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 142. *Perſonarum*, inquit, *qualitate atque hypoſtaſeon proprietate diſtinguentes*, &c. Et ſequenti epiſt. 143. prope init. hypoſtaſim prius & poſtea perſonam appellat. Anaſtaſius Theopolitanus in compendiaria explicatione fidei (quæ ſimul. dicitur eſſe Cyrilli Alexandrini) præcipuè circa med. diſtinguit hypoſtaſim ab eſſentia, & vſque ad fin. multoties profitetur *Tres hypoſtaſes vnius Deitatis.* 21

Propterea merito Iuſtinianus Imperator in edicto fidei multo propius ad med. quàm ad princ. *Omnes*, inquit, *ſancti Patres conſonanter nos docent, aliud eſſe naturam ſiue ſubſtantiam, & formam, & aliud ſubſiſtentiam ſiue perſonam: & naturam quidem vel ſubſtantiam & formam, hoc quod eſt commune ſignificare: ſubſiſtentiam autem ſiue perſonam hoc quod eſt ſpeciale.* Græcè autem pro ſubſiſtentia Iuſtinianus vtitur hypoſtaſi. Quemadmodum & Ioannes Maxentius in ſecunda profeſſione fidei initio dicens: *Tres ſubſiſtentiæ ſiue perſonæ. Vnaquæque perſona incommunicabiliter ſemper obtinens quod proprium eſt, ita vt nec Pater ſit Filius.* 22

SECTIO V.

Latinis doctoribus probatur hypoſtaſis, *& eius ſignificatio reſtringitur.*

1 Hieronymus in expoſitione Symboli ad Damaſum tom. 9. epiſt. 17. (ſi ea epiſtola eſt Hieronymi) alias tom. 4. epiſt. 9. nõ procul à princ. ait: *Non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas, vel, vt Græci exprimunt, hypoſtaſes: hoc eſt ſubſiſtentias confitemur.*

2 Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 8. fine *Plerique*, inquit, *noſtri* (id eſt catholici) *qui Græco tractant eloquio, dicere conſueuerunt miam vſiam, tres hypoſtaſes, quod eſt Latinè, vnam eſſentiam, tres ſubſtantias.* Et continuo in c. 9. ſubiungit: *ſed quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus eſſentiam, quod intelligitur cum dicimus ſubſtantiam, non audemus dicere vnam eſſentiam, tres ſubſtantias.* Vnde lib. 7. c. 6. in princ. *Quanquam & illi*, videlicet Græci, *ſi vellent, ſicut dicunt tres ſubſtantias, tres*

tres hypoſtaſes, poſſent dicere tres perſonas, tria proſopa. Illud autem maluerunt, quod forte ſecundum linguæ ſuæ conſuetudinem aptius diceretur. Iſidorus etiam lib. 7. etym. cap. 4. dicit: *Tres hypoſtaſes.*

3 Boëtius lib. de duabus naturis paulo propius ad med. quàm ad princ. cum dixiſſet: *Perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia*, continuò ſubiungit: *Nos hac definitione eã, quam Græci hypoſtaſim dicunt, terminauimus*, hoc eſt definiuimus. Itaque apud Boëtium eadem eſt definitio hypoſtaſis & perſonæ: & paulo inferius: *Peritior*, inquit, *Græcia ſermonum hypoſtaſim vocat individuam ſubſiſtentiam.* Et poſt pauca: *Subſtantias particulariter ſubſiſtentes hypoſtaſes appellarunt.* Et iterum: *Ideo autem hypoſtaſes Græci individuas ſubſtantias vocauerunt, quoniam cæteris ſubſunt, & quibuſdam quaſi accidentibus ſuppoſitæ, ſubiectæque ſunt.* Quapropter ad mentem Boëtij commentator illius ad librum de Trinit. poſt med. apud Bedam tom. 8. ſæpe dicit *tres hypoſtaſes.*

4 Iuxta præſentem interpretationem Ricardus Victorin. lib. 4. de Trinit. toto cap. 20. concedit, poſſe dici, *tres ſubſiſtentias reſpectu eorum, quibus videntur ſubeſſe.* videlicet, reſpectu proprietatum perſonalium. Thalaſius Monachus hecaton. 4. poſt med. frequenter aſſerit *tres hypoſtaſes.* In Concil. Florentino ſeſſ. 19. fine, Marcus, tacitè approbante Concilio, dicit: *Tres ſunt hypoſtaſes & perſonæ, re inuicem differentes.*

5 Theorianus autem in legatione ad Armenos col. 3. & ſequentib. ex profeſſo probat, Patres Eccleſiæ dixiſſe *tres hypoſtaſes*, ſed extraneos, id eſt hæreticos Sabellianos, hypoſtaſim accepiſſe pro ſubſtantia ſiue eſſentia, non pro perſona. Denique magiſter 1. diſt. 25. & 26. & ibid. omnes Scholaſtici, ſimilitérque S. Thomas in præſenti q. 29. art. 2. & omnes eius expoſitores hypoſtaſim accipiunt pro perſona, & eo ſenſu concedunt tres hypoſtaſes vnius eſſentiæ.

6 *Hypoſtaſis ad ſubſtãtias intelligentes reſtringitur.* Circa latitudinem ſignificationis notandum eſt primò, vocabulum *hypoſtaſis* ex prima nominis impoſitione, atque etymologia ſubſiſtendi, fuiſſe latum & indifferens, vt acciperetur pro quocumque ſuppoſito, ſiue indiuiduo ſubſtantiæ, quantumcumque irrationali, vel inſenſibili. Verumtamen communis vſus non modò Latinorum ſed etiam Græcorum Patrum reſtrinxit vocabulum, vt ſolummodo ſuppoſita ſubſtãtiarum intelligentium appellẽtur hypoſtaſes. Cuius rationem reddit Boëtius lib. de duabus naturis propius ad med. quàm ad princ. dicens: *Quare autẽm de irrationalibus animalibus Græcus hypoſtaſim non dicat, ſicut nos de eiſdem ſubſtantiæ nomen prædicamus, hæc eſt ratio; quoniam nomen hoc meliori applicatum eſt.* Quod ipſum S. Thomas in præſenti q. 29. art. 2. ad 1. ait: *Ratione ſuæ excellentiæ.* Quod idem ab omnibus Scholaſticis recipitur.

7 *Ratio reſtrictionis.* Secundò notandum eſt, hãc excellentiam non conſiſtere ſolummodo in natura intelligente, ſed ex natura redundare peculiarem excellentiam in ipſam formaliſſimam rationem indiuidui ſingularis aut ſuppoſiti. Quoniam actiones ſunt ſingularium ex Ariſtotele 1. Metaphyſ. cap. 1. & lib. 2. ethic. cap. 7. Etenim natura communis agere nequit, niſi prout ſubſiſtit in ſingulari ſuppoſito. Habent autem hoc peculiare ſubſtantiæ rationales, quod perfectiſſimè & propriiſſimè agunt, quia non aguntur neceſſitate naturæ, ſed per dominium ſui actus, ſe ipſas agunt ad ſuos actus. Quam rationem ſubtiliter obſeruauit S. Thomas quæſt. 29. art. 1. corpore.

Ruiz. de Trinitate.

Tertiò infertur ex dictis, diſcrimen hypoſtaſis à perſona magnum eſſe, iuxta primam impoſitionem nominum; ſed nullum eſſe iuxta receptam acceptionem theologorum. Nam iuxta primam impoſitionem, hypoſtaſis extẽdi poterat, vt complecteretur omnia ſingularia ſubſtantiæ, quamuis irrationabilia & inſenſibilia: ſed perſona nũquam potuit irrationalibus conuenire. Nunc autẽ apud theologos, differentes de Trinitate vel Incarnatione, nihil intereſſe ſiue perſonam ſiue hypoſtaſim dixeris, docuerunt, Athanaſius, Nazianzenus & Ioan. Papa II. citati ſectione præcedenti ſub initium, & colligitur ex cæteris Patribus, ibidem indifferenter vtentibus nunc vna, nunc altera voce ſub eadem ſignificatione. 8

Peregrina tandem, & apud cæteros omnes, quos legerim, nunquam audita eſt acceptio nominis hypoſtaſis, ita reſtricta, vt eam tantum perſonam ſignificet, quæ ſubſiſtit poſterius origine, quaſi ſub principio producente. Iuxta quam acceptionem Pater non eſt hypoſtaſis, ſed tantùm Verbum & Spiritus ſanctus. Ait enim Athanaſ. ſerm. in Euangelium de ſanctiſſima Deipara inter princ. & med. *Poſtquam ſemel à Patre prodijt, hypoſtaſis eſt, ſubſtantia eſt, ſtatum indiſſolubilem, ex quo genitum eſt, poſſidens. Nam hypoſtaſis ſua interpretatione deſignat id quod ſubſiſtit, hoc eſt, quaſi ſecundo ordine conſiſtit. Siquidem Pater quatenus eſt author geniti, Filium vt genitum ſub ſe habet.* Confirmat autem obſeruans, præpoſitionẽ *hypo*, valere idem, quod præpoſitio *apud*, Ioann. 1. cum dicitur, *Verbum erat apud Deum.* 9 *Athanaſius reſtrinxit ad perſonã procedentem.*

ARTICVLVS III.

Vtrum nomen perſonæ *ſit ponendum in diuinis.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc nomen perſona *ſignificet relationem.*

DISPVTATIO XXXII.

Quid ſit perſona diuina formaliter, in quantum perſona.

SECTIO I.

Vocis etymologia & propria ſignificatio.

1 *Initium & etymologia perſonæ.* Boëtius lib. de duabus naturis multo propius ad prin. quàm ad med. præfatur, *Nomen perſonæ videri aliunde traductum, ex ijs ſcilicet perſonis, quæ in comœdijs tragœdijsq; eos, quorum intereſt, homines repræſentabant.* Sed quamuis inde cœperit tranſlatio: communis tamen vſus omnium ſapientium induxit, vt abſq; metaphora, & tranſlatione, propriè & immediatè ſignificetur ſuppoſitum intellectiuæ ſubſtãtiæ, vt poſtea videbimus.

Etymologiam continuò Boëtius citatus ita exponit: *Perſona dicta eſt à perſonando, circumflexa penultima. Quod ſi acuatur antepenultima, apertiſſimè à ſono dicta videbitur. Idcirco autem à ſono, quia*

concauitate ipsa maior necesse est voluatur sonus. Inde etiam larua, & facies conficta persona dicitur & Græcè *prosopon*, & in vtraque lingua nomen ducitur à verbo *personare*, quod est clarius, aut vehementius sonare: propterea quod os personæ cooperimento tectum vndique, vnaque tantum vocis emittẽdæ via apertum, magis canorum sonum emitteret. Id adnotauit Boëtius nuper citatus, & clarius apud Gellium Bassus.

3 *Facies personæ nomine.* Quod *persona* priùs significauerit faciem, supponunt Patres Concilij Nicæni lib. 2. propius ad med. quàm ad fin. § *cum sit copiosa* circa med. per Leontium dicentes: *Cum personam audimus, ne suspicemur, quod est diuinum habere humanam effigiem. Expers est enim compositionis atque figuræ, vt in principio disputationũ tu ipse, sicut & nos confessus es. Nam & cœlum & terram personam habere testantur, quemadmodum & ipse Dominus in Euãgelijs ad Scribas & Phariseos loquens, aiebat; Hypocritæ, faciem siue personam cœli & terræ dijudicare nostis, & quæ sequuntur: Quidquid enim per se subsistit, quatenus per se subsistit, propriè naturæ personam, siue faciem, siue figuram habere dicitur.* Vbi notandum est, non modò personæ vocabulum accipi tãquam significans idem, quod *facies*, aut *figura*; sed etiam has omnes voces ampliari ad substantias irrationales.

4 Consonat Athanasius tractatu de diffinitionibus col. 3. dicens: *Facies, character, hypostasis & indiuiduum vnum & idem sunt.* Consonat etiam quod Matthæi 16. *Faciem cæli dijudicare nostis*, Græcè legitur *prosopon*. Vnde constat, à Patribus Nicænis congruenter adductum fuisse hoc testimonium.

5 Confirmatur, quia quod Marci 12. dicitur: *Neque vides in faciem*, Matth. 22. dicitur: *Non respicis personam*; ac denique quod Græcè *prosopon* significet nunc faciem, nunc verò personam, dedit occasionem multis antiquioribus codicibus, vt 2. Corinth. 1. vers. 11. legerent: *Ex multarum personis facierum.* Cum vera lectio dicat, *ex multorum personis.* Inde etiam factum est, vt proprietates personales appellentur characteres; & personæ dicantur per illas figurari, vt videbimus disp. 46. sect. 1. & sequentib. & disp. 86. sect. 2. & sequent.

6 *Periculosa temeritas Vallæ.* Laurentius Valla lib. 6. elegant. cap. 34. tria de præsenti nomine decernit. Primum, *persona non magis est in homine, quàm in bruto.* Secundum. *Quod si de Deo dicenda est, non magis significabit substantiam, quàm qualitatem, quia tam in Deo quàm in homine nomen significat qualitatem alicuius substantiæ, qua vna differt ab alia.* Tertium est, quas in Deo theologi personas ponunt, eas esse tres qualitates.

7 Verumtamen periculosa fuit, & errori proxima Vallæ temeritas. Probatur primò, quia communis vsus Conciliorum & Patrum hæc nomina *prosopon* & *persona* refert, nõ ad solam qualitatem, sed ad substantiam; nec ampliat, vt irrationalibus tribuatur; sed restringit ad solas substantias rationales; vt ex hac & sequentibus disputationibus constabit.

8 Secundò, quoniam perspicuè Patres antiqui refutarunt hanc acceptionem personæ pro qualitate, aut dignitate muneris & officij. Olim nãque Latini theologi, qui reiecto nomine hypostasis, dicebant *tres personas*, Græcis videbantur non affirmare distinctionem realem suppositorum, sed solam distinctionem muneris & officij in eodem supposito; solebat enim ad eam distinctionem indicandam id nomen accõmodari. Propter quam verborum contentionem, *Eò res adducta est, vt periculum esset, ne orbis terrarum fines vna cum syllabis à se inuicem distraherentur & abrumperentur.* Vt Nazianzenus ait orat. 21. de laudibus Athanasij col. penult. Sed Athanasius, apud Nazianzenum ibidem, & ipse Nazianzenus orat. 32. ad centum quinquaginta episcopos paulo post med. decreuerunt, vt apud Catholicos persona significaret suppositum, proprietate distinctum, non quidem accidentaliter, sed substantialiter, vt vidimus disp. præced. sect. 4. sub init.

9 *In Scriptura persona pro supposito rationali.* Probatur tertiò, nam in scripturis passim legimus, Deum non esse acceptatorem personarum, vt Actor. 10. & Rom. 2. & Ephes. 6. & aliis in locis, vbi persona significat ipsum humanum suppositum, sicut etiã quando prohibetur nobis acceptio personarum, vt Iacobi 2. & Deuter. 1. Nam vt S. Thom. docet 2. 2. q. 63. art. 1. corpore cum Glossa interlin. super illud Ephes. 6. *Personarum acceptio non est apud Deum, Deus Iudex iustus causas discernit, non personas*, id est, in eo, cui cõfertur præmium aut pœna, non cõsiderat quod sit hic homo, videlicet Petrus, vel Martinus; sed considerat qualitates, quæ reddunt hominẽ dignum, vt ei cõferatur tale præmium aut pœna. Clariùs autẽ pro singulari homine ponitur persona, Iudic. 11. Quando *Iephte misit nuncios, qui ex persona sua dicerent, &c.*

10 Cicero. Probatur quartò, nam & Cicero sæpe nomen personæ in ea, quã tractamus, significatione profert. Quemadmodum in lib. de iuuentute in Topicis & partitionibus; vt videre est apud Nizolium; & institutiones Iustiniani, quæ latinissima sunt, eadem significatione personam vsurpãt lib. 2. c. 9. Atque idem videre licet *ff. de statu hominum.* l. 1. & 2. & tit. *per quas personas, &c.*

11 Quintò, quia si verum esset, quod Valla citatus docet, hoc nomine significari qualitatem, tam animi quàm corporis; ita externam, quam internam: Qualitatem animi, vt quo studio se exerceat aliquis, an sit medicus vel theologus; qualitatem corporis internam, vt si sit iuuenis, aut senex; externam verò an sit maritus, vel an celebs. Si hoc, inquam, esset verum; sequeretur, quod in cõmuni & magis proprio sermone absque vlla figura deberemus dicere, duas personas esse distinctas Petrum iuuenem & Petrum senem, nec nõ eundem hominem priùs litterarum expertem, postea verò Theologum aut Iurisconsultum; priùs celibem, postea matrimonio copulatum; & sic de cæteris qualitatibus: Vel saltem in hominibus eiusmodi plures personalitates concedere teneremur, sicut plures ætates, aut artes, aut munera vel conditiones aut qualitates. *Inconueniens cõtraria sententiæ.*

12 Confirmatur primò, quia licet hæc vox persona qualitatem nonnunquã & conditionem significare videatur; veluti cum interroganti, quæ persona est talis homo? respondere solemus per qualitates aut conditiones animi aut corporis: primaria tam interrogantis, quàm respondentis intentio tãquam ad vltimum finem dirigitur ad distinguendum indiuiduum substãtiæ rationalis eo modo, quo potest à nobis in præsenti vita discerni. Non possumus autem, nisi per qualitates aut conditiones, sensu perceptibiles, vel per earum effectus vnum indiuiduum substantiæ discernere ab alio, quia quidditatem hæceitatis per se ipsam immediatè penetrare non possumus.

13 *Analogia vocũ.* Sextò probatur, analogum quippe nomen est persona, cuius primarium analogatum est substantiale suppositum: per attributionem autem ad illud dicuntur alia minus principalia analogata. Sic enim fictæ facies aut histriones in theatro personæ dicũtur per attributionem ad singulares homines, quos repræsentant. Imò eundem hominem dicimus, esse duplicem personam priuatam, & publicam. Nomen publicæ personæ dicentes per attributionem ad omnes personas reipublicæ, cuius bono tenetur consulere. Denique in ecclesiis consueuerunt appellari personæ, qui dignitatem obtinent, siue quia per illam notiores, illustriorésque redduntur homines, siue quia in comædiis homines celebriores repræsentabãtur; vt S. Thom. obseruat in præsenti q. 29. art. 3. ad 2.

SECTIO II.

Quænam sit personæ definitio, & vtrum animæ separatæ conueniat.

1 BOëtius lib. de duabus naturis paulò propiùs ad princ. quàm ad med. ita definit: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Quam definitionem repetit multo propiùs ad med. quàm ad princ. & paulo inferius: *Persona*, inquit, *est naturæ rationalis indiuidua substantia*, Eandem secutus Anselmus in monolog. cap. 76. post med. ait: *Persona non dicitur, nisi de indiuidua rationali natura; & substantia principaliter dicitur de indiuiduis, quæ maximè in pluralitate subsistunt.* Alludit Anselmus ad doctrinam Aristotelis in prædicamento substantiæ, dicentis, primas substantias esse maximè substantias.

2 Quin imo Boëtius definitionem deprompsit ex communi sententia Patrum antiquorum, qui personam siue hypostasin ab vsia siue essentia distingunt, tanquam singulare indiuiduum à natura communi & vniuersali. Quos referemus sect. 6. Maximè verò Nyssenus lib. de differentia vsiæ & hypost. in fine dicit: *Hypostaseon*, id est, *naturarum subsistentiarum, siue substantiarum indiuiduarum discretionem.* Itaque pro eodem accipit hypostasin, & indiuiduam substantiam.

3 Eadem definitione vtitur Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 2. cap. 11. versus fin. & eruditionis theologicæ summæ sentent. tractatu. 1. cap. 9. post med. Magister licet nõ lib. 1. attamen lib. 3. sentent. dist. 5. prope fin. S. Thomas præsen. quæst. 29. art. 1. & q. 75. art. 4. fine (& omnes eius discipuli) Alexander 1. p. q. 56. mem. 3. Albertus 1. p. q. 44. mem. 2. Communiter Scholastici 1. distin. 25. vbi S. Bonauentura artic. 1. q. 2. & Scholastici communiter in 3. dist. 5. vbi S. Bonauent. art. 2. q. 2. ad argumenta.

4 Imo etiam Ricardus Victorinus Boëtij definitionẽ defendit, licet impugnare videatur; vt sect. sequenti constabit. Nemo igitur eam omnino reijcit præter Scotum, qui 1. sentent. distin. 23. q. vnica §. *ad quæstionem*, impugnat definitionem Boëtij, quoniam ex ea sequeretur, animam separatam esse personam.

5 *Animam separatam esse personã, opinio.* Sed vtrum anima separata sit persona, fuit inter antiquiores Scholasticos celebris controuersia. Nam affirmatiuam partem expresè docuit Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 2. cap. 11. vers. fin. & in tract. de Verbo incarnato collat. 2. ante med. qui extat tom. 3. ante libellum de perpetua virginitate B. Mariæ. Idem affirmauit Magister lib. 3. dicta dist. 5. prope fin.

6 Probat Hugo, quia persona est indiuiduum rationalis substantiæ; sed anima separata est natura rationis capax, & simplicitate vna, & per se separata à corpore, & propter separationem à corpore est per seipsam indiuidua. Confirmat Hugo, quia anima, coniuncta cum corpore, est persona, & non habet à corpore quod sit persona: ergo postquam separatur à corpore non minus habet esse personam, quàm in corpore.

7 Secundò probat Magister citatus, quoniã anima separata se habet sicut Angelus; sed Angelus est persona: ergo & anima separata. Tertiò arguitur, quia persona definiti solet, *Res distincta proprietate ad dignitatem pertinente.* Proprietas autem distinguens animam à corpore, pertinet ad dignitatem animæ comparatione corporis.

8 Quartò, quia cuicumque competit loqui de se, tamquam de se, conuenit esse personam. Sed animæ separatæ conuenit loqui de se, tanquam de se: nam ad animas separatas Beatorum dirigimus sermonem & orationem; & illæ inter se loquuntur, & cum Angelis, possúntque ad nos etiam sermonem dirigere: ergo anima separata est propriè persona.

9 *Anima separata non est persona, quia non est completa.* Nihilominus prædicta opinio iam tempore D. Bonauenturæ reijciebatur communiter à doctoribus, vt ipse refert & reijcit in 3. dist. 5. art. 2. q. 3. copiosiùs, quàm cæteri discutiens quæstionem. Alij breuiùs docent, animam separatam non esse propriè personam, vt Alex. 1. p. q. 56. membr. 3. ad 3. & 3. p. q. 4. memb. 6. fine. Albertus 1. p. quæst. 44. memb. 2. fine. S. Thom. in præsen. q. 29. art. 1. ad 5. Scotus 1. distin. 23. q. vnic. dicto §. *ad quæstionem.* Gabriel. 1. dist. 23. q. vnic. art. 1. & in 3. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. sub init. & dist. 5. quæst. vnic. artic. 3. dub. 1. Ricardus eadem dist. 5. art. 2. quæst. 1. Argentina 3. dist. 22. quæst. vnic. art. 3. in secundo ordine obiectionum. Aureolus 1. dist. 25. artic. 3. §. *præterea eadem.* Marsilius in 3. q. 6. art. 3. dub. 4. notabili 3. & dum respondet ad 7. rationem principalem. Almain 3. dist. 1. q. 1. col. 3. Mayronis eadem dist. 1. q. 11. fine. Maior 1. dist. 23. q. vnic. Caietanus & communiter Thomistæ dicta q. 29. artic. 1. vbi Canarien. Vazq. & Molina. Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 1. num. 6.

10 Præcipua ratio S. Thomæ nititur illi particulæ definitionis, *naturæ*, quoniam hoc nomine significatur primariò & principaliter tota, integra & cõpleta ratio specifica alicuius naturæ. Quoniam igitur anima separata non est integra & completa ratio specifica, sed est quidditatiuè pars, ab intrinseco destinata, vt vniatur corpori, & cum illo efficiat speciem completam: ideo non est rationalis naturæ indiuidua substantia. Confirmat S. Thomas, quia nec manus, nec alia quæcumque pars hominis est persona, propterea quod incompleta sit.

11 *Communicabilitas obstat.* Sanctus Bonauent. Scotus & alij citati probat. 2. ex illa particula definitionis, *indiuidua*, quoniam per illam excluditur communicabilitas non solùm ea, per quam natura communicatur supposito siue subsistentiæ; sed etiam illa, per quam forma communicari potest materiæ, aut quælibet pars alteri parti ad compositionem tertij, vt dicemus sect. sequenti. Nam indiuiduum dicitur, quod est in se indiuisum, & ab aliis diuisum & distinctum. Incommunicabilitas autem est, quæ maximè diuidit ac distinguit; vt magis explicat Bonauent. dicta dist. 5. art. 2. q. 2. ad 1.

12 *Duæ personæ sequerẽtur in Christo Domino.* Tertiò probat Argentinas citatus, quia si anima rationalis esset persona, sequeretur in Christo Domino fuisse duas personas, vnam diuinam, & alteram humanam, præsertim in triduo, quando eius anima fuit à corpore separata; propter quod inconueniens Argentinas vocat hanc sententiam *multiem periculosam.* Verùm hæc ratio fallax est: sicut enim tota humanitas Christi Domini, constans

stans ex anima & corpore, non est persona, quia non habens creatam subsistentiam, qua naturaliter terminari,ac subsistẽtari deberet, terminatur & subsistentatur subsistentia Verbi Diuini: sic etiam naturæ animæ separatæ Christi Domini in triduo non esset persona, quia non terminabatur subsistentia sibi connaturali, sed subsistentia Diuini Verbi. Alia minus solida argumenta prætermitto,quæ pro vtraque parte solent afferri.

13 *Quæstio de nomine.* Dico igitur primò, præsentem quæstionem esse maiori ex parte de nomine,licet admixtum habeat aliquid de re ipsa; quod tamen extra controuersiam est,& alienum à re præsenti. Nam Hugo citatus,in modo probandi suam sententiam,accedere videtur ad illam Platonis, existimantis, hominem non esse aliquid compositum ex anima & corpore; sed esse animam vtentem corpore, & illud mouentem, vt fusè exponit S. Tho.2. cont. gent.c.57.& ex Auicenna lib.5. naturalium quæstionum cap.7.refert Ricardus in 3.dist.5.artic.2. q.1. in 2.argumento, & aliqui Patres ita loquuntur,vt idem sentire videantur.

14 Quin etiam Paulus 2. Corinth.4. fauere videtur, cum ait: *Licet is,qui foris est noster homo, corrumpatur; tamen is, qui intus est,renouatur de die in diem.* Veruntamen Apostolus hominem appellauit eam partem, quæ princeps est in homine, vt pote immortalis & rationis particeps. Quemadmodum Philosophus 9. Ethic.cap.4. ante med. & cap.8.à med. Et lib.10.cap.4.& 7.docuit illud potissimè videri esse vnumquodque, quod est principale in ipso: quam ob causam quod facit rector ciuitatis, dicitur ciuitas facere, vt respondet S. Thom.infr.q.75.art.4. ad 1. & non solum ibi,sed etiam sequenti quæst.76.art.1.& fusiùs lib.2.contra gentes cap. 68. & tribus sequentibus demonstrat,animam esse quidditatiuè formam corporis, & ideo ipsam à corpore præcisam esse hominem.

15 *Figuratè vocari potest anima persona.* Vnde colligo & dico secundò. Eadem figura sermonis, qua sola anima consueuit hominis appellationem à sapientibus accipere, poterit etiam concedi,animam esse personam,quia nobilior est corpore, & per se subsistit separata, exercens intellectiuas operationes. Quæ rationes non militant in manu vel pede, aliisve partibus integrantibus. Id vel maximè, quia communicabilitas, directè repugnãs personæ,est illa tantùm,per quam natura communicatur subsistentię siue suppositalitati, quamuis aliæ communicabilitates secundario repugnent.

16 Dico tertiò. Nihilominus retinendus est communis modus loquendi, non modò propter authoritatem doctorũ secundæ sententiæ,sed etiam quia conuenientior est rebus ipsis,& magis expeditus & apertus ad negandam in Christo Domino personam creatam, realiter distinctam à persona Verbi.

17 *Membra separata ab homine.* Quartò denique. Nulla est ratio dubitandi, quin manus aut pedes abscissi, & separati ab homine, iam sint, absolutè loquendo, suppositа & primæ substantiæ; quia iam non sunt partes, vnibiles cum humano corpore,sed sunt cadauera integra & incommunicabilia.Nec cõtrarium existimauit S.Tho.citatus,quidquid dixerit Canariẽsis.

18 Ex iis constat solutio ad argumenta. Ad primum respondetur. Anima separata nec est *naturæ rationalis*,quia est incõpleta, neque est individua, quoniam est communicabilis, vt dictũ est in probationibus secundæ sententiæ. Ad confirmationem respondetur. Anima coniuncta non est persona,sed totum,resultans ex anima & corpore,rationem personæ habet magis principaliter ab anima,minus principaliter à corpore.

Ad secundum respõdetur. Anima separata non 19
omnino se habet eodem modo,sicut Angelus:hic enim est ens completum & incommunicabile alteri parti ad constituendum compositum. Ad tertium respondetur. Omnes partes illius definitionis intelligẽdæ sunt secundum rationem completam,ita vt persona debeat esse completa res,& eius distinctio completa, nec non proprietas & dignitas completa:nam ea, quæ incompleta sunt, non simpliciter, sed quodammodo participant denominationem propriam sui totius.

Ad quartum respondetur, esse præstãtissimum 20
indicium personæ, quod ipsa de se possit loqui, aliæq; personæ possint sermonem ad eam dirigere. Deficit tamen adhuc alia cõditio, minus principaliter requisita,videlicet, integritas completa, & incommunicabilitas, ratione cuius possit de suo esse, quasi de totali & integro simpliciter loqui,nec compellatur agere de alio esse,quod actu non habet, & ad quod constituendum quidditatiuè destinatur.

SECTIO III.

Plures definitiones personæ tradit Ricardus Victorinus.

VIsum est quàm plurimis Scholasticis, definitionem Boëtij, præcedenti sect. traditam, à 1
Ricardo Victor. fuisse reiectam:quin etiã S. Tho. *in præsenti quæst.29.art.3.ad 4. dicit, ab eo fuisse correctam.* Cuius occasio fuit,quoniam Ricardus Victor.lib.4. de Trinit.cap.21. contra prædictam definitionem obijcit, eam cõuenire Deitati, quoniam Deitas est intellectiuæ naturæ individua substantia: cum tamen non sit persona, eo quod tribus personis communicari potest. *Mens Ricardi nõ dissidet à Boëtio.*

Cæterum idem Ricardus cap. 23. in princ. di- 2
luit obiectionẽm, dicens, Deitatem, prout à personis præscinditur,non esse perfectè individuam; quia communis est tribus personis realiter distinctis:est autem quodammodo individua,quoniam est realiter vna & simplicissima, vt probatum est disp.22.sect.2. & sequentibus. Tunc verò Deitas redditur perfectè individua, quando determinatur vnica relatione seu proprietate, constituente suppositum, vltimo & incommunicabiliter subsistens. Confirmatur, quod enim nomine personæ intelligatur *proprietas individualis,singularis, incommunicabilis*, concludit Ricard. in eod. lib. 4. cap.6.probátque cap.7.& 8.supponens esse rationalis naturæ.

Hinc sequitur, à prædicta definitione Boëtij 3
nihil in sensu dissidere quasdam definitiones Ricardi, quarum præcipua est, in diuinis *persona est naturæ diuinæ incommunicabilis existentia.* Quam tradit dicto lib.4. cap.17. in fine. & toto cap.18. 22.& 23. Vnde facilè colligitur definitio generalis, quæ simul cum diuinis complectatur etiam personas creatas,dicendo, *est intellectiuæ naturæ incommunicabilis existentia.* Qua definitione Ioannes Theologus vtitur in Cõcilio Florentino sess. 19. non longè post med. §.*quoniam* & §.*in genere*, vt vidimus suprà disp.25. sect.4.prope fin. Prædictam verò definitionem Ricardi non probat S. Thom.q.29.art.3.ad 4.& eam expressè defendunt Albertus,Alexander,S.Bonauent.Henricus & alij citati sect.præcedenti pro secunda sententia. Imo Scotus hanc præfert definitioni Boëtij.

Secun

4 *Secunda definitio.* Secundam definitionem addit dicto lib.4.cap. 18. Persona diuina *est habens diuinum esse ex proprietate incommunicabili*, quam incommunicabilitatem explicat & confirmat cap. 22. & sequentib. Tertiam definitionem tradit cap.23. *rationalis naturæ individua existentia.* Quartam definitionem magis probare videtur Ricardus, atque cæteris præferre cap. 24. quod *persona sit existens per se solum, iuxta singularem quendam rationalis existentiæ modum.*

5 *Existentia inusitata acceptio.* Ad omnium declarationem notandum est primò, peculiarem, & cæteris omnibus authoribus inusitatã esse significationem vocabuli *existentia*, iuxta quam in prædictis definitionibus accipitur à Ricardo: nam apud eum præpositio, *ex*, in hac voce denotat ordinem originis vnius ex alio, & proprietatem diuidentem,ac discernentem vnum suppositum ex alio, vt constat ex dicto lib. 4. de Trinit. cap. 12. 15.16.19. & 23. Dictúmque fuit disput.25. ferè tota sect.4. Communiter autem à theologis & philosophis aliter accipitur *existentia*, videlicet, vt est actualitas prima naturæ, per quam actu est ens reale; sub qua significatione existentia formaliter differt à subsistentia, suppositalitate seu personalitate;prout explicuimus dicta disp.25.quatuor prioribus sequentibus.

6 *Incommunicabilitas probatur.* Secundò Ricardus incõmunicabilitatem probat dicto libro 4. de Trinit. cap.17. Quia si personalem proprietatem cõmunicabilem esse contendas, idem est ac si dicas,vnam personam posse esse duas. Vnde conuincitur, quod neutra illarum sit vlla persona, quia neutra ab alia est singulari proprietate discreta. Confirmari potest primò,ex Nysseno,qui lib. de differentia essentiæ & hypostaseos multo propius ad med. quàm ad princ. de Filio sic loquitur: Nullam, quantum attinet ad propriam notam & peculiare insigne; communionem habet vel cum Patre, vel cum Spiritu sancto. Confirmatur secũdò, quia quidquid non est commune, siue vniuersale, sed singulare est individuum, eo ipso formaliter est incommunicabile. Hanc autem esse differentiam personæ siue hypostasis ab essentia, docent communiter Patres citandi sect.6.

7 *Quatuor cõmunicationes excluduntur.* Tertiò notandum est, quatuor communicationes excludi per incommunicabilitatem propriam personæ. Præcipua, quæ formalissimè & magis directè excluditur, est communicatio, per quam natura siue persona communicetur alteri personæ, quasi suppostanti atque terminanti, sed non excludit communicationem per quam natura eiusdem personæ cõmunicetur alteri personæ; sicut natura Patris communicatur Filio & Spiritui sancto. Ideóque humanitas Christi Domini non est persona, quia communicabilis est diuino suppositо, nec habet connaturalem sibi terminum per se subsistendi, quo redderetur incommunicabilis alteri suppositо etiam diuino.

8 Secundò, ac minus principaliter excluditur communicatio, per quam vna pars communicari potest alteri comparti; siue sint partes Physicæ, videlicet materia & forma, siue partes integrantes,vt caput,cor, manus & pedes. Tertiò, excluditur communicatio per identitatem realem; sicut natura diuina est idem realiter cum tribus suppositis realiter distinctis, quæ communicatio repugnat personæ, inquantum persona est, comparatione alterius personæ.

9 Quartò, excluditur communicatio, per quam commune, secundum rationem abstractam, communicatur suis individuis. Cæterùm hanc com-

municationem in actu exercito excludit persona hæc particularis & determinata: at verò persona in communi non excludit, nisi in actu signato: sicut de individuo considerato in communi, docent in prædicabilibus dialectici, & dicemus disputatione 35.sectione prima & secunda. Dictas communicationes, per incommunicabilitatem personæ, docent communiter Scholastici, præsertim qui citati sunt sect. præced. pro secunda sententia.

Quartò notanda est ratio, propter quam in- 10
ter omnia suppositа nullum est quod in ratione *Ratio peculiaris nominis.* suppositi habeat peculiarẽ nomen, nisi suppositum intellectiuum, quod appellatur persona. Quia nimirum intellectiuum suppositum sibi vendicat peculiarem excellentiam supra reliqua, non solum in natura, sed etiam in ratione suppositi: quoniam actiones sunt suppositorum, vt ex Aristotele 1.Metaphysic.cap.1. Et lib.2.Ethic. cap.7. Vidimus disputatione 31.sect.5. prope fin. Hoc autem peculiari perfectione conuenit suppositis intellectiuis: quoniam propriis actionibus dominantur cum potestate agendi & non agendi, & se ipsa mouent & agunt: cætera verò suppositа per naturæ necessitatem mouentur & aguntur ab alio suppositо intelligente. Quam rationem tradit S. Thomas in præsenti quæst. 29. art.1.corpore.

Quintò denique notãda est habitudo, & com- 11
paratio superioris & inferioris inter hæc tria no- *Comparantur tria nomina.* mina *individuum, suppositum, persona.* Nam individuum est magis vniuersale; dicitur enim tam de accidentibus, quàm de substantiis; & non solùm de suppositis,sed etiam de natura,prout præscinditur à suppositо: nisi nomen individui strictius accipiatur, vt significet incommunicabilitatem, quam verè significat in definitione Boëtij, sicut vidimus sect. 1. Nam hoc modo sumptum individuum conuertitur cum suppositо,nihil magis aut minus includens, quàm illud. Suppositum autem latiùs patet, quàm persona, quia dicitur etiam de rebus non solùm irrationalibus, sed etiam inanimatis.

SECTIO IV.

Rem ac rationem personæ, consequenterq. nomen illius, Deo verè ac propriè conuenire.

LOquimur abstrahendo ab hoc, quod Deus sit 1
vnica persona, vel plures: sub qua præcisione Deum verissimè atque proprijssimè esse personam, ostendit naturæ lumen euidentissimè. Atque hæc sit prima conclusio. Quæ duplici potissimum demonstratione probatur. Prima colligitur ex definitionibus personę,traditis in sectionibus præcedentibus; illas enim conuenire Deo constat discurrendo per singulas earum partes, quod præstabimus simul ostendendo, veritatem hanc ex litteris sacris esse depromptam.

Imprimis enim Deum esse substantiam, vt di- 2
stinguitur cõtra accidens, euidentissimum est lumine naturæ,ac proinde quod per se subsistat,nec substententur ab alio.Quod autem Scripturæ sacræ *Deus est individua substantia.* Deum appellauerint substantiam, quam plurimi Patres ostenderunt locis adductis disp. 21. sect.2. Rursus singularem & individuam esse substãtiam istam,quæ Deus est (abstrahendo ab hoc,quod sit vnicum individuum singulare,vel multa)non minus euidens est lumine naturæ, quàm euidens est

esse Deum vnicum & non plures, nec Deum esse Platonis ideam abstractam ab entibus creatis, neque aliquid vniuersale, conueniens essentialiter pluribus entibus creatis, sed esse aliquam entitatem increatam, realiter distinctam & omnino separatam ab omnibus entibus creatis.

3 Confirmatur primò, quoniam vniuersalia non existunt, nisi in singularibus ipsis & ratione illorum. Quapropter licet erraret aliquis, existimans, Deum esse vniuersalem in prædicãdo & in essendo, quemadmodum animal est vniuersale: nihilominus compelleretur concedere singulare indiuiduum vnum aut multa, in quibus, & ratione quorum existeret ille Deus vniuersalis. Confirmatur secundò, nam foret incommunicabilis, vt ostendemus statim in altera definitione Ricardi.

4 Propter easdem rationes præsens veritas colligitur ex omnibus testimoniis Scripturæ, quibus probatur, Deum esse vnicum, & simplicem; illis enim si adiungas ea, quæ docent, Deum esse sapientissimum, atque intelligere, & velle; colligetur postremò, Deum esse rationalis naturæ, secundum quod ratio non importat discursum, sed vim intelligendi, quemadmodum in angelis dicitur etiam persona. Consequens igitur est, vt euidenti naturæ lumine, simúlque testimoniis Scripturæ demonstretur, Deum esse rationalis naturæ indiuiduam substantiam, quæ fuit definitio personæ, declarata sect.2.

5 Verumtamen si præterea volueris id probare definitione personæ, quam Ricardus tradidit in sect. præcedenti; non minus euidenter demonstratur: nam Deo perfectissimè, primò & maximè conuenit esse existentiam, iuxta illud Exod.3. *Ego sum qui sum*, vt demonstrauimus disput. 25. sect.1.& sequentibus. Rursus diuinam existẽtiam esse incommunicabilem, demonstrari potest naturaliter, quoniam primo & maximo enti necessariò debetur ratione sui existere prorsus independenter ab alio, ac proinde per se subsistere, quod ipsum est incommunicabiliter existere.

Deus est incommunicabilis existentia.

6 Confirmatur primò, quia si existeret in alio, iam non existeret ratione sui præcisè, sed ratione alterius, in quo existit. Quapropter ipsum non esset primum ens, nec esset independens ab aliis entibus. Vnde plurima alia inconuenientia sequuntur contra rationem naturalem. Confirmatur secundò, quia si diuina existentia communicatur alteri rei, vt in illa existat; inquiro, num res illa, cui communicatur, vlterius communicetur alteri rei, & illa insuper cõmunicetur alteri? Nam si hoc affirmaueris, sequetur processus in infinitum, qui manifestissimè repugnat lumini naturæ. Consequens igitur est, aliquam esse rem incommunicabilem alteri, quæ sit vltimus terminus, ratione cuius existentia diuina sit incõmunicabilis, & consequenter erit persona. Confirmatur tertiò, quia licet supernaturaliter fieri possit, aliquam rem existere sine termino & modo suæ existentiæ; cæterum impossibile est, rem connaturaliter existentem non habere vltimum terminum & modum suæ existentiæ. Hic autem terminus in substantia est incommunicabilis existentia.

7 Præcedentem demonstrationem, qua, definitiones personæ Deo conuenire, probatum est, attigit S. Thomas in præsenti art.3. in solutionibus argumentorum. Secundam verò demonstrationem tradit in corpore eiusdem artic. quia persona significat, id quod in natura intellectuali perfectissimum est: hoc autem conuenire Deo summa necessitas est, sicut est summa impossibilitas deesse Deo perfectionem maximam.

Persona est quid perfectissimum.

Contra rationem hanc obijcit Caietanus, quia 8
in rebus creatis perfectior est natura communis, quàm suppositũ singulare: ergo ex creaturis non potest sumi argumentum ad probandum in natura intellectuali personam esse id quod perfectissimum est. Hæc autem obiectio non indiget alia solutione, quàm legitimo intellectu prædictæ rationis. Nam in ea nomen personæ non accipitur pro personalitate præcisa à natura (sic enim imperfectior est quàm natura creata) sed accipitur pro integro supposito, constituto ex natura intellectuali simul cum personalitate, tanquam vltimo termino, constituente formaliter personam. Atque ita Caietanus & communiter expositores intelligunt rationem S. Thomæ in prædicto artic.3. Sed vtrum *persona diuina*, iuxta communiorem acceptionẽ significet naturam formaliter & in recto, vel tantùm in obliquo, significando solam personalitatem in recto, dicemus sect.9. Quod autem ex præcedenti ratione nonnulli doctores inferunt, esse tres perfectiones in Deo, quemadmodum tres sunt personæ, tractatum est tota disput.30.

Secunda conclusio. Quamuis in nomine per- 9
sonæ comparatione Dei reperiatur improprietas, quantum ad modum significandi, sicut in cæteris nominibus, quæ Deo tribuuntur (vt explicatum est supra disput.4.sect.3.à princ.nec non disput.9. sect.2.& 5.) nihilominus res significata per hoc nomen, Deo cõuenit priùs, verius, propriùs atque perfectiùs, quàm hominibus aut angelis. Probatur primò, quia diuinæ naturæ ratione sui necessario conuenit personalitas, realiter identificata cum illa, & in qua quidditatiuè claudatur ipsa natura. At verò cuilibet naturæ creatæ non ita necessariò conuenit personalitas propria, cum possit supernaturaliter ab illa separari, siue quando subsistentatur ab alieno supposito, siue Deus in genere causæ efficientis naturam conseruet sine vllo supposito.

Ratio personæ Deo perfectius conuenit, quàm creaturis.

Probatur secundò, quia tanto verior, proprior, 10
atque perfectior erit in Deo ratio personæ, quãto perfectiùs illi cõuenit per se subsistere atque omnino incommunicabiliter. Nam quanto diuina persona propter infinitum perfectionis excessum distat magis à cognatione, consortio, vel indigentia cuiusque rei, quæ non sit Deus, tanto perfectiùs ac veriùs illi conuenit incommunicabilitas; ita vt non modò naturã creatam, sed ipsam etiam personalitatem creatã infinito interuallo superet in ratione, propter quam illi repugnat communicari alteri personæ. Tertiò probatur, quia omnis personalitas creata deriuatur à personalitate diuina; sicut omnis sapientia creata deriuatur à diuina sapientia, & sic de cæteris perfectionibus.

Veruntamen non solùm hæretici, sed etiam 11
olim nonnulli Catholici contendebant, Deo non esse tribuendum nomen personæ. Primum argumentum erat, quoniam hoc nomen personæ Deo non tribuitur in sacris litteris: sicut in simili de nomine substãtiæ vidimus vrgeri magis obiectionem disp.21.sect.2.init. Breuiter autem respondetur eisdem solutionibus. Imprimis enim quamuis nomen personę nullibi reperiatur in sacris litteris de Deo dictum: attamen id, quod nomen significat, multipliciter in sacra Scriptura inuenitur affirmatum de Deo; vt constat ex iis, quæ obseruauimus in prima demonstratione primæ conclusionis. Quod si de rebus diuinis nõ esset agendum, nisi per eas tantum voces, quas in sacris litteris

Primum argumentum.

Res significata reperitur in sacris litteris.

teris reperimus; sequeretur de qualibet re diuina non esse loquendum aut scribendum, nisi ea tantum lingua & illis characteribus, quibus primò dictata fuit à Spiritu sancto. Quemadmodum sapienter intulit S. Thomas in præsenti art.3.ad 1.

12 Respond. secundò. In sacris literis vox *persona* multoties accipitur pro indiuidua & incommunicabili substantia rationalis naturæ creatæ. Quemadmodum contra Vallam ostendimus sect.1.probat.3. Quam significationem eo concilio præmisit Spiritus sanctus vt inde quasi ex gradu promptior esset eleuatio mentis ad recipiendam illustrationem illius, per quam doctores aduerterent, verissimè atque propriissimè Deo conuenire rationem personæ. Plura diximus ad simile argum. disput.21.sect.2.

13 Secunda hæreticorum obiectio causatur no- *Secũdum argumentum.*
uitatem profanam, quam deuitare præcipit Apostolus 1.Timoth.6. Respondetur primò, personæ vocem, & eius acceptionem pro tribus personis diuinis, antiquissimam esse à temporibus vsque nascentis Ecclesiæ, vt constabit disput.33. sect.1. Respond. secundò. Licet inuenta fuisset hæc vox post Nicænum concilium ad melius refutandam hæresim Sabellij; non fuisset tunc in ea voce nouitas simpliciter, sed tantùm nouitas secundum quid, quoniam res significata constabat ex sacris literis, & doctrina Apostolorum; vt in simili declaratũ est fusius disp.21.sect.3.solut.2.& S. Thomas attigit in præsenti art.3.ad 1. *Antiquitas vocis personæ.*

14 Tertiò non solum hæretici, sed etiam olim *Tertium argumentum.*
aliqui catholici, maximè Græcorum, recusabant Deo tribuere nomen personæ, propter quandam illius significationem. Veruntamen re melius considerata, concesserunt, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse tres personas, cuius dissidij fẽlicem euentum narrauimus disp.31.sect.4. Vnde facile refutatur calumnia, quam obiicit VVolfangus Masculus dicens, vocabulum personæ non ita necessarium esse ad fidem Christianam, vt sine illo nequeas esse Christianus; cum illud primi Christiani ignorauerint; vt refert Coccius lib.1. de Trinit.art.4.pag.3. *Calũnia refutatur.*

15 Quartò Valentinus gentilis, & Transyluani *Quartum argumentum.*
hac peculiari criminatione reprehẽdunt personæ vocabulum, *Quia stultum est*, inquiunt, *aliquid loqui, non vt aliquid dicamus, sed vt non taceamus.* Hac verò ratione theologi ducti sunt, vt tres personas dicerent. Quam obiectionem refert Bellarminus lib.2.de Christo cap.2. Et quidem Augustinus 5. de Trinit. cap. 9. ait: *Cum quæritur quid tres, magna prorsus inopia humanũ laborat eloquium. Dictum est tamen tres personæ, non vt illud diceretur, sed ne taceretur.* Quod recipitur à Magistro, & communiter Scholasticis 1.dist.23.cap.*ideo oritur*.

16 Confirmari potest, nam idem Augustinus de Trinit.lib.7.c.4.inter med. & fin. postquam enarrauerat, Græcos dixisse tres hypostases, sicut Latini dicunt tres personas, concludit: *Quid igitur restat, nisi fateamur, loquendi necessitate partita hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione aduersum insidias vel errores hæreticorum?* Quod etiam recipitur à Magistro & communiter Scholasticis dicta distinctione 23.cap.*verum & hic*. Vnde posset aliquis inferre, nomen personæ Deo verè non conuenire, aut certè non propriè, vel theologos, de hac re nihil exploratum habere; propterea que vitandam esse locutionem eiusmodi, quamdiu necessitas non compulerit.

17 Hanc tamen obiectionem prꝫoccupans Ricar- dus Victorinus lib.4.de Trin.cap.5.circa med.ait: *Ecce dicamus, quia hi, qui hoc nomen personæ primò ad diuina transtulerunt, hoc ipsum ex necessitate fecerunt, vt haberent quid responderent quærentibus, quid tres illi in Trinitate essent, cum tres deos esse respondere non possent. Sed quod ab eis ex necessitate factum fuit, nouit Spiritus sanctus qui eorũ cordibus præsidebat, qua ratione & veritate id fieri voluit. Si verò hoc fideliter credimus, cum omni diligentia quæramus, non iam sub qua acceptione primò humanis sit impositũ, nec ex qua necessitate sit postea ad diuina translatum, sed in qua veritate per Spiritum veritatis sit translatoribus inspiratũ, & à Latina Ecclesia vniuersaliter frequẽtatum.* Quapropter & inspiratio Spiritus sancti, & communis vsus Ecclesiæ certos omnino reddit theologos, nomen personæ Deo propriè conuenire.

Ad quartam igitur obiectionem Valentini & 18
Transyluanorum Respond. mentem Augustini & omnium Scholasticorum fuisse, docere, quod nullum nomen satis explicat, quid sint tres illi, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Attamen dici tres personas non vt perfectè declaremus quidditarem illorum, & peculiares proprietates, quibus distinguuntur abinuicẽ: sed vt breuiter vno ac simplici vocabulo respondere possimus Sabellianis interrogantibus, & ab illis distinguamur, quando non vacat rem explicare copiosiùs; vt cõstat ex verbis Augustini 7.de Trin.cap.4.quæ paulo superius retulimus, & ex iis, quæ præfatus fuerat sub initium eiusdem capitis 4. *Cum ergo quæritur, quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad inueniendum aliquod speciale vel generale nomen, quo complectamur hæc tria; neque occurrit animo, quia excedit supereminentia Diuinitatis vsitati eloquij facultatem. Verius enim cogitatur Deus quàm dicitur, & verius est quàm cogitatur.* Parum ab hac differt alia expositio, quã adhibet Henricus 2.part.art.53.quæst.1.fine. *Augustini mens.*

SECTIO V.

Vtrum sit realis ratio constitutiua personæ.

TRes sententiæ negant. Quarum prima dicit 1
expressè, negationem cõmunicabilitatis esse rationem formalẽ personę. In hanc magis inclinat Scotus 1.dist.23.q.vn.§.*ad quæstionem*, & dist.25.q. vnic. Et fusiùs in 3.sent.dist.1.q.1.art.3. Bassolis 3. dist.1.q.1.toto art.1. Maironis in eodem 3. dist.1. quæst.11. notab. penult. Ocham.3. dist. 1. art.3. col.2. & sequentibus. Almain.3.dist.2. q.1.col.3. Vbi Gabriel art.1.sub init. (quamuis nonnihil dissidere videatur 1.dist.23.q.vn. art.1. fine & art.2. & 3. defendens, personam esse nomen primæ intentionis. significare tamẽ simul negationes communicabilitatis) Canariens. in præsent.q.29.art.4. ad 3. Molina quæst.29. art.1. disput.3. circa med. Et art.2. disput.3. colum.4. §. *age* & sequentibus. Sic etiam Henricus quodlibeto 5. quæst. 8. inter med. & fin. ait, rationem constitutiuam suppositi esse duplicem negationem. *Prima sententia.*

Primum fundamentum est definitio personæ, 2
quam ex Ricardo vidimus sect.3. cuius primariũ constitutiuum est *incommunicabilis existentia*. Cui consonat etiam *indiuidua substantia*, per Boëtium tradita; nam indiuidualitas illa est incommunicabilitas, vt vidimus sect.2. *Primum fundamentum.*

Debile tamen est fundamẽtum istud. Frequens 3
enim est philosophis, ac theologis, nominibus quæ præseferunt negationem, significare differentiam positiuam & realẽ: quemadmodum animal diuiditur per rationale & irrationale, quod *Diluitur.*

nomen præsefert negationem ; nihilominus differentia contrahens animal , & constituens speciem condistinctam ab homine , non est negatio, sed positiua realitas. Hac figura sermonis multoties Patres , nomine *Ingeniti* , significant realem & positiuam proprietatem Patris , vt videbimus disp. 53. præsertim sect. 1.

4 *Secundū fundamentum.* Secundum fundamentum erat ; quia formalis ratio, constitutiua personæ, cómunis est proprietatibus personalibus constitutiuis Patris & Filij & Spiritus sancti. His autem proprietatibus nihil potest esse commune, in quo conueniant, quia se totis differunt , tanquam primo diuersæ. Cæterum huius argumenti Minoré esse falsam, constabit disput. 35. præsertim sect. 3. probante, rationem realem personalitatis esse analogicè communem tribus subsistentiis.

Diluitur.

5 *Tertium fundamentum.* Tertium fundamentum , quia si persona significaret formaliter & in recto aliquid reale , cum illud esse debeat proprium & incommunicabile; sequeretur , personam formaliter & in recto significare relationem ? Attamen hoc consequens esse verum , & sine vllo inconuenienti , ostendemus sect. 7. & 8.

Diluitur.

6 *Quartū fundamentum.* Quartum fundamentum , quia ratio personæ communis est Deo & creaturis ; sed in creaturis præter naturam singularem & indiuiduam omnino nihil reale superaddit ratio suppositi vel personæ. Ergo licet in Deo, præter naturam diuinam, addatur realis proprietas ; illa tamen supponetur quasi fundamentum: attamen ratio personæ consistet formaliter in negatione cómunicabilitatis. Minorem probant, primò, quia si personalitas adderet aliquid reale supra naturam indiuiduam & singularem ; sequeretur illud esse accidens : tum quoniam aduenit naturæ singulari & completæ; tum etiam quia neque est genus neque species nec differētia specifica aut indiuidualis. Secundò probant eandem minorem , quia realis suppositalitas, cum sit ens creatum, haberet potentiam obedientialem , & consequenter assumi posset à supposito diuino; quod est absurdum: & ita inuoluuntur alię difficultates, pertinentes ad metaphysicam, & ad materiam de Incarnatione.

7 *Suppositalitas aliquid reale addit supra naturam.* Nunc satis est dicere primò. Quanuis concederemus, suppositalitatem creatā nihil reale addere supra naturam indiuiduam & singularem; id foret omnino negandum circa diuinam suppositalitatem, seu personalitatem; quia tres illæ res in ratione suppositorum realiter distinguuntur , & habent necessariò & quidditatiuè radicem incommunicabilitatis, quæ non potest illis negari, neque illa quidem veritatis apparētia, qua negatur creaturis, vt infra constabit concluſ. 1. & 2. Respond. secundò. In creaturis personalitas est modus realis, non accidentalis, sed substantialis, *cuius* quidditas est vltimò terminare incommunicabiliter, Quapropter implicat contradictioné ab alio supposito, etiam diuino, terminari: sed de hoc ex professo locis nuper citatis metaph. & Incarnationis.

8 *Secunda sententia.* Secunda sententia parum à prima distat : asserit enim , personæ formale significatum esse secundam intentionem indiuidui siue singularis, in qua continetur negatio communicabilitatis : videtur autem hanc secundam intentionem appellare relationem. Ita procedit Henricus 2. part. Summæ art. 53. q. 5. post med. satis prolixè & obscurè. Cuius resolutio conferenda est cum quæstione 3. Tribuitur etiam Henrico quodlib. 5. q. 6. vbi nihil expressum reperio. Durandus autem 1. dist. 23. quæst. 1. num. 13. asserit, personam , prout describitur à Boëtio & Ricardo, & prout sumitur in diuinis , significare rationem suppositi ; quam rationem esse secundam intentionem , significat in contextu totius quæstionis, & dist. 25. quæst. 1. & quæst. 2. num. 4.

6 *Tertia sentia.* Tertiam sententiā inuehere conatur Aureolus 1. dist. 23. art. 3. propos. 3. & dist. 25. art. 3. propos. 1. & 2. Nam prius refutatis opinionibus Scoti & Henrici , videtur propius accedere ad veram sententiam : asserit enim , personam ; suppositum & subsistentiam esse nomina primæ intentionis , & nullo modo secundæ intentionis, quia significant rem indiuisam cum perfeitate existendi. Cæterum hoc positiuum, in recto significatum, non esse aliquid determinatum , attamen determinatas esse negationes communicabilitatis , inclusas in hoc significato. Huius sententiæ fundamenta, quantum ad negationes inclusas , nihil addunt supra fundamenta primæ sententiæ , iam soluta : quantum autem ad realem & positiuam entitatem coincidunt cum fundamentis, statim afferendis pro vera sententia.

10 *Realis proprietas requiritur ad personam.* Pro declaratione veritatis sit prima conclusio. Ad rationē personæ diuinæ requiritur realis proprietas , distinguens vnam personam ab alia ; nec sufficit sola natura diuina, licet singularis & indiuidua sit. Hæc conclusio est adeo certa, vt oppositum foret error manifestus. Quapropter non solum authores , citandi pro conclusione sequenti, sed etiā citati pro tribus præcedētibus sententiis, eam fatentur. Henricus enim art. 53. q. 3. & 5. expresè dicit, quod personarum nomine connotantur in Deo reales proprietates; quemadmodum *simum* vltra curuitatem, quam significat, connotat nasum. Sic etiam Scotus 1. dist. 23. q. vn. §. *ad quæstionem.* Et dist. 25. q. vnica & 3. dist. 1. q. 1. art. 3. §. *per hoc* expresè notat discrimen personæ diuinæ à persona creata, quod persona diuina primò connotat , & necessariò supponit reales proprietates constitutiuas personarum ; ratione quarum illis contradictoriè repugnat communicari ; quod tamen non repugnat contradictoriè toti realitati personæ creatæ, iuxta sententiam Scoti & sequacium. Idem discrimen notat Bassolis 3. dist. 1. q. 1. art. 1. §. *ad primum contra hoc.* Maironis 3. dist. 1. q. 11. notab. penult. Gabriel 1. dist. 23. q. vn. art. 1. fine & art. 2. & 3. Aureolus 1. dist. 23. art. 3. proposit. 3. & dist. 25. art. 3. propositione 2. & 3. Denique Almain. 3. dist. 1. quæst. 1. colum. 3. quamuis hoc non expresserit , sine dubio supponit tanquam exploratum.

11 Ratio demonstrans est , quia Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse tres personas , realiter distinctas , ita vt Pater realiter non sit Filius nec Spiritus sanctus : similitérque Spiritus sanctus realiter non sit Filius neque Pater , est de fide; vt probatum est disput. 19. Realis autem eorum distinctio non est possibilis, nisi realis aliqua proprietas Patrem constituat ; alia verò realis proprietas constituat Filium , & alia Spiritum sanctum. Confirmatur , quia si personalitates diuinæ supra Deitatem nihil adderent, nisi solam negationem communicabilitatis , vel secundam intentionem indiuidui ; sequeretur , tres personas ita esse vnam rem , vt nullo modo sint tres res, realiter distinctæ.

12 Quapropter doctores, citati pro prioribus sententiis, solummodo intendunt, rationem personæ diuinæ , siue personalitatem diuinam non consistere in prædicta proprietate reali & positiua ; sed formaliter consistere in negatione communicabilitatis,

bilitatis , quæ ex tali proprietate reali consequitur , vel in aliqua secunda intentione , quæ supra eandem proprietatem realem fundatur.

13 *Secundum se totā est realis ratio constitutiua personæ.* Contra quos sit secūda conclusio. Formalis ratio , constitutiua personæ , est realis secundum se totam, & neque partialiter consistit in negatione, neque in alia secunda intentione. Ita Magister 1. dist. 25. & 26. in variis acceptionibus personæ, quas colligit ex Aug. vt videbimus sect. sequent. S. Thom. in præsenti q. 29. art. 1. ad 3. & art. 2. corp. & a. 4. & q. 30. a. 4. magis ex professo. Quibus in locis idē docent Caietanus & communiter expositores S. Thomæ. Alexander 1. p. 56. mem. 4. art. 1. & 2. Albertus 1. p. q. 44. mem. 1. 2. & 3. S. Bonauent. 1. dist. 25. art. 1. q. 1. & 2. & art. 2. q. 1. Vbi etiam Ricardus art. 2. q. 2. Capreolus & Deza dicta dist. 25. q. 1. art. 1. Marsilius 1. quæst. 28. art. 2. post med. Magis copiosè, & magis apertè, quàm cæteri antiquiores, Argentina 1. dist. 23. q. vn. art. 1. Ab hac sententia parum distat Carthusianus 1. dist. 23. q. 2. col. penultima. Henricus 1. p. art. 53. q. 5. corp. non procul à princ. fatetur, hanc esse communem sententiam omnium authorum, quos ipse vidisset. Eandem sequuntur communiter recentiores : vt Vazquez 1. p. disp. 127. & disp. 130. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 3. num. 8. & 2. tom. metaph. disp. 34. sect. 2. num. 10. & sequent.

14 *Colligitur ex conciliis & Patribus.* Probatur testimoniis pene innumeris Conciliorum & Patrū, de Paternitate, Filiatione & processione disputantium, quasi de relationibus realibus : ac de Patre, Filio & Spiritu sancto, quasi de realibus suppositis realiter subsistentibus. Consequenter autem de proprietatibus personalibus loquuntur , quasi de formalitatibus realibus, aliquid reale constituentibus , realitérque distinguentibus. Huiusmodi testimonia multa vidimus disputat. 9. sect. 2. & sequentibus , & tota disputat. 19. Plura videbimus disput. 32. sect. 6. & disputat. 34. sect. 2. & sequentibus. & disp. 36. sect. 1. & disput. 86. & 87. Ex quibus omnibus conficitur hoc argumentum. Diuinæ personæ realiter distinguuntur ab inuicem ; & non distinguuntur ratione naturæ diuinæ : ergo distinguuntur realiter in ratione formali personæ. Realis igitur est ratio formalis personæ , quia si non esset realis; non posset esse ratio distinctionis realis.

15 Confirmatur primò , quia cum Deitas ex se sit communis Patri & Filio & Spiritui sancto , non potest Deitati conuenire negatio communicabilitatis ratione sui præcisè , nec secunda intentio indiuidui, sed opus est alia formalitate reali, quæ sit radix illius negationis, & istius secundæ intentionis. Hæc autem radix est, cui maximè conuenit nomen & quiditas personæ ; quia illa sola est verè & realiter existentia incommunicabilis & substantia indiuidua.

16 Confirmatur secundò , nam sicut apud Latinos dicuntur tres personæ ; sic apud Græcos dicuntur tres hypostases. Omnes verò theologi, tam veteres, quàm neoterici iudicant, idem esse significatum, eandémque definitionem personæ & hypostasis , prout in re præsenti sumitur. Cum igitur omnes Patres, defendentes, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse tres , Sabellianis interrogantibus, quid tres ? responderent , tres hypostases, siue tres personæ : non poterant his nominibus intelligere negationes , aut secundas intentiones ; quia de his nihil Sabelliani curabant; imo sponte fatebantur quancumque distinctionem rationis ; dummodo negarent realem distinctionem. Consequens igitur est , Concilia & Patres nominibus hypostasum & personarum primario significasse tres realitates , realiter distinctas.

17 Probatur secundò, quia ratio formalis, constituens personam diuinam , est relatio diuina , vt ostendemus disp. 87. & 88. At verò diuina relatio secundum rationem formalissimam relationis est ens reale : vt demonstratum est disp. 9. sect. 5. & sequentibus. Confirmatur, quia persona Patris in ratione formali talis personæ, constituitur Paternitate : Paternitas autem est realis : similiter autem Filius constituitur reali Filiatione , & Spiritus sanctus reali spiratione passiua. Ergo communis ratio personæ diuinæ, quiditatiuè conueniens Patri, Filio & Spiritui sancto, est etiam realis.

18 Probatur tertiò , quia Patres , referendi sect. sequenti , personam ab essentia distinguunt , tanquam particulare indiuiduum à communi ratione specifica : quemadmodum Petrus & Paulus distinguuntur ab homine. Sed essentiæ nomine intelligunt ipsam realem Deitatem (vt ipsi expresè declarant) ergo, iuxta debitam proportionem, personæ nomine intelligunt illud reale , quod est proprium & singulare in quolibet supposito. Alioqui debuissent personam à Deitate distinguere, tanquam ens rationis ab ente reali. Confirmatur, nam Athanasius expressit, esse verum & reale, cum dixit : *Hypostasis declarat quiddam esse,* & iterum : *Hypostasim esse idem quod facies & character* : vt referemus sect. sequenti.

19 Probatur quartò, quia non solum persona, sed etiam personalitas ipsa quiditatiuè claudit Deitatem , vt probatum est disp. 13. Quod si personalitas esset formaliter ens rationis , non posset quiditatiuè Deitatem includere. Confirmatur, quia personalitas plusquam realiter distingueretur ab essentia diuina, si foret negatio aut secunda intentio : distingueretur enim sicut ens rationis ab ente reali. Ideoque foret absolutè falsum dicere, personalitatem & essentiam esse realiter idem, & sola ratione distingui. Quod tamen esse verissimum, probauimus disp. 11. & 12.

20 Probatur quintò, nam per se cohærere, & per se constare & existere, & esse characterem, figuram, & terminum, hæc, inquam, omnia sunt entia realia : & hæc sunt propria ratio hypostasis siue personæ ; significantur autem clariùs nomine *subsistentiæ.* Sic apud Ruffinum lib. 1. qui est decimus in historia Ecclesiastica Eusebij cap. 29. Patres Concilij Alexandrini , cui præfuit Athanasius , dicebant, subsistentiam ostendere *vniuscuiusque personæ hoc ipsum, quod extat & subsistit.*

21 Damascenus lib. de decretis primę institutionis cap. 1. ait : *Hypostasis , id est, quod per se cohæret , & prosopon, id est, figura , proprium & indiuiduum idem efficiunt.* Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 9. sub init. rationem hypostasis constituit in eo , quod per se subsistat. Quod magis explicat Epiphan. Diaconus in Septima Synodo, referendus sect. sequenti.

22 Probatur sextò , quia personalitas creata est ens reale formaliter : ergo à fortiori personalitas diuina realis erit. Consequentia est manifesta, non solùm , quia conceptus personalitatis cæpit à creaturis, indeque ad diuinas personas eleuatus est ; sed etiam quia ratio personæ perfectior est in Deo, quàm in creaturis. Antecedens autem explico , nam creata personalitas est modus ex natura rei , & ante opus intellectus distinctus ab essentia creata , & in rebus corporeis compositus est ex partiali subsistentia materiæ , & partiali subsistentia formæ , quæ multiplex est & specie diuersa,

diuersa, iuxta differentiam formarum, & in anima rationali est spiritualis. Quæ omnia probare non est instituti præsentis: pertinet enim ad materiam de Incarnatione, vel potius ad metaphysicam.

SECTIO VI.

Quo discrimine Patres personam ab essentia distinxerint.

1 *Quod discrimẽ tractetur.*

NOn agimus in præsenti, num persona distinguatur ante opus intellectus ab essentia vel sola ratione: de quo satis dictum est disp. 11. 12. & 13. Sed agimus de discrimine formalitatum atque definitionum, quibus intellectus noster personã ab essentia distinguit. Pro quo recolendum est, quod notauimus in præcedenti disp. sect. 4. hypostasim & subsistentiam idem omnino apud theologos significare, quod persona. Quapropter, quod Patres infra citandi de hypostasi vel subsistentia dixerint, intelligere debemus esse dictum de persona: sicut è contrario, quod dixerint de persona, intelligendum est etiam de subsistentia & hypostasi.

2 *Vtilitas.*

Est autem hoc discrimẽ apprimè necessarium, non solum ad perfectius intelligendas definitiones personæ, traditas sect. 2. & 3. sed potissimum ad defendenda dogmata fidei de Trinitate. Merito namque Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos in princ. notat, huius discriminis ignorationem fuisse causam contrariorum errorum: *Quoniam complures*, ait, *nihil interesse putant, vtrum essentiam an hypostasin quis dicat, quasi in vtroque nomine vna significatio sit, & ideo duplicis hæreseos in contrarium scissæ error circa significationem harum vocum principia atque argumenta præbuit; Cum Sabellij quidem sectatores propter communionem essentiæ Sanctam Trinitatem in vnam hypostasim cogant: vice verò versa, qui contrario morbo correpti sunt (Arianos dico) propter differentiam hypostaseon præscriptionem quoque essentiarum introducant.*

3 Eodem ignorationis periculo præsentis discriminis necessitatem commendat Basilius epist. 43. de differentia vsiæ & hypostaseos ad Gregorium Nyssenum. Theodoretus etiam dialogo *immutabilis* 1. col. 1. proposita quæstione, *Sit ne aliqua differentia inter substantiam & hypostasim?* Respondet, esse nullam differentiam, *si externa spectetur sapientia*, idest, Ethnicorum & hæreticorum, hi namq; sunt externi Ecclesiæ, iuxta phrasim Euangelij, Pauli & antiquorum Patrum. Quapropter oportet Catholicos nosse discrimen.

4 Epiphanius diaconus in Septima Synodo generali actione 6. tom. 3. illius actionis §. *nequaquã* in med. *Eutychianistarum, aut eorum, qui vnam in vnitione secundũ hypostasin Christi naturam asserunt*, studium esse asserit, *nihil aliud agere, quàm vt ostendant naturam & hypostasim idem esse, quæ sanè inter se differre, veri Ecclesiæ Catholicæ alumni cognoscunt.* Similia nos admonent alij Patres.

5 *Personæ tanquam singularis est essentia tanquam vniuersalis.*

Primus autẽ atque celebrior modus explicãdi, quomodo hypostasis vel persona differat ab essentia, hic est: Hypostasis seu persona se habet tanquã particulare, singulare, proprium, indiuiduum, vnum numero & incommunicabile. Sed essentia siue natura se habet tanquam commune quid, & vniuersale, & tanquam species diuisibilis in plura, & communicabilis multis singularibus. Sic Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos non procul à princ. prius in generali circa res creatas exponit essentiæ vniuersalis atque communis discrimen à particularibus indiuiduis siue suppositis. Vnde inter prin. & med. libri subiungit: *Quam igitur in nostris terrenis ac mundanis rebus differentiæ rationem, tum in essentia, tum in hypostasi cognouisti, hanc si traducas etiam ad diuinas doctrinas atque decreta, non errabis.*

6 Basilius epist. 43. ad Gregorium Nyssenum sub init. docet, *significari verbo hypostaseos, quod à nobis præcisè aut peculiariter enuntiatur.* Et postquam declarauit communitatem indefinitam & indeterminatam hominis in communi, concludit: *Hoc igitur est hypostasis, non indefinita illa vsiæ animi conceptio, quæ nullam nancisci tur fixæ cogitationis stationem per communicationem significati; sed quod in re aliqua commune & indeterminatum est per proprietatum declarationem agnoscendum offert & describit.* Et positis exemplis hominum singularium adiungit: *Si quam igitur dictionem nosti, quæ in rebus humanis vsiæ & hypostaseos discrimen exprimat; eam si ad diuina quoque dogmata transferas, nihil aberraueris.*

7 Cui consonat, quod scribit non solum epist. 78. ad Eustathium Sebastiæ Episcopum, sed etiam lib. 2. contra Eunomium inter med. & fin. *Proprietates enim ac notæ quasi characteres quidam & formæ, in substantia inspectæ, distinguunt quidem quod commune est appropriatis characteribus: communicationem verò substantiæ non amputant: Vt verbi causa, Deitas communis est, proprietates autem Paternitas & Filiatio.* Alia nonnulla testimonia, quæ nondum reperire potui apud Basilium, veluti ex epist. ad Terentium, & epist. ad Amphilochium refert Theorianus in legatione ad Armenos col. 5. & 6. tom. 4. bibliot.

8 Athanasius primo aspectu videtur præsenti definitioni contrarius dialog. 1. de Sancta Trinit. contra Anomœum col. 2. cum ait: *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas, non vt alia & alia res; sed quod hypostasis quidem aliud, aliud verò Deitas significet. Nam hypostasis declarat* to einæ, *idest esse, Deitas verò* to ti einæ, *idest, quiddam esse.* Nihilominus mens eadem est, quæ cæterorum Patrum, Deitas enim propterea dicitur *quiddam esse*, quia per abstractionem ab hypostasi quasi limitatur, ne significet totum esse, prout est à parte rei; cum tamen è contrario hypostasis significet totum esse simpliciter, prout est à parte rei, non præcisum per intellectum.

9 Quod magis explicuit in med. eiusdem dialogi, dicens: *Si quid essentiæ proprium, id quoque commune est hypostasibus, quæ essentiæ subsunt. Hypostasis autem, præterquam quod numerum nõ admittit, proprietatem habet minimè communem hypostasibus, quæ essentiæ subsunt.* Et longè inferius: *Humanitas est omnium hominum communis: hypostasis verò est vnius cuiusque proprietas.* Et frequenter repetit comparationem indiuiduorum & singularium hominum cum humanitate, communiter dicta.

10 Idem Athanas. sermone in Euang. de Sanctissima Deipara multo propius ad princ. quàm ad med. *Quam communiter à multis istiusmodi considerantur, substantia nuncupatur: cum in vnum propriè confertur, persona siue subsistẽtia nominatur.* Cui consequenter loquitur toto sermone. Deniq; tractatu de diffinitionibus col. 3. ait: *Facies, character, hypostasis, proprium & indiuiduum idem sunt.*

11 Iustinus in expositione fidei de Trin. non longè ante med. obiter idem discrimen adnotauit, cum ait: *Quatenus Pater, Filius & Spiritus sanctus vnius*

vnius Deitatis dignoscendo subsistentias: quatenus autem Deus, essentiam communem subsistentiarum intelligendo. Chrysostom. hom. 5. de incomprehensibili Dei natura col. 2. *Nomina*, inquit, *diuina partim communia, partim propria habentur. Communia vt eadem atque indifferens substantiæ ostendatur: propria vt personarum denotetur proprietas.*

12 In Concilio Nicæno Secundo, quod est generale Septimum, Tharasius Patriarc. Constantinop. in professione fidei sub initium ait: *Secundum singularitatem personarum, tria adoranda: iuxta verò communitatem naturæ, vnus Deus*, Epiphanius hæresi 73. in med. *Proprietates*, inquit, *personarum subsistentium substantias nominant Orientales.* Nimirum *hypostases*, Græcè, quas aliqui vertunt *substantias*, vt vidimus disp. 23. sect. 4.

13 Magis apertè præsens discrimen exposuit Cyrillus Alex. dialogor. de Trinitate lib. 1. inter med. & fin. dicens: *Substantia declaratio videtur sicut commune & vniuersale quiddam esse: nomina verò subsistentiarum singularum sub illo vniuersali prædicantur ac dicuntur.* Et post pauca: *Nomen substantiæ habet se vt homo, & gerit in se nomen vniuersale, & communem rationem generis. Contra subsistentia intelligitur conuenientius, vt singulare, quod neque à communitate destituat, quod explanatur, neque etiam singulare cum obscuro commiscet & confundit.*

14 Theodoretus dialogo immutabilis 1. colum. 1. *Si Patrum*, inquit, *doctrina spectetur; quam habet differentiam commune & proprium, vel genus & species, ac indiuiduum, eandem habet substantia & hypostasis.* Quod discrimen generis & speciei ab indiuiduis exponens, postea sic diuinis personis applicat: *Sicut ergo hoc nomen homo, commune huius naturæ nomen est, ita etiam diuinam substantiam, vt quæ Sanctam Trinitatem significet, hypostasim autem, vt quæ aliquam vel Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti personam declaret, accipimus. Hypostasim enim personam & proprietatem idem significare dicimus, ea, quæ à Sanctis Patribus sunt definita, sequentes.* Eademq; sententia ex Theodoreto refertur in additionibus ad Breuiarium Liberati cap. vltimo, quod incipit, *Quid est natura*, tom. 2. Conciliorum iuxta editiones antiquiores.

15 Damascenus lib. de decretis primæ institutionis cap. 2. *Quoniam*, inquit, *multi sunt homines, vnusquisque homo est hypostasis, id est, res per se constans. Vt Adam hypostasis est, & Eua alia hypostasis. Eadem est ratio cæterorum. Vnusquisque enim homo hypostasis est alia, alia reliquorum hominum. Itémque singuli boues hypostases sunt, id est res singulæ* &c. Idem lib. 3. fidei cap. 4. sub init. hypostases appellat *particulariores*, & Deum appellat *vniuersaliorem.* Eodem modo procedit in epistola de Trisagio præsertim in med.

16 Iustinianus Imperator in edicto fidei multo propiùs ad med. quàm ad prin. *Omnes*, inquit, *Sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam siue substantiam & formam, & aliud subsistentiam siue personam: & naturam quidem vel substantiam & formam, hoc quod est commune significare: subsistentiam autem siue personam hoc quod est speciale.*

17 Concilium Florentinũ sess. 18. paulo post med. §. *diuina substantia.* & sequẽti, tacitè approbat quod Græci, cum Latinis conspirantes, supposuerunt ex Gregorio Nazianzeno & Basilio, substantiam à persona differre, *vt communicabile ab incommunicabili, & vt commune differt à proprio.*

18 Boëtius lib. de duabus naturis paulo propiùs ad med. quàm ad princ. penes vniuersale & particulare indiuiduum, constituit differentiam essentiæ à persona siue hypostasi & subsistentia. Vnde multo propiùs ad med. quàm ad princ. concludit: *Hoc inter naturam personamque differre diximus, quoniam natura est cuiuslibet substantia specifica proprietas: persona verò rationalis naturæ indiuidua substantia.*

19 Idem discrimen communis à proprio, communicabilis ab incommunicabili, speciei ab indiuiduo, & vniuersalis à singulari, tanquam sententiam omnium Patrum sequuntur alij plerique. Anselmus de Incarnatione Verbi cap. 3. & toto tract. de processione Spiritus sãcti, præcipuè versus fin. cap. *patet ergo.* Ricardus Victorin. lib. 4. de Trinitate cap. 6. prope fin. & toto cap. 7. præsertim in fine, atque in definitionibus personæ positis supra sect. 3. Hugo Æterianus ex professo lib. 1. de hæresibus, quas in Latinos Græci deuoluunt cap. 11. & 12. Ioannes Maxentius dialogo 1. cap. 12. 13. & 14. & in secunda professione fidei initio. Leontius de sectis Scholæ actione 7. non procul à princ. Thalasius hecaton. 4. 87. 88. & 97. S. Thomas in præsenti q. 29. toto art. 2. præsertim corpore, & communiter Scholastici.

20 *Aggregatum proprietatum distinguit personam ab essentia.*

Secundus modus explicandi prædictum discrimen hypostasis ab essentia consequitur ex præcedenti. Quemadmodum enim Porphyrius in cap. *de specie* prope fin. ait: *Indiuidua ex eo talia dicuntur, quia ex proprietatibus quodque constat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet.* Quod Logici solent dicere; *cuius collectio proprietatum nunquam est in alio eadem.*

21 Sic etiam Gregorius Nyssenus lib. de differentia vsiæ & hypostasis propiùs ad princ. quàm ad med. ait: *Hypostasis est ea substantia, quæ id quod & commune & indiscretum est, per id quod de quadam re dicitur, per apparentes nimirum in ea proprietates subijcit, circumscribit, atque definit.* Vnde concludit inter med. & fin. *Hypostasim concursum esse exposuimus proprietatum, quæ circa vnamquamque personam considerantur.*

22 Nazianzenus orat. 21. de laudibus Athanasij col. penultima ait: *Essentia Diuinitatis naturam, hypostases trium personarum proprietates declarant.* Et orat. 32. ad centum quinquaginta episcopos non longè post med. tres personas siue hypostases definit, *Esse tria quæ diuidantur, non naturis, sed proprietatibus.* Eodemmodo hypostasim declarat Elias Cretẽsis in orationem primam Nazianzeni n. 44. & in orat. 23. num. 29. Anastasius Theopolit. & Cyrillus Alex. in compendiaria expositione fidei, quæ vtrique simul tribuitur, ante med. definit, *hypostasim esse essentiam cum suis quibusdam proprietatibus, ab ijs, quæ eiusdem sunt speciei, numero differentem, id est, personam essentialem.* Et prope finem ait: *Hypostasis siue persona quod singulorum proprium est, declarat.*

23 Damascenus lib. 3. fidei cap. 6. à prin. *Hypostasim*, inquit, *definiunt substantiam cum accidentibus. Quare hypostasis, quod commune est cum proprietate habet.* Nec te moueat nomen accidentium: nam in præsenti non significat res inhærentes alteri, cum expresè Damasc. loco supra citato docuerit, hypostasim *per se constare, & per se cohærere.* Sed accidentia vocantur cõparatione rationis quasi specificæ, quæ sola retinet nomẽ essentiæ atque substantiæ. Propterea mirandum non est, quod Theorianus in legatione ad Armenos col. 4. hypostasim definierit, *Esse substantiam per se existentem, in qua congeries accidentium insit.*

24 Epiphanius diaconus in Septima Synodo generali, actione 6. tom. 3. illius actionis prope fin. §. *nequa*

§. *nequaquam* ait: *Hypostasim cum proprietatibus subsistentiam dicimus.* Magis expresè collectionem proprietatum in definitione hypostasis posuit Hugo Æterian. dicto lib. 1. de hæresibus cap. 11. & 12. His præterea consonant cætera testimonia, quæ propriori modo declarandi præsens discrimen, in hac sectione retulimus: in eis quippe frequenter recurritur ad proprietates. Consonant etiam Patres qui dicunt, *proprietatibus* constitui distinguique personas, vt referemus disp. 86. sect. 2. & sequentibus.

SECTIO VII.

Nomen personæ relationem vt subsistentem significat per modum substantiæ.

1 *Varia sententia.* DE variis acceptionibus, & magis propria significatione vocis istius *persona*, valde dissident Scholastici, non recentiores tantùm, sed etiam antiquiores. Nam vt omittamus eos, qui negationem aut secundam intentionem formaliter significare, putât, vt vidimus sect. 5. inter alios authores, qui realem esse dicunt formalem rationem personæ, quidam existimarunt, formaliter & in recto significare substantiam, id est, essentiam siue naturam diuinam. Alij naturam simul cum proprietatibus. Alij, formaliter & in recto significare proprietates seu relationes. Alij denique voluerunt significare communem rationem abstractam ab essentia & relatione.

2 Sub prædictis capitibus opinionum varios dicendi modos refert S. Thomas de potent. q. 9. art. 4. & Henricus 2. part. Summæ art. 53. q. 5. Sententiarum authores & fundamenta referemus, dum singula membra decisionis probauerimus in hac & sequentibus sectionibus. Tunc enim sicut melius intelligentur, ita minus confundent memoriam lectoris.

3 *Relationem quasi subsistentē primariò significat persona.* Sit igitur prima conclusio. Persona diuina formaliter, in recto atque primariò significat relationem diuinam quasi subsistentem. Non dubito hanc esse mentem S. Thomæ in præsenti q. 29. art. 4. & 1. dist. 23. quæst. 1. art. 3. corp. versus fin. Magis apertè docuit eam Caietanus in eundem art. 4. Valentia 1. p. sua q. 3. de personis puncto 4. Idémque verum esse supponit Ferrariensis 4. contra gentes cap. 13. §. *si autem instetur.* Et magis inclinat Ricard. in 1. dist. 25. art. 2. q. 1. Parum autem aut nihil ab eadem sententia distat Dionys. Carthus. 1. dist. 23. quæst. 2. cum Altissiodorensi & aliis Scholasticis.

4 Authoritate simul & ratione probatur primò, quia Cyrillus Alex. lib. 2. thesauri cap. 3. propiùs ad princ. quàm ad med. ait: *Cum simplex natura Deitatis sit, nunquam in plures personas distingueretur; nisi quædam inueniretur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem; & quasi extrinsecus intellecta, per quam vtriusque persona in propria hypostasi constituitur.* Vnde sumitur hoc argumentum: Vnumquodque nomen formaliter, in recto, atque primariò significat rationem constitutiuam sui significati: sed relatio est ratio, per quam persona Patris & Filij constituitur in propria hypostasi. Ergo nomen personæ formaliter, in recto, atque primariò significat relationem diuinam quasi subsistentem. Hypostasis enim est idem quod subsistentia, vt vidimus disputat. 31.

5 Confirmatur primò, nam & Anselmus in tract. de processione Spiritus sancti, cap. penult. prope fin. ait: *In hoc quod relatiuè Deus ad Deum dicitur, personarum admittit diuersitatem.* Et Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. longe post med. §. *dixi quidem*, docet: *Non alia ratione, quam vi relationis vnam personam ab alia differre apud omnes Græcos & Latinos doctores.* Quapropter idem colligitur ex omnibus Patribus, qui referendi sunt disp. 87. & 88. Quoniam dicunt, personas constitui vel distingui relationibus.

Confirmatur secundò, quia non minus efficax 6
argumentum accipi potest ex Patribus asserentibus, proprietates esse quibus personæ diuinę constituuntur & distinguuntur, quos referemus disp. 86. Inter quos magis apertè fauet instituto præsenti Theodoretus dialogo *immutabilis* 1. col. 2. dicens: *Hypostasim, personam & proprietatem idem significare dicimus, ea quæ à sanctis Patribus sunt definita sequentes.* Et Hieronymus in expositione symboli ad Damasum, quem refert, & probat Magister 1. dist. 25. cap. vlt. *Aliam*, inquit, *Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti esse personam. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas: vel vt Græci exprimunt hypostases, id-est, subsistentias confitemur.* Vnde merito Magister colligit, apud Hieronymum (vel authorem huius expositionis) proprietates esse personas.

Probatur secundò, nam & Augustinus epist. 7
66. ad Maximum medicum à medio, monet; Patris & Filij nomina *non significare naturam, sed alterius ad alterum significare personas.* Qui modus loquendi, famaliarissimus Augustino, denotat relationis formalitatem, quam appellant Scholastici *esse ad.*

Probatur tertiò, quoniam eiusdem Augustini 8
& aliorum Patrum constans doctrina est, Patrem, Filium & Spiritum sanctum non esse tres, sed vnum tantum, secundum ea omnia, quæ substantialiter dicuntur: Ideóque non esse vnum, sed tres, quo ad ea tantum nomina, quæ relatiuè dicuntur. Vt videre est apud Augustinum 5. de Trinit. cap. 8. & 11. Et fusiùs lib. 7. cap. 2. & per epilogum lib. 8. cap. 1. init. frequentérque serm. 38. de tempore. Boëtium lib. de Trinitate versus fin. Anselmum de Incarnat. Verbi toto cap. 3. Cum ergo Pater, Filius & Spiritus sanctus non sint vna persona, sed tres personæ: sequitur, personam non dici substantialiter sed relatiuè.

Confirmatur primò ex Anselmo, dicto cap. 3. 9
de Incarnat. Verbi, propius ad princ. quàm ad med. *Non enim*, ait, *sic sunt Pater & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.* Confirmatur secundò, quia secundum omnia Concilia & doctores Ecclesiæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vna essentia & vna substantia; vt probatum est disp. 20. & tribus sequentibus: sed Pater, Filius & Spiritus sanctus non sunt vna persona: ergo persona non est essentia, neque hoc nomen significat essentiam siue substantiam, prout substantia communiter à Latinis accipitur pro essentia.

Vnde sumitur probatio quarta, quoniam omne 10
nomẽ, propriè ac sine trãslatione Deo conueniens, vel significat substantiam, id est, essentiã, vel significat relationem (quod testimoniis Augustini & Boëtij probatum est disput. 10. sect. 4.) sed nomen persona propriè ac sine translatione Deo conuenit, supra sect. 4. Insuper hoc nomen non significat essentiam: ergo significat relationem. Minor probata manet in confirmatione proximè præcedenti: sed præterea deducitur euidenter ex eodem Augustino lib. 7. de Trinit. capite 4. in princ.

in princ. notante discrimen sermonis inter Græcos & Latinos doctores: nam Græci concedunt tres substantias (videlicet sub nomine hypostasis) quoniam illo nomine personas intelligunt. Contra verò Latini nomine substantiæ, non personam aut hypostasim, sed essentiam intelligunt: ideóque negant tres substantias. Ergo persona non est substantia, sicut à Latinis accipitur pro essentia. Quod sapienter obseruauit Magister 1. dist. 25. cap. *sciendum.*

11 Quintò probatur, nam in Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio (quemadmodum testimoniis Patrum ostendimus disp. 9. sect. 5.) Ergo persona foret vna tantum in Deo, nisi in persona relationis oppositio obuiaret. Sed non est vna tantum persona: ergo in ratione personæ clauditur relatio & eius oppositio.

12 Sextò probatur ex Fulgentio, lib. de fide ad Petrum cap. 1. (Quod ab Ecclesia maiorem authoritatem accipit in officio sanctissimæ Trinitatis) nam versus med. capitis asserit, *Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse personarum ab inuicem proprietate distinctos, non verò naturarum.* Et paulo post med. *In essentia non esse aliud Patrem, aliud Filium, aliud Spiritum sanctum. Quamuis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Ergo personæ ratio consistit in proprietate relatiua, qua sola personaliter distinguitur. Id quod obseruauit etiam Magister dicta distinct. 25. cap. *quibusdam.*

13 Septimò probatur ex Boëtio, apud quem licet non reperiam eadem verba, quæ S. Thomas in præsenti art. 4. in argumento *sed contra* ponit, videlicet; *Omne nomen ad personas pertinens, relationem significat.* Nihilominus horum verborum sensus meritò colligi potuit ex Boëtio lib. de Trinit. non procul ante fin. illis præcipuè verbis: *Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem, atque ideo sola sigillatim proferuntur, atque separatim, quæ relationis sunt.* Et sequenti libro. *Vtrum Pater & Filius & Spiritus sanctus substantialiter prædicentur de Diuinitate*, prope fin. ait: *Quod si personæ diuisæ sunt, substantia verò indiuisa sit; necesse est vocabulum, quod ex personis originem capit, id ad substantiam non pertinere.* Sed nullum vocabulum magis capit originem à personis, quàm nomen personæ. Ergo non pertinet ad substantiam, sed ad relationem.

14 *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis, quoniam Boëtius in vtroque libro citato, generalem regulam præscribit, ea omnia nomina, quæ de omnibus & singulis personis dicuntur, & non de vna tantum sigillatim ac separatim, significare substantiam & non relationem. Quod indicant aliqua verba nuper citata ex lib. de Trinit. Respondetur. Idem Boëtius limitat, exigens præterea, vt de omnibus personis collectiuè sumptis singulariter prædicetur, quod referemus sectione 9.

Diluitur.

15 Probatur octauò, quia personæ vel hypostasis formale significatum est illud, quo maximè distinguitur ab essentia. Distinguitur autem, quoniam hypostasis seu persona est id, quod proprium, indiuiduum, singulare & incommunicabile est, vt probatum est sect. præcedenti. At verò sola relatio est proprium, indiuiduum, singulare & incommunicabile. Ergo relatio est formale significatum hypostasis siue personæ.

16 *Per modum substantiæ significat persona.* Secunda conclusio. Persona diuina formaliter, in recto & primario significat substantiam, id est, rem subsistentem: atque illam significant per modum substantiæ, potiùs quàm per modum relationis. Ita docet S. Thomas dicto art. 4. corpor. & ad 1. & alij Scholastici citati pro prima conclusione, aliíque referendi sect. sequenti. Probatur autem explicatione temperante, quam S. Thomas adhibet verbis Augustini.

Nam lib. 7. de Trinit. cap. 4. fine ait: *Omnis res* 17
ad se ipsum subsistit. Et cap. 6. in princ. *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. Nam si esse ad se dicitur, persona verò relatiuè*, &c. Deducit tanquam inconueniens, quod deberemus concedere, *Patrem personam esse Filij & Spiritus sancti, aut Filium personam esse Patris*, &c. Vnde post pauca concludit: *Ad se quippe dicitur persona non ad Filium vel Spiritum sanctum, sicut ad se dicitur Deus & magnus.* Cui testimonio præcipuè nititur Magister 1. distinct. 23. cap. 2. & dist. 25. cap. 2. 3. & 4. Hæc igitur S. Thomas dicto art. 4. ad 1. ita declarat, vel potius temperat, vt verificentur quantum ad hoc, quod nomen persona non significet per modum relationis, sed per modum substantiæ; nec significet aliquid distinctum ab essentia, quo essentia sit persona, quia personalitas siue relatio Dei est idem realiter cum essentia, & in Deo *quod est*, non differt ab eo, *quo est*; vt fusiùs probatum est disput. 11. sect. 3. & sequentibus.

Consonat Ricardus Victorinus lib. 4. de Tri- 18
nit. cap. 19. inter med. & fin. dicens: *Timentes vbi non est timor, rectè timerent fateri, personas secundum substantiam dici, si persona simpliciter substantiam esse significaret, nec aliquid consignificaret. Significat autem habentem substantiale esse ex aliqua singulari proprietate. Ideo ergo fidenter fatemur, personas, in Diuinitate secundum substantias dictas, & substantiam significare & plures ibi personas, non plures substantias esse. Quia sunt ibi plures habentes vnum & indifferens esse ex indifferenti proprietate.*

Eandem sententiam cõfirmat in sequenti c. 20. 19
longè post med. At in vtroque notandum est, substantiam accipi, non vt significat meram essentiam, sed vt significat *habens rationale esse ex differenti & incommunicabili personali proprietate*, vt loquitur dicto cap. 20. Faciens autem Augustini mentionem in 7. de Trinit. cap. 4. videtur hæc dirigere ad eius explicationem. Clarior autem est mens Ricardi dicto lib. 4. cap. 6. ad fin. dicentis: *Ad nomen personæ subintelligitur proprietas singularis, indiuidualis, incommunicabilis. Ex his poteris aduertere, quod inter se multum differant significatio substantiæ & significatio personæ.* Quod idem confirmat sequenti cap. 7. præsertim in fine.

Primum membrum cõclusionis secundæ con- 20
ciliatur cum prima, simúlque probatur; quia diuina relatio, secundum formalissimam rationem relationis, est subsistens, imo est subsistentia ipsa; vt videbimus disput. 34. sect. 4. & disput. 88. sect. 2. & 3. At verò subsistentia, vel subsistens est supremus apex, vltimáque perfectio in ratione substantiæ. Confirmatur, quoniam, vt vidimus disputat. 23. sect. 3. & 4. Substantiæ nomen quandoque sumitur pro hypostasi, subsistentia seu supposito.

Secundum membrum conclusionis, videlicet, 21
hoc nomen significare per modum substantiæ potiùs, quàm per modum relationis, probatur; quoniam prius impositum est ad significandas personas creatas, in quibus personalitas non est relatiua. Atque inde prouenit, quod persona non dicatur ad conuertentia, sicut dicuntur relatiua. Dicimus enim, Pater est Filij Pater, & Filius est Patris Filius, & amicus est amici amicus: sed non dicimus, Pater est persona Filij, nec Filius est persona Patris (vt nuper obseruabat Augustinus.)

Cuius causa non est res significata, sed modus significandi: significat enim per modum substantiæ, non per modum relationis. Exemplum esse potuisset nomen aliquod simplex, impositum ad significandum totum, quod hoc complexum, *accidens supponens fundamentum.* Nam tale nomen non diceretur ad conuertentia, quia non significaret per modum relationis, sed per modum accidentis creati & imperfecti.

SECTIO VIII.

Cum doctrina sectionis præcedentis conciliantur placita plurium Scholasticorum.

1 A Vera sententia D.Thomæ, prout nuper exposita fuit valde parum, vel potius nihil in re, sed tantum loquendi modo discrepant aliæ, vel saltem verificantur simul cum illa. Nam imprimis S.Thom.de potent.quæst.9.art.4.corpor. fine docuerat, personam diuinam formali significatione denotare distinctum subsistens in natura diuina: & quia hoc non potest esse, nisi relatio vel relatiuum, ideo materiali significatione connotat relationem vel relatiuum. Hunc dicendi modum sequitur Capreolus distinct.25.quæst.vnica art.1. concl.3. & art.2. in solutionibus argumentorum: à quo non discrepat Deza in eadem distinct.art.1. & 3.præsertim notab.1.& 2.Canariensis 1.p.q.29. art.4. sua conclusione 2.

Persona de materiali relationem dicere, quomodo intelligatur.

2 Verùm hæc sententia sicut est eiusdem authoris; ita præcedentem adiuuat & explicat potius, quàm impugnat. Sensus enim est, quod relatio, sub explicito conceptu relationis, sit minus formale significatum, quàm ratio subsistentis distincti. Vnde fit, vt comparatione distincti subsistentis appelletur materiale significatum relatio; quamuis verè sit formale, præsertim si comparetur cum essentia diuina, quæ magis de materiali, & magis quasi remotè significatur nomine personæ. Verumtamen vnica tantum formalitas est relationis & subsistentiæ, vt ostendemus disput.89.sect.1.

3 *Alter modus loquendi.* Eiusdem sententiæ fuit, licet aliter loquatur, S.Bonauentura 1.distinct.25.art.1. q.1. Quamuis enim doceat, personam dici secundum substantiam & secundum relationem: substantiæ nomen accipit non pro essentia seu natura communi, sed pro supposito certo atque distincto. Quod magis explicuit Gabriel distinct.25. quæst.vnica artic.3. Nam apud illum persona dicitur secundum substantiam, non quia significet formaliter essentiam, sed quia primò & formaliter significat hypostasim siue suppositum diuinum, non exprimendo relationem.

4 *Tertius modus.* In idem redit, quod Vazquez disp.127. cap.2. decernit, personam significare formaliter & directè substantiam; sed non essentiam, nisi consequenter: at verò relationem directè significare,

Quartus modus. quamuis materialiter. Hoc idem aliis verbis, neque absurdè, docuerunt Scholastici, qui existimant, nomen personæ nec significare relationem, nec substantiam, sed aliquid commune & abstractum à substantia & relatione. (Hoc enim commune & abstractum non est aliud, quàm subsistens distinctum in natura diuina.) Ita prior docuit Scotus dist.25. quæst.vnica §. *si autem teneatur alia opinio*, quia non absolutè, sed sub disiunctione loquitur. Nec dissimiliter Aureolus 1. distinct.25.art.3.propositione 3. dicit, formaliter & in recto nomine personæ non significari essentiam nec relationem, sed tantum ens siue existens solitariè, nimirum incommunicabiliter. Atque in eodem sensu Maior. 1.distinct.25. dicit, personam esse terminum absolutum, vt distinguitur contra relatiuum, quia si per impossibile Deus esset vnica tantum persona; nihilominus illi conueniret hoc nomen.

5 *Quintus modus. Persona pro singulari proprietate.* Ad sententiam explicatam in sect. præcedenti, valde proximè accedunt, qui dicunt, personæ nomen magis significare & supponi pro singulari proprietate constituente, & distinguente (quamuis alias etiam significationes habeat) vt Albertus 1.p.q.44.memb.1.2.& 3. Alexander 1.p.quæst.56. memb.4. art.1. & 2. Quam sententiam inter eas, quæ docent, personam significare realem entitatem & non secundam intentionem, reputat probabiliorem Henricus 2.p.summæ art.53. quæst.5. Ægidius 1. dist. 23. q. 3. quem refert & sequitur Argentina eadem dist. 23. quæst. vnica art.3. sub init. concedit, personam, vt in diuinis reperitur, directè significare relatiuum siue relatum, & directè significare Patrem; sed non significare relationem seu paternitatem in abstracto, sed subsistens distinctum relatione. Quapropter excepto nomine concreti & abstracti, quantum ad cætera, videtur amplexus doctrinam S. Thomæ non solum in præsenti quæst.29. sed etiam in supradicta quæst.9. de potentia.

6 *Sextus modus.* Magister tandem 1. distinct. 25. cap. *sciendum.* & cap. *deinde* vsque ad fin. magis probare videtur acceptionem personæ pro hypostasi vel proprietate; quamuis admiserit etiam intelligentiam personæ pro essentia, quam impugnabimus sect. sequenti.

7 *Dissidet Marsilius solus.* Solum denique reperio Marsilium, qui concordiam cum vera sententia non admittat, nisi violenter extortam. Etenim primo quæst.28. artic.2. post med. & artic.3. docuit expressè, personam primariò significare substantiam, secundariò relationem: videtur autem essentiam intelligere substantiæ nomine. Sed hoc impugnabitur sect.sequenti.

SECTIO IX.

Naturam siue essentiam non in recto & de formali, sed in obliquo vel de materiali nomen personæ significat.

1 HAnc reor esse mentem omnium Scholasticorum, quos retuli sect. 7. & 8. sed magis apertè illorum, quos retuli sect.8. pro concluſ.1. Quam licet ambiguis verbis docuerit S. Thomas in præsenti art. 4. disertè tamen atque perspicuè tradidit quæst.34.art.3.ad 1.

2 Primum membrum assertionis, videlicet, essentiam siue naturam non esse formale significatum in recto. Probatur primò, quia si persona diuina formaliter & in recto significaret naturam; non possent simpliciter affirmari tres personæ distinctæ. Nomen quippe substantiuum non potest simpliciter multiplicari, nisi multiplicetur totum eius significatum formale (quemadmodum dicemus disput.77. sect.2.& 3.) sed natura diuina non multiplicatur in tribus personis. Ergo non est significatum formale naturæ diuinæ.

Nō multiplicaretur persona, si formale significatum esset essentia.

3 Quamuis hoc ipsum ingenuè fateatur Magister, citatus ad fin. sectionis præced. Cæterum limitat, vt aliud sit formale significatum, quando dicimus, Pater est persona, Filius est persona: aliud quando dicimus, esse tres personas. Eius autem præcipuum fundamentum 1. distinct. 25. cap. 2. sumitur

sumitur ex Augustino lib.7.de Trinitate cap.6.dicente, propterea dici tres personas, quia commune est illis tribus esse personam. Vnde videtur inferri, Patrem dici personam, & Filium similiter dici personam, quemadmodum Pater dicitur esse Deus, & Filius similiter dicitur esse Deus, tunc enim nulla significatur distinctio; quæ tamen significatur, quando Filius dicitur Deus de Deo. Prior hanc doctrinam inuexisse videtur Hugo Victorinus eruditionis Theolog. summæ sentent. tract.1. cap.9. post med. Verumtamen hoc argumentum si rectè ac plenè sumatur, potius confirmat præsentem assertionem.

4 *Dici posset vna persona Pater & Filius & Spiritus sanctus.* Sit ergo probatio secunda, nam vt docuit idem Augustinus 5.de Trinit.cap.8.sub init. *Tanta est vis eiusdem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu sancto, vt quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur.* Et post med. eiusdem capitis: *Quidquid ad se ipsum dicitur Deus, & de singulis personis singulariter dicitur, & simul de ipsa Trinitate non pluraliter, sed singulariter dicitur.*

5 Vnde sapienter Boëtius lib. *Vtrum Pater & Filius & Spiritus sanctus de Diuinitate substantialiter prædicentur*, ante med. & in medio notat, duas conditiones simul debere concurrere, vt aliquod nomen substantialiter prædicetur. Prima est de omnibus & singulis personis sigillatim prædicari. Secunda, singulariter & vnitè prædicari de omnibus personis collectiuè sumptis. *Id erit signi*, Boëtius ait, *quæ sint, quæ de Diuinitatis substantia prædicentur; quod quæcumque hoc modo dicuntur de singulis, in vnum collectis tribus singulariter prædicabuntur hoc modo. Si dicimus, Pater Deus est, Filius Deus est, Spiritus sanctus Deus est: Pater, Filius & Spiritus sanctus vnus Deus.* Et paulo inferius: *Vnde apparet, ea quæcumque in singulis separatim dici conuenit, nec tamen in omnibus dici queunt, non substantialiter prædicari, sed alio modo.* Huiusmodi autem sunt hypostasis, persona siue suppositum, quamuis enim Pater dicatur persona, & Filius similiter dicatur persona: nihilominus nemo, nisi Sabellianus, concesserit, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sit vna persona.

6 Confirmatur, nam relatio vel relatiuum prædicatur de singulis personis diuinis. Verè namque, Pater est relatus, & Filius est relatus, & Spiritus sanctus est relatus. Sed quia non sunt vnus relatus, sed tres relati; propterea non sequitur, hoc prædicatum significare substantiam, sed significare relationem. Idem argumentum fieri potest de aliis nominibus, quæ de tribus aut de duabus personis sigillatim prædicantur, propter earum proprietates personales. Cuiusmodi est, *realiter distinctum, procedens ab alia persona, principium alterius personæ.*

7 *Sequeretur esse duas personas in Christo Domino.* Tertiò probatur, quia sequeretur in Christo Domino concedendas esse duas personas, sicut cóceduntur duæ naturæ siue duæ essentiæ. Sequela probatur, nam multiplicato formali significato nominis substantiui, potest ipsum nomen multiplicari. At verò in Christo Domino non esse duas, sed vnicam tantummodo personam, definitum est plurimis Conciliis & Patribus. Confirmatur, quia non esset maior ratio concedendi duas naturas, quàm duas personas; si vtriusq; nominis idem est formale significatum per modum substantiui.

8 Quartò probatur omnibus fundamentis, quibus sect.7. fuit ostensum, quod personæ nomen in recto & formaliter significet relationem, & substantiam, prout accipitur pro subsistentia. Cum hoc enim significato formali non est compossibile, formaliter & in recto significare naturam siue essentiam diuinam.

Ruiz. de Trinitate.

9 Quintò declaratur magis, & corroboratur præsens assertio, quia non solum post Concilium Nicænum & Alexandrinum, quod decreuit, tres hypostases vel personas contra Sabellium confiteri; sed etiã ante illa Concilia, per se loquendo, quantum est ex vi propriæ significationis, hoc nomen nunquam significauit essentiam de formali. Nam si tunc ex vi propriæ significationis formaliter & in recto significaret essentiam; data fuisset hæreticis occasio dicendi (quod sæpe criminabantur Sabelliani & Ariani) Catholicos concedentes tres personas, concedere tres essentias & tres Deos.

Sequeretur esse tres essentias.

10 Confirmatur, nam assistentia Spiritus sancti, dirigẽs Conciliorum verba in re summi momenti, non permisisset, hanc occasionem dari, vocem alienando à propria significatione. Sic aduersus Magistrum ratiocinatur S.Thomas in hoc art. 4. & de potent. quæst.9. art.4. & quamuis Carthus. dist.23.q.2.prope fin.& alij conentur solutionem adhibere; non eneruant vim argumenti.

11 *In obliquo & de materiali naturã significat persona.* Secundum membrum assertionis, quæ fuit titulus præsentis sectionis, erat, nomen personæ vel semper vel aliquando significare de materiali vel in obliquo naturam diuinam. Quamuis enim de formali significet relationem subsistentem; non significat eam, vt solam & præscissam, sed quasi coalescentem in vnum quasi totum resultans ex essentia veluti materia, & relatione seu personalitate quasi forma.

12 *Patres aliquãdo naturam includũt in significato personæ.* Probatur primò, nam aliqui Patres in hoc sensu congruenter intelligentur, nihil dixisse contrarium veritati probatæ nuper & in sect.7. quando in significato personæ simul cõiungunt cum proprietate naturam. Sic enim Ioan. Theolog. in Concil. Florent. sess.18. paulo post med. §. *diuina substantia*, ait: *Persona ex substantia proprietatibusq; consistit.* Et sess.19. fine. Marcus *Personam*, inquit, *ex diuina substantia proprietateq; constare, ita vt persona nil aliud, nisi substantia & proprietas sit.* Quin etiam, *Filium ex Patris essentia constare*, definiunt Nicæni Patres, vt scribit Athanas. epist. ad Afros pag.4. Theodoretus refert lib.1.histor.cap.8. Ponitur autem lib.2. Concilij Nicæni prope fin. Fateor tamen, in aliis translationibus non legi *constare*, sed *esse*. Cæterum contextui magis quadrat *constare*.

13 Damascen. 3. fidei cap. 6. à princip. *Hypostasim definiunt* (Patres) *substantiam cum accidentibus.* Quod explicuimus sect. 6. prope fin. Simili definitione personam explicuit Elias Cretensis in orationem primam Nazianzeni num.44.& in orationem 23. num.29. dicens, Hypostasim esse *essentiam cum proprietatibus.* Quod idem Thalasius hecaton.4. num.88. ex Scholasticis, personam non solum relatione, sed etiam essentia constare, magis ex professo probant Henricus 2.part. summæ art.56.quæst.4. Aureolus 1.distinct.26.art.3. propos.it.2. Obiter Ricardus distinct.26.art.1.quæst.1. in fine corporis.

14 Probatur secundò, nam ita insinuat S.Thomas præsenti q.29. art.4. tam in corpore, quàm ad argumenta. Clarius hoc supponit in præced.art.3. corpore, quia persona non significabit, quod perfectissimum est in natura intellectuali; si personalitatem à natura præcisam significet. Hæc enim minus perfecta est, quàm natura, vt vidimus sect. 4. Quapropter in persona creata manifestius est, naturam importari simul cum personalitate atque in recto; licet magis de formali significetur personalitas, & quasi de materiali natura. Quoniam verò nomen à creaturis ad Deum eleuatum est,

congruentius fuit, eandem significationem proprietatis & naturæ retineri: præsertim cum in Deo natura magis intrinsecam magísque necessariam connexionem habeat cum personalitate, quàm in creaturis.

15 Confirmatur, quia nostra personalitas non est persona, sed est modus constituens personam. Solius namque Dei proprium est, personalitatem esse personam; quia non solum est quo natura subsistit, sed etiam est ipsamet subsistentia subsistens, ad quod requiritur quidditatiua inclusio naturæ, quam probauimus tota disput. 13.

SECTIO X.

Prosopon, Res naturæ & Vsiosis quid valeant.

1 *Prosopon.* APud Græcos idem esse prosopon, quod apud Latinos persona, constat non solum ex Damasceno lib. de decretis primæ institutionis c. 1. Sed etiam ex Augustino 7. de Trinit. cap. 6. init. Quem sequitur Magister & omnes Scholastici 1. distinct. 25. cap. *quod enim.* Boëtio lib. de duabus naturis inter princ. & med. quem recipit S. Thom. in præsenti q. 29. art. 3. argum. 2. Quapropter eadem est definitio, necnon significatio prosopi, quæ præcedentibus omnibus sectionibus explicata fuit circa vocabulum persona. Consequenter itaque de prosopo debent intelligi cuncta, quæ dicta sunt & in sequentibus disputationibus dicentur de persona.

2 *Res naturæ.* Vocabulum *res naturæ* solus induxit Hilarius, ante quem nemo Patrum, imo neque post ipsum vtitur eo nomine. Recipitur tamen ab Scholasticis antiquioribus, vt Magistro 1. dist. 34. cap. 1. & 2. Alberto 1. p. q. 43. memb. 2. art. 1. ad argumenta, & art. 2. ad 2. & memb. 3. art. 2. Alexandro 3. p. q. 7. memb. 1. art. 3. S. Thom. q. 29. art. 2. corpore declarat, personam appellari rem naturæ, secundum quod supponitur alicui naturæ. Et quamuis hoc complexum, quantum est ex vi suarum partium, significare posset quamlibet rem pertinentem ad naturam, seu quam haberet natura: nihilominus in Deo nihil aliud significat, nisi personam: quia in Deo nihil aliud est, quod non sit formaliter natura, nisi sola persona.

3 Finis autem inducendi prædictum complexum fuit, explicare, quomodo Filius & Spiritus sanctus, licet realiter distinguantur à Patre, sint res eiusdem naturæ cum Patre. Quemadmodum Hilarius lib. 8. de Trinitat. multo propius ad med. quàm ad principium. *Non idem est*, inquit, *natura, quod naturæ res: sicuti non idem est homo, & quod hominis est; nec idem est ignis, & quod ignis ipsius est: & secundum hoc non idem est Deus, & quod Dei est.* Et non longè inferius: *Spiritus sanctus, qui & Spiritus Christi & Spiritus Dei, res naturæ demonstratur vnius.* Et post pauca: *Idem Spiritus Christi est. Res naturæ Filij est, sed eadem res & naturæ Patris est.* Sequentíque lib. 9. de Trinit. colum. 3. de Christo Domino sic loquitur: *Ipse ex vnitis in id ipsum naturis, naturæ vtriusque res eadem est, ita tamen, vt neutrò careret in vtroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset.* Eodem sensu *Rem Dei* Spiritum sanctum appellat semel & iterum lib. 12. de Trinit. colum. penult.

4 *Vsiosis vel vsiodes.* *Vsiosis*, vel *Vsiodes* idem est Græcè, quod Latinè subsistentia, siue persona, vt constat ex Boëtio lib. de duabus naturis multo propius ad med. quàm ad princip. Quamuis ibidem aliquando accipiat pro natura communi, sicut declarabimus disp. 34. sect. 3. & sect. 8. versus finem. Eadem verò significatione personæ recipitur hoc nomen ab scholasticis, vt S. Thom. q. 29. art. 2. argum. 5. & eius solutione, Alexandro 1. part. q. 57. memb. 3. Alberto 1. part. quæst. 43. memb. 1.

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum in diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit ponere plures personas in diuinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo sint plures personæ, quàm tres.

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrum Pater, Filius & Spiritus sanctus sint tres personæ.

SECTIO I.

Catholica fides affirmat.

VOD attinet ad rem ipsam, Patrem, 1
Filium & Spiritum sanctum esse realiter distinctos, atque per se subsistentes, probatum est tota disput. 19. Plura fundamenta, ex sacris literis, ostendentia Trinitatem, hoc est, tres, qui sint vnus Deus, vt vnius essentiæ, videbimus disp. 36. sect. 2. 3. 4. & 5. Nunc præcipuè probandus est modus loquendi per vocabulum persona, quemadmodum per vocabulum hypostasis probatus est disput. 31. sect. 4. & 5.

Deistæ, qui & Trinitarij seu Ariani noui, ex 2
Lutherana secta exorti, authore Gregorio Pauli *Error.*
ministro Cracouiensi, concedebant, tres hypostases esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum: negabant autem esse tres personas, vt refert Praetolus verbo *Deistæ*. Rationem autem refert Sanderus de visibili monarchia lib. 7. hæresi 228. quia sic non loqueretur Scriptura. Vnde postea symbolum Athanasij vocabant symbolum Sathanasij.

Nihilominus fides Catholica docet, Patrem, 3
Filium & Spiritum sanctum esse tres personas. Atque hac voce, *persona*, substantiam indiuiduam & incommunicabilem naturæ intellectiuæ significant Patres Latini, frequenter eam vsurpantes, sicut Patres Græci vtuntur voce prosopon, quæ personæ correspondet. Propterea quando citauerimus Græcos Patres pro tribus personis, intelligendum est asseruisse tria prosopa: Latinos verò personas posuisse.

Est igitur obseruandum, non eodem modo 3
cunctos Patres omnibus in locis asseruisse tres personas. Nam aliquibus in locis hoc quasi virtualiter & initiatiuè docuerunt, exprimentes solummodo

solummodo *personam vtramque*, vel *duas personas*; aut dicentes solummodo *personas in plurali*, non assignato numero ternario. Vel dicentes, *aliam esse personam Patris, aliam Filij*, &c. Vel *propriam esse personam Patris, & propriam Filij*, &c. Sic Ecclesia profitetur in symbolo Athanasij, *Non confundentes personas, neque substantiam separantes: alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.* Et infra: *Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.*

5 Nicænum primum Concilium lib. 2. de actis ante decretorum constitutionem col. 8. §. *sancta & magna*, sic loquitur per Osium: *Diuinitas non est vna persona, vt Iudæi opinantur; sed tres personæ verè subsistentes, non solo nomine.* Deinde *tres personas* repetit inter med. & fin. eiusdem lib. §. *audiam*, & propiùs ad med. quàm ad fin. §. *cum sit copiosa.* Similiter loquitur Secundum Nicænum Concilium, quod est generale Septimum act. 3. in confessione fidei Tharasij, & longè inferius in confessione fidei Theodori, quam vtramque probat Synodus.

6 Fidem eandem docent omnia Concilia & Patres, qui sequuntur vsque ad fin. sectionis. Chalcedonen. Concilium, quod est generale Quartum act. 16. in profess. fidei prope init. Damasus Papa in professione fidei ad Paulinum Thessalonicen. Agatho Papa in sexta Synodo generali actione 4. epist. 2. quæ est instructio legatorum col. 2. & in eadem Synodo act. 11. Sophronius Patriarc. Constantinopolit. in epist. professionis fidei col. 2. 3. & 4. Lateranense Concilium cap. *firmiter*, sub init. & cap. *damnamus* de summa Trinit. Leo Magnus epist. 93. alias 91. ad Turibium Austerienſem Episcop. cap. 1. & serm. 2. de Pentecoste cap. 2. & 3. Gregorius Papa in registro lib. 1. epist. 41. ad Leandrum post med. ait: *In tribus personis vna substantia est.* Et post pauca: *In tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest Diuinitatis singularitas designari.*

7 Concilium Florentinum tota sess. 18. & 19. tacitè probans, quod frequenter asserebant tres disputatores Ioannes, Marcus & Bessarion, præcipuè sessione 18. post med. §. *diuina substantia* & sequentibus. & sess. 19. §. vltimo. Concilium Toletanum 6. in professione fidei, & Toletanum vndecimum in professione fidei, & Vuormacienſe similiter in professione fidei. Dionysius Areopag. de diuinis nominibus cap. 2. inter princip. & med. & apud illum Hierotheus in fine eiusdem capitis. Alexander Alex. epist. ad Alexandrum Constantinopol. colum. 7. quæ ponitur lib. 1. Actorum ante Concilium Nicænum. S. Martialis Apostolorum discipulus epist. 1. ad Burdegalenses cap. 10. fine. Iustinus quæst. 17. & 18. ad orthodoxos, & q. 129. ad orthodoxos. Origenes in cap. 21. Numerorum homil. 12. col. 2.

8 Athanasius frequenter libris septem de vnita Deitate, & dialogo 1. contra Macedonium propius ad med. quàm ad princ. sed magis ex professo in quæstionibus, quarum prima est, *Quid est Deus*, tota quæst. 4. & 7. & toto serm. in Euang. de sanctiss. Deipara. Nazianzenus orat. 29. de dogmate & statu Episcoporum, propiùs ad med. quàm ad princ. & orat. 25. ad Arianos, & de se ipso col. vlt. & orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos post med. num. 56. & 57. præsertim verò orat. 37. quæ est 5. de theologia propius ad med. quàm ad ad princ. & tractatu de fide, qui est orat. 49. præsertim colum. 3. & in fine tractatus.

9 Gregorius Nyssenus orat. catechetica c. 1. init. & orat. 1. in illud *Faciamus hominem*, & in epist. de imagine & similitudine aduersus Apollinarem colum. 2. & propius ad fin. quàm ad medium eiusdem epist. Potissimum in lib. de differentia essentiæ & hypostaseos prope med. & post med. Basilius Hexæmeron homil. 10. pag. 2. & tota homil. 28. contra Sabellianos. Chrysostomus in Ioannem cap. 16. homil. 77. in med. & homil. 1. ad Galat. cap. 1. col. 4. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. thesauri cap. 1. colum. 2. & lib. 12. cap. 14. versus fin. & in fine. Necnon dialogorum de Trinitat. lib. 1. propius ad fin. quàm ad medium, & sequenti lib. 2. colum. 5.

Epiphanius hæres. 69. pag. penult. & hæres. 73. 10
propius ad med. quàm ad princ. Damascenus lib. de decretis primæ institutionis in procemio & cap. 1. & lib. de duabus Christi voluntatibus non procul à princip. & in contextu sequenti. Atque inter opera Damasceni S. Maximus lib. de duabus Christi naturis. Theodoretus in fragmento penult. & vlt. quod refertur in Breuiario Liberati ad finem, Theophilactus Ioannis 1. non longè à princip.

Gregorius Bœticus lib. de Trinit. col. 4. 7. & 8. 11
Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus. Anastasius Patriarc. Theopolitan. in compendiaria expositione fidei prope med. Ephrem Syrus opusc. de sui ipsius reprehensione tom. 3. Nam aliud eiusdem tituli ponitur tom. 1. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 143. & lib. 3. epist. 112. & 149. Ecclesia per Illyricum epist. ad Symmacum Papam multo propius ad fin. quàm ad med.

Tertullianus lib. contra Praxeam. Ambrosius 12
lib. 6. Hexæmeron cap. 7. prope med. & in symbolum Apostolorum cap. 9. 10. & 11. Necnon lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 1. & lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 2. ante med. & cap. 7. frequenter. Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad princip. dum exponit fidem Antiochenam §. *volens*, & paulo post med. libri dum refert & approbat fidei Syrmicæ canonem 18. anathematizantis eum, qui dixerit, Patrem & Filium esse vnam personam. Hieronymus epist. 57. ad Damasum. Phœbadius lib. contra Arianos paulo post med. & prope fin.

Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 8. & 9. & lib. 7. 13
cap. 4. 5. & 6. & lib. 15. cap. 22. & 23. & serm. 38. de tempore. & serm. 125. & 190. & 191. de tempore, & alibi sæpe. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. & 2. & serm. de duplici natiuitate. Et ad obiectiones Arianorum respon. 1. fine & 4. inter princ. & medium & 7. præcipuè verò 10. Isidorus lib. 7. etymolog. cap. 4. & lib. 2. de differentiis spiritualibus, cap. 2. & 3. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. Et lib. de processi. Spiritus sancti præsertim cap. 3. & in monolog. cap. 76. Beda lib. de opere sex dierum sub tit. de creat. hominis, & quæstionibus in Genes. q. de die 6. Bernard. epist. 190. ad Innocentium frequenter. Lactantius lib. 4. diuinar. institutionum cap. 29. ad fin. Ricardus Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 5. & multis sequentibus, & lib. 5. per multa capita.

Denique non solum apud Græcos, sed etiam 14
apud Latinos dicere licebit *tria prosopa*, vel *tres vsioses* propter eandem significationem, quam explicuimus disput. præcedenti sect. 10. vitando tamen ignorantium scandalum, addita declaratione, cum opus fuerit. Quæ cautio magis erit necessaria, si quis voluerit asserere tres res naturæ; quoniam istæ voces iam in desuetudinem abierunt.

SECTIO II.

Diuinas personas esse tres, & non plures, ratione probatur.

1 VEritas hæc demonstrari non potest, nisi suppositis principiis fidei, dictantis, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse tres re ipsa distinctos, vt ostendimus tota disp. 19. eosdémque simul esse vnum, vt ostendimus disput. 20. & quatuor sequentibus: Ex quibus constat, eos vnum esse in essentia siue natura. Quapropter nihil aliud restat ratione cuius distinguantur, nisi ratione suppositorum, siue subsistentiarum. Consequens igitur est, vt Pater, Filius & Spiritus sanctus sint tria suppositа distincta, & incommunicabilia intellectiuæ naturæ, quod ipsum est, tres personas esse, vt constat ex disput. præced. sect. 2. & 3. & magis explicabitur disp. sequenti sect. 3. & sequentibus. *Probatio prima.*

2 Probatur secundò, quoniam actiones siue productiones sunt suppositorum ex Aristotele 1. metaphys. cap. 1. & lib. 2. ethic. cap. 7. Scimus autem aliquam productionem conuenire Patri vt principio, quæ non conuenit Filio: prætereáque productionem aliquam conuenire Patri & Filio tanquam principio, quæ non conuenit Spiritui sancto. Sunt igitur suppositа distincta Pater & Filius. Præterea Spiritus sanctus cum non sit accidens; debet esse subsistens atque suppositum, & non erit idem suppositum cum Patre neque cum Filio, quia non est principium productiuum earundem operationum.

3 Tertiò probat S. Thomas in præsent. quæst. 30. art. 1. corpore, quia diuina persona significat relationem, vt subsistentem (sicut probatum est disp. præcedenti sect. 7.) sed in diuinis esse plures relationes originis, probatum est disput. 9. sect. 2. & sequentibus. Ergo sunt plures personæ.

4 Vnde in sequenti art. 2. concludit, non esse plures personas, quàm tres, licet in Deo numerentur quatuor relationes; quoniam vna ex illis, videlicet spiratio actiua non opponitur Patri & Filio. Proptereáque realiter identificatur cum illis (vt ostendimus tota disput. 17. & 18.) Restant ergo solummodo tres relationes inuicem oppositæ secundum originem: & consequenter illæ tantummodo realem distinctionem afferent; siquidem in Deo non est possibilis distinctio realis, nisi propter oppositionem relatiuam, vt vidimus disp. 9. sect. 5. fundamento 3.

5 Quintò probatur, quoniam illud 1. Ioann. vlt. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Et cætera omnia testimonia Scripturæ sacræ, Conciliorum & Patrum, quæ probant Trinitatem, eadem probant, non esse plures personas, quàm tres. Nam quicumque asserit numerum rerum, asserit aliquid fixum, cui nihil subtrahere, nihil addere liceat. Confirmatur, etenim si Trinitati personam aliquam subtrahas; iam non erit Trinitas, sed dualitas: rursus si Trinitati personam aliquam addas, iam non erit Trinitas, sed quaternitas.

6 Sextò probatur, quia diuinæ processiones non possunt esse, nisi operationes immanentes, vt probatum est disp. 2. sect. 2. & 3. Sed in substantia purè intellectuali & perfectissima duæ operationes immanentes, & non plures reperiri possunt, videlicet, intellectio, & volitio: ergo duæ tantùm processiones erunt, & consequenter erunt duæ personæ procedentes, & vnica persona, quæ sit principium illarum. Etenim vnicam personam, & non plures, esse debere improductam, & principium aliarum, ostendimus disput. 1. sect. 3. de quo videri potest Ricardus lib. 5. de Trinit. cap. 3. 4. & 5. Totam ratione ponderat magis scholasticè S. Thom. 4. contra gent. cap. 26. §. 2. & aliis in locis notatis disput. 3. sect. 1. ratione 1. *Ex numero operationum immanentium.*

Confirmatur, quia per intellectionem diuinam non possunt duæ personæ procedere, quoniam 7
vnica exhaurit & adæquat totam illius virtutem. Atque idem intellige de volitione. Quæ omnia confirmantur authoritate Scholasticorum & rationibus adductis disp. 3. sect. 1. & 2. Hanc rationem, & singula eius membra fusius corroborat, & ab obiectionibus defendit Scotus 1. distin. 2. q. 2. quæ est 5. in ordine: eam verò Durādus impugnat eadem dist. 2. q. 4. Veruntamen solummodo probat, opus esse supponere fidem supernaturalem, vt in eiusmodi rationibus sit aliqua probabilitas.

Septimò probat Hugo Victorinus eruditionis theologicæ summæ sententiarum cap. 10. à med. 8
quia omnes perfectiones & attributa diuina reducuntur ad tria, potentiam, sapientiam & bonitatem voluntatis. *Vbi enim concurrunt hæc tria posse, scire, velle, nihil deest. Si aliquid horum tollas, non est summa perfectio. Est ergo Trinitas perfecta, quæ non potest minui, nec augeri.*

Octauò probat Nazianzenus orat. 13. quæ est 9
2. de pace prope med. dicens: *Trinitatem, vnitate nimirum vlterius se se propter opulentiam proferente, binario autem superato, propterea quod supra materiam & formam sit, ex quibus corpora constant. Trinitate verò propter perfectionem definita (hæc enim prima binarij compositionem superat) vt nec angusta maneat Diuinitas, nec in infinitum diffundatur. Illud enim minus glorioſum, hoc ethnicum, ac plurium deorum cultum redolens.* *Congruentiæ.*

Alias congruentias inuenit Ricardus Victor. 10
quibus vtuntur communiter Scholastici locis infra citandis. Sit igitur octaua ratio, quam Ricard. Victor. persequitur fusius lib. 3. de Trinit. à cap. 2. vsque ad 20. Sed breuiùs tangit lib. 5. cap. 8. quoniam ad perfectionem diuinæ fœlicitatis seu beatitudinis & gloriæ, necnon ad perfectionem diuinæ bonitatis requiritur perfecta charitas (siquidem perfecta charitate nihil est perfectius, iucundius aut dulcius.) At verò perfecta charitas requirit tres personas & non plures. Amor enim, quo vna persona se ipsam tantum diligit, est amor priuatus, & non charitas vera. Foret autem inordinatum aliam personam summè diligere, quæ non esset persona diuina. Consequens igitur est, in Deo charitatem summam esse non posse, nisi plures sint personæ diuinæ. Rursus charitas non erit perfecta, si duæ tantum fuerint personæ: quoniam ad perfectionem charitatis requiritur, quod amās velit, personam à se dilectam ab alia etiam æqualiter diligi. Nam indicium magnæ infirmitatis est non pati consortium amoris: illud autem libentissimè suscipere maximæ perfectionis est, videlicet, vt persona diligens non solum gaudeat habere dilectam, sed etiam condilectam. Oportet igitur esse tres personas, videlicet amantem & dilectam & condilectam.

Confirmatur, quia de ratione boni est communicatio, proptereáque de ratione summi boni est 11
summa communicatio. Hæc autem Deo defuisset, nisi communicaret infinitas dēlicias mutuę charitatis. Vnde fit, esse conueniens in Deo non solum esse secundam personam, mutua charitate diligendam à prima; sed etiam tertiam personam esse, cui communicentur deliciæ perfectæ charitatis.

12 Nona congruentia, quoniam expedit, in Deo modos amoris infiniti tres & non plures esse. Scilicet, esse debet amor omnino gratuitus & nullo modo debitus, conueniens personæ improductæ quæ Pater est. Præterea debet esse amor omnino debitus, & nullo modo gratuitus, conueniens personæ non producenti, nempe Spiritui sancto. Denique requiritur amor, qui simul sit debitus & gratuitus, conueniens personæ productæ & producenti, videlicet Filio.

13 Hanc tradit Ricard. Victorinus lib. 5. de Trinit. cap. 16. vsque ad 24. notans in cap. 20. fine. sanum intellectum illarum vocum, ne *gratuitus* amor intelligatur quasi non necessariò, nec naturaliter sequatur ex dignitate personæ dilectæ, & bonitate personæ diligentis: Insuper ne *debitus* intelligatur quasi à persona subiecta, & non ex natura sua, sed per gratiam accipienti Diuinum esse, quod accipit. Tantummodo namque significatur respectus dantis & accipientis totam perfectionem, quam habet.

14 Decimam congruentiam tradit Ricardus lib. 5. de Trinit. cap. 13. 14. & 15. quia personæ tres & non plures requiruntur ad summam concordiam, summámque proportionem, quam appellat geometricam; iuxta quam vnius personæ proprium est dare & non accipere: alterius proprium est accipere & non dare. Inter vtramque verò personam intercedit media, cuius proprium est dare simul & accipere. Vltra quas personas si daretur alia, sequeretur, duas personas inter se conuenire in dando simul & accipiendo, quia nisi darent, non procederet ab illis quarta persona; & nisi acciperent, duæ personæ non existerent. Hoc autem ideo discreparet à proportione, quia prima persona cum duabus intermediis conueniret solummodo in dando, & cum eisdem intermediis quarta persona conueniret solummodo in accipiendo; sed persona secunda & tertia conuenirent simul in dando & accipiendo.

15 Hanc rationem attigit S. Thomas de potentia quæst. 9. art. 9. in *sed contra*. Et S. Bonauent. 1. sentent. dist. 2. artic. 1. quæst. 4. corpore, subiungens alium modum proportionatæ combinationis, vt vna persona sit principium non principiatum, & alia persona sit principiata non principium. Intermedia verò persona sit principiata & principium. Cui consonat S. Thom. 4. contra gent. c. 26. n. 3. Quia personarum modus quantum ad processionem, non potest esse, nisi triplex, videlicet, aut personæ non procedentis, aut procedentis à non procedente, aut procedentis à procedente.

16 Expresso nomine Ricardi, & multis illius verbis, quas retulimus congruentias ponderat Alexander 1. p. quæst. 43. memb. 5. & q. 45. memb. 7. Albertus 1. p. quæst. 42. memb. 3. S. Thomas de potent. quæst. 9. art. 9. in *sed contra*. Et 1. senten. dist. 2. quæst. 1. art. 4. Vbi S. Bonauentura art. 1. quæst. 4. Ricardus art. 2. quæst. 1. Carthusianus q. 6. Argentina q. 2. art. 1. init. Henricus in summa artic. 43. q. 8. & 9. & art. 54. q. 2. & quodlib. 6. q. 1. Marsilius in 1. q. 6. art. 1. concluſ. 3. Ægidius 1. dist. 10. q. 3. Vbi Maior quæst. 2.

17 Prædictæ rationes, octaua, nona & decima longissimè distant ab euidentia, quam illis arrogat illarum author Ricardus. Imo nisi supernaturalis reuelatio persuaderet assensum, nullam omnino probabilitatem efficerent; vt ostendemus disp. 41. & duabus sequentibus. Ab illis autem resecuimus alios discursus, quos author interserit ad eas corroborandas; quoniam in illis inueniuntur aliqua, quæ temperamentum, aut declarationem desiderant, alia minus ad rem præsentem idonea, nonnulla etiam, quorum probabilitas vix aliqua videtur esse, multis autem impugnationibus expositа.

SECTIO III.

De perfectione numeri ternarij.

SIt postrema congruentia, quam S. Bonauentura 1. dist. 2. art. 1. quæst. 4. corpore post med. accipit ex perfectione numeri ternarij. De quo Philosophus lib. 1. de cælo cap. 1. text. 2. & 3. tanquam conclusionem statuit: *Quod ipsa tria omnia sunt, & ter ipsum omni ex parte.* Hanc autem probat primò authoritate & ratione Philosophorum: *Nam vt Pythagorici etiam inquiunt, ipsum omne ac omnia tribus sunt definita. Finis enim, medium atque principium, ipsius omnis numerum habent: hæc autem Trinitatis.* Id est, hæc tria, principium, medium & finis constituunt totum integrum & perfectum. 1

Secundò probat consuetudine colendi Deum, 2
dicens: *Quapropter hoc à natura numero sumpto, perinde atque quadam illius lege, & in deorum sacrificijs celebrandis vti solemus.* Quoniam videbat Aristoteles antiquissimam diuersarū nationum consuetūdinem, cuius ignorabat initium, putauit esse naturæ legem: hæc enim sola viget apud omnes nationes. Veruntamen à supernaturali doctrina ducebat originē. Antiquissimi namq; Patriarchæ, veri Dei cultores, supernaturali reuelatione mysterium Trinitatis edocti, Deum verum hoc numero colebant. Inde verò religione per corruptionem degenerante ad superstitionem, translatus est ternarius ad idolorum sacrificia. Vide quæ dicemus disput. 45.

Confirmatur primò, propterea namque Virgil. 3
ecloga. 8. cecinit:

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore,
Licia circumdo, terq́, hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

Secundò, nā & Ægyptij ter acclamabant primum principium, quod appellabant tenebras, quia lucem habitat inaccessibilem. Quod ex Damascio Platonico refert Eugubinus lib. 2. de peremni philos. c. 6. initio. Confirmatur tertiò, quia tripos aurea mensa Dei oraculo decreta est sapientissimo. Propterea septem Græciæ sapientes tripodem offerendam esse Deo, constituerunt: vt refert Cyrillus Alexandr. lib. 1. contra Iulian. multo propius ad med. quàm ad fin.

Probat tertiò Aristoteles, quia ternarius nu- 4
merus est primus, quem *omnium*, aut *totius* nomine vocamus: *Assignamus*, inquit, *appellationes, hoc modo. Duo enim ambo dicimus, & duos ambos, atque vtrosque, non omnes: at de tribus hanc appellationem dicimus primò. Hæc autem ita dicimus, quia sequimur, vti diximus, ipsam sic proficiscentem naturam.*

Quartò probat, quia trina dimensio efficit per- 5
fectam, integram & totam magnitudinem, ita vt vltra trinam dimensionem non sit possibilis alia dimensio; & infra trinam dimensionem non sit perfecta magnitudo, quia non est nisi linea vel superficies: *Corpus*, inquit, *profectò magnitudinem solum perfectum erit. Solum enim, istis tribus est definitum. Hoc autem est omne, atque cum sit tribus ex partibus diuisibile, omni ex parte, atque omnino est diuisibile. Cæterarum autem magnitudinum, altera ad vnum, altera ad duo est diuisibilis.*

Quintum perfectionis indicium addere possu- 6

mus, quoniam binarius est primus omnium numerorum. Vnitas autem binario superueniens ternarium complet. Ideóque ternarius merito dici potest principium & perfectio numerorum omnium, quia cum primo numero copulat vnitatem. Hac igitur ratione ternarius conuenientissimus est Deo, quippe qui cum pluralitate numeri simul retinet perfectissimam vnitatem, per quam est principium omnium entium, quæ numerãtur.

7 Confirmatur primò, quia binarius est primus numerus, per realem distinctionem procedens ab vnitate. Atque ita duæ tantum personæ sunt realiter procedentes à prima & summa vnitate personæ improductæ, cum qua efficiunt numerum ternarium. Confirmatur secundò, nam & in politicis gubernationibus dualitas sola diuisionem & discordiam generat animorum: ternarius autem iudicum aut gubernatorum est primus numerus, qui rem publicam reducit ad concordiam.

8 Postrema ratio sit, quam tradit subobscurè Augustinus in quæstionibus Noui Testamenti q. 87. & breuiùs tangit in quæstionibus Veteris Testamenti quæst. 9. Quoniam omnis numerus peruenit vsque ad nouem, quibus addita vnitate, fit transitus ad alium numerum; sicut post decem & nouem transitur ad viginti, & post viginti nouem addito vno transitur ad triginta. Nunc verò ternarius in se ipsum ductus efficit nouem. Quoniam igitur tres personæ inuicem sunt, & in vno sunt tres, & ter tres sunt vnum; quodammodo redditur numerus nouenarius. Cui addito vno, ex quo vel in quo sunt tres, fiunt decem, aut viginti, aut triginta. Ideóque perfectio numeri nouenarij continetur in ternario Trinitatis. De fundamento præsentis rationis, videlicet, numeri denarij perfectione, ac de rationibus, propter quas omnes nationes numerent vsque ad decem, & inde redeant ad vnitatem, ex professo disserit Aristoteles sect. 15. problematum quæst. 3. tangit autem lib. 3. physic. cap. 6. text. 61. & 1. metaphys. cap. 5. sub init.

DISPVTATIO XXXIV.

Vtrum sint tres subsistentiæ relatiuæ, vel potius vna subsistentia absoluta cum illis, aut sine illis.

SECTIO I.

Tres primariæ sententiæ referuntur, aliquid prænotando circa vocabula.

1 *Acceptio nimis ampla.*

IRCA nomen subsistentiæ notandum est primò, quod Athanasius eius significationẽ videtur nimium extendere, comprehendẽdo quodlibet indiuidum, etiam accidentis, quando ait: *Tres subsistentiæ orbis solaris, radius & lux.* Insuper: *Tres subsistentiæ subiectum ignis, & vrens & lucens.* Quod fusè persequitur tom. 2. in quæstionibus, quarum prima est, *Quid est Deus*, q. 4. Nisi velis exponere, vnum & idem corpus esse triplex suppositum, sola ratione distinctum, quatenus in eo recipiuntur tria accidentia, siue realiter siue ratione distincta.

2 Veruntamen hæc acceptio subsistentiæ nunquam à Theologis vsurpatur, non solum quia peregrina & inaudita est, sed potissimum, quoniam Athanasius ibi, non veram & existentem similitudinem Trinitatis, sed distantissimam illius vmbram conatur ostendere, vt videbimus disp. 44. sect. 2. Quapropter sicut in vnitate substantiæ proprietatem non inuenit; sic etiam in Trinitate subsistentiarum. Semper itaque subsistentia pro suppositо, hypostasi vel persona sumitur à Theologis, vt infra constabit.

Secundò notandum est, verbum *consistere* nonnunquam apud Græcorum Patrum interpretes accipi pro *subsistere*, quemadmodum & nomen *consistentia* sumitur etiam pro *subsistentia*. Peculiariter autem Gregorius Nyssenus orat. catechetica cap. 1. ad fin. *Dei verbum*, inquit, *eo quidem quod per se consistit distinctum est ac diuisum ab illo, ex quo habet quod consistit.* Similiter loquitur in cap. 4. sub init. & lib. de Trinitate & aduentu Domini contra Iudæos non procul à princ. *Consistentiæ* nomen pro *subsistentia* sumit idem Nyssenus orat. catechet. cap. 3. sub init. & Iustinus q. 17. ad Orthodoxos. 3 *Consistentia pro subsistentia.*

Nunc igitur de quæstione proposita plurimos opinandi modos ad tria primaria capita reuocamus. Prima sententia docuit vnicam tantummodo subsistentiam absolutam communem tribus personis, vltra quam negauit tres subsistentias relatiuas: nam relationes personales asseruit, esse solummodo tres modos incommunicabilitatis. Ita docuit expresè Durandus 1. dist. 26. quæst. 1. num. 6. & dist. 33. quæst. 1. num. 37. fine concludens, quod in Deo *non est nisi vnica subsistentia.* Et lib. 3. dist. 1. quæst. 2. num. 7. docet, rationem formalem suppositi non esse per se subsistentiam, nec subsistere per proprietatem relatiuam formaliter, sed per essentiam vel substantiam. 4 *Prima sententia.*

Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *ad quæstionem igitur.* manifestè docet subsistentiam absolutam communem tribus personis: videtur autem negare subsistentias relatiuas, si consideretur eius contextus. Quemadmodum etiam discurrit quodlib. 5. art. 3. ad 3. personalitatibus relinquens solam incommunicabilitatem, essentiæ verò reseruans totum esse *per se*. Idem sensisse videtur 1. dist. 4. quæst. 2. §. vltimo. & sequenti dist. 4. quæst. 2. §. *tertio principaliter.* Et dist. 26. quæst. vnica propius ad fin. quàm ad med. dum respondet ad argumenta de quarta via. Eandem sententiam docuit Albertus 1. part. summæ quæst. 43. memb. 1. col. penultima ad opinionem tertiam. Et memb. 2. a. 1. corp. & ad argumenta. quibus congruit etiam art. 2. Argentina 1. dist. 26. quæst. 1. art. 3. ad 3. & ad 8. & art. 4. ad 9. & 3. sentent. dist. 5. quæst. 1. art. 2. Marsil. 1. sentent. quæst. 30. art. 2. ad 4. & ad 10. Capreolus 1. dist. 26. quæst. 1. art. 1. concluſ. 3. & artic. 3. col. penult. & 3. senten. dist. 1. quæ. 1. art. 3. ad argumenta. Durandus contra 4. conclusionem. Deza vtrobique, videlicet 1. dist. 26. quæst. 1. & 3. sentent. dist. 1. quæst. 1. Ferrariensis 4. contra gentes c. 26. inter med. & finem. §. *attendendum tertiò.* 5

Pro eadem sententia referuntur Heruæus 1. dist. 25. & quodlib. 10. quæst. 4. art. 19. Ægidius 1. dist. 23. quæst. 2. art. 3. ad 4. Fauet valde Carthusianus 1. dist. 26. quæst. 7. ad 2. quamuis etiam fauere videatur sequenti sententiæ de subsistentia absoluta simul cum tribus subsistentiis relatiuis. Quantum ad rem ipsam huic eidem sentẽtiæ magis fauet Bellarmin. tom. 1. controuers. 2. lib. 2. de Christo c. 15. post med. dicens, essentiam à relationibus præscissam subsistere, relationes autem subsistere ratione essentiæ, quam includunt. 6

Secunda

7 *Secunda sententia. De subsistentia absoluta.*

Secunda sententia concedit in Deo subsistentiam absolutam, communem tribus personis, & simul cum illa tres subsistentias relatiuas. Ita sensisse videtur Paludanus 3. dist. 1. quæst. 2. col. penult. videlicet art. 3. prope fin. dicens, esse in diuinis subsistere personale & proprium alicuius personæ, & cum hoc quoddam subsistere essentiale, quo tota Trinitas subsistit, quia actualiter existit non in alio. Fortasse tamen nihil aliud intellexit esse tribus personis essentiale, præter illam perfectionem absolutam, à qua prouenit, essentiam non posse existere in alio suppositо realiter distincto.

8 Antiquorum ergo nemo, præter Caietanum, expresè docuit hanc sententiam. Caietanus eam docuit infra quæst. 30. art. 4. §. *ad euidentiam.* & 3. quæst. 2. art. 2. prope fin. commentarij, & magis expresè quæst. 3. art. 2. circa med. & art. 3. Nec dissidet 1. p. quæst. 29. art. 4. §. penult. Quamuis enim dicat, rationem subsistentis non posse abstrahi à relatiuo & absoluto, sed esse respectiuam; limitat, vt hoc intelligatur de ratione subsistentis per modum hypostasis. Caietani sententiam sequitur Miranda in summa Conciliorum in annotationibus ad sextam Synodum act. 11. Suarez 1. p. lib. 4. de Trinit. cap. 11. & cap. 14. & 3. p. tom. 1. disp. 11. sect. 3. 4. & 5. & disp. 12. & 13. Et plerique alij recentiores. Ex quibus nonnulli suam sententiam tribuunt authoribus citatis pro sententia præced. Cæterum hi doctores in eo valde dissentiunt à præsenti sententia, quia existimant, subsistentiam absolutam, si detur, esse satis, neque opus esse tribus subsistentiis relatiuis, imo pugnare cum illis.

9 Præterea prædictam opinionem tribuunt authoribus, asserentibus, naturam creatam assumi posse à Deo secundum communem & essentialem existentiam, ita vt ipsa foret primus & immediatus terminus, neque immediatè terminaret aliqua personalitas relatiua. Veruntamen hi doctores, quamuis variè ac multipliciter suam sententiam explicent; verè tamen non concedunt realem subsistentiam, tribus personis communem. Imprimis enim Ricardus 3. dist. 1. quæst. 4. docet, quod natura diuina sustentata à personis, sustentaret naturam creatam, quod esse possibile, probat à fortiori, quoniam accidens, sustentatum à corpore, videlicet quantitas, sustentat aliud accidens, videlicet qualitates corporeas.

10 Eodem igitur modo potuisset Maior intelligere, quod dixit in 3. dist. 1. quæst. 3. col. 3. & sequentibus, esse possibile, quod essentia Diuina foret primus & immediatus terminus naturæ humanæ. Et quidem de hoc authore minus, quàm de cæteris deprehendere possumus quid senserit de quidditate subsistentiæ, vtrum sit negatiua vel positiua, relatiua vel absoluta. Quamuis 1. dist. 25. & 26. videatur supponere, positiuam esse rationem personæ. Ocham. 3. sentent. quæst. 1. art. 3. quamuis concedat, posse naturam diuinam esse primum & immediatum terminum vnionis, ita vt ratione naturæ tres personæ vniantur naturæ creatæ: nihilominus in sequenti dubio & solutionibus argumentorum declarat, personam nihil reale addere supra essentiam, sed solam negationem existendi in alio & communicabilitatis. Eodem prorsus modo discurrit Gabriel 3. dist. 1. q. 1. artic. 3. dub. 4. Denique pro hac vnione naturæ creatæ ad naturam diuinam, falsò citatur Almain. 3. dist. 1. q. 1. art. 3. dub. vltimo. Nam expresè dicit, essentiam nec posse suppositare, neque immediatum terminum vnionis esse. Vtriusque sententiæ argumenta referentur quando soluenda fuerint sect. 8. 9. & 10.

Tertia sententia vera existimat, nullam esse subsistentiam absolutam, quæ vna realiter sit communis tribus personis; sed tantum esse tres subsistentias, relatiuas realiter distinctas. Ita docuit Alexander 1. p. q. 57. membr. 3. & 3. p. quæst. 2. memb. 3. Consonat etiam quæst. memb. 1. art. 3. S. Bonauent. 1. dist. 23. art. 2. quæst. 1. & 2. Cui consonat in 3. dist. 1. art. 1. q. 3. Ricardus 1. dist. 26. art. 1. quæst. 1. Cui consequenter loquitur 3. dist. 1. art. 1. quæst. 4. corpore, & ad 1. Henricus 2. p. Summæ art. 53. quæst. 6. præsertim ad 4. & quodlib. 5. quæst. 8. sub finem. Aureolus 1. dist. 26. art. 4. §. *restat ergo.* & sequentibus. Genebrardus de Trinit. lib. 2. paulo post princ. §. *adhibenda.* Mendoza in quodlib. q. 3. scholastica. Vazquez 1. p. disp. 125. cap. 3. & sequentibus. Molina 1. p. quæst. 29. art. 2. disp. 3. concluſ. 1. quamuis concluſ. 2. Caietano faueat nonnihil, sola tamen interpretatione verborum. Valentia tom. 1. Theologiæ, sua quæst. 13. punct. 3. col. 4. & in controuers. lib. 3. de Trinit. c. 6. Eandem sententiam supponere videtur Marsilius 3. sent. q. 2. art. 3. dub. 1. ad. 1. licet aliter senserit 1. sentent. loco citato pro prima sententia. 11 *Nulla est subsistentia absoluta.*

Colligitur efficaciter ex D. Thoma, nam 1. p. quæst. 39. artic. 4. corpore docet, non esse vnam personam communem tribus personis communitate rei, sicut vna essentia communis est tribus personis. Porrò subsistentiam naturæ intellectualis esse idem, quod persona, constat ex eodem D. Thoma q. 29. artic. 2. & aliis in locis citandis sect. 2. fine, & sect. 6. post med. 12

SECTIO II.

Tres relatiuæ subsistentiæ probantur.

PRopriè loquendo iuxta phrasim Conciliorum & Patrum, tres sunt realiter distinctæ subsistentiæ, in quibus Deus subsistit. Cuius dogmatis certitudo fidei est ita coniuncta, vt sine errore negari non possit. Probatur primò decretis Conciliorum Generalium, & summorum Pontificum. Concilium Nicænum & Generale primum lib. 2. propius ad med. quam ad fin. §. *in lib. Iob*, ait: *Vna Diuinitas S. Trinitatis in tribus subsistentijs perfectis æqualibus consideratur.* Et prope fin. eiusdem lib. 2. §. *cum sit copiosa.* postquam personas & hypostases distinxit, adiungit: *Quidquid per se subsistit, quatenus per se subsistit, propriæ naturæ personam siue faciem, siue figuram habere dicitur.* Obserua reduplicationem, vt videas formalem rationem subsistendi constitutiuam esse personæ. 1

Concilium Constantinopolitanum Primum, quod est Generale secundum in epist. ad Damasum (quæ in antiquioribus editionibus permittitur ante Concilium) circa med. epistolæ dicit: *In tribus perfectissimis subsistentijs, siue in tribus perfectis personis, vt neque Sabellij languor locum habeat confusione subsistentiarum, aut peremptione proprietatum.* Chalcedonense Concilium, quod est Generale quartum. act. 16. in responsione apud Martinum Imperatorem in profess. fidei prope init. contra Photinum atque Marcellum commemorat: *Trium subsistentiarum Patres intulisse doctrinam, non extra Scripturam sanctam hanc inuentionem sibi fingentes.* 2

Concilium Constantinop. Secundum, quod est Generale quintum collat. 8. anathematis. 2. ait: 3

ait: *Si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentijs siue personis adorandam, anathema sit.* Et Constantinopolitanum Tertium, quod est sextum generale, idem statuit. Nam act. 4. Agatho Papa epist. 2. quæ est instructio legatorum col. 2. dicit. *Trinitatem subsistentiarum siue personarum.* Et sæpe repetit *subsistentias*, pro personis. Recipitur autem hæc epistola in sexta Synodo act. 17. col. 4. Atque in act. 11. Sophronius Patriarc. Constantinop. epist. profess. fidei, quæ recipitur ab eadem Synodo act. 13. col. 2. *Trinitatem*, inquit, *pro tribus subsistentijs, vnitatem autem propter singularitatem Deitatis.* Et infra: *In tribus est personalibus subsistentijs.* Et iterum: *Neque subsistentias confundentes, & in vnam earum subsistentias diuidentes. Neque vnam eandem essentiam partientes.* Ac denique col. 2. 3. & 4. *tres subsistentias* repetit tertio quoque verbo.

4 Concilium Nicænum secundum, quod est Generale Septimum, act. 3. in confess. fidei Tharasij, quam Synodus probat, sub init. profitetur, *Vnam Deitatem in tribus subsistentijs indiuisim discretam, & distinctim vnitam: non ex imperfectis tribus vnum existens (quemadmodum ille Magnus Dionysius inquit) secundum quidem singularitatem personarum tria adoranda.* Et longè inferius in exemplari literarum Theodori Patriach. Hierosolym. quas probat Synodus prope init. *Trinitatem*, inquit, *in tribus subsistentijs.* Et post pauca: *Diuisa est enim numerarijs subsistentijs, & numerata personalibus alteritatibus.* Et iterum: *In personarum Trinitate cognoscitur.* Et statim adiungit: *Tres hypostases esse,* Et rursus: *Trinitatem in tribus in confusis subsistentijs: nec alium Deum vnum præter tres personas cognoscimus.*

5 Eugenius IV. in Concilio Florentino in literis vnionis, post med. quæ habentur sess. vltima de Spiritu sancto, ita decernit: *Essentiam suam, suumq; esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ab vno principio & vnica spiratione procedit, declarantes, quod id quod sancti doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum; ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.* Pondera postrema verba, quibus *subsistentia* non potest accipi pro substantia vel essentia communi, sed necessariò debet accipi pro supposito, realiter distincto, quod realiter producatur à Patre & Filio tanquam ab vno principio. Quapropter, quod prius dixerat, *essentiam suam, suumq; esse subsistens*, non ita debet accipi, vt Synonymæ sint illæ voces; nisi fortasse sumatur essentia relatiuè, iuxta dicta disp. 24. sect. 1. argum. 4. & in eius solutione sect. 4.

6 Lateranense Concilium particulare secundum (habens tamen authoritatem infallibilem nō minorem, quàm Generalia, Præside nimirum & approbante Martino Papa Primo) consultatione 5. canone 1. ait: *Si quis non confitetur, secundum sanctos Patres, proprie & verè Patrem, Filium & Spiritum sanctum Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, hoc est, vnum Deum in tribus subsistentijs consubstantialibus, anathema sit.*

7 Probatur secundò testimoniis Patrum. Iustinus in expositione fidei de sancta Trinitate in med. tanquam scopum totius operis proponit, *se maluisse, vnius Deitatis in tribus perfectis subsistentijs notitiam exponere.* Et quæst. 17. ad Orthodoxos fine. *Vnus est*, inquit, *Deus vno & indiuiduo substantiæ: sed tres personæ, diuisione consistentiarum*, hoc est distinctione. Atque ita tres subsistentias distinctas repetit non solum in prædicta expositione fidei prope init. & prope med. sed etiam q. 18. & 129. ad Orthoxos.

Alexander Alexandrinus in epist. ad Alexandrum Constantinopol. col. 3. & 4. (extat lib. 1. Actorum ante Concil. Nicæn.) de Ioanne Euangelista ait: *Propriam Filij subsistentiam declarauit his verbis: In principio erat Verbum*, &c. *& postea dicit Ineffabilem Vnigeniti & Verbi subsistentiam, de qua ita loquitur Spiritus propheticus, Generationem eius quis enarrabit?* Vbi manifestum est subsistentiæ nomine nihil absolutum & commune, sed relatiuum siue personale, & generatione productum significari. 8

Athanasius tom. 2. in quæstionibus, quarum prima est. *Quid est Deus* quæst. 7. *Tres personas*, inquit, *confiteor, tres subsistentias, tria propria, tria indiuidua, tres characteres.* Idem serm. in Euangelium de sanctissima Deipara non procul à princ. postquam *tres personas* professus fuerat, subiungit, *Vnum Deum in tribus subsistentijs prædicantes, in quibus vna sit substantia.* 9

Gregorius Nyssenus orat. catechetica capit. 3. sub init. docet, in Trinitate idem esse *distinctum ac discretum consistentia & hypostasi.* Idem lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos sub init. probat, *Verbum Dei esse sermonem, qui re ipsa personaliter subsistit.* De quo paulo inferius ait: *In persona consistit.* Et colum. 2. *Tres in propriæ personæ constitutione subsistebant.* Et colum. 3. *Tria vnumquodque in propria subsistentia personæ.* Iterum autem in epist. de imagine & similitudine contra Apollinarem propius ad fin. quàm ad med. *Inuenies*, inquit, *subsistentiarum siue personarum Trinitatem & vnitatem naturæ.* 10

Nazianzenus orat. 25. ad Arianos & de se ipso prope finem num. 52. appellat, *proprietates per se subsistentes.* Chrysostomus Hebr. 1. homil. 2. col. 1. *Quemadmodum*, inquit, *Pater in se ipso subsistit, ita & Filius.* Et post pauca: *In persona sua per se ipsum ipse quoque Filius subsistat.* Et longè inferius col. 3. *Vnam sumpsit essentiam, vnamque substantiam, vt duas subsistentias aperiret* Apostolus. Et paulo post: *Character quippe alter est ab ipso suo exemplari: alter autem non in omnibus; secundum quod per se ipsum subsistit.* Obserua reduplicatiuam dictionem, vt videas, subsistentiam esse formalem rationem distinguendi personas. 11

Cyrillus Alex. dialog. de Trinit. lib. 2. col. 5. iterum atque iterum repetit *Tres subsistentias proprias.* Ac dialog. de Trinitate lib. 3. multo propius ad med. quàm ad princ. de Scriptura Veteris Testamenti ait: *Prædicat quidem, quod vnus sit Deus, & nullo modo dilatat Diuinitatis naturam ad triplicitatem secundum subsistentiam: nec iterum congregat ad vnitatem naturalem. Hoc enim nos noua docuit Scriptura.* Iterum autem propius ad med. quàm ad fin. eiusdem lib. 3. *Omnis fidei nostræ sermo huc tendit, vt vnam quidem videamus Deitatis naturam, quæ in tribus subsistentijs proprijs*, &c. Nec non dialogorum lib. 7. col. 3. dicit: *Deitatis naturam, vt in tribus subsistentijs explanari à sacra Scriptura.* 12

Damascenus lib. 1. fidei cap. 6. *Filius*, inquit, *qua subsistit secundum se ipsum, discernitur ab eo, à quo subsistentiam habet.* Perpende reduplicatiuam rationem distinctionis esse quatenus subsistit. Cui consequens est quod eodem lib. 1. cap. 9. in med. ait: *Tres hypostases, idest, subsistentiæ & personæ.* Et sub init. atque iterum ad finem eiusdem capitis; 13

Filius

Filius propriam habet subsistentiam, præter eam, quæ Patris est. Theodoretus Hebræ. 1. illud, *Figura substantiæ*, ita exponit: *Per se enim subsistit, totum in se Patrem ostendens.* Et post pauca testimonium Ioan. 1. *Deus erat Verbum*, ita ponderat: *Propriam eius significans hypostasim seu personam ac subsistentiam.* Consequens igitur est, vt recte dixerit *Tres subsistentias* Theodoretus in penult. & vlt. fragmento, quod refertur in Breuiario Liberati ad finem.

14 Epiphanius hæres. 73. prope med. licet minus apertè, veritatem eandem docuit, dicens: *Proprietates personarum subsistentes.* Et iterum: *Proprietates personarum subsistentium.* Quas esse subsistentias, & per illas distingui personas, clarius colligitur ex contextu. Anastasius Theopolitan. Patriarc. in expositione fidei inter princ. & med. (tom. 4. bibliot.) dicit, *Triplicem subsistentiam coëssentialis Trinitatis.*

15 Ambrosius in symbolum Apostolorum cap. 2. in med. *Catholicum*, inquit, *est, vt & vnum Deum secundum vnitatem substantiæ fateamur, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus.* Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad princ. dum exponit fidem Antiochenam §. *volens.* ait: *Tres subsistentias esse dixerunt, subsistentium personas per substantias edocentes.* Hieronymus aut quicumque author expositionis symboli ad Damasum apud Hieronymum tom. 9. epist. 17. non procul à princ. *confitetur personas, vel vt Græci exprimunt hypostases: hoc est subsistentias.*

16 Ioannes Maxentius in 2. professione fidei init. post Dei vnitatem adiungit: *Tres tamen subsistentiæ siue personæ. Vnaquæque persona incommunicabiliter semper obtinens quod proprium est, ita vt nec Pater sit Filius*, &c. Denique *tres subsistentias* profitetur Ridus Victor. 4. de Trinit. capit. 4. & toto cap. 20. Magister 1. dist. 25. cap. *non autem*, & sequentibus.

17 Probatur tertiò, nam apud Græcos Patres *hypostasis* valet idem, quod apud Latinos Theologos *subsistentia.* Sed in Deo sunt tres hypostases, supra disput. 31. sect. 4. & 5. Ergo sunt tres subsistentiæ. Hic discursus est S. Thomæ 1. p. quæst. 29. art. 2. corp. & ad 2. cui concordat q. 40. art. 2. corpore, & ad 1. & art. 3. corp. & 3. p. q. 2. art. 2. per totum, & q. 3. toto art. 3. atque in dicta q. 2. art. 3. corp. referens testimoniæ Concilij Ephesini & Cyrilli, pro *hypostasi* ponit subsistentiam. Huius probationis fundamentum constabit magis sect. sequenti.

SECTIO III.

Subsistentiam apud Patres idem esse, quod hypostasis vel persona.

1 HVius fundamenti firmitas quanta sit, operæpretium erit ostendere non solum ad asserendas tres subsistentias relatiuas, sed etiam ad excludendam subsistentiam absolutam, tribus personis communem. Propterea probatur primò, quia licet interpretes quandoque Græcum nomen *hypostasis* interserant translationi Latinæ: Cæterum ferè semper quoties hoc nomen in Latinum vertunt, pro hypostasi legunt subsistentiam vel personam. Rarò namque substantiam legunt pro hypostasi, iuxta dicta disput. 31. sect. 3. Nunquam autem (quod legerim, vel audierim) essentiam siue naturam. Atque ita obseruarunt diligentissimi alij vtriusque linguæ scrutatores inter neotericos Scholasticos.

Vnde probatur secundò, nam Athanasius serm. in Euang. de sanctissima Deipara inter princ. & med. ait: *Hypostasis sua interpretatione designat id, quod subsistit.* Quem locum exposuimus disp. 31. sect. 5. fine. Hieronymus etiam, paulo superius citatus ad finem præcedentis sectionis, *hypostases* interpretatur, hoc est *subsistentias.* 2 *Explicat ipse Patres.*

Damascenus lib. de decretis primæ institut. cap. 1. & 2. apertè significat, subsistentiam esse propriam personæ vel hypostasis, nam cap. 1. ait: *hypostasis, ideſt, quod per se cohæret, & prosopon, ideſt, persona, figura, proprium & indiuiduum, idem efficiunt.* Et cap. 2. *Vnusquisque homo est hypostasis, ideſt, res per se constans*, quod idem est ac si diceret, per se subsistens. Eodem modo loquendi vtitur lib. de duabus Christi voluntatibus, non longè à prin. dicens: *Ea quæ per se cohæret sapientia*, ideſt sapientia per se subsistens. Et paulo inferius repetit, hypostasim esse rem *per se cohærentem & per se constantem.* Clariorem verò expositionem hypostasis per subsistentiam ex lib. 1. fidei capit. 9. vidimus sect. præcedenti. 3

Cyrillus Alexandrinus lib. de fide ad Theodosium col. 11. de quibusdam hæreticis hoc refert: *Imaginantur Vnigenitum Dei verbum an hypostaton, hoc est, subsistentia vel hypostasi, qua per se verè ac propriè subsistat, destitutum.* Et infra: *Haud temere quispiam quid sit Pater didicerit, nisi Filium natum en hypostaton, hoc est, per se subsistentem mente concipiat.* Ex quibus verbis apertè, magis autem ex eiusdem loci contextu constat, apud Cyrillum hypostasim idem esse, quod subsistentia, siue per se subsistentia. 4

Theodoretus in Breuiario Liberati in cap. vlt. additionum, quod incipit, *quid est natura*, ita exponit: *subsistentia & persona in nullo significatorum differunt, nisi nomine. Subsistentia enim persona est. Sed natura quidem & substantia, generale quoddam: subsistentia verò atque persona, quoddam proprium significant.* Similiter Iustinianus Imperator in edicto fidei, multo propius ad med. quàm ad princ. asserit, omnes sanctos Patres consonanter docuisse, *subsistentiam siue personam significare hoc quod est speciale.* Ioannes Maxentius in 1. profess. fidei propius ad princ. quàm ad med. docet, *Apud Synodum*, videlicet Chalcedonensem, *Id ipsum esse subsistentiam, quod & personam.* 5

Denique Boëtius lib. de duabus naturis paulo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Peritior Græcia sermonum hypostasim vocat indiuiduam subsistentiam.* Et longè inferius multo propius ad med. quàm ad princ. ita diffinit: *Persona est rationalis naturæ indiuidua subsistentia.* Quamuis paulo superius dixisset, *indiuidua substantia.* Frequenter autem propius ad med. quàm ad fin. interpretatur *vsiosim*, ideſt, *subsistentiam*, & notat, *subtilius intuenti non videri idem subsistentiam & substantiam.* Sed non distinguendi alia ratione, nisi quod *subsistere* dicitur, quia non indiget alio, vt existat; & *subsistare* dicitur, quia subiectum est accidentibus. 6

Fateor itaque, Boëtium in eodem lib. de duabus naturis variasse acceptionē *subsistentiæ*, quemadmodum variauit etiam acceptionem *hypostasis*, & *substantiæ*, accipiendo subsistentiam pro substantia, quæ non indiget alio, vt existat; Quemadmodum multo propius ad med. quàm ad princ. de Deo sic loquitur: *Est hypostasis, ideſt, subsistentia, subsistit enim nullo indigens. Vnde dicimus, vnam esse vsiam, vel vsiosim, ideſt, essentiam vel subsistentiam Deitatis.* Idem omnino docet commentator Boëtij ad lib. de Trinit. colum. penultima. Apud 7

Bedam

Bedam tom.8. ad fin. frequenter repetens, *tres personas esse eiusdem vsiosis.*

8 *Trãslatio hypostasis in subsistẽtiam.* Probatur tertiò, nam aliqui Patres Latini pro hypostasi, quæ habetur in Græco, legunt subsistentiam. Ita Ioan. Papa secundus epist.2. ad senatores (qui solet appellari liber de duabus naturis) propius ad med. quam ad princ. referens testimonium Nazianzeni, pro hypostasibus ponit *subsistentias*, vt vidimus disp.31.sect.4. Concilium Vormacienſe cap. 5. iuxta nonnullas editiones, referens verba Gregorij Papæ in regiſtro lib. 1. epiſt.41. poſt med. dicit, *Vnam substantiam in tribus subsistentijs.* Cum tamen apud ipſum Gregorium non legamus *tribus subsistentijs*, ſed *tribus personis*; quamuis antiquior aliqua editio eiuſdem Concilij legat ſimiliter *personis*, non *subsistentijs:* vtraque tamen varietas oſtendit apud Latinos idem valere *tres subsistentias, & tres personas.*

9 *Vnica subsistentia in Christo Domino.* Probatur quartò, Concilia namque, ſummique Pontifices definiunt, in Chriſto Domino non eſſe duas ſubſiſtentias, ſed vnicam; atque vnionem humanitatis factam eſſe ſecundum ſubſiſtentiam, hoc eſt, ſecundum perſonam Verbi. Quæ explicatio, ab eiſdem Conciliis & Patribus adhibita, demonſtrat, apud eos idem ſignificare ſubſiſtentiam Verbi & perſonam Verbi. Sic loquitur Concilium Epheſinum Primum, quod eſt Generale Tertium, in confeſſione fidei frequenter. Et anathematiſmo 3. & 4. Nec non explicatio Cyrilli Alex. ad eoſdem anathematiſmos tom. 5. Actorum eiuſdem Concilij Epheſini. Chalcedonenſe, quod eſt Generale quartum, act.5. in definitione fidei col. 3. de Chriſto Domino ait: *Vtriusque naturæ proprietate seruata, & in vnam personam, & in vnam subsistentiam concurrente.* Quamuis ſecundum aliam editionem tantummodo legamus *perſonam*, & ſecundum tertiam aliam editionem minus probabilem pro *ſubſiſtentiam* legamus *exiſtentiam.*

10 Concilium Conſtantinopolitanum ſecundm, idémque Generale tertium collat.8. cant.5. anathematizat Theodorum & Neſtorium & quemcumque, qui *vnam subsistentiam Christi Domini sic intelligit, tanquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas.* Et poſt pauca ſubiungit: *Sic & sanctum Chalcedonense Concilium vnam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi confessum esse.* Similiter ſubſiſtentiam vſurpat pro perſona in ſequentibus canonibus 7. & 8. Sexta Synodus act. 17. in definitione fidei propius ad fin. quàm ad med. iterum atque iterum decernit *vnam personam & subsistentiam Christi Domini.* Concilium Nicænum ſecundum, quod eſt generale ſeptimum, actione 3. tacite probat confeſſionem fidei Theodori Patriar. Hieroſolym. Vbi ſimiliter ſubſiſtentiam & hypoſtaſim pro perſona ſumit, ſiue quando loquitur de Trinitate, ſiue de Chriſto Domino.

11 Martinus I. in decretis Synodicis canone 6. & 7. qui ſecundum alias editiones exſtant in Concilio Lateranenſi, conſultatione 5. ad finem eius ſub hoc titulo, *Sancta synodus dixit* ſub init. ante canonem primum ait: *Salua indiminutè proprietate vtriusq; naturæ, & in vnam personam atque subsistentiam concurrente.* Eadem verba habentur in decreto Eugenij IV. confirmante Florẽtinum Concilium col.2. decreti §. *propter illos* ad finem. Athanaſius tandem ſerm. in Euang. de ſanctiſſima Deipara multo propius ad med. quàm ad princ. de Chriſto Domino ſic loquitur: *Duo, & nequaquam vnum est, secundum rationem duarum naturarum: & vnus, non duo secundum vnitatem subsistendi.*

Quintò probatur, quia Concilia & Patres ſæpiſſime *ſubſiſtentias* & *perſonas* vel *hypoſtaſes* copulant coniunctionibus *&, aut, vel, ſeu*, aliiſque ſimilibus dictionibus, denotantes ſubſiſtentias eſſe perſonas, & perſonas eſſe ſubſiſtentias. Quod oſtendunt non modò quæ nuper in præcedenti probat. vidimus ex Concilio Epheſino, aliiſque Patribus; ſed etiam ea potiſſimum teſtimonia, quæ ſect.2. probat.1. poſita ſunt ex Concilio Nicæno, Conſtantinopolitano Primo, & Chalcedonenſi, ex Agathone Papa & Sophronio Patriar. in ſexto Synodo, & ex Concil. Florentino. 12

SECTIO IV.

Tres subsistentiæ in abstracto, id eſt, *tres rationes subsistendi probantur.*

PRobationibus vtriuſque ſectionis præcedentis reſpondent aliqui recentiores, non bene colligere tres ſubſiſtentias in abſtracto, ſed tantum tres ſubſiſtentias in concreto, ideſt, tria ſuppoſita, quæ ſubſiſtant vt *quod*, non vt *quo*. Probant autem, eo quod hypoſtaſis Græcè concretum eſt. Propterea{que} loco illius indifferenter Latinè ponitur ſubſiſtentia vel perſona. Colligunt igitur, ſubſiſtentiam, apud prædicta Concilia & Patres idem eſſe, quod ſuppoſitum habens ſubſiſtentiam. 1 *Euasio quorundam.*

Nihilominus prædictis omnibus teſtimoniis efficaciter probari ſubſiſtentiam, non ſolum in concreto, ſed etiam in abſtracto, probatur primò: quia dato, quod Patres & Concilia ſubſiſtentiam ſemper acceperint in concreto, neceſſaria conſecutione deducitur, eſſe tres ſubſiſtentias in abſtracto, ideſt, tres rationes ſubſiſtendi, ſiue tres ſuppoſitalitates aut per ſe exiſtentias. Nam concreta ſubſtantiua non multiplicantur, niſi multiplicata ſua ratione formali (quam ob cauſam, licet Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſint tres perſonæ, non ſunt tres dij, neque tres domini, neque tres omnipotentes ſubſtantiuè, vt videbimus diſp. 77. ſect.2. & ſequentibus) Sed nomen *ſubſiſtentia* eſt ſubſtantiuum, & multiplicatur à Conciliis & Patribus, affirmantibus tres ſubſiſtentias: ergo eo ipſo concedunt tres rationes ſubſiſtendi realiter diſtinctas, aut tres per ſe exiſtentias, ſiue ſuppoſitalitates in abſtracto. Confirmatur primò, quia vel omnia Concilia accipiunt nomen ſubſiſtentiæ in concreto: ſicque ex omnibus vim retinet præcedens ratio. Vel aliqua Concilia ſubſiſtentiæ nomen accipiunt in abſtracto pro ratione ſubſiſtendi; & illa clarius affirmabunt tres rationes ſubſiſtendi: quomodo valde probabile eſt locutam fuiſſe ſextam & ſeptimam Synodum citatas ſect.2. 2 *Ex concreto ſubſtantiuo multiplicato ſequitur abſtracti multiplicatio.*

Confirmatur ſecundò, quia prædicta Concilia & Patres ſimul profitentur, ſubſiſtentias eſſe tres; ſed tamen vnicam & indiuiduam eſſe Deitatem, ſapientiam, bonitatem, & cætera attributa. Ergo in ſubſiſtentiis non ſolum multiplicant ea ſuppoſita, quæ habent ſubſiſtentiam, ſed etiam multiplicant rationes ſubſiſtendi. Conſequentia eſt manifeſta, quoniam alioqui valde inconſequenter loquerentur, in eodem contextu multiplicando ſubſiſtentias propter ſolam multiplicitatem habentium, ſine multiplicitate rationis formalis: nihilominus tamen non multiplicando deos, nec dominos, nec ſapientes, aut potentes ſubſtantiuè dictos, quamuis tria ſint habentia 3

Deitatem

Deitatem, dominationem, potentiam & ſapientiam. Confirmatur tertiò, quia neque adiectiuè dici poſſent tres ſubſiſtentes, niſi fuiſſent tres rationes ſubſiſtendi. Multiplicatio quippe nominis adiectiui requirit multiplicationem habentium: ſed habentia ſubſiſtentiam non erunt tria, niſi fuerint tres rationes ſubſiſtendi. Hæc enim ratio conſtituit habens in ratione habentis. Eáque ratione Chriſti Domini non eſt niſi vnicum habens, etiam ſi duæ naturæ ſint, quia non eſt niſi vnica ſubſiſtentia.

4 *Paternitas & Filiatio conſtituunt ſubſiſtens.* Probatur ſecundò, quia Paternitas non adiacet ſubſiſtenti ad eum modum, quo Spiratio actiua intelligitur adiacere Patri & Filio, iam conſtitutis in ratione ſubſiſtentium. Ergo Paternitas, ſecundum ſuam peculiarem rationem relatiuam, eſt ratio conſtitutiua ſubſiſtentis. Idem argumentum fieri poteſt de Filiatione & proceſſione. Quocirca tres relationes, conſtitutiuæ perſonarum, erunt tres rationes conſtitutiuæ ſubſiſtentium. Confirmatur, nec enim poſſet intelligi, quomodo tres relationes diuinæ conſtituant tria ſuppoſita ſiue tres perſonas, ſi conciperentur ſuperuenire rebus iam ſubſiſtentibus, & non afferre ſubſiſtendi rationem aliquam ſibi propriam. Vnde S. Thomas infra quæſt.40.art.3.corpor.circa med. dicit, proprietates perſonales non intelligi aduenire hypoſtaſibus diuinis, tanquam formas ſubiectis, ſed ferre ſecum ſuppoſita.

5 Probatur tertiò, quia perſonalitas eſt ſubſiſtentia incommunicabilis. Sed ſunt in Deo tres perſonalitates: ergo tres ſubſiſtentiæ incommunicabiles. Confirmatur, omnibus enim creaturis ratio ſubſiſtentiæ eſt ratio conſtituens ſuppoſitum. Quod ſi ſuppoſitum ſit naturæ intellectualis; eadem ratio ſubſiſtentiæ conſtituit perſonam: ergo ſimiliter diuinas perſonas conſtituent prædictæ rationes ſubſiſtendi. Conſequentia probatur, quia nulla ſufficiens ratio diſcriminis inter diuinas perſonas & creatas aſſignari poteſt, quantum ad hunc articulum.

6 Probatur quartò, quia Concilia & Patres, vt in Chriſto Domino defendant vnicam perſonam, profitentur, vnicam eſſe ſubſiſtentiam illius (vt vidimus ſect. præcedenti, probatione 4.) Ergo in Trinitate, niſi fuiſſent tres ſubſiſtentiæ, non concederent tres perſonas. Quintò, quia ex eiſdem Conciliis conſtat, vnionem humanitatis factam eſſe in ſubſiſtentia Verbi formaliter, prout ſubſiſtentia eſt, quapropter ſi ſubſiſtentia Verbi, prout ſubſiſtentia eſt, non diſtingueretur à ſubſiſtentia Patris & Spiritus ſancti: ſequeretur, humanitatem vnitam eſſe Patri & Spiritui ſancto, non minus, quàm Verbo diuino.

7 *Altera ſolutio refutatur.* Argumenta ſupradicta, ſi bene tencantur, euaſionem præcludunt eorum, qui dicunt, in Deo eſſe quidem tres ſubſiſtentias incommunicabiles: verumtamen quidquid in illis reperitur ſubſiſtentiæ, tribui formaliter à ſubſiſtentia eſſentiæ, abſoluta & communi: ſed à proprietatibus perſonalibus tribui ſolam incommunicabilitatem, qua conſtituuntur perſonæ in ratione perſonarum.

8 Hæc enim ſolutio facile refutatur ex dictis. Primò, quoniam ex ea ſequitur, vnionem humanitatis non eſſe factam in ſubſiſtentia ſub ratione ſubſiſtentiæ, ſed tantùm ſub ratione incommunicabilitatis; ſi humanitas vnita eſt ſubſiſtentiæ Verbi, non autem ſubſiſtentiæ Patris & Spiritus ſancti. Quod ſi vnio facta eſt in ſubſiſtentia, ſub ratione ſubſiſtentiæ, cum illa ſit eſſentialis & communis iuxta prædictam ſententiam, conſequens

Ruiz. de Trinitate.

eſt, vnionem eſſe factam in ſubſiſtentia Patris & Filij non minùs, quàm Verbi. Secundò ſequitur, ex eadem euaſione non eſſe in Deo tres ſubſiſtentias, ſed tres incommunicabilitates vnius ſubſiſtentiæ; ſicut non ſunt tres Deitates, neque tres dij, neque tres domini, ſed tres incommunicabilitates vnius Dei & Domini.

Tertiò refutatur, quia ſubſiſtentia formaliter, prout ſubſiſtentia, quidditatiuè continet incommunicabilitatem alteri ſuppoſito. Ergo tres perſonæ diuinæ ſicut incommunicabilitatem habent formaliter à ſuis proprietatibus, & non ab eſſentia communi: ſic etiam rationem ſubſiſtendi formaliter habent à ſuis proprietatibus, & non ab eſſentia communi. Antecedens probabitur ſect.7. 9

SECTIO V.

Nullam esse subsistentiam absolutam, probatur authoritate.

QVia recentiores nonnunquam voce tenus diſſentire videntur à præſenti veritate, dum varias inducunt acceptiones huius vocabuli *ſubſiſtentia*: præmitto, nos in præſenti ſequentibuſque ſectionibus eſſe locuturos ſolummodo de ſubſiſtentia propriè dicta: cuius definitio conſtabit magis ex progreſſu totius diſputationis. 1

Sit igitur vnica concluſio. Nulla eſt ſubſiſtentia abſoluta & eſſentialis, communiſque tribus relatiuis ſubſiſtentiis. De hac concluſione dubitare non audeo, poſtquam diligentiùs exploraui doctrinam Conciliorum & Patrum. Imprimis enim in ſexta Synodo action.11. Sophronius Patriarc. Conſtantinopol. epiſtola profeſſ. fidei col.3. (recipitur autem ab eadem Synodo act.13.) ait: *Neque secundum quod Trinitas vnus Deus agnoscitur, & subsistentia tres & tres personæ Pater, Filius & Spiritus sanctus dicitur contractus vel compositus, vel confusus, & in vnam se ipsum colligens subsistentiam, in vnamq; coërcens non numerabilem personam. Sabelliano-rum ista est prauitas, in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias, & in vnam personam eas dem tres conspergens personas.* Obſerua, Sophronium, approbante Concilio, reſpuere ſubſiſtentiam vnicam eadem cenſura, qua damnat vnicam perſonam. Vnde poſt pauca ſubiungit: *Virumque est impium tam singularitas circa subsistentiam, quàm ternalitas in naturis.* Et longè inferius: *Neque substantias confundentes, & in vnam eas subsistentiam deducentes.* 2

Iuſtinus quæſt.17. ad orthodoxos: *Vnus*, inquit, *est Deus vno indiuiduo substantiæ; sed tres personæ diuisione consistentiarum.* Rurſus in expoſitione fidei de Trinit. non longè ante med. ait: *Quatenus Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnius Deitatis dignoscendo subsistentias: quatenus autem Deus essentiam communem subsistentiarum intelligendo.* Iuſtinus ergo non aliam ſubſiſtentiæ rationem intelligit in Deo, quatenus Deus eſt communis tribus perſonis, niſi communem & abſtractam eſſentiam, ſiue rationem ſubſiſtentiarum. 3

Athanaſius dialogo 1. contra Anomæum propiùs ad med. quàm ad fin. poſtquam hominitatem cum Deitate comparauerat in eo, quod Deitas ſit communis hypoſtaſibus multis, ſicut hominitas, ſubiungit: *Hominitatem subsistere, si in individuis spectetur. Individuum est nostrum singulorum hypostasis; hominitas verò est ipsa essentiæ communitas.* Ex totóque ſuperiori & inferiori contextu colligitur, quod Athanaſius Deitati non concedit alia 4

ratione subsistere, nisi prout est in indiuiduis hypostasibus. Vnde sicut humanitas in communi non habet communem subsistentiam, ita nec Deitas. Basilius epist. 78. ad Eustathium Sebastiæ Episc. parum à princip. de Nicænis Patribus ait: *Non idem esse dixerunt Patres illi essentiam & subsistentiam.* Probat autem subsistentiam ab illis acceptam fuisse pro persona, vt vidimus disput. 31. sect. 4. post med.

5 Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos colum. 2. ait: *Qui Paulum dixerit, ostendit in re, quæ eo nomine declaratur, subsistentem naturam. Hoc itaque hypostasis (quasi dicas substantia) est, non illa indefinita in omnibus essentiæ subsistentia, nullam propter communionem eius, quod significatur, stationem inueniens: sed ea quæ id quod & commune & indescriptum est, per id, quod de quadam re dicitur, per apparentes nimirum in ea proprietates subiecit, circumscribit atque definit.* Quibus in verbis, existimabit aliquis, Nyssenum constituere duplicem subsistentiam; alteram communem tribus personis, & consequenter absolutam, alteram verò relatiuam singulis personis peculiarem. Verè tamen nullam constituit, absolutam & essentialem subsistentiam; siquidem expresè toto eodem libro essentiam à subsistentia vel hypostasi distinguit penes commune & proprium, siue vniuersale ac particulare; vt vidimus disputat. 32. sect. 6.

6 Confirmatur, nam in prædictis verbis apertè dicit, subsistentem naturam esse idem, quod hypostasis. Nec minus indefinitam dicit hypostasim, quàm subsistentiam. Ex quibus efficitur, vt *illa indefinita in omnibus essentiæ subsistentia*, sit quod dialectici vocant *indiuiduum vagum*, quod nimirum non in actu exercito, sed in actu signato habet rationem indiuidui, particularis ac determinati. Huius enim perspicua non minus, quàm elegans est illa diffinitio, in eisdem verbis contenta: *Nullam propter communionem eius, quod significatur, stationem inueniens.*

7 Idem orat. catechetica cap. 1. ad fin. *Dei Verbum*, inquit, *eo quidem, quod per se consistit, distinctum est ac diuisum ab illo, ex quo habet quod consistit.* Ergo non per se consistit ratione naturæ siue essentiæ communis; ratione cuius non est distinctum ac diuisum. Similiter in sequenti cap. 3. sub init. ait: Idem esse *distinctum ac diuersum consistentia & hypostasi, sed subiecto non diuisum.*

8 Damascenus in epist. de Trisagio, prope med. ait: *Trinitatem impossibile est dicere vnam hypostasim.* Et infra: *Particularia non communificantur, communia autem & si ab vnoquoque particularium participantur, sed vnicè & communiter.* Et post pauca: *Non est autem ipsorum communis vna hypostasis, Deitas autem communis est trium hypostasum vna existens.* Quod si Trinitas ratione Deitatis esset vna subsistentia absoluta; foret etiam vna hypostasis absoluta, communis tribus hypostasibus. Quam illationem esse bonam, magis constabit inferius.

9 Cyrillus Alexandrinus lib. 1. thesauri de Trinitat. cap. 9. sub init. aduersus Arianos, dicentes, *Non Patri, sed voluntati eius similem esse Filium*, ita ratiocinatur: *Si voluntas Dei substantia sit, & per se subsistat, quomodo Filius Vnigenitus erit, cum sit tertius à Patre? Præcedit enim eum talis voluntas, secundum vos. Quod si non subsistere in se voluntatem huiusmodi putatis, indoctè nimium non duarum hypostasum similitudinem quæritis: sed hypostasim non hypostasi conferre studetis.* Qui discursus manifestè supponit, subsistere esse proprium & adæquatum hypostasi: propterea quidquid subsistit esse hypostasim, & quidquid est hypostasis subsistere. Hinc enim deducitur, quod voluntas Dei, aut quælibet alia perfectio absoluta, si per se subsistat, esse debeat hypostasis, à tribus aliis hypostasibus distincta; atque illa hypostasis absoluta computabitur, vt prima, vel secunda cum hypostasi Patris, respectu quarum, Filius erit tertia hypostasis, & Spiritus sanctus erit quarta, si essentia diuina, siue Deus, præcisus à Paternitate & Filiatione per se subsistat. Hanc enim illationem docet Cyrillus in præsenti sententia, multáque subinfert ibidem ad eius confirmationem.

Theodoretus in additionibus ad Breuiarium 10
Liberati fragmento penult. §. *arguitur itaque*, ad finem: *Credantur*, inquit, *tres subsistentiæ siue personæ, non autem vna Trinitatis subsistentia secundum Sabellium.* Et semper subsistentiam accipit, vt significantem idem, quod persona. Quemadmodum sect. 3. retulimus.

Ambrosius in symbolum Apostol. cap. 2. prope 11
fin. *Sabellius*, inquit, *docuit, vnam subsistentiam esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnamq; trinominem personam: sed dum omnes vnam esse personam reputat, nihil esse vnamquamque designat.* Quibus verbis manifestè supponit Ambrosius, eundem errorem esse dicere vnicam subsistentiam, ac dicere vnicam personam.

Hilarius lib. de Synodis multo propiùs ad med. 12
quàm ad fin. post 27. canonem Synodi Syrmicæ, ait: *Non vnum subsistentem, sed vnam substantiam non differentem.* Et longè inferius ferè inter med. & fin. libri errorem asserentium, Deum esse vnicam personam, significat nomine *vnius subsistentis*, dicens: *Si idcirco vnius substantiæ Pater & Filius dicatur: vt hic subsistens sub significatione licet diuum nominum vnus ac solus sit: confessum nomine Filium conscientia non tenemus, si vnam substantiam confitentes, ipsum sibi vnicum & singularem, & Patrem esse dicimus & Filium.*

Vt secundam probationem magis vniuersalem 13
ex pluribus Conciliis & Patribus firmiorem esse *Secunda probatio ex aliis locutionibus Conciliorum & Patrum.*
constet, supponendum est, Concilia & Patres in definienda fidei regula diligenti studio seligere verba propria, vitando significationes impropriias. Quod maximè præstiterunt in mysterio Trinitatis, propter summam illius profunditatem ac necessitatem auferendi occasiones errorum. Hæc autem regula propriæ locutionis tunc maximè certa est, quando plurima testimonia diuersis locis atque temporibus, ac diuersorum authorum conspirant in eundem loquendi modum, & eum constanter retinent.

Quo supposito, sic argumentor. Concilia & 14
Patres, ex professo, & exactè declarantes, quomodo vel sub qua ratione seu formalitate Deus sit Trinus & Vnus, explicant Vnum esse, quoad substantiam siue naturam, & consequenter quoad sapientiam, bonitatem & cætera attributa: sed tamen esse Trinum, quantum ad tres subsistentias realiter distinctas: & quoties de subsistentiis loquuntur, dicunt esse tres, distinctas in ratione subsistentiarum: ergo existimant, nullam esse subsistentiam vnam, & communem Patri & Filio & Spiritui sancto, sed tantum esse tres subsistentias. Huius argumenti antecedens constat ex testimoniis citatis tota sect. 2. præsertim ex Concilio Constantinopolitano, quod est tertium generale, & ex Nicæno secundo, & ex Lateranensi sub Martino I. necnon ex Iustino, Gregorio Nysseno, Chrysostomo, Damasceno, citatis in eadem sect. 2.

Quibus

Quibus addere poteris Epiphanium hæres. 73. prope med.

15 Denique Patres Concilij Alexandrini & primi Concilij Nicæni subsistentiarum vocabulum eo fine potissimum admiserunt, vt Catholici contra Sabellianos eo vocabulo distinguerent personas. Quod retulimus disput. 31. sect. 2. ad 8. argum. ex Nicephoro & Ruffino, & disput. 4. sub init.

16 Probatur tertiò, nam vt vidimus sect. 3. Con-
Si nõ est vna persona, non est vna subsistentia.
cilia & Patres perspicuè docent, subsistentiam esse idem quod persona vel hypostasis: sed non potest sine errore concedi persona vel hypostasis absoluta, realiter vna, communisque tribus personis; vt magis constabit sect. sequenti. Ergo non est concedenda subsistentia realiter vna, communis & absoluta. Confirmatur primò, quia postquam in Ecclesia definita fuit illa controuersia de voce hypostasis, quam retuli disputat. 31. sect. 2. 3. & 4. nusquam inuenietur apud Græcos Patres nomen hypostasis, neque apud Latinos Patres nomen subsistentia, sumptum pro aliquo prædicato essentiali & communi: semper enim vtrumque nomen accipitur pro aliquo proprio & personali.

17 Confirmatur secundò, nam vt constabit sect. 8. & 9. nullus vnquam antiquorum Patrum concessit tres subsistentias relatiuas, simúlque cum illis vnam subsistentiam absolutam. Quin potius Augustinus, Hilarius, Hieronymus, Boëtius, Basilius, & si qui sunt alij, qui videantur concedere subsistentiam absolutam, in eodem sensu & acceptione reiiciunt tres subsistentias relatiuas, & negant subsistentiam relatiuè dici. Vnde manifestè ostendunt, se vsurpare nomen subsistentiæ in alia significatione, longè diuersa à communi acceptione Conciliorum & Patrum. Nec mirum est, si recepta significatio subsistentiæ latuerit olim sapientissimos doctores: nondum enim apud omnes Latinos euulgata fuerat, sed tantum apud aliquos Latinos & plures Græcos. Quapropter qui concedunt tres subsistentias relatiuas, & simul cum illis vnam subsistentiam absolutam, pugnant cum omnibus Patribus, etiam cum illis, quos putant, esse patronos suæ sententiæ. Hæc dicta sunt iuxta sensum, quem verba sonant apud paucissimos Patres. Cæterum probabilius est, nihil à vera sententia dissensisse, neque asseruisse subsistentiam vnam numero communem, vt explicabimus dicta sect. 8. & 9.

18 Probatur quartò, nam communiter Patres, tam Græci, quàm Latini, tractantes ex professo discrimen hypostasis, siue subsistentiæ vel personæ, quo distinguitur ab vsia siue essentia, dicunt, essentiam esse communem: at verò subsistentiam, hypostasim, siue personam esse propriam vni singulari, & indiuiduo, & consequenter esse incommunicabilem. Qui ferè omnes vtuntur exemplo discriminis, quod est inter speciem & indiuiduum, vt inter hominem & Petrum, asserentes, essentiam esse veluti speciem; sed hypostasim, subsistentiam vel personam esse velut indiuiduum. Quos omnes retulimus disput. 32. sect. 6. Vnde sumitur hoc argumentum. Subsistentia propriè dicta est idem quod hypostasis vel persona, supra sect. 3. Sed implicat, hypostasim esse communem (est enim contra peculiarem illius differentiam) ergo subsistentiæ repugnat esse communem.

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO VI.

Refutantur solutiones, quæ variant significationem subsistentiæ, vel concedunt semipersonam, aut suppositum absolutum.

AD aliquas ex supradictis probationibus non 1
eodem modo respondent aduersarij. Pri- *Prima solutio.*
mam solutionem adhibent aliqui recentiores, dicentes, Concilia & Patres semper vsurpasse subsistentiam per modum concreti: propterea que supradictis testimoniis non satis probari, negandam esse vnam subsistentiam absolutam per modum abstracti. Nam subsistentia in abstracto, id est, ratio subsistendi, latius patet, quàm subsistentia in concreto: quia subsistentia in abstracto dicitur etiam de subsistente communicabiliter; at verò subsistentia in concreto non dicitur, nisi de subsistente incommunicabiliter.

Nihilominus ex dictis sect. 4. facilè refutatur. 2
Primò, quia cum hypostasis & subsistentia sint no- *Refutatur.*
mina substantiua; rectè concedi posset vna hypostasis aut vna subsistentia absoluta per modum concreti; si foret in Deo vna subsistentia absoluta per modum abstracti. Nam ad vnitatem nominis substantiui concreti sufficit vnitas rationis abstractæ, licet multiplicentur habentia: veluti cum dicimus, non tres deos, sed vnum Deum. Refutatur secundò, quia nulla vel minima probabilitate negari potest, quin absoluta subsistentia, vt minimum, verborum sono repugnet loquendi modo antiquissimo & receptissimo, quem vidimus sect. 2. 3. & 5. At verò cum in omni theologica disputatione fugienda sit nouitas sermonis; maximè vitari debet in mysterio Trinitatis.

Tertiò refutatur, quia Concilia & Patres citati 3
sect. 3. ex eo quod humanitatis vnio non fuerit facta in natura Filij, consequens esse dicunt, vnionem factam fuisse in persona siue subsistentia Filij. Ergo supponunt, in Filio non esse aliam subsistentiam, in qua potuerit vnio fieri, præter subsistentiam peculiarem & personalem Filij. Confirmatur, nam eadem Concilia & Patres semper de natura & de subsistentia Verbi loquuntur, tanquam de duobus extremis, inter quæ non detur medium; sed negata vnione in natura, necessariò sequatur, vnionem esse factam in subsistentia peculiari & personali.

Secunda solutio eorumdem authorum est hu- 4
iusmodi. Cum ferè omnes Scholastici voce *sub-* *Secunda solutio.*
sistentia vtantur, ad significandam subsistentiam absolutam; non potest hic vsus reprehendi, licet olim fortasse fuerit vsus diuersus. Quia cum res ipsa vera sit; necessariò debuit aliqua vox ad illam significandam accommodari, (vt multis similibus docent Patres, etiam contra hæreticos: & pro Scholastico vsu maximè necessarium est.) Tota autem schola Theologorum habet authoritatem ad huiusmodi vsum introducendum, & vox ipsa valde accommodata est, quia nihil aliud indicare videtur, nisi perfectum existendi modum.

Hæc solutio refutatur primò, quia falsum est, 5
quod asserit, ferè omnes Scholasticos vocabulo *Refutatur.*
subsistentiæ fuisse vsos, ad significandam subsistentiam absolutam, communem tribus subsistentiis relatiuis, vt asseritur ab authoribus istius solutionis. Imò ex antiquioribus Scholasticis nemo, præter Caietanum, ita loquitur expresè, licet vnus aut alter fauere videatur, vt vidimus sect. 1. in secunda sententia. Cæteri namque doctores Scho- *Antiquorum omnium sententia.*

lastici vel affirmant, tres tantummodo subsistentias relatiuas, negando subsistentiam absolutam supra sect.1. sententia 3. Vel si concedunt vnam subsistentiam absolutam, negant tres subsistentias relatiuas in eadem sect.1. sententia 1.

6 Vnde sic argumentor. Si dantur tres subsistentiæ relatiuæ, non datur subsistentia communis & absoluta, iuxta sententiam ferè omnium antiquorum Scholasticorum (vno vel altero excepto:) sed iam est indubitatum dari tres subsistentias relatiuas, vt probatum est sect.2. 3. & 4. Ergo certum esse debet non dari subsistentiam absolutam; & vsum loquendi ferè totius scholæ pugnare cum tali subsistentia absoluta, quæ præterea subsistere debeat in tribus subsistentiis relatiuis. Refutatur secundò, quia res ipsa non est vera, vt magis constabit in sect.sequenti.

7 Tertiò, quia Concilia & Patres intimè & perfectè penetrarunt vim & significationem harum vocum *subsistere* & *subsistentia*, iuxta vocabulorum etymologiam & acceptionem, quam habebant apud philosophos. Etenim præter humanam eruditionem ac diligentiam, quam impossibile est defuisse in tanta multitudine virorum insignium; aderat illis sine dubio peculiaris lux Spiritus sancti, maximè præcauens, ne suis vocibus Catholicos inducerent ad falsam existimationem de mysterio Trinitatis, & hæreticis præberent occasionem erroris. Ergo quando toties támque constanter affirmant, non esse vnicam subsistentiam communem; propriè & exactè loquuntur. Ac proinde rem ipsam excludunt, quæ propriè significatur hoc voce, subsistentia. Consequens igitur est, vt voces subsistentia & subsistere non sint accommodatæ ad significandam subsistentiam absolutam.

8 Confirmatur primò, quoniam vel Concilia & Patres abutuntur hac voce, & impropriè loquuntur, negantes vnam communem subsistentiam; vel è contrario Caietanus & eius sectatores, qui concedunt vnam subsistentiam absolutam, abutuntur vocabulo, si mente & intellectu non contradicunt Patribus. Confirmatur secundò, quia si licitum fuit illis Scholasticis mutare significationem nominis *subsistentia*; liceret eis ob eandem rationem mutare significationem nominum *hypostasis*, *suppositum* & *persona*; atque ea mutatione facta licuisset dicere vnam personam & vnam hypostasim, seu suppositum absolutum. Quod esse absurdum magis constabit *inferius in* hac ipsa sectione.

9 Quartò refutatur ex postremis verbis eiusdem solutionis. Rectè namque dicit, subsistentiæ nomen nihil aliud indicare, nisi perfectum existendi modum. At verò modos existendi vel essendi, siue modos essentiæ, iuxta doctrinam Scholasticorum & Patrum, esse personales proprietates siue relationes, quibus personæ realiter distinguuntur, ostendimus disput.12. tota sect.5. & disp. 25. sect.3. prope finem, præsertim ex Iustino, Basilio, Gregorio Nyssen. Nazianzeno, Cyrillo Alexand. Anastasio Synaita, Theodoreto, Damasceno, & Ricardo Victor.

10 *Tertia solutio. Semipersona vel semisuppositum refutatur.* Tertia solutio est Caietani 3.p.q.2.art.2. prope fin. Commentarij, concedentis semisuppositum aut semipersonam absolutā, hoc est, imperfectam rationem suppositi vel personæ, quoniam illi deficit incommunicabilitas. Sed hic modus, siue sentiendi, siue loquendi meritò reprehenditur ab Scholasticis cōmuniter, etiam illis, qui subsistentiam absolutam admittunt imitati Caietanum.

11 Et refutari potest primò, quia pugnat cum communi modo loquendi Conciliorum & Patrum, quos præcedentibus sectionibus retulimus. Illi namque non diuidunt rationem personæ vel hypostasis, ponendo medietatem alteram illius essentialem, absolutam, communem, & indiuiduam, sed alteram medietatem hypostasis vel personæ realiter multiplicatam, atque distinctam, propriámque ac peculiarem vnius personæ. Imò simpliciter absque limitatione vel partitione constituunt personas siue hypostases, tanquam proprias & peculiares, realitérque distinctas & multiplicatas. Econtra verò condistinguunt essentiam à personis, & eam constituunt communem tribus personis. Ergo Concilia & Patres nullam partem siue medietatem personæ relinquunt in essentia communi, sed totam integram rationem hypostasis & personæ constituunt ex parte proprietatum realiter distinctarum.

12 Refutatur secundò, quoniam integram & plenam rationem suppositi seu personæ fore absolutam & communem Patri, Filio & Spiritui sancto, sequitur ex eo, quod subsistentia absoluta realiter vna sit communis Patri, Filio & Spiritui sancto (quam illationem probant non solum argumenta quatuor sectionum præcedentium, sed etiam quæ ponderabimus sequenti sect. 7.) Ergo Caietanus prædictis argumentis non satisfacit, concedens tantummodo semisuppositum aut semipersonam absolutam.

13 Tertiò refutatur, quia manifestè pugnat cum sententia S.Thomæ multis in locis, peculiariter autem infra quæst.30. artic.4. corpor. vbi probat, communitatem personæ ad tres personas diuinas *non esse communitatem rei, sicut vna essentia communis est tribus personis*: sed esse communitatem similem indiuiduo vago. Et subdit: *Nomen personæ non est impositum ad significandum indiuiduum ex parte naturæ: sed ad significandum rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune secundum rationem omnibus personis diuinis, vt vnaquæque earum subsistat in natura diuina, distincta ab aliis.* Vbi perpende primò, nullam subsistentiam esse realiter communem, sicut est realiter communis Diuinitas aut sapientia. Perpende secundò, quod persona significat rem subsistentem atque distinctam: at verò non significat naturam diuinam, nisi in obliquo, videlicet significando rem subsistentem in tali natura.

14 Rursus quæst.40.art.3.corp.circa med. S.Thomas ait: *Remota proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis. Non enim proprietates personales, sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis, sicut forma subiecto præexistenti, sed ferunt secum sua supposita, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes. Sicut Paternitas est ipse Pater. Hypostasis enim significat aliquid distinctum in diuinis, cum hypostasis sit substantia indiuidua.*

15 *Suppositum absolutum refutatur.* Vnde à fortiori refutari potest quarta solutio quorundam Scholasticorum, qui fatebantur vnicum suppositum absolutum commune tribus personis. Illorum autem præcipua fundamenta diluemus sect. 8. 9. & 10. cum argumentis aliarum sententiarum. Hos authores suppresso nomine referunt & impugnant Henricus quodlib. 5. q.8. & in 2. part. summæ art.53. quæst. 6. Durandus 1.dist.26.q.1.num.5. & sequentibus. Vbi Ricardus art.11.quæst.1. Argentina quæst.1. art.4. Aureolus præsertim art.4.

16 Imo & Carthusianus in eadem distinct.26.q.7. prope fin. asserit, quod ille, qui probabiliter vellet defendere

defendere suppositum absolutum, seu absolutam personalitatem in Deo, non ideo cogeretur concedere quatuor personas: quia persona absoluta non poneret in numerum cum personis dictis relatiuè, sed esse realiter idem cum vnaquaque illarum. Hunc inter errores Raymundi Lullij refert Eymericus in directorio Inquisitorum par.2. quæst. 2. vbi artic. 7. sic habet, *In diuinis est dare commune suppositum, quod respondet secundum suam naturam rationibus diuinis in producendo bonum.* Et art.12. *Deus Pater, in quantum Pater, est suppositum singulare; sed in quantum respondet suis rationibus ad producendum Filium, est suppositum commune.*

17 Neque immeritò suppositum absolutum erroris damnatur non solum ab Eymerico, sed etiam Durando, licet sub dubio. Quæ censura probari potest primò ex Nicæno Concilio, lib.2. de actis ante decretorum constitutionem colum. 10. dicente: *Diuinitas non est vna persona vt Iudæi opinantur, sed tres personæ verè subsistentes, non solo nomine.* Quod si Diuinitas foret vnum suppositum, foret consequenter vna persona; quia nihil aliud est persona, nisi suppositum intellectualis naturæ; vt constat ex iis, quæ nuper ex D.Thoma retulimus, & quæ magis vniuersaliter dicta sunt disput.32. sect.2.3.& 6. Explicatio fidei, quæ inscribitur simul Cyrillo Alexand. & Anastasio Patriar.Theopolitano inter med.& fin. *Quum vnam essentiam siue naturam dicimus, non dicimus vnam hypostasim, ne Sabellianizemus.* In præfatione Missæ de sanctissima Trinitate canit Ecclesia *Non in vnius singularitate personæ.*

18 Probatur secundò, quoniam vna persona vel vna subsistentia siue hypostasis damnatur testimoniis Conciliorum & Patrum præced. sect. 5. productis ex Synodo sexta, Damasceno, Theodoreto, Ambrosio & Hilario. Tertiò probatur ratione, nam omne suppositum eo ipso est incommunicabile. Suppositum quippe sic sub alio positum est, vt sub ipso non sit aliud positum (alioqui supposita bitur ab eo, quod est sub illo.) Quod autem nihil habet sub se positum, non est communicabile alteri rei tanquam supposito. Sed quidquid est absolutum in Deo, non est incommunicabile, sed communicatur tribus suppositis relatiuis. Ergo quidquid est absolutum in Deo, non est suppositum. Confirmatur, quia suppositum ita est *habens*, vt non sit res habita.

19 Quartò. Non est contemnenda ratio, quia si daretur suppositum absolutum, concedenda forent in diuinis quatuor suppositа, quámuis vnum à tribus sola ratione distinguatur ad eum modum, quo supra disput.18. probatæ sunt quatuor relationes in Deo; quamuis earum vna, videlicet, Spiratio actiua sola ratione distinguatur ab aliis duabus, vt probatum est disputat.17. Id vel maximè, quia non obstat ea ratio, quæ prohibet appellari quatuor res, iuxta dicta disput.18. sect.4. ad 1. & 2. argum. Quintò denique contra suppositum absolutum militant, quæ contra subsistentiam absolutam dicemus sect. sequenti.

SECTIO VII.

Subsistentiam absolutam & communem pugnare cum tribus subsistentijs peculiaribus personarum.

1 *Subsistentia non existit in alio tanquam in supposito.* PRobatur primò, quia subsistentia est modus, per quem substantia per se existit: sed quidquid est in alio, tanquam in supposito vel perso-

na, non existit per se (nisi ratione suppositi, in quo existit.) Ergo quidquid est in alio, tanquam in supposito vel persona, non subsistit. Rursus Deitas siue Deus, prout à relationibus est præcisus, existit in tribus relationibus, tanquam in tribus suppositis vel personis. Consequens igitur est, Deitatem siue Deum non subsistere per subsistentiam abstractam à relationibus, sed tantummodo subsistere per subsistentias relatiuas, vt per rationes formales subsistendi.

2 Confirmatur primò, quia modus per se existendi sicut quidditatiuè affert repugnantiam existendi in alio, ita etiam quidditatiuè affert incommunicabilitatem, qua formaliter prohibet, ne communicari possit alteri personæ vel supposito. Hoc enim totum significat vox *per se*, quasi separatum singulare & incommunicabile. Quapropter subsistentia est formaliter ipsamet incommunicabilitas positiua & radicalis, à qua prouenit negatio communicabilitatis. Confirmatur secundò, quia relationes diuinæ secundum rationem formalem relationis, non afferunt solam rationem incommunicabilitatis, sed afferunt etiam rationem formalem subsistendi, vt constat non solum ex præcedenti confirmatione, sed etiam ex dictis sect.4. prope fin.

3 *Subsistentia est vltimus terminus.* Probatur secundò, subsistentia quippe quidditatiuè est vltimus terminus, ideóque non terminatur per vlteriorem terminum. Si enim terminaretur per alium terminum; per eundem alium terminum existeret per se potius, quàm per se ipsam, ac proinde ipsa non esset ratio formalis existendi per se. At verò si daretur subsistentia absoluta; illa non esset vltimus terminus, sed terminaretur vlterius relatiuis personalitatibus. Ergo subsistentia absoluta non esset vltimus terminus, nec formalis ratio existendi per se. Quapropter eo ipso non esset subsistentia.

4 Confirmatur primò. Si verum est enim, quod aliqui fingunt, subsistentiam absolutam Dei non terminari per subsistentias relatiuas perinde, vt subsistentia Patris non terminatur per subsistentiam Filij; consequens est, per illam subsistentiam absolutam Deum constitui totale integrúmque suppositum & personam absolutam: quemadmodum Pater est integrum & totale suppositum ac persona relatiua. Hoc autem quam sit absurdum, constat ex dictis sect. præced. contra quartam solutionem.

5 Confirmatur secundò, quia Deitatem, quam terminat hæc absoluta persona, terminari præterea per tres subsistentias relatiuas, nihil obest, ne verè sit persona absoluta, & incommunicabilis alteri personæ: si Deitas non secundum rationem formalem subsistentiæ absolutæ, sed præcisè in ratione naturæ, communicatur subsistentiis relatiuis. Sic enim quamuis Deitas, identificata cum persona Patris, communicetur personæ Filij: adhuc Pater retinet veram rationem personæ incommunicabilis; quoniam Paternitas non communicatur Filio, vt ab eo personetur ac supponitetur etiam Paternitas; sed communicatur Filio per identitatem realem vtriusque cum essentia diuina modo dicto disputat. 30. sect. 5. & sequentibus.

6 *Superfluit absoluta subsistentia.* Probatur tertiò, quoniam erit superflua subsistentia communis, & absoluta; cum abunde sufficiant tres subsistentiæ relatiuæ, quibus Deus subsistat. Vel econtrario si necessaria fuisset subsistentia communis & absoluta, sequeretur, esse su-

perfluas, tres subsistentias relatiuas trium personarum: quoniam Pater, Filius & Spiritus sanctus plenè perfectéque subsisterent per illam subsistentiam communem & absolutam. Cum igitur tres absolutæ subsistentiæ negari non possint sine errore, (vt probatum est sect. 2. & 3.) consequens est, communem & absolutam subsistentiam esse negandam.

7 *Solutio.* Inde facile refutari potest, quod aduersarij respondent, ne subsistentia absoluta, videatur esse superflua, nimirum Deitati, prout à relationibus præscinditur, deberi quamlibet perfectionem etiam in ratione subsistentis. Hoc enim si verum esset; illud saltem negari non posset, data subsistentia absoluta, superfluas esse relatiuas subsistentias.

8 *Refutatur.* Sed præterea refutatur, & sit quarta probatio, quia prædicta sententia laborat, vt defendat, quod plurima Patrum testimonia, validæque rationes oppugnant; cum debuisset potius, ita constituere Deitatem præcisam à relationibus, vt eo ipso præcisa foret à perfectionibus subsistendi, generandi, & spirandi. Nam quod relationes diuinæ quidditatiuè & formaliter sint perfectiones, ostensum est disput. 29. sect. 2. Quod autem absque illis perfectionibus Deus siue Deitas foret imperfecta; probatum est eadem disputat. 29. sect. 3. & 4. Neque inde sequi aliquod inconueniens, probatum est tota disput. 30. Denique (vt vno verbo dicam) Deitatem, vt præcisam à relationibus, ponere cum omni perfectione subsistendi, non minus absurdum est, quàm dicere Deitatem, vt præcisam à relationibus, esse principium vt *quod*, vel principium spiratiuum, & esse Patrem aut Filium; quoniam hæc omnia sunt perfectiones debitæ infinitati diuinæ perfectionis.

SECTIO VIII.

Respondetur ad testimonia Patrum, qui subsistentiam absolutam affirmare videntur.

1 *Corrupta lectio.* NOn ea tantum commemorabimus, quæ proferuntur ab assertoribus subsistentiæ absolutæ, sed etiam alia nonnulla, quæ studiosis possunt occurrere, si diligentius euoluant antiquorum Patrum volumina. Sit primum, quo maximè nituntur contrariæ sententiæ. Sumitur autem ex mendosa lectione cuiusdam epistolæ Agathonis Papæ, iuxta quam *Confitemur*, inquit, *Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non tres deos, sed vnum Deum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum seu personarum vnam subsistentiam.*

2 Respondetur, non esse legendum, nisi *trium subsistentiarum vnam substantiam.* Vt optimè notauit Iouerius in summa Conciliorum, & ita emendatum legunt plura exemplaria Latina, præsertim exactior editio facta sub Xisto V. tom. 3. Conciliorum pag. 259. Et Codices impressi Coloniæ Agrippinæ anno 1606. pag. 21. tom. 3. Sunt autem hæc verba non solum Agathonis Papæ, sed etiam Romanæ Synodi, instruentis legatos, missos ad sextam Synodum generalem, in cuius act. 4. præsens epistola extat, & recipitur postea act. 17. vt vidimus sect. 2. Confirmatur, nam qui bene perpenderit contextum eiusdem epistolæ, conferens cum altera epistola eiusdem summi Pontificis, quæ refertur in eadem act. 4. videbit, alienum esse à mente Pontificis, vnam subsistentiam dicere, & incredibile esse tam breui contextu eodem vocabulo fuisse vsum in sensu diuerso. Fuit autem proclive & facile scriptori errorem subrepere pro *substantia* scribendo *subsistentia*, præsertim ob recentem memoriam vocabuli subsistentiæ, quod sæpius in eadem epistola transcripserat.

Sit argumentum secundum non dissimile præcedenti, quod posset aliquis accipere ex Basilio homil. 27. de Spiritu sancto prope fin. vbi varia exemplaria legunt: *Spiritus ex Deo promanans eiusdem cum illo subsistentiæ.* Nihilominus solutio plenè satisfaciens est, illam non esse peculiarem homiliam, sed esse postremum fragmentum, siue caput vltimum libri aduersus Eunomium de Spiritu sancto. Propterea que non ponitur inter homilias in Codice Græco-Latino nuper edito Parisiis anno 1618. Præterea tam in hoc Codice, quàm in aliis antiquioribus prædictum caput vltimum libri 5. aduersus Eunomium prope fin. non dicit: *Eiusdem cum illo subsistentiæ*, sed dicit: *Verum ipse*, scilicet Spiritus sanctus, *à Deo manans subsistit.* 3 *Corrupta lectio.* *Græco-Lat.*

Tertium argumentum opinio contraria sumit ex Augustino, qui 7. de Trinitat. cap. 4. fine ait: *Omnis res ad se ipsum subsistit, quanto magis Deus?* Et sequenti cap. 5. fine: *Hoc est Deo esse, quod subsistere; & ideo si vna essentia Trinitas, vna etiam substantia.* 4

Respondeo. Augustinus neque ibi neque alibi dicit, vnicam esse subsistentiam Dei, sed tantum dicit, vnicam esse substantiam, vt manifestè constat ex toto contextu capitis vtriusque quarti & quinti, & ex postrema conclusione illorum, quam in argumento retulimus. Sed quoniam Augustinus non inuenit aliud verbum, quo significaret exercitium substantialis entitatis, nisi verbum *subsisto*; propterea dixit, *subsistere* non esse relatiuum, sed absolutum, perinde ac si dixisset, quod actu esse substantiam, non est quid relatiuum, sed absolutum. Ideóque Augustinus in vtroque capite discurrendo substantiam infert ex *subsistere*, atque vicissim subsistere colligit ex substantia. 5 *Augustinus vnicam substantiam, non subsistentiam docet.*

Confirmatur primò, recolendo ex disputat. 23. sect. 3. & 4. duplicem fuisse acceptionem vocis substantia. Nonnunquam enim apud antiquos significauit personam, sed vt plurimum apud Latinos significauit essentiam. In eadem igitur magis recepta significatione substantiæ positum est verbum *subsistere*, quod præter alios egregiè adnotarunt Alexander 1. part. q. 57. memb. 3. Henricus 2. part. art. 53. quæst. 6. ad 4. 6

Confirmatur secundò, quia si quis contendat, subsistendi verbum hoc loco apud Augustinum idem significare, quod apud Patres citatos sect. 2. 3. & 5. significat subsistentia: ille compelletur fateri, falsam & erroneam fuisse Augustini sententiam de re præsenti. Quoniam apud prædictos Patres & Concilia tres subsistentiæ relatiuæ sunt indubitabiles. Sed Augustinus hoc loco manifestè negat subsistere relatiuum, solummodo relinquens subsistere absolutum, & dicens, eodem modo esse vnum, sicut est vna essentia. Quapropter apertè negat triplex subsistere, siue tres subsistentias. Consequens igitur est, vt quicumque pro contraria sententia putauerit, esse testimonium Augustini; cogatur eo ipso fateri, testimonium idem nullius authoritatis esse: quod absit. 7

Confirma

8 Confirmatur tertiò, quoniam Augustinus similiter dixit ibidem, personam non esse relatiuam, sed absolutam: & tamen inde non potest inferri, vnicam esse personam, Filium & Spiritum sanctum. Ergo quamuis Augustinus dixerit, *subsistere* Dei non esse relatiuum, sed absolutum; inde non potest inferri, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse vnam subsistentiam (prout communiter accipitur à Patribus) sed tantum infertur, esse vnam substantiam, idest essentiam. Maior constat dicto lib. 7. de Trinit. cap. 6. in princ. vbi ait: *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed sed omnino idem. Nam si esse ad se dicitur, persona verò relatiuè*, &c. Deducit tanquam inconueniens quod deberemus concedere, *Patrem personam esse Filij & Spiritus sancti, aut Filium personam esse Patris*, &c. Vnde post pauca concludit; *Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum sanctum, sicut ad se dicitur Deus & magnus.* Quemadmodum igitur hæc sententia temperanda fuit, & explicanda supra disput. 32. sect. 7. Sic etiam & multo facilius explicari debet, quod paulo superius asseruerat de *subsistere*.

9 Quartum argumentum erat, quia Hieronymus epist. 57. ad Damasum in med. *Taceantur*, inquit, *tres hypostases, si placet & vna teneatur.* Sed hypostasis est idem quod subsistentia, vt sæpe dictum est: ergo Hieronymus vnicam subsistentiam concedit; negat verò tres subsistentias.

10 Respondeo & dico primò. Idem argumentum accipi potuisset ex Athanasio, Epiphanio, Mario Victorino, Concilio Sardicensi, Liberio Papa, Paulino Thessalonicensi & Acacio, imo etiam ex Augustino & aliis, qui dicebant olim, vnam hypostasim, eo quod hypostasim accipiebant pro substantia, idest, essentia, vt retulimus disput. 31. tota sect. 3. Cæterum argumentum, ex omnibus his Patribus acceptum, præcipuè verò quod accipitur ex Hieronymo, retorquetur aduersus authores, quoniam dicti Patres, & magis expresè Hieronymus, ita dicunt vnam hypostasim, vt eo ipso tanquam hæreticas reiiciant tres hypostases. Quo supposito, petendū est ab aduersariis, vtrum Hieronymus & prænominati Patres intellexerint vocabulum *hypostasis* in eadē significatione, quam postea receperunt iidem ac cæteri Patres, citati disput. 31. sect. 4. & 5. nam si affirment aduersarij, coguntur eo ipso fateri falsam & erroneam fuisse doctrinam eorum Patrum, ideóque nullam esse illorum authoritatem ad probandam subsistentiam communem & absolutam. Si verò respondeant aduersarij, diuersam fuisse significationem hypostasis, quam Hieronymus, atque alij Patres nuper enumerati vsurparunt, quando dixerunt vnam hypostasim: manifestè sequitur id quod verum est, videlicet, Patres affirmasse solummodo vnam substantiam, idest, essentiam diuinam, sed non affirmasse vnam subsistentiam, hoc est, vnum modum per se existendi. *Patres quando dicūt vnā hypostasin, eodē sensu negant tres hypostases.*

11 Vnde colligo & dico secundò. Quando dicti Patres scripserunt vnam hypostasim, nondum explorata fuerat propria significatio vocis, neque authoritate Conciliorum & vsu Patrum peculiariter applicata, vt significaret suppositum subsistens. Propterea ex Hieronymo aliisque Patribus, dicentibus vnam hypostasim, nihil amplius colligitur ad probandam vnam subsistētiam, nisi quod posset colligi ex omnibus Conciliis & Patribus, decernentibus vnam essentiam.

12 Dico tertiò. Patres dicentes vnam hypostasim, ea ratione veram sententiam confirmant, quia sub ea significatione, qua dicunt, esse vnam hypostasim, sub eadem esse tres hypostases negant. Quapropter apud illos aut non sunt tres subsistentiæ, aut non est subsistentia absoluta.

Quintò. Maiorem posset excitare difficultatem, quod apud Liberium Papam in fragmento epistolæ ad Athanasium, iuxta nonnullos Codices, legitur *vna subsistentia.* Cæterum Græcè non est nisi nomen hypostasis sæpius repetitum. Interpretis autem vitium fuit eandem vocem hypostasis nunc substantiam, nunc subsistentiam interpretari; cum debuisset attendendo sensum, semper interpretari substantiam, vt vidimus disp. 31. sect. 3. inter princ. & med. 13 *Quartum argumentum.* *Interpretis inconstantia.*

Sextum argumentum, quia diuina essentia siue Deitas subsistit: ergo habet subsistentiam absolutam & communem tribus personis. Antecedens probatur ex Dionysio cap. 1. de diuin. nomin. propius ad med. quàm ad fin. dicente: *Bonitatis subsistentiam per suum esse, causam esse omnium subsistentium.* Athanasius lib. de Incarnat. Christi (qui est diuersus ab aliis Athanasij de Incarnatione) propius ad med. quàm ad princ. ait: *Increata sola Deitatis subsistentia intelligitur.* Nihil autem amplius explicat. Nyssenus verò lib. de vita Mosis inter princ. & med. videlicet colum. 113. ait: *Nihil præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, & à qua omnia dependent, verè subsistere.* 14 *Diuina essentia siue Deitas subsistit.*

Hieronymus epist. 57. ad Damasum post med. *Vna est*, inquit, *Dei & sola natura, quæ verè est; id enim quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est.* Et Ephes. 3. ad illud: *Ex quo omnis Paternitas*, &c. dicit: *Deus non potest intelligi aliunde habere quod subsistit.* 15

Hilarius lib. 7. de Trinit. prope fin. *Non est*, inquit, *corporalium naturarum ista conditio, vt insint sibi inuicem: vt subsistentis naturæ habeant perfectam vnitatem.* Et paucis interiectis: *Inesse autem non aliud in alio, vt corpus in corpore: sed ita esse ac subsistere, vt in subsistente insit: ita verò inesse, vt ipsa subsistat.* Sic enim legunt authores obiectionis huius, *vt ipsa subsistat*, videlicet natura diuina. Quibus adde, quod Hilarius 5. de Trinit. col. antepenult. dicit, *Vt indiuisus atque inseparabilis non ex persona, sed ex natura subsistens, ex Patre Vnigenitus intelligatur.* 16

Cyrillus Alex. & Anastasius Patriarc. Theopolit. in compendiaria explicatione fidei, quæ vtrique inscribitur, inter princ. & med. tractans de vnitate diuinæ essentiæ: *Quid est*, inquit, *essentia? Res, quæ per se est, neque altero indiget ad hoc, vt ipsa subsistat.* Leo magnus serm. 1. de Pentecoste cap. 3. *Spiritus*, inquit, *sanctus ex eo quod est Pater Filiusq; subsistens.* Anastasius Synaita de rectis fidei dogmatibus inter princ. & med. videtur variare nomen subsistentiæ, nunc accipiendo pro persona, nunc pro existentia naturæ. Isidorus lib. 2. de differentiis capit. 4. definit, substantiam esse *Id, quod non ab alio, sed semper ex se est, idest, quod propria in se virtute subsistit.* Eodémque modo definit Phæbadius lib. contra Arianos inter prin. & med. 17

Respondetur primò generaliter. Quamuis essentia diuina consideretur, vt præcisa à personis, optimè dicitur subsistere, non quidem per subsistentiam essentialem & absolutam, sed per tres subsistentias personales & relatiuas. Id quod potiori ratione verificatur, quàm quod humanitas Petri subsistat per suam connaturalem personalitatem, & humanitas Christi Domini subsistat per subsistentiam Verbi Domini. Nam quælibet humanitas distinguitur realiter à subsistentia, saltem 18 *Essentia subsistit per relationes.*

vt res à modo. Nec habet subsistentiam à se ipsa, sed acceptam à Deo, nec includitur in quidditate suæ subsistentiæ: cum tamen essentia diuina quidditatiuè claudatur in tribus subsistentiis, secum realiter identificatis, quas à se ipsa habet, & non ab alio principio. Sic Damascenus lib. 1. de decretis primæ institutionis init. ait: *Patris & Filij & Spiritus sancti vna in tribus personis consistit Diuinitas.*

19 Respondetur secundò, singula testimonia discutiendo. Imprimis namque Dionysius cap. 1. de diuin. nomin. propius ad med. quàm ad fin. *Nihil aliud asserit, præter hoc, quod exactius transtulerunt Perionius & Lansselius in Codice Græco-Latino nuper edito, videlicet, Bonitatis essentia, hoc ipso, quod est, eorum quæ sunt, causa est omnium.*

Subsistendi verbum pro existere.

20 Athanasius & Nyssenus citati, subsistendi verbo significant, Deum existere non ab alio, sed à se ipso, atque immutabiliter; vt constat ex sequenti contextu Nysseni, qui est optimus commentarius illius verbi. Posset etiam aliquem mouere, quòd Gregorius Nyssenus orat. catechetica cap. 4. sub init. ait: *Verbum & Spiritus Dei essentialiter consistunt.* Sed hoc non significat, quod habeant subsistentiam ratione essentiæ præcisè atque formaliter: Sed quod Verbo & Spiritui quidditatiuè conueniat subsistere, iuxta relatiuã quidditatem, de quo diximus disput. 24. sect. 3. & 5. Quod autem Nyssenus negauerit vnicam subsistentiam, vidimus sect. 5. Cui consonat quod de tribus subsistentiis ex eodem Nysseno retulimus sect. 2. circa med.

21 Hieronymus dicta epist. 57. planè loquitur, non de subsistentia, prout ab existentia distinguitur, sed prout est existentia perfectissima non aliunde & immutabilis, quæ significatur Exodi 3. *Ego sum qui sum.* Idémque significare voluit Ephes. 3. citato.

22 Hilarius 7. de Trinit. prope fin. non dicit, *vt ipsa subsistat*, sed dicit, *vt ipse subsistat*, videlicet ipse Filius: atque ita contextus postulat, & legunt emendatiores Codices. Scopus autem Hilarij fuit, eo loco monstrare, circuminsessionem, per quam Pater & Filius in se inuicem subsistunt, esse propriam Diuinitatis, nec alicui naturæ creatæ conuenire: insuper Filium esse in Patre, non vt accidens in subiecto, sed vt subsistens in subsistente. Quod autem adiunximus ex lib. 5. de Trinit. non significat, quod Filius per naturam diuinam formaliter subsistat: sed quod inseparabilis atque indiuisus sit, propter vnitatem naturæ formaliter; quamuis diuisus & separabilis à Patre, hoc est, realiter distinctus subsistat ratione personæ.

23 Denique Hilarius non solum in duodecim libris de Trinit. sed etiam lib. de Synodis, subsistendi verbo nonnunquam vtitur tali contextu, quo significare videtur, substantialiter existere, vel subsistere per subsistentiam, ratione distinctam ab essentia, quæ subsistit. Sic enim lib. de Synodis col. 6. dicit, essentiam esse *quæ in eo quod maneat, subsistit*, Et post pauca: *Quæ idcirco etiam substantia est, quia res quæ est, necesse est subsistat in in se se.* Deinde verò iterum atque iterum repetit *subsistere.* Insuper lib. 9. de Trinit. circa med. frequenter existendi actum significat verbo *subsistere.*

24 Circa fidei expositionem inscriptam Cyrilli & Anastasij, quæ citatur in argumento 6. notandum est eam multoties profiteri tres hypostases, & expressè negare vnam hypostasim: præterquam quod Cyrillus Alexand. citatus sect. 5. prope med. satis apertè negat vnam subsistentiam absolutam. Denique Leo Magnus, Anastasius, & Isidorus significant essentiam non acceptam ex alieno principio, sed essentialiter debitam.

Nec sine authoritate sacræ Scripturæ Patres accipiunt *subsistere* pro *existere*, nam Iob. 3. *Sicut abortiuum*, inquit, *non subsisterem.* & cap. 7. *Si mane me quæsieris, non subsistam.* & c. 24. 32. & 41. Psalm. 102. *Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet*, &c. Præter alias significationes sistendi & quiescendi, aut substinendi & standi, quas in aliis locis Scripturæ sortitur hoc verbum.

25 *In Scriptura subsistere pro existere.*

Sit postremum argumentum, quod obiicitur ex Boëtio lib. de duabus naturis multo propius ad med. quàm ad princ. dicente, *Deus est hypostasis, id est, subsistentia, subsistit enim nullo indigens. Vnde dicimus, vnam esse vsiam vel vsiosim, id est, essentiam vel subsistentiam Deitatis.* Confirmatur, nam apud Bedam tom. 8. versus fin. commentator in lib. Boëtij de Trinitate col. penult. dicit: *Vsia à subsistendo dicitur. Sic vocatur à Græcis vsiosis, à nobis verò propriè subsistentia.*

26

Respond. Boëtius ibi subsistentiam accepit pro substantiali existentia. Quemadmodum diximus disp. 25. sect. 3. probat. 2. Alioqui Boëtium in eodem lib. docuisse, subtiliorem & exactiorem interpretationem vsiosis esse subsistentiam indiuiduam, supra vidimus sect. 3. probat. 2. sed prædictus commentator in librum de Trinit. non videtur meminisse alterius acceptionis, quàm subsistentiæ & vsiosis pro vsia, vt vidimus in eadem sect. 3.

27

SECTIO IX.

De alijs testimonijs Anselmi, Ricardi & Sancti Thomæ.

1 PRimùm Anselmus in monologio capit. 43. in med. inquit: Pater gignendo Filio dedit, *vt non per extraneam, sed per suam essentiam, sapientiam, & vitam subsistat, sapiat & viuat: alioquin non erit idem esse Patris & Filij, nec erit par Patri Filius. Quodque falsum sit, liquidissimè superius peruisum est: quare non repugnat Filium, & subsistere per se, & esse de Patre: quia hoc ipsum, id est, per se ipsum posse subsistere, necesse est illum de Patre habere.*

2 Respondetur. Animus Anselmi fuit ostendere, quod omnes perfectiones Filius habeat à se ipso: quamuis eadem accipiat à Patre. Hanc veritatem dum explicat, interserit perfectionem relatiuam subsistendi simul cum aliis perfectionibus absolutis. Quoniam omnes habet Filius à se ipso, licet omnes accipiat à Patre, sicut ab illo accipit esse Filium. Vel fortasse cum Anselmus per omnia sit Augustinianus, imitatus est illum verbo subsistendi vsurpato, ad significandam substantialem existentiam & actualitatem, vt diximus sect. præcedenti ad 3. Idcirco tanquam synonyma permutauit hæc verba Clemens quintus in Concilio Viennensi, clementina 1. de summa Trinit. dicens: *Filium in omnibus, in quibus Deus Pater existit, vnà cum Patre æternaliter subsistentem.*

Mens Anselmi.

3 Secundò potest obiici Ricardus 4. de Trinit. cap. 20. dicens, personas rectiùs appellari existentias, quàm subsistentias. Respondeo. Ricardus ibi solummodo loquitur de nominis Etymologia, secundum quam subsistentia dicitur respectu eorum, quibus subesse videtur. Deus autem propriè & realiter nulli rei subest. Nihilominus ibidem Ricardus

Ricardus fatetur, concedi posse plures subsistentias, sicut conceduntur tres substantiæ incommunicabiles. Adhuc tamen ad significandam personam, subsistentiæ nomen esse magis accommodatum, quàm nomen existentiæ, constat ex dictis disp. 25. sect. 3. & sequentibus.

4 Tertium argumentum accipitur ex D. Thoma, quoniam vbique docet relationes diuinas sub ratione relationis distinguere personas; cæterum eas non constituere in ratione subsistentium, quatenus relationes sunt, sed quatenus identificantur cum essentia. Ita docet 1. p. q. 29. art. 4. & q. 40. a. 2. & 4. Et lib. 4. contra gentes c. 14. ad 5. & c. 49. ad potent. quæst. 8. art. 3. corp. fine & ad 7. 8. & 9. & 5. & de q. 9. de potent. a. 5. ad 13. & quæst. 10. art. 5. ad 12. & 1. sentent. dist. 26. quæst. 2. art. 2. ad 1. & dist. 27. art. 2. corp. & ad 3. Ex quibus locis aliqua verba collegit Capreolus 1. dist. 26. quæst. 1. art. 1. conclus. 3. & art. 3. col. penult. & in eadem distinct. Deza.

5 *S. Thomæ sententia probatur.*

Respondeo ex mente D. Thomæ omnibus in locis nuper citatis. Impossibile est personas distingui, nisi per eam ipsam rationem formalem per quam constituuntur. Quia distingui Patrem à Filio consistit in eo ipso, quod Pater est Pater & non Filius, cum tamen Filius sit Filius & non Pater. Vnde fit, vt quo Pater constituitur Pater, eo ipso distinguatur à Filio. Quod fusiùs ostendemus disp. 68. sect. 8. & disp. 87. sect. 2. & sequentibus. Cum igitur relationes diuinæ simul sint non modò relationes, sed etiam substantiales, subsistentes ac subsistentiæ: hoc secundum, videlicet, quod subsistant, non habent ex præcisa, & explicita & formalissima ratione relationis (Hæc enim solummodo tribuit respicere aliud realiter distinctum) sed subsistere habent ex eo, quod relationes diuinæ sunt, & ideo realiter identificatæ cum essentia diuina. Ex hac igitur quasi partiali formalitate magis explicita diuinæ relationes habent, vnde constituant subsistentes personas.

6 Quapropter in peculiari formalitate Paternitatis, qua Pater constituitur ac distinguitur, debemus discernere non duas rationes formales, sed duas quasi partes eiusdem formalitatis: alteram, qua constituit personam sub ratione subsistentiæ: alteram verò, qua referendo, respiciendóque Filium, distinguit Patrem. Vtraque tamen quasi pars formalitatis importatur in ratione formali Paternitatis relatiuæ. Idem intellige de Filiatione, & relatione Spiritus sancti.

7 Quartò obiiciunt quod S. Thomas 1. dist. 26. quæst. 1. art. 1. ad 4. ait: *Quæ dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, vt subsistentia & essentia.* Sed explicatio continetur in eodem contextu, quod subsistentiam accipiat pro substantia, siue substantiali existentia. Propterea que continuò subiungit temperamentum; *Quamuis nomen subsistentiæ apud vsum sanctorum sumatur pro hypostasi, vt prius dictum est.*

8 Quintò obiiciunt, quod asserit 4. contra gentes cap. 14. ad 5. (falsò citando caput. 18.) essentiam & personam esse subsistentem. Cæterum ex eodem loco, & aliis nuper citatis constat, essentiam non subsistere, nisi propter subsistentias constitutiuas personarum.

9 Sextò referunt S. Thomam 1. p. quæst. 3. & 1. contra gentes cap. 21. & 22. docuisse, ipsum esse per essentiam subsistens esse Dei essentiam. Veruntamen illud, *Per essentiam subsistens*, non reperitur in iis locis, vbi solummodo probat, quod Deus est sua essentia & suum esse, præsertim 1. p. quæst. 3. art. 3. & 4. & citatis capitibus contra gentes. Quod si sanctus Thomas alicubi dixisset, ipsum esse per essentiam subsistens esse Dei essentiam; intellexisset, quod sola Dei essentia, ratione sui postulet, ac proferat ex se ipsa subsistentias, secum realiter identificatas, & in quibus ipsa quidditatiuè claudatur.

Septimò proferunt plura testimonia, quibus asserit S. Thomas, hac voce *Deus* significari subsistentiam, & Deitatem siue essentiam diuinam subsistere. Quibus omnibus respondeo, Deum ac Deitatem subsistere per relationes, quas sub generali ratione subsistentiæ significat hoc nomen *Deus*, abstrahens ab hoc, quod subsistentia sit vna vel multiplex, relatiua vel absoluta, de quo dicemus etiam sect. sequenti ad septimum.

10

SECTIO X.

Rationibus aduersariorum satisfaciens.

1 PRima ratio erat, quia subsistentia est perfectio simpliciter simplex: sed relatio non est perfectio simpliciter simplex: ergo relatio non est subsistentia, sed sola subsistentia absoluta est propriè & verè subsistentia. Confirmatur, nam alias in vna persona foret aliqua perfectio, quæ deesset alteri personæ.

2 Respondeo. Relatio est perfectio simpliciter simplex: nihilominus tres relationes non sunt tres perfectiones sed vnica, & in qualibet persona est tota perfectio, tota subsistentia, totáque relatio alterius personæ, quamuis non eodem modo, quod explicatum & probatum fuit tota disp. 30. præsertim sect. 3. & sequentibus.

3 *Secundum argumentum.*

Sed vrgent aduersarij secundò, quia perfectio simpliciter simplex debet conuenire Diuinitati, secundum se conceptæ, præcisis relationibus; quoniam sub illa etiam præcisione Diuinitas est infinitè perfecta in genere entis, & est verus Deus, ac subinde completum ens. Confirmant autem, quia concedere, Deitatem ita conceptam non includere omnem perfectionem, est adeo absurdum, vt sufficienter ostendat falsitatem sententiæ, negantis subsistentiam absolutam.

4 *Sine relationibus Deus non esset perfectus.*

Quibus è contrario respondemus, hoc inter alia valide probare veritatem nostræ sententiæ, quod illa sola defendit dogma verissimum, plurimis testimoniis sanctorum Patrum rationibúsque probatum disp. 29. sect. 3. & sequentibus, videlicet, quod sine relationibus imperfectus esset Deus, non solum in quantum Pater, sed etiam in quantum Deus, propterea que Diuinitas & absoluta subsistantia foret imperfecta, si defuissent illi relationes. Consequens igitur est, vt conuenientissimum sit, & infinita Deitatis perfectione dignissimum, quando præscinditur à relationibus, eo ipso manere præscissam & abstractã à perfectione sibi debita, simplicitérque necessaria, vt Deitas sit completè & simpliciter infinita in genere entis; vt vidimus sect. 7. fine. & fusius disp. 29. sect. 5.

5 *Retorquetur argumẽtum.*

Insuper argumentum retorquetur in aduersarios qui licet constituant subsistentiam absolutam, poterunt tamen considerare naturam diuinam existentem, præscindendo à subsistentia; & sub illa consideratione natura diuina non erit infinita in genere entis, nec includet omnem perfectionem simpliciter simplicem; quemadmodum si præscindatur à sapientia, prout sic præscissa est, non includit sapientiam, nec est sapiens, nec potest amare nec prouidere.

Tertiò

6 Tertiò argumentantur, quia Rhemense Concilium in confessione suæ fidei contra Gilbertum Porretanum in principio ait: *Credimus simpliciter naturã Diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus Diuinitas.* Existimant autem valde vrgeri nostram sententiam illis verbis, *nec aliquo sensu Catholico.*

7 *Retorquetur.* Respondeo & dico primò. Si prædictis verbis, obiectionis authores existimant, excludi minimam distinctionem rationis ratiocinatæ, qualis est inter essentiam & suppositum diuinum; contra se ipsos pugnant; siquidem negare non possunt, quin subsistentia, quantumcumque cogitetur esse absoluta, distinguatur ratione ratiocinata à natura diuina. Dico secundò. *Mens illorum Patrum fuit solummodo damnare huiusmodi propositiones Gilberti, Diuinitas non est Deus, Diuinitas non est Pater, Pater non est Diuinitas.* Has propositiones Concilium decreuit, non habere aliquem sensum Catholicum; quemadmodum de similibus aliis verbis eiusdem Concilij diximus disput. 11. probat. 2. sect. 3. & disp. 12. sect. 1. versus fin. Porrò de concretis abstracta, & de abstractis concreta prædicari posse, non obstante distinctione rationis, ostendimus disp. 11. sect. 6. & disp. 13. sect. 1. Adde quod illud Concilium non est confirmatum à summo Pontifice, vt vidimus dicta disp. 11. & ex Ottone Frisingensi refertur in noua editione Conciliorum tom. 3. part. 2. pag. 1334.

Mens concilij Rhemensis.

8 Quartò, nobis iterum obiicitur illud Ioan. 10. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Inde colligendo, Diuinitatem à personis præcisam habere summam perfectionem, ita vt non sit maius & perfectius aliquid ipsa persona, quàm Deitas ita præcisa. Cæterum consecutio non est bona, quia supponit falsum, videlicet Patrem non dedisse Filio, nisi solam Diuinitatem, præcisam à personis. Sed de hoc plenius dictum est disp. 30. sect. 9. post med.

9 Quintò Caietanus, & in eius gratiam alij argumentantur, quia natura diuina ex se ipsa subsistit, neque mendicat subsistentiam à suppositis. Confirmatur primò, quia subsistentia est modus substantiam complens in ratione substantiæ. Ergo debet includi in præcisa ratione substantiæ. Confirmatur secundò, quia Deitas, etiam à suppositis præcisa, retinet absolutam existentiam independentem à quolibet alio, cui inexistat, & à quo supponatur. At verò subsistere nihil aliud est, quàm existere independenter à quocumque alio, cui inexistat, & à quo substentetur.

10 *Quomodo natura diuina ex se ipsa subsistat.* Respond. Natura diuina ex se ipsa subsistit, quatenus ex se est veluti radix relationum personalium realiter identificata cum illis, in quibus, & per quas formaliter subsistit. Hoc autem ipsum est non emendicare subsistentiam. Ad primam confirmationem respond. negando consequentiam. Quoniam essentia, præcisa à personis, est perfecta solummodo in ratione naturæ substantialis, & quantum ad rem ipsam substantiæ, non quantum ad modum substantiæ, neque in ratione suppositi subsistentis.

11 Ad secundam confirmationem respond. Imprimis Deitas quamuis non pendeat realiter à personalitatibus, neque realiter inexistat illis, quia non distinguitur realiter ab illis: nihilominus iuxta modum intelligendi, magis congruentem rerum naturis, Deitas quasi pendet à personalitatibus relatiuis, quatenus per illas formaliter constituitur in ratione subsistentis; quemadmodum etiam relatiuę personalitates alio genere, quasi dependentiæ dependent à Deitate. Hanc verò mutuam dependentiam, iuxta modum intelligendi, non effugient, qui concedunt subsistentiam absolutam: nam etiam apud illos, Deitas non intelligetur subsistere, nisi per subsistentiam absolutam, qua præcisa per intellectum, Deitas non subsistet.

12 Dico secundò. Negatio realis dependentiæ inter existentiam Deitatis & personalitates relatiuas, *non* est sufficiens ratio, propter quam existentia huiusmodi appelletur subsistentia. Quia nihilominus existentia Deitatis terminatur à persona, & per eam realiter subsistit, & supponitur existentia Deitatis. Imo quod absoluta existentia Deitatis non pendeat à supposito realiter à se distincto, prouenit illi ex eo, quod habeat tria suppositа, secum realiter identificata, in quibus realiter subsistat. Itaque positiua radix independentiæ negatiuæ est suppositum relatiuum, per quod sufficientissimè subsistit Deitas.

13 Sextum argumentum. Relationes inexistunt Deitati: ergo Deitas non existit in relationibus, & consequenter nõ supponitur ab illis. Respond. negando consequentiam, quia non solum in Deo, sed etiam in creaturis suppositalitas, siue subsistentia dicitur esse in natura, in quantum est modus, illam afficiens & terminans, & ab illa necessariò dependens: nihilominus natura dicitur esse in suppositalitate, siue subsistentia; quatenus per illam subsistit, & in illa sustentatur. Quod igitur realiter conuenit rebus creatis, hoc idem iuxta modum intelligendi concedimus Diuinitati & eius personalitatibus, vt propter diuersas rationes mutuo in se inuicem inexistant.

14 Septimum. Nomen concretum semper significat subsistentiam: sed vnus Deus in concreto præintelligitur prius ratione, quàm intelligantur tres personæ. Ergo Deitatis aliqua subsistentia præintelligitur tribus personis. Confirmatur, quoniam actiones sunt suppositorum: sed *Deus* in concreto propter communem & absolutam essentiam Deitatis, vt propter rationem formalem, est suppositum, ac proinde habet communem & absolutam subsistentiam.

15 *Concretum Deus non significat vnam singularem subsistentiam.* Respond. *Deus* in concreto, præter Deitatem, quam significat de formali, significat etiam de materiali rationem communem personæ. Quapropter Deus in concreto intelligitur prius, quàm tres personæ distinctæ, & in particulari cognoscantur: sed non intelligitur prius, quàm intelligatur communis ratio personæ. Quin potius ratio personæ significatur eo ipso, quod significatur Deus subsistens, abstrahendo ab hoc, quod subsistentia sit vna, vel plures, absolutæ, vel relatiuæ; de quo plura dicemus disp. 78.

16 Inde respond. ad confirmationem. Nam sub eadẽ abstractione dicitur Deus intelligere, velle, creare & gubernare per intellectionem & volitionem, communem tribus personis, & à nobis conceptam prius ratione, quàm intelligamus tres personas distinctè & in particulari; sed non prius ratione, quàm intelligamus communem rationem personæ. Præterea quod attinet ad rem ipsam intelligere, velle, creare & gubernare conuenit Deo propter communem & absolutam essentiam Deitatis tanquam propter principium *quo*, siue potentiam actiuam. Cæterum principium *quod*, simpliciter

simpliciter dictum, non est essentia Deitatis totaliter præcisa à tribus personis, sed est Deus, includens communem rationem personæ, sicut diximus. Ac denique tria suppositа simpliciter necessaria esse ad creandum, ostendemus postremis disputationibus de Trinitate. Quamuis tria suppositа concurrant, vt vnum principium, non vt tria principia.

17 Octauò soluitur ex dictis illud sophisma: Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vnus, qui creat, quia sunt vnus creator: sed non sunt aliquis vnus constitutus per proprietatem relatiuam. Ergo sunt aliquis vnus, constituens per proprietatem absoluta. Respond. Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vnus, qui creat, & vnus creator propter vnitatem sapientiæ, volitionis, imperij atque potentiæ, per quam constituitur in ratione creatoris in actu primo: non propter vnitatem suppositorum, habentium prædictam rationem constitutiuam creatoris. Nam vt nomen substantiuum enuncietur in numero singulari, satis est vnitas formæ, licet suppositа illam habentia realiter distinguantur, vt ostendemus disp. 77.

18 Nonum argumentum. Deitas de facto non est imperfectior quam foret, si Deus esset vnica tantum persona. Sed tunc Deitas includeret subsistentiam. Ergo nunc etiam includit. Respond. Deitas de facto habet maius fundamentum, vt intelligatur præcisa à perfectione relationum; ac subinde sub ea præcisione sit minus perfecta, quàm foret si Deus esset vnica tantum persona & absoluta. Tunc enim foret minus necessarium præscindere Deitatem à persona. Nihilominus etiam in ea hypothesi Deitas potuisset præscindi à personalitate vnica, sub qua præcisione Deitas tunc non magis includeret perfectionem subsistentiæ, quàm nunc de facto eam includit: nisi forte propter transcendentiam mutuam attributorum, nam in ea hypothesi subsistentia foret attributum, sed nunc de facto non est attributum.

ARTICVLVS III.

Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis.

EXAMEN huius articuli differtur ad disp. 37. vt prius absoluantur, quæ restant de communi ratione personæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc nomen persona *possit esse commune tribus personis.*

DISPVTATIO XXXV.

Vtrum tres personæ sint tres species, vel individua numero distincta comparatione personæ in communi, vel comparatione Deitatis.

SECTIO I.

Vtrum possit abstrahi communis ratio personæ, *quidditatiuè conueniens Patri, Filio, & Spiritui sancto.*

IMVL cum persona tractabitur de subsistentia, relatione, origine, processione, & de quocumque notionali prædicato, quod possit de tribus, aut saltem de duabus personis prædicari. Duplex autem considerari potest communitas personæ vel relationis. Altera generalior, in quantum est communis Deo & creaturis. Hanc breuius expediemus in præsenti, quoniam pertinet ad logicam vel metaphysicam, & tractata fuit à D. Thoma 1. p. q. 13. art. 5. & 6. Sed quoniam hic tractatur à plurimis scholasticis, non debuit omnino prætermitti. 1

Prima igitur sententia dicit, tribus personis diuinis non dari conceptum communem personæ, qui realis sit, & illis quidditatiuè conueniat, nec conceptum communem relationis. Hanc opinionem magis ex professo probant Aureolus 1. dist. 19. quæst. 2. artic. 5. post med. Henricus 2. part. Summæ art. 53. quæst. 3. Molina 1. p. quæst. 29. a. 1. disp. 3. post med. §. *confirmari.* Vazquez disp. 130. cap. 2. & 3. de conceptu personæ. & disput. 158. cap. 7. fine. de conceptu relationum. Quin etiam Scotus 1. dist. 13. quæst. vnica §. *ad quæstionem.* & clarius dist. 23. quæst. vnica §. *ad quæstionem* & dist. 25. quæst. vnica §. *si autem*, tanquam sibi probabilius defendit, nihil positiuum commune posse abstrahi à tribus personis, sed solam negationem communicabilitatis esse communem illis. Denique pro eadem opinione referri possunt quicumque dicunt, solam negationem, aut secundam intentionem esse rationem formalem constitutiuam personæ, videlicet, Bassolis, Maironis, Ocham. Habriel, Henricus, Canariensis, Durandus & alij citati disp. 32. sect. 5. pro prima & secunda sententia. 2 *Qui negant conceptum communem personæ.*

Argumenta quæ supponunt, rationem formalem esse negationem aut secundam intentionem, tractata sunt dicta disp. 32. sect. 5. Restant argumenta, quæ directè probant, abstrahi non posse communem rationem personæ. Primum ex Scoto, quia terminus vltimus & vltima differentia esse debet omnino simplex, ita vt in duos conceptus resolui non possit. Sed tres personalitates diuinæ sunt tres vltimi termini diuinæ substantiæ, & tres vltimæ differentiæ constitutiuæ personarum: ergo non potest ab eis abstrahi conceptus realis communis. Maior probatur, quia terminus vltimus, & vltima differentia non potest alio termino terminari, neque alia differentia constitui. Alioqui iam non erit vltimus terminus, nec vltima differentia: quoniam vlterior & posterior terminus & differentia erit illa, per quam ille terminus constituitur & terminatur. 3 *Primum argumentum.*

Confirmatur primò, nam aliàs daretur processus in infinitum. Etenim si tres personalitates diuinæ habent in quo realiter conueniant, & in quo realiter differant: etiam ille conceptus, in quo differunt, poterit concipi & significari non solum in particulari, sed etiam in communi. Ergo resolui poterit in duos alios conceptus, alterum communem, & alterum conceptum peculiaris differentiæ; de quo poterit idem argumentum instaurari. Confirmatur secundò, quia primò diuersa nullam habent inter se conuenientiam; sed 4

tres

tres personalitates sunt primò diuersæ. Ergo nullam habent conuenientiam.

5 Secundum argumentum, quia si persona foret communis tribus, esset vniuersalis, & genus vel species vel aliud ex quinque vniuersalibus. Tertiò argumentatur Aureolus, quoniam essentia diuina & relationes includunt se inuicem quidditatiuè. Ergo sicut à diuina essentia non potest abstrahi communis conceptus, qui nõ dicat essentiam determinatè & explicitè: sic nec à relationibus abstrahi potest conceptus, qui non dicat relationes determinatè & explicitè.

Tertium argumentum.

6 Quartò argumentatur Vazquez, quia ratio personæ est ratio indiuidui, quæ est veluti passio cuiusque entis, denominatiuè conueniens illi; & præterea dicit modum subsistendi, qui est veluti passio modificans substantiam. Vnde neque de Petro & Paulo quidditatiuè dicitur ratio personæ. Quintum eiusdem argumentum est. Relatiuo & absoluto nihil commune & abstractum potest quidditatiuè conuenire, imo nullus conceptus obiectiuus, qui fuerit analogus potest inferioribus suis quidditatiuè conuenire. Sextum, quia persona est quid absolutum ex Augustino. Ergo non potest esse de quidditate relationum Patris, Filij & Spiritus sancti.

Quartum argumentum.

Quintum argumentum.

7 Nihilominus sit vnica conclusio. Communis ratio personæ potest abstrahi à Deo & creaturis; similitérque communis ratio personæ diuinæ potest abstrahi à tribus personis diuinis, quæ illis quidditatiuè conueniat. Explicatur magis, ita fieri posse abstractionem, vt cõceptus obiectiuus nullam includat differentiam, & totus sit ens reale, videlicet totum id, quod intelligitur per conceptum formalem: nihilominus eiusdem obiectiui conceptus vnitas & communitas non sit realis (qualis est vnitas & communitas essentiæ diuinæ) sed sit ens rationis. Quapropter nomen personæ non significat immediatè Patrem, Filium & Spiritum sanctum, secundum peculiares proprietates, quibus ab inuicem distinguuntur, sed tantum secundum rationem communem, illis quidditatiuè conuenientem. Notandum autem est, hanc rationem abstractam, licet sit communis, non esse propriè vniuersalem propter rationes dicendas in sectionibus sequentibus.

Cõmunis ratio personæ.

8 Conclusionem docent S. Thomas in præsenti q. 30. art. 4. Vbi Caietanus in fine commentarij & communiter recentiores. Durandus 1. dist. 19. q. 4. num. 10. post med. Albertus 1. p. quæst. 44. memb. 1. dum respondet ad quartam sententiam. Alexander. 1. p. q. 56. memb. 4. art. 1. & 2. Bonauentura 1. dist. 25. artic. 2. quæst. 1. & 2. Maior. 1. dist. 23. quæst. vnica conclus. 1. & 2. Marsilius 1. quæst. 28. art. 2. post med. & art. 3. Argentina tota dist. 25. Carthusianus dist. 23. quæst. 2. col. penult. Capreolus 1. dist. 25. quæst. vnica art. 1. conclus. 4. & 5. Gabriel eadem dist. 25. q. vnica art. 1. conc. 1. Valentia tom. 1. sua q. 4. puncto 3. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 3. num. 10. & sequentibus. Eandémque probabilem, & magis conformem doctrinæ Augustini & Magistri, reputat Scotus 1. dist. 23. in fine totius distinctionis, & distinct. 25. quæst. vnica §. *si autem*. Insuper assertiuè & ex propria sententia, rationem communem, & abstractam à tribus relationibus diuinis & rationem relationis producentis, abstractam à Paternitate & spiratione actiua, & rationem relationis productæ abstractam à Filiatione & spiratione passiua, concedit Scotus 1. dist. 2. dum respondet ad secundam quæstionem, quæ est 5. in ordine ad primum argumentum. Aureolus denique 1. dist. 25. art. 3. præsertim propositione 3. concedit, tribus personis esse communem rem existentem solitariè & per se, in cuius realitate fundantur relationes incommunicabilitatis.

9 Conclusio probatur primò ex Patribus. Nam Cyrillus dialog. de Trinit. lib. 1. inter med. & fin. *Subsistentia*, inquit, *intelligetur conuenientius vt singulare, quod neque à communitate destituat, quod explanatur; neque etiam à singulare cum obscuro confundit & commiscet.* Id est, subsistentia est singulare, quod explicitè significat rationem aliquo modo communem singularibus; & hoc significatum explicitum non confundit cum significato implicito, videlicet cum peculiaribus proprietatibus vniuscuiusque personæ, vel cum essentia diuina.

10 Clarius autem, communem rationem hypostasis esse proprio charactere insigniri, & habere propriam sibi collectionem proprietatum, docet Hugo Æterianus lib. 3. de hæresibus c. 2. propius ad fin. quàm ad med. tom. 9. bibliot. illis præcipuè verbis: *Videtur autem quibusdam, tribus esse commune proprio charactere insigniri earumdem suffragante constitutionibus, ac commune idioma esse Patris Filij ac sancti Spiritus quasi collectionem proprietatum non substantialium complecti.* Hugo Victorinus tom. 3. eruditionis Theologicæ summæ sententiarum tract. 1. cap. 9. post med. ait: *Cum dicitur, Pater est persona, Filius est persona, nondum fit distinctio: sed cum additur alia persona, vel per pluralem tres personæ, iam distinctio notatur.* Quam doctrinam, ex Augustino collectam, sequitur etiam Magister. 1. dist. 23. multis capitibus.

11 Fauet Ricardus Victor. lib. 5. de Trinit. cap. 5. ante med. dicens: *Incommunicabilis existentia communicabilem, imò communem producit.* Intelligit autem existentiam communem Filium & Spiritum sanctum *ex semetipsis non esse*, sed esse à persona improducta, videlicet, Patre, vt constat ex toto contextu. Denique colligitur ex cæteris Patribus, qui disp. 32. sect. 6. dixerunt, discrimen hypostasis siue personæ ab essentia consistere in eo quod hypostasis seu persona sit aliquid proprium, indiuiduum, singulare & particulare. Quam rationem ita concipimus, vt in ea non intelligamus expresè Paternitatem aut Filiationem, neque personalitatem Petri aut Pauli.

12 Secundò probatur ratione, quod ratio personæ diuinæ sit communis, & quidditatiuè conueniens; quia ratio constitutiua Patris in ratione personæ est relatio Paternitatis, vt constabit disp. 87. & 88. Ergo de Patre, vt Pater est, quidditatiuè dicitur communis ratio personæ. Consequentia est manifesta, quia relatio Paternitatis non posset formaliter constituere in ratione personæ, nisi ipsa foret quidditatiuè personalitas.

13 Vnde probatur tertiò, quia non solum dicimus, Patrem esse personam, sed etiam rectè dicimus, Paternitas est personalitas. *Huiusmodi* autem prædicatione s abstractorum de abstractis non esse veras, nisi vnum extremum sit de quidditate alterius, ostendimus supra disput. 13. sect. 1. Probatur quartò, quia daretur in Deo compositio quasi accidentalis secundum rationem; si darentur duæ rationes reales, quarum neutra sit de quidditate alterius, vt ostendimus dicta disp. 13. sect. 2. probat. 6.

14 Quintò, quia tres personæ diuinæ verè & realiter conueniunt in modo subsistendi incommunicabiliter, atque in hoc sunt similes in re ipsa.

Ergo

Ergo noster intellectus potest formare cõceptum huius conuenientiæ, nihil explicitè intelligendo de discrimine singularũ personarum. Rursus huic formali conceptui respondebit proprium, immediatum & adæquatum obiectum: illud autem non est singulæ personæ in particulari. Ergo est communis ratio personæ. Confirmatur primò, quia diffinitiones personæ, traditæ disp. 32. sect. 2. & 3. non explicant peculiares differentias singularum personarum, sed communem aliquam rationem personæ. Confirmatur secundò, prædicta nãque cõmunitas & conuenientia non est in eo præcisè, quod tres personæ sint eiusdẽ naturæ diuinæ, sed est præterea conuenientia & cõmunitas in modo intrinseco & reali subsistendi incõmunicabiliter.

15 Probatur sextò, quia tres relationes diuinæ distinguuntur ab omnibus subsistẽtiis creatis in eo, quod omnes creatæ subsistẽtiæ sunt absolutæ: sed omnes subsistentiæ diuinæ sunt relatiuæ. Ergo subsistentiæ diuinæ conueniunt in communi ratione relatiuæ & increatæ subsistentiæ. Confirmatur, quia quatuor relationibus diuinis quidditatiuè conueniunt quæcumque sunt de intrinseca ratione relationis realis, qualia sunt habere terminum realem, & ab illo realiter distingui.

16 Quod attinet ad conceptum personæ vel relationis, communem Deo & creaturis, eisdem ferè rationibus, proportionaliter acceptis, probari poterit, atque insuper cõfirmari, quia nulla peculiaris ratio prohibet, quominus ratio personæ vel relationis abstrahatur à Deo & creaturis, analogicè communis eisdem: quemadmodum conceptus entis, substantiæ, sapientiæ, bonitatis, & similes, de quibus cum Ricardo Victorino disputat ex professo Alexand. 1. par. quæst. 44. memb. vnico §. *vlterius*. Et expositores diui Thomæ sup. q. 13. art. 5. ad 6.

17 Ad argumenta primæ sententiæ respondetur. Ad primum. Vltimus terminus vel vltima differentia non potest resolui in duos cõceptus, quorum vnus nõ includat alium: potest nihilominus in duos conceptus resolui, quorum vnus includat alium. Hoc verò nõ obstat simplicitati, nec quidditatiuæ rationi vltimi termini. Quia summa simplicitas est illius formalitatis, quæ non resoluitur in duos conceptus adæquatè distinctos, ita vt neuter includat alterum. Propterea modi essendi, quibus constituuntur singula prædicamenta, censentur esse simplicissimi: quamuis quidditatiuè includant communem rationem entis: & attributa diuina sunt formalitates simplicissimæ, licet ab illis possint abstrahi plures rationes communes, & diuinæ relationes simplicissimæ sunt, licet includant essentiam.

Ad primum. An possit resolui in duos conceptus.

18 Ad primam confirmationem sequela negatur, quia conceptus differentiæ semper includit communem conceptum, & vlterius non est partibilis in plures conceptus. Ad secundam confirmationem respond. Primò diuersa conueniunt in ratione inclusa in differentiis.

19 Ad secundum argumentum negatur sequela. Quamuis enim persona sit communis, nõ est vniuersalis, neque genus, nec species propter rationes afferẽdas sect. sequenti. Ad tertium respond. Relationes non includũtur, quidditatiuè in essentia, vt probatum est disput. 14. & licet includerentur, essentia posset explicitè concipi sub ratione personæ & relationis in communi, nõ concipiendo distinctè Paternitatem, Filiationem & Spirationem; sicut concipitur essentia, non concipiendo distinctè intellectionem, aut volitionem.

Ad secundum. Ad tertium.

Ruiz. de Trinitate.

Ad quartum respond. primò. Realis ratio indiuidui incommunicabilis & subsistentis siue per se existentis quidditatiuè conuenit cuilibet supposito creato, in quantum suppositum est quoddam ens per se, prorsus completum secundum integram & plenam perfectionem substantiæ. Resp. secundò. Quamuis prædictæ perfectiones non fuissent de quidditate Petri, debuissent esse de quidditate Patris, Filij & Spiritus sancti. Quoniam illi propter infinitudinem perfectionis, non extra suam quidditatem, sed intra illam continere debent quidquid potest ipsis realiter conuenire. 20

Ad quartum.

Ad quintum respond. Vtraque pars antecedentis non est vera. Quin potius entis creati conceptus quidditatiuè conuenit substantiæ, quantitati, qualitati & relationibus creatis: nec non vniuersalior conceptus entis Deo & creaturis quidditatiuè conuenit, analogia non obstante. Ad sextum respond. primò. Personæ ratio formalis est relatio, significata per modum subsistentis, vt vidimus disp. 32. sect. 7. 8. & 9. Respond. secundò. Quemadmodum essentia diuina quidditatiuè cõuenit relationibus, vt probatum est disput. 13. sic potiori iure ratio personæ, licet foret absoluta, potuisset, ac debuisset ingredi quidditatem cuiuslibet personalitatis relatiuæ. 21

Ad quintum.

SECTIO II.

Vtrum ratio personæ vel relationis sit vniuersalis, aut genus, vel species.

1 VNiuersalem esse rationem personæ comparatione Patris, Filij & Spiritus sancti: itémque rationem relationis esse vniuersalem comparatione quatuor relationum, docuit expresè Durandus 1. distinct. 19. quæst. 4. num. 10. post med. quamuis postea dist. 25. quæst. 2. num. 4. ex parte recedat à priori sententia, dicens, quod res incommunicabilis non est communis, sed intentio incommunicabilitatis est communis. Sed prioris sententiæ fundamẽtum prædicta dist. 19. fuit, quoniam est vniuersale, quod dicitur de multis, & per se & realiter plurificatur in eis, dicítque in communi totam naturam singularium. Sic autem se habet persona in communi accepta ad Patrem, Filium & Spiritum sanctum, & relatio ad Paternitatem, Filiationem, spirationem actiuam & spirationem passiuam.

Affirmatiua sententia.

2 Nihilominus sit conclusio vnica. Persona diuina, prout abstrahitur à tribus, non est propriè vniuersalis ad illas, nec est genus aut species. Ita docet S. Thomas in præsenti q. 30. art. 4. & q. 39. art. 6. ad 2. & quæst. 42. artic. 4. ad primum & vltimum. Et de potent. quæst. 9. art. 4. ad 5. & ad 18. Scotus 1. distinct. 7. q. vnica §. *ad argumenta igitur*. Albertus 1. p. quæst. 44. memb. 1. ad tertium rationem. Alexand. 1. p. quæst. 56. memb. 4. art. 2. ad fin. & quæst. 68. memb. 5. art. 6. §. 5. S. Bonauentura 1. distinct. 25. artic. 2. quæst. 2. Ricardus eodem art. 2. quæst. 2. Henricus 2. p. Summæ artic. 43. quæst. 2. ad 2. Gabriel. 1. distinct. 25. quæst. 1. artic. 1. conclus. 4. Carthusian. 1. dist. 23. quæst. 2. col. penult. Marsil. 1. quæst. 28. artic. 2. conclus. 2. & in sequentibus. Capreolus 1. dist. 25. quæst. 1. art. 1. concl. 5. Caietanus & communiter expositores ad loca citata D. Thom. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 3. nu. 8. & sequent.

Persona non est vniuersalis, &c.

3 Colligitur ex Augustino & Magistro sententiarum. Nam Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6.

versus med. docet, essentiam non esse propriè genus neque speciem comparatione trium personarum; ideóque nec personas esse indiuidua propriè comparatione essentiæ vt dicemus sect. 6. Idem autem recipitur à Magistro cap. *hic adijciendum*, & sequentibus.

4 Conclusio probatur primò ex D. Thoma quæst. 30. art. 4. fine: quodlibet enim vniuersale prædicatur de pluribus differentibus secundum esse, & non identificatis in eadem realitate essentiæ. Sed tres personæ non differunt secundum esse, quoniam inadæquatè identificantur in eadem realitate essentiæ. Ergo ratio communis personæ, de illis prædicata, non est vniuersalis, propriè loquendo.

5 Hanc reor fuisse rationem, propter quam optimo iure Gilbertus Porretanus accusatus fuit in Concilio Parisiensi, præsente Eugenio III. & inter alias propositiones hæc fuit notata, quod in prosa de Sancta Trin. tres personas *Tria singularia vocauerit*. Nam cum ille docuisset, personas esse realiter distinctas ab essentia, & consequenter adæquatè distinctas ab inuicem (vt vidimus disputat. 11. sect. 1.) valde probabilis, ac prope certa coniectura monstrabat, nomen *singularium* vsurpasse in significatione propria, qua denotaret, tres personas esse adæquatè distinctas. Ille tamen excusauit explicuitque dictum, vt singularitas significaret solam excellentiam, vt quando Dei Genitrix appellatur *Virgo singularis*. Denique de hac re nihil, sicut nec de vlla alia decretum est in illo Concilio. Extat autem tom. 3. pag. 1332.

Tria singularia in Deo quo sensu sint hæretica.

6 Probatur secundò ex eodem loco S. Thomæ, quia neque in creaturis ratio personæ potest esse genus vel species comparatione plurium personarum, eo quod genus esse debet extra rationem differentiarum, specie distinguentium; & propter eandem rationem species esse debet extra rationem differentiarum indiuidualium. At verò ratio personæ transcenderet & quidditatiuè claudit in vltimis differentiis indiuidualibus, vt dicemus sect. sequenti.

7 Vnde consurgit probatio tertia: nam Pater, Filius & Spiritus sanctus, propriè loquendo, non sunt diuersæ species, nec sunt plura indiuidua, vt videbimus sect. 6. & 8. Ergo comparatione illorum non potest dari conceptus propriè vniuersalis, qui sit genus vel species. Probatur quartò, quia nullum prædicatum est capax secundæ intentionis generis vel speciei, vel cuiusque vniuersalis; si non sit vniuocum. At persona diuina non est vniuoca, sed similis est analogiæ transcendentiæ, vt videbimus sect. sequenti.

SECTIO III.

Vtrum vniuoca vel analoga sit ratio personæ.

1 *Vniuocam dicunt aliqui.*

VNiuocam esse communem rationem personæ, non solum comparatione trium personarum, sed etiam comparatione Dei & creaturarum, existimant Gabriel 1. dist. 25. art. 1. concluſ. 1. Maior 1. dist. 23. quæst. vnica conclus. 1. & 2. Et comparatione trium personarum eandem vniuocationem affirmat Henricus 2. part. art. 43. quæst. 2. ad 2. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 3. num. 8. & 9. Eadem sententia falsò tribuitur aliis Scholasticis. Fauet autem illi Carthusianus 1. dist. 25. col. penult. §. *Præterea*.

Primum fundamentum est Gabrielis, quoniam à quibuscumque conuenientibus inter se plus, quàm cum aliis, potest abstrahi conceptus quidditatiuus & vniuocus. 2

Secundum fundamentum Suarez, quia ratio personæ non est æquiuoca, vt constat, neque est analoga, quia perfectissimè conuenit cuicumque personæ diuinæ. Ergo est vniuoca. Confirmat, quia non est analoga per attributionem; siquidem vnaquæque persona æquè principaliter dicitur persona, & non per attributionem ad alteram, de qua principaliter dicatur ratio personæ. Præterea non est analoga proportionalitatis: quia impossibile est analogiam proportionalitatis esse respectu inferiorum, in quibus ratio communis reperitur cum omni perfectione, proprietate, & æqualitate. Nam quoties vox est analoga proportionalitatis, prius & magis principaliter significat vnum membrum, & inde transfertur ad cætera significanda, propter proportionalitatem ad principale significatum. 3

Nihilominus sit prima conclusio. Communis ratio personæ comparatione trium personarum & comparatione Dei & creaturarum, non est æquiuoca, neque vniuoca. Ita docent, S. Bonau. 1. dist. 25. art. 2. q. 1. & 2. Alex. 1. p. q. 56. memb. 4. art. 1. & 2. & q. 58. mem. 3. Albertus 1. p. quæst. 44. mem. 1. dum respondet ad 4. sententiam, & apud illum Altisiodorensis. Capreolus 1. dist 25. quæst. vnica art. 1. conc. 4. & 5. Argentina eadem dist. 25. tota fere quæst. vnica. Marsil. 1. quæst. 28. art. 2. post med. & art. 3. Ricard. 1. dist. 25. art. 2. quæst. 1. Colligitur non obscurè ex S. Thoma hic quæst. 30. art. 4. corp. ad tertium. Clarius autem ex 1. sentent. dist. 25. quæst. 1. art. 2. collato cum sequenti art. 3. & 1. p. quæst. 13. art. 5. & 6. Consonat Scotus 1. dist. 13. quæst. vnica ad 2. principale, negans, rationem productionis esse vniuocam ad generationem & spirationem, quamuis ex alio fundamento. 4 *Persona nec vniuoca nec æquiuoca.*

Rationem personæ non esse propriè æquiuocam, probatur primò, quia datur vnus conceptus obiectiuus, abstractus à differentiis personarum, significatus nomine personæ: vt probatū est sect. 1. Ergo ratio significata per nomen, nō est omnino diuersa. Requiritur autem ad æquiuocationem omnimoda diuersitas rationis. Probatur secūdò, quoniam, vt minimum, similitudinem & attributionem habent personę creatæ ad diuinas; & similitudinem inter se habent personæ diuinæ. Hoc autem obstat æquiuocationi simpliciter dictæ. 5

Deinde non esse propriè vniuocam rationem personæ, probatur primò; quoniam transcendentia obstat vniuocationi, eo quod eadē ratio communis, quatenus in differentiis quidditatiuè includitur, est diuersa; & cōsequenter est partim eadem, partímque diuersa: ideóque conceptus entis non potest esse vniuocus: vt ostendemus in anteprædicamentis. At verò ratio personæ diuinæ transcendit vltimas quasi differētias, hoc est, proprietates, quibus distinguuntur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & ratio personæ transcendit vltimas differentias cuiusque personæ creatæ vel increatæ: quia primariò significat vltimam differentiam indiuidualem, quæ non est diuisibilis in duos conceptus, adæquatè distinctos, quorum vnus alium non includat, vt sect. 1. dicebamus ad argumenta primæ sententiæ. 6

Probatur secundò, quia si foret vniuoca, foret vniuersalis, & genus aut species. Quod si naturæ diuinæ realis idētitas in tribus personis, obstat, ne ratio 7

ratio personæ diuinæ sit vniuersals, (vt vidimus sect. præced.) eadem ratio prohibet, ne propriè sit vniuoca: quoniam vniuocatio propriè dicta non est, nisi respectu inferiorum, quæ propriè sunt inferiora, & ideo differunt secundum essentiam & esse.

8 Quantum ad analogiam S. Thomas 1. dist. 25. q. 1. art. 2. dicit expresè, rationem personæ comparatione Dei & creaturarum esse analogam. Idémque generaliter de quocūque nomine communi Deo & creaturis, docet 1. p. q. 13. art. 5. & 6. notans analogiam attributionis, & proportionalitatis. Cæterùm de analogia comparatione trium personarum S. Thom. nihil expressit. Alij verò tradiderunt expresè analogiam, quam vocant æqualitatis, comparatione trium personarum, vt S. Bonauent. & Argentina citati pro conclusione præcedenti.

9 *Persona non est propriè analoga.* Nihilominus sit secunda conclusio. Ratio personæ nō est propriè analoga comparatione trium personarum. Ita docet Ricar. 1. dist. 25. art. 2. q. 1. Colligitur ex Sancto Thoma locis adductis pro concluſ. 1. Fauet Altisiodorensis apud Albertum, citandum, dicēs, esse quoddam genus vniuocationis, non propriæ. Albertus autem dicta q. 44. mem. 2. colum. penult. dicit, imitari vniuocum in eo, quod æqualem respectum ad vnum & idem (videlicet Deitatem) ponit in pluribus. Alex. dicta quæst. 58. memb. 3. ait, quodammodo vniuocè dici personam de tribus.

10 Probatur conclusio, quoniā analogum, propriè dictum, est superius respiciens inferiora, prorsus & adæquatè distincta secundum essentiam. At verò diuinæ personę conueniunt in essentia realiter vna. Confirmatur, analogorum enim definitio postulat, vt ratio substantiæ sit partim eadem, & partim diuersa. Hæc autem partialis identitas intelligenda est, sicut in vniuocis intelligitur totalis identitas rationis, videlicet, vt non sit ratio realiter vna communis inferioribus, sed tantùm habeat vnitatem per intellectum abstrahentem, vt vidimus sect. præcedenti.

11 *Magis accedit ad analogiam transcendentiæ.* Vnde tamen infero, & sit tertia conclusio. Cōmunitas diuinæ personæ magis accedit ad analogiam transcendentiæ, quæ cōsistit in vnitate conceptus abstracti, transcendentis vltimas differentias. Distat autem plurimum ab analogia dependentiæ vel attributionis; quoniam hæc supponunt imperfectionem & inæqualitatem: vt probat argumentum secundum primæ sententiæ.

12 Ad primum fundamentum contrariæ sententiæ respond. esse manifestè falsum, vt constat ex dictis. Ad secundum fundamentum respond. Persona comparatione trium diuinarum, nec est analogæ attributionis, nec proportionalitatis, imò nullam analogiam habet propriè. Sed inde non sequitur esse vniuocam, propter rationes adductas pro conclusione prima.

SECTIO IV.

Quomodo persona *sit quasi vagum indiuiduum.*

1 HOc nomen, *persona*, etiam in rebus humanis esse commune sicut *indiuiduum vagum*, docet S. Thomas in præsenti q. 30. a. 4. corpore. Quē defendit Capreolus 1. dist. 25. q. vn. art. 1. con. 4. & 5. & Caietanus dicto art. 4. vbi plures alij expositores, Valentia sua q. 4. puncto 3.

2 Quæ doctrina manifestè sumitur ex Gregorio *Ruiz. de Trinitate.* Nysseno lib. de differentia essentiæ & hypostaseos col. 2. vbi admittit quandam *indefinitam in omnibus essentiæ subsistentiam, quæ nullam propter communionem eius, quod significatur, stationem inueniat.* Quod autem stationem non inuenit, vagari compellitur: & quod indefinitum est, nihil habet determinatum & fixum. Vnde etiam dialectici propositiones illas appellant *indefinitas*, quarum veritati satis est quodlibet indiuiduum, ita vt nullum determinatè requiratur.

3 *Indiuiduum vagum quid significet.* Probationem dictæ similitudinis simul cū discrimine S. Thom. docuit ibidem, quoniam indiuiduum vagum (vt aliquis homo) significat naturam cōmunem cum determinato modo essendi, qui cōpetit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis. Hoc autem nomen *persona*, quamuis nō sit impositum ad significandam naturam, neque ad significandum indiuiduum ex parte naturæ: significat tamen communem rationem rei subsistentis in tali natura.

4 *Argumentum.* Inde soluitur argumentum Aureoli 1. dist. 25. art. 2. col. vlti. quoniam illud, quod diuiditur per vagum & signatum atque simpliciter, non claudit in sua ratione conditionem indiuidui vagi: quia tunc idem diuideretur in se & in opposita sibi. Vnde quia homo concipitur aliquando simpliciter, aliquando vagè, vt cum dicitur quidam homo, vel aliquis; aliquando signatè, vt cum dicitur homo iste, vel ille: ideo nullus dicit, quod homo sit indiuiduum vagum. Sed *persona* accipitur aliquando signatè, dicendo hanc personam; aliquando vagè, vt dicendo quandam, vel aliquam personam; aliquando simpliciter, vt dicendo personam. Ergo non habet communitatem indiuidui vagi. Confirmat Aureolus, quia si persona sic esset communis tribus, sicut indiuiduum vagum; ita esset communis sicut aliquis Deus. Sed hoc non est verum: quia secundum hoc dici posset, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt tres quidam dij, sicut dicimus, quod sunt tres quædam personæ.

5 *Nō est omnimoda similitudo indiuidui vagi ciū persona.* Respond. Hoc argumento manifestè probatur, nō esse omnimodam similitudinem personæ cum indiuiduo vago. Quin potius, iuxta doctrinam S. Thomæ nuper adductam, in eo tantūmodo persona similis est indiuiduo vago, quod significat rem subsistentem in natura rationali, & consequenter significat modū essendi singularem. Quapropter quemadmodum singulare vel indiuiduum potest simpliciter dici; & nihilominus potest dici tanquam vagum; vt cum dicimus aliquod singulare, vel aliquod indiuiduum: & potest etiam signatè dici hoc, aut illud singulare vel indiuiduum: sic etiam persona potest dici simpliciter, nullo alio signo addito; & potest vagè dici aliqua persona; & potest determinatè dici hæc vel illa persona.

6 Quod autem ineptè dicatur *quidam aliquis homo*, vel *hic aliquis homo*, potissimum prouenit ex modo significandi, quoniam *aliquis homo* præsentem vagationem indiuidui magis expresè significat, idcóque nugatoriè atque ineptè superadditur aliud signum vagationis. Hanc verò vagationem nullum aliud simplex nomen significat, & peculiariter eam non significat persona, indiuiduum vel singulare.

7 *Replica.* Vnde soluitur replica Molinæ in præsenti q. 30. art. 1. disp. 3. col. penult. dicentis, quod indiuiduum vagum ideo non potest affici particulari signo, quoniam significat modum existendi particularem, qui modus non potest particulariter existere per alium modum. *Soluitur.* Respond. enim, hanc

non esse formalem nec adæquatam rationem, sed quoniam indiuiduum vagum expresè significat vagationem: ideóque frustra superadditur illi signum vagationis. At verò persona, singulare vel indiuiduum, quamuis significet modum existendi particulariter; nõ significat expresè vagationem. Insuper modum existendi particulariter significat in communi, & quasi in actu signato: Proptereáque potest affici particulari signo, per quod determinetur ad particularitatem in actu exercito, veluti cũ dicimus hæc persona, hoc indiuiduum. Quantum ad rem ipsam parum discrepant solutiones Capreoli 1. distinct. 25. art. 3. ad argumenta tertio loco posita.

SECTIO V.

Vtrum personæ differant numero.

1 *Affirmãt aliqui Patres.*

DIuinas personas differre numero, dicunt aliqui Patres, Nazianzen. orat. 25. ad Arianos, & de se ipso, versus fin. num. 52. appellat *proprietates per se subsistentes numero distinctas*, & orat. 35. de Filio, quæst est 3. de theologia col. 2. num. 7. ait: *differre numero*: Sophronius Patriarch. Constantinop. in Sexta Synodo act. 11. epist. professionis fidei col. 3. dicit *subsistentias numero diuisibiles*. Damascenus lib. 3. fidei cap. 6. à princ. *Quia substantia communis est, particulare verò hypostasis: particulare autem, non quia partem naturæ habet, sed particulare numero aut indiuiduum: numero enim & non natura differre dicuntur hypostases.* Colligitur idem ex omnibus Patribus citatis disp. 32. sect. 6.

2 *Non propriè differunt numero.*

Nihilominus sit prima conclusio. Diuinæ personæ non propriè differunt numero, sed tantum in eo sensu, simpliciter verò, quod non sunt idem numero indiuiduum, nec eadẽ numero persona. Atque hoc solummodo intendunt Patres nuper citati. Sed exactior, & proprior loquendi modus est negatiuus, dicẽdo, *non sunt idem numero*: quemadmodum Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 8. fine ait: *Pater in Filio est & Filius in Patre, non tamen vt idem numero. Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est.* Anastasius Sinayta de rectis fidei dogmatibus lib. 1. propius ad med. quàm ad princ. dicit: *Quod est Dei, hoc prorsus vnum numero est; singulæ alioqui personæ vnũ sunt natura, & hoc vnum essentia, non item prorsus vnum numero est.*

3 Personas igitur non propriè differre numero, sed quodammodo, tradunt Magister 1. distinct. 19. §. *hic adijciendum.* Commentarius in librũ Boëtij de Trinit. propius ad med. quàm ad fin. apud Bedam tom. 8. S. Tho. 4. contra Gentes cap. 11. prope med. & de potentia quæst. 10. artic. 2. corp. prope med. & ad 12. argum. S. Bonauent. 1. dist. 19. p. 2. artic. 1. quæst. 2. & 4. Vbi Ricard. artic. 3. q. 2. ad 1. Henricus 2. par. art. 43. q. 3. ad 1. Argentina 1. dist. 13. quæst. vnica toto artic. 3. Marsil. 1. quæst. 23. art. 3. ad rationes principales primam, secundam, tertiam, quartam, & quintam. Albertus Paludanus, & alij, quos refert & sequitur Carthusian. 1. dist. 24. quæst. 2. Aureolus distinct. 19. p. 2. artic. 4. §. *nunc ergo.*

4 Prima ratio S. Thomæ 4. contra Gentes citato. Quia natura, quæ est vna secundum speciem, non diuiditur in plura secundum numerum, nisi propter materiam. Sed diuinæ personæ sunt prorsus immateriales. Ergo impossibile est eas propriè differre numero. Confirmatur, quia distinctio propriè numerica est duarum quasi partium eiusdem rationis: proptereáque similis est materiæ & quantitati; consequentérque non habet in Deo vnde possit oriri.

5 Probatur secundò, nam tres personæ quantum ad personalitates relatiuas distinguuntur ab inuicem quasi specifica distinctione: vt dicimus sect. 8. Hac probatione vsus est S. Thomas quæst. 10. de potentia art. 2. ad 12. Probatur tertiò, quoniam ad differentiam numeralem, propriè dictam, non sufficit, quod hoc suppositum non sit illud; sed præterea requiritur, vt nulla res eadem numero identificetur cum hoc & illo supposito. At verò essentia diuina numero eadem & vnica identificatur cum tribus personis. Confirmatur, quia Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt idẽ numero Deus, & quatuor etiã relationes sunt idẽ numero Deus; ergo non propriè distinguuntur numero.

6 Probatur quartò, quia numerus in Deo non habet completã & adæquatam rationem numeri, vt ostendemus disp. 37. sect. 2. & 3. Quintò, quoniam vbi sunt possibilia duo solo numero distincta; sunt etiam infinita possibilia. Quia quæ solo numero distinguuntur, sunt eiusdem omnino rationis: proptereáque neque in duobus, neque in tribus, neque in vlteriori aliquo numero potest assignari ratio, propter quam possibilia sint tot, & nõ plura. Sextò, quia differre numero proprium est indiuiduorum. Sed personæ non sunt propriè indiuidua alicuius speciei, vt ostendemus sect. sequenti. Ergo personæ diuinæ non propriè differunt numero. His tamen non obstantibus simul cum illis verificatur secunda conclusio. Personarum distinctio magis accedit ad distinctionem numericam & indiuidualem, quàm ad distinctionem specificam: atque dicendo distinctionem numericam, magis receditur ab Arianis, nec ea propter ad Sebellianos acceditur.

SECTIO VI.

Vtrum tres personæ sint indiuidua.

1 *Nõ sunt propriè indiuidua.*

PRima conclusio bimembris sit. Tres diuinæ personæ non sunt propriè indiuidua nec singularia, siue comparatione Deitatis, siue comparatione personæ vel relationis, aut cuiusque formalitatis notionalis.

2 *Comparatione Deitatis.*

Primum membrum, videlicet, non esse propriè indiuidua nec singularia comparatione Deitatis, non obscurè colligitur ex Augustino 7. de Trinit. cap. 6. prope med. quem sequuntur Magister & cõmuniter Scholastici 1. dist. 19. circa med. Satis indicat Ricard. lib. 4. de Trinit. cap. 21. post med. & cap. 23. sub init. Magis apertè docent S. Bonauentura 1. dist. 19. part. 2. art. 1. q. 2. S. Thom. de potentia quæst. 10. art. 2. ad 12. Alex. 1. p. q. 44. mem. vnico ad 5. rationem. Durand. 1. dist. 19. q. 4. num. 10. Vbi Ricardus artic. 3. quæst. 2. fine. Argentina 1. dist. 13. q. vnic. toto art. 3. Aureolus dist. 19. p. 2. art. 4. §. *nunc ergo.* Satis apertè colligitur ex Henrico 2. p. art. 43. q. 2. & 3.

3 *Deitas nõ est propriè species nec vniuersalis.*

Ratione probatur primò, quia Deus siue Deitas non est propriè species, nec propriè vniuersalis comparatione trium personarũ: est enim realiter vnica singularis & indiuidua, vt probatum est tota disp. 22. & non est communis per intellectum, sed realiter communis & identificata cum tribus personis supra disp. 13. sect. 4. & disput. 14. sect. 3. probat. 8. Ergo tres personæ non sunt propriè indiuidua vel singularia comparatione Dei vel Deitatis. Consequentia probatur, quia singularia vel indiuidua dicũtur comparatione speciei, quæ

quæ de illis prædicatur. Confirmatur primò, quia tres personæ non sunt tres dij neque tres Deitates. Ergo non sunt tria indiuidua Dei vel Deitatis. Confirmatur secundò, quia ratio specifica non prædicatur singulariter de suis omnibus indiuiduis, sed multiplicatur in illis: ideóque Petrus, Paulus & Iacobus nõ sunt vnus homo, sed tres homines. Quapropter dicendi forent tres dij, si Pater, Filius & Spiritus sanctus essent propriè indiuidua.

4 Probatur secundò, nam quæ propriè sunt indiuidua, constituuntur per numericas differentias, in quibus ratio specifica non includatur quidditatiuè (nam species, sicut & genus, esse debet extra rationem differentiarum, vt diximus sect. 2. probat. 2.) At verò personarum diuinarum proprietates & quasi differentiæ constitutiuæ transcendenter & quidditatiuè continent Deitatem, vt ostendimus disp. 13. Probatur tertiò, quoniam Gilbertus Porretanus nõ immerito fuit notatus, voluisse significare distinctionem adæquatam personarũ absque identitate reali cum essentia communi, quando dixit, tres personas esse *tria singularia*: vt vidimus sect. 2. probat. 1.

5 *Comparatione personæ in communi.*

Secundum membrum conclusionis, videlicet, tres personas nõ esse propriè singularia neque indiuidua comparatione rationis communis personæ, vel relationis, aut cuiusque alterius formalitatis notionalis. Colligitur ex eisdem authoribus, adductis pro membro priori conclusionis huius. Rationes autem sunt ferè eædem, quod attinet ad distinctionem adæquatam, quæ requiritur ad rationem indiuiduorum propriè dictam, ita vt indiuidua non identificentur in eadem natura & essentia.

6 Sed præterea probatur, quoniã indiuidua propriè dicuntur in ordine ad rationem specificam, quam cõtrahunt, & vltimò diuidunt in quasdam quasi partes, vlterius non diuisibiles. At verò, nec persona, nec relatio, nec alia vlla formalitas notionalis est propriè species, sicut nec genus, nec vniuersalis, vt probatum est sect. 2.

7 *Aliquo modo sunt indiuidua.*

Secunda conclusio. Nihilominus tres personæ sunt aliquo modo indiuidua, tam comparatione Deitatis, quàm comparatione personæ, siue subsistentię, vel relationis in communi. Proptereáque non solum Patres citati disp. 32. sect. 2. & sequẽtibus, præsertim verò sect. 6. sed etiam Scholast. non rarò personas appellant *indiuidua* vel *singularia*, quemadmodum S. Thomas supra q. 29. art. 1. corpore & de potent. q. 10. art. 2. ad 12. & infra q. 39. art. 2. corp. satis indicat, quod essentia diuina quasi indiuiduatur nostro modo intelligendi per diuinas personas. Magister autem & communiter Scholastici 1. dist. 19. concedunt participare quandam rationem indiuiduorum.

8 *Perfectio singularitatis.*

Tertia conclusio. Ratio singularis vel indiuidui excessu perfectionis infinito perfectior est in diuinis personis, quàm in quolibet indiuiduo creato, quantum ad vnam partem singularitatis, siue indiuiduationis, videlicet, quantum ad omnimodam vnitatem prorsus indiuisibilem. Quoniam infinito excessu magis est impossibile, vnam personam diuinam in plures res aut personas diuidi, aut pluribus communicari, vel de pluribus prædicari, vel esse in pluribus. Quorum omnium impossibilitas infinitè minor est in qualibet persona creata. Confirmatur, quia Diuinitas se habet per modum speciei, vt notant Patres supra disput. 32. sect. 6. & citati disput. 13. sect. 4. & disput. 14. sect. 3. probat. 8. & eius confirma-

tione 2. Ergo sub se habet aliqua, quæ sint quasi eius indiuidua.

SECTIO VII.

Vtrum tres personæ sint subiecta, vel primæ substantiæ.

1 *Vnum subiecto quid sit.*

QVoniã apud antiquos maximè Græcos, circa distinctionem personarum ab inuicem, vel identitatem cum essentia, reperitur aliquando hic modus loquendi: *Vnum subiecto sunt*, vel *non sunt vnum subiecto*, operæprætium erit illum explicare, tractando, num tres personæ sint tria subiecta? Esse tria subiecta probare quis posset ex Patribus. Basilius enim homil. 16. ad illud: *In principio erat Verbum*, inter med. & fin. *Peruersa est*, inquit, *illorum blasphemia, qui omnia commiscere, & vnum subiectum statuere: Patris verò, ac Filij, ac Spiritus sancti differentes appellationes vni rei adaptatas esse, asserere conantur.*

2 Damascenus 1. fidei cap. 6. post med. *Quemadmodum*, inquit, *ex mente verbum nostrum prodiens, neque per totum menti idem est, neque prorsus omnino diuersum: nam ex ipsa existens, aliud est præter ipsam mentem, se in apertum agens: neque adeo vsquequaque aliud à mente est, sed cum secundum naturam vnum sint, aliud est subiecto. Sic & Dei Verbum, quod est Filius, quia subsistit secundum se ipsum, discernitur ab eo, à quo subsistentiam habet: qua verò eadem in se ipso ostendit, quæ circa Deum conspiciuntur, illi secundum substantiam idem est.* Videtur itaque dicere, quod sicut Verbum est subiecto aliud à mente, sic Filius est subiecto alius à Patre. Fauet Nazianzenus orat. 37. de Spiritu sancto, quæ est 5. de theologia non procul ante med. post num. 30. dicens: *Esse tria, ea in quibus est Diuinitas.*

3 *Nõ sunt propriè tria subiecta.*

Nihilominus sit conclusio prima. Tres personæ non sunt propriè tria subiecta, nec sunt ita vocandæ sine declaratione. Ratio est primò, quia Latinorum vsus à diuinis personis relegauit nomen subiecti, primè intentionaliter acceptum; refertur enim ad accidentia recipienda. Secundò, quoniam distinctio vel pluralitas, coniuncta cum hoc vocabulo *subiecto*, significat adæquatam pluralitatem & distinctionem essentialem, ita vt nullo modo sint idem ratione & essentia, quæ subiecto distinguuntur. Etenim quæcumque sunt idem realiter in aliqua singulari realitate & essentia, dicuntur idem subiecto, licet ratione distinguantur.

4 Hoc verò fundamentum probatur ex Aristot. 1. Physic. text. 68. & 69. Vbi *subiecto vnum* appellat illud ipsum, quod est realiter vnum & numero vnum, hac appellatione distinguens ab eo, quod est vnum & idem ratione, siue specie. Nam *ratione idem* Aristoteles intelligit hoc ipsum, quod *specie idem*, vt expresè notat 1. Physic. text. 60. ex quo textu & sequenti 61. corroboratur etiã præcedens doctrina. Igitur in prædicto textu 68. *Est*, inquit, *subiectum ipsum numero quidem vnum, specie verò duo.* Et tex. 60. dixerat: *Oportet aliquid semper subijci, quod fit: quod & si numero est vnum, sed specie non vnum est, atque pro eodem accipio specie rationeq́, differre, non est eadem hominis & immusici ratio.* Docet itaque, priuationé musicæ numero & subiecto vnum esse cum homine, licet ratione differat: vt exponit optimè S. Thom. ibid. lect. 13.

5 Consequenter igitur S. Thom. 3. sentent. q. 1. art. 3. ad 4. & 5. agnoscit, euenire plerumque, vt ea quæ differunt specie & genere, *sint vnum numero, subiecto,*

subiecto, vel supposito, & de potent. quæst. 8. art. 2. ad 6. fine, ita loquitur de diuina substantia & relatione: *Differunt ratione, & sunt vnum subiecto.* Vnde sumitur intellectus ad verba Gregorij Nysseni orat. catechet. cap. 3. sub init. *In Trinitatis mysterio idem est distinctum ac discretum consistentia, & hypostasi; sed subiecto non est diuisum.* Quoniam, videlicet, numero & realiter vnus & idem est Deus.

6 *Minus propriè tria subiecta.*

Sit secunda conclusio. Minus propriè, vel adhibita declaratione, poterunt appellari tria subiecta. Sic Basil. & Damascenus init. citati, solummodo intendunt asserere, Patrem & Filium non esse totaliter & adæquatè vnum & idem subiecto, quia realiter distinguuntur personalitatibus. Potuerunt etiam dicere tria subiecta, quia tria sunt, in quibus est diuinitas, & de quibus prædicatur.

7 Tertiò dubitabit aliquis in præsenti, vtrum tres personæ dicendæ sint tres primæ substantiæ? Sed de hoc dictum est satis disp. 23. sect. 3. prob. 3. non propriè sed largè vocari primas substantias.

SECTIO VIII.

Vtrum tres personæ sint species, & earum distinctio sit specifica.

1 *Quæ videtur probare specificam distinctionem.*

QVod sint species, & specie differant, probari potest ex Basilio lib. 2. contra Eunomiũ propiùs ad fin. quàm ad med. dicente: *Si quisquam, quod verum est, genitum atque ingenitum, vt specificas quasdam proprietates, in substantia consideratas, ad veram & inconfusam Patris & Filij sententiam perducentes esse, putat, is impietatis periculum effugiet, & quod est rationi consentaneum conseruabit.* Et non longè inferius repetit: *Genitum atque ingenitum specificæ ac declarituæ quædam sunt proprietates.* Accipit autem *ingenitum* non formaliter pro negatione, sed fundamentaliter pro relatione Patris, vt ex contextu constat.

2 Tertullianus lib. contra Praxeam pag. 3. de personis ait: *Esse tres non statu sed gradu; nec substantia sed forma, nec potestate sed specie.* statum appellat dignitatem Deitatis, *gradum* autem intelligit ordinem originis. In quo sicut in forma est specie dicit esse distinctas personas. Quam specificam distinctionem indicat etiam sequenti contextu. Cauendus est interim Henricus Bullingerius, qui suum errorem, Trinitati contrarium, tegebat prædictis verbis Tertulliani.

3 *Personas esse eiusdem speciei.*

E contrario personas diuinas non esse species, sed potius esse eiusdem speciei, docet Cyrill. Alex. dialog. de Trinit. lib. 3. propius ad med. quàm ad fin. *Omnis*, inquit, *fidei nostræ sermo huc tendit, vt vnam quidem videamus Deitatis naturam, quæ in tribus subsistentijs proprijs, quæ conformes & eiusdem speciei inter se, ad vnam quandam summam simul currunt pulchritudinem.*

4 Damascenus lib. 3. fidei c. 4. in princ. *Substantia communem & contentiuam earum, quæ eiusdem speciei sient, hypostaseon, designat speciem.* Et in eodem lib. 3. c. 6. paulo post princ. *Vnaquæque hypostaseon*, inquit, *eiusdem speciei perfecta substantia est. Quare non differunt ab inuicem hypostases secundum substantiam, sed secundum accidentia, quæ quidem sunt characterica signalesq; proprietates.* Accidentia vocat, non quia inhærent, vel non subsistant, sed quia nõ sunt de essentia siue natura Diuinitatis. Idem colligitur ex omnibus Patribus, dicentibus, vnam esse rationem, definitionem, formam & speciem trium personarum supra disput. 24. sect. 5. & 6.

Quod omnes relationes sint eiusdem rationis, Scotus 1. dist. 7. q. vnica §. *loquendo tunc*, probat; nam aliàs Paternitas esset perfectior, tanquam forma virtualiter continens Filiationem. Quia producens, si non est eiusdem rationis cum forma producti, continet eam virtualiter. 5

Sit igitur prima conclusio. Tres personæ non sunt propriè species, nec propriè differunt specie. Ita docet Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. prope med. quem sequitur Magister 1. distinct. 19. circa med. vbi communiter Scholastici. Commentarius in librum Boëtij de Trinit. multo propius ad med. quàm ad fin. apud Bedã tom. 8. S. Bonauent. 1. distinct. 19. part. 2. artic. 1. quæst. 2. vbi Durandus quæstione 4. num. 10. Argentina distinct. 13. quæstione vnica artic. 3. Aureolus distinct. 19. part. 2. artic. 4. Henricus part. 2. art. 37. quæstione 11. versus fin. Albertus 1. p. quæst. 47. memb. 3. part. 4. 6 *Non propriè sunt species.*

Quod vnaquæque persona non sit species prædicabilis, euidentissimum est, quia nec est in pluribus tanquam eorum quidditas, nec prædicatur de pluribus: Pater enim non est in Filio tanquam quidditas Filij, nec prædicatur de Filio. Vnde obiter apparet, irridendum esse potius, quàm impugnãdum delirium Abailardi, somniantis, Deum vel Patrem se habere ad Filium, vt genus ad speciem. Quod fusè refutat Bernard. epist. 190. ad Innocentium col. 2. prope fin. 7 *Non prædicabiles.*

Rursus personas diuinas non esse species subijcibiles comparatione Deitatis, probatur primò; quoniam si forent tres species subijcibiles Deitatis, sequeretur esse tres essentias diuinas, & tres deos. Sic enim equus, leo, & canis, quia sunt tres species animalis, habent tres essentias animalium, propterèaque sunt tria animalia. Confirmatur, quia genus non debet esse realiter vnum in suis speciebus, sed abstractione sola fieri debet vnum, quam ob causam Deitas non est propriè vniuersalis, & consequenter non potest esse genus comparatione specierum, quia Deitas non multiplicatur realiter, & quia de se non est nata præscindi per abstractionem à singularitate, vel in singularitate relinqui. Quod præter alios notant D. Thomas in hac quæst. 30. artic. 4. ad 3. & quæst. 39. artic. 6. fine. S. Bonauent. distinct. 19. part. 2. art. 1. quæst. 2. vbi Ricard. art. 3. tota quæst. 2. Magis ex professo Henricus 2. part. art. 42. q. 2. Albert. 1. p. q. 47. memb. 3. longè post med. 8 *Non subijcibiles.*

Denique si personæ singulæ comparentur ad cõmunem rationem personæ, vel relationis, non esse propriè species subijcibiles, probatur primò, quia ratio communis personæ vel relationis non est propriè vniuersalis, neque genus, vt probatum est sect. 2. Secundò, etenim quæ propriè dicuntur species, distinguuntur essentialiter, nec esse possunt eiusdem essentiæ, formæ, rationis ac definitionis. At verò tres personę sunt eiusdem essentiæ, formæ, ac definitionis. 9

Tertiò probatur, quia species subijcibilis componitur secundum rationem ex genere & differentia: at verò quælibet compositio etiã solius rationis Deo repugnat, vt vidimus disp. 11. sect. 5. & disp. 13. sect. 2. probat. 6. Quartò, quia personę magis accedunt ad rationem indiuiduorum, quàm ad rationem specierum, vt vidimus sect. 6. fine. 10 *Quasi species sunt.*

Secunda conclusio. Nihilominus personæ sunt quasi species, ac distinguuntur quasi species. Probatur primò, quia personæ relationibus constituuntur. Relationes autem quasi specie distinctas esse, docent communiter Scholastici citati disp. 11

disp. 17. sect. 4. ad 3. & ex authoribus citatis pro conclus. 1. magis expresè hoc docuit Henricus. Quoniam relationes respiciunt terminos quasi specie distinctos, & earũ modus respiciendi quasi specie diuersus est. Confirmatur, quoniam Verbum præfert quasi specificam distinctionem ab amore producto in facto esse.

12 Vnde sumitur probatio secunda, quia productiones non sunt diuersæ rationis quasi specificæ, nisi per eas producantur termini quasi diuersæ rationis specificæ (de quo dictum est disp. 6. sect. 5.) Sed generatio & spiratio sunt productiones quasi specificè diuersæ. Ergo personæ productæ sunt quasi specie distinctæ. Confirmatur, nam intelligere & velle sunt actiones quasi diuersæ rationis specificæ. Per illas autem producitur Filius & Spiritus sanctus supra disp. 2. Probatur tertiò, quia tres personæ non dicuntur propriè differre solo numero, nec esse individua eiusdem speciei; vt probatum est sect. 5. & 6. Ergo quantum ad hoc imitantur specificam distinctionem.

13 Quartò probat etiam Scotus dicta dist. 7. quæst. vnica §. *ad argumenta igitur*, quia personales relationes sunt oppositę, & non fundantur immediatè super vnitatem, sicut similitudo vel æqualitas, sed sunt relationes disquiparętiæ, quæ diuersimodè se inuicem respiciunt. Quintò, quoniam Paternitas à Filiatione magis distinguitur, quàm vna Paternitas ab alia Paternitate: ergo quantum ad hoc accedit ad distinctionem specificam. Basilius ergo, Tertullianus, & Nyssenus, initio citati, nihil aliud voluisse credendi sunt, nisi quod hac conclusione probatum est.

14 Ex dictis colliguntur duo corollaria. Primum, personarum distinctionem non esse maximam. Hoc probatum est disp. 19. sect. 7. Secundum, relationes, quasi præcisas à personis, magis inter se distingui, quàm personæ constitutæ per illas. Quoniam personæ conueniunt in essentia, quæ magis explicitè saltem de materiali significatur nomine personæ supra disp. 32. sect. 9. Relationes autem neque de materiali significant essentiam, quantum est ex modo significandi, quãuis propter rem significatam implicitè claudant essentiam.

QVÆSTIO XXXI.

De ijs quæ ad vnitatem vel pluralitatem pertinent in diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit Trinitas in diuinis.

DISPVTATIO XXXVI.

An sit Trinitas.

SECTIO I.

Negantium errores.

1 *Primus error.*

MVltiplex est præcipitium deuiantium à veritate. Primò namque plurimi negarunt realem distinctionem & pluralitatem personarum, quos retulimus disp. 19. sect. 1. Secundò, plures Deitates, aut plures essentias Patris & Filij & Spiritus sancti multiplicabant alij, suprà disp. 20. sect. 2. & 3. Tertiò, Trinitatem negabant eo ipso, qui processiones oppugnabant supra disp. 1. sect. 1. similitérq; negantes generationem æternam supra disp. 4. sect. 1. Quartò, qui negant Verbi seu Filij Diuinitatem, vel æqualitatem cum Patre, siue Diuinitatem Christi Domini, cõtra quos dicendum erit disput. 54. Quintò dicentes creatum aut factum fuisse Filium aut Spiritum sanctum, aut libera voluntate, non naturali necessitate productum, quos refutabimus disput. 92. 93. & 96. Sextò, negantes Diuinitatem Spiritus sancti, de quibus infra disp. 66. *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.* *Quintus.* *Sextus.*

Magis directè atque expresè contra mysterium Trinitatis alij blasphemant: Lisoius & Heribertus dicebant, deliramenta esse quidquid in Veteri ac Nouo canone de trina vnaque Deitate beata confirmat authoritas, vt refert Glaber Rodolphus lib. 3. c. 8. Michaël Seruetus lib. 1. contra Trinitatem, Tritheitas & Atheos vocat omnes, qui Trinitatem statuunt in essentia Dei, qui nec Deum, nisi tripartitum & aggregatiuum habeant. Theodorus Beza epist. 1. sequitur Seruetum, qui Patrem, Filium ac Spiritum sanctum Cerberum tricipitem appellauit. Caluinus lib. 1. institut. cap. 13. §. 5. desiderabat fuisse sepulta nomina Trinitatis, personæ, consubstantialis, licet alibi rectè de Trinitate senserit Caluinus, vt probat Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 5. fine. Valentinus Protheſi 33. ait: Confusio trium in vnum & eundem numero spiritum, fundamentum & origo omnium errorum fuit. 2 *Septimus.*

Lambertus Daneus lib. aduersus Genebrardum dicit, orationem illam, qua dicimus in Litania: *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis*, esse ineptam, insanam, inconcinnam. Theodorus Dorschius ait: Ab homine peccati est Deus trinus & vnus: nam hic nomine tantũ Deus, reuera autem idolum est. Christianus Francus in lib. contra Trinitatem, quem, authoris nomine suppresso, confutat Valentia toto lib. 5. de Trinit. dixit, ex fonte deorum Gentilium innumeros sanctos tanquam minores inuocandos deos, & tres etiam diuinas personas veluti maiores deos adorandos in orbem Christianum profluxisse. Prædictos errores & alios similes refert Coccius lib. 1. de Trinit. art. 4. præsertim pag. 3. 3 *Octauus.*

Valentius Gentilis in Trinitate posuit essentiam loco Patris, tanquam personam condistinctam à Filio & Spiritu sancto, vt refert Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 5. fine. Diuersa via recessit à Trinitate Anastasius Imperator, quando edixit, Non Trinitatem, sed quaternitatem adorandam esse: ob quod facinus fulmine percussus interiit, vt referunt Paulus Diaconus, Pomponius Lætus, & Blondus in hoc Imperatore apud Coccium lib. 1. de Trinit. artic. 4. sub init. Cui errori similis est alter eorum, qui tres personas distinguebant realiter ab essentia supra disp. 11. sect. 1. 4 *Nonus.*

Fuit tandem enormior multiplicatio personarum, quam ita damnat Concilium Bracarense Primum can. 2. *Siquis extra sanctam Trinitatem, alia nescio quæ Diuinitatis nomina introducit; dicens quod in ipsa Diuinitate sit Trinitas Trinitatis, sicut Gnostici & Priscilliani dixerunt, anathema sit.* Horum omnium errorum argumenta præcedentibus disputationibus soluta sunt partim, & partim soluenda restant citatis disputationibus, vel potius totum præsens volumen de 5 *Decimus error.*

Trinitate versatur in eiusmodi obiectionibus diluendis, aut difficultatibus enodandis.

SECTIO II.

Veteris & Noui testamenti differentia, clariùs aut obscuriùs reuelantis hoc mysterium.

1 SVppono, verissimum esse, quod Augustinus serm. 38. de tempore non procul à prin. monet: *Omnis scriptura Veteris ac Noui testamenti, si Catholicè intelligitur, hoc insinuat, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus sit Deus eiusdem substantiæ, vniúsque essentiæ, atque inseparabilis in Diuinitate vnitas.* Sed cum discrimine, quia Nouum testamentum clariora Trinitatis testimonia præbet, quæ propterea priori loco producimus; posteriori verò, quæ protulit testamentum Vetus; quoniam illa sunt obscuriora, nebulis inuoluta, & tantum in prouerbiis indicata, quousque orto Sole Iustitiæ, per euangelium & illustrationem Spiritus sancti fideles certò deprehenderent, mysterium Trinitatis latuisse. quibusdam in locis Veteris testamenti, ad eum finem per Dei prouidentiam ita depositis.

2 *Post ascensionem Christi Domini clarior notitia Trinitatis.* Propterea Christus Dominus instáte iam morte dixit: *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis: venit hora, cum iam in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre meo annunciabo vobis.* Ioan. 16. Quod non esse intelligendum de tempore alterius vitæ, sed de aduentu Spiritus sancti, rectè probat Augustinus tract. 102. in Ioannem. Et Beda in eundem locum, quia sequens contextus, *In illo die in nomine meo petetis* &c. pertinere non potest ad statum gloriæ. Quapropter Patris & Filij & Spiritus sancti consubstantialem Diuinitatem, ac distinctionem explicandam fuisse post resurrectionem à Christo Domino, & postea per aduentum Spiritus sancti, exponunt non solum Augustinus & Beda citati, sed etiam Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 8. Chrysost. homil. 78. in Ioan. Theophilactus & Euthym. nec non Theodotus Heracleota, quos sequuntur Toletus in Ioannem cap. 16. annot. 34. & Maldonatus Ioan. 16. versu 25.

3 *Sub ratione Patris & Filij manifestatus est Deus Christi prædicatione.* Confirmatur primò, nam ante prædicationem Christi Domini, licet Deus Iudæis notus esset sub ratione Dei; fuerat tamen ignotus sub ratione Patris & Filij, quam Christus Dominus manifestauit vt ipse ait in oratione ad Patrem Ioannis 17. *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Atque ita intelligunt Augustinus tract. 106. in Ioannem ante med. Chrysostomus homil. 80. Theophylactus & Euthymius. Cyrillus lib. 11. in Ioann. cap. 18. & lib. 10. thesauri prope fin. Leontius & Rupertus in eum locum. Quibus consonat illud Ioan. 14. *Amodo cognoscent is eum*, videlicet Patrem. Quoniam ante illud tempus Trinitatis mysterium non fuerat apertè reuelatum, vt obseruat ibi Cyrillus lib. 9. pag. 35.

4 Confirmatur secundò, nam & Cyprianus lib. de Cardinalibus operibus Christi in prologo circa med. *Ad hanc*, inquit, *rerum adeo profundarum indaginem, nisi Incarnati Verbi magisterium accessisset, humana defecissent ingenia, & nescio, si & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus assurgere.* Loquitur autem de mysterio Trinitatis, vt constat ex sequenti contextu. Origenes homil. 3. in Iosue illud capitis primi, *Rubenitis quoque & Gaditis & dimidiæ tribui Manasse*, per allegoriam exponit, vt quia ternarius non est expletus, significetur, Iudeis non fuisse datam Trinitatis plenam & integram cognitionem.

5 Gregorius Magnus lib. 2. in Ezechiel. homil. 16. paulo post med. ait: *Sancti Patres, quos per Sanctam Scripturam ante legem fuisse cognoscimus, vnum quidem omnipotentem Deum, Sanctam videlicet Trinitatem esse nouerunt, sed eandem Trinitatem, quam cognouerant, apertè minimè prædicauerunt.* Et paucis interiectis: *Hebræorum populus mandata Decalogi seruare conatus est; sed tamen de cognitione Sanctæ Trinitatis eruditus non est. Et quanuis hanc spirituales Patres perfectè cognouissent, multitudo tamen Synagogæ nec inuenire mysterium Trinitatis potuit, nec quærere sciuit. Superueniente autem gratia per testamentum Nouum, omnis fidelis populus, vnum Deum Trinitatem esse, cognouit.*

6 *Rationes occultandi pluralitatē personarum ante Euangelium.* Confirmatur tertiò, rationibus istius prouidentiæ, quas Patres obseruant. Imprimis enim Theodoretus lib. 2. ad Græcos de principiis circa med. de Hebræis ita disserit: *Cum in Ægypto longinquum sanè tempus permansissent, multorumque ibi deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus nequaquam illis manifestè, apertáque prorsus oratione, Trinitatis mysteria tradidit, ne itaque propositam sibi esse deorum multitudinem arbitrantes, occasionem hanc haberent ad impietatem Ægyptiam reclinandi. Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis imposterum penitus occultauit. In antiquis enim scripturis, perfectioris theologiæ materiam quasi semina quædam disperfit.* Videlicet, quibusdam in locis, quæ postea subiicit ex Genesi, Deuter. Psalmis & Prophetis, vt refemus sect. 4. & 5. Eandem rationem reddit Isidorus Pelusiota Chrysostomi discipulus lib. 2. epist. 143. prope finem.

7 Rationem aliam ex consuetudine suauitáteque diuinæ prouidentiæ, paulatim diuturnóque tempore procedentis ab imperfectioribus ad perfectiora, reddit Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de theologia inter med. & fin. dicens: *Vetus testamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obscurius: Nouum autem nobis Filium perspicuè ostendit, & Spiritus Diuinitatem subobscurè quodammodo indicauit. Nunc verò Spiritus ipse nobiscū versatur, seseque nobis apertius declarat: Neque enim tutum erat, Patris Diuinitate nondum confessa, Filium apertè prædicari, nec Filij Diuinitate nondum admissa, Spiritum sanctum vel vt grauiorem quandam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri: ne alioqui velut cibis vltra vires grauati, ac Solis radijs hebetes oculos adijcientes, ijs quoque, quibus præditi eramus, viribus pericliteremur.*

8 *Pater quomodo prædicatus Veteri testamento.* Vbi quod ait, Patrem *apertè prædicatum*, intelligi debet sub ratione Dei vnius, non sub ratione Patris. Est enim impossibile obscurius prędicatum fuisse Filiū, quàm Patrē sub ratione Patris. Deinde quod asserit, in Nouo testamento subobscurè Diuinitatem Spiritus sancti fuisse indicatam, intelligit comparatione clariratis multo maioris, quàm à Pentecoste Spiritus S. effudit. Eandem sententiam fusius confirmat Nazianz. in eadem orat. 37. & bona ex parte repetit Carmine arcano 3. ante med. Breuiùs autem Augustinus in quæstionibus Noui testamenti quæst. 87. & quæstionibus Veteris testamenti quæst. 9.

9 *Occurritur obiectioni.* Non obstat quod Epiphanius in Ancorato, *Vna Deitas*, inquit, *à Moyse præcipuè annunciata est, personarum dualitas vehementer à Prophetis prædicata, Trinitas verò personarum in Euangelijs manifesta facta est.* Hæc enim, comparatione facta, verificátur, quoniam ab aliis Prophetis vehementiùs & clariùs, quàm à Moyse prædicatus est Pater & Filius.

Tandem

10 *Septuaginta interpretes occultarunt magis.* Tandem obscuritatem Veteris testamenti circa Trinitatis mysterium, à Septuaginta interpretibus auctam fuisse dedita opera, ne viderentur annuere cultoribus plurium Deorum, aliqui existimant cum Genebrardo in psalm. 110. vers. 2. Sed cum aliunde constet, eam versionem integram fuisse & exactam, nihil omittendo, neque mutando, vt probat Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. à medio: Veritas est, Rabbinorum fraude, nec non inscitia temeritatéque quorumdam sciolorum editionem fuisse corruptam & obscuratam.

SECTIO III.

Noui testamenti clariora testimonia de Trinitate.

1 *Forma Baptismi.* TEstimonium primum sit, quod est euidentissimum Matthæi. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Vnde veteres authores Trinitatis mysterium probant non modò contra Sabellianos, sed etiam cótra Arianos; quia non solum Pater & Filius & Spiritus sanctus nominantur tanquam distinctæ personæ, sed etiam illis vnicum Diuinitatis nomen, vnica virtus & authoritas assignatur. Neque enim alicuius creaturę virtus & authoritas sufficiebat, vt in eius nomine sanctificaremur, vel ipsa connúmeraretur cum Deo Patre, tanquam vnum nomen & authoritatem habens cum illo.

2 Sic Ignatius epist. 5. ad Philipenses propius ad prin. quàm ad med. Clemens Romanus constitut. Apost. lib. 3. cap. 17. Iustinus in expositione fidei de Trinit. multo propius ad princ. quàm ad med. Alexander Papa I. epist. 1. cap. 6. quod tanquam vnica epistola Benedicti Papæ I. extat etiam tom. 2. Conciliorum. Athanasius disp. habita in Nicæno Concilio contra Arium inter med. & fin. & orat. 3. contra Arianos circa med. & priori epist. ad Serapionē de Diuinitate Spiritus sancti paulo post med. & iterum in posteriori epistola ad eundem propius ad prin. quàm ad med. & iterum longè inferius. Et in alia epistola ad Serapionem, quæ incipit, *Admirabere*, prope fin. & in epist. ad Regem Iouianum, & dialogo 2. de Sancta Trinit. contra Anomæum, multo propiùs ad med. quàm ad fin. & dialogo 1. contra Macedonium, fine, aliísque quàm plurimis in locis. Atque idem tandem professos fuisse Eusebianos (alioqui veros Arianos) scribit Athanasius in epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ multo propius ad med. quàm ad principium §. *Credimus congruenter.* Cui consonant, quæ referemus ex Theodoreto.

3 Eodem modo prædictum testimonium intelligunt Nazianzenus orat. 32. ad centum quinquaginta episcopos post med. num. 54. & orat. 37. quæ est 5. de theologia propius ad fin. quàm ad med. & orat. 49. col. 2. & carmine arcano 3. de Spiritu sancto circa med. Basil. lib. 3. contra Eunomium inter princ. & med. & epist. 64. ad Prudentiores Neocæsarianæ Ecclesiæ circa med. Gregorius Nyssenus licet obscurius orat. catechetica c. 39. paulo post med. Epiphanius hæresi 62. ante med.

4 Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. cap. 2. post med. & lib. 1. thesauri cap. 6. paulo post med. Chrysostomus tom. 3. serm. 5. de 5. feria passionis inter med. & fin. & sermone de sancta & cósubstantiali Trinitate propius ad princ. quàm ad med. Damascenus lib. 1. fidei cap. 8. circa med. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, Theodoretus lib. 5. diuinorum decretorum epitome, cap. de Spiritu sancto, quod est 3. post med. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 109.

5 Hieronymus Matthæi vlt. & tom. 3. epist. ad Hedibiam q. 9. prope fin. Hilarius lib. 2. de Trinit. init. Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 1. & lib. 5. de fide cap. 5. init. & lib. 1. de Spiritu sancto cap. 14. init. Fulgentius ad vltimam obiectionem Arianorum prope fin. & lib. de fide ad Donatum cap. 9. & de Incarnatione & Gratia Iesu Christi cap. 11. in med. Vigilius lib. 2. contra Euthycen. col. 2. Euthymius Matthæi vlt. Isidorus etymol. lib. 6. cap. 19. circa med. & lib. 2. de officio ecclesiastico cap. 24. prope med. & post med. Concil. Florent. ex Basilio sessione 22. post med & sess. 25. init. Idacius Clarus Hispanus lib. 3. aduersus Varimadum, circa med. Magister 1. dist. 2. cap. vlt. ij omnes Trinitatem eodem modo probant ex prædicto præcepto Baptismi Matthæi vlt.

6 *Non est ausus Arius mutare formā Baptismi.* Denique valde notandum est, præsens testimonium esse adeo manifestum, vt Arius non fuerit ausus mutare formam Baptismi *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, propter nimis apertam transgressionem*, quæ videlicet, in ea mutatione foret: quamuis mutauerit alias diuinæ gloriæ decantandæ leges: vt refert Theodoretus hæreticarum fabul. lib. 4. sub init. Cui consonat quod ex Athanasio retulimus de Eusebianis. Nihilominus audaciores Arij sequaces inuexere mutationem. Athana. enim lib. 7. ad Theophil. de profess. reg. catholicæ post med. refert, hæreticos baptizando tacuisse *in nomine*, dixisséque tantum: *Baptizo te in Patre, & Filio & Spiritu sancto, vt significarent tres naturas.*

7 Secundum testimonium est 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Quod ad probandam realem distinctionem personarum, retenta vnitate substantiæ, Patrum authoritate ponderatum fuit disp. 19. sect. 4. à princ. & disp. 20. sect. 7.

8 *Trinitas in Baptismo Christi Domini.* Tertium sit, quod de Baptismo Christi Domini refertur Matthæi 3. Marci 1. & Lucæ 3. *Aperti sunt cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & ecce vox de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus.* Vbi communiter Ecclesiæ Patres agnoscunt tres personas eiusdem authoritatis, videlicet, Patrem loquentem, & Filium, cui testimonium datur, & Spiritum sanctum, qui non descenderet super Christum Dominum, nisi foret æqualis authoritatis cum Patre & Filio. Hoc testimonio contra Arianos vtuntur Athanasius in posteriori epist. ad Serapionem Episcopum col. 4. Epiphanius in Ancorato propius ad med. quàm ad finem & hæres. 62. post med. Augustinus valde fusè serm. 63. de verbis Domini secundum Ioannem à princ. & lib. 4. de Trinit. cap. 21. ante med. & epist. 102. ad Euodium inter prin. & med. Hieronymus Matthæi 3. fine, & serm. 38. de tempore, paulo post med. Hilarius in Matthæum can. 3. fine & lib. 6. de Trinit. circa med. Beda in serm. in Octaua epiphan. à med. & in commentario ad Matthæum cap. 3. fine.

9 *In Incarnatione.* Quartum Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Attigit, omnium personarum distinctionem ex hoc loco deducere Leo Magnus serm. 10. de Natiuitate cap. 4. & pro Spiritu sancto profert Basilius lib. 5. contra Eunomium sect. penult. sub init.

10 *Alius qui testimoniū fert.* Quintum Ioan. 5. *Alius est qui testimonium perhibet de me.* Videlicet Pater, vt explicat Christus Dominus Ioan. cap. 8. vers. 18. vbi duæ personæ manifestè

manifestè distinguuntur, quibus additur tertia Ioan.14.*Alium Paracletũ dabit vobis* &c. Sic enim ex vi pronominis *alius*,& *alium* ratiocinantur Patres,vt vidimus disp.19.sect.4.prope fin.

11 Veruntamen vlterius dicto cap.14.eodem vers. 16.tres personæ notantur,cum dicitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.*Et versu 26.*Paracletus autem Spiritus sanctus, quẽ mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, & sequenti cap. 15. prope finem: *Cum venerit Paracletus,quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Porrò necessarium est realiter distingui personas, quæ rogat, & quæ rogatur; quæ mittit, & quæ mittitur;quæ procedit,& à qua procedit.

Alius paracletus.

12 Authoritas autem æqualis,ac subinde substãtia eadem Filij, & Spiritus sancti notatur, quoniam vterq; dicitur esse Paracletus, & Spiritus sanctus in locum Filij succedere,vt doceat,& in æternum maneat. Quod autem sit eadem Filij, quæ Patris authoritas,ostenditur in eisdem locis,primò,quoniam nunc dicitur Pater mittere Spiritum sanctum, nunc verò Filius dicitur eundem Spiritum mittere. Secundò, quoniam Pater mittit nomine Filij. Quod denotat, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere: quoniam est eiusdem substantiæ ac Deitatis cum Patre; vt plerique Patres colligunt referendi disp.67.sect.2.& 3.

13 Proinde Trinitatem personarũ simul cum vnitate substantiæ ex vno,vel altero dictorum versũ colligunt communiter Patres,non solum in commentariis ad caput 14. Ioannis, vbi Augustinus, Chrysostomus,Cyrillus,Leõtius, Theodorus Heraclæensis, Theophilactus, Euthymius, Beda, S. Thomas; sed etiã in variis disputationibus.Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti multo propius ad med. quàm ad princ.§.*quatenus*, & orat.contra Gregales Sabellij col.3.& orat.5. contra Arianos multo propius ad fin. quàm ad med. & in posteriori epist. ad Serapionem quæ incipit. *Literæ*, col.5. & iterum post med.& alibi sæpe. Nazianzenus orat.37. quæ est. 5. de theologia num. 21. Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 18. post med. & cap.19.sub init. Epiphanius in Ancorato propius ad med.quàm ad finem.

14 Hilarius lib. 8. de Trinit. inter princ. & med. Ambrosius lib.5. de fide cap.6. sub init. & in fine, & lib.2.de Spiritu sancto c.12. sub init. & iterum inter princ.& med.Hieron. in epist.ad Hedibiam prope finem. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap.8. & lib. 4. de Trinit. cap. 20. prope fin. & lib. 15. de Trinit. cap.26. inter princ. & med. Theodoretus in epitome diuinorum decret. lib. 5. cap. 3. quod est de Spiritu sancto sub init. Tertullianus contra Praxeam cap.9.

15 Sextum testimonium est actuũ 2.vers.33. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus S. accepta à Patre,effudit*,videlicet Spiritum sanctum. Vbi qui habet authoritatem fundendi Spiritum sanctum,non potest non esse Deus,nec potest esse persona eadem cum sancto spiritu, nec cum Patre,à quo promissionem accipit.

Mittens & promittens & missus Spiritus.

16 Septimum aptè subiungitur præcedẽtibus Galatas 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui.* Vbi Pater & Filius significantur. Spiritus autem non esset Filij, nisi procederet à Filio, sicut à Patre propter identitatem substantiæ: vt Patres ratiocinantur locis referendis disp.67. sect.3. Quod ad præsens attinet videri potest Athanasius orat. 5. contra Arianos paulo post med. & posteriori epist. ad Serapionem col. 6. & iterum versus fin. epistolæ, & epist.de decretis Nicænæ Synodi prope fin.

Octauum sit 1.Cor.12.sub init. *Diuisiones gratiarum sunt,idem autẽ spiritus:Et diuisiones ministrationum sunt,idem autem Dominus: Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Variisque gratiis enumeratis, concludit: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Vbi tres personæ distinguuntur, incipiendo ab illa, quæ secundum originem est vltima, vt ostendatur non esse inferior dignitate. Spiritus proprio nomine ponitur, deinde Filius cum dicitur *Dominus*, videlicet Iesus Christus. Pater autem appellatur communi nomine Dei,quoniam est fons Diuinitatis. Insuper idenritas naturę significatur identitate operationis. Nam Pater *operatur omnia in omnibus*, & Spiritus *operatur omnia diuidens singulis prout vult.* Vnde præterea colligitur supremum dominium Spiritus sancti, vt sit Dominus & Deus, non minus, quàm Filius & Pater. 17

Propterea meritò Trinitatis mysterium ex hoc loco Patres probant non solùm in illius commentariis. Vbi Chrysost. Theodoretus, Anselmus,sed etiam in variis tractatibus.Iustinus in expositione fidei de Trin.propius ad med.quàm ad princ.Ignatius epist. 5. ad Philippenses non procul à princ. Athanas. in secunda & longiori epistola ad Serapionem prope fin. & in alia epist. ad Scrapionem quæ incipit: *Admirabere*,prope med.& orat.contra Gregales Sabellij col. penult. & dialogo.2. de Sancta Trinit. contra Anomœum propius ad fin. quàm ad med. & lib. de humana natura suscepta post med. Basilius lib.5. contra Eunonium sect.9. & sect.penult.fine, & lib. de Spiritu S. cap.16. & homil.17.in Sanctum Baptisma sub init. Chrysostomus orat.2. de serpente & Trinit.in med. Ambrosius lib.2.de Spiritu sancto cap.12.prope med. fusiùs quàm cæteri.Hilar.lib.8.de Trin.à med. 18

Nonum testimonium sumitur ex 1.Corinth.8. capite, collato cum Epheſ. 4. Nam ad Corinth. *Nobis*, inquit, *vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et ad Epheſ. 4. *Vnum corpus & vnus Spiritus, vnus Dominus, vnus Deus & Pater omnium*, paucis verbis interpositis inter hæc membra. 19

Trinitatem ex his locis probant Ignatius epist. 5. ad Philippenses non procul à princ. Martialis etiam Apostolorum discipulus epist. 1. ad Burdegal.cap.10. fine. Basil. lib.5. contra Eunomium sect.14.& 15. Chrysostomus tom.3. serm. de sancta & consubstantiali Trinit. col. 2. Origenes in cap.9. ad Roman. lib.7. col.2. illius capitis. Ambrosius in Symbol.Apostol.cap.3. & lib.1. de fide ad Gratian. cap.2. post med. & lib. 4. de fide cap. 6. Fulgentius ad obiect.4. Arianorum inter principium & medium. Hilarius etiam attigit lib. 8. de Trinitate post med. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 6. à med.& lib. 1. contra Maximinum versus finem. 20

Decimum, Romanos 11. fine. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.* Quamuis enim de omnibus & singulis personis, qua ratione sunt vnus Deus, verificentur omnes causalitates, quas significant tres istæ præpositiones *ex*, *per*, & *in*; vt exponit S. Thomas ibi. Aliique veteres Patres accipiunt. Sufficiat illud Dionysij de diuin. nomin. cap.13. circa med. dicentis de diuina vnitate: *Ad eam rectè referuntur, eique tribuuntur omnia,à qua, ex qua,per quam, & in qua* 21

qua sunt omnia. Nihilominus peculiari quadam ratione præpositio *ex* solet ad Patrem referri; *Per* autem ad Filium; *In* verò ad Spiritum sanctum, vt videbimus disp.112.sect.

22 Propterea tres personas distinctas hisce dictionibus, & vnitatem essentiæ significari, non solum terna repetitione pronominis *ipso*, in numero singulari, sed etiam vnitate singularis gloriæ, cum dicitur; *Ipsi gloria*, plerique Patres intelligunt. Alexander Papa Primus epist. 1. Nazianzenus orat. 39. in sancta lumina circa med. Athanas. lib.4. contra Vrbicum Potentinum post med. Basilius lib. 5. contra Eunomium sect. 14. & 15. & lib. vnico de Spiritu sancto cap. 5. sub init. Ambrosius in Symbol. Apostol. cap. 3. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. post med. & lib. quæstionum Veteris & Noui testamenti quæst. 122. ad fin. & lib. de fide & Symbolo init. & propius ad fin. quàm ad med. & lib. de vera religione in fine totius libri. Fulgentius ad obiect. 4. Arianorum inter princ. & med. Gregorius libro 29. moral. cap. 17. inter princ. & med. & lib 2. in Ezechiel homil.16. circa medium. Phœbadius lib. contra Arianos multo propius ad fin. quàm ad medium.Magister 1. dist.2.fine.

23 Vndecimum Apostoli ad Titum 3. dicentis: *Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum:* Vbi necessarium est, duas esse realiter distinctas personas, quæ nomine Saluatoris appellantur. Altera, qui effudit Spiritum sanctum, altera per quem effudit, & tertia persona est Spiritus sanctus effusus. Propterea Hieronymus ibi, cum dicitur, *benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*, intelligit Dei Patris.

24 Duodecimum 1. Ioann. 4. *De Spiritu suo dedit nobis, & nos vidimus, & testamur, quoniam Pater misit Filium suum Saluatorum mundi.* Quo testimonio vtitur Athanas.in epistol.ad Serapion.quæ incipit *Mirabere*,prope med.

SECTIO IV.

Veteris testamenti loca, quæ minùs obscura dederunt indicia Trinitatis.

1 CElebertimus est ille Genes. 1.*Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et post pauca: *Formauit igitur Dominus Deus hominem.*Et iterum: *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.*Et post pauca: *Faciamus ei adiutorium.* Nam illud *faciamus*, & illud *nostram* inducit multitudinem personarum. Vnitas verò substantiæ significatur nominibus & verbis numeri singularis, quale est illud,quod præcedit:*Vidit Deus & ait.*Et iterum: *Dixit Deus.* Atq; iterum. *Creauit Deus*, & multoties repetitum in numero singulari:*ad imaginem & similitudinem suam.*

2 Huius argumenti vim effugere conabantur Rabbini triplici præsertim solutione. Prima fuit, Deum loquentem secum, & se ad agendum excitantẽ,dixisse *faciamus.* Hanc verò refutat præcipue Basil.hom.9. Hexæmeron pag.vlt. *Quis enim faber, aut ærarius, aut lignarius, aut certè coriarius sutor solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus,interque suæ artis instrumenta desidens: quis inquam sibi soli admurmurat dicens: Faciamus gladium, aut:Compingamus aratrum, aut: Conficiamus calceamentum: ac non potius silentio suam, cum libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? Sunt enim insignes profectò nugæ, vnum aliquem inueniri, qui sibi imperet, siue præceptorem desidere, ac heriliter se ipsum vehementerque vrgere, & adhortari.* Alia ratione refutat Ambrosius lib.6. Hexæmeron cap.7. quia non dicit *faciam*, sed *faciamus*.

Rabbinorum effugium 1. Refutatur.

Sed Rabbini secundo respondent, Deum esse locutum pluraliter more magnorum principum ad ostentandam authoritatem. Hoc tamen refutat Theodoretus q. 19. in Genes. quoniam Deus ferè semper in Scriptura loquitur singulari numero: rarò autem pluraliter sermonẽ format. Huius autem inusitati discriminis oportet aliquod esse mysterium, videlicet significationem Trinitatis, in cuius inuocatione regenerandus erat homo, qui tunc creabatur. 3 *Secundum effugium. Refutatur.*

Addere possumus rationem secundam, quia modus effandi pluraliter, destinatur ad imperandum subditis, vel ostentandam authoritatem coram eis,aut aliis æqualibus.At verò verbum illud, *faciamus*,non destinatur ad Angelos,& multo minus ad homines, vt constabit ex refutatione sequentis solutionis.Quapropter frigidè prorsus & ineptè prædictũ ostentationis genus vsurparetur. 4

Tertia igitur solutio non solùm Hebræorum, sed etiam quorũdam hæreticorum dicebat,Deum esse locutum Angelis, vt suam operam homini creando nauarent, formando corpus humanum, vel cæteras animantes procreando. Hunc errorem redarguunt Basilius dicta homilia 9. pagina vltima. Chrysostomus homil. 8. in Genes. multo propius ad med. quàm ad princ. Et tom. 3. in serm. de Trinitate sub initium. Theodoretus in Genes.quæst.19. & lib.2. ad Græcos de principiis circa med. Cyrillus, Augustinus, Ambros. & alii qui alij ex infra citandis. Primò, quia Scriptura non solum cap. 1. sed etiam cap. 2. Genesis, soli Deo tribuit, quod formauerit, creauerit, fecerit hominem. Secundò,quoniã angeli nihil possunt operari,nisi per motum localem,applicando actiua passiuis; cuiusmodi ars peruenire non potest ad formationem corporis humani absque humano semine maris & fœminæ, vt probatum est in materia de angelis. 5 *Tertium effugium. Refutatur.*

Tertiò, quoniam executor illius verbi demonstrat, quinam fuerint, ad quos directus est ille sermo *faciamus.* Subiungitur enim statim: *Formauit Dominus Deus hominem.* Et iterum cum dixit: *Faciamus ei adiutorium*, subiungitur: *Immisit Dominus Deus soporem. Tulit vnam de costis, ædificauit Dominus Deus*, ac denique *creauit Deus.* Itaque Deus vnus exequitur: ergo Deus vnus est, ad quem dirigitur ille sermo, *faciamus.* Quartò, quoniam homo non est factus ad imaginem & similitudinem angelorum, sed ad imaginẽ solius Dei, vt ostenditur apertè cap. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* Et cap.5. *In die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Et cap.9. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* 6

Propterea plurimi Patres vtuntur hoc testimonio ad probandas plures personas vnius essentiæ diuinæ. Ignatius epist. 9. ad Antiochenses non procul à principio. Irenæus lib.4. cap.37. paulo post princ. Nicænum Concilium lib. 2. propiùs ad med. quàm ad princ.§.*dixit Deus*,& §. *si vt tu.* Et iterum multo propius ad med. quàm ad fin. §. *ne quæras*, & §. *non difficile.* & §. *in libro.* & §. 7 *Patres vtuntur testimonio Genes. 1.*

& §. *causa*. Antiochena Prima Synodus in profess. fidei missa ad Paulum Antiochenum, §. 2. Athanas. lib. 1. de vnita Deitate in med. & iterum post med. & orat. contra idola non procul ante fin. Basilius lib. 5. contra Eunomium inter med. & fin. & non solum dicta homil. 9. in Genes. sed etiam homil. 10. pag. 2. Gregorius Nyssenus orat. 1. in illud *Faciamus hominem*, & lib. de opificio hominis cap. 6. à med. & cap. 16. colum. 2. & in epist. aduersus Apollinarem de quæstionibus imaginis & similitudinis col. 2. & lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos colum. 2. Chrysostomus tom. 3. serm. 5. in feria 5. Passionis inter med. & fin. vltra loca superiùs citata. Cyril. Alex. dialog. de Trinit. lib. 3. col. 3. & col. 4. & lib. 4. propius ad med. quàm ad prin. & lib. 1. aduersus Iulianum propius ad med. quàm ad princ. & lib. 2. propius ad med. quàm ad fin. Epiphanius hæres. 69. & 76. & in Ancorato multo propius ad princ. quã ad med. & iterum inter princ. & med. Gregor. Bœticus lib. de Trin. col. 4. & sequent. Eusebius lib. 1. *historiæ* cap. 1. Origenes ad prædicta verba Genes. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 143. referens pro eadem expositione verba Philonis Iudæi.

8 Symirea Synodus canone 13. & sequẽtibus, decernens anathema contra eum, qui dixerit: *Faciamus hominem, non Patrem & Filiũ dixisse, sed ipsum ad semetipsum Deũ loquutum.* Quæ Synodus quantum ad hoc, & alia multa, probatur authoritate Hilarij lib. de Synodis paulo post med. & tacito consensu theologorum. Atque idem ostendit Hilarius lib. 3. de Trin. versus fin. & lib. 4. longe post princ. vsque ad med. Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 4. & 7. & supra citato lib. 6. Hexæmeron c. 7. & 8. Augustinus *lib.* de Genesi ad literam imperfecto ad prædicta verba Genes. 1. & dicto lib. 16. de ciuitate cap. 6. & lib. 7. de Trinit. cap. vlt. propius ad fin. quàm ad med. & serm. 38. de tempore colum. 1. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 12. à princ. Beda lib. de opere sex dierum titulo *de creatione hominis*, & in quæstionibus super Genes. q. super die 6. Isidorus Hispalen. lib. de natiuitate Domini cap. 4. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. ad fin. Rupertus lib. 2. de Trinitatis operibus c. 1. & 2. Magister & communiter Scholastici 1. dist. 2. cap. *proponamus*. Quomodo tandem præcedens doctrina confirmetur ex Hebræo textu, & quorundam Rabbinorum sententia, tractat Galatinus lib. 2. cap. 8. & 9.

9 Secundò. Coniecturam eandem capiunt Patres ex cæteris locis, quibus Deus de se loquitur numero plurali. Quemadmodũ Genes. 3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Et Isaiæ 6. *Quem mittam, aut quis ibit nobis.* Præcipuè verò Genes. 11. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Vnde Trinitatem probant Greg. Nyssen. lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos. Basilius lib. 5. contra Eunom. inter med. & fin.

In numero plurali Deus de se loquitur.

10 Chrysostomus in serm. de Trinit. propius ad princ. quàm ad med. ita ponderat; *Dicendo: Venite: pares honore exhortando vocat. Neque enim si Angelis imperasset, dicere debuit, Venite: sed imperando, Ite: Vide autem obsecro, quomodo Patris vox Filium & spiritum vocet. Nam si ad vnum solum hoc dictum esset, debebat dicere, Veni & descendamus: quia autem dixit, Venite, vnius est vox ad duos honore æquales.* Similia ponderat Cyrillus Alex. dial. de Trin. lib. 3. col. 3. Theodoretus in Genes. q. 19. & lib. 2. ad Græcos de principiis paulo post med. Hierony. Isaiæ 6. non procul à princ. notat illud: *Quis ibit nobis, illo sensu accipiendum esse, quo & in Genesi legitur, faciamus hominem, &c. vt Sacramentum indicet Trinitatis.*

11 Tertius locus Genes. 18. *Apparuit ei*, Abrahæ, *Dominus*, & post pauca: *Apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*, & quæ sequuntur. Quo in loco Abrahamum intellexisse, Deum in illis tribus apparuisse sibi, & locutum esse; Ideóque numero singulari ad vnum tantum quasi ad Deum direxisse preces, sensit Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei cap. 29. & lib. 2. de Trinit. cap. 11. & 12. obseruans, quod *tres viri visi sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel ætate, vel potestate maior cæteris dictus est: cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis vnam eandémque substantiam?* Fusiùs autem idem argumentum tractat toto sermone 70. de tempore, & lib. 3. contra Maximinum cap. 26. colum. 3. & sequentibus.

Tres viri apparuerunt Abrahæ.

12 Hilarius autem lib. 4. de Trinitate versus medium ponderat quod Abraham, *Tres vidit, & vnum adorauit.* Denique tam hi Patres, quàm alij ponderant, non solum Moysem mutauisse numerum, prius dicendo: *Apparuit Dominus.* Deinde: *Apparuerunt tres viri*, & cætera: sed etiam Abrahamum postquam cæpisset quasi cum vno loqui singulari numero, transitum fecisse ad numerum pluralem, dicendo: *Lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore.* Et infra vers. 9. *Cúmque comedissent dixerunt.* Et post pauca: *Reuertens veniam ad te.* Sic in eo capite fit mutuus transitus inter pluralem & singularem numerum.

13 Vnde Gregorius Nyssenus lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos colum. 2. notat, Abrahamum *Dominum singulariter ternos nominasse, & tanquam vnum inuitasse ad diuertendum. Item tanquam vnus loquitur, Veniam.* Idem indicium ponderat Alexand. Papa Primus epist. 1. Cyrillus Alex. lib. 1. contra Iulianum circa med. obseruat, *Tres quidem fuisse, qui apparuerunt, substitisse autem proprijs subsistentijs singulos, sermone consubstantialitatis in vnum comprehensos, & ita deditâ operâ colloquia inter se miscuisse.*

14 Fusius autem Athanasius dialogo 3. de Sancta Trinitate contra Macedonium, longè post init. deducit, Abrahamum, *Agnitis tribus hypostasibus, Dominum vnum* adorasse: & Filium atque Spiritum sanctum fuisse missum à Patre, ad euertendas illas vrbes & saluandum Loth. Quapropter magnæ authoritatis est, quod à tantis doctoribus acceptum inseruit Ecclesia secundo responsorio Quinquagesimæ; licet nõ habeatur in textu sacro: *Tres vidit, & vnum adorauit.* Denique tribus angelis Abrahamo significatam fuisse Trinitatem, notat Chrysost. tom. 3. serm. ad illud 1. Cor. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia* &c. colum. penultima. Quamuis aliqui Patres aliter exponant prædictam historiam Genes. 18.

15 Quartus locus est Genes. 19. Vbi, *Venerunt*, inquit; *duo angeli.* Et vers. 17. *Eduxerúntque eum, & posuerunt.* &c. Quibus Scriptura loquitur quasi de pluribus: sed singulariter quasi de vno loquitur versu proximè sequenti: *Dixit Loth ad eos: Quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, vt saluares*, &c. Et post pauca: *Suscepi preces tuas, vt non subuertam.* Ac denique: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo, & subuertit* &c.

Idem mysterium indicatur historia Loth.

16 In quibus postremis verbis significari Deum de Deo, videlicet, Filium à Patre procedentem, à quo sicut eandem naturam & potentiam accipit, sic etiam eandem operationem ad extra grauissimi quique Patres obseruant. Indéque contra Iudæos & hæreticos probant mysterium Trinitatis, aut saltem Diuinitatem Filij. Quemadmodum Sixtus I. epist. 1. post med. Marcellinus Papa epist. 1. ad Salomonem circa med. Ignatius epist. 9. ad Antiochenses prope init. Antiochena prima Synodus in professione fidei, missa ad Paulum Antiochenum §. 2. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 6. sub init. Iustinus de veritate Christian. relig. atque in dialogo cum Triphone longè ante med. (qui locus, contra mentem authoris ab Arianis detortus, explicabitur disput. 39. sect. 7. ad obiectionem primam) idémque repetit in eodem tractat.

17 Basilius lib. 5. contra Eunomium inter med. & fin. videlicet sect. 15. post med. Chrysost. tom. 3. serm. de Trinit. propius ad med. quàm ad princip. Nazianz. orat. 35. quæ est 3. de theologia propius ad med. quàm ad fin. num. 66. Nyssenus lib. de Trinitate & aduentu Domini contra Iudæos col. 3. Athanas. orat. 3. contra Arianos propius ad princ. quàm ad med. & orat. contra Gregales Sabellij propius ad med. quàm ad princip. & epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ circa med. Fusius autem in dialogo 3. de sancta Trinit. contra Macedonium versus med. Epiphanius in Ancorato. Eusebius lib. 5. de demonstratione euang. lib. 5. cap. 8. & de præparatione euang. lib. 7. cap. 5. & lib. 11. cap. 10. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 143. circa med. Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioann. cap. 2. inter med. & fin. & lib. 1. contra Iulianum in med. Theodoretus lib. 2. ad Græcos de principiis paulo post medium.

18 Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 13. & 16. Ambros. lib. 1. de fide cap. 2. post med. Hilarius lib. 4. de Trinit. post med. & lib. 5. propius ad med. quàm ad princip. & lib. de Synodis paulo post med. vbi refert & approbat canonem 16. Syrmicæ Synodi, damnantis anathemate: *Si quis pluit Dominus à Domino, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se pluisse dicat. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* Cuius Synodi non est contemnenda authoritas, quantum ad præsentem articulum, non solum propter authoritatem Hilarij, & tacitam cum eo approbationem theologorum, sed etiam, quoniam non totaliter, sed tantum ex parte reprobata fuit hæc Synodus, vt scribit Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 7. licet aliter sentiant Baronius anno Christi 357. Et Vazquez 1. p. disput. 108. cap. 2. num. 14.

19 Eodem modo prædictam historiam Genes. 19. intelligunt Hieronymus Oseæ cap. 1. inter med. & fin. ad illud *Saluabo eos in Domino Deo suo.* Augustin. lib. 2. de Trinitat. cap. 11. fine & toto cap. 12. Idémque tangit lib. 3. contra Maximinum cap. 26. colum. 3. & sequentibus, & serm. 70. de tempore. Isidorus de natiuitate Domini cap. 3. in med. Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadum cap. 2. post med. Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 11. fine.

20 Quamuis autem ille Dominus, à quo *pluit Dominus*, intelligendus sit Pater, à quo procedit Filius, iuxta prædictorum omnium Patrum expositionem: nihilominus duo illi Angeli, qui Sodomam venerunt, intelligendi sunt repræsentasse non personam Patris, sed personas Filij & Spiritus sancti; quemadmodum fusè & acutè deducit Athanasius dialogo 3. de sancta Trinitat. contra Macedonium longè post init. vsque ad med. Et probabilius reputat Augustinus lib. 2. de Trinitat. dicto cap. 12. fine. Sequitúrque Isidorus lib. 7. etymolog. cap. 3. §. 4. quoniam dicunt, se missos esse Genes. 19. vers. 13. Pater autem non mittitur, sed Filius & Spiritus sanctus. Id autem confirmari potest: quoniam vterque, videlicet, Filius & Spiritus sanctus est Dominus à Domino Patre, & ab illo pluit, & operatur.

21 Ex dictis facilè colligitur, non solùm improbabilem, sed etiam temerariam, & parum tutam esse doctrinam eorum, qui nullum agnoscunt in prædicto testimonio mysterium; sed aiunt esse Hebraismum, peculiarémque linguæ phrasim & elegantiam dicere: *Pluit Dominus à Domino*, id est, à se ipso. Quod probant quibusdam aliis Scripturæ verbis. Cæterum quamuis ea sit Hebraæ linguæ phrasis; illa tamen per altissimam Dei prouidentiam, ita dispositа fuit, vt antiquis Hebræis occultaret mysterium, quod orta lux Euangelij, fidelibus indicaret ibi latere.

Temeritas parum tuta, negãs mysterium in illis verbis.

22 Authores tamen illius doctrinæ liberantur à nota temeritatis, quoniam communem antiquorum Patrum expositionem, quam retulimus, nondum animaduerterant. Hi sunt Tostatus tractatu de mysterio S. Trinitatis. Caietanus, Pagninus, Vatablus & Oleaster, quorum sententiam Pererius refert ac reiicit in Genes. tom. 3. ad caput 19. disput. 4. exponens verba prædicta.

Excusantur authores.

23 Propter eandem rationem non poterit esse magis temperata censura declarationis alterius, qua Dionysius Carthus. in eius loci commentario existimat, per Dominum, qui dicitur pluere, intelligi Angelum, qui Dei personam sustinebat. Hanc enim expositionem esse cauendam probatur primò, quia repugnat omnibus Patribus suprà citatis. Secundò, quia repugnat Sacro textui. Nam in Hebræo ponitur vtrobique nomen ineffabile *Iehoua*, quod soli Deo applicari consueuit, videlicet, dicendo: Iehoua pluit à Iehoua.

Periculosum est intelligere Angelum eo loco.

24 Tertiò, probat Basilius dicto lib. 5. contra Eunomium inter med. & fin. quoniam alibi Deus ipse dicit: *Euerti eos, sicut Deus euertit Sodomam & Gomorrham*, quod accepisse videtur ex Ieremiæ cap. 49. & 50. quamuis Vulgatus interpres aliter legat, & editio Septuaginta nihil habeat, quod illis duobus capitibus correspondeat. Quartò probat Athanas. dialogo 3. de sancta Trinitate contra Macedonium multo propius ad med. quàm ad princip. quoniam Angeli nequaquam permisissent, vt Loth *adoraret eos pronus in terram*, & tanquam vnico supremóque Domino deferret honorem, nisi diuinas personas adoraret. Denique quorundam Rabbinorum expositione veritatem præsentem confirmat Galatinus lib. 2. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 9. prope fin.

25 Quinto loco possumus plura testimonia conglobare, quorum à singulis eandem coniecturam valde probabilem capere, visum est antiquis Patribus: quoniam in illis Deus loquitur de Deo, sicut vna persona de alia. Quemadmodum Oseæ 1. *Saluabo eos in Domino Deo suo*, id est, *Pater in Filio*; vt exponit ibi Hieronymus. Proptereáque idem locus ad præsens propositum adducitur à Basilio nuper citato, cui adiungit illud Apostoli 2. ad Titum cap. 1. fine. *Dabit ei Dominus inuenire à Domino misericordiam.*

Deus loquitur de Deo sicut de alia persona.

26 Eadem vis est in illis verbis Zachariæ 3. *Dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te.* Vbi Hieronymus tan-

quam communem catholicorum expositionem refert, & approbat esse dictum, *quia Pater & Filius Dominus est: & in centesimo nono psalmo legimus, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Dominus de altero Domino loquitur: non quod ipse Dominus, qui loquitur increpare non possit, sed quod ex vnitate naturæ, cum alter increpauerit, increpet ipse qui loquitur. Qui enim videt Filium, videt & Patrem.* Idem testimonium ad probandam Diuinitatem Christi Domini refert Gregor. Nyssen. lib. de Trinitat. & aduentu Domini contra Iudæos cap. 2. ante med.

27 Generaliter autem alias repetitiones *Dei* & *Domini*, ponderat Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 143. à med. dicens, aliter fuisse ordinanda verba Scripturæ, nisi Trinitatem significaret. In eodem igitur argumentationis genere versatur illud Exod. 3. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Et Deut. 6. *Dominus Deus tuus Deus vnus est.* In quibus trina repetitione denotari tres personas vnius Diuinitatis obseruant aliqui Patres citati disput. 19. sect. 2.

Triplex repetitio Dei.

28 Necnon illud Psalm. 66. fine. *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* Qua repetitione significari mysterium Trinitatis, plurimi Patres obseruant. Gregor. lib. 29. moral. cap. 16. inter princip. & med. & in lib. 1. Regum. Alexander Papa I. epist. 1. cap. 6. quod idem habetur in epistola decretali Benedicti Papæ I. Fulgentius ad 4. obiectionem Arianorum. Ambros. in symbol. Apostol. cap. 3. Athanas. lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti, & multi expositores ad eum versum, vt Euthymius, Hieronymus, Ruffinus, Cassiodorus, Beda, Haimo, Remigius & alij apud Lorinum ibi. Propterea que meritò positus est hic versus inter responsoria in officio sanctissimæ Trinitatis.

29 Rationem dubitandi de vi præsentis argumenti potuisset afferre, quod Scriptura nonnunquam loco relatiui pronominis repetit eiusdem personæ nomen, veluti 1. Corinth. 1. *Expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi.* Et tamen inde non infertur esse duas personas Iesu Christi. Quam repetitionem cum alia Leuitici 9. ver. 7. & sequentibus notat Athanas. orat. 5. contra Arianos multo propius ad fin. quàm ad medium, vt ostendat, ex hac repetitione non colligi distinctionem personarum in Christo Domino.

Obiectio.

30 Respondetur tamen. Quemadmodum eadem vocabula significant in Scriptura res longè diuersas, quorum acceptio colligitur ex contextu, & ex materia, quæ tractatur; sic etiam figuræ dictionis, ac peculiariter repetitio eiusdem vocabuli diuersas significationes habet. Porrò Dei & Domini repetitio propter rem significatam his nominibus, & alibi declaratam in sacra Scriptura, significat distinctas personas. Maximè verò propter specialissimum & emphaticum repetendi modum, qui non reperitur vsitatus circa personas alias, vt constabit consideranti singula testimonia supra citata.

Solutio.

31 Quæ restant ex Veteri testamento, tractabuntur sect. sequenti.

SECTIO V.

Psalmus trigesimus secundus, & Isaiæ caput 6. & 48. Trinitatem efficaciter probant.

1 IMprimis versus 6. Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, non solùm significat summam facilitatem perficiendi tantum, & tam artificiosum opus totius vniuersi solo nutu & imperio: sed etiam tres personas indicat, quarum prima, cui tribuitur in præsenti nomen *Domini*, Pater est, cuius est Verbum, & qui per Verbum operatur. Secunda persona est Verbum, per quod omnia facta sunt. Tertia persona est Spiritus oris Dei, cui peculiariter appropriatur virtus & perfectio diuinorum operum. Harum verò personarum, quoniam eadem assignatur operatio totius vniuersi, manifestatur identitas potentiæ atque diuinæ naturæ.

2 Quapropter optimo iure Trinitatem hoc testimonio probant communiter Patres. Nicænum Concilium lib. 2. paulo post med. §. *sæpenumero.* & §. *in libro Iob.* Iustinus in expositione fidei de Trinit. propius ad med. quàm ad princip. Irenæus lib. 1. cap. 19. & lib. 3. aduersus hæres. cap. 8. post med. Nazianzenus orat. 44. in sanctam Pentecostem inter med. & fin. num. 24. Basil. homil. 17. in sanctum baptisma post med. & lib. 3. contra Eunomium à med. Chrysostomus serm. de sancta & consubstantiali Trinitate prope init. & versus fin. & homil. de Ioanne Baptista. Gregor. Nyssenus orat. catechetica cap. 4. & lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos initio. Athanasius orat. 4. contra Arianos versus fin. & orat. 5. paulo post med. & epist. 2. ad Serapionem prope fin. & lib. de communi essentia Patris & Filij ante med. §. *magnus Dominus*, & epist. ad Marcellinum col. 3. & serm. contra omnes hæreses inter med. & princip. & dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomœum inter med. & fin. & alibi sæpe. Origenes lib. 1. de principiis cap. 3. inter med. & fin. Epiphanius in Ancorato multò propius ad princip. quàm ad med. & hæres. 76. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 143. circa med. Theodoretus lib. 2. ad Græcos de principiis paulo post med. & in commentario præsentis versus. Cyrillus Alex. lib. 12. thesauri cap. 1. paulo ante med. & lib. 7. de Trinit. propius ad fin. quam ad med. & epist. ad Anastasium Alexandrinum, quæ extat tom. 2. Concilij Ephesini. Elias Cretensis in orationem 1. Nazianzeni num. 169. & in orationem 19. num. 18. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmatibus propius ad med. quàm ad fin. Damascen. lib. 1. fidei cap. 7. Euthymius in panoplia p. 1. tit. 8. & 11. Gregor. Bœticus lib. de Trinit. prope fin.

3 Augustin. in Psal. 32. concione 2. col. 2. & lib. 11. confess. cap. 6. & 7. Atque idem Augustinus, vel quicumque alius apud illum tom. 4. lib. de essentia Diuinitatis propius ad princ. quàm ad med. Hieronymus ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani propius ad med. quàm ad princ. quæst. 2. & Isaiæ 44. Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 16. fine, & in symbol. Apostol. cap. 6. init. & lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. circa med. & lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. ante med. & lib. de Incarnat. Domin. mysterio ad fin. & lib. de initiandis cap. 3. paulo post princ. Gregor. homil. 30. in euangelia inter med. & fin. & in Psalm. 50. ad illud, *Redde mihi lætitiam.* Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 3. Fulgentius lib. de fide ad Donatum c. 8. init. & lib. 3. ad Trasimundum cap. 35. sub init.

Isidorus

Isidorus de natiuitate cap. 4. sub init. Lactant. lib. 4. diuin. institut. cap. 8. versus fin. Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 45. & lib. contra Praxeam cap. 7. & 19. Phœbadius lib. contra Arianos multo propius ad fin. quàm ad med.

4 Denique Rabbinos aliquos hunc versum intellexisse de diuinis personis, Galatinus notat lib. 2. de arcanis cap. 4. & Paulus Burgensis in scrutinio Scripturæ part. 1, distinct. 9. cap. 12.

5 Secundum argumentum accipitur ex hymno Trisagio, quod est non minus forte, quàm frequens pro mysterio Trinitatis. Nam Isaiæ 6. Seraphim *Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Et Apocalypsis 4. Quatuor animalia *requiem non habebant die ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.*

Trisagios probat Trinitatem.

6 Hoc argumentum ita ponderat Ambros. lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. inter med. & fin. *Quid sibi vult sub vno nomine sanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur vna laudatio? Si vna laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater & Filius & Spiritus sanctus sanctitate vnum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis, ne Spiritum sanctum præteriret: non quater, ne creaturas coniungeret. Et vt ostenderet, Trinitatis vnam esse Deitatem, cum tertiò dixisset Sanctus, Sanctus, Sanctus: addidit singulariter: Dominus Deus Sabaoth.* Ponderationem eandem repetit lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. init.

7 Eadem omnino mens atque sententia fuit aliorum Patrum, quando prædicto testimonio vtuntur: vt Nazianzenus orat. 38. in Christi natiuitatem non procul ante med. Chrysost. tom. 3. serm. de Trinit. non procul à principio. Epiphanius in Ancorato col. 9. & longè inferius inter princip. & med. Basil. lib. 3. contra Eunom. prope med. Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti inter princ. & med. sub titulo *quod tres dij*, & lib. de humana natura susceptra, propius ad med. quàm ad princ. & prope fin. eiusdem libri. Origenes homil. 4. in illud Isaiæ 6. *Sanctus*, &c. Theodoretus in fragmento penult. quod refertur ad finem Breuiarij Liberati ante Concilium Aruernense, fusius quàm cæteri omnes. Damascenus tota epist. de Trisagio.

8 Augustinus serm. 38. de tempore col. 2. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. ad fin. & ad obiectionem 4. Arianorum sub init. Hieronymus Isaiæ 6. paulo post princip. & tom. 3. epist. 142. ad Damasum de prima visione Isaiæ circa med. Gregorius lib. 29. moral. inter princ. & med. Isidorus lib. de natiuitate Domini cap. 4. ad fin. Bernardus serm. de Kalendis Nouembris. Rupertus in eum locum Isaiæ.

9 Et quod caput est, Tres summi Pontifices eodem testimonio Trinitatem probant. Alexander I. epist. 1. cap. 6. quod tanquam vnica epistola Benedicti Papæ I. extat etiam tom. 2. Conciliorum. Felix Papa epist. 3. ad Petrum Fullonem ex Synodo Romana post med. postquam ex præsenti hymno Trisagio probauit mysterium Trinitatis, adiungit: *Cum terræ motu Constantinopolis quateretur, populusq; in campo oraret, infantulus, toto populo spectante cum Proclo ciuitatis Episcopo, in cœlum per vnam horam raptus est, ibiq; huiusmodi didicit hymnum. Rursumq; descendens, nunciauit, quæ in æthere audierat, dicens de cœlo quasi de multitudine psallentium, huiusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumque sibi, vt eam laudationem populo indicaret. Quam vbi populi incepe-*

Trisagij miraculum.

Ruiz. de Trinitate.

10 Antheon Episcopus Arsinois in epist. ad Petrum Antiochenum (quæ ponitur in quadam Synodo Constantinopolitana sub Fælice Papa III. in causa Petri Fullonis sub initium) non modo defendit, Trisagio significari Trinitatem, sed etiam refutat hæresim eiusdem Petri, qui Trisagio subiungebat crucifixum, dicens: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis crucifixus.* Quo significabat, crucifixum esse Spiritum sanctum, vel aliam quartam personam. Rabbinos etiam aliquos interpretatos esse Trisagion de tribus personis, refert Galatinus lib. 2. de arcanis cap. 1. prope fin.

Hæresis circa Trisagion.

11 Denique quod vnaquæque persona sigillatim accepta (veluti Pater) non possit appellari Trisagios, nec Trilumen, probat ex professo Damascenus tota epist. de Trisagio; quia Pater, sigillatim acceptus, non est tres hypostases vnius sanctitatis vel luminis. Hoc enim significatur, quando Deus laudatur, vt Trisagios, id est Tersanctus; nisi forte illud, *Tri*, significet solummodo perfectionem & infinitatem sanctitatis. Idem intellige de Filio per se sumpto, necnon de Spiritu sancto, & consequenter de cæteris omnibus perfectionibus absolutis, quibus addatur *Ter*, vt dicendo *Tersapiens* aut *Terpotens.*

Vnaquæque persona sigillatim non est Trisagios.

12 Tertium argumentum ex Isaiæ 48. *Ex tempore antequam fieret, ibi eram. Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* Quod Hieronymus ita exponit: *Quando fiebant omnia à Patre*, ipse scilicet Filius, *erat cum eo, cui adgaudebat, qui etiam nunc dicit: Ego, qui semper eram cum Patre, & in Patre, & sine Patre nunquam eram: etiam nunc loquor: & iuxta fragilitatem carnis assumptæ dico, quod Dominus Deus miserit me, & Spiritus eius: breuiq; versiculo, Trinitatis nobis ostenditur sacramentum.*

Locus Isaiæ 48. ponderatur. Prouerb. 8. Ioann. 14.

13 Eodem modo Diuinitatem Filij & Spiritus sancti & consequenter Trinitatis mysterium colligunt alij Patres; vt Ambros. in symbol. Apostol. cap. 6. & lib. 2. de fide ad Gratianum versus med. & lib. 3. de Spiritu S. cap. 1. fine. Augustinus serm. 6. de tempore, qui est secundus de natiuit. in med. Athanasius 2. epist. ad Serapionem col. 4. & longè inferius multo propius ad med. quàm ad princip. epistolæ, & lib. 3. de assumptione hominis prope fin. Chrysostomus tom. 3. homil. 3. de Spiritu sancto, quæ incipit *Heri à nobis*, col. vltima, & serm. de Trinit. colum. penult. Basil. lib. 5. contra Eunomium in med. Isidorus Hispalen. lib. de natiuitate Domini cap. 4. post med. Sed quomodo Christus Dominus fuerit missus à Spiritu sancto, tractabitur ex professo disput. 108. sect. 10.

14 Multo plura prætermisimus Scripturæ testimonia, quibus Trinitatem probant Patres in variis tractatibus, citatis in sect. præsenti & duabus præcedentibus. Adduximus etiam multa disp. 4. probantes æternam generationem Verbi. & disp. 19. probantes realem distinctionem personarum. Insuper disp. 20. sect. 6. & sequentibus, & disput. 22. probantes indiuiduam vnitatem diuinæ substantiæ. Restant etiam adducenda multa pro Diuinitate & æqualitate Filij & Spiritus sancti, necnon ad probandam processionem Spiritus à Patre & Filio, videlicet in disputationibus 54. 66. & 67.

15 Significationes quasdã & indicia Veteris testamenti, quæ sumuntur ex litteris aut dictionibus Hebræis, vel aliis obseruationibus Hebræorũ tractat Galatinus toto lib. 2. de arcanis Catholicæ veritatis. Marsilius Ficinus lib. de religione Christiana, ex quibus nõnulla referunt aliqui recentiores.

SECTIO VI.

De nomine Trinitatis, ac Trini, & vtriusque authoritate & etymologia.

1 *Hæreticorum odium contra Trinitatem.*

NOn modò rem ipſam ſed etiam vocabula Trinitatis ſepulta deſiderabat eſſe Caluinus; vt vidimus ſect. 1. poſt med. Eaſdémque voces vt nouas atque profanas deridebãt Valentinus Gentilis & Tranſyluani, vt refert Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 1. Propterea neceſſarium eſt etiam de nomine Trinitatis magis ex profeſſo diſſerere.

2 *Trinitatis vox à tempore Apoſtolorum.*

Dico igitur primò. Quamuis in ſcripturis non legatur hoc ipſum nomen *Trinitas*, vel *Trinus*, nihilominus antiquiſſimum eſt à tempore Apoſtolorum, inſtinctu ſancti Spiritus accommodatum, & omnium theologorum vſu receptum, ſiue apud Græcos *Trias*, ſiue apud Latinos *Trinitas*, & *Trinus*, & ſignificat tres perſonas vnius eſſentiæ diuinæ. Probatur primò, quoniam habet fundamentum in illo 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* De quo ſatis eſt dictum diſp. 19. ſect. 4. & diſput. 20. ſect. 7. Inſuper fundamentum habet in cæteris teſtimoniis ponderatis per tres ſectiones præcedentes.

3 Probatur ſecundò, nam Apoſtoli eorúmque diſcipuli, cunctíque ſucceſſores theologi vocabulum Trinitatis vſurpant. Iacobus Frater Domini in liturgia ſub init. atque iterum col. 3. & iterum prope fin. Ioannes Euangeliſta apud Prochorum de illius vita cap. 1. Petrus Apoſtolus apud Clementem lib. 1. recognitionum verſus finem dicens: *Trinæ beatitudinis.* Dionyſius Areopagita de diuin. nomin. cap. 3. in princip. & cap. 13. poſt med. & lib. de myſtica theologia in princ. & cap. 3. ſub init. S. Martialis Apoſtolorũ diſcipulus epiſt. ad Burdegalenſes cap. 10. Iuſtinus in expoſitione rectæ fidei de Trinitat. & quæſt. 17. & 18. & 129. ad orthodoxos. Dionyſ. Papa, cuius verba refert Athanaſ. lib. de decretis Nicænæ Synodi vltra med. Felix Papa I. epiſt. 3. ad Benignum ante med. Regula fidei, diuinitus tradita Gregorio Thaumaturgo, apud Gregorium Nyſſenum ſic habet: *Trinitas perfecta, quæ gloria atque æternitate & regno non diuiditur, neque abalienatur.*

4 Eodem nomine Trinitatis vtitur frequenter antiquiſſimus Tertullianus in lib. cõtra Praxeam. Origenes in cap. 21. Numeror. homil. 12. col. 2. & in Ioſue homil. 3. tractans de dimidiata Tribu Manaſſe. & in Iſaiam homil 4. propius ad med. quàm ad princip. & in epiſt. ad Roman. lib. 3. cap. 3. col. penult. & lib. 7. ad cap. 9. col. 2. Concilium Nicænum lib. 2. colum. 8. §. *ſancta & magna*, dum fidem profitetur per Oſium, & propius ad med. quam ad fin. eiuſdem libri 2. vocat *Trinitatem verè Trinitatem indiuiduam & conſubſtantialem.*

5 Quorum veſtigiis inſiſtentes *plurimi Epiſcopi, in Alexandria congregati cum Athanaſio & Euſebio, Nicæni Concilij decreta roborauerunt, Trinitatemq; nominauerunt*, vt refert Sozomenus lib. 6. tripartitæ cap. 20. fine. Sed non propterea ſignificat, illos Patres fuiſſe inuentores, ac denuo impoſuiſſe nomen Trinitatis; ſed decreuiſſe, retinendum, & frequentandum eſſe contra Sabellianos & Arianos.

6 Idem vocabulum recipiunt poſt Nicænum cætera Concilia. De Athanaſio verò quid opus eſt dicere? Cum omnes pene tractatus illius abundent præſenti vocabulo. Eodem vtuntur Nazianzenus orat. 25. col. vlt. & orat. 29. & orat. 32. poſt med. & orat. 35. & 37. & 49. Baſilius quinque libris contra Eunomium præſertim lib. 5. init. & circa med. & lib. de Spiritu ſancto. Chryſoſtomus peculiari ſerm. de Trinit. & homil. 2. in ſymbol. Apoſtol. & orat. 1. de illo Euangelico oraculo *In principio erat Verbum*, ad finem orationis, & ſequenti orat. 2. de ſerpente, & Trinitate in med. Gregorius Nyſſenus lib. de Trinit. contra Iudæos in princ. & epiſt. de imagine & ſimilitudine contra Apollinarem præſertim colum. 2. & poſt med. epiſt. & lib. de Trinit. ad Euſtathium verſus fin. & orat. catechet. cap. 3. ad fin. & cap. 39. ſub init. & toto lib. de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos & alibi ſæpe.

Epiphanius hæreſi 57. 62. 69. 73. 74. & 76. & in Ancorato. Cyrillus Alexand. lib. 12. theſauri c. 5. poſt med. & cap. 14. prope fin. & ſequenti lib. 14. cap. 3. & in dialogis de Trinitat. præſertim lib. 3. & 4. & alibi ſæpe. Cyrillus Ieroſolymit. catecheſ. 16. colum. 2. Gregor. Bæticus lib. de Trinit. præſertim colum. penultima, Theodoretus in Geneſ. q. 19. & hæreticarum fabular. lib. 4. in Apollinari, & dialogo 1. *immutabilis*, col. 1. & lib. 2. de principiis colum. 2. Ephrem Syrus tom. 1. opuſc. 28. de recta viuendi ratione cap. 46. & tom. 3. in quodam opuſc. de confeſſione & reprehenſione ſui propius ad med. quàm ad fin. & in ſerm. quodam longiori de pœnitentia propius ad med. quàm ad princip. & paulo poſt med. Anaſtaſius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 142. & 143. & lib. 3. epiſtol. 112. & 149. 7

8 Ex doctoribus Latinis Gregorius multoties, Hieronymus multo frequentius, Hilarius magis ex profeſſo duodecim libris de Trinitat. aliiſque tractatibus, Ambroſius millies quinque libris de fide, & tribus de Spiritu ſancto, & in ſymbol. Apoſtol. variiſque tractatibus. Auguſtinus autem non modò quindecim libris de Trinit. ſed etiam alibi toties, vt numerari non poſſit. Cæteris ex Patribus ſuperfluum eſt loca citare, quoniam paſſim occurrunt legentibus, & quæ notata ſunt, abunde ſufficiunt.

9 Probatur tertiò, nam huius vocabuli tam etymologia, quàm ſignificatio & modus ſignificandi, ſunt conuenientiſſima myſterio Trinitatis explicando, vt conſtabit ex dicendis in hac & ſequenti ſectione.

10 *Trinitas trib. vnitas.* Dico ſecundò. Nominis etymologia, quæ communiter à theologis traditur, hæc eſt, vt dicatur Trinitas, quaſi trium vnitas. Primus id obſeruauit Iſidorus etymolog. lib. 7. cap. 4. initio, dicens: *Trinitas appellatur, quod fiat totum vnum ex quibuſdam tribus, quaſi Trivnitas.* Ideo lib. 2. de differentiis ſpiritualibus cap. 2. init. *Inter Trinitatem*, inquit, *& vnitatem hæc diſtinctio eſt, quod vnitas propter inſeparabilem Deitatis ſubſtantiam: Trinitas verò propter perſonarum diuerſitatem vocatur.* Ex vtroque loco, ſententiam magis fideliter quàm verba retinens, Magiſter ſentent. 1. diſt. 24. fine docet ex Iſidoro, quod *Trinitas eſt trium vnitas.*

11 Eandem etymol. ſequuntur communiter Scholaſtici. S. Thom. in præſenti quæſt. 31. art. 1. ad 1. S. Bonauent. 1. diſtinct. 24. art. 3. quæſt. 2. corpore. Alexander 1. part. q. 66. memb. 1. art. 1. & memb. 2. art. 1. ad 2. Albertus 1. p. q. 45. memb. 1. art. 2. ad 1. & ad 5. Ricardus 1. diſtinct. 24. art. 3. quæſt. 1. corpore. Vbi Carthuſianus quæſt. 5. poſt med. Henricus autem part. 2. artic. 73. quæſt. 11. ad 2. magis fideliter retinuit etymologiam Iſidori, dicendo, *Trivnitas.*

Sed

12 *Etymologia & ſignificatio vocis Trinus.*

Sed de vocabulo *Trinus* maior eſt ratio dubitandi circa illius etymologiam. Henricus namque citatus exiſtimat probabilius, quod non componatur ex *Tris*, & *vno*; ſed deriuetur vt nomen ſimplex ex dictione Græca *Tris*. Probat autem, quia ſi *Trinus* ſignificaret ter vnum, ineptè vel nugatoriè Deus diceretur Trinus & vnus. Sed huic obiectioni ſatisfiet ſect. ſequenti difficultate 3. ad finem.

13 Nunc dico tertiò. Prima & antiquiſſima etymologia vocabuli *Trinus*, non erat quaſi ter vnus ad ſignificãdam diſtinctionem trium rerum vnius eſſentiæ. Probatur ex diſcrimine inter vtramque vocem *Trinitas*, & *Trinus*. Trinitas enim eſt nomen ethnicis ignotum ante Euangelium, ideóque non tribuitur rebus creatis: à theologis autem inuentum fuit & impoſitum ſecundum etymologiam & ſignificationem magis accommodatam explicando myſterio. Sed nomen *Trinus* tribuitur rebus creatis, quemadmodum Cicero ad Atticum dicit *literas trinas*, & Cæſarius lib. 7. belli Gal. *Trinis caſtris potiuntur*, & iure Canonico *Trina monitio* debet præcedere cenſuram, & apud Auguſtinum tract. 123. in Ioannem circa med. *Redditur negationi trinæ trina confeſſio* Petri Apoſtoli.

14 Dico quartò. Nihilominus nomen *Trinus* poſt exortam fidem explicitam ſanctiſſimæ Trinitatis, à theologis impoſitum fuit ad ſignificandum, perinde ac ſi eius origo & etymologia ſit *Ter vnus*. Atque ita intelligunt communiter Scholaſtici citati pro aſſert. 2. meliúſque theologicum nomen *Trinus* correſpondet proprio ſibi ſubſtantiuo, videlicet nomini Trinitatis, & myſterio ſignificato per illud: vt magis conſtabit ex ſect. ſequenti.

SECTIO VII.

Vtriuſque nominis ſignificatum, & modus ſignificandi.

1 *Videtur non ſignificare relationem.*

REſtant hic breuiter expediendæ nonnullæ difficultates. Prima, vtrum nomen Trinitas ſignificet ſubſtantiam vel relationem. Ratio dubitandi ſolet eſſe, quia nomina, ſignificantia relationem, afferunt diſtinctionem à ſuo termino: ideóque non prædicantur de illo: ſed Trinitas non diſtinguitur ab vllo termino relationis diuinæ, quin potius prædicatur de omnibus perſonis diuinis: ergo non ſignificat relationem.

2 *Videtur non ſignificare ſubſtantiam.*

Aliunde etiam Trinitas non ſignificat ſubſtantiam, quia iuxta doctrinam Auguſtini & Boëtij, receptam ab omnibus theologis, nomina, quæ ſignificant ſubſtantiam, prædicari poſſunt de ſingulis perſonis: Trinitas autem nequit de ſingulis perſonis prædicari: nec enim Pater eſt Trinitas, neque Filius eſt Trinitas, neque Spiritus ſanctus eſt Trinitas.

3 Magiſter 1. diſtinct. 24. cap. penult. docet, Trinitatis nomen idem ſignificare, quod quando dicimus, *tres perſonæ*. Quapropter videtur exiſtimare, ſignificatum nominis eſſe relatiuum. Similiter Ricardus in eadem diſtinct. 24. art. 3. quæſt. 1. corp. & ad argumenta exiſtimat, quod principaliter ſignificat tres perſonas vnius eſſentiæ. Confirmari poteſt hæc ſententia ex Iſidoro lib. 7. etymolog. cap. 4. §. 2. Vbi *Trinitas*, inquit, *in relatiuis perſonarum nominibus eſt.*

4 *Trinitas ſignificat numerum perſonarum relatarum.*

Sed magis exactus atque formalis eſt hic modus explicandi. Trinitas non ſignificat ipſas relationes perſonarum, ſed potius ſignificat numerum perſonarum ad inuicem relatarum. Ita docet *Ruiz. de Trinitate.* S. Thomas in præſenti quæſt. 31. art. 1. ad 1. & in re nihil diſſentit Alexander 1. p. q. 66. memb. 1. art. 3. dicens, quod Trinitas non dicitur relatiua, quóniam ad aliquem terminum extra ſe referatur: ſed quoniam includit in ſe tres, quorum vnuſquiſque refertur ad alterum. Similia tanquam communem antiquorum ſententiam docet Albertus 1. p. q. 45. memb. 1. art. 1. Ex parte concordat S. Bonauentura diſtinct. 24. art. 3. q. 2. in fin. corporis dicens, quod participat naturam termini numeralis.

Probari poteſt ex Hugone Victorino eruditionis theologicæ Summæ ſententiarum tractatu 1. cap. 9. fine, dicente: *Trinitas non eſt nomen ſubſtantiale, ſed pluralitatem deſignat perſonarum; & ideo coniunctim, & non ſingulatim dicitur de perſonis.* Quam eandem ſententiam, paulò mutato verborum ordine, docuit Magiſter 1. diſtinct. 22. cap. *præterea.* 5

6 Vnde ad primam rationem dubitandi conceditur, Trinitatem non ſignificare relationem, ſed numerum plurium relationum. Imo Trinitatis nomine non denotatur, quod tria entia, quæ complectitur, diſtinguantur relationibus, vel proprietatibus abſolutis; ſed quantum eſt ex vi nominis, prorſus abſtrahit à relatiuis, & abſolutis. Ad ſecundam rationem dubitandi concedimus, nomen Trinitatis non ſignificare principaliter, ac de formali ſubſtantiam; vt ſtatim conſtabit.

7 *Trinitas complerè.* Obiiciet aliquis ex præſenti reſolutione ſequi, quod Trinitas in Deo non ſit propriè nec adæquatè & completè; quemadmodum numerus in Deo non eſt propriè, adæquatè & completè; vt videbimus diſput. ſequenti. Reſpond. negando ſequelam, quia Trinitas non ſignificat præcisè numerum, ſed cum ſuo temperamento vnitatis, vt ſtatim conſtabit.

8 *Nõ ſignificare vnitatem opinio fuit.* Secunda difficultas, Vtrum nomen Trinitatis ſignificet vnitatem eſſentialem vel perſonalem. Prima ſententia fuit Genebrardi lib. 2. de Trinit. inter princip. & med. dicentis, hoc nomine non magis ſignificari vnitatem eſſentiæ, quàm apud Latinos *quaternio*, quæ vox nihil amplius ſignificat, niſi quatuor chartas, vel alias res quatuor.

9 Potuiſſet autem in huius doctrinæ patrocinium vocari Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 1. inter princ. & med. relatus in ſecundo nocturno feſti ſanctiſſimæ Trinitatis, dicens: *Trinitas eſſet vera, ſed vnus Deus Trinitas ipſa non eſſet, ſi quemadmodum Pater, Filius & Spiritus ſanctus perſonarum ſunt ab inuicem proprietate diſtincti, ſic fuiſſent naturarum quoque diuerſitate diſcreti.* Verumtamen Fulgentius intendit ſolummodo, ſine vnitate naturæ per ſolam diſtinctionem perſonarum, verificari quod primariò, formaliter & magis expreſsè ſignificat *Trinitas*, videlicet, tres perſonas. Nihil autem decernit ibi Fulgentius de proprietate vocis, nec de illius connotato, quod de materiali, & velut implicitè, atque in obliquo ſignificat, videlicet, vnitate eſſentiæ.

10 *Significare vnitatem.* Dico igitur primò. Certum eſt, aliquam vnitatem aliquo modo ſignificari nomine Trinitatis. Hoc pro comperto ſupponunt omnes Scholaſtici, citati ſect. præcedenti aſſert. 2. & magis conſtabit ex his, quæ dicenda reſtant in ſect. præſenti.

11 Fuit igitur ſecunda ſententia Alexandri 1. part. q. 66. memb. 1. art. 1. exiſtimantis, perſonalem vnitatem ſignificari nomine Trinitatis. Probat autem hac ratione, quia vnitas eſſentiæ, licet prædicetur de Trinitate, non prædicatur de ea formaliter:

liter: siquidem per vnitatem essentiæ non constituitur Trinitas. At verò per tres vnitates personales constituitur Trinitas: ideóque vnitas personalis prædicatur formaliter de Trinitate.

12 Hanc tamen sententiam refutat S. Bonauentura distinct.24.art.3.q.2.corpore, quoniam Deus non dicitur ter vnus: sequeretur autem, Deum esse ter vnum, sicut est Trinus; si Trinitas esset idem, quod ter vnitas. Fortior autem ratio videtur esse, quoniam iuxta prædictam sententiam Alexandri, nullam peculiarem vnitatem in Deo significaret nomen Trinitas, nisi eam tantũ, quam in creaturis significat quilibet numerus, veluti ternarius: significat enim tres vnitates, ex quibus coalescit.

13 *Vnitas substantia significatur nomine* Trinitas. Vera igitur sententia foret, Vnitatem, significatam nomine Trinitatis, esse vnitatem essentiæ, siue substantiæ. Ita supponunt vt certum omnes Scholastici, in hac & præcedenti sect. citati, & magis expressè docent S. Bonauentura dicta quæst. 2. & Ricardus distinct. 24. art. 3. quæst. 1. Probatur, quoniam idem fuit intellectus antiquorum Patrum, iuxta quem Nazianzenus exponit rationem istius nominis orat. 13. quæ est 2. de pace propius ad med. quàm ad princip. *Trinitas non diuersarum rerum enumeratio, sed æqualium honoreq; parium complexio, nomine scilicet ea, quæ natura vnita sunt, connectente, nec quæ solutionem nesciunt, solutili numero dissipari sinente.* S. Maximus in lib. de duabus naturis Christi Domini prope med. (inter opera Damasceni) *Iisdem*, inquit, *verbis distinctio & vnitas in sancta Trinitate significantur, ita tamen vt ex eo, quod tres persona asserantur, distinctio: ex eo quod vna essentia ponatur, vnitas confirmetur.* Idem constat Isidori testimonio, quod retulimus sect. præcedenti, assert. 2.

14 Ad fundamentum Alexandri respond. Nihil interest vnitatem essentiæ de Trinitate non prædicari formaliter; quia non significatur de formali, sed de materiali & minus principaliter, vt statim dicemus. Vnitas autem personalis non alio modo significatur, nisi quemadmodum quilibet numerus, ac quælibet multitudo significat vnitates, ex quibus constat, aut in quibus consistit.

15 Tertia difficultas soluitur ex præcedenti, videlicet, an Trinitas formaliter ac principaliter significet vnitatem essentiæ. Nam affirmare videbatur Valentinus Gentilis, dicens, significare trium vnitatem, vt refert Bellarminus, statim citandus, & Laurentius Valla lib. 3. elegant. cap. 5. definiuit, Trinitatem esse trium vnam Diuinitatem (apud Genebrardum infra citandum.) Ea ratione ducti. Quoniam apud theologos legebant, etymologiam Trinitatis esse trium vnitatem, vt vidimus sect. præcedenti assert. 2. Sed manifestum est, ferè semper vocabuli significationem ab eius etymologia non parum dissidere.

16 *Quasi materialiter & in obliquo significatur* vnitas. Dicendum est igitur, vnitatem in essentia non significari nomine Trinitatis principaliter, formaliter & in recto; sed significari tantummodo quasi materialiter, in obliquo & minus principaliter. Ratio est, quoniam principaliter in recto & formaliter significatur numerus personarum vnius essentiæ. Ita colligitur ex D. Thoma in præsenti quæst. 31. art. 1. ad 1. & secundum argumentum. Idque magis expressè notauit Ricardus 1. distinct. 24. art. 3. quæst. 1. corp. & ad argumenta. Magis ex professo probat Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 5. inter med. & fin. Acrius autem Genebrardus lib. 2. de Trinit. inter med. & fin. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. vlt. §. 8.

Probatur primò, quia si Trinitas formaliter & in recto significaret vnitatem essentiæ, forent valde impropriæ, nugatoriæ & inutiles plures locutiones Patrum in Ecclesia receptissimæ. Qualis est illa symboli Athanasij, *Trinitatem in vnitate veneremur.* Absurdè namque diceremus, *Trium vnitatem in vnitate veneremur.* Alij Patres, referendi sect. sequenti, dicunt etiam, *Vnitatem in Trinitate*, quod perinde foret ac dicere. *Vnitatem in vnitate trium.* 17

Probatur secundò, nam vt Fulgentius ait, lib. de fide ad Petrum cap. 1. inter princip. & med. *Trinitas esset vera, sed vnus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater & Filius & Spiritus sanctus personarum sunt ab inuicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diuersitate discreti. Sed quia in illo vno vero Deo Trinitate, non solum quod vnus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est, propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, & in vna natura vnus est.* Perpende primò quod Trinitas esset vera sine vnitate naturæ. Secundò, quod Trinitas est in personis, & vnitas in natura; quod non esset rectè dictum, si Trinitas importaret principaliter vnitatem naturæ. 18

Confirmatur primò ex Isidoro lib. 7. etymolog. cap. 4. post med. dicente: *Trinitas in relatiuis personarum nominibus est, Deitas non triplicatur, sed in singularitate est.* Et lib. 2. etymol. cap. 2. initio, *Vnitas propter inseparabilem Deitatis substantiam, Trinitas verò propter personarum diuersitatem vocatur.* Confirmatur secundò ex Ephræm Syro in sermone de pœnitent. propius ad med. quàm ad princ. dicente: *Nec sola vnitas, nec Trinitas est Diuinitas, sed vtrumque simul.* 19

Tertiò probatur ex communi Patrum sententia, qui numerum intelligunt in Trinitate, vt videbimus disp. sequenti. Nunc sufficiat illud Nysseni lib. de opificio hominis cap. 6. à med. *Numero multitudinis Sacrosancta Trinitas indicetur.* 20

Ex dictis soluitur obiectio dicentium, vnitatem essentiæ non significari nomine Trinitatis, ne sit absurda repetitio, cum dicimus, *Trinitatem in vnitate*, vel quando dicimus, *Deus est Trinus & vnus.* Respondetur enim. Foret absurda nugatio; si vnitas substantiæ formaliter, principaliter & in recto significaretur nominibus *Trinitas*, aut *Trinus.* Cæterum, quia non significatur, nisi materialiter, in obliquo & minus principaliter; propterea per aliud nomen formaliter & in recto magis explicatur vnitas essentiæ. Sic enim communis vsus loquendi, cæteras voces explicare solet. Nam *restitutio* significat in obliquo debitum: nihilominus solemus dicere restitutionem debiti, & restituere debitum. *Exulare* significat in obliquo patriam à qua receditur per exilium: nihilominus dicimus conuenienter *exulare à patria*: dicimus, *capillis crispum*, aut *canum*, cum tamen in obliquo significentur nominibus *crispus* & *canus.* Huic igitur obiectioni rectè satisfaciunt S. Bonauentura distinct. 24. art. 3. quæst. 1. ad vlt. & Ricardus ibidem ad primum. 21 *Obiectio.* *Soluitur.*

Quarta difficultas. Vtrum Trinitas sit nomen collectiuum. Affirmatiua pars inferri videtur ex eo, quod dictum est ad primam difficultatem, hoc nomine significari numerum personarum. Numerus autem est terminus collectiuus. Obstat è contrario, quod vnitas, importata per nomen collectiuum, est minima vnitas. In Trinitate verò maxima est vnitas. 22

Dicendum est igitur, Trinitatem aliquo modo conuenire cum terminis collectiuis, & aliquo modo differre. Conuenit enim in eo, quod significat pluralita 23 *Trinitas aliquo modo collectiuus terminus.*

pluralitatem suppositorum communitate alicuius ordinis eorum. Sed in eo Trinitas multum differt à termino collectiuo, quod simul cum ordinis vnitate significat omnimodam & perfectissimam vnitatem essentiæ. Ideo Magister 1. dist. 22. cap. *præterea.* dixit, esse terminum quasi collectiuum. Sed rem magis explicuit S. Thom. præsenti art. 1. ad 2. S. Bonauentura dist. 24. artic. 3. q. 1. corp. Colligitur autem ex Nazianzeno & Maximo citatis circa secundam difficultatem, & Ricardo Victor. citato circa primam difficultatem. Ideo Isidorus lib. 7. etymol. cap. 4. init. *Trinitas*, inquit, *appellatur, quod fiat totum vnum ex quibusdam tribus.*

SECTIO VIII.

Vtrum Trinitas sit in vnitate, & vtrum sit Trina.

1 DVo sunt dubia, quæ restant ad plenam intelligentiam istorum nominum. Circa primum supponẽdus est communis modus loquendi Sanctorum, asserentium esse *Trinitatem in Vnitate*, & *Vnitatem in Trinitate.* Nam vltra symbolum Athanasij, & inuitatorium festi sanctissimæ Trinitatis, Martinus primus in decretis Synodicis contra Theodorum & Cyrum capit. 1. condemnat eum, qui non confitetur, *propriè & verè Patrem & Filium & Spiritum sanctum Trinitatem in Vnitate, Vnitatem in Trinitate.* *Trinitatem in vnitate dicunt Patres.*

2 Atque ita loquuntur Iustinus in expositione fidei de Trinit. prope med. Nazianzenus orat. 23. in laudem Heronis prope fin. Cyrillus Alex. frequenter in dialogis de Trinit. & in libris thesauri de Trinitate. Epiphanius hæresi 69. inter princ. & med. & in Ancorato propius ad princ. quàm ad med. Agatho Papa in epistola, quæ est instructio legatorum colum. 2. & habetur in sexta Synodo actione 4. in cuius Synodi actione 11. idem docet Sophronius Patriarcha Constantinopolitan. in epist. profess. fidei col. 2. Theodoretus in fragmento penultimo, quod ponitur in breuiario Liberati. Ambrosius in symbolum & in libris de fide ad Gratian. aliquoties. Concilium Anglicanum apud Bedam lib. 4. historiæ Anglicanæ cap. 13. Bernard. lib. 5. de consideratione ad Eugen. paulo post med.

3 Nihilominus ratio dubitandi est. Prima, quia si Trinitas est in vnitate essentiæ; consequens est, tres essentias diuinas, siue tres vnitates essentiæ significari cum dicimus Trinitatem in vnitate: quod est hæreticum. Secunda, quoniam Aristoteles 4. physicorum capit. 3. textu 23. sequentes tantum enumerat modos dicendi aliquid esse in aliquo, videlicet, Vt totum in partibus: Vt species in genere: Vt genus in specie: Vt forma in subiecto, siue sit forma accidentalis, siue sit essentialis: Vt effectus in efficiente: Vt in fine: Vt in loco. Nullus autem modus istorum verificari potest, iuxta quem Trinitas sit in vnitate, & vnitas in Trinitate.

4 Nihilominus dico primò. Dubitari non debet, quin iste modus loquendi fuerit conuenientissimus, & Spiritus sancti gubernatione directus. Primò, quia valde receptus est ab vniuersa Ecclesia in supremo mysteriorum apice declarando. Secundò, quia multas habet aptissimas significationes.

5 Dico secundò. Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate, dicta fuit per analogiam ad aliquam formulam earum, quibus loquimur de rebus creatis. Probatur primò, quamuis enim sermo de supernaturalissimo mysterio potuisset esse superior quacumque phrasi rerum creatarum, nec teneatur se continere intra regulas earum. Cæterum suauissima Dei prouidentia semper, aut ferè semper dirigit Theologos, vt de rebus supernaturalibus loquantur per analogiam ad res creatas, vt ex illis facilior fit ascensus ad supernaturalium cognitionem. Secundò, quia suppetunt analogiæ multæ statim explicandæ.

6 *Analogia secundũ quam dicitur Trinitas in vnitate.* Dico igitur tertiò. Significatio & analogia, potissimum à Patribus intenta, magisque declarans eorum mentem, hæc est, vt significetur, Trinitatem & vnitatem ita esse coniunctas, vt vna quasi temperet atque perficiat aliam, excludendo imperfectionem excessus, qui foret in multitudine, si non esset cum vnitate essentiæ; & imperfectionem excessus, qui esset in vnitate, si careret numero personarum. Hanc fuisse mentem illorum, constabit legenti contextus. In præsenti probandum restat, hunc sensum & modum loquendi similem esse consuetis sermonibus de qualibet re creata.

7 Hoc autem probo primò, quia sic solemus excessum, qui poterat esse in vno prædicato, tẽperare per aliud quodammodo oppositum cum præpositione *in*: veluti, quando prælatis consulimus, in grauitate suauitatem, & in suauitate grauitatem, & in clementia iustitiam, & in iustitia clementiam. Quemadmodum & Paulus Roman. 12. ait: *Qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate, dilectio sine simulatione.*

8 Probatur secundò, nam apud probatissimos authores, idem significat aliquando præpositio *in*, quod significaret affirmatio vnius de alio absque vlla præpositione. Quemadmodum apud Ciceronem, *rem esse in integro*, est rem esse integram & saluam; & esse in *honore, laude vel gloria*, significat idem, quod honorari, laudari vel gloriari. Et eiusmodi sexcenta reperies in thesauro Ciceronis. Ergo similiter dicere licuit, *Trinitatem in vnitate*, id est, Trinitatem vnam, videlicet, vnius essentiæ, & *Vnitatem in Trinitate*, id est trinam vnitatem.

9 Vnde infero, & Dico quartò. Quamuis *Trinitas in vnitate* non diceretur secundum aliquem modum eorum septem, quos numerauit Aristoteles 4. physic. cap. 3. citato, nullum esset inconueniens. Primò, quia restabant innumeri alij modi, quibus res creatæ dicuntur esse *in aliquo*, secundum vsum authorum. Secundò, quoniam in eodem 4. physic. cap. 12. text. 14. 15. & 18. notat alios modos, iuxta quos temporalia dicuntur esse in tempore, & numerabilia dicuntur esse in numero.

10 *Ad modos in enumeratos ab Aristotele reuocatur.* Dico quintò. Prædictæ propositiones habent etiam analogiam cum aliquibus eorum septem modorum, quos enumerauit Aristoteles dicto c. 3. Nam Trinitas in vnitate reuocari potest ad eum modum, quo species est in genere: Siquidem tres personæ quodammodo specie differunt, supra disput. 35. sect. 8. & illæ quodammodo quasi virtualiter continentur in vnitate essentiæ. Ad eundem modum reducitur, quod indiuidua similiter dicuntur esse in specie.

11 Præterea personalitas, siue suppositalitas, aut subsistentia dicitur esse in natura: quapropter personales proprietates & relationes, siue suppositalitates rectè dicuntur esse in essentia diuina. Quibus addenda est analogia formę substantialis,

quæ dicitur esse in subiecto subſtantiali; & quilibet subſtãtialis modus intelligitur quasi forma, existens in subſtantia. At verò relatio seu personalitas diuina quasi modus est, afficiens naturam diuinam suprà disp. 12. sect. 5

12 *Vnitas in Trinitate.* Econuerso etiam essentiæ vnitas est in Trinitate per analogiam generis, existentis in sua quasi specie; & per analogiam formæ existentis in subiecto; quia essentia est veluti forma constituens, & tribuens esse diuinum; personæ verò suppoſita sunt, in quibus essentia subſiſtit. Meliorem partem istius analogiæ docent S. Thomas in præsenti artic. 1. ad 4. & Albertus 1. part. quæst. 45. num. 2. art. 2. part. 1.

13 *Dubium secundum.* Dubium secundum erat, *Vtrum Trinitas sit trina.* Præpoſitiuus affirmabat, vt referunt Albertus & Alexander infra citandi, cuius primarium argumentum erat, quoniam vox, *Trinum*, non multiplicat formalem rationem significatam per nomen subſtantiuum, cui adiungitur: sed multiplicat solummodo suppoſita, habentia illam rationem formalem. Quod manifestè constat in hac propoſitione, *Deus est Trinus*. In qua propoſitione si multiplicaretur Deitas, quæ est ratio formalis, significata per nomen subſtantiuum *Deus*, foret hæretica; cum tamen catholica sit; quia solummodo multiplicantur suppoſita habentia Deitatem. Vnde confirmatur, quia Trinitas continet tria suppoſita, habentia eandem essentiam, sicut Deus: ergo quemadmodum Deus est trinus; Trinitas etiam erit Trina.

14 Secundum argumentum. Nam hæc propoſitio, Trinitas est Trina, videtur propoſitio identica; significat enim, Trinitatem esse tres personas eiusdem essentiæ. Tertium, quoniam in Deo generaliter verificantur propoſitiones, in quibus concreta prædicantur de abſtractis, vt vidimus disp. 11. sect. 6. quemadmodum dicimus, Deitas est Deus, Paternitas est Pater. Sed in hac propoſitione, *Trinitas est Trina*, concretum prædicatur de abſtracto. Ergo vera erit propoſitio.

15 *Trinitas non est trina.* Nihilominus indubitata conclusio est, absolutè falsam esse propoſitionem hanc *Trinitas est Trina*. Ita decernit S. Thomas, in præsenti quæst. 30. art. 1. ad 5. S. Bonau. 1. dist. 24. art. 3. quæst. 2. fine. Alexander 1. part. quæst. 66. memb. 2. art. 1. fine & toto art. 2. Albertus 1. p. q. 45. memb. 1. art. 2. fine, & memb. 2. art. 2. partic. 2. Carthus. 1. dist. 24. quæst. 5. circa medium.

16 Ratio à priori est, quia vel illud adiectiuum *Trina*, multiplicat rationem formalem, significatam per nomen subſtantiuum *Trinitas* (vt multicant omnes termini, qui totaliter & adæquatè sunt numerales.) Atque ita sensus erit, esse tres ternarios personarum, & consequenter esse nouem personas: quia ternarius personarum est ratio formalis, significata per nomen *Trinitas*, vt vidimus sect. præcedenti difficultate 1. Vel illud adiectiuum *Trina*, multiplicat solummodo suppoſita, habentia rationem formalem, significatam per nomen subſtantiuum, cui adiungitur: & sic intelligi debet talis multiplicatio, vt de singulis multiplicatis verificetur ratio formalis termini subſtantiui.

17 Quod manifestum est in hac propoſitione, *Deus est Trinus*, quæ propterea vera est; quia Pater sigillatim acceptus est Deus, similitérque Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus. Econtrario tamen Pater sigillatim acceptus non est Trinitas, nec Filius per se sumptus est Trinitas, sed Pater & Filius & Spiritus sanctus collectiuè sumpti sunt Trinitas. Quapropter oporteret esse tres collectiones trium patrum, filiorum & spirituum, vt multiplicarentur habentia rationem formalem Trinitatis: ita vt de singulis habentibus sigillatim verificaretur esse Trinitatem. Denique propterea vitanda est prædicta locutio, quia valde fauet errori dicentium, in Diuinitate dari Trinitatem Trinitatis, vt vidimus sect. 1. fine.

Ad primum argumentum & eius confirmationem solutio constat ex præcedenti ratione. Videlicet, adiectiuum *Trina* multiplicat suppoſita, habentia rationem formalem Trinitatis, ita vt Tria sint, quorum singula per se sumpta sint Trinitas. Ad secundum respondetur. Non est identica propoſitio, *Trinitas est trina*, quia significat esse Tria, quorum singula sint Trinitas. Ad tertium respond. Hoc concretum *Trinus* excipiendum esse, ne prædicetur de suo abſtracto, quoniam significat multiplicationem sui abſtracti, si prædicatur de illo, quod non habent cætera concreta Diuinitatis. 18

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrum pluralitas diuinarum personarum sit numerus propriè, simpliciter, ac positiuè.

SECTIO I.

Tres sententiæ negant, esse propriè vel simpliciter numerum.

PRIMA sententia fuit Magiſtri 1. dist. 24. vbi existimat, nomina numeri, multitudinis, vel ternarij Deo non propriè, sed tantum metaphoricè conuenire: sicut Deo conuenit *longitudo, latitudo, sublimitas & profundum*. Epheſ. 3. vtque Deo conueniunt cætera nomina quantitatis. Probari potest primò ex Dionyſ. de diuin. nomin. cap. 13. poſt med. dicente: *Nulla monas, aut trias, neque numerus, neque vnitas, aut fœcunditas, nec quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summæ omniaq; superantis Diuinitatis, quod rationem omnem, mentemq; vincit, enunciat: neque eius nomen est neque ratio.* Cui concordat Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 149. dicens: *Diuinum numen numero excelſius est.* 1 *Primum argumentum.*

Secundò probari potest ex aliis Patribus asſerentibus, in Deo non esse pluralitatem. Vnde consequens est, non esse numerum, quoniam omnis numerus est pluralitas. Sic Ambroſ. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. prope med. *Diſtinctionem*, inquit, *accipimus Patris & Filij & Spiritus ſancti, non pluralitatem.* 2 *Secũdum argumentum.*

Confirmatur; nam vt idem Ambroſ. obſeruat lib. 5. de fide cap. 1. propius ad med. quàm ad fin. refutans euaſionem quandam Arianorum: *Si legamus ſcripturas, inueniemus, pluralitatem magis in ea cadere, quæ diuerſæ ſubſtãtiæ ſunt, hoc eſt, eterouſios. Idque in Salomonis libris habemus expreſſum, Tria ſunt impoſſibilia ſcire, & quartum non cognoſco. Veſtigia Aquilæ volantis, & viam ſerpentis ſupra petram*, &c. Quod multo propius ad fin. eiusdem capitis confirmat teſtimonio 1. Corinth. 8. *Nam etſi ſunt, qui dicantur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra. Videsigitur quod hi, qui ex diuerſis ſubſtantijs ſunt, &* 3

& non ex vnius veritate naturæ, dij appellantur.

4 *Tertium argumentum.* Probatur tertiò, quoniam numerus repugnat vnitati; sed Deo conuenit vnitas perfectiſſima: ergo repugnat illi numerus propriè ac sine metaphora dictus, iuxta illud Boëtij in lib. de Trinitate inter princ. & med. *Hoc verè vnum, in quo nullus numerus, nulla igitur in eo diuerſitas, nulla ex diuerſitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus.* Quartò quia Bernard. lib. 5. de conſiderat. ad Eugenium non longè poſt med. de Trinit. diſſerens, ait: *Non habens quod ad numerum diuidat, non qua colligat ad vnum.* Et paulo inferius confirmat sententia Boëtij nuper adducta: *Hoc verè vnum, in quo nullus eſt numerus.* *Quartum argumentum.*

5 *Secunda opinio.* Opinio secunda est Aureoli, qui prædictam sententiam Magiſtri, tanquam veram in aliquo sensu, defendere conatur dist. 24. art. 4. prope fin. propoſitione 2. & 3. in eo præsertim inſiſtens, quod ratio trinitatis vel dualitatis, prout sunt quædam summæ numerales, non habent locum in diuinis. Quod probat, quia res diſtinctæ, quæ computari non possunt, sumendo præcisè quamlibet rem, & per illam claudendo numerum, non possunt coalescere in summam numeralem. Sed personæ diuinæ non possunt computari, sumendo præcisè quamlibet personarum diuinarum: quoniam accipiendo vnam personam, accipiuntur etiam reliquæ, in ea existentes per circuminſeſſionem (supra disp. 30. sect. 5. & sequentibus) ergo personæ diuinæ non possunt coalescere in summam numeralem. *Fundamentum.*

6 Confirmatur, quia si in qualibet vnitate continetur tota summa numeri: consequens erit, vt sint tres summæ, tréſque numeri, vbi sunt tres vnitates, quarum vnaquæque continet alias duas.

7 Nihilominus communiter Scholaſtici tam veteres, quàm recentiores locis infrà citandis reiiciunt Magiſtri sententiam; & in diuinis existimant esse numerum propriè, nimirum absque vlla metaphora. Sed vtrum sit numerus ſimpliciter aut secundum quid, non omnes eodem modo decernunt.

8 *Tertia sententia.* Tertia igitur & communior antiquorum sententia dicit, in diuinis non esse numerum ſimpliciter, sed tantum secundum aliquid, videlicet secundum personas. Ita Albertus 1. p. quæst. 42. memb. 1. & quæst. 45. memb. 1. artic. 2. ad 2. Alexand. 1. p. quæst. 45. memb. 2. & 3. & quæst. 66. memb. 1. art. 2. S. Bonau. 1. diſt. 2. dubio literali 7. S. Thom. 1. diſtinct. 24. quæst. 1. art 2. Henricus 2. p. art. 43. quæst. 3. & art. 73. quæst. 11. & art. 75. quæst. 4. ad 2. Scotus 1. diſtinct. 24. quæst. vnica Ricard. 1. diſt. 2. art. 2. quæst. 1. fine & diſtinct. 24. art. 1. quæst. 1. ad 4. & artic. 2. quæst. 2. & 3. Argentina diſtinct. 24. art. vlt. Vbi Carthuſ. quæst. 2. fine. Capreolus eadem diſtinct. 24. quæst. 1. art. 2. conc. 4.

9 *Primum fundamentum.* Fundamentum primarium est, quoniam (vt colligitur ex Ariſtotele 4. phyſic. cap. 14.) numerus fit aut diuiſione continui, aut diuiſione communis, in quo vniuntur diuiſa. Vnde sequitur, numerum debere constare ex vnitatibus subſtantialiter differentibus. Quapropter cum in diuinis personis subſtantia non diuidatur, & consequenter personæ non differant subſtantialiter; non potest ex illis constare numerus simpliciter dictus.

10 *Secundũ fundamentum.* Secundum fundamentum. Nam si foret ſimpliciter numerus ternarius in diuinis; sequeretur esse tres deos, siue tres diuinitates; quemadmodum tres homines continent tres humanitates, & tria animalia continent tres animalitates. Tertium, quia ratio numeri plurimas imperfectiones continet: etenim partibus constat, propterea-que compoſitum est. Deinde totus numerus est maior aliqua sui parte. Rurſus est ens per accidens: ac denique limitatus est atque finitus. *Tertium fundamentum.*

SECTIO II.

Numerus transcendentalis diuinarum personarum concedendus est ſimpliciter, ſed tamen inadæquatè.

PRima concluſio sit. Trinitas est ſimpliciter & propriè numerus transcendentalis personarum, sed non habet completam, totalem & adæquatam rationem numeri transcendentalis, quoniam illa repugnat perfectioni diuinæ. Quomodo poſterius membrum concluſionis non repugnet priori, declatur, & probatur exemplis. Homo namque ſimpliciter & propriè corporeus est; licet non totaliter & adæquatè; cum eius primaria pars ſit incorporea; quamuis animantia cætera totaliter & adæquatè, quantum ad materiam & animam ſint corporea. Deinde, mixtum, calidum vt quatuor, propriè & ſimpliciter retinet quidditatem ac denominationem calidi tali gradu; licet careat reliquis quatuor gradibus caloris, habeátque totidem gradus frigoris admixtos. Ergo, iuxta quandam analogiam multo ſuperiorem ac ſuperexcellentem, Trinitas est ſimpliciter & propriè transcendentalis numerus personarum, quoniam illæ realiter diſtinguuntur; quamuis hæc diſtinctio quaſi permixtam habeat omnimodam vnitatem essentiæ, per quam numerus purificatur & eleuatur ab imperfectione, quæ conſtituit completam & adæquatam rationem numeri. 1 *Poteſt inadæquatè conuenire, quod ſimpliciter & propriè.*

Nunc igitur primum membrum concluſionis, videlicet, Trinitatem esse ſimpliciter & propriè transcendentalem numerum personarum, colligitur efficaciter ex D. Thoma ſupra quæſt. 30. a. 3. corp. & de potentia q. 9. art. 7. corpore, quoniam vtrobique docet, in diuinis esse numerum, ſicut est vnitas. Sed in diuinis est vnitas ſimpliciter & propriè. Ergo numerus etiam erit ſimpliciter & propriè. Confirmatur, quia ſemper concedens numerum, nunquam in eiſdem locis adiungit additum diminuens, aut ſignificans improprietatem, quin potius refutat antiquorum sententias improprietatem aſſerentes. 2 *Trinitas est ſimpliciter & propriè numerus.*

Clarior est mens S. Bonauenturæ 1. dist. 24. art. 2. quæst. 1. corp. perſpicuè dicentis, quod numerus non ſimpliciter remouendus est à diuinis; quoniam aliquo modo est numerus, & aliquo modo non. Quæ sententia recipitur à Carthuſiano in eadem dist. 24. q. 3. ſub init. Ricardus autem 1. dist. 19. artic. 3. quæst. 1. ad 4. aſſerit, quod in Deo verè est numerus ternarius, ſed diminuit de plena ratione numeri. Alij autem Scholaſtici dicunt esse verè numerum, largè ſumptum pro pluralitate diſtinctorum. Ita Gregor. 1. diſtinct. 24. quæst. 2. art. 4. Vbi Gabriel quæst. 2. art. 2. Marſil. 1. quæst. 27. art. 2. 3

Alij tandem authores concedunt numerum personarum diuinarum, nullo modo ſignificantes esse dictum impropriè, vel ſecundum quid. Ita procedit Durandus 1. diſt. 24. quæſt. 1. præſertim num. 8. Deza *in* eadem quæst. vnica art. 1. conc. 5. & art. 4. fine, dum respondet ad argumenta contra quintam concluſionem. Vazquez diſp. 122. cap. 7. 4

§. *Tertio.*

§. *Tertio.* Et in notationibus circa art.1. quæstionis 30. S.Thomæ Suarez lib.1. de Trinit. cap.10. num.7. & sequentibus. Nec dissentiunt in re,sed tantum in modo loquendi cæteri Scholastici, præcedenti sect. citati pro tertia sententia; vt magis constabit sect. sequenti.

5 *Simpliciter & propriè tres.*

Probatur primò, nam vbi sunt tres, ibi ternarius numerus est. Ergo vbi propriè atque simpliciter sunt tres, ibi propriè atque simpliciter est numerus ternarius. At in diuinis simpliciter & propriè sunt tres. Neque enim fas est,improprietatis arguere, vel diminuere tanquam dictum secundum quid, quod Ioannes absolutè, ac sine addito diminuente asseruit: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo,Pater,Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Confirmatur, nam eodem modo simpliciter & absque diminutione loquuntur plurimi Patres citati disp. 19. sect. 4. à princ. & disp.20. sect. 7. Ignatius item epist. ad Philip. inter princ. & med. notat, baptizari, *non in vnum quendam trinomium, sed in tres vnius eiusdemq; honoris.*

1.Ioan.5.

6 *Numerũ dicunt Patres.*

Probatur secundò, nam frequenter plurimi Patres Ecclesiæ dicunt personarum *numerum*, aut *ternarium*, aut *ternionem*, aut Patris & Filij *dualitatem*, aut *binarium*, vel *numerari* vel *connumerari*. & iis similia, nullum adhibentes additamentum, quo significent, non simpliciter nec propriè verificari significatum eorum nominum. Quocirca tenentur Theologi prædictas sententias Patrum simpliciter & propriè verificare, præcipuè, quoniam nulla ratio compellit ad contrarium sensum detorquere, vt constabit in solut. argumentorum. Hormisda PP. epist. 1. aduersus Nestorium & Eutychet. cap. 2. post med. ait: *Admittit numerum ratio personarum.*

7 Gregorius Nyssenus lib. de opificio hominis cap. 6. à med. ait: *Numero multitudinis Sacrosancta Trinitas indicetur.* & lib. de Trinit. ad Eustathium propius ad med. quàm ad princ. *Spiritus sanctus cum Patre & Filio numeratur.* Præterea lib. ad Ablabium, *quod non tres dij*, multo propius ad princ. quàm ad med. de quibusque personalitatibus siue creatis, siue increatis ita loquitur: *Hypostaseon ratio per eas, quæ in vno quoque considerantur proprietates, dispertitionem admittit, & iuxta compositionem in numero considerantur.* Compositionem autem intelligit collectiuè sumi, sicut dispertitionem intelligit accipi diuisiuè.

8 Nazianzenus orat.35. quæ est 3. de Theologia col.2. num.7.& 8. de tribus personis ita loquitur: *Etiamsi numero differant, potentia tamen minimè inter se dissideant. Quocirca vnitas principio in binarium mota,in Trinitate constitit.* Item orat.37.n.42. & sequentibus ex professo probat, esse *connumerandum* Spiritum sanctum simul cum Patre & Filio. Denique orat. 45. de diuinit. ad Euagrium col.1.fine. *Ternionis numerum* appellat. Athanas. dialog. 1. de sancta Trinitate contra Anomœum non longè post med. ait: *Hypostasis numerum admittit.* Et post pauca: *Quidquid numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet, & quod proprietatem habet,numerum admittit. Ipsa enim proprietas numerum inducit.*

9 Basilius homil. 28. contra Sabellianos propiùs ad med. quàm ad princ. *Numero duo sunt,* inquit, *Pater & Filius.* Et post pauca: *Numera seorsum Patrem & Filium.* Rursus in lib. vnico de Spiritu sancto cap. 17. & 18. probat, Spiritum sanctum *connumerari* Patri & Filio: & ad fin. capitis 17. *Numerus*, inquit, *adhibetur à nobis vt signum, quo declaratur multitudo eorum,de quibus agimus.* Quod idem repetens sub initium sequentis capitis, de catholicis ait: *Alij propter additum numerum in diuina natura venerantur numerum.* Chrysostom. tom.3. serm. de S. Trinit. col. 2. semel & iterum repetit, *connumerari*, & *annumerari* in sacra Scriptura,& in baptismo Filium & Spiritum sanctum cum Patre. Epiphan. hæres. 62. non procul à princ. *Trinitas,* inquit, *numeratur Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Quod idem repetit in Ancorato colum.6.

Origenes hom. 4. in illud Isaiæ 6. *sanctus, sanctus, sanctus*, &c. ait: *Non eis sufficit semel clamare sanctus, neque bis,sed perfectum Trinitatis numerum assumunt, vt multitudinem sanctitatis manifestent Dei, quæ est trinæ sanctitatis repetita communitas. Communitatem* appellat sanctitatem vnam communem tribus. Dionysius Alexand. cuius verba refert Basil. lib. vnico de Spiritu sancto capit. 29. inter princ. & med. sanctissimam Trinitatem appellauit *Ternionem diuinum.* 10

Cyrillus Alex. lib.3. thesauri cap.1. col. 2. aliquoties repetit *Dualitatem & numerum personarum* Patris & Filij. Nec non lib. 10. thesauri capit. 1. versus med. & dialog. de Trinit. lib. 7. col.3.& lib.1. in Ioan.cap.4.prope med. Præterea verbo *connumerandi* non rarò Cyrillus vtitur, veluti lib.10. thesauri capit.6. inter med. & fin. & lib.12. capit.1. sub init. & dialog. de Trinit. lib.3. colum.3. & 7. Consequenter igitur in Concilio Ephesino tom.5. capit. 1. anathematis. 1. in eius declaratione post med. Cyrillus ait: *Est vnus ad numerum Dei & Patris Filius.* Theodoretus in Genes. quæst. 19. multoties dicit, *Numerum personarum, seu hypostaseon.* Et in epitome diuinorum decretorum lib.5. cap.3. post med. *Filius*, inquit, *& Spiritus sanctus connumerantur cum Deo.* Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 109. ait: *Cum Spiritus sanctus in sancti baptismi inuocatione vna cum Patre ac Filio, tanquam à peccatis liberans, numeretur.* 11

Augustinus lib. 16. de ciuitate cap.6. init. ait: *Rectè intelligitur pluralitas Trinitatis, quando Deus dixit,faciamus,* &c. Et in quæstionibus Veteris testamẽti q.9.dicit:*Spiritus sanctus est tertius à Patre; secundus autem à Filio,secundũ numeri ordinationem.* Et tam ibi,quàm in quæstionibus Noui testamẽti q.87. dicit: *Ratio facit vt tres sint,& non plures,aut infra*; idest non pauciores quàm tres. Idem Aug. serm.38. de tempore (qui est tertius infra octauam Epiphaniæ) paulo post med. de Patre, Filio & Spiritu sancto sic loquitur: *Hæc tria verè etiam tria sunt ineffabiliter, quæ tria & essentialiter tria,habentia proprietates suas: & hæc tria vnum & verè vnum; & hoc vnum tres.* Perpende verè & essentialiter esse tria, idest, quidditatiuè, quæ voces excludunt improprietatem, & dictum secundum quid. 12

Tertullianus lib. contra Praxeam cap.12. init. & alibi sæpe dicit *numerum Trinitatis.* Anselmus lib. de Incarnat. Verbi capit. 3. & 5. sæpe dicit *numerum* & *duas res*, Patrem scilicet & Filium, aut *tres res*, videlicet tres personas. Idem constat ex cæteris testimoniis referendis pro secundo membro conclusionis. 13

Secundum membrum conclusionis erat. Trinitas non habet totalem, completam & adæquatam rationem numeri transcendentalis. Huius autem ratio est, quia totalis, plena, & adæquata quidditas istius numeri repugnat multis perfectionibus Trinitatis. Quarum summa est, quod tres vnitates sint vna vnitas;vnde prouenit,quod vnaquæque 14 *Non est totalis & adæquata ratio numeri.*

vnaquæque contineat in se manentes alias duas; ac nihilominus Trinitas simplex sit, & ens per se, nec tres personę simul sint aliquid maius aut perfectius, quàm vna persona, sigillatim accepta. Hoc igitur membrum rectè probant argumenta sententiarum, quas retulimus sect. 1.

15 Propterea Patres, numerum in Deo ponentes, illum attemperant vnitate substantiæ. Nyssenus orat. catechet. cap.3. sub init. notat, *profunditatem mysterij, quomodo idem & cadat sub numerum, & non cadat.* Et in fine capitis dicit: *Numerum Trinitatis.* Basilius lib. 1. contra Eunomium inter med. & fin. de Patre & Filio ait: *Vt distinctio per numerum sit, & proprietatibus, quibus vtrumque designatur: ratione verò Deitatis vnitas inspiciatur,* Et lib.5. in med. *Trium*, inquit, *nominum acceptio Trinitatem enumerat.*

16 Damascenus in epist.de Trisagio pag.2. sic ait: *Pius Epiphanius rectè notauit, propriè dictum ab angelis, qui non bis, vel quater, Sanctus dicunt, sed ter; nisi quoniam trium hypostasum numerum demonstrant in vnam Deitatem & dominationem vnicam.* & pag.3. *Determinatum*, inquit, *numerum non est dicere de indeterminata Deitate.* Indeterminatam appellat Deitatem, quoniam non determinatur ad vnicam personam, sed æqualiter communis est tribus. Idem lib.3. de fide cap.5. à med. dicit: *Tres hypostases supernæ Trinitatis inconfusè vniuntur, & indiuisibiliter discernuntur & numerantur, & numerus diuisionem, distantiam, alterationem, aut sectionem non inducit.* Et propius ad fin.eiusdem cap. *Numerus,*inquit, *non diuisionis aut vnionis causa est: sed eorum,quæ discreta sunt, quantitatis significatiuus, siue vnita, siue diuisa sint.*

17 Sophronius Patriarch. Hierosolym. in sexta Synodo actione 11. in epist. professionis fidei col.2. *Sancta Trinitas*, inquit, *numerabilis personalibus facta est subsistentijs, siue sancta vnitas extra omnem numerum est.* Et post pauca: *Numeratur personalibus alteritatibus, identitati essentiæ atque naturæ coniungitur, & omninodam partitionem non recipit. Vnitas enim singularis & incomputabilis, omnem refugit secundum essentiam numerum.* Et in sequenti contextu frequenter repetit ternarium personarum, negando substantiæ siue essentiæ pluralitatem, aut numerum. Anastasius Sinayta lib.1. de rectæ fidei dogmatibus propius ad med. quàm ad princ. dicit, *sanctæ Trinitatis numerum,* esse circa personas, non in essentia.

18 Tertullianus lib. contra Praxeam pag. 3. Trinitatem appellat *numerum sine diuisione.* Boëtius lib. de Trinit. prope fin. *In rebus*, inquit, *numeralibus repetitio vnitatum non facit modis omnibus pluralitatem.* Idest,non facit pluralitatem totalem & adæquatam. Vnde subiungit: *Trium igitur idoneè constituta est vnitas.* Et post pauca: *Facta quidem est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis, sed seruata est substantiæ vnitas in eo, quod est indifferentia, vel substantia, vel operationis, vel omnino eius, quæ secundum se dicitur, prædicationis. Ita igitur substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.*

19 Augustinus tract. 39. in Ioan. prope med. ait: *Ibi aliquid est ineffabile, quod verbis explicari non possit, vt & numerus sit, & numerus non sit: Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater & Filius & Spiritus sanctus Trinitas: si tres, quid tres? Deficit numerus: ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero: quia tres sunt, tanquam est numerus: si quæris, qui tres? non est numerus: vnde dictum est: Magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, & sapientia eius non est numerus. Vbi cogitare caperis, incipis numerare: vbi numeraueris, quid numeraueris non potes respondere.*

Concilium Toletan. Vndecimum in confess. fidei, circa medium: *Hæc sancta Trinitas, inquit, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur.* Et post pauca: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt: & hoc numero carent,quod in se sunt.* Quæ verba desumpta sunt ex August. dicto tract.39.in Ioannem circa med. In Concilio Florentino sess.18.longè post med. §. *dixi equidem*, asseritur, *personas multiplicari sola relatione.* Quam eandem sententiam ex Anselmo in epist. de processione Spiritus sancti cap.2.& 3. retulimus disp.9. sect.5. 20

Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium post med. ait: *Cum tres illæ personæ vna substantia sint, & illa vna substantia tres illæ personæ, quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis tamen meret tamen? nam verè vnum sunt. Dicas itaque tres, sed non ad præiudicium vnitatis. Pluralitas in vnitate, & ipsa in pluralitate.* Idem constat ex aliis testimoniis, quæ disp. præced. sect. 8. confirmarunt, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, & quæ supra disput. 15. sect.2. & disp.22. sect.3. dixerunt, in Deo vnitatem esse diuisam siue distinctam, & distinctionem siue diuisionem esse vnitam. 21

SECTIO III.

Maiori explicatione veritatis addita, soluuntur argumenta, posita in sectione prima.

VT retineatur exactior & tutior loquendi modus, adhibeo secundam conclusionem. Non est concedendum, in diuinis simpliciter esse numerum, relinquendo propositionem indefinitam & indeterminatam absque declaratione aliqua,denotante numerum esse solummodo,quantum ad personas, non quantum ad essentiam. Ratio est, quia sic absolutè, ac sine limitatione, vel declaratione pronunciata propositio, significare potest pluralitatem & numerum deitatum atque deorum. 1 *Non est dicendus numerus,ni explicãdo quãtum ad personas.*

Declaratur magis & confirmatur, etenim duplici modo contingit aliquid verificari *secundum quid.* Primò,quia prædicatum subiecto non conuenit formaliter, sed tantùm per attributionem, aut proportionalitatem ad aliud,quod est formaliter tale. Quam ob causam leo marmoreus non est simpliciter leo, sed tantum secundum quid, & medicina vel habitatio vel aër secundum quid est sanus non simpliciter. Secundo modo verificatur aliquid secundum quid, quia licet prædicatum subiecto propriè formalitérque conueniat; cæterum non conuenit totum prædicatum, aut non conuenit toti subiecto. Quam ob causam mixtum calidum vt quatuor, dici potest calidum secundum quid,quia caret aliis quatuor gradibus caloris; & in accessione febris, homo secundum quid est calidus, quia secundum extremas corporis partes horret frigore. 2 *Duplex modus secũdum quid, & simpliciter.*

Idcirco *simpliciter* aliquid verificari, totidem modis contingit. Primus est ex eo solum, quia subiectum propriè & formaliter habet rationem prædicati. In hoc sensu, simpliciter est numerus personarum in Deo, vt probatum est sect. præcedenti. Secundus modus est, quia tota & adæquata ratio prædicati conueniat toti subiecto. 3

Iuxta

Iuxta quem modum in diuinis non est simpliciter numerus, quia neque est totalis, & adæquata ratio numeri, nec Deo conuenit numerus secundum essentiam, sed tantum secundum personas. Ex quibus efficitur, vt dicendo numerum simpliciter in diuinis, & non limitando ad personas, possit intelligi, Deo conuenire totalem & adæquatam rationem numeri, quantum ad essentiam & personas. Quod periculum euitatur, addendo limitationem *quantum ad personas*, quoniam inde necessariò sequitur, non esse totalem & adæquatam rationem numeri.

4 Ad hoc præcipuè respexerunt authores citati sect. 1. pro tertia sententia, & præ cæteris attigit clarius Ricardus 2. dist. 19. art. 3. q. 1. & 4. Idque probant omnia argumenta posita in sect. 1.

5 Vnde ad primum respond. Dionysius modo loquitur de quibuscumque nominibus, quæ ab intellectu creato, per naturalem cognitionem Deo tribuuntur, aut per fidem in hac vita: quoniam omnia significant Deum, non vt in se est, sed per attributionem ad creaturas. Quapropter sicut negat propriè numerum, ita fœcunditatem, & bonum, & reliqua nomina dicit impropriè Deo conuenire. Vnde Dionysius adduci potest ad probandum, Deo conuenire propriè & simpliciter numerum personarum eodem sensu, quo Deus simpliciter & propriè bonus & sapiens, & fœcundus est.

6 Ad secundum respondetur. Ambrosius ibi manifestè loquitur de pluralitate seu numero deorum, non de pluralitate seu numero personarum, vt ex contextu constat. Ad tertium eodem modo respond. Boëtius solummodo negat deorum numerum, propterea quippe subiungit: *Non igitur si de Patre, Filio & Spiritu sancto tertiò prædicatur Deus, idcirco trina numeratio numerum facit*, videlicet illius prædicati *Deus*. Alioqui prope fin. eiusdem libri concedit numerum personarum, vt vidimus sect. præcedenti prope fin. Vnde constat solutio ad 4. nam eodem lib. 5. de consideratione Bernardum concessisse numerum personarum, vidimus ad finem sectionis præcedentis.

7 Ad argumentum Aureoli pro secunda sententia respond. Completa & adæquata ratio numeri requirit, vt possit accipi vna res illius numeri præcisè, non accipiendo res alias eiusdem numeri. At verò numerus, non habens completam & adæquatam rationem numeri, licet simpliciter numerus sit, patitur mutuam inclusionem & circumsessionem, quæ reperitur in personis Trinitatis. Vnde respond. ad confirmationem. Non sequitur, esse tres summas, neque tres numeros, sed tantùm sequitur esse mutuam inclusionem vnitatum.

8 Ad argumenta tertiæ sententiæ respond. Ad primum. Numerus simpliciter dictus, si non habet totalem & completam rationem numeri, non fit diuisione alicuius prædicati communis siue vniuersalis. Ideo licet essentia diuina, quæ tribus personis est communis, non diuidatur in tres essentias, nec tres personæ differant essentialiter; adhuc esse potest simpliciter numerus personarum.

9 Ad secundum respond. Si foret in diuinis ternarius numerus simpliciter dictus, ideſt, non limitatus ad personas, sed toti Deo conueniens: sequeretur esse tres deos. Id tamen non sequitur ex eo, quod numerus simpliciter concedatur, quantū ad personas; quæ limitatio cauet à periculo, vt paulò superius explicatum est. Ad tertium respond. Omnes illæ imperfectiones non sequuntur, nisi ex totali, plena & adæquata ratione numeri, quam in Deo negamus; sed de singulis illarum in particulari dicendum est sect. 6. & disp. 38.

SECTIO IV.

Vtrum numerus in diuinis formaliter in negatione consistat, vel in aliqua formalitate positiua.

VArias antiquorum opiniones refert S. Thomas de potent. quæst. 9. art. 7. & ex parte vidimus supra quæst. 30. art. 3. Celebrior est sententia Magistri 1. dist. 2. cap. *Hilarius*, & fusius dist. 24. dicentis, huiusmodi nominibus multitudinis, numeri vel ternarij, quando tribuuntur Deo, significari solam negationem vnitatis & solitudinis, quasi diceres, non tantum Pater est Deus, sed etiam Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus. Probat Magister primò ex Augustin. lib. 7. de de Trinit. cap. 4. propius ad fin. quàm ad med. dicente: *Quibus nominibus* (videlicet personarum) *non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit, vt non solum ibi vnitas intelligatur ex eo, quod dicitur vna essentia, sed & Trinitas ex eo, quod dicuntur tres substantiæ vel personæ.* 1 *Celebrior sententia.*

Probat secundò, quoniam Ambrosius lib. 1. fide cap. 2. ante med. *Vnitas*, inquit, *potestatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est.* Tertiò, quoniam Hilarius lib. 4. de Trinit. ante med. ait: *Sustulit singularis intelligentiam professione consortij*, videlicet quando Deus dixit *Faciamus* in numero plurali: atque ita frequenter in sequenti contextu dicit, eiusmodi locutionibus negari, Deum esse solitarium aut singularem. Eadem igitur negatione solitudinis & identitatis siue vnitatis personalis Hilarius explicat dualitatem Patris & Filij lib. 7. de Trinit. col. 2. dicens: *Vterque non vnus est.* Et colum. 6. *Fides neque vnum Deum sic est prædicatura, quasi solum, nec quasi non vnum: est confessura, ne solum.* Et propius ad fin. quam ad med. libri: *Nec singularem Deum Dei patitur natiuitas, nec non vnum sunt, qui inuicem sunt.* 2

Nihilominus sit prima conclusio. Numerus aut ternarius in diuinis personis, non significat solam negationem vnitatis & solitudinis. Ita contra Magistrum existimant communiter Scholastici. Alexand. 1. p. quæst. 45. memb. 2. & 3. Albertus 1. p. quæst. 42. memb. 2. part. 1. & sequentibus, & quæst. 45. memb. 2. art. 1. arg. 3. & solutione, S. Bonauen. 1. dist. 2. dub. literali 7. & dist. 24. art. 2. quæst. 1. vbi Scotus quæst. 1. fine. Ricard. art. 2. quæst. 2. Carthusianus quæst. 3. Gregorius quæst. 2. art. 4. collato cum art. 2. Durand. quæst. 1. Gabriel quæst. 2. art. 2. & 3. dub. 2. Henricus 2. p. Summæ art. 43. quæst. 3. & art. 73. q. 11. ad secundum. Marsil. in 1. quæst. 27. art. 2. & a. 3. ad dubium 2. S. Thom. 1. p. quæst. 30. art. 3. vbi Caietanus Canariensis & communiter expositores. & 1. sentent. dist. 24. q. 1. art. 3. Vbi Capreolus q. 1. art. 2. conc. 2. & 3. & Deza q. 1. art. 1. 3 *Numerus in diuinis non solam negationem significat.*

Probatur primò, quia si numerus in Deo solummodo significaret negationem vnitatis ac solitudinis; sequeretur, nullam esse rationem tribuendi Deo numerum ternarium potius, quàm binarium, aut quaternarium, aut denarium. Omnes quippe numeri significant negationem vnitatis ac solitudinis. Probatur secundò, quia numerus 4

numerus in Deo significat entitates personarum, ac distinctionem realem, cum certa, determinatáque mensura multitudinis, non minus reali & intrinseca; vt ostendemus in hac & sequenti sectione.

5 *Numerus partim in positiuo partim in negatione.* Secunda conclusio. Numerus in diuinis formaliter consistit partim in positiuo, partim verò in priuatione. Nam cum dicimus, diuinas personas esse *plures*, aut esse *tres*, significamus personas diuinas, quæ sunt entia positiua, & significamus etiam rationem vnitatis, per quam quælibet persona est vna, quæ ratio vnitatis consistit in negatione diuisionis (vt ostendimus in metaphysica) & quantum ad hoc vera est sententia Magistri. Hæc omnia docet S. Thom. dicta quæst. 30. art. 3. in fine corp. & 1. distinct. 24. tota quæst. 1. præsertim art. 3. & 4. Quem sequuntur Caietanus, Canariensis, Molina, Vazquez & cæteri expositores communiter 1. p. q. 30. art. 3. Capreolus 1. dist. 24. art. 2. concluſ. 2. & 3. Vbi Ricard. art. 2. quæst. 2. Carthus. quæst. 3. Eadem ferè sententia fuit Alberti & Alexandri locis adductis pro conclusione præcedenti. Dixerunt enim, aliud nihil esse numerum, nisi tres vnitates, & in diuinis numerum esse tres personas, quatenus sunt indiuisæ in se, & diuisæ à quolibet alio. Quapropter quantum ad hanc rationem diuisionis, videntur constituere positiuam rationem vnitatis & numeri. Clarius autem numeri formalem rationem positiuam affirmant S. Bonauent. 1. dist. 24. art. 2. q. 1. vbi Durandus quæst. 1. Henricus 2. p. art. 43. quæst. 3. fine. Vazquez 1. p. disput. 129. cap. 2.

6 Probatur, quia numerus quantitatiuus dicit quantitates diuisas & separatas ab inuicem, quarum singulæ sunt vnitates: consequenter autem numerus transcendentalis dicit substantias, ab inuicem substantialiter distinctas, quarum singulæ sunt vnitates transcendentales: & numerus realis, abstrahendo à corporeo & spirituali, dicit entia realia inter se distincta.

7 Confirmatur ex Aristotele 10. metaphys. cap. 3. text. 4. vel 5. vbi definit: *Numerus est vnitatum pluralitas*, seu *multitudo*. Propterea que res numeratas appellari numerum, docuit 4. physic. textu 102. Boëtius etiam lib. 1. Arithmeticæ cap. 3. *Numerus*, inquit, *est vnitatum collectio, vel quantitatis aceruus ex vnitatibus profusus.* Cui consonat in lib. de Trinit. paulo ante med. tractans de numero. Ergo sicut numerus quantitatiuus continet quantitates, ita numerus transcendentalis continet entitates, prout sunt vnitates.

8 *Obiectio.* Obiiciet aliquis. Si res numeratæ continentur intra rationem numeri, sequitur, esse diuersum specie numerum earum rerum, quæ specie differunt, veluti numerum ouium vel equorum. Consequens autem esse falsum, constat ex Aristotele 4. physic. cap. 14. text. 132. dicente, numerum vnicum esse septenarium conflatum ex tribus canibus, & quatuor equis. Et textu 134. dicit, esse eundem numerum ouium atque canum, si est æqualis: exempli gratia, numerus quaternarius idem erit, siue sit quatuor ouium, siue quatuor equorum. Ergo numerus non includit res numeratas, sed abstractam & præcisam rationem numeri.

9 *Quia numerus includat res numeratas.* Respond. Philosophus iis in locis loquitur de numero numerante, vt rectè declarant S. Thomas, & alij expositores ibi. Eundem autem S. Thom. 1. p. quæst. 30. art. 1. ad 4. appellat numerum simplicem, abstractum & absolutum; & Auicena 5. metaphysicæ vocat spoliatum à rebus: estque numerus, quem intellectus apprehendit abstractum ab omni materia, & à qualibet entitate, siue corporea, siue spirituali; veluti quando ternarium, quaternarium, aut alios numeros intellectus considerat, non applicando illos ad aliquam entitatem realem. De huiusmodi numero S. Thom. citatus ait; non habere esse, nisi in intellectu: quapropter huiusmodi numerus est ens rationis. Cæterum numerus numeratus includit entia realia, quæ numerantur, siue in communi, secundum generalissimam rationem entis realis, siue secundum genericas, aut specificas, aut numericas rationes. Trinitas igitur est numerus numeratus, proinde continens tres personas numeratas.

Eadem est distinctio Boëtij lib. de Trinit. paulo ante medium, dicentis: *Duplex est numerus, vnus quo numeramus, alter verò, qui in rebus numerabilibus constat.* Quem sequitur Henricus p. 2. art. 75. quæst. 5. ad 2. Aliter autem numerum numerantem pro formalitate distinguente alteram vnitatem ab altera, sumit Albertus dicta q. 2. memb. 2. sed Alexander 1. p. quæst. 45. memb. 1. ad 1. dicit, Deum esse numerum numerantem, quoniam omnia numerat. 10

Ad argumenta initio proposita respond. Ad primum Augustinus solummodo vult, trium personarum numero non significari diuersitatem essentiæ diuinæ; solitudinem autem vnius personæ negari. Sed vtrum aliquid positiuum significetur, non attigit Augustinus ibi. Ad secundum respond. Ambrosius ibi solummodo negat numerum deitatum & essentiarum, non verò numerum personarum, vt constabit attentè consideranti contextum. 11

Ad tertium respond. Quamuis numerus & pluralitas, in Deo singularitatem ac solitudinem excludat: inde non infertur, in negatione seu priuatione consistere. Quia quodlibet contrarium positiuum excludit aliud sibi contrarium, vt calor excludit frigiditatem; neque inde sequitur calorem in priuatione, vel negatione consistere, vt rectè S. Thomas dicta quæst. 30. art. 3. fine. Hilarius denique prædictis in locis asseruit, quod verum est; tacuit autem partem veritatis, quam explicare necessarium non erat, dum aduersus hæreticos vrgebat argumenta. Dixit itaque exclusionem singularitatis & solitudinis: prætermisit autem rationem positiuam excludentem. 12

SECTIO V.

Vtrum in Trinitate formalis ratio numeri sit ens reale.

MAteriale significatū numeri Trinitatis esse reales entitates personarum, constat ex præcedenti sectione. Sed restat inuestigare rationem formalem istius numeri, quam, licet authores aliqui, citati prope finem sectionis præcedentis, dicant, esse positiuam, sed non omnes dicunt, esse realem, imo nonnulli contendunt esse relationem rationis, vt Vazquez 1. p. disput. 129. cap. 3. Cui doctrinæ fauet Gregorius 1. dist. 24. quæst. vnica art. 2. dicens, numerum non esse aliquid reale distinctum ab vnitatibus; ac nihilominus distinguens species numerorum. 1

Breuiter tamen, quantum rei theologicæ necessarium est, explicando, Dico primò. Ratio pluralitatis est realis, quoniam dicit realem distinctionem: at verò personarum diuinarum distinctionem 2 *Pluralitatis ratio realis est.*

ctionem esse realem, probarum est disputat. 19. sect. 6. Habet autem hæc ratio maiorem vim in multitudine, constante rebus diuersæ speciei; vt bene notauit Henricus part. 2. artic. 73. quæst. 11. ad 2. & multo maiorem in multitudine diuinarum personarum, quæ non solùm distinguuntur quasi specie, sed etiam realis distinctio est ipsamet quidditas rerum distinctarum: realis namque distinctio Patris & Filij est ipsamet oppositio relatiua vtriusque: vt S. Thomas docet infra quæst. 42. art. 1. ad 4. & diximus supra disput. 18. sect. 4. circa med.

3 *Realis est ratio constitutiua numeri diuini.* Dico secundò. Vltima ratio constitutiua numeri diuini quidditatiuè realis est; quamuis in rebus creatis quandoque sit realis, & quandoque sit ens rationis. Declaratur & probatur, quoniam numerus formaliter dicit non solùm multitudinem rerum distinctarum, sed etiam certam ac determinatam magnitudinem istius multitudinis. Quod Damasc. lib. 3. fidei cap. 5. prope fin. tradit vt definitionem: *Numerus est eorum, quæ discreta sunt, quantitatis significatiuus.* Significat enim quàm parua vel quàm magna sit pluralitas & multitudo. Hæc igitur determinatio & quasi mensura multoties præfigitur & limitatur per liberam voluntatem numerantis: veluti quando numeramus centum aut mille homines, cum possemus, quantum est ex parte multitudinis hominum, multo plures numerare, vel numerare pauciores. Itaque quod talis ac tantus, & non maior nec minor assignetur à nobis numerus hominum, non prouenit ex essentia hominum, neque ex aliqua reali entitate illorum; sed prouenit tantum ex arbitrio numerantis iuxta suam indigentiam vel dominium, vel propter aliquem alium finem.

Numerus quarundam rerum ad libitum numerantis.

4 Formalitas igitur, quam hic numerus addit supra res numeratas & earum distinctionem realem, est ens rationis: quoniam pendet ex arbitrio numerantis. Atque de hoc numero potissimum verificatur, quod Aristoteles dixit 4. physic. c. 14. text. 131. *Si numerans non est, numerata non erunt*, & solam mentem posse numerare.

5 *Aliarum rerum numeretur ex natura rei.* Cæterum multis in rebus certa & determinata magnitudo multitudinis, & quasi mensura illius est præfixa realiter, ex parte rerum numerarum, independenter ab arbitrio numerantis: quemadmodum elementa sunt quatuor, planetæ septem, duæ partes physicæ compositi naturalis, animarum tria genera, tres hierarchiæ, & nouem ordines Angelorum. In his & similibus vltima ratio formalis, quam numerus addit supra realem pluralitatem ac distinctionem, est ens reale (quamuis in rebus creatis non sit vnum ens per se, nec realiter distinctum ab illis rebus.) Probatur, nam illæ res ab intrinseco habent esse tot, & non plures, neque pauciores, independenter à quolibet intellectu numerante. Nunc igitur, quoniam personæ diuinæ per intrinsecam quidditatem constituuntur non modò realiter distinctæ, sed etiam in tali determinata & præfixa magnitudine, & quasi quantitate numeri, videlicet, vt sint tres & non pauciores, neque plures: ideo realissimam habent formalem rationem, quam numerus addit supra multitudinem. His consonant, quæ docet Albertus 1. p. quæst. 42. memb. 2. partic. 2.

6 *Obiectio.* Quod si obiicias, quoniam Aristoteles existimare videtur, numerum esse ens rationis 4. physic. cap. 14. text. 131. dicens, solum intellectum numerare posse: insuper *Si numerans non est, numerata non erunt.* Respondeo primò cum S. Thoma in eius loci commentario. Philosophus non intendit, quod numerus suum esse recipiat ab intellectu, considerante illum: sed quod numerabile dicit intrinsecum ordinem ad numerantem, sicut sensibile ad sensum. Quare sicut ablato sensu, aufertur eius correlatiuum, videlicet, sensibile, in quantum sensibile: ita ablato intellectu numerante, aufertur numerabile, in quantum numerabile est. Alioqui numerum esse sensibile commune, sicut magnitudo, figura & motus, docet Aristoteles 2. de anima cap. 6. text. 64. Nihil autem est sensibile, nisi realiter existat. Respondetur secundò. In quibusdam numeris creaturarum verificatur, vltimam formalitatem numeri non existere realiter, sed tribui per intellectum numerantem; vt paulo superiùs notauimus. *Solutio primæ.* *Secunda solutio.*

SECTIO VI.

Neque ens per accidens, nec finitum esse numerum personarum Trinitatis.

1 IMperfectiones numerorum, quas obiiciunt, qui negant diuinis personis numerum, simpliciter & propriè dictum, examinandæ sunt in præsenti sectione & disput. sequenti. Suppono, quemlibet numerum, etiam quantitatiuum, ens per accidens esse, quod efficaciter probarum est in logica circa prædicamentum quantitatis. Et quamuis de numero quantitatiuo graues aliqui antiquorum existimauerint, esse vnum ens per se: de transcendentali tamen numero concors est omnium sententia, non esse vnum per se, sed ens per accidens. Vnde sumitur obiectio prima. Numerus diuinarum personarum non est quantitatiuus, sed transcendentalis: ergo non est vnum ens per se, sed ens per accidens. Consequens autem repugnat diuinæ perfectioni. Ergo eidem repugnat numerus simpliciter & propriè dictus. *Numerus quantitatiuus est ens per accidens.* *Prima obiectio.*

2 Nonnulli theologi sentire videntur, tres personas diuinas efficere vnum aggregatum per accidens. Hoc autem non solum est indignum diuina perfectione, sed etiam pugnat cum testimonio 1. Ioan. 5. *Hi tres vnum sunt.* & Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Quod non est intelligendum de vnitate per accidens; quippe quæ non est simpliciter vnitas, sed de vnitate per se, quæ sola simpliciter est vnitas. Respondebit aliquis, eam vnitatem referri ad essentiam, siue substantiam personarum, in qua sunt vnum: sed personas esse plures. *Opinio quorundam.*

3 Fateor tamen, verum esse quod asseritur in obiectione. Sed vlterius restat aliud verum, videlicet solam vnitatem essentiæ quidditatiuè transcendentem, & imbibitam in singulis personis, esse sufficientem rationem, vt tres personæ simpliciter & absolutè sint vnum (vt sacra Scriptura loquitur) ac proinde sint vnum ens per se. Hoc intendit S. Thom. in præsent. quæst. 31. art. 1. ad 2. in Trinitate ponens vnitatem maiorem, quàm sit in nominibus collectiuis. *Numerus in Deo est ens per se vnum.*

4 Ratio à priori est, quoniam essentia diuina coalescit in vnum ens per se cum vnaquaque subsistentia relatiua. Primò, quia per illam vltimò terminatur & completur, supra disputat. 34. præsertim sect. 5. & sequentibus. Secundò, quoniam essentia diuina est de quidditate cuiuslibet subsistentiæ relatiuæ supra disputat. 13. atque inde consequens est, vt tres personæ coalescant in vnam integram & completam Deitatem, quæ simpliciter & per se sit vnum ens. Quapropter hanc vnitatem per se non habent diuinæ personæ, propterea quod opponuntur ad inuicem: nam oppositio non est immediata ratio vnitatis per se, sed illius immediata ratio est vnitas & identitas essentiæ.

5 Ad confirmandam vnitatem per se, referri possent omnia testimonia Scripturæ & Patrum, adducta disput. 20. & quatuor sequentibus. Peculiariter autem eam significare voluerunt Patres, qui supra disputat. 26. sect. 8. dixerunt *Trinitatem in vnitate*: quasi dicerent: Propter pluralitatem personarum nihil omnino deprimitur supremus gradus perfectissimæ vnitatis. Magis directè ac formaliter ad rem præsentem Epiphan. hæres. 76. inter med. & fin. respondens ad 36. cap. Aëtij: *Per se essentia est Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, & non diuersa essentia.* Vbi ex eo, quod sit ens per se, infert identitatem essentiæ, supposito quod non coniunguntur vt partes vnius totius. Ad quod excludendum respondens ad caput 26. & alibi frequenter in eadem hæresi dixerat, Trinitatem *non esse coniunctionem, neque ad se ipsam permixtam esse.* Nimirum quasi plura diuersæ naturæ copulentur in ens per accidens. Rursus in Ancorato col. 6. de Trinit. sic loquitur: *Non distans quid in ipsa est à propria ipsius vnitate.*

6 *Soluitur obiectio prima.* Ad obiectionem igitur initio propositam respond. Numerus habens totalem & adæquatam rationem numeri, est ens per accidens. Trinitatis autem numerus non habet totalem & adæquatam rationem numeri supra sect. 2. & 3.

7 *Secunda obiectio.* Secunda obiectio est, quia de ratione cuiusque numeri est, quod sit finitus, vt euidens est in numero ternario: ergo repugnat Deo infinito. Respond. De ratione numeri ternarij est, quod in ratione multitudinis sit finitus, hoc est contineat tot vnitates realiter distinctas, & non plures. *Quæ finitudo conueniat numero personarum.* Hæc autem finitudo tantum abest ab imperfectione, vt oppositum foret summa imperfectio, quoniam vel vna persona procederet ab infinitis personis, vel non procederet ab infinitis personis, habentibus eandem essentiam, eandémque potentiam productiuam: insuper, aut non procederent per operationem intellectus, nec voluntatis, aut infinitæ personæ procederent per eandem operationem. Quapropter vnaquæque persona distaret infinitum ab ea perfectione, quæ constituit terminum adæquatum vniuscuiusque operationis. Plures alias rationes accipere poteris ex disputat. 3. sect. 2. & 3. & disputat. 33. sect. 2.

8 Rursus, idem ternarius diuinarum personarum adhuc manet simpliciter infinitus. Primò, quia quælibet illius vnitas est infinita simpliciter in ratione perfectionis & entis. Secundò, quoniam hic numerus est maximus eorum numerorum, qui sunt perfectio simpliciter simplex: nec enim est possibile sub vnica vnitate naturæ contineri plures, quàm tres vnitates personarum.

Ruiz. de Trinitate.

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrum compositionis & partium expers sit, & omnino simplex numerus Trinitatis.

SECTIO I.

Affirmatiuum dogma probatur.

1 *Compositionem contra Trinitatem obiiciebat Hæretici.* EX pluralitate personarum compositionem & partes inferebant hæretici diuersimodè. Alij namque quasi deducédo Catholicos ad inconueniens, non affirmando compositionem. Quemadmodum apud Epiphanium hæres. 69. pag. 2. Arius in epist. ad Alexandrum Episcopum Alexandrinum, Catholicos suggillat, quod *Sicut Manichæus partem coëssentialem Patris fœturam introduxit*, &c. Et infra: *Si velut pars coëssentialis à quibusdam intelligitur, compositus erit Pater, & diuisibilis & mutabilis.*

2 Eadem obiectione Sabelliani contendebant, vnicam esse personam Diuinitatis. Contra quos Athanasius orat. contra Gregales Sabellij multo propius ad med. quàm ad princ. de Patre & Filio ait: *Duos autem non bisidos ex duabus partibus, sed duos prorsus integros, eo quod integer sit & perfectus Filius ex integro & perfecto Patre.* Et inferius ad med. & inter med. & fin. orat. repetit, Patrem & Filium non esse partes Dei. Augustinus lib. 3. contra Maximin. cap. 10. in princip. *Putas*, inquit, *Deum Patrem cum Filio & Spiritu sancto vnum Deum esse non posse: times enim, ne Pater solus non sit vnus Deus, sed pars vnius Dei, qui constat ex tribus.*

3 *Tres personas esse partes affirmabat alij.* Alij autem hæretici, non deducendo tanquam ad inconueniens & falsum, sed tanquam verum asserendo, tres personas esse partes Trinitatis, inferebant: licet exterius vnicam essentiam faterentur. Nam vt Epiphan. refert in Ancorato multo propius ad med. quàm ad fin. apud se ipsos occultè dicebant: *Sicut ego habeo corpus & animam & spiritum humanum; sic etiam Deitas. Pater quidem, vt ita dicam, est species, Filius verò sicut in homine anima, Spiritus sanctus verò sicut qui spirat per hominem.* Huius hæresis authores fuerunt Sabellius & Sabelliani, vt refert idem Epiphanius hæres. 62. init. Ideo in Ancorato col. 7. dixerat: *Spiritus Dei, Spiritus Patris & Spiritus Filij: non iuxta aliquam compositionem, quemadmodum in nobis corpus & anima*, &c.

4 Athanas. dicta orat. contra Gregales Sabellij multo propiùs ad fin. quàm ad med. *Neque vt hominem*, inquit, *ex tribus istis compositum intelligo, spiritu, anima, corpore: ita quoque & Deum compositum imaginari licet, quemadmodum isti audent facere. Neque sub istiusmodi impia opinione in diuisibilitatem prodo.* Similiter Basilius homil. 28. contra Sabellianos paulo ante med. & paulo post med. ait: *Quando sancta Triada coniungimus, noli quasi tres vnius cuiusdam rei inseparabilis partes cogitare. Impia namque est hæc cogitatio.*

5 *Re ipsa non voce compositionem alij affirmabant.* Alij tandem hæretici tacuerunt nomina partium & compositionis, re tamen ipsa compositum ex partibus faciebant Deum, qui retinentes vnum Deum, asserebant, tres personas non esse vnam rem, nec vnius singularis essentiæ. Quos retulimus disput. 20. sect. 2. & 3. & in ea disput. ac sequentibus quatuor impugnauimus.

6 *Summa ſimplicitas.* Sit igitur concluſio de fide. Numerus Trinitatis eſt ſimpliciſſimus, nullam omnino compoſitionem inuoluens, non modo partium, ſed neque alterius cuiuſque rei, vel modi componentis. Ideóque, abſolutè loquendo, vna perſona non eſt pars Dei, vel Deitatis, neque eſt pars Trinitatis. Hæc eſt ſententia omnium Patrum. Hierotheus apud Dionyſium de diuin. nomin. cap. 2. verſus fin. *Vnum*, inquit, *eſt eodem modo, qui idem eſſentias ſuperat, quod neque pars ſit multitudinis, neque totum conſtans ex partibus.* Idem ſenſit Irenæus lib. 2. aduerſus hæreſes cap. 48. init. Iuſtinus quæſt. 129. ad orthodoxos, Nicænum Concil. lib. 2. poſt med. §. *ne quæras*, & ferè inter med. & fin. libri §. *cum ſit copioſa.*

7 Magis apertè atque diſtinctè Nazianz. orat. 32. ad centum quinquaginta epiſcopos non longè poſt med. & orat. 35. propius ad fin. quàm ad med. & orat. 45. de Diuinitate ad Euagrium col. 1. fine, & orat. 49. in med. Athanaſius non modo citata orat. contra Gregales Sabellij, ſed etiam dialogo 1. contra Anomœum pag. 4. & iterum prope med. dialogi, & paulo poſt med. & inter med. & fin. Baſil. lib. 1. contra Eunomium multo propiùs ad fin. quàm ad med. & lib. 2. multo propiùs ad fin. quàm ad med. & lib. vnico de Spiritu ſancto c. 8. prope fin. & cap. 18. inter med. & fin.

8 Gregor. etiam Nyſſenus, orat. catechet. cap. 1. prope med. & orat. 1. in id: *Faciamus hominem ad imaginem.* col. 3. Chryſoſt. ſerm. de S. Trinitate propius ad fin. quàm ad med. Cyrillus Alexand. lib. 2. theſauri cap. 2. poſt med. & cap. 3. propiùs ad prin. quàm ad med. & lib. 3. theſauri cap. 1. colum. 2. & cap. 4. prope fin. & lib. 6. cap. 3. prope fin. & lib. 7. cap. 2. in med. & lib. 11. cap. vnico prope fin. & lib. 14. cap. 3. fine, & dialog. de Trinit. lib. 7. col. 3. Sophronius in ſexta Synodo act. 11. in epiſtola profeſſ. fidei colum. 3. Anaſtaſius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus prope med.

9 Ambroſ. in ſymbol. Apoſtolor. cap. 1. poſt med. & lib. 1. de fide cap. 7. in med. Hilarius lib. 8. de Trinit. inter med. & fin. & lib. 9. multo propius ad fin. quàm ad med. Auguſtinus 6. de Trinit. cap. 6. & 7. & lib. 11. de ciuit. cap. 10. Fulgentius ad obiectiones Arianorum reſponſ. vltima prope fin. Iſidorus lib. 7. etymolog. cap. 4. §. 1. Boëtius lib. de Trinitat. in med. & ſequenti lib. de prædicatione ſubſtantiali prope init. Anſelmus de Incarnatione Verbi cap. 3. inter med. & fin. & lib. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 3. & in profologio cap. 23. Bernard. lib. 5. de conſiderat. ad Eugenium poſt med. Ricard. Victor. lib. 3. de Trinit. cap. 21. & 22. & alibi ſæpe. Plura teſtimonia Patrum recolere poteris ex diſput. 8. ſect. 7. & 8. & diſp. 11. ſect. 5.

10 Idem docet Magiſter 1. diſt. 19. §. *nec eſt aliqua*, & communiter ibi Scholaſtici & diſt. 34. S. Thom. & eius expoſitores 1. p. q. 30. art. 1. ad 4. S. Bonauent. diſt. 19. p. 2. art. 1. q. 1. & diſt. 34. art. 1. q. 1. ad argumenta. Ricard. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. Carthuſ. diſtin. 19. q. 3. Durandus ibidem quæſt. 4. Aureol. diſt. 19. part. 2. art. 5.

11 *Si foret compoſita Trinitas, non eſſet vnica eſſentia.* Primaria ratio, propter quam pluralitas perſonarum non inducit compoſitionem, aut minuit ſimplicitatem, eſt vnitas eſſentiæ. Nam ſi foret compoſita Trinitas; eiúſque partes eſſent perſonæ: ſequeretur, perſonas eſſe aliud & aliud, & habere partialiter diſtinctas eſſentias. Sequela probatur primò, quoniam eſſentia materiæ partialiter diſtinguitur ab eſſentia formæ, & animalium partes heterogeneæ ſunt eſſentiæ & ſpeciei partialiter diſtinctæ. Ad inſtar autem earum diſtingui deberent perſonæ diuinæ; quoniam conſtituuntur per relationes quaſi ſpecie diſtinctas, & diuerſæ rationis in modo reſpiciendi terminum.

12 Secundò, quia licet perſonas diuinas poneret aliquis tanquam partes homogeneas; adhuc compelleretur, concedere numerica diſtinctione realiter diſtinctas earum eſſentias, ita vt ſolummodo per intellectum abſtrahentem conueniret vnitas illarum eſſentiæ. Sic enim duæ partes aquæ realiter inter ſe diſtribuunt eſſentiam aquæ, ita vt pars eſſentiæ vnius realiter diſtinguatur à parte eſſentiæ alterius, & conſequenter in illis eſſentia aquæ non ſit vna realiter, ſed ſolum per intellectum abſtrahentem. Quapropter duæ partes aquæ non ſunt realiter idem, ſed verè ſunt aliud & aliud. Vnde præterea ſequitur, totum eſſe aliud à ſuis partibus, & ſingulas partes non eſſe idem, quod eſt totum. At verò Pater non eſt aliud, quàm Filius; nec tota Trinitas eſt aliud, quàm ſolus Pater: & Spiritus ſanctus eſt idem, quod tota Trinitas; vt videbimus diſputat. 39. ſect. 4. & 5.

13 Merito igitur in hac ratione frequentius inſiſtunt Patres ſupra citati, vt Irenæus lib. 2. aduerſus hæreſes cap. 48. init. Iuſtinus quæſt. 129. ad orthodoxos. Athanaſ. dialogo 1. contra Anomœum prope med. vt euitet compoſitionem, quam inferebat Anomœus, reſpondet, eſſentiam & hypoſtaſim *non eſſe rem aliam & aliam.* Baſil. lib. 2. contra Eunom. multo propius ad fin. quàm ad med. ait: *Quomodo non incompoſitus eſt, qui ſecundum ſubſtantiam ſimplex eſt? Non enim demonſtratiui proprietatum modi, ſimplicitatis eius rationem lædent.*

14 Cyrillus Alexand. lib. 11. theſauri cap. vnico prope fin. ait: *Si aliud Deus, aliud cognitio ſua eſſet; compoſitio in ipſo eſſe profectò videretur: Verum quoniam ſimplex eſt, non eſt aliud ipſe, aliud cognitio ſua.* Item lib. 14. cap. 3. fine: *Deus vnus atque ſimpliciſſimus, atque ab omni compoſitione remotiſſimus eſt, ita vt vnum ſimpliciſſimum ſit, & nihil aliud ab eo in eo ſit.*

15 Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 10. prope med. *Ergo, inquis, Deus Pater pars eſt Dei? Abſit. Tres enim perſonæ ſunt Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Et hi tres, quia vnius ſubſtantiæ ſunt, vnum ſunt, & ſummè vnum ſunt, vbi nulla naturarum diuerſitas.* In eadem vnitate naturæ inſiſtit ad finem eiuſdem capitis ad refutandas partes. Grauiter & acutè præſentem rationem ponderat Bernard. lib. 5. de conſiderat. ad Eugen. à med. Anſelmus epiſt. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 3. & Ricard. Victor. lib. 3. de Trinit. toto cap. 22. cuius in fine concludit: *Non ſolum itaque idem ipſum eſt totum, quod eſt quælibet perſona, verumetiam idem ipſum eſt quæuis vna, quod quælibet alia. In ſingulis itaque ſumma ſimpliciras, in omnibus ſimul vera & ſumma vnitas, vtrobique autem miranda identitas.*

16 *Circumínſeſſio probat ſimplicitatẽ.* Secunda ratio, præcedenti proximior, accipitur ex circumínſeſſione. Nam de ratione partium eſt vnam extra aliam eſſe, ita vt vna pars non includatur in aliis. At verò quælibet perſona diuina continet in ſe manentes reliquas perſonas, & viciſſim eſt in eiſdem. Vnde Cyrillus Alexand. lib. 3. theſauri cap. 1. col. 2. *Pater*, inquit, *& Filius naturâ vnum ſunt, numero perſonarum duo, non ſicut ſi vnum in duas diuideretur partes, vt alterum in altero non ſit.*

17 *Deus eſt ſuũ eſſe.* Tertia ratio, quia nihil eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus, ſed quidquid habet Deus, eſt ipſe Deus, quoniam

quoniam Deus eſt ſuum eſſe. Atque inde prouenit, vt licet alius ſit Pater habens Filium, & alius ſit Filius, quem habet Pater: nihilominus non ſit aliud Pater & aliud Filius, vt oſtendemus diſp. 39. ſect. 4. & 5. Hac ratione, Dei ſimplicitatem non tolli perſonarum diſtinctione, probant Auguſtin. lib. 11. de ciuit. cap. 10. Hilar. lib. 8. de Trinitate inter med. & fin. Bernard. lib. 5. de conſiderat. ad Eugen. à med. & alij citati diſputat. 8. ſect. 7. & 8.

18 *Partium imperfectio.* Quarta, quia non eſſet perfecta quælibet perſona, ſi foret pars. Nam in omni compoſitione vel vna pars eſt in potentia, vt perficiatur per aliam, quaſi per actum; vel ſaltem omnes partes ſunt ſicut in potentia reſpectu totius, videlicet, vt aliquid perfectius coaleſcat ex illis componentibus totum; vt optimè S. Thom. ſupra q. 3. art. 7. corpore, & quæſt. 30. art. 1. ad 4. probat, Patrem non eſſe partem Trinitatis, *quia tantus eſt Pater, quanta tota Trinitas.*

19 Ideo Baſil. homil. 28. contra Sabellianos paulo poſt med. *Plenus eſt*, inquit, *& Spiritus, non pars alterius, ſed perfectus & totus in ſe ipſo conſiderandus.* Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 10. ad fin. *Propter vniuſcuiuſque propriet atem*, ait, *tres perſonæ ſunt, & propter ſingulorum perfectionem partes vnius Dei non ſunt.*

20 *Partibus poſterius eſt cõpoſitum.* Quinta ratio, quia omne compoſitum eſt poſterius ſuis componentibus, & dependens ab eis. At verò tota Trinitas eſt primum ens, independens à quolibet alio. Vnde Cyrillus Alex. lib. 3. theſauri cap. 4. prope fin. ita redarguit hæreticos: *Quomodo Pater omnium rerum principium erit, ſi non ſimplex, ſed compoſitus erit? Primum enim ſimpliciter haud quaquam compoſitum eſſe poteſt; quia nihil poteſt ipſo præintelligi, à quo componatur, nec vlla diuerſitas in primo ſimpliciter eſt. Compoſita verò congregationem diuerſorum ſimplicium habent, quæ ipſis neceſſariò præintelliguntur.* Ambroſ. in ſymbol. Apoſtol. cap. 1. poſt med. *Compoſitus*, inquit, *eſſe non poteſt, cum aliqua eo anteriora exiſtere putare nefas ſit.*

21 Sexta, quia omne compoſitum habet cauſam, adunantem ea, quæ ſecundum ſe diuerſa ſunt. Trinitas autem nullam habet cauſam, cum ipſa ſit prima cauſa efficiens omnium. Sapienter enim Iuſtinus quæſt. 129. ad orthodoxos Trinitatis ſimplicitatem probat, quoniam, *Qui non habet, à quo factus ſit, aut compoſitus, is nec genitus eſt, neque compoſitus.*

SECTIO II.

Exponuntur verba Patrum, quæ ſonant compoſitionem.

1 HIuſmodi non pauca reperio potiſſimum apud Græcos. Imprimis namque Dionyſ. de diuin. nomin. cap. 2. ſub init. vt doceat, omnia nomina perfectionis abſolutæ, non vni vel alteri tantùm perſonæ diuinæ conuenire, ſed omnibus

Partes & totum. & ſingulis, ait: *Non ſigillatim per partes, ſed in tota, perfecta, integra, plenaq; diuinitate laudari.* Et poſt pauca: *Integrè omni integritati, perfectæ, totiq; Diuinitati tribui.* Videtur ergo, Diuinitatem conſtituere tanquam totum integratum ex tribus perſonis, quaſi ex partibus.

2 Cæterum rectè de ſimplicitate ſenſiſſe Dionyſium, vidimus ſect. 1. Nunc verò nihil aliud intendit, quàm ita diſtribuere perſonas, vt etiam ipſe modus loquendi ſignificet, omnes perſonas eſſe vnicam perfectam Diuinitatem, & quamlibet

perfectionem Diuinitatis conuenire omnibus & ſingulis perſonis.

3 Secundò. Alexander Alexand. epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopol. colum. 5. *Patrem*, appellat, *expletum omnibus ſuis partibus.* Reſpond. Phraſis hæc ſignificat, Patri deeſſe nihil ad perfectionem pertinens, ſed non affirmat propriè partes: vt cum dicimus hominem, omnibus numeris abſolutum, non ideo ſignificamus in ſe continere plures numeros.

4 *Contiguitas.* Tertiò. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 6. prope med. dicit: *Naturalem Filij cum Patre contiguitatem.* Contiguitas autem obſtat ſimplicitati & vnitati, quoniam eſt eorum, quæ non vniuntur, licet ſe mutuo tangant. Reſpond. Hac voce Baſilius ſignificare voluit, veram, realem, & propriam eſſe diſtinctionem perſonarum. Alibi tamen frequenter apertiſſimè docuit ſummam ſimplicitatem & vnitatem, vt retulimus ſect. 1.

5 *Compoſitio pro conſtitutione.* Quartò. Gregorius Nyſſenus lib. de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos prope med. ait: *Diuinæ eſſentiæ inter ſe compoſitionem.* Reſpond. Intelligit bene cõſtitutam habitudinem, & aptè congruentem inter ſe perſonarum ordinem. Ideo quaſi declarans eam, quam dixerat compoſitionem, continuò ſubiungit, *Aptam & congruentem cohærentiam.* Nec multùm diſſimili ſenſu in eiuſdem libri medio dicit, perſonarum *diſcrimen coniunctum, & diſcretam coniunctionem.* Et multo propiùs ad fin. quàm ad med. dicit: *Continuationem & quaſi concretionem, & coalitionem Vnigeniti cum Patre.* Quamuis enim compoſita ſint omnia, quæ propriè continuationem, aut concretionem habent; hîc tamen ea nomina ſolum ſignificant, omnes perſonas eſſe vnum & idem.

6 *Coniunctio, vnio & vnita perſona.* Quinto generaliter obiici poteſt, quoniã compoſitionem ex partibus efficit vnio & coniunctio: quapropter vnita & coniuncta non ſunt, niſi extrema, quæ componunt aliquod totum. Patres autem multoties dicunt *coniunctionem*, & *vnionem* diuinarum perſonarum, & eas appellant *coniunctas*, & *vnitas.* Ita Dionyſius de diuin. nomin. cap. 2. & apud illum Hierotheus frequenter appellant *coniunctiones* & *coniuncta* communia nomina cuiuſlibet perfectionis eſſentialis, quoniam de tribus perſonis prædicantur, & in omnibus vnum ſunt.

7 Athanaſius orat. contra Gregales Sabellij multo propiùs ad med. quàm ad princ. de Filio ſic loquitur: *Pater non eſt, ſed vnitus natura cum Patre.* & ſeptem dialogis inter Athanaſium & hæreticum, ſiue Anomœum, ſiue Macedonium frequenter repetit, *Vnitam Deitatem, aut vnitam eſſentiam*, & aduerbium *vniter.* Præterea primum eorum dialogorum inſcribit *de vnita Deitate*, & quintum inſcribit, *de vnita ſubſtantia Trinitatis.* Nazianz. orat. 23. in laudem Heronis col. penult. num. 33. dicit, eſſe admirabilem *Trinitatis & coniunctionem & diuiſionem.*

8 Baſilius homil. 15. de fide poſt med. *Filius*, inquit, *cum Patre coniunctus.* Et poſt pauca: *Pater & Filius omnia cum Spiritu ſancto coniunctim & ſecundum naturam poſſident.* Rurſus homil. 16. in illud *In principio erat Verbum*, poſt med. docet, *Coniunctionem ſine tempore Filij ad Patrem*, his verbis Euangelicis oſtendi: & paulo inferius *Totum quodcumq; noueris Deo plenum, ſimul & hypoſtaſim Filij coniunctam inuenies.* Similiter homil. 28. poſt med. Filium & Spiritum ſanctum *coniunctos* cum Patre, & Trinitatis *coniunctionem* multoties dicit. Inſuper lib. 1. contra Eunomium pag. vltima ſemel & iterum repetit: *Naturalem coniunctionem Filij ad Patrem.*

Eodem modo loquitur sequenti lib.2. propius ad fin.quàm ad med.& prope med.dicti libri secundi ait: *Filius per generationem innascibilitati Patris conjunctus.* & lib. 5. contra Eunomium in med. ait: *Trinitatis vnionem habet cuiuslibet nominis significatio*, videlicet Patris & Filij & Spiritus sancti. Et iterum: *Vnio Deitatis non diuiditur.* Ac denique lib.de Spiritu sancto cap.18.circa med.ait: *Christi Spiritus dicitur tanquam illi natura coniunctus.*

9 Chrysostomus Rom.8.homil.13. prope morale, *Triadem esse*, dicit, *exactissimè sibi vnitam.* Cyrillus Alexand.dialog.de Trinit.lib.3.col.penult. Filium appellat *substantialiter coniunctum Genitori. Vnionem* verò *naturalem* Spiritus sancti cum Deo dicit,dialog.lib.7.prope med.& iterum inter med. & fin. *Vnionem* Patris & Filij dicit in expositione symboli Nicæni col.4. & lib.12.thesauri cap.5. in med.ait: *Coniungitur Filius naturaliter Patri.*

10 Theodoretus in Genes. q.19. dicit, *communionem* diuinarum personarum. Rursus in epitome diuinorum decretorum lib.5.c.3.de Spiritu sancto sub init.dicit *Vnionem. Vnita* verò & *coniuncta* diuina supposita vocat lib.2.de principiis prope fin. Sophronius item in sexta Synodo act. 11. epist. professionis fidei col.2. 3. & 4. sæpe dicit *coniunctionem* & *coniungere.* Quin etiam ex Latinis Augustinus serm.2. de natiuitate versus fin. semel & iterum dixit, *Vnitam Deitatem.*

11 *Explicatur vnio & coniunctio.* Nihilominus omnium eorum Patrum mens efficitur manifesta non solum per alia testimonia, quæ vidimus sect.1. quibus affirmant simplicitatem,cuiuslibet compositionis expertem;sed etiam ipso contextu locorum, in quibus *coniunctionem,* aut *vnionem* dicunt; declarant enim, *vnionem* accipi pro vnitate siue identitate; *coniunctionem* autem pro ratione inseparabilitatis, ratione cuius vna persona non potest existere sine alia, neque extra aliam.

12 Pro qua veritate considerandum est, quod Basil.lib.de Spiritu S.cap.18.inter princ.& med.vocat *Vnam formam inseparabili Deitatis essentia vnitam.* Et prope med.ait: *Patri verò in tantum vnitus est Filius, quantum consortij habet vnitas cum vnitate.* Vides igitur, vnitatem inseparabilem essentiæ significari nominibus vnionis aut coniunctionis. Quemadmodum & Cyrillus Alexand. dialog. de Trinit. lib.1.inter med. & fin. *Substantiæ,* inquit, *identitas vnionem declarat.* Et non longè inferius dicit, *Filium Deo ac Patri consubstantialem existere, in propriaq; subsistentia coniunctim & discretim vnitum.* Theodoretus autem lib. 2. de principiis prope fin.ait: *Quæ duo,* videlicet,Verbum & Spiritus S. *& in Patre considerantur, & seorsum per ipsa sigillatimq; creduntur, quæque & coniuncta sunt & discreta. Vnita quidem, eo quod eiusdem naturæ sint, proprietate verò differentia.*

13 *Latinis nō est in vsu dicere vnitas & cōiunctas personas.* Sed valde notandum est,eas voces à Græcis Patribus toties vsitatas, non esse receptas à Patribus Latinis: quippe quas apud neminem antiquorum observauisse me recolo, præter Augustinum in eo tantum serm. nuper citato, & certè Latinis auribus *vnio,* siue *coniunctio,* refertur ad extrema, quæ non essent vnum,nisi per vnionem & coniunctionem copularentur. Quapropter, me consulente, nemo theologorum vretur his nominibus, nisi manifesta declaratione subiuncta.

14 *Vnionem refutat Hilarius.* Propterea Hilarius lib.5.de Trinit.col.2.notat, Patrem & Filium *Non per vnionem* esse vnum Deum. Et lib.6.col.4.dicit: *Secundum naturæ vnitatem, non secundum personæ vnionem.* Et valde frequenter in lib. 6. & 7. præsertim longè post med. & lib.8.propius ad med.quàm ad fin. & lib.9. ante med.& post med.& lib.10.col.3.& lib.11.sub init. & lib.de Synodis inter princ.& med.ad Orientalium canonem 8.9.& 12.& propius ad med.quàm ad princ.eiusdem libri,exponens fidem Antiochenæ Ecclesiæ. Et longè inferius ad canonem 23. Syrmicæ Synodi, semper vt hæreticam refutat *vnionem* Patris & Filij. Verumtamen Hilarius intelligebat vnionem Sabellij, qui vnicam personam corpore & anima & spiritu constantem, dicebat,esse Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum: vt ex Epiphanio retuli sect.1.sub init.

15 *Epiphanius alio sensu refutat* coniunctionem. Alio sensu refutat *coniunctionem* Epiphanius hæres.76. frequenter enim, ac peculiariter ad caput 26.Aëtij dicit, *Trinitatem non esse coniunctionem, neque ad se ipsam permixtam esse,* nimirum,vt plura diuersæ naturæ copulentur in vnum. Rursus Spiritum sanctum *esse coniunctionem,* refutat hæres.73. & 74.& 76. col.6. & in Ancorato frequenter, vbi etiam dicit, Trinitatem *non esse coniunctionem*, & Filium *non esse coniunctionem.* Alio tamen sensu verissimo sancto Spiritui conuenire, vt sit vnio, coniunctio,vinculum, & communio Patris & Filij, videbimus disput.71.probat.2.

16 Bernard.lib.5.de considerat. in med. *Vnum,* inquit, *est, non vnitum, non partibus constat,* &c. Apud Bedam tom.8.prope fin. Commentator ad librum Boëtij de Trinit.propiùs ad med.quàm ad fin. notat, quod tres personæ *ab vnitate dicuntur vnus Deus, non ab vnione. Non enim Deus vnit plura, quæ eo participant.*

17 Notandum est insuper, coniunctionis nomen magis esse vitandũ,quàm vnionis;quoniam vsque adeo videtur ab vnitate distare,vt etiam vnionem humanitatis cum Verbo minus exactè significare, visum sit Alexandrinæ Synodo. Quæ in epist. ad Cyrillum Alex. ante med. (est autem epist.10. in tom.4.Cyrilli) ait: *Imo & coniunctionis nomen recusamus,vt quod sufficientem vnionis significationem non habet.* Ergo multo minus habet sufficientem significationem vnitatis simplicissimæ diuinæ naturæ,

SECTIO III.

Difficultates aliæ de toto & partibus, componentibus numerum.

1 *Quid sit compositum.* PRima sit,quia *compositum* est illud ens,cui conuenit aliquid, quod non conuenit alicui suarum partium: sicut toti homini conuenit esse hominem, quod non conuenit manui, neque pedi, nec materiæ, neque animæ soli (vt magis exponit S.Thomas supra q.3. art.7. ratione 5.) Sed Trinitati conuenit esse Trinitatem,quod non conuenit Patri,nec Filio,nec Spiritui sancto. Ergo Trinitas est totum. Confirmatur exemplo numeri ternarij, componitur enim ex binario & vnitate, tanquam partibus, quia nec vnitas, nec binarius est ternarius. Idémque reperitur in cæteris numeris.

2 Respondetur. Nisi fuerit aliquod prædicatum absolutum & essentiale,quod cõuenit toti,& non conuenit alicui suarum partium; nihil interest ad inferendam compositionem ex partibus. At verò Trinitas non est aliquid absolutum & essentiale, formaliter loquendo; sed est numerus trium relationum, quæ omnes sunt vnum & idem. Nam quod est Pater, hoc ipsum est Filius, & Spiritus sanctus. Et quod est tota Trinitas, hoc ipsum est Pater sigillatim acceptus, & Filius sigillatim acceptus,nec ibi est aliud & aliud,vt ponderauimus sect. 1. ratione 1, cui cæteras rationes adiungere poteris:

poteris: omnes enim illustrant & corroborant istius obiectionis solutionem. In idem redit solutio S. Bonauenturæ dist.19. part.2. q.1.fine, & Ricardi dist.19. art.3. quæst.1.ad 1.

3 *Numerus an compositus.* Secunda difficultas est, quia de ratione numeri videtur esse, totum & partem in eo reperiri. Quapropter si numerus in Deo conceditur; erit in Deo concedendum totum & pars. S.Thomas quæst.30. art.1. ad 4. respondet: Si loquamur de numero simplici, absoluto, & abstracto ab omni materia: nihil prohibet in eo esse totum & partem. Veruntamen numerus sic abstractus non est nisi in intellectu. Si verò loquamur de numero, prout est in rebus numeratis, sic in rebus quidem creatis, vnum est pars duorum, & binarius est pars ternarij. Cæterum in Deo res aliter se habet, quia tantus est pater, quanta tota Trinitas, nec aliqua persona sigillatim accepta est minus perfecta, quàm omnes personæ collectiuè sumptæ; vt probatum est disp.30. sect.2. & sequentibus. Hanc solutionem docti recentiores redarguunt, vt postea declarando temperent: sed non ad mentem authoris.

4 Sit igitur tertia difficultas, quia quæcumque dicuntur de communi & superiori, conueniunt etiam cuicumque inferiori & singulari. Numerus autem simplex & abstractus est communis, & superior numero diuinarum personarum. Ergo quæcumque dicuntur de numero simplici & abstracto, conueniunt numero diuinarum personarum. Quapropter, si numerus simplex & abstractus est totum maius sua parte; idem etiam verificabitur de numero diuinarum personarum.

5 Respond.Quæ dicuntur de communi & superiori determinatè & essentialiter; ea conueniunt etiam cuicumque inferiori & singulari.Cæterum ea quæ dicuntur de communi & superiori per solam indifferentiam, siue non repugnantiam, ea non conueniunt cuilibet inferiori aut singulari. Sicut animali non repugnat esse irrationale,quod tamen repugnat homini, licet sit inferior animali; & numero non repugnat esse parem, ternario tamen repugnat esse parem.Propterea considerandum est, cautè locutum esse S. Thomam in prædicta solutione. Neque enim dixit determinatè, in numero simplici & abstracto esse totum & partem, sed dixit, *Nihil prohibet in eo esse totum & partem.*

6 Adde quod abstractio numeri non est, sicut ab inferioribus abstrahitur cõmune & superius, sed tanquam abstractio formæ à materia. Quemadmodum autem figura rotunda, abstracta ab omni materia, nihil prohibet mutationem & flexibilitatem, per quam misceatur cum alia figura: cæterum hanc imperfectionem prohibet figura rotunda supremi cæli: sic etiam quamuis numeri ratio, abstracta ab omni materia, non prohibeat totum & partem & compositionem: has tamen imperfectiones excludit numerus in diuinis ratione suæ quasi materiæ, quæ numeratur.

7 *Trinitas an maior quam vna persona secundùm pluralitatem.* Quarta difficultas, quia Trinitas est maior vnâ personâ,vel duabus, non maioritate perfectionis, seu dignitatis; sed maioritate pluralitatis: quia hoc nihil aliud est dicere, quàm quod tres personæ sunt plures personæ,quã duæ,vel vna tantum. Ita docuit Gabriel 1.dist.24.q.2.a.3.sub init.Cuius sententia probatur Vazquez ad q.30.a.1.in notationibus,& Suarez lib.1. de Trin.c.10.n.8.licet ij authores nonnihil varient in verbis. Alij namque concedunt totum & partem numeralem, appellantes quantitatem discretam, & in ea concedentes maius & minus; quod dicunt non esse simpliciter maius, sed secundum quid. Alij vocant quantitatem extensiuam, & totum numerale.

8 Subiungunt postremò, S. Thomam in re ipsa nihil docuisse diuersum, sed correxisse modum loquendi, videlicet, vt in hoc numero non concedamus absolutè totum & partem; hoc enim compositionem indicat & inæqualitatem perfectionis: sed cum addito potest dici maior numerus trium personarum, quàm duarum. Plures enim sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus, quàm Pater & Filius tantùm.

9 *Nullo modo maior Trinitas, quàm vna persona.* Respond.Profundior fuit mens S.Thomæ,qui negauit totum & partem, atque maius & minus, etiam in pluralitate seu numero, vel quantitate discreta diuinarum personarum. Cui sententiæ valde consonat quod Boëtius admonuit sub eadem distinctione numeri numerantis,siue abstracti; & numeri numerati, siue prout est in rebus numeratis, lib. de Trinit. paulo ante med.dicens: *In numero, quo numeramus, repetitio vnitatum facit pluralitatem: In rerum verò numero non facit pluralitatem vnitatum repetitio*, nimirum in rebus diuinis. Cuius ratio est circuminsessio, ratione cuius quælibet vnitas intra se continet alias duas: ideóque non restant plures aliæ vnitates. Quapropter in hoc sensu magis intimo, profundiúsque penetrante res ipsas, Pater, Filius & Spiritus sanctus, absolutè loquendo, non sunt plures, quàm Pater & Filius; imo nec plures, quàm solus Pater;quoniam solus Pater in se necessariò continet Filium & Spiritum sanctum. Idémque intellige de duabus aliis personis.

10 Hac nimirum ratione Augustinus, Anselmus, Fulgentius,& cõmuniter Scholastici locis notatis suprà disp.30. sect.6. probat.2. docuerunt, quod in summa Trinitate propterea tantum est vna persona, quantum tres simul,nec amplius aliquid sunt duæ personæ quàm vna, quia singulæ personæ sunt in singulis & in omnibus aliis personis.

11 Confirmatur, quoniam vt sapienter obseruauit Durandus 1. dist. 19. quæst. 4. n. 6. post med. ratio totius non, nisi nimis abusiuè, dicitur de toto numerali; quia totum comprehendit plura, prout aliquo modo sunt vnum vel saltem vnita. Sed numerus, habens plenam & adæquatam rationem numeri, dicit plura, quæ non vniuntur, nec coalescunt in vnum,nec componunt aliquod ens per se. Quapropter nec in creaturis, propriè & absolutè loquendo, colligi potest totum & pars ex ratione numeri: multo minus igitur colligi poterit in Deo, in quo non est plena & adæquata ratio numeri; & in quo vna vnitas est totum, quod reliquæ vnitates.

12 Quintam difficultatem obiiciet aliquis, quia diuinarum personarum conceditur numerus simpliciter & propriè, licet completam & adæquatam rationem numeri non habeat. supra disp.37. sect. 2. & 3. Ergo propter eandem rationem erit simpliciter concedendum totum & partes. Respond. negando consequentiam; quia pars, propriè & simpliciter dicta, requirit extra partem aliam esse, & non includere alias partes: & consequenter quod est totum, comparatione partium quidditatiuè dicit compositionem. Has verò imperfectiones non includit numerus simpliciter & propriè dictus. Propterea Patres sect.1. citati simpliciter negant compositionem & partes, licet iidem Patres numerum simpliciter concedant disp. præcedenti sect.2. & 3.

13 *Nec totũ numerale, nec partes numerales in Deo.*

Sed vt magis explicetur, præſentis difficultatis deciſio, Dico primò. Valde improprium & fugiendum eſt, in Deo concedere totum numerale, partéſque numerales, & in ratione quantitatis diſcretæ maius aut minus; quia totum etiam numerale ſimplicitatem lædit & ratio partis detrahit perfectioni eiuſdem partis. Vtrumque tandem tollit æqualitatem partium inter ſe & cum toto. Ita ſentiunt, licet non adeo expreſsè, Magiſter 1. diſt. 19. cap. *nec eſt*. S. Bonauentura eadem diſt. 19. part. 2. art. 1. tota quæſt. 1. Vbi S. Thomas quæſt. 4. Ricardus art. 3. q. 1. Durandus quæſt. 4. Carthuſ. quæſt. 3. Henric. 2. p. artic. 43. quæſt. 1. Alexand. 1. p. q. 47. memb. 4. ad 1. Albertus 1. par. quæſt. ſimiliter 47. memb. 1. prope fin. & memb. 3. poſt med. Conſequens igitur eſt, vt valde impropria & violenta fuerit allegoria Gloſſæ Leuitici 5. num. 11. dicentis, carnem Chriſti Domini eſſe decimam partem ephi, videlicet eiuſdem Chriſti, qui eſt tertia pars Trinitatis. De quo videri poſſunt Alexander & Albertus nuper citati.

14 *Totũ pro perfecto Deo cõuenit.*

Dico ſecundò. Vox hæc *totum* multoties ſignificat idem omnino, quod perfectum, videlicet, cui nihil deeſt, vt ex Ariſtotele 3. phyſic. cap. 6. text. 63. & 64. vidimus diſp. 30. ſect. 3. probat. 2. & ex Auicena 4. metaphyſ. refert Henricus nuper citatus. In hoc igitur ſenſu veriſſimè propriiſſimèque dicitur, *totus Deus, tota Diuinitas, tota Trinitas, totæ tres perſonæ* (vt loquitur Eccleſia in Symbolo Athanaſij) *Totus Pater*, aut *totus Filius*. Probatur primò. Sic enim Dionyſius Areopagita dixit *totam perfectam & integram Diuinitatem*, & Alexander Alexandrin. appellauit Patrem *expletum omnibus ſuis partibus*, quorum teſtimonia retulimus ſect. 2. ſub init.

15 Secundò, nam fides Nicæna apud Nazianzenum, Filium appellat *perfectum de perfecto, totum à toto, integrum de integro, plenum à pleno*; vt videre eſt orat. 49. col. 3. qui eſt tractatus de fide Nicæna, & ſequenti tract. & orat. 50. vbi poſt pauca ſubiungit: *In Patre totum quod ineſt, totum genuit Filium*. Eodem modo loquuntur Ambroſius lib. de Filij Diuinitate cap. 7. ſub init. Auguſt. ſerm. 125. de tempore, initio. Antiochena Eccleſia in profeſſione fidei, quam defendit Hilarius lib. de Synodis inter princ. & med. Rurſus idem Hilarius lib. 9. de Trinit. propius ad fin. quàm ad med. ait: *Dum non ex portione compoſitus eſt, ſed ex ſimplicitate perfectus eſt: neceſſe eſt, vt ſecundum quod eſt Pater, ipſe ſit omnium ſuorum ei, quem ex ſe genuit, Pater totus*. Fulgentius lib. de fide Donatum cap. 3. inter princ. & med. *In illa*, inquit, *Trinitatis natura ſic totum vnum eſt, vt nihil ibi poſſit ſeparari vel diuidi*.

16 Tertiò probatur, nam totalitatem ſiue integritatem ſignificat plenitudo, quam dicit Apoſtolus Coloſſ. 2. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis*. Quem modum loquendi ponderant, & imitantur plerique Patres, citati diſp. 30. ſect. 6. fundamento 2. & diſp. 8. ſect. 5. fine. Peculiariter recolendum eſt, quod ſcribit Athanaſ. orat. contra Gregales Sabellij paulo poſt med. *Vniuerſa plenitudo & integritas Diuinitatis eſt Pater, vt Pater*. Obſerua vocem *integritas*; idem ſubiungit de Filio.

17 Quartò probatur, quod enim *Deus ſit perfectus, & totus in ſe ipſo conſiderandus*, ex Baſilio hom. 28. contra Sabellianos, vidimus ſect. 1. prope fin. Præterea *quod totus Deus eſt ingenitus*, Aëtius obiiciebat, & ingenuè concedit Epiphanius: nihilominus negans illationem, per quam infercbat Aëtius, Filium non eſſe Deum, videlicet hæreſ. 76. ad 7. caput, initio. & ad 8. 9. & 10. caput Aëtij.

Quintò, quia de ſingulis perſonis dicitur ratio totius. Quemadmodum Dionyſius c. 2. de diuin. nonim. inter princ. & med. ait: *Diuina cœleſtiaq; lumina tota in totis ſunt*. Nazianzenus orat. 36. quæ eſt 4. de Theologia col. penult. ait: *Huiuſmodi ſimplicium rerum natura eſt, vt non partim inter ſe ſimiles ſint, partim diſſimiles, ſed totæ totas repræſentent*. Gregorius Nyſſenus orat. de Deitate Filij & Spiritus ſancti multo propius ad med. quàm ad prin. *Totus*, inquit, *Pater in toto Filio eſt, & totus Filius in toto Patre*. Similia ſcribit orat. de fide ad Simplicium ſtatim à medio. Baſil. epiſt. 43. ad Gregorium Nyſſenum fine ait: *Totus Filius in Patre manet, & totum viciſſim in ſe ipſo Patrem habet*. Ambroſius 5. de fide cap. 6. prope fin. Filius *totum Patrem gloria ſuæ maieſtatis expreſſit*. Idem eſt author hymni, quem canit Eccleſia: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*. Eodem modo loquitur Fulgentius lib. 3. ad Traſimundum cap. 8. & Anſelmus in monologio cap. 57.

18

19 *Iſidorus explicatur.*

Vnde collige, iuxta præſentem acceptionem totius pro perfecto, intelligendum eſſe, quod Iſidorus lib. 7. etymol. cap. 4. initio, dixit: *Trinitas appellatur, quod ſiat vnum totum ex quibuſdam tribus*. Impropriè tamen verbum, *fiat*, vſurpatum eſt pro verbo *eſſe* in tribus, aut *eſſe* tres perſonas. Denique Scholaſtici, citati pro dicto primo, fatentur, iuxta præſentem acceptionem, Deo rectè tribui nomen totius.

SECTIO IV.

Vtrum Deus ſit triplex & triplicitas, vel multiplex & multiplicitas.

1 RAtio dubitandi eſt, quia, *triplex*, ſignificare videtur idem, quod *Trinus*: & *triplicitas* idem quod *Trinitas*. Deinde *multiplex* eſt ſuperius ad *triplex*, quod eſt vna ex ſpeciebus illius apud Boëtium lib. 1. de arithmetica cap. 23. Ideóque quicumque triplex eſt multiplex. Eadem autem eſt ratio, vt multiplicitas inferatur ex triplicitate.

2 *Negatiuadeiſto.*

Nihilominus dico primò. Abſolutè loquendo, Deus non eſt triplex, nec triplicitas, nec multiplex, nec multiplicitas. Copioſior in hac veritate tradenda fuit Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. 7. & 8. & lib. 15. de Trinit. cap. 3. ante med. & ſerm. 38. de tempore in med. Auguſtinum imitatur Concilium Toletanum Vndecimum in profeſſ. fidei col. 2. dicens: *Non triplex, ſed Trinitas & dici, & credi debet*. Sed multo prius Clemens Romanus conſtitut. Apoſt. lib. 6. cap. 11. ſub init. Deum Patrem dicit, *Non congeminatum, vel multiplicem, ſed ſolum in æternitate*. Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratianum prope med. *Eſt*, inquit, *plenitudo Diuinitatis in Patre, eſt plenitudo Diuinitatis in Filio, ſed non diſcrepans, ſed vna Diuinitas. Nec confuſum quod vnum eſt, nec multiplex quod indifferens*.

3 Nazianzenus orat. 45. de Diuinitate ad Euagrium inter princ. & med. ita proponit quæſtionem ibi tractandam, *Quomodo diuinum numen accipi debeat, exponamus, ſimplex ne an triplex. Sic enim nos, & loqui & credere nominum ternio cogit*. Vbi quamuis probare videatur eam locutionem, *diuinum numen eſt triplex*, ſiquidem ad eam, dicit cogere Trinitatem: verè tamen reprobat, quoniam illud ſecundum membrum quæſtionis proponit, vt oppoſitum primo: & toto ſequenti contextu

contextu probat, diuinum numen eſſe ſimplex, nulla facta mentione de triplici. Vnde *triplicem* eo ipſo negat. Nominum igitur ternio cogit, ad inquirendum, an ſit triplex numen, vel ſimplex, non ad aſſerendum eſſe triplex.

4 Bernardus lib. 5. de conſideratione ad Eugenium circa med. ait: *Vero iudicio natura ſimplex multiplici antefertur*. Et poſt pauca: *Ne is quidem, qui duplex fuerit, erit meus*, ſcilicet, Deus. Iſidor. lib. 7. etymol. cap. 4. poſt med. *Trinitas*, inquit, *in relatiuis perſonarum nominibus eſt, Deitas non triplicatur, ſed in ſingularitate eſt, quia ſi triplicaretur, deorum inducimus pluralitatem*.

5 Magis expreſsè, Deum non eſſe triplicem, nec eſſe triplicitatem, docent communiter Scholaſtici, S. Thomas in præſenti quæſt. 31. art. 1. ad 3. Magiſter. 1. diſt. 19. cap. penult. Vbi S. Bonauent. dubio literali 3. Ricardus & Durandus in expoſitione literæ. Carthuſ. cum Petro quæſt. 3. fine. Alexander 1. q. 66. memb. 1. art. 4. Henricus 2. p. art. 73. q. 11. verſus fin. Magis ex profeſſo & exactè Vazquez diſp. 131. cap. 3. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. vlt. §. vlt. Cæteri expoſitores S. Thomæ vel Magiſtri ſententiarum tacitè conſentiunt.

6 Ratione probat S. Bonauent. ſimúlque diluit obiectionem, poſitam initio ſectionis, oſtendendo diſcrimen inter nomen *Trinus*, & quodlibet aliud nomen numerale; quoniam nomen *Trinus*, vel *Trinitas*, ſpecialiter ad hoc inuentum eſt, vt ſignificet pluralitatem ſuppoſitorum ſimul cum vnitate formæ, ſiue naturæ (ſupra diſp. 36. ſect. 7.) Cæterum hoc nomen *triplex*, ſiue *triplicitas*, & *multiplex* ſiue *multiplicitas*, non eſt ad hoc inuentum & impoſitum Theologorum authoritate. Quin potius Latinorum vſu ſignificat diſtinctionem ſimpliciter ac pluralitatem in termino, cui additur, vel quantum ad formam, vel quantum ad partium multiplicationem. Ideo ſi diceretur triplex, ſignificaretur, eſſe tres deos, aut tres Diuinitates; vel ſignificaretur, Deum eſſe compoſitum tribus partibus, aut tribus rebus, quomodocumque componentibus.

7 Confirmatur, quia nec Chriſtum Dominum appellari duplicem, patitur Alexandrina Synodus in epiſtola ad Cyrillum inter med. & fin. dicens: *Neque enim duplex eſt, ſed vnus ac ſolus Chriſtus, etiamſi ex duabus ac differentibus rebus in vnitatem, quæ diuidi nequeat, coïerit*. Ergo à fortiori non diceret triplicem Trinitatem, quæ non ex differentibus rebus coiuit in vnitatem, ſed eſt ſimpliciſſima.

8 Probatur ſecundò, quoniam triplex & multiplex ſunt ſpecies *maioris inæqualitatis*, vt Boëtius docet lib. 1. arithmeticæ capit. 23. Vnde merito S. Thomas dicta ſolutione ad 3. infert, quod *triplicitas ſignificat proportionem inæqualitatis: eſt enim ſpecies proportionis inæqualis*. Confirmatur, nam authores Latinæ linguæ *triplex* explicant, dicendo *triumplicarum*: ideóque compoſitionem ſignificat, & proportionem vnius ad tres partes.

9 Tertiò probat Auguſtinus 6. de Trinit. cap. 7. & 8. quia ſi Deus eſſet triplex; minor eſſet Pater ſolus, vel Filius ſolus, quàm ſimul Pater & Filius. Quod euidenter ſequitur ſuppoſita ſignificatione triplicis, quam nuper expoſuimus.

10 *Præoccupantur obiectiones.*

Vnde collige ſolutionem ad obiectiones, quibus aliqui neotherici oppugnant probationes Auguſtini & S. Thomæ. Neque enim inæqualitas colligitur ex Trino, ſicut ex triplici, propter rationem diſcriminis nuper adductam, ob quam licet ſolummodo dicamus, *Deus eſt Trinus*, non explicando, *quantum ad perſonas*, hoc ipſum ſignificatur nomine *Trinus*, ſed non ſignificatur nomine *triplex*. Deinde falſum eſt, quod adiungunt, nomen *multiplex* non eſſe nomen proportionis. Quin potius eſt generale nomen, complectens omnem proportionem inæqualitatis, vt nuper ex Boëtio retulimus.

11 *Tolerantur illa vocabula, ſi non referantur ad Deitatem.*

Dico ſecundò. Licitus erit & tolerandus vſus horum nominum, *duplex, triplex, triplicitas, multiplex*, aut *multiplicitas*, dummodo non referantur ad Deitatem, neque ad aliquid abſolutum, ſed expreſsè referantur ad notionalia, videlicet, perſonas, relationes, productiones, proceſſiones. Ideo licebit dicere triplicem perſonam Dei, duplicem perſonam producentem, aut duplicem proceſſionem, vel duplicem productionem; & dicere, Deum quantum ad perſonas eſſe multiplicem, aut triplicem, vel in Deo multiplicitatem eſſe perſonarum. Semper autem oportebit adiungere vnitatem eſſentiæ, vel aliud aliquid, ſignificans omnimodam ſimplicitatem & æqualitatem.

12 *Patres ita loquuntur.*

Ita Cyrillus Alex. dialog. de Trinit. lib. 3. col. 4. de Deo Patre Filióque bis repetit: *Duplex eſt in ſubſiſtentijs*. Et poſt pauca: *Duplicitas*, inquit, *in ſubſiſtentijs*. Et multo propius ad med. quàm ad princip. de Veteri teſtamento ait: *Prædicat quidem quod vnus ſit Deus, & nullo modo dilatat Diuinitatis naturam ad triplicitatem ſecundum ſubſiſtentiam: nec iterum congregat ad vnitatem naturalem. Hoc enim nos noua docuit Scriptura*. Videlicet, expreſsè & manifeſtè.

13 Nazianzenus orat. 39. in ſancta lumina prope med. num. 23. *Deum*, inquit, *cum dico, vno eodemq; triplici lumine perſtringamini: triplici quidem quantum ad proprietates ſiue hypoſtaſes, vnum autem quantum ad ſubſtantiæ, hoc eſt Diuinitatis rationem*. Eadem verba repetuntur à Niceta in Scholiis ad eum locum. Allegantur autem à Ioanne Papa ſecundo epiſt. 2. ad Senatores (quæ ſolet appellari lib. de duabus naturis contra Eutychianos) propius ad med. quàm ad princ. Sed pro *triplici lumine*, tranſtulit *tribus luminibus*. Quapropter apertè ſupponit, *Triplex* idem valere quod *Tria*. Idem Nazianzenus orat. 45. de Diuinitate ad Euagrium inter med. & fin. *Saluator*, inquit, *noſter & Spiritus ſanctus geminus ille Patris radius*. Et prope fin. *Pater biſtua quadam & biſida Filij & Spiritus ſancti intellectuali ad nos miſſa gratia*. Loquitur autem de perſonis ad nos miſſis, non de illarum ſolis effectibus, vt contextus manifeſtat.

14 Auguſtinus in lib. meditationum cap. 30. init. *Diuinitas*, inquit, *perſonarum pluralitate multiplex*. Colligitur etiam ex Auguſtino epiſt. 102. ad Euodium prope med. dicente: *Legitur quidem & Spiritus ſapientiæ multiplex, ſed rectè dicitur etiam ſimplex. Multiplex enim, quoniam multa ſunt, quæ habet. Simplex autem, quia non aliud, quàm quod habet, eſt. Sicut dictus eſt Filius habere vitam in ſemetipſo, & eadem vita ipſe eſt*. Quod ſi ratione attributorum & plurimarum perfectionum, quas ita Deus habet, vt ſint ipſe Deus; merito dicitur multiplex & ſimplex: potiori iure ratione trium perſonarum realiter diſtinctarum, quæ ſunt ipſe Deus, poterit appellari multiplex ſiue triplex, & ſimplex. Sapient. 7.

15 Confirmatur, quoniam hunc modum loquendi nó omnino reſpuere, ſed tantum meliori poſtponere, videtur Auguſt. ſerm. 38. de temp. in med. cum ait: *Trinitas potius, quàm triplex dicenda eſt*.

16 Pro eadem locutione S. Bonauent. ſupra citatus refert Iſidorum, & in eius margine notatur lib. 7. etymolog. cap. 4. Cæterum neque in eo, neque in alio loco Iſidorus expreſsè dicit, Trinitatem

tatem esse multiplicem. Fortasse Bonauent. hoc intulit, quia dixit Isidorus, *Trinitatem esse in relatiuis, Deitatem non triplicari*, quasi supponeret, Trinitatem esse in relatiuis, idem esse quod triplicari relatiuè. Quæ verba Isidori retulimus pro dicto primo. S.Thom.de potent.quæst.10.art.2. corp. sub init. dicit, *Duplici processione communicari naturam diuinam.*

17 Ratione probatur, quia nomen *triplex*, etiam apud profanos authores, aliquando significat numerum ternarium, præsertim earum rerum, quæ ad aliquid vnum quocumque modo pertinent, vt Cicero ad Atticum dixit *Triplices literas.* & Virgilius, *triplicem triumphum* Cæsaris, & alter *triplicem murum* ciusdem ciuitatis. Cum igitur verè sint tres personæ Dei vnius, non absurdè vocabitur persona triplex.

18 Nec S.Thomas & alij Scholastici supra citati contradicunt assertioni præsenti; quoniam apertè loquuntur de hac propositione: *Deus est triplex*, vel *Deus est triplicitas*, non facta mentione propositionum, quæ triplicitatem aut multiplicitatem limitant ad personas. Præter Vazquez & Suarez citatos, qui secundam assertionem docent.

19 Dico tertiò. Vocabulum, *triplus*, nullo sensu tribuendum est Deo; quia sub vna tantum significatione sumitur ab authoribus, tanquam synonymum triplicis, videlicet, vt significat proportionem maioris inæqualitatis, quod videre est apud Boëtium 1.arithmeticæ cap.23.nec vnquam accipitur pro ternario rerum. *Triplus non toleratur vllo sensu.*

20 Ex dictis colligitur tandem, Theologica correctione dignam esse poëticam licentiam Mirandulani, dicentis: *Vnum in triplici numine numen habet*, quia numen Diuinitatem significat, vel voluntatem aut potestatem diuinam. Itaque semper significat aliquid absolutum, & nunquam aliquid relatiuum.

SECTIO V.

Vtrum simplicitas Trinitatis sit prædicatum relatiuum, vel potius absolutum, ab vnitate distinctum.

1 *Ratio dubitandi.* VIdetur, quod non sit absolutum & essentiale, sed relatiuum, & notionale. Quia simplicitas diuina comprehendit omnes personas & relationes collectiuè, sine quibus non plenè ac totaliter intelligitur diuina simplicitas. Etenim quamuis essentia nullis ex partibus coalesceret; Deus non foret simplex, si relationes compositionem inter se facerent. Hæc ratio dubitandi redditur clarior collatione simplicitatis cum essentialibus attributis. Sapientia quippe nullo modo comprehendit personas, sed plenè ac totaliter intelligitur ab illis abstrahendo.

2. *Simplicitas Trinitatis est absoluta & essentialis.* Nihilominus Dico primò. Simplicitas Trinitatis est perfectio essentialis & absoluta, per transcendentiam collectiuam, non per determinationem & præcisionem solius essentiæ. Pro cuius declaratione & probatione notandum est, diuinas perfectiones esse in duplici genere. Aliæ namque non afferunt transcendentiam, sed præcisam Deitatem. Cuiusmodi est sapientia, charitas, potentia. Aliæ perfectiones, per transcendentiam collectiuam & vniuersalissimam, complectuntur quidquid est entitatis in Deo: propterea que complectuntur non solum essentiam, sed etiam relationes & processiones. Huiusmodi est infinitudo in genere entis, & perfectio simpliciter in ratione Dei, & multæ aliæ perfectiones includentes infinitatem in genere entis, de quibus dictum est disput.27.28. & 30. Confirmatur, hac enim de causa non debemus concedere, tres personas diuinas esse tres simplicitates, sed esse tantùm vnam simplicitatem, quia simplicitas includit totam Trinitatem & infinitatem in genere entis, vt probatum est disp.28. sect.4. dicto 2.

Ex his colligo & Dico secundò. Simplicitas est perfectio formaliter ab vnitate distincta per intellectum. Ita Ricardus 1. dist.24. artic.3. q.3. Vbi Carthus.quæst.5.fine. Probatur primò, quoniam vniuersales cóceptus istarum perfectionum, abstrahentes à Deo & creaturis, reperiuntur realiter distincti & separati. Nam vnitas conuenit cuilibet enti tanquam passio conuertibilis cum ente: simplicitas autem non conuenit omni enti, quia non conuenit corporibus compositis. Sic enim vnitas Petro conuenit, cui repugnat simplicitas. 3 *Simplicitatis distinctio ab vnitate.*

Probatur secundò, quia simplicitas excludit compositionem & possibilitatem illius; ita vt quod simplex est nec possit esse compositum, nec possit in compositionem cum aliis entibus venire. Sic enim accipienda est perfecta simplicitas, quæ soli Deo conuenit, & angelis solummodo quantum ad substantialem compositionem. Vnitas autem formaliter & præcisè ratione sui non excludit compositionem, sed solummodo diuisionem in se ipso. Probatur tertiò, quia simplicitas formaliter videtur dicere positiuam perfectionem, qua excluditur compositio: sed vnitas de formali negationem dicit. Quartò, quia simplicitas diuina, vel includit, vel supponit vnitatem essentiæ, superaddit tamen eminentiam, ratione cuius, quidquid habet Deus, est integer Deus: ideóque nihil est pars Dei, neque alio modo componens Deum. 4

Obiici potest Bernardus lib. 5. de considerat. ad Eugen. post medium dicens: *Non est compositus Deus, merum simplex est, & vt liquido noueris quid simplex dicam: idem quod vnum. Tam simplex Deus, quàm vnus est.* Respond. *Vnius* nomen Bernardus ibi restrinxit ad illud solummodo, quod non est compositum. Quo sensu paulo superius dixerat: *Vnum est, sed non vnitum.* Vel forsallè Bernard. propterea dixit, idem esse simplex & vnum, quoniam mutuò se inferunt, si accipiantur in gradu perfectissimo. 5 *Obiectio.* *Soluitur.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius sit alius à Patre.

DISPVTATIO XXXIX.

Identitas aut distinctio diuinarum personarum quibus vocabulis & eorum casibus exactè vel propriè significetur.

SECTIO I.

Necessitas huius doctrinæ, & generales regulæ.

1 *Cautissima modestia loquendi de Trinitate.* VPPONO, cum de omnibus mysteriis fidei, tum vel maximè de Trinitate loquentibus, opus esse cautissima & temperatissima modestia, ne leui quidem mutatione vocis

vocis recedendo à modo loquendi Scripturæ & antiquorum Patrum. Omnibus namque Theologis præscriptam legem denuntiat Dionysius de diuin.nomin.c.1.in princ.dicens: *Sit quoque nobis illa diuinorum Scriptorum ante præscripta lex, vt veritatem doceamus eorum, quæ de Deo dicuntur, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis Theologorum, quæ agitata est à Spiritu.* 1.Corinth.2. Et post pauca: *Omnino igitur non audendum est quidquam de summa abstrusaq; Diuinitate, aut dicere aut cogitare, præter ea, quæ nobis diuinitus scripta diuina enunciauerunt.* Et paucis interiectis: *Debemus eatenus ad supera contendere, quatenus diuinorum Scriptorum radius se ipse effert, ita dumtaxat, vt ad superiorem splendorem moderatione & reuerentia, quam rebus diuinis debemus; coërceamur.*

2 Augustinus lib. 1. de Trinit. capit. 3. sub init. *Maximè*, inquit, *in iis, vbi quæritur vnitas Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti, quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* Et lib.10. de ciuit. cap.23. post med. *Liberis*, inquit, *verbis loquuntur philosophi, nec in rebus, ad intelligendum difficillimis, offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.* Agit autem potissimùm de mysterio Trinitatis.

3 Damascenus lib. 1. fidei capit.2. fine ait: *Non igitur fieri potest, vt præter illa, quæ diuinitus sacra nobis & Veteris & Noui testamenti enunciarunt eloquia, quæve dixerunt & manifestarunt, quippiam eloquamur de Deo, aut penitus intelligamus.* Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 1. monet & ex professo probat, ad veram huius mysterij cognitionem, opus esse non modo syllabas, sed etiam nutus, & eorum significationem obseruare diligenter. Atque concludit: *Si ex lege, nec vnum iota, nec apex vnus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit, vel minutissima transiliisse?* De quo dicemus disp. penultima & vltima.

4 Nazianzenus orat. 26. de moderatione in disputationibus seruanda multo propius ad med. quàm ad fin. valde commendat sobrietatem, modestiam & humilitatem in disputationibus de Trinit. & inter alia dicit: *Ego certè humilitatis ac modestiæ laudem huic demum tribuerim, non qui de se ipso pauca, idque apud paucos, & raro commemorat, nec qui inferiorem humiliter affatur, sed qui parcè ac moderatè de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædam premere, & retinere, quorundam etiam inscitiam fateri noui.* Et longè inferius col. sequenti. *Verba ea, quibus simul cum lacte imbutus es, mordicus retine: sermonis autem & disputationis curam eruditioribus manda.*

5 Hieronymus epist. 57. ad Damasum de hypostasibus, diligenter ac sollicitè discutit istius vocis vsum & significationem, & post med. ait: *Non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt.* Et post pauca timet, ne venenum sub melle lateat, & Satanas se transfiguret in angelum lucis. Insuper ab omnibus Scholasticis recipitur, quòd Magister ex Hieronymo retulit 4. sentent. dist.13. fine, & ex eodem Hieronymo S.Thomas inseruit præsenti quæstioni 31. art.2. corp. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis.* Hoc diligenter quæsitum non reperitur apud Hieronymum, neque in propriis, neque in suppositiuis operibus. Potuit tamen aliquis id colligere ex epist. 57. nuper citata, vel ex commentario Hieronymi in Ecclesiasten. cap. 5. sub init. ad illud: *Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.* Nam exponit, *debere verba nostra esse moderata. Sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter, de quibus cogitat: ita qui plura voluerit de Diuinitate disserere, incidit in stultitiam.* Nulla verò deterior stultitia, quàm hæresis. Ad eandem doctrinam confirmandam faciunt omnia, quæ ex sacris literis & Patribus posita sunt tota disp.5.

Prædictorum ergo nominum conuenientior vsus & exactior penetrabitur ab intellectu profundiùs, & memoria retinebitur firmiùs; si generales regulas priùs tradamus, quas in sectionibus sequentibus per singula membra distributas, probemus testimoniis sacræ Scripturæ & Patrum. Prima & generalissima regula sit. In declaranda personarum vnitate, cauendæ sunt voces, quæ confusionem earum possunt inducere, quocumque modo denotando, non esse plures personas realiter distinctas: sicut è contrario in declaranda distinctione personarum, cauendæ sunt voces, quæ quocumque modo denotare possint distinctionem naturarum, siue essentiarum. 6 *Regula prima.*

Secunda regula. Quæcumque vocabula significant vnitatem ac identitatem, vel significant distinctionem, quando ponuntur in ea terminatione, quam Grammatici vocant neutrius generis, & non adiunguntur alteri nomini substantiuo: tunc referuntur ad essentiam, non ad personas: quia sumuntur substantiuè. Ideo de fide verum est, quo affirmant nomina vnitatis & identitatis in neutra terminatione, & hæreticum est, quod affirmant nomina distinctionis in neutra terminatione. Cuius ratio magis explicabitur sect.5. ad obiectionem primam. 7 *Secunda regula.*

Tertia regula. Quæcumque vocabula significant vnitatem siue identitatem aut distinctionem; si ponantur in terminatione masculini generis, licet non adiungantur alteri nomini substantiuo, referuntur ad personas, non ad essentiam; quia sumuntur adiectiuè. Ideo de fide verum est, quod affirmant nomina distinctionis in terminatione masculina: & hæreticum, quod affirmant nomina identitatis & vnitatis in eadem terminatione masculina. 8 *Tertia regula.*

Quarta. Multoties prædictis vocabulis adiungitur nomen substantiuum, ratione cuius determinantur ad personas significandas, etiam in terminatione neutra. Quemadmodum si dicas, *Vnum suppositum*, aut *distinctum suppositum*: vel determinantur ad essentiam significandam, etiam in masculina terminatione, veluti dicendo, vnus Deus, idem bonus & sapiens. Tunc igitur. Veritas propositionis ex substantiuo superaddito colligenda erit; vt magis constabit in sectionibus sequentibus. Quintò denique, de nominibus significantibus vnionem, coniunctionem, compositionem, continuationem, dictum est satis præcedenti disp.38. sect.2. 9 *Quarta regula.*

SECTIO II.

Testimonijs probatur, ea quæ significant vnitatem, in neutro, & non in masculino genere posse de diuinis personis affirmari.

1 DE nominibus eiusmodi, quando copulantur alteri nomini substantiuo, dicemus sect. sequenti. In præsenti solummodo tractamus, quando talia nomina ponuntur sola & separata.

Gramma

Grammaticam istam, apprimè theologicam, & cauendis erroribus necessariam, primus docuit Christus Dominus Ioan. 10. dicens: *Ego & Pater vnum sumus*, à quo Ioannes edoctus prima canonica capit. 5. dixit: *Hi tres vnum sunt.* De quibus verbis, quantum attinet ad inferendam ex illis simul vnitatem essentiæ distinctionémque personarum, dictum est satis disp. 19. sect. 2. & disp. 20. sect. 6.

2 *Vnitatis nomen in neutro genere probatur.* Nunc solummodo probanda restat theologicæ locutionis regula, præfixa sectionis titulo, cuius generalem rationem dedimus sect. præced. regula 2. & 3. Athanas. lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. *Tres*, inquit, *sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus: & in Christo Iesu vnum sunt, non tamen vnus est, quia non est eorum vna persona.* Statímque declarat, esse *vnum & idem naturâ Deitatis.* Cui doctrinæ consequenter loquitur lib. 4. aduersus Vrbicum Potentinum prope fin.

3 Nazianzenus orat. 35. in med. dicit, Patrem & Filium *esse idem naturâ.* Et orat. 36. quæ est 4. de Theologia multo propius ad fin. quàm ad med. ait: *Essentiâ idem.* Et orat. 37. quæ est 5. de Theologia inter princ. & med. *Neque Filius est Pater, sed quod Pater. Nec Spiritus est Filius, quia ex Deo est, sed quod Filius: tria hæc vnum, si Diuinitatem spectes, & vnum tria, si proprietatum rationem habeas.* Atque ita orat. 49. de fide col. 3. notat Ioan. 10. *Vnum aut vnitatem Diuinitatis* esse relatum. Plura ex eodem Nazianzeno & sexta Synodo act. 11. & septima Synodo act. 3. & ex Theodoreto & aliis Patribus inuenies disp. 26. sect. 3.

4 Basilius lib. vnico de Spiritu sancto capit. 18. versus med. de Patre & Filio sic loquitur: *Iuxta personarum proprietatem vnus sunt, & vnus: aut iuxta communem naturam, vnum sunt ambo.* Vnde manifestè colligitur, quod Pater & Filius non sunt vnus, siquidem sunt ambo, & sunt *vnus & vnus:* nihilominus sunt *vnum.* Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 8. fine de Filio ait: *Procedit ab ipso* (Patre) *alius quidem ab ipso, sed vnum naturâ.* Et lib. 2. thesauri cap. 3. inter med. & fin. ait: Pater & Filius *vnum naturâ sunt.* & lib. 12. thesauri cap. 6. sub init. *Quoniam Deus simplicissimus est, non est aliud ipse, aliud virtus sua, hoc est, Filius suus, sed vnum & idem essentialiter ac naturaliter.* Sic etiam in neutro genere *vnum* scribit frequenter in eodem thesauro, præsertim lib. 3. cap. 1. & 2. lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. 1. & lib. 7. cap. 2. prope fin. & lib. 9. cap. 1. post med.

5 Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 11. supra dicta verba Christi Domini sic expendit: *Non dixit vnus sum, sed ego & Pater vnum sumus: vt neque abalienemus, neque contractionem Filiopatoria fabricemus,* id est, confusionem Patris cum Filio. & catechesi 17. propius ad med. quàm ad fin. *Vnum existens cum Patre & Filio hic Spiritus.*

6 Epiphanius hæres. 57. pag. 2. *Quomodo*, inquit, *fuerit Pater idem, qui & Filius est?* quasi diceret, nullo modo. & infra: *Non dixit, ego & Pater vnus sum, sed Ego & Pater vnum sumus.* Deinde hæres. 62. ad med. ponderans eadé verba, notat: *Duo dixit, & non dixit vnus sum, sed vnum.* Idémque repetit propius ad fin. quàm ad med. eiusdem hæresis. Eodem sensu Gregorius Bæticus vtitur eisdem verbis *Vnum sumus* lib. de Trin. frequenter præcipuè col. 7. & 8. Ambrosius lib. 6. Hexæmeron. c. 7. in med. & multoties in quinque libris de fide ad Gratianum, & tribus libris de Spiritu sancto, & lib. 1. de Filij Diuinitate cap. 2.

7 Hilarius lib. 3. de Trinit. col. 2. de Patre & Filio dicit: *Vterque vnum, non duo vnus.* Similitérque loquitur multo propius ad fin. quàm ad med. eiusdem libri. Præterea lib. 7. de Trin. col. 2. *Quod vnum sunt*, inquit, *refertur ad vtrumque, & vterque non vnus est.* Et lib. 8. de Trinit. col. 4. *Vitium*, inquit, *omne ad duum deorum & Dei singularis extinguitur: cum qui vnum sunt, non sit vnus, & qui non vnus est, non tamen ab eo qui est, ita ex aliquo differat, vt vterque non vnum sint.* Quibus consonat lib. 6. de Trinitate inter princ. & med.

8 Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmat. inter princ. & med. & iterum ante med. ait: *Quod est generans Pater, hoc est qui genitus est Filius.* Et idem dicit de Spiritu sancto. Ignatius epist. ad Trallianos paulo post med. de Filio ait: *Hoc ipsum est, quod & Deus.* videlicet Pater.

9 Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 9. circa verba Christi Domini. Ioannis 17. *Sicut & nos vnum sumus.* Ponderat, non dixisse *vnus*, sed *vnum.* Atque talia verba referri ad essentiam, notat sequenti lib. 5. cap. 9. & lib. 6. cap. 2. fine & cap. 3. & aliis in locis. & serm. 38. de tempore multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Vnum sumus, id est, quod ille, hoc & ego, secundum essentiam, non secundum relationem.* Et sermone 38. de tempore versus fin. *secundum substantiam*, inquit, *hoc est Filius, quod Pater, hoc Pater quod Filius.* Et post pauca: *Iuxta personæ proprietatem non est Pater, qui Filius, nec Filius qui Pater.* Leo magnus serm. 2. de Pentecost. cap. 3. *Quod enim*, ait, *Pater est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus.*

10 Propter eandem rationem Filius esse dicitur *hoc ipsum quod Pater est, & totum quod Pater est*, sed *non ipse qui Pater est*, vt nuper vidimus ex Dionysio & Anastasio. Sixtus Papa secundus epist. 1. ad Gratum Episcopum (extat post Concilium Carthaginense tom. 1. Concil.) ait: *Quod Pater est, id etiam est Filius.* Nazianzenus supra citatus dixit: *Filius est quod Pater.*

11 Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus c. 5. *Filius*, inquit, *est hoc quod Pater; non tamen ipse qui Pater.* Ambros. lib. 1. de fide ad Gratian. capit. 2. multo propius ad med. quàm ad princ. *Non enim* ait, *Pater ipse qui Filius.* Idem omnino dicit Beda Ioan. 14. ad illud: *Si cognouisset is me*, &c. Concil. Toletanum Vndecimum in confess. fidei post med. *Non ipse Pater, qui Filius, sed ipsum est.* Et statim explicat quod *ipse* refertur ad personas, *ipsum* ad naturam.

12 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. post med. *Teneamus*, inquit, *esse vnum Deum, nec tamen ipsum Patrem esse, qui Filius est, neque Filium ipsum esse, qui Pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse, qui Pater, aut Filius est.* Bernardus epist. 190. ad Innocentium col. 2. *Totum*, inquit, *est Pater, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse & Pater & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod ipse & Pater & Filius.* Similia ex Damasceno referemus sect. sequenti.

13 *Obiectio prima.* Obiicies primò quod Hierotheus apud Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. prope fin. de Deo ita disserit: *Neque vnum est, neque vnius est particeps, nec vnũ in se continet, sed procul ab his distat, superatq; vnum, quod & vnum est iis quæ sunt, & multitudo indiuidua, inexplebilis, plusquàm plena & expleta, omneq; vnum, ac multitudo, quæ res & in lucem proferunt, & perficiunt & continent.*

14 *Soluitur.* Respond. Hierotheus & Dionysius superiori contextu profitentur, nullum nomen propriè conuenire Deo, quoniam superior est quacumque perfectione

perfectione, quam possumus excogitare. Quapropter quemadmodum in eodem aliisque libris Deũ laudat vt bonum & sapientem: sic etiam profitetur, esse vnum, præcipuè dicto cap. 2. non valde procul à princ. ita producens testimonium Ioannis 10. *Cum diuinum Verbum ipsum dixit: Ego & Pater vnum sumus* &c.

15 *Obiect. 2.* Obiicies secundò, quia nonnunquam in numero plurali & non in genere neutro, sed in alio genere significatur vnitas personarum. Nazianzenus enim orat. 36. quæ est 4. de theologia col. penult. *Huiusmodi*, ait, *simplicium rerum natura est, vt non partim inter se similes sint, partim dissimiles, sed totæ totas repræsentent, eademque potius sint, quàm similes.*

Soluitur. Respond. hoc licuisse, quoniam pronomen *eadem* adhæret rebus: subintelligũtur enim ac si diceret, *res eadem.* Cum igitur Pater, Filius & Spiritus sanctus sint *tres res* supra disp. 26. sect. 1. & simul etiam sint vna res; ideo dici potuit, esse totas res eaſdẽ. Sed non est imitandus hic loquendi modus.

16 *Obiect. 3.* Tertia obiectio, quoniam amphibologia quandoque committitur in huiusmodi vocibus. Nam si Pater & Filius absolutè, idest, sine vllo addito, dicuntur *esse idem*, locutio erit ambigua, quoniã vox *idem* vtrique generi deseruit, neutro & masculino. Vnde sicut neutraliter accepta, propositionẽ reddet veram; ita masculinè sumpta, reddet propositionẽ falsam. Respond. Ambiguitas hæc tollitur primò, quando Pater & Filius & Spiritus sanctus ponuntur in accusatiuo, ita vt vox *idem* debeat intelligi in casu accusatiui, in quo non potest esse masculini generis. Quemadmodum Nazianzenus orat. 35. in med. post num. 37. dixit, *Ingenitum & Genitum idem esse.*

Amphibologia in his vocibus tollitur tribus modis.

17 *Secundus modus.* Secundò frequẽtius ambiguitas tollitur explicatione naturæ vel personarum. Quemadmodum Nazianzenus paulo post verba nuper citata dicit: *Hæc Geniti natura est, vt idem, si naturam spectes, sit cum eo qui genuit.* Et paucis interiectis: *Si ipsam Ingeniti & Geniti proprietatem, non idem sunt; sin autem ea, quibus hæc insunt, quid vetat quominus idem sint?* Et sequenti orat. 36. multo propius ad fin. quàm ad med. *Filius mihi dici videtur: quia essentia idem est cum Patre.*

18 *Tertius modus.* Tertiò tollitur ambiguitas ex adiunctis. Quẽadmodum Lateranense Concil. cap. *damnamus* de Summa Trin. de Filio dicit: *Alius, nõ aliud, sed idem omnino.* Et Guitmundus Archiepiscop. Auersanus in confess. de S. Trinitate statim post prœmium ait: *Nõ dico quod idem ipse sit Pater & Filius & Spiritus sanctus: sed dico quod idem ipsum est Pater & Filius & Spiritus sanctus. Cum dico, ipse, ostendo personam, quæ est Pater, vel Filius vel Spiritus sanctus: Cum verò dico, ipsum, ostendo substantiam, quæ est Deus.*

19 Aliquo ex his modis erit euitanda æquiuocatio, quãdo dixerimus, Verbum diuinum esse *idem ipsum quod Pater.* Nam hæc verba possunt & ad personam Verbi referri & ad naturam. Ideo Augustin. serm. 38. de tempore multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Verbum, quod solus est Filius, erat apud Deum, quod non solus est Pater, sed Pater & Filius simul Deus.*

20 *Obiectio. 4.* Quarta obiectio, quoniam Tertullianus lib. de Trinit. cap. 22. ait: *Vnum neutraliter positum, societatis concordiam, non vnitatem personæ sonat.* Probat autem 1. Corinth. 3. *Qui plantat & qui rigat, vnum sunt.* Respond. Imprimis ille liber non est Tertulliani, sed Nouatiani presbyteri Romani, prius quàm laberetur in hæresim. Secundò, Christi Domini Diuinitatem ex eisdẽ verbis colligit. Tertiò ponderat, non dixisse *vnus*, sed *vnum*, & quantum

Soluitur.

ad hoc fauet regulæ præsenti. Quartò, verum est aliquando significare vnitatem concordiæ, vt Ioan. 17. *vt sint vnum*, &c. Denique *vnum* quando dicitur de diuinis personis, referri non ad solam vnitatem concordiæ, sed ad vnitatem naturæ, vidimus disput. 20. sect. 6.

SECTIO III.

De interrogatione Quid est? *neutraliter; vel* Quis est? *masculinè.*

1 *Quid, essentiam, quis personam inquirit.* COrollarium ex præcedenti doctrina deducitur, absolutè verum esse quod post Ricardum obseruarunt antiquiores scholastici, videlicet, ad interrogationem *quid est*, neutraliter positum, responderi definitione, vel aliquo prædicato communi; quoniam talis interrogatio debet intelligi de substantia & essentia. Cæterum ad interrogationem *quis est*, masculinè positum, respondetur proprietate singulari & particulari; quoniam talis interrogatio debet intelligi de persona.

2 Ita Ricard. Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 7. Quem magis ex professo sequitur Albertus 1. par. q. 41. memb. 2. artic. 2. corp. Alexand. 1. part. quæst. 56. memb. 2. corpore. Quibus consonat q. 65. memb. 2. artic. 1. corp. & art. 2. fine. Atque idem sentiunt S. Thomas, & S. Bonauent. locis infra citandis, præcipuè S. Thomas 1. par. quæst. 31. artic. 2. ad 4. Ricardus citatus probat indicio; nam quando corpus aliquod nimium distans, vel dubia luce videntes, dubitamus, cuius generis sit: interrogamus, *Quid est?* Cum autem iam nobis constat, esse hominem, interrogamus *Quis est?*

3 *In neutra terminatione sumitur substantiuè, alio-quin adiectiuè.* Potior autem est ratio, quæ sumitur ex propria significatione nominis, aut pronominis, siue relatiui, quando ponitur in terminatione neutra. Tunc enim substantiuè sumitur, propterquáque refertur ad substantiam & essentiam. Sed quando ponitur in terminatione masculina, sumitur adiectiuè, supplendo substantiuum aliquod: veluti *quis homo* vel *quis Deus.* Idcóque non refertur ad substantiam communem, sed ad particularem & indiuiduam differentiam. Quod fusiùs explicuit Albertus suprà citatus. Hic loquendi modus, licet sit magis proprius, atque vt plurimum vsurpandus; attamen non est simpliciter & generaliter requisitus ad proprietatem sermonis. Excessit enim Ricardus suprà citatus, taxans vt impropriam locutionem eam, quæ discrepauerit à regula suprà dicta.

4 Quantum ad interrogationem *quis*, consonat Augustin. serm. 38. de tempore versus med. dicens: *Exempli gratia: Si quæris quid sit Abrahã iuxta substantiam: respondetur, homo. Si quæris de Abraham cur pater sit: relatiuè respondetur, quia Filium habet Isaac. Si quæris de Isaac cur sit filius: relatiuè respondetur, quia patrem habet Abraham. Omnis verò relatio ad aliquid aliud refertur: & hæc regula relationis in personis S. Trinitatis intelligenda est.*

5 *Exceptio.* Præterea non rarò, imo absque vlla impropriate, ad *quid est* neutraliter acceptum, responderi personam vel suppositum, & non essentiam siue substantiam, notant ex professo S. Thomas 1. p. quæst. 29. art. 4. ad 2. & de potent. quæst. 9. artic. 4. ad 1. & 1. dist. 23. quæst. vnica artic. 2. ad 4. S. Bonauent. distinct. 25. artic. 1. quæst. 1. versus fin. Nec dissentiunt Albertus & Alexand. nuper citati. Communiter autem Scholastici sunt eiusdem sententiæ.

6 Confirmari potest primò ex August. lib. 7. de Trinit. cap. 4. quem refert & sequitur Magister. 1. dist. 23. cap. *Pater.* & sequentibus. & distinct. 25. cap. 2. fine, vbi docet, hæreticis quærentibus, *quid tres?* Catholicos respondere, *tres personas.* Confirmatur secundò, quoniam interrogatione *quid est*, inquiritur rei quidditas. Sunt verò tres quidditates relatiuæ trium personarum, vt vidimus disput. 24. sect. 5. dicto 1. fine.

SECTIO IV.

Non aliud, *sed* alius: *non* alterum, *sed* alter.

1 RElatiua diuersitatis in præsenti sect. declaranda sunt, quando ponuntur per se absque alio substantiuo, propterea que sumuntur cathegorematicè, vt logici vocant. Quemadmodum in hac propositione, *Filius est aliud à Patre*, vel in altera, *Filius est alius à Patre.* Nam iuxta doctrinam Conciliorum & Patrum, deductam ex Sacris litteris, hæretica est prior illa propositio, *Filius est aliud à Patre*, & vniuersaliter quæcumque propositio, in qua *aliud*, vel *alterum* neutraliter positum, affirmetur de vna persona diuina, comparatione alterius. Ratio autem est eadem, quæ posita est in sectionibus præcedentibus, quia neutraliter positum absque alio substantiuo, sumitur substantiuè; ideóq; significat distinctionem essentiarum. Sed è contrario de fide est posterior illa propositio, *Filius est alius à Patre*, & vniuersaliter quæcumque propositio, in qua *alius* vel *alter*, masculinè positum, affirmetur de vna persona diuina, comparatione alterius. Quia masculina terminatio neque accipitur substantiuè, nec refertur ad essentiam, sed ad personam, vt magis explicabitur sect. 5. ad obiectionem primam.

De fide est Filium esse alium à Patre.

2 Probatur primò, Ioan. 5. *Alius est qui testimonium perhibet de me*, videlicet, Pater alius à Filio. Et Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Ex quibus locis præsentem loquendi regulam deducunt Patres citati disput. 19. sect. 4. probat. 5. & infra citandi.

3 Secundam probationem ex Conciliis & Patribus in duo membra distribuo. Primum erit de vocibus *aliud* & *alius.* Quarum discrimen obseruat Concilium Ephesin. cap. 7. prope fin. cuius verba referemus sect. 5. sub init. & Concil. Lateranense sub Innocent. III. cap. *damnamus* de summa Trinit. post med. dicens: *Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen alius: sed id quod est Pater & Filius & Spiritus sanctus idem omnino: vt secundum Orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur.* Concilium Toletan. Primum in assertione fidei circa med. anathematizat eum, qui dixerit, *Deum Patrem eundem esse Filium vel Paracletum.* Concil. Toletanum vndecimum in professione fidei sub init. *Non aliud,* inquit, *quàm quod ipse est, Deus genuit Deum.* Ignatius epist. ad Tarsenses circa med. ponderãs verba 1. Cor. 15. concludit: *Ergo alius est, qui subiecit Filio omnia, & alius Filius, cui subiecta sunt omnia.*

4 Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de theologia inter prin. & med. *Alius,* inquit, *Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appellatur.* Et in carmine arcano 1. post med. docet. *Sermonem esse alium à Patre.* Rursus orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos paulo post med. Spiritum sanctum esse eiusdem essentiæ cum Patre & Filio, docet hac circumlocutione: *Id quod cum principij experte & cum principio est, nihil omnino est aliud, quàm quod illa. Nomen autem principij experti Pater, Principio Filius, ei autem quod cum principio est, Spiritus sanctus.* Athanas. lib. 2. de propriis personis in med. & li. 4. aduersus Vrbicum Potentinum paulo post init. frequenter repetit *alter* & *alius*, & confirmat Ioan. 14. citato.

5 Basil. homil. 28. contra Sabellianos inter princ. & med. *Alius est,* inquit, *Pater, qui misit, & alius Filius, qui missus est.* Idem docet Basilius in orat. contra eos, qui nos calumniantur, quod tres deos colamus, post med. Chrysost. tom. 5. orat. 1. de illo Euangelico oraculo *in principio erat Verbum,* docet, Spiritum sanctum *non esse aliud quidpiam à Dei natura.* Theophylact. Ioan. 1. ponderãs illud, *Et Verbum erat apud Deũ: Manifestè,* inquit, *hoc loco alium esse Verbum, & alium esse Patrem, declarat Magnus Ioannes etiã si non sit aliud & aliud. Alius enim & alius de persona dicitur, aliud & aliud de naturis.*

6 Epiphan. hæres. 76. vers. fin. ad cap. 47. Aëtij ait: *Non aliud à sua essentia Pater gignit.* Et in Ancorato col. 3. cõcedit, Patrem esse alium à Filio, ponderans illud Ioan. 5. *Alius est, qui testimonium perhibet de me.* Theodoretus Hebr. 1. ad illud *figuræ substantiæ eius,* dicit: *Filium esse alium à Patre; quod attinet ad rationem proprietatis.*

7 Cyrillus Alexand. lib. 2. thesauri cap. 1. sub init. *Alius,* inquit, *est Pater, alius est Filius: & alius est principium, alius ex principio.* & lib. 10. thesauri cap. 1. inter med. & fin. *Alium esse personaliter Filium à Patre.* & lib. 12. thesauri cap. 15. sub init. de Filio ait: *Alius quidem hypostaticè à Patre, sed non alius ratione substantiæ.* & non longè inferiùs: *Quomodo verus genitoris fructus aliud natura, quàm genitor suus erit?* eodem lib. 12. cap. 6. sub init. dixerat: *Non esse aliud Patrem, aliud Filium.* Sophron. Patriarcha Constant. in Sexta Synodo act. 11. epist. professionis fidei col. 4. *Pater,* inquit, *& Filius & Spiritus sanctus aliud & aliud & aliud non dicantur.*

8 Origenes hom. 12. in cap. 21. Numerorum col. 2. notat, Filium esse aliũ à Patre, & Spiritum sanctum esse alium à Patre & Filio. Confirmátque suprà dictis testimoniis Ioan. cap. 5. & cap. 14. Eusebius Cæsariensis demõstrat. Euang. lib. 4. cap. 3. ante med. *Tanquam ex causa profectus Filius alius ab alio, cuius est Filius, existit.* Et lib. 5. demonstrationis cap. 1. procul à princ. ait: *Se ipsum genitum, neque eundem cum Ingenito docet,* videlicet Filius Dei. & infra; Deus Pater *non habet in se ipso aliquid, quod à se ipso sit aliud.* Et post pauca: *Non igitur tanquam aliud in alio, erat Filius in Patre.*

9 Hilarius lib. 2. de Trinit. prope med. *Alius,* inquit, *ab alio, quia Pater & Filius. Non natura Diuinitatis alia & alia, quia ambo vnum.* & lib. 5. de Trinit. col. penult. de Filio ait: *Neque aliud, quàm Deus est, quia non est aliunde, quod genitus est. Et per hoc non refertur ad aliud, quod in vnũ subsistit ex vno.* Rursus lib. de Synodis col. 7. ad canonem 2. Orientalium, perpendens illud Ioan. 5. *Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Discernitur,* inquit, *persona accipientis & datis, ne ipse sit idem vnus & solus.* Et post pauca: *Alius est sibi viuens, alius profitens se viuere per authorem.* Et post canonem 8. *Cum non possit nisi alius atque alius esse generans & generatus.* Sequens canon. 9. docet, *Filium esse alium præter Patrem,* iuxta citatum testimonium Ioan. 5. Ambros. idem scribit lib. 2. de Spiritu sancto cap. 10. inter med. & fin.

10 Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 10. sub init. de Spiritu sancto ait: *Alius est autem quàm Pater & Filius, quia nec Pater est, nec Filius: sed alius dixi, non aliud: quia & hoc pariter simplex, pariterq; bonum est incommutabile & coæternum.* Præterea serm. 38. de tempore col. 2. *In essentia non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis personaliter, alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Similia docet frequenter in libris de Trinitate.

11 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. post med. *In essentia,* inquit, *non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Eandem locutionem magis ex professo declarat, respondens ad obiectionem septimã Arianorum ex supra citatis verbis Ioan. 5. & Ioan. 14. nec non in sermone de duplici natiuitate Christi Domini. Isidorus etymol. lib. 7. cap. 4. §. 1. *Alius,* inquit, *Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, sed alius quidem, non aliud.*

12 Leo Magnus epist. 93. ad Turibium Asturiens. Episc. cap. 1. *Alius qui genuit, alius qui genitus est, alius qui ex vtroque processit.* Et serm. 1. de Pentecoste cap. 3. prope med. *Cum in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: non tamen alia Deitas.* Phœbadius lib. contra Arianos prope fin. *Alius,* inquit, *à Filio Spiritus, sicut alius à Patre Filius.* Quod deducit ex Ioan. 14. citato. Beda Ioan. 14. ad illud, *Si cognouissetis me,* &c. ait: *Alius enim ego sum, alius ille.*

13 Anselmus in monologio cap. 41. fine: *Impossibile est,* inquit, *aliud esse Genitorem, quàm quod est genitus: aliud esse Patrem, quàm quod est Filius.* & sequenti cap. 42. initio: *Et cum sit alius ille, & alius ille, vt omnino pateat, quod duo sint: sic tamen vnum & idem ipsum est, id quod est ille & ille, vt penitus lateat quid duo sint.* Eodem modo loquitur lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. & de processione Spiritus sancti c. 3. & in profologio cap. 23. sub init. Atque idem notat Ricard. Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 9. & 10. Eodem modo loquitur Ioan. Maxent. dialogo. 2. cap. 19. ante med. Nicetas lib. 3. thesauri cap. 35.

14 *Filius alter à Patre, non alterum.* Membrum secundum eiusdem probationis est, quoniam iuxta distinctionẽ & proprietatem eandem neutrius generis & masculini, Patres vtuntur altero relatiuo diuersitatis, negantes, quod Filius sit *alterum*, & concedentes, quod sit *alter* à Patre. Chrysost. Hebr. 1. homil. 2. col. 3. ait: *Character alter est à suo exemplari: alter autem non in omnibus, sed secundum quod per se ipsum subsistit.*

15 Athanas. lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. *Alter est,* inquit, *in persona, qui genuit, alter in persona, qui genitus est, alius æquè in persona, qui nec Pater nec Filius est,* &c. & seq. lib. 2. de propriis personis in med. *Vides,* inquit, *quod alter ab altero, siue alius ab alio in persona tantum differt.* Et orat. contra Gregales Sabellij multo propius ad med. quàm ad princ. *Cum Pater, qui vnus est, sit Deus, & Filius, qui alter est, sit Deus.*

16 Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. inter princ. & med. ait: *Nihil habet alter, quod alteri non insit, nisi quod hic Pater, ille Filius est.* Et post pauca: *Alter in altero necessario est, & alter in altero intelligitur.* Præterea lib. 10. thesauri cap. 1. versus med. de Patre & Filio ait: *Quum alter det, alter accipiat,* &c. Euthymius in Ioan. suo cap. 16. nostro verò 14. ad illud: *Qui videt me, videt & Patrem,* ait: *vnus per alterum mutuo cognoscitur.* Quod in sequenti versu repetit.

17 Hilarius lib. 3. de Trinit. col. 2. *Quod in Ingenito,* inquit, *hoc & in Vnigenito est: alter ab altero, & vterque vnum: non duo vnus, sed alius in alio, quia non aliud in vtroque;* videlicet, quia in vtroque non est essentia diuersa. Et lib. de Synodis ad canonem 9. Orientalium cõfirmat, *alterum ab altero* distingui, videlicet, Filium à Patre. Et multo propius ad med. quàm ad fin. eiusdem libri refert & approbat canonem 20. Symicæ fidei: *Si quis, sicut docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum à Filio, dixit enim: Et alterum Paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo eum ego: anathema sit.*

18 Ambrosius in Lucam ad illud cap. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus,* ait: *In Deo Filius personâ alter, potestate vnus est.* Augustinus serm. 56. de verbis Domini secundum Ioannem prope fin. *Intelligatur,* inquit, *non bis vnus, sed duo vnum. Sic æqualis alter alteri, vt tamen alter ex altero.* Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum, c. 6. versus fin. ait: *Incommutabilis Pater alterum genuit.* Eisdem relatiuis *alter & alter,* distinguit Patrem & Filium multoties Ansel. in monolog. cap. 42. & 43.

19 Bernardus epistol. 190. ad Innocentium col. 2. ait: *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio est, non vnitatis diuisio. Licet namque in hac ineffabili, & incomprehensibili Deitatis essentia, alter & alter, id quidem requirentibus proprietatibus personarum, sobriè catholiceq; dicatur, non tamen ibi est alterum, & alterum.* Eodem modo frequenter loquitur Ioan. Maxent. dialog. 2. cap. 20.

20 Confirmatur primò, nam eadem est sententia Scholasticorum, præcipuè S. Thomæ præsenti q. 31. art. 2. Alexand. 1. p. q. 44. memb. vnic. prima ratione ad oppositum & eius solutione. Et generaliter. q. 65. memb. 2. per quatuor art. Alberti 1. p. q. 40. memb. 1. S. Bonauent. 1. dist. 4. dubio litterali 1. & 9. & artic. 1. q. 2. Durand. dist. 9. q. 1. vbi Ricard. art. 1. q. 2. Carthus. q. 1. Caietanus & reliqui expositores S. Thomæ communiter in præsenti q. 31. art. 2. nemine, quem legerim, contradicente.

21 *An sit discrimen inter alium & alterum.* Confirmatur secundò, quia licet S. Bonauentura dicto dubio litterali 9. differat, vtrum Filius dicatur *alius* magis propriè, quàm *alter*, quia minorem diuersitatem significat *alter*, maiorem autem *alius*: Attamen vnde sumpserit hoc discrimen significationis, non inuenio, nisi forasse; quoniam Porphyrius in capit. de differentia sub init. secundum quandã translationem dicit: Communes & proprias differentias *facere alteratum*, sed differentiam proprijssimam facere aliud. Verumtamen inde non colligetur sufficienter, quia non est eadem significatio *alterati*, & *alterius*: Imo *alterum*, neutraliter sumptum, idem omnino significat, quod *aliud*, vt manifestè constat in commentario Boëtij ad Isagogen Porphyrij dialogo 2. §. 2. Denique Patres supra citati & infra citandi nullo discrimine vtuntur vtroque relatiuo diuersitatis *alius* & *alter*: propterea nec nos debemus inuenire discrimen.

SECTIO V.

De Christo Domino contrarius modus loquendi, cum generali ratione à priori.

22 DOctrina præcedentis sectionis confirmatur, quoniam Patres, eodẽ omnino fundamento subnixi, contrario modo de Christo Domino, loquuntur, dicentes, esse *aliud* & *aliud* propter diuersitatem naturarum: sed non esse *alium* & *alium*, quoniam vnica est persona. Nazianzenus epist. 1. ad Cledonium, quæ est orat. 51. col. 2. de Christo Domino ita differit: *Aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus saluator* (supple constat) *non tamen alius atque alius: Absit. Ambo enim hæc conne-*

Christus D. est aliud & aliud, non alius & alius.

xione vnum sunt, Deo nimirum humanitatem, atque hominem Diuinitate suscipiente. Porrò aliud dico, contra quam in Trinitate res habet. Illic enim alius atque alius, ne personas confundamus: non autem aliud atque aliud, quoniam tria, quoad Diuinitatem, vnum & idem sunt.

2 Ex hoc videlicet loco desumptum est, quod ex Gregorio Nazianzeno refertur, atque decernitur tom. 2. actorum Cõcilij Ephesini cap. 7. prope fin. *Non est alius & alius, sed aliud & aliud, licet in sacræ Triados mysterio contrarium reperiatur. Ibi enim est alius & alius, ne hypostases confundantur; non tamen aliud & aliud* &c. Quinta Synodus Generalis, quæ est Secunda Constant. col. 8. canon. 3. anathematizat eum, qui dixerit, *alium esse Deum Verbum, qui miracula fecit, & alium Christum, qui passus est, vel in ipso esse, vt alterum in altero.*

3 Synodus Alexandrina epist. ad Cyrillum Alexandrinum propius ad med. quàm ad prin. (est autem decima inter epistolas Cyrilli) ait: *Nec separatim Verbum, quod ex Deo est, & pari ratione alterũ qui ex muliere est, tanquam Christum nominante; sed vnum duntaxat.* Et post med. epist. *Non alter simul adoratur, nec simul dicitur Deus cum altero, sed vnus intelligitur Filius Christus Iesus.*

4 Leo Magnus serm. 1. de resurrectione c. 3. fine dicit. *Verbum non hoc esse, quod carnem.* Et epist. 10. cap. 4. fine. *Quanis in Christo Dei & hominis vna persona sit: aliud tamen est, vnde contumelia in vtroque communis, aliud vnde communis est gloria.* Hæc epistola, licet primo aspectu displicuerit Patribus Concilij Chalcedonens. vt habetur actione 2. postea tamen, approbante Theodoro ex sententia Cyrilli, omnium Patrum consensu recepta fuit, atque ex eadem epistola citantur testimonia ab Agathone Papa in Sexta Synodo epist. ad Constãtinum Maiorem &c. inter med. & fin. quãuis præsens sententia non referatur. Attamen in eadem Sexta synodo act. 17. in confess. fidei prope fin. ex prædicta epist. 10. Leonis scribitur: *Vnius enim eiusdemque tam miracula, quàm passiones cognoscimus, secundum aliud & aliud eorum, ex quibus est naturis, & in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus.*

5 Athanas. epist. ad Epictetum pag. penult. ante explicationem fidei, ait: *Vt enim Filius secundum Patres, consubstantialis Patri, non est idem, qui Pater; sed Filius consubstantialis respectu Patris: ita quoque corpus consubstantiale Verbo, non est idem, quod Verbum, sed aliud respectu Verbi.*

6 Cyrillus Alexan. epist. 3. ad Nestorium de anathematismis inter princ. & med. §. *quanuis* (extat autem tom. 1. Concilij Ephesini cap. 14.) ait: *Neque duos constituimus christos, alterum per se ac seorsum Dei Patris Verbum; alterũ illum rursus seorsum, qui ex muliere natus est, sed vnum duntaxat.* Et infra §. *auersamur*, damnat eos, qui duos christos ita constituunt, *Vt alter simul cum altero non adoretur, neque simul cum altero Deus nuncupetur.* Hæc eadem epist. decima est tom. 4. Cyrilli & aliter interpretata. Idem Cyrillus in Scholiis de Incarnat. cap. 26. circa med. *Necessarium*, inquit, *est, si in vno Christo id accipiamus, quod secundum aliud & aliud de vno eodemque constituatur.* Et paulo inferius: *Ipse est hoc & illud secundum aliud & aliud.* Quod iterum atque iterum repetit ad distinguendas operationes proprias Diuinitatis, aut humanitatis.

7 Damascenus lib. 3. fidei cap. 7. post med. *Non alium*, inquit, *& alium, sed eundem simul & Deum & hominem.* Et prope fin. *Totus igitur est Deus perfectus, sed non totum Deus: nam non solum Deus sed & homo. & totus homo perfectus, non totum autem homo: non solum enim homo, sed & Deus. Nam totum est naturæ representatiuum, totus autem hypostaseos: quemadmodum aliud naturæ est, alius verò hypostaseos.* Ita proprietatem loquendi de naturis in genere neutro, & de vnitate personæ Christi in genere masculino frequenter obseruare poteris in epistola Sophronij Hierosolymitani col. 5. & sequentibus, quæ extat in sexta Synodo act. 11. Origenes lib. 7. in cap. 9. ad Romanos col. 2. docet, *Christum aliud secundum carnem esse, aliud secũdum Spiritum.* Quod post pauca exponit, dicens: *secundum Spiritum Filius Dei.*

8 Augustinus lib. contra Fœlicianum Arianum, cap. 11. prope fin. *Idem*, inquit, *& æternus in suo, & moriturus in nostro, dum vtrumque continet ex se ipso, & neutrum perdit ex altero.* Et post pauca: *Non alius homo corpus, alius animus, quamuis aliud animus, aliud corpus.* Vnde ad finem capitis concludit: *Sic non alius Dei, & alius hominis, sed idem Christus Dei & hominis filius fuit. Et sicut in vno homine aliud animus, aliud corpus: sic in mediatore Dei & hominem aliud Dei Filius, aliud hominis fuit, vnus tamen ex vtroque Christus Dominus fuit. Aliud inquam pro discretione substantiæ, non aliud pro vnitate personæ.* Similiter in enchiridio capit. 35. ait: *Minor est factus, & mansit æqualis, vtrumque vnus, sicut dictum est: sed est aliud propter verbum, aliud propter hominem.* Quod idem sequenti cap. confirmat.

9 Hilarius lib. 9. de Trinit. paulo post med. ait: *Cum non alius sit Filius hominis, neque alius Filius Dei*, &c. Gregorius lib. 18. moral. cap. 27. propius ad fin. quàm ad med. alias cap. 39. ait: *Quamuis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine: non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine.* Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum cap. 6. à med. *Dei Filius*, inquit, *diuersum peregit in homine, quam quod semper habebat in Patre. Quia videlicet aliud ibi maiestatis natiuitas habuit, aliud hic pietas redemptionis exegit.* & lib. de Incarnat. & gratia cap. 11. inter princ. & med. *Non est alter Deus, alter homo, sed idem vnus est Christus.*

10 Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 9. circa med. *Sic & Pater*, ait, *alius à Filio, dum Filio maior: dum alius qui generat, alius qui generatur: dum alius qui mittit, alius qui mittitur: dum alius qui facit, alius per quem fit: Bene quod & Dominus vsus hoc verbo. Rogabo enim*, inquit, *Patrem, & alium aduocatum mittet vobis.* Eisdémque relatiuis vtitur frequenter in sequentibus capitibus. Anselmus de Incarnat. Verbi cap. 5. ante med. *Nõ est alius Deus*, inquit, *alius homo in Christo; quamuis aliud sit Deus, aliud homo, sed idem ipse est Deus, & qui homo.* Iustinianus Imperator in edicto fidei col. 2. & sequentibus multoties dicit, *vnus, idem, ipse*, in genere masculino de Christo Deo & homine.

11 Denique iuxta superiorem doctrinam loquuntur Nicetas dicto lib. 3. thesauri cap. 35. Isidorus lib. 1. sentent. cap. 14. non procul à princ. Rusticus tom. 4. bibliothecæ disput. contra Acephalos inter princ. & med. Theorianus legatione ad Armenos in med. tom. 4. Commentator in librum Boëtij de Trinit. inter med. & fin. inter opera Bedæ tomo 8. versus fin. S. Thomas 3. parte quæst. 2. art. 3. argum. 1. & solutione (quamuis contrarium docere videatur 3. p. quæst. 17. art. 1. argum. 3. & 7. & eorum solutionibus.) Idem quod ex Augustino retulimus, sequitur VValdensis tom. 1. doctrinalis fidei lib. 1. art. 3. cap. 42. colum. 2. Paludanus & Ricardus

cardus in 3. sentent. dist. 6. & communiter recentiores 3. p. quæst. 13. art. 1. Quamuis aliter sentiat Scotus dicta dist. 6. q. 2.

12 *Obiectio prima.* Contra doctrinam præsentis sectionis ac præcedentis occurrunt sequentes obiectiones. Prima, quia generaliter relatiuum diuersitatis *alius, alia, aliud*, significat differentiam per se & in substantia, vt concedunt S. Thomas, S. Bonauentura & alij infra citandi. Sumitur autem ex Porphyrio in cap. de differentia sub init. dicente: *Propriissimæ differentiæ faciunt diuersum per se, quod quidem & aliud dicitur.* Et paulo inferius: *Quæ igitur per se competunt, in substantiæ ratione sumuntur, & aliud faciunt. Quæ verò per accidens competunt, nec in substantiæ ratione sumuntur, nec aliud faciunt, sed per accidens diuersum.*

13 Confirmatur primò, quoniã *alius* & *aliud*, idem significant, & sola generis significatione differũt. Ergo si Filius est *alius* à Patre, consequens est, vt sit etiam *aliud* à Patre: Si verò non est *aliud* à Patre, nec erit *alius* à Patre. Confirmatur secundò, quoniam *alius*, & *aliud* significat distinctionem siue differentiam. Quod autem *aliud* sit neutrius generis, & *alius* masculini, non videtur esse ratio referendi vnum ad essentiam absolutam, & *alium* ad personalitatem relatiuam.

14 Propter hoc argumentum authores quidã existimant, discrimen referendi *aliud* ad substantiam, & *alium* ad personas, non esse profectum ex virtute sermonis, & proprietate linguæ, sed ex libera impositione sanctorum Patrum. Ita Durandus 1. dist. 9. quæst. 1. post med. Cui concordat Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 13. num. 5. Vnde consequenter infert Durandus, impropriam esse locutionem, si dicatur, *Pater alius est à Filio*, sine additione, quoniam indiget aliqua determinatione ad personam.

15 *Censura.* Nihilominus dico primò. Durandi assertio postrema non vacat aliqua temeritate, quoniam reprobat tamquam impropriam locutionem receptam à Patribus & Scholasticis communiter, vt vidimus sect. præcedenti, præsertim cum eius argumentum sit fallax, vt ex sequentibus constabit.

16 *Discrimen inter genus neutrum & alia genera, nititur proprietati sermonis.* Dico secundò. Prædictum discrimen inter genus neutrum & masculinum nititur proprietati sermonis, atque rationi theologicæ. Probatur primò, quia si modus ille loquendi fuisset inductus ex libero beneplacito, absque ratione & proprietate sermonis ad illum adstringente: fuisset adeo consentiens & concors sermo theologorum ferè omniũ & Philosophorum. Nam quod pro libito fit, facilè variatur, quia non adstringitur certa & determinata regula. Confirmatur, quia videretur esse superflua, veluti superstitio quædã, toties & tam seriò notare discrimen inter *vnum* & *vnus*, *aliud* & *alius*, quemadmodũ Patres notant in præcedentibus sectionibus, quæ superstitio foret magis superuacua in his Patribus, qui priores hoc discrimen induxerunt, quoniam neque ratione, neque præcedentium authoritate ducebantur ad iniiciendam religionem in vsu diuersorum generum, videlicet, neutrius & masculini.

17 *Neutrum accipitur substantiuè.* Probatur secundò, quia neutrum genus sumitur substãtiuè, quando non adiungitur alteri substantiuo; propterea que significat diuersitatem simpliciter & absolutè, quæ est diuersitas essentiæ. Sed masculinum genus & fœmininum semper accipitur adiectiuè, propterea que solummodo significat diuersitatem circa terminos in eadem propositione positos, vt cum dicitur, *Filius est alius à Patre.*

18 Confirmatur, quia nomen acceptum substantiuè habet suam significationem absolutam, & independentem ab alio nomine. Propterea significat id quod simpliciter est, sicut ens absolutè dictum significat substantiam. Vnde fit, vt *aliud* in genere neutro significet alietatem essentiæ, quoniam hæc sola est alietas simpliciter. Sed è contrario nomen adiectiuum applicat suam significationem ad subiectũ, de quo dicitur. Propterea que masculinum genus, quia semper adiectiuè sumitur, significat alietatem circa suum subiectum. Vnde si terminus personalis est suum substantiuum, significat distinctionem solummodo personarum, vt in hac propositione, *Filius est alius à Patre.* Si autem subiectum sit terminus essentialis, designat diuersitatem substantiæ; propterea que falsa est hæc propositio, *Deus est alius à Filio.* Quod si neutrum genus adiectiuè sumatur, eadem erit illius ratio, quæ masculini generis, vt ex præcedentibus sectionibus constat, & magis infra constabit.

19 *Neutrũ magis aptum ad communitatem.* Probatur tertiò, quia neutrum genus est velut informe, quatenus non importat distinctionem sexus, sed est commune & indifferens ad masculinum & fœmininum. At verò genus masculinum aut fœmininum est veluti particulare, significans distinctionem sexus. Ideo conuenienter per neutrum genus significatur essentia communis tribus personis, sed masculino vel fœminino genere significatur suppositum, siue persona distincta & determinata. Hanc rationem tradit S. Thomas in præsenti quæst. 31. art. 2. ad 4. Sed huic postremæ rationi præfert illam, quam secundo loco posuimus S. Thom. 1. dist. 9. q. 1. art. 1. corp. & ad 2. Eandem ferè rationem reddunt Albertus 1. par. q. 40. memb. 1. corp. & ad argumẽta. S. Bonauent. 1. dist. 4. art. 1. q. 2. præsertim in fine Ricard. dist. 9. art. 1. q. 2. corp. Carthus. eadem distin. 9. q. 1. col. 2. & 3. Magis ex professo Molina in præsenti q. 31. art. 2. post med.

20 Alius *quocumque modo significet diuersitatem in substantia.* Ad obiectionem igitur respond. cum D. Thom. 1. distinct. 9. quæst. 1. art. 1. ad 1. quod licet *alius* in quacumque terminatione significet diuersitatem substantiæ, nihilominus quandoque significat diuersitatem simpliciter in substantia, quæ est essentia: quandoque verò significat solummodo distinctionem quantum ad substantiam, quæ dicitur hypostasis vel suppositum: idque propter rationes superiùs explicatas. Denique ex Porphyrio citato solummodo posset colligi, differentias personarum esse differentias per se & substantiales, vt verificetur, Filium esse alium à Patre. Insuper Porphyrius non explicat, eandem differentiam significari terminatione masculina, quæ significatur terminatione neutra *aliud.*

21 Ad primam confirmationem respond. Sola diuersitas generis non variat significationem. Cæterum acceptio nominis adiectiui pro substantiuo, variat significationem perinde, ac si duo nomina coniungerentur, alterum substantiuum & alterum adiectiuum. Inde fit vt *aliud* substantiuè positum significet idem quod *aliud* ens, aut *aliud* esse. Quod non significaret adiectiuè sumptum.

22 Hinc constat solutio ad secundam confirmationem, quia masculinum genus efficit, vt *alius* semper accipiatur adiectiuè, propterea que referatur solummodo ad personam, si subiectum, cui applicatur est persona. Denique nec semper *aliud* in neutro refertur ad essentiam, quia non refertur, quando sumitur adiectiuè: nec semper *alius*

refertur ad personalitatem relatiuam, quia si nomen essentiale sit subiectum, cui applicabitur, significabit diuersitatem in essentia.

SECTIO VI.

Aliarum obiectionum solutio, maiorq; declaratio præcedentis doctrinæ.

1 SEcunda obiectio est, quoniam vbi sunt *tria*, neutraliter & substantiuè sumpta, ibi est aliud & aliud & aliud. Sed in Deo sunt tria neutraliter & substantiuè sumpta, vt vidimus disp. 26. sect. 6. Ergo in Deo est aliud & aliud & aliud. Respond. primò, Maiorem non esse vniuersaliter veram; quoniam *tria*, neutraliter & substantiuè sumpta, formaliter & expresè solummodo significant numerum ternarium entitatum; qui numerus simpliciter, quamuis non plenè, verificatur distinctione personarum, vt vidimus disput. 37. sect. 2. & 3. Sed tamen aliud & aliud formaliter & expresè significat alietatem, siue differẽtiam. Quapropter ex vi & proprietate sermonis magis propendet ad significandam differentiam simpliciter in essentia, prout explicatum est in solutione præcedentis obiectionis.

Prima solutio.

2 Respond. secundò. Quando Patres in diuinis dicũt *tria*, neutraliter & substantiuè sumpta, semper adiungunt aliquid, temperans pluralitatem numeri, veluti dicendo *tria vnum*. Eodem verò temperamento potuisset dici *aliud & aliud*, quantum ad suppositum, non quantum ad essentiam. Quin etiam Patres huiusmodi temperamentum adiungunt ad maiorem explicationem, quando dicunt, Filium esse *alium* masculinè.

Secunda solutio.

3 Quemadmodum Nazianzenus orat. 49. de fide propius ad med. quàm ad fin. de Filio ait: *Quod Pater est alius idem.* Et longè inferius post duas columnas: *Hoc est, quod Græci homousion appellant, id est, alium ipsum*, subintellige Patrem. Ambros. lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 6. in med. inquit: *Quid est Filius?* Et respondet: *De eo quod Pater est, alius idem.* Quod lib. 2. de Spiritu sancto confirmat à minori, quoniam amicus dicitur *alter ego.* Augustinus epistol. 66. ad Maximum medicum ante med. ait: *Pater genuit alterum se.* & circa med. *Pater genuit, quod est ipse.* S. Bonauent. 1. dist. 4. artic. 1. quæst. 2. in fine corporis refert & sequitur Augustinum super Ioannem dicentem: *Pater mittens Filium, misit alterum se.* Vide quæ dicemus disput. 79. sect. 4.

4 Obiectionis tertiæ solutio colligitur ex præcedenti doctrina. Nam aliqui Patres dicunt, Filium esse *aliud.* Cæterum simul dicunt identitatem essentiæ, aut explicant, alietatem esse in supposito, vel sumunt *aliud* adiectiuè. Quemadmodum Gregorius Nyssenus orat. catechet. cap. 1. inter med. & fin. *Verbum*, inquit, *est aliud ab eo, cuius est Verbum.* Eodémque modo loquitur c. 3. ante med. Sed vtrobique potest *aliud* accipi adiectiuè.

Tertia obiectio. Aliud *neutraliter aliquãdo Patres dixerũt sensu catholico.*

5 Cæterum substantiuè *aliud* & *aliud*, nullum adiungendo substantiuum nomen, dicit Nyssenus lib. ad Ablabium, *quod non tres dij*, prope fin. Verumtamen ipse declarat, alietatem esse solummodo in relatione originis, dicens: *Solum discerni alterum ab altero deprehẽdimus, eo quod credimus aliud esse causam, aliud verò ex causa.* Et lib. de differentia essentiæ & hypostaseos prope finem. De imagine comparata cum prototypo, sic loquitur: *Vt ostenderetur, quod idem cum forma principali est, etiamsi aliud sit*: obserua, quomodo idem & aliud se inuicem temperando, possint de diuinis personis affirmari.

6 Basilius epistol. 43. ad Gregorium Nyssenum prope fin. de prædicta imagine Dei Patris dicit: *Quod idem cum prototypo sit, etiam si aliud sit.* Verumtamen iam explicuerat, non quantum ad essentiam, sed quantum ad peculiares notiones Geniti & Ingeniti esse aliud & aliud. Sic etiã Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 9. prope fin. *Ipsum*, inquit, *quod Pater & Filius dicuntur, nónne aliud ab alio est?* Qui tamen vnitatẽ essentiæ præcedenti cap. imo & toto libro confirmauit. Denique manifestum est, iuxta exigentiam alterius nominis substantiui, posse affirmari aliud & aliud, veluti si dicas, Filium esse aliud suppositum, vel aliud relatiuum, aut quid simile.

7 Quarta obiectio sit, quoniam Epiphanius hæres. 69. pag. 15. *negat, alium esse, qui mittit, & alium, qui mittitur.* Rursus hæres. 76. col. 6. de Christo Domino ait: *Dicit: Qui vidit me, vidit Patrem; velut ipse non alius sit præter Patrem.* Et longè inferius ad cap. 37. Ariij: *Non alius à dignitate Patris est Vnigenitus.* Cæterum ibi loquitur de dignitate absoluta, nõ de personalitate, vt videre est in ipso contextu. Alioqui quod Filius sit *alius* à Patre, docuit Epiphanius in Ancorato col. 3.

Tertia obiectio. Exponuntur qui negant aliũ masculinè.

8 Idem Epiphanius hæres. 64. pag. 3. quod *Filius non est alius à Patre*, colligit ex Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* In quo manifestè ostendit, se negare solummodo alietatem essentiæ, non alietatem personæ. Quod idem notandũ est pro Tertulliano in libro contra Praxeam pag. 5. dicente, quod *Filius non est alius à Patre, quia ego & Pater vnum sumus.* Nihilominus pag. 6. & 8. eiusdem libri, sæpe repetit, alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum; probátque testimonio Ioan. 14. *Alium Paracletum dabit vobis.*

9 Eodem modo intelligendus est Chrysostomus Hebræos 1. homil. 2. col. 2. dicens: *Cum certo constiterit, quod Dei Filius sit, nec ab eo alius existat.* Subintellige *alius Deus*, vel alius quantum ad essentiam. Alioqui iuxta communem loquendi modum, his relatiuis vsus est Chrysostomus, non solum in sequenti col. 3. sed etiam orat. 1. de illo euangelico oraculo, *In principio erat Verbum*, vt vidimus sect. 4.

10 Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 8. circa med. *Et sermo*, inquit, *erat apud Deum, & nunquam separatus à Patre, aut alius à Patre*, videlicet, quantum ad Diuinitatem: nam alium & alium esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sequenti cap. 9. docet, vt supra vidimus. Ex quibus omnibus exemplis infertur, addita explicatione, licere varium vsum huiusmodi relatiuorum diuersitatis in neutro vel in masculino genere. Sed hanc licentiam, ac veluti dispensationem generalis regulæ, non esse præsumendam, nisi raro & magna de causa.

11 Quinta obiectio, quia magis distinguitur vna persona ab alia, quàm persona distinguitur à natura; sed persona est aliud à natura. Ergo potiori iure vna persona erit aliud ab alia. Minor probatur ex Athanasio dialog. 1. de sancta Trinit. contra Anomæum col. 2. dicente: *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas.* Similiter in Deo: *Aliud esse generare, aliud creare*, docet Cyrillus Alexandrinus lib. 6. thesauri cap. 3. prope fin. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. prope finem: *Aliud*, inquit, *est Deum esse, aliud Patrem esse.*

Quinta obiectio. Quomodo persona sit aliud à natura.

12 Respondetur negando consequentiam, quia quando comparatur personalitas cum essentia, manifestum est, non dici, quod sit aliud in essentia vel Diuinitate, sed solummodo significari distinctionem rationis præsertim cum ijdem Patres citati in eodem contextu notauerint, non esse aliã & aliam rem, videlicet, realiter distinctam. Imo & ipse Augustinus alibi dixerit, quod esse non est aliud & aliud persona, vt vidimus disp. 11. sect. 3. fine. Cæterum quando comparatur vna persona cum altera, non est ita manifestum ex vi subiectæ materiæ, non affirmari diuersitatem in essentia & Diuinitate, si dicitur *aliud* & *aliud.*

SECTIO VII.

Vtrum Filius sit alius Deus à Patre, vel potius sit idem Deus.

1 EGimus hactenus de relatiuis diuersitatis, quãdo ponũtur separata & per se sola. Nunc verò restat dicere de relatiuis eisdem, quãdo copulantur cum termino essentiali & absoluto, veluti dicendo, *Alius Deus, aliud lumen, alius omnipotẽs, alius creator.* Quod autem dictum fuerit de Filio comparatione Patris, intelligendum est etiam de Patre comparatione Filij & Spiritus sancti, nec non de Spiritu sancto comparatione Patris & Filij.

2 Dico igitur primò. Filius non est alius Deus à Patre, sed potius est vnus & idẽ Deus. Probatur primò ex Sacra Scriptura Isaiæ 45. versu 5. *Ego Dominus & non est amplius: extra me non est Deus.* Et versu sequenti: *Ego Dominus, & non est alter.* Et vers. 18. *Ego Dominus & non est alius.* Et 22. *Ego Deus & non est alius.* Et sequenti cap. 46. vers. 9. *Ego sum Deus, & non est vltrà Deus, nec est similis mei.* Baruch 3. prope fin. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum.* 1. Regum cap. 2. in Cantico Annæ: *Non est sanctus vt est Dominus, neque enim est alius extra te.* Psalm. 17. *Quoniam quis Deus præter Dominum* &c. Quibus in locis ponderandum est, non semper agi de tribus personis simul consideratis. Quædam enim peculiariter agunt de persona Filij, vt Patres communiter ex contextu colligunt. Alia peculiariter agunt de persona Patris. Quapropter de singulis personis, per se consideratis, affirmari potest, quod non est alius Deus, præter illam personam.

Non est alius Deus.

3 Secundò probatur ex Patribus. Nicænũ Concilium lib. 2. inter med. & fin. §. *siquidem*, sub init. *Non alium*, inquit, *Deum atque alium protulimus, sicut impius Arius blesphemauit, Vnum Deum increatum, & alterum creatum pronuncians, & Spiritum sanctum similiter creatum prædicans. Absit. Sed vnam Diuinitatem cogitari, & credi asseruimus.* Idem Nicænum non longè inferius §. *illud etiam*, post med. ad præsens dogma probandum, ponderat aliqua, ex testimoniis Isaiæ & Baruch. nuper citatis. Quæ & alia plura prius & fusiùs ponderauerat Sixtus Primus tota epist. 1.

4 Sophronius Patriarc. Hierosolym. in Sexta Synodo act. 11. epistola profess. fidei col. 3. ait: *Non alium vnum Deum, præter tres cognoscentes personas, neque tres consubstantiales personas Trinitatis, quæ sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, alteras præter vnum Deum agnoscimus.* Idemque longè inferius col. 4. *Deus & Deus & Deus: sed vnus est hæc tria Deus. Non enim alius Deus Pater, neque alius Deus Filius, neque alius iterum Deus Spiritus sanctus: quia neque alia natura est Pater, neque alia natura est Filius, neque alia iterum natura est Spiritus sanctus.*

§ Tertiò probatur ex communi sententia Scholasticorum cum Magistro 1. dist. 4. constanter negantium hanc propositionem, *Deus genuit alium Deum*, de qua dicemus disp. 79. sect. 4.

6 Contra præsentem regulam sermonis obiici potest imprimis Iustinus dialogo cum Triphone longe ante med. Nam primo aspectu videtur asserere, Filium esse alium Deum à Deo creatore mũdi. Propterea que sui erroris patronum esse, putant Ariani. Refert enim Iustinus, sibi respondisse Iudæos, Scripturæ locos à se productos, *Nihil valere ad docendum, Deum vel Dominum alium quendam esse aut dictum esse ab Spiritu sancto, præter vniuersi conditorem.* Quibus continuo subiungit: *Rursus vobis persuadere conabor, qui Scripturas cognitas habueritis, id quod dico esse, atque dici Deum, atque Dominum alium, præter vniuersi parentem* &c.

Obiectio.

7 Respond. Illa verba, *Deum atque Dominũ alium*, non debent sine inciso legi: sed post *Dominum*, debet incisum poni, dicendo, *Deum atque Dominum, alium præter* &c. Vt sit sensus, quod alius præter Patrem, cui appropriatur creatio mundi, sit etiam Deus, videlicet Filius, cuius Diuinitatem illis testimoniis probabat. Eodem sensu paulo inferius ait: *Rursus ad Scripturas me refero, vobisque persuadere conabor, hunc qui Abrahamo, Iacobo, & Moysi visus esse dicitur, scriptusque est Deus, diuersum esse ab eo Deo, qui omnia condidit, numero dico, non consilio & sententia.* Vbi perpende primò, non esse dictum, quod Filius sit diuersus Deus, sed quod Filius scriptus sit, atque idem Filius sit diuersus à Patre, qui est Deus; cui Scriptura Sacra per appropriationem accommodat creationem; cum tamen frequenter de Filio dicat, per ipsum omnia facta esse à Patre. Deinde nota dixisse, Filium esse alium numero, iuxta modum distinctionis numericæ declaratæ disp. 35. sect. 5. Denique cum dicit, Filium non esse diuersum *consilio & sententia*, manifestè docet, non esse alium natura, neque Deitate: nam alterius Dei & alterius naturæ necessariò deberet esse diuersum consilium atque sententia.

Exponitur Iustinus.

8 Secundò, Nazianzenus magis apertè declarauit similem aliam locutionem in carmine arcano 1. post med. quia postquam de Patre dixerat, *Vnicus omnino Deus est ab origine nulla.* Veniens ad Filium adiungit: *Vnus item est alius Deus alti sermo parentis. Non alius Deitate tamen.* Itaque continuò correxit sensum, quem ex vi sua reddere posset *alius Deus.* Tertiò, eadem explicatio subintelligenda est, quando Hieronymus Zachariæ 3. ad illud, *Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te*, ait: *Dominus de altero Domino loquitur.*

Secũda obiectio diluitur.

Tertia obiectio diluitur.

9 Quarta obiectio sit, quoniam Ioan. 14. *Alium*, inquit, *Paracletum dabit vobis.* De quo Basilius lib. vnico de Spiritu sancto cap. 19. paulo post princ. enumerãs attributa communia tribus personis, adiungit: *Paracletus, ideſt consolator, dicitur Spiritus, quemadmodum & vnigenitus: sicut ipse dixit, Ego rogabo Patrem meum, & dabit vobis alium Paracletum. Hoc pacto communia sunt nomina Patri, Filio & Spiritui sancto, quæ appellationes competunt illis iuxta naturæ consortium.* Hieronymus autem in epist. ad Hedibiam quæst. 9. propius ad fin. quàm ad med. ait: *Quando dicit Dominus, Alium Paracletum mittam vobis, & se ostendit esse Paracletum, qui appellatur consolator. Vnde & Deus Pater hoc censetur nomine Deus miserationum & totius consolationis. Si autem & Pater consolator, & Filius consolator, & Spiritus sanctus consolator est.* Et post pauca: *Vnum Diuinitatis & consolatoris est nomen.*

Quarta obiectio.

10 Vnde sumitur argumentum, quia *Paracletus* est

nomen absolutum & commune tribus personis; sicut Deus, creator, gubernator, iudex, omnipotens & similia: nihilominus est alius & alius Paracletus. Ergo eadem ratione erit alius & alius Deus, vel saltem alius & alius creator, & gubernator & iudex. Confirmatur, quoniam Paracletus significat operationem ad extra veluti cõsolator, doctor, & aduocatus. Sed omnis operatio ad extra, communis est tribus personis propter identitatem naturæ: ergo Paracletum esse, tribus personis est commune, sicut esse creatorem.

11 *Aliquid notionale nomine paracleti.* Respond. primò, Quãuis ratio Paracleti, quantum ad operationem consolationis & doctrinæ, sit prorsus absoluta & communis tribus personis: Cæterum Ioan. 14. Significatur peculiaris aliqua ratio notionalis & relatiua, iuxta quam ratio Paracleti repugnat Patri, & solummodo conuenire potest Filio & Spiritui sancto. Primò, quoniam includit originem, ratione cuius Filius est peculiariter missus ad docendum & consolandum, Isaiæ 61. *Spiritus Domini misit me &c. vt ponerem consolationem* &c. Et Spiritus sanctus peculiariter est missus ad docendum & consolandum post ascensionem Christi Domini, Ioan. 14. & 15.

12 *Paracletus Filius.* Secundò, quoniam *Paracletus* etiam Latinè dicitur *aduocatus*: hoc autem munus apud Patrem exercet Christus Dominus 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Atque in hoc sensu Paracletũ hoc loco accipiunt Augustinus in Ioan. tract. 74. prope fin. Cyrillus lib. 9. in Ioan. c. 44. prope med. Est autem Spiritus sanctus aduocatus, quatenus *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Roman. 8. Quemadmodum autem propter appropriationem personæ Spiritus sancti peculiariter tribuũtur, quæ pertinent ad sanctificationem nostram & spiritualem vitam gratiæ; sic eriam illius personæ proprium est, hoc modo esse aduocatum, siue paracletum.

13 *Paracletus Spiritus sanctus.* Tertò, quoniam Spiritus sanctus peculiari ratione suæ personalitatis est amor & donum, quæ formalitates magis directè & immediatè respiciunt consolationem & propitiationem, & magis directè correspondent actioni dantis. Ideo personalis hæc ratio Paracleti notatur, cum dicitur; *Dabit vobis*, sicut ratio missi notatur inferius dicendo: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Consonat huic solutioni quod respondet S. Thomas in Ioannem cap. 14. lectione 4. §. 2. fine.

14 *Obiectio.* Quod si obiicias, principium spiratiuũ est notionale & relatiuum, duabus tãtum personis conueniens: nihilominus non est aliud & aliud principium spiratiuum, sed vnicum infra disp. 70. ergo non erit alius & alius Paracletus: licet notionalẽ ac relatiuam proprietatem significet communem Filio & Spiritui sancto. Respondetur negando consequentiam, quia diuersa ratio Paracleti, diuersusque modus consolandi Filio conuenit propter conuersationem cum hominibus ac redemptionem, diuersa verò Spiritui sancto per dona, quæ illi appropriantur. At verò eadem spiratio actiua & eodem modo conuenit Patri & Filio. *Diuersa ratio paracleti.*

15 *Paracletus non est adiectiuum.* Aliorum solutio respondet, Paracleti nomen esse adiectiuum, ideóque posse multiplicari pro numero personarum, licet sit nomen absolutum & commune. Ità Vazquez disp. 157. cap. 7. sub init. Veruntamen aliqua violentia videtur illata vocabulo, quemadmodum si magistrum vel aduocatum vel consolatorem diceres esse adiectiua nomina. Nam Græcè Paracletus nomen substantiuum est, vt constat apud Erasmum notationibus in Ioan. c. 13. ad illa verba: *Paracletus autem Spiritus sanctus*: fatetur enim esse duo nomina substantiua *to Paracletos, to Pneuma.* Atque idem apertè colligitur ex vnica terminatione solius generis masculini, quam huic voci assignat Lexicon Roberti Constãtini & Budæi, & Arias montanus in suo dictionario.

16 *Non alius creator nec alius Iudex &c.* Ex dictis infertur vniuersalis regula de quibuslibet nominibus substantiuis, quæ communia sint tribus personis, videlicet non posse multiplicari dicendo *alius & alius.* Ideo Pater non est alius creator, & Filius alius creator, non est alius Dominus, non alius iudex, non aliud lumen, non alius magister aut gubernator, quemadmodum hęc nomina non plurali numero, sed singulari tantum enuntiari posse, probabitur disp. 77. sect. 2. & 3.

17 *Quinta obiectio: Deus & Deus & Deus: sed nõ alius Deus.* Quinta obiectio, quoniam vbi est Deus, & Deus & Deus, ibi est alius & alius Deus. Alioqui non esset Deus & Deus, quemadmodum primus homo non fuit Adam & Adam, quia nõ erat alius & alius Adam. Porrò, quod sit Deus, & Deus & Deus, multi Patres obstruant. Sic enim Athanas. lib. 1. de vnita Deitate post med. multis Scripturæ testimoniis probat, Patrem, Filium & Spiritũ sanctum esse Deum, Deum & Deũ, sed non tres Deos. Et dialog. 3. de Trinit. contra Maced. inter med. & fin. ait: *Vnus Deus, & vnus Deus, & vnus Deus*, sed non tres dij. Cui consonat idem Athanasius in cõpendio de Spiritu sancto circa med. ponderans illud Isaiæ 45. *Tantum in te est Deus: Quis est*, inquit, *hic Deus, in quo est Deus, nisi Filius ipse* &c.

18 Chrysostomus hom. 1. in Symbol. Apostol. prope med. de Patre Filioque dicit: *Deus & Deus: sed tamen non duo dij, sed vnus Deus.* Similiter locutus est Sophronius citatus sub init. præsentis sectionis; & Gregor. Bæticus lib. de Trinit. col. 4. Hilarius autem frequentius insistit in hac repetitione *Deus & Deus, Deus verus & Deus verus.* Eam deducens ex variis testimonis Scripturæ, præsertim lib. 5. de Trinit. inter princ. & med. & post med. & in postremis columnis, & lib. 6. sæpissime, & lib. 7.

19 Respondetur negando Maiorem, quoniam vt sit Deus & Deus & Deus, satis est esse realiter distinctos, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, & vnumquemq; sigillatim esse Deum, ita vt Pater sit Deus & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus. Quæ distinctio non potuit esse in Adamo, neque in alia creatura. Sed tamen vt sit alius Deus requiritur diuersitas Deitatis, vt in princ. dicebamus.

SECTIO VIII.

Postrema obiectio de hac propositione: Idem Deus est Filius.

1 OBiici potest vltimò contra præcedentis sectionis regulam, quoniã vt sumitur ex Aristotele 10. metaph. cap. 5. text. 10. & sequent. idem & diuersum aut aliud opponuntur immediatè, propterea quę necessarium est, vt quod non est idem, eo ipso sit aliud. Sed Filius non est idem Deus qui Pater. Ergo est alius Deus. Minor probatur ex Hilario lib. 6. de Trinit. inter princ. & med. dicente: *Nec idem Deus qui erat, sed Deus ex Deo qui erat, natus est.*

2 Confirmari potest, nam commentator Boëtij in lib. de Trin. propius ad med. quàm ad fin. apud Bedam tom. 8. col. 1113. existimat, esse falsam hanc propositionem, *Pater est Deus, & idem Deus est Filius:* Si hoc totum complexum *idem Deus* supponatur, id est ponatur ex parte subiecti. Si verò dictio *idem* non ponatur ex parte subiecti, sed prædicetur dicetur de Deo, dicit, propositionem esse veram, vt sit talis sensus, Pater est Deus & Deus est idem Filius, id est, Deus Filius est idem Deus cũ Patre. Cæterum hic commentarius in hac, sicut in aliis quæstionibus, redundat distinctionibus obscurantibus & implicantibus quæ clariora sunt & magis expedita sine illis.

3 *Idē Deus est Filius.* Dico igitur primò. Simpliciter vera & absolutè concedenda est hæc propositio, *Pater est Deus, & idem Deus est Filius.* Quoniam in communi modo loquendi, relatiuum *idem*, copulatum cum Deo, significat identitatem in Deitate, non in persona Patris vel Filij, præsertim quando præcessit in alia propositione Deus positus à parte prædicati. Propter eandem rationem hæc est simpliciter vera, *Filius est idem Deus qui Pater.*

4 *Aliæ propositiones falsæ.* Dico secundò. Quando nomen *Deus* ponitur coniunctum cum aliqua voce notionali, quæ faciat, ipsum supponi pro persona, tunc non erit vera propositio. Veluti si dicas, *Pater est Deus generans*, & *Idem Deus est Filius*; vel *Deus Ingenitus est Pater*, & *idem Deus est Filius.* Similes propositiones falsas concipere poteris de Filio Deo genito, aut de Spiritu sancto Deo procedente. Meritò igitur Concil. Toletanum Primum assertione fidei in med. anathematizat eum, *qui dixerit, Deum Patrem eundem esse Filium vel Paracletum.*

5 Dico tertiò. Hæc propositio, *Deus Pater est Deus Filius*, est simpliciter falsa, quia ratione adiuncti determinatur suppositio ad tales personas.

6 *Idem Deus cum Filio & Spiritu sancto.* Dico quartò. Hæc propositio est absque vlla ambiguitate vera, *Pater est idem Deus cum Filio & Spiritu sancto*; sicut Ecclesia canit in præfatione Trinitatis. *Qui cum Filio tuo, & Spiritu sancto idem es Deus, idem es Dominus* &c. Et plurimas orationes terminat dicens: *Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat.* Et hymnum glorificationis ita concludit: *Tu solus Dominus, Tu solus altissimus Iesu Christe cum sancto spiritu in gloria Dei Patris.* Sed de præpositione, *Cum*, plura dicemus disput. 112. præsertim sect. 6. Hæc omnia clariora, certioráque reddentur disp. 78. & 79.

7 *Hilarius exponitur.* Ad testimonium Hilarij respondeo, minus propriè per locutionem emphaticam (vt solet Hilarius frequentius, quàm alij Patres) ad excludendã Sabellianam personarum identitatem, dixisse, *Neque idem Deus* &c. Quod magis explicat post pauca dicens: *Quis enim tam vasanus erit, vt defecisse à se Patrem putet, vt idem qui fuerat, postea nasceretur, vel supercrearetur in Filium?* Et magis adhuc declarat sequenti lib. 7. col. 2. illis præcipuè verbis, *Neque solitarius nobis Deus in confessione, neque duo sunt, & inter hæc vnũ, neque negando neque confitendo, fidei conseruata perfectio est, dum & quod vnum sunt refertur ad vtrumque; & vterque non vnus est.* Denique duodecim libris de Trinit. & lib. de Synodis defendit, esse vnum & eundem Deum.

SECTIO IX.

Distinctionis nomen theologis omnibus probatur: differentia & diuersitas, vt suspecta vitatur à multis.

1 *Distinctionis nomen tutissimum.* SVpponendum est tanquam exploratum, & cõmuni Scholasticorum consensu receptum, *distinctionis* nomen, & *distinguendi* verbum esse tutissimum, cautissimum, omnino purũ, & ab omni suspicione liberum, & nullo modo negandum, sed absolutè sine ampliori declaratione concedendũ, quando diuinas personas inuicem comparamus, non adiungendo dictionem aliam, quæ denoter, distinctionem referri ad Deitatem, siue substantiam, aut quamlibet perfectionem absolutam. Vt propterea mirum sit, hunc loquendi modum à Patribus non fuisse frequentatum magis, quàm alias voces differentię, diuersitatis & discretionis, de quibus dicemus in sectionibus sequentibus. Cæterum in eo manifestè distinctio cæteras voces excedit, quod à nullo Catholicorum euitatur, aut reprehenditur vt suspecta: Cũ tamen aliæ voces à multis reprehendatur, & nequaquã admittantur.

2 Dionysius autẽ de diuinis nominibus c. 2. frequenter appellat *distinctiones*, & *distincta* ea prædicata, quæ singulis personis propria sunt, nec reciprocantur cum aliis personis. Eodem modo loquitur Hierotheus apud eundem in eodem cap. versus fin. Lateranen. cap. *damnamus* de Summa Trin. in med. *Vt distinctiones*, inquit, *sint in personis, & vnitas in natura.* Eodem nomine vtitur Toletanum Primum & Tolet. Vndecimum in confessionibus fidei. Gregorius Nyssen. orat. catechet. c. 1. ad fin. dicit: *Verbum, eo quod per se consistit, distinctum est, ac diuisum ab illo, ex quo habet quod consistit.*

3 Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 8. fine ait: *Nec Pater Filius, nec Filius Pater est. Hæc sola distinctio in eis est.* Hilarius lib. 4. de Trinit. post med. vtitur eadem voce *distinctionis personarum.* Sed rarò vel nunquã alibi. Eam verò *distinctionis* vocem frequentiùs vsurpat in hoc mysterio Ambrosius 1. de fide cap. 2. propiùs ad med. quàm ad princ. dicens: *Inter Patrem & Filiũ generationis expressa distinctio est:* Et lib. 4. de fide cap. 4. propius ad med. quàm ad princ. & iterum prope med. Insuper lib. 1. de Spiritu sancto cap. 8. post med. & lib. 2. de Spiritu sancto cap. 10. post med.

4 Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 9. de Filio ait: *Non diuisione alius, sed distinctione.* & cap. 11. prope fin. *His itaque paucis tam manifestè distinctio Trinitatis exponitur.* Et cap. 12. post med. *Ad distinctionem, non ad diuisionem.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. inter prin. & med. ait: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus personarum sunt ab inuicem proprietate distincti.* Beda Ioan. c. 16. ad illud, *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*, notat, *Sigillatim commendari distinctionem personarum.* Eisdem vocibus vtitur Concilium Toletanum Vndecimũ in professione fidei, & Toletanum Primum in assertione fidei, quæ ponitur in eius fine. Frequẽtius autem Ricard. Victorinus, vt 4. de Trin. c. 20. & lib. 5. cap. 1. & sequent. Similitérque Magister 1. dist. 24. cap. *cum autem.*

5 *Distinctum substantiuè negandum.* Cauendum tamen erit, ne *distinctum* in genere neutro & substantiuè dicamus, videlicet, non apponendo aliud substantiuum proprium personarum. Tunc enim significabit distinctionem in essentia iuxta regulas traditas sect. 1. & sequentibus. Vnde constat, potiori iure cauendum esse *differens* & *diuersum*, & *discretum* in genere neutro.

6 Restat igitur difficultas circa cætera nomina significantia distinctionem, veluti *differens, diuersum, discrimen, discretum, diuisum*, & alia deinceps tractanda. S. Thomas in præsenti quæst. 31. art. 2. corp. suspectam habet vocem *diuersitatis* aut *differentiæ*; ideoque præcipit esse fugiendam. Cuius rationem magis explicat in solut. ad primum dicens; quod diuersitas requirit distinctionem substantiæ, & ad 2. ait: *Differentia importat distinctionem formæ, est autem tantum vna forma in diuinis.* De quo dictum est disput. 24. sect. 6. Eandem sententiam docuit 1. sentent. dist. 24. quæst. 2. art. 1. & de potent. *Diuersitas & differẽtia negatur à multis.*

de potent.q.9.toto art.8.Idem ferè multo breuius S. Bonauentura 1.dist.24.dub.literali 1.& dist.19. p.2.art.1.q.4.prope fin.Albertus 1.p.q.40.mem.1. corp.& in fine.Henricus p.2.art.53. quæst.8.ad 2. & art.75. quæst.5.corp.ante med. Carthus.1.sentent.dist.24.q.4.Caietanus,Canariensis & alij expositores S.Thomæ in præsenti q.31.art.2.

7 *Primũ argumentum.* Probari potest primò authoritate Patrum. Nicænum Concil.lib.2.inter med.& fin. §. *siquidem. Fides*,inquit,*vera demonstrat,non oportere in Sancta Trinitate differentiam cogitare.* Idem decreuit Sardicense Concilium, qua parte catholicum & approbatum est,epist.ad omnes episcopos prope fin.

8 Hilarius in libris de Trinit. & lib. de Synodis frequenter dicit,*nihil differre* Filium à Patre.Multoties autem hoc expresè limitat, vt intelligatur tantum in essentia,substantia & Deitate. Cæterum aliquando prædictam limitationem non exprimit, quamuis ex contextu colligatur,quemadmodum lib.de Synodis propius ad fin. quàm ad med. *Æqualitas*, ait, *nihil differt. Quæ autem nihil differunt, vnum sunt: non vnione personæ, sed æqualitate naturæ.* Et lib. 4, de Trinit. prope med. colligit: Neque *differentem*, neque *diuersum* esse Filium à Patre.

9 Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 2. ante medium: *Pater*,inquit, *& Filius in Diuinitate vnum sunt, vbi nec substantiæ, nec voluntatis vlla est differentia. Namque aliter, quomodo vnum Deum dicimus?* Augustinus serm.38. de tempore inter med. & fin. de Patre & Filio ait: *Nihil differens alter ab altero.* Eadem verba repetit in quæstionibus Noui testamenti quæst.87.

10 Leo I. epist. 93. aliàs 91. ad Turibium Asturiens. Episc. cap. 1. fine. de diuinis personis ita loquitur, *sine differentia credat æquales.* Et in præfatione missæ de Trinitate canit Ecclesia: *Quod enim de tua gloria reuelante te credimus, hoc de Filio tuo, & hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus.* Commentarius in Boëtium de Trinit. propius ad med. quàm ad fin. apud Bedam tom.8. col.1113. *Dicimus*, inquit, *tres personas non differre, si propriè differre accipiatur.* Probat autem, quia nec differunt genere, neque specie, nec numero. Subiicit autem, magis cautum esse distinguere dicendo:*Personæ differunt, id est,distinguuntur,vel distant,verum est:Si verò sit sensus, differunt, idest, contrarijs qualitatibus participant, falsum est.* Plura sunt testimonia Patrum, qui negant diuersitatem infra sect.11.

11 *Secũdum argumentum.* Secundò,prædicti Scholastici probant ratione, quia differentia vel diuersitas significant distinctionem in essentia siue in forma substantiali, vt ex S.Thoma retulimus. Et quantum ad differentiæ voces potuit hæc doctrina fundamentum aliquod inuenire apud Aristotelem 10. metaphys. cap.5. post med. text.10.11.& 12. Vbi discrimen constituit inter diuersum & differens, quia *diuersum, & illud à quo diuersum est, non est necesse aliquo esse diuersum,* videlicet aliqua differentia,quæ non includat in se totum illud, quod diuersum est. Contra verò *differens ab aliquo, aliquo differens est. Quare necesse est aliquid idem esse, quo differunt. Hoc verò idem, aut genus aut species est. Omne namque differens, aut genere aut specie differt.* Vnde S.Thomas 1.p.quæst.3. art.8. in fine dicit: *Non propriè dicuntur differre materia prima, & Deus, sed sunt diuersa se ipsis.* Quod magis explicat 1.p.quæst.90. art. 1. fin. cum eodem Aristotele notans, quod *licet omne differens sit diuersum, non tamen omne diuersum est differens, vt dicitur in 10. metaphys. Nam simplicia diuersa sunt seipsis, non autem differunt aliquibus differentijs, ex quibus componantur.* Hinc facilius intelligitur alterum fundamentum Scholasticorum, negantium, differre personas diuinas, quoniam differentia repugnat simplicitati, & arguit compositionem, eo quod non se totis, sed aliqua sui parte, secundum rationem præcisa, distinguantur, quæ propriè differunt.

SECTIO X.

Nihil omnino peccat in theologicam sermonis proprietatem,qui dicit, differre *personas, vel habere discrimen.*

1 NOn obstantibus argumentis, positis in sect. præcedenti, sit conclusio. Quamuis sit magis securum & magis cautum consilium abstinere à vocibus *differentiæ & differendi,* potissimũ ne offendamus delicatiores aures quorumdam Scholasticorum. Nihilominus absque vlla nota, periculo, suspicione, vel reprehensione, concedi poterit, diuinas personas *differre*, & habere differentias sibi peculiares eodem modo, eodémque contextu, quemadmodum conceditur, personas *distingui*, vel habere distinctionem. Hoc autem erit maximè tutum, quando contextus clarius explicuerit, differentiam non esse in Deitate siue in natura, sed tantum in persona. Propterea modus dicendi, personas *proprietatibus differre*, aut ipsas *proprietates differre*, longius distat ab omni suspicione, & ita loquuntur multi ex Patribus infra citandis. De *diuersitate & diuerso* eadem debet esse sententia propter easdem rationes & propter testimonia referenda sect.sequenti. *Differẽtia & differre potest concedi.*

2 Conclusio probatur primò, simulque soluuntur argumenta præcedentis sectionis; quia differentia non semper dicit distinctionem in forma essentiali, sed absque improprietate multoties significat distinctionem in forma personali, quæ est proprietas vel differentia indiuidualis & substantialis; quemadmodum Petrus differt à Paulo imo etiam in differentia accidentali. *Differentia multoties pro distinctione personali.*

3 Porphyrius enim, Aristotelici sermonis non ignarus, in cap. de differentia non longè à princ. scribit: *Omnis differentia diuersum facit adiuncta; sed communiter & propriè differentiæ diuersum per accidens faciunt. Propriissimè verò diuersum per se.* Perpende primò differentias appellari, non solum eas, quæ sunt essentiales, sed etiam accidentales. Immò communes & proprias differentias, dicit, ibidem appellari *differentias simpliciter*, idest, sine addito. At verò differentias propriissimas appellari differentias specificas. Secundò perpende, Porphyrium admittere *diuersum*, vbicumque differentiam admittit, vt obseruare licet multoties in sequenti contextu.

4 Confirmatur primò, quia quantum est ex vi doctrinæ Aristotelicæ, quam sect, præced. retulimus in fauorem illius sententiæ, minus repugnat dicere,diuinas personas esse *diuersas*,magis autem repugnat dicere, eas *differre*; quoniam diuersum est magis vniuersale, quàm differens, etenim diuersum est quidquid distinguitur, siue distinguatur se toto, sicut Deus & materia prima; siue distinguatur aliqua differentia, non includente genus, sicut homo distinguitur ab equo. Propter eandem rationem, *diuersum* potest magis ab vnitate distare, quàm differens, quoniam diuersum potest se toto distingui, quod magis repugnat identitati naturæ diuinæ. Quæ ratio videtur impulisse

pulisse Patres, vt diuersitatis nomen suspectum haberent, atque negarent frequentius, quàm *differentiæ* voces; rarius autem affirmarent diuersitatem,vt videbimus sect.sequenti.

5 Confirmatur secundò. Nam quod S. Thomas in præsenti art.2.dicit: *Sicubi in aliqua Scriptura authentica diuersitas, vel differentia personarum inuenitur, sumitur diuersitas vel differentia pro distinctione.* Hoc ipsum habent istæ voces ex propria significatione,atque vsu philosophorum & theologorum, vt constat ex philosophis citatis, & ex Patribus infra citandis. Quoniam indignum est, credere tot & tam exactos, ac circumspectos tractatores huius mysterij, toties has voces fuisse frequentaturos, si forent impropriæ, & indigentes declaratione, reducente ad magis propriam locutionem. Nec dubito, quin S. Thomas si recordaretur, tam multos Patres, ac toties ita fuisse locutos; minimè damnaret huiusmodi locutionem; nec Albertus in ea putaret, esse translationem, sed proprietatem.

6 *Patres dicũt differre & differentias.* Secundò igitur probatur ex Patribus. Iustinus in expositione fidei de Trinit. prope initium. *Pater*, inquit, *à Filio iuxta subsistentiæ modum differt, saluæ identitate iuxta rationem essentiæ: nam si hic ingenitiuè habet essentiam, hic genitiuè, hic processiuè, isthæc ad differentiæ considerationem apta sunt.* Athanas. lib. 2. de vnito nomine Deitatis, siue de propriis personis in med. *Vides*, inquit, *quod alter ab altero, sine alius ab alio in persona tantum differt.* Quod iterum repetit. Et 1. dialogo de Sancta Trinitate contra Anomæum paulo post med. *Verè dicimus*, ait, *esse proprietatum differentiam in hypostasi, non autem in essentia.* Et iterum inter med.& fin.eiusdem dialogi docet, inter Filium & Spiritum sanctum *differentiam esse non habita ratione quod sint ex hypostasi, sed quod vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore.*

7 Nazianzenus orat. 35. quæ est 3. de theologia colum. 2. num. 2. dicit, personas diuinas *differre numero.* Gregorius Nyssenus orat. catechetica capite 1. init. affirmat, *Personarum differentiam.* Et lib. ad Ablabium, *quod non tres dij*, prope fin. *Eam*, inquit, *quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus.* Et post pauca: *Rursus aliam differentiam consideramus.* Idem lib. de differentia essentiæ & hypostaseos, ait: *Cum nec differentia hypostaseon continuitatem naturæ diuellat.*

8 Basil.homil.28.contra Sabellianos inter princ. & med. semel & iterum repetit *differentiam personarum.* Chrysostomus in Ioan. homil. 74. paulo post princ. illud capitis 14. *Alium Paracletum dabit*, ita ponderat: *Dicendo, alium, personæ differentiam; dicendo, Paracletum, substantiæ cognationem demonstrat.* Et ad cap. 16. homil. 17. in med. ad illud, *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, obseruat, *Personarum differentiam ostendi.*

9 Cyrillus Alex. lib.2. thesauri cap.1. prope init. ait: *Differentia quædam inter Patrem & Filium inuenitur.* Et sequenti cap. 2. inter princ. & med. *Differunt*, inquit, *quia Pater ingenitus, Filius verò genitus est.* Et sequenti cap. 3. propius ad princ. quàm ad med.concedit;*Inueniri differẽtiam, non secundum essentiam, sed secundum relationem.* Eandem *differentiæ* vocem vsurpat lib.1.thesauri cap.8.fine & lib.7.thesauri cap.1.ante med.& lib.12.thesauri cap.15. fere inter med. & fin.& dialogorum de Trinit.lib.1.inter med.& fin.& lib.7. prope med. Gregorius Bœticus lib. de Trinitate propius ad med. quàm ad fin. ait: *Hoc solo differens à Patre Filius, quod ille Pater est, & hic Filius.*

10 Theodoretus diuinorum decretorum epitome lib.5.cap.2. de Filio col.2.de verbis Ioan.1.notat; *Eo quod dixit, Deum apud Deum, personarum differentiam declarauit.* Et inter med.& fin.eiusdem c. *Character*, inquit, *substantiæ & perfectam similitudinem ostendit, & personarum docet differentiam.* Rursus lib.2. de principiis col.penult. de diuinis suppositis ait: *Vnita quidem, eo quod eiusdem naturæ sint, proprietate verò differentia sigillatim seorsumque intellecta.*

11 Damascenus lib.1. de fide cap.10.dicit *differentiam processionis & generationis*, & c.11. circa med. *Secundum causam & causale & personalem perfectionem, id est existentiæ modum,differentiã intelligimus.* Præterea lib.3.de fide cap.5.sub init. *Differentiam*, inquit, *hypostaseon, in solis tribus proprietatibus,&c. cognoscimus.* Et sequenti cap. 6. frequenter vtitur verbo *differendi* circa diuinas hypostases. Nec mirum Damascenum ita fuisse locutum,siquidem differentiam existimabat, idem valere,quod proprietas,vt notat lib. de decretis primæ institutionis cap.1.dicens: *Differentia,qualitas,& idiotis,siue idioma,id est proprietas,vnum idemque declarãt.* Eandemque sententiam vt vocem differentiæ reperit cap.3.4.& 5. Peculiariter cap.4. notat discrimen, quoniam specifica differentia vocatur naturalis vel essentialis. At verò differentia, *qua hypostasis ab eiusdem speciei, atque naturæ hypostasi differt, ea omnis aduentitia differentia, & qualitas & proprietas hypostatica, & proprietas characteristica, id est, insignita dicitur.* Manifestum est igitur, Damascenum ex instituto discutientem istius vocis proprietatem, ac toties vtentem illa, non per translationem aut improprietatem, sed exactè & propriè fuisse locutum.

12 Origenes homil. 2. *in varios* ad illud: *In principio erat Verbum.* colum. 2. simul dicit, & *vnitatem essentiæ*, & *substantiarum differentiam.* Euthymius in Ioan. suo capite 16.& nostro cap. 14. ad illud, *Alium Paracletum, Dicens*, inquit, *alium*, ostendit *personarum differentiam.* Anastasius Synayta lib.1.de rectis fidei dogmatibus inter princ. & med. & iterum versus med. multoties dicit, *differre personas*, & earum *differentiam.* Anastasius Theopolitanus in compendiaria expositione fidei sub init. scribit, Filium à Patre, & Spiritum sanctum ab vtroque *differre hypostasi.* Sicque *differentias*, & *differre* personas multoties dixit Hugo Æterianus lib.3.de hæresibus, quas Græci in Latinos deuoluunt præsertim cap.2.

13 Hilarius etiam (cuius authoritate potissimum iniecta est religio vitandi nomen differentiæ) lib.9. de Trinit. inter med. & fin. ait: *Cum differre significatione ipsa existimetur innascibilitas à natiuitate, natiuitas tamen non est extra inn.scibilitatis naturam.*

14 Ioannes Theologus, tacitè approbante Concilio Florentino sess.18.frequenter dicit, personas diuinas *differre proprietatibus aut relationibus.* Præsertim post med.sess.18.§.*diuina substantia*,& §.*dixi equidem.* Et sess.19. colum.vlt.tres disputatores Ioannes, Marcus & Bessarion decernunt. Quod Patris persona, ab aliis duabus, *re quoque differat.* Ricardus Victorinus lib.4.de Trin. cap.20. prope med.& in med.& lib.5. cap.1. ante med. & prope fin. dicit, personas diuinas *differre proprietatibus*, vel esse differentes proprietates.

15 Magister 1. dist. 24. c. *cum autem*, indifferenter vtitur his vocibus,tanquam idem significantibus,

Distinctæ

Distinctæ sunt personæ proprietatibus, siue differentes proprietatibus. Cui concordant Alexander 1. p. quæst. 44. ad 1. argum. & in fine totius quæstionis, quæ nullo mẽbro vel articulo distinguitur. S. Bonauent. 1. dist. 8. part. 2. art. 1. q. 1. fine, & magis ex professo docti recentiores, vt Vazquez disp. 131. cap. 2. & Suarez lib. 3. de Trin. cap. 13. num. 3. & 4.

16 Corollarium igitur sequitur ex præcedenti doctrina, *discriminis* vocabulum absque vitio & improprietate posse de diuinis personis affirmari, quoniam valet prorsus idem quod differentia; vt notant authores linguæ Latinæ. Rectè igitur Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos inter princ. & med. dicit: *Per propria ac peculiaria signa inconfusum Trinitatis discrimen habere oportet.* Et longè inferiùs ante med. *Vnaquæque personarũ proprijs insignibus, discriminatim intelligatur.* Et in med. *discrimen* repetit. Et paulo inferius appellat *tum discrimen coniunctum, tum discretam coniunctionem.* Eadem voce *discriminis* vtitur orat. catechet. cap. 3. sub init. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 143. inter med. & fin. & lib. 3. epist. 112. in principio, vocat etiam *personarum discrimen.*

SECTIO XI.

De nominibus, diuersitas *atque* diuersum.

1 *Diuersitatẽ qui negant.* PLures sunt, qui voces has de personis diuinis absolutè negant, quam qui concedunt. Omnes tamẽ voce tenus discrepant, vnanimes in sententia theologicæ veritatis. Qui negant, sunt qui sequuntur. Athanasius lib. 1. de vnita Deitate inter princ. & med. *Nulla diuersitas,* inquit, *dispar est in substantia Trinitatis.* Nazianzenus orat. 13. quæ est 2. de pace propius ad med. quàm ad principium *Trinitas,* inquit, *non diuersarum rerum enumeratio.* Et orat. 29. de dogmate & constitutione episcoporum propius ad med. quàm ad princ. *Non in tria diuersa & aliena separamus, ne in Arij furorem & amentiam incidamus.*

2 Epiphanius hæres. 69. in med. pag. 12. *Nihil est in Patre diuersum à Filio, nec in Filio diuersum à Spiritu sancto.* Et pag. 21. repetit, Patrem & Filium esse *duo perfecta, sed non inter se diuersa.* Rursus hæres. 76. propius ad med. quàm ad fin. monet, *nihil diuersum circa Trinitatem esse.* Et col. 6. eiusdem hæres. *Filium non esse diuersum à Patre.* Et paulo inferius: *Non potest diuersus esse qui per se ipsum Patrem significat.* Origenes ad cap. 3. epistol. ad Rom. lib. 3. colum. penult. *Nihil diuersum,* inquit, *nil discrepans aut extraneum in Trinitate profitetur,* videlicet, fidelis.

3 Tertullianus lib. contra Praxeam c. 9. sub init. *Ecce,* inquit, *dico alium esse Patrem & alium Filium, & alium Spiritum. Malè accepit idiotes quisque aut peruersus hoc dictum, quasi diuersitatem sonet, & ex diuersitate separationem protendat.* Et post pauca: *Non tamen diuersitate alium Filium à Patre, sed distributione.* Ambrosius 1. de fide cap. 2. ante med. diuersitatem in diuinis negare intendit, illis verbis: *Diuersitas plures facit,* videlicet, plures Deos. Hilarius lib. 4. de Trinit. prope med. colligit: *Neque differentem neque diuersum esse Filium à Patre.* Et lib. 5. colum. 2. negat *diuersitatis numerum.*

4 Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 5. ad fin. ait: *Quamuis diuersum sit Patrem esse & Filium esse, non tamen est diuersa substantia.* Et lib. 7. de Trin. cap. 4. propius ad fin. quàm ad med. ait: *Quæsiuit quid tria diceret, & dixit substantias, siue personas, quibus nominibus non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit.* Et eodem lib. 7. cap. vltimo propius ad med. quàm ad fin. *Non existimet aliud alio, vel maius vel minus, vel aliqua ex parte diuersum.*

5 Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum cap. 6. post med. *Sempiternus,* inquit, *atque incommutabilis Pater alterum genuit, non diuersum.* Leo Magnus sermone 2. de pentecoste cap. 2. præcipit, vt quando Spiritum sanctum intelligimus, *Nihil diuersum ab excellentia Patris & Filij cogitemus.* Et cap. 3. *Nec singularitas est, nec diuersitas cogitanda.* Lactantius diuinarum institutionum lib. 4. cap. 20. *Cum dicimus Deum Patrem & Deum Filium, non diuersum dicimus, nec vtrumque secernimus.*

6 Ideo *diuersitatem* de diuinis personis negant Magister 1. dist. 24. cap. *ita etiam.* & cap. *ita & cum.* S. Thomas in præsenti quæst. 31. art. 2. Albertus quæst. 40. memb. 1. corp. S. Bonauentura 1. dist. 19. part. 1. art. 1. quæst. 1. fine. Carthusianus 1. dist. 24. quæst. 4.

7 *Licet crederе diuersitatẽ dummodo simul explicetur identitas.* Nihilominus sit conclusio. Absque vllo periculo & nota licebit concedere *diuersitatem* inter diuinas personas, & illas esse diuersas, dummodo simul explicetur vnitas & idemtitas Diuinitatis, sicut explicatum est in conclusione sectionis præcedentis. Quamuis enim maior aliqua ratio suadeat, euitare nomen diuersitatis, quàm nomen differentiæ. Cæterum eadem ratio est in vtroque vocabulo, ne teneamur illud vitare, vt vidimus sect. præcedenti præsertim confirmat. 1.

8 *Patres ita loquuntur.* Nunc restant testimonia Patrum. Gregorius Nyssenus lib. de differẽtia essentiæ & hypostaseos versus fin. Ratio *fidei inconfusam & diuersam hypostaseon, siue substantiarum differentiam docet.* Basilius tom. 2. tractatu de vera & pia fide inter med. & finem ait: *In Spiritu sancto sua quædam à duobus diuersa proprietas* &c.

9 Cyrillus Alexãdrinus lib. 7. thesauri cap. 1. post med. *Sola diuersitate relationis,* inquit, *quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur. Relationes autem consubstantialium diuersæ, nominánque ipsarum relationum diuersa, non possunt naturalem coniunctionem delere.* Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus propius ad princ. quàm ad med. ait: *In Patre, Filio & Spiritu sancto diuersa est vniuscuiusque persona.* Et lib. de decretis primæ institut. cap. 3. dicit: *In vnaquaque essentia & specie esse diuersas hypostases.*

10 Ioan. 10. Hieronymus Isaiæ 6. ad illud, *quis ibit nobis: Quomodo,* inquit, *in euangelio legimus dicentem Dominum: Ego & Pater vnum sumus: & vnum ad naturam referimus; sumus ad personarum diuersitatem.*

11 Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus c. 2. initio: *Trinitas,* inquit, *propter personarum diuersitatem vocatur, in personis discretio est, in Diuinitate nulla distinctio.* Boëtius lib. de substantiali prædicatione Patris & Filij & Spiritus sancti prope fin. *Ad Trinitatem,* inquit, *personarum diuersitas facit.*

12 Anselmus epist. de processione Spiritus sancti contra Gentes cap. 2. in med. dicit *diuersitatem natiuitatis & processionis.* Deinde, Patrem & Filium esse *diuersos,* dicit in cap. *nunc quærendum,* quod est 4. multo propius ad finem quàm ad med. & cap. penultimo prope fin. *In hoc,* inquit, *quod relatiuè Deus ad Deum dicitur, sicut plures homines: personarum admittit pluralitatem & diuersitatem.* Idem Anselmus prosolog. cap. 43. initium. *Diuersi sunt,* inquit, *per hoc, quod alter est Pater, & alter Filius est.* S. Bonauent. 1. dist. 8. p. 2. art. 1. quæst. 1. ad 2. concedit, in Deo esse identitatem & *diuersitatem, venientem ex sola origine,* quoniam hæc nullam affert compositionem.

SECTIO

SECTIO XII.

De diuisione ac discretione diuinarum personarum.

1 *Diuisionẽ qui negant.* DIuisionem inter diuinas personas negant aliqui Patres. Gregorius Thaumaturgus in regula fidei sibi tradita diuinitus, apud Nyssenum in eius vita: *Trinitas,* inquit, *perfecta, gloria atque æternitate & regno non diuiditur, neque abalienatur.* Nicænum Concil. lib. 2. longe post med. §. *audiam,* fine, vocat *inseparabilem & indiuisam Trinitatem.*

2 Damasus Papa in profess. fidei & anathematismis aduersus hæreses Apollinaris, Arij, &c. prope fin. anathematizat eum, *qui diuiserit Deum Patrem & Deum Filium & Deum Spiritum sanctum, affirmans deos dici,* &c. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 9. de Filio ait: *Non diuisione alius, sed distinctione.* & cap. 12. post med. *Ad distinctionem, non ad diuisionem.* Nyssenus etiam lib. ad Ablabium *quod non tres dij,* prope fin. *Diuina,* inquit, *natura & variationis & diuisionis expers.*

3 Fulgentius lib. de fide ad Donatum cap. 3. inter princip. & med. *In illa,* inquit, *Trinitatis natura sic totum vnum est, vt nihil ibi possit separari vel diuidi.* Sic etiam inter personas diuinas *diuisionem* aut illas esse *diuisas,* negat Magister 1. distinct. 24. cap. *ita & cum.* Vbi S. Thomas quæst. 2. art. 1. ad 2. & in præsenti quæst. 31. art. 2. S. Bonauent. dicta distinct. 24. dubio literali 1. Vbi Carthusianus quæst. 4.

4 *Diuisionem personarum concedunt ij Patres.* Nihilominus diuisionem inter personas, aut illas esse diuisas, affirmant plerique Patres. Hierotheus apud Dionysium de diuin. nomin. cap. 2. fin. *In diuinis,* inquit, *rebus coniunctiones diuisiones & vincunt & antecedunt, nec minus tamen coniunctæ sunt etiam post vnius non abeuntem singularemq; diuisionem. Has nos communiones coniunctasq; totius Diuinitatis diuisiones,* &c. Similiter Dionysius in eodem cap. 2. *diuisiones* appellat. S. Martialis epist. 1. ad Burdegalens. cap. 10. fine. *Hæc,* inquit, *in personis tria diuisa, in Diuinitate vnus Deus indiuisus.*

5 Gregorius Nyssenus orat. catechet. cap. 1. ad fin. dicit, Verbum esse *distinctum* ac *diuisum* à Patre. & cap. 3. sub init. dicit, *diuisum, distinctum, discretum consistentia & hypostasi.* & lib. de Trinit. ad Eustathium colum. 2. fine dicit *diuisionem hypostaseon.* Basilius homil. 28. contra Sabellianos inter princip. & med. frequenter affert, Patris & Filij personas *diuidi,* & illarum *diuisionem,* licet natura non sint diuisi. Athanasius lib. 2. de propriis personis prope fin. ita de Trinitat. loquitur: *Diuisa est in nominibus personarum, in Deitate autem indiuisa.*

6 Nazianzenus orat. 38. in Christi natiuitatem ad fin. num. 16. diuina supposita vocat *vnum diuisim existentia, & coniunctim diuisa.* & orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos multo propius ad med. quàm ad fin. dicit esse *tria, quæ diuidantur non naturis, sed proprietatibus.* Idémque orat. 23. in laudem Heronis prope fin. num. 33. ait: *Trinitatis diuisio & coniunctio admirabilis est.* Iustinus q. 17. ad orthodoxos, dicit esse *tres personas diuisione consistentiarum.* Quod temperatur ex eiusdem verbis quæst. 129. ad orthodoxos: *Vnus est Deus Trinitas vnitate substantiæ, sine vlla (quod ad hoc attinet) diuisione aut discretione.*

7 Sophronius Patriarcha Constantinop. in sexta Synodo act. 11. epist. profess. fidei col. 2. de Trinitate, ait: *Indiuisibilem habet diuisionem.* Anastasius Sinayta de rectæ fidei dogmatibus lib. 1. in med. *Trinitatem,* dicit, *admirabili prorsus vnione simul & diuisione subsistentem. Nec enim eu diuisio alteratio est & separatio,* &c. Iustinianus in edicto fidei initio dicit: *Mirabilem diuisionem & vnitatem.* Et post pauca: *Diuiditur sine diuisione.* Boëtius libello de substantiali prædicatione Patris Filij & Spiritus sancti prope fin. *Personæ,* inquit, *diuisæ sunt, substantia verò indiuisa.* Eodem sensu, personas esse diuisas admittit Albertus 1. part. quæst. 40. memb. 1. ad 3.

8 *Nihil periculi est si concedatur diuisio personarum cum essentia indiuisa.* Ex quibus deducitur prima conclusio. Nihil periculi, vel suspicionis erit concedere *diuisionem* vel *diuisas* esse personas, dummodo simul asseratur, essentiam earum esse prorsus indiuisam & eandem. Probatur primò testimoniis Patrum nuper adductis. Secundò probatur ratione S. Thomæ distinct. 24. quæst. 2. dicto art. 1. quia sicut vnum dicitur, eo quod in se ipso non sit diuisum: ita plura & eorum numerus dicuntur, quia sunt diuisa. Cum igitur diuinæ personæ sint plures, & earum sit numerus simpliciter & propriè dictus, consequens est, illas esse diuisas. Cæterum quia non totaliter diuiduntur, ideo nec plenè & adæquatè sunt numerus; vt probatum est disp. 37. sect. 2. & 3.

9 Propterea personas esse diuisas, non est simpliciter concedendum sine adiuncto temperamento, ne significetur totalis & adæquata diuisio, ita vt tres personæ non sint vnum & idem. Vnde constat, Patres init. citatos meritò negasse diuisionem: nihilominus nihil contradixisse cæteris Patribus, concedentibus diuisionem.

10 Probatur tertiò, quoniam apud philosophos, sicut affirmatiua propositio vocatur *compositio*; ita propositio negatiua vocatur *diuisio.* Quemadmodum Aristoteles lib. perihermen. cap. 1. docet, in compositione vel diuisione esse veritatem aut falsitatem. Cum igitur veræ sint negatiuæ propositiones, quibus vna persona de alia negatur, veluti dicendo, *Pater non est Filius,* consequens est, vt in hoc sensu propriè concedi possit diuisio inter diuinas personas.

11 Probatur quartò, quia modi sciendi secundum membrum post diffinitionem est diuisio, de qua Aristoteles 1. Priorum cap. 32. Possumus autem ita diuidere. Diuina persona alia est Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus.

12 *Personarum discretio, non essentia.* Secunda conclusio sit. De *discretione,* vel *discreto,* sentiendum est idem, quod præcedenti conclusione fuit constitutum de *diuiso,* vel *diuisione.* In diuinis itaque discretio debet negari, quando simpliciter ac sine declaratione profertur: quia suspicionem affert aut periculum afferendi totalem & adæquatam distinctionem personarum. Cæterum concedi poterit, personas esse discretas, limitando discretionem, quantum ad relationes, seu proprietates personales, vel explicando simul omnimodam identitatem Diuinitatis & essentiæ: sic enim excluditur totalis & adæquata distinctio. Confirmatur, quia discernere vnum ab alio solius intellectus est, cognoscentis vnum tanquam distinctum ab alio. Hoc autem multoties operatur intellectus inter ea, quæ sola ratione distinguuntur. Ergo potiori iure discernere poterit diuinas personas, cognoscendo, Patrem esse realiter distinctum à Filio.

13 Hinc facilè conciliantur Patres, quorum aliqui negant discretionem, intelligentes totalem & adæquatam etiam quantum ad naturam. Ita Sixtus I. epist. 1. sub init. *A quibus,* inquit, videlicet

à Patre & Filio, *credimus Spiritum sanctum non esse discretum.* S. Martialis epist. 1. ad Burdegalen. cap. 10. ad fin. ita præcipit: *Nihil discretum in Diuinitate Trinitatis sentiatis.*

14 Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 8. *Nec radius*, inquit, *à sole discernitur; sicut neque à Deo sermo.* Lactantius diuinar. institut. lib. 4. cap. 29. *Nec vtrumque secernimus*, ait, videlicet Patrem & Filium. In Missa de sanctissima Trinitate præfatur Ecclesia. *Hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus.*

15 Alij verò Patres affirmant *discretionem* in personis, non in essentia. Quemadmodum Lateranen. Concilium cap. *firmiter* de summa Trinitat. *Hæc sancta Trinitas*, inquit, *secundum communem essentiam indiuisa, secundum personales proprietates discreta.* Concil. Toletanum sextum cap. 1. profitetur Trinitatem *discretam inseparabiliter personis, indiscretam essentialiter substantia Deitatis.*

16 Gregorius Nyssenus lib. ad Ablabium, *Quod non tres dij*, prope fin. *Per quod solum*, ait, *discerni alterum ab altero deprehendimus*, videlicet per distinctionem originis; & iterum ibidem: *Hypostases sanctæ Trinitatis causa ratio discernit.* & lib. de differentia essentiæ & hypostaseos paulo post med. *Idem & coniunctum & separatum atque discretum dicimus.* Et paucis interiectis ait: *Discretam coniunctionem.* Et in fine repetit hypostaseon *discretionem.* Et orat. catechet. cap. 3. sub init. vocat Filium *distinctum ac discretum consistentia & hypostasi.*

17 Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus c. 2. initio: *In personis*, inquit, *discretio est, in Diuinitate nulla distinctio.* Ricardus Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 20. prope med. docet, personas habere *substantiale esse sub discretiua & differenti proprietate.* Atque in eodem capite & lib. 5. cap. 1. circa med. repetit *discretiuum, discretum,* & *discretionem.*

18 Magister 1. distinct. 24. cap. *ita & cum: Eodem*, inquit, *modo in diuinis personis accipitur distinctio, quo discretio: & congruè dicitur ibi esse discretio.* S. Thomas 1. distinct. 24. quæst. 2. art. 1. corp. notat, quod *Ecclesia prædicat discretionem* inter diuinas personas. Eandem concedit Albertus 1. part. quæst. 40. memb. 1. corp. S. Bonauentura 1. dist. 8. p. 2. art. 1. q. 1. ad 2. & distinct. 24. dubio liter. r. Carthus. in eadem distinct. 24. quæst. 4.

SECTIO XIII.

De cæteris nominibus, quibus distinctio significari potest.

1 *Inseparabilis.* IMprimis Concilium Nicænum lib. 2. longè post med. §. *audi iam.* fine, vocat *Trinitatem inseparabilem.* & prius eodem complexo fuerat vsus Fœlix Papa I. epist. 3. ad Benignum ante med. Concilium Toletanum Vndecimum in confessione fidei circa med. personas dicit *esse inseparabiles.*

2 Non esse *separatum* Verbum à Patre docet Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 8. 9. & 10. Euthymius non semel in Ioan. suo cap. 16. nostro autem cap. 14. Anastasius Sinayta citatus sect. 12. & referendus post secundam assertionem. Leo Magnus serm. 2. de Pentecost. cap. 3. Concil. Tolet. Vndecimum in profess. fidei post med.

3 Sic etiam separationis voces in diuinis cauendas esse, præcipiunt Scholastici. Albertus 1. part. q. 40. memb. 1. ad 3. S. Thomas in præsenti q. 31. art. 2. vbi communiter recentiores. S. Bonauent. 1. distinct. 24. dubio literali 1. Carthus. eadem distinct. 24. quæst. 4.

4 *Separationem qui affirmat.* Nihilominus separationem affirmat Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostas. ante med. *Vnaquæque*, inquit, *personarum proprijs insignibus discriminatim intelligatur: vt per dicta signa separatio hypostaseon deprehendatur.* Et paulo post med. *Idem & coniunctum & separatum atque discretum dicimus.* Et paulo propius ad med. quàm ad fin. eiusdem libri: *Fides*, inquit, *& in hypostasi separationem, & in essentia coniunctionem docet.* Rursus lib. de fide ad Simplic. propius ad fin. quàm ad med. ait: *Per quæ*, videlicet propria, *hypostases perspicuè, clarè & absque confusione ab inuicem separantur.*

5 Nazianzenus orat. 25. ad Arianos, & de se ipso, diuinas personas appellat *per se ac separatim subsistentes.* Cui consonat primò, Sophronius Patriarc. in sexta Synodo act. 11. epist. professionis fidei col. 3. Filium vocans *semotum proprietatibus: semotum* autem est idem quod *separatum.* Consonat secundò, quod Damascen. lib. de duabus Christi voluntatibus sub init. ait: *Distare inter se dicuntur sibi insignitis proprietatibus.*

6 *Tolerantur istæ voces cù temperamẽto.* Ex quibus infero & dico primò. Tolerari possunt nomina separationis atque distantiæ; dummodò declaretur, solis personalitatibus distare, vel separari Patrem à Filio, & Spiritu sancto, retenta vnitate Deitatis. Sed melius erit consilium, eiusmodi voces euitare.

7 *Alteratio.* Dico secundò. Censendum est idem omnino de nomine alterationis. Quoniam *personarum alterationem* affirmat Basil. homil. 28. contra Sabellianos inter princip. & med. Econtrario tamen Epiphan. hæres. 62. versus med. de Spiritu sancto dicit: *Non alteratus præter Patrem & Filium*, & Anastasius Sinayta de rectæ fidei dogmat. lib. 1. in med. de distinctione personarum ait: *Nec ea diuisio alteratio est & separatio.*

8 *Alienatio negatur.* Dico tertiò. Alienationis voces omnino negandæ sunt in diuinis. Atque ita Patres negant, Filium esse alienum à Patre, vel Spiritum sanctum esse alienum à Patre & Filio. Ita Concil. Nicænum lib. 2. post med. §. *cum sit copiosa.* prope fin. & in fine. Nazianzenus orat. 29. de dogmate & constitutione episcop. propius ad med. quàm ad princip. Cyrillus Alexand. lib. 9. in Ioan. cap. 24. prope med. & prope fin. Epiphan. hæres. 69. multoties, Iustinianus in edicto fidei col. 1. Albertus 1. part. quæst. 40. memb. 1. corpor. S. Thomas in præsenti quæst. 31. artic. 2. ad 3. & 1. sentent. distinct. 24. quæst. 2. artic. 1. corpor. Vbi Carthus. quæst. 4.

9 *Extraneum negatur & dissimile.* Eadem ratione *extraneum* negatur à Patribus, vt ab Origene infra citando.

10 Quartò vitanda sunt nomina dissimilitudinis & inæqualitatis, vt Augustinus lib. 7. de Trinitat. cap. vltimo ad fin. *Nullæ moles*, inquit, *aut interualla cogitentur, nulla distantia quantulacumque dissimilitudinis.* Epiphan. hæres. 69. pag. 12. docet *Trinitatem nihil habere in se ipsa euarians.* Origenes ad cap. 3. epistol. ad Roman. lib. 3. colum. penult. *Nihil discrepans*, inquit, *aut extraneum in Trinitate.* Quapropter non est imitandum quod Cyrillus dialog. de Trinit. lib. inter med. & fin. dicit, *Subsistentiarum varietatem*, quam postea explicat esse differentiam siue distinctionem.

ARTICV

QVÆST. 31.

ARTICVLVS III.

Vtrum dictio exclusiua, solus, sit addenda termino essentiali in diuinis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum dictio exclusiua possit adiungi termino personali.

DISPVTATIO XL.

Exclusiuæ dictiones & exceptiuæ, quid propriè significent in diuinis.

SECTIO I.

Num Deus appellari debeat singularis, indiuiduus & vnicus?

1 CCVRRVNT in vtroque Testamento multoties ea nomina vel aduerbia, quæ dicuntur à Dialecticis exclusiua, vel exceptiua. Quorum vim & propriam significationem, nisi Theologus exactè penetrauerit; succumbet argumentis Sabellianorum & Arianorum, inde pugnantium contra personalem distinctionem, aut contra Diuinitatem Filij vel Spiritus sancti; quoniam Scriptura sacra, quandoque solum Patrem appellat Deum, immortalem, sapientem: vel aliquam actionem, potestatem, aut perfectionem attribuit soli Filio, vel soli Spiritui sancto. Horum exempla videbimus in sectionibus sequentibus. Nam incipiendum fuit ab iis, quæ faciliora sunt, eo quod eorum præcipua difficultas superata fuerit disputat. 22. quinque prioribus sectionibus.

2 *Singularitatem qui negant.* *Singularitatem* igitur à Deo quasi suspectam erroris Sabellianorum remouendam putant, & dicunt, Deum *non esse singularem*: Hilarius lib. 7. de Trinit. colum. 5. & inter med. & fin. & colum. penult. & lib. 8. col. 2. & iterum propius ad med. quàm ad fin. & col. vltima & lib. 9. post med. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 1. versus fin. & cap. 2. circa fin. Augustinus in quæstionibus de Veteri testamento quæst. 9. & 7. de Trinit. cap. 4. propius ad fin. quàm ad med. Leo Magnus serm. 2. de Pentecost. cap. 2. & 3. Commentarius Boëtij de Trinit. inter med. & finem. Magister 1. distinct. 23. cap. penult. S. Thom. S. Bonauentura, Albertus. Quorum loca citauimus, & retulimus verba Sanctorum disput. 22. sect. 1. confirm. 1.

3 *Exponuntur.* Verumtamen citati Patres singularitatem in Deo negant in sensu Sabellianorum, dicentium, vnicam solummodo personam & eandem esse Patrem Filium & Spiritum sanctum.

4 *Non tenemur vitare nomen singularis.* Dico igitur primò. Nulla sufficiens ratio theologos obligat, vt euitent *singularitatis* nomen; sed absque vllo inconuenienti poterit Deo tribui (quod ex se est) nisi per accidens auditorum ignorantia vel malitia periculum afferat. Ab hoc enim cauebant Patres initio vitati propter errores, ea tempestate grassantes. Ita sentiunt docti recentiores, vt Vazquez disput. 131. cap. 4. post med. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 13. num. 5. Molina hic quæst. 31. art. 2. §. *illud.*

5 Probatur primò, nam *singularem esse* Deum vel Deitatem, vel essentiam diuinam, affirmant plerique Patres. Dionys. de diuin. nomin. cap. 1. propius ad med. quàm ad princ. Athanas. dialogo 1. de Trinit. contra Anomœum non longè post med. & serm. in Euangel. de sanctissima Deipara prope init. Basil. lib. 3. contra Eunomium in fine. Epiphanius in Ancorato col. 9. Sophron. Patriarch. in sexta Synodo act. 11. & in epist. profess. fidei colum. 2. & 3. Lactantius diuinar. institut. lib. 4. cap. 29. prope fin. Anselmus lib. de process. Spiritus sancti cap. *patet*, quod est penult. ad fin. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 12. Consonant Patres qui dicunt nomina essentialia Dei *singulariter* efferri, vt Gregor. Nyssenus lib. ad Ablabium *quod non tres dij* in fine. Concil. Toletanum Vndecimum in medio profess. fidei.

6 Probatur secundò, nam quodlibet indiuiduum est singulare. Sed Deus est indiuiduus, & essentia diuina est indiuidua: ergo est singularis. Minor traditur à Conciliis & Patribus. Nicænum Concilium lib. 2. col. 6. §. *sancta & magna* & post med. libri, §. *siquidem.* in fine, asserit *Trinitatem indiuiduam.* Lateranense cap. *firmiter* de summa Trinit. *Hæc sancta Trinitas*, inquit, *secundum communem essentiam indiuidua.* Sic etiam indiuiduam Diuinitatem appellant Iustinus quæst. 17. ad orthodoxos. Nazianzen. orat. 37. quæ est 5. de theologia non longè ante med. Gregor. Nyssen. epist. de imagine & similit. contra Apollinarem col. penult. & lib. ad Ablabium *quod non tres dij*, multo propius ad princ. quàm ad med. Hilarius etiam ipse, qui maximè videtur auersari præsentes locutiones, appellat *indiuiduam & non diuiduam Dei naturam* lib. 9. de Trinit. multo propius ad fin. quàm ad med. Colligitur idem ex Ambrosio lib. 5. de fide cap. 2. longè post med. & lib. 3. de Spiritu sancto cap. 14. & 17. Horum omnium Patrum verba posuimus disput. 22. sect. 2. & 3.

7 Ex Scholasticis autem, essentiam diuinam esse indiuiduam, dicunt Alexander 1. p. quæst. 44. dum respondet ad quintam rationem. Durand. 1. dist. 9. quæst. 1. corp. fine.

8 Probatur tertiò, quia quidquid est vnum numero, est singulare & indiuiduum. At verò essentia diuina est vna numero, vt docet Ioan. nomine Latinorum in Concil. Florent. sess. 18. post med. §. *dixi equidem* versus med. Probátque S. Thomas 1. p. quæst. 39. art. 3. corp. & 4. contra gentes cap. 11. prope med. de potentia q. 10. art. 2. ad 12. Confirmatur, nam vna ex rationibus, propter quas diuinæ personæ non propriè differunt numero, nec propriè sunt indiuidua, nascitur ex eo, quod natura diuina realiter eadem, indiuidua & vna numero cum illis identificatur realiter: vt vidimus disput. 35. sect. 5. & 6.

9 Probatur quartò, quia quidquid non est vniuersale, eo ipso est singulare & indiuiduum. Sed essentia diuina vel Deus non est propriè vniuersalis, quia non est vna per solam abstractionem rationis, sed realiter est vna. Plures rationes recole ex dicta disput. 22. sect. 4.

10 *Deus est vnicus.* Dico secundò. De rigore sermonis rectè ac propriè concedere possumus, Deum esse *vnicum.* Probatur primò, quia licet aliqui Patres negauerint esse *vnicum*, præcipuè verò Hilarius lib. 7. de Trinitate col. penult. & lib. 8. ferè inter med. & fin. & lib. 9. sub initium. & lib. de Synodis col. 7.

ad canonem 2. Oriental. & iterum inter med. & fin. Quem sequuntur communiter antiquiores Scholastici, reprobantes in Deo nomen *vnici*, vt S.Thom. in præsenti quæst. 31. art. 2. corpor. ad fin. & 1.distinct.24.quæst.2. artic.1. corpor. & ad argumenta. Albertus 1. part. quæst. 40. memb.1. corpor. Durandus 1. distinct.9. quæst.1. corpore ad fin. Carthus.distinct.24.quæst.4. Nihilominus Dionys. de diuin. nomin. cap.1. propius ad med. quàm ad princip. ait: *In omnibus ferme sacris libris, aduertimus, Diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem atque vnicam ob simplicitatem, atque vnitatem illius excellentis indiuidui.* Athanas. dialogo 1. de Trinit. contra Anomæum non longè post med. de diuina essentia dicit, *Cum sit vnica & singularis.* Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 2. & cap.12. Deum appellat *vnicum* & *singularem.*

11 Propterea Scholastici nonnulli tenent præsentem assertionem, vt Henricus 2.p. art.75.quæst.5. corp. non longè à princip. Molina in præsenti q. 31.art.2.§.*illud*, vbi recentiores alij, Vazquez disp. 131.cap.4.initio, Suarez lib.4.de Trinitat.cap.13. num. 4.

12 Probatur secundò, quia vocabulum *vnicus* ex vi sermonis appellat supra formale Dei, quando dicimus, *Deus est vnicus.* Quam formalitatem potiori iure significat, quando dicimus, *Deitas vel essentia diuina est vnica.* Constat autem formale significatum Dei siue Deitatis non multiplicari, sicut multiplicãtur suppositа, habentia Deitatem. Quapropter absolutè verificatur nomen *vnici.*

13 Probatur tertiò, quia quidquid est singulare atque indiuiduum est vnicum. Sed Deus est singularis & indiuiduus, vt probatum est assertione præcedenti: Ergo Deus est vnicus. Quartò, quia *vnus*, categorematicè dictus, est idem quod *vnicus*, opponitur enim pluralitati. Sed Deus est vnus, categorematicè dictus, vt ostendemus sect. sequenti: ergo est vnicus.

SECTIO II.

Vtrum Deus possit appellari solus, *aut* solitarius.

1 *Solus syncategorematicè.* SVpponendum est, hoc nomen *solus* dupliciter accipi, nempe syncategorematicè & categorematicè. Quam distinctionem ita explicat S.Thomas præsenti quæst.31.art.3.corpor. vt acceptio syncategorematica significet ordinem prædicati ad subiectum, non significando suppositum, cui adiungitur ille ordo vel ille modus: quemadmodum istæ voces *omnis* vel *nullus* & omnia aduerbia. Iuxta quam acceptionem de vocabulo *solus*, tractabimus sectionibus sequentibus. In hac enim acceptione positum reddit propositionem exclusiuam.

2 *Categorematicè.* Categorematica tamen acceptio significat suppositum, habens aliquam formam, siue illud suppositũ significet de formali atque distinctè; quemadmodum hæc vox homo; siue illud significet de materiali atque confusè; quemadmodum adiectiua nomina significant suppositum. Imo quamuis res significata non possit esse suppositum; satis est per modum suppositi significari, veluti albedo, vel cœcitas.

3 *Sententia negans* solum *categorematicè.* Deum igitur non posse appellari *solum*, accipiendo hoc nomen categorematicè, probãt Scholastici plures, quia significaret, Deum esse solitarium absque consortio personarum. Et propter eandem rationem docent vniuersaliter, prædictum vocabulum *solus* adiungi non posse cuicumque termino essentiali. Ita S.Thom. dicto artic.3. corpor. S.Bonauent. 1.distinct.24.dubio literali 1. Albertus 1.p.q.40. memb.1.corp. fine & ad quæstionem incidentem. Henricus part.2. art.75.q.5. corp. longè à princip. Carthusianus 1.dist.24.q.4. Communiter expositores S. Thomæ q.31. art.3. Vbi Molina & Vazquez, aliíque Scholastici citandi sect.3.initio. Atque idem fere existimant Comment. in Boëtium de Trinit. inter med. & fin. apud Bedam tom.8. colum.1116.

4 Probari potest ex sacra Scriptura, quia solus appellatur, qui caret cõsortio personarum. Quemadmodum 1.Reg.21. *Quare tu solus & nullus est tecum?* & Ioann. 6. *Fugit iterum in montem ipse solus.* Quamobrem meritò Ioann.8. Christus Dominus ait, *Solus non sum.* & infra: *Qui misit me mecum est, & non reliquit me solum.* & cap.16. ad fin. *Me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.* Quibus in locis apertè Christus Dominus solitudinem excludit, vt contrariam consortio & distinctioni personarum, vt obseruant communiter Patres, veluti Athanasius orat. contra Gregales Sabellij col. 3. & propius ad princip. quàm ad med. Basilius homil.28. contra Sabellianos pag.2. Ambrosius lib.2. de fide ad Gratian. cap. vlt. propius ad fin. quàm ad med. Origenes hom.12. in cap.21. Numerorum colum.2. Augustinus tractatu 36. in Ioannem circa med. Fulgentius lib. de fide ad Donatum cap.3. sub init.

5 Vt propterea mirandum non sit quod Hilarius toties tãquam fidei dogma professus fuerit Deum neque esse *solum* nec *solitarium*, præsertim lib.4.de Trinit. prope med. vsque ad med. & post med. & lib.5. fine. & lib.7.col.2. & iterum versus med. in med. & post med. frequenter. & lib.8.colum.2. & iterum multo propius ad med. quàm ad fin. & col. penult. & lib.9. inter princ. & med. & multo propius ad med. quàm ad princip. & lib. de Synodis col.7. ad Orientalium canonem 2. & 9. & multo propius ad med. quàm ad princ. exponens Synodum Sardicam, & multo propius ad fin. exponens symbolum Nicænum. Leo Magnus serm.2. de Pentecoste cap.3. post med. *Sic*, inquit, *in tribus confitenda est personis, vt solitudinem non recipiat Trinitas.*

6 *Potest appellari* solus *etiã categorematicè.* Nihilominus sit prima conclusio. Rectè, propriè & absque inconuenienti Deus potest appellari *solus*, etiam categorematicè, significando, nullum alium Deum esse Diuinitatis socium & consortem, atque eodem modo nomen *solus* potest applicari cæteris nominibus essentialibus, quæ Deo sunt propria. Probatur primò, nam sacra Scriptura ita loquitur Deuteron. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Quod ad rem præsentem ponderat Athanasius orat. 4. contra Arianos colum.6. Isaiæ 37. *Tu es Deus solus omnium regnorum terræ.* Et post pauca: *Vt cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.* Danielis 3. *Et sciant, quia tu es Dominus Deus solus.*

7 Iis & aliis similibus testimoniis adductis Fulgentius lib.de fide ad Donatum cap.3. prope med. adiungit: *Quibus vnus & solus asseritur Deus.* Propterea reprehendens hæreticos, quoniã esse vnum & solum Deum, *non ipsi sanctæ Trinitati, sed vnitatum personæ, id est, soli Deo Patri assignabant.* Similiter Augustinus lib. 6. de Trinit. cap.7. *Dicimus*, inquit, *ipsam Trinitatem Deum solum.* Similiter loquitur eodem lib. 6. cap. 9. & sequenti lib. 7. de Trinit.

Trinit. cap. vlt. propius ad med. quàm ad fin. *Credat*, inquit, *in Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnum Deum solum.* & lib. 2. contra Maximinum cap.3. & 15. & lib.3. cap.9. & cap.23. docet, hanc Trinitatem intelligi, quando dicit Apostolus 1. Timoth.1. *Immortali, inuisibili, soli Deo.* & cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, aliáque similia, quæ tractabimus in sectionibus sequentibus. Quam Augustini doctrinam sequitur Magister & communiter Scholastici 1.distinct.21.cap.2.

8 Secundò probatur ex Patribus. Ignatius enim epist. ad Magnesianos propius ad fin. quàm ad med. *Vnum*, inquit, *& solum verum Deum Patrem suum annunciauit*, videlicet Christus Dominus. & epist. ad Philipp. paulo post princ. de Patre exponit illud Deuteronomij 6. *Dominus Deus tuus, Dominus vnus est.* Atque idem Ignatius epist. ad Ephes. inter princ. & med. *Medicus*, inquit, *noster est solus verus Deus, Ingenitus & inuisibilis, Dominus omnium Vnigeniti Pater & genitor.* Quæ testimonia simul cum aliis, huius temporis Ariani proferunt ad oppugnandam Filij Diuinitatem, vt videre est apud Bellarminum lib.1. de Christo cap.10. col.2.

9 Gregorius Thaumaturgus in regula fidei diuinitus tradita, apud Nyssenum in eius vita: *Vnus*, inquit, *Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, figura & imago Deitatis Verbum.* Clemens Romanus lib. 6. constitut. Apostol. cap.11. sub init. Deum Christi Patrem appellat *solum in æternitate.* & lib.7. cap.42. in symbolo recitando ab eo, qui baptizatur, profitetur, *Patrem solum verum Deum.* & lib.8. cap.16. sub init. ait: *Qui solus Ingenitus es sine principio, non agnoscens alicuius imperium aut dominium.* Atque ita subiungit alia prædicata communia tribus personis.

10 Nazianzenus carmine arcano 1. inter med. & fin. de Filio ait: *Solus & è solo, planeq; æqualis vt ille.* Epiphanius in Ancorato col.2. ex verbis Ioan.17. *Vt cognoscant te solum verum Deum*, &c. infert: *Solus ex solo Vnigenitus & solus Spiritus sanctus.* Lactantius diuinar. institut. lib.4. cap.29. inter med. & fin. *Vnus est*, inquit, *solus, liber, Deus summus.*

11 Imo Deus proprietate maiori, quàm vlla creatura, dicitur & est solus. Quod sapienter adnotauit Ambrosius lib.5. de fide ad Gratianum cap.1. in med. Quia videlicet omnes creaturæ, etiam vnicus ipse sol plurima habet communia cum cæteris creaturis. *Itaque cum Patris & Filij Spiritusq; sancti Diuinitati, quæ sola non inter omnia, sed super omnia est, nulla possit creatura conferri, sicut Pater dicitur solus verus Deus, cui nihil commune cum cæteris: ita etiam solus est Filius*, &c.

12 *Tutius est simul dicere solum & non solum.* Secunda conclusio sit, melius & magis tutum esse simul asserere, Deum esse solum, & non esse solum; quia neque sunt plures dij, neque est vnica tantùm persona. Ita Tertullianus lib. contra Praxeam cap.5. sub init. ait: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus, & omnia. Solus autem; quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam*, videlicet personam Verbi, quam statim exponit.

13 *Non solitarius.* Tertia conclusio. Deus non est dicendus *solitarius.* Ita docent non solum Hilarius lib. 7. de Trinit. col.2. & lib.8. col.2. & aliis in locis supra citatis. Sed etiam Augustinus in quæstionibus Veteris & Noui testamenti quæst.122. prope med. & serm.125. de tempore init. dicit, *Non sic vnum Deum* quasi *solitarium.* Quem imitatur Concil. Toletanum sextum cap.1.

14 Sed occurrit difficultas, quia *solitarius* idem *Ruiz de Trinitate.* omnino significare videtur, quod nomen *solus.* Ergo sicut Deus potest appellari *solus*, ita potest appellari *solitarius.* Respond. antecedens non esse omnino verum. Quoniam ex vi & proprietate Latini sermonis aliquod discrimen interest inter vtrumque vocabulum. *Solus* enim est magis generale, quia refertur non tantum ad personas intellectiuas, sed etiam ad suppositа irrationalia, quibus non adest comitatus & consortium alterius suppositi eiusdem speciei. Atque ita propriè sol dicitur esse solus, & equus, aut leo, dicetur solus, quando distat à quolibet alio animali eiusdem speciei. Attamen *solitarius* est minus vniuersale, quia propriè non dicitur, nisi de personis intellectiuis, vel de loco, quando carent frequentia vel consortio personarum intellectualium. Propterea vocabulum *solitarius* magis propendet ad significandam negationem pluralitatis & distinctionis personarum diuinarum.

15 Hanc reor, fuisse rationem, quæ Patres citatos adduxit, vt Deum solitarium esse negauerint, & cæteros Patres, ne vllo in loco (quem inuenerim) *solitarium* appellauerint, quamuis toties dixerint *solum.* Tandem, licet omnis alia ratio deficeret, hæc vna foret satis, vt existimaremus, aliquod discrimen in his vocibus latere, quoniam Scriptura & Patres toties asserentes *Deum solum*, nunquam asserunt *solitarium*, sed id aliquando negant.

16 *Obiectio.* Quod si contra discrimen prædictum opponas auem illam, cui nomen est *passer solitarius*, cum tamen non sit intellectiua persona. Respondeo, *Solutio.* Complexum nomen cepisse per analogiam ad homines solitarios; sed vsu & accommodatione factum esse nomen substantiuum, & proprium illius speciei. Cæterum adiectiuum *solitarius* manet adhuc in sua proprietate, iuxta quam tribuitur tantummodo personis intellectiuis, vt facilè colligi potest, non tantum ex authoribus humanitatis, sed etiam ex Philosopho 1. Ethicor. cap. 8. & lib.9. cap.9. & lib.1. Politicor. cap.2.

17 *Categorematicè* solus, *nõ potest de vna persona prædicari.* Quarta conclusio. Propositio erit absolutè falsa, si nomen *solus*, categorematicè sumptum, de vnica tantùm persona prædicetur; veluti dicendo, *Pater est solus.* Ita S.Thomas & communiter Scholastici sectionis sequentis initio referendi. Ratio est, quia prædicatum *solus* refertur ad formale subiecti, propterea que significat, in ratione personæ, siue in ratione Patris esse solum, & eo ipso non habere Filium, vel non habere consortium alterius personæ. Vnde Augustinus lib.6. de Trinit. cap.7. in med. ait: *Quamquam non inueniatur, quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus, cum semper & inseparabiliter & ille cum Filio sit, & ille cum Patre.* Subdit autem esse aliquem sensum, in quo Pater dicatur solus. De quo infra sect.4.

SECTIO III.

De nomine solus *accepto syncategorematicè, & coniuncto cum termino essentiali.*

QVod nunquam me fecisse recolo, præsens necessitas facere compellit, vt authores, de propositionibus exclusiuis tractantes, simul & in generali referam, non explicans in particulari, quibus in articulis dissideant. Nimia quippe multiplicitas sensuum & distinctionum, atque varietas propositionum & sophismatum obrueret ingenia, & tenebras augeret rebus ex se satis obscuris & intricatis.

2 *Scholastici tractantes de exclusiuis.*

Propterea generaliter tantum refero, quantum ad præcipuam substantiam decisionis, exponendæ in sequentibus sectionibus, eandem esse doctrinam omnium Scholasticorum, quam breuius attigit Magister in 1. sentent. tota dist. 21. sed magis explicatunt Albertus 1.p.q.40.memb.1. Alexand. q.65.memb.3. tribus articulis. S.Thomas in præsenti q.31.art.3.& 4. Henricus part.2. art.75. q.5. fusius quàm cæteri. S.Bonauent.in 1.dist.21. toto art.1.& 2. Ricard. tota dist.21. quinque quæstionibus. Scotus quæst. vnica. Durandus q.1. & 2. Gabriel quæst.vnica. Argentina quæst.vnica. Carthusian.item quæst.vnica. Marsil.tota q.24. Communiter expositores S. Thomæ q.31. art. 3. & 4. Vbi Canariensis, Molina & Vazquez. Suarez autem lib.4.de Trinit.cap.13.num.4.& 5.

3 *Solus verificatur cùm termino essenziali.*

Ab his omnibus admittitur vnica conclusio, quæ propria est præsentis sectionis, simpliciter veram & propriam esse propositionem, in qua dictio *solus* coniungitur cum termino essentiali, & fertur supra terminum essentialem, positum à parte prædicati. Qualis est hæc: *Solus Deus est æternus*, vel *solus Deus est infinitus*, vel *solus Deus creat.*

4 Probatur primò, Lucæ 18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Quod Matth.19. & Marci 10. dicitur: *Nisi vnus Deus.* Hunc locum Catholicis obiiciebant Ariani, quo probarent Christum non esse Deum, quia videtur reprehendere Legisperitum, eo quod ipsi tribueret bonitatem, cum illa sit propria solius Dei. Quam obiectionem referunt, ac refutant Patres locis infra citandis.

5 *Exponitur locus: Nemo bonus, &c.*

Ex quibus duo sunt notanda tanquam propria instituti præsentis. Primum est, Christum Dominum ibi non negare, se esse bonum infinita bonitate per se & ex natura sua, sicut neque Deum se esse negat, sed potius virtualiter affirmat, se esse bonum bonitate Dei propria. Vt admonet Dionys.de diuin.nomin.c.2.à princ. Basil. in apologia ad Cæsarianos, quæ inter epistolas est 141. multo propius ad princip. quàm ad med. & lib. 4. contra Eunom.inter med. & fin. Athanas. orat.4. contra Arianos multo propius ad princip.quàm ad med. Nazianzenus orat.36. quæ est 4.de theologia post medium, respondens ad 8.obiectionem. Chrysostomus in Matth.homil.64.sub init. Cyrillus Alexand. lib.2.thesauri cap.1. propius ad med. quàm ad fin. Epiphan. hæres.69. propius ad med. quàm ad fin. Hilarius lib.4. de Trinit. propius ad princ. quàm ad med. & magis ex professo lib. 9. de Trinit.inter princ.& med. Ambrosius lib.2.de fide ad Gratian.toto cap.1.& commentariis in Lucam ad caput 18. sub titulo 2. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap.23. inter med. & fin. & lib.1. de Trinitat. cap.13. post med. Hieronymus in Matthæum cap.19. Vbi Theophylactus & Euthymius, & author imperfecti in Matth. homil.33.

6 Secundum est, Legisperitum illum propterea fuisse increpatum, quia Christum Dominum appellabat bonum, intelligens bonitatem finitam & participatam; non credens, neque significare volens infinitam & Dei propriam bonitatem. Ita respondent Arianis Basil. dicto lib. 4. contra Eunomium, Nazianzen. Chrysost. Cyrillus, Augustinus, Hieronymus Euthym. Theophyl. & auctor imperfecti locis nuper citatis, & Hilarius lib.9.de Trinit.inter princ.& med. Ambros. lib.2. de fide ad Gratian. toto cap.1.

7 *Soli Deo exponitur.*

Probatur secundò, 1. ad Timoth.1. *Regi sæculorum immortali & inuisibili soli Deo.* Vbi sermonem esse de communi personarum Diuinitate, docet Gregor.Nazianz. orat.36. quæ est 4. de theologia post med. Basilius in apologia ad Cæsarianos, quæ numeratur vt epist.141. multo propius ad princ. quàm ad med. Augustinus lib. contra sermonem Arianorum cap. 1. & lib. 2. contra Maximinum cap.3.& cap.15.& lib.3.cap.9.& 23. Theodoretus 1.Timoth.1. Nec dissentiunt Patres, qui de tota Trinitate intelligunt illud *soli Deo*, vt Anselmus 1.Timoth.1. col.penult. & S.Thomas infra q.39. art.4. corp.

Aliter intelligunt nonnulli Patres, vt Apostolus loquatur peculiariter de persona Patris, vt Ambrosius in eum locum, vbi Chrysost. homil.4. prope morale. Nihilominus adnotant, propterea nõ excludi, sed potius includi Filium & Spiritum in Patre, tanquam in fonte Deitatis & immortalitatis. Verùm hic intellectus pertinet ad probandam aliam conclusionem sectionis sequentis. 8

Tertiò, quoniam 1.ad Timoth.6. *Beatus*, inquit, *& solus potens Rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem.* Quod etiam de natura diuina, communi tribus personis, intelligunt Nazianzenus orat.36.quæ est 4.de theologia post med. Basil.in apologia ad Cæsarianos, quæ numeratur, vt epist.141. multo propius ad princ. quàm ad med. Hilarius lib.4.de Trinit. inter princip. & med. August. lib.2. contra Maximinum cap.4. & lib.3.cap.12. Ambrosius lib.3. de fide ad Gratian. toto fere cap.2. vbi confirmat Psalm.82. *Tu solus altissimus super omnem terram.* ac Hieronymus lib. 2.contra Pelagianos. Cui consonat quod de tribus personis ac tota Trinitate intelligit Augustinus lib.1. de Trinit. cap. 6. quem sequuntur Magister & Scholast.1.distinct.4.cap.penult. 9 *Solus habet immortalitatem, exponitur.*

Nihilominus de Patre peculiariter dictũ fuisse, quod solus habeat immortalitatem, & in Patre simul fuisse subintellectum Filium & Spiritum sanctum, probant Euaristus Papa epist.1.ad omnes episcopos Africanos col.2. Chrysost.1.ad Timoth. homil.18.col.2. Ambros. lib.5. de fide ad Gratianum cap.1. Athanas.in dialogo 1.contra Macedonium propius ad med.quàm ad princ.& dialogo 3. contra Macedonium in med.& dialogo 1.de vnita Deitate inter princ.& med.& iterum in med. 10

Quartò probatur verbis Apostoli Romanorum 16.fine. *Soli sapienti Deo.* Quod ad eandem veritatem confirmandam ponderat Hilarius lib. 4. de Trinit. propius ad princ.quàm ad med. Fusius autem Augustinus lib.2.contra Maximinum cap.16. & lib.3.cap.13. 11 *Soli sapienti Deo, exponitur.*

Quintò, nam Iob 9. dicitur: *Qui extendit cœlos solus.* Et Isaiæ 44. prope fin. *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Quod ad præsens propositum adducit Basilius lib. 5. contra Eunomium multo propius ad finem quàm ad med. Athanas.orat.4.contra Arianos multo propius ad princip. quàm ad med. Cyrillus Alexand.lib.10.thesauri cap.6. Ambros.lib.5.de fide ad Gratian.c.1.propius ad med. quàm ad princip. Vnde Theologus debet inferre, non tantùm attributa & perfectiones, quæ necessariò & essentialiter Deo conueniunt, sed etiam liberas Dei actiones ad extra, prædicari de subiecto cum adiuncta dictione, *solus.* 12 *Extendit cœlos solus.*

Ratio denique totius conclusionis est, quoniam in huiusmodi propositionibus à Dei consortio nulla personarum diuinarum excluditur, sed tantum excluduntur creaturæ: nam siue in exponente propositione dicas; *nihil aliud à Deo* neutraliter; siue dicas masculinè *nullus alius à Deo:* verum erit vtrumque; quia nihil aliud, & nullus alius à Deo creat, neque est æternus. 13

SECTIO

SECTIO IV.

Quid si nomen solus *afficiat terminum personalem?*

1 TOta difficultas est, quando nomen *solus*, syncategorematicè ac exclusiuè sumptum, adiungitur nomini personali, & fertur comparatione termini essentialis positi à parte prædicati, veluti si dicas: *solus Pater est Deus, solus Pater est æternus* aut *infinitus.* Videtur enim falsa propositio, quoniam exponitur per hanc: *Nullus alius à Patre est Deus.* Hæc autem est falsa, quia Filius est alius à Patre, & Spiritus sanctus similiter est alius à Patre, & tamen vterque Deus est.

2 *Solus Pater est Deus, & similes propositiones.*

Nihilominus sit conclusio. Prædictæ propositiones absolutè recipi possunt à Theologis, tanquam veræ, iuxta phrasim vsitatam apud Scripturas & doctores Ecclesiæ: quamuis iuxta rigorem dialecticum distinguendæ forent, quia laborant æquiuocatione, siue sensuum multiplicitate. Probatur primò, simúlque diluitur ratio dubitandi, quoniam eiusmodi propositiones rectè possunt ita intelligi, vt excludant *aliud* neutraliter, & non excludant *alium* masculinè. In quo sensu vera est exponens: *Nihil aliud à Patre est Deus, nihil aliud à Patre est æternum*, aut *infinitum*, Filius enim non est *aliud* à Patre, quamuis sit alius à Patre, supra disp.39. sect.4.& sequentibus.

3 Ioan.17. Probatur secundò oratione Christi Domini ad Patrem, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deũ, & quem misisti Iesum Christum.* Quibus verbis Spiritus sanctus à Diuinitate non excluditur. Quemadmodum nõ excluditur à cognitione Filij Pater, neque Spiritus sanctus, quando Matth. 11. Christus Dominus ait: *Nemo nouit Filium nisi Pater, & Patrem quis nouit nisi Filius?* &c. Neque à visione Patris excluditur Spiritus sanctus, neque ipse Pater, quando Filius dicit. Ioann. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Nec Pater, aut Filius excluditur 1.Corinth.2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Apoc.19. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse*, videlicet Christus Dominus.

4 Confirmatur, quia plerique Patres, quos præcedenti sect. notauimus, illud 1. Timoth. 1. *Soli Deo*, & 1. Timoth. cap.6. *solus potens*, & *solus habet immortalitatem*, intelligunt peculiariter esse dictum de persona Patris. Quod ipsum efficaciter colligitur ex contextu Romanorum cap. 16. fine, quando dicitur *Soli sapienti Deo per Iesum Christum.*

5 Tertiò probatur generali regula, quam Ecclesiæ doctores præscribunt ad exponenda loca nuper adducta, cæteráque similia. Nimirum in Scriptura sacra dictiones exclusiuas, vni personæ copulatas, non habere vim excludendi duas alias personas, sed potius includendi: quoniam in solo Patre comprehenditur Filius & Spiritus sanctus, ac similiter in solo Filio Pater & Spiritus sanctus intelligitur, sicut etiam in solo Spiritu sancto Filius atque Pater.

6 Rectè namque Hierotheus apud Dionys. de diuin. nomin. capit.2. ad fin. illud 2. Corinth. 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*, ita exponit: *Si hoc primum constitutum fuerit, omne diuinum nomen, cuicumque diuinarum personarum impositum sit, in tota ipsa diuina Trinitate accipi.* Quod ipsum variis Scripturæ locis inter se collatis ex professo probat Sixtus Papa Primus epist. 1. circa med. Athanas. orat.4. contra Arianos multo propius ad princ. quàm ad med. & dialogo 1. de vnita Deitate versus med. & dialogo 1. contra Macedonium propius ad med. quàm ad princ. & dialogo 3. contra eundem in med. dialogi. Nazianzen.orat.36.quæ est 4. de Theologia post med. 7

Basilius in apologia ad Cæsarianos, quæ est epist.141. multo propius ad princ. quam ad med. & lib.4. contra Eunomium prope fin. Fusiùs autem sequenti lib. 5. contra eundem inter med. & fin. videlicet sect.14. & 15. dicens: *Vniuersa Deitas nunc in Patris, Filij & Spiritus sancti appellatione tibi manifestatur, & tibi propheticam quæstionem soluit apertè Apostolus, nec simit, vnam personam existimare Deitatem, propter eas voces, quæ id signare putantur.* Et post pauca: *In eodem Apostolo & prophetis apertè sunt testimonia, quod non dualitatem, imo nec Trinitatem tollunt, cum vnitatem prædicent; sed vnitatem Deitatis scientes, in vna persona tres prædicant.*

Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili Dei natura col.2. & sequentibus, discutiens illud 1. Corinth.8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, est vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia:* probat, neque Filium à Diuinitate, neque Patrem à Dominio prædictis verbis excludi. Vnde col. 4. colligit generalem regulam. *Quoties audis vnus & nullus, & cætera generis eiusdem: non Trinitatis opinionem diminui, sed quantum inter eam & creaturam interest, verbis his ipsis signari arbitrare.* Idem confirmat tom.5. orat.de Trinitate & de serpente inter med. & finem. 8

Cyrillus Alexand.lib.4.thesauri cap.2. in med. *Si solum Patrem*, inquit, *aliquid habere dixeris naturaliter: non priuabitur tamen Filius eadem re naturaliter. Solus enim ea Pater habere dicitur, in quantum à nullo habet: sed omnia, quæ sibi naturaliter insunt, Filius suus, ex eo prodiens, consequitur naturaliter.* Quibus similia ponderat lib.10.thesauri toto cap.6. Epiphanius hæres.69.pag.9. & in Ancorato col.2. Hilarius toto ferè lib. 4. de Trinit. & lib.9. inter princ. & med. & versus med. 9

Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum cap.2. ad fin. ait: *Non ergo separent Filium, cum legunt solum Deum, nec Patrem separent, cum legunt Filium solum. In terris Filius sine Patre non est, & putas, quod Pater sine Filio sit in cœlo?* Quod probat Ioan. 8. *Et non sum solus, quia Pater mecum est.* & Ioan.1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Quomodo solus Pater si in sinu Patris Filius est?* Similia notat lib.4.de fide ad Gratian.cap.1.fine, & lib.2. de Spiritu sancto cap.12. 10

Hieronymus in Matth. capit.24. ad illud, *De die illa nemo scit, nec angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Postquam probauit, Filium scire, quia omnia ei tradita sunt à Patre, & quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei concludit: *In Patre comprehendit Filium, omnis enim pater filij nomen est,* Id est, quoties alicubi dicitur esse Pater, est etiam ibi nomen Filij. Quemadmodum Actor. 1. *Quæ Pater posuit in sua potestate*, quod prius citauerat Hieronymus. Augustinus lib. 3. contra Maximinum capit. 23. validissimis argumentis, præclusa quacumque solutionis via, compellit Arianos admittere hanc exponendi rationem in eisdem testimoniis, quæ Catholicis obiiciebant. Idem docet Prosper in sententiis ex August. sententia 371. 11

Leo magnus serm. 2. de Pentecoste cap. 2. fine ait: *Cum sancta Scriptura sic loquitur, vt aut in* 12

factis aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur conuenisse, non perturbatur fides Catholica, sed docetur, vt per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quædam siue sub Patris, siue sub Filij, siue sub Spiritus sancti appellatione promuntur: vt confessio credentium in Trinitate non erret. Quæ cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur.

13 Anselmus epist. de processione Spiritus sancti post med. cap. *si autem* tractans illud Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater*, &c. notat, *reuelare & nosse tribus personis esse commune: quoniam non per hoc quod alij sunt ab inuicem, sed per hoc, quod vnum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, cognoscunt & reuelant.* Quod in eodem & sequenti capite confirmat, & iterum in fine tractatus eiusdem. Fulgentius id probat latiùs ad decimam obiectionem Arianorum quæ est vltima. Idem docet Lactantius lib. 4. diuinar. inst. capit. 29. post med. Magister. 1. dist. 21. cap. vltimo ex mente potius, quàm ex verbis Augustini lib. 6. de Trinit. cap. 9. Communiter Scholastici locis citatis initio sectionis præcedentis.

14 *Contradiceret Scriptura sibi, nisi vera esset regula.* Ad hanc regulam admittendam, citati Patres compellunt hæreticos, inuicem conferendo Scripturæ loca, quæ sibi manifestè contradicerent, nisi quod dicitur de solo Patre, si pertinet ad essentiam Deitatis, deberet etiam intelligi de Filio & Spiritu sancto atque similiter, quod dicitur de solo Filio, vel de solo Spiritu, deberet intelligi de duabus aliis personis. De quo dicemus aliquid sect. sequenti, ponderantes singula testimonia.

15 *Deducitur ex vniuersalibus principijs logicæ.* Eadem regula manifestè deducitur ex vniuersalibus principiis logicæ, suppositâ inseparabili vnitate sanctissimæ Trinitatis. Quoniam exclusiua dictio non excludit concomitantia subiectum, videlicet, ea, quæ non ponunt in numero cum subiecto propositionis. Qualia sunt omnes partes, omnia superiora & inferiora & accidentia illius in concreto. Vt quando dicimus, solus Petrus scribit, non excluditur manus, nec sequitur quod Petri manus non scribat: nec sequitur quod animal non scribat. Sic ergo quando dicit Scriptura, solum Patrem esse Deum, aut solum Patrem scire, non excluditur Deus communis Patri & Filio & Spiritui sancto, & realiter identificatus cum Patre: propterea que non excluditur Filius neque Spiritus sanctus, nisi prædicatum sit notionale, de quo dicemus sect. 7. difficul. 5.

SECTIO V.

Plenior & exactior intellectus ad omnia testimonia, quibus Diuinitas soli Patri vel soli Filio tribuitur.

1 *Includitur Filius ex vi verborum.* CEleberrimum est illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Dico igitur primò, particulam, *solum*, non restringi ad Patrem, sed extendi etiam ad Filium, propter sequentis membri coniunctionem, ita vt hic sit ordo verborum, vt cognoscant te & quem misisti Iesum Christum solum verum Deum. Ita Chrysostomus in Ioan. hom. 79. col. 2. & confirmat. 1. Corinth. 9. *An ego solus & Barnabas non habemus hanc potestatem?* Vbi vox *solus* non excludit Barnabam, sed includit.

2 Ita etiam exponit Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 16 Clarius autem lib. 10. thesauri capit. 6. sub init. Athanas. in disputatione contra Arium habita in Concilio Nicæno multo propius ad med. quàm ad fin. August. lib. 6. de Trinit. cap. 9. à princ. & tract. 105. in Ioan. vnde verba desumpsit Prosper in lib. sententiarum Augustini sententia 371. Hilarius lib. 9. de Trinit. præsertim circa med. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 2. Nouatianus apud Tertullian. in lib. de Trinit. Beda in hunc locum Ioan. 17. Idem supponere videtur Cyprianus lib. de exhortatione martyrum cap. 2. fin.

3 *Spiritus sanctus non excluditur, propter inseparabilem coniunctionem.* Dico secundò. Quamuis iuxta prædictam expositionem apertè includatur in Diuinitate Filius: adhuc Spiritus sanctus manebit exclusus; nisi adiungamus generalem regulam, traditam in sect. præcedenti. Atque ita eam adiungunt Augustinus & Prosper locis nuper citatis. Atque alij Patres verba illa *solum verum Deum*, existimant, grammatica constructione cum solo Patre cohærere: nihilominus Filium & Spiritum sanctum non excludi, quoniam sunt vnum cum Patre, sed tantum excludi creaturas & falsos deos. Ita Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de Theologia post med. respondens ad obiectionem 8. Basilius lib. 4. contra Eunomium prope fin. & lib. 5. inter med. & fin. & in Apologia ad Cæsarianos, quæ inter epistolas est 141. multo propius ad princ. quàm ad med. Epiphan. hæres. 69. pag. 9. & in Ancorato colum. 2. Cyrillus Alexand. lib. 4. thesauri cap. 2. in medio, & lib. 10. thesauri cap. 6. Hilarius lib. 4. de Trinit. propius ad princ. quàm ad med. & dicto lib. 9. ante med. & post medium. Ambrosius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 1. præsertim ad fin. Anselmus epist. de processione Spiritus sancti post med. cap. *sed dicet.*

4 Referuntur pro eadem expositione Leontius, Theodorus Mopsuest. & Theodoritus Cyri Episcopus in Græcorum Catena, Theophylact. & Eutymius in hunc locum Ioan. 17. Cæsarius dialog. 1. Eam denique supponit Ignatius epist. ad Magnesianos propius ad fin. quàm ad med.

5 *Tales exclusiua nihil probant contra diuinitatem Filij vel Spiritus sancti.* Dico tertiò. Illud autem euidentissimum est talibus exclusiuis non probari, quod Filius aut Spiritus sanctus non sit Deus. Idque non tantum propter apertissima testimonia Diuinitatis Verbi, aut Spiritus sancti, sed magis immediatè atque directè ad rem præsentem; quoniam aliis in locis Scriptura dicit, solum Filium esse Deum: constat autem euidentissimè, tunc non excludi Patrem à Diuinitate.

6 Sic obiectionem, ab exclusiuis acceptam, aduersus Arianos retorquet Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de Theologia post med. quoniam Baruch. 3. dicitur: *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum.* Quod non immediatè de Patre, sed de persona Filij dictum esse, declarat quod sequitur: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quapropter hoc loco peculiariter Christi Domini Deitatem esse testatam, ostendunt communiter Patres, quos citabimus disp. 54. sect. 3. testimon. 9.

7 Basilius etiam lib. 4. contra Eunomium prope fin. eodem modo redarguit obiectionem hæreticorum, sicut Nazianzenus. Adiungit autem alium locum his verbis, *& Ioannes in epistola dicit, vt cognoscamus solum verum Deum, & simus in vero Filio eius Iesu Christo, hic est verus Deus & vita æterna.* Veruntamen in vulgata editione non legitur *solum*, nihilominus vim suam retinet argumentum, ex eo loco desumptum.

8 Fulgentius ad decimam obiectionem Arianorum,

rum, quæ est vltima, similiter redarguit Arianos, præcipuè ponderans illud de Christo Domino dictum Isaiæ 45. *In te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israël saluator.* Plures autem Patres in eo conspirant, quod intelligatur de Filij Diuinitate, quorum aliquos referemus disp. 54. sect. 3. testimonio 8. Confirmatur, quoniam vt videbimus sectione sequenti, cognitio rerum diuinarum quandoque soli Patri, quandoque soli Filio, & aliquando etiam soli Spiritui sancto tribuitur; quæ propositiones non possent esse simul veræ si dictio *solus* vni personæ coniuncta, cæteras duas excluderet.

9 *Peculiaris ratio Patri, vt dicatur solus Deus &c.* Dico quartò. Nihilominus peculiaris aliqua ratio fuit, propter quam Pater potius, quàm Filius aut Spiritus sanctus, diceretur esse solus verus Deus, aut solus sapiens, aut potens, aut solus immortalis & inuisibilis, iuxta declarationes multorum Patrum positas sect. 3. circa testimonium Apostoli 1. Corinth. capit. 1. & capit. 6. Quam ita docet Cyrillus lib. 4. thesauri cap. 2. prope fin. *Solus Pater verus est Deus, quoniam solus habet Filium, qui veritas est. Solus Pater sapiens & potens est, quoniam Christus Dei Filius, virtus & Dei sapientia est. Solus Pater inaccessibilem lucem habitat, quia Filius est lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Hoc igitur sensu verificari potest, solum Patrem verum Deum esse, quoniam ingenitus est, & totius Diuinitatis origo, vt dixit Theodorus Heracleotes apud Maldonatum Ioan. 17. versu 3. in medium.

10 Eodem modo ratiocinatur Ambrosius 1. Timoth. 1. ad illud; *Regi sæculorum*, &c. *Hæc ad Dei Patris personam pertinent, quem immortalem, ideo solum & inuisibilem appellat, quia omnis immortalitas ab ipso est, vt ipse soli magis competat in veritate, quia quisquis immortalis est, non à se hanc habet, sed ab illo.* Et post pauca: *Ipse est & inuisibilis solus Deus, quia nulli vnquam visus est. Omnia enim agit per Filium, quem idcirco visum dicimus, vt licet aliter, quàm est, apparuisset, tamen illum significemus. Honorificentiam ergo & gloriam Deo Patri in veritate pronunciat, cuius pietate & prouidentia Christus liberauit peccatores ex morte.*

11 Chrysostomus item 1. Timoth. 1. hom. 4. non procul ante morale, inquirit, *Cuius rei gratia huiusmodi differentia infertur?* Videlicet vt Pater potius, quàm Filius appelletur immortalis & inuisibilis solus Deus. Et respondet: *Quia ipse, inquies, à nemine talis factus est, Filius autem à Patre natus est. Et nos hoc ipsum gratè confitemur: neque enim negamus ex Patre Filium immortaliter natum. Et huius rei gratia, inquies, Patrem glorificamus, quia talem genuit Filium. Vides quod tunc maximè glorificetur Pater, cum magna peregerit Filius.*

12 Confirmatur præcedens assertio, simúlque iacitur fundamentum assertionis sequentis. Quia Deus in Scriptura sacra multoties accipitur notionaliter pro persona Patris. Ergo in eo sensu dici potest, Pater solus est Deus, & nemo alius præter Patrem est Deus, & nemo nouit Filium nisi Pater. Antecedens probatur, est enim genus antonomasiæ nomen commune multis personis ponere loco nominis proprij, etiam quãdo nullus est excessus & inæqualitas perfectionis: sufficit enim genus aliquod prioritatis & magis vniuersalis notitiæ. Quoniam igitur Pater est primus origine, idémque lumine naturæ notissimus omnibus hominibus, quantum ad propriam sibi notionem Ingeniti. Demonstratur enim, aliquam saltem personam esse ingenitam. Propterea merito Pater in Scripturis sibi vendicat nomen Dei. Vt Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Et post pauca: *Non enim misit Deus Filium in mundum vt iudicet*, &c. Ioan. 1. *Verbum erat apud Deum.* Galatas 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui.* Et quoties dicitur *Filius Dei*, aut *Verbum Dei*, aut Spiritus Dei. Plura referemus disp. 78. & 79.

13 Eandem acceptionem Dei pro persona Patris imitantur Patres. Ideo Damascenus lib. 1. de fide cap. 10. fine ait: *Vnus verè Deus est, Deus & Verbum & Spiritus.* Vbi planè Deum secundo repetitum ponit pro persona Patris. Basilius item hom. 17. in S. Baptisma prope fin. in eadem vocis acceptione dicit, Spiritum sanctum non esse Deum, sed Spiritum Dei, videlicet Spiratoris. Ait enim: *Nec ipse Deus est, sed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur. Quemadmodum ex persona Patris dicitur: Spiritus meus, qui supra te est.* At verò iuxta communem acceptionem Dei, Spiritum sanctum esse vnum verum Deum cum Patre & Filio, Basilius probat in eadem hom. 17. & fusius lib. 3. & 5. contra Eunomium, & lib. de Spiritu sancto aliisque referendis disp. 66. sect. 5. & 7. initio.

14 *Solus, quia non est alius Pater nec alius Filius, nec alius Spiritus sanctus.* Vnde infero & Dico quintò. Non est reiicienda, sed cum veneratione suscipienda alia expositio Ambrosij, Hilarij, Augustini, imò etiam Ignatij. Ambrosius enim lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. tractans illud 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, &c. post communem expositionem adiungit aliam, dicens: *Accipe nunc & solum Patrem & solum Filium. Solus Pater, quod alius Pater non est. Solus Deus, quod vna Diuinitas Trinitatis est.*

15 Hilarius lib. 4. de Trinit. inter med. & fin. ad explicandas exclusiuas quatuor, prius à se commemoratas, post communem expositionem addit: *Neque præter vnum Vnigenitum Deum Vnigenitus Deus quisquam est. Vterque itaque vnus & solus est, proprietate videlicet in vnoquoque & innascibilitatis & originis. Ac si vterque Deus vnus est: cum inter vnum & vnum, id est, ex vno vnum, Diuinitatis æternæ non sit secunda natura.* Eidem expositioni valde fauet Ignatius, referendus ad fin. sequentis assertionis.

16 Augustinus autem lib. 6. de Trinit. cap. 7. fine ait: *Solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur à Filio, sed quia non simul ambo Pater sunt.* Quem locum aliter legit S. Thom. in præsenti quæst. 31. art. 4. corpore, videlicet, *solum Patrem dicimus, non quia separatur à Filio vel Spiritu sancto, sed hoc dicentes significamus, quod illis simul cum eo non sunt Pater.* Iuxta quam lectionem Augustinus recipit hunc sensum, quem prius ex Ambrosio Hilarióque retulimus. Et Scholastico more declaratur magis à D. Thoma citato, vt si dicatur, *ille qui solus est Pater, est Deus verus, immortalis & inuisibilis.* Merito tamen adiungit, vsu non esse receptam huiusmodi locutionem. Quapropter à theologis non erit vsurpanda.

17 *Per vocem vnus aliquãdo significatur idẽ, quod solus.* Dico sextò. Per vocabulum *vnus* efferuntur aliæ propositiones exclusiuæ, quibus eadem expositio debetur, quæ in hac & præcedenti sectione data est exclusiuis, constantibus dictione *solus.* Nam vt sapienter adnotauit Basilius in Apologia ad Cæsarianos quæ est epist. 141. multo propius ad princ. quàm ad med. *Vnitatis dictio idem significat, ac si dixisset solus Deus.* Vnde quod Matthæi 19. & Marci 10. dicitur: *Nemo bonus nisi vnus Deus,* hoc

hoc ipsum Lucæ 18. legitur: *Nemo bonus nisi solus Deus.*

18 Quando igitur Apostolus 1. Corinth. 8. *Vnus*, inquit, *Deus Pater, ex quo omnia & nos in illum*, non excluditur Filius, neque Spiritus sanctus, cum & ipse sit Deus, ex quo omnia & nos in illum. Alioqui foret Pater excludendus à dominio creaturarum; quoniam continuò subiungit Apostolus, *Vnus Dominus Iesus Christus.* Quapropter sicut in membro secundo dictio, *vnus*, non excludit Patrem, eadem ratione in priori membro dictio, *vnus*, non excludit Filium neque Spiritum sanctum, vt sapienter in eum locum ponderant Chrysostomus, Ambrosius & Theodoretus. Atque idem Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili Dei natura col. 2. & contra Iudæos & Gentiles serm. de euangelio *Nuptiæ factæ sunt*, &c. non longè à fine & orat. 2. de Trinit. & de serpente longè post med. Basilius lib. 5. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. sect. 15. Nazianzenus orat. 39. in sancta lumina circa med. & orat. 49. de fide col. 2. & 3. Hierotheus apud Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. ad finem Origenes lib. 7. in epist. ad Roman. Cyrillus Alexand. lib. 2. thesauri cap. 1. prope med.

19 Eundem intellectum verborum Ignatius est secutus epist. ad Philippenses paulo post princ. ex Apostolo ephes. 4. & 1. Corinth. 8. & Ioan. cap. 7. & Deuteron. 6. & Malach. 2. efficiens vnum contextum: *Vnus Deus*, ait, *& Pater, omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus. Vnus est ergo Deus Pater, & non duo vel tres. Vnus scilicet qui est, & non est præter eum solum verus. Dominus enim (inquit) Deus tuus, Deus vnus est: & iterum: Nonne vnus Dominus creauit nos, & vnus Pater est omnium nostrum? Vnus quoque & Filius, Deus Verbum. Vnigenitus (inquit) qui est in sinu Patris. & rursum: Vnus Dominus Iesus Christus.* Vnde paucis interpositis intulit: *Ergo neque tres sunt Patres, neque tres Filij, nec tres Paracleti, sed vnus Pater*, &c.

29 Idem Ignatius in epist. ad Magnesianos propius ad fin. quàm ad med. de Christo Domino ita scribit: *Vnum & solum verum Deum Patrem suum annunciauit, & passionem pertulit.* Perperam igitur recentiores Ariani propter hæc testimonia trahunt Ignatium, vt contra Filij Diuinitatem pugner.

SECTIO VI.

Duas personas à cognitione rerum diuinarum excludere videntur aliqua loca Scripturæ.

1 MErito Patres in locis infra citandis genuinum sensum sequentium locorum ex eorum collatione venantur. Quoniam omnino pares euadunt omnes personæ, postquam soli Spiritui sancto reseruatur cognitio, quæ aliis in locis soli Patri vel soli Filio conceditur.

2 Sit igitur primus ille Matthæi 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater: & Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quibus verbis à cognitione Patris nō excluditur ipse Pater, nec Spiritus sanctus, sicut nec à cognitione Filij excluditur Spiritus sanctus nec ipse Filius: nec ab actiua reuelatione cognitionis eiusdem excluditur Pater aut Spiritus sanctus, sed solæ creaturæ excluduntur: vt supponunt omnes Patres in commentariis ad eum locum; & magis expresè probant Chrysost. de incomprehensibili Dei natura homil. 5. col. 3. & 4. Basilius lib. 5, contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. sect. 15. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto capit. 12. Anselmus epist. de processione Spiritus sancti post med. cap. *si autem.* S. Thomas in præsenti quæst. 31. art. 4. ad 2. Albertus 1. part. quæst. 40. memb. 1. fine. Vbi sapienter rationem reddit, quoniam Filius & Spiritus sanctus est idem cognoscitiuus, qui Pater est, vt eadem cognitio, quæ Pater: ideóque per exclusiuam, *nemo*, non excluditur, quia excipiendo Patrem in ratione cognoscentis, excipitur eo ipso Filius & Spiritus sanctus sub eadem ratione. Tandem ex eisdem verbis probari Diuinitatem Filij, ac proinde communem vtriusque cognitionem, demonstrat Athanasius orat. contra Gregales Sabellij propius ad med. quàm ad princ. Hilarius lib. 6. de Trinit. circa med.

Secundus locus est Ioan. 6. vers. 46. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est ex Deo, hic vidit Patrem.* Quod postquam obiicit Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili Dei natura non longè à princ. respondet: *Nunquid Spiritus etiam sanctus secluſus est? Nequaquam. Pars enim creaturæ ille non est: vocabulum id autem, nullus, semper ad stringendam creaturæ tantum conditionem poni solitum est. Itaque sit vt nec si de Patre agitur, Filius remoueatur: nec si de Filio, Spiritus vnquam secludatur.* 3 *Nemo videt Patrem nisi Filius.*

Tertius locus est 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Cuius expositionem ad rem præsentem Chrysostomus in eadem hom. 5. nuper citata colligit ex generali doctrina, quam retulimus, eámque vicissim confirmat illius præcipuè verbis: *Quemadmodum eo loco*, videlicet ad Corinth. *Cum nullus dicatur, non seiungitur Filius.* Sic etiam hic, videlicet Ioan. 6. *Vbi de Christo, nullus positum est, non Spiritus secluditur sanctus.* Eodem modo ponderat Basilius lib. 5. contra Eunomium inter med. & fin. sect. 15. Theodoretus 1. Corinth. 2. post med. & in epitome diuinor. decretorum cap. 3. de Spiritu sancto paulo post princ. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. 4 *Nemo nisi Spiritus Dei &c.*

Quartus est Matthæi 24. vers. 36. *De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Vrget autem magis quod legitur apud Marcum cap. 13. vers. 32. *Neque Filius nisi Pater,* Vbi disertis verbis excluditur Filius, eadémque ratione videtur Spiritus sanctus excludi. Nihilominus tanquam certa fides supponitur ab omnibus Patribus eum locum tractantibus, Filium, qua ratione Deus est, & Spiritum sanctum eadem cognitione, qua Pater, scire diem Iudicij propter generalem regulam, traditā sect. 4. quam ad hunc locum peculiariter applicat Hieronymus in eius commentario. Sensus autem legitimus est, Filium, qua ratione, missus est legatus & doctor hominum, non habere hanc scientiam, nec illam hominibus communicare sui muneris esse: quoniam hoc munus est proprium Patris, communicantis suam scientiam Filio & Spiritui sancto, & decernentis, quando manifestanda sit omnibus hæc dies & hora: vt fusiùs ostendetur disp. 50. sect. 11. 5 *Diem iudicij nemo scit, nisi solus Pater.*

Quintò denique quod in Angelico hymno canimus, *Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus Iesu Christe.* Quamuis nihil aliud haberet adiunctum, potuisset verificari, sicut verba Scripturæ, quæ hactenus sunt expositæ. Cæterum explicationem continuo subiungit Ecclesia: *Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris*, vt obseruat S. Thomas in præsenti q. 31. artic. 4. fine. Henricus part. 2. art. 75. q. 5. ad 3. & alij Scholastici. 6 *Tu solus sanctus &c.*

SECTIO

SECTIO VII.

Scholasticæ difficultates circa doctrinam exclusiuarum suprà traditam.

1 *Sophisma.* QVando subiectum propositionis est terminus essentialis, habens coniunctam dictionem *solus* ex eadem parte subiecti, de quo prædicatur aliquid essentiale: propositio vera est citra controuersiam, vt vidimus tota sect. 3. Sed aduersus hanc doctrinam, prima difficultas est, quoniam ex illa videtur aliquid falsum inferri: quemadmodum in hoc syllogismo: solus Deus creat, Filius est Deus: ergo solus Filius creat. Vel in hoc: solus Deus est æternus, Filius est Deus: ergo solus Filius est æternus.

2 *Prima solutio.* Respondet primò S. Thomas in præsenti q. 31. art. 3. fine, consequentiam non esse bonam. Quia, vt Sophistæ dicunt, dictio exclusiua immobilitat terminum, cui adiungitur, vt sub eo non possit fieri descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur: solus homo est rationalis, Petrus est homo: ergo solus Petrus est rationalis. *Secunda solutio.* Respondetur secundò, consequens illorum syllogismorum posse verificari iuxta sensum, hactenus explicatum, quo Scriptura dicit solum Patrem Deum immortalem, inuisibilem, sapientem.

3 Secunda difficultas est, quia in diuinis quidquid adiungitur termino essentiali, potest prædicari de qualibet persona sigillatim, & de omnibus personis simul. Nam quia conuenienter dicimus, *Deus est sapiens*, ideo rectè dicimus etiam *Pater est sapiens*, & *Trinitas est sapiens.* Ergo si nomen *solus* conuenienter coniungitur cum Deo, dicendo: *Solus Deus est æternus*, consequens erit, vt possimus dicere: *Pater est solus Deus*, vel *Filius est solus Deus.* Consequens autem videtur esse falsum, & contra Augustinum lib. 6. de Trinit. capit. 9.

4 Respondet S. Thomas in præsenti quæst. 31. art. 3. ad 2. quod hæc dictio *solus*, propriè loquendo, non ponitur ex parte prædicati, quod sumitur formaliter. Vnde nō propriè dici potest, *Pater est solus Deus*, vel *Trinitas est solus Deus*, nisi forte ex parte prædicati subintelligatur ea, quam logici vocant copulam implicationis; vt sit sensus: *Trinitas est Deus, qui est solus Deus*, vel *Pater est Deus, qui est solus Deus*: ea tamen lege, vt relatiuum, *Qui*, referat Deum, & non referat Patrem.

5 Adde, quod Augustinus dicto lib. 6. cap. 9. concedit, in aliquo sensu verum esse Patrem, & Filium esse solum Deum, nec propterea Spiritum sanctum excludi, vt habet generalis regula interpretandi, quam ex communi sententia Patrum posuimus sect. 4. & magis expresè probat August. lib. 3. contra Maximinum cap. 23.

6 Quapropter potiori iure concedi poterit ista propositio: *Trinitas est Deus solus*, vel *Trinitas est solus Deus.* Quod enim dictio *solus* ex parte prædicati anteponatur aut postponatur Deo, non variat sensum, licet aliqui Scholastici superuacuas atque Sophisticas distinctiones sensuum in iis propositionibus inueniant. In quibus copiosior est Ricardus 1. senten. dist. 21. tota quæst. 5. Illud tamen certum est, clariorem esse veritatem ac proprietatem in hac propositione, *Trinitas est vnus solus Deus.* Sed pro istis propositionibus Augustini testimonia retulimus sect. 2. concluſ. 1. probat. 1.

7 Tertia difficultas, vtrum hæc propositio sit vera: *sola Trinitas est Deus*, sunt enim, qui falsam esse dicant, quia Pater non est Trinitas, & tamen est Deus. Nihilominus absolutè concedendum est esse veram, quia sicut hæc exclusiua simpliciter est vera, *solum animal est sensitiuum*, & tamen inde non sequitur, animalis caput non esse sensitiuum, aut cor, aut manum, aut pedem, non esse sensitiuos, eo quod exclusiua dictio non excludit concomitantia subiectum, vt vidimus sect. 4. prope fin. Sic etiam hæc propositio: *sola Trinitas est Deus*, non excludit personam Patris, etiam sigillatim acceptam, neque concludit personam Filij aut Spiritus sancti sigillatim acceptas. Atque ita existimant Albertus 1. part. q. 40. memb. 1. corp. fine (quamuis adhibita distinctione.) Eandémque videtur concedere Alexander 1. p. q. 65. memb. 3. art. 3. post med. Henricus p. 2. art. 75. quæst. 5. corp. inter med. & fin. Molina 1. p. q. 31. art. 4. 8. vltimo.

Quarta difficultas est de illa propositione: *solus Pater est Deus*, vel *solus Pater est immortalis*, cæterisque similibus, in quibus aliquem esse verum sensum probauimus sect. 4. 5. & 6. Nam inde sequeretur, hanc etiam propositionem in eodem sensu veram esse, *solus Pater spirat.* Consequens autem videtur esse falsum. 8

Respondetur, negando sequelam. Propterea quippe S. Thomas in præsenti quæst. 31. artic. 4. corp. fine prudenter admonuit eiusmodi locutiones extendendas non esse, sed piè declarandas, quādo reperiuntur in Scriptura authentica. Cum igitur illa propositio *solus Pater spirat*, non modo non reperiatur in Scriptura authentica, sed etiam suspicionem afferat erroris Græcorum, dicentium, Spiritum sanctum à Filio non procedere: simpliciter est neganda, & nunquam, nisi cum expressa & sufficienti declaratione concedenda. 9

Quinta difficultas est, quando dictio exclusiua ex parte subiecti coniungitur cum termino personali comparatione prædicati notionalis: Vtrum propositio sit vera. Quemadmodum hæc, *solus Pater generat, solus Spiritus sanctus spiratur.* & aliæ similes. Respondetur, sine controuersia veras esse. 10

Sextò colligitur ex præcedenti solutione, veras esse propositiones, in quibus dictio *solus* ex parte subiecti coniungitur cum vna persona, vt ex parte prædicati fiat comparatio cum aliis personis, vel cum tota Trinitate; quoniam hæc comparatio notionalis est, atque supponit distinctionem personarum. Quam ob causam propria est illa propositio Augustini 6. de Trinit. cap. 8. init. *Tantus est solus Pater* vel *solus Filius*, vel *solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater & Filius & Spiritus sanctus.* Et sequenti lib. 7. cap. vltimo propius ad med. quàm ad fin. ait: *Non maior essentia est Pater & Filius, & Spiritus sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius.* Quem sequitur Magister & communiter Scholastici 1. dist. 19. capit. penult. & dist. 21. cap. 1. ad fin. 11

Septima difficultas esse poterat de aduerbiis exclusiuis *solùm, tantùm, duntaxat*, & si quæ sunt alia eius generis. De quibus omnibus rectè doctores Scholastici locis citatis sect. 3. in princ. communiter existimant, idem omnino sentiendum esse, quantum ad vim exclusiuam, quod de dictione *solus.* 12

Meritò tamen S. Thomas discrimen aliquod adnotauit in præsenti quæst. 31. art. 3. ad 2. videlicet, aduerbium exclusiuum absque vlla improprietate constitui tam ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati: possumus enim dicere: *Tantùm* 13

Petrus

Petrus currit, ad significandum, quod nullus alius homo currit, & possumus etiam dicere: *Petrus ludit tantùm* ad significandum, quod nihil aliud facit præter ludum. In quo sensu, vera & propria est hæc propositio: *Trinitas est tantùm Deus*, cum tamen suprà difficultate secunda minus propria censeatur hæc propositio: *Trinitas est solus Deus*. E contrario tamen, hæc est absolutè falsa: *Verbum est tantùm Deus*, quoniam Verbum est non solùm Deus, sed etiam homo.

QVÆSTIO XXXII.

De diuinarum personarum cognitione.

ARTICVLVS I.

Vtrum Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.

DISPVTATIO XLI.

Vtrum ratio naturalis peruenire possit ad euidentem aut probabilem notitiam Trinitatis.

SECTIO I.

Errores extremi de cognitione diuinarum personarum.

1 Primus error, *quod Filius Patrem non videt.*

IRCA annum Domini ducentesimum septuagesimum secundum fuit hæresis quorumdam, qui dicebant, *Filium non posse propriè videre Patrem, quia scriptum est: Deum nemo vidit vnquam.* Hunc refert Fœlix Papa primus epistola 3. ad Benignum paulo post principium, & refellit, quia sapientiæ 9. *Est*, inquit, *secum sapientia quæ nouit opera tua, quæ affuit tibi; cum faceres orbem terrarum, & ipsa nouit, quid sit placitum coram oculis tuis.* Et Dominus in Euangelio: *Nemo nouit Filium nisi Pater, & Patrem quis nouit nisi Filius?* & Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narrauit.* Ioan. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est ex Deo, hic vidit Patrem.* Ioan. 8. *Ego noui eum. Quod si dixero, quia non noui eum, ero similis vobis mendax.*

Ioan. 1.

Refutatur. Sapient. 9.

Matth. 11.

2 Eundem errorem refert ac refutat Athanasius orat. 1. contra Arianos ante med. & orat. 2. pag. 5. Eundem suscitauit Maximinus, quem refert & impugnat August. lib. 2. contra Maximinum c. 3. & sequentibus, & lib. 3. capit. 9. & sequentibus præsertim. cap. 23.

3 Maximini fundamentum erat, quia solus Pater est inuisibilis iuxta illud 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali & inuisibili soli Deo.* & 1. Timoth. c. 6. *Qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Veruntamen his atque similibus verbis non excludi Filium à visione Patris, iam satis declaratum est præcedenti disp. 40. præsertim sect. 6.

Origenem etiam docuisse, quod Patrem non potest videre Filius, nec Spiritus sanctus, refert Epiphanius hæres. 64. pag. 2. & in Ancorato circa med. Quamuis multoties Filij & Spiritus sancti consubstantialitatem cum Patre professus fuerit, vt vidimus disp. 20. sect. 4. Hunc tamen errorem Origenistis adscribit Theophilus Alexandrinus lib. 2. paschali. & Hieronymus in apologia ad Ruffinum. 4

Contrarium extremum tenuerunt Anomæi dicentes: *Se ita Deum nosse, quemadmodum Deus se ipse nouit.* Vt refert & fusissimè refutat Chrysostomus quinque homiliis de incomprehensibili Dei natura, & Cyrillus lib. 11. thesauri cap. 1. refutat eosdem asserentes, *nullam esse scientiæ differentiam, quum & ipse Deus, & nos nihil aliud, quam Ingenitum esse Deum sciamus.* 5 *Secundus error.*

Tertius error fuit minus stolidus & impudens, quàm præcedens: veruntamen error est Raymundi Lullij dicentis: *Omnes articuli fidei probantur per rationes necessarias, demonstratiuas & euidentes.* Et ipse iactat, se probare Trinitatis mysterium per demonstrationes ita euidentes, vt Gentilem & Mahumetanum conuincere valeant, si eas semel penetrare velint. *Sed homines*, inquit, *insciy & peccatores non intelligunt eas rationes.* Ita scripsit lib. de articulis fidei, & in lib. contemplationum. In lib. de Ecclesiasticis prouerbiis, & in lib. de planctu Raymundi. Hæc refert Eymericus in directorio inquisitorum part. 2. quæst. 9. art. 96. pag. 260. & Gabriel Vazquez 1. p. disp. 133. init. & tam ibi quàm in cap. 4. eiusdem disputationis conatur, personam Lullij, & eius doctrinam aliquo modo defendere, vt minus absurda minúsque contraria fidei catholicæ videatur, inter alia dicens; falsò adscribi prædicto authori demonstrationē Trinitatis merè naturalem, quoniam vbicumque dicit euidentem demonstrationem Trinitatis posse inueniri; loquitur, supposito lumine fidei, vel aliqua supernaturali illustratione, diuinitus nobis infusa. 6 *Tertius error.*

Hæc explicatio doctrinæ violenta est, primò, quoniam euidentia propriè dicta non est, quæ supponit lumen fidei obscurum, nec innititur principiis euidentibus lumine naturæ. Secundò, quoniam Gentiles & Mahumetanus, si vellent penetrare, non possent, nisi essent naturaliter euidentes demonstrationes. 7 *Lullij mens eruitur.*

Tertium & euidentissimum indicium præbent nonagesimus septimus & nonagesimus octauus articulus proximè sequentes, apud Eymericum citatum, in quibus profitetur Lullius, ad eiusmodi demonstrationes non esse necessariam fidem, dicens: *Fides est necessaria hominibus insciys, rusticis, ministralibus, & non habentibus intellectum eleuatum, qui nesciunt cognoscere per rationem, & diligunt cognoscere per fidem: & homines grossi ingeniy & illiterati & insciy diligunt cognoscere articulos fidei per fidem, & non per rationem: & facilius trahuntur ad veritatem Christianorum per fidem, quàm per rationem: sed homo subtilis facilius trahitur per rationem, quàm per fidem.* & in art. 98. circa med. ait: *Sicut veriùs cognoscimus ea, quæ videmus, quàm ea, quæ palpamus: ita veriùs sumus dispositi ad cognoscendam veritatem per rationem, quam per fidem.* Hæc quantum attinet ad demonstrationes Trinitatis: nam de aliis Raymundi deliriis dictum est aliis in locis, vt disp. 3. sect. 3. 8

Quod attinet ad personā & eius scripta vtrum fuerint damnata, non est instituti præsentis examinare diligentius: sufficit enim *edicto publico repudia* 9 *De persona & doctrina Lullij.*

repudiatam & prohibitam esse doctrinam huius authoris per sacram theologiæ facultatem Parisiis, vt refert Gerson alphabeto 16. litera D. §. vltimo, videlicet epistola Gersonis ad fratrem Bartholomæum Carthusianum *in fine*. Insuper, rationabilius est credere Gregorij XI. bullam aduersùs errores Raymundi, periisse iniuria temporum, præsertim mutata Romani Pontificis habitatione, vel nimia Lullistarum diligentia fuisse laceratam: quàm credere prædictos errores ab Eymerico fuisse compositos & adscriptos Raymundo. Demonstrationes autem, quibus Trinitatem probat Raymundus, ridiculæ sunt, deliria somniantis, & male sani capitis, vt satis ostendimus disp. 3. tota sect. 3. & disp. 19. sect. 7. ex quibus promptum est colligere multo plures impugnationes.

SECTIO II.

Fide præsuppositā, demonstrationem euidentem quinam doctores concesserint; & quid Athanasius senserit.

1 *Excessit Ricardus.*

QVantum ad primum membrum, Ricardus Victor. lib. 3. 4. 5. & 6. de Trinit. videtur sibi plus quàm probabiliter probare veritates huius mysterij, quamuis in aliis capitibus dicat, sola fide haberi posse cognitionem huius mysterij. Peculiariter lib. 5. de Trinitate cap. 2. fine ait: *Ne forte alicui hæc ratio probabilis magis quàm necessaria videatur.* Eadem verba repetit cap. 14. sub init. & lib. 5. de Trinit. cap. 8. inter med. & fin. *Manifesta ratione probatur, imo multiplici demonstratione conuincitur, quod sicut perfectio vnius personæ est causa alterius, ita perfectio geminæ est causa tertiæ in Trinitate personæ.* Tractat autem de rationibus à se positis præcedenti lib. 4. ad probandam pluralitatem personarum. De quibus iterum lib. 5. cap. 11. prope fin. *Vt superius*, inquit, *eui lenter ostendimus, multiplex ratio personarum pluralitatem conuincit.* Deinde verò cap. 13. post med. *Ecce, quod constat luce clarius, tres in tribus proprietatum distinctionibus inuenimus*, &c. & cap. 15. à med. *Tam aperta ratio dissoluit, vt diligens lector quantumuis idiota inde iam in aliquo dubitare non possit*, &c. Videlicet, quod vnica tantùm persona sit improducta. Tandem in eodem lib. 5. cap. 20. init. dicit, *Indubitatam rationem.*

2 Veruntamen Ricardus, non nisi suppositā reuelatione fidei, demonstrationes euidentes inueniri posse, profitetur lib. 1. de Trinit. cap. 1. ponderans illud Isaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et cap. 3. initio: *Oportet*, inquit, *per fidem intrare*, &c. Vnde cap. 4. init. præfatur suæ intentionis esse; *Ad ea quæ credimus non modò probabiles, sed etiam necessarias rationes adducere.* Supponit autem quidquid necesse est esse, posse necessariis argumentis probari, quoniam impossibile est, vt quod necessarium est, careat necessaria ratione.

3 Hoc fundamentum est omnino falsum, & contrarium philosophiæ. Primò, quia quædam veritates sunt ex terminis & per se notæ, quæ probari nequeunt aliqua demonstratione; alioqui procederetur in infinitum, vt constat ex Aristotele lib. 1. poster. text. 5. & sequentibus, & text. 34. & 35. Peculiariter autem non esse demonstrationem *ipsius quod quid est*, docet Aristoteles 3. metaphys. text. 6. imo vt docet 4. metaphys. text. 9. & 26. Si demonstratio foret de omnibus; nulla foret demonstratio, quia esset processus in infinitum.

4 Secundò atque potissimùm, quoniam omnes demonstrationes in hac vita, non possunt euidentiam maiorem afferre, quàm illam, quæ potuerit colligi ex rebus creatis & sensibilibus. At verò multæ sunt veritates necessariæ, superiores rebus sensibilibus tam longa distantia, vt euidentia rerum sensibilium vix tenuissima, & quasi dubia luce peruenire possit ad illas. In quo genere supremum ac distantissimum est mysterium Trinitatis. Sed de hoc iterum disput. 43. sect. 2.

5 Rationes Ricardi, qua parte probabilitatem aliquam habent, suppositā fide, posuimus disp. 33. sect. 2. prætermittentes ea, quæ nullam habere videntur probabilitatem, & multis sunt obiectionibus exposita. Dictum est etiam de illis aliquid disput. 3. sect. 1. Fauet Glossa interlinealis Rom. 1. notans illud Pauli *Inuisibilia Dei* referri ad personam Patris: *Sempiterna virtus*, ad personam Filij: *Diuinitas* ad personam Spiritus sancti. Ergo tres personæ per ea, quæ facta sunt intellectæ conspiciuntur. Cæterum communiter Scholastici antiquiores, referendi sect. 5. conclusione 2. dicunt, expositionem illam verificari solummodo secundum appropriata personis, quæ sunt perfectiones absolutæ & essentiales.

6 Ad prædictam Ricardi sententiam videtur accedere Hugo Victorinus tom. 3. tractatu eruditionis Didascal. toto ferè libro 7. contendens, Trinitatem ex creaturis ostendi; præsertim verò cap. 21. probare conatur ex anima rationali. Eadem sententia Ricardi Victor. tribuitur etiam Henrico quodlib. 8. q. 14. nec sine apparenti fundamento, quoniam ex professo declarat verba Ricardi lib. 1. de Trinit. cap. 1. & 4.

7 Nihilominus longè distat ab illa sententia, quoniam solummodo concedit suppositis quibusdam propositionibus, creditis per fidem & adiunctis aliis propositionibus, cognitis per rationem naturalem, inferri posse conclusiones theologicas, certas & euidenter illatas, quod omnes theologi fatemur. Cæterum Henricus apertè negat, etiam suppositā fide, posse per rationem aliquam naturalem demonstrari propositiones illas fidei, quæ tanquam principia prærequiruntur ad inferendas conclusiones theologicas. Id quod declarat ex Aristotele 8. Topic. distinguente duplex genus disputationis: primum, in quo quæritur aliquid absolutè. Secundum verò, in quo non absolutè, sed aliquo præsuppositō, quæritur aliud.

8 Gersoni quoque tribuitur prædicta sententia Ricardi Victorini. Citatur autem alphabeto 13. littera H. videlicet in sermone coram commissariis fidei post med. Sed ibi tantum docet generaliter, quod fides potest permanere simul cum euidentia rationis, & simul cum euidentia clariori fide, qualem habuit Paulus in raptu, & doctores contemplatiui per anagogicos excessus illuminati.

9 Aureolus 1. sentent. dist. 9. part. 1. art. 4. §. 2. & in solutione instātiarum asserit, demonstratiuè probari generationem, eo quod Deus se ipsum verè & realiter generauit, si se ipsum verè & realiter intellexit. Hoc tamen abunde refutatum manet tota disput. 5. & disput. 8. sect. 2. sub *init.*

10 Venio ad secundum membrum in titulo sectionis propositum. Quamuis inter omnes authores nemo fuerit, qui pro sua sententia retulerit Athanasium ad probandam possibilitatem cognoscendi Trinitatem per solas vires rationis naturalis: visum est præoccupare argumentum, quod aliquis accipere posset ex eo, quod Athanasius docuerit, ethnicos philosophos fuisse inexcusabiles ideo, *Athanasius videri posset concedere naturæ viribus cognitionem Trinitatis.*

quoniam Verbi Diuinitatem non cognouerint ex creaturis. Nam in disputatione contra Arium, habita in Nicæno Concilio col.5.ad probandam Filij Diuinitatem. *Adsit nobis*, ait, *ille celeberrimus Paulus, & veritati testimonium perhibebit: inuisibilia enim eius, inquit, ex creatione mundi, operibusq; intellecta perspiciuntur, & æterna eius potestas & Deitas: quo fit, vt illi sint inexcusabiles, quod vbi cognouissent Deum, non vt Deum honorauerunt, & gratias egerunt.*

11 Cúmque Arius tentaret effugere, dicens: *Id de Patre ea Scriptura loquitur*, Athanasius ita redarguit: *Nonne beatus Paulus accusat eos, qui in corpore, apparente Deo, Dei Filio, non agnouerunt æternam eius Deitatem, omnia gubernantem? Ex magnitudine enim & pulchritudine rerum conditarum, congruenter oportet artificem æstimari, & gratias illi haberi: certum autem est, omnia creata per Verbum, suam naturam accepisse, & sine eo factum esse nihil.*

12 Vtitur eodem argumento orat.2. contra Arianos multo propius ad princ.quàm ad med.dicens: *Iure Paulus incusat Græcos, quod congruentiam inter se partium, ordinemq; rerum naturæ contemplantes, nihil cogitauerint de naturæ ratione, siue Verbo. Res enim conditæ conditorem ostendunt, vt per eum verum Deum intelligant. Additumq; est ab eodem Paulo, Æterna quoque eius potentia & Diuinitas, vt Filium significaret.* Et orat.3. multo propius ad fin.quàm ad med. *In operibus*, inquit, *indita est sapientiæ effigies, vt mundus per eam agnosceret suum opificem, Rationem videlicet, siue Verbum, & per Verbum Patrem.*
Roman.1. *Et illud ipsum est quod Paulus ait: Id quod intelligibile est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis manifestauit; siquidem inuisibilia eius ex creatione mundi operibus animaduersa perspiciuntur.* Eodem argumento disputat Athanasius lib.5.de vnita ac sempiterna substantia Trinitatis non valdè à princ.

13 Confirmatur primò, nam & presbyteri Alexandrini in epist.ad Alexandrum (quæ extat inter opera Athanasij de Synodis Arimini & Seleuciæ) Asterium Arianum accusant inter alia, quod negaret prædictam collectionem ex verbis Apostoli ad Rom.1. Confirmatur secundò, nam idem Athanasius in orat. contra idola post med. ex ordine & pulchritudine rerum creatarum per gradus ascendit non solùm ad ea, quæ naturaliter cognoscuntur de Deo, sed etiam ad probanda mysteria supernaturalia.

14 Exponitur Athanasius. Respondeo igitur negari non posse, quin asseruerit Athanasius cognitionem æterni Patris & diuini Verbi potuisse, ac debuisse à philosophis colligi ex contemplatione rerum creatarum. Nihilominus virtualiter & tacitè subintelligebat vbique supernaturale auxilium excitantis gratiæ, quod omnibus etiam infidelibus suis temporibus offertur, quo si bene vtantur, obtinebunt vlteriora auxilia, vt ad iustificationem perueniant.

15 Hanc fuisse mentem Pauli ad Rom.1. & Athanasij locis citatis, ostendimus ex professo lib.12. de auxiliis disp.3. sect.2. Nunc præterea probatur primò, nam idem Athanasius orat.1.contra Arianos prope init.ait: *Gratiæ eius, in nos collatæ, magnæ haud dubiæ sunt, & supra hominem, & quod transcendit sua excellentia omnia charismata Patris, illa ipsiusque Verbi cognitio & donatio sancti Spiritus.* Quibus apertè fatetur, cognitionem Verbi & Spiritus sancti esse maximè supra hominem, & consequenter supra naturales vires humani intellectus.

16 Probatur secundò, quoniam initium iustificationis, & consequenter etiam initium fidei præberi per supernaturale auxilium gratiæ, fatetur idem Athanas. aliis in locis, quæ retulimus lib.2. de auxiliis disp.15.sect.3.num.5.& sequentibus.

SECTIO III.

Naturalis ratio nunquam peruenire posset ad cognitionem diuinarum personarum sine reuelatione.

1 LOquimur vniuersaliter de quacumque cognitione non solum euidenti, sed etiam probabili & dubia, quam nullus intellectus, siue humanus, siue angelicus, quantumcumque subtilis vel exercitatus in rebus diuinis perscrutandis obtinere posset solis naturæ viribus absque reuelatione supernaturali.

2 Probatur primò ex sacra Scriptura Matth.11. *Nemo nouit Filium nisi Pater, & Patrem quis nouit, nisi Filius? & cui voluerit Filius reuelare.* Quod ita legitur Lucæ 10. *Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quod testimonium ad probandam impossibilitatem penetrandi mysterium diuinæ generationis, proferunt Nicænum Concilium lib.2.multo propius ad med. quàm ad fin. §. *ne quæras.* Clemens Romanus epist. ad Iacobum fratrem Domini col.10. Cyrillus Hierosolymitanus cateches.6. col.2. Basilius lib.1.contra Eunomium post med. Epiphanius hæres.76. versus med. ad cap.7. Aëtij. Eusebius Cæsariensis, demonstrationis euangel. lib.4. cap.3. & lib.5. cap.1. Phæbadius lib.contra Arianos propius ad med.quàm ad princ. Hilarius lib.2.de Trinit.propius ad med. quàm ad princip. Synodus Antiochena I. tempore Dionysij Papæ in professione fidei, missa ad Paulum Antiochenum episcopum sub init. *Notionem*, inquit, *Dei, vt cumque mediocrem si habemus, reuelante Filio eius, sicut ait: Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui Filius reuelauerit, contenti esse debemus.*

3 Idem colligit Hierosolymitanus citatus ex verbis Ioan.1. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse narrauit.* & Ioan.6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est ex Deo, hic vidit Patrem.* Quibus adde 1.Corinth.2. *Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Recolendum est autem ex præcedenti disput.40.sect.6. Omnes & solas creaturas excludi prædictis omnibus propositionibus exclusiuis: atque ita Patres ibidem citatos exponere. Quapropter excluduntur non solum intellectus humani, sed etiam angelici.

4 Confirmatur primò, Matth.16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Vbi nomine carnis & sanguinis comprehenduntur omnes prorsus vires creatæ ac naturales. Comprehenditur enim quidquid non est Pater reuelans, exceptio quippe declarat amplitudinem, quæ restat in regula præter exceptionem. Quapropter, neque humanus nec angelicus intellectus potuit Filij Diuinitatem reuelare.

5 Non valde dissimili sensu Galat.1. dixit Apostolus: *Continuo non acquieui carni & sanguini.* Ita intelligit Cyrillus Alexandrinus in orat. de Verbi incarnatione, quæ ponitur in Ephesina Synodo tom.6.cap.1. post med. dicens: *In ipsam rem curiosius noli inquirere: non enim per Græcorum sapientiam, aut mundanum sensum percipitur, sed ab vtroque est aliena: Beatus es Simon Barjona, inquit Dominus, quia caro & sanguis, &c. Nam Filij Dei cognitio cælestè diuinaq; inspirationis donum est.* Quibus consonant Hieronymus & Hilarius in prædictum locum Matth.16. apud S.Thomam in catena.

Confirma

6 Confirmatur secundò cæteris Scripturæ locis, quibus prohibemur scrutari profundiora & supernaturalia mysteria; quia cum Trinitas supra cætera cuncta sit profundissima & supernaturalissima, de illius cognitione potissimum intelligenda veniunt. Huiusmodi est illud Iob 28. *Sapientiam Dei vnde inuenies? latet enim ab oculis hominum, & à volucribus cæli abscondita est.* Quod ad probandam impossibilitatem penetrandi generationem Verbi, adducit Sixtus Papa II. epist.1. ad Gratum Episcopum. Prouerbiorum autem 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.*

7 Ecclesiastes cap.7. *Dixi, sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me multo magis quàm erat; & alta profunditas, quis inueniet eam?* Quod ita exponit Basilius tractatu de vera fide (qui habetur tom.2. post procœmium de iudicio Dei) post med. illius tractatus, *Non quidem, quod illa,* sapientia, *re vera fugeret, sed quod ij maximè intelligunt, quam ea omnem cuiusvis ad ipsam comprehendendam captum exuperet, qui Dei beneficio ampliorem ipsi, quàm cæteri, cognitionem sunt consecuti.* Multáque differit de imperfectione cognitionis humanæ, ad res diuinas intelligendas.

8 Propterea præcipit Ecclesiasticus cap.3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Et post pauca: *Non enim est tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* Quibus præcipuè reprehenditur eorum inanis curiositas, qui demonstrationes euidentes quærunt supernaturaliũ mysteriorum. De quibus subiungit: *Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.* Quæ non essent supra sensum, id est, cognitionem humanam, si possent solis naturæ viribus inuestigari. De quo videri potest Chrysostomus tom.5.ad fin. in homiliis contra Anomæos. & Thessalon.1.c.4. homil.7. fine. & tom.1. homil.2. de verbis Isaiæ *Vidi Dominum.*

9 Prædicta testimonia, licet firmius, tanquam fidei dogma probent, viribus naturæ neminem posse Trinitatem cognoscere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: Cæterum inferiori quadam certitudine, magna tamen infra fidem, probant, viribus naturæ impossibilem esse cognitionem Trinitatis, etiam entitatiuè naturalem ac inutilem ad iustificationem.

10 Secundò probatur ex Patribus. Dionysius de diuin.nomin.c.13. post med. *Nulla*, inquit, *monas, aut trias, neque numerus, neque vnitas, aut fœcunditas, ne quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summæ, omniaq; superantis Diuinitatis, quod rationem omnem mentemq; vincit, enunciat: neque eius nomen est, neque ratio, sed in ijs, ad quæ aditus non patet, secreta est.* S.Martialis epist.1.ad Burdegalens.cap.10.sub init. *Sola*, inquit, *Trinitas in Diuinitate vnitatis se ipsam nouit.*

11 Iustinus Martyr in expositione fidei de Trinit. prope med. probat: *Nullo modo nos posse penetrare ad diuinam essentiam, nec ad eius mysteria.* Et orat. exhortatoria ad gentes paulo propius ad princip. quàm ad med.obseruat, Græcos sapientes à se ipsis & inuicem dissidere ea de causa, *Quod se ipsos existiment humanis suis cogitationibus res cælestes posse exactè cognoscere, cum tamen ne terrenas quidem pernosse valeant.* Et paulo inferiùs: *Nec naturæ ope, nec humana cogitatione tam magnas ac diuinas res homo potest percipere, sed dono descendente in sanctos viros cœlitus.* Athanasius longiori epistola ad Serapionem in med. reprehendit eos, qui *Volunt perscrutari profunda Dei, quæ nullus scit, nisi spiritus.*

12 Chrysostomus quinque homiliis de incompre-

Ruiz. de Trinitate.

hensibili Dei natura probat, in hac vita neminem posse inuestigare, quæ sit Dei substantia. Idem probat Cyrillus lib.11. de Trinit. cap.vnico præsertim à medio. Acacius epist. ad Cyrillum Alex. sub init. quæ ponitur in Concil.Ephesino tom.1. cap.23. Cyprianus lib. de Cardinalibus operibus Christi in prologo circa med. *Ad hanc*, inquit, *rerum adeo profundarum indaginem, nisi incarnati Verbi magisterium accessisset, humana defecissent ingenia, & nescio si & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus assurgere.* Loquitur autem de mysterio Trinitatis, vt constat ex sequenti contextu.

13 Idem mysterium esse supra nostrum captum, docet Nazianzenus orat.34. quæ est 2.de theologia propius ad fin. quàm ad med. Gregor.Nyssen. lib. de differentia essentiæ & hypostaseos inter med.& fin. Hilarius lib.2. de Trinitat.propius ad med.quàm ad princ.Hieronymus lib.18.in Isaiam in procœmio sub initium. Augustinus lib.1.de Trinit. toto cap.1.2. & 3. Anselmus in monologio c.62. & 63.& de Incarnatione Verbi cap.6.ad fin.Quorum aliqua verba retulimus disp.15. sect.1. Augustinus tract.27.in Ioan. circa med. ad illud c.6. *Sunt quidam in vobis, qui non credunt.* Ponderat, non dixisse, *sunt quidam in vobis, qui non intelligunt: sed causam dixit, quare non intelligunt: sunt enim quidam in vobis, qui non credunt, & ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit, Nisi credideritis, non intelligetis.*

14 S.Maximus in prima Hecatontade de theologia & Incarnatione Filij Dei: *Non potest*, inquit, *anima ad cognitionem Dei attolli, nisi Deus ipse condescensu vsus ipsam animam tangat, & ad se ipsum euehat. Non enim tantum potest humana mens sursum ferri, vt diuinum aliquem splendorem capiat, nisi Deus ipse eam attrahat, quantum mens hominis attrahi potest, & nisi diuino splendore illuminet.* Hæc apud Turrianum in lib.6. Clementis de schismaticis circa cap.10. post med.

15 Idem probant omnia testimonia Patrum, qui supra disput.5.sect.1.& 2. dicunt, esse impossibile penetrare discrimen inter diuinam generationem & processionem. Insuper omnes qui disputat.44. sect.1. dicunt, nullum inueniri posse simile, quod declaretur exactè, sed cum infinita distantia & imperfectione mysterium Trinitatis.

SECTIO IV.

Ratione probatur eadem veritas.

1 FVndamentum præcipuum est, quoniam, vt S.Thomas exposuit supra q.12.art.12.corpor. Cum naturalis nostra cognitio sumat initium à sensibus; non potest vlterius progredi, nec altius ascendere, quàm possit per obiecta sensibilia manu duci. Vnde fit, vt Dei substantiam, quemadmodum in se ipsa est, & proprio conceptu non possimus intelligere, nec proprio nomine vocare, sed tantummodo connotatiuis conceptibus in ordine ad operationes & earum effectus sensibiles.

Naturalis cognitio à sensibus incipit & pendet.

2 Ideo Dionysius de diuin. nomin. cap.7. multo propius ad med. quàm ad fin. ait: *Verè fortassis hoc dicetur, Dei nos habere notitiam, non ex ipsius natura (est enim incognita, omnemq; rationem mentemq; superat) sed ex rerum omnium descriptione, vt quæ ab eo prolata sit in lucem, & imagines quasdam similitudinesq; diuinorum eius exemplarium in se contineat ad id, quod omnia superat, via & ordine pro virili parte omnium detractione & præstantia, omniumq; cœusa ascendimus.*

3 Qui ſequuntur Patres Gregor. Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſt. Cyrillus, Anaſtaſius, Hilarius præſentem doctrinam eo dirigũt, vt viam aperiant ad ea, quæ de Trinitatis myſterio dicturi erant, credenda, licet non penetrentur, & ad inſtar creaturarum explicanda. Nazianzen. igitur orat. 36. quæ eſt 4. de theologia inter med. & fin. peculiariter in num. 67. *Verum ipſum*, inquit, *ex his, quæ circa ipſum ſunt adumbrantes, obſcuram quandam & imbecillem, atque aliam ex alio ſpeciem colligimus. Ac præſtantiſſimus hic apud nos theologus cenſetur, non qui in totum, quid Deus ſit intenerit, ſed qui ampliorem ipſius ſpeciem mente conceperit, ampliuſq; veritatis ſimulachrum, vel adumbrationem, vel quocunque tandem alio vocabulo vti quis malit, in ſe ipſo collegerit.*

4 Idem orat. 42. quæ eſt 2. in Paſcha, col. 2. paulo poſt num. 7. *Quaſi pelagus*, inquit, *eſſentiæ immenſum & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem ſuperans, mente ſola adumbratum, & quidem perexiguè ac perobſcurè non ex his, quæ in ipſo ſunt, ſed quæ circa ipſum (alia nimirum atque alia imagine ad vnum aliquod veritatis ſimulachrum exprimendum collecta) prius quàm teneatur, effugiens, & prius quàm intellectu percipiatur, ſe ipſum fuga proripiens*, &c. Quod ipſum ſequenti contextu & longè inferius prope med. orationis num. 22. confirmat. Atque ad idem probandum valent omnia, quæ ſcribit orat. 26. de moderatione, in diſputationibus ſeruanda, & orat. 34. quæ eſt 2. de theologia præſertim num. 67. & orat. 45. de Diuinitate ad Euagrium col. 2. & orat. 49. de fide paulo poſt med.

5 Similiter Nyſſenus lib. ad Ablabium *Quod non tres dij*, inter princ. & med. ex profeſſo demonſtrat, Dei naturam ab hominibus in hac vita non poſſe cognoſci, proptereáque, nullum eſſe nomen Dei, niſi in ordine ad operationes ad extra. Idem breuius, ſed euidenter oſtendit Cyrillus Alexandrinus lib. 11. theſauri cap. vnico prope fin. Damaſcenus 1. fidei cap. 12. Chryſoſtomus Hebr. 1. homil. 2. prope med. Anaſtaſius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus col. 3. & 4.

6 Ex Baſilio in libris contra Eunomium, & in epiſt. ad Euſtathium teſtimonia ponderat Cyparíſiotus decade 4. cap. 4. & 7. & ipſe tota ferè decade 4. conſtans permanet in eo, quod Dei nomina concipi non poſſint à nobis, niſi in ordine ad effectus creatos. Hilarius lib. 1. de Trinitat. paulo poſt med. & in ſequentib. libris frequenter. S. Maximus in Hecatontade 1. de theologia apud Turrianum in librum 6. Clementis de ſchiſmaticis cap. 10. prope med. notationis, & longe poſt med. Denique Hermes Triſmegiſtus apud Lactantium diuinarum inſtitutionum lib. 4. cap. 7. circa med. docuit, nomen Filij, *Quod ei à principio Pater ſummus impoſuit, nullum alium ſcire, præter ipſum.*

7 Quo præmiſſo, concluſionem, poſitam initio ſectionis præcedentis, probat S. Thomas in præſenti quæſt. 32. art. 1. quia nihil poſſumus de rebus diuinis cognoſcere, niſi per illationem & diſcurſum ex rebus creatis: creaturæ autem ducunt in cognitionem Dei, ſicut effectus in cognitionem ſuæ cauſæ. Quapropter hoc ſolum naturali ratione cognoſcere poſſumus de rebus diuinis, quod neceſſe eſt Deo conuenire, quatenus eſt principium omnium creaturarum. Hæc autem ratio principij communis eſt toti Trinitati, proptereáque pertinet ad vnitatem eſſentiæ, non ad diſtinctionem perſonarum. Ergo per rationem naturalem poſſumus de Deo cognoſcere tantum illa, quæ pertinent ad vnitatem eſſentiæ: non autem ea, quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum.

Probatio concluſionis.

Confirmatur primò, quia licet Verbum & Spiritus ſanctus ſint perſonæ, per ſe requiſitæ ad productionem creaturarum, vt oſtendemus in diſputatione 111. quæ eſt penultima: nihilominus quæcumque principia ſumimus ex naturali cognitione creaturarum, non poſſunt nos manuducere ad cognoſcendum, quod Verbum diuinum debeat eſſe perſona realiter diſtincta, & multominus, quod amor productus debeat eſſe tertia perſona; ſed tantùm nos ducunt ad cognoſcendum, quod ſapientia & volitio diuina requiratur ad creaturarum productionem & gubernationem. 5

Confirmatur ſecundò, quoniam vt Dionyſius lib. de diuin. nomin. docuit & lib. de myſtica theologia, in cognitionem Dei per inueſtigationem creaturarum tripliciter aſcendimus: vno modo per ablationẽ imperfectionis; & ſic cognoſcimus, Deum eſſe increatum, incorporeum, infinitum. Atque hoc modo nõ poſſumus inferre, Deum eſſe Trinum. Quia licet in re ipſa foret imperfectio Dei non eſſe Trinum; vt conſtat ex dictis diſp. 29. ſect. 3. & 4. Cæterum, quod ſit imperfectio, Deum non eſſe Trinum, hoc non poterat ratio naturalis inueſtigare. Alter modus cognoſcendi Deum eſt per ſupereminentiam conditionum perfectarum. De quo videri poteſt peculiariter Dionyſ. de diuin. nom. c. 13. quod eſt vltimum, oſtendens, quod Deus omnem perfectionem ſuperet, & ſit ſupra numerum & vnitatem, ſupra bonitatem & vitam. Sed neque hoc modo poterat ratio naturalis inueſtigare tres perſonas vniũs eſſentiæ. Quoniam iſte modus cognoſcẽdi ſupponit ſimilẽ perfectionem in creaturis, quam eminentiori modo colligimus eſſe in Deo. At verò in nulla creatura reperitur vnitas eſſentiæ in tribus ſuppoſitis. Tertius modus erat, Deum cognoſcere tãquam cauſam ex effectibus. De quo ſatis dictum eſt in ratione principali. 6 *Triplex modus cognoſcẽdi Deum ex creaturis.*

Tertiò confirmat S. Thomas de veritate q. 10. art. 13. corp. Quoniam ab agente non poteſt progredi alia actio, niſi illa tantum, ad quam ſe poſſunt extendere illius inſtrumenta, ſicut ars agriculturæ non poteſt ædificare, quoniam ad hunc effectum non ſunt proportionata inſtrumenta agriculturæ. Prima verò principia demonſtrationis (vt commentator dicit 3. de anima) ſunt in nobis quaſi inſtrumenta intellectus agentis, cuius lumine in nobis viget ratio naturalis. Conſequens igitur eſt, vt ratio naturalis peruenire non poſſit ad cognitionem illius obiecti, quod fuerit poſitum extra metas primorum principiorum, ita vt principiorum vires illud non poſſint attingere. 10

Porrò principia nobis maximè nota ſunt hæc: Quæcumque ſunt eadem vni tertio indiuiſibili, ſunt eadem inter ſe. Inſuper, extremitas, quæ prædicatur de medio plenè diſtributo, prædicatur etiam de altera extremitate, ſeruatis regulis dialecticis. Hæc autem principia, quantum ex ſe eſt, præciſa reuelatione Dei, nos inclinarent magis ad negandum myſterium Trinitatis tanto pondere, vt quamuis decepti, putaremus tamen, euidentem eſſe illius impoſſibilitatem. 11

Confirmatur quartò, quoniam cuncta cætera principia ducunt originem à ſenſibus, vt conſtat per Philoſophum lib. 2. poſteriorum commento vltimo circa med. Ex ſenſibilibus autem nihil accipi poteſt, quod probet hoc myſterium, vt nuper oſtendimus. 13

Confirmatur quintò ſimilitudine hominis cæci à natiuitate. Hic enim per odorem roſæ, vel per illius tactum non poſſet deuenire in notitiam coloris & pulchritudinis, eo quod odor & alia, quæ tactu 14 *Simile hominis cæci.*

tactu percipiuntur, non ſunt cauſa neque effectus coloris & figuræ, in quibus pulchritudo poſita eſt. Quod ſi hæc connexionem aliquam habent, propter quam ſe mutuo inferant, eo quod procedunt ab vnica eſſentia roſæ: illa tamen connexio non eſt hominibus nota. Quapropter potiori iure non erit vlla poſſibilitas inferendi, quod nullo modo connectitur cum alio, quantum ad illationem.

SECTIO V.

Ampliatio ad cognitionem certam vel dubiam, etiam angelicam, vel apprehenſiuam tantum.

1 PRima concluſio. Cognitionem euidentem aut certam, licet obſcuram Trinitatis, nemo poſſet obtinere ſolis naturæ viribus abſque reuelatione. Concluſionem hanc efficacius, quàm ſequentes, probant teſtimonia Scripturæ & Patrum, atque rationes vtriuſque ſectionis præcedentis. Quæ omnia, vel nihil probant, vel hanc concluſionem, vt minimum, probant. *Nulla cognitio certa de Trinitate viribus naturæ.*

2 Prætereáque confirmatur, quas enim Lullius ſomniauit, ſe reperiſſe demonſtrationes, tantùm ab euidentia vel certitudine diſtant, vt neque minimam probabilitatem afferre poſſint, niſi exiſtimatam ab expertibus literarum. Quin etiam ſemina continent & principia, ex quibus errores plurimi per bonam illationem deducantur; vt attigi ſuprà ſect. 1. fine, locíſque ibidem citatis.

3 Secunda concluſio. Probabilem opinionem, quantumcumque minima probabilitate, de myſterio Trinitatis obtinere per ſolas naturæ vires, eſt impoſſibile, niſi præcedente reuelatione. Hanc ſententiam, licet non ita expreſsè, docent communiter Scholaſtici, quatenus abſolutè ac ſine limitatione docent, à philoſophis non potuiſſe Trinitatem cognoſci per ſolam rationem naturalem, ſed ſi quam illius cognitionem habuerunt, eam didiciſſe ex ſacris litteris, vel traditione accepiſſe à fidelibus, qui Dei reuelatione cognouerant. Et quàm probabilitatem admittunt per rationes congruentiæ, non admittunt, niſi ſuppoſita reuelatione. Ita exiſtimat S. Thomas in præſenti q. 32. art. 1. corpore & ad 1. & 2. & de potentia quæſt. 9. art. 5. corp. init. & de verit. quæſt. 10. art. 13. *Nec probabilis cognitio.*

4 Eſt in eadem ſententia Magiſter 1. diſtinct. 3. cap. *nunc reſtat.* in fine. Alexand. 1. p. q. 2. memb. 1. toto art. 3. Albertus 1. p. q. 13. memb. 3. S. Bonauent. 1. diſt. 3. part. 1. art. vnico quæſt. 4. Henricus quodlib. 8. q. 14. corp. non procul à princ. (qui clarius quàm cæteri notat, quod ratio naturalis abſque reuelatione iudicaret, eſſe probabiliorem impoſſibilitatem Trinitatis & aliorũ myſteriorum.) Ricard. diſt. 3. p. 1. art. 2. q. 2. Durandus diſt. 2. q. 4. Cui conſonat etiam diſt. 3. p. 1. q. 4. Scotus eadem diſt. 2. q. 2. quæ eſt 5. in ordine, & quodlibeto 14. Argentina diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. & conſonat diſt. 3. quæſt. vnica art. 4. Marſilius 1. q. 6. art. 1. concluſ. 3. & q. 14. art. 2. Carthuſ. 1. diſt. 3. q. 3. Caietanus & communiter expoſitores dicta quæſt. 32. art. 2.

5 Colligitur hæc concluſio non ſolùm ex teſtimoniis, adductis ſect. 3. quoniam vniuerſaliter & abſque diſtinctione cognitionis certæ, vel probabilis, negant cognitionem virtute luminis naturalis. Colligitur etiam ex ratione, poſita in ſect. præcedenti, quoniam ex creaturis neque probabiliter poteſt inferri, tria, realiter inter ſe diſtincta, realiter identificari cum vno tertio ſingulari & indiuiduo: vt magis ex ſequentibus conſtabit.

Ruiz. de Trinitate.

Tertia concluſio. Angelis non minus quàm hominibus, eſt impoſſibile per ſolas vires naturæ ſine reuelatione myſterium Trinitatis cognoſcere, non ſolùm euidenti vel certa, ſed etiam probabili atque dubia cognitione. Probatur primò, quia teſtimonia Scripturæ & Patrum, adducta in ſect. 3. quemlibet intellectum creatum excludunt à cognitione Patris & Filij & Spiritus ſancti: tum, quia vox *nemo*, vel *nullus*, comprehendit omnem cognoſcitiuum, ſiue Angelum ſiue hominem: tum etiam, quia cognitio relinquitur illi tantùm, cui Pater & Filius & Spiritus ſanctus reuelauerit. 6 *Nec Angelorum viribus naturalibus.*

Probatur ſecundò, nam peculiariter, quomodo Pater Filium genuerit ab æterno ſine corruptione vel diuiſione ſuæ ſubſtantiæ, myſterium eſſe ſuperans cognitionem Angelorũ & Archangelorum, docent communiter Patres: intelligunt autem præciſa viſione beatifica, vel alia ſupernaturali reuelatione. Sic Nicænum Concilium lib. 2. propius ad med. quàm ad fin. §. *ne quæras*, docet, non ſolum ab hominibus, ſed etiam ab Angelis & Archangelis interrogari non poſſe, quomodo Filius ſit genitus, quia *nemo nouit Filium, niſi Pater*, &c. Matth. 11. 7

Clemens Romanus epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini col. 10. ait: *Quomodo genuit Filium Angeli neſciunt, & prophetis incognitum eſt.* Vnde illud dictum eſt: *Generationem eius quis enarrabit? Quam ſecretam originem cum Filio proprio, nouit ipſe ſolus, qui genuit.* Alexander Alex. epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopol. col. 4. *Ineffabilis*, inquit, *Vnigeniti Filij Dei ſubſiſtentia non modo ſolertem intelligentiam Euangeliſtarum, verum fortaſſe etiam Angelorum comprehenſionem longè ſuperat. Itaque meo quidem iudicio ne in pijs numerandi ſunt, qui iſtarum rerum inquiſitionem intrare non dubitant.* Iſaiæ 53. 8

Nazianzenus orat. 35. quæ eſt 3. de theologia num. 30. *Quomodo*, inquit, *genitus ſit, ne ipſis quidem Angelis, ne dum tibi intelligere conceſſerim. Vis declarem quomodo? vt ſcit Pater, qui progenuit, & Filius, qui progenitus eſt.* Hilarius lib. 2. de Trinitat. propius ad med. quàm ad princ. ingenuè fatetur: *Ego neſcio, non requiro, & conſolabor me tamen, Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſæcula non tenent, propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogauit, Filius ipſe non edidit*, &c. Cyrillus Alexand. dialogorum de Trinit. lib. 2. longe poſt med. ait: *Diuinæ generationis modus omni mente ſuperior exiſtimatur.* Quod fuſiùs confirmat, euidenter oſtendens etiam Angelicas mentes inferiores eſſe cognitione generationis, quam ſoli Deo reſeruat. 9

Reſpondebit aliquis, Angelum potuiſſe cognoſcere, genitum eſſe Filium, & ſpiratum fuiſſe Spiritum ſanctum, quamuis neſciret quomodo, & ignoraret diſcrimẽ vtriuſque proceſſionis: quemadmodum nos per fidem credimus vtramque proceſſionem, licet ignoremus proprium vtriuſque modum atque diſcrimen. Nihilominus præcedens probatio nihil debilitatur. Eſt enim hoc proprium cognitionis naturalis, quæ nulli teſtimonio dicentis innitur, vt non iudicet, eſſe poſſibile, neque præbeat aſſenſum, niſi cognoſcat modum poſſibilitatis. Hæc ſiquidem cognitio ducitur ſola ratione, quæ, niſi lucem aliquam præbeat, non poteſt cauſare aſſenſum, vt magis conſtabit ex ſequenti probatione. 10 *Præoccupatur euaſio.*

Tertiò probatur eadem ferè ratione, quam explicuimus ſect. 4. nam licet Angelicus intellectus hoc inter alia ſuperet humanum, quia format proprios conceptus & quidditatiuos de ſubſtantiis creatis, etiam ſpiritualibus, prout ſunt in ſe ipſis & per proprias ſpecies: nihilominus Deum non 11 *Angelus Deũ naturaliter cognoſcit in ordine ad res creatas.*

cognoscit naturaliter per propriam speciem, vt est in se ipso, sed tantum per conceptus connotatiuos in ordine ad propriam substantiam eiusdem Angeli & aliorum, & in ordine ad cæteras res creatas, vt ostendimus 1.p.q.12. art.1. & q.56. de Angelis art. 3. Nulla autem creatura (præsertim si naturalis sit) ducit in cognitionem Dei, in quantum est Trinus, sed præcisè in quantum habet vnicam essentiam, & infinitam sapientiam, bonitatem, potentiam, aliáque attributa: hæc enim tantum & ex propria ratione formalissima requiruntur ad creandum.

12 Confirmatur primò, quia licet plures effectus & altiores profundius penetrat Angelicus intellectus, quàm humanus, cæterum nullus eorum neque ipsa substantia Angeli cognoscentis, mouet ad suspicandum, quod Verbum & volitio, quibus Deus creat, esse debeant personæ realiter distinctæ à Patre.

13 Confirmatur secundò, quoniam Angelicus intellectus propter summâ subtilitatem multo euidentius & certius, quàm nos, penetraret omnes difficultates mysterij Trinitatis. Propterea{que} dato, quod illi veniret in mentem, tres personas realiter distinctas esse vnius essentiæ, iudicaret potius, hoc esse impossibile: quoniam euidentiùs & profundiùs, quàm nos, penetraret summam distantiam istius obiecti ab omnibus, quæ naturaliter potuit Angelus cognoscere. Deinde melius aduerteret difficultatem in eo, quod persona produceretur, & tamen non produceretur illius essentia, sed illi communicaretur essentia personæ improductæ, & quod persona producta nullo modo esset inferior & inæqualis producenti, quod in tribus personis non esset perfectionis amplius, quàm in vna, quod non efficerent vllam compositionem in Diuinitate: aliásque difficultates eiusmodi.

14 Confirmatur tertiò, quoniam euidentissima cognitio cuiuslibet personalitatis creatæ, quam habet naturaliter Angelus, eum induceret ad iudicandum imprimis, quod vnica subsistentia, seu personalitas infinita sufficeret naturæ diuinæ, propterea{que} superfluerent aliæ duę personalitates & subsistentiæ. Insuper ad iudicandũ, non esse possibilem personalitatem mere relatiuam, sed necessariò personalitatem diuinã esse debere absolutam, quia dum Angelus Deum non videret, neque per reuelationem addisceret, non posset cõcipere Dei personalitatem, nisi ad modum suæ personalitatis, vel alterius perfectioris Angeli, præsertim quia, quantum capere potest naturæ lumen, tota ratio subsistendi videtur esse ad se & nõ ad aliud. Econtra verò relatio solùm est quid resultans ex aliquo fundamẽto absoluto præsupposito, & prærequirit extrema realiter esse distincta prius, quàm resultet relatio: neque enim potest relatio esse primum constitutiuum distinctionis inter extrema relata, quantum naturaliter potest concipi vel inueniri.

15 *Etiam apprehensio & inquisitio Trinitatis foret impossibilis solu naturæ viribus.* Quarta conclusio, nõ modo iudicium & assensus, sed etiam apprehensio & inquisitio de possibilitate Trinitatis videtur impossibilis cuicumque intellectui, etiam Angelico, nisi reuelatione aliqua supposita. Ratio est, tum, quia nullum est naturale obiectum, quod talem apprehensionem, aut inquisitionem in homine vel Angelo posset excitare: tum etiam, quia si fortassis apprehensio trium personarum ascenderet in cor hominis aut Angeli, protinus apprehenderet, tres personas esse tres deos, nec posset cogitationem ab hac apprehensione reuocare, sicut modo reuocamus propter firmiorem rationem credendi authoritati diuinæ.

DISPVTATIO XLII.

Vtrum euidens notitia Trinitatis absque visione clara sit possibilis.

SECTIO I.

Euidens cognitio Trinitatis, quæ sit quodammodo naturalis, & quodammodo supernaturalis, est impossibilis.

1 BEOTAM præsentem disputationem & omnes eius articulos inuitus attingo, tanquam alienos ab instituto præsenti, pertinentésque ad varia valdéque distantia loca, vbi tractari solent à Scholasticis, vt in singulis annotabitur inferiùs. Cæterum omnino nihil de illis dicere non oportuit, quoniam à nobilibus huius ætatis authoribus ex professo discutiuntur hoc loco.

2 Imprimis igitur examinanda venit opinio Scoti lib.2.senten.distinct.3.quæst.9.§.*ad quæstionem.* à versiculo *hac distinctione præmissa*, dicentis, quod Angelus potest habere euidentem cognitionem abstractiuam essentiæ diuinæ. & illa cognitio foret aliquo modo naturalis, quatenus non esset actus gratuitus, videlicet, pertinens ad ordinem supernaturalem gratiæ vel gloriæ: & quia species intelligibilis, determinans ad huiusmodi cognitionem, poterat esse congenita intellectui Angelico à principio creationis eodem modo, sicut congenitæ sunt aliæ species repræsentatiuæ creaturarum. Foret autem ea cognitio non naturalis aliquo modo, quatenus species intelligibilis, ad illam requisita, non posset acquiri per vires naturæ, nec aliquod agens naturale posset illam causare, sed solus Deus: nec necessariò sequeretur illa species ad naturam Angeli. *Euidẽs cognitio abstractiua essentiæ diuinæ discutitur.*

3 Sed in colum. vlt. quæstionis eiusdem in solutione ad 4. tanquam probabilius defendit Scotus, quod virtute talis speciei & cognitionis Angelus non cognosceret Trinitatem personarum, sed tantùm cognosceret distinctè & quidditatiuè diuinam essentiam. Postea verò subiungit, posse dici, quod illa cognitio foret supernaturalis, & ita posset repræsentare Trinitatem personarum.

4 Ideo circa doctrinam huius authoris notandum est primò, quod nullo modo concedit abstractiuam cognitionem euidentem Trinitatis, nisi supernaturalem: & quamdiu defendit, prædictam cognitionem esse naturalem, tamdiu defendit, per illam non cognosci Trinitatem. Secundò notandum, quod magis constanter atque sine disiunctione Maior in lib.2. sentent. dist.3. q.2. concl.5. & in solutionibus ad 4.& 5.argum. defendit, quod non cognosceretur Trinitas per illam speciem, quam concedit, esse possibilem ad cognitionem distinctam & abstractiuam essentiæ diuinæ. Tertiò quod Scotus nihil expressè docuit de hac quæst. in 4.sentent. dist.49. q.11. licet citetur ab authoribus; fauet tamen in quantum potentiam naturalem, passiuam, & non sufficienter actiuam concedit ad visionem beatificam.

5 *Impossibilis est cognitio Trinitatis euidens quodammodo naturalis.* Dico primò. Impossibilis est cognitio Trinitatis euidens, quæ sit quodammodo naturalis, & quodammodo supernaturalis. Probatur, quia Trinitatis cognitio, vel est prorsus improportionata obiecto cognito, & per improportionatam speciem. Qualis est assensus, quo hæreticus aliquis vel ethnicus credit Trinitatem, quoniam legit in libris Catholicorum, vel ab illis didicit mediatè vel immediatè. Talis autem cognitio, quantum ad entitatem suam, est totaliter naturalis, & elicita per species entitatiuè, ac totaliter naturales: & est cognitio obscura & incerta, quantum est ex intrinseco modo tendendi.

6 Confirmatur, quia supernaturalitas obiecti non arguit intrinsecam supernaturalitatem in actu improportionato, sed extrinsecam denominationem, quemadmodum dicere poteris, esse substantialem cognitionem, qua cognoscitur substantia.

7 Vel cognitio Trinitatis est proportionata obiecto cognito, & elicita per speciem illi proportionatam (qualem supponere videtur prædicta sententia Scoti) talis autem cognitio simpliciter supernaturalis erit, sicut obiectum est omnium supernaturalissimum. Confirmatur, quia omnis species intelligibilis primario & per se destinatur ad causandam aliquam cognitionem, proportionatam suo proprio obiecto. Quod autem causetur cognitio improportionata, prouenit ex eo, quod per speciem inferioris obiecti, & per vires inferioris potentiæ nondum eleuatæ, producatur cognitio circa obiectum altioris ordinis. Quo supposito, si species illa, quam Scotus affirmat, primariò & per se destinatur ad causandã cognitionem distinctam & quidditatiuam, licet abstractiuam Trinitatis: consequens erit, tam speciem, quàm cognitionem elicitam virtute illius esse supernaturalem. Si autem species illa non ordinatur primariò & per se ad cognitionem Trinitatis; consequens erit, vt cognitio, quam angelus concipit virtute illius speciei, non sit proportionata Trinitati, nec euidenter & quidditatiuè Trinitatem repræsentet.

8 *Impossibilis est abstractiua cognitio Trinitatis nisi in ordine ad creaturã aliquam, &c.* Dico secundò. Impossibilis est abstractiua cognitio, quæ immediatè feratur in Trinitatem, non cognoscendo priùs & immediatiùs aliquam creaturam, ratione cuius prius cognitæ Trinitas cognoscatur: & consequenter est impossibilis species quantumcumque supernaturalis, quæ Trinitatem quidditatiuè & immediatè repræsentet, & non per conceptus connotatiuos alicuius creaturæ. Ita S.Thomas & eius expositores communiter infra quæst.56. de angelis art.3.& alij Scholastici, quos ibi retulimus.

9 Primaria ratio est, quia quæcumque cognitio fuerit terminata ad Trinitatem in se ipsa & ratione sui, & non ratione alterius obiecti prius cogniti; erit intuitiua Trinitatis. Etenim Deum in se ipso sicuti est, cognoscere, beatificæ visionis propria differentia est, vt ostendimus supra q.12. de visione beatifica circa articulum primum.

10 Confirmatur primò, quia talis cognitio erit euidens & quidditatiua, proindéque penetrabit primaria saltem & manifestissima prædicata Dei. Est autem manifestissimum & primarium Deo esse, *qui est*, idest, qui necessariò & incommutabiliter existit. Quapropter virtute illius cognitionis penetrabitur euidenter, Deum hic & nunc existere. Hoc autem ipsum est ratio cognitionis intuitiuæ, vt ostendimus eodem loco. Confirmatur secundò, ex dicendis sect. sequenti à princ.

11 *Impossibilis est cognitio euidens essentiæ sine personis.* Dico tertiò. Impossibilis est etiam cognitio siue species intelligibilis, euidenter & quidditatiuè repræsentans essentiam diuinam, & non repræsentans Trinitatem personarum: quia essentia diuina quidditatiuè postulat subsistere per tres personalitates realiter distinctas, & quidditatiuè habet fœcunditatem. Confirmatur, quia prædicta cognitio erit intuitiua, vt probatum est assert. præcedenti. At verò essentiam sine personis intueri, non esse possibile probauimus quæst. 12. circa art.7. & sequentes.

SECTIO II.

Circa quid *est* *Trinitatis, abstractiua cognitio est impossibilis.*

1 MAnifestè deducitur ex fundamentis, positis in sect. præcedenti, solam Dei visionem esse possibilem, quæ Trinitatem euidenter ostendat, quantum ad *quid est*, siue quidditatiuè & euidẽter; nec esse possibilem abstractiuã cognitionem, quæ penetret, quid sit Trinitas. Quod à fortiori colligitur inde, quoniam diuinã essentiam, siue *quid est Dei*, non potest euidenter aliqua cognitione abstractiua cognosci. Quod solet à Scholasticis disputari, vel in prologo totius theologiæ, vel in materia de visione beatifica. Est autẽ profundior & magis recõdita cognitio Trinitatis, quàm essentię absolutę seu Diuinitatis, præscissæ à Trinitate.

2 Confirmatur primò, nam impossibilis est species intelligibilis, quæ Deum immediatè repræsentet vt in se est. Ergo quælibet cognitio Dei abstractiua debet esse per species alienas; & consequenter per conceptus connotatiuos alicuius creaturæ prius cognitæ, quæ sit medium ad cognoscendum Deum. Vnde præterea sequitur, eiusmodi cognitionem non esse quidditatiuam, nec euidenter ostendere *quid est* Trinitatis. Antecedens probatum est q.12. de visione art.2.

3 Confirmatur secundò, nam qui perfectius vnitur Deo in vita præsenti, vnitur ei sicut omnino ignoto, vt Dionysius docet de mystica theologia cap.1. fine. hoc extendens etiam ad Moysem, cui supernaturalis cognitionis excellentia & vnio cum Deo concessa est. Hanc autem ignorationem in eo consistere, quod in hac vita non cognoscatur quid est Deus, exponit S.Thomas 1.p. quæst.12. art.13. ad 1. & eodem modo intelligit in sequenti quæst.13. art.2.ad 1. Quod Damascenus lib.1. fidei capit. 4. prope fin. ita docet: *De Deo quid est secundum substantiam, dicere impossibile est, conuenientiusq; de Deo longè est per omnium ablationem facere sermonem.* Quod postquam exemplis probauit, adiungit: *Quæcumque per theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam insinuant.*

4 Tertiò, nam communiter Patres, citati disput. præcedenti sect.3. generaliter docent, quod ante visionem beatificam Deum nemo cognoscit secundum substantiam & essentiam, sed tantùm per nomina & conceptus connotatiuos. Quod magis expressit Gregorius lib.18. moral. cap.28. quod est vltimum, sub init. Vbi commemoratis Iacob, Moyse, Isaia, cæterísque prophetis, quos vidisse Deum Scriptura commemorat, de illis omnibus tam illustratis supernaturali & supereminenti cognitione gratiæ decernit. *Quandiu hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest. Sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest; vt anima gratia Spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ non pertingat.*

5 Eadem vniuersalitate de quibuslibet hominibus, quantacumque luce reuelationis diuinæ perfusis, intellexit Chrysostomus, quod scripsit 2. Corinth. cap.2. homil.5. col.2. *Quid sit Deus secundum substantiam nescimus.* Quod fusiùs confir-

mat homil. 2. de incomprehensibili Dei natura prope med.

6 Quartò confirmatur, nam vt Dionysius de diuinis nominibus cap. 1. inter med. & fin. obseruauit: *Hoc theologi cum intelligerent, Deitatem, vt nomine vacantem, laudant, & ex omni nomine: vt vacantem quidem nomine velut cum aiunt, Diuinitatem ipsam in vna mysticarum diuinæ demonstrationis visionum, obiurgasse eum, qui interrogasset. Quod est nomen tuum?* Genes. 33. Quod egregiè Cyprianus decade 4. capit. 10. init. & prope finem, declarat, Deum carere nomine, quantum ad *quid est*, & multis nominibus abundare, quantum ad *an est*.

7 Confirmatur quintò, quia si fuisset possibilis aliqua cognitio supernaturalis abstractiua, quæ Dei quidditatem euidenter penetraret; illa fuisset concessa Christo Domino. Cui tamen S. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. corpore, fine, & aliis in locis negat cognitionem essentiæ diuinæ, nisi per beatificam visionem.

SECTIO III.

Circa quæstionem, an est, *euidentia Trinitatis quousque possit supernaturaliter communicari.*

1 *Euidentia in attestante.* PRimò circa Trinitatem est possibilis euidentia in attestante. Eáque concessa fuit angelis in via: siue quia intuebantur supernaturales intellectiones aliorum angelorum, quibus credebant hoc mysterium: siue quia vnusquisque angelus intuebatur suam ipsius conceptionem de Trinitate supernaturalem esse, & talem, quam ipse non posset propriis viribus obtinere, nec posset ab alio agente, nisi à solo Deo causari. Vnde fiebat euidentissima Trinitas quantum ad *an est*, in quantum est euidentissimum, Deum non posse causare errorem, sed tantùm cognitionem veram.

2 Hæc autem euidentia in attestante fides erat, sed specie diuersa à nostra fide, communi omnibus fidelibus: illa namque ducitur motiuo formali, distincto, videlicet, euidentia reuelationis diuinæ. Vnde prouenit, vt quidditatiuè sit prorsus independens à pia affectione voluntatis & cæteris motiuis credibilitatis; quippe quæ necessariò ligat intellectum, ne resilire possit à veritate, licet hoc voluntas imperaret.

3. Nihilominus euidentia in attestante, quæ data fuit angelis, & excellentioribus prophetis, non præbebat euidentiam Trinitatis in se ipsa; nec quoad quæstionem *an est*, sed ea euidentia solum erat attestationis diuinæ.

4 *Memoria visionis præteritæ.* Secúdò. Si Dei clara visio breui tempore communicata fuit alicui viatori; potuit ex ea remanere memoria Trinitatis, eo tempore cognitæ in se ipsa euidenter. Nihilominus hæc memoria non ostenderet Trinitatem in se ipsa, nec per illam euidenter intelligeretur intrinseca connexio extremorum in se ipsa per propriam speciem: sed tantum intelligeretur per conceptus connotatiuos præteritæ visionis, in quantum homo recordaretur, se vidisse hoc mysterium.

5 *Cognitio visionis beatæ.* Tertiò. Si quis per possibile vel impossibile cognosceret euidenter & intuitiuè visionem alicuius beati, non videndo Deum ipsum; ille quamuis euidenter cognosceret Trinitatem esse, non haberet euidentiam Trinitatis in se ipsa, etiam quoad quæstionem *an est*. Nam Trinitatem existere, cognosceret solummodo per conceptum connoratiuum visionis alterius beati.

6 *Cognitio hypostatica vnionis.* Quartò. Idem proportionaliter intellige, si quis videret tres vniones hypostaticas, quæ fieri possunt in tribus personis diuinis. Sed de hoc fusius tractari solet, vbi de scientia infusa animæ Christi, de qua S. Thom. 3. p. q. 11. art. 1.

DISPVTATIO XLIII.

Vtrum, reuelatione præsuppositа, possit ratio naturalis probare Trinitatem.

SECTIO I.

Duplicem esse acceptionem reuelationis & non demonstrari Trinitatis impossibilitatem.

1 *Reuelatio pro quacumque propositione obiecti.* DIco primò. Reuelatio, quod ad præsens attinet, potest dupliciter accipi. Primò namque solet nonnunquam appellari reuelatio quæcumque obiecti propositio, facta per testificationem alicuius personæ docentis, siue credatur, siue non credatur: siue reuelatio fiat in intellectu per Deum, siue in imaginatiua & æstimatiua per angelum, siue fiat tantummodo exterius per doctrinam hominum, aut per voces aut visiones angelorum.

2 De reuelatione sic accepta dubitari posset, an illa præsuppositа, ratio naturalis Trinitatem probare valeat, quia postquam per doctrinam alicuius Magistri certò credimus, aliquam conclusionem esse veram, facilius est inuenire rationes ad eam efficaciter probandam. Quemadmodum etiam facilius est, quamlibet supellectilem absconditam reperire, postquam certiores facti sumus, eam in domo contineri. Cæterum, quia maior est vis reuelationis supernaturalis, cui præbeatur assensus, qua præsuppositа, dicturi sumus, esse impossibile naturali ratione probari Trinitatem: consequens est à fortiori, hoc ipsum esse impossibile, suppositа reuelatione naturali, vel tali, cui non præbeatur assensus.

3 Acceptionem hanc reuelationis induxere potissimum Pelagius & Cælestius, dicentes, ideo tantum nos indigere diuina gratia, quia per ipsam nobis reuelatur intelligentia mandatorum, vt constat ex Concilio Mileuitano Secundo, canone 4. & pluribus operibus Augustini, Prosperi, Fulgentij & aliorum aduersus Pelagianos.

4 *Reuelatio propriè sumpta.* Dico secundò. Reuelationis nomine, propriè sumpto iuxta mentem sacræ Scripturæ, significatur lumen interius, supernaturaliter infusum, efficaciter inclinans voluntatem & intellectum, vt reuelatis assensum præbeat. Quemadmodum Matth. 11. *Cui voluerit Filius reuelare.* & Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Atque ita reuelationem accipit Concilium Arausicanum secũdum canonem 8. De hac reuelatione potissimum quæritur; Vtrum per illam naturale lumen intellectus, quasi per redundantiam, ita confortetur, vt inuenire valeat argumenta naturalia, quæ Trinitatem euidenter demonstrent, aut saltem probabiliter suadeant.

5 *Non demonstratur impossibilitas Trinitatis.* Dico tertiò. Suppositа fide supernaturali, ratio naturalis efficaciter probat, non posse demonstrari impossibilitatem huius mysterij. Probat autem

autem primò, quoniam omnia principia naturalia, quæ poterant illius impossibilitatem suadere, desumpta sunt à rebus finitis & limitatis, quibus omnibus superior est res infinita simpliciter. Quapropter ipsa naturalis ratio docet, in re simpliciter infinita latere aliquid, quod naturali discursu nequeat inuestigari, nec sufficienter intelligi ab intellectu finito.

6 *Adhærendũ esse potius Dei reuelationi.* Secundò, inde vlterius demonstrat euidenter ratio naturalis in huiusmodi rebus adhærendum esse Dei reuelationi potius, quàm cuicumque argumento naturali, vel apprehensioni nostri intellectus. Nam cum experiamur, etiam in rebus sensibilibus & imperfectissimis nos multoties deceptionem pati: multo certius erit in rebus spiritualibus, supernaturalibus & infinitis stultum esse, nostris ratiocinationibus vel apprehensionibus confidere, vt supra disp. 15. sect. 1.

7 Tertiò probat, quoniam argumenta omnia, quæ Trinitatem oppugnant, ratio naturalis probabiliter soluit, vt ostendunt omnes disputationes præsentis operis, peculiariter autem tota disputatio decimaquinta. Probat quartò, quia ratio naturalis ostendit aliquas congruentias & similitudines, quibus aliquantulum emollitur difficultas intellectus & aliquid ponderis additur in altera lance aduersus apparentes rationes impossibilitatis, ne tantam vim afferant intellectui.

SECTIO II.

Neque euidenter, neque probabiliter Trinitatem probare potest ratio naturalis, etiam præsuppositа fide.

1 DEmonstrari personarum Trinitatem existimarunt Ricard. Victor. & Hugo similiter Victorinus. Insuper Aureolus: idémque tribuitur aliis. Sed omnes piè exponuntur loqui, suppositа fide Trinitatis, vt vidimus disp. 41. sect. 2.

2 *Etiam reuelatione suppositа, impossibilis est demonstratio Trinitatis.* Nihilominus sit prima conclusio. Quacumque reuelatione, quantumcumque supernaturali præsuppositа, non est possibile demonstrationem euidentem Trinitatis inuenire. Ratio demonstrans est, quoniam lumen supernaturale fidei, quamuis per redundantiam perficiat intellectum humanum, vt melius & facilius demonstrat eas veritates, quæ non excedunt metas luminis naturalis: nihilominus non potest efficere, vt ratio naturalis extendatur vltra suam sphæram, innixa suis tantùm viribus. Probatum est autem disp. 41. sect. 3. & sequentibus, Trinitatis mysterium non contineri intra sphæram luminis naturalis, sed infinita distantia vltra illam progredi.

3 Declaratur & confirmatur primò, quia lumen fidei vel alterius reuelationis non efficit, vt Trinitas personarum habeat connexionem cum rebus sensibilibus, vel cum aliqua creatura, vnde possit argumentum sumi ad probandam Trinitatem. Quapropter tota ratio ponderata disput. 41. sect. 4. vim habet non minorem, quacumque reuelatione suppositа, sicut absque reuelatione.

4 Confirmatur secundò, quoniam prima principia nobis naturaliter nota, propter reuelationem supernaturalem, non acquirunt maiorem virtutem, vt virtualiter contineant conclusionẽ, quam aliter non continerent. Demonstratum est autem disp. 41. sect. 4. & 5. quod omnia principia naturalia nullo modo virtualiter continent cognitionem Trinitatis, ita vt ex illis valeat inferri, quantumcumque perfectissimè penetrentur subtilitate Angeli supremi, comprehendentis totam vim illorum principiorum.

Tertiò. Propterea Patres citati disp. 41. sect. 3. 4. & 5. possunt adduci ad probandam conclusionem, quatenus affirmant, hoc mysterium esse superius naturali captu intellectus, & percipi non posse, nisi per conceptus connotatiuos in ordine ad res creatas. Inde namque prouenit, vt impossibilis sit naturalis demonstratio, etiam reuelatione suppositа.

Magis expresè supernaturali reuelatione suppositа, Iustinus ita loquitur in expositione fidei de Trinit. prope med. *Id quomodo fiat, nec alios scrutari velim, nec ipse mihi possum satisfacere, cum arcanos sermones lutea carneaq; ac sordente lingua contrectare mihi sit religio. Quamuis enim mens pura nobis sit insita, per quam sæpe celsiora nobis ratiocinando apprehendimus, tamen compare carne grauata hebescit ad euidentem perceptionem rerum maiorum: quandoquidem terreum hoc tabernaculum mentem multa cogitantem degrauat. Nullo igitur modo, cum simus homines, possumus penetrare ad illam primam ac beatam essentiam. Quid dico diuinam essentiam? Imo ne ad mysteria quidem eius. Nihil enim diuinum manifestum est hominibus, vt ait quidam Græcorum sapiens.* Idque Iustinus confirmat testimonio Pauli.

7 Quartò, propter rationem non dissimilem ad eiusdem probationis confirmationem, adduci possunt omnia testimonia Patrum, quæ vidimus disp. 15. sect. 1. Potissimum autem quod Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 1. ad fin. *Afferimus*, inquit, *aliquando rationem, non quam petunt, cum de Deo quærunt: quia non ipsi eam valent sumere, nec nos fortasse vel apprehendere, vel proferre: sed qua demonstretur eis, quàm sint inhabiles, minimeq; idonei percipiendo quod exigunt.* & lib. de Fide & Symbolo cap. 9. prope fin. præcipit, vt de hoc mysterio *nihil affirmemus temere tanquam scientes, sed tanquam credentes.*

8 *Nec possibilitas Trinitatis potest demonstrari.* Secunda conclusio. Etiam suppositо lumine fidei, ratio naturalis non potest demonstrare, possibiles esse tres personas diuinas, realiter inter se distinctas, & realiter identificatas cum vna numero Deitate. Consequentérque demonstrare non potest, quod non implicet contradictionem Trinitas, vel quod non repugnet rationi naturali. Probatur primò, nam etiam suppositо lumine fidei, manet difficultas soluendi plurima argumenta & illud præcipuè, quod sumitur ex forma Syllogistica, illóque principio. *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* De quo disp. 15. sect. 2. & sequentibus.

9 Probatur secundò, quia licet euidenter soluerentur argumenta, quæ nobis occurrunt, ita vt euidens esset illorum fallacia, consequentérque foret euidens, Trinitatem non implicare contradictionem, quantum erat ex parte illorum argumentorum; adhuc restaret ambiguum, an propter alias rationes, nobis ignotas, Trinitas implicaret contradictionem. Nam in re tam superiori nostro captu quilibet prudens formidare deberet, plurimas rationes latere sibi ignotas.

10 Confirmatur, quia ratio naturalis non potest euidenter ostendere, quod possit vna persona accipere totum suum esse ab alia, & nihilominus illi manere prorsus æqualis quantum ad omnia: nec quod possit produci persona simplex & indiuisibilis, licet eius essentia non producatur, sed communicetur: neque quod tres personæ nihil perfectionis amplius, quam vna contineant: neque quod vnica subsistentia infinita non adæquet

&

& exhauriat totam possibilitatem subsistendi, quę est in natura diuina; neque quod tria suppositа realiter distincta non efficiant compositionem.

11 Vnde probatur tertiò, quoniam, supposito lumine fidei, omnes naturales discursus manent adhuc intra sphæram luminis naturalis, quod non potest aliquid ostendere nisi ex creaturis. Creaturæ autem, quod ex se est, potius inducerent in assensum impossibilitatis huius mysterij, vt dictum est disp. 41. sect. 4. & 5.

12 Quartò probatur, quia si ratio naturalis supposito lumine fidei, demonstraret euidenter, Tritatem esse possibilem, siue (quod idem est) non implicare contradictionem; eo ipso demonstraret euidenter, existere de facto Trinitatem. *In perpetuis enim non differunt posse ac esse.* vt 3. physic. text. 32. docuit Aristoteles ab omnibus Scholasticis receptus. Sed non potest demonstrari, Trinitatem existere de facto, vt vidimus conclusione præcedenti. Ergo nęc possibilitas illius poterit demonstrari.

In perpetuis idem est esse & posse.

13 Quintò probatur à fortiori, quoniam Incarnatio, siue vnio hypostatica, cum sit ens creatum, est multo inferius Trinitate. Nihilominus eius possibilitas demonstrari non potest, etiam supposita fide. Ergo multo minus possibilitas Trinitatis.

14 Tertia conclusio. Etiam supposita fide, non possunt inueniri tales rationes, quæ solæ, non intendo authoritati Dei reuelantis, possent causare assensum probabilem etiam minima probabilitate. Rationis fundamentum est idem, quod probauit conclusionem primam, & fusius declaratum est disp. 41. sect. 4. & 5. Quoniam lumen fidei, vel alia quæcumque reuelatio supernaturalis non potest efficere, vt ratio naturalis per solas vires naturæ supra naturalem sphæram ascendat, & progrediatur vltra limites sibi naturaliter perscriptos; nec potest efficere, vt principia naturalia virtualiter contineãt conclusionem, quam suapte natura non continent, nec potest efficere, vt creaturæ connexionem illatiuam habeant in ordine ad tres personas diuinas.

Nec probabilis assensus virtute solius rationis naturalis sine reuelatione.

15 Declaratur & confirmatur primò. Quemadmodum enim Deus eleuat aquam Baptismi, vt supernaturaliter producat gratiam: cæterum contradictionem implicat, aquam eleuari, vt per solas vires naturæ producat gratiam: sic etiam intellectus hominis per fidem eleuatur, vt supernaturaliter producat actum fidei: cæterum contradictionem implicat, intellectum eleuari, vt naturaliter per solas rationes naturales habeat, vnde inclinetur ad assensum Trinitatis.

16 Confirmatur secundò, quia naturales rationes, contra mysterium Trinitatis occurrentes, non possent naturaliter superari à rationibus naturalibus, probantibus Trinitatem, nisi accedente authoritate reuelantis. Confirmatur tertiò, similitudine Cæci, qui postquam à fide dignis audierit pulchritudinem rosæ, non magis poterit eam pulchritudinẽ inferre ex odore vel tactu rosæ, quam poterat prius antequam audiret. Confirmatur quartò, diluendo singulas rationes, quæ solent afferri ad probandam Trinitatem, quas discutiemus sect. sequenti.

17 Ad probandam ex authoritate Patrũ & Scholasticorum præsentem conclusionem, adduci possunt omnes, qui sequenti disp. 44. sect. 1. dicunt, quascumque similitudines ex creaturis, ad explicandum mysterium Trinitatis adductas, multo plus habere dissimilitudinis, & esse valde improportionatas per infinitam distantiam. Magis apertè colligitur præsens conclusio ex Scholasticis, qui fatentur ingenuè, se ignorare solutionem quorundam argumentorum. Vt fatetur Magister 1. dist. 33. cap. *horum* & cap. *sed fortè* Marsilius 1. quæst. 36. art. 2. dubio postremo.

18 Cæteri verò, licet solutionem afferant, agnoscunt tamen adhuc intellectũ non plenè quiescere, nec sufficientem illius vim penetrare, vt vidimus tota disp. 15. Id, quod S. Thomas quæst. 9. de potent. art. 5. corp. significauit dicens, sufficienter intelligi non posse, nisi per visionem claram in patria. Cui simile est, quod in præsenti quæstione 32. art. 1. ad 2. explicuit rationes naturales, inuentas post lumen fidei, non aliter probare, nisi quemadmodum Astrologia ponit rationem centricorum & epicyclorũ, per illam saluando apparentias, quæ fortè saluari possent alia positione facta. Præterea possunt adduci omnes Scholastici, qui disp. 41. sect. 5. concluf. 2. dixerunt, Trinitatis mysterium per naturalem rationem inuestigari non posse. Nam absque limitatione locuti sunt, præscribentes limitem viribus naturæ, qui manet idem, suppositа reuelatione.

Denique magis expresè præsentem conclusionem tertiam docuerunt recentiores, veluti Suares lib. 1. de Trinit. capit. 12. num. 8. & sequentibus. Molina in præsenti quæstione 32. art. 1. Vazquez disp. 133. & duabus sequentibus. Valentia 1. par. quæst. 6. de Trinit. puncto 1. dum respondet ad quartum argumentum licet minus expresè quàm alij.

19

SECTIO III.

Quando cedat in contumeliam fidei, rationes ad probandum adducere.

EX precedenti doctrina duo corollaria colligit S. Thomas in præsenti artic. 1. corp. Primum est, fidei derogare, qui naturali ratione Trinitatẽ probare nituntur: esse autem duplicem iniuriam, prima, quia significatur, mysteria fidei apparere posse ratione naturali. Pertinet autem ad dignitatem fidei esse de rebus, quæ rationem humanam excedunt, iuxta illud Hebræos 11. *Fides est argumentum non apparentium.* & 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.*

1 *Prima iniuria.*

Secunda iniuria est, quia cum aliquis ad probandam fidem, inducit rationes, quæ non sunt cogentes, nec sufficientes, vt sine authoritate Dei præbeatur assensus: cedit in irrisionem infidelium, quibus occasio datur, vt existiment, Catholicos huiusmodi rationibus innixos, & propter eas credere.

2 *Secunda iniuria.*

Secundum corollarium est, quod S. Thomas admonet in fine corporis eiusdem articuli, *Quæ sunt fidei, non sunt tentanda probare nisi per authoritates, his qui authoritates suscipiunt. Apud alios verò sufficit defendere, non esse impossibile quod fides prædicat.* Ad cuius declarationem & probationem, Obiicio primò, quia videtur concedere, quod ratio naturalis possit probare, non esse impossibilem Trinitatem; quo probato, manifestè sequitur, esse possibilem, ac subinde actualiter existere. Quod est contra conclusionem secundam, supra probatam.

3 *Obiectio prima.*

Respondetur. S. Thomas concedit tantummodo, quod ratio naturalis possit defendere, non esse impossibile mysterium Trinitatis. Ad defendendũ verò, sufficit probare, quod nulla ratio demonstrat

4 *Solutio.*

monstrat euidenter, esse impossibile. Quod obtineri posse per vires naturæ, suppositа fide, diximus sect. 1. assert. 3. Hoc autem non sufficit ad probandam possibilitatem Trinitatis. Fieri namque potest, vt vna pars contradictionis non possit probari, licet altera pars non demonstretur euidenter.

5 *Secunda obiectio.*

Obiicio secundò, quia Concilia & Patres, hoc mysterium probasse videmus, non solum per authoritates, sed etiam per rationes aduersus eos, qui authoritates non suscipiunt, idque respondente fructu. Sic enim in Concilio Nicæno quidam philosophus ad credendam Trinitatem adductus est ea ratione, quoniam humanum verbum & eius spiritus non est alienus ab homine: & quoniam ignis splendor & lumen simul existunt, nec vnum est posterius duratione, quàm aliud: & quoniam à fonte procedit fluuius & aqua, vt videre est in Nicæno Concil. lib. 2. inter med. & fin. §. *cum sit copiosa.* & §. *audi iam.* & §. *illud.*

Philosophus conuictus in Concilio Nicæno.

6 Confirmatur, nam aduersus eos, qui suscipiebant authoritates Scripturæ, videlicet Arianos & Sabellianos, Gregorius Nazianz. & Nysseu. Athanasius, Basilius & alij Patres non solum per authoritates Scripturæ, sed etiam per naturales rationes, Trinitatis fidem probant, cuius rei aliqua testimonia de plurimis inuenientur supra disp. 29. sect. 3. & sequentibus.

7 *Solutio.*

Respondeo & Dico primò. Philosophus ille paratus erat admittere authoritates Scripturæ, desiderabátque venire ad fidem. Fluctuabat autem ambiguus, vtrum Ariani potius, quàm Catholici traderent veram fidem. Ideóque Nicæni Patres ad illum instruendum, & conuertendum, fortius & efficacius insistebant in testimoniis Scripturæ, quibus adiungebant rationes naturales, expresè præmittentes, esse infirmiores & inferiores Trinitate. Quod totum constabit legenti loca citata Nicæni.

8 Dico secundò. Multis rationibus euidenter ostenditur, esse falsa, quæ dicebant Ariani, licet non ideo sit statim euidens Catholica veritas Trinitatis. Euidens enim est, Dei sapientiam & Verbum non esse alienum à Deo, nec esse substantiam creatam, nec aliquod tempus fuisse, in quo Deus fuerit sine Verbo, aut sapientia sua. Sic euidens ratio demonstrat, quod Spiritus Dei & amor Dei non potest esse alienus à Deo, nec duratione posterior. Sicque demonstrationibus euidentibus reuincuntur errores alij contra Trinitatem, quoniam monstra quædam sunt, conflata nimirum ex veritate fidei & blasphemiis hæreticorum. Hoc igitur fine Patres vtuntur rationibus naturalibus simul cum authoritate Scripturæ sacræ.

SECTIO IV.

Solutionibus debilitantur rationes, ad probandam Trinitatem inuentæ.

1 QVanquam in variis locis attulerimus rationes naturales, præsertim disp. 3. sect. 1. & 2. & disp. 33. sect. 2. & 3. nondum tamen ostendimus, inde claudicare, quia supponunt aliquid, quod probare non possunt; sicut nec refutare solutiones & obiectiones, quibus debilitarentur à philosopho naturali. Hoc igitur in præsenti præstandum erit circa rationes præcipuas; nam omnes persequi, foret valde prolixum.

2 *Prima ratio.*

Prima ratio sit, quia quicumque intelligit, eo ipso concipit operationem immanentem, cuius intrinsecus terminus est Verbum siue notitia in facto esse. Quapropter Verbum est productum per operationem immanentem, quæ est intellectio. Ergo in Deo est Verbum productum per intellectionem. Tunc vltra. In Deo nihil est accidentale & inhærens. Ergo diuinum Verbum debet esse subsistens. Præterea, inter producens & productum necessariò reperitur distinctio realis. Ergo diuinum Verbum realiter distinguitur à dicente. Sed non distinguitur in natura (ne sit creatura vel sit alter Deus Diuinitate distinctus.) Ergo distinguitur tantum in subsistentia seu persona. Simile argumentum fieri potest ad inferendam personam Spiritus sancti ex operatione voluntatis.

Responderet Philosophus primò, distinguendo Maiorem. Licet enim intelligens intellectione realiter distincta producat Verbum realiter distinctum: attamen quia Deus non intelligit, nisi per intellectionem realiter identificatam cum sua essentia, propterea eius intellectio non est realis productio termini realiter distincti: sed Dei Verbum est ipsamet intellectio essentialis, in quantum Deus per illam omnia percipit & dicit. Secundò posset Philosophus eandem rationem redarguere, quoniam Verbum ipsum & Spiritus sanctus haberet eandem operationem intelligendi, & tamen per illam non producunt Verbum.

3 *Debilitatur.*

Responderet tertiò Philosophus, minus repugnare suo intellectui quod inter producens & productum non sit distinctio realis propter infinitam perfectionem & eminentiam diuinæ productionis, quàm quod duæ personæ realiter distinguantur, & tamen realiter identificentur cum vnica essentia indiuisibili. Denique generaliter dicere posset, ab intellectione creata non posse sumi argumentum, probans, idem reperiri in cognitione diuina, quoniam intellectio Dei est substantialis, infinita, & omnino diuersæ rationis à nostra.

4

Secunda ratio sit, quoniam in Deo est potentia perfectissima, & totius potentiæ origo. Ergo oportet ei primam potentiam attribuere. Prima autem potentia est generatiua. Ergo Deo conuenit potentia generatiua. Vnde sequitur generare Filium realiter distinctum à generante. Quod autem potentia generatiua sit prima, probatur, quia secundum ordinem operationum est ordo potentiarum: sed inter omnes operationes prima est intelligere, nam agens per intellectum est prima causa omnium rerũ & in eo intelligere est prius, quàm velle & agere: ergo intellectiua potentia est prima omnium potentiarum. Rursus potentia quæcumque intellectiua est generatiua, quia concipit sui notitiam, sibi similem. Ergo Deus generat Filium sibi similem.

5 *Secunda ratio.*

Responderet Philosophus, primam potentiam esse in Deo, videlicet intellectiuam & productiuam omnium rerum, sed eam non esse generatiuam, quia in Deo sunt realiter idem intelligens, & intelligere, & obiectum intellectum. Quod autem per intellectionem concipiatur Verbum distinctum, prouenire ex limitatione & imperfectione creaturarum.

6 *Debilitatur.*

Tertia ratio, quoniam ad perfectionem diuinæ fœlicitatis, bonitatis, & gloriæ, requiritur perfecta charitas (qua nihil est iucundius.) Perfecta verò charitas requirit tres personas. Amor enim, quo vna persona seipsam tantum diligit, est amor priuatus & non vera charitas. Foret autem inordi

7 *Tertia ratio.*

inordinatum, aliam personam summè diligere, quæ non esset persona diuina. Rursus ad perfectionem charitatis requiritur, quod amans velit personam à se dilectam, ab alia etiam æqualiter diligi. Oportet igitur esse tres personas, videlicet, eam quæ diligit, & aliam dilectam & aliam condilectam. Quam rationem fusius ponderat Ricardus Victorinus lib.3.de Trin.à cap.2. vsque ad 20.& lib.5.cap.8.vbi à cap.16.vsque ad 24.confirmat, quoniam in Deo debet esse amor omnino gratuitus & nullo modo debitus, insuper amor omnino debitus & nullo modo gratuitus, ac præterea debitus simúlque gratuitus amor, prout exposuimus disp.33. sect.2. congruentia 9.

8 *Debilitatur.* Responderet Philosophus, infinitæ bonitati, fœlicitati & gloriæ satis esse, se ipsam comprehensiuè intelligere & amare: nec ad summam iucunditatem opus esse consortio alterius personæ, præsertim cum in Deo non possit esse distinctus amor, neque distincta ratio formalis amandi; videatúrque nihil iucunditatis neque perfectionis augeri ex eo, quod tres personæ vnica dilectio propter vnicam bonitatem se ipsas collectiuè per modum vnius diligant. Diceret præterea, non esse propriè charitatem ad alterum, sed tantum esse amorem sui ipsius, quando est vnicus amor vnius essentiæ propter vnicam bonitatem.

9 Propter easdem rationes omnino negaret Philosophus alium amorē in Deo, quàm simpliciter debitum & necessarium sui ad se ipsum; ad creaturas verò gratuitum. Negarétque, possibilem esse personam diuinā, quæ suum esse acciperet ab alia, ratione cuius eius amor appellaretur debitus, & amor personæ dantis appellaretur gratuitus.

10 *Quarta ratio.* Quarta ratio, quia de quidditate boni est communicatio, proptereáque de quidditate summi boni est summa communicatio. Ergo Deus infinito modo se communicat. Sed producendo res creatas non se communicat infinito modo. Ergo producit personam sibi coæqualem & consubstantialem, cui se communicet infinitè.

11 *Debilitatur.* Responderet Philosophus primò, negando Maiorem, quoniam actualiter communicare nullam dicit perfectionem in causa cōmunicante, sed tantum in effectu producto. Quemadmodú actualiter illuminare non est perfectio, existens in sole, sed in corporibus illuminatis. Responderet secundò, contradictionem implicare communicationem infinitam Dei, quoniam illa videretur fieri non posse sine diuisione naturæ & productione alterius Dei.

12 *Quintaratio.* Eodem modo debilitari posset quinta ratio, probans, Deum generare, quia producere sibi simile in natura, est perfectio: nulla verò perfectio deneganda est Deo. Qua ratione ad hoc probandum vsus est ipse Deus, Isaiæ vlt. dicens: *Numquid qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Confirmatur, quoniam actu producere est perfectio. Ergo Deo conuenit ab æterno. Sed ab æterno res creatas non producit. Ergo producit ab æterno personam aliquam increatam.

13 *Debilitatur.* Responderet ergo Philosophus, quemadmodum ad præcedentem rationem, quod producere sibi simile in natura, est perfectio, ferens admixtam imperfectionem maximam corruptionis, diuisionis & multiplicationis naturæ diuinæ. Præterea redargueret, quia si foret perfectio simpliciter producere simile in natura: sequeretur Filio & Spiritui sancto deesse aliquam perfectionem simpliciter, quia Filius & Spiritus sanctus non generant. De verbis autem Isaiæ vltimo quid valeant ad probandam generationem Verbi, dictum est disp.4. sect.1. probat.4. Ad confirmationem responderet negando antecedens propter rationem nuper aliatam in præcedenti solutione.

14 *Sexta ratio.* Sexta ratio sit, quia naturam eandem conuenire multis suppositis, est perfectio in rebus creatis, tametsi diuidi ac in eis multiplicari sit imperfectio. Ergo tribuendum est Deo, quod eius natura conueniat multis suppositis, secluſa imperfectione multiplicationis ac diuisionis eiusdem naturæ. Hoc autem non est aliter possibile, nisi tres personæ sint vnius essentiæ. Confirmatur, quia natura, quæ in vno tantum supposito reperitur, est limitata ad illud tantùm: nulla verò limitatio concedenda est in Deo.

15 *Debilitatur.* Responderet Philosophus, naturam eandem multis suppositis cōuenire, imperfectionem esse; quoniam fieri non potest sine diuisione & multiplicatione naturæ. Vnde colligeret, implicare contradictionem, quod natura diuina sit in multis suppositis, & in eis non multiplicetur. Adungeret præterea cæteras imperfectiones compositionis, inæqualitatis, indigentiæ, aliáſque similes, quæ præcisa fide, viderentur sequi ex pluralitate personarum diuinarum.

16 Ad confirmationem ita responderet. Natura infinita nullo modo limitatur ex eo quod sit in supposito infinito, quamuis illud sit tantum vnicum. Quod si vnico supposito limitaretur, consequens esset, vt etiam limitaretur tribus suppositis: nam limitata & limitantia, multiplicata per numerum finitum, non satisfaciunt, nec æqualiter respondent infinitati.

17 *Septima ratio.* Septima ratio sit. Omne æquiuocum reducitur ad vniuocum, sicut multitudo ad vnitatem. Sed processio creaturæ à Deo est processio æquiuoca, quia creaturæ cum Deo non conueniunt in nomine & ratione. Ergo præexistit in Deo processio vniuoca, secūdū quam à Deo procedat aliquid eiusdem rationis cum Deo, quod necessario erit persona diuina, realiter distincta à suo principio.

18 *Debilitatur.* Responderet Philosophus. Omnis multitudo supponit aliquam vnitatem, & omnis æquiuocatio supponit vniuocationem. Nihilominus non omnis productio æquiuoca præsupponit productionem vniuocam. Imo quælibet productio vniuoca supponit productionem æquiuocam (quantum ratio naturalis capere potest.) Quia causa æquiuoca est per se causa totius speciei: at verò causa vniuoca non est causa totius speciei, sed istius, vel illius indiuidui. Proptercáque causalitas vniuoca est inferior atque posterior, quam æquiuoca causalitas.

19 *Octaua ratio.* Octauam rationē Ricardus lib.5. de Trin.c.13. 14. & 15. accipit ex quadam proportione, quam Geometricam vocat, iuxta quam vnius personæ diuinæ proprium sit dare & non accipere: alterius autem accipere & nó dare, & inter vtramque personam extremā intercedat media, cuius proprium sit dare simul & accipere. Verum hæc proportio meritò contemneretur solo naturæ lumine, neque enim affert vllam probabilitatem, nisi supponendo, plures esse personas in Deo, quo supposito, congruit esse tres & non plures.

Debilitatur.

20 *Nona ratio.* Nona ratio, quia sicut dicit Boëtius in Arithmetica. Omnem inæqualitatem præcedit æqualitas: sed inter creatorem & creaturam est inæqualitas. Ergo ante hanc inæqualitatem in Deo præcedit aliqua æqualitas. At verò non potest esse æqualitas sine reali distinctione suppositorum, nihil

nihil enim est æquale sibi, sicut nec simile sibi, vt notauit Hilar.3. de Trinit. non longè ante finem. Ergo in Deo sunt distinctæ personæ.

21 *Debilitatur.* Responderet Philosophus distinguēdo. Quamuis enim æqualitatis ratio, siue fundamentum, quod est vnitas, præcedat omnem inæqualitatem: nihilominus illa supposita, quæ sunt æqualia, non possunt præcedere omnem inæqualitatem, quia supposita æqualia sunt multa, atque vt minimùm sunt duo: rursus ante omnem dualitatem præcedit vnitas inæqualis duobus, ac proinde præcedit hæc inæqualitas; vt acutè S. Thom. de veritate quæst.10.art.13.arg.5.& solutione.

22 *10. ratio debilitatur.* Decima ratio, desumpta ex perfectione numeri ternarij, satis explicata fuit disp.33.sect.3. Quod ad præsens attinet, adiungimus, illius probabilitatem ex eo pendere, quod supponat, in Deo esse plures personas. Quod nisi supponatur, ratio naturalis vehementer inclinaret ad negandū in Deo quemcumque numerum cuiuscumque perfectionis, quoniam afferret imperfectiones plurimas, veluti compositionem, maius & minus, partes & totum, distinctas essentias & his similia.

23 *11. ratio.* Vndecimò posset opponi, quod hæreticus assentitur mysterio Trinitatis absque supernaturali lumine fidei, quod amittit, quia negat alia mysteria. Solis ergo naturæ viribus obtineri potest assensus vel opinio huius mysterij. Respond. distinguendo consequens. Solis naturæ viribus obtineri potest assensus in hoc mysteriū, si motiuum sit authoritas Dei dicentis, vel authoritas hominum proponentium: assensus tamen erit improportionatus. Cæterum absque tali motiuo, quod extrinsecam Dei reuelationem supponit, propter motiuum solius naturalis discursus, impossibile foret assentiri Trinitati.

Debilitatur.

SECTIO V.

Quare Deus credendum proposuit mysterium, adeo superans omnem facultatem intellectus humani.

1 RAtio dubitādi est, quia diuina sapientia, suauiter omnia disponens, vnicuique rei prouidet secundum modū suæ naturę proportionatum. Confirmatur primò, quia videtur superfluum & inutile, hominibus tradere, quod eorum intellectus capere non potest. Secundò, quoniam hoc mysterium difficiliorem reddit iustificationem, & æternā salutem, ad quam faciliùs peruenirent infideles; si Deus absconderet hoc mysterium vsque ad claram Dei visionem, sicut absondebat in lege veteri.

2 *Prima ratio intrinseca perfectio cognitionis.* Nihilominus expedientissimum fuisse distinctè proponi credendū Trinitatis mysterium, probant multæ rationes, quæ simul occurrunt prædictis rationibus dubitandi. Prima & præcipua ratio non est aliquis extrinsecus fructus, prouenies ex cognitione Trinitatis; sed est ipsius cognitionis quidditatiua perfectio, dignitas & honestas. Quēadmodum enim ab intrinseco cōuenientissimum & honestissimum est cognoscere, Deum esse vnicum, infinitum, sapientissimum, creatorem omnium, &c. Sic etiam ab intrinseco est conuenientissimum & honestissimum cognoscere tres personas distinctè, & singulas esse Deum creatorem, omnipotentem, &c. simúlque cognoscere, omnes personas collectiuè sumptas, non esse plus quàm vnum Deum creatorem, &c.

3 Propterea namque Ioan.17. *Hæc est*, inquit, *vita aeterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Itaque iterum: *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Et post pauca: *Cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti.* Confirmatur, quia quanti sit apud Deum distincta cognitio professióque Trinitatis, indicat frequens repetitio hymni glorificatiui post singulos psalmos, & responsoria diuinitus inspirata: præter alia quamplurima, quæ poterit lector recolere.

4 *Profundior cognitio Diuinitatis.* Secunda ratio, nam ex cognitione distincta trium personarum resultat verior & profundior cognitio Diuinitatis ipsius. Sapienter enim S. Thom.1.contra gentes cap.5.sub init. obseruauit: *Tunc solum verè Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est: eo quod naturalem hominis cognitionem diuina substantia excedit. Per hoc ergo quod homini de Deo aliqua proponuntur, quæ rationem excedunt: firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest.*

5 Confirmatur, quoniam Deitatis fœcunditatem & propriā vim intellectionis & volitionis & eminentiam, ratione cuius identificatur realiter cum tribus suppositis realiter distinctis, non cognosceremus, nisi reuelaretur nobis Trinitas personarum.

6 *Necessitas ad Incarnationē credendam.* Tertia ratio, quoniam Incarnationis notitia summæ necessitatis est ad percipiendum fructum redemptionis per fidem, spē, gratitudinem, vsum sacramentorum & cæteros pios affectus. Incarnatio verò reuelari non poterat tanta vtilitate, nisi reuelato mysterio Trinitatis. Proptereáque in lege gratiæ, sicut necessaria erat explicita fides Incarnationis, ita propositum fuit explicitè mysterium Trinitatis, quod in lege veteri non nisi implicitè credebatur communiter à fidelibus, sicut nec mysterium Incarnationis.

7 Confirmatur primò, quoniam in lege gratiæ mittendus erat Spiritus sanctus singulari modo in Apostolos, proptereáque necessarium fuit, eius personam distinctam à Patre & Filio cognoscere.

8 Confirmatur secundò, quia minorem Dei gloriam, minorémque fructum nostræ salutis consequeretur diuina reuelatio, quæ nobis solummodo manifestaret, Deum esse factum hominem, non distinguendo personā Filij. Nam peculiaris quædam dulcedo charitatis significatur, quia *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, & proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Insuper, cognito mysterio Trinitatis, melius intelligitur distinctio requisita inter satisfacientem & eum, cui fit satisfactio, & inter orātem & eū, ad quem oratio dirigitur: perfectius exēplar nobis proponitur ad vnionem Ioan.17. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me & ego in te.* Ac denique filiationis adoptiuæ primarius prototypus cernitur in naturali filio, cuius imitatione consequamur eā, & maioris æstimemus dignitatē illius.

9 *Ad fidem de creatione rerum.* Quartam rationem tradit S. Thomas in præsenti quæst.32.artic.1.ad 3. quia cognitio diuinarum personarum fuit necessaria, vt rectè sentiremus de creatione rerum. Per hoc enim quod dicimus, Deum omnia fecisse Verbo suo, excluditur error asserentium, Deum necessitate naturæ produxisse creaturas. Rursus ponentes in Deo processionem amoris ostendimus, non propter aliquam indigentiam Deum produxisse creaturas, neque propter aliquam aliā causam extrinsecam, sed propter amorem suæ bonitatis. Quod vtrumque diuino consilio subindicatum est in principio Genes. duabus vocibus sæpius repetitis, videlicet,

Dixit, quod pertinet ad Verbum *& vidit, quod esset bonum*, significando approbationem amoris. De quo supra disp. 36. sect. 4. à princ.

10 *Dignitas cognitionis de rebus altissimis.* Quinta ratio, quia de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animæ confert. Ideóque licet hoc mysterium tenuissima & imperfectissima cognitione possit in hac vita penetrari, magna tamen inde acquiritur perfectio: nam de substantiis superioribus vel exiguum aliquid percipere desiderabilius est hominibus, quàm multa de substantiis inferioribus cognoscere, vt ex Aristot. 10. ethic. c. 9. & lib. 11. de animalibus. & lib. 2. de cœlo text. 34. docet S. Thom. 1. contra Gentes cap. 5. post med.

11 *Eleuatio mẽtis.* Sexta ratio, quoniam oportuit humanam mentem euocari ad aliquid altius, quàm ratio nostra possit in præsenti pertingere, quo desiderium & studium accenderetur ad supernaturalia & æterna procuranda, vt S. Thomas notat in prædicto. cap. 5. Septima vtilitas est præsumptionis repressio, quæ mater est erroris. Hoc enim mysterio deijcitur eorum elatio, qui suo intellectu Deum metiri præsumunt.

12 *Meritum.* Octauò. Meritum credentium augetur profunditate mysterij & arcentur indigni, excæcantúrque & obdurãtur reprobi. Denique conueniens fuisse clarius reuelari Trinitatem in Nouo, quàm in Veteri testamento, vidimus disp. 36. sect. 2.

DISPVTATIO XLIV.

Ad intelligendam vtcumque Trinitatem, quæ similia iuuent, & quo temperamento.

SECTIO I.

In similitudinibus creaturarum vtilitas est, licet perexigua proportio cum infinita dissimilitudine.

1 *Similitudines Trinitatis licet infinitè distent, adhibendæ.* DVo sunt, quæ tanquam explorata supponũtur ab omnibus tota disp. citandis. Primum, non esse contemnendas similitudines Trinitatis à creaturis acceptas, sed vtiliter adhiberi tanquam proportionatas humano captui ad eius ruditatem qualitercumque instruendam, nec non ad retundendã impudentem aduersariorum audaciam. Secundum est, infinitam esse distantiã & improportionẽ in eiusmodi similitudinibus, propterea{q}; cautè, sobriè & humiliter esse tractãdas. Alioqui præbebunt occasionem erroris.

2 Ita Nicænum Concilium lib. 2. inter med. & fi. §. *cum sit copiosa* prope fin. *Per similitudines*, inquit, *quamuis infirmiores accipe bona documenta*. Et §. *audiam* prope med. *Discę*, inquit, *ex sensibilibus intellectilia, & ex his, quæ intellectui subijciuntur, ea quæ intellectum superant, & ex ijs quæ dicuntur, ea quæ sunt super omnem sermonem. Quamuis autem omnia & quæ videntur, & quæ intelliguntur ex cœlestibus creaturis, & his quæ in terra, vel sub terra sunt, conferri nequeant cum illa increata, incomprehensibili & immortali Dei substantia; nihilominus tamen occurrentem similitudinem proferemus, & si non æquabilem, ad vtilitatem tamen fideliter suscipientium, & quæ sufficientem pietatis imaginem præbeat piè considerare volentibus.*

3 Nazianz. orat. 37. quæ est 5. de theologia paulo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Valde profectò turpe est, valde stultum & inane ex humilibus rebus superarum cœlestiumq; simulachrum sumere, verumq; certarum atque constantium ex fluxa fragilique natura, quodq; Isaias ait, viuentia è mortuis requirere.* Quod videtur acceptum ex cap. 8. Isaiæ, vbi vulgatus legit: *Numquid non populus à Deo suo requiret, pro viuis à mortuis?* Rursus in eadem orat. 37. col. penult. *Cum mentis*, ait, *curiositate multum diuq; mecum considerassem, atque orationem vndecumq; exploràssem, rei tantæ imaginem quandam exquirens, cui tandem rerum inferarum diuina illa natura comparanda sit, reperire non potui. Quamuis enim exiguam aliquã similitudinem inuenerim: maior tamen me pars fugit, humiq; me cum meo exemplo reliquit.* Nihilominus similitudines adhibet, vt referemus in sectionibus sequentibus.

Basilius lib. 2. contra Eunomium versus med. 4
Nullus, inquit, *orationem hanc mihi carpat, si quid exemplorum non penitus proposito conuenit. Nec enim est possibile, parua & vilia diuinis atque æternis ad vnguem accommodari: nisi inquantum dissimulationem eorum redarguunt, quæ impassibilem generationem non possunt mente concipere.* Idem in epist. 43. ad Gregorium Nyssenum à medio. *Nisi contentiosè quisquam animoq; calumniandi doctrinam istam audierit, poterit tale quid & in rebus sensibilibus offendere. Verbum quidem hoc meum accipite quasi rudem delineationem ac vmbram veritatis, non item vt veritatem ipsam rerum. Nequit enim fieri, vt per omnia quod in exemplaribus consideratur, eis rebus adaptetur, ad quarum descriptionem exemplarium vsus assumitur.*

Eandem improportionem præfatur Nyssenus 5
lib. de differentia essentiæ & hypostaseos paulo post med. ante similitudinem Iridis, quam referemus sect. 2. Epiphanius in Ancorato prope med. Athanas. in iis quæstionibus, quarum prima est, *quid est Deus.* quæst. 4. sub init. & iterum in progressu. Cyrillus Alexand. lib. 12. thesauri cap. 15. sub init. & lib. 1. in Ioan. cap. 5. inter princ. & med. & iterum prope fin. Eusebius Cæsarien. lib. 4. demonstrat. euang. cap. 3. post med. & lib. 5. cap. 1. post med. Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. fine. Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 9. non longe à principio & iterum paulo inferius.

Hilar. lib. 1. de Trinit. paulo post med. ita lec- 6
tores præmonet: *Si qua verò nos de natura Dei & natiuitate tractantes, comparationum exempla afferemus, nemo ea existimet absolutè in se rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorũ ad Deum nulla est, sed infirmitas nostra intelligẽtia cogit species quasdam ex inferioribus, tanquam superiorum indices quærere: vt rerum familiarium cõsuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionẽ educeremur: Omnis igitur comparatio homini vtilis potius habeatur, quàm Deo apta.* Hoc idem salis condimentum adhibet lib. 4. de Trinit. sub initium & lib. 6. col. 5. & li. 7. de Trinit. non multo propius ad med. quàm ad fin.

Ambrosius lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 5. 7
ante med. *Si aliquam*, inquit, *comparationem de rebus his, quæ videntur, in eo facias, ipsa dissimilitudine rerum, non rationem ostendes, sed altercationem disputationis induces, vt cuius voce descriptum est: Cui me comparabitis? ac proinde Deus, cui assimilari nihil potest, sufficiat credi quod ipse sentitur, quem ipse credi se voluit, non indicari.* Et tam ibi, quàm sequenti cap. 6. confirmat, nullam esse condignam similitudinem. Atque idem docet author expositionis in symbolum Apostolorum inter opera Cypriani ad

ad secundum versum Symboli. Anselmus de Incarnat. Verbi cap. 6. post medium.

8 *Quatuor pericula cauenda in similitudinibus, & earum vsu.* Quatuor notanda restant. Primum est errandi periculum & occasio, quam præbet incautus & intemperans vsus similitudinũ, vel potius abusus. Sic enim Sabelliani declarabant, Patrem, Filiũ, & Spiritum sanctum non esse tres personas, sed tres nomenclaturas vnius substantiæ: quemadmodum sol habet illuminationem, calefactionem & circumferentiæ formam: & vnus homo constat corpore, anima & spiritu (id est respiratione) vt refert Epiphan. hæres. 62. initio, atque iterum in Ancorato multo propius ad med. quàm ad fin. vt retulimus disp. 38. sect. 1. non procul à princ.

9 Secundum est, inde potissimum creari periculum, quoniam creaturarum exemplum applicatur nonnunquam ad declarandam alia veritatem distinctam ab illa, cui suapte natura proportionatũ est. Quædam enim exempla proportionem aliquã habent cum aliquibus veritatibus huius mysterij, non verò cum aliis, quas melius explicãt alia exẽpla. Propterea, quemadmodum periculosum est clypeo pugnare tanquam ense, vel hasta: contra verò hasta vel ense vti quasi clypeo: sic etiam periculosum erit similia conuertere ad vsus sibi non proportionatos. Hoc diligenter obseruarunt Patres in sequentibus sectionibus referendi.

10 Atque inde sequitur tertium, videlicet esse vitandum, ne quis insistat, vniuscuiusque exempli partes omnes, aut plurimas accommodare Trinitati. Quin potius vt Nazianzenus monuit orat. 37. prope fin. necessarium est, *ea quispiam animi æquitate sit, vt cum vnum aliquid ex proposita imagine acceperit, reliqua proijciat*, id est, cum acceperit aliquid, in quo similitudo consistit, proijciat reliqua, in quibus exempla sunt dissimilia.

11 Quartum est, non minoris erroris periculum imminere, si prorsus abijciantur materiales similitudines Trinitatis. Quod his verbis admonuit Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 5. post med. *In spiritalibus illis summis, vbi non est aliquid violabile, aut corruptibile, nec natum ex tempore, nec ex informi formatum, si qua dicuntur talia, ad quorum similitudinem etiam ista inferioris creaturæ genera, quamuis longè remotissimè facta sunt, non debent cuiusquam sobriam perturbare prudentiam; ne cum vanum deuitat horrorem, in pernicioſum incurrat errorem. Assuescat in corporibus ita spiritualium reperire vestigia, vt cum inde sursum versus duce ratione ascendere cœperit, vt ad ipsam incommutabilem veritatem, per quam sunt facta ista, perueniat, non secum ad summa pertrahat, quod contemnit in infimis. Nec enim erubuit quidam, vxorem sibi eligere sapientiam, quia nomen vxoris in prole gignenda corruptibilem concubitum ingerit cogitanti: aut verò ipsa sapientia sexu fœminea est, quia fœminini generis vocabulo & Græca & Latina lingua enunciatur.*

SECTIO II.

A luminosa substantia solis, vel ignis, aut Iridis acceptæ similitudines.

1 QVæ ducitur ex lumine similitudo, celebrior est apud Patres, tam propter authoritatem, quam accipit à sacris litteris, quàm propter dignitatem, proportionem, vniuersalitatem ad plures huius mysterij veritates explicandas. Fundamentum habet in Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Quod ad rem præsentem ponderat Nicænum Concil. lib. 2. post med. §. *illud*, in med. Et Sapient. 7. *Candor est enim lucis æternæ & speculum sine macula, & imago bonitatis illius*, & Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Quæ ponderant Patres infra citandi.

Primum verò luminosum est sol, cuius simili- 2
tudinem diffusè persequitur Athanas. tom. 2. in quæstionibus, quarum prima est, *Quid est Deus*, tota q. 4. vbi notandum est, quod *subsistentias* aliquoties accepit pro quolibet indiuiduo siue substantiæ, siue accidentis, ita vt apud illum *tres subsistentiæ* sint idem, quod tres entitates indiuiduæ & singulares.

Imprimis ergo, quod licet personæ sint tres, ni- 3
hilominus sit vnus Deus, ita declarat: *Quemadmodum sol constat tribus subsistentijs, ita & vnus Deus tribus personis. Typus enim Patris est orbis solaris: typus Filij est radius: typus Spiritus sancti est lumen solis. Proinde dic ita: In sole orbis, radius & lumen: non dicimus autẽ tres soles, sed vnũ & solũ: similiter & in Deo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnus Deus & nõ tres.*

Secundò. Inseparabilem vnionem trium per- 4
sonarum declarat, continuo subiungens: *In sole inseparabilis orbis, radius & lumen: non enim segregãtur à se inuicem: quapropter dicitur vnus sol & non tres: & eandem ob causam dicitur vnus Deus & non tres, quoniam non segregantur tres personæ.*

Tertiò. *Quemadmodum*, inquit, *orbis solis solus est* 5
causa efficiens & ingenitus, radices verò effectus & genus ex orbe: lumen autẽ procedens ex solo orbe, per radium missum & illuminans terrena: ita Deus & Pater ipse solus est causa duobus & ingenitus: Filius autem ex solo Patre causatus & procedẽs, sed per Filium in mundum missus. Quod hic tãgitur de processione Spiritus sancti, significat, solum Patrem esse primum principiũ, ab alio non ducens originem; vt magis constabit disput. 67. sect. 6. inter princ. & med.

Quartò. Verbi Incarnationem & præsentiam 6
vbique declarauerat paulo superius: *Quemadmodum radius solis descendit ex cælo ad terram, neque ab orbe solari separatur, nec in cælo desideratur, neque in terra, sed est in orbe solari, & in cælo & in terra, & vbique: sed neque supra desideratur nec infra: sic etiam Filius & sermo Dei descendit ad terram, & neque Patrem dereliquit, neque cœlum, neque terram: sed erat in gremio Patris inseparabilis & supra, & infra, & vbique: neque vsquam desideratus est.* Hac igitur similitudine splendoris, procedentis à luce sine posterioritate, corruptione aut defluxione, declarat Filij generationem Athanas. dialog. 2. de sancta Trinit. à med. & sequenti dialogo 3. contra Macedonium. Similitudinem istam esse præferendam cæteris, iudicat Athanas. lib. de decretis Nicænæ Synodi inter princ. & med. & in epist. ad Episcopos Africæ refert, Nicænos Patres, ad comprobandum *homousion* inter alias scripturæ voces, legisse versum Psalmi 35. *In lumine tuo videbimus lumen.*

Iustinus in expositione fidei de Trinit. in med. 7
Intelligimus, inquit, *Filium à Patre prognatum, sicut lumen è lumine promicans. Nam hac imagine refertur & coæternitas, & essentiæ identitas, & passionis expers natiuitas.* Quas tres perfectiones amplius declarans, adiungit, eas etiam conuenire processioni Spiritus sancti.

Nazianzenus orat. 45. ad Euagrium post med. 8
Quemadmodum, inquit, *inter orbem & radium propter impassibilitatem corporis{q}, vacuitatem & simplicitatem atque indiuiduitatem, nulla diuisio reperiri potest, verùm vt radius orbi coniunctus est, ita rursus orbis, oculi cuiusdam instar, vniuersitati radios suos fluminis in morem infundit, lucis nobis velut inũdationes*

quasdam efficiens, mundumq́, repente obruens: haud secus etiam Patris velut radij quidã ad nos demissi sunt, tum splendidus Iesus, tũ Spiritus sanctus. Vt enim lucis radij mutuam relationem natura indiuiduam habẽtes, nec à luce disiunguntur, nec à se inuicem discinduntur, lucisq́ beneficium ad nos vsque traijciunt: eodem modo Saluator quoque noster & Spiritus sanctus, geminus ille Patris radius, simul & ad nos vsque veritatis lucem ministrant, & Patri vniti sunt. Eandem similitudinem solis radij atque lucis exponit orat. 37. versus finem num. 74. & sequentibus.

9 Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum paulo post med. ait: *Sufficit nosse, quod lux genuit splendorem*, Psal. 109. sicut ait Propheta: *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.*

10 Basilius lib. 2. contra Eunomium multo propius ad med. quàm ad princ. admonet: *Dignam de Deo generationem intelligere impassibilem, impartibilem, indiuisibilem, sine tempore, instar resplendentis à luce radij.* Et lib. 4. contra eundem non procul à princ. *Filius cum splendor sit, non aliquando erit, sed coæternaliter. Lux enim est Deus, vt Dauid inquit, In lumine tuo videbimus lumen. Et Daniel: Lux cum ipso est.* Eandem æqualitatem æternitatis & gloriæ colligit Gregor. Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostas. propius ad fin. quàm ad medium, & lib. de fide ad Simplicium ex verbis Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ.*

11 Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. col. 2. *Splendorem*, inquit, *solis non aliud dicet quisquam esse lumen naturæ, præter ipsum solem, nec participatione, aut habitudine quadam lumen appellari credet, sed quia natura ex ipso emanat; & ita duo hæc lumina esse ratione percipiet, vnum verò esse natura non negabit. Sic quanquam Pater & Filius in dualitate personarum inueniantur; nemo tamen aliud dicit esse Patrem, quàm Filium, quantum ad Deitatem & identitatem essentiæ pertinet. Et sicut sol in splendore suo est, & splendor solis in sole: sic Pater in Filio & Filius in Patre, personarum numero duo, naturæ identitate vnum.* Vtitur eadem comparatione Cyrillus dialog. de Trinit. lib. 2. inter med. & fin. & breuiùs lib. 1. in Ioannem cap. 5. prope finem.

12 Cui consequens est, quod habet compendiaria expositio fidei, Anastasio Patriarchæ Teopolitano, simúlque Cyrillo Alexandrino adscripta, prope finem: *Sol est Pater, radius Filius, splendor ignitus est Spiritus sanctus.* Eusebius autem lib. 4. demonstrat. euang. cap. 3. Patrem lumini, Filium splendori comparans, fusè proponit conuenientiam & differentiam, nec non sequenti lib. 5. capit. 1. post med.

13 Ambrosius lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 5. à med. attingit eandem similitudinem ex Psal. 35. & Sapient. 7. citatis. Fusius eam persequitur Tertullian. lib. contra Praxeam præsertim cap. 8. Breuiùs verò Lactantius diuinar. institut. lib. 4. cap. 29. ante med. Ricard. Victor. libr. 1. de Trinit. cap. 9.

14 Aliter exemplum solis accommodant aliqui Patres. Epiphanius enim in Ancorato prope med. ex eo quod solis splendor, in vitreum vas, aqua plenum, diffusus atque refractus, ignem in subiectam stupam accendit, & tamen non secatur sol per essentiæ partitionem, nec minuitur, declarat, Patrem genuisse Verbum nó per affectionem aut sectionem, aut defectionem, sed summa perfectione. Sed Beda Solis substantiam splendorem & calorem accipit, vt simile Trinitatis in lib. de substantiis pag. 2. & 3. tomo 2. prope finem.

15 Secundum simile, parum à præcedenti discrepans, est ignis, de quo Nicænum Concilium lib. 2. longè post med. §. *auditum*. a medio. *Sensibile*, inquit, *iste ignis, natura vna sine substantia cum sit, trinitas est in eodem igne, splendor, lumen: & nihil inuenitur altero prius esse, sed à se inuicem separari non possunt.* Vrgétque philosophum, ostendens esse possibile, vt procedens à suo principio, non sit duratione posterius, quàm suum principium, nec possit ab illo separari. *Ignis ad explicandam Trinitatem.*

Athanas. in quæstionibus, quarum prima est, 16
Quid est Deus, quæst. 4. versus med. *Tres sunt subsistentiæ vnius ignis, scilicet subiectum ignis & vrens & lucens: & tamen vna est natura ignis. Pater est ignis, Filius est vrens, Spiritus sanctus est vis illuminas.* Quod subsistentias hoc loco sumpserit pro rebus indiuiduis, quamuis accidentalibus, dictum est sub initium sectionis præsentis.

Damascen. lib. 1. fidei cap. 9. sub init. in iis pro- 17
prietatibus sanctitudinem collocat. Primò, quod *simul ignis & simul ab ipso lux, & non posterior.* Secundò, *quod lux ab igne semper gignitur, nec vnquam separantur ab eo.* Deinde versus finem eiusdem capitis addit. Tertiò, *Non dicimus alterius substantiæ ignem, & alterius lucem.* Quartò, *per eandem lucem, quæ ab igne est, dicimus ignem illucere*, tanquam per virtutem naturalem, non tanquam per instrumentum.

Cyrillus Alex. lib. 12. thesauri cap. 15. sub init. 18
Caloris, inquit, *principium ignis est, & tamen in ipso, & ex ipso inseparabiliter calor est.* Eodem modo ratiocinatur Gregor. Nyssen. lib. de differen. essentiæ & hypostaseos propius ad fin. quàm ad med. ab illis verbis: *Vt enim ex flamma splendor existit, non tamen posterior secundum flammam splendor est*, &c.

Hilar. lib. 7. de Trinit. inter med. & fin. *Affert*, 19
inquit, *pro parte fidei huius significationem ignis, in se ignem habens, & in igne ignis manens. Nam cum sit in eo splendor luminis, naturæ calor, virtus vrendi, mobilitas æstuandi, totum tamen ignis est: & hæc vniuersa vna natura est.* Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 2. sub init. ait: *Sicut ignis, candor & calor tria quidem vocabula, sed res vna: ita in relatione personarum Trinitas est, in substantia verò naturæ vnus Deus.* Parum ab hoc distat author expositionis in symbol. Apostol. apud Cyprianum sub initium.

Ad præsens simile reuocatur illud, quod mu- 20
tuam circumsessionem personarum Dionysius explicat de diuin. nomin. cap. 2. inter prin. & med. Quemadmodum tria lumina, procedentia ex tribus lucernis, in aëre sunt ita coniuncta, vt lumen vnú efficiant, cum tamen simul conseruent distinctionem aliquam, si quidem vna lucerna detracta, lumen illius propriũ abibit. Hac igitur est multo superior coniunctio atque permixtio, quam habent *Diuina cœlestiaq́ lumina tota in totis.* *Tria lumina circumsessioni similia.*

Tertium simile est Iridis, in quo Gregor. Nys- 21
senus libr. de differentia essentiæ & hypostaseos post med. expendit, in vna Iride tres colores ita conuenire, vt visus nequeat discernere, qua in parte color vnus terminetur & distinguatur ab alio: sed quasi continuos per modũ vnius tres colores intueatur. *Ita proprietates hypostaseon quasi quendam florem eorum, quæ in iride procul apparent in vnaquaque earũ, quæ in sancta Trinitate credita sunt, personarũ effulgere: eius autem, quæ circa naturã considerator, proprietatis nullas vllius ab altera differentias animaduertit; sed in communione essentiæ, eas proprietates, per quas vnaquæque persona cognoscitur in vnaquaque elucere.*

Basilius

22 Basilius item epist. 43. ad Gregor. Nyssenum à med. non minus eleganter describens pulchritudinem Iridis, vnitámque distinctionem colorum, eodem modo Trinitati accommodãs, addit: *Nam & in Iridis exemplo, quæ multicolorem illum fulgorem illustrat, vna quidem est visia, per solarem radium refracta ac reuerberata, floridus verò color qui visitur, multiformis est.*

SECTIO III.

Fons, arbor, lucerna, fragrantia quomodo Trinitatem indicent.

1 QVantum simile ducitur à fonte: de quo Ni-
Fons. cænum Concil. lib. 2. propius ad fin. quàm ad med. §. *illud.* à princ. *Fontem*, inquit, *cogitemus, qui fluuium aquæ generat, omnis enim fluuius fontem habet genitorem. Inde procedit aquæ fluuius. Sed nemo fluuium appellat fontem, neque fontem fluuium. Sed fons fons appellatur, & fluuius fluuius, & vtrumque aqua vna. Quando autem vult quispiam à fonte vel fluuio aquam dissolui, mutat nomenclaturam: Nõ enim dicit: Vade, progrediens, haurias, & feras mihi fontem aut fluuium, sed aquam. Et vna quidem natura, tres autem facies, siue personæ dicendæ sunt: fons, fluuius, & aqua.*

2 Quod statim Nicæni Patres per Leontiũ Epi-
scopum confirmant testimoniis scripturæ, Patrem intelligentes esse *fontem vitæ*: de quo Psalm. 35. Filium verò esse fluuium: de quo Isaiæ 66. Pater promittit: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis*: Denique Spiritum sanctũ esse aquam Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

3 Eadem similitudine mysterium illustrat Atha-
nasius orat. 4. contra Arianos, multo propius ad med. quàm ad princ. additque, Patrem esse fontem, qui Ieremiæ 2. queritur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Rursus: *Eo quod dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Et Baruch 3. *Relinquebatis fontem sapientiæ.* Apud eundem Athanasium in epistol. de sententia Dionysij Alexand. propius ad med. quàm ad fin. Dionysius notat: *Fluuium à fonte pro fluentem aliam formam & nomen accipere, neque enim aut fontem fluuium, aut fluuium fontem dici, & ambos ita existere, vt fontem quasi Patrem esse, & flumen esse aquam ex fonte dicas.* Quam Dionysij sententiam valde probat & extollit Athanasius ad explicandam identitatem substãtiæ cum distinctione personarum.

4 Lactant. diuinarum institut. lib. 4. cap. 29. ante
med. *Pater*, inquit, *tanquam exuberans fons est, Filius tanquam defluens ex eo riuus.* Beda tom. 2. lib. de substantiis pag. 3. §. *libet.* Tres personas comparat fonti, riuo & stagno. Nec dissimiliter author expositionis in Symbol. Apost. inter opera Cypriani sub init. expositionis.

5 Aliter autem Nazianzenus orat. 37. num. 73.
distribuit inter personas, oculum fontis appellans Patrem, fonté verò Filium, & fluuium Spiritum sanctum. *Oculum*, inquit, *quendam & fontem ac fluuium mihi proposui, quemadmodum alij quoque, vt viderem num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus cum fluuio proportione quadam conueniret. Hæc enim nec tempore distinguuntur, nec ob continuitatem à se inuicem abrumpuntur, ac tribus insuper proprietatibus quodammodo scindi videntur.*

6 Aliter autem & fusius orat. 45. vers. finem com-
parationem accommodat: *Quemadmodum ab vno*
Ruiz. de Trinitate.

aquarum fonte profluuium ipso fluxu in duo flumina scindi contingit, quod ab vno quidem fontis oculo, primum manauerat, & fluminum situ ita profluuium diuiditur, vt vnam tamen atque eandem humoris qualitatem obtineat. Quamuis enim vterque supradictorum fluuiorum procul extra terminos ferri, longoq́ interuallo à fonte distare videatur, principium tamen ad fontis perpetuitatem cum parente sua coniunctũ atque vnitum habent: haud dissimili modo Saluatoris Pater sempiternæ vitæ fons & bifluus quidam & bifida Filij & Spiritus sancti intellectuali ad nos missa gratia, nec ipse essentiam suam quidquam læsit, & hi ad nos vsque processerunt, nec tamen à Patre vllo modo separantur. Propter breuitatem resecata sunt verba, quæ nihil variant præsentem sententiam, sed tantum ornant & amplificant.

Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 8. Patrem 7
fonti, Filium fluuio, Spiritum sanctum riuo comparat. Origenes in cap. 21. Numerorum homil. 12. col. 2. deducit ex Sacris litteris comparationem Trinitatis cum fonte & puteis.

Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 9. non 8
longè à princ. ait: *De fonte interrogati, non possumus dicere, quod sit fluuius: nec de fluuio interrogati, possumus dicere, quod sit fons, & rursum potionem, quæ de fonte vel fluuio est, nec fluuium nec fontem possumus appellare, tamen in hac trinitate aquam nominamus: & cum de singulis quæritur singillatim, aquam respondemus. Nam si quæro vtrum in fonte aqua sit, respondetur aqua: & si quæramus vtrum aqua sit in fluuio, nihil aliud respondetur, & in illa potione non poterit esse alia responsio: nec tamen eas tres aquas, sed vnam dicimus.* Aliam ex aqua similitudinem accipit paulo inferius dicens: *Illud certè omnes concedunt, si ex fonte tria pocula impleantur, posse dici tria pocula, tres autẽ aquas non posse dici, sed omnino vnam aquam: quanquam de singulis poculis interrogatus in quolibet horum, aquam esse respondeas, quamuis nullus hic transitus fiat.*

Multo plures partes & circumstantias istius si- 9
militudinis excutit Ansel. lib. de Incarnat. Verbi, toto cap. 7. & epist. de processione Spiritus sancti paulo post med. toto cap. *diligentius*, probans, Patrem esse veluti fontem, Filium vt riuum, Spiritum sanctum veluti lacum.

Quintum simile ducitur ab arbore. Quod sic 10
accõmodat August. lib. vnico de fide & symbolo cap. 9. multo propius ad princ. quàm ad med. *Sicut in arbore radix non est nisi radix, nec robur nisi robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere. Non enim quod dicitur radix, potest dici robur & rami; nec ligniũ quod pertinet ad radicem, potest alio etiam transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, sed tantum in radice: cũ illa regula nominis maneat, vt radix lignum sit, & robur lignum, & rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed vnum.* *Ab arbore Trinitatis similitudo.*

Dionysius Alexand. apud Athanas. in epistol. de 11
sententia Dionysij propius ad med. quàm ad fin. ait: *Planta ex radice succrescens alia quidem est ab eo, vnde pullulauerit: sed tamen cum eo eiusdem naturæ manet.* Quod simile repetit & collaudat Athanasius in sequenti discursu eiusdem epistolæ. Eodémque Tertullianus vtitur lib. contra Praxeam cap. 8.

Sextum simile tradit Epiphanius in Ancorato 12
prope medium: *Ignis*, inquit, *natura multas lucernas ab vna accendit, & quæ prima est, non minuitur. Rursus autem potest eadem essentia ex multis particularibus esse lucernis*, inquam, *aut facibus. At non sic Deus?* Absit. *A lucerna.*

Septimum est vapor, siue fragrantia. Dionys.

enim Alexand. apud Athanasium dicta epist. propius ad med. quam ad finem. *Si Deum*, inquit, *lucem voces, Filium splendorem esse dices; si Spiritum, Filium quoque vaporem appellabis. Est enim* (inquit ille) *vapor potentiæ Dei.* Sapient. 7.

14 Eusebiusque Cæsarien. lib. 4. demonstrationis euangelicæ cap. 3. de Filio, sic scribit: *Vapor enim est virtutis Dei, ac defluentia mera gloriæ omnipotētis. Nam ex vnguento aliquo bene olens quidā flatus, præter illud primum subiectum corpus, refunditur, non sanè diminutione aliqua aut diuisione eius, quod primum subiectum est, corporis; sed illo manente in propria sede, & eandem penes se conseruante naturam, fragrantiamq; illam procreante*, &c. Eandem similitudinem reperit sequenti lib. 5. cap. 1. propius ad fin. quam ad med. Sapient. 7.

15 Octauò denique Beda tom. 2. prope fin. lib. de substantiis pag. 3. comparat Trinitatem candelæ, quę vna cum sit, tribus constat, stupa, cera & igne. *Ad candela.*

SECTIO IV.

Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis.

1 AFfirmatiua conclusio traditur ab Augustino lib. 6. de Trinitate cap. 10. & lib. de vera religione cap. 7. & 15. & Magistro in 1. distin. 3. cap. *nunc restat.* Vbi S. Bonauent. p. 1. dubio litterali 6. S. Thom. q. 2. præsertim art. 2. & 1. p. q. 93. artic. 6. corp. post med. Ricard. dicta dist. 3. p. 1. art. 3. q. 1. Durand, quæst. 4. cæterique Scholastici in eadem dictione.

2 Ratione probatur, quia *vestigium* appellatur quæcumq; repræsentatio, nos ducens aliquo modo in cognitionem Trinitatis saltem confusè, remotè, ac per imperfectissimam similitudinem. Hoc autem conuenit cuicumque creaturæ: nam in qualibet reperitur aliqua trinitas, quamuis secundum diuersas cōsiderationes diuersimodè nominetur. Prima nāque trinitas creata est modus, species & ordo. Assignatur autem ab Augustino de natura boni cap. 2. & 23. fine. Modus denotat Patrem, quia quatenus creatura est modificata, & finita, significat, esse aliquod primum principium, à quo processerit. Species verò demonstrat Verbum facientis, sicut forma domus demōstrat conceptionem artificis. Ordo verò demonstrat amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum finem. Aliter numerat Augustinus de vera relig. cap. 7. fine. *Vnitas, species & ordo.* *Quid sit vestigium.* *Modus, species & ordo.*

3 Secundò correspondent his tribus origo, pulchritudo, delectatio, quas acutè Trinitati accommodat Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 10. Tertiò, quæcumque creatura procedit à Deo per potentiam, quæ tribuitur Patri, & per sapientiam, quæ appropriatur Verbo, & per bonitatem, quæ tribuitur Spiritui sancto. Insuper omnis effectus requirit extra se triplicem causam. Prima est efficiens, quæ tribuitur Patri: secunda est causa exemplaris, quæ tribuitur Verbo: tertia est causa finalis, quæ ratione bonitatis appropriatur Spiritui sancto. *Origo, pulchritudo & delectatio. Potentia, sapientia, bonitas.*

4 Quartò, cū suprà dicta trinitate coincidit alia, quæ sumitur ex Sapient. 11. *Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti. In numero* namque significatur limitatio & finitudo, ratione cuius indicat processisse à primo principio. *In pondere* significatur propria inclinatio ad bonū finem, quo significatur Spiritus sanctus. *In mensura* significatur proportio, pertinens ad speciem, & repræsentatur Verbum. Quintò assignatur, vnum, verum, bonum: ex quibus vnitas peculiari ratione respicit Patrem, quoniam est primum principium numeri: veritas significat Verbum, & bonitas Spiritum sanctum. Sextò à S. Dionysio notatur hæc trinitas essentia, virtus & operatio. *Numerus, pondus & mensura.*

Septimò Augu. lib. octoginta trium qq. quæst. 18. distinguit, *quo res constat, quo discernitur, quo congruit.* Constat enim res per sua principia, discernitur per formam siue speciem, congruit per ordinem ad finem. Octauò secundum tria consideratur vniuscuiusque rei perfectio, videlicet, principium, medium & finem, vt Pythagoras dicebat apud Aristot. 1. cæli text. 5. & S. Tho. dist. 3. quæst. 2. art. 2. 5 *Constat, discernitur, cōgruit.*

Nonò substantiæ corporeæ tribus cōstant materia, forma, & vnione, vt ex lib. de regulis fidei refert S. Bonauent. citatus. Decimò vt notauit Augustinus lib. 83. qq. quæst. 18. fine. Tria tantum genera quæstionum esse possunt de re qualibet. An sit, quid sit, quale sit, videlicet an probandum vel improbandum. Denique non dubito quin alia quoque vestigia, seu trinitates aliæ possint in creaturis excogitari, quemadmodum & supradictæ trinitates multiplicem explicationem habent apud Scholasticos. 6 *Materia, forma & vnio.* *Alia.*

SECTIO V.

Num similitudo vel imago Trinitatis reperiatur in hominibus secundum corpus.

1 PRima conclusio. Aliqua similitudo Trinitatis fuit in triplici productione trium hominum. Propterquòque prioribus humanæ naturæ suppositis Adamo, & illius filio, ac vxore, tanquam exemplo veritates duæ probantur à Patribus. Prima est, diuersum modum habendi naturam, nihil obstare, quo minus in personis distinctis reperiatur æqualitas omnimoda & identitas quantum ad naturam specificam, licet vna persona sit principium, à quo procedunt aliæ duæ personæ, & illa non procedat ab alia eiusdem naturæ. Secunda veritas est, procedere per generationem & procedere alio modo, qui non sit generatio, non inferre distinctionem specificam, nec inæqualitatem in natura. *Adamus, Eua, Seth, diuerso modo producti & eiusdem naturæ.*

Iustinus in expositione fidei de Trinit. nō procul à principio, postquam istius rationis vim explicuit, ita concludit: *Sicut Adam quamuis non eodem, quo ipsius posteris, modo genitus, tamen communem cum eis habet essentiam: sic nulla ratio, cur propter ingeniti nomen diuellatur essentia communis Patri, Filio, Spirituiq;: itaque voces hæ, ingenitus, genitus, procedens non essentiam, sed subsistentias significant.* 2

Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de theologia propius ad med. quàm ad prin. num. 24. ait: *Quid tandem Adamus erat? Dei figmentum. Quid Eua? figmenti figmentum & fœtus. Quid Seth? vtriusque soboles. Idem ne tibi esse videtur figmentum, figmentum & soboles? Quid ni? Age, eiusdem hæc essentiæ inter se sunt an diuersæ? Eiusdem. Consiteris ergo fieri posse, vt quæ vtriæ existunt, eandem tamen essentiam habeant.* Et post pauca: *Eua & Seth nonne ex eodem Adamo sunt? Vtrum autem ambo ex eo geniti sunt? Minimè. Quid ergo? Altera segmentum est, alter filius, atqui ambo inter se idem sunt; homines enim, nemo est qui inficietur. Desine igitur aduersus Spiritum dimicare, quasi videlicet aut genitus omnino sit, aut consubstantialis non sit.* Idem argumentum breuiùs 3

uiùs attigit orat. 35. circa med. à num. 41. Eodémque simili processionem Spiritus sancti non esse generationem, licet eandem essentiam communicet, Nazianzenus declarat carmine arcano 3. ante medium.

4 Gregorius Nyssenus epist. aduersus Apollinarem ex quæstionibus de imagine & similitudine col. 2. ait: *An verò tria primorum parentum capita, totius humanæ naturæ personæ consubstātiales ad imaginem quandam (vt Methodio visum est) Sanctæ & consubstantialis Trinitatis figuratè sunt facta? Sic vt Adamus, qui sine causa & ingenitus est, figuram & imaginem gerat eius, qui causam & principium non habet, scilicet Patris; Filius verò geniti Filij & Verbi delineavit imaginem: Eua demum, quæ in lucem procedendo sit edita, Spiritus sancti personam, ex processione ortam designarit?* Quam accōmodationem confirmat Nyssenus aliis circunstantiis creationis inter se collatis. Et lib. de fide ad Simplicium inter med. & fin. *In diuinis*, inquit, *dogmatibus nullam naturæ differentiam efficit genitum vel non genitum esse, sed quemadmodum in Adamo & Abele vna humanitas siue natura humana, eodem modo in Patre quoque ac Filio Deitas siue diuina natura vna est.*

5 Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. inter princ. & med. *Ignascendi proprietas*, inquit, *non significat substantiæ differentiam, neque dignitatis, sed subsistentiæ modum. Sicut Adam ingenitus est: plasma enim Dei est. Seth genitus; nam filius Adami. Eua ex costa Adami procedens: non enim ipsa genita est. Nec ipsi natura differunt inuicem (homines enim sunt) sed subsistentiæ modo.*

6 Idem argumentum attigit Athanas. diologo 2. de S. Trinitate contra Anomœum non longè post med. Cyrillus Alex. lib. 2. thesauri c. 1. prope init. & cap. 2. inter prin. & med. & lib. 7. thesauri cap. 1. prope med. & dialogor. de Trin. lib. 1. inter princ. & med. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus prope med. Fusiùs autem Anselmus de Incarnat. Verbi cap. 6.

7 Præcedentem comparationem respuere videtur Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 5. & 6. quem sequitur S. Thomas 1. p. q. 93. art. 6. ad 2. Cæterum Augustinus non reiicit argumentum, quod Patres citati sumunt, sed tantum reiicit eos, qui dicebant, imaginem Trinitatis, ad quam factus est homo, consistere in tribus illis personis humanæ naturæ. Quapropter in hoc articulo directè refutat doctrinam Methodij apud Nicenum supra citatum. Aliunde tamen sub init. dicti capitis quinti fatetur, id rectè colligi: *Nam omne, quod de aliqua persona ita existit, vt personam alteram faciat, filium posse dici, quandoquidem de viri persona exitit persona mulieris, nec tamen eius filia dicta est.*

8 Sit igitur secunda conclusio. Imago Trinitatis propriè dicta non est in homine secūdum corpus, nec secūdum distinctas personas, sed cuilibet homini conuenit imago Trinitatis secundum mentem. Hanc conclusionem probat Augustinus toto ferè lib. 12. & S. Thomas 2. p. q. 93. art. 6. & 1. sent. dist. 3. q. 3. Rationes autem breuiter sunt. Prima, quia si Trinitatis imago consisteret in tribus suppositis naturæ humanæ; sequeretur, hominē non fuisse factum ad imaginem Trinitatis, quādiu solus Adamus fuit, vel etiam antequam nasceretur filius. Contrarium autem loquitur apertè Sacer textus Genes. 1. nam antequam proles nasceretur, scribit, fuisse factos ad imaginem Dei. Sequeretur secundò, quod vnus homo non esset factus nisi ad imaginem vnius tantùm personæ diuinæ, veluti Adam ad imaginem solius Patris. *Propriè dicta imago non est in corpore sed in mente hominis.*

9 Tertiò probatur, quia quantum ad corpus & illius productionem, homo conuenit cum creaturis irrationalibus, in quibus non est imago Trinitatis, sed tantùm vestigium, vt dicemus sect. 7. At verò ratione mentis esse imaginem proprie dictam, constabit in sectionibus sequentibus.

Tertia conclusio. Aliæ similitudines Trinitatis sunt etiam in hominibus secudum corpus. Prima fundamentum habens in pluribus locis scripturæ, Quemadmodum caput, brachium siue manus, ac digitus sunt vnus homo & vnius naturæ humanæ, vnaque operatio illorum: Sic Pater, Filius & Spiritus sanctus vnus Deus est & vna est operatio trium personarum. Porrò Filium esse brachiū aut manum Patris, digitum autem esse Spiritum sanctum, videbimus disp. 76. sect. 1. & in postremis disputationibus de communi trium personarum operatione circa creaturas. Ac denique Patrem appellari caput Christi Domini etiam ratione personæ diuinæ, quoniam eius principium est, videbimus disp. 50. sect. 4. 10 *Aliæ similitudines secūdum corpus.*

Secunda similitudo sit, qua circuminsessionem & mutuam immanentiam diuinarum personarum explicat Hilarius lib. 7. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad fin. dicens: *Per datam à se naturæ eiusdem originem, nascentem sequitur ille, qui gignit, & per acceptam natiuitatem, cuius virtus etsi deriuetur, non tamen aufertur, in gignente se manet ille qui nascitur.* 11 *Secunda.*

Tertia est Ambrosij in Symb. Apost. post med. vbi *Si quatuor*, inquit, *substantiæ, id est bilis atra, & flaua, sanguis & flegma hominem constituunt, & is vnus homo est: tu in vnitate Trinitatem, atque in Trinitate vnitatem quomodo non intelligis?* 12 *Tertia.*

SECTIO VI.

Multiplex modus assignandi similitudinem Trinitatis in anima rationali.

1 PRæstantissima similitudo non modò propter creaturæ rationalis dignitatem, sed etiam propter maiorem conuenientiam & proportionem, frequentius scripturæ locutionibus suffultam, est vt mens vel anima, vel homo repræsenter personā Patris; verbum autem, siue ratio personam Filij: ac demum Spiritus oris repræsentet Spiritum sanctum. Habet inquam fundamentum in illo psalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quam plurima deinde loca, quæ Filium appellant Verbum, & tertiam personam appellant Spiritum, probant eandem proportionem. Quæ omnia ponderabimus disp. 55. & sequentibus, probantes, Filium esse propriè Verbum, & disp. 65. sect. 2. probantes, tertiam personam esse propriè ac personaliter Spiritum. *Mens, Verbū & Spiritus oris.*

Interim, quod tertia persona sit Spiritus oris, tractat Basilius lib. 5. contra Eunomium sect. 13. init. & lib. vnico de Spiritu sancto cap. 16. inter princ. & med. & cap. 18. circa med. Gregor. Nyssen. orat. catechetica cap. 2. Cyrillus lib. 13. thesauri cap. 3. propius ad med. quàm ad princ. & dialogorum de Trinit. lib. 2. colum. 5. & lib. 7. colum. 3. & iterum prope med. libri. Et lib. 9. in Ioannem cap. 44. post med. Chrysostomus tom. 3. serm. de Sancta Trinit. non procul à princ. tractans illud Iob. 27. *Donec superest halitus in me & Spiritus Dei in naribus meis.* Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. prope med. 2

Cæterū alij Patres simul & integrè totius Trinitatis similitudinem, initio propositam, accom- 3

modant, quamuis non eodem modo, nec eadem ſignificatione nominum. Reperio namque præcipuè vocabulum *mentis* tripliciter accipi. Nam aliquando mens accipitur pro ipſa ſubſtantia animæ, vel certè pro potentia intellectiua. Atque ita videtur accipi à Concilio Nicæno & Nazianzeno infra referendis. Aliquando verò non accipitur pro ſubſtantia animæ, nec pro potentia intellectiua, cuius manifeſtum indicium eſt, quia mentem comparant Spiritui ſancto, & dicunt illam procedere ex anima. Tunc autem accipiũt mentem pro rationis vſu libero & Domino ſui, in quo volitio libera continetur. Atque ita planè intelligit Gregorius Nyſſenus infrà referendus. Tertiò, Patres alij mentis nomine videntur intelligere volitionem aliquid ſignificandi per verbum. Qui Patres nonnihil mutant etiam acceptionem verbi, limitando ad illud verbũ, quod procedit ex prædicta mente; id eſt, volitionem aliquid explicandi per verbum vt videbimus in tertio modo dicendi.

Triplex acceptio mentis.

4 Primò igitur, diuinum Verbum, & Spiritum ſanctum, non eſſe alienos à Patre, hoc eſt, non eſſe diuerſæ ſubſtantię, ſed eiuſdem, & intra illum manere, ac ſine corruptione procedere, Nicænum Concilium lib. 2. inter med. & fin. §. *cum ſit copioſa*, prope fin. probat hac ſimilitudine: *Verbum tuum gignitur inſecabile, & ex mente; quemadmodum Spiritus tuus procedit ex te. Nec autem Verbum tuum, nec Spiritum tuum alienum eſſe dixeris. Et hæc quidem non dedignaris in hominibus conſiderare; in illa verò Dei ſubſtantia ineffabili, Verbum non prolatiuum, ſed ſemper viuens & efficax, &c. Et Sanctum eius Spiritum, qui ſcrutatur profunda Dei, audet aliquis alienum eſſe affirmare.*

Mens pro Patre.

5 Athan. tom. 2. in quæſtionibus, quarum prima eſt, *Quid eſt Deus*, quæſt. 4. prope med. Imaginem Dei, ad quam factus eſt homo, ſic intelligit. *Eſt anima hominis vna quidem; ſed tribus ſubſiſtentijs conſtans* (id eſt tribus indiuiduis, ſiue ſubſtantialibus, ſiue accidentalibus, vt expoſui ſect. 2. ſub init.) *Eſt autem anima vna ſubſiſtentia, anima verò generat rationem, & ecce ratio altera ſubſiſtentia: anima autem mittit Spiritum, & ecce Spiritus tertia ſubſiſtentia.* Et paulo inferiùs: *Eſt quidem anima effigies Patris; ratio animæ effigies Filij, & ſermonis Dei; Spiritus verò animæ effigies Spiritus ſancti. Quemadmodum enim anima ingenita, ita & Deus & Pater ingenitus: quemadmodum ratio genita ab anima, ita & ſermo Dei natus ex Patre: & ſicut Spiritus procedit ab anima, ita & Spiritus ſanctus procedit à Patre.* Inſiſtitque deinceps, inferens ſimiliter, vnum Deum conſtare tribus perſonis. Eodem exemplo fuerat vſus Dionyſius Alexand. apud Athanaſium in epiſt. de ſententia Dionyſij propius ad med. quàm ad fin.

6 Nazianzenus orat. 13. quæ eſt 2. de pace propius ad med. quàm ad fin. *Vnam*, inquit, *& eandem Diuinitatis naturam agnoſcimus, principij vacatione, generatione, ac proceſſione cognoſcibilẽ: quemadmodum id, quod nobis ineſt mente, ſermone, ac Spiritu intelligitur.* Premit amplius hanc ſimilitudinem Origenes homil. 2. in varios circa illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, col. 3. *Vt enim*, ait, *qui loquitur, in Verbo quod loquitur, neceſſariò Spiritum proflat: ita Deus Pater & Filium ſuum gignit, & Spiritum ſuum per genitum Filium producit.*

7 Secũdo modo, Trinitatis imago deſcribitur ita, vt anima compararetur æterno Patri, verbum Filio, mens autem Spiritui ſancto. Sic Trinitatis imaginem in homine delineat Nyſſenus epiſtola contra Apollinarẽ de imagine & ſimilitudine, multo propius ad med. quàm ad prin. illis præcipuè verbis: *Anima eſt ingenita, & cauſa carens in figuram ingeniti & cauſa carentis Dei Patris: at intellectuale verbum eius non eſt ingenitum, ſed ex ipſa ineffabili, inuiſibili, inexplicabili ratione ac ſine paſſione genitum: mens autem neque cauſa caret, neque eſt genita, ſed ex proceſſione orta, vndiquaque diſcurrens, & cuncta diſpiciens & inuiſibiliter pertractans ad imaginem & ſimilitudinem ſanctiſſimi, & per proceſſionem orti Spiritus, de quo dictum eſt, Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* 1. Corinth. 2.

Mens pro Spiritu ſancto.

Et paulo inferiùs concludit: *Itaque immortalis & intellectu prædita animæ noſtræ ſubſtantiæ vnitate, tanquam in imagine, tres quædam hypoſtaticæ proprietates oſtenſæ ſunt, animæ nempe conditio, quæ ingenita eſt, verbi autem generatio, & ſpiritus ſiue mentis proceſſio. Ego verò audacter profiteor, & confidenter aſſeuero ac dico, ſecundum hanc inuiſibilem Trinitatis animæ conſiderationem, dixiſſe diuinum Apoſtolum, hominem ad inuiſibilis Dei imaginem & ſimilitudinem eſſe.* 8 1. Corinth. 11.

9 *Mentem* Nyſſenus intelligit rationis vſum, qui conſtat ex libera volitione, mouente intellectum ad penetrandum & ſcrutandum quod ſignificatur per verbum. Propterea namque Nyſſenus in ſequenti contextu, notat, eſſe aliquos homines, ſermone præditos, ſed mente carentes, ſiue propter ætatem, ſiue propter inſaniam. Vnde in medio eiuſdem epiſtolæ addit: *Vnum illam animam eſſe ſecundum eſſentiam, & non vnam, ſi partes eius conſiderentur, manifeſtè docuit, qui dixit: Pſallam ſpiritu: pſallam & mente; orabo ſpiritu, orabo & mente.* Eodem modo, mentem Patris eſſe Spiritum ſanctum, intelligit Cyrillus Alexand. lib. 13. theſauri cap. 2. inter princ. & med. & ſequenti cap. 3. ſub initium. 1. Corinth. 14.

10 Tertio modo, *mentem* cum æterno Patre comparant alij doctores, intelligentes volitionem aliquid ſignificandi per verbum; vt notauimus paulo poſt princ. iſtius ſimilitudinis. Iuxta quam acceptionem Nyſſenus, ſui diſſimilis, in orat. catechet. cap. 1. verſus fin. *Quomodo*, inquit, *in nobis verbum, ſeu rationẽ ex mente eſſe dicimus; neque omnino ipſum idem eſſe quod mentem, neque omnino alterum. Nam ex illo quidem eſſe, eſt aliquid aliud, & non illud. Quod autem ipſam mentem in apertum proferat, non vtique exiſtimari poſſit eſſe aliud ab illo, ſed cum ſit vnum natura, ſubiecto eſt aliud. Ita etiam Dei Verbum, eo quidem quod per ſe conſiſtit, diſtinctum eſt ac diuiſum ab illo, ex quo habet quod conſiſtit; eo autem, quod in ſe ipſo illa oſtendit, quæ cernuntur in Deo, idem eſt ſecundum naturam, quod ille qui inuenitur per eadem ſigna & indicia, quibus cognoſcitur.* Eandem comparationem, vix in aliquo diſcrepantem, legimus apud Damaſcenum lib. 1. de fide cap. 6. poſt medium.

Mẽs pro volitione aliquid ſignificandi.

11 Cyrillus Alexand. dialogorum de Trinit. lib. 2. inter medium & finem, ait: *Pater Filium Verbo comparans, inquit: Eructauit cor meum verbum bonum. Scias igitur amice, qualis vel modus, vel locus diſſectionis & fluxuræ in his intelligatur. Nam & mens humana parit & emittit à ſe ipſa verbum, & mota ſubtili parturitione, profert quod placet, & diſcurſibus ad ſuperiora & exteriora ſubſtantiali quodammodo natiuitate verbum nobis fingitur, & aliud quiddam eſſe à prolato videtur, ſeparabitur autem minimè, nec etiam mens antiquior exiſtimabitur eſſe verbo, quod ſurſum tranſilit. Eſt enim verbum ſemper ex mente & in mente, inſuper etiam mens in verbo.* Atque in ſequentibus declarat magis, quomodo verbum generetur abſque corruptione parentis,

quæ

quæ mens eſt, & in illa maneat, neutrúmque ſit antiquius altero. Quod breuiter tangit lib. 1. in Ioan. cap. 5. propius ad fin. quàm ad med.

12 Baſilius homil. 16. ad illud. *In principio erat Verbum*, ait: *Quemadmodum ferè verbum noſtrum, totius noſtræ cogitationis imaginem refert. Quæ enim ſecundum cor nouimus, hæc verbo proferimus. Et quod loquimur exemplar habet eius, quod corde cogitamus.* Et poſt pauca: *Verbum noſtrum, mentis generatio, ſine paſſione generatur. Nec enim ſcinditur, nec diuiditur, neque fluit; ſed manens tota mens in proprio ſtatu, verbum totum & continuum emittit, ac procedens verbum omnem generationis mentis virtutem in ſe ipſo complectitur.* Hæc omnia, reſecatis imperfectionibus, accommodat Verbo diuino.

13 Magis diffuſam comparationem humani verbi, procedentis ab humana ſcientia, cum æterno Verbo, quod à diuina Sapientia procedit, videre lector poterit apud Auguſtinum lib. 15. de Trinitate cap. 6. poſt med. & cap. 11. poſt med. & cap. 13. ad finem & cap. 14. & cap. 27. à med. Cuius aliqua poſuimus diſp. 2. ſect. 2. & plura referemus ſect. ſequenti. Et ex eiuſdem ſententia liber de cognitione veræ vitæ cap. 14. 16. 17. & 18. apud Auguſtinum tom. 9. copioſè ſimilitudinem tractat. Breuiùs autem Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. poſt med. & ſequenti cap. 8. Tertullianus lib. contra Praxeam frequenter, maximè verò cap. 5. & 6. & 7. Lactantius diuinarum inſtitut. lib. 4. cap. 29. Quorum doctrina, ſi copuletur cum iis, qui ſub initium iſtius ſimilitudinis dixerunt, tertiam perſonam eſſe velut ſpiritum oris noſtri, coaleſcet in plenum & integrum ſimile totius Trinitatis.

Authores explicantes ſimilitudines has.

14 Quartò, tanquam appendix ad præcedentes ſimilitudines adiungitur humani verbi generatio duplex, ad explicandam æternam & temporalem diuini Verbi generationem. Quam Athanaſius tractans tom. 2. in quæſtionibus, quarum prima eſt, *Quid eſt Deus*, quæſt. 4. longè poſt med. ſic demum accommodat: *Quemadmodum ſermo hominis duas habet generationes, vnam ex anima, & alteram ex labijs: ita etiam Dei ſermo duas generationes habet, vnam quidem ex Deo & Patre, quæ & prima generatio dicitur: alteram ex carne, quæ & ſecunda generatio dicitur. Et quemadmodum ſermo noſter, quando natus eſt ſecundum primam generationem ab anima, obſcurus eſt, & non aperitur: ita Dei ſermo, quamuis ante ſæcula à Deo & Patre natus eſt, non tamen manifeſtabatur hominibus. Et quemadmodum ſermo noſter, quando volumus, naſcitur ex labijs noſtris: ita & Dei ſermo, quando ei viſum fuit, natus eſt ex labijs Prophetarum, & ex ter caſtiſſima Maria, & tunc factus eſt manifeſtus. Et quemadmodum ſermo noſter; quando à labijs generatur, non relinquit animam, nec labia propria, nec aures audientium: ſed eſt etiam in anima & in labijs noſtris & in auribus audientium, & non minuitur vnquam, etiam ſi multa millia audiant ſermonem, nec deficit, ita Dei ſermo* &c.

Humani verbi generatio duplex ad explicandam æternam & temporalem Chriſti Domini.

15 Ab his comparationibus nihil diſſidet Gregorius Nyſſenus in epiſt. contra Appollinarem de imagine & ſimilitudine multo propius ad med. quàm ad princ. Chryſoſt. tom. 5. prope fin. orat. 9. de verbis Abrahami: *Pone manum tuam ſubter fæmur meum*, multo propius ad medium quàm ad princ. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 11. ſub initium.

16 Theodotus autem epiſcop. Ancyræ, homil. in natalem Seruatoris paulo poſt med. (extat in Epheſino Concilio tom. 6. cap. 10. in princ.) in eo tantùm diſcrepat à præcedenti ſimilitudine, quod ſecundam & viſibilem illius natiuitatem aſſignat per literas, non per voces (in quo maior aliqua proportio eſt, quantum ad permanentem durationem ſecundæ natiuitatis) atque concludit: *Hic itaque cernis mentem, ibi Patrem. Hic verbum ex mente productum agnoſcis; ibi Verbum eſſentiale ſubſtantialéque ex Patre natum vides. Hic manum per literas verbum parientem conſpicaris; ibi Verbum per corpus Virgineum generatum.*

Aliter ſecundam, temporalem & exteriorem Verbi generationem accommodat Hugo Victorinus eruditionis theolog. lib. 1. de Sacramẽtis fidei part. 3. cap. 20. vt per quodcumque opus creatum manifeſtetur Verbum inuiſibile Dei; ſicut per verbum oris manifeſtatur verbum cordis. 17

Ad inſtar prædictæ generationis æternæ atque temporalis, conſiderare poſſumus duplicem proceſſionem Spiritus ſancti. Quemadmodum enim ſpiritus ex cerebro vel ex corde procedit, primò quidem neceſſariò atque perpetuò ad fouendum, mouendum ac viuificãdum corpus humanum, intra ipſum manens (vt magis explicabitur diſp. 65. ſect. 3. & 4.) Secundò rurſus procedit extra hominem, quando vult, liberè communicando halitum ad fouendos & calefaciendos teneriores filios: ſic Spiritus ſancti proceſſio duplex eſt. Prima neceſſaria & æterna à Patre & Filio, vt in eis maneat Spiritus tanquam mutuus amor & vita. Altera proceſſio ad extra, quando Spiritus ſanctus à Patre Filióque mittitur, vt foueat, viuificet & moueat filios, qui Spiritu Dei aguntur. 18

Duplex proceſſio Spiritus ſancti.

Quintò ſupradictis connumerari poteſt ſimilitudo, quam tradit Nazianzenus orat. 45. ad Euagrium paulo poſt med. *Quemadmodum*, inquit, *vocalis hic ſermo, etiam ſi à parente anima minimè diuidatur; nihiloſecius tamen in audiẽtium quoque animis ſimul eſt, nec ab ea diſtinctus atque ſeparatus, imo vnionem potius quàm diuiſionem eorum, animarúmque noſtrarum efficiens: ſic tu quoque cogites, Filium à Patre nunquam ſeparatum eſſe, nec rurſus ab hoc Spiritum ſanctum.* Hoc totum indicauit Baſilius lib. 2. contra Eunomium propius ad med. quàm ad prin. illis verbis: *Qualis artium ſit conſtitutio ijs, qui didicerunt.* Ricardus verò Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 24. & 25. plures partes iſtius exempli diſtribuit & accommodat myſterio Trinitatis. 19

Idem ſermo multorum in auribus.

SECTIO VII.

Vtrum homo ſit factus ad imaginem Dei, quatenus eſt Trinus.

SVpponimus primò tanquam exploratum, in homine relucere imaginem Dei aliquo excellentiori modo ſimilitudinis, qui non inuenitur in creaturis irrationalibus: & conſequenter imaginem eſſe in homine ſecundum mentem, ſiue animam rationalem; quoniam hac ſola præcellimus cæteras creaturas inferiores. Alioqui nulla ratio foret, ob quam peculiariter de homine potius, quàm de cæteris rebus, dixiſſet Deus. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Vnde Patres communiter colligunt, imaginem eſſe potiſſimùm in anima & illius operationibus intellectualibus. Quapropter etiam in angelo perfectior eſt imago Dei, quàm in homine. 1

Secundò ſupponimus, Deitatis imaginem eſſe in homine ſecundum rationem abſolutam & communem Deitatis, quantum ad omnes perfectiones, quibus natura rationalis excedit irrationalia, 2

Imago Deitatis in homine.

nalia, cuiusmodi est immortalitas, spiritualitas, indiuisibilitas: præcipuè verò in quantum potest Deum intelligere & amare, & in quantum est liberi arbitrij cum dominio suarum operationum & aliarum rerum; vt ex communi Patrum consensu probatum est lib. 4. de auxiliis disputat. 6. sect. 1. & 2.

3 Tertiò sequitur ex præcedenti fundamento, quomodo sit intelligenda quæstio præsens. Nec enim quærimus, an homo sit imago, repræsentans Deum solummodo, quantum ad tres personas, & nō quantum ad perfectiones essentiales ac absolutas: Quin potius supponendo, quod imago Dei, relucens in homine, repræsentat supradictas perfectiones absolutas & essentiales Diuinitatis; inquirimus, an simul etiam repræsenter personas diuinas secundùm propriam rationem illarum simul cum vnitate essentiæ.

4 *Homo ad imaginē Dei etiā vt Trini.* Sit igitur prima conclusio. Homo factus est ad imaginem Dei, etiam in quantum est Trinus in personis, & non solùm in quantum habet alias perfectiones absolutas & essentiales. Colligitur primò ex prædictis verbis, *Ad similitudinē nostram.* Quæ ponderans Augustin. lib. 12. de Trin. cap. 6. sub init. ait: *Nostram certè, quia pluralis est numerus, non rectè diceretur, si homo ad vnius personæ imaginem fieret, sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est, ad imaginem nostram.*

5 Idem significat omnes Patres citati supra disp. 36. sect. 4. à prin. quia nō solum ex verbo *faciamus*, sed etiam ex pronomine *nostram*, colligunt pluralitatem personarum. Quamuis enim ad illud verificandum sufficeret, hominem esse imaginem Patris & Filij & Spiritus sancti, inquantum conueniunt in essentialibus perfectionibus: nihilominus magis formalem & propriam significationem tribuunt, qui declarant esse imaginem *nostram* in quantum nos sumus plures personæ. Secundò probatur authoritate Patrum, quos infra referemus.

6 Secunda conclusio. Anima rationalis præfert imaginem Trinitatis secundum operationes intellectionis & volitionis, consideratas ac distributas diuersimodè à diuersis Patribus. Primò namque clauditur aliquid corporeum in imagine Trinitatis secundum eum modum, quo declaratur ab Athanasio in præced. sect. nam in anima, ratione & spiritu, quem ore respiramus, ponit rationem imaginis; cui consonant Concil. Nicænum, Dionys. Nazianzenus & Origenes ibidem citati. *Primus modus.*

7 Veruntamen magis proprij sunt alij modi, qui sequuntur, quoniam nihil corporeum, vel animale, sed solum id quod est rationale & spirituale complectuntur in ratione imaginis. Secundus igitur modus distribuit animam Patri, verbum Filio, mentémque Spiritui sancto, prout ex Gregorio Nysseno contra Apollinarem vidimus sect. præced. *Secūdus modus.*

8 *Tertius modus.* Tertius modus est, vt imago Trinitatis sit mēs, notitia, & amor, inquantum pertinent ad vnicam substantiam animæ, & inter se quandam relationem habent, & quodammodo sunt tota in totis & in singulis: quam similitudinem exponit August. lib. 9. de Trinit. cap. 2. fine & cap. 3. 4. 5. 7. 10. 11. & 12. Quem sequitur Magister 1. dist. 3. cap. *potest etiam.* & sequentibus vsque ad finem, declarans conuenientiam & differentiam imaginis cum Trinitate, & communiter ibidem Scholastici. Huic modo maiori ex parte concordat quod ex Gregorio Nysseno in orat. catechet. cap. 1. & ex Cyrillo Alex. retulimus in sect. præcedenti in tertio modo intelligendi mentem.

Magis copiosè analogiam creati verbi & amoris cum personis Trinitatis exponit Anselmus in monol. cap. 45. & quatuor sequen. Hugo Victorinus eruditionis theolog. summæ sententiarum tract. 1. cap. 6. & lib. 1. de sacramentis fidei p. 3. cap. 21. declarat imaginē Trinitatis. Magis Scholasticè S. Thom. de potent. quæst. 9. art. 5. & lib. 4. contra gentes cap. 11. & 26. & 1. parte quæst. 93. art. 6. & sequentibus. 9

Quartus modus parū à præcedenti discrepans, ita constituit, vt imago Trinitatis sit memoria, intellectio & volitio, cuius similitudines multas simul cum maioribus ac pluribus dissimilitudinibus ex professo tractat Augustinus epist. 102. ad Euodium non procul à princ. & lib. contra sermonem Arianorum cap. 16. & lib. 10. de Trinit. cap. 11. à med. & lib. 14. cap. 7. 8. 10. & 11. & lib. 15. cap. 7. ad medium & cap. 21. fusiùs autem serm. 63. de verbis Domini secundum Ioan. post medium. Quicumque author libelli de dignitate conditionis humanæ, qui adscribitur Ambrosio, sed non sapit eius ingenium. Isidorus lib. 7. etymol. cap. 4. init. Anselmus in Monol. cap. 46. 47. & 53. Magister 1. dist. 3. cap. *nunc verò* & sequentibus, vbi communiter Scholastici S. Thomas 1. p. quæst. 93. dicto art. 6. & sequentibus & in 1. sent. dist. 3. tota q. 3. & 4. per multos articulos S. Bonauent. dist. 3. part. 2. tribus articulis. Ricardus ibidem part. 2. per quatuor articulos. Durand. dist. 3. p. 2. præsertim quæst. 1. Scotus dist. 3. quæst. 9. 10 *Quartus modus.*

Tertia conclusio. Memoria, quæ ponitur esse imago Patris, intelligenda est cōsistere in totali & adæquato principio productiuo intellectionis, & vltimatè constituto ad intelligendum. Sic enim aptiùs respondebit Patri, & nihil intererit, quod alioqui memoria, quæ numeratur inter potentias animæ, non distinguatur ab intellectu. 11 *Memoria quæ est imago Patris.*

Quarta conclusio. Non tam potentia intellectus vel voluntatis, quàm actualis intellectio & amor sunt imago Verbi & Spiritus sancti. Atque istæ operationes tunc maximè repræsentant Trinitatem, quando per illas Deum cognoscimus & amamus: ita docuit Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 10. & 11. S. Thom. dicta quæst. 93. art. 7. & 8. & communiter Scholastici locis citatis. Ratio in prōptu est, quoniam in Deo non est propriè potentia intellectiua, nec volitiua, sed actualis intellectio & volitio, quarum primarium obiectum est Deus, & inde primariò & principaliter vim accipiunt, vt terminentur ad personam Verbi & Spiritus sancti. 12 *Actualis intellectio & amor potius quàm intellectus & voluntas.*

Ex his conclusionibus inferuntur corollaria duo. Primum est, secundum quid & multo imperfectius reperiri Trinitatis imaginem, non solum in imaginatione, sed etiam in exteriori visione; vt Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 6. & lib. 11. cap. 2. explicat, & S. Thom. dicta quæst. 93. art. 6. ad 4. videlicet inquantum distingui potest principium cognitionis, ipsa cognitio & operatio appetitus aut voluntatis circa rem cognitam & circa cognitionem ipsam. 13 *Exterior visio an imago Trinitatis.*

Secundum est, erasse illos, qui dixerunt, hominem fuisse factum ad imaginem solius Filij, non autem ad imaginem aliarum personarum. Quos Augustin. lib. de Genes. ad litteram imperfecto cap. vltimo, fine, refellit, quia Pater non ait: *Faciamus hominem ad imaginem tuam, aut imaginem meam, sed pluraliter ait: ad imaginem & similitudinem nostram, à qua pluralitate Spiritū sanctum separare* 14 *Ad imaginē triū personarum & nō solius Filij factus est homo.*

separare quis audeat? Vtitur eodem argumento Augustinus lib. 7. de Trinit. prope fin. totius libri. Et Cyrillus Alexand. lib. 1. contra Iulian. paulo post med. probans, nec solius Patris, nec solius Filij similitudinem aut imaginem esse in homine, sed omnium personarum. Quod idem breuius attigit lib. 1. thesauri cap. 1. post med. Itemque Chrysostomus, Athanas. Hilarius & Fulgen. referendi disput. 64. sect. 5. Quorum doctrina probatur esse verissima, quatenus damnat errorem eorum, qui dicunt, hominem non esse imaginem Patris & Spiritus sancti, sed solius Filij.

15 *Imago peculiari ratione respicit Filium.* Nihilominus negari non potest, quin imago creata Trinitatis peculiari quadam ratione respiciat personam Filij, sicut exemplar & primariam imaginem Dei Patris: quemadmodum etiam adoptiua Filiatio creaturarum respicit naturalem Filium, tanquam prototypon filiationis; quod ex professo probandum erit disp. 64. sectione 5.

16 Ideo Cyrillus Alexand. dialogor. de Trin. lib. 3. ferè inter med. & fin. docet, hominem esse conditum ad imaginem totius Trinitatis, quam Filius reformat tanquam sigillum & imago naturalis. Nam prius ita quæstionem proponit: *Nunquid diuinam imaginem, quam hominis natura accepisse dicitur, ad solam effigiem, quæ est in Filio, vel ad hoc accipiemus cum Filio Patrem, & ad totam diuinam nos naturam dicemus formatos esse?* Deinde verò declaratis vnius Deitatis subsistentiis tribus, respondet: *Ad vnam quandam summam simul currunt pulchritudinem, ad quam & nos configuramur secundum scripturas: obsignemur autem ad filiationem per Filium in Spiritu. Sic enim imago Filij quidem filiatio, Patris autem paternitas, vnde filij per Filiū, imago autem Dei & similitudo. Manifestum autē quod nos ad totā principio formati naturam, nempe ad summam.* Obscurus quidem cōtextus, sed ita legunt varia exemplaria.

17 *Cauēdus error.* In hoc tamen articulo potissimum est cauendus error Origenis in Ioan. tom. 2. colum. 2. dicentis, hominem esse ad imaginem solius Verbi ea proportione, vt sicut Verbum se habet ad Patrem, ita homo se habeat ad Verbum, quod ponit, esse Deum quendam, tanto inferiorem Patre, quanto nos sumus inferiores Verbo. Alia plurima solent circa imaginem disputari, quæ prætermitto, quoniam ad Trinitatem non pertinent. Videri possunt apud Scholasticos supra citatos.

DISPVTATIO XLV.

Qualem & quantam notitiam Trinitatis adepti fuerint antiqui philosophi.

SECTIO I.

Maiorem, naturæ viribus, sed laceratam diminutam & adulteratam.

1 SCholastici omnes, qui supra disp. 41. sect. 3. & sequentibus docuerunt, solo lumine naturę, secluſa reuelatione, nemini potuisse contingere cognitionem Trinitatis, opponunt sibi agumentum, quoniam philosophi Gentiles cognouerunt, & scriptis tradiderunt hoc mysterium.

2 *Philosophis cognitionem aliqui negāt.* In huius igitur solutione doctores diffident. Alij namque affirmant, neminem philosophorum cognouisse mysterium diuinarū personarum per propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio, & Spiratio secundum illud 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius sæculi cognouit.* Id est philosophorum, secundum Glossam. Concedunt autem, cognouisse quædam essentialia attributa, quæ appropriantur personis. Atque in hoc sensu declarant quædam testimonia philosophorum. Ita respondet S. Thom. in præsent. q. 32. a. 1. ad 1. & de verit. q. 10. art. 13. ad postrema argumēta. Et 1. senten. dist. 3. q. 1. art. 4. ad 4. Albertus 1. p. quæst. 13. mem. 3. in solutione ad 3. & ad sequentia argumenta. Caietanus & nonnulli alij expositores S. Thomæ hoc loco. Fauet Magister 1. dist. 3. cap. *nunc restat* fine dicens: *Antiqui philosophi quasi per vmbram & de longinquo viderunt veritatem, deficientes in contuitu Trinitatis, vt Magi Pharaonis in tertio signo.* Exod. 8.

3 *Alij conceduntur.* Alij autem Scholastici cōcedunt, à quibusdam philosophis Gentilibus fuisse cognitum mysterium Trinitatis, per doctrinam fidelium, siue lectionem librorum Sacræ Scripturæ, vel traditionem maiorum (vt explicabimus sect. sequenti) aut peculiarem aliquam reuelationem. Ita existimat S. Bonauent. 1. dist. 3. part. 1. art. vnico q. 4. corpore Alexander 1. part. q. 2. mem. 1. art. 3. Ric. 1. dist. 3. part. 1. art. 2. q. 2. corp. Carthus. eadem dist. 3. q. 3. col. penult. & vltima, vbi eandem sententiam tribuit Alberto Magno in lib. 1. sent. dist. 3. Vazquez ex professo disp. 132. Suarez lib. 1. de Trin. cap. 11. num. 12. Molina q. 32. a. 1. fine, quamuis sub dubio.

4 *Conciliantur sententiæ.* Hi doctores ad concordiam facilè reducerentur, si tantum affirmarent, aut negarent cognitionem Trinitatis: quia prima sententia potuisset intelligi de cognitione perfecta & magis distincta qualem habemus Catholici, & qualem nullus habuit philosophorum. Cæterum, quia prima sententia dicit, philosophos nihil amplius cognouisse, quàm attributa, quæ possunt ratione naturali cognosci: at verò secunda sententia concedit, cognouisse de Trinitate aliquid, quod sine reuelatione vel doctrina fidelium nullo modo potuerit cognosci: propterea prædicto modo conciliari non possunt, sed alia ratione, quam videbimus assertione 3.

5 *Tres personas æternas scripsere quidam philosophi.* Dico igitur primò. Philosophorum aliqui scriptis tradiderunt tres personas æternas, quarum vna sit Genitor, altera Verbum, seu Filius genitus ab æterno, perfectior omnibus creaturis: tertia verò persona sit Spiritus, seu anima, viuificans mundum. Hanc autem veritatem adulterarunt erroribus, & ænigmatibus quasi nebulis obduxerūt.

6 Probatur primò ex Cyrillo Alexandrino lib. 1. contra Iulianum colum. penult. §. *sufficiat*, apud quem Porphyrius, expositionem Platonis, dixit: *Vsque ad tres subsistentias diuinam substantiam progredi: esse autem summe quidem Deum bonum, post illum autem & alterum conditorem, tertium & mundi animam. Progredi enim vsque ad animam, Deitatem.* Quæ verba tribus personis conuenire, declarat statim Cyrillus, & adiungit aliam Platonis sententiam, videlicet: *Circa Regem omnia sunt, & illius gratia omnia, & illud causa omnium pulchrorum: secundum autem circa secunda, & tertium circa tertia. Nam cum omnia quasi existant circa tres deos, attamen primò quidem circa omnium Regem, secundò autem circa Deum ab illo, & tertiò circa eum ab isto.* Hoc igitur in loco Plato quod bene didicerat ex libris Moysi & Trismegisto, corrupit pluralitate deorum ponens ouą, quæ postea excluserunt Ariani, vt obseruat ibidem Cyrillus. Sed de hoc iterum assertione 3.

Secundò

7 Secundò Hermes Trismegist. in sermone tertio ad Asclepium apud Cyrillum dicto lib.1.contra Iulianum colum. vltima scripsit: *Vna sola erat lux mentalis ante lucem mentalem, & est semper mens, mentis fulgida: & nihil aliud erat, quàm huius vnitas semper in se ipsa existens: semper sua mente, & luce & spiritu omnia continet. Et post alia dicit: Extrà illum non Deus, non angelus, non Dæmon, non substantia aliqua alia.* Quod Cyrillus ita declarat, vt mentem de mente, & lucem de luce Filium & Verbum dixerit: deinde verò Spiritum, qui omnia contineat, distinxerit à spiritibus creatis, angelis, siue dæmonibus. De quo Spiritu Hermes in eodem sermone subiungit: *Hoc spiritu omnia opus habent; omnia enim portat secundum dignitatem; omnia viuificat & alit, & à sancto fonte producitur.* Vbi manifestè notat processionem Spiritus sancti à Patre.

8 Probatur tertiò, nam Augustinus lib.7.confessionum cap.9. refert, vt sibi lumen fidei cæperit affulgere, fuisse opportunitatem, acceptam ex libris Platonicorum, in quibus ait: *Legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus: Quod In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* &c. Idemque lib. 10. de ciuitate cap. 29. prope fin. positis eisdem verbis Ioannis, vsque ad illud: *Et tenebræ eam non comprehenderunt*; adiungit: *Quod initium Sancti Euangelij quidam Platonicus, sicut à sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit episcopus, solebamus audire, aureis literis conscribendum, & per omnes ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat.*

9 Clariùs autem in eodem lib. 10. de ciuitate cap. 23. refert, Porphyrium ex mente Platonicorum concessisse, *Deum Patrem & Deum Filium, quem Græcè appellat Paternum intellectum, vel Paternam mentem.* Insuper significasse Spiritum sanctum, quando dixit alium medium inter Patrem & Filium: Vbi Ludouicus Viues in commentario colligit eandem sententiam ex Platone in lib.6. de republica.

10 Quartò, nam tempore belli Troiani rex Ægypti Thule consuluit Serapidem, quisnam esset beatior? Cui serapis respondisse fertur:

Principio Deus est, tum sermo, & spiritus illi
Additur, aqueus hæc sunt & tendentia in vnum.

Ita refert Viues in 10. lib. de ciuitate cap.23.prope finem.

11 Quintò, quia Numenius celebrabat tres deos, primum appellans Patrem, secundum Creatorem, tertium verò Animam mundi. Amelius autem asserebat tres opifices, tres mentes, & tres reges. Plato verò asserebat, has tres mentes & reges esse velut vnus. Quod fusiùs probat & exponit Eugubinus lib. 2. de peremni philos. cap. 7. & attigit August. 10. de ciuitate dicto cap. 23. Confirmatur primò, nam apud Platonem, illiúsque discipulos tria sunt principia, videlicet Vnitas, quæ Patrem denotat; Mens, id est Verbum, & Anima, cuius nomine significabatur Spiritus sanctus, cui peculiari ratione tribuitur viuificare. De quibus Eugubinus lib. 2. citato cap. 8. & 9. subiungítque in cap. 10. Iuxta Platonis theologiam, secundum principium à primo principio generari, tertium verò principium esse habitum amborum, quem Catholici dicimus amorem reciprocum, ab vtroque procedentem.

12 Confirmatur secundò, nam tres subsistentias Dei, & quod à prima sit omnis sapientia diuinitásque secundæ, varij Platonis discipuli docuerunt, quorum verba ponderat Eugubinus dicto lib. 2. cap. 11. & sequentibus vsque ad 15. Confirmatur tertiò, nam Plotinum Platonicum scripsisse librum de tribus hypostasibus, & affirmasse, duas hypostases procedere abvna, quæ prima est, refert Eusebius Cæsar. lib. 11. de præparat. euang. inter princ. & medium.

13 Dico secundò. Duas personas, videlicet, Patrem & Verbum ab eo genitum (prætermissa persona tertia) tradiderunt frequétius & manifestius antiqui philosophi. Probatur primò ex Cyrillo Alexandrino, lib. 1. contra Iulianum, vbi propius ad med. quàm ad fin. refert, Orphæum asseruisse diuinum Verbum, per se existens, esse progenié vnius, & melius omnibus factis, ac videns omnia. Deinde propius ad fin. quàm ad med. eiusdem libri, testimonium Platonis affert, quo fatetur mentem genitam ab æterno, & per se natam ex Deo ante omnia tempora, subsistentem & excellentiorem omnibus creaturis. Præterea colum penult. dicti libri primi contra Iulianum Orphæo adscribit illum versum, quem Suidas esse dicit Trismegisti, apud Eugubinum lib. 2. de peremni philos. cap. 17. fine.

Patrē & Verbum frequentius tradiderunt philosophi.

Vocem adiuro te Patris, quam locutus est primum,
Quando mundum vniuersum suis firmauit consilijs.

Denique de Verbo diuino, illiúsque generatione, æternitate, & omnipotentia, subiungit Cyrillus multa ex Hermete Trismeg.

14 Probatur secundò ex Clemente Alexandrino, lib. 5. stromatum, in cuius pag. 4. §. nam is, refert ex Platone diuinum Verbum. Et multo propius ad fin. quàm ad med. eiusdem libri, nempe duobus foliis ante finem ex Homero & Xenocrate probat Ethnicis Patrem & Filium; & ex Epicharmo & Orphæo Verbum & rationem Dei. Hæc clariùs cernere licet apud Heruetum Scholiastem Clementis Alexandrini.

15 Tertiò probatur ex Iustino in orat. exhortatoria ad gentes multo propius ad med. quàm ad princ. vbi ex Diodoro refert, Orphæum inuocasse Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, illo videlicet carmine, quod ex Cyrillo & Suida retuli prob. 1. Deinde prope fin. orationis Sibyllarum testimonia producit, sed ea non sigillatim, sed tantum generaliter proponit, quoniam erant omnibus peruia, in quibus de Verbo Dei Filio, homine facto, manifestè loquuntur. Viderique possunt ex earum carminibus aliqua apud Lactantium lib. 4. diuinar. institt. cap. 6. August. lib. 18. de ciuit. cap. 23. & 24. Sed de Sibyllis plura Iulius Sirenius in opusc. de prouiden. circa finem. Eugubinus de peremni philosophia lib. 1. cap. 22. & 25.

16 Quartò probatur, nam quod Plato posuerit duas subsistentias, quarum sit eadem perfectio, & vna subsistentia habeat existentiam ex alia, refert Constantinus Imperator in orat. de religione Christiana apud Eugubinum lib. 2. de peremni philosophia cap. 7. fine.

17 Quintò probatur, quia Chaldæi Patrem & secundam mētem creatricem agnouerunt, vt refert Eusebinus lib. 1. de peremni philosophia cap. 4. & cap. 5. & ex Aristotele & Platone, refert, eandem mentem esse progeniem diuinam & dominam mundi, deinde cap. 6. esse filiam summi boni, rursus esse creatricem, ideam mundi, & mundum archetypum, vltra mundanam, imò esse Deum genitum, & sola alteritate distinctum à generante, & intimè coniunctum illi, ex Platone aliisque Philosophis

Philosophis ostendit in eodem lib. 1. de perenni philosophia à cap. 8. vsque ad 20. Denique ex eisdem philosophis esse Verbum Dei, probat in eodem lib. 1. à cap. 23. vsque ad 30. De hac re videri poterunt etiam Salmeron tom. 2. tract. 3. fol. penult. & Iansenius cap. 1. concordiæ.

18 Dico tertiò. Conciliari possunt duæ priores sententiæ & omnia testimonia Patrum, quæ retulimus hactenus; si dicamus, S. Thomam & eius sectatores solùm asseruisse illud, quod verissimum est, videlicet, antiquos philosophos nunquam docuisse quod propriissimum est & supremum in mysterio Trinitatis, vnicam, scilicet, & singularissimam Diuinitatem & essentiam identificatam realiter cum tribus personis realiter distinctis, & vnicam intellectionem, volitionem & operationem ad extra. Nam ex prædictis omnibus testimoniis solummodo constat, philosophos docuisse aliquid, pertinens ad mysterium Trinitatis, ruditer expositum, significando deorum pluralitatem, diuersitatem substantiæ & operationis, atque inæqualitatem perfectionis: frequentius autem prætermittendo tertiam personam, ac de duabus tantum faciendo mentionem. Quem modum tradendi mysterium Trinitatis, philosophis minimè negauit S. Thomas, vt constat ex fine solutionis ad primum in præsenti art. 1. & 4. contra gentes cap. 6. §. vltimo. & notaiunus assertione 1. probat. 1. ex Cyrillo Alexand. Ideóque Chrysostomus in Ioannem homil. 1. paulo post med. Platonem reprehendit, quod Patrem & Filium distinxerit, vt mentem & animum.

Quod proprium est huius mysterij nunquā asserui sunt philosophi.

SECTIO II.

Vndenam acquisierint philosophi qualemcumque notitiam Trinitatis.

1 EX præcedentibus disputationibus constat, aliquam reuelationem Dei fuisse simpliciter necessariam, vt ad Philosophos peruenire prædicta notitia Trinitatis, quamuis lacerata, diminuta, fabulis & erroribus adulterata. Sed non fuit necessarium singulis philosophis proximè & immediatè factam fuisse reuelationem; satis enim fuit aliquibus antiquioribus Magistris fuisse reuelatum, quod posteriores philosophi didicerint, & pro suo quisque cerebro commutauerit.

2 Quo supposito, dico primò. Quamuis valde probabile sit huiusmodi notitiam ab Adamo vsque ad Noë, & ab hoc vsque ad Abrahamum tanquam hæreditatem filiis à parentibus fuisse relictam. Cæterùm ab Abrahamo & Moyse multò certius est fuisse deriuatam ad philosophos Ægyptios, Græcos & Latinos huiusmodi doctrinam. Nam vt Iustinus probat in oratione exhortatoria ad gentes parum à princ. cæteríque Patres, infra citandi, sapientia & litteræ Moysi multo antiquiores fuerunt, quàm litteræ philosophiáque Græcorum. Deinde prope med. eiusdem orationis ex Diodoro refert, Orphæum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, aliósque philosophos Ægyptum adiisse, & libris Moysi edoctos recantasse, quæ prius docuerant de pluralitate naturáque deorum. Quod iterum confirmat propius ad med. quàm ad fin. orationis.

Ab Abrahamo & Moyse.

3 Præterea quod Hermes Trismegistus, prædictis philosophis antiquior, & natione Ægyptius, idem senserit quod Moyses, adiunctis quibusdam erroribus, author est Cyrillus Alexand. lib. 1. contra Iulianum inter med. & fin. §. *ad hoc comperimus,*

atque in eodem lib. 1. col. 2. & iterum in fine totius libri 1. contra Iulianum notat, philosophos furatos fuisse multa ex libris Moysi & prophetarum, fuísque libris inseruisse, quamuis non vsquequaque sano atque legitimo eorum intellectu. Seriem verò doctrinæ & ordinem, quo deriuata fuit ab Ægyptiis ad Græcos, describit in eodem lib. 1. colum. 8.

4 Confirmatur primò, nam & Clemens Alexand. lib. 1. stromatum propius ad fin. quàm ad med. ex Aristobulo refert, Pythagoram multa ex libris Moysi transtulisse; Platonem verò fuisse valde versatum in libris Moysi & prophetarum; proptereáque Platonem esse Moysem Atticè loquentem, dixisse Numenium philosophum: quod multis confirmat in eodem libro Clemens Alexand. Necnon lib. 5. stromatum paulo ante med. repetens, Platonem aliósque philosophos didicisse plurima ex Ægyptiis, Hebræis, & Chaldæis. Vnde in eodem lib. 5. tribus postremis foliis discurrit sigillatim per multa dogmata theologiæ, quæ prædicti philosophi ex libris prophetarum didicerunt. Quam ob causam meritò lib. 1. stromatum inter princ. & med. asseruit Clemens, veram philosophiam, seu theologiam à Deo reuelante sumpsisse principium.

5 Confirmatur primò, nam iis omnibus concordat Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 24. & sequentibus, præsertim verò cap. 37. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 28. Quod autem in chronologia temporum eo loco discrepet à se ipso & ab aliis, nihil interest ad præsens, dummodo constet, ex sacris litteris didicisse Græcos philosophos. Denique de hac re videri potest Eugubin. lib. 1. de peremni philosophia cap. 3. & lib. 2. c. 2. & per alia capita sparsim.

6 Dico secundò. Prædictam notitiam Trinitatis accipere potuerunt philosophi à Sibyllis, quas diuino spiritu fuisse afflatas, concors est sententia Gentilium & Christianorum, atque illas vaticinatas fuisse multa de Verbo & Filio Dei, & humanitate per illum assumpta, iam retulimus sect. præcedenti assertione 2. probat. 3. ex Iustino, Lactantio, Augustino, & aliis.

A Sibyllis.

7 Nunc verò quod attinet ad diuinum instinctum Sibyllarum, ex Heraclito refert Clemens Alexand. lib. 1. stromatum multo propius ad med. quàm ad princ. & magis explicant eius commentatores Heruetus & author collectaneæ. Iustinus etiam orat. exhortatoria ad gentes prope med. & clariùs postea multo propius ad fin. quàm ad med. non solùm ex sententia Platonis & Aristotelis, sed etiam ex propria sententia docet, Sibyllas diuino spiritu fuisse locutas. De quo videri potest Lactantius diuinar. institut. lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 6. Ludouicus Viues in librum 18. de ciuit. cap. 24. Eugubin. lib. 1. de peremni philosophia cap. 22. & 25. & lib. 2. cap. vltimo.

8 Dico tertiò. Per oracula Dæmonum philosophi venire potuerunt in aliquam notitiam diuinarum personarum, quas ante casum Angeli diuina reuelatione cognouerant. Probatur, nam vt refert Iustinus in prædicta orat. exhortatoria ad gentes propius ad med. quàm ad princ. & iterum multo propius ad med. quàm ad fin. Percontanti cuidam, qui vnquam pij homines fuerint? sic responsum datum fertur:

Ab oraculis dæmonum.

Soli Chaldæi sapientiam adepti sunt, & Hebræi,
Genitum per se regem venerantes Deum ipsum.

Insuper Apollo Delphicus rogatus à sacerdote de vera religione, hæc inter alia respondit:

Ne me sciteris de sancto ac diuino Genitore
Et Sobole chara, rebus magni Induperantis
Et Flatu, qui mundum adstrictum continet omnem.
Hæc refert Eugubinus lib.2. de peremni philosophia cap.vltimo.

Nec mirandum est, Dæmones aliquando vera dixisse, siue compulsos à bonis Angelis, vel impulsos nocendi libidine, qua veritatem ad maius malum retorquere contendunt. Quemadmodum Lucæ 4. prope fin. *Dæmonia clamabant, quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui.*

ARTICVLVS II.

Vtrum sint ponendæ notiones in diuinis.

DISPVTATIO XLVI.

An sit, & quid sit notio.

SECTIO I.

Quid nominis & rei.

1 VNVM ex nominibus, quæ Valentinus Gentilis & Transyluani, cæteríque sectatores velut inutilia deridենt, & tanquam prophana reprehendunt, eo quod non legantur in sacris litteris, est *notio*, referente Bellarmino lib.2. de Christo cap.1.& 2.

2 Pro veritatis tamen declaratione suppono, duplicem esse acceptionem istius vocis, cuius vtrumque membrum subdiuiditur in alia tria. Primo namque sumitur *notio*, pro conceptu formali. Iuxta quam acceptionem idem est *notio*, quod notitia siue cognitio cuiusque rei. Quemadmodum Cicero 1. de legibus ait: *Dei notionem nullum animal est, quod habeat, præter hominem.* Et tam apud eundem, quàm apud alios authores accipitur pro cognitione causæ, quam iudices habere debent. Secundo modo sumitur notio pro conceptu obiectiuo, vt in sequentibus constabit.

Notio formalis vel obiectiua.

3 Subdiuiditur autem *notio* formalis, quia quandoque sumitur latissimè pro quacumque cognitione, vt in exemplo nuper adducto. Secundo modo magis stricte sumitur pro cognitione, distinguente quamlibet rem ab alia, abstrahendo ab hoc, quod distinctio sit secundum naturam vel secundum personam. Quo sensu Boëtius in comment. ad lib. 3. Topicor. definit: *Notio est simplex mentis conceptio, quæ ad res plures pertinet, à se inuicem differentes.* Et Cicero lib.4.Academic.ait: *Quæ igitur notione discerneres?*

Strictè notio est cognitio distinguens.

4 Quam acceptionem ad essentiam diuinam & communes personarum perfectiones accommodauit Basilius epist.43. ad Gregor.Nyssen.fere inter med. & fin. dicens: *Eius proprietatis, quæ secundum naturam est, nulla alterius personæ ad alteram differentia excogitari queat: sed in communione vsiæ notiones propriæ in vnaquaque communiter resplendeant.*

Strictissimè sumpta notio tantum personas discernit.

5 Tertia & maximè stricta notionis formalis acceptio discernit tantummodo personas quasdam ab aliis. Iuxta quam Cicero lib.3.offic.dixit: *Explica & excute intelligentiam tuam, vt videas, quæ sit in ea species & forma & notio boni viri.* Et in diuinis Gregorius Nyssen.orat.catechet.cap.2. initio: *Quomodo*, inquit, *ex ijs, quæ sunt in nobis, analogicè Verbum cognouimus in suprema natura, eodem etiam modo adducemur ad notionem Spiritus.* Chrysostomus autem homil.1.in Ioan. longè post med. notat, à Ioanne Verbum *vocari vitam & lucem. Nam à notione lux nobis largita est.*

6 Eodem modo de formali conceptu mentis aliqui doctores accipiunt illud Augustini lib.5. de Trinit. cap.6. circa med. *Alia notio est, qua intelligitur genitor, alia, qua ingenitus.* Quamuis possit etiam accipi de conceptu obiectiuo iuxta superiorem, inferiorémque contextum, quo formalitates relatiuas distinguit ab absolutis. Quin etiam nomen, siue mentale, siue vocale, significatur hoc vocabulo apud August.11.de ciuitate cap.10. paulo post princip. dicentem: *Propria notione Spiritus sanctus dicitur.*

7 Totidem igitur modis accipitur obiectiua notio. Primò siquidem accipi potest pro quolibet conceptu obiectiuo cuiuscumque rei. Secundò magis stricte sumitur pro differentia propria, qua cognita, discernere possumus vnam rem ab alia, licet ea differentia sit essentialis, & plus quàm generica. Sic Gregorius Nyssenus *Notiones Dei*, non rarò sumit pro attributis essentialibus & absolutis, quibus Deus à creatura discernitur, vt lib. de Trinitate ad Eustathium ante med. & lib. ad Ablabium, *Quod non tres dij*, propius ad med. quàm ad princip.

Notio obiectiua totidem modis.

8 Iuxta quam acceptionem Nazianzenus orat. 35. quæ est 3. de theologia inter med. & fin. ita disserit aduersus Arianos: *Sit sanè in vestri gratiam, Pater essentia quædam: Filium vtique simul introducet, non autem remouebit & alienabit; vt & communes notiones ferunt, & ipsa nominum horum vis ac facultas.* Vbi communes notiones intelligi possunt omnes perfectiones, quæ communes sunt tribus personis, Deum à creaturis distinguentes: nisi forte Nazianzenus intellexerit communes hominum sententias: nam omnes existimant, quemcumque patrem generare filium eiusdem naturæ. Hoc enim sensu Iustinus in dialogo cum Triphone, propius ad med. quàm ad fin. dixit, Quosdam propter prauam consuetudinem *naturales notiones perdidisse*, id est naturalia iudicia de virtutibus & vitiis.

9 Tertia maximè restricta acceptio notionis obiectiuæ limitatur ad discernendas solummodo personas eiusdem naturæ. Iuxta quam acceptionem notio est veluti character, sigillum, insigne, vel nota, per quam vna persona dignosci possit inter alias eiusdem naturæ, & ab illis nostra cognitione distingui.

10 Ex iis deducitur prima conclusio. Definitio notionis, prout accipitur in præsenti, hæc est. *Notio est proprietas vel nota personæ diuinæ, per quam discernitur ab alia persona.* Sic accipitur à theologis communiter, quando de mysterio Trinitatis disputant, non solum ab antiquis Patribus, sed etiam à Scholasticis communiter: atque in ea significatione nos etiam accipiemus in hac & sequentibus disputationibus.

Notionis definitio.

11 Secunda conclusio. Quid rei bene traditur hac definitione: *Notio est propria ratio cognoscendi personam diuinam.* Ita definit S.Thomas hic quæst.32. art.3. & ex art.2. constat, eam rationem accipiendam esse in abstracto, tanquam formam seu proprietatem, qua vna persona dignoscitur ab alia, hoc est, cognoscitur tanquam distincta, ne cum alia confundatur.

Alia definitio.

Tertia

12 Tertia conclusio. Certissimum est atque fidei proximum, notionis nomen conuenienter & propriè fuisse à theologis accommodatum ad significandas insigniores notas diuinarum personarum. Hæc conclusio simul cum præcedentibus, probatur primò generali ratione plurimarum dictionum, quas vsurpant theologi pro maiori declaratione Trinitatis: cuiusmodi sunt essentia, persona, relatio. Quia licet totidem syllabis *notio* non inueniatur in sacris litteris: attamen in primitiuo, tanquam in radice vel semine virtualiter continetur hæc vox, & illius significatio. Legimus enim verbum *nouit* Patrem, vt distinctum à Filio, & *nouit* Filium, vt distinctum à Patre. Ex quo verbo deriuatur *notio*. Ioann.8. prope finem. *Et Pater meus*, &c. *Ego autem noui eum.* Et cap.10. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* Et Matth.11. *Nemo nouit Filium nisi Pater, & Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare?*

Notio conuenienter accommoda fuit personis diuinis.

13 Confirmatur primò, nam in Scriptura sacra nominantur personæ Pater & Filius, in quibus intelliguntur earum notiones, Paternitas & Filiatio, quemadmodum abstractum intelligitur in concreto; vt S.Thomas hoc art.2.ad 1.adnotauit. Confirmatur secundò, quia licet vox ipsa nullum haberet in Scriptura sacra primitiuum, à quo deriuaretur: satis esset, illius sensum & rem significatam ex sacris litteris per bonam illationem deduci: quemadmodum fusiùs ostendimus disp.21. sect.2.

14 Probatur secundò, quia theologica notionis acceptio solidum fundamentum habet in magis propria significatione, quàm apud authores linguæ Latinæ sortitur præsens vocabulum; vt ostendimus ante conclusiones.

15 Probatur tertiò, quia non modò Patres induxerunt in vsum sub hac significatione vocabulum; sed etiam rationem nominis explicuerunt conformiter ad ea, quæ nuper de notione dicta sunt. Quamuis enim Græci Patres Latinam vocem non scripserint: attamen illius loco posuerunt vocem Græcam, illi propriè & adæquatè correspondentem. Cuius indicium est consensus & constantia interpretum, qui toties eodem sensu *notionem* vertunt. Iustinus igitur in expositione fidei de Trinit. pag. 2. ait: *Illud ingenitus, & subsistentiæ modus notæ sunt, quibus interstinguntur Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Et paulo inferius: *Dum geniti vocabulum quasi notam quandam audimus, mox cogitamus Filium, quemadmodum & per procedentis notam Spiritus propriam personam discimus.* Ita interpretatur Sigismundus Gelenius. At verò Ioan. Langus Silesius legit: *Veluti sigillum quoddam Ingeniti verbum prolatum, Patris statim subsistentiam designat: rursus tanquam quoddam signum Geniti appellationem audientes, Filij concipimus notionem.*

16 Basilius lib.2. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. *Proprietates*, inquit, *ac notæ quasi characteres quidam & forma in substantia inspectæ distinguunt*, &c. Et paulo inferius: *Proprietates declaratione notionum tanquam lucem animis nostris imponentes, ad comprehensibilem mentibus intelligentiam ducunt*, id est, ducunt ad intelligentiam humano captui accommodatam. Cuius rationem reddit post pauca, dicens: *Nam cum vna Deitas sit, impossibile est, propriam notionem Patris vel Filij capere, nisi proprietatum accessione cogitatio nostra confirmata sit.*

17 Rursus in epist.43. ad Gregor. Nyssen. inter princ. & medium: *Necessarium*, inquit, *est, vt per*

Ruiz. de Trinitate.

proprias quasdam notiones inconfusa habeatur in Triade comparatio. Et non longè inferius de Spiritu sancto sic disserit: *Causa Patris insertam habet essentiam, vnde & progreditur, hanc notionem ac cognoscibile signum eius, quæ secundum hypostasim est, proprietatis habet, quo cum Filio simul, & ipse se facit internosci.* Et post pauca de Filio dicit: *Nullam prorsus notionum communicationem secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu sancto habet: sed ex dictis iam signis solus agnoscitur: Pater verò, quæ super omnia Deus est, peculiarem hypostaseos suæ notionem solus habet, quòd Pater est, & quòd ex nulla omnino causa subsistit, atque isto iterum indicio & ipse propriè ac separatim agnoscitur. Huius gratia in communicatione vsiæ, nullam dicimus habere conuenientiam, aut communionem notiones istas.* Hæc attentè considerandа sunt propter ea, quæ de numero notionum tractabuntur disput. sequenti. Et paulo propius ad fin. quàm ad med. eiusdem epist. *Filium*, inquit, *formam esse dicit*, Apostolus, *hypostaseos non in propriis, sed in Patris indicijs ac notionibus designatum.* Quamuis paulo superius in eadem epist. notionis vocabulum referatur ad perfectiones absolutas, communes tribus personis.

Idem Basilius lib. vnico de Spiritu sancto c.5. sub initium, tractans illud Ephes.4. *Vnus Deus & Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*: docet, *Has voces notare personarum discrimen. Nec enim in hoc adhibentur, vt naturæ diuersitatem inducant, sed vt impermixtam Patris ac Filij notionem approbaret, sic eas adhibuit Apostolus.* 18

Gregor. Nyssenus lib.de differentia essentiæ & hypostaseos inter princip.& med. *Solemmodo*, inquit, *requiremus ea, quibus vniuscuiusque notio dilucidè & absque mixtione ab ea, quæ vna consideratur, segregetur.* Et propius ad med. quàm ad princip. distinguit signa siue insignia, quibus personas singulas dignoscamus, vt videbimus disput. sequenti. Epiphanius hæres.73.in med.scribit: *Etiam si Patrem solum nominemus, habemus in nomine subintellectam notionem Filij. Pater enim Filij Pater dicitur. Et si Filium solum nominauerimus, habemus notionem Patris, quia Filius Patris Filius dicitur.* Cyrillus Alexand. lib.1.thesauri cap.5.circa med. *Generare notio Patris est*, inquit: & sequenti cap.6.paulo ante med. *Notio perfectionis fœcunditas est.* 19

Denique doctores Scholastici communiter notionis vocabulum vsurpant pro ratione obiectiuè cognita, per quam distinguuntur personæ. Quorum loca citabimus sect. sequenti. 20

SECTIO II.

Sunt in Deo notiones seu proprietates, in abstracto significatæ.

1 FVit olim opinio Præpositiui, quam refert S. Thomas in præsenti artic. 2. & communiter Scholastici locis infra citandis, qui asserebat, in diuinis non esse ponendas proprietates, & notiones in abstracto significatas. Fundamentum illius erat, quia proprietates nullo modo distinguuntur à personis, eo quod distinctio quæcumque diuinæ simplicitati repugnaret. Eandem sententiam sequitur Gregor. 1.dist.26.& 27. quæst.vnica art.2. quamuis in explicandi modo differat. Ait enim, esse in Deo proprietates personales intransitiuè, non autem transitiuè, nimirum, quoniam existimat, proprietates esse ipsasmet personas, ita vt non sint proprietates personarum. Addit etiam,

Opinio nugans.

oratione complexa posse à nobis significari aliquid per modum proprietatis, quomodo *generare Filium*, dicitur proprietas Patris. Verumtamen hic modus proprietatis nullo modo transit in rem conceptam, sed totus manet solùm in vocibus & intellectu nostro, iuxta Gregorij sententiam. Eandem docuit Maior. 1. dist. 26. tota quæst. vnica.

2 Eadem opinio tribuitur Gabrieli 1. distinct. 18. quæst. 1. art. 3. Sed ibi nihil omnino de re præsenti disseruit. Potuit tamen occasio sumi ex 1. dist. 28. quæst. vnica art. 3. quoniam concluf. 5. dixit, de rigore sermonis non esse concedendum, quinque neque quatuor notiones esse in Deo. Cæterum ibi solummodo negat modum loquendi per terminos numerales *quinque*, vel *quatuor*, quoniam existimat significare quinque vel quatuor res esse in Deo. De quo dictum est disput. 28. Alioqui proprietates & notiones in abstracto significatas in Deo concedit Gabriel, non solùm in prædicta dist. 28. quæst. vnica art. 2. & 3. sed etiam dist. 26. quæst. 1. art. 3.

3 Distat autem plurimum Gabriel à prædicta sententia Præpositiui & Gregorij, quoniam formalem distinctionem, ante opus intellectus, asserit, interuenire inter essentiam diuinam & personam, quam essentia & relatione constare dicit, vt manifestum erit conferenti loca citata cum aliis de distinctione formali, notatis supra disput. 11. sect. 2.

4 Gregorij quædam argumenta soluta sunt disp. 26. sect. 4. ad fin. Cætera, quæ huic opinioni fauere possent, soluentur sect. 4. Maioris autem argumenta, quæ videntur probare, nullam esse distinctionem rationis inter proprietatem & essentiam, soluta sunt disput. 12. Alia soluentur sect. 4. vbi censura præsentis sententiæ colligetur ex hac & sequenti sectione.

5 Nihilominus sit concluſio. In diuinis personis concedendæ sunt notiones seu proprietates in abstracto significatæ, quibus personam vnam dignoscamus ab alia. Ita existimant communiter Scholastici. Magister 1. dist. 26. cap. 2. & dist. 28. cap. 1. & sequentibus. S. Thomas in præsenti quæst. 32. art. 2. & sequentibus. Albertus 1. p. q. 39. memb. 2. art. 1. partic. 2. & 3. Alexander 1. p. q. 68. memb. 3. & memb. 5. art. 6. Henricus 2. part. art. 55. præsertim q. 4. S. Bonauentura 1. dist. 26. art. vnico q. 4. & dist. 33. art. 1. q. 3. & 4. Durandus dist. 26. q. 2. num. 7. & 8. Argentina dist. 27. quæst. vnica art. 1. Ricard. dist. 26. art. 4. quæst. 2. & dist. 28. art. 1. q. 1. Aureolus 1. dist. 29. art. 1. sub init. & prope finem. Scotus 1. distinct. 28. quæst. 1. post §. *ad argumenta huius quæstionis*, in solutione ad 3. Cui consonat dist. 26. q. 1. sub init. refutans opinionem Præpositiui. Gabriel locis nuper citatis. Marsil. 1. q. 29. art. 1. Carthusianus cum Altisiodorensi in 1. dist. 26. q. 4. Capreol. distinct. 28. q. 1. art. 1. concluſ. 5. & 6. Caietanus, Canariensis, Molina, Valentia, Vazquez & cæteri expositores S. Thomæ ad præsentem art. 2. Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 9. & lib. 7. cap. 1.

Ponendæ sunt notiones in abstracto.

6 Probatur primò, quoniam hæc est sententia Sanctorum Patrum, quos sect. 1. retulimus, videlicet Iustini, Basilij, Gregor. Nyssen. Epiphanij, Cyrilli, qui omnes loquuntur de obiectiua notione, distinguente personas. Atque idem colligitur ex Augustino & Nazianzeno citatis sect. 1. vel quocumque alio ponente notionem formalem, quæ sit notitia intellectus, distinguens vnam personam ab alia. Nam ex notione formali per necessariam illationem deducitur obiectiua notio. Hæc enim in eo consistit, quod personæ formalitas aliqua correspondeat notioni formali, siue notitiæ distinguenti.

7 Probatur secundò, quia *nota* vel est idem omnino quod *notio*, vel certè notionem infert per conuertibilem consequentiam. At verò diuinis personis conuenire *notas*, quibus dignoscantur vltra Iustinum citatum sect. 1. Alexander Alexand. epist. ad Alexandrum Constantinopol. col. 5. dicit *notas, ex quibus Filius agnoscitur*, & frequenter appellat *proprietates* in abstracto, imo vt formaliùs loquatur, ait: *Eius filialitas, vt ita dicam, ineffabili præstantia antecellit*, &c.

8 Sic etiam *notam* & *characterem* pro *notione* sumit Basil. epist. 43. ad Gregorium Nyssenum frequenter, maximè à med. vsque ad fin. & lib. 4. contra Eunomium cap. 2. appellat *formas proprias personarum notas & characteres*. Et lib. 2. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. *Proprietates*, inquit, *ac notæ quasi characteres quidam ac formæ in substantia inspectæ distinguunt quidem, quod commune est appropriatis characteribus*. Athanas. in quæstionibus de natura Dei quæst. 7. confitetur *tria propria, tria individua, tres characteres*.

9 Damascenus in epist. de trisagio pag. 2. quæ propria sunt vni personæ, appellat *ostensiua hypostaseos*, & prope med. eiusdem epist. vocat *Characteristicas vniuscuiusque hypostaseos proprietates*. Et lib. de decretis primæ institutionis cap. 4. appellat *proprietatem characteristicam*, id est, *insignitam*. Et lib. 3. fidei cap. 6. sub init. *Sunt*, inquit, *characteriæ, signalesq; proprietates*. Et sequenti cap. 7. inter princ. & med. dicit: *Dei Verbi Filiationis characterem & discretiuam proprietatem, secundum quam discreta est à Patre & Spiritu*.

10 Probatur tertiò. Cuiuslibet enim ratio est abstractum vltima abstractione abstrahibile (vt communiter existimant Logici & euidens ratio demonstrat:) sed in vnaquaque persona diuina est sua propria ratio. Ergo in persona diuina est proprietas seu notio, in abstracto significata, per quam dignoscatur. Minor probatur ex Athanasio orat. 2. contra Arianos prope med. dicente: *Paternitatis ratio*, &c. & inter med. & fin. eiusdem orationis ait: *Verbum erat adorandum secundum suam è Paterna substantia proprietatem*.

11 Nazianzenus orat. 29. de dogmate & constitut. episcoporum paulo post med. ait: *Ita nobis proprietatum ratio constabit, si Patrem quidem & principij expertem, & principium cogitemus*, &c. Gregorius Nyssenus lib. ad Ablabium prope fin. *Alia est*, inquit, *ratio eius, quod quid est; alia eius, quod quomodo est*. Hoc secundo membro significat rationem personæ, sicut priori significauit rationem essentiæ. Cyprianus lib. de Cardinalibus Christi operibus cap. de natiuitate multo propius ad fin. quàm ad medium de Christo Domino sic loquitur: *Spiritum infundens discipulis, generationis & processionis intimans rationes, subtiliter astruens personarum proprietates*.

12 Confirmatur primò, quia notio est propria ratio cognoscendi personam diuinam, vt S. Thomas definiuit supra sect. 1. concluſ. 2. Confirmatur secundò, nam vt Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos multo propius ad med. quàm ad princ. obseruat, Spiritus sanctus *hoc signum continet, quo eam, quæ circa hypostasim consideratur, proprietatem agnoscamus, nempe quod cum Filio, & non absque eo cognoscatur, & ex Patre existat. Et Filius hoc habet insigne, quod Spiritum, qui ex Patre procedit, per se fe ac secum notum faciat & indicet. Nam*

Nam Filius solus Vnigeniti in modum ex non genito lumine enitescens atque relucens, nullam quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu sancto. Obserua, personæ cuiusque signum, vel peculiare insigne, siue notam idem esse, ac destinari ad dignoscendam vnam personam ab alia. Eisdem autem verbis vtitur in medio eiusdem libri & inter med. & fin. Basilius lib. 2. contra Eunomium multo propius ad fin. quàm ad med. *Genitum*, inquit, *atque Ingenitum specificæ ac declaratiuæ quædam sunt proprietates*.

13 Confirmatur tertiò, nam vt Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 2. fine docuit: Pater, Filius & Spiritus sanctus *tres sunt, non substantia, sed forma: nec potestate, sed specie*. Rationémque reddit: *Quia vnus Deus, ex quo & gradus isti, & forma, & species in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti deputantur*. Cum Basilio igitur variis in locis supra citatis concinit Tertullianus, appellans *formam & speciem* proprietatem, qua persona dignoscitur. Confirmatur quartò, quia relatio seu personalitas à plerisque Patribus dicitur esse modus essentiæ, vel existentiæ, supra disput. 12. sect. 5. Modus autem habet se tanquam forma, distinguens vnam personam ab alia, & in abstracto significatur, vt constat apud eosdem Patres.

SECTIO III.

Rationes aliæ, quibus probantur notiones, potissimùm ex quidditate proprietatis.

1 QVarta ratio, conuincens, diuinis personis concedendas esse notiones obiectiuas in abstracto significatas, hæc est. Notio obiectiua nihil aliud est, quàm ratio, per quam res in sua peculiari quidditate cognoscitur, & à qualibet alia dignoscitur, supra sect. 1. concluſ. 2. Sed quæcumque res in sua peculiari quidditate cognoscitur, & ab alia dignoscitur per suam proprietatem, tanquam per rationem obiectiuam discernendi. Ergo vniuscuiusque rei proprietas est obiectiua notio illius. Rursus in Deo singulis personis conueniunt peculiares proprietates: ergo illæ sunt obiectiuæ notiones diuinarum personarum.

2 *Proprietates in abstracto significatas ponunt Patres.*

Proprietates autem, hoc ipso nomine significatas, in abstracto diuinis personis tribuunt, vt illas ab inuicem distinguant, communiter Patres. Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. inter princ. & med. & vsque ad med. frequenter. Athanas. dialog. 1. de sancta Trinitate non longè post med. & quæstionibus de natura Dei, quarum prima est, *Quid est Deus*, quæst. 5. & 7. Nazianzenus orat. 23. in laudem Heronis multo propius ad fin. quàm ad med. post num. 32. & orat. 25. ad Arianos & de se ipso prope fin. num. 52. & orat. 29. de dogmate & constitutione episcopor. prope med. & infra. & orat. 32. ad centum quinquaginta episcopos multo propius ad med. quàm ad fin. & orat. 37. quæ est 5. de theologia inter princip. & med. & iterum propius ad fin. quàm ad medium. & orat. 39. in sancta lumina circa med. Gregorius Nyssenus toto ferè lib. de differentia essentiæ & hypostaseos peculiariter col. 2. & multo propius ad med. quàm ad princip. libri, & in illius medio & propius ad med. quàm ad fin. Idémque Nyssenus epistola aduersus Apollinarem inter princ. & med. & lib. de Trinitate ad Eustathium colum. 2. & lib. ad Ablabium, *Quod non tres dij*, propius ad princ. quàm ad med. Basilius homil. 15. de fide in medio. & homil. 28. contra Sabellianos propius ad med. quàm ad princ. & tract. de vera & pia fide inter med. & fin. & epistola 43. ad Gregorium Nyssenum valde frequenter, potissimum paulo ante med. & vsque ad fin. & lib. 1. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. & sequenti lib. 2. similiter propius ad finem quàm ad medium. & lib. vnico de Spiritu sancto, cap. 18. propius ad princip. quàm ad med. Chrysostomus homil. de incomprehensibili Dei natura colum. 2. Cyrillus Alexand. dialog. de sancta Trinitate lib. 1. inter med. & fin. & iterum in fine. & sequenti lib. 2. col. 2. & sequenti lib. 3. colum. 1. fine. & lib. 6. dialogorum col. 4. & sequenti lib. 7. prope med. & post med. & lib. 1. in Ioann. cap. 4. prope med. Epiphanius hæres. 73. prope medium semel & iterum. Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. sub initium. & propius ad princ. quàm ad med. & iterum sub fin. & cap. 11. inter med. & fin. & lib. 3. fidei cap. 5. 6. & 7. frequenter. Idémque Damascenus orat. 1. de natiuitate B. Mariæ. & lib. de decretis primæ institutionis cap. 1. 3. & 4. & lib. de duabus Christi voluntatibus paulo post principium. Theodoretus dialogo *immutabilis*. 1. col. 1. & lib. 2. de principiis col. penult. & Hebr. 1. ad illud, *Figura substantiæ eius*. Isidorus Peluſiota lib. 2. epist. 142. & epist. 143. ad fin. & lib. 3. epist. 112. sub init. & epist. 141. & 149. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus col. 7. Thalasius hecatontade 4. num. 87. Sophronius Patriarch. Constantinopolitanus in sexta Synodo actione 11. col. 3. & 4.

3 Eadem significatione *proprietates* dicunt Concilium Constantinopolitan. primum, quod est secunda Synodus Generalis in epist. ad Damasum, quæ præmittitur eius initio, & ipse Damasus in Symbolo apud Hieronymum tom. 4. Ioannes Papa I. lib. de duabus naturis non longè à princip. cum Augustino, & paulo inferius cum Gregorio Nazianzeno. Lateranense Concil. cap. *firmiter*. de summa Trinitat. Concilium Florentinum sess. 18. post medium. §. *diuina substantia*, & §. *dixi equidem*, & sess. 19. col. penult. & vltima. Concilium Toletanum vndecimum in profess. fidei paulo post med. imò etiam Ecclesia in præfatione Missæ sanctissimæ Trinitatis. Hilarius lib. 4. de Trinit. inter med. & fin. & lib. 11. sub initium. & lib. 12. in med. Ambrosius in symbol. Apostol. cap. 10. sub init. & sequenti cap. 11. in med. Augustinus serm. 38. de tempore ſtatim à med. & lib. 3. contra Maximinum cap. 10. ad fin. & lib. octoginta trium quæstionum quæst. 69. sub init. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. inter princip. & med. Anselmus de Incarnat. Verbi c. 3. Bernard. lib. 5. de considerat. ad Eugenium paulo post med. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 11. fine. Ricard. Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 15. & multis sequentibus, & lib. 5. cap. 11. & multis sequent. Magister sententiarum 1. dist. 26. & 27. multis capitibus, & cum eo communiter Scholastici. Prædictorum Patrum testimonia referemus disput. 86. sect. 2. & 3.

4 Sit ratio quinta veluti confirmatio præcedentis, quoniam proprietates diuinarum personarum aptè conueniéntérque concipiuntur & explicantur nominibus abstractis. Quippe quæ nulla ratione repugnant diuinæ perfectioni vel simplicitati. Atque ita generali nomine abstracto *proprietatis* vtuntur omnes Patres nuper citati, aliíque particularibus: qualis est, Paternitas, Ingenitura, Innascibilitas, Filiatio, Natiuitas, Processio & similes voces abstractæ.

Peculiares notiones ac proprietates in abstracto dicunt Patres.

Sic Basilius lib.4.contra Eunomium cap.2.sub init. *Innascibilitas,* inquit, *ad nascibilitatem Filij ex opposito distincta.* Eodem modo per abstracta loquitur Nazianzenus orat. 23. cuius verba referemus paulo inferius in confirmatione prima. Damascenus 1.fidei cap.9.inter princip.& med.dicit *Ignascentiam,*& post med. *Hoc,* inquit, *scire oportet, nomen Paternitatis, Filialitatis & Processionis non esse ex nobis ad beatam illam Diuinitatem translatum.*

6 Hilarius 4.de Trinit.inter med. & fin. de Patre & Filio ait: *Vterque itaque vnus & solus est, proprietate videlicet, in vnoquoque & innascibilitatis & originis.* & lib.9.de Trinit.in med. *Vnigenitus,* inquit, *Deus, ex perfecta atque inenarrabili natiuitate subsistens, Deus est, & vera progenies innascibilis Dei est, & incorporalis naturæ generatio incorporalis.* Et lib. 11.col.4.Filium appellat, *Beatæ naturæ plenissimam formam & innascibilis substantiæ vnigenitam natiuitatem.* Eisdem aliisque similibus abstractis, ad significandas proprietates vniuscuiusque personæ,frequenter vtitur in aliis libris: præsertim verò lib.12.col.4.& multo propius ad med.quàm ad princ. Augustserm.38.de tempore, statim à med. *Pater,* inquit, *solus est in Paternitatis persona.* Concilium Toletan.vndecimum in profess. fidei multo propius ad med. quàm ad fin. *Est,* inquit, *vnicuique personæ manens sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine natiuitate, Filius æternitatem cum natiuitate, Spiritus sanctus Processionem sine natiuitate.* Maxima verò fuit abstractio Patrum, dicentium *rationem Paternitatis*; vt Athanasij, Nazianzeni,Nysseni & Cypriani supra sect.2.probat.3.

7 *Abstracta melius significant simplicitatem & distinctionē.* Confirmatur primò, quia modus concipiendi & enuntiandi per abstracta vocabula,conuenientior est ad significandam, non modo simplicitatem, sed etiam distinctionem personarum. Propterea namque Nazianzenus orat. 39. in sancta lumina circa med. num.24. dicit: *Spiritus sanctus procedens à Patre, non tamen Filiationis modo, vt nec generationis, verùm processionis. Liceat enim perspicuitatis gratia nomina fingere.* Vides, abstracta nomina perspicuitatem & claritatem afferre distinctioni personarum?

8 Confirmatur secundò, quoniam abstracta concipiuntur, vt simplicissimæ formæ: propterea quæ sunt magis apta diuinæ simplicitati concipiendæ atque significandæ. Ideo enim Scriptura sacra non rarò veritatem, sapientiam, iustitiam, vitam, lucem, & similia prædicat de Christo Domino. Frequentius verò Concilia & Patres vtuntur eiusmodi prædicationibus abstractorum de personis diuinis, etiam in concreto significatis. Cuius locutionis exempla quàm plurima vidimus disp.11. sect.6. & disp.13.sect.1. & disp.14.sect.7.& 8.

9 Maiorem hanc proprietatem & magis significatiuam indicauit Nazianzenus orat. 23. in laudem Heronis multo propius ad fin.quàm ad med. post num. 32. loquens de Spiritu sancto: *Non ex accessione sanctitatem habet, sed est ipsamet sanctitas.* Damascenus lib.1.fidei cap.11.circa med. de personis ita scribit: *Cum verò ad ea, in quibus est Diuinitas (sine vt exactius loquar) quæ sunt ipsa Diuinitas,* &c.

10 Magis ex instituto Bernardus serm. 80. in cantica prope finem, postquam retulit sententiam Gilberti,qui prædicationes abstractorum de concretis exponebat, ita vt abstractum positum esset pro concreto (sicut etiam Præpositiuus apud S. Thomam in præsenti art.2. corp.) apud hos enim authores dicere, *Pater est Deitas,* idem erat ac dicere, *Pater est verus*; quemadmodum dicere, *Rogo benignitatem tuam,* idem est ac dicere, *Rogo te benignum*: hanc expositionem,Bernardus refert, suspectam & peruersam fuisse visam Eugenio III. cæterisque Episcopis Concilij Rhemensis;& tanquam certum dogma Catholicorum docet, hanc propositionem esse veram & propriam, *Pater est veritas, Filius est veritas,* & minus propriam esse propositionem aliam; *Pater est verus, Filius est verus.* Confirmat autem testimonio Fulgentij atque Boëtij, quæ cum aliis plurimis posuimus disput.11.sect.6.

11 *Modus significandi cæterorum aliam habet conuenientiam.* Nec sequitur ex dictis, impropriας esse prædicationes concretorū de concretis in diuinis. Quia licet in concretis modus significandi minus aptus, minúsque proprius sit comparatione diuinæ simplicitatis,quàm modus significandi abstractorum: attamen comparatione perfectionis & subsistentiæ,magis aptus & proprius est modus significandi concretorum,quia non significant per modum formæ abstractæ à supposito, sed per modum suppositi subsistentis, vt videbimus sect. sequenti ad 3.argum.

12 *Sexta probatio.* Ex superioribus fundamentis firmior redditur sexta probatio, quam tradit S. Thomas in præsenti art.2.corp. Quoniam hæretico interroganti; Quo sunt tres Pater, Filius & Spiritus sanctus? non possumus directè & exactè iuxta rigorem Scholasticum respondere, nisi dicendo: Paternitate, Filiatione & Spiratione. Hæ namque sunt veluti propriæ formæ, constituentes & distinguentes personas.

13 *Obiectio prima.* Contra quam rationem Gregorius & Maior citati præced. sect. 2. obiiciunt primò, prædictæ quæstioni hæreticorum responderi posse,Patrem, Filium & Spiritum sanctum personis distingui, vt loquuntur Augustinus & Hieronymus. Hæc re- *Diluitur.* sponsio, licet vera sit & non contemnenda;minùs tamen directa est, & minùs exacta ad rigorem Scholasticum. Nam si pergeret hæreticus,vrgens Scholastico more,postulánsque sibi explicari,non quæ sint illa,quæ distinguuntur,sed quid sit illud, quo distinguuntur,necessarium foret explicare in abstracto formam propriam, qua persona constituitur, & distinguitur.

14 *Obiectio secunda.* Secundò obiiciunt iidem authores; prædictæ quæstioni responderi posse: Pater differt à Filio, quia generat illum, & Pater & Filius differunt à Spiritu sancto, quoniam illum spirant.

15 *Diluitur.* Cæterùm hæc responsio est minùs exacta,quàm præcedens. Primò, quia personæ non tam per origines,quàm per relationes distinguuntur,infra disput. 87. Secundò, quoniam iidem authores confundunt origines cum relationibus seu proprietatibus. Constat autem ab illis esse distinctas, vt ostendemus disp.83. Peculiariter autem originem, complexè significatam esse distinctam à relatione,seu proprietate, docet Magister 1.dist.27. cap.*nec tamen.* Tertiò,quoniam origines,significatæ per modum formæ simplicis in abstracto, prædictæ quæstioni conuenientius melioríque proportione responderent,quàm orationes complexæ. Nam quæstio prædicta directè inquirit proprietatem ac differentiam simplicem.

16 Septima ratio D.Thomæ sit, quoniam vni personæ conueniunt tres notiones; alteri personæ duæ, alteri vnica; rursus vnica notio conuenit duabus personis.Ergo expediens fuit,notiones in abstracto significari quasi peculiares proprietates vnius personæ vel duarū personarum.Antecedens probatur,quia Patri cōuenit Innascibilitas,Paternitas & Spiratio actiua: Filio conuenit Filiatio & Spiratio

Spiratio actiua: sed Spiritui sancto sola Processio siue Spiratio conuenit. Sed consequentiæ robur explicatur, quoniam per hæc nomina abstracta commode dicimus, Patrem & Filium distingui à Spiritu sancto Spiratione actiua,eadem tamen inter se conuenire; sed inter se differre Paternitate & Filiatione.

17 Huic rationi S.Thomas interserit aliam, qua probat, Spirationem actiuam esse quartam relationem,distinctam à Paternitate & Filiatione.Sed de hoc dictum est satis tota disput. 17. præsertim sect.5. & 6. & tota disp.18.

SECTIO IV.

Post censuram contrariæ sententiæ, soluuntur argumenta contra distinctionem notionis à persona.

1 *Censura.* QVæ sect. 1. posita fuit sententia Maioris & Gregorij, temeraria est & pernicioſa theologicis disputationibus. Primò,quia contra communem sensum Patrum & Scholasticorum,vt vidimus in sect.2. & 3. Secundò, quia non immerito plures Scholastici damnant temeritatis eum, qui dixerit, notiones esse pauciores, quàm quinque vt videbimus disp.sequenti sect.1.& 3.Igitur à fortiori temerarium erit, negare omnes notiones. Tertiò, quoniam promptam & expeditam rationem defendendi distinctionem personarum impedit hæc sententia, prohibens voces aptissimas ad explicandam distinctionem, vt probatum est sect. præcedenti.

2 Quartò,quia qua parte dicit eadem sententia, notiones nullo modo neque ratione ratiocinata distinctas esse à personis:pugnat etiam cum communi doctrina Patrum & Scholasticorum, qui supra tota disp.12. relationes ab essentia, & consequenter etiam à personis ratione ratiocinata distinguunt. Ac licet Gregorius & Maior loquendi modo potius, quàm re ipsa negauerint distinctionem rationis ratiocinatæ (vt constat ex locis citatis disp.12. sect.4. post med.) Cæterum in hoc etiam reprehensione digni sunt, quoniam frustra & cum significatione falsitatis recedunt à communi modo loquendi, & argumenta contorquent contra veram distinctionem rationis ratiocinatæ.

3 Quintò. Malè prædicti doctores & inconsequenter explicationem proprietatis personalis limitant ad complexos conceptus & voces,negando conceptus obiectiuos, qui formalibus conceptibus adæquatè & immediatè correspondeant. Nam formali conceptui non potest non respondere conceptus obiectiuus supra sect. 2. probat.1. Denique prædictam censuram probant duæ præcedentes sectiones.

4 *Primum argumentum.* Argumenta præcipua, quæ contendunt, notiones à personis non distingui, nec ratione ratiocinata, sunt hæc. Primum. Simplicia cognoscuntur se ipsis. Ergo non indigent formis seu notis, quibus distinguantur; ac proinde frustra diuinis personis adiungūtur notiones in abstracto significatæ. *Soluitur.* Respond.Simplicia cognoscuntur se ipsis, hoc est, non cognoscuntur per aliud, realiter distinctum ab illis. Nihilominus cognoscuntur per aliquam formam in abstracto significatam, & ratione ratiocinata distinctam ab illis. Atque hoc modo simplicia concreta cognoscuntur à nobis melius, quàm se ipsis absque forma significata in abstracto.

5 *Secundū argumentum. Soluitur.* Secundum argumentum, quia diuinæ simplicitati repugnat distinctio notionis à persona. Respond. distinctionem solius rationis ratiocinatæ duorum extremorum, quorum vnum quiditatiuè claudatur in alio, nihil obstare summæ simplicitati vt vidimus disp. 13. sect. 2. probat.6. & tota disp.38.

6 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum, quia nihil significatur nomine *Patris,* quod non significetur itidem nomine *Paternitatis*; & è contrario, quidquid significatur nomine *Paternitatis,*significatur etiam nomine *Patris.* Ergo Pater & Paternitas sunt omnino synonyma: propterea quæ formalitates, significatæ per illas voces, non distinguuntur ratione ratiocinata, sed tantùm ratione ratiocinante. Eadémque ratio militat in cæteris notionibus diuinis.

7 *Soluitur. Inter Patrem & Paternitatem discrimen duplex.* Respond. Pater & Paternitas distinguuntur ratione ratiocinata duplici discrimine. Primum est, quoniam Pater significat totum quod Paternitas, & insuper Deitatem, vel in recto, vel saltem in obliquo: quemadmodum de persona dictum est disput.32. præsertim sect.9. Paternitas autem neque in recto, neque in obliquo significat Deitatem, sed in recto dicit proprietatem, atque in obliquo personam Patris, cuius est proprietas. Quamuis autem in Paternitate contineatur essentialiter Diuinitas supra disput.13. hæc tamen inclusio prouenit tantum ex re significata, non ex modo significandi vocis, aut conceptus abstracti.

8 Secundum discrimen est, quoniam ex modo significandi concretum (vt Pater & Filius) dicit personam per modum hypostasis subsistentis,cum tamen abstractum (vt Paternitas & Filiatio) non significet per modum hypostasis subsistentis, sed per modum formæ separatæ & præcisæ à suo supposito. Quod obseruauit Magister 1. dist.27.cap. *nec tamen.* & S.Thomas in præsenti art.2.corp. & infra q.40.art.1. corp. & ad 1.

9 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum,quoniam idem non est in se ipso (vt Aristoteles docuit 4. physic.) notiones verò, si darentur, identificarentur cum personis. Ergo notiones non sunt in personis. Confirmatur, quoniam Aristoteles 4. physic.c.3. text.23. octo tantum enumerat modos, quibus aliquid dicitur esse in alio, quos posuimus disp. 36. sect.8. non procul à principio. At nullo illorum modorum notio est in persona.

10 *Quomodo notio sit in persona.* Respond. Distinctio rationis ratiocinatæ satis est, vt *notio* dicatur esse in persona. Præterea,licet nullus modus illorum, quos enumerauit Aristoteles loco citato, conuenire potuisset notionibus; non posset inferri, quod argumentum intendit: consequentia namque falleret ob multas rationes. Prima, quoniam communi modo loquendi sapientum & eiusdem Aristotelis receptæ sunt aliæ formulæ dicendi, rem *esse in aliquo,* quarum aliquas notauimus dicta disp.36. sect. 8. assertione 3. & 4. Secunda, quoniam Aristotelicæ formulæ dicendi, *esse in,* afferunt aliquam compositionem, vel informationem, aut realem distinctionem propriam creaturarum, quæ repugnat perfectioni diuinæ.

11 Tertia ratio, quia satis est reductiuè pertinere ad vnum vel alterum eorum modorum,quos enumerauit Aristoteles. Quemadmodum enim forma est in composito,quod constituit:& quemadmodum differentia specifica est in specie constituta, vel proprietas est in subiecto; sic Paternitas est in Patre per modum formæ, constituentis Patrem, & per modum differentiæ, quasi specie di-

ſtinguentis, & per modum propriæ qualitatis. Sed analogia proprietatis melius quadrat ſpirationi actiuæ, quoniam hæc ſupponit ſuam radicem iam conſtitutam: de quo diximus aliquid diſp. 17. ſect. 5. & 6. & quantum ad modum exiſtendi veluti forma eſt in ſuppoſito, docet S. Thomas infra q.40. ar.1. ad 2.

12 Obſeruandum eſt præterea in ſacris literis, frequentiùs autem in ſcriptis Conciliorum & Patrum eſſe vſitatum loquendi modum, quo perfectiones eſſentiales, aut notiones eſſe dicuntur in aliqua perſona diuina, vt Ioan.1. *In ipſo vita erat.* Ioan.5. prope fin. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo*, &c. Coloſſen.2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.* Eccleſia canit: *In perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas.* Denique *Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate*, dicitur à plurimis Patribus ſupra diſput. 36. ſect.8.

13 Quintò circa gradum diſtinctionis Suarez lib. 5. de Trinitate cap. 3. num.6. & ſequentibus exiſtimat, Patrem & Paternitatem neque plus, neque aliter ratione diſtingui, quàm Deum & Deitatem, videlicet, ex modo concipiendi noſtro cum fundamento in re. Quod probat ex ſumma ſimplicitate Dei, & authoritate S.Thomæ. Sed his & aliis fundamentis abundè ſatisfecimus diſp.14. ſect.1. & 5.

14 *Maior diſtinctio Paternitatis à Patre, quàm Deitatis à Deo.* Dicendum eſt igitur primò, maiorem eſſe diſtinctionem notionis à perſona, ſiue Paternitatis à Patre: minorem verò diſtinctionem eſſe Deitatis à Deo. Ratio eſt, quia Pater ex modo ſignificandi claudit eſſentiam, quæ eſſentia non includit Paternitatem neque Patrem. At verò Deus, neque in re ipſa, neque ex modo ſignificandi claudit aliquid, quod non includat eſſentialiter Deitatem. Quapropter inæqualitas huius diſtinctionis in eo conſiſtit, quod mutua incluſio cunctarum formalitatum, quæ ſignificantur vtroque nomine *Deus* & *Deitas*, non poteſt verificari de Patre & Paternitate, quia eſſentia, ſignificata per Patrem, non includit quidditatiuè Paternitatem.

15 Dico ſecundò. Diſtinctio notionis à perſona minor eſt, quàm diſtinctio notionis à Deitate. v. g. diſtinctio Paternitatis à Patre minor eſt, quàm diſtinctio Paternitatis à Deitate. Quoniam Pater & Paternitas ſunt in eadem linea relatiuorum: at verò Deitas eſt in altera linea rei penitus abſolutæ. Deinde quia Paternitas & Pater ſunt idem conuertibiliter. Sed Paternitas & Deitas nó ſunt idem conuertibiliter; ſiquidem Filiatio eſt Deitas, & tamen Filiatio non eſt Paternitas. Sed de hoc aliiſque gradibus diſtinctionis inter diuinas perfectiones ac relationes dictum eſt diſp.12. ſect.4.

SECTIO V.

Notiones à perſonis non diſtinguuntur ante opus intellectus.

1 EXtremum oppoſitum doctrinæ Præpoſitiui, quam hactenus impugnauimus, tenuerunt Gilbertus & aliqui Scholaſtici, ponentes realem diſtinctionem inter relationes & eſſentiam diuinam, quod ipſum eſt conſtituere realem diſtinctionem inter notionem & perſonam, conſtantem ex eſſentia diuina atque notione. Quam ſententiam authores alij temperarunt, dicentes, hanc diſtinctionem non eſſe realem, ſed ex natura rei & ante opus intellectus, quos omnes retulimus, & refutauimus tota diſp.11.

Sed Caietanus in præſenti art.2. §. *contra hanc*, ex Capreolo, diſt.26. & alij recentiores Aureolo tribuunt, quod à parte rei, & ex natura rei diſtinguat notionem à perſona, & abſtractum à concreto. Occaſionem verò dicit Aureolus, impugnans doctrinam S.Thomæ in præſenti art.2. videlicet in 1. diſt. 29. art. 1. §. *ſed nec iſte*; dicens, quod Paternitas & Pater abſtractiuè & concretiuè à noſtro intellectu non apprehenduntur propter ſolam aſſuefactionem in rebus ſenſibilibus, imò quia ita exigit natura rei. Cæterum paulo inferius propoſitione prima ſolummodo ponit Aureolus diſtinctionem rationis inter Patrem & Paternitatem: quemadmodum generaliùs & fuſiùs diſtinctionem rationis inter eſſentiam & relationes docuerat diſt. 1. tota quæſt.1. & diſt.33. tota q.1. & 3. Quibus in locis potius declinare videtur ad oppoſitum extremum negandi quamlibet diſtinctionem rationis ratiocinatæ inter relationes & eſſentiam. Veruntamen eius mens explicata fuit diſp.12. ſect.1. 2 *Aureoli ſententia examinatur.*

Nunc verò deceptus fuit Aureolus diſt.29.a.1. citato, putans, à S.Thoma negatam eſſe diſtinctionem rationis ratiocinatæ cum fundamento in re ipſa cognita, vt intellectus noſter Paternitatem diſtinguat à Patre. De cætero, quantum attinet ad rem ipſam Aureolus non diſſidet à D. Thoma, licet modus loquendi contrarium ſonet. Imo Caietanus in eodem loco nuper citato notat, in Deo ſecundum rem ipſam eſſe aliquid, ratione cuius verificatur abſtractum & concretum, quoniam abſtractum verificatur ratione ſimplicitatis, & concretum verificatur ratione ſubſiſtentiæ. At in Deo ſimplicitas & ſubſiſtentia reperitur ex natura rei, & hoc eſt fundamentum diſtinctionis, quamuis in re ipſa nulla ſit diſtinctio. 3

Sed quoniam Aureoli argumentum aliquid amplius probare videtur, non erit prætermittendum. Eſt autem huiuſmodi. Vbicumque abſtractum differt à concreto ſolo modo ſignificandi, quidquid reale dicitur de vno, dicitur etiam de alio, vt conſtat in Deo & Deitate. Sed Paternitas & Pater non ita ſe habent, quoniam Paternitas ſe tota diſtinguitur à Filio, Pater autem non ſe toto diſtinguitur à Filio. Ergo Paternitas & Pater non diſtinguuntur ſolo modo ſignificandi. Caietanus citatus reſpondet, negando Maiorem, quia generare prædicatur de Deo; non tamen de Deitate: hæc enim eſt falſa, *Deitas generat*, vt oſtendemus diſp.80. ſect.3. & 4. 4 *Argumentum primum.* *Solutio.*

Vnde colligitur ſolutio ad ſecundum argumentum, quo probare contendunt nonnulli, negandas eſſe notiones ſeu proprietates, quia ſi Deo conuenirent, conſequens eſſet, de notionibus prædicari, quæcumque prædicantur de Deo. Conſequens autem eſt falſum, quoniam neque eſſentialia, neque perſonalia prædicata Dei verificantur de notionibus in abſtracto. Nam ſequentes propoſitiones falſæ ſunt, Paternitas intelligit; Paternitas eſt ſapiens; Paternitas creat; Paternitas generat vel ſpirat. Eadémque ratione de cunctis notionibus ſimiles propoſitiones ſunt falſæ. 5 *Secundi argumentum.*

Reſpond. negando ſequelam. Licet enim notiones Deo conueniant, & ſint realiter idem cum Deo: nihilominus impedit appellatio, ne quædam prædicata diuina de notionibus affirmentur, quamuis alia poſſint affirmari. Sed de hoc fundamento dicendum erit ex profeſſo diſp. 80. ſect. 3. & ſequentibus; diximus etiam diſp.13. ſect.3. ad argumenta. Peculiariter autem diuerſitatem in modo ſignificandi rationem eſſe, propter quam de 6 *Solutio.*

de Paternitate prædicari non poſſit aliquid, quod prædicatur de Patre, docet S.Thomas infra q.40. art.1. ad 3. Albertus 1.parte q.39.memb.2.art.3. poſt med. Alexander 1.p.quæſt.68.memb.5.art.4. & 5. Ricardus 1. diſt.33. art. 3. quæſt. 1. ad argumenta & quæſt.2. corp.

7 *Vtrum generatio generet, &c.* Tertia difficultas ex eodem principio ſoluitur, quam fuſiùs tractat S.Bonauent.1. diſt. 33. art.1. quæſt.4.breuius autem attigit Ricard.eadem diſt. 33. art.3.quæſt.2.in *contra*, & ad ſecundum & tertium. Videlicet, vtrum notio, ſeu proprietas ſe ipſam denominare poſſit. veluti dicendo, *Generatio generat, ſpiratio ſpirat*: quemadmodum abſolutè perfectiones Dei ſe ipſas denominant, dicendo, *Magnitudo Dei eſt magna, bonitas eſt bona.* Maximè cum in tranſcendentibus concedantur etiam ſimiles denominationes, nam veritas eſt vera, & vnitas eſt vna, & entitas eſt ens.

8 Nihilominus ſignificandi modus impedit, ne generatio dicatur generare, neque ſpiratio ſpirare, quia generare ſignificat operationem per modum actus exerciti, ſed actum exercere proprium eſt ſuppoſitorum. Generatio verò ſignificatur non per modum ſuppoſiti, ſed per modum formæ abſtractæ; ideóque non eſt apta, cui tribuatur exercitium generandi.

9 *Nulla diſtinctio ante opus intellectus inter notionem & perſonam.* Sit igitur concluſio. Ex natura rei & ante opus intellectus notio non diſtinguitur à perſona, neque inter abſtractum & concretum vlla diuerſitas intercedit ante opus intellectus. Probatur, quia ſi propter aliquid Paternitas, v.g. diſtingueretur à Patre, maximè propter Deitatem, quam Pater includit, eámque non includit Paternitas. At verò Deitas ex natura rei ante opus intellectus non diſtinguitur à Paternitate, neque ab aliqua alia relatione diuina, vt probatum eſt tota diſp.11. Nihil ergo reſtat, ratione cuius Paternitas ante opus intellectus ex natura rei diſtinguatur à Patre, nec vlla alia relatio, ſeu proprietas diſtinguatur à perſona, cuius eſt proprietas.

10 Confirmatur primò, nam vt S. Bernardus ait lib.5. de conſideratione ad Eugenium paulo poſt med. *Perſonarum proprietates, non aliud, quàm perſonas, ipſaſq; non aliud, quàm vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam, vnam diuinam naturam, vnam diuinam & ſummam maieſtatem fides catholica confitetur.* Et poſt pauca: *Si diuidere quis conetur, vel perſonas à ſubſtantia, vel proprietates à perſonis, neſcio quomodo Trinitatis ſe profiteri cultorem poſſit, qui in tantam rerum numeroſitatem exceſſerit.* Idem docent theologi diſputatores in Concilio Florentino ſeſſ.18. §. *diuina ſubſtantia.* & ſeſſ.19. fine. Plura retulimus dicta diſp.11. ſect.3. & ſequentibus. Confirmatur ſecundò, quia Paternitas minus diſtinguitur à Patre, quàm ab eſſentia diuina, vt vidimus ſect. præcedenti prope fin. ſed ab eſſentia diuina non diſtinguitur ante opus intellectus. Ergo à Patre non diſtinguitur ante opus intellectus.

11 *S. Bonauenturæ explicatur.* Poſtremò notandum eſt, non contradicere S. Bonauenturam 1. diſt.33. artic. 1. quæſt. 1. corp. quamuis aſſerat, quod *realiter aliquo modo* differt proprietas à perſona, & non ſolum ex modo intelligendi atque loquendi. Nam intelligit, eſſe fundamentum diſtinctionis in re ipſa, quoniam in Deo eſt ſuppoſitum ſignificatum nomine Patris, & eſt relatio ſignificata nomine Paternitatis. Alioqui ſola ratione diſtingui relationem ſeu proprietatem à perſona, docet S.Bonauentura in eadem diſtinct.33. artic. 1. quæſt. 1. & 2. & diſtinct.34. art.1. quæſt. 1. & 2. & diſtinct.7. art. vnico quæſt. 3. ſicut etiam communiter Scholaſtici locis citatis diſput.11. ſect.3.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſint quinque notiones.

ARTICVLVS IV.

Vtrum liceat contrariè opinari de notionibus.

DISPVTATIO XLVII.

Vtrum notiones totidem ſint, quot proprietates, aut relationes.

SECTIO I.

Notiones eſſe quinque.

1 CAbriel exiſtimauit, notiones eſſe pauciores, quàm quinque. Contra verò Scotus, eſſe plures quàm quinque. Vtriuſque ſententiæ fundamenta commodiùs referuntur, quando fuerint diluenda ſect.2. & 4.

2 Prima concluſio. Notiones ſunt quinque, non plures, neque pauciores, videlicet, Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua & Spiratio paſſiua. Ita ſentiunt communiter Scholaſtici (præter duos citatos) Albertus 1.p. quæſt.39. memb. 2. art.1. partic.1. ad 1. Alexander.1.p. quæſt.68. memb.3. S.Thomas in præſenti q.32. art.3. & 4. Henricus 2.par.art.55.q.4.S.Bonauent.1. diſt.25. artic. vnico q.4. Vbi Durandus q.2. num.7. & 8. Ricard. eadem diſt.26. art.4. q.2.& diſt.28. art.1. q.1. Argentina diſt.27.quæſt. vnica art.1. Aureolus diſt.29.art.4.prope finem, in quadam ſecunda propoſitione. Marſil. 1. q.29. art.1. notatione 8. Carthuſianus diſt. 26. q. 4. cum Altiſiodorenſi & aliis. Capreolus 1. diſt. 28. q.1. art. 1. concluſ.5. & 6. Caietanus, Canarienſis, Molina, Valentia, Vazquez & cæteri expoſitores S.Thomæ ad præſentem articulum tertium. Suarez lib.5.de Trinit. cap.10. Bellarmin.tom.1.lib.2. de Chriſto cap.5. circa med. §. *denique*. Notandum autem eſt etiam tempore S.Bonauenturæ fuiſſe communem ſententiam Magiſtrorum, vt ipſe ſcribit diſt.26. art. vnico q.4. corpore fine.

Hæc concluſio primò colligitur ex Patribus, 3
citatis tota diſp.præceden. præſertim ſect.2. & 3. qui velut perſonarum proprias notiones memorant Innaſcibilitatem vel Ingignentiam, deinde Paternitatem & Filiationem; ac denique Proceſſionem ſiue Spirationem: quamuis non omnes eiſdem nominibus vtantur, & nonnulli prætermittant vnam aut alteram notionem, vt magis conſtabit ſect. 2. & 3. Peculiariter autem de innaſcibilitate plura teſtimonia Patrum videbimus tota diſp.52. & 53.

Deinde probatur ratione S. Thomæ & alio- 4
rum Scholaſticorum, quoniam diuinæ perſonæ multiplicantur per origines. Ergo conſtituuntur & diſtinguuntur per relationes, quæ fundantur in origine, vel ipſæ ſunt origines. Vnde conſequens eſt, vt eiuſmodi relationes, ad originem pertinen

pertinentes, ſint rationes cognoſcendi perſonas diuinas, proptereáque ſint notiones, iuxta definitionem notionis traditam diſp. præcedenti ſect. 1. Cum igitur quatuor ſint relationes, pertinentes ad originem, videlicet, relationes Genitoris & Geniti, & relationes Spiratoris & Spirati (vt probatum eſt tota diſp. 18. conſequens eſt, has quatuor relationes eſſe notiones. Quibus adiungitur innaſcibilitas, ſeu ingignentia, qua denotetur, Patrem eſſe primam perſonam, quæ à nulla alia ducat originem. Sic enim perfectè ſcitur totus ordo diuinæ originis, & quaſi circumſcribitur, deſignato primo principio illius, cuius non eſt aliud principium.

5 Confirmatur primò, quoniam iuxta doctrinam Dionyſij, receptam ab omnibus theologis, duplex eſt via cognoſcẽdi Deũ, altera per affirmationem, altera per negationem; quæ ſecũda via præcipuè requiritur ad cognoſcendas perfectiones aliquas maximè ſimplices, quas niſi per relationes explicare vel concipere vix poſſumus. Quo ſuppoſito per viã affirmationis diuinæ perſonæ cognoſcuntur tantummodo per quatuor relationes, quæ neceſſariò conſurgunt ex duabus proceſſionibus, eo quod in vnaquaque proceſſione duæ relationes concurrunt, altera principij producentis, altera termini producti. Rurſus per alteram viam negationis perſona Patris cognoſcitur, & à cæteris perſonis dignoſcitur, eo quod à nullo principio ducat originem. Quapropter innaſcibilitas additur ad numerum aliarum notionum.

6 Confirmatur ſecundò, nam ratio naturalis demonſtrat, diuinas perſonas multiplicari, vel realiter diſtingui non poſſe, niſi per proceſſionem vnius perſonæ ab alia, & conſequenter demonſtrat ratio naturalis, neceſſarium eſſe præſupponi vnicam perſonam improductam, quæ à nullo principio ducat originem, à quo reliquæ ducant originem, quod oſtendimus diſp. 1. ſect. 3. & ſequentibus. Ergo primitas (vt ita dicam) ratione cuius vna perſona non poteſt ſupponere aliquid prius origine, quàm ſit ipſa: hæc inquam primitas valde per ſe ac neceſſariò pertinet ad penetrandas proceſſiones & relationes, fundatas in proceſſionibus. Rurſus hæc primitas non ſatis ſignificatur nomine Paternitatis: ſiquidem inter homines, præter Adamum, quicumque pater ab alio patre ducit originem. Fuit igitur neceſſarium, cum Paternitate coniungere innaſcibilitatem, per quam cognoſcitur, Patrem eſſe primam perſonam.

7 Confirmatur tertiò, nec enim quælibet formalitas alicui perſonæ peculiariter conueniens, eſt appellanda notio, propriè loquendo; ſed illa tantum, quæ fuerit inſignior nota, ſiue ſignum notabilius, proptereáque magis promptum ad oſtendendam diſtinctionem perſonarum. Sed ad hunc finem inſigniores notæ, notabilioráque ſigna ſunt quatuor relationes originis, & innaſcibilitas, propter rationem ſupradictam: aliæ verò formalitates non adeo ſunt inſignes atque notabiles, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum ſect. 4. Confirmatur quartò, nam in hoc ſenſu verum eſt, quod S. Thomas in præſenti artic. 3. & 4. & alij Scholaſtici citati obſeruant, notionem debere pertinere ad dignitatem perſonæ, hoc eſt, eſſe debere nobiliorem & inſigniorem notam.

8 *Potuiſſet aliter accipi notionis nomen; & tunc alius eſſet numerus notionum.* Secunda concluſio. Notionis nomen potuiſſet à theologis accipi minus propriè pro quacumque formalitate, quomodocumque diſtincta ab alia formalitate, quæ peculiaris eſt vni vel duabus perſonis, & qua cognita, melius penetratur peculiaris differentia talis perſonæ, meliúſque dignoſcitur ab alia. Sub hac ergo ſignificatione notionis, concedendum eſſet, notiones eſſe plures quàm quinque, quoniam plures aliæ formalitates eiuſmodi reperiuntur in diuinis perſonis, vt conſtabit ſect. 4.

Tertia concluſio. Potuiſſet etiam notionis nomen à theologis vſurpari magis ſtrictè, quo ſignificarent ſolummodo proprietatem, conſtitutiuam vnius tantùm perſonæ, & realiter diſtinctam ab alia proprietate, vel ſignificando ſolummodo relationes reales. Vtroque modo notiones forent pauciores quàm quinque. 9

Ex præcedentibus colligitur cenſura cuiuſlibet opinionis contrariæ, dicentis, notiones eſſe pauciores, quàm quinque, vel dicentis, eſſe plures, quàm quinque. Sit igitur quarta concluſio. *Cenſura.* Talis opinio contraria ſi de re ipſa non diſſideret, ſed tantùm de nominis acceptione; foret temeraria infimo quodam & leuiſſimo gradu temeritatis, pertinente tantùm ad modum loquendi. Si verò diſſideret de re ipſa: tunc iuxta varias aſſertiones poſſibiles foret hæreſis, aut error, aut periculoſa ſententia. 10

Declaratur & probatur concluſio, quia poſſet aliquis dicere, notiones eſſe pauciores, quàm quinque, quoniam negaret, Patrem eſſe Innaſcibilem, aut negaret Patrem & Filium eſſe Spiratorem: & tunc foret hæreſis, & multo clarior ſi negaret aliquam ex relationibus conſtitutiuis perſonarum. Rurſus poſſet aliquis multiplicare notiones, vel multiplicando perſonas, vel in aliqua perſona fingendo nouam aliquam formalitatem contrariam veræ theologiæ. Hoc autem eſſet hæreſis, aut error. 11

Cæterum concedendo, conuenire Deo quamlibet formalitatem, quam per notiones concedunt theologi, qui negaret, notiones eſſe plures, quàm tres aut quatuor: hic ſola vocis acceptione recederet à communi ſententia Scholaſticorum, proptereáque temerarius non eſſet, niſi præcisè quantum ad modum loquendi. Conflaret autem plures notiones in vnam. Similiter è contrario, qui non augeret formalitates, tribuens alicui perſonæ prædicatum aliquod nouum & repugnans doctrinæ theologorum, ſed tantummodo notionem vnam, aut alteram in plures quaſi partes diuideret, aut quamlibet negationem alicuius perſonæ propriam appellaret nomine notionis; & hoc modo diceret, notiones eſſe plures quàm quinque: hic foret temerarius præcisè quantum ad modum loquendi. 12

In hoc ſenſu recentiores aliqui temeritatis damnant plures aut pauciores notiones aſſerere, quàm quinque, vt Bañes in præſenti art. 3. & magis temperatè Canarienſis & Vazquez in notationibus ad artic. 4. A quibus non diſcrepat mens Molinæ in eodem art. 4. licet minus explicuerit cenſuram. Myſterium enim eſt ſupremæ dignitatis & religionis, in quo Patres non modò rem ipſam, ſed etiam minutiſſimos loquendi modos magnifaciunt, vt vidimus diſp. 39. ſect. 1. à princ. videbimúſque tractantes de præpoſitionibus, *per, in, cum, à, ex,* diſp. 97. & 98. nec non in poſtremis diſputationibus. Propterea non eſt rigoris exceſſus in prædicta cenſura, licet ſit de ſolo modo loquendi. 13

Denique quod S. Thomas diſputat in præſenti quæſt. artic. 4. neminem mouere debet ad damnandam ſententiam de numero maiori, vel minori notionum. 14

notionum. Primò, quoniam ibi S. Thomas nihil decernit in particulari circa notiones, contentus tradere generalem doctrinam de hæreſi, quam explicare nihil attinet ad præſens. Secundò, quoniam antiquiores Scholaſtici quæſtionem illam excitarunt ad damnandam opinionem Gilberti Porretani, ponentis realem diſtinctionem notionis à perſona, vt conſtat apud Alexandrum 1. par. q. 68. memb. 5. art. 6. §. 3. S. Bonauenturam 1. diſt. 27. parte 1. art. vnico quæſt. 4. & apud eundem S. Thom. 1. diſt. 33. quæſt. vnica art. 5. Altiſiodorenſem & Albertum, quos refert Carthuſianus 1. diſt. 26. q. 5. Citatur etiam Ægidius 1. diſt. 34. parte 2. quæſt. 2. Cenſuram verò ſententiarum, quæ relationem ante opus intellectus diſtinguunt ab eſſentia, vidimus diſp. 11. ſect. 7.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta, quæ contendunt, notiones eſſe pauciores, excluſa præſertim Innaſcibilitate.

1 GAbriel 1. diſt. 28. quæſt. vnica art. 2. probat, Innaſcibilitatem non eſſe proprietatem neque notionem, & art. 3. concluſ. 2. & 3. decernit, ex vi ſermonis & ſecũdum actum exercitum non eſſe concedendum, quod in diuinis ſint quinque notiones, ſeu quatuor relationes, quarum quælibet ſit realiter in Deo.

2 *Primum argumentum.* Primum argumentum Gabrielis, quoniam Innaſcibilitas, accepta pro negatione natiuitatis, ſeu Filiationis, conuenit non ſolùm Patri, ſed etiam Spiritui ſancto. Ergo non eſt proprietas Patris. Si verò Innaſcibilitas accipiatur, prout excludit quamlibet productionem, vt ſit innaſcibilitas non eſt proprietas Patris; quia neque eſt eſſentia, neque relatio, nec conſtitutum ex eſſentia & relatione, neque eſt aliquid aliud proprium Filij aut Spiritus: ergo Innaſcibilitas eſt ipſe Pater, ac proinde non eſt proprietas Patris, licet ſit prædicatum conuertibile cum Patre.

3 Reſpond. Innaſcibilitas, prout eſt negatio generationis, aut natiuitatis, non eſt notio Patris propria, ſed prout eſt negatio cuiuſlibet productionis paſſiuæ, ſiue proceſſionis ab alio principio. Atque vt ſic non eſt idẽ formaliter cum Patre, imò nec realiter idem, ſed diſtinguitur realiter negatiua diſtinctione, quemadmodum cæcitas realiter diſtinguitur ab animali. Quod autem Innaſcibilitas formaliter ſignificet negationem proceſſionis cuiuſlibet, & quod ſub ea ratione non conueniat Spiritui ſancto, nec eſſentiæ diuinæ, ſed propria ſit perſonæ Patris, tractandum erit diſp. 52. & 53.

4 *Secundũ argumentum.* Secundum argumentum eiuſdem Gabrielis, quoniam ex vi ſermonis, & ſecũdum actum exercitum, qui concedit quatuor relationes & quinque notiones, eo ipſo ſignificat, in Deo eſſe res plures, quàm tres. At verò non ſunt in Deo concedendæ, niſi tres res, videlicet, tres perſonæ realiter diſtinctæ. Reſpond. Quamuis quatuor relationes ſint reales, non ſequitur inde, quatuor eſſe res in Deo. Quoniam vna relatio non diſtinguitur realiter ab aliis duabus. Haç enim ſola ratione Deitas, licet ſit res, non auget numerum

5 *Tertium argumentum. Innaſcibilitas eſt negatio.* trium rerum, videlicet perſonarum, quoniam cum illis identificatur realiter, vt dictum eſt diſput. 18. ſect. 3. ad 2. argum.

Tertium argumentum, quia negatio non poteſt eſſe notio, ſed innaſcibilitas eſt negatio. Ergo non poteſt eſſe notio. Maior probatur, quia notio pertinet ad dignitatem, vt docet S. Thom. in præſenti art. 3. ad 4. S. Bonauentura 1. diſt. 26. art. vnico quæſt. 4. corp. poſt med. & communiter Scholaſtici citati ſect. præcedenti. At verò negatio, ſicut nihil affert, ita nullam affert dignitatem. Propter hoc argumentum authores aliqui exiſtimant, Innaſcibilitatem non eſſe notionem, neque proprietatem ratione ſolius negationis, quam formaliter dicit, ſed ratione poſitiuæ dignitatis, quam de materiali ſupponit. Ita Gabriel Vazquez diſp. 137. cap. 5. Cuius oppoſitum videtur eſſe, quod reſpondet Franc. Suarez lib. 5. de Trinitate cap. 10. num. 6.

6 *Notioni ſatis eſt ſi ducat in cognitionem dignitatis, licet ipſa formaliter ſit negatio.* Sed ipſa rei veritas facilè conciliat vtrumque, ſatisfaciens argumento. Neceſſarium quippe non eſt, notione formaliter ſignificari dignitatem ipſam: ſatis eſt ſi notio per ſuum formale ſignificatum immediatè & accommodatè ad noſtrum captum, nos ducat in cognitionem poſitiuæ dignitatis, quam de materiali ſignificat, quoniam ex illa immediatè reſultat. Sic negatio cuiuſlibet productionis paſſiuæ, formaliter ſignificata per Innaſcibilitatem, nos ducit in cognitionem poſitiuæ dignitatis, quam de materiali ſignificat. Quæ dignitas in eo conſiſtit, quod prima perſona ſit à ſe ipſa, & immediatè ratione ſui terminet Deitatem: vnde ſequitur, vt Diuinitatem non accipiat communicatam ab alia perſona. Sequitur etiam, eſſe primum principium & fontem Diuinitatis, vt Patres plurimi loquuntur infra diſp. 48. ſect. 5. & 6. Sic ergo verificatur vtraque ſententia, quoniam priuatio eſt notio, & tamen non eſſet notio ratione ſui præcisè, niſi de materiali ſupponeret poſitiuam & realem dignitatem perſonæ.

7 Huic ſolutioni concordat mens omnium ferè Scholaſticorum, licet verba differant. Peculiariter autem S. Bonauent. 1. diſt. 26. art. vnico q. 4. nuper citata (qui falsò citatur pro contraria ſententia diſt. 4. quæſt. 4.) S. Thomas infra quæſt. 33. art. 4. ad 1. fine. Caietanus in præſenti art. 3. q. 32. Eidémque locutioni conſonant Patres, qui dicunt eſſe *authoritatem* Patris, & Patrem eſſe maiorem, quoniam eſt origine prior & cauſa, quos refemus diſp. 50. ſect. 2.

8 *Quartum argumentum.* Quartò premunt aliqui, nam perſona Patris per ſe ipſam ratione ſuæ poſitiuæ dignitatis melius cognoſcitur, quàm per negationem, vt Cyrillus notat lib. 1. theſauri c. 1. ante med. dicens: *Qui Patrem nominauit Deum, ab ipſo ſignificauit quod eſt: qui verò Ingenitum dixit, ab eo, quod non eſt. Quod autem ab eo, quod eſt, quàm ab eo quod non eſt, commodius Deum nominamus, inde perſpicuũ erit,* &c. Ergo Innaſcibilitas ratione negationis non eſt notio.

9 *Innaſcibilitas viã aperit ad dignitatem Patris cognoſcendã.* Reſpond. Quando cognitio peruenit ad penetrãdam perſonam Patris per ſe ipſam ratione ſuæ poſitiuę dignitatis, tunc melior & profundior eſt cognitio perſonæ Patris. Nihilominus vt viam aperiat huic profundiori penetrationi, melior & commodior eſt cognitio negationis, quam formaliter importat Innaſcibilitas: quia niſi per huius negationis cognitionem, humanus intellectus inchoare non poſſet cognitionem illius dignitatis, quam de materiali dicit Innaſcibilitas. Porrò, quæ ſit illa realis dignitas, & quomodo diſtinguatur à Paternitate, ſicut & cætera, quæ pertinent ad Innaſcibilitatem, tractabuntur diſput. 52. & 53.

10 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum præcedentem ſolutionem redarguit, quia notio non eſt medium, per quod deuenimus in notitiam perſonæ, ſed eſt ipſa ratio

ratio personæ, qua cognita, eo ipso cognoscitur persona. At verò priuatione seu negatione processionis cognita, non cognoscitur eo ipso persona Patris. Respond. Non solùm ipsa ratio personæ, sed etiam immediatissimum medium cognoscendi personam, prædicabile de persona & conuertibile cum illa, & ex illa necessariò consequens nostro modo intelligendi, hoc, inquam, medium est notio. Nam in hoc verificatur definitio, tradita disp. præcedenti sect. 1. conclus. 2. *Notio est propria ratio cognoscendi personam diuinam.* Explicatur & confirmatur, quia notionis ratio non conuenit æquè primò Innascibilitati, sed huic negationi conuenit per attributionem ad Paternitatem, cuius integram & plenam cognitionem affert. *Solutio.*

11 Sed quoniam hæc & alia argumenta destinantur ad probandum, quod sola ratio realis positiua & quidditatiua personæ Patris, possit esse notio illius: operæ pretium erit, nostras solutiones corroborare, probando contrarium. Primò quidem, quia Patres & Scholastici communiter pro certis tradunt simul duo dogmata. Primum est, quod Innascibilitas non dicit substantiam, nec aliam formalitatem realem, sed negationem productionis passiuæ, prout referemus disp. 53. sect. 2. Secundum est, Innascibilitatem esse notionem, aut proprietatem Patris. Quod vltra citatos in præceden. disp. & citandos in hac & seq. sect. docent Patres, referendi disp. 52. sect. 3. & sequentibus, & disp. 86. sect. 2. & 3.

12 Secundò probatur, quia multi Patres magis expressè significant, esse negationem, illam proprietatem Patris, quæ appellatur Innascibilitas, & est illius notio. Gregor. namque Nyssen. lib. de differentia essentiæ & hypostaseos post med. ait: *Qui super omnia est Deus, præcipuum quoddam & eximium insigne notamq; suæ hypostaseos solus habet, quod Pater est, quod ex nulla causa subsistat: ac per hoc rursus ipse quoque signum propriè peculiariterq; cognoscitur.* Eisdem verbis: *Quod ex nulla causa subsistat*, loquitur Basil. epist. 43. relatus disp. præcedent. sect. 1. probat. 2. Magis ex professo, negationem esse, probat Cyrillus Alexand. toto ferè lib. 11. thesauri, & lib. 2. dialog. de Trinit. Nazianzenus orat. 32. paulo post med. & orat. 35. in med. Aliique Patres referendi loco citato.

13 Confirmatur, nam principij expers manifestè significat negationem principij. Hanc autem tanquam proprietatem & notionem Patris eandem, quæ est Innascibilitas, constituit Nazianzenus multis in locis, vt orat. 29. paulo post med. & orat. 32. post med. & orat. 35. col. 3. & orat. 36. propius ad fin. quàm ad med.

14 Tertiò probatur, quia S. Thomas in præsenti art. 3. corpore & ad 4. expressè notionem Innascibilitatis constituit in eo, quod Pater *sit à nullo*, quod apertè significat negationem, sicut & modus loquendi cæterorum Scholasticorum. Quare contra communem sententiã Patrum & Scholasticorum opponitur, qui dicit formale significatum Innascibilitatis, quod est negatio productionis passiuæ, non esse notionem.

15 *Sextum argumentum.* Sextum argumentum quoniam Innascibilitas omittitur à multis Patribus, quando personarum proprietates, aut notiones numerant. Ergo Innascibilitas non est notio nec proprietas. Antecedens probatur, nam ita procedit Nazianzenus multis in locis referendis sect. 5. veluti orat. 37. quæ est 5. de theologia inter princ. & med. dicens: *Vnum est tria, si proprietatum rationem habeas.* Loquitur autem de Paternitate, Filiatione & Processione. Cyrillus Alexand. lib. 2. thesauri cap. 3. ferè inter princ. & med. *Vt hypostasin*, ait, *quæ generat & quæ generatur, diuina Scriptura notionibus distingueret, Patris & Filij nominibus vsa est.* Et post pauca subiungit: *Consuetudinem nostram secuta* (Scriptura) *maiorem appellat Patrem, vt inde & ea persona, ex qua significetur, & ea quæ est ex illa, perspiciatur.* Vbi prætermittens Innascibilitatem duas veluti partes vnius notionis enumerat, videlicet Paternitatem & maioritatem, hoc est prioritatem originis.

Athanas. dialog. 1. de S. Trinit. contra Anomeum col. 3. ait: *Nulla differentia, neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, siue emitti inter se differunt.* Imò Epiphanius hæres. 73. paulo post med. reiicere videtur notionem Ingeniti, & consulit huiusmodi vocem euitare. Quemadmodum & Athanasius orat. 2. contra Arianos in medio. 16

Respond. Ab authoritate, negatiuè non valere argumentum, maximè, quoniam Patres aliquibus in locis non profitebantur, plenum proprietatum aut notionum explicare numerum. Cæterum aliis in locis explicabant Innascibilitatem siue rationem Ingeniti, vt Nazianzenus quidem in eadem orat. & in aliis. Cyrillus Alexand. lib. 2. dialog. de Trinit. col. 3. & 4. Epiphanius in Ancorato col. 7. & Athanas. lib. 2. de propriis personis, & vnito nomine Deitatis in med. libri, & in quæstionibus de natura Dei q. 4. prope medium & q. 5. & 15. & alibi sæpe. Sed de his plura testimonia Patrum videbimus disp. 52. 17 *Innascibilitatẽ non prof. sue omittunt Patres.*

Septimum argumentum, quoniam Innascibilitas, si notio est, non est distincta à Paternitate. Alioqui sequeretur, insufficienter fuisse numeratas notiones à multis Patribus, qui commemorantes Innascibilitatem, omittunt Paternitatem. Vnde videntur, Innascibilitatem, pro Paternitate ponere. Quemadmodum Iustinus citatus in præcedenti disp. 46. sect. 1. probat. 3. solummodo numerat, Ingenitum, Genitum & procedentem. Nazianzenus orat. 13. quæ est 2. de pace propius ad med. quàm ad princ. *Nos*, inquit, *vnam & eandem Diuinitatis naturam agnoscamus principij vocatione, generatione, ac processione agnoscibilem.* Et orat. 23. in laudem Heronis multo propius ad fin. quàm ad med. post num. 32. *Patris proprietas hæc est, quod Ingenitus sit: Filij, quod genitus: Spiritus sancti, quod procedit.* Eodem modo loquitur aliis in locis. Basilius lib. 2. contra Eunomium multo propius ad fin. quàm ad med. *Genitum*, inquit, *atque Ingenitum specificæ ac declaratiuæ quædam sunt differentiæ.* 18 *Septimũ argumentum. Innascibilitatem commemoranti, omittunt Paternitatem.*

Athanas. in quæstionibus de natura Dei, quarum prima est, *Quid est Deus*, quæst. 5. ait: *Omnia æqualiter habet Pater, Filius & Spiritus sanctus præter proprietates suas: proprium enim Patris Ingenitum esse, Filij verò Genitum, Spiritus sancti procedere.* Damascenus lib. 1. fidei c. 2. circa med. ait; tres personas *vnum idemq; esse, præter ignascentiam, nascentiam & processionem.* Et c. 9. inter princ. & med. *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater, Filij sunt, præter ignascendi proprietatem, qua non significat substantiæ differentiam, neque dignitatis, sed subsistentiæ modum.* 19

Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmat. inter princ. & med. *Ingenitum*, inquit, *& genitum & Processio sanctam constituunt Trinitatem.* Et longè inferius ante med. ait: *Vnaquæque persona cæformem sibi sortita est proprietatem significatiuam personalis substantiæ. Pater nuncupationem obtinet Ingeniti*, &c. 20

Alter

Alter Anastas. Patriarc. Theopol. in compendiaria expositione fidei sub init. ait: *Filius à Patre differt hypostasi, quatenus Pater est Ingenitus, Filius verò Genitus, est enim à Patre; & Spiritus sanctus differt à Patre & Filio hypostasi, quatenus procedit.* Concilium Toletan. vndecimum in profess. fidei multo propius ad med. quàm ad fin. *Est*, inquit, *vnicuique personæ manens sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine natiuitate, Filius æternitatem cum natiuitate, Spiritus sanctus processionem sine natiuitate.*

21 *Solutio.* Respond. Geniti negatio vel affirmatio promptior erat & clarior, vt aduersus proteruos probaret realem distinctionem Patris & Filij. Propterea Patres aduersus hæreticos differentes aliquibus in locis, contenti erant, has solummodo notiones explicare. Pleniùs autem aliis in locis explicabant, Paternitatem esse distinctam ab Innascibilitate, sicut positiua relatio distinguitur à negatione. Adde quod Patres aliquando, sicut sub Innascibilitate comprehendunt Paternitatem, ita sub Paternitate vel generatione comprehendunt Innascibilitatem, vt rectè S. Bonauent. 1. dist. 26. art. vnico quæst. 4. ad 2.

SECTIO III.

Defenditur Spirationem actiuam esse notionem.

1 *Obiectio prima.* Contendunt obiectiones aliquæ, Spirationem actiuam non esse notionem. Prima obiectio, quoniam apud antiquos Patres, & ipso etiam tempore Anselmi, posteáque tempore Magistri sententiarum, nondum Spiratio actiua sortita fuerat nomen peculiare sibi, vt constat legenti Magistrum 1. dist. 26. 27. & 29.

2 *Solutio.* Respond. hoc argumento probari tantummodo, quod olim non fuerit, exploratus & definitus numerus notionum, quantum ad earum distinctionem ab inuicem, & earum peculiaria nomina abstracta. Cæterum illæ veritates, quæ quinque notionibus significantur, & ipsa etiam Spiratio actiua, satis perspectæ fuerunt antiquis Patribus. Manifestè namque docuerunt, esse relationem originis mutuam inter Spiritum sanctum & principium, a quo procedit, quamuis hoc principium, quandoque dixerint, esse Patrem, tacendo Filium, quandoque dixerint, principium esse Patrem per Filium, & alibi clarius Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, quod magis exploratum erat Anselmi tempore. Quæ omnia constabunt infra disput. 67. sect. 4. & sequentibus.

Spiratio actiua fuit nomen quo Patribus nota.

3 Adde, quod Athanasius Spirationem actiuam clariùs, quàm alij veterum, explicuit dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæum col. 3. dicens: *Nulla differentia, neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, siue emitti inter se differunt.* Et post pauca: *Pater emittit Spiritum, Spiritus autem procedit.* Eadem voce *emittendi Spiritum sanctum*, prout correspondet actiuæ Spirationi, vtitur Athanas. in quæstionibus de natura Dei; quæ incipiunt, *Quid est Deus*, quæst. 11. & 12. Augustinus autem lib. 5. de Trinit. cap. 11. vsque ad 15. voce *donatoris* significat spiratiuum principium, sicut Spiritum S. significat nomine *doni*. Gregorius lib. 30. moral. cap. 5. aliàs cap. 8. Processionem actiuam appellat *proferre*, dicens: *Is, qui per Processionem producitur, à proferentibus non præitur.* Itaque Patres aliis vocibus idem ipsum significarunt, quod affert notio Spirationis actiuæ.

Ruiz. de Trinitate.

4 *Secunda obiectio.* Secunda obiectio sit, quoniam ea, quæ sunt communia pluribus personis, non possunt inter notiones numerari; sed Spiratio actiua communis est Patri & Filio. Ergo non est notio. Maior probatur, quia de ratione notionis est, vt possit esse ratio dignoscendi & distinguendi personam vnam ab aliis. At verò quæ sunt communia pluribus personis, non possunt esse ratio distinguendi personas easdem.

5 *Licet sit communis duabus personis, est notio.* Respond. Quod est commune duabus personis, potest esse ratio distinguendi easdem personas ab alia tertia. Sic Spiratio actiua est ratio distinguendi Patrem & Filium à Spiritu sancto, qui si non spiraretur ab vtroque, sed tantùm ab vno, distingueretur ab vno, & non ab altero, vt ostendemus disput. 68. sect. 4. & sequentibus. Rursus siue Pater & Filius à Spiritu sancto distinguantur formaliter per Paternitatem & Filiationem, siue non; illud vt minimum esse debet certissimum, aliquo modo, si non à priori, saltem à posteriori nobis esse rationem distinguendi Patrem & Filium à Spiritu sancto, quoniam sunt principium, à quo procedit. Confirmatur, quoniam omnes personas diuinas non distingui, nisi per oppositionem relatiuam, certum est apud theologos supra disput. 9. sect. 5. Hæc autem oppositio Patris & Filij cum Spiritu sancto formaliter tribuitur per spirationem actiuam: ergo per illam optimè cognoscet theologus distinctionem duarum personarum à tertia.

6 *Tertia obiectio.* Inde soluitur obiectio tertia, quæ procedit ex eo, quod Patris & Filij personam esse distinctam à persona Spiritus sancti, cognoscimus priùs, quàm cognoscamus Spirationem actiuam; imò multi fideles simplices credunt, esse distinctas personas, & ignorant Spirationem actiuam: ergo Spiratio actiua non est ratio dignoscendi Patrem & Filium à Spiritu sancto; ac subinde non est notio. Respond. Magis rudis & perfunctoria confusáque cognitio distinctionis est illa, quæ ponitur in argumento. Profundior, exactior, perfectiórque cognitio distinctionis erit, quando distinctè cognoscitur, Patrem & Filium ideo distingui realiter à Spiritu sancto, quia sunt vnum principium illius. *Soluitur.*

7 *Quarta obiectio.* Obiicies quartò, quia Basilius epist. 43. ad Gregorium Nyssenum circa med. ita scribit de Filio: *Nullam prorsus notionum communicationem secundum proprietatem suam tam cum Patre, quam cum Spiritu sancto habet.* Ergo nulla notio communis est Patri & Filio, sicut nulla notio communis est Filio & Spiritui sancto.

8 *Exponitur Basil. & Nyssenus.* Respond. Obseruandum est illud complexum, *secundum proprietatem suam*, quo denotat Basilius personalem proprietatem peculiarem solius personæ Filij. Secundum hanc non habet Filius communem notionem cum Patre, sed habet secundum rationem Spiratoris vtrique communem: & ipse Basilius ibidem notionem communem admittit, vt sequenti argum. constabit. Notandum est autem, quod non omnis notio est proprietas, strictè sumpta, vt videbimus sect. 5. Eodem modo intelligendum est, quod ex Gregorio Nysseno retulimus præcedenti disput. 46. sect. 2. versus finem, *Nullam quantum attinet ad propriam notam & peculiare insigne communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu sancto.*

9 *Quinta obiectio.* Obiectio quinta consurgit ex præcedenti solutione, quia sicut Patri & Filio commune est, quod ab illis procedat Spiritus sanctus, & per hoc distinguuntur ab illo; sic etiam Spiritui sancto commune est à Patre procedere, & per hoc distinguuntur à Patre. Nihilominus nõ ponitur esse peculiaris

notio procedere à Patre. Ergo nec erit peculiaris notio Spiratio actiua: vel è contrario concedenda erit sexta notio cómunis Filio & Spiritui sancto.

10 Confirmari potest, quoniam Basilius in eadem epist. 43. paulo ante verba nuper citata, de Spiritu sancto dicit: *Causa Patris insertam habet essentiam, vnde progreditur, hanc notionem & cognoscibile signum eius, quæ secundum hypostasim est, proprietatis habet, quo cum Filio simul & ipse facit internosci.* Igitur à Patre procedere, notionem esse communem Filio & Spiritui sancto, Basilius existimauit. Nazianzenus autem orat. 23. in laudem Heronis post num. 32. videlicet col. penult. *Hoc*, inquit, *Patri & Filio & Spiritui sancto commune est, quod minimè creati sunt: atque ipsa Diuinitas. Hoc autem Filio & Spiritui sancto, quod vterque eorum ex Patre est.*

11 *Processio passiua communis Filio & Spiritui sancto, non est peculiaris notio.*

Respond. ex S. Thoma hoc art. 3. ad 5. S. Bonauentura & aliis Scholasticis citatis in sect. 1. Processio passiua, communis Filio & Spiritui sancto quoniam vterque procedit à Patre, nó est peculiaris notio, quia non est realiter vna, sed tantùm per abstractionem intellectus accipit vnitatem præcisionis. Propterea quæ nó potest connumerari quasi notio distincta à Paternitate & Filiatione: sicut relatio diuina vt sic, vel persona diuina, cósiderata secundum hanc rationem communem, vel subsistentia relatiua communis, & abstracta à tribus personis, nec auget numerum subsistentiarum, neque est peculiaris subsistentia vel persona, nec auget numerum personarum aut relationum. Vniuersaliter quippe rationes abstractæ non augent numerum inferiorum. Quemadmodum animal, abstractum à rationali & irrationali, non connumeratur cum illis, vt propterea dicamus, esse tria animalia, quæ diuidunt animal in communi, sed duo tantùm animalia, immediatè diuidentia, videlicet rationale & irrationale.

12 Econtrario Spiratio actiua est realiter vna in Patre & Filio, non expectans abstractionem intellectus humani, sed prorsus independenter ab illa. Propterea potuit numerari, vt peculiaris notio, augens numerum aliarum. Quemadmodum numeratur vt quarta relatio, licet sola ratione distinguatur à Paternitate & Filiatione, vt probatum est disput. 18.

13 Ad confirmationem respond. Absolutè verum est, quod Basilius asserit, Filio & Spiritui sancto communem esse notioné procedendi à Patre. Sed Basilius non dicit, hanc rationem communem esse realiter vnam & peculiarem, neque augere numerum notionum: sed ex eo solum verificatur eius sententia, quod notio Filij est Filiatio, & Spiritus sancti notio est Processio, & hæ duæ notiones cóueniunt in ratione communi procedendi à Patre. Quod idem facilius quadrat in verba Nazianzeni.

14 *Sexta obiectio.*

Sextò contra præsentem veritatem obiici possent omnia, quæ contendunt, Spirationem actiuam non esse quartam relationem, distinctam à tribus relationibus, Paternitate, Filiatione & Spiratione. Atque illud potissimum argumentum, quod vnica relatio Patris vel Filij potest respicere plures terminos, quod S. Thomas negat in præsenti q. 32. art. 2. Propterea quæ solet ibi tractari. Verùm hæc & alia soluta sunt tota disput. 18.

15 *Septima obiectio.*

Septimò S. Thomas hic obiicit, cósequens esse, vt notiones, quæ sunt in eadem persona, possint de se inuicem prædicari. Sed ipse negat consequentiã in solut. ad 3. quia notiones significantur quasi diuersæ rationes, sicut non dicimus, quod attributum potentiæ sit attributũ scientiæ, nec dicimus, quod definitio relationis sit definitio subsistentiæ. Notio quippe de formali significat secundam intentionẽ vt dicemus sect. 5. Sed de his prædicationibus dictũ est etiam disp. 13. sect. 3. ad argumenta.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta, quæ contendunt, notiones esse plures, quàm quinque.

SCotus 1. dist. 28. q. 1. post §. *ad argumenta huius quæstionis* in solutione ad 3. sextam notionem addit Filio, quam appellat Inspirabilitatem. Consistit autem in priuatione processionis per voluntatem ad eum modum, quo Innascibilitas Patris consistit in priuatione cuiusque processionis. 1 *Primum.*

Respond. Inspirabilitas in Filio est nota minùs insignis, minúsq; necessaria, vt per eam dignoscatur Filius quantùm ad relationes originis, quibus à Patre & Spiritu sancto distinguitur. Nam origo passiua, qua Filius procedit à Patre per intellectũ, & origo actiua, per quam Filius producit Spiritum sanctum, sufficienter cognoscuntur prius, quàm intellectus aduertat, Filium non posse procedere per voluntatem. At verò Innascibilitas est nota insignior & notabilior, plurimum conferens ad dignoscendas relationes originis, vt probatum est in sect. 1. Ideo licet Innascibilitas numeretur vt notio, nó sequitur, esse numerãdam inspirabilitatem. Confert etiam non nihil ad rationẽ suprà dictam, quod Caietanus notat in præsenti, videlicet in creaturis nullũ filium esse spiratum quamuis omnis pater sit natus (præter Adamum.) Inde namque consurgit aliqua maior necessitas in Patre ponendi Innascibilitatem, qua dignoscatur eius persona, quamuis in Filio non ponatur inspirabilitas. 2 *Inspirabilitas non est notio.*

Secundum argumentum. Sicut Pater est prima persona, quæ à nullo est, & secundum hoc accipitur notio, quæ est Innascibilitas: ita Spiritus sanctus est vltima persona, à qua nulla alia procedit. Ergo secundum hoc poterit augeri alia notio, quæ appelletur negatio cuiusque productionis ad intra. S. Thomas in præsenti art. 3. ad 4. respondet, quod accipi non potest aliqua notio Spiritus sancti ex eo, quod nullam personam producat, quoniam hoc non pertinet ad dignitatem Spiritus sancti, sicut pertinet ad authoritatem Patris, quòd sit à nullo. Notio quippe debet pertinere ad dignitatem personæ, vt vidimus sect. 2. 3 *Secũdum argumentum. An sit notio negatio productionis actiuæ, in Spiritu sancto. Soluit S. Thomas.*

Hæc solutio videtur esse difficilis, quoniam Innascibilitas non pertinet ad dignitatem ratione solius negationis, quam formaliter importat, sed ratione fundamenti positiui, quod de materiali significat. Similiter autem positiuum & reale fundamentum, in quo fundatur negatio producendi vlteriorem aliam personam, est ipsa personalitas Spiritus sancti, quæ secundum suam peculiarem proprietatem est dignitatis non minoris, quàm Paternitas, fundans Innascibilitatem. 4 *Difficultas.*

Nihilominus responderi potest. Quamuis realis proprietas Spiritus sancti sit tantæ dignitatis; attamen prout intelligitur à nobis fundare negationem vlterioris productionis, vt sic, non intelligitur aliquid, pertinens ad eius dignitatem expresè sub ratione dignitatis. Econtrario tamen quando Pater intelligitur esse à nullo, tunc formaliter & explicitè concipitur tanquam habens peculiarem sibi dignitatem & authoritatem. 5 *Soluitur.*

Facilior esse posset altera solutio, veniens ex generalibus principiis traditis in sect. 1. Nimirum, quod à Spiritu sancto nulla persona procedat, hoc nó est insignior & notabilior, magisque necessaria nota 6 *Soluio facilior.*

nota ad dignoscendas personas per relationes originis, eo quod tres personæ possunt iam esse productæ, atque ab inuicẽ realiter distinctæ prius quàm cognoscatur, quod tertia persona sit vltima, nullam aliam personam producens. At verò nulla persona potest esse producta, nisi supponatur vna persona improducta, quæ videlicet à nulla persona sit. Quapropter Innascibilitas est nota, insignior, notabilior & magis requisita ad cognoscendam distinctionem personarum per relationes originis, vt explicatum est fusiùs sect. 1. in probatione primæ conclusionis.

7 *Tertium argumentum.*

Tertium argum. quoniam priùs ignoratæ sunt aliquæ notiones: ideóque solummodo numerabantur Paternitas, Filiatio & Processio. Postea verò, tempore ineunte, auctus est numerus notionum, addita Innascibilitate & Spiratione actiua, vt constat ex duabus sectionibus præcedentibus. Ergo nunc etiam licebit theologis, augere numerum notionum, si repererint aliquas formalitates, quæ propriæ sint vnius tantum personæ.

8 *Solutio.*

Respond. negando consequentiam. Etenim prius quàm à doctoribus fuisset definitus & firmiter constitutus atque præfixus notionum certus numerus; quamuis, tempore incunte, reciperetur in numerum notionum aliqua, quæ prius non fuerat connumerata; non sequitur inde, falsam fuisse doctrinam superioris ætatis, sed tantùm sequitur, creuisse lucem, qua magis explorata fuerit aliqua veritas. Cæterum postquam doctores Scholastici, adhærentes doctrinæ antiquorum Patrum, definierunt fixum & certum numerum notionum, dicentes, non esse plures, neque pauciores: consequens erit, eorum doctrinam fuisse falsam, si concesseris, aliquam notionem denuo repertam fuisse.

9 *Quartum argumentum. De pluribus alijs prædicatis notionalibus.*

Quartum argumentum. Ad numerandam peculiarem notionem à cæteris distinctam, sufficit distinctio rationis ratiocinatæ, vt constat in Spiratione actiua supra sect. 3. Sed alia pleraque notionalia prædicata sunt vnius personæ propria, declarantia distinctionem illius ab aliis personis: ergo plures aliæ notiones erunt numerandæ. Minor probatur plurimis exemplis. Nam persona Patris est fons Diuinitatis, primum principium, Genitor, & Locutor, hoc est, productor Verbi. Filius autem est Genitus, Verbum, imago, character, & secundus à Patre. Spiritus sanctus est donum, vinculum & nexus Patris & Filij, amor productus, datus per Filium, & tertius à Patre.

10 *Magistri solutio.*

Magister huic argumento, licet non omnibus eius exemplis, respondet 1. dist. 27. §. *hic non est*, & §. sequenti ex Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. dicente: *Hoc significari cum dicitur genitus, quod significatur cum dicitur Filius. Ideo enim Filius, quia genitus: & quia Filius, vtique genitus. Sicut autem Filius ad Patrem; sic genitus ad genitorem refertur: & sicut Pater ad Filium; ita genitor ad genitum.* Additóque alio testimonio ex lib. 6. de Trinit. cap. 2. concludit, quod *Eadem proprietate, siue notione dicitur Verbum & Imago, qua Filius.*

11 Ratio cuius est, quoniam Filiatio quidditatiuè postulat similitudinem in natura tanquam imago Patris, eáque similitudo non alia ratione conuenit Filio, nisi quoniam est Verbum totius Patris; perfectissimè repræsentatiuum; vt cóstat ex dictis tota disput. 6. præsertim sect. 2. vbi plurimi Patres obseruant, Filium in sacris litteris appellari Verbum, vt ostendatur perfectissimus modus generationis & Filiationis. Confirmatur, quoniam eadem relatio est Filiatio, & ratio Verbi atque imaginis, vt probatum est disp. 18. sect. 4. probat. 3.

Ruiz de Trinitate.

12 *Quæ distinctio requiritur ad notionem.*

Vnde magis immediatè ad formam argumenti respond. Ad numerandam notionem peculiarem, sufficit ea distinctio rationis ratiocinatę, quæ constituit formalitatem aliquam, integram & totalem in suo genere. Sed non sufficit distinctio, quæ reperitur inter plures quasi partes eiusdem relationis, aut alterius formalitatis. Eadem ergo solutio satisfacit aliis exemplis, seruata proportione personarum. Sic enim Paternitatis veluti partes quædam sunt esse primum principium, fontem Diuinitatis, Genitorem & Locutorem: atque relationis Spiritus sancti veluti partes quædam sunt donum, vinculum & nexus Patris & Filij, amor productus, datus per Filium, & tertius à Patre.

13 *Quintum argumentum.*

Quintum argumentum, quia Basilius lib. vnico de Spiritu sancto cap. 5. sub init. tractans illud Ephes. 4. *Vnus Deus & Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*, docet, *Has voces notare personarum discrimen. Nec enim in hoc adhibentur, vt naturæ diuersitatem inducant, sed vt impermixtam Patris ac Filij notionem approbaret, sic eas adhibuit Apostolus.* Non dissimiliter Nazianzenus orat. 39. in sancta lumina circa medium ante num. 24. *In quibus*, inquit, *verbis, hæ particulæ, ex quo; per quem, & in quo, non naturas secant, verum vnius & inconfusæ naturæ proprietates exprimunt.*

14 *Solutio.*

Respond. Notionalia prædicata trium personarum, quæ significantur illis dictionibus, sunt quidem notiones & proprietates, sed non peculiares atque distinctæ, sed quasi partes earundem relationum Patris & Filij & Spiritus sancti. Quod intelligendum est, præscindendo ab actuali productione creaturarum. Nam si denotetur actualis earum productio ex Patre, per Filium, in Spiritu sancto; sicut creatoris relatio est in Deo denominatio extrinseca; sic etiam in tribus personis tres isti distincti modi sunt tres distinctæ denominationes extrinsecæ personarum, fundatæ in vniuscuiusque personæ proprietate reali. Quapropter prout denotant actualem productionem creaturarum, nec sunt proprietates, neque notiones, sed illas supponunt.

15 *Sextum argumentum. Soluitur.*

Sextum argumentum, quia Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 6. ante med. ait: *Notio perfectionis fœcunditas est.* Ergo personæ Patris addenda est alia notio. Respond. negando consequentiam, quia fœcunditas est notio eadem cum Paternitate, magis explicans aliquam veluti partem illius.

16 *Septimum argumentum.*

Septimum, quia Gregorius Nyssen. lib. de differentia essentiæ & hypostaseos, propius ad med. quàm ad princ. assignare videtur duplicem notionem Spiritus sancti, videlicet, mediatam processionem à Patre, & immediatam processionem à Filio, quam appellat dependentiam, id est, passiuam originem, ratione cuius Spiritus sanctus existere non potest, nisi Patre Filióque producente. *Spiritus sanctus*, inquit, *à Filio quidem cum quo simul immediatè, nullóve intercedente spatio, comprehenditur, pendet: à Patris verò causa, vnde etiam procedit, ipsum esse habet dependens, hoc (nimirum) signum continet, quo eam, quæ circa hypostasim consideratur, proprietatem agnoscamus, nempe quod cum Filio & non absque eo cognoscatur, & ex Patre existat.* Continuóque subiungit aliam notionem Filij, videlicet, *Filius hoc habet insigne, quod Spiritum, qui ex Patre procedit, per se se ac secum notum faciat & indicet.*

17 *Soluitur.*

Respond. has esse veluti partes personalium relationum Spiritus sancti & Filij. Propterea quæ, licet notiones sint, non sunt tamen peculiares notiones, distinctæ à Filiatione & Processione.

18 *Octauum argumentum.*

Octauum argumentum non dissimilem solutionem habet: Augustinus enim videtur, duas notiones superaddere Filio & Spiritui sancto, videlicet, quod Filius sit ab vno tantùm, sed Spiritus sanctus sit à duobus. Nam serm. 38. de tempore statim à med. *Pater*, inquit, *hoc habet proprium, quod ex omnibus, quæ sunt, solus est, quia ab alio non est, ac per hoc solus est in Paternitatis persona. Vnigenitus verò Dei Filius hoc habet proprium, quod ex solo, id est, Patre solus genitus est, & in hoc persone sue proprietas. Spiritus sanctus hoc habet proprium, quod ex Patre & Filio æqualiter procedit*, &c.

19 *Soluitur.*

Respond. Proprietas Filij est, quod ex solo Patre est, sed non est peculiaris, sed quasi partialis ratio Filiationis. Similiter proprietas Spiritus sancti est, quod ex Patre & Filio æqualiter procedat, sed non est proprietas peculiaris, sed quasi pars relationis, constituentis Spiritum sanctum.

20 *Nonum argumentum.*

Nonum argumentum, quoniam origines ratione ratiocinata distinguuntur à relationibus, & non sunt quasi partes illarum. Indicant verò, & veluti signa & notæ nos ducunt in cognitionem distinctam personarum. Ergo origines sunt peculiares notiones. *Soluitur.* Respond. negando consequentiam, tum, quia notiones sunt quasi permanentes formæ, & velut in facto esse, perficientes & demonstrantes personam. Origines autem sunt quasi viæ, tendentes ad notiones ipsas, propterea que origines concipimus quasi in fieri. Consequens igitur est, vt origines reducantur ad notiones, & non augeant numerum illarum, quoniam reductiuè non principaliter sunt notiones. Ita respondet Canariensis aliique docti recentiones in præsenti art. 3.

21 *Decimum argumentum.*

Decimò. Ex dictis sequitur à fortiori, non esse numerandas quasi peculiares distinctásque notiones, eas formalitates, quæ per abstractionem intellectus sunt communes duabus personis, vt producere personam diuinam, vel produci à persona diuina, de quo diximus præcedenti sect. 3. ad obiectionem 5.

22 *Vndecimum argumentum.*

Vndecimò. Colligitur ex dictis, quam numerosa multitudo notionum & proprietatum posset consurgere, nisi notionis & proprietatis acceptio limitaretur ad insigniorem & totalem notam dignoscendi personam, vt hactenus explicatum est.

SECTIO V.

Proprietas à notione relationeq́ distinguitur, quantum ad numerum & rationem formalem.

1 *Proprietas accipitur essentialiter aliquando.*

PLures sunt acceptiones istorum nominum *proprium*, aut *proprietas*, quæ reuocari possunt ad duo primaria membra. Vno modo accipiuntur notionaliter, & altero modo nihil notionale significant, sed tantùm idem valent, quod significatur, dicendo, rem non esse alienam, sed haberi ab aliquo, & illi conuenire ex se ipso. Sic Boëtius lib. de duabus naturis paulo propius ad med. quàm ad princip. ait: *Natura est cuiuslibet substantiæ specifica proprietas: persona verò rationalis naturæ individua substantia.* Hac igitur acceptione *proprium*, & *proprietas* Dei, sunt etiam attributa communia tribus personis; quoniam Deus illas perfectiones habet à se ipso, & in eo sensu sunt propriæ, quod non sunt alienæ, atque insuper à creaturis distinguitur per illas.

2 Sic 2. Petri 1. sub init. *Qui vocauit nos*, inquit, *propria gloria & virtute.* Athanasius serm. 4. contra Arianos col. 3. *Vnum*, inquit, *sunt Pater & Filius suitate & proprietate naturæ.* Et sequenti col. 4. repetit, *proprietatem Patris constituere ipsam essentiam Filij.* vt vidimus disp. 14. sect. 5. sub init. & dialog. 1. de S. Trinitate non longè post med. *Aliud*, inquit, *est proprium hypostaseos, & aliæ sunt proprietates essentiæ.* De quibus Hilarius lib. 12. de Trinit. col. 4. *Ex causa licet perfecta atque indemutabili nascens, necesse est in causæ ipsius proprietate nascatur.* Et lib. 9. in medio frequentius repetit *proprietatem naturæ*, videlicet diuinæ. Hormisda PP. epist. 1. aduersus Nestor. & Eutychet. cap. 2. post med. *Seruemus*, inquit, *diuinæ propria naturæ, seruemus & propria vniuscuiusque personæ.* Eodem modo loquitur Anselmus epist. de processione Spiritus sancti §. 3. sub init.

3 Cyrillus autem Alexand. lib. 2. thesauri cap. 1. propius ad med. quàm ad princip. *Nihil*, ait, *proprium vni est, quod alteri non insit, excepta solummodo Patris & Filij appellatione ac re.* Quod idem aliis verbis in thesauro docuit Cyrillus, prout refert & explicat S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 6. videlicet, *Omnia, quæ Patris sunt propria naturaliter, sunt propria Filij.*

4 Videntur autem eiusmodi locutiones desumptæ ex verbis Christi Domini Ioann. 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quod autem Christus Dominus dixit, esse suum, & haberi à Patre, eodem sensu dicere potuisset, esse propria sibi & Patri. Hoc sensu Ricardus Victorinus lib. 4. de Trinit. c. 16. prope fin. distinguit *proprietates communicabiles* omnibus personis & *proprietates incommunicabiles.* Ad hanc reuocari potest non dissimilis acceptio, iuxta quam dicit Apostolus, *Proprio Filio suo non pepercit*, & Patres communiter dicunt, esse proprium Verbum Patris.

5 *Proprietas notionaliter accepta.*

Verùm præcedens acceptio non est, quæ directè pertinet ad præsens institutum, sed altera, iuxta quam *proprium* & *proprietas* significat aliquid notionale, non conueniens omnibus personis diuinis. Hæc autem subdiuiditur iuxta varios modos, quibus Patres nunc laxius, nunc verò strictiùs accipiunt proprietates. Primò namque *proprietatis* nomen apud Patres aliquando cõplectitur quamlibet notionem, per quam vna persona dignoscitur ab alia. Atque ita Spiratio actiua vel Innascibilitas accipit nomen proprietatis, vt infra videbimus.

6 *Proprietates quinque.*

Sic acceptæ proprietates sunt quinque, neque plures, neque pauciores, vt in præcedentibus sectionibus probatum est. Fauétque dialecticus modus loquendi, iuxta quem quod vni speciei conuenit ab intrinseco, licet non conueniat illi soli, dicitur proprium illius. Quo sensu Spiratio actiua proprietas erit Patris, quia conuenit illi ab intrinseco, quamuis communis sit Patri & Filio, cuius etiam erit proprietas propter eandem rationem, & quoniam per illam vterque dignoscitur à Spiritu sancto.

7 *Proprietas personæ, sed non personalis.*

Obseruat autem S. Thomas in præsenti art. 3. corp. fine, duas notiones, scilicet Innascibilitatem & Spirationem appellari personarum notiones seu proprietates; sed non esse personales notiones seu proprietates, quia personales dicuntur illæ tantum, quæ personas constituunt. Idem sentiunt Scholastici locis citandis ad finem præsentis sectionis, licet antiquorum aliqui vocauerint proprietates personarum etiam attributa essentialia, ita vt bonitas, veritas, æternitas sint proprietates personarum.

8 *Strictior acceptio proprietatis.*

Secundò proprietatis nomen restringitur ad eas, quæ vni tantum personæ conueniunt, siue consti

tuant personam siue non constituant, in quo sensu quatuor sunt proprietates, includendo Innascibilitatẽ, & excluſa Spiratione iuxta modum loquendi S. Thomæ art. 3. corpor. fine & aliorum Scholasticorum locis infra citandis. Sic intelligitur; quod ex Basilio & Gregorio Nysseno retulimus in sect. 3. obiect. 4. videlicet *secundum proprietatem suam*, nihil esse commune Patri & Filio.

9 Hilarius lib. 4. colum. 5. dicit, *Innascibilem potestatem esse propriam Patri.* Et lib. 12. *Proprium esse Patri, quod semper est Pater, & proprium Filio, quod semper est Filius.* Atque in vtroque libro frequenter accipit proprium notionaliter, quamuis etiam accipiat essentialiter, vt est proprium Dei. Augustinus lib. 83. quæstionum q. 69. sub init. Quidquid est vni personæ peculiare, comprehendit nomine proprietatis.

10 *Acceptio strictissima pro tribus relationibus.*

Tertia magísque contracta proprietatis acceptio limitatur ad tres relationes constitutiuas personarum. Quo sensu Innascibilitas & Spiratio actiua non sunt proprietates. Quemadmodum Nazianzenus orat. 25. ad Arianos & de se ipso prope finem num. 52. profitetur Patrem & Filium & Spiritum sanctum *vnam naturam in tribus proprietatibus.* & orat. 37. quæ est 5. de theologia inter princ. & med. ait: *Vnum est tria, si proprietatum rationem habeas.* Et propius ad fin. quàm ad med. eiusdem orat. *Colamus*, inquit, *Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, tres proprietates, vnam Diuinitatem.*

11 Basilius tom. 2. in tract. de vera & pia fide inter med. & fin. ait: *Tria nomina seorsum singula, suam peculiarem proprietatem apertè significant, quæ piè considerari potest in ipsis. Atque in Patre quidem proprietas Patris, in Filio verò proprietas Filij, in Spiritu sancto postremo sua quædam à duobus diuersa proprietas.* Eodem modo loquitur Basilius epist. 78. ad Eustathium, & lib. 2. contra Eunomium inter med. & fin. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmat. non procul ante med. ait: *Proprietates personarum significatiuas esse tres. Pater enim non est Filius*, &c. Et paulo inferius docet, vnius proprietatem non posse conuenire alteri personæ.

12 Ioan. Theologus in Concil. Florentino sess. 18. post med. §. *diuina substantia: Proprietas*, inquit, *communicabilis non est, aliàs non est proprietas.* Et iterum: *Proprietates nequaquam communicabiles sunt.* Ricardus Victorinus lib. 4. de Trinit. cap. 17. sub initium. *Absque dubio*, ait, *in Trinitate oportet, tot personales proprietates esse, quot sunt personæ. Proprietas autem personalis pro certo est incommunicabilis. Proprietas personalis est, ex qua vnusquisque habet esse is, qui est.* Quibus consequentia scribit in eodem & in sequenti capite, & lib. 5. de Trinitat. cap. 11. 13. 14. & 15.

13 Ad eandem acceptionem proprietatis pro tribus solummodo constitutiuis personarum, reuocari debent testimonia Patrum, qui Paternitatis suppresso vocabulo, tres personales proprietates tradiderunt, videlicet Innascibilitatem, Filiationem & Processionem. Nam Innascibilitatem pro Paternitate posuisse videntur, vt Nazianzenus, Athanas. Damascenus, & Concil. Toletan. vndecimum supra sect. 2. argum. 7. Eodem modo loquitur Basilius lib. 2. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. dicens: *Genitum atque Ingenitum esse specificas quasdam proprietates.* Quam appellationem repetit inferiùs.

14 Damascenus lib. 1. fidei cap. 11. propius ad fin. quàm ad medium ait: *Patre non discedente ab Innascibilitate, quia genuit*, & enumerata processione propria Filij & Spiritus sancti, subiungit: *Nam proprietas manet immobilis. Quomodo autem maneat proprietas mutata aut coincidens?* Quibus Damascenus significat, nullam proprietatem conuenire posse duabus personis; atque idem significauerat lib. 1. cap. 9. Colligitur idem ex Nysseno epist. aduersus Apollinarem ferè inter princ. & med.

15 Præterea multis in locis Patres accipiunt proprietates pro personis, vt propterea Theodoretus dialogo *immutabilis* 1. col. 2. merito dixerit: *Hypostasim, personam & proprietatem idem significare dicimus, ea, quæ à sanctis Patribus sunt definita, sequentes.* Vnde factum est, vt plerique Patres personam vel hypostasim ab essentia distinxerint, tanquam proprietatem ab eo, quod est commune, vt Basil. Athanasius, Chrysost. Epiphan. Nazianzen. Damascen. Concil. Florent. & alij citati disputat. 32. tota sect. 2.

16 *Iauciores numero proprietates, quàm relationes.*

Ex quibus tandem colliguntur duæ primariæ conclusiones. Prima iuxta magis receptam acceptionem, magísque frequentatam à Patribus, proprietates sunt pauciores numero, quàm notiones, vel relationes, quia sunt tantum tres proprietates, sicut personæ, quas cõstituunt atque distinguunt. Cæterùm iuxta alias acceptiones sunt quatuor tantùm proprietates; & iuxta laxiorem acceptionem proprietates sunt quinque, sicut notiones.

17 *Proprietas, notio, relatio quomodo differant.*

Secunda conclusio. Licet eadem formalitas realis, veluti Paternitas, sit proprietas, notio & relatio; diuersæ tamen rationes sunt his nominibus significatæ. Paternitas enim est proprietas, quia soli Patri conuenit, eum constituens, atque distinguens ab aliis personis. Eadem Paternitas est notio, quoniam est ratio cognoscendi personam diuinam. Relatio verò, quoniam totum esse illius est habitudo, siue respectus ad Filium. In prædictis duabus conclusionibus concordant communiter Scholastici Alexand. 1. p. q. 68. memb. 2. Albertus 1. p. q. 30. memb. 2. art. 1. circa med. Henricus p. 2. art. 55. q. 3. 4. & 5. S. Bonauent. dist. 26. art. vnic. q. 4. Durand. dist. 26. q. 2. num. 7. Ricardus dist. 27. art. 1. q. 1. & dist. 28. art. 1. q. 1. Maior. 1. dist. 26. q. vnica multo propius ad fin. quàm ad med. Carthusianus eadem dist. 26. q. 4. S. Thomas 1. dist. 26. q. 2. art. 3. corp. & in præsenti art. 3. q. 32. Vbi Caietanus, Canariensis, Vazquez, Molina & cæteri expositores.

18 Duo corollaria deducuntur ex dictis. Primum est, nullam esse rationem prohibendi theologis, ne *proprietatis* nomen vsurpent qualibet acceptione superiùs numerata, propter authoritatẽ, quam imitari licet. Consultius tamen & laudabilius erit, *proprietatis* nomen restringere semper ad tres relationes personales.

19 *Ens rationis est ratio formalis proprietatis.*

Secundum corollarium est. Ratio formalis, quæ proprietatis nomine significatur, est ens rationis, quemadmodum definitionis aut differentiæ ratio formalis. Probatur primò, quia non est realis constitutio personarum, quam significat proprietatis nomen, vt ostendemus disputat. 86. sect. 4. Secundò, quoniam *proprietas*, cum dicatur in ordine ad personam, cui soli conuenit, supponit distinctionem à persona, cui conuenit. Hæc autem distinctio non est nisi per intellectum disput. 46. sect. 5. Ergo neque ratio proprietatis potest esse nisi per intellectum.

20 Similiter notionis ratio formalis est ens rationis; tum, quia dicitur in ordine ad intellectum nostrum, cuius est obiectiua ratio cognoscendi personam; tum etiam, quoniam supponit distinctionem à persona, sicut proprietas. Vnde constat, relationes secundum suam rationem formalem

distingui à proprietatibus & notionibus, quemadmodum formalitas realis distinguitur à secundis intentionibus,quas fundat; sicut rationale distinguitur à secunda intentione differentiæ vel subiecti aut prædicati. Nam relationes diuinæ secundum formalissimam rationem sunt reales, suprà tota disput.9.

QVÆSTIO XXXIII.

De persona Patris.

ARTICVLVS I.

Vtrum competat Patri esse principium.

DISPVTATIO XLVIII.

Quo gradu Patri, cæterisque personis conueniat ratio principij.

SECTIO I.

Pater est principium Filij & Spiritus sancti.

1 CATHOLICA fides docet, Patrem esse principium Filij & Spiritus sancti. Augustlib.5.de Trinit.c.14. init. *Si gignens*, inquit, *ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum.* Et in fine eiusdem capitis: *Pater & Filius relatiuè ad Spiritum sanctum vnum principium.* Basil.homil.28.de Spiritu sancto contra Sabellianos inter princ.& med. dicit: *Ex principio Patris Filium subsistentem.* Et post pauca: *Vnum principium* (videlicet Patrem) *vnumque ex ipso principio*, nempe Filium. Eadem appellatione principij,comparatione Filij,Patrem significat lib.1. contra Eunomium à medio vsque ad fin. & lib. 2. ante med. & post med. Athanas. orat. 2. contra Arianos inter princip. & med. ait: *Pater principium Filij & genitor est.*

2 Nazianzenus etiam frequenter asserit, Patrem esse *principium Filij & Spiritus sancti*, velut orat.13. quæ est 2.de pace circa med.& orat.29.de dogmate & constitutione Episcoporum ante med. & post med. Cyrillus Alexan.lib.2.thesauri cap.1. sub initium. *Alius*, inquit, *est Pater, alius Filius: & alius est principium, alius ex principio.* Quas voces ibidem frequenter repetit, & lib. 2. thesauri cap. 2. Sophronius Patriarch. Constantinopol. in epist. profess. fidei sexta Synodo act.11. col.2. ita scribit de Filio: *Non aliud principium,quàm Patrem cognoscentem.*

3 Colligitur ex Concilio Lugdunensi sub Gregor. XI. quod refertur cap.1.de summa Trinitate in sexto: necnon ex Concilio Florentino sess. vltima in litteris vnionis.Nam in vtroque Concilio definitum est, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio,tanquam ab vno principio. Vnde manifestè sequitur,Filium à Patre tanquam à principio procedere. Nulla quippe ratio discriminis assignari potest, propter quam Filius non procedat tanquam à principio,cum Spiritus sanctus,à principio procedens, excludat omnem formidinem imperfectionis, & aliunde principij generalis ratio verificetur, vt infra constabit. Idem significant Concilia & Patres dicentes: Pater est principium aut fons Diuinitatis,infra sect.5.& 6.

Colligitur ex sacris litteris Ioan.1. *In principio erat Verbum*, hoc est in Patre. Ita intelligit Athanasius orat.5. contra Arianos à princip. & eodem modo videtur intelligere dialogo 2. de S.Trinit. contra Anomœum non longè post med.& in quæstionibus ad Antiochum q.56. & orat.3. contra Arianos propius ad med. quàm ad finem. Magis apertè Cyrillus Alexand. lib.1. in Ioan. cap.1. & lib.12.thesaur.cap.15.sub init. Gregorius Nyssen. in orat. de fide ad Simplicium statim à med. Nazianz. orat.35.quæ est 3.de theologia inter med. & fin.num.64. Augustin.lib.6.de Trinit. cap.2. & lib.3. contra Maximinum cap.17. prope fin. & in id Psal.109. *Tecum principium.* Clemens Alexand. orat. adhortator. ad gentes. Origenes tract.1. in Ioannem,& homil.2,in diuersos.Theophylus Antiochen. lib.4.allegor. Idacius lib.4. contra Varimadum. Prosper ad illud Psalm.109. *Tecum principium.* Beda & Rupert. Ioan.1. S.Thom. opusc.1. contra errores Græcorum cap.1.

5 Quamuis alij Patres exponant, ea dictione, *principium*,significari æternitatem & non Patrem, quod in præsenti disputare non vacat,satis est tot Patrum authoritatem,& sequentia verba contextus, aliáque testimonia eiusdem euangelij priori explicationi suffragari.

6 Secundò colligitur ex Psal.109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum;ex vtero ante luciferum genui te.* Vbi nomine principij Patrem intelligunt Nazianzenus orat. 35. quæ est 3.de theologia inter med.& fin.num.64. Cyrillus lib.1.in Ioan.cap.1.Augustin.& Prosper ad eum versum, Phœbadius lib. contra Arianos propius ad med.quàm ad princ. Rupertus lib.1.de Trinit.c.6. vsque ad 10. Nec obstat alios aliter exponere,vt videre est apud neotericos enarratores.

7 Præterea, Patrem esse principium in ordine ad Filium & Spiritum sanctum,docent omnes Scholastici cum Magistro in 1. dist. 29. cap. *deinde*, & cum S.Thoma in præsenti q. 33. art.1. Ratione probat S.Thomas,quoniam omne illud,à quo aliquid quocumque modo procedit,est principium. Sed à Patre procedit Filius & Spiritus sanctus. Ergo Pater est principium Filij & Spiritus sancti. Maior sumitur apertè ex Aristotele lib. 5. metaphys. toto cap.1. enumerante varios modos principiorum, quos omnes in vnum colligens post med. cap.ait: *Omnibus igitur principijs commune est, esse primum,vnde aut est,aut fit,aut cognoscitur.* Quorum explicationem relinquo metaphysicis.

SECTIO II.

Analogia principij quatenus Deo conuenit.

1 DVplex ratio *principij* Deo conuenit, altera notionalis,quatenus vna persona est principium alterius ad intra: altera essentialis, quatenus Trinitas est principium creaturarum ad extra. De vtraque ratione *principium* analogicè prædicari, docet communis sententia Scholasticorum. Alex.1.p.q.70.memb.1. Albert.1.p.q.41.memb.1. art.1.& 2. S.Thomas 1.dist.29.q.1.art.2. S Bonauent.& Ricard.eadem dist.29,art.1.q.2. Vbi Scotus q.vnica. Durandus q.1.num.8.Capreolus q.1. art.1.concl.2. Gabriel.in eadem dist.29.q.1. art.2. Argentina

Communis sententia.

Argentina quæst. vnica art. 2. conc.2. Dionysius Carthusian. in eadem dist.29. quæst.2. Marsilius 1.q.31. artic.3. dub.4. Caietanus, Canariensis & communiter expositores in presenti quæst.33.a.1. vbi Molina disput.1.circa medium Vazquez disp. 139. cap.5.

2 *Dictum primum.* Dico igitur primò. Si *principium* accipiatur in actu secundò, prout significat relationem, aut quamlibet aliam rationem, qua Deus constituitur actualiter producens: sic manifestum est,non esse vniuocam rationem principij,quatenus Deus est principium, personarum ad intra,vel est principium creaturarum ad extra. Probatur,nam inter ens reale & ens rationis nulla potest vniuocatio interuenire, sed tantùm analogia proportionis cuiusdam,vt constat ex logica.Sed ratio principij actualis ad intra est in Patre realis ipsa relatio Paternitatis & Spirationis actiuæ. At è diuerso ratio principij actualis, comparatione creaturarum, est in Deo sola denominatio extrinseca ab actione transeunte in creaturas, quæ denominatio est ens rationis. Ergo ratio principij,actualiter producentis creaturas, non potest vniuocè conuenire cum ratione principij, actualiter producentis personas ad intra.

3 *Dictum secundum.* Dico secundò. Si principium creaturarum accipiatur in actu primo, prout includit,non solùm omnes perfectiones essentiales Dei, per quas est potens producere creaturas; sed etiam volitionem efficacem & liberam creandi tales creaturas, & imperium liberum præscindendo ab emanatione creaturarum ad extra, quæ necessariò consequitur ex imperio: sic ratio principij creaturarum vltimò, & in actu secundo determinata ad producendum, est realis, secundum se totam in Deo. Nihilominus huic principio creturarum & principio personarum ad intra procedentium, nihil potest esse propriè vniuocum,neque propriè analogum: quoniam hæc inferiora non sunt adæquatè distincta,sed quantum ad naturam sunt prorsus idem & vnum numero.

4 Proximiùs tamen accedunt ad analogiã,quàm ad æquiuocationem vel vniuocationem,quoniam ratio principij transcendit vltimas differentias principij personarum ad intra, & principij creaturarum ad extra. Quod intellige, sicut in simili declaratum fuit tota ferè disput. 35. præsertim sect.3.

5 *Dictum tertium.* Dico tertiò. Ex dictis sequitur, ad huiusmodi analogiam defendendam,opus non esse prioritate vel dependentia, per quam ratio principij prius & principalius conueniat principio processionis ad intra, quàm principio processionis ad extra, vel è contrario. Quia sola transcendentia sine inæqualitate satis est ad analogiam, vt probatum fuit in anteprædicamentis. Quamuis communiter Scholastici, citati initio sectionis, oppositum supponere videantur, propterea quærentes prioritatem rationis & dignitatis inter vtrumque principium, quam breuiter explicare non erit inutile.

6 *Dictum quartum.* Dico igitur quartò. Si comparentur inter se relationes, quæ constituunt actuale principium ad intra, & relationes, quæ constituunt actuale principium ad extra modo explicato in assertione prima: sic manifestum est, prius & perfectius principio notionali personarum ad intra conuenire rationem principij. Quoniam ea ratio est aliquid reale, æternum atque diuinum: posterius autem & imperfectius principio creaturarum ad extra conuenire rationem principij, quoniam ea ratio formaliter est ens rationis & denominatio extrinseca, in tempore prouenies ab aliqua realitate creata.

7 *Dictū quintum.* Dico quintò. Si comparentur inter se potentiæ, per quas Deus constituitur in ratione principij in actu primo, nimirum comparando potentiam generatiuam & spiratiuam cum potentia creatiua: sic etiam ratio principij prius atque perfectius conuenit principio notionali ad intra, quàm principio essentiali creaturarum ad extra. Tum,quia principium notionale quidditatiuè est simpliciter necessarium, & respicit terminũ producendum, æternitate priorem, ac Diuinitate præstantiorem. Tum etiam, quoniam per se præsupponitur, ac prærequiritur, vt Deus esse possit principium creaturarum.Sed istæ rationes ex professo tractandæ sunt disp.99. sect.5.

8 *Dictum sextum.* Dico sextò. Comparatione principij generandi Verbum, & principij spirandi Spiritum sanctum, ratio principij est analoga, quia transcendit vltimas differentias vtriusque principij, quod ad analogiam esse satis, dictum est assert. 2. & 3. Confirmatur, nam aliqua ratio proprietatis, nostro modo intelligendi reperitur, iuxta quam principium generationis prærequiritur ad principium spirationis, sed principium spirationis non requiritur ad principium generationis.

9 Quapropter recedimus à sententia Scoti 1. dist. 29. quæst. vnica in fine cap. asserentis, esse vniuocam rationem principij notionalis ad principium generationis & spirationis, quem aliqui recentiores sequuntur. Sed eorum fundamenta refutata sunt disp.35. sect.3.

SECTIO III.

Vtrum Pater sit initium Filij, & Filius habeas principium,& sit principiatus.

1 RESTANT nonnullæ difficultates circa modum loquendi de pincipio vel initio Filij in hac & in sequenti sectione tractandæ. Prima difficultas est, vtrum Pater sit initium Filij. Pars affirmatiua probari potest primò,quoniam initium est idem, quod principium.

2 *Patrem esse initium Filij, contendunt hæc argumẽta.* Secundò, quia nonnulli Patres ita loquuntur, vt Clemens Romanus recognit.lib.2.pag penult. ait: *Filium Dei Vnigenitum dicimus, non ex alio initio, sed ex ipso ineffabiliter natum,* videlicet Deo Patre. Athanas. dialogo 1. contra Macedon. multo propius ad med. quàm ad principium, notat, Filium dixisse: *Nihil facio à me ipso, vt bonorum initium Patri adscribat.* Loquitur autem de bonis, quæ per æternam generationem accepit. Chrysostomus hom.1.in symbol. Apostol. prope med. *De substantia Patris genitum, & initium de Patre habere dicimus.*

3 Phæbadius lib.contra Arianos prope med.*Hoc est*, ait, *principium sine principio. Hic est ortus, habens initium in natiuitate, in statu non habens.* Syrmica Synodus canone 26. anathematizat eum, *qui innascibilem & sine initio dicat Filium tanquam duo sine principio, & duo innascibilia, & duo innatæ dicens, duos faciat deos.* Ita refert ac defendit Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med.quàm ad fin. Et plenius explicat Alexander 1.par. q.69. memb. vltimo in fine.

4 Tertiò probari posset Ecclesiast.24.vbi Sapientia suam æternam generationem ita manifestat: *Ab initio & ante secula creata sum*, quod imitatur Concil.Toletanũ Vndecimum & VVormacienſe,

cum ita fidem profitetur paulo poſt princ. *Filium de ſubſtantia Patris ab initio ante ſæcula natum, &c.*

5 *Quo ſenſu ſit tolerabile initium.*

Propter hæc Dico primò. Si nomen initij fuerit explicatum in eadem ſignificatione ſumi, qua principium: tolerari poterit qui dixerit, Patrem eſſe initium Filij, & Filium eſſe à Patre tanquam ab initio.

6 *Tutius eſt nõ dicere initium.*

Dico ſecundò. Tutius & præferendum conſilium eſt abſtinere à prædicta locutione, & negare, Patrem eſſe initium Filij iuxta ſententiam Magiſtri 1. diſt. 29. cap. *deinde*, quam magis explicat S. Thomas in fine diſtinctionis eiuſdem in expoſitione textus, & tacitè probat S. Bonauent. ibidem, & communiter Scholaſtici. Probatur primò, ex Hilario lib. 4. de Trinit. col. 3. dicente: *Confitetur Patrem æternum, & ab origine liberum, confitetur & Filij originem ab æterno. Non ipſum ab initio, ſed ab ininitiabili.* Sic enim legendum eſt, vt habent correctiores Codices Hilarij, non ſicut legit Magiſter, S. Thomas & communiter Scholaſtici *initiabili*. Nam Hilarius non intendebat aſſerere, Patrem eſſe initium creaturarum (vt Magiſter exponit) neque illa terminatio vocis actiuam potentiam ſignificare ſolet, ſed paſſiuam. Quod autem Pater ſit ininitiabilis, oſtendunt priora verba, *Ab origine liberum*, & quæ continuò ſcribuntur, *quia à nemine ſemper eſt.*

7 Athanaſius orat. 2. contra Arianos inter princ. & med. dicit: *Exiſtentiam ante ſæcula non principio initiatam ſacræ Scripturæ de Filio edocent.* Et orat. 3. propius ad med, quàm ad fin. ex profeſſo refutat, initium de Filio dicere, quod proprium creaturarum eſſe decernit. Conſonat Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 8. & Fulgentius lib. 1. ad Traſimun. c. 6. ait: *Sine initio natum ex Patre.*

8 Probatur ſecundò, nam ita loquitur Apoſtolus Hebræ. 7. ſub initium de Melchiſedech. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei.* Aliiſque plurimis in locis Scriptura ſacra frequentius initij nomen refert ad durationem, ſiue temporalẽ, ſiue æternam. Itaque iuxta phraſim Scripturæ ſacræ nomen initij non ſolet ſignificare principium productiuum. Imo neque apud Philoſophos naturales aut metaphyſicos, qui cauſas non ſolent *initia* nuncupare, multominus apud theologos Scholaſticos.

9 Vnde ſumitur probatio tertia, quoniam initij nomen vt plurimum accipitur pro principio, non originis, ſed durationis. Ergo non erit prorſus à ſuſpicione liberum dicere, Patrem eſſe initium Filij, aut Filium eſſe à Patre, vt ab initio.

10 Ad primum igitur argumentum ſolutio conſtat ex dictis, quoniam initium non eadem ſignificatione ſumitur, qua principium. Ad ſecundum conſtat ex aſſert. 1. quo ſenſu tolerari poſſint ciuſmodi locutiones. Ad tertium Eccleſiaſtici 24. *Ab initio*, ſignificat idem quod *Ab æterno*, ſicut Micheæ 5. de æterna Meſſiæ generatione dicitur: *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.*

11 *Filium habere principium, Arius obijciebat.*

Secunda difficultas eſt, vtrum Filius habeat principium. Affirmatiua pars videtur ex præcedentibus colligi, quoniam Filius habet Patrem, qui eſt principium Filij. Ergo habet principium. Sed è contrario contendebat Arius inde probare, Filium non eſſe Deum hoc argumento: *Principium habet Filius; Deus verò ſine principio eſt.* Ita loquitur Arius in epiſt. ad Euſebium Nicomedien. & in epiſt. ad Alexandrum Alexandrinum Catholicos appellat *Introducẽtes duo ingenita principia.* Et poſt pauca: *Principium ipſius eſt, velut Deus ipſius*, videlicet Filij. Has epiſtolas refert Epiphanus hæreſi 69. pagina 2.

12 Ea propter *Anarchos*, ideſt, *principij expers*, vox erat, ad quam, velut ad arcem confugiebat Arius, vt defenderet, Filium & Spiritum ſanctum non eſſe Deum, quia non ſunt principij expertes, quod eſſe putabat de eſſentia Dei. Ita refert ac refutat Nazianzenus orat. 13. quæ eſt 2. de pace circa med. Idem præſtat orat. 37. quæ eſt 5. de theologia longè poſt med. Ergo Catholici repugnare debemus Ario, dicentes, Filium non habere principium, ſed eſſe principij expertem.

13 *Dictum primum. Sine diſtinctione nec affirmãdum eſt neque negandũ, quod Filius habet principium.*

Nihilominus Dico primò. Abſolutè ac ſine diſtinctione loquendo, non eſt concedendum, quod Filius habeat principium; quoniã communi modo loquendi ſonãt hæc verba durationis initium, vt notat Magiſter 1. diſtinct. 29. cap. penult. fine, quem ſequuntur Scholaſtici, nemine, quem ſciam, contradicente. Ideo Nazianzenus orat. 49. de fide inter princ. & med. dicit, Verbum non habuiſſe principium.

14 Confirmatur, nam Athanaſ. tom. 2. in quæſtionibus, quarum prima eſt, *Quid eſt Deus*, quæſt. 5. & quæſt. 13. aſſerit, eſſe *principio carentes & principij expertes ſimul tres, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.* Et propterea etiam appellari *aborigines.* Loquitur autem de principio durationis, vel certè de principio productiuo Deitatis ratione ſui. Deitas enim expers eſt cuiuſcumque principij, non per poſitiuam repugnantiam, ſed per abſtractionem indifferentem, infra diſp. 52. ſect. 6. Eandem appellationem *principio carentis*, Filio tribuit Athanaſius in reſcripto ad Liberium Romanum epiſcopum. Damaſcenus lib. 1. fidei capit. 8. poſt med. ſæpe dicit, genitum eſſe Filium *ſine initio, & ſine principio.* Hippolytus Martyr homil. de conſummat. mundi, col. penult. ſic Filium alloquitur: *Tu vnà cum Patre cares principio.*

15 *Dictum ſecundum.*

Dico ſecundò. Similiter è contrario non eſt aſſerendum, quod Filius non habeat principium ſine diſtinctione & abſolutè loquendo. Primò, quia Syrmica Synodus canone 26. anathematizat eum, *Qui innaſcibilem & ſine initio dicat Filium tanquam duo ſine principio, & duo innaſcibilia & duo innata dicens, duos faciat deos.* Et quamuis huius Concilij authoritas perexigua ſit, quippe quod fuerit partim propter apertam blaſphemiam reprobatum: attamen partim etiam approbatum fuit, quantum ad eos præſertim canones & in eo ſenſu, quem exponit Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad finem, vbi præſentem canonem approbat.

16 Probatur ſecundò, nam aliqui Patres perſpicuè dicunt, quod Pater *dat principium* Filio, & Filius *habet principium à Patre.* Ita loquitur Baſil. aliquoties, vt lib. 1. contra Eunomium à medio vſque ad fin. & lib. 2. prope med. & longè poſt med. & longè ante finem. Cyrillus Alexand. lib. 2. theſauri cap. 2. ferè inter princ. & med. *Pater*, inquit, *ex nullo principio eſt, Filius verò Patrem habet principium.*

17 Tertiò, quoniam non habere principium eſt eſſe innaſcibilem; hoc autem eſſe proprium Patris, concors ſententia fert antiquorum Patrum infra diſp. 52. ſect. 3. & ſequentibus. Confirmatur primò, quoniam eſſe principij expertem, proprium eſt Patri, vt notat Nazianzenus orat. 25. ad Arianos & de ſe ipſo prope fin. & in fine, orat. 26. col. 3. & alibi ſæpe maximè orat. 37. longè poſt med.

18 Confirmatur ſecundò, nam quodammodo fateri

teri videremur, quod Arius Catholicis imponebat, videlicet, introducere duo ingenita ſine principio. Denique, quia verè Filius habet principium generatiuum, videlicet Patrem; & rectè Nazianzenus orat. 13. quæ eſt 2. de pace circa med. Filium & Spiritum ſanctum appellat *ea, quæ à principio manant.*

19 *Dictum tertium.*

Ex quibus infero, & Dico tertiò. Nulla nota vel reprehenſione dignus erit, ſiue qui dixerit, Filium non habere principium; ſiue qui dixerit, Filium habere principium: quoniam vtraque propoſitio, licet vocis ſono contradictoria videatur, verum ſenſum reddit Catholicis auribus, & habet authoritatem à Patribus nuper citatis.

20 *Dictũ quartum.*

Dico quartò. Melius & tutius erit, diſtinguendo, concedere, quod Filius habeat principium originis, ſed negare principium durationis aut temporis. Quemadmodum Nazianzenus orat. 29. de dogmate & conſtitutione epiſcoporum circa med. & paulo poſt med. ait: *Filius, ſiquidem vt cauſam Patrem accipias, nequaquam principio caret; principium enim Filij Pater eſt, vt cauſa. Sin de tempore principium intellexeris, principij quoque omnis expers eſt* Filius. Eodem modo diſtinguit orat. 39. quæ eſt in ſancta lumina, & orat. 23. in laudem Heronis verſus fin. Athanaſius orat. 2. contra Arianos inter princ. & med. & orat. 3. propius ad med. quàm ad fin. Baſilius & Cyrillus Alex. locis citatis in aſſert. 2. Cyrillus Hieroſolymit. cateche. 11. dicit, Patrem eſſe *principium Filij ſine tempore & ſine principio.* S. Bonauentura 1. diſt. 29. in expoſitione literæ clarius diſtinguit.

21 Vnde conſtat ſolutio ad obiectionem Arij. Deus enim eſt ſine principio durationis, ſed non eſt ſine principio productionis quantum ad perſonam Filij & Spiritus ſancti, licet eorum Diuinitas, præciſè conſiderata, ſit expers principij.

22 Tertia difficultas, vtrum Filius ſit principiatus. Albertus 1. par. quæſt. 30. memb. 2. fine, dicit, Verbum diuinum eſſe principiatum à principio loquente. Durandus 1. diſt. 11. quæſt. 2. num. 20. dicit, Filium & Spiritum ſanctum *eſſe principiatos.* Idem tribuitur Henrico quodlib. 6. quæſt. 1. Inſuper recentiores aliqui cenſent, in ea locutione nihil eſſe periculi.

23 Fauet, quod Athanaſium dixiſſe, refert S. Thomas opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 2. ſub init. *Non eſt imprincipiatus Spiritus, hoc eſt, ſine principio & cauſa: ſed potius ipſum demonſtrat Deum verum: principiatum tamen non ex tempore, ſed ex cauſa vera originis.* Cui conſonat quod Athanaſ. in quæſtionibus de natura Dei quæſt. 4. prope med. & quæſt. 11. & 12. repetit: *Filium & Spiritum ſanctum eſſe ſolummodo cauſatos à Patre, & non cauſas.* Sic Filium & Spiritum ſanctum appellari *cauſata* à Dionyſio de diuin. nomin. cap. 2. refert Genebrar. ex Græco exemplari lib. 1. de Trinit. licet ego nondum inuenerim.

24 Poteſt etiam probari, quia principium & principiatum correlatiua ſunt. Sed Pater eſt principium Filij, atque vt ſic non reſpicit aliud correlatiuum niſi Filium. Ergo Filius eſt principiatus à Patre.

25 *Non eſt principiatus Filius, nec Spiritus ſanctus.*

Nihilominus abſolutè negandum eſſe, Filium & Spiritum ſanctum eſſe principiatos, docet S. Thomas dicto opuſc. cap. 1. & in præſenti art. 1. ad 2. quoniam apud Latinos doctores principiati nomen ſonat ſubiectionem aut principium temporis. Quapropter à Græcis Patribus raro vſurpatur, vt longius diſtent ab occaſione erroris. Eandem doctrinam amplectuntur plerique recentiores vt Molina in præſenti art. 1. diſput. 4. init. Vazquez diſput. 139. cap. 5. fine. Suarez Metaph. diſp. 12. ſect. 1. num. 32. Rectè tamen adnotat S. Thomas de potent. quæſt. 10. art. 1. ad 9. *Apud ſanè intelligentes poſſe concedi, Filium eſſe principiatum.*

Ad rationem in oppoſitum reſpond. ex eodem 26
D. Thoma in præſenti art. 1. ſolut. ad 2. non ſemper ea, quæ ſecundum vocem correlatiua ſunt, poſſe concedi de perſonis diuinis. Quamuis enim Pater dicatur maior Filio, non eſt concedendum, Filium eſſe minorem, infra diſput. 50. ſect. 2. Vniuerſaliter enim ea, quę ſonant authoritatem vnius perſonæ, concedimus; negamus tamen eorum correlatiua, ſi ſonant alterius perſonæ ſubiectionem & inferioritatem.

SECTIO IV.

Vtrum Filius ſit principium de principio, ſintq; plura principia.

RAtio difficultatis conſurgit ex præcedenti 1
ſectione; quia ſi Pater eſt principium Filij, videtur eſſe conſequens, Filium non eſſe principium Spiritus ſancti. Nam, quod eſt ab alio principio, non poteſt eſſe principium iuxta definitionem Ariſtotelis lib. 1. phyſicor. cap. 5. ſub init. videlicet text. 42. *Principia, neque ex ſeſe mutuò, neque ex alijs fieri, & ex ipſis omnia eſſe oportet.* Cui conſonat lib. 5. de generat. animalium cap. 7. verſus fin. dicens: *Hoc eſt principium eſſe, vt ipſum quidem cauſa ſit multorum, ſed ipſius nulla ſit ſuperior cauſa.*

Dico primò. Ne Filius ſit principium Spiritus 2
ſancti, non obſtat præſens obiectio. Probatur primò, quoniam ad rationem principij ſatis eſt, non eſſe ab alio principio in eodem genere, quamuis ſit ab alio principio in diuerſo genere. Sic enim forma corruptibilis eſt principium compoſiti naturalis, quamuis in diuerſo genere ſit ab alio principio, videlicet à materia prima & eius diſpoſitionibus, tanquam à cauſa materiali & à Deo & cauſa naturali generante tanquam à principio efficiente. Poterit ergo Filius eſſe principium Spiritus ſancti ſimul cum Patre, quamuis Filius procedat à principio, quia ſunt quaſi diuerſa genera principij generantis per intellectum, quod eſt vnica perſona, & principij ſpirantis per voluntatem, quod principium, quamuis ſit realiter vnum, complectitur perſonas duas. *Principiũ eſt Filius, licet ſit à principio.*

Secunda ratio eſt, quoniam ſpiratiui principij 3
potentia ſiue principium *quo*, non eſt productum à Patre, ſed tantum eſt communicatum Filio: eſt enim eſſentia diuina ſub ratione volitionis, vt ſuo loco declarabitur. Denique Ariſtoteles 1. phyſ. citato loquitur de principio corporis naturalis, & 5. de generatione animalium citato de principio, quod verè & propriè eſt cauſa: ſed nullius perſonæ diuinæ datur cauſa propriè dicta, vt videbimus diſp. 49. præſertim ſect. 3.

Dico ſecundò. Filius, abſolutè & ſimpliciter 4
loquendo, concedendus eſt, eſſe principium, ſiue Spiritus ſancti, ſiue creaturarum. Ita loquuntur Patres iuxta demonſtrationem theologicam, quæ id conuincit. S. Martialis epiſt. 1. ad Burdegalenſes cap. 10. in med. ait: *Ipſe eſt principium, quia de principio ineffabiliter genitus eſt.* Nazianzenus orat. 35. quæ eſt 3. de Theologia inter med. & fin. n. 64. ait: *Deus Verbum, quod in principio erat, & cum principio, & principium.*

Imo

5 Imo quod nouum eſt atque mirabile, hoc peculiari nomine principij Filium à Patre & Spiritu ſancto, diſtinguit Nazianzenus, tanquam Filius ſolus ſit principium, orat. 32. ad centum quinquaginta epiſcopos à medio. Rationem autem aſſignabimus, quando verba retulerimus ad probandam Spiritus ſancti proceſſionem à Filio, diſp. 67. ſect. 6. circa med. Gregorius Nyſſenus lib. de perfecti Chriſtiani forma col. antepenult. de Chriſto Domino ait: *Principium eſt, atque adeo rerum omnium principium,* &c.

Nomine principij Filium à Patre & Spiritu ſancto Nazianz. diſtinguit.

6 Cyrillus Alexand. lib. 12. theſauri cap. 15. ſub init. *Ipſe Filius,* inquit, *etiam principium eſt: non eſt igitur ipſe ab alio principio creatus. Ita enim duo principia vnum ante alterum darentur: quod dicere ſtultum eſt.* Syrmica Synodus canone 26. *Caput,* inquit, *quod eſt principium omnium, Filius: caput autem, quod eſt principium Chriſti, Deus.* Ita refert & approbat Hilarius multo propius ad med. quàm ad princ.

7 Colligitur nõ improbabiliter ex Ioannis octauo capite, vbi Chriſtus Dominus interrogatus, quis eſſet, ita reſpondit; *Principium qui & loquor vobis.* Ioan. 8. vbi Chriſtum Dominum appellari principium, exiſtimant plerique Latinorum Patrum. Ambroſius 3. de fide cap. 4. inter princ. & med. & lib. 5. cap. 5. prope med. & lib. 1. Exæmeron c. 2. & 4. Auguſtinus lib. 5. de Trinitate c. 13. & lib. 3. contra Maximinum capit. 17. prope fin. lib. 11. confeſſionum capit. 8. & in pſalm. 109. ad illud *Tecum principium,* & lib. 1. de Geneſ. ad literam capit. 5. aliiſque locis. Fulgentius lib. 2. ad Traſimundum cap. 5. inter princ. & med. Gregorius Magnus in pſalmos pœnitentiales ad illum verſum Pſalmi 5. *Initio tu Domine terram fundaſti,* in principio commentarij. Proſper in commentario ad pſalm. 109. circa illud *Tecum principium,* &c. Bernardus lib. 5. de conſiderat. prope med. Beda & Rupertus in huius loci commentario, & coniectura eſt, Hieronymum ita intellexiſſe.

8 Fateor nihilominus, hunc ſenſum non carere difficultate, quam expoſitoribus expediendam relinquo. Denique Filium ſimul cum Patre eſſe principium Spiritus ſancti, magis ex profeſſo probandum eſt diſp. 67. & ſequentibus.

9 Dico tertiò. Filius eſt principium de principio. Ita ferè loquitur S. Martialis nuper citatus pro aſſert. præcedenti. Gregorius Nazianz. in ſerm. Concilij Conſtantinopolitani, cuius verba refert S. Thomas opuſc. 1. contra errores Græcorum poſt caput 32. titulo 25. *Neceſſarium,* inquit, *eſt credere, ſanctam Trinitatem, Patrem ſcilicet ſine principio, Filium verò principium à Patre principio; Spiritum autem ſanctum, cum principio Filio vnum Deum eſſe.* Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum c. 17. prope fin. *Pater,* inquit, *principium non de principio: Filius principium de principio: ſed vtrumque ſimul, non duo, ſed vnum principium.*

Principiũ de principio Filius.

10 Sic Magiſter diſtinct. 29. cap. 1. fine ait: *Pater principium ſine principio, Filius principium de principio, Spiritus ſanctus principium de vtroque.* Quem modum loquendi ſequuntur communiter Scholaſtici vt S. Bonauent. dubio literali 2. S. Thom. opuſc. 1. citato & in præſenti quæſt. 33. art. 4. corp. Alexand. 1. p. q. 7. memb. 3. art. 1. Colligitur apertè ex aliis Patribus, qui dicunt, Filium eſſe *fontem de fonte,* quam locutionem frequentat Epiphan. hæreſ. 69. pag. 8. & longè poſt med. pag. 15. & hæreſ. 76. multo propius ad med. quàm ad finem, & in Ancorato propius ad princ. quàm ad med.

11 Dico quartò. Non ſequitur inde, Patrem, & Filium eſſe duo principia, ſed potius eſſe vnum, quemadmodum Filius dicitur eſſe Deus de Deo, nihilominus non ſunt duo dij, ſed vnus Deus. Confirmatur, quia ſi conſideretur ratio principij in ordine ad creaturas, ea eſt Diuinitas, communis tribus perſonis, ratione cuius ſicut eſt vnus creator Pater, Filius & Spiritus ſanctus, ita eſt vnum principium. Si verò cõſideretur ratio principij in ordine ad Spiritum ſanctum, ea eſt relatio Spiratoris vna & eadem in Patre & Filio, vt probatum eſt diſp. 17. & 18. Sed de vnico principio Spiritus ſancti magis ex profeſſo dicemus diſp. 70. Decernitur autem in Concilio Florentino in literis vnionis poſt med.

Nõ duo principia nec tria.

Declaratur amplius, quia prædicta relatio Spiratoris non producitur in Filio, ſed communicatur à Patre, ſicut communicatur eſſentia. Ideóque Filius non habet rationem principij diſtinctam à Patre. 12

Rectè proinde Patres negant duo vel tria principia in Trinitate, vt Nazianzenus orat. 37. quæ eſt 5. de theologia colum. penult. ſcribit: *Non tria principia diuiſa proindeq; plures dij admittantur.* Idem docet Nazianz. orat. 49. de fide inter princ. & med. Athanaſ. autem orat. contra Gregales Sabellij prope med. *Qui duo principia inducit, is duo numina prædicat.* & orat. 5. contra Arianos initio dicit: *Vnum principium Deitatis, non duo.* Idem obſeruauit Cyrillus citatus in aſſert. 2. & obiter Hilarius lib. 6. de Trinit. col. 4. Frequentius hoc dogma repetit Auguſtinus quemadmodum lib. 5. de Trinit. cap. 13. & 14. & lib. 10. de ciuitate c. 23. verſus finem, & lib. 3. contra Maximinum cap. 17. prope finem, & tract. 39. in Ioan. à principio valde copioſè. Proſper ad illud pſalm. 109. *Tecum principium.* Anſelmus epiſt. de proceſſ. Spiritus ſancti multo propius ad med. quàm ad fin. §. *diligentius.* Magiſter & communiter Scholaſtici 1. diſt. 29. cap. 2. Vbi S. Bonauentura dubio literali 5. Alexand. quæſt. 70. memb. 2. art. 2. Vide quæ dicemus diſput. 110. ſect. 10. præſertim confirm. 1. 2. & 3. 13

Falsò igitur Arius imponebat Catholicis, eſſe aſſertores duorum principiorum, vt vidimus ſect. præcedenti difficultate 2. Fuit autem hæreſis Manichæorum, Marcioniſtarum, Cerdonianorum & Heracleitarum plura principia ponere; vt videre eſt apud Auguſtinum in catalogo hæreſeon hæreſ. 10. 21. & 22. 14

SECTIO V.

Totius Diuinitatis principium & fontem eſſe Patrem.

A Duerſus hanc locutionem, vt probent, non eſſe veram, aut ſaltem non eſſe propriam, occurrunt argumenta quædam. Primum, quia principium eſt, à quo aliquid procedit ſupra ſect. 1. fine. Sed Deitas non procedit à Patre, vt definitum eſt in Concil. Lateranen. cap. *damnamus.* de ſumma Trinitate. Ergo Pater non eſt principium Deitatis. Confirmatur, quia Pater non diſtinguitur realiter à Deitate: ergo non poteſt eſſe principium Deitatis. 1

Primum argumentum.

Secundum, quia Deitas ſecundum acceptionem, à theologis receptam, ita præſcinditur à perſonis, vt eas non includat in ſuo quidditatiuo conceptu, ſuprà diſp. 14. Sed Pater non eſt principium Deitatis ita præcisè, ſed perſonarum. Ergo abſolutè Pater non eſt principium Deitatis. 2

Secundũ argumentum.

Tertium,

Tertium argumentum. Tertium, quia Pater eſt Deitas, aut certè Deitatis aliquid eſt; ergo ſi Pater eſſet principium totius Deitatis; foret etiam principium ſui ipſius, quod implicat.

3 Quartum, quia ſi Pater ea ratione vocatur principium totius Deitatis, quoniam totam Deitatem communicat: conſequens eſt, Filium eſſe dignum eadem appellatione, quoniam eſt principium, totam Deitatem communicans Spiritui ſancto. Confirmatur, nam ob eandem rationem ſequeretur, Filium eſſe fontem Diuinitatis, quod aliquibus theologis diſplicet.

Quartum argumentum.

4 Propter hæc argumenta Canarien. in præſenti q. 33. artic. 1. exiſtimat abſolutè loquendo, non eſſe aſſerendum Patrem principium totius Diuinitatis. Cui tacitè videtur ſubſcribere Vazquez diſp. 139. cap. 3. Alij autem authores concedunt, in rigore ſermonis aliquam eſſe improprietatem, vt Suarez lib. 8. de Trinit. cap. 3. num. 3. Molina verò in præſenti art. 1. diſp. 2. dicit, hanc locutionem non eſſe admodum propriam.

Negãt eũ loquendi modũ aliqui.

5 Nihilominus Dico primò. Patrem eſſe totius Diuinitatis principium & fontem, abſolutè pronunciari poteſt abſque vllo ſcrupulo, nec erit vlla nota vel reprehenſione dignus theologus, qui hoc etiam tempore ſic loquatur. Fundamentum eſt, quoniam vſus Conciliorum & antiquorum Patrum, atque Scholaſticorum, iam explicuit catholicum ſenſum iſtius propoſitionis, eúmque reddere cenſetur, licet à proferente non explicetur. Illa denique ſignificatio vocum habet rationem congruentem, exponendam ſect. ſequenti, continet etiam maiorem emphaſim ad extollendam Patris authoritatem.

Totius Diuinitatis principiũ & fontem eſſe Patrem.

6 Teſtimonia verò, quæ probant aſſertionem, hæc ſunt. Dionyſius cap. 2. de diuin. nomin. propius ad med. quàm ad princ. ſcribit, *ſolum Patrem eſſe fontem cæleſtis Diuinitatis.* Et paulo poſt med. eiuſdem capitis: *A diuinis ſcriptis accepimus, Patrem quidem eſſe, vt ita dicam, fontanam Diuinitatis; Ieſum autem & Spiritum fœcundæ Diuinitatis, ſi ita fas eſt loqui, gemmæ ſeu germina,* &c. Rurſus de cæleſti hierar. cap. 1. inter princ. & med. ſcribit, *Munere Patris, qui eſt Diuinitatis fons & principium, datum eſſe lumen primogenium,* videlicet Filium primogenitum.

Athanaſ. orat. contra Gregales Sabellij ſub init. de Patre ait: *Solus fons Deitatis,* & inter med. & fin. *Pater radix & fons Filij & Spiritus ſancti.* Et orat. 5. contra Arianos initio ſcribit, Patrem eſſe *Vnum principium Deitatis, non duo,* & in epiſt. ad Epictetum referendus ſect. ſequenti aſſert. 3. Nazianzenus orat. 13. quæ eſt 2. de pace circa med. Patrem apppellat *Deitatis principium.* Rurſus, *Authorem eſſe Diuinitatis, quæ in Filio & Spiritu ſancto conſideratur,* aſſerit. orat. 29. de dogmate & conſtitutione epiſcoporum prope med. Origenes de principiis lib. 1. cap. 3. inter med. & fin. *In Trinitate,* ait, *nihil maius miniſve dicendum eſt, cum vnus Diuinitatis fons Verbo ac ratione ſuſtineat vniuerſa: Spiritu verò oris ſui, quæ digna ſunt, ſanctificatione ſanctificet.* 7

Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. inter med. & fin. ita declarat illud Ioan. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre, videlicet oſtendens, quod totius Diuinitatis, vel ſi melius dicitur, Deitatis principium Pater eſt.* Ambroſius in Symbol. Apoſtol. cap. 2. *Pater,* ait, *origo eſt Deitatis & bonitatis.* Vbi nomen originis, non proceſſionem ipſam, ſiue productionem (vt Scholaſtici ſolent) ſed ipſum principium productiuum ſignificat, quemadmodum 8

& in ſequentibus teſtimoniis & aliis referendis diſp. 83. ſect. 1. Sic enim *fons & origo totius Diuinitatis* Pater eſt in Conc. Toletano Sexto c. 1. ſub init. & Toletano Vndecimo in profeſſ. fidei ſub init. VVormacienſe verò Concilĩ in profeſ. fidei ſub init. dicit: *Fons & origo ipſe eſt totius Trinitatis.*

Concilium Florentinum ſeſſ. 23. inter princ. & med. refert & approbat, quæ ſupra poſita ſunt Athanaſij verba in ſerm. de æterna Filij ſanctíque Spiritus eſſentia, qui idem eſt oratio contra Gregales Sabellij, & in ſeſſ. poſtrema Eugenius IV. in literis vnionis in medio dicit: *Pater fons & principium totius Deitatis.* Idem docet Magiſter & communiter Scholaſtici 1. diſtinct. 29. cap. 1. S. Thom. infra q. 33. art. 5. arg. 6. 9

Eundem ſenſum efficiunt alia verba ſanctorum Patrum. Qualia ſunt illa Athanaſij dialogo 1. contra Macedonium multo propius ad med. quàm ad princ. *Filius omnia habens naturâ, vt Filius ait: Nihil facio à me ipſo, vt bonorum initium Patri adſcribat: ita & de Spiritu ſancto audi loquentem, quæcumque enim ille in ſua natura habet, vt Spiritus Dei, ea ad fontem ipſum refert, inquiens: Non loquetur à ſemetipſo.* Aſſerit ergo, Patrem eſſe initium & fontem bonorum omnium, quæ naturalia ſunt Filio & Spiritui ſancto. Cyrillus Alexand. dialogor. de Trinit. lib. 3. *Fontem quodammodo, & radicem ſubſtantiæ Patrem eſſe* Filio, dicit. 10

Deinde *Patrem eſſe fontem vitæ, Filium verò & Spiritum ſanctum ab eo manare,* docet Nicænum Concil. lib. 2. propius ad fin. quàm ad med. confirmans ex pſalm. 35. *Apud te eſt fons vitæ,* vt retuli diſp. 44. ſect. 3. initio. Cui conſonant Athanaſius & alij Patres ibidem. Porrò vita, cuius fons eſt Pater comparatione Filij & Spiritus ſancti non eſt alia, quàm ipſa Diuinitas. Eadem ratione diuinum & increatum eſt flumen iuſtitiæ, de quo Cyrillus Hieroſolymit. catecheſ. 11. & fin. *Principium,* inquit, *Filij ſine tempore, & incomprehenſibile ſine principio, Pater fons fluminis iuſtitiæ.* 11

Alia locutio.

Præterea diuinam eſſentiam incipere à Patre in Filium, & in Spiritum ſanctum derivari, ſub nomine *formæ,* docet Athan. orat. contra Gregales Sabelli propius ad fin. quàm ad med. dicens: *Tres cum reuera ſint, vnam formã intelligamus, quæ quidem incipit à Patre, ſed reſplendet in Filio, apparet autẽ & demonſtratur in Spiritu ſancto.* Plura denique referenda ſunt diſp. ſequenti ſect. 1. fine, quibus Pater aſſeritur fons aut radix Filij vel Spiritus ſancti. 12

Poſtrema locutio redolẽs eundem ſenſum.

SECTIO VI.

Intellectus duplex ad principium totius Deitatis, & ſolutiones argumentorum.

DIco primò. Deitas aut Diuinitas, ſiue natura vel eſſentia diuina nonnunquam à theologis accipitur pro tota, integra & perfecta realitate Dei, prout includit quidquid realiter identificatur cum Deo, & complet diuinam perfectionem. In hac acceptione Deitas, ſiue Diuinitas, eſſentia vel natura diuina quidditatiuè complectitur tres perſonas, & non prædicatur de ſingulis, ſed de omnibus collectiuè, vt vidimus diſp. 14. ſect. 4. prope fin. & ſect. 6. ad 8. & 9. argum. quod poſitum fuerat in ſect. 1. 1

Totius Diuinitatis, ideſt omnium perſonarum diuinarũ principium.

Sic accipitur Deitas ſiue Diuinitas, quando Pater dicitur eſſe principium & fons totius Deitatis. Vbi notanda eſt vox illa *totius,* quæ denotat diſtribuere ea omnia, quæ collectiuè claduntur in Deitate. Sic enim S. Thomas infra q. 39. art. 5. 2

art.5. ad vltim. *Deitas*, inquit, *in quantum est vna in pluribus, habet quandam conuenientiam cum forma nominis collectiui. Ideoq; potest sumi pro vniuersitate personarum, in quantum scilicet in omnibus personis diuinis Pater est principium. Neque oportet quod sit principium sui ipsius: sicut aliquis de populo dicitur rector totius populi, non tamen sui ipsius.* Eodem modo respondet S. Bonauentura 1. distinct. 29. in expositione literæ dubio 1. dicens, esse distributionem accommodam, vt cum dicitur, cœlum continet omnia. Erit igitur in hoc sensu Pater principium non extrinsecum, sed intrinsecum & inclusum in tota Trinitate, cuius est principium.

3 Inde colligo, & Dico secundò, veram esse propositionem hanc, Pater est principium totius Trinitatis, vel est principium omnium personarum. Hoc enim significat principium totius Deitatis iuxta nuper explicatum intellectum. Sic VVormacienſe Concilium in sectione præcedenti citatum, dixit *principium totius Trinitatis.* Veruntamen, quoniam apud alios Patres non legitur hic modus loquendi, non videtur vsurpandus.

4 Dico tertiò. Potest etiam in prædicta propositione Deitas, siue Diuinitas accipi, prout præscinditur à personis ac de singulis diuisiuè prædicatur. Quæ acceptior, communior & proprior est iuxta dicta tota disp. 14. In hac igitur acceptione, Pater est principium totius Deitatis, non quia eam generet & spiret, sed quoniam eam totam omnibus personis communicat omni communicatione possibili, videlicet, generando & spirando. Ita S. Thomas dicta quæst. 39. artic. 5. fine. Cui consonat Magister 1. distinct. 29. cap. 1. Sequuntúrque communiter Scholastici, & in præsenti art. 1. Canariensis, Vazquez, Molina, & Suarez lib. 8. de Trinit. cap. 3. num. 3. Confirmatur primò, nam in hoc sensu theologi concedunt, Filium esse Deitatem de Deitate, quæ præpositio *de* significat ordinem procedentis à principio, vt videbimus disp. 97. & 98.

Totius Diuinitatis communicandæ cuicumque & quomodocumque communicari potest, principium est Pater.

5 Confirmatur secundò, nam hunc intellectum magis insinuat contextus verborum apud aliquos Patres nuper citatos, præsertim apud Concilia Toletana & Florentinum. Maximè verò apud Nazianzenum orat. 29. citata in sect. præcedenti cum ait: *Authorem esse Diuinitatis, quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur.* Simili modo metaphoram fontis explicat Athanasius epist. ad Epictetum circa fin. in expositione fidei dicens: *Vt fons fluuius non est, neque è diuerso fluuius fons est; vterque tamen vna & eadem aqua, quæ ex fonte in flumen propagatur: ita quoque ex Patre in Filium Deitas peremniter & indiuisim continuatur: nunquam tamen Deitate Filij exinanitus est Patris sinus.*

6 Dico quartò. Secundum vtrumque sensum, nuper explicatum, quando Pater dicitur principium totius Deitatis, significatur vtraque relatio Patris, videlicet in quantum est principium generans & spirans, vt sapienter obseruauit S. Bonauent. 1. distinct. 29. dubio literali 1. post med.

7 *Ad primum.* Ad argumenta, posita in principio sectionis præcedentis respond. duplici solutione iuxta duplicem intellectum hactenus expositum. Ad primum respond. primò. Deitas, accepta pro personis diuinis, verè procedit à Patre, quantum ad cæteras personas præter Patrem. Neque contrarium definitur in cap. *damnamus*.. Respond. secundò. Pater non est principium Deitatis quasi producens Deitatem, sed communicans Deitatem personis, quas producit. Ac proinde non requiritur realis distinctio Patris a Deitate, sufficit enim realis distinctio Patris à persona producta, cui communicat Deitatem. Inde constat solutio ad confirmationem.

8 *Ad secundum. Ad tertium.* Ad secundum respond. Deitas, prout à personis præscinditur, communicatur à Patre: atque in hoc sensu Pater est principium illius. Ad tertium negatur sequela. Tum, quia Pater non est principium nisi Deitatis communicatæ, prout communicata est: ipse verò non est Deitas communicata. Tum etiam, quoniam vox illa *totius* efficit distributionem accommodam, iuxta quam subintelligitur excepta Deitas illa, quæ principium est, in quantum est principium, vt vidimus in assert. 1. prope fin.

9 *Ad quartū.* Ad quartum negatur sequela. Pater enim propterea dicitur principium totius Deitatis, quoniam est principium omnium personarum per quamlibet productionem possibilem, communicando totam Deitatem. Vnde fit, vt sit principium, non procedens ab alio principio. Sed Filius est ab alio principio, sibi communicante Deitatem, ideóque non est principium totius Deitatis absolutè. Est autem principium aliquod Deitatis, in quantum est principium Spiritus sancti, qui est Deitas, & in quantum illi communicat totam Deitatem.

10 *Filius an sit fons diuinitatis.* Ad confirmationem respond. Ea limitatione, qua Filius dicitur principium Diuinitatis, concedi potest etiam esse fons Diuinitatis. Quamuis enim docti recentiores obseruauerint, in diuinis vnum tantùm esse fontem, quia fons significare videtur principium sine principio; vnde colligunt, Filium non esse fontem Spiritus sancti, sed esse riuum & principium de principio: nihilominus Patres nomen fontis etiam Filio concedunt comparatione Spiritus sancti. Sic enim loquitur Athanasius in sermone Nicæni Concilij & in epist. ad Serapionem, & in sermone de incarnatione Verbi, cuius testimonia refert & approbat S. Thomas in opusc. 1. contra errores Græcorum post caput 32. titulo 26. *quod Filius sit fons Spiritus sancti.*

11 Epiphanius autem propterea Filium frequenter appellat *fontem de fonte*, veluti hæres. 69. multo propius ad med. quàm ad princ. & longè post med. & hæres. 76. multo propius ad medium quàm ad finem, & in Ancorato propius ad princ. quàm ad med. Quin etiam Scriptura sacra idem probat Ecclesiastici 1. dicens: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Atque ex sacris literis deducit. Athan. lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti colum. 4. proximè ante titulum, *Quod non tres dij.* cum ait: *Et Dauid quoque. Quoniam apud te est fons vitæ, & in luce tua videbimus lumen. Vides ne Patrem fontem vocari? nec non & Filium itidem & Spiritum sanctum?* Eodem modo prædictum versum psalm. 35. intelligit Augustinus lib. 3. contra Maximinum capit. 23. multo propius ad fin. quàm ad med. & ait: *Fons de fonte Filius de Patre, & simul ambo fons vnus.*

DISPV

DISPVTATIO XLIX.

Vtrum author & causa sit Pater ad Filium & Spiritum sanctum, itidémque Filius ad Spiritum sanctum.

SECTIO I.

Author est Pater & Filius, insuper est fons & radix.

1 *Pater author.* DIco primò. Filij & Spiritus sancti Pater est author absque disceptatione non solùm apud Græcos, sed etiam apud Latinos authores. Dionysius de cœlesti hierar. cap. 1. sub init. ait: *Iesus lux est Patris, cuius benignitate nobis ad Patrem, lucis authorem, aditus patuit.*

2 Athanasius dialog. 1. contra Macedonium multo propius ad med. quàm ad princ. ita ponderat illud Ioan. 16. *Omnia, quæ Patris sunt, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, nempe de Patre. Accipere autem illum dixit, non ex ignorantia, sed quod Spiritus effectionem & gratiam ad authorem primum referat.* Et inter med. & fin. eiusdē dialogi repetit *fontem, authorem & initium*, & dialogo 1. de sancta Trinit. contra Anomæum inter med. & fin. ait: *Spiritus sanctus non est genitus, sed authorem & causam habet Deum, à quo procedit.* Et dialogo 2. contra Anomæum col. penult. postquam dixerat: *Patrem esse causam & authorem Filij*, subiungit: *Deus fons est Spiritus sancti & author eiusdem, non extrinsecus eum recipiens, sed ex se sinens scaturire; scriptum est enim: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Idem orat. 2. contra Arianos inter princ. & med. *Oportet*, inquit, *talem esse imaginem, qualis est Pater imaginis author:* & lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ ait: *Proprium esse Patris, non habere authorem*, quare supponit, Filij & Spiritus sancti authorem esse.

3 Nazianzenus orat. 29. de dogmate & constitutione episcoporum ante med. & post med. dicit: *Patrem esse causam, authorem & fontem* Filij & Spiritus sancti. Eusebius Cæsariensis demonstrationis euang. lib. 4. cap. 3. ante med. *Ipsum*, inquit, *perfectus ac primus tanquam Pater, & qui author sit, vt Filius consistat.*

4 Hilarius plus quàm cæteri Patres frequentat hoc nomen authoris ad significandū, Patrem esse principium Filij vel Spiritus sancti. Veluti lib. 4. de Trinit. inter med. & fin. & lib. 6. propius ad med. quàm ad princ. atque iterū propius ad med. quàm ad fin. & lib. 7. multo propius ad fin. quàm ad medium. & lib. 9. col. 2. & 4. & prope med. eiusdem lib. 9. scribit: *Cum innascibilis Deus ad perfectam diuinæ beatitudinis natiuitatem Vnigenito Deo author sit, authorem natiuitatis esse sacramentum Paternum est. Cæterum non habet contumeliam, qui se authoris sui esse imaginem genuinæ natiuitate consummat.* Quibus verbis Filium defendit ab imperfectione, quam videretur contrahere, quoniam Patrem habeat authorem. Præterea non solùm vsque ad fin. eiusdem lib. 9. sed etiam lib. 10. col. 4. & lib. 11. post med. vsque ad fin. & lib. 12. col. 8. & col. 12. & sequentibus vsque ad fin. sæpissime repetit appellationem authoris. Quemadmodum etiam lib. de Synodis col. 6. ad canonem primum & secundum Orientalium, & inter med. & fin. libri & in sequentibus. Quapropter solius Hilarij authoritas sufficere poterat, vt Latini theologi non euitarent appellationem, quam ille non vsurparet toties, nisi probaret vehementer, vt valde sanam & tutam in fide Trinitatis.

5 Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ferè in med. non quia de Catholica significatione nominis dubitaret, sed quoniam hæretici persona suspicionem afferebat Ariani veneni: prudenti consilio distinctionem vt antidotum adhibuit, dicens: *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor & concedo: Si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremq; maiorem, nec eiusdem substantiæ Filium, cuius est Pater, detestabor & respuam.* Eadem distinctione fuerat vsus in eodem lib. 3. cap. 5. init. Sic etiam *authoritatem* tribuit Patri August. in quæstionibus Veteris & Noui testamenti quæst. 122. ad fin.

6 S. Thomas authoritatem asseruit in præsenti quæst. 33. art. 1. ad 2. & de potent. quæst. 10. art. 1. ad 9. & ad 17. *Authorem* verò Patrem dixit 1. sententiarum, statim referendo. S. Bonauent. 1. dist. 9. dub. 14. & distinct. 20. art. 1. quæst. 2. fine. Quam appellationem admittunt communiter Scholastici cum Magistro 1. distinct. 9. cap. *dicimus.* & sequen. præsertim recentiores expositores S. Thomæ cum Caietano præsenti artic. 1. Quoniam authoris nomine denotatur sola ratio principij sine superioritate, inæqualitate aut distinctione essentiæ.

7 Sed vtrum Filius etiam sit appellandus author Spiritus sancti, difficultas est. Negat enim S. Thom. 1. dist. 29. q. 1. art. 1. corp. fine, quia nomen authoris addit super rationē principij hoc, quod est non esse ab aliquo: & ideo solus Pater author dicitur. Idem sequitur Caiet. in præsenti art. 1. §. *ad primum horum.*

8 *Filius author Spiritus sancti.* Nihilominus Dico secundò. Absolutè ac fine distinctione Filius appellari potest author Spiritus sancti. Ita existimant Canariensis & communiter neoterici in præsenti art. 1. Vbi Molina disp. 4. Vazq. disput. 139. cap. 6. Probatur primò, nam Athanasius in quadā epistola ad Serapionem ait: *Apostolus, quæ in eo operatur Spiritus, Filio authori eius attribuit; sicut Filius, quæ ipse facit opera, suo authori Deo Patri attribuit.* Vnde D. Tho. opusc. 1. contra errores Græcorum versus fin. colligit, Filium esse authorem Spiritus sancti.

9 Hilarius lib. 2. de Trinit. inter med. & fin. *Spiritus*, inquit, *Sanctus de Patre & Filio authoribus confitendus est.* Vtrum in numero plurali vel singulari dicendus sit author Spiritus sancti, tractabitur disp. 70. sect. 1. & 2. Quod ad præsens attinet satis est, Filium appellari authorem. Phœbadius lib. contra Arianos in med. *Pater*, inquit, *merito maior, quia solus hic author sine authore est.* Supponit ergo, aliquem esse authorem non sine authore, sed de authore procedentem.

10 Probatur secundò, nam Filius dicitur creaturarum author, quamuis procedat à Patre authore. Ergo, quod Filius procedat à Patre authore, non obstabit, ne dicatur author Spiritus sancti. Tertiò probatur, quia per relationem spirationis actiuæ Pater constituitur author Spiritus sancti: eadem autem omnino relatio communicatur Filio tanquam vni & eidem principio Spiritus sancti. Ergo constituet etiam Filium authorem Spiritus sancti.

11 Quartò probatur, quia plerique homines dicuntur authores quarumdam artium vel scientiarum, licet ipsi processerint ab alio principio, non solùm primo videlicet Deo, sed etiā à suis parentibus

tibus eo vel maximè, quoniam à parentibus non processerunt in eo genere, quo sunt authores artium vel scientiarum. Sed Filius in eo genere, quo principium est Spiritus sancti, non procedit à Patre, vt vidimus disput. præced. sect. 4. assert. 1: ergo Filius esse poterit author Spiritus sancti, licet à Patre processerit. Quintò, quia vox *author* sine illo rigore principij non procedentis à principio, legitur apud Ciceronem & alios authores Latinæ linguæ, vt videre est in eius thesauro.

12 *Radix & fons.* Dico tertiò. Pater dicitur rectè radix & fons Filij & Spiritus sancti, non solùm quia fons est totius Diuinitatis, vt vidimus disp. præced. sect. 5. & 6. sed etiam, quia Filij & Spiritus sancti nominatim fons & radix appellatur à Patribus, vt ab Athanasio citato in præsenti sect. sub init. Qui etiam in orat. contra Gregales Sabellij inter med. & fin. ait: *Pater radix & fons Filij & Spiritus sancti.* Basil. homil. 28. contra Sabellianos in med. *Pater*, inquit, *radix & fons Filij & Spiritus sancti.* Chrysostomus tom. 3. homil. 3. de Spiritu sancto, quæ incipit *Heri à nobis*, col. 1. *Diuinus*, inquit, *sermo definiens Patrem fontem æquæ, inducit ex fonte vitæ aquam viuam, quæ procedit. Quid procedit? Spiritus sanctus sicut à fonte aqua.*

13 Cyrillus Alexandrinus lib. 3. thesauri cap. 1. sub init. & col. 2. scribit, Filium *quasi à fonte*, à Patre procedere, & dialog. de Trinit. multo propius ad prin. quàm ad med. & lib. 3. propius ad med. quàm ad princ. & iterum duabus columnis ante fin. & li. 4. col. 6. & lib. 6. col. 5. & in expositione symboli Nicæni paulo post med. & col. vlti. In omnibus, inquam, his locis Patrem appellat nunc *radicem & fontem*, nunc verò *fontem* (non proferendo radicem) Filij videlicet & Spiritus sancti. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum lib. 5. cap. 3. sub init. ponderans verba Christi Domini Ioan. 15. ad fin. ait: *In eo quod dixit, Ex Patre procedit, ostendit, Patrem esse fontem Spiritus.* Ambros. lib. 4. de fide cap. 5. prope fin. *Patrem*, inquit, *esse fontem & radicem Filij.* Plura de fonte & radice recole ex disput. 44. sect. 3.

14 *Fons de fonte.* Dico quartò. Filius est fons de fonte, à quo profluit Spiritus sanctus, sic enim cum appellat Epiphanius hæres. 69. propius ad med. quàm ad fin. Athanas. lib. de humana natura suscepta propius ad med. quàm ad princ. cujus alia testimonia ex serm. Nicæni Concilij, & epist. ad Serapionem, & serm. de Incarnat. Verbi, refert S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 32. §. 26. & 28. Similia refert ex Cyrillo in expositione symboli.

SECTIO II.

Patrem esse causam, contendunt argumenta nonnulla.

1 *Græci Patres Patrē appellant causam Filij & Spiritus sancti.* AVreolus 1. dist. 29. art. 2. sub init. contendit, etiam à Latinis theologis Patrem rectè vocari *causam* Filij & Spiritus sancti. Quæ sententia probari potest primò plurimis testimoniis Græcorum Clemens Romanus lib. 3. constitut. Apost. cap. 17. notat, in forma Baptismi *mentionem fieri Patris vti causæ & mittentis.* Athanasius dialogo 1. de S. Trinitate cōtra Anomœum inter med. & fin. ait: *Spiritus sanctus non est genitus, sed authorem & causam habet Deum, à quo procedit.* Et sequenti dialogo 2. col. penult. *Spiritus sanctus habet pro causa Deum, non vt effectorem, sed vt sui fontem.* Eodem modo loquitur in actis Nicænæ Synodi, & in quæstionibus de natura Dei, incipientibus, *Quid est Deus*, quæst. 4. prope med. & quæst. 11. & 12. docet, *Patrem esse vnicam causam Filij & Spiritus sancti.* Contra verò, *Filium & Spiritum sanctum esse solummodo causatos à Patre, & non causas.*

2 Basil. homil. de humana Christi generatione prope init. ait: *Genitus est, inquam, vt eius principium & causam, non vt tempore inferiorem ostendam.* Idem homil. 27. de Spiritu sancto prope fin. ait: *Spiritus Dei ex Deo prodiens, Deum sui causam fontis instar habens & ex illo promanans.* Rursus *habitudinem causarum ad ea, quæ ex ipsis sunt*, concedit in Patre respectu Filij. Basil. lib. 1. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. deinde verò pag. penult. scribit: *Pater causa est atque origo Filij*, & lib. 2. circa med. *Filius coëxistens Patri, à quo etiam habet substantiæ causam.* Et post pauca circa versum Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*, notat, *Verbum illud, genui, causam, ex qua essendi principium habet, significare.* Et lib. 3. contra Eunom. sub init. *Causa essendi Pater est Filio.*

3 Gregorius Nyssenus lib. ad Ablabium, *Quod non tres dij*, prope fin. *Eam*, inquit, *quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus; nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa.* Quam appellationem sæpius repetit, non solum vsque ad fin. eiusdem libri, sed etiam in lib. de differentia essentiæ & hypostaseos multo propius ad med. quàm ad ptin. Nazianzenus similiter Patrem appellat *causam* Filij & Spiritus sancti multis in locis; vt orat. 1. non procul ante med. num. 71. & orat. 13. quæ est 2. de pace circa med. & orat. 23. in laudem Heronis prope fin. & orat. 29. de dogmate & constitutione episcoporum ante med. & post med. & orat. 35. quæ est 30. de theologia col. 2. atque iterum post med. orationis. Insuper orat. 37. de Spiritu sancto, quæ est 5. de theologia non procul ante med. & iterum col. penult.

4 Chrysost Hebr. 1. homil. 2. col. 2. *Si enim*, ait, *causa eius* (Filij) *Pater est, secundum quod Pater est: multo amplius eorum causa est, quæ per Filium facta declarantur.* Epiphan. hæres. 73. multo propius ad med. quàm ad princ. *In voce Pater*, ait, *intelligi quod causa est similis sui ipsius Filij.* Et hæres. 76. longè post med. ad cap. 30. Aëtij concedit, *Ingenitam naturam esse causam ad vnigenitum genimen & ad sanctum ex ipsa Spiritum.*

5 Damascen. lib. 1. fidei cap. 8. prope med. *Credimus*, inquit, *in vnum Patrem, omnium principium & causam sine causa.* Et cap. 9. inter med. & fin. dicit, *Patrem esse maiorem secundum causam, quia Pater causa est naturaliter Filij*; & post pauca: *Quando igitur audimus principium & maiorem Filio Patrem; causam intelligamus.* Et cap. 11. inter med. & fin. *Vnus*, inquit, *Pater sine principio, hoc est, sine causa: non enim ex aliquo. Vnus Filius, & qui Filius est, & non sine principio, hoc est, sine causa: ex Patre enim est.* Ac prope fin. notat, quod *Patrem non dicimus ex aliquo, & Filium non dicimus sine causa.*

6 Eusebius Cæsarien. demonstrat. Euang. lib. 4. cap. 3. ante med. *Hic*, inquit, *tanquam ex causa profectus Filius.* Anastasius Sinayta li. 1. de rectæ fidei dogmatibus col. penult. ait: *Pater maior secundum quod author & causa.* Eandem appellationem tribuunt Theophyl. 1. Corinth. 11. & Theodoricus super epist. ad Hebræos quem refert S. Thomas opusc. contra errores Græcorum cap. 1.

7 Quin etiam Genebrardus lib. 1. de Trinit. ex codice Græco refert, quod Dionysius Areopagita lib. de diuin. nomin. c. 2. Patrem appellat causam, Filium

Filium & Spiritum sanctū *causata*, licet in Latinis codicibus nondum reperire potuerim, nisi quod paulo post med. dicti cap. 2. scribit: *Harum quidem & coniunctionum & distinctionum causas omnes, quas in diuinis scriptis Deo dignas reperimus, in theologicis institutionibus propriè de vnaquaque differentes, exposuimus.* Verùm in hoc loco manifestum est, causam non accipi pro principio producente, sed pro ratione à priori cognoscendi: alioqui non dixisset causas in plurali, sed causam, sicut diuinæ personæ non sunt principia, sed vnum principium, disput. præcedenti sect. 4.

8 *Latini Patres dicentes causam.* Probatur secundò, nam & Latini Patres eodem modo loquuntur aliquando. Hilarius, licet nonnunquam nomine causæ videatur, nō principium productiuum, sed productionem ipsam & originem significare; alibi tamē apertè significat principium productiuum & ipsam personam Patris. Nā lib. 11. de Trinit. col. 7. de Filio Dei ita disserit: *Nasci cum causam natiuitatis ostendat, nō disproficit tamen in genere authoris existere. Quod autem non disproficit in genere, debet quidē authori causam natiuitatis suæ.* Et li. 12. de Trinit. col. 4. *Non alia ei, præter quam perfectarum indemutabilium causarum ad id, quod nascitur, causa est. Et ex causa licet perfecta atque indemutabili nascens, necesse est ex causa in causa ipsius proprietate nascatur.* Et col. 8. *Eius qui est*, inquit, *ad id quod est, causa Pater est, non etiam id quod non est, origo nascendi est.* Vbi frequentius repetit appellationem causæ. Sicut etiam lib. de Synodis propius ad med. quàm ad princ. Patrem appellat *originis causam.*

9 Citatur etiam à fide dignis authoribus Hilar. lib. 9. de Trinit. dicens: *Filium ex Patre causam sumere.* Vbi, licet causa ponatur pro causalitate siue origine, non pro persona, quæ est principium: nihilominus indicium est, Hilarium non abhorrere à nomine causæ: insuper sicut causalitatem affirmat, ita supponere causam: quia causalitas nō est, nisi procedat à causa. Confirmatur, nam si dixisset Hilarius, Filium ex Patre causalitatem sumere: manifestè supponeret, Patrē esse principium causalitatis: quod ipsum est esse causam. In eodem autem sensu dixit, ex Patre causam sumere.

10 Augustinus in quæstionibus Veteris & Noui testamenti, q. 122. ad fin. de Filio ait: *Differt in causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est.* Quibus autem conueniunt causalitatis gradus, conuenit causalitas, quæ est ipsa ratio, constituens causam. Idem August. lib. 83. quæstionum quæst. 15. *Deus*, inquit, *omnium, quæ sunt, causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est: nec vnquam Deus sine sapientia sua: igitur sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna, nec tempore prior est, quàm sua sapientia.*

11 *Solutio.* Respondent alioqui, nō de reali principio producente, sed de ratione, quæ nostro modo intelligendi causa est, locutum esse Augustinum. Sed

Refutatur. hæc expositio repugnat cōtextui. Continuò quippe sequenti quæst. 16. pergit confirmare, quod dixerat, Deum tempore priorem non esse, quàm sua sapientia, dicens: *Deinde si Patrem sempiternum esse ineſt Deo, nec fuit aliquando non Pater, nunquam sine Filio fuit.* Manifestum est igitur, Augustinum esse locutum de Sapientia, quæ est Filius comparatione Patris producentis.

12 Rectè tamen obseruant ijdem authores non realem causam, sed solummodo rationem formalem, quæ nostro modo concipiendi constituit aliquid tale, nomine causæ significari ab Augustino lib. 7. de Trinit. cap. 1. prope finem, cum ait: *Quæ causa illi est, vt sapiens sit, ipsa illi causa est vt sit: proinde si sapientia, quam genuit, causa illi est, vt sapiens sit; etiam vt sit, ipsa illi causa est.* Loquitur autem de Patre, cuius nullum esse principium productiuum, est manifestum.

13 Omitto quod Hieronym. Ephes. 3. ad illud, *Ex quo omnis Paternitas*, ait: *Deus semper est, nec habet aliunde principium: & ipse sui origo est, suæq; causa substantiæ, nō potest intelligi aliunde habere, quod substitit.* Huius enim sensus est negatiuus, videlicet, Dei nullam aliam esse causam vel originem, quoniam eius quidditas est entitas & exsistentia.

14 Anselmus epist. de processione Spiritus sancti contra Græcos multo propius ad med. quàm ad fin. cap. *diligentius* post med. priùs æqualiter dubitare videtur de vtroq; nomine causæ atque principij, dicens: *Si tamen dici debet Deus habere principium; aut causam. Principium namque videtur non nisi rei incipientis esse, & causa non nisi effectus alicuius, & Spiritus sanctus nunquam incipit esse, nec est effectus alicuius.* Et postquam propter necessitatem loquendi & penuriam vocabulorum decreuit, Patrem & Filium esse vnū principium Spiritus sancti, subiungit ad fin. capitis: *Id ipsum intelligitur, si dicimus, esse causam Filij, & Patrem & Filiū causam Spiritus sancti. Nō enim duas possumus dicere causas: aliam videlicet Filij; aliam Spiritus sancti, sed vnam.* Ponderandum est, hæc dixisse in ea ipsa disputatione, in qua disserebat contra Græcos.

15 Consonat, quod in eadem epist. §. 2. paulo post med. *Hæc*, inquit, *sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem: sed alij sint ab inuicem, quia prædictis duobus modis est Deus de Deo.* Vbi, licet causam non accipiat Anselmus pro principio producente, sed pro ipsa productione, multiplicante personas; satis indicat, potiori iure cōcessurum fuisse nomen idem principio producenti. Ricard. Victor. nomine *causæ* multoties intelligit personam producentem, præsertim lib. 5. de Trinit. cap. 7. 8. & 11. post med. & lib. 6. de Trinit. cap. 17.

16 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum est, quia Nazianzenus dicta orat. 29. post med. satis indicat, nomen causæ sibi proprius & significantius videri, quàm nomen principij. Nam postquam dixerat, Patrem esse principium Filij; declarat, dicens: *Principium hic pro causa accipio.*

17 *Quartum argumentum.* Quartum, quia Patrem & Filium esse causam vnicam Spiritus sancti: pronunciant absolutè Latini Patres in Concilio Florent. sess. 25. §. *Quibus Latini responderunt*, & duabus columnis sequentibus in confess. fidei per litteras datas ad Græcos. Eodémque modo locutus fuerat Ioannes Latinorum nomine in præcedentibus sessionib. 23. & 24.

18 *Quintum argumentum.* Quintum, quoniam apud Aristotelem causa & principium idem omnino sunt, & reciproca consequentia se inuicem inferunt. Sed Pater est principium Filij: ergo est etiam causa Filij. Maior probatur, nam lib. 4. Metaphys. cap. 2. propius ad med. quàm ad princ. *Ens*, inquit, *& vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quod se inuicē sequuntur, quemadmodum principium & causa, non quod vna ratione significantur.* Præterea 5. Metaphys. cap. 1. enumerata multiplici acceptione principij subiungit: *Tories autem, causa quoque dicuntur; omnes namque causæ, principia.* Imo etiam 12. Metaphysic. cap. 2. fine: *Tres*, inquit, *causæ, & tria principia.* Et in eis numerat priuationem. Quo in loco causam vniuersalius accipit, quàm 2. Physic. distribuens quatuor genera causarum.

19 *Sextum argumentum.* Sextum argum. peculiariter vrget, quia licet

illa principia non sint causæ,quæ non influunt in effectum, qualia sunt terminus à quo & priuatio, nec non quæ sunt priora solo extensionis ordine, vel quasi extensionis permanentis & successiuæ. Quomodo diei principium est aurora, temporis instans,lineæ punctus,fluminis ripa, & secundum locum aut dignitatem alia dicuntur principia;nihilominus inter principia, quæ verè influunt & realiter producunt atque communicant esse;nihil reperitur,quod sit principium & non sit causa.

20 Confirmatur primò, quoniam ad rationẽ causæ satis est verus & realis influxus communicando esse aut producendo, neque aliquid aliud requiritur ad rationem causæ. At hoc totum verificatur in Patre. Confirmatur secundò, quoniam gratis ac sine fundamento videtur à Latinis theologis inductum discrimen inter causam & principium, cum potuissent illis indifferenter vti, nec in hoc articulo mouere dissidium Latinorum à Græcis antiquissimis, grauissimísque doctoribus.

SECTIO III.

Causæ nomen respectu personarum diuinarum euitare conuenientius & tutius est.

1 PRima conclusio. Latinis theologis consilium melioris boni est abstinere à nomine causæ & causati circa diuinas personas: ac proinde dicendum est,Patrem non esse causam Filij,nec Patrem & Filium esse causam Spiritus sancti, sed principium: nisi peculiaris aliqua necessitas postulauerit,vti nomine causæ.

2 *Probationes inualidæ.* Probant aliqui primò ex Hilario, dicente, Patrem non esse causam Filij.Pro quo citant librũ 4. de Trinitate, alij verò librum 9.Et quidem potuit me fugere, licet attentè & cum obseruatione legentem vtrumque librum sicut & reliquos.Verũtamen non est verisimile tam egregium doctorẽ in eodem opere negare, quod ipse toties asseuerat. Neque enim poterat ita frequenter tribuere Patri nomen causæ, quemadmodũ in præcedenti sect.vidimus,si putaret in eo latere venenum aliquod, vel simpliciter esse negandum. Secundò probant, quoniam ex Latinis doctoribus nullus vnquã dixit,Patrem esse causam Filij,nisi fortassis ad Græcos verba dirigens. Cæterum fundamentum esse falsum,satis constat ex præcedenti sect.

3 *Probatio prima.* Solidiora fundamenta præsentis conclusionis sunt quę sequuntur.Primum ex Concilio Florentino sess.26. Vbi quamuis Latini Patres quandiu disputabant cum Græcis, eorũ more loquerentur dicentes *causam*,ne vocis discrimen, in disceptationem adductum, impediret præcipuam disputationem de processione Spiritus sancti à Filio: postea verò,pace cõposita,Eugenius IV. in literis vnionis, quibus omnes Patres eiusdem Concilij subscribunt, decernit: *Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti,sicut & Patrem*;& cum paulo superius dixisset, *procedere tanquam ab vno principio*; nunquam vtitur nomine causæ, nisi referendo,eum esse Græcorum sermonem,sed Latinos principium dicere. Quapropter tacitè videtur probare magis Latini sermonis proprietatem, recusantis nomen causæ.

4 His consonat Bessarion Patriarcha Constantinopolitanus in orat.pro vnione (quæ habetur in fine Concilij Florent.)c.vltimo post med. *Notandum*,inquit, *quod Sancti doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine causæ & causati, largo modo. Non quidem vt limitationem & dependentiam importat, sed prout productionem & emanationem à principio, eius quod est à principio, significat: ideo me etiam ad Græcos loquentem, his nominibus vsum fuisse.* Obseruandum est, imprimis illud,*largo modo*, quod notat, esse minus propriam acceptionem vocabuli. Deinde excusat, ita se fuisse locutum necessitate differendi cum Græcis.

Probatur secũdò,nam in eadem orat. Bessarion cap.3.post medium: *Beatus*, inquit, *Cyrillus in eis, quæ ad Herminm scribit,vna cum Occidentalibus Patribus non admittit quidem hoc nomen causæ in diuinis personis.* Hæc autem scribit Cyrillus Alexandrinus in dialogis de Trinit. inter Hermiam & Cyrillum lib. 2. multo propius ad med. quàm ad fin. dicens: *Causam & causatum neque nominare fas est, decet item de Deo potius dicere Patrem ac Genitum Filium.* Cum igitur etiam tantus Græcorũ doctor tam seuerè prohibuerit nomen causæ,signum est, multo minus conueniens esse,quàm nomen principij,aut alia nomina,præcedenti disp.declarata.

6 Tertiò probatur,nam Scholastici communiter existimant, nomen causæ non esse tribuendum Patri comparatione Filij & Spiritus S. Albertus 1.p.q.43.mem.1.dum respondet ad opinionem 2. Alex.1.p.q.46.memb.2.S.Thomas opusc.1.contra errores Græcorum cap.1.& in præsenti q.33.a.1. ad 1.& in 1.sentent.dist.29.quæst.1.art.1.corp. & ad argumenta. Et quamuis Magister istius quæstionis nullam mentionem fecerit, idem tamen existimant communiter Scholastici 1.dist.29. Vbi S.Bonauent.art.1.quæst.1. ad 3. Duran.q.1. art.2. Carthus.quæst.1. Caietanus & cæteri expositores D.Thomæ in præsenti articulo.

7 *Ab enumeratione causarum probatur, Patrem non esse causam Filij, &c.* Rationes autem eiusdẽ conclusionis accipiuntur ex D.Thoma locis citatis. Prima est,quia constat,vnam personam non esse causam materialem, neque formalem alterius, quoniam vtraque causalitas affert imperfectiones potentialitatis, partialitatis & compositionis, nec nisi corporibus conuenit. Rursus vna persona non est causa finalis alterius.Sapiẽter enim obseruant aliqui Patres, exponentes illud Prouerb. 8. *Dominus creauit me in opera sua* (iuxta lectionem antiquorum:)peculiariter autem Cyrillus Alexand. lib. 5. thesauri cap. 5. circa med. *Nunquam in Scripturis sacris vllam causam poni,quando generatio Filij ex patre significatur:quãdo autem hominem factum dicunt Scripturæ,& natum ex Virgine narrant,causam illico subiungunt. Sicut enim non quærimus, cur Deus Filius, aut cur ex Patre natus sit: ita scire volumus, qua de causa factus sit homo.* Quod probat exemplis ex Scriptura petitis. Ratio autem à priori est, quia generatio Filij, vel processio Spiritus sancti non est ex intentione finis, sed ex absoluta necessitate naturæ.

8 Confirmatur primò, quia causalitas finis supponit cognitionem, & circa illam versatur volitio. At verò generatio Filij non supponit cognitionem, neque in illa intercedit volitio, sed est ipsa cognitio secundum rationem prior volitione,vt videbimus disput.93.& 94. Insuper productio Spiritus sancti,licet cognitionem supponat, & amet summum bonũ, cæterum non amat tanquam finem obtinendum per aliquod medium. Confirmatur secundò,nam si qua ratio finis conuenit Deo comparatione suæ volitionis, inquantum est obiectũ formale & primarium motiuum illius: hæc ratio causæ finalis est communis tribus personis. Ideóque non pertinet ad originem & pro

& processionem vnius personæ ex alia. Confirmatur tertiò, nam finis esse debet præstãtior medio,quod ordinatur ad finem.

9 Restat igitur solum genus causæ efficientis. Atque in hoc vnam personam non esse causam alterius probatur primò, nam efficientis causæ correlatiuum est effectus, vt rectè obseruauit Anselmus in præcedenti sect.citatus. Vnde si Pater esset efficiens causa Filij, Filius esset effectus, siue factus, quod Ecclesia negat in Symbolo Nicæno, atque in Symbolo Athanasij. Atque hoc esse de fide constabit magis disput. 96. præsertim sect.7.

Causa denotat dependentiam. Secunda ratio est,quia nomen causæ denotat dependentiã effectus ab illa, vt rectè notauit Bessar. in præcedenti probatione citatus, & S. Thomas, S.Bonauent.Durandus & alij.

10 *Causa prior natura.* Tertiò,quia causa propriè dicta significat prioritatem naturæ,non illam solummodo, quam aliqui Patres & Scholastici concedunt inter diuinas personas ratione originis,infra disp.105,sed illam quæ requirit distinctionem naturarum, vt vna sit prior,quàm altera. Qua ratione vtũtur S.Thom. S.Bonauent.Durand.& Carthus. citati. Confirmatur,nam efficiẽs causa est id *vnde primum principium est mutationis & quietis*; vt definit Aristoteles lib.2.Physic.cap.3.text.29. & lib.1. de generat.cap.7.prope fin.text.55. & 5.Metaphys. cap.2. sub init. Quapropter efficiens causa non est nisi rei,quæ mutatur de non esse ad esse.

11 *Causa superior causato.* Quarta ratio, quia causa significat aliquam superioritatem, & perfectionem maiorem effectu. Sic enim Dionysius de diuinis nomin. cap.2.paulo post med. *Neque enim*,ait,*perfecta est inter effecta & causas similitudo,sed effecta quidem causarum quas possiunt præferunt imagines: causæ autem secretæ sunt ab effectis,suntq; principij, sui ratione superiores.* Cui rectè consonat quod inter princ. & med.eiusdem capitis dixerat,esse communia tribus personis *ea, quæ causæ rationem habent omnia.*

12 *Communiora nomina melius in Deum quadrant.* Quintò, quia quanto nomen est communius, tanto conuenientius assumitur in diuinis, vt S. Thom.adnotauerat 1.p.q.13.art.11. corpore. At verò principium magis commune est,quàm causa iuxta frequentiorem vsum Latinorum, licet Aristoteles citatus in sect.1. posuerit aliquando totidem acceptiones causæ quot principij. Contra verò nomina quanto magis specialia sunt, tanto magis determinant modum conuenientem creaturæ. Confirmatur, quia nomine principij vtimur etiam in iis,quæ non sunt perfectiora, quàm res procedens à principio. Sicut punctum dicitur esse principium lineæ: vtimur etiam nomine principij in iis, quæ sunt eiusdem essentiæ, vt dicimus, primam partem lineæ esse principium lineæ,& fontem esse principium fluminis.

13 Sexta ratio sit,de personis quippe diuinis non facilè debemus aliter loqui,quàm Sacra scriptura loquatur: scriptura verò Patrem vocat principium Filij, vt vidimus disput.48.sect.1.nunquam verò dicit,Patrem esse causam Filij.Vtitur hac ratione S.Thomas dicto opusc.1.cap.1.

14 *Causa dici potest absque reprehensione.* Secunda cõclusio.Nulla reprehensione dignus erit theologus Latinus, qui Patrem appellauerit causam Filij & Spiritus sancti(licet melius sit negare causam, vt probatum est conclus. præced.) Probatur primò, nam ex Latinis Hilarius sæpe, Augustinus aliquando, Anselmus ex professo,Ricardus multoties ita locuti sunt sect.præced.

15 Secundò, quoniam inter Latinos Ecclesiæ doctores nemo reperitur, qui prohibuerit hanc vocem, licet falsò citetur Hilarius. Tertiò, quoniam Eugenius IV. in litteris vnionis Græcorum & Latinorũ in fine Concilij Florentini post med. litterarum declarans: *Filium quoque esse secundum Græcos causa, secundum Latinos verò principium*,&c. non prohibet Latinis istius nominis vsum, sed tantùm significat sibi magis probari frequentiorem Latinorum vsum potissimum Scholasticorum, qui prætermisso nomine causæ, principium vocare solent.

16 Quartò, Sanctus enim Thomas tã in præsenti art.1.quàm opusc.1.cap.1. solũmodo probat, esse conuenientius nomen principij,sed non reprobat absolutè nomen causæ. Quintò, nam apud philosophos aliquãdo causa valet idẽ omnino, quod principium,vt probant argumenta præced.sect.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta,posita in sect.2.

1 AD primum respond. concedendo, Græcos Patres ita fuisse locutos,& nõ malè; veruntamen addidisse castigationem, notando, Filium non esse factum, vt ex Athanasio in 2.dialogo de Trinitate retulimus in eadem sect.2. Insuper aliqui Græci negauere causam, vt Cyrillus citatus sect. præcedenti pro prima conclusione. Interest autem plurimum,quo sensu natio quælibet soleat vsurpare vocabula: nam vsus significationem ampliat aut contrahit. Ideo Latinos theologos decet loqui more Latinorum.

2 Ad secundum respond. Licet aliquando Latini Patrem dixerint esse causam, frequentius tamen appellant principium,& hanc appellationem magis probare videtur Summus Pontifex,& Concilium Florentinum,apertèq;suadet concors Scholasticorum sententia,vt vidimus sect. præcedenti.

3 Ad tertium respond. Nazianzenus in eo loco propterea principij nomen explicauit accipi pro causa,vt denotaret,esse principium productiuum, & realiter influens,non verò principium ordinis, aut mutationis, sicut est priuatio, vel punctus aut instans,vel alia principia,enumerata in argumento 6.Vnde colligo,eodem fine cæteros Græcorum Patrũ affectasse nomen causæ. Quapropter Latini significantiùs loquuntur & cautiùs, quando non dicunt nudè atque præcisè *principium*, sed explicãt *principium* productiuum. Ad quartum.Solutio constat ex dictis sect. præcedenti conclus. 1. probat.1. Necessitas enim agendi cum Græcis, & non impediẽdi præcipuum disputationis scopum, suasit causam vocare more Græcorum.

4 *An omne principiũ sit causa, apud Aristotelem.* Ad quintum. Negatur Maior. Et ad probationem respondeo & Dico primò. Dato, quod Aristoteles existimasset, omne principiũ esse causam; nihil posset inferri circa mysterium Trinitatis, quippe quod penitus ignorauit. Egit autem Philosophus solũmodo de principiis naturaliter notis, in quibus intercedit naturæ diuersitas,dependentia,& transmutatio rei, procedentis à principio,& cæterę,quæ consequuntur imperfectiones. Adhuc tamen ex eo quod dixit in 4.met.cap.2. & refertur in argumento 5. satis colligitur,Trinitati posse quadrare principium melius, quàm causam, quia cum vtriusque sit diuersa ratio, fieri potest, vt ratio principij magis abstrahatur ab imperfectionibus, quàm ratio causæ.

5 Dico secundò. Philosophus in eodem 4.Metaphysic.cap.2.quod asseruit, principium & causam se inuicem consequi, non intellexit de principio vniuersaliter accepto, sed tantùm de principio effectiuo

effectiuo, quod est antonomasticè principium. Ideóque tribus in locis sect. præcedéti citatis definitur, esse id, vnde primum principium est mutationis. Hoc igitur principium & causa, similiter antonomasticè dicta, se inuicem consequuntur, quemadmodum ens & vnum. In Deo tamen non est principium effectiuum personarum diuinarum, vt in præcedenti sect. probatum est.

6 Dico tertiò. Circa verba Philosophi 5. Metaphys. cap. 1. notandum est, non dixisse; *Omnia principia sunt causa*: sed tantum dixit: *Omnes causæ sunt principia*. Et sequenti cap. 2. numerãs modos, quibus causa dicitur, omittit aliquos modos dicendi principium, quos enumerauerat cap. 1. & tantùm numerat quatuor genera causarũ sicut in 2. Phys. Quartò. Vulgari & minus exacta significatione vsus est Aristoteles nomine causæ, quando tribuit illud priuationi 12. Metaphys. cap. 2. Dico quintò. Ex doctrina Aristotelis constat, nomen causæ propriè dictum, esse minus aptum, vt transferatur ad Deum propter rationes positas in præced. sect.

7 Ad sextum argum. Respond. In rebus creatis nullum est principium realiter productiuum & influens, quod non sit causa: secus autem in Deo propter rationes adductas in præcedenti sectione. Ad primam confirmation. Respond. Vt propria sit ratio causæ non sufficit vtcumque realiter influere & communicare esse; quia necessarium est cómunicare esse simpliciter diuersum atque dependens, & quod verè sit factum, vt in præcedenti sectione probatum est.

8 Ad secundam confirm. Respond. Optimo consilio retenta fuit à theologis Latinis prædicta vis & proprietas in vocabulo *causa*, vt aliquo nomine significaretur discrimen inter principium rei creatæ, quod est propriè causa, & principium personæ increatæ, cui repugnant imperfectiones causæ. Inde tamen nullum detrimentum accepit pax & reuerentia Latinorum erga Patres Græcos, quorum hac de re sententias minimè refutarunt, sed honorificentissimè declararunt.

Cum igitur omnia loca scripturæ, quæ pertinent ad præsentem disputationem, accipiantur à Patribus aliquando tanquam dicta de natura humana Christi Domini, sed alibi declarentur de persona Diuina secundum prioritatem originis: nos simul atque copulatiuè complectimur expositionem vtramque tanquam duas partes vnius integri sensus, quem primus author scripturarum significare voluit. 2 *Quæ sonant inferioritatem Filij, simul intelliguntur de vtraque natura, sed diuersimodè.*

Rationibus autem adducor, vt ita sentiam primò, quoniã aliqui Patres simul complectebantur expositionem vtráque tanquam nihil contrarium atque repugnans, multi quidem diuersis in locis; pauci verò in eodem loco, vt in sequentibus sectionibus constabit. Est autem ad rem præsentem egregius locus Augustini lib. de fide & symbolo cap. 9. inter princ. & med. vbi propositis multis scripturæ locis, quos Ariani solebant contra Filij Diuinitatem opponere, videlicet, *Pater maior me est. Caput Christi Deus. Tunc & ipse subiectus erit ei*, &c. *Et vado ad Patrem meum & Patrem vestrum*, respondet: *Illa posita sunt, partim propter administrationem suscepti hominis, qua dicitur, semetipsum exinaniuit.* Et post pauca: *Partim propterea, quia Filius Patri debet quod est, hoc etiam vtique debens Patri, quod eidem Patri æqualis aut par est, Pater autem nulli debet quidquid est.* Obserua dictiones illas *partim* & *partim*, vt dicas, expositiones has non esse contrarias, sed inuicem consentire tanquam partes ad integritatem totius. 3 Ioan. 14. 1. Cor. 11. 1. Cor. 15. Ioan. 20. Philip. 2.

Secunda ratio est, nã si qua declaratio potuisset in dubiũ venire, num esset ex mente sacri scriptoris, illa potissimum foret, qua dicitur, Patrem esse maiorem Filio tanquam principium illius ratione generationis æternæ. At hæc expositio traditur ab antiquissimis Patribus citandis sect. sequenti, de quibus ego dubitare non audeo, quin eam acceperint à maioribus, tanquam per manus ab ipsis Apostolis deriuatam. Quia cum id seruauerint vt plurimum in sacris litteris exponendis; vrgebat circa *maioritatem* specialis ratio: videbantur enim, plus æquo Diuinitatis hostibus concedere, dicendo, verificari maioritatem ratione originis. Hoc autem strenuissimi & prudentissimi propugnatores Diuinitatis euitarent, nisi veritas ipsa eos impelleret, vt ingenuè faterentur, quod à maioribus acceperant, neque auderent proprio sensu ac ratione saltem in speciem arma ministrare aduersariis. 4

Tertia ratio, nã de Spiritu sancto similia quædam legimus in Scriptura sacra. Quale est illud Ioan. 16. *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Hæc tamen necessariò intelligenda sunt de persona diuina secundum æternã processionem. Neque enim recurrere licet ad aliquam naturam creatam, quæ fuerit hypostaticè vnita Spiritui sancto. Ergo simili ratione sunt accipienda, quæ circa Filium videntur significare subiectionem, aut inferioritatem, aut aliquid aliud minoris perfectionis. 5 *Inferiorẽ esse Spiritũ sanctum sonare videtur alia quæ verba scripturæ.*

Quarta ratio, nam alia quædã dicuntur de Filio & de Spiritu sancto, quæ communi theologorum intellectu sine controuersia significãt simul æternam processionem & tẽporalem generationem, siue apparitionẽ, aut operationem ad extra. Quoties enim Filius aut Spiritus sanctus dicitur *missus* aut *datus*, significatur æterna processio secundum originem à persona mittente, vel dante, simúlque significatur temporalis generatio secundum carnem, aut aliquis alius modus existendi denuo in aliquo, & se cõmunicandi; ita vt habeatur ab illo: quem 6

DISPVTATIO L.

Vtrum Patrem esse principium significent varia testimonia, quæ Filio & Spiritui sancto videntur præponere Patrem.

SECTIO I.

Generalis decisio respondens affirmatiuè.

1 MVLTA sunt scripturæ loca, quæ primo verborũ sonitu videntur facere Patrem perfectiorem, præstantiorem, potentiorem, superiorem, Dominũ, ac præcipientem; sed subiectos, inferiores, indigentes, obsequentes, ac ministrantes Filium & Spiritum sanctum. Quos loquendi modos imitantur nõ rarò Patres antiquissimi. Sed prius quàm ad singula testimonia descendamus, operæ pretium erit tradere generalem regulam exponendi, vel potius intelligendi varias expositiones antiquorum: quas nõ debemus inter se committere, pugnantésque facere; sed potius pace componere tanquam partes vnius integræ declarationis: quemadmodum circa versum Psal. 2. *Ego hodie genui te*, fecimus disp. 4. sect. 1.

quemadmodum ostẽdemus tractantes de missione disp. 108. & 109. Ergo cæteris Scripturæ testimoniis & modo loquẽdi Christi Domini & Apostolorum conformior erit expositio, quæ simul cum temporali & humana Christi Domini generatione coniunxerit etiam æternam generationem, quoties hunc intellectum verba tulerint, & Patres ita intellexerint.

7 Quinta ratio, quia quando verba Scripturæ capiunt vtrumque sensum, & vterque catholicus est & vtilis, nihil est, quod Deum mouere posset, vt non intenderet vtrumque significare; quin potius paucis eisdémque verbis plura copulatiuè complecti cum debita proportione, est altior modus scribendi, & Spiritu sancto dignior.

8 *Mos scripturæ.* Sexta, quia mos est Scripturarum, ita verba tẽperare, vt & rudiores habeant, quod facile possint ex illis intelligere, & nihilominus restet aliquid profundius inuestigandum subtilioribus & magis instructis theologis. Propterea simul eisdem verbis Christus Dominus proposuit, quæ promptum erat secundum humanitatem intelligere, sed possent simul etiam secundum generationem æternam intelligi post aduentum Spiritus sancti.

SECTIO II.

Ioan. 14. *Pater est maior*, ideſt, *principium, & origine prior, quàm Verbum.*

1 *Arianorum obiectio.* INter obiectiones, quibus maiorem audaciam & spem victoriæ concipiebant Ariani, nulla fuit frequentior, quàm hæc ex verbis Christi Domini, *Pater maior me est*. Hanc referunt Athanasius in disputatione contra Arium habita in Concilio Nicæno propius ad princ. quàm ad med. Nazianzenus orat. 35. quæ est 3. de theologia ferè inter med. & fin. à num. 57. & sequenti orat. 36. quæ est 4. de theologia colum. 4. obiectione 3. Basilius, Cyrillus & alij Patres in hac & sequenti sectione citandi. Vnde Semiariani in *exemplo blasphemiæ apud Syrmium per Osium & Potamium conscriptæ* (quod refert Hilarius lib. de Synodis colum. 5.) ausi sunt dicere: *Nulla ambiguitas est, maiorem esse Patrem. Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris maiorem esse, Filio testante: Qui me misit, maior me est.*

2 *Catholicorũ responsio.* Catholici doctores ex aduerso repugnabant, affirmantes, Patrem eo sensu dici maiorem Filio, quoniam est principium illius, & prior origine, quæ maioritas respicit præcisè formaliterque personam, retenta prorsus omnimoda identitate naturæ. Hoc sensu Nazianzen. orat. 35. quæ est 3. de theologia ferè inter med. & finem num. 58. concedit, Patrem in ratione causæ maiorem esse Filio; sed è vestigio notat, inde non inferri simpliciter esse maiorem, sicut ex eo, quod Petrus sit homo mortuus, non sequitur esse simpliciter hominem.

3 *Iam*, inquit Nazianzenus, *dicentibus nobis, Patrem, quantum ad causam Filio maiorem esse, ipsi hanc propositionem assimant: Atqui causa naturæ suæ ratione maior est: posteáque conclusionem hanc subnectant: Ergo Pater maior natura: haud scio se ipsos ne potius, an eos, cum quibus disputant, captiosa hac argumentatione circumueniant.* Et post pauca: *Verum ab eo, quod secundum rationem quandam dicitur ad id, quod simpliciter dicitur, captiosè progreditur hæc argumentatio. Nam cum Patrem causæ natura maiorem Filio esse concedamus, ipsi hinc colligunt, natura maiorem esse. Quod perinde est, ac si, dicentibus nobis, Hic mortuus homo est, colligerent ipsi, Ergo homo.* Videlicet, quoniam à creaturis abstracta ratio Patris atque principij, videtur maiorem dignitatem afferre; sed postquam diuinæ naturæ coniungitur, reducitur ad æqualitatem, extincto dignitatis excessu, & relicta sola prioritate principij.

Idem Nazianzenus in sequenti orat. 36. quæ est 4. de theologia colum. 4. diluit obiectionem tertiam, & Scripturæ testimonia, quibus Filius dicitur æqualis Patri, conciliat cum præsenti testimonio. *Quomodo conueniunt*, inquit, *quæ conuenire nequeunt? Idem enim vt seipso maius sit, sibique ipsi æquale, quî fieri possit? Nonne ergo perspicuum est maioris vocem ad causam, æqualis autem ad naturam referendam esse?* Et post pauca præsentem expositionem esse præferendam alteri, probat: *Nam quod ratione humanitatis Pater Filio maior intelligendus sit, verè quidem dici potest, sed non perinde honorificè. Quid enim mirum, Deum homine maiorem esse?* 4

Regulam verò generalem interpretandi similes Scripturæ propositiones, tradit carmine arcano 3. de Spiritu sancto paulo post med. num. 5. 5

Quod si de Nato, quod si de Pneumate, sacra
Pagina, scriptoresque pij quid forte loquantur
Tanquam quæ supero sint inferiora Parente,
Hoc tu quidquid erit prudens sic accipe dictum,
Hinc etenim id demum monstratur, ducat vterque
A Patre quod causam, non autem vtriusque diuersum
Numen, &c.

Athanasius orat. 2. contra Arianos versus fin. ait: *Pater maior me est, non quidem magnitudine aut ætate, sed quia ex illo ortum habeat.* Chrysostomus in Ioan. homil. 74. propius ad med. quàm ad fin. post aliam expositionem adiungit: *Quod si quis maiorem Filio Patrem, inquantum principium diceret; neque hoc contradiceremus: non tamen hoc alterius Filium facit esse substantiæ.* Basilius lib. 1. contra Eunomium pag. penult. præsens testimonium ex professo discutiens, ita concludit: *Reliquum est, vt causæ ratione maius hic capiatur. Nam quoniam à Patre origo est Filij, hoc maior est Pater quod causa est atque origo.* Cui consonat quod lib. 4. aduersus eundem inter med. & fin. *Maior dictus ob honorem Filij ad Patrem.* Insuper: Patrem esse dignitate primum, & Filium dignitate secundum, quod explicabimus disp. 105. 6

Cyrillus Alexand. lib. 2. thesauri cap. 3. inter princ. & medium ita diluit obiectionem Eunomij. *Quamuis secundum rationem substantiæ Patris æqualis & penitus similis sit; maior tamen ipso Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo, quia ex eo Filius est; & sic principium Filij secundum originem Pater est.* Et inter medium & fin. eiusdem capitis post quam adiunxit, *Filium esse minorem secundum formam serui, quam assumpsit*, ad priorem expositionem recurrit, dicens: *Aut secundum quod ex Patre est, cuius imago integra, inviolataque est.* Quibus videtur Cyrillus concedere, Filium esse *minorem secundum quod ex Patre est.* Sed Filij minoritatem intelligit eodem sensu, quo Patris maioritatem absque vlla inæqualitate. Nihilominus, licet concedamus, Filio maiorem esse Patrem, non expedit concedere, Filium esse minorem, vt infra referemus ex Hilario & S. Thoma in hac ipsa sectione. 7

Epiphanius hæres 69. longè post med. & in Ancorato multo propius ad princ. quàm ad med. 8

Arianis respondet, Filium dixisse, *Qui misit me Pater, maior me est*, vt significaret, se genitum esse & à Patre exiuisse, atque vt glorificaret Patrem, illique deferret honorem, à quo recipit eandem gloriam & honorem. Itaque recurrit ad rationem principij & prioritatem originis.

9 Gregorius Bœticus lib. de Trinit. inter med. & fin. *Dicamus*, inquit, *& nos Patrem maiorem esse de solo sacramento generationis: & hunc enim pium sensum nonnulli Catholici prosecuti sunt.* Et post pauca: *Et si ergo qua Deus, æqualis est Filius; tamen quia Filius minor dicitur Patre, id est, qua Filius de Patre sit; & ideo non dixit: Deus maior me est, sed, Pater maior me est.* Nimirum significans, nullum esse prioritatis ordinem ratione Diuinitatis, sed ratione personalitatis & originis. Origenes homil. 2. in varios, circa illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, colum. 3. ait: *Præcedit Pater Verbum, non natura, sed causa. Audi ipsum Filium dicentem: Pater maior me est. Substantia eius causa est meæ substantiæ. Pater, inquit, præcedit Filium causaliter.*

10 Eandem expositionem sequitur Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. inter med. & fin. cuius verba posuimus præcedenti disput. 49. sect. 2. Rursus lib. 4. cap. 19. non longè à princ. *Quædam*, inquit, (supple ostendunt) *vt ex causa Patre, vt Pater meus maior me est; nam ex ipso habet esse, & omnia quæcumque habet, esse quidem generatiuè, & non conditoriè: vt & hoc, Ego ex Patre exiui, & venio, & Ego viuo propter Patrem.* Præterea lib. de duabus Christi voluntatibus inter princ. & medium ait: *Pater meus maior me est. Ego enim ex eo, & non post eum, nec ego à me ipso. Patremque hoc modo honore afficit.*

11 Anastasius Sinayta lib. de rectæ fidei dogmat. colum. penult. de Patre ait: *Maior secundum quod author & causa. Forte etiam secundum quod Filius minoratus est paulo minus ab angelis.* Eandem expositionem adhibent Leontius, Theophilactus, & Euthymius in commentariis Ioan. 14. apud Maldonatum ibi.

12 Rationem exemplaris, quæ pertinet etiam ad rationem principij, respiciens Alexander Alexandrinus in epist. ad Alexan. Constantinop. post med. (apud Theodoretum lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. & in tom. 1. Concil.) ita scribit: *Constat, imaginem complecti debere eas omnes res, quibus exemplar ipsum, quod maius est, perfectius exprimatur: ipse Dominus docuit: Pater maior me est.*

13 Hilarius lib. 9. de Trinit. inter med. & fin. ait: *Maior vtique Pater est, dum Pater est: sed Filius, dum Filius, minor non est. Natiuitas Filij Patrem constituit maiorem, minorem verò Filium esse natiuitatis natura non patitur. Maior Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur vt reddat: Filius minor non est, dum gloriam resumit ad Patrem. Atque ita & Sacramentum natiuitatis, & dispensatio corporationis impletur. Nam & Pater, dum & Pater est, & glorificat nunc Filium hominis, maior est,* &c. Hilarius complectitur vtrãque generationem æternam & temporalem, tanquam duas partes integri sensus, significati per hæc verba.

14 Præterea notandum est, quamuis in rigore sermonis ex maioritate Patris necessariò sequatur, Filium esse minorem eodem sensu, videlicet, vt significetur solummodo, Filium à Patre tanquam à principio procedere: nihilominus theologica prudentia cauet à voce minoris, vt vitetur erroris occasio. Quemadmodum obseruauit S. Thomas in præsenti quæst. 33. art. 1. ad 2.

Idem Hilarius lib. 11. de Trinit. inter princ. & med. *In eo*, inquit, *quod Pater maior est, confessionem Paternæ authoritatis intellige. Sicuti illud est: Non potest Filius à se facere quidquam.* Eodem modo intelligit lib. 3. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princ. & lib. de Synodis ferè inter med. & fin. *Patrem*, ait, *in eo maiorem esse, quod Pater est, Filium in eo non minorem esse, quod Filius est; significationem interesse, non interesse naturam.* 15

Sardicense Concilium generale, qua parte Catholicum & approbatum est, epist. Synodali 3. ad omnes episcopos prope fin. ait: *Nec quisquam* (videlicet Catholicorum) *negat aliquando Patrem Filio maiorem, non propter aliam essentiam, non propter differentiam, sed quia ipsum nomen Patris maius est Filio.* Intellige, quoniam significat principium origine prius. 16

Augustinus de quæstionibus Veteris & Noui testamenti q. 122. ad fin. *Differt*, inquit, *in causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est, & in substantia minor non est Filius: authoritate tamen maior est Pater, ipso Domino testante: Pater maior me est.* Idemque Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 9. inter princ. & med. hanc ipsam explicationem coniungit cum alia de inferioritate naturæ assumptæ, vt retulimus sect. præc. prob. 1. Phœbadius lib. contra Arianos in med. *Pater*, inquit, *maior me est, merito maior, quia solus hic author sine authore est. Merito maior, quia non ipse descendit in Virginem.* 17

Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 9. cõiungit explicationem vtramque, dicens: *Pater enim tota substãtia est, Filius verò deriuatio totius & portio, sicut ipse profitetur: Quia Pater maior me est. A quo & minoratus canitur in psalmo, modicum quid, citra angelos. Sic & Pater alius à Filio, dũ Filio maior: dum alius qui generat, alius qui generatur: dum alius qui mittit, alius qui mittitur.* Vbi *portionis* nomine non significat, Filium esse partem, neque aliquid minus quàm Pater, sed denotat, Filium non esse totius Diuinitatis fontem, qualis est Pater, nec esse totum quod procedit à Patre, sed esse vnam de personis ab eo derivatis. Alioqui tam præcedentibus, quàm sequentibus capitibus, strenuè defendit omnimodam æqualitatem Filij. Eodem modo, licet obscurius ad æternam generationem, refert eadem verba, *Pater maior me est.* In lib. contra Praxeam cap. 14. prope fin. 18

Tandem obseruandum est, ex prædictis Patribus aliquos ita loqui, quasi concedant Patri dignitatis, aut perfectionis excessum ratione personalitatis, licet non ratione naturæ. Cæterum aliter sentiunt. Nam ideo magis expressè diligentiúsque curarunt, æqualitatem naturæ defendere, quoniam, ea posita, non erat possibilis inæqualitas in personalitatibus, identificatis realiter cum natura, & ab illa recipientibus totam perfectionem simpliciter infinitam. 19

SECTIO III.

Humanitatis assumptæ minoritas significatur simul cum prioritate originis, explicata in sectione præcedenti.

1 DOctores Ecclesiæ, qui Patrem esse maiorem tanquam principium generationis æternæ, præcedenti sect. docuerunt, iidem ferè omnes, aut iisdem, aut aliis in locis adiungunt, esse maiorem cõparatione humanitatis assumptæ. Sic in Athanasij Symbolo canit Ecclesia, *Minor Patre secundũ humanitatem.*

humanitatem. Hoc intellectu frequentiùs Athanasius diluit obiectionem Arianorum, ex præsenti testimonio Ioan. 14. desumptum, vt videre est in disput. contra Arium, habita in Concil. Nicæno, propius ad princ. quàm ad med. & lib. de humana natura suscepta, fine, & lib. 3. de assumptione hominis per modum dialogi, & dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomœum ad fin. & sequenti dialogo 2. pag. 5. & contra Macedonium dialogo 1. versus fin.

2 Gregorius Nyssenus tom. 2. orat. vltima de Deitate Patris & Filij & Spiritus sancti præcipuè circa med. Basilius apologia ad Cæsarianos, quæ est epistola 141. prope med. Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia colum. 4. dum respondet ab obiectionem tertiam. Chrysostomus tom. 3 versùs finem in serm. de S. Trinit. propius ad med. quàm ad fin. Gregorius Bœticus lib. de Trinit. propius ad med. quàm ad fin. Cyrillus Alex. lib. 10. in Ioannem cap. 9. præsertim à med. & lib. 2. thesauri cap. 3. Cuius verba retulimus in sect. præcedenti. Anastasius item in sect. præcedenti citatus.

3 Eandem expositionem adiungunt Latini Patres. Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratianum toto ferè cap. 4. & lib. 5. cap. 7. ad finem. Hieronymus in Ecclesiasten cap. 6. prope fin. Augustin. in Enchiridio cap. 35. & tract. 18. in Ioan. cap. 5. colum. 2. & tract. 78. non longè à princ. & lib. 83. quæstionum, quæst. 69. initium & epist. 66. ad Maximum medicum prope finem, & lib. 1. de Trinit. cap. 7. & sequentibus, præsertim cap. 11. & lib. 6. de Trinit. cap. 9. prope finem, & lib. 3. contra Maximinum cap. 25. Hilarius lib. 9. de Trinit. ferè inter med. & fin. Cuius aliqua verba retulimus sect. præcedenti. Leo Magnus serm. 7. de natiuitate longè à principio & serm. 3. de Pentecoste cap. 5. fine, & epist. 10. cap. 4. fin. quæ recepta est in Concilio Chalcedonensi. Gregorius Magnus homil. 25. in Euangelia paulo post med. Isidorus lib. 2. de differentiis Spiritualibus cap. 4. & lib. 7. etymol. cap. 2. ad fin. & lib. 1. sentent. cap. 14. sub initium. Concilium Toletanum Sextum & Vndecimum in professione fidei, illud cap. 1. post med. hoc autem colum. 2. professionis. Concilium Hispalense Secundum action. 13. colum. 1. Beda Ioan. 14. colum. penult. & Ioan. 8. ad illud, *A me ipso facio nihil*, & Ioan. 16. ad illud, *Non loquetur à semetipso.* Phœbadius & Tertullianus in præcedenti sectione citati. Eucherius quæstionibus in Ioan.

4 Hanc expositionẽ superiori præferunt S. Thomas infra quæst. 42. art. 4. ad 1. & communiter Scholastici; & neoterici expositores in Ioannem. Rationibus autem probare contendunt, literalem & genuinum sensum esse de sola humanitate, non de prioritate originis diuinæ. Has rationes indicarunt Patres citati, & magis ad argumenti formam redigunt Toletus Ioan. 14. annotatione 27. Maldonatus in eadem verba. Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 16. col. 1. Suarez lib. 2. de Trinit. cap. 4. num. 6. fine.

De sola humanitate esse intelligẽdum cõtẽdunt hac argumenta.

5 *Primum.* Primam offert præcedens ac subsequens contextus Euangelij, quam his verbis ponderat Augustinus tract. 78. in Ioan. sub init. dicens: *Ergo & ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: ibat per id quod vno loco erat, manebat per id quod vbique erat.* Et paucis interpositis: *Vt autem intelligerent, secundum id quod homo erat, eum dixisse, vado & venio ad vos: adiecit atque ait: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem. Per illud autem in quo æqualis est gignenti Vnigenitus, nunquam recedit à Patre.*

Respond. Hæc ratio cõuincit, in prædictis verbis necessariò intelligendam esse humanitatem Christi Domini; sed non probat, hunc esse totum integrum intellectum, ita vt non sit altera pars vnius literalis sensus æterna generatio Verbi, modo explicato in sectionibus præcedentibus. Imo quemadmodum Christus Dominus dicitur esse missus à Patre, & à Patre venire, & nobis dari non solum propter humanitatem assumptam, sed etiã quia persona Verbi procedit à Patre tanquam à principio: ita necessarium est intelligere, quod ait, *redeo*, aut *vado ad Patrem:* nam via missi redeuntis correspondet aduentui atque missioni. 6 *Soluitur.*

Sed instabit aliquis, petens, quomodo cohæreat vtraque generatio cum præsentibus verbis Christi Domini? Respondetur, hanc esse cohærentiam. *Gauderetis vtique, quia vado ad Patrem,* quia cum ille principium sit, & origine prior mea persona, deinde verò sit fons, vnde cuncta bona deriuantur in meam humanitatem: summa fœlicitas est mihi redire ad eum, à quo exiui missus. 7 *Verborum Christi Domini cohærẽtia.*

Altera ratio prædictæ sententiæ sic habet. Si Pater ideo vocaretur maior Filio, quoniam eius principium est; sequeretur, Patrem & Filium dicendum esse maiorem Spiritu sancto, quoniam eius principium est. At hoc nusquam legimus in Scriptura neque apud Patres. Respondetur primò, negando consequentiam. Concurrit enim in Filio pars altera rationis, propter quam Pater appellatur eo maior, videlicet humanitas hypostaticè vnita, ratione cuius dicuntur de Filio Dei, quæ conueniunt ratione humanitatis. Cum igitur Spiritus sanctus nullam naturam assumpserit, non erat ita conueniens ita loqui de illius persona. 8 *Secũdum argumentum.*

Respondetur secundò. Alia multa dicuntur de Filio, prout à Patre procedit, quæ tamen in Scriptura sacra non dicuntur expressè de Spiritu sancto, sed relinquuntur theologis inferenda ex iis, quæ dicuntur de Filio, quale est illud, *Ego in Patre, & Pater in me est*, & illud: *In ipso vita erat.* Et iterum: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Et alibi: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ facit.* Concedimus ergo, verificari potuisse, Patrem & Filium esse maiorem Spiritu sancto in sola & præcisa ratione principij producentis. Sed non licet theologis tales locutiones difficiles multiplicare, nec ita congruum fuit, Christum Dominum appellare se maiorem Spiritu sancto, sicut congruum fuit dicere: *Pater maior me est.* Cuius ratio congruentiæ tacta est in præcedenti solutione, & magis constabit statim. 9 *Filius nõ dicitur maior Spiritu sancto.*

Postremò videtur aliquibus authoribus, esse diuersam expositionem, quæ notat, Christum Dominum in præsenti testimonio accommodasse verba ad captum audientium, vt Chrysostomus docet homil. 74. propius ad med. quàm ad finem. Leontius, Theophylactus & Euthymius Ioan. 14. Veruntamen hæc non est expositio, sed ratio, quæ Christum Dominum impulit, vt verbis ita humilibus & obscuris significaret tam recondita mysteria. Hoc igitur nihil repugnat, sed potius confirmat expositionem, in hac & præcedenti sect. traditam. Verùm de hac ratione iterum sect. 7. fine ex Chrysostomo & Theodoreto. 10

SECTIO

SECTIO IV.

Duplex ratio primi principij, propria personæ Patris, significatur, quando dicitur: Caput Christi Deus 1. *Corinth.* 11. *Vbi de locutionibus, quibus Pater Filio præponitur, vt* princeps *vel* excellens, *& cætera.*

1 HIs etiam verbis Apostoli contra Filij Diuinitatem pugnabant Ariani, & Eunomiani, vt constat ex Chrysostomo, Theodoreto & Cyrillo infra citandis. Volebant enim, non aliter Deum esse caput Christi, quàm Christus est caput viri, & vir est caput mulieris iuxta contextum Apostoli. Nihilominus aliter esse caput, ex sequentibus constabit: nec ipsi hæretici possunt vlla ratione retinere rationem capitis eandem. Nam si Christus Dominus esset pura creatura, vt ipsi contendunt, aliter esset Christi caput Deus, tanquam eius creator & absolutus Dominus: aliter autem vir esset caput mulieris, & Christus, si esset pura creatura, foret caput viri, non tanquam eius creator & absolutus Dominus. Quod argumentum egregiè ponderat Chrysostomus 1. Corinth. 11. homil. 26. colum. 3.

2 *Metaphora capitis.* His ergo prætermissis supponendum est, appellationem capitis esse metaphoricam, quippe quod solis animalibus conuenit: veritas autè per illam significata, est principium coniunctum, & vitaliter influens in ea cuncta, quæ sibi sunt vnita mediatè vel immediatè. Quod probari potest ex Philosopho 5. metaphys. cap. 1. vbi cor aut cerebrum, dicit, esse principium animalium, quia videlicet ab illo deriuantur spiritus animales, & vitales, ad vitam simpliciter necessarij. Propterea metaphoram vtramque docuit Spiritus sanctus, nam psalm. 44. Pater, ait, *Eructauit cor meum verbum bonum*, & in præsenti testimonio Pater appellatur caput Filij: nec solum propter rationem dictam, sed etiam quoniam caput loquitur per verbum, à corde procedens.

3 *Deus caput Christi ratione vtriusque generationis.* Ad rem igitur veniens Dico primò. Quando Christi caput dicitur esse Deus, copulatur simul realis æternusq; respectus personæ Patris ad Verbum, cum temporali extrinsecæ denominationis respectu, quem Pater habet ad humanitatem, hypostaticè vnitam Verbo, tanquam primum principiũ imprimis Verbi, deinde verò vnionis hypostaticæ & omnium bonorum, quę comitantur illam. Vtrumque respectum significari, notauit Augustinus lib. de fide & Symbolo cap. 9. inter princ. & med. Cuius verba posuimus sect. 1. disputationis huius non procul à princ. Idem Augustinus in quæstionibus Veteris testamenti q. 9. ait: *Caput Filij Pater est, & caput Spiritus sancti Filius, quia de ipso accepit.* Verum lib. 7. de Trinit. cap. 9. prope fin. intelligit, esse caput comparatione humanitatis.

4 Chrysostomus autem 1. Corinth. 11. homil. 26. col. 3. & Theodoretus ad eadem verba ex illis redarguunt Arianos & probant, Christum esse eiusdem substantiæ cum Patre quantum ad Diuinitatem, licet ratione humanitatis sit inferior atque subiectus: quia caput est eiusdem substantiæ cum membris, quibus est caput. Sicque Deus Pater est caput Verbi ratione substantiæ diuinæ, sed Christus Dominus tatione humanitatis est caput viri & totius Ecclesiæ. Ephes. 5.

5 Ambrosius in commentariis 1. Corinth. 11. *Dignum est*, inquit, *vt Filij caput Pater dicatur quasi genitor.* Et post pauca: *Ideo caput Christi est, quia de eo vel ab eo genitus est.* Sed alteram partem expositionis docuit lib. 4. de fide ad Gratianum toto ferè cap. 2. probans, secundum Incarnationem intelligendum esse caput Christi Deum.

6 Syrmica Synodus canone 26. Filium non esse innascibilem, ac sine principio, probat, *Quia caput, quod est principium omnium, Filius, caput autem quod est principium Christi, Deus: Sic Deus ad vnum ininitiabile omnium initium per Filium vniuersa referimus.* Ita refert ac defendit Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad finem inter alia dicens: *Caput omnium Filius est, sed caput Filij Deus est.*

7 Præ cæteris egregiè Cyrillus Alexand. dialog. de Trinitate lib. 3. ferè colum. penult. *Christus*, inquit, *fontem quidem quodammodo & radicem subsistentiæ Patrem habens, qui in cœlis, cum quo sine principio est, ac æternus, nullúmque secundarium primatum gerens, siquidem necessarium est, caput simul subsistere cum eo, cuius caput esse dicitur, iunctus verò secundum carnem etiam huic nostræ naturali habitudini. Quando igitur Christi caput Deus intelligitur & est citra mendacium, quomodo non esset Deus verus, qui radicem habet Deitatis veram, & substantialiter iunctus ei qui genuit?* Quapropter ex hoc loco non modo nihil inferioritatis colligitur, sed etiam probatur æqualitas & identitas naturæ, supponendo, quod sicut Deus naturaliter est Pater Verbi, sed hominum non nisi per gratiam: ita naturaliter est caput Verbi, sed hominum non nisi per gratiam. Hic autem vtrumque respectum Patris ad Verbum copulauit Cyrillus, scilicet inquantum est fons & radix Verbi per generationem æternam, & inquantum in eius humanitatem influit gratuita dona.

8 Priorem tantum originis ordinem intellexit absque dubio Tertullianus, licet obscurè lib. contra Praxeam cap. 14. fine, illis præcipuè verbis: *Mirarer, an facies Filij Pater accipi posset, qui est caput eius. Caput enim Christi Deus.*

9 S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 1. ratione 1. reiiciens nomen causæ, *caput* & *fontem* admittit, quia significant consubstantialitatem. Propterea que 1. Corinth. 11. lect. 1. prope fin. notat, Deum hoc loco supponi pro persona Patris, quæ dicitur caput Filij *secundum originem & secundum conformitatem naturæ.* Nec contradicit Hieronymus in Commentario 1. Corinth. 11. intelligens Deum esse caput humanitatis assumptæ, quam gubernat. Hæc enim est altera pars completæ declarationis.

10 *Alia significationes excellentia.* Dico secundò. Ex præsenti cæterisque sectionibus istius disputationis colligitur, non caruisse solido fundamento sacrarum literarum aliquas locutiones antiquorum Patrum, significantes principatum, excellentiam & authoritatem Patris in ordine ad Filium. Sic enim Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia inter med. & fin. respondens ad decimam obiectionem, Patrem appellat *principem naturam.*

11 Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos multo propius ad med. quàm ad princ. vocat Patrem *principem naturam, præcipuum, eximium, formam principalem.* Dionysius episcopus Romanus apud Athanasium epist. de decretis Nicænæ Synodi vltra med. Deum Patrem appellat *Verticem & principem, in quem consummatur Trinitas.* Basilius lib. 1. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. dicit, *Filio præponi Patrem secundum habitudinem causarum.*

12 Nazianzenus orat. 26. de moderatione in disputationibus

tationibus col. 3. scribit: *Spiritum sanctum hoc solo nomine cedentem Patri, quod ingenitus non sit; hoc item Filio, quod non genitus sit: cætera autem eiusdem omnino naturæ, dignitatis, honoris & gloriæ.* Quod magis explicabitur disput. 105. sect. 1. Ricardus Victorinus lib. 6. de Trin. cap. 17. post med. Patrem appellat *principalem causam*, generationem verò *principalem procedendi modum.*

13 *Authoritas Patris.* *Authoritatem* verò frequentiùs dixere Patres, potissimum Hilarius lib. 4. de Trin. col. 3. & lib. 9. multo propius ad med. quàm ad finem & lib. 11. propius ad med. quàm ad princ. & lib. de Synodis propius ad med. quàm ad finem post canon. 27. Syrmicum, & iterum multo propius ad fin. quàm ad med. atque iterum inferius post Symbolum Nicænum Ambrosius 1. Corinth. 15. ad illud: *Tunc & ipse Filius subiectus erit*, &c.

14 Augustinus tract. 59. in Ioan. prope finem notat, mittentis authoritatem significari Ioan. 13. cũ dicitur: *Qui me accipit, accipit eum, qui misit me. Gradus autem causalitatis & authoritatẽ* ponit Augustinus in quæstionibus Veteris & Noui testamenti quæst. 122. ad fin. Vtriusque loci verba retulimus disp. 29. sect. 2. fine.

15 Denique communiter Scholastici nomen authoritatis in Trinitate recipiunt & explicant, vt S. Thom. 1. part. quæst. 33. art. 1. ad 2. & de potent. q. 10. art. 1. ad 9. & ad 17. Alexand. 4. p. quæst. 91. memb. 1. ad 1. & 2. S. Bonauent. 1. dist. 20. art. 1. quæst. 2. fine, Henricus in Summa art. 60. quæst. 9. ad 1. & 2. & art. 54. quæst. 7. ad 1. & 2. Disputatione 69. sect. 1. videbimus Patres & Scholasticos, asserentes, Patrem *principaliter* spirare Spiritum sanctum.

SECTIO V.

Vna persona dat alteri, tanquam principium producens: alia verò persona recipit, prout à principio procedit.

1 *Arianorum argumẽtum.* ANtiquiores Ariani contra Diuinitatem Filij sumebant argumentum ex omnibus locis Scripturæ, quibus dicitur, Patrem dare, sed Filium aut Spiritum sanctũ accipere. Qualia sunt Ioan. 3. ad fin. *Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu eius.* Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Ioan. 6. *Ego viuo propter Patrem* Ioan. 10. *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Ioan. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* Ioann. 17. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Atque de Spiritu sancto Filius: *De meo accipiet* Ioan. 16.

2 Erat autem obiectio huiusmodi. Si à se ipso Filius haberet omnia, ea non accepisset à Patre; quod si non habet à se ipso non est æqualis Patri: vt refert Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 1. init. Alij confirmabant primò, colligentes, Filium ex Patre non esse; nam si fuisset ex Patre, non fuisset indigus & egenus, vt illa acciperet. Quod refert Athanasius orat. in illud dictum, *Omnia mihi tradita sunt*, &c. in principio illius orationis.

3 Secundò recentiores Ariani confirmabãt, quia *Beatius est magis dare, quàm accipere*, vt Christus Dominus asseruit, Apostolo teste Actuum 20. prope fin. Ergo beatior erit Pater, quàm Filius; ac proinde Filius erit inæqualis Patri. Hac ratione Origenes lib. 2. in Ioan. colum. 2. docet, quod solus Pater est autotheos, id est, per se Deus & verus Deus, sed non Verbum seu logos, qui erat apud Deum.

4 *Accipit vna persona diuina ab alia absque inæqualitate.* Summa solutionis est, Filium & Spiritum sanctum accipere non quasi indigentes, & ideo non quasi inferiores atque minùs perfectos, sed prorsus æquales. Ad cuius explicationem recolenda sunt quæ diximus disp. 10. sect. 2. assert. 3. probat. 2. & disp. 29. sect. 5. in solutione cuiusdam obiectionis. Quod vna persona diuina propterea non indiget altera, propriè loquendo (licet illam exigat per necessariam connexionem) quoniam illud est propriè indigens & egenum, quod in se ipso & à se ipso non habet aliquid requisitum ad suam perfectionem, sed illud accipere debet ab aliena substantia; sed Filius in se ipso & à se ipso habet nõ modo relationem Filij, sed etiam totam diuinitatem sibi debitam, proprio iure & quidditatiuè postulatam à sua proprietate personali. *Non indiget vlla persona diuina.*

5 Confirmatur primò, quoniam Filio debitus est Pater, in eo manens, & illi per essentiam coniunctus, & debita est generatio non minùs, quàm Patri debetur Filius, in eo manens & ab eo procedens. Debetur autem alter alteri sola necessitate naturæ & essentiali connexione. Confirmatur secundò, quoniam indigentia propriè dicta respicit causam, vel aliquod illius complementum aut conditionem causandi. Quamlibet autem causalitatem propriè dictam non conuenire comparatione diuinarum personarum, probatum est disp. præcedenti.

6 Propterea quod vna persona non indigeat altera, docent communiter Patres. Athanas. dicta orat. ad illud, *Omnia mihi tradita sunt*, colum. 1. & epist. ad Serapionem, cuius verba refert S. Thomas opusc. 1. contra contra errores Græcorum cap. 7. in princ. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. inter princ. & med. Chrysostomus 1. Corinth. 11. homil. 26. colum. 4. Anselmus in monologio cap. 58. Communiter Scholastici, & S. Thomas 1. dist. 2. quæst. 1. art. 4. fine. S. Bonauentura eadem dist. 2. art. 1. quæst. 2. ad 1.

7 *Duplex modus habendi à se.* Ad obiectionem Arianorum initio positam respond. distinguendo duplicem modum habendi aliquid à se ipso. Primus est, ita vt persona non producatur ab alia, nec per productionẽ communicentur illi cuncta, quæ habet. Hoc igitur modo nihil habet Filius à se ipso. Nam hoc sensu Ioan. 5. dixit: *Non potest Filius à se ipso facere quidquam*: & cap. 8. vers. 28. *A me ipso facio nihil*, & vers. 42. *Ego ex Deo processi, & veni: nec enim à me ipso veni.* Idem intellige de Spiritu sancto, de quo Ioan. 16. *Non enim loquetur à semetipso.*

8 Secundus modus, quo Filius & Spiritus sanctus habet omnia à semetipso, cõsistit in eo, quod nihil habeat emendicatum ab alieno & extrinseco sibi largitore; nihil precario, neque gratuito dono concessum, sed omnes perfectiones profluant ex propria sibi & intima quidditate, tanquam necessariò conuenientes suæ essentiæ, & suæ personali proprietati, & debitæ sibi non minus, quàm debentur Patri.

9 Declaratur amplius, quia quidquid Filius accipit à Patre, non accipit per participationem, vt creaturæ, nec eius necessitas est cõditionalis tantummodo, qualis est necessitas in homine, vt sit animal rationale, si Deus liberè voluerit hominem creare. Absoluta quippe necessitas est prorsus independens à quacumque libera voluntate; itaut summa implicatio, sicut Deum non esse Deum; sit Filium non habere aliquam ex perfectionibus, quas per generationem accipit.

Hunc

10 Hunc modum habendi vitam & omnem perfectionem à semetipso, significauit Christus Dominus Ioan. 5. dicens: *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Quod August. tract. 19. in Ioan. multo propius ad medium quàm ad finem ita exponit: *Genuit vt vita esset, hoc est, dedit ei habere vitam in semetipso, vt esset vita, non egens vita; ne participando intelligatur habere vitam. Si enim participando haberet vitam, non in semetipso; posset & amittendo esse sine vita.* Cui ponderationi fauet, quod multoties non solum in sacris literis, sed etiam apud profanos Scriptores, præpositio *In* denotat suppositum, habens virtutem à semetipso, vt Actor. 17. *In ipso viuimus*, & Lucæ 11. *Si in digito Dei eijcio dæmonia.*

11 Ad primam confirmationem respond. iam satis esse probatum, egestatem vel indigentiam non inferri ex prædicto modo accipiendi à persona sibi debita, & intimè coniuncta per identitatem naturæ, per productionem sibi debitam. Fauet, quod inter homines non censetur egenus, sed valde diues, qui recipit plurima sibi debita proprio iure.

12 Ad secundam confirm. ita respondet Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. post medium. *Beatum est magis dare, quàm accipere: sed in hac vita, vbi est inopia, quà vtique melior est copia: melius enim est habere, quàm egere; & melius est donare, quàm accipere; erogare, quàm mendicare. Vbi autem qui dedit, gignendo dedit: & qui accepit, nascendo accepit: non inopi subuentum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest qui accepit, ei, qui dedit, esse inæqualis, quia & hoc accepit, vt esset æqualis.* Intercedit autem inopia, quando quis accipit ab extrinseco sibi extraneóque largitore, & ideo tunc solummodo minùs beatum est accipere.

13 *Autotheos quo sensu Filius.* Ex his denique constat, quo sensu logos, id est, Verbum sit autotheos contra Origenem, & quo sensu non sit autotheos contra recentiores autotheanos, quos impugnauimus disp. 1. sect. 1. Ad eandem rem pertinent dicenda disp. 53. sect. 6.

SECTIO VI.

Ad aliqua testimonia dandi & accipiendi peculiariter applicatur generalis solutio supradicta.

1 DVæ potissimùm quæstiones occurrunt, quoties dicitur, Pater aliquid dedisse Filio, vel Filius dicitur accepisse à Patre. Prima est, vtrum vt est persona diuina per æternam generationem accepisse dicatur, vel inquātum est homo per vnionem hypostaticam & alia dona creata. Secunda quæstio est, vtrum illa, quæ dicitur dedisse Pater, sint bona increata, vel creata.

2 *Pater Filio dat vitam & omnia per æternam generationem.* Dico igitur primò. Iuxta rationem exponendi probatam in præcedentibus sectionibus, hæc omnia simul complectitur plenus & integer sensus quorundam locorū, videlicet quod Pater increatæ personæ Filij per generationem dederit omnia bona increata, & consequenter potestatem eandē creandi & gubernandi, dominiumque absolutum supra omnes creaturas; & quod Pater mittendo Filium & eius hypostaticam vnionem effectiuè causando, dederit Christo Domino inquantum homini, cum persona Verbi cuncta bona, quæ consequuntur hypostaticam vnionem.

3 Dico secundò. Illud Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit Filio vitam habere in semetipso.* Significat, quod gignendo Pater dederit, & Filius acceperit nascendo: vt valde fusè multis in locis probat Augustinus, veluti nuper citato lib. 3. contra Maximinum cap. 14. à med. & lib. contra sermonem Arianorum cap. 17. & lib. 1. de Trinit. cap. 13. post med. & lib. 15. de Trinitate cap. 26. & tract. 19. in Ioan. multo propius ad med. quàm ad fin. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 5. & lib. 5. cap. 2. & in commentario epistolæ ad Philemonem cap. 2. col. 2. & 3. Hilarius lib. de Synodis col. 7. & 8. refert & approbat canonem 2. 4. & 6. Oriētalium, quibus definitur, communicationem eiusdem essentiæ diuinæ, atque similitudinem omnimodam significari prædictis verbis Ioan. 5. *Sic dedit & Filio*, &c. Cyrillus Alexand. lib. 12. thesauri c. 15. paulo post med. exponit eodem modo, & lib. 10. infra citando Chrysost. in Ioannem homil. 38. ante med. Leo Magnus epist. 97. ad Leonem August. cap. 2. post med. Nec non Idacius contra Varimadum lib. 3. Beda Ioan. 5. Quos meritò secutus Eugenius IV. in fine Concilij Florentini literis vnionis in med. dixit: *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Vnigenito suo gignendo dedit, præter esse Patrem.*

4 *Huic homini Christo Domino Pater vitam dedit.* Dico tertiò. Simul cum prædicto sensu generationis æternę, prædictis verbi significatur, quod Pater Christo Domino vitam dederit, quatenus huic homini cōtulit, vt esset Deus, & in semetipso haberet vitam diuinam, efficiēter causando vnionem hypostaticam. Propterea simul vtramq; partem expositionis docuit Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 1. & 2. licet in Ioan. lib. 2. cap. 144. intellexerit, esse dictum ratione humanitatis, non faciens mentionem alterius expositionis.

5 *Iudicium & potestatē dedit etiā Verbo & homini.* Dico quartò. Eadem proportione debet intelligi, quod præcedit in eodem cap. 5. Ioan. *Pater nō iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Similitérque quod inferius additur: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Vbi validæ rationes, ex contextu desumptæ, probant, sermonem esse de Christo Domino, quatenus est Deus; & aliæ probant, sermonem esse de illo, quatenus est homo. Propter quas hærent ambigui quidam expositores, quibus dubitandi ratio potuisset esse motiuum indubitatæ resolutionis, intelligendo simul Diuinitatem & humanitatem, sicut eam intelligunt in missione, redemptione, & aliis, quæ vidimus in sectionibus præcedentibus.

6 Rationes enim, quæ probant, Christo Domino quatenus est Deus, per ęternā generationem fuisse datum omne iudicium, hæ sunt. Prima, quia cum Euangelista notasset, Iudæos propterea concepisse odium in Christum, quod se faceret æqualem Deo: adiungit argumentum, quo Christus Dominus suam Diuinitatem ostendit & prædicat dicens: *Amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Hæc & ea, quæ sequuntur non possunt, nisi de Diuinitate verificari. Secunda ratio, quoniam in eodem contextu & tanquam eiusdem veritatis probatio subiungitur: *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Vbi dictio *sicut*, quamuis non semper æqualitatem significet, determinatur tamen à nomine Filij, quod de Christo Domino dictum, semper refertur ad personam æqualem Patri.

7 Rationes autem, quæ probant, Christo Domino, non solum quatenus Deus est, sed etiam quatenus est homo, datum esse iudicium, hæ sunt. Prima, quoniam hoc manifestè significant illa verba: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Nam illud aduerbium, *quia*, non est vulgariter causale, sed reduplicatiuum, ac si diceret: qua ratione filius hominis est. Secunda ratio, quia *Pater non iudicat quemquam*, eo videlicet modo, quod Filius iudicat omnes. Sed ratione solius Diuinitatis eodem iudicio Pater, eodémque modo iudicat, quo Filius. Ergo Filius per iudicium sibi peculiariter datum iudicat, non ratione solius Diuinitatis, sed simul etiam ratione humanitatis, quatenus Filio Dei, & homini data est iudiciaria potestas superexcellens, quam Pater non immediatè per se ipsum, sed per Deum hominem exercendam esse duxit.

8 Ita conciliantur Patres, quorum multi declarant, iudicium Filio datum esse per generationem æternam. Ita Hilarius lib. 7. de Trinit. non longè ante med. & lib. 11. inter princip. & med. Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 4. post med. & lib. 5. cap. 2. prope med. Chrysostomus in Ioan. homil. 38. quem sequuntur Theophylactus, Euthymius & Leontius. Athanas. orat. 4. contra Arianos. August. lib. contra sermonem Arianorum cap. 14. & 15. & tract. 22. in Ioan. prope fin. Vnde generaliter epist. 66. ad Maximum inter med. & fin. *Ideo*, inquit, *totum quod habet, quod potest, non tribuit sibi, sed Patri, quia non est à se ipso, sed à Patre.*

9 Alij verò Patres intelligunt, ratione humanitatis assumptæ Filio datum esse iudicium, vt August. in Ioan. tract. 9. inter med. & fin. & tract. 21. inter med. & fin. & lib. 20. de ciuitate cap. 6. Hieronym. Isaiæ 27. ad illud: *Ponam iudicium in pondere.* Latiùs & apertiùs in id Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Indicat Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum cap. 33. Augustinum sequuntur Beda, Rupert. & communiter expositores Latini. Magist. 4. senten. distinct. 48. cap. *sed cum.* Vigil. lib. 5. contra Eutychem inter med. & fin.

10 Clariùs alij Patres vtramque partem intellectus pleni complexi sunt, exponentes, datum esse iudicium ratione Diuinitatis simul & humanitatis assumptæ. Ita procedit Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 140. & S. Thom. 3. part. quæst. 59. art. 1. & 2. cum Augustino lib. de vera relig. cap. 31. & tract. 19. in Ioannem post med. Tertullianus autem lib. contra Praxeam cap. 16. refert ad Diuinitatem, cui adiungit humanitatem inferiùs cap. 21. post med. Imò etiam Augustinus vtrumque complectitur, si bene conferantur inter se, quæ scribit in Ioan. tract. 19. inter med. & fin. & tract. 21. inter med. & fin. & tract. 22. prope fin. ad illud, *sicut audio, iudico*, & lib. 1. de Trinit. cap. 13. prope fin.

11 *Omnia creata data sunt Filio per generationem æternam, & aliter per tēporalem generationem.* Dico quintò. Non solum omnes increatæ perfectiones, sed etiam omnia entia creata Dei Filio data sunt per generationem æternam; & nouo modo data sunt eidem vt homini per vnionem hypostaticam; & vterque modus dandi significatur simul Matth. 11. cum ait: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Qui sensus testimoniis Patrum probatus est disput. 19. sect. 2. Atque ita præsertim intelligit Athanas. orat. peculiari ad hæc verba inter princip. & med.

12 Maior ratio difficultatis esse poterat in verbis, quibus dicitur, aliquid esse datum *in manu.* Quoniam hæc phrasis apud omnes, & maximè in Scriptura, significat dominium & liberam facultatem disponendi de re aliqua. Huic verò libertati Dei non subiiciuntur diuinæ perfectiones, sed tantùm perfectiones creatæ. Huiusmodi est illud Ioan. 5. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Ioan. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.*

Nihilominus dico sextò. Hæc verba significant, esse data in manus Christi Domini cuncta non solùm creata, sed etiam increata, non solùm per vnionem hypostaticam donatione, quæ cæpit in tempore, sed etiam per æternam generationem. Sic enim merito Cyrillus intelligit lib. 2. in Ioan. cap. 73. Athanasius autem dicta orat. ad illud: *Omnia mihi tradita sunt*, propius ad princip. quàm ad med. ita declarat: *Omnia dedit in manu eius, dedit enim, vt quemadmodum per eum facta sunt, ita in eo omnia refici possent. Non enim vt ex paupere dines fieret: nec vt qui non haberet potestatem, acciperet, assumpsit omnia, absit: sed quo omnia vtpote Saluator instauraret.* Perpende singula, vt videas, non posse verificari de Christo Domino sub ea tantùm ratione, qua homo est, sed necessario includi rationem formalem Verbi, per quod facta sunt omnia, & quod semper dines. 13

14 Ad rationem dubitandi respond. Non solum exteriora bona, de quibus potest aliqua persona liberè disponere, sed etiam essentiales & quidditatiuæ perfectiones ac potentiæ, quatenus potest illis vti liberè vel non vti, dicuntur esse *in manu* illius. Sic enim Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui.* Totum, inquam, hominem, quia per libertatem poterat sua substantia, suíque potentiis, sic vel aliter vti. Quo sensu sapientia, bonitas, potentia, totáque Diuinitas data est in manus Filij, quatenus liberè poterat illis vti ad creandum simul cum Patre, vel ad non creandum; ad incarnandum, vel non incarnandum; ad redimendum, vel non redimendum.

15 Eodem modo debet intelligi, quod Ioann. 17. ait: *Dedisti ei potestatem omnis carnis.* & Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Nam vt Hilarius ait lib. 9. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princip. *Acceptio potestatis sola est significatio naturalitatis.* Quæ expositio Chrysostomo non displicet homil. 79. in Ioan. licet Augustinus tract. 105. & alij quidam intelligant ratione humanitatis. Melius vtrumque copulat Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 15. post med.

16 Septimò. Non aliter intelligendum esse Ioan. 10. *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.* ostendimus disput. 30. sect. 9. post med. Necnon illud Ioan. 6. *Ego viuo propter Patrem*, ostendemus disput. 98. sect. 5.

SECTIO VII.

Quo sensu dicatur Spiritus sanctus accipere, vel debere, aut pendere, sicut & Filius.

1 *Contra Spiritum sanctum obiectio.* EX verbis Christi Domini Ioan. 16. *De meo accipiet*, contra Diuinitatem Spiritus sancti sumebant obiectionem hæretici apud Cyrill. infra citandum, quemadmodum supra sect. 5. contra Diuinitatem Filij. Præterea, licet inter Catholicos constet Spiritum sanctum accipere sine indigentia vel inæqualitate, sed cum perfectione & dignitate prorsus æquali: cæterum non eadem intelligunt omnes accepisse. Nam docti recentiores ita intelligunt, vt Spiritus sanctus à Filio mandata hominibus annunciāda tanquam missus legatus accepérit. Probant autem ex verbo futuri temporis, *accipiet*, quod existimant, non posse significare processionem æternam, per quam accipit Diuinitatem.

2 *De meo accipiet aeterna processione.*

Nihilominus dico primò, prędictis verbis significari processionem æternam, per quam Spiritus sanctus totum esse suum accipit à Filio simul cum Patre. Sic Athanas. exponit dialogo 1. contra Macedonium multo propius ad med. quàm ad princ. Nazianzen. orat. 49. de fide prope fin. Didymus (Hieronymo interprete in suo tomo 9. fine) lib. 2. de Spiritu sancto propius ad princ. quàm ad med. Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioan. cap. 1. & lib. 13. thesauri cap. 4. Chrysost. homil. 77. quem sequitur Euthymius. Ambros. lib. 2. de Spiritu S. cap. 12. quod est vltimum inter princip. & med. & iterum prope med. Hilarius lib. 8. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad finem.

3 Discrimen autem inter hos Patres, quoniam alij Diuinitatem, alij scientiam vel doctrinam exponunt, esse datam Spiritui sancto, eandem quam Pater & Filius habet; hoc nihil mutat substantiam præsentis instituti. Nam omnes agunt de perfectionibus increatis, per æternam processionem communicatis. Confirmatur, nam plurimi Patres non ex Latinis tantùm, sed etiam ex Græcis, ex hoc loco probant, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere. Quod necessariò supponit, Spiritum sanctum hoc loco totum suum esse diuinum accipere.

4 *De meo accipiet secundum missionem temporalem.*

Dico secundò. Plenior & verisimilior intellectus est, vt Spiritus sanctus à Filio dicatur accipere non solùm esse diuinum per processionem, sed etiam mandata deferenda, & doctrinam hominibus tradendam. Hoc enim modo melius congruet modus loquendi de futuro, *accipiet*. Quemadmodum de futuro dixerat, *Quem ego mittam vobis à Patre*. Ioan. 15. fine. Nam missio similiter processionem vtramque complectitur, videlicet æternam ad intra, & temporalem ad homines sanctificandos. Confirmatur, nam hic modus exponendi melius consonat cum generali modo loquendi Christi Domini in sermone Cœnæ & aliis locis, vt constat ex sectionibus præcedentibus.

5 *Vtrum Filius debeat Patri.*

Dico tertiò. Filium *debere* Patri, Catholico sensu dicunt antiqui doctores, solummodo significantes, eum à suo principio accipere per generationem æternam, sicut dictum est sect. 5. & 6. Eodémque sensu dicunt, Spiritum sanctum debere Patri & Filio, à quibus accipit tanquam à suo principio. Ita Clemens Romanus lib. 2. constitut. Apostol. cap. 30. *Vt Filius*, inquit, *est debitor Patri, sic omnis diaconus Episcopo*. Agit autem de æterno Patre & Filio. Quod de Filio non modò, quatenus homo est, sed etiam quatenus est Verbum Dei posse verificari, probat optimè Turrianus ad eum locum tom. 1. conciliorum.

6 Hilarius lib. 11. de Trinit. ferè inter princip. & med. videlicet, col. 7. ait: *Quod non disproficit in genere, debet quidem authori causam natiuitatis suæ, naturam tamen in se non amisit authoris*. Et paulo inferius: *Dum non à se loquitur, authori eum necesse est debere quod loquitur*. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 9. prope fin. ait: *Filius Patri debet quod est, hoc etiam ei debens, quod eidem aqualis aut par est. Pater autem nulli debet quidquid est*. Et paulo inferius de Spiritu sancto declarat, *Nec tamen id quod est, nulli debere, sed Patri*. Quod ipsum debitum profitetur lib. de fide & symbolo cap. 9. inter princ. & med. cuius verba posuimus sect. 1. probat. 1.

7 *Cautio adhibenda.*

Dico quartò. Nihilominus absque necessitate non debent recentiores theologi dicere, quod Filius, vel Spiritus sanctus *debeat*, nec quod *dependeat* à Patre, quoniam vtrumque verbum sonat inferioritatem & indigentiam, & quod attinet ad *dependentiam* probatum est disp. 10. tribus sectionibus prioribus, & disp. 19. sect. 2. Quamuis aliqui Patres dixerint, vnam personam *pendere* ab alia, Catholico sensu significarunt solam exigentiam & indissolubilem connexionem; vt vidimus dicta disputat. 10. sect. 1. argum. 2. & 3. & eorum solutione.

SECTIO VIII.

Christus Dominus subiectus dicitur esse Patri tanquam principio suæ personæ diuinæ: sed longè diuerso subiectionis genere ratione humanitatis, vel ratione corporis mystici. 1. Corinth. 15.

A Duersus Filij consubstantialitatem opponebant Ariani subiectionem illius ad Patrem iuxta Paulum 1. Corinth. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus*. Obiectionem referunt ferè omnes Patres infra citandi. 1

In cuius solutione plurima dicunt, & quidem scitu digna, quæ prætermitto, quò celerius & certius attingam scopum huius disputationis, ostendens, quod Christus Dominus, non modo quatenus homo est, aut quatenus gerit personam totius corporis mystici; sed etiam qua ratione Filius Dei est ab æterno genitus, dicitur esse subiectus Patri eodem sensu, quo Pater dicitur illo maior, vel illius caput supra sect. 2. & sequentibus; ita vt subiectio quantum ad personam diuinam nihil aliud sit, quàm ordo personæ productæ ad principium producens, quod non sit ab alio principio. Nihilominus plenus & integer sensus Pauli simul cum hac subiectione comprehendat subiectiones alterius generis, quibus humanitas, & totum corpus Ecclesiæ subiectum erit post resurrectionem. 2 *Summa expositionis.*

Pro cuius declaratione suppono, non agere Paulum de subiectione, quæ respicit formaliter supremum & absolutum dominium creatoris, qua subiectæ sunt etiam irrationales creaturæ, & peccatores in hac vita & omnes damnati in inferno. Agit autem de subiectione, quæ consistit in perfecta conformitate cum iudicio & voluntate Patris quantum ad omnia. 3

Dico igitur primò. Paulus hoc loco intelligit, Filium esse & fore semper subiectum perfectissimè Patri tanquam principio communicanti sibi iudicium, sapientiam & voluntatem eandem, quam Pater habet: vt propterea Filij iudicium & voluntas interior & æterna, necnon exterior doctrina, cunctæque operationes ad extra nó possint à Patre discrepare. Simul autem Paulus ibidem intelligit prædictam subiectionem Christi Domini quantum ad humanitatem & sua membra mystica. 4 *Subiectio precedentia à principio cum æqualitate.*

Probatur primò, quoniam hoc intellectu melior & facilior ostenditur cohærentia membrorum prædictæ propositionis, quæ alioqui non parum ab inuicem dissident. Nam ex vna parte sermonem esse de Filio, quatenus est persona diuina, manifestatur ex eo, quoniam ille Filius, qui subiectus erit Patri, est idem omnino, cui Pater subiecit omnia, præter ipsum Patrem: vt ex ipsis verbis constat. At Christo Domino, non vt est homo, sed qua ratione persona diuina est, Pater omnia subiecit supremo subiectionis genere tãquam supremo 5

supremo & absoluto Domino, & magis perfecto quantum ad naturam & omnia. Nam quantum ad naturam humanam: *Minuit eum paulo minus ab Angelis*. Psal. 8. & 1. Corinth. 15. vers. 26. Confirmatur, sic enim est formalior locutio de Filio comparato cum Patre.

6 *Altera subiectio, quantum ad humanitatem.*

Aliunde verò simul cum prædicto subiectionis genere, quod nullam inæqualitatem, nec imperfectionem inuoluit, copulari subiectionem alteram inæqualitatis & imperfectionis quantum ad naturam humanam & totum mysticum corpus Ecclesiæ, quod nunquam erit totaliter & perfectè subiectum, nisi post resurrectionem, probat verbum futuri temporis, *subiectus erit*. Nam secundum hanc differentiam temporis solam absque præterito & præsenti, non solet Scriptura loqui de diuina persona, præcisè considerata, sed prout plenus & integer locutionis sensus requirit aliquid temporale, quod explendum restet futuro tempore.

7 *Tertia subiectio totius corporis mystici.*

Vnde cum subiectio processionis increatæ sit ab æterno, & perfecta subiectio humanitatis sit ab instanti incarnationis, necessarium est, aliam subiectionis partem quærere, quæ post resurrectionem expleatur. Hæc autem non est alia nisi corporis mystici, cuius subiectio denominat etiam Filium tanquam caput. Quemadmodum alię multæ denominationes nó modò virtutum, sed etiam peccatorum aut pœnarum in Scriptura sacra tribuuntur capiti ratione membrorum, vt illud Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*; & alia multa, quæ congerunt Patres infra citandi.

8 Confirmatur primò, quia sic soluuntur omnes obiectiones contrariæ. Nam aliæ rectè probant, nó intelligi subiectionem solius personæ diuinæ, aliæ nó solius humanitatis, aliæ non solius corporis mystici subiectionem affirmari. Confirmatur secundò, quoniam hac expositione mens Pauli meliùs consonat modo loquendi Christi Domini variis locis huc vsque explicatis & postea explicandis in præsenti disputatione.

9 Secundò probatur ex omnibus ferè Patribus inter se collatis. Quj, licet à quibusdam authoribus referantur tanquam inter se dissidentes, hac ratione conciliari debent, ne multi dissideant non ab aliis tantùm, sed etiam à se ipsis, & inconsequenter loquantur. Ignatius epist. ad Tarsenses circa med. ex prædictis Apostoli verbis concludit: *Ergo alius est ille, qui subiecit Filio omnia, & alius Filius, cui subiecta sunt omnia*. Loquitur ergo de persona Filij, prout à Patre distinguitur.

10 Cyrillus Alexand. lib. 10. thesauri cap. 8. à princ. vsque ad med. intelligit subiectionem personæ diuinæ; vnde in medio capitis colligit: *Et ita subiectio non minorem Filium ostendit, sed identitatem Trinitatis demonstrat incommutabilem, quæ nunquam aliter se habebit, sed erit etiam in illo sæculo Pater per Filium omnia in omnibus*, &c. Postea verò post med. capitis declarat Christum Dominum fore subiectum pro omnibus iustis & eorum nomine, tanquam mediatorem & sacerdotem eorum.

11 Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia obiect. 2. col. 2. & 3. intelligit etiam æternam & creatam subiectionem Filij. Peculiariter obseruanda sunt illa verba num. 18. & 19. *Nec enim quidquam aliud est Christi subiectio, quàm Paternæ voluntatis impletio. Subiecit autem vt Filius Patri, ita vicissim Filio Pater, ille opera sua, hic beneplacito suo*. Quod mutuum officium constat ex eodem contextu Pauli, vt bene obseruat Elias Creten. ibi. Postea verò Nazianzenus addit, ex persona iusto-

rum, quos Patri subiiciet, dici quod erit plenè subiectus.

Gregorius Nyssen. orat. peculiari ad verba Pauli, quæ tractamus, valde copiosè probat, intelligendam esse subiectionem Filij, non modò quantum ad humanitatem, sed etiam quantum ad vniuersum corpus Ecclesiæ: verè tamen in ea subiectione corporis etiam caput includit, ac subinde personam Verbi. Nam inter med. & fin. eiusdem orationis declarat, Filium ea ratione perfectè subiicere corpus Ecclesiæ, quatenus præstat, quod orauit Ioan. 17. *Vt sint vnum, sicut tu Pater in me & ego in te*. Et post pauca: *Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum*. Hæc igitur subiectio consistit in vnitate; propterea quæ prius & eminentius est in persona diuina, indéque deriuatur ad humanitatem assumptam & ad totum corpus Ecclesiæ. 12

Chrysostomus in commentario 1. Corinth. 15. homil. 39. circa med. valde fusè probat, subiectionem illam tribui Filio, prout est persona Patri æqualis, & qua ratione factus est homo. Idem verò Chrysostomus tom. 3. prope fin. serm. peculiari ad hæc verba 1. Corinth. 15. col. 2. intelligit subiectionem secundùm humanitatem assumptam & totum corpus Ecclesiæ. Quocirca locus vterque complet integrã expositionem, quam probamus. 13

Epiphanius hæres. 69. pag. penult. expresse notat, in his verbis *Subijcietur ei*, &c. copulari simul humanitatem cum persona Filij, & post pauca subdit: *Neque tunc iuxta defectum, nec iuxta diminutionem, nec iuxta necessitatem, neque iuxta cessationem, vt ipse desinat, subijcitur Patri: sed velut Filius genuinus Vnigenitus, cum Patre regnans semper in vnam vnitatem, & ad vnum præmium adducens omnem creaturam, & docens suam Ecclesiam, vt sit Deus omnia in omnibus*. Ex quibus constat, Epiphanium fuisse complexum tres subiectiones nimirum personæ diuinæ, humanitatis & totius Ecclesiæ. 14

Totidem subiectiones explicuit Athanas. sed non eodem loco. Primam serm. in Euangelium de sanctissima Deipara inter princ. & med. dicens: *Pater, quatenus est author Geniti, Filium Genitum sub se habet*. Secundam dialogo 1. contra Macedon, quatuor col. ante fin. dicens: *Subijcitur pro nobis suo Patri, non natura Deitatis, sed formæ seruilis*. Tertiam subiectionem explicuit lib. de humana natura susceptа col. antepenult. *Nos*, inquit, *sumus, qui in eo subijciendi sumus*, &c. 15

Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 9. propius ad med. quàm ad princ. generaliter docet hæc & alia similia verba partim significare *administrationem susceptі hominis*, partim verò, quod Filius, licet æqualis Patri, *debet illi quod est*, vt retulimus disput. præsenti sect. 1. non longè à princ. Similiter autem lib. 1. de Trinit. cap. 8. prope med. declarat subiectionem Filij non modò ratione humanitatis, sed etiam sub ea ratione, *prout inseparabilis est operatio Patris & Filij*, qua Pater Filio & vicissim Filius Patri subiicit omnia. Idémque constat ex sequenti cap. 9. & 10. initio, cuius prope med. magis explicat, Christum Dominum fore subiectum in quantum est homo. Hanc verò subiectionem humanitatis solam explicuit lib. 1. contra Maximin. cap. 8. Tertiam verò subiectionem ratione totius corporis Ecclesiæ declarauit valde fusè lib. 83. quæstionum quæst. 69. 16

Ambrosius 1. Corinth. 15. ad præsentem locum ait: *Christus propter vnicam authoritatem Patris, Deum quidem se ostendet, sed de Deo, vt vnius principij sublimis, ineffabilis authoritas maneat. Hoc est subijcere* 17

subijcere se Filium Patri, hoc est Deum esse omnia in omnibus, &c. Quapropter quod lib. 5. de fide ad Gratian. toto cap. 7. probat, subiectionem non intelligi de Diuinitate, sed de humanitate & corpore mystico, destinatur ad excludendam subiectionem imperfectionis, quam Ariani ex hoc loco deducere conabantur, non ad negandam subiectionem æqualitatis. Nunc igitur ex vtroque loco Ambrosij resultat integer & plenus intellectus ad verba Pauli.

18 Syrmica Synodus canone 17. *Non exæquamus*, inquit, *vel comparamus Filium Patri, sed subiectum intelligimus. Nec enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate, nec pluit ex se, sed à Domino, authoritate scilicet Patris. Nec sedet in dextera à semetipso, sed audit dicentem Patrem: sede ad dexteram meam.* Quem canonem exponens Hilarius lib. de Synodis longè post med. ait: *Vt sit Patri & obsequio subiectus, & nomine: ita tamen vt subiectio nominis proprietatem naturalis atque indifferentis testetur essentiæ.* Fusius autem post canonem 27. inter med. & finem, & propius ad fin. quàm ad med. ostendit, hanc subiectionem non inferre naturæ discrimen nec vllam inæqualitatem. Peculiariter duabus columnis ante symbolum Nicænum admonet, esse discrimen inter subiectionem Filij & subiectionem cæterorum: *Cum subiectio Filij naturæ proprietas sit, subiectio autem cæterorum creationis infirmitas sit.* Idem tamen Hilarius lib. 11. de Trinit. à med. vsque ad fin. ex professo probat subiectionem Christi ratione humanitatis & membrorum omnium. Hic ergo locus præcedenti copulatus complet expositionem, quam probamus.

19 Hieronymi commentarius in hunc locum 1. Corinth. 15. subiectionem intelligit de persona diuina, cui restabat addenda subiectio ratione humanitatis & corporis mystici, quam exponit ad Titum c. 2. circa illud: *Serui dominis suis subditi sint*, adducens subiectionem Filij ex 1. Corinth. 15.

20 Dico secundò. Minimè contradicunt alij Patres, licet vnica subiectione commemorata, cæteras duas omiserint. Quemadmodum qui totum præsentem versum Apostoli referunt ad personam Filij, prout à Patre distinguitur, vt Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 4. à med. vsque ad fin. Theophylactus & Oecumen. 1. Corinth. 15. *Conciliantur Patres.*

21 Solam verò subiectionem humanitatis ex hoc loco declararunt Basil. epist. 141. ad Cæsarianos propius ad med. quàm ad finem. Alexandrina Synodus epist. ad Cyrillum Alexand. circa med. Est autem decima inter epistolas Cyrilli tom. 4. Primasius & Sedulius 1. Corinth. 15. vbi S. Thomas lect. 3. fine.

22 Duas subiectiones ratione humanitatis & ratione corporis Ecclesiæ significari probant Theodoretus & Anselm. in commentariis, & S. Thom. 3. p. q. 20. art. 1. ad 3. Solius verò postremæ subiectionis Ecclesię meminerunt Damascenus lib. 4. fidei cap. 19. propius ad med. quàm ad fin. illis verbis; *nostram sibi accommodans personam*, &c. Origenes homil. 2. in Psal. 36.

23 Tertiò ex dictis constat, authoritate Pauli potuisse dicere Ignatium, quod epist. ad Smyrnenses inter med. & finem ait: *Episcopus Christo subiectus sit, sicut ipse Patri.* Dionysius autem de cœlesti hierarc. cap. 4. prope fin. de Christo Domino ait: *Eum per Angelos patrijs legibus subiectum videmus.*

24 Dico quartò. Ratio, propter quam Paulus ita locutus est de Filij subiectione tanquam futura post resurrectionem, ea fuit, quam reddit Chrysostomus tom. 3. prope finem serm. peculiari ad hæc verba Pauli, fusè probans, Christum Dominum & Apostolos multoties accommodare verba non tam dogmatibus secundum se consideratis, quàm auditorum dispositioni. Quod breuiùs & clariùs exponit Theodoretus in commentario ad præsentem locum, videlicet, dixerat Paulus, Christum Dominum euacuaturum omnem principatum & potestatem, ne Corinthij, qui paulo antea recesserant à fabulis Gentilium, dubitarent, vtrum Christus debellaturus & in suam ditionem redacturus esset Patrem (sicut Iupiter Saturnum iuxta prædictas fabulas:) ideo notauit, omnia subijcienda Christo, præter eum, qui subiecit ei omnia, nec hoc solum, sed etiam Christum ipsum post vniuersalissimum & supremum triumphum fore subiectum Patri. *Audientium dispositioni Paulus accommodauit verba.*

Dico quintò. Ex superiori discursu deducitur, licere simpliciter, & absque maiori declaratione dicere, Christum Dominum esse subiectum Patri; sed laudabilius est adiungere declarationem, qua significetur consubstantialitas personæ iuxta doctrinam S. Thomæ 3. p. q. 20. art. 1. ad 1. & 2. 25 *Corollarium.*

SECTIO IX.

Pater vt principium Filij dat illi mandata siue præcepta, quæ seruat ille ratione personæ genitæ, aliter autem ratione humanitatis assumptæ.

OBiiciebant Ariani contra Filij consubstantialitatem, quoniam inferior est qui obedit, & mandatum accipit, & seruat alterius præcepta. Sed Christus Dominus, Ioan. 10. circa med. *Hoc*, ait, *mandatum accepi à Patre meo.* & cap. 12. fine: *Qui me misit, mandatum mihi dedit, quid dicam, aut quid loquar.* Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; & cap. 15. *Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Quibus aptè correspondet obedientia Philip. 2. *Factus obediens vsque ad mortem.* Roman. 5. *Per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Correspondet etiam illud Ioan. 6. *Descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* Psalm. 39. *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* 1 *Arianorum obiectio.*

Sit ergo prima conclusio. Pater vt est principium Filij per æternam generationem, illi communicans eandem sapientiam, consilium, voluntatem, imperium, & omnia, quæ habet, dicitur dare mandatum, siue præceptum Filio, prout est diuina persona. Consequenter autem Filius, quatenus per æternam generationem accipit eandem ipsam volitionem Patris, & per eam vult incarnationem, doctrinam, mortem, redemptionem, & alia, vt sic merito dicitur facere mandatum Patris, & seruare præcepta illius. 2 *Quomodo mandatū dicitur per æternam generationem.*

Probatur primò, nam de Filio, prout est Filius Dei & Verbum diuinum, non pauci Patres intelligunt, quod dicit locis suprà citatis, se *accepisse mandatum*, & *Patrem sibi dedisse mandatum.* Sic Athanas. dialogo 1. de Trinit. contra Macedon. inter med. & fin. Basilius egregiè lib. de Spiritu sancto cap. 8. post med. Chrysostomus 1. Corinth. 11. homil. 26. colum. 4. illis verbis: *Quod si admiramur Filium, quod obediuit & vsque ad mortem; admirandus est Pater, quod talem genuerit, non vt seruum subditum sed vt liberum, obsequentem & consiliarium.* Notat autem, consiliarium appellari, 3 *tanquam*

tanquam Filius sit in eodem cum Patre honore. & in Ioann. cap. 12. homil. 68. paulo post med. *Quemadmodum*, ait, *qui mandatum accipiunt, neque facere, neque dicere volunt, præter mittentis voluntatem, quousque mandatum impleant, ne quid transgrediantur: ita nec dicere, nec facere aliud possum, quàm Patris voluntatem. Quæ ego facio, ille facit, quia mecum est.*

4 Hanc explicationem Chrysostomi secutus pro more Theophylactus Ioan. 12. prope fin. clarius explicuit quod intendimus, dicens: *Sermo enim cum sit Filius, & enarret ea, quæ sunt in mente, in Patre dico; mandatum se accepisse ait, quid dicat & quid loquatur: sicut & noster sermo, si quando vera dicturi sumus, illa dicit, quæ mens ei suggerit, & nusquam alterius substantiæ est sermo, quàm mens, sed omnino eiusdem substantiæ.*

5 Cyrillus in Ioan. lib. 7. cap. 7. prope med. ait: *In Verbo Vnigenito Patris est omne mandatum. Cum autem Filius dicitur accipere quod substantialiter habet, non præstas minuitur, sed generatio eius ostenditur: Pater enim Filio, quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit.* Sic explicat illud Ioan. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre.* Similiter autem illud Ioan. 12. *Ipse mihi mandatum dedit*, lib. 9. in Ioan. cap. 1. post med. postquam exposuerat ratione humanitatis, ostendit intelligi posse præscissa incarnatione. *Nam cum ipse sit viuum atque subsistens Verbum Patris; necessario quæ sunt à Patre interpretatur, voluntatemq; Patris in lucem protrahens, quasi mandatum inde accepisse ait.* Quod illustrat similitudine nostri sermonis eadem, qua Theophylactus nuper citatus.

6 Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmatibus multo propius ad med. quàm ad fin. ait: *Dedit ei mandatum, non tanquam mancipio seruituti obnoxio, sed tanquam ei, qui secum est comparis naturæ, simulq; Deus.*

7 Syrmiensis Synodus canone 3. ita decernit: *Si quis vnum dicens Deum, Christum autem Deum ante sæcula Filium Dei, obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur, anathema sit.* Constat autem ratione humanitatis nō fuisse obsecutum in creatione omnium. Manifestum est igitur præscisse de persona Verbi loqui canonem. Quem refert ac defendit Hilarius lib. de Synodis in medio. Nec est valde violenta locutio, cum apud Latinos authores dicatur *animo suo obsequi*, qui sequitur animi processionem & affectum. Rursus in eodem lib. propius ad fin. quàm ad med. in verbis Ioan. 5. *Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, Hilarius notat *obedientiam & subiectionem*, cum æqualitate naturæ & operationis.

8 Magis directè ad rem præsentem August. lib. contra sermon. Arianorum cap. 11. prope med. *Mandatum* Christo Domino datum exponit tum ratione personæ diuinæ, tum etiam ratione humanæ naturæ. Idémque lib. 1. de Trinit. cap. 12. à medio docet, ipsum Verbum esse mandatum, quod dat illi Pater, sicut est vita, quam dat illi Pater Ioan. 5. quia non est aliud Verbum, & aliud quod illi dat Pater. Eodem modo declarat tract. 47. in Ioan. prope fin. & tract. 54. colum. vltima, vbi maiorem lucem afferunt illa verba: *Mandatum non quod Filius non habet, Pater dedit: sed in sapientia Patris, quod est Verbum Patris, omnia mandata sunt Patris. Dicitur autem mandatum datum, quia non est à se ipso, cui dicitur datum.* Sequitur eandem expositionem Beda Ioan. 12.

9 Vnde liquet quo sensu Lactantius diuinarum *Ruiz. de Trinitate.* institutionum lib. 4. cap. 29. post med. dixerit: *Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret, nec vnquam faciat, aut fecerit, nisi quod Pater aut voluit, aut iussit.* Sed non est imitandus in verbo *iubendi.*

Secunda conclusio. Quando mandatum aut præceptum Patris refertur ad personam Filij; tunc non significat superioris ad inferiorem imperium, inducens obligationem virtutis: sed habet alias significationes analogicè conuenientes cum hac; attamen non impropriας nec inusitatas. 10

Probatur, nam quatuor significationes habere potest, ad rem præsentem accommodatas. Primò namque *mandatum* propriè dicitur, quidquid committitur alterius nomine referendum aut transigendum cum altera persona, siue sit superior, siue inferior, siue æqualis: vt videre est apud Ciceronem & alios Latinos, maximè verò apud Iureconsultos, agentes de procuratore, vel negotiorum gestore. Sic Genes. 50. fratres Ioseph, *mandauerunt ei*, hoc est, internuncium vel oratorem miserunt, qui diceret ei, quod præsentes dicere verebantur. Cum igitur Filius Dei fuerit à Patre missus ad homines, vt eius nomine plurima nunciaret & faceret; propriè dicitur accepisse mandatum siue mandata. Propterea Ioan. 12. fine sic explicat mandatum, quod prius dixerat: *Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Dixit autem Pater generando Verbum. Loquitur autem Verbum ad homines per assumptam humanitatem. 11 *Quatuor significationes mādati, prout datur personæ Verbi. Commissum.*

Confirmatur primò, quoniam de Spiritu sancto dicitur Ioan. 16. *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Sed Spiritus sanctus non habet vnitam aliquam naturam creatam, quæ audiat, quod ei loquitur Spirator. Euidens igitur est, de diuina persona Filij posse intelligi, quod Pater ei dixerit, & mandata dederit. Maximè quoniam quod sequitur in eodem cap. 16. *De meo accipiet, & annunciabit vobis*, significat non modò naturam & subsistentiam, sed etiam mandata Filij ad homines deferenda, vt vidimus sect. 7. sub init. Confirmatur secundò, nam ad hanc significationem mandati respexerunt præcipuè Chrysost. & Theophylact. locis suprà citatis. 12

Secunda significatio *mandati* denotat præceptum docentis, & addiscentis, vnde *præceptor* appellatur qui docet, & tradit præcepta bene dicendi, vel disputandi, vel alterius artis, aut scientiæ. Eadémque significatione reperitur in Scriptura *mandatum*, vt Isaiæ 28. *Manda, remanda.* In hac etiam significatione præceptum & mandatum optimè quadrat in Filium, quem Pater docet, communicando suam eandem sapientiam, iuxta quam Ioann. 7. ait: *Sicut docuit me Pater, hæc loquor.* 13 *Docet Pater communicādo suam sapientiam.*

Tertia significatione *mandatum* appellatur vltima & irreuocabilis dispositio testamenti, siue referatur ad inferiorem personam, siue æqualem aut superiorem. Sic Hebr. 11. Ioseph. *De ossibus suis mandauit*, cum tamen hoc esset explendum ab vniuerso populo, redituro in Palæstinam, cui non poterat imperare tanquam superior. Consonat illud Psal. 104. *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandauit*, &c. *& statuit illud Iacob in præceptum, & Israël in testamentum æternum, dicens, tibi dabo*, &c. Vbi Deus ipse sibi tanquam inuiolabile præceptum mandat irreuocabili testamento, quod iureiurando promittit. De quo iterum Psal. 110. *Mandauit in æternum testamentum suum.* 14 *Vltima dispositio irreuocabilis.*

Quid ergo mirum, si eodem sensu Pater Filio mandatum aut præceptum dare dicatur?

15 *Efficax motio Dei vocatur etiam mandatum.*

Quartam significationem habet multoties in Scriptura *præceptum* siue *mandatum*, iuxta quam est efficax Dei motio cuiusq; rei ad aliquid agendum. Iob 9. *Qui præcipit Soli, & oritur.* & cap. 38. *Numquid præcepisti diluculo?* Isaiæ 5. *Nubibus mandabo, ne pluant.* Cum igitur efficacissima sit, vt ita dicam, vel potius potentissima vis Patris, per generationem impellens Filium ad omnia, quæ Pater scit atque vult; potest hoc etiam sensu dici mandatum atque præceptum. Confirmatur, nam propensio carnis propter vehementiam ad. instar necessitatis; appellatur lex ab Apostolo Rom. 7. Cum igitur sit omnimoda necessitas, qua Filius ducitur, vt idem velit & faciat, quod Pater, maior est ratio conuenientiæ, vt appelletur lex, siue præceptum.

16 Mandatum *Christo Domino secundum humanitatem.*

Tertia conclusio. *Præceptum* siue *mandatum* iuxta magis vsitatam, & magis strictam significationem, est superioris imperium, obligans inferiorem, ita vt transgredi foret culpa. Iuxta hanc acceptionem Filius non accepit præceptum vt Filius Dei, sed vt est homo. Et hoc etiam simul cum prædictis significationibus, intentum erat à Christo Domino Ioann. 10. & 12. & 14. citatis, maxime verò Ioan. 15. *Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui.*

17 Ita *præceptum* ad humanitatem reiicit, & à Diuinitate remouet Chrysost. serm. peculiari ad illud 1. Corinth. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia*, &c. circa med. sermonis tom. 3. ad finem & homil. 59. in Ioan. inter princip. & med. (vbi simul Diuinitatem includere videtur.) Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia propius ad med. quàm ad fin. post num. 63. Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 1. in priori expositione & lib. 10. cap. 20. & in posteriori lib. de fide ad reginas prope med. sub titulo *de obedientia Christi.* Ambros. lib. 5. de fide cap. 5. fine. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 24. & in Ioan. tract. 82. ad fin. Quod idem videtur sentire tract. 79. fine. & lib. 13. de Trinitat. cap. 14. ante med. & quæst. 55. in Deuteron. circa med. Reperio quosdam alios pro hac explicatione falsò citatos.

SECTIO X.

Tanguntur alia de obedientia, voluntate, sermone, doctrina, quæ Filius attribuit Patri, vt principio.

1 FOret immensum, singula, quæ restant ex obiectionibus Arianorum, discutere tam ex professo, sicut præcedentia: nec est necessarium, quoniam ex præcedentibus facilè colligi potest, quomodo sint intelligenda, quæcumque significant aliquam subordinationem Christi Domini ad Patrem. Attingemus tamen breuiter quæ restant ex obiectione posita initio sectionis præcedentis, & adiungemus alia.

2 *Obedientia.*

Dico igitur primò. Obedientia Christi Domini, quæ traditur Philipp. 2. & Rom. 5. refertur potissimum ad hominem, non ad personam Verbi, nisi prout accepit formam serui, vt ex ipso contextu constat. Hæc enim virtus ex natura rei & frequentiori vsu Scripturæ respicit præceptum, inducens obligationem sub culpa. Atque ita communiter Patres intelligunt.

3 *Minus propriè dicitur etiam de personâ Verbi.*

Nihilominus aliquando Patres (rarò tamen) personam Filij faciunt obedientem Patri, quatenus ab eius voluntate nihil discrepans, vniuit sibi naturam humanam, & per voluntatem diuinam voluit eadem omnia exequi, quæ Pater decreuerat. Nec deficit exemplum huius impropriæ acceptionis obedientiæ, siquidem Iosue 10. dicitur: *Obediente Domino voci hominis*; quoniam fecit Dominus, quod Iosue voluit & dixit. Fauet etiam, quoniam obedientiæ vox est correlatiua præcepti siue mandati. Propterea que potuit obedientia tot habere significationes, diuinæ personæ conuenientes, quot habet mandatum siue præceptum in sect. præced. conclus. 2. Cæterum verè non habet eas acceptiones vsu frequenti receptas.

4 Ex quibus infero, & Dico secundò. Obedientia Christi Domini simul cum eo sensu, quo verificatur propriè ac primariò de humanitate; potest simul in prædicto sensu minus proprio extendi ad personam Verbi eodem modo, quo sect. præcedenti de illo verificatur accipere, faceréque mandatum Patris. Sic Gregor. Nyssenus lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos col. 2. probat, quod *Pater per sermonem*, videlicet Verbum, *creauerit omnia, dicendo, Fiat*, &c. Et adiungit: *Cum audierit; dixit Deus, statim mente concipe eum, qui obedierit dicenti*, videlicet, sermonem, hoc est Verbum Dei.

5 *Nō facit voluntatē suā, vt Filius & vt homo.*

Dico tertiò. De persona Verbi simúlque de natura suscepta verificatur quod Ioan. 6. ait: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Aliter tamen & aliter. Nam, in quantum est persona Verbi, non facit voluntatem suam, id est peculiarem sibi, quam habeat à se ipso non acceptam à Patre, sed facit eandem ipsam voluntatem, quam accepit per generationem à Patre. At verò quatenus Verbum est homo non facit, quod humana voluntas vellet naturaliter, quod est mortem fugere & labores, sed quod voluit Pater, & Verbum & Spiritus sanctus. Vtramque partem istius integri sensus complectitur Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 1. præcipuè post medium.

6 De persona diuina frequenter hunc locum intelligunt Athanas. dialogo 1. de S. Trinit. contra Macedonium inter med. & fin. & disput. habita Laodiceæ contra Arium quinque columnis ante finem, & lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti circa med. & orat. contra Gregales Sabellij propius ad med. quàm ad princip. Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theolog. circa med. num. 45. & sequentibus. Elias Cretens. eodem loco, & in orationem 3. Nazianzeni. Chrysost. Theophylact. Euthym. Ammon. Leontius in hæc verba Ioann. 6. Augustin. tractat. 25. in Ioan. propius ad med. quàm ad fin. illis præcipuè verbis: *Ipsa voluntas est ipse qui loquitur*, & lib. contra serm. Arianorum cap. 18. init. comparato cum fine præcedentis capitis. Epiphan. hæres. 69. inter med. & fin. tractans illud: *Non quod ego volo, sed quod tu.*

7 Cui explicationi non repugnant, qui partem alteram expositionis explicant, videlicet, Christum non facere voluntatem humanam, sed diuinam: vt intelligit Ambros. ad psalm. 37. in expositione tituli circa med. August. dicto lib. contra serm. Arianor. cap. 7. & apud Augustinum author libri de Trinit. & vnitate cap. 5. & 6.

8 *Doctrina non est sua, &c.*

Dico quartò. Eadem plenitudo & integritas expositionis, quæ complectatur simul personam Verbi & humanitatem, debetur aliis locis. Qualis est Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Nimirum doctrina, quæ mea est, quoniam

niam est mea essentia diuina, & secundum humanitatem est mea, quoniam illam mente complector & scio, atque ore doceo: eadem non est mea, quasi à me ipso & non ab alio principio procedens, sed est doctrina Patris, communicantis eam mihi per generationem æternam, & influentis eam in meam humanitatem, ac præcipientis, vt illam doceam.

9 Idem omnino sensus est, Ioan. 14. *Sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris.* De quo sapienter Nazianzenus dicta orat. 36. & Ioan. 7. *Sicut docuit me Pater, hæc loquor.*

10 Qui credit in me, non credit in me, &c.

Consequenter quod Ioan. 12. ait: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eũ qui misit me.* Significat non credere in Christum, qua ratione homo est, nec ita credere in Verbum, quatenus Verbum est, vt eius persona diuersam veritatem ac rationem formalem fidei habeat à se ipso, & non acceptam à Patre, sed credere in Filium & Verbum, quoniam habet eandem veracitatem Patris, sibi communicatam per generationem, quam solus Pater habet à se ipso, & non ab alio principio. De quo magis ad rem præsentem August. lib. 1. de Trinit. cap. 12. post med. & tract. 29. in Ioan. paulo post princ.

SECTIO XI.

Primarias sedes parare, sicut & alia multa, Filius attribuit Patri tanquam primo principio.

1 EX Matthæi cap. 20. rapiebant etiam ad suam blasphemiam Ariani quod Christus Dominus ait: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Vbi licet vera sit communior expositio Patrum, intelligens, non esse consentaneum iustitiæ, sapientiæ ac legibus ordinariè prouidentiæ primarias sedes dare consanguineis, vel ambitiosè petentibus, sed iis, quorum merita fuerint cæteris præstantiora. Quemadmodum intelligunt Chrysost. homil. 66. in Matthæum circa med. Epiphan. hæres. 69. inter med. & fin. Cyrillus lib. 19. thesauri cap. 5. Ambros. lib. 5. de fide ad Gratian. cap. 2. Hierony. in eius loci commentario, vbi etiam Theophylactus & Euthym. & apud S. Thomam in catena Remigius. Adhuc tamen aliqua restat difficultas in obiectione Arianorum, quia Christus Dominus non dixit: quibus paratum est à me, *sed quibus paratum est à Patre meo.* Quapropter authoritatem decernendi primarias sedes deuoluit ad Patrem.

Communior expositio vera.

Arianorum obiectio.

2 *Solutio facilior.*

Promptior ac facilior solutio est, Christum Dominum vt hominem esse locutum. Ita Cyrillus & Ambros. nuper citati. Quod idem tacitè videtur supponere Chrysost. & alij; cui consonat Augustinus 1. de Trinit. cap. 12. in med. & in fine dicens: *Non est meum, idest, non humana potestate ista do, sed si omnia, quæ habet Pater, mea sunt, & hoc vtique meum est, & cum Patre ista parauí.*

3 *Plenior solutio.*

Plenior autem intellectus erit, & aliis locis supra declaratis conformior, exponere, Christum Dominum dixisse, *Non est meum*, sicut dixit: *Mea doctrina non est mea.* Itaque non est meum tanquam humanitatis proprium, nec est meum, tanquam peculiare meæ personæ diuinæ, non acceptum ab alio principio: sed est proprium mei principij, videlicet Patris, qui non accepit ab alio, & mihi cum Diuinitate communicauit, vt simul cum ipso sedes pararem.

4 Eisdem rationibus adducor, vt existimem, alia plurima verba Christi Domini, quibus omnia reuocat ad Patrem, esse destinata, vt significent, non solum humanitatis esse principium creando, sed etiam personæ Verbi esse principium, ita vt Verbum à se nihil habeat, nisi per generationem à Patre. Hoc fine dicit Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei*, &c. Et cap. 16. *Venturus est in gloria Patris sui.* & Matth. 7. *Qui fecerit voluntatem Patris mei.* & cap. 10. *Confitebor & ego eum coram Patre meo.* & cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* & Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Actuum 1. *Tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* & alia sexcenta eiusmodi.

SECTIO XII.

Diem Iudicij Filius scit non à se ipso, sed à Patre, tanquam à principio.

1 *Qui Filio tribuebant ignorātiam.*

HÆretici Agnoitæ, quorum princeps fuit Themistius philosophus, & postea Seuerus Acephalus, veluti riuus quidam Ariani dogmatis Aëtij & Eunomij, dixerunt, Filium vtpote Patre minorem, ignorare multa, veluti diem iudicij. Ita refert Nicephorus lib. 18. historiæ Ecclesiasticæ cap. 50. Damascen. lib. de hæresibus. Liberatus in Breuiario capit. 19. Gregor. lib. 8. epist. 42. sub init.

2 Illi quamuis hanc scientiam denegarent etiam animæ Christi, potissimum tamen eorum institutum erat contra personam. Ideóque Patres infra citandi, vt defendant Christi Domini Diuinitatem & æqualitatē inter alias obiectiones Arianorum hanc referunt, & refellunt. Sumitur autem ex Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Sed magis expresse Filius excluditur Marci 13. cum dicitur: *Neque Filius, nisi Pater.* Quod apud Marcum non solùm in Vulgata, sed etiam in omnibus codicibus Græcis inuenitur.

3 Pro solutione recolendum est, per exclusiuas dictiones non excludi Filium, sed potius includi tanquam consciũ eiusdem scientiæ Patris, propter generalem regulam traditam supra disp. 40. sect. 4. quam ad præsentem locum explicuimus ibidem sect. 6. loco 4. cum Hieronymo in Matthæum cap. 24. Quo supposito, difficultas propria præsentis disputationis est, quare soli Patri reseruauerit scictiam, quæ Filio & Spiritui sancto communis est, & quid ea forma loquendi significare voluerit. Solutio verò colligitur ex toto discursu præsentis disputationis.

4 *Mens Christi Domini.*

Pro cuius declaratione Dico primò. Christus Dominus significare voluit, Patrem esse primum principium scientiæ, & prouidentiæ gratuitæ, per quam communicat hominibus scientiam: propterea que Filium non modo nihil scire à se ipso, nisi communicatum à Patre per generationem, sed etiam nihil velle, nec posse manifestare hominibus, nisi quod Pater illi commendauerit manifestandum.

5 *Non scit vt legatus ad nunciandū.*

Declaratur magis & confirmatur primò, nam si legatus aliquis destinetur ad ineundas paces cum inimicis: ille negare non poterit se scire, quæ rex illi commisit in sua legatione nuncianda & promittenda. Cæterum quæ sub sigillo naturalis secreti audiuit in regio cõsilio de ratione & tempore debellandi perduelles; respondere poterit se nescire, quoties interrogatus fuerit ab illis,

apud quos legatione fungitur. Hac itaque fidelitate summáque veracitate Filius Dei simpliciter ait, se nescire, quoniam legatione fungitur apud homines interrogantes, & hæc notitia non fuit commissa, vt per legationem traderetur, sed in arcano consilio Diuinitatis naturalissimo secreto communicata fuit.

6 *Non audiuit à Patre.* Confirmatur secundò, nam Filius nihil scit etiam increata scientia, nisi quod audiuit à Patre. Sed diem Iudicij non audiuit à Patre. Ergo diem iudicij non scit eodem sensu vero, quo dicitur à Patre non audiuisse. Minor probatur, quia *Omnia quæcumque Filius audiuit à Patre suo, nota fecit discipulis*, Ioan. 15. Sed non fecit notum diem iudicij, nec post aduentum Spiritus sancti, nec per visionem beatam. Ergo Filius aliquo sensu vero non audiuit à Patre diem iudicij, quemadmodum & alia infinita secreta, quæ nunquam Apostolis etiam in patria sunt manifestata.

7 *Generalos locutiones à circunstantijs limitantur.* Confirmatur tertiò, quia plurimæ generales propositiones in Scriptura sacra (sicut & in vulgari modo loquendi) limitationem accipiunt à circunstantiis. Vt illud Ioan. 16. *Docebit vos omnem veritatem*, videlicet pertinentem ad vtilitatem Ecclesiæ. Et iterum: *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo*, videlicet in nomine Redemptoris iam immolati per crucem, & sedentis ad dexteram Patris. Alioqui sine dubio perierant in nomine Christi. Generale quippe cunctis locutionibus est, vt à negotio, quod geritur, à personis ac cæteris circunstantiis accipiant diuersam significationem, perinde ac si aliqua verba declarantia forent dictæ circunstantiæ.

8 *Conciliantur Patres.* Confirmatur quartò, sic enim ad concordiam reducuntur expositiones antiquorum Patrum, & ita declarantur, vt liberentur à calumniis & obiectionibus. Imprimis enim quidam Patres verborum superficie sic explicare videntur, vt non ostendant, quomodo verificentur verba, quæ primo aspectu falsa videntur; sed solummodo declarent motiuum & rationem occultandi secretum. Dicunt enim, non expediebat hominibus audire diem iudicij: non sciebat Filius ad dicendum aliis; dissimulauit scientiam: non sciuit in suo corpore, quod est Ecclesia; sed eam fecit ignorare. Quæ omnia sunt ciusdem generis, quod attinet ad modum exponendi.

9 Ita Basilius lib.4. contra Eunomium inter med. & fin. Chrysostom. hom.78. in Matth. & hom.14. in Marcum. Quem sequitur Theophylactus Matthæi 24. Origen. in Matthæum tract.30. Ambros. lib.5. de fide cap.7. & 8. Hierony. Matth.24. August. lib.1. de Trinit. cap. 12. init. & lib 1. de Genesi contra Manichæos cap. 22. post med. & lib.83. quæstionum q.61. Gregorius in regist ro lib.8. epist.42. ad Eulogium. Beda Matth.24.

10 *Obiectio.* Sed occurrit statim obiectio, quoniam eadem ratione debuisset Christus Dominus dicere, neque Patrem scire, aut saltem debuisset nihil dicere de scientia Patris. Quoniam hominibus non expedit à Patre audire diem iudicij, nec Pater scit ad dicendum hominibus, nec scit in hominibus, nec facit eos scire.

11 *Solutio.* Vera tamen solutio (prætermissis aliis) hæc est. Pater non gerit personam legati, sed personam mittentis legatum. At verò in potestate personæ mittentis legatum, est decernere primò & per se, quidnam sit reuelandum à legato, quid verò seruandum sub sigillo secreti. Propterea Filius, quando loquitur vt legatus, verissimè dicit, Patrem scire, quia Pater nullo munere tenebatur seruare secretum, sed poterat legato committere, vt manifestaret. Ex suppositione tamen, quod à Patre, tanquam à primo principio, constitutum est decretum, vt legatus non manifestaret; legatus non scit qua ratione legatus est. Forassis autem ea fuit ratio præmittendi, *nec angelos cœlorum scire*, quoniam hoc est officium muneris nunciandi hominibus, vt inde significaretur, quod de Filio subiungitur, intelligendum esse ratione muneris Angeli magni consilij.

12 *Nullo modo sciunt angeli diem Iudicij.* Caluinus colligebat inde, angelos scire diem iudicij, sed non ad dicendum. Pessima tamen est consequentia, nam ex præsenti testimonio tantummodo colligitur, angelos non scire ad dicendum: sed vtrum sibi solis sciant, nihil hic dicitur, nec alibi. Sed de Christo Domino constat ex aliis locis, eum scire, Colossen.2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.*

13 Confirmatur quintò, sic enim rectè satisfacit, atque in idem redit expositio, quæ respondet, Christum Dominum ignorare diem iudicij, quatenus homo est; quamuis enim eius anima sciat, non scit ea ratione, quoniam est homo, sed quoniam à Patre reuelatur. Hanc tradit Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia propius ad med. quàm ad fin. respondens ad obiectionem decimam. Cyrillus lib.9. thesauri cap.4. Ambros. lib. 5. de fide ad Gratianum cap.7. in secunda responsione, nec non in Lucam cap.17.

14 *Obiectio.* Quæ declaratio propterea videtur minimè satisfacere, quoniam mendacium foret, si Christus Dominus diceret, se non scire Patrem, nec scire futuram passionem, aut resurrectionem, vel futurum excidium Ierosolymæ, vel aliud quodcumque secretum, quod Pater commisit hominibus reuelandum. Iuxta illud Ioann. 8. prope fin. *Si dixero, quia non scio eum*, videlicet Patrem, *ero similis vobis mendax.* Peto namque, quare tunc foret mendax, cum non sciret ea ratione, quoniam homo est, sed quoniam Pater eius animæ se ipsum reuelat? Quemadmodum diem iudicij se non scire dicit, subintelligens quatenus homo sum, & tamen non est mendax, sed ipsa veritas permanet.

15 *Soluitur.* Veruntamen præcedens obiectio soluitur, ex superioribus sectionibus recolendo, Christum Dominum esse legatum missum à Patre, non ratione solius Diuinitatis, sed ratione humanitatis, coniunctæ simul cum Diuinitate. Quoniam igitur vt legatus non acceperat à mittente commissionem huius veritatis reuelandæ: in eo sensu prædicti Patres dicunt, Filium non scire vt homo est, id est, non eo fine, quo factus est homo, & ad docendos homines missus.

16 Confirmatur sextò, quia sic plenus & integer intellectus istius loci complectitur simul personam diuinam & naturam humanam, seruata debita proportione inter vtramque. Vnde melius consonat præsens locutio cum cæteris, hucúsque declaratis in præsenti disputatione quæ verborum sonitu videntur Filium facere minùs perfectum, ac dependentem à Patre. Sapienter enim aliqui ex Patribus citatis adnotarunt, hæc verba posse intelligi de persona diuina. Quemadmodum Basilius, cuius sententiam, suppresso nomine, refert Nazianzenus dicta orat. 36. propius ad med. quàm ad fin.num.63. in cuius Scholiis Elias Cretensis declarat esse Basilium. Approbat autem eandem Nazianzenus dicens: *Vt memoriæ vir quidam literarum studiosus legit, nempe Filium non aliter diem illum vel horam nosse, quàm vt Pater.*

Quid

Quid enim hinc colligit? Quoniam Pater cognoscit, ideo etiam Filius: tanquam videlicet nemo hoc cognoscere queat, præter principem illam naturam. Similis expositio tribuitur Euthymio. Clarius autem Cyrillus lib.9. thesauri dicto cap.4. prope fin. adiungit: *Sic posse quoque conuenienter intelligi, si dicatur ideo nescire, quoniam inde naturaliter scientiam omnium habet, vnde ipsum esse habet.*

17 Confirmatur denique, quoniam, ad eundem sensum reuocata, rectè quadrat alia expositio, quæ alioqui non satisfacit. Ait enim: Quamis Filius sciat speculatiua scientia diem iudicij, non scit scientia practica, siue experimentali, quia nondum iudicauit. Quemadmodum Isaias cap. 53. appellat *Scientem infirmitatem.* & 2. Corinth. c.5. *Qui non nouerat peccatum.*

18 Quod si obiicias, neque Patrem hoc modo scire; Respondet, iam scire Patrem executione practica. *Nam omne iudicium dedit Filio.* Ioan.5. Sic exponunt Chrysostomus tom. 3. serm. de S. Trinitate non longè post med. Epiphanius hæres. 69. non longè post med. & in Ancorato inter princ. & med. Bernard. tract. de duodecim gradibus humilit. colum.4.

19 *Obiectio.* Contra quam expositionem occurrit obiectio, non dissimilis alteri, quæ posita est contra præcedentem expositionem, videlicet, quia sequeretur, eodem sensu dicere potuisse Christum Dominum se nescire, vtrum aliquo die iudicaturus esset omnes homines, quia nondum hoc expertus fuerat. Consequens autem est falsum propter eandem rationem, ob quam dixit: *Ero similis vobis mendax*, loco nuper citato. Maximè quoniam interrogantibus euidens erat, Christum nondum experientia cognouisse diem iudicij. Veracitas autem obligat, vt respondeamus ad mentem interrogantis, vitando peregrinas & parum vsitatas significationes; quandiu nulla ratio compellit ad tegendum secretum.

20 *Solutio recurrens ad priorem solutionem.* Quapropter necessarium est recurrere ad rationem tegendi secreti, quæ superius declarata est: qua supposita, rectè & secundum regulas veracitatis Christus Dominus dicit, se nescire diem, *Non enim misit Deus Filius suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ioan.3. quod etiam confirmat cap. 12. prope fin. Ideo secundum illud tempus & præsentem statum ac munus licebat hæc æquiuocatio de scientia practica non minus, quàm aliæ supra commoratæ. Sed non licebat æquiuocatio similis circa iudiciũ aliquando faciendum à se, quoniam ex vi suscepti muneris tenebatur, omnes homines admonere rationis reddendæ sibi supremo die.

Remittuntur alia.

QVæ significare videntur, Filium aut Spiritum sanctum esse inferiorem Patre, sunt multo plura, quàm vt ea possit præsens disputatio capere, de quibus multa sunt examinata disputationibus præcedentibus. Alia magis oportunùm locum habebunt sequentibus disputationibus. Veluti quæ significare videntur, Filium esse creatum aut factum disput.96. sect.5. 6. & 7. Quæ significant, Patrem esse Deum Filij disp.51. sect.3. probat.3. & disp.78. sect. 4. Quæ sonant, Filium esse instrumentum Patris, aut illi ministrare in operationibus ad extra, nec esse principalem opificem; vel Filium aut Spiritum sanctum non loqui à se ipsis, aut nihil à se ipsis facere; vel quæ petunt à Patre per Filium, aut gratias agunt Patri per Filium, vel satisfactionem exhibent Patri: hæc omnia tractabuntur in postremis disputationibus 111. & sequentibus.

ARTICVLVS II.

Vtrum hoc nomen Pater *sit nomen propriè diuinæ personæ.*

ARTICVLVS III.

Vtrum hoc nomen Pater *dicatur in diuinis per prius, secundum quod personaliter sumitur.*

DISPVTATIO LI.

Quanta veritate ac proprietate Patrem esse conueniat primæ personæ.

SECTIO I.

Omnimoda proprietate conuenit.

ARIANI & eorum sequaces, quoniam negabant, Dei Filium esse verè & propriè Filium; consequenter asserebant, Patrem non esse propriè patrem, nec natura, sed gratia tantum & libera volũtate genuisse Filium; vt vidimus disput.4. sect. 3. sub initium, videbimúsque disp.93. sect.1. Idcirco Patres Ecclesiæ totis viribus incumbunt ad probandam veram, naturalem & propriam rationem Patris & Filij: qua probata, negari non potest æqualitas & consubstantialitas, saltem in specifica ratione. 1

Pro cuius declaratione notandum est primò, quadrupliciter accipi posse aduerbium *propriè*. Primò, vt significet idem quod verè & non fictè, nec cum addito alienante vel diminuente, quomodo Leo mortuus non est propriè Leo. Secundò, sine metaphora, quomodo Christus Dominus non est propriè Leo nec Ouis. Tertiò, sine improprietate significationis, quomodo Pater non est propriè causa Filij, est autem propriè causa creaturarum. Quartò, propriè conuenire dicitur, quod non fuerit commune personis aliis, sed soli personæ primæ conuenerit. In quo sensu potissimùm S. Thomas in præsenti art.2. disserit, an propriè sit Pater. 2 *Propriè quadrupliciter accipitur.*

Secundò recolendum est, in hac vita non esse possibile nomen ita proprium Deo, quod illum significet prout est in se ipso immediatè sine ordine atque connotatione creaturarum. Sed omnia nomina Dei à creaturis accepta, Deum significant in ordine ad suas operationes vel effectus vel per similitudinem & proportionem ad creaturas. Vnde prouenit, vt modus significandi sit improprius: licet res significata per nomina Deo propriissimè conueniat: quemadmodum vniuersaliter docent Dionys. cap.2. de diuin.nomin. sub init. Ambros. Augustin. & Cyparisiotus citati disput.9. sect.2. sub init. & iterum August. Boet. Damasc. Anselm. & alij citati disp.10. sect.4. 3 *Quo sensu quidam Patres dixerint, non esse proprium nomen Patris.*

Peculiariter autem nomina Patris & Filij non propriè conuenire Deo, dixerunt aliquibus in 4

locis

locis Dionys. Nazianz. Basil. & Hilarius, quorum verba declarauimus disp. 4. sect. 3. sub init. & post assert. 1. vt solummodo dicant improprietatem generaliter conuenientem omnibus Dei nominibus, quippe quæ sua primæua impositione res creatas significabant cum suis imperfectionibus; postea verò, resecatis imperfectionibus, translata sunt ad Deum, manente tamen imperfecto modo significandi supra dicto.

5 Hæc est plenè mens Basilij tract. de vera & pia fide paulo post med. dicentis: *Vocabulum Patris si cum integra eius significatione, sicut apud nos est in vsu, accipiamus in Deo; impiè facimus: quandoquidem vna cum eo necessariò simul & affectio, & defluxio seminis genitini, & ignorantia & infirmitas, & talia quæcunque in ipso nomine emulgantur.* Negat igitur Deo significationem integram *patris, sicut apud nos est in vsu*, significare creaturas: cæterum apertè concedit significationem integram patris, prout à fidelibus ac theologis abstrahitur, reiectis imperfectionibus creaturarum. Iuxta quam acceptionem definitur à Basilio lib. 1. contra Eunom. prope finem: *Patris nomen quid aliud ostendit? Nonne causam eius, qui ex se natus est, atque originem?*

6 Sit ergo prima conclusio. Absque vlla metaphora vel addito minuente vel improprietate Patrem esse verè ac propriè conuenit primæ personæ. Probatur primò, nam 1. Ioan. 5. aic. *Vt simus in vero Filio eius Iesu Christo.* Verus autem Filius non est nisi de vero Patre. *Propriè Patrem esse.*

7 Confirmatur, nam in nouo testamento, præcipuè in Euangelio Ioan. cap. 1. 3. 5. 6. 8. 12. 14. & sequentibus, toties Christus Dominus proponit nomen Patris, vt planè voluerit, eius nominis veritatem ac proprietatem esse summoperè commendatam; vtpote quæ fuerit præstantissima pars doctrinæ, quam docendam susceperat, quemadmodum Euangelicæ fidei maximum & summopere necessarium mysterium est Trinitas, quæ cognito Patre cognoscitur, vt minimum quantum ad duas personas. Quamobrem extremo tempore vitæ quasi rationem reddens commissi muneris, fideliter expleti Ioan. 17. sic Patrem alloquitur: *Manifestaui nomen tuum hominibus*, videlicet nomen Patris, vt intelligunt Augustinus, Chrysost. & alij citati disp. 36. sect. 2. confirm. 1. Vnde Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 6. prope fin. ait: *Manifestaui nomen tuum hominibus, quia, videlicet, verus Pater es, & Filium verum habes. Ioannes etiam ait: & simus in vero Filio eius*, &c.

8 Secundò probatur ex Patribus. Nicænum Concil. lib. 2. propius ad princ. quàm ad med. §. *sancta & magna: Verè Filium*, inquit, *veri Patris*. Nazianzen. orat. 36. quæ est 4. de Theolog. respondens ad obiectionem 4. post num. 29. tractans illud Ioan. 20. *Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*; obseruat Patrem *propriè dici Patrem* Verbi, sed *non propriè dici Deum illius. Contra quam in nobis se res habet, Deus enim propriè Deus noster est, non autem propriè Pater.* subintelligit respectu nostri. Idem in tract. de fide, qui est orat. 49. non procul à princ. & iterum in fine multoties repetit, *Patrem verè & propriè esse Patrem.* Similitérque *Filium verè & propriè esse Filium.* & in sequenti tract. de fide Nicæna, qui est orat. 50. ex verbis Concilij Nicæni refert *Patrem verum, qui genuit Filium verum.*

9 Idem docet Basilius lib. 1. contra Eunom. supra citato, & lib. 2. propius ad med. quàm ad fin. Frequentior est huius dogmatis repetitio apud Epiphanium tota ferè hæres. 69. & hæres. 73. multo propius ad med. quàm ad princ. & tota ferè hæresi 76. Quibus in locis non solum docet, Patrem esse *propriè Patrem*, sed etiam esse *naturâ Patrem*, siue *naturalem*, hoc est, non per adoptionis gratiam liberè collatam, sed per necessariam & naturalem generationem. De quo videri potest præsertim contra caput 19. Aëtij dicta hæres. 76. Atque in ancorato col. 9. scribit: *Verus Pater in substantia, verus Filius in substantia*, id est non accidentaliter pater, nec accidentaliter filius, quales nos sumus. Eandem veritatem proprietatémque Patris docent plurimis in locis Hilar. Ambros. Gregorius Bœticus & Fulgentius, quos citauimus disp. 4. sect. 3. pro assert. 1.

10 Tertiò probatur ratione, quia vera & propria quidditas Patris est habere Filium. Sed prima persona habet Filium: ergo conuenit illi vera & propria quidditas Patris. Maiorem, quantum ad res diuinas attinet, tradunt omnes Patres citati disp. 9. sect. 3. & 4. Peculiariter autem Clemens Romanus epist. 1. ad Iacob. paulo post med. *Patrem*, ait, *cum audis, agnosce quod habeat Filium veraciter genitum: sicut possessor dicitur, qui aliquid possidet*, &c. Vnde Cyrillus Alex. dialog. de Trinit. lib. 2. col. 2. colligit, *Propriè Patrem esse, non ob aliam causam, quàm quod genuit ex se Filium*; & *propriè Filium, quia natus est ex Deo Patre.* & lib. 3. thesauri capit. 2. post med. *Verus Filius*, inquit, *propter quem Deus Pater est verus.*

11 Confirmatur, nam in Deo sunt relationes simpliciter, verè & propriè, vt probatum est tota disp. 9. præcipuè sect. 2. 3. & 4. Sed non sunt aliæ, nisi Patris, Filij & Spiratoris & Spiritus sancti vt probatum est disp. 18. Ergo verè ac propiè conuenit Deo relatio Paternitatis.

12 Secunda conclusio. Patrem esse sic propriè conuenit Patri, vt nulli alteri personæ conuenire possit. Ita colligitur primò ex Scriptura & Patribus nuper adductis pro conclusione prima. Secundò S. Thom. probat in præsenti artic. 2. quia proprium cuiusque personæ nomen est, quod significat id, per quod illa persona constituitur, ac distinguitur à cæteris omnibus personis. *Pater* autem (vt accipitur in diuinis) significat Paternitatem æternam, qua constituitur persona Patris, ac distinguitur ab omnibus aliis personis, vt ostendemus disput. 87. In omnibus namque conueniunt & vnum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus præter hoc, quod Filius & Spiritus sanctus non est Pater, sicut nec Pater est Filius aut Spiritus sanctus, vt probatum est tota disput. 19. maximè sect. 4. & sequentibus. *Propriè Pater, quatenus alia nulla persona pater est.*

13 Tertiò probatur, quia notio & proprietas magis strictè sumpta, conuenit vni tantum personæ. Huiusmodi autem est Paternitas respectu primæ personæ, sicut respectu Verbi est Filiatio: quemadmodum probatum est disp. 47. præsertim sect. 1. & 5. Quartò, quoniam *Vnus Pater, non tres patres*, vt canit Ecclesia in Symbolo Athanasij, & plures sanctorum docuerunt referendi disp. 102.

SECTIO II.

AEterna Paternitas Dei comparatur cum paternitatibus animalium.

1 VNica conclusio sit. Persona ingenita priùs, veriùs ac propriùs Pater est, quàm homines sunt patres filiorum; quos naturaliter generant. Idémque intellige de cæteris animantibus. Probatur *Pater est veriùs & propriùs quàm homines.*

batur primò, quoniam *ex ipso omnis paternitas in cælis & in terra nominatur*, Ephes. 3. Vnde Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. inter med. & fin. ac Damascen. lib. 1. fidei capit. 9. post med. colligunt, rem & nomen paternitatis & filiationis à Deo deriuatum esse ad creaturas, quorum testimonia posuimus disp. 4. sect. 3. dicto 4.

2 Ex eisdem verbis Apostoli Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 5. post med. colligit, esse *impium putare, nos quidem natura patres esse filiorum nostrorum, qui per imitationem, qua suum creatorem imitantur, patres dicuntur; ipsum verò Deum & Patrem primò non verè patrem opinari, nec ex ipso essentialiter prodire Filium confiteri.* Vbi tangens prioritatem in ratione causæ efficientis, magis explicat imitationem causæ exemplaris. Hoc argumento dialogorum de Trinit. lib. 2. multo propius ad med. quàm ad princ. Cyrillus vrget hæreticos, quia si Pater non esset naturâ pater, sed gratiâ; sequeretur, quod homines veriùs & propriùs, quàm Deus, essent patres: ideóque paternitas ex hominibus nominaretur in Deo contra Paulum in testimonio præsenti. Quibus similia differit sequenti lib. 3. dialog. circa med.

3 Theodoretus in cõmentario Ephes. 3. ad hunc versum ait: *Propriè Pater, & verè Pater Deus, non enim fuit priùs Filius, deinde Pater, sed semper Pater est, & naturâ Pater. Alij autem patres, siue sint corporales, siue spirituales, è superis traxerunt appellationem.* Et post pauca: *Qui verè est Pater, qui non ab alio hoc accepit; sed ipse aliis impertit.* Hieronymus eadem verba sic exponit in eorum commentario: *Quomodo Deus essentia sua nomen atque substantiæ cæteris impertit, vt ipsa quoque esse dicantur*, &c. *Sic & paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus.* Et paulo inferius: *Ex eo quod Deus Pater Domini nostri Iesu Christi iuxta substantiam Pater est; & Vnigenitus non est adoptione Filius, sed naturâ: Cæteræ quoque creaturæ paternitatis nomen adoptione meruerunt.*

4 Videbitur alicui, præsentem probationem ex eo debilitari, quoniam in testimonio Pauli citato *paternitatis* nomen significat cognationem & familiam, vt constat ex originali Græco, & obseruat ibi S. Hieronymus & alij expositores. Nihilominus firmitas & robur istius probationis instauratur, quoniam in omni cognatione & familia radix & caput, à quo deriuatur vnitas, & coniunctio cognationis, est aliqua paternitas. Quapropter si ab æterno Patre deriuatur omnis cognatio & familia, manifestè sequitur omnem paternitatem deriuari. *Licet paternitas apud Paulũ significet cognationem.*

5 Confirmatur primò, quoniam alioqui non bene intulisset Apostolus, à Patre Domini nostri Iesu Christi deriuari omnem cognationem & familiam, nisi quia deriuatur paternitas, quæ radix & fons est familiæ. Confirmatur secundò, nam Hieronymus & reliqui Patres nuper citati colligunt ex eo loco, quamlibet paternitatem & filiationem creatam ex æterno Patre Filióque deriuari. & Chrysost. Ephes. 3. serm. 3. serm. 6. col. 3. dicit: *Omnis paterna cognatio, vnde fiunt omnes tribus.* Itaque non cognationem ex matre, sed cognationem deriuatam ab vno patre intelligit. Hæc adnotare necessarium fuit propter aliquos expositores, qui solam rationem principij, generaliter sumpti, putant esse mentem Apostoli significatam nomine paternitatis.

6 Secundò probatur conclusio, quinque perfectiones enumerando, quibus æterna Paternitas infinitùm superat quamlibet paternitatem, hominibus aut aliis animalibus conuenientem. Prima perfectio est ratio primæ causæ efficientis, quam ex Paulo colligunt Patres nuper citati. Peculiariter autem Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. ferè inter med. & fin. docet, *Diuinam omnem patris ac filij rationem à prima & Patris & Filij ratione, quæ ab omnibus secreta est, & nobis donatam esse & naturis cœlestibus: à qua & dij, & deorum filij, & deorum patres, mentes, quæ Dei speciem gerunt, & fiunt & nominantur.* Cum efficiente causalitate coniuncta est exemplaris, quam notauit Cyrillus 12. thesauri supra citato. *Quinque perfectiones diuinæ Paternitatis.* *Prima causa creata paternitatis.*

Confirmatur, nam *Quæ prima simpliciter sunt, causa sunt eorum, quæ secundo loco sunt. Pater autem Deus primus Pater est, quia primus omnium genuit.* Ita ratiocinatur Cyrillus lib. 19. thesauri capit. 4. inter med. & fin. 7

Secunda perfectio est substantialiter & quidditatiuè Patrem esse, non accidentaliter vllo modo. Propterea Epiphan. in præcedenti sectione citatus toties appellat *naturâ Patrem*, & *in substantia Patrem.* Cyrillus autem lib. 12. thesauri cap. 5. prope med. profitetur, *ex Patre essentialiter prodire Filium.* Quod magis explicuit Theodoretus in præcedenti probatione citatus, & Gregorius Bœticus statim citandus. 8 *Substantialis & quidditatiua Paternitas.*

Tertia perfectio sequitur ex præcedenti, & eam confirmat, quoniam homines multis annis viuunt priùs quàm sint patres, & omnibus potest contingere, vt nunquam sint patres, ac denique patres esse desinunt per obitum filiorum. Deus autem ab æterno & in æternum semper ac necessariò Pater est æterni Filij. Attigit hoc Theodoretus nuper citatus, & magis explicuit Epiph. in ancorato non longè post med. Gregoriúsque Bœticus lib. de Trinit. prope fin. *Apud homines*, inquit, *exinde pater quis dicitur, ex quo genuit filium. Tamen non propriè verus est pater, cui accessit hoc vocabulum, & hoc ipsum à Deo præstitum: qui quidem & tandiu pater dicitur, quandiu filius eius viuit. Deus autem solus propriè verus est Pater, qui sine initio & fine Pater est, semper habens Filium ex se genitum.* 9 *Æterna Paternitas.*

Quarta perfectio est, primam personam tanta proprietate Patrem esse, vt non possit esse Filius, nec alia persona diuina possit esse Pater. Quod ita ponderat Athanas. orat. 2. contra Arianos multo propius ad med. quàm ad princ. *In istis nihil est propriè pater aut filius, nec in illis stabilem locum habet persona patris & filij. Nam qui filius est, pater efficitur, filius quidem eius, qui ipsum genuit, pater autem illius, qui ex ipso genitus est. Verùm id in Diuinitate ita non habet, nec Pater ex Patre originem traxit: vnde fit, vt gignat non progenituram.* Vnde includit: *Quapropter in sola Deitate Pater propriè Pater est, & Filius propriè Filius est; & in illis solis consistit, vt Pater semper sit Pater, & Filius semper sit Filius.* His similia scripsit Athanas. ad Serapion. in longiori epist. circa med. 10 *Pater ita vt non possit esse Filius.*

Nazianzenus quoque, notans eandem rationem summæ proprietatis, addit aliam confirmationem, quoniam in creaturis nullus est integrè pater, sed paternitatis patrem diuidit cum matre. Deus autẽ integrè totalitérque Parens est Vnigeniti Filij, vt totale principium generationis. Hoc scilicet intendit Nazianzen. orat. 35. quæ est 3. de theologia col. 3. ad obiect. 3. illis præcipuè verbis: *Nec ex vno, sed ex vtroque parente nascimur, ac proinde diuidimur*, nimirum in duos parentes filiationem quasi diuidendo. 11

Quinta

12 *Habere perfectissimũ Filium.*

Quinta perfectio est, quia Pater æternus respicit perfectissimum Filium, perfectissima generatione productum, & eum sibi assimilat perfectissima similitudine. Quæ omnia quidditatiuè perficiunt rationem Patris. Antecedens probatum est disp.4. sect.3. & disp.6. & 7. Hanc perfectionem simul cum aliis supra dictis adnotauit Nazianzenus orat.23. in laudem Heronis prope fin. his verbis: *Patrem esse credamus Patrem multo verius, quàm qui apud nos id nomen obtinent; tum quia proprio & singulari modo Pater est; tum quia solus, non enim cum mulieris coniunctione atque congressu; tum quia solius, nempe Vnigeniti; tum quia solum, nec enim ipse prius quàm Pater esset, filius fuit; tum quia in totum & totius Pater, quod de nobis certo affirmari nequit; tum quia à principio, nec enim posterius Pater esse capit: Eodem modo Filium verè esse Filium, quod & solus, & solius, ac singulari modo, & solum (non enim pater quoque simul est) & in totum, & totius, & à principio hanc rationem habens.*

13 Confirmatur, nam hæc est singularis perfectio Vnigeniti Dei, *quod solus ex solo natus est*, nec matrem habere potuit parentem, vt ex Damasceno, Augustino, Fulgentio, & S. Thoma vidimus disp. 4. sect.5. inter med. & finem.

SECTIO III.

Duæ, quæ restant, comparationes.

1 *Perfectior Paternitas in ordine ad Verbũ, quàm in ordine ad creaturas.*

PRima sit hæc. Prima persona est æterni Filij Pater priùs, propriùs, atque perfectiùs, quàm Deus est pater creaturarum etiam hominum iustorum. Imo Deus nullius creaturæ pater est propriè, sed quadam similitudine seu participatione. Declaratur & probatur, supponendo, tres esse gradus improprietatis, qua Deus appellatur pater creaturarum, quos enumerat S. Thomas in art. 3. corp. Cum enim pater dicatur, quod est principium generationis: generatio verò sit processio viuentis à viuente per principium coniunctum in similitudinem naturæ, vt vidimus disp.6. sect.6. consequens est, vt quibus gradibus creaturæ deficiunt à perfecta similitudine Dei, eisdem earum processio deficiat à perfecta ratione generationis, & consequenter Deus, in quantum est principium illius, non possit acquirere veram & simpliciter dictam paternitatem.

2 *Tribus gradibus creaturarum productio deficit à perfectione generationu.*

Primus gradus est similitudo vestigij solius, quę conuenit rebus irrationalibus, iuxta quam Deus appellatur pater Iob.38. *Quis est pluuiæ pater?* Secundus est, similitudo imaginis, quæ reperitur in qualibet creatura rationali naturaliter ratione substantiæ. Iuxta quam Deuteron.32. *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit & creauit te?* & omnes dicere possunt: *Pater noster.* Tertius gradus est similitudo gratiæ, ratione cuius frequentior est appellatio patris, tam in Veteri, quàm in Nouo testamento, vt sapient.2. *Gloriatur patrem se habere Deum.* Matth.5. *Glorificent patrem vestrum.* Et iterum: *Vt sitis filij patris vestri.*

3 Quo supposito, probatur assertio initio proposita. Primò, quoniam vbi non est similitudo naturæ simpliciter dicta, non est generatio simpliciter, & consequenter neque paternitas simpliciter & propriè dicta, sed tantum quadam analogia & attributione. Sed in quibuslibet creaturis non est similitudo naturæ diuinæ simpliciter, sed tantùm quadam analogia & imitatione: ergo comparatione quarumlibet creaturarum Deus non est simpliciter & propriè Pater, sed quadam analogia & imitatione seu attributione.

4 Confirmatur amplius explicando paternitatis huius imperfectiones, supponendo, nihil derogare perfectioni Dei, sed ex eius infinita perfectione procedere. Imprimis enim Deus est creaturarum pater non naturaliter & necessariò, sed libera voluntate. Secundò, non per principium coniunctum & actionem immanentem & generatiuam ad intra; sed per actionem factiuam & creatiuam ad extra. Tertiò, Paternitas in Deo nihil reale est, sed mera denominatio extrinseca. Quartò, Deus est creaturarum pater non ab æterno, sed in tempore. Quintò, non potest in creaturas influere similitudinem in natura simpliciter dictam.

5 Probatur secundò, quia pater est qui habet filium. Ergo qui habet filium non propriè & simpliciter dictum, sed analogia & participatione filium, hic prout talem filium habet, non est propriè, simpliciter & primariò pater, sed quodammodo, secundariò & analogia, seu participatione. At verò creaturas omnes etiam filios adoptiuos Dei esse filios impropriè & secundum quid comparatione diuini Verbi, probatum est disp.4. sect.3. assert.3.

6 Exponitur illud, *Patrem meũ, & Patrem vestrũ, &c.*

Tertiò probatur, ac simul soluitur Arianorum obiectio, qui contendebant probare, Christum Dominum esse creaturam, quoniam ipse Ioan.20. parem se facit hominibus, ita præcipiens. *Dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Vt referunt Phæbadius lib. contra Arianos colum.2. Nazianzenus, Hilarius & alij ex citandis. Solutionem verò Patres ex eisdem verbis colligunt, quia cum potuisset breuiùs dicere: *Patrem nostrum & Deum nostrum*, maluit repetere bis *Patrem*, ac *Deum*, & dicere: *meum & vestrum*, vt excitaret ad intelligendum discrimen, aliis in locis declaratum. Quasi diceret: Aliter meum, & aliter vestrum, Patrem meum naturâ & necessariò, sed patrem vestrum gratiâ & liberâ voluntate.

7 Ita ponderât Nazianzenus orat.36. citatus sect. 1. probat.2. Athanas. lib. de humana natura suscepta, inter princ. & med. egregiè, nec non dialogo 1. de Trinit. contra Macedonium quatuor columnis ante fin. Chrysost. prope fin. tomi tertij serm. de S. Trinitate in med. & in Ioan. hom. 85. in med. Epiphan hæres. 69. longè post med. & hæres. 76. confutans vigesimum caput Aëtij, fusiùs autem in ancorato inter princ. & med. Cyrillus Alex. in Ioan. lib.12. cap. 51. post med. & lib.1. thesauri cap.6. inter med. & fin. & lib.2. thesauri cap. 2. à princ. & lib. 5. cap. 5. prope med. Cyrillus Hierosolym. catechesi 11. inter med. & fin. Theophylac. Ioan.20. ad verba citata. Gregentius archiepisc. Tephrensis in disputatione cum Herbano Iudæo multo propius ad fin. quàm ad med. Hilar. lib.11. de Trinit. col.5. & sequentibus fusè. Ambros. lib.1. de fide cap.6. à med. & lib.10. in Lucam cap.vlt. in med. & lib.3. de virginibus multo propius ad med. quàm ad princ. August. tract. 121. in Ioan. non longè post med. Gregor. Papa hom.25. in Euangelia post med.

8 Omnes itaque citati Patres eodem modo declarant discrimen prioris membri: *Patrem meum & patrem vestrum.* Sed non eodem modo discrimen posterioris membri: *Deum meum, & Deum vestrum.* Multi namque intelligunt accipi notionaliter Deum, quando dicitur Deus Filij; plures autem intelligunt appellare Deum suum ratione humanitatis vt vidimus disp.78. sect.4.

Quartò

9 Quartò probatur aliis testimoniis Patrũ. Athanas. orat.3. contra Arianos inter med. & fin. docet, *Deum non esse ex natura nostrum Patrem, sed eius, qui in nobis est Verbi.* Et iterum ait: *Naturâ Pater est sui Filij.* Basil. orat. aduersus eos, qui calumniantur, quod tres deos colamus post med. *Quemadmodum*, inquit, *non ratione Pater, sic nec ratione Filius.* Quasi diceret: Non consilio & ratione ductus (quemadmodum quando creat, vel adoptat homines) sed naturaliter ac necessariò Pater est æterni Filij. Quod aliter significauit lib.4. contra Eunom. sub init. dicēs: *Pater naturâ, non concessione.*

10 Quanta perfectione naturalis Dei Paternitas & Filiatio superet paternitatem & filiationem adoptiuam, frequenter & copiosè tractat Cyrillus Alexand. veluti lib.1. thesauri cap.5. & 6. & lib.1. dialog. de Trinit. duabus postremis columnis & lib.2. multo propius ad med. quàm ad princip. & sequenti lib.3. circa med. Præsit hoc magis Cyrillus Hierosolym. cateches. 7. col.2. *Est*, inquit, *Deus multorum abusiuè dictus pater: Vnius verò & solius natura & veritate Vnigeniti Filij, Domini verò nostri Iesu Christi* Pater.

11 *An prius ratione sit Deus creaturarum pater.*

Contra prioritatem Paternitatis notionalis obiicies. Essentialia & communia sunt priora notionalibus. Sed Deum esse creaturarum patrem, est essentiale & commune tribus personis. Ergo creaturarum pater est Deus prius ratione, quàm sit notionaliter Pater diuini Verbi.

12 Respond. ex D. Thoma in præsenti q.33. art.3. ad 1. distinguendo. Nam essentialia & communia, quæ necessariò conueniunt Deo, nec requirunt, creaturas existere in aliqua differentia temporis, illa sunt secundum rationem priora notionalibus, licut commune prius est, quàm particulare. Cæterum essentialia & communia nonnulla non conueniunt necessariò, sed potuerunt non conuenire, quoniam requirunt existentiam creaturarum: vt scientia visionis, & denominatio creatoris & patris creaturarum. Hæc igitur, licet sint communia & essentialia, sunt posteriora notionalibus, eo vel maximè, quoniam ad productionem creaturarum per se necessariò præsupponitur Verbum & amor spiratus, vt ostendemus disput.111.

13 *Iustorum pater est Deus minus propriè quàm homines suorum filiorum.*

Secunda comparatio colligitur ex præcedenti, videlicet, homines filiorum, quos naturaliter generant, esse patres magis propriè, quàm Deus sit pater hominum etiam iustorum. Ratio demonstrans est, quia homines sunt verè & propriè patres. At verò Deus comparatione creaturarum non est pater propriè, sed largè quadam extensione vocabuli. Nam pater propriè per principium coniunctum generat filium similem sibi in natura, vt vidimus sect. præcedenti, vt propterea non immeritò Cyrillus nuper citatus dixerit, *abusiuè patrem multorum* appellari Deum.

14 *Obiectio.*

Videbitur alicui, contrarium sensisse Basilius lib.2. contra Eunom. propius ad med. quàm ad fin. dicens: *Pater noster est Deus, non abusione, aut translatione, sed propriè, primò & verè dictus.* Et paulo inferius: *Propriè ac merito Deus dicitur pater, quod non passionis, sed coniunctionis nomen est, vel eius, quæ est per gratiam, vt in hominibus, vel eius, quæ secundum naturam est, vt in Vnigenito.*

15 *Soluitur.*

Respond. Basilius hoc loco respexit non ad peculiarem rationem patris, qua distinguitur ab aliis principiis producentibus, sed ad communem rationem principij producentis, & gubernantis cum aliquali similitudine naturæ. Atque in hoc genere non merentur homines appellari patres, si conferantur cum Deo, iuxta illud Matth.23. *Patrem nolite vocare vobis super terram. Vnus est enim pater vester, qui in cœlis est.* Deus enim excedit incomparabiliter homines, primò quidem vniuersalitate productionis, producit enim non solum corpus, & omnes eius dispositiones & organa, sed etiam animam & eius potentias & actus. Deinde semper conseruat. Tertiò prouidet omnibus abundanter, quæ sunt ad vitam necessaria. Quartò suauissima & ardentissima est charitas, qua procurat æternam salutem omnium, maximè prædestinatorum, vt illos sibi coniungat in æternum.

16 Duo corollaria sequuntur ex dictis. Primum, Paternitas Dei ad intra tantæ perfectionis est, vt comparatione illius dici possit, homines non esse patres suorum filiorum, sicut solus Deus est, *qui est, & nemo bonus nisi solus Deus.* Secundum est, analogam esse rationem patris, siue compares Dei Paternitatem ad intra cum paternitate productiua creaturarum; siue compares vtramque paternitatem Dei cum paternitate hominum, ac cæterorum animalium. Quod facile probare poteris à simili recolendo dicta disput.48. sect.2. de analogia principij.

ARTICVLVS IV.

Vtrum esse ingenitum sit Patri proprium.

DISPVTATIO LII.

Multiplex significatio vocis, ingenitum, *quibus personis, & quomodo conueniat.*

SECTIO I.

Qua occasione, vel ratione vocabulum ingenitum *displicuerit antiquioribus Patribus.*

1 *Inuentor vocabuli.*

INGENITI nomen & ratio fuit medium ad plurima sophismata construenda contra Diuinitatem Filij. Fuit autem illius inuentor Aëtius magister Eunomij, vt refert Athanas. dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum non longè ante med. prope epistolam Aëtij. Epiphanius hæres. 76. multo propius ad princ. quàm ad medium. De hoc argumento duas epistolas scripsit Arius; alteram ad Eusebium, alteram ad Alexandrum, quas refert Epiphan. hæres. 69. pag. 2.

2 *Sophismæ primum.*

Cæteri Ariani, præsertim Asterius Sophista solebant vrgere Catholicos, interrogando, vtrum sint plures ingeniti, vel vnus tantum? vt si responderent, esse vnicum ingenitum; inferrent, Filium non esse ingenitum, sed solum patrem: ac subinde Filium connumerarent inter creaturas factas & creatas. Si verò Catholici responderent, esse duos, aut tres ingenitos, videlicet, Patrem, Filium & Spiritum sanctum; inde colligerent Ariani, tres deos à Catholicis affirmari. Semper enim pro comperto supponebant Ariani, naturam Dei consistere in eo, quod sit ingenitus.

3 Secundò, conficiebant alium paralogismum,

Secundum sophisma. fallentem sola vocis æquiuocatione sic: Genitum & ingenitum natura differunt, nec sunt eiusdem substantiæ. Sed Pater est ingenitus, Filius verò genitus est. Ergo Pater & Filius naturâ differunt, nec sunt eiusdem substantiæ. Vel aliter: Genitum & ingenitum non sunt vnum & idem. Ergo Pater & Filius non sunt vnum & idem. Has & similes cauillationes referunt Athanas. orat. 2. contra Arianos circa med. & lib. de decretis Nicænæ Synodi quatuor columnis ante finem, & dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomæum post med. & sequenti dialogo 2. non procul à princ. & alibi sæpe. Nazianzenus orat. 35. prope med. obiect. 7. Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 1. initio. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 3. Fulgent. obiect. 5. Arianorum. Aliique Patres infra citandi.

4 Sed integrum libellum Aëtij, cuius ferè omnia capita amplius quadraginta reuoluuntur eodem ingenito, multipliciter fucato, refert & refutat Epiphan. fere tota hæres. 76. Alias verò blasphemias eius discipuli nimirum Eunomij, de genito & ingenito, refert & oppugnat Basilius lib. 2. contra Eunom. His directè respondebimus sect. 7. conclusione 2.

5 Ex hoc periculoso bello nata fuit ratio, quæ *Propterea suspectii & exosum fuit vocabulum.* Patribus antiquioribus suspectum & exosum reddidit *ingeniti* nomen, vt propterea reiiciendum putauerint à theologicis disputationibus. Sic Athanas. orat. 2. contra Arian. in med. & non longè inferius ait; *Vanam esse institutionem huius vocis, cum nihil aliud in se contineat, nisi meram præstigiationem.* Idémque lib. de decretis Nicænæ Synodi quatuor columnis ante finem, & prope finem illius tractatus concludit, *Arianorum voculas friuolas esse, & eorum scopum malitiosum, quum illi hoc vocabulo, ingeniti, quod probæ significationis est, & cum pietate vsurpari possit, pro libidine sua ad contumeliam Saluatoris abutantur.* Similiter probat, Patrem non esse appellandum *ingenitum*, dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum pag. 3. & 4. quia sacræ literæ non dicunt: sicut Deus non dicitur *impius*, nec, *atheos*, licet nullum deum adoret, nec possit habere virtutem pietatis; nec dicitur *infidelis*, vel *incredulus*, licet non habeat fidem; nec *inobediens*, licet nulli obediat.

6 Basilius lib. 1. contra Eunomium inter princ. & med. *Ego*, inquit, *ingeniti, siue innascibilis appellationem, quamuis summopere cogitationibus nostris congruat, tamen quoniam nullo loco in Scripturis ipsam inuenio, & quoniam primum est elementum blasphemiæ istorum, silentio tradendam merito dixerim. Præsertim cum Patris vox & id possit, quod ingeniti,* &c. Cui doctrinæ consonat lib. 4. contra Eunom. pag. 3. & 4. sub titulo de nomine ingeniti.

7 Epiphanius hæres. 73. multo propius ad med. quàm ad princip. & iterum circa med. consulit vitare voces *ingeniti & geniti*, quia non sunt correlatiuæ. Chrysost. orat. 1. de illo Euangelico oraculo *In principio erat Verbum.* post med. quasi impias & alienas à Scriptura respuit has voces *ingeneratum & generatum.* Eadémque ratione ducitur Ambrosius lib. vnico de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 8. & 9. vt auertetur *genitum & ingenitum.* Pro eadem sententia refertur Dionys. Alexandrinus in epistola ad Paulum Samosatenum.

8 *Obiectiones, quæ contendunt, immerito reiectum fuisse olim nomen ingeniti.* Contra prædictam sententiam Patrum occurrunt aliquot obiectiones, probantes, quod immeritò damnauerint, aut reiecerint nomen *ingeniti.* Primò, quia tam ipsi, quàm alij Patres & Concilia distinguunt Patrem à Filio, quoniam Pater est ingenitus, Filius verò genitus, Filius verò genitus, vt referemus sect. 3. 4. & 7.

Secundò, quoniam *Omousion*, siue *consubstantiale*, *hypostasis*, siue *persona*, & aliæ similes voces non reperiuntur in sacris literis Deo tributæ. Nihilominus recipiuntur à Conciliis & doctoribus Ecclesiæ, quoniam earum sensus eruitur ex sacris literis. Ergo vox *ingenitum* debet admitti, cum significet, Patrem non esse generatum, quod est de fide certissimum. Consequens igitur est, vt insufficiens fuerit ratio, propter quam Patres citati reiiciunt *ingenitum*, quia non legitur in Scriptura. 9 *Secunda obiectio.*

Tertiò, nec illa ratio videtur aliquid esse, qua dicunt, *ingenitum* non significare, quid est Deus, sed quid non est. Nam Deum *immortalem & inuisibilem* vocat Apostolus; & tamen istæ voces non significant quid est, sed quid non est. Quod si respondeas, supponi positiuam perfectionem, recurrit argumentum, quoniam similiter supponitur positiua perfectio ad *ingenitum*, infra disp. 53. sect. 4. & 5. 10 *Tertia.*

Quarta ratio, propter quam ingeniti nomen vituperatur & respuitur à Patribus, est, quoniam ab ethnicis philosophis fuerit acceptum. Sic enim Philosophos appellasse ingenitas materiam & formam, obiicit Nazianz. orat. 35. circa med. num. 40. vbi Elias Cretensis existimat notari Platonem. Veruntamen Aristoteles etiam 1. physic. cap. vlt. prope fin. probat, materiam esse ingenerabilem & incorruptibilem. Vbi vox ipsa, *ingenita*, ponitur in quibusdam translationibus, & illa vtuntur Auerroës & S. Thomas in commentariis illius textus. Imo etiam Iustinus in confutatione dogmatum Aristotelis lib. 1. de naturali auscultatione versus fin. §. *si est materia generabilis.* Præterea mundum esse ingenitum probare nititur Aristotel. lib. 1. de cœlo cap. 10. Propter hanc rationem *ingeniti* vocabulum contemnunt Athanas. lib. de decretis Nicænæ Synodi quatuor 90l. ante fin. & iterum colum. penult. Ambros. dicto lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 8. in med. 11 *Quarta obiectio.*

Videbitur autem hæc ratio nullius esse momenti, quoniam philosophia ministrat theologiæ voces & argumenta; potissimum verò quoniam *essentia, substantia, forma, relatio, individuum suppositum, constitutio, distinctio*, aliæque plurimæ voces ex philosophia depromptæ fuerint ad melius explicandum mysterium Trinitatis. 12

Quintò videtur etiam insufficiens ratio, quam citati Patres obiiciunt, eo quod vox, *ingenitum*, æquiuoca est, & quoniam creaturis etiam conuenit esse ingenitas. Cui responderi posset, æquiuocationis remedium esse distinguere; quo adhibito, plures aliæ voces à theologis tolerantur, quemadmodum de subsistentia vidimus disp. 34. sect. 1. Aliquis autem sensus est *ingeniti*, qui repugnat creaturis, vt paulo inferius videbimus. 13 *Quinta obiectio.*

Veruntamen summa solutionis ad omnes has obiectiones est, prædictos Patres refutasse hanc vocem, propter abusum hæreticorum, quoniam sub illa parabant insidias Catholicis. Est enim prudentissimum consilium aduersarios à latibulis ad apertum campum expellere. Sic Patres ab *ingenito* ad nomen *Patris* venire cogebant Arianos, in quo Scripturæ testimonia cernebantur apertissima, nec illis vllum patebat effugium, 14 *Generalis solutio.*

Peculiariter autem Athanas. dicto lib. de decretis Nicænæ Synodi col. penult. & vlt. & Cyrillus lib. 1. thesauri toto cap. 2. insistunt in eo, quod melius & dignius sit *Patrem* vocare, quàm *ingenitum.* Atque ad eundem scopum diriguntur rationes 15

Epiphanij hæres. 73. multo propius ad med. quàm ad princip. & circa med. vbi voces correlatiuas & significantes principium productiuum similis in natura præfert *ingenito.* Alioqui tamen quando videbant expedire, vocem *ingeniti* vsurpabant, vt sect. 3. videbimus.

16 Hinc constat solutio ad primam obiectionem. *Ad primam & secundam.* Ad secundam obiect. respond. Illud argumentum valebat multum ad hominem, non simpliciter. Aduersarij namque *homousion*, aliásque voces Catholicorum accusabant, vt profanas & alienas à Scripturis. Eadem ergo ratione Patres compellebant eos supprimere vocem *ingeniti*, sub qua virus Arianum propinabant.

17 *Ad tertiam.* Ad tertium respond. Illa ratio funditus euertebat fundamentum omnium sophismatum de voce *ingenitum.* Supponebant enim, Dei essentiam in eo consistere, quod sit ingenitus. Probat igitur ea ratio, quod Ariani non deberent vsurpare vocem, cuius significationem ignorabant, vel impudenter dissimulabant.

18 *Ad quartam.* Ad quartam obiect. respond. Illi Patres abusum philosophiæ profanæ atque inordinatum affectum, quo præponitur sacris literis & illustrationi fidei, reprehendunt. Quia licet ignorarent suorum sophismatũ solutionem; debuissent captiuare intellectum in obsequium fidei, nec adhærere potius vocibus ethnicis. Præterea reprehendunt, quoniam ex eisdem authoribus ethnicis potuissent euidenter colligere, quam falso fundamento nitantur, quia multiplex est acceptio ingeniti: & mundus & aliæ creaturæ dicuntur ingenitæ. Eodem igitur sensu Epiphan. hæres. 69. multo propius ad fin. quàm ad med. irridet nouos Aristotelicos, qui contendebant, quod Verbum non erat in principio apud Deum, quia quod genitum est, antea non erat. Atque dialecticum factum & syllogismos Aëtij contemnit hæresi 79. quando refutare aggreditur eius libellum.

19 Fortassis etiam Ariani mutuati sunt hanc vocem à Valentino & eius discipulis, qui primum Æonem, cæterorum præfectum, asserebant esse *ingenitum*, vt scribit Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 1. sub init. Tertullianus lib. aduersus Valentinianos cap. 35.

20 *Ad quintam.* Ad quintam obiect. respond. Merito reprehenditur vox æquiuoca in argumentis, quibus fallendi tota vis prouenit ab æquiuocatione; propterea quæ iure optimo postulatur ab aduersariis, vt eâ reiectâ loquantur vocabulis vniuocis & apertis, qualia erat *Pater* & *Filius.* Erat autem prædictis fallaciis vocabulum Græcum magis opportunum, quàm Latinum, quoniam geminata quadam litera, significabat non factum, & eadem litera simplici significabat non *genitum.* Quam diuersitatem vel ab insidioso disputatore non pronunciari distinctè, vel ab incauto auditore non percipi, poterat euenire facillimè.

SECTIO II.

Variæ significationes ingeniti *quibus rebus conueniant.*

1 *In nomine Græco discrimen literæ geminatæ.* MInor est æquiuocationis occasio Latinis: maiorem occasionem Græcis præbuit nomen *geneton*, hoc enim simplici, *n*, scriptum significat factum. Sed genneton duplici litera, *n*, significat productum per generationem propriè dictam. Inde similis æquiuocatio deriuata est in eius compositum *ageneton*, quod simplici, *n*, scriptum significat non factum; sed *agenneton* litera geminata significat non productum per generationem propriè dictam.

Hanc distinctionem exercitam legimus apud Athanasium dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæum non longè post med. *Si to genneton*, inquit, *illud est, quod est ex hypostasi & vtero, nempe illud est agenneton, quod non ex vtero vel hypostasi: & si to geneton illud est, quod est ex potestate secundum mandatum, nempe to ageneton illud est, quod non existit ex mandato, sed vel authorem siue causam non habet.* Multáque subiungit in eandem sententiam, non solum ibi, sed etiam in sequenti dialog. 2. non longè ante med. prope epistol. Aëtij. Non dissimilem obseruationem legimus apud Cyrillum Alexand. qui lib. 11. thesauri cap. vnico inter princip. & med. ait: *Ingenitum vnico, n, Græcè scriptum, non factum, neque creatum significat, & de Deo vniuersaliter prædicatur* (id est, de singulis personis diuinis) *Gemino autem, n n, scriptum, non natum, nec ex alio esse significat, & Patri accommodatur*, videlicet vt proprium soliusque Patris. 2

Plures eiusdem vocabuli significationes enumerauit Athanasius orat. 2. contra Arianos in medio. Primò namque *Ingenitum dicitur, quod nondum factum est, vt lignum, quod nondum abijt in formam schaphæ. Secundò, quod nulla ratione fieri possit, sicut triangulus nulla ratione fieri potest quadrangulus. Tertiò dicitur ingenitum, quod iam est, sed natum ab aliquo non est, nec aliqua ratione suæ originis patrem habet.* Et in hac acceptione notat, *vnicum & solum Patrem esse ingenitum.* Quartò *dicitur ingenitum, quod factum non est, sed æternum.* Et in hac acceptione concedit, *Filium ingenitum dici.* Ferè nihil ab hac doctrina discrepat lib. de decretis Nicænæ Synodi, quatuor columnis ante finem. Easdem quoque acceptiones *ingeniti* numerat Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 1. sub init. 3 *Plures significationes ingeniti.*

Vterque videtur eas ex Aristotele didicisse lib. 1. de cœlo cap. 11. post cuius med. notat, *ingenerabile* id propriissimè dici, quod est simpliciter impossibile, *vt diameter commensurabilis lateri*, cuius exempli loco prædicti Patres posuerunt, triangulum esse quadriangulum. Sapienti planè consilio Patres vsi sunt doctrina Philosophi, qua conuincerent, non solùm contra sacras literas, sed etiam contra philosophos ipsos pugnare prædicti nominis abusum. 4

Parum ab his acceptionibus discrepat Chrysostomus orat. de illo Euãgelico oraculo, *In principio erat Verbum.* post med. ostendens, nõ modò Deum, sed etiá plurimas creaturas esse ingenitas, licet diuersimodè. Nam Adamus fuit ingenitus, & infiniti homines possibiles, & nunquam producendi sunt ingeniti. Et omnia impossibilia figmenta sunt ingenita. Pauciores acceptiones enumerat Athanas. lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ propius ad fin. quàm ad med. videlicet: *Alij quod existit & factum non est: alij quod planè sui authorem non habet, ingenitum dicunt.* & in priori significatione dicit, Filium esse ingenitum, in posteriori verò solum Patrem. Parum ab hac distinctione discrepat Nazianz. orat. 35. quæ est 3. de theologia in med. 5

Aliter membra tria distinguuntur ab aliis Patribus, vt ingenitum primo modo significet quidquid non est genitum generatione propriè dicta, quo sensu plurimæ creaturæ sunt ingenitæ; Secundo modo significet, quod non est factum, & hoc tribus personis est commune; Tertiò quod à nullo principio procedit, quod est propriũ Patris. Ita distinguit Damasc. lib. 1. fidei c. 9. prope med. 6

Obscurius hæc distinctio traditur à Basilio lib. 5. contra Eunomium paulo post med.

7 *Creatura quo sensu ingenita.*

Duo corollaria deducuntur ex dictis. Primum est, creaturas plurimas esse ingenitas duabus his acceptionibus. Primò namque, quia productæ sunt absque generatione propriè dicta, sicut Angeli & animæ rationales & materia prima, & prima indiuidua cuiuslibet speciei, quæ condita fuit in creatione mundi. Secundò, creaturæ possibiles nondum productæ, nec producendæ. Atque ita vocabulum *ingeniti* non esse proprium Dei, sed illi commune cum creaturis, docent communiter Patres citati, vt Athanas. orat. 2. contra Arianos in med. & lib. de decretis Nicænæ Synodi quatuor columnis ante fin. Iustinus in confutatione dogmatum Aristotelis lib. 1. de naturali auscultatione §. *si est materia generabilis*. Nazianzenus dicta orat. 35. in med. Chrysost. dicta orat. de illo euangelico oraculo, *In principio erat Verbum* post med. Basil. lib. 5. contra Eunom. paulo post med. Cyrillus Alexand. dialogorum de Trinit. lib. 1. col. 3. & iterum propius ad princip. quàm ad med. atque iterum inter princip. & med. eiusdem lib. & lib. 1. thesauri cap. 1. & lib. 2. cap. 1. prope init. Damascen. lib. 1. fidei cap. 9. circa med. Ambros. lib. de Incarnat. Dominicæ mysterio c. 8. in medio.

8 *Pater ingenitus.*

Secundum corollarium est. Ingenitum esse, prout est perfectio superior quacumque creatura, conuenit Patri sub tribus acceptionibus: sed Spiritui sancto conuenit duabus acceptionibus: vnica verò acceptione conuenit Filio, cæteris duabus repugnat. Nam Pater est ingenitus: Primò, quatenus hoc significat non posse creari nec fieri. Secundò, quatenus significat non posse generari, videlicet generatione propriè dicta. Tertiò, Pater est ingenitus, quatenus hoc significat, à nullo principio procedere. Hæc autem ingeniti ratio est proprietas notionalis solius Patris.

9 *Spiritus sanctus quo sensu ingenitus. Filius alio modo ingenitus.*

At Spiritus sanctus prioribus duobus modis est ingenitus, quia non potest creari aut fieri, nec potest procedere per generationem strictè propriéque dictam, de quo sect. 8. Filius verò quoniam ab aliquo principio procedit & propriissimè genitus est, non est ingenitus secundo & tertio modo, sed tantùm primo, qui communis est tribus personis & absolutus, nimirum quia nec creari nec fieri potest, de quo sect. 7. Hæc erunt probanda sigillatim in sectionibus sequentibus.

10 *Impossibilia ingenita. Nunquã existentia.*

Ab his conceptibus ingeniti diuini possunt abstrahi alij conceptus vniuersaliores, conuenientes non solùm Deo, sed etiam creaturis, imo & figmentis impossibilibus. Primò quippe nõ posse procedere ab vllo principio, nec posse fieri nec creari, longè diuerso sensu conuenit impossibilibus figmentis, quàm æterno Patri. Nam illis conuenit, quoniam repugnat existere, & quidditatiuè sunt non entia. Patri verò, quia est primum ens & primum principium totius entitatis. In hoc igitur sensu Aristotel. Athanas. Chrysostomus, Basil. & Cyrillus supra citati dixerunt, *ingenitum* non tantùm Deo, sed etiam impossibilibus conuenire. Secundò creaturis possibilibus, quæ in nulla differentia temporis existunt, conuenit alia ratio superior, videlicet nunquam actualiter esse factum, nec creatum. Tertiò generalis conceptus non geniti per generationem propriè dictam, conuenit creaturis & æterno Patri & Spiritui sancto, vt constat ex corollario 1.

SECTIO III.

Ingenitum esse *proprietas est personalis solius Patris.*

VNica conclusio probãda proponitur in præsenti sect. nimirum iam in Ecclesia simpliciter absque vlla suspicione, vel præcautione posse affirmari, quod solus Pater est ingenitus, intelligendo, nullum habere principium, à quo procedat. Hæc conclusio tam certa est, vt oppositum non immeritò censeatur erroneum. Probatur, nam Synodus Antiochena I. in professione fidei missa ad Paulum Antiochen. sub init. decernit, secundum Ecclesiæ fidem *esse vnum Deum ingenitum sine principio*. Et ex sequenti contextu constat, agere de sola persona Patris, vt distinguitur à Filio & Spiritu sancto iuxta morem Scripturæ & vtriusque Symboli nomen Dei supponendo pro persona Patris. 1

Nicæni Patres lib. 2. concilij paulo post med. §. *sæpenumero*. per Eusebium Pamphili hæc disputatori credenda & nõ scrutanda proponunt: *Vnus ingenitus Deus & Pater: Vnus ex eo genitus Vnigenitus Filius Deus Verbum. Sicut non est alter Deus cum Deo & Patre ingenitus, ita neque congenitus, neque prior, neque posterior Filius*. Definitionem eiusdem Concilij testatur Athanasius in epist. ad Serapionem. Cuius verba refert S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 8. *Imprincipiatum esse & ingenitum soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Nicæam fideliter attribuit, & toti mundo sic esse credendum sub anathemate mandauit*. 2

Apostolus Iacobus frater Ioannis apud Clementem lib. 8. constit. Apostolicar. cap. 12. prope init. appellat Patrem *ingenitum sine origine*, & lib. 7. constitut. Apostol. cap. 42. Symbolum recitandum à baptizandis, sic habet: *Adscribor & credo & baptizor in vnum ingenitum solum verum Deum, Patrem Christi*. & lib. 2. recognitionum pag. penult. Clemens ait: *Nolite putare duos ingenitos dicere deos, aut vnum diuisum in duos, sed Filium Dei Vnigenitum dicimus*. Sixtus I. epistola 1. decretali post med. *Patrem*, inquit, *in diuinis literis ingenitum propriè positum, nec legere possunt, neque probare: sed quia id ipsum fides exigit Christiana, absque vlla dubitatione ingenitus creditur*. 3

Iustinus in expositione fidei de Trinit. pag. 2. ait: *Illud ingenitus & subsistentiæ modus notæ sunt, quibus interstinguuntur Pater, Filius & Spiritus sanctus*. Vel secundum aliam interpretationem: *Ingeniti Verbum prolatum Patris statim subsistentiam designat*, & aliquoties repetit: *Ingenitum, genitum & procedentem non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ*, id est, ad personales proprietates. 4

Athanas. in quæstionibus de natura Dei q. 5. *Proprium*, inquit, *Patris ingenitum esse, Filij verò genitum, Spiritus sancti procedere*. Eandem sententiam tradit quæst. 4. prope med. & quæst. 15. & lib. 2. de propriis personis & vnito nomine Deitatis in med. ait: *Pater non est genitus, Filius non est ingenitus*, & lib. 4. aduersus Vrbicum Potentinum init. ait: *Pater vnus innatus est*, & non longè inferius appellat *Innascibilem*, & lib. 5. de vnita substantia Trinitatis propius ad med. quàm ad princip. ait: *Non ambo ingeniti*, Pater & Filius. Et orat. 2. contra Arianos in med. vt retulimus in sect. præcedenti, & lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ propius ad fin. quàm ad med. *Non ignoramus*, inquit, *eos, qui dixerunt, vnum esse ingenitum Patrem, non eo animo scripsisse, quasi Verbum Dei genitum, hoc est, factum, & opus esse vellent: sed ideo, vt ostenderent, Patrem sui authorem non habere*. 5

6 Alexander Alexandrin. epist. ad Alexand. Constantinopolit. propius ad med. quàm ad princip. & post med. frequenter insistit in hac doctrina, quod *Vnus est ingenitus Pater*. Et *Proprium solum Patris quod ingenitus est*. Nazianzenus orat. 23. in laudem Heronis multo propius ad fin. quàm ad med. post num. 32. ait: *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit*. Quo vocabulo Patrem appellat orat. 35. col. 2. & iterum in medio orationis, & orat. 37. inter princ. & med. & orat. 29. de dogmate & constitutione Episcoporum inter med. & fin. & orat. 39. in sancta lumina. Quod aliis verbis dixit multis in locis, appellans *Principij expertem*, & dicens, *agnosci principij vacatione*, vt referemus ad finem sectionis præsentis.

7 Gregor. Nyssenus lib. de fide ad Simplicium propius ad med. quàm ad fin. appellat Patrem *ingenitum*. Eodémque modo loquitur in epist. contra Apollinarem de imagine & similitudine col. 2. & iterum aliquanto propius ad fin. quàm ad med. libri. Vocibus autem aliis idem omnino significantibus in lib. de differentia essentiæ & hypostaseos propius ad med. quàm ad princip. ait: *Sine generatione existit*. Et post pauca monet: *Eximium insigne, notamq; solius Patris esse, quod à nulla causa subsistit*. Et consequenter prope fin. ciusdem libri, *non genitum vocat*, & lib. ad Ablabium *quod non tres dij*, prope finem dicit, Patrem *esse sine causa*, id est sine principio producente. Chrysost. hom. 5. de incomprehensibili Dei natura, col. 2. semel & iterum vocat, *Primam & ingenitam* personam siue hypostasim.

8 Basilius lib. 2. contra Eunom. propius ad fin. quàm ad med. docet, *Genitum atque ingenitum esse specificas quasdam proprietates*, nimirum Filij & Patris. Idémque orat. aduersus eos, qui calumniantur, quod tres deos colamus, post med. & iterum prope fin. ait: *Vnus ingenitus Deus, vnus huius Vnigenitus Filius & Deus*. Epiphan. in ancorato col. 7. Patri tanquam proprium tribuit esse ingenitum, licet hæres. 76. versus med. confutans quintum caput Aëtij, probet, non modo Patrem, sed etiam *Filium & Spiritum sanctum esse ingenitum*. Sed ibi loquitur iuxta significationem intentam ab Aëtio, apud quem idem erat ingenitum, quod increatum & non factum. Cyrillus Alexandrin. magis explicata significatione vocis, tandem concedit, esse proprium Patris *ingenito modo* esse, videlicet dialog. de Trinitate lib. 2. colum. 3. & 4. & lib. 1. thesauri cap. 1. 2. & 3.

9 Damascenus 1. fidei cap. 9. inter princ. & med. dicit *ignascendi proprietatem* esse solius Patris, quod magis confirmat circa med. explicatis acceptionibus ingeniti, & cap. 11. sub init. per *ingignentiam* distinguit Patrem à Filio & Spiritu sancto, quam post med. explicat, quia *Pater est sine principio*, & paulo inferius ait: *Patre non discedente ab ignascibilitate, quia genuit, nec Filio à generatione, quia sit ab ingenito*. Cyrillus Hierosolym. catechesi 11. in med. dicit: *Nec duo ingeniti, nec duo vnigeniti, sed vnus est Pater ingenitus, qui Patrem non habet*. Eundem autem appellat *Ingenitum sine principio*, cateches. 4. cap. 2.

10 Anastasius Patriarc. Theopolit. in exposit. fidei sub init. *Filius*, inquit, *à Patre differt hypostasi, quatenus Pater est ingenitus, Filius autem genitus*. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmat. inter princ. & med. & iterum longè inferius ante med.

Ruiz. de Trinitate.

docet, solius Patris proprietatem esse ingenitum, qua distinguitur à Filio & Spiritu sancto. Eusebius Cæsarienſis demonstrat. euang. lib. 4. cap. 3. ante med. *non genitum esse* dicit. Phædadius lib. contra Arianos prope med. vocat *innascibilem*.

Concilium Toletanum sextum cap. 1. vocat *ingenitum*, clariùs autem Toletanum vndecimum in profess. fidei sub init. ita profitetur Patrem *ingenitum*, vt colum. 2. dicat: *Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus, duos patres dicamus*, &c. VVormacienſe Concil. in profess. fidei sub init. Patrem profitetur *ingenitum*. 11

Syrmienſe Concil. non solum canone 16. pro eodem accipit *Deum innascibilem*, & Patrem, vt à Filio distinguitur. & canone 19. decernit: *Si quis Spiritum sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit*, apud Hilarium lib. de Synodis post med. in quo libro à principio vsque ad finem Hilarius frequentat nomen ingeniti & innascibilis, maximè ad canonem 1. & 2. Orientalium, & ad canonem 16. & 17. Syrmicæ fidei. Idem Hilar. lib. 2. de Trinit. propius ad med. quàm ad princip. *Ab vno*, inquit, *ingenito Deo, vnus Vnigenitus Deus. Non dij duo, sed vnus ab vno. Non ingeniti duo, quia natus est ab innato*. Atque sequentibus libris eadem appellationes *ingeniti, innati, & innascibilis* quasi proprias tribuit Patri, vt lib. 3. aliquoties, sed frequentius lib. 4. post med. & lib. 5. inter princip. & med. atque in eadem proportione ad princ. & med. lib. 7. & 8. necnon lib. 9. ante med. & post med. & lib. 11. colum. 4. & lib. 12. col. penult. 12

Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. prope fin. ait: *Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium*. Idem pro comperto supposuerat lib. 5. de Trinit. cap. 3. & sequentibus præsertim 6. & 7. & serm. 38. de tempore fere inter med. & fin. Fulgentius ad obiect. 5. Arianor. sub init. *In duobus*, inquit, *ingenitis diuersa Diuinitas inuenitur. In vno autem genito ex vno ingenito, naturalis vnitas demonstratur*. Et ad obiect. 7. propius ad fin. quàm ad med. ait: *Ingenitus Pater nusquam in scripturis canonicis legitur, & tamen secundum fidei veritatem ingenitus prædicatur*. 13

Isidorus lib. 7. etymolog. cap. 4. §. 1. docet, solum Patrem esse ingenitum. Anselmus in monolog. cap. 54. à med. *Potest*, inquit, *imo debet dici solus ille genitor & ingenitus, quia solus est Pater, & nullo modo ab alio est*. Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadum cap. 2. fine: Patrem, ait, *absque vlla dubitatione ingenitum credi, quia ita fides exigit Christiana*. 14

Ex quibus liquidò constat, quanto fundamento antiquitatis Ecclesia canat: *Te Deum Patrem ingenitum*, in vesperis sanctissimæ Trinitatis, & in quodam hymno, *Gloria Patri ingenito*. 15

Principij expers, nomen est solius Patris, ea ratione commodius, quàm *ingenitus*, quia nullam patitur æquiuocationem, & manifestè declarat eam negationem, quæ soli personæ Patris conuenire potest, est enim veluti definitio ingeniti. Propterea non immerito Nazianzenus *Principij expertem* appellat Patrem orat. 25. ad Arianos & de se ipso prope fin. & iterum in fine & orat. 26. de moderatione in disput. seruanda col. 3. & orat. 29. circa medium, & orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos paulo post med. & orat. 35. col. 3. & orat. 36. propius ad fin. quàm ad med. & orat. 37. longè post med. 16

17 Denique notionem Patris appellat Nazianzenus *Principij vacationem* orat.13.quæ est 2.de pace propius ad med.quàm ad princip. Idem omnino significant, *ab origine liber*, & *ininitiabilis*, quibus nominibus Patrem appellat Hilarius lib.4.de Trinitat. colum.3.

SECTIO IV.

Ratione demonstratur, vnicam esse personam ingenitam.

1 THeologica ratione probat S.Thomas in præsenti quæst.33. art.4. corpore. Primò, quia Pater est primum principium Deitatis: vt probatum est tota disputat.48. At in quantum est principium, eius notiones sunt Paternitas & Spiratio actiua,quibus respicit personas ab ipso procedentes,vt vidimus disput.47. sect.1. Rursus ea ratione,qua principium istud est primum,quidditatiuè postulat esse principium non de principio. Hæc igitur notio Patris significatur nomine *ingeniti*, siue *innascibilis*.

2 Secundam rationem addit S.Thomas in eodem art. 4. solutione ad 4. Si enim vltra Patrem alia persona foret ingenita, id est, non procedens ab alio principio: sequeretur esse alium Deum,essentia, substantiáque diuersum à Patre. Hanc illationem affirmant plurimi Patres citati disput.22. sect. 6. & 7. & disput.1. sect. 3. & grauissimi quique Scholastici citati dicta sect. 3. Eandémque supponunt Patres in præcedenti sect. citati, dum asserunt, non esse duos ingenitos, ne sint duo dij. Prædicta sequela probatur, ea namque ratione Patres defendunt, eandem numero naturam, siue substantiam posse conuenire tribus personis,quoniam vna persona ingenita producendo communicat aliis duabus suam eandem essentiam, vitam & omnes perfectiones (præter rationem principij) & consequenter totus Pater manet in Filio & in Spiritu sancto inseparabiliter; & totus Filius & Spiritus sanctus inseparabiliter manet in Patre: propter quam intimam & indissolubilem coniunctionem, prouenirétem ex communicatione vnius essentiæ, sunt vnus Deus. Hæc autem ratio locum non haberet in duabus personis ingenitis: ideóque neutra esset in altera, neutra haberet communem naturam cum altera, sed essent duo supposita prorsus ab inuicem diuulsa & separata, quantum ad substantiales entitates.

Duo ingeniti forèt duo dij.

3 Confirmat primò S. Thomas dicta solutione ad 4. quia sicut in quolibet genere oportet ponere vnum primum; ita in diuina natura concedendum est vnum principium, quod non sit ab alio. Hoc autem solum est ingenitum. Atque illud esse debet principium numeri Trinitatis. Nec obstant obiectiones Scoti lib.1.senten.distinct.2.quæst.2. quæ est 5.in ordine,quibus abunde satisfactum est disput.1. sect.3.

4 Confirmatur secundò, quoniam in Deo nullum est accidens,nec aliud prædicamentum, præter substantiam & relationem; vt probatum est disput.10. sect.4. & 5. Sed duæ personæ ingenitæ non distinguerentur ab inuicem relationibus. Ergo substantia & essentia distinguerentur. Minor probatur, quia relationes reales, intra Deum existentes, aliæ non sunt possibiles, nisi quæ fundantur in origine producentis aut producti: vt probatum est disput.1.sect.4.memb.3. rursus relationes diuinæ non aliter afferunt distinctionem, nisi quatenus inuicem opponuntur oppositione relatiua. At verò duæ personæ ingenitæ non possent habere relationes originis inuicem oppositas,quia neutra procederet ex altera. Quapropter licet vtraque foret principium alterius personæ, non opponerentur inuicem, & consequenter non distinguerentur ex vi relationis solius, nisi distinguerentur diuersitate substantiæ.

5 Confirmatur tertiò, nam si duæ illæ personæ ingenitæ cõcurrerent ad eundem terminum producendum;foret vnica relatio vtriusque personæ, tanquam vnius adæquati principij, producentis per eandem intellectionem, vel per eandem volitionem. Quapropter in ea hypothesi relatio non distingueret ab inuicem duas personas ingenitas. Si verò duæ personæ ingenitæ producerent terminos realiter distinctos; vnaquæque persona producens relatiuè opponeretur suo termino producto,& nullo modo referretur ad alteram personam ingenitam, sed prorsus disparatè se haberet ad illam: propterea quæ non opponeretur illi, nec distingueretur ab illa virtute solius relationis.

6 Confirmatur quartò, quia si possibiles forent duæ personæ ingenitæ;propter eandem rationem infinitæ forent possibiles: quia nullus ordo originis nec alia ratio limitem assignaret numero, vt tot essent personæ ingenitæ, non plures. At inconueniens infinitudinis statim demonstrabitur. Has & alias confirmationes fusiùs corroboratas reperies disput.1.sect.4.& 5.

7 *Infinita personarũ multitudo sequeretur, si tres persona forèt ingenita.*

Accedat tertia ratio naturalis,quæ demonstrat, aliquam personam esse debere ingenitam (abstrahendo ab hoc,quod sit illa sola,vel simul alia persona sit ingenita) quoniam si omnes personæ diuinæ forent ingenitæ; sequeretur, esse infinitas personas diuinas. Sequela probatur,supponendo, quod personæ productæ non possent mutua productione se inuicem producere, ne forent principium sui ipsarum, quia produxerunt personas, à quibus ipsæ producuntur. Esset enim non minus, sed grauius inconueniens, quàm si creatura aliqua produceret in genere causæ efficientis aliam, à qua sola ipsa producitur in genere causæ efficientis principalis & primariæ, ita vt non moueretur ab alia superiori causa, quæ præberet vim, & determinaret ad producendum.

8 Propter eandem rationem impossibilis esset productio circularis, quæ nimirum foret, si persona quædam, per intellectum nostrum primò considerata, produceret immediatè aliam,& hæc aliam, quæ mediatè & non immediatè producta esset à principio sui principij, deinde ab hac tertia produceretur quarta, & à quarta produceretur quinta vel plures, quousque illa, quæ secundum considerationem intellectus nostri postremò designata nobis est, circulum clauderet producendo illam ipsam personam, quæ primò considerata fuit à nobis. In quo casu idem mediatè produceret se ipsum eodem genere producentis, vt contingeret in creaturis, si possibilis foret circulus in efficiente causalitate. Maximè, quoniam illæ omnes personæ non mediatè, sed immediatè producerent quamlibet aliam personam, quoniam per eandem essentiam eandémque potentiam communem omnibus. Alioqui si distinctas essentias & potentias haberent, plures dij forent & non vnus. Est autem hæc ratio similis illi, qua probatur, quod Spiritus sanctus non possit procedere à solo Patre, nec à solo Filio immediatè, sed immediatè ab vtroque, quoniam eadem est vtriusque potentia (de qua disput.67. sect. 8.) & illi rationi, qua probatur Filium non posse procedere

cedere à Spiritu sancto, quoniam supponit eum productum, vt ab illo producatur.

9 Hoc igitur præsuppositio, manifestè sequitur, non circularem, sed rectam esse debere lineam productionum diuinarum. At in recta linea, si nullum est primum principium nó productum ab alio; necessarium est qualibet persona designata per intellectum, & ab illa superius ascendẽdo ad quærendam eius originem mediatam, nunquam inuenire finem multitudinis personarum. Nam si finis inueniretur in hoc processu; illa persona non processisset ab alio principio. Quam rationem ita docet Ricard.Victorinus lib.5.de Trinit. cap.3. sub init. *Nam si ista persona esset ab illa, & illa ab alia, & iuxta hunc progressionis modum qualibet vna esset ab alia aliqua; huiusmodi concatenationis productio absque dubio in infinitum procederet, & eiusmodi productionis terminus nullus occurreret.*

10 Confirmatur, quia si tota collectio personarum esset producta; sequeretur, principium aliquod productiuum totius collectionis esse concedendum extra totam collectionem. Illud autem principium esset Deus potiori iure, quàm dicta collectio personarum. Licet enim admitteremus possibilem fuisse mundum ab æterno, in quo casu quilibet equus fuisset productus ab alio equo, & ita collectio equorum fuisset ab aliquo equo producta (de quo non est modo disputandum:) at hoc, si possibile fuit, propterea fuit possibile, quoniam Deus, extra totam collectionem rerum generabilium existens, erat illius primaria causa,principaliter tribuens esse toti collectioni, & singulis indiuiduis illius.

11 Inconueniens tandem infinitarum personarum atque productionum est per se notum cuilibet penetranti terminos: vt sapienter adnotauit Ricardus nuper citatus. Sed præterea declaratur, quoniam infinitudo multitudinis imperfectionem maximam continet. Primò, quia summopere recedit ab vnitate. Secundò, quoniam omnes personæ distarent infinitum à sua origine, siquidem superius ascendendo semper in infinitum,inuenirent aliud & aliud prius principium. Tertiò,quia caterent ordine, qui requirit principium, medium & finem.

12 Quartò, quoniam sequeretur, infinitas personas produci per eandem intellectionem, aut per eandem volitionem: vel infinitas personas non produci per intellectionem, neque per volitionem, sed per aliam operationem. Quod vtrumque esse impossibile vidimus disput. 3. præsertim sect.2. Quintò, superfluæ penitus & otiosæ forent tot personales proprietates, nulla ratione conferẽtes ad perfectionem & plenitudinem Diuinitatis,quę postquam habet subsistens Verbum, & subsistentem amorem productum, nihil est quod exigat vlterius. Sextò denique, rationes congruentiæ, quæ disp.33. sect.2. probant, diuinas personas non esse plures, quàm tres,à fortiori probant, non esse possibiles infinitas.

SECTIO V.

Paternitatem non emanare realiter ab essentia diuina.

Paternitatẽ esse aliquo modo productam, opinio fuit.

1 COrollarium est hoc præcedentium sectionum, requisitum ad integram & plenam intelligentiam innascibilitatis, quæ Patri propria est. Fuit enim aliquando, qui diceret, primam personam esse aliquo modo productam, quatenus ab hoc Deo singulari, & per se existenti,realiter emanat Paternitas realiter distincta ab hoc Deo. Scribitur hæc sententia in additionibus Scoti circa primum sentent. dist.28.quæst.vltima in additione, quæ incipit: *Propterea tertiò sc.* Cui fauet Scotus, quatenus soluit omnia argumenta, quæ contra illam obiecerat. Simpliciter autem illam respuit, quoniam appellat *phantasiam dissonam sanctis*. Quamobrem videtur non asserendo, sed disputando locutus in eius defensione, vel forte non fuit Scotus author illius additionis.

2 Potuisset in huius sententiæ fauorem vocari Athanasius tractat. de diffinitionibus col.3. §. *dicendum est*, circa med. dicens: *Natura est dominatrix & genitrix hypostasium.* Vbi licet agat de rebus creatis, hoc tamen generale principium dirigit ad explicandum in Deo discrimen & proportionem, quam seruant inter se natura diuina & hypostasis illius.

Error est illius sententia. *Inconuenientia quæ sequuntur.*

3 Nihilominus Dico primò. Erronea est prædicta sententia,ex illa quippe sequuntur multa contra fidem & sanam theologiam. Sequitur enim primò, Paternitatem ex natura rei & ante opus intellectus esse distinctam ab essentia diuina, sine qua distinctione non est possibilis realis emanatio vel processio. Hanc verò distinctionem esse temerariam, & parum tutam,supra disp.11.sect.7. prope fin. collegimus ex tota disputatione. Se- *Secundum.* cundò realis emanatio est realis productio, quæ debet fieri communicando naturam eandem:realis verò productio sufficit ad fundandam oppositionem relatiuam, & consequenter tantam distinctionem, quanta reperitur inter Patrem & Filium. Paternitas igitur ab essentia distinguetur vt res à re; quod est manifestus error dicta disp.11. sect.7. à princ.

4 *Tertium.* Tertiò sequitur, primam personam non esse primum principium cuiusque realis emanationis aut productionis, nec esse omnino improductam ac subinde nec ingenitam: quoniam emanat ab aliquo principio. Cuius oppositum quanta certitudine constet, ostendimus sect.3.& 4. Sequitur quartò, Patrem non esse principium & fontem *Quartum.* totius diuinitatis, sed è contrario Diuinitatem esse principium & fontem Patris, aduersus communem doctrinam conciliorum & Patrum traditam disp.48. sect.5. & 6.

5 *Quintum.* Quintò sequitur, esse tres processiones in diuinis, & primam illarum nec esse generationem, neque spirationem, nec esse actionem immanentem intellectionis aut volitionis, contra fundamenta theologica tradita disp. 2. & 3. Sextò se- *Sextum.* quitur, quod essentia diuina, prout à tribus personis est totaliter præcisa, contineat aliquid notionale non communicabile personis, videlicet realiter esse principium, à quo emanat realiter Paternitas, quæ formalitas realis nemini trium personarum conuenit, nec potest de illa prædicari.

6 *Septimum.* Septimò sequitur processus in infinitum. Nam vt essentia sit quocumque modo, realiter tamen, principium producens Paternitatem, essentia deberet habere peculiarem sibi proprietatem aliquam, ratione cuius formaliter constitueretur in ratione principij, & ante opus intellectus distingueretur à Paternitate producta. Rursus ergo de illa proprietate diuinæ essentiæ quærendum esset, vtrum ante opus intellectus distingueretur ab essentia, & realiter ab illa produceretur? Nam si respondeas affirmatiuè; recurrit prædictum argumentum, probans tertiam aliam priorem proprietatem

prietatem essentiæ, & sic in infinitum. Si verò respondeas, illam proprietatem, qua diuina essentia constituitur principium Paternitatis non distingui ab essentia ante opus intellectus, nec ab illa produci: consequens est, nulla probabili ratione contrarium dici de Paternitate. Nam si qua prima proprietas essentiæ non distinguitur ab illa, nec realiter ab illa producitur; hæc maximè debet esse Paternitas.

7 *Octauum.* Octauò prædicta sententia ministrat arma nouis Arianis, videlicet Transyluanis, qui Catholicis obiiciunt, quod quaternitatem asseramus, eo quod essentia est fons personarum: ab illa enim emanant relationes, ac proinde personæ, quæ relationibus constituuntur. At fons & riuuli distinguuntur realiter. Ergo, &c. Quod refert Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 8. sub init. Nonò refutatur authoritate Patrum. Basilius enim hom. 28. contra Sabellianos propius ad med. quàm ad princ. notat, *Non Patrem & Filium ex vna essentia, quasi præcedente, descendentes. Non enim fratres dicimus, sed Patrem & Filium confitemur.* Nazianzenus autem orat. 29. de dogmate & constitutione episcopor. in med. ait: *Principium nescit Pater, nec enim aliunde, nec à se ipso originem habet.*

8 *Paternitas secùdum rationem emanat ab essentia.* Dico secundò. Nostro modo intelligendi, magis accommodato ad quidditates obiectorum, Paternitas intelligitur ab essentia resultare, vel emanare, seu pullulare. Probatur primò, testimonio Athanasij, quod videbatur contrariæ sententiæ fauere, & hæc sit illius solutio. Secundò declaratur magis analogia creaturarum ad Deum translata, sublatis imperfectionibus. Nam suppositalitas, siue subsistentia creata, quoniam est modus substantialis, modificans naturam creatam, supponit illam in genere causæ materialis, insuper quodammodo in genere causæ efficientis, quoniam ab illa dependet, ac necessariò resultat ex natura quocumque modo existente. Propterea resecantes realem distinctionem (si datur inter naturam & subsistentiam creatam) debemus intelligere primam subsistentiam improductam, ad instar modi afficientis naturam diuinam, & illam supponentis quasi subiectum, & quasi rem ad cuius existentiam iste modus necessariò consequitur.

9 Confirmatur primò, nam causa efficiens, quæ producit naturam creatam, eo ipso producit etiam eius subsistentiam. Ergo natura, quæ non est producta, sed independenter à quolibet principio existit, eo ipso quod existat, suam subsistentiam secum affert, non absolutam (vt probatum est disput. 34. sect. 5. & sequentibus) ergo relatiuam. Confirmatur secundò, sicut enim operationes intellectionis & volitionis diuinæ considerantur nostro modo intelligendi, quasi procedentes à natura diuina, eo quod in creaturis natura sit principium cuiuslibet potentiæ & operationis: non dissimili ratione considerari debet prima suppositalitas quasi manans & resultans à natura diuina.

10 *Filiatio & processio non rectè considerantur vt resultantes immediatè ab essentia.* Dico tertiò. Cæteræ relationes, præter Paternitatem, non rectè considerantur quasi resultantes ab essentia diuina immediatè. Quod obseruandum est propter quosdam recentiores, eodem modo loquētes de omnibus proprietatibus trium personarum, quantum ad resultantiam ex essentia. Probatur, nam Filiatio producitur per generationem: terminus enim *vt quod* formaliter productus per generationem, est Filius, in quo nihil aliud est præter essentiā & relationem: essentia verò, prout essentia est, non producitur, sed communicatur; & est terminus *vt quo*. Restat ergo Filium produci, potissimum in quantum Filius est, ac proinde Filiationem accipere per generationem: vt magis constabit disput. 98. sect. 5. & sequentibus. Eadem prorsus ratione probabitur, relationem Spirationis passiuæ produci per processionem. Denique relatio Spirationis actiuæ quasi resultat ex Paternitate & Filiatione simul. Vnde concluditur, nullam relationem, præter Paternitatem, ab essentia diuina immediatè recipere suum esse nostro modo intelligendi.

SECTIO VI.

Ingenitum *non est essentia Dei.*

1 Essentiam Dei esse ingenitam, dicitur à quibusdam Catholicis sensu longè diuerso, quàm ab Arianis. Nam isti contendebant, essentiam Dei consistere in eo, quod sit ingenitus, ita vt qui nosset esse ingenitum, eo ipso Dei essentiam penetrasset: quod refert, atque refutat Athanasius dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæum sub init. & sequenti dialogo 2. col. 5. Basil. lib. 1. contra Eunom. inter princ. & med. vsque ad med. Nazianzenus orat. 32. ad centum quinquaginta episcopos paulo post med. Consequenter autem dicebant Ariani, proprium Dei nomen esse *ingenitum*. Quod efficaciter refellit Athanas. in eodem dialog. 2. non longè post med. & iterum propius ad fin. quàm ad med. Eadem inculcant alij Patres citati sect. 1. & citandi disput. 53. sect. 2. & sequentibus.

2 *Ingenitū esse non est essentia Dei.* Propterea Dico primò. Catholica fides docet, Dei essentiam non consistere in eo, quod sit ingenitus. Primò, quia Dei essentia est ens reale positiuum; sed esse ingenitum formaliter est negatio, vel priuatio. Fundamentum verò priuationis huius est ipsa relatio Paternitatis, non essentia præcisè considerata: vt constabit disp. sequenti sect. 4. & sequentibus.

3 Probatur secundò, quia essentia Dei conuenit tribus personis: at verò ingenitum esse solius Patris proprium esse, probatum est sect. 3. & 4. & magis constabit in sequentibus. Vnde Basil. lib. 4. contra Eunom. sect. 2. fine: *Ingenitum*, ait, *si quis concedet de solo Deo dici, non statim si quid Deus, id est ingenitum. Nam Filius, cum sit Deus, ingenitus non est. Nec diffinitio igitur, nec proprium Dei est ingenitum esse: non enim conuertitur.*

4 *Essentia quomodo conueniat esse ingenitam.* Restat ergo sensus alter examinandus, videlicet, an ingenitum esse conueniat essentiæ diuinæ, vel huic Deo, prout à personis abstrahitur, & conueniat tanquam priuatio vel negatio consecutā necessariò & adæquatè ex essentia.

5 Dubitandi ratio prima est, quoniam ingenitum est quod non procedit à principio, nec est productum. Sed hic Deus, prout abstrahitur à personis, non procedit à principio, nec est productus, sicut nec essentia diuina: ergo diuina essentia & hic Deus est ingenitus. Confirmatur, nam inde sequitur primò, Filium & Spiritum sanctum esse ingenitos, quoniam illis conueniunt omnia prædicata diuinæ essentiæ, & huius Dei abstracti à personis. Secundò sequitur, non esse proprium Patris ingenitum, sed commune tribus personis.

Secunda ratio dubitandi est quorundam Patrum authoritas. Athanas. enim dialogo 2. de S. Trinit. contra Anomæum prope fin. ait: *Pater, Filius & Spiritus sanctus ingenita sunt essentia.* Ephrem.

Ephtem Syrus tom. 3. posteriori opusc. de sui ipsius reprehensione propius ad med. quàm ad princ. ait: *Spiritus & Verbi vna & eadem est principij expers essentia atque substantia.* & sermone de pœnitentia inter med. & fin. dicit, *Vnam consubstantialis Trinitatis naturam ingenitam.* Basilius lib. 4. contra Eunom. sect. 2. probat, *ingenitum, & innascibilitatem* esse modum subst antiæ Dei, & lib. 5. paulo post med. ait: *Ingeniti appellatio significat, quomodo se habeat substantia Dei, & quod nata non sit.*

7 Hilarius lib. de Synodis frequenter dicit, *innascibilem substantiam*, vel, *innascibilem essentiam Patris*, veluti propius ad princ. quàm ad med. & iterum multo propius ad med. quàm ad princ. atque inter med. & fin. ad canonem 26. Syrmicæ Synodi: *Filius*, ait, *idcirco Deus, quia ex innascibili essentia natus existat.* Et post pauca: *Naturam vnigenitam ex innascibili genitam essentia.* Epiphanius hæres. 76. longè post med. ad 30. caput Aëtij concedit, quod *ingenita natura sit causa ad vnigenitum genimen.* Eusebius Cæsarien. lib. 5. demonstrat. euangel. cap. 1. parum à princ. scribit, Filium *esse imaginem ingenitæ naturæ*, & paulo inferius: *Genitura est ingenita naturæ.*

8 Iustinus in confutatione dogmatum Aristotelis lib. 1. de naturali auscultatione versus fin. §. *si est materia generabilis*, concludit: *De Deo cum dicitur ingenitus, negatur secundum essentiam generatio.* Colligitur idem ex Concilio Toletano Primo in assertione fidei post med. anathematizat enim eum, *qui dixerit, Deitatem nascibilem esse.*

9 Veruntamen æquiuocationis distinctio præsentem difficultatem ita soluit. *Ingenitum* etiam illud, quod negat quamlibet processionem à quolibet principio, dupliciter accipitur, nimirum vel cum positiua repugnantia procedendi, vel sine positiua repugnantia cum mera indifferentia.

10 Ingenitum *cum positiua repugnantia generationis non conuenit essentiæ.* Dico igitur secundò. *Ingenitum*, acceptum cum positiua repugnantia, non conuenit essentiæ diuinæ, neque huic Deo, prout abstrahitur à personis. Nam hoc modo sumptum ingenitum excludit à subiecto quamlibet processionem à principio siue per productionem sui formaliter, siue per productionem alicuius suppositi, cui communicatur, & de quo essentialiter prædicatur. Quemadmodum incorporeum, prout est proprium spiritus, excludit corpus à quolibet suppositō, de quo prædicatur essentialiter spiritus. Deitas igitur, siue diuina essentia, vel hic Deus, non est hoc modo ingenitus: prædicatur enim essentialiter de Filio, qui est genitus, & de Spiritu sancto, qui non est ingenitus, sed procedens.

11 Confirmatur primò, nam de essentia diuina seu Deitate poterit affirmari, quod ab alio est in Filio & Spiritu sancto, videlicet à Patre producente personas, & communicante essentiam: vt loquitur S. Thomas in præsenti quæst. 33. artic. 4. ad 2. fine. Confirmatur secundò, quia plerique Patres dicunt *essentiam genitam*, siue *natam*, intelligentes Filium, quos explicabimus disp. 80. Confirmatur tertiò, nam in hoc etiam sensu Hilarius lib. de Synodis inter princ. & med. ad canonem 12. Orientalium, tanquam hæresim refutat *Vnicam ac singularem innascibilis essentiæ substantiam.*

12 Ingenitum *per indifferentiam conuenit essentiæ.* Dico tertiò. *Ingenitum* absque positiua repugnantia per meram indifferentiam, conuenit Deitati, vel essentiæ diuinæ, siue huic Deo, prout à personis præscinditur. Probatur, nam hoc modo sumptum ingenitum, ipsum ratione sui nec postulat procedere, nec postulat non procedere, sed est indifferens ad vtramque proprietatem. Quemadmodum dicere possumus, animal abstractum esse irrationale sine positiua repugnantia per meram indifferentiam; quoniam animalitas ratione sui nec postulat esse rationalem, nec esse irrationalem, sed est indifferens ad vtrumque. Deitas autem siue diuina essentia, vel hic Deus, ratione sui præcisè non postulat procedere ab aliquo principio, nec postulat non procedere, sed est indifferens, vt nullo modo procedat, prout est in Patre, atque vt aliquo modo procedat prout est in Filio & Spiritu sancto, quatenus essentialiter conuenit personis procedentibus, & illis communicatur à principio producente.

Ex his constat solutio ad rationem dubitandi. 13
Ad confirmationem respond. consequentiam non esse bonam, quoniam ea prædicata, quæ conueniunt Deitati, vel huic Deo, prout præscinditur à personis, conueniunt illi secundum rationem cum fundamento in re. Propterea quæ non possunt de inferioribus prædicari, quemadmodum ex eo quod animal sit genus, & homo sit species, non sequitur, Petrum esse genus nec speciem, licet sit essentialiter homo & animal. Sed de similibus argumentis plura diximus disp. 13. sect. 3. & 4. disput. 15. præsertim sect. 6. fine & sect. 7. & 8.

Ad secundum membrum eiusdem confirmationis respond. *Ingenitum*, positiua repugnantia quamlibet processionem excludens, & non indifferens ad processionem, vt sic est proprium solius Patris. 14

Ad secundam rationem dubitandi respond. Athanasius in eodem dialogo 2. non procul ante finem explicuerat, *essentiam ingenitam* esse in eo sensu, quod effectorem non habeat. Eodem sensu Ephrem appellauit naturam *ingenitam & principij expertem*. Basilius loquitur iuxta phrasim vsitatam apud antiquiores Patres, qui relationes, vel notionales proprietates appellant modos essentiæ, siue substantiæ diuinæ supra disp. 12. sect. 5. Vnde non sequitur, essentiam diuinam esse relatiuam, sed habere sibi coniunctas relationes, & notionales proprietates. Sic ergo licet *ingenitum & innascibilitas* sit modus essentiæ, cuius appellatio significat quomodo se habeat essentia, non sequitur, essentiam, vt præcisam à relationibus & personalitatibus, esse ingenitam: sed habere sibi coniunctam proprietatem ingeniti, prout est in Patre. Quæ mens Basilij magis constat ex verbis illius adductis supra pro dicto primo.

Hilarius solet appellare Filium essentiam genitam vel natam, accipiendo notionaliter nomen essentiæ, vt vidimus disp. 24. sect. 1. in tertio argumento. Eadem igitur phrasi personam Patris appellat *innascibilem essentiam siue substantiam*. Itaque substantiam vel essentiam, vt à Paternitate præscinditur, non dicit esse innascibilem. Eodem planè sensu loquuntur Epiphanius & Eusebius citati. 15

Veruntamen si quis adhuc malit, eosdem Patres intelligere de essentia, prout à personalitatibus præscinditur, exponat esse ingenitam, id est, non factam, nec creatam, neque ratione sui præcisè postulantem, procedere ab aliquo principio, quod est esse ingenitam per indifferentiam, non verò per repugnantiam positiuam processionis. 16

Iustinus propterea limitat & restringit *secundum essentiam*, quia essentia est ingenita per meram indifferentiam, cum tamen Filius secundum personam Filij generetur, vt explicatum est. Alibi tamen 17

tamen Iustinus docet solius Patris proprietatem esse ingenitum, vt vidimus sect. 3.

8 Concilium verò Toletanum Primum anathematizat Deitatem nascibilem in eo sensu, quem Priscilianus ex Arianismo conflauerat cum aliis erroribus, existimans, Christi Domini Diuinitatem esse participatam & creatam à Deo Patre, propteréque mutabilem de non esse. Vnde alia editio eiusdem Concilij sic habet eundem canonem. *Qui dixerit, Deitatem Christi conuertibilem esse vel passibilem, anathema sit.*

SECTIO VII.

Filius non est ingenitus, licet ipse & ingenitus Pater vnum sint.

1 *Filium ingenitum appellant aliqui Patres.*

NOn defuere Patres, qui Filium Dei appellauerint *ingenitum*. Ignatius enim *in suis scriptis de Domino ita locutus est, Vnus est medicus carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus in homine Deus.* Quæ verba refert Athanas. lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ propius ad fin. quàm ad med. vt probet, Filium in sensu Catholico vocari posse *ingenitum*, hoc est, non factum. Idémque docet Athanas. dialogo 2. de sancta Trinitate contra Anomæum col. penult. & orat. 2. contra Arianos in med. ait: *Sin autem, vt Asterio placuit*, hæretico, *ea ratione interrogent, quo ingenitum id habetur quod factum non est, & semper est; audiant non semel sed sæpius, etiam Filium pro ista acceptione ingenitum dici.* Epiphanius hæres. 76. versus med. confutans quintum caput Aëtij, docet, non solum Patrem, sed etiam *Filium & Spiritum sanctum esse ingenitum*, intelligit autem non factum neque creatum.

2 Reperio citatum authorem imperfecti in Matthæum apud Chrysost. homil. 35. prope med. ad illa verba, *& tertia die resurget*, quasi dixerit: *Quis est autem dies alius de die, nisi ingenitus Deus de ingenito Deo.* Sed exemplaria multa melius legunt: *Genitus Deus de ingenito Deo.* His consonat, quod Athanas. in quæstionibus de natura Dei quæst. 5. & 13. dixit, Patrem Filium & Spiritum sanctum esse *principio carentes, & principij expertes & aborigines*, vt vidimus disp. 48. sect. 3. difficult. 2.

3 *Absque declaratione nõ licet Filium ingenitũ vocare.*

Nihilominus sit prima conclusio. Quamuis adhibita declaratione prædicta, possit appellari Filius ingenitus: nihilominus simpliciter loquendo & absque declaratione nõ licet theologo concedere, Filium esse ingenitum, sed absolutè atque constanter debet asserere, non esse ingenitum. Probatur primò, quia iam in Ecclesia receptum est hoc nomen tanquam proprium solius Patris, & negans quamlibet processionem à quolibet principio, vt probatum est sect. 3. & sequentibus. Peculiariter autem Alexander Alexandrinus epist. ad Alexandrum Constantinopol. col. 8. & 9. magis ex professo probat, Filium non esse ingenitum. Atque idem expressit Athanasius lib. 2. de propriis personis, & vnito nomine Deitatis in med. & lib. 5. de vnita substantia Trinitatis propius ad med. quàm ad princ. Basil. lib. 2. contra Eunom. prope med. & lib. 4. sect. 2. fine. Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri cap. 1. & 4. Fulgentius respondens ad obiectionem 5. Arianorum.

4 Hilarius lib. 4. de Trinit. inter princ. & med. ita probat. *Non innascibilis, ne Patri adimat, quod Deus vnus sit.* Alludit ad rationem dictam sect. 4. & lib. 9. inter princ. & med. *Natiuitas non est consecuta, vt innascibilis effecta sit.* Quibus similia scribit lib. 10. col. 3. & 4. Syrmica Synodus canone 26. anathematizat eum, qui *innascibilem & sine initio dicat Filium: tanquam duo sine principio, & duo innascibilia & duo innata dicens, duos faciat deos.* Quem defendit Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad fin.

Non dissimiliter Sardica Synodus in professione fidei prope finem anathematizat eum, qui dixerit, *Filium esse innascibilem*, apud Hilarium prope med. eiusdem libri de Synodis. Atque Synodus eadem, qua parte Catholica fuit & approbata, in epistola Synodali 3. anathematizat alios dicentes, quod Christus *Filius est, sed verus Filius non est: quod genitus est simul & ingenitus.* Concilium Toletanum Primum in assertione fidei anathematizat, qui dixerit, *Christum innascibilem esse.* 5

Secunda conclusio. Ingenitum esse Patrem & Filium esse genitum, nihil obstat, quominus sint vnius & eiusdem essentiæ diuinæ, ac proinde sint vnum. Hæc satis probata manet ex disput. 20. de homousio & multis sequentibus, imo ex toto præsenti opere de Trinitate. Tria tamen hic recolenda sunt, Primum est illud exemplum Adami non geniti, & cæterorum hominum, qui geniti sunt, quorum eadem est & æqualis perfectio specifica & essentialis vt ex Iustino, Nazianzeno, Nysseno, Damasc. Athanas. Cyrillo, Anastas. & Anselmo vidimus disp. 44. sect. 5. 6 *Ingenitum & genitum eiusdem essentiæ.*

Secundum est Arianorum argumenta posita sect. 1. sub init. validè retorqueri contra ipsos, quando Patres ea ratione demonstrant, Filium esse eiusdem essentiæ siue substantiæ cum Patre, nec esse genere diuersum, quemadmodum creatura differt à creatore; quia vera generatio, veráque filiatio quidditatiuè continet similitudinem in natura specifica & infima, vt vidimus disput. 4. 6. & 7. 7

Tertium, ex dictis apertam esse solutionem ad Arianorum Sophismata, quæ posuimus sect. 1. sub init. Ad primum dicendum est, non duos, sed vnicum esse ingenitum, id est, à nullo procedentem, licet sint tres ingeniti, id est, increati & non facti. Vnde non sequitur, Filium esse creaturam, sed potius sequitur esse eiusdem substantiæ cum generante. 8

Ad secundum respond. Maiorem absolutè falsam esse. Quodammodo tamen est vera, quatenus personalis quidditas & proprietas personæ ingenitæ quasi specifica ratione distinguitur à personali quidditate, & proprietate constitutiua personæ genitæ. Vnde Nazianzenus orat. 35. circa med. ad 7. obiectionem, postquam dixerat, *Hanc geniti naturam esse, vt idem, si naturam spectes, sit cum eo, qui genuit*, secundam solutionem adiungit: *Quid per ingenitum & genitum intelligis? Si ipsam ingeniti & geniti proprietatem, non idem sunt: sin autem ea, quibus hæc insunt, quid vetat quo minus idem sint?* 9

SECTIO VIII.

Vtrum Spiritus sanctus debeat ingenitus appellari.

DVbitandi ratio prima est, nam à quibusdam Patribus appellatur *ingenitus*. Athanas. enim dialog. 1. de sancta Trinitate contra Anomæum paulo post med. non solùm docet, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus *est ingenitus*, id est, *non factus, non habens ortum ab opifice*, vt ipse exponit. Peculiari verò ratione id probat de Spiritu sancto dicens; *Spiritus sanctus non habet Patrem. Ergo ipse est* 1 *Spiritus sanctus ingenitus vocatur à quibusdam Patribus.*

est ingenitus: itaque ingenitum esse non est proprium Patris. & sequenti dialog. 2. prope fin. *Pater*, inquit, *Filius & Spiritus sanctus ingenita sunt essentia:* vt vidimus sect. 6.

2 Nazianzenus in serm. de epiphania apud S. Thomam opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 8. asseruit, quod Spiritus sanctus *procedit vt ingenitus.* Hoc autem in recentioribus translationibus orat. 39. in sancta lumina in med. post n. 24. sic legitur: *Spiritus sanctus procedens ex Patre, non tamen filiationis modo, vt nec generationis, verùm processionis.* Epiphanius hæres. 76. versus med. expresè dixit, Filium & Spiritum sanctum esse ingenitum, vt vidimus sect. præcedenti. Ac denique solius Spiritus sancti mentione facta, docuit esse ingenitum Ambrosius lib. de Incarnationis dominicæ mysterio cap. 9. prope med.

3 Secunda ratio dubitandi sit, quia omne quod est, aut genitum est aut ingenitum, Sed Spiritus sanctus non est genitus: ergo est ingenitus. Quo argumento S. Hieronymus in regulis definitionum contra hæreticos concludit, Spiritum sanctum esse ingenitum, vt referunt Magister 1. dist. 13. post med. S. Thom. præsenti q. 33. art. 4. ad 2. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 8. Fateor tamen hoc testimonium Hieronymi ab aliis & à me quæsitum, non inueniri.

4 Tertia, quoniam vt scribit Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 7. init. *Quod dicitur ingenitus, hoc ostenditur, quod non sit Filius: sed genitus & ingenitus commodè dicuntur; Filius autem Latinè dicitur, sed infidus vt dicatur, non admittit loquendi consuetudo.* Et subdit: *Si dicatur non genitus pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur.* Idem docet sermone 38. de tempore ferè inter med. & finem. Sed Spiritus sanctus verè & Catholicè dicitur non genitus & non Filius, vt Ecclesia profitetur in Symbolo Athanasij, & Concilium Toletanum Primum in assertione fidei, & alij Patres communiter, citati disp. 4. sect. 5. & 6. Ergo Spiritus sanctus est ingenitus.

5 Quarta ratio dubitandi sit, quoniam (vt author est Athanasius in disputatione contra Arium Laodiceæ habita inter princ. & medium paulo post Symbolum Nicænum) *Patri nouum innascibilitatis nomen Ecclesia imposuit. Cum enim Sabelliana hæresis genitum ex Virgine Patrem voluisset asserere; ingenitum contra hanc confitendo Ecclesia tradidit Patrem.* Ergo vox ingenitum excludit solummodo temporalem generationem ex Virgine. Quapropter Spiritui sancto conueniet non minus, quàm Patri.

6 *Spiritus sanctus nõ est ingenitus simpliciter loquendo.*

Nihilominus Dico primò. Simpliciter loquendo Spiritus sanctus non est ingenitus. Ratio est, quoniam communiori theologorum vsu, maximè recentiorum, ea vox negat quamlibet processionem à quolibet principio, ideóque censetur esse propria solius Patris, vt vidimus sect. 3. & sequentibus. Quapropter omnia testimonia Patrum, quæ testantur, esse proprium solius Patris, adduci possunt pro assertione præsenti.

7 Confirmatur, nam Spiritum sanctum esse ingenitum expresè negant plerique Patres. Nicænum quippe Cõcilium in professione fidei, quam scribit Nazianzenus orat. 50. de fide Nicæna dicit: *Spiritum sanctum non ingenitum nec genitum.* Idémque docet Nazianzenus orat. 26. de moderatione in disputationibus col. 3. & orat. 37. quæ est 5. de theologia col. 4. & 5. & iterum inter med. & finem orationis, & multo propius ad fin. quàm ad medium. Basilius lib. 3. contra Eunom. prope fin. Symbolum Damasi apud Hieronym. tom. 4. Concil. Toletanum Vndecimum, & Syrmiense citata sect. 3. Ambros. in Symbol. Apostol. cap. 3. Isidor. lib. 7. etymolog. cap. 3. §. 2. & lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 3. Anselmus monologij cap. 54. fine. Syrmiensis Synodus canone 19. ita decernit: *Si quis Spiritum sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit.* Quem Hilarius exponens lib. de Synodis non longè post med. *Impiissimum*, inquit, *est, innascibilem Deum eum dici, qui ad consolationem nostram sit missus à Filio.* Nimirum quia non esset missus à Filio, nisi esset productus ab eo.

Augustinus sermone 38. de tempore, qui est 3. infra octau. Epiphan. inter med. & finem: *Spiritus sanctus*, ait, *nec ingenitus nec genitus alicubi dicitur, ne si ingenitus diceretur, sicut Pater, duo patres in sancta Trinitate intelligerentur: aut si genitus diceretur sicut Filius, duo itidem filij in eadem æstimarentur esse sancta Trinitate.* Quem imitatus author libri de Trinit. & vnitate Dei c. 1. circa med. apud August. tom. 4. ait: *Spiritum sanctum neque ingenitum, neque genitum, fides recta declarat, quia si dixerimus ingenitum, duos deos affirmare videbimur,* &c. 8

Dico secundò. Nulla nota vel reprehensione dignus erit, qui hoc etiam tempore dixerit, Spiritum sanctũ esse ingenitum, dummodo verborum contextus ostendat, esse personam distinctam à Patre. Hoc vt minimum probant testimonia Patrum & rationes initio adductæ. Confirmatur primò, quia supposita distinctione Spiritus sancti à Patre, nullius erroris suspicio vel periculum latere potest: nam inde planè colligitur, *ingenitum* intelligi, prout negat solummodo generationem, non verò prout negat omnẽ processionem. Confirmatur secundò, quoniam vox *ingenitum*, quod ex se est, præscindendo à communi theologorum vsu, solam generationem excludit: est autem de fide, Spiritum sanctum esse non genitum. 9 *Potest appellari ingenitus Spiritus sanctus.*

Ex dictis constat solutio ad rationes dubitandi, quatenus militare videntur contra primam assertionem. Ad primam rationem dubitandi ex testimoniis Patrum respond. non solum eos Patres explicuisse suum sensum, vt ibidem diximus: sed etiam aliis in locis melius & accommodatius ad vsum theologorum dixisse, solius Patris proprium esse ingenitum, vt Athanas. citatus in sect. 3. Nazianzen. autem dicta orat. in sancta lumina in medio expresè dicit, esse proprietatem solius Patris ingenitum & principij expertem esse, præter alia clariora, quæ retulimus pro assert. 1. Epiphanius melius accepit ingenitum tanquam solius Patris, proprium in Anorato col. 7. Clariùs autem Ambrosius adductus pro dicto primo. 10

Ad secundam rationẽ respond. negando Maiorem. Quæ propterea non est vera, quia *ingenitum* non accipitur quasi contradictorium *geniti*, vt sit idem quod non genitũ. Sed accipitur ita vt neget plus, quàm affirmat genitum. Hoc enim affirmat solummodo generationẽ propriè dictam: ingenitum autem accipitur vt negans quamlibet processionem. Exemplum esse potest nomen *immortalis*, in quantum est Dei proprium 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* Iuxta quã acceptionem, quia negat nõ solum mortem propriè dictam, sed etiam quamlibet annihilationem aut destructionem possibilẽ: ideo non est immediatè oppositum mortali, propriè dicto. Vnde fit, vt angelus vel anima rationalis, nec sit mortalis propriè, nec sit immortalis iuxta præsentem acceptionem. 11 *Ingenitũ aliquando non est contradictorium genĩti.*

Ad tertiam respond. Licet Augustinus ibi tam stricte 12

strictè sumpserit ingenitum, vt est idem quod non genitus: meliùs tamen accepit alio loco citato pro dicto primo.

13 Ad quartum negatur consequentia. Quin potius nomen *ingeniti*, iuxta primariam intentionem Ecclesiæ, significat principaliter negationem processionis æternæ, secundariò tamen, & quasi per analogiam significat etiam negationē temporalis natiuitatis, ea ratione consequētem ex negatione processionis æternæ, quoniam minus conueniens erat, Patrem innascibilem incarnari & nasci de Virgine. Fuit autem conuenientissimum Filium, de Patre natū ab æterno, nasci de Virgine in tempore propter plurimas congruentias, ex sacris literis acceptas, vt notauit S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum c. 17. & magis ex professo 3. p. q. 3. a. 8. Fusius autem recentiores ad eum locum.

DISPVTATIO LIII.

Quæ sit ratio formalis, & quod materiale fundamentum ingeniti.

SECTIO I.

Pro ratione positiua sententiæ Catholicorum, & argumenta.

1 Misso errore dicentium, *ingenitum* esse positiuam substantiam & essentiam Dei, quem retuli sect. 6. init. duę sunt Catholicorum sententiæ, conuenientes in asserenda positiua & reali ratione ingeniti. Prima quorundam antiquorum asserebat, ingenitum aut innascibile consistere in relatione positiua, quæ sit opposita relationi geniti; quemadmodum inæquale consistit in relatione contraria æqualitati. Huic sententiæ simile videtur quod ex Præpositiuo refert Henricus 2. p. art. 55. q. 5. fine quamuis postremis verbis ad veritatem accedat.

Prima sententia, ingenitum consistere in relatione.

2 Sed quidquid sit de illius authore, sententiam impugnant meritò S. Bonauen. 1. dist. 28. q. 1. & communiter Scholastici locis citandis in sect. sequenti. Primò, quoniam ex ea sequitur, esse quinque relationes in Trinitate: nam supra quatuor relationes, probatas disp. 18. addit relationem innascibilitatis. Secundò refutatur, quia positiua relatio innascibilitatis requirit quartam personam, quam correlatiuè respiciat. Sicut enim Pater non eandem personam respicit relatione Spiratoris, quàm respicit relatione Patris: sic etiam distinctam personam deberet respicere relatione innascibilitatis, si ea foret relatio realis & positiua.

Refutatur.

3 Vnde refutatur tertiò, quia relatio ingeniti (prout opponitur cuilibet passiuæ processioni, vt sit propria Patris) debuisset habere pro termino ingenitorem (prout opponitur cuilibet productioni actiuæ.) Ingenitor autem, hoc modo sumptus, nihil reale est, sed merum figmentum, ad quod terminari nō potest realis relatio quasi prædicamentalis; omittendo nunc quod transcendentalis relatio intellectionis & volitionis possint terminari ad non entia.

4 Confirmatur primò, quaniam ingenitor, terminans relationem ingeniti, non potest esse Filius & Spiritus sanctus, quatenus ab illis non producitur Pater. Nā Filius & Spiritus sanctus non respiciunt realiter Patrem, nisi vt producti ab illo. Quod autem illū non producant, non est realis respectus, sed mera negatio. Aloqui sextam aliam relationem oporteret concedere communem Filio & Spiritui sancto, prout est ingenitor Patris ingeniti. Confirmatur secundò, quia prima persona intelligitur ingenita prius ratione, quàm intelligantur existentes Filius & Spiritus sanctus, & prorsus independenter ab illis. Siquidem intelligitur ingenita prius ratione, quàm Pater, vt ex Augustino dicemus sect. 4. argumento 2.

5 Quartò refutatur, quia relationes æquiparantiæ, atque illæ potissimùm, quæ fundantur in quantitate & qualitate, possunt habere sibi oppositas relationes reales & positiuas; vt æquale & inæquale; simile & dissimile; amicus & inimicus. At verò relationes disquiparantiæ, quæ fundantur in actione & passione, vel quasi actione & quasi passione non possunt habere relationes, sibi realiter & positiuè oppositas, sed meram negationem aut priuationem. Quemadmodū in creaturis pater & filius, vel calefaciens & calefactum, vel magister & discipulus, non habent relationes sibi positiuè ac realiter oppositas, sed meram negationem aut priuationem illarum. Huiusmodi autem in Deo sunt relationes genitoris & geniti, siue productoris & producti: ergo non opponuntur illis positiuæ relationes ingeniti & ingenitoris.

6 Secunda sententia veterum Scholasticorum erat, innascibilitatem, siue rationem formalem ingeniti consistere in fontali plenitudine, siue authoritate vniuersali, quia Pater est principium cæterarum personarum. Hanc impugnat S. Thomas in præsenti quæst. 33. art. 4. ad 1. quoniam ex illa manifestè sequitur, quod innascibilitas quidditatiuè formalitérque comprehenderet simul Paternitatem & Spirationem actiuam, per quas prima persona formalissimè constituitur principium vniuersale cuiuslibet personæ procedentis, & eo ipso constituitur fontalis origo Deitatis, iuxta doctrinam traditam supra disp. 48. sect. 5. & 6.

Secunda sententia, ingenitum consistere in fontali plenitudine.

Refutatur.

7 Hoc autem consequens esse falsum, probatur primò, quoniam innascibilitas est notio distincta à Paternitate & Filiatione, vt probatum est disp. 47. sect. 2. Probatur secundò, quoniam Paternitas & Spiratio actiua nō debent conflari in vnam relationem, sed constitui tanquam distinctæ relationes & notiones, vt probatum est disp. 18. & disput. 47. sect. 3. Refutatur præterea, quoniam ingenitum est prius ratione, quàm Pater, vt videbimus sect. 4. & 5.

8 Nihilominus operæ pretium erit proponere argumenta, quæ probare videntur, esse positiuam & realem rationem formalem ingeniti. Primum sit, quia multi Patres docent, innascibilitatem siue ingenitum esse modum substantiæ, vel modum existendi, aut modum, quo Deus est. Modus autem substantiæ vel existentiæ realis, non potest non esse realis & positiuus. Antecedens probatur, quia Iustinus in expositione fidei de Trinit. pag. 2. *Si verò*, inquit, *ingeniti vocabulum consideres, subsistentiæ modum significare id inuenies.* Atque vniuersaliter docet, *Ingenitum, genitum, procedentem nomina hæc non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ.* Basilius lib. 4. contra Eunom. sect. 2. probat, *Ingenitum esse, siue innascibilitatem esse modum substantiæ.* Idémque docet lib. 5. paulo post med.

Argumenta pro reali formalitate ingeniti.

9 Gregorius Nyssenus lib. ad Ablabium, *quod non tres dij*, prope fin. scribit: *Si quis dicat aliquid ita esse, quasi non genitum sit, quomodo sit ponit; quid autem sit hæc voce simul non indicat.* Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri cap. 3. sub init. & frequentiùs atque clariùs dialogorum de Trinit. toto ferè lib. 2. repetit, *esse modo ingenito, & esse modo genito*, quibus distinguat Filium à Patre. Damascen. lib. 1. fidei cap. 9. versùs med. de innascibilitate notat, *significare subsistentiæ modum.*

10 Confirmatur, nam ij Patres eodem modo dicunt, Paternitatem & Filiationem & Processionem esse modos substantiæ vel existentiæ, quemadmodum hoc dicūt de innascibilitate siue ingenito. Sed Paternitas, Filiatio & Processio sunt reales modi, realiter distinguentes vnam personam ab alia: ergo innascibilitas erit etiā modus realis.

11 *Secūdum argumentum.* Secundum argumentum, quia Patres aliquando nomine ingeniti & innascibilitatis intelligunt realem proprietatem, quæ est Paternitas, vt ex Iustino, Nazianz. Athanas. Damasceno, Anastasio Sinayta deduximus disp. 47. sect. 2. arg. 7. Confirmatur primò, nam Anastasius Theopolit. sub init. expositionis fidei, quæ simul inscribitur esse Cyrilli Alex. ait: *Filius à Patre differt hypostasi, quatenus Pater est ingenitus, Filius verò genitus.* Ergo Patris hypostasis est ingenitū esse, ac subinde realis & positiua subsistentia est. Confirmatur secundò, nam Epiphan. hæres. 76. longè post med. refutat, quod Aëtius cap. 22. opponebat, ingenitum esse priuationem, & ait: *Sicut innascibilis non quod non nascatur, sed quod ipsa per se, vt ita dicam, innascibilitas est: ita etiam ingenitus, eo quod ipsa per se ingenita natura est; etiam si Filius genitus sit ab ingenito.* Ergo natura Patris est per se ingenitum esse.

12 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum. Iuxta doctrinam Augustini, receptam à theologis communiter super disp. 10. sect. 4. & 5. quidquid Deo conuenit vel est ad aliquid, vel ad seipsum. Sed esse ingenitum non est ad seipsum esse, vt fatetur Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. Ergo esse ingenitum est ad aliquid, quod est esse relatiuum, ac proinde positiuum aliquid erit. Confirmatur, nam in eodem cap. 7. fine ait: *Sicut filius ad patrem, & non filius ad non patrem refertur; ita genitus ad genitorem, & non genitus ad non genitorem referatur, necesse est.*

13 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum, quia omnis notio debet pertinere ad dignitatem personæ. Sed innascibilitas est notio. Ergo pertinet ad dignitatem personæ. Rursus negatio non pertinet ad dignitatem personæ. Ergo innascibilitas non est negatio, sed positiuum.

14 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum, quia proprietas ponit aliquid in eo, cuius est proprietas. Sed ingenitum est proprietas Patris, vt probatum est disput. 47. sect. 5. Ergo ponit aliquid positiuum in Patre. Confir. quia Pater à Filio distinguitur proprietate reali & positiua, sed nō alia, nisi quoniam ingenitus est. Ergo ingenitum est proprietas positiua & realis. Minor probatur ex Athanasio dialogo 2. de S. Trinitate non longè post med. dicente: *Differt autem natura genita & ingenita, non quatenus natura est, sed eo ipso tantùm, quod genita, & ingenita est.* Perpende dictionem exclusiuam *tantùm.*

15 *Sextū argumentum.* Sextum, quia si meram negationem dicit ingenitum; chymæra erit ingenita, quoniam à nullo principio potest procedere; subindéque non erit proprium Patris esse ingenitum.

16 *Septimū argumentum.* Septimum argum. quia sicut se habet ingenitum ad significanda increata & non facta iuxta quandam acceptionem vocis; sic se habet secundum alteram acceptionem ad significādum, quod à nullo principio procedit. Nec enim maior ratio est, vt in vna acceptione potius, quàm in altera, sit negatiuum eius significatum. Sed in priori acceptione significatum ingeniti est positiuum. Damascen. enim lib. 1. fidei cap. 9. circa med. admonet, *Ingenitum nunc non factum significare, nunc verò non genitum. Primo quidem significatu substantiæ à substantia discrimen internoscitur.* Quod idem recipit S. Thom. in præsenti q. 33. art. 4. ad 3.

SECTIO II.

Nihil positiuum esse formale significatum ingeniti.

1 Hæc vnica sit præsentis sectionis conclusio. Ingenitū & innascibile formaliter dicit negationem hāc, quod Pater à nullo principio procedat. Probatur primò, quia nihil positiuum assignari potest, quod sit ratio formalis ingeniti vel innascibilis: vt constat ex impugnatione duarum sententiarum in sect. præcedenti.

2 Confirmatur, quoniam Dei nominibus nihil positiuum significatur, nisi substantia vel relatio. Sed *ingenito*, prout est proprium Patris, non significatur substantia, quia tota substantia Patris Filio & Spiritui sancto communis est, & non propria Patris; ergo significabitur relatio, siquid positiuum significatur. Vnde vel significabitur relatio distincta à quatuor relationibus Paternitatis, Filiationis & Spirationis actiuæ atque passiuæ: quod esse impossibile probatum est sect. 1. contra primam sententiam: vel significabitur Paternitas simul cum Spiratione actiua: quod impugnatū est sect. 1. contra secundam sententiam. Vel significabitur sola relatio Paternitatis sub eo reali conceptu, quo fundat immediatè negationem Processionis iuxta dicenda sect. 4. & 5. Hoc autem est inconueniens, ingenitū enim ab omnibus theologis constituitur vt notio atque proprietas distincta à Paternitate, ab ea tamen nō distinguitur, nisi tanquam incōpletus & inadæquatus cōceptus illius; si accipiatur ingenitum pro ea formalitate reali, quæ fundat negationem Processionis.

3 Secundò & principaliter probatur, quoniam istius vocabuli cōpositio, quod ex se est, negationem de formali significat, in compositione quippe dictio, *in*, valet idem quod *non*. Sed quoniam vsus theologorum potuit illi prębere significationem positiuam; Patres & Scholastici semper huic significationi restiterunt, dicentes significare negationem. Quod axioma licet primariò direxerint ad extirpandam significationem substantiæ, quam introducere conabantur Ariani: Cęterum eodem ictu generali quodlibet positiuum & reale significatum amputarunt.

4 Nazianzenus orat. 32. in præsentia centū quinquaginta episcoporum paulo post med. *Nec verò*, inquit, *principio carere eius, quod principio caret, natura est, aut etiam ingenitum esse. Nullius enim rei natura ex eo declaratur, quod dicamus quid non sit, sed quid sit, est enim eius, quod est, positio, non autem eius, quod non est, ablatio.* Idē orat. 35. quæ est 3. de theologia in med. num. 43. *Vox ingeniti, ait, significat generationis expertem esse, non autem declarat, quidnam natura sua sit id quod generatione caret.*

5 Athanas. toto ferè dialog. 2. de S. Trinit. contra Anomœum probat, quod ingenitum esse, nec est essentia, nec pars essentiæ, sed nihil est, addit tamen: *Non esse nudam vocem to ingenitum, significat enim, Deum genitum non esse; sicut to mendacij expers significat non mentiri, & incorruptibile significat non corrumpi.*

corrumpi. Quam sententiam multoties repetit à med. vsque ad fin. illius dialogi. Quibus consonant quæ scripserat nó solùm in præced. dialog. 1. non longè post med. sed etiam orat. 2. cótra Arianos in med. & lib. de synodis Arimini & Seleuciæ propius ad fin. quàm ad med.

6 Basil. lib. 1. contra Eunom. à med. vsque ad fin. & lib. 2. prope med. & lib. 4. sect. 2. multoties hanc sententiam spargit, ingenitum est ablatio siue negatio, *quia est non habere substantiæ principium, nec sui originem, nec causam.* Gregor. Nyssen. citatus sect. præcedenti in argumento primo satis indicauit, ingenitum esse idem, quod non genitum. Epiphanius hæresi 76. confutans cap. 22. Aëtij, probat ingenitum, non esse propriè priuationem, quæ supponit potentiam formæ, sed esse negationem, vt explicabimus sect. 3.

7 Pluribus locis abūdat in hac disputatione Cyrillus Alexandrin. ostendens, quod *ingenitum* nec est ratio, nec definitio Dei Patris, nec significat substantiam, *nec quid sit, sed solummodo, quid non sit.* Ita dialogor. de Trinit. lib. 2. col. 4. & sequentibus vsque ad med. libri, & lib. 11. thesauri cap. 2. & 3. & 4. & lib. 11. thesauri toto cap. vnico præsertim inter princ. & med. Damascen. lib. 2. de fide circa med. *Solus Pater*, ait, *ingenitus, non enim ex alia hypostasi suæ hypostaseos habet substantiam.* Anastasius Sinayta de rectis fidei dogmat. lib. 1. inter princ. & med. indifferenter vtitur his vocibus *non gigni, &, ingenitum.* Magis ex professo præsentem conclusionem probat Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 3. 5. 6. & 7. Peculariter notentur ad fin. sexti capitis illa verba: *Cum verò ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit, dicitur.* Et continuò in cap. 7. probat, esse idem quod *non filius.* Anselmus in monolog. cap. 54. versus finem inde probat, solum Patrem esse ingenitum, quia *nullo modo ab alio est.* Concilium Tolet. Vndecimum in profess. fidei col. 2. *Patrem*, inquit, *non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur, ipse enim à nullo originem traxit.*

8 In eandem sententiam conspirant Scholastici doctores, asserentes, formalem rationem ingeniti & innascibilis consistere in priuatione relationis ad principium, à quo producatur. Ita S. Thomas in præsenti q. 33. art. 4. ad 1. & q. 40. art 3. ad 3. & 1. dist. 28. quæst. 1. artic. 1. & 2. Alexand. 1 p. q 69. memb. 2. Albert. 1. p. quæst. 59. memb. 1. & mem. 2. art. 1. circa med. S Bonauent. 1. dist. 26. art. vnico q. 4. corp. post med. & dist. 28. art. vnico quæst. 1. & 2. satis fusè. Magister 1. dist. 28. Vbi Ricard. art. 2. q. 1. & 2. Durand. q. 1. artic. 1. Scotus q 2. Gabriel. quæst. 1. Argentina q. 1. art. 1. Aureolus art. 1. fine. Capreolus q. 1. Carthus. q. 1. Maior. q. vnica post med. Henricus 2. p. q. art. 55. q. 5. ad 4. & 5 & artic. 57. q. 1. corp. Caiet. Canariens. Molina, Vazquez & cæteri expositores S. Tho. ad præsentem art. 4. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 9. post med. Suarez lib. 8. de Trinit. cap. 2.

9 *Ad primum resp. primo.* Ad argumenta, quæ sect. 1. proposuimus resp. Ad primum respond. primò. Multoties contingit, vt nomina supponantur; non pro suo formali significato negatiuo, sed pro reali fundamento, à quo procedit negatio. Veluti quādo suffusus oculis humor appellatur cæcitas, & densiores nubes appellantur tenebræ. Sic ergo nónulli ex illis Patribus videntur innascibilitatem siue ingenitum supposuisse pro supposito primo, cuius realis subsistentia immediatè cohæret cum essentia diuina. Quem positiuis vocibus significauit Ricard. Victorin. appellans modum essendi, vel existendi à semetipso, lib. 1. de Trinit. cap. 6. & 7. & 8. & lib. 5. cap. 5. in med. Nec mirum, nam aliis etiam nominibus, significantibus realem aliquam formalitatem, eadem multoties, vt supponantur pro suo supposito, de quo prædicantur. Quemadmodum *Cunctatoris* nomen significat dilatorem & procrastinatorem, supponitur autem pro persona Fabij Maximi

10 Respond. secundò. Vocabulum, *modus*, illi Patres acceperunt analogicè prout dicitur de modo positiuo & de modo negatiuo. Quod clariùs expressit Basil. lib. 5. contra Eunom. paulo post med. dicens: *Ingeniti appellatio significat, quomodo esse habeat substantia Dei, & quod nata non sit.* Vide negatiuum modum. Cyrillus autem lib. 1. thesauri cap. 3. sub init. *Non est*, inquit, *ingenitum substantia, sed substantiam, de qua dicitur, non esse tali modo, significat:* Nyssenus quoque citatus in argumento modum explicuit negatione: *Quasi non genitum sit.* Eodem igitur sensu licebit intelligere cæteros Patres.

11 Ad confirmationē consequentia negatur, quoniam Patres illis verbis non intendebant primariò & ex instituto declarare quidditatem modi. Sed totus eorū conatus incumbebat in eam confutationem Ariani sophismatis, qua demōstratur ingenitum & genitum esse posse vnius eiusdémque substantiæ vel essentiæ, quia genitum & ingenitum non significat substantiam, sed modos distinctos, quos eadem potest habere substantia. Aliis tamen verbis satis aperte declararunt, ingenitum esse negationem, vt ostendimus in hac & sequenti sectione.

12 Ad secundum respond. Patres in illis locis ingenitum & innascibile supposuerunt pro Paternitate, quemadmodum dictum est in prima solutione præcedētis argumenti. Motiuum verò fuit, quoniam innascibilitas euidentiùs ostēdebat realem distinctionem Patris à Filio, quam tunc defendere intendebant primariò. Nunquam tamen dixerunt, innascibilitatem esse proprietatem realem, nec esse idem, quod Paternitas, vel subsistentia: sed quoties ex instituto declarabant, quid sit ingenitum, dicebant esse negationem, vt constat ex locis adductis pro conclusione.

13 Ad primam confirm. respond. Anastasius illis verbis rectè probat, hypostasin Patris esse distinctam ab hypostasi Filij, quoniam est ingenitus. Quemadmodum multi Patres probare solēt, quia Filius non est Pater, & Pater non est Filius. Ad secundam confir. resp. Mens Epiphanij fuit, ingenitum nō esse priuationem propriè & strictè, quæ subiectum reddat imperfectum & impotēs, auferendo perfectionem, quam suapte natura deberet habere, quod probat, quia potius Pater ex sua quidditate seu personali natura per se postulat à nullo procedere, vt magis explicabitur sec. 3. ad 3.

14 Ad tertiam. Solutio constat ex Augustino in eodem loco, vnde sumitur argumentum. Nam lib. 5. de Trinit. cap. 6. fine ait: *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur. Cum autem relatiuum negatur, non secundum substantiam negatur, quia ipsum relatiuum non secundum substantiam dicitur.* Quæ postrema ratio petita est ex communi doctrina Dialecticorum in prædicamentis, iuxta quam omnis negatio reducitur ad illud prædicamentum, in quo ponitur affirmatio, quam excludit. Ideóque non homo reducitur ad prædicamentum substantiæ. Vnde Augustinus in eodem cap. 7. inter princ. & med. ait: *Qui dicit non homo, non aliud genus prædicamenti enunciat, sed tantùm*

tantùm illud negat, videlicet substantiam. Idémque docet de cæteris prædicamentis.

15 Probauerat autem ibidem Augustinus, in diuinis genitum siue productum non dici ad se, nec substantialiter, sed ad aliquid & relatiuè, quemadmodum & Filius dicitur relatiuè. Consequens igitur est, vt ingenitum siue improductum non ad se substātialiter dicatur, sed reuocetur ad relationem, tanquam illius negatio. Id vel maximè, quoniam ingeniti fundamētum proximum est relatio: vt videbimus sect. 5. Huius solutionis doctrina corroborari potest authoritate S. Thomæ in præsenti q. 33. artic. 4. ad 3. Hinc constat solutio ad confirmationem, nam ex superiori contextu Augustini manifestum est, quod non genitus refertur eo tantùm sensu, quod negat relationem.

16 Ad quartum respond. distinguendo Maiorem. Notio debet pertinere ad dignitatem personæ non ita vt formale significatum illius necessariò debeat esse dignitas (hoc enim solis notionibus positiuis conuenit.) Satis enim est, si negatio per suum formale significatū nos ducat in cognitionem positiuæ dignitatis, ex qua prouenit illa negatio, & quam de materiali significat, vt fusius explicatum est disp. 47. sect. 2. ad 3. argum. & tota illa sect. 2. probatum est, ingenitum etiam sub ratione formali negationis, aut priuationis esse notionem & proprietatem.

17 Vnde cōstat solutio ad quintum argum. Omnis enim proprietas ponit aliquid vel ratione sui formalis significati, vt Paternitas, vel ratione fundamenti proximi, ex quo resultat, & ad cuius cognitionem ducit, vt ingenitum. Ad confirm. Resp. Athanasius ea dictione exclusiua nō excludit illa, quæ necessariò comitantur ingenitum, qualis est realis proprietas, fundans negationem processionis iuxta doctrinam de exclusiuis, dictam disput. 40. sect. 4. & 5.

18 Ad sextum respond. Ingenitum non dicit meram negationem, sed connotat aptitudinem procedendi à principio secundum communem rationem personæ diuinæ, vt videbimus sect. sequenti. Iuxta quam proprietatem chymæræ repugnat ingenitum.

19 Ad septimum respond. ex Damascen. & S. Tho. in eisdem locis. Sicut substantiæ à substantia discrimen internoscitur voce *ingeniti*, accepta pro increato; quoniam ex hac negatione sequitur, necessariò naturam, essentiam atque substantiam, quam cōsequitur, esse diuersam à natura substantiáque creata: sic etiam personæ à persona discrimen internoscitur voce *ingeniti*, sumpta pro non procedente à principio; quoniam ex hac negatione sequatur necessariò personam siue hypostasim, quam consequitur, esse diuersam. Alioqui Damascen. ibidem negatiuè declarauit ingenitum, vt pro concl. retulimus.

SECTIO III.

Num mera negatio, vel priuatio sit ratio formalis ingeniti.

1 DVbitandi ratio est prima, quia Iustinus in confutatione dogmatum Aristotelis, lib. 1. de naturali auscultat. versus finem §. *si est materia generabilis*, ita distinguit: *Ingenitum in generabilibus quidem priuationem significat, in quæ cadit generatio: in æternis autem generationem omnino negat præteritam aquè ac futuram.* Quæ distinctio manifestè deducitur ex cōmuni doctrina philosopho-

Ruiz. de Trinitate.

rum, quam tradit Aristoteles in postprædicamentis cap. 10. de oppositis præcipuè textu 4. vbi *Priuatum*, inquit, *dicimus vnumquodque eorum, quæ susceptiua sunt habitus*, &c.

2 *Secunda ratio.* Secunda, quoniam Eunomius opponebat Catholicis, ingenitum non dici *secundum priuationem: priuatio enim omnis eius quod natura inest, priuatio est, & posterior habitu.* Quam obiectionem refert Basil. lib. 1. contra Eunom. circa med. & fatetur esse desumptam ex cathegoriis Aristotelis. Sed Patri non inest natura procedere à principio, nec huius carentia est posterior, sed prior origine, quàm processio. Ergo Patrem à nullo principio procedere non est priuatio, sed mera negatio. Confirmatur, nam Basilius ibidem docet, eodem modo ratiocinandum esse de innascibili, sicut de incorruptibili, inuisibili & immortali, quātum ad rationem priuationis, aut meræ negationis. Sed hæc nomina non dicunt priuationem. Ergo nec ingenitum.

3 *Tertia ratio dubitandi.* Tertia, nam Aëtius similiter opponebat priuationem suo cap. 22. quod impugnans Epiphanius hæresi 76. longè post med. concludit: *Corruit Aëtij sermo, qui nobis priuationem introduxit, cum ingenitus Deus, & genitus Filius, non secundum priuationem, quæ est creaturarum, habeat dignitatem existentem, sed iuxta id, quod sponte & propriè decet eius essentiam, ac Deitatem.*

4 *Aliquid priuationis admixtum est ingenito.* Nihilominus dico primò. Formale significatum ingeniti & innascibilis (prout est solius Patris proprietas) non est mera negatio processionis passiuæ, sed habet aliquid admixtum priuationis, vel potius est in quodā infimo gradu priuationis, quæ est negatio formæ in subiecto, cuius rationi genericæ non repugnat habere formam, quam excludit; repugnat tamen rationi specificæ.

5 Declaratur & probatur primò, nam talpa dicitur cæca, quoniam secūdum rationem genericam animalis non repugnat illi potentia visiua, licet repugnet propter rationem specificā talpæ. Præterea Dei odium aut quilibet actus intrinsecè cōtrarius rationi, dicitur habere priuationem honestatis, quia licet honestas repugnet illius specificæ differentiæ, debebatur tamen illius rationi genericæ. Sic ergo Patri, secundum rationem diuini suppositi vel personæ, quæ communis est tribus personis diuinis, & inquantum Deus est, non repugnabat procedere ab alia persona diuina tanquam à principio. Hoc tamen repugnat illi, secundum rationem quasi specificā talis personæ, quæ prima est, & immediatè cohærens cum essentia. Hæc est sententia S. Thomæ in præsenti q. 33. art. 4. ad 2. & dist. 28. q. 1. art. 1. ad 2. Et idem ferè sentiunt Alexand. Albertus. Bonauētura, Durand. Aureol. Capreolus, & alij Scholastici citati sect. præcedenti post med. Henricus 2. part. art. 57. q. 1. corp. magis ex professo,

6 Probatur secundò, Nazianzenus enim orat. 35. quæ est 3. de theolog. longè post med. *Ingenitum*, inquit, *& genitum inter se opponuntur, vt habitus & priuatio.* Basilius autem lib. 1. contra Eunom. circa med. permittit, vt appelletur priuatio; & iudicat non esse inconueniens.

7 Tertiò probatur, eo quod ingenitum non esset notio nec proprietas distinguēs Patrem à Filio & Spiritu sancto, nisi Filius & Spiritus sanctus haberent eam formā seu habitum, quem formaliter excludit ingenitum. Propterea̅que Pater vocatur ingenitus, vt denoretur, eius personæ repugnare processionem passiuam, quam habent aliæ personæ diuinæ, atque hac ratione ab illis distingui.

8 Quartò probatur, nam si meram negationem passiuæ processionis diceret ingenitum; conueniret figmentis impossibilibus, insuper conueniret rebus possibilibus, quæ nunquam sunt producendæ: ac subinde non esset proprietas æterni Patris. Confirmatur, quia mera negatio contradictoriæ opponitur affirmationi, vnde fit vt nullum detur medium inter vtrãque (vt notat Aristoteles dicto cap. 10. de oppositis.) At inter genitum & ingenitum datur medium, quemadmodum homo, possibilis, nec est genitus, nec ingenitus.

9 *Magis accedit ad puram negationem.* Dico secundò. Formale significatum ingeniti non est priuatio propriè & strictè sumpta, sed magis accedit ad puram negationem. Quia priuatio strictè supponit, supponit, subiectum esse capax formæ secundum suã rationem specificam in hoc tempore & loco, vt videre est apud Aristotelem in cap. 10. de oppositis.

10 *Ad primam rationem dubitandi.* Hanc assertionem tantummodo probant rationes dubitandi, sed circa singulas notandum est aliquid. Circa primam notandum est, Iustinum eo in loco disputare cõtra philosophos ethnicos, quibus tunc nõ expediebat exponere quid de ratione priuationis participaret ingenitum dictum de rebus æternis; sed magis expediebat ostendere, quod generatio, qualem cognouerunt philosophi, repugnat rebus æternis.

11 *An priuatio sit posterior habitu.* Ad secundam rationem dubitãdi. Resp. primò. Quamuis Aristoteles expresè docuerit, priuationem esse negationem eius habitus, qui naturaliter inesse potest; nullibi tamen expresè docetur, priuationem esse posteriorem habitu. Basilius autem, vt concederet, hoc etiam esse desumptum ex cathegoriis Aristotelis, occasionem arripere potuit ex eo quod in prædicto cap. 10. docet ab habitu ad priuationem esse transitum, sed non esse regressum à priuatione ad habitum. Quæ sentẽtia cum, omnium dialecticorũ iudicio, non possit generaliter verificari de quibuslibet priuationibus (aër enim quotidie regreditur à tenebris ad lucẽ, animalia quoque à somno ad vigiliam, à quiete ad motum, ab otio ad laborem, homines etiam ab obliuione ad memoriã) in illis potissimùm fallit, quæ sunt priuationes dependentiæ vel quasi dependentiæ, quoniam consequuntur ex eo quod aliquid sit primum in suo genere. Sic enim indiuisum est prius quàm diuisum, quemadmodum vnum est prius, quàm multa, & immobile prius est quàm mobile, quoniam hoc pendet ab illo, & non è contrario. Ad cuius analogiam in diuinis ingenitum est prius origine, quàm genitum, quoniam hoc procedit ab illo.

12 Respond. secundò. Fortasse Basilius eam intellexit posterioritatem, quia priuatio quidditatiuè respicit habitum, & ideo cæcitas est quidditatiuè priuatio visus: è contrario tamen habitus non respicit priuationem, ideóque visus non est quidditatiuè cæcitatis habitus, nec intelligitur per cæcitatem, sicut cæcitas intelligitur per visum. Quod etiam attigit Atistot. dicto cap. 10. de oppositis.

13 Ad confirm. Resp. primò. Fortassis Basilius agebat de ingenito, prout est proprium Dei, & commune tribus personis: agit enim de Deo, vt Deus. Iuxta quam acceptionem ingenitũ nihil amplius de priuatione participat, quàm cęteræ negationes cõmunes tribus personis. Quamuis in iis quoque reperiatur minima quędam participatio priuationis, inquantum Deo, secũdum communem rationem entis, non repugnat esse corruptibilem, mortalem atque visibilem.

14 Respond. secundò. Si Basilius intelligatur de ingenito, quod est propriũ Patris, rectè præcipit, eodem modo ratiocinari de illo, sicut de incorruptibili, quantum ad illa quæ obijciebat Aëtius. Vnde sicut Deo nõ ineſt ex sua natura corruptio, nec corruptio est prior incorruptione: nihilominus Deus est incorruptibilis: ita Pater est ingenitus, licet ei non insit ex natura sua processio passiua, nec illa sit prior quàm ingenitum.

15 Ad tertiam, Respond. Epiphanius ibi docere vult, quod ingenitum nõ sit priuatio strictè sumpta, quæ à subiecto pellit habitum, illi naturaliter debitum & necessarium, vt perficiatur. Vnde prouenit, vt priuatio strictè sumpta sit violenta contra naturalem propensionem subiecti. Propterea dicit *iuxta id quod sponte*, id est, iuxta quiditatiuam propensionem personæ, *& propriè decet*, id est, perficit & ornat absque vlla imperfectione peculiarem rationem istius personæ: de quo dixi quoque sect. præced. ad 2. confirm. argum. 2.

SECTIO IV.

Quænam realis formalitas immediatè fundet rationem ingeniti.

1 *Positiuum fundamentum requiritur.* TAnquam exploratum supponitur ab omnibus doctoribus, statim referẽdis, quod aliqua realis formalitas sit fundamentum, cui nititur immediatè priuatio, quam importat ingenitum. Cuius primaria ratio est, quoniam omnis priuatio procedit ab aliqua realitate positiua, quæ expellit à subiecto habitũ oppositum; & illa potissimum priuatio, quæ non solum priuat aliqua forma, sed etiam possibilitate illius. Talis enim priuatio requirit in subiecto aliquid positiuum, realiter oppositum illi possibilitati. Confirmatur, nam id positiuum maximè necessarium est, quando priuatio prouenit ab intrinseco, tunc enim debet esse fundamentum intrinsecum, realiter repugnans possibilitati habitus oppositi. At verò Patris proprietas, quæ est ingenitum, prouenit Patri ab intrinseco, & priuat non solum actuali processione passiua; sed etiam eius possibilitate.

2 Probatur secundò, quia nulla negatio ratione sui præcisè potest esse incommunicabilis, sed ratione affirmationis, cui nititur. Nam incommunicabilitas prouenit ab indiuiduatione: indiuiduatio verò est aliquid positiuum. At negatio, importata per ingenitum, est incommunicabilis. Tertiò, quia notio quælibet dignitatem & perfectionem continet. Ingenitum autem ratione solius negationis nullam dignitatem aut perfectionem continet. Ergo saltem eius fundamentum debet esse reale & positiuum, pertinens ad dignitatem & perfectionem, vt sectione 2. ad 4. dictum est.

3 *Dubitandi ratio prima.* Quo supposito, dubitandi ratio est, quoniam essentia diuina non potest esse immediata & formalis ratio fundandi priuationem peculiarem personæ Patris, ne communicetur etiam Filio & Spiritui sancto, quibus communicatur essentia. Relinquitur ergo sola relatio Paternitatis, quæ sit immediata & formalis ratio fundandi, quoniam in persona Patris nihil aliud reale reperitur, præter essentiam absolutam, & relationem Paternitatis.

4 Aliunde verò Paternitatem non esse rationem fundandi priuationem, quæ importatur per ingenitum, contendunt hæc argumenta. Primum, nam Epiphanius hæres. 76. longè post med. ad cap. 22. Aëtij, docet, Patrem esse ingenitum, *eo quod ipsa per*

per se ingenita natura est. Ergo natura & non relatio Paternitatis fundat hanc priuationem.

5 *Secũda ratio dubitandi.* Secundum argumentum, nam vt inquit Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. initio, receptus à Magistro in 1. dist. 28. cap. 1. & communiter Scholasticis infra referendis: *Non hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere: quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum; & si gignat quisque filium, non ex eo ipso ingenitus est, quia & geniti homines ex alijs hominibus, gignunt & ipsi alios.* Et paulo inferius: *Nec ideo quisque pater, quia ingenitus, nec ingenitus ideo, quia pater.* Idem omnino docuit Augustinus serm. 38. de tempore ferè inter medium & finem, licet mala verborum cohærentia videatur sonare contrarium. Nec dubito locum esse corruptum scriptorum negligentiâ, vel imperitiâ.

6 Ex his ergo verbis duo cõstant. Primum, quod negatio ingeniti posset esse sine Paternitate, & Paternitas posset esse sine negatione ingeniti. Ergo Paternitas non est immediatum fundamentum istius negationis. Secundum est, Paternitatẽ non esse rationem, propter quam sit ingenitus. Ergo non est fundamentum immediatum. Consequentia probatur, quia fundamentum immediatum est ratio, propter quam supposito conuenit negatio.

7 Confirmatur primò, ex Cyrillo Alexan. lib. 2. dialog. de Trin. col. 4. vbi ait: *Non quia Pater, ideo omni modo ingenitus, sed quia non genitus est.* Et in eodem lib. 2. colum. 3. & sequentibus ostendit, esse plurima ingenita, quæ non sunt patres: & è contrario plurimos patres non esse ingenitos. Confirmatur secundò, quia remota per intellectum Paternitate, posset intelligi persona innascibilis, vt docet Alexand. 1. p. q. 69. toto memb. 5. S. Thom. infra q. 40. art. 3. corp. circa med. Confirmatur tertiò, quia dato quod in diuinis non esset pluralitas personarũ, sed vnicum suppositũ, illud esset ingenitũ absque Paternitate. Ergo Paternitas non est ratio fundandi formalitatem ingeniti.

8 *Tertium argumentum.* Tertium argum. quia si Paternitas esset ratio fundandi priuationem, qua constituitur ingenitus; sequeretur innascibilitatem esse posteriorem Paternitate. Sequela probatur, quia priuatio posterior est formalitate positiua, quæ habitum excludendo, fundat priuationem & veluti causat illam. Cõsequens autem esse falsum probatur, quia Paternitas & Filiatio sunt simul, vtpote correlatiuæ. Sed innascibilitas non est posterior Filiatione. Ergo non est posterior Paternitate.

9 *Quartũ argumentum.* Quartum argumentum Henrici statim citandi. Quia relationes positiuæ in Deo propterea reales sunt, quia ex natura rei fundantur in diuina essentia. Ergo similiter negatiua relatio (sic appellat innascibilitatem) ex natura rei fundatur in diuina essentia. Consequentiam probat, quia sicut ex natura diuinæ essentiæ est, quod in aliqua persona sit ratio & principium vt *quo* producendi aliam personam: sic etiam diuina essentia in aliqua persona est ratio, vt illa persona non producatur ab alia.

10 *Fundamentũ ingeniti esse diuinã essentiam.* Prima sententia fuit Henrici de Gandauo, part. 2. summæ artic. 57. q. 1. corp. post med. fundamentum subsstratũ priuationi, quam dicit ingenitum, non esse aliud, nisi ipsam diuinam essentiam: vt sit sensus, Pater est ingenitus, id est, habens in se diuinam essentiam non ab alio. Verba sunt eiusdem authoris. Adhibet autem in solutione quinti argumẽti declarationem, vt essentia diuina sit fundamentum *in quo*, sed fundamentum *quo*, sit Pa-

terna proprietas siue generare. Quapropter agnoscit, rationem fundandi proximam & immediatam esse Paternitatem, in quo rectè sensit.

11 *Refutatur.* Hanc meritò refutant Durand. dist. 28. q. n. 7. & Aureol. ibidem art. 2. sub init. Primò, quia idem non est fundamentum sui ipsius: sed ingenitum (vt in præsenti sumitur) est non habere ab alio diuinũ esse. Ergo essentia diuina, prout non ab alio, nõ est fundamẽtum ingeniti. Declaratur & confirmatur, quia essentia diuina, præcisa negatione procedendi ab alio, non est ratio fundandi priuationem processionis, siquidem eam non fundat in Filio & Spiritu sancto. Quando verò superadditur essentiæ, quod nõ habeatur ab alio, nihil aliud additur, nisi formalissima ratio ingeniti.

12 Vnde sumitur secunda refutatio, quia priuatio propria vnius tantùm personæ, requirit rationem fundandi positiuam & peculiarem illius personæ. Alioqui, cui fuerit communis ratio fundandi, communis erit priuatio, ex illa proueniens, & cum illa necessariò cohærens.

13 *Aliquid notionale, proprium Patris esse fundamentum.* Secunda sententia grauissimorum Scholasticorum asserit, positiuam & realem formalitatem, in qua fundatur hæc priuatio, esse aliquid notionale proprium personæ Patris, quod à diuersis explicatur diuersimodè. Sed quantum ad mentem nihil, aut prope nihil eos dissidere puto. Primò namque fundamentum esse rationem patriarchæ, seu rationem primi principij, dixerunt Alexand. 1. p. q. 69. mem. 2. & Albert. 1. p. q. 39. memb. 1. Secundò, fundamentum esse fontalem plenitudinem, & rationem quandam abstractam & communem Paternitati & Spirationi actiuæ, secundum quam prima persona refertur ad Filium & ad Spiritum sanctum, docet S. Bonauent. 1. dist. 28. art. vnico q. 1. corp. ad fin. & q. 2. Tertiò Durand. 1. dist. 28. quæst. 1. art. 2. num. 9. ait: Authoritas vniuersalis principij vel primi principij est ratio, propter quam conuenit personæ diuinæ, quod sit ingenita. Quartò Ricardus eadem distinctione art. 2. quæst. 1. & 2. corp. dicit, quod primitas ad omnem emanationem est ratio fundandi.

14 *Declaratione temperatur prædicta sententia.* Tota hæc sententia, quatuor his modis exposita, veritatem attigit maiori ex parte. Sed propter nimiam generalitatem excessit illius limites, nisi conuenienti declaratione contrahatur. Pro cuius clariori probatione Dico primò. Ratio fundandi proximè & immediatè priuationem, quæ est innascibilitas, non est ratio primi principij, tam generaliter accepta, vt comprehendat etiam principium creaturarum. Idem intellige de ratione patriarchæ, aut fontali plenitudine vel vniuersalitate seu primitate ad omnem emanationem.

Dictum primum.

15 Probatur primò, quoniã principium esse creaturarum, est commune tribus personis, & illis conuenit ratione essentiæ diuinæ, & potentiæ creatiuæ. Sed proxima & immediata ratio fundãdi priuationem hanc, debet esse peculiaris solius primæ personæ, sicut innascibilitas est illi peculiaris, vt contra primam sententiam dicebamus. Probatur secũdò, quoniam licet Deus non intelligatur, vt potens creare, nec intelligantur creaturę possibiles; intelligitur habere Deus quidquid immediatè requiritur, vt sit ingenitus: vt constabit à fortiori ex sequentibus assertionibus & sect. sequenti; quia si productionis ad intra principium non requiritur vt fundamentum innascibilitatis, multo minus principium productionis ad extra.

16 Dico secundò. Prædicta ratio fundandi nó includit principium spirationis simul cum principio generationis, quia præcisa per intellectu explicita ratione spiratoris, sufficienter intelligitur immediata ratio fundandi ingenitum, vt constabit in hac & sequenti sectione. Confirmatur, quia relatio spiratoris est secũdum rationem posterior Paternitate, Paternitas autem sufficit ad fundandam innascibilitatem modo statim explicando.

Dictum 2.

17 Propterea fuit tertia sententia magis limitata, quod *negatio, quam importat ingenitus, intelligitur fundata in ratione principij, secundum quod est notio Patris.* Verba sunt S. Thomæ 1. sentent. dist. 28. quæst. 1. art. 1. ad 2. quibus consonat in solutione ad 2. & 4. & magis expresè art. 2. ad 2. Quod tamen non expressit in præsenti quæst. 33. artic. 4. Cæterum consonat præsertim in solut. ad 1. Eandem sententiam sequitur Capreol. 1. dist. 28. q. 1. art. 1. concl. 3. vbi Deza.

18 Pro cuius declaratione Dico tertiò. Ratio principij, prout est notio Patris, considerari potest inquãtum est productiua personæ alterius, & prout explicitè & formaliter refertur ad personam productam. Hæc autem nó est immediata ratio fundandi priuationem, de qua loquimur. Probatur primò. Sicut enim cæcitas intelligi non potest, nisi intellecto oculo impedito: ita vniuersaliter nulla priuatio potest intelligi, nisi proxima ratio fundandi simul intelligatur. Sed ingenitum intelligitur diuinum suppositum, licet non intelligatur esse genitor Filij, nec principium productiuum ad intra, (quemadmodum philosophi intellexerunt, Deum esse ingenitum.) Ergo ratio fundandi priuationem, quæ est ingenitum, non est ratio genitoris. Et hoc probat argumentum secundum initio positum.

Dictum 3.

19 Confirmatur. Quamuis enim ex eo, quod prima persona sit principium productiuum omnium personarum diuinarum, necessariò sequatur, eandem personam esse improductam: cæterum hoc non est requisitum vt sit improducta (loquendo iuxta connexionem immediatã cuiusque formalitatis explicitæ) sufficienter enim res aliqua intelligitur improducta, licet nullam aliam rem producat; vt statim ostendemus.

20 Probatur secundò, quia ratio fundãdi est prior, quàm priuatio fundata. Sed ratio principij productiui, etiam Filij, præcisè considerata, non est prior, quàm innascibilitas. Nam quod vna persona sit productiua alterius personæ, non est prius, quàm eam personam in seipsa subsistere: vt autem prima persona subsistat in seipsa, iam intelligitur à seipsa habere esse, & non ab alio principio.

Primaria probatio resultat ex refutatione præcedentium sententiarum. Quia ratio fundandi debet esse aliqua formalitas realis propria solius Patris, vt cõstat ex præcedenti sectione in princ. & impugnatione primæ sententiæ. Nulla verò realis formalitas est propria solius Patris, nisi relatio Paternitatis (nam præter hanc cætera cuncta communicat Filio & Spiritui sancto iuxta doctrinam omnium Patrum supra disputat. 19. sect. 2.) Ergo in relatione Paternitatis debet esse ratio fundandi priuationem, quæ est ingenitura. Rursus relatio Paternitatis non est ratio fundandi secundum explicitam rationem, qua respicit Filium vt productum, siue vt genitum, (sicut probatum est assertione præcedenti:) necessarium igitur est in eadem relatione distinguere quasi partialem aliam & priorem rationem, quæ fundet immediatè priuationem procedendi ab alio.

Hæc autem partialis ratio consistit in quodam incompleto conceptu subsistentiæ siue personalitatis, primo & ratione sui habentis Diuinitatem, & illam terminantis primo & ratione sui. Primitatem verò non intelligo cum ordine ad secundum, quoniam innascibilitas intelligitur sine ordine ad secundam personam, vt probatum est sect. præced. assert. 3. Sed primitatem intelligo talem, qualis ei realiter conueniret, licet esset vnica tantum persona.

Declaratur amplius & confirmatur primò, quia substantia est ens per se, & iste modus essendi realis & positiuus est, licet à nobis explicetur per negationem, cum dicimus non inhærere alteri: & suppositalitas siue subsistentia est realis & positiuus modus existendi, positiuè declaratus hac voce *per se existere*, quamuis à nobis clariùs intelligatur adhibita negatione, quam immediatè fundat, videlicet non esse in alio sustentante atque recipiente. Sic ergo rectè possumus intelligere, subsistentiam primæ personæ habere ratione sui esse, atque, vt ita dicamus, propter seipsam: quæ formalitas positiua magis declaratur à nobis, faciliúsque cognoscitur per negationem processionis ab alio principio, quam immediatè fundat.

In hoc sensu non minus verè, quàm acutè discurrit Henricus p. 2. art. 57. q. 1. corp. prope fin. dicens, illud positiuum, quod de materiali significatur ingenito, esse *plenitudinem & sufficientiam in Patre ex se.* Quod tradit Hilarius lib. 3. de Trinit. non procul à principio, quando de Patre sic loquitur. *Non aliunde quod est sumens, sed ad id quod ita manet, sibi ipsi sufficiens. Hic ergo ingenitus genuit,* &c. Atque inde sequitur, vt illud nomen Dei maximè proprium Exodi 3. *Qui est,* licet sit commune tribus personis, quoniam duabus communicatur à Patre: cæterum peculiari ratione sit proprium Patris, quatenus ille solus omni modo possibili est à seipso, *qui est*, propterea quæ non requirit ab alio accipere suum esse.

Secundò declaratur & confirmatur, quoniam hoc nomine sufficiẽtiæ significatur ille realis modus essendi, ratione cuius non requirit aliud principium, à quo recipiat esse: quemadmodum quando dicimus, primam subsistentiam ratione sui atque propter seipsam habere esse, significamus illud ipsum positiuum, quod Filius de se negat, quando dicit, à semetipso non venisse, nec à semetipso loqui vel operari, & viuere propter Patrem: iuxta dicta disput. 50. sect. 10. & sequentib. & dicenda disput. 111.

Decla

SECTIO V.

Partialis quidam conceptus Paternitatis fundat ingignentiam, & conciliat omnes sententias.

1 Dico primò. Quidam veluti partialis conceptus primæ personalitatis, est immediata ratio fundandi priuationem processionis passiuæ, quam formaliter dicit ingenitum. Et consequenter hæc ratio fundandi non est formalitas quasi cõpletè distincta à Paternitate, sed potius est ipsa Paternitas, siue relatio genitoris ad genitum, non secundum cõceptum explicitum Paternitatis, sed secundum alteram quasi partem priorem illius.

7 Declaratur tertiò, quia nullus ordo primæ personæ ad seipsam significatur à nobis, quando dicimus habere esse ratione sui & propter se ipsam, & sibi sufficere. Nam ordo talis non poterit esse, nisi ens rationis, ac proinde præsupponet realem rationem fundandi, quam inquirimus. Et potiori ratione non erit negatio ipsa processionis ab alio principio.

8 Quartò confirmatur, nam illa formalitas realis est immediata & propria ratio fundandi priuationem processionis passiuæ, qua posita, præscindendo à cæteris omnibus formalitatibus, ponitur dicta priuatio, & qua sublata, aufertur priuatio, licet reliquæ formalitates positiuæ ponantur. Sed posita subsistentia, quæ totaliter ratione sui, & propter seipsam habeat esse cum prædicta sufficientia, necessariò consequitur, quod non procedat ab alio principio, etiamsi præscindamus ab explicita formalitate productiui, & à qualibet alia. E contrario tamen sublata per intellectum illa formalitate, licet ponantur reliquæ, non consequitur prædicta negatio, vt probatum est sect. præced. in assert. 3. Ergo hæc formalitas est immediata & adæquata ratio fundandi priuationem istam.

9 Quintò, nam cum explicita formalitate Paternitatis quiditatiuè coniuncta est prædicta formalitas sufficientiæ, & existendi ratione sui, quia Paternitas est principiũ primæ processionis. Propterea que debet habere ab intrinseco quidquid requiritur, vt sibi sufficiat, ideóque non requirat principium, à quo recipiat esse.

10 Sextò, nã ratio primi principij vel patriarchæ, vel fontalis plenitudinis, quam dicunt sententiæ supra recitatę, soli Paternitati conuenit, & per illã omnes sententiæ conspirant ad eandem veritatem explicandam. Imprimis enim S. Thomas præsenti quæst. 33. art. 4. corpore, & in solut. ad 1. & ad 4. fundat ingignẽtiam in ratione principij inquantum est primum, & inquantum est primum, dicit, declarari hac negatione. Quod accipiendum est quasi commentarius doctrinæ, quam tradiderat 1. dist. 28. quæst. 1. art. 1. ad 2. & art. 2. corp. & ad 2. videlicet Paternitatem, siue notionem Patris in ratione principij, esse fundamentum ingignentiæ.

11 Ad eundem modum intelligenda est ratio patriarchæ aut ratio primi principij, quam Alexander & Albertus dicebant, non ita vt explicita ratio producentis omnia vel primò producentis, sit ratio fundandi; sed illa primitas essendi ratione sui, quam immediatè consequitur ratio patriarchæ vel vniuersalis principij. Fontalis autem plenitudo duabus veluti partibus constat, quarum altera consistit in emittendo, influendo, & communicando; sed hæc non est immediata ratio fundandi. Altera consistit in eo, quod fons in se ipso præhabeat ratione sui, quod influendo communicat. Hæc autem formalitas est immediata ratio fundandi. Quantum ad hoc optimè sensit S. Bonauentura.

12 Eodem modo reuocari possunt ad verum sensum Durandus & Ricardus supra citati. Dummodo quod tam ipsi, quàm S. Bonauentura, Albertus & Alexander ampliarunt, comprehendendo principium processionis Spiritus sancti & creaturarum, intelligatur solũmodo radicaliter & implicitè, prout hoc necessariò consequitur ex eo quod prima persona sit ratione sui, & sibi sufficiens. Similiter verũ est quod scribit Aureolus 1. dist. 28. art. 2. prope fin. Quidquid realiter habet Pater, inquantum habet esse à se, fundare ingignentiam. Sed quod addidit, Paternitatem & Spirationem actiuam fundare, falsum est, nisi radicaliter & implicitè intelligatur.

13 Dico secundò. Primitas illa, ratione cuius Paternitas fundat ingignentiam, nec constituitur relatione rationis, nec illã includit. Additur hæc assertio, ne quorumdam recentiorum authoritas aliquem moueat, vt contrarium sibi persuadeat. Probatur primò, quia relatio rationis non potest esse ratio fundandi negationem possibilitatis. Nam impossibilitas oritur ex natura seu quiditate rerum independenter à comparatione nostri intellectus. Sed relatio rationis non est nisi dependenter à comparatione nostri intellectus.

Primitas, quæ fundat ingignentiam nõ est relatio rationis.

14 Secundò, quia relatio rationis aut respicit personas alias, & talis relatio posterior est innascibilitate, sicut posterior est personis: ac proinde non fundat innascibilitatem, maximè cum ingenitum intelligatur plenè, nulla intellecta persona procedente vel distincta. Quod si prædicta relatio rationis respicit personam aliquam priorem, quæ est impossibilis, iam ad illam relationem rationis præsupponitur innascibilitas, quæ consistit in negatione possibilitatis habendi personam priorem origine.

15 Tertiò probatur, quia prædicti doctores non assequuntur, quod intendunt, videlicet ostendere formale significatum istius notionis esse dignitatem positiuam. Quia relatio rationis sicut in se formaliter est nihil, ita nullius dignitatis est, nisi propter positiuum, in quo fundatur. Eodem autem modo dignitas est negatio propter positiuum, in quo fundatur. Itaque nihil amplius dignitatis amplificant innascibilitati per relationem rationis superadditam.

16 Dico tertiò. Positiua formalitas incompleta Paternitatis, quæ fundat negationem processionis, eadem est, ad quam immediatè primariòque declarandam, cognoscimus & significamus priùs negationem processionis, quam formaliter significat nomen *ingenitum*. Eadémque formalitas incompleta de connotato seu de materiali significatur nomine *ingenitum*. Ita censent Scholastici citati sect. præcedenti. Ratio est, quoniam hæc tria necessariò connectuntur, & reciproca consecutione inferuntur, videlicet fundare negationem, & declarari cognita & significata negatione, & de connotato seu de materiali significari nomine priuatiuo; vt videre licet in hoc nomine *cæcus*.

17 Ad argumenta posita sect. præced. sub init. respond. Ad primum consequentia negatur. Nam Epiphanius solummodo vult docere, quiditatem intrinsecam Patris esse rationẽ fundandi, propter quam est persona ingenita; ideóque non violenter nec ab extrinseco spoliari perfectione processionis passiuæ, quemadmodum oculus spoliatur visu; de qua mente Epiphanij dictum est sect. 2. ad secundam confir. argum. secundi & sect. 3. fine.

18 Secundum argumentum optimè probat assertionem tertiam, positam in sect. præcedenti, nihil autem contra præsentes assertiones. Pro cuius declaratione notandum est, in illis duabus conditionalibus Augustini, supponi atque subintelligendum aliquid esse. Nam prima conditionalis: *Etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum.* Subintelligit suppositionem, quod Pater esset persona, licet non genuisset. Qua suppositione facta, sequitur necessariò, quod esset ingenitus, licet Filium non genuisset, per-

Ad secũdum argumẽtum. Exponuntur quædam conditionales propositiones.

inde ac si Deus esset vnica persona solitaria. Veruntamen aliunde sequitur, quod non esset ingenitus, si non genuisset, quoniam non esset persona Patris. Hæc enim Paternitate constituitur in ordine ad Filium; atque hac ratione negatio, quam significat ingenitum, non posset esse sine Paternitate, inquantum illa tribuit rationem personæ primæ.

19 Altera conditionalis negatiua est: *Et si gignat quisque filium, non ex eo ipso ingenitus est.* Quam Augustinus non de æterno Patre, sed de creatis parentibus pronunciat, vt constat hominum exemplo, quod subdit. Mens igitur Augustini fuit inde probare, quod Paternitas, secundū explicitum respectum ad Filium, non præsupponitur ad negationem processionis. Eodem modo de pleno & explicito conceptu Paternitatis intelligenda est illa causalis propositio negatiua: *Nec ideo quisque pater, quia ingenitus, nec ingenitus ideo quia pater.* Immediata quippe formalisque ratio fundandi est, non quia Paternitas est, sed quia prima personalitas est modo suprà explicato. Ex his constat solutio ad confirmationes 1. 2. & 3.

20 *Ad tertium.* Ad tertium argumentum respond. Innascibilitas est posterior Paternitate secundum eum partialem conceptum Paternitatis, qui est ratio fundandi, videlicet vt constituit primam personam, immediatè cohærens cum essentia. Hic verò conceptus non est simul cum Filiatione, sed prior illa, sicut est etiam prior quàm Paternitas, quatenus explicitè respicit Filium.

21 *Ad quartum.* Quartum argumentum rectè probat, primam radicem innascibilitatis esse diuinam essentiam, inquantum ab illa resultat & emanat secundum rationem personalitas prima, quæ est immediata ratio fundandi innascibilitatem, sed nihil amplius probat.

SECTIO VI.

Innascibilem à seipso realiter procedere, contradictionem implicat magis, quàm ab alio procedere.

1 *Error impositus Lactātio.* DEum à se ipso fuisse procreatum, error est, quem Lactantio tribuit Genebrardus lib. 1. de Trinit. longè post med. in argum. 2. Autotheanorum. Dederat occasionem Lactantius lib. 1. diuinar. institut. cap. 7. fine, dicens: *Quia fieri non potest, quin id, quod sit, aliquando esse cœperit: consequens est, vt quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia & ex seipso sit procreatus*, videlicet Deus. Probátque testimonio Apollinis, qui Deum appellauit *ex se ortum*, & Sybillæ vocantis *ex se genitum*, ac Senecæ dicentis: *Deus ipse se facit.*

2 *Implicat contradictionē à seipso procedere.* Nihilominus sit prima conclusio nō minus euidens naturæ lumine, quā certa lumine fidei. Contradictionem implicat à seipso realiter procedere vel produci Deum, vel personā Patris. Probatur primò, quia si realiter à se ipso procederet tanquā à principio productiuo, non esset principij expers, ac proinde non esset simpliciter & prorsus ingenitus. Ingenitum quippe negat quamlibet processionem à quolibet principio, vt constat ex tota præsenti disputatione atque præced. 52. in qua probatum est, huiusmodi negationem esse peculiarem solius Patris omnium ferè Patrum consensu. Clariùs autem ad rem præsentem locutus est Nazianzenus orat. 29. de dogmate & constit. episcop. in medio: *Principium nescit Pater: nec enim aliunde, nec à seipso originem habet.*

Secunda ratio demōstrans naturaliter est, quia inter principium, & terminum procedentem à principio, requiritur distinctio realis. Eadē quippe ratio est de qualibet productione, quam peculiariter circa Filij generationem vrgent Patres aduersus Sabellium, probantes realem distinctionem Filij à Patre, quoniam si foret persona realiter eadem, non posset à Patre generari: pro qua ratione retulimus Athanasium, Epiphan. Cyrillum, Hilarium, Clementem. Tertullian. & Aug. disp. 19. sect. 4. probat. 2.

3 *Processio requirit realem distinctionē.*

4 Confirmatur primò, nam eadem ratione Patres colligunt, Verbum Dei non esse factum, quia non potuit per seipsum fieri, cum tamen omnia per ipsum facta sint. Quos referemus disputat. 110. sect. 9. Confirmatur secundò, nam alioqui forer eiusdem ad seipsum realis distinctio, quod implicat contradictionem. Sequela probatur, nam in diuinis realis productio propter relatiuam oppositionem, affert realem distinctionem: maximè cum nulla possit assignari ratio, propter quam aliæ productiones diuinæ realem distinctionem inferant & non ista. Tertiò sequitur, in diuinis esse plures processiones, quàm duas, & in Patre plures notiones, quàm tres, & alia inconuenientia, quæ longum esset persequi.

5 Ex quibus infertur, quo sensu magis implicet, Patrem à seipso procedere, quàm ab alia persona. Quia nimirum à seipso procedere repugnat ex terminis & generaliter in quolibet ente creato vel increato: atque insuper repugnat propter innascibilitatem Patri propriam. Cæterum ab alia persona procedere non repugnat ex terminis generaliter (siquidem Filius & Spiritus sanctus procedunt) sed quia Pater est prima persona.

6 *Excusatur Lactantius aliorum Patrum locutionibus.* Secunda conclusio. Non est sufficiens fundamentum tribuendi Lactantio prædictum errorem, nec vlla reprehensione digna videtur eius locutio. Probatur primò, nam alij Patres similibus locutionibus vtuntur, inter quos Hieronym. in commentar. ad Ephes. ad illud cap. 3. *Ex quo omnis Paternitas*, &c. *Deus*, inquit, *semper est, nec habet aliunde principium: & ipse sui origo est, suaq; causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit.*

7 Damascenus 1. fidei cap. 10. prope med. de Patre sic loquitur: *Nec ex aliquo est, ex se ipso enim illud esse habet.* Quod Deus sit *per seipsum*, & *ex seipso*, fusè & ex professo probat Anselm. in monologio, cap. 3. 4. 5. & 6. Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadum cap. 3. prope fin. notat, quod Filius *est Deus à semetipso*, & inquantum *Deus, à semetipso venit.* Verùm hic modus essendi à seipso, qui communis est tribus personis, est distinctus ab altero, qui proprius est Patri, vt explicatum fuit disp. 50. sect. 5. circa med. Vtrumque modum essendi à seipso & non ab alio nunc loquens de Deo, inquantum Deus est, nunc verò peculiariter de persona Patris, vsurpat Ricard. Victorin. frequenter, vt lib. 1. de Trinit. cap. 6. 7. 8. 11. & 12. & lib. 5. cap. 3. 4. 5. 10. 11. Albertus 1. p. quæst. 42. mem. 3. corp. Patrem appellat *eum, qui pullulat ex seipso.*

8 *Fundamentū in scriptura.* Probatur secundò, nam hic modus loquendi fundamentum habet in verbis Christi Domini. Significauit enim satis apertè, quod Pater à semetipso sit, & operetur à semetipso, loquatur & sciat quæcumque scit, quando seipsum, vt Filium Dei distinxit à Patre, & ostendit se esse à Patre Ioan. 5. dicens: *Non potest Filius à seipso facere quidquam*, & cap. 8. *A me ipso facio nihil.* Et longè inferius.

rius: *Nec enim à me ipso veni.* Et quæ de sua doctrina & sermone & scientia, quod non sit ipsius, alibi dixit, vt vidimus disp. 50. sect. 10. & 11.

9 Vide Hilarius lib. 7. de Trin. in med. ait: *In eo quod à se ipso nihil potest, innascibilitatis admixti errorem. Ab se enim non potest posse natiuitas.* Vbi manifestè supponit, innascibilis personæ proprium esse; quod *à seipso possit.* Fusiùs id exposuit Augustin. lib. contra sermonem Arianorum cap. 14. & 15. atque in medio capitis 14. *Ideo dictum est*, inquit, *quod non faciat aliquid Filius à se, quia non est à se.* Quibus similia scripsit Beda citca verba citata Ioan. 8. & Ioan. 16. ad illud, *Non enim loquetur à semetipso.*

10 *Sensus cōmodus.* Tertiò probatur, quia sensum commodum & pium admittit illa locutio Lactantij. Potest enim accipi negatiuè, vt significetur tantùm non esse ab alio, & potest etiam intelligi positiuè, vt significetur illa realis formalitas, quæ immediatè fundat ingenitum, & ad quam declarandam ingenitum destinatur, iuxta dicta sect. præced. Quartò, quia Lactantius lib. 4. diuinar. institut. cap. 24. prope fin. fatetur *Deum summum carentem origine*, & contrarium, quod illi tribuitur, est adeo crassus & stolidus error, vt credi non possit, nisi de rustico, vel bonarum literarum prorsus experte.

Manichæus existimauit, Filium esse partem 2
vnius substantiæ Patris, ex illo deductam, quæ apparuerit in carne, vt refert Hilarius lib. 6. de Trin. propius ad princ. quàm ad med. Apollinaris, concedens, tres personas vnius substantiæ, nihilominus inuenit *Magnum, maius, maximum*; *tanquam magnus quidem sit Spiritus, maior autem Filius, maximus autem Pater.* Quod delirium irridet Theodoretus hæreticarum fabular. lib. 4. col. 7. Quem imitati Donatiani, vel Donatistæ, *quamuis eiusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum sanctum*, author est Augustin. lib. de hæresibus hæres. 69. ante med. Godscalcus Belga dicebat, *Deum Patrem plus esse, quàm Filium*, vt ex Chronico Isenacensi refert Coccius art. 2. anno 850. Iis adnumerare possumus alios, qui minorem esse Filium putabant, quia non videt Patrem, de quibus dictum est satis disput. 41. sect. 1.

Eos verò, qui Iesum Christum Dominum non 3
Deum, sed nudum ac purum hominem esse putauerunt, cuiusmodi fuerunt Ebionitæ, Cerinthus, Carpocrates, Theodotus, Berillus, Marcellus, Photinus, Nestorius, & ex recentioribus Georgius Dauid, Michaël Seruetus, Caluinus & alij, Seueriani præsertim, reiicimus in materiam de Incarnatione.

SECTIO II.

Filij Diuinitas probatur ex locis Scripturæ, multipliciter exponentibus intimam & summam coniunctionem Filij cum Patre.

1 *Ex quidditate generationis.* SIt probatio prima, quia generatio, propriè dicta de viuentibus, est productio viuentis eiusdem naturæ saltem specificæ. Sed Filius Dei per generationem producitur. Ergo est eiusdem naturæ, consequentérque Deus sicut Pater. Generationem verò Sacræ literæ testantur psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c. Quod Apostolus ad probādam Christi Domini Diuinitatem Hæbreos 1. sic ponderat: *Cui enim angelorum dixit Deus: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* & Sapientia prouerb. 8. *Ego*, inquit, *iam concepta eram*, & iterum: *Parturiebar.* & Ecclesiastici 24. *Ex ore Altissimi prodiui primogenita*, &c. Quorum omnium legitimū intellectum de æterna generatione quàm plurimis Patrum testimoniis corroborauimus disp. 4. sect. 1.

Præcedenti cognata est probatio secunda, quia 2
filius naturalis, genuinus & propriè dictus filius, est eiusdem naturæ cum patre. Sed Filius Dei est naturalis, genuinus & propriissimè dictus Filius. Ergo est eiusdē naturæ cum æterno Patre, & consequenter Deus. Minor probatur Matthæi 3. *Hic est Filius meus dilectus.* Matth. 16. *Tues Christus Filius Dei viui.* Lucæ 1. *Filius Altissimi vocabitur.* Roman. 8. *Proprio Filio suo non pepercit*, vbi multoties iteratur appellatio Filij 1. Ioan. 5. *Simus in vero Filio eius.* Prouerb. 30. *Quod est nomen eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?* Quibus verbis significari naturalem & genuinum Filium, qui magis propriè sit Filius, quàm omnes filij creati respectu suorum parentum, satis fusè probatum est in eadem disp. 4. sect. 2. *Secunda probatio ex Filiatione.*

Confirmatur primò, nam Christus Dominus 3
accusatus fuit, quod se prædicaret Filium Dei, Ioan. 19. *Nos legem habemus, & secundum legem debet*

QVÆSTIO XXXIV.

De persona Filij.

ARTICVLVS I.

Vtrum verbum in diuinis sit nomen personale.

ARTICVLVS II.

Vtrum Verbum sit proprium nomen Filij.

DISPVTATIO LIV.

Vtrum Filius sit Deus æqualis Patri.

SECTIO I.

Negantium commemorantur errores.

1 EX numerati possunt errores negātium Filij Diuinitatem, & æqualitatem cum Patre. Plurimos autem ex illis retulimus disput. 20. quatuor prioribus sectionibus, qui negant, Filium eiusdem esse naturæ, substantiæ, essentiæque cum Patre. At verò disp. 1. sect. 1. reiecimus alios, qui processionem ad intra negabant in Deo, vnde negatur vera Diuinitas Filij. Alios qui Trinitatem oppugnabant, posuimus disp. 36. sect. 1. Quibus erroribus consequens est alter, Filium constituens factum & creatum libera voluntate Patris, quem referemus disp. 96. sect. 1. Eos tantùm referemus in præsenti, qui verbo tenus eiusdem substantię Filium esse fatebantur, aliunde tamen faciebant minorem Patre.

debet mori, quia Filium Dei se fecit. Sed non fuit accusatus, quod se fecisset Dei filium adoptiuum aut impropriè dictum filium; siquidem ipsi accusatores Ioan. 8. se faciebant adoptiuos filios Dei, dicentes: *Vnum Patrem habemus Deum.* Fuisset autem grauissimum peccatum hanc accusationem non diluere, nisi verè foret Dei Filius naturalis. Maximè quoniá illi consensit expressè Marci 14. quando Sacerdoti interroganti: *Tu es Christus Filius Dei benedicti? Iesus dixit: Ego sum*, &c. Imo totum Euangelium, præsertim secundum Ioannem, respersum inuenies variis locutionibus, in quibus Christus Dominus agit de Patre suo, quasi persona, quæ vnico ac singulari modo respiciat illum vt Patrem.

4 Confirmatur secundò, clarius enim naturalem filiationem cum identitate naturæ, significat nomen *Vnigeniti.* Quod legimus Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris*, & cap. 3. *Filiuum suum Vnigenitum daret*, & iterum: *In nomine Vnigeniti Filij Dei.* 1. Ioan. 4. *Filium suum Vnigenitum misit Deus.* Quæ fusiùs ponderauimus dicta disp. 4. sect. 2. & 3.

5 *Tertia, ex propria ratione imaginis.* Tertia probatio cohæret cum præcedenti. Nam omnis imago viua & naturalis substantiæ Patris, est filius naturalis & eiusdem substantiæ (nec enim alia potest esse, nisi mortua & artificialis imago) sed Filius Dei est imago, character & figura substantiæ Patris. Colos. 1. & Hebræos 1. Ergo est naturalis Filius eiusdem substãtiæ, consequentérque Deus. Huius argumenti vires constant ex dictis disp. 6. sect. 2. & dicendis disp. 64.

6 *Quarta, quia non potest videri Filius nisi videatur Pater.* Quarta, quia nisi Filius esset eiusdem substantiæ Diuinitatisque cum Patre, videre posset Filium aliquis non videns Patrem, nec ea ipsa cognitione Filij cognosceretur Pater. Consequens autem esse impossibile saltem de potentia ordinaria, manifestum est Ioan. 12. *Qui videt me, videt eum, qui misit me.* Et cap. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quod testimonium passim Arianis opponunt Patres, quando probant Filij Diuinitatem. Aliqua loca citauimus disp. 9. sect. 4.

7 *Quinta, circuminsessio.* Probatur quintò, quia non minus frequens est conciliis Patribúsque substantiæ, Diuinitatisque vnitatem colligere ex circuminsessione, qua Pater in Filio, & Filius in Patre manet. iuxta illud Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est. Quæ ego loquor, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.* Et cap. 17. *Sicut tu Pater in me & ego in te.*

8 Vtuntur hoc argumento Nicænũ Concil. lib. 2. propiùs ad finem quàm ad med. §. *illud.* Athanasius quatuor orationibus contra Arianos, potissimum orat. 4. à princ. & in compendio de Spiritu sancto non procul à princ. & circa med. & in postrema epistola ad Serapionem circa med. lib. 4. de assumptione hominis inter med. & fin. & sequenti lib. 5. de vnita substantia Trinitatis prope finem, & dialogo 2. de Trinitate inter principium & medium, & alibi sæpe. Nazianzenus orat. 49. de fide circa med. Basilius lib. 1. & 2. contra Eunomium, & lib. vnico de Spiritu sancto cap. 18. ante med. Gregorius Nyssenus orat. catechet. cap. 2. fine, & orat. de Deitate Filij & Spiritus sancti multo propius ad med. quàm ad princ. Chrysostom. homil. 73. in Ioan. circa medium, & orat. 9. de illo Abrahami, *Pone manum tuam subter femur meum*, propius ad med. quàm ad princ. Epiphanius frequenter heres. 69. & 73. & 76. colum. 6. Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 6. 7. & 8. & lib. 3. thesauri cap. 1. & toto fere lib. 13. & 14. thesauri, & Dialogorum de Trinit. lib. 2. inter med. & finem, & lib. 3. colum. 4. Gregor. Bœticus lib. de Trinit. colum. 6. & 8. Damascenus lib. 1. fidei cap. 6. & cap. 11. versus finem cap. 19. & lib. 3. c. 5. sub initium & in epist. de Trisagio prope med. Athenagoras proximus ætati Apostolorum in legatione pro Christianis colum. 7.

9 Eodem vtuntur argumento Latini doctores. Ambros. in Symbol. Apostol. cap. 2. & lib. 1. de Spiritu sancto præsertim cap. 10. & lib. 3. de Spiritu sancto cap. 1. post med. Hilarius ex instituto lib. 3. de Trin. præsertim col. 2. & lib. 4. multo propius ad finem quàm ad med. & lib. 5. col. penult. & toto ferè lib. 7. & lib. 8. colum. vltima, & lib. 9. post med. & lib. 10. colum. 4. Augustt. tract. 70. in Ioan. fine, & 71. sub init. Phæbadius lib. contra Arium post med. Marius Victorin. lib. 1. aduersùs Arium colum. 5. Fulgentius toto lib. 3. ad Monimum præsertim cap. 7. Idacius lib. 3. contra Varimad. cap. 5. Ex his Patribus aliqua verba posuimus pro distinctione personarum disp. 19. sect. 2. respondentes ad secundam confirmationem. Plura referemus disp. 107.

10 *Sexta probatio, quia sunt vnum.* Sextò probatur, quia Filius non esset simpliciter vnum cum Patre, si non esset Deus eiusdem essentiæ cum Patre. Simpliciter autem vnum esse, docemur, Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, & 1. Ioan. 5. *Hi tres vnum sunt.* Quæ testimoniis Patrum illustrata sunt disput. 19. sect. 2. & 4. & disput. 20. sect. 6. & 7. ab obiectionibus Arianorum propugnata.

11 *Septima, quia Pater omnia dedit Filio.* Septimò, nam Pater omnia, quę habet, Filio dedit, præter esse Patrem. Ergo dedit ei Diuinitatem eandem. Antecedens communiter Patres inferunt ex verbis Christi Domini Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ioan. 16. *Omnia quæ Pater habet mea sunt*, & cap. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*, de quibus actum est fusiùs disp. 19. sect. 2. argum. 2. & disp. 30. sect. 6. sub init. & disp. 50. sect. 5. & 6.

12 *Octaua, quia credens in Deum, etiam in Filiũ credit.* Confirmatur, quia cõtextus sermonis Ioan. 16. manifestè docet, ea, quæ sunt Patris & Filij, non esse solummodo res creatas, extra Deum existentes, sed primariò significari Dei scientiam, & consequenter essentiam, à qua non distinguitur realiter scientia. Ait enim: *Ille me clarificabit*, Spiritus sanctus, *quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet.* Agemus iterum de his verbis disp. 67. sect. 2. probantes, hoc etiam Filium habere commune cum Patre, vt ab illo procedat Spiritus sanctus.

13 Octauò probatur Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Cui simile est illud Ioan. 12. prope fin. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Vbi ponderandum est, non dixisse Christum Dominum, *Credite mihi*, vel, *qui credit mihi*, quod dicere potuissent Apostoli & Prophetæ, quoniam Dei loquebantur instinctu; sed dixisse: *In me credite.* Qui modus loquendi non potest ad aliquam creaturam referri, sed tantùm ad Deum. Propterea ex vtroque loco Filij Diuinitatem colligunt communiter Patres. Augustt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. versus finem & in Ioan. tract. 54. & 67. Chrysost. homil. 68. & 72. Basil. lib. 2. contra Eunomium. Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 30. Origenes contra Celsum lib. 7. & homil. 3 in cantica. Ambros. lib. 5. de fide cap. 5. Hilarius lib. 9. de Trinit. Leontius, Theophilactus, Rupertus, Eutychius in vtrumque locum Ioannis.

SECTIO

SECTIO III.

Testimonia, quæ Diuinitatis Filij mentionem expressam faciunt.

1 PRimum testimoniũ sit, quod est euidentissimũ Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ.* Mirabile est, quàm multa & quàm profunda mysteria Diuinitatis, æternitatis, distinctionis personarum, & mutuæ mansionis inueniant Patres in singulis dictionibus huius orationis. Aliqua ponderauimus disp. 19. sect. 4. probat. 3. Plura de Verbo tractabuntur sequentibus disputationibus.

2 Nunc satis est monere, perspicuam esse propositionem illam, *Deus erat Verbum*, loquitur autem de eodem Deo, quem immediatè antea nominauerat, dicens, *Et Verbum erat apud Deum.* Vt impudentissima sit & stultissima solutio Arianorum, dicentium, Verbum vocari Deum eo modo, quo Moyses Exodi 1. vocatus est Deus Pharaonis. Quos validè refellit Hilar. lib. 7. de Trinit. ferè inter princ. & med. Quod autem Verbum sit eadem persona, quæ Filius, ostendemus disput. 57. sect. 2. & sequentibus.

3 Secundum testimonium 1. Ioan. 5. ad fin. *Vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus.* At vnus solus est verus Deus Ioan. 17. *Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ergo Filius Iesus Christus est idem verus & solus Deus, qui est Pater. De verbis Ioan. 17. tractatum est disp. 40. sect. 4. & 5.

4 Priorem verò locum 1. Ioan. 5. tanquam euidens testimonium Diuinitatis Filij ponderant Hilarius lib. 6. de Trinit. vltra med. Hieronym. ad illud Isaiæ 95. *Iurabit in Deo, amen.* Augustt. lib. 1. de Trin. cap. 6. non procul à princ. Cyrillus lib. 12. thesau. cap. 13. post med. Basilius lib. 4. contra Eunom. prope finem. Gregor. Bœticus lib. de Trinit. paulo post med. Beda & Oecum. in comment. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 4. ad fin. & cap. 5. circa med. & ad obiectionem 4. Arianorum prope fin. Frequentiùs & copiosiùs hoc testimonium ponderat Athanas. in disput. contra Arium habita in Concil. Nicæno multo propius ad med. quàm ad princ. & orat. 4. contra Arianos multo propius ad princ. quàm ad med. & iterum multo propius ad med. quàm ad princ. & orat. 5. longe post med. & in expositione fidei sub init. & epist. ad Africanos prope med. & tom. 2. in alia oratione concisa contra Arianos init. & lib. 2. de propriis personis prope med.

5 Tertium est testimonium Thomæ Ioan. 20. *Dominus meus & Deus meus.* Quod pro Diuinitate Filij clarissimum testimonium, reddirum ab homine aliàs incredulo, meritò contra Arianos proferunt Patres. Athanas. epist. ad Epictetum col. penult. & lib. de humana natura suscepta colum. 3. & dialogo 4. de Trin. contra Apollinar. prope fin. Chrysostom. serm. de Trinit. inter princ. & med. Cyril. Ioan. 20. lib. 12. cap. 59. & lib. 12. thesauri cap. 15. & vlt. fine, Hilarius lib. 7. de Trinit. inter princ. & med. Augustinus epist. 174. ad Pascentium paulo post med. & tract. 121. in Ioannem. Lontius, Theophilact. & Beda Ioan. 20. Maxentius dialog. 2. Gregorius Papa homil. 26. in Euangelia, Ambros. in. psalm. 43. colum. 6. & in psalm. 47. colum. 2. Tertullian. lib. contra Praxeam cap. 15. à med.

6 *Euasio præcluditur.* Risu magis quàm refutatione dignus est error Theodori Mopsuesteni & Nestorianorum dicentium, illud, *Dominus meus & Deus meus*, non esse dictum à Thoma de Christo, *sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam, glorificasse Deum, qui Christum resuscitauit.* Quod anathematizat Quinta Synodus Generalis collatione 8. canone 12. Damnat etiam Iustinianus Imperator in edicto fidei.

7 Præterea manifestè demonstratur, eam confessionem pronũciatam esse de Christo. Primò, quia *Respondit Thomas & dixit ei*, videlicet Christo, *Dominus meus*, &c. Nec patitur contextus, vt ea verba non dirigantur ad personam Christi. Secundò, nam illis verbis Thomas cõfiteri voluit, quod diebus proximis dubitauerat: id quod manifestè constat ex approbatione, quam continuo subintulit Christus Dominus: *Quia vidisti me Thoma credidisti.* Si verò tantum stupefactus Thomas glorificauit Deum, sequitur nullis verbis significasse suam fidem in Christum. Potissimum, quoniam stupor ille & exclamatio fieri poterat, etiamsi putasset videre se phantasma & non Christum, sicut olim Apostoli exclamauerunt, putãtes esse phantasma, Marci 6. versus fin. Tertiò. Tam in Latino, quàm in Græco deficit interiectio exclamantis, O, & in Græco ponitur articulus, deseruiens propositionibus assertiuis.

8 Quartum testimonium est Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* De quo dicemus sect. 6. & 7.

9 Quintum est Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Vnde Filij Diuinitatem communiter Patres intelligunt, nemine discrepante, Antiochena Prima Synodus in profess. fidei missa ad Paulum Antiochenum. Concil. Nicænum lib. 2. ante med. §. *quo modo.* Athanasius in disp. contra Arium habita in Concilio Nicæno propius ad med. quàm ad princ. & orat. 2. contra Arianos inter princ. & med. & orat. 5. init. & lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti circa med. & in epist. ad Epictetum col. penult. & alibi sæpe, Irenæus lib. 3. cap. 18. non procul à princ. Tertullian. lib. contra Praxeam cap. 13. fine & cap. 15. à med. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 6. Hilar. lib. 4. de Trinit. colum. antepenult. & lib. 8. propius ad med. quàm ad fin. Ambros. lib. 1. de Spiritu S. cap. 3. & lib. 1. de fide cap. 5. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 13. & lib. 3. contra Faustum cap. 3. & 6. Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 5. sub init. Greg. homil. 8. in Ezechielem col. 1. fine, Idacius lib. 3. contra Varimad. cap. 2. Cassian. lib. 3. de Incarnat. initio. Et omnes expositores in eius loci commentariis. Vbi Origenes, Chrysostomus, Theodoret. Theophylact. & Oecumenius.

10 Futiles autem & nihili faciendæ sunt coniecturæ, quibus Erasmus in suis annotationibus conatur, hoc Diuinitatis argumentum infringere, sicut alia, nullum non mouens lapidem, vt quantum in ipso est, Arianis aperiatur aditus effugiendi & eludendi quæ probant Filij Diuinitatem.

11 Sextum est Galat. 1. init. *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum, ac Deum Patrem.* Cum autem Christus sit homo, manifestum est, Paulum intelligere, non per hominem nudum, qui non sit Deus, sed per hominem, qui sit Deus. Insuper ordo dicẽdi prius *per Iesum Christum*, deinde *per Deum Patrẽ*, ostendit, Iesum Christum, vt est Deus, nihilo inferiorem esse Deo Patre, vt fusiùs dicemus disp. 66. sect. 7. obiect. 9. Confirmatur, nam in eodem 1. capite de suo Euangelio ait: *Nec enim ego ab homine*

homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.

12 Septimum & apertissimum est totum ferè caput primum ad Hebræos & illud præsertim: *Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.* Ex Psal.44. Quod ponderat Athan.orat.2.contra Arian.propius ad med.quàm ad fin. & iterum atque iterum versus fin.& Antiochena Prima Synodus in professione fidei missa ad Paulum Antiochenum, & alij plures.

13 Octauum Isaiæ 45. *Te adorabunt, téque deprecabuntur, tantùm in te est Deus, & nō est Deus absque te. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël saluator.* Quod esse manifestissimum testimonium Diuinitatis Christi, colligitur ex cōtextu illius capitis, maximè prope finem, cum ait: *Ego Deus, & non est alius, in memetipso iuraui, quia mihi curuabitur omne genu.* Hunc etenim Deum esse Christum Dominum, testatur Paulus Rom.14.cum ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Et Philip.2. *In nomine Iesu omne genu flectatur.*

14 Quapropter Deum illum, in quo est Deus, & absconditum, quem *nesciebamus* (vt multi Patres legunt) esse Filium Iesum Christum Dominū, intelligunt communiter Patres: Sixtus Papa I. epist. prima, Antiochena Prima Synodus in professione fidei missa ad Paulum Antiochenū, Nazianzenus orat.49.de fide inter med.& fin. Athanas. orat.3. contra Arianos propius ad med.quàm ad princ.& in epist. ad Serapionem, quæ incipit, *Ego quidem* col.3.& dialog.3.de Trin. contra Macedon. inter princ.& med. Greg. Nyssenus in fragmentis (quæ referūtur ex libro illius de cognitione Dei tom.3. bibliothecæ) circa med.illorum. Cyrillus lib.4. in Isaiam orat. 2. longè ante fin. & lib. 5. in Ioan. c.2.post med. Hilarius lib.4.de Trinit.multo propius ad fin.quàm ad mediū & lib.5.de Trin.prope fin. Fulgen.ad 10. obiectionē Arianorum quæ est vltima,& lib.2.ad Trasimundum cap.3. prope fin. Hieronymus in commentario illius loci lib. 13. col.3.Ambros. Rom.3.ad illud: *Qui dicis non mechandum, mœcharis.* & lib.1. de fide c.2. circa med. Cyprian.lib.2. contra Iudæos cap.6.Idacius lib.3. contra Varimadum cap.2.

15 Nonum testimonium est Baruch.3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Deus, cui nemo alius comparari potest, Deus verus est naturaliter ac substantialiter. Hic viam disciplinæ tradidit Iacob, id est, populo, qui nomen & originem ab eo duxit, & tandem homo factus in terris visus est.

16 Propterea manifestissimum esse testimonium Diuinitatis Christi, cōmuniter Patres existimant: Sixtus Papa I. epistola 1. Clemens Roman. epist. 1. ad Iacobum circa med. Concil. Nicæn. lib.2. propius ad fin. quam ad med. §. *illud*, prope fin. Antiochena I. Synodus in profess. fidei missa ad Paulum Antiochen. §. 1. Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia post med. & orat. 49. inter med. & fin. Athanas. in disp. contra Arium, habita in Concilio Nicæno multo propius ad med. quā ad prin. & orat. 3. contra Arianos post med. & lib. de humana natura susceptа prope finem, & dialogo 3. de Trin. contra Macedonium inter princ. & med. Basilius lib. 4. contra Eunomium prope fin. Chrys. orat. *quod Christus sit Deus.* col. 2. & iterum post med. orationis, Cyril. lib. 10. in Iulian. & in Scholio de Vnigeniti Incarn. cap. 2., quod ponitur tom. 4. actorum Concilij Ephesini appendice 3. Gregor. Bœticus lib. de Trin. paulo post med. Theod. Baruch. 3. Euseb. lib. 6. demonstrationis cap. 19. Ambros. lib. 1. de fide cap. 2. inter med. & finem, Hilar. lib. 4. de Trin. prope fin. & fusiùs lib. 5. versus fin. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 6. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 33. & lib. 3. contra Maximin. cap. vltimo colum. penult. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 3. circa med. Idacius lib. 3. contra Varimad. cap. 2.

Postremò illud Isaiæ 48. *Ex tempore antequam fierent, ibi eram, & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius*, ponderatum est disputatione 36. sect. 5. ad finem. 17

SECTIO IV.

Nomen Deus, *&* Dominus, *absolutè dictum, confirmat præcedentem probationem.*

1 IRenæus lib. 3. cap. 2. initio ponderat hoc argumentum: *Neque Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitiuè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus, neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium eius.* Quam sententiam repetit in medio eiusdem capitis, & cap. 8. in princ. Perpende limitationem additam *definitiuè & absolutè.* Nam homines, aut etiam Diabolus appellantur in Scriptura *Deus*, sed non definitiuè & absolutè, sed cum addito minuente & alienante, veluti quando dicimus, homo marmoreus. Sic 2. Corinth. 4. *Deus huius sæculi excæcauit*, &c. & Philip. 3. *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Et Psalm. 81. *Ego dixi dij estis*, &c. *Vos autem sicut homines moriemini.* Subiungit autem Irenæus in eisdem capitibus alia Scripturæ testimonia, quibus Filius & Verbum Dei appellatur Deus & Dominus; vnde concludit esse verè ac propriè Deum vnicum simul cum Patre. *Filius absolutè vocatur Deus & Dominus.*

Athan. autem lib. 2. de propriis personis longè post med. cōfirmat primò verbis Dei ad Moysem Exodi 3. *Deus Abraham, Deus*, &c. *Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationē & generationē. Sed de Filij persona sic ait:* Exodi 23. *Est nomen meum in illo.* Et Isaiæ 45. sub init. *Ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israël. Quod ipse Filius confirmauit* dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me.* Ioan. 5. prope fin. & Psalm. 117. *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. Nam de persona Spiritus sancti Filius testatus est*, Ioan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Hæc omnia contulit Athanasius. 2

Secundò confirmat ibidem Athanasius, quia fideles baptizantur, & renascuntur in nomine Dei, sed renascuntur & baptizantur in nomine Filij Iesu Christi, & Spiritus sancti. Ergo Filius & Spiritus sanctus est Deus. Maiorem probat Athanas. Ephes. 4. prope fin. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Et Ioan. 1. *Sed ex Deo nati sunt.* Minorem verò probat actuum 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* Et 1. Corinth. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi & Spiritu Dei nostri.* 3 *Baptizamus in nomine Filij, &c.*

Tertiò colligit inde Athanasius, vnitum esse nomen Patris & Filij & Spiritus sancti, in quo iubentur 4

iubentur Apostoli baptizare, Matth. vlt. *Baptizantes eos*, &c. Quem locum satis ex professo ponderauimus disput. 36. sect. 3. à princ.

5 Quartam cōfirmationem adiungimus ex Matthæi cap. 1. prope finem: *Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: Ecce Virgo concipiet & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Meritò Euangelista nos docuit interpretationem nominis, vt euidentius esset, Virginis filium esse Deum caro factum, *qui habitauit in nobis.* & ita exponit Chrysostomus ibi homil. 5. & tom. 5. homil. quod Christus sit Deus, col. 2. aliíque Patres; atque ad probandam Christi Domini Diuinitatem proferunt Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 6. fine & cap. 9. Athanas. orat. 4. contra Arianos prope med. & lib. 3. de assumptione hominis col. 3. & iterum longè post med. Cyrillus Alexand. in scholio de Vnigeniti Incarnatione cap. 2. quod extat tom. 4. actorum Concilij Ephesini appendice 3. Damasc. orat. 1. de natiuit. B. Mariæ propius ad med. quàm ad princ. Leo Magnus serm. 4. de natiuit. Domini cap. 1. Ricardus Victorinus iusto volumine duorum librorum de Emmanuele. Isaiæ 7.

6 Quintò confirmatur Isaiæ 9. *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Deus, Fortis.* Act. 20. *Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Apocalyps. 4. *Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est.* 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille pro nobis animam suam posuit.* Vltra illa, quæ retulimus sect. præcedenti, quibus appellatur Deus.

7 Sextò, quia Dominum seipsum appellat Matth. 21. *Dominus his opus habet.* & Ioan. 13. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Et Euangelistæ passim appellant Dominum; & Petrus Actor. 10. *Iesum Christum*, designans ait: *Hic est omnium Dominus.* Imò *Dominus dominantium*, ac subinde supremus omnium vocatur Apocalyps. 17. & 19. Et consequenter solus ipse Dominus est 1. Corinth. 8. *Nobis vnus est Dominus Iesus Christus.* & in epist. Iudæ: *Solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.* Quod de seipso dictum esse, Christus Dominus docuit Matth. 22. Denique Hierem. cap. 23. de germine Dauid ait: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* In originali est nomen tetragrammaton *Adonai*, quod est Dei proprium.

8 *Nomen qui est conuenit Filio.* Septimò, nam Exodi 3. proprium nomen Dei est *Qui sum, qui est*, cuius vim & energiam exponunt Patres citati disp. 8. sect. 5. & disp. 25. sect. 1. Hoc idem nomen sibi vendicat Iesus Christus Dominus Ioan. cap. 13. *Credatis, quia ego sum*, & Apocalyps. 1. & 4. & 11. *Qui est, qui erat, & qui venturus est.* Propterea Filij Diuinitatem ex his verbis probat Phæbadius lib. contra Arium propius ad med. quàm ad finem.

9 *Saluatoris nomen.* Octauò, proprium Dei nomen est *saluator.* Isaiæ 43. *Ego sum Dominus, & non est absque me saluator.* & cap. 45. *Deus iustus, & saluans non est præter me.* & Oseæ 13. *Ego sum Dominus Deus, & saluator non est præter me.* Hoc autem idem esse proprium Filij caro facti, constat Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum.* Isaiæ 35. *Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* & reliqua, quæ legimus impleta Matth. 11.

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO V.

Opera Filij probant Diuinitatem illius.

1 QVoniam sunt manifestiora quæ gessit homo factus, ab illis accipiemus istius probationis exordium. Primum igitur argumentum est, quoniam solius Dei proprium est authoritate propria patrare miracula. Sed Christus Dominus propria authoritate patrabat miracula. Ergo Christus Dominus erat verus Deus. Maior constat Psalm. 71. *Qui facit mirabilia solus.* Psal. 75. *Faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Psal. 135. *Qui facit mirabilia magna solus*, videlicet, authoritate propria, & tanquam principalis causa, non sicut Prophetæ & Apostoli tanquam instrumenta Dei, & inuocato Dei nomine. *Christus Dominus propria authoritate miracula patrabat.*

2 Minor verò probatur primò, quoniam suo nomine & authoritate imperabat creaturis intellectualibus, & irrationalibus, vt Marci 9. *Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo.* Quod genus præcepti continetur etiam in illis verbis Lucæ 4. *Increpauit illum Iesus*, dicens: *Obmutesce & exi ab eo*, & in eodem cap. 4. versus fin. *Imperauit febri, & dimisit illam*, videlicet, socrum Simonis Matth. 8. *Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Quod aliis verbis refertur Marci 4. prope finem. *Comminatus est vento, & dixit mari: Tace & obmutesce.*

3 Secundò, quia concessit aliis potestatem miraculorum Matth. 10. & Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & super omnem virtutem inimici.* Tertiò, quoniam ad eius inuocationem Apostoli faciebant miracula, vt fatebantur ipsi Lucæ 10. dicentes: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* & Actuum 3. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* & infra: *In fide nominis eius, hunc, quem vos vidistis & nostis, confirmauit nomen eius.* *Dedit gratiæ miraculorū.*

4 Secundum argumentum Diuinitatis est cordium intima penetratio & manifestatio præsentium actuum liberorum, necnon prædictio futurorum, iuxta illud Hierem. 17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda & probans renes.* 1. Regum 17. *Homo videt in facie: Dominus autem intuetur cor.* & 3. Reg. 8. *Tu solus nosti omnia corda filiorum hominum.* Idémque constat 1. Paralip. 28. & 2. Paral. 6. De futuris item Isaiæ 43. *Annunciate, quæ futura sunt, & sciemus, quia dij estis vos.* Ibique Deus suam probat Diuinitatem ex futuris, quæ prædixit. Atque idem tradit Ecclesiasticus cap. 42. ad fin. Quod si Filius à seipso plenè atque totaliter (non participatione quadam, & reuelatione superius descendente, sicut prophetæ) possidet huiusmodi cognitionem & manifestandi potestatem: euidenter sequitur esse Deum. *Intima cordium penetrabat.* *Futura prædicebat.*

5 Hæc autem Filio Iesu Christo Domino conuenire, testatur ipse Apocal. 2. *Ego sum scrutans corda, & probans renes.* Quod nemo prophetarum poterat de seipso dicere. & Ioan. 2. fine. *Eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Perpende vniuersalitatem, *nosset omnes*, quæ nulli puræ creaturæ communicata fuit; præterea nota, non ab alio participare; sed à seipso habere cognitionem hanc, siquidem alterius testimonio non indigebat. Vnde meritò Chrysostomus, Augustinus & Cyrillus in commentariis inferunt Diuinitatem Christi Domini.

6 Præterea Ioann. 6. *Sciens Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius.* Vbi *apud semetipsum*, idem est, quod nemine indicãte. Quamobrem hic etiam locus efficaciter probat Diuinitatem, vt obseruant ibi Chrysostomus, Cyrillus, Theophylact. Eutymius, Augustin. & Beda. Et paulo inferius: *Sciebat ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.* Et cap. 13. circa med. *Amodo dico vobis, priusquàm fiat, vt cum factum fuerit credatis, quia ego sum.* Quæ sententia repetitur sequenti cap. 15. prope finem.

7 Confirmatur primò, nam illustrare prophetas, eis communicando futurorum cognitionem, solius Dei est. Hoc autem Christus Dominus præstat 1. Petri 1. *Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* Quin etiam Spiritus sanctus de scientia Filij accipit, vt quæ ventura sunt, annunciet Ioan. 16. vers. 13. & 14. Confirmatur secundò, nam scire quos ipse elegerit ad vitam æternam, propriissimum est Dei. At Christus Dominus Ioann. 13. *Ego*, inquit, *scio quos elegerim.* Et illud etiam Ioann. 11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis*, Dei proprium est, iuxta illud 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei.*

8 *Operũ testimonium præstantius alijs.* Tertium argum. veluti confirmatio est præcedentium, quia Christus Dominus vbique suæ Diuinitatis testimonium, cõsistens in operibus, præfert testimonio Ioannis Baptistæ, & consequenter aliorum etiam prophetarum testimoniis. Nam Ioan. 5. *Ego*, inquit, *habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* In quo virtualiter concludit, se esse Deum æqualem Patri; sed non oportebat tunc clarius loqui, vt obseruant ibi Cyrillus, Chrysost. Theophylact.

9 Sed hanc conclusionem magis explicuit Ioan. 10. dicens: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*, id est, quæ facio Diuinitate, virtute, authoritate, & voluntate Patris. Iudæos verò post pauca volentes eum lapidare: quia se ipsum faceret Deum, dicens: *Ego & Pater vnum sumus*, ita redarguit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Hanc immansionem reciprocam Patris & Filij valere idem, atque dogma, quod asseruerat, & propugnabat. *Ego & Pater vnum sumus*, obseruant Augustinus ibi tract. 48. Theodorus Mopsuest. Leontius, Eutym. Beda.

10 Propterea pro Filij Diuinitate frequenter ponderat hæc testimonia Athanas. libro de Incarnat. Verbi propius ad medium quàm ad princ. & orat. contra Gregal. Sabellij in medio, & orat. 4. contra Arian. circa med. & lib. 3. de assumptione hominis propius ad med. quàm ad fin. Hilarius lib. 6. de Trinit. in med. & lib. 7. propius ad med. quàm ad fin. & lib. 9. inter princip. & med. Chrysost. homil. 60. in Ioan. circa med. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Ioan. cap. 2. & lib. 6. cap. 12. Augustinus & alij nuper citati.

11 Ambros. Philip. 2. colum. 2. idem argumentum corroborat confessione liberatorum à tempestate, Matth. 14. ad fin. *Verè Filius Dei es.* Iustinus in expositione fidei de Trinit. paulo post med. probat, quod Christus Dominus, *Deus intelligitur ex prodigiorum operatione.* Idem probat Athanas. lib. de decretis Nicænæ Synodi col. 2.

12 Confirmatur, nam Ioan. 15. prope fin. Christus Dominus probat inexcusabilem esse Iudæorum incredulitatem, quoniam in eorum oculis, & in eorum beneficium tot ac tanta fecerat, quot & quanta nullus alius. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; præsertim simpliciores & ignorantes oracula Prophetarum. Quid autem peculiare fuerit in operibus Christi Domini supra omnia miracula Prophetarum, tractant Athanas. lib. de Incarnat. Verbi propius ad medium quàm ad princ. & lib. de passione imaginis Domini nostri Iesu Christi cap. 3. August. tract. 91. in Ioan. Cyrillus lib. 10. cap. 32. Beda in hunc locum.

13 *Quatuor insigniores circunstãtiæ miraculorum.* Hoc autem peculiare constat ex plurimis circunstantiis. Primò quidem innumera fuit multitudo, iuxta verba finalia Euangelij Ioannis *Nec ipsum, arbitror, mundum capere posse*, &c. & Marci cap. 1. *Erat omnis ciuitas ad ianuam*, &c. & cap. 6. *Quocumque loco intrabat*, &c. Secundò, quatriduanum mortuum nemo suscitauerat, nemo cæcum à natiuitate illuminauerat. Tertiò, modus imperandi, ponderatus in primo argumento, & facilitas, etiam in absentes. Quartò, & potissimùm, illius etiam opera erant sensibilia testimonia, quæ Pater, vel quæ angeli, vel etiam compulsi dæmones dabant illius Diuinitati. Quod nullus alius prophetarum facere potuit.

14 *Rerum omnium productio.* Quartum argumentum Diuinitatis est rerum omnium creatio & conseruatio. Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Ergo Verbum non est factum, quia non potuit per seipsum fieri. Quod argumentum aduersus Arianos ponderant Patres referendi disput. 110. & 111. & in eodem cap. 1. *Mundus per ipsum factus est.* Ioan. 5. *Quacumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.* Coloss. 1. *Omnia per ipsum creata sunt, & omnia in ipso constant.* Hebr. 1. *Tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Et paulo superius: *Portans omnia verbo virtutis suæ*, Hebræos 2. *Propter quem omnia, & per quem omnia.* 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per eum.* 2. Petri 3. *Terra de aqua & per aquam consistens Dei Verbo.* Et infra: *Eodem Verbo reposita sunt.*

15 Vnde conficitur hæc ratio. Cœlum & terram creauit Deus solus, & nemo alius à Deo creauit simul cum Deo. Sed Verbum Dei Filius & sapientia genita creauit cœlum & terram simul cum Deo Patre. Ergo Verbum Dei Filius est idem Deus cum Patre. Minor probata manet præcedentibus testimoniis. Maior verò probatur Isai. 44. *Ego sum Dominus, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Iob 9. *Qui extendit cœlos solus.*

16 Huc pertinet versus Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Quod de persona Filij Patres intelligunt citati disputat. 36. sect. 5. init. Et Prouerb. 8. *Quando æthera firmabat sursum*, &c. *cum eo eram cuncta componens.* Et Ecclesiastici 24. *Ego feci, vt in cœlis oriretur lumen indeficiens.* Quæ de Filio seu Verbo, sapientia genita, intelligit Sixtus II. epist. 1. ad Gratian. & alij Patres citati disp. 4. sect. 1. probat. 5. Præterea Sapien. 9. initio: *Fecisti omnia Verbo tuo.* Et quod attinet ad supremũ opus beatificæ visionis Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Vbi Filium intelligunt Patres citati disp. 27. sect. 7. Præ cæteris Patribus in hac probatione insistit Athanas. in orationib. contra Arianos, veluti in prima circa med. & post med. & in secunda inter princ. & med. & in tertia versus med. & in aliis operibus.

SECTIO

SECTIO VI.

Æqualitatem Filij cum Patre probat locus Philippens. 2. Qui cum in forma Dei, &c.

1 SAtis per se manifestum erat illud testimonium: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Sed quoniam Ariani veteres atque noui robur istius testimonij debilitare conantur; verus illius intellectus erit ex professo probandus.

2 *Forma Dei essentia.* Dico igitur primò. *Forma Dei* significat diuinam substantiam, essentiam, siue naturam. Probatur primò, quia Patres plerique dicunt: Christus, *in forma Dei æqualis est Patri, sed in forma serui minor est Patre.* Ita loquitur Gaius Papa epist. vsica col. 3. Fusiùs autem ponderans præsens testimonium Philipp. 2. August. lib. 1. de Trinit. cap. 7. & 11. & epist. 66. ad Maximum medicum prope finem, & serm. 4. de Ioan. Baptist. propius ad fin. quàm ad med. Leo Magnus serm. 3. de natiuitate Domini cap. 2. & epist. 83. ad Palæstinos Episcopos cap. 6. fine, & toto ferè cap. 7. & epist. 97. ad Leonem Augustum cap. 2. post medium. Concil. Toletanum sextum cap. 1. post medium. Agnellus epist. ad Armenium de ratione fidei inter med. & fin. tom. 3. bibliot.

3 Probatur secundò, quia cæteri omnes Patres in eo cum præcedentibus consentiunt, quod vnitatem essentiæ, substantiæ, siue naturæ diuinæ probant ex eo, quod Christus Iesus *in forma Dei esset*, quoniam formam esse, dicunt, essentiam siue substantiam. Athanas. dialog. 1. de sancta Trinit. contra Anomæum prope fin. & disput. contra Arium habita in Concilio Nicæno propius ad princip. quàm ad med. & orat. 2. contra Arianos non longè post med. & orat. 4. col. 5. & orat. contra Gregales Sabellij paulo post med. & iterum propius ad fin. quàm ad med. & lib. 3. de assumptione hominis colum. 1. & alibi frequenter. Basilius lib. 1. contra Eunom. inter med. & fin. & lib. 4. sub init. & lib. de Spiritu sancto non procul à princip. & Hexæmeron homil. 10. pag. 2. Gregor. Nyssenus in oratione de Deitate Filij & Spiritus sancti circa med. & orat. 1. de beatitudinibus post medium (licet minus apertè) & apertè consonat orat. 1. in illud: *Faciamus hominem*, &c. col. 2.

4 Eodem argumento diuinæ substantiæ vnitatem probant Gregorius Bœticus lib. de Trinitat. col. 3. & 5. & propius ad med. quàm ad princip. & inter med. & finem. Chrysost. Philipp. 2. serm. 7. à princ. supponit tanquam exploratum, intelligi naturam diuinam. Clariùs autem serm. de Trinit. inter princ. & medium, atque iterum circa med. Theodoretus optimè in commentario Philipp. 2. & iterum (adducto testimonio Basilij) in dialog. 2. qui vocatur *inconfusus*, paulo propius ad med. quàm ad finem. Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. inter princ. & medium Eusebius supponendo potius, quàm explicando, lib. 6. demonstrat. euang. cap. 1. & cap. 15. Vigilius apertissimè lib. 2. contra Eutychen, col. 3.

5 Ex Latinis similiter eundem locum Philipp. 2. ponderant Hilarius lib. 12. de Trinit. col. 3. & consequenter formæ identitatem & vnitatem in Patre & Filio docet etiam lib. 8. inter med. & fin. & lib. de Synodis colum. 7. ad canon. 3. Orientalium. Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. col. 2. & epist. 47. prope med. Augustin. lib. 2. contra Maximinum toto fere cap. 5. & in Ioan. tract. 17. ad fin. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. propius ad med. quàm ad fin. & lib. 3. ad Trasimundum cap. 5. & ad obiectionem tertiam Arianorum inter med. & fin. Leo Magnus serm. 5. de Natiuitate cap. 2. & 4. & epist. 97. ad Leonem Augustum cap. 5. circa med. confirmat testimonio Ambrosij dicta epist. 47. Gregor. Magnus lib. 2. moral. cap. 16. ad illud *Circuiui terram.* Bernardus homil. 3. super *Missus est*, inter med. & fin. Phædadius lib. contra Arianos prope finem, Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium col. 5. & multo fusiùs & clariùs in eodem lib. 1. propius ad med. quàm ad princip. & lib. 4. col. 7. & col. penultima. Idacius Clarus aduersus Varimadum lib. 3. cap. 6. Ioannes Maxentius dialogo 1. S. Thom. Philip. 2. lect. 2. sub initium. Eandem expositionem refert, & non reiicit author commentariorum ad Philip. inter opera Hieronymi.

6 *Formæ significationes.* Probatur tertiò, quia licet apud ethnicos philosophos nomen formæ quandoque habuerit alias acceptiones, quemadmodum apud Aristotelem in prædicamentis significat externam speciem, quæ est in quarto genere qualitatis, frequentius autem partem corporis physici, quæ materiam actuat. Cæterum apud Patres Ecclesiæ communiter forma significat essentiam, naturam siue substantiam; vt docet Damascen. lib. de decretis primæ institutionis cap. 1. & in sua dialectica cap. 11. & alias cap. 30. & cap. 24. aliàs cap. 41. Idem obseruat Elias Cretensis ad orationem 11. Nazianzeni num. 18. ad illud. *O exinanitionem & serui formam*, & ad orationem 52. post med. Vbi Nazianzenus contra Apollinaristas docet, *serui formam*, quam dicit Apostolus, non esse fallacem speciem, sed veram hominis substantiam. Chrysost. Hebræos 1. homil. 2. col. 3. & 4. Eodem modo formam eandem pro eadem substantia Patris & Filij sumunt Anastasius Theopolitanus in expositione fidei prope finem. Iustinianus Imperator in edicto fidei multo propius ad med. quàm ad princip. Consequenter *vtramque formam* diuinam & humanam in Christo Domino, dicit Damascenus lib. 3. fidei cap. 15. inter med. & fin. atque in fine.

7 *Morphi semper pro natura ponitur.* Probatur quartò, quoniam forma, sub hoc nomine *Morphi*, quod in præsenti ponitur ab Apostolo, nunquam in Sacris literis accipitur pro imagine repræsentata per opera, sed pro natura ipsa: vt obseruat Chrysostomus Philip. 2. serm. 7. col. 3. contra eos, qui *serui formam* exponebant esse opera serui. Nam & Deuter. 4. versu 12. vbi Vulgata legit, *formam penitus non vidistis*, in Græco non habetur *Morphin*, sed *Omioma*, id est, similitudinem. Atque idem obseruant diligentissimi expositores. Corruit igitur Erasmi expositio, nomine *formæ* intelligentis opera, quæ Deum esse ostenderent.

8 Quintò, nam & apud Aristotelem 5. metaphys. cap. 8. text. 15. fine, forma est idem quod species & essentia rei; de quo diximus disput. 24. sect. 6.

9 *Mente potius quàm verbis aberrans à veritate declaratio.* Veruntamen Franciscus Dauid aliique Transyluani Arianizantes, dicunt, Christum Dominum fuisse in forma Dei, quia erat imago quædam visibilis, in qua cernebatur Deus. Ad cuius examen Dico secundò. Hæc expositio parum aut nihil aberraret à veritate; si non fisteret in imagine, exteriùs apparente per opera visibilia, sed simul atque primariò intelligeret imaginem æternam & inuisibilem Patris, quæ est Filius splendor gloriæ & figura substantiæ Patris.

10 Probatur, quia plerique Patres hoc loco intelligunt, formam Dei esse idem quod Hebræos 1. *figura substantiæ*; propterea quæ declarant nomine speciei & imaginis seu formæ consignatæ. Chrysost. Hebr. 1. homil. 2. col. 3. & 4. dicit: *Forma declarat essentiam, aut essentiam simul & similitudinem.* Propterea quæ formam cum imagine & charactere copulat non semel ibidem. Athanasius lib. 3. de assumptione hominis col. 1. *Forma æqualis*, ait, *in vna persona dici non potest, dum æqualitas in vtrisque consistat. Ideo Christus Dei forma vel imago vera Dei Patris inuisibilis est, quia vna est in his forma & gloria æqualitas.* Eodem sensu *Verbum esse ipsissimam formam Paternæ Deitatis*, docet Athanas. orat. 1. contra Arian. versus fin. & orat. 2. inter princip. & med. & orat. 3. frequenter.

Forma pro figura substantiæ.

11 Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. inter princ. & medium. *Figura*, inquit, *& forma & species imaginis, species, forma & figura regis est.* Et post pauca: *Ideo Patris imago est, ipsum genitorem in se monstrans. Ita apostolicum illud intelliges: Qui cum in forma Dei esset*, &c. Et lib. 3. in Ioan. cap. 29. inter princip. & med. *Filius forma genitoris est.* Gregor. Nyssenus ex professo declarans illud Hebr. 1. *figura substantiæ* lib. de differentia essentiæ & hypostaseos versus finem, frequenter formam vsurpat pro imagine, atque in fine ait: *Filij hypostasis quasi forma ac facies est, qua Pater cognoscitur.* Gregorius Bœticus esse vnam imaginem Patris & Filij, quemadmodum est vna forma, Philip. 2. frequenter reperit lib. de Trinit. colum. 4. 5. 6. & 7. & iterum inter med. & fin. libri.

12 Eodem sensu Basilius lib. 5. contra Eunomium inter medium & fin. *Filius*, inquit, *forma Dei semper existens, & imago Dei naturalis.* Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theolog. col. 2. post num. 11. ait: *Nostrâ causâ exinanitus est, ac diuinam imaginem seruili formæ coniunxit.* Tractabat autem locum Philip. 2.

13 Hilarius euidenter ostendit, se notionaliter & relatiuè sumere nomen *formæ*, quando conferens hunc locum Philip. 2. cum illo Ioan. 6. *Hunc enim Pater signauit Deus*, dicit Filium esse formam & imaginem consignatam à Deo Patre lib. 8. de Trinitat. propius ad fin. quàm ad med. & lib. 10. col. 3. *Filium esse naturæ viuentem imaginem, & consignatam naturaliter Dei in Deo formam.* Et lib. 3. multo propius ad fin. quàm ad med. *Filius*, inquit, *omnia accipit à Patre, & est Dei forma, & imago substantiæ eius.* Idem lib. 2. inter princ. & med.

14 Tertullianus autem pro *forma Dei* scribit *effigie*, dicens: *In effigie Dei constitutus, non rapinam*, &c. lib. 5. contra Marcionem cap. 20. & contra Praxeam cap. 7. Notat autem contra Marcionem, non esse fictam & phantasticam effigiem, sed quæ haberet substantiam eandem cum exemplari. Eadem expositio probatur magis authori commentariorum ad Philippenses inter opera Hieronymi. Iuxta significationem hanc Prudentius in Apothe. contra Vnionit. cecinit:

Christus forma Patris, nos Christi forma & imago.

15 Ambros. in commentario Philip. 2. sub init. ait: *Forma Dei nihil differt à Deo. Ideo enim forma & imago Dei appellatus est, vt intelligeretur non ipse Pater esse Deus, sed hoc esse quod Deus est.* Aliisque rationibus ex eodem loco Diuinitatem & æqualitatem Filij colligit. Eodémque modo declarat hunc locum Hebræos 1. ad illud *imago substantiæ.* Videntur autem ab hac expositione deficere, quæ paulo inferius subiicit: *Forma Dei quid est, nisi exemplum, quo Deus apparet, dum mortuos excitat*, &c. Quibus diuulsis à cætero contextu, videtur Ambrosius author esse declarationis Erasmi superius refutatæ. Veruntamen eadem verba, copulata cum superiori contextu, solummodo significant, Dei formam vltra figuram substantiæ inuisibilem, includere visibilia opera, quibus ostendatur; in quo non video sufficientem rationem, propter quam hæc commentaria censeantur indigna nomine Ambrosij, & reputentur alicna, vt aliqui recentiores volunt.

16 Hinc soluitur alterum argumẽtum Erasmi pro sua expositione. Restat alterum, quia Christus Dominus non susceptt substantialiter formam serui, sed tantùm exteriori specie, quoniam serui opera faciebat. Veruntamen hoc argumentum Basilius & alij Patres contrario modo ponunt, ex eo quod substantialiter acceperit formam serui, probantes habere substantialiter formam Dei. Quod autem Christus Dominus, in quantum est homo, verè sit & appelletur seruus, probari potest multis testimoniis Scripturæ & Patrum, de quibus 3. p. circa quæstionem 20. S. Thomæ. *Obiectio retorquetur.*

17 Dico igitur tertiò. Licet iuxta prædictam expositionem nomine formæ intelligamus imaginem & figuram substantiæ Dei, nihil eneruantur vires probandi, Filium esse Deum æqualem Patri. Quin potius citati Patres ad hoc probandum vtuntur hac expositione, sicut Diuinitas probatur, quoniam est *splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Hebræos 1.

18 Dico quartò. Æqualitatem Filij cum Patre disertis verbis testatur Apostolus in altero membro eiusdem orationis: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Vbi ridendum est delirium Francisci Dauid, intelligentis, hanc æqualitatem non esse naturalem, sed liberè communicatam à Patre. Nihil maiorem contradictionem implicat, quàm æqualitatem Patris, simpliciter dictam, creaturæ communicari: Si autem intelligit æqualitatem secundum quid, contradicit Apostolo, simpliciter dicenti *æqualem Deo*, & nihil amplius Christo relinquit, quàm cæteris iustis, qui gratia & adoptione dicuntur dij. *Æqualitas Filij cum Patre.*

19 Sed Anomæus quidam apud Athanas. dialog. 1. de S. Trinit. prope finem, & Maximinus apud August. lib. 2. contra illum cap. 5. & Erasmus ad Philipp. 2. & Transyluani Ministri putant, Apostoli sensum esse, quod Christus non fuerit arbitratus faciendam rapinam æqualitatis, foret enim rapina, Dei æqualitatem arrogare sibi. *Euasio hæreticorum.*

20 Sed refutatur primò, quia verba Pauli, simpliciter accepta, sonant affirmationem æqualitatis; violenter autem detorquentur ad eam potius negandam. Secundò, quia Patres omnes in hac sect. citati, affirmationem æqualitatis intelligunt, nec possunt oppositum intelligere, postquam explicuerunt esse in forma Dei, nó esse aliud, quàm naturaliter esse Deum, vel figuram & imaginem substantiæ Dei, naturaliter genitam & expressam. *Refutatur.*

21 Tertiò refutatur, quia Christus apertè se dixit æqualem Deo Patri, vt constabit sect. sequenti. Ergo rapinam arbitratus esset, si non foret æqualis. Sic argumentatur Basilius homil. 28. contra Sabellianos inter princ. & med. Quartò, quoniam ex aliis testimoniis adductis in præcedentibus sectionibus constat Diuinitas Filij, cui repugnat inæqualitas.

22 Sed prædicti aduersarij obiiciunt primò, quia nihil magnificum aut Deo dignum tribuit Paulus, si dicat, *Obiectio prima.*

Soluitur. si dicat, Christum non existimasse, rapinam esse suam æqualitatem, si verè Filius erat eiusdem naturæ cum Patre. Respond. Hoc per se solum non commendatur à Paulo, sed ponitur, vt eius comparatione commendetur charitas, humilitas, & obedientia, qua exinaniuit semetipsum; quæ foret infinitis gradibus inferior, & minori laude digna; si persona, quæ seipsam exinaniuit, non foret æqualis Deo.

23 Obiicitur secundò, quia dictio aduersatiua, *sed*, non bene cohæret, nisi intelligatur esse negata æqualitas. Respond. Quinimo non bene cohæreret, si negaretur æqualitas. *Quæ enim laus debebatur ei, qui quam non habet æqualitatem, non rapuit, aut laudabuntur Angelorum singuli, quod æquales esse Deo non rapuerint*, vt ratiocinatur Athanas. dialogo 1. de S. Trinitate prope finem. At è contrario cohæret optimè sic: Christo Domino, vt se demitteret ad formam serui, non potuit esse ratio, quoniam ignoraret, se esse æqualem Patri, sed ratio fuit affectus charitatis erga Patrem & erga homines, & ex illa secutus affectus obedientiæ, & humilitatis. *Obiectio secunda. Soluitur.*

24 Vel breuiùs dicito: Licet videret suam supremam maiestatem, non horruit formam serui. Vel sic. Quantum ad visibilem speciẽ deposuit æqualitatem Patris & maiestatem, non quia putaret, eam esse raptam & non sibi debitam, sed vt indueret formam serui.

25 Obiiciunt tertiò, quod Tertullianus lib. de Trinit. ait: *Quamuis se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri, aut comparauit, aut contulit.* Respond. primò. Falsò adscribitur Tertulliano liber ille, cum sit Nouatiani, vt notatur in recentioribus editionibus ex Hieronymo. Respond. secundò. Ille author, tunc Catholicus, licet postea hæreticus, potuit eo sensu loqui, quo plures antiquorum Patrum dicunt, Filium esse minorem Patre, quatenus est posterior origine, supra disput. 50. sect. 2. *Obiectio tertia. Soluitur.*

SECTIO VII.

Æqualitatem etiam testatur Christus Dominus. Ioan. 5. *& plurimi Patres.*

1 *Quærebant*, inquit, *eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbatum, sed etiam Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Vbi Ioannes obseruat non falsam opinionem Iudæorum, sed verum intellectum verborum Christi Domini, quem etiam eius hostes perceperunt, scientes, non posse Filium Dei naturalem non esse prorsus æqualem Patri. Quocirca prædictis verbis Euangelista simul refert, Christum Dominum virtualiter & implicitè dixisse suam æqualitatem, & Iudæos intellexisse, sed non credidisse.

2 Ita *intelligunt* eius loci expositores communiter. Chrysostomus homil. 37. in med. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 134. Augustin. tract. 17. ad fin. Basil. homil. 28. contra Sabellianos inter princip. & med. & lib. 2. contra Eunom. pag. penultima. Ambros. lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. colum. 2. Hilarius lib. 7. de Trinitat. multo propius ad med. quàm ad princip. Athanas. obiter orat. 3. contra Arian. propius ad princip. quàm ad med. Idacius Clarus lib. 3. aduersus Varimad. cap. 6. Propterea nonnulli Patres Arianis exprobrant, quod sint tardiores Iudæis, siquidem illi cognouerũt, æqualitatem necessariò cõsequi Filiationem Dei, quam illationem impudenter negabant Ariani. Sic argumentatur Basilius lib. 1. contra Eunom. pag. penultima.

3 Confirmatur, quia si non esset verus ille suorum verborum intellectus, debuisset Christus Dominus illum corrigere, ingenuè fassus inæqualem se Patri, sed tantùm abfuit ne corrigeret, vt potius toto illo capite multis argumentis, ac perissimum ex æqualitate operationum confirmauerit, se esse æqualem Patri.

4 Quamuis autem quicumque Catholicorum, affirmans, Filium esse Deum, eo ipso profiteatur æqualem esse Patri; visum est, ad maiorem hæreticorum confusionem, eos Patres referre, qui disertis verbis profitentur, Filium, siue Christum Dominum esse æqualem, coæqualem, parem, aut comparem, aut tantum aut talem, aut non minorem, nec inæqualem nec imparem. Ij sunt Clemens Rom. epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini col. 10. Marcellus Papa epist. 1. ad Salomonem, Gaius Papa epist. vnica col. 3. Damasus in profess. fidei ad Paulinum Thessalonicen. Patres Nicæni per Eusebium Pamphili lib. 2. Concilij Nicæni post med. §. *ne quæras*, in fine, Ecclesia vniuersalis in symbolo Athanasij, Martialis epist. 1. ad Burdegalen. cap. 10. post med. Athanasius fere totus præsertim dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomœum ad fin. & latius sequenti dialog. 2. & lib. 3. de assumptione hominis, & lib. 6. de beatitudine Filij Dei, vltra ea, quæ citauimus sect. 6. Nazianzenus orat. 35. propius ad fin. quàm ad med. & orat. 36. quæ est 4. de theologia propius ad med. quàm ad princ. & orat. 13. quæ est 2. de pace, & orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos à med. & orat. 49. de fide inter med. & finem, & orat. 50. de fide Nicæna.

5 Basilius lib. 1. contra Eunom. cui titulus est, *De æqualitate Patris & Filij*, præsertim propius ad fin. quàm ad med. & vsque ad fin. libri. Atque lib. 4. paulo post princ. vtitur hoc argumento. *Si genitus minor est eo, qui genuit; non est culpa geniti, sed genitoris imbecillitas.* Vnde manifestum est in contumeliam Dei Patris cedere, quod prætextu defendendi maximam excellentiam Patris, Ariani detrahebant Filio. Æqualitatem præterea probat non solùm ad finem eiusdem libri 4. sed etiam libro de Spiritu sancto cap. 6. & homil. 10. Hexæmeron pag. 2. & homil. 15. de fide, & homil. 28. contra Sabellianos inter princ. & med. Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili Dei natura præsertim col. 2. & duabus orat. de illo Euangelico oraculo, *In principio erat Verbum*, & fusiùs in peculiari sermone de Trinitat. & ad Hebr. 1. & 2. Epiphan. hæres. 57. & 62. & 64. & 69. & 73. & 74. & 76. & toto ferè Ancorato. Theodoretus ad Hebræos 1. & tribus dialogis, quibus nomina sunt *immutabilis, inconfusus*, & *impatibilis*, & in epitome diuinorum decretorum lib. 5. c. 2. de Filio. Cyrillus Alex. lib. 2. thesauri cap. 2. ad fin. & lib. 3. cap. 2. & 3. & lib. 10. cap. 8. & lib. 12. cap. 15. & dialogor. de Trinit. lib. 3. ad fin. & lib. 4. inter princ. & med.

6 Latini Patres eisdem vocibus testantur æqualitatem, Hilarius lib. 7. de Trinit. ante med. & post med. & lib. 8. inter med. & fin. & lib. 9. non longè post med. & lib. 12. colum. 4. & lib. de Synodis frequenter, potissimùm inter med. & fin. Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. & lib. 5. cap. 3. & 7. ad fin. & tribus libris de Spiritu sancto frequenter, & lib. de Filij Diuinitate, & in symbolum Apostol. cap. 5. & 6. & 12. & Hexæmeron lib. 2. cap. 5. & lib. 6. cap. 7. Augustinus libro octoginta trium quæstionum, quæst. 50. ait: *Deus quem genuit, quoniam meliorem se*

generare non potuit (nihil enim Deo melius) generare debuit æqualem. Si enim voluit,& non potuit,infirmus est: si potuit,& non voluit, inuidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium. Alibi autem multoties defendit æqualitatem, veluti lib. 1. de Trinit. c.7. & seq. vsque ad 11. & lib.2.contra Maximin.præsertim cap.5. & lib.11.de ciuitate cap.24.sub init. & in Ioan.tract.17.ad fin. & tract.19.colum.3. & lib.4. de Symbolo ad catechumenos c.8. & serm. 40.de tempore propius ad med. quàm ad fin. Fulgentius lib.ad decem obiectiones Arianorum, & lib.1.& 2.ad Trasimundum.

7 Hoc denique testantur expressè Patres omnibus locis adductis supra disput.50.sect.2. & 3. defendentes, Patrem non aliter esse maiorem Filio, nisi quatenus est principium illius personæ diuinæ, vel quatenus creator est naturæ humanæ. Quin etiam Origenes,aliàs Arianizans, æqualitatem fatetur lib.1. de principiis cap. 3. inter med. & fin. dicens: *In Trinitate nihil maius, minúsve dicendum est.*

8 Hanc æqualitatem significant Patres, quando dicunt: *Qualis Pater, talis Filius,talis Spiritus sanctus*, vt Athanas. in symbolo & alibi. Nazianzenus orat. 49. propius ad med. quàm ad fin. Et quando dicunt: *Filius tantus, quantus est Pater*, vt loquitur Hilar. lib.9. de Trinit. inter med. & fin. Augustinus lib.6.de Trinit.cap.8.& cap.10.prope fin. & serm.38. de tempore post med. & epist.66. ad Maximum ante med. Anselmus in prosolog. cap.23. circa med.

SECTIO VIII.

Antiquissima testimonia de Filij Diuinitate, & ratio æqualitatis omnimodæ.

1 EXtra libros sacros multoties Filij seu Verbi Diuinitatem profitetur Iacobus frater Domini tota sua liturgia, & Lucas Euangelista in sua liturgia. Et vniuersaliter Apostoli plurimis orationibus eiusdem sacrificij apud Clementem Roman. veluti lib.6. constitutionum cap.14. fine, & lib.8. cap.16.& 17. & eodem lib.8. cap.22. & sequentibus vsque ad 28.Dionys.de diuinis nomin. cap.1. magis autem ex professo cap. 2. Ignatius omnibus ferè epistolis præcipuè ad Magnetianos, & ad Tarsenses, & ad Philippenses, & ad Philadelphien.& ad Antiochenos. Sixtus Papa I.tota epist.1. Iustinus tota fere expositione rectæ fidei Trinitatis,& dialog.cum Triphone. Athenagoras in legatione pro Christianis, Irenæus lib.3.cap.6. & 8. & 10. & 12. & 16. & 20. & lib.4. cap.11. & lib.5.cap.18.Clemens Alex.lib.1.pædagog.cap.2. & 6.& lib.3.cap.vltimo,Origenes multis locis citatis disp.20. sect.4. Gregorius Thaumaturgus in regula fidei tradita diuinitus,quam referunt apud Eusebium Ruffinus lib.7.historiæ cap.25. & Gregor.Nyssenus orat.in Gregorium Thaumaturg.& in tomis Conciliorum præmittitur ante quintam Synodum. Dionys.Roman.& Dionys.Alexandrinus apud Athanasium in epist. de sententia Dionysij.Athanasius item in epist.de decretis Nicænæ Synodi vltra med.& lib.de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti in med. §. *& si maximè*.Tertullianus toto lib.contra Praxeam & lib.4. contra Marcionem vltra med. Antiochena Prima Synodus, multo antiquior, quàm Nicæna, tota profess. fidei missa ad Paulum Antiochen. Fœlix Papa I. epist.3. ad Benignum antiquior etiam Nicæno Concilio. Nicænum symbolum ab omnibus postea Conciliis & summis Pontificibus probatum, & vniuersa Ecclesia receptum. Præcipua sunt, Concil.Ariminense, Sardicense, Constantinopolitan. Primum, & Ephesinum, atque Chalcedonense, quod est Quartum generale, necnon Quintum & Sextum Concil.generale.Summi verò Pontifices sunt Liberius, Leo Magnus, Ioan. Secundus,& alij prout retulimus disp.21.sect.1.

Denique pro Diuinitate Filij tot testimonia Patrum inuenies non modò præcedentibus sectionibus, sed etiam disp.20. & quatuor sequentibus, vsque ad 24.& disput.36. & disp.50. atque multis aliis, vt superuacaneum sit plura referre. 2

Demonstratio verò theologica probat æqualitatem omnimodam Filij cum Patre, quantum ad dignitatem, æternitatem & quamlibet perfectionem;quia in hominibus inæqualitas filiorum prouenit ex defectu principij generationis, vel propter defectum rei corruptibilis, quæ per incrementum debet ad perfectionem successiuè tendere. Manifestum est autem, in principio generante Verbum, non fuisse possibilem vllum defectum: nec Filium successiuè per transmutationem peruenisse ad perfectionem. Ergo Filius ab æterno fuit Patri æqualis. Vndè Hilarius lib.de Synodis inter med.& fin. *Tolle corporum infirmitates*,ait, *tolle conceptus initium, tolle dolores & omnem humanam necessitatem: omnis filius secundum naturalem natiuitatem æqualitas Patris est, quia est similitudo naturæ.* Vtitur hoc argumento S.Thomas infra quæst.42. art.4. 3 *Non sunt in Deo defectus, ex quibus prouenit inæqualitas inter filios & parentes.*

DISPVTATIO LV.

Vtrum propriè ac sine metaphora sit Verbum illud, quod est apud Deum.

SECTIO I.

Vocabuli significatio multiplex.

1 VAriæ sunt acceptiones istius nominis *Verbum* in Scriptura. Prima & frequentissima est, qua *verbum* appellatur quælibet res, quæ significari potest per *verbum*,vt 1.Reg.3. *Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.* Exod.9. *Cras faciet Dominus verbum istud.* Secunda est vulgarior & communior acceptio *verbi* pro voce prolata ex intentione significandi. Hæc autem extenditur etiam ad scripturam vel nutus, aut quodcumque signũ exterius datum ad significandos conceptus. Quod Augustl. lib.15.de Trinit.c.10.fine Ioan.13. *Innuit huic Simon Petrus,& dicit ei: Quis est de quo dicit?* Tertiò *verbum* accipitur aliquando pro imaginatione vocis, quæ est actus interioris sensus imaginatiuæ cognoscentis vocem. Quartò denique propriissimè ac potissimùm *verbum* appellatur conceptus mentis. 1 *Quatuor acceptiones verbi.*

Pro tertia & quarta acceptione possunt accipi sequentia verba,Psal.13.*Dixit insipiens in corde suo.* Sapien.2. *Dixerunt* impij *apud se non rectè cogitantes.* Matth.9. *Dixerunt intra se: Hic blasphemat.* Ecclesiastici 1. *Locutus sum in corde meo.* Iob 4. *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* & alia,quæ ponderat Augustin.lib.15.de Trinit.cap.10. rectè colligens verbum ex operatione dicendi. 2

Duas

3 Duas præcipuas acceptiones pro conceptu mentis, & pro voce significatiua illius, notarunt Athanas. tract. de diffinitionibus colum. penult. Basilius homil. 16. in id Ioan. 1. *In principio erat Verbum.*prope med.Augustdicto lib.15.de Trinit. cap.10. & 11.& de cognitione veræ vitæ cap.14. Sed illã tertiam acceptionem pro vocis imaginatione satis indicauit Damascen.lib.1.fidei cap.18. prope finem, constituit enim *Verbum internum, quod in corde promitur*, distinctum ab eo, quod est *naturalis mentis motio, secundum quam intelligit & cogitat*,& quæ est, *naturale mentis germen.* Clariùs expressit Augustinus dicto lib.15. de Trinit. c.11. Anselm. lib.3. ad Monim. cap.4. Verùm hanc acceptionem à Damasceno desumpsit S.Thomas in præsenti quæst.34. art. 1. Durand.1. dist.27. q.2. num.7. & communiter expositores S.Thomæ.

4 Præterea notandum est etiam hoc complexum *Verbum Dei* dupliciter accipi. Multoties quippe significat quidquid Deus reuelauit, aut præcepit hominibus. Quemadmodum legimus: *factum est verbum Domini* ad hunc vel illum prophetam. & actuum 6. *Verbum Domini crescebat.* Roman.10. *Auditus per verbum Christi.* & Matth.13.& Marci 4.in parabola seminantis. Secundò sumitur *Verbũ Dei* pro persona Filij,de qua differitur in præsenti.

SECTIO II.

Errores multi contra Verbum Dei.

1 *Somniũ Valentini circa Verbum.* PRimò, Valentinus chymærica deliria somniauit circa triginta æonas, idest, triginta sæcula ex Deo prodeuntia, sed circa Dei Verbum tria sunt insigniora. Primum est, Verbum non esse Filium Dei, nec immediatè processisse ex Deo tanquam eius Filium: sed prius ex coniugio profundi siue inenarrabilis tanquam Patris, & silentij tanquam matris, productam esse mentem, tanquam vnigenitum filium, & cum mente productam esse veritatem: deinde ex mente & veritate processisse Verbum. Secundum est, hoc Verbum non ab æterno, sed post multa sæcula processisse. Tertiũ idem Verbũ prolatione fuisse productum. Hæc & cætera Valentiniana monstra refert Irenæus lib.1. cap.1. Refutat autem lib.2. cap. 1. & sequentibus. Peculiariter autem prolatium Verbum refert, ac refutat lib.2. cap.48. & lib.5. c.18.

2 Epiphanius hæres.71.refert decem differentias Valentinianorum, notans eorum inconstantiam, & propius ad fin. quàm ad med. illius hæresis ait: *Alium vnigenitum esse volunt iuxta productionem, quem sanè & principium vocant:& alium Saluatorem fuisse volunt, & alium verbum filium Vnigeniti, & alium Christum.* & longè inferius refert apud Valentinum ex quaternario illo inenarrabilis, & silentij & Patris & veritatis productum esse Verbum. Eadem breuius refert Theodoret.lib.1. hæreticar.fabular.c.10. de Valentino, & lib.5.epitome diuinorum decret. cap. 2. de Filio in princ. Augustl. lib. de hæresibus hæresi 11.

3 *Verbum prolatitium dixerunt alij.* Secundus error in eo tantùm cum præcedenti conuenit, quod Dei Verbum dicit esse prolatium, seu Verbum & sermonem ex ore, ac proinde non esse Dei filium verè. Ita Paulus Samosatensis & Marcellus, vt referunt Epiphanius hæres.65. sub initium, & hæresi 73.propius ad med. quàm ad princ. Philastrius in 2. catalogo de hæresibus sub Apostolis num.17. Photinus etiam & Photiniani Dei verbum dicebãt esse prolatium, vt refert Epiphanius hæres.71.& Philastrius in 2. catalogo sub Apostolis num. 18. Vtriusque erroris refutatio constabit disputatione sequenti, quando probabitur, Dei verbum non esse prolatium,& disp.57. vbi probabitur, eandem personam esse Dei Filium & Verbum.

Tertius error fuit Marcelli, qui negauit Trinitatem personarum, dicebátque, quandam extensionem Diuinitatis Patris venisse ad Christum,& eam vocabat Verbum, sicut huius extensionis vlteriorem extensionem ad Apostolos vocabat Spiritum sanctum. Ita refert Theodoretus lib.2. hæreticarum fabular. cap. penult. Huius refutatio constat tum ex tota disput.19. vbi probatum est, Verbum esse personam realiter distinctam à Patre & Spiritu sancto;tum etiam ex tota disputatione 36. de Trinit. personarum, vt ex hac & sequenti disp. Præterea refutatur, nam extensio, propriè dicta, manifestè repugnat rei spirituali, maximè verò Diuinitati. Si autem diuinitatis extensionem appellat creata dona supernaturalia, quæ communicantur à Deo; hæc nulla ratione possunt appellari Verbum Dei, per quod facta sunt omnia. 4 *Verbum esse Diuinitatis extensionem, tertius error.*

Quartò Porphyrius Gentilis redarguebat Dei Verbum, quia nec est pronunciatiuum, neque mentale, vt refert Theophylact.in Ioan. cap.1.ad illud: *Hoc erat in principio apud Deum.* Ab eo deriuatus esse videtur error Alogiorum, id est sine Verbo. Sic enim vocati sunt,tanquam Verbo carentes, vt animalia bruta. Hi ne cogerentur concedere diuinum Verbum, reiiciebant Ioannis euangelium & Apocalypsin & epistolam. Quam licet non expresserit Epiphan. hæres. 51. sub init. vbi refert hanc sectam; asserit tamen generaliter reiecisse libros Ioannis. Eandem referunt Augustinus lib. de hæresibus, hæres.30. vocans etiam Alogianos,Isidorus lib.8. etymolog.cap.5.relatus cap.*quidam*,quod est 39.24.quæst.5. Atque ij planè sunt hæretici, quos suppresso nomine Philastrius in 2. catalogo sub Apostolis num.13.refert, negasse Ioannis euangeliũ & Apocalypsin. Hunc errorem refutabunt non modò præsens, sed etiam multæ sequentes disputationes, in quibus constabit esse in Deo Verbum. 5 *Redarguebat Dei Verbum Porphyrius.*

Quintum errorem his verbis refert Athanas. orat.5.contra Arianos multo propius ad fin.quàm ad med. *Quidam ex discipulis Samosatensis,diuidentes Verbum à Filio, dicunt, Filium quidem esse Christum, Verbum tamen alium: eiusq; occasionem accipiunt ex actis Petri, dicentis: Verbum misit Deus filijs Israël, pacem annuncians per Iesum Christum. Hic est omnium Dominus. Aiunt enim, Verbum ita locutum per Iesum Christum, quemadmodum etiam in Prophetis loqui solet: ac proinde aliud Prophetam esse, aliud Dominum.* Sed paulo inferius refert,eosdem sibi ipsis contraria pronunciasse, dicentes, ante Verbum fuisse diuinam Incarnationem. 6 *Quidam distinguebant Filiũ à Verbo.* Actor.10.

Ad fundamentum hæreticorum respond. primò. In eo cap.10. actorum, Verbum non accipitur pro persona diuina, sed pro nuncio, quod extra Deum dicitur & annũciatur hominibus. Hoc igitur nuncium Deus misit, & annunciauit per Iesum Christum. Respond.secundò.Potest etiam intelligi Verbum diuinum, quod misit Pater, vt per humanitatem assumptam prædicaret Euangelium. Nec est nouum in Sacris literis, eandem personam repeti, non ponendo pronomen relatiuum, vt 1.Corinth.1. *Expectantibus reuelationem Iesu Christi, qui & confirmabit vos sine crimine in die aduentus D.N. Iesu Christi.* Ita respondent Athanas. loco citato. Manebit autem refutatus hic 7

error ex dicendis disp.57.sect.2.& sequentibus de identitate Verbi & Filij.

8 *Alius modus distinguendi Verbū à Filio.*

Sextò Nestoriani,licet faterentur,Dei Verbum esse personam, dicebant tamen esse personam distinctam à persona Christi Filij Dei, vt constat ex multis locis Ephesini Concilij, quod est generale Tertium, & plurimis epistolis & opusculis Cyrilli Alexandrini. Nestorianus etiam fuit Theodorus Mopsuest. dicens, *Talem factam esse vnionem Dei verbi ad Christum*, qualem dicit Apostolus de viro & muliere: *erunt duo in carne vna.* Ephes.5. Quam & alias illius blasphemias anathematizat Constantinopolitana Secunda, quæ est quinta Synodus collat.8. can.12.

9 *Negabant Ariani Verbum.*

Septimò dicebat Arius, quod Verbum non est Filius, imo Verbum Dei negabat (quemadmodum de Alogiis retulimus errore 4.) Hoc refert Athanas. lib. de decretis Nicænæ Synodi col.2.& 5. Existimabant autem Ariani,ac nominatim Eunomius, omne Verbum esse prolationem vocis. Ideóque contra Valentinum defendentes, prolatiuum verbum non esse Dei Filium, inferebant absolutè non esse verbum, vt videre est apud Cyrillum Alexand. lib.7. thesauri cap.3.

10 *Inconstantia hæreticorum.*

Octauò, vt est inconstans mendacium, Ariani dicebant etiam, Dei Verbum semper fuisse, sed non semper fuisse Filium. Sed in hoc explicando dissidebant. Nam alij hominem, assumptum à Verbo, volebant esse filium. Alij dicebant Filium coalescere ex homine & Verbo, ideóque tunc fuisse factum filium, quando Verbum vnitum est carni. Alij dicebant ex Verbo factū fuisse filium, quando induit hominem. Hæc refert Athanas. orat.5. contra Arianos, multo propius ad med. quàm ad principium.

11 *Duo Verba distinguit Arius.*

Nonò, Verba duo distinguebat Arius. Alterum existens in Deo, qui est etiam sapientia existens in Deo. Alterum Verbum extraneum à Patris substantia; & de hoc tantum, dicebat Arius, locutum fuisse Ioannem, cum dixit: *In principio erat Verbum*, & Apostolum dicentem: *Christus Dei virtus & Dei sapientia.* Hæc refert Athanas. epist. de sententia Dionysij propius ad fin. quàm ad med. redarguit autem Cyrillus lib. 7. thesauri cap.2. post med.

12 *Sabellianorū verbum.*

Decimò,Sabelliani *Deo tale Verbum adscribunt, quale homines in sua mente concipiunt, ideoq; vnam personam Deum cum Verbo asseuerant.* Ita referunt Athanas. orat. contra Gregales Sabellij col. 1. & Basil. hom.28. contra Sabellianos parum à princ. Quin etiam addebant, quoties Deus loquitur, toties Verbum gigni, vt refert Athanas. in eadem orat. col.5.

13 *Eunomij error.*

Vndecimò, Eunomius dicebat: Christus Dominus *Verbum à Scripturis dicitur, non quia ex Patre secundum naturam sit, aut quia ipse Filius sit intrinsecum atque insitum Patri Verbum: sed quia Patris verbum audiens nobis enunciat: sicut sanctificatio dicitur, quia sanctificat.* Ita scribit Cyrillus lib.7. thesau. cap.4. prope med. & lib. 1. in Ioan. cap. 4. & 7.

14 *Serueti error.*

Duodecimò; Michaël Seruetus anno Domini 1540. præcedentes errores Eunomij & Sabellianorum constauit in vnum,dicens, *Verbum Dei esse dispositionem, qua placitum est ei, arcanum voluntatis suæ nobis reuelare*, & Christum Dominum appellari verbum siue sermonem Patris, quoniam eius mentem enunciat. Eundem errorem secuti sunt Georgius Blandrata & Franciscus Dauidis aliíque discipuli Transyluani, referentibus Greg. de Valentia in controuersiis lib. 1. de Trinit. cap.2. colum.3.& 4.& Bellarm. tom.1.lib.1. de Christo cap.6.loco 13. Hos errores tanquam à fonte manasse ab Origene,videbimus sect. sequenti.

SECTIO III.

Origenes metaphoricam esse vult significationem Verbi, *cui Patres aliqui fauere videntur.*

1 IN commentariis Origenis ad Euāgelium Ioannis tomo seu lib. 1. prolixè declaratur, Christum Dominum non propriè, sed metaphoricè *Logon* seu *Verbum* appellari, sicut appellatur lux, agnus, ostium, & cæteris nominibus translatitiis. Rationes autem, hac metaphora significatas, duas potissimùm assignat, multo propius ad fin. quàm ad med. ciusdem libri primi, nimirum, quoniam à nobis prorsus auferat quidquid est à ratione alienum; deinde verò, quoniam occulta sui Patris hominibus renunciet.

2 Quod autē Verbum propriè dictum propterea negauerit, ne cogeretur illud concedere immanens intra Deum, & inseparabiliter coniunctum, ostendit sequens liber secundus, in cuius col. 2. docet idem author, solum Patrem esse autotheon, id est per se Deum, & verum Deum, at verò *Logon* seu *Verbum* esse Deum tanto inferiorem Patre, quanto creaturæ distant à logo. Sed vtrum hæc & similia fuerint ab hæreticis inserta contra mentem Origenis, tractatum est disput. 20.sect.4. Illud manifestum est, virtualiter in his contineri errores Eūnomij & recentiorum Arianorum,quos retulimus sect.præcedenti prope fin. atque cum illis aptè congruere,quæ veteres Ariani dixerunt contra Verbum errore 8. & 9.

3 Fauere videtur imprimis Theophylactus ad illud Ioannis 1. *Hoc erat in principio apud Deum*, obiectioni Porphyrij contra Verbum ita respondens: *Siquidem nomen Verbi dignum esset Deo, & propriè de illo ac substantialiter diceretur,haberet vtiq; locum Gentilis dubitatio. At neque vllum aliud proprium nomen quis inuenerit dignum Deo: neque Verbum ipsum substantialiter & propriè est nomen Vnigeniti; sed tantùm manifestat absque affectione natum de Patre Filium, quemadmodum verbum de mente, & quod Filius sit Paternæ voluntatis nuncius.*

4 *Exponitur Theophylactus.*

Hæc perfunctoriè considerantibus videri poterant coincidere cum prædicto errore Origenis. Cæterum nihil discedunt à fide Catholica, quia non aliter negant istius vocis proprietatem, nisi quo sensu theologi omnes cum Dionysio dicunt, nullum à nobis excogitari posse nomen proprium & dignum Deo, & illius substantiæ significatiuum, vt vidimus disp.9. sect.2. Mens hæc apertè constat ex illa generali propositione: *Neque vllum aliud proprium nomen quis inuenerit dignum Deo.* Voluit itaque Theophylactus, omnes nostros conceptus & nomina Deum significare per analogiam ad res sensibiles,atque idem existimat de nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

5 *Chrysost. exponitur.*

Secundò fauere videtur Chrysost.in Ioan.hom. 1. non longè post med. dicens, præcipuam causam,ob quam Ioannes appellauit, Verbum fuisse, *Quoniam Patrem nobis annunciaturus erat: Omnia enim,inquit,quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan.15.

6 Veruntamen expositio, quæ nuper data fuit Theophylacto, clarius quadrat in Chrysostomum. Dixerat enim paulo superius: *Deum neque dicere neque intelligere pro ipsius magnitudine quisquā potest.* Et *Cum dici nequeat, quænam sit Dei substantia, eum nobis ex operibus manifestat.* Itaque ratio illa tanquā clarior desumpta fuit ex opere Christi Domini. Cæterum illius prior & substantialis non fuit, vt significaret tanquam Filium in similitudine naturæ, sed absque passione, procedere ex Patre. Quemadmodum ex eodem & alio Chrysostomi loco notauimus disp.6. sect.2. ante med. Eodem modo veniet intelligendus Euthymius imitator Chrysostomi & Theophylacti ad eundem locum Ioan.1.

7 *Epiphanius exponitur.*

Tertiò, Epiphanius hæres. 73. multo propius ad med. quàm ad princ. videtur appellationem Verbi coæquare nominibus translatitiis, cum ait: *Filius, ad quem loquitur Pater, cum alijs piè appellatur panis, & vita, & resurrectio. Insuper & Verbum nominatur, quoniam interpres est voluntatis Dei.* Sed hic explicuit clariorem rationem ab effectu, minimè verò negauit profundiorem rationem processionis per intellectionem. Alioqui tam in eadem hæresi 73.quàm hæres.69.frequenter vtitur nomine Verbi, tanquam proprio & personali; quomodo non vtitur nomine panis aut resurrectionis.

8 *Alij Patres absque fundamento citari pro supradicta sententia.*

Quartò, pro supra dicta ratione vocandi *Verbum*, quoniam Paternæ voluntatis interpres est, referuntur alij Patres, sed perexiguo fundamento. Nam Clemens Alexandrinus oratione adhortatoria ad gentes pag.2. & 3. & lib.1. pædagog. cap.10. 11. & 12. licet diuino Verbo tribuat hoc munus docendi & manifestandi, nullibi tamen dicit, in hoc consistere rationem Verbi, nec inde sumpsisse hanc appellationem.

9 Greg. Nazianzen. orat.36. quæ est 4. de theologia post num. 81. dicit esse Verbum, quoniam est *Paternæ naturæ declaratio.* Basilius orat.16. ad illud *In principio erat Verbum*, post med. dicit esse Verbum, *quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem.* Gregor. Nyssenus orat. catechet. cap. 1. *Quod mentem in apertum proferat.* Verùm ij Patres non agunt de temporali manifestatione per doctrinam hominibus traditam, sed de quidditatiua & æterna ratione imaginis, quæ continetur in ratione Verbi, quatenus exprimit totum Deum. In hoc autem nihil improprietatis excogitari potest, sed potiùs summa proprietas.

10 *Exponitur altera ratio.*

Quintò, videri potest etiam metaphorica ratio, quam assignat Ambros. lib. 1. de fide cap. 2. inter princ. & med. *Dicitur Verbum, quia immaculatus.* Veruntamen hoc refertur ad generationem absque corruptione, quæ propria mentis est, quam magis explicuerunt Nazianzenus & Basilius nuper citati.

11 *Quia Filius est Verbum, cōgruēs fuit, vt esset interpres voluntatis paternæ, assumēdo humanitatem.*

Sextò, nostri temporis aliqui sapientissimi expositores Ioan. 1. probare contendunt, potissimam rationem appellationis Verbi esse,quoniam est diuinæ voluntatis interpres, eo quod multis in locis traditur,hoc munus exercuisse Christum Dominum. Quemadmodum Ioan.1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse narrauit.*& 1. Ioan.cap.11. *Quod audiuimus de Verbo vitæ.* & ibidem cap.5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* Sed his similia multo plura possent coaceruare, quibus tandem concluderetur solummodo, congruentissimum fuisse, vt æternum Verbum assumeret humanitatem ad homines docendos; sed non probatur, hac potissimùm ratione Verbum appellari.

12 Septimò,colligitur ex dictis, optandum fuisse, vt prædicti authores profiterentur expresè,hanc rationem Verbi diuini, quæ consistit in eo,quod Verbum Dei ab æterno & natura sua foret interpres omnium arcanorum Patris, esse rationem secundariam, vtpote quæ respicit actiones ad extra possibiles. Nam sine dubio primaria ratio est, quia per intellectionem procedit vt illius imago perfectissima, infra disp. 58. sect.1. Quod quia prædictos authores subintellexisse credo; non iudico fautores fuisse metaphoræ, quam introduxit Origenes.

13 *Singulariter deceptus Ricardus.*

Sit extrema, quæ præ cæteris omnibus est singularis,sententia Ricardi Victorini lib.6.de Trin. toto cap.12. & 13. Quamuis ex parte conueniat cum Origene, dicens, appellationem Verbi esse similitudinariam & metaphoricam. Pro quo notanda sunt illa verba cap.12. inter princ. & med. *Nuncupatio Verbi pro similitudinis ratione videtur conuenire Filio.* Et longè post med. *Rectè à simili Dei Filius Verbum Patris dicitur, per quem Paterna claritas manifestatur.* & in fine capitis 13. concludit: *Rectè ergo Filius Verbum vel lingua Patris dicitur,* &c. Quibus satis indicat appellationem verbi non minùs metaphoricam esse, quam appellatio linguæ, quæ longissimè distat à proprietate, sicut & cætera membra corporis humani, quando tribuuntur Deo. Veruntamen hanc manifestationem & locutionem Ricardus dicit esse duplicem, aliam intrinsecam, quam solus Spiritus sanctus capit, cui soli loquitur Pater suo Verbo locutione intrinseca. Nam extrinseca locutione loquitur Pater hominibus & angelis,sed non sine Spiritu sancto authore. Hæc Ricardus tradit ad finem dicti capitis 12. sed fusius exponit atque defendit sequenti cap.13. Illius tamen deceptio ducit originem ex eo, quod ignorauit, Filium procedere per intellectionem. Vtramque siquidem processionem reuocauit ad voluntatem communicandi suam perfectionem, vt vidimus disput.2. sect.1.

SECTIO IV.

Propriè ac verè Verbum esse Filium.

1 PRimaria disputationis huius conclusio est, absque vlla metaphora vel improprietate, propriissimè ac verissimè Verbum esse, quod est apud Deum. Hanc conclusionem, reor, esse cum fide Catholica ita coniunctam, vt error sit metaphoram aut improprietatem in Verbo cōcedere.

2 Probatur primò, nam Ioan. cap.1. *In principio,* inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt,* ac deinde: *Verbum caro factum est.* Cum autem apud omnes Catholicos sit exploratum, Ioannis euangelium, & hoc præsertim exordium esse destinatum ad præbendam hominibus notitiam Diuinitatis & personarum Patris & Verbi; foret alienum à ratione nomen improprium vel metaphoricum illius personæ, quam potissimùm prædicare vult, in ipso statim vestibulo ponere; & magis absurdum esset copulare cum verbo substantiuo *erat*, iterum atque iterum repetito, nec dicere *appellatur Verbum*, nec adiungere aliquid aliud, quod metaphoram denotaret. Vnde sapienter Cyrillus argumentatur lib.7. thesau. c.1. sub init. dicens: *Vt hoc nomen, quasi proprium Filij elegisse videatur, In principio, inquit, erat Verbum & Verbum erat,* &c. *Vides quomodo ipsum esse Filij secundum naturam hoc nomen significat.*

3 Confirmatur primò, quia si verbi nomen esset improprium aut metaphoricum; sequeretur fore absurdissi

absurdissimum, totius operis subiectum principale sub eodem Verbi nomine deinceps repetere, de illo prædicando, quæ illi conueniunt, vt dicendo: *Verbum caro factum est, & gloriam quasi Vnigeniti.* Confirmatur secundò, si enim hac in propositione liceret verbum impropriè vel metaphoricè intelligere; sequeretur, eadem ratione licere carnem aut humanitatem impropriè vel metaphoricè intelligere, quod esset hæreticum.

4 Tertiò, quoniam ex terminis videtur absurdum, quod duo præstantissima euangelij mysteria, videlicet diuinarum personarum distinctio, & vnius personæ vnio hypostatica cum carne, docerentur nomine metaphoricè significate personam diuinam, perinde ac si Ioannes dixisset: *Agnus caro factus est*, aut, *Vitis vera facta est caro*, vel alio metaphorico nomine significaret Incarnationem Dei.

5 Quartò confirmatur peculiatiter, nam si per metaphoram illam præcipuè significaret Ioannes, quod Christus esset Verbum, quia Paternæ voluntatis futurus erat interpres; non tam significaretur persona diuina, quàm munus illius: ac proinde non significaretur formaliter & propriè suppositum in seipso, recipiens carnem: insuper appellationem acciperet à munere per carnem exercendo, cui ex se aptus erat Filius. Vnde consequens est, vt quando Filius Dei factus est caro: factus fuerit Verbum in actu secundo & proximè, qui antea non fuisset verbum actu, sed aptitudine, vt fabulabantur Ariani supra sect. 2. error. 8.

6 Quintò, nam vt argumentatur Cyrillus dicto lib. 7. thesau. cap. 1. *frustra miramur Euangelistam, & quasi magnum quid proprium tonasset, tonitrui filium appellamus, nisi Verbum quasi proprium, mirabile & inauditum pronunciasset.*

7 Probatur secundò, nam 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* Vbi non poneretur Verbum inter Patrem & Spiritum sanctum, nisi tanta proprietate foret Verbum, quanta Pater est Pater, & Spiritus sanctus est Spiritus sanctus. Confirmatur primò, nam ea dictione *Tres* significatur personarum numerus & distinctio, quapropter oportuit singulis tribuere proprium nomen quo distinguitur quælibet ab alia persona. Secundò, quia quod subiungitur, *Hi tres vnum sunt*, non potest metaphoricè, neque secundum quid accipi vel improprie; vt probatum est disput. 20. sect. 6. Ergo non licet impropriè vel metaphoricè intelligere personas, de quibus dicitur esse vnum.

8 Probatur tertiò, nam quod Apocalyps. 19. scribitur: *Vocabat nomen eius Verbum Dei.* simpliciùs & veriùs dictum accipitur absque metaphora vel improprietate, dignúmque est, vt eius proprium & diuinum nomen potius quàm improprium hoc loco poneretur, præsertim cum dicatur ibidem, *Habens nomen, quod nemo nouit, nisi ipse*, quod dici non potuit, nisi de nomine incomprehensibili, ac subinde proprio atque diuino.

9 Probatur quartò, nam illud Ecclesiastici 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*, indicat Verbum Dei peculiari quadam ratione pertinere ad intellectionem diuinam; & non alia, nisi vt terminum productum per intellectionem, quæ est propriissima ratio Verbi. Ideo ad confirmandum, quod Filius sit Verbum, adducitur ab Augustino 15. lib. de Trinit. cap. 11. ante med.

10 Probatur quintò, quoniam hæretici negantes Verbum per varios errores, expositos in sect. 2. nihil morarentur concedere, Christum, licet esset creatura, quadam metaphora & impropriè Verbum esse, quoniam per illum Deus locutus est hominibus, & aliqui eorum hoc dixerunt. Confirmatur primò, nam impropriè vel metaphoricè aliquid dicere, perinde est atque dicere absolutè simpliciterque non esse tale. Propterea que simpliciter loquendo Christum Dominum esse vitem, aut agnum, verius est negare, quàm affirmare, quia negatiua propositio melius veritati coaptatur. *Quare cum quid argumentamur non esse propriè, funditus per se non esse demonstramus*, vt verissimè docuit Gregorius Nyssenus supra disp. 9. sect. 5. sub init. Consequens igitur est, vt qui diceret Filium Dei esse verbum impropriè vel metaphoricè, funditus demonstraret non esse Verbum, vnde re ipsa conspiraret cum Alogianis, aliisque negantibus Verbum.

Confirmatur secundò, nam ad significationem 11
impropriam vel metaphoricam non sunt detorquenda Scripturæ vocabula, præsertim ea, quæ sæpius repetuntur, nisi ad hoc cogat vrgens ratio, vel ipse contextus. Alioqui facile conuellerentur omnia dogmata fidei.

Sextò probatur ex Patribus, imprimis generaliter. Nam omnes ita loquuntur de Verbo diuino, quasi pro comperto supponentes esse verè & propriè Verbum: quorum plurima loca citabimus, non solùm in sequentibus sectionibus, sed etiam disp. 56. & sequentibus. Specialiter autem Clemens Roman. epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini circa med. ait: *Patris verè Filius est Verbum.* Vbi aduerbium *verè* non solum ad Filium, sed etiam ad Verbum referri potest, ac debet.

Athanas. orat. 2. contra Arianos pag. 6. dicit: 13
Verbum verum & vnicum Dei. & tota illa oratio trésque sequentes ostendunt, propriissimè ac verissimè Filium esse verbum, sapientiam & rationem Patris Basilius lib. 3. contra Eunom. prope med. videlicet sect. 13. ait: *Ex Deo natum est Verbum, non humanum: edit autem Verbum verè.* Magis ex professo Cyrillus lib. 7. thesauri cap. 1. à princ. superius citato, & ex illo Cyparissiotus decade 4. cap. 9.

Septimò probatur à priori, quia quidditas Ver- 14
bi consistit in hoc, quod sit terminus productus per intellectionem, repræsentans obiectum (vt videbimus disp. 58. sect. 1.) sed Filius Dei est terminus productus per intellectionem diuinam, suprà disp. 2. sect. 2. & 3. insuper suum obiectum perfectissimè repræsentat, supra disp. 6. sect. 2. & sequentibus. Ergo Filius habet quidditatem Verbi, ac proinde est verè & propriè Verbum. Sumitur hæc ratio ex Augustino 15. de Trinit. cap. 11. 13. 14. & 27. Hac igitur ratione Anselmus in monol. cum à c. 30. vsque ad 35. probasset, Verbum à Deo procedere per intellectionem perfectissimam sui & creaturarum, in cap. 45. concludit: *Liquet Filium esse verum Verbum.*

Confirmatur, nam eo ipso, quod dicatur esse 15
metaphoricè Verbum, supponitur aliquid esse in Deo, quod propriè sit Verbum. Nam metaphora non potest esse alia, nisi quia quemadmodum exteriora verba significant interiores conceptus, ita Christus Dominus explicuit voluntatem Patris. At in hoc ipso supponitur, aliquem esse conceptum Patris, quem voluit nobis explicare. Ille autem conceptus necessariò terminatur ad Verbum productum, vel est ipsum Verbum. Atque ita procedit ratio S. Thomæ in præsenti quæst. 34. artic. 1. ad 1. Manifestum est enim, Filium non appellari

appellari Verbum ea ratione, quia sit res declarata per Verbum diuinum.

16 Corollarium primum sequitur ex dictis, esse
Mētale Verbum est propriè Verbum. cauendum, quod asseruere nonnulli, quos suppresso nomine refert Canariensis supra quæst. 27. art. 1. disp. 3. videlicet, Verbum solummodo propriè dici de vocali; nam mentale non dicitur Verbum, nisi impropriè extensóque vocabulo. Cui sententiæ valde fauet Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 5. cuius aliqua verba referemus sect. 6. sub init.

17 Hæc doctrina non alia ratione liberatur ab er-
rore, nisi quia non agit de Verbo diuino, sed tantùm de creato, vel de verbo generaliter abstracto à creato & increato. Nihilominus est temeraria & periculosa primò, quoniam ex illa manifestè sequitur, Dei Verbum non esse propriè Verbum. Sequela probatur, quia Dei Verbum non est vocale nec prolatiuum, vt ostendemus esse de fide disput. sequenti, & disp. 58. ostendemus esse Verbum procedens per intellectionem ac subinde mentale.

18 Probatur secundò, nam Augustinus lib. 15. de
ciuitate cap. 11. init. *Verbum*, inquit, *quod foris sonat, signū est Verbi, quod intus lucet, cui magis Verbi competit nomen. Nam illud, quod profertur carnis ore, vox Verbi est: Verbumq́, ipsum dicitur propter illud, à quo vt foris appareret assumptum est.* Idem significat Damasc. lib. 1. fidei cap. 18. prope fin. Tertiò, quia communis sententia Patrum & Scholasticorum de mentali loquuntur, quasi de primario Verbo, cuius attributione vocale dicitur verbum. Maximè S. Thomas in præsenti q. 34. art. 1. ad 1. sed multo fusius de veritate q. 4. art. 1.

19 Probatur quartò, nam Angeli non sunt multi,
sed ad inuicem loquuntur, & ad Deum, vt ratione naturali demonstratur, & multis Scripturæ testimoniis constat. At voce non loquuntur, sed tantùm mentis conceptibus. Ergo formant verbum mentis, quod nihil est aliud, quàm mentale signum, deseruiens ad locutionem mentalem. Quintò, quia non solum ad alios, sed etiam ad semetipsum quilibet loqui potest, absque voce vel alio sensibili & exteriori signo, vt probant testimonia citata in sect. 1.

20 Corollarium secundum est, quolibet tempore
Mētale Verbum significatiū est hoc nomine verbum. à prima vsque impositione vocabuli, *verbum* non significasse solum, neque principaliter vocale verbum, tametsi vulgares expressè atque distinctè nihil amplius intelligerent. Apud sapientes enim, verisimilius est, quocumque tempore significasse primariò & principaliter verbum mentis. Quod idem virtualiter & implicitè significabat apud rudes & indoctos: quatenus apud omnes, non significabat voces, nisi prout sunt signa eorum, quæ volunt manifestare loquentes. Sicque defenditur, nullum fuisse tempus, in quo non potuisset Dei Filius appellari Verbum propriè. Idem intellige de voce huic correspondente in qualibet lingua, nisi fuerit extrema barbaries omnium hominum, qui ea vtuntur.

21 Reiiciendi sunt igitur aliqui, dicentes, verbum
primò fuisse impositum ad significandum solum verbum vocale, deinde verò fuisse extensum ad mentale. Nec obstat etymologia, iuxta quam verbum creditur esse *dictum, eo quod verberato aëre sonet*, vt scribit Isidorus lib. 1. etymolog. cap. 9. init. Agebat autem de verbo, prout est pars orationis apud Grammaticos. At vocis etymologia multoties verificari non potest de suo primario significato, vt de alia etymologia verbi notat S. Thomas de veritate quæst. 4. artic. 1. ad 11.

SECTIO V.

Num sermo potiùs, quàm Verbum appellandus sit Filius Dei.

SVpponendum est multa significari nomine 1
logos, quod Græcè ponitur ab Euangelista. *Nam & Verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vniuscuiusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt.* vt notauit Hieronymus epist. ad Paulinum.

Dico igitur primò. Filius Dei rectè potest ap- 2
pellari *sermo Dei.* Probatur primò Hebræorum *Filius est sermo.* 4. *Viuus est*, inquit, *sermo Dei & efficax.* Vbi Græcè habetur idem vocabulum *logos*, quod Ioan. 1. vertitur *Verbum.* Et quamuis secundariò & participatione quadam intelligatur etiam de doctrina & præceptis Dei (de quibus plerique Patres exponunt) primariò tamen ac principaliter agitur de Filio Dei, cui soli propriè ac sine metaphora conueniunt oculi, quibus omnia sint nuda & aperta, & is est; *ad quem nobis sermo.*

Quapropter ad hunc locum recurrere solent 3
Patres, exponentes Diuinitatem Verbi, Nicænum Concil lib. 2. ante med. §. *quomodo*, & longè post med. §. *cum sit copiosa: Verbum*, ait, *semper viuens & efficax & penetrabilius*, &c. Eodem modo loquitur Athanas. orat. 3. contra Arian. versus fin. semel & iterum, & lib. de salutari Christi aduentu propius ad med. quam ad fin. Cyrillus lib. 2. in in Ioan. cap. 37. Theodoretus & Oecumenius Hebræos 4. Ambros. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 3. prope fin. Cyprian. lib. 2. contra Iudeos cap. 3. & 5. August. tract. 108. in Ioan. Lyra & Caiet. Hebræ. 4.

Probatur secundò, nam & Sapient. 8. *Omnipo-* 4
tens, inquit, *sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus sedibus*, &c. Quamuis enim cortex literæ referatur ad Angelum percutientem Ægyptiorum primogenita: ille tamen nec omnipotens, nec à regalibus sedibus exiliens dici posset, nisi prout erat typus sermonis subsistentis & æterni. Confirmatur, nam & illud Ioan. 17. *Sermo tuus veritas est*, de Filio Dei exponitur ab Athanas. dicta orat. 2. contra Arian. inter med. & fin. & orat. 4. propius ad med. quàm ad princ. & August. tract. 108. in Ioan. circa med. qui probant testimonio Christi Domini dicentis: *Ego sum via, veritas & vita.* Licet communiter expositores sermonem ibi doctrinam Euangelicam exponant.

Probatur tertiò, nam ex veteribus multi gra- 5
ues authores Filium Dei appellauere *sermonem.* Tertullianus lib. aduersus Praxeam cap. 5. & 7. & 8. & 11. & lib. contra Marcionem cap. 27. & lib. aduersus Hermogenem cap. 20. Atque sub nomine Tertulliani Nouatianus lib. de Trinit. tribus locis, Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 3. & 6. Hilarius lib. 2. de Trinit. Ambrosius lib. vnico de fide contra Arianos c. 2. circa med. & lib. 1. Exæmeron cap. 9. & lib. 2. cap. 2. Hieronymus in Isai. cap. 11. & in epist. ad Ephes. cap. 1. August. tract. 54. in Ioan. & tract. 108. circa med. Lactantius diuinar. institut. lib. 4. c. 8. & 9. Prudentius hymno 6. Cathemerinon. Remigius ad Hebræos 4. Anselmus Ioann. 1.

Colligitur primò, quia nonnulli Patres in aliis 6
locis agentibus de Filio, legunt pro Verbo sermonem, vt Tertullianus contra Praxeam cap. 7. & 11. ex psalm. 44. *Eructauit cor meum sermonem bonum.*

bonum. Quod idem legit Cyprianus dicto lib. 2. contra Iudæos cap.3. & cap.6. legit: *In principio erat sermo, & sermo erat*, &c. Et dicto capit.3. ex Isaiæ 10. *Sermonem abbreuiatum faciet Dominus super terram.* & psalm.32. *Sermone Domini cœli firmati sunt.*

7 Confirmatur secundò, nam in vulgatis & vsu receptis translationibus Græcorum Patrum, interpretes Filium multoties appellant sermonem tali contextu, qui sit indicio, quod aliquando saltem in originali Græco non legerint *logos*, sed *rema*. Sic enim Nazianzenus orat.36. quæ est 4. de theologia multo propius ad fin. quàm ad med. num.82. *Verbum*, inquit, *ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem.* Clariùs appellat *sermonem* in orat.49. de fide propius ad med. quàm ad princ. Athanas. dialog.2. de S.Trinit. contra Anomæum sub init. & frequentius sequenti dialogo 3.& orat. 3.contra Arianos non procul ante med. Gregor. Nyssenus orat. catechetica cap.1. inter princ. & med. semel & iterum: sed frequentius lib. de Trinit. & aduentu Domini Chrysostomus tom.3. versus finem sermone de Trinit. sub init. & orat. de illo Abrahami *Pone manum tuam sub femur meum*, propius ad med. quàm ad princ. Cyrillus Alexand. in Isaiam lib.5. cap.62. post med.

8 Excedunt tamen Erasmus, Theodorus Beza, & omnes ferè præsentis tempestatis hæretici, fugientes vocabulum *Verbi*, & eius loco vocantes sermonem, vt etiam vocibus à Catholicis recedant, quibus fauent nonnulli Catholici.

9 Contra quos Dico secundò. Licet non foret contra mentem Euangelistæ legere: *In principio erat sermo, & sermo*, &c. Cæterum vox Latina *Verbum* in hunc locum Ioan.1. quadrat multo conuenientius, quàm *sermo*, Quoniam hic traditur potissimum esse substantiale & intrinsecum Verbi, quod est simplicissimum. At secundum proprietatem linguæ Latinæ, *sermo*, plures dictiones complectitur artificiosè compositas; Verbum autem appellatur vnica dictio simplex. Confirmatur, nam eadem ratione, non sine Dei prouidentia, Patres Latini Dei Filium frequentius Verbum, quàm sermonem appellarunt, & ex illis aliqui nunquam appellauere sermonem. Imo Hilarius lib.2. de Trinit.prope med. ait: *Verbum hoc res est, non sonus: natura non sermo.* E contrario cap.4. ad Hebræos, conuenientius fuisse videtur, non *Verbum*, sed potiùs *sermonem* vertere. Quoniam ibi declaratur diuini Verbi multiplex efficacia, & infinitatum rerum notitia.

Vox verbum *melius quadrat in Euãgelium Ioannis.*

SECTIO VI.

Cum nomine Verbum *conferuntur cætera vocabula.*

1 LActantius de vera sapientia lib.4. cap.9. scribit Græcam appellationem *logos* meliorem esse quàm Verbum, aut sermo, seu ratio, quoniam *logos* comprehendit significatum earum omnium vocum, cui consonat Tertullianus statim referendus. Nihilominus Dico primò, Latinis conuenientius tradi Latinum vocabulum *Verbi*, theologos admonendo, vocem hanc vsu recepto Patrum & Philosophorum, tam in Ecclesiis, quàm in Scholiis significare totum, quod *logos* significat Græcis.

Logos *minus cõmoda vox Latinis, quæ* verbum.

2 Tertullianus lib. contra Praxeam cap.5. prope med. postquam Filium appellauerat *rationem* Patris, adiungit: *Hanc Græci logon dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoq; iam in vsu est nostrorum per simplicitatem interpretationis, sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse; cum magis rationem competat antiquiorem haberi.* Probat autem conuenientiorem esse rationis appellationem primò: *Quia non sermonalis à principio Deus, sed rationalis etiam ante principium.* Quibus supponit, sermonem propriè non appellari Christum Dominum, nisi prout in tempore nobis exposuit conceptus & voluntatem Patris. Secundò probat, quia sermo posterior est, quàm ratio, & ab illa habet esse, quoniam ad rationem explicandam destinatur. Veruntamen hæc fundamenta falsa esse probatum est tota sect.4.

Propterea Dico secundò cum Augustino lib.83. quæstionum quæst.63. *Quod Græcè logos dicitur, Latinè & rationem & verbum significat. Sed huc loco* (Ioan.1.) *melius Verbum interpretamur, vt significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt, operatiua potentia. Ratio autem etsi nihil per illam fiat, rectè ratio dicitur.* Quamuis enim Filius ab æterno foret Verbum; etiamsi prorsus nihil faciendum esset in tempore: ea tamen vis, & quidditatiua proprietas, vt per verbum fiant, quæcumque facienda sunt, magis aptè significatur nomine Verbi, quod multoties destinatur ad imperandum & agendum cum aliis, quam proprietatem non significat ratio.

3 *Potest appellari* ratio, *sed conueniẽtior est appellatio* Verbi.

Dico tertiò. Nihilominus Dei Filius conuenienter appellatur ratio Patris. Primò, quoniam est sapientia Patris, vt ostendemus disp.58.sect.4. & 5. Secundò, quoniam vox, *logos*, significat etiam rationem. Atque ita rationem appellat Ambros. lib. vnico de Filij Diuinitate cap.6. & Tertullianus nuper citatus: interpretes quoque Græcorum Patrum multoties *rationem* vertunt. Sic habet Origenes lib.1. de princip. c.3. inter med. & fin. & in Ioan lib.1. & 2. Nazianzenus orat.49. de fide propius ad med. quàm ad fin. Nyssenus orat. catechet. cap.1. inter princ. & med. & cap.5. sæpe. Athanas. passim veluti orat.1. contra Arianos post medium & orat.2. pag.9. & 12. & 18. & orat.3.4. & 5. alibi sæpe. Theodoret. Hebræos 1. ad illud *Figura substantiæ.*

4

Hoc autem argumentum maiorem vim habet, quando contextus exigit intelligi *rationem*, veluti quando Patres probant, Deum habere Verbum, quia rationalis est; vt Athenagoras legatione pro Christianis propius ad med. quàm ad princ. *Deus, inquit, in se ipso logon, hoc est, Verbum aut rationem habet, cum rationalis ipse æternum sit* Vel quando redarguunt hæreticos, negantes æternum Verbum, quoniam Deum faciant irrationalem, vt Athanas. in compendio de Spiritu sancto notat, *esse nefarium dictu, Deum sine Verbo aut ratione fuisse, ne insipiens aut irrationalis habeatur.* & disput. contra Arium habita in Concilio Nicæno paulo post med. *Sequitur*, inquit, *fuisse aliquando tempus, quando Pater fuerit irrationalis, id est sine Verbo.* Similiter infert, Deum esse *rationis expertem.* Gregorius Nyssen. in epist. contra Apollinarem de imagine & similitudine ferè inter med. & fin. & dicta orat. catechet. cap.5.

5

Dico quartò. *Eloquium* non est nomen vsurpandum ad significandum Filium Dei. Quamuis enim S.Thomas opusc.1. contra errores Græcorum c.12. citans testimonium 1.Ioann.5. de Verbo dicat, *non referre, si quis translationem mutet, vt loco Verbi eloquium ponat, nam id quod quis loquitur verbum eius est. Vnde sicut solus Filius in Diuinitate est Verbum, ita solus est eloquium.* Veruntamen intelligendum

6 *Eloquium nõ est dicendum Verbum diuinum.*

gendum est, nihil referre, quantum ad illud, quod intendebat probare S.Thomas, videlicet Spiritum sanctum non esse Verbum.

7 De cætero vocabulum istud nullibi Sacræ literæ tribuunt Filio Dei, sed diuinæ inspirationi vel locutioni factæ ad homines. Nec apud Patres vnquam eam appellationem inueni. Adde quod apud Latinos *eloquium* significat sermonem facundum, elegantem, aut eloquentia ornatum. Ideóque magis videtur ad voces pertinere, quàm ad mentem; insuper plurium dictionum compositionem insinuat, quod non congruit simplicitati diuinæ. Confirmatur denique, nam alioqui Filius Dei posset appellari oratio, vel facundia, vel eloquentia.

8 *An* Verbum *possit vocari* cogitatio. De cogitatione supereſt difficultas, an Verbum Dei possit appellari cogitatio. Nec enim videtur absurdum, siquidem Augustin. lib.15. de ciuitate cap.10. inter med. & fin. ait: *Formata cogitatio ab ea re, quam scimus, Verbum est, quod in corde dicimus.* & lib. de cognitione veræ vitæ cap.14. cognitionem, per quam producitur Filius, appellat cogitationem. & serm.1. de Ioan. Baptista propius ad med. quàm ad princ. ait: *Verbum esse definiunt* (Scripturæ sanctæ) *ipsam cogitationem, quæ adhuc intra conscientiæ secreta retinetur.*

9 Basilius homil.16. ad illud *In principio erat Verbum* post med. *Verbum nostrum totius cogitationis nostræ imaginem refert.* Fulgentius lib.3. ad Monimum cap.7. à med. *Cum mens*, inquit, *apud se Verbum habet, vtique cogitando habet; quia nihil aliud est apud se dicere, quàm apud se cogitare.* Anselmus in monol.cap.31. à med. vsque ad fin. probat, mentem rationalem, *cogitando se, formare imaginem sui, quæ imago eius est Verbum.* Vnde sequentibus capitibus colligit Verbum diuinum. Damascen. lib.1. fidei cap.18. prope fin. *Verbum*, inquit, *est naturalis mentis motio, secundum quam mouetur, intelligit, & cogitat.* Irenæus lib.2.cap.48. sub init. *Cogitatio eius*, inquit, *logos*, Dei videlicet.

10 Confirmari potest, nam & Scriptura tribuit Deo cogitationes, vt Isaiæ 55. *Exaltatæ sunt cogitationes meæ*, & Hierem.29. *Ego cogito cogitationes pacis.* & alibi non rarò cogitare dicitur Deus.

11 *Non propriè* cogitatio. Nihilominus dico quintò. Cogitationis nomen Dei Verbo propriè non conuenit, tolerari tamen poterit extensione vocabuli ad minus propriam significationem. Probatur primò, nam vt Augustinus docet in eodem lib. 15. de Trinitat. cap.15. à med. cogitatio significat inquisitionem veritatis, & consequenter volubilitatem, adhuc carentẽ constanti veritatis contemplatione, quam Verbi nomen importat. Vnde cap.16. init. colligit: *Quapropter ita dicitur illud Dei Verbum, vt Dei cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo.* Idem colligitur ex Hilario lib.2. de Trinit. non longè ante med. Si quædam obiectio conferatur cum solutione. Augustinum sequuntur S.Thomas in præsenti quæst. 34. artic.1. ad 2. Alexand.1.part.q.62. art.5. Albertus 1.part. q.35. art.2.memb.3. & communiter Scholastici.

12 Prædictæ rationi congruit proprietas verbi *cogito*, quod authores Latinæ linguæ notant esse frequentatiuum, sicut agito & factito. Ideóque multitudinem & cogitationem significat. Propterea Patres nuper citati, licet humanum verbum dixerint cogitatione produci, nunquam verò, quod viderim, ad productionem diuini Verbi vocem illam accommodant, nisi forte sermonem facientes ad vulgares homines, & illorum captui vocem accommodantes.

Ruiz. de Trinitate.

Scriptura denique metaphoricè Dei consilia nominat cogitationes ad instar hominis, mutantis consilia pro diuersitate rerum contingentium, vel inquirentis varia remedia rebus afflictis, sicut metaphoricè tribuit obliuionem Deo: quemadmodum adnotauit Augustinus lib.15. de Trinitat. dicto cap.16. in medio. 13

Dico sextò. Non nisi metaphoricè dicitur, Verbum diuinum esse *vocem Patris*; tametsi multoties *vocem* appellet Lactantius diuinar. institut. lib.4.cap.8. & 9. & Gregor. lib.32. moral. cap.6. fine, sic exponit illud Iob. *Si voce simili tonas. Ipse vox, quia cum Pater gignendo dixit: Filius meus es tu.* Confirmátque, quoniam *In principio erat Verbum*, &c. Vocem etiam appellat Claudianus in carmine de Christo seruatore. 14 *Metaphorice* vox Patris *est Verbum.*

Assertio probatur, quia vox propriè sonus est exterioribus auribus sensibilis; sed quoniam ille tantùm sonus, quem animal edit ore, potest appellari vox, inde translatio sumitur ad eam significandam, quæ dicit: *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Ecclesiastici 24. Verùm hæc etiam metaphora vitanda est, nisi declaratione adhibita, ne videamur asserere prolatiuum Verbum. 15

Septimò. *Lingua Patris* à quibusdam Patribus Ecclesiæ vocatur Dei Verbum, nec immeritò iuxta illud Psalm.44. *Lingua mea calamus*, &c. Sed lingua & calamus metaphoricè dicitur. De Christo Domino versum hunc esse intelligendum, videbimus disput.78.sect.1. conclus.1. probat.2. 16 *Lingua Patris.*

DISPVTATIO LVI.

Vtrum Verbum Dei sit prolatiuum.

SECTIO I.

Non esse prolatiuum subsistens in Deitate.

1 ESSE prolatiuum dixerunt Valentinus, Paulus Samosatensis, Marcellus, & Photinus relati disp. 55. sect.2.errore 1. & 2. Sed econtrario extremo Porphyrius, Eunomius & alij Ariani tanquam absurdum ex doctrina Catholicorum inferebant, Deo cõuenire Verbum prolatiuum, quoniam omne verbum existimabant esse prolatiuum.

2 Aduersus omnes hos sit vnica conclusio. Absolutè simplicitérque loquendo, profiteri debemus, Dei Verbum non esse prolatiuum, nec enunciatiuum, nec pronunciatiuum, nec ore prolatum, nec probolam, id est, prolationem. His enim omnibus nominibus Patres intelligunt Verbum vocale, siue sonum vocis, corporeum, sensibilem, articulatum ex intentione significandi, in aëra sparsum ac dissolutum. Huic autem opponunt Verbum substantiale, subsistens, viuens & æternum.

3 In hoc sensu præsens conclusio est de fide, atque in eodem communiter Patres definiunt, Dei Verbum non esse prolatiuum, siue pronunciatiuum, aut enunciatiuum. Nicænum Concil.lib.2. longè post med. in responsione, quæ incipit, *cum sit copiosa.* Irenæus lib.2.cap.1. & sequentibus, maximè cap. 48. & lib. 5. cap.18. Ignatius epist. ad Magnesianos propius ad med. quàm ad fin. Nazianzen. orat.49. de fide col.2. & 3. Nyssen. orat. catechet. cap. 2. post med. & lib. de Trinitate & aduentu Domini contra Iudæos in princip. Basil. lib. 5. contra Eunomium non longè à princip.

& lib.vnico de Spiritu sancto cap.16.inter princ. & med. Chrysost. orat.1. de illo Euangelico oracu-lo: *In principio erat Verbum*, col. 1. & in Ioan. homil.2. prope med. Athanas. serm.in Euang. de sanctissima Deipara inter princ. & med. Gregor. Bœticus lib.de Trinit. non longè à princip. Epiphan.hæresi 65. sub init. & ante med. & 71. propius ad fin. quàm ad med. & 63. propius ad med. quàm ad princip. Cyrillus Alexand.lib.7.thesauri cap.1. ad fin. & toto cap.3. Cyrillus Hierosolym. cateches.11. propius ad med. quàm ad princip. Theodoret.lib.1. hæreticar. fabul. cap.10. de Valentino, & lib.5.epitome diuinor.decret.cap.2.de Filio in principio.

4 Latini Patres similiter decernunt,non esse prolatiuum verbum.Tertullianus lib.contra Praxeam cap.7.& 8.Ambros.lib.1.de fide ad Gratian.cap.5. non longè à princ. & lib.4.cap.3.sub fin. & cap.4. Hilarius libris de Trinitat. frequenter, vt lib. 2. ante med. & lib. 6. colum. 3. & 4. & lib.7. inter princip. & med. & lib. de Synodis in med. refert octauum canon. Syrmicæ Synodi: *Si quis insitum & prolatiuum Verbum Dei Filium dicat, anathema sit.* Explicat autem Hilarius, ab hæreticis appellatum esse Verbum *insitum*, id est, *per insitam nobis loquendi naturam prolatum in vocem.* Augustinus etiam respuit, vt hæreticum verbum prolatiuum lib.7.de Trinit.cap.1.propius ad princip.quàm ad med. & lib.15.c.10. & lib.de hæresibus hæres.11. Fulgentius lib.1.ad Trasimun.cap.6.prope fin.

5 Ratione theologica demonstratur, quia Dei Verbum est increatum, æternum subsistens, & persona diuina eiusdem substãtiæ cum Patre proferente, vt magis constabit ex disputationibus sequentibus. Hæ verò perfectiones prolatiuo verbo repugnant. Confirmatur, quia Dei Verbum est mentale,siue intellectuale,ipsamet perfectissima intellectione conceptum, vt magis constabit disput.58.sect.1.

6 Veruntamen quia fortasse Valentinus aut alter ex assertoribus prolatiui verbi, responderet, esse verbum mentis, intelligendo prolatum, cæterùm natura diuersum à persona proferente, ab illa dependens, atque illi inhærens, quemadmodum nostri conceptus. Propterea Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 8. Valentini probolas, id est, prolationes refutans. *Hæc*, inquit, *erit probola veritatis, custos vnitatis, qua prolatum dicimus Filium à Patre, sed non separatum.Protulit enim Deus sermonem.*

7 Primarium præsentis veritatis testimonium est illud Ioan.1. *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Vbi præpositio, *apud*, denotat, Verbum esse personam subsistentem, & distinctam realiter ab ea persona, apud quam est,nec esse sicut accidens in subiecto, nec sicut conceptus realiter identificatus cum intellectu, siue essentia diuina.

8 Hunc locum ponderans Athanas. orat. contra Gregales Sabellij col.2. *Si Deus*,inquit,*Verbum in mente habet, non autem re vera ex ipso genitum, vt Deum ex Deo, quomodo esse poterit apud Deum Verbum? aut quomodo Deus fuerit? Non enim Verbum in mente hominis conceptum,homo est apud hominem,cum nec viuat, nec subsistat; sed viui duntaxat & subsistentis pectoris motus sit, quod mox vt enunciatum est, non subsistit.* Quibus similia ponderat in sermone de sanctissima Deipara col.3. Idem argumentum ex eo,quod Verbum sit *apud Deum*, colligunt alij Patres,vt Cyrillus Alexand.Chrysost.Epiphanius Theophyl.Seuerus Antiochenus,Leontius, Hilarius, Augustinus, Fulgen. Tertullianus locis adductis suprà disput.19.sect.4.probat.3.

Insuper Arius distinguebat duo verba,quorum 9
alterum esset *intrinsecum, & quasi occultum in Patre, aliud enuncians manifestansq; mysteria Dei, quod Deum esse Ioannes asserit.* vt referunt Athanas. & Cyrillus supra disput.55.sect.2.error.9.

Multiplicationem hanc redarguit Cyrillus lib. 10
7.thesauri cap.2.post med. *Componetur enim secundum istos Deus Pater ex essentia & Verbo suo intrinseco.* Quod propterea rectè sequitur, quoniam secundũ Arianos Verbum intrinsecum non erat subsistens persona,& aliunde quidditas Verbi postulat realem distinctionem à loquente. Quidquid autem foret realiter distinctum à Deo, non ratione solius personalitatis; esset distinctum ratione naturæ: proptereáque compositionem efficeret.

SECTIO II.

Num aliquo sensu concedi possit, prolatiuum & enunciatiuum esse Verbum Dei?

DIco primò. Nisi periculum erroris insinuandi prohiberet; potuisset aliquo sensu vero 1
Dei Verbum appellari prolatiuum, in eo sensu, quo prolatum dicitur quidquid producitur, aut procedit ab alio. Quemadmodum Tertullianus paulo superius citatus dixit: *Protulit Deus sermonem, sicut radix fruticem, & fons fluuium.* Cui consonat illud Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui.* *Sensus veri, quos habere potuisset prolatiuum Verbum.*

Posset etiam dici in alio sensu, quo *proferri* di- 2
cuntur ea, quæ similitudine aliqua exprimuntur, ita vt per illam cognosci valeant. Quemadmodum Basil. orat.16. in illud: *In principio erat Verbum*, post med.ait: *Cur Verbum? quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem.* Quod exemplo creati verbi declarat hac ratione: *Quæ enim secundum cor nouimus, hæc verbo proferimus, & quod loquimur exemplar habet eius, quod corde cogitamus.*

Fusiùs autem Hilarius lib.6.de Trinit. col.3.4. 3
& 5. redarguit Arianorum fraudem, dicentium: *Nec vt Valentinus prolatione natum Patris commentatus est,* (vt prolationis nomine Filij natiuitatem & Patris generationem excluderent.) Quia *quod nascitur, id ipsum secundum naturæ sensum videtur esse prolatum, ita vt prolatio ipsa natiuitas esse existimetur.* Vnde S. Thomas in præsenti quæst. 34. art. 2. ad 2. rectè deduxit, non ea de causa fuisse damnatum errorem Valentini, *quia Filium dixit prolatione natum, sed propter varium modum prolationis, quem posuit.* Quo in loco minus abhorret à nomine prolationis, quàm de veritate quæst. 4. artic.1. ad 11. vbi non nisi metaphoricè concedit esse prolatum diuinum Verbum. Ricardus Victorinus lib. 6. de Trinit. cap.12. circa med. dicit esse simul mentale prolatiúmque Verbum, & longè post med. infert: *In Patre omnis veritatis conceptio,in eius Verbo omnis veritatis prolatio,in Spiritu sancto omnis veritatis auditio.*

Ex quibus infero & dico secundò. Ne sub præ- 4
textu veritatis lateant Arianorum insidiæ,consultius erit adhibita distinctione declarare, Verbum diuinum esse prolatum operatione mentis, quæ est intellectio loquentis, & eo ipso genitum esse, consubstantialémque Patris Filium; sed non esse Verbum,prolatum ore corporeo,nec articulatum sonum, sensitiuis auribus perceptibilem. *Nunquã absque declaratione dicendũ prolatiuum Verbum.*

Dico

5 Dico tertiò. Potuisset, adhibita declaratione, Dei Verbum appellari pronunciatiuum,aut enunciatiuum, quatenus assertiuum est, & verum, nec est ad instar simplicis apprehensionis, aut orationis imperfectæ, quæ nec est vera, nec falsa. Sic enim oratio imperfecta distinguitur ab enunciatione apud Philosophum 1.periherm.cap.4. & sequentibus, & toto lib.2. eodémque sensu quælibet assertiua propositio vocatur *pronunciatum.*

6 Dico quartò. Nihilominus nunquam absque declaratione licebit appellare verbum enunciatiuum,siue pronunciatiuum. Nam Scriptura semper *enunciandi* verbum refert ad alios docendos, aut loquendum cum aliis, vt Psalm.118. vers.26. Ecclesiastici 16.vers.25.& cap.37.& 39. Aristoteles autem enunciationem intelligit compositam ex nomine & verbo atque vocalem. Athanasius tract. de diffinitionibus col.penult. dicit: *Verbum enunciatiuum, quod enunciatur per linguam.* Theophylactus Ioann.1. ad illud: *Hoc erat in principio apud Deum*, dicit, non esse pronunciatiuum nec enunciatiuum. Athanas.in verbis sectione 1.citatis: *Mox vt enunciatum est*, inquit, *non subsistit.* Cyrillus in fine sect.præced. refellit *Verbum enuncians manifestansq; mysteria Dei*, distinctum ab intrinseco verbo.

DISPVTATIO LVII.

Vtrum ratio Verbi sit essentialis, vel potius personalis.

SECTIO I.

Attinguntur errores, & exponuntur sententiæ Catholicorum, & argumenta.

1 NON personalem sed essentialem faciebant rationem Verbi complures hæreticorum, quos enarrauimus disput.55.sect.2.Vbi Marcellus errore 3. dicebat, esse quandam extensionem Diuinitatis, non verò personam distinctam à Patre. Arius autem errore 9. dicebat, Verbum existens in Deo non esse aliud, quàm eius sapientiam. Cui quantum ad hoc præcisè consentiunt Sabelliani, & recentiores Ariani, Seruetus, Blandrata & cæteri Transyluani citati errore 10. & 12. Aliud etiam erat Arianorum quorundam & Nestorianorum diuerticulum, existimantium, personam Verbi esse realiter distinctam à persona Filij. Dicebant enim, alium esse Filium, & alium Verbum, in eadem disputat.55. sect. 2. errore 5. & 6.

2 *Prima sententia*, Verbum *esse idẽ quod sapientia.* Inter Catholicos autem inuenio tres sententias,quæ Verbi rationem essentialem esse contendunt. Prima est paucorum ex recentioribus,apud quos Verbum diuinum est idem formaliter & expresè, quod Deitas vt sic, ab illáque nullo modo distinguitur nec re, nec ratione; quia Verbum nullo modo distinguitur à sapientia, sapientia verò nullo modo distinguitur à Deitate, sed est nomen synonymum Deitatis, vt ex cognata quadam opinione retulimus disputat.8. sect. 4. & sequentibus. Vnde sumi possunt plures impugnationes, præcipuè tamen constabunt tota præsenti disputat.

3 *Secunda sententia*, Verbũ *esse quid essentiale appropriatum Filio.* Secunda sententia singularis Durandi 1.dist.7. quæst.2. num.18. & distinct.27. quæst.3. num.6.

Ruiz. de Trinitate.

& 10.putat,Verbum diuinum, propriè sumptum, esse prædicatum essentiale commune tribus personis: *Sed appropriatione trahi ad personale, vt sapientia.* Vnde colligit, personam Filij non esse *propriè Verbum*, similitérque personam Spiritus sancti *non esse propriè amorem.* Primarium illius fundamentum est, quia Filius non procedit per intellectionem, sicut nec Spiritus sanctus procedit per amorem. Appropriatur autem Filio Verbum, quia procedit prius, quàm Spiritus sanctus, cui appropriatur amor;quoniam in creaturis procedit posterius, quàm Verbum.

Duas argumentorum acies Durandus instruxit. Alteram, vt probaret, Filium non procedere per intellectionem, cui abunde satisfecimus tota disputat. 2. Supereſt igitur altera magis directè & immediatè contendens, rationem Verbi esse absolutam, essentialem & communem tribus personis. Primum illius argumentum. Verbum in quocumque intellectu, siue creato siue increato, est actus intelligendi seu notitia. Sed actus intelligendi & notitia est essentialis, & communis tribus personis. Ergo Verbum est essentiale & commune tribus personis. Confirmatur, quia Verbo constituitur formaliter intelligens persona,quæ loquitur. Sed Pater & Spiritus sanctus est essentialiter & formaliter intelligens. Ergo essentialiter includit Verbum, quo formaliter constituatur intelligens. 4 *Primum argumentum Durandi.*

Secundum argumentum. Cuiuslibet intelle- 5
ctionis perfectæ terminus est Verbum. Sed intellectio essentialis Dei est infinitè perfecta. Ergo terminus illius esse debet aliquod Verbum. Confirmatur,quoniam omnis persona intelligens, intelligendo concipit Verbum. Sed Spiritus sanctus est persona intelligens. Ergo Spiritus sanctus concipit Verbum. *Secundũ argumentum.*

Tertium argumentum, quia Verbum est, quo 6
formaliter exprimitur illud, quod quasi virtualiter in specie continebatur. Sed Deus essentialiter habet hoc ipsum, quo formaliter exprimitur illud,quod virtualiter continebatur in eius essentia tanquam in specie intelligibili. Ergo Deus essentialiter habet Verbum. Quartum, quia verbum creatum non consistit in relatione producti, sed in ratione qualitatis repræsentantis obiectum. Ergo similiter diuinum Verbum non consistit in personali relatione producti, sed in absoluta ratione repræsentationis. *Tertium argumentum.* *Quartum argumentum.*

Quintum argumentum. Etiam si Deus foret 7
vnica persona solitaria,Verbum haberet, non realiter productum, sed realiter identificatum essentiæ suæ (alioqui nec intelligeret, nec loqueretur, nec imperaret.) Ergo ratio Verbi continetur in solo & præciso concepru essentiæ diuinæ, sine personali subsistentia realiter producta & realiter distincta. Sextum. Actus notionalis non reflectitur supra personam producentem, nec transit ad creaturas. Hac enim ratione Pater non generat seipsum, nec generat creaturas generatione proprie dicta.Sed Pater dicit & loquitur seipsum, insuper loquitur ac dicit res creatas. Ergo loquendi seu dicendi actus non est notionalis actus generandi: & consequenter Verbum, quod diuinæ locutioni siue dictioni respondet,non erit notionale, sed essentiale. *Quintum argumentum.* *Sextum argumentum.*

Septimum argum. est Eunomij apud Cyrillum 8
lib.1. in Ioan. cap.4. & lib.7. thesauri cap.1. post med. Pater loquitur ad Filium Psalm.2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.* Ergo Filius non est Verbum. Consequentia probatur, quia Verbum *Septimum argumentum.*

esse debet aliquid medians inter personam loquentem & personam, cui loquitur. Confirmat Eunomius, quia Ioan. 8. Filius, ait: *Scio eum, & Verbum eius seruo.* & cap. 14. *Verbum quod auditis, non est meum.* Ergo Verbum est aliquid distinctum à Filio. Octauum adiungere possumus, quia Dionys. de diuin. nomin. cap. 1. post med. inter plurima nomina essentialia, vt vitam, sapientiam & mentem, enumerat etiam Verbum.

Octauum argumentum.

9 *Nonum argumentum.*

Nonum, quia Filius dici potest Verbum de Verbo, sicut dicitur Deus de Deo & lumen de lumine. Sed solus Pater est is, de quo est Filius. Ergo Pater est Verbum, de quo est Verbum Filius: & consequenter etiam Spiritus sanctus erit Verbum, sicut est Deus & lumen. Maior probari potest ex Ambrosio lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 5. sub init. præcipiente: *Siue lumen de lumine dicas, siue Verbum de Verbo, siue Spiritum de Spiritu, siue Dominum de Domino; quodcumque de eo dixeris, vnius tamen essentiæ Patrem & Filium credas.*

10 *Decimũ argumentum.*

Decimum, quia Damascen. 1. fidei cap. 6. Dei Verbum appellat subsistens absolutum. Sed omne absolutum in diuinis est essentiale, & non personale. Ergo Dei Verbum est essentiale, non verò personale.

Vndecimum argumẽtum.

Vndecimum, quoniam Athanas. ait: *Qui dicit Deum logon, essentiam simplicem significat,* ita scribit tom. 2. in tractatu, cui titulus est: *Aduersus eos, qui dicunt: Passus est Deus sermo carne,* ante med. Vnde Græcolatinus index in verbo *logos,* citat, *quod Deus sermo non significet personam, sed naturam.*

Duodecimum argumẽtum.

Duodecimum. Irenæus lib. 2. cap. 48. init. *Deus,* inquit, *totus existens mens, & totus existens logos.* Et post pauca: *Logos mens, & omnia concludens mens ipse est Pater.* Similia dixerat cap. præced. ad finem.

11 *Tertia sentẽtia,* Verbum *esse personale.*

Tertia sententia valde parum à veritate recedit. Fatetur enim, Verbum à Scriptura & Patribus communiter accipi personaliter seu notionaliter, & ita debere loqui theologos. Addit tamen, *quantum est ex virtute vocabuli,* posse Verbum accipi essentialiter. Ita S. Thom. 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2. corpore, & de veritate quæst. 4. art. 2. corpore. Quem sequuntur Capreolus eadem dist. 27. quæst. 2. art. 1. concluſ. 4. Ferrarien. 4. contra Gentes cap. 13. circa med. §. *considerandum secundò.* Valentia in controuersiis lib. 1. de Trinit. cap. 3. fine. A quo non videtur dissidere Carthus. eadem dist. 27. q. 3. circa med. tractans opinionem Ægidij.

12 *Quod aliquãdo possit* Verbum *accipi essentialiter, primum argumentum.*

Præcipua istius opinionis fundamenta sunt. Primum. *Dicere,* seu *loqui* correspondet *Verbo,* sicut operatio correspondet suo termino adæquato. Sed *dicere* seu *loqui* non solum accipitur personaliter, vt est proprium Patris *dicere* æternum Verbum, sed etiam multo frequentius in Sacris literis accipitur essentialiter, vt est commune tribus personis intelligendo *dicere.* Ergo similiter Verbum, quantum est ex virtute vocabuli, poterit accipi, non modo personaliter, sed etiam essentialiter.

13 *Secũdum argumentum.*

Argumentum secundum, quia de ratione verbi non est realiter procedere, seu produci: sed satis est si nostro modo intelligendi concipiatur per modum emanationis, sicut essentialis intellectio Dei concipitur à nobis, vt emanans ab eius essentia.

Tertium argumentum.

Tertium, nam eadem est ratio de Verbo comparatione Filij, quæ de amore comparatione Spiritus sancti. Sed amor accipitur non modò personaliter pro Spiritu sancto, sed etiam essentialiter, vt est communis tribus personis. Ergo similiter accipietur Verbum.

14 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum, quia ratio Verbi non posset Spiritui sancto conuenire, nisi posset accipi essentialiter. At conuenit Spiritui sancto, authore Basilio, qui docet, Spiritum sanctum esse Verbum Filij. Quem sequutus est Idacius Hispanus, vt videbimus sect. 4.

SECTIO II.

Ratio Verbi non est essentialis, sed personalis, ita vt Verbum sit eadem persona, quæ Filius.

COnclusio, quam titulus proposuit, probatur primò, quia Scriptura nomen Verbi nunquam tribuit Patri, nec Spiritui sancto, multoties autem Filio tribuit. Ergo Verbi ratio non conuenit Patri nec Spiritui sancto, & consequenter non est communis & essentialis, sed notionalis & propria solius Filij. Antecedens probatur variis locis Scripturæ. Primus & potissimus est Ioannis 1. Vnde multiplex fumitur demonstratio theologica. Prima, quia *Verbum caro factum est,* & tamen nec Pater est factus caro, nec Spiritus sanctus, sed solus Filius. Quod argumentum ponderat Athanas. contra Gregales Sabellij col. 2. Irenæus lib. 1. c. 1. pag. penult. Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæos cap. 3. August. lib. 1. de Trinit. cap. 6. sub init. 1

Respondebit aliquis, Ioannem dicere potuisse: *Deus caro factus est.* Vnde nihilominus non liceret inferre, Deum esse solam personam Filij, Patrem verò aut Spiritum sanctum non esse Deum. Sed huic euasioni locus præcluditur, quoniam Ioannes agebat de Verbo, *quod erat apud Deum.* Vnde Verbum esse personam realiter distinctam ab alia persona, apud quam erat, efficaciter Patres deducunt supra disput. 56. post assertionem 1. & fusiùs disput. 19. sect. 4. probat. 3. Cum igitur Verbum sit persona distincta à Patre dicente; non potest esse alia persona nisi Filius. Alioqui vel dabuntur in Deo personæ quatuor, vel confundendum erit Verbum cum Spiritu sancto, ne personarum numerus crescat. Quod repugnat processioni Spiritus sancti per voluntatem. 2 *Euasio præcluditur locum.*

Secunda demonstratio est, quoniam de eadem persona Verbi continuò subiungitur; *& habitauit in nobis.* Nulla verò persona diuina sic inter nos habitauit *in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo,* sed solus Filius Iesus Christus. Tertia, nam vlterius, *Vidimus,* inquit, *gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quod apertissimum est dici de Verbo, postquam factum est caro. 3 Philipp. 2.

Quarta, nam statim hoc Verbum Vnigenitum esse Christum Dominum, magis expresè declarat adhibito Ioannis Baptistæ testimonio: *Hic erat quem dixi,* &c. Et post pauca: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse narrauit.* Et toto deinceps Euangelio Ioannes agit de Filio Dei homine facto. Quinta, quia Verbum est, per quod facta sunt omnia, Ioan. 1. idem autem tanquam proprium tribuitur Filio Hebræos 1. *Per quem fecit & sæcula.* & Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis, Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra,* &c. 4

Sexta, quia Ioan. 1. *Verbum erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* & Ioan. 3. vers. 18. & 19. & cap. 8. vers. 12. Christus Dominus manifestat se esse Vnigenitum Dei, & esse lucem mundi. Septima. Quem in propria venientem sui non receperunt, sed crucifixerunt, non est alia persona, nisi Filius. Atque idem est, cui peculiari ratione 5

conuenit, recipientibus dare potestatem filios Dei fieri.

6 Secundus locus est. 1. Ioan. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifestata est.* Cum autem oculis videri & manibus contrectari non possit Verbum Dei, nisi ratione humanitatis assumptæ: consequens est, vt hic loquatur de Verbo, quod factum est caro. Quod est Vnigenitus Dei. Vnde sumi potest eadem demonstratio, quam diximus in priori loco. Deinde quod adiungit: *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis,* habet eandẽ ponderationem, quam nuper obseruauimus ad illud: *Verbum erat apud Deum.* Ac demum Ioannes explicat se de Patre & Filio differere, monens exhortationis suæ finem esse, vt *Societas nostra sit cum Patre & Filio eius Iesu Christo.* Quem locum ponderat Athanas. orat. 5. contra Arian. propius ad fin. quàm ad med. & lib. de humana natura suscepta col. 3.

7 Tertius locus est 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Vbi perpende primò, prædictam enumerationem personarum directè & adæquatè respondere numero posito, Matth. vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Consequens igitur est, vt Verbum, secundo loco post Patrem commemoratum, sit eadem persona, quæ Filius, nisi quarta persona sit, & vtrobique fuerit diminuta enumeratio trium tantùm personarum, quæ sunt absurdissima. Perpende secundò, illo nomine, *Tres,* significari realem distinctionem personarum. Ergo Verbum realiter distinguitur à Patre & Spiritu sancto, vt cum eo efficiat numerum ternarium. At si Verbum esset aliquid essentiale, sicut Deus, vel sapiens, vel omnipotens, non efficeret numerum ternarium, nec realiter distingueretur ab aliqua personarum.

8 Quartus locus est Apocalypsis 19. *Vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius Verbum Dei.* Vbi non potest alter intelligi, nisi qui crucifixus est Filius Dei, de quo manifestum est agere totum contextum capitis.

9 *Obiectio.*

Sed obiicit Durandus, quod paulo superius scribitur: *Vocabatur fidelis & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat.* Sed hæc non sunt nomina personalia Filij, cum conueniant etiam Patri & Spiritui sancto. Ergo licet dicatur esse nomen Christi Verbum Dei, non rectè colligitur esse nomen proprium illius personæ.

10 *Instauratur argumẽtum.*

Respondeo, & instauro præsentem probationem primò, quoniam Ioannes post illa nomina fidelitatis & iustitiæ, monuit eidem esse *nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse,* & continuò profert *Verbum Dei.* Ergo solum hoc est nomen incomprehensibile diuinæ personæ, quantum ad intrinsecam eius quidditatem: reliqua verò sunt nomina desumpta ab effectis. Respond. secundò. Totum illud complexum peculiari ratione conuenit Christo Domino, & non Patri nec Spiritui sancto, quia nec Pater, nec Spiritus sanctus satisfecit de rigore iustitiæ pro peccatis nostris, nec pugnauit in carne contra fortem armatum, nec dicere potuit: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Nec immediatè Dei fidelitatem ac veracitatem exercuit, implendo, quæ Patriarchis fuerant promissa. Meritò proinde Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæos cap. 3. horum omnium nominum collectionem adducit ad probandum, *Quod Christus idem sit sermo Dei.*

Ruiz. de Trinitate.

Quintus locus sit Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt,* quem communi Patrum expositione munitum reperies supra disput. 36. sect. 5. Sextus ex Psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum,* quem ponderabimus disp. 58. sect. 1. probat. 2. 11

Septimus locus est Psalm. 106. *Misit Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Cui concordat Sapient. 16. *Neque herba neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Vtrobique literæ cortex est diuinum imperium, quo facit quæcumque vult. Sed primarius sensus altior & literalis, non minus quàm præcedens, est Verbum Vnigenitum Patris. Hoc enim realiter & propriè mittitur à Patre. Sed imperium commune tribus personis, non mittitur, nisi metaphoricè loquendo, aut per prosopopœiam. 12

Confirmatur, quia sanare omnia, & eripere de interitionibus temporali & æterna, proprium est Verbi diuini incarnati, qui Saluator ea de causa vocatur. Dictum igitur versum psalmi de Verbo à Patre misso & incarnato, qui est Christus Dominus, intelligunt Athanasius lib. de Incarnatione Verbi Dei inter med. & finem, & epist. ad Marcellinum de interpretat. psalmorum col. 2. & orat. 3. contra Arianos multo propius ad med. quàm ad princip. Gregor. Nyssen. tract. 1. in Psal. cap. 8. circa med. Cyrillus Alexand. lib. 5. in Isaiam, Eutymius in panoplia part. 1. tit. 8. Damascen. 1. fidei cap. 7. Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæos c. 3. Ambros. in Psalmum 43. & plures expositores ad eum versum Psalm. 106. Vbi Chrysostom. Basilius siue Theodoretus, Eutymius, Nicephorus & alij. 13

Secunda probatio principalis adhibet testimonia Apostolorum, quæ reperiuntur extra libros canonicos. Ioannes Euangelista in regula fidei, quam iussu Beatissimæ semper Virginis Mariæ tradidit Gregorio Thaumaturgo, apud Gregor. Nyssenum in eius vita: *Vnus est,* inquit, *Pater Verbi viuentis.* Cum igitur Pater non sit nisi Filij Pater; si Pater est Verbi, manifestum est Verbum esse Filium à Patre genitum. 14

Iacobus frater Ioannis Zebedæi apud Clementem lib. 8. constitut. Apostol. cap. 12. prope init. dicit, *Filium Vnigenitum Verbum Deum.* Nec alibi Patrem aut Spiritum sanctum appellat Verbum, & cap. 16. non procul à princip. vocat *Vnigenitum Verbum.* Iacobus frater Domini in liturgia orat. 3. dicit: *Domine Iesu Christe Dei sermo,* &c. & col. 3. atque iterum inter med. & finem, quasi personam eandem vocat Verbum & Filium. Quo nomine nunquam Patrem, nec Spiritum sanctum appellat. Lucas Euangelista in liturgia col. 3. sic orat: *Domine Iesu Christe Verbum coæternum principio caret is Patris,* &c. 15

Tertiò probatur ex contemporaneis ac discipulis Apostolorum. Ex quibus Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini circa med. *Cuius,* ait, videlicet, Dei Patris, *verè Filius est Verbum, & speculum, & character & imago viuens Patris viuentis,* omnia sunt notionalia propria solius secundæ personæ. Dionysius de diuin. nomin. c. 2. post med. docens, Dei Verbum assumpsisse naturam humanam & eius actiones, adiungit: *Hæc enim nulla ratione communia sunt Patris & Filij.* 16

Ignatius epist. ad Magnesianos propius ad med. quàm ad finem. *Per Iesum Christum,* inquit, *Filium suum, qui est Verbum ipsius, non prolatiuum, scilicet, sed substantiale.* Similiter de Verbo tanquam de eadem persona Filij, loquitur epist. ad Philippens. 17

non valde procul à princ. & epist. ad Ephes. inter princip. & med. S.Martialis cognomento Apostolus epist.1.ad Burdegalen.cap.10. in med. *Verbum*, inquit, *in quod credidistis, Filius est Vnigenitus ante omnem substantiam.* Et post pauca: *Spiritus sanctus non est genitus, sicut Verbum.* Et iterum: *Spiritus sanctus est procedens à Patre & Verbo.* Itaque manifestè denotat Verbum esse personam realiter distinctam à Patre, cuius est Filius, & à Spiritu sancto, qui procedit à Verbo.

18 Quartò probatur ex iis, qui proximiores fuerunt læculo Apostolorum. Irenæus lib. 1. cap. 1. pag. penult. de Christo Domino ait: *Hunc Verbum Dei, hunc Vnigenitum, hunc factorem omnium*, &c. *hunc eundem caro factum & habitasse in nobis, affirmat* Ioan. cap. 1. & post pauca: *Discite igitur insensati, quoniam Iesus, qui passus est pro nobis, qui habitauit in nobis, idem ipse est Verbum Dei.* Nec minus apertè *Verbum esse Dominum Iesum Christum* docet lib. 4. toto cap. 37. veluti cum dicit longè à princ. *Verbum, id est Filius semper cum Patre erat*, & lib. 5. cap. 18.

19 Iustinus in expositione fidei de Trinitate propius ad med. quàm ad princ. *Propter imperitiores*, inquit, *vtitur etiam personarum distinctione, sic loquens: Verbo Domini cœli firmati sunt*, &c. Obseruat Psalm. 32. Verbum esse distinctam personam à Spiritu sancto, & post med. eiusdem tractatus frequenter accipit Verbum pro persona Iesu Christi Domini nostri. Athenagoras in legatione pro Christian. propius ad med. quàm ad princ. ait: *Filius Dei est Verbum Patris in idea & efficacia.* Et post pauca: *Mens & Verbum Dei Filius Dei est.*

SECTIO III.

Conciliorum, Pontificum Romanorum & aliorum Patrum testimonia.

1 DOgma propositum in sectione præcedenti, confirmant vlteriores probationes. Sit igitur in ordine quinta, quam efficiunt conciliorum decreta. Nicænum lib. 2. col. 7. §. *sancta & magna.* ex illo Ioan. 1. *Verbum erat apud Deum*, &c. colligit esse *personam perfectam ex perfecta. Deus enim est non pars, Filius, sed perfectus sicut & Pater.* Semper autem de Verbo, quasi de eadem persona Filij loquitur in eodem lib. 2. prope med. §. *non ita.* & paulo post med. §. *sæpe*, & §. *ne quæras.* Nec vnquam Patrem aut Spiritum sanctum appellat Verbum.

2 Idem constat ex Antiochena prima Synodo in professione fidei missa ad Paulum Samosaten. §. 1. Concil. Ephesino plurimis in locis à princip. ad finem vsque potissimum in confessione fidei. Appellant enim *Verbum natum ex ipsa Patris essentia*, & tom. 1. cap. 4. canone 1. 11. 12. & 13. decernit, Filium Deum Verbum esse incarnatum & passum. Idem apertè constat ex Chalcedonensi Concil. act. 5. diffinitione 2. & Constantinopol. Secundò quod est generale Quintum collat. 8. canone 2. 3. 4. 6. & 7.

3 Sextò summi Pontifices accedant, Euaristus epist. 1. ad omnes Episcopos Africanos post med. *In sinu Patris*, inquit, *erat Filius, & ex corde Patris Verbum bonum eructatum.* Liberius in fragmento epistolæ ad Athanasium, quod extat inter eius opera. *Est*, inquit, *nostra confessio, Verbum Dei Filium secundum naturam ex Deo eodemq; Patre suo genitum esse.* Damasus in professione fidei, quam scripsit ad Paulum Thessalonicens. multoties dicit, Filium esse Verbum Dei, quod tamen nunquam dicit de Patre, nec de Spiritu sancto. Eodem modo procedit Gaius Papa epist. vnica.

Septimò probatur ex Patribus Græcis. Alexander Alexandrinus epist. ad Alexandrum Constantinopol. col. 3. & 4. (lib. 1. actor. ante Concilium Nicænum) *Propriam*, inquit, *Filij subsistentiam Ioannes declarauit his verbis: In principio erat Verbum.* & sæpe repetit *subsistentiam Verbi Dei.* 4

Athanas. in rescripto ad Liberium Papam initio: *Dei Verbum*, ait, *immortalis sapientia est, idemq; Filius.* & orat. 1. contra Arianos post med. docet, *Vnius Verbi genitorem esse Deum*, quem frequenter vocat *Patrem sui Verbi*, & *Verbum ex Deo genitum* dicit orat. 2. ferè inter princip. & med. & versus med. ait: *Eo ipso quo Verbum Patris sui est Filius, & Filius est Verbum Patris.* & orat. 3. inter princip. & med. *Non plura sed vnum solummodo Verbum vnius Patris, vnaque vnius imago credenda est.* & orat. 5. prope med. magis ex professo probat, quod *Nisi sit Filius, Verbum non fuerit; & si non sit Verbum, non etiam Filius fuerit.* & paucis interiectis, notat, nec Patrem esse Verbum, nec Spiritum sanctum esse Verbum, sed solum Filium. Non minùs aperta testimonia reperies lib. de decretis Nicænæ Synodi inter princ. & med. & lib. 1. de vnita Deitate post med. & lib. 6. de beatitudine Filij Dei sub init. & post med. & dialogo 2. de S. Trinitate propius ad fin. quàm ad med. & in aliis plurimis opusculis Athanasij. 5

Basilius homil. 16. post med. dicit, Verbum esse genitum, & imaginem genitoris, & lib. 5. contra Eunomium sect. 11. ait: *Dei Verbum Filius est.* & sect. 13. *Ex Deo natum Verbum*, & tam ibi quàm homil. 28. contra Sabellianos prope init. & orat. aduersus eos, qui calumniantur, quod tres deos colamus, post med. semper nomine Verbi personam intelligit Filij. 6

Nazianzenus, Verbum esse Vnigenitum Filium scribit oratione 25. ad Arianos prope fin. & orat. 36. quæ est 4. de theologia multo propius ad med. quàm ad princip. num. 29. & iterum multo propius ad fin. quàm ad med. num. 81. & sequentibus. & orat. 49. de fide col. 3. & iterum inter princ. & med. Gregorius Nyssenus Verbum pro persona Filij semper vsurpat, vt videre est orat. catechetica quinque prioribus capitibus, & epist. de imagine & similitudine contra Apollinarem, & lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos, & lib. de Trinit. ad Eustathium, & lib. ad Ablabium *quod non tres dij.* & aliis in locis. 7

Chrysostomus etiam quatuor prioribus homiliis in Euang. Ioan. & tom. 3. serm. de Trinitat. & tom. 5. orat. 1. de illo Euangel. oraculo *In principio erat Verbum.* Epiphanius apertissimè & copiosè hæres. 57. & 62. & 65. præcipuè circa med. & 69. & 73. & 74. & 76. & in Ancorato propius ad princip. quàm ad medium. & iterum propius ad med. quàm ad princip. Gregorius Bœticus frequenter in lib. de Trinitat. maxime col. 2. & iterum post med. libri. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum cap. 2. de Filio fere inter med. & fin. 8

Eusebius Cæsariensis demonstrationis Euangelicæ lib. 5. cap. 1. post med. & iterum longè inferius, atque iterum in fine eiusdem capitis. Ecclesia per Illyricum epist. ad Symmacum Papam multo propius ad fin. quàm ad medium. Ephræm Syrus opusc. posteriori de reprehensione sui propius ad med. quàm ad principium tom. 3. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 141. Theodotus Ancyræ Episcopus homil. 2. 9

homil. 2. de natali Seruatoris habita in Synodo Ephesina tom. 6. cap. 10. eiusdem Synodi.

10 Damascenus lib. 1. fidei toto cap. 6. & 7. & c. 13. versus fin. & in epist. de Trisagio pag. 2. notat, Hęc *Filius Dei, Verbum, sapientia & virtus, ex Patre genitus, esse ostensiua vnius hypostaseos, & nequaquam in alia hypostasi, vel in communi Deitatis locum habere.* Theophylact. Ioan. 1. præsertim ad illud: *Hoc erat in principio apud Deum.* & Cyrillus Hierosolym. cateches. 4. cap. 3. ad finem sunt in eadem doctrina.

11 Claudat verò Græcorum Patrum ordinem Cyrillus Alexandrinus in hoc, vt in cæteris ad Trinitatem & incarnationem spectantibus, testis locupletissimus. Nam lib. 1. in Ioan. cap. 4. versus medium fusè probat, quod Pater non est Verbum, sicut non est Filius. Solus enim Filius est Verbum, & lib. 7. thesauri cap. 1. sub init. ait: *Verbum Ioannes Filium appellat, vt hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filij maximè significatiuum, elegisse videatur.* Et prope med. addit: *Nec est aliud verum Verbum Patris, quàm Filius.* Quod ipsum sæpius repetit & confirmat, & cap. 2. concludit: *Vnicum ergo Verbum est naturale atque intrinsecum, & id est Filius.* Idem docet lib. 3. thesauri cap. 1. propius ad med. quam ad princip. & lib. 4. cap. 2. sub fin. & lib. 5. cap. 7. initio & lib. 6. capit. 1. in medio, & millies in vtroque lib. de fide ad reginas, & de fide ad Theodosium, & in anathematismis, quos explicuit exigente Concilio Ephesino, anathematismo 4. 5. 6. 8. & 9. & multis aliis tractatibus & epistolis.

12 Octauò Latini Patres subscribunt eidem dogmati. Hilarius frequenter dicit, Verbum esse *genitum, Vnigenitum natum*, & his similia, vt lib. 2. de Trinit. ante med. & in med. & lib. 6. col. 3. & 4. & lib. 7. inter princ. & med. & lib. 12. col. ante penult. & lib. de Synodis prope med. ex quodam canone Synodi Sardicensis. Ambros. eodem modo de Verbo loquitur in Symbolum Apostolorum, & lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 2. & cap. 5. post med. & lib. 4. cap. 4. & alibi frequenter. Hieronymus Osęæ cap. 1. initio, & Amos 1. colum. 1. & Micheæ 7. col. 5.

13 Augustinus autem docet, exploratum & manifestum esse, *Quod Verbum Dei Filius Dei vnicus sit*, lib. 1. de Trinit. cap. 6. sub init. & in sequentibus libris frequenter admonet, Patrem non esse Verbum, & ideo Filium non esse Verbum de Verbo, sicut non est Filius de Filio, & relatiuè dici Verbũ sicut Filius & imago Patris. Hæc & similia repetit lib. 5. de Trinit. cap. 12. & 13. & lib. 6. cap. 2. & lib. 8. cap. 1. 2. & 3. & lib. de fide & Symbolo cap. 3. & de cognit. veræ vitæ cap. 14. & lib. contra sermon. Arianorum cap. 17. fine, & serm. 38. de tempore colum. 3. & 3. Fulgentius toto lib. 3. ad Monimum, & lib. 1. ad Trasimundum cap. 6. à medio, & lib. 3. cap. 5. & lib. ad obiectiones Arianorum prope finem.

14 Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæos cap. 3. & lib. de simplicitate prælatorum. Leo Magnus serm. 7. de natiuit. cap. 1. & 2. & serm. 10. de natiuit. c. 3. & 4. Gregor. Magnus lib. 23. moral. cap. 11. aliàs 19. ad id Iob. 33. *Semel loquitur Deus.* & lib. 32. cap. 6. fine, & homil. 30. in Euang. inter med. & fin. Concil. Hispalense secundum act. 13. Tertullian. lib. contra Praxeam multis capitibus, vt 5. 7. 8. & 11. & lib. contra Marcionem cap. 27. & contra Hermogenem cap. 20. Lactan. diuinar. institut. lib. 4. cap. 8. & 9. Anselmus de Incarnat. Verbi cap. 3. non longè à princ. Clarius autem in monol. præsertim cap. 31. & 32. & cap. 37. ac tribus sequentibus, & cap. 60. versus fin. Bernardus in die natalis Domini serm. 1. init. & serm. 80. in cant. sub init. & sequenti 81. init. Ricardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 11. & 12.

Nono conspirant omnes Scholastici, præter Durandum, asserentes, *Verbum* personaliter accipi, nunquam autem essentialiter, nisi impropriè. Ita decernit S. Thomas in præsenti quæst. 34. a. 2. Vbi eum sequuntur Caietanus, Canarienses, Molina, Vazquez, Valentia, Suarez ac reliqui expositores, & ab illa parum recesserat S. Thom. 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2. corp. & de veritate q. 4. art. 2. corp. Siquidem fatetur à Scriptura & Patribus personaliter accipi, & ita debere loqui theologos. Quin etiam non esse loquendum aliter, quàm Verbum accipiendo personaliter, admonet q. 9. de potent. art. 9. ad 7. 15

Præterea non essentialiter sed personaliter accipi Verbum, docet Magister 1. dist. 27. post med. Alexand. 1. part. quæst. 62. memb. 2. Albert. 1. p. quæst. 30. membr. 2. ad 3. & ad 6. & quæst. 35. memb. 3. art. 3. & 4. Henricus 2. p. summæ art. 40. quæst. 7. & quodlib. 5. quæst. 26. ad 2. S. Bonauent. 1. dist. 27. part. 2. art. 1. quæst. 1. & 2. Vbi Scotus quæst. 2. & 3. Ricard. art. 2. quæst. 2. Aureol. a. 3. dubio 2. §. *restat.* Gabriel. quæst. 3. art. 2. Ægidius quæst. 2. artic. 3. Carthus. ibi quæst. 3. præsertim circa med. Argentina quæst. vnica art. 4. Capreol. quæst. 2. artic. 1. concluſ. 4. Ferrariens. 4. contra gentes cap. 13. circa med. §. *considerandum secundò.* Citatur etiam Heruæus tract. de Verbo quæst. 2. art. 4. 16

Decimò, Rabbinos aliquos Filio dedisse nomen Verbi quasi proprium, scribit Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 3. & 4. & 5. Vndecimò Philosophos ethnicos agnouisse personam secundam, quę sit genitum Verbum, vidimus supra disput. 45. sect. 1. assert. 2. probat. 3. & sequentibus & tota assert. 2. Theologica tandem ratio trădetur sect. sequenti. 17

SECTIO IV.

Spiritus sanctus non est Verbum, & totius decisionis ratio, certitudo, & declaratio.

1 VNus inter sacros doctores occasionem dubitandi præbuit Basilius lib. 5. contra Eunom. cap. 11. dicens: *Dei quidem Verbum Filius est*; Hebr. 1. *Filij autem verbum Spiritus. Portans enim, inquit, omnia verbo virtutis suæ, & quoniam Verbum Filij per Deum. Gladium, inquit, Spiritus, quod est Verbum Dei*; Ephes. 6. *Verbum autem Dei viuens atque operans.* & iterum propius ad medium quàm ad fin. eiusdem libri quinti ait: *Spiritus sanctus Verbum, ac Spiritus oris.* Basilium imitatus Idacius Hispanus lib. aduersus Varimadum duodecim columnis ante fin. ait: *Verbum Dei Patris Filius. Verbum Dei Spiritus sanctus*, quod probat illo secundo testimonio ad Ephes. 6. quod nuper ex Basilio retulimus. *Dubitãdi ratio prima.*

2 Secunda ratio dubitandi est, quoniam Filius eo quod sit imago perfectè repræsentans Patrem, est Verbum illius. Sed Spiritus sanctus est etiam perfecta imago Filij, vt post Gregor. Thaumaturgum docent Athanas. Basil. Epiphanius Cyrillus Alexand. referendi disput. 64. sect. 6. Tertia, nam Filius nunquam fuit mutus, sed ab æterno loquebatur ad intra, non solùm ad se ipsum, sed etiam

ad Patrem & Spiritum sanctum, nec alio Verbo potuit loqui nisi Spiritu sancto.

3 *Spiritus sanctus non est Verbum.* Nihilominus sit prima conclusio. Propriè loquendo, ac sine metaphora, Spiritus sanctus non est Verbum. Idque constat testimonio Conciliorum & Patrum, quos secunda & tertia sect. retulimus, ex quibus plurimi dicunt, solum Filium esse Verbum, & Verbum esse relatiuum ad Patrem; aliqui etiam nominatim admonent, Spiritum sanctum non esse Verbum. Ratio theologica est, quoniam Verbum quidditatiuè postulat esse terminum realiter procedẽtem ex mente per intellectionem: at Spiritus sanctus non procedit per intellectionem, sed per volitionem. Ergo Spiritus sanctus non est propriè Verbum. Maior probabitur sequenti disp. 58. sect. 1.

4 *Pater non est Verbum.* Vnde magis apertè sequitur, Patrem non esse Verbum, quoniam à nullo procedit: atque insuper intellectionem essentialem, seu quamlibet aliam perfectionem communem tribus personis non esse Verbum propriè, quia non procedit realiter ab aliquo principio, cum à nulla persona distinguatur realiter.

5 *Contrarium erit error.* Secunda conclusio. Præsentis dogmatis certitudo nullam dubitationem patitur, quoniam est fidei proxima. Erit enim error affirmare, Verbum propriè dictum non esse nomen personale Filij, sed tantùm esse nomen essentiale Dei. Atque ita meritò censent Torres quæst. 27. artic. 1. disp. 6. quæst. 3. sub init. Molina circa præsentem quæstionem 34. art. 1. sub initium, Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 1. num. 7. & cap. 2. n. 6. Vt propterea non videatur excessisse doctor extaticus Carthusianus 1. dist. 27. quæst. 3. inter med. & fin. appellans *inepta, friuola, & clarissimè reprobata Scripturis & dictis sanctorum*, ea, quæ scribit Durandus supra sect. 1. in 2. sententia.

6 *Essentialiter posse sumi Verbum, quo sensu tolerabile.* Tertia conclusio. Si quis affirmaret Verbum aliquando sumi posse essentialiter, vt sit intellectio communis tribus personis, nõ esset damnandus erroris. Quod si declararet, hanc acceptionem esse impropriam & inusitatam, nulla nota dignus esset; vt fecit S. Thom. & alij citati sect. 1. pro 3. sententia, & Henricus ad finem sectionis 3.

7 Pro cuius declaratione & solutione argumentorum notandum est, dubitari non posse, quin Scriptura & Patres valde frequenter accipiant Dei verbum aut sermonem pro exteriori doctrina vel præceptis, vel pro rebus & actionibus, quæ præcipiuntur. Quo sensu *custodire Dei Verbum* illi dicuntur, qui opere complent ea, quæ præcipiuntur Lucæ 11. & Matth. 7. dicit: *Qui audit verba mea, & facit ea*, &c. Accipiunt etiam pro iussu & imperio Dei efficaci, quo tota Trinitas operatur omnes res ad extra. Hoc autem duplex est; alterum enim est imperium exterius, quod non potest esse aliud, quàm ipsamet actio transiens & temporalis, per quam omnes creaturæ fiunt à Deo, tanquam à prima causa efficienti & exemplari, cui propter omnipotentiam omnia subiecta sunt & obediunt ad nutum. Alterum autem est interius imperium immanens in Deo, qui est actus intellectionis diuinæ, præsupponens liberam volitionem aliquid faciendi, & applicans omnipotentiam, & immediatè exequens, de quo diximus alibi magis ex professo.

8 Sit igitur quarta conclusio. Prædicto modo sumptum Verbum Dei pro imperio exequente, est aliquid essentiale cõmune tribus personis, quia tres personæ communi voluntate ac iussu concurrunt æqualiter ad omnes operationes extra Deũ.

Quod si obiicias inde sequi, falsam esse conclusionem probatam sect. 2. & sequentibus, quod Verbum non accipiatur essentialiter, sed personaliter. Respondeo conclusionem illam, & omnes pro illa citatos, agere de Verbo, quod dicitur esse Deus in se ipso, præscindendo ab exteriori operatione, quo sensu docent, nec Patrem appellari nec esse Verbum, nec Spiritum sanctum, nec Deum vt sic, communem tribus personis, esse Verbum, sed solum Filium esse verbum. At verò Verbum, prout est iussio siue imperium efficaciter exequẽs, quod libera voluntate decretum est, commune tribus personis est & essentiale. Quamuis hoc ipsum imperium non habeat perfectam & vltimam rationem Verbi, nisi prout terminatur ad personam Filij producendam, quo Verbo non solùm Pater loquitur, sed etiam ipse Filius & Spiritus sanctus, vt ostendemus disp. 60. præsertim sect. 5. & 6. 9

10 *Temeritas & periculum.* Vnde colligo & sit quinta conclusio. Si quis diceret Verbum ita sumi pro intellectione essentiali; vt propriè dici posset, quod Pater est Verbum, sicut est intellectio siue sapientia, & Spiritus sanctus est Verbum propriè, sicut est propriè sapientia: de hoc non dubito, quin temeritatis & periculi notam incurreret. Nec satis tutus ab hoc periculo foret, qui diceret Verbum accipi pro intellectione essentiali, non explicans an hæc acceptio foret propria vel impropria. Hæc verò censura non rigida, sed mitis esse videbitur ei, qui rectè perpenderit omnia testimonia præcedentium sectionum: propterea namque tantam in eis adhibuisse diligentiam, non erit sine fructu. Adde quod introducto Verbo essentiali, pleraque testimonia Scripturæ de Diuinitate Filij, & de illius persona distincta, redduntur magis obscura & ambigua.

11 *Spiritus sanctus figuratè & metaphoricè verbum Filij.* Ad primam occasionem dubitandi respondeo, & Dico primò. Figuratè seu metaphoricè atque impropriè Verbum Filij vocatus est Spiritus sanctus à Basilio. Ita S. Thomas in præsenti quæst. 34. art. 2. fine, & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 12. & de veritate quæst. 4. art. 3. & ad Hebræos 1. lect. 2. post medium, quem sequuntur communiter Scholastici citati sect. præcedenti prope finem. Metaphora consistit in eo, quod Verbi proprium est ab aliqua persona procedere, & emitti ad manifestandos eius sensus ac voluntatem. Sic autem Spiritus sanctus procedit & emittitur à Filio, vt fidelibus manifestet sensus & voluntatem Patris & Filij, iuxta illud Ioan. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit*, &c. & cap. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

12 Potest etiam ab effectu vocari Verbum Filij, quoniam Spiritui sancto per appropriationem conuenit, interiora mentis verba & exteriores voces de Filio causare in cordibus fidelium, quemadmodum Roman. 8. dicitur *postulare pro nobis*. & Matth. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

13 *Verbo* id est *iussu portat.* Dico secundò. Dei Filius omnia portat *Verbo virtutis suæ*, hoc est suo potentissimo iussu siue imperio absque vllo labore, quemadmodum psalm. 148. *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt*, &c. *præceptum posuit, & non præteribit.* Atque ita exponunt ibi Chrysost. homil. 2. col. 2. Theodoretus Theophylact. Oecumen. Ambros. Sed cùm sit duplex imperium Dei, superius explicatum, S. Thomas ad Hebræos 1. lect. 2. longè post med. notat, hoc loco non posse intelligi prolatum

prolatum exterius imperium. *Quia nihil est extrinsecum à natura diuina, procedens à Filio, per quod omnia portentur.*

14 Nihilominus respõdeo, & Dico tertiò. Quamuis non sit aliquod vnum & simplex verbum exterius, quo portentur, agantur & gubernentur omnia: singulæ tamen res creatæ singulis verbis exterioribus Dei aguntur & gubernantur: idque sufficit, vt Filius dicatur agere omnia verbo virtutis suæ. Est autem hoc verbum tam multiplex, quanta est multitudo exteriorum actionum creationis, conseruationis & gubernationis, quæ procedunt à libero imperio immanente in Deo.

15 Dico quartò. Licet intelligamus exterius imperium, omnino necessarium est primario intelligere imperium immanens in Deo, quoniam ab illo participat rationem imperij, quod exterius imperium appellatur, vt paulo superius notauimus. Consequens igitur est, vt in præsenti non agat Apostolus de Verbo, quod est Deus in se ipso, & prædicatur de persona diuina, sed de iussu & imperio destinato ad creaturas. Fauet quod in Græco pro *Verbo*, legitur *rema*, quæ vox licet significet etiam Verbum: attamen verbum personale non solet significari nisi nomine *logos*.

16 *Seipso, qui est verbum, omnia portat.* Dico quintò. Nihil omnino repugnat sacro textui, sed potius theologiæ magis consonat, quod S. Thomas citatus exponit, Filium portare omnino *Verbo virtutis suæ*, hoc est, se ipso, quod est Verbum omnipotens. Quemadmodum Ioan. 12. *Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum*, id est ipse ego, qui sum sermo Patris vt exponit Augustinus non solum tract. 54. in Ioan. sed magis ex professo lib. 1. de Trinit. cap. 12. post med.

17 Difficultas autem, quæ potest occurrere in modo loquendi emollitur per aliquam distinctionem rationis, repertam non solum inter Filium & Verbum, sed peculiariter inter Filium & Verbum prout est practicum, atque immediatè potentiam diuinam applicat ad executionem, suppositа libera voluntate. Quamuis enim hoc Verbum sit eadem persona, quæ Filius (vt ostendemus, agentes de operatione trium personarum ad extra disput. 110. & 111.) Cæterum hæc est summa distinctio, quæ reperiri potest intra rationem Verbi Diuini & personalis. Quod si sola distinctio rationis sufficit, vt Deus dicatur creare, vel gubernare sua potentia, vel sapientia, vel bonitate; sufficiet etiam prædicta distinctio, vt Filius dicatur omnia portare personali verbo, qua ratione practicum est & applicatiuum omnipotentiæ. Hæc non dubito vera esse, vt magis constabit disput. 60. sect. 5. Sed vtrum Apostolus intenderit hæc omnia significare prædictis verbis, non potest certò constare.

18 *Gladius Spiritus.* Dico sextò. *Gladius Spiritus, quod est Verbum Dei.* Ephes. 6. non est gladius, qui sit Spiritus sanctus & Verbum Filij, sed est gladius spiritualis, qui est doctrina & præcepta Dei, quibus nos pugnare docuit Christus Dominus tentatus à Diabolo.

19 Ad secundam rationem dubitãdi respond. Spiritus sanctus non est imago nec similis ex vi processionis formaliter, nec habet similitudinem intentionalem, sed solùm habet realem similitudinem ex vi processionis materialiter, quæ non sufficit ad rationem imaginis propriè dictam, infra disput. 64. sect. 2. & sequentibus: sed multo magis distat à ratione Verbi, quæ requirit perfectissimam similitudinem intentionalem in ratione termini producti per intellectionem. Ad tertiam respond. Si probaret aliquid, sequeretur aliud esse verbum Spiritus sancti, ne sit mutus. Verbum itaque diuinum se ipso loquitur ad intra, vt videbimus disp. 60. sect. 5.

SECTIO V.

Satisfit argumentis adductis sectione prima.

Ad primum respond. Verbum est actus intelligendi seu notitia, non vt istæ formalitates præscinduntur à relatione, sed in quantum intellectio seu notitia sumitur simul cum relatione producti à principio dicente. Sub qua consideratione notitia non est essentialis, sed notionalis & personalis, disp. sequenti sect. 1. 4. & 5. Ad confirmationem respond. Persona quæ loquitur, non constituitur intelligens per Verbum. Sed iam prius supponitur intelligens, vt constat ex Augustino 7. de Trinit. cap. 1. & magis explicabitur disp. sequenti sect. 4. & 5. 1

Ad secundum respond. Cuiuslibet intellectionis perfectæ terminus est verbum, sed non propter præcisam rationem intellectionis, sed quoniam habet sibi necessariò cõiunctam relationem productionis, per quam formaliter & vltimò constituitur in ratione locutionis, seu dictionis. Quapropter eadem essentialis intellectio, quæ constituit intelligentem Filium & Spiritum sanctum, habet pro termino Verbum diuinum, non quidem secundum rationem præcisam essentialis intellectionis; sed addita relatione Paternitatis conceptæ per modum originis actiuæ, vt constabit disp. 60. sect. 1. 2. & 3. Frustra igitur authores aliqui recurrunt ad verbum quoddam essentiale, impropriè dictum, quod secundum nostram consideration producatur per essentialem intellectionem Dei, & sit terminus illius. 2

Ad confirmationem respond. Quælibet persona intelligens, intelligendo concipit verbum, nisi supponat, iam verbum esse productum per eandem suam intellectionem. At verò Spiritus sanctus intelligit per intellectionem sibi communicatam à Patre, qui est persona dicens, & à Filio, qui est Verbum productum. Ideóque supponit, iam esse productum Verbum per eandem suam intellectionem. Adde quod persona intelligens non producit verbum, quando sua personalitas opponitur actiuæ productioni. At verò personalitas Spiritus sancti relatiuè opponitur Paternitati, cuius est actiua productio Verbi: atque insuper illi repugnat omnis productio actiua. 3

Ad tertium respond. sicut ad primum, distinguendo Maiorem. Nam id, quo formaliter exprimitur obiectum, quod virtualiter continebatur in specie, potest accipi præcisum à relatione productæ similitudinis; qua resecata, totum quod supererit, merè absolutum & essentiale manebit, commune tribus personis. At verò similitudo formaliter exprimens, quod virtualiter continebatur in specie, prout est realiter producta à principio dicente, vt sic est idem quod Verbum, & hoc non habet Deus essentialiter. 4

Ad quartum distinguendum est antecedens. Quamuis enim creatum Verbum non consistat in prædicamẽtali relatione producti; consistit tamen in transcendentali relatione termini producti per intellectionem, in quantum est locutio. Cæterum in Deo transcendentalis hęc relatio nõ datur sine prædicamẽtali: vt dicemus disp. sequẽti sect. 1. & 6. 5

Ad

6 Ad quintum respond. Si Deus esset vnica persona solitaria; sequeretur è duobus vnum. Aut enim careret verbo propriè dicto, atque intelligeret sine verbo, vel haberet verbum à se realiter distinctum, non personа, sed natura & essentia. Quapropter illud verbum esset ens creatum siue substantiale siue accidentale. Simul autem è contrario sequeretur, quod Deus haberet verbum increatum & realiter à se distinctum. Nec mirum, quoniam hypothesis impossibilis inferre potest contradictorias, quas implicat, id est implicitè continet, ac virtualiter.

7 Ad sextum respond. Maior est absolutè falsa: quin imo notionalis actus reflectitur supra personam producentem, & transit ad creaturas. Quod si Pater non generat se ipsum, nec generat creaturas; hoc inde prouenit, quod vox & conceptus generationis solummodo significat productionem viuentis à viuente in similitudinem naturæ, prorsus abstrahendo ab explicita repræsentatione obiectorum, sine qua reperitur generatio rerum creatarum. Attamen idem actus notionalis, qui est generare, significatus & intellectus in ratione loquendi seu dicendi, affert productionem Verbi, prout est repræsentatiuum suorum obiectorum. Consequens igitur est, vt Pater loquendo dicat non solum Verbum diuinum, sed etiam eodem Verbo dicat semetipsum Patrem, & dicat Spiritum sanctum & omnes creaturas, quatenus hæc omnia intelligendo, producit Verbum, perfectè repræsentans illa omnia, vt magis constabit disp.60. sect.4. & sequentibus & disput.61.

8 Ad septimum respond. Pater ad Verbum loquitur eodem ipso Verbo, communicando illi suam intellectionem siue sapientiam, vt dicemus disp.60. sect.4. Ad confirmationem respond. In vtroque loco Vulgatus interpres legit *sermonem*, non Verbum; simplicior intellectus est, Christum Dominum, quatenus homo est, seruare Patris doctrinam atque præcepta, quam frequenter significare solet *Verbum*, aut *sermo*, vt vidimus sect. præcedenti conc.3. & 4.

9 Augustinus autem tract.43. in Ioan. quem sequitur Beda ibidem. *Sermonem*, inquit, *Patris Filius loquebatur, & ipse erat Verbum Patris quod hominibus loquebatur.* Itaque videtur intelligere, quòd Christus Dominus se ipsum seruabat Verbum Dei. Sic enim solet exponere quemadmodum & illud Ioan.14. *Sermonem, quem audistis, non est meus*, quoniam ego non ita meus sum, vt non sim alterius, sicut Filius est Patris, & Verbum est loquentis. De quo plura diximus disput.50. sect.10. prope fin. Verbum igitur diuinum seruando se ipsum, seruabat legem æternam, quam Pater eodem Verbo dixerat & locutus fuerat per suam æternam sapientiam. Seruabat etiam, quatenus efficaciter & integrè cum Patre loquente cooperabatur, vt per Verbum faciat Pater, quæcumque facit; prout magis explicatum est disp. 50. sect.9. post conclusionem 2.

10 Ad octauum respond. Scopus Dionysij non fuit eo loco distinguere personalia vel essentialia, sed tantùm enumerare plurima nomina Dei, siue fuissent essentialia, siue personalia. Quod autem verbum sit personale, docuit Dionys. citatus supra sect.2. versus finem.

11 Ad nonum respond. Ambrosius ibi non asserit, Filium esse *Verbum de Verbo*, sed præcipit ita seruari fidem consubstantialitatis, vt quamuis aliquis appellauerit *Verbum de Verbo*, credat tamen identitatem essentiæ. Fateor tamen, Ambrosium supponere, quod aliquis dixisset, aut dicere potuisset Verbum de Verbo, sed valde improprie contra modum loquendi Scripturæ & Patrum. Quapropter qui hodie diceret Verbum de Verbo, non esset immunis à nota temeritatis & suspicionis; nisi maior fuisset ignorantia seu negligentia.

12 Ad decimum. Damascenus Dei Verbum appellat *absolutum*, non vt absolutum opponitur relatiuo, sed vt absolutum opponitur imperfecto, & diminuto. Quod Athanas. dixit orat.2. contra Arianos inter med. & fin: *Verbum, vtpote perfectum & absolutum, nullius rei indigum est*, & in orat. cui titulus est, *Vnum esse Christum*, colum. penult. *Verbum res absoluta est.* Quod paulo inferius magis explicat: *Verbum perfectum est, & sua hypostasi absolutum, neutiquam opus habuit carne, vt Deus perfectus esset.* & Hilarius lib. 12. de Trinit. col. antepenult. Generationem Filij dicit esse *absolutam.*

13 Ad vndecimum respond. Nimia fuit vel ignorantia, vel oscitantia illius authoris. Athanasius quippe de hoc articulo nihil aliud scribit eo loco, præter hoc: *Qui dicit Deum sermonem, essentiam simplicem designat: qui verò dicit Christum, is duarum coniunctionem naturarum declarat.* Itaque minimè negat, sermone seu Verbo significari personam: sed negat significari duas natúras in vna persona, quæ tamen significantur nomine Christi.

14 Ad duodecimum respond. Manifestum esse, quod Irenæus Verbum accipiat personaliter non solùm locis adductis sect.2. prope fin. sed etiam in eodem lib.2. cap. 48. vnde sumitur argumentum. Nam illius postrema verba sunt. *Quoniam ex cogitatione & sensu Verbum emittitur, hoc vtique omnes sciunt homines.* Quapropter quod ait, *totum Deum esse logon*, significat, quod Verbum non est pars Dei, sed est totus Deus integer. Deinde mentem accipit pro natura intellectuali, & ita Verbum est mens, & Pater est mens, sed Pater est mens concludens omnia tanquam principium totius Diuinitatis.

15 Ad argumenta tertiæ sententiæ posita in eadem sect.1. respond. Ad primum est distinguenda Minor, quia *dicere* seu *loqui diuinum*, in Scriptura non accipitur essentialiter, quando refertur ad Verbum increatum & æternum, quod sit Deus: sed solummodo quando refertur ad verba creata producenda extra Deum. Quocirca sicut hæc propositio vera est: Pater, Filius & Spiritus sanctus suo iussu producit verba creata; sic etiam est vera propositio: Pater, Filius & Spiritus sanctus dicit seu loquitur ad extra. Nam loqui seu dicere idem est, quod producere Verbum. E contrario tamen sicut impossibile est, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus sit verbum creatum; ita etiam implicat contradictionem, quod Verbum prædicetur de tribus personis in ea significatione sumptum, quæ correspondet dictioni seu locutioni essentiali; nisi forte nomine Verbi appellando quodlibet obiectum cognitum, quod est valde improprium & inusitatum, vt fusius explicabitur disp.60. sect.3.

16 Ad secundum respond. negando antecedens, cuius falsitas constabit disp. sequenti sect.1.

17 Ad tertium respond. Maiorem esse falsam, eo quod *amoris* vox non est limitata ad significandum terminum productum per volitionem, imò quantum est ex virtute vocabuli, magis inclinat ad significandam ipsam volitionem, quæ est operatio

ratio essentialis. At verò Verbum non significat intellectionem sed terminum, qui per illam producitur. De cætero, quantum ad rem ipsam, eadem omnino ratio militat, vt sit personalis terminus, realiter productus per operationem amandi, sicut est personale Verbum productū per operationem intelligendi. Quarti argumenti solutio constat ex præcedenti sect.4.

DISPVTATIO LVIII.

Quæ sit formalis ratio constitutiua Verbi diuini.

SECTIO I.

Relatio termini producti per intellectionem.

1 *Sententia, quæ relationem in obliquo constituit in ratione Verbi.*

IN ratione Verbi principaliter & in recto contineri formalitatem notitiæ absolutæ, sed minus principaliter & in obliquo relationem ad principiū dicens, videtur fuisse sententia S. Thomæ olim de veritate q.4. art.5. corpore. & 1. sententiarum dist.27.q.2.art.2. corpore, vbi cum sequitur Capreolus q.2.art.1.dum probat conclus.5. Ferrariens.4. contra gentes c.13. ad 2. dub. Suarez lib.9. de Trinit.cap. 3. num.4.

Primum argumentum. Primum argumentum est, quoniam Verbum est sapientia genita secundum Augustinum & alios Patres Sacrarum literarum authoritate subnixos, vt referemus sect.4.

2 *Secundū argumentum.* Secundum argumentum, quia verbum creatum de formali ac principaliter non dicit relationem prædicamentalem procedentis à principio loquente, sed qualitatem, quæ sit expressa similitudo obiecti. Ergo similiter Verbum diuinum de formali non dicit relationem quasi prædicamentalem; vnde consequens est, vt dicat aliquam formalitatem absolutam. Postrema consequentia probatur, quia licet in verbo creato vel increato ratio formalis sit aliqua relatio transcendentalis (qualis est scientiæ ad scibile, & transcendentalis relatio effectus ad causam, in quantum pendet ab illa:) attamen relatio transcendentalis est simpliciter formalitas absoluta, pertinens ad omnia prædicamenta, & in ipsa diuina essentia reperta.

3 Antecedens verò probatur, quoniam ex eo præcisè, quod intelligatur qualitas intentionaliter repræsentatiua, tanquam terminus in facto esse productus per intellectionem à dicente; sufficienter intelligitur esse verbum creatum: in hoc autem conceptu non intelligitur relatio prædicamentalis; quia relatio prædicamentalis non est terminus immediatè & directè productus per aliquam operationem (cum ad relationem non sit per se motus.) Vnde ex eo præcisè quod intelligatur productus terminus intellectionis; non intelligitur relatio prædicamentalis.

4 Confirmatur ptimò, quia relatio prædicamentalis, qua verbum creatum respicit personam dicentem, non est in alio genere relationis, quàm in illo, quod fundatur in actione & passione. Ergo fundamentum istius relationis prædicamentalis debet esse actio personæ dicentis, seu producentis Verbum, & passio, qua Verbum intelligitur productum: fundamentum autem prius ratione intelligitur, quàm relatio, quæ consequitur illud. Ergo non intelligitur relatio prædicamentalis, quæ comitatur verbum creatum, nisi prius ratione intelligatur esse productus in facto esse terminus intellectionis.

5 Confirmatur secundò à simili, nam in calore producto per calefactionem, ipsum esse productum formaliter, si consideretur in quantum hic effectus quidditatiuè postulat à tali causa per talem actionē procedere, pertinet ad prædicamentum qualitatis; si verò consideretur in quantum de facto recipit esse ab illa causa, pertinet ad prædicamentum passionis; & neutro modo pertinet ad relationem prædicamentalem. Ergo licet qualitas, producta per intellectionem, vtroque modo consideretur; non includet formaliter relationem prædicamentalem.

6 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum, quoniam in rebus creatis notitia, per quam anima se ipsam nouit, est verbum eius, vt Augustinus concludit lib. 9. de Trinit.c.11.ad fin. cui consequenter loquitur toto c.12. & lib.15. cap.6. fine, & serm. 1. de Ioanne Baptis. propius ad med. quàm ad princ. dicit, *Verbum esse cogitationem*, quod idem apud Augustinum habet liber de cognitione veræ vitæ cap.16.

7 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum, quia si Verbum diuinum de formali principaliterque constitueretur relatione quasi prædicamentali termini producti; sequeretur, eandem esse rationem constitutiuam Verbi, quæ est constitutiua Filij; & consequenter Verbum & Filius essent nomina synonyma. Consequens autem esse falsum, præter quam quod ex terminis ita videtur, probatur, quia Pater æternus suo Verbo dicit omnia, quæ dicit. Sed non dicit suo Filio. Ergo non est eadem ratio constitutiua Verbi, quæ Filij.

8 *Verbum est expressa similitudo.* Pro decisione suppono, non solùm in creaturis verbum esse similitudinem expressam rei intellectæ; sed etiam altiori & perfectiori modo diuinum Verbum esse imaginem & similitudinem expressam totius obiecti, cogniti & dicti per illud Verbum, vt communiter Patres & Scholastici notarunt supra disp.6. præsertim sect.1.2. & 3. & magis constabit disp.64. sect.1. & 2. Magis directè atque copiosè id explicarunt August. 15. lib. de Trinit. cap.15. & Anselmus in monol. cap.31. post med.

9 *Relatio termini producti constituit Verbum.* Sit igitur prima conclusio. Ratio formalis vltimò constituens Verbum diuinum in ratione Verbi, & distinguens ab intellectione essentiali, est relatio termini producti ad principium intellectiuum, à quo producitur. Probatur primò, quia ratio cuiusque verbi creati vel increati consistit in eo, quod procedat ex mente, quasi conceptus & partus illius. Sed in Deo formalitas procedendi à principio, est relatio, & non est formalitas absoluta, quia requirit realem distinctionem, quæ non potest in absolutis formalitatibus reperiri, sed tantum in relationibus. Ergo ratio formalis diuini Verbi est relatiua.

10 *Filius ideo Verbum, quoniam procedit ex mente, &c.* Maior probatur, & illatio corroboratur plurimis testimoniis Patrum, asserentium, ideo Filium Dei esse, vel appellari Verbum, quia genitus est, siue conceptus, siue procedens ex mente, vel ex cogitatione, vel ex ratione, vel ex sensu, vel ex vi enunciatiua. Ita Irenæus lib.2.c.48. fine, collato cum initio. Concil. Nicænum lib.2. inter med. & fin. §. *cum sit copiosa.* Nazianzenus orat.36. quæ est quarta de theologia multo propius ad fin. quàm ad med. n.81. & orat.45. ad Euagrium paulo post med. Chrysostomus orat.1. de illo Euāgelico oraculo: *In principio erat Verbum*, prope init. consonátque

nátque tom.5. versus fin. orat.9. de illo Abrahami: *Pone manum tuam sub fœmur meum.* Basilius homil.16.ad illud: *In principio erat Verbum*, post med. & lib.5. contra Eunomium propius ad med. quàm ad fin. Gregor. Nyssen. orat. catechetica cap.1. inter med. & fin. & in epist. ad Apollinarem multo propius ad med.quàm ad princ. Athanas. orat. contra Gregales Sabellij paulo post princ. & orat. 1. contra Arianos prope med. & orat.5. contra Arianos prope med. & epist.de decretis Nicænæ Synodi prope med. & in quæstionibus de natura Dei q.4.prope med.Dionys. Alexand. apud eundem Athanasium epist. de sententia Dionysij episc. Alexand.longè ante fin. Theodorus Ancyræ episc. homil. in natale Seruatoris, tom.6. concilij Ephesini cap.10. paulo post med. homiliæ, quæ ponitur in principio dicti capitis. Eusebius Cæsariens. de præparatione Euangelica, lib.11. cap. 10. Cyrillus Alexandr. lib.1. in Ioan. cap.5. & 6. & lib.1. thesauri cap. 5. & 6.& 7. & lib.7. thesauri capit. 4. circa med. & lib.12. thesau. cap. 15. non procul. à princ. & dialogor. de Trinit. lib. 2. inter princ. & med. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum cap. 2. de Filio ferè inter med. & fin. Theophylact. Ioan.1. non procul à princ. Damascenus lib. 1. fidei c.6. in med. & cap.8.post med. Cyrillus Hierosolym. catechef.11. propius ad med. quàm ad princ. Isidorus Peluſiota lib. 3. epist. 141. Nizetas in Nazianzenum orat.42.col.2.

11 Idem asserunt Latini Patres. Tertullianus lib. contra Praxeam cap.5. 6. & 7. Lactan.diuinar.institut. lib.4. cap.8. & 9. Hilarius lib.2. de Trinit. in med. & lib.7.inter princ.& med. & lib.12.col. antepenult. Ambros. lib. 1. de fide ad Gratian. cap.5.& lib.4.cap.4.Augustlib.15. de Trinit.c.6. prope finem & cap. 13. ad fin. & cap.14. & c.27. & apud Augustinum tom. 9. liber de cognitione veræ vitæ cap.14. 16. 17. & 18. Fulgentius lib.3. ad Monim. cap.7. in med. Isidorus Hispalen. etymolog. lib.7. cap.2. circa med. Anselm. in monolog. cap. 46. 47. & 53. Hugo Victor. lib. 7. eruditionis theologicæ cap.21. & in summa sententiarum tract.1.cap.6.Ricard. Victorinus lib.6. de Trinit. cap.24. & 25. Magister.1. sentent. dist. 5. prope fin. & distinct. 39. sub init. Horum ferè omnium verba posita reperies supra disput.2. sect.2. & disp.6. sect.2.& disp.44.sect.6. licet non omnia verba reperiantur in singulis locis.

12 *Eructare Verbum quid sit.* Probatur secundò, quia relatio termini producti naturaliter à corde seu mente, atque necessariò & independenter à libertate, summo quodam velut impetu, celeritate & copia erumpentis,& profluentis ex illo viuente & interiori principio, significatur psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum*, quod de æterna Filij ac Verbi generatione plurimi grauissimique Patres accipiut, inde colligentes, esse genitum ex propria substantia, vt Euaristus Papa secundus epist.1. ad episc. Africæ post med.Origenes hom.2.in varios circa illud Ioan.1. *In principio erat Verbum*, col.3. vbi *Cor*, inquit, *Patris est sua propria substantia, de qua genita est Filij propria substantia* (quamuis hanc expositionem corrumpat in commentariis ad Ioannem tom.1. prope fin.) Nazianzenus orat.49. de fide inter princ.& med. Athanasius contra Arian. orat.3. ad fin. & orat.4.fine, & orat.5. longè post medium, & orat. in id: *Omnia mihi tradita sunt*, & epist. ad Marcellinum de interpretatione psalmorum, col.2. & in duplici disput. contra Arium in Concilio Nicæno & Laodicæ,& epist.de sententia Dionysij col.2.& sequen.& lib. de decretis Nicenæ Synodi, & alibi sæpe. Eusebius de præparatione Euangelica, lib.11. cap.10.& lib.4. demonstrationis euangelicæ cap.15. Cyrillus Alexandrinus lib.1. thesauri cap.7. inter med. & fin. & lib.2. cap.13.& lib.5.thesauri cap.6. & dialog. de Trinit. lib.2. inter med. & finem.

13 Tertullianus etiam lib. contra Praxeam cap.7. & 11. & lib.2. contra Marcionem cap.4. Phæbadius lib. contra Arian. prope med. Ambros. in Symbol. Apostol. c.2.& lib. vnico de fide contra Arianos cap.2.ante med. & lib.2. de fide ad Gratianum cap.1. post med. & in caput 7. Lucæ. Cyprian. lib.2. contra Iudæos cap.3. Augustinus in psalm. 44. & serm. 1. de Ioanne Baptista versus med.Hieronym.in psalm.44.& epist.149.ad Principiam Virginem colum. 4. refert & non refutat hanc expositionem, & inter aliena Hieronymi tom.9. epist. 15. de his quæ Deo in Scripturis attribuuntur prope med. Qui tractatus multo fusior sub titulo de essentia Diuinitatis habetur apud Augustinum tom.4. Isidorus lib. de natiuitate Domini, &c. cap.1. Lactantius diuinar. institut. lib.4. cap.8. versus fin. Concil. Hispalense secundum act.13. Hesichius in catena, & Ruffinus, Remigius, & Beda in hunc locum.Ricardus Victorinus lib.6. de Trinit. cap.12. versus finem. Author libri de cataclysmo apud Augustinum c.5. citantur etiam Didymus Apollinaris & Cassiodorus pro eadem expositione.

14 *Cohærentia sequentium verborũ eiusdem psalmi.* E contrario Basilius homil. in psalm.44.col.2. & alij expositores contendunt ex sequenti contextu probare, quod non est Pater æternus, qui eructauit,sed Dauid. Cæterum quod proximè sequitur, *Dico ego opera mea regi*, non dedicare, sed loqui seu dicere significat, quia *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*, Ioan.8. & Geneſis 1. Patrem dixisse ad Filium: *Faciamus hominem*, communi sententia Patrum probauimus disp. 36. sect.4. Consequenter igitur idem Verbum æternum vocatur lingua Dei & calamus. Nam cætera quæ sequuntur de Christo Domino intelligi, nemo dubitat.

15 Tertiò probatur, nam & in creaturis verbum quidditatiuè consistit in eo, quod sit terminus intrinsecus, productus per intellectionem à dicente. Quod tanquam exploratum docet S.Thomas variis in locis, adductis à Capreolo 1.dist.27. quæst.2. art.1. pro conc.1.

16 *Primaria relatio ad dicentem.* Secunda conclusio colligitur ex præcedenti. Ratio formalis Verbi diuini primariò ac principaliter consistit in relatione personali, per quam refertur ad personam dicentem,seu producentem per intellectionem. Hæc sumitur ex S.Thoma in præsenti q.34.art.1. & 2. corp. & art.3. ad 4. Vbi Caietanus & communiter expositores,Alexan.1. p.q.62. memb.1.art.4. & memb.2. ad 3. Albertus 1.p.q.35. memb.3.art.2. & 3. ad argumenta. Magister 1.dist.27.cap. *Hic non est*,& sequentibus,vbi Bonauent. p.2.distinctionis art.1.q.1.& 2. Scotus q.3. §. *ad tertiam quæstionem.* Ricard. art.2. q.2.& 3 Gabriel q.3. art. 2. Carthus. q.3. Henricus 2. part.art.59. q.5. Canariens.1.p.q.27.art.1.disp.3. Vbi Molina disp.7. fine & disp.8. memb. 2. Vazquez disp.144. cap.1. Fonseca tom. 3. metaphys. lib.7. cap.8. quæst.3.

17 Probatur primò Patrum authoritate. Athanas. orat.5. contra Arian. initio. *Ex Deo Deus est Verbum*,& post pauca:*Cum enim ratio sit vnius Dei,ideo Filius in eũ refertur,cuius est Filius.*& lib.de decretis Nicænæ Synodi prope med.*Siue eum Filiũ dixeris, eo*

eo ipso naturaliter eum ex Patre declaraueris, siue eum rationem, siue Verbum Dei esse cogites, rursus eum ex illo esse sine vlla differentia cogitaueris.

18 Magis apertè Nyssenus orat.catechetica cap.1. inter med. & fin. *Hoc*, inquit, *Verbum est aliud ab eo,cuius est Verbum. Nam hoc quoque est aliquo modo ex ijs, quæ dicuntur relata ad aliquid, quandoquidem oportet omnino cum Verbo etiam Verbi Patrem subaudiri. Non enim esset Verbum, si non esset Verbum alicuius. Si ergo per significationis habitudinem & relationem discernit auditorum cogitatio & ipsum Verbum,& id ex quo existit*,&c. Vbi aduerbium illud, *aliquo modo*, non ponitur ad minuendam, vel excludendam veritatem & proprietatem relationis, sed ad significandum distare in infinitum ab iis, quæ ponuntur in prædicamento relationis, & à dialecticis aut philosophis appellantur relata. Obiter etiam caue, ne vocem illam *aliud*, intelligas substantiuè, sed adiectiuè, iuxta dicta disp.39. sect.4.& sequentibus.

19 Cyrillus Alexand.li.7.thesauri cap.1.post med. *Pater*,inquit, *Pater est,& Filius Verbum: nec tamen ideo naturæ diuersitas inducitur, quoniam sola diuersitate relationis, quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur.* Et dialogor. de Trinit. lib.2. inter med. & fin. *Quoniam*, inquit, *est mens,quia Verbum habet,& iterum Verbum, quia refertum est mente; quomodo intelligetur aliquãdo absq; Verbo mens, & Verbũ mente priuatum.* Consequens igitur est Patrem, vt mens est, & Filium, vt est Verbum, esse simul natura & cognitione, & dici ad conuertentia,quæ sunt relatiuorum proprietates supra disp.9.sect.3,& 4.

20 Augustlib.5.de Trinit. cap.13.initio ait: *Relatiuè dicitur Filius,relatiuè dicitur & Verbum & imago, & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* & lib. 6. cap. 2. versus fin.inde colligit, Filium non esse Verbum de Verbo, nec esse vnum Verbum Patrem & Filium, quia *vnum sumus* dictum est *secundum essentiam, non secundùm relatiuum.* Eadem repetit sequenti lib.7.cap.1. & 2.in cuius init.ait: *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur, ita Verbum ad eum, cuius Verbum est,refertur.* & sequenti cap.3. multo propius ad princ. quàm ad med. *Verbum relatiuè dicitur sicut Filius.*

21 Anselmus in monol. cap.37. fine: *Verbum*, inquit, *hoc ipsum, quod Verbum est aut imago, ad alterum est, quia non nisi alicuius Verbum est, aut imago*, & tribus sequẽtibus capitibus probat, Verbi proprium esse gigni tanquam Filium, & Patris proprium esse generare Verbum.

22 Significat eandem relationem Nazianzen.orat. 36. quæ est 4. de theologia multo propius ad fin. quàm ad med. dicens: *Verbum ita se habere ad Patrem, vt sermo ad mentem.* Et Theodoretus in epitome diuinorum decretorum cap. 2. de Filio, dicens: *Est autem vna cum mente, vt Verbum cum eo, qui genuit.*

23 Ratione probatur secundò, nam vnaquæque res formaliter ac principaliter consistit in eo,quo intellecto,res illa intelligitur,& quo non intellecto, non intelligitur. Sed intellecto termino intrinseco producto per intellectionem à dicente, intelligitur Verbum; & hoc ordine termini non intellecto,non intelligitur Verbum, vt constat ex conclusione prima. Ergo Verbum formaliter & primariò consistit in hoc ordine.

24 Declaratur & confirmatur primò, quoniam hæc relatio termini producti non potest esse quasi transcendentalis solummodo (qualis est in creaturis:)sed debet esse quasi prædicamẽtalis, vt per-

sonã constituat & realiter distinguat ab alia.Nam relatio transcendentalis est res absoluta simpliciter, ideóque non potest diuinas personas distinguere, vt dicemus sect.6. ad 2. Confirmatur secundò,quia intellectio siue notitia essentialis non producitur verè & realiter à dicente,quoniam est idem realiter cum illo. Ergo non potest obtinere quidditatem Verbi,probatam in conclusione prima-5 consequens igitur est, vt Verbum consistere debeat in aliquo relatiuo, quoniam illud solum realiter distinguetur, & realiter producetur.

Probatur tertiò, quia Verbum est eadem ipsa 25
persona Filij,vt ex Sacris litteris, & omnium Patrum cõsensu probatum est tota disp.57. Sed persona formaliter constituitur relatione,non aliqua formalitate absoluta, vt videbimus disp.87.& 88.

SECTIO II.

Verbi correlatiuum est Pater, nec non Spiritus sanctus.

DIco primò, Patrem, qua ratione Pater est, correlatiuum esse Verbi, ita docet Athanas. lib.de decretis Nicænæ Synodi prope med.dicẽs: *Si concesserint, Deum non nisi semel Verbum proferre, fieri non posse, quin agnoscant eum, ita loquentem, Verbi sui Patrem esse.* Vbi distinguit partialem formalitatem, qua Pater respicit Verbum, videlicet quatenus loquẽs est,& post pauca: *Deus Verbi sui Pater est.* Et prope fin. eiusdem libri:*Patris nomen pronunciantes agnoscimus, sub hoc nomine etiam Verbum, quod in Patre est contineri.* Idem planè colligitur ex verbis Gregorij Nysseni,Cyrilli Alexand. Augustini & Anselmi, quæ retulimus sect. præced.pro 2.concl. 1 *Pater vt Pater correlatiuum Verbi.*

Ratio facilè colligitur ex fine præcedentis sectionis,quia quidditas Verbi est relatio quasi prædicamentalis: omnis autem relatio prædicamentalis habet correlatiuum, cũ quo dicatur ad conuertentia:vt vidimus disp.9.sect.3.& 4. Nulla verò alia relatio est in persona dicente Verbum, nisi Paternitas. Vna quippe relatione constituitur in ordine ad Verbũ, & præter illam nõ habet aliam, nisi solam spirationem actiuã, vt vidimus disp.18. Cæterùm quomodo relatio Paternitatis distinguatur in duas quasi partes, sicut relatio Filiationis,dicemus sect.sequenti. 2

Dico secundò. Spiritus sanctus, qua ratione Spiritus sanctus est, atque per propriam suæ personæ relationem, est etiam correlatiuum Verbi. Probatur, quia relatio Verbi eadem est cum relatione Filiationis,vt statim constabit. Sed Filij sub ratione Filiationis correlatiuum est non modò Pater, sed etiam Spiritus sanctus secundum propriam relationem spirationis passiuæ. Ergo Verbi etiam,sub ratione Verbi, correlatiuum erit Spiritus sanctus sicut & Pater. Minor probatur, nam ea,quæ sunt simul natura & cognitione,sunt correlatiua. Sed cum Filio simul natura & cognitione sunt non modò Pater, sed etiam Spiritus sanctus. Ergo non solùm Pater, sed etiam Spiritus sanctus est correlatiuum Filij. 3 *Spiritus, vt Spiritus correlatiuus Verbi.*

Minorem tradunt expresè Patres. Basil. epist. 43.ad Gregor.Nyssen.in med. *Qui Patrem*, inquit, *intellexit,& ipsum in seipso intellexit, & Filium simul ea intelligentia complexus est. Qui verò hunc loquitur, Spiritum à Filio non diuisit: sed iuxta ordinem quidem personarum consequenter, iuxta verò naturam coniunctim, trium personarum fidem eadem ratione contemperatam in seipso expressit. Et qui de Spiritu* 4

solo loquitur, simul ista confessione, & eam quæ illum concernit, cuius Spiritus est, coniunxit. Et quoniam is Christi Spiritus est, & teste Paulo ex Deo est, sit, vt quemadmodum in catena qui vnius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul & alterum insertum attrahit: ita & hic, qui Spiritum trahit, vt propheta
Psal. 118. *inquit, per ipsum & Patrem & Filiũ simul attraxerit: & si quis verè Filium apprehenderit, habebit & ipsum vtrinque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum vnâ compactum.* Atque vlterius prosequitur, explicãs huiusmodi coniunctionem indissolubilem, non quantum ad esse tantùm, sed etiam quantum ad cognitionem intellectus.

5 Eandem omnino sententiam docuit Gregor. Nyssen. lib. de differentia essentiæ & hypostaseos in med. Clarius verò relationem mutuam esse omnium personarum adinuicem docuit Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 11. vsque ad 15. & serm. 38. de tempore col. 3. Anselmus lib. de processione Spiritus sancti cap. penult. quorum omnium verba posuimus disp. 16. sect. 2.

6 Declaratur ampliùs & cõfirmatur primò, quia Filius seu Verbum non formaliter & immediatè per relationem Filiationis & verbi respicit Spiritum sanctum, sed tantùm quasi radicaliter & mediatè; respicit autem formaliter & immediatè per relationem spirationis actiuæ, superuenientem Paternitati ac Filiationi, & ex illis necessariò quasi resultantem, vt ex Augustino & Concilio Toletano Vndecimo, & Concilio Florentino, Bessarione & aliis Patribus probatum est disput. 16. sect. 2. & 3.

7 Confirmatur secundò, nam Spiritum sanctum referri ad Patrem & Filium, constabit magis disp. 72. Nec posset Verbum in ratione Verbi realiter à Spiritu sancto distingui, nisi realiter in ratione Verbi respiceret Spiritum sanctum. Distinctio quippe diuinarum personarum nulla, nisi per relationes constituitur supra disp. 9. sect. 5. fundamento 3. & infra 87. & 88. disput.

SECTIO III.

Vnica est relatio Verbi & Filij, quasi partialiter distincta per intellectum.

1 *Vnica est relatio Verbi & Filij.* IMprimis eandem & vnicam esse relationem, quæ Verbum constituit in ratione Verbi & in ratione Filij, probatur primò, quoniam Verbum eo ipso, quod Verbũ est, Filius est, & eo ipso quod Filius est, Verbum est. Sic Athanas. orat. 2. contra Arian. prope med. ait: *Eo ipso, quo Verbum Patris sui est Filius, & Filius est Verbum Patris, eiusq; sapientia.* Quod licet asseruerit ad colligendam impatibilitatem generationis æternæ, obiter tamen asseruit identitatem vtriusque relationis. Et orat. 5. prope med. magis ex professo probat, quod *nisi sit Filius, Verbum non fuerit, & si non sit Verbum, non etiam Filius fuerit.*

2 Hilarius lib. 7. de Trinit. inter princ. & med. ait: *Verbi appellatio in Dei Filio de Sacramento natiuitatis est, sicut & sapientiæ & virtutis.* & lib. 12. de Trinit. col. ante penult. dicit, Verbum Dei sapientiam & virtutem his nominibus ostendi natum ex Deo Patre.

3 Augustlib. 7. de Trinit. cap. 2. init. ait: *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius,* Et post pauca præcipit, vt quando sapientia dicitur nata, *in eo quod nata est, & Verbum & imago & Filius intelligatur.* Quæ sententia recipitur à scholasticis communiter inde colligentibus, non esse duas notiones, nec duas relationes, sed vnicam Filiationis & Verbi. Ita Magister 1. dist. 27. cap. *hic non.* S. Thom. in præsenti q. 34. artic. 2. ad 3. Alexand. 1. p. q. 62. memb. 1. art. 4. ad argumenta. Albertus 1. p. q. 30. mem. 1. corp. fine. & mem. 2. ad 3. & q. 35. memb. 3. art. 5. ad 1. S. Bonauent. 1. dist. 31. artic. 1. quæst. 1. Henricus quodl. b. 6. q. 1. prope fin. corporis & 2. par. summæ art. 59. q. 4. corp. post med. & artic. 58. q. 2. ad argumenta in oppositum. Ricard. 1. dist. 27. art. 2. q. 4. Vbi Gabriel q. 3. art. 3. dub. 1. præsertim concl. 4. Aureol. dist. 9. parte 1. art. 2. sub init. Capreol. & Deza eadem dist. 9. quæst. vnica artic. 1. post conclus. 2.

4 Probatur secundò, quia secunda persona proprerea procedit, vt Filius per generationem propriè & strictè sumptam, quoniam ex vi processionis formaliter procedit, vt viuens à viuente in similitudinem naturæ. Hanc verò similitudinem ratione formali continet Filius potius, quàm Spiritus sanctus, quoniam Filius procedit per intellectionem, vt Verbum illius & perfectissima imago principij producentis: vt ostendimus, tota disp. 6. & 7. Ergo in formalissima ratione Verbi consistit formalissima ratio diuinæ Filiationis. Vnde constat à priori ratio, propter quam licet in creaturis filius genere distet, à Verbo, quoniam Filius substantia est, sed verbum creatum est accidens: attamen in Deo coalescant in vnam eandémque relationem eminentissimam, & ideo simplicirate sua complectentem, quod multis relationibus creatis comprehendi non posset.

5 Tertiò probatur, quia si relatio Verbi distingueretur à relatione Filiationis; sequeretur quinque relationes esse in Deo, cuius oppositum probatum est disput. 18.

6 *Duæ partiales formalitates eiusdem relationis.* Dico secundò. Duæ quasi partiales formalitates eiusdem relationis sunt ratio Verbi & ratio Filij (quibus adiungitur etiam alia partialis imaginis) & istæ se inuicem includũt explicitè, distinguuntur autem solummodo quantum ad explicitam rationem. Quæ proinde distinctio gradum infimum tenet in genere rationis ratiocinatæ. Filiatio quippe magis explicitè dicit ordinem viuentis, procedentis à viuente in similitudinem naturæ, sed minus expresse dicit cætera pertinentia ad Verbum. Sed relatio Verbi magis explicitè dicit procedere per intellectionem absque vlla diuisione, vel corruptiua passione, dicit etiam magis expresse procedere à dicente, qua ratione dicens est, & repræsentare perfectissimè cuncta, quæ intelliguntur à dicente. Quod autem eius productio sit generatio viuentis à viuente, hoc non dicit Verbum, nisi implicitè, & quasi virtualiter. Confirmatur, quia Filiatione formaliter significari consubstantialitatem, omnes Patres obseruant locis citatis disput. 4. sect. 2. & 3. & disput. 6. sect. 1. & 2. & disput. 54. præsertim sect. 6. & 7.

7 Quod autẽ Verbo formaliter importetur procedere per intellectionem, & esse imaginem repræsentatiuam obiectorum, probatum est in præsenti disp. 1. sect. 1. init. & concl. 1. Confirmatur primò, quia Pater loquitur Verbo, & hæc duo secundum explicitam rationem aptè sibi correspõdent, sed non aptè correspondent sibi Filius & loqui, vt Pater loquatur Filio, nisi quatenus in Filiatione implicitè continetur ratio Verbi. Vnde consequens est, Verbum esse id, quo formaliter Pater imperat, & iubet fieri quidquid operatur ad extra, quod non ita formaliter & expresse conuenit Filiationi.

Confir

8 Confirmatur secundò, quoniam voces atque conceptus filij & verbi ex creaturis accepimus, in quibus nec verbum est propriè filius, quia non est subsistens, nec eiusdem naturæ specificæ, cuius est eius principium: similiter filius in creaturis non est verbum, quia non per intellectionem, sed per vim nutritiuam & sensitiuam generatur. Atque inde prouenit, vt voces & nostri conceptus diuini Verbi magis explicitè & formaliter afferant quod verbis creatis conuenit; magis implicitè & virtualiter quod pertinet ad filios creatos.

9 Confirmatur tertiò, nam ad explicandam impatibilitatem diuinæ generationis, cuiuslibet corruptionis aut diuisionis expertem, Ioannes Euangelista vsus est nomine Verbi prius, quàm nomine Filij. Ergo Verbum affert spiritualitatem & incorruptibilitatem generationis magis explicitè, quàm Filius. Antecedens traditur communiter à Patribus, in quibus etiam totus præcedens discursus habet fundamentum. Athanas. orat. 2. contra Arianos prope med. *Filium,* inquit, *ea de causa appellauit, vt naturalem & verum Paternæ substantiæ fœtum declararet. Sed tamen ne quis humanitus genitum intelligeret, Verbum illum & sapientiam, & splendorem nominauit. Ex illis enim vocabulis impatibilitatem ingignendo, æternitatem item, & decorum illud, quod in Deum conuenit, apprehendimus.*

10 Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia col. penult. *Filius,* inquit, *mihi dici videtur, quia essentia idem est cum Patre, tum etiam quia ex illo est. Verbum porrò, quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem, non modò propter generationem passionis omnis expertem,* & reliqua quæ retulimus alibi. Theodorus Ancyræ episc. homil. 2. de natali Seruatoris habita in Concil. Ephesino col. 5. tom. 6. eius Concilij: *Generationis,* ait, *impatibilitatem Verbum significat, consubstantialitatem Filius indicat, coexistentiam splendoris vocabulum insinuat.*

11 Plura de hoc scribũt Basil. hom. 16. in id Ioan. 1. *In principio erat Verbum,* post med. Gregor. Nyssen. epistol. contra Apollinar. multo propius ad med. quàm ad princ. Cyril. lib. 1. thesauri cap. 5. præsertim col. vltima, & cap. 7. lõgè post med. Chrysost. homil. 2. commentariorum in Ioan. & homil. 1. de illo Euangelico oraculo *In principio erat Verbum,* Theodoretus Hebr. 1. ad illud, *Figura substantiæ.* Theophylact. Euthymius, & Leontius Ioan. 1. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 141. Ambr. lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 2. ante med. *Dicitur,* inquit, *Verbum, quia immaculatus: virtus, quia perfectus: Filius, quia genitus ex Patre: sapientia, quia vnum cum Patre.*

12 Rectè igitur ex mente Patrum antiquorum S. Thomas in præsenti quæst. 34. art. 2. ad 3. exponit nomina Filij & Verbi qua diuersitate significent eandem proprietatem secundæ personæ. Quod idẽ exequuntur alij scholastici, citati sub initium præsentis sectionis, præsertim Albertus, Alexander, Henricus, Ricardus, & Gabriel.

13 *Partiales formalitates in Patre & Spiritu sancto.* Dico tertiò. Duæ partiales formalitates sunt etiam in Patre distinguendæ, correspondentes prædictis formalitatibus, Filiationis & Verbi. Nam Verbo magis expresse correspondet Pater, vt dicens siue loquens est, atque concipiens expressam similitudinem sui. At verò Filiationi magis expresse correspondet Paternitas, vt est naturaliter generatiua viuentis in similitudinem naturæ.

14 Dico quartò. In Spiritu sancto similiter distin-

Ruiz. de Trinitate.

guere licebit duas partiales formalitates, nondum ita expressè nominatas; aliam vt procedit à persona loquente, & à persona, quæ est Verbum, secundum quam rationem est Spiritus oris Dei, ac peculiariter habet diligere & velle quidquid Pater suo Verbo dicit, quatenus hæc dilectio in facto esse debetur, & necessariò consequitur ex perfectissima propositione summi boni. Alia verò partialis formalitas est in eodem amore producto in facto esse, quatenus debetur & necessariò consequitur ex summa cognatione & coniunctione Patris & Filij.

SECTIO IV.

Sapientia multoties supponitur pro persona Verbi.

1 VT viam præmuniamus ad quæstionem proximè tractandam, Vtrum Verbum Dei sit prorsus idem, quod sapientia, vel intellectio, seu notitia, vtque facilius cõciliemus, & exponamus testimonia scripturarũ & Patrum, operæ pretium fuit sequentem conclusionem præmittere.

2 *Locutiones emphaticæ non extendendæ.* Sit conclusio. Sapientia multoties supponitur pro ipsa persona Verbi. Similiter autem intellectio, seu notitia potuisset supponi, sed hoc non est in vsu, nisi raro, vt ex sequentibus testimoniis constabit. Tales autem locutiones non sunt extendendæ, quoniam eas non patitur rigor & proprietas sermonis scholastici. Sed per emphasim introductæ sunt ad exprimendam vnitatem sapientiæ & Verbi, vt constat ex S. Tho. infra q. 39. art. 5. ad 1. & ibi dicendum erit disp. 80. sect. 5. 7. & 8. Nec obstat quod 4. contra Gentes cap. 12. post med. dicit: *propriè vocari conceptam seu genitam sapientiam,* quoniam ibi propriè sumitur vt opponitur communi, non vt opponitur improprio.

3 *Sapientia genita.* Primaria pars conclusionis probatur primò, quia nullum attributum essentiale Dei est genitum vel natum, sed solummodo persona Verbi est genita. Sed sapientia Dei multoties appellatur genita. Ergo tunc sapientia Dei supponitur pro persona Verbi. Idem argumentum fieri potest, quoties adiungitur aliquid notionale vel relatiuum, veluti cũ dicitur sapiẽtia Dei vel Patris, vel ex Deo, vel procedẽs, vel nata, vel aliud eiusmodi.

4 Minor probatur primò, ex scriptura, nam Prouerb. 8. Dei sapientia: *Nondum,* inquit, *erant abyssi, & ego iam concepta eram.* & rursus: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Et Ecclesiast. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Quę duo testimonia de persona Verbi & æterna illius generatione communiter Patres intelligũt, citati disput. 4. sect. 1. probat. 5. Accedat etiam illud 1. Corinth. 1. *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Quod etiam de persona Verbi accipiunt Patres communiter locis statim citandis.

5 Probatur secundò testimoniis Patrum. Iacobus Apostolus frater Ioannis apud Clementem Rom. lib. 8. constitut. Apostol. cap. 12. prope init. dicit, *Filium Vnigenitum, Verbum Deum, sapiẽtiam viuentem, primogenitum omnis creaturæ.* Similia scribit cap. 36. non procul à princ. Irenæus lib. 4. c. 37. sub init. *Adest,* inquit, *ei semper Verbum & sapientia Filius, & Spiritus, per quos, & in quibus omnia liberè & sponte fecit, ad quos & loquitur dicens: Faciamus hominem,* &c.

6 Gregorius Thaumatur. à Ioanne Euangelista regulam fidei sic edoctus est: *Vnus est Deus Pater Verbi viuentis, sapientiæ subsistentis, & potentiæ, &*

figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filij Vnigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, figura & imago Deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum vniuersarum comprehensiua, & potentia totius creaturæ effectrix.

7 Athanas. totis quinque orationibus aduersus Arianos millies sapientiæ nomen accipit pro persona Verbi seu Filij. Atque inde colligit, Patrem ab Arianis insipiętem & irrationalem reddi, quoniam ei eripiunt Verbum, quod est eius sapientia & ratio. Quod inconueniens infert orat. 2. contra Arianos inter princ. & med. & orat. 3. propius ad med. quàm ad princ. & in disput. contra Arium habita in Concilio Nicæno paulo post med. cuius verba cum testimoniis aliorum Patrum eiusdem sententiæ retulimus disput. 29. sect. 3. Atque in prædicta orat. 3. propius ad med. quàm ad fin. Filium appellat *Sapientiam Vnigenitam*, quæ dixit: *Ego iam concepta eram*, &c. Prouerb. 8. & orat. 5. contra Arianos sub init. *Vnius*, inquit, *principij suus proprius, Filius, propria sapientia, proprium Verbum, ex ipso principio ortũ habens.* & post pauca: *Vnum est substantiale, subsistens, Verbum, & sapientia. Quemadmodum ex Deo Deus, & ex sapiente sapientia, & ex rationali ratio siue Verbum*, &c.

8 Gregorius Nyssenus orat. catechet. cap. 5. sub init. deducit inconuenientes idem ex Arianorum errore, nec non epist. contra Apollinar. de imagine & similitudine ferè inter med. & fin. Atque sapientiam pro persona Verbi accipit lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos frequenter. Nazianzen. orat. 49. de fide propius ad med. quàm ad fin. *Ideo*, inquit, *sapientia appellatur, vt nunquam Pater sine sapientia, hoc est, sine Filio esse credatur.* Eodem modo ratiocinatur Basilius lib. 4. contra Eunomium in medio, ex eo quod Deus nunquam fuerit insipiens, colligens, Christum Dominum esse cœternum Deo; & toto lib. 4. & 5. multoties repetit, Filium esse sapientiam. Atque in eodem lib. 5. multo propius ad med. quàm ad fin. *Pater*, inquit, *Filij genitor, vt mens Verbi Pater, vt potentia potentis, vt sapiens, qui sapientiam genuit.*

9 Euseb. Cæsarien. lib. 4. demonstrationis Euangelicæ cap. 2. Filium vocat *ipsam rationem, & sapientiam primogenitam.* & lib. 5. cap. 1. à princ. dicit, esse *sapientiam viuentem, quæ per seipsam consistat.* Epiphanius in Ancorato propius ad princ. quàm ad med. *Sapientia*, inquit, *ex sapientia est, & fons ex fonte.* Atque hæres. 69. inter princ. & med. ac deinceps, & hæres. 76. multoties Dei sapientiam accipit, vt nomen proprium Filij. Cyrill. Alexand. lib. 1. thesauri cap. 7. prope fin. *Ex Patre natum*, dicit, *Filium, vt sapientia ex mente.* & sequenti cap. 8. 9. & alibi sæpe sapientiam vocat.

10 Magis apertè, quàm alij, Damascenus in epist. de Trisagio pag. 2. docuit, *sapientiam* notionaliter accipi pro persona Verbi, dicens, esse *hymnum de solo Filio dictum, & ostensiua vnius hypostaseos, hæc Filius, Verbum sapientia Dei, & virtus.* Obserua genitiuum *Dei*, additum sapientiæ, & virtuti potius, quàm Filio & Verbo, quoniam sine tali additamento sapientia, & virtus nó supponitur pro persona Filij, & lib. 1. fidei cap. 13. ad fin. *Filius*, inquit, *Verbum sapientia & potentia, imago, splendor, character Patris, & ex Patre.*

11 Theophylact. in Ioan. c. 1 non procul à princ. *Impossibile est*, inquit, *Deum esse absque sermone & sapientia & virtute. Idcirco, quia Verbum, sapientia & virtus Patris existit Filius, credimus, ipsum semper esse apud Deum, hoc est, cum Patre.* Tertullianus in lib. contra Praxeam cap. 7. supra dictis scripturæ testimoniis probat, sermonem, id est Verbum esse *genitam sophiam*, id est, sapientiam.

Hilarius lib. 7. de Trinit. inter princ. & med. notat, appellationem sapientiæ & virtutis esse de sacramento natiuitatis, sicut appellatio Verbi, vt vidimus sect. 3. sub init. Consequentérque lib. 12. col. ante penult. Patrem his alloquitur: *Tecum perfecti Dei, qui & Verbum tuum & sapientia, & virtus est, absoluta generatio est*, & asserit nunquam fuisse sine Verbo suo, ne fuerit sine sapientia. Idem constat ex Ambrosio quinque libris de fide ad Gratian. frequenter, veluti lib. 1. cap. 2. & lib. 5. cap. 1. in med. Pluráque testimonia scripturarum, quibus appellatur sapientia, producit lib. de Diuinitate Filij cap. 2. à med. & in Symbol. Apostol. cap. 2. 3. 5. & 12. 12

13 Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 1. propius ad med. quàm ad princ. fatetur, *Impium esse dicere, Deum non esse Patrem sapientiæ suæ.* & cap. 2. ante med. *Hæc duo cum dicuntur, id est, nata sapientia, in vno eorum eo quod nata est, & Verbum & imago, & Filius intelligatur, & in his nominibus non intelligatur essentia, quia relatiuè dicuntur. At in altero, quod est sapientia, quoniam & ad se dicitur, etiam essentia demonstretur.* Vbi perpende rationem, propter quam, dicendo sapientiam, intelligatur Verbum, videlicet quoniam illi adiungitur aliud nomen, vt *nata*, vel *genita*, vel simile aliud notionale. Eiusmodi sunt præpositiones *ex*, atque *de*, quoniam denotant ordinem originis. Propterquæque Verbum esse *sapientiam de sapientia*. Sed Patrem non esse sapientiam de sapientia, licet sit eadem sapientia, quæ Verbum, docet Augustinus dicto lib. 7. cap. 1. fine, & toto cap. 2. & 3. & lib. 15. de Trinit. cap. 6. parum à principio. Atque in lib. 7. cap. 3. dicit: *Sapientia genita.*

14 Anselmus in monol. cap. 45. dicit: *Filium esse verum Verbum, id est, perfectam intelligentiam, siue perfectam totius Paternæ substantiæ cognitionem, & scientiam & sapientiam.* Deinde verò *sapientiam natam de sapientia, & memoriam de memoria*, dicit esse cap. 47. Ricardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 24. post medium ait: *Sapientia gignens, & sapientia genita, vna eademq; sapientia est, verumtamen & alia persona.* Quod repetit sequenti cap. 25. post medium.

SECTIO V.

Vtrum diuinum Verbum sit prorsus idem, quod sapientia, vel intellectio, seu notitia.

SEntentiam affirmatiuam docuerunt aliqui recentiores, quibus præcipuum argumentum fuit, quia nullum attributum essentiale est genitum, sed solummodo Verbum personale est genitum. At verò sapientia Dei est genita (vt constat ex tota præced. sect.) ergo sapientia Dei non est attributum essentiale, sed est idem re & ratione, quod persona Verbi. Secundum argumentum Sapientia seu notitia formaliter est actus vitalis: ergo sapientia & notitia est realiter producta; sed non est aliud realiter productum, quod sit sapientia, nisi Verbum. Ergo. 1 *Pro parte affirmatiua. Primum argumentum.* *Secũdum argumentum.*

Tertium, quia saltem concedi poterit, Verbum esse sapientiam notionalem, siue notitiam aut intellectionem notionalem, sicut dicitur sapientia genita, aut intellectio producta à Patre loquente. Quartum accipi potest ex Basilio lib. 5. cótra Eunom. sect. 11. dicente: *Intellectus omnia per Verbum considerat*, & Damasceno lib. 1. fidei cap. 18. prope fin. 2 *Tertium argumentum.* *Quartum argumentum.*

fin. dicente: *Verbum est naturalis mentis motio, secundum quam mouetur, intelligit, & cogitat.*

3 *Verbum non est idẽ quod sapientia.* Nihilominus sit prima conclusio, de qua non est dubitandum. Verbum diuinum non est idem prorsus, quod sapientia, notitia, vel intellectio. Probatur primò, quia si foret idem prorsus; sequeretur quod Pater formaliter cõstitueretur sapiens & intelligens per Verbum genitum & sapientiam genitam. Consequens autem est impossibile. Nam Pater sicut quadam prioritate rationis est Deus prius, quàm producat Verbum; sic etiam quadam prioritate rationis est sapiens prius, quàm producat Verbum.

4 Confirmatur primò, nam alioqui simpliciter vera foret hæc propositio: *Pater est sapiens sapientia genita.* Quam tamen absolutè falsam esse, licet aliquem verum sensum admittat, ostendemus disp. 74. sect. 4. & 5. Confirmatur secundò, quia *Pater per seipsum existit ipsa sapientia*, vt probat August. libr. 6. de Trinit. cap. 1. à med. & lib. 7. cap. 1.

5 Vnde proficiscitur secunda probatio, quia Pater singulus absque Verbo nõ est dicens, eo quod Verbi productione constituitur dicens: At verò Pater singulus absque Verbo sapiens est. Discrimen istud obseruauit Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 1. non procul à princ. Vnde cap. 3. ante med. *Singulus*, inquit, *Pater Deus, & singulus Filius Deus: ergo & singulus Pater sapientia, & singulus Filius sapientia, & vterque vna sapientia.* Ibidem tamen & alibi docet, quod Pater non est Verbum, nec Pater & Filius sunt vnum Verbum, vt vidimus disp. 57. sect. 3. probat. 8. Ergo Verbum non est idem prorsus quod sapientia.

6 Confirmatur primò, ex multis aliis Patribus, qui dixerunt, Filium esse sapientiam de sapientia, vel sapientiam genitam à sapiente, vel sapientem genuisse. Quæ omnia supponunt, Patrem esse sapientem prius origine, quàm Filius sit genitus. Sic Athanas. orat. contra Gregales Sabellij propius ad med. quàm ad principium; *Sapientia Patris est Filius, non ita vt in homine, vbi per sapientiam homo fit sapiens, sed ex sapiente sapientia ista ortum trahit.*

7 Confirmatur secundò, quia non solum Pater, sed etiam Spiritus sanctus est sapientia, de quo Cyrillus & Alexandrina Synodus in epist. ad Nestorium col. 7. (in Concilio Ephes. tom. 1. cap. 14.) dicit: *Quia potentiæ atque sapientiæ Patris, hoc est, Filij Spiritus est, hinc & ipse quoque re ipsa potentia & sapientia est.* Anselmus autem in monolog. cap. 48. fine, de Patre, Filio & Spiritu sancto ait: *Singulus quisque essentialiter est; & memoria, & intelligentia, & amor.*

8 Vnde confir. tertiò, quoniam Spiritus sanctus essentialiter ratione sui est sapiens. Sed Verbum diuinũ non cõuenit essentialiter Spiritui sancto, tanquam eius essentiale prædicatum (licet in illo sit per circuminsessionem) ergo Verbũ diuinum non est idem quod sapientia. Consequentia probatur, quia sine sapientia essentialiter incluſa non potest Spiritus sanctus esse sapiens essentialiter & ratione sui. Confirmatur quartò, nam vt Aug. ait lib. 7. de Trinit. cap. 2. sub init. *Non eo Verbum, quo sapientia. Verbum enim relatiuè, sapientia verò essentialiter intelligitur.*

9 Probatur tertiò, nam omnis sapiẽtia est veritas. Quapropter si Verbum esset idem omnino, quod sapientia; sequeretur, Patrem distingui realiter à sapientia & veritate, sicut distinguitur realiter à Verbo. Quocirca falsæ forent istæ propositiones: *Ruiz. de Trinitate.*

10 Quartò. Quæcumque probant distinctionem rationis ratiocinatæ diuinarum relationum ab attributis, supra tota disp. 12. eadem probant distinctionem rationis ratiocinatæ diuini Verbi à sapientia. Verbum enim est relatiuum, vt probatum est sectionibus præcedentibus. Sed sapientia est attributum.

11 Quintò probatur à priori, quoniam ad perfectionem essentialem infinitæ mentis pertinet esse ipsammet actualem sapientiam, intellectionem, seu notitiam in actu secũdo, sicut est ipsa bonitas & potentia. Proindéq; Pater non debet expectare aliquid realiter distinctum à Patre, vt sit sapiens & intelligens. Confirmatur primò, quoniam intellectio & sapientia nõ sunt ad aliquid, sed ad se, hoc est, non relatiua sunt, sed absoluta, vt probat August. citatis lib. 6. & 7. de Trinit. Confirm. secundò, nam Verbum est vita & veritas Ioan. 1. & 14. & tamen hæc essentialia sunt & absoluta, Patrique conueniunt prius ratione, quàm Filius sit genitus. Eadem autem est ratio, quando Verbum dicitur esse sapientia Dei.

12 Vnde probatur sextò, & simul euertitur primarium fundamentum contrariæ sententiæ. Nam 1. Corinth. 1. dicitur, Christum Dominum esse Dei virtutem, sicut dicitur, esse Dei sapientiam; & omnes Patres eodem modo loquuntur. Sed absurdissimũ foret inde colligere, Verbum Dei esse prorsus idem, quod virtus & potentia Dei. Ergo similiter absurdum est inde colligere, Verbum esse prorsus idem, quod sapientia Dei. *Filius est virtus Dei.*

13 Verbum seu Filium esse Dei virtutẽ & sapientiam, dicunt Conciliũ Nicænum lib. 2. circa med. §. *quomodo*, & sequentib. Thaumaturgus in regula fidei adducta in præced. sectione. Nazianzenus orat. 35. inter med. & fin. & in carmine arcano 1. post med. Nyssenus lib. de forma perfecti Christiani colum. 4. & 5. Basil. in præcedenti sect. citatus. Athanas. millies, vt orat. 3. contra Arianos propius ad med. quàm ad fin. & orat. in id. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, ad finem, & orat. contra Gregales Sabellij propius ad med. quàm ad princ. & epist. de decretis Nicænæ Synodi ferè in med. Nec minus frequenter Cyrillus Alexand. veluti lib. 1. thesauri cap. 9. in med. & lib. 2. cap. 2. inter med. & fin. & lib. 3. cap. 1. initio, & lib. 5. c. 3. & lib. 12. cap. 5. & 6. & dialogor. de Trinit. lib. 4. multo propius ad med. quàm ad fin. Cyrill. Hierosol. cateches. 4. cap. 3. Ambros. & Hilar. locis citatis in sect. præced.

14 Confirmatur primò, quia Patres etiam dicunt, Filium seu Verbum esse voluntatem Patris, & tamen inde non sequitur. Verbum & voluntatem esse prorsus idem. Ita docet Athanas. dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum sub init. & fusius orat. 4. contra Arianos multo propius ad fin. quàm ad med. ita concludens. *Est ergo Filius Dei ipsum Verbum, & sapientia, & prudentia, & viua voluntas, & in eo desiderium Patris, idemq; veritas, lux & potentia Patris est.* Damascen. lib. 1. fidei cap. 13. ad fin. *Quæ congruunt*, ait, *verbo, virtuti effectiuæ, voluntati, sapientiæ, ea Filio tribuenda sunt.* Gregor. Bœticus lib. de Trinit. inter princ. & med. dicit, *Filium esse voluntatem & sapientiam Patris.* *Filius est voluntas Patris.*

15 Secundò, nam & *iustitiam Dei & sapientiam & virtutem esse Filium*, scribit Basilius lib. 2. contra Eunomium prope med. Atque rationem eádem *Filius est iustitia Dei.*

esse,vt Filius dicatur magnitudo,iustitia, & bonitas Dei,sicut dicitur sapiẽtia Dei, probat August. lib.6.de Trinit. cap.1. ad fin. & cap.2. sub init. & lib.7.cap.1.sub init. & in fine. Epiphanius autem hæres.67. in med.dicit: *Vita ex vita, lumen ex lumine, sapientia ex sapiente.*

16 *Quo sensu Filius dicatur essentia Patris.*

Confirmatur tertiò, nam & Filium esse *Patris essentiam*, non quasi prædicatum quidditatiuum Patris,sed quoniam Filius est essentia diuina,quæ eadem est essentia Patris, concedit August.lib.7. de Trinit. cap.1. inter princ. & med. & clarius in med. Rursus Filium esse *essentiam de essentia*, docet eodem lib.7.cap.2.in med. & lib.15. cap.13. fine, vel 14.init.& cap.15.ante med.

17 Probatur septimò, nam & in rebus creatis intellectio,notitia,siue sapientia non est idem prorsus quod verbum,sed vt minimum distinguuntur ratione ratiocinata, vt dicemus sect.5.ad 3.argu. positum sect.1.

18 *Sapientiam includit Verbum ex formalissima ratione.*

Secunda conclusio. Diuinum Verbum secundum formalissimam rationem Verbi diuini, & intra lineam explicitã Verbi, quidditatiuè includit sapientiam magis immediatè,& minus materialiter,quàm amorem,bonitatem, omnipotentiam aut aliud attributum. Quomodo sapientia non includitur in Spiritu sancto secundum formalissimam rationem Spiritus sancti. Probatur primò, nam alioqui nulla foret specialis ratio, propter quam Verbum diuinũ appellatur sapientia multo frequentius,quàm amor. Rarò namque nomen voluntatis accipit locis nuper adductis, nec tanquam ita proprium tribuitur ei. Confirmatur,nam è contrario Spiritus sanctus; non nisi rarò vocatur sapientia: sed amor appellatur frequentiùs,quàm Verbum,quoniam in ratione formalissima Spiritus sancti atque intra suã lineam explicitam includit amorem, vt terminus productus per operationem amandi.

19 Secundò probatur à priori, quoniam Verbum formalissimè est expressa similitudo,perfectissimè repræsentans obiectum, vt vidimus sect. 1. ante conclusionem primam: procedit q; per operationem intelligendi,vt vidimus disput.2.sect.2. & 3. Propterea que Verbum ex sua formalissima linea postulat sibi communicari sapientiam immediatissimè,vt probatum est disput.8.sect.4.

20 Vnde sequitur primò, nonnullum esse discrimen inter Patrem & Filium, quãtum ad modum, quo sapiens est. Nam *Pater est sapiens vt concipiens: Filius verò sapiens,vt Verbum conceptum, Filius enim in eo quod est Verbum, est quædam conceptio sapientis*, vt scribit S.Thomas de potentia q. 9. art.9. ad 6. atque aliis verbis lib.4. cõtra Gentes cap.12. post med. & August. lib.15. de Trinit. cap. 4. in med. *Sciunt*,inquit,*inuicem Pater & Filius,sed ille gignendo,iste nascendo.* Sequitur secundò,sapientiam vel intellectionem,prout tendit ad obiectum formale ac primarium, quod est Deus, importari magis principaliter & immediatè,quàm prout terminatur ad creaturas.

21 *Quæ magis materialiter importat Verbum.*

Tertia conclusio. Diuinum Verbum de materiali & minus principaliter importat intellectionem, notitiam seu sapientiam, sed magis materialiter Deitatem,ac cætera attributa,omnémque relationem ad obiecta creata, quasi dicta vel cognita. Ita ferè S. Thomas in præsenti quæst. 34. art.3. præsertim ad 1.& ad 4.Alexander,Albertus, Bonauentura,Henricus,Riccardus,Gabriel & alij citati sect.1.

22 Probatur primò, nam formalis ratio Verbi diuini primariò & principaliter cõsistit in relatione personali,qua refertur ad personam dicentem seu producentem per intellectionem, vt probatum est sect. 1.2.& 3. sed sapientia vel intellectio, Deitas & relatio ad obiecta creata,sicut & quodlibet attributum,non est formaliter & explicitè relatio personalis Verbi ad personam dicentem, seu producentem. Ergo Verbum non dicit hæc omnia de formali. Rursus ea dicit aliquo modo;ergo de materiali & minus principaliter.

23 Probatur secundò, quia Verbum formaliter est idem,quod persona Filij supra sect.3. Persona verò diuina non in recto & de formali, sed in obliquo & de materiali significat essentiam siue naturam,& quidquid est essentiale, vt vidimus disp. 32.præsertim sect.9.

24 *Virtus seu potentia minus materialiter continetur in Verbo.*

Quarta conclusio. Virtus seu potentia claditur in linea formali Verbi post sapientiam magis immediatè,minúsque materialiter,quàm attributa cætera. Probatur primò,nam aliquid peculiare habere debet virtus seu potentia,propter quod Apostolus 1.Corinth.1.& Patres citati concluſ.1. probat.6.dixerint, Filium esse Dei virtutem & sapientiam. Probatur secundò, quoniam primum exercitium potentiæ Dei est generare Verbum, quo genito proximè potens est producere Spiritum sanctum. Propterea Patres aduersus Arianos dicere solent, ideo perfectè potentem esse Deum Patrem, quoniam ab æterno Filium generat, vt ex Athanas. Basilio,Cyrillo Alexand. & Ambros. vidimus disput.29. sect.3. Tertiò, nam Pater suo Verbo mandat fieri, quidquid operatur ad extra:ideóque Verbum est, quo magis immediatè Dei omnipotentia prodit in actum circa creaturas.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta, posita in præced. sect. 5. & posita in sect.1.

1 AD argumenta, quæ initio præcedentis sectionis contendunt, sapientiam esse prorsus idem re & ratione, quod Verbum, respond. Ad primum negatur consequentia. Nam ex eo quod sapientia sit genita, solummodo colligi potest, quod sapientia supponatur pro Verbo diuino, quando coniungitur cum aliquo notionali,siue à parte subiecti,siue à parte prædicati, cuius verificatio requirat talem suppositionẽ. Supponendum autem est ex dialectica, non semper nomina supponi pro suo significato formali; multoties enim supponuntur pro suo significato materiali, veluti Matth.21. *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.*, non in quantum publicani & meretrices: verùm illæ personæ, quæ prius erant publicani & meretrices, postea præcedent incredulos & obduratos.

2 Adde, quod illæ locutiones non sunt exactæ ad rigorem scholasticum, quia constant terminis abstractis. Alia est enim concretorum vis & proprietas,vt cum S.Tho.q.39.art.5. *dicemus* disp.80. sect.3. & sequentibus. Quamuis August. lib.7.de Trinit.cap.1. & lib.15. cap.6. dixerit, Filium esse sapientiam de sapientia, sicut est Deus de Deo. Colligitur etiam ex illis locutionibus, quod Verbum de materiali significet sapientiam magis immediatè ac per se,quàm aliud attributum,vt vidimus sect.præcedenti concluſ.2.& 3.

3 Ad secundum respond. negando consequentiam, quia perfectissimus actus vitalis seu operatio se habet per modũ actus vltimi, quidditatiuè perti

pertinentis ad extrinsecam rationem Diuinitatis, absque reali productione. Quemadmodum de intellectione diximus ad quæst.14.art.1. & de volitione ad quæst.19.art.1.

4 Ad tertium negatur consequentia,quoniam intellectio notionalis, propriè loquendo,est productio Verbi, non ipsum Verbũ, vt videbimus disp. sequenti sect.1. & 2. & bene obseruauit Vazquez disput.112. cap.4. Accedit, quod apud Patres & Scholasticos non est in vsu dicere, Verbum esse notionalem intellectionem; & quamuis à simili colligatur ex aliis locutionibus vsitatis,illę tamen extendendæ non sunt, vt S.Thomas admonet infra quæst.39.art.5.ad primum.

5 Ad quartum respond. Intellectus omnia per verbum conſiderat, non quasi per formam, quæ constituat formaliter considerantem, siue intelligentem, sed quasi per imaginem expressam & productam: vt magis explicat idem Basilius homil. 16. in illud: *In principio erat Verbum*, post med. Eodem modo intelligendus est Damascenus, addendo, quod motionis nomine intelligit, quod Scholastici solent vocare tendentiam in obiectum, quia non solum intellectio, sed etiam Verbum circa obiecta versatur.

6 Ad argumenta posita sect.1. quæ contendunt, de formali Verbum dicere sapientiam &non relationem respond. Ad primum, vt Verbum dicatur esse sapientia genita, vel sapientia de sapientia, satis est de materiali contineri sapientiam in Verbo peculiari ratione, & magis immediatè, quàm cætera attributa, vt nuper dicebamus ad aliud argumentum primum.

7 *Verbum creatum non dicit relationẽ prædicamentalẽ.*

Ad secundum. Imprimis concedimus antecedens, videlicet, verbum creatum de formali ac principaliter non dicere relationem prędicamentalem,quod satis efficaciter ibidem probatum est, & rectè docuit Molina supra quæst.27.art.1.disp. 7. concluſ.2. & sequentibus. Et licet Canariensis eadem quæst.27.art.1.disp.3.inter med.& fin.existimet, verbum creatum formaliter consistere in relatione; fortassis esset contentus eo genere relationis transcendentalis,quæ requirit distinctionem realem, qualis est in termino producto respectu principij producentis, prius ratione,quàm sequatur relatio prædicamentalis. Hoc enim modo sunt intelligendi Patres nonnulli, quando generaliter agentes de verbo, prout abstrahitur à creato &increato, significant, verbum aliqua relatione constitui, vel esse ad aliquid,& non ad se.

8 *Proportio verbi creati ad diuinum.*

Igitur antecedente concesso, negatur consequentia, quin potius seruata debita proportione verbi creati ad diuinũ, infertur oppositum. Quia verbum creatum de formali ac principaliter dicit relationem transcendentalem, ratione cuius hæc qualitas,quæ est expressa similitudo,est terminus, locutionis,quidditatiuè postulãs principium producens per intellectionem. Cum igitur in Deo relatio transcendentalis termini producti ad principium producens, non possit esse distincta à relatione quasi prædicamentali, quæ constituat personam vnam distinctam realiter ab alia; consequens est, vt Verbum diuinum de formali ac principaliter debeat importare relationem, quæ simul in se contineat perfectionem relationis prędicamentalis, atque transcendentalis.

9 Ad tertium respond. Augustinus propter realem identitatem intellectionis cum verbo producto,dicere potuit, notitiam esse verbum creatum. Cæterùm distinctionẽ rationis ratiocinatæ inter verbum creatum & notitiam,perspicuè significauit eodem lib.15. de Trin.c.11. post med. dicens: *Quando quod in notitia est,hoc est in verbo, tũc est verum verbum & veritas.* Et in eodem lib.15.cap.14. ad fin. *Sic & hoc verbum nostrum de nostra nascitur, quemadmodum & illud de scientia Patris natum est.* Vnum igitur, si Durandum excipias, relatum disput.57.sect.1.pro secunda sententia: cæteri omnes Scholastici Verbum ab intellectione distinguunt vt minimùm ratione ratiocinata. Quin etiam Scotus 1. dist.27. quæst.1. licet in creaturis existimauerit, verbum & intellectionem nullo modo distingui; fatetur tamen diuini Verbi discrimen ab intellectione essentiali.

10 Reliqui verò theologi atque philosophi conspirant in concedenda distinctione creati verbi ab intellectione seu notitia,per quam producitur. Sed in eo dissentiunt, quod multi putant, esse distinctionem realem, qualis necessariò concedenda est ab omnibus, qui putant, actionem realiter distingui à termino producto per illam. Cæterum qui dixerit, actionem sola ratione ratiocinata distingui, non poterit concedere realem distinctionem intellectionis à verbo creato; nisi forte concesserit, verbum esse obiectum intellectionis. in quo priùs cognito, tanquam in imagine, persona intelligens cognoscit seipsam vel aliud obiectum, cuius verbum habet. Quod tamen esse falsum,ostendemus disp.sequenti sect.2.& 3. & dato quod esset verum, nihil infertur contra doctrinam præsentis disputationis.

11 Ad quartum respond. vt Synonyma non sit Verbum & Filius, satis est ea distinctio quasi partialium formalitatum, quam explicuimus sect.3. dicto 2.

DISPVTATIO LIX.

Sub qua ratione diuinum intelligere sit producere Verbum,ac dicere,vel distinguatur ab illis.

SECTIO I.

Vtrum Verbum diuinum producatur per notitiam notionalem, procedentem à notitia essentiali.

1 PRo hac & sequentibus disputationibus præmitto, maximam illarum difficultatem oriri non tam ex re ipsa, quàm ex æquiuocatione vocabulorum,quę nunc ad actionem, nunc ad terminum productum accommodantur ab eisdem authoribus,& nunc accipiuntur essentialiter, nunc verò notionaliter. Propterea præmoneo, quid apud nos valeant vocabula præsentis controuersiæ. Valent igitur idem hæ voces,intelligere, intellectio, notitia, sapientia. Rursus tanquam nomina propria Verbi,secundum rationem Verbi, plerique nobiléque theologi frequentant hæc nomina, verbum, conceptus, conceptio, intentio rei intellectæ, seu intentio intellecta,imago, & expressa similitudo rei intellectæ, ratio rerum intelligibilium, species concepta, in qua est similitudo dicentis. Vt videre est apud S.Thomam non solum in præsenti quæst.34.art.1. corp. & supra quæst.27. art. 1. corp. & quæst. 37. art.1.& 2. sed etiam 1.contra Gentes cap.53.& 4. contra Gentes cap. 11. & 12. & de potentia q. 9.

Quæ vocabula intellectionis essẽtialis, & quæ Verbi.

art.9.& de veritate quæst.4.a.1.& 2.& 1. sentent. dist.27. quæst.2. art.1. & 2.& 3. S.Bonauenturam eadem dist.27.par.2. art.1. quæst. 3. Vbi Scotus, Ricard. & alij Scholastici.

2 *Prima opinio multiplicans intellectiones.*

Circa quęstionem ergo propositam prima opinio distinguit in Patre duos actus intelligendi essentiales & communes tribus personis, sola ratione distinctos ab inuicem, & inter illos, videlicet, post primum & ante secundum constituit productionem Verbi. Primum actum essentialem intelligendi vocat simplicem intelligentiam de re intelligibili, vt secundum se est obiecta ante verbi formationem. Secundum actum essentialem vocat cogitatiuum, seu quasi cogitatiuum, quia versatur circa rem intelligibilem, prout obiecta est in verbo iam formato per actum dicendi notionalem, & procedentem à priori actu intelligendi, qui est simplex notitia. Idem autem, seruata proportione, docet de operatione voluntatis, per quam procedit Spiritus sanctus. Ita existimat Henricus de Gandauo in 2. par. summæ art. 54.quæst.9.& 10.fusiùs autem quodlib.6.quæst.1. prope med. cuius doctrinam refert, ac defendit Carthusianus in 1.dist.2.quæst.6.post med.

3 Ex parte consentiunt eidem opinioni doctores alij, ponentes in Deo duplex intelligere, aliud essentiale, aliud verò personale, similitérque duplex velle, vt Argentina 1. dist. 10. quæst. vnica art.2. post medium Marsilius in 1. quæst.14.art.2. post med. & sub dubio Ricardus 1. dist.22. art.1. quæst.3.§. *quantum ad* 2.

4 Ad suæ sententiæ declarationem & probationem Henricus comminiscitur multa, quæ laborẽ & confusionem nulla compensant vtilitate, propterea prætermittuntur. Impugnantur autem à Durando 1.dist.27. q.2. num.11. & sequentibus, Scoto 1.dist.2.p.2.q.4.quæ in ordine est 7.& dist. 27.q.1.& 2. Aureolo eadem dist.27.p.2. art.1.fine & art.2. & à doctis recentioribus.

5 *Primum argumentum.*

Ad prędictam opinionem probandam hæc potissimùm argumenta possent adduci. Primũ, quoniam Augustinus lib.15. de Trin.c.14. in med.ait: *Sciunt inuicem Pater & Filius, sed ille gignendo, iste nascendo*; vbi aduerbium, *inuicem*, denotat relationem vtriusque ad alterum, quam explicat apertius quod addit, *Gignendo, & nascendo*. Cum igitur aliis multis libris atq; capitibus Augustinus probauerit, sapientiam, siue scientiam Dei esse absolutam & essentialem, vt vidimus disp. præcedenti sect.5. consequens est, duplicem scientiam admittere, alteram essentialem, alteram notionalem.

6 *Secundũ argumentum.*

Secundum argumentũ, quia Verbum procedit per aliquam intellectionem, vt probatũ est disp.2. sect.2.& 3. Sed non procedit per intellectionem essentialem, quippe quę communis est tribus personis, quarum duabus repugnat ab illis procedere Verbum. Ergo Verbum procedit per intellectionem notionalẽ propriam solius Patris: ac subinde dabuntur duo distincti actus intelligendi.

7 *Vnicum tantùm intelligere & vnica notitia.*

Nihilominus sit prima conclusio. Non est in Deo duplex intelligere, seu duplex notitia, altera essentialis, altera notionalis; & multominus est duplex essentiale intelligere, sed vnicum tantummodo intelligere conuenit Deo, quo semel tantum intelligit omnia. Probatur primò, ipsa rei explicatione. Quamuis enim circa diuersas veritates obiectiuas versentur distinctæ notitiæ siue intellectiones, quomodo theologi distinguunt scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ: distingunt etiam, scientiam, prout terminatur ad Deum, & prout terminatur ad creaturas: insuper in eadem scientia, prout terminatur ad Deum, distinguere possumus plures quasi partes, infimo distinctionis genere, veluti scientiam, quatenus Deus intelligit se esse omnipotentem, & quatenus intelligit se esse immensum aut æternum, & quatenus intelligit se esse Trinum: tota hæc multiplicitas nihil obstat conclusioni præsenti; tota siquidem in cæteris omnibus attributis, seruata proportione, reperitur; veluti potentia creandi & gubernandi, potentia creandi res spirituales & corporeas, potentia producendi res naturales & supernaturales.

Illud igitur est proprium conclusionis præsentis, vt eadem obiectiua veritas, qualis est hæc, Ego Deus sum omnipotens, nó cognoscatur à Deo bis & duplici intellectione, seu repræsentatione duplici, sed vnica tantùm ac semel. Vnde propterea sequitur, adæquatam intellectionẽ, quæ comprehensiuè penetrat Deum, & omnia, quæ possunt in Deo cognosci, non esse duplicem, vt ponebat prima sententia, sed vnicam. Alioqui forent singuli actus imperfecti & inadæquati, si non comprehenderent totum obiectum formale verum omni modo cognoscibilitatis possibili. Quod si duo actus ita perfecti ponerétur, alter esset superfluus. Obiter tamen admoneo distinctiones diuinæ cognitionis, superius enumeratas, esse quasi materiales & inadęquatas, & partes vnius simplicis cognitionis. Ideóque ratione illarum non posse propriè concedi, quod in Deo sit multiplex intelligere, nec multiplex velle, aut posse. 8

Probatur secundò, nam vltra notitiam essentialem, si datur alia notitia peculiaris Verbo, vel Patri, quæ notionalis appelletur; consequens est, hanc peculiarẽ notitiam siue intellectionẽ simul esse relatiuam & non relatiuam, & simul esse cõmunem tribus personis & non communem, sed peculiarem vni personę. Sequela probatur, quia in Deo nihil est propriè relatiuum, nisi in ratione principij producentis, vel in ratione termini producti formaliter ac præcisè, vt sæpe diximus alibi. Sed quęcumque intellectio seu notitia secundum totum conceptum intellectionis & notitiæ nullo modo continet rationẽ principij producentis, nec rationẽ termini producti, sed plenè intelligitur ex eo solum, quod penetret totam obiecti cognoscibilitatem. Ergo quælibet intellectio Dei non erit relatiua. Quod si aliunde ponitur peculiaris vni personæ, debet esse relatiua. Ergo simul erit relatiua, & non relatiua, communis & non communis tribus personis. 9

Confirmatur primò, quoniam omne intelligere vel sapere est perfectio ad se & non ad alterum, vt loquitur Augustinus vbique, præsertim locis citatis disput. præced. sect.5. imò Patres omnes & Scholastici dicentes, Patrem & Filium esse eandem sapientiam & idem intelligere, supponunt, non esse aliam sapientiam neque aliud intelligere, quod non sit idem Patris & Filij. Loquuntur enim de toto intelligere, de totáque Sapientia. Confirmatur secundò, quia relatio, vt relatio, in diuinis non habet rationem operationis vitalis, sed solùm est terminus productus per operationem vitalem; at verò notitia siue intellectio propriè est operatio vitalis. 10

Probatur tertiò, quia si Verbum in sua ratione notionali haberet aliquam peculiarem intellectionem, quæ non esset communis Patri; per illam Pater constitueretur formaliter intelligens & sapiens sapientia genita. Cuius oppositum cum Augustino & aliis Patribus ostendemus disput. 74. sect.4. 11

sect.4.& 5. Probatur quartò, quia notitia essentialis sufficit Spiritui sancto, vt constituatur infinitè sapiens & comprehensiuè intelligens omnia. Ergo eadem notitia sufficiet Verbo & Patri, vt sit infinitè & cõprehensiuè sapiens, nec indigebit alia sapientia, sed tantum indigebit Pater ea relatione notionali, quæ propria est personæ habentis sapientiam à seipsa, & illam cæteris communicantis: & Verbum indigebit relatione personæ procedentis per sapientiam siue intellectionem, & illam immediatissimè recipiẽtis à Patre. Probatur quintò, quoniam vna sola notitia vel intellectio essentialis, addita quadam notionali ratione productionis, est productio Verbi; & addita quadam ratione termini producti, est Verbum, vt explicabitur conclus.3. & infra sect.5. Vlterior autem intellectio vel notitia redundaret in Deo prorsus inutiliter.

12 *Secunda conclusio.*

Sed quia nonnulli theologi duos intelligendi actus distinguunt per modũ includẽtis & inclusi, nimirum vt intelligere essentiale includatur in notionali, non autem è conuerso. Sic enim essentiale intelligere ponitur esse cõmune tribus personis, non verò intelligere notionale: Ad excludendam falsitatem, quæ sub hoc prætextu potest obrepere, Sit secunda conclusio. Non est possibile notionale intelligere, quod sub ratione propria intellectionis sit notionale seu personale, nec est possibile super essentiale intelligere adiungi aliquid formaliter pertinens ad rationem intellectionis, & intra illam quasi contrahens; quemadmodum in creaturis practicum & speculatiuum limitantes differentiæ sunt, distinguẽtes scientiam in ratione scientiæ.

13 *Tertia conclusio.*

Probatur eisdem rationibus, quibus præcedens conclusio, applicatis ad præsentem, quoniam est essentialis, absoluta communisque tribus personis intellectio infinita, comprehensiua cuiusque cognoscibilitatis & perfectissima: vltra quam superfluè, consequentérque fictitiè ponitur quodlibet additamentum, limitans, aut contrahens, aut perficiens intra propriã rationem intellectionis. Insuper quodcumque additamẽtum notionale, si est intra rationem intellectionis, eo ipso debitum erit essentiæ, cunctisque personis, & consequenter simul erit notionale & non erit notionale, commune & non commune. Tertiò. Illa perfectio in ratione intelligendi deficeret Spiritui sancto, quoniam est propria Patris aut Filij. Quapropter Spiritus sanctus nó esset perfectè intelligens.

14 Quartò probatur, quia licet diuinæ relationes determinent, ac veluti modificent essentiã absolutam, vt sit talis persona, Verbi gratia Filius, nihilominus nihil addunt essentiale & absolutum ratione cuius dicatur esse duplex essentia, alia essentialis & absoluta, alia verò notionalis. Eodem autem modo se habent relationes ad omnia essentialia attributa. Ergo relationes nihil addunt propriè pertinens ad lineam & rationem illorum attributorum: ac subinde relatio Patris, vel relatio Filij, & quidquid notionale continetur in illis, nihil addit formaliter pertinens ad rationem intellectionis, & intra illam quasi contrahens. Confirmatur, quia relatio sub ratione relationis super intellectionem essentialem nec potest addere tendentiam ad aliud obiectum, nec perficit tendentiam intellectionis essentialis, quoniam summè perfecta est.

15 *Tertia conclusio.*

Tertia conclusio. Diuinum intelligere idem, quod est essentiale, recipit in se additionẽ alicuius conditionis notionalis, seu relatiuæ, quæ nullo modo requiritur ad perficiendam intellectionem in ipsa formali ratione intellectionis, perfectissimè comprehendẽtis obiectum: veruntamen per se requiritur, vt intellectio habeat rationem productionis vel termini producti, ac proinde intelligere sit dicere, & intellectio sit etiam Verbum propter superadditam illam conditionem. Hæc ita esse, constabit magis sect.4.& disp. sequenti.

Quod ad præsens attinet est, hanc additionem non sufficere, vt, propriè loquẽdo, verificetur esse duplex intelligere, alterum essentiale, & alterum notionale. Quia licet Deitas considerari possit nó solùm præcisa secundum se, verum etiam prout, addita Paternitate determinatur ad personam Patris, vel addita generatione passiua, seu Filiatione, determinatur ad personã Filij: nihilominus concedi non potest in Patre duplicem esse Deitatem, alteram essentialem, & alterã notionalem, nec in Filio, nec in Spiritu sancto. Cuius ratio est, quoniã illi modi relatiui non pertinẽt ad Diuinitatem vt sic, & in ratione essẽtiali Diuinitatis, sed pertinẽt ad constituendas personas Deitatis. Similiter ergo non poterit propriè concedi duplex intellectio, altera essentialis, & altera notionalis: quoniam modi relatiui superadditi supra intellectionem essentialem, non pertinent ad illam, vt est intellectio penetratiua, & comprehensiua obiecti, sed sub ea tãtum ratione, qua est productio Verbi, vel potentia productiua, vt in sequẽtibus dicetur. 16

Confirmatur ex cõmuni modo loquendi theologorum, apud quos, licet *amare* non modo essentialiter, sed etiam notionaliter multoties vsurpetur, nihilominus *sapere*, aut *intelligere*, non sumitur notionaliter, sed tantùm essentialiter, vt docuit S.Thom. infra quæst.37. art.1. corpore, clariùs autem art.2.ad 1. 17

Ad argumenta in contrarium adducta respond. Ad primum. Augustinus non asserit scientiã Dei relatiuam, sed asserit, non solum in essentia, sed etiam in persona Patris & in persona Filij, tanquã in obiecto formali, Patrem ipsum, atque Filium scire quamlibet veritatem cuiuslibet rei, quæ non est Deus: quoniam Pater in se continet eminenter omnia, per virtutẽ dicendi & imperandi, vt fiant; & Verbum est de his omnibus, quæ continentur eminẽter in Patre. Hæc mens Augustini manifestè liquet ex superiori contextu, cuius aliqua verba referemus sect.3.ad 1. Quęcumque igitur relationem sonant in verbis adductis in argumento, debent intelligi, non ex parte scientiæ, sed ex parte obiecti formalis, ad quod scientia terminatur. 18

Ad secundum negatur Minor. Procedit enim Verbum per intellectionem essentialem eandem, quæ tribus personis est communis; licet non per illam ita nudam & præcisam, vt est communis; sed addito modo notionali, quem diximus conclus.3. Quemadmodum idem Deus, qui tribus personis est communis, & de singulis seorsum prædicatur, est principium generatiuum Filij, licet *non ita* præcisus, vt est communis: sed addita relatione, qua constituitur in esse Patris. 19

SECTIO II.

Vtrum Verbum producatur per intellectionem, quatenus perfectè comprehendit & intuetur obiectum prius ratione, quàm producatur Verbum.

1 *Prima sententia.*

NEgatiuam sententiam plerique Thomistarũ sequuntur, existimantes, operationem intelligendi

ligendi prius ratione terminati ad producendum Verbum diuinum: Posterius autem in Verbo repræsentari & cognosci Deitatem & creaturas: quę omnia obiecta non potuissent intelligi & videri, nisi in Verbo iam producto repræsentarętur. Iuxta quam sententiam quodcumq; Verbum esse debet obiectum prius intellectum, vt in illo cognito cognoscantur cætera obiecta. Ita prior opinatus est Henricus locis citatis in sect. præcedenti sub init. Capreolus 1. dist. 2. 7. quæst 2. a. 1. conc. 1. & art. 3. init. Ferrariensis 1. contra Gentes cap. 53. colum. 2. §. *ad euidentiam* & 4. contra Gentes cap. 13. post solutionem primi dubij occurrentis. Torres 1. p. quæst. 27. art. 1. disp. 3. prope fin. & disput. 5. part. 1. Bañez in prędicti quæst. 34. art. 3. fine. Zumel dicta quæst. 27. a. 1. tertia q. circa illum, longè post med. & in fine limitare videtur necessitatem Verbi ad cognoscendum obiectum extrinsecum. Eorum argumenta commodiùs afferentur, quando soluenda fuerint sect. sequenti.

2 *Refutatur.* Hanc doctrinam solidis rationibus expugnant Durandus 1. dist. 27. quæst. 2. num. 19. & sequentibus, Aureolus 1. dist. 9. p. 1. art. 1. propos. 3. & dist. 27. p. 2. art. 2. à princ. imo etiam Caietanus supra quæst. 27. art. 1. refutat eam sententiam, licet eius obscuritas fuerit occasio, vt ab aliquibus referatur pro illa: expugnat etiam Molina 1. p. q. 27. a. 1. disp. 8. mem. 3. Valentia 1. p. q. 7. de Trinit. art. 3. prope fin. Fonseca tom. 3. metaphys. lib. 7. cap. 8. quæst. 3. sect. 1. & 5. ad aliqua argumenta, Conimbricenses lib. 3. de anima cap. 8. quæst. 3. art. 2.

3 *Prima conclusio.* Sit ergo prima conclusio. Diuina intellectio perfectè penetrat, intuetur, & cõprehendit Deum & omnes creaturas, & est perfecta noritia & repræsentatio cunctorum obiectorum in essentiali ratione intellectionis; & in hac linea, secundum quam à Verbo distinguitur, habet totaliter plenam suam perfectionem prius ratione, quàm per eandem intellectionem producatur Verbum, & independenter ab eo, quod Verbum iam supponatur productum, & prius cognitum, vt in eo intelligãtur omnia obiecta. Vnde sequitur, Verbum produci per intellectionem, quatenus perfectè comprehendit, & intuetur obiectum prius ratione, quàm Verbum sit productum.

Cõprehẽsiua cognitio prior ratione, quã productio Verbi.

4 Probatur primò, ex communi sententia Patrum & Scholasticorũ, quos retulimus disp. 2. sect. 2. & 3. & disp. 6. quatuor prioribus sect. & disp. 7. sect. 2. & præcedenti disp. 58. sect. 1. conc. 1. & 2. Apud quos omnes indubitatum est, Verbum seu Filium Dei produci per intellectionẽ, qua Pater seipsum perfectè intelligendo producit perfectam imaginem sui. Ergo prius ratione, quàm Verbum existat in facto esse productum, intellectio habet plenam & perfectam quiditatem intellectionis. Consequentia probatur, nam siue intellectio consideretur vt principium *quo* generationis ad modũ potentiæ, siue consideretur ad modum actionis tanquam actualis productio; vtroque modo fuerit prius ratione, quàm terminus productus: quemadmodum prius ratione, quàm sit calor in facto esse productus, intelligitur calefactio, sicut via & motus est prior, quàm terminus in esse quietò: denique generationem actiuam & passiuam esse priorem Filio, *videbimus disp. 91. sect. 1. & 2.* & disp. 106. sect. 2.

5 *Solutio.* Respondet Torres quæst. 27. art. 1. dicta disp. 5. p. 1. circa med. §. *quibus*, concedẽdo, Verbũ produci per rem, quæ est actus intelligendi, sed non formaliter per actum intelligendi, quatenus actus intelligendi est; quia Verbum producitur per actionem intellectus, vt est dicere, non autem vt est intelligere.

6 *Refutatur.* Hæc tamen solutio refutatur primò, quia contradictionẽ inuoluit imprimis in ipso *dicere*. Non enim est dicere, nisi cognitionem, siue intellectionem includat præsertim apud personam, quæ non loquitur temere vel ignoranter priùs, quàm sciat, sed sciens & prudens loquitur ac dicit, quæcumque dicit. Confirmatur, quia productio Verbi non propter aliam rationem est dicere, nisi quia per intellectionem, qua ratione intellectio est, producitur in facto esse intentionalis imago obiecti, quod intelligitur.

7 Secunda implicatio est, esse actionẽ propriam intellectus, & non esse intellectionem, saltem includendo quiditatiuè totam rationem intellectionis, & addendo notionalem rationem productionis realis.

8 Refutatur tertiò, quia violenter hæc solutio detorquet doctrinam cõmunem Patrum & Scholasticorum ad sensum improprium & materialem. Concedit enim, Verbum non produci per intellectionem, quatenus est intellectio, sed per rem, quę est actus intelligẽdi. Quod etiam dicere potuisset de Spiritu sancto; procedit enim per rem, quæ est actus intelligendi. Confirmatur primò, nam S. Thomas satis apertè declarat se loqui formaliter, quando supra q. 27. art. 1. corpore dicit: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & eius notitia procedens, & dicitur verbum cordis.* Eodẽ modo loquitur aliis in locis.

9 Confirmatur secundò, nam si vera fuisset hæc solutio, contrario modo debuissent loqui Patres & Scholastici, dicẽdo, Verbum procedere ad hoc, vt Pater intelligat, & intellectionem procedere per Verbum, non verò Verbum per intellectionẽ. Confirmatur tertiò, nam plerique theologi referendi disp. 61. sect. 1. & 2. & disp. 63. sect. 1. dicunt, Verbum procedere per cognitionem intuitiuam Dei & abstractiuam creaturarum possibilium. At verò differentiæ abstractiuæ & intuitiuæ intellectionis conuenire non possunt productioni præcisè, prout productio est, prius ratione, quàm peruenerit ad rationem intellectionis.

10 Refutatur quartò, nam vel illa productio, per quam procedit Verbũ, est quiditatiuè intellectio, tendens in obiectum verum, vt verum, vel non est intellectio huiusmodi. Si est intellectio; sequitur ex sententia, quam impugnamus, esse concedendas duas intellectiones, alterã magis simplicem ante Verbum, alteram perfectam post Verbum, vt dicebat Henricus in sect. præcedenti refutatus. Atque in hoc vincitur Henricus à prædictis Thomistis, quoniam minus consequẽnter loquuntur, & expresse contra mentem S. Thomæ, quam putant se defendere. Nam de potentia q. 9. art. 9. corp. circa med. *Non est*, inquit, *in Deo, nisi vnum simplex intelligere, & vnum simplex velle, quia intelligendo essentiam suam, intelligit omnia, & volendo bonitatem suã, vult omnia quæ vult. Non est ergo nisi vnum Verbum, & vnus amor in diuinis.* Vnde si post Verbũ semel productũ, esset alia intellectio perfectior, vt magis expressa; per illam produceretur aliud Verbum, distinctum à priori & perfectius illo. Si verò productio per quam procedit Verbum, non est quiditatiuè intellectio, tendens in obiectum verum, vt verũ; sequitur esse aliquid merè notionale, non includẽs vllam operationem essentialem, & illud esse prius ratione, quàm essentialem intellectionẽ.

11 Vnde consurgit secũda probatio conclusionis, quia

quia tota ratio intellectionis, quatenus perfectè intuetur & comprehendit Deum & creaturas, est essentialis & absoluta, nullam relationẽ includẽs. Ergo tota ratio perfectæ intellectionis esse debet ratione prior, quàm Verbum, ac proinde non potest supponere Verbum productum, vt in illo cognito, cognoscat cætera obiecta. Antecedens constat ex dictis sect. præcedenti, quoniã in Deo nulla relatio est, nisi principij producentis, vel termini producti. At verò intellectio secundum totam rationem intellectionis, intuentis perfectè & comprehendentis Deum & creaturas, neque dicit productionem nec principium producens, nec terminum productum, sed ab his omnibus abstrahit.

12 *Essentia prior relationibus.* Consequentia verò probatur, quia tota Deitas à relationibus pręcisa, est secundũ rationem prior, quàm relationes, tanquam illarum fons & origo secundum rationem, & tanquam substantia, quæ relationibus tanquam modis afficitur, ac distinguitur in persona. Sed quidquid est essentiale & absolutum, includitur essentialiter in Deitate, vt à relationibus præscinditur: ergo quidquid est essentiale & absolutum, est prius, quàm relatio Verbi. Confirmatur, quia totam Deitatem Pater communicat Verbo per generationẽ. Ergo prius ratione, quàm generetur Verbum, possidet Pater integram Deitatem, præsertim cum illa sit principium *quo* generationis.

13 Hinc rursus probatur tertiò, quia Pater intellectionem communicat Filio generando illum, & non accipit intellectionẽ ab illo. At non communicaret, sed potius acciperet intellectionẽ, si supponeret Verbum productum, vt in illo priùs cognito cognosceret seipsum & omnia obiecta. Confirmatur ea ratione, quam S. Thom. 1. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 4. tradit his verbis: *Nullo modo est concedendum, quod Pater intelligat à Filio, vel intelligat in Filio sicut in obiecto vel specie, quæ cognoscitur: quia hoc poneret, Filium habere aliquam rationem principij ad Patrem.* Concedit autem, quod Pater postquam seipsum & creaturas in seipso cognoscit, eadem omnia cognoscit in Filio tanquam in imagine cognita. Itaque in hoc insistit S. Thomas, quod ad intelligendum se & creaturas, Pater non indigeat Verbo tanquam obiecto priùs intellecto, nec tanquam specie.

14 Probatur quartò, quoniam obiectum formale diuinæ intellectionis est diuina essentia, inquantum est infinita veritas. Hoc autem est proprium obiecti formalis, vt illud propter seipsum cognoscatur, & non propter aliud obiectũ prius cognitum: sed omnia obiecta materialia cognoscantur propter obiectum formale priùs cognitum: vt fusiùs declarauimus tractantes de scientia Dei circa quæst. 14. S. Thomæ art. 2. Consequens igitur est, vt prima sententia confundat munera formalis obiecti cum Verbo, & essentiam diuinam spoliet munere obiecti formalis, faciátq; materiale obiectum, quod non possit intelligi, nisi ratione Verbi prius intellecti, & Verbum compellat subire munus obiecti formalis, antequam sit conceptum per intellectionem perfectam: ac proinde faciat Verbum non esse Verbum, & nihil esse.

15 *Fictitia necessitas ponẽdi verbum ad supplendam præsentiam obiecti.* Probatur quintò, quoniam in Deo non est ea necessitas ponendi Verbum productum ante intellectionem, quam inuenerunt contrariæ sententiæ doctores. Illi namque dicunt, requiri Verbum ad supplendam præsentiã obiecti. Quam ob causam à sensibus externis, existimant, nihil produci, quod Verbo correspondeat, quoniam externi sensus nihil cognoscunt, nisi præsens. Cum igitur æternus Pater sit præsentissimus sibi, vt seipsum intelligat, nõ indigebit Verbo ad eum finem, vt in Verbo seipsum intueatur præsentẽ, quasi non potuerit in seipso seipsum intueri. Quin potius ex eo, quod Deus est actus purissimus, nihil habens admixtũ potentialitatis; sequitur, quod *intelligere Dei sit suum esse*, & *seipsum per seipsum intelligit*, vt demonstrat S. Thom. supra quæst. 14. art. 2.

16 Sed occurit Ferrariensis lib. 1. contra Gentes cap. 53. prope med. dicens, quantũcumque res aliqua sit secundum se actu intellectilis, & per speciẽ suam sit intellectui vnita; si non sit actu præsens in esse obiectiuo, & terminatiuo cognitionis, nõ intelligetur. Quæ verba, vt iacent, verissima sunt, quoniam idem valent ac dicere, non intelligetur res, nisi intelligatur. Cæterum iuxta mentem authoris intellecta sunt falsa, requirit enim, vt prius quàm res intelligatur, sit præsens in esse obiectiuo & terminatiuo. Vnde sequitur rem esse debere intellectam prius, vt postea posset intelligi, quod implicat contradictionem.

Verba vera, mens falsa.

17 *Nec ad obiectum extrinsecum est illa necessitas.* Aliter respondet Zumel 1. p. q. 27. art. 1. suæ q. 2. fine, prædictam necessitatem limitando ad intelligendum obiectum extrinsecum. Quæ necessitas in Deo nulla ratione potest habere locum, primò quoniam Pater Verbum producit per cognitionẽ obiecti intrinseci, & postquam ad illam non fuit prærequisitum Verbum, non est danda secunda intellectio essentialis, quæ supponat, Verbum esse productum & cognitum, vt in illo cognoscantur creaturæ.

18 Secundò, quoniam impossibile est, Patrem seipsum intelligere cõprehensiuè, nisi comprehendat suam omnipotentiam, qua intellecta, creaturæ omnes intelliguntur, vt possibiles: vnde iam erunt intellecta extrinseca obiecta priùs ratione, quàm producatur Verbum. Tertiò refutatur, quia si postquam Pater, seipsum intelligendo, producit Verbum, posterius ratione creaturas intelligeret; sequeretur, aut creaturas esse obiectum formale, cognitum ratione sui, aut cognosci ratione Deitatis cognitæ in eadem cognitione, quoniam cuiusq; materialis obiecti cognitio essentialiter includit cognitionem obiecti formalis. Vnde præterea sequeretur, non semel tantum, sed bis intelligere Deum seipsum, & ante productionem Verbi & post illius productionem. Quod esse impossibile probatum est sect. præcedenti, & docuit S. Thomas citatus ante probationem secundam.

19 Probatur sextò, authoritate Sholasticorum. S. Thomas 1. dist. 27. cuius verba retulimus probat. 3. satis expressit præsentem veritatem, & supra quæst. 27. art. 1. cuius verba ponderaui post probationem primam. Nec contradicit aliis in locis, vt constabit sect. sequenti. Antiquiores Scholastici dicũt intelligere Dei esse prius ratione, quàm Verbum. Quod magis ex professo probat S. Bonauentura 1. dist. 27. parte 2. art. 1. quæst. 3. atque idem docet Alexander 1. par. quæst. 62. memb. 1. art. 2. & Albertus 1. par. quæst. 35. mem. 3. art. 2. prope finem. Idem apertè colligitur ex Scoto 1. dist. 3. quæst. 6. dum respondet ad argumenta, & dist. 27. §. *ideo istis*, Carthus. eadem dist. 27. quæst. 3. præcipuè longè post medium, præter Durandum, Aurcolum, Caietanum & alios, quos sub init. sectionis præsentis retuli, magis directè refutare priorem illam sententiam.

20 *Nos directè intelligimus obiecta, nõ cognito verbo.* Septimò probatur, quia nostra etiá intellectio directè fertur in obiecta independenter ab hoc, quod prius cognoscamus Verbum, & in illo res alias intueamur, vt ostẽdemus sect. sequenti. Ergo à fortiori

à fortiori Deus seipsum directè & immediatè poterit intueri priùs ratione, quàm producat Verbum, nec indigebit Verbo, vt in illo seipsum intueatur. Quamuis è contrario, licet intellectio nostra indigeret creato verbo, in quo prius intellecto, cæteras res intelligeret; non posset inferri necessitas illa in Deo propter rationes superius allatas.

21 *Secúda conclusio.* Ex his omnibus probationibus infertur, & sit secunda cõclusio. Diuinum Verbum procedit per intellectionem, non vt est tantummodo simplex apprehensio, sed vt est vltimum perfectissimúmq; iudicium, & prout est repræsentatiua obiecti, tanquam ipsa visio rei præsentis, non tanquam imago realiter producta, realitérque distincta ab exẽplari, hæc enim repræsentatio est propria Verbi. Sic ergo distinguenda sunt repræsentationis vocabula, quoties viderimus, ea nunc tribui Verbo, nunc verò intellectioni. Consonat Arist. lib. 3. de anima cap. 6. & 7. tex. 26. & sequentibus, vbi simplicem apprehẽtionem, licet dicat esse intellectionem siue cognitionem; attamen *dictionem*, siue *dicere*, reseruat iudicio affirmanti vel neganti vnum de alio. At dicere est producere Verbum, vt sequenti disp. constabit.

SECTIO III.

Nec verbum creatum est obiectiua ratio propter quam priùs cognitam, intelligatur alia res, cuius est verbum.

1 QVod intellectio nostra directè feratur in obiecta, indepẽdenter ab hoc, quod priùs cognoscamus verbum nostrum, vt in eo tanquam in imagine contemplemur obiecta, quæ repræsentat; probatur primò, quoniam experimur, nos intelligere leonem, aut equum prius tempore, quàm intelligamus nos habere verbum leonis aut equi vel intellectionem illorum. Quam experientiam in seipsis obseruarunt viri sapientissimi. Nec respondere licet, hoc experimẽtum esse fallax, quoniam vt sapienter argumentatur Durand. dist. 27. quæst. 2. num. 19. obiectum, cognitum per intellectionem, non potest latere cognoscentem, quin ipse possit supra se reflectendo, deprehendere se cognoscere tale obiectum, atque id certò & euidenter animaduertere.

2 Confirmatur primò, nam illud, quod primò & intuitiuè cognoscitur, tanquam ratio cognoscendi aliud, cognoscitur euidentius & certius, quàm illud aliud, quod abstractiuè cognoscitur. Sed iuxta sententiam, quam impugnamus, verbum primò & intuitiuè cognoscitur tanquam ratio cognoscendi aliud obiectum. Ergo euidentiùs & certiùs cognoscitur: & consequenter magis certum & exploratum erit cognoscenti, quod verbum cognoscat, quàm quod aliam rem cognoscat. Consequens autem quantum à veritate distat, experientia compertum est: euidenter enim & certò deprehendimus nos cognoscere leonem, aut equum, aut aliud obiectum exterius, quando nihil omnino cognoscimus de nostro verbo. Confirmatur secundò, quia neque vt qualitatem, nec vt imaginem, nec vt verbum, nec alio modo intelligunt suum verbum vllo tempore homines expertes philosophiæ, licet alioqui perspicaces ad multas veritates intelligendas.

3 Probatur secundò, nam intellectus noster aliquod obiectum, extra seipsum existens, potest cognoscere in seipso, hoc est nõ in alio obiecto priùs cognito, veluti calorem aut frigus, aut colorem, aut dolorem, aut aliam rem facillimæ intellectionis. Ergo rem illam cognoscit non cognito priùs verbo. Consequentia probatur, quia si cognosceretur in verbo cognito tanquam in ratione cognoscendi, nulla res in seipsa cognosceretur, sed in alio obiecto formali priùs cognito. Confirmatur, quia saltem Angelus propter suam perfectionem poterit seipsum, aut inferiores Angelos in seipsis cognoscere, non cognoscendo illos propter aliud obiectum prius à se intellectum.

4 Tertiò, quoniam intellectus noster, nec se, nec suos actus, aut habitus, aut qualitates intelligere potest intellectione directa, sed tantum intellectione reflectente supra ipsum intellectum. Sed verbum est aliqua qualitas nostri intellectus. Ergo verbum non potest à nobis intellectione directa cognosci, sed tantùm reflexa. Porro reflexa cognitio supponit aliam priorem cognitionem, ideóque verbum nõ potest esse primò cognitum, & ratio cognoscendi cætera. Confirmatur, nam intuitiua cognitio nostra non intelligit operationes, nec alia accidentia, quasi separata à subiecto; sed cognoscit concretum operans, aut affectum tali accidenti. Quo circa si quilibet homo quacúque intellectione prius intelligeret verbum suum; sequeretur, quod quilibet homo suum intellectum, aut suam animam semper intelligeret quasi producentem verbum, & affectam illo accidente. Hoc autem esse falsum, constat in barbaris ignorantibus animam rationalem & eius potentias; nihilominus autem intelligentibus aliquas veritates crassiores.

5 Quartò, quia sicut verbum ponitur, vt terminus productus per intellectionẽ, respondens Verbo diuino: sic etiam ponitur amor in facto esse in ratione talis qualitatis, productus per operationẽ amandi, correspondens Spiritui sancto. Sed hic terminus dilectionis non debet prius amari, tanquam obiectiua ratio diligendi cætera. Ergo nec ille terminus intellectionis debet priùs intelligi, tanquam obiectiua ratio intelligendi cætera. Minor probatur, quia nunquam Deum propter seipsum vero charitatis amore diligeremus, si prius amaremus amorem nostrum tanquam rationem diligendi, nec vlla foret virtus theologica, quoniam obiectum formale cuiuscumque foret creatus noster amor.

6 Quintò probatur, quoniam esse rationem obiectiuam, propter quam priùs intellectam, intelligatur aliud obiectum, est munus obiecti formalis, quod longè diuersum est à munere verbi, vt dicebamus sect. præced. prob. 4. Sextò, quoniam Angelo cuilibet præsentissima est sua substantia, vt illam seipsa cognoscat. Ergo saltem ad illam Angelus non indigebit verbo. Consequentia probatur propter rationem ponderatam sect. præcedenti probat. 5. circa diuinum Verbum. Plures rationes multiplicat Aureolus 1. dist. 9. p. 1. art. 1. propos. 3. quas duxi prętermittendas, quia diligentius eas examinare opus erat.

7 *Primum argumentum.* Superest ergo satisfacere argumentis contrarię sententiæ, ex quibus plura nituntur authoritati S. Thomæ. Primum, quia diuinũ Verbum est forma exẽplaris, in qua Pater intuetur seipsum & creaturas, comparatione quarum Verbum se habet vt forma domus existens in mente architecti. Sic enim scribit S. Thomas supra q. 3. art. 8. ad 2. & fusiùs explicat 4. contra Gentes cap. 13. post med.

8 *Solnitur.* Respond. ex hac doctrina non colligi, Patrem intelligere in Verbo, sicut in obiecto cognito, vel specie

specie prius cognita. Solummodo namque colligitur, quod sicut ego possum videre Petrum in seipso, & simul eundem videre in sua imagine: sic Pater videt seipsum in seipso & omnes creaturas in propria Patris essentia: simúlque tam seipsum, quàm creaturas videt in Verbo genito, quatenus videt, Verbum esse imaginem perfectissimam Patris, & ea ratione repræsentare omnia, quæ in Patre, siue formaliter, siue eminenter continentur. Hæc apertè docuit S. Thomas 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 4. Cui consonat Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. dicens: *Nouit omnia Deus Pater in seipso, nouit & in Filio. Sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de omnibus, quæ sunt in seipso.* Quibus similia continuò subiungit de Filio. Recipiuntur autem à Magistro & communiter Scholasticis 1. dist. 39. cap. 1. Quomodo verò diuinum Verbum sit exemplaris forma creaturarum, explicabitur magis disp. 62. & 63.

9 *Secundũ argumentum. Soluitur.* Secundum argumentum accipiunt ex D. Thoma 1. dist. 7. q. 1. art. 3. ad 4. Veruntamen ibi nihil amplius dicit ad rem præsentem, nisi relationem rationis, quam Deus ratione creationis accipit comparatione creaturarum, esse tempore posteriorem, quàm Verbum æternum.

10 *Tertium argumentum.* Tertium argum. quia S. Thomas de veritate q. 4. art. 1. in fine corporis dicit, Verbum esse id, quod actu consideratur per intellectum. Insuper intentionem intellectam esse Verbum, dicit 1. contra gentes cap. 53. post med. & 4. contra gentes cap. 11. post med. & de potentia quæst. 9. art. 5. Respond. Ipse doctor Angelicus locis adductis sect. præcedenti post primam probationem, & probat. 3. satis apertè docuit, Verbum non esse obiectum per se requisitum, vt in eo cognito, Deus cognoscat alia. Vnde consequens est, prædictas locutiones intelligendas esse iuxta phrasim Aristotelis lib. 3. de anima cap. 4. & 7. & 8. præsertim text. 15. & 36. & 38. quem imitatur S. Thomas 1. p. q. 80. art. 2. & sequentibus, & alibi sæpe, apud quos anima & illius intellectus est in potentia, vt sit omnia, quando non intelligit; sed quando intelligit, est actu id, quod intelligit, per expressam illius similitudinem. Sic ergo in prædictis locis S. Thomas verbum appellat nunc intentionem rei intellectæ, nunc verò vocat intentionem intellectam, quemadmodum imaginem Crucifixi multoties appellamus Crucifixum.

Soluitur.

Non aliam rem intelligo, quàm ipsam, quæ fuit, aut erit, &c.

11 *Quartum argumentum. Soluitur.* Quartum argum. quoniam ea potissimùm ratione putant esse necessarium verbum, vt propter illud prius intellectum, intelligatur obiectum. Respond. Hoc fundamentum esse falsum satis probatum est in hac & præcedenti sect. Nunc verò necessitas Verbi non est alia, quàm vt detur intrinsecus terminus quasi in facto esse locutionis intellectualis. Quælibet enim productio terminatur ad aliquem terminum productum.

12 *Quintum argumentum. Soluitur.* Quintum argumentum, quoniam experientia compertum est, inquiunt, quando contemplamur rem aliquam, maximè verò absentem, esse intus in anima obiectum eam repræsentans, in quo tanquam in imagine ipsam intuemur. Respond. experientiam esse contrariam, vt ostendimus probat. 1. Quando enim tempore hyemis intelligo rosam, intelligo eandem ipsam rosam, quam tempore veris præsentem agnoui, nec intelligo aliquam imaginem illius.

13 Sic Augustinus tract. 18. in Ioann. propius ad med. quàm ad finem: *Easdem*, inquit, *literas facit & cor & manus. Nunquid alias cor, alias manus? Nam aliud est cor, aliud manus. Easdem quidem facit manus, sed non similiter. Cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, inuisibiliter: manus autem visibiliter.* Ergo res eadem, quæ futura est, & nunc non existit, nunc cognoscitur per intellectum, quando cogitat de illa facienda.

14 Anselmus in monol. cap. 31. post med. probat: *Cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in ipsa cogitatione: imo ipsam cogitationem sui esse imaginem, ad sui similitudinem tanquam ex eius impressione formatam.* Perpende, ipsam cogitationem, hoc est, intellectionem humanam esse imaginem formatam, quam postea dicit esse verbum, quoniam sunt idem realiter verbum & intellectio. Atque eodẽ modo ratiocinatur, quando cogitamus res externas & absentes. Rursus cap. 33. ante med. *Opus*, inquit, *quod fit secundum aliquam artem, non solum quando fit, verum & antequam fiat, & postquam dissoluitur, semper est in ipsa arte non aliud, quàm quod est ars ipsa.* Foret autem aliud, quàm quod est ars ipsa, si foret aliqua imago obiectiuè intellecta. Nam ars est intellectio, & non est res intellecta: contra verò imago illa, seu verbum contrariæ sententiæ, est obiectum intellectum, & non est intellectio, siue ars ipsa.

15 Hæc sunt ex naturali metaphysica deprompta; nam vt scribit Philosophus 7. metaphys. textu 28. aliàs 23. *Sanitas, quæ est in anima, est causa sanitatis, quæ fit per artem.* Plura contrariæ opinionis argumenta prætermitto, quia promptam expeditámque solutionem ex dictis accipiunt.

SECTIO IV.

Vtrum diuinum dicere sit intelligere.

1 *Negatiua sententia.* NEgare videntur imprimis, qui ponunt duplex intelligere essentiale, atq; inter vtrumque, dicunt, mediam interiacere productionem Verbi, quæ est *dicere*, vt Henricus & Carthus. cui fauent Argentina, Marsilius & Ricardus citati sect. 1. opinione 1. Secundò videtur etiam Scotus negare in 1. distinct. 2. quæst. 4. quæ est 7. in ordine post §. *obijcitur contra.* dum respondet ad secundum dubium. Nam actum notionalem, qui est dicere, ita distinguit ab actu essentiali, qui est intelligere, vt dicere non sit intelligere, sed tantum sit producere verbum, in hac productione non includendo intellectionem. Citatur etiam pro eadem doctrina Scotus in sequenti distinct. 3. quæst. 6. vbi licet faueat præsertim versus finem, nihil tamen expressum reperio, & multo minus in quodlibeto 4.

2 *Prima ratio dubitandi.* Tres esse poterunt præcipuè rationes dubitandi. Prima, quoniam actio productiua Verbi non est intellectio, sed dicere est actio productiua Verbi. Ergo dicere non est intellectio. Maior probatur, quia principium, *vt quo*, productiuum non est actio productiua (distinguuntur enim, sicut causa efficiens distinguitur ab actione) sed intellectio est principium, *vt quo*, productiuum Verbi. Ergo intellectio non est actio productiua Verbi. Secunda ratio dubitandi est, quoniam dicere est formaliter agere, & dictio est actio. Sed intelligere non est formaliter agere, nec intellectio est actio. Ergo dicere non est intelligere, nec dictio est intellectio. *Secunda ratio dubitandi.*

3 *Tertia ratio dubitandi.* Tertia, quoniam Augustinus planè distinguit inter dicere & intelligere, notans, idem esse in Deo nosse, vel scire quod esse, ideóque conuenire tribus personis: nihilominus soli Patri reseruat vt proprium, *quod tanquam seipsum dicens, genuit*

Verbum. Ita Augustinus variis in locis, præsertim lib.7.de Trinit.cap.1. & lib.15. de Trinit. cap.14. quorum verba referemus disput.sequenti,& apud Augustin. tom. 9. liber de cognitione veræ vitæ cap.14. Sic etiam Anselmus in monol. cap.32. & 35. sumit *dicere*, prout est proprium personæ producentis Verbum suum, *intelligere* autem accipit, vt est commune.

4 Dicere *essentialiter acceptum est idem quod intelligere.*

Communis scholasticorum, & vera resolutio distinguit & ait: *Dicere*, si sumatur essentialiter, vt est commune tribus personis, idem est, quod intelligere. Cæterum *dicere* notionaliter acceptum, vt est proprium Patris, non est idem quod intelligere, quamuis includat essentialiter intelligere, & verum sit affirmare, quod dicere est intelligere, sicut est verum affirmare, quod Verbum est sapientia, quamuis Verbum non sit idem, quod sapientia. Ita existimant omnes scholastici locis citandis disputat.sequenti sect.1. Porrò quantum ad eam acceptionem, iuxta quam non est idem dicere & intelligere, satis probata manet resolutio supradictis rationibus dubitandi & testimoniis Augustini & Anselmi.

5 Supereſt ergo pars altera, iuxta quam dicere & intelligere sunt idem, quæ probatur primò ex Anselmo in monol.cap.28.post med.vbi *Hæc*, inquit, *ipsa locutio nihil aliud potest intelligi, quàm eiusdem Spiritus intelligentia, qua cuncta intelligit. Quid enim est aliud illi rem loqui aliquam hoc loquendi modo, quàm intelligere?* Quamuis statim in eodem cap.& sequenti 29. restringat hanc locutionem, vt sit ipsum Verbum genitum. Rursus cap.34. *Idem est*, inquit, *summo Spiritui scire, quod intelligere, seu dicere.* & cap.46. circa med. *Rem cogitare, cuius memoriam habemus, hoc est mente eam dicere.*

6 Probatur secundò, quia non solus Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus ac subinde tota Trinitas loquitur ad seipsam & ad creaturas mente præditas, vt ostendemus ex Scriptura & Patribus disp.sequenti sect.4.& sequentibus; nihil autem aliud esse potest illis locutio, nisi intellectio. Cætera namque sunt peculiaria Patri, vt vidimus.

7 Tertiò, quoniam omnis operatio intellectus est intelligere. Sed dicere seu loqui mentaliter est formaliter operatio intellectus. Ergo dicere seu loqui mentaliter est intelligere, cum discrimine tamen, vt *dicere*, quod est producere Verbum, sit intelligere addito notionali; sed dicere commune tribus personis sit intelligere præcisum à notionali saltem in recto. Confirmatur, nam propterea exterior locutio supponit, loquentem intelligere quod loquitur (nam psitacus impropriè dicitur loqui seu dicere) quoniam exterior locutio supponit interiorem, quæ est intelligere.

8 Dicere *essentialiter est commune tribus personis.*

Tria tamen adnotatu digna sunt. Primum est, quod dicere sumptum essentialiter, vt est commune tribus personis, nonnunquam consignificat, aut connotat, ipsum intelligere terminatum esse Verbo: licet abstrahat & omnino præscindat ab eo, quod Verbum terminans intellectionem, sit productum ab ea persona, quæ dicit essentialiter. Quantum ad hanc ergo connotationem, dicere, sumptum essentialiter, discrepat aliquantulum ab intelligere. Siquidem intelligere quantum est ex vi & proprietate vocabuli, nullo modo connotat prædictam terminationem. Probatur, nam vt Patrum testimoniis ostendemus disp.sequenti sect.5. & 6. Spiritus sanctus dicit eodem Verbo diuino, & Filius dicit eodem ipso Verbo, & tota Trinitas: *nihilominus nulla persona diuina intelligit Verbo* (quamuis intelligat in Verbo tanquam in obiecto cognito, sicut & in Patre & Spiritu sancto) ergo dicere etiam essentialiter acceptum, aliqua peculiari ratione cohæret cum Verbo, qua non cohæret intelligere.

Secundò notandum est, quod dicere tribus personis commune, sumitur quandoque pro manifestatione diuinæ mentis, Angelis vel hominibus communicata. Iuxta quam acceptionem dicere diuinum est aliquid creatum, connotans & respiciens suum principium, quod est libera volitio & imperium commune tribus personis. 9

Tertiò dicere notionaliter acceptũ, intra suam lineam formalissimam, immediatissimè claudit rationem intellectionis. Hoc autem eodem modo intelligendum est, quemadmodum in simili disput.58.sect.4.conclus.2. dictum est, quod Verbum intra lineam explicitam & formalissimam Verbi claudit essentialiter sapientiam magis immediatè, minúsque materialiter, quàm cætera attributa, quamuis Verbum non sit idem, quod sapientia. 10 Dicere *notionaliter acceptum claudit intellectionẽ.*

SECTIO V.

Quomodo intelligere *sit principium* quo, *producendi Verbum, & simul etiam sit actio, & sit Verbum.*

1 AD rationes dubitandi, positas sect. præcedenti, respondemus, breuiter præoccupando nonnulla, quæ fusiùs explicanda sunt disput. 83. & 85. Ad primam negatur Maior; & ad eius probationem distinguitur eius Maior. Quamuis enim principium *vt quo*, productiuum, formaliter in quantum principium, non sit idem, quod actio: nihilominus idem essentiale intelligere consideratum sub diuersis partialibus formalitatibus Paternitatis, aut Filiationis, est principium *vt quo*, productiuum, & est veluti actio productiua, & est Verbum.

2 *Intellectio est principium quo.*

Dico igitur primò. Intellectio in ratione notitiæ essentialis (abstrahendo à ratione actionis) est principium *quo*, proximum generandi. Nec alio modo verificari potest, quod Patres & Scholastici constanter affirmant, Filium seu Verbum procedere per intellectum, siue per intellectionem. In Deo namque nullo modo distinguitur intellectus ab intellectione: quemadmodum præmonuimus disput.2.sect.2.sub initium.

3 Dico secundò. Prædictum principium *quo* proximum non intelligitur integrum, donec accipiatur prædicta formalitas intellectionis essentialis, prout includitur in Paternitate, concepta per modum tribuentis fœcunditatem. Nam à Paternitate recipit vltimam conditionem, quam intellectio requirit, vt sit fœcunda, & consequenter sit potentia generatiua proxima.

4 *Intellectio est actio productiua.*

Dico tertiò. Eadem formalitas intellectionis essentialis, prout includitur in Paternitate, concepta per modum actionis, vel actualis influxus, est veluti actio productiua Verbi, quæ est dicere. Rursus eadem intellectio, prout includitur in relatione Filij, considerata comparatione principij loquentis, vt sic est Verbum.

5 *Difficultas.* *Emollitur.*

Occurret autem aliquibus difficultas sibi persuadendi, quod vnica formalitas intellectionis essentialis per additionem vnius aut alterius relationis possit tot munera sustinere. Veruntamen emolliet difficultatem, qui considerauerit, vnicam relationem Paternitatis sub diuersis partialibus & inadæquatis formalitatibus multa subire munera.

Primò

Primò namque constituit personam subsistentem incommunicabiliter: deinde cõstituit principium potens producere *vt quod*: tertiò tribuit actiuam generationem, siue dictionem, identificatam cum Patre: ac denique Patrem constituit actualiter & quasi prædicamentaliter relatum ad Filium, vt magis explicabitur disp.84.& 85. & disp.88.& sequentibus. Consequens igitur est, vt essentialis intellectio, prout includitur in tam multis formalitatibus Paternitatis (quæ sunt veluti partes illius) possit officia plurima sustinere: & nihilominus possit immediatissimè communicari Verbo, ita vt intellectio sit Verbum modo nuper explicato.

6 Ad secundam rationem dubitandi respond. rectè probare, quod non sint eadem formalitas dicere & intelligere. Hoc tamen nihil obstat, quominus dicere sit intelligere, quemadmodum Pater est Deus, licet non sit eadem formalitas Pater & Deus. Sed ad maiorem explicationem veritatis, quæ tangitur in prædicto argumento, theologi solent ad philosophiam recurrere, discutientes, vtrum intellectio sit formaliter actio.

7 *Intellectio abstrahitur ab actione & à termino.*

De qua breuiter dico primò. Intellectio, secundum magis propriam & vsitatam acceptionem, abstrahitur, ac præscinditur à ratione actionis, & à ratione termini producti siue verbi. Probatur primò, nam in Deo, quantum ad essentialia, est intellectio propriissimè: & tamen illa nõ est propriè actio, nec est terminus productus; quoniam actio distinguitur realiter à termino producto: at verò intellectio essentialis à nulla re diuina distinguitur realiter. Secundò probatur à priori verbis S.Thomæ in præsenti q.34.art.1.ad 3. *Nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur: sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem*, &c.

8 Vnde quod asseruerat in præcedenti solutione ad 2. *intelligere non significat actionem ab intelligente exeuntem, sed in intelligente manentem*: ita venit intelligendum, vt nomen actionis accipiatur pro vltimo actu & vltima perfectione, non verò pro influxu causæ efficientis. Sic enim omnes operationes immanentes solent appellari actiones: quomodo locutus est etiam S.Thom. supra quæst.27. art.1.corp. & alibi sæpe.

9 *Assertio secunda.*

Dico secundò. De nomine plus, quàm de re quæstio est; vtrum intellectio creata consistat in ratione actionis, vel potius in qualitate producta per actionem; nec est propria theologiæ, sed philosophiæ de anima. Propterea breuiter expeditur, asserendo, quod licet acceptio magis propria, & frequentior apud probatos authores sit, iuxta quam intellectio non significat rationem actionis, sed notitiam & repræsentationem, quæ afficit intellectum: vt constat ex assertione præcedenti: nihilominus frequenter etiam intellectionis nomen, ad creatas intellectiones relatum, accipitur pro ipsomet influxu causæ efficientis ad producendam notitiam: & intellectio sic accepta consistit in ratione actionis. Ad hanc acceptionem penuria vocum compulit, quia nullum aliud simplex vocabulum habemus, quo significetur prædictus influxus causæ efficientis. Adiuuit autem ad idem terminatio vocis *intellectio*, quæ simillima est vocibus, significantibus actionem, qualis est calefactio, creatio, generatio. Accessit denique modus loquendi theologorum & philosophorum, non rarò dicentium, intellectionem esse actionem immanentem.

Quj plura de hac re voluerit, & vtriusque partis authores ac rationes, inueniet apud Molinam 1.p.q.27.art.1.disput.8.memb.2.col.4. & Conimbricen.lib.3.de anima cap.8.q.3.art.3.qui duo authores probare conantur, intellectionem in ratione actionis consistere. Contrarium tamen, videlicet, non *in* ratione actionis, *sed in eo*, quod notitia seu repræsentatio afficiat intellectum, consistere rationem intellectionis, probat Vazquez disp.141.cap.4.à num.17. & Fonseca tom.3.lib.7. metaphys.cap.8. quæst.3. sect.3. apud quos etiam videri possunt vtriusque partis authores & fundamenta. 10

Ad tertiam rationem dubitandi respond. probare solummodo, quod *dicere*, notionaliter acceptum, non est idem quod intelligere, vt dictum est sect.præcedenti. 11

DISPVTATIO LX.

Vtrum Diuinum dicere *sit producere Verbum, ac subinde solus Pater dicat.*

SECTIO I.

Duplex est dicere, *aliud essentiale, aliud verò notionale.*

1 *Prima sententia.*

PRIMA sententia fuit solius Durandi 1.dist.27. q.2. num.29. apud quem *dicere* idem est, quod habere notitiam essentialem (quam existimat esse Verbum, nec enim aliud Verbum propriè dictum agnoscit; vt vidimus disput.57.sect.1.sententia 2.) Vnde consequens est, quod Filius & Spiritus sanctus dicant, siue loquuntur propriè non minus, quàm Pater: & Pater nullo peculiari modo dicit, seu loquitur, nisi quemadmodum dicit & loquitur Filius & Spiritus sanctus. Hæc ab omnibus Scholasticis respuuntur, & verè continent errorem fidei contrarium, vt ostendimus tota disput.57.peculiariter sect.4.conclus.2.

2 *Secunda sententia.*

Secunda sententia vult, *diuinum loqui* seu *dicere* vel *dictionem Patris* esse prorsus idem, quod Verbum personale, qui est Filius: & consequenter productionem huius Verbi non esse dictionem, seu locutionem, sed esse productionem locutionis siue dictionis. Ita existimat Gabriel Vazquez 1.p.disput.141.cap.4. à num.22. cuius fundamentum videbimus in sect.sequenti initio.

3 *Communis & vera sententia.*

Nunc communis & certa decisio continetur duobus membris. Primum. *Dicere* quandoque sumitur minus propriè, vt sit idem, quod intelligere aliqua obiecta, vel ea manifestare, causando exterius signum illorum. Iuxta quam acceptionem dicere est essentiale & commune tribus personis. Secundum membrum est. *Diuinum dicere*, propriè sumptum, est idem prorsus, quod producere Verbum, & *dicere* sic acceptum, est notionale, nõ conueniens Filio, nec Spiritui sancto, sed soli Patri.

4 Vtrumque membrũ tradunt cõmuniter Scholastici. S.Thomas in præsenti q.34.art.1.ad 3.& 4. contra Gentes cap.13.& de potentia q.9.art.9. ad 8.& de veritate q.4.art.2.ad 5. Alexand.1.p.q.42. memb.2. præsertim in fine, & q.62. memb.3. Albertus 1.p.q.30. memb.2. fine, & q.35. memb.3. art.3. & 4. Magister 1.dist.39. cap.1. dum recitat

verba Auguſtini. S.Bonauent.1.diſt.27.p.2. art.1. q.1. Henricus in ſumma art.40.q.7.& art.58.q.2. Scotus 1.diſt.32. §.*ad quæſtionem*,verſic.*ad propoſitum*, & §.*ad argumenta in oppoſitum*, cui concordat diſt.2.q.4. quæ eſt 7. in ordine poſt §.*obijcitur contra*.Ricard.1.diſt.27.art.2.q.2.ad argum.3.Gabriel eadem diſt.q.3.art.2.notab.2.Carthuſ.diſt.32.q.2. fine.Aureolus 1.diſt.27.art.3.dub.3.fine.Capreol. eadem diſt.27.art.1.concluſ.2.& art.3.col.penult. reſpondens ad argumenta contra ſecundam concluſionem. Ferrarienſis 4. contra gentes cap.13. Caietanus & cæteri expoſitores S.Thomæ ad præſentem quæſt.34.art.1.& ad quæſtionem 27.art.1. vbi Torres diſput.6.q.3. Molina diſput.7. fine, & diſput.8.memb.2.Suarez lib.1.de Trinitate cap.6. fine, & lib.9.cap.3.num.7. & 8. Fonſeca 7. metaphyſ.cap.8.quæſt.3.

5 *Eſſentiale dicere eſt commune tribus perſonis.*

Membrum primum, videlicet *dicere*, ſumptum eſſentialiter,vt eſt commune tribus perſonis, probatur primò: nam ſic accipitur in Sacris literis, quoties aſſerunt,Deum *dicere*, vt fiat aliqua creatura, vel quoties ad Angelos vel homines dirigitur Dei locutio, reuelando vel præcipiendo aliquid. Vt Geneſ.1. *Dixit Deus fiat*, toties repetitum.& Pſal.32.& 148.*Ipſe dixit,& facta ſunt*. & in Geneſi millies *dixit Dominus* ad Adam, ad Cain, ad Noë,ad Abraham, & in cæteris libris ad Moyſem alióſque prophetas. Quin etiam ad *Satam dicit* Iob cap.1.& 2.

6 Secundò probatur ex Anſelmo, qui perſpicuè docet, in Deo eſſe idem dicere & intelligere, in monol.cap.28.& 34.& 46. quæ retulimus diſput. præced. ſect.4. probat.1. imo & Fulgentius lib.3. ad Monimum cap.7.in med. *Nihil aliud*,inquit,*eſt apud ſe dicere,quàm apud ſe cogitare*. Tertiò probatur ex Patribus,qui ſect.4.& ſequentibus docent, non modò Patrem, ſed etiam Filium & Spiritum ſanctum dicere. Ergo *dicere* ſumitur aliquando eſſentialiter, vt ſignificet aliquid commune tribus perſonis.

7 Quartò probatur ratione, nam habere intellectionem Verbo terminatam, & per illam perfectiſſimè ſcire,non valde impropriè poteſt appellari *dicere*. Hoc autem eſt commune tribus perſonis quantum ad locutionem ad intra, vt magis explicabitur ſect.3.& ſequentibus.Rurſus quæcumque perſona communicat aliis ſuam notitiam,& reuelat ſuam mentem, eo ipſo loquitur & dicit. Sed tribus perſonis eſt commune reuelare Angelis & hominibus ſuam mentem, & communicare ſuam notitiam.Ergo tribus perſonis eſt commune dicere ſeu loqui, ſecundum aliquam acceptionem.

8 *Dicere, propriè ſumptũ, eſt producere Verbum.*

Secundum membrum,videlicet, *Diuinum dicere*, propriè ſumptum, idem eſſe, quod producere verbum, & non eſſe idem, quod verbum, ſed eſſe notionale ſolius Patris. Probatur primò, ex Auguſtino qui lib.7.de Trinit.cap.1. ſub init. docet, Patrem eſſe dicentem æterno Verbo, duas verò perſonas non eſſe dicentes, niſi per creata verba, quæ producunt ad extra.Vnde ſubiungit: *Dicens, autem, exceptis illis temporalibus vocibus Verbi Dei, quæ in creatura ſiunt,nam ſonant & tranſeunt.Dicens ergo illo coæterno Verbo non ſingulus intelligitur, ſed cum ipſo Verbo, ſine quo non eſt vtique dicens*, videlicet,Pater non eſt dicens ſine Verbo;at ſine Verbo eſt Deus & ſapiens, & quidquid pertinet ad eſſentialia communia tribus perſonis. Ergo *dicere* non eſt eſſentiale & commune, ſed notionale. Confirmatur, quia *dicere* non requireret aliam perſonam, niſi foret relatiuum. Atque in hoc ſenſu recipiunt prædictum teſtimonium Auguſtini,Magiſter 1.diſt.27. cap.*hic non eſt*, S.Thomas in præſent.q.34.art.1.ad 2.& communiter Scholaſtici.

Rurſus lib.15.de Trinit.c.14. paulo poſt princ. 9
Auguſtinus ait: *Tanquam ſeipſum dicens, Pater genuit Verbum ſibi aquale per omnia. Non enim ſeipſum integrè perfecteq; dixiſſet, ſi aliquid minus; aut amplius eſſet in eius Verbo,quam in ipſo*.Ex quibus conſtat; primò, quod *dicere* non eſt ipſum verbum, ſed eſt generare Verbum; inſuper & Verbum eſt id, quod dicitur, vel quo dicitur obiectum. Ergo Verbum non eſt prorſus idem, quod *dicere*. Deinde conſtat,eſſe proprium perſonæ Patris.

Conſequenter Auguſt.eodem lib.15.de Trinit. 10
ſequenti cap.15. *Verbum*, inquit, *noſtrum, dicitur cogitatione noſtra*. Ergo in creaturis etiam non eſt idem *dicere*, quod eſt verbum. Præterea cap.21. init. eodem lib.15. de Patre ait: *Omnia, quæ ſubſtantialiter habet,in coæterno ſibi Verbo ſuo dixit quodammodo; & Verbum nec plus, nec minus aliquid habet ſubſtantialiter, quàm quod eſt in illo, qui Verbum non mendaciter, ſed veraciter genuit*. & tract.14. in Ioan. poſt med. *Deus edidit Verbum, hoc eſt,genuit Filium*. Denique in expoſitione Pſalmi 61. *Semel*, ait,*locutus eſt Deus, quia vnum Verbum genuit*. Similia ſcribit liber de cognitione veræ vitæ c.14. apud Auguſtinum tom.9.

Athanaſ. epiſt. de decretis Nicænæ Synodi in 11
med. *Si conceſſerint*, ait, *Deum non niſi ſemel Verbum proferre,fieri non poteſt, quin agnoſcant, eum ita loquentem Verbi ſui Patrem eſſe*.

Gregorius lib.23.moral.cap.11.alias cap.19.ad 12
illud Iob 33. *Semel loquitur Deus*, ait;*Loqui Dei eſt Verbum genuiſſe, ſemel autem loqui, eſt verbum aliud præter Vnigenitum non habere*. Quæ ſententia gloſſæ ordinariæ inſerta eſt ad eundem locum, & lib. 32.moral.cap.6.fine ad illud,*Si voce ſimili tonas*,de Filio ait: *Ipſe vox, quia eum Pater gignendo dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te*.

Anſelmus in proſolog. cap.23. ſub init. ſic Pa- 13
trem alloquitur: *Non poteſt aliud,quàm quod es,aut aliquid maius vel minus te eſſe in Verbo, quo te ipſum dicis,quoniam Verbum tuum ſic eſt verum,quomodo tu verax*. Idémque in monolog.cap.31. & ſequentibus vſque ad 36. oſtendit, quod Deus ſuo Verbo dicat ſeipſum & omnes creaturas; quod autem de perſona Patris agat Anſelmus, conſtat potiſſimùm ex illis verbis cap.32.initio:*Quis neget, ſummam ſapientiam,cum ſe dicendo intelligat, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem ſuam, id eſt, Verbum ſuum?* Ricardus Victorinus lib. 6. de Trinitat. cap.12.ad finem: *Interna*, inquit, *locutio agitur authore Patre ſolo.Nam ſolus Pater dicit. Solus Spiritus ſanctus audit*.

Ratione probatur ſecundò, nam dicere & ver- 14
bum ſe inuicem reſpiciunt, & adæquatè ſibi correſpondent. Sed Verbum Dei, propriè ſumptum, non eſt aliquid eſſentiale, ſed notionale, hoc eſt, perſona Filij, ſuprà diſp.57.ſect.2. & ſequentibus. Ergo Dei *dicere*,propriè ſumptum,erit aliquid notionale relatum ad perſonam Filij. Vlterius autem hanc relationem ad Verbum,in qua conſiſtit *dicere*,Patris propriam eſſe,& incommunicabilem, probatur; quia Pater æternus verè & propriè loquitur, ac dicit Verbum æternum; nam Verbum quidditatiuè eſt Verbũ dicentis.At Verbum æternum nõ eſt verbũ Spiritus ſancti, nec eſt Verbum eiuſdem Verbi; quia neque procedit à ſeipſo,nec à Spiritu ſancto.Vnde neque Verbum dicit ſeipſum, nec Spiritus ſanctus dicit Verbum æternum.

Atque inde colligitur etiam,relationem,in qua 15
conſiſtit dicere, non eſſe diuerſam ab ea, quæ eſt generare,

Dicere & Verbum ſibi correſpõdent.

generare,quia nihil aliud eſt Patri peculiare,quod non communicauerit Filio, nec Spiritui ſancto, niſi ordo generantis Filium, qui idem eſt producentis Verbum, cum quadam partiali diſtinctione, quæ explicabitur ſtatim probatione 4.

16 *Solutio refutatur.*

Confirmatur primò, nam ſi verum eſſet, quod reſpondent authores ſecundæ ſententiæ;nimirum ea tantùm ratione theologos concedere,quod Pater æternus dicit Verbum æternum, quia Pater in Verbo cognoſcit ipſum Verbum, non verò quia producit Verbum; ſequeretur,eadem proprietate debuiſſe concedere, quod Pater dicit Spiritum ſanctum. Sequela probatur, quia Pater cognoſcit Spiritum ſanctum in Verbo, & inſuper etiam in ipſo Spiritu ſancto. At ex Sacris literis & Patribus conſtat, maiori proprietate locutionis concedi, quod Pater dicat Verbum, & vix vnquam ac minus propriè concedi, quod Pater dicat Spiritum ſanctum. Ergo non in ſola cognitione prædicta, ſed in ordine generationis conſiſtit dicere propriè ſumptum.

17 Confirmatur ſecundò, quia ſi ſolummodo intelligere,& in ſe habere Verbum,eſſet dicere propriè ſumptum; ſequeretur,quod Spiritus ſanctus (propriè & in rigore loquendo) diceret Verbum æternum: & conſequenter, ſi Verbum ea ſolum ratione, quoniam Verbum eſt, conſtituit dicentem Patrem,præciſa per intellectum productione; conſtituet etiam Spiritum ſanctum dicentem, licet non producatur ab eo. At non ita propriè dicentem eſſe Spiritum ſanctum,conſtat ex dictis, & magis conſtabit ex dicendis tota præſenti diſputatione.

18 Tertiò probatur, nam Deum ad Angelos vel homines loqui,vel aliquid dicere,conſiſtit in productione Verbi creati vt magis explicabitur ſect. 3. Ergo Deum ad intra loqui ſeu dicere cõſiſtit in productione Verbi increati: ſic enim debita proportio ſeruatur. Confirmatur primò, nam apud authores ſacros & profanos loqui & verba facere ſunt idem. Ergo locutio formaliter eſt operatio per quam producitur Verbum. Confirmatur ſecundò, quia verba proferre eſt producere verba. At verò dicere idem eſt quod verbum proferre,vt rectè S.Thomas in præſenti q.34.art.1.ad 3.

19 Probatur quartò, nullus enim terminus ſimplex inuenitur, quo diuini Verbi productio poſſit aptius ſignificari, quàm *dicere*, ſeu *loqui*. Quamuis enim *generare* ſignificet productionem Verbi diuini: non ſignificat illam ſub ea partiali ratione magis explicita, qua deſtinatur ad terminum intellectionis, ſed ſub ea ratione magis explicita, qua deſtinatur ad producendum viuens ſimile in natura. Itaque non ſolùm realiter, ſed etiam formaliter eadem productio notionalis eſt locutio, ſiue dictio & generatio:diſtinguuntur tamen partialibus formalitatibus infimo gradu diſtinctionis ratiocinatæ, quomodo Verbum à Filio diſtinximus diſput.58.ſect.3. Fuſiùs autem identitatem ac diſtinctionem inter *dicere & generare*, diſcuſſit Henricus 2.p.ſummæ art.58.tota quæſt.2. Confirmatur, quia Pater ſuo Verbo dicit etiam creaturas,ſed non generat creaturas. Ergo aliquid peculiare importatur locutione ſiue dictione, quod non importatur generatione.

20 *Dicere realiter identificatur cum Patre,nõ cum Filio.*

Ex dictis corollarium eſt, *dicere* ſeu *loqui* realiter identificari cum perſona Patris, realitérque diſtingui à perſona Filij. (cuius contrarium aſſeruit ſecunda ſententia ſupra, decernens, *dicere & verbum* eſſe prorſus idem.) Probatur, quia *dicere* formaliter importat relationem Paternitatis,con-

SECTIO II.

Solutis obiectionibus, magis explicatur deciſio tradita in ſect. præcedenti.

1 SEcundam ſententiam,poſitam ſect.præced.ſub init. eius authores inde probant, imprimis, quia ſi *dicere* foret idem,quod producere Verbum; ſequeretur, nos dicere verbum repræſentatiuum equi, quando tale verbum mente producimus. Conſequens autem eſſe falſum probant,quoniam interroganti:Quid dixiſti mẽte tua?nemo reſpondebit,ſe dixiſſe verbum mentis,ſed explicabit obiectum cognitũ,veluti equum. Ergo noſtra mente non dicimus verbũ, quod producimus, ſed verbo dicimus obiectum repræſentatum per verbum.

An dicatur verbum vel potius obiectũ intellectum.

2 Confirmant Anſelmi teſtimonio in monolog. cap.31. prope fin. dicentis: *Cum cogito notum mihi hominem abſentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius,qualem illam per viſum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in memoria verbum eſt eiuſdem hominis, quem cogitando dico*. Ergo non dico verbum hominis cogniti,ſed potius hominem cognitum verbo dico.

3 Reſpondetur ex doctrina S.Thomæ & omnium ferè theologorum locis adductis ſect.præcedenti. Dictio ſeu locutio formaliſſimè ſecundum rationem magis explicitam, eſt productio verbi, & ad verbum refertur.Simul autem in quantum dictio, ſeu locutio eſt intellectio, & verbum eſt imago expreſſa obiectorum, dictio refertur ad obiecta, quæ eadem dictione intelliguntur, & eius verbo dicuntur. Propterea qui mente concipit verbum equi, nõ ſolum dicit verbum equi,ſed etiam dicit equum repræſentatum per verbum. Veruntamen interroganti:Quid dixiſti mente tua? Superuacaneum eſſet reſpondere: Dixi verbum equi:ſufficit enim reſpondere: Dixi equum.Hoc enim explicato,facilè philoſophus audiens intelliget,te dixiſſe verbum equi. Quod ſi percontator iſte fuerit expers philoſophiæ, eius interrogatio non erit de verbo mentis,ſed de obiecto cogitato, perinde ac ſi diceret; quid mente pertractas? quid intelligis?

4 Explicatur & confirmatur primò, nam eadem actione, qua ſcribimus literas, ſcribimus hiſtoriam, vel diſputationem ſignificatam per eaſdem literas. Quapropter actio, quæ in ratione productionis terminatur ad literas,vt ad terminum productum; eadem non in ratione productionis, ſed in ratione ſignificationis refertur ad obiecta, ſignificata per literas. Similiter eadem actio pingendi, prout eſt productio, terminatur ad imaginem eiúſque lineas, colores, & vmbras, ſed prout eſt formaliter repræſentatio,refertur ad eam rem, cuius ſimilitudinem imitatur imago. *Nihil ergo* mirum, ſi quilibet loquens aut dicens eadem ipſa locutione dicat verbum, & dicat res ſignificatas per verbum.

5 Confirmatur ſecundò, nam in dictione ſeu locutione qualibet duplicem partialem reſpectum debemus diſtinguere. Alterum reſpectum ſignificamus,aſſerentes,quod talis perſona dicit verbum ſuum. Alterum ſignificamus,quando prætermiſſo verbo, tantùm exponimus obiecta, quæ verbo dicuntur,veluti equum aut leonem,aut roſam. Hic autem reſpectus primariò refertur ad obiectum formale, ſecundariò ad obiecta materialia. Qua

ratione Deus non modò seipsum, sed etiam creaturas dicit. Veruntamen an hic respectus sit realis, tractabitur infra tota disput.62.

6 Ad hanc distinctionem explicandam aliqui recentiores asserunt, *dicere* immediatè esse idem, quod *generare*; sed dicere mediatè non esse generare, quia Pater mediante Verbo dicit creaturas. Verum hic loquendi modus non est exactus, Pater enim seipsum dicit immediatè, nec mediat aliquid in ratione obiecti, & tamen non generat seipsum.

7 Ex his constat solutio ad confirmationem, consequentiam negando, siquidem ex eo, quod ego dicam hominem cogitatum; non sequitur, me non dicere verbum hominis, sed potius sequitur me dicere verbum hominis tanquam terminum cogitatione productum, & dicere hominem tanquam obiectum repræsentatum. Hanc verò fuisse mentem Anselmi, constat ex sequentibus capitibus à 32. vsque ad 36. vbi probat, quod dicens eodem Verbo sibi coæterno dicit seipsum, & omnes creaturas; & tamen illud non est Verbum creaturarum, sed solius dicentis.

8 *Secunda obiectio.* Secunda obiectio sumitur ex eodem Anselmo in monol. cap. 28. 34. & 46. apud quem dicere & intelligere sunt idem, vt vidimus disput. præced. sect. 4. & prior illo Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. dixerat, idem esse dicere & cogitare.

9 *Solutio.* Respondent S. Thomas & cæteri Scholastici sect. præced. relati, Anselmum his in locis egisse de vulgari & minus propria acceptione dicendi, iuxta quam est idem, quod intelligere sect. præced. memb. 1. codémque modo intelligendus est Fulgentius. Quamuis vterque possit etiam exponi, vt intelligere seu cogitare, quatenus est operatio productiua Verbi, prout est à Patre, sit dicere. Cui expositioni valde fauet vtriusque contextus,

10 *Tertia obiectio.* Tertia obiectio, quia dicere in Deo non est relatiuum. Ergo non est notionale, sed absolutum & essentiale. Antecedens probatur, quoniam in rebus creatis dicere, generare, seu concipere verbum, siue producere, aut proferre verbum, hoc, inquam, totum non importat relationem prædicamentalem, siue secundum esse, quoniam formaliter est actio, in qua fundatur superueniens relatio prædicamentalis. Confirmatur, quia sicut calefactio non est formaliter relatio prædicamentalis, sed est in alio prædicamento actionis, & fundat relationem prædicamentalem; sic etiam productio verbi creati, quæ est dictio, siue locutio, non est formaliter relatio prædicamentalis, sed ponitur in prædicamento actionis, & fundat relationem prædicamentalem, quidquid dixerit Canariensis quæst. 27. art. 1. disput. 3.

11 *Soluitur.* Respondetur negando consequentiam à locutione creata ad diuinam, quantum ad hunc articulum, sicut disp. 58. sect. 6. solutum est secundum argumentum, quod fuerat positum sect. 1. Quoniam omnes relationes productionis & producti, quæ in creaturis sunt transcendentales, in Deo debent esse quasi prædicamentales, quia constituunt realem distinctionem extremorum; vt ibidem explicatum est.

12 *Quarta obiectio.* Quarta obiectio, quoniam insufficienter videntur præcedenti sectione numeratæ acceptiones *dicendi* duæ tantummodo, cum sex enumeret Henricus part. 2. artic. 58. quæst. 2. corpor. Vbi notabilior acceptio est; qua *dicere* valet idem, quod substantialia cuncta communicare, quod probat ex Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 21. init. sic differente de Patre: *Omnia, quæ substantialiter habet, in coæterno sibi Verbo suo dixit quodammodo, & ipsum Verbum eius nec plus nec minus habet etiam ipse substantialiter, quàm quod est in illo, qui Verbum veraciter genuit.*

Respondeo hoc loco *dicere*, non significat immediatè & formaliter communicationem substantialium, sed quasi ex consequenti. Nam quia Pater, eo ipso quod seipsum perfectissimè comprehendit, producit Verbum expressam & perfectissimam imaginem sui; propterea ex eo quod Pater omnia, quæ substantialiter habet in coæterno sibi Verbo suo dixerit; necessariò consequitur, quod Verbum sit imago, perfectissimè continens omnia, quæ Pater substantialiter habet.

13 Dicere *non significat communicationē substantialium.*

SECTIO III.

Num locutioni essentiali correspondeat aliquod verbum essentiale.

1 *Argumẽtum.* ORitur hæc difficultas ex decisione posita in sect. 1. cui repugnare videtur, quod probatum est tota ferè disput. 57. nam *dicere* & *verbum* debent sibi mutuo correspondere adæquatè, sicut producere, & terminus productus. Sed Verbum Dei nunquam accipitur essentialiter, sed tantum notionaliter pro Filio. Ergo dicere aut loqui Dei non potest accipi essentialiter, sed tantum notionaliter. Ac ne difficultas de vocibus tantum esse videatur, res ipsa sic vrgetur. Omne dicere est producere verbum. Ergo dicere essentiale Dei est etiam producere aliquod verbum, sed non est producere Verbum personale, hoc enim est dicere notionale. Ergo dicere essentiale est producere verbum non personale, ac proinde producere verbum absolutum. Consequens autem est falsum; ergo & antecedens, ac proinde nullum est essentiale dicere.

2 Dicere *impropriè sumptum, est essentiale.* Respondeo & dico primò. Licet *dicere*, propriè sumptum, sit producere Verbum: at verò dicere, impropriè sumptum, non est producere Verbum, sed est solummodo intelligere. Huiusmodi autem est dicere essentiale, quod in Deo concedimus. Ratio proportionis, ob quam vocabulum hoc extensum fuit ad hanc impropriam acceptionem, ea fuit, quoniam dicere siue locutio complectitur duplicem partialem respectum, alterum ad terminum productum, alterum autem ad obiecta repræsentata, vt sect. præced. ad obiectionem 1. dicebamus. Quoniam igitur ipsum intelligere suo modo repræsentat obiecta, & facit illa præsentia, ex hac parte cognationem habet cum dicere. Accessit autem, quod in creaturis omne intelligere est dicere, & nullum dicere est relatiuum, sed absolutum, vt sect. præced. ad obiectionem 3. dicebamus.

3 *Nō correspondet illi Verbum, nisi impropriè dicti.* Hoc infero, & dico secundò, non esse necessarium, vt dicere essentialiter accepto, correspondeat verbum essentiale, sed satis esse si correspondeat obiectum repræsentatum. Ratio est, quia non appellatur dicere propter respectum productionis, sed propter ordinem repræsentationis experimentis obiectum.

4 Nihilominus dico tertiò. Aliquo modo non vnicum, sed plura verba essentialia correspondent locutioni essentialiter acceptæ. Quatenus omnia & singula, quæ per intellectionem repræsentantur, siue cognoscuntur, potuissent appellari verba, quasi cognita, & dicta per intellectionem communem tribus personis. Confirmatur primò, nam vt videbimus sect. 7. non solùm essentia, sed

sed etiam quælibet persona diuina dicitur passiuè, iuxta præsentem acceptionem dicendi. Ergo sicut appellatur dicta, potuisset appellari Verbum obiectiuè dictum. Confirmatur secundò, quoniam quælibet persona loquitur & dicit alteri personæ. Quæ locutio verificaretur etiamsi nihil ad extra foret creandum, vt constabit sectionibus sequentibus.

5 Aduerte tamen, hinc nihil inferri contra decisionem, probatam tota disp. 57. Quoniam ibi negatum est verbum, quod habeat realem quidditatem Verbi, & sit commune tribus personis, ita vt Pater sit Verbum, & Spiritus sanctus sit Verbum, sicut est intelligere. Nam hæc acceptio verbi, de qua nunc loquimur, foret mera denominatio extrinseca prouenientis ab intellectione diuina, nec est aliqua formalitas realis terminans intellectionem essentialem, vel in illa consistens, vt putabat Durandus. Adde quod de facto non reperitur hæc appellatio verbi apud Patres expressa, nec theologus debet eam inducere.

5 *Plurima verba correspondent essentiali locutioni.* Dico quartò. Essentiale dicere, seu loqui, secundum vtrumque respectum producendi & explicandi, seu significandi, habet plurima creata verba, sibi correspondentia, sed non essentialia Deo. Nam Pater, Filius & Spiritus sanctus, tanquam vnus Deus, producit creatas reuelationes, & creata signa diuinorum conceptuum, quæ in sacris literis frequenter appellantur Dei verba, quæ Deus dicit aut loquitur. Vnde Hebræos 1. *Multifariam*, ait, *multisq; modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio.*

7 Augustinus ad illud psalm. 61. *Semel locutus est Deus*, probat, plurima verba Deum fecisse ad homines, & contra sermonem Arianorum cap. 12. post med. *Quomodo*, ait, *Filius audit Patrem, quomodo dicuntur à Patre multa verba vnico verbo*, &c.

8 Epiphanius hæres. 73. multo propius ad med. quam ad princ. ait: *Multa confitetur Pater ad Filium, cum dicat: Fiat firmamentum: Faciamus hominem. Quare verba Dei, quæ loquitur ad Filium, non sunt Filij.* Et paulo inferius: *Verbum intelligitur Filius, non velut verba, quæ Deus loquitur; illa enim ipsum esse in loquente habent. Hic verò ex eo quod ex Patre genitus est.* Quasi diceret, verba creandarum rerum, quæ Pater ad Filium est locutus, non habebant ab æterno realem existentiam in se ipsis, sed tantum obiectiuè in mente diuina. Sed æternum Verbum ab æterno subsistit realiter per generationem.

9 Huic doctrinæ consonant S. Bonauentura 1. dist. 27. part. 2. art. 1. q. 1. corp. & q. 2. vbi Ricard. art. 2. quæst. 2. ad arg. Alexander. 1. p. quæst. 62. memb. 2. Albertus 1. p. quæst. 35. memb. 3. art. 3. ad argum. & art. 4. Scotus 1. dist. 32. §. *ad istam quæst.* versiculo *ad propositum*. Melius Henricus 2. p. summæ art. 58. quæst. 2. ad 4.

SECTIO IV.

AEterno suo Verbo loquitur Pater ad se ipsum, & ad Verbum & ad Spiritum sanctum, imò etiam ad creaturas.

1 *Ad se ipsum Pater loquitur Verbo.* PRimò, quod ad se ipsum Pater loquatur, & dicat æterno Verbo, colligitur ex testimoniis Augustini, Gregorij, Anselmi, & Ricardi, quæ retulimus sect. 1. pro memb. 2.

2 *Eodem ipso Verbo Pater ad Verbum loquitur.* Secundò, quod Pater ad Filium eodem ipso Verbo loquatur, & dicat, probat illud Ioan. 12. fine: *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Vbi August. tract. 54. prope fin. *Non accipiamus dixit mihi, quasi Pater verba locutus sit vnico Verbo, aut egeat Dei verbis Dei Verbum. Dixit ergo Pater Filio, sicut dedit vitam Filio, non quod nesciebat, vel non habebat, sed quo ipse Filius erat.* Et post pauca: *Dixit veritati, quia genuit veritatem.* Confirmatur Ioann. 3. *Quod audiuit & vidit, hoc testificatur.* Vbi August. tract. 14. post med. *Quomodo*, inquit, *Pater à Filio est auditus, cum per ipsum Filium sit locutus?*

3 His consonat illud Ioan. 7. *Sicut docuit me Pater, hæc loquor.* & Ioan. 15. *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Consonat etiam illud psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam generando Verbum, eidem Verbo dixit esse suum Filium & Verbum, iuxta expositionem Gregorij, quam attuli sect. 1. Consonant insuper alia Verba Christi Domini, quæ declarauimus disp. 50. sect. 9. dicto 4.

4 Magis apertè Augustinus contra sermonem Arianorum cap. 12. post med. docet, æterno Verbo dixisse Patrem, vt Verbum caro fieret, & quod in tempore expletum est, in Verbo fuisse sine tempore. Vnde sequenti cap. 13. sub init. *Quod si Filius*, inquit, *Dei per hoc, quod Filius hominis est, descendit de cœlo: ergo per hoc, quod Verbum est, per ipsum iubetur, vt descendatur de cœlo. Nam si non per ipsum Pater iubet, non ergo Pater per suum Verbum iubet: aut aliud erit Verbum, per quod iubeatur vnico Verbo.* & lib. 7. de Trinit. cap. 3. paulo post princ. ait: *Pater dicit sapientiam, vt Verbum eius sit.*

5 Confirmatur primò, quia Patrem dixisse ad Filium & Spiritum sanctum, *Faciamus hominem*, &c. & Genes. 11. *Venite descendamus & confundamus linguam eorum*: ferè omnium Patrum sententia est, quod retulimus disp. 36. sect. 4.

6 *Arianorum obiectio.* Confirmatur secundò, quia per hanc veritatem soluitur Arianorum obiectio, simúlque redditur illius ratio à priori. Nam vt refert Cyrillus Alexandr. lib. 7. thesauri cap. 1. post med. vrgebant Ariani, dicentes, *Quomodo Filius verum Patris erit Verbum, cum ad eum Pater loquatur? Locutio enim absque verbo fieri non potest. Aut per ipsum Filium, si Verbum verum est, loquitur Filio Pater: aut si hoc absurdum est, ad aliud est illud Verbum interius atque naturale, quod ad Filium locutus est Pater.*

7 *Soluitur.* Solutio & ratio à priori est, quod vniuersaliter omnes philosophi docent de quibuslibet causis formalibus, videlicet, non indigere aliis eiusdem generis; sicut lux non indiget alia luce, vt illuminetur; nec actio indiget alia actione, per quam producatur; nec figura indiget alia figura, qua terminetur. Sic ergo Verbum non indiget alio verbo, vt Pater illi loquatur, nec vt ipsum Verbum loquatur, quod videbimus sect. sequenti. Hanc rationem attigit Cyrillus dicto lib. 7. thesauri cap. 3. ad finem: *Loquitur Pater ineffabiliter ad Filium. Habet enim Filius naturaliter perfectam Paternæ voluntatis cognitionem; nec verbum expectat, cum ipse sit Verbum Dei.*

8 *Ricardus explicatur.* Prædictis obstare videtur Ricardus Victorinus lib. 6. de Trinit. cap. 12. prope fin. dicens: *Interna illa locutio agitur authore Patre solo. Nam solus Pater dicit, solus Spiritus sanctus audit.* Ergo non audit Filius, nec Pater dicit Filio. Veruntamen explicari potest, vt solus Spiritus sanctus sit auditor distinctus à Verbo & à dicente Verbum. Filius autem auditor sit tanquam ipsum Verbum subsistens, & exprimens totam sapientiam dicentis.

9 *Ad Spiritum sanctum & ad creaturas Pater loquitur eodē Verbo.* Tertiò, quod ad Spiritum sanctum Pater loquatur eodē suo verbo, facilius intelligitur: quia

Verbum simul cum Patre, tanquam vnum principium, Spiritui sancto communicant scientiam cum cæteris attributis, & scientia per se prærequiritur ad producendum amorem, quia nihil amari potest, nisi prius cognitum.

10 Quartò, Pater eodem suo Verbo genito loquitur ad creaturas omnes, siue manifestando aliquid angelis aut hominibus, siue quibuslibet creaturis etiam irrationalibus imperando, vt fiant, vel vt aliquid faciant. Quamuis enim per voces sensibiles & creatas, vel per characteres, aut per interiorem illustrationem, seu reuelationem, multoties loquatur Deus, & hæc appellentur Dei verba (vt vidimus sect. præced.) nihilominus ad omnia exteriora verba prærequiritur verbum interius, quod prius natura dicatur in mente, quod postea reuelandum est aliis personis. Atque hoc interius verbum est, quo potissimum dicit quæcumque dicit persona, quæ loquitur ad extra.

11 Hæc est præcipua ratio, propter quam *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*: Quoniam hoc Verbo Pater dixit, & facta sunt. Idcóque *Verbo Domini cæli firmati sunt*, psalm. 32. vt communiter Patres intelligunt citati disp. 36. sect. 5. & fusiùs hæc ratio corroborabitur disp. 110. & 111. Augustinus lib. 1. de genesi ad literam cap. 3. prope fin. *Æternum*, inquit, *est, quod dixit Deus; fiat lux, quia Verbum Dei Deus apud Deum Filius vnicus. Quamuis Deo hoc in æterno Verbo dicente, creatura temporalis facta sit.* & sequenti lib. 2. de genesi ad literam cap. 6. post med. *Vnum*, inquit, *Verbum ille genuit, in quo dixit omnia prius, quàm facta sunt singula.* Et post pauca: *Cum ergo audimus; & dixit Deus: Fiat, intelligamus, quod in Verbo Dei erat, vt fieret.* Atque idem probant, quæ sub initium attulimus ex tract. 54. in Ioan. & contra sermonem Arianorum cap. 12. & 13. Præterea lib. 7. de Trinit. capit. 3. parum à princ. *Per Filium*, inquit, *reuelat Pater, id est, per Verbum suum.* & tract. 21. in Ioan. inter princ. & med. ait: *Nihil dixit Deus, quod non dixit in Filio:* agebat autem Augustinus de creaturis faciendis, exponens illud Ioann. 5. *Omnia demonstrat ei quæ facit.* Rursus lib. 11. confession. cap. 7. fine. *Verbo tibi coæterno simul & sempiternè dicis omnia, quæ dicis, & fit quidquid vis vt fiat.* Quod idem probat duobus capitibus sequentibus.

12 Euthymius in Ioan. suo cap. 16. nostro verò 14. illud: *Pater in me manens ipse facit opera*; ita exponit: *Pater loquitur per Filium, tanquam per suum sermonem, operatur autem per Filium, tanquam per suam potentiam*, videlicet, quoniam imperio Deus exequitur efficacissimè cuncta, quæ iubet. Origenes hom. 2. in varios circa illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, col. 3. scribit: *Pater loquitur, Verbum gignitur, omnia efficiuntur. Audi Prophetam; quia ipse dixit & facta sunt, hoc est Verbum suum genuit, per quod facta sunt omnia.* Psalm. 32. & 148.

13 Athanas. orat. 3. contra Arianos non procul ante med. ait: *Pater veluti per manum in Verbo suo operatus est omnia, & sine eo nihil facit. Dixit igitur Deus: fiat lux*, &c. Et paulo inferius: *Non relatum est à Scriptura, eum vel audisse aliquo modo, vel respondisse, aut qualia tandem ea fieri vellet, percunctatum fuisse: sed potius dixit Deus: fiat, & subintulit, & ita factum est: Nam quod placuit, & voluit, id statim Verbo perfectum atque absolutum fuit.* Rursus in lib. de decretis Nicænæ Synodi in med. probat, non multis verbis, sed vnico Patrem loqui, & dicere quæcumque pertinent ad creaturarum prouidentiam & administrationem; & dialogo 3. de S. Trin. contra Macedonium propius ad fin. quàm ad med. *Veluti mens*, inquit, *per sermonem docet, ita Pater per Filium creat*, videlicet, tanquam per sermonem seu Verbum.

Gregor. Nyssenus lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos col. 2. *Quod per sermonem*, 14
ait, *omnia creauerit Deus, perspicuum est ex eo, quod vnicuique creaturæ adscripta est hæc clausula: & dixit Deus: fiat, significante Scriptura eam, quæ per sermonem effecta est, creationem. Nisi enim hoc esset; satis fuisset dicere: & fecit Deus*, &c. Nazianzenus orat. 49. de fide multo propius ad med. quàm ad finem: *Verbum*, inquit, *nuncupatur, quia semper de Patre & in Patre, & nihil sine eo Pater iussit aut fecit.*

Cyrillus Alexandr. lib. 2. thesauri propius ad 15
med. quàm ad princ. *Quasi per manum*, ait, *omnia per ipsum Deus operatur, Scriptum est enim: Dixit Deus: Fiat lux*, &c. & lib. 10. thesauri cap. 6. fine docet, *esse necesse, vnà cum Patre semper intelligi Filium, per quem omnia facit, & per quem loquitur.* Idem docet lib. 12. c. 9. & alibi frequenter. Philo Carpatiorum episcopus in cantica colum. 4. dicit, *Os Dei Patris est Filius: propterea cum Deus & ipse sit, Verbum appellatur: quoniam quæcumque vult Pater, per Filium loquitur, creat, condit, conseruat*, &c. Anselmus in monolog. cap. 32. fine concludit: *Vno igitur, eodemq; Verbo dicit se ipsum, & quæcumque fecit.* Quod explicat & defendit tribus sequentibus capitibus. Glossa cum Augustino illud psalm. 148. *Ipse dixit & facta sunt*, exponit: *Verbum genuit, per quod facta sunt omnia.*

Denique quod Pater vnico Verbo suo dicat & 16
faciat omnes creaturas, cum Augustino docent Magister, & communiter Scholastici lib. 2. sentent. dist. 13. cap. *præterea.* Alexand. 1. p. quæst. 62. memb. 1. artic. 3. & 4. & 2. p. quæst. 50. memb. 6. art. 1. Albertus 1. p. quæst. 35. memb. 3. art. 2. ad fin. & art. 4. ad 2. S. Thom. quæst. 34. art. 1. ad 3. & art. 3. corp. & 4. contra gentes cap. 13. post med. & q. 4. de veritate artic. 4. S. Bonauent. 1. dist. 27. part. 2. art. 1. q. 2. corp. Vbi Ricard. artic. 2. q. 3. Scotus 1. dist. 32. §. *ad istam quæstionem.*

Quintò, sequitur ex dictis, qua peculiari pro- 17
prietate soli Patri conueniat suo Verbo dicere, *Notionale proprium Patris Verbo dicere vt fiant creaturæ.*
mandare & iubere, vt fiant creaturæ, vel vt aliquid faciant, quomodo non conuenit Filio, nec Spiritui sancto. Nimirum, quoniam Pater generando Verbum, eodem Verbo dixit ab æterno, quæ sunt in tempore facienda. Filius autem non generando Verbum, sed existens ipsum Verbum, ac Spiritus sanctus vt intelligens eadem intellectione terminata eodem Verbo, in se manente, vt sequentibus sect. constabit.

Sextò colligitur, esse simpliciter notionale Pa- 18
tri, quod creaturas dicat suo Verbo. Quamuis enim quidditatiuè claudat intellectionem essentialem, hoc non minuit notionalitatem; cum etiam Paternitas quidditatiuè includat essentiam. Nec enim probo, quod asserit Scotus 1. dist. 32. ad argumentum secundum, quod est essentiale connotando notionale.

SECTIO V.

Verbum Dei se ipso loquitur.

DVbitare posset aliquis, vtrum diuinum Ver- 1
bum loquatur & dicat *vt quod*; videtur *Dubitandi ratio.*
enim esse satis si loquatur *vt quo.* Primò, quia verbum creatum, siue angelicum, siue humanum loquitur

loquitur tantùm *vt quo*, non *vt quod.* Secundò, quoniam omnis causa formalis non recipit denominationem *vt quod*, sed *vt quo*, quemadmodum actio, non est agens *vt quod*, sed est *quo* causa constituitur agens. Et splendor non splendet *vt quod*, sed est forma, qua luminosum ens constituitur splendens. Tertiò, quoniam vt Verbum loqueretur tanquam quod loquitur, indigebat verbo realiter distincto, sicut Pater non poterat esse dicens & loquens absque verbo realiter distincto.

2 Nihilominus Dico primò. Dei Verbum dicit *Verbum, vt quod, loquitur se ipso.* & loquitur, *vt quod*, non alio Verbo, nisi se ipso *vt quo.* Ratio à priori & solutio prædictarum difficultatum in eo consistit, quod Verbum Dei non solum habet formalem rationem Verbi, sed etiam est persona subsistens. Propterea quatenus quidditatiuè continet rationem formalem Verbi, non est illi necessarium aliud Verbum: quo dicat, dicit enim & loquitur se ipso formaliter. At verò persona Patris, quoniam non est Verbum, non potest dicere, nisi Verbo realiter à se distincto. Ex alia verò parte, quoniam diuinum Verbum est persona subsistens, potest dicere & loqui *vt quod*, & non solum *vt quo.* Rectè namque Pelusiota Isidorus lib. 3. epist. 141. ratiocinatur: *Quod hypostasi minimè careat, hinc liquet, quod ipsummet Verbum se verba habere dicat, his verbis vtens: Qui audit verba mea; & facit ea*, &c.

3 Secundò colligitur eadem veritas ex Matthæi 11. *Cui voluerit Filius reuelare*, quod ita ponderat Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 3. non procul à princ. *Verbum æternum illuminando dicit nobis de se & de Patre, quod dicendum est hominibus. Ideo enim ait: Nemo nouit Filium nisi Pater, & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: quia per Filium reuelat Pater, id est, per Verbum suum. Si enim hoc Verbum temporale & transitorium, quod nos proferimus, & se ipsum ostendit, & illud, de quo loquimur: quanto magis Verbum Dei?*

4 Tertiò colligitur ex cap. 1. ad Hebræos, vbi Filius appellatur: *Portans omnia Verbo virtutis suæ*, id est, se ipso, prout est Verbum practicum & potentissimum; vt exponit S. Thomas Hebræos 1. lect. 2. post med. & fusius explicatum est disp. 57. sect. 4. post med. Chrysostomus etiam, Theodoretus, Theophylact. Oecumen. Ambros. & cæteri expositores intelligunt, Filium suo iussu & imperio gubernare.

5 Quartò colligitur ex Ioan. 12. fine, vbi Augustinus tractatu 54. prope finem, ait: *Quid est; Sicut dixit mihi Pater, sic loquor, nisi Verbum loquor? ita ille dixit vt verax, ita iste loquitur vt veritas.* Eadem ferè fuit expositio Ambrosij lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 6. sub init.

6 Colligitur quintò ex eodem c. 12. Ioan. prope fin. iuxta expositionem Augustini lib. 1. de Trinit. cap. 12. post med. *Cum dicit Dominus: Verbum, quod locutus sum, ipsum iudicabit eum in nouissimo die: & ipsum Verbum Patris Verbum esse dicit, & mandatum Patris*, & post pauca clarius exponit: *Ego scilicet non iudicabo ex potestate humana, quia Filius hominis sum: sed ego iudicabo ex potestate Verbi.* Constat ergo apud Augustinum, Dei Verbum æternum esse ipsum Verbum, quod ab ipso Verbo dictum est & prædicatum, vt clarius habet vulgatus interpres: *Sermo quem locutus sum, ille iudicabit*, &c.

7 Sextò colligitur ex cap. 3. Ioannis. *Quod audiuit & vidit, hoc testificatus est.* Vbi Augustinus tract. 14. post med. ait: *Cum Verbum Dei Filius sit, Filius autem locutus est nobis, non verbum sumsit, sed Verbum Patris se nobis loqui voluit:* quasi diceret, non alio verbo, nisi se ipso nobis loqui voluit. Septimò colligitur ex illo Ioan. 8. *Principium quia & loquor vobis.* Quod ita ponderat August. lib. 1. de genesi ad literam cap. 5. prope med. *Quod autem Filius loquitur, Pater loquitur, quia Patre loquente, dicitur Verbum, quod Filius est.* & lib. 11. confessionum cap. 8. *Verbum tuum*, inquit, *principium est, qui & loquitur nobis. Sic in Euangelio per carnem ait, & hoc insonuit foris auribus hominum, vt crederetur.* Colligitur tandem apertè ex Anselmo in monolog. cap. 60. prope finem, cuius verba referemus sect. sequenti, & traditur apertè à S. Thoma de potent. quæst. 9. art. 9. ad 8. & ad Hebræos 1. sect. 2. citata.

Dico secundò. Peculiari quadam proprietate 8
notionali Verbum loquitur ad Spiritum sanctum, *Loquitur Verbum peculiari proprietate.*
qua proprietate, nec Spiritus sanctus loquitur ad Patrem, nec ad Filium, nec Verbum loquitur ad Patrem. Nam proprium & personale Verbi est per realem productionem Spiritus sancti communicare illi sapientiam, terminatam ab eodem ipso Verbo producente. Pater enim communicat eandem sapientiam terminatam non ab ipso Patre, sed à Verbo, quamuis Pater & Verbum sint vnum principium spiratiuum, vt magis constabit disput. 70.

Propter hanc specialè relationem indicandam, 9
Ioan. 16. dictum est, *Non enim loquetur à semetipso*, quia videlicet, non est à semetipso, sed à Patre & Filio, *sed quæcumque audiet, loquetur.* Vbi professionem originis & communicationè eiusdem scientiæ agnoscit multi Patres, maximè Aug. tract. 99. & 100. Cyrillus in Ioannem lib. 11. c. 1. & lib. 13. thesauri cap. 3. & 4. & dialogor. de Trinit. lib. 7. col. penult. Beda Ioan. 16. Quod autem adiungitur statim: *De meo accipiet, & annunciabit vobis*, propter processionem Spiritus sancti à Filio dictum esse, multo plures Patres intelligunt, tam ex Græcis, quàm ex Latinis, quos referemus disp. 67. sect. 2. Nunc satis est annotare, peculiari modo Spiritum sanctum accipere de scientia Verbi, quod ipsum est Verbum ei loqui.

Dico tertiò id, quod ex vtraque assertione præ- 10
cedenti colligitur. Dei Verbum non solum ad *Verbum etiam ad extra loquitur se ipso.*
intra loquitur, & dicit ad se ipsum & alias personas diuinas, sed etiam ad extra loquitur ad homines & angelos, & ad irrationales creaturas, iubendo, vt fiant, vel operentur, & hæc omnia non alio verbo, quàm se ipso loquitur & dicit.

SECTIO VI.

Eodem æterno Verbo loquitur Spiritus sanctus, & tota Trinitas.

DIco primò. Spiritus sanctus & tota Trinitas 1
loquitur & dicit, non solùm ad extra, sed *Omnes & singulæ personæ loquuntur ad inuicem & ad se ipsas, &c.*
etiam ad intra ad ipsam, ita vt quælibet persona loquatur ad alias duas, & ad se ipsam. Id colligunt aliqui Patres ex Genesis 1. *Faciamus*; &c. & genes. 11. *Venite, descendamus & confundamus linguas eorum.* Quod Cyrillus Alexand. dialogor. de Trinit. lib. 3. inter princ. & med. ita exponit: *Sancta Trinitas, quasi simplici motione naturæ vnius se ipsam ad operandum aliquid excitauit.* Et post pauca: *Venite, inquit, ipsa ad se ipsam sancta & consubstantialis Trinitas.* & lib. 1. contra Iulian. paulo post med. de Moyse ait: *Ipsam, dixit, sanctam Trinitatem sibi ipsi locutam: Faciamus hominem.* Augustinus etiam

etiam lib. contra sermonem Arianorum cap. 16. docet, *ex persona ipsius Trinitatis rectissimè accipi: Faciamus hominem*, &c.

2 Nec contradicunt Patres, qui supra disput. 36. sect. 4. docuerunt, Patrem dixisse ad Filium & Spiritum sanctum: *Faciamus*, &c. *Venite descendamus*, &c. Nam si tota Trinitas ad se ipsam loquitur; consequens est, vt vnaquæque persona reliquis omnibus & sibi ipsi loquatur. Peculiari tamen ratione Pater est primus loquendi author, quoniam est principium, generando dicens Verbum, ratione cuius & ipsum Verbum & Spiritus sanctus dicuntur esse loquentes, quoniam eadem intellectio communis & essentialis terminatur vnico Verbo personali.

3 Confirmat eandem assertionem Ambros. lib. 5. de fide ad Gratian. cap. 6. sub init. illud Ioan. 16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*, ita ponderans: *Vt aduerteremus, quod quidquid Spiritus loquitur, loquitur & Filius; & quidquid loquitur Filius, loquitur & Pater, quia vna sententia & operatio Trinitatis est.*

4 Dico secundò. Non alio verbo dicit & loquitur Spiritus sanctus & tota Trinitas, nisi eodem Verbo, quod est Filius. Hæc assertio est contra Scotum qui 1. dist. 32. colum. 2. prope §. *ad aliam quæstionem*, notat, quod Spiritus sanctus *non dicit Verbo*, quia hoc importat aliquam authoritatem respectu Verbi, id est rationem principij producentis Verbum. Fauet valde S. Bonauentura 1. dist. 27. part. 2. art. 1. quæst. 1. dum respondet ad 2. argumentum.

Eodem Verbo loquitur omnes personæ.

5 Melius tamen Henricus 2. part. summæ art. 58. corpore post medium, notat, esse quartum modum accipiendi vocem *dicere*, vt terminatur ad illud obiectum, quod mediante Verbo dicitur, sed non mediante productione Verbi. Quapropter aliter singulis personis conuenit dicere, nam Pater dicit Verbo, quasi proferens Verbum & producens. Filius dicit Verbo, tanquam se ipso dicens. Spiritus sanctus dicit Verbo, quia in suo intellectu essentiali habet Verbum, manens etiam in Spiritu sancto, & procedens per eandē intellectionem, qua Spiritus sanctus constituitur intelligens, ita vt si per impossibile nondum processisset Verbum; eadem intellectio, quantum est ex vi sua, sufficeret, vt Verbum procederet.

6 Quod Pater & Verbum eodem ipso verbo loquantur, satis constat ex præcedentibus sectionibus, quare vt concludamus, totam Trinitatem eodem Verbo dicere, restat solummodo probare, Spiritum sanctum eodem Verbo loqui. Hoc docuit Anselmus in monolog. cap. 60. initio, quæstionem ita proponens: *Dubium esse non debet, quia Pater & Filius & eorum Spiritus vnusquisque se ipsum & alios ambos dicit, sicut se & alius intelligit: quod si ita est: quomodo non sunt in summa essentia tot verba, quot sunt dicentes, & quot sunt qui dicuntur?*

Spiritus sanctus loquitur eodem Verbo.

7 Respondet autem inter med. & fin. eiusdem capitis: *Vna sapientia est, qua in illis dicit, & vna substantia quæ dicitur: consequitur non ibi esse plura verba, sed vnum. Licet igitur vnusquisque se ipsum & omnes inuicem se dicant, impossibile tamen est in summa essentia esse verbum aliud præter illud, de quo iam constat, quod sic nascitur ex eo, cuius est verbum vt etiam vera eius dici possit imago.* & in sequenti cap. 61. ad fin. *Cum pariter vnusquisque se ipsum, & omnes inuicem se dicant, non tamen sunt ibi plura verba, sed vnum: & ipsum non singulorum aut omnium simul, sed vnius tantum.* Itaque Filius non est Verbum Spiritus sancti, sed solius Patris; licet etiam Spiritus sanctus eodem Verbo loquatur. Miror itaque, quomodo Scotus supra citatus potuerit affirmare, quod Anselmus non docuit, Spiritum sanctum *dicere Verbo*.

Ex quibus infero & sit assertio tertia. *Dicere*, 8
seu *loqui*, quod Spiritui sancto conuenit, non est *Connotatur notionale.*
ita totaliter essentiale, vt non connotet aliquo modo notionale, videlicet Verbum, tanquam terminum vnius intellectionis, communis tribus personis: quemadmodum dictum est disput. 59. sect. 4. post med.

Dico quartò. Tres personæ sunt tres dicentes 9
adiectiuè, seu verbaliter, sed non sunt tres dicentes substantiuè. Vt bene obseruat Henricus 2. par. *Tres dicentes adiectiuè.*
summæ art. 58. quæst. 2. ad 6. & colligitur ex generali doctrina, tradenda inferius disp. 77. sect. 2. 3. & 4. Vnde quod Anselmus in monolog. dicto cap. 60. circa med. ait: *Sicut non sunt plures intelligentes, sed vnus intelligens, ita singulus quisque dicens est, nec tamen sunt tres dicentes simul, sed vnus dicens*, intelligendum est substantiuè. Eodem modo loquitur Scotus 1. dist. 32. §. *ad istam quæstionem* circa med. & §. *ad argumentum in oppositum*. Econtrario quod alij scribunt *tres dicentes*, intelligendum est adiectiuè, quemadmodum loquitur S. Thomas de potentia quæst. 9. art. 9. ad 8. Quibus consequentia docet Alexander 1. p. quæst. 62. memb. 2. circa med.

Quintò denique: Vnaquæque persona diuina 10
se ipsam & alias diligere eodem amore producto, *Eodem amore producto persona diligit.*
qui est Spiritus sanctus, verificatur seruata proportione ad ea, quæ diximus hactenus de locutione trium personarum.

SECTIO VII.

Vtrum passiuè dici conueniat essentialiter tribus personis, vel potius soli Verbo personaliter.

COmmuniter Scholastici distinguunt duas 1
acceptiones dictionis, seu locutionis passiuæ, correspondentes aliis duas acceptionibus locutionis actiuæ, quas explicuimus sect. 1. Primò *Dici proprie est produci per intellectionem.*
namque passiuum dici, propriè sumptum, est idem, quod realiter produci per intellectionem tanquam conceptum mentis. Hoc igitur modo passiuum dici conuenit soli Verbo personaliter, ita vt solum Verbum dicatur, sed non dicatur Pater, nec Spiritus sanctus.

Secundò passiuum dici, minus propriè sum- 2
ptum, valet idem, quod passiuè intelligi intel- *Dici largè idē quod intelligi verbo.*
lectione, quæ terminata sit Verbo, vel manifestari, in quo denotatur obiectum cognitionis, abstrahendo à termino producto. Sub hac igitur acceptione quælibet persona diuina sigillatim, & tota Trinitas collectiuè sumpta, & omnis creatura dicitur ab æterno Patre in suo Verbo, quod concipit. Ita S. Thomas in præsenti quæst. 34. artic. 1. ad 3. Albertus 1. part. quæst. 35. memb. 3. art. 3. ad argumenta, & art. 4. Alexander 1. p. q. 62. memb. 2. Gabriel 1. dist. 27. q. 3. art. 1. Caietanus hic quæst. 34. art. 3. §. *circa prædicta*. Canariensis supra quæst. 27. art. 1. disp. 6. quæst. 3. prope quintam conclusionem, & communiter expositores S. Thomæ dicta q. 34. art. 1.

Id satis perspicuè traditur ab Anselmo in mo- 3
nolog. cap. 60. propius ad med. quàm ad fin. dicente: *Hinc illud quoque liquidè cognosci potest, quia cum hi tres dicuntur vel à se ipsis, vel ab inuicem, non sunt plura quæ dicuntur. Quid namque ibi dicitur, nisi*

nisi eorum essentia? Si ergo illa sola est, vnum solum est quod dicitur. Ergo vnum solum est in illis, quod dicit, & vnum quod dicitur. Vbi notandum est, Anselmum non asserere, quod sola dicatur essentia, ita vt personæ non dicantur, vt manifestè constat ex verbis nuper adductis, sed quoniam omnes personæ sunt vnum in essentia, sicut ea de causa sunt vnum dicens substantiuè sumptum, vt vidimus sect. præcedenti prope fin. sic etiam sunt vnum, quod dicitur substantiuè sumptum.

4 Eadem veritas euidenter infertur ex Augustino & cæteris Patribus & Scholasticis, quos citauimus sect. 4. 5. & 6. docuisse, quod Pater dicit se ipsum, & Verbum & Spiritum sanctum: & Verbum etiam atque Spiritus sanctus dicunt se ipsos & alias personas. Nam ab actiua propositione ad passiuam consequentia est, vel potius grammatica declaratio.

5 Aduertendum est vltimò, passiuum dici, quod tribus personis est commune, peculiari quadam ratione magis propria respicere Patrem, vt personam, à quo tota Trinitas est dicta suo Verbo geniro; minus propriè respicit Verbum & Spiritum sanctum, quoniam istæ personæ dicunt minùs propriè, quàm Pater, vt ex superioribus sect. constat.

DISPVTATIO LXI.

Vtrum Verbum procedat per cognitionem intuitiuam trium personarum.

SECTIO I.

Status quæstionis, & variæ sententiæ.

1 VPPONENDVM est, neminem dubitare, sed omnibus exploratum esse, quod illa intellectio, per quam procedit Verbum diuinum, in re ipsa sit perfectissimè intuitiua totius Trinitatis, ac subinde cuiuslibet personæ diuinæ. Alioqui talis intellectio non esset re ipsa comprehensiua Dei, aut saltem in re careret aliqua perfectione, quę possibilis est intellectioni.

2 Vnde colligo, & Dico primò. Præsens quæstio non agit de tota intellectione diuina, prout est in re sine præcisione intellectus: sed agit solummodo de partiali ratione diuinæ intellectionis, *Status quæstionis.* secundum quam terminatur ad Paternitatem, Filiationem & Spirationem, tanquam ad obiecta cognita. Inquirimus ergo, vtrum hæc formalitas in diuina cognitione sit non solum necessariò concomitans productionem Verbi, sed etiam sit per se requisita propter rationem formalem Verbi, ita vt Verbi productio, in ratione productionis redderetur sterilis, aut diminuta; si deesset intuitiua cognitio personarum perinde, ac si deesset cognitio potentiæ, vel æternitatis, aut alterius attributi.

3 Secundò colligitur, cum prædicta quæstione *De specie intelligibili eadem quæstio.* de intellectione, coniunctam esse inseparabiliter aliam de specie, nimirum, an essentia diuina, prout habet rationem speciei intelligibilis, determinantis ad intellectionem intuitiuam omnium personarum, necessariò ac per se requiratur, vt sit principiū proximū intellectionis, per quam procedit Verbum; vel potius prædicta partialis formalitas specie intelligibilis comitetur per accidens principium proximum illius intellectionis propter perfectionem, quam re ipsa debet habere diuina intellectio, non verò propter exigentiam Verbi producendi.

Dico tertiò. Nihil in præsenti disputatur de 4
essentia, nec de attributis diuinis, quoniam ab *Cognitio essentiæ & attributorum per se requiritur.*
omnibus Scholasticis supponitur vt certum, cognitionem intuitiuam essentiæ diuinæ & omnium attributorum per se formalissimèque postulari, vt per eam procedat Verbum diuinum. Id verò, quod attinet ad essentiam probatur primò, nam si alicuius obiecti cognitio perfectissima, subindéque intuitiua requiritur ad productionem Verbi, maximè intuitiua cognitio essentiæ diuinæ, quæ omnium sententia est obiectum formale diuinæ intellectionis, ei tribuēs specificam rationem, & consequenter vim productiuam nostro modo intelligendi.

Probatur secundò, nam essentia diuina est il- 5
lud, in quo Verbum assimilatur Patri, secundum formalissimam rationem Verbi. At non assimilatur in essentia, nisi quatenus Verbum est imago producta per intellectionem perfectissimam essentiæ, vnde prouenit, vt sit conceptus essentiam perfectissimè repræsentans; vt vidimus disp. 6.

Membrum alterum assertionis tertiæ, nimi- 6
rum intellectionem intuitiuam omnium attributorum, nullo excepto, per se formalissimèque requiri ad productionem Verbi, probatur primò, quoniam omnia attributa sunt de essentia Deitatis absolutæ; vt probatum est disput. 8. sect. 5. & sequentibus. Hunc verò fuisse Patrum & Scholasticorum sensum, satis indicat illa phrasis ab omnibus vsurpata, qua distinguunt à relatiuis absoluta, quoniam hæc omnia *dicuntur essentialiter*, cum tamen relatiua non essentialiter, sed *notionaliter dicantur*. Ergo existimant, quidquid in Deo non est relatiuum, sed absolutum, esse de essentia Dei.

Probatur tertiò, quia licet per impossibile non 7
essent attributa de essentia Deitatis, sed illius passiones, secundum rationem ab illa distinctæ & promanantes (vt aliqui theologi volunt) adhuc attributa non essent obiectum secundarium intellectionis comprehensiuæ, sed pertinerent ad complementum obiecti primarij, quo ignorato foret impossibilis comprehensio Dei. Verè tamen ex attributis omnibus coalescit vnicum & simplex obiectum primarium simul cum personis, vt ostendemus sect. sequentibus.

Probatur quartò, quia Pater gignendo dedit 8
Filio suas omnes perfectiones, præter esse Patrem. Sed huiusmodi sunt omnia attributa. Ergo Pater dedit gignendo Filio omnia attributa. Cum igitur Pater nō aliter Filio det, nisi quatenus intelligendo producit expressam imaginem & conceptum perfectionis intellectæ; consequens est, vt omnium attributorum intellectio perfectissima per se requisita sit ad ea communicanda Filio. Denique maiorem illam propositionem de omnibus, quæ Pater Filio dedit, sola Paternitate excepta, communiter Patres tradunt, quorum aliqua testimonia posuimus disp. 19. sect. 2. & disp. 30. sect. 6. sub init.

Quatuor ergo sunt opiniones de quæstione sic 9
expositа. Prima vult, procedere Verbum per in- *Prima sententia, per accidens comitari cognitionem personarum.*
tellectionem, quatenus ea cognoscitur Deitas præcisè, ita vt per accidens comitetur cognitio diuinarum personarum & cognitio creaturarum, quoniam istæ formalitates diuinæ intellectionis non sunt per se requisitæ ad productionem diuini Verbi. Atque idem proportionaliter intelligit de dilectio

dilectione, per quam procedit Spiritus sanctus. Hæc sententia manifestè colligitur ex Scoto lib. 2. sentent. dist. 1. quæst. 1. præsertim artic. 2. & 1. sentent. dist. 10. in fine totius distinctionis. Peculiariter autem Spiritum sanctum procedere per se per amorem solius essentiæ, sed personarum amorem esse necessariò concomitantem, non per se requisitum, docet Scotus 1. distinct. 32. in fine totius distinctionis.

10 *Secunda sententia, de cognitione abstractiua.* Secunda sententia quorundam Thomistarum erat, Verbum procedere per cognitionem quasi abstractiuam eiusdem Verbi & Spiritus sancti, procedere tamen per cognitionem intuitiuam Deitatis & Paternitatis. Hæc adscribitur Caietano in præsenti quæst. 34. art. 3. sed falsò, vt constabit in quarta sententia.

11 *Tertia sententia, cognitionem Spiritus sancti non esse per se requisitam.* Tertia vult, Spiritum sanctum procedere per cognitionem intuitiuam Patris & eiusdem Verbi, tanquam per se requisitam. Cæterum quod per eandem intellectionem cognoscatur Spiritus sanctus, hoc non esse per se requisitum ad productionem Verbi, sed concomitanter illi conuenire. Ita Gabriel Vazquez 1. p. disp. 142. cap. 3. & 4. Trium præcedentium sententiarum argumenta ferè sunt eadem, nam pauca mutantur in eis circa consecutionem vel applicationem. Referentur autem, quando soluenda fuerint sect. 4. & sequen.

12 *Quarta sententia vera.* Quarta veráque sententia docet, Verbum procedere per intellectionem intuitiuam Patris, Filij & Spiritus sancti. Hanc expressam apud antiquiores Scholasticos non reperio, sed eam tradunt recentiores expositores S. Thomæ in præsenti q. 34. artic. 3. vbi Zumel sua quæst. 1. concl. 4. Molina col. vltima, Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 4. num. 4. iuncto cap. 5. n. 8. consonátque lib. 11. cap. 2. circa processionem Spiritus sancti per amorem trium personarum. Videtur eadem fuisse mens Caietani, quando in prædicto art. 3. respondens ad 2. & 3. obiectionem Scoti dixit, Verbum necessariò procedere ex notitia, quam Pater habet de Filio & de Spiritu sancto, atque id probari ratione, quam prius dixerat, quoniam Verbum procedit per notitiam comprehensiuam. Caietani doctrinam sequitur Canariensis supra quæst. 27. art. 5. disp. vnica parte 3. post med. & in fine. Bañez in præsenti quæst. 34. art. 3. Valentia 1. parte q. 7. de Trinit. puncto 2.

SECTIO II.

Trium personarum intuitiua cognitio per se requisita est, vt per eam procedat Verbum Diuinum.

1 *Explicatio.* HÆc vnica conclusio, quæ continetur in titulo sectionis, amplius explicatur sic. Non propter solam concomitantiam, nec propter solam perfectionem intellectionis diuinæ, sed propter formalem & explicitam rationem producendi Verbum, per se requiritur intuitiua cognitio, qua non solùm videatur Deitas, sed etiam videatur Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua & processio, per quam visionem formaliter, vt versatur circa totam integram Trinitatem, procedat Verbum. Vnde consequens est, vt per se requisitum sit etiam, quod essentia diuina in ratione speciei intelligibilis determinet ad talem intellectionem, qualis requiritur, vt per eam procedat Verbum, videlicet intuitiuam totius Trinitatis.

2 Probatio prima consistit in commensuratione prosus adæquata, quæ per se necessarióque requiritur inter quamlibet intellectionem, & Verbum procedens per illam. Quam, applicando ad Verbum diuinum, sic expono. Propter formalem & explicitam rationem producendi Verbum, requiritur intellectio cuiuscumque veritatis, quæ dicitur & exprimitur per illud Verbum per se ac necessariò, ita vt à sua quidditate Verbum habeat esse expressiuum illius veritatis. Sed quæcumque veritas, maximè verò diuina & simpliciter necessaria, dicitur & exprimitur per Verbum diuinum, ita vt Verbum per se ac quidditatiuè postulet esse illius expressiuum: Ergo cuiusque veritatis diuinæ ac necessariæ intellectio per se requiritur ad productionem Verbi, propter formalem & explicitam rationem illius. Tunc vlterius arguitur. Inter veritates diuinas & simpliciter necessarias sunt istæ propositiones. Pater æternus existit. Filius existit. Spiritus sanctus existit. Igitur istæ veritates exprimuntur & dicuntur per Verbum, ita vt Verbum per se ac quidditatiuè postulet eas dicere & exprimere. Vnde fit, vt earundem veritatum intellectio per se requiratur ad productionem Verbi iuxta priorem syllogismum.

3 Insuper quælibet veritas non potest per Verbum exprimi & dici, nisi eo gradu perfectionis, quo est cognita per intellectionem productiuam Verbi. Sed Verbum summa perfectione possibili dicit & exprimit existentiam trium personarum, & hanc perfectionem expressionis habet per se & quidditatiuè. Ergo per se & quidditatiuè postulat Verbum procedere per intellectionem, qua summa perfectione possibili cognoscatur existentia trium personarum. At verò summa perfectio non erit, nisi fuerit intuitiua & comprehensiua. Consequens igitur est, vt Verbum ad sui productionem per se requirat intuitiuam cognitionem trium personarum.

4 Maior primarij Syllogismi probatur, quoniam vt ostensum est disp. 58. sect. 1. Verbum per se & quidditatiuè postulat produci per intellectionem. Ergo perfectissimum Verbum, omnem veritatem dicens & exprimens, per se & quidditatiuè postulat produci per intellectionem perfectissimam & comprehensiuam cuiusque veritatis. Minor autem eiusdem syllogismi probatur, quia diuinum Verbum est infinitum in ratione Verbi. Sed de ratione Verbi est per illud dici & exprimi veritates. Ergo per Verbum diuinum dicitur & exprimitur omnis veritas, maximè verò diuina & necessaria veritas. Confirmatur primò, quia si vel vnica veritas defuisset Verbo, non foret infinitum in genere Verbi; quemadmodum sapientia Dei non esset infinita, si vnica saltem veritas eam præteriret.

5 Confirmatur secundò, quia Verbum Dei est adæquatum diuinæ scientiæ, propterea áque non minùs est perfectum & comprehensiuum cuiuslibet obiecti dicibilis, quàm diuina scientia est comprehensiua cuiuslibet obiecti scibilis. Ergo Verbum diuinum quidditatiuè postulat procedere per scientiam comprehensiuam cuiuslibet veritatis, maximè verò diuinæ. Antecedens probatur Patrum testimoniis. Athanas. epist. de decretis Nicænæ Synodi in med. ex professo probat, *Vnum ex Deo Verbum sufficere, quod vniuersam mundi ex voluntate Patris creationem, curamq; & prouidentiam sustineat.* Et paulo inferius: *Non enim multa verba sunt, ne vnumquodque eorum sufficiens habeatur, sed vnum Verbum, vt illud solum perfectum esse intelligatur. Et quandoquidem vnus est Deus,*

Deus, necessarium est quoque vnam esse imaginem, quæ ipsius est Filius.

6 Vnde collige tertiam confirmationem eiusdem dogmatis. Nam si qua veritas esset, quæ non diceretur & exprimeretur diuino Verbo, Deus indigeret alio verbo, quo veritatem illam diceret & exprimeret, forentque plura verba in Deo.

7 Basilius per exaggerationem exponit nostri verbi vniuersalissimam adæquationem cum cogitatione nostri cordis, vt ea qualicumque similitudine declaret, incomparabiliter esse perfectiorem adæquationem diuini Verbi cum tota perfectissima Patris intellectione; sic enim homil. 16. ad illud, *In principio erat Verbum*, post medium ratiocinatur: *Cur Verbum? quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem diducens, & perfecta in se existens: quemadmodum ferè verbum nostrum, quod totius nostræ cogitationis imaginem refert. Quæ enim secundum cor nouimus, hæc verbo proferimus: & quod loquimur exemplar habet eius, quod corde cogitamus. Ex cordis enim abundantia verbum pronunciatur. Nam cor nostrum veluti fons est quidam: verbum verò emissum veluti riuus ex fonte, tantum igitur profluens, quantum id, vnde profluit, ac quale opertum, tale item apparens extat.*

8 Cyrillus Alexand. dialogor. de Trinit. lib. 2. inter med. & finem. *Quoniam*, inquit, *est mens, quia Verbum habet, & iterum Verbum, quia refertum est mente, quomodo intelligetur aliquando absque Verbo mens, & Verbum mente priuatum.* Vbi primum ponderi, Verbum non esse refertum mente, nisi totam intellectionem adæquatè comprehendat & exhauriat: deinde mens erit absque Verbo, & Verbum erit mente priuatum nó totaliter, sed ex parte, quantum ad eam veritatem, quæ fuerit mente cognita; sed non fuerit dicta & expressa per Verbum: quapropter necessarium est totam mentem & intellectionem Verbo diuino dici & exprimi. Vnde non longè inferiùs adiungit: *Verbi quidem ex mente enuntiatio, etiam natiuitas est, passionis expers, & genitum non diuidetur, manet autem magis in mente quæ genuit, & mentem, qua genuit, in se habebit, sufficientissimeq; & manifestè demonstrabit.* & lib. 1. thesauri cap. 7. propius ad fin. quàm ad med. de sapientia genita dicit: *Nec defluxum mens passa est aliquem, quia sapientiam genuit, sed tota mens in sua natura conseruata est, & tota sapientia depingitur, & in ea videtur.* Obserua totalitatem.

9 Clarius adæquationem Verbi docuit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. sub init. scribens: *Tanquam seipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè perfecteq; dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo, quàm in ipso. Ideo Verbum hoc verè veritas est, quia quidquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est.* & prope med. eiusdem capitis: *Nouit omnia Pater in seipso, nouit & in Filio: sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso.* Vbi pondera primò perfectam adæquationem Verbi cum diuina scientia, significatam illa potissimùm propositione: *Quidquid in ea scientia, de qua genitum est, in ipso est.* Secundò perpende adæquationem Verbi cum quolibet obiecto scibili, atque dicibili, quod est in Patre, & potest in Patre cognosci. *Verbum*, enim, *est de omnibus, quæ sunt in Patre*; quod *si aliquid minus esset in Verbo*, quàm in Patre, sequeretur, quod seipsum Pater nó dixisset integrè perfectéque, sed diminutè. Vnde colligemus infra secundam probationem.

10 Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. post med. *Nec minus*, inquit, *aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quàm est mens, de qua nascitur: quia quanta est mens, quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea verbum non sit; ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est.* Quam adæquationem verbi cum mente prosequitur vsque ad finem capitis, agens quidem generaliter de verbo, abstrahendo à creato & increato, veruntamen primariò intendens exponere æqualitatem increati Verbi cum Patre.

11 Anselmus in prosolog. cap. 23. sub init. *Non potest*, inquit, *aliquid maius vel minus te esse in Verbo tuo, quo te ipsum dicis, quoniam Verbum tuum sic est verum, quomodo tu veritas.* Idem in monolog. c. 34. init. *Cum constet*, ait, *quia Verbum consubstantiale est illi, & perfectè simile; necessariò sequitur, vt omnia, quæ sunt in illo, eadem & eodem modo sint in Verbo eius.* Et paucis interiectis: *Quoniam autem idem est summo spiritui scire, quod intelligere, siue dicere: necesse est, quod eodem modo sciat omnia, quæ scit, quo ea dicit aut intelligit.* Vnde manifestè constat adæquatio perfectissima Verbi cum diuina scientia non modò quantum ad omnia obiecta, sed etiam quantum ad modum perfectionémque dicendi & exprimendi. Rursus in c. 57. à medio: *Totam*, inquit, *suam memoriam summus intelligit spiritus & amat.* Et post pauca: *Intelligitur in memoria Pater, in intelligentia Filius, in amore vtriusque Spiritus. Tanta igitur Pater & Filius & vtriusque Spiritus æqualitate sese complectuntur, & sunt in se inuicem, vt eorum nullus alium excedere, aut sine eo esse probetur.* Denique cap. 60. per vnicum Verbum omnia dici, probat, quia per vnicam sapientiam omnia sciuntur.

12 *Quidquid est in Patre totum dicitur per Verbum.* Ex his consurgit secunda probatio principalis, fundamentum habens in mutua & intima circuminsessione personarum. Quoniam vt nuper docuerunt Augustinus & Ansel. Quidquid est in Patre, totum id per Verbum dicitur. At in Patre formaliter est non modò Deitas & Paternitas constituens Patrem, sed etiam alio modo Filius & Spiritus sanctus est formaliter in Patre, tanquam indissolubiliter cohærens non modò cũ eius essentia, sed etiam cum eius persona, & quidditatiuè postulatus à Paternitate, suprà disp. 29. sect. 3. & 4. & disp. 30. sect. 5. & sequentibus, & infrà disp. 107. sect. 3. & sequentibus. Ergo per Verbum dicitur non solùm essentia & Paternitas, sed etiam Filius & Spiritus sanctus tanquam actualiter existentes in Patre. Vnde consequens est Verbum procedere per cognitionem intuitiuam Filij & Spiritus sancti. Consequentia probatur, quia Verbum quidditatiuè postulat procedere per intellectionem sibi commensuratam & æqualem, vt supra probatum est.

13 Confirmatur, nam Anselmus in monol. cap. 30. & 31. probat, creaturas existentes non requiri ad productionem Verbi, sed ad eius productionem requiri, quod Deus seipsum intelligat & dicat. Quo discursu satis apertè significat, quidquid est Deus, id totum esse obiectum, cuius cognitio per se requiratur ad productionem Verbi. Sed Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus. Ergo eorum cognitio per se requiritur ad productionẽ Verbi.

14 *Comprehensio requirit cognitionẽ omnium, &c.* Tertiò probatur. Est enim impossibile rem aliquam intuitiua intellectione comprehendere, nisi cum illa simul intuitiuè comprehendatur quidquid cum ea realiter identificatur, & pertinet ad eius complementum, tanquam eius terminus (maximè si quod identificatur, non est superioris ordinis,

diuinis,quàm substantia,cum qua identificatur; cuiusmodi potentiam obedientialem existimant esse nonnulli theologi) sed apud omnes theologos certum est, Verbum diuinum procedere per intuitiuam & comprehensiuam intellectionem essentiæ diuinæ. Ergo Verbum procedit per intellectionem intuitiuam & comprehensiuam omnium,quæ realiter identificantur cum essentia diuina (nihil enim esse potest superioris ordinis, quàm illa:) cum igitur Paternitas,Filiatio & Processio realiter identificentur cum essentia; consequens est, Verbum procedere per intellectionem intuitiuam & comprehensiuam Paternitatis, Filiationis & Processionis; atque talem intellectionem per se quidditatiuéque postulari ex intima ratione Verbi diuini, postulante procedere per comprehensionem diuinæ essentiæ, sicut omnes fatentur, & suppossuimus sect.1.

15 Confirmatur,quoniam ad integritatem & perfectionem Dei, tres relationes, seu personalitates pertinent magis intimè & arctiori vinculo copulantur illi, quàm subsistentia vel alter modus substantialis coniungitur cum homine, vel pertinet ad illum. Sed homo non comprehenditur, nisi comprehensa subsistentia, & quolibet alio modo substantiali eiusdem.Ergo Deus non comprehenditur,nisi comprehensis relationibus seu personalitatibus. Maior constat ex disput.29.& 30.

16 *Vnum correlatiuum non comprehenditur sine altero.* Quartò probatur, quia correlativa sunt simul existentia & cognitione, ita vt impossibile sit intuitiuè & comprehensiuè intelligere vnum correlatiuum, nisi intuitiuè & comprehensiuè cognoscendo aliud,iuxta illud Ioan.12. *Qui videt me,videt eum qui misit me.* & cap.14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quam doctrinam testimoniis plurimorum Patrum corroborauimus disput. 9. sect. 4. At verò Pater Verbum dicit videndo & comprehendendo seipsum, vt constat ex testimoniis Augustini adductis probat.1. & disp. præced. sect.4. Ergo cõprehensiuè & intuitiuè intelligendo Filium & Spiritum sanctum, dicit Verbum, & hoc est per se requisitum; sicut est per se requisitum,quod Pater seipsum intuitiuè comprehendat.

17 Confirmatur primò, nam ex hoc fundamento Cyrillus Alexandrinus lib. 1.thesauri cap.8. prope fin. ita ratiocinatur: *Si Pater scit semper se Patrem esse, semper in se cognitionem de Filio suo habet. Pater enim ad Filium & est & dicitur.* Eadem ergo ratione colligere possumus: si productio Verbi per se requirit intellectionem, qua Pater sciat se Patrem esse; per se requirit eo ipso intellectionem, qua Pater sciat sibi Filium esse. Valet autem idem argumentum ad probandum, per se requiri etiam intuitiuã comprehensionem Spiritus sancti.Quoniam de ratione Patris,vt Pater est,est principium & fontem esse totius Diuinitatis, vt ostendimus disput.48. sect.5. & 6. & disput.53. sect.5. Vnde sequitur, Patrem quidditatiuè postulare relationem spiratoris, qua respiciat Spiritum sanctum, & ideo comprehendi non posse absque comprehensione illius.

18 Confirmatur secundò,quia nulla res potest intuitiuè comprehendi,nisi comprehendatur etiam intuitiuè definitio illius. Sed Verbum est definitio Patris. Ergo Pater non potest intuitiuè comprehendi, nisi comprehendatur etiam intuitiuè ipsum Verbum.Minorem syllogismi,& connexionem vtriusque cognitionis docet Nazianzenus orat.36. quæ est 4.de theologia multo propius ad fin.quàm ad med.dicens: *Verbum eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque logos dicitur. Qui enim Filium cognouit,* Ioan.14. *ait Christus, Patrem quoque cognouit,* &c.

Confirmatur tertiò, quia sicut Verbum secundum suam quidditatem personalem est perfectissima imago Patris,sic etiam Pater secundum suam quidditatem personalem est exemplar & prototypus Verbi. Nullus autem potest intuitiuè comprehendere perfectã rationem prototypi, vt prototypus est, nisi comprehensiuè videat imaginem prodire perfectissimè similem illi. Confirmatur quartò,nam impossibile est,loquentem personam, vt loquẽs est,intuitiuè comprehendere, nisi comprehendatur simul intuitiuè Verbum,quod dicit, præsertim Verbum immanens & mentale. At verò Pater quidditatiuè loquens est. Rursus qui comprehensiuè videt Verbum, videt etiam Spiritum sanctum, quoniam Verbi correlatiuum est non modò Pater loquens, sed etiam Spiritus sanctus vt probatum est disput.58.sect.2.& 3. 19

SECTIO III.

Corroboratur eadem veritas, euasionibus confutatis.

1 FVndamenta, præcedenti sect. posita, possunt aliter ad rem præsentem vrgeri, adiunctis aliis propositionibus, non minùs certis. Primò namque disput.præcedenti sect.7.Anselmus,Alexand. Albert. S.Thomas & alij docuerunt,totam Trinitatem & illius singulas personas esse dictas Verbo diuino. Ergo Verbum diuinum est quidditatiuè expressiuum trium personarum. Ergo quidditatiuè præsupponit perfectam cognitionem illarum, per quam procedat. Cuius illationis efficacitas constat ex præcedenti sect.probat.1.

2 Secundò, nam vt disput.62. & 63. probabitur authoritate Patrum, scholasticorum & ratione, Verbum diuinum est expressiuum etiam creaturarum. Ergo à fortiori debet exprimere Filium ipsum & Spiritum sanctum. Sunt enim obiecta digniora & per se magis intelligibilia, & consequenter dicibilia magis incomparabiliter, quàm omnes creaturæ.

3 Tertiò. Licet Verbum per se ac necessariò non procedat per cognitionem talis aut talis veritatis contingentis; quippe quæ sicut potuit non esse veritas, ita potuit à Deo non sciri, idque sine diminutione scientiæ diuinæ, vel diuini Verbi: vt ostendemus disput.63. sect.3. & 4. Nihilominus quæcumque veritas simpliciter necessaria,præsertim ad Dei substantiam vel substistentiam pertinens,sicut non potuit non esse veritas,ita non potuit latere diuinam scientiam, sine illius diminutione ac defectu: & consequenter non potuit non esse dicta per mentale Verbum, nisi fuerit imperfectum ac diminutum. *Quæ non potuit non esse veritas, non potuit non representari Verbo.*

4 Quartò constat ex dictis, falsum & inconsequens esse, quod respondent aliqui ex authoribus contrariæ sententiæ,concedentes,cognitionẽ,per quam procedit Verbum,necessariò esse intuitiuam omnium personarum; verùm hanc necessitatem prouenire ex perfectione cognitionis tantummodo; nec eam perfectionẽ esse per se requisitam ad productionem Verbi. Hoc vltimum esse falsum cõstat ex dictis hucusque,quorum summa vis applicari potest hoc entymemate. Verbum diuinum formalissimè quidditatiuéque postulat procedere per intellectionem adæquatã sibi. Ergo quidquid per se requiritur, vt intellectio sit adæquata Verbo, totum id per se requiritur ad productionem Verbi. *Perfectus corroboratur.*

Verbi. Porrò comprehensio intuitiua personarum requiritur, vt intellectio sit adæquata Verbo (quemadmodum in hac & præcedenti sect.probatum est.) ergo *comprehensio intuitiua* personarum per se requiritur ad productionem Verbi.

5 *Inconsequentia contrariæ sententiæ.* Quintò. Prædictæ solutionis inconsequentia consistit in eo,quod addunt illius authores,per se requisitam esse cognitionem intuitiuam Paternitatis & Filiationis; sed processionis intuitiuam cognitionem esse concomitantem, & non per se requisitam. Cuius discriminis non possunt rationem sufficientem reddere: cum identitas realis processionis Spiritus sancti cum essentia non sit minor, quàm identitas Paternitatis & Filiationis; insuper relatio processionis sit correlatiua Paternitatis, vt vidimus sect. præcedenti. Confirmatur,quia non obstat,Spiritum sanctum esse postremum origine; nam si hæc posterioritas obstaret; non posset esse per se requisita cognitio intuitiua Verbi, quoniam Verbum etiam est posterius origine, quàm cognitio fœcunda, prout est in Patre productiua Verbi.

6 *Alterius solutionis inconsequentia.* Sextò. Non minus inconsequens est altera solutio eorumdem authorum. Asserunt enim, Dei scientiam esse cõprehensiuam ex eo præcisè,quod intelligat Deitatẽ, Paternitatem & Verbum, præscindendo à Spiratione actiua & passiua. At omnes rationes, quæ in hac & præcedenti sect. probant,Dei scientiam non esse comprehensiuam,nisi comprehendãtur relationes seu personalitates, in quibus subsistit, quibus perficitur & completur, vel integratur, cum quibus realiter identificatur; in Spiratione actiua & passiua vim habẽt nihilominorem,quàm in Paternitate & Filiatione. Præterquam quod Pater & Verbum nõ possunt comprehendi sine comprehensione Spirationis actiuæ,promanantis ex eorum quidditate,& cum illis realiter identificatæ. Spiratio autem actiua comprehendi non potest absque comprehensione sui correlatiui, nimirum Spirationis passiuæ.

7 *Obiectio.* Septimò. Multæ probationes istius & præcedentis sectionis supponunt, esse necessariam illationem hanc: Per se requiritur cognitio comprehensiua trium personarum: ergo per se requiritur cognitio intuitiua illarum. Ad explicandum itaque valorem istius illationis obiicio contra illam. Intellectio,qua Deus cognoscit aliquem angelum possibilem,& nunquam futurum,est comprehensiua & supercomprehensiua illius; cum tamen non sit intuitiua. Ergo ex comprehensione nõ sequitur, eam esse intuitiuam cognitionem. Confirmatur, quia dæmon euidenter scit, Deum existere; nihilominus non cognoscit Deum intuitiuè. Ergo quamuis euidenter & comprehensiuè cognoscatur hæc veritas, *Spiritus sanctus existit,* aut *Filius existit*, inde non sequitur, eam cognitionem esse intuitiuam.

8 *Creaturarum comprehensio potest esse abstractiua, non verò Dei cõprehensio.* Ad obiectionem respond.In creatis obiectis ex illorum comprehensione non infertur intuitiua cognitio;necessariò tamẽ infertur in qualibet persona diuina. Ratio discriminis est,quia de quidditate cuiusque personæ diuinæ est existere,& complere primarium obiectũ perfectissimæ cognitionis,quod est integer Deus. Vnde fit, vt personarũ quidditas non penetraretur modo summè proportionato; nisi cognoscerentur intuitiuè. Summa quippe proportio cognitionis ad actualẽ existentiam (maximè verò necessariam) cõsistit in cognitione intuitiua. Hæc enim est rei existentis,prout existens est. Quod si cognitioni deesset hæc summa proportio, deesset summa perfectio, propterea*que* non esset comprehensiua. Veruntamen è contrario quælibet creatura potest comprehensiuè cognosci, quamuis non cognoscatur intuitiuè, quoniam de illius quidditate non est actualiter existere. Ad confirmationem respond. illam cognitionem dæmonis non esse comprehensiuam diuinæ existentiæ:nam si per impossibile comprehenderet,eo ipso claram Dei visionem haberet.

SECTIO IV.

Verbum esse imaginem Spiritus sancti, & sui ipsius, non sequitur ex eo,quod procedat per cognitionem vtriusque.

1 HOc potissimùm argumento nituntur authores, negantes, esse per se requisitam intuitiuam cognitionem Spiritus sancti,quia si comprehensio intuitiua Spiritus sancti foret per se requisita, vt per eam procederet Verbum: sequeretur, Verbum esse imaginem Spiritus sancti, sicut est imago Patris. Consequens autem est falsum:ergo & antecedens. Sequela probatur, nam quidditas imaginis in eo consistit,quod procedat ab aliquo, tanquam ab obiecto repræsentato. At verò Verbum procederet à Spiritu sancto tanquam ab obiecto repræsentato; si per se postularet cognitionem Spiritus sancti. *Argumẽtum.*

2 Confirmatur primò, nam imaginis quidditas non exigit ab exemplari procedere secundum esse physicum & reale sui exemplaris; satis enim est imaginem procedere secundum esse cognitum, quod exemplar habet in cognoscente. Sic enim statua vel pictura imago est Cæsaris, licet ab illo non procedat secundum esse physicum & reale Cæsaris; sed tantùm secundum esse cognitum, quod Cæsar habet in mente pictoris aut sculptoris. Igitur vt Verbum sit imago Spiritus sancti, non erit opus Verbum realiter à Spiritu sancto procedere; sed erit satis Verbum procedere per cognitionem Spiritus sancti, vt expressiuum illius. Confirmatur secundò,quoniam omne Verbum est imago sui primarij obiecti; vt vidimus disp.6,sect.1. & sequentibus. At verò primarium obiectum diuini Verbi est totus Deus integer, vt includit non modò substantiam absolutam, sed etiam tres personas. Vnde tertiò colligitur,Verbum esse imaginem sui ipsius; si per se requirit produci per intuitiuam & comprehensiuam cognitionem sui ipsius.

3 *Imago procedere debet ab exemplari.* Respondeo generaliter, imprimis ad rationem imaginis non sufficere similitudinem (siue realem, siue intentionalem ratione cognitionis) sed præterea requisitam esse originem & imitationem, ratione cuius imago similitudinem recipiat à suo exemplari tanquam à principio productiuo: vt fusiùs ostendemus disput. 64. sect. 2. Veruntamen in particulari propositæ quæstioni generalem doctrinam applicuit Anselmus in monol. cap.60. prope fin. dicens: *Constat esse imaginem & Filium eius, cuius est Verbum: & patet, quod nec imago, nec Filius suimet, nec à se procedentis Spiritus congruè dici potest. Nam nec ex seipso, nec ex procedente à se nascitur: nec seipsum, aut procedentem à se nascendo imitatur. Seipsum quippe non imitatur, nec à se trahit existendi similitudinem: quia imitatio & similitudo non est in vno solo, sed in pluribus: illum verò,* scilicet Spiritum sanctum, *non imitatur, nec ad eius similitudinem existit: quia iste non habet ab illo esse, sed ille ab isto.* Hoc ipsum prosequitur, sequenti cap. 61. & fusiùs declaratur ab Henrico

2.part.summæ art.58. q.2. prope finem. Rupertus lib.2. de Trinit. cap.2. ait: *Sicut non est Filius Spiritus sancti, sic non est illius imago.*

4 *Solutio argumenti.* Quo supposito, ad principale argumentum respondeo, negando sequelam. Ad eius autem probationem respond. Minorem esse falsam. Etenim vt imago procedat ab aliquo tanquam ab obiecto repræsentato, non sufficit, illius obiecti cognitionem esse per se requisitam ad productionem imaginis: sed præterea requiritur, quod illud obiectum sit principium productiuum similitudinis, quam habet imago, & sit primum exemplar illius similitudinis. Hoc modo Pater est obiectum cognitum & principium productiuum similitudinis; eo quod diuina intellectio, prout est propria Patris, & à nullo alio principio recepta, est principium *quo*, & operatio, per quam Pater producit Verbum sibi perfectissimè simile in natura, non in Paternitate. Ideóque Pater est primum exemplar istius similitudinis. At verò Spiritus sanctus, licet sit obiectum per se cognitum, & pertineat ad primarium obiectum intellectionis, per se requisitæ ad productionem Verbi: nihilominus non est obiectum productiuum similitudinis in natura, quam Verbum accipit à Patre, nec est primum exemplar illius. Quin potius ipse Spiritus sanctus similitudinem in natura recipit à Verbo tanquam ab alio subexemplari, quod est origine prius, quàm similitudo communicata Spiritui sancto.

5 Ad primam confirmationem respond. Ad rationem imaginis satis est, eam procedere secundum esse cognitum, quod exemplar habet in cognoscente; dummodo realiter procedat imago ab exemplari. Sic enim Cæsaris imago, vt verè sit illius imago, & non alterius, debet à Cæsare procedere, quatenus Cæsar in genere causæ efficientis & exemplaris mouet ad cognitionem sui: & cognitio effectiuè concurrit, artem dirigendo ad conformandum sculptile vel picturam cum suo exemplari. Sufficit autem saltem mediatè procedere ab exemplari, nec est necessarium immediatè procedere. Confirmatur, nam inde prouenit, vt propriè non sit imago, sed potius exemplar ædificij construendi, quod artifex excogitauit prius, & finxit ex luto vel ligno, ad dirigendam operis executionem: quoniam huius similitudo non processit ab ædificio faciendo, sed è contrario faciendum ædificium procedere debet ab hoc exemplari.

6 Ad secundam confirm. respond. distinguendo Maiorem. Verbum enim est imago sui primarij obiecti, producentis illud Verbum: cæterum obiecti, non producentis illud Verbum, nec habentis vllam rationem principij productiui, Verbum non est imago propriè dicta, sed largè & abusiuè, quemadmodum vulgariter solemus dicere, vnum hominem esse imaginem alterius, licet non sit filius illius, propter peculiarem similitudinem. Adde, quod in Verbo perfectissima ratio imaginis consistit in substantiæ vnitate, quam ex vi processionis formaliter Verbum accipit à Patre, vt à principio productiuo & prototypo: sed eam non accipit à Spiritu sancto, licet illum exprimat, & dicat tanquam obiectum primarium. Quapropter etiam ille vulgaris & improprius modus appellandi imaginem Spiritus sancti, quoniam Verbum est expressiuum illius, est intelligendus quantum ad similitudinem intentionalem, non quantum ad similitudinem realem.

7 Ad tertiam confirmat. euidentior est solutio. Quoniam Verbum, licet ad sui productionē exigat sui cognitionem; nihilominus non esse imaginem sui ipsius, abunde probant non modò rationes nuper adductæ, ne sit imago Spiritus sancti, sed etiam alia peculiaris Verbo, quam adnotauit Anselmus suprà relatus; nam inter imaginem proprie dictam, & exemplar requiritur realis distinctio, quoniam realis est relatio, & realis processio imaginis. Quam ob causam Verbum diuinum non est proprie imago Deitatis, licet procedat per illius cognitionem tanquam obiecti primarij. Consequens igitur est, vt Verbum multo minus sit imago sui ipsius, à quo nullo modo distinguitur, cum tamen à Deitate ratione distinguatur.

SECTIO V.

Alia argumenta pro sententia Scoti soluuntur.

1 PRimum est, quia si Verbum procederet per cognitionem sui ipsius; sequeretur, Verbum procedere à seipso, vt noto Patri. Consequens autem est falsum. Ergo & antecedens. Sequela probatur, quia Verbum procedit ab obiecto cognito. Respondet Caietanus in præsenti quæst.34.art.3. inter med.& fin. nullum inconueniens esse, Verbum procedere ex seipso & Spiritu sancto, vt notis Patri, id est, ex notitia, quam Pater habet de eis. Quam solutionem docti recentiores imitantur, vt Valentia 1.part.quæst.7.de Trinit.puncto 2.ad 2. Veruntamen impropria est locutio Caietani, nec *Impropria locutio.* respondet ad mentem Scoti, qui contendit inferre, quod ipsa persona Spiritus sancti sit principium, à quo procedat Verbum, si procedat per cognitionem illius.

2 Dicendum est igitur, Verbum non procedere à quocumque obiecto cognito, sed ab illo tantùm, quod est primum suppositum, à seipso habens non solum actiuè intelligere, sed etiam esse intelligibile obiectum, determinans ad sui intellectionem. Huiusmodi autem obiectum est solus Pater. At verò Verbum & Spiritus sanctus non habet à seipso actiuè intelligere, nec esse obiectum intelligibile, determinans ad sui intellectionem: sed hoc totum habet à Patre, à quo recipit esse suum. *Quare Verbū non procedit à seipso.*

3 Quæ solutio explicatur magis, nam Verbum non procedit ab obiecto, nisi prout est principium productiuum per intellectionem. Ideo illud obiectum, quod fuerit primum principium, à seipso habens totam virtutem intelligendi, erit illud, à quo procedit Verbum. At verò, quod non habuerit à seipso talem virtutem, inueniet Verbum iam processisse ab alio priori principio; propterea que nihil poterit in eius processionem influere, non obstante, quod Verbum per se requirat procedere per cognitionem illius.

4 Confirmatur, quamuis enim Verbum sit expressiuum creaturarum, & consequenter procedat per cognitionem earum; non sequitur, Verbum procedere à creaturis, eo quod *creaturæ non cognoscuntur à Deo per scientiam, à creaturis acceptam, sed per essentiam diuinam.* Quam rationem reddit S.Thomas in præsenti quæst. 34. art. 3. ad 3. Et quidem licet in aliis sit infinitum discrimen; in hoc tamen est paritas rationis cum debita proportione, quoniam Verbum & Spiritus sanctus non cognoscitur à Patre per scientiam acceptam à Verbo, nec à Spiritu sancto, sed per essentiam diuinam,

diuinam, quam Pater habet prius origine tanquam fons scientiæ, sicut est fons Diuinitatis. Ideo Verbum non procedit à seipso, nec à Spiritu sancto, licet sit expressiuum sui & Spiritus sancti, & per eorum cognitionem procedat.

5 *Secundū argumentum.* Secundum argumentum. Cognitio intuitiua supponit existere suum obiectum. Sed cognitio, per quam procedit Verbum, non supponit existere Verbum, nec Spiritum sanctum. Ergo cognitio, per quam procedit Verbum, non est intuitiua ipsius Verbi, nec Spiritus sancti. Minor probatur, quia cognitio, per quam procedit Verbum, est in quodam signo rationis prior origine, quàm ipsum Verbum, & à fortiori prior origine, quàm Spiritus sanctus. Ergo non supponit existere Verbum, nec Spiritum sanctum.

6 Confirmatur primò, nam in illo priori, in quo procedit Verbum, non existit Spiritus sanctus. Ergo in illo priori non cognoscitur intuitiuè, vt existens. Vnde consequens est, in eodem priori nullo modo cognosci Spiritum sanctum, quia non debet cognosci, vt possibilis, nec vt futurus. Confirmatur secundò, quoniam antequam existat Spiritus sanctus, præintelliguntur Pater & Filius se mutuò cognoscentes comprehensiuè. Hac enim cognitione proponitur obiectum amoris & excitatur, ac dirigitur amor, per quem procedit Spiritus sanctus.

7 *Cognitio intuitiua quod obiectum supponit existere.* Respond. distinguendo Maiorem argumēti sic. Cognitio intuitiua supponit existere obiectum illud, quod à seipso cognoscibilitatem habet, non acceptam ab alio principio. Quemadmodum Pater sicut à seipso habet essentiam & veritatem, sic etiam cognoscibilitatem habet à seipso, & non acceptam ab alio principio. Nihilominus intuitiua cognitio non supponit existere illud obiectum, quod suam cognoscibilitatem accipit ab alio obiecto, tanquam à principio. Nunc ergo, quoniam Verbum & Spiritus sanctus suam cognoscibilitatem, sicut essentiam & veritatem, accipit à Patre tanquam à principio; ideo cognitio intuitiua illorum non supponit, eos existere prius origine, nec aliqua prioritate, simpliciter dicta: licet quodammodo sit prior eorum existentia, quàm intuitiua cognitio, per quam cognoscuntur.

8 Declaratur & probatur à fortiori, nam intuitiua cognitio potest esse prior, quàm obiectum aliquod visum, idque non modò prioritate rationis & originis, sed etiam infinitæ durationis & æternæ comparatione temporis. Constat enim esse intuitiuam futurorum in scipsis præscientiam, quam Deus ab æterno habuit, non aliter illa videns, quàm ea videt in ipsa temporis differentia, quādo actualiter in seipsis existunt. Ergo prioritas solius rationis & originis, cum simultanea coëxistentia æternitatis, non poterit impedire, ne sit intuitiua cognitio Verbi & Spiritus sancti, quam Pater habet prius ratione, quàm producatur Verbum.

9 *In quo posita sit ratio cognitionis intuitiuæ.* Sed inquiris, in quo posita sit ratio cognitionis intuitiuæ, si nō supponit existere suum obiectum? Respondeo. Non est necessarium, quod simpliciter supponat quasi priorem simpliciter existentiam obiecti; sed satis est si supponat quasi quodammodo priorem, quantum ad connexionem & exigentiam propter intrinsecum modum tendendi cognitionis intuitiuæ. Talis enim cognitio ex vi suæ quidditatis & intrinseco modo tendendi, non dictaret obiectum existere, nisi obiectum re ipsa existeret, quando & vbi cognitio dictat, illud existere. Verùm hanc intuitiuæ cognitionis essentiam explicuimus ex professo, tractantes de visio-

ne beatifica supra quæst.12.art.1.& quæst.14. art. 9. tractantes de scientia futurorum.

10 *Prioritas in Deo quid sit.* Ad huius doctrinæ confirmationem, ac vniuersalem solutionem multarum obiectionum, quæ in hac & in sequentibus duabus disputationibus solent esse molestæ, iuuat plurimum habere præ oculis, prioritatem rationis in Deo nihil aliud esse formaliter & quidditatiuè; nisi quod vna formalitas exigat aliam, & quasi pendeat ab illa. Vnde fit, vt frequenter in Deo reperiatur mutua prioritas propter mutuam exigentiam, & quasi dependentiam in diuerso genere. Quod fusius explicauimus olim peculiari disputatione de ordine actuum diuinorum.

11 Ad primam confirmationem respond. Æquiuocatio seu amphibologia latet in consequenti, propter applicationem illius prioris. Potest enim applicari vel ad existentiam Spiritus sancti, vel ad cognitionem illius. Hanc igitur exponendo dico: In illo priori, in quo procedit Verbum, iam existit illa cognitio intuitiua, per quam Pater cognoscit Spiritum existere non in illo priori, sed posteriùs origine, & in posteriori signo rationis nostræ. Neque hoc est Spiritum sanctum cognoscere, vt possibilem, nec vt futurum; quoniam mera possibilitas aut futuritio est eorum, quæ aliquando realiter non existunt. Clarior cernitur amphibologia simillima, cum dicimus, Deum intuitiuè cognoscere ab æterno creaturas existere. Nam si diuina scientia dictaret creaturas ab æterno existere, foret omnino falsa. Vera tamen est quia scientia ab æterno existens, dictat, creaturas existere non ab æterno, sed in tempore.

12 Ad secundam confirmationem respond. Licet cognitio comprehensiua & intuitiua præintelligatur prior, quàm existat Spiritus sanctus, adhuc potest esse intuitiua ipsius Spiritus sancti, vt probatum est.

13 *Tertium argumentum.* Contra præcedentem solutionem occurrit argumentum tertium, videtur enim neque Paternitatis intuitiuam esse cognitionem, per quam procedit Verbum, licet Pater à seipso & non ab alio cognoscibilitatem habeat. Quod probari potest, quia Paternitas non existit prius natura, quàm Filiatio (relatiua namque sunt simul natura) sed Filiationis existentia non est absolutè prior, quàm cognitio, per quam procedit Verbum. Ergo nec existentia Paternitatis erit absolutè prior, quàm cognitio, per quā procedit Verbum. Consequens igitur erit, vt neque Paternitas possit per illam cognitionem intuitiuè cognosci, siquidem iuxta regulam, in solutione datam, debet eius existentia præsupponi ad cognitionem intuitiuam.

14 *Prioritas inter Paternitatem & Filiationem.* Respond. Non est omnino simultanea coëxistentia Paternitatis cum Filiatione, siquidem est prior origine & ratione (quæ ab aliquibus etiam appellatur prioritas naturæ. Quamuis enim prædicamentales relationes creaturarum non possint habere prioritatem originis, sed sint omnino simul origine & naturā: diuinæ tamen relationes, quoniam altiori modo complectuntur totam perfectionem relationum prædicamentalium & transcendentalium, quantum ad rationem principij producentis, & termini producti: propterea cum simultanea coëxistentia æternitatis complectuntur etiam prioritatem originis, quæ quidditatiuè consistit in ratione principij productiui. Sed de his prioritatibus ex professo differendum erit disput.106.sect.2.& 3.

15 *Quartum argumentum.* Quartum argum. Obiecti secundarij cognitio non est per se requisita ad producēdum terminum

intellectionis, qui est Verbum. Sed quælibet persona diuina est obiectum secundarium intellectionis diuinæ. Ergo cuiuslibet personæ cognitio non est per se requisita ad producendum Verbum. Minor probatur, nam essentia, vt præintellecta relationibus, est primarium obiectum intellectionis essentialis.

16 *Personæ pertinent ad integritatē obiecti primarij.*

Respond. omissa maiori (de cuius falsitate dicendum erit disput. 63, quando probabimus, creaturarum cognitionem esse per se requisitam) negando Minorem. Imo diuinæ personæ pertinent ad integritatem primarij obiecti formalis diuinæ cognitionis non minus, quàm pertinent ad integritatem, ac plenitudinem Dei, supra disput. 29. & 30. Ab aliquibus verò theologis personæ seu relationes diuinæ vocantur obiectum secundarium, fortasse quia putant, eas non pertinere ad Dei perfectionem & plenitudinem, sed illis omnino resecatis, Deum manere plenum atque perfectum. Ex tribus autem personis prima, nimirum Pater nulla ratione neque secundum quid, est secundarium obiectum, quoniam à seipso cognoscibilitatem habet, & vim determinandi ad sui cognitionem tanquam illius obiectum. At verò Filius & Spiritus sanctus non simpliciter, sed tantum quodammodo possunt appellari secundarium obiectum, quoniam à Patre recipiunt cognoscibilitatem, & vim determinandi ad sui cognitionem, vt superius explicatum est.

17 *Quintum argumentum.*

Quintum argumentum. Quamuis Pater non intelligeret Spiritum sanctum, ex eo præcisè, quod seipsum & Verbum intelligeret, produceret Verbum. Ergo cognitio Spiritus sancti non est per se requisita ad productionem Verbi. Respond. primò. Si Pater non intelligeret Spiritum sanctum sed nihilominus intelligeret seipsum & Verbum; per illam intellectionem diminutam produceret Verbum, non integrum & perfectum, sed diminutum & imperfectum, quoniam ad perfectionem Verbi pertinet esse expressiuum omnium dicibilium, quorum vnum, quo nullum aliud præstantius, est Spiritus sanctus, cuius expressiuum non potest esse Verbum, non procedens per illius cognitionem. Quemadmodum si Pater non intelligeret suam omnipotentiā, vel æternitatem, quamuis per impossibile comprehenderet cæteras omnes perfectiones; Verbum non procederet vt expressiuum omnipotentiæ vel æternitatis; idcóque foret diminutum & imperfectum. Tantum itaque perfectionis resecare debes à Verbo per intellectualem præcisionem, quando fingis, non procedere per cognitionem alicuius veritatis, quantum perfectionis resecas à cognitione, fingendo, non terminari ad talem veritatem.

Prima solutio.

18 *Secunda solutio.*

Respond. secundò. Ex eo quod Pater intelligeret seipsum & Verbum, necessariò sequitur, quod intelligeret etiam Spiritum sanctum, vt probatum est sect. 2. & 3. Quapropter ex hoc capite sequitur, quod Verbum procederet perfectum, quamuis aliunde ex eo quod supponitur, non cognosci Spiritum sanctum, sequeretur Verbum procedere imperfectum. Vnde sequitur etiam, nullo modo procedere, quoniam impossibile est procedere imperfectum & diminutum; & aliunde ex suppositione non poterat procedere perfectum Verbum.

19 *Sextum argumentum.*

Sextò præoccupandum est argumentum, quod aliquis posset accipere ex Cyrillo lib. 1. thesauri cap. 8. prope fin. vbi tanquam absurdum recusat concedere; *Per prius Patrem doctum fuisse, quod Filius sibi nasceretur, quàm eum pepererit.* Ergo Filius nō procedit per cognitionem eiusdem Filij. Consequentia probatur, quia cognitio, per quam procedit Filius, est per prius, quàm Pater eum pepererit. Confirmatur, nam inferius docet, neque iudicium, neque voluntatem præcessisse generationem Verbi.

20 *Cyrillus expenitur.*

Respond. Cyrillus solummodo negat eam proprietatem cognitionis, qua rationis consilium solet liberam voluntatem dirigere ad operandum, cum possit non operari. Hanc enim prioritatem extorquere conabatur Eunomius, qua conuinceret, Filium non esse consubstantialem, nec coæternum, sed factum in tempore. Quod magis explicuit Cyrillus in eodem capite, subiiciens. *Nam si per prius consilio vsus est, & per prius didicit, Filium sibi futurum; spatia certè aliqua Filium præcedent. Sed ipse & temporis & omnis spatij creator est.*

21 Septimò posset etiam argumentum accipi ex Cyrillo in eodem lib. 1. thesauri, nam toto cap. 9. probat, Filium non esse similem voluntati Patris, nec esse imaginem voluntatis, sed ipsius hypostasis Patris. Cum igitur in Patre non sit alia voluntas, nisi actualis volitio seu amor, per quem procedit Spiritus sanctus; consequens esse videtur, quod Verbum non exprimat amorem diuinum, nec Spiritum sanctum, ac subinde non procedat per cognitionem amoris, nec Spiritus sancti.

22 Respond. Cyrillus ibi solummodo intendit probare, relationem similitudinis & imaginis, quæ propria est Filij, non referri ad voluntatem essentialem & communem, quoniam illa non est terminus realiter distinctus; sed referri ad hypostasim Patris, quæ non solum realiter distinguitur, sed etiam est exemplar Filij. Hoc autem nihil obstat, quominus Verbum intentionaliter exprimāt & dicat Spiritum sanctum & amorem, per quem procedit, & per eorum cognitionem procedat ipsum Verbum.

SECTIO VI.

Appendix de Spiritu sancto procedente per amorem sui.

1 *Per amorem trium personarum procedere Spiritum sanctum.*

PRopter rationis paritatem, vel potius fortiori ratione colligitur ex dictis tota præsenti disputatione, Spiritum sanctum procedere per amorem trium personarum & ipsius etiam Spiritus sancti, quoniam procedere debet per amorem comprehensiuum totius infiniti boni; & consequenter per amorem trium personarum seu relationum simul cum essentia. Personalitates enim seu relationes per se requiruntur ad integrandam, complendam & perficiendam infinitam bonitatem & perfectionem Dei, vt ostendimus disp. 29. & 30. Ergo pertinent ad complendum & integrandum primarium & formale obiectum amoris diuini.

2 Confirmatur primò, nam ex difficultatibus, quæ videbantur obstare, ne Verbum procederet per cognitionem trium personarum, aliquæ nihil nec apparenter obstant, ne Spiritus sanctus procedat per amorem trium personarum. Amor enim non exigit obiectum amatum prius existere, sicut cognitio intuitiua requirit, aliquod obiectum prius existere. Confirmatur secundò, nam diuinus amor, nostro modo intelligendi, quando elicitur, iam inuenit existentes Patrem & Filium, eo ipso actualiter producentes Spiritum sanctum in eodem instanti rationis, in quo intelligitur ille amor elicitus esse à Patre & Filio.

ARTICV

ARTICVLVS III.

Vtrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam.

DISPVTATIO LXII.

Vtrum Dei Verbum personali proprietate respiciat creaturas possibiles & existentes.

SECTIO I.

Verbi ad creaturas relatio nulla est realis, nisi quæ transcendentalis est.

1 *Relatio transcendentalis.*

DVPLEX est respectus, siue relatio. Alter transcendentalis, qui ab antiquis appellabatur relatio habitualis, siue secundum dici. Hic verè quid absolutum est, conueniens omnibus prædicamentis. Consistit autem in eo, quod aliquid non possit intelligi, nisi alia re intellecta in obliquo. Quemadmodum nec materia sine forma; nec forma sine materia; nec subsistentia sine natura; nec intellectus sine intellectione & specie; nec accidens absque subiecto potest intelligi.

2 Atque inter diuinas perfectiones omnipotentia non potest intelligi, nisi creaturæ possibiles intelligantur in obliquo; nec præscientia omnium futurorum intelligi potest, nisi futura contingentia in obliquo intelligatur. Ideo S. Thomas supra quæst. 13. art. 7. corpore, & in præsenti q. 34. art. 3. ad 2. distinguit relationes, quæ consequuntur actionem non transeuntem, sed immanentem in Deo, vt scire & velle, quæ Deo conueniunt ab æterno: cum tamen non nisi ex tempore conueniant Deo relationes, quæ consequuntur actionem transeuntem, vt relatio Creatoris & Domini.

3 Alter respectus est relatio prædicamentalis, quæ non potest quidditatiuè conuenire cæteris prædicamentis, licet in illis fundetur, & illis inhæreat. Definitur autem: Cuius totum esse est ad aliud se habere, vt explicatum est disp. 9. sect. 3. & sequentibus.

4 *Verbi ad creaturas nulla relatio quasi prædicamentalis.*

Quo supposito, sit prima conclusio certa. Nulla relatio prædicamentalis, aut quasi prædicamentalis diuino Verbo potest realiter conuenire comparatione creaturarum: idque nec ratione personalis proprietatis, nec ratione communis scientiæ, vel essentiæ, sed in Verbo talis relatio ad creaturas est denominatio prorsus extrinseca, proueniens à creaturis, & merum ens rationis. Ita sentiunt omnes Scholastici (nemine dissentiente, nisi voce tenus, & in proprio modo loquendi, vt Nominales.) S. Thomas supra quæst. 13. art. 7. & in præsenti q. 34. art. 3. & de veritate q. 4. art. 5. S. Bonauent. 1. dist. 27. p. 2. art. 1. tota q. 2. Ricardus dist. 27. art. 2. quæst. 3. vbi Ægidius art. vltimo quæst. 4. Alexand. 1. p. quæst. 62. memb. 1. art. 3. & 4. Albertus 1. p. quæst. 35. memb. 3. art. 2. ad fin. & art. 3. ad fin. Carthus. 1. dist. 27. quæst. 3. post med.

5 Magis apertè sub nomine respectus rationis, & non realis, conclusionem docent Scotus 1. dist. 27. quæst. 3. col. penult. & dist. 32. §. *ad istam quæstionem*, & quodlib. 8. art. 3. Henricus 2. p. summæ art. 59. quæst. 5. corp. prope fin. & ad 3. Aureolus 1. dist. 27. art. 3. dubio 4. col. penult. Gabriel eadem dist. 27. quæst. 3. art. 3. dubio 1. Capreolus dist. 27. quæst. 2. art. 1. concluſ. 5. Caietanus in præsenti quæst. 34. art. 3. §. *circa prædicta.* Ferrarien. 4. contra gent. cap. 13. *ad secundum dubium*, Canarienſis supra quæst. 27. art. 1. disput. 3. inter med. & fin. vbi Molina disp. 7. colum. vltima & in præsenti quæst. 34. art. 1. ad 2. Valentia 1. p. q. 7. de Trinit. puncto 2. ad 3. Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 3. num. 5. & cap. 6. num. 21. Pro eadem conclusione citari possunt omnes authores, qui generaliter docent, Dei ad creaturas nullam esse realem relationem. De quo videri possunt S. Thomas & eius expositores 1. p. q. 13. art. 7. S. Bonauentura & alij Scholastici 1. dist. 30.

6 Nec minùs generales sunt probationes. Prima quidem, quia creaturæ non sunt eiusdem ordinis cum Deo, sed magis ab eo distant, quàm scibile distat à scientia, prout explicant doctores nuper citati.

7 Secunda ratio est, quoniam realis relatio quasi prædicamentalis requirit terminum actu existentem, vnde non posset in Deo realis esse relatio ad creaturas, quousque in tempore producerentur creaturæ. At verò contradictionem implicat aliquid reale Deo conuenire ex tempore, quod non fuerit ab æterno. Mutaretur enim & nouam perfectionem, vel potius imperfectionem acquireret. Confirmatur, quia quælibet realis formalitas Dei est simpliciter necessaria, nec potuit non esse. Talis autem relatio ad creaturas potuit non esse, si Deus, vt potuit, nullam creaturam produxisset. Omitto nunc formalitatem actus liberi, cuius est aliud negotium magis operosum.

8 Probatur tertiò, nam in Deo sola relatio originis est realiter & propriè relatio. Cætera cuncta sunt simpliciter absoluta; vt probatum est disp. 9. & alibi sæpe.

9 *Verbi ad creaturas relatio trāscendentalis.*

Secunda conclusio. Diuinum Verbum, licet non primariò, secundariò tamen importat respectum seu relationem secundum dici, seu habitualem & transcendentalem ad creaturas non modo possibiles, sed etiam existentes. Ita existimat S. Thomas in præsenti quæst. 34. art. 3. iuncta quæst. 4. de veritate artic. 5. & in 1. sentent. dist. 27. quæst. 2. artic. 3. S. Bonauent. distinct. 27. p. 2. art. 1. quæst. 2. Alexander, Albert. Ægidius, Ricard. Henricus, Carthus. Aureol. Gabriel, & alij citati pro concl. 1.

10 Ratio manifesta est, quoniam, vt initio prænotauimus, relatio transcendentalis, seu habitualis in eo consistit, quod aliqua res quidditatiuè non possit intelligi, nisi alia re simul intellecta in obliquo. At verò, quod Filius sit Verbum adæquatum, & vniuersalissimum, quo Pater dicit, & iubet quæcumque dicit & iubet, hoc non potest intelligi, nisi rebus creatis, simul intellectis in obliquo, quoniam illæ dicuntur & iubentur à Deo. Confirmatur, nam in diuina scientia contineri realem respectum transcendentalem ad creaturas, authoritate & ratione probatum est circa quæst. 14. S. Thom. art. 1. Similémque respectum in voluntate diuina contineri, probatum est quæst. 19. circa art. 1. Quod autem iste respectus ad creaturas secundarius sit, non verò primarius, inde constat, quoniam scientia Dei primariò respicit suum obiectum formale, quod est solus Deus: creaturæ autem sunt obiectum materiale, propterea quæ secundariò respiciuntur à

diuina scientia, tanquam cognitæ, & consequenter à diuino Verbo secundariò respiciuntur tanquam dictæ. Adde, quod Verbum diuinum quidditatiuè respicit primariò principium dicens, & concipiens, videlicet Patrem: cæteri verò respectus ex hoc primario respectu consequuntur.

11 Tertia conclusio. Respectus prædictus ad creaturas est realis perfectio Verbi. Probatur, quoniam hæc relatio formaliter consistit in reali & intrinseca amplitudine infinita, propter quam Verbum compehendit omnia obiecta, quæ dici possunt à quolibet loquente, quantumlibet simpliciter infinito, vt magis constabit ex probationibus afferendis sect. sequenti.

Realis est prædicta relatio.

12 Hanc verò conclusionem amplio, vt non solùm realis perfectio sit relatio Verbi ad creaturas possibiles, sed etiam relatio ad creaturas existentes. Quod intellige quemadmodum de scientia visionis, & de libera volitione Dei probauimus & explicuimus, agentes de voluntate Dei circa quæst. 19. Denique nihil aduersus hanc realem perfectionem asserunt doctores, adducti pro prima conclusione; quoniam illi loquuntur de relatione, prout condistinguitur à formalitate simpliciter absoluta, vt in princ. sectionis prænotauimus: sed ille respectus, quem in Deo ponit secunda & tertia conclusio, est formalitas simpliciter absoluta, quemadmodum diuina scientia, vel volitio, seu potentia.

SECTIO II.

Num illa transcendentalis relatio ad creaturas, conueniat Verbo ratione proprietatis personalis.

1 SI constiterit, transcendentalem relationem ad creaturas conuenire ratione personalis proprietatis propter formalissimam rationem Verbi præcisè consideratam: consequens erit etiam illum respectum rationis, seu denominationem extrinsecam, quæ resultat in Verbo tunc quando creaturæ producuntur, conuenire Verbo ratione proprietatis personalis: non ita vt contineatur in quidditate Verbi, sed ita vt resultet ex illa, & in eadem fundetur, supposito termino iam existente, videlicet, creaturis.

2 Prima sententia docet, licet non primariò, secundariò tamen ratione personalis proprietatis, & in quantum est Verbum, illi conuenire respectum ad creaturas. Ita Henricus 2. p. summæ art. 59. quæst. 5. Aureol. 1. dist. 27. art. 3. dubio 4. Eadémque videtur esse mens S. Bonauent. in 1. dist. 27. p. 2. art. 1. q. 2. fine. Quæ sint huius sententiæ fundamenta, quantúmque valeant, constabit ex probationibus conclusionis, & ex sect. sequenti.

Prima sententia.

3 Secunda sententia docet, hunc respectum conuenire Verbo non ratione personalis relationis, sed ratione sapientiæ ac Deitatis imbibitæ. Ita existimat Albertus 1. p. quæst. 30. memb. 2. ad 3. & quæst. 35. memb. 3. art. 3. S. Thomas quæst. 34. art. 3. ad 1. similiter etiam de Spiritu sancto scribens infra quæst 38. art. 1. fine. Carthus. 1. dist. 27. quæst. 3. post med. Capreol. eadem dist. 27. q. 2. art. 1. conc. 5. & art. 3. prope finem. Scotus dist. 27. prope fin. totius distinctionis, & quodlib. 8. art. 3. satis apertè (cui consonat in 2. sentent. dist. 1. tota quæst. 1.) Ferrariens. 4. contra gentes cap. 13. propius ad med. quàm ad fin. Caietanus in præsenti quæst. 34. art. 3. prope fin. & infra quæst. 38. art. 2. Molina & alij expositores S. Thomæ q. 34. art. 3. fine. Eadem videtur esse mens Alexandri 1. p. q. 62. memb. 1. art. 3. & 4.

Secunda sententia.

Vtraque sententia conciliatur, & veritas explicatur vnica conclusione. Relatio ad creaturas Verbo diuino conuenit non ratione solius sapientiæ essentialis, neque ratione solius proprietatis personalis, sed ratione vtriusque simul. Hanc reor esse mentem D. Thomæ & aliorum, quos retuli pro secunda sententia, quemadmodum Vazquez disp. 144. cap. 2. notauit. Probatur primò, quoniam essentialis sapientia conuenit Patri & Spiritui sancto. Sed tamen Patri & Spiritui sancto non conuenit esse id, per quod dicuntur creaturæ, tanquam per Verbum expressiuum illarum. Ergo respectus hic locutionis & Verbi ad creaturas dictas, vt expressas, non conuenit Verbo ratione solius essentialis sapientiæ. Confirmatur primò, quia Pater suo Verbo dicit non modò se ipsum, sed etiam creaturas, & ad illas loquitur, vt probatum est disp. 60. sect. 4. 4 *Conclusio.*

Confirmatur secundò, nam vt in eadem disp. 60. sect. 5. probatum est, Verbum se ipso loquitur etiam creaturas, & ad illas peculiari quodam modo & proprietate, qua non loquitur Spiritus sanctus. Ergo Verbum quantum ad hoc peculiari relatione respicit creaturas, qua Spiritus sanctus non respicit creaturas. Consequens igitur est, vt peculiaris hæc relatio non conueniat Verbo ratione solius essentialis intellectionis: nam quidquid alicui personæ conuenit ratione solius essentialis intellectionis, æqualiter & eodem modo conuenit omnibus personis. Confirmatur tertiò, quoniam vt in eadem disp. 60. sect. 6. probatum est, tota Trinitas creaturas loquitur, & dicit eodem vnico Verbo genito: ergo Verbum vltra cæteras personas id habet sibi peculiare, videlicet, esse id expressiuum, quo tota Trinitas loquitur & dicit non modò se ipsam, sed etiam creaturas. 5

Probatur secundò, quia Verbum est comprehensiuum & adæquatum toti sphęræ obiectorum dicibilium, & vniuersæ scientiæ diuinæ, ita vt nihil Deus essentialiter sciat, quod suo Verbo genito nō dicat & exprimat. Sed Deus essentialiter scit creaturas possibiles & existētes. Ergo suo Verbo genito dicit & exprimit creaturas possibiles & existentes: propterea{que} Verbum hoc habet peculiare, qua ratione Verbum est. Maiorem docet Athanas. Basil. Cyrillus, Augustin. Fulgent. Anselm. disp. 61. citati, sect. 2. probat. 1. 6

Præterea probatur, quia Pater per Verbum facit, & gubernat omnes creaturas Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et infra: *Mundus per ipsum factus est.* Colos. 1. *Omnia per ipsum creata sunt, &: Omnia in ipso constant.* Hæbræos 1. *Tu Domine initio terram fundasti,* &c. & sequenti cap. 2. *Propter quem omnia, & per quem omnia.* 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per eum.* 2. Petri 3. *Terra de aqua, & per aquam consistens Dei Verbo.* Et infra: *Eodem Verbo reposita sunt.* Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Sapient. 6. initio: *Fecisti omnia Verbo tuo.* 7

Tertiò probatur conclusio, quoniam Verbum est per se requisitum, in quantum est Verbum, & imperium siue iussio ad creaturas producendas, & gubernandas, adeo, vt nisi per Verbum, Pater creare, vel gubernare non possit. Ergo Verbum non modò propter communem & essentialem rationem sapientiæ (quæ totaliter continetur in Patre) sed etiam propter personalem & peculiarem rationem Verbi, confert, & vim habet ad creaturas 8 *Ad productionem creaturarum per se requiritur Verbum vt exemplar & vt iussio, & directio.*

creaturas producendas & gubernandas. Hæc autem peculiaris vis, atque necessitas intelligi non potest, nisi creaturæ intelligantur in obliquo, quod ipsum formaliter est transcendentali relatione respicere creaturas.

9 Antecedens probatur, quia diuinum Verbum est ratio, & exemplar creaturarum in mente Patris, ad cuius imitationem, dispositionem, & directionem fiunt, quæcumque fiunt; quod ita docuit Augustinus sermone 18. de Verbis Domini secundum Ioan. colum. 1. *Est enim forma quædam, forma non formata, sed forma omnium formatorum: forma incommutabilis,* &c. Loquitur autem de Verbo Dei. Quem sequitur S. Thomas supra quæst. 3. art. 8. ad 2. Eandémque proprietatem Verbi docuit 4. contra gentes cap. 13. & de veritat. q. 4. art. 4. 5. & 6. alibi sæpe. Alexand. 1. p. quæst. 62. membr. 1. art. 3. & 4. Albert. 1. p. q. 35. memb. 3. art. 2. ad fin. & art. 3. ad fin. S. Bonauentura 1. dist. 6. art. vnico q. 3. cum Altisiodoren. quem citat: ac Ricardus dist. 6. quæst. 4. vbi Carthusianus cum Ægidio quæst. vnica art. 2.

10 Idem apertè docuit Eusebius Cæsariens. præparationis Euangelicæ lib. 4. cap. 4. sub init. potissimùm verò cap. 5. ad fin. cuius hæc est sententia, quibusdam verbis resecatis: *Talem vnicum Filium ipsius, Deus, & parens primum omnium genuit, per illum, & in illo eorum, quæ futura erant, opifices rationes sufficiens, seminaq; constitutionis, gubernationisq; vniuersi in illo coniecta habens.* Athenagoras in legatione pro Christianis col. 7. quę est propinquior medio, quàm principio, ait: *Primigenia est Patris progenies; quæ non vt facta, sed vt rerum cunctarum idea, & perfectio foret, progressa est. Hoc enim indigebat informis illa natura, terra & cætera elementa, quæ diuinitus digeri, perficiq; opus erat: orationi nostræ prophetico etiam Spiritus assentitur: Dominus enim, inquit, creauit me, initium progressionis ad opera sua.* Prouerb 8.

11 Basilius contra Eunom. lib. 5. tit. 6. *Omnium,* inquit, *imago, quæ creatur à primitiuo ad materiam transmutata, similitudinem capit, & characterem participat per artificis mentem, & manus confirmationem: sic pictor, sic lapidum sculptor, sic qui auream, aut æneam statuam fingit, in exemplar respexit, recepit rei, quam speculatus est, figuram, hanc in materiam impressit. Quod si hominibus non possunt ad similitudinem informari materiæ, nisi idea ipsorum participent: quomodo ad similitudinem Dei creatura ascendet, nisi diuino characterem participarit? Diuinus verò character viuens est, & verè ens imago, imaginis efficiens.* Explicat autem characterem esse Christum Dominum. Vnde paulo inferius prope med. eiusdem libri: *Qui Filium,* inquit, *tollit, is creationis omnium principium abstulit; principium enim est substantiæ omnium Dei Verbum, per quod omnia facta sunt.*

12 Gregor. Nyssenus orat. catechetica cap. 5. sub init. *Si dederint,* inquit, *Verbum, seu rationem, & sapientiam non fuisse ducem rerum creationis, statuent, rationis & artis egestatem fuisse in principio vniuersitatis; sin autem hoc constat esse planè absurdum & impium; Verbum & sapientiam rerum fatebuntur esse ducem.* Sic videlicet corrigendus est error typographi, qui negationem alteram addidit in principio, per quam redditur sensus contrarius ratiocinationi.

13 Athanas. docuit, Parrem non potuisse creare, neque deificandis creaturis se communicare, nisi per Verbum: neque Filium id potuisse, nisi in Spiritu sancto. Cuius sententiam refert & explicat S. Thomas opus. 1. contra errores Græcorum cap. 7. Vnde quemadmodum Verbum est per se requisitum ad creaturas tanquam directio & imperium, sic etiam Spiritus sanctus per se requiritur tanquam productus amor efficax creaturarum. Hoc autem pertinere ad proprietatem personalem Verbi, docuit Athanas. epist. de decretis Nicænæ Synodi ferè in med. dicens: *Si Filium potentiam Dei, aut manum appelles, iterum denuo proprietatem substantiæ eius significaueris.*

Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri cap. 5. in med. ait: *Dicere quod fuerit aliqua diuratio, quando Filius non erat; non est aliud, quàm ipsum Deum dicere aliquando non fuisse creatorem, sed postea quando creatur Filius. Nam sine ipso factum est nihil. Sin verò semper & secundum naturam Deus Pater creator est; erat cum ipso Verbum, id est Filius, per quem creator est.* Et lib. 2. thesauri cap. 1. inter princ. & med. *Quemadmodum,* inquit, *sol nunquam sine splendore ac luce sua lucere poterit: sic nihil vnquam operabitur Pater nisi per Verbum suum. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ideo & dextra & brachium Dei nominatur, quia quasi per manum, omnia per ipsum operatur. Scriptum est enim, Dixit Deus: Fiat lux,* &c. 14 Ioann. 1.

Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 11. post med. *Omnia,* inquit, *per ipsum facta sunt, vbi Deus per Vnigenitum Verbum suum prædicatur vniuersa fecisse: ita hominis opera nulla sunt, quæ non prius dicantur in corde. Vnde scriptum est: initium omnis operis Verbum: sed etiam hic cum verum Verbum est, nunc est initium veri operis.* Quod hic Augustinus recitat, vulgatus interpres sic legit Ecclesiast. 37. vers. 20. *Ante omnia opera Verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Idem Augustinus ad illud Psalm. 61. *Semel locutus est Deus,* probat, omnia fuisse in Verbo diuino, *tanquam in arte, per quam facta sunt.* Quod autem fuerint in Verbo tanquam in iussione mandantis, docet contra sermonem Arianorum lib. vnico cap. 12. & c. 13. init. *Quod si Filius* (ait) *per hoc, quod Filius hominis est, descendit de cœlo: ergo per hoc, quod Verbum est, per ipsum iubetur, vt descendatur de cœlo.* & multis probat, quod non alio Verbo interiori Pater iubet quæcumque fieri vult. 15

Anselmus in monolog. cap. 28. probat ex professo, Verbum exemplar esse, per quod factæ sunt omnes creaturæ, atque eodem Verbo dixisse Patrem omnes res faciendas, ostendit à cap. 31. vsque ad 35. Denique Verbum esse per se requisitum ad creaturas producendas, tanquam exemplar dirigens & ordinans, & tanquam imperium immanens, fusiùs ostendemus disp. 111. & 112. 16

Probatur quartò, quoniā hęc est primaria ratio, propter quam Verbo potius, quàm Spiritui sancto appropriatur sapientia & virtus secundum Apostolum 1. Corinth. 1. & alia loca Scripturæ, & Patrum quæ vidimus disp. 58. sect. 4. & sequentibus. Imò nonnunquam sapientia & virtus supponitur pro persona Verbi, quia Deus Verbo suo dicit quæcumque scit, & eodem verbo iubet & imperat fieri, quæcumque fieri vult vt explicuimus disput. 58. sect. 5. fine. Propterea Gregorius Thaumaturg. in regula fidei tradita diuinitus apud Nyssenum in eius vita. *Verbum efficax,* inquit, *sapientia constitutionis rerum vniuersarum comprehensiua, & potentia totius creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris.* 17

Cyrillus Alexand. dialogor. de Trinit. lib. 4. multo propius ad fin. quàm ad med. ait: *Condidit Pater omnia per Filium, tanquam per sermonem, & sapientiam, & potentiam, quæ est in illo. Omnia enim hæc* 18

hæc sunt Filius Patri. Damascen.lib.1.fidei cap.9. prope fin. docet, *Patrem quæcumque facit per Vnigenitum eius, non vt per instrumentum seruile, sed vt per virtutem naturalem, & substantialem facere.*

19 Ambros. lib.4. de fide ad Gratianum c.3. inter med. & finem, illud Ioan.14. *Pater in me manens, ipse facit opera*, ita exponit rationem reddendo: *Nihil enim Pater sine virtute atque sapientia sua condidit, qui omnia in sapientia fecit, sicut scriptum est.* Psalm.103. *Omnia in sapientia fecisti. Nihil etiam Deus Verbum sine Patre fecit.* Et sequenti lib.5. cap.7. inter Psalm.103. princ. & med. *Omnia*, (inquit) *in sapientia Pater fecit, id est, omnia per Filium fecit, qui est virtus Dei & sapientia. Sapientia autem id conuenit, vt suorum operum, &* 1.Corinth.1. *virtutes norit, & causas.* Denique metaphora manus, & brachij, frequens in literis sacris, à Patribus communiter exponitur significare, Verbum esse Dei sapientiam & virtutem; sine qua nihil fieri possit, vt videbimus disp.110. & sequentibus.

SECTIO III.

Veritas eadem explicatur & corroboratur magis.

1 *Distinctio & inclusio prædictarum relationũ transcendentaliũ.* Dico primò. Sicut intelligere & dicere sunt conceptus formaliter distincti, ita etiam ordo transcendentalis intellectionis ad obiectum secundariò intellectum, & ordo transcendentalis Verbi ad idem obiectum, tanquam secundariò dictum, sunt ordines formaliter diuersi. Præterea sicut intellectio includitur essentialiter in dictione seu locutione, supra disput.58. sect.4. & 5. sic etiam ordo transcendentalis intellectionis ad obiectum secundariò intellectum, videlicet creaturam, includitur essentialiter in ordine transcendentali Verbi ad obiectum secundariò dictum, videlicet creaturam. Vnde colligitur, postremum ordinem Verbi ad creaturas peculiari & personali ratione claudere essentialem ordinem intellectionis ad creaturas, quo titulo & ratione peculiari Spiritus sanctus secundum suam lineam explicitam non includit ordinem essentialem intellectionis ad creaturas, sed ordinem essentialem amoris ad creaturas.

2 *Tres tituli respiciendi creaturas.* Ex dictis infero & Dico secundò. Tres tituli respiciendi creaturas conueniunt Verbo diuino. Primus propter præcisam rationem diuinæ sapientiæ, communicatæ cuicumque personæ productæ. Qua ratione Spiritus sanctus etiam respicit omnem veritatem scibilem de creaturis. Hic titulus conuenit ratione solius essentiæ. Secundus titulus est modus specialis habendi hanc eandem sapientiam ex vi processionis formaliter. Hic titulus conuenit Verbo ratione proprietatis personalis vt manifestè sumi potest ex S.Thoma 1.dist.27.q.2.art.3. corp. & ad argumenta. Tertium titulum probauimus sect. præcedenti, magis proprium esse Verbi, quatenus Verbum est, videlicet, quoniam hoc Verbo Pater dicit creaturas, quas non diceret, sed tantum intelligeret, si per impossibile solam essentialem intellectionem habens, careret diuino Verbo. Hoc necessariò fuit obseruandum propter multos authores antiquos & recentiores, qui solum primum titulum videntur admittere.

3 *Sententia D. Thomæ.* Dico tertiò. Mihi probabilius est hanc fuisse mentem S.Thomæ. Quod probo primò, quia Verbum esse creaturarum expressiuum, docet S. Thom. in præsenti quæst.34. art.3. corp. & ad 3. fusiùs autem de veritate quæst.4. artic.4. & 5. & lib.4. contra gentes cap.13. & dicta dist.27. q.2. art.3.corp.fine. At verò scientia essentialis ex sua præcisa formalitate, non est expressiua creaturarum, sed tantum est earum cognitio.

4 Probatur secundò, nam supra quæst.34. art.1. ad 3. circa med. *Pater*, inquit, *intelligendo se, & Filium & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum; vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Vnde post pauca subinfert: *Nihil aliud est dicere, quàm proferre Verbum. Sed mediante Verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in Verbo prolato manifestatur intelligenti, & sic sola persona, quæ profert Verbum, est dicens in diuinis.* Vnde sic argumentor. Sola persona proferens Verbum, mediante illo importat habitudinem ad res intellectas etiam creatas. Ergo in Verbo secundum propriam & personalem rationem Verbi continetur immediatus aliquis respectus ad rem intellectam etiam creatam. Alioquin non magis mediante Verbo, quàm mediante Patre, vel mediante Spiritu sancto, nec Pater magis, quàm Spiritus sanctus, in quantum dicens, importaret prædictam habitudinem.

5 Confirmatur, nam in præsenti art.3.ad 3.apertè concedit, Verbum esse creaturarum expressiuum; & ad 5. addit cum Augustino, non solum esse expressiuum, sed etiam factiuum entium, cum tamen non entium non sit factiuum, sed tantummodo manifestatiuum & expressiuum. Vnde Caietanus artic.3. ad 1. concedit, quod Verbum secundum propriam rationem refertur ad creaturam, licet hoc non habeat ex proprietate personali.

6 *Respectus ad creaturas claauditur in proprietate personali.* Quod idem magis explico & Dico quartò. Verbum ex proprietate personali primariò, & per se habet procedere à Patre dicente, & per hanc relationem originis personaliter constitui, & à Patre realiter distingui. Hanc relationem, constitutionem, & distinctionem non tribuit formaliter & ratione sui respectus ad creaturas, sed hic respectus propterea clauditur in quidditate Verbi producti, quoniam producitur per scientiam rerum omnium, etiam creatarum. Hoc igitur tantummodo fuit, quod S.Thomas significare voluit locis adductis sect. præcedenti pro secunda sententia, & indicauit Caietanus nuper citatus; licet Capreolus ab hoc sensu magis distare videatur.

7 *Non est Verbum creaturarum.* Dico quintò. Non obstante prædicto respectu, Verbum Dei non est Verbum creaturarum, propriè loquendo, quemadmodum Anselmus in monol. cap.32. *Verbum*, inquit, *quo creaturam dicit, nequaquam similiter est Verbum creaturæ: quia non est eius similitudo, sed principalis essentia.* Poterit tamen impropriè vocari Verbum creaturarum, si genitiuus ille non denotat ordinem Verbi ad principium loquens, nec ad obiectum primarium, cuius est similitudo; sed tantum denotet respectum ad obiectum secundariò dictum. Nec mirandum est huiusmodi locutiones minùs proprias tolerari, cum Deus appelletur, Deus Abraham, Isaac & Iacob, & Spiritus sanctus appelletur aliquando Spiritus Eliæ, & Apostolus 1.Corinth.5. dicat: *Congregatis vobis & meo spiritu*, vt sapienter obseruauit S.Bonauent.1.dist.27.part.2.art. vnico quæst.2. ad penult. argumentum.

DISPV

DISPVTATIO LXIII.

Vtrum Verbum diuinum procedat per cognitionem creaturarum, non solùm vt possibilium, sed etiam vt existentium.

SECTIO I.

De possibilibus abstrahendo ab existentia.

1 ENSVS quæstionis est, Vtrum ratio formalis Verbi per se requirat procedere per scientiam creaturarum, talémque repræsentationem, qua essentia diuina in ratione speciei intelligibilis repræsentet creaturas: an verò creaturarum scientia, & repræsentatio concomitentur, aut consequantur processionem Verbi, sed non prærequirantur, vt in simili declarauimus disp.61. sect.1.

2 *Negat Scotus.* Verbum non procedere per cognitionem creaturarum, apertè docet Scotus quodlib.14. art.2. circa med. & lib.2. sententiarum dist.1.q.1. art.2. docet, Verbum procedere prius ratione, quàm creaturæ intelligantur à Patre, propterea que non procedere per scientiam illarum. Idem docet lib. 1.dist.10.in fine totius distinctionis, & sumitur ex eodem lib.1. dist.32. in fine totius distinctionis. Magis ex professo idem probat Vazquez tota tota disp.143. Huius sententiæ fundamenta diluemus in variis sectionibus sequentibus.

3 *Per cognitionem possibilium procedit Verbum.* Nunc sit prima conclusio. Verbum procedit per cognitionem creaturarum, in quantum possibiles sunt, & eius processio per se requirit cognitionem creaturarum. Ita existimat Gabriel 1.dist. 27.q.3.a.3.dub.1.conc.2.Ferrariensis.4.contra gentes cap.13. post med. §. *ad primum videtur.* Caietanus in præsenti q.34.art.3.circa med.vbi communiter expositores, Bañez, Zumel, & Molina. Canariensis supra q.27. art.5.disp.vnica post med.& versus fin. Valentia 1.part.q.7. de Trinit. puncto 2. Suazez lib.9. de Trinit. cap.6. similitérque de processione Spiritus sancti ratiocinatur libr.11. cap.2. Apertè significatur à D.Thoma q.34.art.1. ad 3. dicente: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia complectitur, concipit Verbum.*

4 Quantum ad rem ipsam eadem est sententia antiquorum dicentium, quia Deus vnico actu se & omnia intelligit, ideo vnicum Verbum eius est expressiuum non solum Patris, sed etiam creaturarum, neè solum expressiuum, sed etiam operatiuum earum. Ita S.Thomas 4.contra gentes c.13. post med. & in præsenti q.34.art.3.corp. S.Bonauentura 1.dist.27.p.2.art.1.q.2.corp. vbi Ricard. art.2.q.3. Ægidius art.vltimo q.4. Innuit Albertus 1.p.q.35.memb.3.a.2.prope finem, dicens: Notitia siue contemplatiua, siue practica secundum rationẽ intelligendi antecedenter se habet ad Verbum.

5 Probatur primò, quia Verbum diuinum quidditatiuè creaturarum expressiuum est, ita vt quidditatiuè sit locutio, per quã Pater dicit creaturas, vt probatum est disp.60. sect.4.& 5.& disp.62.Ergo Verbum quidditatiuè postulat procedere per cognitionem creaturarum. Probatur consequentia, quoniam Verbum non est expressiuum, nisi tantùm illius obiecti, per cuius cognitionem procedit. Verbum enim adæquatè correspondet cognitioni, per quam procedit, nec excedit illam, nec exceditur ab illa, vt probatum est disp.61.sect. 2. Confirmatur, quia prædictus respectus trãscendentalis ad creaturas, quasi ad obiecta dicta & expressa, est perfectio realis, proueniens non solum ab essentiali sapientia, quam Verbum includit, sed etiam à peculiari proprietate personali Verbi, vt ostendimus disp.62.sect.2.& 3. Ergo personalis proprietas Verbi propter suam rationem formalem, ac per se postulat procedere per cognitionem creaturarum.

6 Probatur secundò, quia diuinum Verbum est quidditatiuè terminus comprehensiuæ locutionis de Deo. Ergo quidditatiuè, ac per se postulat procedere per cognitionem, qua comprehenditur Deus. Sed Dei comprehensio quidditatiuè ac per se postulat comprehensionem creaturarum. Ergo Verbũ quidditatiuè, ac per se postulat procedere per comprehensionem creaturarum. Confirmatur primò, quia nulla causa comprehendi potest, nisi comprehendantur omnes effectus, qui ab illa totaliter fieri possunt, siue immediatè, siue mediantibus aliis effectibus. Huiusmodi autem sunt omnes creaturæ respectu Dei. Confirmatur secundò, quia creaturarum comprehensionem requirit non solum omnipotentiæ comprehensio, sed etiam idearum, & causæ exemplaris, & speciei intelligibilis repræsentatiuæ creaturarum: idque propter rationem suprà dictam. Denique scientia Dei non comprehenderet se ipsam, nisi cognosceret omnes creaturas, quas scire potest & actualiter scit. Sed de hoc ex professo diximus 1.p.q.14. de scientia Dei art.5.

7 *Perfectas cognoscendi creaturas & perfectas procedẽdi per illarum cognitionem est æqualis.* Ex iis colligo & sit secunda conclusio. Perfectas, qua Verbum diuinum requirit cognitionem creaturarum, est prorsus æqualis perfectati, qua cognitio diuina requirit penetrationem creaturarum. Hæc autem æqualitas in eo præcipuè consistit, quod sicut creaturæ possibiles non sunt per se requisitæ ad cognitionem Dei, tanquam obiectum primarium, sed tanquam obiectum secundarium, & materiale; attamen indissolubiliter & per se connexum cum primario obiecto propter quidditatiuam exigentiam obiecti primarij: sic Verbum eadem connexione, ac perfectate obiecti secundarij est expressiuum creaturarum, & postulat procedere per cognitionem creaturarum. Hoc nimirum sensu Alex.Albertus, S.Thomas, S.Bonauent. Ægidius, Ricard. Henric. Carthus. & alij citati disp.62.sect.1. & 2. dicunt respectũ ad creaturas esse in Verbo secundarium. Addit præterea Suarez lib.9. de Trinit. cap.6. n.18. & 19. repræsentationem rerum possibilium in Deo non minus necessariam esse, quàm processionem Verbi à Deo. Verum hoc indiget maiori examine, minimè requisito impræsentiarum, quia sine illo firmiter subsistit nostra decisio.

8 *Aliquo modo practicum est Verbum.* Tertia conclusio deducitur etiam ex præcedentibus. Verbum diuinum, prout est expressiuum creaturarum, licet potissimè sit speculatiuum, attamen aliquo modo practicũ est, prout exprimit, atque dicit modum faciendi & disponendi creaturas. Probatur, quia Verbum procedit adæquatè per totam scientiam Dei, quam habet de creaturis. Hæc autem non solum est speculatiua, sed etiam aliquo modo practica, vt ostendimus suprà q.14. art.16. cum S.Thoma, Caietano & communiter expositoribus contra Scotum.

9 Videndus est præcipuè S.Thomas 4.contra gentes c.13.probans, Dei Verbum esse factiuum creaturarum, quamuis non vtatur hoc vocabulo *practicum.*

Eticum. Henricus autem 2. p. summæ art. 59. q. 6. diffusè probat, impropriè rationem practici conuenire Verbo diuino, quoniam eius finis non est opus faciendum, & quidem non parum à proprietate recedit, quoniam opus non est finis vltimus, veruntamen satis est esse finem non vltimum & subordinatum ad superiorem finem, vt comparatione illius aliquo modo sit practicum, vt constat ex D. Thoma supra q. 14. art. 16. corp. prope finem.

10 *Per cognitionem non entium & malorum procedit Verbum.*

Quarta conclusio. Verbum procedit per cognitionem non entium, impossibilium & malorum, quasi per se requisitam ad sui processionem, Probatur, nam etiam circa non entia, circa impossibilia, & circa mala viget robur illarum rationum, quibus probata est prima conclusio. Verbum enim est manifestatiuum & expressiuum non entium, vt expressè notat S. Thomas quæst. 34. art. 3. fine, & de veritate quæst. 4. art. 7. Sumitur efficaciter ex Augustino lib. 9. de Trinit. cap. 10. apud quem Verbum est etiam vera notitia de malis concepta: itaque non modo de bonis obiectis, sed etiam de malis esse Verbum docet Augustinus. Confirmatur, nam ad comprehensionem Dei per se requiritur comprehensio non entium, impossibilium, & malorum, vt cum D. Thoma probauimus supra quæst. 14. artic. 9. & 10.

11 Veruntamen obseruandum est, hanc perfectam esse in tertio, & inferiori gradu post cognitionem creaturarum, quia creaturę sunt obiectum materiale secundarium, prius cognoscendum, & magis per se requisitum ad perfectionem diuinæ cognitionis, quàm non entia, impossibilia, & mala, quæ sicut in se nullam habent entitatem; ita ratione sui nullã omnino cognoscibilitatem, aut dicibilitatem habent, sed ratione entium, quibus priuant, aut comparatione quorum intelliguntur.

12 *Obiectio.* Contra conclusionem quartam obiici potest Anselmus in monol. cap. 30. ante med. dicens: *Eius quod nec fuit, nec est, nec futurum est, nullum verbum esse potest.* & cap. 32. fine: *Nihil aliud dicit, quàm se aut creaturam.* Et post pauca: *Vno igitur eodemq; Verbo dicit se ipsum, & quæcumque fecit.*

Solutio prima. Respond. primo. Genuinus sensus Anselmi fuit diuino Verbo non dici, nisi quod est verum; hoc enim tantummodo dicitur esse, quemadmodum & Philosophus docuit vulgatum axioma: *Quod non est, non scitur*; quia quod non est verum, non scitur esse verum, & consequenter non dicitur, nec exprimitur verbo vero.

Secunda. Secundò respondet S. Thomas de veritate quæst. 4. art. 7. Anselmum voluisse tantum, quod Verbum non sit dispositiuum & operatiuum non entium. Hac enim restrictione vsurpauit vocem *dicere*, vt sit idem, quod imperando executionem ordinare. Laxior tamen videtur esse communis vsus. Propterea quæ concedi potest, Patrem per Verbum dicere etiam non entia, impossibilia & mala, non imperando, sed exprimendo.

SECTIO II.

Quid si creaturæ non essent possibiles?

1 HOc est potissimum argumentum, quo recentiores aliqui probare contendunt sententiam Scoti, quam retulimus sect. 1. & nostram impugnare. Licet nõ esset possibilis canis, aut equus: adhuc Verbum diuinum procederet à Patre. Ergo cognitio canis, aut equi, vt possibilium non est per se requisita ad processionem Verbi. Confirmatur, quia licet omnes creaturæ fuissent impossibiles, procederet Verbum: oppositum namque foret indigentia Verbi dependentis à creaturis, & consequenter indignum Verbo diuino. Atque ita sentire videtur Anselmus in monolog. cap. 30. fine cum ait: *Siue igitur, Deus, cogitetur, nulla alia existente essentia, siue aliis existentibus, necesse est Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.* Et sequenti cap. 31. sub init: *Si nihil vnquam aliud esset, nisi summus ille Spiritus; ratio tamen cogit, Verbum illud, quo se dicit, ex necessitate esse.* Cum igitur Anselmus relinquat in eo casu Verbum, quo Deus se ipsum tantummodo dicat; consequens est in eo casu nullam creaturam dici per Verbum, etiam in ratione possibilis. Agit ergo de suppositione, in qua nulla creatura sit possibilis.

2 *Retorquetur argumẽtum.* Respondeo & dico primò. Hoc genere argumentationis potuisset impugnari quælibet per se, quidditatiuáque connexio potentiæ cognoscitiuæ, siue appetitiuę, cum earum obiectis, & potentiæ productiuæ cum suis effectibus, atque potẽtiæ receptiuæ cum suis formis. Nam vt de singulis vnicum exemplum afferam; si albedo non esset possibilis, aut non haberet rationem caloris; oculorum potentia non esset visiua albedinis. Ergo esse visiuum albedinis non conuenit per se potentiæ visiuæ oculorum. Vide quam fallax sit consequentia, sicut & aliæ, quas subiicimus: si calor non esset possibilis, vel non haberem rationem qualitatis corporeæ, sol non esset productiuus caloris; ergo productiuum esse caloris per se non conuenit soli. Rursus si forma equi non esset possibilis aut non haberet rationem formæ; materia prima non esset receptiua illius. Ergo receptiuam esse formæ equinæ non conuenit per se materiæ primæ.

3 *Dictum secundum.* Ex hoc principio deriuãtur assertiones sequentes. Vnde dico secundò. Perfectas comparatione cuiusque termini consideranda est, supposita ratione formali talis termini. Sicque suppositio, quod albedo habeat rationem coloris possibilem, non potest potentia visiua non respicere albedinem, sed illam necessariò respicit: quamuis ex suppositione, quod albedo non esset color, aut non esset possibilis albedo, sequeretur adhuc manere potentiam visiuam aliorum colorum & lucis: licet aliunde sequeretur etiam oppositum, videlicet, non manere potentiam visiuam, quoniam esset alia potentia magis limitata. Idem intellige de cæteris exemplis potentiæ appetitiuæ, vel productiuæ, seu receptiuæ.

Supponitur ratio obiecti formalis ad perfectam.

4 Dico tertiò. Perfectas, qua Verbum diuinum postulat procedere per cognitionem creaturarum possibilium, considerandæ est, suppositâ ratione veri entis in creaturis. Aliter enim creaturæ non habebunt rationẽ formalem, qua cõstituuntur in esse obiecti potentis terminare diuinam intellectionem, & locutionem, Deus enim non potest intelligere neque dicere, nisi verum. Quod si equus, aut canis non esset possibilis, sequeretur adhuc manere diuinum Verbum productum per cognitionem Dei & aliarum creaturarum, & per cognitionem istius etiam veritatis: *Equus & canis non sunt possibiles.* Verbum quippe diuinum per se nihil respicit nisi verum, in quantum est verum.

5 *Exemplum potẽtiæ creatiuæ.* Hæc solutio confirmatur, quia nemo poterit negare, potentiam creatiuam Dei per se respicere omnem creaturam etiam canem aut equum. Potentia namque creatiua nihil aliud per se respicit, nisi creaturam, & non maiori perfectate creaturam vnam, quàm alteram respicit. Nihilominus si equus,

si equus, aut canis non esset possibilis; Deus non potuisset illum creare. Quid ergo mirum, si dicamus idem circa diuinam cognitionem comprehensiuam, & circa locutionem Dei per Verbum adæquatum & comprehensiuum? Quapropter, vt argumẽtum, ab hypothesi impossibili ductum, solidè ac per bonam illationem impugnaret perfectam ordinis diuinæ cognitionis ad creaturas: debuisset supponere, canem & equum esse veras res possibiles: nihilominus Patrem comprehensiuè cognoscere seipsum, non cognoscendo carnem & equum vt possibilẽ, & consequenter comprehensiuè seipsum dicere, non dicendo canem, & equum vt possibilem. Ex hac suppositione per bonã illationem colligeretur, cognitionem canis aut equi non esse per se requisitam ad processionem Verbi. Verùm suppositio non minùs impossibilis est, quàm Deum ignorare aliquid verum, aut non posse creare aliquid possibile.

6 *Dico quarto. Quid ex illa hypothesi sequatur.* Ex quibus infero, & dico quartò. Si omnes creaturæ fuissent impossibiles, procederet Verbum, quo Pater diceret non modò totum Deum; sed etiam nullam creaturam esse possibilem. Propterea Verbum in ea suppositione procederet per cognitionem impossibilitatis omnium creaturarum; quoniam in ea hypothesi hæc sola veritas restaret extra Deum cognoscibilis. Atque hæc *Dico quinto.* fuit mens Anselmi dicto cap. 30. & 31. Dico quintò. Ex eadem hypothesi per se ac per locum intrinsecum sequitur, Verbum Dei futurum fuisse aliud quidditatiuè diuersum à Verbo, quod de facto genitum est: non modò quoniam careret respectu locutionis ad creaturas dictas, sed etiam quoniam careret respectu ad diuinam potentiam creatiuam, ad ideas & artem creatoris, ad iustitiam & misericordiam, aliáque attributa nonnulla, quæ forent impossibilia, si creaturæ non essent possibiles.

7 Quod autem obijcitur, hoc esse indigentiæ vel dependentiæ; multoties solutum est à nobis disputantibus de necessaria scientia creaturarum possibilium, & de necessaria complacentia creaturarum possibilium. Quamuis ergo sit necessaria connexio & consecutio diuinorum attributorum, & Verbi atque Spiritus sancti cum creaturis; non sequitur, illis indigere, neque ab illis dependere, quia creaturæ non sunt obiectum motiuum, nec formale & primarium, sed terminatiuum tantummodo, secundarium & materiale, necessariò consequens ex infinita perfectione Dei propter illius exuberantiam, non propter dignitatem, aut vtilitatem, quam Deo possint afferre creaturæ.

SECTIO III.

De quacumque veritate contingente rationes vtriusque partis, & opiniones.

1 *Primum argumentum.* COntra decisionem, præcedentibus sectionibus explicatam, objciunt aduersarij. Primò, quoniam ex illa sequeretur, Verbum diuinum per se quidditatiuéque procedere per scientiam visionis creaturarum, vt existentium in aliqua differentia temporis, & per quamcumque cognitionem liberam ex parte obiecti, videlicet, cuius obiectum potuit non esse. Consequens autem est absurdum, ergo & antecedens. Sequela probatur, quia Verbum diuinum est expressiuum vniuscuiusque creaturæ existentis, vt existentis, & cuiuslibet obiecti, quod potuit nõ esse. Quinimo multi Patres & scholastici disp. 60. sect. 4. & 5. citati, docuerunt, Patrem per Verbum dicere omnes creaturas. Agebant verò præcipuè de creaturis existentibus, & earum mutationibus contingentibus, vt ostendit manifestè contextus eorum.

2 Confirmatur primò, quoniam Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. post med. receptus à Magistro 1. distinct. 31. cap. 1. *Verbum*, inquit, *perfectum, cui non deest aliquid, & ars quædam omnipotentis Dei, plena omnium rationum viuentium commutabilium, & omnes vnum in ea, sicut ipsa vnũ de vno, cum quo vnum. Ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipsam.* Obserua voces illas, *viuentium commutabilium.* Vnde manifestum est etiam, veritates contingentes à Patre cognosci per Verbum, tanquam per artem, per quam fiunt. Propterea continuò subinfert: *Ideo cum decedant, & succedãt tempora, nõ decedit aliquid, vel succedit scientia Dei.* Basilius autem lib. 5. contra Eunomium multo propius ad med. quàm ad princ. videlicet sect. 11. postquam dixerat, Verbum Dei esse *viuens & efficax*, addit: *Nec mihi ad humanas similitudines decidas, verum vbique maius in Deo intelligas, exemplum Verbi ad vnius demonstrationem operationis accipiẽs, nam & intellectus tuus omnia per Verbum considerat.* Quasi diceret. Sicut intellectus tuus omnia quæ considerat, per Verbum cõsiderat: ita diuinus intellectus omnia quæ considerat, per Verbum considerat; & in eo maius est diuinum Verbum, quod Deus omnes veritates per illud considerat. Consequens igitur est, vt quaslibet etiam veritates cõtingentes Pater consideret per Verbum: propterea que Verbum per se postulet procedere per cognitionem cuiuslibet contingentis veritatis. Alioquin non poterit per Verbum considerari.

3 Confirmatur secundò, quia Verbum esse rationem, exemplar & formam rerum, quæ de facto producendæ fuerant in tempore, multi Patres & scholastici docuerunt præcedenti disp. 62. sect. 2.

4 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum est, quia Verbum diuinum per se postulat procedere per cognitionem comprehensiuam Dei, vt demonstratum est disput. 61. Porrò comprehensio, vt plena sit & omnimoda, per se postulat comprehẽsionem cuiusque diuinæ volitionis, etiam liberæ. Rursus hæc comprehensio per se postulat etiam comprehendere, quam rẽ Deus velit producere, aut velit permittere: insuper quam rem velit non producere, aut velit non permittere. Præterea per se postulat comprehendere, quænam actio libera nostræ voluntatis quasi futura repræsentetur per essentiam diuinam in ratione speciei intelligibilis. Alioquin nõ comprehenderetur totum exercitium actuale diuinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis.

5 *Tertium argumentum.* Tertium argum. quia scientia veritatum contingentium in Deo, est realis perfectio, quamuis non superaddita supra perfectionem scientiæ necessariæ (vt probauimus agentes de libera volitione Dei supra quæst. 19. circa artic. 3.) ergo seruari debet in Verbo proportio similis, vt dicere & exprimere veritates cõtingentes, sit in eo realis perfectio; quamuis non superaddita supra perfectionem necessariã Verbi. Consequenter igitur Verbum, vt habeat huiusmodi perfectionem realem dicendi contingentia, per se postulat procedere per scientiam eorumdem contingentium.

6 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum, quia sic Verbum procedet adæquatè per totam cognitionem Dei, sine vlla præcisione. Hoc enim est perfectio maior; & requiritur, vt Verbum sit adæquatè comprehensi

henſiuum, & potens dicere quidquid Deus ſcit. Hanc enim comprehenſiuam adæquationem affirmant Patres citati diſput. 61. ſect. 2.

7 *Prima ſententia.* Propter aliqua ex his argumentis prima ſententia concedit, Verbum procedere per ſcientiam viſionis creaturarum exiſtentium. Hanc docuit Valentia 1. par. q. 7. de Trinit. puncto 2. Nihilominus ſecunda ſententia communior eſt, Verbum nõ procedere per ſcientiam viſionis creaturarum exiſtentium. Ita Caietanus in præſenti quæſt. 34. artic. 3. circa med. & ad 3. obiectionem Scoti, hoc ſupponit tanquam exploratum, & clarius hoc docent Bañes in eodem artic. 3. ad 3. Zumel ſua q. 1. concluſ. 5. Molina in poſteriori parte ſuæ concluſionis. Vazquez diſput. 143. initio. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 7. & lib. 11. cap. 2. circa proceſſionem Spiritus ſancti. Prior cæteris hanc ſententiam docuit Scotus citatus diſput. 61. ſect. 1. tanquam manifeſtum inconueniens inferens, Verbum procedere per cognitionem rerum contingentium. Fauet etiam Henricus 2. p. ſummæ art. 59. q. 5. ad 2.

Secũdæ communior.

8 Probatur primò, quia veritatum contingentium cognitio potuit non eſſe in Deo, ſi Deus liberè nullam creaturam crearet, vel crearet alias creaturas, prætermittens illas, quas de facto creauit. Sed proceſſio Verbi non potuit non eſſe: ergo proceſſio Verbi non requirit per ſe procedere per cognitionem veritatum contingentium. Confirmatur ex Anſelmo in monol. cap. 30. ante med. proponente quæſtionem, an eſſet Verbum diuinum, *ſi nihil vnquam per illud fieret*, & in fine dicente: *ſiue igitur*, Deus, *cogitetur, nulla alia exiſtente eſſentia, ſiue alijs exiſtentibus; neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.* & ſequenti cap. 31. ſub init. ait: *Si nihil vnquam aliud eſſet, niſi ſummus ille Spiritus, ratio tamen cogit Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſſitate eſſe.* Itaque ſecundum Anſelmum, Verbum diuinum ex neceſſitate, atque per ſe non poſtulat creaturas exiſtentes dicere, ſed tantum dicere Deum.

9 Probatur ſecundò, nam ad producendum Verbum, ſufficit ſcientia, qua Deus comprehendat ſeipſum. Sed ſcientia viſionis rerum contingentium non requiritur, vt Deus comprehendat ſeipſum. Ergo non requiritur ad producendum Verbum.

10 Tertiò probatur, quia ſcientia viſionis, qua Deus videt ſuos actus liberos, eſt poſterior eiſdem actibus liberis. Inſuper illi poſteriores ſunt quocumque actu, & productione naturali & neceſſaria. Ergo ſcientia viſionis non eſt per ſe requiſita ex parte principij ad productionem naturalem & neceſſariam, qualis eſt generatio Verbi. Confirmatur primò, quoniam vt Verbum diuinum dicat & exprimat futuritionem creaturarum, ſupponitur actus liber voluntatis, quo Deus velit eas creare. Ergo Verbum diuinum non eſt expreſſiuum talis futuritionis, niſi præſuppoſita cognitione comprehenſiua Dei, & amore comprehenſiuo Dei: ſubindéque ſuppoſito Spiritu ſancto iam producto. Quapropter vt Verbum diuinum reddatur expreſſiuum talis futuritionis, ſupponitur iam Verbum ipſum eſſe productum independenter à cognitione futuritionis. Confirmatur ſecundò, nam omnis operatio Dei ad extra ſupponit tres perſonas diuinas iam exiſtentes, & conſequenter volitio libera producendi creaturas, ſupponit eaſdem perſonas iam exiſtentes, vt quaſi effectiuè ab illis eliciatur volitio. Ergo Verbũ & Spiritus ſanctus exiſtunt iam producti, priùs, quàm exiſtat volitio libera & ſcientia libera. Conſequens igitur eſt, vt neque Verbum procedat per ſcientiam liberam, nec Spiritus ſanctus per volitionem liberam.

SECTIO IV.

Non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione diuinum Verbum per ſe poſtulat procedere per cognitionem contingentium veritatum.

COnciliatur vtraque ſententia poſita in ſect. præced. omnéſque illarum difficultates expediuntur ſequentibus aſſertionibus. Dico primò. Ex ſuppoſitione, quod in aliqua differentia temporis producendæ fuerant creaturæ, Verbum diuinum per ſe poſtulat procedere per cognitionem illarum, quatenus ſunt exiſtentes: & vniuerſaliter poſtulat per ſe procedere per cognitionem intuitiuam cuiuſlibet contingentis veritatis. 1 *Dico primò.*

Huius præcipuam probationẽ obtulit doctrina ſect. 2. Quemadmodum enim tauri vel equi potentia viſiua non poſtulat per ſe, neceſſarióque videre talem, aut talem herbam in particulari, quoniam illa poteſt non exiſtere, vel non illuminari, vel nimium diſtare: quibus in caſibus eidem herbæ deficit ratio formalis obiecti viſibilis, vel aliqua conditio requiſita. Nihilominus ex ſuppoſitione, quod exiſtat hæc herba ſufficienter illuminata, & coram oculis expoſita: tauri potentia viſiua neceſſariò, ac per ſe poſtulat illam videre. Sic diuina ſcientia non poſtulat per ſe ac neceſſariò ſcire mundum eſſe creandum, aut Incarnationem eſſe faciendam, quoniam hæc potuerunt nunquam eſſe futura. Quod ſi nunquam fuiſſent, defeciſſet eis ratio veri & entis, quæ ſola conſtituit obiectum ſcibile per diuinam ſcientiam. Conſequenter igitur mundus, & incarnatio potuerunt non exprimi, nec dici per Verbum; ideóque Verbum, abſolutè loquendo, non per ſe poſtulat procedere per ſcientiam mundi vel incarnationis, tanquam futurorum. Nihilominus ex ſuppoſitione, quod mundus eſſet creandus, & incarnatio facienda, diuina ſcientia per ſe, neceſſarióque poſtulat ſcire, mundum eſſe creandum, & incarnationem eſſe faciendam, quia iam illa futuritio eſt ens, & verum, propterea que ſcibile. Quapropter diuina ſcientia foret diminuta & finita, ſi non intueretur illam futuritionem. Quod autem ſimpliciter, ac neceſſariò requiritur, vt diuina ſcientia ſit infinita, nec laboret ignorantia veritatis alicuius; hoc totum per ſe poſtulatur à diuina ſcientia, quoniam per ſe poſtulat ſuam infinitatem, integritatem, perfectionem, & adæquationem cum tota ſphæra ſcibilium obiectorum. 2

Eadem igitur proportione diuinum Verbum, licet, abſolutè loquendo, non poſtulet procedere per ſcientiam futurorum, vt mundi vel incarnationis: nihilominus ex ſuppoſitione, quod mũdus ſit creandus, & incarnatio ſit facienda, Verbum per ſe, neceſſarióque poſtulat procedere per ſcientiam iſtarum futuritionum contingentium, ne procedat finitum, diminutum & inadæquatum vniuerſæ ſphæræ obiectorum dicibilium, & exprimibilium locutione. Defenſor itaque veritatis iſtius conſtanter debet inſiſtere in propoſitione Verbi cum diuina ſcientia, quia cum theologorum nemo ſit, qui negare audeat, perfectionem diuinæ ſcientiæ per ſe poſtulare cognitionem cuiuſque 3

iuſque veritatis cõtingentis ex ſuppoſitione, quod ſit futura: tenetur, eadem omnino perfeitate concedere perfectionem diuini Verbi per ſe, neceſſarióque poſtulare, quod per illud dicatur, & exprimatur quælibet contingens veritas ex ſuppoſitione, quod ſit veritas, & conſequenter per ſe neceſſarióque poſtulare ſcientiam cuiuſlibet veritatis contingentis, per quam procedat.

4 *Secunda probatio.* Ex præcedenti cõſurgit probatio ſecunda, quoniam ex proportionata, & adæquata commenſuratione Verbi cum ſcientia diuina vires corroborantur omnibus & ſingulis argumentis, & teſtimoniis Patrum ac Scholaſticorum, quæ præcedentis ſectionis initio Verbum procedere per ſcientiam viſionis creaturarum exiſtentium, inferebant ex rationibus, quibus probatum fuerat, Verbum procedere per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ creaturarum, in quantum ſunt poſſibiles. Illa igitur argumenta quatuor cum ſuis confirmationibus, temperata & declarata iuxta præſentem aſſertionem, ſunt totidem probationes efficaces illius.

5 *Ad primam probationem.* Tertiò non minùs efficaciter probatur ſolutione vel potius explicatione legitima rationum, quibus ſect. præcedenti probare nititur ſecunda ſententia, Verbum non procedere per ſcientiam viſionis creaturarum exiſtentium. Ad primum diſtinguenda eſt ſimul Maior atque conſequens. Veritatum contingentium cognitio potuit non eſſe in Deo, ſi loquamur abſolutè, nulla ſuppoſitione facta. Nihilominus ex ſuppoſitione, quod Deus aliquando producturus eſſet creaturas, non potuit non eſſe in Deo creaturarum cognitio. Eodem igitur neceſſitatis genere Verbum diuinum per ſe poſtulat procedere per cognitionem veritatum cõtingentium ex ſuppoſitione, quod creaturæ ſint producendæ; licet abſolutè ac præciſa ſuppoſitione, non poſtulet. Inde ſequitur, vt ſi Deus liberè decreuiſſet, nihil omnino producere; hanc veritatem contingentem neceſſariò ſciret, & per illam ſcientiam neceſſariò procederet Verbum. Similitérque per ſcientiam aliarũ creaturarum, ſi decreuiſſet alias producere, & non iſtas, quas de facto creauit.

6 Ad confirmationem reſpond. Ex illis verbis Anſelmi nihil amplius ad rem præſentem colligi poteſt, quàm diſcrimen eximium inter ſcientiam, vt eſt comprehenſiua Dei, & ſcientiam viſionis creaturarum exiſtentium. Quia Verbum per abſolutam neceſſitatem, ac nulla ſuppoſitione facta, primariò poſtulat procedere per ſcientiam, vt eſt comprehenſiua Dei; non verò per ſcientiam viſionis creaturarum exiſtentium, niſi facta ſuppoſitione, quod Deus creare voluerit, cum potuerit non creare.

7 *Ad ſecũdam.* Ad ſecundũ negatur Minor: quin potius ſcientia viſionis creaturarum, vt exiſtentium per ſe requiritur, vt Deus comprehendat ſeipſum, vt probatum eſt ſect. præced. argum. 2.

8 *Ad tertiam. Scientia viſionis qua Deus ſcit ſuos actus liberos.* Ad tertium reſpond. Scientia viſionis, qua Deus videt ſuos actus liberos, eſt quodam modo poſterior eiſdem actibus liberis. Simpliciter autem prior eſt in alio potiori genere quaſi dependentiæ. Propterea poſterioritas illa ſecundum quid, non obſtat, quo minus Verbum procedat per ſcientiam viſionis actuum liberorum. Pro cuius declaratione recolendum eſt, quod diſput. 61. ſect. 5. diximus in ſolutione argumenti ſecundi. Videlicet. Intuitiua cognitio non ſupponit prius exiſtere illud obiectum, quod ſuam entitatem & cognoſcibilitatem ab alio obiecto recipit, tanquam à principio ſecundum rem, vel ſecundum rationem. Nunc ergo, quoniam liberæ volitiones Dei ſuam entitatem & cognoſcibilitatem accipiunt ab amore neceſſario, quo Deus ſeipſum diligit, tanquam à ratione formali, & primario motiuo, propter quod eligit liberè, quidquid eligit: ideo intuitiua cognitio, qua Deus intuetur ſuas volitiones liberas, non ſupponit, eas prius exiſtere, ſed quantum eſt ex modo cognoſcendi, potuiſſet eas ab æterno cognoſcere, licet non ab æterno, ſed in tempore concipiendæ fuiſſent: quemadmodum ab æterno intuetur angelorum & hominum volitiones, in tempore futuras.

9 Inde conſtat ſolutio primæ confirmationis: Antecedens enim eſt abſolutè falſum, licet ſit verum ſecundum quid. Verbum itaque diuinum, vt dicat & exprimat futuritionem creaturarum quodammodo in genere obiecti, recipientis ab alio ſuam cognoſcibilitatem, ſupponit actum liberum, quo Deus velit creaturas producere (quod autem in eodem genere prioritatis ſupponat, Spiritum ſanctum eſſe productum, nihil obeſt præſenti ſolutioni, propterea que prætermittitur.) Nihilominus Verbum alia potiori prioritate dicit & exprimit ſuos actus liberos priùs, quàm recto modo concipiendi tales actus intelligantur exiſtere. Porrò prioritas, qua proceſſio Verbi per ſcientiam actuum liberorum, eſt prior Spiritu ſancto, eſt prioritas realis originis, quoniam Spiritus ſanctus procedit à Verbo, iam genito per illam ſcientiam; vt conſtabit ex dicendis diſput. 106. ſect. 2. & 3.

10 Ad ſecundam confirmationem reſpond. Volitio libera producendi creaturas, ſupponit tres perſonas iam actu exiſtentes, à quibus eliciatur volitio quaſi effectiuè ſecundum modum intelligendi. Sed non æquè primò tres perſonæ volitionem eliciunt. Pater enim eam elicit prius origine, communicans Verbo, vt eandem volitionem eliciat, Verbum autem ſimul cum Patre tanquam vnum principium Spiritui ſancto communicant, vt eandem eliciat liberam voluntatem. Quapropter Verbum & Spiritus ſanctus non exiſtunt iam producti prius ratione, quàm Pater elicuerit liberam volitionem. Iſtud igitur argumentum non habet aliam difficultatem, neque ſolutionem requirit aliam, quàm requireret argumentum, quo probaret aliquis, amorem neceſſarium Dei ad ſeipſum, eſſe poſteriorem Spiritu ſancto iam exiſtente, quoniam elicitur à tribus perſonis: ideóque Spiritum ſanctum non poſſe procedere per illum amorem. Cuius ſolutio conſiſteret in eo, quod amor ille priùs ratione intelligitur elici à Patre, deinde à Filio poſteriùs origine, & per illum produci Spiritum ſanctum, & producendo communicari amorem eundem.

11 *Aſſertio ſecunda.* Dico ſecundò. Propriè & abſolutè loquendo, vera eſt ſecunda ſententia, docens, Verbum non procedere per cognitionem intuitiuam creaturarum. Quoniam hæc propoſitio continet ſenſum formalem, & abſolutum ab omni ſuppoſitione, qua præciſa per intellectum, ſicut comparatione diuinæ comprehenſionis per accidens ſe habet quod muſca volet, aut non volet: ita per accidens ſe habet ad productionem Verbi, quod procedat per intuitiuam cognitionem muſcæ volantis, vel non procedat per illam. Hanc itaque concluſionem vt minimum probant, quæ ſect. præcedenti allata ſunt pro ſecunda ſententia, & multa, quæ nuper dicta ſunt in præſenti.

12 Supereſt maior ratio dubitandi de ſcientia conditio-

Vtrum Verbum procedat per scientiam conditionatam.

ditionata & media, per quam Deus præscit omnes volitiones liberas, quas quælibet voluntas eliceret, si poneretur in talibus, aut talibus circunstantiis. Molina quæst. 34. artic. 3. concedit, Verbum procedere per scientiam mediam, quasi requisitam ad Dei comprehensionem, licet inferius neget, procedere per scientiam liberam. Magis consequenter Suarez lib. 9. de Trinit. c. 7. fine respondet, Verbum non procedere per scientiam, sicut non procedit per scientiam visionis absolutè futurorum.

23 *Dictum tertium. Quæ moralem infallibilitatem affirmant.*

Distinctione tamen opus est, iuxta quam dico tertiò. Quibusdam conditionalibus propositionibus affirmatur moraliter infallibilis illatio liberæ volitionis ex tali collectione circunstantiarum. Propterea talium conditionalium scientia est simpliciter, & metaphysicè necessaria, nec vllo modo potuit non esse in Deo: quemadmodum ex professo probauimus in peculiari tractatu de scientia conditionata & media disp. 18. Quapropter, absolutè loquendo, Verbum diuinum procedit per scientiam omnium illationum moraliter infallibilium.

14 *Quæ liberam coëxistentiam affirmant.*

Dico quartò. Sunt aliæ conditionales, quæ non affirmant illationem, sed liberam coëxistentiam volitionis cum circunstantiis, quibus positis, esset elicienda talis volitio, quamuis potuisset non elici. Istæ conditionales sunt obiectum proprium scientiæ mediæ, quæ proinde participat ab *illis* aliquid libertatis ex parte obiecti, quamuis participet etiam aliquid de necessitate, quam habet scientia simplicis intelligentiæ, cuius affinitate gaudet: vt probatum est toto tract. de scientia media. Ideo, absolutè loquendo, Verbum non postulat per se per huiusmodi scientiam procedere. Verumtamen ex suppositione, quod illæ volitiones liberæ fuissent eliciendæ sub talibus circunstantiis, Verbum per se postulat procedere per scientiam illarum, quoniam tali suppositione facta, diuina scientia per se postulat, illas cognoscere, consequentérque Verbum per se postulat illas exprimere & dicere propter easdem rationes, quibus probata est prima conclusio.

SECTIO V.

Spiritum sanctum procedere per amorem creaturarum.

1 *Argumẽtum à paritate.*

VNum ex argumentis aduersariorum erat huiusmodi. Sicut se habet Spiritus sanctus ad amorem, ita Verbum ad cognitionem. Sed Spiritus sanctus non procedit per amorem creaturarum, quasi per se requisitum ad sui productionem. Ergo neque Verbum procedit per cognitionem creaturarum, quasi per se requisitam. Probatur Minor, quoniam amor creaturarum potuit non esse in Deo. Sed productio Spiritus sancti non potuit non esse. Ergo processio Spiritus sancti non postulat per se creaturarum amorem.

2 *Per amorem possibilium.*

Respondeo & dico primò. Spiritus sanctus procedit per amorẽ simplicis complacentiæ creaturarum omnium, vt possibilium. Hic enim amor est simpliciter necessarius, vt Deus seipsum comprehensiuè diligat, quemadmodum ostendimus suprà quæst. 19. de voluntate Dei. Quapropter in hoc amore vim habent omnes rationes, quibus supra sect. 2. probatum est, Verbum diuinum procedere per cognitionem simplicis intelligentiæ creaturarum omnium vt possibilium.

3

Nonnulli doctores in præsenti disputant, quomodo creaturæ possibiles diuinum amorem terminent, an terminent, prout sunt in seipsis, vel potius præcisè, prout sunt in Deo. Verum hoc alienum est ab instituto præsenti, ac minimè necessarium ad præsentem decisionem. De illo satis diximus in disputationibus de voluntate Dei: aliquid verò dicemus sect. 7. ad 1.

4 *Discrimen inter cognitionem & amorem efficacem.*

Dico secundò. Discrimen aliquod est inter cognitionem Dei, & efficacem amorem comparatione creaturarum existentium. Nam suppositâ sufficienti ratione formali ex parte obiecti cognoscibilis, Dei cognitio necessariò fertur in illud, plenè & integrè sciens quidquid est scibile. Veruntamen efficax amor diuinus, etiam suppositâ ratione formali bonitatis, quam ex parte obiecti requirit, potest non tendere ad talem creaturam.

5 *Similitudo inter cognitionẽ & amorem creaturarum.*

Tertiò. Nihilominus in eo conueniunt, quod sicut ad perfectam, & omnimodam comprehensionem Dei necessarium est cognoscere, vtrum velit creare, aut velit non creare, & vtrum futurum sit tale peccatum istius hominis, vel non sit futurum (vt explicatum est sect. præcedenti) sic etiam vt Deus omnimoda comprehensione se diligat, necessarium est diligere suum decretum liberum creandi, aut suum decretum liberum non creandi, & velle concursum præbere ad liberas actiones Petri, aut velle non præbere, & velle permittere tale peccatum, aut velle non permittere. Nam de quocumque obiecto creato Deus necessariò decernit alteram partem contradictionis, nec potest omnino suspẽdere decretum, nihil decernendo, quemadmodum probatum est in eisdem disputationibus de voluntate Dei.

6 *Absolutè non postulat Spiritus sanctus procedere per liberũ decretum, sed tantum ex suppositione.*

Ex quibus infero, & dico quartò. Absolutè loquendo, & qualibet suppositione præcisa, Spiritus sanctus non postulat per se procedere per decretum liberum & amorem efficacem creandi mundum, aut aliquam creaturam. Hic enim amor potuit non esse in Deo. Nihilominus suppositò, quod Deus liberè decreuerit aliquid facere; Spiritus sanctus per se postulat procedere per amorem illius decreti liberi, & cõsequenter per amorem illius rei, quam per illud decretum facere constituit. Quoniam vt comprehensiuè seipsum diligat Deus, debet comprehensiuè diligere suæ libertatis, potentiæ atque dominationis exercitium, quod elucet in liberis decretis faciendi, aut non faciendi creaturas, & consequenter debet diligere creaturam, quam decreuit facere. Hoc declarandum est & probandum, proportione seruata, sicut præced. sect. conclus. 1. probatum est ex suppositione, quod mundus esset creandus, Verbum necessariò procedere per cognitionem illius vt futuri.

7

Confirmatur, quia sicut Pater suo Verbo dicit quæcunque sunt creanda, atque inde sequitur Verbum necessariò & per se procedere per illorum cognitionem ex suppositione, quod sunt creanda: sic etiam Pater & Filius Spiritu sancto diligunt quascumque creaturas, quocumque modo diligunt. Ergo inde sequetur etiam, Spiritum sanctum procedere per amorem liberum & efficacem creandi tales creaturas ex suppositione, quod Deus decreuerit illas creare. Quod autem Pater & Filius creaturas diligant Spiritu sancto, docent Magister & communiter Scholastici 1. distinct. 31. fine, secuti Augustinum lib. 7. de Trinit. cap. 3. dicentem: *Spiritus sanctus est summa charitas vtrumque coniungens, nósque subiungens.* Vbi satis

satis indicat, pertinere ad propriam notionem Spiritus sancti, quod post primarium obiectum amoris subiungat secundariò & inferius creaturas, videlicet, diligendo.

SECTIO VI.

Cætera Scoti argumenta soluuntur.

1

PRimum est. In eo instanti naturæ, quo Deus consideratur immanenter operãs cognoscendo, & amando suam Deitatem, consideratur iam sufficiens principium producendi Verbum & Spiritum sanctum. Sed in eodem instanti nondum consideratur Deus, quasi cognoscens creaturas, neque quasi amans illas. Ergo Verbum & Spiritus sanctus considerantur producti prius natura, quàm creaturæ cognoscantur & amentur à Deo: ac proinde creaturarum cognitio vel amor non *sunt* per se requisita productionibus Verbi aut Spiritus sancti. Minorem probat Scotus, nam quilibet intellectus circa obiectũ primarium versatur prius natura, quàm circa obiectum secundarium, quia primarium obiectum est ratio cognoscendi obiecta secundaria.

2

Respond. negando Minorem. Quamuis enim imperfecta cognitio obiecti primarij non pendeat à cognitione obiecti secundarij: cæterum comprehensiua cognitio illius obiecti primarij, quod est vniuersalissima causa, necessariò, ac per se postulat cognitionem cuiuscumque obiecti secundarij, vt probatum est sect. 1. Veruntamen, quoniam obiectum primarium est ratio cognoscendi secundarium; propterea cognitio obiecti primarij perfectiori ratione prior est, quam cognitio obiecti secundarij: eadem tamen cognitio obiecti primarij est alia ratione posterior, quàm cognitio obiecti secundarij propter supradictam dependentiam.

3

Inde sequitur, vt quicumque considerat, Deum in aliquo instanti rationis cõprehendere seipsum, & in eodem instanti non comprehendere creaturas, non bene nec ordinatè consideret. Licet enim rectè possimus expresè considerare cognitionem, qua Deus comprehendit seipsum, quamuis non consideremus expresè, quod Deus creaturas comprehendit: nihilominus malè, atque inordinatè considerabit, qui considerauerit, Deum ita seipsum comprehendere, vt in formalissima ratione comprehensionis sui ipsius non includatur quidditatiuè cognitio cunctorum effectuum, quę quidditatiuè requiritur ad cognitionem causæ.

4

Secundum argumentum. Beatitudo Patris est prorsus independens à creaturis. Sed beatitudo Patris consistit in cognitione comprehensiua sui. Ergo cognitio comprehensiua Dei non pendet à creaturis; ac proinde sine creaturarum cognitione dabitur cognitio sufficiens, vt per eam procedat Verbum. Respond. comprehensiua cognitio & beatitudo Patris non potest esse sine cognitione creaturarum, quam petit vt alteram partem quasi materialem suæ quidditatis, simpliciter quidditatiuéque contentam in primaria ratione comprehensionis Dei: vt vidimus sect. 1. Nihilominus inde non sequitur, Dei comprehensionem & beatitudinem pendere à creaturis, eo quòd creaturæ non sunt obiectum motiuum, primarium & formale, sed tantum terminatiuum, secundarium & materiale, vt vidimus sectione secunda fine.

Ruiz. de Trinitate.

5

Tertium argumentum. Vilesceret Verbum, si procederet per cognitionem creaturarum. Resp. Imo vilesceret Verbum, si non procederet per cognitionem creaturarum. Sicut enim vilesceret diuina scientia, si creaturas ignoraret; sic etiam vilesceret Verbum, si mutum esset, aut taciturnum ad expressionem creaturarum. Propterea postulat procedere per cognitionem earum, vt eas dicere possit, & exprimere. Porrò vilitas redundaret in Verbum, si cognitionem acciperet ab illis, tanquam ab obiecto motiuo atque primario.

6

Quartum argumentum. Si Verbum procedit per cognitionem creaturarum, sequitur Verbum procedere à creaturis tanquam ab obiecto cognito. Consequens autem est absurdum. Respond. negando sequelam. Verbum quippe non procedit, nisi ab obiecto motiuo, primario, & non accipiente cognoscibilitatem ab alio; vt vidimus disp. 61. sect. 5. sub init. At verò creaturæ sunt obiectum secundarium & materiale, cognoscibilitatem accipiens ab essentia diuina.

7

Quintum argumentum. Si Verbum procederet per cognitionem creaturarum; sequeretur, Patrem cognoscere creaturas prius, quàm eas cognoscat Filius, aut Spiritus sanctus. Consequens autẽ videtur falsum. Nam tres personæ ex æquo, primò & per se respiciunt creaturas Respond. Pater creaturas cognoscit prius origine, quàm eas cognoscat Filius: sed non priùs tempore, imo neque prius natura, propriè loquendo. Quod autem aliqui theologi docent, tres personas ex æquo, primò & per se versari circa creaturas, eo sensu verum est, quo verum est etiam, tres personas ex æquo, primò & per se Deum esse æternum, infinitum, &c. Quæ veritas non excludit ordinem originis, iuxta quem Deitas priùs est in Patre, qui per generationem communicat eam Filio, & priùs in vtroque, qui communicat Spiritui sancto.

8

Sextum argumentum. Quidquid requiritur ad productionem Verbi, continetur in memoria Patris, velut in actu primo repræsentarum ab essentia diuina, tanquam à specie intelligibili. Sed hoc modo creaturæ non continentur in memoria Patris, neque repręsentantur ab essentia diuina tanquam à specie. Creaturarum ergo cognitio non requiritur ad productionem Verbi. Respond. Creaturæ continentur in memoria Patris, & repræsentantur ab essentia diuina, tanquam à specie intelligibili, quæ primariò repræsentans primam veritatem, videlicet, diuinam, eo ipso secundariò repræsentat quamlibet aliam veritatem secundariam, vt ostendimus supra quæst. 14. de scientia Dei art. 5. & 9.

SECTIO VII.

Soluuntur aliorum authorum argumenta pro eadem sententia Scoti.

1

PRimum, quoniam Anselmus in monolog. cap. 30. docet, Verbum necessariò procedere à Patre, eo quod seipsum intelligat, & dicat; etiamsi nulla creatura existeret, quæ cognosceretur & diceretur à Patre. Confirmatur, nam cap. 33. & 34. probat, per diuinum Verbum dici creaturas omnes, & earum quaslibet mutationes contingentes: verum non dici quatenus sunt in seipsis, sed quatenus sunt in Deo, in quo creaturæ sunt primaria essentia, ac primaria veritas & vita. Ergo

Anſelmus excludit à productione Verbi, ne ſit obiectum per ſe requiſitum vlla creatura, etiam poſſibilis, ſecundum ſuam rationem propriam, ſed tantum vt eſt in Deo.

2 Reſpond. Anſelmus dicto cap. 30. potiſſimùm agit de cognitione creaturarum exiſtentium, quæ potuit non eſſe in Deo: propterea{que} Verbum potuit non procedere per cognitionem illarum, vt oſtendimus ſect. 4. Ad confirmationem reſpondeo, diuerſas eſſe quæſtiones. Altera eſt, vtrum Verbum diuinum procedat per illam cognitionem creaturarum, quæ Deo conuenit, quæcumque ſit illa. De hac quæſtione ſolummodo diſſeruimus hucuſque. Cuius etiam affirmatiua pars efficaciter colligitur ex Anſelmo dicto cap. 33. & 34. vbi docet, Verbum diuinum expreſſiuum eſſe creaturarum; vnde ſumitur præcipua probatio noſtræ doctrinæ ſupra ſect. 1. ad cuius finem magis explicuimus Anſelmum.

3 Altera quæſtio eſt, vtrũ Deus cognoſcat creaturas, prout ſunt in ſeipſis, vel ſolummodo prout ſunt *in Deo*. Hæc aliena eſt ab inſtituto præſenti, & à nobis tractata quæſt. 14. de ſcientia Dei art. 5. Cui correſpondet ſimilis quæſtio de amore ſupra quæſt. 19. de voluntate Dei. Quibus in locis explicatum eſt, duplicem eſſe acceptionem illius præpoſitionis, *in*, alteram, qua denotat obiectum formale, motiuum, vel ſpeciem intelligibilem. In hoc ſenſu creaturæ, prout ſunt in ſeipſis, neque cognoſcuntur à Deo, neque dicuntur à Patre per Verbum: ac proinde Verbum non procedit per cognitionem creaturarum in ſeipſis. Altera acceptio eſt, iuxta quam præpoſitio, *in*, denotat rem, cuius entitas vetè attingitur, & penetratur à cognitione, locutione & amore. In hoc ſenſu creaturæ, prout ſunt in ſeipſis, cognoſcuntur per diuinam eſſentiam, dicũtur per Verbum, & amantur per Spiritum ſanctum: propterea{que} Verbum & Spiritus ſanctus procedunt per cognitionem, & amorem earum in ſeipſis.

4 Secundum argumentum, quia S. Thom. de veritate quæſt. 4. art. 5. corpore, fine. *Verbum*, inquit, *principaliter, & quaſi per ſe refertur ad Patrem, ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens refertur ad creaturam: accidit enim Verbo, vt per ipſum creatura dicatur.* Reſpond. primò. Ex eadem quæſt. 4. art. 7. conſtat, S. Thomam agere ſolummodo de creaturis exiſtentibus: Nam ex Anſelmo docet, creaturas, quæ in nulla temporis differentia exiſtunt, non dici per Verbum, quia *dicere* eſt ordinare ad executionem: de quo iam egimus ſect. 1. fine.

Reſpond. ſecundò. Si D. Thom. loqueretur de creaturis poſſibilibus; explicari poſſet, vt ageret de Verbo in communi, abſtrahendo à verbo creato, & increato. Sic enim per accidens contingit verbo, quod per illud dicantur creaturæ: quippe quod ſolummodo per ſe poſtulat, eſſe terminum productum à dicente per intellectionem. Ex eo autem, quod dicens eſt Pater æternus, qui ſe intelligendo, creaturas etiam intelligit, prouenit, quod eius Verbum ſit expreſſiuum creaturarum, qui ordo non eſt poſtulatus à generali ratione Verbi. Hoc modo videtur loqui S. Thomas q. 34. art. 3. ad 4. & S. Bonauentura 1. diſtinct. 27. par. 2. art. 1. quæſt. 2.

5 Tertium argumentum, quia nulla realis perfectio eſt in diuina eſſentia, neque in cognitione diuina creaturas repræſentare. Ergo creaturarum repræſentatio non eſt per ſe requiſita ad productionem Verbi. Reſpond. antecedens eſſe falſum, vt conſtat ex dictis diſp. præced. ſect. 1. & 2.

6 Quartum argumentum, nam ſi creaturarum poſſibilium cognitio foret per ſe requiſita ad productionem Verbi; ſequeretur, Verbum eſſe imaginem creaturarum ſecũdum eſſe poſſibile. Conſequens autem eſt falſum, vt conſtat ex terminis, & probari poteſt, quoniam omnis imago eſt ſimilitudo eius, cuius eſt imago. *Verbum autem, quo Deus creaturam dicit, non eſt creaturæ ſimilitudo*, vt ſcribit Anſelmus in monol. cap. 32. Cuius rationem tradiderat cap. 29. verſus med. *Si enim Verbum eſt vera mutabilium ſimilitudo: non eſt conſubſtantiale ſummæ incommutabilitati, quod falſum eſt.* Eodem autem ac ſequenti cap. 30. fuſius confirmat eandem doctrinam.

7 *Verbum non eſt imago creaturarum.* Reſpond. ſequelam non eſſe bonam. Quoniam vt aliquid imago ſit alterius, non ſufficit illius cognitionem eſſe per ſe requiſitam: ſed vlterius opus eſt, quod ab illo obiecto cognito, tanquam à principio productiuo procedat, & ad illius imitationem producatur: vt ex eodem Anſelmo notauimus diſput. 61. ſect. 4. & fuſius dicemus diſp. 64. ſect. 2. Sed Verbum diuinum nec procedit à creaturis tanquam à principio productiuo, nec ab illis procedit vllo modo earum cognitio, quæ requiritur ad productionem Verbi, nec Verbum concipitur ad imitationem creaturarum, ſed potius è contrario creaturæ producuntur ad imitationem idearum & Verbi diuini. Latè tamen, & impropriè poterit Verbum appellari creaturarum imago, quoniam illas dicit & exprimit.

8 *Quomodo Verbum ſit cum amore notitia.* Quintum argumentum nos adiungimus, vt explicemus mentem Auguſtini, qui lib. 9. de Trinit. cap. 10. verſus fin. *Verbum eſt*, inquit, *cum amore notitia.* Sed reſpectu creaturarum poſſibilium notitia non eſt cum amore: quia nullum bonum eis conferre vult. Ergo non eſt Verbum de creaturis, ac proinde non procedit per earum cognitionem. Reſpond. primò. Mens Auguſtini fuit, cognitionem falſam, & odio dignam non eſſe Verbum, ſed tantummodo cognitionem veram, & eo ipſo amore dignam, eſſe Verbum. Quo ſenſu non modo cognitio creaturarum, ſed etiam cognitio peccatorum & cuiuſque mali, ſi vera ſit, eſt cum amore notitia, & eſt Verbum, vt expreſsè docet Auguſtinus ibidem.

9 Aliter exponit Scotus 1. diſtinct. 27. quæſt. 2. ad primum, quod ſolum in creaturis Verbum eſt notitia cum amore, quia voluntas mouet, ac determinat multoties intellectum creatum ad aliquas intellectiones. Sed intellectus diuinus naturaliter omnia intelligit abſque libera motione voluntatis. Hæc doctrina vera eſt, ſed non eſt intenta prædictis verbis Auguſtini. S. Thomas quæſt. 34. artic. 1. argum. 2. proponit verba Auguſtini, ſed in ſolutione non explicat, quomodo Verbum ſit cum amore. Reſpond. ſecundò, negando Minorem; quia reſpectu creaturarum poſſibilium notitia eſt cum amore complacentiæ, quo Deus vult illis totum earum bonum non efficaciter, ſed tantùm complacentia ſimplici.

QVÆST.

QVÆSTIO XXXV.

De Imagine.

ARTICVLVS I.

Vtrum imago in diuinis dicatur perſonaliter.

ARTICVLVS II.

Vtrum nomen imaginis ſit proprium Filij.

DISPVTATIO LXIV.

Quæ ſit imaginis ratio, & cui perſonæ conueniat propriè.

SECTIO I.

Naturæ ſimilitudo requiritur ad rationem imaginis diuinæ.

Prima ſententia. *Primum argumentum.* *Secũdum argumentum.* *Tertium argumentum.*

1 INTER prętantiſſimos huius ætatis theologos non defuere, qui putauerint, ſimilitudinem, fundatam in vnitate naturæ, non requiri ad rationem imaginis. Primum eorum argumentum eſt, quia noſter conceptus, maximè verò conceptus angelicus, eſt imago ſui obiecti, quod multoties eſt ſubſtantia, cum tamen ipſe conceptus ſit accidens; propterea{que} non tantùm ſpecie, ſed etiam genere differens in natura. Secundum argum. quoniam ſtatua, vel pictura verè ac propriè vocatur imago hominis, vel alicuius animalis, cum tamen illa ſit inanimata. Tertium argum. quoniam 1. Corint. 2. *Vir eſt imago & gloria Dei*, & tamen non eſt Deus ſimilis in natura ſpecifica. Ergo imago non requirit ſimilitudinem in natura ſpecifica.

Ad imaginẽ neceſſaria eſt ſimilitudo naturæ.

2 Nihilominus certum eſſe debet ad perfectam rationem imaginis eſſe ſimpliciter neceſſariam ſimilitudinem in natura ſpecifica. Probatur primò, quoniam vniuerſaliter concilia & Patres hoc inter alia nituntur argumento, quo probent, Filium eſſe conſubſtantialem Patri, quoniam eſt eius imago. Quod argumentum vrget Athanaſius multoties quinque orationibus contra Arianos, & in aliis operibus, veluti orat. 3. cõtra Arianos prope med. dicens: *Quis audebit characterem alienum dicere ab hypoſtaſi?* Nazianzenus orat. 36. quæ eſt 4. de theologia multo propius ad fin. quã ad med. *Imago*, inquit, *vt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, & quia ex illo eſt, non autem ex hoc Pater. Hæc ſiquidem imaginis natura eſt, vt exemplar ſuum imitando referat. Quanquam hic imago exemplar ſuum expreſſius refert. Illic enim rei viuæ, ac motu præditæ mortua, & motus expers imago eſt: hic autem viui exemplaris, viua quoque eſt effigies, multòque minus à Patre differens, quàm Seth ab Adamo, filiúſque omnis à parente ſuo. Huiuſmodi namque ſimplicium rerum natura eſt, vt non partim inter ſe ſimiles ſint, partim diſſimiles, ſed totæ totas repræſentent, eadémque potius ſint quàm ſimiles.*

3 Baſilius homil. 15. de fide in med. *Filius*, inquit, *omnia eſt, quæ Pater eſt ſecundum ipſius Domini vocem dicentis: Cuncta, quæ habet Pater, mea ſunt. Reuera namque imaginis ſunt omnia, quæ in prototypo, ſiue exemplari exiſtunt. Vidimus, inquit Euangelium, gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre: Hoc eſt, non ex munere, aut ex gratia, ſed ex naturali communitate patriæ Diuinitatis*, &c. Obſerua primò, perfectam ſimilitudinem in natura. Secundò nota, relationem ad prototypum Patrem. Poſt pauca verò ſubiungit Baſilius: *Quid enim aliud eſt, quàm ſphragis & imago totum in ſe Patrem oſtendens?* Et lib. 1. contra Eunom. inter med. & fin. de Vnigenito Filio ſic loquitur: *Imago viuens, imo verò ipſa vita, non figuræ ſimilitudine, ſed in ipſa ſubſtantia identitatem retinens.* Quibus ſimilia ſcribit lib. 4. contra Eunom. non longè à princ. & lib. 5. ſub tit. 6. & inter med. & fin. Atque item epiſt. 43. ad Gregor. Nyſſenum prope fin.

4 Cyrillus Alexand. dialogor. de Trin. lib. 3. col. 4. *Intelligitur*, inquit, *Pater non aliter, quàm per Filium, & in Filio, quandoquidem eſt expreſſa ſimilitudo ſubſtantiæ eius, à quo ortus eſt, ſeruans naturam in propria figura.* Et lib. 1. de recta fide ad Theodoſium col. 12. *Cui dubium*, inquit, *eſſe poteſt, imagines ita per omnia affectas eſſe oportere, ſicut ipſa prototypa.* Vnde colligit, imaginem eſſe ſubſiſtentem, ſicut ſubſiſtit prototypon. Ioan. 14.

5 Ambroſ. lib. de Incarnationis Dominicæ myſterio cap. vltimo prope med. *Si multi ſimiles*, inquit, *cur ſolus Filius imago inuiſibilis Dei dicitur, & character ſubſtãtiæ eius, niſi quia in eo naturæ eiuſdem vnitas & eius maieſtatis expreſſio eſt? Alia enim ſecundum imitationẽ ſimilitudo, alia ſecundum naturam.* Idem Ambroſ. in commentar. ad Hebræos cap. 1. ad illud *Imago ſubſtantiæ: Hic*, ait, *imaginem dixit, quod alio loco formam nominat, vbi ait: Qui cum in forma Dei eſſet. Forma videlicet vel imago vnam declarat eſſentiæ æqualitatem.* Et in cap. 22. Lucæ, §. 2. ſub init. ait: *Solus Chriſtus eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem.* Similia ſcribit lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 4. Philip. 2.

6 Hilarius lib. 5. de Trin. propius ad princ. quàm ad med. *Ad Patris*, inquit, *& Filij imaginem homo conditur. Nomen non diſcrepat, natura non differt. Vna enim eſt imaginis, ad quam homo creatus eſt, ſpecies: & inter hæc veritas vbi deperit, manente inter vtrumque, & facti communione, & communis imaginis veritate.* Quibus manifeſtè docet Hilarius, ſimilitudinem in natura ſpecifica rectè colligi ex imagine, cuius rationem non eſſe perfectam, niſi per vnitatem naturæ, fuſiùs probat lib. 8. inter med. & fin. Inſuper eſſentiam diuinam, & cuncta illius attributa requiri ad rationem imaginis, probat ex profeſſò lib. 11. de Trin. colum. 4. Celebrior autem inter Scholaſticos eſt definitio, quam Hilarius tradiderat in eodem lib. de Synodis colum. 6. ad 1. canonem Orientalium dicens: *Cum imago omnis, eius ad quem coimaginetur, ſpecies indifferens ſit. Neque enim ipſe ſibi quiſquam imago eſt: ſed eum, cuius imago eſt, neceſſe eſt, vt imago demonſtret. Imago itaque eſt rei ad rem coæquandæ imaginata & indiſcreta ſimilitudo. Eſt ergo Pater, eſt & Filius, quia imago Patris eſt Filius: & qui imago eſt, vt verè imago ſit, ſpeciem neceſſe eſt, & naturam & eſſentiam, ſecundum quod imago eſt, in ſe habeat authoris.* Quod idem clariùs & fuſiùs confirmat inferiùs exponens canonem 12. eorumdem Orientalium. Eandem vim & quidditatem imaginis obſeruat Epiphanius hæreſ. 73. circa medium.

7 Concilium Epheſinum Primum in confeſſione fidei poſt med. de Verbo diuino ſic loquitur: *Pro-*

pter vnam eandémq; substantiam imago & character, splendórque glorię eius existens. Quemadmodum etiam Cyrillus simul cum Concilio Alexandrino epist. 10. quam probauit Concilium Ephesinum, ait: *Propter eandem, quam cum illo habet essentiam, imago & character.* Idem generaliter colligitur ex omnibus testimoniis Patrum referendis in sequẽtibus sect. & ex omnibus Patribus, qui supra disp. 6. sect. 1. & 2. rationem Filiationis venantur ex imagine ac similitudine naturæ.

8 Probatur secundò, nam vt inquit S. Thomas in præsenti q. 35. art. 1. corp. *De ratione imaginis est similitudo. Non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis, sed similitudo, quæ est in specie rei, vel saltem in aliquo signo speciei: signum autem speciei in rebus corporeis maximè videtur esse figura. Videmus enim, quod diuersorum animalium secundum speciem sunt diuersæ figuræ, non autem diuersi colores. Vnde si depingatur color alicuius rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura.* In qua doctrina constanter perseuerauit aliis in locis, vt lib. 4. contra gentes cap. 11. longè post med. & lib. 1. sentent. quæst. 2. art. 1. & 2. Vnde sumitur hoc argumentum. Verbum non potest esse imago Patris in exteriori figura, nec in alio aliquo signo speciei. Restat igitur, vt esse non possit imago aliter, quàm in similitudine naturæ specificæ.

9 Confirmatur primò, nam ex hoc discrimine diuersarum imaginum, ex quibus artificiales solummodo in exteriori figura repræsentant essentiam specificam diuersorum animalium: sed naturales imagines etiam in specifica natura conueniunt cum suis exẽplaribus: ex hoc, inquam, discrimine ortum habuisse videtur modus ille loquendi Latini interpretis ad Hebr. 1. vbi pro charactere sine imagine posuit, *Figura substantiæ.* Videtur enim respexisse ad imagines corporeas, quæ potissimùm considerantur in figura. Cui secundò consonat nomen *formæ*, quod acceptum ex Apostolo Philip. 2. Patres aliquoties intelligunt, vt idem sit, quod figura, character, vel imago; quemadmodum Chrysost. Athanas. Cyrillus Alex. Gregor. Nyssenus, Gregor. Bœticus, Basilius, Nazianzenus, Hilar. Tertullianus, Ambros. citati supra disp. 54. sect. 6. Basilius autem epist. 43. ad Gregor. Nyssenum ait: *Qui Filij quasi formam mente conceperit, paternæ quoque hypostaseos characterem animo impressit suo.* Et paucis interpositis: *Perinde atque in speculo quodam puro, qui impressam illi formam considerat,* &c. Et tandem concludit: *Quoniam & totus Filius in Patre manet, & totum vicissim in seipso Patrem habet: ita vt hypostasis Filij instar formæ, ac faciei sit paternæ cognitionis, & contra Patris hypostasis in forma Filij cognoscatur, manente quæ in ipsis consideratur vtriusque proprietate ad hoc vt eiusdem sit ton hypostasicon, hoc est, personarum discreta acceptio.* Meminit etiam figuræ Cyrillus lib. 3. dialogor. de Trin. quem retulimus probat. 1.

10 *Ad primum.* Ex his constat solutio ad argumẽta initio proposita. Ad primum respondetur. Humanus vel angelicus conceptus non est imago perfecta & exacta, nec propriè vocatur imago nisi per analogiam, & participationem imaginis naturalis, quæ similitudinem obtinet in natura, cuius perfectionem in primo atque summo gradu, Verbum diuinum, vt propriam sibi vendicat.

11 *Ad secundum.* Ad secundum respond. Propterea statua, vel pictura non obtinet propriè rationem imaginis, sed analogicè vocatur imago propter attributionem ad similitudinem eiusdem naturæ, quam repræsentat. Cuius imperfectionem notauit Nazianzenus in 1. probat. citatus, illis potissimùm verbis. *Rei viuæ, ac motu præditæ, mortua, & motus expers imago est.*

12 *Ad tertium. Homo nõ tam imago, quàm ad imaginẽ.* Ad tertium respondet S. Thomas quæst. 35. a. 2. ad 3. hominem non esse imaginem Dei perfectè & exactè, quoniam non est eiusdem naturæ cum Deo. *Ideo ad designandam in homine imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. Sed de Filio Dei non potest dici, quod sit ad imaginem, quia est perfecta Patris imago.* Accepisse videtur hoc ex antiquioribus Patribus Augustinus enim lib. 7. de Trinit. prope finem totius libri ait: *Quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab eo nata, sed ab eo creata, huius rei significandæ causa ita imago est, vt ad imaginem sit, ideſt, non æquatur paritate, sed quadam similitudine accedit.* Idem ferè notat lib. 5. quæstionum in Deuter. q. 4. Idem sequuntur S. Thomas & communiter eius expositores infra q. 93. a. 5. fine.

13 Inde Chrysost. ad Hebr. 1. homil. 2. post med. præcludit aditum euasioni Arianorum, negantium inferri similitudinem in natura ex eo quod Filius sit imago Patris; quoniam *inquiunt, imago appellatus est homo.* Et postquam ostendit, non esse perfectam imaginem, sed imitationem quandam in dominio & principatu creaturarum, adiungit: *Homo non est dictus character, non est appellatus forma: quod declarat essentiam, aut essentiam simul & similitudinem, quæ est secundum essentiam. Sicut enim forma serui nihil aliud significat, quàm hominem propriè: sic & forma Dei nihil aliud manifestat, quàm Deum.* Non dissimilem solutionem dat Athanasius dialogor. 1. contra Anomæum pag. 5. Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. non longè ante med. respondet, hominem esse imaginem, quoniam ad imitationem Filij factus est, & eleuatus in adoptiuam filiationem. Quod idem alij plerique Patres obseruant.

SECTIO II.

Non est satis ad imaginem similitudo, nisi producta sit ex vi processionis formaliter.

1 *Imago requirit processionem.* DIco primò. Similitudo speciei vel figuræ non sufficit ad rationem imaginis, sed præterea requiritur origo vel processio. Ita docet eisdem verbis S. Thom. præsenti quæst. 35. art. 1. corp. post med. & omnes Scholastici citandi sect. 3. Probatur ex Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 74. in princ. dicente: *Imago & æqualitas & similitudo distinguenda sunt: quia vbi imago, continuò similitudo, non continuò æqualitas. Vbi æqualitas, continuò similitudo, non continuò imago. Vbi similitudo, non continuò imago, non continuò æqualitas: vt in speculo est imago hominis, quia de illo expressa est: est etiam necessariò similitudo, non tamen æqualitas, quia multa desunt imagini, quæ tamen insunt illi rei, de qua expressa est. Vbi æqualitas, continuò similitudo, non continuò imago: velut in duobus ouis paribus, quia ineſt æqualitas, ineſt & similitudo: quæcumque enim adsunt vni, adsunt & alteri: imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est. Vbi similitudo, non continuò imago, non continuò æqualitas: omne quippe ouum omni ouo, inquantum ouum est, simile est: sed ouum perdicis, quamuis inquantum ouum est, simile est ouo gallinæ, nec imago tamen eius est, quia de illo expressum non est, nec æquale, quia breuius est, & alterius generis animantium.* Eandem doctrinam attigit lib. 5. quæstionum super Deuteronom. q. 4. inter

inter med. & fin. & lib. imperfecto de Genesi ad literam cap. 16. prope med. *Si tantum*, inquit, *similitudinem diceret, non significaret ab ipso esse genitam: si autem tantummodo imaginem diceret, significaret ab ipso quidem genitam.*

2 Athan. orat. 2. cõtra Arianos multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Substantia Patris existente, omnino statim oportuit & characterẽ & imaginem sui ipsius existere. Non enim extrinsecus depicta est imago Dei, sed Deus ipse eius imaginis genitor est.* Et iterum in eadem orat. 2. *Oportet talem esse imaginẽ qualis est Pater imaginis author.* Naziãzenus orat. 36. cuius verba retulimus sect. 1. notat, Verbum esse imaginem Patris, *& quia ex illo est, & quia exemplar suum imitando refert.* Basilius hom. 28. contra Sabellianos prope med. *Vnum*, inquit, *archetypon, ac illius vna imago traditur, propterea quod ex Patre genitus, Patrémque in seipso naturaliter exprimens, vt imago quidem per omnia illi respondet, vt progenies verò Omousion obtinet.* Iterúmque lib. 2. contra Eunom. propius ad med. quàm ad princ. docet, *Imaginem esse consubsistentem cum prototypo, qui ipsi substantiam dedit, idémque cum prototypo existentem, nec imitatione figuratam, sed tanquam sigillo aliquo tota Patris natura Filio impressa.*

3 Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. inter princ. & med. *Naturales*, inquit, *dignitates Patris incommutabiliter habet Filius, & ideo Patris imago est, & ipsum genitorem in se monstrans.* Et non longè inferius. *Neque propter voluntatum cõuenientiam Filius, Verbum, & imago Dei est, nec sapientia & lumen de lumine ideo appellatur: sed quia ex ipso Patre verè ac propriè genitus est.*

4 Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 4. post mẽd. ex professo discutiens vim & proprietatem imaginis, versus finem adiungit, vltra similitudinẽ hoc habere, vt sit *egressa de Patre, expressa de fonte.* Vnde post pauca infert: *Vides ergo, quia dum imago dicitur, Patrem significat esse, cuius imago sit Filius? quia nemo potest ipse sibi imago sua esse.* Hilarius lib. 7. de Trin. col. antepenult. ait: *Quod imago est, eo proficit, vt Deum Patrem Vnigeniti Dei significet natiuitas, significet autem vt forma & imago inuisibilis Dei.* Vnde lib. 9. colum. 2. *Perfecta*, inquit, *natiuitas, perfectam imaginem declarat.* Quibus consequentia scribit lib. de Synodis ad 3. & 7. canonem Orientalium.

5 Probatur secundò ex omnibus Patribus, qui sectionibus sequentibus affirmant, imaginem esse relatiuam ad exemplar. In Deo quippe nullum est exemplar alicuius personæ diuinæ, nisi fuerit etiã principium, à quo talis persona procedit. Tertiò probatur ex Aristotele lib. 6. Topicorum cap. 2. ante med. vbi legem non esse imaginem propriè, sed tantùm metaphoricè probat, quia licet habeat similitudinem, non est genita per imitationem. *Nã imago id est, cuius generatio per imitationem est: hoc autem non ineſt legi.* Quartò probatur, quia peculiariter in Deo relatio similitudinis non poterat esse realis, nisi propter realem processionem imaginis ab exemplari, vt dicemus infra sect. 7. obiect. 2. & disp. 103. sect. 4.

6 *Obiectio prima.* Obiicit primò Aureolus 1. dist. 27. part. 2. art. 3. col. 3. quia quilibet homo, licet non sit pictor, nec sculptor, nec alio modo sibi faciat imaginẽ, potest habere imaginem repræsentatiuam sui, factam ab alia persona. Ergo ad rationẽ imaginis non requiritur origo, per quam procedat ab exemplari. Respond. Quod imago procedat ab exemplari tanquam à causa efficiente, non est simpliciter necessarium: est autem simpliciter necessarium, *Procedere tãquã ab exẽplari, est necessarium.* quod imago procedat tanquam à causa exemplari secundum esse, quod illud exẽplar habet in mente causæ producentis imaginem. Hoc autem in Deo non est aliter possibile, nisi exemplar ipsum sit etiam principium productiuum.

7 *Obiectio secunda. Respondetur.* Potest obiici secundò, quoniam multi Patres, & Scholastici pro eodem accipiũt similitudinem, & imaginem tanquam synonyma, vel conuertibilia. Igitur imago nihil amplius requirit, quã similitudinem. Respond. Quando Patres & Scholastici pro eodem accipiunt similitudinem & imaginem, tunc similitudinis nomen restringunt, vt non sit reciproca similitudo, sed debeat esse procedens ab exemplari. Quod potissimum indicant, quando non dicunt, duas res esse similes inuicem, sed dicunt, hæc res est similitudo talis rei. Hoc sensu Anselmus in monol. cap. 29. 30. & 32. & 60. & 61. negat, Verbum esse similitudinem sui, & Spiritus sancti, & creaturarum, quoniam ab his omnibus non procedit.

8 *Similitudo ex vi processionis formaliter requiritur ad imaginem.* Ex his colligo, & Dico secundò. Ad rationem imaginis propriè dictæ requiritur similitudo accepta ex vi processionis formaliter. Ita colligitur apertè ex D. Thoma quæst. 35. art. 1. ad 1. & art. 2. in fine corp. & 4. contra Gentes cap. 11. post med. & 1. sent. dist. 28. quæst. 2. art. 1. corp. fine. S. Bonauentura 1. dist. 31. art. 1. quæst. 2. Scoto dist. 10. quæst. vnica ad 1. Henrico in summa art. 60. q. 1. Ricardo 1. dist. 28. art. 3. quæst. 2. corp. Carthus. dist. 13. quæst. 1. & aliis Scholasticis referendis sect. 3. Probatur, quoniam imago correlatiuum est exemplaris seu prototypi. Ergo petit ab eo procedere tanquam ab exemplari. Vnde consequens est, vt hoc petat formaliter, inquantũ imago est, & inquantum producitur in esse imaginis. At verò processio imaginis, inquantum imago est ab exemplari, quatenus exemplar est, formalissimè & ex vi processionis explicita, similitudinem affert imitatricem exemplaris.

9 Confirmatur primò, quoniã hac ratione Dionysius de diuin. nominibus cap. 9. propius ad med. quàm ad fin. reciprocam similitudinem distinguit ab imagine, vbi de creaturis ait: *Hæc quidem Deo similia dicenda sunt, & ad diuinam imaginem, similitudinemq; ficta, neque enim eis Deus similis dicendus est, quod ne homo quidem similis est suæ imagini. Nam ea, quæ sunt eiusdem ordinis, fieri potest, vt inter se similia sint, & vtrinque reciprocetur similitudo, & sint ambo similia æquè ex principali specie. In causa autem & effectis, non approbabimus reciprocationem.* Quam sententiam magis explicat S. Thomas supra quæst. 4. art. 3. ad 4. & 1. contra Gentes cap. 29. & de veritate quæst. 4. art. 4. ad 2.

10 Confirmatur secundò, nam ob eandem rationem ideæ diuinæ non sunt imagines propriè, sed exemplaria. Quo sensu Anselmus paulo superius citatus dicit, Verbum non esse creaturarum similitudinem. Eadem quoque ratione exemplar domus ædificandæ conceptum artificis mente vel exteriori signo delineatum, non est propriè imago domus faciendæ, sed exemplar. Confirmatur tertiò, nam imago dicitur ab imitando, vt notat S. Thomas quæst. 35. art. 1. argumento 3. & 1. sentent. dist. 28. quæst. 2. art. 1. corp. Imitatio autem est ordo ad exemplarem causam, quem Hilarius significauit illa definitione, quam sect. præcedenti retulimus ex lib. de Synodis ad canonem primum Orientalium. *Imago omnis eius, ad quem coimaginetur, species indifferens est.* Id est eius, ad quem exprimendum destinatur forma non differens ab eo.

Quartò

11 Quartò confirmatur ex dictis supra disput. 61. sect.4.probãdo, Verbum non esse imaginem Spiritus sancti,licet procedat per cognitionem illius, quia non procedit à Spiritu sancto. Denique potest idem colligi ex aliis Patribus,qui sectionibus sequentibus dicunt , imaginem esse relatiuam ad exemplar, & ad Patrem.

12 *Dictum tertium.* Ex quibus insuper infero,& Dico tertiò. Temperamento seu declaratione indiget , quod ex primariis theologis nonnulli dixerunt , ad rationem imaginis non requiri , quod procedat tanquam ab exemplari cognito. Probant primò, *Argumẽtum primum.* quia Verbum diuinum procedit per ipsammet primam cognitionem Patris. Hanc verò rationem non amplius explicant. Respond. Inde rectè probatur, quod Verbum diuinum non procedat ab exemplari, vt cognito per cognitionem priorem ipsa processione , vt contingit imaginibus artificialibus. Cæterum manifestum est procedere ab exemplari, vt obiecto cognito per eandem cognitionem , quæ est ipsa processio, quatenus ab obiecto & potentia paritur notitia , siue conceptus, quod est Verbum , vt fusiùs explicatum fuit supra disp.6.tota sect.9. *Soluitur.*

13 *Argumẽtum secundum.* Argumentantur secundò , quoniam in rebus creatis filius est naturalis imago Patris : & tamen non procedit ab illo , vt ab exemplari cognito. Respond.Causa exemplaris habet causandi modũ valde similem causæ finali, quatenus vtraque agit dependenter à cognitione tanquam à conditione agendi.Vnde quemadmodũ causæ naturales agũt verè propter finem verum , non ab ipsis cognitum, sed ab authore naturæ, à quo mouentur , & aguntur : sic etiam causæ naturales agunt propter consequẽdam imaginem exemplaris, non ab ipsis cogniti, sed ab authore mouente. Semper tamen imago requirit processionem ab exemplari , tanquam ab exemplari cognito , vt præcedentibus assertionibus probatum est. *Filius cuiusque animalis quomodo procedit ab eo tanquam ab exemplari.*

14 *Definitio imaginis.* Postremò , corollarium ex hac & præcedenti sect. deductum , est definitio imaginis plena & exacta. Imago est similitudo ad repræsentandum, procedens ab exemplari.

SECTIO III.

Vtrum in diuinis imago referatur ad essentiam vel potius ad Patrem.

1 *Notionalis est ratio imaginis.* Dico primò. Ratio formalis imaginis in Deo non est absoluta & essentialis , sed relatiua & notionalis. Ita Magister & communiter Scholastici 1.dist.27.c.5.& 6.& dist.28.fine, & dist.31. pag.3. Alex. 1.p. quæst.61.mem.1 & 2.& mem.3. art. 2. Albert. 1. p. quæst. 35. num. 2. S.Thomas quæst.35. art.1. & 2. & 4. contra Gentes cap.11. & 1. sentent. dist.28. quæst.2. art.2. S. Bonauent. 1.dist.31.p.2.art.1.quæst.1.& 2. Ricard.1.dist.28. art.3.quæst.1. & 2. vbi Carthus.q.4. cum Ægidio & Paludano. Henricus quodlib.4. quæst. 2. Scotus 1. dist. 10. quæst. vnica ad 1. & supponit potius , quàm asserat 1. dist. 31. quæst. vnica. Magis ex professo docent discipuli S. Thomæ. Capreolus 1. dist.27.art.1.conclus.6. & art.2. fine & art.3. Ferrarien.4. contra Gentes cap.11. Caietanus & communiter expositores quæst. 35. art. 1. & 2. Canarien. supra q. 27. art.2. p.4. Vazquez disp.145. Suarez lib.9. de Trin. cap.8. & 9. Nemo, quem sciam,inter Scholasticos dissentit,præter Durandum citandum sect.7.

2 Probatur primò testimoniis Patrum,inter quos magis Scholasticè loquitur August.lib.5. de Trin. cap.15. initio dicens : *Relatiuè dicitur Filius,relatiuè dicitur & Verbum & imago. Et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.*Et lib.6.cap.2.ante med. *Sic Verbum,quomodo imago : non autem Pater & Filius simul ambo imago , sed Filius solus imago Patris.* Quod idem repetit in fine capitis. Deinde lib.7. cap.1.parum à princ.de Patre ait : *Non est ipse Verbum, sicut nec Filius,nec imago.* Et post panca : *Relatiuè dicitur Filius, & imago.* Et cap.2.à medio repetit nomina Filij & imaginis *relatiuè dici.*

3 Basilius homil. 15. de fide in med. imaginem refert ad prototypum, & exemplar , videlicet Patrem , vt retulimus sect. 1. Quod magis explicat epist.43. ad Greg. Nyssenum prope fin. Clariùs loquitur Nyssenus tom.2.orat. de Diuinitate Filij & Spiritus sancti propius ad med. quàm ad prin. *Splendor enim prorsus alicuius rei splendor est,item effigies, & imago alicuius rei prorsus effigies est.* Multãque subiungit,vt ostendat effigiem & prototypum esse simul natura, existentia & cognitione,& effigiem esse prototypi effigiem , quemadmodum prototypon est imaginis prototypon.

4 Anselmus in monolog. cap. 37. fin. *Verbum,* inquit , *hoc ipsum , quod Verbum est aut imago , ad alterum est , quia non nisi alicuius Verbum est aut imago.* Atque idem colligitur ex cap. 38. & 39. & cap. 53. vbi notat , Verbum *promptam præseferre Patris imaginem* , quam non præfert Spiritus sanctus ; & ex Ricardo Victor.lib.6.de Trin. cap.19. 20.& 21.atque Rupert.lib.2.de Trin.cap.2.Colligitur præterea ex Patribus statim referendis , qui docent, Filium esse imaginem Patris.

5 Hoc igitur supposito, quod imago sit relatiua, restat inquirere , vtrùm referatur ad essentiã Deitatis,vel potiùs ad personam Patris. Inde namque pẽdet alia quæstio, vtrùm imaginis relatio sit realis , vel potiùs sit tantummodo relatio rationis. Dubitandi occasionem præbuerunt Scriptura Sacra & Patres.Nam imaginem ad essentiam referre videntur , quando vocant imaginem substantiæ, aut bonitatis, aut Dei. Quemadmodum Hebr.1. *Figura substantiæ.* Sapient.7. *Speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.*2. Corinth. 4. *Qui est imago Dei.* Colossen.1 *Imago Dei inuisibilis.* Diuinitas autem, bonitas & substantia, omnia sunt absoluta , & illorum comparatione dicitur imago prædictis verbis. Confirmatur primò, nam prædicti Patres *substantiam* positam Hebr.1. intelligunt essentiam diuinam, ac si diceret Apostolus ; *Imago essentiæ.* Quemadmodum Concil. Ephesinum, Epiph. Athan. Eusebius Cæsarien sis, Cyril.& Hilar. citati disp.23.sect.3. *Occasio dubitandi imaginem ad essentiam referri, sonare videntur verba Scripturæ & Patrum.*

6 Confirmatur secundò, quia Gregor. Thaumaturg. in regula fidei : *Deus,* inquit , *de Deo , figura & imago Deitatis, Verbum efficax.* Athanas. lib.3. seu dialogo de assumptione hominis frequenter repetit, Verbum esse *characterem,* siue *imagine substantiæ.* Idemque de vnita Deitate lib. 1. inter princ. & med. ait : *Vna imago inuisibilis est Trinitatis , quia vna eademque Deitas est in imagine veritatis.* Fusiùs autem identitatem imaginis Trinitatis exequitur lib. 5. de vnita substantia Trinitatis post med. & dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum multo propius ad med.quàm ad prin. *Filium* , inquit , *esse ipsius essentiæ imaginem , dixit Apostolus , Qui,* inquiens , *splendor est gloriæ, & character hypostaseos. Nam character hypostaseos nihil aliud est , quàm essentiæ imago.* Eodem sensu imaginem hypostaseos pro imagine essentiæ , videtur accipere dialogo 1. contra Anomæum pag.5. declarans

clarans discrimen inter imaginem Trinitatis , ad quam factus est homo , qui non est imago hypostaseos,sed artis diuinæ.

7 Chrysostomus tom.3. versus fin.serm. de Trin. sub init.*Significans,*inquit,*Scriptura,esse vnam imaginem S.Trinitatis, dicit : Et fecit Deus hominem,secundum imaginem Dei fecit illum. Sicut & Paulus clamat de Filio : Qui cum sit splendor gloriæ,& character substantiæ,& iterum: Qui est imago Dei inuisibilis.* Eusebius Cæsarien s. lib.4. demonstrat. Euangel. cap. 2. *Solus* , inquit , *Filius diuinæ naturæ in seipso ferat imaginem.*Et lib.5.cap.1.sub init. *Primogenita ingenitæ naturæ imago.* Et paulo inferiùs : *Genitura est ingenitæ naturæ.* Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med.quàm ad princ. *Imago,* inquit, *paternæ essentiæ nata.*

8 *Ad personam Patris tãquã ad exemplar imaginem referri.* Veruntamen ad personam Patris , tanquam ad exemplar, imaginem referunt iidem , aliique Patres : quemadmodum Basilius citatus sect.1.Idémque lib.2. contra Eunom. propius ad med. quàm ad princ. docet , *Imaginem esse consubsistentem cum prototypo,qui ipsi substantiam dedit,idémque cum prototypo existentem,nec imitatione figuratam,sed tanquã figillo aliquo tota Patris natura Filio impressa.*Et post pauca : *Quapropter totum in seipso Patrem ostendit, ex tota eius maiestate resplendens.* Et lib. vnico de Spiritu sancto cap.18.ante med.ait:*Imaginis honor ad exemplar primum refertur.* Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia multo propius ad fin. quàm ad med. ante num.83. obseruat, Filium appellari *characterem , vt purum Patris sigillum , minimèque mendax.* Et carmine arcano 1.post med.ait: *Viua est Patris effigies.*

9 Alexander Alexand.epist.ad Alexãdrum Constantinopolitan. colum. 5. ita redarguit Arianos: *Quod si imago Dei non erat semper,liquet neque illum, cuius imago est , semper fuisse ; quin etiam cum dicitur formam substantiæ Dei non esse,tollitur vnà etiam ille, qui omnino ab ea figurabatur.* Videlicet Pater. Et post med. eiusdem epistolæ, *Constat,* inquit, *imaginem complecti debere eas omnes res , quibus exemplar ipsum exprimatur.* Athanas.contra Arianos quinque orationibus, maxime 2.3.& 4.& in aliis opusculis, multoties Filium appellat characterem aut imaginem Patris , aut personæ Patris , & in qua spectatur & cognoscitur Pater.

10 Chrysostomus Hebr.1.hom.2.col.1. *Character,* inquit,*substantiæ eius,vt pote: Quemadmodũ ipse Pater in seipso subsistit,nullius indigus:ita & Filius.Nam hic illud ideo dicit , vt omnimodam similitudinem & propriam exemplaris imaginem ostendat.* Et longè inferiùs colum.3. *Character,* inquit, *alter est ab ipso suo exemplari : alter autem non in omnibus , sed secundum quod per seipsum subsistit. Nam & hic character similitudinis omnimodæ , præbet indicium , ad illud, cuius est character.*

11 Cyrillus Alexandrinus lib. 1. thesauri cap. 9. prope init. fusam disputationem aduersùs hæreticos instituens , concludit in med. capitis , *Non voluntatis diuinæ, sed ipsius Patris imaginem* esse Filium : quoniam imago cum sit hypostasis , atque subsistens , non est comparanda voluntati , quæ non est hypostasis , sed Patri , qui est hypostasis. Rursus lib.2.thesauri cap.2.in med. *Imago,*inquit, *Patris Filius est , & in seipso Patrem ostendit. Nec vllus poterit in alia natura aliam inspicere.* Et lib. 3. thesauri cap. 1. inter princ. & medium. *Naturales ,* inquit , *dignitates Patris incommutabiliter habet Filius , & ideo Patris imago est , & ipsum genitorem in se monstrans.* Denique lib. 1. de recta fide ad Theodosium colum.12. *An non genitoris imaginem & characterem illum appellant sacræ literæ?*

12 Eusebius Cæsarien.demonstrat.Euangel.lib.5. cap.1. inter medium & fin. de eadem imagine ait: *Quæ tota ipsa sit species , & ipsa essentia similitudinem referens Patris.* Epiphan. hæres. 76. colum.3. ait: *Imago Dei per generatiuam coëssentialitatem , tanquam Filio ad Patrem exprimente genus, & tanquam de cætero assimilatio reperiatur identitatis & coëssentialitatis , & expressa imaginis.* Eandem doctrinam repetit longe inferiùs , respondens ad 2. caput Aëtij. Atque in Ancorato propius ad princ.quàm ad med. ait : *Qui ex Patre procedit , splendor gloriæ, character substantiæ , imago Patris in veritate.* Nicetas ad orat.42. Nazianz. colum. 2. num.19. de Filio ait : *Imago est viui archetypi.*

13 Ambrosius lib. 2. Exæmaron cap.5.ad med. ait: *Filius omnia Patris quasi imago exprimit , omnia eius, quasi splendor gloriæ illuminat.* Et lib.1. de fide ad Gratian. cap.4. post medium. *Dum imago dicitur, Patrem significat esse, cuius imago sit Filius ? quia nemo potest ipse sibi imago sua esse.* Idem ad Hebr. 1. *Imago,*inquit,*altera est ab eo,cuius refert formam. Altera autem non in omnibus , sed secundum personam.* Hilarius lib.3.de Trin.multo propius ad fin.quàm ad med. *Omnia,* inquit, *Filius accipit à Patre, & est Dei forma , & imago substantiæ eius. Eum enim qui est, ab eo qui est imago substantiæ,tantum ad subsistendi fidem , non etiam ad aliquam naturæ dissimilitudinem intelligentia discernit.* Nec non lib. de Synodis col.6.ad canonem 1. Orientalium, Filium esse dicit imaginem comparatione Patris , vt vidimus sect.1. Quod idem constat ex testimoniis Augustini positis sub init.sectionis præsentis.

14 *Ratione probatur.* Ratio præterea vrget , quia relatio realis esse non potest, nisi ad terminum realiter distinctum. Vnde si Filius vt imago respiceret essentiam tanquam terminum ; relatio imaginis non posset esse realis, cum essentia non distinguatur realiter à Filio.Consequens igitur est,vt realis respectus imaginis esse debeat ad personam Patris, quæ sola est terminus realiter distinctus , & exemplar ad imitationem sui producens imaginem. In quo definitionem imaginis consistere , probatum est sect. præcedenti.

15 *Dictum secundum. Imago relatione rationis essentiam respicit.* Vnde colligo,& Dico secundò. Filius,inquantum imago , respicit Patrem tanquam proprium terminum, & exemplar eiusdem imaginis. Essentiam verò diuinam imago non respicit relatione reali,sed tantùm relatione rationis, vt fundamentum, ac rationem fundandi relationem imaginis. Hæc enim fundatur in vnitate diuinæ naturæ. Ad hoc autem significandum Scriptura , Patrésque citati pro ratione dubitandi , docuerunt , Filium esse imaginem substantiæ,Diuinitatis,essentiæ, bonitatis, & his similia. Qui propterea nihil sibi ipsis, neque aliis Patribus contradicunt, licet dicant aliquando imaginem essentiæ , aliquando verò imaginem Patris.

16 Hæc conciliatio Patrum & Scripturarum confirmatur ex Gregorio Nysseno lib. de differentia essentiæ & hypostasis propius ad finem, quàm ad med.Obiicit enim contra suam definitionem hypostasis, ex ea sequi Filium esse Patrem , & ingenitum, quoniam est imago hypostaseos Patris, ac subinde personæ Patris debet euadere similis.Respondet autem,negando consequentiam, quia Filius ea ratione constituitur imago personæ paternæ,quatenus in se habens & repræsentans eandem naturam, formam & substantiam Patris,Filius eo ipso constituitur imago Patris , vt prototypi,consequentérque Pater constituitur prototypus imaginis.

ginis. Ad quod necessariò prærequiritur, imaginem esse suppositum realiter distinctum à supposito prototypi, proindéque non habere proprietatem constitutiuam illius. Vnde ad finem illius libri concludit: *Itaque Filij hypostasis quasi forma, ac facies est, qua Pater cognoscitur: & Patris hypostasis in forma Filij cognoscitur, manente ea, quæ in ijs consideratur proprietate, ad discretionẽ personarum.* Eandem obiectionem non alio modo Basilius soluit epist. 43. pag. vltima.

17 Ad Scripturæ testimonia, quæ posita sunt in occasione dubitandi, respondeo. Imprimis ad Hebr. 1. cum dicitur *figura substantiæ*, Græcè autem, *character hypostaseos*: meliùs intelligitur imago personæ, quàm imago naturæ, vt probatum est disput. 23. sect. 3. conspirantibus Chrysostomo, Basilio, Epiphanio, Cyrillo, Athanas. Nazianz. Theodoreto & Hilario ibidem citatis. Insuper illi Patres, qui nomine substantiæ intelligunt ibidem essentiam, non existimant, essentiam esse terminum relationis, & exemplar, seu prototypon imaginis, sed esse fundamentum relationis, vt nuper explicuimus in assertione 2. Inde constat solutio ad cætera testimonia Scripturæ & Patrum.

SECTIO IV.

Solum Verbum esse imaginem.

1 Licet impropriè sumptum imaginis nomen, aliquando tribuatur personæ Patris aut Spiritus sancti, vel etiam essentiæ diuinæ: nihilominus propriè sumptum & in rigore, solius Filij peculiare nomen est, ita vt neque Pater neque Spiritus sanctus, neque essentia diuina, præcisè considerata, sit imago. Probatur primò, nam ita existimãt omnes Scholastici citati sect. præcedenti in princ. & expresè tradũt Augustinus, Anselmus, Ricard. Victor. & Rupertus citati sect. præced. sub init. Secundò non obscurè colligitur ex aliis Patribus. Quemadmodum ex Basilio hom. 16. ad id Ioan. 1. *In principio erat Verbum* post medium: nam eam rationem dat, propter quam Filius sit Verbum; *Quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem*, &c. Ergo si Pater aut Spiritus sanctus propriè foret imago, foret eo ipso Verbum, Basilio iudice, quoniam illi conueniret ratio Verbi, quæ consistit in eo, quod sit imago genitoris.

2 Athanasius epist. de decretis Nicænæ Synodi ferè ipso in medio. *Quod si eum*, inquit, *imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim est simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Perpende reduplicatiuam dictionem, *eo ipso*, vnde consequens est, vt Spiritus sanctus esset Filius & progenies Patris, si propriè & in rigore fuisset illius imago & similitudo. Idem Athanas. orat. 4. contra Arianos multo propius ad princ. quàm ad med. *Nam quominus*, inquit, *ille solus sit imago vera & genuinus Patris sui, nihil inde obstaculi nascitur, quod & nos ad imaginem Dei creati recitemur, & quod gloria & imago Dei nuncupati simus; cum id non ex nostra indole fiat, sed ob imaginem Dei, & veram eius gloriam in nobis habitantem, quæ quidem ipsa est ratio, siue Verbum Dei, quod nostri gratia postmodum caro factum est.* Et lib. de humanitate Verbi, eiusque corporali aduentu propius ad princ. quàm ad medium de Patre sic loquitur: *Suam imaginem Dominum nostrum Iesum Christum illis impertitus est, creauit q; illos secundum suam ipsius imaginem & similitudinem, vt per eam gratiam, imaginem nimirum Patris rationem agnoscentes, etiam ad Patris intelligentiam contenderent.* Et longè inferiùs: *Quid par erat, vt fieret, nisi vt exemplar imaginis renouaret, vt per id denuo ipsum cognoscere possent? Id autem quomodo confici potuit, nisi ipsa imago Dei saluator noster Christus superueniret?* Eandem rationem congruentiæ, vt Verbum incarnaretur, tangit lib. de Incarnat. Verbi Dei prope fin. & lib. de Incarnat. Christi propius ad med. quàm ad princ. Semper itaque tanquam proprietatem solius Filij ponit imaginem.

Cyrillus Alexand. lib. 3. cap. 1. colum. 5. *Propter hoc*, inquit, *Filius Verbum & imago Dei est, quia ex ipso Patre verè, ac propriè genitus est.* Vbi licet interponat alia nomina Filij, videlicet, sapientiam de sapientia, & lumen de lumine, nihil obstat instituto præsenti, cum illa præpositio *de*, faciat ea notionaliter accipi. Theodoretus in epitome diuinor. decret. lib. 5. cap. 2. de Filio inter med. & fin. eundem locum Apostoli ponderans: *Character, inquit, substantiæ & perfectam similitudinem ostendit, & personarum docet differentiam.* Quam differentiam non doceret, nisi peculiaris esset, & propria persona Filij. 3

Didymus apud Hieronym. lib. 2. de Spiritu sancto inter med. & finem: *Glorificat*, inquit, *Filium Spiritus sanctus, ostendens illum, & in apertum proferens splendorem substantiæ, & imaginem inuisibilis Dei. Rursum imago ipsa ostendens se puris mentibus, glorificat Patrem, insinuans eum nescientibus: ipse enim ait: Qui videt me, videt & Patrem, Pater quoque reuelans Filium*, &c. Eusebius Cæsariens. lib. 4. demonst. Euang. cap. 2. *Oracula*, inquit, *Deum genitum illum enunciant tanquam eum, qui diuinæ naturæ solus in seipso ferat imaginem.* 4 Ioan. 14.

Tertiò. Eandem veritatem ex sacris literis deducit S. Thomas quæst. 35. art. 2. quoniam in illis imago non inuenitur, nisi de Filio dicta. Quod argumentum ab authoritate negatiuè vim habet non contemnendam, quando ratio discriminis ostenditur antiquorum Patrum authoritate roborata, vt ex hac & præcedentibus, ac sequentibus sectionibus constabit. Porrò Filius peculiariter appellatur imago, Hebr. 1. & Colos. 1. & 1. Corinth. 4. citatis in præcedenti sect. Præterea Roman. 8. *Quos præscíuit*, ait, *& prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Et Sapient. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius.* 5 *Ex Sacris literis colligitur solũ Verbum esse imaginem.*

Quartò colligitur ex prædictis verbis Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quæ sic ponderat Cyrillus lib. 3. thesauri cap. 1. col. 4. *Quemadmodum si quis depictam Regis imaginem videat, & miratus pulchritudinem imaginis, ipsum Regem videre desideret, iure vtique imago ad eum diceret, qui me videt, & regem videt, ego & Rex vnum sumus, quantum ad exactam similitudinem, ego in Rege & Rex in me est, quantum ad figuram, & formam. Sic & Filius.* &c. Et in præcedenti lib. 2. thesauri cap. 2. in med. *Imago*, inquit, *Patris Filius est, & in seipso Patrem ostendit. Nec vllus poterit in alia natura aliã inspicere.* &c. Confirmátque prædicto testimonio Ioan. 14. 6

Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos prope finem: *Filij hypostasis*, ait, *quasi forma ac facies est, qua Pater cognoscitur; & Patris hypostasis in forma Filij cognoscitur, manente ea, quæ in ijs consideratur proprietate, ad discretionem personarum.* Rursus lib. de Trin. ad Eustathium fere inter med. & fin. *Nec aliter*, inquit, *videre licet hypostasim, siue personam Patrem, nisi quis per characterem in eum intuitus fuerit: character autem Patris* 7

Patris hypostaseos siue personæ Vnigenitus Filius est. Eodem testimonio Ioan. 14. Perfectam rationem imaginis esse propriam Filij, probant Athanasius orat. 2. contra Arianos multo propius ad med. quàm ad princ. Alexander Alex. epist. ad Alexandrum Constantinopol. propius ad med. quàm ad fin. Theodoret. Hebr. 1. ad illud *Figura substantiæ*, Didymus citatus probat. 2.

8 Quintò probatur ex multis Patribus, qui Filium appellant imaginem: at verò Spiritum sanctum nunquam appellant imaginem: quemadmodum Nazianzenus in Apolog. 1. qui est orat. 1. num. 167. & oratione 35. quæ est 3. de theologia inter med. & fin. num. 65. & 66. & orat. 36. propius ad fin. quàm ad medium num. 83. & in carmine arcano 1. post med. Chrysostom. homil. 74. in Ioan. prope med. & aliis in locis hactenus citatis. Concil. Ephes. in confess. fidei post med. Alexandrina Synodus epist. ad Cyrillum Alexand. post med. quæ est 10. inter epistolas Cyrilli. Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum colum. 10. Fœlix Papa I. epist. 3. ad Benignum. Euaristus epist. 1. ad omnes episcopos Africanos. Origenes lib. 1. Periarc. cap. 2. qui licet ibi probet, Filium esse imaginem Patris; nihilominus sequenti cap. 3. de Spiritu sancto differens, non probat, eum esse imaginem (quod idem argum. accipi potest ex Theodoreto lib. 5. diuinorum decretorum cap. 2. de Filio longè post med. comparato cum cap. sequenti de Spiritu sancto.) Gregor. Magnus lib. 5. moral. cap. 25. fine. Gregor. Nyssenus, Gregor. Bæticus, Alexander Alexand. Ambros. Hilar. Eusebius Cæsariens. Augustinus, Anselmus & alij citati in hac & præcedentibus sectionibus, paucis exceptis, quos referemus sect. 6. Quin etiam Philo Iudæus *Verbum & imaginem* vocat Dei Filium apud Eusebium lib. 1. de præparatione Euangelica c. 10. inter princip. & med.

9 Sextò probatur ratione theologica. Nam imago propriè & in rigore dicta, est similitudo, ad repræsentandum procedens ab exemplari (vt probatum est sect. 1. & 2.) sed solus Filius est similitudo ad repræsentandum procedens ab exemplari. Ergo solus Filius est imago: non Pater, nec Spiritus sanctus, nec essentia diuina. Minor probatur, quia solus Filius est Verbum, ex vi suæ processionis formaliter procedens vt simile in natura, perfectéque repræsentans suum exemplar, quod est Pater. Nam Verbum est similitudo primarij obiecti, procedens simul ab intelligente & obiecto intellecto: quando fusius declaratum fuit disput. 6. sect. 8. & 9. atque disput. 58. & 59.

10 *Spiritus sanctus est similis suo principio, sed non ex vi processionis formalitor, &c.* At Spiritus sanctus, quamuis sit in natura similis suo principio, a quo procedit: attamen hanc similitudinem non accipit ex vi suæ processionis formaliter: propterquòd non habet similitudinem destinatam ad repræsentandum. Quoniam amor secundum lineam formalem amoris, non affert repræsentationem ac similitudinem, sed impulsum & vnionem. Quod fusiùs declaratum est supra tota disput. 7. Atque ita rationem reddit S. Thomas in præsenti quæst. 35. art. 2. Præterea Pater non est imago Filij nec Spiritus sancti, quoniam ab illis non procedit, nec eius quidditas destinatur ad illos repræsentandos: insuper quoniam est exemplar Filij: exemplar autem non est imago suæ imaginis. Impropriè tamen & abusiuè nomen imaginis aliquando tribuitur exemplari, vt videbimus sect. 6.

11 Ex eadem ratione colligitur, Verbum non esse imaginem sui ipsius, nec Spiritus sancti, nec Deitatis & essentiæ absolutæ: quia nec à seipso, nec à Spiritu sancto, nec a Deitate & essentia absoluta procedit; vt dictum est disput. 61. sect. 4. Propter hanc rationem solum Verbum esse imaginem, non verò Patrem, nec Spiritum sanctum, colligitur ex Patribus, qui sect. 2. dixerunt, imaginem esse genitam & procedentem a Patre: nec non ex illis, qui sect. 3. dixerunt, imaginem referri ad Patrem vt ad exemplar. *Verbum non est imago sui ipsius.*

Aliæ rationes insufficientes sunt & supponunt falsum. Talis est illa Ricardi Victorini lib. 6. de Trinitat. cap. 11. & cap. 18. & tribus sequentibus vsque ad 21. vbi docet, Verbum esse imaginem, quia procedit vt simile, non modò quantum ad perfectiones essentiales & absolutas; sed etiam quantum ad relatiuam & personalem proprietatem dandi & communicandi alteri personæ plenitudinem Diuinitatis. Quam similitudinem relatiuam & personalem quoniam Spiritus sanctus non habet; ideo non est imago. Hanc Ricardi rationem sequitur Alexand. 1. part. q. 62. memb. 3. art. 2. ante med. & quæst. 42. memb. 2. in med. & memb. 3. art. 2. Eámque tanquam concomitantem rationem admittit S. Bonauent. 1. dist. 31. artic. 1. quæst. 2. & Maior. 1. dist. 13. quæst. 1. 12 *Rationes insufficientes.*

Eam verò refutat S. Thom. in præsenti q. 35. art. 2. corpor. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 10. Albert. 1. p. q. 31. memb. 2. in fine corpor. Aureol. 1. dist. 27. part. 2. art. 3. §. 2. & communiter recentiores theologi. Reuincitur autem falsitatis & inconsequentiæ primò, quia si quidditas imaginis requirit similitudinem in proprietate personali communicandi naturam; consequens est, Filium non esse perfectissimam & exactissimam imaginem quantum ad omnia, sed à perfectione imaginis deficere, quia non est similis Patri quantum ad proprietatem personalem communicandi naturam duabus personis, nec quantum ad innascibilitatem, nec quantum ad primum principium & fontem totius Diuinitatis, nec quantum ad totale principium vnius personæ sine concursu alterius personæ in ratione vnius principij, nec quantum ad principium generatiuum. 13 *Non requiritur similitudo in proprietate personali.*

Vnde sumitur refutatio secunda, quia contradictionem inuoluit, imaginem esse per omnia similem exemplari etiam in proprietatibus relatiuis; nam eo ipso non distingueretur realiter ab exemplari, sed imago esset exemplar, & exemplar esset imago. 14

Tertia, quia tota quidditas imaginis intelligitur in Filio ex eo quod procedat vt Verbum perfectissimè repræsentans suum principium productiuum & obiectum. Vnde sequitur, quod possit simul cum Patre producere aliam personam per voluntatem, quia non inuenit eam productam. Vnde si per impossibile Spiritus sanctus ex vi processionis procederet vt similitudo repræsentatiua Spiratoris, esset imago propriè, licet non posset alteri personæ communicare naturam. Confirmatur, quia relatio Spirationis actiuæ consequitur relationem Filiationis & Verbi iam constitutam, vt vidimus disput. 17. sect. 5. & 6. Ergo prius quàm intelligatur Filius esse principium alterius personæ, iam intelligitur esse naturalis imago Patris: hæc enim quidditatiuè clauditur in relatione Verbi & Filij. 15

Quartò denique S. Thomas impugnat, quoniam æqualitas vel inæqualitas in diuinis non attenditur secundum relationes (vt docet Augustin. 16

lib.6. de Trinit. cap.4. fine, & lib.5.cap.6. à med.) Ergo nec similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis, attenditur secundum relationes. Diximus etiam de hoc supra disp.8.sect.1.ratione 8.

17 *Alia ratio insufficiens.* Nec magis probabilis est altera ratio Ruperti lib.2.de Trinit.cap.2. dicentis, Spiritum sanctum non esse imaginem, quia duorum similitudo non est imago,sed tantùm vnius similitudo. Solus autem Filius est vnius similitudo. Hanc refutat S.Thomas in præsenti artic.2. corp.1. quia Pater & Filius, prout sunt principium Spiritus sancti, non sunt duo principia, sed vnum principium. Ergo quantum est ex hoc capite, poterat Spiritus sanctus esse vnius imago & non duorum. Confirmatur, nam & homo totius Trinitatis imago est, quatenus tres personæ sunt vnus Deus & vnum principium creatiuum.

18 Potest etiam secundò refutari, quoniam nihil prohibet, imaginem esse repræsentatiuam duorum, non modo si repræsentet illa in quantum sunt aliquo modo vnum, & ab illis procedat; sed etiam si repræsentet ea, in quibus illa duo distinguuntur ab inuicem. Falsum igitur est illud fundamentum, quod imago non sit duorum, sed tantùm vnius.

19 *Imaginis an possit esse imago.* Prædictam rationem corroborabant alij, quos suppresso nomine, refert S.Thomas citatus, quia imaginis non est imago,ideóque Spiritus sanctus non potest esse imago Filij, nec potest esse imago Spiritus sancti, quia non immediatè, sed per Filium Spiritus sanctus refertur ad Patrem. At imago debet immediatè referri ad id,cuius est imago. Verùm hæc omnia sunt falsa. Nam & Spiritus sanctus ad Patrem refertur non minus immediatè,quàm ad Filium,infra disp.69.sect.4.& disp.72. Insuper imaginem immediatè referri ad vnum,& mediatè ad alterum,non implicat: & consequenter imaginis alia imago produci potest:quo sensu dicere possumus, Iacob fuisse imaginé immediatè repræsentatiuam Isaac,mediatè verò Abrahami.

SECTIO V.

Vtrum essentia diuina sit imago, ad quam factus est homo, vel potius Verbum Dei.

1 *Prima sententia, essentiam vocari imaginem aliquando.* HInc pendet examen alterius quæstionis, vtrum aliquando, saltem imaginis nomen tribuatur essentiæ diuinæ,vt est communis tribus personis; ac proinde non semper hoc nomen reseruetur soli Filio. Quod imago nonnunquam essentiæ intelligentiam faciat, & tunc ad se dicatur,& absoluta, communísque sit tribus personis, nec relatiua sit, & propria Filij, docet Magister 1.distinct.28.fin. S.Thomas q.35.art.1.ad 1.& alij Scholastici. Dicuntur autem quibusdam verbis Augustini, & Hilarij dicentium, vnam esse S.Trinitatis, & communem imaginem,ad quam factus est homo.

2 *Vnã esse communem imaginem Trinitatis.* Nihilominus hic loquendi modus ita frequens est apud Patres, vt probare posset, propriam esse acceptionem imaginis pro essentia diuina, si verum esset,in hac Patrum sententia,imaginem supponi pro essentia. Imprimis enim Athanasius de vnita Deitate lib.1.inter princip.& med. ait: *Vna imago inuisibilis est Trinitatis, quia vna eademq; Deitas est in imagine veritatis.* Fusius autem identitatem imaginis Trinitatis persequitur lib.5.de vnita substantia Trinitatis post med. Idem Athanas. dialogo 1. contra Anomæum pag. 5. declarat discrimen inter imaginem Trinitatis, ad quam factus est homo, & imaginem Patris. Hæc enim est imago hypostaseos. Homo verò non est imago hypostaseos, sed artis diuinæ. Rursus orat.contra Gregales Sabellij inter med. & fin. illud 2. Corinth. 3. *In eandem imaginem transformamur tanquam à Domini Spiritu,* declarat, quoniam vna est forma Patris & Filij & Spiritus sancti.

3 Chrysostomus serm.de Trinit.sub init. *Significans*, inquit, *Scriptura esse vnam imaginem sanctæ Trinitatis, dicit: Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit illum, sicut & Paulus clamat de Filio: Qui cum sit splendor gloriæ,*&c. & tom.5.serm. contra Anomæos multo propius ad med.quàm ad fin. ita ponderat verba Patris Genes.1. *Faciamus hominem: non dixit secundum imaginem tuam minorem,neque secundum imaginem meam maiorem, sed secundum imaginem nostram,nempe Patris & Filij imaginem,quæ vna est. Non enim dixit imagines, sed imaginem nostram, non quod duæ sint inæquales, sed vna & eadem aqualis Patris, Filijq; imago.*

4 Eodem vtuntur argumento Cyrillus Alexand. lib.1. contra Iulianum paulo post med. & lib.1. thesauri cap.1.post med. Sed multo,fusiùs Gregorius Bœticus lib.de Trinitat. col.4.& sequentibus vsque ad 7.& iterum inter med.& fin. eiusdem libri. Augustinus lib. de Genesi ad literam imperfecto cap.vltimo fine,& lib.7.de Trinit.prope fin. totius libri. Hilar. lib. 5. de Trinitat. propius ad princ.quàm ad med..*Ad Patris,*inquit,*& Filij imaginem homo conditur.Nomen non discrepat,natura non differt. Vna enim est imaginis, ad quam homo creatus est, species.* Fulgentius lib.de fide ad Petrum cap.1. à med. *Vna est*, inquit, *sanctæ Trinitatis Diuinitas & imago, ad quam factus est homo.*

5 *Propter rationem & libertatem homo ad imaginem Dei.* Confirmari potest,quoniam homo propter dominium indifferens ad vtramque partem & libertatem eligendi,quod volucrit,& propter mentem rationis, & prudentiæ participem, dicitur esse factus ad imaginem Dei. In hac autem perfectione similis est æqualiter tribus personis, ideóque factus esse probatur ad communem imaginem Trinitatis. Hoc dominium esse rationem imaginis in homine, docent communiter Patres, Irenæus lib. 4. aduersus hæres. cap.6.& cap.27.in medio.Maccharius Senior Ægyptius homil. 15. prope med. tom.2.bibliothecæ.Basilius Hexæmeron hom.10. inter med. & fin. & homil. *Quod Deus non sit author malorum,* longè post med.Gregor.Nyssen.orat. de dormientibus longè post med.& disp.de anima & resurrectione non longè post med. & lib. de opificio hominis præsertim cap.16. post med. & orat.catechetica cap.5.post med. Cyrillus Hierosolym. cateches. 4. tit. de statu hominis sub init. Theodoret.in Genesim quæst.20.de imagine. Damascenus toto ferè lib. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus.* & lib.2.fidei c.12. non procul à princ. & cap. 22. circa med. & cap. 25. & 26. Clemens Alexand. orat.adhortatoria ad gentes multo propius ad fin. quàm ad med. Philo Carparhiorum Episcopus in interpretatione canticorum ad illa verba:*Terribilis vt castrorum,*&c. Hieronym.epist. 146. prope fin. & in epist. ad Philemonem in illud: *sine consilio autem tuo,*&c. Bernard.serm.81.in Cantica prope med. Ricard.Victor. de statu interioris hominis p.1.tract.1.cap.3. Rupert. lib.2.de Trinit. cap.3.4.& 5.

6 *Dominiũ & principatus est etiã imaginis ratio in homine.* Nec minus communis est tribus personis perfectio dominij,& principatus secundi post Deum, in quo positam esse rationem imaginis, ad quam factus est homo,docent grauissimi Patres.Concil. Nicænum

Nicænum lib. 2. Actorum propius ad med. quàm ad princip.§.*non sic ô Philosophe,* & sequenti §.*Dixitq; Deus.* Clemens Roman. nomine Petri lib.1. recognitionum pag.9.& epist.3. de officio Sacerdotis col. 3. Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap.5.& 6. Chrysostom. in cap.1.Genes. homil.8. in med. & homil. 9. prope med. & homil. 23. in Genesim col.7.& homil.2.ad Hebr.post med. Basilius dicta homil. 10. Hexæmeron. Athanas. in quæstionibus quæst. 88. Damascenus de duabus Christi voluntatibus propius ad med. quàm ad fin. Eusebius Cæsarien. demonstrat.Euang.lib.4. cap. 6. prope fin. Moyses Barcepha Syrus commentar.de Paradiso p.1.cap.8.à med. August.lib.1. de Genesi contra Manichæos cap.17.post med. & lib.12.de Trinitate cap.6.& 7.& aliis in locis frequenter,quorum aliquot refert S.Thom.infra tota q. 93. Lactantius lib. vnico de ira Dei cap.13. post med. Prudentius in Hamartigenia dum contra Marcionem inuehitur.

7 *Imago cõmunis tribus personis.* Dico igitur primò. Sicut vna est Diuinitas Trinitatis, eáque communis Patri, Filio & Spiritui sancto; ita vna & eadem est imago creata Dei, ad quam factus est homo, videlicet vt ipse homo esset imago, non vnius tantùm, sed trium personarum, quatenus repræsentat Deitatem, eiúsque supremum principatum,& libertatem, quæ communis est tribus personis. Hæc fuit mens illorum Patrum, qui dixerunt, hominem esse factum ad vnam & communem imaginem Trinitatis. Quod probo peculiariter ex Hilario dicto lib. 5. de Trinit.reddente rationem ex vnitate naturæ & speciei humanæ.

8 Probatur secundò, quoniam aliàs impropriè & abusiuè nomen imaginis accipietur in prædictis locis pro exemplari, quod est diuina essentia respectu mentis humanæ, vt notat S.Thomas q.35. art.1.ad 1. & infra quæst.93. art.5.fine. Hanc autem improprietatem in tot testimoniis Patrum concedere, minus conueniens est, cum habeant commodum & proprium intellectum. Probatur tertiò, nam ex Patribus nuper citatis multi satis apertè significant, ipsum hominem esse imaginem Dei,ad quam factus est. Neenon Chrysostomus,Athanasius,Cyrillus & S.Thom.citati sect.1. fine. Idque magis consonat Scripturæ;nam 1.Corinth.2. *Vir est imago, & gloria Dei.* Non ecntrario Deus est imago viri.

9 *Ad imaginẽ Trinitatu homo factus.* Dico secundò. Non modò quantum ad communem essentiam, sed etiam quantum ad distinctionem personarum homo factus est ad imaginem Trinitatis. Hoc ex professo probatum est disput.44. sect.7.

10 *Ad imaginẽ Filij peculiari ratione.* Dico tertiò. Peculiari quadam ratione ad imaginem personæ Filij factus est homo, & hoc non contradicit imagini communi Diuinitatis,sed potius necessariò sequitur ex illa. Declaratur & probatur primò, quia sicut Filius eo ipso quod sit naturalis, & genita Patris imago, recipit ex vi processionis formaliter similitudinem perfectissimam in essentia diuina: sic etiam homo propter participationem huius imaginis, participat etiam similitudinem supradictam diuinæ naturæ. Secundò, quia quemadmodum Filius naturalis Dei prototypus est & exemplar, cuius participatione & imitatione constituimur filij adoptiui:sic etiam in quantum est imago naturalis, prototypus est & exemplar, cuius participatione & imitatione constituimur per gratiam, & supernaturales virtutes altiori modo similes & imagines Dei. Tertiò, quia Filius, in quantum est imago,character, *Ruiz. de Trinitate.*

siue sigillum, non solum exemplariter, sed etiam efficienter imprimit nobis imaginem in natura,& perfectiorem similitudinem per gratiam.

11 Hanc igitur postremam conclusionem intendunt Patres, qui dicunt, hominem esse imaginem Verbi, quod est imago Dei. Sic loquitur Clemens Alexand. orat. adhortatoria ad gentes multo propius ad fin. quàm ad med. *Est*, inquit, *Dei imago eius Verbum, & Filius: Verbi autem imago est homo.* Athanas.orat.4.contra Arianos multo propius ad princip.quàm ad med. citatus supra sect. 4. non longè à princip. vbi etiam idem refertur ex lib. de humanitate Verbi eiúsque corporali aduentu propius ad princip. quàm ad med. & lib. de Incarnat.Verbi prope fin. docet, hominem esse imaginem imaginis naturalis Dei, quæ Verbum est;propterea que per Verbum reformandam fuisse corruptã similitudinem illius. Quemadmodum orat. 2. contra Arianos inter med. & fin.diuinum Verbum sic alloquitur: *Non enim alterius erat coniungere hominem cum Spiritu sancto; quàm tui ipsius,qui es imago Patris,ad quam ab initio creati eramus.* Quibus similia scribit etiam in fine sequentis orat.3.

12 Basilius lib.5. contra Eunom. sub tit. 6. *Diuinus*, inquit, *character, non sicut humanus est, sed viuus, & vere ens imago, imaginis efficiens, qua omnia, quæ participant, imagines Dei constituuntur.* Cyrillus Alexand.dialogor.de Trinit.lib.3.ferè inter med. & fin. magis ex professo probat vtrumque membrum nostræ conclusionis, videlicet, hominem esse factum ad imaginem diuinæ naturæ, & consequenter trium personarum, quatenus in eadem natura conueniunt: peculiariter autem esse factum ad imaginem Filij, qui est imago & character, per quem obsignamur ad Dei similitudinem. Vnde intelliguntur illa verba: *Ad vnam quandam summam simul currunt pulchritudinem, ad quam & nos configuramur secundum Scripturas. Obsignemur autem ad Filiationem per Filium in Spiritu. Sic enim imago Filij quidem Filiatio, Patris autem Paternitas, vnde Filij per Filium, imago autem Dei, & similitudo. Manifestum autem, quod nos ad totam principio formati naturam, nempe ad summam.* Et lib. 3. thesauri cap.1. non longè ante med. docet, hominem esse imaginem, quoniam ad imitationem Filij factus est. & lib.3. in Ioan. cap.29. propius ad med. quàm ad princip. perpendens illud Psal.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.*

13 Tertullianus lib.contra Praxeam cap.12.prope med. tractans illud Geneseos 1. *Ad imaginem Dei fecit illum*, inquirit, quare non dicit, *Ad imaginem suam*, & respondet: Quoniam *erat ad cuius imaginem faciebat, ad Filij scilicet; qui homo futurus certior & verior imaginem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habeat, imago verò & similitudo.* Ambros. lib.1. de fide ad Gratian. cap.4. prope finem, si consideretur attentè, significare vult, hominem esse factum ad imaginem Dei, quoniam est factus ad imaginem Filij, & concludit: *Nisi per imaginem Dei* (videlicet Filij) *ad imaginem Dei esse non possis.*

14 *Essentia diuina nullibi dicitur imago.* Ex quibus tandem infero & dico quartò, nullum apparere locum antiquorum Patrum, in quo vel impropriè & abusiuè, nomen imaginis tribuatur essentiæ diuinæ, si rectè intelligantur.

SECTIO VI.

Declarantur testimonia, quæ suadere videbantur, rationem imaginis Patri vel Spiritui sancto conuenire.

1 *Prima obiectio, Patrem esse imaginē.*

QVatuor obiectiones occurrunt ex sententiis Græcorum Patrum. Prima, Patrem esse imaginem asseruisse videtur Athanas. in 2. epist. ad Serapionem Episcopum, quæ incipit, *Litera tui sanctissimi*, non valde remotè à med. ait enim: *Quemadmodum in propria sua imagine est Filius in Patre, ita & Pater in Filio.* S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcorum, cap. 11. & communiter alij Scholastici respondent, imaginem ibi fuisse abusiuè vsurpatam pro exemplari. Supponunt itaque personæ Patris attribui, quod ipse sit imago Filij.

2 *Soluitur.*

Veruntamen hoc rextui repugnat, quia dictio, *quemadmodum*, non denotat modum Patris, ratione cuius in se habet Filium: sed comparat mansionem Patris in Filio, cum reciproca mansione Filij in Patre. Significatio verò præpositionis, *in*, talis est hoc loco, qualis Philippens. 2. *In forma Dei esset.* Sensus igitur est. Quemadmodum Filius in propria Deitate, substantia, & sua forma & imagine existit in Patre: sic etiam Pater existit in Filio: quamuis Filius in Patre tanquam in exemplari, & Pater in Filio existat vt in imagine.

3 *Contrēdit Durandus, Spiritum sanctum esse imaginē.*

Secunda obiectio circa Spiritum sanctum. Durandus enim 1. dist. 28. quæst. 3. art. 3. docuit, rationem imaginis Spiritui sancto conuenire non minus propriè, quàm Filio; quoniam vtraque persona procedit vt similis ex vi suæ processionis. Quapropter rationem imaginis existimat, non essentialem, sed personalem esse, duabus tantummodo personis æquè primò cõuenientem: quamuis per appropriationem Filio tribuatur. Pro eadem sententia citari solet Aureolus occasione sumpta ex Capreolo 1. distinct. 27. quæst. 2. art. 2. Veruntamen Aureolus in eadem distinct. 27. p. 2. art. 3. §. *restat ergo.* propositione 3, perspicuè docet, quod licet Spiritus sanctus in omnibus essentialibus cuadat similis Patri & Filio: nihilominus non est imago, quoniam eius proprietas non est realis apparentia, quemadmodum Verbum est realis apparentia. Solùm itaque dissidet Aureolus in explicanda ratione imaginis.

4 *Fauere videntur Græci Patres.*

Sententiæ Durandi fauere videntur Græci Patres. Imprimis enim Thaumaturgus in regula fidei sic habet: *Spiritus sanctus imago Filij perfecta perfecti.* Quam regulam non solum refert Nyssenus in vita Gregorij Neocæsarien. sed etiam Quinta Synodus generalis, tanquam diuinitus reuelatam. Athanas. in 1. epist. ad Serapionem Episcopum, quæ incipit *Ego quidem*, multo propius ad med. quam ad princip. docet, quod *Spiritus est bonus odor, & forma Filij.* Et in posteriori epist. ad eundem Serapionem Episcopum, quæ incipit *literæ*, multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Quum Filius sit imago Patris, est autem ipse Spiritus imago Filij.* Et paulo propius ad fin. quàm ad princ. *Quin etiam*, ait, *Filij imago est, & dicitur Spiritus. Quos enim præcognouit, eos etiam prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Rursus in 3. epist. ad Serapionem, quæ incipit *Admirabere*, circa med. ait: *Spiritus bonus odor, ac forma Filij est.* Et in sequenti epist. 4. quæ incipit *versatus sum* colum. 2. *Est*, inquit, *ipse Spiritus imago Filij. Scriptum est enim: Quos præscivit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Idem refertur ex Athanasio in serm. 3. Nicæni Concilij.

Roman. 8.

Basilius lib. 5. contra Eunomium tit. 6. fine: *Christus est imago inuisibilis Dei, imago verò Filij Spiritus, quo qui participant, Filij conformes fiunt, secundum illud scriptum: Quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij eius.* Et paulo inferius in tit. 8. initio de Spiritu sancto sic loquitur: *Imago vera, non ex imagine vera sicut nos; propterea assimilat ad imaginem.* Idem repetit in tit. 12. qui est prope med. eiusdem lib. 5. & lib. vnico de Spiritu sancto c. 9. post med. Idem Basil. in prædicto lib. 5. contra Eunom. inter med. & fin. ait: *Verum & Spiritus imago Filij dicta est, & digitus Dei.*

Roman. 8.

Cyrillus Alexand. lib. 13. thesauri cap. 1. paulo post med. *Quemadmodum*, inquit, *quoniam Filius imago Patris est*, si quis Filium susceperit, Patrem etiam habet: sic quoniam Spiritus sanctus imago Filij est, si quis eum susceperit, *Filium quoque habet*, & iterum appellat *incommutabilem imaginem Filij.* Vnde post pauca: *Deus igitur verus Spiritus sanctus est, quoniam Filij Dei (qui est verus Deus) imago perfectissima est.* Dialog. de Trinitat. lib. 7. propius ad med. quàm ad princ. *Quando ad Christum formamur, & ipse in nobis signatur, & effigiatur bene, vt per similem Spiritum naturaliter.* Et post pauca: *Quod autem similitudo vera Filij Spiritus sit, scribentem audias beatum Paulum: Quia quos prænouit, hos prædestinauit conformes imaginis Filij eius, hos & vocauit.*

7

Epiphan. hæres. 76. col. 3. videtur dicere, Spiritum sanctum *esse æqualem per veram imaginem & similitudinem non euariantem, sicut Filius*, videlicet est æqualis; quamuis Spiritus sanctus non sit Filius. Damascenus lib. 1. fidei cap. 18. in med. ait: *Imago Patris est Filius, & Filij Spiritus sanctus: per quem Christus homini inhabitans, dat ei quod est secundum imaginem.* Denique hanc fuisse communem sententiã Græcorum Patrum, scribit S. Thomas in præsenti quæst. 35. art. 2. corpore.

8 *Impropriè sumptum fuit nomen imaginis.*

Respondeo, prædictos Patres impropriè nomen imaginis amplíasse latitudine tanta, quæ comprehendere possit quamcumque similitudinem perfectam in natura procedentem à suo principio: licet non procedat ab eo tanquam ab exemplari; consequenterque non procedat vt similis ex vi processionis formaliter. Nec mirandum est, aliquando Patres postposuisse rigorem & proprietatem vocabuli, quæ poterat obscurare veritatem, quam in prædictis locis aduersus hæreticos propugnabant. Prudenter enim maluerunt vocem ampliare, qua probarent euidentius Spiritum sanctum esse Patri consubstantialem non minus quàm Filius, quoniam Spiritus sanctus in re ipsa non minus similis est Patri, nec minus potest in cognitionem Patris adducere, quàm ipse Filius.

9 *Fundamentũ primum.*

Duo sunt præcipua fundamenta, quibus prædicti Patres nituntur, vt Spiritum sanctum appellent imaginem Filij. Primum est Roman. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Quod ita intelligunt, vt prædestinati conformes fiant Spiritui sancto, qui est imago Filij.

10 *Diluitur.*

Respondeo, legitimum sensum esse, prædestinatos fieri conformes imaginis, quæ est ipse Filius D. N. Iesus Christus, non modò ratione personæ diuinæ, sed etiam ratione humanæ naturæ: nec tantùm in donis supernaturalibus, & virtutibus viatorum, sed etiam in sempiterna gloria. Quamuis autem cæteri Patres non nihil discrepent in assignanda similitudine huius imaginis: omnes tamen in eo conueniunt, quod imago sit ipse Filius. Ita Chrysost. Rom. 8. serm. 15. col. 3. Theodoretus & Origenes in commentario, Cyrillus lib. 10.

thesauri cap. 4. Insuper homines esse factos ad imaginem Filij, & ad eandem esse reformandos, tradiderunt Patres citati sect. præcedenti. Clemens Alexandr. Athanas. Basilius, Cyrillus, Tertullianus, Ambrosius.

11 *Fundamentũ secundum diluitur.*

Secundum est 1. Corinth. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginẽ cœlestis.* S. Thomas dicto opusc. 1. cõtra errores Græcorum cap. 10. meritò respondet, hanc imaginem à nobis portandam non esse Spiritum increatum, qui est tertia persona Trinitatis, sed esse creatum Spiritum siue gratiæ siue gloriæ, de qua 2. Corinth. 3. fine. *In eandem*, inquit, *imaginem transformamur & Coloss. 3. Qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Vnde communiter expositores in eum locum non intelligunt imaginem aliam, nisi nostram similitudinem ad instar Christi Domini, siue in hac vita siue in futura. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Theodoret. Oecumen. Ambros. Hieronymus, Anselmus, Irenæus lib. 5. cap. 9. Cyprianus lib. de disciplina & habitu Virginum & lib. de Zelo, & liuore, & lib. 2. ad Quirinum cap. 10. & lib. 3. cap. 11. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 10.

12 *Tertiũ fundamentum.*

Tertia obiectio, quoniam Filius, inquantum est imago Patris, appellari solet character & sigillum Patris siue Dei: vt videbimus sect. 8. At Spiritus sanctus vocatur etiam character atque sigillum. Sic enim Athanas. longiori epist. ad Serapionem Episcopum, quæ incipit *Literæ*, paulo propius ad med. quàm ad fin. adducto testimonio Pauli Ephes. 1. *In quo credentes signati estis in diem redemptionis*, adiungit: *Ipse Spiritus sigillum & vnguentum est, in quo omnia inungit & signat Verbum.* Et post pauca: *Sigillum porro formam Christi sigillantis habet, eiusque participes efficiuntur, qui signantur, secundum eam speciem conformati, dicente Apostolo. Quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Eadem appellatione signaculi vocat in priori epist. ad Serapionem inter princ. & med.

Spiritus S. etiã est character.

13 Cyrillus Alexandr. lib. 14. thesauri cap. 4. prope med. de Spiritu sancto sic loquitur: *Quum ipse Deus verus de Deo vero sit quasi quoddam sigillum in cordibus suscipientium, sicut in cera inuisibiliter imprimit: & sic communicatione, ac similitudine sua in pristinam pulchritudinem naturam nostram depingit, & ad imaginem Dei rursus hominem renouat.* Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. Apostoli verba Ephes. 1. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Et 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, ita exponit. *Spiritu signamur, vt splendorem & imaginem eius, & gratiam tenere possimus, quod est vtique spirituale signaculum.* Chrysostomus 2. Corinth. 1. homil. 3. fine ante morale, *Signauit nos*, inquit, *dato Spiritu.* & in fine moralis: *Iudæi quidem habebant pro signaculo circumcisionem, nos verò pignus Spiritus.* Et in Commentar. ad Rom. Apud S. Thomam opusc. 1. cap. 32. §. 8. *Si Spiritus*, inquit, *est character & sigillum Christi, qui non habet sigillum & characterem Christi, hic non est ipsius.*

14 *Analogia characteris.*

Respondetur. Sigillum analogum nomen est, quod primariò sumitur pro imagine expressa & producta: secundariò tamen accipitur aliquando pro causa efficiente atque imprimente signaculũ, & imaginẽ, qua res aliqua dignoscatur ab alijs. Eadem est analogia characteris, vt constat apud Latinos authores. Aliter ergo Filius est character & sigillum tanquam expressa Patris imago producta à suo exemplari. Aliter autem Spiritus sanctus est character & sigillum, vt causa effi-

ciens in hominibus, & imprimens characterem & sigillum Christi per gratiam: quæ virtus & efficientia, licet communis trium personarum, appropriatur tamen Spiritui sancto, sicut ei appropriatur viuificatio, sanctificatio & iustificatio. Hanc efficaciam causandi creatam imaginẽ, characterem & sigillum, intendisse Patres citatos, atque etiam Apostolum prædictis verbis constat ex eorum contextu.

15

Adde, quod eadem verba Pauli non solum de gratia iustificante, sed etiam de charactere Sacramentorum intelligunt Patres non pauci, de quibus videri possunt expositores in Paulum & S. Thom. 3. p. q. 63. art. 1. Denique Spiritus sanctus aliquando (nisi malè memini) vocatur sigillum, eo quod sit postrema persona, claudens numerum Trinitatis; quo sensu vocatur etiam complementum, suprà disp. 29. sect. 4. confir. 1.

16 *Quartũ fundamentum.*

Obiectio quarta, quoniam Filius propter quiditatem imaginis, in qua cernitur ipse Pater, appellatur *facies* Patris. Eandem autem appellationem Spiritui sancto tribuit Cyrillus Alexandrin. lib. 13. thesauri cap. 2. prope med. illum versum Psalm. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* ita exponens: *Spiritum sanctum faciem Patris appellat* (Dauid) *quoniam ostendit ipsam essentiam Dei.* & lib. 9. in Ioan. multo propius ad princ. quàm ad med. ait: *Facies Filij Spiritus est.*

Faciei metaphora Filio congruit aptius, quàm Spiritui S.

17

Respondetur. Faciei nomen licet per metaphoram Deo tribuatur: aptius tamen quadrat in Filium, quàm in Spiritum sanctum, vt videbimus sect. 8. Aliqua tamen similitudine potest etiam accómodari Spiritui sancto, quoniam facies ducit in cognitionem hominis. Spiritus autem sanctus nos ducit in cognitionem Dei iuxta illud Ioan. 14. *Ille vos docebit omnia.* & cap. 15. ad fin. *Ille testimonium perhibebit de me.* & cap. 16. *Ille me clarificabit.* Psalmus autẽ 138. facici nomine Dei scientiam potius quàm personam aliquam significare videtur.

SECTIO VII.

Obiectiones, quæ contendunt Verbo Dei quidditatem imaginis impropriè conuenire.

1 *Temeritas errori proxima.*

VNus Durandus 1. dist. 28. quæst. 3. art. 2. ait imaginem in diuinis non vsurpari propriè, sed impropriè, quam sententiam Cathusianus eadem dist. 28. quæst. 4. versus fin. appellat erroneam & periculosam. Cæterum, vt minimum est temeraria, & errori proxima. Primò, quia temerarium est violenter ad improprios & figuratos sensus scripturæ verba detorquere, quæ communiter à Patribus accipiuntur, vt sonant, nihil adnotando figuratæ locutionis, vel improprietatis; & quæ possunt explicari sensu proprio & exacto. Huiusmodi verò sunt scripturæ testimonia, quæ retulimus sect. 3. & 4.

2 *Propriè & exactè imaginẽ esse Filium.*

Insuper quidditatem imaginis de Filio verificari posse proprio & exacto sensu, cõstat ex dictis sect. 4. probatione 6. & magis constabit ex solutione sequentium obiectionum. Præterea plurimi Patres in præcedentibus sectionibus citati manifestè dicunt, Filium esse veram, exactam & naturalem imaginem, quę epitheta metaphoram, & improprietatẽ excludunt. Confirmatur, nam ijdem Patres asserunt, Spiritum sanctum non esse imaginem, cum tamen constet, Spiritui sancto rationem imaginis impropriè conuenire;

quamobrem quando dicunt, Filium esse imaginem, non intelligunt imaginem impropriè, seu metaphoricè dictam.

3 Eadem quoque mens est scholasticorum locis notatis in sect.3. init. Quamuis enim eorum aliqui primo aspectu fauere videatur prædictæ opinioni Durandi, quoniam docent, Filiú non procedere per modum exemplaritatis, quasi ad imitationem exemplaris productum: cæterum ijdem Doctores seipsos explicant, eam exemplaritatem excludere, qua per artem, & liberam voluntatem artificis producitur artificium ad imitationem exemplaris & ideæ. Ita loquúntur S. Bonauentura 1. dist.6. art. vnico q.3. Ricard. dist.6. art. vnico, quæst.4. Carthus. cum Ægidio disp.6. quæstione vnica, art.2.

4 His ita præmissis, ad obiectiones venio. Prima sit, quia *vir est imago & gloria Dei.* 1. Corinth. 2. *Prima obiectio.* Inde tamen non sequitur, propriè conuenire viro quidditatem imaginis Dei. Quamuis ergo Filium imaginem appellent sacræ literæ, poterunt intelligere, Filium esse impropriè imaginem.

Tria indicia figuratæ locutionis. Respond. Verba scripturæ nonnunquam figurato vel improprio sensu fuisse prolata, significant tria potissimùm indicia. Primum, si alia scripturæ loca repugnent. Secundum, si theologica ratio resistat. Tertium, si Theologorum authoritas obstet. Hæc omnia demonstrant impropriè sumi nomen imaginis, quando vir appellatur imago Dei: Econtrario verò proprietatem esse vocabuli, quando Filius dicitur imago Dei. Primò quidem, quoniam Filius in Scriptura semper dicitur imago, nunquam dicitur ad imaginem. Vir autem, quamuis semel à Paulo vocetur imago Dei, cæterum Genes.1. dicitur factus ad imaginem Dei. Qui modus loquendi denotat imperfectionẽ similitudinis, quæ veluti motu quodam pergebat ad eam perfectionem, vt esset imago, sed peruenire non potuit, manens in infinita distantia. Deinde quoniam homo dicitur factus, non genitus; vnde manifestum est, illi repugnare perfectam similitudinem increatę naturæ. Quę fusiùs ex multis Patribus comprobauimus sect.1. fine.

5 Secunda obiectio sit, quæ vnicum Durandi fundamentum est. De ratione imaginis est similitudo. At inter diuinas personas non est realis similitudo, sed solum per relationem rationis. Ergo in diuinis non est realis imago. Minorem probat Durandus, quoniam similitudo est in essentia, in qua potiùs est identitas, quæ non potest fundamentum esse relationis realis. Confirmat, quoniã imago imitatur exemplar. Vna verò persona non imitatur aliam in essentia, sed potiùs est idem essentia. Ergo vna persona non est realiter imago alterius.

Secunda obiectio.

6 Respond. Duplex est similitudo. Altera, quæ ab antiquis Patribus appellatur reciproca, sed à dialecticis relatio æquiparantiæ, quoniam æqualiter denominat simile vtrumque extremum. Hęc similitudo inter personas diuinas in eo tantum fundatur, quod vna sit essentia triũ personarum. Hanc igitur relationem similitudinis, nõ esse realem, sed rationis probabimus infra disp.103. cum communi sententia scholasticorum. Ad præsens autẽ nihil interest hæc prior similitudo reciproca, sed tantùm altera similitudo disquiparantiæ, denominans solam imaginem similem, sed exemplar non denominans simile propter rationem dictam sect.2. dicto 1. fine. Sic Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. non procul à princ. notat. *Imago si perfectè implet illud, cuius imago est, ipsa æquatur ei, nõ illud imagini suæ.* Hæc similitudo est ipsamet quidditas Verbi in quantũ est exactissimum & perfectissimũ in ratione Verbi, propterea̅que naturaliter, & ad viuum exprimit suum prototypon, eo solo discrimine, quod imago non est prototypon. De hac igitur similitudine dubitari non potest, quin sit realis, vt colligitur ex dictis disput.18. tota sect.4.

Similitudo reciproca, & similitudo disquiparantiæ.

Ad confirmationem respond. Vna persona non imitatur aliam ex eo præcisè, quod sit in essentia idem, sed ex eo quod sit Verbum ab exemplari productum ad repræsentandum suum obiectum primarium. 7

Tertia obiectio. Verbum non est repræsentatiuum obiecti primarij, nisi propter imbibitam intellectionem diuinam. Sed intellectio diuina non est propriè imago repræsentatiua sui obiecti primarij, siquidem ab illo non distinguitur realiter, neque procedit ab eo. Ergo neque Verbum propriè ac realiter est imago. Respond. Verbum est repræsentatiuum obiecti primarij non modò propter intellectionẽ imbibitam, sed propter illã simul cum notionali proprietate cõstituente personam productam per intellectionem. Propterea quamuis intellectio diuina propriè non sit imago; Verbum tamen est imago propriissima. 8 *Tertia obiectio.* *Soluitur.*

Hinc corollarium est, in diuinis imaginem esse de formali relationem realem repræsentatiui termini ad suum exemplar à quo realiter procedit. De materiali tamẽ & velut in obliquo dicit imago diuinam intellectionem & essentiã: quemadmodũ in simili dictũ est de quidditate Verbi tota disp.58. Nam eadẽ prorsus relatio est Verbum & imago cum eo tantum discrimine, quod imaginis conceptus exprimit clariùs similitudinẽ in natura, sed minus expresè dicit procedere per intellectionem. At è contrario Verbũ exprimit clariùs procedere per intellectionẽ, sed minus apertè similitudinem in natura. 9 *Imago de materiali dicit intellectionem diuinam.*

Quarta obiectio. In Deo similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis, non attenditur secundum relationes, sed tantùm secundum essentialia. At verò secundũ essentialia non est realis relatio, sed identitas. Ergo ratio imaginis in Deo non est realis. Maiorẽ S. Thomas q.35. art.2. corp. colligit ex Augustino lib.5. de Trinit. cap.6. ad fin. & lib.6. cap.4. post med. dicente, æqualitatem, aut inæqualitatem in diuinis non attendi secũdum relationes. De quo plura disp.103. sect.6. Veruntamen solutio colligitur ex ijsdem authoribus. Similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis, non attenditur secundum relationes, tanquam secundum vnitatem, quæ sit ratio fundandi: sicut quidam scholastici volebant, ideo Filium esse imaginem, non verò Spiritum sanctum, quia Filius sicut Pater, est principiũ alterius personæ, nõ verò Spiritus sanctus (vt vidimus sect.4. prope fin.) & hæretici volebant, Filium esse inæqualem, quia non potest generare sicut Pater. At verò similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis, attenditur secundum relationem Filiationis & Verbi, tanquam secundum rationem formalem, constitutiuam imaginis realis verissimæ ac propriissimæ: attenditur etiam secundum essentialia, tanquam secundum rationem fundandi relationem, quæ requirit vnitatem naturæ. 10 *Quarta obiectio.* *Secundum quam relationem attenditur imago.*

Quinta obiectio. Imago requirit similitudinem in specie (quemadmodum probatum est sect.1.) sed Filius in ratione personalitatis quasi speciei distinguitur à Patre, supra disp.35. præsertim 11 *Quinta obiectio.*

sertim sect.8. Ergo Filius non est imago Patris in ratione personalitatis. Vnde plures aliæ difficultates emergunt, quibus omnibus satisfecimus disput.6. sect.9.

SECTIO VIII.

Multiplex nomen significans, imaginem esse Filium.

1 QVæcumque dicta sunt hactenus, ac præcipuè Filium esse imaginem, confirmantur alijs nominibus, quæ solo modo significandi ab imagine differunt, sed in re significata valent idem omnino quod imago. Primum est *facies*, pro cuius declaratione recolendum est, faciem aliquando sumi pro persona, vel hypostasi, iuxta illud Marci 12. *Neque vides in faciem.* quod Matth. 22. dicitur: *Non respicis personam.* Vnde Athanas. tract. de diffinitionibus decreuit. *Facies, character, hypostasis, & individuum, vnum & idem sunt.* Quod ipsum obseruarunt Patres Concilij Nicæni lib.2. §. *cum sit copiosa*, circa med. fusiùs autem declarauimus disp.32. sect.1. sub init. *Facies.*

2 In præsenti tamen *facies* accipitur pro imagine Patris. Quo sensu intelligunt nonnulli, quod Genes. 32. fin. scribitur: *Vocabit Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Phanuel namque valet idem, quod *facies*, siue *species* Dei, vt Hieronym. interpretatur. Quod de Verbo æterno intelligendum esse, probat Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. cap. 7. post med. reddens rationem, quoniam Verbum est, quo Deus illuminatur, & cognoscitur. Idem probat Cyrillus lib.3. thesauri cap. 1. col. 7. & in expositione Symboli Nicæni paulo post med. Agemus de hoc iterum disput.109. sect.9. Quamuis autem probabilior opinio ferat, angelum Dei nomine visum fuisse, de quo S. Thom. & eius expositores 1. p. q. 12. art. 11. ad 1. & Pererius in Genesin tom. 4. cap. 32. post versum 25. disp.1. nihilominus, in quantum ille angelus Verbi personam repræsentabat sine dubio; valde probabiliter colligitur, Verbum esse faciem, & speciem Dei. Fauet etiam, plerosque Patres ex professo probare, Verbum, siue Filium Dei Abrahamo alijsque Patriarchis apparuisse. Fateor tamen, familiarem scripturæ phrasim multoties nihil amplius significare, nisi manifestum intuitum & familiare colloquium.

3 Confirmatur primò Psalm. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Vbi faciem esse Filium, existimat Athanasius de vnita substantia Trinitatis lib. 5. fine, Cyrillus statim citandus, Euthymius in eum psalmum, Gaudẽtius Brixien. tract. 14. de missione Spiritus sancti. Secundò. Gregorius Nyssenus lib. de Trinitate & aduentu Domini contra Iudæos col. 1. ita colligit ex cap.8. Prouerb. iuxta lectionem magis receptam apud antiquos Patres præcipuè Græcos: *Ex persona sapientiæ, id est Filij. Cum pararet cœlum, aderam vna cum eo: atque ego eram, qua delectabatur, quotidie oblectabar facie eius. Quem igitur locum hæc habent, si non in substantia atque revera facies erat? Non enim est alius, cum quo colloqueretur.*

4 Nominis verò rationem idem Nyssenus reddit lib. de differentia essentiæ & hypostaseos in fine, dicens: *Filij hypostasis quasi forma ac facies est, qua Pater cognoscitur.* Eandem imitatur Cyrillus Alexandr. dialog. de Trinit. lib.5. inter princ. & med. ponderans illud Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum. Nam quod quasi facies Dei, ac Patris sit, docebit facile Psaltes vno loco dicens: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Alio autem loco in persona eorum, qui in illum crediderunt: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Obsignati enim summo sancto Spiritu ad effigiem & similitudinem faciei Patris, hoc est Filij.* Psalm.148. Psalm.4.

5 Tertiò potuisset idem confirmari multis alijs testimonijs sacrarum literarum, veluti Psalm.79. fine: *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* & Psalm. 30. *Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac.* Denique varijs traditionibus Hebræorum in scriptura *Verbum* appellari *faciem*, aut *os Dei*, Galatinus ostendit lib. 3. de arcanis cap. 3. Nomen *vultus* cum nomine *faciei* coincidit: propterea̅que tribuitur imagini Dei iuxta prædictum versum psalmi 4. de quo Cyrillus non solum loco nuper citato, sed etiam lib. 3. in Ioan. cap. 29. propius ad med. quàm ad principium. *Hoc*, inquit, *modo illud etiam intelligimus: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Vultum enim Dei Patris, Filium appellat, id est Patris characterem: lumen verò illius, gratiam Spiritus, quæ ad omnes penetrat creaturas, per quam ad Deum fide conformamur, tanquam sigillo quodam ad Filium conformati, qui Patris imago est.* 5

6 Secundum nomen est *species*, quod apud Latinos authores significat effigiem, faciem & imaginem; propterea̅que non immeritò Patres indifferenter vtuntur his omnibus vocabulis ad significandam proprietatem Verbi. Athanas. serm. de sanctissima Deipara propius ad med. quàm ad princ. docet, Filium esse *characterem & speciem substantiæ eius, per quam ipse Pater exprimitur, & repræsentatur: vt enim anulo signatorio species aliqua effiguratur, quam & imaginem expressam, & sigillum appellamus, nihilque quatenus ad suos pertinet, deficit ab exemplari suo: ita quoque Filius*, &c. *Species.*

7 Colligitur primò ex verbis Domini Ioan. 5. *Pater testimonium perhibet de me, neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, & Verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Quod ponderans Athanas. orat.4. contra Arian. ferè inter princ. & med. ait: *Pulchrè hic Verbum coniunxit formæ, vt palã faceret, se esse Verbum Dei, & imaginem, characterem & speciem sui Patris.* Eundem locum põderat Cyrillus lib.3. thesauri c.1. præcipuè post med. frequenter repetens, Filium esse speciem Patris. Secundò colligitur ex Danielis c.3. *& species quarti similis Filio Dei.* Vnde Athanas. in serm. contra omnes hæreses inter princ. & medium infert, Arianos *deteriores esse Nabuchodonosore, qui Filium Deo neque similem neque consubstantialem esse volunt.*

8 *Species etiam similitudinem referens Patris*, appellatus est Filius ab Eusebio Cæsarien. demonstrat. Euangel. lib.5. c.1. inter med. & fin. & à Clemente Alexand. citato 1. Pædagog. cap.7. Hilario lib. de Synodis colum.6. ad canonem 1. Orientalium, cuius verba posuimus sect.1. Gregor. lib.5. moral. cap.25. fine vocat *speciem, quæ de Patre sine initio nata est.* Ambros. in symbol. Apostol. cap. 1. in med. *Æternitas*, inquit, *est in Patre, species in imagine, virtus est in munere: & hæc tamen tria vnus est Deus.* Iterum autem Hilarius lib.2. de Trinit. parum à princ. eandem ferè sententiam ita profert: *Nec deesse quidquã consummationi tantæ reperiatur, intra quam sit in Patre, & Filio, & Spiritu sancto infinitas in æterno, species in imagine, vsus in munere.*

9 Hæc ex Hilario cum exigua mutatione, videlicet dicendo: *æternitas in Patre*, refert Augustinus lib.6. de Trinit. cap.10. init. & propter authoritatem tanti doctoris scrutatur abditam verborum intelligentiam. Peculiariter autem: *Imaginem*, inquit, *speciem nominauit, credo propter pulchritudinem, vbi iam est tanta congruentia, & prima æqualitas, & prima similitudo*, &c. Prædictam Augustini sententiam recipiũt Magister & communiter scholastici 1. distinct. 31. cap. 3. Alexand. 1. p. q.61. memb.2. Albert. 1. p. quæst.49. memb.2. S.Thomas infrà, q.39. art.8. corp. sub init. Postremò recolendum est nomẽ *speciei* multoties accipi pro natura communi tribus personis, vt vidimus disput.24.sect.5.

10 Ad appellationem speciei reuocari potest *speTertium nomen specimẽ.* *cimen*, quod nomen licet apud Latinos nõ parum differat à significatione imaginis, vel speciei, cæterum quatenus est, id quod profertur ad spectandam, & declarandam excellentiam rei, tribuitur imagini Patris ab Athanasio in serm. de Deipara supra citato.

11 Tertium nomen est *speculum*, quod acceptum ex Sapientię 7. Filio tribuunt Euaristus epist.1. ad omnes episcopos Africanos, & Clemens Roman. epist.1. ad Iacobum fratrem Domini col.10. Nec immeritò, quoniam in Verbo Pater suam effigiem & faciem intuetur, & omnibus beatis cernendam præbet.

12 Quartum nomen est *character*. Pro cuius de*Character.* claratione recolendam est ex disp.46.sect.2. pag. 5. post med. Characterẽ apud Patres quibusdam in locis accipi pro nota, proprietate, seu notione; per quam vna persona dignoscitur ab alia, vt ex Basilio, Athanas. & Damasceno retulimus ibidem. In præsenti verò character solius Verbi proprium nomen est apud Paulum in Græco Hebr. 1. Vnde Patres multoties indifferenter characterem accipiunt pro imagine, quorum aliqua exempla vidimus in hac & præcedentibus sectionibus, aliqua etiam videbimus statim, præsertim ex Nazianzeno.

13 Clemens Roman. loco nuper citato, *Filius est*, inquit, *Verbum, character, speculum, imago*, &c. Alexandrina Synodus epist. ad Cyrillum Alexandr. post med. (quæ est 10. inter epistolas Cyrilli) ait: *Imago & character, & splendor gloriæ eius.* Idemque Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Theodosium coium. 12. *Genitoris*, inquit, *imaginem & characterem illum appellant sacræ literæ.* Concil. Ephesinum Primum in confessione fidei post med. *Imago & character*, &c. Athanas. quinque orationibus contra Arianos, & in alijs operibus de Trinit. multoties Diuinitatem & æqualitatem probat ex perfecta similitudine characteris. Gregor. Nyssen. lib. de Trinit. ad Eustathium ferè inter med. & fin. *Nec aliter*, inquit, *videre licet hypostasim, siue personam Patris, nisi quis per characterem in eum intuitus fuerit*, vt vidimus sect. 4. Idem constat ex Basilio lib.1.contra Eunom.propius ad fin.quàm ad med. & lib. 2. propius ad med. quàm ad princ. & lib.5. multo propius ad med. quàm ad fin. & lib. vnico de Spiritu sancto cap. 6. Ambrosio lib. 1. de fide ad Gratian.cap.4.

14 Quintum nomen est *sigillum*, cuius eadem est *Sigillum.* significatio, quæ characteris. Character enim est sigillum, imaginem continens, destinatam ad cognoscendum distinguendumque aliquid, vt notant theologi 3.p.q.63. art.1. Sumitur hoc nomen ex verbis Domini Ioan. 6.vers.27. *Hunc Pater signauit Deus.* Græcum enim verbum hoc loco signare sigillo significat. Vnde Cyrillus Alexand. lib.3. in Ioan. cap. 29. inter princ. & med. *Neminem*, inquit, *esse arbitror, qui rebus ipsis compulsus non concedat, charactere sigillum signare, & absque charactere signare non posse. Quonium igitur diuina Scriptura testatur characterem hypostaseos Dei Patris Filium esse, quia in ipsa & ex ipsa est naturaliter: quo alio charactere Pater Filium suum signauit? aut ipse Pater quo charactere signatus est, vt Filium signare possit?* Et paulo inferius: *Signatur ergo à Patre, qui ex substantia eius est Filius*, &c.

Basilius lib. vnico de Spiritu sancto cap. 6. post 15 med. *Christus splendor gloriæ, hunc Pater signauit Deus, sęque totum in eo expressit.* Athanas. art.2. contra Arianos multo propius ad med. quàm ad fin. appellat sigillum Patris. Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia multo propius ad fin. quàm ad med, ante num.83. docet, Filium appellari *characterem vt purum Patris sigillum, minimęque mendax.* Et orat.35. inter med. & finem num. 66. appellat *splendorem, characterem & sigillum*, iuxta citatum testimonium Ioan. 6. Ambros. in prooemio libri 2. de fide ad Gratian. prope med. *Imago*, inquit, *& splendor, & character dicitur Dei Filius, quia hæc incomprehensibilem & inuestigabilem Paternæ Diuinitatem maiestatis in Filio, & expressam similitudinem reuelarunt.*

Triplex autem ratio, vel potius vna, tribus 16 partibus constans, indicatur à prædictis Patribus, *Sigilli ratio.* propter quam persona Filij sigillum appelletur. Prima, nam quasi passiuè signatus est à Patre Filius producendo expressam imaginem sui. Secunda, quia quasi actiuè, nec non per modum causæ formalis propriam personam exhibendo sigillat hunc hominem, videlicet, Christum, vt super omnes homines & super omnes creaturas dignoscatur excelsior. Tertia, quoniam actiuè sigillat fideles per gratiam & sacramenta.

Signaculum à sigillo nihil omnino differt in re 17 significata, nec in modo significandi. Rectè igi- *Signaculum.* tur Hilarius lib. 8. de Trinit. inter med. & fin. tractans prædicta verba Ioan. 6. *Signaculorum*, inquit, *ea natura est, vt omnem impressæ in se speciei explicent formam, & nihil minus ex eo in se habeant, vnde signentur: & dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex se præferunt quidquid impressum est.* Explicatóque discrimine corporei sigilli, & imperfectionibus illius, subdit post pauca de Filio: *Quia omnem in se Paternæ formæ plenitudinem significantis se Dei contineret, vt quod signasset Deus non aliud ex se, quam formam Dei signantis afferret.*

Sextò velut nomen vnum accipere possumus 18 omnia quæ lucem significant. Veluti *candor lucis* *Candor, splæternæ.* Sapient. 7. *Splendor gloriæ.* Hebr. 1. *lumen de* *dor, lumen.* *lumine*, siue *lux de luce, radius lucis.* Quibus omnibus significatur, Verbum à Patre procedere incorruptibiliter, & coæternaliter, vt exactã repræsentationẽ lucis ingenitæ. Cuius plura testimonia ex patribus posita sunt disp.27.sect.7. & disp.44. sect.2. Necnon in præcedẽtibus sectionibus istius disputationis, & ita frequenter occurrunt alia, vt otiosum sit aliqua in præsenti referri. Iubar & splendor appellatur etiam ab Athanasio orat. 2. contra Arianos inter princ. & med. Illud autem peculiare iubar habet, quod est splendor cœlestium luminarium.

Septimò. *Figura* vocatur Hebr. 1. & à Nicæno 19 Cõcilio lib.2. propè med. & ab alijs Patribus non *Figuræ substantia. Forma.* rarò. Formam, intelligendo imaginem, appellant multi Patres citati disput. 54. sect. 6. post med. quos etiam commemoranimus in præsenti disp.

disput. sect.1. prope solutionem argumentorum. Denique recolendum est ex disput.24. sect. 5. multoties formam accipi pro essentia communi tribus personis.

QVÆSTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti.

ARTICVLVS I.

Vtrum hoc nomen Spiritus sanctus sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

DISPVTATIO LXV.

Vtrum tertia persona Trinitatis conuenienter appelletur Spiritus sanctus.

SECTIO I.

Plurimas esse ac varias acceptiones huius nominis Spiritus.

1 SPIRITVS nominis acceptiones in sacris literis inuenio plures esse, quàm vt omnes possint absque fastidio numerari. Præcipua tamen capita reuocabimus ad quandam veluti cathegoriam, vt facilior & promptior sit earum memoria. Proderit autem, vt faciliùs retundantur hæreticorum tela contra Diuinitatem Spiritus sancti. Quibus ea, quæ sacræ literæ dicunt de creato spiritu, violenter rapiunt ad personam Spiritus sancti.

2 Sit igitur prima diuisio nominis hæc. *Spiritus* *Spiritus pro affectibus boni aut mali.* quandoque sumitur pro accidenti, quandoque verò pro substantia. Quando sumitur pro accidenti, significat affectus & interiores motiones, siue inclinationes animi cum quodam velut impetu vehementi, & tunc aliquando Spiritus accipitur ita vniuersaliter, vt abstrahatur à bono & malo; quemadmodum 1. Corinth.11. *Alij datur discretio spirituum.* & 1. Ioan. 3. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint.* Quibus in locis etiam doctrina comprehenditur eodem nomine. Quandoque determinatè sumitur spiritus pro impetu & motione inclinante ad malum; quemadmodum Deuteron.5. vers. 30. dicitur *spiritus zelotypiæ.* Nec solum apud profanos authores, sed etiam in Scriptura significat nonnunquam elationis vitium vel animositatem, Psal. 75. *Qui aufert spiritum principum.* Isaiæ 19. *Dirumpetur spiritus Ægypti.* & cap. 25. *Spiritus robustorum*, &c. Obdurationis autem vitium significat Roman. 11. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non audiant.* Isai. 29. *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis.*

3 Frequentior autem est acceptio *spiritus* in bonam partem pro affectu & motione inclinante ad bonum: quemadmodum Isaiæ 11. *Spiritus sapientiæ & intellectus*, & aliorum donorum Spiritus sancti. Sed in hoc etiam multiplex est varietas, nam aliquando spiritus accipitur pro motibus & inclinationibus, repugnantibus carni, toto ferè Rom. 8. & Galat. 5. *Spiritus autem aduersus carnem.*

Alibi spiritus peculiariter restringitur ad in- 4 tellectiuam cognitionem supernaturalem, & sen- *Spiritus pro cognitione supernaturali & profunda.* sum profundiorem litera, iuxta illud 2. Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* & Ioan. 6. *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Excludit etiam vmbras & figuras, Ioan. 4. *In spiritu & veritate oportet adorare.* Quin etiam aliquando, licet rarò, significat actionem imaginatiuæ virtutis, motam ab aliqua bona intentione, sed destitutam intelligentia & penetratione verborum, quæ pronunciat, iuxta illud 1. Corinth. 14. *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* Peculiariter autem intimum & vehementem animi sensum significat spiritus. Ioan. 11. *Infremuit spiritu.* & cap. 13. *Turbatus est spiritu.* Hæ sunt præcipuæ significationes huius nominis, quando refertur ad accidentales operationes & motiones creaturarum.

Cæterum quando spiritus accipitur pro sub- 5 stantia, tunc etiam distinctionem habet; nam aliquando pro substantia corporea & rationis experte, frequentius autem pro substantia incorporea & intellectiua sumitur. Inter corporeas *Spiritus, halitus respirationis.* substantias, quæ prior habuit appellationem spiritus, fuit halitus respirationis; de quo Genes. 6. *Interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum.* Iosue 2. *Non remansit in eis spiritus.* Iob 17. initio: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur.* & cap. 34. *Spiritum eius & halitum eius ad se trahet.* Secundò. Quoniam halitus est *Spiritus pro vita.* causa fouens, & conseruans vitam animalium, & inseparabiliter coniunctus cum illa: nomen *spiritus* extenditur ad vitam animalium significandam Numerorum 27. *Deus spirituum omnis carnis.* Genes. 45. *Reuixit spiritus eius.* Isaiæ 2. *Quiescite ab homine: cuius spiritus in naribus eius est.* Tertiò de- *Pro aëre impulso.* nique. Quoniam halitus est quidam aër attractus & emissus inspirando & respirando, factum est, vt nomen *Spiritus* tribuatur cuilibet aëri moto & impulso, quod totum significatur nomine ventorum Genes. 8. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Exod. 15. *Flauit spiritus tuus, & operuit eos aqua.* Psalm. 47. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Alibi quoque dicitur *spiritus procellarum.* vt Psalm. 10. & 106. & 148.

Veniamus ad spiritum acceptum pro substantia 6 incorporea & intellectiua. Qui subdiuiditur ite- *Spiritus pro substantia incorporea.* rum in substantiam creatam vel increatam. Ac rursus spiritus, qui est substantia creata, vel est forma corporis, vel est omnino separatus à materia. Nam anima rationalis spiritus appellatur & est. Lucæ 23. & Psalm. 39. *In manus tuas commendo spiritum meum.* & Ioan. 19. *Inclinato capite tradidit spiritum.* Vnde præsentem acceptionem spiritus probat Isidorus lib. 11. etymolog. cap. 1. §. *Spiritum.* Insuper Spiritus à corpore prorsus alienus, comprehendit omnes & solos angelos tam malos, quàm bonos. De malis frequens est mentio in Euangelio cum addito spirituum *immundorum*, aut alio significante malitiam. Nec non in Veteri testamento legitur spiritus mendax, aut spiritus malus. Sed quando sine addito nominatur spiritus, semper aut ferè semper intelligitur bonus angelus, vt Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus.* Psalm. 103. *Qui facit angelos suos spiritus.* Multas ex prædictis significationibus coaceruatim enumerat Epiphanius in Ancorato multo propius ad med. quàm ad fin. Panciores

Cyrillus

Cyrillus Alexand. dialogor. de Trinit. lib. 7. multo propius ad med. quàm ad fin. & S. Thom. 4. contra gentes cap. 23.

7 *Analogia traditarum omnium acceptionum.*

Postremo notandum est, non casu nec sine ratione analogiæ vel cognitionis multiplicatas esse significationes istius vocabuli. Nam ab halitu respirationis ad animam aut vitam transitus fuit, vt ab effectu ad causam, vel à naturali signo ad rem significatam. Deindè, quoniam halitus est aër impulsus, significat ventum, vt paulo superius admonuimus. Præterea quoniam halitus à corde procedit, & illius dispositionem & ordinatum motum indicat, inde translatus est spiritus ad significandos animi motus & impulsus quoslibet. Quia tandem spiritus & ventus parum habet de materia, & oculis non percipitur, sed motu potissimum deprehenditur, analogia sumpta est ad significandas inuisibiles, incorporeásque substantias, quarum effectus & motus experimur in nobis. Inter quas, quoniam præstantissima, & summopere inuisibilis, & sine cuius motu & impulsu respirare, vel aliquid aliud agere non possumus, est Deus; propterea nomen Spiritus per antonomasiam significat Deum, vt videbimus sect. sequenti.

SECTIO II.

Spiritus nomen ex se commune tribus personis, reseruatum est tertiæ.

1 *Dei propriè est esse Spiritum.*

DIco primò. Vocabulum *spiritus* proprium est Dei, qua ratione Deus est, propterea que cómune tribus personis. Probatur Ioan. 4. *Spiritus est Deus.* Quæ verba de tota Trinitate singulísque personis accipit Athanasius in quæstionibus ad Antiochum quæst. 71. post med. & lib. 4. de vnita Deitate contra Potentinum circa med. Nec obstat quod in disputatione contra Arium habita Laodiceæ prope fin. restringere videtur ad personam Spiritus sancti. Verè namque non restringit, sed probat ei conuenire Diuinitatem. Alij verò fortassè magis congruenter ad contextum verborum existimant, illud peculiariter esse dictum de Patre, quod non minus probat præsentem assertionem. Quemadmodum Cyrillus Hierosolym. cateches. 17. prope fin. *Dictionis*, inquit, *huius & appellationis, Spiritus; in sacris Scripturis, est etiam cum alijs communicatio. Dicitur enim & de*

Ioann. 4. *Patre; Spiritus est Deus vt in Euangelio Ioannis scriptum est: & de Filio; Spiritus faciei nostræ Christus Dominus, vt dicit Ieremias Propheta: & de Spi-*

Thren. 4. Ioan. 14. *ritu sancto: Paracletus autem Spiritus sanctus, vt dictum est.*

2 Aliis testimoniis probat Basilius lib. 2. contra Eunom. prope medium: *Non est*, inquit, *solum hoc nomen sanctitatis cum Patre, ac Filio ipsi Spiritui sancto commune, sed ipsa etiam Spiritus appellatio. Spi-*

Ioann. 4. Thren. 4. 1. Corinth. 3. *ritus namque Deus & adorantes eum, in Spiritu & veritate adorare oportet. Et Propheta, inquit: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. & Apostolus dicit: Dominus autem Spiritus est.* Idémque lib. vnico de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 9. & cap. 19. sub init. fatetur, tres personas esse Spiritum sanctum; quatenus *hoc nomen omnium maximè declarat id, quod est incorporeum & ab omni materia purè atque incompositum.* Confirmátque prędictis testimoniis Ioan. & Thren. 4. nihilominus obseruans, *esse propriam ac peculiarem vnius personæ appellationem.*

3 Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmat. inter princ. & med. *Spiritus*, inquit, *est Deus & Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Propriè tamen Spiritus complet sanctam Trinitatem.* eodem testimonio Ioann. 4. Ricard. Victorinus lib. 6. de Trinit. cap. 19. initio probat, Patrem esse Spiritum & sanctum, ac Filium esse Spiritum & sanctum. Cyrillus Alexand. lib. 13. thesauri c. 1: multo propius ad med. quàm ad princ. ex eo quod Paulus Rom. 8. postquam dixit: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*; subintulit. *Si autem Christus in vobis est*: colligit: *quod Spiritum sanctum Christum etiam vocat.* Epiphanius etiam hæres. 76. & in Ancorato Patrem & Filium aliquando vocat Spiritum. Quam appellationem probat Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 1. Præterea ex verbis Christi Domini Matth. 12. & Marci 3. de blasphemia in Spiritum sanctum Athanas. in quæstionibus ad Antiochum quæst. 71. prope fin. colligit, *Deitatem Filij* appellari Spiritum sanctum.

4 Rursus ex Psalm. 50. colligunt idem nobiles expositores; authore Hieronymo Galat. 4. ad illud: *Misit Deus Spiritum Filij sui*; vbi tres spiritus nominatos in prædicto psalmo ita exponit: *Principalem Spiritum Patrem appellat, quia Filius ex Patre, & non ex Filio. Spiritum autem rectum, ve-* Tres spiritus. *ritatis atque iustitiæ Christum Dominũ significat, quia Pater omne iudicium dedit Filio, vt Dauid ait: Deus iudicium tuum Regi da. Porrò Spiritum sanctum aperto nomine vocat.* Eodem modo prædictos versus intelligunt Isidorus etymolog. lib. 7. cap. 3. ante med. Bernardus serm. 3. de Pentecoste circa med. Arnobius, Cassiodor. Haymo, & vterque Bruno in eum psalmum, Hugo Victorin. tomo 3. eruditionis theolog. summæ sentent. cap. 10. Quin etiam Ambrosius & Augustinus eiusdem expositionis meminerunt in suis commentar. Quamuis antiquiores & plures Spiritum rectum, sanctum & principalem intelligant tertiam personam Trinitatis.

5 *Tertiæ personæ reseruatur hoc nomen.*

Ex his colligo & dico secundò. Licet nomen *Spiritus sanctus* sit commune trium personarum, attamen Scripturarum & Theologorum vsu restringitur vt plurimum ad tertiam personam. Quemadmodum Theodoretus dialogo *immutabilis.* 1. col. 3. ait: *sancta Scriptura Spiritum vocauit & Patrem & Filium, id quod est diuinæ naturæ incorporeum, & quod circunscribi non potest, per hoc significans: Spiritum autem sanctum solam Spiritus hypostasim nominat.*

6 *Vocabulorum inopia.*

Dico tertiò. Necessitas & vocabulorum inopia compulit, vt ad tertiam personam restringeretur nomen Spiritus alioqui commune. Quoniam inter creaturas inueniuntur supposita viuentia, quæ propriè sint Pater & Filius per veram & propriè dictam generationem: nullum tamen suppositum viuens est in creaturis, quod procedat per halitum respirationis, siue per amorem. Propterea nullum est apud homines nomen, quod soli tertiæ personæ conueniat, sicut nomen Patris conuenit primæ, & nomen Filij conuenit secundæ. Quibus similia de vocabulis, significantibus Spirationem, diximus disput. 7. sect. 1. cum plurimis Scholasticis. & in præsenti a. 1. corp. S. Thomas obseruat.

7 *Prima congruentia.*

Prima ratio congruentiæ sic traditur ab Ambrosio in Symbol. Apostol. cap. 1. versus fin. *Licet Pater sit Spiritus, & Filius sit Spiritus, & Pater sit sanctus, & Filius sit sanctus: sola tamen tertia persona propriè Spiritus sanctus nuncupatur. Quia ergo coæterna & communis est ambobus, id ipsa vocatur quod ambo*

ambo sunt. Eandem magis explicuit Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 11. prope fin. dicens: *Vt ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque cõmunio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus.* & lib. 15. de Trinit. cap. 19. prope fin. ait: *Quia communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter.* & serm. 38. de tempore col. 3. notat eandem rationem congruentiæ; quoniam tertia persona *ineffabilis quædam Patris & Filij communio est.* Imitatur eandem rationem Isidorus etymolog. lib. 7. cap. 1. Magister & communiter Scholastici 1. dist. 10. cap. vltimo, vbi S. Bonau. art. 2. quæst. 3. Ricardus art. 2. quæst. 3. Carthus. quæst. 2. Alexand. 1. p. q. 43. Albertus 1. p. q. 32. memb. 2. ad 8. & 10. S. Thomas in præsenti art. 1. corpore, & supra q. 27. art. 4. corp. post med.

8 *Secunda congruentia.*

Congruentiam alteram adhibet S. Thomas ibidem. Quia nomen *Spiritus* in rebus corporeis impulsionem quandam significare videtur. Propterea quippe ventum Sacræ literæ vocant spiritum, vt vidimus sect. 1. est autem proprium amoris mouere voluntatem & impellere ad amatum; quoniam igitur tertia persona procedit per amorem diuinum, atque per amorem creatum homines & angelos impellit, vt moueantur in Deum, in quo sanctitas tota consistit: propterea congruenter tertia persona vocatur Spiritus sanctus. Cui rationi concinunt Ezechiel cap. 1. *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.* Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.* & Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Obserua motum veniendi & eundi. Eandem analogiam motus sapienter intulit Chrysostomus ex verbis Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu,* &c. vt videre est tom. 3. homil. 3. de Spiritu sancto, quæ incipit *Heri à nobis* col. 1. Fusiùs autem eandem analogiam ad Spiritum sanctum accommodat S. Thomas 7. contra gentes cap. 19. & 23.

9 *Tertia congruentia.*

Profundior & magis intenta à Spiritu sancto congruentia desumpta fuit ex halitu respirationis, quam exponemus sect. sequenti.

10 *Quãdo significetur Spiritus sanctus colligitur ex adiunctis.*

Notandum est ex contextu, vel ex adiunctis nominibus in Scriptura sacra semper, vel vt plurimum denotari, vtrum vocabulum *Spiritus* significet creaturam, vel potius tertiam personam Trinitatis. Quod subtiliter obseruauit Athanas. longiori epist. ad Serapionem, quæ incipit *Literæ tui*, col. 3. sic vrgens aduersarios: *Dicite saltem, vbi in Scripturis sanctis reperitis Spiritum sanctum simpliciter nominari Spiritum, sine additamento Dei aut Patris, aut à me, hoc est, ex Deo, vel absque articulo, vel Christi, vel Filij, aut vt non adiungatur sanctus, aut Paracletus, aut veritatis, hoc est, Filij?* Et post pauca. *Excipiatur ab hac regula, quum quod prius distinctè commemoratum est de Spiritu, posteà simpliciter repetitur: Vbi enim ex superioribus præcognoscitur, de quo Spiritu mentio fiat, etiamsi in sequentibus nudum tantummodo spiritus vocabulum sit positum: aut quando ad illos fit sermo, qui iam sciunt de quo spiritu intelligendum sit, quod dicitur. Alioqui certè sine articulo, to, aut adiectionibus cæterarum notarum, nunquam spiritus mundi vocabulum trahi potest ad significationem sancti Spiritus.* Quod inferius confirmat.

11 Peculiariter autẽ quoties Spiritus ponitur cum genitiuo *Dei*; vel *Domini*, vel *Patris*, vel *Filij*, vel *Christi*, ferè semper accipi pro tertia persona, notat Athanas. dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæum non longè post med. dicens: *Pater quoque est Spiritus sanctus, sed non est Spiritus Dei. Hypostaseos Spiritus sancti proprium est esse spiritum Dei.* Ratio autem est, quia quidquid est alterius, in quantum est alterius, relatiuum est, non absolutum: ideóque notionale, & proprium alicuius personę, vt sapienter ponderat ibidem Athanasius.

12 *Tertiæ personæ maximè propriũ Spiritus.*

Dico tandem quartò. Tertiæ personæ Trinitatis nomen maximè proprium est Spiritus sanctus, indicatum in Veteri testamento; clariùs autem explicatum Matth. vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* & 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Vnde Nazianzenus orat. 49. de fide col. 3. *Quis*, inquit, *Catholicorum ignorat, Patrem verè esse Patrem, Filium verè esse Filium, Spiritum sanctum verè esse Spiritum sanctum? sicut ipse Dominus dicit: Baptizantes eos*, &c. Quod idem repetit in fine eiusdem orat. & recipitur ab Ecclesia in officio sanctissimæ Trinitatis. Chrysostom. tom. 3. homil. 3. de Spiritu sancto, quæ incipit *Heri à nobis*, non procul à princ. ait: *Dicitur Spiritus sanctus. Ista enim est prima & propria appellatio: & vt euidentiorem habens intelligentiam, Spiritus sancti naturam demonstrat.*

13 Hilar. lib. de Synodis paulo propius ad med. quàm ad princ. vt Catholicam defendit Antiochenam professionem fidei, quæ post med. ita habet: *Manifesta vtique Patris, verè Patris, certaq; Filij verè Filij, notaq; Spiritus sancti, verè Spiritus sancti, hisque nominibus non simpliciter neque otiosis propositis, sed significantibus diligenter propriam vniuscuiusque nominatorum substantiam, & ordinem, & gloriam.* Substantiæ nomine subsistentia & hypostasis intelligitur, vt vidimus disp. 23. sect. 4. August. lib. 11. de ciuitate cap. 10. paulo post princ. ait: *Propria notione Spiritus sanctus dicitur.*

SECTIO III.

Vtrum ab halitu & vitalibus spiritibus animalium accepta fuerit appellatio Spiritus sancti.

1 *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi est, quoniam spiritus angelicus & incorporeus, aut anima rationalis, quanto perfectior est halitu, tanto dignior esse videtur, à quo deriuata fuerit appellatio Spiritus sancti. Confirmatur, nam ad animam respexisse videtur Paulus 1. Corinth. 2. dicens: *Quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui est in eo? ita quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei.*

2 *Potissima ratio appellationis est analogia halitus.*

Nihilominus affirmatiuam conclusionem statuo tanquam certam. Potissima ratio analogiæ rerum creatarum, ob quam Deus in sacris literis eleuauit nomen *spiritus*, vt esset proprium tertiæ personæ, constitit in participata similitudine, iuxta quam halitus & vitalis spiritus animalium peculiariter imitantur tertiam personam Trinitatis, eiusque processionem magis, quàm personam & processionem Patris aut Filij: & imitantur magis, quàm vlla res creata, & hominibus nota, Spiritum sanctum imitetur. Probatur primò, nam Ioan. 20. Christus Dominus *insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* De quo Cyrillus lib. 9. c. 44. post med. ait: *Propterea corporaliter Christus sufflauit: ostendens hoc signo, qui quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus spiritus procedit, sic ex diuina substantia, Deitati congruenter, Spiritus, qui ab ea est, profunditur.* Rursus lib. 12. in Ioan. cap. 56. initio *Spiritum*, inquit, *insufflans dedit. Vnde nobis firmiter credendum est, non esse alienum à Filio Spiritum*

Spiritum ſanctum. Nam cum ei conſubſtantialis ſit, ex Patre per ipſum procedit.

3 Leontius eandem rationem reddit in commentario. Quam breuius indicauit Athanaſ. epiſt. ad Serapionem, quæ incipit *Admirabere*, ſub init. dicens: *Cum inſufflaſſet, dedit illum ex ſe diſcipulis.* Vbi præpoſitio *ex* ſignificat ordinem originis, quem magis explicat ſequenti contextu. Baſilius autem hom. 17. in ſanctum Baptiſma initio: *Dominus,* inquit, *Spiritum ſanctum diſcipulis ſuis inſpirauit, ipſéque illam inſpirationem Spiritum eſſe diuinæ eſſentiæ & non creatæ naturæ oſtendit.* Anaſtaſius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmat. tribus colum. ante fin. ait: *Dominus declarans Spiritum ſanctum à ſe emergere, inſufflans in diſcipulos dicebat: Accipite Spiritum ſanctum.*

4 Auguſtinus autem tract. 121. inter med. & fin. ait: *Inſufflando ſignificauit, Spiritum ſanctum non Patris ſolius eſſe ſpiritum, ſed & ſuum.* Clarius autem tract. 99. in Ioan. propius ad fin. quàm ad med. & lib. 4. de Trinit. c. 20. fusè notat, *congruam ſignificationem, non tantum à Patre, ſed & à Filio procedere.* Idem obſeruat lib. 15. de Trinit. cap. 26. init. & lib. 10. de Geneſi ad literam cap. 5. in medio, & lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ſub init. Marius Victorinus lib. 1. aduerſus Arium, Beda Ioan. 20. Anſelmus epiſt. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 8. à principio. Bernard. ſerm. 8. in Cantica paulo poſt princ. *Spiritus propterea in illo Dominico flatu datus eſt, vt per hoc intelligeretur, ab ipſo pariter tanquam à Patre procedere.* Plura de hoc Ricardus Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 9. poſt med.

5 Probatur ſecundò Pſalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vbi Spiritū oris tertiam perſonam Trinitatis intelligunt communiter Patres locis notatis diſput. 36. ſect. 5. Nunc verò peculiariter analogiam halitus exponunt qui ſequuntur. Athanaſ. epiſt. 3. ad Serapionum Epiſcopum, quæ incipit *Admirabere.* col. 2. *Hæc,* inquit, *vnctio halitus eſt Filij, vt qui habet Spiritum dicat: Chriſti bonus odor ſumus.* (2. Corinth. 2.) Baſilius lib. 5. contra Eunomium verſus med. videlicet ſect. 13. init. *Nec Filius,* inquit, *nec generatio Deitatis proprium eſt, ſed ex humana ſimilitudine adductum, ex qua etiam ſpiritus dictio traducta eſt.* & lib. vnico de Spiritu ſancto cap. 16. inter princ. & med. *Nec Verbum eſt ſignificatiuus aëris ictus, per vocis inſtrumenta prolatus: nec Spiritus oris halitus, è partibus reſpiratorijs efflatus, ſed Spiritus oris Dei Spiritus eſt veritatis, qui à Patre procedit.* & in eodem lib. de Spiritu ſancto cap. 18. circa med. ait: *Spiritus ſanctus non per generationem, vt Filius à Patre veniens, ſed tanquam Spiritus oris eius.*

6 Gregor. Nyſſenus orat. catechet. cap. 2. init. *Quomodo,* inquit, *ex ijs, quæ ſunt in nobis analogicè Verbum cognouimus in ſuprema natura; eodem modo etiam adducemur ad notionem Spiritus, ineffabilis potentiæ vmbras quaſdam & ſimulachra in noſtra contemplantes natura.* Explicat autem continuo proprietatem humani ſpiritus qui eſt aëris attractio & profuſio, in quo formatur vox, exponens vim interioris verbi. Vnde colligit primò, coniunctionem & neceſſariam conſecutionem Spiritus ſancti cum Verbo diuino, ne ſequatur, *Dei Verbum deterius eſſe, & magis deficere, quàm noſtrum verbum; ſiquidem cum hoc cōſideretur cum ſpiritu, credatur, illud eſſe ſine Spiritu.* Secūdò colligit, Spiritum ſanctum eſſe declaratiuū diuini Verbi iuxta illud Ioan. 15. *Ille teſtimoniū perhibebit de me.* & c. 16. *Ille me clarificabit,* &c. Vnde poſt pauca ſubiūgit Nyſſenus: *Spiritus Verbum conſequitur, & eius declarat operationem.*

Cyrillus Alexand. lib. 13. theſauri cap. 3. propius ad med. quàm ad princ. de Spiritu ſancto ait: *Ex ipſa ſubſtantia Dei prodiens, ſicut & ſpiritus, qui ex humano prodit ore.* Rurſus dialog. de Trinitate lib. 2. col. 5. ait: *Sanctum item Spiritum agnominamus ex Deo Patre per Filium profundi naturaliter & quaſi in figura ſpirationis, quæ ex ore illius, nobis deſignare ſubſiſtentiam.* Obſerua verbum *profundendi* non poſſe intelligi de libera & temporali communicatione Spiritus ſancti, quem intellectum prohibet aduerbium illud *naturaliter.* Obiter obſerua ſic haberi in variis codicibus Cyrilli, quamuis contextus videatur eſſe truncatus. Inſuper dialog. de Trinit. lib. 7. col. 3. *Credimus,* inquit, *eſſe & exiſtere ſubſtantialiter in Deo Spiritum ipſius, ſicut & in homine humanum: & quemadmodum ſi quis nobis Petrum vel Ioannem nominaret, ſimul fortè ſignificarit cum ipſis, & proprium illorum & in illis ſpiritum, & totius animalis faceret ſignificationem. Eodem opinor modo de Patre & Filio. Spiritus enim ſignificatur cum vtroque, & non vt pars eius, ſicut & in homine intelligimus.* Eandémque ſimilitudinem ſpiritus humani repetit prope med. libri. 7

Origenes hom. 2. in *varios* circa illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* col. 3. *Vt enim,* ait, *qui loquitur, in Verbo quod loquitur neceſſariò ſpiritum proflat: ita Deus Pater & Filium ſuum gignit, & Spiritum ſuum per genitum Filium producit.* Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 10. prope med. *Spiritus,* inquit, *ſanctus cum procedit à Patre & Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio. Qemadmodum enim ſeparari poteſt à Patre, qui Spiritus oris eius eſt? Quod vtiq; & æternitatis indicium, & Diuinitatis exprimit vnitatē. Eſt ergo & manet ſemper, qui oris eſt Spiritus.* 8

Tertiò probari poteſt Iob. c. 27. ſub init. *Donec ſupereſt halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis.* Quod tanquam apertum teſtimonium Spiritus ſancti profert Chryſoſtomus ſerm. de S. Trin. non procul à princ. Quibus omnibus inſinuādis valde congruenter Geneſ. 2. dictum eſt: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculū vitæ & factus eſt homo in animam viuentem.* Clariùs autem Iob. 33. *Spiritus Domini fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificabit me.* 9

Prædictum locum Geneſ. 2. ponderans Cyrillus Alexand. lib. contra Anthropomorphitas c. 2. poſt med. ait: *Hic eſt Spiritus, qui per Filium rationali creaturæ eſt ſuppeditatus,* &c. & lib. 12. in Ioan. c. 56. propius ad med. quàm ad princ. ait: Deus hominem, *ſui ſpiritus participatione muniuit, inſufflauit enim in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Idem Cyrillus lib. 13. theſauri cap. 3. propius ad princ. quàm ad med. ait: *Quod in ſubſtantia Patris & Filij Spiritus ſanctus ſit, beatus quoque Moſes oſtendit. Formato enim ex terra homine, ſufflaſſe in faciem ipſius Deum, ait, Spiritum vitæ.* 10

Quartò probatur, ac ſimul ſoluitur ratio dubitandi, initio poſita, quoniam in declarandis ſingulis perſonis per nomina propria, Deus potiſſimum reſpexiſſe videtur ad res corporeas & nobis notas, vt per aliquid illis commune cum Deo ſignificaret perſonales proprietates: Hac enim arte ſunt impoſita nomina Patris, Filij, ac Verbi, quod pertinet ad claritatem, ſuauitatem & dignitatem inſtitutionis humanæ de rebus diuinis. Nulla verò res corporea nobiſque nota reperietur ita ſimilis Spiritui ſancto, eiuſque proceſſioni, ſicut halitus & ſpiritus vitalis, vt ex ſequenti ſect. conſtabit. 11 *Nomina perſonarum ex rebus nobis notis.*

Confirmatur primò, quia licet aliquando, rariſſimè tamen, Scriptura ſignificat analogiam Spiritus ſancti cum anima vel angelo, quemadmodum 12

modum 1. Corinth. 2. citato pro ratione dubitandi. Frequentius autem Scriptura ſignificat analogiam halitus, vt vidimùs in præcedentibus probationibus. Confirmatur ſecundò, quoniam anima rationalis & angelus, eo quod ſubſtantiæ ſunt omnino remotæ à ſenſibus humanis, non ita proportionatæ ſunt, vt ab illis accipiantur nomina, quibus inſtruantur homines rudes. Tertiò, nam analogia, deſumpta ex anima rationali & angelo, nihil habet ita proprium ac peculiariter correſpondens proprietati & proceſſioni Spiritus ſancti, quemadmodum anhelitus & ſpiritus vitalis.

13 Confirmatur quartò, quia quantum ad primam & naturalem impoſitionem vocis, à Republica factam, *ſpiritus* primò ſignificauit halitum, & per attributionem ad illum acceptæ ſunt reliquæ omnes ſignificationes, vt vidimus ſect. 1. peculiaritérque notat S. Thom. 4. contra gentes cap. 23. à princ. Ergo quantum ad hoc fuerit congruentius in ordine ad halitum, & per illius analogiam appellatum fuiſſe Spiritum ſanctum. Cauendus tamen eſt error Sabellianorum dicentium: *Pater eſt vt ſpecies, Filius verò ſicut in homine anima, Spiritus verò ſicut quod ſpirat per hominem.* Hoc enim dicebant, vt fictam coëſſentialitatem defenderent, in animo negantes, Spiritum ſanctum eſſe eiuſdem ſubſtantiæ diuinæ. Quemadmodum ex Epiphanio in Ancorato multo propius ad med. quàm ad fin. retuli diſput. 44. ſect. 1. poſt med.

SECTIO IV.

Elucidantur proprietates & officia, quibus reſpirationis halitus nos ducit in cognitionem Spiritus ſancti.

1 QVemadmodum data definitione generationis & filij, quæ communis eſt creatis & increato, declaratum eſt, Verbum eſſe propriè Filium, ſupra diſp. 6. 7. & 8. Sic in præſenti viſum eſt aliquam deſcriptionem, quamuis longiorem proponere, continentem ea, quæ communia ſunt ſpiritui, reſpirationis humanæ cum perſona Spiritus ſancti ſecundum peculiarem illius proprietatem, vt inde clariùs conſtet, hanc perſonam verè & propriè ſpiritum eſſe. His itaque verbis deſcriptio concipi poteſt. Spiritus eſt ſubtiliſſima ſubſtantia procedens à principio cognitionis, & amoris, necnon à principio motus per impulſum reciprocum voluntarium ſimul & neceſſarium ac naturalem, inſeparabiliter cum locutione coniunctum, communicationem vitæ, ſuauitatem ac delectationem interius conſtituens, & exterius cauſans. Loco generis accipe priorem illam particulam *ſubtiliſſima ſubſtantia,* hæc enim non eſt peculiaris Spiritui ſancto, ſed communis Patri & Filio. Habet autem hoc peculiare Spiritus ſancti perſona, quod eius nomen à ſubtiliori ac minus ſenſibili corpore fuerit acceptum.

Deſcriptio ſpiritus vt abſtrahitur ab halitu, & à tertia perſona.

2 *Cor & cerebrum principium ſpiritus.* Quæ ſequuntur peculiarem relationem, ac proprietatem Spiritus ſancti declarant ex analogia ſpiritus humani. Primum eſt, nam ſpiritus animalis à duplici membro procedit tanquam ab vno totali principio, quod idem eſt principium cognitionis & amoris. Nam in animalibus cor eſt præcipua cauſa efficiens & origo reſpirationis, teſte Ariſtotele lib. de reſpiratione cap. 4. & lib. 3. de partibus animalium cap. 6. cui ex parte concordant Galenus & alij apud Conimbricenſes lib. de paruis naturalibus tract. de reſpiratione cap. 2. In corde namque reſidet virtus effectrix ſpirituum vitalium, quæ per pulſum & tractum agitatione peremni principium eſt vitæ. De quo fusè S. Thomas opuſc. 35. de motu cordis poſt med.

Ex quibus ſpiritibus aliqua pars à corde procedens, ad cerebri ventriculos euadit, vbi magis attenuantur ſpiritus, & per neruos diſtribuuntur ad ſenſum & motum afferendum. Porrò cerebrum eſſe principium ſenſitiuæ cognitionis, & cor eſſe ſubiectum potentiæ concupiſcibilis, ac ſubinde principium amoris ſenſitiui, vel ipſa experientia teſte notum eſt, non modò philoſophis, ſed etiam indoctis. Sic ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre, qui eſt principium notitiæ genitæ, quæ Verbum eſt. Simul etiam procedit ab ipſo Verbo, quatenus vltimatè proponit obiectum amabile, qua ratione cum Patre complet vltimatè principium vnicum amoris. 3

Secundò à principio motus procedere ſpiritus animales, quod principium idem eſt cum principio cognitionis & amoris ſenſitiui, conſtat ex dictis. Sic ergo Spiritus ſanctus & motus eſt, vt vidimus ſect. præced. & procedit à principio motus diuini, quod idem eſt principium cognitionis & amoris diuini. 4 *Animales ſpiritus à principio motus.*

Tertia particula fuit *reciprocus impulſus,* quoniam in animalibus à corde ad cerebrum, & à cerebro ad cor, atque totum corpus per arterias dilatatas atque contractas, miniſterio pulmonum & narium concurrente, aër & ſpiritus identidem reciprocando, ducitur ac reducitur inſpirando & reſpirando. Sic ergo Spiritus ſanctus reciprocus amor eſt, quo Pater in Filium tendit, itémque Filius in Patrem: vt oſtendemus diſput. 71. ſect. 1. probat. 1. Eámque rationem fuiſſe, vt nomen *Spiritus ſancti,* proprium eſſet tertiæ perſonæ, licet Pater ſit Spiritus ſanctus & Filius ſimiliter, notat Auguſtin. lib. 15. de Trinit. cap. 19. verſus fin. receptus à Magiſtro & Scholaſticis 1. diſtinct. 10. cap. vltimo, & Ricard. Victorin. lib. 6. de Trinitat. cap. 10. 5 *Reciprocus impulſus.*

Quartò diximus, prædictum motum & impulſum eſſe ſimul voluntarium ac neceſſarium & naturalem: quoniam in animalibus reſpirationis motus partim eſt ſpontaneus & partim neceſſarius. Poſſunt enim animalia diutius continere ſpiritum, quando ſub aqua vel ſub fumo periclitantur, vel graui odore torquentur. Vnde magis voluntarium appellādum cenſent hunc motum Galenus lib. 2. de motu muſculorum, Fernelius lib. 6. philoſophiæ cap. 28. & alij. Quapropter reſpirationis motus, quantum ad aliquam durationem, aut frequentiam, dirigitur cognitione conuenientis aëris, vel diſconuenientis. Alioqui tamen eſt neceſſarius & naturalis, quoniam ſine illo vitam ducere longo tempore nemo poterit. Sic ergo proceſſio Spiritus ſancti ſpontanea eſt & voluntaria, quia Spiritus ſanctus procedit per volitionem, dirigitúrque cognitione ſummi & conuenientiſſimi boni Quibus non obſtantibus eſt ſimpliciter neceſſaria naturaliſque proceſſio. 6 *Simul voluntarius & neceſſarius impulſus.*

Quintò. Cum locutione, diximus, inſeparabiliter coniunctam eſſe reſpirationem quantum ad hoc, quod exterior locutio ſignificatióque conceptuum formari non poteſt, niſi in ipſo halitu reſpirationis. *Sic igitur* Verbum diuinum inſeparabiliter coniungitur cum Spiritu ſancto & ſine illo eſſe non poteſt, vt ratiocinantur Patres citati ſect. 3. peculiariter autem Gregor. Nyſſenus orat. catechetica cap. 2. illis præſertim verbis: *Spiritus Verbum conſequitur, & eius declarat operationem.* 7 *Cum locutione coniungitur ſpiritus.*

8 *Vitam communicat.* Sextò. Respirationis halitus communicationem vitæ, suauitatem ac delectationem interius constituit in animalibus. At *Spiritus sanctus est ineffabilis quædam Patris Filijq; communio*, vt ait Augustinus lib.5.de Trinit.cap.11.post med.iuxta 2.Corinth.cap.vltim.fin.*Gratia Domini nostri Iesu Christi & charitas Dei* (videlicet Patris) *& communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Quapropter Epiphanius hæres. 62. ad med. Spiritum sanctum appellat *Vinculum Trinitatis*, perinde locutus, ac si voluisset; indicare analogiam Spiritus sancti ad spiritum animalium,quam Alexand. Aphrodiseus lib.2.problematum quæst.63. vocauit *animæ & corporis vinculum*, quia calorem à corde haustum, & à cerebro temperatum membris vniuersis distribuens, potentiam affert sentiendi atque mouendi. Has proprietates inseparabilitatis & vinificationis, fuisse rationem appellandi halitum siue spiritum, docet Ricard. Victorin. lib.6.de Trinitat. cap.9. fine, & cap.10. prope fin.

9 *Demulcet ac recreat.* Inde præterea sequitur, vt animalis spiritus corpora demulceat & recreet, summam delectationem afferens, quando spiritus est sanitati conueniens. At Spiritus sanctus est ipsamet delectatio & suauitas in facto esse, procedens à corde & cerebro, id est, à principio amoris & cognitionis, videlicet à Patre & Filio tanquam ab vno principio.

10 *Delectationē & amorem prouocat.* Septimò. Postrema proprietas spiritus erat exterius etiam in aliis animalibus causare vitam ac delectationem, & amorem prouocare demulcendo, fouendo, blandiendo & recreando,quos effectus, oscula, & amplexus habent potissimùm ratione spiritus exhalati. Ideóque bruta etiam halitu & respiratione filios fouere ac demulcere solent. Quod autem Spiritus sanctus,qua ratione productus amor est & suauitas in facto esse,principium sit amoris ac suauitatis hominibus & angelis communicandæ, manifestum est in Sacris literis. Propterea quippe fidelibus & iustis ac potissimum Apostolis & Sacerdotibus dicitur esse datus Spiritus sanctus potius, quàm Pater aut Filius, quia Spiritus sanctus est donum personaliter ac relatiuè,vt dicemus disput.75. Quod Canticorum initio postulabat sponsa *Osculetur me osculo oris sui*, datum fuisse Ioann. 20. quando Christus Dominus *insufflauit & dixit, accipite Spiritum sanctum.* Fusè Bernard.sermone 8.in Cantica.

11 *Quare sanctitatis nomē approprietur Spiritui.* Quæ declarauimus hactenus pertinent ad nomen *spiritus*. Quod autem peculiariter appelletur sanctus,faciliorem habet rationem, quoniam hæc persona producitur per operationem honestissimi amoris atque purissimi. In amore autem sanctitas aut malitia consistit. Vnde prouenit etiam vt peculiari ratione pertineat ad hanc personam homines & angelos sanctificare. Ideo Ambros. in symbol. Apostol.cap.1.post med.cum dixisset;Spiritum sanctum esse *vnam dilectionem vtriusque*,subiungit : *Genitoris Genitiq; sanctitas Spiritusque.* supple est. Augustinus item lib.10.de ciuit.cap.29.ad med. *Spiritus*, inquit, *sanctus est sanctitas amborum.* Eodem modo loquitur lib.6.de Trinit.cap.5.init. & Concil.Tolet.Vndecimum in profess.fidei. Nazianzenus etiam orat.25.in laudem Heronis prope fin. dicit, Spiritum sanctum *esse sanctitatem ipsam.* Eodem sanctitatis nomine vocat Regula fidei, cœlitus data Gregorio Thaumaturgo.

12 Cyrillus Alexand.lib.13.thesauri cap.4.in med. *Sanctus*,inquit,*Spiritus dicitur, quia sanctus essentialiter est. Naturalis enim & viua & subsistens Dei operatio est, quæ creaturas per suam participationem sanctificando perficit.* Et paulo inferius: *Ipsam sanctificandi virtutem,quæ ex Patre naturaliter prodit,& creaturas sanctificat atque perficit, Spiritum sanctum appellamus.* Similia de ratione huius sanctitatis, attributæ spiritui, scribit Ricard.Victorin. lib. 6. de Trinit.cap.10.versus finem.

13 *Obiectio.* Obiiciet aliquis, Patres & Scholasticos citatos sect.2. docuisse, tertiæ personæ commune nomen accommodatum fuisse tanquam proprium : quoniam non habet proprium ac peculiare nomen. Ergo *Spiritus sanctus* non est nomen proprium tertiæ personæ. Respond.Mens eorum omnium doctorum hæc fuit, vt nomen *Spiritus sanctus* in eo tantummodo sit minus proprium tertiæ personæ,quàm nomina *Pater*,& *Filius*,sunt propria primæ secundæque personæ : quoniam nullum suppositum intellectiuum est halitus, siue spiritus animalis : omnes tamen homines sunt intellectiua suppositа, iidémque sunt Filij, præter Adamum, corúmque plurimi sunt patres. Illud etiam diminuit huius nominis proprietatem, quoniam illius acceptiones multo plures & latiores sunt, quàm acceptiones nominum Patris & Filij. *Solutio.*

DISPVTATIO LXVI.

Vtrum Spiritus sanctus sit Deus, subsistens & æqualis Patri & Filio.

SECTIO I.

Refutatur eorum error, qui Spiritum sanctum, existimant, non esse personam, aut non à Patre, Filióve distinctam.

1 PRÆTERMISSIS Sabellianis ac aliis hæreticis, qui Patrem, Filium & Spiritum sanctum dicebant eandem esse personam,solis nominibus vel muneribus distinctam,quos impugnauimus satis tota disput.19.peculiariter Spiritum sanctum cum persona Patris & Filij confundebat Lactantius Firmianus epist.8.ad Demetrianum dicens, Spiritum sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari, auferens personam tertiam,& volens non esse substantiam eius, sed nomen; vt refert Hieronymus ad Galat.cap.4.ad illa verba : *Misit Deus Spiritum Filij sui.* *Error Lactantij.*

2 *Vrbicus.* Vrbicus autem Potentinus, manifestus impugnator Trinitatis, dicebat : Spiritus sanctus vel est Pater, vel Filius, vel creatura, quod refert & confutat Athanas. toto dialogo 4. de S. Trinitat. contra sectatores Apollinaris, & dialogo 1. contra Macedonium. *Marcellus dicebat, extensionem quandam Diuinitatis ad Christum venisse, & eam vocabat Deum Verbum; Spiritum autem sanctum dixit esse extensionem extensionis, Apostolis exhibitam, & omnino existimabat Trinitatem extendi, & contrahi pro consiliorum & œconomiarum diuersitate.* Ita refert Theodoret. lib.2. hæreticar. fabul. cap.penult. Basilius autem epist. 74. prope fin. refert, Marcellum negasse propriam hypostasim Paracleto. Et quantum ad hoc coincidit quod ex Photinianis & Marcellianis refert Epiphanius hæres. 71. & 72. Alij putabant, Spiritum sanctum esse Deitatem ipsam, qua copulantur Pater & Filius, vt vterque sit Deus, quos, suppresso nomine *Marcelli error.*

nomine refert Augustin. lib. de fide & Symbolo cap.9. à med.

3 *Recentior hæresis.* Hos imitati sunt recentiores hæretici. Caluinus enim dixit, Spiritum sanctum esse Dei virtutem essentialem : Theodorus Beza esse potentiam Patris & Filij, Matthias Ceruasius Anabaptista & Georgius Blandrata similiter dixerunt, esse Dei virtutem. Quorum errores notant Iodocus Coccius tom.1.lib.1.de sanctissima Trinit.art.6. & ex parte Valentia 1.p.quæst.1.de processione personarum,puncto 1.§.4.

4 *Qui Spiritui sancto subsistentiā negabant.* Deteriori blasphemia negabant Spiritui sancto personam & subsistentiam hæretici, qui Spiritum sanctum faciebant non substantiam, sed accidens quoddam creatum. Sic nonnulli,contra quos disputat Athanas. lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti, dicebant, Spiritum sanctum esse tantummodo quoddam donum Patris & Filij. Ex recentioribus hæreticis Guilhelmus Farrellus dixit, Spiritum sanctum esse motum in rebus creatum. Bernardus Ochinus in Polonia prædicauit, Spiritus sancti nullam esse hypostasim & personam. Michaël Seruetus asseruit,Spiritum sanctum esse Dei agitationem,energiam quandam, seu inspirationem virtutis Dei, & ea ratione Spiritum sanctum esse in homine; nec esse rem aliquam separatam, vt refert Iodocus Coccius, & ex parte etiam Valentia locis nuper citatis.

5 *Fides de Spiritu sancto.* Fides tamen Catholica docet, Spiritum sanctum esse tertiam personam Trinitatis, realiter distinctam à Patre & Filio,atque verè propriéque subsistentem,vt demonstratum est tota disput.19. & disput.31. & sequentibus vsque ad 36. Peculiariter autem de Spiritu sancto probari potest primò, quia necesse est, tanquam personam verè subsistere illud ens atque principium, quod operatur, cognoscit, iudicat, loquitur, docet, annunciat, arguit, consolatur, testimonium perhibet, mittit & mittitur, præcipit, adiuuat, constituit rectores, munera distribuit, & alias operationes exercet,quæ fieri non possunt, nisi à persona subsistente, quæ prædita sit intellectu, voluntate libera & facultate operandi. At hæc omnia Spiritui sancto Scriptura sacra verissimè tribuit. Ergo necesse est fateri,Spiritum sanctum esse personam verè subsistentem.

Spiritum sanctum subsistere.

6 Minor probatur 1. Corinth.12. *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult.* 1.Corinth. 2. *Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Actor.15. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* & cap.13.*Dixit Spiritus sanctus,Segregate*, &c. Ioan.14. *Paracletus autem*, &c. *ille vos docebit omnia.* Et iterum : *Quæ ventura sunt annunciabit vobis.* Ioann.16. *Arguet mundum de peccato.* Roman. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Actorum 20. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me*, &c. *Ad euangelizandum pauperibus misit me.* & alia eiusmodi plurima videbimus sequentibus sectionibus ac disputationibus.

7 *Euasio hæreticorum.* Respondent Serueti discipuli, præsertim Franciscus Dauidis,Spiritum sanctum hæc in eo sensu facere, quoniam Deus per illum, tanquam per suam virtutem & agitationem faciat; & confirmant, quia de vento dicitur Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat.* nec ideo tamen ventus est persona.

Refutatur. Facilè tamen reuincitur hæc solutio, quia semel aut itetum eo modo tribuere vnam, aut alteram actionem virtuti & agitationi, seu motui principalis agentis, fortasse tolerari potuisset : attamen tam multis in locis,adeo constanter,tot operationes atque tam varias Spiritui sancto, tāquam personę intelligenti,& principaliter mouenti & operanti concedi,nulla prorsus probabilitate patitur, existimari virtutem, agitationem aut motum.

8 Confirmatur, nam ea, quæ patiuntur explicationem eiusmodi, declarantur ex aliis locis Scripturæ, vel ratione theologica. Econtrario tamen alia testimonia Scripturæ potius probant, Spiritum sanctum esse personam subsistentem, quoniam connumeratur Patri & Filio 1.Ioan.5. *Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* & Matth. vltimo. *In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Vnde quod Ioan. 3. dicitur : *Spiritus vbi vult spirat*; non potest cum præsentibus testimoniis comparari, quoniam etiam indoctis est euidens, ventum non esse personam rationis capacem; idcóque voluntatem illi non conuenire, nisi metaphoricè, quatenus fertur pondere & inclinatione naturali. Præterea semel tantum tribuitur ei voluntas, & nunquam tribuitur cognitio, locutio, discretio, vel aliquid aliud proprium personæ.

9 *Spiritum sanctum esse personam.* Probatur secundò,Conciliorum & Patrum authoritate, contra hæreticos decernentium, Spiritum sanctum esse *hypostasim*, siue *personam subsistentem simul cum Patre & Filio.* Sic enim expresse decreuit Nicænum Concilium lib.2.col.8.§.*sancta & magna.* Nazianzenus tanquam si præuidisset, & impugnatione præoccupasset prædictam virtutem & agitationem, quam recentiores hæretici contendunt esse Spiritum sanctum orat. 37. quæ est 5.de theologia col.3. post num.14. ita disserit: *Spiritus sanctus vel ex eorum numero, quæ per se subsistunt, omnino statuendus est, vel inter ea collocandus, quæ in alio considerantur. Quorum alterum substantiam, alterum accidens vocant, qui harum rerum scientiam callent. Ac siquidem accidens, vis vtique & facultas quædam Dei fuerit,compositionisq; expers.Si vis & facultas, agetur haud dubiè, non aget : simúlque vt actus fuerit, desinet. Eiusmodi quippe est actus natura. Quî fit ergo, vt agat ipse, atque hæc & illa dicat, & segreget, & contristetur, & ad iram incitetur, & quæcumque rei motu agitata perspicuè sunt,non autem motionis ipsius?*

10 Gregor. Nyssenus orat. catechet. cap.2. prope fin. de Spiritu sancto inter alia scribit, *essentialem potentiam esse, quæ ipsa in seipsa consideratur in propria hypostasi ac consistentia.* Et paucis interpositis: *Ad Dei Verbi similitudinem est in hypostasi, eligendi vi prædita, per se mobili, operante*, &c. Idémque probat magis ex professo Nyssenus toto ferè libro de Trinit. ad Eustathium, & lib.ad Ablabium *Quod non tres dij.* Basilius lib.5. contra Eunom. sect.15. longe post med. postquam plurimis Scripturæ testimoniis probauerat, Spiritum sanctum esse Deum perinde, vt Verbum diuinum, ita concludit : *Quare quod Verbum viuens est & persona perfecta, & Spiritus similiter, sufficiunt quæ modò dicta sunt ad doctrinam.*

11 Athanas. dialogo 1. de S.Trinitat. contra Anomæum non longè post med.ait : *Hypostaseos Spiritus sancti proprium est esse Spiritum Dei.* Theodoretus dialogo immutabilis 1.colum.3. de Scriptura sacra notat, *quod Spiritum sanctum solam spiritus hypostasim nominat.* Ambros. in symbol. Apostol. cap.1.versus fin. ait : *Sola tertia persona propriè Spiritus sanctus nuncupatur.* Generaliter autem ad idem dogma confirmandum adduci possunt omnes Patres, qui supra disp.31. & quinque sequentibus profitentur in Deo tres hypostases,siue personas, siue subsistentias.

Ruiz. de Trinitate.

12 *Prima obiectio. Diluitur.*

Sed prædicti hæretici obiiciunt primò, Spiritum sanctum esse donum & pignus hæreditatis nostræ. Non igitur est persona. Veruntamen de hoc dicendum erit ex professo disput.75.

13 *Secunda obiectio.*

Secundò obiiciunt,nomen Spiritus sancti non ad personam peculiarem, sed ad naturam potius diuinam referri: vnde fit,vt Pater etiam sit Spiritus sanctus, & Filius similiter sit Spiritus sanctus.

Diluitur.

Respond. Licet aliquando referatur ad essentiam diuinam, conueniátque tribus personis: peculiaribus tamen indiciis ostenditur multoties, solam tertiam personam vocari Spiritum sanctum,vt vidimus disput.63.sect.2.

14 *Tertia obiectio, nã qualitatem Deitatis Patres appellant Spiritũ sanctum.*

Tertiò potuisset nobis obiici quod Patres aliqui dicunt, Spiritum sanctum esse qualitatem Deitatis. Quemadmodum Cyrillus Alexandrin. lib.13.thesauri cap.3.in med. *Qui mel gustarunt, ex qualitate propria ipsius sciuerunt,quia mel dulce est: sic & Spiritus sancti particeps Iesum cognoscit Dominum esse. Ex substantia igitur Filij Spiritus sanctus est, & quasi (vt ita dicam) Dei ipsius qualitas ex ipso est.* Ac sequenti lib.14. cap.1. fine. *Si ergo prodigia & signa per Paulum Christus operatur in virtute Spiritus sancti, naturalis quædam virtus & viuens, & (vt ita dicam) qualitas Deitatis Filij Spiritus sancti est.* Item dialogor.de Trinitat. lib.6.colum.5. de Spiritu sancto ait: *Quasi qualitas sapientis Diuinitatis.*

15 *Exponuntur Patres.*

Respond. Idem Cyrillus sequenti lib.7. dialogor.multo propius ad med.quàm ad princ. apertè profitetur, Spiritum sanctum esse *hypostasim* & *personam*, & in prædicto lib.13. thesauri cap.2. & 4.vt referemus statim. Quam ob causam adiunxit præcastigationem illam (*vt ita dicam*) significans non propriè, sed metaphoricè qualitatem appellare Spiritum sanctum, quia gratiæ donorúmque largitione gustare facit, ac videre, quàm suauis est Dominus, & experiri potentiam & bonitatem illius.

16

Quartò posset obiici,quod alij Patres asserunt, Spiritum sanctum esse Dei virtutem, vt Cyrillus & Gregor. Nyssen. paulo superius citati, Basilius lib.5.contra Eunom.sect.9. Magis autem ex professo probat Ambros. lib.2. de Spiritu sancto c.1. & 2. ex historia Samsonis Iudic.13.& 14. & præcipuè verbis Domini Actorum 1. *Accipietis virtutem superuenientem Spiritus sancti, ipse enim Spiritus virtus est*, inquit Ambrosius. Respondetur tamen, ibidem Ambrosium probare, quod Pater etiam sit virtus, nam de Filio manifestum est appellari *Dei virtutem & Dei sapientiam.*1.Corint.1. vt vidimus disput. 58. sect.4. Nec tamen inde sequitur, Patrem non esse personam & Filium non esse personam. Appellatur autem Spiritus sanctus Dei virtus,quoniam libera Dei volitio potentiam ad opus determinat, & persona, per volitionem procedens,concurrit non minus efficaciter,quàm Pater & Filius.

17 *Quinta obiectio. Patris operatio Spiritus sanctus.*

Quintò posset obiici, quod Cyrillus Alexand. lib.13. thesauri cap. 2. paulo post med. & iterum in fine, & cap.4. in medio dicit, *Spiritum sanctum esse naturalem, essentialem, ac viuam Dei operationem.* Solutio tamen ex eisdem locis colligitur, subiungit enim esse *subsistentem*, & *in propria hypostasi.* Sextò denique posset obiici, Spiritum sanctum appellari vnctionem & vnionem.

Nihilominus quid istæ metaphoræ significent, dicemus disp.76. sect.2. & 3.

SECTIO II.

Aliorum errores, qui Spiritui sancto Diuinitatem eripiunt, licet eum subsistere, ac personam esse permittant.

1 *Primus error.*

SAdducæis prætermissis, qui omnem spiritum siue creatum siue increatum negabant Actor. 23.vers.8.& à fortiori *Spiritum sanctum penitus non esse censuerunt*,vt scribit Nazianzenus orat.27.quæ est 5.de theologia col.3. & Epiphanius hæres.14. Veniamus ad eos, qui concedentes Spiritum sanctum, negant eius Diuinitatem.

2 *Secundus error.*

Montanum solum contra Spiritum insanire scripsit Basilius lib.2.contra Eunom.prope fin. Montanum item dixisse, *se Paracletum & diuinum Spiritum esse*, refert Nicephorus lib.4. cap. 22. Eundémque Montanum nominat paracletum Tertullianus, in eius hæresim lapsus, lib.de resurrectione carnis cap.11. & cap. vltimo prope finem, & de velandis virgin.cap.1.num.6. & de anima cap. 55. num.613. & contra Marcionem lib.1. cap.29. num.203. & aliis in locis, quæ notat Pamelius in procœmio ad Tertulliani paradoxa antidoto 26. Cum tamen hãc hæresim expresè refutasset prius idem Tertullianus in lib. de præscriptionibus aduersus hæreses cap.52. hæres. 21. & multoties de Trinit. ac nominatim de Spiritus sancti persona loquatur omnino catholicè, dicens, esse idem essentia,& sola persona distingui à Patre,vt lib.contra Praxeam cap.1. 2. 8. & 13. latenter tamen intelligens, Spiritum sanctum esse Montanum. Sed vtrum idem Montanus fuerit sibi contradicens, vel alter eiusdem nominis Montanus, à quo deriuati sunt Cataphrygæ, concedens Spiritum sanctum iuxta doctrinam Catholicam(vt vidimus disput.19.sect.1.) non vacat examinare.

3 *Tertius error.*

Montanum imitatus ætate nostra Matthias Steimbach dixit, seipsum esse Spiritum sanctum, referente Zuuingero in theatro cap. de hæreticis apud Coccium lib.1.de S.Trinit.art.6.anno 1550. Helchesaitæ nugabantur, Spiritum sanctum esse *Quartus.* sororem Christi,fœmineo habitu traditam: eundémque sicut & Christum habere altitudinem sex milliarium, & latitudinem viginti quatuor milliarium, vt refert Epiphanius hæres.53.

4 *Quintus error.*

Origenes non omnino sanas in omnibus de Spiritu sancto opiniones habuit, vt memoriæ prodidit Basilius lib. vnico de Spiritu sancto cap. 29. prope med. & quidem tom.2. in Ioan. docuit, Spiritum sanctum per Filium esse factum, & tract. 13. in Ioan. asserit, Patrem tanto superiorem esse Filio & Spiritu sancto, quanto hi superiores sunt creaturis. Alibi etiam docuit, Spiritum sanctum esse creaturam, & ministrum post Patrem & Filium dignitate, honoréque tertium, inferiorem & minorem fortitudine: vt refert Epiphanius epist. ad Ioannem Hierosolymitanum versus med. Hieronymus apologia ad Ruffinum, & epist. ad Auitum. Quamuis aliis in locis Origenes rectè de Diuinitate & adoratione Spiritus sancti senserit: cuius aliqua testimonia profert Basilius nuper citatus. Plura notauimus disput.20. sect.4. examinantes, vtrum ab hæreticis prædicti errores contra mentem Origenis fuerint adsperſi.

5 *Sextus error.*

Non defuerunt, qui de Patre & Filio bene sentientes, existimarunt, Spiritum sanctum non esse Deum, sed creatum & factum. Hos inter *Abstinentes* hæreticos aliqui numerant,quia cum hominibus escas nõ sumebant; veruntamen ab illis,qui dicebãtur *Abstinentes*,videntur fuisse diuersi iuxta Philastrum

Philastrum in catalogo hæreseon, quæ sub Apostolis extiterunt hæres.38. collata cum hæresi 36.

6 *Septimus error.*

Arianorum priores dicebant, Spiritum sanctum non esse Deum, sed creatum à Filio: quem ideo creaturam creaturæ vocabãt,apud Athanas. disputatione contra Arium, & lib. de communi essentia Patris & Filij.Didymum lib.1.de Spiritu sancto, August. in Catalogo hæreseon hæresi 49.

Octauus error.

Posteriores Ariani nonnulli fictè siniſtróque sensu fatebantur, Filium esse Deum & creatorem: nihilominus asserebant, Spiritum sanctum esse creaturam. Aduersus quos disputat Athanas.duabus breuioribus epistolis ad Serapionem. Alij Semiarij, quorum capita fuerunt quidam Basilius & Georgius, Filio tribuebant illam diminutam excellentiam, videlicet, *non esse creaturam, velut vnam ex creaturis, nec genituram, velut vnam ex genituris.* Hanc verò excellentiam Spiritui sancto negabant, dicentes esse penitus creaturam creatam à Patre per Filium. Ita refert Epiphan.hæres. 73. à princ.quod obiter etiam dixerat hæresi 69.

Nonus error.

Decimus error.

Eam tantummodo prærogatiuam Spiritui sancto permittebant Eunomius & Ætius, quod Spiritus sanctus *ante alias creaturas fuerit à Filio fabricatus*, vt refert Theodoret. hæreticar. fabular. lib. 4. col.4. De quibus etiam scribit Basilius lib.2.contra Eunom.prope fin.asseruisse,Spiritum sanctum esse facturam solius Vnigeniti, ita vt eum æternus Pater non produxerit.

7 *Vndecimus error.*

Macedonius docuit, Spiritum sanctum nihil habere cum Filio commune, sed tantùm esse ministrum Patris & Filij veluti creaturam.Hos,suppresso nomine, refert Basilius epist.78. Nazianzenus orat.37. quæ est 5. de theologia. Epiphan. hæres.74. contra Pneumatomachos. Augustinus hæres. 52. Ruffinus lib.1.historiæ cap.15.Damascen. lib.de hæresibus. Macedoniani verò potius quàm Ariani vocati sunt Pneumatomachi, hoc est,impugnatores Spiritus sancti,quia licet Ariani negauerint etiam Diuinitatem Spiritus sancti: Catholici tamen aduersus eos decertarunt potissimùm pro Diuinitate Filij; postea verò magis ex professo susceperunt propugnandam Diuinitatem Spiritus sancti contra Macedonianos. Atque ita intelligendum est, quod Basilius epist.78. post med. & epist. 60. fine, atque Nazianzenus orat. 52. quæ est epist.2. ad Cledonium sub init. asserunt, tempore Concilij Nicæni nondum fuisse motam quæstionẽ de Diuinitate Spiritus sancti. Adde quod Macedonius (vt minimum verbo tenus) concessit Filij Diuinitatem, quam Spiritui sancto negauit, vt expresè docet Leo Magnus serm. 4. de Natiuitate cap. 5. & serm. 1. de Pentecoste cap. 4. quãuis aliqui existiment etiam negasse Diuinitatem Filij.

Pneumatomachi quare dicti.

8 *Duodecimus error.*

Airani, seu Airanistæ, quorum dux fuit quidam Airas, dicebant, Spiritum sanctum esse administrum, ordine & honore tertium, & substantia alium à Patre & Filio, vt ex Nicephoro lib.11.historiæ cap.30. refert Prateolus lib. 1. alphabeti, hæres.21. Valentinus existimauit, Spiritum sanctum esse quendam angelũ, idque placuit Arianis quibusdam,vt refert Athanas.in longiori epist. ad Serapionem, quæ incipit *Literæ tuí*, propius ad med. quàm ad princ. & dialog.3. de S. Trinitate contra Macedonium ante med. Quod idem Commentum etiam Serueto nostris temporibus arrisit, vt intelligi potest ex eius dialogo 2. de Trinitate apud Valentiam 1. p. q.1. de processione personarum puncto 1.§.24.colum.1.

9

Spiritum sanctum homini inspiratũ in faciem,

Ruiz. de Trinitate.

cecidisse in animam seu mentem hominis, aliqui delirarunt, quos tacito nomine refert ac refellit Cyrillus Alexand. libro contra Anthropomorphitas cap.2. post med. Petilianus, Cresconius & alij Donatistæ dixerunt, ante Saluatoris aduentum, Spiritum sanctum non fuisse super terram,vt refert Augustinus lib.2. contra literas Petiliani: & quamuis eiusdem substantiæ,minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putabant Spiritum sanctũ, vt refert Augustinus hæres.69. *Decimus-tertius error.*

Apollinaris cócedens tres personas vnius substantiæ, dixit tamen, Spiritum sanctum esse magnum, & maiorem esse Filium, maximum verò Patrem. Quod sapienter irridet Theodoret. hæret. fabul.lib.4. col.7. *Decimus-quartus error.*

10 *Decimus-quintus.*

Petrus Abailardus dicebat, Spiritum sanctum nullam esse potentiam,non personam ex substantia Patris vel Filij: sed animam esse mundi; apud Bernard. epist. 190. & Ottonem Frisingen.de rebus gestis Friderici Primi lib. 1. cap. 49. Erasmus Roterodamus in præfatione ad libros Hilarij valde liberaliter atque impudenter mentitus est, dicens: *Audemus Spiritum sanctum nominare Deum, quod veteres ausi non sunt.* Philippus Melanchthon Spiritui sancto reliquit solummodo *aliquid Dei*, siue *aliquid de essentia Dei*, dixit enim: Quando Spiritus sanctus *mittitur, aliquid essentiæ diuinæ mitti*,vt refert Valentia dicto §.24.colum.1.

11 *Decimus-sextus.*

Clariùs alij recentiores hæretici negauerunt Spiritus sancti Diuinitatem, quemadmodum Lucas Sternberger apud Prateolũ lib.10. alphabeti cap.10, Petrus Goniezius apud Alphonsum Pisanum præfatione in acta Concilij Nicæni Primi, Ioannes Sommerus, Christianus Frãcus & Transyluani apud Bellarminum tom. 1. lib.1.de Christo cap.13.§.1.Valentiam 1.p. q.1. de processione personarum puncto 1. §. 24. colum. 1. Coccium lib.1.de Trinit.art.6.pag.2.

SECTIO III.

Spiritus sancti Diuinitas probatur Scripturæ locis magis apertè significantibus substantiam & Diuinitatem.

1

NOn possumus omnia testimonia colligere, quæ probant Diuinitatẽ Spiritus sancti:sed clariora celebrioráque distribuimus in Classes in hac & sequentibus sectionibus. Prima classis cõplectitur ea, quæ Spiritum sanctum cum Patre & Filio coniungunt, atque connumerant,tanquam illis consubstantialem & æqualem. Primum est Matth.vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Vnde tres personas esse vnius & eiusdem Diuinitatis & substantiæ,Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, probant omnes ferè Patres locis adductis disp.36.sect.3. *Prima classis testimoniorũ.*

2

Sed quod ad præsens attinet, duo potissimùm argumenta sumuntur ex hoc loco. Primum his verbis concipit Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de theologia col. antepenult. *Si Spiritus sanctus adorandus non est, quomodo me Deum per Baptismum efficit? Si porrò venerandus, an non Deus?* Videlicet, me Deum efficit participatione: vt magis explicat Cyril. lib.13.thesauri cap.1. *Natura, & essentialiter Spiritus sanctus Deus est, quoniam qui ipsum suscipiunt, dij per gratiam efficiuntur.* Vtitur eodem argumento Basilius lib.3. contra Eunom.propius ad med. quàm ad finem. Confirmatur Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* & ad Titum 3. *Saluos nos*

fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.

3 Prædictum locum Matth. vltimo peculiariter ad probandum Diuinitatem Spiritus sancti, vrgẽt Athanas. lib. de humana natura susceptа circa med. & in disp. contra Arium habita Laodiceæ inter med. & fin. & lib. 7. ad Theophilum de professione regulæ catholicæ post med. Basil. homil. 17. in Sanctum Baptisma initio, Epiphanius in Ancorato pag. 3. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 14. vbi peculiariter ponderat esse vnum nomen Patris & Spiritus sancti, quod esse nomen Dei colligit ex Ioan. 5. & 14. & Actor. 4. Fulgent. ad obiectiones Arianorum responsione 8.

4 Ex eadem forma Baptismi secundũ argumentum accipitur, quia solus Spiritus sanctus in Scriptura sacra Patri Filioque connumeratur, tanquã eminẽtior omnibus rebus creatis, & consequenter increatus ac Deus, vt cõstat etiam 2. Corinth. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei* (Patrem intelligit) *& communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Id quod etiam constat ex testimonio sequenti. Quo testimonio simul cũ precedenti de forma Baptismi Spiritus sancti glorificationem eandem esse, quæ Patris & Filij, probat Basilius lib. 5. contra Eunomium sect. 10. & Athanas. in disputatione contra Arium Laodiceæ habita col. penult. Confirmatur Hebræos 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, &c. & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Quod de tertia persona diuina intelligit Athanas. longiori epist. ad Serapionem propius ad princ. quàm ad med. Supponitur autem vt manifestum à Chrysostomo & alijs exposit oribus ibi.

5 Secundus locus principalis erit 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus & hi tres vnum sunt.* Vbi vox *vnum* significat vnitatem substantiæ atque Diuinitatis, retenta distinctione personarũ, vt notant quamplurimi Patres citati disp. 19. sect. 4. à principio, & disp. 20. sect. 7. Sapienter verò Cyrillus in lib. de argumentis, quod Spiritus sanctus sit Deus, col. vltima ponderat, quod è vestigio subiungit Ioannes. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Ergo Spiritus sanctus est maioris authoritatis in testificãdo, quàm omnis creatura, & consequenter non est creatura, sed Deus.

6 Tertio loco numerari possunt ea, quibus Spiritus sanctus dicitur esse ex Deo, vel à Patre procedere, vt 1. Corinth. 2. *Spiritus qui ex Deo est.* & Ioan. 15. fine. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Inde namque manifestè sequitur, Spiritum sanctum esse de substantia Dei, vt rectè ponderat Chrysostomus tom. 3. homil. de Spiritu sancto col. 2. & quibus appellatur *Spiritus Dei*, vel *Spiritus diuinus.* veluti 1. Corinth. 2. & cap. 6. & 2. Corinth. 3. & 1. Petri 4. nunc sufficiet illud Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur. Quid enim est aliud Spiritus diuinus, vel Spiritus Dei, quàm Deus?* vt ponderat Athanas. in dialogo 1. de Trinitate contra Anomœum, & Basilius serm. cõtra Sabellianos sub fin.

7 Secunda classis ea complectitur, quæ Dei nomen expressè tribuunt Spiritui sancto. In quibus celeberrimum est illud Actor. 5. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuũ, mentiri te Spiritui sancto? Non es mẽtitus, hominibus sed Deo.* Est igitur Deus Spiritus sanctus, vt cõmuniter Patres ex hoc loco deducunt, Gregor. Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de theolog. col. penult. post num. 71. Athanas. lib. de humana natura susceptа circa med. & in med. *Secunda classis.*

& disp. contra Arium habita in Nicæno Concilio colum. antepenult. & disp. habita Laodiceæ inter med. & fin. & lib. 7. ad Theophil. de professione regulæ catholicæ inter med. & fin. Gregor. Nissen. tom. 2. orat. vltima de Deitate Filij & Spiritus sancti in fine totius orationis. Chrysostomus serm. de consubstantiali Trinit. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. initio, & lib. 5. contra Eunom. sect. 14. inter princ & med. Didymus lib. 1. de Spiritu sancto sub fin. & lib. 2. Epiphanius in Ancorato pag. 3. & hæres. 59. Cyrillus lib. argumentorum, *quod Spiritus sanctus sit Deus*, propius ad med. quàm ad fin. & lib. 13. thesauri cap. 2. in med. Theodoret. lib. 5. hæreticar. fabular. Leontius de sectis actione 4. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 4. & lib. 3. cap. 10. Hieronym. epist. ad Hedibiam q. 9. & in cap. 63. Isaiæ. Augustinus contra Maximinum lib. 3. cap. 21. prope med. & serm. de tẽpore barbarico cap. 3. sub init. tom. 9. Beda in Commentario ad prædicta verba Ioan. 5. vbi etiam glossa, Hugo & alij interpretes. Idacius Hispanus lib. contra Varimadum, Victor in ratione fidei ad Hundric. & lib. 2. de persecutione. Paschasius lib. de Spiritu sancto c. 8.

8 Secundum testimonium est 1. Corinth. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Dominus, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Cui concinit quod in eiusdem epistolæ cap. 6. dicit Apostolus: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* Móxque subiungit. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Vnde Augustinus epist. 66. non procul à principio. *Quem Deum*, inquit, *nisi Spiritum sanctum, cuius corpora nostra dixerat esse templum? Debetur ergo latria Spiritui sancto. Nam si templum ei facere de lignis & lapidibus, iuberemur, vtique faciendo templum latriam exhiberi conuinceremur: quanto magis latriam debemus, cui non templum facimus, sed sumus?*

9 Rursus lib. 1. de Trinit. cap. 6. prope fin. *Quid insanius*, inquit, *magisque sacrilegum est, quàm vt quisquam dicere audeat, membra Christi templum esse creaturæ minoris secundum ipsos, quàm Christus est?* Alio in loco dicit: *Corpora vestra membra sunt Christi. Si autem quæ membra sunt Christi, templum est Spiritus sancti, non est creaturæ Spiritus sanctus.* 1. Corinth. 6. Quam illationem probat ex adoratione latriæ, quæ debetur personæ, cuius est templum. Idem fusiùs ponderat lib. 3. contra Maximin. cap. 21. à princ. Eundem locum ponderans Augustinus lib. 1. contra Maximin. multo propius ad med. quàm ad princ. & iterum prope fin. ait: *Noli negare, Deum esse Spiritum sanctum, ne templum creaturæ facias membra creatoris.*

10 Eodem argumento Diuinitatem Spiritus sancti probant Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti col. 3. & 1. epist. ad Serapionem, quæ incipit *Admirabere*, prope med. & dialogo 1. de Trinit. contra Anomœum paulo propius ad med. quàm ad princ. & in disp. contra Arium habita Laodiceæ propè col. vltima, & lib. de humana natura susceptа circa med. Basilius lib. 3. contra Eunom. propius ad med. quàm ad fin. & lib. 5. sect. 14. post med. Chrysostomus sermone de consubstantiali Trinit. Epiphan. in Ancorato pag. 3. Cyrillus in lib. argumentorum, quod Spiritus sanctus sit Deus, col. penultima. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 13. Fulgent. lib. de fide ad Donatum cap. 8.

11 Tertiò Deus etiam appellatur Spiritus sanctus 2. Thessa

2. Thessalon. 3. *Dominus*, inquit, *dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* Vnde sic argumentatur Athanas. in disp. contra Arium habita in Concil. Nicæno. *Quemnam Dominum hic appellari putas? Patrem, an Spiritum sanctum? Nam Christum expressè recensuit. Si enim primo loco Patrem hic constituas, Deus est Spiritus. Sin Spiritum primo loco ibi nominatum confueris; necesse est, vt eum Dominum quoque concedas. Quod si Dominus est; nimirum & Deus quoque habendus erit. Scriptum est enim: Ego sum Dominus Deus tuus.* Eodẽ argumento vtitur Athanas. lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti col. 3. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 15.

12 Quartum testimonium sit, quod Dauid 2. Regum 23. *Spiritus*, inquit, *Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam, Dixit Deus Israël, mihi locutus est fortis Israël dominator hominum.* Vbi satis apertè Deus Israël & Dominator hominum appellatur idem ipse Spiritus Domini, qui per Dauidem fuerat locutus. Quintum 1. Corinth. 14. sub init. *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria.* & longè inferius vers. 25. de ijs qui prophetant, adiungit. *Cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quod verè Deus in vobis sit.* Ergo Deus est Spiritus, quo videlicet Spiritu loquitur mysteria. Sic argumentatur Athanas. lib. de cõmuni essentia iam citato col. 3. Cyrillus Alexand. in argumentis, quod Spiritus sanctus sit Deus, prope med. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 19. post med. Nazianz. autem orat. 37. propius ad med. quàm ad princ. Diuinitatem colligit ex sequentibus verbis Apostoli. *Orabo Spiritu, orabo & mente.*

13 Sextum sit illud Iudicum cap. 13. fine, vbi de Samsone dicitur: *Capitque Spiritus Domini esse cum eo.* & cap. 14. prope fin. *Irruit itaque in eum Spiritus Domini.* Sed cap. 16. inter med. & fin. *Nesciens, quod recessisset ab eo Dominus.* Ergo Spiritus Domini est etiam idem Dominus, vt colligunt Athanas. dicto lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti col. 3. Cyrillus in libro argumentorum, quod Spiritus sanctus sit Deus, propius ad med. quàm ad princ. fusiùs autem Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto in prologo post med. & cap. 1. & 2. Septimum Ioan. 4. *Spiritus est Deus.* Quod siue de tribus personis, aut de sola persona Patris accipiatur (vt vidimus disput. 65. sect. 2. sub init.) siue peculiariter de tertia persona, quocumque modo probat, esse Deum eam personam, cui peculiariter Scriptura sacra *Spiritus* nomen accommodauit. Quod non faceret, nisi peculiari quadam ratione personalitas illius summam illam spiritualitatem Deo propriam contineret. Quod testimonium tantopere formidabant Ariani, vt de vetustis Codicibus abraserint, teste Ambrosio lib. 3. de Spiritu sancto cap. 11. init. vbi inde probat Spiritus sancti Diuinitatem, sicut & Athanas. in disp. contra Arium Laodiceæ prope fin. Nazianzen. orat. 37. propius ad med. quàm ad princ. Concil. Nicænum lib. 2. versus fin. §. *cum sit copiosa*, ante med. aliique Patres.

14 Ad tertiam classem pertinent multa Veteris testamenti de vero Deo ac Domino dicta, quæ Nouum testamentum declarat esse dicta de Spiritu sancto. Vnde manifestè sequitur, Spiritum sanctum esse verum Deum ac Dominum. Huiusmodi est imprimis illud Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, &c. *Et dixit: Vade & dic populo huic. Audite Audientes*, &c. *Ex-* *Tertia classis.*

cæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Hunc autem Dominum esse Spiritum sanctum, exposuit Apostolus Actor. 28. cum ait: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam dicens: Vade ad populum istum. & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis & videntes videbitis, & non perspicietis.* Nec obstat, hæc eadem intelligi de Filio Ioan. 12. vers. 41. illis verbis. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Nam locutio Dei ad extra communis est Patri & Filio & Spiritui sancto. Quo fundamento Spiritus sancti Diuinitatem ex prædictis locis colligit Basilius lib. 5. contra Eunom. sect. 5. Gregorius Nyssen. orat. in Pentecosten post med. Chrysost. sermone de consubstantiali Trinit. Paschasius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 5. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 22. & 23.

15 Secundum argumentum est, quoniam omnes prophetæ identidem repetebant: *Hæc dicit Dominus Deus.* & Zacharias Lucæ 1. *Benedictus Dominus Deus Israël*, &c. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum eius.* Hunc verò, qui locutus est per propheras, esse Spiritum sanctum, confitetur vniuersalis Ecclesia in Symbolo Nicæno, edocta testimonio 2. Petri 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* & Christus Dominus Marci 12. ait: *Ipse Dauid in Spiritu sancto dicit*, &c. & Actor. 20. *Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur*, &c. Præcipuum fundamentum huius argumenti ponit Athanas. lib. de humana natura susceptа circa med. & disp. habitа Laodiceæ contra Arium col. penul.

16 Tertium, quia verus Deus est, qui Leuitici 16. Moysi præcepit: *loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur.* Cuius præcepti conditorem fuisse Spiritum sanctum exponit Apostolus Hebr. 9. dicens: *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.*

17 Quartum, nam de vero Deo ac Domino creatore omnium agens psalmus 94. eius nomine denunciat: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri.* At hæc eadem fuisse verba Spiritus sancti, declaratur Hebr. 3. cum ait: *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius*, &c. Quod argumentum egregiè ponderat Nyssenus orat. in Pentecosten post med. Didymus lib. 1. de Spiritu sancto. Athanas. lib. de communi essentia Patris, &c. colum. 4. Cyrillus in libro argumentorum, quod Spiritus sanctus sit Deus in med. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 9.

18 Quintum, quia veri Dei nomine Hieremias cap. 31. *Hoc*, inquit, *erit pactum, quod feriam cum domo Israël, post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Hoc autem pactum initum fuisse à Spiritu sancto, docemur Hebræorum 10. *Contestatur*, inquit, *nos Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos, post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribes eas.* Hoc Pauli testimonio Diuinitatem Spiritus sancti probat Athanasius disput. contra Arium habita Laodiceæ col. penult.

SECTIO IV.

De attributis essentialibus, operationibus ac superioritate Spiritus sancti probationes aliæ.

1 SVpersunt quatuor classes argumentorum pro Diuinitate Spiritus sancti, propterea quæ post tres, quas vidimus in sect. præcedenti, quarta classis continet omnia loca, quibus diuinæ naturæ perfectiones Spiritui sancto tribuuntur nó per participationem, sed æquè primò, sicut Patri & Filio. Imprimis enim immẽsitas traditur Psalm. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo*, &c. *si ascendero in cœlum, tu illic es*, &c. Sapien. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* At verò solus Deus est immensus. Hoc argumentum tangit Athanas. lib. de natura humana susceptа inter med. & fin. & lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti prope med. tit. de Spiritu sancto, & magis ex professo ponderat in epist. ad Serapionem, quæ incipit *Admirabere*, paulo post med. & dialogo 1. de Trinit. contra Anomæum col. penult. & lib. 5. de vnita substantia Trinitatis prope fin. Basil. lib. 5. contra Eunom. sect. 14. in med. & sect. 16. sub init. & homil. 17. in S. Baptisma inter med. & fin. Cyrillus lib. argumentorum, quod Spiritus sanctus sit Deus, circa med. & lib. 13. thesauri cap. 2. & lib. 9. in Ioan. cap. 40. multo propius ad principium quàm ad med. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto toto cap. 7. Augustinus lib. 3. contra Maximin. cap. 21. in med. & lib. 2. de Trinit. cap. 5. Fulgen. lib. de fide ad Donatum cap. 8.

Quarta classis.

Immensitas.

2 Secundò. Cum immensitate proximè necessariòque cohæret æternitas. At Spiritum sanctum sempiternum esse, deducit ex sacris literis Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 8. init. Tertium argumentum est, quia *nemo bonus, nisi solus Deus.* Lucæ 18. & Matth. 19. Nihilominus Psalm. 142. *Spiritus*, inquit, *tuus bonus deducet me*, &c. Quod ponderat Athanas. lib. de humana natura susceptа post medium. Tangit autem Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. sub init. Quartum, quia solus Deus est omnipotens. At verò Sapient. 7. Spiritus sanctus appellatur *omnem habens virtutem*, id quod manifestè constabit in sequen. classe de cunctis operationibus Patris & Filij, quæ sunt etiam communes Spiritui sancto.

Æternitas.

Bonitas.

Omnipotentia.

3 Quintum argum. accipitur ex dominio supremo, nullique superiori subiecto, quod docemur 1. Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Atque idem significauit Christus Dominus Ioan. 3. dicens: *Spiritus vbi vult spirat*, &c. *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* Et 2. Corinth. 3. ad fin. *Dominus autem Spiritus est, & vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Quod argumentum esse validissimũ, ostendunt Patres Concilij Nicæni lib. 2. versus finem §. *cum sit copiosa*, ante med. Athanasius dialogo 2. de S. Trinit. contra Anomæum propius ad fin. quàm ad med. & epist. ad Serapionem, quæ incipit *Admirabere*, prope med. & post med. & lib. de natura humana susceptа circa med. & alibi sæpe Chrysost. 1. Corinth. 12. homil. 29. prope morale, Basilius lib. 5. contra Eunom. pag. 2. 3. & 4. & lib. de Spiritu sancto c. 16. & homil. 17. in S. Baptisma sub init. Gregor. Nyssen. de orat. Dominica orat. 3. col. vlt. Epiphan. hæres. 74. propius ad fin. quàm ad med. Theodor. in Epitome diuinor. decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto prope med. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 1. init.

Dominium.

4 Sextum argumentum ex attributo infinitæ sapientiæ comprehendentis Deum, de quo 1. Corinth. 2. *Spiritus*, inquit, *omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Vnde conficitur argumentum huiusmodi. Solus Deus se ipsum potest comprehendere. Sed qui scrutatur omnia, etiam profunda Dei, cõprehendit Deum. Ergo est Deus. Confirmatur, quia non modo comprehensiuè, sed neque vlla cognitione euidenti, vel probabili, nulla creatura proprijs viribus potest cognoscere Patrem, Filium & Spiritum sanctum, Matth. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater*, &c. Quod ex professo probatum est disp. 41. sect. 3. Rectè igitur ex prædicta sapientia Spiritus sancti Diuinitatem probant Athanas. in disput. contra Arium habita in Concilio Nicæno sub finem. Chrysost. in Ioan. cap. 16. homil. 77. ante med. Basil. lib. 5. contra Eunom. sect. 14. post med. & homil. 17. in S. Baptisma versus med. Epiphan. in Ancorato pag. 4. Cyrillus Alexandrinus dialogor. de Trinit. lib. 7. fine Hilar. lib. 12. de Trinit. col. penult. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 1. ad fin. & fusius lib. 1. cap. 12. quod est vltimum.

Sapientia.

5 Nec fauet aduersarijs, quam ex hoc loco cauillationem arripiunt, inferentes ignorare Spiritum sanctum, quia scrutatur, & inuestigat Hoc enim loco scrutandi verbum, non significat difficultatem & laborem inueniendi cognitionem, sed tantùm significat intimam & omnimodam penetrationem vsque ad omnes sinus reconditissimos & profundissimos recessus. Quo sensu tanquam Dei proprium *scrutari corda hominum*, traditur Hieremiæ 17. & Sophoniæ 1. Ita respondent Basilius lib. 5. contra Eunom. sect. 16. quæ est penult. versus fin. Idacius Clarus lib. contra Varimadum Arianum.

6 Quinta classis argumentorũ nititur in operationibus transeuntibus ad creaturas, quæ cum sint propriæ Dei, sunt etiam non minus propriæ Spiritus sancti. Hoc argumentum ex multis locis sacrarum literarum generaliter accipiunt quàm plurimi Patres. Nicæna Synodus lib. 2. paulo post med. §. *sæpenumero*, & §. *in libro Iob.* Nazianzenus orat. 44. in sanctam Pentecostem inter med. & fin. Iustinus in expositione fidei de Trinit. propius ad med. quàm ad prin. Basil. homil. 17. in S. Baptisma post med. & homil. 27. de Spiritu sancto ad finem, fusiùs autem lib. 3. contra Eunom. à med. & lib. 5. præsertim circa med. Chrysost. tom. 5. orat. 2. ad illud: *In principio erat Verbum:* cui titulus est, de Trinitate & de serpente. Cyrillus Alexandrin. lib. 13. thesauri cap. 1. fine & cap. 2. post med. Cyprianus lib. de operibus cardinalibus Christi, titulo vltimo de Spiritu sancto. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto decem prioribus capitibus. Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 13. Idacius Clarus lib. aduersus Varimadum quatuor postremis folijs magis copiosè, quàm alij, confert inter se cunctas & singulas operationes, quæ tribuuntur Spiritui sancto sicut Patri & Filio.

Quinta classis de operationibus ad extra.

7 Primò igitur Spiritum sanctum creare, constat Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Per creationem Deus hominem fecit Genes. 1. & 2. Machab. 7. *Ex nihilo fecit ille Deus & hominum genus.* Et tamen Iob 33. *Spiritus Dei fecit me.* Et Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem*

Spiritus S. creat.

faciem terræ. Eiusdem autem primæ causæ, quæ creauit, est conseruare. Et tamen Spiritus sanctus conseruat Sapient. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia*, &c. Vbi continere, est conseruare, ne ad nihilum defluant creaturæ. Vtuntur hoc argumento creationis Nicænum Concil. lib. 2. post med. §. *in libro Iob.* Gregor. Nyssenus orat. catechet. cap. 4. Nazianzen. paulo superius citatus, Epiphan. in Ancorato multo propius ad princ. quàm ad med. Cyrillus lib. argumentorum, quod Spiritus sanctus sit Deus, longè post med. Basil. lib. 5. contra Eunom. sect. 16. quæ est penult. & homil. 17. in S. Baptisma post med. Gregor. Bæticus lib. de Trinit. prope fin. Magis ex professo Athanas. disp. contra Arium habita Laodiceæ inter med. & fin. Tangit Dionysius lib. de diuinis nomin. cap. 2. non procul à princ.

8 Secundò Spiritus viuificat, siue resuscitat, Rom. 4. *Si autem Spiritus eius, qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis: viuificabit mortalia corpora vestra per Spiritum sanctum habitantem in vobis.* & Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat.* Quod argumentum Diuinitatis ponderat Athanas. lib. de humana natura susceptа circa med. Chrysostomus in Ioan. cap. 16. hom. 77. post med. Basilius hom. 17. in S. Baptisma ante med. Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. & lib. 3. cap. 20. tangit autem Dionysius de diuin. nomin. cap. 2. sub init. Confirmatur, quia propterea non modò Pater & Filius, sed etiam Spiritus sanctus appellatur fons vitæ, iuxta illud Ioan. 6. *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* & Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autẽ dicebat de Spiritu, quem acceperuri erant credentes in eum.* De quo etiam Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Vnde Diuinitatem Spiritus sancti probant Chrysostomus homil. de Spiritu sancto col. 2. Athanas. lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti col. 4. Cyrillus Alexand. dialogor. de Trinit. lib. 7. propius ad fin. quàm ad medium & in prædicto lib. argumentorum post med. Magis copiosè Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 19. & 20.

viuificat, resuscitat.

9 Tertiò. Solius Dei est saluare, iustificare, & peccatorum maculas abstergere. Hæc autem operatio non minus est Spiritus sancti, quàm Patris & Filij 1. Corinth. 6. *Iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Rom. 8. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Quò pertinent inuocationes Spiritus sancti in Baptismo, & renasci ex aqua & Spiritu sancto, de quibus in prima classe dictum est, & illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Roman. 8. *Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati.* Quod argumentum ponderat Basilius lib. 5. contra Eunom. sect. 14. parum à princ. Nyssenus orat. 3. de orat. Dominica prope fin. Cyrillus Alexand. dialog. de Trinitate lib. 7. inter med. & fin. & lib. argumentorum, quod Spiritus sanctus sit Deus, prope med. & iterum inter med. & fin. ac melius §. penult. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. & lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 4. & 5. Cyprian. lib. de operibus Cardinalibus Christi tit. vltimo de Spiritu sancto.

Saluat, iustificat.

10 Quartò. Prædictio futurorum Dei propria est, & tamen Actor. 1. *Oportet*, ait, *impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid.* & 2. Petri 1. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quintò. Nec minus propria Dei est miraculorum patratio, vt Rom. 15. scribitur: *In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Et Christus Dominus Matth. 12. *In Spiritu Dei eiiciebat dæmonia.* Actor. 2. *Cœperunt loqui prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Videlicet, quando ex plurimis diuersisque nationibus audiebat vnusquisque linguam suam, in qua natus erat. & Apostolus 1. Corinth. 12. Spiritum sanctum fatetur authorem gratiæ sanitatum, & operationis virtutum, id est miraculorum. & Herbr. 2. Miracula cuncta patrata per Apostolos, vocat, *Spiritus sancti distributiones.* Vtitur hoc argumento Chrysostomus in Ioan. c. 16. homil. 77. circa medium.

Prædicit futura.

11 Sextò. Suprema potestas arguendi & iudicandi solius Dei propria, tribuitur Spiritui sancto Ioan. 16. *Cum venerit ille* (Paracletus) *arguet mundum de peccato*, &c. Quod ponderat Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 6. Septimò. Solius Dei est suprema & absoluta potestas Ecclesiam gubernandi. Eam verò habet & exercet Spiritus sanctus. Actorum 10. *Dixit Spiritus Petro, vade ad eos nihil hæsitans, quia ego misi eos.* Actor. 13. *Dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus, ad quod assumpsi eos.* & ibidem; *& ipsi missi à Spiritu sancto.* Actor. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vltra imponere vobis oneris.* Actor. 16. *Vetati sunt à Spiritu sancto, loqui verbum in Asia.* Et post pauca: *Tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus Iesu.* Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Arguit & iudicat.

12 Sexta classis constitit in comparatione Spiritus sancti cum Christo Domino, quem aduersarij fatentur, etiam in quantum homo est, excellentiorem esse creaturis omnibus. Vnde si probatum fuerit, Spiritum sanctum esse superiorem Christo Domino, quatenus homo est; manifestum erit, Spiritum sanctum esse perfectiorem & digniorem tota creaturarum collectione absque vlla acceptione, consequentérque Deum esse. Spiritus igitur esse superior Christo Domino, quatenus homo est, ostenditur Isaiæ 48. *Et nunc Dominus misit me & spiritus eius.* At Filius, in quantum Deus, non mittitur à Spiritu sancto, quia non procedit ab illo, vel certè non ita propriè dicitur mitti à Spiritu sancto sicut à Patre. Ergo à Spiritu sancto mittitur præcipuè quatenus est homo, quod genus creatæ missionis importat subiectionem inferioris ad superiorem mittentem; vt ostendemus disput. 109. sect. 10. & 11. Sic etiam Isai. 42. & Matth. 12. *Ponam spiritum meum super eum*, &c.

Sexta classis cõparat Spiritũ sanctum cum Christo Domino.

13 Confirmatur, nam Christus vt homo virtute Spiritus sancti concipitur & sanctificatur Matt. 1. & Lucæ 1. & Actor. 10. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute.* Et Isaiæ 61. & Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, euangelizare pauperibus miserit me.* Matth. 4. & Marci 1. & Lucæ 4. *Ductus est à spiritu in desertum.* Hebr. 9. *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit.* Rom. 4. *Spiritus sanctus suscitauit Christum à mortuis.* Matth. 12. Blasphemia in Spiritum sanctum detestabilior & difficilioris remissionis est, quàm blasphemia contra Christum Dominum, vt homo est. Hoc argumentum, quantum ad nonnulla testimonia illius, ponderant Athanas. in longiori epist. ad Serapionem, quæ incipit *Literæ tuæ*, propius ad princ. quàm ad med. & disput. Laodiceæ habita contra Arium circa fin. & lib. de natura humana susceptа circa med. Epiphan. in Ancorato pag. 2. Basilius lib. 5. contra Eunom. sect. 16. ante med. & homil. 17. in S. Baptisma post med. Cyrillus dialog.

dialog. de Trinit. lib. 7. propius ad fin. quàm ad med. & in prædicto lib. argumentorum pro Diuinitate Spiritus sancti prope med. & iterum §. antepenult. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. ante med. & lib. 2. c. 8. & lib. 3. c. 1. August. lib. 3. contra Maximin. cap. 21. à med. & egregiè lib. 2. de Trinit. cap. 5. ante med.

14 *Septima classis probationum.*

Septima & postrema classis Diuinitatem probat ex eo, quod plurimis in locis Scriptura commemoret præcipuas, aut præstantissimas creaturas, vel earum genera, vt solem, cœlum, terram, angelos, homines, animalia & cætera. Nullibi tamen inter creaturas numerat Spiritum sanctum, sed vbique recenset eum cum Patre & Filio, vel tanquam Spiritum Dei, aut Patris aut Filij, tanquam existentem super omnem ordinem creaturarum. Alioqui foret prorsus irrationabile non inuitare Spiritum sanctũ ad collaudandum Deum cum cæteris creaturis, psalm. 102. & psalm. 148. & in Cantico trium puerorum Daniel 3. Cur enim non dixerunt: *Benedicat Spiritus sanctus Domino?* Sic enim argumentatur Athanas. orat. 3. contra Arianos non procul ante fin. Iustinus in confessione fidei de Trinit. init. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 18. Chrysost. tom. 5. homil. in illud: *Tunc & ipse Filius subijcietur.* Epiphan. in Ancorato pag. 4.

15 Confirmatur primò, quia Filius in Scripturis aliquoties profitetur se inferiorem Patre, quatenus homo est: quapropter potiori iure debuisset Spiritus sanctus se profiteri inferiorem, si non esset Deus. Cum autem nullibi Scriptura sacra significet, Spiritum sanctum esse inferiorem: consequens est, Spiritum sanctum nec esse creaturam, nec assumpsisse naturam aliquam creatam, ratione cuius sit inferior; sicut Christus Dominus; vt argumentatur Augustinus lib. 1. contra Maximin. multo propius ad med. quàm ad princ. §. *vsque adeo*, interrogans, *Vbi legatur adorari Patrem à Spiritu sancto*, sicut adoratur à Christo Domino. & lib. 2. de Trinit. cap. 6. init. & cap. 7. init. Confirmatur secundò, quia Colossen. 1. numerantur nobilissimæ creaturæ, Throni, dominationes, principatus, virtutes. & 1. Petri 3. angeli, potestates & virtutes. Vbi debuisset Spiritus sanctus numerari, si creatura esset.

SECTIO V.

Ab Apostolis perpetua successione deriuata est doctrina Diuinitatis Spiritus sancti.

1 QVod præcedentibus sectionibus probatum est canonicis Scripturis, idem nunc ex libris non canonicis corroborandum est, vt constet huius dogmatis antiquissimam & perpetuam in Ecclesia fuisse constantiam. Iacobus frater Domini in liturgia sub init. Spiritum sanctum appellat *consubstantialem*, & propius ad fin. quàm ad med. postquam sacerdos accipit calicem, vocat *simul cum Deo Patre, & Vnigenito Filio assidentem, simul regnantem, consubstantialem & coæternum.* & prope fin. Liturgiæ dicit *consubstantialem Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum.* Frequenter etiam in eadem liturgia Spiritui sancto tribuit vnum nomen Diuinitatis, vnam potentiam, gloriam & adorationem simul cum Patre & Filio. Idem, licet minus frequenter inuenies in liturgia S. Marci Euangelistæ, in qua longè post med. orat. *Hoc facite*, &c. vocat Spiritum sanctum *consubstantialem Deo.* Et longè inferius in orat. *Sancte summe*, dicit: *Incomprehensibile Dei Verbum, Patri & sancto Spiritui consubstantiale.*

S. Martialis Apostolorum discipulus epist. 1. ad Burdegalens. cap. 10. fine tom. 3. bibiliothecæ ait, *Vnus idem Deus, qui cuncta creauit Pater; vnus & idem Dominus, per quem omnia facta sunt, Filius eius Iesus Christus, & vnus idemq; Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt.* Et infrà: *Non genitus sicut Verbum, non factus, non creatus, sed procedens.* Dionys. de diuin. nominibus cap. 2. sub init. Diuinitatem Spiritus sancti probat, quoniam sacræ literę bonitatem, viuificandi virtutem, sapientiam ac dominium eodem modo tribuunt Spiritui sancto, quemadmodum Patri & Filio. Notentur peculiariter illa verba: *In Patre & Filio nomen Domini celebretur. Atqui Dominus est etiam Spiritus. Pulchrum quoque & sapiens in tota Diuinitate laudatur: itemq; lux: & quod Deum facit ac causa.* Et post pauca: *Omnia quæ sunt Patris, eius*, videlicet Filij, *etiam sunt omnia, diuino Spiritui & communiter & coniunctè tribuit diuina opera, venerationem primam perpetuamq; causam, optimorum donorum ac munerum tributionem*, &c. Idémque breuius tangit lib. de Ecclesiastica hierarc. capit. 12. post med. appellans Spiritum sanctum mysteriorum principem. 2

Ignatius epist. ad Philadelphiens. inter princ. & med. *Vnus est ingenitus Deus & Pater; vnus Vnigenitus Filius, Deus, Verbum & homo; vnus Paracletus spiritus veritatis.* & in med. *Veri prophetæ & veri Apostoli vnum eundemq; sanctum, principalem, bonum & verum atque doctorem, per Christum acceperunt spiritum.* Et post pauca: *Vnus Paracletus, qui operabatur in Moyse & in prophetis & in Apostolis.* Irenæus lib. 5. cap. 12. à princ. breuiter tangit Spiritus sancti Diuinitatem. Fusiùs autem Iustinus in expositione fidei de Trinit. paulo post princ. 3

Idem dogma decreuerunt Nicænum Concilium lib. 2. col. 8. §. *sancta & magna*, & longè inferius §. *non est difficile* & sequentibus, & §. *in libro Iob.* Alexandrina Synodus referente Sozomeno lib. 6. Tripartitæ cap. 20. fine. Damasus Papa cum episcopis, qui ad eum conuenerant, epist. 6. Concilium Constantinopol. Secundum, quod est Quintum generale collat. 8. canone 1. Ioan. Papa Secundus epist. 2. ad Senatores, quæ solet appellari lib. de duabus naturis contra Eutychianos. Concilium Lateranense cap. *Firmiter* de summa Trinitate. 4

Ex antiquioribus Patribus non pauci tractatibus integris, aut saltem ex professo probant Spiritus sancti Diuinitatem. Quemadmodum Athanas. tribus epistolis ad Serapionem. & orat. contra Gregales Sabellij, & lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti, & in vtraque disp. contra Arium post med. & lib. de humana natura susceptra ante med. & dialogo 1. & 2. de S. Trinit. contra Anomœum & lib. 5. de vnita substantia Trinitatis & alibi sæpe. Basilius homil. 10 hexæmeron. pag. 2. & homil. 15. de fide post med. & homil. 17. in sanctum Baptisma post med. & hom. 27. de Spiritu sancto ad fin. & homil. 28. contra Sabellianos post med. & toto lib. 3. & 5. contra Eunom. & in peculiari libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, præsertim à cap. 9. vsque ad 29. Gregor. Nyssenus lib. de fide ad Simplicium longè post med. & lib. de Deitate Patris & Filij & Spiritus sancti col. vltima. & orat. in Pentecosten post med. & toto ferè lib. de Trinit. ad Eustathium, 5

stathium, & lib. ad Ablabium, *quod non tres dij*, & epist. de imagine & similitudine contra Apollinarem, & lib. de Trinit. contra Iudæos, & orat. catechetica præsertim c. 2. & 4. Nazianzen. orat. 26. de moderat. in disputationibus seruanda col. 3. & orat. 36. quæ est 4. de theologia propius ad fin. quàm ad med. & tota orat. 37. quæ est 5. de theologia & orat. 40. in sanctum Baptisma, quatuor colum. ante fin. & orat. 49. de fide col. 3. & iterum in fine. & orat. 50. de fide Nicæna, & carmine arcano 1. & 3. Chrysostom. tom. 3. serm. 2. & 3. in Pentecostem, & de Spiritu sancto, & sermone de Trinit. præsertim post med. & tom. 5. orat. 1. de illo euangelico oraculo *In principio erat Verbum*, colum. 2. & sequenti orat. 2. de Trinit. & serpente ante med. & post med. & hom. 2. in Symbol. Apostol. prope med. & 1. Corinth. 12. hom. 29. & in Ioan. hom. 77. & in acta Apostol. hom. 1. & 2. Epiphanius ex professo in Ancorato à princ. & hæresi 74. contra Pneumatomachos præter ea, quæ disserit probando simul Diuinitatem Filij & Spiritus sancti hæres. 57. 62. 64. 69. 73. & 76. Cyrillus Alexand. in thesauro toto lib. 13. & 14. & dialog. de Trinit. toto lib. 7. & sequenti lib. de argumentis, quod Spiritus sanctus sit Deus, & in expositione Symboli Nicæni ad fin. Cyrillus Hierosolym. cateches. 16. & 17. Didimus tribus libris de Spiritu sancto, præcipuè lib. 2. Hieronymo interprete, in eius tom. 9. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmatibus inter princ. & med. Ephræm Syrus in serm. de sui ipsius reprehensione propius ad med. quàm ad princ. tom. 3. Nam alter sermo eiusdem tituli ponitur tomo 1.

6 Idem probant Latini Patres. Ambros. tribus libris de Spiritu sancto, & in Symbol. Apostol. cap. 4. & multis sequentibus, & quinque libris de fide ad Gratian. variis capitibus. Hilar. lib. 2. de Trinit. inter med. & fin. & lib. 12. duabus postremis columnis; vltra ea, quæ obiter spargit in cæteris libris de Trinit. & in lib. de Synodis. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6. & lib. 2. cap. 5. 6. & 7. & contra Maximin. lib. 1. longè post medium, & lib. 3. præsertim cap. 21. & serm. 38. de tempore col. 3. & epist. 124. ad Pascentium Arian. Gregorius Bæticus lib. de Trinit. ad fin. Fulgentius lib. de fide ad Donatum c. 8. & ad obiectiones Arianorum responsione 7. & 8. & 10. Leo Magnus serm. 2. de Pentecoste. Idacius Clarus lib. aduersus Varimadum quinque postremis foliis. Isidor. lib. 7. etymolog. cap. 3. & 4. & lib. 2. de differen. spiritualibus cap. 2. & 3. & alij plerique, quos recensere prolixum esset, ac minimè necessarium.

SECTIO VI.

Consubstantialitas & æqualitas Spiritus sancti.

1 PAtri & Filio consubstantialem & æqualem Spiritum sanctum, euidentissimè colligitur ex illius Diuinitate, quæ præcedentibus sect. probata est. Nec minori collectionis euidentia constat ex quinque disputationibus à 20. vsque ad 24. quibus probatum est, tres personas esse vnius essentiæ, siue substantiæ, siue naturæ, cuius vnitas sit non specifica tantùm, sed etiam numerica. Nihilominus expedire visum est illorum etiam desiderio morem gerere, qui de singulis dogmatibus fidei gaudent, habere Patrum expressa testimonia, de his verò præsertim, de quibus ita frequenter occurrunt.

Consubstantialem igitur Spiritum sanctum appellarũt Iacobus frater Domini & Marcus Euangelista in suis Liturgiis, Synodus Alexandrina, Ioannes Papa secundus simul cum Augustino, Epiphanius, Basil. Gregor. Bæticus, Cyrill. Alexand. & Hierosolym. & Ephræm. citati disp. 20. sect. 7. versus fin. præter alios plures, qui Trinitatem *consubstantialem*, siue *coæssentialem* appellant in eadem sectione. 2

Quamuis Filium æqualem esse Patri perspicuè, dictum sit Philipp. 2. & Ioan. 5. vt vidimus disp. 54. sect. 6. & 7. nullibi tamen Scriptura disertis verbis asseruit æqualitatem Spiritus sancti, relinquens eam inferendam ex eius attributis, operationibus & adoratione ac dominio eodẽ & æquali, nec non ex paritate rationis cum Filio. Si enim Filius est æqualis Patri, quia est vnus Deus cum eo, & omnes eius perfectiones accipit, præter esse Patrem; eadem omnino ratione Spiritus sanctus erit æqualis Patri ac Filio; quod profiterur Ecclesia in Symbolo Athanasij, dicens, *Nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Decernitur etiam ab Innocentio Tertio c. *firmiter* de summa Trinit. 3 *Æqualitas.*

Peculiariter autem Spiritum sanctum æqualem esse Patri & Filio, scripsere S. Martialis epist. 1. ad Burdegalen. cap. 10. Athanas. lib. 6. de beatitudine Filij Dei. Nazianz. orat. 37. propius ad med. quàm ad princ. ante num. 28. Damasus Papa in professione fidei ad Paulinum Thessalonicen. Chrysost. in acta Apostol. homil. 1. post med. ad illud: *Baptizabimini Spiritu sancto*, & hom. 2. post med. ad illud: *Accipietis virtutem*, &c. & in Ioan. cap. 16. homil. 77. à medio, & tom. 5. homil. 2. in Symbol. Apostol. prope med. & aliis locis citatis sect. præcedenti. Epiphanius hæres. 62. & 69. & 73. Cyrillus Alexand. dialog. de Trinit. lib. 3. in med. & lib. 7. Cyrillus Hierosolym. cateches. 16. & 17. Theodoretus in epitome diuinorum decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto prope med. 4

Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. inter med. & fin. & lib. 2. cap. 5. & 6. & lib. 7. c. 6. post med. & lib. 15. cap. 3. in med. & lib. 3. contra Maximinum cap. 10. post med. & serm. 38. de tempore prope med. & epist. 66. ad Maximum ante med. Fulgentius lib. de fide ad Donatum cap. 8. & de fide ad Petrum cap. 1. circa med. & quæst. 4. ad Ferrandum propius ad fin. quàm ad med. ex Augustino lib. 6. de Trinit. cap. 5. Gregor. Magnus hom. 26. in Euang. Leo magnus serm. 1. de Pentecoste cap. 4. Toletanum Concilium sextum cap. 1. in profess. fidei, Anselm. in prosologio cap. 23. Bernard. epist. 190. ad Innocen. col. 2. Hugo Victor. tom. 3. eruditionis theol. summæ sentent. tract. 1. cap. 8. Aliique plurimi. 5

Denique miraculum cæci, qui lumen amiserat, negando, Filium & Spiritum sanctum esse consubstantialem & æqualem Patri, sed hoc ipsum credendo & profitendo recuperauit, ablato dolore acerbissimo, S. Eugenio faciente crucem super oculos eius, & dicente: *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti veri Dei, quem Trinum in vna æqualitate, atque omnipotentia confitemur*, &c. refert Gregorius Turonen. lib. 2. histor. Francor. cap. 3. 6 *Miraculum.*

SECTIO VII.

Obiectiones aduersus Diuinitatem Spiritus sancti soluuntur.

PRius quàm aduersariorum aliquis rapiat contra Diuinitatem Spiritus sancti, quod Basilius scribit 1

scribit homil. 17. in S. Baptisma prope fin. visum est præoccupare legitima explicatione. *Neque igitur*, inquit, *alienus est à gloria Dei Spiritus, ex ineffabiliori ineffabiliter prolatus: nec ipse Deus, sed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur.* Ita legunt editiones variæ.

Basilij verba exponuntur.

2 Veruntamen cum Basilius tanto argumentorum pondere, tantáque constantia probauerit Diuinitatem Spiritus sancti, vt notauimus sect. 3. & 4. magis autem sect. 5. Consequens est, Basilium hoc loco solummodo negare, quod Spiritus sanctus sit Deus notionaliter acceptus pro persona Patris, respectu cuius appellatur Spiritus Dei, sicut etiam secunda persona dicitur Filius Dei, aut Verbum Dei, videlicet, Patris. Frequens enim est sacris literis & Patribus, Dei nomine Patrem intelligere, vt ostendimus supra disp. 40. sect. 5. dicto 4. Hanc verò fuisse mentem Basilij constat, quia continuò subiungit: *Quemadmodum ex persona Patris dicitur: Spiritus meus qui supra te est.* A principio quoque eiusdem homiliæ satis ex professo probauit, non esse creatum nec factum, sed creatorem.

3 Venio nunc ad obiectiones hæreticorum, prætermissis illis, quarum solutio constat ex præcedentibus sectionibus, vel ex disputationibus de Trinitate; aut de persona Patris aut de persona Filij iam superius enodatis. Prima obiectio sit illud Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Est igitur Spiritus sanctus etiam per Verbum factus, ac subinde creatura. Respond. primò. Punctus non est ponendus post *nihil*, sed legendum est: *Sine ipso factum est nihil, quod* A *factum est.* Sic enim legendum esse docent Græci ferè omnes, Chrysostom. in Ioan. 4. Vbi Theophylactus, Theodorus Mopsuest. Leontius, Euthymius. & ex Latinis Ambrosius lib. 3. de fide cap. 3. Hieronym. in commentar. Isaiæ cap. 11. & 44. Hanc lectionem Ægyptiorum & Alexandrinorum esse dicit Ambros. enarrans psalm. 36.

Prima obiectio.

Punctus vbi ponendus.

4 Confirmatur primò, nam puncto post prædicta verba posito, commodiorem, faciliorémque sensum habent quæ præcedunt, & quæ sequuntur. Confirmatur secundò, quia licet punctus ita ponatur: *sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso.* Vt voluit Epiphan. in Ancorato multo propius ad med. quàm ad fin. Eodémque modo legisse videtur Hilarius lib. 2. de Trinit. non longè post med. Quod ad præsens attinet, idem sensus efficitur, quem his verbis expoluit Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de Theologia multo propius ad med. quàm ad princ. prope num. 28. *Omnia quæcumque facta sunt, dicit Euangelista, non omnia simpliciter. Nam ne ipse quidem Pater, nec omnia ea, quæ facta non sunt.* Videlicet, creaturæ possibiles, quæ nunquam sunt creandæ.

5 Respondetur secundò. Licet cum Augustino, Cyrillo, Beda, Irenæo, Tertulliano & aliis Latinorum interpretum, punctum ponamus immediatè post *nihil*, adhuc sensus remanere debet idem propter distributionem, quam dialectici vocant accommodam. Sicut enim inter omnia facta non continetur Pater, quoniam ipse fecit per Verbum, neque continetur Verbum, quoniam per illud facta sunt omnia; sic enim non comprehenditur Spiritus sanctus, quoniam ipso facta sunt omnia Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Præsertim cum Spiritus sanctus sit creator æqualiter cum Patre & Filio, vt probatum est sect. 4. classe 5. argum. 1.

Distributio accommoda.

Huc pertinet, quod plerique Patres respondent, Spiritum non comprehendi numero & ordine rerum, quæ factæ sunt, vt Nazianzenus nuper citatus, Basil. homil. 17. in S. Baptisma post med. & lib. 3. contra Eunom. prope fin. Hilar. lib. 12. de Trinit. col. vltima.

Secunda obiectio est, quoniam Amos 4. *Ego Dominus*, inquit, *formans tonitrum, & creans Spiritum.* Respond. Nomen *Spiritus* ibi pro vento ponitur. Hæc enim est vna multarum significationum, quibus nomen *spiritus* tribuitur creaturis, vt vidimus disput. præcedenti sect. 1. Ita respondent Athanas. longiori epist. ad Serapionem, quæ incipit *Literæ tui.* colum. 3. & dialogo 3. de Trinit. contra Macedon. tribus colum. ante fin. Epiphanius in Ancorato multo propius ad med. quàm ad fin. Basilius lib. 3. contra Eunom. prope fin. Hieronym. Theodoretus, & Rupertus Amos 4. Propterea Vulgata clarius habet: *Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuncians homini*, &c. Quamuis prædicta lectio recipiatur ab antiquioribus Patribus.

6 *Secunda obiectio. Soluitur.*

Tertia obiectio Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sed qui postulat, in eo quod postulat, inferior est, quia non habet à se, quod postulando vult obtinere. Ergo Spiritus est inferior. Respondetur. Deus ac subin de non solùm Pater & Filius, sed etiam Spiritus sanctus est causa principalis non modo vniuersalis, sed etiam particularis cuiuslibet operationis, quæ fiat, sicut oportet ad salutem consequendam. Meritò autem causæ principali particulari tribuitur, quod ipsa per sua instrumenta operetur. Ideo dicitur Spiritus postulare pro nobis id est per nos, tanquam instrumenta postulandi, quatenus postulare nos facit, & inspirat affectum & effectum orationis, vt manifestè colligitur ex eodem versu: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis.* & superius dixerat: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Itaque quoniam in virtute Spiritus clamamus per adiutorium, quod nobis confert; ideo Spiritus postulat pro nobis.

7 *Tertia obiectio. Soluitur. Quomodo Spiritus sanctus interpellat & postulat.*

Hoc sensu Patres exponunt, quod Spiritus *interpellat* pro nobis, quatenus postulare nos facit. Quemadmodum Augustinus lib. 1. contra Maximin. non longè à princ. & epist. 105. prope med. & epist. 121. propius ad med. quàm ad princ. Nazianzenus autem orat. 37. quæ est 5. de theologia propius ad med. quàm ad prin. *Sed Spiritus*, inquit, *ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* & alio loco: *Orabo Spiritu, orabo & mente, id est, in mente & spiritu. Ergo Spiritu adorare vel orare, mihi nihil aliud esse videtur, quàm ipsum sibi ipsi orationem vel adorationem offerre.* Cui consonat, quod in præcedenti orat. 36. num. 53. & 54. dixerat, & quod Chrysostomus Rom. 8. serm. 14. per spiritum postulantem intelligit donum orationis. Nec enim hæc accipienda est quasi diuersa expositio, sed quasi pars, magis explicans, quibus auxiliis Spiritus sanctus efficiat, vt nos oremus.

8

Quartò obiiciunt, quod Spiritus sanctus à Patre Filióque mittitur. Veruntamen sicut Filius non est inferior Patre, licet ab eo mittatur: ita etiam Spiritus sanctus non est inferior, licet mittatur à Patre & Filio. Missio quippe solummodo continet processionem cum operatione transeunte ad creaturas; vt videbimus disp. 108. sect. 3. & sequentibus.

9 *Quarta obiectio. Soluitur.*

Quinta obiectio, quia Ioan. 16. Spiritus sanctus non

10 *Quinta obiectio.*

Soluitur.

non loquetur à semetipso. Respond. Eo sensu non loquitur à semetipso, quo verum est à semetipso non esse, quia procedit à Patre & Filio, & quia nihil loquetur dissentiens à mente, voluntatéque Patris & Filij, vt fusiùs ostendemus disput. 112.

11 *Sexta obiectio.*

Sextò obiiciunt aliqua Scripturæ loca, in quibus honorifica mentio fit de Patre & Filio, tacendo Spiritum sanctum. Quemadmodum Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Peculiariter autem vrgent verbis Apostoli 1. ad Timotheum 5. *Testor coram Deo & Christo Iesu & electis angelis, vt hæc custodias.* Ex eo namque quod Paulus nominato Christo, continuo subiunxerit angelos, Valentinus inferebat Spiritum angelis annumerari, & eiusdem ordinis esse; subindéque Spiritum sanctum esse angelum maiorem cæteris, vt refert Athanasius in longiori epist. ad Serapionem, quæ incipit *Literæ tui*, multo propius ad med. quàm ad princ.

12 *Mentio Filij quandoque pretermittitur, sicut & Spiritus S.*

Respondet autem idem Athanasius, in primis afferendo testimonia, quibus Spiritus sanctus ostenditur esse superior angelis; deinde retorquendo argumentum propter alia testimonia, quę mentionem faciunt Dei siue Patris & Spiritus sancti, non facta mentione Filij: quale est illud Isaiæ 45. *Et nunc Dominus misit me & spiritus eius.* & Aggei 2. *Ego vobiscum sum, dicit Dominus omnipotens, & Spiritus meus in medio vestri consistit.* Aliis quoque locis Deus & aliquis homo nominatur, præteritis Filio & Spiritu sancto, nec tamen inde sequitur, hominem illum connumerandum esse cum Deo, vel præferendum esse Filio, aut Filium nō esse Deum. Quemadmodum Exod. 14. *Timuit autem populus Domini, & crediderunt Deo, & Moysi ministro eius.* & Lucæ 18. *Iudex erat in quadam ciuitate, qui nec Deum metuebat, nec hominem reuerebatur.* Ex quibus & aliis locis euidens est, quandoque reticeri posse personam vnam Trinitatis, & numerari aliam personam diuinam siue creatam: indéque non posse colligi negatam esse Diuinitatem illius personæ, quæ reticetur, præsertim cum nominato Deo vel Patre, eo ipso subintelligatur Filius, & Spiritus sanctus, vt vidimus disput. 40. sect. 4. 5. & 6.

13 *Septima obiectio.*

Septima obiectio dirigitur ad confirmandum, quod Spiritus sanctus sit angelus, quia Zacharias cap. 4. ait: *Respondit angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me.* At Spiritus sanctus est, qui loquebatur in illo propheta, sicut in cæteris omnibus.

Solutio.

Respondet Athanasius in eadem epist. prope med. creatum angelum & ministrum Spiritus sancti fuisse illum, qui per visionem loquebatur in Zacharia, quod manifestè colligitur ex illius verbis, nam inter cætera dicit: *Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus exercituum.* Loquitur itaque tanquam minister de suo Domino & de Spiritu sui Domini. Cæterum quoniam Spiritus sanctus erat primarius author istius reuelationis, non modò mittens angelum, sed etiam interius & immediatè illustrans intellectum Zachariæ, & voluntatem inspiratione mouens ad prophetandum: propterea simpliciter verum est, in Zacharia, sicut in omnibus prophetis, Spiritum sanctum esse locutum.

14 *Octaua obiectio.*

Octauò obiiciunt argumentantur, quia Spiritus sanctus non est ingenitus, nec genitus: restat igitur vt sit creatus. Veruntamen huius paralogismi fallacia detecta fuit disput. 52. præsertim sect. 8.

15 *Nona obiectio.*

Nona obiectio fuit Eunomij dicentis: *Spiritus Ruiz. de Trinitate.*

sanctus est tertius ordine; ergo etiam est tertius natura, proindéque non est eiusdem naturæ cum Patre. Cui respondet Basilius lib. 3. contra Eunomium non procul à princ. negando consequentiam, quoniam Spiritus sanctus est tertius secundum ordinem originis, non secundum inæquales gradus naturæ.

De ordine tertij & vltimi.

Similiter Aerius & eius sequaces contendebant, Patrem, Filium & Spiritum sanctum appellandos esse, *primum, secundum*, & *tertium*, eo fine, vt subnumerarent Filium quasi inferiorem Patre, & Spiritum sanctū, velut inferiorem vtroque. Hoc delirium refutat ex professo Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 18. in cuius fine ait: *Ad nihil aliud tendit subnumerationis dolosa inuentio, quàm vt profiteamur Deum primum, secundum ac tertium; sed nobis sufficit à Deo præscriptus ordo, quem qui confundit, non minus peccabit, quàm peccat istorum impietas.* Ordo autem à Deo præscriptus est *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, non dicendo primum, secundum & tertium ad mentem istorum hæreticorum, quamuis alioqui Patrem esse *primum*, & Filium *secundum*, & *tertium* Spiritum sanctum propter originis ordinem, alij plerique Patres, & ipse etiam Basilius catholicè concedant, vt videbimus disput. 105. sect. 3. & 4.

16

Redarguunt autem eandem obiectionem Patres, quoniam aliis in locis Spiritus sanctus ponitur prius, quàm Pater & Filius, vt ostendatur, non esse inferiorem dignitate, licet sit postremus origine, quemadmodum 1. Corinth. 12. *Diuisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem Spiritus: diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus.* Quod ponderans Chrysostomus tom. 5. orat. 2. de Trinit. & de serpente in med. *Spiritus*, inquit, *primo meminit, vt manifestum euadat, quod etiamsi vltimo loco Spiritum nominarit, non propterea vltimum faciat & extremum.* Et post pauca: *Paulus vocabulorum ordinem conuertit, vt simul & veritatis vim patefaciat, & improborum opinionibus respondeat.* Videlicet, dicentium primum, secundum & tertium dignitatis & naturæ inæqualitate.

17 *Aliquando Spiritus sanctus ponitur prius quàm alia persona.*

Idem confirmat Chrysost. tom. 3. serm. de consubstantiali Trinitate col. 2. & tom. 5. orat. de illo Abrahami, *Pone manum tuam sub femur meum.* Nam & Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, & cap. 14. *Ego in Patre & Pater in me est.* & Galat. 1. initio. *Per Iesum Christum & Deum Patrem.* Quibus in locis Filius nominatur prius, quàm Pater. Eandem doctrinam docuit Theodoretus in epitome diuinorum decretorum lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto prope med. Ambros. lib. 6. Exæmeron cap. 7. in med. & lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 6. propius ad med. quàm ad fin. & sequenti lib. 5. cap. 4. & lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. prope med. Athanas. lib. de communi essentia Patris, Filij & Spiritus sancti prope med. §. *de Patre*, & sequenti.

18

Decimò obiiciunt varia loca sanctorum Patrum, in quibus inter diuinas personas admittunt gradus, dignitatem, authoritatem, ordinem, prioritatem naturæ, atque vnam personam præponi, alteram verò cedere, aut ministrare alteri, cuiusmodi nonnulla testimonia declarauimus disput. 29. sect. 2. versus fin. fusiùs autem de illis agemus disputat. 105. de æqualitate personarum, & disput. 112.

19 *Decima obiectio.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm Spiritus sanctus procedat à Filio.

DISPVTATIO LXVII.

Vtrum Spiritus sanctus à Patre Filióque procedat.

SECTIO I.

Sine pertinacia nonnulli sed plures pertinaciter negauerunt.

A solo Filio procedere delirabat Eunomius & Macedonius.

1 SPIRITVM sanctum à Patre procedere, tanquam exploratum supponunt quicumque cõfitentur Diuinitatem illius. Eunomius enim, qui delirabat, Spiritum sanctum à solo Filio procedere; non Deum, sed facturam esse solius Vnigeniti, dicebat apud Basilium lib. 2. contra Eunomium versus finem: in eo etiam inconsequenter desipiens, quia nihil esse potest à Filio factum, quod non sit factum à Patre, cum vnica sit & indiuisa vtriusque operatio, quemadmodum ibidem redarguit Basilius.

2 Fortassis eodem modo productionem Spiritus sancti separauit à Patre, solíque Filio reliquit Macedonius: sic enim existimant, non sine probabilitate, nonnulli, corrigentes literam, quam scriptorum negligentia corruptã esse putant in epist. Iustiniani Episcopi Siciliæ ad Petrum Episcopum Antiochenum, quæ habetur in Quinto Concilio generali. Nam quod legitur: *Macedonius spirat à Patre solo Spiritum sanctum.* corrigunt, vt legendum sit, *separat.* Veruntamen nihil interest quid Iustinianus hic scripserit; cum constet, Macedonium negauisse Diuinitatem Spiritus sancti disp. præcedenti sect. 2. Inter prædictos numerari debent recentiores Autotheani, præsertim Valentinus Gentilis, qui solum Patrem dixit esse Deum à seipso, & essentiatorem; Filium autem & Spiritum sanctum essentiatos à solo Patre, & inferiores illo, vt vidimus disput. 1. sect. 1. & disput. 20. sect. 3. init.

3 Præsentis itaque disputationis proprium est pugnare cum illis, qui concedentes Spiritum sanctum esse Deum, & à Patre procedere, negant procedere simul à Filio. Huius erroris quisnam fuerit primus author, nondum est exploratum; quamuis à quibusdam existimetur esse Theodoretus. Mihi probabilius est, Nestorium, aut aliquem ex eius sequacibus inuentorem fuisse, vt existimat S. Thomas in præsenti art. 2. ad 3. quoniam circa annum Domini quadringentesimum trigesimum Nestoriani in quodam Symbolo, seu cõfessione fidei, quæ extat in actis Concilij Ephesini tom. 2. cap. 37. vel secundum recentiorem editionem cap. 31. inter princ. & med. postquam confitentur, Spiritum sanctum ex Deo procedere, subiungunt: *Filium tamen non nominamus; neque per Filium subsistentiam suam sortitum esse dicimus.* Siue vt alij legunt, *substantiam* vel *essentiam.*

Inuentor processionis à solo Patre.

4 Theodoretus autem, orta contentione contra Cyrillum Alexand. Nestorianos defendens, inter alia libellum scripsit aduersus anathematismos Cyrilli Alexand. quibus damnabat errores Nestorij, vt constat ex lib. Cyrilli ad Euoptium Episcopum in exordio. Deinde verò in responsione ad nonum anathematismum in fine dicebat Theodoretus: *Proprium Spiritum Filij siquidem, vt eiusdem naturæ, & a Patre procedentem, dixit,* Cyrillus, *simul & nos confitemur, & vt piam vocem amplexamur. Si verò tanquam ex Filio, vel per Filium suam habere essentiam dicat,* Cyrillus, *vt blasphemiam hanc, & sicut impiam abycimus.*

Theodoretus aliquãdo negauit processionẽ à Filio.

5 Postea verò Theodosij Iunioris studio Constantinopolim conuocatus Theodoretus cum aliis episcopis, Nestorianis anathema dixit, & cum Cyrillo redijt in gratiam, & ad communionem Ecclesiæ receptus est in Concilio Chalcedonensi, in cuius 8. actione, Theodoreto ipso præsente, faustis & honorificis acclamationibus Catholicus & orthodoxus Ecclesiæ pastor & doctor appellatus est. Illud autem non est prætereundum, quod Theodoretus nullibi professus est perspicuè Spiritum sanctum etiam à Filio procedere, cum tamen Rom. 8. ad illud: *Propter inhabitantem Spiritum eius in nobis.* & 1. Corinth. 2. prope fin. ad illud: *Spiritum qui ex Deo est,* Theodoretus dicat, *à Patre procedere, & per Filium dari.*

Rusticus.

6 Circa annum Domini quingentesimum octogesimum Rusticus Diaconus Romanus disp. contra Acephalos multo propius ad fin. quàm ad med. de Spiritu sancto ait: *Vtrum à Filio eodem modo, quo à Patre procedat, nondum perfectè habeo satisfactum.* Motum autem eundem intelligit *sempiternè* procedere, vt ex superiori contextu constat. Fuit autem hic author schismaticus.

Damascen.

7 Circa annum septingentesimum trigesimum Damascenus lib. 1. de fide cap. 11. cum sapius docuerit, Spiritum sanctum à Patre procedere prope fin. capitis ait: *Ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus, sed Spiritum Filij nominamus. Si quis enim Spiritum Christi non habet, non est eius; diuinus inquit Apostolus, & per Filium apparuisse, & nobis traditum confitemur.* Propterea non sine probabili fundamento S. Thom. in præsenti artic. 2. ad 3. & quæst. 10. de potentia artic. 4. Damascenum inter eos numerat, qui secuti sunt prædictum errorem Nestorianorum, quamuis agnoscat à quibusdam excusari. De quo dicemus sect. 9. argum. 8.

Error Græcorum pullulãs.

8 Pullulasse videtur iterum hic error Græcorum circa annum Domini septingentesimum sexagesimum septimum. Nam eo tempore Pipinus Rex Concilium Prouinciale conuocauit in Gallia in Villam Gentiliacensem, vt quæstionem de Trinit. inter Græcos & Latinos definiret: vt referunt Amonius seu Annonius lib. 4. de gestis Francorum cap. 67. Necnon Ado Viennen. & Abbas Vspergensis in chronicis. Nec videtur alia vnquam quæstio de Trinitate, suborta inter Græcos & Latinos, nisi de processione Spiritus sancti à Filio. Iterum autem eadem quæstio fuit excitata à quodam Ioanne monacho sub annum octingentesimum octauum, cuius occasione missis Romam legatis, coactum fuisse Concilium à Carolo Magno, refert Annonius dicto lib. 4. cap. 95.

9 Photius Patriarcha Constantinopol. Synodo in Græcia celebrata, & libro edito defendit, *Spiritum sanctum à solo Patre, non à Filio procedere.* vt refert Hugo Ætherianus lib. 2. de hæresibus, quas Græci deuoluunt in Latinos cap. 15. extat autem tom. 9. bibliothecæ. & Nilus Thessalonicen. ex quodam manu scripto. Fuit hæc Synodus circa annum octingẽtesimum sexagesimum. Quadraginta

ginta post Photium annis, videlicet anno Domini nongentesimo, Theophylactus ad cap. 3. Ioannis prope fin. acriter irridet processionem à Filio. Latinos reprehendit quod dicant, *Spiritum etiam à Filio procedere*; additque; *Cæterum esse ex Filio Spiritum, nulla Scriptura testatur, vt ne duo principia introducamus Patrem & Filium*, licet aliqui neoterici Theophylactum exponere conentur. Per idem tempus Græcos in suam linguam transtulisse dialogos sancti Gregorij Papæ, & illam particulam *Filioq;* prætermisisse, refert Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ sancti Gregorij cap. 75. Vixit autem hic Diaconus eodem tempore Theophylacti. Hos etiam Græcos excusare nonnulli conantur.

10 Postremò Michaël Patriarcha Constantinopol. anno millesimo quinquagesimo, patrocinio fretus Imperatoris Græci, *Pontificem Romanum cum suis excommunicatum esse, proclamare cœpit, eo quod in Symbolo addidissent illud; Filioq; procedit*, vt refert Leo IX. epist. ad Constantinum Monomachum, Anselmus epist. de processione Spiritus sancti, Sigebertus de anno 1054. Ab eo tempore Græci à Latinis aperto schismate defecerunt, & ea de causa sub Eugenio IV. Concilium Florentinum celebratum est anno 1439. Vbi licet Græci conuicti Latinorum argumentis cesserint: postmodum in patriam ad vomitúmque reuersi, veteres errores vsque in hodiernum diem pertinaciter retinent. Cum Græcis sentiunt etiam Armeni, vt constat apud Prateolum lib. 1. cap. 67. num. 10. Rhutenis etiam tribuitur, nec sine fundamento, quoniam hoc implicitè continetur in aliis eorum erroribus, quos refert Prateolus lib. 16. cap. 4.

11 Nicetas, qui floruit circa annum millesimum sexagesimum, librum contra Latinos edidit, asserens, Spiritum sanctum à solo Patre, non item à Filio procedere. Refutatur autem ab Hugone Ætheriano paulo superiùs citato. Dicitur hic liber seruari in Biblioteca Vaticana. Significat eundem errorem Euthymius in Ioann. cap. 15. prope fin. ad illud: *Quem ego mittam vobis à Patre.* Nicephorus Callistus in dedicatione historiæ laudat Andronicum seniorem Palæologum, *quod liquidò declarauerit Spiritus sancti processionem à solo Patre & non à Filio.* Quem etiam errorem scribit Nicephorus in sua Synopsi de Trinitate. In eodem sunt recentiores hæretici ab anno 1460. vt Ioannes de VVesalia siue VVestphalia, de quo Prateolus lib. 9. cap. 22. Petrus Martyr, Ioannes Cazonoulus, Ioan. Sommerus apud Iodocum Coccium lib. 1. de Trinit. art. 7.

SECTIO II.

Quoniam Spiritus sanctus accipit à Filio, conuincitur ab eo procedere.

1 AD probandam processionem Spiritus sancti non à Patre solùm, sed etiam à Filio, primum testimonium sit illud Ioan. 16. *Non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Vbi quod ad præsens attinet præ cæteris ponderandum est illud: *De meo accipiet.* Quibus in verbis euenit illud idem, quod de pluribus locis sacræ Scripturæ, significantibus ordinem originis inter Filium & Patrem, notauimus tota disput. 50. præsertim sect. 1. Contrariæ namque videntur quo-

Ruiz. de Trinitate.

rumdam Patrum expositiones; quæ tamen si melius intelligantur, non aliter differunt, quàm partes integrantes plenam & adæquatam expositionem, atque in eam optimè consentientes & cohærentes.

2 Primò namque non pauci antiquorum Patrum & communiter recentiores intelligunt *De meo accipiet*, idem esse, quod *A me procedit.* Quemadmodum Hilarius lib. 8. de Trinitat. multo propius ad med. quàm ad princip. Alij verò declarant, *De meo accipiet*, id est, de mea scientia, de meis donis, & meo nomine veniet, tanquam meus legatus, mea mandata deferens, & exponens mea mysteria, non aliena, neque contraria, quemadmodũ Pseudoprophetæ, qui loquebantur à seipsis. Ita Chrysost. tom. 3. homil. 3. de Spiritu sancto, quæ incipit *Heri à nobis*, circa med. & in col. penult. necnon in Ioan. cap. 16. homil. 77. circa med. quem sequuntur eius discipuli Theophylactus, Oecumenius & Euthym. Ioann. 16. Cyrillus in Ioan. lib. 10. cap. 41. prope fin.

3 Altior tamen & Christo Domino dignior est sensus, qui comprehendit vtrumque supradictum. Hic enim plenius satisfacit obiectionibus, quæ fiunt contra vtrumque sensum partialem per se sumptum, & ostendit manifestè rationem, propter quam antiquissimi Patres ex hoc loco probauerint, Spiritum sanctum à Filio procedere. Confirmatur, quoniam in Euangelio nunquam dicitur, vnam personam diuinam dare alteri, alteram verò accipere, nisi hæc procedat ab illa. Propterea namque nunquam dicitur, Patrem accipere à Filio vel à Spiritui sancto, nec Filium accipere à Spiritu sancto: frequenter autem asseritur, Patrem Filio dare, Filium verò accipere à Patre, & doctrinam siue sermonem non esse suum, nec à seipso loqui, sed quæ audiuit & didicit. Quorum omnium testimonia declarata sunt ex professo disput. 50. sect. 5. & 6. & sect. 8. & 9.

4 Denique licet negaueris, prædictis verbis significari primariò, formaliter & immediatè processionem à Filio: nihilominus fateri debebis, saltem virtualiter & implicitè contineri, quia saltem scientiam accipere à Filio significatur in prædictis verbis, vt constat ex proximè præcedentibus: *Non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur.* Quod de scientia exponunt non modo Chrysostomus nuper citatus, sed etiam Cyrillus, Theophylact. Euthym. & Augustinus in eius loci commentariis. Porrò Spiritus sanctus scientiam accipere non potest, nisi ab eo, à quo accipit essentiam, quia scientia est eius essentia.

5 Meritò igitur Patres ex prædicto testimonio colligunt, Spiritum sanctum procedere à Filio. Ignatius epist. ad Ephes. circa med. refert, Filium de seipso ad Patrem dixisse: *Ego te glorificaui super terram, opus perfeci, quod dedisti mihi vt facerem. De Spiritu sancto ait: Ille me glorificabit super terram, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Ergo vterque eorum ipsum glorificat, à quo & accipit, quod faceret, & ipsum prædicat, atque eius verba pronunciat.* Perpende vim illationis, iuxta quam sicut Filius accipit à Patre procedendo, sic etiam Spiritus sanctus à Filio.

6 Athanas. in variis tractatibus frequenter repetit, Spiritum sanctum *à Patre procedere, & de Filio accipere*, veluti lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. & sex libris sequentibus, præsertim lib. 4. contra Vrbicum Potentinum ante med. & post med. & prope fin. & sequenti lib. 5. ad med. & dialogo 1.

contra Macedon. propius ad fin. quàm ad med. Cum autem Athanas. alibi manifestiùs docuerit Spiritus sancti processionem à Filio; sequitur manifestè prædictis in locis eodem sensu docere, quod Spiritus sanctus de Filio accipiat, id est, procedat.

7 Cæterum explicuit magis genuinum verborum sensum in epist. longiori ad Serapionem, quæ incipit *Litera*, multo propius ad med. quàm ad fin. Nam processionem Spiritus à Filio, comparat cum processione Filij à Patre, dicens: *Filius à Patre mittitur, ita enim inquit: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret. Filius porrò Spiritum emittit, cum sic loquatur: Ego autem si abscessero, mittam Paracletum. Et Filius Patrem glorificans, Pater, inquit, ego glorificaui te: Spiritus verò glorificat Filium, ille enim, provt ait, me glorificabit. Filioq; verba sunt: Quæ audiui à Patre, hæc loquor ad mundum. Spiritus porrò à Filio accipit. De meo enim, inquit, accipiet, & annunciabit vobis. Et Filius in nomine Patris venit, Spiritum verò sanctum, quem mittet Pater in nomine meo. Quum igitur istiusmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem,* &c. At verò Filius ad Patrem non habet alium ordinem nisi originis, ratione cuius ab eo accipit, & mittitur, & venit in eius nomine. Ergo similiter Spiritus habet ad Filium ordinem originis, qua procedit ab illo.

8 Eandem comparationem vtriusque originis aliis verbis exponit Athanasius in alia epist. ad Serapion. quæ incipit *Admirabere*, sub init. vbi adducto præsenti testimonio *Ex me accipiet* (sic enim legit ibi) colligit: *Qualem proprietatem, cognouimus, Filium habere cum Patre, eandem comperiemus & Spiritum sanctum habere cum Filio; & quemadmodum Filius dicit: Omnia quæ habet Pater mea sunt, sic hæc omnia comperiemus esse per Filium, in Spiritu sancto.* Quod si omnia, quæ habet Pater, sunt in Spiritu sancto, & in eo sunt per Filium; manifestum est, à Filio Diuinitatem & substantiam habere, ac subinde ab illo procedere. Studiosi lectoris erit plura, quæ sequuntur, videre apud Athanasium.

9 Nazianzen. orat. 49. de fide prope fin. de Christo Domino sic loquitur: *Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, & ex vna, eademque substantia.* Et post pauca: *Ipse Dominus Saluator noster, de meo, inquit, accipiet, ex eo vtique, quod est Filius, quia & Filius de eo, quod Pater est.* Spiritus itaque sanctus ita se habet ad Filium, ab eo accipiendo, quemadmodum Filius se habet ad Patrem.

10 Multo clarius loquitur Epiphanius in Ancorato col. 7. dicens: *Spiritus sanctus in medio Patris & Filij ex Patre & Filio.* & multo propius ad med. quàm ad fin. eiusdem operis ait: *Si verò Christus ex Patre creditur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, aut ab vtrisque, sicut Christus dicit: Qui ex Patre procedit, &: Hic de meo accipiet,* &c. Et longè inferius post quinque columnas repetit semel & iterum: *Spiritus sanctus ab vtrisque.* Deinde post quatuor columnas, repetito præsenti testimonio Christi Domini, *De meo accipiet*, ait: *Spiritus sanctus qui ex Patre & Filio solus est dux veritatis.* Quapropter quod in aliis locis more antiquorum Patrum, maximè Græcorum, solet Epiphanius asserere: *Spiritus sanctus à Patre procedit, & à Filio accipit*; planè significat, etiam à Filio produci Spiritum sanctum; quemadmodum hæres. 57. pag. 2. in med. & hæres. 62. inter princ. & med. quod magis explicat versus med. illis verbis: *Ex eadem essentia, ex eadem Deitate, ex Patre & Filio,* &c. & hæres. 69. pag. 5. *&* sequentibus iterum atque iterum, & hæres. 74. multo propius ad fin. quàm ad med. & in Ancorato col. 6.

Didymus lib. 2. de Spiritu sancto paulo post med. 11
Non enim, ait, *loquetur à semetipso, hoc est, non sine me & sine Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea & Patris est voluntate. Quia non ex se est, sed ex Patre & me est: hoc enim ipsum, quod subsistit & loquitur, à Patre & me illi est.* Quam expositionem fusè confirmans addit in sequenti col. *Spiritum sanctum à Filio accipere, id, quod suæ naturæ fuerat, cognoscendum est, & non dantem & accipientem; sed vnam significare substantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur à Patre: neque alia substantia est Spiritus sancti præter id, quod datur ei à Filio.*

Cyrillus Alexan. lib. 13. thesauri cap. 3. sub init. 12
Mens, inquit, *Filij Spiritus est, secundum Paulum: Nos autem mentem Christi habemus, inquit. Non ergo potest Spiritus alia loqui, quàm ille cuius mens est. Nihil ergo ex seipso locuturum Spiritum dixit: quasi diceret. Ego ipse rursum locuturus vobis sum, quemadmodum si humana mens de prodeunte ab ipsa, sermone diceret. Nihil loquetur à seipso, sed loquetur, quæ audiet.* Et sequenti cap. 4. prosequens expositionem illius versus; *De meo accipiet*, prope med. *Naturaliter*, inquit, *substantiarum qualitas, atque inseparabiliter prodit ex ipsis, vt v. g. dulcedo ex melle, calor ex igne. Sicut igitur istæ qualitates dicuntur in substantijs esse, & ex eis prodire; sic de Spiritu quoque sancto intelligendum est.* Videlicet, accipere de Filio, naturaliter prodeundo ab illo. Et lib. 11. in Ioan. cap. 1. post med. & cap. 2. post med. exponit, *De meo accipiet*, sapientiam, virtutem, essentiam; quoniam *à Patre per Filium naturaliter procedit.* Quibus consonat dialog. de Trinit. lib. 6. colum. 5. & 6.

Præterea cum Cyrillo Synodus Alexandrina 13
in epist. ad Nestorium col. 7. (extat autem in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14.) ait: *Spiritus veritatis nominatur. Christus autem veritas est. Sed & perinde ab illo atque à Deo Patre procedit.* Quod inferius probans, ait: *Propterea quoque Dominus aiebat: Quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Idem colligit Theodorus Heracleotes in catena Græcorum Patrum Ioann. 16. cuius verba refert Maldonatus ibi.

Ambros. de fide ad Gratian. lib. 5. cap. 6. prope 14
init. *Non enim,* ait, *loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur: vt aduerteremus, quod quidquid Spiritus loquitur, loquitur & Filius; & quidquid loquitur Filius, loquitur & Pater: quia vna sententia & operatio Trinitatis est.* & lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. sub initium. *Præscientiam,* inquit, *habet omnium Dei Filius futurorum, quæ Filio cognita putas, ea de Filio Spiritus sanctus accepit. Accepit autem per vnitatem substantiæ, sicut accepit à Patre Filius.* Considera singulas dictiones, *sicut*, &, *accepit à Patre Filius.* Quibus euidenter ostendit Ambrosius, quod *De meo accipiet*, idem est, atque meam essentiam accipiet à me procedendo.

Hilarius lib. 8. de Trinit. multo propius ad med. 15
quàm ad fin. magis apertè tradit expositionem verborum Ioann. 16. quam in præsenti ponderamus. Quemadmodum etiam Augustinus tract. 99. in Ioan. & tract. 100. quem sequitur Beda in commentarijs eiusdem loci. Leo Magnus serm. 1. in Pentecosten cap. 3. à med. non obscurè. Clarius autem Anselmus epist. de processione Spiritus sancti cap. 7. quod incipit *Considerandum,* & sequenti c. 8. post med. Idem significat Cyrillus Hierosol. catechesi

catechesi. 16. propius ad med. quàm ad fin. dicens: *Pater dedit Filio, Filius autem tradidit Spiritui sancto.* Quod probat Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et præsenti testimonio. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.*

16 Ex quibus omnibus constat, nihil hoc argumentum debilitari, sed potiùs corroborari per illam secundam declarationem, quæ, *De meo accipiet*, intelligit doctrinam & mandata, dummodo non excludat radicem vnitatis in doctrina, quæ est processio à Filio. Quod autem authores primarij declarationis istius non excluserint ab hoc sensu processionem, euidens est, quoniam alijs in locis processionem ex hoc loco & ex accepta doctrina deducunt, vt superius retulimus ex Chrysostomo & Cyrillo.

17 Magis videtur ab instituto præsenti distare, quod Theophilactus Ioan. 16. exponit: *De meo, hoc est, de meo thesauro, qui scilicet Patris est.* & post pauca: *De thesauro diuinæ scientiæ.* Veruntamen eodem redit, quia thesaurus scientiæ Patris idem est thesaurus Filij, in eo enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei Coloss. 2. Vnde colligimus, Spiritum sanctum accipere & procedere à Patre non præcisè, qua ratione Pater est, sed potius quatenus cum Filio cõmunem habet essentiam, sapientiam & omnes perfectiones absolutas, vt magis cõstabit initio sectionis sequentis. sic Athanas. dialogo 1. contra Macedon. propius ad fin. quàm ad med. *De meo accipiet*, exponit, *De meo Patre*, rationem reddens, *vt bonorum initium Patri adscribat.*

18 *Cur non dixit*: De me accipiet. Sed aliqui expositores obiiciunt primò, interrogantes, Cur non dixit Christus Dominus. *De me, aut à me accipiet?* Respondetur. Primaria ratio fuit vt melius indicaret, Spiritum sanctum à Filio non procedere tanquam à principio secundo, quod à Patre distingueretur in ratione principij; sed procedere à Filio, quatenus à Patre recipit eandem essentiam & potentiam productiuam; atque ita pro more Christus D. omnia referret ad Patrem; vnde etiam Diuinitatis vnitas, & personarum indissolubilis coniunctio conseruatur. Confirmatur, quia personarum præsens capacitas eo tempore non patiebatur scholastico more dicere, Spiritum sanctum procedere tanquam ab vno principio. Neque id poterat accommodatius simul affirmari, & probari quàm dicendo *de meo*, & addendo rationem, *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Vnde consurgit ratio secunda, quia dicendo *de meo*, & non *de me*, significatur melius, quod Spiritus sanctus accipit à Filio non Filiationem, ac proinde non totum quod est Filius, sed ea tantùm, quæ communia sunt Patri & Filio.

19 *Cur nõ dixit de præterito accepit.* Interrogant secundò, Cur non dixit potius *accepit*, de præterito; aut *accipit*, de præsenti; sed *accipiet*, de futuro, cum processio Spiritus sancti non futura, sed præsens, aut præterita iam sit ab æterno? Respondeo cum Augustino tract. 99. in Ioan. post med. Quia *in eo quod sempiternum est, sine initio & sine fine cuiuslibet temporis verbum ponatur siue præteriti, siue præsentis, siue futuri, non mendaciter ponitur.* Fuit autem peculiaris ratio, vt hoc loco poneretur verbũ futuri temporis, quoniam nõ significatur sola & præcisa processio substantialis & æterna, sed simul etiam denotatur missio temporalis ad discipulos instruendos & confortandos, quod futurum erat post Ascensionem Domini. De quo dicemus disp. 104. sect. 4.

20 *Cohærentia verborum.* Tertiò interrogant, quomodo cum hac interpretatione cohærere potest ratio Christi Domini: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* Respondetur. Melius in hac expositione cohærent, vt ex supradictis constat, & clarius constabit ex sequenti testimonio.

Quartò obijciunt, quoniam agebatur hîc de testimonio, quod Spiritus sanctus de Christo perhibiturus erat, quoque eum erat glorificaturus, quod oportebat esse conspicuum atque manifestum; alioqui quomodo propter illud Christum clarificare poterat? Processio autem illa essentialis non erat conspicua; non ergo tanquam argumentum afferri potuit, vnde discipuli colligerent, Spiritus sancti opera in Christi gloriam redundare; hoc enim erat eum clarificare. Respondetur. Nõ affertur vt argumentũ, quod à manifestiori probat obscuriùs, sed est explicatio rationis à priori, & radicis ac fontis, vnde manabat, quod Spiritus sanctus manifesto & conspicuo testimonio clarificaturus esset Christum, quia nimirũ ab eo processit, & mittendus erat. Quemadmodum Christus Dominus Patrem glorificabat, non loquendo à se ipso, sed quæ audiuit & didicit à Patre, quoniam ab eo procedit, cuius testimonia ponderauimus disp. 50. præsertim sect. 9. 21 *Quarta obiectio.* *Soluitur.*

Vnde soluitur obiectio postrema, petens, cur non dixit *à me procedit*, quemadmodum dixit *à Patre procedit.* Cuius rationem exponemus magis infra sect. 9. in principio. 22

SECTIO III.

Ex eodem Euangelio & ex Apostolo alia testimonia de processione ab vtroque.

1 *Omnia quæ habet Pater sunt Filij etiam virtus spiratiua.* SEcundum testimonium est quod proximè sequitur in eodem cap. 16. Ioan. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quod repetit in orat. ad Patrem sequenti cap. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Quemadmodũ & Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quibus in verbis grauissimi quique Patres intelligunt totam essentiam, omnésque substantiales perfectiones Patris esse cõmunes illi cum Filio, nec minùs proprias esse Filij, quàm Patris, hoc vno excepto, quod Filius non est Pater, nec ingenitus, sicut Pater non est Filius nec genitus. Ita docent Athanas. multis in locis. Nazianzen. Basilius, Cyrillus Alexand. Damasc. Gregorius Bœticus, Didymus, quorum testimonia posuimus disp. 19. sect. 2. ad argumentum secundum Sabellianorum, & disp. 30. sect. 6. sub init.

Collectionem autem præsentis dogmatis ita 2
docuit Eugen. IV. in fine Concilij Florentini literis vnionis post med. *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Vnigenito Filio suo gignẽdo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est.* Quemadmodum & Augustin. tract. 99. in Ioan. prope fin. ait: *A quo habet Filius, vt sit Deus, ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus sanctus, ac per hoc Spiritus sanctus, vt etiam de Filio procedat sicut procedit à Patre, ab ipso habet Patre.* Et lib. 3. contra Maximinũ cap. 14. sub init. ait: *Qui talem Filium genuit, gignendo dedit, vt etiam de ipso procederet Spiritus sanctus.*

Cõfirmatur primò. Exceptio quippe firmat regulã in contrarium. Vnde cum Filius id tantummodo nõ acceperit à Patre, quod est esse Patrẽ & ingenitũ: consequens est accepisse à Patre, vt sit spirator & productor Spiritus sancti, quoniã hoc ipsum non est esse Patrẽ. Confirmatur secundò, 3

quia Filius habens omnia, quæ Patris sunt, eo ipso habet essentiam & volitionem, in qua consistit potentia spiratiua: & hanc habet prius origine, quàm productus sit Spiritus sanctus. Ergo non potest non prodire in actum, producendo Spiritum sanctum, quoniam potentiam totam habet, & non inuenit terminum productum.

4 Ideo ex hoc loco processionem Spiritus sancti à Filio, colligunt Patres, Athanas. tom. 2. in priori epist. ad Serapion. quæ incipit *Admirabere.* sub init. & dialogo 1. contra Macedon. propius ad fin. quàm ad med. & orat. 3. contra Arianos propius ad princ. quàm ad med. fusius & clarius Didymus lib. 2. de Spiritu sancto inter med. & fin. Cyrillus Alexand. dialog. de Trinit. lib. 6. col. 5. & 6. lib. 11. in Ioan. cap. 2. & in anathematismo 9. quem referemus sect. 7. Cyrillus Hierosolym. catechesi 16. propius ad med. quàm ad fin. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. longè post princ. Hilar. lib. 8. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princ. Leo serm. 1. in Pentecostem cap. 9. post med. S. Thomas 4. contra Gentes c. 24. §. 3. & opusc. 1. cap. 32. §. 29.

5 Confirmatur denique, quoniam vt Augustinus obseruauit acutè lib. 15. de Trinit. cap. 14. init. *Filius est hoc omnino quod Pater, non tamen Pater.* Ergo Filius est spirator sicut Pater. Quod idem eadem ratione colligitur ex Augustino epist. 66. ad Maximum ante med. Nazianzeno orat. 49. de fide propius ad med. quàm ad fin. Ambrosio lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 6. in med. & lib. 2. de Spiritu sancto prope fin. & Anselmo in prosologio cap. 23.

6 Tertium testimonium est in eodem textu: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* & priùs in cap. 15. dixerat: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Vnde planè colligitur, Spiritum sanctum à Filio procedere, si non est creatura. Ratio namque missionis, prout abstrahitur à creata & increata, quidditatiuè continet collationem potestatis & authoritatis, ac veluti motionem ad exequendam voluntatem aut consilium mittentis. Ideo inter creaturas nulla persona mittit aliam, nisi quæ præcipit, vt mandata deferat, vel aliquid exequatur, aut saltem cõsilium præbet. Hoc autem, quoniam continet aliquam superioritatem vel dominij, vel saltem prudentiæ, conuenire non potest personæ diuinæ. Consequens igitur est, vt persona diuina non mittatur ab alia, nisi quatenus ab ea procedit, & procedendo recipit idem consilium, eandem potestatem, authoritatem, determinationem ac voluntatem exequendi, quod vult persona producens. Hoc enim ipsum est quasi moueri & impelli ad deferenda mandata & exequendum. Quemadmodum cum communi sententia Theologorum ostendemus disp. 108. sect. 108. sect. 3. & sequentibus.

Mittitur Spiritus sanctus à Filio, ergo procedit ab illo.

7 Rectè igitur Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 10. docet, Filium mitti, esse Filium nasci; Spiritum sanctum mitti esse Spiritum sanctum procedere. Nazianzenus item orat. 37. multo propius ad fin. quàm ad med. obseruat: *Mittam vobis à Patre*, fuisse dictum, vt Christus D. *propriam authoritatem ostenderet*, nimirum quod sit author & principium Spiritus sancti. Hoc enim *authoritatis* nomen significat in Trinitate, vt vidimus disput. 49. sect. 1. Gregor. Magnus homil. 26. in Euangelia parum à prin. *Spiritus*, inquit, *sancti missio est ipsa processio, quia de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita & Filius,* &c. Eiusmodi plura referemus disp. 108. sect. 3.

8 Græci respondent, missionem Spiritus sancti à Filio; vel per Filium non significare processionem quoad internam substantiam, sed quoad externam creaturam per largitionem donorum. Hæc tamen solutio refutatur primò, quia non tantum creata dona, sed ipsa etiam increata persona Spiritus sancti mittitur, & datur à Filio, & accipitur à fidelibus, & manet in illis, vt constat ex Sacra scriptura, & ostẽdemus disp. 108. sect. 1. & sequentibus. Refutatur secundò, quia sine substantiali processione non potest dari prædicta quasi motio ad exequendum consiliũ & voluntatem mittentis. Neque ad hoc sufficit, Christum meruisse, vt ad nos veniret Spiritus sanctus: si quidem meruit etiam, vt Pater veniret, & mansionem faceret apud eos, qui diligunt eum, Ioan. 14. nihilominus Pater à Filio nõ mittitur ad nos; vt videbimus eadem disput. 108. sect. 8. Confirmatur verbis Christi Domini Ioan. 14. *Quem mitet Pater in nomine meo.* Nomen quippe, naturam, essentiam & virtutem significat hoc loco, quemadmodum etiam Matth. vltimo in præcepto baptizandi, vbi hoc notant communiter Patres locis adductis disp. 36. sect. 3.

9 Ex vtroque loco processionem sancti Spiritus à Filio, quoniam mittitur ab illo, probant Anastasius referendus infra sect. 7. Anselmus epist. de proces. Spiritus sancti cap. 7. quod incipit *Consideremus*, S. Thomas 4. contra Gentes cap. 24. §. 2. Ioannes Theologus Latinorũ nomine in Concil. Florent. sess. 24. ante med. & alij Patres sess. 25. post med. præsertim Georgius Scholarius. §. *quid equidem.* Breuiùs & obscuriùs Athanas. longiori epist. ad Serapion. quæ incipit *Literæ*, multo propius ad med. quàm ad fin. ait: *Filius in nomine Patris venit: Spiritũ verò sanctum*, inquit, *quem mittet Pater in nomine meo. Quum istiusmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem*, &c.

10 *Filius quomodo mittitur à Spiritu sancto.*

Obijciet aliquis Filius mittitur à Spiritu sancto; & tamen non procedit à Spiritu sancto. Ergo ex eo quod Spiritus sanctus mittatur à Filio, non sequitur, Spiritum sanctum procedere à Filio. Antecedens probatur Isaiæ 48. *Et nunc Dominus misit me & Spiritus eius.* Et Isaiæ 61. ac Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxerit me, Euãgelizare pauperibus misit me.* Respõdetur. Christus D. à Spiritu sancto mittitur, in quantũ homo, cuius missionis denominatio per cõmunicationẽ idiomatũ tribuitur etiam Verbo. Quod si cum aliquibus Patribus & scholasticis volueris intelligere, personam ipsam Verbi fuisse missam: adhuc non eneruatur præsens argumentum, quoniam illa missionis acceptio non est propria & exacta; nec in illis testimonijs affertur quasi personalis & propria Spiritus sancti. Quam solutionem explicabimus magis disp. 108. sect. 10. & 11.

11 *Spiritus Filij & veritatis procedit ab illo.*

Quartum locum ea testimonia tenent, in quibus Spiritus sanctus appellatur Spiritus Filij & Spiritus veritatis. Quemadmodum Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Quo vno argumento Augustinus tract. 99. in Ioan. inter med. & fin. probat Spiritum sanctum non solum à Patre procedere, sed etiam à Filio: quia quemadmodum Christus Dominus est Filius Patris, quia procedit à Patre, sic etiam Spiritus sanctus est Spiritus Patris, quia procedit à Patre; quemadmodum Matth. 10. dicitur: *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* & Ioan. 15.

Ioan. 15. ad finem: *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit:* Ergo pari ratione vocabitur Spiritus Filij & Spiritus Christi, quoniam procedit à Filio, & in quantum procedit habet relationem ad Filium. Nam iste modus loquendi per genitiuum inter personas diuinas, semper significat relationem procedentis, aut producentis, vt vidimus disp. 9. sect. 4. prope fin.

12 Confirmatur primò, quia non potest vocari Spiritus Filij ea tantùm ratione, quia procedit ab eodem principio, à quo procedit Filius, videlicet à Patre, neque quia Spiritus est similis Filio. Nam ea ratione posset etiam Verbum appellari Filius Spiritus sancti, quod repugnat scripturis & Patribus. Cõfirmatur secundò, nam sicut Filius quidditatiuè respicit Patrem generantem, sic etiam Spiritus quidditatiuè respicit os viuentis spirantis. Vnde sicut Verbum non potest vocari Filius personæ, quæ non est Pater: ita Spiritus sanctus non potuisset vocari Spiritus personæ, quæ non esset spirator.

13 Confirmatur tertiò ponderationibus Patrum & Conciliorũ, inter quæ Nicænum lib. 2. versus fin. §. *cum sit copiosa*, non longè à princ. ait: *Spiritus sancti ex eodem à Patre procedentis, qui & proprius est Filij, vt ait Paulus. Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius.* & prope fin. eiusdem §. declarat ea similitudine: *Quemadmodum & Spiritus tuus procedit ex te.* dixerátque paulo superius; Spiritum sanctum *in separabilem semper esse à Patre & Filio, quemadmodum & Filius à Patre, & Pater à Filio.* Quibus verbis satis indicat coniunctionem originis & processionis. Hanc verò clariùs explicuit Alex. Concilium, & simul cum eo Cyrillus in epist. ad Nestorium paulo ante anathematismos col. 7. dicens: *Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est: sed & perinde ab illo atque à Deo Patre procedit.* Quamuis enim interpretes alij verterint *emittitur*, alij verò *effunditur*: Peltanus noster transtulit *ab eo procedit*: quemadmodũ in antiqua Conciliorum compilatione habebatur. Cæterũ etiam si legamus *effunditur*, aut *emittitur*, talia verba, de Spiritu sancto dicta, significant eius processionẽ, quemadmodũ testimonijs Patrum probatum est disp. 7. sect. 1. Extat hæc epistola non solũ apud Cyrillum epist. 10. sed etiam in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14. & à multis alijs Concilijs generalibus probatur, vt sit authoritatis eximiæ, quam explicabimus sect. sequenti.

14 Ponderat idem argum. Athanas. tom. 2. epist. ad Serapion. quæ incipit *Admirabere*, sub init. & dialogo 1. contra Macedon. multo propius ad med. quàm ad princ. & orat. 2. contra Arian. inter med. & fin. Cyrillus autẽ lib. 13. thesauri cap. 3. propius ad med. quàm fin. ait *Ostendens Christus Dominus, Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filij esse: Spiritum, inquit, veritatis, qui à Patre procedit.* Similia ponderat in eodem lib. 13. cap. 1. inter princ. & medium, dicens. *Ex saluatoris substantia Spiritum esse:* idque colligens ex prædictis verbis Rom. 8. Idem Cyrillus dialog. de Trinit. lib. 3. inter med. & fin. dicit, Spiritum esse *proprium Patris & Filij.* Et post pauca: *Cuius*, videlicet Filij, *est non aduentitius, neque etiam extrinsecus propagatus, sed substantialiter existens eius, & per eum diffusus.* Id est, spiratus, nam quemadmodum nuper retulimus, processio Spiritus sancti significatur verbo *diffundendi*, vel *effundendi.* Similiter lib. 6. dialog. col. 5. & 6. ex eo quod appellatur *Spiritus veritatis*, probat, esse *Filij proprium sicut est proprius Patris.* Clarius autem inde processionem à Filio, siue per Filium, colligit lib. 10. in Ioan. cap. 41. quod est vltimum post med. & in fine.

15 Idem vult Epiphanius frequenter appellans Spiritum Christi, & Spiritum Filij, quem alibi clarius explicat à Filio procedere; vt vidimus sect. præced. & videbimus sect. 7. Magis scholasticè premit hoc argumentum S. Thom. 4. contra Gentes cap. 24. init. & ante illum Anselmus epist. de processione Spiritus sancti cap. *quamuis*, quod est 14.

16 *Filius insufflans dedit Spiritum.*

Quintum testimonium est Ioan. 20. *Insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Hac enim cæremonia significare voluit Christus Dominus, Spiritum sanctum à sua persona Filij, & de sua substantia procedere, quemadmodum ex Cyrillo, Athanas. Basilio, Anastas. Synaita, Augustino, Beda, Anselmo & Mario Victor. retulimus disp. 65. sect. 3. sub init. Quapropter nihil est curandum de Theophylacto, qui scribens ad 3. caput Ioannis prope fin. irridet illationem processionis à Filio, ex eo quod Christus Dominus insufflando dederit Spiritum, vel ex eo quod sit Spiritus veritatis.

17 *Ex metaphoris colligitur.*

Postremò symbolicè colligitur idem ex multis scripturæ locis, vbi Filius appellatur brachium Dei, digitus autem appellatur Spiritus sanctus. At verò digitus procedit ex brachio. Ita cum Cyrillo ratiocinatur S. Thomas, vt referemus disp. 76. sect. 1. sub init.

SECTIO IV.

Concilia summique Pontifices decreuerunt Spiritus sancti processionem à Filio.

1 HIeremias, qui se Patriarcham Oecumenicum appellat, in censura Orientalis ecclesiæ ad confessionem Lutheranorum cap. 1. Latinis & Catholicis objcit, quod Nicæna Synodus in suo symbolo, & Constantinopolitana, sequentésque reliquæ decreuerint, Spiritum sanctum *à solo Patre procedere.* Hoc tamen esse falsum euidentissimè probatur primò, quia Concilium Nicænum in symbolo nihil dicit expressè de processione Spiritus sancti, imo neque de illius Diuinitate profitetur aliud, quàm credere *in Spiritum sanctum*, vt videre licet apud Cyrillum lib. 1. de Trinit. & Basilium epist. 60. ad Ecclesiam Antiochen.

Nicænũ Concilium quid senserit.

2 Hæc autem fuit ratio, propter quam à Nicænis Patribus *minus plenè de Spiritu sancto dictum est, propterea quod hæc quæstio nondum excitata & agitata fuerat.* Vt scribit Nazianzenus orat. 52. quæ est epist. 2. ad Cledonium sub init. id est, *quia nondum comparerent bellum contra Spiritum gerentes*, vt loquitur Basilius eiusdem silentij Niceni reddens rationem dicta epist. 60. fine & epist. 78. post medium. Confirmatur, quia virtualiter & implicitè Spiritus sancti processio à Filio continetur in disputationibus Concilij Nicæni lib. 2. vt constat ex dictis sectione præcedenti pro testimonio 4. confirmatione 3.

3 Probatur secundò, quia Concil. Constantinopolit. Primum, quod est generale Secundum, post caput 7. confirmans Nicænum symbolum, magis explicuit addendo, *Dominum & viuificantem, ex Patre procedentem.* Vnde non licet colligere, quod à solo Patre procedat, sed potius quod procedat etiam à Filio propter identitatem in omnibus, sola Paternitate ac Filiatione reseruatis, vt vidimus sect. præced. à principio. Cur autem Concilium

non adiecerit processionem à Filio, ratio fuit similis præcedenti, quoniã eo tempore lis cum hæreticis nõ erat de processione à Filio quin potius asserebant, Spiritum sanctũ esse facturam solius Filij, quemadmodum de Eunomio refert Basil. lib. 2. contra illam prope finem: atque etiam de Ætio Theodoret. hæretic. fabul. lib. 4. col. 4. Concilium igitur præsenti veneno dedit antidotum, vocans *à Patre procedentem.* Sic enim prudentissimè solent Concilia cuncta se gerere, posterioribus Concilijs relinquentia, quæ necessariũ fuerit pro temporum exigentia declarare.

4 *Processionẽ à Filio quæ Synodus prima decreuerit perspicuis verbis.*

Probatur tertiò, nam processionem à Filio disertis & perspicuis verbis primum decreuit Alexandrina Synodus in epist. quam scripsit ad Nestorium cum Cyrillo Alexand. cuius verba põderauimus sect. præced. prope fin. Eadem verò epistolam adprobat non modò Concilium Ephesinum, quod est generale Tertium tom. 1. cap. 4. sed etiam Concil. Chalcedonense, quod est generale Quartum actione 5. in priori definitione post med. & in posteriori definitione ante med. quamuis eius epistolæ non referat exemplar, quod tamen refert & approbat Conciliũ Constantinop. Secundum, quod est generale Quintum collat. 6. longè post med. Deinde verò collat. 8. paulo ante canones, & iterum canone 13. anathematizat defendentes ea, quæ Theodoretus scripsit contra duodecim capitula Cyrilli, videlicet, quæ in eadem epistola continentur. Præterea Concilium generale Sextum, quod est Tertium Constantinopol. act. 17. inter med. & fin. approbat eandem epistolam, quamuis eius verba nõ referat, quemadmodum & Septimum generale Concil. quod est Nicænum Secundum act. 7. quæ est vltima.

5 *Filióque additũ est symbolo in septimo Synodo.*

Hoc autem peculiare habet Concilium generale Septimum dicta actione 7. nõ longe à princ. quod referens & approbans Symbolũ Nicænum, conscriptum in Primo generali Concilio, addit: *Qui ex Patre Filióque procedit.* Cum tamen illud Concilium maxima ex parte fuerit Græcorum Patrum. Sed Græci recentiores in Cõcilio Florentino sess. 6. & 7. dicebant, in suis Codicibus non ita haberi. Veruntamen Andræas Theologus ecclesiæ Latinæ in eadem sess. 7. testificatus est, se habuisse Codicem vetustissimum manuscriptum, vbi nullum erat vestigium corruptionis. Præterea citatus est ibidem Historicus antiquus eiusdem particulæ testis.

6

Insuper multo probabilius videtur, in Græcis exẽplaribus dicti Cõcilij generalis Septimi semper fuisse particulam, *procedit ex Patre per Filium.* Qua frequentiùs vtebantur Græci Patres in eodem sensu, quo dicunt ijdem & alij tam Græci, quàm Latini ex Patre & Filio, vt cõstabit sequentibus sectionibus, magis autem disp. 69. sect. 3. & 4. Nam liber Carolinus, quem Arianus primus confutauit in scripto de imaginibus ad Carolum Magnum cap. 1. reprehendit Tharasium, quod in septima Synodo act. 3. in epist. ad summos sacerdotes, & Episcopos dixerit: *Ex Patre per Filium procedentem.* Neque dixerit: *à Patre & Filio procedentem.* Extat hic liber inter epistolas Ariani, qui Tharasium defendit, ostendens, apud Græcos idem valere *à Patre per Filium procedere*, quod apud Latinos *à Patre & Filio.*

F 17 *Dubium.*

Dubitabit aliquis, quomodo Damascenus, qui tempore prædicti Concilij septimi floruit, ausus est lib. 1. de fide cap. 11. scribere: *Ex Filio Spiritum sanctum non dicimus.* Veruntamen probabile est, Damascenum aut obijsse ante prædictum Concilium, aut prius scripsisse prædictũ librum, cuius indicium est, quod in suis operibus non citat Concilia, nisi vsque ad Sextum.

8 *Processio Filij definitur in Concilijs.*

Quartò probatur, nam eadem veritas definita est à plurimis Concilijs Latinorum, & primò quidem Agatho Papa in epist. 2. quæ etiam est Romanæ synodi (habetúrque in sexta Synodo generali act. 4.) col. 2. eiusdem epistolæ dicit, *ex Patre Filióque procedit.* Quem locum deprauatũ fuisse, conquestus est Iulianus Cardinalis in ea disputatione quam habuit contra Græcos in Concilio Florentino. Idque diuerso charactere notatur in prædicta epistola Agathonis. Nec mirum ita decreuisse hunc Pontificem cum suo Concilio, si quidem multis annis antiquior Leo Magnus epist. ad Turibium Austriensem Episcopum cap. 1. dicit: *Ex vtroque processit.*

9

Eiusdem Leonis tempore Concilium Toletanũ Primum in professione fidei, & Toletan. Tertium sub Gelasio secundo, præsentibus S. Leãdro Hispalen. Episcopo, & S. Euphemio Toletano centũ quinquaginta Patres in fidei confess. cap. 2. dixerunt *ex Patre & Filio procedente*, & iterum in alia fusiori confessione fidei, quæ incipit, *Præcipiente*, canone 3. anathematizatur *Quicumque Spiritum sanctum non credit à Patre & Filio procedere.* Idem definitur in Cõcilio Toletano Quarto c. 1. circa tempora Honorij Primi, & Concilio Toletano sexto cap. 1. inter princ. & medium, sub eodem Honorio, & Octauo Toletano circa tempora Martini I. & Toletano Vndecimo sub Adeodato Papa in confess. fidei. Quæ omnia Concilia celebrata sunt ante sextam Synodum generalem. Synodus item Hetfeldensis anno sexcentesimo quinquagesimo professetur *Spiritum sanctum à Patre & Filio* apud Bedam lib. 4. historiæ Anglicanæ cap. 17. Præterea Conciliũ Aquisgrani fuit congregatum à Carolo Magno, vt processio Spiritus sancti à Filio definiretur, vt refert Annonius lib. 4. de gestis Francorũ cap. 95. Fuit hoc circa annum octingentesimũ octauum. Post annos verò quinquaginta, videlicet anno octingentesimo sexagesimo professetur hanc fidem Concil. Vvormacien. Et circa annum millesimum nonagesimum tempore Vrbani II. apud Barum celebratum est Concilium à Græcis simul & Latinis, vbi Anselmus euidentissimis argumentis conuicit Græcos. Cuius Cõcilij meminit Anselmus lib. de process. Spiritus sancti cap. 4. & fusiùs rem totam narrat vt testis oculatus author vitæ Anselmi lib. 2.

10

Insuper Concil. Lateranense sub Innocẽtio III. anno millesimo ducẽtesimo decimo quinto, præsentibus etiã Græcis, & consentientibus (vt constat ex illius cap. 4.) in cap. 1. definit Spiritũ sanctum à Patre Filióque procedere. Vnde in cap. *firmiter* de summa Trinit. & fide Catholica sub init. decernitur: *Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab vtroque*, &c. Quod magis explicuit Gregor. Decimus in Generali Concilio Lugdunensi, vt habetur cap. *fideli*, quod est vnicum de summa Trinit. in sexto. In eodem Concilio Græcis præsentibus, & consentientibus, cantatum est Symbolum ter Græcè & ter Latinè cum explicatione illa; *Ex Patre Filióque procedit.* Postremò Concil. Florẽtin. Generale anno millesimo quadringentesimo trigesimo octauo, post longas & exactas disputationes: tandem sess. 25. quæ est vltima in literis vnionis Eugenij Quarti, quibus cæteri Patres Latini & Græci subscribunt, idem dogma constituit.

SECTIO

SECTIO V.

Quando primùm, & quam ob causam Nicæno Symbolo fuerit addita particula, Filióque.

1 *Prima opinio.*

QVod ad tempus attinet, non est exploratum. Prima opinio putat, esse additam non in Romana Synodo, sed in ipsa prima Symboli formatione facta in Constantinopolitano Primo. Ita Garsia Loaysa in notis ad Concilium Toletan. Tertium, verbo. *Item fides sancta*; subiungens, id constare ex D. Hieronymo in Symbolo, & ex lib. 9. Tripartitæ cap. 16. & ex Concil. Florentino.

Secunda opinio.

Secunda opinio distat parum à præcedenti, quoniam existimat, eam particulam Symbolo Nicæno additam fuisse ad Damaso Papa in Concilio Romano, in quo probauit acta Concilij Constantinop. Primi. Huius author esse, refertur Stanislaus Socolouius in annotationibus ad cap. 1. Censuræ Orientalis ecclesiæ factæ à Hieremia Patriarcha Constantinop. Probat primò ex epist. Concilij Constantinop. ad Damasum, quæ ponitur in eius principio. Secundò ex lib. 9. Tripartitæ cap. 14. siue 16. Tertiò ex Symbolo Damasi, quod habetur apud Hieronym. tom. 9. nam ibi legitur prædicta particula. Quartò ex Hugone Ætheriano, lib. 3. de process. Spiritus sancti cap. 16.

2 *Refutatur.*

Vtraque sententia præcedens esse videtur improbabilis. Nam si à Concilio Constantinopol. vel Romano, tempore Damasi fuisset addita hæc particula: foret moraliter impossibile, cuncta exemplaria Symboli Constantinopol. posita non solum in eodem, sed etiam in aliis plurimis conciliis (quæ sunt innumera) conspirasse, vt nullam mentionem facerent illius particulæ nec in primo aut secundo tomo Conciliorum, nec in ipso Concilio Toletano Tertio, vbi prædictus Loaysa nihil amplius in textu legit, quàm *ex Patre procedentem*; vt habent reliquæ omnes editiones. Refutatur secundò, quia Theodoretus suæ historiæ Constantinopolitani Concilij epistolas ad Damasum, & Damasi ad Concilium inseruit, nec potuisset ignorare, vel reticere additionem hanc, nec tam audacter scribere, Spiritum sanctum ex Filio non procedere.

3

Refutatur tertiò solutione fundamentorũ. Primò namque in epistola Concilij Constantinop. ad Damasum, nec verbum inuenitur de additione præsentis particulæ. Secundò in prædicto lib. 9. Tripartitæ cap. 14. & 16. inter decreta Concilij Romani nulla mentio reperitur de processione à Filio, sed canone 16. damnatur, qui negauerit, Spiritum sanctum esse à Patre. Tertiò, Symbolum Damasi nomine nihil attinet ad rem præsentem, quia longè diuersum est à Nicæno & Constantinopolit. cuius additionem, ac declarationem nunc inuestigamus. Adde quod à multis creditur esse suppositititium & incerti authoris. Quartò denique Hugo Ætherianus lib. 3. cap. 16. contra Græcos non explicat, quisnam fuerit Romanus Pontifex iltius additionis author, sed tantum probat, Romanum Pontificem iure optimo declarare potuisse Symbolum antea constitutum.

4 *Tertia sententia.*

Tertia sententia tenet oppositum extremum, dicens, Nicolao Primo fuisse obiectum à Græcis, quod addidisset ad Symbolum. Ita scribit Antonus 3. p. historiæ tit. 22. cap. 13. §. 10. Rexit autem Ecclesiam Nicolaus circa annum octingentesimum sexagesimum. Id tamen falsum esse probatur primò, quoniam in antiquioribus historiis non inuenitur. Secundò, quoniam Photius, acerrimus inimicus Ecclesiæ Romanæ, summos Pontifices Nicolaum & Adrianum conatus est notare tanquam præuaricatores legis: nihilominus additionis factæ Symbolo, nullam mentionem fecit, quamuis occasiones quæreret, vt eos reprehenderet. Ita notauit Andræas Colossen. episcopus nomine Latinorum in Concilio Florentino colum. penult. Tertiò, quia maiorem antiquitatem istius additamenti probauimus conclusione sequenti.

5 *Quando facta fuit additio.*

Sit igitur prima conclusio. Tempore Sextæ Synodi Generalis, hoc est post annum Domini sexcentesimum à Romano Pontifice facta fuit additio de processione à Filio. Probatur primò, nam vt scribit prædictus Andræas nomine Latinorum in Florentino sess. 7. inter med. & fin. *Maximo in Gallia, & in Hispaniis schismate imminente cum iam, ex Filioq;, passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse in multorum occidentalium ample dignitatis, magnoq; concilij Patrum conuentu, additio ex Filioq;, Symbolum magis illustrare.* Rursus in Concilio Toletano octauo recitatur Symbolum cum hoc additamento. Fuit autem celebratum hoc Concilium circa annum Domini Sexcentesimum quinquagesimũ tertium. Ante quod tempus nullibi reperitur Symbolum Constantinopol. ita declaratum. Nec enim inueniuntur in Concilio Toletano Septimo, vt supra notauimus etiam ex editione Loaysæ.

6

Secundò probatur indicio, nam Gentiliacense Concilium à Pipino Rege conuocatum fuit anno septingẽtesimo sexagesimo sexto, & in eo, agitata est quæstio inter Græcos & Latinos de præsenti additione Symboli, vt vidimus sect. 1. Tertiò. Signum est, quod in septima Synodo generali act. 7. Symbolum cum hac additione recitatur. Fuit autem circa annum Domini Septingentesimum octogesimum septimum. Denique quamuis non constet de certo ac determinato anno; constare videtur ante septimam Synodum & post sextam fuisse factam additionem.

7 *Rationes, ob quas additio facta fuit.*

Secunda conclusio. Iure optimo prædicta declaratio facta est à summo Pontifice. Primò, quoniam vt generalissimus Ecclesiæ Pastor & solus habens circa res fidei assistentiam infallibilem sancti Spiritus, potuit explicare res fidei. Secundò, quoniam vrgebat necessitas imminentis schismatis inter præstantissimas nationes occidentis. Qua necessitate vrgente, etiam si non esset totius Ecclesiæ caput, sed particularis Patriarcha, tenebatur motus componere, veritatem explicando.

8

Tertiò, quoniam immeritò Græci conquerũtur, se non fuisse vocatos ad Concilium, in quo prædicta declaratio facienda erat, nam vt fusius respondet Andræas prædicta sess. 7. col. antepenult. incertum nobis est, an fuerint Græci vocati. Deinde Romana Ecclesia ad conuocandas cæteras, nequaquam obstricta est, præsertim cum veteres multæ Synodi diuerso Patrum numero celebratæ fuerint & approbatæ, absentibus quandóque Latinis Patribus, quarum aliquas enumerat Andræas in præcedenti & sequenti contextu. Quartò. Nihil obstat prohibitio facta in Tertia Synodo generali, anathematizans eos, qui fuerint ausi, aliam fidem componere, aut scribere, aut exponere, aut corrigere, aut proferre. Nam hoc decreto non prohibetur explicatio consentanea menti conciliorum, & virtualiter implicitéque contenta in verbis Symboli. Quemadmodum Paulus ad Galat. 1. anathematizat eos, qui docuerint

docuerint præter id, quod ipse docuit. Qua censura non comprehenduntur, qui docent alia dogmata fidei consentanea doctrinæ Pauli.

9 *Exigente necessitate Cõcilia magis explicabant fidem.*

Confirmatur primò, nam omnium ferè Conciliorum mos fuit, exigente necessitate, propter subortas hæreses, magis explicare, quæ in prioribus Conciliis nondum fuerant explicata, quia temporis nondum exigebat necessitas. Sic enim *iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Prouerb. 4. Confirmatur secundò, nam peculiariter in ipso Nicæno Symbolo additum est, *ex Patre procedentem*, à Concilio Constantinopolitano. Deinde verò à Concilio Chalcedonen. actione 5. additæ sunt aliæ particulæ, aliæ verò detractæ. Tertiò, quia mens Concilij generalis Tertij non fuit obligationem aliquam imponere sequentibus Conciliis generalibus, aut summo Pontifici, supra quos sciebat, nullam sibi potestatem esse præcipiendi. De his bene scripsit Hugo Ætherianus lib. 3. de erroribus, quos Græci in Latinos deuoluunt cap. 16, & ante illum Anselmus epist. de processione Spiritus sancti cap. *ad hoc autem*, quod est 15.

10 *Obiectio.* Mouere posset aliquem, quod de Leone Tertio testatur Magister sententiarum lib. 1. dist. 11. c. 2. posuisse in tabula argentea post altare beati Pauli Symbolum Constantinopolit. sine illo additamento *Filioq;*. Cum tamen eo tempore iam fuisset additio facta: vixit enim anno octingentesimo. *Soluitur.* Sed responderur id fecisse, vt seruaretur memoria Symboli Constantinopol. quæ poterat obliterari noua explicatione Symboli: vtque constaret nihil contrarium antiquitati doceri, sed integram retineri fidem antiquam, solis explicationibus denuo positis. Quam ob causam Ecclesia retinet plura Symbola, Apostolicum, Nicænum, Athanasium & Constantinopolitanum.

SECTIO VI.

Græcorum Patrum acies prior ad processionem Spiritus sancti à Filio, propugnandam.

1 NE iustam mensuram sectio præsens excederet, placuit Græcos Patres in duas acies distribuere, quorum antiquiores & nobiliores in præsenti referemus. S. Marchus Euangelista in Liturgia longè post med. in orat. *Hoc facite*. tom. 6. Biblioth. Patrem sic alloquitur de Spiritu sancto: *Ex te (Filioq;) procedens.* Quod totum eodem charactere scriptum in variis editionibus inuenio. Veruntamen occasionem dubitandi affert, quod prædictis lineis concluditur (*Filioq;*) sed non videtur verisimile interpretem hoc addidisse, nisi reperisset in autographo. Clemens Romanus lib. 6. constitut. Apostolicar. cap. 11. ante med. *Annunciamus*, inquit, *vnum Deũ vnius Filij Patrem, non plurium: vnius Paracleti per Christum.* Supple principiũ aut prębitorem. Ignatius epist. ad Ephes. circa med. docet, Spiritum sanctum accepisse à Filio potestatem operandi, sicut Filius eam accepit à Patre: prout retulimus sect. 2. non procul à princ.

2 Gregorius Thaumaturgus in regula fidei diuinitus accepta, quæ extat in eius vita apud Gregor. Nyssenũ: *Vnus*, inquit, *Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta Filij perfecti.* Quod ait ex Deo, comprehendit Patrem & Filium vt vnum principium Spiritus sancti. Deinde præpositio *per* manifestè significat principium productiuum secundum communiorem vsum antiquorum, vt videbimus disp. 69. sect. 3. & 4. Tertiò verbum *apparuit* denotat relationem processionis, vt ex professo probat Bessarion ad fin. Concilij Florentini in orat. pro vnione cap. 6. circa med. quoniam eodem modo loquitur Basilius lib. 5. contra Eunom. tit. 12. post medium, & Nyssenus lib. 1. contra Eunom. quorum testimonia referemus infra in hac sectione. Nazianzenus autem orat. 37. quæ est 5. de theologia non longè à princ. de Filio & Spiritu sancto ait: *Manifestationis, & vt ita dicam, mutuæ eorum relationis differentia, ipsis quoque diuersa nomina procreauit.* Cyrillus denique in epist. ad Valerianum, quam refert Bessarion, sed in Latinis Codicibus non extat, dicit, Filium, *in quantum verbum est, ex Patre manifestatum esse.* Nec valde dissidet Latina phrasis, iuxta quam, quod producitur, in lucem editur, & in lucem prodire dicitur, quoniam prius origine latebat in suo principio virtualiter contentum.

Apparuit denotat processionem.

3 *Imago Filij.* Quartò Spiritus sanctus non alia ratione dicitur *imago Filij* (quamuis impropriè) nisi quia procedit ab illo, & similis est in natura, quamuis hanc similitudinem non habeat ex vi processionis formaliter, vt fusiùs ostendimus disp. 64. sect. 6. Quapropter meritò S. Thomas opusc. 1. cap. 32. §. 6. & 7. vtitur hoc argumento, vt probet apud Græcos Patres Spiritus sancti processionem à Filio. Eadem ergo ratione probari potest ex Athanasio quatuor in locis, & ex Basilio, Cyrillo Alexand. Epiphanio & Damasceno dicentibus, Spiritum sanctum esse imaginem Filij, quos retulimus disp. 64. dicta sect. 6.

4 Multo clariora sunt, quæ sequuntur testimonia. Athanas. in Symbolo: *Spiritus sanctus*, inquit, *à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Respondebit fortasse quispiam, hoc Symbolum verè non esse Athanasij. Veruntamen certum est, authorem esse Athanasium, quia Gregor. Nazianzenus orat. 21. in laudem Athanasij Archiepiscopi Alexandrini col. antepenultima circa num. 44. ita scribit: *Imperatori donum verè regium & magnificum offert, scriptam nimirum fidei confessionem aduersus nouum dogma,* &c. Et post pauca: *Huius confessionis, vt mihi videtur, authoritate permoti, tum occidentales, tum quidquid in oriente vitale est,* &c. Insuper Augustinus in psalm. 120. ex hoc Symbolo sub Athanasij nomine recitat versiculum proximè præcedentem, dicens: *De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est: Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Aliis quoque locis Augustinus eiusdem Symboli sententiis vtitur tanquam notissimis in Ecclesia, veluti lib. 5. de Trinit. cap. 8. & in Enchiridio c. 36. & epist. 174. ad Pascentium, & serm. 295. de tempore.

Authorem Symboli esse Athanasii.

5 *Athanasius dixit à Patre & Filio.* Secundò responderet aduersarius, particulam, *& Filio*, fuisse additam à Latinis. Cæterum neque hoc poterit affirmari. Primò quidem, quia versiculus proximus, quem Augustinus citat, *Filius à Patre solo est*, indicat in sequenti versiculo particulam, *& Filio*, fuisse ab eodem Athanasio positam. Nam exclusiua dictio non debuisset poni circa processionem Filij à solo Patre, vel debuisset etiam eadem dictio poni de processione Filij versu proximè sequenti; nisi mens Athanasij fuisset ostendere discrimen vtriusque processionis non solum in eo, quod Spiritus sanctus non est genitus, sed etiam quia non procedit à solo Patre, sed à Patre simul & Filio. Secundò nam in Græco etiam Athanasij Symbolo legitur illa particula *& Filio.* Tertiò, nam in Concilio Toletano

letano Quarto cap. 1. quod ante schisma Græcorum, hoc est, circa annum Domini sexcentesimum trigesimum tertium celebratum est, recitatur idem Symbolum Athanasij cum eadem particula *à Patre & Filio.*

6 Quartò, quia ne ipsi quidem Schismatici Græci sunt ausi negare, particulam hanc in prædicto Symbolo contineri, sed in aliam contumeliã præcipitati fuñt dicentes, Athanasium fuisse ebrium, quando illud scripsit: quemadmodum de Græcis sui temporis refert Gennadius Scholarius lib. 3. de professione Concilij Florentini cap. 1. sect. 5. Denique Genebrardus lib. 3. de Trinit. refert, extare vetustum Codicem manuscriptum in cœnobio Germanensi apud Lutetiam de Synodis, in quo dicitur, Athanasium edidisse prædictũ Symbolum Treueris, dum in quodam puteo latitaret, Arianorum persecutionem fugiens. Idem scribit Nauclerus in chronologia ætate 9. Allegat quoque Genebradus libellum Græcè scriptum de Spiritus sancti processione, qui oblatus fuit Lazaro Baiffio Oratori Regis Galliæ Francisci Primi apud Venetos, in quo Athan. author huius Symboli asseritur testimonio Nazianzeni, quod suprà retulimus.

7 Idem Athanas. orat. 4. contra Arianos propius ad princ. quàm ad medium: *Non enim*, ait, *tria principia, aut tres Patres introducimus, quemadmodum Marcionista, cum non tres soles ad comparationem adducamus, sed vnicum solem eiúsque splendorem, vnicamq; ex ambobus lucem.* Comparat enim Athanas. Patrem soli, Filium splendori, Spiritum sanctum luci procedenti non à sole tantum, sed etiã à splendore. Cuiusmodi similitudo frequens est etiam apud alios Patres supra disput. 44. sect. 2. & circa med. eiusdem orationis ait: *Spiritus è Verbo donatur.* In breui quodam tractatu refutationis contra hypochrisim Meletij fine. *Impossibile*, air, *Trinitatis gloria Spiritum glorificari, nisi ex Deo per Filium progrediendi modo naturam habeat.* Rursus orat. de Concilio Nicæno: *Mitto*, inquit, *Apostolos in mundum, non in virtute hominis, sed in virtute Spiritus sancti, ex mea essentia profluentis,* &c. *Credendum est Spiritui sancto, quod sit veritas Patris & Filij, coëssentialis vtrique de essentia eorum profluens.*

8 Præterea fontis nomen, alicui personæ Trinitatis attributũ, apud Patres significare principium processionis, vidimus disp. 48. sect. 5. & disp. 49. sect. 1. Hoc igitur sensu *Filium* appellat *fontem Spiritus sancti*, Athanas. lib. de humana natura suscepta, propius ad med. quàm ad princ. colligítque ex verbis Christi Domini Ioan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Eodem modo Filium esse fontem Spiritus sancti ex Athanasio in serm. Nicæni Concilij, & epist. ad Serapion. & serm. de Incarnat. Verbi refert S. Thomas opus. 1. cap. 32 §. 26. Plura ex longiori epist. ad Serap. & ex alia breuiori ad eundem reruli suprà sect. 2. Denique fide dignus author ex epist. ad Serapion. nõ explicans ex qua epistola, nec ex qua parte illius, hæc refert: *Mandat Apostolus, Hereticum hominem post vnam, aut alteram correptionem deuita, etiam si quos videas cum Helia volãtes per aëra, & cum Petro & Moyse sicco pede calcantes maria, nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum essentialiter ex Deo Filio existentem, sicut & Filium naturaliter Deum genitum essentialiter ex Deo Patre existentem, vt nos profitemur, eos non recipias.*

9 *Præoccupatur obiectio.* Consequens igitur est, nihil huic veritati contrarium accipi posse ex verbis Athanasij tom. 2. in quæstionibus. *Quid est Deus.* q. 4. prope med. vbi asserit: *Deus & Pater ipse solus est causa duobus & ingenitus: Filius autem ex solo Patre causatus & procedens, sed per Filium in mundum missus.* & q. 11. & 12. sæpe repetit, *solum Patrem esse vnicam causam, quæ emittit Spiritum sanctum:* Filium autẽ *esse causatum & non causam.* Hoc tamen declarationem accipit ex aliis locis suprà citatis, quia nomine causæ significauit primum principium, non ducens originem ab alio principio, & primum fontem, cuiusmodi solus Pater est, etiam respectu Spiritus sancti. Nam Filius est principium de principio suprà disp. 48. sect. 4. Confirmatur, nam & Ioannes Theologus Latinorum nomine in Concilio Florentino sess. 24. sub init. dicit: *Tametsi professi fuerimus, Patrem vnicam Filij sanctiq; Spiritus causam esse*, &c. Quod etiam ex Latinis Græci repetunt sess. 25. longè ante med. §. *cum Latini.* & tamen etiam à Filio procedere Spiritum sanctum est præcipua conclusio totius disputationis Florentinæ. Similia reperies sect. 9. argum. 4. & 6.

10 Nazianzenus orat. 32. ad centum quinquaginta Episcopos post med. multoties nomine principij personam Filij distingues à persona Patris & Spiritus sancti, subiungit: *Nomen principij experti Pater, principio Filius, ei autem, quod cum principio est, Spiritus sanctus.* Filius autem nullam peculiarem rationem principij habet, quæ non conueniat Spiritui sancto, nisi esse principium Spiritus sancti, in quo etiam distinguitur à Patre, quia est principium de principio, & non expers principij, sicut Pater. Propterea minus probo commentarium Nicetæ ad prædictam orationem 32. n. 53. exponentis, Filium esse *principium*, id est, conditorem creaturarum. Hac enim proprietate Filius non distinguitur à Spiritu sancto (quod Nazianzenus intendit) sed tantum à rebus creatis.

11 Idem Nazianz. orat. 49. de fide prope fin. docet, Spiritum sanctum esse ex *propria substantia Filij*, & *ex eo quod est Filius*, vt vidimus sect. 2. prope med. Colligitur etiam non obscurè, quoniam sequenti orat. 50. de fide Nicæna: *Spiritum sanctum*, ait, *Patris & Filij semper in Patre & Filio coæternum veneramur.* Nec esset Filij, nec in Filio, nisi procederet ab illo, vt supra sect. 3. loco 4. Clarius autem hoc docuit orat. 37. quæ est 5. de theologia, tum quia propius ad med. quàm ad princ. num. 24. dixit: *Quid tandem Adamus erat? Dei figmentum. Quid Eua? figmenti segmentum & fœtus. Quid Seth? vtriusque soboles.* Hoc nimirum exemplo declarat, quomodo Filius & Spiritus sanctus sint eiusdem naturæ cum Patre, nihilque deficiat illis, licet diuerso modo habeant existentiam. Supponit ergo, Spiritum sanctum à Patre Filióque procedere, sicut Seth ab Adamo & Eua. Nam Adamum Patri comparat, quoniam à nullo homine procedit, sed Euam Filio, quoniam à primo tantum homine procedit. Tum præcipuè, nam in eadem orat. 37. propius ad fin. quàm ad med. Filio tribuit *authoritatem*, vt mittat Spiritum sanctum, quod est eum vocare authorem & principium Spiritus sancti, vt vidimus sect. 3. testimonio 3.

12 Gregor. Nyssenus lib. ab Ablabium *quod non tres dij*, prope fin. postquam docuit identitatem diuinæ substantiæ, personarum distinctionem ita exponit; *Eam, quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo quod ex causa est. Ac rursum aliam differentiam consideramus. Nam aliud quidem continenter & sine medio ex primo est, aliud verò per id, quod immediatè, & ex continenti est.*

13 Perpende primò particulam, *per hoc solum*. Manifestè quippe Nyssenus docet, etiam Filium, & Spiritum sanctum ab inuicem nō posse distingui, nisi quoniam alter est *causa*, alter autem *ex causa*. Vnde præterea notandum est quod addit, *ex eo quod ex causa est*, hoc enim de Spiritu sancto non alia ratione verificatur, nisi quia procedit ex Filio tanquam ex principio, quod est ab alio sui principio, videlicet Patre. Tertiò cum prædicto discrimine coniunctum est necessariò, quod additur de mediatione, videlicet, quia suppositum Spiritus sancti non est à Patre continenter & sine medio, sicut Filius, sed per suppositum Filij. Vnde continuò subiungit: *Filio, qui medius intercedit, & sibi Vnigeniti proprietatem seruante, & Spiritum à naturali ad Patrem habitu non arcente*. Id est ab habitudine seu relatione. Sed quomodo sit intelligenda mediatio, dicemus disp. 69. sect. 4. nunc illud satis est mediationem non esse in processione, nisi Spiritus sanctus procedat à Filio.

14 Breuiùs & obscuriùs idem indicauit orat. catechet. cap. 2. ad finem dicens: *Nec potest separari à Deo, in quo est, aut à Verbo Dei, quod consequitur*. videlicet Spiritus sanctus consequitur ex Verbo. Præterea lib. de differentia essentiæ & hypostaseos multo propius ad med. quàm ad princ. *Spiritus sanctus*, inquit, *à Filio quidem, cum quo simul immediatè, nullóue intercedente spatio comprehenditur, pendet: à Patris verò causa, vnde etiam procedit, ipsum esse habet dependens*. Obserua verbum *pendet*, quod processionem significat ablata imperfectione dependentiæ, quam explicuimus disput. 10. sect. 1. 2. & 3. Præterea perpende coniunctionem, *etiam*, qua denotat, Spiritum sanctum non à solo Patre procedere.

15 Ex eodem Nysseno lib. 1. contra Eunom. (quod opus nondum est latinitate donatum) Bessarion in orat. pro vnione cap. 6. refert dixisse, quod Spiritus sanctus à Filio distinguitur, *eo quod nec Vnigenitus ex Patre productus est, & quod per ipsum Filium sit manifestatus*. Vbi *manifestandi* verbū significat processionem, per quam in lucem emittitur, vt vidimus in Thaumaturgo. Ex eodem Nysseno homil. 3. super orat. dominicam, & hom. 4. referuntur à Gennadio in defensione Concilij Florentini cap. 1. manifesta testimonia, quæ nunc in eisdem homiliis non reperiuntur: refert autem Gennadius stylo ferreo fuisse deleta quibusdam ex Codicibus, aliis adhuc clamantibus, in quibus reperiuntur scripta, videlicet, *procedit à Filio, & ex Filio esse ostenditur*.

16 Basilius lib. 2. contra Eunom. prope fin. ait: *Nulla Filij operatio à Patre diuisa est, nec est aliquid in rebus, quod Filio insit, & à Patre alienum sit. Omnia, inquit, mea tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus causam & originem Vnigenito soli attribuit?* Videlicet Eunomius, qui dicebat, Spiritū sanctum esse facturam solius Vnigeniti; quem Basilius reiicit, non modò quia Spiritus sanctus non est factura, sed etiam quoniam originem ducit non à Filio tantùm, sed etiam à Patre, quia omnia, quæ Filius habet, habet etiam Pater. Vnde postea ponderat Euangelij & Apostoli verba, quibus Spiritus sanctus appellatur non tantum Spiritus Dei, sed etiam Spiritus Christi, vel Filij vel Spiritus veritatis. Rursus sequenti lib. 3. contra Eunom. circa princ. *Cur*, inquit, *necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namq; ipsum secundum esse à Filio, cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit: natura verò tertium, vti nec ex sanctis scripturis didicimus, nec ex prædictis colligere possibile est.*

Hunc locum à Latinis fuisse corruptum, causati sunt Græci in Concilio Florentino sess. 20. & verè in quibusdam Codicibus non modò Græcis, sed etiam Latinis, non habetur illud, *ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat*. Nihilominus Latini protulerunt Codicem scriptum ante sexcentos annos, vbi legebatur prædicta sententia. Atque illam fuisse in originali Basilij, satis indicat sequens contextus, inde namque probat, Spiritum esse dignitate & ordine secundum à Filio, non tamen natura; quia sicut Filius est secundus à Patre, quoniam ab illo habet esse, ita quoque Spiritus est secundus à Filio; vbi nisi subintelligatur, quod prius dixerat, Spiritū sanctum habere esse à Filio; claudicat argumentum Basilij, & comparatio discrepat. Illius verba sunt: *Nam quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est: & dignitate, quoniam origo atque causa essendi Pater ipsi est, & quoniam per ipsum accessus, & adductio ad Deum Patrem: natura verò nullo modo secundus, quoniam in vtroque vna est Deitas: ita videlicet & Spiritus sanctus, & si dignitate & ordine secundus à Filio est, non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ inde consequetur*. Confirmatur, quia si Spiritus sanctus non esset à Filio, non haberet ordinem secundi respectu illius, vt videbimus disp. 105. sect. 4. Præsertim cum Basilius hic apertè profiteatur, dignitatis ordinem esse originis ordinem.

17

Rursus apud eundem Basilium lib. 5. contra Eunom. titulus 11. est. *Quod sicut Filius ad Patrem se habet, sic & Spiritus ad Filium. Propterea & Dei quidem Verbum Filius est, Filij autem Verbum Spiritus*. Vbi quamuis impropriè Verbum appellauerit Spiritum sanctum, vt vidimus disput. 57. sect. 4. Cæterum vt minimum intendit asserere, Spiritum sanctum procedere à Filio, quemadmodum Filius procedit à Patre. In eodem lib. 5. sequens titulus 12. ita quæstionem proponit: *Cur & Spiritus Filius Filij non dicitur?* Respondet autem: *Non quia non ex Deo per Filium*. Itaque quod supponit quæstio, videlicet Spiritum sanctum à Filio procedere, id magis expresè profitetur solutio, concedens, Spiritum sanctum esse à Deo Patre per Filium. Quod nisi supponeretur ad quæstionem, omnino nulla fuisset ratio dubitandi. Manifestissimum enim est, nullam personam esse Filium alterius, à qua non procedit. Idem obscurioribus verbis iam supra declaratis in Thaumaturgo, docet post med. eiusdem tituli 12. *Ex Deo quidem esse Spiritum, apertè prædicauit Apostolus, dicens: quod Spiritum, qui ex Deo est, accepimus: & per Filium effulsisse clarum fecit, cum Filij Spiritum sicut Dei, ipsum nominauit & mentem Christi*. Præterea lib. de Spiritu sancto cap. 17. propius ad fin. quàm ad med. *Quemadmodum*, inquit, *se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium se habet Spiritus*. Qua phrasi processionis ordinem significari duobus testimoniis Athanasij duabus epistolis ad Serapionem probatum est sect. 2. In eodem lib. cap. 18. prope fin. *Natiua bonitas*, inquit, *& naturalis sanctimonia, & regalis dignitas à Patre per Vnigenitum ad Spiritum sanctum permanat*.

18

Chrysost. homil. 1. in Symbol. Apostol. prope finem: *Iste*, inquit, *est Spiritus procedens de Patre & Filio*. & hom. 2. propius ad med. quàm ad princ. *Credendum est*, inquit, *Spiritum sanctum Patris esse & Filij*. Quod magis explicat post pauca dicens: *istum*

19

Istum Spiritum sanctum dicimus Patri & Filio esse coæqualem & procedentem de Patre & Filio. Hoc credite. Et propius ad fin. quàm ad med. *Videte*, inquit, *vbique Sacramentum Trinitatis. Ecce & in Spiritum sanctum credimus, qui Spiritus sanctus procedēs de Patre & Filio charitate coniungitur*. Idem Chrysost. serm. de Trinit. propius ad fin. quàm ad med. tom. 3. ait: *Si ex Patre procedit, & à Filio sumit, non alterius subsistentiæ est Spiritus. Spiritus Dei, Spiritus Christi, Spiritus veritatis*. Atque tom. 3. homil. 3. de Spiritu sancto, quæ incipit *Heri à nobis*, frequenter pōderat appellari *Spiritum Dei, Spiritum Filij, Spiritum Christi, Spiritum veritatis*. Ex eodem Chrysost. in homil. de Incarnatione Gennadius in sua Apologia pro Latinis cap. 1. §. 4. adducit hæc verba: *Venit Christus ad nos, dedit nobis descendentem ex ipso Spiritum*.

SECTIO VII.

Posterior acies Græcorum Patrum pro eodem dogmate.

1 Epiphanij manifestum testimonium ex Anconato col. 7. & alia nonulla, quibus iuxta phrasim Euangelicam dicit, Spiritum sanctum *de Filio accipere*, posita sunt sect. 2. circa med. Vltra quæ, notāda sunt quæ sequuntur hæres. 62. versus med. *Ex eadem*, inquit, *essentia, ex eadem Deitate, ex Patre & Filio, cum Patre & Filio semper in substatia Spiritus sanctus*. Rursus hæres. 69. propius ad med. quā ad fin. ait: *Quo ostendat*, Christus Dominus, *lumen Patrem, & lumen Patris esse Filium, & lumen Spiritum sanctum, & fontem ex fonte ex Patre & Vnigenito Spiritum sanctum, flumina enim ex aluo ipsius fluent*, &c. Idem hæres. 73. non longè ante med. *Spiritus*, inquit, *sanctus ex Patre, qui per Filium datur*. & hæres. 76. dum respondet ad caput 1. Aëtij, fine, dicit: *In substantia esse Spiritum sanctum ex Patre & Filio*. & ad caput 34. ait: *A Patre per Vnigenitum est Spiritus sanctus*.

2 His satisfacere conabatur Græcorum nomine Marcus in Concilio Florentino sess. 18. prius dicens, in Epiphanio non haberi verbum *est*. Veruntamen postquam à Ioanne Latinorum nomine conuictus est, illud verbum haberi in Epiphanio: explicuit hoc modo, vt esse ex Patre & Filio nihil aliud sit, quàm esse de substantia illorum, hoc est, eiusdem cum illis substantiæ. Cæterum hoc verbum ad personam Patris & Filij referri, atque idem esse dicere, Spiritum sanctum esse de substantia Filij, quod dicere, Spiritum sanctum esse de persona Filij, probat Ioan. in eadem sess. 18. præsertim à med. Satis apertum testimonium Didymi posuimus sect. 2. circa med.

3 Cyrillus autem Alexand. in anathematismis, quos edidit & declarauit hortante Cōcilio Ephesino (habentur tom. 5. eiusdem Concil.) cap. 1. anathematismo 9. in eius declaratione. *Vnigenitum*, inquit, *Dei Verbum homo factum est, mansit tamen Deus, omnia, præter solam Paternitatem, cum Patre æqualia & communia habens; vnde Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsiq; essentialiter inest, tanquam proprium peculium possidens, diuinæ potentiæ signa operabatur*. Postremò autem lib. de recta fide ad Reginas circa med. probat, Spiritum sanctum *proprium esse Filij, sicut & Patris*. Quod pluribus testimoniis confirmans prope fin. eiusdem libri concludit: *Ex Patre procedit Filius, per omnia illi æqualis & similis: procedit autem per vtrosque viuificans quoque Spiritus*. Insuper lib. 1. de fide ad Theodos. lon-

gè post med. de Christo Domino sic loquitur: *Immittit Spiritum baptizatis, non alienum, sed eum, qui ex illo & per illum est: neque rursus vt seruus, vel minister, sed vt Deus secundum naturam*.

Idem Cyrillus lib. 5. in Isaiam tom. 5. exponens illa verba capitis 61. initio: *Spiritus Domini super me*, &c. *Cum*, inquit, *naturâ Deus existat vnigena, cúmque ex se procedentem Spiritum immittat superis potestatibus*, &c. Præterea in cōmentariis ad duodecim prophetas minores (quæ nuper edidit Pontanus noster) Ioēlis cap. 2. vers. 34. ad illud: *Effundam de Spiritu meo*, circa med. *Quatenus*, inquit, *est Deus, & ex Deo, secundum naturam Filius (ex Deo enim & Patre natus est) proprius ipsius, & in ipso, & ex ipso Spiritus est, quemadmodum nempe idem Spiritus, & in ipso Deo ac Patre intelligitur*. Idem lib. 11. in Ioan. cap. 25. multo propius ad princ. quàm ad med. plurima scribit, eandem processionem affirmans, & illud præsertim: *Ex ipsa quidem substantia Dei Patris prodiens, profusus autem ad sanctos per consubstantiale Verbum, à quo est secundum emissionem ad esse atque subsistere*. Vix potuit magis explicari processio atque productio passiua Spiritus sancti, quàm dicendo, *emissionem ad esse, atque subsistere*, secundum quam Spiritus est à Filio: & sequenti lib. 12. cap. 56. sub init. *Firmiter credendum est*, ait, *non esse alienum à Filio Spiritum sanctum. Nam cum ei consubstantialis sit, ex Patre per ipsum procedit*. & lib. 13. thesauri cap. 1. fine. *Necesse est*, inquit, *omnino confiteri, Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filij esse*. Sequentíque cap. 2. paulo post princ. Spiritum sanctum appellat, *Ex ipso Filio, & in ipso naturaliter existentem*. & versus med. eiusdem capitis: *Ex Filio autem naturaliter, ac essentialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre prouenire credimus*. & cap. 3. propius ad princ. quàm ad med. *Quod ex substantia Patris & Filij Spiritus sanctus sit, beatus quoque Moses ostendit. Formato enim ex terra homine, sufflasse in faciem ipsius Deum*, ait, *Spiritum vitæ*, &c. Plura ex Cyrillo vidimus supra sect. 2. circa med. & sect. 3. pro testimonio 2. & 4.

4

Philo Carpatiorum Episcopus in cātica col. 4. dicit: *Verbum condit, conseruat vnà cum diuino illo Spiritu, qui à Patre Filióque procedit*. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmat. inter med. & fin. *Spiritus*, inquit, *oris eius liquet dici de Spiritu sancto & Deo, qui os est Vnigeniti. Rursum ipse Spiritus & ab ipso procedit & mittitur, non à Patre solo, sed & à Filio, quemadmodum ait ipse Dominus: Paracletus autem, quem mittet vobis Pater*. Et rursus; *Si abiero, mittam eum ad vos*. Huius Patris honorifica mentio fit in sexta Synodo. Præsentem verò locum contra Græcos attulit Andreas Colossensis Episcopus in Concil. Ferrar. act. 7. (vt notatur in margine Anastasij,) Qui in eod. lib. 1. multo propius ad fin. quàm ad med. docet, Spiritum sanctum à Filio *emergere*; idque significatum fuisse, quando Christus Dominus insufflauit, Ioan. 20.

5

Idem supponit Hierosolym. Cyril. cateches. 17. propius ad princ. quàm ad med. dicens: *Vnus tantum est, atque idem Spiritus sanctus viuens & subsistens, qui vbique Patri & Filio adest, non qui ab ore & labijs Patris & Filij loquendo formetur, vel effletur, aut in aërem diffundatur, sed substātialis loquens ipse & operans*, &c. Vbi Cyrillus non aptè, nec opportunè dixisset, Spiritum sanctum ab ore Patris & Filij non formari corporaliter loquendo; nisi credidisset, à Patre Filióque spirādo procedere. Nam existimans à solo Patre procedere, debuisset dicere, non formari ab ore & labiis Patris. Athanas. Syrus lib. de passione imaginis (qui extat inter

6

opera Athanasij Alexandrini tom.2.) cap.4. prope fin. refert, & approbat hanc fidei confessionem à neophitis datã. *Vnus Deus Pater & ipse ingenitus: vnus Filius & ipse Vnigenitus: vnus Spiritus sanctus, & ab vtroque procedens.*

7 Tharasius in epistol. ad summos sacerdotes & episcopos in professione fidei sub init. (quæ habetur in Septima Synodo act. 3. col.4.) *Credimus*, inquit, *in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit.* S. Maximus ad cap.4. Zach. apud Bessarion. in orat. pro vnione cap.6. col.2. *Spiritus sanctus*, inquit, *quemadmodum secundum essentiam Dei & Patris est, ita & Filij secundum essentiam est, tanquam ex Patre essentialiter, per Filium ineffabiliter natum procedens.* Eadem ferè verba ex Maximo in lib. de candelabro & septem lucernis retulerat prius S. Thom. opusc. 1. contra errores Græc. c. 32. §. 28. ad med. Simeon Metaphrastes in vita sancti Dionysij Areopagitæ cap. 1. ait: *Ascendit meus Christus in cœlum, & ad paternam sedem reuertitur, & Spiritum, qui ex ipso procedit, mittit discipulis.*

SECTIO VIII.

Latinorum authoritas & ratio pro eodem dogmate & rationes.

1 SAnctus Martialis epist. 1. ad Burdegal. cap. 10. post med. ait: *Spiritus sanctus in diuina æqualitate glorioſus processit ineffabiliter ab eo, qui genuit, & ab eo quoque, qui genitus est. Itaque Spiritus Domini procedens est à Patre & Verbo.* Tertullianus lib. contra Praxeam cap.4. sub init. *Hoc*, inquit, *mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quàm à Patre per Filium.* & cap.8. prope fin. *Tertius est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice, & tertius ex fonte riuus ex flumine, & tertius à sole apex ex radio.* Cyprian. lib. de cardinalibus operibus Christi, titulo vltimo de Spiritu sancto nó longè post med. *Spiritus*, inquit, *sanctus à Patre procedens, à Patre & Filio.* Nec videri debet superfluus & incógruus loquendi modus, quia priori membro voluit proponere prius quod expressum est in Euangelio, posterius verò membrum adiunxit tanquam breuissimam explicationem prioris.

2 Hilarius de Trinit. lib. 2. multo propius ad fin. quàm ad med. *Spiritus sanctus*, inquit, *de Patre & Filio authoribus confitendus est.* Fusius autem processionem à Filio ex verbis Christi Domini. Io. 16. *De meo accipiet*, colligit Hilarius lib. 8. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princ. vt notauimus sect. 2. sub init. Asserit enim, à Filio accipere idem esse quod procedere à Filio, sicut accipit & procedit à Patre. Vnde subiungit: *Hoc quod accipiet, siue potestas est, siue virtus, siue doctrina est, Filius à se accipiendum esse dixit: & rursum hoc ipsum significat, accipiendum esse à Patre. Cum enim ait: Omnia quæcumque habet Pater, sua esse, & idcirco dixisse se de suo accipiendum esse, docet etiam à Patre accipienda, à se tamen accipi: quia omnia quæ Patris sunt, sua sint. Non habet hæc vnitas diuersitatem: nec differt à quo acceptum sit, quod datum à Patre, datum referatur à Filio.*

3 Ambros. in symbol. Apostol. cap. 1. *Pater*, inquit, *coæternum sibi & coomnipotens genuit Verbum, eum q.o Spiritum sanctum produxit.* & cap.3. *Spiritus sanctus verè Spiritus est procedẽs à Patre & Filio.* Idem scribit lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. prope med. & lib. 2. cap. 12. paulo post med. *Omnia*, inquit, *Patris habet Filius, & quæ accepit ipse per vnitatem naturæ, ex ipso per eãdem vnitatem accepit Spiritus, sicut ipse Dominus declarat dicens: De meo accipiet*, &c. Idem dogma docet Ambrosius expresè lib. de dignitate humanæ conditionis cap. 2. & Damasus vel potius Ruffinus in symbolo apud Hieronym. tom. 9. Ioan. 16.

Sed Augustini verba referre iudico esse superfluum, quoniam plurimis in locis perspicuè probat processionem Spiritus sancti à Patre & Filio: veluti lib. 4. de Trinit. cap. 20. & lib. 15. cap. 17. ad medium. & cap. 26. init. & cap. 27. à princ. & tract. 99. in Ioan. & tract. 121. inter med. & fin. & lib. 3. contra Maximin. cap. 14. Idem docet Prosper lib. 1. de vita contemplatiua cap. 18. in med. & in lib. sentent. ex Augustino sentent. 371. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. sub init. & cap. 11. & responsione ad tertiam quæstionem Ferrandi propius ad med. quàm ad princ. Leo Magnus serm. 1. in Pentecost. cap. 3. in med. & epist. ad Turibium Austerienſem Episcopũ cap. 1. est autem epist. 91. aliàs 93. Hormisda Papa epist. 1. aduersus Nestorium, &c. cap. 2. fin. Gregorius Magnus in symbolo quod recitatur in eius vita lib. 2. cap. 2. & lib. 2. dialogor. cap. vltimo, & lib. 1. moral. cap. 8. & lib. 5. moral. cap. 26. initio, & lib. 30. moral. cap. 5. aliàs cap. 8. & homil. 26. in Euangelia. Isidorus Hispalensis etymolog. lib. 7. cap. 3. initio. & §. 3. & cap. 4. §. 1. & lib. 2. de different. spiritualibus cap. 3. Idacius Clarus lib. contra Varimadum vltra med. Paschasius diacon. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 8. Boëtius lib. 1. de Trinit. cap. 12. Hormisda Papa epist. 76. ad Iustinum Imperatorem cap. 2.

Testantur etiam idem dogma Cassiodorus in Psal. 50. Agnellus libro de ratione fidei ad Arminium. Ildefonsus Toletanus lib. de Virginitate S. Mariæ cap. 8. Aponius in cantica lib. 3. & lib. 6. Beda in Ioan. cap. 8. & cap. 20. ad illud *insufflauit*, &c. & homil. in Dominica *Exaudi*. & lib. 1. de elementis philosoph. Alcuinus lib. 1. de Trinit. c. 6. Haymo homil. in octaua paschæ, Rabanus Maurus lib. 1. de vniuerso cap. 3. & li. 2. de institutione cleri. cap. 57. & in Ecclesiast. lib. 6. cap. 2. Remigius Antisiodoren. ad illud Psal. 32. *& Spiritu oris eius.* Leo IX. epist. ad Episcopos Venetiarum, & Historiæ, & epist. ad Petrum Antiochen. Ansel. valdè fuse & ex professo epist. de processione Spiritus sancti, & in monolog. c. 52. & 55. & ad Galat. c. 4. ad illud: *Misit Deus Spiritum Filij sui.* Rupertus lib. 1. de Glorificatione Trinitatis & processione Spiritus sancti cap. 17. & lib. 1. de operibus Spiritus sancti cap. 28. Bernard. serm. 3. de Pentecoste inter prin. & med. & inter paruos sermones serm. 20. Ricard. Victorin. lib. 5. de Trinit. cap. 8. & lib. 6. cap. 8. Hugo Æterianus tribus libris de hæresibus, quas in Latinos Græci deuoluunt præsertim lib. 3. Innocent. III. serm. in die Ascensionis.

4 5 6

Disputantes autem Scholastico more defendũt idem Magister sentent. lib. 1. distinct. 11. & 12. atque ibi communiter scholastici Alexand. 1. part. quæst. 43. memb. 4. Albert. 1. part. q. 31. præsertim memb. 1. S. Thomas non solum in præsenti q. 36. art. 1. & 2. sed etiam fusius in opusc. 1. contra errores Græcorũ cap. 32. à §. 1. vsque ad §. 32. & opusc. 3. contra Græcos, & Armenios cap. 4. & li. 4. contra Gentes cap. 24. & de potentia. quæst. 10. art. 4. S. Bonauent. 1. sentent. dist. 11. art. 1. q. 1. Henricus in summa art. 54. q. 6.

7 Naturalis ratio, quæ supernaturalem fidei reuelationem non præsupponat, afferri nulla potest secundum ea, quæ probata sunt disput. 41. & 43. Cæterùm suppositis fundamentis fidei, afferri possunt

possunt rationes, aliæ quidem demõstratiuæ, aliæ verò probabiles. Potissima demonstratio consistit in eo, quoniã Spiritus sanctus realiter distinguitur à Filio (vt probatum est tota disp. 19.) sed non posset ab eo realiter distingui, nisi procederet ab eodem. Cuius fundamenti firmitas demonstrabitur tota disput. sequenti.

Rationes, quæ probant Spiritũ sanctum procedere à Filio.

8 Valde probabilis est altera ratio, quoniã Spiritus sanctus procedit per volitionẽ, siue amorem. At verò volitio & amor boni procedit non solum à persona cognoscente bonum, sed etiam ab ipsa perfectissima cognitione boni, quam necessariò & quidditatiuè præsupponit, vel potiùs à verbo, quod in facto esse, tanquam terminus intrinsecus cognitionis, est expressa imago & repræsentatio illius boni. Quod si verbum illud sit persona subsistẽs & eiusdem naturæ cum persona cognoscente; debet eodem modo cum illa concurrere ad producendum amorem in facto esse. Confirmatur primò, nam in personis creatis cognitio habet aliquem concursum in genere causæ efficientis (saltem per modum resultantiæ) ad producendum amorem, vt alibi probauimus. Hic autem concursus altioris ordinis esse debet, quando verbum terminans cognitionem est suppositum infinitum. Confirmatur secundò, nam Spiritus sanctus procedit, vt amor reciprocus Patris erga Filium, & Filij erga Patrem: ideóque postulat ab vtroque procedere; vt ratiocinantur aliqui Patres disp. 71. sect. 1. probat. 1. referendi.

Amor procedit à cognitione boni.

9 Sit tertia ratio, quoniam esse principium productiuum personæ, quæ nondum fuerit priùs origine producta, primaria pars est omnipotentiæ. Sed Filius est omnipotens nó minus quàm Pater. Ergo non minus, quàm Pater potest esse principium productiuum Spiritus sancti, quoniam non supponit eum priùs origine iam productum. Maior probatur, quia non est maior ratio, propter quam primaria pars omnipotentiæ sit posse generare; at verò posse spirare, non sit etiam primaria pars omnipotentiæ. Et quidem generatiuam potentiam pertinere ad omnipotentiam, supponunt aliqui Patres, præsertim Athanas. li. 5. de vnita substantia Trinitatis in med. colligens, quod Pater non fuisset omnipotens, si nó genuisset ab æterno Filium. Eadémque collectione probãt, quod Patri defuisset propagatiua potentia, fuissétque sterilis & impotens; Athanas. orat. 2. contra Arianos propius ad med. quàm ad princ. & in 3. serm. geitorum Concilij Nicæni. Basil. lib. 2. contra Eunom. propius ad med. quàm ad princ. & lib. 4. contra eundem non longè à princ. & alij, quorum verba retulimus disputat. 29. sect. 3. & 4. & tractabimus etiam disp. 101. sect. 4. & sequentibus.

Omnipotentia Filij.

10 Confirmatur primò, nam hic potest instaurari ratio, qua solét Patres aduersus Arianos probare, Filium ab æterno fuisse genitum æqualem Patri; quoniam Pater potuit generare, nec voluit suam potentiam cohibere, nec potuit, vt videbimus in eadem disput. Sic igitur probare possumus, Filium ab æterno produxisse Spiritum sanctum, quoniam eum potuit producere; suámque potentiam nec voluit cohibere, nec potuit. Confirmatur secundò, quia non alia ratione Patres & Scholastici Filium & Spiritum sanctum liberant à defectu potentiæ, eo quod nó possint producere Filium: nisi quia inueniunt iam productum adæquatum terminum potentiæ generatiuæ (vt videbimus disp. 102.) Sed Filius non inuenit productum adæquatum terminũ potentiæ spiratiuæ. Ergo nisi possit eam exercere producendo Spiritum sanctum, de-

fectuosa etit Filij potentia. Confirmatur tertiò, quoniam in hoc etiã deficeret Filius à perfectione imaginis; si non posset producere quidquid à Patre producitur, & non est ipse Filius iam productus. Denique ad hanc rationem pertinet illud Ioan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sient.* Quod ponderauimus supra sect. 3. à princ.

Quartam rationem addit Ricard. Victorinus lib. 5. de Trinit. cap. 8. quoniam ad germanitatem & condilectionem magis confert, Spiritum sanctum non à solo Patre, sed etiam à Filio procedere, eo quod strictiori vinculo Spiritus sanctus cõiungitur cum Filio: insuper ipse Pater & Filius alio vinculo copulantur, inquantum sunt vnum principium Spiritus sancti, & in quantum Pater Filio communicat non modò potentiam productiuam *ad extra*, sed etiam potentiam productiuam *ad intra.* Cæteras congruentiæ partes consulto prætermitto. 11 *Maior coniunctio personarum.*

SECTIO IX.

Soluuntur argumenta contra processionem sancti Spiritus à Filio.

HOrum maior numerus est Græcorum contra Latinos, quorum occasione fuit operæpretium præoccupare quædam alia non minoris apparentiæ, nec minùs digna, quæ soluantur. Primum argumentũ accipiunt ex Ioan. 13. prope fin. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Cum enim tam apertè Saluator explicuerit, Spiritum sanctum à Patre procedere, nec addiderit *à Filio*: eo ipso significasse videtur à solo Patre, nõ autem à Filio procedere. Cur enim non dixit Christus Dominus, à Patre & à me procedit, quemadmodum sequenti cap. dixit: *De meo accipiet?* 1 *Primum argumentum.*

Respondetur. Christus Dominus pro more suo cuncta refert ad Patrem, tanquã ad primum principium, à quo ipse etiam Filius habet potentiam producendi Spiritum sanctum. Intendit igitur significare, principium esse vnicum, à quo procedit Spiritus sanctus: quoniam Filius, licet sit persona distincta à Patre, non alia ratione producere potest Spiritum sanctum, nisi quoniam ipse etiam Filius procedens à Patre, accipit ab eo eandem potentiam: quemadmodum obseruauimus suprà sect. 2. ad priorem obiectionem. Hanc solutionem tradit August. tract. 99. in Ioan. prope fin. & lib. 15. de Trinit. cap. 17. ad med. ait: *Non frustra in hac Trinitate non dicitur, de quo procedat principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter; quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit.* Paulo fusiùs hoc explicuit in eod. lib. 15. cap. 27. sub init. & lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Quibus in locis confirmat verbis Christi D. Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea.* 2 *Quare dictũ: A Patre procedit, tacendo Filium.*

Quod autem Filius non excludatur à principio processionis, licet in iis verbis non exprimatur: apertè probari potest ex *similibus locis*, in quibus mentio fit vnius personæ, duas alias non exprimendo; quemadmodum Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* & Ioan. 6. *Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* & cap. 15. *Ille vos docebit omnia.* Confirmatur, quia licet Christus Dominus dixisset, Spiritũ sanctum *à solo Patre procedere*; non excluderet Filium ab authoritate principij processionis; quoniam exclusiuæ dictiones additæ vni personæ diuinæ, non exclu- 3

dunt personas alias, nisi prædicatum illis opponatur relativè. Cuius exemplum est illud Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater*, & alia, quibus generales exponendi regulæ præscriptæ sunt disp. 40. sect. 4. & 5. Peculiariter autem ad solutionem præsentis obiectionis hoc notat Anselmus epistol. de process. Spiritus sancti cap. 7. & S. Thom. opusc. 1. cap. 32. §. 29. Denique Ioan. Latinorum nomine in Concilio Florentino tota ferè sess. 24. reddit hanc rationem verborum Christi Domini, quoniam Spiritus sanctus *à Patre præcipuè* mittitur & est, à Filio autem non præcipuè sicut à Patre, de quo disput. 69. sect. 1.

4 *Secundum argumentum.* Secundum argumentum vel expresè vel tacitè cõtinetur in Græcorum obiectionibus, acceptum ex variis locis sanctorum Patrum, vbi dicunt, Spiritum sanctum *à Patre procedere*, nulla mentione facta Filij. Sic enim Athanas. dialogo 1. de S. Trinit. col. 3. ait: *Pater emittit Spiritum sanctum.* Nazianzen. orat. 37. quæ est 5. de Theologia frequenter ait; Spiritum sanctum *esse ex Patre*, & orat. 39. in sancta lumina circa med. nec non orat. 29. de dogmate & constitutione episcop. circa med. & orat. 26. de moderatione in disputatione seruanda col. 3. & carmine arcano 3. sub init. & ante med. Cyrill. Alexandrinus epist. ad Anastasium Alexand. explicans symbolũ Nicænum prope fin. de Spiritu sancto dicit: *Profunditur quidem, hoc est, egreditur sicut à fonte à Deo Patre: conceditur autem creaturæ per Filium.*

5 Eodem modo procedere Spiritum sanctum à Patre, non facta mentione Filij, dixerunt Iustinus in expositione fidei de Trinit. propius ad med. quàm ad princ. & in med. Ephrem Syrus tom. 3. posteriori opusculo de sui reprehensione propius ad med. quàm ad princ. Anastasius Theopolitan. in compendiaria expositione fidei sub init. Theodor. Rom. 8. ad illud: *Propter inhabitãtem Spiritum eius in nobis*, & 1. Cor. 2. prope fin. Ambro. in symbol. Apost. cap. 10. inter princ. & med. & cap. 11. in med. & lib. 1. de Spiritu sancto cap. 1. prope fin.

6 *Patres aliquando præ-missa explicatione, sola Scripturæ verbis vtuntur.* Respondeo. Patres multoties Euangelij verba referũt, non addita explicatione: quam licet omittant, nequaquam propterea negare censendi sunt, cum eam disertè doceant aliis in locis. Et quidem Spiritum sanctum nõ à solo Patre, sed etiam à Filio, siue per Filium procedere, satis apertè docuerũt Athanas. & Nazianzenus locis citatis sect. 6. Cyrillus autem citatus sect. 7. Vnde manifestum est, etiam Anastasium Theopolitanum ita sensisse, quoniam illa fidei expositio simul etiam inscribitur Cyrillo tanquam authori, vel saltem approbatori. De Ambrosio constat ex locis adductis sectione 8. Theodoretum verò recipuisse ab errore contrario, vidimus sect. 1. parum à principio. Quapropter nulla ratio prohibet, eodem modo intelligere Iustinum, Ephrem & quoslibet alios Patres Ecclesiæ ita loquentes.

7 *Tertium argumentum.* Tertium Græcorum argumẽtum est, quoniam Ephesinum Concil. tacitè videtur approbasse Nestorianorum doctrinam, qua parte dicebant, Spiritum sanctum non procedere à Filio. Hoc enim expresè continebatur in Symbolo Nestorianorũ, & in libro Theodoreti contra anathematismos, quod vtrumque lectum audierunt Patres in prædicto Concilio; nihil autem contradixerunt.

Concil. Ephesinum quare non discussit processionem à Filio. Respond. Concilium de hac quæstione tunc noluit ex professo disputare, quoniam propter aliam conuenerat de vnica persona Christi Domini, neque de Spiritu sancto primariò & ex instituto, sed obiter dissidebant Nestoriani. Cæterùm satis apertè Concilium significauit suam sententiam, quando summo consensu probauit totam doctrinam Cyrilli, damnauítque contrariam Nestorianorum & Theodoreti. Verum id magis apertè præstiterunt alia Concilia, vt vidimus sect. 4.

8 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum ex Dionysio, nam lib. de diuinis nominib. cap. 2. propius ad med. quam ad princ. *Solus*, inquit, *fons supersubstantialis Deitatis est Pater.* Respond. *Fontis* nomen, summo rigore sumptum, non conuenit, nisi primo principio, quod ab alio non profluit, ac deriuatur. Hoc sensu soli Patri frequentius tribuitur nomen *fontis*, vt vidimus disput. 48. sect. 5. Atque in eodem sensu Filius comparatur flumini, qui deriuatur à fonte, & à quo deriuatur stagnum: sed Spiritus stagno, quod deriuatur à fonte & flumine; verum ab ipso non deriuatur aliud. Cuius similitudinis authores vidimus disp. 44. sect. 3. *Soluitur.*

Minus rigidè quandoque fontem appellare solemus, quodcumque principium, vnde manat aliquid, quamuis illud priùs manauerit ab alio principio. Quo sensu Athanas. variis in locis appellat Filium *fontem Spiritus sancti*, vt retulimus sect. 6. in Athanasio. Clariùs autem explicat acceptionem hãc Epipha. hæres. 69. propius ad med. quàm ad fin. appellans *fontem ex fonte*, & Cyrillus Alex. in expositione Symboli Nicæni, ait, Spiritum sanctum ex Filio *profluere tanquam ex fonte*. vt refert S. Thom. opuscul. 1. cap. 32. §. 28. sicut §. 26. retulerat ex Athanasio. 9

10 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum, quia Nazianzen. orat. 24. ad episcopos, qui venerant ex Ægypto, paulo propius ad med. quàm ad finem, ait: *Si quidquid Pater habet, idem, excepta causa, Filij est; quidquid item Filius habet, idem quoque Spiritus sancti est, si Filietatem excepueris.* Quod alij clarius vertunt ad propositum argumenti, *excepta causalitate.* Ergo Filius non habet à Patre, vt sit causa siue principium Spiritus sancti. Respond. Nazianzeni mens apertè colligitur ex prædicto contextu, nimirum, vt Filius sit quidquid habet Pater, hoc tantùm excepto, quod Filius non est causa Filij, sicut Pater est causa Filij; quemadmodum etiam Spiritus sanctus est quidquid habet Filius, præter Filietatem & causalitatem Spiritus sancti, quæ necessariò comitatur Filietatem. *Soluitur.*

11 *Sextum argumentum.* Sextum argumentum, vrgentius potuissent ex Athanasio sumere, quoniam in quæstionibus de natura Dei asserit, *solum Patrem esse causam duobus*, videlicet, Filio & Spiritui sancto. Verumtamen huic abundè satisfecimus sect. 6. inter prin. & med.

12 *Septimũ argumentum.* Septimum argumentum, quia Basilius epist. 43. ad Gregor. Nyssenum circa med. ait: *Nullam, secundum propriam notionem, communionem habet Filius cum Patre.* Eadem quoque ratione potuissent nobis obijcere Greg. Nyssen. qui lib. de different. essentiæ & hypost. multo propius ad med. quàm ad princ. de Filio ait: *Nullam quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne, communionem habet, vel cum Patre vel cum Spiritu sancto.* Quod si Spiritus sanctus procederet à Filio, sequeretur, spirationem actiuam esse proprietatem seu notionem, Patri Filióque communem. Resp. Basil. & Nyssenus ibi notionem, siue notam propriam summo rigore capiunt, pro illa, quæ vni tantummodo personæ conuenire potest. Cuiusmodi Patri est sola Paternitas & innascibilitas; sed Filio sola Filiatio. De hoc autem plura diximus disp. 47. sect. 3. obiect. 4. *Soluitur.*

13 Subiungitur vt confirmatio præsentis argumenti,

menti, quoniam Basilius eodem loco dicit, propriam notionem Spiritus sancti esse, quod per Filium & cum Filio cognoscatur, & ex Patre subsistentiam habeat. Respondeo. Quod attinet ad postremum membrum, in quo non facta mentione Filij, dicitur, Spiritus sanctus ex Patre subsistentiam habere: legitima expositio cõstat abunde ex solutione primi & secundi argumenti. Cætera quoque sunt potius pro nobis; quia si Spiritus sanctus per Filium & cum Filio cognoscitur; consequens est, esse correlatiuum Filij. Hoc enim est proprium relatiuorum, vt vnum sine altero cognosci nequeat, quamuis adinuicem realiter distinguantur, vt ostendimus disputat. 9. sect. 4. Hanc verò fuisse mentem Basilij, constat ex eo, quod paulo superius dixerat, Spiritum sanctum ex Filio pendere, & non posse vnum sine alio cogitari; vt vidimus disp. 10. sect. 1. & explicuimus sect. 2. & 3. Confirmatur, nam Spiritum sanctum à Filio procedere, perspicuè docuit Basilius locis notatis in sect. 6.

14 *Octauum argumentum. Quid Damascenus senserit.* Octauum argumentum sit, quod obijciunt ex Damasceno lib. 1. fidei cap. 11. prope fin. vbi: *Spiritum*, inquit, *per Filium esse dicimus, sed ex Filio Spiritum sanctum non dicimus.* Respond. Quamuis non sine fundamento valde probabili S. Thomas & alij putauerint, Damascenum laborasse Græcorum errore contra Spiritus sancti processionem à Filio, vt vidimus sect. 1. post med. nihilominus pia probabilisque expositio est, quam tradit Bessarion ad fin. Concilij Florentini orat. pro vnione cap. 6. placétque Gennadio doctisque recentioribus, iuxta quam Damascenus in re non dissentit à Catholicis, sed tantùm in modo loquendi, putans esse tutius dicere *per Filium*, quàm *ex Filio*. Videbatur enim ei præpositio *ex* denotare primam causam nõ procedentem ex alia causa, cuius contrarium denotat præpositio *per*.

15 Credibile igitur est Damascenum agnouisse, Spiritum sanctum verè productum esse à Filio. Primò, quia non potuit ignorare præpositionem *per* in sacris litteris significare efficientiam, vt Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* De qua diximus disput. 69. Secundò, quia vocat Spiritum Filij, quod, nisi ratione originis, verificari non potest, vt ostendimus sect. 3. in 4. testimonio. Tertiò, quoniam statim *confitetur, per Filium apparuisse* Spiritum sanctum; quod idem est, atque in lucem prodiisse, siue productum esse, quemadmodũ Thaumaturgus dicit, *per Filium apparuisse*: Nazianzenus autem & Cyrillus *manifestatum esse*; vt vidimus sect. 6. non procul à princ. Quartò, quia Damascenus expresè dicit, Spiritum sanctum esse imaginem Filij, vt vidimus disput. 64. sect. 6. vbi probatum est, hoc nomine, licet impropriè sumpto, significari processionem.

16 *Nonum argumentum.* Nonum argumentum. Si quis accipiat ex Maximo in epist. ad Marinum, dicente, Latinos Patres non concedere, Filium esse causam, hoc est principium Spiritus sancti: solutionem habet in promptu, cum manifestè constet, quid Patres Latini concesserint. Mens igitur Maximi fuit, negare Filium esse primã causam, seu primum principium ab alio non procedens. De quo videri potest Bessarion dicta orat. pro vnione cap. 7.

Decimũ argumentum. Vndecimum argum. Decimum argumentum, quoniam Leo Tertius Papa iussit scribi symbolum Constantinopolitanum absque additione, *Filióque*, dicendo procedere à Patre. Verũtamen huic satisfecimus sect. 5. fine. Vndecimum, quod obijcitur ex Theophylacto & Euthymio non est curandum. Existimo enim, Theophylactum secutum esse schisma sui temporis; vt vidimus sect. 1. non longè ante fin.

17 *Duodecimũ argum.* Duodecimò. Rationes, quas accipiunt ex eo, quod Pater est sufficiens principium, non indigens adiutorio Filij, & quia vnus Spiritus vnicum tantum debet habere principium non duo; clariorem solutionem habebunt disp. 70. & 71.

18 *Decimũtertium arg.* Postremum inconueniens inferunt ex eo, quod Spiritus sanctus procedat à Filio: quoniam Filius esset Patri similior, quàm Spiritus sanctus, eo quod simul cum Patre est principiũ alterius personæ Filius, non autem Spiritus sanctus. Veruntamen in aduersarios recidit, quia si Spiritus sanctus à solo Patre procedit, sequitur Filio magis similem esse Spiritum sanctum, quàm Patri, nullius quippe diuinæ personæ principium erit Filius, sicut nec Spiritus sanctus. Respondetur ergo. Maior illa similitudo Filij cum Patre compensatur aliunde, quoniam in eo magis similis est Spiritus sanctus, quia terminus est & extremus, sicut Pater est primus. Deinde sicut Paternitas excludit omnem productionem passiuam, ita personalitas Spiritus sancti excludit omnem productionem actiuam. Denique similitudo inter personas diuinas potissimùm attenditur ratione essentiæ, in qua nullus infertur excessus, licet Spiritus sanctus procedat à Filio.

DISPVTATIO LXVIII.

Vtrum Spiritus sanctus distingueretur à Filio, licet ab illo non procederet.

SECTIO I.

Quæstionis istius vtilitas.

1 *Gotfredi sententia.* GOTFREDVS quodlib. 7. q. 4. apud Scotum 1. dist. 11. q. 2. sub init. nullam & solutionis incapacẽ esse putauit hãc quæstionem. Quam etiam Torres in præsenti q. 36. art. 2. p. 2. sub init. ad Theologum parum spectare dixit. Cæteri tamen Scholastici quanti eam fecerint, ostendunt accuratæ disputationes illorum. Nec inutiliter in ea labor impenditur. Primò, quia præsens quæstio perpendit exactè vim illius rationis, quæ post authoritatem scripturæ, Conciliorúmque vel Pontificum definitiones, præstantissimam efficaciam habet, vt probet, Spiritum sanctum procedere à Filio, quoniam alioqui non esset persona distincta à Filio, vt videbimus sect. 4. & sequentibus. Secundò, quoniam eadem quæstione melius examinãtur rationes formales, constituentes, ac distinguentes vtramque personam Filij & Spiritus sancti. Tertiò, quia cum alibi sæpe theologis occurrant hypotheses, implicantes contradictionem; disputatio præsens potest cæteris omnibus exhibere normam & regulam philosophandi circa reliquas omnes quæstiones, ex impossibili suppositione natas. *Vtilitas quæstionis.*

2 *Gotfredi fundamentum conuellitur.* Hinc facilè cernitur, Gotfredi fundamentum nullius esse momenti. Ait enim: Ex impossibili sequitur quodlibet: ac proinde cum impossibile sit, Spiritum sanctum à Filio non procedere: hoc impossibili dato, sequitur, Spiritum sanctum distingui à *Filio*, & sequitur etiam non distingui à Filio. Sequitur ergo pars vtraque contradictionis.

3 Respondeo, & Dico primò. Si valeret aliquid hoc argumentum, conninceret, inutiles, & sophisticas esse plurimas probationes theologicas diuersorum dogmatum, quæ ducunt ad impossibile: vt si probes, Deum indifferentia libertatis gaudere, quia si foret causa necessatiò determinata ad vnam partem, operatus fuisset ab æterno secundum vltimum potentiæ; vel nihil vnquam produxisset. Sic etiam probare poteris, Deo conuenire scientiam creaturarum possibilium & existentium; quia si careret illa, non posset creaturas producere & gubernare. Huiusmodi autem est præsens suppositio impossibilis, & quod ex ea sequitur inconueniens.

4 Confirmatur, nam ex illo Gotfredi fundamento sequitur, prorsus inutilem ac sophisticum esse quemlibet syllogismum, qui ducit ad impossibile, nec in disputationibus vtendum esse, nisi solo syllogismo ostensiuo. Consequens autem est contra omnium dialecticorũ & philosophorum sententiam; eripit enim scientiis omnibus bonam partem instrumentorum, quibus veritatem possint in lucem eruere. Sequela probatur, nam vt Aristoteles docet lib. 2. priorum toto cap. 14. præsertim sub init. & prope fin. Syllogismus, ducens ad impossibile, sumit pro Maiori, vel Minori contradictorium illius conclusionis, quam probare intendit: vt quando fuerit illatum inconueniens & impossibile, quod aduersarius concedere non audet; tunc cogatur aduertere falsam esse propositionem, ex qua sequitur: & consequenter esse veram illius contradictoriam. Propterea contradictoriam conclusionis probandæ vocat ibidem Aristoteles hypothesim, quoniam ab arguẽte non asseritur absolutè; sed præmittitur, vt suppositio, ex qua consequitur aliud impossibile.

5 *Non ex quolibet impossibili sequitur quodlibet.* Dico secundò. Non ex quolibet impossibili sequitur quodlibet aliud impossibile, consecutione immediata, insita siue intrinseca: quamuis fortasse post multas illationes, per argumenta generalia, & longè petita sequatur quodlibet aliud. Etenim data hypothesi, quod homo sit taurus, non sequitur inde, lapidem esse incorporeum & intellectiuum: nisi forte quatenus ex illa hypothesi sequuntur duæ contradictoriæ simul veræ, quibus datis, sequitur à paritate rationis, cæteras omnes contradictiones & impossibilitates posse verificari. De quo nihil est curandum.

SECTIO II.

Ex hypothesi, non supponente existentiam Spiritus sancti, vel Filij, sequitur non distingui.

1 VT viam aperiam statui quæstionis, explicando in sect. 3. atque decisioni, tradendæ sect. 4. & sequẽtibus, præmitto id, quod à nemine Catholicorum negari crediderim, & à multis proponitur tanquam certum: continetur autem duabus conclusionibus. Prima conclusio. Si præsens hypothesis non supponat, Spiritum sanctum existere, sed tantum supponat, Spiritum sanctum non procedere à Filio: ex hac suppositione sequitur euidenter, Spiritum sanctum à Filio non distingui realiter distinctione positiua: quatenus sequitur, Spiritum sanctum non existere. Quod autem non existit, non distinguitur ab alio distinctione reali positiua, sed tantum negatiuè, quia non identificatur realiter cum illo.

Prima conclusio. Si præsens hypothesis nõ supponat, Spiritũ sanctum existere.

2 Consecutio verò, qua Spiritum sanctum non existere, sequitur ex eo, quod non procedat à Filio, demonstratur. Primò, sublato namque principio, per se requisito ad alicuius termini productionem, nó potest ille terminus produci, ac subinde non potest existere. Sed duæ personæ Pater & Filius sunt per se requisitæ, tanquam vnum principium, vt Spiritum sanctum producant, infra disput. 71. Hoc autem principium aufertur, si Spiritus sanctus non procedit à Filio. Ergo sub hac hypothesi non potest Spiritus sanctus produci, ac proinde nec existere, si quidem non potest esse ingenitus absq; vlla productione, sicut Pater. Confirmatur, in hac enim productione Filius non est superfluus, nec minus per se requisitus, quàm Pater, ne sit inferior Patre: nec vna persona supplere potuisset defectum alterius.

3 Probatur secundò, quia rei quidditate sublata, non existit res, cuius est illa quidditas. At verò quidditas Spiritus sancti est respicere non modò Patrem, sed etiam Filium, vt vnum spiratorem, vnicumque sui principium. Ergo hac relatione sublata, non existeret Spiritus sanctus. Quod autem Spiritus sancti quidditas consistat in relatione non ad solum Patrem, sed etiam ad Filium vt spiratorem, probabitur disputationibus sequentibus, præcipuè verò disput. 72. Confirmatur primò, nam Spiritus sancti quidditatiuè reciprocus amor est inter Patrem & Filium, vt ostendemus disput. 73. & 74. Sed reciprocus non erit amor, nisi ab vtroque procedat. Ergo non existeret Spiritus sanctus, si non procederet à Filio. Confirmatur secundò, quia donum quidditatiuè respicit donatorem, & sublato donatore, non existeret donum. Sed Spiritus sanctus est quidditatiuè donum non modò Patris, sed etiam Filij tanquam donatoris vnius, infra disput. 75. Ergo si Filius non esset donator Spiritus sancti, tanquam illius principium, sequeretur, Spiritum sanctum non existere. De hac consecutione plura videri possunt apud Gregor. lib. 1. sentent. dist. quæst. 1. artic. 2.

4 *Si non supponatur Filium existere.* Secunda conclusio. Si præsens hypothesis non supponat, Filium existere, sed tantùm supponat, Spiritum sanctum non procedere à Filio: ex hac hypothesi sequitur euidenter, Spiritum sanctum à Filio non distingui reali distinctione positiua: quoniam sequitur, nihil esse Filium, à quo distinguatur Spiritus sanctus. Hæc illatio probatur primò, quia si Spiritus sanctus non procederet à Filio, sequeretur, in Filio non esse spirationem actiuam; ac proinde neque Filiationem, quæ quoniam realiter identificatur cum spiratione actiua, & omnimoda necessitate cohæret cum illa, non potest existere, nisi existente simul actiua spiratione.

5 Probatur secundò, nam hæc est optima consequentia: Omnia, quæ habet Pater, sunt Filij: ergo Spiritus sanctus de Filio accipit, hoc est procedit ab illo. Quapropter à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis erit optima consequentia hæc. Spiritus sanctus non accipit, nec procedit à Filio: Ergo non sunt Filij omnia, quæ habet Pater; ac subinde non est propriè Filius consubstantialis & æqualis, & vnum omnino cum Patre, præter esse Patrem. Vnde manifestè sequitur, non existere Filium diuinum. Prima consequentia traditur à Christo Domino Ioan. 16. dicente: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet.* Cuius vim Patres communiter agnoscunt, quos citauimus præcedenti disput. 67. sect. 3. ponderando secundum

dum testimonium. Peculiariter autem videtur recolendum, quod Eugenius Quartus in Concilio Florentino sess. 25. in literis vnionis, quibus totum concilium subscripsit, ita decreuit: *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem: hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est.* Quapropter à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis optima erit huiusmodi consequentia: Filius à Patre non habet, quod Spiritus sanctus procedat ex Filio. Ergo Pater Vnigenito suo non dedit omnia, præter esse Patrem.

6 Ad huius confirmationem imprimis adduci possunt omnes Patres, qui supra disput. 19. sect. 2. & aliis disputationibus affirmarunt, Patrem Filio dedisse omnia, præter esse Patrem. Confirmatur secundò, sic enim melius intelligitur ratio, quæ minus perspicuè continetur in duplici confessione fidei, quam Latini dederunt Græcis, in eadem sess. 25. §. *Quoniam Græci suspicantur*, præsertim in illis verbis: *Necesse est vt intelligant, Spiritum ex solo Patre procedere, ac communiter non esse Filium.* Hoc est, necessariò sequitur, non existere Filium, quia non erit consubstantialis, vt statim explicatur in eodem §. Clarius autem in §. *Quoniam Græci nos calumniantur*, illis verbis: *Tres in partes diuinam illam substantiam diuidi mente concipiat.* Hoc enim sequitur, si Spiritus sanctus non procedit à Filio, tunc enim non existeret Filius eiusdem substantiæ cum Patre, sed existeret alter Filius diuersæ substantiæ, nec non alter Spiritus sanctus.

SECTIO III.

Status quæstionis.

1 DIco primò. De distinctione rationis nó quæritur in præsenti, sed de sola distinctione reali. Quoniam constat, in prædicta hypothesi, ex eo præcisè quod Spiritus sanctus procederet per voluntatem, non per intellectum: sed è contrario Filius procederet per intellectum, & non per voluntatem, inueniri sufficiens fundamentum ratione ratiocinata distinguendi Spiritum sanctum à Filio. Confirmatur, nam intellectio, volitióque diuina distinguuntur ratione ratiocinata: Ergo termini, per illas producti, distinguentur, vt minimùm, ratione ratiocinata.

2 Dico secundò. Vt maneat quæstioni locus, debet hypothesis supponere, Filium existere, & Spiritum sanctum existere; nihilominus Spiritum S. à Filio non procedere. Nam si vtriusque personæ existentia non supponatur; euidens est, colligi negationem distinctionis, vt ostendimus sect. præc. Veruntamen occurrit Valentia 1. p. de Trin. q. 10. puncto 3. probat. 2. dicens, præsentem disputationem reddi leuissimam & puerilem, si supponamus, Spiritum sanctum existere, quamuis non procedat à Filio: nam perinde erit ac si disputaremus, vtrum supposito, quod Spiritus sanctus distingueretur à Filio, quamuis non procederet à Filio; etiam in hac hypothesi Spiritus sanctus distingueretur à Filio.

3 Respondeo & Dico tertiò. Hypothesis debet supponere, Spiritum sanctum existere non secundum integram rationem Spiritus sancti, sed secundum hanc præcisam rationem formalem, quæ est procedere à Patre per voluntatem: similiter- que supponere debet hypothesis, Filium existere secundum præcisam rationem Filij abstractam à ratione spiratoris. Hac verò suppositione facta, nondum supponitur, Spiritum sanctum distingui à Filio, sed potius restat adhuc grauissima controuersia, vtrum in ea suppositione præintelligatur sufficiens ratio distinctionis ad eum modum, quo data hypothesi, iuxta quam existeret homo secundum animalitatem præcisam absque rationalitate; nihilominus per animalitatẽ distingueretur sufficienter ab arboribus, quamuis non distingueretur à brutis animantibus.

4 Dico quartò. Licet hypothesis supponat, existere Filium, & ab illo non procedere Spiritum sanctum modo nuper explicato: nihilominus præsentis quæstionis scopus est inuestigare, quid sequatur ex negata processione Spiritus sancti à Filio, parum curando, quid sequatur ex affirmata existentia Filij, & affirmata processione Spiritus sancti per voluntatem. Aliquid tamen dicemus de hoc inferius sect. 5. & sequentibus ad explicandum quid probent aduersariorum argumenta. Assertionem explico & probo, supponendo primò, ex quacumque hypothesi impossibili deduci duas contradictorias; sed non sequuntur ambæ ex eadem parte hypothesis: sed ex vna parte hypothesis sequitur altera contradictoria, cum sequatur altera contradictoria ex altera parte hypothesis. Veluti si angelus est animal; ex eo, quod sit angelus, sequitur non esse corporeum neque sensitiuum: at ex eo, quod sit animal, sequitur esse corporeum & sensitiuum. *Ex impossibili cõtradictoria.*

5 Secundò supponendum est, philosophos ac theologos, vt cuitent inutilem laborem notandi vtramque contradictoriam, quæ sequitur ex hypothesi impossibili, communiter prætermittere quod sequitur ex subiecto, aut ex alia parte minus principali antecedentis; & solummodo considerare ac discutere quid sequatur ex ea parte prædicati, quæ insignior est in illo, & cuius vis & quidditas proponitur examinanda. Iuxta quam differendi formam theologi pronunciant absolutè tanquam certas huiusmodi conditionales. Si essent plures dij, sequeretur, vnumquemque illorum esse finitum, & imperfectum (quamuis aliunde ex eo, quod eorum quilibet esset Deus, sequeretur esse infinitum & perfectum:) Si Deus non haberet Filium & Verbum; esset sterilis & mutus, ac proinde imperfectus (quamuis aliunde ex eo, quod sit Deus, sequatur esse perfectum, & loquendi potestate præditum:) sic de scientia vel de libertate diuina, de visione omnium possibilium in Deo, aliisque mille dogmatibus theologicis & philosophicis inuenies plurima exẽpla. *Attenditur præsertim quid sequatur ex prædicato.*

6 Ex his fundamentis colligo, præsentis disputationis scopum esse inuestigare, quid sequatur ex negata processione Spiritus sancti à Filio; non verò quid sequatur ex affirmata existentia Filij; neque quid sequatur ex affirmata processione Spiritus sancti per voluntatem. Probatur primò, nam in hac propositione: *Spiritus sanctus non procedit à Filio*, prædicati pars insignior est *non procedit*. At verò Spiritus sanctus ponitur à parte subiecti, Filiúsque ponitur in obliquo, tanquam minus principalis pars istius prædicati.

7 Secundò ac potissimùm probatur assertio, quamuis enim constituas in recto Spiritum sanctum & Filium à parte prædicati: adhuc quod olim contra Græcos fuit necessarium disputare, & in præsenti est vtile Scholasticis, ac proinde quod præ oculis habent, illud est, vtrum diuina-

rum personarum distinctio ita sit quidditatiuè constituta in relatione originis, vt sublata origine vnius personæ ab alia, tollatur etiam formaliter & immediatè distinctio personarum illarum. Ad cuius difficultatis magis expeditam & apertam explicationem parum doctores curãt, quid sequatur ex aliis verbis aut formalitatibus, insertis in eadem hypothesi.

SECTIO IV.

Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo.

1 INtelligenda venit hæc assertio modo iam explicato sect. præcedenti, ita vt supposito quod Filius existeret, præcisè prout Filius est, ac Spiritus sanctus procederet à solo Patre per voluntatem; ex negata processione Spiritus sancti à Filio, sequeretur negatio distinctionis realis inter illos. Quapropter in ea hypothesi sequeretur, Spiritum sanctum esse vnicam personam, constitutam duplici processione à Patre, proptereáque constitutam duplici relatione ad Patrem.

2 Hæc est mens Scholasticorum, asserentium: Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo. Ita S. Thomas quæst. 36. art. 2. & lib. 4. contra Gentes cap. 24. fusiùs autem de potent. quæst. 10. art. 5. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 32. §. 30. & 31. Alexand. 1. p. quæst. 43. mem. 4. rationibus in contrarium, Albertus similiter 1. p. quæst. 31. mem. 3. rationibus in contrarium, S. Bonau. 1. dist. 11. art. 1. q. 1. rationibus in contrarium. Quibus tres prædicti doctores assensum præbent & non solutionem, Durandus eadem dist. 11. quæst. 2. Vbi Ægidius art. 1. quæst. 3. Hurtæus quæst. 1. Argentina eadem dist. 11. quæst. 2. art. 2. Capreolus quæst. 1. art. 1. sub init. Marsil. 1. quæst. 15. art. 3. ad 3. rationem. Ferrariens. 4. contra gentes cap. 24. Communiter expositores S. Thomæ in præsenti quæst. 36. art. 2. vbi Caietanus, Canarien. & Molina, Valentia sua quæst. 10. de Trinit. puncto 3. Vazquez disput. 147. cap. 4. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 26. Suarez lib. 10. de Trinit. cap. 2. In hanc sententiam inclinat magis Ricardus 1. dist. 11. art. vnico quæst. 2. quoniam vltimo loco sententiam hanc explicat & defendit, quamuis non reiiciat alias. Ex parte consentiunt Henricus, Scotus, Aureolus, Ioan. Bachon, Gregorius & Gabriel citati sect. 5.

3 *Vbi nõ obuiat relationis oppositio, omnia sunt vnum in Deo.*

Ratione probatur primò, quoniam in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. At si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non obuiaret relationis oppositio inter Spiritum sanctum & Filium. Ergo Spiritus sanctus & Filius essent vnum, non solùm quantum ad Deitatem, sed etiam quantum ad personam. Maior, quæ primarium fundamentum est istius conclusionis, traditur à multis Conciliis & Patribus, asserentibus, personas diuinas non alia ratione multiplicati, neque distingui, nisi relatione processionis. Quemadmodum Græci Latiníque docent in Concilio Florentino sess. 18. longè post med. §. *diuina substantia. & §. dixi equidem.* Concil. Toletanum Vndecimum in confessione fidei, vbi etiam VVormacien se Concilium, Nazianzenus orat. 37. colum. 5. & orat. 39. circa med. Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 3. propius ad princ. quàm ad med. & lib. 7. cap. 1. paulo post méd. & lib. 11. cap. vnico non longè ante fin. Gregor. Nyssenus lib. ad Ablabium *quod non tres dij*, circa finem, August. lib. 5. de Trin. cap. 8. à princ. & c. 11. à princ. & lib. 7. cap. 2. & cap. vltimo inter med. & fin. & lib. 8. cap. 1. initio, & lib. 11. cap. 10. prope med. & serm. 38. de tempore inter princ. & med. & iterum atque iterum in sequenti progressu, Boëtius lib. de Trinitate versus fin. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. & epist. de proces. Spiritus sancti cap. 2. post med. & sequenti cap. 3. non longè à princ. atque iterum in medio, & in cap. penult. prope fin. ac denique in cap. vltimo post med. Iisdorus lib. 2. de differen. spiritualibus cap. 2. Bernardus epist. 190. ad Innocen. col. 2. Quorum omnium verba ponderauimus disput. 9. sect. 5. à num. 7. vsque ad 20. & num. 28. & in eadem disput. 9. sect. 2. Eandem quoque doctrinam ex Augustino recipiunt Magister dist. 22. cap. *sciendum*, & cap. *Deus*, & communiter ibidem Scholastici.

4 Confirmatur primò, quia Patres communiter non agnoscunt alia constitutiua, neque distinctiua personarum diuinarum, nisi relationes, siue origines secundum rationem causæ & causati (vt Græci loquuntur) vel principij & procedentis à principio: vt constabit disp. 86. & sequentibus. Confirmatur secundò, nam Pater ab aliis personis distinguitur, eo quod Pater est, & Filius quia Filius est, & non est Pater nec Spiritus sanctus; ac Spiritus sanctus distinguitur, quia est Spiritus sanctus. His autem nominibus formaliter importari relationes & ordinem originis, plurimorum Patrum testimoniis probatum est disp. 9. sect. 2. & 3. Ergo relationibus formaliter constituuntur ac distinguuntur personæ.

5 Tertiò confirmatur, nam ad relationes originis tandem euadit, quod multi Patres asserunt, personas ea tantùm ratione distingui, quia Pater est Genitor, Filius est Genitus, & Spiritus sanctus procedit. Quemadmodum Iustinus in expositione fidei prope init. Athanas. dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomæum colum. 3. & iterum in med. & lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. Ambros. de fide ad Gratian. lib. 1. cap. 2. propius ad med. quàm ad princ. & lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 9. in med. Fulgentius ad obiectionem 1. Arianorum sub init. & lib. de fide ad Petrum cap. 1. fine, aliique Patres, quorum sententias ponderabimus disput. 87. sect. 2. 3. & 4. præsertim sect. 5.

6 Quę restant probationes ab eodem fundamento relationis & originis robur accipiunt, & vicem rependunt, illud corroborando. Sit ergo secunda probatio, quia conclusio nostra non tantùm expressè traditur in actis Concilij Florentini, sed etiam efficaciter probatur ex supradicto fundamento. Præstitit hoc imprimis Bessarion in orat. pro vnione, quæ ponitur post totum Concilium Florentinum ad finem sessionis 25. Cui approbatio tacita cęterorum Patrum Florentinorum maximam authoritatẽ conciliat in controuersia de processione Spiritus sancti à Filio, præsertim verò mirifica eiusdem orationis consonantia cum definitionibus rationibúsque Concilij vsq; adeo, vt ea oratio videatur esse copiosus quidam commentarius illius definitionis, quam sessio. 25. Patres Florentini cum Eugenio I V. decreuerunt locis infra citandis.

7 Dictus igitur Patriarcha Constantin. in cap. 6. prædictæ orationis colum. 8. & 9. docet, diuinas personas constitui & distingui priùs & principaliter per eas relationes, quæ fundantur in origine, seu

seu processione. Priùs autem in eodem cap. 6. colum. 6. post med. Bessarion refert & explicat ita testimonium Gregorij Nysseni libro ad Ablabium prope finem. *Eo distinguitur, inquit Nyssenus, Spiritus à Filio, quia per ipsum est; quasi diceret, quod cum ambo à Primo sint, non sufficienter distingueretur, nisi alter per alterum esset.* Hæc Bessarion. Vbi etiam ostendit, illam phrasim, *alter esset per alterum*, idest, Spiritus esset per Filium, idem valere, ac si dixisset, Spiritus sanctus procederet à Patre simul & Filio; vt magis constabit disput. sequenti sect. 3. Ponderandum est aduerbium illud, *sufficienter*, innuit enim, ex eo capite, quo supponitur, Spiritum sanctum à Patre procedere per voluntatem, & Filium procedere per intellectum, dari antecedens, vnde colligatur distinctio (modo dicendo in sect. 5. & 6.) Cæterùm ex alio capite, quatenus negatur, Spiritum sanctum à Filio procedere, rationem distinctionis excludi; proptereáque priorem rationem distinctionis insufficiẽtem & mancam remanere.

8 Confirmatur primò, nam alia verba Nysseni eodem libro ad Ablabium prope fin. satis ostendunt, quàm ad illius mentem explicuerit præcedentia verba Bessarion. Ait ergo Nyssenus: *Per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo quod ex causa est.* Ergo apud Nyssenum totalis & vnica ratio distinguendi Spiritum sanctum à Filio, hæc est, quia procedit à Filio tanquam à causa, quę est ex alia priori causa, videlicet ex Patre. Porrò cessante causa totali & vnica distinctionis, tolleretur absolutè distinctio. Ergo si non procederet Spiritus sanctus à Filio, non distingueretur ab illo.

9 Confirmatur secundò, nam in eodem Florentino sess. 18. post med. §. *duina substantia*, Ioan. Theologus ex sententia Græcorum Patrum, incommunicabilitatem prouenire ex vi relationis. Incommunicabilitas autem aut est idem omnino, quod realis distinctio, aut indissolubiter cum distinctione coniungitur, & adæquatè conuertitur cum ea. Deinde verò personalem proprietatem incommunicabilem prouenire ex ratione principij & procedentis à principio, docet idem disputator, vocans principium, *à quo aliquid*, & terminum, procedentem à principio, vocans *ad quod aliquid*. Ergo nisi inter Filium & Spiritum sanctum intercedat prædictus ordo principij & procedentis à principio, non dabitur inter eos incommunicabilitas proprietatum personalium, sed omnia prorsus absque vlla exceptione communia erunt Filio & Spiritui sancto. Quapropter nihil erit, quo realiter distinguantur.

10 Confirmatur tertiò, quoniam idem disputator paulo inferius §. *dixi equidem*, ita concludit: *Sola relatio, apud omnes Græcos & Latinos doctores, diuina processione personas multiplicat, ita vt non vlla alia ratione, quàm vi relationis vna persona ab alia differat.* Ergo sublata relatione, quæ processione multiplicet, nihil erit, quo differat Spiritus sanctus à Filio. Hæc autem relatio comparatione Filij aufertur, si Spiritus sanctus nõ procedit à Filio. Maximè quoniam Ioãnes Theologus ibidem explicat magis, hanc relationem esse debere principij & procedentis à principio. Quod eo fine docet, vt inde colligat, Spiritũ sanctum procedere à Filio. Quapropter sine dubio mens illius fuit, Spiritum sanctum non alia ratione distingui à Filio, quàm vi relationis, iuxta quam procedit à Filio.

11 Tertia probatio principalis est, quia spiratio actiua propterea non constituit tertiam personam realiter distinctam à Patre & Filio, quoniam illis non opponitur relatiuè (vt vidimus disp. 17. sect. 2. & sequẽtibus.) Quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio, spiratio passiua non opponeretur Filio: ergo non constitueret personam realiter distinctam à Filio. Confirmatur primò, quamuis enim Spiritus sanctus non procederet à Filio; remanerent in personis duæ relationes principij producentis, altera esset Paternitas, altera spiratio actiua; quæ duæ relationes sola ratione distinguerentur in ea hypothesi. Præterea remanerent duæ relationes termini producti, nimirum Filiatio & spiratio passiua. At hæ duæ relationes termini producti nihil haberent amplius, quo realiter distingueretur ab inuicem, quam illæ duæ relationes principij producentis, videlicet Paternitas & spiratio actiua. Quam ob rem sicut in hac hypothesi coirent in vnicam & eandem personam ingenitam illæ duæ relationes Paternitatis & spirationis actiuæ: sic etiam in vnicam & eandem personam productam coirent Filiatio & spiratio passiua: esséque tunc vnica persona, habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris & Spiratoris; vt sapienter colligit S. Thomas in præsenti art. 2. corpore.

Spiratio passiua non opponeretur Filio, si non procederet ab illo.

12 Confirmatur secundò, quia siue existimes, diuinas personas constitui relationibus, inquantum relationes sunt, siue constitui per origines actiuas & passiuas: eadem proportio manebit inter actiuas & passiuas origines, quam nuper explicuimus inter relationes principij & termini producti. Consequenter igitur manebit eadem vis & robur præsentis probationis, quamuis dixeris, personas non constitui per relationes, sed per origines: nam origo passiua Spiritus sancti non opponeretur Filio, ideóque non constitueret personam realiter distinctam à Filio: sicut origo actiua Spiritus sancti non constituit personam realiter distinctam à Patre & Filio, quia non opponitur illis.

13 Respondet Scotus 1. dist. 11. quæst. 2. fine, disparitatem esse, quod impossibile sit eandem rem produci duabus productionibus oppositis: cum tamen idem agens possit multis productionibus actiuis res distinctas producere. Sed ex dictis facilè refutatur primò, quia si vim solutionis ponit in eo, quod passiuæ productiones sint oppositæ, petit principium in reddenda ratione discriminis, quia supponit illud ipsum, cuius debet rationem reddere, videlicet, productiones passiuas esse oppositas. Secundò, quoniam si vna productio passiua non ducit originem ex alia, nihil habere potest in diuinis, ratione cuius opponatur alteri productioni passiuæ: siquidem oppositio tota prouenit ex ratione principij & procedentis à principio, vt probatum est. Tertiò, quoniam eadem ratione dicere potuisset Scotus, quod idem agens actiuis productionibus oppositis non potest distinctas res producere. Nulla quippe ratio est, propter quam supponat, nunquam esse oppositas in agente productiones actiuas manentes in ipso, sicut in Patre manet generatio & spiratio actiua: sed econtrario semper esse oppositas productiones passiuas, seclusa origine vnius ex alia. Quartò, nam inter suppositа, quæ constituuntur formalissimè per relationem producentis & producti, nulla potest esse disparitatis ratio, propter quam, duæ relationes producentis multiplicent duo suppositа realiter

distincta;

distincta; & tamen duæ relationes producti constituant duo suppositа. Denique in rebus creatis supernaturaliter est possibile eundem effectum duplici productione produci, quemadmodum in Eucharistia Christus Dominus. Sed de hoc aliàs.

14 Quarta probatio, quoniam infinita Dei perfectio requirit summam simplicitatem & consequenter summam identitatem earum omnium perfectionum, quibus non repugnauerit identitas ratione suæ quidditatis. Huiusmodi verò forent in Deo terminus productus per intellectionem & terminus productus per volitionem: si terminus hic non procederet ab illo. Quia sicut intellectioni & volitioni diuinę ratione suę quidditatis non repugnat realiter identificari, propterea̅que realiter identificantur; eadem ratione non repugnaret identitas termino producto per illas. *Aliæ probationes solent à doctoribus adduci, quas consulto prætermitto, quoniam immediatè inferunt, non existere Spiritum sanctum, aut non existere Filium; propterea̅que currunt vltra metas præsentis disputationis, cuius hypothesis supponit, existere Filium & Spiritum sanctum, vt vidimus sect. 2. & 3.* *Probationes insufficientes.*

15 Illud postremò notatu dignum est, præsentem conclusionem non posse probari ex aliquo principio communi cuicumque relationi tam creatæ quàm increatæ: sed tantùm probari posse peculiari perfectione entis infiniti & increati, quæ postulat omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Id autem non potuit suis viribus consequi ratio naturalis, sed ex lumine fidei deductum est, vt præcedentes probationes ostendunt.

16 Sed Caietanus & Canariensis quæst. 36. art. 2. conati sunt conclusionem probare principio, communi quibuslibet relationibus, hoc ferè modo. Relatio non distinguitur, nisi inquantum relatio, & secundum propriam rationem relationis. At verò propria ratio relationis est referre ad terminum. Ergo relatio non distinguitur, nisi ab eo termino, quem respicit. Veruntamen hæc consecutio nulla est. Hoc enim, quod est referre ad terminum, formaliter inquantum tale, distinguitur à quocumque absoluto, quia nullum absolutum est referre ad terminum. Sic enim generalissimum prædicamenti relationis, formaliter inquantum relatio est, distinguitur à substantia & quantitate, cæterisque prædicamentis: quamuis generalissimum prædicamenti relationis non respiciat tanquam terminum illa prædicamenta. Confirmatur, quia relatio similitudinis in albedine, distinguitur realiter non solùm à correlatiua similitudine, quam respicit, sed etiam à relationibus disparatis, quas non respicit, vt à creata Paternitate ac filiatione, ab æqualitate, propinquitate, aliisque similibus.

SECTIO V.

Contrariæ sententiæ censura, & generalis solutio argumentorum.

1 *Summa sententiæ cõtrariæ.* PLurima sunt, quibus ab inuicè dissentiunt authores contrariæ sententiæ, quæ singula persequi, plus nimio quæstionis huius obscuritatẽ, & prolixitatem augeret. Substantia tamen conclusionis principalis, qua directè respondent propositæ quæstioni, hæc est. Spiritus sanctus distingueretur à Filio, licet ab illo non procederet. Quia licet à Filio præscindas spirationem actiuam, sola filiatione sufficienter distinguitur à Spiritu sancto: sicut etiam Spiritus sanctus sola relatione spirationis passiuæ, qua respicit Patrem vt Spiratorem, sufficienter distinguitur à Filio; licet præscindas relationem Spiritus sancti ad Filium tanquam ad Spiratorem. Primarium fundamentum est, quoniam omnes relationes, *Fundamẽtũ.* siue creatæ siue increatæ distinctionem afferunt, non tantum à suis correlatiuis, sed etiam ab alia quacumque relatione disparata. Reliqua fundamenta videbimus sectione 6. & 8.

Docuit hanc sententiam Henricus quodlib. 5. quæst. 9. Bachon 1. distinctione 13. quæstione 1. Scotus 1. sentent. dist. 11. quæst. 2. Vbi Gregor. quæst. 1. art. 2. Gabriel. quæst. 2. art. 2. & 3. (quamuis ambiguè ac diminutè) & in eam inclinat magis Carthus. dist. 11. quæst. 2. colum. penult. & vltima. Ricard. autem art. vnico quæst. 2. eam refert, & non refutat. Ex his doctoribus aliqui concedunt, etiam sequi, quod Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si non procederet ab illo: nihilominus dicunt, hoc non sequi præsuppositа existentia Filij & Spiritus sancti, sed potius inquantum ex negata processione Spiritus sancti à Filio, sequitur non existere Filium, nec Spiritum sanctum, vt vidimus sect. 2. 2

Aureolus in hac re singularis est, in 1. dist. 11. art. 3. præsertim conclusione 4. definiens, quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio, Filius tunc non maneret in ratione personæ, quam, existimat, partialiter constitui per spirationem actiuam; sed tantùm maneret in ratione termini producti per generationem; Spiritus verò sanctus maneret in ratione personæ, distinctæ ab illo termino genito. 3

Quod attinet ad censuram distinguendæ sunt duæ primariæ partes, contradicentes veræ doctrinæ, ac de singulis dicendum est sigillatim. *Dictum primum.* 4
Dico igitur primò. Non est probabile, nec in fide tutum asserere, quod Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio, licet ab illo non procederet. Hæc enim propositio directè pugnat cum expressa doctrina Patrum Florentinorum, tacitè approbante Concilio, vt vidimus sectione præcedenti probatione secunda & eneruat præcipuum fundamentum eorum, quo processionem à Filio probant, quoniam sine illa non distingueretur à Filio.

Vitanda sunt igitur extrema tam nimiæ seueritatis, quàm indulgentiæ. Quidam enim Thomistæ, quo seuerius animaduertant in aduersarios, ex suo cerebro corrigunt aliqua loca Concilij Florentini, quasi scriptorum vitio aut negligentia fuerint corrupta; cum tamen in omnibus editionibus eodem modo legantur, & conuenientem sensum reddant, quem explicuimus sect. 2. con. 2. probat. 2. Contrarium extremum tenent, qui dicunt, nihil periculi esse in prædicta sententia, licet eam vt falsam reiiciant. 5

Dico secundò. Vera est altera pars eiusdem opinionis, videlicet ex affirmata processione Spiritus sancti à Patre, & affirmata existentia Filij per bonam illationem colligi realem distinctionem Spiritus sancti à Filio. Hanc probat fundamentum contrariæ sententiæ nuper relatum, & reliqua argumenta, quæ sectionibus sequentibus soluenda restant. *Dictum secundum.* 6

Vnde colligo, & Dico tertiò. Præcipua solutio cunctorum argumentorum aduersus veritatem, præcedenti sectione probatam, in eo consistit, vt distinguendo concedamus, ex affirmata processione *Dictum tertium.* 7

processione Spiritus sancti à Patre, ac simul affirmata existentia Filij, rectè colligi realem distinctionem eorum: nihilominus defendamus simul, optimam illationem esse, per quam ex negata processione Spiritus sancti à Filio, colligitur negatio distinctionis realis à Filio. Hæc igitur sit generalis solutio omnium argumentorum, quibus sigillatim applicabitur sectione sequenti.

SECTIO VI.

Prædicta solutio accommodatur argumentis, quæ distinctionem inferunt ex diuerso modo procedendi.

1 PRimum & magis generale argumentum est, quoniam diuersi & incompossibiles modi productionis passiuæ sufficiunt ad inferendam realem distinctionem terminorum, qui per illam producuntur. Sed diuersi & incompossibiles modi productionis passiuæ manerent in Filio & in Spiritu sancto, licet Spiritus sanctus non procederet à Filio. Ergo licet Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo. Minor probatur, nam modus productionis Filij est per intellectionem, vt productio Verbi, & est propriè natiuitas, seu generatio passiua: qui modus productionis incompossibilis est Spiritui sancto, cum non sit Verbum nec Filius, nec procedat per intellectionem, sed per volitionem ad instar vitalis halitus spirati. Porrò vterque modus productionis permaneret in Filio & in Spiritu sancto, licet Spiritus sanctus non procederet à Filio. Ergo permanerent diuersi, & incompossibiles modi productionis passiuæ, licet Spiritus sanctus non procederet à Filio.

2 Confirmatur primò, quia diuersi modi productionis passiuæ postulant terminos distinctos, licet vnus ab altero non procedat, quemadmodum frigefactio & illuminatio postulant per ipsas produci frigus & lumen, qui sunt termini realiter distincti, licet neuter procedat ab altero. Cõfirmatur secundò, quia nihil potest bis produci duabus productionibus, connaturalibus sibi & adæquatis. Sed generatio & spiratio sunt productiones connaturales, hoc est, quidditatiuè postulatæ à termino producendo per illas, & adæquatè sufficientes singulæ, vt suum terminum producant. Ergo non potest esse vnus terminus bis productus per illas, sed necessariò debent esse duo termini realiter distincti per illas producti.

3 Respondetur. Hoc argumento & confirmationibus eius rectè probatur, quod ex affirmata processione Spiritus sancti per volitionem, infertur realis distinctio Spiritus sancti à Filio. Hoc tamen non obstat, quominus aliunde contradictorium inferatur, quatenus ex negata processione Spiritus sancti à Filio sequitur, Spiritum sanctum à Filio non distingui, imo sequitur etiam non procedere per voluntatem propter probationes ponderatas in sect. 4.

4 *Secũdum argumentum.* Eodem modo soluuntur alia quædam argumenta, desumpta ex Patribus, constituentibus discrimen Spiritus sancti à Filio secundum diuersum modum productionis, seu processionis. Sit igitur secundum argumentum, quia Nazianzenus orat. 39. in sancta lumina circa med. & post num. 24. ostendens Filium à Patre distingui, quia Filius est procedens à Patre, subiungit: *Spiritus sanctus verò Spiritus est, procedens quidem ex Patre, non tamen Filiationis modo, vt nec generationis, verùm processionis.* Respondetur. Hoc discrimen Spiritus sancti à Filio in illis fuisse permansurum, rectè sequitur ex eo, quod vnus sit Filius, & alter sit Spiritus sanctus. Hoc tamen non obstat, quominus inferatur contradictorium ex eo, quod Spiritus sanctus non procedat à Filio. Ex hoc enim sicut infertur non esse distinctum à Filio, sic etiam sequitur eius processionis modum non esse distinctum à modo generationis & Filiationis, quo procedit Filius. *Soluitur.*

Sit tertium argum. quod Athanas. dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomæum inter med. & fin. obseruat, inter Filium & Spiritum sanctum *differentiam esse non habita ratione, quod sint ex hypostasi; sed quod vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore.* Quæ differentia maneret, quamuis Spiritus sanctus non procederet à Filio. Respondetur, Maneret quidem illa differentia, quatenus infertur ex affirmata processione Spiritus sancti per voluntatem. Econtrario tamen nec illa, nec alia realis distinctio Spiritus sancti à Filio permaneret, quantum est ex vi consequentiæ deductæ ex negata processione Spiritus sancti à Filio. Sed expositionem mentis Athanasij in eo loco dedimus disput. 8. sect. 1. num. 3. 4. & 5. *Tertium argumentum.* 5 *Soluitur.*

Quartum argumentum sit, quoniam Augustinus lib. 5. de Trin. cap. 14. sub init. proposita quæstione cur Spiritus sanctus non sit Filius, respondet: *Exijt enim non quomodo natus, sed quomodo datus.* Quod discrimen recipiunt Magister & communiter scholastici 1. distinct. 13. & dist. 18. At verò ex eo solùm, quod in hypothesi supponitur, Spiritum sanctum à Patre procedere per voluntatem, permaneret illud discrimen inter datum & natum. Respondetur. Ex affirmata processione Spiritus sancti per voluntatem, rectè sequitur, manere prædictum discrimen inter datum & natum. Aliunde tamen ex negata processione Spiritus sancti à Filio, sequitur, non manere discrimen vllum realis distinctionis, & consequenter Spiritum sanctum non esse datum seu donum: nam sub ratione doni Spiritus sanctus refertur non solum ad Patrem, sed etiam ad Filium vt donatorem; quemadmodum ex eodem loco Augustini notauimus disp. 8. sect. 1. num. 19. *Quartum argumentum.* 6 *Soluitur.*

Quintum argum. accipi potest ex Damasceno lib. 1. de fide cap. 7. 9. 10. 11. & 18. vbi Spiritum sanctum distinguit à Filio, quoniam Spiritus S. est à Patre prodiens *non filialiter, sed processibiliter.* Sed respondeti potest eodem modo, quo dictum est ad præcedentia testimonia. Cæterum adiungi potest etiam, non esse exploratam sententiam Damasceni de processione Spiritus sancti à Filio, vt videbimus disput. 67. sect. 1. post med. & sect. 9. argum. 8. *Quintum argumentum.* 7 *Soluitur.*

Sextum argumentum facessit maius negotium defendendi mentem Anselmi circa præsentem quæstionem. Anselmum quippe sensisse, quod Spiritus sanctus distingueretur à Filio, licet ab illo non procederet, existimant *non modò* quidam illius sententiæ sectatores, vt Carthus. dist. 11. q. 2. colum. penult. sed etiam aliqui defendentes, quod non distingueretur; asserunt enim, huic veritati nihil fauere Anselmum, sed putare, quod disparatæ relationes, *licet* non referantur ad inuicem, sufficiunt ad distinguendas personas diuinas. Ita de Anselmo iudicat Vazquez disp. 147. cap. 4. post med. & Suarez lib. 10. cap. 2. num. 2. & 7. Ad hoc probandũ adducunt Anselmi verba in epistola de processione Spiritus sancti duobus præcipuè *Sextum argumentum.* 8

præcipuè capitibus, videlicet 2. & 4. Ex cap. 2. circa med. ponderant illud: *Alio modo intelligitur Filius esse de Patre, & aliter Spiritus sanctus. Filius enim est de Patre suo, id est, de Deo, qui est Pater eius. Spiritus sanctus verò, non est de Deo Patre suo, sed tantùm de Deo, qui est Pater.* Vnde infert, Spiritum sanctum non esse Filium. Et post pauca subiungit: *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem; sed alij sint ab inuicem; quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio. Nam quomodo Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis & processionis referuntur ad inuicem vt diuersi, & alij ab inuicem.*

9 *Soluitur, & exponitur Anselmus.* Respondeo & Dico primò. Anselmus in eo cap. 2. non loquitur ex propria sententia, sed tantùm explicat, quomodo Græci negantes processionem à Filio, defendant distinctionem personarum. Hoc etenim esse totius capitis argumentum, constat ex illius initio, & ex præcedenti cap. 1. clariùs autem in fine capitis 2. ait: *Filius autem (vt interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat, quod Spiritus sanctus de illo sit, & procedat) ideo non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius: quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus verò non nascendo, sed procedendo.* Manifestum est igitur, hoc esse dictum ab Anselmo non iuxta plenum & exactum veritatis examen, sed iuxta modum qualitercumque defendendi vnum dogma catholicum, antequam declaretur aliud, à quo necessariò dependet. Vnde sequenti capite 3. quamuis frequenter repetat illam distinctionem processionis & natiuitatis, paulo post medium admonet: *Cum autem apparebit; quia Spiritus sanctus est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus Filius.* Vbi si consideretur bene contextus, ponitur hæc quasi adæquata causa distinctionis, quam remittit inferius exponendam.

10 Eodem modo responderi potest ad aliud testimonium, quod affertur ex sequenti cap. 4. inter medium & finem illis præcipuè verbis: *Ideo non habet hic vnitas illa vim consequentiæ; quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur & processione. Nam & si per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diuersi.* Nondum Anselmus constituerat, Spiritum sanctum à Filio procedere, sed in eo capite supponebat principium, etiam à Græcis concessum, vt inde postea colligeret processionem à Filio.

11 Ex quibus infero & Dico secundò. Simpliciter vera sunt ea, quæ docuit Anselmus locis nuper adductis, & nihil repugnant, sed potius optimè consonant cum alia veritate, quam postea docuit satis apertè, quod Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si non procederet ab illo. Quamuis enim ex affirmato peculiari modo processionis, à natiuitate diuerso, consequentia bona sit, qua deducitur, Spiritum sanctum à Filio distingui: nihilominus aliunde contradictorium infertur, quatenus ex negata processione Spiritus sancti à Filio, sequitur, illi non opponi relatione originis, propterea{que} non distingui à Filio. Vnde colligitur vlterius, modos processionis Filij & Spiritus sancti non esse diuersos. Acutè namque S. Thomas, respondens ad aliqua ex supradictis verbis Anselmi præsenti quæst. 36. art. 2. fine dixit: *Spiritus sanctus distinguitur personaliter à Filio in hoc, quod origo vnius distinguitur ab origine alterius. Sed ipsa differentia originis est per hoc, quod Filius est solum à Patre, Spiritus sanctus verò à Patre & Filio. Non enim aliter processiones distinguerentur.* Quia videlicet non procederet tanquam volitio in facto esse, quæ necessariò ac per se procedit ex Verbo, nec tanquam reciprocus amor: vt sect. 4. declaratum est, & de veritate quæst. 10. art. 5. ad 2. S. Thomas respondet, prædicta verba fuisse *inducta ab Anselmo magis*, vt disputatiuam suppositionem, quam vt veritatis diffinitionem.

Dico tertiò. Verè fuit mens Anselmi eo libro probare, quod Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si non procederet ab illo; quia defuisset relationis oppositio, quæ nisi obuiet, omnia sunt vnum in Deo. Probatur primò, nam illud axioma, *In Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*, verè traditur ab Anselmo in prædicta epistola, vt efficaciter probauimus disput. 9. sect. 5. num. 16. & sequentibus, & num. 28. Nec immeritò tanquam authori tribuitur Anselmo communi consensu nobilioris & antiquioris partis scholasticorum. 12

Vnde colligitur probatio secunda, totus enim discursus illius epistolæ corruit, eneruatis illius rationibus, ac dissolutis earum compagibus adeo, vt non modò non cohæreant inuicem, sed etiam earum membra sint inconsequentia, & inuicem repugnantia. Nam ex prædicto fundamento rectè colligit, quamlibet personam diuinam necessariò procedere à qualibet persona, quam non produxerit, si distinguitur realiter ab illa, quia sola oppositio relatiua principij & termini procedentis ab illo, potuit diuinas personas distinguere: vt constat in cap. 3. post med. Rursus in cap. 4. & cap. 5. à med. colligit, quod Spiritus sanctus ea tantùm ratione non est à seipso, licet sit Deus ex Deo, quia deficit oppositio, distinctioque requisita inter Deum, à quo Deus, & Deum, qui est à Deo. (His enim vocabulis gaudet Anselmus ibi.) Quapropter si Spiritus sanctus non esset ab vno Deo Patre & Filio; non poterat hoc aliunde prouenire, nisi ea tantùm ratione, quoniam inter illos deesset realis distinctio, & essent realiter vnus. 13

Confirmatur primò, nam sequenti cap. 6. paulo post medium magis vrget eundem discursum, probans, quod Spiritus sanctus ideo est de Patre, quia est de Deo, *& nulla suprædicta obuiat relatio* (videlicet, principij & procedentis à principio relatio, quæ postulat realem distinctionem, non obuiat inter Deum & Patrem.) Vnde colligit Anselmus, Spiritum sanctum esse de Filio, quia Filius est Deus, & Spiritus sanctus est de Deo, nec obuiat relatio, postulans distinctionem inter Deum & Filium. Quod si Spiritus sanctus non esset de Filio, sequeretur, id propterea tantùm euenire, quoniam Filius & Spiritus sanctus essent realiter vnus absque distinctione reali; quam ob causam obstaret relatio originis, ne inter eos reperiretur. Confirmatur secundò, nam si Spiritus sanctus non procederet à Filio, sequeretur quod Filius non esset spirator, ac proinde, quantum ad hoc, non esset vnum cum Patre; vnde sequeretur inter Spiratorem & Filium obuiare relationem originis, idcóque Filium à Spiratore procedere, propterea{que} spiratum esse, & consequenter Filium esse Spiritum sanctum. Reliqua studiosis lectoribus in ipsa epistola Anselmi consideranda remitto. 14

SECTIO

SECTIO VII.

Cæteris argumentis solutio eadem satisfacit.

1 PRimum argumentum sit. Amor, qui est terminus volitionis creatæ, non procedit à verbo creato: nihilominus realiter distinguitur ab illo. Ergo similiter Spiritus sanctus distingueretur realiter à Verbo, etiamsi procederet ab illo. Confirmatur, quia licet Spiritus sanctus non procederet à Verbo, foret persona constituta in ratione amoris subsistentis. Ergo esset realiter distinctus à Filio subsistente in ratione Verbi, non in ratione amoris.

2 *Prima solutio.* Respond. primò. Ex eo quod Spiritus sanctus sit terminus integer & adæquatus amoris, Verbum autem sit terminus integer & adæquatus intellectionis; rectè sequitur, eos esse realiter distinctos. Nihilominus simul permanet bonitas & robur alterius illationis, per quam ex negata processione à Filio colligitur negatio distinctionis. Hæc autem consequentia non valet in verbo & amore creato: nam horum actuum distinctionem præstat eorum limitatio simul cum distinctione obiectorum & potentiarum, à quibus procedunt. At in ente simpliciter infinito & summè simplici sola relatio originis afferre potest distinctionem, vt probatum est sect. 4. Respond. secundò. Amor creatus, qui necessarius est, & non liber, aliquo modo procedit à verbo creato, quo proponitur bonum amandum: procedit autem, vt minimum, aliquo genere resultantiæ, quæ reducitur ad efficientiam. Hic autem procedendi modus altior esse debet, vbi sunt duo suppositi subsistentia & infinitæ perfectionis Verbum & Amor necessarius. *Secunda solutio.*

3 *Secundū argumentum.* Secundum argumentum. Manentibus constitutiuis quorumlibet suppositorum, manet eorum distinctio. Sed manente Filiatione & Processione, manent constitutiua Filij & Spiritus sancti, atque Filiatio & Processio manent, licet Spiritus sanctus non procedat à Filio. Ergo licet Spiritus sanctus non procederet à Filio, maneret eorum distinctio. Maior nititur illi generali principio: Proprietas seu differentia, quæ rem aliquam constituit, eadem distinguit illam à qualibet alia re. Quod magis explicandum erit sect. sequenti. *Soluitur.* Respondeo. Manente Filiatione & Processione, manent constitutiua Filij & Spiritus sancti, subindéque manet eorum distinctio radicalis seu virtualis, vt illata ex affirmatione Filiationis & Processionis. Adhuc tamen retinet suam vim & bonitatem altera consequentia, per quam ex negata Processione à Filio, infertur Spiritum sanctum à Filio non distingui, quatenus inde infertur, constitutiua Filij & Spiritus sancti non distingui virtualiter, seu radicaliter; siquidem in ea hypothesi Filiatio non contineret virtualiter Spirationem actiuam, ratione cuius opponitur & distinguitur à Spiritu sancto, vt magis constabit sect. sequenti.

4 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum. Licet à Filio separetur Spiratio actiua; manebit adhuc incommunicabilis persona Filij, realiter distincta à Spiritu sancto. Ergo licet Spiritus sanctus à Filio non procederet, distingueretur ab illo. *Soluitur.* Respond. Si sola præcisione rationis à Filio separes actiuam Spirationem; manet Filius persona non modò formaliter & explicitè incommunicabilis Patri, & ab illo realiter distincta, sed etiam implicitè, radicaliter & virtualiter incommunicabilis Spiritui sancto,

Ruiz. de Trinitate.

& ab illo realiter distincta: veruntamen nondum est formaliter & explicitè incommunicabilis Spiritui sancto & ab illo distincta, quoúsque persona Filij concipiatur vt principium spiratiuum. Quod si realiter à Filio separata foret actiua Spiratio; iam Filius non esset eadem persona, quæ modo est, sed esset alia persona, realiter identificata cum termino producto per voluntatem: quamuis aliunde sequeretur etiam, esse personam distinctam.

5 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum. Licèt Spiritus sanctus procederet à Filio & non à Patre, distingueretur à Patre. Ergo licet Spiritus sanctus procederet à Patre & non à Filio, distingueretur à Filio. Consequentia probatur à paritate rationis, & proportionis. Antecedens verò probatur, quia si Spiritus sanctus non distingueretur à Patre, foret Pater, ac subinde non procederet à Filio, implicat enim principium productiuum procedere à suo termino producto. Ergo licet Spiritus sanctus procederet à Filio & non à Patre, distingueretur à Patre. *Soluitur.* Respondeo negando consequentiam, est enim ratio dispar, quoniam eo ipso, quod Spiritus sanctus procedat à Filio, sequitur procedere à Patre (saltem mediatè, licet non immediatè procederet) procederet enim Spiritus sanctus ab eo principio, quod procedit à Patre, videlicet à Filio. Hoc autem sufficeret ad oppositionem originis, quoniam Pater non potest identificari cum termino producto per Filium, productum à Patre; ne Pater ipse producatur à Filio. At verò si Spiritus sanctus procederet à Patre & non à Filio, non sequeretur inde, quod mediatè procederet à Filio. Quod si multiplicans impossibilia & implicantia contradictionem, supponas in hypothesi, quod Spiritus sanctus ita procederet à Filio, vt nullo modo, neque mediatè & remotè procederet à Patre; tunc non distingueretur à Patre, & sequeretur illud impossibile, quod Pater procederet à Filio. Duplex igitur est titulus, ratione cuius persona Spiritus sancti distinguitur à Patre; alter est processionis immediatæ, alter processionis mediatæ, quatenus procedit à Filio.

6 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum. Etiam si Spiritus sanctus de facto non procederet à Filio; maneret adhuc Filius persona potens producere Spiritum sanctum: hoc autem sufficeret ad oppositionem originis ac distinctionem realem. Ergo distingueretur à Filio, licet ab illo non procederet. *Soluitur.* Respondetur. Si Spiritus sanctus de facto non procederet à Filio, non maneret Filius in ratione personæ, potentis producere Spiritum sanctum, quoniam in æternis idem est esse & posse (vt ex Aristotele 3. physic. text. 32. recipiunt omnes philosophi ac theologi) Quapropter quæcumque productio de facto non extiterit intra Deum, erit simpliciter impossibilis inter diuinas personas. Confirmatur, nam Concilia & Patres non distinguunt diuinas personas per relationes originis possibilis, sed actualiter exercitæ, vt magis constabit disput. 87. & 88.

7 Nihilominus fateor, distinguendum fuisse Spiritum sanctum à Filio, si Filius maneret persona potens producere Spiritum sanctum, licet actu non produceret, quia si non distingueretur à persona, quam potest producere; consequens esset, vt posset seipsum producere, quod implicat contradictionem. Adhuc tamen tunc foret distinctio penes relationem originis, non actualis, sed potentialis.

SECTIO VIII.

Vtrum personæ diuinæ realiter ac personaliter distinguantur eisdem proprietatibus, quibus constituuntur.

1 DE distinctione formali nemo dubitat, quin afferatur per eadem ipsas proprietates, per quas vnaquæque res constituitur in sua quidditate: propterea quæstio proponitur de sola distinctione reali. Cuius difficultas vrget in Patre, magis autem in Filio, qui per Filiationem constituitur personaliter; nihilominus per Filiationem non distinguitur à Spiritu sancto. Nam si per Filiationem ab eo distingueretur; consequens esset, vt distingueretur, licet ab eo non procederet Spiritus sanctus, contra veritatem probatam sect. 4. Præterea Pater constituitur personaliter per Paternitatem; cum tamen per illam non distinguatur realiter à Spiritu sancto, sed per Spirationem actiuam. Quia si Pater à Spiritu sancto distingueretur per Paternitatem, præcisa relatione Spirationis actiuæ; sequeretur, inter diuinas personas reperiri realem distinctionem, vbi non obuiat relationis oppositio. Cuius oppositum probatum est sect. 4. & sequentibus.

2 *Prima sententia.* Prima sententia sic habet. Personæ diuinæ personaliter ac realiter non distinguuntur per eadem proprietates, per quas constituuntur, nisi ab ea tantùm persona, cui opponuntur relatione originis illæ proprietates constitutiuæ. Consequentérque Filius per Filiationem personaliter ac realiter non distinguitur à Spiritu sancto, sed à Patre; similitérque Pater per Paternitatem non distinguitur à Spiritu sancto, sed à Filio. Vterque tamen, scilicet, Pater & Filius à Spiritu sancto distinguitur per actiuam Spirationem. Ita existimant Durand. 1. distinct. 11. quæst. 2. ad 2. & distinct. 12. num. 23. & 24. Capreolus (licet adhibita distinctione) fusè probat esse doctrinam S. Thomæ in 1. distinct. 11. artic. 2. ferè toto, & Ferrariens. 4. contra gentes cap. 24. prope med. & cap. 26. circa medium. Caietanus hic quæst. 36. artic. 2. §. *ad euidentiam*, & sequenti. Canariens. in eodem artic. 2. part. 2. ad 3. argum. vbi Bañez & communiter Thomistæ, Molina disputat. 3. circa med. §. *præcipua difficultas*, & sequentibus, Vazquez disputat. 147. cap. 7. à num. 34. & cap. 8. & verè traditur à S. Thoma de potentia quæst. 10. artic. 5. ad 12. Sed eius mens explicabitur magis conclusione 2. Huic denique sententiæ fauet Argentina 1. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. prope finem.

3 *Fundamentum.* Præcipuum istius opinionis fundamentum est positum in ratione dubitandi. Alias verò rationes adiungunt aliqui ex prædictis doctoribus; quibus omnibus facilè satis facies, si tenueris rectè probationes sequentium conclusionum, à quibus hæc prima sententia non tam re ipsa dissidet, quàm modo loquendi.

4 *Secunda sententia.* Secunda sententia docet, personas diuinas realiter ac personaliter distingui proprietatibus eisdem, quibus constituuntur, ita Henricus, Bachon, Scotus, Aureol. Gregor. Gabriel, Carthus. (quibus fauet Ricardus) locis notatis in sect. 5. sub init. Hoc enim potissimum argumento contendunt, quod Spiritus sanctus distingueretur à Filio, licet ab illo non procederet. Imo etiam inter authores existimantes, quod Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si non procederet ab illo, sunt qui generaliter affirment, personas distingui proprietatibus eisdem, quibus constituuntur: vt Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 4. Valentia sua quæst. 10. de Trinit. puncto 3. discutiens solutionem argumenti secundi.

5 *Fundamentum.* Istius etiam sententiæ fundamenta, quid probent, & quid non probent, constabit ex sequentibus conclusionibus, quibus vtraque sententia temperatur, & ad veritatis medium reducitur.

6 *Proprietas constituens distinguit.* Prima conclusio. Quælibet persona diuina personaliter ac realiter ab alia quacumque distinguitur per eandem proprietatem, per quam constituitur in ratione talis personæ. Propterea quæ Pater non solùm à Filio, sed etiam à Spiritu sancto distinguitur per Paternitatem; ac Filius non solum à Patre, sed etiam à Spiritu sancto distinguitur per Filiationem reali personalique distinctione. Hæc conclusio colligitur efficaciter ex S. Thoma in præsenti quæst. 36. artic. 2. ad 7. dicente: *Spiritus sanctus distinguitur à Filio in hoc, quod origo vnius distinguitur ab origine alterius.* At verò origo Filij non est Spiratio actiua, sed natiuitas seu Filiatio. Quomodo autem intelligendum sit personas distingui per origines, exponit S. Thomas infra quæst. 40. art. 2. vt videbimus disput. 87. sect. 5.

7 Ratione probatur primò, quia vnaquæque res distinguitur à qualibet alia per eandem ipsam differentiam, per quam constituitur. Ideo enim A. non est B. quoniam A. est A. sed B. est B. Durandus tamen, Caietan. Ferrariens. & alij doctores primæ sententiæ respondent, hoc principium esse verum in rebus absolutis, non autem in relationibus. Illos tamen redarguo per authoritatem simul & rationem S. Thomæ infra quæst. 40. art. 2. circa med. vbi expressè docet, oportere in diuinis, quod ipsa distinguentia constituant res distinctas. Huius autem rationem præmiserat, quoniam in rebus creatis aliqua ratio communis diuiditur per differentias: vnde fit, vt differentiæ, quæ non constituunt animal in ratione animalis, diuidant nihilominus, ac multiplicent animalitatem. At verò in diuinis essentia communis remanet indiuisa; vnde fit, vt res, quæ non sunt communes & indiuisæ, sed reali distinctione diuisæ, non constituantur, nisi per proprietates distinguentes vnam ab alia.

8 Confirmatur, nam adhuc in rebus creatis quidquid constituit in ratione entis, eo ipso constituit in ratione vnius, ac subinde distincti à quolibet alio. Vnitas enim est passio, necessariò consequens entitatem. Sicque hinnibilitas, quia constituit equum in entitate talis animalis, eo ipso distinguit illum à quolibet animali & ab angelo & lapide, & quolibet alio ente. Nec affertur sufficiens ratio discriminis in relationibus. Siquidem relatio paternitatis creatæ sua quidditatiua differentia distinguitur non solum à sua correlatiua Filiatione, sed etiam à qualibet substantia, & quolibet accidente absoluto. Nec iudico amplius immorandum esse in refutandis variis solutionibus istius probationis.

9 *Radicalis oppositio.* Probatur secundò, quia Filius per Filiationem opponitur Spiritui sancto, licet non formaliter & explicitè, at certè radicaliter, virtualiter & implicitè. Ergo Filius per Filiationem habet radicale principium distinctionis. Idem potiori iure de Paternitate sentiendum est.

Confirma

Confirmatur primò, quia Filius per Filiationem constituitur in ratione personæ per se requisitæ, vt procedat Spiritus sanctus. Nam Spiritus sanctus per se ac quidditatiuè postulat procedere à duabus personis, quæ sint vnum principium spiratium (vt ostendemus disputat. 71.) Ergo Filius per Filiationem habet radicalem oppositionem, subindéque radicalem distinctionem à Spiritu sancto. Confirmatur secundò, nam in quidditate Filiationis virtualiter & implicitè clauditur Spiratio actiua: quoniam quidditas Filiationis ex se habet, vt constituat personam, quæ simul cum Patre producat Spiritum sanctum (vt probatum est disput. 17. sect. 6.) Ergo Filiationis quidditas in se continet virtualiter & implicitè rationem distinguendi Filium à Spiritu sancto.

10 Tertiò probatur, quia tres tantummodo subsistentiæ dantur in diuinis, & ideo Spiratio actiua non est subsistentia, sed quasi adiacet personæ subsistenti, & iam constitutæ. Quod magis ex professo probabitur disputat. 70. sect. 4. Confirmatur, quia subsistentia dicit quidditatiuè & explicitè incommunicabilitatem cuilibet alteri subsistentiæ (vt probatum est dicta disput. 34. sect. 5. & sequentibus.) Ergo quælibet subsistentia quidditatiuè dicit realem distinctionem ab alia subsistentia, saltem radicaliter & virtualiter. Quam distinctionem si non afferret subsistentia Filij, non esset incommunicabilis Spiritui sancto, siquidem posset in eandem subsistentiam conuenire cum illo.

11 Probatur quartò, quia tres personæ diuinæ distinguuntur ab inuicem tribus proprietatibus personalibus, videlicet, Paternitate, Filiatione & Processione, quod à multis Patribus asseritur expressè, quorum testimonia videmus disput. 46. & 47. sparsim variis sectionibus, pluráque videbimus disput. 86. Confirmatur, nam id satis apertè colligitur ex verbis Nazianzeni, Athanasij, Augustini, Damasceni & Anselmi positis in sect. 6. argum. 2. & sequentibus.

12 Quintò probatur, quoniam opposita sententia, negans radicalem distinctionem Filiationis à Spiritu sancto, eo ipso sibi præcludit omnem viam reddendi rationem, propter quam Filiatio in ratione Filiationis realiter distinguatur à Spiritu sancto, & hanc distinctionem possit accipere formaliter à Spiratione actiua. Nam quod aliqui respondent, rationem esse, quia Spiratio actiua realiter identificatur cum Filiatione; non satisfacit: etenim si hæc ratio sufficeret; consequens esset, actiuam Spirationem realiter distingui à Filiatione per Paternitatem, quoniam Paternitas realiter identificatur cum Spiratione actiua. Nec potest inter hæc assignari discrimen, nisi recurrendo ad radicalem, seu virtualem & implicitam inclusionem Spirationis actiuæ in quidditate Filiationis & Paternitatis.

13 *Formalis distinctio per relationē aliquæ, quæ non constituit personam.* Secunda conclusio colligitur ex eisdem probationibus præcedentis conclusionis, eámque sic limitat. Filius per Filiationem à Spiritu sancto distinguitur radicaliter seu virtualiter & implicitè; verùm explicitè, formaliter & actualiter non distinguitur ab illo, nisi per Spirationem actiuam. Quare per proprietatem, per quam primariò constituitur Filius, per eandem à Spiritu sancto distinguitur, non formaliter & explicitè, sed radicaliter, virtualiter & implicitè. Quantum ad hoc rectè sentiunt doctores citati pro prima sententia. Idque voluit S. Thomas de potentia q. 10. art. 5. corpor. inter princip. & med. probans, quod

Ruiz. de Trinitate.

non potest esse prima distinctionis ratio inter Filium & Spiritum sanctum ex hoc, quod Filius est genitus & non spiratus: at Spiritus sanctus est spiratus & non genitus, nisi præintelligatur distinctio, per aliquam oppositionem duarum affirmationum, scilicet, quia Filius sit Spirator, sed Spiritus sanctus sit spiratus. Eadem conclusio colligitur ex toto discursu S. Thomæ supra quæst. 32. art. 3. & nostra disput. 47. præsertim sect. 3. Nam propterea quatuor notionibus additur Spiratio actiua, tanquam quinta notio, distincta à Paternitate & Filiatione, vt per eam Pater & Filius dignoscantur à Spiritu sancto, à quo non dignoscerentur explicitè & formaliter per solam & præcisam Paternitatem & Filiationem.

Hæc eadem conclusio locum habet in persona Patris, alio tamen modo, quatenus Paternitati duplex est titulus continendi virtualem & radicalem oppositionem originis cum Spiritu sancto. Alter titulus est immediatæ processionis, alter verò mediatæ, vt sect. præcedent. dicebamus ad 4. argum. 14

ARTICVLVS III.

Vtrum Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

DISPVTATIO LXIX.

Vtrum Spiritus sanctus à Patre procedat magis principaliter, magis propriè, prius, & mediante Filio.

SECTIO I.

Non magis principaliter, nec magis propriè procedit à Patre.

1 *Æquè perfectè procedit ab vtroque.* VPPONO primò, certum esse apud omnes Catholicos, Spiritum sanctum non procedere perfectius a Patre, quàm à Filio, sed æquè perfectè procedere ab vtroque. Quoniam vbi productiua virtus est realiter vna, similitérque productio ipsa est operatio realiter vna; non potest esse inæqualitas in actiua processione; nec potest terminus productus ab vno supposito procedere perfectius, quàm ab alio. Vnitas enim prorsus excludit inæqualitatem, quæ non potest sine plurium distinctione reperiri. At verò in Patre & Filio comparatione Spiritus sancti producendi, non modò Diuinitas & volitio, prout est potentia spiratiua, sed etiam ipsa Spiratio actiua est realiter vna, vt constabit disput. sequenti.

2 *Nō prius procedit ab vno, quàm ab alio.* Huic consequens est secundum non minus certum, quod Anselmus epist. de processione Spiritus sancti toto cap. 16. probat, breuius autem continetur in his verbis, quæ sub initium scribit: *Non est Spiritus sanctus prius de Patre, quàm de Filio; nec de Filio quàm de Patre: nec maior nec minor est existens de Patre, quàm existens de Filio; nec magis nec minus est de vno, quàm de altero. Nam de altero si prior aut posterior, vel maior vel minor aut magis aut minus de vno esset, quàm de altero: ex necessitate sequeretur, vt aut Spiritus sanctus non esset de hoc, in*

quo vnum sunt Pater & Filius; aut ipsum vnum non esset perfectè & simpliciter vnum, sed esset ibi aliqua diuersitas, &c.

3 Eandem quoque veritatem intendebat Anselmus docere dicta epist.cap.10. in med. cum dixit, quod Spiritus sanctus à Filio procedit *similiter*, vt à Patre: contextus enim manifestè demonstrat, excludere voluisse omnem varietatem & inæqualitatem in modo procedendi ab vtroque. Et Augustinus 15.de Trinit.cap.27.non procul à princ. & tractatu 99.in Ioannem prope fin.ostendit,non inæqualiter, nec mediatè, nec prius (sicut ex patre & matre procedunt animalia) sed æqualiter & simul, eodémque modo procedere Spiritum sanctum à Filio, sicut procedit ex Patre. Eandem æqualitatem in processione ab vtroque, notat liber de cognit. veræ vitæ (apud August. tomo 9.) cap.18.

4 *Non plenius nec magis totaliter.* Tertiò propter eandem rationem certum est, non plenius, nec magis totaliter Spiritum sanctum à Patre quàm à Filio procedere: vt rectè S.Thomas 1.distinct.12. quæst.vnica art.2. & alij Scholastici ex infra citandis.

5 *Principaliùs à Patre, dicit aliqui.* Iam ergo non de re, nec de modo sentiendi, sed tantùm de modo loquendi non nihil inter se dissentiunt Scholastici doctores. Quorum aliquibus videtur, in aliquo sensu verum & concedendum esse, quod Spiritus sanctus procedat *à Patre principalius, quàm à Filio*: ita vt comparatio fiat in principalitate. Quoniam Filius non est principium, nisi solius Spiritus sancti; quamobrem licet sit principalis respectu illius; magis tamen principalis est Pater, quoniam est principium Filij & Spiritus sancti, & Filio tribuit, vt ab illo procedat Spiritus sanctus. Ita existimant S.Bonauentura 1.dist.12.art.1.q.2. fine. Vbi Scotus quæst.2. ad 1. Durandus item quæst.2.num.4. Marsil.in 1. quæst.15. art.2. ad fin. Fauet Ricard. distinct.12. quæst.1.ad 2.

6 Confirmant testimoniis Patrum. Augustinus enim lib.15.de Trinit.cap.17.ad med. *Non frustra*, inquit, *in hac Trinitate non dicitur, de quo procedat principaliter Spiritus sanctus nisi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter: quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit.* Quicumque author sub nomine Hieronymi, & inter illius epistolas in explanatione fidei ad Cyrillum paulo post med. *Spiritum sanctum*, inquit, *inuenimus in Scriptura propriè de Patre esse.* In cuius explicatione frustra laborant aliqui Scholastici, quærentes maiorem proprietatem in Patre, cum idem author, paucis interpositis, asserat: *Spiritus sanctus propriè & verè de Patre Filioq; procedit*, itaque quantum ad proprietatem processionis non constituit discrimen inter Patrem & Filium.

7 Ioannes nomine Latinorum in Concilio Florentino sess.24.non longè à princ.docet,Spiritum sanctum mitti *à Patre præcipuè*, & post med. *à Patre præcipuè esse.* Sed è contrario,quod Filius mittat Spiritum sanctum *non tamen præcipuè vt Pater*, dicitur in eadem sess. circa med. & sequenti sess.25. initio cum Basilio conceditur, Filium esse *ordine & dignitate secundum à Patre*, licet in natura sit æqualis. Quibus consonant testimonia sanctorum, quæ Patrem appellant authorem Filij, & eius potentiam generatiuam vocant authoritatem supra disp.49.sect.1.dicto 1. necnon ea, quæ dicunt, Patrem esse caput Filij, & esse principem naturam, siue formam principalem & excellentem, & Filio præponunt Patrem, aliáque similia dicunt.

Propter hæc Dico primò. Simpliciter & absolutè concedi potest, Spiritum sanctum à Patre procedere principaliter & propriè, dummodo non ponantur vocabula, significantia comparationem & excessum, veluti dicendo, *principalius, propriùs*, vel *magis principaliter*, aut similia. Hoc vt minimum probant, quæ nuper adducta sunt pro sententia præcedente, & in eo conueniunt etiam authores afferendi pro dicto 3. Dico secundò. Nulla nota dignus erit, qui dixerit, Spiritum sanctum procedere principalius à Patre; dummodo explicet, quemadmodum explicant Scholastici supra citati. 8 *Spiritus sanctus principaliter & propriè, sed non principaliùs à Patre procedit.*

Dico tertiò. Cautiùs tamen & propriùs loquuntur alij, qui negant vocabula comparatiua veluti *propriùs*, aut *principaliùs*: quoniam excessum & inæqualitatem significare videntur. Id quod exemplo docuerunt antiquiores aliqui Scholastici. Nam vtuntur aduerbio positiuo, *principaliter*, prætermisso comparatiuo *principaliùs*. Ita S.Thomas in præsenti quæst.36. art.3.ad 2. Albert. 1.p. q.31. memb.3. fine. Marsilius lib.1.quæst.15.dum respondet ad argumenta col. penultima. Ricard. 1.distinct.12.quæst.2.vbi Aureolus art.2. Gabriel eadem distinct.12.q.3. ad fin. Valde fauet Scotus ibi quæst.2.ad 1. Canariensis in commentario ad præsentem art.3. quæstionis 36. Molina ibidem. Quin etiam suspicione non carere comparatiuum aduerbium, adnotauit Vazquez in commentario eiusdem articuli. Locutionem verò comparatiuam vitandam censet Suarez lib.10. de Trinitate cap.3. num.10. Eandémque comparatiuam locutionem expressè negarunt ex antiquis Henricus in summa art.60.q.9.ad 1.consonátque art.54.q.7. ad 1.& 2.& cum Vdalrico Carthusianus 1.dist.12. quæst.1.col.2. 9

Rectè igitur Anselmus dicta epist.de processione Spiritus sancti cap.16. fine concludit: *Si ergo dicitur, quod Spiritus sanctus principaliter à Patre sit, non aliud significatur, quàm quia ipse Filius, de quo est Spiritus sanctus, à Patre habet hoc ipsum, vt Spiritus S. sit de illo: quoniam id quod est, habet à Patre: non quemadmodum in rebus creatis, cum aliquid asserimus esse principaliter, volumus significare, quod magis sit hoc quod dicitur esse principaliter, quàm illud, ad quod refertur.* 10

Ex his infero, & Dico quartò. Nulla ratione concedi potest, quod Spiritus sanctus procedat à Filio minus principaliter quàm à Patre; siue quod Filius minus principaliter spiret. Ita docent non solum Henricus, Carthusianus & alij citati pro dicto 3. sed etiam aliqui eorum, qui citati sunt pro priori sententia, quoniam in hac locutione clariùs, quàm in aliis, denotatur imperfectio & inferioritas Filij. Quin potiùs non pauci ex citatis doctoribus, nec immeritò simpliciter pronunciant, *æquè principaliter* à Filio, sicut à Patre procedere Spiritum sanctum. Cæterum quamuis hoc affirmetur, non licebit asserere, quod Spiritus sanctus *procedat principaliter à Filio.* Nam hic modus locutionis denotat authoritatem peculiarem Patris, ratione cuius est principium Filij. Atque ita obseruat magis expressè Henricus in summa art.54. quæst.7. ad argum. & art.60. quæst.9. ad 2. 11

Quintò sequitur ex dictis, non magis per se procedere Spiritum sanctum à Patre, quàm à Filio. Verum hoc magis constabit disput.71. præsertim sect.1. prope fin. Sextò, non magis nec plenius ab ambobus simul procedere, quàm ab vno tantùm, scribit Ariminensis 1. distinct.12. quæst. 12 *Nō magis per se procedit à Patre, quàm à Filio.*

quæst. vnica circa med. Quod verum est, dummodo non intelligatur, vnam personam siue altera sufficere ad spirandum; hoc enim falsum esse constabit disp.sequenti.

SECTIO II.

Non prius à Patre, quàm à Filio procedit Spiritus sanctus.

1 *Originis ordo, nō est in Patrem & Filium, vt spirant.* Dico primò. Prioritatis ordo nullus est non modò durationis, sed neque ratione originis inspirando Spiritū sanctum. Itaque Pater Spiritum sanctum non spirat prius origine quàm Filius spiret eundem, & consequenter Spiritus sanctus non procedit à Patre priùs origine, quàm à Filio: quemadmodum Pater creaturas producit & gubernat non priùs origine, quàm Filius & Spiritus sanctus. Proinde simul spirant Pater & Filius: & consequenter à Patre Filióque simul procedit Spiritus sanctus. Ita existimant Albertus 1.p.q.31.memb.3. S.Thomas in 1.dist.12. quæst.vnica, art.2.vbi S. Bonauentura art.1.q.1. Henricus, Scotus, Durand.Ricard. Gabriel.Marsilius, Carthusianus, locis citatis in sectione præcedenti.

2 Et Augustinus quidem lib.15. de Trinitate cap.27. propius ad principium, quàm ad med. *Spiritus Sanctus*, ait, *non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam. Sed simul ab vtroque procedit, quamuis hoc Pater Filio dederit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat.* Sic etiam Isidorus lib.1. sentent. de summo bono cap.15. sub init. dicit, *simul procedere à Patre & Filio.* Præterea prioritatem satis apertè negauit Anselmus epist. de process. Spiritus sancti cap.16. relatus sub initium præsentis sectionis.

3 Huic assertioni temperamentum & explicationē adiungunt docti recentiores, maximè Vazquez in commemorario ad art.3. q.36. vt quamuis Pater habeat virtutem spiratiuam prius origine quàm Filius eandem virtutem habeat, nihilominus hic prioritatis ordo non sit in ipso actu spirandi. Aliter tamen se res habet, ac modus loquendi Patrum, quia non modò virtutem spiratiuam sed etiam actum ipsum spirandi prius origine Pater habet, quàm eundem habeat Filius, quoniam vt Augustinus dicebat nuper. *Hoc Pater Filio dedit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat.* Quod idem definitū est ab Eugen. Quarto in literis vnionis ad finem Concilij Florētini. At verò si actualē spirationem Pater dedit, eamdem prius origine habuit. Confirmatur, quia Filius quidquid habet commune sibi cum Patre accepit à Patre, propterea que habet illud posterius origine, quàm Pater. At spirandi actus, qui est spiratio actiua, communis est Filio cum Patre, realiter identificatus cum vtraque persona. Vt magis explicabitur disput. 70. præsertim sect. 2. & 4.

4 *Identitas principij spirationis est ratio, ne prius spiret vnus.* Ex quibus infero, & Dico secundò. Vera expositio, & legitima ratio prioris assertionis est, propterea Spiritum sanctum non prius origine procedere à Patre, quàm à Filio; quoniam prioritas originis propriè & in rigore sumpta, non datur nisi inter suppositа realiter distincta, quatenus realiter distinguuntur, & vnum procedit ab alio. At verò potentia spiratiua & actus spirandi, quem Filius habet non est realiter distinctus à potentia spiratiua & actu spirandi, quem habet Pater, nec procedit ab illo. Consequenter autem processio passiua, qua Spiritus sanctus procedit à Patre cum sit eadem omnino, qua procedit à Filio, non habet in se vllam prioritatem originis.

Hoc autē amplius explicatur exemplo. Quemadmodum enim quāuis Pater subsistat Deus prius origine, quàm Filius subsistat Deus, & à Patre Diuinitatem accipiat: nihilominus hæc prioritas & originis ordo non est in Diuinitate ipsa, sed tantum in personis habentibus Diuinitatem, quatenus personæ sunt, non quatenus Deus vnus sunt; sic etiam quamuis Pater habens spirationem subsistat priùs origine, quàm Filius subsistat habens spirationem acceptam à Patre: nihilominus hæc prioritas, & originis ordo non est in spiratione ipsa, sed tantùm in personis habentibus spirationem, quatenus personæ sunt. 5

Hæc veritas conuenienter intelligitur in verbis Anselmi epist. de processione Spiritus sancti c.16. prope medium. *Nec prius nec post, nec maior aut minor, nec magis aut minus est Spiritus sanctus de Patre, quàm de Filio, aut de Filio quàm de Patre. Non enim vnus idemque, qui simul est totus de toto, magis aut minus esse potest de vno & summo simplici Deo.* Vbi propter simplicissimam vnitatem principij spirantis, & termini producti, colligit Anselm. nullam esse prioritatem nec inæqualitatem in processione. 6

Dico tertiò. Est etiam altera ratio peculiaris in processione, quæ non reperitur in Diuinitate cæterisque perfectionibus absolutis, videlicet, quoniam Pater intelligitur plenè atque perfectè possidere omnes perfectiones absoluras prius origine, quàm generet Filium; quoniam nullomodo supponunt existere personam Filij. Contra verò spiratio actiua & integrum principium spiratiuum nō intelligitur in Patre præcisè prius origine, quàm generet Filium, quia principium spiratiuum per se & quidditatiuè claudit in se non minus Filium, quàm Patrem (vt ostendemus disp. 71.) Vbi autem est mutua exigentia duorum, & veluti mutua dependentia, vbi etiam mutua prioritas, quadam veluti recompensatione facta, recuperat æqualitatem, ita vt extrema duo simul esse censeantur nec vnum prius, quàm aliud. 7 *Spiratio actiua non prius est, quàm generetur Filius.*

SECTIO III.

Obiectiones ex eo quod Filius propter Patrem, aut Pater per Filium spirat.

PRima obiectio est. Propter quod vnumquodque tale & illud magis. Sed Filius non spirat Spiritum sanctum, nisi propter Patrem, à quo recipit vim spiratiuam, & spirationem ipsam. Ergo Pater magis ac principaliùs spirat, quàm Filius. Respondetur. Si valeret aliquid argumentum, probaret, Patrem esse Deum, sapientem & bonum magis ac principaliùs, quàm Filius: quia Filius Deus, sapiens & bonus est propter Patrem, iuxta illud Ioannis 6. *Ego Viuo propter Patrem*: ab eo namque Filius omnia bona recepit, præter esse Patrem. Aliunde tamen naturæ lumen ostendit, cessare vim illius axiomatis, quando virtus productiua, atque productio realiter eadem, ac prorsus inuariata identificatur realiter cum duabus personis. Est enim euidentissima repugnantia inæqualitatis cum identitate: quoniam inæqualia non sunt nisi quæ distinguuntur 1 *Filius propter Patrem spirat.*

ſtinguuntur ſecundùm eam ſaltem magnitudinem, ſecundum quam ſunt inæqualia.

2 *Spiritus ſanctus à Patre per Filium procedit.*

Secunda obiectio eſt, nam Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium; ergo procedit à Patre tanquam à principali, & à Filio tanquam ab inſtrumento, aut certè minus principali producente. Antecedens probatur, quia plures Græcorum Patrum, & aliqui Latinorum dicunt, à *Patre per Filium* procedere, vel mitti, vel dari, vel oſtendi, ſeu manifeſtari; vt Clemens Roman. lib. 6. conſtitut. Anpoſtol. cap. 11. ante medium, Gregorius Thaumatur. in regula Fidei, Origenes homilia 2. in varios circa illud Ioan. 1. *in principio erat Verbum.* colum. 3. Athanaſius in breui. tractatu refutationis contra hypochriſim Meletij, fine, Baſil. lib. 5. contra Eunom. tit. 12. ſemel & iterum, & lib. vnico de Spiritu ſancto cap. 18. prope finem. Gregorius Nyſſen. lib. ad Ablabium *quod non tres Dij* prope finem, & lib. 1. contra Eunom. apud Beſſarionem in oratione pro vnione cap. 6. Cyrillus lib. 13. theſauri cap. 1. ferè inter medium & finem capitis, & cap. 2. verſus finem, & cap. 3. propius ad med. quàm ad principium, ſimiliter loquitur lib. 14. theſauri & in expoſit. ſymboli colum. vlt. & dialogorum de Trinitate lib. 2. col. 5. & lib. 10. in Ioan. cap. 41. fine, & lib. vndecimo cap. 1. & lib. 12. cap. 56. ſub initium Tharaſius epiſt. ad ſummos ſacerdotes & epiſcop. in profeſſ. fidei ſub init. quæ extat in Septima Synodo actione 3. col. 4. Ex his ferè omnibus Patribus verba reperies ſupra diſp. 67. ſect. 6. & 7. Eodem modo loquitur Tertullianus contra Praxeam cap. 4. Hilarius lib. 12. de Trinitate colum. penult.

3 *Præpoſitio* per *denotat cauſam æquè principalem.*

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia præpoſitio *per*, in præſenti, ſicut etiam multoties alibi, præponitur cauſæ principali, quæ ſimul cum alia opératur. Pro cuius declaratione, notandum eſt primò, multum diúque diſceptatum fuiſſe in Concil. Florentino de præpoſitione *per*, Græcis offerentibus vltro confeſſionem proceſſionis Spiritus ſancti *per Filium*, recuſantibus autem profiteri proceſſionem *à Patre Filióque*, ſiue *ex Filio* vel *de Filio*. Contendebant enim Græci *per* & *ex* præpoſitiones diuerſa ſignificare. Propterea *nolebant Latini præpoſitionem* per, *ſuſcipere, ne propter ambiguitatẽ vocabuli quiſquam impius crederet præpoſitionem*, per, *organum quoddã ſignificare inſtar ſcilicet aquæductus*. ita refertur ſeſſ. 25. propius ad medium quàm ad principium §. *Quibus Latini*, ante medium.

4 Secundò præpoſitiones *per*, & *ex*, in præſenti dogmate ſignificare idem apud Patres, iam in ſeſſ. 24. prope finem authoritate Leonis, & Gregorij Papæ nec non Ambroſij, Hieronymi, & Auguſtini probauerat Ioannes Latinorum nomine, atque poſtea ſeſſ. 25. propius ad med. quàm ad finem, Georgius Scholarius oratione habita in conuentu Græcorum longè poſt med. Copioſiùs autem Beſſarion in oratione pro vnione cap. 6. Quapropter Eugenius Quartus in literis vnionis, poſt med. ita decernit: *Declarantes, quod id, quod ſancti doctores & patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem.*

5 Anſelmus autem multis retro annis in epiſtola de proceſſione Spiritus ſancti paulo poſt med. cap. 10. quod incipit, *Sicut nobis*, docuerat, admitti poſſe quod Spiritus ſanctus *à Patre per Filium procedat*, dummodo ſenſus ſit immediatè atque ſimiliter ab vtroque procedere; & conſequenter dici poſſit etiam, *ex Filio* vel *de Filio procedere*. Idem etiam docuerat ſanctus Thomas nõ ſolùm in præſent. q. 36. art. 3. & 4. contra gen. c. 24. Sed fuſiùs opuſc. 1. cap. 23. §. 9. & antiquiores ſcholaſtici communiter.

Tertiò prædicta ſignificatio probatur ex ſacra 6
Scriptura, nam de eodem Deo Roman. 11. dicitur: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* ac peculiariter de Patre 1. Corinth. 11. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij.* 2. Corinth. 1. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei.* Galat. 4. *Chriſtus ſurrexit à mortuis per Gloriam Patris.* Imo etiam Galat. 1. *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum Patrem.* cum tamẽ econtrario præpoſitio, *ex*, applicetur nõ tantùm Patri, ſed etiam Filio; vt Epheſios 4. *Qui eſt caput, Chriſtus ex quo totum corpus*, &c. Quibus ſimilia legimus Coloſſen. 2. prope finem.

Quartò probatur, nam Arianorum argumen- 7
tum erat contra Diuinitatem Filij, dicentium, his ſyllabis, *ex quo, ſignificari conditorem*; verùm his, *per quem, operis miniſtrum ac inſtrumentum.* Contra quos antiqui Patres probant, dictione *per* multoties in ſcriptura ſignificari cauſam non minus principalem, quàm dictione *ex* vel *de*, & ita intelligendum Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* & Coloſſ. 1. *Omnia per ipſum creata ſunt.* In hac ſignificatione probanda copioſior, quàm cæteri, fuit Baſil. lib. vnico de Spiritu ſancto cap. 2. & ſequenti, præſertim cap. 5. & cap. 7. & 8. Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 10. poſt medium. & lib. 4. de fide ad Gratian. toto cap. 6. & in ſymbolũ Apoſt. cap. 3. initio, Hilar. lib. 8. de Trinitate propius ad medium quàm ad fin. & iterum col. antepenult. & lib. 4. ante med. Nazian. orat. 37. quæ eſt 5. de Theol. non longè poſt med. Chryſoſt. in Ioann. homil. 4. prope medium & Galat. 1. col. 4. & in Geneſim cap. 2. homil. 14. col. 2. Quibus alij Patres concordant locis referendis in diſp. 112.

Quintò probatur, nam ijdem Patres, qui di- 8
cunt, Spiritum ſanctum procedere *à Patre per Filium*, alijs in locis dicunt, procedere, *ex Filio* vel *de Filio*, vel Filium eſſe cauſam vel principium Spiritus ſancti: vt videre eſt locis adductis diſp. 67. ſect. 6. 7. & 8. Denique *per vtroſque* (videlicet Patrem & Filium,) *procedere vinificum Spiritum*, ſcribit Cyrillus lib. poſtremo de recta fide ad reginas prope finem. Itaque in præpoſitione *per* nullum diſcrimen ponit Cyrillus inter Patrem & Filium.

At non immeritò multorum animos pulſabit 9
dubitatio duplex. Altera, quam ob cauſam tot *Tres cauſæ dicendi* per Filiũ *& non* ex Filio.
támque graues Eccleſiæ Patres variauerint præpoſitionem *ex* in præpoſitionem *per*, quando dicunt, *ex Patre per Filium* procedere Spiritum ſanctum: nec enim eſt credibile id ſine magno conſilio, & ipſius Spiritus illuſtratione feciſſe. Reſpondeo. Prima quidem ratio fuit, quoniam frequentior modus loquendi Scripturæ fert, Patrem operari per Filium. Secunda, quoniã præpoſitio *per* magis, quàm alter modus loquendi, vim habet ſignificandi non eſſe duas cauſas, neque duo principia, neque duas potentias ſpiratiuas, nec duas ſpirationes; ſed Spiritum ſanctum ab vtroque tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedere. Tertia, quoniam

quoniam dictio *per*, denotat, à Patre tanquam à primo principio deriuatam eſſe in Filium tam poteſtatem, quam actualem ſpirationem. Quas rationes colligere poſſumus ex Eugenio IV. in literis vnionis. Et ex S. Thom. & Beſſarione locis citatis. Quamuis ergo cautior & præferendus ſit modus loquendi *ex Patre Filióque*, ſua tamen peculiaris vtilitas fuit, propter quam Spiritus ſanctus voluit illos Patres dicere, *per Filium.*

10 *Nũ Spiritus Sanctus procedat ex Filio per Patrem.*

Altera dubitatio eſt, num liceat aſſerere, quod Spiritus ſanctus procedit à Filio *per Patrem.* Dubitandi ratio eſt, quia ſolet in eiuſmodi præpoſitione contingere conuerſio reciproca, vt cum dicimus, Rex imperat & agit per ſuos proreges aut prætores: & prætores ſiue proreges gubernant per regem: S. Thomas in præſenti artic. 3. ad 4. & 1. ſentent. diſtinct. 12. quæſtione vnica, artic. 3. fine, ſimpliciter affirmat, non eſſe dicendum, quod Filius ſpiret per Patrem, aut Spiritus ſanctus procedat à Filio per Patrem.

11 Ad cuius explicationem Dico primò. Non tanta proprietate, nec in eo ſenſu dici poterit, quod Spiritus ſanctus procedat *à Filio per Patrem*; ſicut dicitur, quod procedat *à Patre per Filium.* Idem intellige de propoſitione altera: *Filius ſpirat per Patrem.* Minoris proprietatis, ac diuerſi ſenſus ratio manifeſta eſt ex dictis, quoniam Filius non eſt primum principium, communicans ſuam virtutem ſpiratiuam Patri, nec perſona Filij eſt principium perſonæ Patris. Aliunde quoque non eſt immediatio virtutis maior in Patre, quàm in Filio, ſicut eſt immediatio virtutis maior in rege, quàm in prætore, propter quam prætor dici poteſt operari per regem. Vbi enim eſt vnica virtus & operatio, non eſt maior immediatio virtutis: quemadmodum exponit S. Thomas citatus.

12 Dico ſecundò. Nihilominus alio ſenſu non improprio, nec reprehenſione digno concedi poteſt, quod Spiritus ſanctus procedit à *Filio per Patrem*, aut Filius *ſpirat per Patrem*; ſignificando, Filium ſpirare per virtutem acceptam à Patre. Ita docent Durand. 1. diſt. 12. q. 3. num. 7. Canarienſ. quæſt. 36. art. 3. in commentario ante med. & alij recentiores. Probari poteſt, nam Geneſ. 4. dicit mater: *Poſſedi hominem per Deum.* & Prouerb. 8. *Per me reges regnant*, inquit Dei ſapientia. Quamuis in his exemplis reperiatur illud diſcrimen, à S. Thoma aſſignatum: quod diuerſa ſit virtus actiua hominum & Dei, cuius virtus immediatius attingit effectum. Similius eſt, quod Cyrillus Hieroſolym. catechet. 4. cap. 3. de Filio ait: cum *Patre ſimul regnans, & omnium per Patrem opifex.* Hæc autem & ſimiles locutiones, licet tolerari poſſint, non ſunt conſulendæ nec frequentandæ.

SECTIO IV.

Mediatè ſimul & immediatè procedit Spiritus ſanctus à Patre.

1 MEdiationem ſimul & immediationem docent communiter Scholaſtici cum Ricardo Victorino, qui primus hoc ex profeſſo diſcuſſit. lib. 5. de Trinitate cap. 6. 8. 9. & 13. & 14. Alexand. 1. part. quæſt. 46. memb. 6. S. Thomas quæſt. 36. art. 3. ad 1. & 1. ſenten. diſt. 12. q. 1. art. 3. Vbi S. Bonauentura art. 1. tota quæſt. 3. Ricardus de Media Villa ibidem, Durandus diſp. 12. q. 3. Vbi Aureolus quæſt. vnica art. 2. poſt med. Albertus & Vdalricus, quos refert & ſequitur Carthuſianus eadem diſt. 12. quæſt. 1. non procul à principio. Henricus in ſumma art. 54. quæſt. 7. ad 3. omnes expoſitores S. Thomæ; nemine diſcrepante, in prædicto articulo 3. Victorinus autem & cæteri doctores explicant qualicunque exemplo Abelis, procedentis ab Adamo immediatè per generationem, atque mediatè quatenus Abelis mater Eua proceſſerat ex Adamo.

Oportet autem ſingulas partes explicare ma- 2
gis & corroborare. Dico igitur primò, mediatam *Mediata proceſſio.*
eſſe proceſſionem à Patre. Hoc magis expreſsè, quàm alij docuit Gregor. Nyſſen. lib. ad Ablabium, *quod non tres dij* prope finem, diuina ſuppoſita diſtinguens illis præcipuè Verbis: *Rurſus aliam differentiam conſideramus, nam aliud quidem continenter (& ſine medio) ex primo eſt, aliud verò per id, quod immediatè & ex continenti eſt.* Videlicet ſuppoſitum Spiritus ſancti per ſuppoſitum Filij, quod ex Patre continenter & ſine medio eſt. Vnde ſubiungit ſtatim: *Filio qui medius intercedit, & ſibi Vnigenti proprietatem ſeruante & Spiritum à naturali ad Patrem habitu non arcente*, id eſt, non impediente Filio naturalem relationem & habitudinem qua Spiritus ſanctus reſpicit Patrem.

Idem ſignificauit lib. de differentia eſſentiæ 3
& hypoſtaſ. multo propius ad med. quàm ad princ. dicens: *Spiritus ſanctus à Filio quidem, cum quo ſimul immediatè nullo intercedente ſpatio comprehenditur, pendet: à Patris verò cauſa, vnde etiam procedit, ipſum eſſe habet. Spatium* videtur appellare intermediam proceſſionem aut perſonam. Hic igitur eſt peculiaris ordo comparatione Filij; vt Spiritus ſanctus pendeat, hoc eſt procedat ab eo immediatè, nulla intercedente alia productione ſiue perſona. Quam immediationem non dixit Nyſſenus comparatione Patris, quoniam intercedente generatione ac perſona Filij Spiritus ſanctus procedit à Patre. Idem colligitur ex oratione Catechet. cap. 2. ad fin. vbi de Spiritu ſancto. *Nec poteſt*, inquit, *ſeparari à Deo in quo eſt, aut à Verbo Dei, quod conſequitur.*

Mediationem eandem ſignificat multis in lo- 4
cis Baſilius, præcipuè lib. 5. contra Eunom. nam ſectione vel cap. 11. initio docet, *Quod ſicut Filius ad Patrem ſe habet, ſic & Spiritus ad Filium. Propterea & Dei quidem Verbum Filius eſt, Filij autem Verbum Spiritus.* & ſect. vel cap. 13. ait. *Deus edit Verbum verè, & ex ipſo emittit per os Spiritum*, Pater itaque ex ipſo Verbo per os emittit Spiritũ. Præterea lib. vnico de Spiritu ſancto cap. 18. prope finem, *Natiua bonitas*, inquit, *& naturalis ſanctimonia, & regalis dignitas à Patre per Vnigenitum ad Spiritum ſanctum permanat.*

Athanaſius longiori epiſtola ad Serapion. quæ 5
incipit *literæ*, multo propius ad medium quàm ad fin. Spiritum ſanctum aſſerit, eſſe *Facultatem Verbi, & donationem, quæ à Patre dicitur procedere, quoniam à Verbo Patris deſumit, & mittitur, & donatur.* Deſumere autem & mitti proceſſionem ſignificant: Vt oſtendimus diſp. 67. ſect. 2. & 3. Cyrillus lib. 13. theſauri cap. 2. verſus med. *Non eſt*, inquit, *aliud Spiritus à Deitatis eſſentia, ſed ex ipſa, & in ipſa naturaliter, ſicut & digitus in manu, & manus in corpore.* Damaſcenus 1. fidei cap. 18. in med. *Spiritus ſanctus*, ait, *medius Ingeniti & Geniti, & per Filium Patri coniunctus.* Nec poteſt alia coniunctio per Filiũ eſſe, niſi, quę conſiſtit in origine. Eandem mediationem ſignificarũt omnes Patres

qui sectione præcedenti dixerunt, à Patre per Filium procedere Spiritum sanctum.

6 Explicatur autem, & probatur, obseruando, nullam interuenire mediationem virtutis, vel operationis, quoniam vnica est virtus & vnica spiratio Patris & Filij, proptereáque non potest vnius virtus aut operatio terminum productum attingere prius aut magis immediatè, quàm alterius virtus & operatio. Vnde nec principiorum mediatio reperitur, quoniam est vnicum principium. Confirmatur, quia nec Filius operatur sicut instrumentum mediante virtute principalis agentis, nec sicut inferior causa, mediante virtute & motione causæ primæ & vniuersalissimæ: & multo minus Pater ita operatur. Est ergo mediatio suppositorum, & ea non omnino plena, sed ex eo præcisè, quod suppositum Filij prius origine procedit à Patre, & posterius origine à Filio simul & Patre procedit Spiritus sanctus.

7 *Immediatio processionis ab vtroque.* Dico secundò. Pleniùs atque perfectiùs verificatur immediatio processionis etiam à Patre. Rectè namque Anselmus epistola de processione Spiritus sancti cap. 10. paulò post med. *Non est*, inquit, *riuus in fonte, sed extra fontem; Sicut est Filius in Patre & non extra Patrem. Quare sic non est Spiritus sanctus de Patre per Filium, sicut est lacus de fonte per riuum.* Et propius ad fin. quàm ad med. tanquam absurdum respuit, quod supponere videbantur aduersarij, nimirum, quod *Medio quodam spatio interueniente, prius intelligeretur esse Spiritus sanctus de Patre quàm de Filio, sicut riuus de fonte fluens, extra fontem procedit, & quodam interuallo in lacum colligitur, & prius est lacus de fonte, quàm de riuo: & ideo est de fonte per riuum, non de riuo per fontem.*

8 Rationem autem reddit Anselmus ex identitate Diuinitatis & spiratiuæ virtutis, quam ita possumus amplius explicare. Pater, tribuendo virtutem spiratiuam Filio, non se priuauit illa, sed virtutem eandem, quam prius, origine habuit, etiam post generationem retinuit. Retinuit enim essentiam, voluntatem, & Paternitatem, quæ fons est totius Diuinitatis, & ideo etiam Spiritus sancti. Ergo quidquid Filius immediatè ac necessariò producit, etiam Pater non minus necessariò, nec minus immediatè producit. Confirmatur primò, quia quodcunque suppositum, habens virtutem spiratiuam, quæ est essentia & volitio, (si subsistat prius origine, quàm Spiritus sanctus, nec inveniat eum productum,) eo ipso potest, & necessariò immediatissimé́que concurrit ad productionem Spiritus sancti. Confirmatur secundò, nam licet Filius & Spiritus sanctus creandi virtutem accipiant à Patre; nihilominus Pater non minus immediatè concurrit ad creandum quàm Filius & Spiritus sanctus.

9 Vnde colligo, & Dico tertiò. Pater non minus immediatè, quàm Filius spirat Spiritum sanctum, & (quod idem est) Spiritus sanctus à Filio non procedit magis immediatè, quàm à Patre. Quod expressè notant S. Bonauentura, Albertus, & Carthusian. initio citati. Ratio à priori iam posita est in assertione præcedenti.

10 *Mediatio non minuit perfectionem immediationis.* Illud autem poterat mouere dubium, quoniam mediatio coniuncta cum immediatione, videtur gradibus eam deprimere tantum de perfectione immediationis excludens, quantum mediationis inducitur. Solutio tamen est, quòd mediatio nullo modo misceatur immediationi. Sed quod attinet ad mediationem, eodé modo procedit Spiritus sanctus à Patre, ac si Filius non processisset à Patre. Aliunde tamen Filius processit à Patre: Quemadmodum si tres anuli catenæ sic inserantur, vt quilibet anulus sit alijs duobus insertus; quilibet anulus immediatè simul atque mediatè cónexus erit alteri, nec minùs immediatè connexus erit, quia cónexus est etiam mediatè, quoniam hæc mediatio non admiscetur alteri connexioni.

Duo restant adnotanda. Primum est, neque secundum rationem esse concedendũ aliquid mediare inter personam Patris, & processionem Spiritus sancti, idem intelligendo de persona Filij. Quod ostendemus disput. seq. sect. 3. præsertim concl. 4. Secundum est, vix aliquid probabilitatis ostendere rationem Ricardi Victorini lib. 5. de Trinit. cap. 9. quoniam Spiritus sanctus nó cognosceret immediatè personã Patris, nisi procederet immediatè ab illo. Quam illationem non video quomodo probare possit, nisi prius inferat, Spiritum sanctum non esse Deum. 11 *Duo notãda.*

SECTIO V.

Vtrum eodem modo procedat Spiritus sanctus ab vtroque.

1 *Rusticus quid senserit.* ATtigisse quęstionem hanc refertur Rusticus Cardinalis in disputatione contra Acephalos, quoniam ibi multo propius ad finem quàm ad med. de Spiritu sancto dixit: *Vtrum à Filio eodem modo, quo à Patre procedat, nondum perfectè habeo satis factum.* Veruntamen ille tanquam schismaticus dubitabat adhuc, vtrum à Filio sempiternè procederet, vel tãtùm temporaliter quando mittitur ad fideles: vt constat ex superiori contextu, & retulimus disp. 67. sect. 1. circa med.

2 *Eodem modo procedit ab vtroque.* Docti recentiores decernunt, absolutè dicendũ, esse quod Spiritus sanctus eodẽ modo procedat à Patre, quo procedit à Filio, vt Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 3. fine. Cui sententiæ fauent Augustin. & Anselm. citati sect. 1. sub initium. & epistola Synodica Cyrilli, quæ præfixa est Concilio Ephesino, & sub nomine symboli Ephesini refertur de consecrat. dist. 5. cap. *de Spiritu*, quod est 39. *Spiritus, inquit, appellatus est veritatis: & veritas Christus est, vnde & ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit.* Obserua aduerbium *similiter*, quo vsus est etiam Anselmus citatus. Idq́ue magis consonat communi modo loquendi scholasticorum locis in eadem sect. 1. citatis. Magister 1. distinct. 29. cap. vlt. dicit. *Non aliter procedit à Filio quàm à Patre.* Altisiodorens. lib. 1. summæ cap. 3. magis expressè dicit *eodem modo*, quem sequitur Gregor. Ariminen. 1. dist. 12. quæst. vnica post post medium, Marsil. quæst. 31. art. 3. fine, Aureolus 1. dist. 12. art. 2. præsertim in fine, S. Thomas 1. sentent. dist. 12. quæst. 1. art. 2. ad finem dixit: *Non aliter* procedit à Filio, quàm à Patre (de quo tamen nihil dixit in quæst. 10. de potentia art. 4. ad 5. vbi citatur, neque in toto art.)

3 Ratione probari potest, quoniam processio, quæ simpliciter est vnica tantùm, non potest habere duplicem modum intrinsecum sibi (extrinsecum quippe modũ implicat in eam cadere.) At processio Spiritus sancti à Patre & Filio est vnica. ergo non habet nisi vnicum modum. Confirmatur primò, nam vt constat ex superioribus sectionibus, à Patre & Filio Spiritus sanctus procedit æquè principaliter, propriè, per se, simul, & im

& immediatè, nec magis aut prius ab vno, quàm ab altero. Confirmatur secundò, nam ab vtroque procedit Spiritus sanctus per volitionem, vt amor reciprocus.

4 *Aliqua diuersitas in modo procedendi.* Addendæ tamen sunt exceptiones siue declarationes. Primò namque à Patre procedit non solum immediatè, sed etiam mediatè: à Filio verò tantùm immediatè. Secundò tam virtus producendi, quàm actualis ipsa productio diuersimodè, vel potius diuersa ratione conuenit Filio, quàm Patri. Nam Patri cònuenit à se ipso, sed Filio per originem à Patre. Tertiò Pater spirat, quia est persona viuens, & perfectè cognoscens bonum infinitum, non quia sit Verbum illius repræsentatiuum. At verò peculiari quodam titulo conuenit personæ Verbi per se requiri ad spirandum, quoniam est Verbum perfectè repræsentatiuum infiniti boni; vt dicemus disp. 71. sect. 1. Veruntamen quoniam istæ dissimilitudines nihil obstant identitati spirationis: ideo nihil obstant, quominus absolutè dicendum sit, eodem modo procedere Spiritum sanctum à Patre & Filio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

DISPVTATIO LXX.

Vtrum duæ personæ sint duo principia vel vnicum principium Spiritus sancti.

SECTIO I.

Constituitur Catholica veritas cum censura falsitatis contrariæ.

1 *Vnum principium Spiritus sancti.* PRima conclusio Pater & Filius non sunt duo principia, sed vnum principium Spiritus sancti. Ita decreuit Generale Concilium Lugdunense sub Gregor. X. cap. vnico de summa Trinit. in 6. dicens: *Damnamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere, siue etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat.* Prius autem dixerat: *Non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit.* Subiungens, eam esse doctrinam infallibilem totius Ecclesiæ.

2 Idem post annos ferè ducentos decreuerunt Patres concilij Florentini sess. 25. quæ est vltima, prius quidem in literis Latinorum, continentibus suæ fidei professionem, videlicet, colum. 5. §. *quibus Latini.* Et longe post medium eiusdem sessionis 25. §. *Quid equidem*, & §. *ego ab ineunte*, nec non aliquibus aliis Florentinorum Patrum suffragiis. Postea verò in literis vnionis Eugenius Quartus ait, *Hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio, Diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicq́; omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus à Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumq́; esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroq́; æternaliter tanquam ex vno principio, & vnica spiratione procedit.*

Idem significasse videtur fides Romanorum (quæ solet referri post Chalcedonense concilium) dum ait: *Spiritum sanctum Patris & Filij esse vnum Deum, qui ex vno.* Nihil amplius explicat. 3

Ex Græcis Patribus reperio neminem, qui hoc docuerit clarius, quàm Greg. Nyssen. oratione 1. in illud Genes. 1. *faciamus hominem*, colum. 2. dicens: *Vna in vtroq́; forma, & principium à Patre in Filio idem est.* Hoc enim non potest intelligi de principio creaturarum ad extra: quoniam hæc ratio principij eadem est etiam in Spiritu sancto, de quo præcedentibus Verbis agebat. Ergo Nyssenus intelligit eam rationem principij, quæ solis duabus personis conuenit, & hanc dicit vnam, à Patre communicatam Filio. 4

Eadem ratione poterit hoc dogma probari ex Nazianz. in sermone Concilij Constantinopolit. (cuius verba refert S. Thom. opusc. 1. cap. 32. titulo 25.) *Necessarium*, inquit, *est credere sanctam Trinitatem, Patrem scilicet sine principio, Filium verò principium à Patre principio: Spiritum autem sanctum cum principio Filio vnum Deum esse.* Vbi non tribuens Spiritui sancto nomen principij satis ostendit, se non agere de principio creaturarum, sed de principio diuinæ originis. Rursus dicens *principium à Patre principio*, ostendit, esse vnum, quemadmodum quando dicimus, *Deum de Deo.* Sic etiam Nazianz. orat. 37. de Spiritu sancto col. penult. & orat. 49. de fide inter princip. & med. refutat plura principia & decernit vnicum esse principium. 5

Athanas. orat. 5. contra Arian. sub init. docet, *vnum esse principium Deitatis, non duo: vnde propriè monarchia vnus dominatus haberi debet. Ex ipso deinde principio per naturam exiſtit Filius, qui est Verbum non quasi alterum principium seorsum subsistens, nec aliunde genitus, nec ratione secundi duo principia pluriumq́; principatus oriantur.* Vtramque rationem principij comprehendisse videtur tam in ordine ad creaturas, quàm in ordine ad personas diuinas: vt colligitur ex prioribus verbis, *Vnum principium Deitatis.* Idem Athanas. orat. contra Gregales Sabellij prope med. *Qui duo principia inducit, is duo nomina prædicat.* Similia docet Cyrillus Alexand. lib. 12. thesauri cap. 5. sub init. & Hilar. lib. 6. de Trinitate col. 4. Vbi notandum est agere de principio, quemadmodum Pater est principium Filij; nihilominus verò tanquam hæretica negare duo principia. 6

Magis expressè locutus est Augustinus lib. 5. de Trinit. qui non solùm cap. 13. concludit, Patrem & Filium esse non duo sed vnum principium in ordine ad creaturas: sed etiam sequenti cap. 14. prope finem infert: *si ergo & quod datur, principium habet, eum à quo datur, quia non aliunde accepit illud quod, quod ab ipso procedit; fatendum est Patrem & Filium, principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus, sic relatiuè ad Spiritum sanctum vnum principium.* Constanter autem, & copiosè probat multoties Augustinus Patrem, & Filium non esse duo principia, sed Filium esse principium de principio, sicut est Deus de Deo: quemadmodum lib. 10. de ciuitate cap. 23. versus finem & lib. 5. contra Maximinum cap. 17. prope finem & tract. 39. in Ioan. à principio. Sed de hoc plura vidimus disp. 48. sect. 4. 7

Ad idem dogma respexisse videtur Isidorus lib. 1. sentent. de summo bono cap. 15. sub initium, dicens: *Inde vnum sunt Pater, & Filius, quia nihil habet Pater, quod non habet Filius. Non enim res vna,* 8

&

& duorum consubstantialis poterit simul ab eis procedere, & simul inesse: nisi vnum fuerit à quibus procedit. Res vna consubstantialis simul procedens à Patre & Filio & simul in eis existens non est alia nisi Spiritus sanctus; & illa suppositа, à quibus procedit, non alia ratione sunt vnum, nisi in ratione principij processionis.

9 Anselmus in monolog. cap. 52. rationem præsentis dogmatis expressit: *Quia non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & Filius: sed ex eo, in quo vnum sunt. Nam non ex relationibus suis, qua plures sunt (alia est enim relatio Patris, alia Filij) sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.* Sed magis ex professo non solum dogma, sed etiam eius rationem à priori, desumptam ex identitate Diuinitatis, & potentiæ spiratiuæ, tradit Anselmus epist. de processione Spiritus sancti cap. 10. ad fin. & sequenti cap. 11. & cap. 16. Vrget eandem rationem Ioannes Theol. in concil. Floren. sess. 19. præsertim inter medium & fin. §. *in genere*, post med. dicens: *Pater ergo cum generet per eandem ipsam substantiam, quæ principium est quo vel per quod; id etiam cum Filio communicat, vt is etiam sancti Spiritus principium sit.*

10 Colligitur etiam ex sacris literis & Patribus, frequenter appellantibus Spiritum Dei, vel Spiritum Domini, vel Spiritum, qui ex Deo est. Quibus significatur, ordinem Spiritus sancti ad Patrem & Filium non terminari ad illos, quatenus distincti sunt, sed quatenus sunt vnus Deus, & vnum principium spiratiuum. Sic Basilius frequenter dicit *Spiritum ex Deo* lib. 5. contra Eunom. & lib. vnico de Spiritu sancto. Athanasius quoque nonnunquam absque mentione Patris aut Filij, docet, *Deum esse authorem, causam & fontem, à quo procedit Spiritus sanctus.* Ita loquitur in dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæum inter med. & fin. & seq. dialogo 2. col. penult. quorum verba posuimus disp. 48. sect. 5. & disp. 49. sect. 1. In eodem autem dialogo 1. non longè post med. ait. *Hypostasco: Spiritus sancti proprium est Spiritum Dei sanctum esse.*

11 Præterea colligitur ex Patribus, citatis disput. præcedenti sect. 3. qui propterea dicunt, à Patre *per Filium* procedere, vt significent, non esse duo principia, sed vnum: vt ibidem respondimus, ad primam dubitationem. Accedit etiam confirmatio, quoniam nemo schismaticorum, aut hæreticorum negauit vnquam vnicum esse principium processionis Spiritus sancti. Quamuis enim Spiritus sancti Diuinitatem non pauci negauerint; aliique negauerint Spiritum sanctum à Filio procedere: nemo tamen hæreticus dixit, Patrem & Filium esse duo principia Spiritus sancti. Quin potius Græci ea potillimùm ratione concedere detrectabant, Spiritum sanctum à Filio procedere; quoniam inde putabant inferri, Patrem & Filium, sicut sunt duæ personæ, ita esse duo principia: iudicabántque Latinos in hoc errore versari: vt constat ex plerisque locis Florentini Concilij, præsertim sess. 25. in literis Latinorum ad Græcos, & in literis vnionis Eugenij Papæ, supra citatis.

12 *Ratio probãs esse vnũ principium.* Ratio sumitur ex Augustino & Anselmo supra citatis, & ex Magistro sententiarum lib. 1. dist. 29. cap. 2. prope finem, & cap. 3. præsertim cap. vltimo. Eam verò magis explicant S. Thom. in præsenti quæst. 36. art. 4. & commuiter Scholastici lib. 1. dist. 11. Fusiùs autem Henricus in summa art. 54. quæst. 6. ad 9. arg. & artic. 60. quæst. 6. & 7.

Subsstantiua quippe nomina non multiplicantur, nisi multiplicata eorum forma; quam ob causam tres personæ diuinæ non sunt tres dij, sed vnus Deus; nec tres creatores, sed vnus creator. At ratio principij est vnica in Patre & Filio: quoniam potentia spiratiua est realiter eadem, & ipsamet actualis spiratio, & relatio spirantis est realiter eadem. Vnde Spiritum sanctum *vnica spiratione* procedere à Patre & Filio, docent, Gregorius Decimus in concilio Lugdun. & Eugen. Quartus in Florentino: vt vidimus initio præsentis sectionis. Insuper disp. 18. sect. 2. & 3. probatum fuit, spirationem actiuam non esse duplicem, sed simplicem relationem & vnicam realitatem seu entitatem. Generalis verò regula de substantiuis non multiplicandis absque multiplicatione formæ, tractabitur ex professo disp. 77.

13 *De rigore sermonis aliqui dissentiunt.* Contra primam conclusionem pugnat loquendi modus quorundam Catholicorum, qui licet re ipsa concedant, esse realiter vnam & eandem non modo potentiam spiratiuam, sed etiam actiuam spirationem: addunt tamen, de rigore ac proprietate sermonis, Patrem & Filium appellandos esse duo principia Spiritus sancti, non vnicum principium. Ita Durand. 1. dist. 29. quæst. 2. & 3. Greg. Ariimin. 1. dist. 12. quæst. 1. circa med. A quibus parum distat Gabriel, eandem distinct. 12. quæst. 1. art. 2. conc. 2. & artic. 3. dubitatio 1. temperans, admonendo, vt cum Ecclesia loquamur, licet de rigore sermonis possint appellari duo principia. Attigit etiam eandem sententiam Altisiodorens. lib. 1. summæ cap. 3.

14 *Temerarium est & periculosum appellare duo principia.* Nihilominus sit secunda conclusio. Prædictus modus loquendi temerarius est & periculosus. Ita censet Canarien. in præsenti quæst. 36. art. 4. in 2. p. comment. dub. 1. & 2. communiter recentiores. Quoniam hic loquendi modus apertè pugnat cum Conciliis & Patribus, citatis pro conclusione prima & communi sensu Scholasticorum, nec minus cum Theologica ratione nuper adducta: præsertim cum è contrario necessarium esset, magnam aliquam vim argumenti compellere, vt liceret ad impropriam significationem detorquere verba Patrum & conciliorum, quæ simpliciter probantur à communi sententia Scholasticorum.

15 Confirmatur, hic enim modus loquendi viam aperit existimandi, esse duas potentias spiratiuas, & duas spirationes perinde, vt ille qui affirmaret, tres personas diuinas esse tres Deos, licet expressè profiteretur, Diuinitatem non esse nisi vnicam, adhuc tamen viam aperiret errandi circa vnitatem essentiæ diuinæ, & concedendi esse plura principia creaturarum.

16 *Solutio.* Durand. & Gregor. respondent, Concil. Lugdunense & Florentinum propterea non dixisse, Spiritum sanctum *procedere ab vno principio, sed procedere tanquam ab vno principio*, vt denotaret Patrem & Filium non esse vocandos vnum principium, sed tanquam vnum principium, propter similitudinem cum vno principio in eo, quod vnica sit virtus & actualis operatio. Hoc subterfugium præcluditur, supponendo, dictionem *tanquam*, multoties denotare rei veritatem ac proprietatẽ non verò similitudinem, & impropriam denominationem: vt constat Hebræos 3. *Moyses tanquam famulus, Christus verò tanquam Filius in domo sua.* Ioan. 1. *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* *Refutatur.*

7 Deinde verò, prædictũ proprietatis & veritatis sensum

sensum intentum esse in Florent. & Lugdunensi Concilio, probatur euidenter primò, quoniam in Florentino sess. 25. colum. 5. §. *Quibus Latini*, professio fidei ad Græcos data sic habet: *Quoniam Græci suspicantur, nos duo principia, duasque causas in Trinitate profiteri; idcirco hanc habentes sententiam anathemate damnamus: quandoquidem ipsi credimus, Patris & Filij operationem, potestatemq; mittendi vnicam Spiritus sancti causam esse, ita vt Filius non sit diuersum à Patre principium.* Ecce hic sine particula *tanquam*, & sine omni alio signo improprietatis absolutè duo principia damnantur anathemate, decernitúrque professio vnius tantum principij.

18 Confirmatur primò, quia Ioannes Latinorum nomine in præcedenti sess. 24. post med. *Duabus*, inquit, *personis vnica potestas spirans & mittens existit, quæ quamuis vnica missio & causa sit, à Patre tamen præcipuè creditur esse, à quo Filius eandem ipsam facultatem habens, vna cum Patre principium vnicum est, non tamen personarum confusione.* Confirmatur secundò, quoniam dictio *tanquam*, aliáue similis non legitur in narratione dissidij Græcorum à Latinis, quæ præmittitur ante decretum in literis vnionis Eugenij Quarti, nec in sententia Patrum orientalium & occidentalium, quæ refertur à Bessarione in orat. pro vnione cap. 8.

19 *Dictiones tãquã & sicut; quando reduplicant, non dicunt improprietatem.* Probatur secundò, nam dictiones *tanquam, vt, sicut*, aut similes quando reduplicant rationem formalem, aut causam alicuius dicti; tunc non significant improprietatem & imitationem ad instar alterius, sed proprietatis rigorem; vt constat in exemplis Scripturæ nuper adductis. At verò quoniã Concilia prædicta decernebant, Spiritum sanctum procedere à duabus personis, vt ostenderent, procedere ab illis immediatè, nõ qua ratione duæ personæ realiter distinctæ sunt, sed qua ratione sunt vnum in ratione spirationis; ideo addiderunt dictionem *tanquam*, ac si dicerent, *in quantum*, vel *quatenus*, vel *ea ratione*, & *propterea*, quia sunt vnum in ratione principij. Confirmatur, nam hac de causa spirationem esse vnicam, pronunciant absque dictione *tanquam*, Concil. Lugdunense dicto cap. vnico de summa Trinit. in sexto, & Florentinum in literis vnionis initio citatis. At verò spirationis vnitas ponitur ad exponendam & confirmandam vnitatem principij.

20 *A metaphoris & improprietatibus abstinent concilia.* Probatur tertiò, quia Concilia diligentissima cautione solent à metaphoris aut improprietatibus abstinere, sermonis rigorem & improprietatem affectãdo, quoad fieri potest, resecando quaslibet occasiones errandi per sinistras interpretationes. Idque potissimum præstant in grauissima controuersia, cuius causa concilium fuit conuocatum. At in Lugdunensi & Florentino, Spiritus sancti processio à duabus personis, & illius modus fuit controuersia primariò disputata. Confirmatur, quoniam contraria sententia præbet Schismaticis occasionem insultandi contra prædicta Concilia, probando, suam propositionem, quam Latinis obiiciebant, esse veram in rigore sermonis, si Spiritus sanctus procedit à Filio, videlicet Patrem & Filium esse duo principia: verùm Latinos, argumento deterritos, quæsiisse latibula sermonis improprij, quo deluderent argumentum, sed non soluerent.

21 Probatur quartò, quia dictio *tanquam*, quoties improprietatem aut imitationem significat, non excludit absolutè verificari contrarium illius dicti: Quemadmodum psalm. 38. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* & 89. *tanquam dies hesterna, quæ præteriit, quæ pro nihilo habentur*, &c. nihilminus absolutè verificatur esse aliquid, & tanquam aliquid, & tanquã diem præsentem. At verò Lugdunense Concilium initio citatum & Latinorum nuper adducta, & antiquiores Patres maximè Augustinus & Anselmus absolutè negant duo principia: ergo quando dicitur, *tanquam vnum principium*, non licet intelligere improprietatem, & imitationem vnitatis, sed propriam & perfectam veritatem vnitatis.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ discutiturq; veritas aliarum locutionum.

1 *Primum argumentum.* PRimum argumentum ex Durando & Gregorio potest ita conflari. Nihil aliud potest in re præsenti significari nomine vnius principij, nec pro alio supponi potest, nisi pro essentia Deitatis, vel pro spiratiua potentia, seu actuali spiratione, aut relatione spiratoris, vel pro supposito producente Spiritum sanctum. Sed hoc nomen non potest supponi pro essentia Deitatis, nec pro potentia spiratiua siue actuali spiratione, aut relatione spirantis. Restat igitur, vt solummodo possit supponi pro supposito producente. Sed suppositum producens Spiritum sanctum non est vnicum, sed duplex, nimirum Pater & Filius: nec est vnicum suppositum spiratione constitutum; vt sect. 3. constabit. Ergo principium à quo procedit Spiritus sanctus non est vnum, sed duplex.

2 Minor probatur, imprimis enim cum essentia non generet, nec spiret, sicut nec generatur, neque spiratur; consequens est, vt vnum principium spiratiuum non supponatur pro essentia, nec propriè possit de illa prædicari. Rursus quod principium non supponatur pro spiratiua potentia, nec pro actuali spiratione, vel relatione spirantis, probatur, quia Pater & Filius sunt principium Spiritus sancti: sed Pater & Filius, propriè loquendo, non sunt potentia spiratiua, nec sunt actualis spiratio, nec sunt relatio spirationis. Ergo pro his non supponitur principij nomen, quando dicimus: Pater & Filius sunt principium Spiritus sancti. Confirmatur, quia designando potentiam spiratiuam, aut spirationem actualem, aut relationem spirantis, non erit verum dicere: Hoc est principium spirans.

3 *Solutio.* Respondeo & Dico primò. Propriæ & veræ sunt istæ propositiones: Pater & Filius est potentia spiratiua: Pater & Filius est actualis spiratio: Pater & Filius est relatio spirationis actiuæ: quamuis obstare posset appellatio formalis, de qua diximus disp. 17. sect. 7. Sed quoniam istarum propositionum proprietas nec certa est, nec requiritur ad solutionem argumenti, ea prætermissa venio ad id, pro quo supponitur vox *principium Spiritus sancti.*

4 Dico igitur secundò. Sicut vox, *Deus*, de formali significat diuinam essentiam, de materiali tamen significat communem quandam rationem suppositi habentis Deitatem; quæ ratio suppositi per intellectum nostrum abstrahitur à Patre & Filio, & consequenter abstrahitur ab hoc, quod sint vnum vel plura supposita (prout explicatum est disp. 34. sect. 10. & 7.) ita complexum hoc: *Principium Spiritus sancti*, de formali significat potentiam spiratiuam & actualem spirationem ac relationem: de materiali tamen significat communem, *Principiũ spiratiuum quid significet.*

nem, & à duabus personis abstractam rationem suppositi, habentis prædictam potentiam, operationem & relationem spirationis. Vnde sicut absolutè ac propriè loquendo, Pater & Filius sunt vnus Deus propter vnitatem significati formalis, videlicet, Deitatis, etiam si Deitas quidditatiuè necessarióque postulet tria suppósita, in quibus subsistat, quamuis ea non sint de essentia Deitatis: ita etiam Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti propter vnitatem potentiæ spiratiuæ, & actualis spirationis ac relationis ad Spiritum sanctum. Quamuis hæc omnia necessariò, quidditatiuéque postulent duas personas spirantes, videlicet Patrem & Filium.

5 *Quæ sit suppositio essentiæ nominis.* Inde colligo, & Dico tertiò. Sicut nomen *Deus*; ita etiam *principium Spiritus sancti* supponitur partim suppositione singulari, determinata, ac distincta, quantum ad formale significatum; partim verò suppositione communi, vaga, vel indistincta, quantum ad materiale significatum, quod est suppositum. Sumitur hoc ex D.Thoma q.36. artic.4. corp.collato cum solutionibus argumentorum 4.5. & 6. & Alexandro 1.p. q.70. memb.3. art.3. Sed quoniam hanc solutionem redarguit Gregorius dist.12. quæst. vnica, contendens, non esse possibilem hîc confusam suppositionem, & inquirens ascensum, vel descensum, aliásque proprietates logicales: mira varietate de illis dissentiunt Scholastici, etiam expositores S. Thomæ, vt Capreolus dist.12. quæst. vnica colum.penult. & vlt. Caietanus hac q.36. art. 4. examinans responsionem ad 4. & 5. Canariens.in eodem art.4. parte 3. comment. Suarez lib.10. de Trinit.cap.7. num. 6. Verùm ad maiora vocatos non oportet in his amplius immorari.

6 Quartò ex dictis infertur, *principium Spiritus sancti* rectè prædicari de Patre aut de Filio diuisiuè, ac sigillatim, dicendo: Pater est principium Spiritus sancti, Filius est principium Spiritus sancti Quamuis etiam possit de vtraque persona collectiuè sumpta prædicari, dicendo: Pater & & Filius sunt principium Spiritus sancti. Porrò quæ difficultatem afferre potuissent, ne Filius diceretur esse principium, eo quod procedat à principio, tractata sunt disp.48. sect.4.

7 *Secúdum argumentum.* Secundum argumentum antiquorum erat illud sophisma. Pater & Filius non sunt vnum principium, quod est Pater: nec sunt vnum principium, quod non est Pater. Ergo non sunt vnum principium Spiritus sancti. Antecedens probatur, quia si Pater & Filius essent vnum principium, quod est Pater; sequeretur, Filium esse Patrem, aut certè complexum ex Patre & Filio esse idem quod solus Pater. Si verò Pater & Filius sunt vnum principium, quod non est Pater; sequitur, quod Pater non est Pater.

8 *Cómunis solutio.* Communis solutio est, illas propositiones non esse contradictorias, quoniam in vtraque principalis copula affirmatur. Ideo non est necesse veram esse alteram illarum. Quin potius vtraque falsa est. Quemadmodum ista propositio foret falsa: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, qui est Pater: ac similiter ista esset falsa: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, qui non est Pater. Ita respondent S. Thomas in præsenti art.4. ad 4. S.Bonauentura 1. dist.29.a.2. quæst.1. fine. Henricus in summa art.54.quæst.6. ad 10.arg.& alij. Verùm tamen instaurari potest idem argumentum, si propositiones ita constituantur. Hoc vnum principium spiratiuum est Pater. Hoc vnum principium spiratiuum non est Pater. Istæ namque videntur esse contradictoriæ; cum tamen vtraque videatur esse falsa, propter rationem in argumento positam.

Argumẽtum instauratur.

9 *Solutio.* Respondeo igitur, negatiuam esse veram: *Hoc principium spiratiuum non est Pater*, intelligendo Patrem præcisè. Nec inde sequitur, quod Pater non sit Pater; quamuis Pater & Filius sint hoc principium spiratiuum: quia suppositio simplex mutatur in suppositionem personalem, vt si dicerés: *Trinitas non est Pater*, intelligendo præcisè, non liceret syllogizare dicendo, sed Trinitas est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo Pater non est Pater. De quibus fallaciis dictum est satis disp. 15. præsertim sect.6. fine.

10 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum. Quoniam si Pater & Filius de rigore sermonis essent dicendi vnum principium Spiritus sancti; sequeretur, Patrem & Filium esse idem principium Spiritus sancti. Consequens autem est falsum. Ergo & antecedens. Sequela probatur primò, quia *vnum*, & *idem* æquiualent in significatione, & mutuo se inferunt. Secundò, quia vnum in substantia facit idem. Tertiò, nam idem & diuersum siue distinctum, immediatè opponuntur, vt necessarium sit quolibet ente designato, vel esse idem, vel distinctum ab alio. Sed Pater & Filius non sunt distincta siue diuersa principia. Ergo sunt idem principium. Quartò, quia sicut vnitas virtutis spiratiuæ & actualis spirationis est sufficiens ratio vt Pater & Filius sint vnum principium: ita identitas virtutis & spirationis erit sufficiens ratio, vt sint idem principium. Confirmatur, nam propter identitatem Deitatis Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt idem Deus.

Vtrum Pater & Filius sint idem principium Spiritus sancti.

11 *Negant.* Consequentis autem falsitatem docet Alexander 1. p. q.70. memb.3. art.4. S. Bonauentura 1. dist.29. art.2. quæst.2. corp. fine, & author commentariorum de maximis Theologiæ, propositione 51. Quem refert Ricardus eadem dist. 29. art. vnico quæst.1. in *sed contra* (& in eius sententiam magis inclinare videtur, licet vtramque partem defendat.) Dicunt igitur ij doctores: Pater & Filius, de rigore ac proprietate sermonis, non sunt *idem principium*, quia relatiuum *idem* refertur ad suppositum, non præcisè prout actiuum est (sicut refertur principium) sed potissimùm prout est suppositum. At verò non est idem suppositum Pater & Filius.

12 *Concedi potest idẽ principium.* Vera tamen solutio est, conuenientem & absque improprietate posse concedi, quod Pater & Filius sint idem principium Spiritus sancti, quoniam relatiuum *idem* potest significare solam identitatem in præcisa ratione habentis virtutem spiratiuam & spirationem actualem: sicut vnum principium significat hanc solam vnitatem. Atque id confirmat exemplum; siquidem Pater & Filius sunt idem Deus: nec licet confugere ad suppositum absolutè commune tribus personis, quod refutatum est disp.34.sect.5.& sequentibus. Hanc igitur locutionem admittit S. Thomas in præsenti art.4. ad 6. Caietanus, & omnes expositores illius.

13 *Quartum argumentum. An sit vnus spirator & author.* Quartum argumentum quoniam spirator, & author Spiritus sancti, valet idem, quod principium Spiritus sancti. At verò non est vnus spirator, nec vnus author Spiritus sancti, sed duo. Ergo non est vnum principium sed duo. Minor probatur, Hilarius enim lib.2.de Trinit. inter med.& finem ait: *Spiritus de Patre & Filio authoribus confitendus est.* & Hugo Ætherianus lib. 3. contra Græcos cap.3. sub init. Patrem & Filium appellat in

plurali *Donatores* respectu Spiritus sancti.

14 *Duos concedunt aliqui.* Aliqui Scholastici concedunt duos spiratores, & duos authores Spiritus sancti, non solum illi, qui concedunt duo principia Spiritus sancti; Durand. Gregor. & Gabriel: sed etiam ex illis, qui duo principia negant. Ita existimat Albertus 1.p. quæst.31. memb.3. prope fin. Alexand. quæst.70. memb.3.art.5. S.Bonauentura 1.distinct.29.art.2. quæst.2. S.Thom. olim eadem distinct.29. quæst. vnica, artic.4. ad 2. Henricus in summa artic.54. quæst.6. ad 11. & 12. argum. & artic.60. quæst.6. corp. Ægidius & alij apud Carthusian. in 1. dist. 11. quæst.4. Fundamentum est non modò prædictum testimonium Hilarij, sed etiam ratio discriminis, quam esse dicunt inter hæc nomina verbalia, licet substantiua sint, & reliqua substantiua. Quoniam hæc nomina imponuntur ab actibus, qui semper significantur vt adiacentes: ideóque vt pluraliter affirmentur, non requiritur pluralitas formæ, sed satis est pluralitas suppositorum, sicut ad multiplicanda nomina adiectiua.

15 Quando verò creatoris nomen obiicitur, quod est similiter verbale; & tamen Pater & Filius & Spiritus sanctus non sunt plures creatores, sed vnus creator. Respondent, esse discrimen, quia spiratio præexigit distinctionem in suppositis; vnde est aliquo modo à suppositis, in quantum sunt plura & distincta, cum sit operatio personalis. Sed creatio est operatio essentiæ diuinæ: vnde est operatio suppositi, prout abstrahitur à distinctione personarum, quemadmodum dicitur vnus Deus, & vnus Dominus.

16 *Non duo, sed vnicus spirator.* Nihilominus re melius considerata S. Thom. in fine præsentis articuli 4. censuit, non esse concedendos duos spiratores, sed vnicum tantùm. Merito quippe apud eum præponderat generalis regula substantiuorum nominum, vt non multiplicentur, nisi multiplicata forma illorum. Sequuntur eandem sententiam Scotus 1. distinct. 12. quæst.1. §. *iuxta quæst.* Marsilius lib.1. quæst.15. art.3.fine, ante argum.& ad vltimum argum. Aureolus 1.distinct.12.art.4. Carthusian.distinct.11. quæstione 4. Caietan.& communiter expositores S.Thom. Ricardus autem eadem distinct.11.artic. vnico quæst.5. problematicè defendit, & ex parte probat Gabriel distinct.12.quæst.1.artic.2. prope finem. Confirmatur, quia *Donator* verbale nomen est non minus, quàm spirator, & ab Augustino ponitur ad significandum idem prorsus & eodem modo, quo spirator accipitur ab Scholasticis, videlicet, vt principium correlatiuum & productiuum Spiritus sancti. Vbique tamen dicit Augustinus in numero singulari, Deum, siue Patrem & Filium esse *Donatorem Doni*, atque Spiritum sanctum esse *Donum Donatoris*: nunquam autem in plurali dicit *Donatores*. Quæ omnia videre licet apud August. lib.5.de Trinitate cap.11. post medium, & sequenti cap.12. & sermone 38. de tempore colum. 3. verba posuimus disput.16. sect.2.

17 Ad Hilarium verò respond. Substantiuum nomen pro adiectiuo posuisse, quando dixit, *authoribus* in numero plurali. Nec obstat illud discrimen creatoris à spiratore, tum quia licet spiratio præexigat distinctionem suppositorum, & procedat ab illis aliquo modo, in quantum sunt distincta; nihilominus ex vi nominis substantiui non significatur hæc exigentia distinctorum, vt sect. præcedenti probatum est de nomine *principij*. Eadem autem ratio militat in spiratore, cum sit substantiuum, licet sit verbale.

Ruiz. de Trinitate.

18 *Duo spirantes.* Duos tandem *spirantes*, & non vnum, esse concedendos, pro comperto supponunt omnes Scholastici; rationem autem reddunt, quoniam huiusmodi participia sunt adiectiua. Proprium autem adiectiuorum est multiplicari iuxta numerum suppositorum, etiamsi forma non multiplicetur. Propria namque fuit locutio Gregorij lib.30. moral. cap.5. *Is, qui per processionem producitur, à proferentibus non præitur.* Quin etiam Patrem & Filium esse *spirantes*, asserit Mitylenensis Episcopus in Florentino sess.25. inter med. & fin. §. *Ego ab ineunte.*

19 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum inde sumebant antiquiores, quia putabant, *principium* esse nomen adiectiuum, eo quod non significat personam sicut *Pater* & *Filius*, nec significat substantiam sicut *Deus*, sed significat proprietatem personæ. Ergo principium est multiplicandum pro numero suppositorum.

20 *Substãtiuum nomen est principium.* Respond. Principium est substantiuum nomen, cuius ratio nihil pendet ex re significata, sed ex modo significandi. Quod logici multis exemplis ostendunt, theologis autem magis accommodata sunt duo, præter exempla cætera. Alterum, Danielis cap.2. num.31. dicitur: *Statua vna grandis*, cum tamen illa constaret ex multis entibus specie diuersis & malè cohærentibus; quoniam nomen *statua* substantiuum est, significans de formali repræsentationem hominis: hæc autem repræsentatio erat vna, licet habentia repræsentationem essent tot entia. Alterum exemplum sit sapientia, quæ significat eandem formalitatem, quam significat nomen *Sapiens*, adiectiuè sumptum; nihilominus Pater, Filius & Spiritus sanctus non sunt tres sapientiæ, licet sint tres sapientes: quoniam sapientia ex modo significandi est substantiuum, nec potest adiectiuè sumi. Adde, quod formalitas principij spiratiui, licet non sit substantia absoluta, nec sit persona, verè tamen est veluti forma substantialis, infinitum distans ab accidente. Itaque nec res significata, nec modus significandi talis est, qualem fingebant authores illi.

21 *Non est connotatiuum.* Sextum argumentum aliorum, qui existimant, *principium* esse nomen connotatiuum. Quibus respondeo, nullum terminum substantiuum esse connotatiuum, vt ex S. Thom. infra quæst. 39. artic. 3. aliísque theologis probatum est in summulis. Veruntamen dato, quod hic terminus fuisset connotatiuus simul & substantiuus; seruare debuisset substantiui leges, quantum ad multiplicationem vel vnitatem in modo enunciandi.

22 *Septimum argumentum.* Septimum argumentum, quia videtur ex dictis inferri, quod Deus sit duo principia, itémque Pater sit duo principia. Sequela probatur, quoniam formale significatum principij duplex est in Deo & in Patre. nam Paternitas est altera ratio principij, & spiratio actiua est altera ratio principij. Confirmatur, quia saltem Pater, prout est principium generationis, ac Filius, prout est principium spirationis, erunt duo principia.

23 *Nõ duo principia est Pater vt generans & spirans.* Respondetur. Nullo modo Deus est duo principia, siue consideres solam personam Patris, vt est principium generans & spirans; siue consideres duas personas, Patrem, vt generantem, & Filium vt spirantem. Hoc enim efficaciter colligitur ex Lugdunensi & Florentino, & ex Patribus sect.1. citatis præsertim pro conclusione 2. nam absolutè atque vniuersaliter negãt duo prin-

cipia. Idque clariùs expressit Anselm. epist. de process. cap.11. ad finem, dicens: *Nec tamen duo confitemur principia, vnum Patrem ad Filium, alterum Patrem & Filium ad Spiritum sanctum: sicut non credimus alium Deum, de quo est Filius, & alium Deum Patrem & Filium, de quo est Spiritus sanctus: quamuis de eodem Deo, siue de eodem principio suo quisque modo sit, alter scilicet nascendo, alter procedendo.* Et post pauca: *Non enim possumus duas dicere causas, videlicet Filij, aliam Spiritus sancti, sed vnam.*

24 Rationem verò docuit S. Thomas in præsenti artic.4.ad 2. quia substantiui nominis plurificatio requirit non modò pluralitatem formæ, quam significat de formali, sed etiam pluralitatem suppositorum. Vnde si tres personæ diuinæ susciperent eandem humanitatem Christi Domini; non essent tres homines, sed vnus homo, vt videbimus disput.77. sect.6.& 7. At Pater est vnicum suppositum; ac proinde quamuis haberet in se duas realiter distinctas proprietates principij, non potuisset appellari duo principia. Multóque minus poterit, cum duæ illæ rationes principij realiter identificentur in Patre; sunt enim Paternitas & spiratio actiua realiter idem, supra disput. 17. sect. 2. 3. & 4. Sed spirationem actiuam esse rationem principij spiratiui, constabit sect. 4. Rursus licet Pater & Filius sint duo suppositi; quia tamen in ratione principij Spiritus sancti sunt vnum; consequens est, vt principium Filij generandi, & principium Spiritus sancti debeant appellari simpliciter vnum principium, partim ob vnitatem formæ, partim ob vnitatem suppositi, quia nimirum idem suppositum Patris est principium generans & spirans.

25 Postremum argumentum obiici posset, quoniam Basilius & Gregorius Nyssenus asserunt, nullam notionem seu proprietatem esse communem Patri & Filio. Sed eorum mentem explicuimus disput.47.sect.3. obiect.4. & disputat.67. sect.9.argum.7.

SECTIO III.

Vtrum subsistentia, realiter vna, constituat principium spiratiuum, in ratione vnius suppositi.

1 *Sententia affirmatiua.* Affirmatiua sententia Ochamo & Gabrieli tribuitur à multis Scholasticis antiquis & recentioribus, ea tantum occasione, quoniam dixerunt, esse vnum spiratorem, constitutum ex essentia & spiratione actiua; sicut est vnum spiratum, constitutum ex essentia & spiratione passiua. Veruntamen iidem authores hanc assertionem temperauerunt, explicato discrimine, quod est vnum suppositum constitutum ex essentia & spiratione passiua: sed non est vnum suppositum, sed tantùm singulare vnum, constitutum ex essentia & spiratione actiua. Ita docuit expressè Ocham. 1. distinct. 12. quæst. 1. §. *circa primum dico*, quod postea declarat in responsione ad dub. 2. Breuius autem, ac simul vtramque partem explicuit Gabriel eadem distinct. 12. quæst. 1. art. 2. prope finem, dum probat vnicam conclusionem. Hic ergo dicendi modus est filius, expositus ad ianuam illorum authorum, sed nullum agnoscens parentem.

2 *Primum argumentum.* Nec magni momenti sunt argumenta duo, quæ dubitandi rationem afferre potuissent. Primum, quia principium productiuum *vt quod*, est suppositum: sed principium *vt quod* productiuum Spiritus sancti est realiter vnum, (vt probatum est sect.1. & 2.) Ergo principium productiuum Spiritus sancti est suppositum realiter vnum, ac subinde constitutũ vnica subsistentia. Respond. *Solutio.* Principium *vt quod* est suppositum de materiali significato. Sed formale significatum istius principij est potentia spiratiua & actualis spiratio siue relatio (vt probabitur sect. sequenti.) Propterea relationis huius & actualis spirationis atque potentiæ sufficit vnitas, vt dicatur, & verè sit realiter vnum principium spirationis, *vt quod*, quamuis nullum detur suppositum realiter vnum, nec subsistentia realiter vna.

3 *Secundi argumentum.* Secundum argumentum. Subsistentia est incommunicabilitas (supra disput.34. sect.3. & sequentibus) sed comparatione Spiritus sancti Filius redditur incommunicabilis per spirationem actiuam, & non per Filiationem. Ergo spiratio actiua est subsistentia Filij in ordine ad Spiritum sanctum. Respond. Subsistentia est incommu- *Solutio.* nicabilitas omnimoda comparatione cuiusque alterius personæ. Hanc incommunicabilitatem præbere nequit spiratio actiua, quippe quæ duabus personis communicatur. Quapropter Filio subsistentia & incommunicabilitas comparatione cuiusque personæ relatio Filiationis est, in quantum radicaliter & virtualiter continet spirationem actiuam, quæ non est radicalis incommunicabilitas, sed actualis ipsa incommunicatio, siue distinctio actualis, iuxta dicta disputat.68. sect.6. 7. & 8.

4 *Nulla subsistentia realiter vna in Patre & Filio.* Sit ergo prima conclusio. Nulla datur subsistentia realiter vna, Patri, Filióque communis, neque vnum commune suppositum, constitutum per illam subsistentiam, nec per illam constituitur vnum principium spiratiuum. Hæc est communis sententia Scholasticorum, quoties rationem assignant, propter quam Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, non quia sint vnum suppositum, sed duo, verùm quia ratio formalis principij vna est in duobus suppositis. Ita procedunt S. Thomas in præsenti quæst.36. art.4. corp. & in solutionibus argumentorum, & 1. sententiarum distinct.29. quæst. vnica artic.4. S. Bonauentura 1. sententiarum distinct.11. artic. vnico quæst.2. corp. & ad 3. & distinct.29. art.2. quæst.2. corpore. Alexander 1. part. quæstione 70. memb.3. artic.3. 4. & 5. & magis directè in eodem artic.4. Albertus 1. part. quæst.31. memb.3. prope finem. Henricus in summa art.54. quæst.6. ad 9. & 11. & 12. argum. Scotus 1. distinct.12. quæst.1. Ricard. distinct.11. art. vnico, quæst.5. & distinct.29. artic. vnico quæst.1. Carthusian. distinct.11. quæst.4. Marsilius lib.1. quæst.15. art.3. & ad argumenta. Capreolus distinct.12. quæst. vnica versus finem. Caietanus in præsenti art.4.

5 Sed magis directè & ex professo refutant vnum suppositum spiratiuum, Aureolus dist. 12. quæst. vnica artic. 3. propositione 2. Gregorius eadem distinct.12.q.1. propius ad med. quàm ad princip. Canarien. in præsenti art.4. in 2. parte commentarij post medium. Valent. 1. part. quæst.10. de Spiritu sancto puncto 5. circa med. §. *neque verò*. & sequentibus. Vazquez disput.149. num.9. Suarez lib.10. de Trinit. cap.4. Nec prætereundus est Durandus, qui negat vnum principium, quia pro certo supponit non esse vnum suppositum, sed duo, distinct.29. quæst.2. num.4.

6 Quamuis tanta sit in asserenda conclusione concordia, non est modicum dissidium in eius ratione

ratione reddenda. Quoniam authores prædicti dissident in principiis aliarum quæstionum, siue de subsistentia absoluta communi tribus personis; siue de constitutione personarum, siue de aliis articulis. Cæteris ergo prætermissis, eas tantùm afferemus probationes, quas solidas, & veritatis fundamento subnixas esse putamus. Prima sit, quia contra rationem subsistentiæ pugnat realiter identificari cum duabus personis, & illi communem esse: nec minus pugnat contra rationem suppositi. (Quod probatum est tota disput. 34.) Sed principium spiratiuum, & forma, per quam constituitur, est communis duabus personis. Ergo non potest esse subsistentia nec suppositum. *Probatio prima.*

7 *Probatio secunda.* Ex eadem disputatione 34. præsertim sect.5. & sequentibus accipitur probatio 2. quoniam apud antiquos Patres, ac cæteros theologos inaudita est quarta subsistentia relatiua: cum frequenter audiantur tres subsistentiæ relatiuæ. Confirmatur, quoniam Lugdunense, Florentinúmque Concilium locis adductis in sect.1. quoties explicant, aut confirmant vnitatem principij, non recurrunt ad vnitatem subsistentiæ vel suppositi (quæ si verificaretur, foret euidentior probatio) sed tantùm ad vnitatem potentiæ spiratiuæ & actualis spirationis. Nec dissimile argumentum accipi potest ex testimoniis Patrum adductis sect.1. Recurrunt enim semper ad vnitatem Diuinitatis, & explicant exemplo vnius Creatoris, qui non constituitur vna subsistentia communi.

8 Tertiò probatur, quia superflua est subsistentia vel suppositalitas quarta. Nam principium spiratiuum, *vt quod*, & potentia spiratiua, & actualis spiratio atque relatio, omnes, inquam, hæ formalitates sufficienter subsistunt per Paternitatem & Filiationem, quæ sunt duæ subsistentiæ relatiuæ: sicut essentia diuina sufficienter subsistit per tres subsistentias relatiuas, nec indiget alia quarta absoluta. Paternitas enim cum sit subsistentia prima & ingenita, sufficit vt per eam subsistat, quidquid realiter identificatur cum illa, & per se ac necessariò cohæret cum ea; similitérque Filiatio cum sit subsistentia genita, sufficiens est; vt per eam subsistat quidquid per generationem communicatur, & realiter identificatur cum Filiatione, cum illáque per se, necessarióque cohæret.

9 Quartò probatur, quia nostro modo intelligendi, spiratio actiua, quatenus est relatio quarta, non vnitur immediatè cum essentia sed mediatè. Mediant enim Paternitas & Filiatio, quæ immediatè vniuntur essentiæ diuinæ tanquam illius subsistentiæ, constituentes duo suppositа. Quibus suppositis, iam constitutis radicaliter (licet non omnino plenè) superuenit relatio spirationis actiuæ, complens & perficiens eorum explicitam distinctionem: vt vidimus disputat.17. sect.6. præsertim post dictum 3. At verò subsistentia deberet immediatè modificare naturam, non supponendo, eam iam prius ratione subsistere per aliam subsistentiam.

10 Quintò nec est contemnenda quorundam authorum probatio, quia si daretur suppositum, constitutum aliqua subsistentia communi Patris & Filij: daretur quarta persona. Hæc enim ratio nihil eneruatur solutione aliorum authorum, opponentium communicabilitatem duabus personis, & realem identitatem cum illis. Quinimo fortius inde redditur argumentum, quoniam contradictio manifesta inuoluitur in supposito

Ruiz. de Trinitate.

& subsistentia, quæ simul esse deberet persona; & tamen haberet conditiones directè contrarias personæ, suppositо & subsistentiæ. Præsertim quia reiecimus iam subsistentiam absolutam, communem tribus personis ob eandem contradictionem.

11 *Secunda conclusio. Temerarium & periculosum esset oppositum.* Ex prædictis fundamentis infertur censura contrariæ sententiæ, de qua sit secunda conclusio. Temerarium erit & periculosum erroris, affirmare subsistentiam vel suppositum aliquod vnum realiter, & commune Patri & Filio; & magis apertus error erit, affirmare personam vnam vtrique communem: vt censuit Molina in præsenti artic.4. disputatione 2. longe post medium. §. *Denique*. Is igitur author, quantum ad rem ipsam, à doctrina prioris conclusionis omnino nihil dissidet: quamuis in modo loquendi non parum dissentiat, concedens, impropria quadam & inusitata subsistendi acceptione, subsistens esse vnum illud principium spiratiuum, constitutum ex essentia & spiratione actiua, quatenus subsistere est existere independenter ab alio, cui quasi inexistat, vt explicat in prædicta quæst. 2. §. *Est ergo*. & pro subsistentia absoluta declarauerat supra quæst.29. artic.2. disputatione 3. conclusione 2. Verum hanc acceptionem esse non solum impropriam, sed etiam procliuem ad errorem inducendum circa quidditatem & numerum diuinarum subsistentiarum, ostendimus tota disputatione 34.

12 *Singulare realiter vnitè est principiũ spiratiuum.* Tertia conclusio. Ex essentia diuina & duobus suppositis Patris & Filij per actiuam spirationem, tanquam per formam constituitur aliquod singulare, realiter vnum, quod est vnum principium Spiritus sancti. Est autem singulare realiter identificatum cum duobus realiter distinctis, quemadmodum vnus Deus est singularis, realiter identificatus cum tribus suppositis realiter distinctis. Hoc euidenter sequitur ex fundamentis positis in sect.1. non enim posset vnum esse principium, nisi ratio formalis, realiter eadem, & ideo simpliciter vna, constitueret principium. Quantum ad hoc rectè senserunt Ocham & Gabriel initio citati.

13 Quod autem Canariensis in præsenti artic. 4. parte 2. commentarij monet, non esse dicendum quartum cõstitutum; ne videamur inducere quartum suppositum, fuerit ab omni suspicione liberum, addita declaratione, vt quartum constitutum sit ex quarta relatione, duas personas afficiente, sed non efficiente suppositum quartum, nec subsistens quarta subsistentia.

14 Quarta conclusio. Prædictum singulare siue indiuiduum, constitutum ex duabus personis de materiali, & de formali ex spiratione actiua (vt nuper explicuimus) est immediatum principium *quod*, productiuum Spiritus sancti, ita vt ab illo immediate procedat Spiritus sanctus, nec immediatè procedat à persona Patris & persona Filij, prout abstrahuntur à spiratione actiua. Quod volunt aliqui Doctores huius temporis, existimantes, spirationem actiuam esse aliquid supponens totum principium spiratiuum, & ex illo consequens: sed huius rei veritas constabit amplius sectionibus sequentibus.

SECTIO IV.

Vtrum relatio spirationis actiuæ sit, quæ constituit principium spiratiuum in ratione principij.

1 *Negatiua sententia.* NEgatiuam sententiam amplectuntur docti recentiores, qui existimant, quod relatio spirationis actiuæ neque constituit principium spiratiuum *vt quod*, neque potentiam spiratiuam; nec est conditio requisita ad spirandum: sed consequitur potentiam spiratiuam medio actu spirandi. Aiunt igitur, spirandi virtutem de formali dicere voluntatem vel amorem absolutum, at verò connotare relationes duas Paternitatis & Filiationis, tanquam conditionem requisitam in principio *quod*, productiuo Spiritus sancti. Ita existimat Suarez lib. 5. cap. 8. num. 10. & lib. 10. c. 4. num. 5. & sequenti cap. 5. num. 5. & 6. Magna ex parte, quantum ad potentiam spiratiuam, huic sententiæ fauet Henricus artic. 54. quæst. 6. ad 9. argum. & art. 60. quæst. 6. & 7. & Scotus 1. dist. 12. quæst. 1. §. *quantum ad istum.* Alium autem ex antiquis reperio neminem.

2 *Primum fundamentum.* Primum fundamentum est authoritas S. Thomæ infra quæst. 40. art. 4. corp. dicentis: Actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relatiuam innominatam, communem Patri & Filio.

3 Secundum fundamentum. Quia relatio spirationis actiuæ nec constituere potest principium *quod*, nec principium *quo*, siue potentiam. Etenim principium *quod* esse debet suppositum. Sed spiratio actiua non constituit suppositum: quoniam hæc relatio non est subsistentia seu suppositalitas: vt probatum est sect. præcedenti. Deinde relatio eadem non potest constituere potentiam spiratiuam seu principium *quo*. Voluntas enim diuina, vel absolutus amor, prout existit in Patre & Filio, est principium *quo*, seu potentia spiratiua.

4 Tertium, quia idem est sufficiens, & immediatum principium productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum. Ergo sicut Pater, vt constitutus sua proprietate personali, immediatè generat; ita etiam immediatè spirat: & econuerso, sicut non potest dari constitutum commune immediatè producens per intellectum, ita neque per voluntatem. Antecedens probatur, quoniam amor procedit ex cognitione; vnde idem est amans, qui est intelligens. Ergo idem etiam immediatè producit amando, qui producit intelligendo.

5 Quartum fundamentum. Quia Filius prius origine, quàm producatur Spiritus, supponitur esse persona intelligens, & immediatè amans, sicut Pater. Ergo cum prioritate originis ad processionem voluntatis habet totam fœcunditatem cum omnibus requisitis ad illam productionem. Ergo antequam adueniat communis relatio, constitutum est principium spiratiuum.

6 Quintum. Quia relatio spirationis actiuæ non complet formaliter virtutem amandi. Ergo non complet formaliter virtutem spirandi. Confirmant primò, quoniam amor notionalis non includit relationem. Confirmant secundò, quoniam vt Pater & Filius se amando producant, satis est in eadem voluntate personaliter subsistere, absque origine per eandem voluntatem.

7 *Relatio spirationis actiuæ constituit principium.* Nihilominus sit prima conclusio. Relatio spirationis actiuæ constituit spiratiuum principium in ratione principij. Hic est communis Scholasticorum sensus. Magister enim lib. 1. distinct. 29. prope finem docet, *Patrem & Filium eadem relatione vel notione principium dici Spiritus sancti. Si verò quæritur, quæ sit illa notio, quam ibi notat principium? Nomen illius non habemus: sed non est ipsa Paternitas vel Filiatio: imò notio quædam Patris & Filij, qua ab æterno Pater & Filius vnum principium est Spiritus sancti.* Hanc eandem Magistri sententiam sequuntur communiter Scholastici in eadem distinct. 29. Vbi sanctus Bonauentura art. 2. quæstione 1. corpore ad finem. & quæst. 2. corp. docet, vnum principium vocari, prout principium dicit vnitatem notionis seu relationis, supposita vnitate naturæ & virtutis spiratiuæ. Quibus similia scripserat distinct. 12. articulo vnico quæst. 2. fine.

8 S. Thomas dicta distinct. 29. quæstione vnica artic. 3. corpor. ait: *Vna numero notio est Patris & Filij, secundum quod principium Spiritus sancti dicuntur, vt dicitur in litera*, videlicet Magistri supra citati. Et in præsenti quæstione 36. artic. 4. corpor. fine. & solutione ad 2. docet, quod vnitas proprietatis, significatæ per nomen *principium*, est ratio propter quam sit, & dicatur vnum principium. Propter eandem rationem efficaciter colligitur eadem veritas ex Alexandro 1. part. quæst. 70. memb. 3. artic. 3. & quæst. 68. memb. 3. artic. vnico §. 1. Alberto 1. part. quæst. 31. memb. 3. prope finem. & quæst. 39. memb. 2. particula. 1. ad 2.

9 Magis ex professo, principium spiratiuum, & potentiam spiratiuam non esse merum absolutum, sed de formali dicere relationem vnam, probat Ricard. 1. distinctione 11. articulo vnico quæstione 3. & 4. & cum Alexandro & S. Thoma Carthusian. 1. distinct. 29. quæstione 4. Relationem verò siue notionem esse, quæ constituit principium spiratiuum in ratione principij, docent Canarienſis in præsenti quæstione 36. art. 4. parte 1. commentarij post 3. conclus. Molina in eodem artic. 4. disput. 2. post medium, præsertim §. *Denique.* Valentia 1. part. sua quæst. 10. puncto 5. circa med. multis §. Vazquez disput. 149. cap. 4. fine. Idem etiam docuerunt Ochamus & Gabriel citati sect. præcedenti, initio. & in eandem sententiam magis inclinat Durand. distinct. 29. quæst. 2. post medium.

10 Probatur primò ex Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 14. prope finem. Ait enim: *Pater & Filius relatiuè ad Spiritum vnum principium.* vt fusiùs retuli sect. 1. Ergo relatione constituuntur in ratione vnius principij. Sed non relationibus Paternitatis & Filiationis, quia non sunt vna, nec formaliter respiciunt Spiritum sanctum, restat ergo sola relatio spirationis actiuæ, qua constituantur in ratione vnius principij. Confirmatur, quod enim Pater ad Spiritum sanctum non referatur, vt Pater, similitérque Filius non referatur ad Spiritum sanctum, vt Filius; sed in quantum vterque *Donator* est; insuper etiam *Donatorem* esse principium Spiritus sancti, docet Augustinus lib. 5. de Trinitate à cap. 11. vsque ad 15. & sermone 38. de tempore col. 3.

11 Secundò probatur ex Anselmo, qui frequenter admonet, rationem principij, *à quo Deus*, siue *do quo Deus*, esse relatiuam non absolutam, vt constat epist. de proces. Spiritus sancti cap. 2. post med. & cap. 3. non longe à principio, & in med. & cap. penult. (quorum verba ponderauimus disp. 9. sect. 5. num. 17. & sequentib.) Rursus affirmat Anselmus, Patrem

Patrem & Filium esse vnum principium, vt vidimus sect. 1. Ergo existimat, in ratione vnius principij constitui relatione, *de quo Deus.* Quapropter quando recurrit ad vnitatem essentiæ ac voluntatis diuinæ, vt inde probet, esse vnum principium locis citatis in sect. 1. non intendit asserere, principij vnitatem, consistere in vnitate Diuinitatis præcisæ, sed in vnitate diuinitatis, pro vt afficitur relatione principij, *de quo Deus* procedit.

12 Tertiò probatur ex Bessarione in orat. pro vnione Græcorum, ad finem Concilij Florentini c. 6. Vbi Patrum testimonijs probat, quod Pater & Filius à Spiritu sancto non distinguantur, nisi quatenus ad illum referuntur: insuper quod non referantur ad illum, in quantum sunt Pater & Filius, sed alia relatione. Ergo non sunt principium Spiritus sancti in quantum sunt Pater & Filius præscindendo ab alia relatione. Consequentia probatur, quia principiũ vt principium quidditatiuè distinctionem realem affert, aut supponit. Confirmatur autem sententia Mytilonensis Episcopi in Concil. Florent. sess. 25. inter med. & finem §. *ego ab ineunte*, vbi Latinorum sententiam esse docet, *Sanctum Spiritum per sese neque ad Patrem neque ad Filium referri, quatenus Pater & Filius sunt, ratione verò, qua Spiritus est, ad spirantes referri.* Ergo Pater & Filius præcisè qua ratione sunt Pater & Filius, non sunt spirantes, sed alia formalitate superaddita constituuntur spirantes.

13 Quartò probatur, quia Lugdunense, Florentinúmque Concilium locis adductis in sect. 1. decernunt vnitatem principij, quam statim probant & explicant, subiungendo spirationis vnitatem. Vnde satis indicant rationem formalem principij spiratiui esse spirationem, siquidem ab vnitate spirationis probant & explicant vnitatem principij spiratiui.

14 Quintò ex dictis colligitur magis scholastica probatio. Quia principium explicitè, & formaliter intelligi non potest, nisi reali distinctione intellecta. Sed intellecto Patre & Filio simul cum essentia & amore absoluto, (præscindendo à relatione spirationis actiuæ) non intelligitur aliqua realis distinctio eorum à Spiritu sancto. Ergo nondum intelligitur formaliter & explicitè cõstitutum principium Spiritus sancti, quousque intelligatur relatio spirationis. Cõfirmatur primò, nam in diuinis sola relatio originis constituit principium. At verò Paternitas & Filiatio non est relatio originis in ordine ad Spiritum sanctum, etiamsi cum illis intelligatur vna essentia & vna volitio. Cõfirmatur secundò, quia Pater & Filius realiter distinguuntur à Spiritu sancto inquantum sunt principium illius; sed non distinguuntur realiter in quantum habent essentiam diuinam & amorem absolutum. Ergo essentia diuina & amor absolutus non est ratio formalis, constitutiua principij.

15 Vnde peculiariter redarguitur contraria sententia, & sit probatio sexta, quia secundum illam sententiam tota ratio formalis, constitutiua principij spiratiui, est absoluta & essentialis, nihil habens relatiuum & notionale, nisi relationes Patris & Filij, tanquam conditiones, non tanquam rationes formales: vt si vnamet albedo foret in duobus subiectis; vnicum esset principium disgregandi visum (hoc ipsum exemplum adducitur ab eius authoribus.) Ergo Pater & Filius, in quantum sunt principium Spiritus sancti, nullam prorsus vnitatem habent in aliqua formalitate notionali, quam non habeat etiam cum illis Spiritus sanctus. Nam Spiritus sanctus habet eandem Deitatem & amorem essentialem, distinctam verò personam. Patres autem & scholastici, tota præsenti disputatione citati, notionalem aliquam vnitatem constituunt inter Patrem & Filium, quæ repugnet Spiritui sancto.

16 Probatur septimò, quia diuinæ relationes non sunt tantummodo quasi prædicamentales, supponentes, videlicet, principium in actu primo & eius operationem, indéque resultantes; sed sunt eminentiori modo quasi transcendentales simul & prædicamentales, constituentes principium productiuum in actu primo. Quippe quod exigit realem distinctionem à termino producendo, quæ distinctio nisi per relationem afferatur, esse nequit in diuinis. Quod fundamentum probabitur magis ex professo disput. 90. Ergo vt Pater & Filius sint *in actu primo principium*, vltimatè constitutum ad producendum Spiritũ sanctum, intelligitur in eis relatio quasi transcendentalis principij. Hæc autem relatio non est essentia nec amor absolutus, nec est relatio Paternitatis & Filiationis, (siquidem istæ ponuntur vt conditiones, non vt ratio formalis in contraria sententia.) Ergo sola restat relatio spirationis actiuæ, quasi transcendentaliter intellecta, quæ constituat principium productiuum in actu primo.

17 Confirmatur, quia si sola Paternitas & Filiatio cum essentia & amore absoluto, (præcisa qualibet alia formalitate) satis est, vt Pater & Filius sint principium Spiritus sancti; frustra superadditur relatio spirationis actiuæ, qua distinguantur à Spiritu sancto, & opponantur illi: nam sufficienter referuntur & opponuntur ex formali & præcisa ratione principij spiratiui. At verò ponendam esse quartam relationem, ratione distinctam à Paternitate & Filiatione probatum est disput. 16. 17. & 18.

SECTIO V.

Principium quod *&* quo *spirationis, & solutio argumentorum contrariæ sententiæ.*

1 *Relatio spirationis non est totale cõstitutiuum.* AD maiorem explicationem primæ conclusionis, positæ in sect. præcedenti, sit secũda cõclusio. Relatio spirationis actiuæ nõ est totalis ratio constitutiua principij *quod*: attamen est præcipua & vltima ratio constitutiua illius. Probatur, quia principium spiratiuum, *vt quod*, de materiali dicit suppositum subsistens, abstrahendo ab hoc, quod sit Pater vel Filius, & ab hoc, quod sint realiter vnum, vel plura supposita (vt vidimus sect. 2. ad 1. argumentum) sed de formali constituitur per relationem spirationis actiuæ, vt probatum est sect. præcedenti.

2 *Discrimẽ inter principiũ generatiuũ, & spiratiuũ.* Vnde sequitur discrimen inter principium spiratiuum, & principium generatiuum. Hoc enim per vnicam & eandem relationem Paternitatis cõstituitur in ratione suppositi subsistentis, & in ratione principij *vt quod*, potentis generare, atque actualiter generantis. Attamen spiratiuum principium in ratione suppositi constituitur, non per relationem Spiratoris, sed per quandam formalitatem suppositi, nostra con-

sideratione abstractam à Patre & Filio: sed in ratione formali principij, potentis spirare, & actualiter spirantis, constituitur per actiuam spirationem, quæ relatio quarta est, atque ratione distincta ab alijs duabus relatiuis subsistentijs.

3 *Principium spiratiuum, vt quo relatione constituitur.*

Tertia conclusio. Eadem relatio spirationis actiuæ, sub quadam quasi partiali formalitate, quæ superadditur volitioni diuinæ, constituit spiratiuum principium *vt quo*. Sic S. Thomas infra quæst. 41. art. 5. corpore docet potentiâ Dei, productiuam ad intra, constitui, non præcisè per aliquid absolutum, sed addita proprietate (siue in recto, siue in obliquo) vt explicabimus disput. 100. præsertim sect. 3. & sequentibus. Eadem est sententia Bonauenturæ, Ricardi, Carthusiani, & aliorum, quos sectione præcedenti retulimus pro conclusione prima. Probatur, quia principium generatiuum *vt quo*, siue potentia generatiua cõstituitur vltimo per relationem Paternitatis, sub quadam quasi partiali formalitate superaddita supra intellectionem: vt ostendemus in prædicta disput. 100. sect. 3. & sequentibus. Militant autem rationes eædem pro spiratiua potentia, seu principio *quo*, vt constituatur vltimo per relationem spirationis, nec afferri potest solida ratio discriminis.

4 *Ad primum.*

Ex his ergo deducitur solutio ad fundamenta contrariæ sententiæ, posita initio sectionis præcedentis. Ad primum respondetur. Mens sancti Thomæ satis apertè constat ex locis adductis sectione præcedenti pro conclusione prima. Et ille locus quæst. 40. art. 4. euidenter ostendit, quod notio, communis Patri & Filio, potest consideratione nostra in duas quasi partes diuidi, quorum altera sit prior, & sit formaliter actus notionalis: altera verò posterior & vltima sit explicita formalitas relationis actualis & quasi prædicamentalis. Hoc igitur viam aperit, vt distinguamus vlterius aliam priorem partem eiusdem notionis, quæ sit ratio constituens vltimo *principium quod*, modo explicato in conclusione secunda.

5 *Ad secundũ.*

Ad secundum fundamentum. Respondetur negando antecedens. imo relatio Spirationis actiuæ constituit tam principium *quod*, quàm principium *quo*, prout explicatum est conclus. 1. & 2. Et ad probationem antecedentis respondetur. Principium *quod* est suppositum de materiali tantùm; de formali autem non est suppositum, sed relatio spirationis, prout constituit potentiam, & actum notionalem prius ratione, quàm actualiter referatur quasi prædicamentaliter. Denique diuina voluntas & absolutus amor, prout existit in Patre & Filio, non est potentia spiratiua, nisi quando dicitur esse in Patre & Filio, significetur aliquid notionale realiter vnum, commune Patri & Filio, & repugnans Spiritui sancto, prout probatum est sect. præcedenti.

6 *Ad tertium.*

Ad tertium negatur antecedens. Et ad eius probationem respondetur, distinguendo consequens. Reali immediatione, hoc est, non mediante alio supposito realiter distincto, idem immediatè producit amando, qui producit intelligendo. Verumtamen secundum rationem mediat aliqua formalitas, vt ille qui producit intelligendo, producat etiam amando. Ratio est, quoniam in Deo, qui solus producit intelligendo, non producit solus amando; sed concurrere debet ad amorem, imago seu Verbum repræsentatiuum infiniti boni: & istud Verbum debet concurrere, quatenus est vnum cum Patre producente per intellectum, vnum, inquam, in virtute productiua per voluntatem.

Sect. 1. rationem mediat formalitas.

7 *Ad quartũ.*

Ad quartum. Consequentia prior negatur, quia fœcunditas productiua per voluntatem, est aliquid notionale.

8 *Ad quintum & confirmationes.*

Ad quintum. Negatur consequentia, quia sola virtus amandi non est notionalis, sicut nec sola virtus intelligendi. At vero virtus spirandi notionalis est, ideoque relatione compleri debet. Ad primum confirmationem. Antecedens negatur. Ad secundam confirmationem respondetur, distinguendo partem illam antecedentis. *Absque origine per eandem voluntatem.* Hoc enim complexum vel accipitur positiuè atque determinatè, ita vt positiuè repugnet procedere per eandem voluntatem: sicque accipitur relatio spirationis actiuæ, quæ sola est ratio formalis positiuæ repugnantiæ procedendi per voluntatem. Vel illud complexum non intelligitur positiuè ac determinatè, sed tantum per abstractionem & præcisionem: sicque non est satis, vt diuinæ personæ amando producant, quod in eadem voluntate personaliter subsistant, absque origine per eandem voluntatem: siquidem totum, quod in hac abstractione intelligitur, quidditatiuè conuenit Spiritui sancto (sicut equo & leoni essentialiter conuenit quidquid in animali abstrahitur à rationali & irrationali) & tamen Spiritus sanctus non est principium spiratiuum, nec amando producit.

DISPVTATIO LXXI.

Vtrum duas personas spirantes Spiritus sanctus per se requirat ex vi suæ processionis formaliter.

SECTIO I.

Decisio quæstionis affirmatiua.

1 *Titulus alter.*

LIVS est titulus, sub quo disputatur hæc quæstio à plurimis scholasticis 1. sentent. distinct. 11. vel 12. *Vtrum Pater & Filius spirent Spiritum sanctum inquantum sunt plures distincte personæ, vel in quantum sunt vnum principium.* Pro cuius declaratione præmitto duo, quæ certa sunt, vt veniam ad statum quæstionis. Primò certum est, ex parte obiecti requiri plures personas amatas. Quoniam Spiritus sanctus per se procedit ex amore comprehensiuo Dei; cum igitur Deus necessariò ac per se requirat subsistere in tribus personis, consequens est, vt amor, per quem procedit Spiritus sanctus, per se debeat complecti tres personas diuinas: quemadmodum intellectio, per quam procedit Verbum, per se postulat comprehendere tres personas diuinas: vt probatum est disput. 61. Sed in præsenti non agitur de personis, prout requiruntur tanquam obiectum amatum, (quod etiam Spiritui sancto conuenit.) Sed quatenus requiruntur, vt sint principium productiuum.

Ex parte obiecti requiruntur tres personæ.

2 *Requisitus esse duas personas.*

Secundò certum est, duas personas spirantes esse requisitas ad producẽdum Spiritum sanctum saltem necessitate, sumpta ex ratione materiali principij spiratiui. Huius necessitatis duplex est ratio. Altera quoniam principium spirandi per se ac necessariò postulat esse in duobus suppositis per modum cuiusdam passionis, per se ac necessariò consequentis, & afficientis suum adæquatum subiectũ. Altera ratio est, quoties enim in eodem agente duo principia actiua sunt inter se ordinata: posterius non est in potentia proxima ad operandum quousque operetur agens, quod est prius. Huiusmodi autem sunt in Deo potentia generatiua & spiratiua; sicut intellectus & voluntas. Hæc enim amare nequit, nisi præcedat operatio intellectus. Ac proinde quousq; potentia generatiua produxerit Verbum, nondũ est in potentia proxima, vt operetur spiratiua virtus.

3 *Status quæstionis in perfoitate formali.*

Status ergo quæstionis versatur in necessitate, ac perfeitate, prouenient ex ratione formali termini producti, prout respicit principium producens. Quæritur ergo, vtrum huiusmodi necessitate Spiritus sanctus requirat procedere à duabus personis, tanquam ab vno principio; propterea quæ sicut per se postulat, eas esse vnum principium; ita etiam per se postulet, esse duas personas eo gradu necessitatis, vt non sufficeret vna sine alia.

4 *Negatiua sententia.*

Prima sententia licet expresè concedat, requiri duas personas necessitate, prouenient ex ratione materiali principij spiratiui; negat tamen requiri necessitate, prouenient ex ratione formali Spiritus sancti, prout est spirabilis. Quin potius docet, Spiritum sanctum ex vi suæ processionis formaliter, processurum fuisse eiusdem naturæ atque proprietatis eiusdem personalis, quam modò habet, etiam si principium spiratium non essent duæ personæ, sed vnica: quoniam vnica sine alterius personæ concursu sufficeret ad illum producendum. Hanc sententiam, quantum ad rem ipsam, licet alijs atque alijs modis loquendi & explicandi, docent Scotus 1. dist. 12. quæst. 1. §. *contrà istam*, & sequenti. Durandus dist. 11. quæst. 3. post med. & distinct. 12. quæst. 1, num. 8. Ocham. dist. 12. quæst. 1. ante med. & quæst. 2. Gabriel. dist. 12. quæst. 2. artic. 1. & 1. Aureolus dist. 12. quæst. vnica art. 1. & 3. Bellarminus, tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 27. prope fin. Molina in præsenti quæst. 36. art. 4. disp. 5. Fundamenta huius sententiæ diluemus sect. 2. & 3.

5 *Per se & formaliter requirit duas personas.*

Nunc sit vnica conclusio Spiritus sanctus per se & ex vi suæ processionis formaliter requirit, duas ac realiter distinctas esse personas spirantes, quæ coëant in vnum principium spiratium. Ita existimant reipsa scholastici dicentes, quod spiratio actiua præexigit distinctionem in suppositis; atque dicentes, si considerentur suppositæ spirationis: Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, prout sunt plures: quia procedit ab eis, vt amor vnitiuus duorum.

6 Hæc & similia docent S. Thom. in præsenti quæst. 36. art. 4. ad 1. & de poten. quæst. 10. art. 2. ad 15. & 1. sent. distinct. 11. quæst. 1. artic. 2. & artic. 4. ad 2. & distinct. 29. quæstione vnica artic. 4. ad 2. Albertus 1. p. quæst. 31. memb. 1. ad 3. & memb. 2. ad 10. (quamuis dissentire videatur memb. 3. prope fin.) Alexander 1. quæst. 43. memb. 3. artic. 3. & memb. 4. & toto memb. 5. & quæst. 46. memb. 5. solutione 3. & vltima. Ricardus 1. distinct. 11. articulo vnico, quæst. 3. vbi Gregorius quæstione vnica artic. 2. post med. & distinct. 12. quæstione vnica. Henricus de Gandauo artic. 54. quæst. 6. ad 7. 8. 9. & vndecim. & articulo 60. quæst. 6. corpore, fine. Argentina 1. distinct. 11. quæst. 2. colum. penult. & vlt. Cathusian. cum alijs authoribus. 1. distinct. 10. quæst. 1. Capreol. distinct. 12. quæst. vnica conclus. 4. & colum. 2. & 3. Ferrarien. 4. contra gentes cap. 25. ad finem. Caietanus & cæteri expositores communiter in præsenti. q. 36. art. 4. vbi Canatien. in 3. par. Commentarij, difficultate vlt. Valen. 1. p. sua q. 10. puncto 5. fine. Vazquez disp. 150. cap. 2. inclinat in hoc Marsilius lib. 1. quæst. 15. art. 3. & & clarius col. vlt. dum respondet ad 2. rationem pro parte negatiua. Fauet denique S. Bonauentura 1. distinct. 11. art. vnico, quæst. 2. ad 2. & iterum ad vltimum.

7 *Mutuus amor requirit duas personas.*

Probatur primò, quia reciprocus & mutuus amor, suauissimus ac perfectissimus per se & quidditatiuè requirit duas personas inuicẽ amantes, à quibus idem amor procedat. Sed Spiritus sanctus per se, & ex vi suæ processionis formaliter, procedit vt amor reciprocus ac mutuus suauissimus & perfectissimus. Ergo per se, & ex vi suæ processionis formaliter, requirit duas personas, quæ per eandem volitionem spirent eundem amorem in facto esse productum. Maior probatur, quia si amor procedit ab vna tantum persona in aliam, non est reciprocus & mutuus, nec assequitur eam suauissimam perfectionem, quam requirit amor simpliciter infinitus.

8

Minor verò probatur ex Patribus. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 5. initio. *Sine sit vnitas amborũ*, ait, *sine sanctitas, sine charitas, sine ideo vnitas, quia charitas, & ideo charitas, quia sanctitas; manifestum est, quod non aliquos duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligitur, generatorque suum diligat, simque non participatione sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Vnde paulo inferius colligit: *Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris & Filij, quidquid illud est.* Additque hanc communionem *aptius dici charitatem.* Et sequenti lib. 7. c. 3. propius ad fin. quàm ad med. *Spiritus*, inquit, *sanctus, siue summa charitas vtrũque coniungens, nósque subiungens.* Quibus multa similia reperies lib. 15. de Trinit. cap. 17. à princ. & cap. 19. inter med. & fin. & cap. 27. & 28. & lib. de fide & symbolo cap. 9. post med.

9

Ex eodem Augustino tract. 105. in Ioann. Prosper in lib. sententiarum sententia 371. *Spiritus sanctus*, ait, *Spiritus est Patris & Filij, tanquam charitas substantialis, & consubstantialis amborum.* Similiter etiam author libri de cognitione veræ vitæ cap. 18. apud Augustinum tomo 9. vsurpat aliquas propositiones ex prædictis libris Augustini, probans, *quod Spiritus sanctus æqualiter procedit ab vtroque*, quia est mutua charitas vtriusque. Concilium Toletanum Vndecimũ in confessione fidei ait: *Neque Patris tantum, neque Filij tantùm, sed simul Patris & Filij Spiritus dicitur.* Et infra. *simul ab vtrisque processisse monstratur, quia charitas siue sanctitas amborum agnoscitur.*

10

Hieronym. in Psalm. 17. initio ad illud, *Diligam te Domine.* ait: *Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Filius in Patre, & Pater in Filio. Vnde Paulus dixit.* (Roman. 5.) *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Ambrosius in symbolum Apostol. cap. 1. post med. *Vnus*, inquit, *est diligens cum, qui ab ipso est, vnus est dilectus ab eo, à quo est: vna est dilectio vtriusque Spiritus sanctus.* Fulgent. quæst. 4. ad Ferrandum propius ad fin. quàm ad med. recipit ea verba, quæ retulimus ex August. lib. 6. de Trinit. cap. 5.

11

Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 3. post med. ait: *Spiritus sanctus inde propriè charitas nuncupatur, vel quia naturaliter eos, à quibus procedit, coniungit.*

& se vnum cum eis esse ostendit; vel quia in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipse in nobis. & post pauca. *Sicut vnicum Dei Verbum propriè vocamus nomine sapientiæ, cum sit vniuersaliter & Spiritus sanctus, & Pater ipse sapientia, ita Spiritus sanctus propriè vocatur nomine charitatis, cum sit Pater & Filius vniuersaliter charitas.*

12 Anselmus in monolog. cap. 48. fine. & in c. 49. *A Patre pariter & Filio summi Spiritus amor procedit. Amat se Pater, amat se Filius, & alter alterum.* & post pauca: *Quoniam omnino idipsum est quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio; necesse est vt pari amore vterque diligat se & alterum.* Quod idem prosequitur tribus capitibus sequentibus Bernardus serm. 8. in Cantica propius ad princ. quàm ad med. de Spiritu sancto ait: *Utpote qui Patris & Filij imperturbabilis pax sit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuisibilis vnitas.* Idem Serm. 3. de pentecoste inter princ. & medium; *Spiritus sanctus*, ait, *quasi specialiter Spiritus dicitur, quod ab vtroque procedat, firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis.* Guitmundus Archiep. Auersanus in confess. de sancta Trinitate colum. 2. (tomo 6. bibliothecæ) *Constat*, ait, *quia à Patre procedit amor in Filium, & à Filio procedit ad Patrem suum. Iste amor est Spiritus sanctus qui ab vtroque procedit, & semper in vtroque manet.*

13 Ricardi Victorini totus ferè liber 3. de Trinit. ponitur in summa dulcedine, suauitate, ac felicitate amoris mutui, qui necessariò debet esse inter personas diuinas, præsertim cap. 3. 7. 11. & 14. vsque ad 18. Vnde sequenti cap. 19. & 20. colligit, Spiritum sanctum esse mutuam & suauissimam dilectionẽ Patris & Filij. Quibus consequentia scribit lib. 5. à cap. 17. vsque ad 23. & lib. 6. cap. 10. post med. concludit: *His igitur amor, qui communis est ambobus, dictus est Spiritus sanctus.* similia scribit in declarationibus ad D. Bernardum in fine.

14 Præcedens discursus confirmatur primò, ponderando, quod ex prædictis testimonijs multa, processionem Spiritus sancti à duabus personis, inferunt ex reciprocatione charitatis. Existimant ergo Patres, processionẽ amoris producti per se, & ex peculiari sua proprietate postulare duas personas, à quibus procedat. Confirmatur secundò, quidquid enim conuenit personæ producenti, secundum vltimam, & formalissimam rationem talis personæ, conuenit ex vi suæ processionis formaliter, (vt constat ex disp. 6. præsertim sect. 7. & disput. 7. sect. 2. & 3.) sed esse amorem mutuum conuenit Spiritui sancto secundum vltimam & formalissimam rationem talis personæ (vt probant prædicta testimonia, & magis constabit disp. 73.) ergo distinctarum personarũ exigentia, quæ conuenit Spiritui sancto, secundum rationem amoris mutui, conuenit eidem ex vi processionis formaliter.

15 Confirmatur tertiò, nam esse reciprocũ amorem Spiritui sancto conuenit, secundum eam rationem, qua eius origo est per volitionem, ac distinguitur ab origine per intellectionem. Ergo cõuenit ex vi processionis formaliter; nihil enim potest excogitari formalius in vnaquaque re, quàm illud vltimum per quod res vna distinguitur ab alia, cum qua summam similitudinem & identitatem habet, plusquam cum cæteris rebus omnibus. Confirmatur quartò, nam hæc ratio mutuæ dilectionis non consistit in essentia communicata (sicut similitudo in natura, quam habet Spiritus sanctus, consistit in essentia communicata) ergo consistit in aliqua ratione personali Spiritus sancti, ac proinde in vltima, & formalissima ratione talis personæ.

16 Secunda probatio principalis conclusionis est, quia quidquid ex propria quidditate habet, procedendo copulare, vnire siue connectere suum principium, à quo procedit; eo ipso postulat distincta extrema, quæ vniantur & copulentur ex vi suæ processionis formaliter. Sed Spiritus sanctus ex propria quidditate habet, procedendo cõnectere ac copulare Patrem & Filium. Ergo Spiritus sanctus ex propria quidditate, atque ex vi suæ processionis formaliter postulat extrema distincta, quæ copulentur. Maior est per se manifesta, quoniam vnio siue nexus est medium inter extrema. Nam res vna & eadem sibi non vnitur & copulatur.

Communia & vinculum est Spiritus sanctus.

17 Minor verò probatur, quoniam *Spiritus sanctus cõmunio est Patris & Filij*, vt loquitur August. serm. 38. de temp. col. 3. & locis adductis in 1. probatione, dixit, esse vnionem & coniunctionem, quibus similia dixit Isidorus ibidẽ citatus, Bernardus autem ibidem dixit, esse *gluten firmum.* Epiphanius hæresi 62. ad med. appellat *vinculum Trinitatis.* Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. quod est vltimum circa medium ait: *Ille ineffabilis quidem complexus Patris & imaginis non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio.* Ex his aut alijs locis Augustini desumptum est commune proloquium scholasticorum, dicentium, Spiritum sanctum esse nexum Patris & Filij. Quod ipsum significauit Chrysost. in symbolum Apostol. homil. 2. ad finem, dicens: *Spiritus sanctus procedens de Patre & Filio, charitate coniungitur.*

18 Confirmatur, nam eandem vnionem ac vinculum intellexerunt Patres, qui docuerunt, Spiritum sanctum esse mediũ Geniti & Ingeniti, siue in medio Patris & Filij. Cum enim Spiritus sanctus nec enumerationis ordine, nec ordine originis mediet inter Patrem & Filium, sed potius sit extremus & vltimus: non restat alter modus, iuxta quem Spiritus sanctus sit medius, nisi amoris, vt nexus inter Patrem & Filium. Sic Epiphanius in Ancorato col. 7. *Spiritus*, inquit, *sanctus in medio Patris & Filij ex Patre & Filio, tertius nomenclatura.* Damascenus lib. 1. fidei cap. 18. in medio: *Deus Spiritus sanctus, medius Ingeniti & Geniti, & per Filium Patri coniunctus.*

19 Vnde mihi verisimilius est, Nazianzenum verè scripsisse, quod ex illo refert S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 8. *Spiritus Sanctus procedit, vt sit ingenitus, & non filius, medius Ingeniti, Genitique.* Solet enim Damascenus huiusmodi locutiones profundiores accipere ex Naziãzeno. citat autem S. Thom. sermonem de Epiphania, qui est oratio 39. in sancta lumina, in qua tota nihil tale reperitur in nostris exemplaribus, nec alibi. Fortasse vel incuria Latinorum interpretum, vel Græcorum exemplarium vitio perijt hæc sententia. Explicat autem ea ratione medium esse, quoniam vinculum & nexus amoris est, S. Thom. in sequenti cap. 9. opusc. 1. & infra quæst. 37. art. 1. ad 3. & Clichtouæus ad prædictum cap. 18. Damasceni in med.

20 Tertia probatio, in diuinis non est distinctio realis sine reali origine. Ergo non est distinctio per se sine origine per se. At Spiritus sanctus per se ac secundum vltimam rationem formalem distinguitur realiter à persona Patris, & à persona Filij, non solum in quantum vnus Spirator sunt, sed etiam in quantum sunt Pater & Filius (suprà disp. 68. sect. 8.) Ergo Spiritus sanctus per se ac secundum vltimam rationem formalem ducit originem à Patre, in quantum Pater est, & à Filio, in quantum Filius est, hoc est, in quantũ duæ personæ distinctæ sunt, spirãtes tamen per eandem potentiam spiratiuã, & eandẽ spirationem actualem.

Medius Spiritus sanctus inter Patrem & Filium.

21 Quarta probatio. Nam infinitæ Dei perfectioni repugnat superfluè, vel per accidens concurrere. (est enim vterque defectus in connexione principij productiui cum termino producto, & in ipsa dignitate principij.) At verò quodcumque principium non per se requisitum ad productionem, concurrit ad eam per accidens, atque superfluè; siquidem absque illo principio non minus perfectus produceretur terminus. Huiusmodi verò principium per accidens atque superfluè concurrens, foret aliqua, vel vtraque persona Patris & Filij: si non esset vtraque per se & ex vi processionis formaliter requisita ad producendum; sed vna sine altera foret non minus sufficiens principium, quàm vtraque simul.

Per accidens cõcurrere, foret imperfectio.

22 Declaratur magis, & corroboratur hæc ratio, quia manifestum est, Spiritum sanctum ex sua ratione formali postulare aliquam personam, à qua procedat. Quod si non postulat duas personas, sed vnam tantum: hoc fingi potest duplici modo. Primò quidem vt neutram personam determinatè postulet, sed alteram vagè, quemadmodum ad videndum requiritur alter oculus. Hoc autem esse impossibile, probo primò, quia continet imperfectionem connexionis inter principia per se ordinata, & terminum procedentem ab illis. Secundò, quoniam amor per se requirit procedere ab eadem persona, quæ produxit Verbum, vt eidem personæ, cui datur perfectissima repræsentatio boni, quæ est Verbum, detur etiam in amorem prorumpere per impulsum illius repræsentationis. Quapropter Pater imprimis erit per se requisitus, quoniam est persona, quæ produxit Verbum, & Verbum erit per se requisitum, tanquam repræsentatiò boni, prouocans ad amorem illius.

23 Tertiò probatur eadem impossibilitas, quia Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium: vt multi Patres asserunt, qui modus loquendi, cum non significet subordinationem instrumenti ad principalem causam; nihil conuenientius potest significare, quàm Patrem ita esse principium per se requisitum, vt tamen producere non possit absque Filio, quem Pater generando, impellit, vt simul producat cum ipso. Denique præpositio *per*, quando refertur ad productionem, videtur semper in Deo & creaturis significare connexionem aliquam per se necessariam inter duas causas, vel duo principia in ratione producendi.

24 Secundò modo fingi posset, Spiritum sanctum ex vi suæ processionis formaliter postulare Patrem vt principium spirans: verumtamen Patri per accidens adiungi Filium, & quasi de materiali. Hoc igitur esse impossibile, probatur primò, quia comprehensiua repræsentatio summi boni, quæ continetur in Verbo, per se requiritur, vt eius amorem excitet. Deinde quia præpositio *per* denotat connexionem per se necessariam, vt in 2. & 3. ratione proximè præcedenti dicebamus. Probatur tertiò testimoniio Basilij epist. 43. ad Greg. Nyssenum ante medium, dicentis, *Spiritum sanctum pendere à Filio.* Nam ab hac voce si reiecceris imperfectionem, quam sonat, restabit, Filium esse per se necessarióque requisitum ad producendum Spiritum sanctum.

25 Quartò, quia neque priùs, neque principaliùs, nec magis propriè, nec magis per se procedit Spiritus sanctus à Patre, quàm à Filio; sed eodem modo: sicut probatum est tota disp. 69. Ergo si Pater est per se requisitus ad spirandum; etiam Filius est per se requisitus, & econtrariò. Confirmatur, quoniam omnimoda æqualitas, vel potius identitas inter Patrem & Filium in ratione principij spiratiui, non patitur, vnam personam ad spirandum esse per se requisitam magis, quàm alteram. Alioqui persona, magis per se requisita, vendicaret sibi magis propriè ac magis per se rationem principij spiratiui. Vnde sequeretur, esse duas inæquales relationes principij spiratiui; quibus proinde correspondarent duæ aliæ relationes in Spiritu sancto inæqualiter respiciente vtramque personam. Quæ omnia sunt inaudita, & contra sanam doctrinam, probatam disp. 69.

26 Quintò probatur, quoniam ad vnamquamque relationem per se requiritur terminus, ad quem refertur, & requiritur sub ea ratione, sub qua respicitur. Sed Filius est terminus ad quem refertur Spiritus sanctus & respicitur in quantum est principium spiratiuum. Ergo Filius in quantum est principium spiratiuum, per se requiritur ad relationem Spiritus sancti. Minor constat ex dictis disp. 68. sect. 4. & magis constabit sect. sequenti. Sextò, quia quam proprietatem, id est, quem ordinem originis Filius habet in ordine ad Patrem, eundem habet Spiritus sanctus ad Filium. Sed Filius respicit Patrem, vt principium per se requisitum ad suam originem. Ergo Spiritus sanctus respicit Filium, vt principium per se requisitum ad suam originem. Maiorem docet Athanas. in duabus epistolis ad Serapionem, quarum verba posuimus disp. 67. sect. 2. aliquantulum à principio. & Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 17. quem retulimus eadem disp. 67. sect. 6. prope finem.

SECTIO II.

Tres difficultates expediuntur.

1 PRima sit, vtrum Pater, in quantum Pater, & Filius, in quantum Filius, spirent Spiritum sanctum. Negant absolutè Albertus, Bonauent. & Ricard. citati sect. præcedenti pro conclusione: & à fortiori Durand. Scotus, Ocham, Gabriel, Aureolus, Bellarm. & Molina citati pro 1. sententia, & meritò quidem, quoniam reduplicatiua dictio, *in quantum*, aut quælibet alia similis absolutè dicta, significat rationem formalem, vltimò constitutiuam. At verò ratio formalis, vltimò constitutiua principij spiratiui, non est Paternitas nec Filiatio; sed vnica potentia spiratiua & actualis spiratio. Si autem eiusmodi reduplicatiuis significetur radicalis ratio, per se ac formaliter ad spirandum requisita: sic Pater in quantum Pater, & Filius in quantum Filius spirant. Consonat S. Thom. locis adductis sect. præcedenti maximè 1. dist. 11. quæst. vnica art. 2.

2 Secunda difficultas est, quo genere necessitatis requirantur duæ personæ distinctæ ad productionem Spiritus sancti. Graues Scholastici, inter quos numerari potest S. Thom. dicto artic. 2. dicunt, requiri tanquam conditionem: fortè id tantum intendentes significare, quod pluralitas personarum non sit vltima & formalissima ratio principij. Propriùs tamen dicemus, duas personas distinctas ea ipsa necessitate requiri, qua requiritur suppositum, quod est materiale principium spirans *vt quod*. Hoc enim sicut de formali quidditatiuè

Duæ personæ requiruntur, sicut suppositum spirans.

quidditatiuè continet vnitatem potẽtiæ & actualis spirationis: ita etiam de materiali quidditatiuè postulat duas personas, tanquam per se requisitas, vt mutuo amore spirent, atque hac ratione sint vnum principium *quod*. Aduertendum tamen est diligenter, hoc principium materiale necessariò & per se postulari ex vi formalissima spirationis actualis & potentiæ spiratiuæ maiori perfeitate, quàm forma equi postulat materiam rerum corruptibilium, dispositam certis qualitatibus & organis.

3 *Propter quam rationem formalem requirantur duæ personæ ad spirandum.*

Tertia difficultas, vtrum ratio formalis Spiritus sancti proùt est amor diuinus, postulet procedere à duabus personis. Negat Franciscus Suarez lib.10. de Trinit. cap.6. num.5. & 6. dicens, duas personas non requiri per se, nisi ad producendum Spiritum sanctum in hac numero proprietate personali, quam nunc habet. Præcipuum eius fundamentum est, quoniam si resecata reciprocatione inter duas personas, quam de facto diuinus amor habet, consideremus præcisè rationem diuini amoris producti: huic producendo sufficit vna persona, quæ se ipsam diligat: ac proinde si daretur prima persona, seipsam diligens, absque vlla alia persona, produceret Spiritum sanctum. Confirmat autem exemplo amoris creati.

4 Nihilominus dico primò. In rigore loquendo, requiruntur per se duæ personæ, non modo propter indiuidualem rationem huius Spiritus sancti, sed etiam propter eius rationem formalem & quasi specificam. Probatur primò, nam ad rationem formalem & quasi specificam pertinet esse amorem perfectissimum ac suauissimum, vnde necessariò sequitur esse reciprocum inter duas personas: vt vidimus sect.1. probat.1. Secundò quoniam ad formalissimam & quasi specificam rationem Spiritus sancti requiritur realis distinctio à persona loquente & ab eius Verbo. Ad hanc autem distinctionem per se requiritur origo ab vtraque persona: quemadmodum ostendimus sect.1. probatione 2, 3. & 4.

5 Dico secundò. Si ratio diuini amoris consideretur præcisè, vt est amor productus, resecata perfectione infinita, ratione cuius postulat reciprocationem & distinctionem supradictam: amor vt sic explicitè atque per se, non postulat duas personas: postulat autem implicitè, in quantum ex eo quod sit amor diuinus, necessariò sequitur, esse perfectissimum, ac subinde reciprocum. Dico tertiò. Si rationem amoris producti præscindas, & abstrahas à creato & increato, illa non postulat duas personas, à quibus procedat. Sed ad rem præsentem hoc nihil interest.

SECTIO III.

Prioris opinionis argumenta soluuntur.

1 PRimum argumentum. Potentia spiratiua vnico tantum supposito contenta foret, perfectáque non minus, quàm duobus suppositis. Ergo potentia spiratiua, *in* vnico supposito subsistens, spiraret Spiritum sanctum, non minus, quàm in duobus suppositis subsistens: ac proinde ad spirandum non sunt per se requisita duo suppositа. Antecedens probatur, nam voluntas diuina licet in vnico tantum supposito subsisteret, adhuc retineret perfectam rationem voluntatis diuinæ: hæc autem est potentia spiratiua. Confirmatur, nam alioqui Pater indigeret auxilio Filij ad spirandum, eo quod solus spirare non posset.

2 *Respond.*

Respondetur. Voluntas diuina, licet in vnico tantùm supposito subsisteret, retineret perfectam rationem absolutam & essentialem voluntatis, non tamen plenam & integram rationem potentiæ spiratiuæ, quippe quæ completur per relationem spirationis actiuæ: quemadmodum dicere cæpimus præcedenti disp.70. sect.5. fusiùs autem probabitur disput.100. sect.3. & sequentibus. At relatio spirationis actiuæ per se propter formalissimam rationem principij spiratiui, requirit, duas personas esse vnum principium, tanquam se mutuo diligentes eodem amore, nec non æqualiter, determinatè, ac per se concurrentes ad originem & distinctionem: vt probatum est sect.1.

3 Ad confirmationem respond. Sicut non est indigentiæ, sed exigentiæ, ac perfectissimæ connexionis quod Filius non possit subsistere sine Patre, vt sine principio, nec Pater sine Filio, vt sine termino suæ actualis relationis: sic non est indigentiæ, sed exigentiæ & connexionis perfectissimæ quod Pater non possit spirare sine Filio, non tanquam ferente auxilium, sed tanquam eodem principio eiusdem amoris mutui, copulantis duas personas.

4 *Secundum argumentum.*

Secundum argumentum plerique Patres, peculiariter autem Concilium Florent. inde potissimum probant, Spiritum sanctum procedere à Patre Filióque, tanquam ab vno principio; quia Filius habet omnia, quæ Pater habet, præter esse Patrem; ac proinde habet etiam vim spiratiuam. Igitur ad spirandum sola vis spiratiua per se requiritur: per accidens autem requiritur personarum distinctio. Confirmatur, nam ex prædicto Concilio, aliisque Patribus constat, à Patre communicari Filio vim spiratiuam. Ergo hanc vim spiratiuam integram, & completam habet Pater priùs origine, quàm eam communicet Filio: ac proinde solus Pater spirare posset sine Filio.

5 *Respond.*

Respond. Ex principali argumento colligitur nostra conclusio potius, quàm oppositum. Quia Patres & Concilia inde inferunt, Filium spirare, quoniam Filius accipit à Patre non modo voluntatem absolutam & essentialem, sed etiam totum notionale, quod Pater habet, præter esse Patrem: hoc autem notionale est relatio spirationis, per se postulans duas personas, se mutuo diligentes eodem amore, & æqualiter, ac prorsus eodem modo concurrentes ad eundem terminum producendum.

6 Ad confirmationem distinguo consequens. Pater priùs origine habet vim spiratiuam integram & completam, quoad rationem absolutam & essentialem voluntatis, sed non quoad rationem notionalem potentiæ spiratiuæ, quam Pater Filio communicat aliter, quàm communicat Deitatem. Nam tota Deitas in Patre præintelligitur ante generationem, & ante Filium: sed spiratio actiua, seu potentia spiratiua *nõ* intelligitur priùs quàm intelligatur Filius: quin potius debet intelligi priùs, Filium esse genitum à Patre cum eadem voluntate; vnde postea intelligatur in Patre simul & Filio quasi promanare, secundum considerationem nostram, ratio spirationis actiuæ, complens notionalem potentiam spiratiuam Patris & Filij.

7 *Tertium argumentum.*

Tertium argumentum. Mutuæ reciprocationis ratio formaliter est relatio rationis in amore diuino. Ergo nihil virtutis productiuæ superaddit, & consequenter præcisa ratione mutuæ reciprocationis, manet in amore diuino tota vis productiua. Sed amor, præcisa ratione mutuæ reciprocationis

cationis, totus manet in vnica persona Patris. Ergo persona Patris sola sufficeret ad producendum Spiritum sanctum per amorem, etiamsi non adiungeretur illi Filius.

8 *Quid nomine amoris mutui significetur.*

Respond. Nomine amoris mutui, quod ad præsens attinet, intelligimus aliquando terminum productum per voluntatem, videlicet, ipsum Spiritum sanctum. Aliquando verò volitionem intelligimus, per quam producitur Spiritus sanctus. In vtraque igitur amoris acceptione ratio mutuæ reciprocationis est formalitas realis. Nam Spiritus sanctus est quidditatiuè, realitérque relatus ad Patrem & Filium, tanquam ad duas personas, per eandem voluntatem, eadémque dilectione se mutuo complectentes; eáque relatio quasi prædicamentalis est, quia non est absoluta & essentialis. At in volitione, per quam procedit Spiritus sanctus, transcendentalis est ordo, realis tamen, quo volitio respicit vtramque personam, tanquam obiectum mutuæ dilectionis, & tanquam principium, productiuum eiusdem amoris, qui est Spiritus sanctus. Hæc igitur realis ratio importatur per relationem spirationis actiuæ, quę amorem essentialem & absolutum complet in ratione vnius principij spiratiui; quæ vinculum est copulans duas personas.

9 Veruntamen si contendas, rationem mutuæ reciprocationis in amore diuino esse relationem rationis, & non realem; satis erit ad huius argumenti solutionem esse reale fundamentum istius relationis. Ab illo namque reali fundamento prouenit in amore mutuo virtus, vt sit spiratiuus, & ita prouenit inde, vt præcisa ratione mutuæ reciprocationis amor iste non sit spiratiuus. Aliter tamen respondent docti recentiores, existimantes, reciprocationem hanc esse relationem rationis.

10 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum. Sicut se habent tres personæ diuinæ ad creandum per eandem potentiam creatiuam, ita se habent duæ personæ diuinæ ad spirandum per eandem potentiam spiratiuam. Sed tres personæ diuinæ, qua ratione plures distinctæ sunt, non sunt per se requisitæ ad creandum: sufficeret enim vnica persona diuina. Ergo similiter duæ personæ diuinæ non sunt per se requisitæ ad spirandum, sed vna persona sufficeret. Confirmatur primò, quia sicut Pater & Filius, relatiuè ad creaturam, sunt vnus creator, ita relatiuè ad Spiritum sanctum sunt vnus spirator: vt docuit Augustinus lib.5. de Trinit. cap.14. & 15. cuius verba legimus supra disput.70. sect.1. Ergo sicut creator non creat per se & formaliter, prout est distinctus quoad personas, ita etiam spirator formaliter ac per se non spirat, prout est distinctus quoad personas.

11 Confirmatur secundò, quia potentia creatiua necessariò postulat, esse in tribus suppositis, sicut potentia spiratiua postulat, in duobus esse. Nihilominus creatura per se ac formaliter, in quantum est creatura, non respicit tres personas, prout sunt personæ distinctæ, sed quatenus obtinent eandem potentiam creatiuam. Ergo similiter Spiritus sanctus non respiciet duas personas, in quantum sunt distinctæ personæ, sed in quantum obtinent vnam potentiam spiratiuam.

12 *Solutio.*

Respondetur, paritatem, in argumento positam, esse disparitate permixtam, quia potentia spiratiua completur per notionalem relationem spirationis, quasi resultantem ex duabus personis iam subsistentibus; potentia tamen creatiua non completur per aliquid, resultans ex pluribus personis. Tota siquidem potentia creatiua est essentialis & absoluta. Ad primam confirmationem respond. Paritatem illam Augustinus constituit tantum in vnitate principij spiratiui sicut & creatiui, fortasse nihil curando de pluralitate personarum an esset per se requisita.

13 Ad secundam confirmationem respond. In duabus personis esse, postulat spiratiua potentia peculiari iure, quod non competit potentiæ creatiuæ, nimirum, quia potentia spiratiua completur notionali relatione spirationis, quæ per se destinatur ad spirandum amorem mutuum duarum personarum. Quod autem authores hoc loco non pauci pro certo supponunt, tres personas diuinas non esse per se requisitas ad creandum, non est verum, vt ostendemus disp.111.

14 *Quintum argumentum.*

Quintum argumentum. Diuina voluntas est principium Spiritus sancti, non quatenus est communicabilis Filio & Spiritui sancto, sed quatenus est voluntas. Ergo licet diuina voluntas foret incommunicabilis duabus personis; adhuc in vnica subsistens, foret principium Spiritus sancti. Antecedens probatur, nam voluntas est principium Spiritus sancti, quatenus est principium amoris: amoris autem principium non est voluntas, quatenus est communicabilis, sed quatenus est voluntas. Confirmatur primò, quoniam amor creatus non procedit à verbo creato, neque à voluntate, quatenus est communicata Verbo (siquidem impossibilis est hæc communicatio.) Ergo in Deo amor non postulat per se & formaliter à Verbo procedere. Confirmatur secundò, quamuis enim calor vnus communicaretur duobus subiectis; calefactioni tamen per accidens conueniret à duobus procedere: nam per se nihil aliud exigeret, quàm procedere ab habente calorem, abstrahendo ab hoc, quod esset vnum aut duplex suppositum habens calorem.

15 *Quatenus voluntas simul communicabilis & communicata.*

Respondetur, voluntas est principium Spiritus sancti non quatenus voluntas est præcisè, nec quatenus est communicabilis præcisè, sed quatenus est voluntas communicabilis & communicata. Aliter enim non erit principium amoris mutui inter duas personas. Quod autem voluntas, non præcisè quatenus est voluntas, sit principium *quo*, siue potentia Spiratiua, diximus disp.70. sect.5.

16 Ad primam confirmationem respond. Creatus amor, propter limitationem suam, & imperfectionem, non potest idem realiter esse mutuus amor, procedens à duabus personis: insuper verbum creatum ob eandem limitationem ac imperfectionem non est persona subsistens. Inde prouenit vt creatus amor non procedat à Verbo creato, sicut à persona, diligente aliam personam (licet ab eo procedat vt à proponente obiectum amabile:) contra verò diuinum Verbum in ratione Verbi, persona subsistens est; & diuinus amor propter suam & personarum infinitatem, exigit à Verbo diuino procedere, tanquam à persona diligente Patrem. Sicut probatum est sect.1. Ad secundam respond. Calefactio non est quidditatiuè mutua inter duas personas, ideo non per se, sed per *accidens* procedit à duobus suppositis. At verò diuinus amor spiratus est quidditatiuè mutuus inter duas personas.

DISPV

DISPVTATIO LXXII.

Vtrum Spiritus sanctus quidditatiuè referatur ad Patrem & Filium mutua relatione.

SECTIO I.

Relatio ad Patrem & Filium quidditatiuè conuenit Spiritui sancto.

1 PROBATVR primò, nam Spiritus sanctus quidditatiuè habet, comparatione Patris & Filij, proprietates relatiuorum præcipuas, videlicet, esse simul existentia & cognitione (de quibus dictum est disp.9. sect. 3. & 4.) vt obseruarunt Greg. Nyssen. & Basilius. Nyssenus quidem lib. de differentia essentiæ & hypostaseos in med. *Qui Spiritum,* inquit, *solum dixit, vna cum hac confessione comprehendit & id,cuius Spiritus est. Et quia Christi Spiritus est,& ex Deo est, vt inquit Apostolus, quemadmodum ex catena qui vnam extremitatem apprehendit, alteram quoque extremitatem simul attrahit:eodem modo qui Spiritum traxit,* Psalm.118. *vt inquit propheta, per eum Filium quoque & Patrem simul traxit: ac si quis Filium reuera acceperit, habebit eum vtrinq;, hinc quidem suum Patrem, illinc verò suum Spiritum simul adducentem: Nec enim à Patre qui semper in Patre est, abscindi atque separari poterit, nec vnquam à spiritu suo disiungetur: quippe cum per eum omnia operetur.* Eandem sententiam totidem ferè verbis cum similitudine catenæ reperies apud Basilium epist.43. ad Greg. Nyssen. in med. cuius fragmentum posuimus disput.58. sect.2.

2 Secunda probatio tangitur in eisdem testimoniis Basilij & Nysseni, quia non minus in Theologia,quàm in Philosophia,quoties vnam rem alterius rei esse dicimus, eo ipso significamus aliquam relationem vnius rei ad alteram,vt quando dicimus,Pater est Filij Pater. Quod probatum est disp.9. sect.4. ad fin. At vero Spiritus sanctus in sacris literis frequenter appellatur *Spiritus Dei,* vt 1. Corinth.2. *Nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Rom.8. *Qui Spiritu Dei aguntur.* & Matth.3. *Vidit Spiritum Dei descendentem.* Appellatur item *Spiritus Patris,* vt Matth.10. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Vocatur *Spiritus Filij.* Galat.4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra,clamantem Abba Pater.* Deinde *Spiritus Christi*, Rom.8. *Si quis Spiritus Christi non habet, hic non est eius.* Eodémque sensu dicitur Spiritus veritatis, quia Christus est veritas,Ioan.15. *Spiritum veritatis,qui à Patre procedit.*

3 Attingunt etiam hoc argumentum Patres, citati disp. 67. sect. 3. prope finem. Sed magis expressit Athanas. dialogo 1. contra Anomæum statim à medio, sic enim distinguit acceptionem vocabuli, iuxta quam *Spiritus sanctus* est nomen proprium secundæ personæ. Nam *Pater quoque est Spiritus sanctus, sed non est Spiritus Dei. Itaque hypostaseos Patris proprium est Pater:& hypostaseos Spiritus sancti proprium Spiritum Dei sanctum esse. Nec qui Spiritus Dei sanctus est,est Pater aut Filius.* Confirmat autem continuo verbis Apostoli 1. Corinth.2. nuper adductis. Beda Ioan. 8. ad illud *Principium, qui & loquor vobis. Spiritus sanctus,*ait, *quod ad se est, Deus est, quod ad Patrem & Filium, Spiritus sanctus est, quia Patris & Filij Spiritus sanctus, ex Patre & Filio procedens.*

Concilium Toletan. Vndecimum in professione fidei col.2. *Nec Patris tantum,* inquit, *nec Filij* 4
tantum, sed simul Patris & Filij Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, nec de Filio procedit ad sanctificandam creaturam: sed simul ab vtrisq; processisse monstratur. Et post pauca: *In relatiuis verò personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosq; refertur.* Et paulo inferius: *Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur, in eo, quod Spiritus Patris & Filij prædicatur.* Eadem verba habentur in Concil. VVormacienfi in professione fidei ante medium.Eandémque rationem ponderant Ioannes theologus in Concil. Florent.sess.24.post med.& Bessarion. post sessionem vltimam, orat. pro vnione cap.6. propius ad med. quàm ad fin.

Tertiò probatur ex Nazianzeno orat. ad centum quinquagita Episcop. non longè post med. 5
dicente: *Vnio Pater est, ex quo, & ad quem ea, quæ deinceps sequantur, referuntur.* Sequuntur autem Filius & Spiritus sanctus deinceps,id est posterius origine. Ergo Spiritus sanctus refertur ad Patrem, & consequenter etiam ad Filium. Idem probant testimonia Patrum referenda sect. sequenti. Atque in hoc sensu S. Thom. in præsenti quæst.36. art.1. ad 2. docet, in nomine Spiritus sancti posse intelligi relationem, si intelligatur, quasi spiratus.

Ratione probatur primò, quia Spiritus sanctus 6
procedit ab vtraque persona.Ergo respicit vtramque personam, sicut terminus productus respicit suum principium. Probatur secundò,quia persona Spiritus sancti quidditatiua proprietate non distingueretur ab vtraque persona, nisi per eandem proprietatem quidditatiuá respiceret vtramque personam relatione originis. Hæc enim sola potis est personas in Deo distinguere, supra tota disp.68. præsertim sect.8. Tertiò, quia tanquam reciprocus amor quidditatiuè ac per se postulat, ab vtraque persona procedere: vt probatum est disp. præcedenti. Denique idem probant rationes afferendæ sect.sequente.

SECTIO II.

Mutuam esse relationem Spiritus sancti.

1 MAior difficultas esse poterat de reciprocatione relationis istius, quoniam eam videntur excludere nonnulli Patres, & Scholastici, secuti Augustinum lib.5.de Trinitate cap.12.cum ait: *Non enim sicut dicimus, seruum Domini,& Dominum serui, Filium Patris & Patrem Filij, quoniam ista relatiuè dicuntur: ita etiam hic possumus dicere. Dicimus enim Spiritum sanctum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne Filius eius intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus Spiritum sanctum Filij, sed non dicimus Filium Spiritus sancti, ne Pater intelligatur Spiritus sanctus. In multis enim relatiuis hoc contingit, vt non inueniatur vocabulum, quo sibi vicissim respondeant quæ ad se referuntur.* Eandem doctrinam repetit serm. 38. de temp. colum.3.

Reciprocationem excludere videntur nonnulli Patres.

2 Albinus Flaccus Alcuinus lib.1. de Trinit. *c.5. Ipsa,*inquit,*relatio Spiritus sancti non ita reciproca ratione conuerti poterit, sicut Pater & Filius.* Et post pauca:*Dicimus Spiritum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti.* Subiungitque alia ex Augustino

Augustino citata. Quemadmodum Hugo Ætherianus lib.3.contra Græcos cap.2.ait: *Licet sit proprietas relatiuorum, vt cum termino recipiant conuersionem, hoc quidem non arbitrantur, de Spiritu sancto recipiendum; quia licet ipse sit Patris, & Filij, non tamen conuersim Pater & Filius ad ipsum referuntur.*

3 In Concilio Florent.Mitylenen.Episcopus sess. 25. inter med. & fin. §. *ego ab ineunte. Profitemur,* inquit, *Patrem vt Pater est, Filij Patrem esse: ac Filium, quatenus Filius est, Patris Filium esse, cum relatiua & ad aliquid sint: sanctum autem Spiritum per se se neque ad Patrem neque ad Filium referri, quatenus Pater & Filius sunt, quod Spiritus per se relatiuum non est, ratione verò, quia Spiritus est ad spirantem refertur.* Cuius priora verba,ne manifestè contradicant extremis, ita postulant intelligi, vt Spiritus per se relatiuum non sit comparatione Patris, prout Pater est,& Filij quatenus Filius est; sit tamen relatiuum comparatione illorum, in quantum sunt principium spirans. Vnde liberatur etiam à contradictione quod Ioannes Theologus dixerat in præcedenti sess. 24. paulo post med. *Qui,*scilicet,Spiritus sanctus,*cum neque Pater neque Filius, neque relatiuorum aliquid sit, tamen vt Spiritus ad Spirantem refertur.* Denique quam ex Augustino retulimus sententiam, recipiunt Magister,& communiter Scholastici lib.1.dist.26. cap.vltimo.

4 Nihilominus & mens omnium prædictorum, *Explicita ratio non est mutua.* & veritas explicatur tribus assertionibus. Dico primò. Relatio Spiritus sancti ad Patrem & Filium non est mutua, secundum rationem formalem explicitam Patris & Filij. Hoc probant prædicta testimonia, ratióque confirmat, quoniam ordo correlatiuus, qui formaliter & explicitè respicit Spiritum sanctum, est relatio spirationis actiuæ, quæ ratione ratiocinata distinguitur à Paternitate & Filiatione, & non includitur in illis quidditatiuè,sed tantum virtualiter: vt probatum est disput.17. sect.5.& 6.

5 Dico secundò. Mutua est relatio Spiritus sanc- *Quatenus principiũ spiratiuum,mutuo refertur.* ti ad Patrem & Filium, quatenus sunt vnum principium spiratiuum, & ea ratione habent eandem relationẽ Spiratoris. Probatur primò,nam id non obstare docent iidem Patres, qui videbantur negare mutuam reciprocationem, & conuertentiam. Imprimis Augustinus lib. 5. de Trinitate cap.11. post medium, postquam notauit, *relationem non apparere in nomine Spiritus sancti, sed in nomine Doni,* subinfert: *Donum ergo donatoris, & donator doni, cum dicimus, relatiuè vtrumque ad inuicem dicimus.* & sequenti cap. 12. *Vt hæc vicissim respondeant, dicimus donum donatoris, & donatorem doni.* & cap.15. in princip. de Patre & Filio ait, esse *Relatiuè ad Spiritum sanctum, vnum principium.*

6 Præterea serm.38.de tempore col.3. dialectico more sic loquitur: *In quibus nominibus circumferri potest vicissim relationis regula, vt si dicamus, donator doni, & donum donatoris, quia in his vocabulis potuit inueniri vsitata huic cathegoriæ, quæ dicitur ad aliquid, circumlatio.* Hæc ipsa verba transcripsit Alcuinus dicto lib.1.de Trinit. cap.5.fine. A quibus non dissidet Hugo Ætherianus dicto lib.3. contra Græcos cap.3. cum Spiritum sanctum appellat *donum, donatores* autem Patrem & Filium.

7 Secundò probatur, nam idem docent alij Patres apertius. Isidorus lib.7. etymologiarum c.4. in medio. *Cum enim,* ait, *Deus dicitur, essentia est, quia ad seipsum dicitur. Cum verò dicitur Pater, Filius & Spiritus sanctus, relatiuè dicuntur, quia ad se inuicem referuntur. Nam Pater non ad seipsum, sed ad Filium relatiuè dicitur, quia est ei Filius: sic & Filius relatiuè dicitur, quia est ei Pater: sic Spiritus sanctus, quia est Patris Filiiq; Spiritus. His enim appellationibus hoc significatur, quod ad se inuicem referuntur.* Anselmus lib. de processione Spiritus sancti cap. penult. quod incipit, *patet ergo,* post med. ait: *Est autem tribus commune ad duos habere relationem. Pater enim ad Filium & Spiritum sanctum refertur, sicut ad illos, qui de se sunt: Filius ad Patrem & ad Spiritum sanctum quia est de Patre, & Spiritus sanctus de illo: Spiritus sanctus ad Patrem & Filium, quia est de vtroque.*

Bessarion Archiepisc. Nicænus oratione pro 8
vnione habita in Concil.Florent.cap.6. probat ex professo, non modo Patri, sed etiam Filio conuenire relationem ad Spiritum sanctum. Vnde propius ad med. quàm ad finem eiusdem capitis ita concludit: *Patet ergo, quod hæc relationum diuersitas relationis distinctio est: & relatiuè Filius ad Spiritum, & ad Filium Spiritus refertur. Et cum Filius, prout Filius, non referatur ad Spiritum (non enim dicitur Filius Spiritus) restat, vt referatur ad Spiritum, tanquam spirans, cum Spiritus etiam referatur ad Filium, tanquam Spiritus: Spiritus enim spiranti, & passiua spiratio actiuæ spirationi correspondet.*

Magister 1. distinct. 26. cap. vltimo cum Au- 9
gust. citato ait: *Sed vt hæc vicissim respondeant,dicimus donum donatoris, & donatorem doni: quia hic potuit inueniri vsitatum vocabulum.* Clarius autem Scholastici communiter docent quartam relationem realem spirationis actiuæ locis, quæ notauimus supra disp.16.sect.4.fine. & disput.18.sect.1. Qui omnes eam relationem constituunt, vt mutuò correspondeat spirationi passiuæ,qua refertur Spiritus sanctus.

Ratione probatur primò, quia quando sunt 10
eiusdem ordinis extrema, relatio inter illa necessariò debet esse mutua. Nihil enim est, quod prohibeat reciprocationem. Confirmatur, nam in Patre & Filio concurrunt omnia requisita ad relationem realem principij spiratiui, videlicet, reale fundamentum, ratio fundandi realis, realis terminus: ac denique quidquid habet relatio spirationis passiuæ requisitum, vt sit relatio realis, habet similiter relatio spirationis actiuæ, nec quantum ad hoc maior est ratio vnius,quàm alterius. Propterea Boëtius lib.de Trinit.prope fin. eodem modo loquitur de tribus relationibus, cum ait: *Relatio Patris ad Filium & vtriusque ad Spiritum sanctum.*

Probatur secundò, quia minus perfecta foret 11
proportio inter extrema relatiua, minor coniunctio & quasi cognatio principij producentis cum termino producto: si discreparet ab illo,non correspondens relatione reali, sed sola relatione rationis, quemadmodum creator correspondet creaturæ: quod est indignum processionibus ad intra.

Dico tertiò. Relatio Spiritus sancti est mutua 12
radicaliter comparatione Patris & Filij, quatenus *Radicalis reciprocatio.* sunt Pater & Filius. Quia Paternitas & Filiatio radicaliter continent spirationem actiuam, comparatione cuius relatio Spiritus sancti est formaliter mutua: vt probatum est disputatione 17. sect.6.

Ruiz. de Trinitate.

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, qui est amor.

ARTICVLVS I.

Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

DISPVTATIO LXXIII.

Vtrum amor sit personalis ratio Spiritus sancti.

SECTIO I.

Decisio quæstionis primariæ.

1 *Amor essentialis ferè semper.*

DIco primò. Dilectio siue amor semper aut ferè semper in Sacris literis accipitur essentialiter, vt absoluta perfectio, quæ est actualis tendentia voluntatis in bonum, quatenus bonum est. Sic accipitur quoties dicitur Pater diligere Filium, aut Filius diligere Patrem: vel Deus diligere creaturas, ac præcipuè iustos. Exempla passim occurrunt in vtroque testamento, maximè in Euangelio Ioannis à cap. 13. vsque ad caput 17. & tota eius epistola 1. præsertim cap. 4. *Deus charitas est.* Vnde August. lib. 15. de Trinit. cap. 17. non procul à principio colligit, quod sicut Pater est sapientia, & Filius est sapientia, & Spiritus est sapientia; sed tamen omnes simul non sunt tres sapientiæ, verùm vna sapientia: ita Pater est charitas, Filius est charitas, & Spiritus sanctus est charitas; sed tamen omnes simul non sunt tres charitates, verùm vna charitas.

2 *Amor aliquando intelligitur personalis.*

Dico secundò. Dilectio siue amor nonnunquam à Patribus & Scholasticis Doctoribus vsurpatur pro termino producto per volitionem. Sic vsurpatus amor est personalis ratio propria Spiritus sancti. Ita nomen amoris accipiunt Patres citati disput. 71. sect. 1. nimirum Augustin. lib. 6. de Trinit. cap. 5. & lib. 7. cap. 3. & lib. 15. cap. 17. 19. 27. & 28. Ambrosius in symbolum Apostol. cap. 1. post med. Hieronym. in Psal. 17. initio. Fulgentius q. 4. ad Ferrandum propius ad fin. quàm ad med. Prosper lib. sententiarum ex August. sentētia 371. Concilium Tolet. Vndecimum in confess. fidei, Greg. Mag. homil. 30. in Pentecostem circa principium. Isidorus lib. 7. etymolog. cap. 3. Anselmus in monolog. cap. 48. & 49. Bernardus serm. 8. in cantica, & serm. 3. de Pentecoste. Guitmundus Archiepiscop. Auersanus in confessione de sancta Trinit. col. 2. Ricard. Victorinus toto ferè lib. 3. de Trinit. & lib. 5. à cap. 17. vsque ad 23. & lib. 6. c. 10. & lib. declarationum ad Bernardum in fine. Quos & alios Patres imitatur Ecclesiasticus hymnus: *Fons viuus, ignis, charitas.*

3 Hoc nimirum sensu Cyrillus Alexand. lib. 13. thesaur. cap. 2. paulo post med. & in fine. *Spiritus,* inquit, *sanctus quasi operatio naturalis, ac essentialis: in propria tamen hypostasi ex ipso prodiens Deo, & in ipso manens:* vbi non potest intelligere aliam operationem, nisi amorem in facto esse. Consequenter igitur in cap. 4. circa med. scribit: *Sanctus Spiritus dicitur, quia sanctus essentialiter est. Naturalis enim & viua & subsistens Dei operatio est.* Simili ratione colligitur assertio præsens ex Nazianzeno, August. Ambros. & aliis, qui supra disput. 65. sect. 4. fine rationem reddunt, ob quam tertia persona peculiariter appellatur sanctus Spiritus, quoniam sanctitas consistit in amore, qui peculiaris est illi. Colligitur etiam ex Patribus qui supra disput. 71. sect. 1. vocant Spiritum sanctum communionem, vinculum, nexum, complexum, gluten, ac denique medium inter Patrem & Filium. Hæc enim omnia verificari non possunt, nisi quoniam Spiritus sanctus est mutua charitas vtriusque personæ.

4 Magis apertè conclusionem tradiderunt Magister & communiter Scholastici. 1. distinct. 10. Probat autem Augustinus, quoniam Ioannes epistol. 1. cap. 4. cum dixisset: *Charitas ex Deo est,* post pauca subiunxit: *Deus charitas est.* At verò non est alius Deus ex Deo, qui sit charitas, nisi Spiritus sanctus. Confirmatur ex sequenti contextu; *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Quod autem Spiritus, qui manet in nobis, sit charitas, docuit in alio versu, dicens iterum: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ita ratiocinatur Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 17. 18. & 19. Necnon in epistol. Ioan. 1. tractatu 7. Eodem modo locum intelligit Gregorius homil. 30. de Pentecost. circa principium.

5 Nihilominus illa verba: *Charitas ex Deo est,* intelligi de creata dilectione, quam Deus per gratiam infundit cordibus nostris, magis congruit contextui; & in eo sensu contra Pelagianos adducitur ad probandum, nos indigere supernaturali auxilio, vt Deum diligamus, ab August. lib. 1. de gratia Christi cap. 21. & Concil. Mileuitano cap. 4. fine. Cui consonat illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Cum igitur Ioannes dicto cap. 4. totus esset in alliciendis fidelibus ad charitatis actus, eos inde summopere commendat, quoniam diuinæ naturæ participes nos constituant, eo quod Deus essentialiter est increata & infinita charitas.

6 Authores alij conclusionem probare nituntur ex verbis Apostoli, Coloss. 1. *Transtulit in regnum Filij dilectionis suæ.* Veruntamen vt acutè notauit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 19. prope finem, dilectio ibi non potest accipi pro Spiritu sancto, ne Verbum Dei sit Filius Spiritus sancti. Hebraismus autem ille significat Filium dilectissimum. Existimo igitur nullum esse locum in Sacris literis, vbi *charitas, dilectio,* vel *amor,* accipiatur pro tertia persona, quæ est Spiritus sanctus.

7 *Dictum tertium. Fundamentū in Sacris literis.* Ad probationem igitur magis solidam assertionis secundæ, Dico tertiò. Modus loquendi, iuxta quem amor diuinus accipitur pro tertia persona, procedente per volitionem, fundamentum habet in Sacris literis & in ratione theologica. Probatur, quia Filius Dei, eo quod procedat per intellectionem, in Sacris literis appellatur sapientia, (vt vidimus disp. 58. sect. 4. & sequentibus.) At Spiritus sanctus procedit per volitionem. Ergo pari ratione vocari poterit amor siue dilectio. Confirmatur primò, quia sicut sapientia sumitur in facto esse, tanquam terminus intellectionis, quando supponitur pro Verbo (sicut probatum est ibidem) ita dilectio siue amor accipi poterit in facto esse tanquam terminus volitionis. Rursus in Deo quilibet terminus, procedens à principio, non potest esse absolutus & essentialis, sed esse debet relatiuus & notionalis. Cum igitur amor, acceptus pro termino volitionis, sit terminus procedens à principio producente per volitionem; non poterit amor essentialis & absolutus esse iuxta prædictam acceptionem, sed relatiuus & notionalis.

8 Confirmatur secundò, quia Filium Dei esse terminum, productum per intellectionem, magis apertè sumitur ex sacris literis, quæ perspicuè vocant Verbum, sapientiam & imaginem: inde verò consequens est, tertiam personam, quæ restat, procedere per volitionem. Consequentia probatur, quia persona diuina non potest procedere nisi per immanentem operationem intellectualis substantiæ: sed non sunt aliæ operationes immanentes intellectualis substantiæ, nisi intellectio & volitio. Ergo persona diuina non potest procedere, nisi per intellectionem, aut volitionem. At tertia persona non procedit per intellectionem: ergo procedit per volitionem.

9 Quod autem persona tertia non procedat per intellectionem, probatur primò, quia foret Filius, Verbum, & imago, si procederet per intellectionem; & eius processio foret generatio. iuxta dicta disput. 6. & 7. & disput. 57. & 64. Probatur secundò, quia Verbum diuinum exhaurit totam vim productiuam per intellectionem. Verùm de his rationibus, quibus processiones esse probantur solam intellectionem & volitionem, plura diximus disput. 2. & 3.

10 Confirmatur tertiò, quoniam eadem prorsus ratio, quæ probat, terminum aliquem produci operatione intellectus creati vel increati: probat etiam, terminum aliquem produci operatione voluntatis creatæ vel increatæ. Ratio autem est, quoniam omnis operatio immanens debet habere productum terminum immanentem. Hæc ita explicatur à S. Thom. in præsenti q. 37. art. 1. quia quemadmodum per intellectionem producitur Verbum, in quo est obiectiuè res intellecta, sicut in sua imagine: sic etiam per actum amandi producitur in amante impressio quædā obiecti amati, secundum quam res amata dicitur esse in amante: quamuis econtrario dicatur etiam amans esse in rebus amatis, quatenus ab illis trahitur, ac de illis cogitat. Aliæ namque rationes, ex eo desumptæ, quod in Verbo, tanquā in obiecto cognito, debeat intellectus intueri quæ repræsentantur per Verbum: non habent solidum fundamentum, vt ostendimus disp. 59. sect. 2. & 3. ideo nulla ratio probans verbum, deficit amori, vt probetur esse terminus productus per volitionem.

11 Dico quartò. Personalis ratio Spiritus sancti est amor mutuus, à duabus personis per se procedens: vt probatum est disputat. 71. præsertim sect. 1.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones, & incidentes quæstiones.

1 *Prima obiectio.*

OBiicies primò contra præcedentem discursum, quoniam ex illo colligi posse videtur, à Spiritu sancto producendum esse terminum amoris: quilibet enim amans amando producit aliquem terminum. Sed Spiritus sanctus amat: igitur amando producit aliquem terminum. Consequens autem est hæreticum. Respondetur. Accipiendo notionaliter amare, vt est idem quod spirare amorem productum: Spiritus sanctus non amat. Si autem accipiatur essentialiter amare, vt est idem quod inclinari in bonum sub ratione boni cogniti: Spiritus sanctus amat. Amando tamen non producit terminum amoris: quoniam ipse Spiritus sanctus est terminus productus per eundem amorem, quo totum Deum amat: nec potest seipsum producere: præsertim quoniam vltra terminum adæquatum amoris, nihil est producibile per amorem: quemadmodum in simili dictum est disput. 57. sect. 5. de Verbo, quod omnia intelligens non producit Verbum. *Soluitur.* *Spiritus sanctus licet amet, non spirat amorem.*

2 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò. Verbum, qui est terminus intellectionis, nunquam accipitur essentialiter, sed tantum personaliter (vt probatum est disput. 57.) Ergo similiter amor, qui est terminus volitionis, nunquam accipietur essentialiter, sed tantum personaliter. *Solutio.* Respond. negando consequentiam, quia datur copia vocum simplicium, quarum aliæ significant essentialem operationem intelligendi, veluti sapientia & intellectio: aliæ significant productionem notionalem, veluti loqui seu dicere: aliæ significant terminum productum eadem operatione, videlicet Verbum. At in processione per volitionem maior est inopia vocabulorum, propter quam terminus productus caret nomine proprio: ideóque necessitate cogente, mutuatur accipit cognatæ operationis nomen, & appellatur amor, dilectio, affectio, impulsus, vel inclinatio ad rem amatam.

3 *Tertia difficultas.* Tertiò quæritur, quid sit notionaliter amare, & in qua ratione formali consistat. Respondeo & Dico primò. Quæcumque fere de Verbo dicta sunt tota disput. 55. & sequentibus vsque ad 61. veniunt intelligenda de termino volitionis & illius productione. Semper namque Doctores seruant proportionem inter Verbum ac terminum dilectionis. Sic enim procedunt S. Thom. in præsenti q. 37. art. 1. communiter Scholastici 1. sent. dist. 10. vbi S. Bonauentura art. 1. tribus quæst. & art. 2. q. 1. & 2. Ricardus eisdem articulis & quæstionibus. Carthusianus q. 1. Alexand. 1. part. q. 43. memb. 3. art. 2. & 3. Albert. 1. p. q. 31. memb. 2, col. vltima. Henricus 2. parte art. 61. q. 5. 6. & 7. Marsil. 1. quæst. 14. Capreol. 1. dist. 10. quæst. vnica. Caiet. in præsenti q. 37. art. 1. vbi communiter expositores Ferrarien. 4. contra gent. c. 19. Canarien. supra q. 27. art. 1. disp. 5. dub. 5. vbi Molina art. 3. disp. 2. ac denique Doctores citati tota disput. 59. & 60. Nec quantum ad hoc dissidet Scot. citatus disput. 59. sect. 4. sub init. Quamuis enim de productione Verbi sentire videatur contra nostram & communem sententiam: seruat nihilominus proportionem inter vtramque productionē intellectionis & volitionis, & vtrumque terminum productum. Denique licet in variis articulis circa quidditatem Verbi, & operationes loquendi siue dicendi, & illarum distinctionem ab operatione intelligēdi, plerique Doctores inter se dissentiant supra disp. 57. & sequentibus: attamen in seruanda prædicta proportione vix est qui dissentiat. *Proportio Verbi cum termino volitionis.*

4 *Diligere notionaliter est spirare amorem productum.* Inde colligo & Dico secundò. Quemadmodum dicere, seu loqui est idem, quod producere Verbum, & est notionale, proprium Patris; consistitque non in sola intellectione, sed supra intellectionem addit relationem productionis (vt probatum est disput. 59. & 60.) sic amare, siue diligere potest accipi notionaliter: eritque idem quod

producere amorem, seu impulsum, vel spirare amorem productum. Hæc igitur erit propria operatio principij spiratiui, quæ consistit, non in sola dilectione essentiali, sed illi superaddit relationem productionis.

5 *Quarta difficultas.* Quartò dubitabis, vtrum diuinus amor sit duplex, alter essentialis, & alter notionalis. Respondeo per generale fundamentum proportionis traditæ in præcedenti quæstiuncula, & Dico primò. Sicut Verbum ratione ratiocinata differt ab intellectione siue sapientia, quatenus Verbum affert non modò sapientiam, sed etiam formalissimè constituitur relatione producti per intellectionem, supra disp.58. Sic etiam amor, notionaliter acceptus, ratione ratiocinata differt ab amore essentiali, quatenus amor notionalis non modò dicit tendentiam in bonum sub ratione boni cogniti, sed etiam formalissimè constituitur relatione producti per volitionem. *Dictum primum.*

6 Dico secundò. Non sunt amores duo, per quos Deus bis tendat in bonum: quemadmodum non sunt intellectiones duæ, per quas Deus tendat in verum: quod ostendimus disput.59.sect.1.& 2.

7 *Quinta difficultas.* Quintò dubitabis, vtrum Spiritus sanctus procedat per amorem comprehensiuum Deitatis & omnium personarum, ac subinde quo Pater & Filius diligunt etiam ipsum Spiritum sanctum producendum. Respondeo affirmatiuè iuxta dicta de Verbo disput.61.

8 *Sexta difficultas.* Sextò quæritur, vtrum Spiritus sanctus procedat per amorem creaturarum. Respondeo. Procedit per amorem simplicis complacentiæ rerum omnium possibilium; & quodammodo etiam per amorem efficacem creaturarum existentium: vt probatum est disp.63. sect.5. Alia denique dubia, quæ mouent Aureol. & Scot. distinct.10. contra doctrinam S. Thomæ, consulto prætermitto; partim enim hærent in modo loquendi: partim supponunt falsam opinionem de Verbo & eius productione. Videri potest eorum solutio apud Capreolum distinct.10. quæst. vnica art.2.& 3. & Ferrariens. 4. contra gent. cap.19. in cuius colum. vltima declarat quod S. Thom. de verit. quæst. 4. artic.2. ad 7. videtur asserere, nimirum Spiritum sanctum non esse terminum, procedentem per voluntatem, sed ipsam voluntatis operationem esse Spiritum sanctum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

DISPVTATIO LXXIV.

Vtrum propriè, verèque dicatur, Patrem & Filium Spiritu sancto se diligere.

SECTIO I.

Quæstionis sensus, & negatiuæ sententiæ.

1 PRIMÒ. De re nullum est inter authores dissidium, sed tantum de modo loquendi, vtrum ille ablatiuus *Spiritu sancto*, congruè construatur cum verbo *diligunt*: quid vtraque voce significetur: an propria sit locutio, & in rigore vera.

2 *Non dixit Augustinus Patrem & Filium se diligere Spiritu sancto.* Secundò, multi Scholastici supponunt, Augustinum asseruisse, quod Pater & Filius se diligunt Spiritu sancto: quoniam lib.6. de Trinitate cap.5. de Spiritu sancto ait: *Non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatoremq́; suum diligat.* Quæ verba ex Augustino recipit Fulgentius quæst.4. ad Ferrandum propius ad fin. quàm ad med. Atque iterum Augustin. lib.15. de Trinit. cap.19. circa fin. *Si charitas*, inquit, *qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabilem communionem demonstrat amborum, quid conuenientius, quàm vt ille propriè dicatur charitas, qui Spiritus est communis ambobus?* Hoc fundamento Bernardus & Ricardus Victorinus in declarationibus ad D. Bernardum cap. vltimo initio tanquam exploratum asserunt, Augustinum dixisse, *quod Pater Spiritu sancto diligit Filium*, &c. Idémque dicit Henricus art.61. quæst.7. corpore initio.

3 Nihilominus si consideretur attentè contextus, & inter se conferantur distinctæ propositiones: constabit, ex Augustino solummodo colligi propositionem, quam intulit Magister 1. dist.10. cap. *nunc verò*, videlicet, Spiritum sanctum dilectionem & amorem esse, quo Pater diligit Filium & Filius Patrem. Ad cuius propositionis veritatem ac proprietatem satis est, quod Spiritus sanctus verè & propriè sit amor, quo Pater & Filius se mutuo diligunt: vt ex Augustin. Ambros. Hieron. Prospero. Concil. Tolet. Gregor. Mag. Anselmo, Bernardo, & Ricard. Victorino, vidimus disp.71. sect.1. Itaque non fuisse dictum ab Augustino, quod Pater Filium diligit Spiritu sancto, rectè notauit Alexander 1. parte quæst. 67. membro 3. art.3. & supponit Albert. 1. parte q.50. memb.1. quæst. incidente 3. præsertim in penult. argum. in contrarium.

4 Altera tamen locutio, de qua disputamus, paulo difficilior est; quia denotare videtur, Spiritum sanctum esse amorem ita formaliter, vt Pater & Filius in ratione amantis constituatur formaliter per Spiritum sanctum. Adhuc tamen hæc propositio: *Pater & Filius se mutuo diligunt Spiritu sancto.* Valde probabile fundamentum habet in Augustin. Hieronym. Bernard. & aliis citatis, vt videbimus sect. sequenti.

5 *Pater & Filius in ratione amantis essentialiter, non constituitur Spiritu sancto.* Tertiò, apud omnes Doctores in hac & sequenti sectione citandos, certum est, Patrem in ratione amantis essentialiter, non constitui per Spiritum sanctum, sed per amorem essentialem, communem tribus personis. Sic enim Augustin. lib.15. de Trinit. cap.7. propius ad principium quàm ad med. obseruat: *Quis audeat dicere Patrem, nec seipsum nec Filium nec Spiritum sanctum intelligere, nisi per Filium, vel diligere, nisi per Spiritum sanctum*; & paucis interpositis: *Tanquam memoria sit Pater & sua & Filij & Spiritus sancti*; *Filius autem intelligentia & sua & Patris & Spiritus sancti*; *Spiritus verò sanctus charitas & sua & Patris & Filij: quis hæc in illa Trinitate opinari vel affirmare præsumat?* Et Ricard. Victor. in declarationibus ad D. Bernardum prope fin. ait: *Quod Pater Spiritu sancto diligere dicitur, non sic intelligitur, quasi Spiritus sanctus author & origo existat dilectionis, qua Pater est, & pro arbitrio amat, quod amat; sed quod Pater eam dilectionem, qua Filius diligitur, & Spiritus sanctus est; stiret, & illius author & origo existat. Dicitur ergo Pater Spiritu sancto diligere, nō quod per eum amorem habeat, sed exhibeat.* Hanc veritatem ex Augustin. magis expresè notarunt

notarunt Magister 1. dist.32. cap.2. fine, & S. Thomas in præsenti art.2. corp. post med. Alexand. & Albert. supra citati & reliqui Doctores, citandi sect. sequenti conclus.1.

6 *Prima sententia erronea.* His suppositis, prima sententia Durandi 1. dist. 6. q.2. & distinct.10. quæst.2. & dist.27. quæst.3. fuit, in rigore sermonis non esse propriam nec veram præsentem propositionem, sed quadam adaptatione, accommodatione, siue appropriatione: quoniam Spiritus sanctus non procedit per voluntatem, nec Verbum procedit per intellectum. Verùm hæc sententia tanquam omnino improbabilis, imo etiam erronea refutata fuit tota disput.2.

7 *Secunda sententia.* Secunda sententia fuit Gotfredi Pictauiensis, existimantis, prædictam propositionem in simili retractatam esse ab Augustino, quando retractauit hanc propositionem: *Pater est sapiens sapientia genita.* Hæc tamen sententia meritò respuitur à Scholasticis. Primò quoniam in eodem lib. 6. de Trinitate cap.1.& 2. cæperat Augustin. disputare quæstionem, vtrum Pater sit sapiens sapientia genita: nihilominus cap. 5. eiusdem libri docet, Spiritum sanctum esse, *quo genitus à gignente diligatur, generatoremq́; suum diligat.* Ergo non obstante retractatione propositionis de sapientia genita, retinet Augustin. præsentem propositionem de Spiritu sancto. Secundò, quoniam expresè retractasset Augustin. hanc, sicut alias propositiones; si eam iudicaret falsam esse, vel impropriam. Tertiò, quia diuersa est ratio vtriusque propositionis, vt constabit sect. 4. Ergo in retractatione vnius non continetur virtualiter aut implicitè retractatio alterius. Quartò, nam econtrario confirmatio præsentis propositionis virtualiter & implicitè continetur in alia locutione valde simili, quam Augustin. non rarò, & alij Patres admittunt: Pater Verbo dicit se & omnia quæcumque dicit: supra disput.60. sect.4.5.& 6. & disput.62. sect.2.& 3.

8 *Tertia sententia.* Tertia sententia docet, in rigore sermonis non esse veram propositionem: *Pater & Filius diligunt Spiritu sancto*; sed ita explicandam esse, vt significet, Patrem & Filium diligere amore, qui est Spiritus sanctus. Ita existimant Alexand. 1. part. quæst. 67. memb. 3. toto artic. 3. præsertim fine. Albert. 1. part. quæstione 50. memb. 1. quæst. incidente 3. Eodem euadunt, qui dicunt, non esse propriam locutionem; vt Canarien. in præsenti quæstione 37. art.2. post 4. conclus. Vbi Molina §. penult.

9 *Primum argumentum.* Huius sententiæ priora fundamenta sunt eadem, propter quæ dubitauit Bernardus, & solutionem petiit à Ricardo, vt constat dicto libro declarationum ad Bernardum cap. vltimo. Primum, quoniam eadem est ratio præsentis propositionis, & alterius: *Pater est sapiens sapientia genita.* Sed hæc propositio retractata fuit ab Augustino, tanquam in rigore falsa (vt videbimus sect.4.) Igitur in rigore falsa est propositio: *Pater est amans Spiritu sancto*, vel *est amans amore spirato.* Confirmatur, nam ea ratione Augustinus lib.7. de Trinit. cap.1. prope finem probat, quod Pater non est sapiens *sapientia genita*, siue, *per sapientiam, quam genuit*, siue, *ex ea sapientia*: quia Pater est summè simplex, & hoc ipsum est illi sapere, quod esse: alioquin non Pater sapientiam, sed sapientia genuit Patrem: quoniā illi causa fuit, vt simpliciter esset, sicut causa fuit, vt esset sapiens. Idem verò argumentum militat in amore. Nam si Pater & Filius amant Spiritu sancto; Spiritus sanctus est illis causa, vt sint amans: & consequenter est causa vt simpliciter sint; quoniam illis amare idem est, quod esse.

10 *Secundū argumentum.* Secundum argumentum, quia prædicta propositio non verificatur, sumendo dilectionem essentialiter (vt paulo superius pro comperto supposuimus) nec verificatur, dilectionem accipiendo notionaliter: quia diligere notionaliter acceptum, est idem quod spirare: at verò non verificatur quod Pater & Filius spirant Spiritu sancto. Ergo non verificatur, quod Pater & Filius se notionaliter diligant Spiritu sancto. Confirmatur, quia non verificatur quod Pater generat Verbo: eadem autem videtur esse ratio de hac propositione: Pater & Filius notionaliter diligunt Spiritu sancto.

11 *Tertium argumentum.* Vnde sumitur argumentum tertium, quia sumpto diligere notionaliter, hæc propositio videtur aliter exponi non posse, quàm hoc modo. Pater & Filius amando se essentialiter, spirant aut producunt Spiritum sanctum, quo se amant. Hoc tamen falsum est, quantum ad posteriorem partem, quia Pater & Filius non amant se essentialiter Spiritu sancto; quemadmodum superius dictum est. Antecedens explicat, & probat eius author, constituto discrimine inter hanc propositionem. *Pater dicit Verbo*; & hanc: *Diligit Spiritu sancto*, quoniam in priori propositione notionalis actus significatur tantùm in obliquo, tanquam quid præsuppositum, in recto verò dicitur expressio, repræsentatio, ac significatio rerum dictarum, quæ est ens rationis: at in dilectione notionali nihil simile reperitur. Restat igitur, vt præsens propositio non possit alium sensum habere, quàm eum, qui ponitur in argumento.

12 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum, quia nullus actus notionalis reflectitur super principium actus. Non enim potest dici, quod Pater generat se, vel spirat se. Ergo pari ratione dici non potest quod se notionaliter diligat Spiritu sancto. Confirmatur, quia Spiritus sanctus Patrem & Filium & seipsum non diligit seipso. ergo nec Pater aut Filius diligunt Spiritu sancto.

13 *Quintum argumentum.* Quintum, quoniam idem est amor, quo Pater & Filius se diligunt & creaturas. Sed amor quo Pater & Filius diligunt creaturas, ita essentialis & absolutus est, vt non possit accipi notionaliter. Ergo amor, quo Pater & Filius se diligunt, nó potest accipi notionaliter: ac subinde non se diligunt Spiritu sancto, sed tantum amore essentiali & absoluto; sicut creaturas non diligunt Spiritu sancto.

14 *Sextum argumentum.* Sextum, nam in præsenti propositione ablatiuus *Spiritu sancto* debet significare habitudinem alicuius causæ, vel principij: propterea que significare videtur, Spiritum sanctum Patri & Filio causam esse, vel principium essentialiter diligendi, vel potius diligendi notionaliter: vtrumque verò contradictionem inuoluit, vt manifestè constat.

15 *Septimum argumentum.* Septimum argumentum, quoniam ex eo, quod Pater & Filius se diligunt amore, qui est Spiritus sanctus (vt loquitur Augustinus supra relatus) non sequitur, quod se diligant Spiritu sancto. Variatur enim appellatio: qui defectus sæpe committitur in verbis, significantibus operationem intellectus, aut voluntatis: vt in hoc syllogismo: *Cognosco Petrum: Petrus est veniens: ergo cognosco venientem.*

16 *Octauum argumentum.* Argumenta sequētia Canariensis addit in præsent. art.2. col. penultima. Cuius sit octauum argumentum, quia *diligere* sua propria significatione non significat producere amorem; etenim verè diligit, qui non producit amorem, sed illum habet longo tempore antea productum. Nonum,

Nonum argumentum. quia si Deus se solo in mente nostra produceret amorem, nos amore illo diligeremus, & non produceremus illum: ac vice versa Deus produceret illum amorem, eo tamen non diligeret. Igitur diligere, iuxta germanam significationem, nó significat producere amorem: & consequenter notionalis acceptio istius verbi non est propria.

10 *Decimũ argumentum.* Decimum argumentum peculiariter impugnat exempla S. Thomæ, quia dicere Verbo non est formaliter producere Verbum, sed Verbo manifestare conceptus. Ergo dicere Verbo, non accipitur notionaliter. Item florere floribus non est producere flores: nam si Deus se solo produceret flores, Deus non floreret.

SECTIO II.

Veram & propriam esse præsentem propositionem in sensu notionali.

1 *Vera & propria est propositio.* COmmunior sententia Scholasticorum vt veram & propriam defendit & explicat hanc propositionem: *Pater & Filius se diligunt Spiritu sancto.* Quod prius præstiterat Ricard. Victorinus in declarationibus difficultatum ad Bernard. fine. Sequuntur autem S. Thom. in præsenti artic. 2. & de potent. quæst. 9. art. 9. ad 13. & 1. sententiarum dist. 32. quæst. 1. tribus articulis. Vbi S. Bonauent. & Ricard. artic. 1. duabus quæstionibus. Scotus quæst. 2. §. *ad aliam quæstionem.* Argent. quæstione vnica artic. 1. Præpositiuus, Altisiodorensis & Ægidius, quos refert & sequitur Carthusianus quæst. 1. Henricus 2. part. art. 61. quæst. 7. Marsil. lib. 1. quæst. 14. art. 4. conclus. 2. & quæst. 35. art. 1. Ocham. 1. sentent. distinct. 32. quæst. 2. vbi Gabriel quæst. 1. art. 2. conclus. 1. Aureolus artic. 1. Maior quæst. vnica fine. Capreol. eadem distinctione 32. quæst. vnica art. 1. Caiet. & communiter recentiores ad præsentem art. 2. S. Thomæ. Magister denique tantam exhibuit reuerentiam erga præsentem propositionem, vt fateri maluerit, se ignorare solutionem huius difficultatis, quomodo Pater non sit sapiens sapientia genita; & tamen Spiritum sanctum diligat (sic enim loquitur Magister) quàm negare, propriam & veram esse propositionem, quam tractamus. Et verè propositio hæc fundamentum habet sufficiens in August. Hieronym. & aliis Patribus citatis disputat. 71. sect. 1. & 73. sect. 1.

2 Sed valde mirabilis est varietas explicationum, & subtilitas metaphysicarum distinctionum in explicando sensu propositionis. De quibus fusè scribunt Alexand. 1. part. quæst. 67. memb. 3. art. 3. Albert. 1. p. quæst. 50. memb. 1. quæst. incidente 3. S. Thom. locis citatis. Fusius autem Carthusian. distinct. 32. quæst. 1. Denique vix reperietur vnus eorum, quos citauimus, & aliorum authorum, qui per omnia cum altero consentiat. Hac igitur varietate prætermissa, rationem proprietatis & veritatis in præsenti propositione sumpturi sumus partim ex præceptis Grammaticæ de constructione Verbi actiui, partim verò ex theologica consideratione Spiritus sancti, quatenus est terminus productus per amorem.

3 *Actiuũ verbum præter accusatiuum gaudet ablatiuo.* Pro cuius explicatione supponendum est primò, quodcumque verbum actiuum, præter accusatiuum, quem vt præcipuum casum postulat, insuper gaudere ablatiuo instrumenti, vel causæ, vel modi actionis. Sic enim appellant Latinæ linguæ magistri: qui nihil curant, vtrum propriè, vel metaphysico rigore sit instrumentum, aut causa vel actio, vel modus actionis. Nam sicut quælibet res significatur per modum agentis, vendicat nominatiuum casum, & quæcumque significatur per modum patientis, reiicitur in casum accusandi, nihil curando, vtrum secundum rigorem metaphysicum illud agat, & hoc patiatur: ita quidquid quomodocumque requiritur, vt illud agens agat in hoc quasi patiens; potest iuxta præcepta Grammaticę collocari in ablatiuo, dummodo verbum actiuum acceperit iam sibi debitos casus nominandi & accusandi. Exempla ex Latinis authoribus non profero, quia passim occurrunt: quamuis nullum reperiam vndique simile præsenti propositioni: ad illam tamen propriùs accedit phrasis Terentij: *Verbis dicere aliquid.*

4 Supponendum est secundò, quod *amo*, vel *diligo*, verbum est actiuum, postulans vt præcipuum casum accusatiuum eius rei, quæ tanquam obiectum bonum terminat amorem. Vnde præterea gaudebit ablatiuo termini producti per amorem: quoniam hic terminus est simpliciter necessarius, vt dilectio versetur circa bonum. Hoc verò maximè necessarium erit, si verbum *diligere* notionaliter accipiatur: quia tunc significat productionem termini, quæ sine termino producto verificari nequit.

5 *Notionaliter accipitur diligere Spiritu sancto.* Sit igitur prima conclusio. Vt verè propriéque dicatur, Patrem & Filium se diligere Spiritu sancto; notionaliter accipiendum est verbum *diligere*, cui congruè subiungitur ablatiuus *Spiritu sancto*, quo significetur, eo diligere, tanquam termino producto, simpliciter necessariò, vt operatio diligendi possit versari circa obiecta dilecta. Ita S. Thom. in præsent. art. 2. & 1. sentent. distinct. 32. quæst. 1. art. 1. Vbi S. Bonauent. & Ricard. artic. 1. quæst. 1. Argent. quæst. vnica art. 1. Marsil. q. 35. art. 1. conclus. 1. & propositione 1. & 2. Carthus. Capreol. Caiet. & alij supra citati. Nec dissentiunt alij, dicentes, verbum *diligere* sumendum esse non merè notionaliter, sed includendo essentialem & absolutam tendentiam ad obiecta dilecta. Hoc enim supponitur ab authoribus nuper citatis. Notionale simul & essentiale diligere dixerunt Henricus art. 61. quæst. 7. corp. post med. Scotus dicta dist. 32. q. 1. §. *ad aliam quæstionem*, & ad argumenta. Ocham. & Gabriel ibidem quæst. 2. & Maior quæst. vnica fine. Solus igitur Ægidius & Aureolus supra citati existimarunt, essentialiter non verò notionaliter accipiendum esse verbum *diligere* in præsenti propositione. Quod ex professo confutant Marsil. & Carthusianus supra citati.

6 Conclusio probatur à simili. Nam sine controuersia, vera est & propria hæc propositio: *Pater aterno Verbo dicit se, & quæcumque dicit:* vt ostendimus disput. 60. sect. 4 & sequentibus: cum tamen Verbum propriè non sit instrumentum, nec causa nec ratio formalis, constituens Patrem in esse dicentis: sed ex eo solum, quod Verbum est terminus quidditatiuè requisitus ad operationem dicendi, & repræsentans ea, quæ dicuntur, verificatur propriè dicta propositio. Atqui seruata debita proportione volitionis ad intellectionem, eadem prorsus ratio viget in termino dilectionis notionalis. Confirmatur primò, quia sicut *dicere* non solum affert ordinem ad obiecta, quæ locutione repræsentantur, sed etiam significat ipsam productionẽ Verbi: sic etiam *diligere* notionaliter acceptum, non tantum affert ordinem ad obiecta notionalis dilectionis. Sed etiam significat ipsam productio

productionem amoris, qui est terminus procedens per voluntatem: vt constat ex dictis præcedenti disp. 73. sect. 1. & 2.

7 Confirmatur secundò, quemadmodum enim Verbum diuinum secundum suam quidditatem notionalem ac personalem respicit obiecta vera, quæ Pater eodem Verbo loquitur: vt probatum est disp. 62. Sic etiam Spiritus sanctus secundum suam quidditatem notionalem ac personalem respicit obiecta bona, quæ Pater & Filius eodem Spiritu sancto notionaliter diligunt. Hoc fundamento facilè præsens conclusio defenditur à plurimis obiectionibus. Cõfirmatur tertiò, nam huc respexisse videtur Ricardus Victorinus prope finem prædicti libri declarationum ad B. Bernardum illis verbis: *Si spiritus sanctus est amor vtriusque, cur Pater non dicatur rectè Spiritu sancto, hoc est suo amore diligere? cur non & Filius dicatur rectè Spiritu sancto, hoc est sua dilectione amare?* Et post pauca: *Si rectè diligere diceris amore, qui de te procedit, cur Pater & Filius non rectè dicantur diligere amore, qui ex ipso procedit?*

8 *Ablatiuus forma denominantis.* Secunda conclusio. Ablatiuus *Spiritu sancto* significatur per modum formæ denominantis, quamuis Spiritus sanctus non sit forma, sed terminus productus. Sic enim aliquando principium denominatur à termino, quem producit. Ita S. Thom. in præsenti art. 2. corp. in med. & 1. sentent. dist. 32. quæst. 1. corpore & ad 2. Capreolus, Caiet. ac cæteri Thomistæ. S. Bonau. 1. dist. 32. artic. 1. quæst. 2. Ricard. ibidem. Marsilius q. 35. art. 1. notabili 1. & 2. Et licet in modo declarandi & probandi multiplici varietate dissentiant: verè tamen quantum ad rem ipsam, in substantia præsentis conclusionis mente magis, quàm verbis cõsentiunt Henricus, Scotus, Argent. Ocham. Gabriel & Maior, in præcedenti conclusione citati. Quin etiam in eo sensu improprio, quem admittunt Alexand. quæst. 43. memb. 3. art. 3. corpore fine, & Albert. quæst. 50. membr. 1. quæst. incidenti 3. & quæst. 36. membr. 1. corp. dicunt ablatiuum *Spiritu sancto* significari & verificari per modum formæ.

9 Quod autem Aureolus 1. dist. 32. artic. 1. propos. 1. dicit Patrem & Filium amare Spiritu sancto non formaliter, sed mediatiuè, quoniam mediante Spiritu sancto vnitur amans amato: hoc, inquam, licet conetur recedere à communi sententia: re ipsa non recedit. Nam illud, quo mediante vniuntur extrema, *significatur* in ablatiuo per modum formæ, constituentis vnita in ratione vnitorum. Nec interest aliquid, vtrum reuera sit causa formalis: attenditur enim solus significandi modus, vt notauimus sub initium sectionis præsentis.

10 Maiorem dubitandi rationem aliqui authores inueniunt in altera propositione: *Pater & Filius diligunt per Spiritum sanctum.* Alexand. enim q. 67. membr. 3. art. 3. notat, quod licet vera fuisset altera propositio hucúsque probata; nihilominus hæc esset falsa, quia dictio *per* significat causalitatem. Eadem est sententia Alberti 1. part. q. 50. memb. 1. quæst. inciden. 3. arg. 4. in contrar. Idémque videtur sentire Argen. dist. 32. art. 1. arg. 3. & eius solutione.

11 *Diligunt per Spiritum sanctum.* Nihilominus sit tertia conclusio. Simpliciter vera & concedenda est hæc propositio, *Pater & Filius diligunt per Spiritum sanctum.* Eam quippe simpliciter admittit Magister 1. sent. dist. 32. c. 1. & 2. quasi manifestè deductam ex verbis Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 1. ad finem, vbi tanquam eiusdem omnino sensus respuit has duas propositiones: *Pater est sapiens sapientia genita*, & *Pater est sapiens per sapientiam genitam.* Atque ita præter citatos, cæteri Scholastici, tacitè saltem, hanc propositionem admittunt, quod magis expresse notauit Carthus. dist. 32. quæst. 1. §. vltimo. Ratio est, quia terminus productus, quando potest significari casu ablatiui, potest etiam significari per accusatiuum cum præpositione *per*. Ideóque sicut hæc est vera: *Pater se & omnia dicit Verbo.* Sic etiam aliqui Patres citati disp. 60. sect. 4. asserunt, quod Pater se & alia dicit *per Verbum, per sermonem, per Filium.* Eadem autem est ratio de verbo amandi notionaliter accepto; vt vidimus conclus. 1.

SECTIO III.

Solutis argumentis positis in sectione prima quæstiones incidentes expediuntur.

1 *Ad primum.* AD primum argumentum. Consequentia negatur. Ratio discriminis exposita fuit præcedent. disp. 73. sect. 2. ad 2. quoniam *amare* siue *diligere*, propter vocabulorum inopiam, accipitur non modò essentialiter pro tendentia in bonum, sed etiam notionaliter pro reali productione termini, procedentis per voluntatem. At verò copia vocabulorum suppetit ad significandam productionem termini, procedentis per intellectum, videlicet, *loqui* & *dicere*. Ideo non oportuit, vocabulum *sapere* vel *sapiens* ampliari, vt accipiatur etiam notionaliter. Sed de hoc fusius sect. 4.

2 Hinc resultat solutio confirmationis. Nam Augustinianum argumentum vim retinet etiam in amante essentialiter, sicut in sapiente essentialiter, quia vtrobique ablatiuus non significat terminum productum simpliciter necessarium, vt operatio tendat in obiecta. Proptereáque significare debet causam per quam Pater redditur sapiens vel amans. idem tamen argumentum non valet in amante notionaliter; sicut nec in dicente notionaliter, quoniam ablatiuus significat terminum productum, vt vidimus sect. præced.

3 *Ad secundũ. Proportio inter dicere & spirare ac generare.* Ad secundum & eius confirmation. Quantum ad rem significatam diligere notionaliter acceptum, est idem quod spirare; similitérque dicere notionaliter acceptum, est idem quod generare. Nihilominus quantum ad modum significandi valde differunt: quia *diligere* siue *amare* notionaliter acceptũ, ex vi propriæ significationis, quam ei contulit vsus sapientum, significare potest, rem illam, quæ ponitur in accusatiuo, esse obiectum bonum amatum, non significando, illud esse productum per dilectionem: proptereáque hoc accusatiuo supposito, congruè subiungitur ablatiuus, denotans terminum productum, simpliciter necessarium, vt ea dilectio tenderet in obiectum bonum. E contrario tamen spirandi verbum, sicut & generandi, virtute propriæ significationis, significat, rem illam quæ ponitur in accusatiuo, esse terminum productum eadem operatione: proptereáque recusant terminum productum casu ablatiui constitui. Ideo falsum est, Patrem & Filium spirare Spiritu sancto; sicut falsum est, Patrem generare Verbo vel Filio. Propter eandem igitur rationem falsæ sunt sequentes propositiones: *Pater ad intra producit Filio. Pater & Filius se inuicem producunt amore spirato.* Quemadmodum in creaturis istæ propositiones sunt

falsæ; Architectus ædificat ædificio: Sculptor sculpit imagine siue statua: & reliquæ omnes propositiones, quarum verbum significat actionem productiuam, & tamen terminus illius ponitur in ablatiuo.

4 *Ad tertium. Discrimè inter dicere & amare.*

Ad tertium negatur antecedens. Ad eius probationem respondetur, illud discrimen non esse verum: quin potius sicut hoc vocabulo *dicere* seu *loqui* non solum significatur actus notionalis, sed etiam expressio & repræsentatio obiectorum: sic etiam in hac voce *diligere* vel *amare*, significatur non solum actus notionalis, sed etiam inclinatio & tendentia in obiecta bona, quibus vnitur per affectum: vt vidimus sect. præcedenti probantes primò conclusionem. Denique non est verum quod additur in argumento, repræsentationem obiectorum esse ens rationis in verbo siue in actu dicendi; quod impugnauimus disp. 62. sect. 1. 2. & 3. Et quod adiungitur, hoc vocabulo *dicere* tantum in obliquo significari actum notionalem: falsum est accipiendo prædictum vocabulum eo modo, quo verificatur Patrem omnia dicere Verbo: vt constat ex dictis tota disput. 60. præsertim sect. 4.

5 *Ad quartum. Reflexio notionalis actus.*

Ad quartum respond. Actus notionalis reflectitur super principium actus, non tanquam circa terminum productum, sed tanquam circa obiectum. Ideo falsum est dicere: Pater generat se, vel: Pater & Filius spirant se, quoniam hæc verba significant, esse terminum productum illum, qui ponitur in accusatiuo. Nihilominus verum est dicere: Pater se ipsum, aut Filium, diligit Spiritu sancto, vel: Pater Spiritum sanctum diligit ipso Spiritu sancto. Idémque intellige de Filio diligente Patrem, aut se, aut Spiritum sanctum, ipso Spiritu sancto. Nam idem Spiritus sanctus, in quantum est bonum obiectum amoris notionalis, accusatiuum postulat, & iterum quatenus est terminus productus, simpliciter necessarius ad illam operationem, postulat ablatiuum. Primariam partem huius doctrinæ docuerunt communiter authores citati, peculiariter S. Thomas in præsenti q. 37. art. 2. ad tertium. Et potest corroborari, quoniam similiter notionalis actus dicendi reflectitur supra suum principium, Pater enim se dicit Verbo, vt vidimus disp. 60. sect. 4.

6 *Vtrum Spiritus sanctus se ipso diligat.*

Ad confirmationem respond. Consequentia non est bona; & antecedens tangit maiorem aliam difficultatem, vtrum Spiritus sanctus se ipso diligat se ipsum, aut Patrem & Filium. Distinguendum est igitur, nam operatione diligendi notionaliter accepta, non potest verificari, quod Spiritus sanctus se ipso diligat; quia Spiritus sanctus non est principium huius operationis. Si verò *diligere* sumatur essentialiter, vt est absolutus actus voluntatis, communis tribus personis, tolerari poterit vt vera prædicta propositio: quamuis sit minus propria, quàm præcedentes. Ita existimat S. Thom. 1. dist. 32. quæst. 1. art. 2. ad 4. Vbi Ricard. art. 1. quæst. 1. corp. Aureolus ibidem a. 1. propositione 2. Marsil. quæst. 35. art. 1. propos. 4.

7 Cuius ratio colligi potest ex dictis sect. præcedenti. Nam Spiritus sanctus est terminus simpliciter requisitus non solum ad dilectionem notionalem, sed etiam ad dilectionem essentialem & absolutam, quæ non existeret in rerum natura, nisi per illam, addita ratione notionali, posset realiter produci aliquis terminus. Quemadmodum in simili Patres multi dicunt, quod Deus non esset sapiens, nisi per sapientiam posset producere Verbum; vt referemus sect. sequenti. Terminus autem ad operationem requisitus, potest in ablatiuo poni, quando obiecta operationis pronuntur in accusatiuo. Confirmatur, quia peculiaris ratio permittit hunc modum loquendi de Spiritu sancto potius, quàm de aliis personis; quia quidditatiuè est amor in facto esse productus: ideóque non indiget alio termino amoris essentialis, sed diligit se ipso. Quemadmodum Verbum, quia est terminus locutionis diuinæ, non indiget alio termino seu Verbo, vt loquatur, sed loquitur se ipso, supra disp. 60. sect. 5.

8 *Pater & Filius creaturas amãt Spiritu sancto.*

Ad quintum negatur Minor. Quin potius amor, quo Deus creaturas amat, accipi potest non modo essentialiter, sed etiam notionaliter. Eóque sensu dici potest: *Pater & Filius creaturas amant Spiritu sancto.* Ita docent S. Thomas in præsenti quæst. 37. art. 2. ad 3. & de potentia quæst. 9. art. 9. ad 15. Sed magis ex professo 1. sent. dist. 32. q. 1. toto art. 3. Vbi S. Bonau. art. 1. quæst. 1. ad penult. Henricus art. 61. quæst. 7. corp. versus finem, Scotus dist. 32. quæst. 2. §. *ad aliam quæstionem.* & ad argumenta. vbi Ricard. art. 1. tota quæst. 2. Carthusian. quæst. 1. colum. penul. & vltima. Aureolus art. 1. propos. 2. Argentina quæst. vnica art. 2. Marsil. q. 35. art. 1. propos. 5. Vazquez disp. 152. cap. 2. & alij recentiores. Ratio est, quoniam Spiritus sanctus est terminus simpliciter requisitus ad amorem, quo diliguntur creaturæ: quemadmodum in simili dictum est ad arg. præced.

9 Veruntamen Scotus in fine prædictæ quæst. 2. notat, non eodem modo creaturas diligi Spiritu sancto, sicut diligitur Pater & Filius: significat autem impropriam esse hanc locutionem. Quod clariùs expressit Canarien. in præsenti a. 2. §. vltimo. Ad quos prope accessit Suarez lib. de Trinit. cap. 3. fine. Fundamentum illorum est, quoniam Spiritus sanctus, & illius productio non habent intrinsecum ordinem ad creaturas dilectas, neque enim procedit per amorem illarum. Cui respond. negando antecedens. Quin potius Spiritus sanctus sua personali quidditate habet intrinsecum ordinem transcendentalem ad creaturas, tanquam procedens per amorem illarum: supra disput. 63. sect. 5.

10 Notandum est denique, Spiritu sancto diligi, non tantum amore complacentiæ creaturas vt possibiles; sed etiam amore efficaci creaturas actu existentes; quoniam per vtrumque amorem procedit Spiritus sanctus licet per vnum simpliciter, per alium verò quodammodo & ex suppositione; vt in eadem disp. 63. sect. 5. probatum est.

11 *Ad sextum.*

Ad sextum respond. Nihil interest, Spiritum sanctum esse vel non esse propriè causam: sufficit enim posse significari per modum causæ formalis, efficientis personas amantes: idque possit ex eo, quod est terminus simpliciter necessarius ad operationem amandi; vt dictum est tota sect. 2.

Ad septimũ.

Ad septimum respond. In illo syllogismo non variatur appellatio: semper enim tam in antecedente, quàm in consequente *diligere* siue *amare*, sicut & *amor*, notionaliter accipitur: ac si Augustinus dixisset: Pater & Filius se notionaliter diligunt amore spirato.

Ad octauum.

Ad octauum. Amor quilibet creatus aut increatus, quandiu durat, tandiu semper producitur ab amante.

12 Ad nonum respond. Per amorem, quem Deus se solo produceret in angelo vel homine, non diligeret angelus nec homo, aut certè non ea proprietate & significatione verborum, qua dicimur diligere, qui producimus effectiuè nostrum amorem. Præterea Deus non diligeret per amorem creatum, quem se solo produceret; quia vitalis productio requiritur, vt illius principium constituatur amans.

13 *Ad decimũ.*

Ad decimum negatur antecedens: quin potius dicere est producere Verbum, vt ostensum est disp. 60. Ad alterum exemplum respond. Parum refert vtrum propria vel impropria sit illa locutio: *Arbor floret floribus.* Hæc enim est dissimilis nostræ propositioni; quia *florere* non est verbum actium, postulans accusatiuum obiectorum: quemadmodum de verbis amandi atque dicendi, vidimus sect. 2.

SECTIO IV.

Pater non est sapiens sapientia genita.

1 *Affirmare videtur Athanas. & alij.*

Quod eam ipse genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam, de Patre loquens scripserat August. lib. 83. qq. quæst. 23. & quantum coniicere possum, hauserat hoc ex Patribus Græcis, qui valde insinuant eandem propositionem adeo, vt parum absit, ne manifestè dicant. Athanas. orat. 3. contra Arianos propius ad principium, quàm ad medium. *Quomodo*, inquit, *Pater per Verbum omnia condiderit, si non sit Verbum Patri suo, sua ipsius sapientia?* Vnde propius ad med. quàm ad princip. ex Arianorum blasphemia, negante Verbum coæternum Patri, docet inferri, Patrem esse *irrationalem, hoc est, sine ratione & Verbo, & insipientem esse.* Quod idem inconueniens deducit sequente orat. 2. inter princip. & medium. Et oratione contra Gregales Sabellij propius ad medium quàm ad princip. ait: *sapientia Patris est Filius, non ita vt in homine, vbi per sapientiam homo fit sapiens: sed ex sapiente sapientia ista ortum trahit.*

2 Nazianzen. orat. 49. de fide, propius ad medium quàm ad fin. *Ideo*, inquit, *sapientia appellatur, vt nunquam Pater sine sapientia, hoc est, sine Filio esse credatur.* Basilius lib. 2. contra Eunom. prope medium eos, qui dicebant, Filium non fuisse ab æterno, ita redarguit: *Quam absurdum est ergo dicere, maiestatem Dei non habere splendorem, vel sapientiam Dei?* Et lib. 4. in medio. *Si Christus Dei virtus & sapientia est: hæc autem increata & coæterna Deo (non enim erat, quando erat insipiens & absque virtute) increatus & coæternus Christus est Deo.* Epiphan. hæresi 67. in medio, de Filio sic loquitur: *Vita ex vita, lumen ex lumine, sapientia ex sapiente.* Quibus similia scripsit Greg. Nyssenus orat. catechet. cap. 5. sub initium, & epist. contra Apollinarem de imag. & similitudine ferè inter medium & fin. Plura ex eisdem aliisque Patribus retulimus disput. 29. sect. 3. & disput. 58. sect. 4. Vbi notauimus etiam fundamentum ex Prouerbiorum 8. & Ecclesiastici 24. & 1. Corinth. 1.

3 *Explicantur ij Patres.*

Veruntamen prædicti Patres nihil amplius intendunt, quàm docere, bonam esse illationem, per quam ex eo, quod Verbum non extiterit ab æterno, colligitur, Patrem non fuisse sapientem ab æterno ac defuisse illi non modò sapientiam genitam, quæ est persona Verbi, sed etiam essentialem & absolutam sapientiam. Hæc enim non est possibilis Deo, nisi terminetur ad Verbum realiter productum, tanquam ad expressam imaginem obiecti: sicut nec in creaturis est possibilis intellectio sine verbo producto. Patres itaque non intendebant asserere; Deum formaliter constitui sapientem diuino Verbo, tanquam ratione formali.

4 *August. retractauit.*

August. autem priorem illam propositionem retractauit lib. 1. retract. cap. 26. inter princ. & medium remittens ad libros de Trinit. in quibus lib. 6. cap. 1. & 2. cæpit præsentem quæst. disputare, cuius decisionem tradit sequent. lib. 7. cap. 1. ad fin. Vbi ex eo quod Deus sit summè simplex essentia, cui hoc idem sit esse quod sapere, deducit, Patrem sua ipsius essentia formaliter constitui sapientem, & non constitui per sapientiam genitam, realiter distinctam à Patre; ne Filius sit causa, vt Pater sit sapiens, & consequenter vt simpliciter existat: siquidem illi non est aliud esse quàm sapere. Quod idem confirmat paulo inferius cap. 3. nec non lib. 15. de Trinit. cap. 6. parum à princip. & cap. 7. prope medium. Augustini doctrinam sequitur Magister 1. distinct. 32. Vbi communiter Scholastici, Alexand. 1. part. quæst. 67. memb. 3. art. 2. §. 3. & 4. Albert. 1. part. quæst. 35. memb. 3. artic. 3. & magis ex professo quæst. 50. memb. 2. & 3. S. Thom. præsen. quæst. 37. art. 2. ad 1. sed fusiùs 1. sent. distinctione 32. quæst. 2. art. 1. & 2. S. Bonauent. art. 2. quæst. 1. & 2. Ricard. Similiter art. 2. quæst. 1. & 2. Scot. quæst. 2. §. *ad 2. quæst.* Ocham & Gabriel quæst. 1. Durand. quæst. 2. Maior quæst. vnica sub initium. Aureol. art. 2. & 3. Carthusianus quæst. 3. & 4. Capreol. quæstione vnica artic. 2. Caietan. & communiter expositores in præsenti artic. 2. Vazquez disput. 151. capit. vltimo. Suarez lib. 9. cap. 10.

5 *Prima obiectio.*

Aduersus eandem doctrinam prima obiectio est, quoniam Pater diligit Spiritu sancto: ergo Pater est sapiens sapientia genita. Videtur enim eadem esse ratio verificãdi propositionem vtramque. *Solutio.* Respondetur. Initio præcedentis sectionis explicatum est discrimen vtriusque propositionis, quia nomen *sapiens* aut *intelligens* nunquam apud Theologos accipitur notionaliter, ita vt de formali significet operationem dicendi, aut verbum tanquam formam: suppetit enim copia vocabulorum, ne cogatur vnum vocabulum plures sustinere significationes. Cum igitur *sapiens* sit nomen essentiale & adiectiuum, quando subiungitur ei ablatiuus, significatur causalitas formalis, ita vt Pater constituatur sapiens formaliter per sapientiam genitam. Hoc autem est impossibile, quia Pater per suam simplicissimam naturam, & non per aliam personam realiter distinctam constituitur essentialiter sapiens, vt nuper docebat Augustinus. Ast econtrario propter inopiam vocabulorum *amandi* verba sumuntur non tantum essentialiter, sed etiam notionaliter, in qua acceptione præter accusatiuum obiectorum, amant ablatiuum termini producti: sicut probatum est sect. 2. & 3.

6 *Secunda obiectio.*

Secunda obiectio est, quia Pater est sapiens aliqua sapientia: ergo sapientia genita vel ingenita. Sed non est sapiens sapientia ingenita (quia ingenitum significat relationem Paternitatis, vt vidimus disput. 52. & 53. huic verò relationi non appropriatur sapientia sicut *Filio.*) Ergo Pater est sapiens sapientia genita. *Solutio.* Respond. *Ingeniti* nomen potest accipi pro quacumque formalitate non genita: sicque Pater est sapiens sapientia ingenita, videlicet essentia sua, quæ non est genita. Cæterum *in rigore* nomen *ingeniti* significat proprietatem personalem Patris, vt probatum est in vtraque disput. 52. & 53. At verò Pater non constituitur essentialiter sapiens sua proprietate personali

personali Paternitatis, sed absoluta & naturalis substantia.

7 *Tertia obiectio.* Tertia difficultas non dissimilis præcedenti. Videtur saltem Filium esse sapientem sapientia genita, quoniam est sapiens per se ipsum, & non per aliquid aliud à se: ipse autem est sapientia genitá. *Solutio.* Respond. Propriè loquendo, Filius nec est sapiens sapientia genita, nec est sapiens sapientia ingenita: sed est sapiens essentiali sapientia eadem omnino, qua Pater est sapiens, quemadmodum in præcedentibus dictum est de Patre. Ita Magister 1. distinct. 32. cap. *post hæc.* Vbi S. Thom. quæst. 2. art. 2. fusius explicat varios sensus & modos verificandi prædictas propositiones, sicut & Bonauent. dub. literali 3. Ricard. artic. 2. quæst. 2. Scot. Durand. Ocham. Gabri. Aureol. Carthusian. Maior. & alij locis suprà citatis.

8 *Obiectio quarta.* Obiicitur quartò, quia illa sapientia quis sapiens dicitur, in qua videt ea, quæ ipse cognoscit. Sed Pater in Filio videt omnia, quæ cognoscit, vt docet August. lib. 15. de Trinit. cap. 14. parum à princip. Ergo Pater est sapiens suo Verbo siue Filio, proindéque sapiens est sapientia genita. Confirmatur. Nam omnis artifex est sapiens arte sua. Filius autem est ars quædam omnipotentis & sapientis Dei, vbi omnia nouit, teste August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. paulo post princip.

9 *Solutio.* Ad argumentum respond. Maiorem esse absolutè falsam. Aliud est enim *sapientia videre* siue *cognoscere*, aliud est *in sapientia*. Discrimen ergo constituitur per illam propositionem *in*, additam ablatiuo, vel non additam. Hæc enim propositio simpliciter potest concedi: Pater in sapientia genita, siue in Verbo cognoscit, intelligit, aut sapit, sicut in imagine perfectissimè repræsentante Patrem, & continente idæas omnium creaturarum; vt cum August. citato docent communiter Scholastici dist. 39. cap. 1. S. Thom. S. Bonauent. Ricard. & alij supra citati. At verò sine propositione *in*, falsum est dicere: Pater cognoscit, videt, intelligit, aut sapit, Verbo seu sapientia genita, quia tunc significatur ratio formalis constitutiua sapientis. Fateor tamen impropria quadam significatione verificari posse, quatenus Verbum est terminus simpliciter necessarius, sine quo non foret possibilis sapientia siue intellectio essentialis. Ad confirmationem respond. Filius est ars quædam eodem modo, quo est sapientia Dei, videlicet, tanquam terminus productus per sapientiam & artem essentialem, sed non ita vt sint formaliter idem Filius & ars siue sapientia essentialis.

10 *Quinta difficultas.* Quintò prædictarum solutionum occasione nonnulli recentiores inferunt, concedi posse propositionem hanc: *Spiritus sanctus cognoscit omnia in Verbo*, quia Verbum quæcumque repræsentat, cuicumque personæ, videnti Deum, repræsentat. Cæterum hoc verificari potest inferiori quodam proprietatis gradu. Nam altior proprietas est, qua Pater dicitur intelligere in Verbo: quoniam Verbum terminat intellectionem diuinam, quatenus est intellectio Patris, non quatenus est intellectio Spiritus sancti.

11 *Sexta difficultas.* Sextò minus propriè dicitur: Pater & Filius omnia cognoscunt in Spiritu sancto: quia quamuis Spiritus sanctus sit obiectum ex se sufficiens, vt eo comprehenso, comprehendantur omnia diuina, cum quibus habet quidditatiuam connexionem realis identitatis aut originis, & consequenter comprehendantur omnia creata: Cæterum Spiritus sanctus secundum suam formalissimam rationem non terminat cognitionem diuinam, tanquam expressa similitudo obiecti.

SECTIO V.

Pater non est potens potentia genita, nec est sanctus sanctitate spirata.

1 QVantum ad prius membrum, ratio dubitandi duplex est. Prima, quoniam Christus est Dei virtus & Dei sapientia 1. Corinth. 1. appellatur etiam frequenter alibi brachium & dextera Patris, quæ omnia significant, Filium esse potentiam Patris. At vnusquisque potens est sua potentia. Secunda, nam in Deo idem est potentia & operatio: sed Pater operatur per Filium: ergo per Filium habet potentiam, & est potens.

2 *Non est potès potentia genita.* Nihilominus sit prima conclusio. Simpliciter falsa locutio est: *Pater est potens potentia genita*: & magis impropria, quàm propositiones aliæ, refutatæ in sect. præcedenti. Ita docet S. Bonauent. dist. 31. art. 2. quæst. 2. corp. Vbi Ricard. artic. 2. quæst. 1. ad 5. Carthus. tota quæst. 4. Ratio est quia Pater constituitur potens per suam essentiam formaliter, & non per aliquam personam realiter distinctam à sua: cum in eo idem sit esse potentem, quod simpliciter esse: quemadmodum in simili de sapientia dicebamus sect. præcedenti. Confirmatur primò, explicata ratione maioris improprietatis, eo quod potentia non appropriatur Filio (sicut sapientia) sed potius appropriatur Patri: ergo maior est repugnantia, vt Pater dicatur potens potentia genita, quàm vt dicatur sapiens sapientia genita. Confirmatur secundò, quia Filius genitus est originis ordine & consideratione nostra posterior, quàm potentia generandi, quæ est primaria & summa potentia. Ergo Pater intelligitur esse potens prius ratione, quàm sit genitus Filius: ac subinde non est potens potentia genita.

3 *Ad primum.* Ad primam rationem dubitandi respond. Vnusquisque potens est potentia sibi essentiali, potius quàm potentia realiter ab ipso producta. Filius autem non est potentia essentialis Patri, sed realiter ab illo producta. Imo non ita de formali, sed multo magis de materiali Filius importat potentiam, quàm sapientiam: vt fusiùs probatum est disput. 58. tota sect. 5. præsertim assert. 4. *Ad secundù.* Ad secundum respond. Operatio immanens & essentialis est idem quod potentia: sed non operatio transiens in creaturas, nec operatio notionalis. Propterea non sequitur, quod Pater sit potens per Filium, licet omnes creaturas faciat per Filium & per eundem spiret Spiritum sanctum. Ratio est, quia Filius habet rationem principij simul cum Patre ad spirandum Spiritum sanctum, & faciendas creaturas, non tamen habet rationem principij ad constituendum Patrem in ratione potentis.

4 *Esse sanctum sanctitate spirata significant aliqui.* Circa posterius membrum aliqui Patres significare videntur, Patrem esse sanctum sanctitate spirata. Nazianzen. enim orat. 37. quæ est 5. de Theologia colum. 2. num. 10. ait: *Quæ imperfectæ Trinitatis vtilitas? imo quæ Deitas, si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid*

aliquid desideretur? desideratur enim si sanctitate careat. Hanc porrò quomodo habere queat, nisi Spiritum habeat? Si enim alia quædam præter illum sanctitas est, quæ tandem illa intelligenda sit, dicat quispiam; aut siquidem eadem hæc est, quid afferri potest, quamobrem non iam inde à principio fuerit? Quasi verò præstiterit Deo, aliquando imperfectum extitisse, ac Spiritus expertem. Videtur itaque supponere Deitatis ac totius Trinitatis sanctitatem esse Spiritum sanctum, sine quo non esset sancta. Basilius lib. 3. contra Eunom. pag. 2. *Spiritus natura sanctitas est.* & lib. 5. cap. 8. sub init. ait: *sanctitatis Dei character est.*

5 August. lib. 10. de Ciuit. cap. 24. ad medium. *Spiritus sanctus*, inquit, *est sanctitas amborum.* & sequenti lib. 11. cap. 24. prope medium. *Vtrum autem boni Patris & boni Filij, Spiritus sanctus, quia communis ambobus est, rectè bonitas dici possit amborum, non audeo temerariam præcipitare sententiam. Veruntamen amborum eum dicere sanctitatem facilius ausus fuero, non amborum quasi qualitatem, sed ipsum quoque substantiam, & tertiam in Trinitate personam. Ad hoc enim me probabilius ducit, quod cum sit & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater sanctus, & Filius sanctus, propriè tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas substantialis & consubstantialis amborum.* Similiter Isidorus lib. 7. etymolog. cap. 3. §. 1. fine. *Propriè tamen*, ait, *ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas coëssentialis & consubstantialis amborum.* Cui consonat Nazianz. orat. 23. in laudem Heronis prope finem dicens, Spiritum sanctum *esse sanctitatem ipsam.*

6 *Non est sanctus sanctitate spirata.* Nihilominus sit secunda conclusio. Nec Pater nec Filius est sanctus sanctitate spirata propriè loquendo. Probatur, quoniam essentiali sanctitate constituitur sanctus, non expectans personam realiter distinctam, qua constituatur sanctus, quemadmodum de sapientia & potentia probatum est sectionibus præcedentibus. Confirmatur, nam ea de causa non modo tertia persona, sed etiam Pater & Filius est sanctus & Spiritus: vt ex sacris literis & Patribus probatum est disp. 65. sect. 2.

7 *Appropriatur sanctitas.* Tertia conclusio. Peculiaris aliqua ratio est propter quam tertiæ personæ sanctitas appropriatur; quoniam procedit per amorem, in quo potissimum consistit sanctitas, honestas & puritas. vt vidimus disput. 65. sect. 4. prope fin. Quam ob causam potest aliquo modo, licet inusitato, concedi, Patrem esse sanctum sanctitate spirata, ad eum modum, quo supra sect. 2. & 3. conceditur, Patrem & Filium diligere Spiritu sancto. Idque probant ad summum testimonia Patrum. Vnde respond. ad rationem dubitandi, Patres illos solummodo significasse Spiritum sanctum peculiari quadam appropriatione sanctum esse & sanctitatem ipsam; quia est terminus simpliciter necessarius, sine quo non posset existere dilectio essentialis, in qua potissima sanctitas consistit.

QVÆSTIO XXXVIII.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum.

ARTICVLVS I.

Vtrum donum sit nomen personale.

ARTICVLVS II.

Vtrum donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

DISPVTATIO LXXV.

Vtrum Spiritus sanctus sit donum propriè ratione suæ proprietatis personalis.

SECTIO I.

Conclusio affirmatiua probatur esse certa.

1 SPIRITVM sanctum esse donum, etiam illius hostes agnoscunt, inde sumentes arma contra Diuinitatem illius. Quibus aliquando Patres, concedere videntur, rationem doni esse sordidam & abiectam, creaturarum propriam, & indignam excellentia Deitatis: vt referemus sect. sequenti. Inter Catholicos autem vnus Durandus 1. dist. 18. quæst. 1. num. 6. & sequent. existimauit, rationem doni Deo conuenire solummodo respectu creaturarum & æquè propriè competere cuilibet personæ diuinæ, vel etiam essentiæ & attributis. Quia nihil diuinum datur creaturæ, nisi vt habeatur ab ea tanquam obiectum cognitum & amatum, & tanquam specialis rector: hoc autem modo creaturæ datur essentia diuina non minus, quàm persona: nec minus Pater & Filius, quàm Spiritus sanctus. Fauent nonnulli Patres, aduersus hæreticos respondentes, rationem doni non tantum Spiritui sancto, sed etiam Filio, imo & Patri conuenire. Verumtamen his, aliisque difficultatibus satisfaciunt sectiones sequentes. *Semetria Durandi erronea.*

2 Durandi sententiam ex professo redarguit Aureol. dist. 18. art. 1. post medium. Et Carthusian. quæst. 2. post med. dicens, esse multipliciter erroneam, imo sibi ipsi repugnantem & implicantem. Nec mirum, procedit enim ex alio errore magis aperto negandi, processiones diuinas esse operationes intellectionis & volitionis: quem impugnauimus tota disp. 2.

3 *Donum verè & propriè est Spiritus sanctus.* Sit igitur vnica conclusio. Spiritus sanctus non metaphoricè, nec improprié, sed verè & propriè donum est ratione suæ personalis relationis. Probatur ex Patribus. Nazianzen. orat. 37. quæ est 5. de Theolog. colum. penult. num. 72. plures Scripturæ locutiones de Spiritu sancto sic interpretatur: *Quæcumque humiliora dicuntur, velut quod detur, mittatur, distribuatur, charisma etiam, donum, insufflatio, pollicitatio, intercessio, ac si quid aliud huiusmodi, ne singula commemorem, ad primam causam referri debent, vt, ex quo sit, ostendatur,*

datur, ac non tria principia diuisa, proindeq; plures dij admittantur. Ergo donum est relatiuum, ostendens, ex quo sit Spiritus sanctus, propterea-que denotat relationem originis, quæ personalis est.

4 Basilius lib. 5. contra Eunom. cap.7. de Spiritu sancto ait: *Quomodo clamabit in te, Abba Pater, nisi donum verè à Filio sit, non possessio eius?* Obserua præpositionem, *à*, per quam sicut denotatur processio à Filio, sic etiam probatur, donum esse personale. Chrysostom. tomo 3. serm. 2. in Pentecostem inter medium & fin. *Spiritus*, inquit, *Deus nostris fidelium spiritibus vnitus est, fraterno modo. Hoc donum est, quod nobis solis Deus dedit, qui in Christum credimus.* Rursus in Ioan.cap.16.hom. 77. circa med. Spiritum sanctum appellat *donum.* & Ephes.1. homil.2. prope morale, *Qui verè sunt* inquit, *Spiritus participes, sciunt, eum esse arrham hæreditatis.* Hæc igitur tanquam propria tertiæ personæ proposuit Chrysost.

5 Athanas. orat.1. contra Arianos ait: *Donatio sancti Spiritus.* Et sequenti orat. 2. inter medium & fin. *Per quem & à quo conueniens erat Spiritum sanctum donari, nisi per Filium, cuius Spiritus est.* Et infra: *Donator ille Spiritus Verbum.* & orat. 3. contra Arianos inter princ. & medium. *Datorem Spiritus, quia Verbum Dei est.* Cyrillus Alex. frequenter docet, Spiritum sanctum *per Filium dari*, siue *donari*, siue *concedi*, & *eius participatione fideles sanctificari.* Præsertim in thesauro lib.13. & 14. & in expositione Symboli Nicæni colum. vltima. Ambros. lib.1. in Symbol. Apost.cap.1. Spiritum sanctum appellat *munus.* Quemadmodum & Hilarius *donum* & *munus* vocat multoties lib. 2. de Trinit. præsertim prope init. & duabus postremis columnis.

6 Cæterum in hac re copiosior & luculentior est August. qui lib.4. de Trinit. cap. 20. propius ad med. quàm ad fin. ait: *Sicut Spiritui sancto donum Dei esse est à Patre procedere; ita mitti est cognosci quod ab illo procedat.* Vbi August. non intelligit, quamcumque processionem esse rationem doni, sed peculiarem processionem, per quam Spiritus sanctus procedit *vt datus*, non *vt natus*: quemadmodum ipse notat in sequenti lib. 5. cap. 14. ante medium. Qui rursus in eodem lib.5.cap.11. circa med. *Spiritus*, inquit, *sanctus relatiuè dicitur, cum & ad Patrem & ad Filium refertur, quia Spiritus sanctus & Patris & Filij Spiritus est, sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem cum dicitur, donum Dei. Donum est enim Patris & Filij, quia & à Patre procedit, sicut Dominus dicit, & quod* Roman. 8. *Apostolus, ait, qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius: de ipso vtique sancto Spiritu ait. Donum ergo donatoris, & donator doni, cum dicimus relatiuè, vtrumque ad inuicem dicimus.*

7 Et lib.7. de Trinit. cap.4. prope med. *Spiritus*, inquit, *sanctus propria significatione, qua etiam donum Dei dicitur, nec Pater nec Filius est.* & cap.6. propius ad med. quàm ad fin. *Ad alterutrum*, ait, *singula dicuntur, sicut Verbum, quod non dicitur, nisi Filius; aut donum, quod non dicitur, nisi Spiritus sanctus.* Præterea lib.15. cap. 17. circa med. *sic Pater Filium genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus sanctus Spiritus esset amborum.* Fusius autem sequenti cap. 18. & 19. probat, Spiritum sanctum esse donum propriè ac personaliter. Similia scripsit lib.1. de fide & symbolo c.9. post med. & serm.38. de tempore col. 3. Quem imitatur Alcuinus lib.1. de Trinit. cap. 5. fin, & Hugo Ætherianus lib.3. contra Græcos cap.3.

8 Isidorus lib.7. Etymol. cap. 3. à med. ait: *Spiritus sanctus ideo donum dicitur, eo quod datur. A dando enim donum est nuncupatum.* Et paulo inferius: *Nullum maius est donum Dei, quàm Spiritus sanctus.* Bernard. serm.3.in Pentecost.inter princ. & med. *Tanquam propriè sanctus*, inquit, *quod sit donum Patris & Filij, omnem sanctificans creaturam.* Ecclesia tandem canit in hymno: *Qui Paracletus diceris, Donum Dei altissimi.*

9 Clariùs conclusionem docent omnes Scholastici. Magister 1. dist.18. Vbi S.Thom. quæst.1. art.1. & 2. & in præsent.q.38.art.2. Alexand.1.p. q.64.memb.1.Albert.1.q.36.memb.2.fin. & q.32. memb.3. S.Bonauent.1 dist.18. art. vnico q.4. & 5. Vbi Ricard.art.vnico q.1.& 2. Heruæus quodlib.6. q.7. apud Aureolum infra citandum. Ægidius, Guillelmus Altisiodorensis, Guillel.Parisien. Vdalricus & alij, quorum verba refert Carthusian. dist.18. q.1. & ipse magis ad rem præsentem decernit q.2. Aureol. art.2. propos.2. & 3. (Quidquid referat Capreol.) Argent.q.vnica art.1.& 2. Ocham. & Gabriel art.3. Maior q. vnica concl.2. Henricus 2.p. art.61. quæst.8. Marsil. lib.1. q.21. art.1. concluf.5. & art.3. dub. 3. Capreolus dist. 18. quæst. vnica. Caietan. ac cæteri expositores ad præsentem articulum 2. Denique licet Scholastici mira varietate dissentiant, quantum ad explicationem eiusdem conclusionis: nemo tamen probatæ doctrinæ recedit ab illa. Scotus enim dist.17. post quæst. 2. colum. antepen. cum respondet ad argumenta principalia, licet non satis expresè consentiat, minime cõtradicit, & dist. 18. quidam codices habent quæstionem, quæ in aliis codicibus ponitur inter reportata libri 1. sententiarum & in ea quæst. per anfractus & obscurè probat conclusionem præsentem, maximè dum respondet ad tertium.

10 Fundamentum eidem conclusioni præbet Scriptura sacra præsertim Ioan.4. *Si scires donum Dei.* *Fundamentũ in sacra Scriptura.* Agebat autem Christus Dominus de aqua viua, quam 7. cap. Ioannes interpretatur, esse Spiritum sanctum, illis verbis: *Flumina de ventre eius fluent aqua viua: hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Vnde Spiritum sanctum esse donum, valide probat August. lib.15.de Trinit. cap.19. Breuius autem Spiritum sanctum esse donum, Samaritanæ oblatum Ioan.4. docet Athanasius lib. de humana natura susceptra inter princ. & med.

11 Nec obstat expositio Cyrilli lib.2.in Ioan.c.82. intelligentis dona creata: nam hæc tunc dantur, quãdo Spiritus sanctus donatur. Atque ita Chrysost. in illud caput 4.hom.30. longè post med. solummodo tangens *donum Dei*, sed magis explicans sequent.hom.31. initio, videtur intelligere ipsam personam Spiritus sancti; *Non enim*, ait, *Spiritus ex differentibus constat substantijs.* Notat itaque appellationes contrarias ignis & aquæ Spiritui sancto conuenire, non pro varietate substantiæ, sed pro varietate operationis. Adde illud Actor. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus sancti.* & cap. 8. *Donum Dei existimasti pecunia possideri.* Hoc autem dixit Petrus, quando Simon videns, *quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam.* Colligitur etiam ex variis locis Scripturæ, in quibus *dandus*, aut *datus* scribitur Spiritus sanctus, vt Ioan.14. *Alium Paracletum dabit vobis.* Rom.5. *Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 2. Corinth. cap.1. & 5. *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Ratione

12 *Quid sit donum.* Ratione probatur à priori, supponendo primò quod Aristoteles docet Topicorum lib. 4. cap.4. post med.loco 50. *Donum alicuius & alicui dicitur, & datio alicuius & alicui dicitur. Est autem datio genus doni: nam donum datio est irreddibilis.* Pondera primò duplicem relationem doni, videlicet, ad personam dantem, & ad recipientem. Secundo vox illa, *irreddibilis*, significat donari sine retributionis intuitu, vt explicant S.Tho. & cæteri Scholastici supra citati. Hanc esse propriam quidditatem doni clariùs exprimitur lege *donari* ff. de donationibus, & alia lege *donari* ff. de regulis iuris: *Donari videtur quod nullo iure cogente conceditur.* Cui consonat ius Pontificium cap. 1. de donationibus. Inde sumpta est Azonis & Hostiensis definitio: *Donatio est rei licitæ, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio.* Quod magis explicatur lege *Aquilius* ff. de donation. illis præsertim verbis: *Non meram donationem esse, verum officium magistri quadam mercede remuneratum.* Consonat caput *per tuas*, de donationibus.

13 Quamobrem Lactantius lib. 6. diuinarum institutionum cap.12. *Beneficium*, inquit, *si refertur, interit, atque finitur; nec enim possumus id habere integrum, cuius pretium nobis persolutum est.* Si enim datur aliquod ob timorem, ad euitandum imminens malum, est redemptio: si detur ob spem & cupiditatem obtinendi bonum aliquod, est quæstus, ac veluti venditio. Vterque igitur intuitus abesse debet, vt sit mera donatio.

14 Propterea Christus Dominus Luc. cap.6.vers. 35. & cap. 14. vers. 12. fideles hortatur, vt liberalem donationem pro viribus imitẽtur: *Benefacite*, ait, *nihil inde sperantes* & iterum: *Beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Hæc scilicet ratio constituet eleemosynã in quidditate doni tantæ perfectionis, quanta potest ab homine donari. Sed ab homine nihil potest habere perfectam rationem doni; solus enim Deus est, qui debet omnino, nulli, cui nemo potest vtilitatem afferre; quapropter à nemine prorsus retributionem potest accipere, donátque mera causa exercendæ liberalitatis, & misericordiæ. *Nulla*, denique, *datio est merè liberalis*, nisi Dei, & operatio ipsius, vt scripsit Auicenna tract. 5. Metaphys. cap. 4. apud S.Thom.dist.18. quæst.1. art.3.corp. Imo etiam naturalia dona, quæ tribuuntur à Deo, non habent perfectissimã rationem doni: quia quodammodo debentur. Sola igitur gratia supernaturalis est donum perfectissimo gradu; cuius supremus apex est ipse Spiritus sanctus, qui summopere indebitus est angelis & hominibus, & summopere distat à spe & intuitu retributionis. Fusius hæc probauimus lib. 1. de quidditate & partitionibus gratiæ tota disput.2.

15 Secundò supponendum est, Spiritum sanctum posse donari à suo principio, à quo procedit. Quælibet enim persona procedens donari potest à suo principio productiuo, vt aliquo modo possideatur à creaturis. Cæterum id peculiari proprietate Spiritui sancto conuenire, sequens ratio probat.

16 His suppositis, ratio conclusionis est, quia liberalis & gratuitæ donationis prima radix est amor. Ideo namque donamus gratis, quia volumus bonum accipienti personæ. Quapropter amor habet rationem primi doni, per quod omnia gratuita donantur: vt magis explicabitur sectionibus sequentibus. Cum igitur Spiritus sanctus ex vi suæ processionis formaliter, procedat vt amor, productus per voluntatem (supra disput. 73. &

74.) consequens est, Spiritui sancto ratione suæ proprietatis personalis conuenire peculiarem aliquam, & magis rigorosam formalitatem doni: quoniam ex vi suæ processionis formaliter procedit secundum primam radicem liberalitatis gratuitæ.

Rationem aliam, ex eodem principio deductam, attulit Ricard.Victor.li.6.de Trinit.cap.14. 17 quia, nimirum, Spiritus sanctus differt à Patre, in eo quod in Patre amor est prorsus indebitus & gratuitus: in Filio amor est simul erga Patrem debitus, & erga Spiritum sanctum gratuitus: at verò Spiritus sanctus est amor omnino debitus. In quãtum igitur authori nostro debitum amorem reddimus, in tantum pro certo Spiritus sancti proprietati configuramur. Ad hoc enim homini datur, vt illi in quantum sibi possibile est configuretur. Verba sunt Ricardi, licet breuitatis causa resecata sint multa.

SECTIO II.

Quæ videbantur probare, tribus personis esse communem rationem doni, vel repugnare diuinæ perfectioni.

PRima difficultas est, quia Filius est etiam donum: siquidem gratis ac merè liberaliter à Patre datus est nobis, iuxta illud Isaiæ 9. *Filius datus est nobis.* & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Confirmatur, nam hæreticis oppugnantibus diuinitatẽ Spiritus sancti eo nomine, quoniam donum est, solebant respondere Patres, etiam Filium esse donum: nec propterea Diuinitate priuari. Sic Basil.lib.vnico de Spiritu sancto cap.24. versus finem: *In nobis* inquiunt, (Aërius & sequaces) *Spiritus est tãquam donum Dei. At donum nequaquam ijsdem honoribus afficitur, quibus is qui dedit.* Respondet autem Basilius, esse *donum vitæ, & donum potentiæ.* Subiungitque, non esse contemnendum Spiritum sanctũ eo quod sit donum. Nam & Deus *Filium suum vnigenitum dedit, & cum illo omnia nobis donauit,* Rom.8. Quibus similia sunt quæ breuiùs & obscuriùs attigit Athanas. lib. de communi essentia Patris, Filij & Spiritus sancti propius ad fin. quàm ad med. §. *nos autem.* *An Filius sit donum.* 1

Ambros.lib.1. de Spiritu sancto cap.5.sub init. 2 vt probet, Spiritum sanctũ non aliter esse datum, nisi quemadmodum datus est Filius, adducit illud Luc. 11. *Quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se.* Item Ephes.4.& Psal. 67. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit data hominibus. Et benè data. Sicut enim Filius datus, de quo scriptum est: Puer natus est nobis; &* Esaiæ 9. *Filius datus est nobis: data est & gratia spiritualis. Quid autem dubitem dicere, quia datus est & Spiritus sanctus, cum scriptum sit: Charitas Dei diffusa est in* Rom.5. *cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis?* Similiter lib.3.de Spiritu sancto cap.1. multis testimoniis probat, *datum esse Filium & datum esse Spiritum sanctum.* Sicut vterque missus est: æquiparat enim dari & mitti.

Respond. Filius est datus à Patre, tanquam à 3 suo principio productiuo; propterea que potest *Filius est donum laxiori acceptione.* appellari donum laxiori quadam acceptione vocabuli, iuxta quam non exigit esse primam radicem liberalis & gratuitæ donationis: quin potius quasi principium, mouens ad donandum Filium, est amor, per quem procedit Spiritus sanctus, secundum prædicta verba Christi Domini:

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret: Hoc igitur argumento corroboratur magis ratio conclusionis, posita in sect. præced. quoniam Filius non ab intrinseca quidditate suæ processionis, sed extrinseca denominatione ab amore liberali, cuius terminus est Spiritus sanctus, accipit quasi deriuatam & retro actam rationem doni: Propterea quippe donari potest Filius, quia possibilis est amor liberalis & gratuitus illum donandi. Hæc igitur solutio, quantum ad modum loquendi, magis consonat Patribus citatis, & S. Thomæ in præsenti art. 2. ad 1. aliisque Scholasticis. Nihil autem à prædicta solutione dissentit modus loquendi aliorũ, qui respondent, Filium esse datum, sed non esse donum: quæ distinctio fundamentum habet in August. & verbis illius, quæ ponderat Magister 1. distin. 18. à princ. Atque ita respondet S. Bonauent. dist. 18. art. vnico q. 4. corp. Vbi S. Thom. quæst. 1. art. 2. corp. & ad 1. Ricard. art. vnico q. 1. corpore & ad 2.

4 *An Pater sit donum.*

Secunda difficultas, nam & Pater etiam æternus vocatur donum; vt ponderat Athanas. lib. de natura humana susceptа paulo post med. probátque Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* & Psalm. 141. *Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.* Et Ierem. 10. post med. *Non est his similis pars Iacob: qui enim formauit omnia, ipse est*, videlicet pars Iacob. Eisdem testimoniis iterum id probat lib. de communi essentia Patris, Filij & Spiritus sancti propius ad med. quàm ad fin. §. *scriptum est.* Confirmatur primò, quia persona diuina datur secundum habitationem gratiæ: at verò Pater etiam per gratiã inhabitat in anima iustificata Ioan. 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ergo tunc Pater seipsum dat animæ iustæ. Confirmatur secundò, quia quæcumque persona fuerit omnino libera suique domina, potest donare seipsam eo modo, quo potest ab alia persona possideri.

5 Auget autem difficultatem tertiam, quod Hilarius li. 8. de Trinit. circa med. & paulo post med. dicit, essentiam diuinam esse donum, quod Pater dat Filio, iuxta id Ioan. 10. *Pater quod dedit mihi maius omnibus est.* Et alio modo per participationem Deus nobis dat suam essentiam, & omnia sua attributa, quæ donatio sufficienter intelligitur nulla intellecta distinctione personarum.

6 *Impropriissimè donum est Pater.*

Respond. Pater appellatur donũ, impropriissima acceptione, nimisq; laxata significatione, quoniam Pater non est alicuius per modum identitatis, nec per modum originis, nec est quidditatiuè donum, sicut Spiritus sanctus; sed ea tantùm ratione vocari potest donum, quia seipsum etiam liberaliter communicat rationalibus creaturis. At verò essentia diuina minus impropriè potuit vocari donum, quoniam est Patris per identitatem & communicatur Filio, vt sit etiam illius per identitatem. Sed propterea nimium recedit à ratione doni propriè dicta, quoniam essentiæ communicatio nullo modo procedit à liberali & gratuita volitione donandi. Pater enim æterno Filio nihil dat ex amore, sed naturali necessitate operationis intelligendi.

7 Adde quod deficit realis distinctio doni à donatore, requisita, vt donum sit donatoris, siue per dominium, vt dona creata, siue per originem, vt dona increata. Donum quippe propriè respicit authoritatem dantis per originem, vt scitè D. Th. dist. 18. art. 1. corp. & ad argumenta, & alij ex authoribus citatis sect. 1. Denique diuina essentia comparatione Filij & Spiritus sancti non habet distinctionem realem, quæ requiritur inter donum & personam accipientem.

8 *Quatuor gradus proprietatis in dono.*

Ex his colligo quatuor gradus maioris proprietatis, aut improprietatis in ratione doni. Supremus & perfectissimus gradus est, quo terminus emanans ab æterno per modum amoris liberalissimi, sua quidditate aprũ est, vt detur in tempore. Hic gradus est personalis & proprius Spiritus sancti. Secundus minúsque proprius gradus est, quo donum dicitur, quidquid est alicuius alterius personæ, tanquam principij producentis, & potest cõmunicari creaturis rationalibus. Hæc acceptio doni communis est Filio & Spiritui sancto, & æqualiter correspondet missioni passiuæ, nec enim excedit, nec exceditur ab illa. Tertius gradus improprius, quo essentia diuina, & omnia attributa vocari possunt dona, quæ Pater Filio dedit, modo nuper explicato. Quartus, infimus & imperfectissimus gradus est, quo Pater etiam rarissimè vocatur donum. Denique non agimus in præsenti de dono, prout conuenit etiam creatis charismatibus & gratiis.

9 *An donum sit subiectũ.*

Tertia difficultas. Donum est subiectum donatori & accipienti. Ergo non est Deus, sed creatura. Antecedens probatur, quia nihil donatur, nisi ab ea persona, cuius est: ergo donum debet esse subiectũ donatori. Deinde nihil aliud efficit immediatè donatio, nisi vt donum sit eius personæ, cui donatur. Ergo donum efficitur subiectum personæ accipienti. Confirmatur, nam ideo Chrys. hom. 3. de Spiritu sancto prope med. hæreticos reprehendit eo quod nomen *doni* referunt ad naturam & personã Spiritus sancti, cum intelligendum sit de illius gratia. Vnde longè inferius. *Aliud*, inquit, *est Spiritus sanctus, & aliud donum, aliud rex, & aliud donum regis.*

10 Respondetur. Donum increatum, quod est Spiritus sanctus, donatur à principio spiratiuo, cuius est per originem; non per dominium aut possessionem. Deinde donatio efficit, vt Spiritus sanctus sit creaturæ rationalis accipientis illum, sit, inquam, illius, quantum ad liberam fruitionem, ac liberum vsum, & quantum ad obligationem, qua Spiritus sanctus ratione suæ promissionis & pacti debet præbere auxilia, gratiam & gloriam. Quæ omnia longè distant à subiectione, potiúsq; commendant supremum dominiũ Spiritus sancti. Ad confirmationem respond. Chrysost. eo tantùm sensu vocabulum *doni* refutat, quo per contumeliam vsurpabatur ab hæreticis, tanquam possessum atque subiectum dominio donatoris. Alioqui Spiritum sanctum esse donum, fatetur Chrysost. locis citatis in sect. 1.

11 *Ab æterno donum est Spiritus sancti.*

Quarta difficultas est, quia Spiritui sancto necessariò & ab æterno conuenit quidquid est proprium & personale illius: sed esse donum nec ab æterno nec necessariò conuenit Spiritui sancto. Ergo non est proprium & personale illius. Minor probatur, quia Deus liberè potuit ab æterno decernere, nulli creaturæ rationali donare Spiritum sanctum. Ergo potuit Spiritus sanctus non esse donum. Confirmatur testimonio Isidori lib. 7. etymolog. cap. 3. in med. dicentis. *In tantum donum Dei est: inquantum datur eis, qui per eum diligunt Deum. Apud se autem Deus est, apud nos autem, donum est sed sempiternæ salutis. Spiritus sanctus donum est, distribuens singulis gratiarum dona, prout vult.* Vnde sic arguitur. In tantum est donum Spiritus sanctus, in quantum datur: sed non datur necessariò nec ab æterno: Ergo non est donum necessariò nec ab æterno. Idem significat Ricard. Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 14.

12 Respond. Etiamsi Deus ab æterno decreuisset, nulli creaturæ rationali donare Spiritum sanctum: nihilominus Spiritus sanctus esset donum per intrinsecam aptitudinem, vt donetur. In hac enim aptitudine consistit realis & intrinseca ratio doni: nam quod actualiter donetur, aut Deus ab æterno liberè decreuerit donare: mera denominatio extrinseca & ens rationis est in personalitate Spiritus sancti: quidquid sit de realitate, quam habet in essentia diuina liberum decretum. Vnde August. ex professo difficultatem hanc excutiens lib. 5. de Trinitate cap. 15. dicit: *Quia sic procedebat, vt esset donabile, iam donum erat, & anteaquam esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse & anteaquam detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.* Et paucis interpositis: *Sempiterne Spiritus donum, temporaliter autem donatum.* Quæ doctrina recipitur à Magistro lib. 1. distin. 18. cap. *donum verò*: quem omnes Scholastici sequuntur locis citatis sect. 1. Præsertim S. Thom. quæst. 38. artic. 1. corp. & ad 4.

13 Ad confirmat. respond. Quemadmodum apud Dialecticos, in definitionibus verba non dicunt actum, sed aptitudinem; sic apud Theologos plerumque doctrinalia verba Sanctorum, secundum subiectæ rei exigentiam, non significant actum, sed aptitudinem. Hoc igitur sensu dixit Isidorus, Spiritum sanctum, esse donum, in quantum datur eis, qui per eum diligũt Deum, id est in quantum suapte quidditate dari potest ad eum fructum. Maximè cum ea verba desumpserit Isidorus ex August. libr. 15. de Trinit. cap. 19. inter medium & fin. Eodem igitur sensu debet explicari Ricard.

14 *Creatura nõ est ab intrinseco donum.*

Obijcies, inde sequi, quamlibet creaturarum appellari posse donum, si donari possit. Quod videtur absurdum. Respondeo, non sequi. Nulla enim creatura habet ab intrinseco primam radicem donabilitatis, quam habet Spiritus sanctus, sed aptitudo, creaturis conueniens, consistit in denominatione prorsus extrinseca donationis possibilis, per quam à Deo, vel ab alio possessore donari potest. Si qua tamen creatura est essentialiter donum; illa est quæcumque gratia supernaturalis; quia nisi per gratuitam & liberalem donationem Dei obtineri non potest: nec ad illam obtinendam aliquid conferunt naturales vires aut illarum meritum, impetratio, vel dispositio sine auxilio supernaturali. Rectè namque S. Thom. in præsent. art. 1. corpore fin. ait: *Hoc dari nobis dicitur, quod aliunde habemus.*

15 Verumtamen hanc quidditatem doni, quælibet supernaturalis gratia participatá habet à Spiritu sancto, qui primarium donum est, & principalis causa, cuius instrumentum & quælibet gratia, per quam Spiritus sanctus operatur in nobis, vt Deum diligamus vel certè disponamur ad diligendum. Nam in charitate potissimùm datur Spiritus sanctus, quia est suprema similitudo diuini amoris, quæ possibilis est inter res creatas, vt obseruauit S. Thomas dist. 18. artic. 3. ad 4. & omnes ferè Scholastici citati sect. 1.

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO III.

Magis explicatur quidditas doni, comparatione donatoris, & personæ, cui donatur.

1 PRima difficultas est, quia quælibet formalitas personalis importat realem distinctionem vnius personæ ab aliis. Sed formalitas doni non importat huiusmodi distinctionem. Ergo formalitas doni nõ est proprietas personalis tertiæ personæ. Minor probatur, nam Spiritus sanctus est donum sui ipsius, & ab ipso Spiritu sancto donabile, sicut August. lib. 15. de Trinit. cap. 19. inter med. & fin. ait: *Nec quia illis dant*, (videlicet Pater & Filius) *ipse datur*, (videlicet Spiritus sanctus,) *ideo minor est illis. Ita enim datur sicut donum Dei, vt etiam seipsum det sicut Deus. Non enim dici potest non esse suæ potestatis, de quo dictum est, Spiritus vbi vult spirat. Et illud Apostolicum quod iam supra commemorauí, omnia hæc operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique, prout vult. Non est illi conditio dati, & dominatio dantium, sed concordia dati & dantium.* Itaque quoniam Spiritus sanctus est liber, & sui dominus, conuincitur, posse dare seipsum. Ioan. 3. 1. Cor. 12.

2 *Donum realiter distinguitur à donatore Patre & Filio.*

Respondetur. Spiritus sanctus propriissimè donum est comparatione Patris & Filij, tanquam vnius donatoris, cuius est donum, sicut terminus procedens ab eo principio. Sic ergo retinetur realis distinctio relatiuæ proprietatis ab aliis personis. At verò minus propriè Spiritus sanctus appellabitur donum in ordine ad seipsum, tanquam donatorem: nec id asseruit August. in argumento citatus. Solummodo enim docet, liberalem volũtatem dandi Spiritum sanctum, esse communem illi cum Patre & Filio, æqualéq; dominium creaturarum. Licet paulo aliter respondeat S. Thom. in præsenti art. 1. ad 1. Quod autem Spiritus sanctus seipsum donare possit, tractat Magister 1. distinct. 15. cap. 1. vbi communiter Scholastici. Alexand. 1. p. q. 72. memb. 2. Dicemus etiam disp. 108. sect. 7. concl. 3.

3 *Cuinam persona donatur Spiritus sanctus.*

Secunda difficultas est, quia donum respicit non solum donatorem, sed etiam personam, cui donari potest, iuxta definitionem Philosophi, quam retulimus sect. 1. Spiritus verò sanctus, secundum suam proprietatem personalem, non respicit aliquam personam, cui donari possit. Ergo Spiritus sanctus non est donum secundùm suam proprietatem personalem. Minor probatur, quia nec respicit Patrem aut Filium, quibus donari possit: illis enim nulla potest fieri liberalis & gratuita donatio, quibus debetur, & necessariò conuenit, quidquid habere possunt. Nec Spiritus sanctus secundum suam proprietatem personalem respicit creaturas: quia relatio constituens & distinguens quamlibet personam diuinam, est relatio originis actiuæ vel passiuæ in ordine ad aliam personam diuinam, non in ordine ad creaturas.

4 *Prima sententiæ.*

Duæ sunt in hac re sententiæ. Prima dicit, Spiritum sanctum esse donum, quod Pater donat Filio, viciſsímque Filius Patri, quatenus vnus alteri suum amorem impendit, atque rependit. Addit tamen hanc non esse relationem realem, sed relationem *rationis*, fundatam in proprietate reali Spiritus sancti. Ita sensit Henricus 2. parte art. 61. tota quæst. 10. Quantum ad substantiam idem docet Ocham. 1. distin. 18. q. vnic. art. 1. fine. quem sequitur Gabriel ibidem art. 1. con. 1. Verum ij doctores nó tam re, quàm modo loquendi

recedunt à communi sensu Scholasticorum: fatentur enim, ad hoc ampliari nomen doni ad aliquam significationem minus propriam.

5 *Spiritus sanctus non donatur personæ diuinæ.*

Veram igitur sententiam exponens, Dico primò. Spiritus sanctus non respicit Filium, tanquam personam, cui donatur Spiritus sanctus à Patre, nec respicit Patrem, vt personam, cui donatur Spiritus sanctus à Filio. Ita docuit expressè Magister 1. dist. 18. §. *sed quæritur*. Eámque veritatem supponunt pro indubitata S. Thomas ibi quæst. vnica in omnibus artic. & S. Bonauent. art. vnico in omnibus quæstionibus. Eam tamen ex professo disputans, docuit Ricard. dist. 18. art. vnic. q. 7. Vbi Carthus. q. 2. prope fin. Aureolus art. 3. col. 3. ad 2. difficult.

6 Probatur primò, ex August. lib. 15. de Trinit. cap. 19. inter med. & fin. dicente: *In tantum ergo Dei donum est, in quantum datur eis, quibus datur. Apud se autẽ Deus est, & si nemini detur, quia Deus erat Patri & Filio coæternus, antequam cuiquam daretur.* Obserua postrema verba, quæ manifestant, nemini fuisse datũ ab æterno Spiritum sanctum, sed tantùm in tempore. Ergo non fuit datus Patri, nec Filio per mutuum amorem & spirationem actiuam. Hoc enim fuit ab æterno: nec potest aliquid denuo in tempore Patri vel Filio ab alterutro donari.

7 Confirmatur primò, quoniam vbicumque August. relationem doni comparat cum Patre & Filio, dicit donum donatoris, & donatorem doni: quemadmodum lib. 5. de Trinit. cap. 11. 12. & 15. & serm. 38. de temp. col. 3. Nunquam verò cum Patre vel Filio cõparat veluti cum personis, quibus donatur. Confirmatur secundò, nam vt scribit in eod. lib. 5. cap. 14. prope med. *Quod datum est, ad eum, qui dedit refertur, & ad eos, quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus, non tantùm Patris, & Filij, qui dederunt, sed etiam noster dicitur, qui accepimus.* Tertiò, nam & Isidorus eadem scribit, quæ retulimus ex August. lib. 15. de Trinit. Posuimus autem Isidori testimoniũ præced. sect. 2. difficult. vltima. Idem recipitur à Magistro & communiter Scholast. distinct. 18. cap. 2. Consonant etiam Alcuinus lib. 1. de Trinit. cap. 5. fine. & Hugo Ætherianus lib. 3. contra Græcos cap. 3.

8 Ratione probatur, quia dono repugnat necessaria & naturalis communicatio: quippe quod à propria quidditate destinatur ad liberam & gratuitam donationem, qualis non est possibilis inter Patrem & Filium: nam quidquid alter alteri dat, necessariò & naturaliter dat. Confirmatur primò, quia Spiritus sanctus non procedit per amorem liberum, sed per amorem necessarium, vt ostendemus disput. 92. sect. 2. & 3. & disput. 95. Secundò, quoniam in Patre nulla est relatio accipientis ad Filium veluti dantem, nec ad Spiritum sanctum veluti ad donum sibi datum: similiter nec in Filio talis relatio reperitur.

9 Confirmatur tertiò, quoniam oportet esse realem distinctionem inter personã dantem, & personam, cui tribuitur donum. Sicut enim liberalitas non est eiusdem ad seipsum, sed ad alterum; ita etiam donatio, quam quidditatiuè respicit donum. Sed Pater & Filius, in ratione dantis Spiritum sanctum, non distinguuntur realiter, sunt enim vnus spirator: nec potest Filius accipere Spiritum sanctum à Patre, nisi accipiendo à seipso; similitérque Pater non potest accipere à Filio, nisi accipiendo à seipso per vnicam & prorsus eandem spirationem. Confirmatur quartò, quia donum efficitur eius, cui donatur, vt propter donationem aliquo modo habeatur ab eo. At verò Spiritus sanctus à Patre & Filio non habetur vllo modo pertinente ad donationem. Quamuis enim habeatur per identitatem essentiæ & circuminsessionem: hæc tamen si pertineret ad donationem; dicendum foret etiam, Patrem & Filium esse donatos Spiritui sancto, quia sunt illius per identitatem essentiæ & circuminsessionem. Quod autem Spiritus sanctus peculiari quadam ratione sit Patris & Filij, quasi principij productiui, hoc ipsum formaliter est donatoris esse, tanquam tribuentis donum, cui formalitati repugnat opposita formalitas eius, cui donatur.

10 *Creaturis rationalibus donatur Spiritus sanctus.*

Vnde colligo & Dico secundò. Spiritus sanctus creaturas rationales respicit, tanquam personas, quibus donari potest à Patre & Filio. Inde tamen oritur tertia difficultas, quia nullus ordo Dei ad creaturas est personalis, sed tantùm essentialis: sed donum includit ordinem ad creaturas rationales, quibus donatur, ergo donum est aliquid essentiale, non verò notionale.

11 *Prima sententia.*

Prima sententia dicit, respectum doni ad personam accipientem non esse notionalem, sed essentialem, quamuis notionalis sit respectus ad donatorem. Ita S. Thom. 1. distinct. 18. art. 1. ad 1. Quod magis explicantes eius discipuli, notant, respectum doni ad creaturas accipientes non esse realem, sed ens rationis. Ita Capreol. distinct. 18. quæst. vnica prope fin. vbi Ricard. articulo vnico quæst. 2. corp. & ad argumenta, Scot. in reportatis distinct. 18. Henricus 2. p. art. 61. q. 8. ad 2. Ocham. distinct. 18. quæst. vnica col. penult. Gabriel in fine totius quæst. vnicæ, negans quemlibet respectum realem ad creaturas, imo etiã respectum rationis. Colligitur idem ex aliis authoribus, qui supra disput. 62. sect. 1. & 2. negant diuino Verbo realem relationem ad creaturas, quas dicit; concedunt autẽ relationem rationis, consequentem ex quidditate Verbi.

12 *Secunda sententia.*

Secunda sententia existimat esse realem & notionalem ordinem doni ad creaturas, quibus donatur. Ita plane supponit S. Bonauentura dist. 18. art. 1. tota quæst. 5. vbi Aureol. art. 3. propos. 2. & 3. Pro eadem faciunt authores, qui prædicta disp. 62. sect. 1. & 2. dicunt, Verbo diuino relationem, non quasi prædicamentalem, sed quasi habitualem, & transcendentalem ad creaturas, quas dicit, conuenire non tantùm ratione essentiæ, sed etiam ratione proprietatis personalis.

13 Inde igitur solutio presentis difficultatis emergens, tribus assertionibus continetur, quibus prædictę sententiæ maiori ex parte conciliatæ manebunt. Prima est. Comparatione creaturarum, quibus donatur Spiritus sanctus, nulla prorsus relatio prædicamentalis, aut quasi prædicamentalis esse potest realis in Spiritu sancto, tum quia creaturæ sunt inferioris ordinis; tum etiã, quia creaturæ potuerunt non esse, donabilitas autem Spiritus sancti, & quælibet relatio realis illius non potuit non esse: ac denique quoniam in Deo sola relatio originis est realis: quemadmodum fusiùs in simili de Verbo probatum est prædicta disput. 62. sect. 1. Hoc tantùm intendunt authores primæ sententiæ negantes relationem realem doni ad creaturas.

Assert. 1. Nulla relatio quasi prædicamentalis.

14 *Relatio transcendentalis ad creaturas.*

Assertio secunda. Comparatione creaturarum, quibus donabilis est Spiritus sanctus, relatio, quæ vocatur secundum dici, vel habitualis, siue transcendentalis, est realis & quidditatiua perfectio Spiritus sancti, non tantùm ratione diuinæ essentiæ, quam includit, sed etiam ratione propriæ personali

sonalitatis. Probatur, quia relatio transcendentalis de qua loquimur, non est simpliciter relatio, sed formalitas absoluta: cæterum appellatur relatio, quoniam intelligi non potest, nisi alia re simul intellecta in obliquo. At verò quod Spiritus sanctus sit donabilis, intelligi nulla ratione potest, nisi intellectis simul personis, quibus gratuitò liberalitérque donetur, intellectis, inquam, saltem in generali.

15 Confirmatur primò, nam vt sect. 1. vidimus ex Arist. & communi sententia theologorum, *donum alicuius, & alicui dicitur*, id est non respicit solum donatorem, sed etiam personã, cui donatur. Quod autem conuenit dono, quatenus donum est, conuenit ratione proprietatis personalis sancti Spiritus. Si quidem est donum ratione suæ proprietatis personalis: vt probatum fuit sect. 1. Confirmatur secundò, quia ratione solius essentiæ non poterat Deo conuenire propriè donabilem esse creaturis. Ergo conuenit etiam ratione personalis proprietatis simul cum essentia. Hoc tantummodo relationis genus affirmant qui concedunt realem doni respectum ad creaturas in secunda sententia.

16 Tertia assertio. Doni respectus ad creaturas est secundarius. Primariò namque respicit donatorem, à quo procedit, & suum esse recipit. Creaturas autem respicit tanquam effectus, quibus esse confert & perfectionem, & sine quibus poterat in æternum permanere. Confirmatur, quia similiter est secundaria relatio, qua Verbum diuinum respicit creaturas, vt dicibiles, vt vidimus citata disput. 62.

17 Denique notandum est, non quaslibet creaturas, sed tantum intellectuales ac liberas esse terminum istius relationis transcendentalis: quoniam *Gratia Dei per Iesum Christum non lapidibus aut lignis pecoribúsve præstatur, sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam homo vel Angelus.* Ita docet Augustinus libro quarto contra Iulianum cap. 3. non longè à principio, & colligitur ex Patribus in hac & præced. sect. citatis, quatenus asserunt, Spiritum sanctum donari solis fidelibus, vt Deum diligant.

SECTIO IV.

Expediuntur aliæ difficultates.

1 PRima difficultas est, quia notio constituens Spiritum sanctum, est spiratio passiua; sed hæc est formalitas diuersa à formalitate doni. Ergo formalitas doni non est notio propria, & constitutiua Spiritus sancti. Respond. Totalis & adæquata formalitas, constitutiua Spiritus sancti, complectitur tres potissimùm quasi partes integrantes, quarum vna consequitur ex alia nostro modo intelligendi: quamuis implicitè & quidditatiuè contineatur in illa. Prima est quæ magis explicitè significatur hoc nomine *spiratio passiua*. Secunda est relatio doni ad donatorem. Tertia est transcendentalis respectus ad creaturas, quibus donatur.

Partes formalitatis, quæ constituit Spiritum sanctum.

2 His partialibus formalitatibus cõstat adæquatum & totale constitutiuum Spiritus sancti. Propterea namque August. lib. 4. de Trinit. cap. 20. post med. ait: *Sicut natum esse est Filio à Patre esse, ita mitti est Filio, cognosci, quod ab illo sit. Et sicut Spiritui sancto donum Dei esse est à Patre procedere, ita mitti est cognosci, quod ab illo procedat.* Vnde Magister distinct. 18. cap. *donum verò*, concludit, aperte ostendi, *Quod Spiritus sanctus eo donum est, quo procedit à Patre & Filio: sicut Filius eo est à Patre, quo natus est ab eo.* Et post pauca: *Eo dicitur Spiritus, quo donum: & eo donum, quo procedens.* Confirmatur primò, nam vt idem August. notat lib. 5. de Trinit. cap. 11. post med. *Ipsa relatio non apparet in hoc nomine* (Spiritus sanctus) *apparet autem cum dicitur donum Dei.* Ergo eadem ipsa relatio est Spiritus sancti & doni. Confirmatur secundò, quia nulla persona diuina cõstituitur multiplici relatione sibi propria & adæquata; licet omnes personalitates constent pluribus partialibus formalitatibus, quemadmodum de singulis probatum est propriis in locis.

3 Prædictam Magistri doctrinam recipiunt vt plurimum Scholastici, quorum aliqui magis expressè notant, esse partiales formalitates vnicæ relationis, qua constituitur Spiritus sanctus, illas, quas nuper exposuimus, vt S. Thomas 1. distin. 18. quæst. 1. artic. 2. ad vlti. S. Bonauent. art. vnic. q. 5. ad vlti. Ricard. ibidem quæst. 2. corp. & quæst. 3. & 4. Aureolus artic. 2. propos. 2. & 3. Argentina quæst. vnic. art. 3. Ocham. & Gabriel q. vnic. art. 3. Ideo quod Bonauent. Ricardúsque dicunt, formalitatem doni non esse constitutiuam, nisi qua ratione respicit donantem; intelligunt de primaria quasi parte constitutionis. Quod autem Aureolus ait, Spiritum sanctum constitui donatione, & idem esse donare & spirare Spiritum sanctum verificari in sensu prædicto. Sed alia duriora miscet ibidem, quæ prætermitto. Denique non abs re monuerunt Ocham & Gabriel, quod donum non tam est proprietas Spiritus sancti, quàm ipsemet Spiritus sanctus. Sicut Verbum est ipsemet Filius, non proprietas Filij.

4 Secunda difficultas est, Vtrum Spiritus sanctus eo sit donum, quo Deus, siue, vt alij proponunt, Vtrum eadem processione sit donum & Deus. Hanc antiquiores Scholastici magis ex professo discutiunt, vt S. Thom. dist. 18. q. 1. artic. 4. Ricard. art. 1. q. 3. Carthus. q. 4. & alij authores ex citatis sect. 1. Quibus similia sunt quæ de Filio disserit S. Bonauent. dist. 18. dub. litterali 2. & 3. & Albertus apud Carthusianum citatum.

5 *Non eo donũ quo Deus.*

Dicendum tamen breuiter est primò. Propriè formalitérque loquendo; Spiritus sanctus non eo est donum, quo Deus. Nam Deus est, & formaliter constituitur Deitate absoluta, non relatione personali: sed donum est, & constituitur relatione personali, non Deitate. Secundò. Materialiter & impropriè dici potest Spiritum sanctum eo donum esse, quo Deus est, tum quia relatione personali donum est: eadem autem relatio quidditatiuè claudit in se Deitatem, supra disput. 13. tum etiam, quia processione sua, seu productione, qua recipit esse Spiritum sanctum & donum, eadem recipit esse Deum: quamuis esse donum accipiat ex vi processionis formaliter: sed esse Deum accipiat ex vi processionis materialiter supra disput. 7. & 8. Tertiò sequitur ex dictis minus impropriè dici posse, quod Filius eo sit Verbum aut Filius, quo Deus, quoniam Filius seu Verbum ex vi processionis formaliter affert totam Diuinitatem, vt vidimus disp. 6.

6 Tertia difficultas est. Missio non est proprietas personalis Spiritus sancti, vel Filij. Ergo donabilitas non est proprietas Spiritus sancti. Consequentia probatur, quia sicut donabilitas dicit ordinem primariò ad donatorem, secundariò verò ad creaturas, quibus donatur: sic etiam missio primariò dicit ordinem admittentem, secundariò

tamen respicit creaturas rationales, ad quas persona diuina mittitur. Confirmatur, quia saltem missibilitas, siue personæ aptitudo, vt mittatur, erit notionalis formalitas, communis duabus personis procedentibus, repugnans verò Patri, quia non procedit.

7 Respond. Missibilitas non est realis formalitas in Filio, præter ipsam formalitatem processionis; sed est denominatio prorsus extrinseca, sicut donabilitas Filij, de qua diximus sect. 2. sub init. At verò in Spiritu sancto missibilitas nihil est aliud formaliter, quàm donabilitas. Constat enim ex Nouo testamẽto Spiritum sanctum donari, quando mittitur, & ad illas personas mitti, quibus donatur. Quod si formalitas aliqua magis explicitè intelligitur missibilitate, quæ non intelligitur donabilitate, ea prorsus extrinseca denominatio est, nihil amplius reale continens vltra donabilitatem. Parum ab hac solutione differt quod respondet S. Bonauentura dist. 18. art. 1. q. 5. ad 1.

8 *Donum per quod dantur omnia.* Quarta difficultas. Vtrùm Spiritus sanctus sit donum, per quod dantur omnia dona. Conclusionem affirmatiuam docuit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. ante med. *Per donum*, inquit, *quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibúsque propria, diuiduntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, & alij alia: quamuis ipsum donum, à quo cuique propria diuiduntur, omnes habeant, id est Spiritum sanctum. Nam & alibi cum multa dona commemorasset, omnia*, inquit, *hæc operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult.* Consonat quod Augustinus statim adducit ex Hebr. 2. *Contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.* Eandem conclusionem docent Magister & Scholastici 1. distinct. 18. vbi eam magis explicant S. Thom. quæst. 1. toto artic. 3. (breuius autem in præsenti quæst. 38. art. 2. corp. fine.) S. Bonauent. dist. 18. art. 1. tota q. 1. vbi Ricard. q. 5. Carthusian. q. 1. Henricus art. 61. q. 9.

2. Cor. 12.

9 *Discrimen inter Verbum & donum.* Explicatur autem, & probatur supponendo discrimen inter Verbum & donum: per Verbum enim dicuntur omnia dicibilia, quoniã per scientiam necessariò sciuntur omnia scibilia. Cæterum per donum non donantur omnia donabilia, quia per amorem non amantur efficaciter omnia amabilia. Creaturis enim non necessariò, sed liberè; non omnibus, sed quibusdam, non omnia, sed aliqua dona Spiritus sancti distribuuntur. Sensus igitur conclusionis est, omnia dona, quæ de facto dantur, dari per primum donum, quod est Spiritus sanctus, non modo propter appropriationem, sed etiam ob peculiarem quẽdam modum determinandi causam efficientem. Sicut enim Pater est omnium donorum causa efficiens, tãquam imperans per Verbũ, & volens efficaciter per amorem, siue donum: ita Verbum est eorundem causa efficiens, tanquam Verbum, per quod efficaciter imperatur, vt fiant: & Spiritus sanctus tanquam liber & liberalis amor, primò determinans diuinæ voluntatis indifferentiam, vt efficaciter velit tribuere quæcumque dona de facto tribuit.

10 Præterea Spiritus sanctus est causa exemplaris cuiusque doni, & primum in hoc genere, ad quod proinde reducuntur omnia posteriora dona. Vnde constat primò, quæ sit peculiaris ratio, propter quam dona cẽseantur donari per donum potius, quàm per Verbum: sed omnia quæ fiunt dicãtur fieri per Verbum potius, quàm per donum. Colligitur secundò, Filium etiam quatenus per Incarnationem donatus est nobis, esse donatum per donum, quod est Spiritus sanctus.

11 *Vtrũ sit nostrũ donum.* Quinta difficultas, Vtrum Spiritus sanctus sit donum nostrum, pro certo supponitur, quod sit nostrum Spiritus, vt Augustinus docet lib. 5. de Trinit. cap. 14. à med. *Spiritus*, inquit, *sanctus non tantum Patris & Filij, qui dederunt, sed etiam nostrum dicitur, qui accepimus:* Quod paulo inferius confirmat, quia Luc. 1. dictus est *Spiritus Eliæ, Spiritus sanctus, quem accepit Elias.* Et Numer. 11. *Tollam de Spiritu tuo, & dabo eis: hoc est dabo eis de Spiritu sancto, quem iam tibi dedi.* Quod recipiunt Magister & Scholastici 1. distinct. 18.

12 Inde igitur emergit argumentum probans, esse donum nostrum, quoniam Spiritus sanctus dici potest Spiritus noster, vel Spiritus Eliæ, vel Moysis, vel alterius hominis. Sed Spiritus sanctus eadem ipsa personalitate, qua est Spiritus, est etiam donum, vt vidimus difficult. 2. Ergo est etiam donum nostrum, vel donum Eliæ, vel alterius sancti, recipientis Spiritum sanctum. Confirmatur primò, quia sicut donabilitas sufficit, vt ab æterno sit donum, nec opus est actu donari; sic etiam sufficiet, vt ab æterno sit nostrum eodem sensu, nec opus erit actualiter esse donatum. Confirmatur secundò, quia donabilitas est ratio, propter quam dicitur esse Spiritus noster; ergo potiori iure ratio erit, vt sit donum nostrum: donabilitas enim magis expressè, formaliterq; respicit conceptum doni, quàm conceptum Spiritus.

13 *Magis exactè datum nostrum.* Respond. Magis propria & exactior erit locutio non dicere donum nostrũ, sed datum nostrum: quia donum est necessariò & ab æterno, licet nunquam detur; & non est nostrum propriè, nec alicuius hominis, quousque de facto detur illi, quando dicitur esse Spiritus illius. Ita S. Thom. in præsenti art. 2. ad 3. & lib. 1. sentent. dist. 18. q. 1. art. 5. corp. & ad 1. Vbi Ricard. q. 6. Carthus. quæst. 3. Nihilominus nullũ inconueniens erit concedere, Spiritum sanctum esse donum nostrum, etiam antequã de facto detur, eo quod donari potest; sicut dicitur salus nostra ex eo solum, quod ab intrinseco sit nobis donabilis. De quo plura scribunt S. Bonauent. dist. 18. art. vnic. q. 6. Alex. 1. p. quæst. 63. memb. 3. Albert. q. 36. mem. 2. post med. Omnes citati doctores tradunt generales regulas dignoscendi nomina diuina, quibus addi potest pronomen *nostrum*. Sed optima regula, generalissimáque fuerit vsus theologorũ. Cæteras cõsulto præterco.

DISPVTATIO LXXVI.

Quid reale ac proprium significent metaphorica nomina Spiritus sancti.

SECTIO I.

De digito Dei.

1 HActenvs de nominibus propriis Spiritus sancti tractantes, obiter attigimus non pauca de nominibus metaphoricis: sed de his plura restãt exponenda. Nec animus est omnia persequi nomina, verum ea tãtum, quæ celebriora sunt, & ex his sacris litteris deprompta. Primum est *digitus*. Nam quod Matthæi 12. vers. 28. dicit Christus Dominus. *Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmones.* Idem omnino sic refertur Luc. 11. vers. 20. *Si in digito Dei eijcio dæmonia.* Vnde Patres, ac potissimùm

tissimùm August. colligunt, vbicumque Scriptura nominat *Digitum Dei*, Spiritum sanctum intelligi: maximè Exodi 8. *Digitus Dei est hic.* Et Deuter. 9. *Tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Quæ omnia loca conferens August. deducit Spiritum sanctum esse, per quem Dei lex scribitur in cordibus hominũ. Veluti epistola 119. de ritibus Ecclesiæ c. 16. init. & in med. Et lib. 2. de Trin. cap. 14. longè post med. Et de Spiritu & litera cap. 16. & in Exodum q. 25. & de consensu Euang. lib. 2. c. 38. & de catechizan. rudibus cap. 20. & in psalm. 8. ad illud. *Opera digitorum tuorum.* Et apud August. Auctor libri de essentia Diuinitatis colum. 3.

2 *Vnitas significatur.* Hieronymus Matth. 12. conferens eadem, quæ retulimus ex Luca, Exodo, & Deuter. subiungit: *Sic igitur manus & brachium Dei, Filius est, & digitus eius Spiritus sanctus; nec te scandalizet membrorum inæqualitas, sed ædificet corporis vnitas.* Basilius lib. 5. contra Eunom. sect. 15. vt probet diuinitatem Spiritus sancti, nomen *digitus* inter alia connumerat. Athanasius disputat. contra Arium, habita in Nicæno Concil. colum. penult. *Certè*, ait, *Magi in Ægypto inexpugnabilem potentiam Spiritus contemplantes, exclamauerunt, dicentes: Hic est digitus Dei. Quibus verbis nihil aliud illi, quã consubstantialem Spiritus sancti virtutem confitebantur, quam habet cum Deo Patre, per hanc vocem, digitus Dei. Vocem Domini auscultа, qui id, vt rectè dictum, approbauit. Si ergo, inquit, in digito Dei eijcio dæmonia.* Eodem Lucæ testimonio Diuinitatem Spiritus sancti probat orat. 2. contra Arian. inter med. & fin. & orat. in illud: *Quicumque dixerit blasphemiam in Spiritum sanctum.* initio.

3 Similiter Ambros. in apologia Dauid col. antepenult. & in psalm. 43. ad illud: *Commotionem capitis in populis.* Et lib. 7. in Lucam cap. *Omne regnum*, ante med. *Vnde*, inquit, *intelligitur indiuiduum quoddam velut corpus esse Diuinitatis & regnum, cum Christus Dei dextera sit, Spiritus autem digiti specie, velut vnius secundum Diuinitatem corporis seriem videatur exprimere.* Chrysost. etiam homil. 41. in Matth. propius ad med. quàm ad princ. obseruat, euidenter colligi, digitum Dei esse Spiritum Dei.

4 *Cõsubstãtialitas & processio.* Præterea consubstantialitatem simul & processionẽ Spiritus sancti à Patre per Filium, significari metaphora digiti, notauit acutè Cyrillus lib. 13. thesauri cap. 2. inter princ. & medium ita ponderans verba Domini Lucæ 11. *Digitum hic Dei, Spiritum sanctum nominat: modo enim quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter inde pendet, sicut ex humana manu digitus. Brachium enim* Psalm. 97. *& dexteram Dei, Filium Dei scripturæ vocant. Saluauit enim, inquit, dextera eius & brachium sanctum* Isaiæ 53. *eius. Et rursus: Domine sublime est brachium tuum, & nesciuerunt. Quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniáque facit, quæ menti videntur, iniungere quoque solet digito: sic Filium Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus. Ex Filio autem naturaliter ac essentialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre prouenire credimus, per quem Filius, omnia iniungens, sanctificat.* Eodem modo ratiocinatur S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 32. §. 31. ad finem.

5 *Virtus operatoria.* Tertiò virtutem operatoriam digiti metaphora significari, non modò Cyrillus hîc, sed etiam Ambros. obseruat lib. 7. in Lucam cap. *Omne regnum*, in med. *Digitus enim cum dicitur, operatoria virtus significatur, quod diuinorum operum, sicut Pater & Filius, ita etiam Spiritus sanctus operator sit. Dicit enim Dauid, Psalm. 8. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.*

6 *Subtiliores operationes.* Quoniam verò subtiliores ac perfectiores operationes exequimur auxilio digitorum, vt Christus Dominus Ioan. 8. *digito scribebat*, ideo etiam Dei digito Spiritui sancto subtiliores Dei operationes appropriãtur. Sic enim lex scripta dicitur digito Dei, vt Augustinus notauit locis sub initium citatis, & Ambros. in psalm. 118. serm. 15. colum. 2. Eadem etiam ratione ornatus & perfectio creaturarum tribuitur peculiariter Spiritui sancto, vt videbimus disputat. 110. sect. Propterea quoque Marci 7. *Misit digitos suos in auriculas eius* surdi, videlicet, Spiritum sanctum, vt eius organa penetraret, ita intelligunt Gregorius homil. 10. in Ezechielem. Hieron. & Beda Marci 7.

7 *Diuisio gratiarum.* Quartò significari pluralitatem ac diuisionem gratiarum sub vnitate Spiritus, docuit August. lib. 2. quæst. Euangel. quæst. 17. *Ideo*, inquiens, *dicitur Spiritus sanctus digitus Dei, propter partitionem donorum, qua in eo dantur: in nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quàm in digitis.* Idem in psalm. 143. vers. 1. *Digitis*, ait, *operatur manus. Verumtamen in digitis agnoscimus vnitatem, diuisionem operationis, & tamen radicem vnitatis.* Et adductis verbis Apostoli 1. Corinth. 12. de varietate gratiarum, concludit: *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus. Radix est vnitatis, diuidens propria vnicuique, prout vult.* Eandem rationem reddit Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 33.

8 *Ostendimus digito.* Quintam significationem ita notauit Ricard. Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 9. in med. *Digitum sanè protendimus, cum aliquid alicui ad oculum ostendere volumus. Quando igitur Deus alicui interna & occulta Sapientiæ suæ Spiritus sui illustratione revelat, quid aliud, quàm quod videri vult, digito suo demonstrat?*

9 *Brachium etiã Spiritus sanctus.* Obseruandum nihilominus est, valde probabiliter Spiritum sanctum intelligi nomine *brachij* vel *manus*. Siquidem in Nicæno Concil. lib. 2. multo propius ad med. quàm ad fin. §. *in libro Iob.* fine legimus: *Consueuit Scriptura manum aut brachium appellare Spiritum Dei, dexteram autem Filium eius.* Sed frequentior & probabilior est expositio, quæ nomine *brachij* vel *manus*, intelligit Filium, vt videbimus disput. 111. sect.

SECTIO II.

Mens, Facies, Complementum, Signaculum, & quæ ad vnionem pertinent.

1 *Mens.* MEns appellatur Spiritus sanctus, propter verba Pauli 1. Corinth. 2. fin. *Nos autem sensum Christi habemus.* Vbi sensus idem est, quod mens, omnium expositorum consensu. Cyrillus Alex. lib. 13. thesauri cap. 2. inter princ. & med. notat, Apostolum hoc loco *intelligere Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Et in sequenti cap. 3. sub init. *Mens*, inquit, *Filij Spiritus est, secundum Paulum: Nos autem mentem Christi habemus, inquit. Non ergo potest Spiritus alia loqui, quàm ille, cuius mens est.* Gregorius Nyssenus epist. contra Apollinarem titulo de imagine & similitudine multo propius ad med. quàm ad princ. humanæ mentis similitudine sic declarat Spiritum sanctum: *Mens neque causa caret, neque est genita, sed ex processione orta, vndequaque discurrens, & cuncta despiciens, & inuisibiliter pertractans ad imaginem & similitudinem sanctissimi & per processionem orti*

1.Corinth.2. *Spiritus, de quo dictum est, Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

2 *Facies.* Facies Dei vocatur Spiritus sanctus à Cyrillo lib.13. thesau. cap. 2. prope med. Vbi referens illud psalm.138. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam.* Infert: *Spiritum sanctum faciem Patris appellat, quoniam ostendit ipsam essentiam Dei.* Sed metaphora faciei magis congruit Filio, vt vidimus disput.64. sect.6. prope finem.

3 *Complementum.* Complementum Trinitatis esse Spiritum sanctum scribit Cyrillus lib. 14. thesauri cap. 3. post medium & prope finem eiusdem libri adducens illud 2. Corinth. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei Patris, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Ecce rursum hic completius Sanctæ Trinitatis Spiritus sanctus ostenditur.* Basilius lib. vnico de Spiritu sancto cap.18. ante med. *Per seipsum*, ait, *complet super omnia glorificandam ac beatam Trinitatem.* Isidorus Peluſiota lib.1. epist.109. *Cum Saluator noster Spiritum sanctum diuinam Trinitatem complere tradiderit*, &c. Videlicet Matth.28. præscribens formam Baptismi. Anastas. Sinayta lib.1. de rectis fidei dogmat. inter princ. & med. ait: *Spiritus sanctus complet Sanctam Trinitatem.*

4 *Vinculum & signaculum.* *Vinculum Trinitatis, & Signaculum confessionis* appellat Epiphanius hæresi 62. ad medium, quoniam Spiritu sancto clauditur confessio Trinitatis. *Vinculum* etiam significare potest mutuam charitatem, qua coniunguntur inuicem Pater & Filius, quam Apostolus, paulo superius relatus à Cyrillo, vocauit *communicationem* Sancti Spiritus. Augustinus serm.38. de temp. colum.3. *Spiritus*, inquit, *sanctus communio est Patris & Filij.* Quibus similia dixit lib.6. de Trinit. cap. 5. Fulgentius quæst.4. ad Ferrandum, & Isidorus lib.7. Etymolog. cap. 3. Quorum verba posuimus disputatione 71. sectione 1. *Complexum ineffabilem* Patris & Filij vocat August. lib.6. de Trin. cap.10. circa medium.

5 Nec obstat, quod Epiphan. hæresi 74. frequenter repetit, Spiritum sanctum non esse *coniunctionem Trinitatis.* Intelligit enim accidentalem coniunctionem, qualem hæretici volebant. Alio tamen sensu longè diuerso. Nazianzenus orat. 32. ad centum quinquaginta epis. paulo post medium, Patrem vocat *vnionem*, quoniam ex ipso sunt, & ad ipsum referuntur Filius & Spiritus sanctus.

SECTIO III.

Sigillum, & omnia quæ ad vnctionem & odorem pertinent.

1 *Sigillum.* SIgillum & vnctio, vnguentum & oleum Spiritus sanctus vocatur à Patribus, quia gratiæ charactere sigillat electos, & charitatem diffundens, consecrat & sanctificat regale sacerdotium, efficiens nos participes regni Iesu Christi. Quod ex professo tractat Gregorius Nyssenus posteriori libro de Trinitate ad Eustathium versus finem & Cyrillus lib. 13. thesau. cap. 3. colum. penultima.

2 *Vnguentum.* Athanas. longiori epistola ad Serapion. Episc. quæ incipit *literæ* paulo propius ad med. quàm ad finem adductis verbis Ephes. 1. *In quo credentes signati estis in diem redemptionis.* adiungit: *Ipse Spiritus sigillum & vnguentem est, in quo omnia inungit & signat Verbum.* Et post pauca: *Vnguentum fragrantiam & halitum inunctoris habet, quo quum inuncti fuerint, & participes redditi, dicunt de se: Christi bonus odor sumus. Sigillum porrò formam Christi sigillantis habet, eiusque participes efficiuntur, qui signantur secundum eam speciem conformati dicente Apostolo: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quibus similia scribit in breuiori epistola ad Serapion. quæ incipit, *admirabere*, inter principium & medium. Epiphan. etiam hæres. 74. multo propius ad fin. quàm ad med. Spiritum sanctum appellat *Sigillum gratiæ.*

3 Cyrillus Alexand. lib. 14. thesau. cap. 4. prope medium de Spiritu sancto sic loquitur: *Quum ipse Deus verus de Deo vero sit quasi quoddam sigillum in cordibus suscipientium, sicut in cera inuisibiliter imprimit: & sic communicatione ac similitudine sua in pristinam pulchritudinem naturam nostram depingit, & ad imaginem Dei rursus hominem renouat.* Ambrosius lib.1. de Spiritu sancto cap.6. Apostoli verba Ephes. 1. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Et 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ita exponit: *Spiritu signamur, vt splendorem & imaginem eius, & gratiam tenere possimus, quod est vtique spirituale signaculum.* Denique *vnctionem* siue *vnguentum* aut *oleum lætitiæ* Spiritum sanctum esse plurimis testimoniis Scripturæ confirmat Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. versus finem & ferè toto cap.8. Verumtamen diuersa ratione Filius est sigillum, quia nimirum est character, & expressa Patris imago: vt vidimus disp.64. sect.6. inter principium & medium.

4 *Odor.* *Odor* consequitur prædictum vnguentum, vt adnotauit Athanas. paulo superius relatus. Qui ad Serapion. Epist. quæ incipit, *admirabere*, inter principium & medium. *Hæc*, inquit, *vnctio, halitus est Filij, vt qui habet Spiritum dicat, Christi bonus odor sumus* 2. Corinth. 2. & post pauca: *Quod si Spiritus bonus odor ac forma Filij est, manifestum Spiritum non esse creaturam.* Et dialogo 1. de Trinitate multo propius ad medium quàm ad principium adductis verbis Iob. cap. 27. *Donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis.* rationem huius circumlocutionis enarrat, *Nam Spiritus est suauis odor, quem Christus spirat: & quemadmodum ex odore suaui vnguentum per nares percipitur; ita & Christus ex Spiritu. Et Apostoli sunt bonus Christi odor, quoniam Spiritus sancti templa sunt.*

5 Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioan. cap. 1. ad finem ait: *Non participatione, aut habitudine, nec vt alius à substantia Dei; sed quemadmodum floris odor qualitatem eius naturalem olfactui offert, ita de Deo, & de Spiritu sancto intelliges, sublimius vim exempli accipiens.* Et sequenti cap.2. post medium. *Quemadmodum aromatum odor ex ipsis in olfactum prodit, virtutem illorum naturaliter ac semper habens: tale quid, imò verò etiam super hoc de Deo & de Spiritu sancto intelliges. Quasi enim odor substantiæ Dei est viuens, atque actiuus, à Deo ad creaturas, quæ Dei sunt transportans, ac participationem eius immittens. Nam si aromatum odor propriam virtutem eorum vestibus relinquit, & transmittit quodam ad seipsum modo ea, quibus adhæsit: quomodo Spiritus sanctus participes diuinæ naturæ non efficiet,* &c.

SECTIO

SECTIO IV.

Virtus, qualitas, aqua & ignis quo sensu dicitur Spiritus sanctus.

1 VIrtus *Altissimi* vocatur Spiritus sanctus Lucæ 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vt intelligit Euthym. ibi. Quæ significatio clarior est Lucæ 24. *Quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Propterea in Nouo testamento frequenter virtus coniungitur cum Spiritu sancto, tanquam eius explicatio. Veluti Lucæ 4. *Regressus est Iesus virtute Spiritus in Galilæam.* Actor. 10. *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute.* Rom. 15. *Vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti.* Quibus similia sunt 1. Corinth. 2. ver. 4. & Ephes. 3. ver. 16. & 1. Thess. 1. ver. 5.

2 Quin etiam Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 1. & 2. illud. Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti*, legit: *Accipietis virtutem superuenientem Spiritum sanctum.* Ita nimirum vt Spiritus sanctus sit virtus. Notat autem ibidem Ambrosius, Patrem quoque & Filium appellari virtutem, veruntamen virtutis nomen esse magis proprium diuini Verbi, quoniam procedit per primum exercitium potentiæ, & quia est efficax imperium, per quod omnia fiunt, vidimus disp. 58. sect. 5. Dicemus etiam disput. 82. sect. 2. sub init.

3 *Qualitas.* Hoc fundamento *virtus* simul & *qualitas* vocatur à Cyrillo. Qui lib. 13. thesau. cap. 3. in med. ita ratiocinatur: *Qui mel gustarunt, ex qualitate propria ipsius sciuerunt, quia mel dulce est: sic & Spiritus sancti participes Iesum cognoscit Dominum esse: Ex substantia igitur Filij, Spiritus sanctus est, & quasi* (vt ita dicam) *Dei ipsius qualitas ex ipso est.* Sequenti deinde lib. 14. cap. 1. fine. *Si ergo prodigia & signa per Paulum Christus operatur in virtute Spiritus sancti; naturalis quædam virtus, & & viuens, & (vt ita dicam) qualitas Deitatis Filij Spiritus sanctus est.* Præterea dialogorum de Trinitate lib. 6. colum. 5. Cyrillus ait: *Spiritus sanctus quasi qualitas sapientis diuinitatis.* Videlicet, quia nobis præbet gustandum atque videndum, quàm suauis est Dominus.

4 *Aqua.* *Aqua* vocatur Spiritus sanctus. Primò, quia sitim explet, idest appetitum boni. Secundò, quia lauat. Tertiò, quia extinguit ardorem concupiscentiæ. Quartò, quia largè liberalitérque diffunditur Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Vbi referens id esse dictum à scriptura, ostendit, aquam aliis in locis denotare Spiritum sanctum, veluti Isaiæ 44. sub initium. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum.* Et cap. 55. initio. *Omnes sitientes venite ad aquas*, &c. Ezechiel 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini*, &c. *Et Spiritum nouum*, siue vt post pauca dicit: *Spiritum meum ponam in medio vestri.* Eadem ob causas vocatur *fons viuus*, iuxta illud Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

5 *Ignis.* *Ignis* dicitur primò, propter efficacitatem inflammādi charitatem. Secundò propter vim purificandi. Tertiò, propter vim transformādi. Quartò, propter significationem acceptandi sacrificium, quando ignis, de cælo descendens illud consumit. Ideo Actorum 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis*, quando Spiritus sanctus datus est Apostolis. Hunc autem esse ignem, quem *Christus venit mittere in terram*, Lucæ 12. notant Chrysostom. homil. 6. in Matth. Hieron. Ezech. 9. & Matth. 3. & Ioël 2. & Isai. 66. Ambros. in Lucam cap. 12. August. serm. 108. de tempore & 185. Prosper de prædiction. parte 1. cap. 34. Gregor. Mag. homil. 30. in Euang. & in Ezech. homil. 2. & 5. & 8.

Probatur autem, quia sicut Matthæi 3. Baptista dixit: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni*; Sic etiam Actor. 1. Dominus ait: *Baptizabimini Spiritu sancto.* Ignis verò de cælo missus, ad significandam acceptationem sacrificiorum, legitur Genesis 15. vers. 17. & Leuit. 9. v. 24. & Iud. 6. vers. 21. & lib. 3. reg. cap. 18. & alibi. Rectè igitur Nazianz. orat. 49. de fide, colum. antepenult. *Populum*, inquit, *Israël in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis, quasi dux itineris præcedebat, vt Baptismi gratiam per nubem, & donum Sancti Spiritus per ignem ostenderet. Vnde & Apostolus in nube Patres baptizatos scribit, & Spiritum sicut ignem esse Apostolorum acta declarant.*

6

QVÆSTIO XXXIV.

De personis ad essentiam relatis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in diuinis essentia sit idem, quod personæ.

EGimus de hoc disput. 11. 12. 13. & 14. nec non disputat. 32.

ARTICVLVS II.

Vtrum sit dicendum tres personas esse vnius essentiæ.

DIsput. 20. cum sequentibus vsque ad 30. huic articulo satisfecit.

ARTICVLVS III.

Vtrum nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

1 PRÆCIPVA, quæ pertinent ad rem ipsam, discussa sunt alibi. Nam realis ac numerica singularitas & vnitas substantiæ vel essentiæ diuinæ propter quam tres personæ non sunt tres dij, sed vnus Deus, probata fuit tota disput. 22. Quæ restant, ad modum loquendi magis quam ad rem ipsam pertinēt, videlicet, Vtrum suppositorum habentium distinctio sufficiat, vt substantiua concreta multiplicentur, licet vnica sit forma, quam habent.

DISPV

DISPVTATIO LXXVII.

Vtrum nomina concreta singulariter tantum enuncientur, quotiescumque est vnica forma quam significant.

SECTIO I.

Abstractis breuiter expeditis, refertur sententia negatiua de concretis.

1 DISPVTATIONIS titulus propterea de concretis tantùm nominibus inquirit, quoniã de abstractis quod poterat in disputationem venire, superius tractatum est. Duo quippe sunt abstractorum genera, significantium diuinas perfectiones. Primum est eorum abstractorum, quæ transcendentia sunt certò, vel probabiliter esse videntur. De his ergo, num debeant multiplicari pro numero personarum, dictum est disp. 23. vsque ad 30. Nam disp. 23. examinatæ sunt tres substantiæ: disput. 24. tres essentiæ, vel tres naturæ: disput. 25. tres existentiæ: disput. 26. tres res, entitates, realitates, entia; disput. 27. sect. 1. & 2. durationes, æternitates, immensitates, vbicationes. In eadem disput. 27. sect. 3. dictum est de tribus vnitatibus, sect. 4. & 5. de tribus veritatibus, atque ibidem sect. 6. & 7. de tribus luminibus. Præterea disput. 28. vidimus, an sint tres infinitates, increabilitates, immortalitates: & sic de cæteris negatiuis abstractis, quæ Deo conueniunt. Denique disput. 30. præsertim sect. 3. de tribus perfectionibus actum est.

Abstracta transcendentia quæ multiplicentur.

2 Secùdum genus abstractorum proprium istius loci est eorum, quæ nullo modo sunt transcendentia; sicut sapientia, charitas, potentia, vita, gloria. De his omnes Scholastici, absque controuersia concedunt, singulariter & non pluraliter enunciari. Quod magis ex professo docuit August. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 8. & lib. 7. cap. 2. Eúmque sequitur Magister 1. dist. 22. cap. *Sciendum.* & cap. vlt. nec non scholastici omnes, verùm tacendo plures, quàm expresè affirmando.

Abstracta nõ transcendentia singulariter, nõ pluraliter efferuntur.

Ratio.

Ratio manifesta consistit in discrimine abstractorum à concretis. Abstracta namque significant formam, & nihil amplius significant, neque connotant: propterea que nullam aliam afferre possunt rationem, vt singulariter, aut pluraliter enuncientur, nisi vnitatem aut pluralitatem formæ. Consequens igitur est, vt non in plurali numero, sed tantùm in singulari debeant enunciari nomina abstracta, quæ significant aliquid essentiale & absolutum. Nam de nominibus abstractis, quæ significant aliquid relatiuum & notionale, constat, propter eandem rationem multiplicari.

3 Nec obstat, quod Nazianz. orat. 13. quæ est secunda de pace paulo propius ad med. quàm ad fin. dicat, Triniratem esse *vitas & vitam, glorias & gloriam:* nam addito singulari numero temperauit rigorem numeri pluralis, vt referatur ad personas, non ad earum vitam & gloriam. Denique modus ille loquendi fuit emphaticus, sed non imitandus. Nec obstat, esse plures ideas diuinæ mentis, plura attributa diuinæ essentiæ, pluréque perfectiones: imo etiam distinctas scientias simplicis intelligentiæ & visionis, distinctasque voluntates antecedentem & consequentem. Hæc enim abstracta non multiplicantur realiter pro numero personarum; sed sola ratione distinguuntur in essentia simplicissima respectu creaturarum.

Occurritur obiectioni.

4 Restat igitur controuersia de solis nominibus concretis, significantibus essentiam vel illius perfectiones absolutas. Quia concretum præter formam, aliquid amplius significat, aut connotat, videlicet, suppositum habens formam. Ideo rationem affert dubitandi, num vnitas formæ significatæ sufficiat, vt singulariter enuncietur, licet supposita sint plura, vel potius debeat pluraliter affirmari.

Status quæstionis.

5 Prima sententia fert, de rigore sermonis, & re ipsa spectata, potuisse multiplicari concreta substantiua propter multiplicationem suppositorum, licet vnica foret eorum forma: consequenterque potuisse concedi, tres personas diuinas esse tres Deos: si vsus Ecclesiæ haberet, Deos accipi personaliter, vt esset sensus, tria esse suppositа, quorum quodlibet habet Deitatem: verumtamen hoc Ecclesiæ vsum non admittere propter hæreticorum versutias. Ita breuiter Marsilius lib. 1. quæst. 5. art. 2. ad 5. fusiùs autem lib. 3. quæst. 2. art. 3. dub. 2. probat, quod si tres personæ diuinæ naturam eamdem assumpsissent, hypostaticè sibi vnitam; essent tres homines, & non vnus homo. De tribus diis idem, quod Marsilius, docuit Petrus de Aliaco lib. 1. quæst. 5. art. 1. multo propius ad finem quàm ad medium §. *ad secundam.*

Prima sententia periculosa de rigore sermonis multiplicari posse.

6 Eiusdem sententiæ semina posuit Ochamus lib. 1. dist. 12. quæst. 1. art. 2. post principium dicens, concreta nomina, siue sint adiectiua siue substantiua, supponere semper pro supposito habente formam: ideoque posse multiplicari multiplicatis suppositis, licet forma non multiplicetur. Idem omnino docet Gabriel in eadem dist. 12. quæst. 1. art. 2. prope finem tractans de principio spiratiuo. Cui consonat quod idem Gabriel scribit lib. 3. dist. 1. quæst. 2. art. 3. dub. 4. ad 2. nomina concreta non plurificari, nisi propter pluralitatem suppositorum: ideóque si vna persona diuina plures humanitates assumeret; fuisse dicendum non plures, sed vnum hominem. Colligitur idem ex Greg. lib. 1. dist. 12. quæst. 1. circa medium.

7 Solus autem Marsilius lib. 3. citato, suam sententiam argumentis confirmat. Primò, quoniam si vnica albedo parieres plures afficeret; essent alba plura, non vnum album: quia vnum corpus album non esset illud idem corpus album, quod est alter paries albus. Quod si non est idem album, manifestè sequitur esse plura alba. Eodem argumento probatur, esse plures scientes, substantiuè dictos; si vnica scientia plures homines vel angelos afficeret.

Primũ argumentum.

8 Secundum illius argumentum est, quia si Pater & Filius assumerent eandem humanitatem, non essent idem homo: quia Pater est suppositum aliud à Filio: ergo foret homo alius à Filio, ac proinde forent duo homines. Antecedens probatur, quia homo est nomen suppositi, ergo sicut multiplicantur suppositа, sunt etiam homines multiplicandi. Confirmatur, quia si humanitas eadem, quæ prius erat vnita diuinæ personæ, postea dimitteretur; foret alius homo non alia ratione, nisi quia foret aliud suppositum. Ergo similiter essent plures homines, si à pluribus suppositis simul assumeretur.

Secũdum argumentum.

His

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

His adde tertium argumentum, quoniam in Scriptura sacra, præsertim Genesis primo, Deus vocatur *Elohim*, quod apud Hebræos est nomen pluralis numeri, significans Deos, iudices, principes, de quo dicemus sect. 5. Quartum argum. quia pluralitas formarum absque pluralitate suppositorum, non sufficit ad multiplicandum concretum substantiuum: ideóque non esset plures homines, sed vnicus; si Verbum diuinum assumeret plures humanitates. Ergo pari ratione formæ vnitas absque vnitate suppositorum non sufficiet ad singulariter prædicandum substantiuum concretum.

9

SECTIO II.

Concreta substantiua, quæ significant aliquid absolutum, singulariter tantum de tribus personis, & non pluraliter prædicantur.

Prima regula.

1 COmmunis & vera scholasticorum sententia distinguit inter concreta substantiua & adiectiua, præscribens duas regulas. Quarum prima est. Substantiua singulariter tantùm de tribus personis, & non pluraliter enunciantur, si fuerit essentialis & absoluta forma, quam significant.

Secunda regula.

Secunda regula est. Adiectiua possunt non tantùm singulariter de vno Deo, sed etiam de tribus personis pluraliter enunciari, veluti dicendo, tres sapientes, ac tres omnipotentes, adiectiuè sumptis eiusmodi nominibus. Prædicta distinctio non reperitur expresè tradita per antiquos Patres, imo neque per Magistrum sentent. & eius contemporancos. itaque cæpisse videtur ab Alexan. & Alberto, licet eam magis illustrauerit S. Thom. & qui eum secuti sunt.

Authores.

2 Tradit igitur hanc sententiam imprimis obscurè Alexand. 1. p. quæst. 50. mem. 2. defendens, non esse tres deos, licet sint tres habentes diuinitatem. Et quæst. 70. memb. 3. art. 5. ad 2. distinguens ea, quæ substantiuè significant, & ab illis quæ verbaliter, aut participialiter. Albert. 1. p. quæst. 40. mem. 2. art. 2. colum. vlt. ad 2. quæst. incidentem. Et multo clariùs in primo sentent. distinct. 9. prout videre est apud Carthusianum in eadem distinct. 9. quæst. 1. colum. 3. fine. consonatque idem Albert. 1. p. quæst. 51. fine. Luculenter autem S. Thom. non solum in præsenti quæst. 39. art. 3. sed etiam 1. sent. dist. 9. quæst. 1. art. 2. S. Bonauentura 1. dist. 9. dub. litterali 2. & dist. 22. dub. literali 4. & dist. 23. art. 2. quæst. 4. Henricus in summa art. 34. quæst. 2. ad 6. & art. 54. quæst. 6. ad 9. quibus consonat art. 60. quæst. 6. & 7. & art. 75. tota quæst. 3. quamuis in solutione ad 2. discrepare videatur. Scotus etiam apertè dist. 12. quæst. 1. §. *Iuxta quæstionem.* Aureolus eadem dist. 12. art. 4. Durandus 1. dist. 9. tota quæst. 3. & dist. 29. quæst. 3. & 3. sent. dist. 1. quæst. 3. Ricardus 1. dist. 11. art. vnico quæst. 5. & 3. sententiarum dist. 1. art. 1. quæst. 4. ad 2. Carthus. 1. dist. 23. quæst. 2. colum. vlt. cum Ricardo, Albert. Ægidio, Petro & aliis scholasticis. Capreolus 1. dist. 4. quæst. 1. art. 1. colum. penultima, & dist. 12. art. 1. conclusione 1. & 3. & art. 3. colum. penult. Ferrariens. 4. contra gent. cap. 11. §. *circa istam propositionem.* Caietanus in præsen. art. 3. & 3. p. quæst. 3. art. 7. circa solutionem ad 2. Canariens. in commentario huius articuli 3. Vazquez disput. 155. cap. 4. & sequentibus, Molina 1. p. quæst. 36. art. 4. disput. 3. & 4. & quæst. 39. art. 3. disput. 1. Valentia 1. p. q. 13. de Trin. punc. 3. longè post med. & in controuersiis lib. 3. de Trin. Suarez lib. 3. de Trin. cap. 11. n. 8. & sequent. & lib. 4. cap. 12. Communiter expositores S. Thomę in præsenti quæst. 39. art. 3. Glossa & alij expositores decretalium cap. *firmiter* de summa Trinit. verbo *coæterni.* His concordat Altisiodoren. qua parte dicit, quod si tres personæ diuinæ assumerent eandem humanitatem, forent vnus homo, libr. 3. summæ tractat. 1. capite 1. quæstione 6.

Deus non potest dici numero plurali.

3 Regula posterior, quæ de adiectiuis agit, probanda differtur ad sect. 4. quamuis eius probatio virtualiter contineatur in principiis, quibus nunc directè & immediatè probatur regula prior de substantiuis non multiplicandis. Prima probatio sit hæc. Deus est nomen substantiuum; & non est multiplicandum pro numero personarum. Ergo quodlibet aliud nomen substantiuum, ad essentiam diuinam pertinens, non est multiplicandum pro numero personarum. Antecedens est de fide iuxta receptissimam Ecclesiæ doctrinam in symbolo Athanasij: *Quia sicut sigillatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres deos aut dominos dicere Catholica religione prohibemur.* Totaq; doctrina Patrum aduersus Ethnicos, deorum multitudinem refutat; & aduersus Iudæos & Arianos defendit, non inferri plures Deos, ex eo quod asserantur plures personæ, quarum vnaquæque sit Deus. Qui omnes semper recurrunt ad firmissimum fundamentum scripturæ, Deuteron. 6. monentis: *Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Rom. 3. *Vnus est Deus.* Et 1. Corinth. 8. *Non est Deus, nisi vnus.* Et Ephes. 4. *Vnus Deus.*

Eadẽ est ratio de cæteris substantiuis concretis.

4 Consequentia verò probatur, nam quæ ratio traditur à Patribus, ne tres personæ sint tres dij, nec ita possint appellari, eadem omnino conuincit, cætera substantiua nomina non posse multiplicari. Ratio namque est vnitas numerica & indiuidua Deitatis: at non minor nec alia est vnitas sapientiæ, charitatis, potentiæ, ac cæterorum Dei attributorum, quæ pertinent ad essentiam. Quæ omnes formæ vim eandem habent continendi sua concreta substantiua, ne multiplicentur, quam habet Deitas respectu sui concreti substantiui, quod est *Deus.*

Rationẽ tradunt Patres.

5 Quod autem personæ diuinæ propterea non sint, nec debeant dici tres dij, quoniam est vnica Deitas omnium, docent Patres, qui sequuntur. Damasus I. in professione fidei & anathematismis aduersus hæreses Apollinaris & Arij prope finem anathematizat eum, *qui diuiserit Deum Patrem, & Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum, affirmans deos dici, & non Deum propter vnam Deitatem ac potestatem.* Obserua rationem in postremis verbis, quam repetit post pauca: *De Patre, & Filio & Spiritu sancto propter vnam aqualémque Diuinitatem non deorum nomina, sed Dei nostri traditur.* Similiter Hormisda Papa epist. 1. aduersus Nestorium & Eutychem cap. 2. initio, *Trinitas,* inquit, *Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus Deus vnus. Qui aliter habet, necesse est aut diuinitatem in multa diuidat,* &c. Et post pauca: *Vnitas non admittit essentiæ separationem.*

6 Nazianz. orat. 37. quæst est 5. de Theol. circa med. refert obiectionem hæreticorum, quod sicut homines sunt plures, & non vnus homo, licet eorum humanitas sit vna; sic tres personæ deberent dici tres dij, licet earum Diuinitas sit vna.

vna. Respondet autem: *Illic communitas vnitatem habet cogitatione sola considerabilem*, videlicet, quoniam humanitatis vnitas non est realis, sed per abstractionem intellectus. At verò Deitas vnitas est realis & indiuidua. Cyrillus Alexand. dialogor. de Trinit. lib.6. colum.4. ait: *Non secernitur Pater à Filio sicut angelus ab angelo, neque sicut nobiscum aliquis ab aliquo, totus à toto distinctus est.* Vnde tanquam inconueniens infert: *Non ne essent duo dij, cum vna & sola intelligatur Deitas?* Plura de hac ipsa ratione ex Damasceno, Ambrosio, Fulgentio, Ricard. Victorino, aliisque Patribus retuli supra disput.22. sect.3. Confirmatur, quia non potest afferri solida ratio discriminis, ob quã hoc substãtiuum *Deus* potius, quàm alia essentialia concreta non possit multiplicari pro numero personarum; maximè si non fuerint verbalia concreta, quia verbalia sapiunt conditiones adiectiuorum, de quibus dicemus sect.4.

7 *Patres generaliter prohibent numerũ pluralem in absolutis perfectionibus.*

Probatur secundò, nam alij Patres generaliter absque vlla exceptione prohibent, plurali numero prædicari quæcumque nomina, significantia perfectionem essentialem & absolutam Dei, cum nomine *Deus* æquiparantes cætera cuncta nomina. Vnde quoniam ex aliis testimonijs eorumdem & aliorum Patrum constat, licere pluralem numerum in adiectiuorum enunciatione: consequens est, vt minimum, in substantiuis concretis prædictum præceptum permanere firmum & inuiolatum: alioqui penitùs euanesceret.

8 Gregor. ergo Nyssenus toto lib. ad Ablabium, cui titulus est, *Quod non tres dij*, rationem huius locutionis examinans, insistit in vnitate indiuidua naturæ, ratione cuius nulla diuisio, nec distinctio reperitur in Deo, præter eam, quæ consistit in relationibus originis. Vnde circa med. infert: *Idcirco propriè vna Deitas, & vnus Deus est, & alia omnia, Deo conuenientia, nomina singulariter efferuntur.* Atque iterum prope finem eiusdem libri: *Multitudinis*, ait, *Significationem in sese non admittit, sed vna dicitur natura; ita cætera quoque omnia singulariter nominantur, Deus, bonus, sanctus, seruator, iustus, iudex, & si quod est aliud augustum nomen.* Postremáque totius libri verba sunt: *Vnus Deus est, & alia omnia Deo conuenientia nomina sigulariter efferuntur.*

9 Augustinus lib.5. de Trinit.cap.8. init. præcipit esse tenendum, *Tantam vim esse eiusdem substantiæ in Patre Filio & Spiritu sancto, vt quidquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur:* Vnde continuò infert, neque esse *tres Deos, neque tres magnos, neque tres bonos.* Et tam ibi, quàm 11. cap. monet, in Deuteronomio dictum esse Deum vnum, non intelligendo vnicam personam tantum, sed Patrem, Filium, & Spiritum sanctum comprehendendo. Rursus lib.8. de Trinit. cap.1. sub init. *Quod verò ad se dicuntur singuli, non dici pluraliter tres, sed vnam ipsam Trinitatem; sicut Deus Pater, &c. Nec tamen tres dij, aut tres domini, aut tres omnipotentes; sed vnus Deus, Dominus, omnipotens ipsa Trinitas, & quidquid aliud non ad inuicem relatiuè, sed ad se singuli dicuntur.* Eandem doctrinam repetit serm. 38. de tempore inter princ. & med. & paulo post med.& iterum col.sequenti, deindéque paulo propius ad fin.quàm ad med. idem lib.2. de symbolo ad catechumenos cap.4. prope fin. *Non audemus*, inquit, *dicere tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres inuisibiles, nec tres immortales.*

10 Boëtius lib.de Trin.non longè post principium de Catholica Ecclesia prælocutus, adiungit: *Cuius hæc est de Trinitatis vnitate sententia: Pater, inquiunt, Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; igitur Pater, Filius, Spiritus sanctus vnus Deus, non tres dij, cuius ratio est indifferentia.* Id est, vnitas naturæ sine discrimine, vt magis declarat inferiùs. Et prope finem eiusdem libri; *Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem, atque ideo sola sigillatim proferũtur ac separatim quæ relationis sunt. Nam idem Pater, qui Filius, non est; nec idem vterque, qui Spiritus sanctus; idem tamen Deus est & Pater & Filius & Spiritus sanctus, idem iustus, idem bonus, idem magnus, idem omnia, quæ secundum se poterunt prædicari.* Præterea sequenti lib. de substantiali prædicatione Diuinitatis ante med. docet, hoc signo deprehendi posse, *quæ sint quæ de Diuinitatis substantia prædicentur*, (videlicet tanquã essentialia & absoluta prædicata.) *Quod quæcumque hoc modo dicuntur de singulis, in vnum collectis tribus singulariter prædicabuntur hoc modo. Si dicimus: Pater Deus est, Filius Deus est, Spiritus sanctus Deus est; Pater Filius ac Spiritus sanctus vnus Deus.* Perpende hoc esse dictum exempli causa, vt idem intelligatur de cæteris nominibus significantibus substantiam, & eius perfectiones absolutas.

11 In Athanasij symbolo Catholica Ecclesia profitetur. *Non tres æterni, sed vnus æternus, sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus. Non tres omnipotentes sed vnus omnipotens, non tres domini, sed vnus est Dominus.* Quæ breuiter præstrinxi, quoniam sunt omnibus nota. Atque idem Athanasius in lib. 6. de beatitudine Filij Dei, & præscriptione sectæ pessimæ, prope finem; maledicit ei, qui confitetur *tres omnipotentes.* Et sermone de Sanctissima Deipara col.2. *Vnum*, inquit, *Deum in tribus subsistentijs prædicantes, in quibus vna sit substantia, vis & efficacia, & quæcumque huius generis circa substantiam considerari possunt.*

12 Iuxta prædictam regulam loquuntur plurimi Patres. Ignatius epist. ad Philippen. multo propius ad princ. quàm ad med. negat *tres increatos*, dicens: *Dominus præcepit, vt baptizarent in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, non in vnum trinominem, nec in tres increatos, sed in tres eiusdem honoris.* Gregor. Bæticus lib.de Trin.multo propius ad med.quàm ad fin. de Patre & Filio ait: *Non duo omnipotentes, sed vnus omnipotens.* Eodem modo loquitur Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 24. ante med. *Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.* Beda in Ioan.cap.8.ad illud. *Principium, qui & loquor vobis*: ait: *Non tria principia, non tres omnipotentes.* Doctrinam supra relatam ex August. lib. 5. de Trinitate sequitur Magister 1. distinct. 22. cap. *sciendum*, & cap. vltimo & omnes Scholastici initio citati.

13 Tertia probatio veluti confirmatio præcedentium est, & refutatio solutionis, quam adhibet contraria sententia, dicens, propter vsum Ecclesiæ ad vitandas hæreticorum versutias, non esse dicendos tres deos; quamuis essent concedendi de rigore sermonis. Hoc enim temerarium & periculosum esse probatur, quoniam inde sequitur primò, nomen *Deus*, iuxta primariam suam impositionem, quam habebat, antequam reuelaretur distinctio personarum, ita significasse diuina supposita, vt ex vi suæ propriæ significationis, deberet multiplicari, & dici tres personas esse tres deos, postquam reuelata est personarum distinctio: quia nunc eadem vis & proprietas perseuerat in significatione nominis. Sequitur

Censura & inconuenientia contrariæ sententiæ.

Secundum. Sequitur secundò, impropriam significationem eiusdem nominis vsurpatam fuisse à Deo in sacris literis, quando reuelauit vnum Deum, & proprius potuisse reuelare tres Deos.

14 *Tertium.* Tertiò sequitur, eum qui dixisset tres Deos, & non tantum vnicum esse, proximiùs ad veritatem accessisse: longiùs verò recessisse qui negauit tres deos, quoniam impropria locutio vicinior est falsitati, quàm veritati. Quartò sequitur, fuisse non tantum otiosum, sed etiam pernicioſum locutionis proprietati tantum Ecclesiæ laborem & antiquorum Patrum, vt non solum à mentibus Ethnicorum, sed etiam ab animis Christianorum euellerent propensam facilitatem intelligendi tres personas esse tres deos, vt infererent esse vnum Deum. Hæc quatuor sunt valde absurda, & periculosa, præsertim cum Ecclesiæ doctrina non modò rerum veritatem doceat, sed etiam in ordine ad illam, complectatur voces ac modos loquendi melius comparatos ad euitanda erroris pericula.

Quartum.

15 *Quia est vnicum principium spirationum, probatur prædicta regula.* Quartò probatur, quia spiratio actiua, quæ est forma significata per *principiũ spirationum*, conuenit duabus personis, videlicet, Patri & Filio: nihilominus non sunt duo principia spiratiua, sed vnicum tantum principium spiratiuum: idque propterea, quoniam vnica est spiratio constituens spirationum principium: quemadmodum Concilia, Patres, & scholastici decreuerunt supra disputatione 70. præsertim sectione 1. & 2. Ergo quibuscumque nominibus substantiuis significata fuerit forma realiter vna, licet pluribus personis conueniant, non poterunt pluraliter, sed tantùm singulariter enunciari. Cõfirmatur, quia licet in eo sit disparitas, quod spirationum principium est notionale, ac relatiuum; nomina verò substantiua, quæ tractamus in præsenti, sunt essentialia & absoluta: cæterum totalis & adæquata ratio non enunciandi pluraliter sed singulariter: prorsus eadem est, videlicet vnitas formæ, significatæ per nomen.

SECTIO III.

Ratio à priori & corollarium, amplians regulam suprà dictam.

1 POstremam probationem à priori tradit sanctus Thomas in præsenti artic. 3. quia nomina substantiua significant aliquid per modũ substantiæ. Substantia verò sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem vel multitudinem. Ergo singularitas vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen. Contraria tamen ratio militat in adiectiuis nominibus, vt videbimus sect.4.

2 *Obiectio Scoti.* Rationem hanc impugnat Scotus 1. distinctione 12. quæstione 1. §. *iuxta quæstionem*, quia terminus numeralis ponit significatum suum circa significatum sui determinabilis. Significatum verò substantiui & adiectiui est idem, (nec enim differunt, nisi modo significandi) ergo idem omnino singularizatur vel pluralizatur in nominibus substantiuis & adiectiuis, nec diuersus modus significandi poterit esse ratio, propter quam sit falsitas in plurificatione substantiuorũ, quando veritas est in plurificatione adiectiuorum, significantium eandem formam.

3 *Discrimẽ inter adiectiua & substantiua.* Respondetur, distinguendo Maiorem & Minorem. Terminus numeralis ponit significatum *Ruiz. de Trinitate.* suum circa significatum per modum suppositi subsistentis, non verò circa significatum per modum accidentis, adiacentis alteri. At verò in substantiuis & adiectiuis nominibus licet sit idem significatum formale; nihilominus longè diuersum est quod significatur per modum suppositi subsistentis. Nam in substantiuis idem est significatum formale & significatum per modum suppositi subsistentis. At in adiectiuis est diuersum, quia significatum formale significatur per modum alteri adiacentis: materiale verò siue connotatum habens affertur, quasi suppositum per se subsistens. Eadem est in re ipsa solutio Caietani præsenti art.3. §. *ad secundam.*

4 *Obiectiones Aureoli. Prima.* Aureolus autem 1.distinctione 12. articulo 4. sub initium eandem rationem sancti Thomæ superficialem esse, dicit. Primò, quia non reddit causam, quare substantiua numerentur secundùm formam significatam sed adiectiua non item. *Secunda.* Secundò, quoniam adiectiuum significat solam formam sine supposito; albus enim significat solam albedinem. *Tertia.* Tertiò, quia non solùm adiectiua nomina, imò verba & participia numerantur secundùm supposita: vnde oportet, quod generaliter assignetur regula. *Quarta.* Quartò inserit eandem obiectionem, quam nuper ex Scoto relatam diluimus: ideóque illa prætermissa, breuiter respondetur ad prædicta.

5 *Solutio.* Ad primum respond. Satis aperta causa redditur à S.Thoma, quoniam substantia sicut per se habet esse, ita etiam per se habet vnitatem, *&c.* Ad secundum respond. Illud antecedens vel simpliciter falsum esse, vel nititur solo vocabulo. Cõstat enim apud logicos, adiectiuis nominibus vltra formam, significari de materiali, seu connotari (vt alij loquuntur) suppositum, quod est quasi subiectum, cui adiacet illa forma. Ad tertium respond. Quidquid de participijs & verbis dici potuisset, comprehensum est in nominibus adiectiuis: nam participia, quãdo sumerentur substantiuè, non possent multiplicari: sed quoniã vt plurimum adiectiuè sumuntur, subeunt multiplicationem adiectiuorum. Deinde verba omnia, (præter illud vnum, quod appellatur substantiuum, videlicet *sum, es, fui.*) sunt adiectiua, ideo pluraliter enunciari debent, veluti dicendo Pater Filius & Spiritus S. sciunt, volunt, amant. Ita loquũtur Patres & scholastici tractãtes, de dilectione, qua Pater & Filius se diligunt, supra disp.71.& sequẽtib.

De participijs & verbis.

6 *Rationes aliæ reducendæ sunt ad primam.* Iidem authores Aureolus & Scotus reiecta ratione S. Thomæ, tradunt alias, quæ vix habent aliquid roboris, nisi quod accipiunt ab illa, tanquam à prima radice, Scoti namque fundamentum est dependentia nominum adiectiuorum à substantiuis, vnde prouenit, vt quoties adiectiua nomina dicuntur de Deo, non exprimendo substantiuum, suppleri debeat substantiuum, significans personas siue masculino siue fœmineno genere: & consequenter numerali termino superaddito, non numerari formam adiectiuorum, sed numerari substantiuum: quia numeralis terminus est adiectiuus; proptereáque suum significatum applicat ad substantiuum, à quo dependet. Aureoli fundamentum est idem, sed grammaticali sermone propositum, quoniam in omni constructione suppositum gubernat totam orationem; eo quod omne appositum habet rationem dependentis secundum modum intelligendi. Vnde prouenit, vt pluralitas semper referatur ad suppositum orationis, quod est so-

lummodo nomen substantiuum, & non adiectiuum.

7 Hæc duo fundamenta manifestè robur accipiunt ex alio priori atque firmissimo, videlicet, quoniam substantia sola habet esse per se; substantiuum verò nomen significat per modũ substantiæ, sicut in principio dicebamus. Hoc igitur supposito, possunt admitti rationes Scoti & Aureoli, tanquam declarationes & confirmationes primariæ rationis. Denique contra nonnullos authores obseruandum est, rationem singulariter enunciandi de Deo quæcumque nomina substantiua, nihil omnino pendere à subsistentia communi, essentiali & absoluta, quam illi conantur inducere, facientes quoddam suppositum, aut semisuppositum absolutũ & essentiale. Quod impugnatum est satis disput. 34. sectione 5. & sequentibus.

Veritas hæc nihil pendet à subsistentia communi.

8 Corollarium, ex prædicta ratione procedens, est ampliatio regulæ traditæ in sectione præcedenti, ad omnia nomina substantiua, nullo excepto, ita vt nec excipiantur nomina verbalia, nec excipiantur quæ significauerint formam superuenientem supposito iam constituto, nec quæ significant actum liberum, nec quæ relationem rationis ad creaturas de formali significant, vel de materiali, vel secundariò connotant. Primò namque nonnulli doctores excipere voluerunt nomina verbalia, cuiusmodi est gubernator, creator, prouisor, imperator, rector, iustificator, inspector, custos, vigil, & similia: eo quod ista nascantur à verbis adiectiuis, & inde contrahant similitudinem adiectiuorum, atque degenerent à perfecta ratione substantiuorum. Cuius indicium esse dicunt, quia substantiua plura simul in eadem parte orationis non ponuntur, absque coniunctione, nisi loquendo impropriè. At verò verbalia nomina sicut adiectiua, poni solent eo modo.

Ampliatio regulæ.

Verbalia nomina excipiũtur à quibusdam.

9 Posset confirmari, quoniam in Nicæno Concilio Pater Filius & Spiritus sanctus dicuntur *opifices*. Verumtamẽ hoc explicabitur sect. 4. Quod autem Hilarius asseruit *authores*, & Hugo Ætherianus *donatores*, declaratum fuit disput. 70. sect. 2. arg. 4. Vbi retulimus etiam plures scholasticos, qui videntur hanc eandem sententiam tenuisse, videlicet Albertum, Alexand. S. Bonau. S. Thomam olim in 1. sent. Henricum, Ægidium, Carthusianum, & Durandum.

10 Nihilominus dico primò, substantia verbalia teneri generali lege substantiuorum, ne pluraliter prædicentur, quando forma fuerit vnica. Ita docent S. Thomas, Scotus, Marsilius, Aureolus, Carthusianus, Caietanus, Ricardus, & alij, qui prædicta disputatione 70. argumento 4. negant Patrem & Filium *esse duos spiratores*. Atque idem sentiunt authores cæteri, pro contraria parte relati. Nam præter Albertum & Alexandrum, qui nullam faciunt mentionem de nomine *creatoris*, reliqui omnes authores expresè fatentur, tres personas non esse tres creatores, sed vnum creatorem, quia creatio non præexigit in suppositis distinctionem realem, quam præexigit spiratio actiua. Atque ita procedunt S. Bonau. S. Thom. Henric. Ægidius & Carthusian. locis ibi citatis, Durandus magis ex professo 1. dist. 29. quæst. 3. num. 6. fine. Confirmatur Ecclesiastici 1. *Vnus est Altissimus creator omnipotens & rex potens.* & Iacobi 4. *Vnus est legislator & Iudex.* Denique ratio prorsus eadem, aut euidentior est in cæteris nominibus substantiuis, quæ nihil relatiuum, sed solam perfectionem absolutam & communem significauerint.

Verbalia substantiua tenentur generali regula.

11 Dico secundò. Tres personæ diuinæ non essent tres homines, sed vnus tantùm; si omnes simul, aut successiuè assumpsissent eandem humanitatem, & licet vna persona dimitteret illam, quam assumpsisset priùs, & alia persona postea eandem assumeret; nec non licet maneret humanitas separata à qualibet persona diuina, subsisténsque propria subsistentia creata. Ratio generalis est, nam in ijs omnibus casibus humanitas esset vnica forma, significata per nomen adiectiuum homo: licet essent distincta suppositа habentia. Atque ita existimant authores citati sectione 2. sub init. Nec obstat, quod aliquos terret, humanitatem non manere vnitam eisdem suppositis, aut fortè suppositum creatum periisse. Nam licet angelus annihilatus esset, & iterum reproductus à Deo; foret idem angelus: ergo periisse quod antea fuerat in hoc homine, non obstat, quominus maneat idem homo, quamdiu humanitas est eadem.

Tres personæ diuinæ si assumpsissent eandẽ humanitatem, non essent tres homines.

Non obstat variatio suppositorum.

12 Dico tertiò. Licet substantiua nomina relationem Dei ad creaturas significent de formali, vel de materiali connotent, siue relatio illa sit æterna, simplicitérque necessaria (qualis est relatio diuinæ scientiæ, & complacentiæ ad creaturas possibiles) siue fuerit relatio libera, quæ potuit non esse, licet sit ab æterno (qualis est relatio amoris efficacis & scientiæ visionis ad creaturas existentes) siue sit relatio ex tempore superueniens Deo, (vt relatio Creatoris & Dómini) omnia hæc substantiua sine discrimine tenentur seruare generalem regulam enunciationis in numero singulari tantùm.

Quæ significant relationem Dei ad creaturas, eadem regula tenentur.

13 Quamobrem tres personæ diuinæ sunt vna sapientia siue scientia, vna voluntas, vna potentia, vna operatio, vna prouidentia, vnum imperium, vna prædestinatio aut reprobatio. Nec licet aliquod istorum nominum in numero plurali prædicare de pluribus personis. Quamuis enim propter distinctionem rationis Theologi duas scientias, duas voluntates, aut duas potentias diuidant: hanc distinctionem non efficiunt propter distinctionem personarum, in ordine ad quas fatentur identitatem omnimodam; sed tantùm in ordine ad obiecta. Sic enim Psalm. 15. *Mirificauit omnes voluntates meas in eis.* & Psalm. 110. *Exquisita in omnes voluntates eius.* Et Isaiæ 46. *Omnis voluntas mea fiet.* Verùm nomina certiorem habent rationem singularitatis, excludentis plurificationem ratione personarum, quoniam non modò substantiua sunt, sed etiam abstracta, de quibus nulla est difficultas, vt vidimus sectione prima, ideo Damasus Primus in Concilio Roman. 3. professione fidei & anathematismis aduersus hæreses Apollinaris, Arij, Sabellij, &c. post med. decernit: *Si quis non dixerit, Patris & Filij & Spiritus sancti vnam Diuinitatem, potestatem, maiestatem, vnam gloriam, dominationem, vnum regnum, atque vnam voluntatem, ac veritatem, anathema sit.*

Vna scientia, volitio, &c.

14 Quartò colligitur ex dictis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum comparatione creaturarum non esse tria principia, sed vnum principium: quoniam hoc nomen substantiuum est. Ideo Innocentius Tertius in Concilio Lateranens. cap. *firmiter*, de summa Trinitate, de tribus personis coæternis ait: *Vnum vniuersorum principium, creator omnium.* Cui consonat quod Patres tanquam hæretica confutant plura principia, vt vidimus disput. 48. sect. 4. Confirmatur primò à fortiori, quia neque Pater solus comparatione Filij, nec Pater & Filius simul comparatione Spiritus sancti vocari debent plura principia, sed vnum principium, vt ex Concil. Lugdunensi & Florentino, arque Anselmo probatum est disputatione 70. sect. 2. prope finem. Confirmatur secundò, quoniam Athanasij symbolo profitetur Ecclesia: *Non tres domini, sed vnus est Dominus.* Eadem autem est ratio de principio. Dominus enim constituitur Deus relatione ad creaturas, quæ superuenit illi simul cum relatione principij, quando creat in tempore.

Nõ tria principia creaturarũ, &c.

SECTIO IV.

Adiectiua nomina, licet significent aliquid absolutum, possunt de tribus personis pluraliter prædicari.

1 HAnc regulam, in sectionis titulo præfixam, tradunt omnes scholastici, pro regula priori de substantiuis citati sect. 2. Nec dissentiũt Patres, qui in eadem sect. 2. probatione 2. generaliter prohibent, plurali numero prædicari quæcumque nomina, significantia perfectionem essentialem & absolutam Dei, non excipientes adiectiua nomina, neque mentionem facientes distinctionis inter substantiua & adiectiua. Nam iidem alijque Patres, alijs in locis aliqua nomina essentialia & absoluta de pluribus personis pluraliter enunciant. Quo facto virtualiter & implicitè distinguunt adiectiuorum regulam, quam eorum conceptus parturiebat adhuc, sed nondum in lucem ediderat.

Patres pluraliter enunciant aliqua nomina essentialia.

2 Sic enim Damasus I. in Concil. Roman. tertio, professione fidei, & anathematismis aduersus hæreses Apollinaris, Arij, Sabellij, &c. inter med. & fin. statuit: *Si quis tres personas non dixerit veras Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, æquales, semper viuentes, omnia cõtinentes visibilia & inuisibilia, omnipotẽtes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia saluantes, anathema sit.* Nicænum Concilium lib. 2. multo propius ad med. quàm ad fin. §. *in lib. Iob.* sub initium, dicit *æqualem peritiam artificum*, videlicet Patris, Filij & Spiritus sancti. Et post pauca: *Quorum creationis æqualis est fabrica, æqualis etiam sit opificum appellatio.* Dicit itaque pluraliter artifices & opifices. Quæ nomina licet apud Latinos sint substantiua, fortasse tamen in originali Græco sunt adiectiua participia: vel certè, quoniam operationem significant, potuerunt non absurdè tanquam adiectiua poni: maximè quando agebatur de æqualitate in ratione opificis. Æqualitas enim, cum sit relatio, non intelligitur absque pluralitate extremorum, quæ sint æqualia.

3 Athanasius *Tres principij expertes & aborigenes* vocat tres personas diuinas, in quæstionibus de natura Dei quæst. 13. Epiphanius in Ancorato paulò post med. dicit: *Tria sancta, tria consancta, tria in forma, tria conformia, tria operantia, tria cooperantia, tria in substantia extantia, tria coëxistentia in substantia, inter se conuersantia.*

4 Nazianzenus oratione 13. quæ est secunda de pace, paulo propius ad med. quàm ad fin. numero 24. Trinitatem laudat his vocibus: *Vitas & vitam, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam, veram ac veritatem, ac spiritum veritatis,* Ruiz. *de Trinitate.*

Emphaticè loquitur Nazianzenus.

sancta & sanctitatem ipsam. Vbi quod ad præsens attinet, est pluraliter appellari bona & sancta. De cætero, quo modo pluraliter vitas, lumina & glorias potuerit Nazianz. appellare tres personas, cum ista nomina sint non modò substantiua, sed etiam abstracta; dicendum est, emphaticè fuisse locutum ad significandam pluralitatem suppositorum, quod autem falsitatis significabatur in pluralitate formarum, cautè correxisse per subiunctam repetitionem eorundem nominum in numero singulari.

Augustinus in quæstionibus Veteris testamen. quæst. 9. *Deus*, inquit, *habet ex æternis alterum, qui sit cum altero.* In Athanasij symbolo vniuersalis Ecclesia profitetur: *Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Innocent. III. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate parum à princ. *Pater generans*, inquit, *Filius nascens, Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes & coæterni.* Quinetiam omnes Theologi numero plurali dicunt *diuinas personas*, licet non dicant deos, quia *diuinum* est nomen adiectiuum.

5

6 Eadem ratione Patrem & Filium *spirantes*, in numero plurali vocantur à Concil. Florentino, & ab omnibus scholasticis: eodémque sensu *proferentes* dicuntur à Gregor. Magno: vt vidimus disput. 70. sectione 2. argum. 4. Ibidem autem *authores Spiritus sancti* dicuntur ab Hilario, & *donatores* ab Hugone Ætheriano, non aliter quàm adiectiuè sumendo nomina, quæ sunt ex se substantiua.

6

7 Ratio S. Thomæ in præsenti artic. 3. est, quia nomina adiectiua significant diuinas perfectiones per modum accidentis inhærentis in subiecto. Accidens autem sicut habet esse in subiecto, ita à subiecto suscipit vnitatem vei multitudinem. Quam ob causam in adiectiuis singularitas aut pluralitas attenditur secundum suppositа, habentia formam, quæ nomine significatur. Consequens igitur est, vt quoniam tres personæ sunt tria suppositа, habentia bonitatem, iustitiam, misericordiam, & alias perfectiones, ideo Pater & Filius & Spiritus sanctus vocari possint tres boni, iusti, misericordes, & sic de cæteris adiectiuis in numero plurali. Confirmat Durandus 1. distinctione 9. quæst. 3. quoniam adiectiua concordare debent cum substantiuis in numero, sicut Grámatici præcipiunt. Addítque exemplum de pluribus trahentibus nauem eodem tractu, quod non videtur satis accommodatum ad rem præsentem.

Ratio à priori.

8 Peculiaris autem ratio concedit pluralitatem adiectiuis quibusdam, quia licet principaliter significent aliquam perfectionem essentialem & absolutam, simul tamen significant relationem (siue realem siue rationis) videlicet, æqualitatem, aut similitudinem, aut identitatem in ea perfectione. Cum autem huiusmodi relatio non possit intelligi sine pluribus, relatiuè conuenientibus in ea perfectione, fit, vt ea nomina pluraliter debeant de pluribus personis prædicari. Hac ratione Pater Filius & Spiritus sanctus dicuntur nõ solum *coæquales & consimiles*, sed etiam *coæterni, coomnipotentes, consancti, coëssentiales, consubstantiales, conformes, coëxistentes, conuersantes, cooperantes*, vt aliqui Patres citati dixerũt. Hanc peculiarem rationem obseruauit meritò S. Thomas 1. sent. dist. 9. quæst. 1. artic. 2. ad 1. S. Bonauent. eadem distinctione 9. dubio literali 2. Ricard. 1. distinct. 22. quæstione 7.

Peculiaris ratio quorũdam adiectiuorũ, vt pluraliter dicãtur.

9 Inde tamen nihil eneruatur regula generalis nec illius probatio, desumpta ex testimonijs Patrum; quoniam simul cum adiectiuis, consignificantibus prædictas relationes, coniungunt Patres adiectiua, quæ nihil relatiuum consignificant, sed meram perfectionem absolutam. Quod magis expressè præstitit Epiphanius citatus.

10 *Licet substantiuè sumerẽtur, deberent dici pluraliter & nõ singulariter.* Ex hac peculiari ratione procedunt duo discrimina talium adiectiuorum à reliquis. Primum est, ea nomina, quæ consignificant relationem, licet non adiectiuè, sed substantiuè sumerentur, possent pluraliter prædicari, veluti dicendo tres coæternos, coomniporentes etiam substantiuè. Quod tamen repugnat nominibus cæteris. Secundum discrimen est, eadem nomina consignificantia relationem, non possunt de vno Deo singulariter prædicari. Vnus enim non est sibi coæternus nec consubstantialis. Vt obseruauit sanctus Thomas nuper citatus ex distinctione 9. quæstione 1. artic. 1. ad 1. Cætera tamen nomina, licet adiectiua sint, possunt de vno Deo singulariter prædicari, quatenus vnus ipse habet in se perfectiones omnes. Talis autem appellatio in numero singulari passim occurrit in sacris literis, dicendo, Deus, bonus, iustus, rectus, sapiens, patiens, misericors, & his similia.

SECTIO V.

Vtrum Elohim *plurali vel singulari numero Deus in Sacris literis appelletur.*

1 CONtra regulam substantiuorum nominum, supra traditam, celebre argumentum accipitur ex primis verbis totius scripturæ vbi dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Nam Hebraica veritas habet *Elohim*, quod potest interpretari dij, siue iudices: & hoc dicitur propter pluralitatem personarum: ergo tres personæ sunt plures dij, & non vnus. Confirmatur, nam hoc testimonio Magister 1. sent. distinct. 2. cap. *nunc verò*, pluralitatem personarum probat significatam deorum nomine. Quem sequitur ibi S. Bonauentura dubio literali 8. & distinctione 4. articulo vnico, quæst. 3. S. Thom. tacitè consentire videtur distinctione 2. in expositione textus. Clariùs autem in præsenti quæstione 59. artic. 3. ad 2. Quam eandem solutionem tradiderat prius Alexand. prima parte quæstione 50. memb. 2. ad 2. ac magis ex professo defendit illam doctrinam Carthusianus prædicta distinctione 2. quæstione 8. Alij scholastici tacendo probare videntur, veluti Durandus in expositione textus.

Personarum pluralitas significata Elohim nomine.

2 Eandem Magistri sententiam secuti sunt Nicolaus de Lyra & Paulus Burgens. Genesis 1. Galatinus lib. 2. de arcanis cap. 9. Catharinus lib. 4. contra Caietanum. Augustinus Eugubinus Genesis 1. verbo *Deus*. & Genes. 20. prope fin. Oncala in Genesim cap. 20. Ricardus autem 1. distinct. 4. articulo vnico, quæst. 3. ad 1. dubitare videtur. Quibus consonat quod Genebrardus in Psalm. 110. versu 2. notat in Hebræo legi. *Exquisita in omnes voluntates eorum*, id est, Dei qui trinus & vnus, *&c.* Similiter etiam Psalm. 10. dicitur: *Æquitatem vidit vultus eorum.* vbi Vulgata legit: *vultus eius.* Et Psalm. 36. vbi legimus: *Dominus irridebit eum.* in Hebræo legitur: *Dominus ridebit.*

3 Respondeo nihilominus & Dico primò, Vox *Elohim* quoties refertur ad verum Deum, non habet sensum pluralis numeri, sed tantum singularis: ac subinde non refertur ad pluralitatem personarum, sed ad vnum & singularem Deum. In hac assertione conueniunt Abulensis in quodam tractatu de Trinitate, pugnans acerrimè contra Nicolaum de Lira. Caietanus Genesis 1. vbi Pererius disput. 17. Bellarminus tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 6. colum. 1. Vazquez 1. p. disput. 108. cap. 2. colum. 3. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 12. fine. Ad hoc verò magis inclinat Ricardus supra citatus. Verum tamen in modo declarandi non parum dissident authores citati. Caietanus enim asserit, nomen *Elohim* apud Hebræos carere singulari terminatione. Ducitur autem duobus indicijs, quæ solummodo probant, eam terminationem accipi multoties in sensu singulari, vt statim videbimus.

Elohim *singularis numeri quando sit.*

4 Dico igitur secundò. Nomen *Elohim* habet aliam terminationem propriam numeri singularis, videlicet, *Eloha*. Ita notauit Eugubinus Genesis 1. sub init. in verbo *Deus*. & Pererius ibi disputatione 17. sub init. asserit, vocem in illa terminatione reperiri. Iob cap. 12. in illis verbis. *Inuocauit Deum, & exaudiet eum.* Et cap. 36. in illis verbis. *Adhuc habeo, quod pro Deo loquor.* & Habacuch cap. 1. *Hæc est fortitudo Dei sui.* Et cap. 3. *Deus ab austro veniet.*

Eloha *singularis numeri proprium.*

5 Dico tertiò. *Elohim* sub hac vnica terminatione multoties habet significationem numeri singularis, licet alibi significet pluraliter Deos. Itaque in hac terminatione est quædam veluti æquiuocatio, quæ tollitur ex adiuncto verbo, vel adiectiuo numeri singularis, vel ex re significata. Quemadmodũ apud Latinos quamplurima nomina sunt eiusdem terminationis in numero singulari & in plurali. Veluti *dies, sensus, actus, effectus*; cum hoc tamen discrimine, quod *Elohim* habet etiam aliam terminationem propriam solius numeri singularis, vt vidimus assertione præcedenti. Quod tamen in Latinis nominibus non reperio, nisi forte participium hoc *effectum*, accipiamus vt nomen, quod erit numeri singularis, & simul *effectus* erit vtriusque numeri pluralis & singularis. Hæc itaque vis seruiendi numero singulari, vel plurali, conueniebat huic vocabulo ex vsu vulgari & recepto Hebræorum.

Elohim *singularis & pluralis est numeri.*

6 Probatur primò, quoniam Spiritus sanctus per Moysem dirigebat Scripturam sacram, & potissimum Genesis librum, vt Hebræos, ad idololatriam ingenio & praua consuetudine propensos, reuocaret ad cultum vnius Dei creatoris & gubernatoris vniuersorum. Fuisset autem directè contrarium huic intentioni nominare Deos pluraliter in prima oratione totius libri, ac deinde in primo capite quoties repetit, dixit Deus, vidit Deus, fecit Deus: semper enim ponitur *Elohim* hoc primo capite Genesis, & alibi etiam frequentissimè, vt bene obseruauit Caietanus citatus. Dedisset ergo Moyses valde lubricam & periculosam occasionem existimandi plures Deos, si nomen illud ex vsu recepto illius linguæ non haberet significationem singularis Dei.

Dei consilium in hoc nomine Elohim.

7 Confirmatur, nam ex opposito sequitur apertissima & frequentissima contradictio sacrarum literarum: quippe quæ frequentissimè docent, vnicum tantùm esse Deum; perturbaretur autem doctrina veritatis vehementi occasione blasphemandi, si toties in exordio scripturæ ac deinceps

deinceps mundi fabrica, gubernatio & adoratio dijs in plurali tribueretur.

Elohim *multoties cõcordat cum verbis & adiectiuis singularis numeri.*

8 Probatur secundò, nam huius nominis frequens concordia cum verbis & adiectiuis singularis numeri, & paucioribus in locis cum verbis & adiectiuis numeri pluralis, ostendit, vtramque significationem esse receptam in ea vocis terminatione, & magis receptam in numero singulari, quoties agitur de vero Deo; quemadmodum dicunt Hebræi, quos refert Carthusian. lib. 1. sent. distinct. 2. quæstione 8. non procul à princ. Et quidem concordia numeri singularis constat non modò frequenter in alijs libris, aliisque capitibus Genesis, sed tertio quoque verbo in cap. 1. Genesis, adeo, vt etiam quando refertur dixisse Deum, *Faciamus hominem*, præcesserit singularis numeri verbum: *Dixit Elohim.*

Alibi cum verbis & adiectiuis pluralis numeri.

9 Alijs autem in locis nomen idem construi cum verbis vel adiectiuis numeri pluralis, attigit Caietanus citatus, & magis expressè notant Carthusianus dicta distinct. 2. quæstione 8. Eugubinus Genesis 1. verbo Deus, & Genesis 20. prope finem. Pererius, Bellarminus & Vazquez citati pro assertione 1. Apud quos hæc loca reperio, Genesis 20. vbi nostra editio habet: *Postquam eduxit me Deus.* Hebræa legit: *Declinare fecerunt me Elohim.* Et Genesis 35. vbi nos legimus. *Apparuit ei Deus.* Hebræa legit: *Apparuerunt ei Elohim.* Iosuë 24. pro *Deus sanctus est*, in Hebræo legitur: *Quia Elohim sancti ipse.* Secundo Regum. cap. 7. Vulgata legit: *Propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum.* Hebræa lectio sic habet: *Propter quam iuerunt Elohim ad redimendum, &c.* Hieremiæ 23. vers. 36. vbi Vulgata legit: *Peruertistis verba Dei viuentis*, Hebræa legit: *Elohim viuentium*, in numero plurali.

Idiomatismus Hebræorum.

10 Confirmatur, quia fuisse peculiarem idiomatismum Hebræorum eiusmodi numerorum discrepantias admittere, ostendunt alia loca, in quibus scriptura tractat de hominibus aut falsis dijs vbi nullum mysterium latere potest: nec solum in nomine *Elohim*, sed etiam *Adonai*, veluti Genesis 42. *Locutus est Dominus terræ dure.* Hebræi codices habent: *Dixit nobis Domini terræ.* Exodi 20. *Non habebis Deos alienos*, in Hebræo: *Non erit tibi Elohim alij.* Genesis 24. *Posuit manum suam super femur Abrahæ Domini sui.* in Hebræo. *Adonaiu*, videlicet, *dominorum suorum.*

11 Similiter autem Exodi 21. vbi Latini legimus: *Si dederit Dominus eius vxorem illi.* Hebræi legunt in numero plurali simul cum singulari. *Si dederit domini eius.* Regum 28. *Vidi Dominum ascendentem de terra.* Hebraicè, *Elohim dominos*, seu *deos* ascendentes. Isaiæ 19. *Tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium.* Hebraicè est: *Dominorum duri seu fortis.* Ex quibus colligitur, non propter mysterium, sed propter Hebrææ linguæ consuetudinem, fieri, vt eadem vocis terminatio seruiat numero plurali & singulari, siue in *Elohim*, siue in *Adonai.*

Probatio tertia ex silentio expositorũ omnium.

12 Probatur tertiò, quia si foret insolens & inusitatum in ea lingua nomen *Elohim* in hac ipsa terminatione sumere in sensu singulari pro vnico Deo, & illud construere cum verbo numeri singularis, *creauit*: nouitatis admiratio, vel improprietas locutionis, toties repetita, Rabbinos excitasset, vt commentarijs rationem redderent, nec tam profundo silentio rem tantæ nouitatis suppressissent, præcipuè cum fuerint diligentes in quærenda ratione, propter quam in eodem cap. 1. *Dixit Deus*: *Faciamus*, in numero plurali.

13 Confirmatur primò, quia saltem Ecclesiæ Patres, potissimùm Origenes & Hieronymus, Hebraicæ linguæ peritissimi, & obseruatores diligentissimi vocum Hebræarum, maximè autem earum, quæ pertinent ad confirmanda mysteria nostræ fidei, subodorati fuissent aliquod mysterium in eiusmodi locutionibus latere: nisi nomen *Elohim* iuxta linguæ consuetudinem admitteret singularis numeri significationem & cõstructionem: & incredibile est silentio præteriisse tanti ponderis nouitatem. Confirmatur secundò, nam plurimi Patres in eodem cap. 1. Genesis obseruarunt illud verbum pluralis numeri *Faciamus*, copulatum cum Deo, colligentes inde mysterium Trinitatis, quos retulimus disput. 36. sectione 4. Maior autem erat ratio notandi *Deos* in numero plurali, centies repetitos cum verbo singularis numeri.

14 Probatur quartò, quia nec Septuaginta, nec Hieronymus nec vllus alius interpres ausus est *Elohim* plurali numero interpretari *dij*. Ergo non habet hoc nomen significationem pluralis, sed singularis numeri prædictis in locis.

Tres personæ dicere tres Deos aut iudices, pugnat cum ratione.

15 Probatur quintò, quia pluralis numeri significatio non habet locum in hoc nomine ratione diuinæ naturæ (vt fides docet) nec ratione personarũ (vt volunt scholastici initio citati.) Quod probatur primò, nam absolutè falsum est tres personas esse Deos, aut dominos, aut iudices, vt constat ex symbolo Athanasij, & probatum est sectione 2. & 3. Probatur secundò, quia si tres personæ dicerentur in plurali domini vel dij, vel iudices: consequenter dicendum fuisset pluraliter *creauerunt*: quemadmodum etiam Latini Theologi concedimus, quod tres personæ creant, gubernant, *&c.* Et duæ personæ spirant Spiritum sanctum. Cuius ratio est, quoniam hæc verba sunt adiectiua; ideoque plurificantur ratione suppositorum, non ratione significati formalis; vt vidimus sectione præcedenti. Restat ergo nullo modo posse verificari prædictum nomen in sensu pluralis numeri.

16 Confirmatur, quia cum euidens sit Hebræam linguam in huius nominis vsu differre à Græca & Latina: verisimilius est discrimen esse in eo, quod pendet ex mero beneplacito hominum absque oppositione cum ratione atque conceptu. Hoc autem discrimen erit in vsu eiusdem terminationis nunc in sensu singularis, nunc in sensu pluralis numeri. Nam aliud discrimen dicendi pluraliter deos, pugnat cum vera ratione concipiendi atque dicendi, quam explicuit sectio tertia, quæ ratio generalis est omnibus linguis, nec admittit rationem discriminis in Hebræa potius, quàm Græca vel Latina.

Non est figurata nec impropria locutio.

17 Ex eisdem fundamentis colligo, & Dico quartò. Non est figurata nec impropria locutio illa: *Creauit Elohim.* Sed propriè & absque figura dictum est, quemadmodum Latinè dicitur propriè *dies*, in sensu singulari, licet aliàs habeat sensum pluralem. Nam quod aliqui Theologi docent, metaphoricè dici pluraliter deos propter authoritatem, non probo; quia videtur esse contra rectam rationem docendi & scribendi, totius sacræ doctrinæ, & scripturarum exordium accipere à metaphora centies repetita, præsertim in contextu simplici & sincero, in quo nec aliæ figuræ, nec sermonis ornatus & elegantia cernitur, & cum tanto periculo afferendi opinionem plurium deorum. Propter eandem rationem minus probo quod Caietanus & alij nonnulli

dicunt esse modum loquendi authoritatis. Nec est admittenda syllepsis, qua pluralis numerus pro singulari ponatur, quemadmodum aliqui Patres existimant esse dictum Matthæi 27. versu 44. *Latrones* improperasse. Vbi expositores adducunt alia loca scripturæ, quæ pluralem pro singulari sumere putant.

18 *Ad probandã Trinitatem, nõ est efficax testimonium* Creauit Elohim.

Colligo præterea, & Dico quintò. Ad approbandam Trinitatem non accipitur efficax argumentum ex eo, quod scriptura dixerit, *creauit Elohim*. ita docent Abulen. Caietan. Perer. Bellarmin. Vazquez citati in assertione 1. & supponere videtur Ricard. 1. dist. 2. artic. 2. q. 4. quatenus enumerans modos colligendi Trinitatẽ, positos à Magistro, non enumerat istum. Nihilominus probabiliter potest aliquod indicium, licet obscurum & valde remotum, ex illis verbis accipi. Quia pium est credere, voluisse Deum, vt eadem terminatio vocis *Elohim* acciperet duplicem significationem numeri singularis & pluralis, ad indicandum, sub vna singulari Diuinitate latere pluralitatem personarum; & eo fine nomen idem constructum esse quandoque cum adiectiuis aut verbis numeri pluralis. Significatur etiam, quod vnicus Deus omnem Diuinitatem ac potestatem continet perinde, ac si forent omnes dij, omnes domini, omnes iudices, principes & potestates. Nam hæc omnia significat *Elohim*.

19 *Obiectio.* *Soluitur.*

Obijciet tamen aliquis, ex dictis eneruari argumentum, quod plurimi Patres tanti faciunt ad probandam Trinitatem ex eo, quod *dixit Deus faciamus*. vt vidimus disput. 36. sect. 4. Respondetur, potius corroborari argumentũ illud. Nam quod *Elohim* accipiatur in sensu singulari, satis denotat præcedens verbum *dixit*, in numero singulari, & præcedentes in eodem capite plurimæ repetitiones in eodem numero & casu. Quare quando subiungitur Verbum, *faciamus*, non refertur ad vnitatem naturæ, sed ad supposita: quia verbum adiectiuum potest in plurali numero de diuinis suppositis enunciari, vt vidimus sectione præcedenti.

SECTIO VI.

Vtrum formæ pluralitas sufficiat, vt pluraliter prædicetur substantiuum concretum, non obstante singularitate suppositi.

1 *Prima sententia.*

EXemplum est. Si vnica persona diuina tribus humanitatibus vniretur hypostaticè, quæritur, vtrum essent dicendi tres homines; aut vnus homo. Prima sententia respondet, simpliciter & propriè loquendo, nec plures homines, nec vnum hominẽ esse dicendum. Ita Ricard. 3. sent. distinct. 1. art. 1. quæst. 5. Vbi Durandus quæst. 3. prope finem, qui tamen addit, si loquendum sit impropriè, dicendos esse plures homines: quia hoc esset minus improprium, quàm vnum hominem dicere.

2 *Refutatur.*

Hanc opinionem meritò refutat Scotus 3. distinct. 1. quæst. 3. ad 1. Quoniam hoc disiunctum vnum vel multa est passio entis, ideóque medium non habet: nec est possibile reperiri naturam entis simpliciter absque eo, quod simpliciter vnum aut multa sint. Sed in eo casu homo, in concreto significatus, esset simpliciter ens. Ergo simpliciter esset vnus aut multi. Vim huius argumenti ponderabimus sect. 7. initio. Refutatur præterea, quia sine fundamento Durandus existimat, consuetudinem humanæ locutionis exigere, vt non dicatur aliquis simpliciter vnus homo; nisi cuius vnica sit humanitas & vnicum suppositum: nec dicantur simpliciter plures homines, nisi quorum plures sint humanitates & plura suppositа.

3 *Limitatio Durandi refutatur.*

Verumtamen Dei nomen Durandus excipit, quoniam vsus id obtinuit, vt dicatur vnus propter solius formæ vnitatem. Hoc autem ostenditur esse falsum, primò, quia nomen Dei vnitatem habet non merè voluntario vsu, sed naturali ratione suadente sic loqui de nominibus cõcretis; iuxta propriam vim & significationem eorum: vt vidimus sect. 3. Secundò, quia nulla consuetudo locutionis induci potuit de hac re, quandiu mysterium Trinitatis & incarnationis erat ignotum. At post reuelationem illorum, inspicienda est vis propriæ significationis, vt pluraliter aut singulariter efferatur.

4 *Secunda sententia.*

Secunda sententia fuit, quòd simpliciter loquendo forent plures homines, si vnica persona plures humanitates assumeret. Ita sanctus Thomas olim in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 5. ad 2. & 3. vbi Scotus quæst. 3. Cui consequenter loquitur 1. sent. dist. 12. quæst. 1. prope finem. Pluralitatem eandem expressè docuerat Altisiodorens. lib. 3. summæ, tract. 1. cap. 1. quæst. 5. Capreol. in 1. distinct. 4. quæst. 1. art. 1. ad 1. Aureoli. Vazquez 1. p. disp. 155. cap. 4. & tribus sequentib. Præcipuum eius argumentum est authoritas simul & ratio S. Thomæ, præsenti quæst. 39. art. 3. dicentis: *Primum argumentum.* *singularitas vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam, quia nomen substantiuum significat per modum substantiæ, quæ sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem aut multitudinem*: vt vidimus sect. 3. Ergo sicut ad singularitatem sufficit vnitas formæ; sic etiam sufficiet ad pluralitatem; nec opus erit pluralitate suppositorum, vt pluraliter enuncietur nomen substantiuum.

5 *Secundum argumentũ.*

Arguitur secundò. Si tres personæ assumerent eandem humanitatem: esset vnius homo & non tres, quia nomen *tres* numeraret humanitates, & non suppositа, quod falsum esset. Ergo quando vna persona tres humanitates assumeret, dicendo *tres homines*, numerarentur humanitates, & non suppositа; propterea quæ vera foret propositio. Tertium argumentum, nam indiuiduũ humanæ naturæ, videlicet, hic homo, constituitur per indiuiduam naturam; sicut homo in specie constituitur per specificam naturam hominis. Ergo vbi sunt plures indiuiduæ naturæ, constituentur plures homines hic & ille & ille. *Tertium argumentum.*

6 *Quartum argumentum.*

Quartum, quia si tres personæ simul assumerent tres humanitates, ita vt omnes essent vnitæ cuilibet personæ sigillatim; tunc essent tres homines ratione trium formarum. Quintum, quia si foret vnus homo Verbũ habens plures humanitates, sequeretur, fieri posse, vt eodem tempore conuenirent vni contradictoria ratione distinctarum humanitatum, & ita idem homo viueret, & non viueret, moueretur & non moueretur, dormiret & non dormiret.

7 *Non tres homines sed vnicus esset Verbum assumẽs tres humanitates.*

Nihilominus sit vnica conclusio. Pluralitas formæ non est satis, vt substantiuum concretum pluraliter prædicetur, nisi cum ea concurrat pluralitas suppositorum. Quapropter si sola persona Verbi fuisset vnita tribus humanitatibus; esset vnicus homo, non tres homines. Ita docuit S. Thomas 3. p. quæst. 3. artic. 7. ad 2. retractans præcedentem sententiam. & Marsil. lib. 3. sent. quæst.

quæst. 2. art. 3. dub. 3. Almainus 3. dist. 1. quæst. 2. dub. 3. vbi Gabriel quæst. 2. art. 3. dub. 4. ad secundum. Carthus. 3. dist. 1. quæst. 6. post med. referens sent. S. Thom. 3. parte, cui magis acquiescere videtur Aureolus 1. distinct. 4. capitulo 1. articulo 1. Caietanus 1. p. quæst. 39. artic. 3. respondens ad 1. dub. & 3. p. quæst. 3. art. 7. Ferrarien. 4. contra gen. cap. 11. §. *circa istam propositi.* Canarien. in præsenti quæst. 39. art. 3. Molina breuiter 1. p. quæst. 36. art. 4. disp. 3. colum. 3. Valentia 1. p. quæst. 13. de Trinitate punct. 3. prope finem ad 1. & 2. Communiter Thomistæ hoc loco, & 3. p. vbi Suarez tomo 1. disp. 13. sect. 3.

8 *Non alius & alius.*

Probatur primò, quia si Verbum in eo casu foret tres homines: euidenter sequitur, quod foret alius & alius homo: vnde præterea sequitur de facto Christum Dominum esse *alium* & *alium* masculinè, quoniam duas naturas habet multo magis diuersas, quam inter se differrent plures humanitates. Consequens autem est contra doctrinam receptissimam à Patribus & scholasticis, præcipientibus, Christum Dominum non esse dicendum alium, & alium masculinè, licet verè sit aliud & aliud neutraliter propter diuersitatẽ naturarum. Quorum testimonia, rationemque vidimus disp. 39. sect. 5. Eadémque ratione Athan. serm. in euangelium de sanctissima Deipara multo propius ad med. quàm ad princ. *Duas*, inquit, *voluntates prædicamus, sed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, sed vnum volentem secundum vnitatem personæ.*

9 *Sequeretur Christũ non esse vnũ, sed duos.*

Vnde probatur secundò, quia si Verbum in eo casu foret tres homines, euidenter sequitur, quod foret multi homines, ac non vnus tantum: vnde præterea sequitur, de facto Christum D. esse duos masculinè & non vnum. Consequens autem est contra modum loquendi sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, qui negant esse duos, & insistunt in eo, quod est vnus Deus & homo. 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus*, Ephes. 4 *Vnus Dominus*. 1. ad Timoth. 2. *Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Vnde Nicæno symbolo credimus, *in vnum Dominum Iesum Christum.* Atque symbolo Athanasij profitetur Ecclesia: *Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus.* & infra. *Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.*

10

In Ephesino Concil. tomo 1. cap. 16. recipiuntur celeberrimi anathematismi Cyrilli, quorum secundus est contra eos, *qui non confitentur, Dei Verbum, carni secundum hypostasim vnitum, & vnum tantùm vna cum sua carne Christum esse, eundem nimirum simul Deum & hominem.* Et multo plura referuntur prius ex lib. de fide ad reginas præsertim in eodem tomo 1. cap. 5. sub titulo. *Quod Iesus Christus vnus sit Filius & Dominus.* Sed de hac vnitate plura Concilia & Patres referunt expositores S. Thomæ 3. p. quæst. 17. art. 1.

11

Confirmatur primò, quia summa diuersitas est inter naturam diuinam & humanam; minima verò diuersitas inter duas humanitates. Sed diuersitas diuinæ & humanæ naturæ non obstat, quominus Christus sit vnus & non plures. Ergo licet eadem persona plures humanitates assumpsisset, earum diuersitas non obstaret, quominus esset vnus Christus; vnde sequitur, quod esset vnus homo. Nam si foret tres homines; quilibet illorum esset Christus, & consequenter essent tres Christi.

12

Confirmatur secundò, nam & authores contrariæ sententiæ fatentur, Christum Dominum propterea non dici duos, nec alium & alium masculinè, quoniã hæ voces denotant suppositа. Ergo similiter duos aut tres homines dicere denotabit suppositа. Nec enim assignari potest ratio discriminis, propter quam Deus & homo nõ dicantur duo, & tamen homines sint duo, quando conueniunt vnione personæ. Confirmatur tertiò, nam accipiendo, vel fingendo nomen concretum substantiuum, quod significet rationis compotem, abstrahendo à Deo, angelis & hominibus, non poterimus illud nomen pluraliter dicere, significando, Christum Dominum esse plures rationis compotes.

13 *Alia substantiua concreta non pluraliter dicuntur de Christo Domino.*

Probatur tertiò, nam vt pluraliter aut singulariter efferantur substantiua concreta, lex eadem viget in eis, siue substantia sit forma significata, siue accidens, aut etiam denominatio extrinseca, vt constat in nominibus Dei, Domini, & Creatoris; prout ostendimus supra sect. 3. dicto 3. & 4. At verò in Christo Domino duæ formæ accidentales, siue denominationes extrinsecæ duplicantur diuersimodè conuenientes ei, quatenus Deus est, & quatenus homo est, nihilominus substantiua concreta singulariter & non pluraliter prædicantur. Quod de nomine Domini probatum est nuper. De alijs Iacobus cap. 4. *Vnus*, inquit, *est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.* Matthæi 23. *Magister vester vnus est Christus.* Nec dubium, quin magistri & iudicis forma denominans duplex sit, atque diuersa in Diuinitate & humanitate.

14

Eodem modo ratiocinari possumus de plurimis alijs nominibus. Nam Ioan. 10. *Fiet vnum ouile & vnus pastor.* Ezechiel. 37. *Rex vnus erit omnibus imperans*, & paulo inferius: *Pastor vnus erit omnium.* Oseæ 1. *Ponent sibimet caput vnum.* Zachariæ 14. *In die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.* Denique quoties nomine regis, aut principis, aut magistri, vel alio quopiam appellatur Christus D. semper singulari numero dicitur.

15 *Christus Dominus non est duo filij.*

Confirmatur, nam in Christo Domino duæ sunt *Filiationes*, altera æterna, temporalis altera ratione humanitatis assumptæ. Nihilominus non est duo filij, sed vnicus, iuxta illud Marci 12. *Vnum habens Filiũ charissimum.* De quo Pater Matthæi 3. *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus.* Qui non esset Vnigenitus, si duos filios complecteretur. Quo argumento pressi nonnulli confugiunt ad acceptionem in sensu adiectiui; quam tamen in nomine filij reperire non possunt, nisi fictitiam. Verum de filiatione Christi Domini videri possunt S. Thom. 3. p. quæst. 23. art. 4. & eius expositores ibi.

16 *Ex mutua prædicatione probatio.*

Probatur quartò, nam in eo casu, quo Verbum assumpsisset plures humanitates, si ratione vnius appellaretur Iesus, & ratione alterius appellaretur Ioannes; tunc verum esset dicere, Iesus est Ioannes: sicut modo verum est dicere, Deus est hic homo & hic homo est Deus. Ergo Iesus non esset alius homo à Ioanne. Consequentia probatur, nam si esset alius homo, nõ posset de illo prædicari: consequens igitur est, vt non essent plures homines. Scio adhiberi solutiones: verùm singulas impugnare nimis prolixum esset.

17 *Pater non est duo principia.*

Probatur quintò, nam vt vidimus disput. 70. sect. 2. argum. 7. Pater æternus non est duo principia, sed vnicum principium, licet in eo sit duplex forma principij: altera est relatio Paternitatis, altera verò relatio Spirationis actiuæ. Ergo

pluralitas formæ sine pluralitate suppositi non sufficit, vt concretum substantiuũ pluraliter prædicetur. Aliqui respondent, dicendo pluraliter *principia*, significari distinctionẽ realem illorum. Hoc tamen sine fundamento dicitur. Nam pluraliter affirmamus in Deo voluntates, scientias, operationes, potentias, attributa, perfectiones, vt vidimus sect. 3. prope finem. Quando verò Patres dicunt vnicam tantùm voluntatem, scientiam & similia, referunt vnitatem ad personas, ratione quarum nullo modo plurificantur diuinę perfectiones, quia quælibet est eadem in omnibus & singulis personis.

18 *Rex vnus, licet Regna plura, &c.* Sextò, nam communi modo loquendi non dicitur esse plures reges, sed vnus, qui pluribus regnis dominatur, nec plures Domini, qui possidet plures seruos, nec plures patres, sed vnus, qui plures habet filios; licet relationes paternitatis, dominij, & regni multiplicentur. Similiter licet plures scientias doceas, vnus magister eris; & vnus artifex, licet plures artes teneas, & exerceas. Ergo pluralitas formæ sine pluralitate suppositorum non sufficit, vt concretũ substantiuum pluraliter prædicetur. Confirmatur, nam violentum est, quod aliqui respondent, eiusmodi nomina significare substantiam.

SECTIO VII.

Eiusdem veritatis ratio à priori, & solutio argumentorum, quæ posita sunt sectione præcedenti, & sect. 1.

1 SVpponendum est, has voces *vnum*, & *multa*, impositas esse prius ad significandam quantitatem sensibilem, continuam & discretam: quoniam humana cognitio sumit exordium à sensibus: deinde verò fuisse ampliatam & eleuatam significationem eorundem vocabulorũ, vt comprehenderent etiam res immateriales. Inde factum est, vt secundum analogiam quandã & proportionem ad quantitatem continuam & discretam, dicere debeamus in rebus spiritualibus vnũ vel multa. Propterea Philosophus 5. metaphys. textu 18. sub init. *Dicitur*, inquit, *multitudo quod est diuisibile potestate in non continua; magnitudo autem quod in continua.* Vnde manifestè constat, ea quæ sunt realiter continuata, licet realiter distinguantur, non esse propriè multa, sed vnum. Quod magis explicuit lib. 10. metaphys. textu 9. cũ ait: *Vnum dicitur indiuisibile aut indiuisum.*

Continuata nõ sunt multa, licet realiter distinguantur.

2 *Per se vnita sunt vnum & nõ multa.* Consequenter igitur in substantiis, & quibuscumque rebus immaterialibus ea, quæ sunt per se vnita, & efficiunt simpliciter vnum aliquod totum & integrum, non possunt appellari simpliciter multa, sed quodammodo, licet distinguantur realiter. Cum igitur tres humanitates in præsenti casu forent per se ac substantialiter vnitæ, vt constituerent personã simpliciter vnam, & non plures: consequens est, vt simpliciter loquendo non sint multi homines, sed vnus.

3 Confirmatur primò, nam vt Aristoteles probat 10. metaphys. tex. 9. cap. 9. *Opponuntur vnum & multa.* Vnde prouenit, vt multitudo secum afferat negationem cuiuslibet vnitatis, & vnionis, quæ negatio verificari non potest, quando tres humanitates vniuntur in vnã personam. Confirmatur secundò, quia propterea symbolũ Athanasij, Christum Dominum esse vnum in duabus naturis, explicat exemplo animæ & corporis, ex quibus vnitis constat vnicus homo. Quod exemplum alijs etiã Patribus est familiare. Supponunt ergo, vnionem obstare pluralitati: sicut in quantitate continuatio obstat multitudini. Confirmatur tertiò, quoniam illud totum, resultans ex Verbo & tribus humanitatibus, foret ita simpliciter vnum, vt neque masculinè, neque neutraliter posset appellari multa, iuxta doctrinam scholasticorum de Christo D. receptam 3. parte quæst. 17. art. 1.

4 *Ad primum. Non tantum vnitas formæ, sed etiam vnio formarum obstat pluralitati.* Hoc supposito, ad præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ positum in sectione præcedenti respondetur. Substantiui nominis pluralitas vel singularitas attenditur secundum formam significatam, habita ratione vnionis, quæ obstat multitudini. Quamuis enim forma sit quod primariò debet attendi, tanquam ratio formalis; cæterum veluti conditio debet etiam vnio vel separatio considerari. Ad authoritatem S. Thomæ respondetur, hoc loco S. Thomam id solum explicuisse, quod satis erat, ad locutiones de Trinitate quas tractabat, reliquum verò distulisse declarandum 3. parte, pro locutionibus de Incarnatione. Ponderandum autem est, authores contrariæ sententiæ, qui nituntur illam probare ex prædictis verbis S. Thomæ in hoc art. 3. tandem compelli concedere, quod sibi contradixerit 3. p. quæst. 3. art. 7. ad 2.

5 *Ad secũdum.* Ad secundum argumentum respondetur. Si Verbum assumeret tres humanitates, non esset tres homines: quia ly *tres* numeraret humanitates separatas, ac non vnitas in vnum per se; ideoque licet directè nõ numeret suppositа, cæterum consecutiuè & quasi ex obliquo numerat ea, quoniam dicit humanitates non coalescere in vnum per se.

Ad tertium. Ad tertium respondetur. Indiuiduum humanæ naturæ integrum & completum constituitur per indiuiduam naturam, non vnitam per se cum altera natura. Nam si vnita sit cum alia, tunc per vtramque naturam simul constituitur indiuiduum integrum & completum, quod est hic homo.

6 *Ad quartũ. Si tres humanitates omnes simul vniuntur cuilibet personæ diuinæ.* Ad quartum respondetur. Simpliciter loquendo, dicendi forent tres homines; si tres humanitates vnirentur cuilibet personæ diuinæ sigillatim sumptæ: quia tunc simpliciter forent tres humanitates; non vnitæ in vnum per se, sed in plura per se. Quoniam vniuntur secundum personas, non secundum naturam diuinam. At verò, simpliciter loquendo, sunt tres personæ, habentes tres humanitates distinctas: quamuis simul etiam habeant easdem humanitates. Nec obstat quod illi tres homines forent vnus Deus; sicut forent vnus Deus si tres personæ diuinæ singulas humanitates assumerent, quo casu sine controuersia forent tres homines. Quoniam illæ humanitates non vniuntur in ratione naturæ diuinæ, sed in ratione personæ.

7 *Prædicata cõtradictoria de eodem homine ratione diuersarum humanitatũ.* Ad quintum respondetur, non esse inconueniens, propter communicationem idiomatum prædicata contradictoria simul de eodem homine verificari ratione diuersarum humanitatum: quemadmodum de eodem Christo Domino ratione Diuinitatis verificatur, quod est æternus, & immortalis ab intrinseco, & incorporeus; sed ratione humanitatis verificatur nec esse æternũ, nec immortalẽ ab intrinseco, nec incorporeum. Obiter tamen ex dialectica recolendum est, inde non colligi duas contradictorias simul veras, quoniam vt negatiua contradiceret affirmatiuæ, deberet negare illud idem prædicatum vniuersaliter ratione cuiusque naturæ, conuenientis illi suppo

supposito, quo sensu negatiua foret falsa.

8 *Ad argumẽta Marsilij.* Ad argumenta Marsilij, posita sect. 1. prope finem, respondetur. Ad primum, negando antecedens. Quin potius accipiendo substantiuè *album*, duo parietes, eadem albedine affecti, fuissent vnum & idem album: & vnus *sciens*, substantiuè dictus, esset homo & angelus, si per possibile, vel impossibile scientia vnica reciperetur in vtroque.

9 Ad secundum respondetur. Homo non est nomen suppositi, tanquam significati de formali, sed de materiali siue de connotato; est autem nomen substantiæ, significatæ per modum substantiæ. Propterea vnus est homo, quandiu manet vna forma significata, videlicet humanitas. Ad confirmationem respondetur. Etiam si humanitas eadem, quæ prius erat vnita diuinæ personæ, postea dimitteretur, foret idẽ homo, vt vidimus sect. 3. dicto 2. Ad tertium. *Elohim* habere significationem singularis numeri, probatũ est sect. 5. Ad quartum. Consequentia negatur propter rationem discriminis, dictam in principio huius sectionis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.

DISPVTATIO LXXVIII.

Vtrum indiuiduum Deus, *vel* hic Deus *personas significet, vel intelligatur prius quàm personæ, nihilominus autem pro illis supponatur.*

SECTIO I.

An hic Deus *significet, ac supponatur pro personis, duæ sententiæ singulares, ac tertia communis, & vera.*

1 *Status quæstionis.* IGNIFICATIO, proprietas, & suppositio in hoc indiuiduo Diuinitatis ita concatenatæ sunt, vt non potuerint diuersis disputationibus separari, præsertim cum omnes scholastici de illis simul differant. Ex quibus de nomine *Deus* vel *hic Deus* nemo dubitet, quin formaliter, & primariò significet naturã diuinam, & aliquando supponatur pro illa, propter identitatem suppositi cum natura diuina. Consequens igitur est, vt controuersia non restet, nisi de significatione, vel suppositione pro persona diuina, vel suppositо.

2 *Suppositum aliquo modo significari cõcedunt omnes.* Neminem autem inuenio, qui dixerit, hoc indiuiduum Deitatis concretum, ita præcisè significare naturam diuinam, vt nullo modo, neque de materiali, aut connotato significet suppositum, nec in particulari, nec in communi, nec supponatur pro suppositо. Quãuis enim aliquorum authorum aliqua verba hoc sonare videantur, declarationem accipiunt ex aliis assertionibus eorum. Id quod præcipuè notandum est in Scoto, quoniam in 1. distinct. 4. quæst. 2. *prope medium docet, quod in hac propositione Deus creat, &* similibus, intelligitur existens in natura diuina, non intelligendo suppositum, nec aliquid incommunicabile. Et §. vltimo eiusdem quæstionis addit, hoc esse singulare, quod exprimitur nomine Dei, & intelligitur ante quamcumque proprietatem personalem. Nihilominus in fine quæstionis primæ proximè præcedentis cõcesserat, quod nomen *Deus* ex modo significandi importat habens, licet non significet illud de formali, & per se.

3 *Prima sententia Deum accipit pro tribus personis.* Duæ igitur sunt extremæ, singularesque sententiæ de significatione personarum. Prima dicit, *hunc Deum* supponi pro subsistente actualiter in tribus personis, ita quod Deum concipiendo, simul actu concipiamus tres personas, & non aliquid commune præcisum à tribus. Ita docuit solus Aureolus 1. distinct. 4. cap. 1. art. 2. & cap. 2. art. 4. fine. Ad eandem sententiam pertinerent Henricus quod lib. 5. quæst. 8. & Durand. dist. 26. quæst. 1. num. 6. Si verum esset quod illis tribuunt authores alij, videlicet, docuisse, hunc Deum indiuiduum non posse intelligi ante personas, & proprietates personales. Cæterum Henri. & Durand. tenuisse tertiam sententiam veram, videbimus statim. Aureoli argumenta solummodo probant, aliquo modo significari suppositum, vt in tertia sententia dicemus, & sect. 2. probabimus. Inuoluunt etiam multa, quæ sunt tractata superius; ideo prætermittuntur. Eius autem opinionis impugnatio constabit ex sectionibus sequentibus.

Quid probent argumenta Aureoli.

4 *Secunda sententia, nullo modo significari personas Dei nomine.* Secunda sententia dicit, vnius Dei singularis nomine nullo modo significari personas diuinas nec in communi, nec in particulari sed significari quoddam semisuppositũ, vel semipersonam, constitutum, videlicet, ex natura diuina & subsistentia singulari & absoluta, quam dicit essentialem esse ac communem tribus personis. Hanc primus inuexit Caietanus, quem paucissimi sequuntur vt Miranda & Suarez prout retulimus disp. 34. sect. 1. Refutauimus autem ibidem sect. 5. & sequentibus, quarum sect. 9. & 10. satisfecimus argumentis, quibus probari posset, maximè verò argumentis Caietani dicta sect. 10. ad 6. 7. & 8. Et illa quidem probant, suppositum in generali, abstractum à tribus, importari nomine huius Dei, vt videbimus sectione sequenti.

5 *Deus significat suppositũ indifferenter & vagè.* Tertia verò communis & vera sententia docet, indiuiduum Deitatis concretum, videlicet, *Hic Deus*, de materiali siue de connotato significare suppositum siue personam in communi, vel indifferenter, & vagè, non determinando vtrum sit vna vel plures personæ, nec vtrum sit persona absoluta vel relatiua, nec vtrum identificetur cum Deitate vel non identificetur: & hoc habere ex modo significandi, quo solo distinguitur à Deitate: propterea que Deum supponi pro persona siue suppositо in communi, non verò pro natura, prout omnino præscinditur à suppositо. Sed quoniam in verbis & modo tradendi hanc sententiam magna varietas est inter scholasticos, quorum opus est varia loca inter se conferre; propterea fuit operæ prętium aliquorum verba magis expresè referre.

6 Albertus igitur 1. p. quæst. 45. memb. 2. art. 1. corpore tradit, quod nomen *Deus* dixit Deitatem in habente indefinitè. Addit autem quæst. 51. art. vnico corpore & quæstione incidente 1. idem nomen indifferenter supponi pro persona. Eadem sententia sumitur ex Alexandro 1. p. quæst. 50. memb. 3. art. 1. & 2. recolendo, quod *res naturæ* idem

idem est quod suppositum, suprà disput. 32. sect. 10. Magis expresè S. Bonauent. 1. dist. 4. art. vnico quæst. 4. fine concludit quod *Deus*, supponit non modò, naturam, in quantum est terminus discretus, id est, singularis; sed etiam personam, in quantum est terminus communis ad plura suppositа (ita loquitur ipse.) Ac in eodem art. quæst. 1. dixerat, quod licet nomen *Deus* impositum sit à Deitate, cæterum non est impositum Deitati, sed suppositо, habenti Deitatem. Quibus omnibus concordat Ricard. in eadem dist. 4. artic. vnico quæst. 1. & in fine totius distinctionis in expositione literæ.

7 S. Thomas in præsenti quæst. 39. art. 3. ad 1. dixit, nomen *Deus* significare *habens Deitatem*, sed modum significandi esse diuersum, & art. 5. corp. repetit, quod Deus significat essentiam, vt in habente. Vnde manifestum est, quod apud sanctum Thomam, suppositum aliquo modo dicitur hoc nomine *Deus*. Quod autem ex se non dicat suppositа plura in particulari, sed tantum suppositum in communi, colligitur apertè ex hoc art. 4. prope finem corp. & ad 1. ac 3. argumentũ. Quod magis apertè docuit 1. sent. dist. 4. quæst. 1. art. 2. dicens, quod hoc nomen Deus distincte significat essentiam, & simul importat indistinctè suppositum, idque magis ex professo defendit Capreol. dist. 4. quæst. 1. art. 1. Quem sequitur Canariensis 1. p. q. 39. art. 4. parte 2. commentarij post med. In eadem sententia concordat cum alijs multis Carthusian. 1. dist. 4. quæst. 2. Vbi etiam Maior quæst. vnica, ad 5. argum. Ocham. quæst. 1. post med. & in fine, & quæst. 2. Gabriel quæst. 1. art. 1. notab. 6. Marsil. lib. 1. quæst. 8. art. 2. Iudocus Clichtouęus in Damascen. de fide lib. 3. cap. 4. sub init. Magis ex professo Vazquez disp. 156. præsertim cap. 2. Molina supra quæst. 36. artic. 4. disp. 3. præsertim §. *quando verò*. & quæst. 39. disp. 1. Consonat Valentia 1. p. suа quæst. 13. de Trinit. punct. 3. col. 3. & 6.

8 Venio tandem ad eos authores, qui referebantur pro contrarijs sententijs. Ex quibus Henricus quolib. 5. quæst. 8. in fine corporis & ad vnicum arg. ait: *Deus significat personam sub indifferentia ad tres, vel ad duas vel ad vnam personam supponendam.* Nec dubium, quin intellexerit materialẽ significationem, quæ dicitur connotatio: vt constat ex alijs locis illius, maximè autem ex summa artic. 54. quæst. 3. ad 3. vbi inter alia dicit: *Licet hoc nomen Deus significet solam essentiam simpliciter, significat tamen eam per modum suppositi in communi, scilicet, vt habens in se Deitatem.* Durandus autem 1. distinct. 4. quæst. 1. num. 6. & 7. notat, hoc nomine *Deus* ex modo significandi suppositum afferri; quod verò nõ intellexerit determinatè plura suppositа distincta, sed vagè, vel vniuersaliter, vel indifferenter suppositũ, constat ex sequenti contextu præcipuè num. 13. & 14. Durandus ergo in eodem lib. 1. dist. 26. quæst. 1. num. 6. solummodo refutat illud singulare suppositum absolutum & essentiale, quod refert ex quorundam sententia, suppresso nomine authorum, quod etiam in 2. sentent. retulimus ex Caietano. Scotus denique 1. dist. 4. quæst. 1. fine, recipit Damascenum asserentem, quod Deus est habens Deitatem, & exponit, vt nomẽ Deus ex modo significandi importet habens, licet illud nõ significet de formali & per se; nam hoc modo solam Deitatem significat, vt retulimus sub initiũ præsentis sectionis.

9 *Obiectio iam occupata.* Posset aliquis obiicere, nonnullos ex authoribus citatis negare conceptum personæ vel suppositi, communem tribus personis, prout retulimus disp. 36. sect. 1. Consequenter igitur, nomine Dei non dicunt significari communem rationem suppositi. Verumtamen hanc obiectionem præoccupauimus, referentes tertiam sententiã; ideo namque disiunctiuè diximus, *in communi, vel indifferenter, aut vagè*, quicumque sit ille modus, quo doctores illi voluerunt significari suppositum diuinum, & non in particulari ac determinatè plura, nec vnum.

SECTIO II.

Rationibus probantur quæ pertinent ad significationem, & singularitatem huius Dei.

COmmunem sententiam, cuius authores attulimus sect. præcedenti, probandam suscipit præsens & sequens sectio, distributam in suа membra. Dico igitur primò. *Hic Deus*, quod ex se est præcisè, non significat personas diuinas, qua ratione plures ac distinctæ sunt, nec qua ratione sunt relatiuæ, multóque minus significat proprietates peculiares vniuscuiusque personæ. Hæc omnia nec de formali, nec de materiali, nec in recto, nec in obliquo significantur prædicto concreto. Probatur primò, nam quidquid significatur nomine Dei & huius Dei, totum & integrum prædicatur de singulis personis sigillatim acceptis. Sed vnaquæque persona sigillatim ac per se sumpta non includit peculiares proprietates aliarum nec includit pluralitatem personarum. Ergo totum quod significatur nomine Dei, non includit proprietates peculiares vniuscuiusque personæ, nec includit pluralitatem personarum. Vnde præterea colligitur, quod eadem significatio non includit relationem, quia relatio requirit pluralitatem ac realem distinctionem. 1 *Hic Deus, quod ex se est non significat distincta, nec relatiua.*

Declaratur ampliùs, & confirmatur primò, quia Pater est Deus, & Pater non est Filius, nec Spiritus sanctus. ergo Deum esse, non includit esse Filium nec Spiritũ sanctum. Similiter econuerso probabitur, quod non includat esse Patrem, quia Filius est Deus, & non est Pater. Confirmatur secũdò, nam vnaquæque persona, sigillatim considerata, est perfectus & totus Deus, habens totam plenitudinem ac perfectionẽ Diuinitatis (vt multorum Patrum testimonijs iuxta doctrinam Apostoli probatum est disputatione 14. sect. 2. post medium & disputatione 38. sectione 3. versus finem.) ergo nullo modo clauditur intra totalitatem Dei quod sit Pater: Filius enim non est Pater, & tamen est totus integer & plenus Deus, habens plenitudinem Diuinitatis. 2

Probatur secundò, nam *hic Deus* & totũ quod includit, est realiter commune; ac realiter identificatum cum tribus personis supra disputatione 13. sectione 4. Sed Pater non est communis, nec realiter identificatus cum tribus personis. Ergo *hic Deus* nullo modo includit Patrem, qua ratione Pater est, idemque argumentum fieri potest de Filio, ac de Spiritu sancto. Probatur tertiò, nam aliquando Deus ab adiuncto subiecto vel prædicato trahitur, vt supponatur pro tribus personis, collectiuè sumptis, vt quando dicimus: *Deus est Trinitas.* Sed Pater sigillatim ac per se sumptus est Deus, cum tamen non sit Trinitas. Ergo *Deus*, quod ex se est, si non trahatur ab alio termino, non significat tres personas collectiuè. 3 *Ab adiuncto trahitur Deus, vt supponatur pro personis.*

Quartò

4 *Demonstratur naturali ratione quid-quid Deus significat.* Quartò probatur à priori, quia quidquid significatur hoc concreto, *Hic Deus*, totum naturali ratione demonstratur, & colligitur ex creaturis: demonstratur enim Diuinitas cum omnibus attributis; & demonstratur, quod sit subsistantia per se subsistens & persona, quæ sit hic Deus singularis & vnicus. Sed lumine naturæ non demonstratur, quod subsistat pluribus subsistentiis relatiuis realiter distinctis, nec quod sint tres personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ergo prædicto concreto, *hic Deus*, non significatur, subsistentias esse plures, nec relatiuas, nec significantur proprietates personarum. Confirmatur, nam ante reuelationem mysterij Trinitatis eandem significationem habebat *Hic Deus*, quam habet post reuelationem. Sed ante reuelationem nullo modo significabat personas, vt plures, ergo nec post reuelationem.

5 Quintò probatur, nam si demonstratiuum pronomen *Hic* demonstraret suppositа, quatenus sunt plura, realitérque distincta, non posset singulariter dici *Hic Deus*, sed deberet pluraliter dici *hi*, vel *isti dij*. Sed non possunt pluraliter dici, sed tantum singulariter, vt constat ex disp. præced. sect. 2. & 3. Ergo pronomen *Hic* non demonstrat suppositа, quatenus sunt plura, sed suppositum, prout est habens vnicum naturam diuinam, abstrahendo à pluralitate personali.

6 *Suppositũ indifferenter & vagè connotatur.* Dico secundò, *Hic Deus*, quod ex se est præcisè, significat de materiali, siue de connotato suppositum aut personam in communi, vel indifferenter & vagè. Probatur primò, quoniã hoc totum & solum euidenter demonstratur naturali discursu, colligente Deum ex creaturis, vt nuper dicebamus. Probatur secundò, nam hic Deus, vltra naturã, quam de formali significat, dicit etiam de materiali suppositum: sed non dicit plura suppositа vt distincta & in particulari (sicut probatum est assertione præcedenti) nec dicit vnum singulare suppositum, constitutum suppositalitate realiter vna (sicut contra Caietanum probatum est disput. 34. sect. 5. & sequentibus.) Restat ergo vt dicat suppositum in communi, vel indifferenter ad tria suppositа diuina.

7 Maior probatur ex Damasceno lib. 3. fidei cap. 11. fine, dicente; *Deitas naturam ostendit; Pater verò hypostasin: quemadmodum & humanitas naturam; Petrus hypostasin. Deus autem & commune naturæ significat, & vnamquamque hypostaseon denominat: nam Deus est diuinam naturam habens, & homo, humanam.* Perpende, quod Deus est habens naturam diuinam, vnde suppositum est vel hypostasis, sed non in particulari, sicut Pater aut Petrus, sed in communi, sicut homo, quantum ad communitatem suppositi, non verò naturæ, quæ singularis est in Deo, nõ in homine. Quod etiam explicuerat in eodem lib. 3. cap. 4. sub initium, dicens: *Deus & homo de vna natura ordinatur, quemadmodum cum dicimus, vnus est Deus; simitur etiam & de hypostasibus, vt particulariori suscipiente vniuersalioris nomen, ceu cum dicit scriptura: Propterea vnxit te Deus Deus tuus. Ecce enim Patrem & Filium ostendit.* Vnde plerique scholastici tanquam sententiam Damasceni referunt, quod Deus sit habens Deitatem: quamuis differant in modo significandi, nam *habens* est adiectiuum, ideóque multiplicatur pro numero personarum; *Deus* verò substantiuum, ideóque non plurificatur, vt S. Thomas notauit in præsenti quæst. 39. artic. 3. ad 1. & alij scholastici. *Habens* autem est idem quod suppositum, vel significatum per modum suppositi. Psalm. 44.

8 Confirmatur primò, nam ob eam causam hæc propositio est de fide: *Deus est homo*, quoniam suppositum est idem; licet econtrario sit hæretica propositio: *Diuinitas est humanitas.* Confirmatur secundò, nam propriè loquendo, actiones tribuuntur suppositis, & non naturæ, prout à supposito præscinditur. At verò propriè dicimus, vnus Deus creat, gubernat, &c. vnus Deus intelligit & vult. Ergo Deus aliquo modo dicit suppositum, saltem de materiali & in communi.

9 *Cõcordia dissidentium.* Vnde sequitur, distinctione facilè componi quorundam dissidium, affirmantium, aut negantium nomen *Deus* esse nomen suppositi. Verè namque suppositi nomen est, tanquam connotati materialis, pro quo supponitur, & de quo prædicatur. Sed non est nomen suppositi, tanquam formalis & primarij significati: nec tanquam materialis significati secundum pluralitatem ac distinctionem suppositorum, sed tantùm in generali.

10 *Obiectio prima.* Sed aliqui recentiores obiiciunt primò, inde sequi, quod foret etiam commune indiuiduum humanitatis, si vna humanitas assumpta fuisset à tribus personis. Consequens autem esse falsum probant, quia sequeretur, hominem assumi à tribus personis, & non humanitatem: siquidem priusquam in particulari intelligantur personæ assumentes, iam est homo. Atqui homo assumi non potest, quia non potest assumi suppositum, vt S. Thomas docet 3. p. quæst. 4. art. 3.

11 *Respondetur. Non sequitur hominẽ fuisse assumptum.* Respondetur, concedendo primam sequelam, negando verò secundam. Foret, inquam, commune indiuiduum humanitatis hic homo vnus, si tres personæ assumpsissent eandem humanitatem: vt vidimus disputatione præcedenti sect. 3. Inde tamen nõn sequitur, hominem fuisse assumptum: quia licet hic homo intelligatur prius ratione, quàm intelligantur plures personæ distinctæ & in particulari: cæterùm non intelligitur prius, quàm intelligatur aliqua persona vagè & in communi subsistens in natura humana, nulla verò persona subsistere potuisset in prædicta humanitate, nisi persona diuina assumens. Confirmatur, quia licet diuinæ personæ assumpsissent humanitatem prius suppositatam creata personalitate; desineret ea suppositalitas; & dato quod per impossibile non desineret; adhuc personæ assumerent immediatè, formaliter, & per se naturam; perinde ac si non esset suppositata; idcóque non hominem, sed humanitatem assumerent.

12 *Secunda obiectio.* Obiiciunt secundò, quia si daretur concretum *Deus*, dicens rationem suppositi, communem tribus personis; sequeretur etiam dari concretum *Spirator*, dicens rationem suppositi, communem duabus tantum personis, quod indicant inconueniens. Respondetur. Hoc ipsum valdè cõfirmat præcedentem assertionem. Vnicus enim Spirator de materiali continet non subsistentiam realiter vnam, sed communem rationem subsistentiæ, quæ abstrahitur à Patre & Filio. De formali verò constituitur vnica relatione spirationis: vt probatum est disputatione 70. sectione 3. & 4. *Spirator quæ rationẽ suppositi dicat.*

13 *Tertia obiectio.* Tertiò obiiciunt graues Theologi, quoniam S. Thomas in præsenti art. 4. docet, in hac propositione, *Deus creat*, Deum non supponere immediatè pro personis, sed pro essentia. Hoc autem non posse intelligi de supposito in communi, abstrahente à particularibus suppositis, probant, quoniam idem S. Thom. 3. p. quæst. 24. art. 1. ad 3. dicit, illum modũ suppositionis habere locum

in

in ordine ad actus mentis, non verò in ordine ad actiones reales. Vnde cum vera sit illa locutio: *Christus, vt hic homo, est prædestinatus Filius Dei.* Hæc tamen est falsa: *Christus, vt hic homo, est factus Filius Dei.*

14 *Solutio.* Respondetur primò. S. Thomas ibi non dicit posteriorem propositionem esse falsam, sed minùs veram esse, quàm priorem: admittit autem esse veram S. Thomas & Caietanus ibi §. vlt. Respond. secundò, consequentiam esse nullam, quia Christus supponit pro determinata persona diuina, ideóque licet reduplicetur *vt homo*; semper agit de persona tali determinata, & de illa videtur prædicare factam esse; quod licet absolutè verificetur propter communicationem idiomatum, vt constat apud Damascenum lib. 3. fidei cap. 4. post med. attamen duriusculum est.

15 Confirmatur primò, quia sine controuersia catholicè sunt istæ propositiones: Hic homo prædicauit, ambulauit, mortuus est, descendit ad inferos, resurrexit, ascendit in cœlum, & similes, quæ omnes sunt reales actiones, conuenientes huic homini, non quatenus est persona diuina, sed præcisè, quatenus hoc suppositum subsistit in natura humana. Ergo modus suppositionis pro supposito secundum aliquam rationem, nostra consideratione præcisam, locum habet in ordine ad actiones reales. Confirmatur secundò, nam ratio, propter quam S. Thom. dixit illam propositionem esse minus veram, fuit, quoniam aliquo modo denotare videbatur prius extitisse in natura humana, & postea factum esse Filium, quod periculum non erat, quando dicebatur esse prædestinatus. Cætera remitto ad eum locum.

16 *Hic Deus quomodo singularis & communis.* Ex dictis colligo, & Dico tertiò. *Hic Deus* est est terminus simpliciter singularis ratione naturæ, quam formaliter & primariò significat; nihilominus etiã ratione personæ siue suppositi; quod de materiali significat, non est terminus singularis, sed aliquo modo participat rationem termini communis; quoniam eius significatum abstrahitur à multis suppositis, ac de multis prædicatur. Notauit S. Bonau. magis expresè, quàm cæteri, loco citato in sect. præcedenti.

SECTIO III.

Prioritas & suppositio eiusdem concreti declaratur & probatur.

1 *Prius ratione intelligitur* Hic Deus *quàm persona.* EX his, quæ de significatione dicta sunt hactenus, infertur prioritas & suppositio, sequentibus assertionibus declaranda. Dico primò. Indiuiduum Diuinitatis concretum, videlicet, *Hic Deus*, intelligitur prius ratione, quàm intelligantur personæ diuinæ, quatenus plures sunt atque distinctæ; & consequenter prius, quàm intelligatur aliqua proprietas peculiaris vnius vel duarum personarum. Hanc prioritatem expresè notauit Scotus 1. distinctione 4. quæstione 2. vltima. Colligitur autem ex cæteris scholasticis citatis sectione 1. Magis eam elucidauit Vazquez disp. 156. cap. 2.

2 *Non conuertitur subsistendi consequentia.* Probatur, explicando duplicem modum prioritatis, qui reperitur inter hunc Deum, & personas sigillatim consideratas. Alter est modus prioritatis, quem secundo loco tradit Arist. in post-prædic. cap. de modis prioris, videlicet, *Quod non conuertitur essendi consequentia quo pacto vnum duobus est prius, nam si sint duo, & vnum continuò sequitur esse: at si vnum sit, non necessariò sequitur duo esse.* Hanc prioritatem aliqua ex parte seruat *hic Deus* comparatione personarum in particulari. Quamuis enim ex eo, quod existat hic Deus, continuò per necessariam illationem deducatur existentia Patris, Filij & Spiritus sancti; nihilominus quantum ad prædicationem non conuertitur consequentia, quia Christus D. est hic Deus, & tamen non est Pater, nec est Spiritus sanctus; quamuis econuerso consequentia necessaria sit: *Est Pater, ergo est hic Deus.* Similitérque. *Hæc persona est Spiritus sanctus. ergo est hic Deus.* Confirmatur, nam sicut in rebus creatis à superiori ad inferius non conuertitur consequentia, quamuis enim ex eo, quod sit equus, necessariò sequatur, esse animal: attamen ex eo, quod sit animal, non sequitur esse equum; ita quoniam *hic Deus* aliquid habet vniuersalitatis comparatione plurium personarum; ab eo ad singulas personas in particulari non conuertitur consequentia.

3 *Cognitio prior* Hic Deus, *quàm persona.* Clarior est alter modus prioritatis, in eo consistens, quod naturalis cognitio simpliciter prior est, quàm cognitio supernaturalis fidei. At verò *hic Deus* naturali cognitione scitur per demõstrationem, à creaturis acceptam. Pluralitas autem personarum non potest, nisi supernaturali reuelatione cognosci. Confirmatur, quia licet pluralitas personarum naturali discursu potuisset inuestigari: adhuc in eo casu impossibili, naturalis discursus prius perueniret in notitiam vnius Dei singularis, abstrahendo à numero personarum: quoniam hoc est minus exactum, & minus explicitum. In discursu autem illud est posterius, quod est magis explicitum, & exactum.

4 *Potest hic Deus supponi pro persona.* Dico secundò. Hoc nomen *Deus*, vel *hic Deus*, ex modo significandi habet, vt propriè possit supponi pro persona non tantùm in communi, sed etiam in particulari. Propterea licet vt plurimum non supponatur pro particulari persona, nisi propter additum aliquod notionale: nihilominus ad hanc suppositionem non trahitur violenter contra, nec supra natiuam significationem; quemadmodum voluerũt antiquorum nonnulli, quos impugnat sanctus Thomas in præsenti articulo 4. corp. Idem apertè sumitur ex Bonauentura & alijs scholasticis citatis sect. 1. Ratio est, quia quæcumque nomina ex modo significandi de materiali dicunt suppositum in communi, eo ipso proprietatem habent, vt possint supponi pro supposito in communi, vel in particulari: vt constat in hoc nomine *homo*, vel *animal*, & magis explicabitur assertionibus sequentibus.

5 *Quandoque nullam personam determinat* hic Deus. Dico tertiò. Quandoque *Deus*, vel *hic Deus*, supponitur pro habente Deitatem in communi, nullum suppositum in particulari determinando, quemadmodum cum dicimus: *Deus creat.* Hæc enim est mens sancti Thomæ in præsenti artic. 4. corp. cum ait, hoc nomen *Deus* supponi pro essentia, in prædicta propositione. Nam paulo superius notauerat discrimen inter Deum, & Deitatem, quod Deus significat diuinã essentiam, vt in habente ipsam, sicut hoc nomen homo significat humanitatem in supposito. Confirmatur, nam ex hoc discrimine prouenit, vt hæc propositio sit vera, *Deus generat*: hæc tamen sit falsa, *Deitas generat*: vt videbimus disputationibus proximè sequentibus.

6 Quod autem etiam cum pronomine demonstratiuo *hic Deus* supponatur pro habente Deitatem in cõmuni, non determinando plures, neque vnam personam in particulari, probatur Deut. 15. *Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum.* & Psalm. 47. *Quoniam hic est Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.* Id notat sanctus Thomas quæst. 39. art. 8. fine.

7 *Propter additum notionale supponit pro persona.* Dico quartò. *Quando Deus*, vel *hic Deus* ponitur sine addito notionali, semper supponitur pro essentia in concreto, siue, quod idem est, pro supposito in communi, & præcisè prout est habens essentiam (nisi contextus aliud exigat, vt videbimus sectione sequenti.) Sed cum addito notionali semper supponitur pro persona in particulari. Ita S. Thom. in præsenti quæst. 39. artic. 4. & 1. sententiarum distinct. 4. quæst. 1. artic. 2. & 3. Vbi S. Bonauentura art. 1. quæst. 1. & 4. Alexander 1. part. quæstione 66. memb. 2. art. 1. Albertus 1. part. quæst. 45. memb. 2. art. 1. corpor. Henricus in summa art. 54. quæst. 3. ad argumenta. Carthusianus 1. distinct. 24. quæst. 5. præsertim à medio. Alij Scholastici communiter 1. distinct. 4. vbi Ricardus art. 1. quæst. 1. & 2. Gregorius quæstione vnica. Gabriel quæst. 1. art. 1. notabili 6. & art. 2. cum Ochamo. Marsilius in 1. quæst. 8. Capreolus distinct. 4. quæst. 1. artic. 2. & 3. Caietan. ad præsentem art. 4. Vbi Canarien. 2. & 3. parte commentarij. Molina supra quæst. 36. art. 4. disput. 3. & in præsenti artic. 4. disput. 2. Valentia 1. part. suæ quæstione 13. de Trinitate punct. 3. colum. 7. & sequentibus. Vazquez disputat. 157. præsertim cap. 1. & 6. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 14. num. 6. & sequentibus.

8 *Suppositio quasi personalis.* Prior illa suppositio pro essentia, in concreto significata, tunc potissimùm est necessaria, quando prædicatum non potest conuenire personis collectiuè, nec diuisiuè sumptis. Veluti cum dicimus: *Hic Deus est realiter communis tribus personis*; vel; *Hic Deus nullam includit realem distinctionem à personis.* Est enim suppositio quodammodo similis ei, quam Logici personalem vocant in hac propositione: *homo est species.* Adhuc tamen pro Deitate, in concreto significata, & non pro personis in particulari suppo.netur *Deus*, vel *hic Deus*, quoties prædicatum, vel adiectiuum omnibus & singulis personis conuenit. Ratio est, quia primariam significationem & indifferentiã exercet, quasi naturaliter quodcumque nomen, quoties non determinatur ab alio nomine, vel contextu. At vero primariam significationem istius nominis esse indifferentem, ostendimus assertione præcedenti. Denique de suppositione pro personis in particulari dicemus sectionibus sequentibus.

SECTIO IV.

Deus, *vel* hic Deus *pro vna persona quandoque supponitur, sicut & alia nomina essentialia.*

1 *Deus pro persona Patris.* DIco primò. Pro persona Patris supponitur nomen *Deus* pluribus in locis Scripturæ. Probatur primò, nam Ioann. 1. *Verbum erat apud Deum.* Vbi cum apertè significetur realis distinctio inter Verbum, & personam, apud quam est, (vt plurimi Patres obseruant citati disputat. 19. sect. 4. probatione 3.) consequens est, vt ille Deus, apud quem est Verbum, debeat, supponi pro persona Patris. Propterea Theophylactus ibi notat: *Manifestè Euangelista hoc loco alium dicit esse Verbum, & alium Deum, hoc est, Patrem; nam quia Ruiz. de Trinitate. Verbum erat apud Deum, manifestum quod duæ personæ introducuntur, etiam si vna natura sit in his duobus.*

2 Sic etiam Deus pro persona Patris supponitur 1. Corinth. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius.* Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Filius enim non est, nisi Patris Filius, sicut & Pater non est, nisi Filij Pater. Præterea Philippens. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Nemo enim sibi ipsi æqualis dicitur, vt notat Athanas. lib. 3. de assumptione hominis col. 1. Quapropter ille Deus, cui æqualis est Filius, debet esse persona realiter distincta. Nec minus requiritur ea distinctio, vt Deus det, atque mittat Filium. Quemadmodum Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et iterum: *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Galatas 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.*

3 *Contextus cõpellit multoties ad dictam suppositionem.* Probatur secundò, quia contextus scripturæ multoties compellit, vt intelligamus, pro persona Patris supponi nomen *Deus*: quoniam præcedentia, vel sequentia membra de Filio & Spiritu sancto sigillatim & in particulari tractant. Sic enim 1. Corinth. 8. Paulus ait: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Quod Patres ponderant, ostendendo, non ideo negari Diuinitatem Filio, vt ex Nazianz. & Chrysostomo vidimus disputatione 40. sect. 5. ad finem. Deinde 1. Corinth. 12. *Diuisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem spiritus: diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus.* Vbi *Deus* pro Patre supponitur, quemadmodum & *Dominus* pro Filio, vt obseruant Chrysostom. oratione 2. de Trinitate, & de serpente in medio. tomo 5. & tomo 3. sermone de consubstantiali Trinitate colum. 2. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum libro 5. cap. 3. de Spiritu sancto prope medium. Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti prope medium. §. *de Patre*, fine. Insuper 2. Corinth. vltimo fine. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Galatas 1. initio: *Per Iesum Christum, & Deum Patrem.* 2. Corinth. 1. *Benedictus Deus, & Pater.* 1. Corinth. 15. *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri.*

4 *Deus Christi vocatur Pater.* Probatur tertiò, nam iuxta suppositionem hanc Pater aliquando vocatur *Deus* Christi Domini, etiam secundum personam Verbi. Veluti Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Quod Cyrillus Hierosolymit. catech. 11. inter med. & finem. ita intelligit: *Ad Patrem aliter meum per naturam, aliter vestrum per adoptionem. Et rursus ad Deum aliter meum tanquam proprij Vnigeniti Filij, & aliter vestrum tanquam creaturarum.* Eodem modo Hilarius lib. 11. de Trinitate colum. 5. & sequentibus in prædictis verbis Christi D. Patrem appellari Deum suum comparatione personæ diuinæ, fusè tractat, & confirmat ex Psal. 44. de quo dicendum est paulo inferius.

5 *Esse Deum comparatione humanitatis communior expositio fert.* Fateor nihilominus, esse communiorem expositionem Patrum, quæ *Deum meum* intelligit essentialiter comparatione humanitatis Christi D. cuius Deus sit, quemadmodum & Angelorum, & hominum. Ita Athanas. oratione de humana natura suscepta inter princ. & med. & dialogo 1.

de Trinitate contra Macedonian. quatuor columnis ante finem. & lib. de communi essentia Patris Filij & Spiritus sancti in medio §. *Apostolus*, confirmat illius verbis Ephesios 1. *Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ*. Athanas. enim aliter, quàm vulgata, Deum coniungit cum genitiuo *Domini nostri Iesu Christi*. Eodem modo non comparatione diuinæ personæ, sed humanitatis *Deum meum* intelligit Nazianzenus oratione 36. quæ est quarta de theologia obiect. 4. post num. 29. Epiphan. hæresi 69. longè post med. pag. 15. & 16. & hæresi 76. ad caput 20. Aëtij. & in Ancorato inter princip. & medium. Chrysost. sermone de S. Trinitate in medio, Cyrillus Alexand. in Ioann. lib. 12. cap. 51. post medium. & lib. 2. thesauri cap. 2. sub initium. & lib. 5. thesauri cap. 5. prope medium. Theophylact. in Ioan. cap. 20. Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 6. à medio. & lib. 3. de Virginibus multo propius ad med. quam ad princip. & lib. 10. in Lucam cap. vlt. in medio. Augustin. in Ioann. tract. 121. non longe post medium. Gregorius homil. 25. in Euang. post medium.

6 Quartò probatur, quia nomine Dei, Patrem intelligit Ecclesia in omnibus pene orationibus, quibus *Deum* obsecrat *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum*, vel in quibus dicit aliquid simile, Deum alloquens de suo Filio. Quintò probatur, quoniam eadem phrasi Damascen. lib. 1. de fide cap. 10. fine ait: *Vnus verè Deus est, Deus, & Verbum & Spiritus*. Vbi planè Deum ponit pro Patre.

7 *Aliquid antonomasiæ in prædicta suppositione.* Sextò, ratio propter quam Deus pro Patre supponitur frequentius, quàm pro Filio, vel Spiritu sancto participat aliquid antonomasiæ: quia non obstante personarum omnimoda æqualitate, Pater authoritatem habet primi principij, tanquam fons totius Diuinitatis, vt vidimus disput. 48. 49. & 50.

8 *Deus pro persona Filij.* Dico secundò. Aliquando *Deus*, vel *hic Deus* supponitur pro persona Filij, similitérque alia concreta essentialia. Quemadmodum Baruch 3. prope finem. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, &c. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, &c. Vnde Damascenus lib. 3. de fide cap. 4. fine. *Possumus*, inquit, *dicere de Christo, hic Deus noster in terra visus est*, &c. Sic etiam nomen *Dominus* pro persona Filij supponitur 1. Corinth. cap. 8. & cap. 12. nuper citatis. Ac regula fidei, Thaumaturgo diuinitus data: *Vnus*, inquit, *Deus Pater*, &c. *Vnus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo*, &c. Propter eandem rationem complexum hoc *vita æterna*, supponitur pro persona Filij epist. 1. Ioan. in cuius principio ait: *Vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Dionysius de cœlesti hierarc. cap. 1. sub initium: *Iesus*, inquit, *lux est Patris, cuius benignitate nobis ad Patrem, lucis authorem aditus patuit*. Vbi *lux* pro Filio supponitur.

Vita æterna, & lux *pro Filio.*

9 *Ampliatio dictæ suppositionis.* Ex quibus duo sequuntur corollaria. Primum, eandem suppositionem admitti posse in cæteris nominibus essentialibus Dei, quorum omnium non potest esse, quantum ad hoc, ratio discriminis. Secundum corollarium est, suppositionis regulam eandem esse, siue notionale nomen ponatur à parte subiecti, & nomen *Deus*, vel Dominus à parte prædicati: siue econtrario Deus, aut Dominus sit subiectum, de quo prædicetur aliquid notionale. Quoniam vtroque modo Deus, aut Dominus determinatur ad supponendum pro persona particulari; si contextus, vel additum notionale postulauerit.

10 *Pro Spiritu sancto, quæ nomina supponantur.* Dico tertiò. Pro persona Spiritus sancti peculiariter, nullibi reperio supponi nomen *Deus*, aut *Dominus*, supponuntur autem alia nomina essentialia: vt de *sanctitate* vidimus disput. 65. sect. 4. prope finem ex multis Patribus, & de amore disput. 73. & 74.

SECTIO V.

Pro duabus aut tribus personis aliquando supponitur Deus, *vel* hic Deus.

1 *Pro duabus personis collectiuè.* DIco primò. Pro duabus personis, collectiuè sumptis, videlicet, pro principio spirationis Patre, & Filio, supponitur *Deus*, vel *Dominus* multoties in Scriptura sacra, & Patribus. Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur*. 1. Corinth. 2. *Spiritus, qui ex Deo est*. Et iterum: *Nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*. Et rursus: *Reuelauit Deus per Spiritum suum*. & cap. 6. *In Spiritu Dei nostri*. Præterea 2. Corinth. 3. *Spiritu Dei viui*. Et rursus: *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. 1. Petri 4. *Quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus super vos requiescit*. 1. Ioan. 4. *De Spiritu suo dedit nobis*, Deus, scilicet. Vbi sicut in cæteris locis citatis, Deus ponitur in numero singulari, quo significetur vnicum, & singularem esse Deum, à quo procedit Spiritus sanctus & cuius Spiritus est. Quapropter ibidem dici potuisset *hic Deus*, designando spiratorem, qui complectitur Patrem, & Filium, qua ratione sunt vnum principium.

2 Confirmatur, nam scripturam imitantur Patres. Athanas. dialog. 1. de sancta Trinitate contra Anomæum inter med. & finem. *Spiritus*, inquit, *S. authorem, & causam habet Deum, à quo procedit*. Et sequenti dialog. 2. col. penultima: *Spiritus S. habet pro causa Deum*. Et post pauca: *Deus est fons Spiritus sancti*. Basilius homil. 17. in sanctum Baptisma prope fin. *Dei Spiritus*, inquit, *& apud Deum, qui & à Deo mittitur*. & homil. 27. de Spiritu sancto prope finem: *Tanquam Spiritus Dei, ex Deo prodiens, Deum sui causam fontis instar habens, & ex ipso promanans*. Gregor. Nyssen. oratione catechet. cap. 2. fine ait: *Spiritus est in Deo*. Videlicet in principio spirante. Et apud eundem regula fidei, Thaumaturgo cœlitus data: *Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens*.

3 *Pro duabus personis diuisiuè supponitur etiam* Deus. Dico secundò. Pro duabus personis diuisiuè supponitur non rarò nomen, *Deus*, & alia nomina essentialia. Nam & in regula fidei, quæ reuelata fuit Gregor. Thaumaturgo, & in symbolo Nicæno. Filius de Patre vocatur Deus de Deo, lumen de lumine. & S. Laurentius orabat: *Deus de Deo, miserere mihi seruo tuo*. Probat autem Anselmus epistola de processione Spiritus sancti cap. 6. & 7. id quod certissimum est, etiam Spiritum sanctum esse *Deum de Deo*. Verùm in hac propositione à parte subiecti Deus supponitur pro tertia persona; sed à parte prædicati pro duabus collectiuè.

4 *Dominus pro duabus personis diuisiuè.* Pro duabus autem personis diuisiuè supponitur *Dominus*. Genesis 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino*. Nam Dominus à Domino est Filius à Patre iuxta omnium ferè Patrum expositionem, quos citauimus disput. 36. sect. 4. Illud verò Psalm. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus*. Hilarius lib. 4. de Trinit. multo propius ad finem, quàm ad medium ita ponderat, vt

vt Filius appelletur Deus, qui habeat Patrem Deum suum, quoniam *ex Deo natus in Deum est*. Vnde concludit: *Vno eodemq; dicto vtrumque illum in naturæ eiusdem & dignitatis nuncupatione constituit*. Quod idem confirmat sequenti lib. 5. à medio, & lib. 11 de Trinitate col. 5. & 7. quamuis adiungat postea explicationem aliam, vt appelletur *Deus tuus* comparatione humanitatis.

5 *In solis nominibus essentialibus licet hic modus loquendi.* Confirmatur, quoniam in omnibus, & solis nominibus essentialibus locum habet ille modus loquendi, *Deus de Deo, essentia de essentia, sapientia de sapientia, potentia de potentia*, & alij similes. Sic enim cum Augustino lib. 6. de Trinitate cap. 2. & lib. 7. cap. 2. & 3. docent, Magister, & omnes Scholastici 1. sentent. cap. penult. & vltimo. Adde Augustinum lib. 15. de Trinitate cap. 14. initio. & tract. 29. in Ioann. Nicænum quoque Concilium lib. 2. inter medium & finem. §. *illud*, vocat *Filium lumen de lumine*, & *Spiritum sanctum lumen de eodem lumine*. Huiusmodi plurima testimonia luminis de lumine & lucis de luce vidimus disput. 27. sect. 6. Quibus fontem de fonte addit Epiphanius hæresi 69. propius ad med. quàm ad fin. dicens, *Lumen Patrem, & lumen Patris esse Filium, & lumen Spiritum sanctum, & fontem ex fonte ex Patre & Vnigenito*.

6 Rursus *principium de principio* rectè vocari Filium, ostendimus disput. 48. sect. 4. Gloriam de Gloria Filium esse iuxta illud Ephes. 1. *Deus Domini nostri Iesu Christi, qui est Pater gloriæ*. (sic enim ipse legit) author est Athanas. lib. de communi essentia Patris, Filij & Spiritus sancti, in medio. §. *Apostolus*. Cui consonat quod Gregor. Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostas. longè ante fin. notat, Apostolum Hebræos 1. quando dixit: *Splendor gloriæ*, potuisse dicere: *Gloria de Gloria*. Denique fidei regula, Thaumaturgo diuinitus tradita: *Filius verus*, inquit, *veri Patris, visum effugiens visum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxij corruptioni, & æternus æterni*.

7 *Pro tribus personis diuisiuè supponitur Deus.* Dico tertiò. Pro tribus personis diuisiuè Deum supponi, contingit in hac propositione: *Deus est persona*, vel in hac: *Deus refertur ad Deum*, vel in hac: *Deus relatiuè subsistit*. Hæc enim prædicata conueniunt omnibus, singulisque personis, ideóque subiectum congruè potest supponi pro singulis, & omnibus. Eadem suppositio pro personis omnibus à S. Thoma in præsenti art. 4. corp. fine, tribuitur Deo in illis verbis 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili soli Deo honor & gloria*. Videtur imitatus Anselmum 1. ad Timoth. 1. col. penult. Vel potius Augustinum lib. 1. de Trinitate cap. 6. quem sequuntur Magister & Scholastici 1. distinct. 4. cap. penult. Nam in similibus verbis 1. Timoth. 6. *Quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Tres personas totámque Trinitatem intelligunt.

8 Veruntamen non alia ratione supponitur Deus pro tribus personis in eiusmodi propositionibus, nisi quia supponitur pro vnico Deo, communi tribus personis, quomodo supponeretur etiam in hac propositione, *Deus creat*, vel *solus Deus creat*; etenim illa dictio exclusiua *solus* non mutat suppositionem. Quapropter sanctus Thomas potuisset affirmare, *soli Deo*, supponi pro essentia diuina eodem sensu, quo dixerat in eodem artic. Deum supponi pro essentia in hac propositione *Deus creat*. Hanc paritatem præsentium propositionum fatetur Caietanus in præsenti artic. 4. ad 3. dub. & plerique recentiores.

9 Confirmatur primò, quia de communi Diuinitate personarum prædicta verba 1. ad Timoth. 1, & 6. intelligunt Nazianz. Basilius, Theodor. Hilarius, Ambros. imo & in aliis locis August. quos citauimus disput. 40. sect. 3. probatione 2. & 3. Confirmatur secundò, quia sine cõtrouersia Deus supponitur, vt est essentialis, & communis tribus personis, quando Lucæ 18. dicitur: *Nemo bonus nisi solus Deus*. Roman. 16. *Soli sapienti Deo*. & Iob 9. atque Isaiæ 44. *Extendens cœlos solus*. De quibus egimus ex professo prædicta disput. 40. sect. 3.

10 *Pro tribus personis collectiuè.* Dico quartò. Collectiuè pro tribus personis supponitur *Deus*, quando dicimus, *Deus est trinus*, vel *Trinitas est Deus*: de quibus propositionibus infra disput. 81.

SECTIO VI.

Vtrum hæc propositio sit vera: Hic Deus est hic Deus.

1 *Si designetur vnica rătum persona.* NVlla difficultas est, quin vera sit propositio, si *Deus hic*, tam à parte subiecti, quàm à parte prædicati supponatur pro indiuiduo naturæ diuinæ, quod est commune tribus personis. Est enim suppositum, in generali consideratum, prout est habens Deitatem. Hoc autem in rigore, simplicitérque significat, & pro eo supponitur *hic Deus*, nisi determinetur aliunde. Quo sensu veram esse propositionem, inde constat, quoniam est identica, cui propterea veritas non potest deficere; quamuis vtilitas ad disciplinas deesse potuisset. Confirmatur, quia nomen illud non significat Patrem, quatenus Pater est, neque Filium, quatenus Filius est. Hæc enim sunt relatiua, sed nomen illud est simpliciter absolutum à relationibus.

2 *Status quæstionis si designentur duæ personæ.* Restat ergo tota difficultas, si complexum illud *hic Deus* à parte subiecti designet personam distinctam ab ea, quam designat a parte prædicati, veluti si designet Patrem à parte subiecti, & Filium à parte prædicati. De qua fui temporis theologos acriter & contentiosè decertasse vsque ad graues censuras vtriusque sententiæ, refert Canarien. in præsenti quæstione 39. artic. 4. parte 3. commentarij dub. 3. quorum inuidiam veritus, non audet simpliciter proferre sententiam, sed vtitur distinctione, quam infra referemus.

3 *Sententia negãs posse supponi pro distinctis personis.* Alij theologi respondent pronomen demonstratiuum *hic* non posse demonstrare duas personas, alteram à parte subiecti, & alteram à parte prædicati: quoniam in vtraque parte positus *hic Deus* demonstrat vnum, & eundem Deum, communem tribus personis. Ita Molina in præsenti artic. 4. disput. 1. & Vazquez disput. 156. cap. 4. Quorum argumenta prætermitto, quoniam iidem propria sponte fatentur, aliquando posse designari vnam personam à parte subiecti, & aliam à parte prædicati; siue quoniam homo, qui loquitur pro suo arbitratu designat distinctas personas, per æquiuocationem abutens prædicto complexo, *hic Deus*: siue quia *Deus* non afficitur pronomine *hic*, sed appositiuè ponitur.

4 *Potest designari à parte subiecti vna persona, & alia à parte prædicati.* Dico igitur primò. Potest à parte subiecti designari persona distincta, ab illa quæ designatur à parte prædicati, cum dicitur *hic Deus est hic Deus*. Probatur primò, quia Baruch 3. persona Filij designatur illis verbis: *Hic est Deus noster*, &c.

Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Atque ita de persona Christi D. Damascenus intelligit, vt vidimus sect. præcedenti. Fauet etiam Anselmus lib.de Incarnatione Verbi cap.5. circa medium, dicens: *Cum profertur homo, natura tantùm, quæ communis est omnibus hominibus, significatur. Cum verò demonstratiuè dicimus istum, vel illum hominem, vel proprio nomine Iesum, personam designamus:* Idem autem intelligendum esse de persona diuina, supponit quod subiungit post pauca: *Nec enim personaliter Filius Dei designari potest, vel nominari, sine filio hominis: nec filius hominis, sine Filio Dei.*

5 *Discrimen cõtrariæ sententiæ pugnat contra ipsam.*

Probatur secundò, quia discrimen, quod à prædictis authoribus assignatur inter hunc hominem, & hunc Deum, probat, meliori iure hunc Deum posse supponi pro determinata persona. Quamuis enim natura diuina tam in concreto, quàm in abstracto seipsa sit indiuidua, & singularis, ideóque designabilis pronomine demonstratiuo; at verò Deus non modò de formali significat naturam, sed etiam de materiali significat suppositum in communi, vt probatum est sect.1. & 2. Proptereáque generalitas illa suppositi potest determinari, demonstrando suppositum vnum in particulari, vel demonstrando aliud suppositum. Est enim facilius & promptius demonstrando determinare, quod minus indiget determinatione. *Deus* autem determinatione minus indiget quàm *homo*, qui quantum ad naturam, & quantum ad suppositum indiget determinatione, designando hæceitatem naturæ, & hæceitatem suppositi. Nec enim natura singularizatur formaliter per suppositum, sed per intrinsecam sibi differentiam indiuidualem, quæ manet etiam destructo suppositо, quemadmodum in humanitate Christi D. Quapropter falsum inuoluit ratio discriminis, quam impugnamus.

6 *Affirmatiua propositio simpliciter falsa.*

Dico secundò. Simpliciter est falsa propositio: *Hic Deus est hic Deus*, designando Patrem à parte subiecti, & Filium à parte prædicati. Probatur, quia significat, Filium esse Patrem, & eandem personam esse, quod est Sabellianorum hæresis.

7 *Similiter falsa negatiua & non contradicit.*

Dico tertiò. *Similiter* est absolutè falsa negatiua propositio: *Hic Deus non est hic Deus.* licet à parte subiecti designetur Pater, & Filius à parte prædicati. Probatur primò, quia verè non est contradictoria prædictæ propositionis affirmatiuæ, licet primo aspectu contradicere videatur: proptereáque disputatores citati soleant huius negatiuæ colligere veritatem ex falsitate affirmatiuæ propositionis. Ratio autem impediens, ne propriè, veréque contradictoria sit, consistit in eo, quod *hic Deus* est terminus non omnino completéque singularis; quoniam *Deus* id habet peculiare propter infinitam perfectionem, vt eius Diuinitas realiter vna, & indiuidua realiter communicetur tribus personis realiter distinctis. Confirmatur, hoc enim defectu vitiantur plurimi syllogismi expositorij de mysterio Trinitatis, quos notauimus disput.15.sect.6.dicto 4.

8 Probatur secundò, quoniam hæc negatiua: *Hic Deus non est hic Deus.* in rigore dialectico significat, quod hic Deus, qui demonstratur esse Pater, omnino totalitérque non est hic Deus, qui demonstratur esse Filius. Quia negatio vim habet destruendi totum, quod inuenit post se: proptereáque significat Patrem & Filium non tantum in Paternitate, & Filiatione, sed etiam in Deitate, non esse vnum & idem.

9 Probatur tertiò, nam si prædicta negatiua foret absolutè vera: sequeretur esse plures Deos Patrem & Filium: quoniam hic Deus (designando Patrem) non est hic Deus (designando Filium) Erit igitur vnus Deus, & alter Deus, qui non est ille primus Deus. Consequens autem est hæreticum; quia Pater & Filius sunt vnicus Deus supra disput.77. sect.2.& 3. Confirmatur, quia Pater, & Filius, non est alius, & alius Deus, quamuis sit Deus & Deus, vt Patres & Scholastici probant citati supra disput.39. sect.7.& 8.

10 *Vitandæ sunt illæ propositiones.*

Dico quartò. Tutioris ac prudentioris erit conflij prædictas propositiones euitare, simpliciter & absque declaratione prolatas. Tam propter æquiuocationem latentem in eodem complexo, designante distinctam personam à parte subiecti, quam non designat à parte prædicati. Quod genus æquiuocationis valde suspectam reddit propositionem, & expositam captiosis sophismatibus hæreticorum. Tum etiam, quoniam adhibita distinctione, vitantur omnes difficultates, & pericula, veluti dicendo propositionem illam: *hic Deus est hic Deus*, esse veram, si loquentis sensus sit, quod Pater & Filius est idem omnino Deus. Si verò sensus sit, quod Pater, qui est Deus est Filius, qui etiam est Deus, propositio est manifestè hæretica. Vel aliter breuius distinguere poteris, vt hic Deus sit hic Deus, quantum ad communem rationem habentis Deitatem, non quantum ad proprias rationes Patris, & Filij. *Adhibenda distinctio.*

11 *Altera propositio* Hic spirator est hic spirator.

Dico secundò. Sentiendum est, atque loquendum eodem modo de hac propositione, *Hic spirator est hic spirator*, vel: *Hoc principium spiratiuum est hoc principium spiratiuum*, à parte subiecti demonstrando Patrem, sed Filium à parte prædicati. Militat enim eadem prorsus ratio falsitatis, aut æquiuocationis, quam exposuimus in præcedenti propositione. Consequenter etiam ex hypothesi quod tres personæ diuinæ fuissent vnitæ cum eadem humanitate: foret idem dicendum de hac propositione; *Hic homo est hic homo*, designando Patrem à parte subiecti, & Filium à parte prædicati.

12 *Aliæ propositiones falsæ.*

Dico sextò. Clarior est falsitas in hac & similibus propositionibus: *Deus generans est Deus genitus*, vt vidimus disputat.39. sect.8. dicto 2. & 3. nam idem significat, quod altera propositio: *Pater Deus est Filius Deus.* Nomen enim *generans* additum vocabulo *Deus*, restringit ad personam Patris; *sicut* & nomen *genitus*, restringit ad personam Filij. Quamuis autem idem Deus, qui est generans, & Pater, sit etiam genitus, & Filius: veruntamen in rigore sermonis, & iuxta consuetudinem loquendi, non significatur hæc tantum identitas per illam propositionem, sed vlterius significatur identitas in ratione generantis & geniti.

13 *Inutilis distinctio.*

Nec solida ratione nititur discrimen, quod aliqui Theologi notant inter hanc propositionem, *Deus genitus est Deus generans*, præponendo substantiuum *Deus*, & aliâ in qua postponitur dicendo, *genitus Deus est generans Deus.* Violenter etiam tribuitur prædictis adiectiuis, vt appositiuè sumantur in his propositionibus. Verum in his amplius immorari non oportet.

DISPVTA

DISPVTATIO LXXIX.

Vtrum vera sit hæc propositio: Deus generat Deum. *Et illa:* Deus non generat Deum.

SECTIO I.

De veritate affirmatiuæ propositionis.

1 *Quæ propositio sit extra controuersiam.*

In controuersia fatentur omnes Doctores locis referendis in sect. sequenti. Veram & propriam esse propositionem hanc: *Deus generat.* Legitur etiam apud antiquos Patres. Nam Dionys. de diuinis nominibus cap. 2. non longè à princip. ait: *De Deo quidem, qui Deum genuit, aut de Deo Filio nec dici quidem potest quot Scripturæ locis nomen Domini celebretur.* Athanas. in dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum versus medium ait: *Deus Deum genuit.* Basilius oratione aduersus eos, qui calumniantur, quod tres Deos colamus, in fine orationis ita loquitur: *Deus genuit dignum seipso.* Epiphanius hæresi 76. confutans primum caput Aetij ait: *Deus genuit ex seipso Deum similem sibi, & æqualem per omnia.*

2 Manifestè colligitur ex omnibus locis Scripturæ, quibus vocatur Filius Dei, vt Matth.16. *Filius Dei viui.* De quibus diximus disput. præcedenti sect. 4. non procul à princip. Colligunt etiam Scholastici ex Symbolo dicente, *Deum de Deo.* Ratione probatur, quia Pater est Deus: & Pater genuit: ergo Deus genuit. Rursus Deus genuit Filium: & Filius est Deus: ergo Deus genuit Deum.

3 *Vtrum supponatur pro persona Patris, quando dicitur* Deus generat.

Oritur autem non difficilis dubitatio de suppositione nominis *Deus*, in huiusmodi propositione. S. Thomas in hoc art.4.ad 3. & communis Scholasticorum, quos citauimus disput. præcedenti sect.3.prope finem. Existimabant, supponi pro persona Patris iuxta generalem regulam ibidem traditam de notionali addito, quod vim habeat determinandi concretum essentiale, vt supponatur pro aliqua persona in particulari.

4 *Potest supponi pro communi concreto Deitatis.*

Cæterum huius regulæ veritas non obstat, quominus in eiusmodi propositionibus *Deus* intelligi possit etiam aliter suppositus pro communi concreto Deitatis indefinitè atque indifferenter. Ratio est, quia Deus vt est concretum commune Deitatis verè, ac propriè prædicatur de Patre. Vnde prouenit, vt quemadmodum Pater generat, sic etiam Deus generet, quamuis non generet prout est habens essentiam communem, sed prout est Pater. Explicatur exemplo, quia si Petrus tantummodo currat; verum erit affirmare, quod homo currit: quamuis homo non supponatur pro Petro, quia licet ratione humanitatis in communi non conueniat illi cursus; conuenit illi ratione sui inferioris indiuidui. Generaliter enim quæ primo conueniunt primis substantiis, conueniunt etiam & prædicantur de secundis, vt author est Aristot. in cap.de substantia.

5 Quam doctrinam obseruauit Iustinus quæst.18. ad orthodoxos illis verbis: *Licet disiunctè dicamus Filium modò Patris, modò Dei Filium: at disiunctè eum nunquam cogitamus. Est ergo Filius Patris, Filius eius, qui substantia Deus est. Est autem idem dicere Filium Patris & dicere Filium Dei: siquidem quidquid est personæ, idem est etiam substantiæ personæ.*
Ruiz. de Trinitate.

Ad eandem veritatem respexit Hilarius lib.6. de Trinit. inter princip. & med. quando dixit: *Deus vt est Deus, quod est permanet; & permanens Deus Deum genuit.*

6 *Deus pro distinctis personis aliquando.*

Quando autem in vtroque extremo *Deus* ponitur cum termino notionali, distinctionem exigente: tunc vrgentior est congruitatis ratio, propter quam *Deus* intelligatur pro distinctis personis in particulari supponi; quoniam hoc est commodius, & promptius ad verificandum tale prædicatum; veluti cum dicimus: *Deus generat Deum.*

SECTIO II.

Absolutè falsam esse propositionem: Deus non generat, *& similes.*

1 *De rigore sermonis controuersia.*

Propositionem hanc non esse concedendam omnes Scholastici tam Nominales, quã Reales fatentur, nemine discrepante. Sed vtrum de rigore sermonis, & ex vi ac natura terminorum sit falsa, vel solùm propter vsum theologorum, qui præscripserit aduersus artem, ac proprietatem verborum, aut propter vitandam occasionem erroris, magna controuersia est inter authores. Rationes dubitandi referemus sectione sequenti.

2 *Falsitas de rigore sermonis.*

Nunc sit conclusio prima. De rigore sermonis, & ex vi ac proprietate nominum, falsa est illa propositio: *Deus non generat*, & aliæ similes, vt, *Deus non spirat, Deus non generatur, non spiratur.* Ita sentiunt Scholastici non tantùm authoritate, sed etiam numero superiores quàm contrariæ sententiæ sectatores. S. Thomas quæst.39.art.4. ad 3. & 1.sentent. distinct.4.quæst.1.art.2. S. Bonauentura eadem distinct.4.art.1.quæst.1.ad 3. Vbi Ricard.quæst.1.ad 2. Carthus.quæst.2.post medium. Capreol.quæst.vnica art.2.& 3. Henricus in summa art.54. quæst.3. ad 4. Caietanus & cæteri expositores in hac quæst.39.art.4. Vbi Canarien. in 3.part. commentarij dub.4. fine. Molina 1. part. quæst.36.art.4.disput.3.colum.4. & 5. Bellarmin. lib. 2. de Christo cap. 9. sub init. Valent. 1. part. quæst.13. de Trinitate punct.3. colum. 7. & duabus sequent. à §. *Quoad tertiam quæstionem.* Vazquez disp.157.cap.3.& sequentibus. Suarez lib.6. de Trinitate cap. 7. versus finem. & communiter recentiores.

3 Denique quamuis de hac propositione nihil expressè docuerint antiquiores, vt Magister 1. distinct.4.& 5. Alexand.1.part.quæst.50.memb.3. & Albert. quæst.45. & quæst.51. Attamen hoc ipso significarunt, se pro comperto supponere falsam esse. Nam si veram putarent, opus esset hoc explicare, quia saltem propter sonitum vocis videbatur esse falsa, tanquam contradicens affirmatiuæ, cuius veritatem ibidem strenue propugnabant.

4 *Colligitur ex Patribus.*

Eadem sententia colligitur ex omnibus Patribus, pro Diuinitate Filij & Spiritus sancti disputantibus aduersus hæreticos, qui probare contendebant, quod Deus non generatur, nec producitur, nec spiratur, & consequenter Deus non generat Filium, nec spirat Spiritum sanctum, nec producit personam diuinam. Quas omnes & similes propositiones non refutassent Patres, vt hæreticas, sed explicuissent; si iudicarent in rigore sermonis, ac simpliciter esse veras. Quamuis enim eas hæretici sensu blasphemo proferrent; non erat latenti veneno conueniens antidotum,

aliud simpliciter falsum affirmare, negando quod erat simpliciter verum (hoc enim alterius erroris occasionem dabat.) Sed opportunum remedium erat explicare falsum sensum hæreticorum, atque illum negare, retenta vera propositione. Horum Patrum loca multa reperientur in septem prioribus disputationibus huius operis, & in aliis sparsim. Confirmatur, quoniam ij Patres præbuissent hæreticis ansam aduersus Catholicos insultandi, colligendo per bonam cõsequentiam, quod Deus non generat, & quod Deus non est genitus; si re ipsa validæ sunt illationes, quibus contraria sententia, referenda in sect. sequenti, contendit earum veritatem probare.

5 Verum in reddenda ratione falsitatis non exigua difficultas est, quam augent longiores quædam ambages, & circuitiones neotericorum, & impugnationes alienarum rationum; quas vt euitem duas rationes eligo, iuxta duplicem suppositionem, quam habere potest nomen *Deus*, in prædicta propositione: *Deus non generat*. Primò namque supponi potest Deus pro habente Deitatem in communi & indeterminatè. Iuxta quam suppositionem dicendo: *Deus non generat*, generatio totaliter remouetur à diuina natura, ita vt nullum suppositum habens Deitatem generet.

Prima ratio falsitatis, si Deus supponatur pro habente Deitatem in communi.

6 Hæc autem generalitas probatur ex discrimine inter hoc nomen Deus, & hoc nomen homo, vel similia nomina. Homo namque significat humanitatem, quæ realiter multiplicatur in pluribus suppositis. Vnitas autem in natura humana non est, nisi secundum rationem. Inde prouenit, vt simul veræ possint esse propositiones istæ: homo est albus, homo non est albus. Quia *homo* suapte natura ac per se supponitur pro singulis suppositis in particulari; nisi supra suam naturam artificiosè determinetur ad supponendum pro homine in communi & abstracto à singularibus, veluti cum dicimus: *Homo est species*, aut *est vniuersalis*. At econtrario Deitas est realiter vna, singularis & indiuidua in tribus suppositis: ideóque Deus suapte natura & per se supponit pro habente Deitatem, non determinando hoc suppositum in particulari, nec illud, quamdiu non additur aliquid notionale determinans ad particularem personam. Inde fit, vt quando dicitur, *Deus non generat*, à toto Deo, secundum se totum, & quasi distributiuè remoueatur generatio. Hæc est mens S. Thomæ in præsenti art. 4. ad 3.

7 Obiicies. Deus non est terminus omnino singularis, sed est partim communis ratione suppositorum, quibus Deitas communis est. Ergo potest de illo verificari negatio ratione vnius suppositi; licet ratione alterius verificetur affirmatio. Ideóque licet ratione Patris verificetur Deum generare; ratione Filij verum erit, Deum non generare, quia Filius non generat. Confirmatur, nam ea ratione plurimi syllogismi fallaces sunt in mysterio Trinitatis, quoniam Deum assumunt pro medio tanquam terminum singularem, nec distribuunt tanquam terminum communem, vt vidimus disput. 15. sect. 6. dicto 4. Ergo licet dicamus: *Deus non generat*, non remouemus generationem vniuersaliter à quolibet supposito diuino: quapropter absolutè verificabitur propositio, quoniam Filius est Deus, & non generat, similitérque Spiritus sanctus.

Obiectio.

8 Respondeo. Licet Deus ratione suppositorum sit aliquo modo communis terminus: absolutè tamen est singularis; eo quod formale significatum est Deitas singularissima. Vnde prouenit vt vnus tantùm sit Deus, non plures dij. Porrò terminus singularis non est capax distributionis, propriè loquendo; vnde fit, vt quoties aliquid negatur de aliqua re indiuidua & singulari, fiat sensus distributiuus, non aliter, ac si præponeretur illi termino negatio. Propterea de Petro, duobus in locis existente, si currat in vno, licet in alio quiescat, falsum est dicere: *Petrus non currit*. Similiter hæc est hæretica; *Deus non est incarnatus*, vel *Deus non est passus*; licet Pater & Spiritus sanctus non sit incarnatus. & hæc: *Corpus Christi non est indiuisibiliter totum in qualibet parte*, falsa est, licet in cœlo non sit indiuisibiliter totum in qualibet parte. Confirmatur, quoniam inde prouenit, vt supposita fide Trinitatis, naturale lumen rationis statim resiliat, & auersetur huiusmodi propositiones: *Deus non est Pater, Deus non est Spiritus sanctus, Deus non spirat*, licet de aliquibus personis illæ negationes verificentur.

Petrus in vno loco currens, & in alio quiescens.

Vera est igitur regula, quam præscripsit S. Bonauentura sequunturque Ricard. & Carthus. locis pro conclusione citatis. Termino, habenti formam non multiplicabilem, non differt præponere, vel postponere negationem, quia negatio totaliter remouet prædicatum à forma, & ex consequenti à quolibet supposito illius formæ. Cui regulæ consonat Henricus & cæteri Scholastici citati. Explicari potest, & corroborari alio exemplo. Quamuis enim vt vera sit affirmatiua: *Petrus ægrotat*, satis sit secundum aliquam sui partem ægrotare: nihilominus vt vera sit negatiua: *Petrus non ægrotat*, necessarium est quamlibet partem illius non ægrotare. Signum igitur est, negationem postpositam termino singulari, sensum reddere distributiuum & vniuersalem non minùs, quàm si negatio præponeretur toti propositioni.

9 *Regula.*

Petrus ægrotans aliqua parte corporis.

10 Ad confirmationem obiectionis respondetur, contrario modo se habere terminum singularem, quando affirmatur aliquid de illo. Nam quia nullus terminus distributiuus ei adiungitur, verificatur absolutè prædicatum ratione vnius partis, vel ratione vnius loci, vel ratione vnius suppositi; quamuis ratione aliorum non verificetur, vt cernere licet in exemplis supradictis, & rectè obseruauit Capreol. 1. distinct. 4. artic. 2. prope med. ac prope finem. Inde prouenit, vt defectus distributionis istius termini *Deus*, reddat fallacem syllogismum ratione propositionis affirmatiuæ, non ratione propositionis negatiuæ. Quod cernere licet in hoc syllogismo: *Filius non est Trinus, Filius est Deus, ergo Deus non est Trinus*. Argumentatur enim à non distributo ad distributum ratione minoris extremitatis, quæ est Deus. Nam in Minori non distribuitur, quoniam est propositio affirmatiua: distribuitur autem in conclusione, quoniam est negatiua. Plura exempla reperies dicta disput. 15. sect. 6. dicto 4.

Fallacia non distributi terminii.

11 Secunda ratio probat, eandem negatiuam esse falsam, si *Deus* in ea sicut potest, supponatur non essentialiter pro Deo in communi, sed notionaliter pro vna persona in particulari. Vera est enim dialecticorum regula, terminos, positos in affirmatiua & negatiua seruare suppositionem eandem. Hac enim de causa de virtute sermonis hæc est falsa; *Homo non est species*, licet Petrus non sit species, quoniam in ea homo supponitur personaliter, eo quod ita supponitur in affirmatiua; *homo est species*. Propter eandem rationem hæc est simpliciter falsa; *Leo non fuit in arca Noë*, licet innumeri

Secunda ratio falsitatis, si Deus supponatur pro vna persona. Regula dialecticorum.

innumeri leones ibi non fuerint, quoniam in ea negatiua *Leo* supponitur pro aliquo indiuiduo totius speciei Leonis, eo quod ita supponitur in affirmatiua: *Leo fuit in arca Noë*. Ideóque in negatiua sensus est, ex tota specie Leonis non fuit aliquod animal in arca. Nunc verò, quoniam in affirmatiua: *Deus generat*. Deus potest notionaliter supponi pro Patre, iuxta mentem communiorem Scholasticorum supra sect. 1. Ideo etiam negatiua, quæ illi correspondet, debet notionaliter supponere Deum pro Patre, vt sensus sit, hanc eandem personam non generare, de qua dici solet, quod generat, & quæ vocatur Pater.

12 Confirmatur primò, nam, vt Augustinus obseruat lib. 5. de Trinit. cap. 7. inter princ. & med. *Negatiua particula non id efficit, vt quod sine illa relatiuè dicitur, eadem proposita substantialiter dicatur: sed id tantum negatur, quod sine illa aiebatur, sicut in cæteris prædicamentis, veluti cum dicimus, homo est, substantiam designamus. Qui ergo dicit, non homo est, non aliud genus prædicamenti enunciat, sed tantum illud negat.* Et postquam singulorum prædicamentorum subiecit exempla negationis & affirmationis, concludit, quod non filius, non genitus, vel ingenitus dicuntur relatiuè, non verò substantialiter; eo quod Filius & genitus in Deo relatiuè dicuntur, & non substantialiter.

Negatio non mutat suppositionem relatiuam.

13 Manifesta igitur illatione colligitur, hoc prædicatum, *non generat*, esse notionale ac relatiuum, eo quod relatiuum & notionale prædicatum est generare. Quodlibet autem notionale prædicatum vim habet determinandi Deum, vt supponatur pro particulari persona, quæ nõ debet esse alia, nisi illa, de qua tractabat propositio affirmatiua, videlicet, prima persona innascibilis. Hoc enim supra dicta regula cauetur, vt propositio negatiua retineat eandem suppositionem, quam habere solet affirmatiua, constans eisdem terminis. Confirmatur secundò, quia si variaretur illa suppositio, non essent contradictoriæ, saltem de modo enunciandi. At S. Thomas & Scholastici statim citandi contradictorias esse docent.

14 Ex dictis infero, & sit secunda conclusio. Prædictæ propositiones affirmatiua & negatiua sunt verè ac propriè contradictoriæ. Ita docuit S. Thomas 1. dist. 4. quæst. 1. artic. 2. ad 3. Vbi Capreol. art. 2. ante med. Henricus in summa art. 54. q. 3. ad 4. Molina q. 36. art. 4. disp. 3. §. *ex dictis*. Vazquez disp. 157. cap. 3. prope med. Suares lib. 6. de Trinit. cap. 7. fine. Colligitur etiam apertè ex Bonauent. Ricard. & Carthus. citatis pro conclusione prima. Clariùs autem ex Caietano in præsenti art. 4. col. penult. §. *ad tertium verò*. Notandum tamen est, vt sint contradictoriæ de modo enunciandi, seruandam esse suppositionem eandem in vtraque, ita vt in vtraque *Deus* supponatur pro persona Patris, vel in vtraque supponatur pro Deo communi tribus personis. Quod si varietur hæc suppositio, fiet, vt sint contradictoriæ de lege, sed non de modo enunciandi.

Contradictoriæ propositiones.

Quãdo de lege, quando de modo enunciandi.

15 Tertia conclusio. Si ponatur aliquod additum determinans ad secundam, vel tertiam personam; vera erit propositio negatiua, veluti si dicas: *Deus genitus non generat. Deus spiratus non spirat nec generat.* Ita S. Thomas hoc art. 4. ad 3. nemine contradicente.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta quæ contendunt, probare, veram esse propositionem: Deus non generat.

1 Mvlti Scholastici, licet fateantur eam propositionem esse negandam, propter accommodationem vsus magistrorum, & propter imperitos, siue propter hæreticos ad euitandam occasionem erroris: nihilominus affirmant, de virtute sermonis, secundum artem loquendi, ac secundum naturam terminorum, propositionem simpliciter esse veram. Ita Durand. 1. dist. 4. q. 2. num. 12. & sequentibus. Aureolus eadem dist. 4. art. 2. Vbi Argentina quæst. vnica art. 3. (videtur autem id asserere ex mente sui doctoris Ægidij.) Maior quæst. vnica ad primum argumentum. Gregor. quæst. vnica post medium. Ocham. quæst. 1. colum. penult. ad 1. Gabriel q. 1. art. 2. concl. 2. Marsilius lib. 1. q. 8. art. 3. ad 2. rationem princ.

De virtute sermonis esse veram, existimant aliqui.

Aureoli argumenta sunt hæc. Primum, quoniam illa propositio est vera, cuius æquipollens est vera: sed istæ duæ propositiones æquipollent: *Deus non generat, & essentia non generat*, (siquidem S. Thomas citatus sect. præced. dixit, in hac propositione Deum non supponi pro persona, sed pro essentia diuina.) Hæc autem est vera: *Essentia non generat*, vt constabit disp. 80. sect. 3. & sequentibus. Ergo hæc etiam est vera. *Deus non generat.*

2 *Primum argumentum.*

Respondetur. Illæ propositiones non æquipollent: nec id colligitur ex doctrina S. Thomæ. Licet enim in solutione ad tertium dicat, ea propositione significari, quod generatio repugnet naturæ diuinæ; loquitur tamen iuxta doctrinam prius traditam in corpore eiusdem articuli, quod *Deus significat diuinam essentiam, vt in habente ipsam.* Vnde prouenit, vt de illo verificari possint, quæ non possunt verificari de abstractis propter diuersum modum significandi.

3 *Respond. Non æquipollent Deus nõ generat, & essentia nõ generat.*

Secundum argumentum est, quia prædicatum affirmatiuum & negatiuum reducuntur ad idem genus, secundum Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 7. Sed generare est aliquid pertinens ad personam. Ergo & non generare: & per consequens determinabit Deum, vt supponatur pro persona, quando dicimus: *Deus non generat.*

4 *Secundum argumentum.*

Respond. primò. Potest equidem illud negatiuum prædicatum determinare Deum, vt supponatur pro persona; veruntamen non pro persona Filij, nec Spiritus sancti, sed pro persona prima, de qua dicitur, quod generat: quia negatiuæ non licet variare suppositionem suæ affirmatiuæ, pro- vt ostendimus sect. præced. in ratione secunda. Respond. secundò. Negatiuum prædicatum non directè, sed reductiuè, ac per discursum reuocatur ad idem genus sui affirmatiui. Propterea minus promptum est intelligere suppositionem pro persona ratione generationis negatæ, quàm ratione generationis affirmatæ. Promptius autem, atque communius est intelligere suppositionem pro Deo essentiali & communi tribus personis. Alias solutiones adhibent Capreol. 1. distinct. 4. quæst. vnica art. 2. ad 2. & Caiet. in præsenti art. 4. col. penult. quas prætermitto, quia non ita plenè satisfaciunt.

5 *Negatiuum notionale terminat personam eandem, quam affirmatiuum.*

Tertium argumentum. Istæ sunt contradictoriæ: *Omnis Deus generat. Deus non generat.* Sed affirmatiua est falsa; ergo negatiua est vera. Item in affirmatiua Deus supponitur pro persona: ergo etiam in negatiua.

6 *Tertium argumentum.*

7 *Nec licent illæ propositiones, nec sunt contradictoriæ.*

Respond. Nefas est dicere, *omnis Deus*, quoniam est vnicus & singularis Deus, cuius contrarium significat illud signum distributiuum, quasi supponens esse plures Deos, vt rectè Caiet. in præsenti art. colum. penult. Quod si volueris distribuere omnia suppositа, dicere debes, *omne suppositum*, vel *omnis persona diuina*. Vnde si hoc ipsum intellexeris illo absurdo modo loquendi, *omnis Deus*, non sunt contradictoriæ quantum ad sensum à te intentum; licet quantum ad voces appareant contradictoriæ: sed vtraque propositio, affirmatiua, scilicet, ac negatiua est falsa. & in negatiua Deus non supponetur pro persona Filij, nec Spiritus sancti.

8 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum, quoniam si Deus supponitur indeterminatè pro aliqua persona diuina; vera est negatiua, *Deus non generat*, siquidem indefinita verificatur pro vno singulari, videlicet pro Filio vel Spiritu sancto. Respondetur. Licet in affirmatione Deus supponatur indeterminatè pro aliqua persona diuina; cæterùm addita negatione distribuitur ad instar singularis termini, remouetúrque prædicatum totaliter à subiecto secundum quodcumque suppositum, & quemcumque modum existendi, vt probatũ est sect. præced.

Negatione distribuitur Deus.

9 *Quintum argumentum.*

Quintum argumentum dirigitur contra illa verba S.Thom. in solutione ad tertium. *Cum dicimus, Deus non generat, datur intelligi, quod generatio repugnet naturæ diuinæ.* Hoc enim falsum esse probatur, quia dicendo, *homo non est albus*, non datur intelligi quod albedo repugnet humanæ naturæ. Huic rectè satisfecit Caiet. in fine præsentis art. 4. quoniam in materia necessaria, potissimum autem in Deo ex negatione sequitur necessariò impossibilitas, sicut ex possibilitate necessariò sequitur affirmatio, eo quod in æternis idem est esse & posse, iuxta Philosophum ab omnibus receptum.

Solutio.

10 *Sextum argumentum.*

Durandus verò arguit, & sit argumentum sextum. De Deo prædicantur omnia, quæ de diuinis personis verificantur. Sed non generare verificatur de duabus personis diuinis. Ergo non generare prædicari poterit de Deo. Respond. De Deo prædicantur affirmatiuè quæcumque verificantur de vna, vel altera persona, vel de omnibus. Sed negatiuæ prædicationis alia est ratio, quoniam negatio, siue præponatur, siue postponatur, distribuit terminum singularem, & ab omnibus suppositis remouet prædicatum.

11 *Septimum argumentum.*

Septimum argumentum Durandi, quia *Deus*, licet respectu prædicatorum essentialium sit terminus singularis, at respectu prædicatorum personalium est terminus communis ratione plurium suppositorum. Vnde sicut istæ propositiones subcontrariæ sunt simul veræ, *homo currit, homo non currit*, propter distincta suppositа humana: sic etiam propter distincta suppositа diuina simul verificabuntur tanquam duæ subcontrariæ, *Deus generat, Deus non generat.* Respond. Deus respectu prædicatorum personalium indeterminatè sumitur in affirmatiuis propositionibus, sed addita negatione distribuitur: & ideo propositiones illæ non sunt subcontrariæ, sed contradictoriæ: vt ostensum est sect. præcedenti.

12 *Octauum argumentum.*

Octauum argumentum eiusdem, quoniam vbi in vno supposito sunt plures naturæ, de illo supposito possunt verificari contradictoria ratione naturarum, vt constat in Christo Domino. Ergo vbi in vna natura sunt plura suppositа, de termino, significante naturam in concreto possunt contradictoria verificari ratione distinctorum suppositorum. Respond. contradictoria prædicata possunt verificari per propositiones affirmatiuas, sed propositiones negatiuæ falsæ erunt. Hæc enim est vera: *Verbum diuinum*, siue, *hoc suppositum diuinum est immortale & est mortale*: sed tamen falsa erit propositio negatiua, *non est mortale*, quia negatio distribuit hoc suppositum, & totaliter secundum omnem naturam remouet ab illo mortalitatem, vt ostendimus sect. præced. Eodem igitur modo contradictoria verificantur affirmatiuis propositionibus, dicendo: *Deus est ingenitus, Deus est genitus, Deus est non spiratus, Deus est spiratus.* quantum est de rigore sermonis. Cauendum tamen est, ne quis occasionem accipiat sinistræ interpretationis, quasi prædictæ propositiones affirmatiuæ negatiuis æquipolleant, cum verè non habeant vim distributiuam, quam habent propositiones negatiuæ.

Contradictoria prædicata possunt affirmari, sed non possunt negari.

13 *Nonum argumentum. Solutio.*

Nonum argumentum. Deus est habens naturam diuinam: sed hæc est simpliciter vera: *Habens naturam diuinam non generat*: Ergo hæc etiam est vera: *Deus non generat.* Respondetur ex doctrina præcedentis disputationis. Habens naturam diuinam in modo significandi differt à Deo, sicut adiectiuum à substantiuo. Ideo habens naturam diuinam est terminus communis, & plurificatur, concedendo tres habentes naturam diuinam. Propter eandem rationem illi postposita negatio distribuit, sed relinquit propositionem indefinitam & particularem. At verò *Deus* est terminus singularis & non plurificabilis. Ideóque negatio, siue præponatur, siue post ponatur illi, totaliter remouet prædicatum. Gregorij tandem, Ochami & aliorum argumenta nihil addunt difficultatis vltra præcedentia.

SECTIO IV.

Deus non genuit alium Deum, nec seipsum Deum.

1 *Regula.*

COntra priorem illam propositionem affirmatiuam: *Deus genuit Deum*, insurgunt hæreticorum argumenta in hac, & sequenti sect. diluenda. Primum argumentum est. Si Deus genuit Deum, aut alium Deum, aut seipsum Deum genuit. Sed non genuit alium Deum, quia non sunt plures dij, sed vnicus; nec genuit se Deum, quoniam vt Augustinus scribit lib. 1. de Trinit. cap. 1. Nulla res genuit seipsam vt sit. Quod idem plures Patres docuerunt supra disp. 19. sect. 4. probatione 2. Ergo Deus non genuit Deum.

2 *Deus non genuit alium Deum.*

Respondeo & dico primò. *Deus non genuit alium Deum* absolutè loquendo. Ratio est, quoniam alius Deus non est, præter vnicum. Adiectiuum enim alius additum Deo, significat distinctionem in Deitate. Quod probatum est fusiùs disp. 39. sect. 7. & 8. In hac conclusione & eius fundamento conueniunt omnes Scholastici. Hugo Victor. in summa sent. tract. 1. cap. 11. post medium. Magister 1. distinct. 4. cap. 1. Alexand. 1. p. quæst. 50. memb. 3. artic. 2. §. 1. & 2. Albertus quæst. 51. incidente quæstiuncula 1. S. Thomas in præsenti art. 4. ad 4. & 1. sent. dist. 4. quæst. 1. art. 4. Vbi S. Bonauent. artic. 1. quæst. 2. Ricard. eodem art. & quæst. 2. Scotus quæst. 1. col. 1. & in solutione ad 3. Durand. quæst. 2. n. 15. Henricus in summa artic. 54. quæst. 3. ad 3. Carthusianus dist. 4. quæst. 2. post med. Ocham. q. 1. fine. Gabriel q. 1. artic. 3. Argentina quæst. vnica artic. 4. Maior quæst. vnica ad 3. Marsilius lib. 1. quæst. 8.

quæst. 8. art. 3. ad 4. Caietanus & communiter expositores in hac q. 39. art. 4. Vbi Canarien. in 3. part. commentar. dub. 5. Molina supra quæst. 36. art. 4. disp. 3. col. 4. Vazquez disp. 157. cap. 7. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 7. num. 9.

3

Ex his doctoribus aliqui putant, illam vocem, *Alium*, accipi posse substantiuè, & vocem *Deum*, appositiuè constitui, vt sensus sit, Deus, videlicet Pater, genuit alium, videlicet Filium, qui est Deus. Nam vt vidimus disp. 39. sect. 4. Filius est alius à Patre, licet non sit aliud neutraliter. ita existimant Albert. Fauétque aliquantulum Bonau. locis citatis.

4 *Dictum secundum. Non accipitur substantiuè ly, alius.*

Nihilominus dico secundò. Prædictus modus accipiendi substantiuè *alium*, non habet locum in propositione hac: *Deus genuit alium Deum.* Ideóque prædictam distinctionem absolutè reiiciunt S. Thom. in vtroque loco citato, S. Bonau. Henricus, Argentina, & alij ex citatis pro assertione 1. Probatur, quoniam est improprius modus loquendi, & inusitatus, propterea quæ præbens occasionem erroris, substantiuè ponere nomen adiectiuum in masculino genere, tunc vel maximè, quando subiungitur ei substantiuum in eodem genere.

5 *Non genuit Deus se Deũ.*

Dico tertiò. Simpliciter falsa & neganda est hæc propositio: *Deus genuit se Deum.* Implicat enim contradictionem, quod res aliqua seipsam generet, aut producat. Quod principium euidens est naturæ lumine, traditur autem ab Athanasio Epiphan. Cyrillo, Clemen. Alexand. Tertulliano, Hilario, & Augustino disp. 19. sect. 4. probat. 2. Hanc conclusionem docent Hugo Victorin. Magister sent. Albertus, S. Thomas, S. Bonauent. Carthusian. locis citatis pro assert. 1. Alexand. dicta quæst. 50. memb. 3. artic. 2. §. 1. & fusius §. 3. Scotus 1. dist. 4. quæst. 1. ad 1. Argentina quæst. vnica art. 4. post med. Ocham. quæst. 1. ad 3. Maior quæst. vnica ad 3. & ad 6. Caietanus, Canarien. & cæteri recentiores citati pro dicto 1. Ratio est, quia nomen, *se*, cum sit reciprocum, refert idem suppositum. Vera est enim regula genetalis, quam tradit S. Bonauent. dicto art. 1. quæst. 2. quod in huiusmodi propositionibus non admittuntur nomina, quæ meram distinctionem significant, vt *Deus alius à Deo*, vel *Deus distinctus à Deo*. nec nomina quæ meram identitatem significant, vt *Deus genuit eundem Deum*, vel *genuit se Deum*. quoniam illud *se* relatiuum identitatis est. Admittuntur autem quæ medio modo se habent, dicendo distinctionem in persona tantum, & non in essentia, vt *Deus genuit Deum.*

6 *Dictũ quartum.*

Vnde colligo & dico quartò. Similiter hæc est falsa: *Deus genuit eundem Deum.* Ita magis expresse docuerunt. S. Bonau. nuper citatus. S. Thom. 2. sent. dist. 4 quæst. 1. art. 3. ad 3. Albert. 1. p. q. 51. incidente q. 1. Durand. dist. 4. q. 2. n. 15. & 16. & nonnulli alij citati.

7 *Contraria sententia. Illius fundamentum. Non est medium inter idem & diuersum.*

Veruntamen Scotus dist. 4. q. 1. ad 1. existimat, posse concedi, quod Deus genuit eundem Deum. Quem sequitur Vazquez disp. 157. cap. 7. col. 1. Fundamentum est, quoniam *diuersum aut idem omne ad omne dicitur, quæcumque dicunt & vnum & ens.* Et post pauca. *In omnibus entibus dicitur* videlicet diuersum aut idem. Ita scribit Arist. 10. metaphys. cap. 5. textu 11. apud alios textu 12. apud S. Thomam lect. 4. post med. Vnde Scholastici colligunt, quod idem & diuersum adæquatè diuidunt ens, & opponuntur sine medio. Confirmatur, quia cum dicimus, *alium Deum genuit*, vox *alius* significat pluralitatem deorum, vt vidimus assert. 1. Ergo pari ratione, quando dicimus, *Deus genuit eundem Deum*, significamus vnitatem, identitatem & singularitatem, propterea que vera erit propositio.

8 *Instantia.*

Respond. primò. Ex eo quod omne ens sit idem vel diuersum, rectè sequitur, quod Deus genitus & Deus generans, sint vnus & idem Deus, supposito, quod non sunt diuersi dij. Nihilominus non sequitur, quod Deus genuit eundem Deum, licet non genuerit diuersum Deum. Ratio discriminis est illud verbum *genuit*, quod denotat, aliquam esse distinctionem gignentis à genito, quæ tamen distinctio non verificatur in identitate Dei. Fauet eadem instantia, quam paulo superius opposuerat Scotus, dicens, non esse bonam consequentiam. *Sol generat murem. Ergo sol generat se murem, vel alium murem.* Nam alius denotat identitatem in ratione muris. Ita dico, non est bona consequentia: *Deus generat Deum, ergo generat eundem vel diuersum Deum*; quoniam identitas denotatur etiam in supposito, quod est terminus *qui* generationis. Inde constat solutio confirmationis, quia licet relatiuum illud identitatis, qua ratione coniungitur Deo, verum significet; attamen qua ratione cadit supra terminum generationis, falsum significat.

9

Præterea redarguitur Scotus, quoniam vltro fatetur, esse falsam hanc: *Deus genuit se Deum, quia pronomen reciprocum denotat actum terminari ad idem suppositum, à quo procedit ille actus.* & rectè quidem. At verò nulla ratio est, propter quam pronomen *eundem*, non significet identitatem inter eum, qui generat, & eum, qui generatur, quando dicimus, *Deus genuit eundem Deum.* At ille qui generat, est Pater; qui generatur, est Filius.

10 *In creaturis tantum medium non est inter idẽ & diuersum.*

Secunda solutio S. Thomæ 1. sent. dist. 4. q. 1. art. 3. ad 1. limitat illud generale principium Aristotelis ad solas creaturas, quoniam in illis diuersitas essentiæ comitatur semper diuersitatem suppositorum. At in Deo cum distinctione suppositorum permanet identitas essentiæ. Vnde fit, vt neque totalis identitas conueniat propter distinctionem suppositorum, nec absolutè conueniat diuersitas propter identitatem essentiæ.

11 *Tertia solutio.*

Tertiò respondet Durand. dist. 4. q. 2. num. 16. Idem & diuersum sufficienter diuidunt ens, si referantur tantum ad essentiam, vel tantum ad personam. At verò quando dicitur, Deus genuit eundem Deum, vel diuersum Deum: identitas & diuersitas referuntur simul ad essentiam & ad personam, & ideo non verificantur. Hæc solutio robur accipit ex prima, quæ probauit, identitatem referri ad personam, quatenus afficit terminum genitum.

SECTIO V.

Expediuntur aliæ difficultates de propositionibus supradictis.

1 *Paracletus notionaliter acceptus.*

PRima difficultas est, quia *Paracletus* est nomen essentiale, tribus personis commune, sicut Deus: nihilominus Ioan. 14. *Alium*, inquit, *Paracletum dabit vobis.* Ergo similiter dicere possumus, *alium Deum generat Deus.* Respondetur. Licet *Paracletus* possit accipi tanquam nomen essentiale, tribus personis commune: cæterum Ioan. 14. notionaliter accipitur, tanquam munus conueniens Filio ratione Incarnationis, & Spiritui sancto ratione aduentus sui per effectus creatos. Quo sensu duo Paracleti sunt Filius & Spiritus sanctus

sanctus vt fusius respondimus disp.39. sect. 7. ad obiect.4.

2 *Sophisma.* Secunda difficultas. Quicumque genitus realiter distinguitur à suo generante, & consequenter est alius ab eo. Sed Deus est genitus à Deo, Ergo Deus distinguitur à Deo, & est alius ab eo.

Variatur appellatio. Respond. committi fallaciam variatæ appellationis, quoniã in antecedente distinctio & alietas verificatur tantummodo quantum ad personas, non quantum ad Deitatem; in consequente tamen distinctio & alietas refertur ad Deitatem. Propterea communiter Scholastici dicunt esse falsam hanc propositionem: *Deus distinguitur à Deo.* Iuxta generalem regulam, quam sect. præced. dicto 3. retulimus ex S.Bonauent. dist.4. art.1. q.2. corp. post med. Vbi docet idem Ricard.quæst.1. ad 1. Carthus. quæst.2.post med. Scotus q.1.ad 2. Ocham q.1. similiter ad 2. Iremque Maior quæst. vnica ad 2.Henricus in summa art.54.q.3. ad 5.

3 Tertia difficultas. Hæc propositio est vera: *Pater*, siue *Deus genuit alium.* Ergo genuit alium Deum vel non Deum. Sed non genuit alium non Deum. Ergo genuit alium Deum. Respond. primò. Simpliciter neganda est illa propositio: *Deus genuit alium*, quia videtur suppleri tacitè Deum, ac si diceres, Deus genuit alium Deum, Nec dissimilis est ratio negandi alteram, *Pater genuit alium:* nam videtur tacitè suppleri Patrem, ac si genitus esset alius Pater.

4 Sed quoniam has propositiones esse veras, supponere videntur, S.Bonau.1. dist.4.art.1.quæst.2, ad penult. argumentum, & Ricardus ibidem q.2. ad primum: Respondetur cum eisdem, etiam antecedenti dato, primam consequentiam esse negandam, quia licet *Deus & non Deus* sint contradictoria: propterea que necessarium sit de quolibet subiecto verificari alterum illorum: attamen illud complexum *alius Deus*, & illud, *alius nõ Deus*, non sunt contradictoria, propterea que non est necessarium de quolibet subiecto verificari alterum illorum: nam in vtroque complexo manet affirmatum relatiuum *alium.* Exemplum sit hoc complexum, *secundus Leo*, & illud, *secundus non Leo*, quæ non contradicunt. Ideóque non sequitur, *Primus vir genuit secundum. Ergo genuit secundum Leonem, vel secundum non Leonem.* cuius consequentiæ vtraque pars est falsa, quia secundus vir nec erat Leo, nec erat secundus non Leo. Siquidem ante illum fuerant genita plura animalia, quæ non erant Leones.

5 Quartam difficultatem excitant verba Augustini epistola 66. ad Maximum medicum ante medium: *Pater, vt haberet Filium de seipso, non minuit seipsum, sed ita genuit de se alterum se, vt totus maneret in se*, & circa medium. *Pater genuit quod est ipse.* Vnde videtur colligi, quod Pater se genuerit, & quod genuerit alterum Deum. Confirmari potest, nam eodem modo loquuntur Nazianz. & Ambros. ille namque oratione 49. de fide propius ad med. quàm ad finem, enumeratis perfectionibus Filij, concludit: *Hæc est enim Filius Dei, eo quod Pater est alius idem.* Et post duas columnas: *Hoc est*, inquit, *quod Græci homousion appellant, id est, alium ipsum*, videlicet Patrem. Ambrosius autem lib. vnico de Filij diuinit. cap.6. in med. proposita quæstione, *Quid est Filius?* respondet: *De eo, quod Pater est, alius idem.*

6 *Copulandæ sunt identitas & distinctio.* Respond. Prædictæ omnes propositiones propterea tutæ sunt, & dignæ tantis doctoribus, quoniam simul coniungunt pronomina identitatis & distinctionis, dicendo, *alterum se, alius idem.* Quod veluti temperamentum, resultans ex contrariis, compellit lectorem, vt animaduertat, Filium esse distinctum à Patre, qua ratione genitus & Filius est, sed in ratione Dei non esse distinctum; quia Pater & Filius vnum sunt. Quapropter inferri non potest, quod Pater se genuerit, neque quod Deus genuerit alterum Deum, nec eundem Deum. Fateor tamen esse locutionem emphaticam; sed non videtur impropria, licet impropriam vocet S.Thom. hoc art.4. ad 4. His consonant quæ de prædictis verbis Augustini scribunt Magister 1. dist. 4. fine. S. Bonau. dubio literali vltimo, Gabriel cum Ochamo q. 1. fine, & ex authoribus citatis alij.

7 Quintam difficultatem, à garrulis ratiocinatoribus obiectam, ita refert Magister 1. distinct.4. cap.2. Si Deus Pater genuit Deum, aut genuit Deum, qui est Deus Pater, aut Deum, qui non est Deus Pater. Si genuit Deum, qui non est Deus Pater; ergo Deus est, qui non est Deus Pater: ac subinde non est vnus tantum Deus. Si verò Deus Pater genuit Deum, qui est Deus Pater, ergo genuit seipsum.

8 Respond. Hæc propositio simpliciter est vera: *Deus Pater genuit Deum, qui non est Deus Pater.* Sed inde non sequitur absolutè Deum non esse Patrem; sed tantum sequitur, Filium esse Deum, & non esse Patrem. Nam in illa propositione, Deus Pater supponitur determinatè pro persona Patris, non verò indeterminatè pro Deo communi tribus personis; & *Deus*, qui ponitur à parte prædicati, propter præcedens Verbum *genuit*, supponitur determinatè pro persona Filij. Filius autem non est Pater. Quam ob causam est simpliciter falsa affirmatiua: *Deus Pater genuit Deum, qui est Deus Pater.* nam ly Pater restringit vocem *Deus*, vt supponatur pro persona Patris, & ly *genuit* restringit Deum, vt supponatur pro Filio. Ita existimant S.Thom. in præsenti artic.4. ad 5. S.Bonau.dist.4. art.1. quæst.1. ad vlt. Ricard. ibidem. Carthus. quæst.2. post med. Gregor. q.1.ad vlt. Maior quæst. vnica ad 4. Durand. quæst.2. fine. Henric. in summa art.54. quæst.3. ad 3. post medium solutionis. Caiet.& Thomistæ quæst.39. art.4. Vbi Molina disp.2.§.vlt.Vazquez disp.157. cap.7. col.vlt.

9 Vnde reiiciuntur aliæ duæ solutiones, quarum celebrior est, quæ distinguit vtramque propositionem, vt in vno sensu vera sit & in alio falsa. Ita distinguit Magister dist. 4. cap. 2. Alexand.1. p.q.50. memb.3. art.2.§.4. Albert.1.p. q.51. incidente quæst.1. Marsil. quæst.8.art.3.ad vltimum. Prædictæ distinctionis membra sunt varij sensus, violenter extorti de his propositionibus, quæ sua sponte non admittunt alium intellectum, præter eum, quem in solutione notauimus. Cæteros igitur non refero, ne lectoris mentem sophisticis circuitionibus confundant. Meritò igitur Henricus nuper citatus notat, quod Magister non distinxisset, nisi hæretici extorsissent varios sensus.

10 Magis à probabilitate distat solutio Præpositiui, dicentis, neutram illarum propositionum esse veram. Cuius fundamentum refert, & tanquam irrationabile refutat S.Thomas in præsenti art.4. fine, fusiùs autem Henricus nuper citatus. Nobis est satis, probatam esse veritatem illius propositionis: *Deus Pater genuit Deum, qui non est Deus Pater.* Hæc enim non significat quod Deitas Filij non sit Pater (vt fingebat Præpositiuus) sed tantum significat, quod persona Filij non sit Pater.

ARTICV

ARTICVLVS V.

Vtrum nomina essentialia, in abstracto significata, possint supponere pro persona.

DISPVTATIO LXXX.

Vtrum veræ sint propositiones : Essentia generat; Essentia generatur, *& aliæ similes.*

SECTIO I.

Quæ suadere videbantur esse veram propositionem; Essentia generat.

1 PRIMVM argumentum ex Patribus, asserentibus, naturam, Deitatem vel essentiam generare. Ignatius epist.ad Magnesianos non longè post med. ita loquitur de Verbo: *Est operatio Deitatis, substantia, scilicet genita.* Vbi complectitur vtramque propositionem, & quod Deitas operetur generando Verbum, & quod Verbum sit substantia genita. Substantia verò est idem omnino quod essentia.

2 Nazianzen. orat.36. quæ est 4. de Theol. inter med.& fin. respondens ad 10. obiect. Patrem vocat *Principem naturam*, non alia ratione, nisi quia principium est cæterarum personarum. Principium autem producit. Ergo natura supponitur pro Patre, sicque de illa verificatur; *Natura producit aut generat.* Epiphan. hæresi 76. longè post med. ad 30. caput Aëtij concedit, quod *ingenita natura sit causa ad Vnigenitum genimen, & ad sanctum ex ipsa Spiritum.*

3 Cyrillus Alexand. lib.2. thesau. cap.1. propiùs ad princ. quàm ad med. *Diuina*, inquit, *substantia, ineffabili quadam supremaq; natura constituta, Filium ex Patris hypostasi genuit. Non enim potest esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat.* Vbi *substantiæ* nomen non ponitur tanquam concretum, quod prædicari possit de omnibus generibus substantiæ, sed potius tanquam abstractum, idem significans quod essentia: cuius euidens indicium est primò, quia condistinguitur ab hypostasi; secundò, quoniam Deitas fructum parit, quod ponitur à Cyrillo veluti probatio prioris propositionis. Idem Cyrillus lib.6. thesauri cap.3. prope fin. ita redarguit hæreticos. *Si generare & facere idem sunt; erit natura & operatio idem. Natura enim generat, operatio autem facit. Sed non sunt idem natura & operatio.*

4 Augustin.contra Maximinum lib.3.cap.14.col.1. ait: *Deus de Deo natus: quia non alius priùs fuit, sed natura cœterna de Deo est.* Et post pauca reprehendit Arianos, quia, *substantiam Dei de seipsa gignere posse Filium, non putabant.*

5 Hilarius præ cæteris omnibus frequentat eiusmodi propositiones perspicuis & apertis verbis. Quemadmodum lib.9. de Trinit. ferè inter med. & fin. Vbi de Filio sic differit: *Ex eo eiusdem generis genitam in se naturam, naturaliter in se gignentem se, habuisse naturam, quæ in forma naturæ se gignentis manens, formam naturæ atque infirmitatis corporalis acceperit.* Et sequent. col. *Ex viuente natura viuens natura extans, tenet in se naturæ potestatem*, &c. Item lib.11.colum.3. *Natiuitas in naturæ eius sit virtute, quæ genuit.* Id est, Filius in virtute Patris, qui est natuta, quæ genuit. Rursus lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad finem. *Naturam*, inquit, *Filio dedit ex impassibili & non nata substantia, perfecta natiuitas. Talia enim cuncta sunt creata, qualia esse Deus voluit. Filius autem natus ex Deo, talis substitit, qualis & Deus est: nec dissimilem sui edidit natura naturam.* Et longè inferius ad canonem 26. Synodi Syrmicæ: *Filius idcirco Deus, quia ex innascibili essentia natus existat.*

Athanasius in 3. serm. gestorum Nicæni Concilij, Arianos reprehendit, quia dicebant, *sterilem & infructuosam esse naturam Paternam.* Ergo natura Paterna producit Filium. Clariora verò sunt illius verba, quæ referemus sect.2. arg.2. 6

Confirmatur primò, quia Ricard. Victorinus lib.5. de Trinit. cap.22. inter princip. & medium aperte damnat vt periculosam, & contrariam sententiis antiquorum Patrum, doctrinam multorum theologorum, qui *nullo modo concedunt quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam. Pertinaciter negant, quod omnes sancti affirmant: ad id quod ipsi dicunt authoritatem afferre non possunt. Afferant si possunt authoritatem, non dicam plures, sed saltem vnam, quæ neget substantiam gignere substantiam.* 7

Confirmatur secundò, quoniam expositionem, quam Magister & Scholastici solent adhibere plurimis testimoniis Patrum de hac re, confutat ibidem Ricard. *Hoc* enim *quod sancti Patres pariter clamant, contendit esse falsum, & quod nemo sanctorum asseruit, contendit esse verum.* Confirmatur tertiò, nam argumentis, quibus probari solet, quod essentia non generet essentiam, Ricardus post med. eiusdem capitis respondet, quemadmodum supra captum intellectus humani est quod vnitas substantiæ possit esse in pluralitate personarum; ac nihilominus creditur: ita credendum esse, licet non intelligatur, quod eadem essentia generet ac generetur. 8

Secundum argumentum. Illa res generat, cuius est Filius, progenies, germen & soboles. Sed Verbum est diuinæ substantiæ Filius, progenies, germen & soboles. Ergo diuina substantia generat. 9 *Verbum esse diuinæ substantiæ Filium, progeniem, germen & sobolem, Patrei dicit.*

Minor probatur ex Athanasio, nam orat.2. contra Arianos propius ad med. quàm ad princ. appellat *Substantiæ germen, & Filium suæ naturæ.* Et paulo post med. *Substantiæ Patris proprius Filius.* Et iterum: *Paternæ substantiæ progenies.* Præterea sequen. orat.3. inter med. & finem vocat *Naturalem eius substantiæ proprium Filium.* Oratione autem quarta versus finem, *Paternæ substantiæ propriam ac legitimam soboles.*

Cyrillum in thesauro dixisse *Filium Paternæ essentiæ*, refert S. Thom. opusc.1. cap.5. Eusebius Cæsarien. demonstrat.euang.lib.5.cap.1.sub init. his nominibus appellat Filium: *Primogenita ingenitæ naturæ imago.* Et paulo inferius: *genitura est ingenitæ naturæ.* 10

Augustin. lib. 15. de Trinit. cap.19. prope finem id colligit ex verbis Apostol. Colossen.3. *Transtulit in regnum Filij charitatis suæ*, dicens, *Nihil aliud intelligitur, quàm Filij sui dilecti, quàm Filij substantiæ suæ. Charitas quippe Patris nihil est aliud, quàm eius ipsa natura atque substantia.* 11

Tertium argumentum, quia præpositiones *De* atque *Ex* denotant ordinem originis, ideóque denotant 12

Propositiones denotantes ordinem originis præponuntur essentiæ vel naturæ.

notant esse principium productiuum illud cui præponuntur. Sed Filius & Spiritus sanctus dicuntur esse *de substantia* vel *ex substantia* vel *essentiâ*, vel *natura* Patris. Ergo significatur substantiam, essentiam vel naturam esse principium producens. Maior probatur primò ex illo celeberrimo loquendi modo, *Deum de Deo*, siue *Deum ex Deo*: aliisque similibus plurimis. Confirmatur, nam & in sacris literis eiusmodi præpositiones applicari solent principio producenti, vt Ioan. 3. *Quod natum ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* & 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo, non peccat* 1. Corinth. 2. *Spiritum, qui ex Deo est*, & alibi sæpe.

13 Probatur secundò, nam in Florent. Concil. sess. 18. à medio fusè defenditur, idem esse dicere, *ex Patre* vel *ex persona Patris*, atque dicere, *ex substantia Patris*, quoniam persona & substantia realiter idem sunt: Sed *ex Patre*, vel *ex persona Patris*, significat, Patrem esse principium productiuum. Ergo similiter *ex substantia Patris*, significat, substantiam esse principium productiuum.

14 Tertiò probatur simul Maior & Minor, quia Nicænæ fidei exemplum ita se ipsum exponit: *De Patre natum Vnigenitum, id est, de substantia Patris, Deum ex Deo.* ita refert Euseb. Cæsarien. lib. 10. hist. Ecclesiast. cap. 6. Eodem modo Nicænam fidem refert Nazianzenus orat. 49. Hilarius lib. de Synodis quinque columnis ante finem. & Epiphan. in Ancorato ad finem. Idem Nicænum Concil. lib. 2. paulo post med. §. *Sepe numero*, fine ait. *Ex substantia Patris genitus Vnigenitus eius Filius.*

15 Synodus Alexandrina epist. ad Cyrillum Alexand. col. 2. (est autem 10. inter epistolas Cyrilli tomo 4.) *Vnigenitus*, inquit, *Deifermo ex ipsa Patris substantia genitus est.* Meritò igitur Athanasius compendio de Spiritu sancto in med. refert. *Patres in Nicænâ Synodo confessos esse, coëssentialem, & ex substantia Patris esse Filium.* Iustinus in exposit. Fidei de Trinit. non procul à princ. *Pater*, inquit, *è propria essentia Filium genuit.*

16 Ac ne diutius in singulorum Patrum testimoniis proferendis immoremur, cum sint plurima & simillima: omnes indifferenter vtuntur his præpositionibus *De*, vel *Ex*, dicentes Filium, aut Spiritum sanctum esse *de substantia*, vel *de natura*, vel *de essentia* Patris. Vt Athanas. lib. 1. de vnita Deitate ante med. & lib. 6. de beatitudine Filij Dei in med. & dialogo 1. Contra Anomæum col. 4. Chrysost. tomo 5. hom. 1. in Symbolum prope medium & Hebræos 1. hom. 2. prope morale. & homil. 3. de Spiritu sancto ponderans illud Apost. 1. Corinth. 2. *Spiritum, qui ex Deo est.* Basil. homilia 28. contra Sabellianos, & lib. 4. contra Eunom. sub init. Cyrillus passim in omnibus ferè libris thesauri veluti lib. 2. cap. 1. & 2. & lib. 3. cap. 1. & 3. & lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. 1. & lib. 12. cap. 5. & lib. 13. cap. 1. & 3. & 4. & lib. 14. cap. 3. & 4. & in dialogis aliisque tractatibus. Ambros. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. circa med. & in Symbolum Apostol. cap. 11. circa med. Hilarius in omnibus ferè libris de Trinit. peculiariter lib. 5. 6. & 7. & multoties in lib. de Synodis, Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 13. fine & cap. 19. fine, & cap. 10. sub init. Sed magis ex professo lib. 3. contra Maximin. cap. 14. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. prope med. & iterum ad finem.

17 *Essentia de essentia, & similes locutiones.*

Confirmatur primò, nam Filius est *essentia de essentia, sicut est sapientia de sapientia.* Authore August. lib. 7. de Trinit. cap. 2. in med. & lib. 15. c. 13. fine vel 14. initio. & cap. 15. prope med. & in eodem lib. 15. cap. 20. ante med. *Melius*, inquit, *dicitur concilium de consilio, & voluntas de voluntate sicut substantia de substantia, & sapientia de sapientia.* Epiphan. in Ancorato propius ad princ. quàm ad med. ait: *Sapientia ex sapientia.* Confirmatur secundò, quoniam abstracta nomina sunt *lux, gloria, vita.* Filius autem dicitur esse *lux de luce* locis notatis supra disput. 27. sect. 6. Similitérque *gloria de gloria* vocatur ab Athanasio & Nysseno supra disp. 78. sect. 5. prope dict. 3. *Vitam ex vita* dicit Epiphan. hæresi 67. in med.

18 *Quartum argumentum.*

Vnde consurgit argumentum quartum, quia nomina essentialia in abstracto dicuntur de personis, cum ordine supponente distinctionem illarum, tam in Scriptura quàm in Patribus vt Sapien. 7. de sapientia genitâ dicitur: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vide, quot nomina essentialia in abstracto ponuntur tanquam terminus, quem respicit Filius vt imago, quibus consonat Apostol. Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ.*

19 Confirmatur primò, nam quod *Filius sit essentia Patris, & Pater sit essentia Filij*, fusè docet Anselm. in monol. toto cap. 43. & 44. Accepit autem ex August. qui lib. 7. de Trinit. inter princ. & med. & iterum in med. vbi concedit, Verbum esse *Patris essentiam*, sicut est *Patris sapientia*: quia sapientia est eius essentia. Quibus in verbis non potest essentia supponi pro natura communi, sed necessariò supponitur pro vna persona, quatenus est alterius personæ, ac distinguitur ab illa.

20 Confirmatur secundò, nam & Hilarius lib. 9. de Trinit. colum. 2. *Non sunt*, inquit, *nuncupatiua, sed vera, dum habet in se per sacramentum natiuitatis & virtus virtutem, & potestas potestatem, & natura naturam, tenens per natiuitatem ipsa quod suum est.* Vbi natura, potestas, & virtus, quæ habet in se aliam, distinguitur à natura, potestate & virtute, quæ habetur, & quæ est alterius. At distinctio non est nisi in personis. Ergo prædicta abstracta supponuntur pro personis. Confirmatur tertiò, qui sanctitas est abstractum essentiale: supponitur autem pro Spiritu sancto supra disp. 65. sect. 4. prope fin. Similiter autem charitas, disp. 73. & 74.

21 *Quintum argumentum.*

Quintum argumentum accipi posset ex Patribus, asserentibus, quod *voluntas genuit voluntatem.* Sed horum proprius locus erit disp. 93. sect. 5.

Sextum argumentum.

Sextum, quoniam essentia diuina intelligit, vult, amat, creat, potentia diuina facit miracula, prouidentia gubernat, iustitia punit, misericordia succurrit, & adiuuat. Vt psalm. 84. *Iustitia de cælo prospexit.* & infra, *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Ergo de nominibus essentialibus in abstracto possunt prædicari operationes, ac subinde licebit dicere, *essentia generat*, vel *spirat.*

22 *Septimum argumentum.*

Septimum argumentum, quia sola realis identitas sufficit ad verificandas propositiones huiusmodi: *Essentia est Pater, essentia est Filius, essentia est Spiritus sanctus.* Sed non minor est realis identitas essentiæ cum generatione actiua & passiua & cum spiratione. Sufficiet igitur vt veræ sint huiusmodi propositiones: *Essentia est generans: Essentia est genita & spirata.*

23 *Octauum argumentum.*

Octauum argumentum. Quicumque Pater est generat: sed essentia est Pater: ergo essentia generat. Nonum. Pater est Pater Filij. Sed essentia est

est Pater. ergo essentia est Pater Filij. ergo Filius est Filius essentiæ: ac subinde generat Filium essentia.

SECTIO II.

Quod essentia generetur, suadere videntur alia quædam argumenta.

1 PRimum argumentum. Quia Prouerb. 8. sic loquitur sapientia: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* & Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita,* &c. 1. Corinth. 1. *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Quæ omnia testimonia de persona Verbi ratione generationis æternæ communiter Patres exponunt locis adductis disputat. 4. sect. 1. probatione 5. & disput. 58. sect. 4. Magis ad rem præsentem Athanas. oratione 3. contra Arianos propius ad med. quàm ad fin. appellat *Sapientiam vnigenitam.* & orat. 5. parum à principio. *Quemadmodum*, ait, *ex Deo Deus, & ex sapiente sapientia, & ex rationali ratio.* Euseb. Cæsarien. lib. 4. demonstrationis Euangel. cap. 2. vocat *Ipsam rationem, & sapientiam primogenitam.* Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 7. *Genitam sophiam.*

2 Confirmatur; nam Verbum esse *virtutem Patris*, sicut est sapientia Patris, docent quàm plurimi Patres, citati disput. 58. sect. 5. probatione 6. pro concluſ. 1. Insuper Filium esse Patris voluntatem, veritatem, lucem, iustitiam, magnitudinem, bonitatem, docent Athanas. Gregor. Bœtic. Basilius, & August. citati in eadem sect. 5. confirmatione 1. At omnes istæ perfectiones sunt essentiales, & significantur in abstracto. Ergo perfectiones essentiales in abstracto dicuntur esse Patris tanquam generantis illas.

3 *Magis expresse naturam vel essentiam genitam dicunt.*

Secundum argumentum accipitur ex Patribus, qui magis expresse dicunt *genitam substantiam, essentiam vel naturam.* Quemadmodum Ignatius sect. 1. initio. Alexander Alexandrinus epistola ad Alexand. Constantinopol. col. 8. inter Patrem ingenitum & creaturam factam ita dicit mediare Filium: *Inter quæ duo natura Vnigenita media interposita, ex ipso, qui Pater est, genita fuit.*

4 Basilius lib. 2. contra Eunom. circa med. ait: *Filius coëxistens Patri, à quo etiam habet substantiæ causam.* & lib. 5. multo propius ad med. quàm ad fin. *Pater Filij genitor, vt mens Verbi Pater, vt Potentia Potentis, vt sapiens, qui sapientiam genuit.* Et apud S. Thomam opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 4. inter princip. & med. Basilius ait: *Ipse Filius, quem dat nobis Pater, est Deus de Deo essentialiter genitus, habens in se totam essentiam Patris genitam.* Sed S. Thomas non citat librum Basilij.

5 Refert autem S. Thom. ibidem Athanasium, qui tertio sermone gestorum Nicæni Concilij dixerit ex persona Filij, loquentis ad Patrem: *Tuum Spiritum cum diuina essentia à te genita, ipsis hominibus compenso.* & post pauca: *Ex tua essentia, quam in me genuisti, Spiritum sanctum do eis.* Rursus in epistola ad Serapionem: *Essentiam suam in seipso genitor retinens, totam in Filio suo inenarrabiliter genuit.* & iterum: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, id est, naturam viuam spirantem, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, hoc est, eandem naturam genuit in Filio, spirantem Spiritum viuum.* Vbi Athanasius non solùm dicit esse genitam naturam Filij, sed etiam naturam Patris genuisse & naturam Patris & Filij spirasse Spiritum sanctum.

Ruiz. de Trinitate.

Et consequenter inferius in eadem epist. dicit, *Patris & Filij vnam esse Deitatem, naturaliter spirantem vnum Spiritum sanctum.* Atque iterum in eadem epistola. *Spiritus sanctus*, ait, *est vera & naturalis imago Filij per essentiam omnimodè ab eodem in se spiratam.* Hæc omnia refert S. Thomas loco citato.

6 Vbi etiam ex Cyrillo Alexand. in lib. thesaurorum hæc refert: *Virtus increata, & genita in Filio, Filij est per omnem modum naturæ Paternæ.* Verum vltra illa, quæ sect. 1. vidimus ex Cyrillo, idem lib. 4. dialogorum de Trinit. col. 2. *Præualeat*, inquit, *ratio, quæ diuinæ naturæ congruentia adaptat. Gignitur enim, non sicut nos, sed sicut ipsa nouit, & nata est.* & lib. 3. dialog. *Fontem quodammodo & radicem substantiæ Patrem esse Filio.* & lib. 1. thesauri cap. 7. prope finem. *Ex Patre natum*, dicit, *Filium, vt sapientia ex mente.*

7 Nazianz. orat. 1. non procul ante med. num. 71. de Patre dicit: *Diuinitatis, & bonitatis illius causa est, quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur.* Diuinitas & bonitas sunt essentialia abstracta, & tamen producuntur à causa, id est, principio. Idem oratione 29. de dogmate & constitutione Episcoporum prope med. *Paruorum certè, indignorumq; author fuerit* (Pater) *si Diuinitatis author non sit, eius, quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur.* Author autem non est, nisi quia producit, vt vidimus disputat. 49. Cui consonat quod asseruerat oratione 26. de moderatione in disputationibus seruanda col. 3. *Spiritum sanctum ex Deo substantiam habere.*

8 Ex Hilario nonnulla vidimus sect. præcedenti, quæ faciunt etiam ad rem præsentem, vltra quæ lib. 9. de Trinit. sub init. dicit *Generationem Diuinitatis.* & propius ad finem, quàm ad med. ait: *Ex innascibili Deo natiuitas Vnigeniti in naturam Vnigenitam subsistit.* & quinque columnis ante finem eiusdem libri noni: *Dum viuens natura naturæ viuenti indifferens est, quippe quæ ex tota tota sit, quæ & dum Vnigenita est, Patrem in se habeat, maneat in Patre dum Deus est.* Præterea lib. 10. de Trinitate col. 3. dicit, *Natiuitatem naturæ*, & sequenti col. 4. *Vnigenitam Diuinitatem*, & sequenti lib. 11. col. 7. *Pater Deo Filio & natiuitatis eius Deus est, & naturæ Pater est*, & col. sequent. *Eandem naturam à Deo in Deum natam substitisse dicit.*

9 Idem lib. de Synodis colum. 7. ad canonem 3. Orientalium. *Filius per naturam in se genitam consistit.* & ad sequentem canon. 4. *Quæ ex Patre genera ta est essentia.* & post pauca: *Vita, quæ generatur ex vita, id est, essentia, quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur, scilicet, quia vita ex vita est, tenet in se dissimilem naturam originis suæ, quia & nata & gignentis essentiæ, id est, vitæ quæ habetur, & data est, similitudo, non discrepet.* Atque versus medium eiusdem libri proximè ante exemplum fidei Syrmicæ ait: *Naturæ essentiæ Dei, de essentia Dei genita, absoluta perfectio est.* & in medio libri ad canonem 4. Syrmicæ Synodi dicit *Genitam essentiam* seu *naturam.* & ad canon. 26. eiusdem Synodi *Naturam Vnigenitam, ex innascibili genitam essentia.* Quin etiam velut hæresim refutat *Vnicam ac singularem innascibilis essentiæ substantiam.* in eodem lib. inter princip. & med. ad canon. 12. Oriental.

10 Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 1. inter princip. & med. de Patre ait: *Magnus est, non nisi ea, quam genuit magnitudine, ita & est non nisi ea, quam genuit essentia.* Et ex præced. contextu constat, idem intelligere de virtute, bonitate, iustitia & cæteris attributis. Quod licet disputando cæperit proponere,

ponere, nihilominus propius ad med. quàm ad princip. eiusdem capitis fatetur, *Impium esse dicere, Deum non esse Patrem sapientiæ suæ.* & sequenti cap. 2. ante med. concedit, *in eo quod sapientia nata est, Verbum intelligi.* & cap. 3. dicit *Sapientiam genitam.*

11 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. inter princip. & med. *Illa*, inquit, *natura, quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam suscepit.* & prope med. eiusdem capitis: *Diuinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites.* Anselm. in monolog. cap. 47. scribit, *Sapientiam natam de sapientia, & memoriam de memoria natam esse.* Ricard. Victorin. lib. 6. de Trinit. cap. 24. post med. *Sapientia gignens*, inquit, *& Sapientia genita vna & eadem sapientia est, veruntamen alia & alia persona.* Quod idem repetit seq. cap. 25. post med.

12 *Deitatis author & principium Pater.* Tertium argumentum, quia plurimi Patres dicunt, Patrem esse fontem, authorem, principium siue originem Diuinitatis, siue Deitatis, vt Dionys. de diuin. nomin. cap. 2. propius ad med. quàm ad princ. & iterum paulo post med. & de cœlesti hierarch. cap. 1. inter princip. & med. Athanasius, Nazianz. Origenes, Augustinus, Ambrosius, Concil. Toletan. Sextum & Vndecimum VVormacien se, Florentinum & in eo Eugenius IV. Quorum verba retulimus disput. 48. sect. 5. Confirmatur, nam illud Psalm. 35. *Apud te est fons vitæ.* Concil. Nicænum & alij plerique Patres intelligunt de Patre, prout est principium Filij & Spiritus sancti vel de Filio, vt est principium Spiritus sancti; quos retulimus disput. 44. sect. 3. At verò vita nomen est abstractum & essentiale, sicut natura vel essentia. Similiter autem Deitas siue Diuinitas idem & eodem modo significant, quod essentia diuina. Consequens igitur est, vt Pater sit principium producens essentiam & vitam diuinam.

13 Quartum argumentum, quia per generationem totus Filius producitur. Ergo non producitur sola relatio illius, sed etiam essentia: præsertim cum essentia quidditatiuè claudatur in relatione supra disput. 13. Idem argumentum fieri potest de Spiritu sancto, qui totus producitur per spirationem. Antecedens constabit magis disput. 98. sect. 5. & sequentibus. Nunc sufficiat illud Hilarij lib. 4. de Trinitate longè à princip. *Nihil nisi natum habet Filius.* Confirmatur, quia licet non produceretur, nisi sola personalitas; inde sequeretur essentiam produci; quoniam in personalitate quidditatiuè continetur essentia.

14 Quintum argumentum. Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 3. in med. *Deus*, inquit, *cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit.* & ad finem eiusdem capitis: *Hoc genuit, quod est ipse, qui genuit.* Illud autem, quod Pater est, non est nisi diuina essentia. Ergo genuit diuinam essentiam: præcipuè cum non genuerit suam Paternitatem, vltra quam nihil aliud restat, quod sit Pater, nisi essentia. Idem argumentum accipi potest ex Epiphanio, qui hæresi 76. versus fin. ad caput 47. Aëtij respondet: *Non aliud à sua essentia Pater genuit.*

15 Sextum sit, quod demonstrationem esse iactat Ioannes VVigandus lib. contra nouos Arianos. *Filius Dei est genitus: Filius Dei est essentia quædam viua. Ergo essentia gignitur, ac proinde etiam gignit.* Hoc autem dixit, vt euaderet aliud sophisma Valentini Gentilis, dicentis: *Nullus est Deus præter Patrem & Filium & Spiritum sanctum: sed Pater gignit, Filius gignitur, Spiritus sanctus procedit. Ergo qui non gignit, neque gignitur, nec procedit, non est verus Deus.* Vnde præterea sequitur, quod essentia, communis tribus personis, non sit verus Deus, si neque gignit, nec gignitur, nec procedit. Hæc refert Bellarm. tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 7.

16 Septimum, quia generatio est productio substantiæ siue in creaturis, siue in Deo. Ergo Dei substantia producitur. Antecedens probatur, nam hac ratione generatio, dicta vniuersaliter etiam de non viuentibus, distinguitur à cæteris productionibus alteratione, augmentatione, vel motu locali, quinto physicorum cap. 2. text. 10. & lib. 1. de generat. text. 18. cap. 3. circa medium. Confirmatur primò, quoniam quodlibet ens vel est substantia vel accidens. Sed terminus productus per diuinâ productionem non est accidens. Ergo est substantia. Confirmatur secundò, nam ad relationem non est per se motus, neque productio in creaturis, sed resultat ex productione fundamenti, vt docet Aristot. 5. physic. textu 10. cap. 2. initio. Vnde fit, vt in diuinis productio non alia ratione terminari possit ad relationem, nisi quatenus est substantia. Ergo substantia diuina producitur.

17 Octauum argumentum nititur in ratione generationis, strictè sumpta, prout est propria viuentium. Sic enim per se dirigitur ad similitudinem in natura non in persona. Ergo natura similis producitur per generationem potius, quàm persona.

18 Nonum, nam vt scribit Aristot. in cap. de substantia multo propius ad princip. quàm ad med. *Non existentibus primis substantijs, aliquid aliorum esse est impossibile. Omnia enim alia aut prædicantur de eis, aut in subiectis eis sunt.* Vnde manasse videtur illud axioma: *Generatis nobis, generantur ea, quæ sunt in nobis*; sicut corrumpuntur nobis corruptis. Sed prima substantia in diuinis est persona. Ergo generatâ personâ, generatur etiam communis essentia, quæ prædicatur de persona. Confirmatur argumento, quo Aristoteles lib. 2. Topicorum cap. 3. loco 23. probat, ideas non esse immobiles, quia *cum in nobis sint, impossibile est immobiles esse. Motis enim nobis necesse & quæ in nobis commoueri.*

19 Plurimos denique syllogismos, quibus infertur essentiam generare, vel generari, consulto prætermitto, ne amplius obruant & confundant. Diuersi proponuntur & soluuntur à diuersis Scholasticis, potissimum à Scoto, Gregorio, Aureolo, Maiore, Ochamo, Gabriele, Marsil. & Capreolo citandis in sect. seq. & Holcot in determinationibus, quæst. 10. dub. 4.

SECTIO III.

Simpliciter falsas esse propositiones: Essentia generat, *vel* Essentia generatur, *& cæteras eiusmodi.*

1 INnocentius III. in Concil. Lateranensi, cap. *Damnamus* de summa Trinitat. contra errorem Abbatis Ioachimi, decernit, esse veram sententiam, quam de præsenti articulo Magister scripserat lib. 1. distinctione 5. & inter alia dicit: *Quælibet trium personarum est illa res, videlicet, substantia, essentia, seu natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quod aliud inueniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit: vt distinctiones sint in personis & vnitas in natura.* Et prope finem præcipit, tanquam hæreticum euitari, qui præsumpserit, defendere

defendere vel approbare doctrinam contrariam Abbatis Ioachimi.

2 Ad eandem veritatem probandam à multis recentioribus adducitur Concilium Toletan. Primum, confirmatum à Leone I. quod in confessione fidei anathematizat eum, *qui dixerit, Deitatem nascibilem esse.* Verumtamen illud decretum dirigitur aduersus quãdam diuinitatem participatam, & creatam à Deo Patre, propterea quæ mutabilem & passibilem, quam solam tribuebat Christo Domino Priscilianus Arianizans. Quapropter eundem canonem aliter habet alia editio. *Qui dixerit, Deitatem Christi conuertibilem esse, vel passibilem, anathema sit.* Nihilominus quoniam absolutè decretum illud iuxta priorem editionem decernit, Deitatem non esse nascibilem, fauet dogmati, quod in præsenti tractamus.

3 Eadem ratione fauent antiquiores Patres, Iustinus in confutatione dogmatum Aristotelis circa librum de naturali auscultatione versus fin. ait: *De Deo, cum dicitur ingenitus, negatur secundum essentiam generatio.* Athanas. dialogo 2. de Trinitate contra Anomæum prope fin. *Pater*, inquit, *Filius & Spiritus sanctus ingenita sunt essentia.* Basilius lib. 5. contra Eunom. paulo post med. *Ingeniti appellatio significat, quomodo se habeat substantia Dei, & quod nata non sit.* Ideo *innascibilitatem* esse modum diuinæ substantiæ probauerat præcedenti lib. 4. sect. 2. Ephræm Syrus in posteriori opusc. de sui ipsius reprehensione propius ad med. quàm ad princip. *Spiritus*, inquit, *& Verbi vna & eadem est principij expers essentia atque substantia.* & sermone de pœnitentia inter med. & fin. *Vnam consubstantialis Trinitatis naturam ingenitam* appellat.

4 Qui Patres licet potissimùm intendant asserere, quod Dei essentia non fuerit ab vllo principio simpliciter producta; quoniam eandem Pater habet à seipso, & non ab alio principio: ideóque quantum ex se est, prout à personis præscinditur, non exigit produci (vt fusius exposuimus disp. 52. sect. 6.) adhuc tamen ille modus loquendi non parum fauet instituto præsenti. Ex antiquis denique Patribus reperitur nemo, qui præsens dogma tradiderit apertè.

5 Veruntamen Theologi Scholastici cæperunt illud asserere circa annum Domini millesimum centesimum quadragesimum, quando floruerunt Ricard. Victorinus, & Magister sententiarum. vt ex eisdem & ex Tritemio colligitur. Inter omnes autem, quorum scripta permanent adhuc, Magister sententiarum primus fuit, qui hoc explicuit, atque maiori diligentia, quàm alias quæstiones lib. 1. tota distinct. 5. Quem omnes Scholastici sequuntur, nemine contradicente. Albertus 1. part. quæst. 30. memb. 3. art. 1. Alexand. 1. part. quæst. 42. memb. 3. artic. 1. & quæst. 49. memb. 1. artic. 4. & quæst. 68. memb. 5. artic. 5. S. Thomas in præsenti artic. 5. & lib. 1. sentent. distinct. 5. quæst. 1. art. 1. & 2. & opusc. 1. cap. 4. S. Bonauent. 1. distinct. 5. art. 1. quæst. 1. & 3. & artic. 2. quæst. 1. Vbi Ricard. artic. vnico quæst. 1. & 2. Scotus quæst. 1. Durand. quæst. 1. Carthusian. quæst. 1. Gregor. quæst. 1. Argentina quæst. 1. artic. 1. & 2. Aureolus art. 2. Maior quæstione 1. similiter Ocham & Gabriel quæst. 1. Marsilius lib. 1. sentent. quæst. 9. Attigit etiam Henricus in summa part. 2. art. 54. quæst. 3. ad 3. sub init. fusius autem ad 7. siue ad 9. vbi differit an ex nihilo genuerit, &c. Capreolus 1. distinct. 5. q. 1. artic. 1. conclus. 3. & dum respondet ad argum. contra illam. Caietan. Canarien s. Molina, Vazquez, & alij expositores ad præsentem

Ruiz. de Trinitate.

art. 5. Valent. 1. p. sua quæst. 13. de Trinit. punct. 3. à princip. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 7. num. 10. & sequentibus. Bellarm. tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 7. Genebrard. lib. 1. de Trinit. paulo post med. ad 1. argum. Autotheanorum.

6 *Conglobatur propositiones falsæ.* Præcipua ratio Magistri, sancti Thomæ, ac cæterorum Scholasticorum supponit illud principium euidens lumine naturæ, quod testimoniis multorum Patrum corroborauimus disputat. 19. sect. 4. probat. 2. videlicet, nihil posse producere seipsum; sed quidquid producitur, ab alio ente realiter distincto debere produci. Vnde per euidentem illationem deducitur, esse simpliciter falsas sequentes propositiones: Essentia generat, Essentia spirat, Essentia producit. Essentia generatur, spiratur, producitur. Essentia producit essentiam, Essentia generat, vel spirat essentiã. Essentia producit aut generat Filium, essentia spirat Spiritum sanctum. Pater producit essentiam: vel, Pater generat essentiam, aut spirat essentiam. Deus producit essentiam, vel generat essentiam. Filius producit aut spirat essentiam, Filius generatur ab essentia, vel Spiritus sanctus spiratur ab essentia (ita vt significetur essentiam esse principium producens.) Essentia est generans, vel est spirans, vel producens. Essentia est genita, producta vel spirata. Pater est principium productiuum essentiæ diuinæ (idem intellige de Filio.) Pater est genitor essentiæ diuinæ, vel Pater & Filius est spirator essentiæ diuinæ.

7 *Probatur falsitas.* Omnes has propositiones & similes alias esse falsas, demonstratur ex prædicto principio, quoniam in illis omnibus asseritur, vnam & eandem rem produci à seipsa, & non ab alia realiter distincta. Cum enim essentia vnius personæ non distinguatur realiter ab essentia alterius personæ, non potest essentia producere essentiam. Rursus quoniam vna persona non distinguitur realiter ab essentia alterius personæ, non potest vna persona producere essentiam alterius personæ. Denique propter eandem rationem non potest vna persona produci ab essentia alterius personæ.

8 *Ampliatur conclusio.* Ex hac ratione sequuntur ampliationes prædictæ conclusionis, vt similiter sint falsæ propositiones supradictæ; si loco nominis *essentia* ponatur *natura* vel *substantia* vel *Deitas*, siue *Diuinitas*, veluti dicendo: Substantia siue Deitas generat, aut generatur, & reliqua. Tum quoniam hæc nomina supponuntur pro essentia significata eodem modo in abstracto: tum etiam, quoniam realiter identificantur cum personis producentibus & productis.

9 Ob eadem rationes simpliciter erunt falsæ prædictæ propositiones, si loco essentiæ ponatur quodlibet aliud abstractum essentiale, cuiusmodi est sapientia, bonitas, charitas, virtus, potentia: licet amplius aliquid excusationis habeant hæc nomina, vt videbimus sectione 7. solutione sexta. Denique siue propositiones illæ connotent præsens tempus, veluti dicendo, *generat*, aut *est generans*; vel præteritum, dicendo, *genuit*, vel *fuit generans*, eadem erit falsitas illarum.

10 Occurrit tamen contra prædictam rationem obiectio, quia Deus realiter identificatur cum personis producentibus, & personis productis: nihilominus Deus producit, generat, & spirat Deum (vt probatum est præcedenti disputatione sect. 2. & 3.) Ergo realis identitas non obstat veritati talium propositionum. Confirmatur, nam idem est omnino significatum Dei atque Deitatis, vel essentiæ Diuinæ.

ponere, nihilominus propius ad med. quàm ad princip.eiuſdem capitis fatetur, *Impium eſſe dicere, Deum non eſſe Patrem ſapientiæ ſuæ.* & ſequenti cap.2.ante med.concedit, *in eo quod ſapientia nata eſt, Verbum intelligi.* & cap. 3. dicit *Sapientiam genitam.*

11 Fulgentius de fide ad Petrum cap.2.inter princip. & med. *Illa*, inquit, *natura, quæ ſemper genita manet ex Patre, noſtram naturam ſuſcepit.* & prope med. eiuſdem capitis: *Diuinitatem eius de natura Patris natam eſſe non dubites.* Anſelm. in monolog. cap. 47. ſcribit, *Sapientiam natam de ſapientia, & memoriam de memoria natam eſſe.* Ricard.Victorin. lib.6.de Trinit.cap.24.poſt med. *Sapientia gignens*, inquit, *& Sapientia genita vna & eadem ſapientia eſt, veruntamen alia & alia perſona.* Quod idem repetit ſeq.cap.25. poſt med.

12 *Deitatis author & principium Pater.*

Tertium argumentum, quia plurimi Patres dicunt, Patrem eſſe fontem, authorem, principium ſiue originem Diuinitatis, ſiue Deitatis, vt Dionyſ.de diuin.nomin.cap.2. propius ad med. quàm ad princ. & iterum paulo poſt med. & de cœleſti hierarch.cap.1.inter princip. & med. Athanaſius, Nazianz.Origenes,Auguſtinus,Ambroſius, Concil. Toletan. Sextum & Vndecimum VVormacienſe,Florentinum & in eo Eugenius IV. Quorum verba retulimus diſput. 48. ſect.5. Confirmatur, nam illud Pſalm.35. *Apud te eſt fons vitæ.* Concil. Nicænum & alij plerique Patres intelligunt de Patre, prout eſt principium Filij & Spiritus ſancti vel de Filio, vt eſt principium Spiritus ſancti; quos retulimus diſput.44. ſect.3. At verò vita nomen eſt abſtractum & eſſentiale, ſicut natura vel eſſentia. Similiter autem Deitas ſiue Diuinitas idem & eodem modo ſignificant, quod eſſentia diuina. Conſequens igitur eſt, vt Pater ſit principium producens eſſentiam & vitam diuinam.

13 Quartum argumentum,quia per generationem totus Filius producitur. Ergo non producitur ſola relatio illius, ſed etiam eſſentia : præſertim cum eſſentia quidditatiuè claudatur in relatione ſupra diſput.13. Idem argumentum fieri poteſt de Spiritu ſancto, qui totus producitur per ſpirationem. Antecedens conſtabit magis diſput. 98. ſect.5.& ſequentibus. Nunc ſufficiat illud Hilarij lib. 4. de Trinitate longè à princip. *Nihil niſi natum habet Filius.* Confirmatur, quia licet non produceretur, niſi ſola perſonalitas;inde ſequeretur eſſentiam produci; quoniam in perſonalitate quidditatiuè continetur eſſentia.

14 Quintum argumentum.Auguſtinus lib.de fide & ſymbolo cap.3. in med. *Deus*, inquit, *cùm Verbum genuit, id quod eſt ipſe genuit.* & ad finem eiuſdem capitis: *Hoc genuit, quod eſt ipſe, qui genuit.* Illud autem, quod Pater eſt, non eſt niſi diuina eſſentia. Ergo genuit diuinam eſſentiam : præcipuè cum non genuerit ſuam Paternitatem, vltra quam nihil aliud reſtat, quod ſit Pater, niſi eſſentia. Idem argumentum accipi poteſt ex Epiphanio, qui hæreſi 76. verſus fin. ad caput 47. Aëtij reſpondet: *Non aliud à ſua eſſentia Pater genuit.*

15 Sextum ſit, quod demonſtrationem eſſe iactat Ioannes VVigandus lib. contra nouos Arianos. *Filius Dei eſt genitus: Filius Dei eſt eſſentia quædam viua. Ergo eſſentia gignitur, ac proinde etiam gignit.* Hoc autem dixit, vt euaderet aliud ſophiſma Valentini Gentilis, dicentis: *Nullus eſt Deus præter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum : ſed Pater gignit, Filius gignitur, Spiritus ſanctus procedit. Ergo qui non gignit, neque gignitur, nec procedit, non eſt verus Deus.* Vnde præterea ſequitur, quod eſſentia,communis tribus perſonis,non ſit verus Deus, ſi neque gignit, nec gignitur, nec procedit. Hæc refert Bellarm.tomo 1.lib.2.de Chriſto cap.7.

16 Septimum, quia generatio eſt productio ſubſtantiæ ſiue in creaturis, ſiue in Deo. Ergo Dei ſubſtantia producitur. Antecedens probatur,nam hac ratione generatio, dicta vniuerſaliter etiam de non viuentibus, diſtinguitur à cæteris productionibus alteratione, augmentatione, vel motu locali,quinto phyſicorum cap.2. text.10. & lib.1. de generat. text.18. cap.3. circa medium. Confirmatur primò, quoniam quodlibet ens vel eſt ſubſtantia vel accidens. Sed terminus productus per diuinã productionem non eſt accidens. Ergo eſt ſubſtantia. Confirmatur ſecundò, nam ad relationem non eſt per ſe motus, neque productio in creaturis, ſed reſultat ex productione fundamenti,vt docet Ariſtot.5.phyſic.textu 10.cap.2. initio. Vnde fit, vt in diuinis productio non alia ratione terminari poſſit ad relationem, niſi quatenus eſt ſubſtantia. Ergo ſubſtantia diuina producitur.

17 Octauum argumentum nititur in ratione generationis, ſtrictè ſumpta, prout eſt propria viuentium. Sic enim per ſe dirigitur ad ſimilitudinem in natura non in perſona. Ergo natura ſimilis producitur per generationem potius, quàm perſona.

18 Nonum, nam vt ſcribit Ariſtot. in cap. de ſubſtantia multo propius ad princip. quàm ad med. *Non exiſtentibus primis ſubſtantijs, aliquid aliorum eſſe eſt impoſſibile. Omnia enim alia aut prædicantur de eis, aut in ſubiectis eis ſunt.* Vnde manaſſe videtur illud axioma: *Generatis nobis,generantur ea,quæ ſunt in nobis*; ſicut corrumpuntur nobis corruptis. Sed prima ſubſtantia in diuinis eſt perſona. Ergo generatâ perſonâ, generatur etiam communis eſſentia, quæ prædicatur de perſona. Confirmatur argumento, quo Ariſtoteles lib.2.Topicorum cap.3. loco 23. probat, ideas non eſſe immobiles, quia *cum in nobis ſint, impoſſibile eſt immobiles eſſe. Motis enim nobis neceſſe & quæ in nobis commoueri.*

19 Plurimos denique ſyllogiſmos, quibus infertur eſſentiam generare,vel generari,conſulto prætermitto,ne amplius obruant & confundant. Diuerſi proponuntur & ſoluuntur à diuerſis Scholaſticis, potiſſimum à Scoto, Gregorio, Aureolo, Maiore, Ochamo, Gabriele, Marſil. & Capreolo citandis in ſect.ſeq. & Holcot in determinationibus,quæſt.10.dub.4.

SECTIO III.

Simpliciter falſas eſſe propoſitiones : Eſſentia generat, *vel* Eſſentia generatur, *& cæteras eiuſmodi.*

1 INnocentius III. in Concil. Lateranenſi, cap. *Damnamus* de ſumma Trinitat. contra errorem Abbatis Ioachimi, decernit, eſſe veram ſententiam, quam de præſenti articulo Magiſter ſcripſerat lib.1. diſtinctione 5. & inter alia dicit: *Quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet, ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quod aliud inueniri non poteſt: & illa res non eſt generans, neque genita,nec procedens: ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit: vt diſtinctiones ſint in perſonis & vnitas in natura.* Et prope finem præcipit,tanquam hereticum euitari,qui præſumpſerit, defendere vel approbare doctrinam contrariam Abbatis Ioachimi.

2 Ad eandem veritatem probandam à multis recentioribus adducitur Concilium Toletan. Primum, confirmatum à Leone I. quod in confeſſione fidei anathematizat eum, *qui dixerit, Deitatem naſcibilem eſſe.* Verumtamen illud decretum dirigitur aduerſus quãdam diuinitatem participatam, & creatam à Deo Patre, proptereáque mutabilem & paſſibilem, quam ſolam tribuebat Chriſto Domino Priſcilianus Arianizans. Quapropter eundem canonem aliter habet alia editio. *Qui dixerit, Deitatem Chriſti conuertibilem eſſe, vel paſſibilem, anathema ſit.* Nihilominus quoniam abſolutè decretum illud iuxta priorem editionem decernit, Deitatem non eſſe naſcibilem, fauet dogmati, quod in præſenti tractamus.

3 Eadem ratione fauent antiquiores Patres, Iuſtinus in confutatione dogmatum Ariſtotelis circa librum de naturali auſcultatione verſus fin.ait: *De Deo, cum dicitur ingenitus, negatur ſecundum eſſentiam generatio.* Athanaſ.dialogo 2.de Trinitate contra Anomæum prope fin. *Pater*, inquit, *Filius & Spiritus ſanctus ingenita ſunt eſſentia.* Baſilius lib.5.contra Eunom. paulo poſt med. *Ingeniti appellatio ſignificat,quomodo ſe habeat ſubſtantia Dei,& quod nata non ſit.* Ideo *innaſcibilitatem* eſſe modum diuinæ ſubſtantiæ probauerat præcedenti lib. 4. ſect.2. Ephræm Syrus in poſteriori opuſc. de ſui ipſius reprehenſione propius ad med. quàm ad princip. *Spiritus*, inquit, *& Verbi vna & eadem eſt principij expers eſſentia atque ſubſtantia.* & ſermone de pœnitentia inter med.& fin. *Vnam conſubſtantialis Trinitatis naturam ingenitam* appellat.

4 Qui Patres licet potiſſimùm intendant aſſerere, quod Dei eſſentia non fuerit ab vllo principio ſimpliciter producta; quoniam eandem Pater habet à ſeipſo, & non ab alio principio: ideóque quantum ex ſe eſt, prout à perſonis præſcinditur, non exigit produci (vt fuſiùs expoſuimus diſp.52. ſect. 6.) adhuc tamen ille modus loquendi non parum fauet inſtituto præſenti. Ex antiquis denique Patribus reperitur nemo, qui præſens dogma tradiderit apertè.

5 Veruntamen Theologi Scholaſtici cæperunt illud aſſerere circa annum Domini milleſimum centeſimum quadrageſimum, quando floruerunt Ricard.Victorinus, & Magiſter ſententiarum. vt ex eiſdem & ex Tritemio colligitur. Inter omnes autem, quorum ſcripta permanent adhuc, Magiſter ſententiarum primus fuit, qui hoc explicuit, atque maiori diligentia, quàm alias quæſtiones lib.1.tota diſtinct.5. Quem omnes Scholaſtici ſequuntur,nemine contradicente. Albertus 1.part. quæſt.30.memb.3.art.1.Alexand.1.part.quæſt.42. memb.3.artic.1. & quæſt.49. memb.1. artic.4. & quæſt.68. memb.5. artic.5. S.Thomas in præſenti artic.5. & lib. 1. ſentent. diſtinct.5. quæſt.1. art.1. & 2. & opuſc.1. cap.4. S.Bonauent. 1.diſtinct. 5. art.1.quæſt.1.& 3.& artic.2.quæſt.1. Vbi Ricard. artic.vnico quæſt.1.& 2.Scotus quæſt.1. Durand. quæſt.1. Carthuſian. quæſt. 1. Gregor. quæſt. 1. Argentina quæſt.1. artic.1. & 2. Aureolus art. 2. Maior quæſtione 1. ſimiliter Ocham & Gabriel quæſt.1. Marſilius lib.1. ſentent. quæſt.9. Attigit etiam Henricus in ſumma part.2.art.54. quæſt.3. ad 3. ſub init. fuſius autem ad 7. ſiue ad 9. vbi diſſerit an ex nihilo genuerit, &c. Capreolus 1. diſtinct.5.q.1.artic.1.concluſ.3. & dum reſpondet ad argum.contra illam, Caietan. Canarienſ. Molina, Vazquez, & alij expoſitores ad præſentem

Ruiz. de Trinitate.

art.5. Valent.1.p.ſua quæſt.13.de Trinit. punct.3. à princip. Suarez lib.6.de Trinit.cap.7.num.10.& ſequentibus. Bellarm. tomo 1. lib. 2. de Chriſto cap.7. Genebrard.lib.1.de Trinit.paulo poſt med. ad 1.argum.Autotheanorum.

6 *Conglobantur propoſitiones falſæ.*

Præcipua ratio Magiſtri,ſancti Thomæ, ac cæterorum Scholaſticorum ſupponit illud principium euidens lumine naturæ, quod teſtimoniis multorum Patrum corroborauimus diſputat. 19. ſect. 4. probat. 2. videlicet, nihil poſſe producere ſeipſum; ſed quidquid producitur, ab alio ente realiter diſtincto debere produci. Vnde per euidentem illationem deducitur,eſſe ſimpliciter falſas ſequentes propoſitiones:Eſſentia generat, Eſſentia ſpirat, Eſſentia producit. Eſſentia generatur,ſpiratur,producitur. Eſſentia producit eſſentiam,Eſſentia generat,vel ſpirat eſſentiã. Eſſentia producit aut generat Filium, eſſentia ſpirat Spiritum ſanctum. Pater producit eſſentiam: vel, Pater generat eſſentiam, aut ſpirat eſſentiam. Deus producit eſſentiam, vel generat eſſentiam. Filius producit aut ſpirat eſſentiam, Filius generatur ab eſſentia, vel Spiritus ſanctus ſpiratur ab eſſentia (ita vt ſignificetur eſſentiam eſſe principium producens.) Eſſentia eſt generans,vel eſt ſpirans, vel producens. Eſſentia eſt genita, producta vel ſpirata. Pater eſt principium productiuum eſſentiæ diuinæ (idem intellige de Filio.)Pater eſt genitor eſſentiæ diuinæ, vel Pater & Filius eſt ſpirator eſſentiæ diuinæ.

7 *Probatur falſitas.*

Omnes has propoſitiones & ſimiles alias eſſe falſas, demonſtratur ex prædicto principio, quoniam in illis omnibus aſſeritur, vnam & eandem rem produci à ſeipſa, & non ab alia realiter diſtincta. Cum enim eſſentia vnius perſonæ non diſtinguatur realiter ab eſſentia alterius perſonæ, non poteſt eſſentia producere eſſentiam. Rurſus quoniam vna perſona non diſtinguitur realiter ab eſſentia alterius perſonæ, non poteſt vna perſona producere eſſentiam alterius perſonæ. Denique propter eandem rationem non poteſt vna perſona produci ab eſſentia alterius perſonæ.

8 *Ampliatur concluſio.*

Ex hac ratione ſequuntur ampliationes prædictæ concluſionis, vt ſimiliter ſint falſæ propoſitiones ſupradictæ; ſi loco nominis *eſſentia* ponatur *natura* vel *ſubſtantia* vel *Deitas*, ſiue *Diuinitas*,veluti dicendo: Subſtantia ſiue Deitas generat, aut generatur, & reliqua. Tum quoniam hæc nomina ſupponuntur pro eſſentia ſignificata eodem modo in abſtracto: tum etiam, quoniam realiter identificantur cum perſonis producentibus & productis.

9 Ob eaſdem rationes ſimpliciter erunt falſæ prædictæ propoſitiones, ſi loco eſſentiæ ponatur quodlibet aliud abſtractum eſſentiale, cuiuſmodi eſt ſapientia, bonitas, charitas, virtus, potentia: licet amplius aliquid excuſationis habeant hæc nomina, vt videbimus ſectione 7. ſolutione ſexta. Denique ſiue propoſitiones illæ connotent præſens tempus, veluti dicendo, *generat*, aut *eſt generans*; vel præteritum, dicendo, *genuit*, vel *fuit generans*, eadem erit falſitas illarum.

10 Occurrit tamen contra prædictam rationem obiectio, quia Deus realiter identificatur cum perſonis producentibus, & perſonis productis: nihilominus Deus producit, generat, & ſpirat Deum (vt probatum eſt præcedenti diſputatione ſect.2.& 3.) Ergo realis identitas non obſtat veritati talium propoſitionum. Confirmatur, nam idem eſt omnino ſignificatum Dei atque Deitatis, vel eſſentiæ Diuinæ.

11 *Solutio.* Respondetur ex eadem disputatione, prædictas propositiones propterea verificari, quoniam in illis Deus supponitur pro persona, non pro natura siue Deo communi tribus personis. *Deus* enim est nomen concretum, de materiali connotans suppositum, & ea de causa conueniens, & ex natiua impositione accommodatum, vt possit supponere pro persona, quoties ad illam determinauerit prædicatum, vel aliquod aliud additamentum. Econtrario tamen essentia, natura, substantia, Diuinitas, & cætera nomina, quæ commemorauimus, eo quod abstracta sunt, nullo modo neque de materiali significant, vel connotant suppositum. Vnde prouenit, vt modus significandi nominum istorum, non patiatur supponi pro persona, nisi violenter compellendo nomen abstractũ subire munus concreti. Denique, quamuis formale significatum concreti & abstracti nominis sit idem; diuersus tamen est modus significandi, diuersúmque materiale connotatum, quod sicut variat suppositionem, ita variat veritatem aut falsitatem.

Discrimẽ inter Deum & Deitatem.

12 Hæc ratio discriminis redditur à S. Thoma & cæteris Scholasticis, quos retulimus, quamuis in eius declaratione nonnihil discrepent. Maiorem autem accipit authoritatem ex approbatione tacita Concilij Florentini, in cuius sess. 19. col. 3. §. *vt exemplum.* prope finem parraphi. Ioan. Theol. Latinorum nomine dicit: *Quoniam diuina substantia nomen abstractum existit, idcirco generatio ei non potest attribui. Namque cum vna numero sit, siquidem generare posset, proculdubio in diuinis esset distinctio: quandoquidem non seipsam, verùm quidquam aliud generaret. Propterea communi Doctorum sententia, diuina substantia nequaquam generat.*

13 *Actiones sunt suppositorum.* Secunda ratio. Conclusionis est, quoniã actiones sunt suppositorum, siue tanquam principij agentis, siue tanquam passi, vel termini producti per actionem. Natura verò non est principium agens, vt *quod*, sed *quo* suppositum agit. Ergo quod generat non est essentia diuina, sed suppositum: & quod generatur similiter non est essentia, sed suppositum. Vtitur hac ratione S. Thomas dist. 5. art. 1. & 2. corpor. S. Bonauent. in eadem distinct. art. 2. q. 1. Durand. quæst. 1. num. 4. Albertus autem 1. p. q. 30. memb. 3. art. 1. argum. 4. 5. & 6. non vtitur nomine suppositi, sed nomine singularis & incommunicabilis. Clarius Alexand. 1. p. quæst. 42. memb. 3. art. 1. corpor. Scotus distinct. 5. quæst. 1. vtitur nomine compositi, vt distinguitur contra formam.

14 *Obiectio. Soluitur.* Veruntamen hanc secundam rationem refutat Canariensis in hoc art. 3. eo quod essentia diuina intelligit, amat, creat, gubernat. Quam tamen obiectionem præoccuparunt ac diluerunt iidem Scholastici citati, vt videbimus sectione 7. ad 6. argumentum.

15 *Altera obiectio.* Alij recentiores obiiciunt, actiones non ita suppositorum esse proprias, vt non possint esse naturæ, prout præscinditur à supposito. Quemadmodum dici potest humanitatem Christi Domini ambulasse, locutam fuisse, & mortuam fuisse.

Diluitur explicatione axiomatis. Cæterum hæc obiectio nihil eneruat robur nostræ rationis; quippe quod nihil pendet ex supposito, prout addit subsistentiam supra naturam singularem. Tota siquidem vis huius rationis consistit in eo, quod natura vniuersalis & indifferens nec producit, nec producitur, nisi quatenus singularia producunt, vel producuntur. Sic enim Aristotel. lib. 1. metaphys. cap. 1. circa med. *Actiones,* inquit, *ac generationes omnes circa singulare sunt; non enim hominem, nisi per accidens, sanat, qui medetur, sed Calliam aut Socratem,* &c. Idem apertè sumitur ex Aristot. lib. 6. ethicor. cap. 8. ad finem.

16 Hoc, vt minimum, intendit Damascen. lib. 3. fidei cap. 15. sub initium, dicens: *Actio est efficax & substantialis naturæ motus. Actuum natura ipsa, ex qua actio prodit. Actus actionis absolutio, & res ipsa gesta. Agens autem quod vtitur actione, id est, hypostasis.* Obserua postrema verba, recolendo discrimen, quod Damascenus cum cæteris Patribus antiquioribus constituunt inter naturam & hypostasim; videlicet, naturam esse velut vniuersale, sed hypostasim esse tanquam singulare indiuiduum; vt vidimus disput. 32. sect. 6. Hoc sensu non immeritò Ioannes Theolog. in Concil. Florent. sess. 18. post med. §. *dixi equidem.* tanquam exploratum supponit, iuxta omnium philosophorum Scholam actiones esse suppositorum, non verò naturæ, nisi tanquam principij *quo.*

17 Cum igitur in diuinis, nullum aliud sit indiuiduum prorsus incommunicabile, nisi persona, siue suppositum: natura verò vel essentia siue substantia sit indifferens, & communicabilis tribus suppositis: manifestè sequitur, quod essentia, natura siue substantia nec producit nec producitur: & sola persona siue suppositum producit aut producitur: quoniam solum suppositum est singulare, indiuiduum totaliter incommunicabile.

18 Propter hanc rationem nihil opus est nobis disputare de suppositis, prout addunt subsistentiam supra naturam singularem & indiuiduam; quia licet concederemus in hoc sensu, non semper actiones esse suppositorum, sed aliquando esse naturæ singularis, tanquam principij *quod*: in suo robore constans perseueraret ratio nuper exposita. Obiter tamen admoneo manifestum esse, quod Aristoteles locis citatis nihil curauit de distinctione suppositi à natura singulari: siquidem *hominem* comparat cum *hoc homine.* At *homo* dicit suppositum in communi, sicut *hic homo* dicit tale suppositũ in particulari. Præterquam quod apud illum nullibi reperitur istius discriminis mentio. Verùm de hoc aliàs.

Mens Aristotelis.

19 Rationes aliæ, quas tradit Magister distinct. 5. cap. 1. & 2. & cap. *ita etiam.* & multiplicant Scholastici pro conclusione citati, reuocantur ad duas nuper allatas, & ex illis vires accipiunt.

SECTIO IV.

Quid in hac re sit de fide, quidve sit erroneum, aut temerarium.

1 ARgentina 1. distinct. 5. quæst. 1. artic. 1. Simpliciter erroneam vocat sententiam, quæ dixit, quod essentia generet, vel essentia generetur, sicut Deus generat, aut generatur. Cui consonant multi recentiores, affirmantes esse de fide, quod essentia seu Diuinitas non generat, nec generatur, vt Canarien. ex professo in comment. ad artic. 5. colum. 2. Vazquez initio commentarij Suarez lib. 6. cap. 7. num. 10. S. Thomas & cæteri Scholastici videntur idem supponere, vocantes oppositum errorem Abbatis Ioachim. Et probari potest decreto supradicto Innocentij III. in capite *Damnamus,* prope finem, præcipientis, vt tanquam hæreticus euitetur, qui præsumpserit defendere vel approbare doctrinam præfati abbatis in hac parte.

2 *Hæresis Ioachimi.* Pro cuius declaratione Dico primò. Ioachimus asserebat, vnitatem essentiæ diuinæ in tribus personis

personis non esse veram & propriam, sed impropriam, similitudinariam, & quasi collectiuam: consequenterque tribus personis tres essentias realiter distinctas tribuebat, sicut tribus hominibus: & hac de causa putabat, quod essentia Patris generabat essentiam Filij, sicut essentia Adami genuit essentiam Abelis. Hoc est manifesta hæresis, & contrarium est fidei Catholicæ, vt probatum est disput. 20. & sequentibus, maximè disputatione 22.

3 Dico secundò. Quamuis aliquis expressè profiteretur, essentiam diuinam esse realiter vnam propriè ac verè, realiter identificatam cum tribus personis: si tamen assereret, propriè loquendo, ac de rigore sermonis esse veras huiusmodi propositiones: *Essentia generat,* aut *Essentia generatur,* vel alias cõmemoratas in sectione præcedenti: foret eius sententia non modò temeraria, quoniam pugnat cum omnibus scholasticis, sed etiam periculosa & errori proxima; quoniam Ecclesia in prædicto decreto tanquam veras & proprias defendit negatiuas propositiones Petri Lombardi: decernítque, quod illa summa res, quæ est substantia, essentia seu natura diuina, non est generans, nec genita, nec procedens. Vnde virtualiter decernit, has propositiones propriè ac de rigore sermonis significare verum, & consequenter oppositas propositiones affirmatiuas propriè ac de rigore sermonis esse falsas.

Errori proximæ sententiæ.

4 Dico tertiò. Etiam nunc post prædictum decretum Ecclesiæ, contingere potest, vt aliquis expresè profiteatur, essentiam diuinam esse realiter vnam, & realiter identificatã cum tribus personis: nihilominus dicat: *Essentia generat essentiam,* vel *Essentia generatur,* aliisque similibus propositionibus vtatur, non tamen affirmans, eum modum loquendi esse proprium ac de rigore sermonis. In hoc igitur euentu propositiones illæ licet merito censerentur inconsideratæ, impropriæ ac temerariæ; non tamen essent erroneæ nec periculosæ. Probatur primò, quoniam hoc abstractum *essentia,* vel *natura,* supponi pro persona, non est error, nec periculum fidei, quando exprimitur, quod non accipitur pro natura communi. At verò supponendo pro persona, verificantur propositiones supradictæ.

Casus, in quo propositiones illa tantum essent temerariæ.

5 *Ricardi Victorini sententia non est damnata.* Probatur secundò, quoniam tempore Magistri sententiarum, videlicet, circa annum millesimum ducentesimum, Ricardus Victorinus docuerat ex professo, quod substantia generat substantiam (vt retulimus sect. 1.) Post annos circiter sexaginta Ioachimus scripsit errorem, quem retulimus. Sed Ecclesia in prædicto capite *damnamus,* solam doctrinam Ioachimi reprobat, nulla facta mentione Ricardi, cum tamen Ricardus satis acriter fuisset inuectus contra sententiã Magistri suppresso nomine authoris. Ergo mens concilij fuit non imponere notam erroris aut periculi prædictis propositionibus, quando profitetur earum author prædictam vnitatem diuinæ substantiæ.

6 Confirmatur, quoniam eo tempore recens ac celebris erat fama Ricardi, & eius libri de Trinitate theologorũ in manibus assiduè versabantur, vt probant euidenter plurima testimonia, quę proferuntur à theologis illius tẽporis. Vnde Patres, damnantes doctrinam Ioachimi, non potuerunt ignorare doctrinam Ricardi. Consultò igitur eam reliquerunt intactam, præter id quod ex obliquo sequitur ex damnata doctrina Ioachimi.

Ruiz de Trinitate.

7 Probatur tertiò, quoniam tot Ecclesiæ doctores, & tam multa testimonia illorum, adducta sunt sect. 1. & 2. vt prorsus indignum & incredibile sit, esse damnatas illorum propositiones tanquam erroneas, vel periculosas, etiam materialiter; quamuis authorum excusetur intentio. Qua propter si quis imitatus fuerit illas propositiones antiquorum Patrum, cum supradicta declaratione, non protinus incurret errorem, nec illius periculum. Confirmatur primò, quia S. Thom. S. Bonau. Alexand. Albertus & alij Scholastici locis notatis in sect. 3. referunt aliquas ex prædictis propositionibus Patrum, & respondent esse improprias, excusandas, ac declarandas, sed non extendendas: nec aliam maiorem notam illis propositionibus inurunt. Confirmatur secundò, nã infra sect. 7. & 8. declarantur prædictæ propositiones, iuxta varios sensus, quibus verificari possunt, licet non de rigore sermonis.

8 *Scandalosa doctrina.* Dico quartò. Temerarium & scandolosum est, quod asseruit Holchot in suis determinationibus, quæst. 10. ad dubium 4. ita respondens: Ecclesia negat tales propositiones, non propter aliquam rationem naturalem cogentem, sed sicut reuelatum est Ecclesiæ de re, quæ est Deus, quod est res vna: ita etiam reuelatum est Ecclesiæ, quibus propositionibus & quibus terminis debet vti in loquendo de Trinitate. Rationes tamen à doctoribus assignantur, quæ valde parum mouent. Peculiariter autem Holchot impugnat rationes Magistri, vt constat in eodem dub. 4. arg. 12. Nec vllam solutionem adhibet impugnationibus.

9 *Modus infallibilitatis in Ecclesia definitionibus.* Hanc doctrinam excusant aliqui contra mentem authoris, quæ facilè colligitur ex verbis nuper adductis. Sed alij meritò iudicant esse temerariam, vt Molina in præsenti art. §. 2. Quæ censura probatur primò. Quamuis enim Spiritus sanctus assistat Ecclesiæ in rebus fidei definiendis: reuelationem tamen specialem non semper adiungit vltra reuelationem factam per sacras literas, & traditiones Apostolorum. Semper autem Spiritus sanctus assistit Ecclesiæ, ne temere & absque sufficienti authoritate, vel ratione definiat; & consequenter inclinat, vt rectè ratiocinetur, ex principijs reuelatis inferendo conclusiones, quas definiat; nec definire permittit Spiritus sanctus nisi ratione sufficienti probetur illatio. Ideo Ecclesia semper theologorum opiniones permittit, quandiu ratio non conuincit aliquid ex principijs reuelatis certò deduci.

10 Probatur secundò, quoniã Ecclesia dicto cap. *Damnamus,* vtitur eodem fundamento rationis, quo Magister sentẽtiarum prius probauerat suam sententiam. Est igitur temerarium & scandalosum eius rationes traducere, quasi debiles & perexigui momenti. Tertiò probatur, quoniã supposita fide vnius essentiæ, quod falsæ propositiones sint: *Essentia generat.* vel: *Essentia generatur,* efficaciter probant rationes, acceptæ ex principijs logicæ & philosophiæ, quas attulimus sect. 3. Quapropter iniuriam irrogat omnibus scholasticis, authoribus illarum & aliarum rationum, qui eas parui pendit, & oppugnat.

11 *Raymundi temerariæ propositiones.* Dico quintò. Temerariæ suspectæque sunt in hoc genere sequentes propositiones Raymundi Lulilj, quas inter illius errores commemorat Eymericus in directorio inquisitorũ par. 2. quæst. 9. inter quos articulus 15. sic habet: *Deus Filius est à Deo Patre totus generatus, & tota eius essentia & natura.* & artic. 16. *Deus Filius sic essentialiter est de essentia productus, sicut personaliter de persona.* &

art.17. *Dei Filij essentia, relata ad personam Filij, sic est genita, sicut est ingenita essentia Patris, relata ad personam Patris*, ac demum articulus alter hic est: *Essentia & natura Dei Patris generat Filium.*

SECTIO V.

De suppositione abstractorum, & veritate quarundam propositionum.

1 DVbitatur primò, Vtrum abstracta nomina, quæ significant aliquid absolutum & essentiale, possint supponi pro personis in particulari. Affirmat Ocham. 1. distinct. 5. quæst. 1. col. 2. dum probat conclusionem. Fauet etiam Aureolus eadem distinct. art. 2. propos. 4.

2 *Decisio dubij.* Nihilominus hæc est parũ tuta doctrina, quoniam eneruat præcipuam rationem discriminis, propter quam de rigore sermonis est hæc vera: *Deus genuit Deum.* Cum tamen hæc sit falsa: *Deitas genuit Deitatem*, vel *Essentia genuit essentiam.* Ratio namque nititur in eo, quod pro personis in particulari supponi possunt concreta, non autem abstracta, vt vidimus sectione 3. Quam doctrinam tanti fecit S. Thomas, vt de illa proposuerit titulum articuli, cui respondit in solutione ad quartum magis expresè, quàm in corpore. Idémque docent multi aliorum scholasticorum, præter aliquos, qui tacitè videntur hoc supponere.

3 Secundum dubium est, Vtrum saltem possit concedi, quod essentia, prout est in Patre generat, & prout est in Filio generatur: vel quod per accidens generat, aut generatur. Videtur affirmare sanctus Bonauentura distinct. 5. art. 2. quæstione 1. fine, dicens, non tantùm in creaturis, sed etiam in diuinis esse verum, *quod non generatur commune nisi vt in hoc.* Tribuitur eadem sententia Scoto; falsò tamen.

4 *Dictum primum.* Nihilominus Dico primò. Natura diuina in Filio non generatur neque per se, neque per accidens. Ita docet expresè S. Thomas in præsenti artic. ad 2. Capreol. 1. distinct. 5. quæst. 1. artic. 1. concluſ. 3. Ricardus distinct. 5. artic. 1. quæst. 1. ad 6. Vbi Aureolus artic. 2. propositione prima, & art. 4. Ratio prima sit, nam essentiam generari per accidens, est essentiam ex vi generationis existere, cum priùs origine non extitisset, nec extitura fuisset, nisi per generationem id quod euenit in omnibus generationibus creatis, eo quod essentia geniti, cum sit distincta numero ab essentia generantis, denuo existit ex vi generationis. At verò essentia, quæ communicatur Filio per generationem, eadem prorsus existebat prius origine in Patre, in quo semper extitura fuisset non per generationem. Ergo essentia diuina non generatur per accidens.

Quid sit generari per accidens.

5 Confirmatur, nam istum modum generandi naturam communem, qui reperitur in creaturis, non esse naturam per se generati, sed per accidens: apertè colligitur ex Aristotele lib. 1. metaphys. cap. 1. circa med. dicente: *Actiones, ac generationes omnes circa singulare sunt: non enim hominem, nisi per accidens, sanat, qui medetur, sed Calliam, aut Socratem.* Ergo qui concederet essentiam diuinam per accidens generari genito Filio, verè concederet produci essentiam realiter distinctam, & prius origine non præexistentem, sicut in creaturis.

6 Secunda ratio est, quoniam diuinæ generationis peculiaris quidditas eiusmodi est, vt ex vi illius non produceretur persona Filij, nisi prius origine præextitisset eadem essentia, quæ Filio communicanda est, vt magis constabit infra.

7 *Dictum secundum.* Vnde infero & Dico secundò. Non generatur essentia prout est in Filio. Probatur primò, quia licet addatur hæc reduplicatio, adhuc realis distinctio non reperitur inter essentiam, vt est in Filio, & essentiam, vt est in Patre, sed tantum personæ realiter distinguuntur. Ergo licet addatur reduplicatio essentiæ prout est in Filio, deficit requisitum, vt producatur à Patre, vel ab essentia Patris. Confirmatur, nam hæc reduplicatio, prout est in Filio, non ponit in essentia variationem realem, sed solam variationem rationis, intelligendo essentiã in ordine ad Filium, cui communicatur. Ergo dicta reduplicatio non sufficit ad verificandum, quod essentia generetur. Probatur consequentia, nam ea potissimùm ratione falsa est illa propositio: quoniam essentia non distinguitur realiter à generante; vt vidimus sectione 3.

8 Probatur secundò, nam essentia, prout est in Filio, non generatur, vt simpliciter existat: quoniam eadem essentia est à se ipsa, & prorsus ingenita, & prior qualiber productione diuina, tanquam illius principium *quo.* Rursus nõ generatur, vt sit in Filio; quia quod origine existit, & datur alteri personæ, non generatur sed cõmunicatur. Ergo non generatur essentia, prout est in Filio.

9 *Dictum tertium.* Dico tertiò. Essentia diuina neque per accidens, generat, nec generat, prout est in Patre. Probatur eisdem rationibus proportionaliter applicatis. Realis enim identitas eãdem vi prohibet esse generantem, sicut prohibet esse generatam.

10 *Solutio.* Dubitatur tertiò. Vtrum hæc sit vera: *Essentia est Pater generãs: Essentia est Filius genitus.* Respondeo simpliciter esse veras, sicut hæc est vera; *Essentia est Pater*, vel; *Essentia est Filius.* Significatur enim sola realis identitas. Confirmatur, nam in prædicto capite *damnamus*, conceditur, quod illa res, quæ est subsantia & essentia; *est Pater, qui generat, & Filius qui gignitur.*

11 Inde tamen non infertur, quod essentia sit generans, neque quod sit genita. Nec opus est distinctione, quam tradit Glossa in dicto capite, versiculo, *neque genita.* quoniam in communi modo loquendi prædictæ voces nõ accipiuntur substantiuè, quando ponuntur à parte prædicati. De hoc dubio plura scribit Gabriel distinct. 5. quæstione 1. prope finem.

12 Quartò dubitatur, Vtrum hæc sit vera: *Essentia est res generans.* Videtur enim falsa, primò, quia essentia non generat, & est res; ergo essentia est res non generans: Ergo non est res generans. Confirmatur, nam caput *damnamus*, de essentia sic secernit: *illa res non est generans, neque genita.*

13 Nihilominus distinguenda est propositio; quia nomen, *res*, cum sit substantiuum & transcendens, potest supponi pro essentia, & pro persona. Si supponatur pro essentia, falsa est illa propositio: *Essentia est res generans*, vel: *Essentia est res genita.* Si verò nomen *res* supponatur pro persona vera est eadem propositio. Ita S. Thomas in præsenti art. 5. ad 5. & dist. 5. quæst. 1. art. 1. ad 4. cui consentiunt expositores, vt Molina & Vazquez in prædicto artic. 5. Dissentit tamen Gabriel dist. 5. art. 3. dub. 2.

14 Quintò dubitatur. Vtrum veræ sint omnes propositiones negatiuæ, licet negatio ponatur post essentiam, Deitatem, aut naturam. Veluti dicendo: *Essentia non generat, Deitas non generatur.* Et eodẽ modo negatiuas efficiendo cæteras propositiones,

positiones, cõmemoratas in sect. 3. probatione 1. Respondetur, esse veras eiusmodi negatiuas omnes, quoniam verè ac propriè contradicunt affirmatiuis, quas diximus esse falsas: vt constat ex vsu prædicti capitis *damnamus* & omnium scholasticorum: nec opus est negationẽ præponere toti propositioni, nec addere signũ distributiuum.

15 Sextò dubitatur, Vtrum hæc propositio sit vera: *Paternitas generat*, vel *Paternitas est generans*; & illa; *Filiatio generatur*, vel *est genita.* & aliæ similes. Negat Alex. 1. p. quæst. 68. memb. 5. art. 5. generaliter docens; adiectiua notionalia nõ prædicari de notione substãtiuè dicta. Probat, quoniam adiectiua requirunt suppositum, de quo dicantur; Paternitas autem & aliæ notiones non significant per modùm suppositi, sed per modum formæ, qua constituitur suppositum.

16 *Resolutio.* Nihilominus Dico primò. Prædictæ propositiones non sunt propriæ, propter modum significandi abstractorum, qui non est aptus, vt adiectiua prædicentur de abstractis; quemadmodum circa propositionem hanc; *Paternitas creat*; & similes, obseruat S. Thomas de poten. quæst. 8. artic. 2. ad 7. Dico secundò. Simpliciter veræ sunt illæ propositiones. Probatur primò, quoniam ratio negandi propositionem hanc; *Essentia generat*, nullum habet locum in hac, *Paternitas generat*, neque in similibus. Paternitas enim significat aliquid realiter distinctum à Filio, & supponitur pro aliquo realiter distincto: quod tamen essentiæ deficit ad illam propositionem verificandam; vt vidimus sect. 3.

17 Probatur secundò; quia Paternitas non est cõmunis sicut essentia, sed est omnino singularis & est suppositum subsistens, idem, videlicet, quod, Pater solo modo significandi variata. Ergo de illa verificari possunt operationes, quæ tribuuntur suppositis. Cõfirmatur primò, Paternitas enim est generatio per identitatem realem; vt ostendemus disput. 84. sect. 2. & sequentibus. Ergo Paternitati simpliciter & verè conuenit generare. Idem argumentum fieri potest de natiuitate comparatione Filiationis. Confirmatur secũdò, nam etiam appellatio supra formale significatum subiecti, quam afferunt adiectiua prædicata, verificatur in eiusmodi propositionibus. Dico tertiò, sine fundamento sufficienti Alexander in prædicta quæst. 68. membr. 5. art. 4. negauit hanc propositionem: *Paternitas creat*: quam esse simpliciter veram, licet impropriam, meliùs dixit sanctus Thomas de poten. quæst. 8. prædicto art. 2. ad 7.

SECTIO VI.

Essentia communicatur à Patre & Filio, sed ipsa non se communicat.

1 PRima conclusio sit. Omnes Theologi veteres & recentiores admittunt has propositiones: *Pater communicat essentiam*, siue *Diuinitatem Filio. Pater & Filius communicant essentiam*, siue *Diuinitatem Spiritui sancto.* & consequenter verum est, *essentiam passiuè communicari.* Hoc magis ex professo discussit S. Bonauent. distinct. 5. art. 2. quæstione 2. Vbi Aureolus artic. 4. à princ. Scotus quæst. 1. §. *ad argumenta in oppositum*, fine. Marsil. lib. 1. quæstione 9. artic. 2. ad 1. Vazquez in præsenti artic. 5. colum. 2.

2 Demonstratur primò, quia quidquid datur alteri personæ, ac nihilominus retinetur à dante, cõmunicatur à dante: facit enim vt illud sit commune danti & accipienti. Sed essentiam diuinam dat Pater Filio, nihilominus eandem in ipso retinendo. Ergo Pater essentiam communicat Filio. Minor probatur plurimis scripturæ testimonijs, ponderatis ex professo disp. 50. sect. 5. & 6. Nunc sufficiat illud Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* At *viuere viuentibus est esse*, vt docet Philosophus lib. 2. de anima textu 37. *Pater Filio dat vitam, substantiam, essentiam.*

3 Rectè igitur Hilarius lib. de Synodis col. 7. ad Canonem 4. Orientalium, exponens prædicta verba Redemptoris: *Manifestum est*, ait, *quod vita in Patre hic intelligitur substantia significata.* Et paulo inferius: *Quod in vtroque vita est, in vtroque significatur essentia.* Et iterum: *Non enim aliud habet, quàm dedit: & sicut vitam habens, ita habendam dedit vitam.* Interim autem admiscet alias propositiones de *essentia generata*, quam intelligit communicatam, siue datam per generationem. Vnde col. 10. ad Canon. 6. eundem locum exponens, ait: *In vita naturæ & essentiæ significatio est, quæ sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum.*

4 Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 5. prope finem ait: *Quis non aduertat ad vnitatem vitæ, quod eadem Patris & Filij vita sit, esse referendum? Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Dedit per vnitatem*, &c. Vnde continuo colligit vnitatem substantiæ. similitérque ratiocinatur sequenti lib. 5. cap. 2. circa medium. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. propius ad finem quàm ad med. tractans eundem locum Ioan. 5. *Sicut Filio præstat essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de Patre generatio: ita Spiritui sancto præstat essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de vtroque processio.* Quibus similia scribit tract. 19. in Ioan. multo proprius ad med. quàm ad finem. & libro 3. contra Maximinum capite 14. à medio. Basilius lib. 1. contra Eunom. inter med. & finem ex professo defendit, quod *Pater Filio naturam communicat.* Cyrillus Alexand. lib. 12. thesauri cap. 15. paulo post medium. *Nec diuisio*, inquit, *aut separatio aliqua intelligitur, sed propter vnitatem, quæ est in emittente & emisso consubstantiali, rectè dicitur, quidquid habet emissum ab emittente accepisse.* Loquitur autem de vita, quam essentialiter, & non per participationem, Filius accipit à Patre. Sophronius Patriarch. Cõstantinop. epist. professionis fidei colum. 2. (in 6. Synodo act. 11.) de Filio ait: *Nec aliunde, quàm ex Patre ipsam substantiam habet.*

5 Eadem phrasi de Spiritu sancto dicitur, quod *substantiam habet ex Deo*, vel, *ex Patre.* Sic loquitur Nazianz. oratione 26. de moderat. in disput. seruanda, colum. 3. Theodoretus in epitome diuin. decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto init. & ante medium. & 1. Corinth. 2. ad illud: *Spiritus qui ex Deo est.* Vnde Concil. Florentinum sessione vltima, in literis vnionis paulo post medium inter alia decernit, quod Spiritus sanctus *essentiam suam, suúmque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio.*

6 Probatur secundò, quia quando aliqua forma nõ producitur, nec ab aliquo principio accipit vt sit; sed potius aliqua res accipit esse per illam formam: tunc forma communicatur. Quemadmodum, quando per nutritionẽ hominis forma rationalis non producitur, nec accipit vt sit, sed potius alimentum accipit esse hominis per illam: ideóque forma rationalis communicatur alimento quando conuertitur in substantiam *Quæ forma creata communicatur.*

hominis:similiter accidentia eadem numero,quæ fuerant in animali, si manent in cadauere, non producuntur,sed communicantur. At essentia diuina non producitur, nec ab vllo principio accipit vt sit, sed potius Filius accipit esse formaliter & quidditatiuè per illam. Ergo essentia communicatur Filio.

8 *Obiectio prima.* Contra primam conclusionem occurrit obiectio prima, quoniam realiter communicare, est realiter producere atque operari.Sed essentia non potest realiter produci, ergo nec potest realiter communicari. Confirmatur, quoniam communicare & communicari sunt oppositæ relationes originis.Ergo postulant distinctionem realem inter principium communicans, & essentiam communicatam.Cum igitur nulla sit realis distinctio, nulla erit communicatio.

9 *Substantiam communicare non est actio realis.* Respondeo & sit secunda conclusio.Communicare non est actio realis, sed est quasi actio secundum rationem,quæ necessariò comitatur realem productionẽ personæ diuinæ:& consequenter non est relatio realis,sed relatio rationis concomitans relationem realem. Ita docet Scotus 1. distinct. 5. quæst. 1. §. *ad argumenta in oppositum* fine. Vbi Aureolus art. 4. col. 2. Ocham quæst. 1. §. *contra istam opinionem.* Marsil. lib.1. quæst.9.artic.2. Vazquez in comment.ad art.5.col.2.

10 A posteriori ratio euidens est quæ tangitur in in obiectione præcedenti. A priori verò ratio constat ex dictis disp. 13. tota sect. 4. vbi probatum est essentiæ diuinæ communicationem, siue communicabilitatem, formaliter acceptam, ens rationis esse, licet fundamentaliter sit ipsa realitas essentiæ.Cum igitur actio communicandi pro termino habeat efficere, vt essentia sit communicata, non potest hæc actio realis esse;cum eius terminus sit tantum ens rationis.

11 *Secunda obiectio.* Sed aduersus hanc doctrinam restat obiectio secunda. Generationis quidditas in eo consistit, quod per eam Filio communicetur eadem natura,(supra disp. 6. & 7.) sed generatio est operatio realis. Ergo realis est operatio, per quam communicatur natura. Hæc autem operatio est communicatio:ergo cõmunicatio est operatio realis.

12 *Realis est actio quæ fundat communicationẽ.* Respondeo & sit tertia conclusio. Licet realis sit operatio, per quam communicatur natura diuina, tanquam per fundamentum, quod necessariò consequitur cõmunicatio:attamen ipsa communicatio formaliter non est operatio realis. Explicatur & probatur distinguendo communicationem actiuam & passiuam.Actiua communicatio in Patre fundamẽtaliter est ipsamet realis generatio, seu productio Filij : formaliter autem addit aliam rationem concomitantem,quæ in eo cõsistit, quod sit quasi fluxus & via,per quam eadẽ natura proficiscitur à Patre, vt deriuetur etiã ad Filium, & sit vtrique communis. Atque idem proportionaliter intellige de Spiratione actiua, quatenus per eam Spiritui sancto naturam communicant Pater & Filius. Passiua quoque communicatio in Filio fundamentaliter est ipsamet natiuitas & origo passiua:formaliter autem addit aliam rationem concomitantem, quæ in eo consistit, quod sit quasi fluxus & via, per quam eadem natura peruenit ad Filium.Itaque penes proficisci à Patre, seu dari à Patre, & peruenire ad Filium, siue accipi à Filio, distinguuntur communicatio actiua & passiua.

13 Ex quibus est corollarium, quo sensu verificari possit quod Durand.1. dist.7.quæst.1. num.23. & alij scholastici dicunt,eandem actionẽ esse productionem & cõmunicationem. Est enim eadem fundamentaliter sumpta communicatio non formaliter.

14 *Essentia non communicat seipsam.* Quarta conclusio. Natura vel essentia diuina non dicitur propriè se ipsam actiuè communicare, sed tantùm dicitur propriè passiuè communicari. Ita docet Scotus, Marsil. & Vazquez citati pro conc. 1. & Suarez lib 6. de Trinit. cap. 7. & vlt. num.13. Ratio est, quia principium, quod naturam communicat, est quod producit personam eiusdẽ naturæ.At essentia non producit personam. Confirmatur primò, quoniam formalitas communicationis consequitur realem productionem, vt nuper dicebamus, ideóque tribuitur eidem principio productiuo. Confirmatur secundò, quia licet non requiratur realis distinctio inter principium communicans & essentiam communicatam; requiritur tamẽ realis distinctio inter principium communicans,& personam cui cõmunicatur. Sed essentia diuina non distinguitur realiter à persona cui cõmunicatur : ergo nequit esse principium communicans.

15 Quintò denique tolerari posset, qui diceret, quod essentia quasi formaliter se ipsam communicat, eo modo quo forma quælibet dicitur exhibere se ipsam, & hanc esse causalitatẽ formalem.

SECTIO VII.

Soluuntur argumenta, quæ sectione prima contendunt probare, quod essentia generet.

1 GEnerales solutiones, vel explicationes multæ sunt,quibus respõdere possumus ad plurima testimonia Sanctorum Patrum,quæ probare videntur, quod essentia generet, aut generetur. Prima solutio est. Abstracta nomina ponuntur pro concretis,ita vt essentia ponatur pro ente,vel Deitas pro Deo, vel natura diuina ponatur pro supposito habente naturã. Nam ad exprimendam identitatem essentiæ cum persona, sancti doctores aliquando locuti sunt expressius, quàm proprietas locutionis pateretur. Vnde locutiones eiusmodi non sunt extendendæ;ita docet sanctus Thomas in præsenti artic.5.ad 1. & opusc.1.contra errores Græcor. cap.4.post med. Alex.Albert. S. Bonau.& aliqui alij scholastici locis citatis in sectione 3. *Abstracta pro concretis ad significandam identitatem.*

2 Secunda solutio est, vt abstracta essentialia figuratè ponantur pro persona, veluti cum dicitur substantia, vel essentia,seu natura generare,intelligatur persona Patris, quæ est substantia,essentia & natura diuina: similitérque cum dicitur generari; debeat intelligi Filius,qui est substantia, essentia & natura diuina. Ita respondet Magister 1. dist.5.cap. *præditis.*& S.Thomas hic ad 1.cũ alijs scholasticis. Hæc autem solutio promptiorẽ locum inuenit in nominibus,quæ per appropriationem tribuuntur vni personæ potius,quàm alteri, vt sapientia & lux appropriatur Filio, idcóque dicitur sapientia de sapientia. *Acceptio natura vel essentiæ pro persona.*

3 Tertia solutio est, diuinam essentiam siue naturam accipi quandoque pro quidditate,quæ personam constituit in esse personæ : vt vidimus disput.24.præsertim sect.1. argum.3.& sect.4. & 5.

Quarta.Substantiæ nomen aliquando sumitur pro quolibet ente, quod non est accidens,& hinc non est abstractum, sed concretum.Sic enim Leo est substantia & lapis est substantia.Atque ita nomen substantiæ potuerunt accipere aliqui ex Patribus,

tribus, qui dicunt: substantia generat. Vel fortasse substantiam accipiunt pro hypostasi, quo sensu tres substantias, id est, tres hypostases non pauci Patres concedunt,vt vidimus disp.23.sect.1. 3. & 4.

5 Quinta, cum dicitur : *Natura* vel *essentia generat,* significatur essentiam esse virtutem & potentiam, qua Pater generat. Quando verò dicitur; *Essentia* vel *natura generatur*, intelligendum est quod per generationem cõmunicatur : vt S.Thomas exponit opusc.1.cap.4. ad fin. & cap.5. nósque dicemus disp.100. sect.2. probat.2.

6 *Locutiones minus impropria.* Sexta solutio, propter quam prædictæ locutiones sunt minus impropriæ de cæteris omnibus abstractis, præter essentiam, hæc est. Quoniam essentia nullo modo dicit ordinem ad operationem, sed tantum ad ipsum esse, propterea quæ maior est improprietas locutionis, quæ tribuit operationem essentiæ. At verò cætera abstracta propinquius accedunt ad significandum principium operationis. *Natura* siquidem, sicut apud physicos est principium motus & quietis;sic apud metaphysicos & Theologos denotat principium operationis, & illius præsertim,per quam producitur simile in essentia specifica,

7 Denotat etiam *natura* principium operationis, quæ nec libera sit nec voluntaria, sed penitus necessaria. Quo sensu redarguit Arianos Cyrillus Alexandrinus lib.6. thesauri cap. 3. prope fin. dicens : *Si generare & facere idem sunt ; erit natura & operatio idem. Natura enim generat, operatio autem facit, sed non sunt idem natura & operatio.* Vocat autem operationem illam, per quam aliquid liberè fit, vt defendat, ex eo quod Filius sit genitus,non inferri, quod sit factus per liberam Dei voluntatem ; vt obiiciebant Ariani.

8 Hæc ratio minoris improprietatis militat etiam in nomine substantiæ, quod dicitur ab actu substandi, & sustinendi. Clarior autem elucet in sapientia, potentia, bonitate, prouidentia, & in lumine. Nam hæc omnia abstracta denotant principium alicuius operationis. Hos gradus maioris & minoris improprietatis obseruarunt. S. Thom. in præsenti art.5.ad 1.& opusc.1.cap.4. fusiùs autem lib.1. sent. dist.5. q.1. art.1. corp. Vbi S.Bonauent. art.1.q.1. corp. à med. Alexand.1.p.q.42. memb.3. art.1. corp. post med. Albert.1.p.q.30. membr.3.art.1. corp. Henricus in summa parte 2. art.54. quæst.3. ad 3.

9 *Ad testimonia Ricardi.* Ex his constat solutio primi argumenti. Ad primam verò confirmationem respondeo, & dico primò. Ricardus ibi substantiam accipit pro persona, vt ex toto illo cap.22. manifestè constat, & ex illis peculiariter verbis propius ad princip. quàm ad med. *Si diceretur figura ingenitæ substantiæ, idem esset, ac si diceretur figura ingenitæ personæ.* Fateor tamen, inconsequenter ibidem mutari acceptionem substãtiæ, quando dicitur esse vnam substantiam in tribus personis. Dico secundò. Ricardus excessit in illis verbis;vt propterea, collaudato Catholico doctoris animo; corrigenda sit illa doctrina. Nec omnes sancti affirmant,quod substantia gignat substantiam, & qui hoc dicunt congruentes & sanas expositiones hactenus explicatas exigunt, & admittunt.

10 Dico tertiò. Post sexaginta circiter annos à tempore Ricardi, suprema & infallibilis authoritas Ecclesiæ confirmat, quod substantia non generat substantiam.Ante Ricardum verò nonnulli Patres obseruarunt Dei substantiam vel essentiam esse ingenitam : & multo plures confirmarunt, realem distinctionem requiri generantis à genito, aliunde negantes omnem distinctionem substantiæ vel essentiæ, & affirmantes omnimodam identitatem. Vnde satis apertè colligitur vera sententia; quemadmodum ostendimus sectione 3.

11 Ad secundam confirmationem respond. Scholastici non contendunt, esse falsum, quod Patres asserunt citati in argumento primo,sed explicant, & ad propriam locutionem reuocant. Ad tertiam confirmationem respond. Quod eadem essentia generet ac generetur, non est credendum, licet non intelligatur ; quia non traditur in sacris literis ; sicut in eis traditur vnitas essentiæ cum pluralitate personarum. Quin potius ex principiis fidei & doctrina sanctorum, adiuncto lumine naturæ, theologia deducit oppositum.

12 Ad secundum argumentum principale respond. Maior non est vniuersaliter vera. Nam soboles & progenies potest esse filius alicuius dupliciter; vel tanquam principij producentis ; vel tanquam essentiæ communicatæ. Illa igitur res generat, cuius est Filius tanquam principij producentis, non verò cuius est Filius tanquam essentiæ communicatæ. Vnde constat aliam esse significationem genitiui casus, quando dicitur Filius Dei aut Filius Patris ; aliam, quando dicitur Filius essentiæ siue substantiæ. Patres igitur appellantes Verbum diuinæ substantiæ vel essentiæ Filium, germen, progeniem,sobolem, illo genitiuo casu, significant, quod per generationem Filius accipit eandem essentiam Patris, vt præcedenti & sequenti contextu magis explicant : vt rectè notauit S.Thom. opusc.1. cap.2.

13 *Præpositiones De, & Ex communicationem denotant aliquãdo.* Ad tertium respond. Præpositiones *De*, atque *Ex* denotant ordinem originis quando præponuntur supposito, quod potest esse principium producens: veluti dicendo, *Ex Deo*, vel *ex Patre* vel *de Patre.* Cæterum quando præponuntur substantiæ vel essentiæ, nihil aliud denotant prædictæ præpositiones, nisi naturæ vel essentiæ communicationem, ratione cuius essentia est veluti materia (sublatis imperfectionibus) quatenus eadem essentia manet sub duplici quasi forma principij producentis, & termini producti. Denotant etiam illæ præpositiones, essentiam siue substantiam esse quodammodo terminum *à quo,* non relinquendum, sed existentem prius origine in Patre, à quo Filius quasi proficiscitur. Denique doctores propterea nunquam dicunt,esse de substantia vel essentia, nisi subiungant *Dei* vel *Patris*, vt indicent, Deum vel Patrem esse principium producens, & non substantiam, vel essentiam. Sed hac de re magis ex professo dicemus disp.97. & 98.

14 Ad vtramque confirmationem tertij argumenti respond. Illarum propositionum hæc est interpretatio legitima. Filius, qui est essentia diuina, est de Patre, qui etiam est essentia diuina: Similitérque Filius, qui est sapientia, est de Patre, qui est sapientia. & sic de cæteris, iuxta secundam solutionem generalem *in principio* traditam ex Magistro, & D.Thoma.

15 Ad quartum argumentum respond. Quatuor libri sapientiales abundant figuratis locutionibus ad elegentiam, quæ vehementius excitet ac inuitet animos auditorum. vt ex aliquibus Patribus ostendemus disp.96.sect.5. post concl.1. Sic *emanatio* ponitur pro persona emanante, & virtus Dei pro Deo potentissimo, lux æterna pro Patre, qui est lux, & gloria, à quo procedit Filius, qui

qui est etiam splendor & gloria. Ad primam confirmationem respond. Sensus illarum propositionum est hic: Filius est essentia diuina, quæ eadem est essentia Patris. Alioqui manifestum est, Filium non esse prædicatum, quod essentialiter conueniat Patri, vt diximus disp.58. sect. 5. Ad secundam & tertiam confirmationem concedo, quod nomina abstracta supponantur pro personis, quando ponuntur pro nominibus concretis per figuratam, non verò per propriam locutionem.

16 Ad quintum respondebimus in eadem disp.93. sect.5. Ad sextum, consequentia negatur propter duas rationes disparitatis, quarum prima peculiaris est operationibus transeuntibus in creaturas. Nam inter Dei omnipotentiam & terminum creationis est realis distinctio, quæ non est inter essentiam & terminum generationis. Ideo dici potest potentia Dei creat, aut facit miracula, vel prouidentia gubernat: licet dici non possit, essentia generat. Veruntamen hæc disparitas locum non habet circa immanentes actiones, vt cum dicimus: essentia diuina videt, intelligit, vult, amat, &c.

Discrimen inter operationes, quæ tribuuntur essentiæ.

17 Generalior igitur & magis à priori procedit ratio disparitatis, quam assignat S. Thomas lib.1. sent. dist.5. quæst.1.art.1.corp. Quidam actus in Deo dicuntur de supposito, non secundum modum, quo suppositum ratione distinguitur ab essentia, & realiter distinguitur ab alio supposito; sed quatenus tria suppositasunt vnus Deus & vna essentia. Hi actus prædicantur de essentia, quia nullum inconueniens sequitur significandi realem distinctionem, licet essentia dicatur agere tanquam suppositum. Hac ratione dicimus essentia intelligit, creat, & sic de cæteris propositionibus. Alij tamen actus in Deo dicuntur de supposito, secundum modum, quo suppositum ratione distinguitur ab essentia, & vnum suppositum realiter distinguitur ab alio. Hi actus non possunt de essentia prædicari, ne significetur esse realiter distincta ab aliqua persona, vel ab alia essentia. Ideo non licet asserere: *essentia generat*, vel *spirat essentia.*

18 Ad septimum, negatur consequentia propter discrimen substantiuorum nominum ab adiectiuis & verbis. Substantiua namque non efficiunt appellationem formalem, sed tantum significant realem identitatem. Cuius causa est, quoniam substantiua secum afferunt suppositum, cui eorum formale significatum conueniat; idcóque suum formale significatum nó applicant ad significatum alterius nominis substantiui. Adiectiua tamen nomina & verba, quoniam non afferunt secum suppositum, suaptè natura vim habent applicandi suum formale significatum ad significatum nominis substantiui, cum quo construuntur. Ideo realis identitas, quæ sufficit, vt vera propositio sit; *essentia est Pater*, non sufficit, vt altera propositio vera sit *essentia est generans*, vel *essentia generat.* Hæc est doctrina S. Thomæ in præsenti art.5. ad 5. Scoti lib.1. dist.5. quæst.1. colum.penult. & omnium ferè Scholasticorum, quos citauimus sect.3.

19 Ad octauum respond. Syllogismus ille laborat fallacia variatæ appellationis. Nam in Minori cum dicitur *essentia est Pater*, materialis identitas verificat propositionem. Vnde deducta conclusio, quod essentia generat, cum faciat appellationem formalem, variat appellationem Minoris. De hoc defectu plura diximus disp.15. sect.6. sub initium. Nec in sensu solutionis discrepant antiquiores Scholastici, dicentes, committi fallaciam figuræ dictionis, siue fallaciam accidentis. Alij verò dicunt, prædicationem per identitatem permutari cum prædicatione per inhærentiam. Quibus verbis formalem appellationem intelligunt S. Bonauent. dist.5. artic.1. quæst.1. ad 2. Vbi Ricard. ad 1.

Nonus syllogismus vitiatur eadem fallacia. 20
Nam in Minori materialis tantum identitas significatur, in conclusione verò fit appellatio formalis, eo quod *Pater* adiuncto genitiuo *Filij*, significatur quasi actualiter relatus ad Filium, & quantum ad hoc participat proprietatem nominis adiectiui, quod formalitatem relatiui applicat ad substantiuum, cui adiungitur, iuxta communem modum loquendi. Si quis tamen profiteretur etiam in conclusione materialiter tantum ac merè substantiuè dicere quod essentia sit Pater Filij; sicut in Minori dicit, quod essentia est Pater, tunc concedi posset consequentia. Sed ex conclusione sumpta in eo sensu materiali, non sequitur, quod Filius sit Filius essentiæ. Quibus consonant plerique Scholasticorum distinguentes nomen *Patris*, substantiuè aut adiectiuè sumptũ, vt S. Thom. 1. dist.5.q.1. ad 3. Vbi Scotus quæst.1.ad penult. argum. Gabriel q.1. art.3. dub.4. Henric. art.54. q.3. ad 7. post med. solutionis.

SECTIO VIII.

Soluuntur argumenta, quæ sectione secunda contendunt, quod essentia generetur.

AD primum respond. Locutiones prouerbiorum sunt figuratæ, ideo reuocandæ sunt ad proprietatem iuxta regulas traditas initio sectionis præcedentis. Ideo sapientia dicitur concepta, & primogenita, & vnigenita, & parturiri, quo significetur, personam Filij quæ generatur, esse sapientiam peculiari appropriatione, quoniam per intellectum procedit. Eandem locutionem imitatus est Apostolus, vt ostenderet, se non loqui sine authoritate Veteris testamenti. Patres autem affectabant eandem phrasim, vt clarius constaret aduersariis, in Veteri testamento Filij generationem fuisse reuelatam. 1

Ad secundum argumentum respond. Omnes Patres, qui dicunt *genitam substantiam, essentiam vel naturam*, exponendi sunt per illas sex declarationes, quas dedimus sect. præced. à princ. Peculiariter autẽ est recolendum quod alibi diximus, Hilarij phrasim esse similem poëticæ, propterea-que nonnunquam à proprietate deficere, sed nunquam à veritate. Ad tertium cum confirmatione respond. Pater appellatur Deitatis fons, author, principium & origo, quoniam Pater cæteris personis communicat Deitatem siue essentiam diuinam: non quia generet Deitatem aut essentiam; vt fusius tractauimus disp.48. sect.6. 2

Ad quartum respond. negando consequentiam; quia licet totus Filius producatur, non producitur totaliter, ideſt, non producitur secundum omnem formalitatem, quæ præscindi potest per considerationem in Filio. Quemadmodum etiam totus Filius distinguitur realiter à toto Patre; sed non distinguitur totaliter; quoniam essentia realiter identificata cum Filio non distinguitur realiter à Patre. Eadem proportione totus Filius refertur ad Patrem, sed non totaliter. Totus Filius 3

est persona & Verbum, sed non totaliter; quoniam absoluta illius essentia non est Verbum, neque est persona, formaliter loquendo. Quodammodo tamen dici potest, Filium non modò totum, sed etiam totaliter produci per generationem, quatenus Filius per generationem accipit quidquid est. Hoc igitur sensu locutus est Hilarius ibi, rectè declaratus à Magistro dist.5. cap. *Sed quia.* Inde constat solutio ad confirmationem, quia neque personalitas producitur totaliter, licet tota producatur.

4 Ad quintum argumentum. Respondetur, Augustini sensum esse, quod Pater genuerit Filium, qui est id, quod est Pater: sed non est is, qui est Pater. Neutrum enim genus aptum est ad significandam identitatem essentiæ, non verò genus masculinum aut fœmininum, in quibus identitas vel diuersitas refertur ad personas, non ad essentiam: vt ostendimus disp.39. sect.2.3.& 4. Ita exponit Magister dist.5. c. *Huic autem.* Ex eo igitur quod Pater genuerit Filium, qui quoad essentiam est vnum & idem ipsum, quod Pater, non infertur, quod genuerit essentiam, sed potius quod eam non genuerit, vtpote non distinctam à seipso.

5 Sextus syllogismus VVigandi fallit appellatione variata (quemadmodũ alij similes syllogismi, quos notauimus sect. præced. ad 8.& 9.) Sola namque materialis identitas significatur in Minori, cum dicitur; *Filius est essentia viua.* Sed non sola materialis identitas, sed etiam formalis conuenientia significatur, quando dicitur, *Essentia gignitur.* Denique paralogysmus ille multis retro sæculis antè VVigandum, fuerat solutus ab Alberto, Alexandro & aliis citatis in sect.3.

6 Ad septimum cum confirmationibus respond. Generatio est productio substantiæ primæ & individualis omnino; sed non est productio substantiæ secundæ, communis & abstractæ, qualis est essentia. Atque vt sapienter adnotauit S. Bonauent.1. distinct.5. art.2. quæst.1. corp. licet intentio generationis feratur ad communicationem naturæ communis: executio tamen fit in singulari. Ad octauum respond. Generatio dirigitur ad producendum individuum, quod in natura simile sit producenti, abstrahendo tamen ab hoc, quod producatur etiam natura, vel non producatur, sed eadem natura genitoris communicetur genito.

7 Ad nonum respond. negando postremam illationem, propter discrimen inter personas creatas & increatas. Nam singulæ personæ creatæ habent peculiares essentias, realiter distinctas, ab aliis, ideóque generata persona generatur illius essentia. At verò persona diuina quæ generatur, accipit eandem numero essentiam, quæ prius origine fuit in generante persona: quamobrem neque per accidens generatur; vt ostendimus sectione 6. dub.2. Vnde constat solutio confirmationis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.

DISPVTATIO LXXXI.

Vtrum veræ sint propositiones huiusmodi: Deus est tres personæ, *vel*, Essentia est tres personæ, *vel*, Deus, *aut*, Essentia est Trinitas; *& aliæ similes.*

SECTIO I.

Negatiuæ sententiæ authores & argumenta.

VIDAM veritatis aduersarij licet concedant, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, siue tres personas esse vnum Deum: nolunt tamen, vnum Deum, siue vnam substantiam esse tres personas: dicentes, diuinam substantiam prædicari de tribus personis, non tres personas de substantia diuina. Suppresso nomine authoris, hanc doctrinam refert Magister lib.1. dist.4. cap. penult. Attamen illius authorem fuisse Gilbertum Porretanum, facile constat ex D. Thoma in præsenti art.6. ad 1. & ex Alexandro 1.p. quæst.50. memb.3. art.2. §. vltimo. Referunt enim à Gilberto negatam fuisse probationem hanc: *Deus est Trinitas.* & argumenta, quæ referunt, cæteras propositiones falsas esse contendunt 1

Error Gilberti.

Ricardus autem 1. sent. dist.4. in fine totius distinctionis, exponens literam inquit: ij dicuntur fuisse discipuli Gilberti Porretani. Huic autem consonat alter error distinguendi realiter relationes ab essentia, ita vt non possent de illa prædicari, quem ex eodem authore retulimus disput. 11. sect.1. 2

Primum eorum argumentum est. Hæc enim propositio est falsa: *Homo est omnis homo*, quia de nullo suppositorum verificari potest, cum neque Petrus sit omnis homo, nec Paulus sit omnis homo, nec aliquis alius singularis homo sit omnis homo. Sed similiter ista: *Deus est Trinitas*, de nullo suppositorum verificari potest; quia neque Pater est Trinitas, neque Filius est Trinitas, neque Spiritus sanctus. Ergo hæc est falsa: *Deus est Trinitas.* 3

Vnde consurgit argumentum secundum, quoniam istæ propositiones sunt contradictoriæ: *Nullus Deus est Trinitas. Deus est Trinitas.* Sed negatiua est vera: ergo affirmatiua est falsa. Minor probatur, quia nec Pater est Trinitas, nec Filius est Trinitas, nec Spiritus sanctus est Trinitas: ergo nullus Deus est Trinitas. Tertium argumentum, quia cuiuslibet propositionis indefinitæ aliqua singularis debet esse vera. Sed hæc est indefinita *Deus est Trinitas.* & tamen nulla singularis illius est vera. Ergo ipsa propositio non est vera. Quartum, hæc est bona consequentia: Deus est Trinitas: Pater est Deus integrè atque plenè: ergo Pater est Trinitas. Consequens est falsum. ergo & Antecedens. Sed Minor est vera: ergo Maior est falsa: *Deus est Trinitas.* 4

Secundum argumentum. *Tertium argumentum.* *Quartum argumentum.*

Quintum argumentum. Inferiora non prædicantur de suis superioribus, nisi accidentaliter: vt cum dico: *Animal est homo.* Sed hoc nomen *Deus* se habet ad tres personas, sicut superius commune ad inferiora singularia (vt probatum est communi sententia Patrum disp.32. sect. 6. & disp.33. 5

disp.35. sect.5. & 6.) Ergo tres personæ non possunt prædicari de Deo, nisi accidentaliter. At verò accidentalis prædicatio Deo repugnat. Ergo nullo modo prædicantur.

6 Sextum, quoniam terminus, existens à parte subiecti, supponitur pro supposito. Ergo quando dicimus: *Deus est Trinitas. Deus* supponitur pro supposito. Sed nullum suppositum est Trinitas. Ergo illa propositio est falsa. Confirmatur, quia *Deus* ibi non potest supponi pro essentia, vt est præcisa à personis. Etenim essentia vt sic, est de quidditate cuiuslibet personæ sigillatim, de cuius quidditate nequeunt esse tres personæ collectiuè sumptæ. Quemadmodum de quidditate Patris est essentia diuina: sed Filius & Spiritus sanctus non sunt de quidditate Patris in recto.

7 Septimum, quia Damascen. lib.3. fidei cap.11. prope fin. ait: *Deitatem dicere de hypostasi non possumus. Nam Deitatem Patrem solum, aut Filium solum, aut solum Spiritum sanctum non audiuimus. Deitas enim naturam ostendit: Pater verò personam.* Ergo non licet dicere *Deitas est Pater.* aut *Natura diuina est Pater.*

8 Octauum, quia si vera esset hæc: *Deus est Trinitas.* sequeretur, hanc etiam esse veram: *Deitas, siue essentia diuina est Trinitas.* Etenim Deitas & essentia diuina est Deus. Consequens autem videtur esse falsum. Sic enim concedendum similiter esset, quod *Deitas sit Trina, siue Essentia diuina est Trina.* Quas propositiones esse falsas graues Scholastici putant.

SECTIO II.

Prædictas propositiones esse veras.

1 GEneralis conclusio est. Veræ sunt & concedendæ propositiones, in quibus personæ vel quæcumque nomina substantiua personalia, seu notionalia prædicantur de quolibet nomine essentiali tam abstracto, quàm concreto. Ideóque veræ sunt istæ propositiones: Deus est Trinitas. Deus est tres personæ. Deus est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ac similiter istæ sunt veræ: Deitas est Trinitas. Deitas est tres personæ. Deitas est Pater Filius & Spiritus sanctus. Quod idem affirmari potest, loco Deitatis ponendo essentiam, vel naturam aut substantiam aut omnipotentiam aut æternitatem, aut quodlibet aliud attributum in abstracto significatum.

2 Hanc conclusionem non ita generaliter affirmatam reperio apud Scholasticos, sed quasi per partes. Colligitur tamen ex S.Thoma in præsenti art.6. si titulus illius conferatur cum corpore, & solutionibus argumentorum. Concedit enim has propositiones: essentia est tres personæ, essentia est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Deus est Trinitas, Deus est tres personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus.

3 Magister autem in 1. dist.4. cap. penult. probat, vnum Deum siue essentiam diuinam esse tres personas & esse Trinitarem. Easdem propositiones defendunt Alexand.1. p. quæst.50. memb.3. art.2.§.7. Albertus 1.p.q.51. memb.& art. vnico, quæst. incid.2. S. Bonau.1. dist.4. art. vnico q.4. Vbi Ricardus in fine totius distinctionis in expositione literæ. Quam eandem refert, & probare videtur Durandus eandem literam exponens. Magis ex professo discutit Scotus dist.4.quæst.2. Vbi Carthusianus etiam quæst.2. ad finem. Ocham & Gabriel similiter quæst.2. Henricus 2. p. summæ art.73. q.11. prope finem, & magis vniuersaliter art.75. quæst.2. corp.ad finem, & argum.6. & 10. Caietanus, Canariensis, Vazquez, Molina, & alij expositores in præsenti. Valentia prima part. sua quæst.13.de Trinit. puncto 4. concl.2. Suarez lib.4. de Trinit. cap.14. §.9. & 10.

4 Primò, quod *Vnus solus est Deus Pater Filius & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia,* definitur ab Innocent. Tertio in Concil.generali, cap. *Firmiter* de summa Trinit. initio. Iustinus quæst.17. ad Orthodoxos ait: *Vnus est Deus vno & indiuiduo substantia, sed tres personæ diuisione consistentiarum.* hoc est, distinctione subsistentiarum. Sophronius Patriar. Hierosolym. in epistola, quæ probatur in sexta Synodo generali act. 11. col. 3. *Non alium,* inquit, *vnum Deum, præter tres cognoscentes personas, neque tres consubstantiales personas Trinitatis, quæ sunt Pater Filius & Spiritus sanctus, alteras præter vnum Deum agnoscimus.*

5 Epiphan.hæresi 69.inter princ.& med.ait: *Pater, Filius & Spiritus sanctus vnus Deus, Trinitas in veritate, & monas in vnitate.* Boëtius in peculiari libello de hac re probat, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus prædicentur de Deo, *non substantialiter, sed ad aliquid,* id est, relatiuè. videndus est præcipuè prope finem libelli. Anselmus lib.de processione Spiritus sancti capite penultimo prope finem: *Deus vnus,* ait, *est tres personæ, personæ tres vnus Deus.*

6 Secundò, quod Deus sit Trinitas, ita docet Cyrillus Alex.lib.12.thesauri,c.14.fine. *Vnus est Deus ipsa Trinitas sancta. Quumq; ipsa vnus sit Deus, & Pater similiter, & Filius, & Spiritus sanctus Deus est; ita vt tres personæ sint, & vnus Deus.* Anastasius Sinayta de rectæ fidei dogmat. lib. 1. prope med. ait: *Deus vnus est Trinitas.* Eadem propositio ex Theodorero ponitur in Breuiario Liberati §.antepenult. Habetur autem in antiquioribus editionibus Conciliorum ante Concilium Aruernense.

7 Augustin. lib.1. de Trinit. cap. 6. prope med. *Vnus,* inquit, *solus verus Deus, qui est ipsa Trinitas.* & lib.5. de Trinit. cap. 8. sub initium. *Non tres deos, sed vnum Deum dicimus esse ipsam præstantissimam Trinitatem.* Et lib.6. cap. 7. post med. *Dicimus Deum solum esse ipsam Trinitatem.* Præterea lib.8. cap.1. sub init. *Vnus Deus, Dominus omnipotens ipsa Trinitas.* Quibus consequenter loquitur lib.11. de Trinitate cap.24. à princ. Et in Enchiridio cap. 9. loquens de vero Deo, subiungit, *Eum esse Trinitatem, Patrem, scilicet, & Filium & Spiritum sanctum.* Præterea sermone 129. de tempore, & serm.3. in cæna Domini. *Credimus vnum Deum, vnam esse diuini nominis Trinitatem.* Similia scribit lib.1.de doctrina Christiana cap.5.

8 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. sub init. *Istum,* inquit, *vnum Deum, qui solus est naturaliter Deus, non Patrem solum, neque Filium solum, neque solum Spiritum sanctum. Sed simul Patrem & Filium & Spiritum sanctum diximus esse.* Et paulo inferius: *Fides vnum Deum prædicat Trinitatem, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum.* Et post pauca: *Ipse verus Deus in personis Trinitas est, & in vna natura vnus est.*

9 Concil. Toletan. Vndecimum in professione fidei prope med. ait: *Non rectè dicitur, vt in vno Deo sit Trinitas, sed vnus Deus Trinitas.* Isidorus lib.7. etymolog. cap.4.§.1. *Pater,* inquit, *Filius & Spiritus sanctus Trinitas & vnitas. Idem enim vnum, idem & tria in natura vnum, in personis tria,* &c. Anselm.1. ad Timoth. 1. col. penult. exponit illud, *Soli Deo immortali & inuisibili, dictum esse de hoc Deo, qui est ipsa Trinitas.* Denique Deum esse Trinum probatum est disp.36.sect.6.& 7.

10 Tertiò, quod essentia sit Pater Filius & Spiritus sanctus, ac subinde essentia sit Trinitas, probatur primò, quia Nicænum Concil. lib.2.col.8. §. *Sancta & magna.* sic loquitur per Osium. *Diuinitas non est vna persona, sed tres personæ verè subsistentes.* Deinde multo propius ad med. quàm ad fin. eiusdem libri §. *in libro Iob,* dicitur: *Indiuisa Trinitas Pater Filius & Spiritus sanctus.* Eadem autem est ratio, vt Trinitas, & Pater, Filius & Spiritus sanctus prædicentur de quolibet abstracto significante essentiam, vt de natura, essentia, Deitate, sapientia, omnipotentia, &c.

11 Hanc propositionem, *Diuinitas est tria,* videlicet Pater, Filius & Spiritus sanctus, esse magis propriam, quàm istam, *Diuinitas est in tribus:* docet Nazianzenus orat. 39. in sancta lumina circa med.& Damascen.lib.1.fidei cap.11.circa med.

12 Probatur secundò. Nam hæc propositio traditur à multis Patribus: *Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vna Deitas,* vel *vna essentia,* siue *substantia.* Ergo vera est etiam hæc propositio: *Vna Deitas,* vel *vna essentia est Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Consequentia probatur per conuersionem simplicem. Neque enim variatur suppositio, vt Porretani causabantur, & sect. 4. respondebimus ad argum.6. Antecedens autē probatur. nam Athanas. dialogo secundo de S. Trinitate contra Anomæum prope fin. ait: *Pater, Filius & Spiritus sanctus ingenita sunt essentia.* & in compendio de Spiritu sancto versus med. *Filius quia ipsa essentia est, super omnia Deus est, non aliter, quam Pater.* Basilius homil. 15. de fide prope med. *Pater, Filius & Spiritus sanctus increata natura, dominica maiestas, naturalis bonitas.*

13 Quod *Pater, Filius & Spiritus sanctus sint vna essentia, vna Diuinitas* frequenter repetit Epiphan. præsertim hæresi 57.69.73. & 76. & in Ancorato paulo post med. ait: *Trinitas hæc sancta vocatur, tria existentia, vna Deitas.* Ac *Trinitatem esse vnam Deitatem,* docet hæresi 62. non longè à princ.& iterum ad fin. & hæresi 69. in med. Ephrem Syrus in posteriori opuscul. de sui ipsius reprehensione, propius ad medium quàm ad principium ait: *Pater, Filius & Spiritus sanctus, tres quidē personæ sunt, sed vna substantia, & vna diuinitas.* & sermone de pœnitentia propius ad med. quàm ad princ. *Nec enim sola vnitas, neque Trinitas est Diuinitas, sed vtrumque simul.* Ioannem Euangelistam docuisse, *vnam solam Diuinitatem Patris, Filij & Spiritus sancti, & quod tres hypostases sint vna substantia,* refertur in vita Ioannis cap.5.fin.qui liber adscribitur, Prochoro tomo 7.biblioth.

14 Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 5. *Pater,* inquit, *& Filius, & Spiritus sanctus singulus quisque horum plena substantia, & simul omnes vna substantia.* Anselm. in Monol. cap.43. *Pater,* inquit, *Filius & Spiritus sanctus vna essentia, vna Deitas.* & in Prosolog. cap. 23. post med. *Quod est singulus quisque, hoc est tota Trinitas, simul Pater Filius & Spiritus sanctus: quoniam singulus quisque non est aliud, quàm summè simplex vnitas, & summè vna simplicitas.*

15 Tertiò probari potest omnibus testimoniis, quibus supra disput. 11. sect. 6. probatum est, in diuinis abstracta prædicari de concretis, & concreta de abstractis. Quartò, nam & abstracta de abstractis prædicari, probatum est disp.14. sect.6. & 7.

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO III.

Ratio prædictæ veritatis, & gradus certitudinis.

1 VErificationis modus & ratio non est idem in prædictis propositionibus. Nam ex illis quædam verificantur formaliter, aliæ verò tantum identicè, & quasi materialiter. Illæ propositiones verificantur formaliter, quarum subiectum est *Deus.* vel aliud concretum essentiale. Veluti: *Deus est tres personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, Deus est Trinitas,* & similes. Ratio est, quia hoc nomen *Deus,* & cætera concreta per se habent supponere pro habente Deitatem; vnde prouenit, vt quasi connaturaliter & conformiter ad suam impositionem, per adiuncta prædicata determinari valeant, vt supponant pro personis, siue pro vna tantùm, siue pro omnibus diuisiuè, aut collectiuè, vt vidimus disp.78. sect.2. & seq. præsertim sect.5.

2 Huic accedit alia ratio identitatis realis inter formale significatum Dei & aliorum concretorum essentialium cum formali significato personarum ac Trinitatis. Hæc autem ratio non sufficeret, vt propositiones verificarentur formaliter, sed tantùm identicè; nisi cum illa cōcurreret modus significandi de materiali habens Deitatem.

3 Propterea distinctus est modus & ratio verificandi propositiones alias, in quibus nomen abstractum essentiale ponitur pro subiecto, veluti *Deitas, essentia, natura, substantia, bonitas;* & de huiusmodi nomine prædicatur aliquod subiectiuum personale vel notionale, veluti dicendo: *Deitas est tres personæ, essentia est Pater Filius & Spiritus sanctus, essentia est Trinitas.* Istæ namque propositiones non formaliter, sed tantùm identicè, & quasi materialiter verificātur. Hæc enim identitas licet non sufficiat nominibus adiectiuis & verbis, vt verificentur, quoniam significant appellationem formalem: sufficit tamen nominibus substantiuis, vt vidimus disp.præced.sect.7.ad 7. Distinctionem hāc clariùs expressit Scot.1.dist.4. quæst.2. sub init. & eum secutus Carthus.ibi q.2. fine. At verò S. Thomas, Caietan. & alij in præsenti art.6. solummodo videntur respexisse ad secundam rationem verificationis per identitatem. Et de ratione hactenus.

4 Quantum ad alterū membrum, non est æqualis gradus certitudinis in his omnibus propositionibus. De quibus Dico primò. Error esset negare simpliciter esse veram hanc propositionem: *Deus est tres personæ Pater, Filius & Spiritus sanctus.* vel hanc: *Deus est Trinitas.* Quarum prima tanquam de fide traditur ab Innocent.dicto cap. *firmiter,* & simpliciter affirmatur ab aliis Patribus. Secunda verò tanquam nō minus explorata credenda proponitur à pluribus Patribus in sect.præced. *Censura.*

5 Dico secundò. Non esset error, sed foret temerarium & suspectum negare veritatem propositionum istarum: *substantia,* siue *essentia, diuina est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Essentia diuina est Trinitas.* Atque idem intellige, si loco essentiæ ponas *Deitatem* vel, *naturam diuinam.* Hoc, inquam, negare non esset error, dummodo simul affirmaretur realis identitas essentiæ diuinæ cum omnibus & singulis personis diuinis & earum relationibus. Quam identitatem quoniam Porretani negabant, & ea de causa nolebant concedere, vnam substantiam esse tres personas, merito Magister distinct. 4. cap. penult. vocat eos aduersarios

sarios veritatis, ac dicit, fidem catholicam tenere ac prædicare, essentiam diuinam esse tres personas.

6 Talis ergo sententia notam erroris effugeret, identitate reali retenta, confugiens ad proprietatem prædicationis ac suppositionis, quæ tangitur in quibusdam argumentis sectione prima. Nihilominus id esset temerarium, quia contra communem sententiam Scholasticorum, quos vidimus sectione prima. Foret etiam suspectum, propter modum loquendi magis consentientem & congruentem cum reali distinctione, quam affirmabant Porretani.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta posita in sect. 1.

1 AD primum negatur consequentia. Ratio discriminis est, quia homo non est realiter singularis, & realiter identificatus cum omnibus suppositis ac singularibus hominibus. At verò Deus est realiter singularis & indiuiduus, quantum ad naturã, & realiter identificatus cum omnibus suis suppositis. Vnde fit, vt connaturaliter possit à suo prædicato determinari ad supponendum pro suis omnibus suppositis collectiuè, dicendo, *Deus est Trinitas*, sicut determinatur ad supponendum pro vno tantùm supposito, dicẽdo, *Deus est Pater*; vel pro duobus suppositis, dicẽdo, *Deus est spirator*, supra disp. 78. præsertim sect. 5.

2 Inde prouenit discrimen, quod notat S. Thom. art. 6. ad 1. quod *homo* per se habet supponere pro persona, cum tamen ex adiuncto habeat, quod ster pro natura communi. Sed econtrario *Deus* per se habet, quod stet pro essentia, nimirum, vt est in habente illam, vt explicuerat in art. 4. corp. Eadem est solutio Alexandri 1. p. q. 51. memb. 3. art. 2. §. vlt.

3 Ad secundum respond. Simpliciter est falsa illa negatiua. *Nullus Deus est Trinitas*, significat enim non modo singulas personas sigillatim, sed neque omnes personas collectiuè sumptas esse Trinitatem. Quamuis enim hæc significatio non reperiatur communiter in nominibus rerum creatarum, reperitur tamen in Deo, propter rationem quam diximus ad primum. Nihilominus si prædicta negatiua proferatur eo sensu, vt solummodo comprehendantur singula Dei suppositа sigillatim sumpta, non verò collectiuè, tunc illa negatiua non erit cõtradictoria nostræ affirmatiuæ, quæ cõprehendit omnes personas collectiuè sumptas. Hæc est mens Scoti dist. 4. q. 2. ad 1. quem sequitur Carthus. q. 2. fine.

4 Ad tertium negatur Minor. Hæc enim propositio: *Deus est Trinitas*, non est indefinita: sed est singularis comparatione naturæ, & est collectiua comparatione suppositorum. Inquantum est singularis, verificatur ratione vnicæ Deitatis, quæ est tres personæ: at inquantum est collectiua, verificatur non de singulis suppositis diuisiuè, sed de omnibus collectiuè. Hæc est mens Scoti & Carthus. citati ad 2. eiusdem quæstionis.

5 Ad quartum respond. Illa consequentia non est bona, quoniam variatur suppositio. Nam in Maiori, cum dicitur; *Deus est Trinitas*, Deus supponitur pro omnibus personis collectiuè, vel supponitur pro essentia, prout est realiter idem cum tribus personis. At in Minori, cum dicitur *Pater est Deus*, supponitur *Deus* pro sola persona Patris, aut certè pro essentia, nõ vt est realiter idem cum tribus personis collectiuè, sed prout est indifferens ad singulas personas diuisiuè.

Ad quintum respond. In diuinis non est propriè superius & inferius, nec vniuersale & singulare, sed tantum secundum quid (vt probatum est in eisdem disp. 32. sect. 6. & disput. 35. sect. 5. & 6.) inde fit, vt prædicatio non sit, accidentalis, tanquam inferioris de superiore: sed sit prædicatio per se. Quoniam Deus per se ac summa necessitate postulat esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum. cuius oppositum euenit omnibus creaturis. Animal enim non postulat necessariò ac per se esse leonem, nec hominem. Huius occasione solent hic expositores discutere perfectatem similium propositionum. Sed de illa diximus satis disput. 14. sect. 7. & 8. 6

Ad sextum respond. primò. In hac propositione, *Deus est Trinitas*, Deus supponitur pro supposito, non diuisiuè, sed collectiuè sumpto, ideo vera permanet propositio, licet nullum suppositum per se sumptum, & à collectione separatum, sit Trinitas. Respond. secundò. Potest etiam in eadem propositione *Deus* supponi pro essentia diuina, non prout est indifferens, & quidditatiuè prædicatur de qualibet persona sigillatim, sed prout est realiter identificata cum tribus personis collectiuè. Vnde constat solutio confirmationis. 7

Quod autem in præsenti propositione *Deus*, vtroque modo suppositus pro personis, vel pro essentia cum illis identificata, debeat personas omnes collectiuè comprehendere, probatur axiomate recepto; *Talia sunt subiecta, qualia præmittuntur ab eorum prædicatis*. Vnde disp. 78. sect. 4. & 5. dictum est, hoc nomen *Deus* à suis prædicatis quandoque determinari ad supponendũ pro personis. At Trinitas collectiuè comprehendit omnes personas simul, vt ex Nazianzeno, Maximo, Isidoro, & Ricard. Victorino probatum est disp. 36. sect. 7. fine. Ergo quando Trinitas est prædicatum; præmittit subiectum, quod est Deus, tali suppositione sumptum, vt collectiuè complectatur simul omnes personas. 8

Ad septimum respond. Negando consequentiam, quia Damascenus ibi tractabat de distinctione formali, qua Deitas distinguitur à persona, vt inde probaret, naturã diuinam, siue Deitatem non fuisse incarnatam, licet fuerit incarnata persona Verbi. Quare nullo modo negat, quod Deitas siue natura diuina sit Pater per identitatẽ realem, manente distinctione formali secundum rationem. Denique Damasceni Verba potius probant veritatem, quam defendimus, quia dicens, se non audiuisse, *Deitatem Patrem solum; aut Filium solum, aut solum Spiritum sanctum*, apertè significat, se audiuisse Deitatem Patrem Filium & Spiritum sanctum simul & collectiuè. 9

Ad octauum respond. Quamuis hæc sit vera: *Deitas, siue diuina essentia est Trinitas*, non sequitur, hanc esse verã, *Essentia, siue Diuinitas est Trina*. Quam de rigore sermonis esse falsam, expressè docet. S. Bonauent. 1. dist. 24. artic. 3. q. 2. fine. Vbi Ricard. q. 1. fine. & Carthus. ibid. q. 5. prope finem. Nullus autem, quem ego viderim, admittit vt veram prædictam propositionem. Ratio est, quia nomen *Trina* non est subſtantiuum, sicut *Trinitas*, sed est *adiectiuum*, propterea faciẽs appellationem formalem, iuxta regulam adiectiuorum traditam disp. præced. sect. 7. ad 7. Quapropter, quando dicitur: *Essentia*, vel, *Deitas est Trina*, significatur ternarium numerum esse formaliter in Deitate & essentia, quod est hæreticum. 10

Confir-

11 Confirmatur primò, quia propter eandẽ appellationẽ falsificatur hæc propositio, *Trinitas est trina*, quia significatur esse tres trinitates, vt ostendimus disp. 36. sect. 8. prope fin. Confirmatur secundò, nam propter appellationes adiectiuorum hæc propositio redditur falsa: *Deitas*, vel, *essentia est generans*, vel *est genita*. vt vidimus disp. præced. sect. 3. & sequentibus.

12 Objicies, quod Ecclesia, canit in hymno Corporis Christi *Tẽ trina Deitas, vnaque poscimus*. Respondet Carthus. citatus, abstractum poni pro concreto, nec mirũ, nam poëtica phrasis maiorem licentiam præbet recedendi à rigore locutionum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum nomina essentialia sint appropriandа personis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum conuenienter à sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.

DISPVTATIO LXXXII.

Quænam fuerit ratio tribuendi peculiariter vni personæ, quod est commune tribus.

SECTIO I.

Generales rationes ac leges appropriationis.

1 *Appropriatio fuit conueniens.*

PRIMA conclusio. Catholica fide credere tenemur, fuisse cõueniens, vt vni personæ, vel alteri peculiariter appropriarẽtur aliqua attributa essentialia, & aliquæ operationes ad extra, quamuis illa forent omnibus personis communia. Probatur plurimis testimoniis Scripturæ, in quibus tales appropriationes intuemur, quorum præcipua referemus sect. 2. & 5. & 6. Præterea probatur authoritate totius Ecclesiæ, atque Doctorum illius, quos referemus sect. seq.

2 *Appropriatio denotat distinctionem personarum.*

Rationem verò conuenientiæ sic tradit Leo Magnus serm. 2. de Pentecoste cap. 2. fine: *Vt per proprietatem vocis aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quod distinguit auditus.* Prosequitur autem in 3. cap. *Ob hoc enim quædam siue sub Patris siue sub Filij, siue sub Spiritus sancti appellatione promuntur; vt confessio credentium in Trinitate non erret. Quæ cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur.*

3 Eadem ratio sic potest magis Scholastice tradi, quia conueniens est, quæ sunt difficiliora & obscuriora, manifestari per ea, quæ faciliùs & clariùs percipiuntur. At operationes Dei ad extra faciliùs percipiuntur, quàm ipsa subſtantia Dei. Rursus perfectiones & attributa essentialia multo facilius & clarius intelliguntur à nobis, quàm personales proprietates ac distinctiones. Nam ex cognitione creaturarum per euidentem demon-

stratione deuenire possumus ad cognitionem attributorum essentialium, sed neque probabiliter ad cognitionem personalium proprietatum (vt probatum est disp. 41. & sequentibus.) Ergo conueniens fuit personarum proprietates ac distinctiones nobis manifestari per attributa & perfectiones essentiales. Hoc autem non poterat aliter fieri congruentius, quàm vni personæ peculiariter attribuendo quandoque, quod alibi docebatur etiam conuenire reliquis personis. Sic enim excitabatur mens fidelis, vt aduerteret aliquid peculiare esse proprium illius personæ, ratione cuius distinguebatur, & verbis quasi separabatur ab aliis personis: vt magis constabit sequent. conclus.

4 Propterea Ricard. Victorin. opusculo de tribus appropriatis cap. 2. paulo post princ. tractans de potentia, sapientia; & bonitate. *In his*, inquit, *tribus forma quædam & imago summæ Trinitatis exprimitur, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciantur. Quæ igitur sunt in Trinitate ista, respondent his, quæ sunt in Trinitate illa, tria tribus, similia similibus, propria proprijs, singula singulis.* Idem scripserat lib. 6. de Trinit. cap. 15. Prædictam rationem magis apertè, quàm alij Scholastici, docuit S. Thomas in præsenti artic. 7. Alber. 1. parte quæst. 48. & 49. Tangit etiam Alexand. 1. parte quæst. 67. S. Bonauent. 1. d. 31. art. 1. q. 3. & artic. 2. quæst. 3. & alij infra citandi.

5 *Cognatio attributi cum proprietate personali.*

Secunda conclusio. Duplex est modus manifestandi personas per attributa & operationes ad extra; dupléxque ratio appropriandi peculiariter vni, quod omnibus personis est commune. Prima & vniuersalior ratio est cognatio vel affinitas attributi cum proprietate personæ. Sic enim quoniam Filius procedit per intellectionem, ei appropriatur sapientia, vt audito sapientiæ nomine, quod est hominibus notius, excitentur ad inuestigandum aliquid proprium & personale Filij, ratione cuius illi tribuatur illa perfectio communis.

6 *Remotio imperfectionis.*

Secunda ratiórque ratio est remotio imperfectionis, quam rudiores possent de persona suspicari. Sic enim potentia Patri appropriatur, ad removendam suspicionem infirmitatis, quæ parentibus propter senectutem euenire solet. Hanc secundam rationem attribuendi potentiam Patri, fuisse traditam ab Augustino refert S. Thom. in hoc art. 7. corp. & Albert. 1. p. quæst. 50. memb. 1. corp. Alexand. 1. p. quæst. 67. memb. 3. artic. 1. corp. Cæteri omnes Scholastici solam primã rationem propinquitatis ac similitudinis tradunt in 1. dist. 31. cum Magistro cap. *non est*, & cap. *propria*. Cæterum dist. 34. cap. *id ergo*, tradunt secundam rationem imperfectionis remouendæ. Apud Augustinum autem post nimiam diligentiam non reperio secundam rationem, vt dicam sect. 2.

7 *Varij modi explicandi.*

Notanda verò sunt verba, quibus rationem vtramque distinguit S. Thom. in artic. 7. vocans, *viam similitudinis*, & *viam dissimilitudinis*. Albert. autem 1. parte quæst. 48. initio vocat *accessum vicinitatis*, aut *recessum*. & dicta quæst. 50. memb. 1. corp. distinguit ex fine, *vt instruatur veritas*, & *vt obuietur errori*. Similiter autem Alexand. nuper citatus Henricus autem 2. p. summæ artic. 72. q. 1. corp. fine & sequentibus quæstionibus vocat *correspondentiam secundum similitudinem*.

8 *Magis voluntaria, quam naturalis est appropriatio.*

Tertia conclusio. Appropriatio partim est naturalis, partim verò voluntaria: sed magis est voluntaria, quàm naturalis. Quamuis enim ad appropriationem prærequiratur fundamentum in

natiua quidditate personæ atque in attributo, videlicet, vt sibi correspondeant affinitate quadam ac similitudine: & ex isto capite naturalis sit appropriatio: nihilominus cum possint proprietates personarum multipliciter considerari, & secundum diuersas cõsiderationes correspondeant distinctis attributis; inde fit libera potestas doctoribus appropriandi huic personæ hoc attributum potius, quàm aliud, & hoc attributum appropriandi huic personæ potius, quàm alteri. Idem intellige de appropriatione operationum transeuntium in creaturas.

9 Hanc conclusionem solus Henricus expresè fuséque tradit 2. parte summæ artic. 72. quæst. 2. Colligitur tamen ex cæteris doctoribus, referendis in sectionibus sequentibus, qui multipliciter eandem perfectionem nunc vni, nunc alteri personæ appropriant. Peculiariter autem colligitur ex S. Bonauent. 1. dist. 34. art. 1. q. 3. ad 2. dicente, appropriationem fieri partim secundum rem, partim verò secundum intellectum.

10 *Dubium.* Suboritur autem dubium, Vtrum omnia prædicata essentialia, quæ tribus personis communia sunt, possint vni personę peculiariter appropriari. Negant enim Albertus prima parte quæstio. 50. memb. 1. ad primam quæstionem incidentem. S. Thomas in præsenti artic. 8. ante secundam considerationem, dicens, essentiam vel operationem non appropriari personis, quia in ratione horum, propter sui communitatem, non inuenitur aliquid similitudinem habens cum propriis personarum. Albertus autem peculiariter hoc dicit de abstractis *essentia*, *Deitas*, & aliis huiusmodi. Hæc sententia verificatur in eo, quod hæc abstracta sunt apptopriationibus minus apta; quàm alia abstracta essentialia: quam ob causam nunquam reperiuntur appropriata.

11 *Omnia essentialia possunt appropriari.* Nihilominus sit quarta conclusio. Quæcunque prædicata essentialia etiã essentia diuina siue Deitas, & operatio quod ex se est possunt appropriari alicui personæ. Ita docet Henricus 2. p. art. 7. q. 3. corpore, sine, cæteris non contradicentibus. Probatur à sufficienti diuisione, quam S. Thom. præmittit in eodem art. 8. Omnia quippe, quæ considerantur à nobis in Deo, vel pertinent ad esse, vel ad vnitatem, vel ad virtutem seu potentiam operatiuam vel ad operationem ipsam, aut terminum qui producitur per operationem. Omnia igitur quæ pertinẽt ad esse appropriantur Patri, cui proinde conuenienter appropriabitur essentia, quia sicut Pater à nullo principio producitur, ita nec essentia diuina. Deitas etiam illi appropriari potest, siquidem de facto Dei nomine Sacræ litteræ personam Patris intelligunt, eo quod sit caput & fons totius Diuinitatis, vt videbimus sect. 5.

12 Rursus, quæ pertinent ad vnitatem appropriari Patri, videbimus sect. 4. sicut sect. 2. ostendemus eidem appropriari potentiam, & quæ potentiæ sunt cognata. Propterea operatio si sumatur in generali, conuenienter appropriatur Patri, vt primo principio. Si verò loquamur in speciali de operatione intellectus, omnia quæ pertinent ad illam, appropriantur Filio, sicut omnia quæ pertinent ad operationem voluntatis; appropriantur Spiritui sancto. Ideo nihil restat, quod non sit appropriabile; solutaq; manent obiectiones in contrarium adductæ.

13 *Vni plura, & pluribus vnũ appropriatur.* Quinta conclusio. Vni & eidem personæ appropriantur plura prædicata essentialia: vicissimque pluribus personis appropriatur vnum & idem prædicatum essentiale. Cuius ratio est illa multiplicitas cõsiderationis, quam habet persona quælibet, libertatem præbens appropriandi sic, vel aliter huic, aut illi personæ, vt vidimus in 3. conclus. Hanc probat Henricus dicto artic. 72. q. 3. & 4. Et manifestè colligitur ex Patribus & Scholasticis, qui exercent hanc ipsam multiplicitatem appropriationis, vt constabit sectionibus sequentibus. Idem intellige de operationibus transeuntibus ad creaturas.

Postremò quantum ad modum loquendi, non 14
est prætereundum, in rigore sermonis esse discrimen inter propria seu proprietates, & appropriata. Nam propria seu proprietates vocantur illæ formalitates relatiuæ, quibus vnaquæque persona constituitur & distinguitur ab altera, vt videbimus disput. 86. & sequentibus. Appropriata verò sunt illa prædicata communia & essentialia, quæ propter affinitatem vni potius personæ, quàm alteri accommodantur. *Appropriata quandoque vocãtur propria.*

Nihilominus hæc etiam appropriata nonnun- 15
quam à Patribus vocantur *propria*, siue *proprietates*, extenso vocabulo. Quemadmodum ab August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. Leone sermone 2. de Pentecoste cap. 2. fin. & serm. 3. sub init. Ricard. Victorin. opusculo de appropriatis cap. 2. ante med. Nec abhorret Magister 1. distinct. 31. cap. *non est* & cap. *propria*.

SECTIO II.

Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui sancto appropriatur.

CRassissimus fuit error Abailardi, qui docuit, 1
potentiam esse proprietatem specialem & *Error.*
propriam Patris, quæ non conueniat Filio, quoniam huic non permittit habere potentiam simpliciter, sed tantum potentiam discernendi, quam vocabat semipotentiam; Spiritui sancto denique nullipotẽtiam & benignitatem tribuebat. Porrò proprietatem Filio peculiarẽ dicebat esse sapientiam. Hunc refert, & breuiter impugnat Bernard. epistol. 190. ad Innocent. Papam. col. 2. & 3. In eodem errore fuit Arnoldus Brixiensis, vt refert Otto Frisingensis de rebus gestis Federici primi. cap. 49. Sed quoniam illi potissimum nitebantur in eo, quod potentia generandi foret propria Patri, dicemus de hoc plura disput. 101. sect. 1. & 2.

Appropriationes sunt igitur, & non proprie- 2
tates potentia, quæ Patri, sapientia, quæ Filio, & bonitas quæ tribuitur Spiritui sancto. Sumuntur autem ex sacris litteris, & celebrantur à doctoribus Ecclesiæ, quamuis quod attinet ad potentiam, non reperiatur apud Agustinum, cui tribuitur à S. Thoma, Albert. & Alexand. citatis sect. præced. post 2. conclus. Henrico in artic. 72. quæst. 4. corp. Canarien. & aliis ad præsentem art. 7. & 8.

De potentia Paulus 1. ad Timoth. 6. *Vsque in* 3
aduentum, inquit, *Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens Rex regum*, &c. Quod de persona Patris peculiariter esse dictum (non excludẽdo Filium, nec Spiritum sanctum) exponunt Euaristus Papa, Chrysost. Ambros. & Athanas. citati disput. 40. sect. 3. probat. 3. Licet plures Patres ibidem citati de natura communi tribus personis, vel de personis omnibus intelligant esse dictum. Et Marci 14. Filius sic orat, *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt*. Vnde videtur Ecclesia didicisse modum illum frequentiorem orandi: *Potentia.*

orandi: *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. Vbi manifestè Patrem distinguit à Filio & Spiritu sancto. Sicut & in vtroque symbolo & Apostolor. & Nicæno, *Credo*, inquit, *in Deum Patrem omnipotentem*.

Ratio huius appropriationis est duplex. Altera 4
& præcipua est cognatio siue propinquitas. Nam *Quare potentia Patri.*
in creaturis potentia habet rationẽ principij producti. Pater autem est principium productiuum cæterarum personarum. Accedit quod solus Pater generat Filium, quod est primum & summum exercitium omnipotentiæ, idémque Pater Filio communicat potentiam spiratiuam. Ricard. Victorin. in opusc. de appropriatis cap. 2. aliam confirmationem adiungit, quoniam potentia in creaturis est prior, quàm sapientia & bonitas, siquidem in omnibus substantiis irrationalibus reperitur potentia sine sapientia & bonitate morali. Sapientia verò, bonitásque moralis nulla ratione reperiri potest sine potentia, quibus consonant quæ referemus in fine sectionis huius.

Altera ratio est imperfectionis remotio, solet 5
enim propter senectutem creatis parentibus deficere potentia; ideo remouetur hic defectus ab æterno Patre, potentiam ei tribuendo.

Nihilominus idem attributum potẽtia seu vir- 6
tus appropriatur etiam Filio plurimis testimo- *Potentia Filio etiam appropriatur, nec non Spiritui sancto.*
niis Patrum quæ ponderauimus disput. 58. præsertim sect. 5. vbi diximus rationem esse, quoniam Filius procedit per primum exercitium potentiæ, & quoniam est Verbum & imperium efficax, per quod omnia fiunt. Sic etiam personæ Spiritus sancti appropriatur virtus & potentia, multis testimoniis scripturæ & Patrum, quæ vidimus disput. 76. sect. 4. initio. Cuius ratio potest esse primò, quoniam omnia dona supernaturalia siue gratis data, siue gratum facientia vocantur virtutes, & potentiæ. Tribuuntur autem peculiariter Spiritui sancto, qui est personaliter donum & radix omnium donorum. Potest autem & alte altera ratio remotio imperfectionis, ne Spiritus sanctus potentia & virtute carere putetur, (vt delirabat Abailardus) licet nullam personam diuinam producat.

Sapientia Filio appropriatur plurimis in locis 7
Scripturæ ac Patrum, quæ vidimus disputat. 58. *Sapientia.*
sect. 4. & 5. Ratio propinquitatis siue affinitatis est, quia Filius personaliter est Verbum, procedens per intellectũ. Sed imperfectionis remotio est altera ratio, nam filij, prius quàm sint parentes, solent carere sapientia, siue propter defectum temporis, quod requiritur ad disciplinam, siue propter ardorem ætatis, ad malum propensæ. Iuxta illud Prouerb. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri*. At Verbo per excellentiam quadrat illud Prouerb. 15. *Filius sapiens latificat Patrem*. Nam & Prouerb. 8. Iuxta Septuaginta & plurium Patrum lectionem. *Ego*, inquit, *eram, cui adgaudebat*, videlicet, Pater.

Postremò bonitas siue benignitas tribuitur 8
Spiritui sancto quia procedit per amorem, per *Bonitas & benignitas.*
quem omnia bona communicantur, & remittuntur peccata: vt colligitur ex nomine Sancti, quod appropriatum est tertiæ personæ: vt vidimus disput. 65. sect. 4. fine: potissimùm autem ex appropriatione amoris, probata disput. 73. & 74. & proprietate doni, probata disput. 75.

Concurrit etiam alia ratio remouendi imper- 9
fectionem, tum quia voluntatis causa solet obrepere malitia: tum etiam, quoniam *spiritus* aliquando significat vehementiores affectus iræ, vel inflationis ac superbiæ vel violentiæ. vt Deuteron. 5. *Spiritus zelotypiæ*. Psalm. 75. *Qui auferet spiritum principum*. Isaiæ 19. *Dirumpetur spiritus Ægypti*, & cap. 25. *Spiritus robustorum, quasi turbo impellens parietem*. Hæc vitia remouentur à Spiritu appropriando illi sanctitatem, bonitatem, benignitatem. Ideo Psalm. 50. dicitur: *Spiritus rectus*, & *Sanctus*, & Sapientiæ cap. 1. & 7. dicitur *Spiritus benignus*. In substantia prædictarum appropriationum conueniunt, S. Thom. in præsenti artic. 8. post med. Magister 1. distinct. 34. cap. *id ergo*. & sequenti. Alexand. 1. part. quæst. 67. mem. 3. artic. 1. Albert. 1. parte quæst. 48. sub init. & quæstione 50. memb. 1. S. Bonauent. primo distinct. 34. dub. 7. & artic. 1. quæst. 3. corp. Vbi Ricard. artic. 2. quæst. 2. Henricus 2. part. summæ artic. 72. quæst. 4, corpore. Canarien. in præsenti artic. 8. Sed Hugo Victorinus eruditionis theologicæ summæ sentent. tract. 1. cap. 10. circa med. solam commemorat appropriationem potẽtiæ & sapientiæ propter imperfectionem remouendam.

Tertiam denique rationem acceptam ex origi- 10
nis prioritate tradunt alij doctores; quoniam potentia prior est quàm sapientia, & vtraque prior quàm bonitas; bonitas enim procedit à potentia & sapientia. Quam fusiùs exponit Ricard. Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 15. Breuiter autẽ S. Bonauent. 1. dist. 34. artic. 1. q. 3. corp. Vbi Ricard. de media Villa. art. 2. q. 2. corp.

SECTIO III.

Æternitas, species & vsus, quomodo tribus personis appropriantur.

HIlarius lib. 2. de Trinit. sub init. ait: *Nec de-* 1
esse quicquam consummationi tantæ reperietur, intra quam sit in Patre, & Filio, & Spiritu sancto infinitas in æterno, species in imagine, vsus in munere. Quas appropriationes ex professo singulis personis adaptat August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. quod est vltimum. Magister 1. sentent. distinct. 31. cap. *Non est hic*, & sequentibus. S. Thom. in præsenti art. 8. sub initium corporis. Alexand. 1. part. q. 67. memb. 1. Alber. 1. part. quæst. 49. memb. 2. S. Bonauent. 1. dist. 31. art. 1. quæst. 3. Vbi Ricard. art. 2. quæst. 2. & alij Scholast. in eadem dist. Henric. 2. part. artic. 72. q. 3. & 4. Qui omnes in Patris appropriatione nullam mentionem faciunt infinitatis. Sequuntur enim Augustinum, qui tantummodo sic retulit: *Æternitas in Patre*, &c.

Ac primò quidem infinitas Patri non imme- 2
rito tribuitur, sicut & Deitas, quoniam est caput *Infinitas Patri.*
& fons totius Diuinitatis, & quoniam infinitas non coniungitur peculiari affinitate cum operationibus intellectionis & volitionis, vt ea ratione appropretur Filio vel Spiritui sancto, sed maiori affinitate coniungitur cum essentia, quam solus Pater habet à se ipso, & non ab alia persona producente ipsum. Potest etiam reddi ratio remouendæ imperfectionis, quam objciebãt Ariani, amittendi partem suæ substantiæ, decisam à Patre, quando genuit Filium, Quod infinitati repugnat.

Secundò quod æternitas peculiariter appro- 3
priari possit Patri, probari potest 1. Timoth. 6. *Qui* *Æternitas etiam Patri.*
solus habet immortalitatem. Illa enim dicuntur, de Rege regum, qui ostensurus est Christum; ideóque de persona Patris intelliguntur à multis, quos citauimus sect. præcedenti. Quapropter non sine fundamento Scripturæ, Patrem peculiariter ap-

pellat sempiternum Ecclesia pluribus orationibus ita incipientibus: *Omnipotens sempiterne Deus*, ac desinentibus *per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

4 Ratio est, quoniam æternitas, prout excludit principium durationis, maiorem affinitatem habet cum Paternitate, quæ debet esse ingenita & ea ratione repugnat cuilibet principio productionis & originis. Accedit remotio imperfectionis, nam animalia & homines viuunt multo tempore prius, quàm generent; vnde prouenit vt posterius tempore sint parentes. Sola persona Patris non prius vixit, quàm esset Pater; quoniam sine tempore genuit ab æterno.

5 *Species Filio.* Tertiò, speciem appropriant *Filio* Athanas. Cyrillus, Euseb. Cæsareen. Clemens Alexand. & Ambrosius citati disput. 64. sect. 5. siue quoniam species multoties accipitur pro natura eiusdem rationis, vt vidimus disput. 24. sect. 5. Filius autem ex vi generationis formaliter procedit, vt eiusdem speciei cum Patre secundum naturam. Siue quoniam species significat pulchritudinem, quæ in imagine consistit in eo, quod perfectissimè repræsentet, vsque adeo, vt licet illius exemplar sit monstrum aliquod, vel turpissimum animal; imago censeatur pulchra, si ad viuum & perfectè repræsentauerit illud. Ideo potiori iure pulcherrima erit imago, quæ pulcherrimum exemplar perfectissimè repræsentat. Maximè cum in ea concurrant tria requisita pulchritudinis, integritas, proportio, & claritas.

6 *Vsus Spiritui sancto.* Quartò, Spiritui sancto appropriatur vsus iuxta latiorem acceptionem, qua comprehendit sub se etiam frui, prout *Vti est assumere aliquid in facultatem voluntatis, & frui est cum gaudio vti*, vt docet August. lib. 10. de Trinit. cap. 11. ante med. Vsus ergo, quo Pater & Filius se inuicem fruuntur, affinitatē habet cum proprietate Spiritus sancti quatenus procedit per amorem. Nam *illa dilectio, delectatio, fœlicitas, vel beatitudo, vsus appellatus est*, vt inquit Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 10. in med. Vbi etiam notat, illi accommodari vsum, quatenus Spiritus sanctus in ratione doni nos perfundit ingenti largitate atque vbertate. Fateor tamen, vsum magis violenter appropriari Spiritui sancto, suauius enim & congruentius æternitas in Patrem, & species quadrat in Filium,

7 Postremò notandum est Ambrosium aliter accommodasse. Nam in symbolum Apostol. cap. 1. *Æternitas*, inquit, *est in Patre, species in imagine, virtus est in munere.* Iam verò sect. præced. diximus qua ratione virtus approprietur etiam Spiritui sancto.

SECTIO IV.

Vnitas, æqualitas, & earum concordia, cum alijs appropriationibus Augustini.

1 AVgust. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 5. fine ait: *In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatisq; concordia. Et hæc tria vnum omnia propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.* Harum appropriationū causas, Magister exponit in eadem dist. 31. cap. *illud etiam.* & sequentib. S. Tho. in præsenti art. 8. considerat. 2. Alex. 1. p. quæst. 67. mem. 2. Alber. 1. p. q. 49. per totam. S. Bonau. 1. dist. 31. art. 2. q. 3. Vbi Ricard. art. 2. q. 2. Henricus 2. p. summæ art. 72. q. 3. & 4. Canarien. & alij in præsenti artic. 8. Prior autem his omnibus Ricardus Victorinus in opusculo, directo ad S. Bernardum, qui de hoc interrogauerat Ricardum cap. 1. Omnium autem eadem est, quantum ad substantiam, declaratio, licet in accidentibus differant.

Primò namque Patri appropriatur vnitas, quoniam est prima in numero, non præsupponens aliam vnitatem. Sic Pater est prima persona, non præsupponens aliam, à qua procedat. Cæteræ duæ personæ pluralitatem personarū afferunt, quando producuntur. Adde quod vnicum principium totius Diuinitatis est Pater, ad quē cæteræ personæ referuntur, idem est ratio à priori, propter quam tres personę sunt simpliciter vnum, & vnus Deus. Quod plurimorū Patrum testimoniis probatum est disp. 22. sect. 6. Atque sicut breuius, ita obscurius significauit August. in prædictis verbis: *Hæc tria vnum omnia propter Patrem.* Id est, quoniam ab vnico principio procedunt. Cui consequens est Patrem esse primum exemplar vnitatis, idcóque cæteras personas propter Patrem esse vnum. 2 *Vnitas Patri.*

Secundò. Æqualitas importat vnitatem non simpliciter, sed in respectu ad alterū. Nam æquale est quod habet vnam eandémque mēsuram quantitatis cum alio, (siue sit quantitas molis, siue perfectionis.) Merito igitur appropriatur Filio. Primò, quoniam ex vi suæ processionis formaliter procedit vt eiusdē omnino perfectionis, & prorsus æqualis Patri, quod Spiritus sanctus non habet ex vi processionis formaliter. Secunda ratio est, quia Filius est personaliter imago Patris. *Imago autem si perfectè implet illud cuius imago est, ipsa cæquatur ei, non illud imagini suæ:* vt ex Augustino lib. 6. de Trinit. cap. 10. parum ad princ. refert Ricard. Victorinus citatus, inde colligens, quod æqualitas non ita conuenienter approprietur Patri, quoniam Pater non cæquatur imagini suæ: nec ita conuenienter Spiritui sancto, quia non est imago. 3 *Æqualitas Filio.*

Tertia ratio est, quoniam Filius est prima persona, post cuius originem inuenitur dualitas sufficiens ad illam respectiuam vnitatem, in quantitate perfectionis, quam affert æqualitas. Atque inde prouenit, vt etiam Pater sit æqualis, propter Filium, quia, sine illo, nullus esset terminus, quem respicere posset æqualitas. Eadem verò Spiritus sanctus à Filio recipit hac peculiari ratione, quoniam non Pater, sed Filius prior constituit æqualitatem sua natiuitate. 4

Tertiò, connexionem atque concordiam aptissimè quadrare in Spiritum sanctum & illum esse rationem, qua connectuntur Pater & Filius, abunde constat ex dictis disput. 73. & 74. & disput. 76. sect. 2. post med. 5 *Connexio & concordia Spiritus sancto.*

Quartò, aliter appropriat August. serm. 11. de Verbis Domini circa med. de Trinit. sic loquens: *Propter inseparabilem æternitatis, veritatis, bonitatis essentiam vel naturam non esse tres Deos.* Ex his ergo quam ob causam Patri approprietur æternitas, vidimus sect. 3. Sed quare Filio veritas tribuatur, constat, quia veritas præcipuè in Verbo mentali consistit, & pertinet ad intellectum, ideo Dominus Ioan. 14. *Ego sum*, inquit, *via, veritas & vita.* De bonitate iam diximus sect. 2. ad finem. 6 *Veritas Filio.*

Alium appropriationis modum subiungit ibidem post pauca. *In Patre authoritas, in Filio natiuitas, in Spiritu sancto Patris Filijq; communitas, in tribus æqualitas.* & paulo inferius concludit. *Est ergo Pater Filio origo verax, & Filius de verâ Patre orta veritas, & Spiritus S. à Patre bono & Filio bono effusa bonitas.* Perpende, quomodo ab eodem doctore diuersimodè approprientur eadē attributa, iuxta 7

iuxta ea quæ notauimus sect. 1. conc. 3. & sequent. Præterea, quod Pater potiùs, quàm alia persona, vocetur verax potiùs, quàm veritas, ratio est, quoniam Patris personalis proprietas est dicere Verbum, quod est veritas.

SECTIO V.

Quæ restant appropriationes perfectionum essentialium.

1 LOngè aliter appropriat Apostolus 2. Corint. cap. vlt. fine, dicens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Vbi gratia tribuitur Domino nostro Iesu Christo, quoniam per redemptionem author est illius. Charitas appropriatur Deo Patri (hanc enim personam communiter Sacri doctores his verbis intelligunt) quoniam *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3. cui consonat Apost. Ephes. 2. vers. 4. Quapropter Deus Pater intelligendus videtur Rom. 5. cum dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Communicationis denique ratio est eadem, quæ vnionis atque concordiæ sect. præced.

2 Aliter autem Apostolicæ constitutiones appropriant apud Clementem lib. 8. cap. 16. initio. *Gratia omnipotentis Dei, & charitas Domini nostri Iesu Christi & communicatio Sancti Spiritus*, Nec incongruè, sic etiam charitas Christo domino appropriatur, quia *maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* Gratia verò appropriatur Patri, tanquam primo principio omnium bonorum, cui nos reconciliauit Filius in Spiritu sancto.

3 Secundò. Dei nomen appropriari multoties personæ Patris, vt fonti diuinitatis, licet aliquando etiam approprietur Filio ratione alicuius adiuncti, probatum est abunde disput. 78. sect. 4. Deinde nomen Domini appropriari Filio, notauimus prope finem eiusdem sectionis quartæ, ratio autem est quoniam peculiari redemptionis titulo, dominium adquisiuit: & quoniam Domini nomen quadrat simul in hominem & in Deum. Quapropter etiam nomen Dei proprium, *Qui est*, posset appropriari Patri, sicut ei appropriatur *Deus*, quamuis Exodi 3. propter redemptionem, de qua tractat, videatur appropriari Filio, vt ex Glossa notat S. Thomas art. 8. in arg. vlt. & in fine corp.

4 *Discernere & penetrare.* Tertiò, quoniam omnia, quæ pertinent ad intellectionem, appropriantur Verbo, ideo illi merito appropriatur penetrare, discernere intima cordis Hebræos 4. *Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite*, &c. *& discretor cogitationum & intentionum cordis; & non est vlla creatura inuisibilis coram eo.* Quod de persona Filij grauissimi Patres intelligunt: vt retulimus disput. 55. sect. 5. à princ. Eadémque ratione non incongruè liber vitæ appropriatur Filio, vt Sanctus Thomas in præsenti notat ex Glossa.

5 *Scrutari profunda.* Alia tamen ratione scrutari profunda Dei & hominum appropriatur Spiritui sancto propter subtilitatem, quam Spiritus habet in humano corpore, penetrans totum corpus 1. Corinth. 2. *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei.* Ita approptiat Athanas. in quæstionibus *quid est Deus.* quæst. 10. Basil. lib. 3. contra Eunom. pag. 2. Cyrillus lib. 13. thesau. cap. 1. sub initium. Epiphan. hæresi 74. multo propius ad finem quàm ad medium & alij plurimi Patres.

Quartò, Vita peculiari ratione appropriatur Filio, quoniam vita constat operationibus immanentibus, quarum prima, & ex genere præstantissima est intelligere, naturalissima verò generare. Sic Ioan. initio prioris epistolæ. *Vidimus & testamur & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et ipse Ioan. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Et Ioan. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* 6 *Vita.*

SECTIO VI.

Operationes Dei, transeuntes ad creaturas, appropriantur etiam distinctis personis.

PRimò creare appropriatur Patri, reparare Filio, perficere Spiritui sancto. De creatione, Symbolum Apostolorum, *credo*, inquit, *in vnum Deum Patrem omnipotentem creatorem*, &c. Et Symbolum Nyssenum, *factorem cæli & terræ.* Loquuntur eodem modo constitutiones Apostolicæ apud Clementem lib. 8. cap. 16. sub init. Et alij plurimi Patres, inde sumpto fundamento, quod Scriptura soleat dicere Deum creare *per Verbum* seu *Verbo*, & in Spiritu sancto. Vnde colligitur, personam, cui tribuitur creatio tanquam primo principio, *quod*, esse Patrem. Locutiones huiusmodi referemus disput. 112. 1 *Creatio Patri.*

Potissimum, fundamentum est, quoniam ipse Filius, sapientia Patris, ei creationem adscribit, Prouerb. 8. dicens: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret.* Et infra; *Quando præparabat cælos, aderam*, & quæ sequuntur. Similiter loquitur Ecclesiastici 24. *Et dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* 2

Secundò, reparationem esse propriam Filij propter Incarnationem & redemptionem, apertissimum est, de qua Ephes. 1. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt.* 3 *Reparatio Filio.*

Tertiò. Perfectionem Spiritui sancto Patres appropriant, quoniam ipse complementum est totius Trinitatis, vt vidimus disput. 76. sect. 2. Deinde quoniam in charitate consistit perfectio rationalis creaturæ: ac denique quoniam Spiritus sancti aduentus fuit postremus ad perfectionem discipulorum. Fundamentum autem ex Scriptura sumunt Petres infra citandi, præsertim Basil. & Greg. Nyssen. psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Cui consonant verba Domini, Lucæ vlt. *Vos autem manete in ciuitate, quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Et Act. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Ideo Patres appropriant Spiritui sancto perficiendi operationem, vt Basilius lib. 3. contra Eunom. à medio & lib. 5. contra Eunom. præsertim circa medium & lib. vnico de Spiritu sancto frequenter, maximè verò cap. 16. inter principium & medium. Gregorius Nyssenus lib. de Trinitate & aduentu Domini contra Iudæos in princip. Nazianz. orat. 37. quæ est 5. de theolog. multo propius ad finem quàm ad medium. Et alij statim citandi pro viuificatione. 4 *Perfectio Spiritui sancto.*

Sub generali verbo perficiendi comprehen- 5

duntur innumeræ operationes, quarum præcipua capita sunt, quæ sequuntur. Imprimis enim *Viuificare* tribuitur Spiritui sancto in Symbolo Nicæno, illis Verbis. *In Spiritum sanctum Dominum & viuificantem.* Cyrillus Alexand. lib. 13. thesauri cap. 3. propius ad princ. quàm ad med. *Creaturarum,* inquit, *per spiritum perfectio est.* Probat autem, quia Genes. 1. formato homine, *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ,* & Ioan. 20. *Insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Et sequenti cap. 4. Cyrillus ait: *Creaturas per suam participationem sanctificando perficit.* Ambrosius in symb. Apostol. cap. 4. fine. *Spiritus,* inquit, *Sanctus perfectionem præstat, & sanctificat.* Et sequent. cap. 5. *Deus per Verbum fecit, & per Spiritum sanctum animauit.*

Viuificatio & sanctificatio Spiritui sancto.

6 Secundò *sanctificare & viuificare* tribuit Spiritui sancto Basilius non modò locis supra citatis, sed etiam homil. 15. de fide à med. & homil. 17. fine. & hom. 27. ad fin. & homil. 28. post med. *Sanctificare* tribuit Spiritui sancto Athanasius frequenter in quinque dialogis de Trinit. præsertim dial. 3. contra Macedon. & in epistolis ad Serapion. Regula fidei diuinitus tradita Thaumaturgo apud Gregor. Nyssen. Epiphan. hæresi 69. 73. & 74. Nazianz. dicta orat. 37. propiùs ad fin. quàm med. Origenes lib. 1. Periarchon cap. 3.

7 Tertiò propter eandem rationem appropriantur Spiritui sancto quæcumque ad spiritualem vitam & perfectionem pertinent, vt ex plurimis locis Scripturæ poteris colligere. Veluti loqui in Sanctis præsertim, quando steterint ante Reges & Præsides, loqui per Prophetas, clarè Apostolis eloqui, habere scientiam vocis, testimonium perhibere de Christo Domino, docere, illuminare, suggerere, aduocati munus exercere, intercedere, postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, clamare in cordibus nostris Abba Pater, consolari tanquam paracletum, regenerare eos, qui per baptismum renascuntur ex aqua & Spiritu sancto, agere filios Dei, hoc est eos impellere & mouere, vt bonum agant, arguere mundum de peccato. Potissimum autem operari Incarnationem, obumbrando & superueniendo Beatissimæ Virgini, & replendo humanitatem Christi Domini.

Aliæ operationes Spiritus sancti.

8 Ex quibus operationibus Patres quidam plures, alij pauciores commemorant, & appropriant Spiritui sancto locis nuper citatis. Insuper Ignatius epist. ad Philippen. Irenæus lib. 1. cap. 2. Melchiades Papa epist. ad certos quosdam, & ad omnes epis. Hispaniæ propius ad finem quàm ad medium. August. lib. 13. confess. cap. 7. & multis sequent. & in quæstionibus veteris testam. quæst. 9. & quæstionibus noui testamenti quæst. 87. & alibi sæpe. Leo sermone 2. Pentecostes cap. 3. & sequent. & serm. 3. cap. 1. & 2.

Renouatio.

9 Quartò ex psalm. 102. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Renouationem Spiritui appropriant Nazianz. orat. 44. in Pentecost. inter med. & fin. & Basilius lib. 5. contra Eunom. pag. 2.

Supernaturalia.

10 Quintò generaliter, *Quoties sacra litera aut narrare, aut probare aliquid eorum, quæ naturæ vires superant, instituunt, omne illud Spiritus sancti potestate acceptum ferunt.* Ita scribit Chrysostomus orat. 2. ad illud. *In principio erat Verbum,* quæ est de Trinit. simul & de serpente, statim à med. Probari potest 1. Corinth. 12. cum Paulus enumeratis omnibus ferè supernaturaliũ donorum generibus concludit: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus,* &c.

Patri etiam tribuuntur eadem operationes quæ Spiritui sancto.

11 Obiiciet aliquis, easdem operationes, nuper enumeratas, in Scriptura Sacra appropriari quandoque personæ Patris vel Filij. Quemadmodum Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et Math. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Et Ioan. 15. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est,* &c. *& omnem qui fert fructum, purgabit eum,* &c. Roman. 8. *Deus qui iustificat,* dicitur de eodem Patre, *Qui proprio Filio suo non pepercit.* Et Ephes. 1. *Pater elegit nos in Christo, vt essemus Sancti.* Math. 11. Filius confitetur Patri: *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea parvulis.*

Eadem Filio appropriatur.

12 Aliunde quoque Filio iustificationem attribui, constat multis in locis, & esse consolatorem, aduocatum siue paracletum, constat Ioan. 14. & Matth. 11. *Patrem nemo nouit nisi Filius & cui voluerit Filius reuelare.* Reuelatio ergo non solum Spiritui sancto, sed etiam Filio tribuitur. Et Ioan. 15. *Non vos me elegistis sed ego elegi vos & posui vos vt eatis & fructum afferatis.* Præterea *lucem, quæ illuminat omnem hominem,* esse Verbum; constat Ioan. 1. Quod Christus Dominus docuerit, passim legimus prædictũ in Veteri testamento, & in Nouo videmus expletum. Quod autem viuificet & resuscitet, ipse confirmat toto ferè cap. 6. Ioan. & cap. 11. *Ego,* inquit, *sum resurrectio & vita.*

13 Respond. id nihil obstare, quominus eædem operationes approprientur etiam Spiritui sancto. Nam eadem operatio propter diuersas considerationes congruit distinctis personis, vt vidimus sect. 1. conc. 3. & sequentibus. Nunc verò prædictæ operationes Patri congruunt peculiari ratione quasi primo principio, quod per Verbum eas operationes imperat, & per Spiritum sanctum eas vult. Filio conueniunt peculiari titulo Verbi, Filij naturalis, imaginis, ac præcipuè Incarnationis, & redemptionis.

14 At Spiritui sancto peculiari ratione congruunt cædem operationes, tanquam vltimæ personæ, quæ mittitur simul à Patre & Filio ad earum executionem; vt in quem terminatur diuinæ bonitatis communicatio ad intra, ab eo incipiat communicatio ad extra. Tunc enim quasi plenis, & cumulatis personis, redundat ac refunditur Diuinitas ad creaturas. Accedit alia ratio specialis necessitatis manifestandi personam Spiritus sancti, eiusque Diuinitatem, quoniam erat magis ignora, quàm persona Patris & Filij. Quomodo tandem tribus personis approprietur illud 1. Corinth. 8. & Roman. 11. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia,* videbimus disput. 112. sect. 2. & sequentibus.

SECTIO VII.

De oratione, propitiatione, satisfactione & intercessione appropriationes aliæ.

1 PRimò, non est prætereundum discrimen valde notabile, quod Scriptura sacra nos docuit circa huiusmodi appropriationes, quod breuiter attigit Leo Magnus in serm. 2. de Pentecost. cap. 3. dicens: *Diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus ignire.* Secundò, prouenit inde, vt Filius dicatur satisfeciisse Patri potius, quàm eidem Filio, vel Spiritui sancto.

Ad Patrem oratio.

2 Tertiò, Christus Dominus siue postulans veniam peccatoribus, siue quodcũque aliud bonum sibi

sibi vel aliis postulans, orationem dirigit ad Patrem. Quale est illud: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Et quæ sequuntur toto cap. 17. Ioannis. Et cap. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Et in Cruce suum Spiritum commendat in manus Patris. Idem intellige de gratiarum actione. Nam Ioann. 11. dicit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.*

3 Sic nos docet orare Patrem, Ioannis 14. & 16. & Matth. 7. & alibi. ita edoctus Paulus Ephes. 3. *Flecto,* inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Ecclesia denique in officio diuino ferè omnes orationes dirigit ad Patrem, obsecrans, *per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.*

4 Rationes autem huius appropriationis sunt, prima, quia sic facilius intelligimus Deum esse Patrem nostrum, quoniam est Pater Christi Domini qui est frater noster; & est causa efficiens & exemplaris nostræ filiationis adoptiuæ, dans nobis potestatem filios Dei fieri. Quod nos admonuit Ioan. 20. præcipiens; *Dic fratribus meis; Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Secunda ratio, quoniam in Patre tanquam in primo fonte ac principio prius origine, quàm in cæteris personis, residet sapientia, volitio seu charitas, potentia, & prouidentia, per quam vniuersa bona creaturis communicantur; & quoniam Pater dicit & imperat per Verbum, vt fiant omnia.

5 Tertia ratio, quia Filius & Spiritus sanctus nobis dati sunt, missi, atque donati per Patrem, & eorum ad nos aduentum petimus, quando cælestia dona petimus. Quarta, quoniam iste modus orandi & gratias agendi magis expressam continet professionem Trinitatis, quasi reductam ad praxim: commemoramus enim expressè tres personas, quas ad vnum principium reuocantes, significamus, esse vnum Deum, & vnicum bonorum omnium largitorem. Id quod præcæteris significauit Nazianz. orat. 37. quæ est 5. theol. colum. penult. cuius verba retulimus disput. 75. sect. 1.

6 Quintam rationem adiungit Fulgentius, respondens ad quæst. 4. Ferrandi, propositam de hac ipsa difficultate sub initium notans *in con-*
1. Timot. 2. *clusione orationis per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum dici, propter illud sacramentum, quod mediator Dei & hominum factus est homo Chris-*
Hebræ. 9. *tus Iesus sacerdos in æternum secundum ordinem Mel-*
chisedech, qui per proprium sanguinem semel introiuit
Hebræ. 13. *in sancta,* &c. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo.*

7 Nihilominus oportuit etiam non rarò, gratiarum actiones & orationes dirigi ad personam Filij, vel ad personam Spiritus sancti, vt hac etiam praxi profiteremur, non minorem, sed eandem cum Patre possidere sapientiam, charitatem, potentiam, prouidentiam; vt constat in Ecclesiastico officio cæterisque precibus Ecclesiæ.

8 Tandem ex prædicta Patris authoritate prouenit, vt ille nunquam omnino dicatur pro nobis orare, vel postulare, vel intercedere, vel aduocati munus exercere: Cum tamen ea dicantur de Spiritu sancto. Rom. 8. Vbi *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* & Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba Pater.* Ac de Filio Rom. 8. *Qui etiam interpellat pro nobis.* & 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum.*

QVÆSTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes, seu proprietates.

ARTICVLVS I.

Vtrum relatio sit idem, quod persona.

MVLTA sunt, quæ solent aut possunt ad hunc articulum disputari, de quibus omnibus actum est supra. Primò namque relationis & personæ realis identitas cum distinctione rationis ratiocinatæ, probata fuit disp. 46. sect. 4. deducendo illam ex fundamentis probatis disput. 11. & 12. de distinctione relationis ab essentia. Secundò, quomodo vnica relatio sit in duabus personis Patris & Filij, & ideo quilibet illorum habeat duas relationes, tractatum est disput. 17. & 18. Tertiò, esse in Deo relationes seu proprietates, in abstracto significatas, ita vt rectè dicere liceat, Paternitas est in Patre, vidimus disput. 46. sect. 2. Quartò num actus notionales prædicati possint de proprietatibus personalibus in abstracto significatis, veluti dicendo, Paternitas generat, vel, est generans, diximus eadem disput. 46. sect. 5.

1

ARTICVLVS II.

Vtrum personæ distinguantur per relationes.

DISPVTATIO LXXXIII.

Vtrum origo formaliter sit relatio, vel actio, seu passio.

SECTIO I.

Acceptiones originis, & modus includendi notionales operationes.

DE origine frequens occurrit sermo in hoc & sequentibus articulis quæstionis 40. nec non in art. 1. quæstionis 41. Eius verò notitia prærequiritur ad ea, quæ de constitutiuis atque distinctiuis diuinarum personarum, ac de notionalibus actibus tractantur in eiisdem quæstionibus. Propterea præsentem & duas sequentes disputationes præmittendas duximus. 1

Originis significatio triplex.

Nomen *origo,* tam apud profanos, quàm apud Sacros authores tribus significationibus vsurpatur. Primò, pro principio producente. Secundò, pro serie rerum productarum ab eodem principio. Tertiò, pro ipsa productione actiua vel passiua. De principio producente dixit ille: 2

Origo pro principio.

O quam de tenui Romanus origine creuit.

Mirandum igitur non est, si Patres de Trinitare

tate tractantes, multoties originem accipiant pro principio producente. Vt Basil. lib. 1. contra Eunom. pag. penult. & iterum prope finem libri docet, Patrem *esse causam & originem Filij*. Eodem modo loquitur sequenti libro 2. pag. 5. & alibi sæpe. Ambros. in symbol. Apostol. cap. 2. *Pater*, inquit, *origo est Deitatis & bonitatis*. Hilarius lib. 8. de Trinit. colum. penult. dicit: *Christus originem ab origine sumpsit æternam*. Idem lib. de synodis propius ad medium quàm ad fin. post canon. 27. Syrmic. *Origo Filij innascibilis substantia est*, videlicet, Pater ingenitus est origo Filij.

4 Florentinum Concil. sess. 22. post medium §. *vt veritas* ex Basilio recipit, quod Pater Filio *sit origo & causa essendi*. Alia Concilia profitentur quod Pater sit *fons & origo totius Diuinitatis*, aut *Trinitatis*. Ita Concilium Toletanum Sextum, cap. 1. & Toletan. Vndecimum in professione fidei initio. Et VVormacien. Concil. similiter in professione fidei sub initium.

5 *Origo pro sobole.* Secundò, sobolem ac seriem rerum productarum ab eodem principio significat *Origo* 2. Regum 21. prope finem, cum dicitur Geth fuisse *de origine Arapha*. Et Ecclesiastici 49. fine. *Seth & Sem apud homines gloriam adepti sunt, & super omnem animam in origine Adam*. Nemo tamen Theologorum hanc acceptionem applicuit ad personas diuinas, ne diceret, Filium & Spiritum sanctum esse originem Patris, vel in origine Patris, quod falsum sonat, & occasionem præbet erroris.

6 *Origo*, id est, *productio.* Tertiò. Proprior atque frequentior est acceptio, iuxta quam origo est idem quod productio, siue actiua siue passiua. Sic videtur accepta vox 2. Machabæorum 7. vers. 23. Hebr. 9. vers. 26. & Apocal. 13. versu 8. In hac acceptione de origine differunt omnes Scholastici, quoties eam cum relatione vel persona comparant. Eodémque sensu loquemur in hac & omnibus sequent. disputationibus.

7 *Recentiorum opinio.* Ad rem igitur venientibus occurrit opinio quorumdam recentiorum, apud quos generatio actiua de formali & in recto dicit intellectionem; sed relationem Paternitatis dicit in obliquo: Similiter autem Spiratio actiua, prout est origo, de formali & in recto dilectionem affert, Sed in obliquo relationem principij spiratiui. Tribuunt autem hanc opinionem D. Thomæ & Caietano 1. p. quæst. 27. art. 1. Canariensi in eadem quæst. 27. art. 5. disp. vnica parte 2. notab. 3. Capreolo 1. sent. dist. 27. quæst. 2. dum probat conc. 2.

8 Verùm ij doctores nihil amplius asserũt, quàm intellectionem esse ipsam productionem Filij, aut esse actionem, qua producitur Filius: quod idem alij Scolastici frequenter affirmant. Nihilominus S. Thomas expressè fatentur; origine actiua præcipuè importari relationem, vt videbimus sect. seq. vbi consequenter idem ex Caietano constabit. Capreolus autem in eodem loco nuper citato ex sententia S. Thomæ declarat, *quod dicere includit intelligere, & cum hoc relationem originis*. Clarius autem in eadem dist. 27. quæst. 1. art. 1. conc. 1. 2. & 3. docet, quod generare dicit essentiam & relationem Paternitatis cum qua realiter identificatur. Canariensis etiam quæst. 27. art. 5. disput. vnica parte 3. colum. 2. notat quod dicere importat respectum ad Verbum, clariùs autem quæst. 41. art. 1. dum explicat solutionem ad secundum, docet, quod actus notionalis aut origo actiua nihil aliud est, quàm relatio & ordo principij ad personam, quæ procedit ab illo.

9 *Argumẽtum primum.* Prioris verò sententiæ fundamenta reuocantur ad duo. Primum est, quia ratione ratiocinata distinguuntur generatio & Pater, quemadmodum vniuersaliter origo distinguitur à persona, & à relatione constituente personam, vt ostendemus disput. 85. Respondetur, inde tantum probari, quod origo non dicit in recto & formaliter relationem, sub ratione relationis quasi prædicamentalis & actualiter referentis. Nihilominus in recto, & formaliter dicit entitatem notionalem ac peculiarem Patri, vt ostendemus sect. sequenti. *Soluitur.*

10 *Argumẽtum secundum.* Secundum fundamentum erat, quia processiones diuinas formaliter esse intellectionem & volitionem, communis sensus theologorum est vt vidimus tota disput. 2.

11 *Generatio est intellectio.* Pro cuius solutione Dico primò. Generatio æterna quidditatiuè & formalissimè est intellectio seu sapientia actualis. Probatur, quia generatio est productio Verbi diuini: producere autem Verbum diuinum est dicere. Rursus dicere quidditatiuè & formalissimè est intelligere: vt probatum est disputatione 59. sectione 4. & 5. & disputat. 60. sect. 1. & 2. Ex quibus accipienda est assertionis præsentis declaratio, simul & probatio, nam intelligere formalitas est, immediatissimè pertinens ad lineam formalissimam dicendi: Cæterum constitutiuum vltimum istius operationis, quæ est dicere, non est ratio intellectionis, sed ratio productionis Verbi, quæ intellectionem contrahit intra eandem lineam intellectionis: Ergo similiter generatio est formalissimè intellectio, sed intra eandem lineam addit ordinem productionis Filij seu Verbi. Consequentia probatur, nam idem sunt in Patre generare Filium, dicere Verbum, & origo actiua Verbi seu Filij, ita vt non differant quasi totali formalitate, sed quasi partiali intra eandem formalitatem Paternitatis.

12 *Spiratio est dilectio.* Dico secundò. Idem, seruata debita proportione, intelligendum est de Spiratione actiua, quatenus est origo Spiritus sãcti. Hæc enim quidditatiuè & formalissimè est dilectio seu charitas; sed intra hanc eandem lineam dilectionis addit ordinem productionis Spiritus sancti, qui ordo clauditur intra eandem formalitatem Spiratoris, vt magis constabit sect. sequenti.

13 *Obiectio.* Obiicies. Potentia generatiua est intellectio, & Verbum ipsum, quod producitur, est intellectio. Ergo illius productio siue origo non potest esse intellectio. Probatur consequentia, nam potentia productiua & terminus productus distinguuntur à productione. Respond. In Deo potentia productiua, terminus productus & ipsa productio non distinguuntur adæquatè & totaliter, ideóque conuenire possunt in formalissima ratione intellectionis: distinguuntur autem secundum diuersos ordines siue partiales, sicut distinguuntur potentia generatiua & generatio; siue totales, sicut Verbum distinguitur à potentia generatiua & generatione. Diximus ad hanc obiectionem supra disputat. 59. sect. 5. & magis constabit solutio disp. 100. sect. 3. & sequentibus. *Solutio.*

SECTIO II.

Formaliter & in recto relationem importat origo actiua.

1 DIco primò. Generatio, quæ est origo actiua, per quam producitur Filius, non importat

portat formaliter & in recto Paternitatem sub ratione relationis quasi prædicamẽtalis, & actualiter referentis. Hoc enim rectè probat primum illud fundamentum contrariæ sententiæ positum in sect. præcedenti.

2 *Generationis formale constitutiuũ est notionale.* Dico secundò. Eiusdem originis, id est, generationis, vltimum & formale constitutiuum, in recto importatum, est entitas illa notionalis & peculiaris Patri, adæquatè identificata cum vnica persona Patris, & consequenter distincta realiter à Filio, & Spiritu sancto. Verùm hæc entitas non importatur quoad alias partiales rationes subsistentiæ, personalitatis aut principij producentis, vel relationis quasi prædicamentalis: Sed importatur præcisè quoad hãc formalitatem partialem, quod sit productio, quasi actio, influxus & via, tendens ad Filium, qui est Verbum. Itaque generatio, formalissimam lineam intellectionis non egrediens, eam complet entitate notionali & personali, formaliter & in recto importata.

3 Hanc assertionem magis perspicuè quàm antiqui, tradunt recentiores primarij. Vt Canariens. infra quæst. 41. art. 1. ad 1. Molina supra quæst. 27. art. 3. disput. 4. prope med. & art. 5. disput. 2. respondens ad 1. Durandi. & in præsenti quæst. 40. art. 2. disput. 2. memb. 3. post medium. Vazquez infra quæst. 41. art. 1. in notationibus. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 1. num. 3. Eandem conclusionem aliis verbis docet Alexand. 1. p. quæst. 42. mem. 2. S. Bonau. 1. dist. 27. part. 1. art. 1. quæst. 1. & 2. Argentina eadem dist. 27. quæst. vnica, art. 3. dum respondet ad arg. Vbi Maior quæst. vnica post medium Marsil. quæst. 39. art. 3. præsertim notab. 3. Eandem non obscurè docuit S. Thom. in seq. quæst. 41. art. 1. ad 2. illis præcipuè verbis: *Actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio*. At origo actiua est idem, quod actio personalis, ac proinde origo erit habitudo siue respectus aut relatio principij ad personam procedentem à principio. Ideo namque S. Thomas ibidem hanc habitudinem appellauerat ordinem originis, & relationem secluso motu.

4 Eidem verò doctrinæ tacitè subscribit Caietanus, clariùs autem Capreolus citatus in sect. præced. Eodem sensu Henricus in summa art. 58. tota quæst. 1. probat. quod generare est aliquid relatiuum & proprium solius Patris: licet includat essentiale intelligere. Idem apertè colligitur ex aliis plurimis locis S. Thomæ. & ex Magistro, Alexandro, Alberto, Bonauent. Henrico, Scoto Ricard. Gabriele, Carthus. Aureolo, Ferrariensi & aliis. quos citauimus disput. 60. sect. 1. Nam apud eos omnes, dicere propriè sumptum, est idem quod producere Verbum, & est quid notionale, non conueniens Filio, nec Spiritui sancto, sed soli Patri.

5 Assertio probatur primùm testimoniis Patrum. Inter quos Athanas. dialogo 2. de S. Trinitate. Contra Anomæ. in med. docet, *Generationem non esse quiddam essentiale*. Cyrill. Alexand. dialogor. de Trinit. lib. 1. fine. *Pater*, inquit, *Pater est & non Filius, quia genuit: Filius autem iterum Filius, quia genitus est*. Et post quam ostendit non posse distinctè manifestari singulas personas, per attributa communia, sed per illa, quæ sunt propria singulis, adiungit: *Solitariè autem & verè Pater significatur, dum intelligitur quod genuit: solitariè autem & verè Filius, dum intelligitur quod genitus est. Itaque proprium alteri quod eius est solius, quamuis alia indiscriminatim de eis dicantur*. Ambros. in symbol. Apostol. cap. 2. passiuam originem simul cum actiua per relationem explicat, dicens: *Filius cuius erit Filius, si non origo sua referatur ad Patrem: vt sit ille qui genuit, & ille qui ex eo generatus est?*

6 Anselmus epistola de process. Spiritus sancti cap. 2. post med. *Hæc*, inquit, *sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem, sed alij sint ab inuicem, quia prædictis duobus modis est Deus de Deo: quod totum potest dici relatio*. Hic igitur docet Anselmus, esse relationem diuersum modum procedendi à Deo, siue diuersam originem. Quamuis in sequenti cap. 3. non procul à principio fateatur, *Relationis oppositionem ex eo nasci, quia supradictis duobus modis est Deus de Deo*. Bernardus autem epistola 190. ad Innocent. colum. 2. simul coniungit originem & relationem tanquam idem constitutiuum ac distinctiuum personarum, quando ait: *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio est, non vnitatis diuisio*.

7 *Occurritur obiectioni.* Nec obstat quod aliqui Patres dicunt *naturaliter* aut *essentialiter* generare Patrem & spirare Patrem ac Filium. Hoc enim non significat has operationes esse prorsus essentiales, sed significat eas non esse liberas, sed naturales, & communicatiuas esse diuinæ essentiæ. Quo sensu Epiph. hæresi 76. propius ad fin. quàm ad med. confutans cap. 36. Aëtij scribit: *Pater ex seipso genuit essentialiter spiritum ex spiritu, non corpus ex corpore*. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 1. ad fin. *Vnus*, inquit, *est Deus Pater, qui solus essentialiter de seipso vnum genuit, & vnus Filius, qui de vno Patre solus est essentialiter genitus, & vnus Spiritus sanctus qui solus essentialiter de Patre Filióque procedit*.

8 Probatur secundò, nam iidem & alij quàm plurimi Patres in quibusdam locis docent, personas constitui & distingui proprietatibus, aut relationibus, & Patrem constitui Paternitate aut ingenitura, Filium verò Filiatione: nihilominus aliis in locis docent, personas constitui distinguíque originibus, veluti Patrem generatione, siue quia generat, Filium verò natiuitate, siue quia genitus, est. Ergo Patres communiter existimãt, originem pertinere ad proprietatem, & ad entitatem relationis, quæ propria est vnius personæ, & nó communis cum altera. Testimonia Patrum videbimus disp. 86. & sequentibus.

9 Confirmatur, nam propter talia verba Patrum Magister 1. dist. 26. cap. 2. Solis nominibus originem à relatione distinxisse videtur, cum dixit, generationem & natiuitatem aliis nominibus appellari Paternitatem & Filiationem. Clarius autẽ sequenti dist. 27. cap. *Nec tamen*, ait: *Relationum vocabula, scilicet, Paternitas, Filiatio, Processio, vel gignere, gigni, procedere, ipsas tantùm relationes, non hypostases significant*.

10 Tertiò probatur, quoniã origo actiua est quid consequens relationem, & minus principaliter ac posterius distinguens vnam personam ab alia: & nominatim generatio est quid consequens Paternitatem, & minus principaliter ac posterius distinguens Patrem à Filio. Igitur origo actiua formaliter & in recto est aliquid notionale, propriũ personæ producentis, & realiter distinctum à persona producta: consequentérque generatio formaliter & in recto est aliquid notionale, propriũ Patris, & realiter distinctum à Filio. Antecedens constabit partim disp. sequenti sect. 2. plenius autem disp. 87. sect. 5. & disp. 91. sect. 1. & 2.

Quartò

11 Quartò probatur, supponendo, generationem esse idem realiter & adæquatè cum Patre, & distingui realiter à Filio (quod probandum est disp. seq. sect. 2.) Hæc realis idẽtitas vel distinctio, quoties traditur à Sapientibus, & rerum quidditates penetrantibus, intelligitur potissimùm de principali significato, videlicet, formali. Nunquam enim de solo materiali significato in obliquo intelligitur. Alioqui possemus affirmare, Paternitatem realiter identificari cum Filio, quoniam in obliquo Paternitas importat Filium, tanquam terminum relationis, & de materiali continet essentiam, quæ realiter identificatur cum Filio.

12 Hoc supposito, probatur conclusio, quia si generatio in recto & formaliter foret intellectio nuda, nec importaret formaliter & in recto propriam & peculiarem entitatem Patris: sequeretur generationem realiter identificari cum Filio, non minus, quàm cum Patre; nam generationis formale significatum, videlicet intellectio nuda, non minus identificatur cum Filio, quàm cum Patre. Consequens autem est falsum, vt constat ex fundamento præsupposito; ergo antecedens etiam est falsum: ac proinde generatio formaliter & in recto importabit entitatem propriam ac peculiarem personæ Patris.

13 Probatur quintò, quia passiua origo Filij de formali & in recto importat entitatem propriam & peculiarem Filij, realiter distinctam à Patre & Spiritu sancto, vt constabit sect. sequenti circa med. Ergo similiter origo actiua importabit entitatem propriam ac peculiarem Patris, realiter distinctam à Filio & Spiritu sancto. Consequentia probatur à paritate rationis: nec enim ab aduersariis redditur sufficiens ratio discriminis.

14 Sextò probatur, quia generatio non est minus propria personæ Patris, quàm potentia generatiua: Sed generatiua potentia formaliter & in recto importat entitatem propriam & peculiarem Patris sub conceptu principij proximi *quo*. Ergo generatio formaliter & in recto importat entitatem propriam ac peculiarem Patris sub conceptu productionis & viæ tendentis ad terminum. Maior probatur, quia potentia generatiua magis distat à relatione Patris, quam non fundat, quousque succedit actualis generatio, qua posita protinus relatio ponitur, ideóque proximum fundamentum est generatio actualis, non potentia generatiua. Minor verò probabitur disp. 100. sect. 3. & sequentibus.

15 *Constituitur origo actiua quæ est spiratio.* Dico tertiò. Originis actiuæ, per quam procedit Spiritus sanctus vltimum & formale constitutiuum, in recto importatum, est entitas illa notionalis realiter & adæquatè identificata cum relatione Spiratoris, ideóque communis Patri & Filio, sed realiter distincta à Spiritu sancto. Verùm hæc entitas non importatur quo ad partialem rationem principij producentis, vel relationis quasi prædicamentalis: sed importatur præcisè quo ad hanc formalitatem partialem, quod sit productio, quasi actio, fluxus & via tendens ad Spiritum sanctum. Huius probationes sunt eædem, quæ præcedentis conclusionis, seruata debita proportione, & animaduertendo, quod relatio spirationis, non constituit, nec distinguit personam primariò, sed quasi secundariò; constituit autem primariò principium spiratiuum.

SECTIO III.

Solutis obiectionibus, doctrina præcedens extenditur ad passiuam originem.

CONtra præcedentem decisionem occurrunt obiectiones duæ. Prima, quoniam ex illa sequitur, relationes in Deo multo plures esse, quàm quatuor. Consequens autem est contra communem sententiam Scholasticorum probatam supra disput. 18. Sequela probatur, quia quidquid est notionale proprium ac peculiare Patris, est relatiuum: Sed generatio formaliter & in recto est aliquid notionale proprium ac peculiare Patris. Ergo est aliquid relatiuũ. Rursus, quoniam generatio ratione ratiocinata distinguitur à relatione Paternitatis; generatio erit relatio distincta à relatione Paternitatis. 1 *Obijcitur multitudo relationum.*

Eodem argumento probabitur, originem actiuam Spiritus sancti esse relationem, distinctam à relatione spiratoris; & originem passiuam Filij esse relationem distinctam à relatione Filiationis, similitérque originem passiuam Spiritus sancti esse relationem, distinctam ab ea, quæ constituit Spiritum sanctum. Imò posset idem argumentum fieri de duabus potentiis generatiua & spiratiua. Vnde conflarentur vt minimum decem relationes. Confirmatur, nam spiratio actiua non realiter, sed tantum ratione ratiocinata distinguitur à Paternitate & Filiatione: nihilominus tamen illis connumeratur, vt quarta relatio. Ergo quamuis origines & potentiæ non distinguantur à personis, nisi sola ratione ratiocinata, sufficiet hæc distinctio, vt numerari valeant quasi distinctæ relationes; si aliunde formaliter & in recto notionalem entitatem important. 2

Respond. primò. In numero relationum diuinarum à Scholasticis ponuntur relationes quasi prædicamentales, quoniam hæ tantum sunt propriè relationes. At origo quamuis afferat eandem entitatem relationis, sed non prout actualiter refertur ad modum relationis prædicamentalis, sed prout est productio, fluxus & via tendens ad terminum, quæ formalitas est transcendentaliter relatiua, ad instar originis creatæ, quæ non est formaliter relatio prædicamentalis, sed transcendentalis. Nec obstat originem esse realiter cum re & adæquatè identificatam cum relatione quasi prædicamentali, constitutiua personæ. Nam in creaturis etiam transcendentalis ordo relationis ad suum fundamentum, & ordo ad subiectum, est necessariò coniunctus cum relatione paternitatis, & qualibet alia relatione prædicamentali; si ea distinguitur à subiecto ante opus intellectus. Quæ doctrina magis constabit recolenti disp. 18. præcipuè sect. 4. 3 *Non infertur illa multitudo relationũ.* *Occurritur replicæ.*

Respond. secundò. A Theologis non numerantur vt distinctæ relationes, nisi quæ respiciunt terminos realiter distinctos, cuiusmodi sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio & Processio. Origines autem respiciunt eosdem terminos, quos prædictæ relationes, non alios realiter distinctos. 4

Secunda obiectio sit, quoniam origo actiua videtur idem esse, quod communicatio naturæ diuinæ; consequentérque generare videtur esse communicare naturam Filio seu Verbo. Sed communicatio naturę, realiter identificatur cum Verbo, cui communicatur; sicut & ipsa natura communicata, realiter identificatur cum eodẽ Verbo. Ergo generatio siue origo actiua realiter identificatur cum Verbo, & consequenter non importat formaliter 5

formaliter & in recto entitatem propriam ac peculiarem Patris.

6 *Communicatio differt ab origine.* Respondetur. Communicatio naturæ non est idem quod origo actiua vel passiua, nec est idem quod generatio vel natiuitas. Nã istæ formalitates sunt reales; at verò cõmunicatio naturæ, formaliter sumpta, est ens rationis; insuper origo est productio, at verò communicatio non est formaliter productio, licet necessariò comitetur vtramque productionem diuinam: vt fusiùs declaratum est disp. 80. sect. 6. Ideo communicatio non identificatur realiter cum natura communicata; nec cum Verbo, cui communicatur, nec cum origine, per quam communicatur.

7 Venio iam ad passiuam originem, de qua sunt etiam intelligenda quæcumque de origine actiua probata sunt in præcedenti sectione: licet proportionem seruare necessarium sit, ad quam explicandam, præmitto, passiuam originem Filij à nonnullis authoribus appellari generationẽ passiuam, congruentius tamen nomine proprio vocatur natiuitas. Dico igitur primò. Natiuitas ex sua linea formalissima est intellectio; & processio seu spiratio passiua est dilectio similiter ex sua linea formalissima.

8 *Quid sit origo passiua.* Dico secundò. Natiuitas non dicit formaliter & in recto relationem Filij sub ratione relationis quasi prædicamentalis, & actualiter referentis: cæterùm formaliter & in recto importat entitatem propriam ac peculiarem Filij, cum eo adæquatè identificatam, & realiter distinctam à Patre & Spiritu sancto, quatenus hæc entitas est veluti dependentia Filij à Patre, licet nulla dependentia propriè dicta possit in diuinas personas cadere; vt ostendimus disp. 10. sect. 2. & 3. Eodem ergo modo debes intelligere, quod processio, quatenus est origo passiua Spiritus sancti, non importat formaliter & in recto relationem Spiritus sancti, sub ratione relationis prædicamentalis, actualiter referentis: cæterùm formaliter, & in recto importat entitatem propriam, ac peculiarem Spiritus sancti, quemadmodum de Filio dictum est.

9 Probatur primò, quia processio passiua pertinet ad distinctionem personæ productæ comparatione personæ producentis, quamuis minùs principaliter, & quasi consequenter: sic enim generaliter de processione actiua, vel passiua loquũtur Autores, quos referemus disp. 87. sect. 5. & disp. 91. sect. 1. & 2. quæ ratio ponderanda est, sicut sectione præcedenti ponderata est probat. 3. Vnde etiam accipitur secunda probatio, quia contradictionem implicat Patrem esse genitum, seu natum. Ergo non conuenit Patri ratio formalis constitutiua natiuitatis, siue originis passiuæ. Igitur natiuitas, & origo passiua Filij formaliter, & in recto importat aliquid realiter distinctum à Patre, ac subinde aliquid proprium, ac peculiare Filij. Eodem modo probari potest, quod attinet ad passiuam originem Spiritus sancti.

10 *Magis explicatur origo passiua.* Dico tertiò, Prædicta quidditas natiuitatis rectè explicatur à Doctoribus, vt sit via se tenens ex parte Filij, prout procedentis à Patre. Vtitur hoc nomine viæ S. Thomas frequenter in præsenti quæst. 40. & 41, Ioannes Theologus in Concilio Florent. sess. 18. col. 2. §. *ex tua. Videtur*, inquit, *esse processio via ab vno in aliud*, & tam Ioannes, Latinorum nomine, quàm Marcus nomine Græcorum in sequenti §. communi consensu, statuunt, *processionem esse, qua Spiritus sanctus accipit esse, ac illud totum, quo est, quoque propriè sanctus Spiritus nuncupatur.* Aliter etiam rectè declaratur origo passiua, vt sit ipse Filius, vel Spiritus sanctus, non prout est in esse producto, & quasi in facto esse, sed prout est in produci, & quasi in fieri. Meliùs tamen explicatur vt origo passiua, sit ea formalitas, quæ in Filio, vel Spiritu sancto correspondet passiuæ dependentiæ creati effectus à sua causa, detrahendo imperfectionem illam, quæ dependentiam comitari solet. Denique penuria vocabulorum aliquos Autores compulit, vt dicerent: *Filius vt in fieri*, quemadmodum loquitur Vazquez infra quæst. 41. art. 1. in notation. & Suarez lib. 6. cap. 1. Sed hũc modum loquendi consultius erit tẽperare, addendo *quasi* vel omittere.

Ex his colligo & Dico quartò. Impropria est, & falsitate permixta quorundam authorum descriptio, dicentium: Origo passiua Filij est intellectio, aut natura diuina, prout recepta in Filio. Probatur primò, quoniam origo passiua, seu natiuitas denominat Filium natũ, siue originatum: at illa formalitas non potest denominare Filium, sed naturam, aut intellectionem diuinam denominat receptam in Filio. 11 *Reiicitur originis descriptio.*

Vnde probatur secundò, quoniam intellectio seu natura diuina, prout recepta in Filio; est idem prorsus quod intellectio seu natura, prout communicata Filio. Ergo illa descriptio est propria communicationis passiuæ, quæ formaliter est ens rationis, ideóque non quadrat in originem passiuam, quæ est formalitas realis, vt vidimus in solutione secundæ obiectionis. Probatur tertiò, quia iuxta prædictam descriptionem non in recto, sed tantùm in obliquo importatur entitas propria Filij: cuius oppositũ probauimus assert. 2. 12

SECTIO IV.

Vtrum origo diuina sit actio vel passio.

PRima conclusio certa est. Origo actiua non est actio propriè & in rigore dicta. Hanc docet S. Thomas de potẽtia quæst. 2. art. 1. ad 1. & in sequenti quæst. 41. art. 1. ad 2. Vbi Caietan. & cæteri expositores communiter Alexander 1. parte, quæst. 42. memb. 3. art. 2. inter med. & fin. Quibus consonat Henricus in summa art. 58. quæst. 1. ad 2. Aureolus 1. dist. 5. art. 3. à princ. (à quo parum aut nihil discrepat dist. 27. art. 1. propos. 3.) Argentina 1. dist. 27. q. vnica art. 3. ad 6. Magis ex professo conclusionẽ defendit. Capreol. 1. dist. 27. quæst. 1. artic. 1. tribus conclusionibus, & art. 3. dum respondet ad argumenta contra 2. & 3. conclus. Probat S. Thomas primò, quoniam actio, iuxta suam primam impositionem, importat originem motus, & exitum de potentia ad actum, saltem eo modo, quo Michaël exiuisset de potentia ad actum, si ab æterno fuisset creatus. At diuinæ origini repugnat motus ob suam imperfectionem, & quoniam supponit potentiam ex se carentem actu. 1

Probatur secundò, quoniam actio, propriè dicta, est ab agente. Agens autem est causa efficiens, cuius terminus debet esse effectus factus & causatus. At verò inter diuinas personas, sicut nulla est propriè factus & causatus effectus: ita nulla est propriè causa efficiens; vt probatum est disp. 49. sect. 3. & 4. Confirmatur, nam actio, in rigore dicta, confert effectui producto dependentiã & distinctionem in natura. Probatur tertiò, quia duo tantùm prædicamẽta substãtiæ & relationis Deo propriè conueniunt, ita vt Deus sit magis 2

propriè subſtantia, quàm creaturæ, & ſit Pater & Filius, ſe inuicé reſpicientes magis proprie, quam creaturæ. Cætera namque prædicamenta impropriè de Deo prædicantur. Quod ex Auguſtino & Boëtio, communique ſcholaſticorum conſenſu probatum eſt diſp. 10. ſect. 4. & 5. Ergo prædicamentum actionis propriè non conuenit Deo.

3 Probatur quartò, quoniam actio, propriè dicta, elicitur ab agente, & ab illo procedit, ab illóque recipit eſſe (ſicut calefactio elicitur ab igne, & ab illo recipit eſſe, ſimilitérque intellectio vel generatio vitalis.) At verò origo actiua in diuinis non elicitur ab aliquo agente, nec recipit eſſe ab illo, nec procedit ab illo. Quod manifeſtius oſtenditur de generatione, quæ quoniã realiter identificatur cum Patre, debet eſſe ingenita, ſicut ipſe Pater, ac proinde à nullo principio poteſt procedere, nec ab illo accipere eſſe. Confirmatur primò, quia realis diſtinctio requiritur inter principium & actionem elicitam, recipientem eſſe ab illo.

4 Confirmatur ſecundò, quoniam generatio nec poteſt eſſe actio elicita ab eſſentia (ſi quidem eſſentia non generat, nec eſt principium *quod* eliciens operationem, ſupra diſput. 80. ſect. 3. & ſequentib.) nec poteſt eſſe actio elicita à Patre, quia ſi Pater illam realiter eliceret, ſequeretur, quod ſe ipſum faceret Patrem, vel ſibi adquireret eſſe Patris. Nam quæcumque perſona realiter elicit generationem, eo ipſo ſe ipſam efficit Patrem; vel adquirit eſſe Patris. Vnde Paternitas erit aliquid elicitum & productũ, ſi non tanquam terminus, ſaltem eo modo, quo producitur actio, & actione producta, reſultat relatio. Idem ſeruata proportione, poteris probare de origine actiua, per quam procedit Spiritus ſanctus.

5 Secunda concluſio. In diuinis origo actiua poteſt ſimpliciter & abſolutè vocari actio. Probatur primò, nam Theologi conſueuerunt, à nomine & conceptu actionis reſecare motũ & quamlibet mutationem, & relinquere ſolummodo rationem productionis, quæ verè & propriè conuenit Deo. Ita ferè docet S. Thom. ſequen. quæſt. 41. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 2. Ac eius expoſitores in prædic. art. 1. Iterum autem S. Thom. de potent. quæſt. 2. artic. 5. Quem ſequitur Capreol. 1. diſt. 27. quæſt. 1. artic. 3. ad 2. contra 2. concl. Conſonat Henricus, 2. part. art. 58. corp. & ad 2. & art. 60. ad 1. & 2. & alij quoque ſcholaſtici actionem vocant. vt Alexand. 1. p. quæſt. 42. membr. 2. poſt med. Albertus 1. p. quæſt. 30. membr. 4. particula 1. ad 1. S. Bonauent. 1. diſt. 15. part. 1. artic. 1. quæſt. 2. ad 3. & 4. Scotus 1. diſt. 26. q. 1. col. penult. Ricard. diſt. 1. 26. art. 3. quæſt. 2. Argent. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. Carthuſian. 1. diſt. 7. quæſt. 1. col. 6. ex Alexandro. Magis ex profeſſo Aureolus 1. diſtinct. 27. art. 1. propoſitione 3. à quo, quantum ad hoc nomen, non diſſidet Capreol. in eadem diſt. 27. art. 3. ad 2.

Origo actiua poteſt vocari actio.

6 Probatur ſecundò, nam ita oportuit à Theologis accipi nomen actionis, vt aliquo ſimplici termino ſignificarent originem actiuam, vt conditinctam ab origine paſſiua, & à termino producto. Confirmatur, quia licet origo actiua ſoleat conuenienter ſignificari nomine *actus*: Verumtamen etiam terminus productus per actionem intelligendi vel volendi, vocari ſolet actus in hominibus vel in angelis; tales namque qualitates vocamus actus vocales. Quapropter ea voce non ita diſtinctè ſignificatur peculiaris ratio originis actiuæ.

7 Probatur tertiò, quoniam expediens fuit, aliquo nomine diſtinguere originem actiuam à relatione quaſi prædicamentali, ſignificando quidditatis partem, quæ propria eſt actionis non verò relationis. Sicut enim filius creatus non accipit ſuum eſſe per relationem paternitatis & filiationis; ſed per actionem generationis: ita Filius æternus accipit ſuum eſſe per generationem, non per ſuam Filiationem aut Paternitatem, prout ſunt relationes, quaſi prædicamentales. Confirmatur, nam origo actiua concipitur à nobis, veluti quidam egreſſus & exitus, quo Pater prorumpit in Filium iuxta illud Ioan. 16. *Exiui à Patre.* Hic autem egreſſus pertinet ad quidditatem actionis; non ad quidditatem relationis prædicamentalis. Quintò probatur, nam potentia actiua & eius actio, realiter identificata cum eſſentia, conceditur Deo, vt videre eſt apud S. Thom. ſupra quæſt. 25. art. 1. corp. & ad arg. licet negetur potentia paſſiua.

8 Tertia concluſio. Origo paſſiua in diuinis non debet appellari paſſio, ſimpliciter & abſolutè loquendo, ſed tantùm paſſio grammaticaliter accepta, qualis eſt quando Filius dicitur eſſe genitus, & Spiritus ſanctus eſſe ſpiratus. Ita docet S. Thom. ſequenti quæſt. 41. art. 1. ad 3. & omnes eius diſcipuli. Cõſonat Henricus initio citatus, dicens, diuinam originem, quæ ad actionem pertinẽt habere magis propriè, quàm quæ pertinent ad paſſionem. Neminem verò ſcholaſticorum inuenio, qui ſimpliciter paſſionem appellet, præter Aureolum 1. diſt. 27. art. 1. propoſ. 3. §. penult.

Non eſt in Deo paſſio.

9 Nam de Lullio nihil eſt curandum, licet lib. de ſeptem arboribus, & in 1. ſentent. quæſt. 12. dixerit, Spiritum ſanctum *habere duas paſſiones, vnam, ſcilicet, à Patre & aliam à Filio, ſicut Pater habet duas actiones & Filius vnam actionem & vnam paſſionem.* Hic eſt inter errores Raymũdi articulus 20. apud Eymericum in directorio inquiſit. p. 2. quæſt. 9. Errat igitur non ſolum in nomine *paſſionis*, ſed multo magis in eius duplicatione. Sicut enim vnica eſt origo actiua per quam à Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus ſupra diſp. 70. ſic etiam vnica tantum eſt origo paſſiua Spiritus ſancti.

10 Metaphyſicam rationem concluſionis vt explicem, obiicio contra illam, quia omnis actio infert paſſionem. Sed in diuinis datur actio. Ergo datur etiam paſſio. Reſpond. S. Thomas dicta quæſt. 21. art. 1. fine. Actio ſecũdum quod importat originem motus; infert ex ſe paſſionem: Sic autem non ponitur actio in diuinis, quoniam origo diuina non affert mutationem aut dependentiam.

11 Inſtabis tamen, quia Theologi excluſo motu ſolam productionem actiuam ſignificant actionis nomine, quando Generationem æternam vocant actionem. Similiter autem potuerunt excludere motum, atque ita natiuitatem æternam, præciſam à motu, vocare paſſionem. Ergo inconſequens eſt, in Deo, negare paſſionem concedendo actionem. Reſpondetur, negando Minorem, propter diſcrimen actionis à paſſione; quoniam actio eſt exercitium principij productiui, in quo nihil admiſcetur imperfectionis. At verò paſſio primariò atque formaliter refertur ad principium materiale, receptiuum tranſmutationis.

12 Sed vlterius pergit Aureolus ſupra citatus, obiiciens, quoniam ex commentatore 5. phyſic. text. 9. paſſio, prout nominat prædicamentum oppoſitum actioni, non denominat materiã nec conuenit illi, niſi quatenus totum compoſitũm producitur.

Replica.

Subiectũ mutationis quomodo intelligitur in præſenti.

ducitur. Reſpond. In præſenti ſubiectum non accipitur propriè pro materia vel ſubiecto realiter recipiente, ſed pro quocunque tranſeunte de potentia ad actum, quoniam ex ſe non erat in actu, niſi ab alio agente mutaretur de potentia ad actum. Quo ſenſu verè mutaretur Michaël, licet ab æterno produceretur; quia licet non fuerit priùs tempore in potentia, quàm in actu, attamen priùs natura fuiſſet in potentia, quoniam ex ſua quidditate non habebat eſſe in actu, ſed actualitatem debebat accipere à Deo. Quoniam ergo diuinis perſonis repugnat de potentia tranſire ad actum, eo quod ex ſeipſis actualitatem eſſentialiter habent; ideo repugnat illis nomen & quidditas paſſionis.

13 Confirmatur, nã vnumquodque agit, in quantum eſt in actu, patitur autem, quatenus eſt in potentia: vnde prouenit, vt actiua potentia neceſſariò conueniat Deo, repugnet autem illi potentia paſſiua. Ita ratiocinatur S. Thomas ſupra q. 25. artic. 1. ad 2. & 3. & infra q. 41. art. 4. in 1. & 2. arg. & eorum ſolutionibus. & 1. ſent. diſt. 42. q. 1. art. 1. Vbi autem repugnat potentia paſſiua, eo ipſo impoſſibilis eſt paſſio.

Periculũ vocandi paſſionem.

14 Ad prædictam rationem metaphyſicam accedit altera ratio prudentiæ theologicæ, quæ docet cauere periculum erroris, & laqueos hæreticorum. Nam Aëtius, Eunomius, Arius & ſequaces impugnare ſolebant Verbi generationem, aſſerentes, ex illa ſequi paſſionem ſeu patibilitatem, aliósque defectus, vt referunt multi Patres, quos citauimus diſput. 4. ſect. 1. ſub init. Quam ob cauſam econtrario Patres obſeruant, Filium Dei appellatum eſſe Verbum, ad ſignificandam impatibilitatem diuinæ generationis, cuiuſlibet paſſionis expertem. vt ex Athanaſio, Nazianzeno, Theodoro Ancyrano, Baſilio, Cyrillo, Chryſoſt. Theophylact. Euthymio, Leontio & Iſidoro Peluſiota retulimus diſput. 58. ſect. 3. aſſert. 2. confirm. 3. impaſſibilitatem etiam notat Damaſcen. 1. fidei cap. 9. ſub init.

15 Obſeruandum eſt tamen, quod iidem Patres altiorem ac putiorem impatibilitatem agnoſcunt in æterno Verbo, quàm in verbo humano vel angelico, cuius productionem verè conſequitur aliqua paſſio. Veruntamen ex rebus, quæ nobis ſunt notæ, nullum aliud nomen accipi poſſet, magis remotum & purum à paſſione, quàm verbum.

DISPVTATIO LXXXIV.

Quænam origines realiter ab inuicem, & à relationibus diſtinguantur.

SECTIO I.

De origine paſſiua potiſſimùm.

1

RDIMVR ab origine paſſiua, quoniam eius realis identitas vel diſtinctio certior eſt, quàm originis actiuæ, de qua nonnulli diſſentiunt, nec ſine fundamento, vt ſequentes ſectiones oſtendent.

Paſſiua origo cum relatione perſonæ productæ.

2 Sit igitur prima concluſio indubitata. Origo paſſiua realiter adæquatè identificatur cum relatione perſonæ productæ. Nimirum Natiuitas realiter & adæquatè identificatur cum Filiatione; ſimiliter autem proceſſio paſſiua cum relatione

Ruiz. de Trinitate.

Spiritus ſancti. Ita docent, aut pro certo ſupponunt omnes Scholaſtici, nemine contradicente, quorum præcipua loca citabimus ſect. ſequenti. Probatur primò multis Scripturę teſtimoniis, quibus Filius appellatur Vnigenitus. Hoc enim nomen indicat paſſiuam generationem eſſe propriam ac peculiarem illius perſonæ. De quo diximus diſput. 4. ſect. 2. probat. 2. & ſect. 5. probat. 2.

Filius natiuitate, Spiritus proceſſione diſtinguitur.

3 Probatur ſecundò, quia Patres communiter Filium à cæteris perſonis diſtinguunt, quia genitus eſt aut natus, & Natiuitatem dicunt eſſe proprietatem, vel notionem illius; eodémque modo loquuntur de proceſſione reſpectu Spiritus ſancti. Ergo exiſtimant, Natiuitatem ſiue genitum eſſe realiter & adæquatè identificari cum Filio, & proceſſionem, ſiue paſſiuam ſpirationem realiter identificari cum Spiritu ſancto. Antecedens probatur, Iuſtinus enim expoſit. fidei de Trinit. prope init. *Pater*, inquit, *à Filio iuxta ſubſiſtentiæ modum differt, ſalua identitate iuxta rationem eſſentiæ. Nam ſi hic ingenitiuè habet eſſentiam, hic genitiuè, hic proceſſiuè; iſthæc ad differentiæ conſiderationem apta ſunt.* Deinde in medio eiuſdem libri: *Filius & Spiritus differunt modo ſubſiſtentiæ: alter enim lumen de lumine profluxit genitiuè: alter & ipſe lumen è lumine, non tamen genitiuè, ſed proceſſiuè prouenit.*

4 Nazianzen. orat. 23. in laudem Heronis multo propius ad fin. quàm ad med. poſt num. 32. *Patris*, inquit, *proprietas, hæc eſt, quod ingenitus ſit, Filij quod genitus, Spiritus ſancti quod procedit.* & orat. 35. quæ eſt 3. de theolog. col. 2. diſtinguit Spiritum ſanctum à Filio, dicens: *Alter ſoboles, alter proceſſio.* Quibus ſimilia ſcribit oratione in ſancta lumina in medio. Baſilius lib. 2. contra Eunom. multo propius ad fin. quàm ad med. *Genitum*, inquit, *atque ingenitum ſpecificæ ac declaratiuæ quædam ſunt proprietates.* & epiſt. 43. ad Gregor. Nyſſ. prope med. Filij notionem eſſe dicit, quia *ex Patre ſubſiſtit.*

5 Athanaſius in quæſtionibus de natura Dei, quæ ſolent vocari anonymæ. quæſt. 5. ait: *Omnia æqualiter habet Pater Filius & Spiritus ſanctus præter proprietates ſuas. Proprium enim Patris ingenitum eſſe, Filij verò genitum, Spiritus ſancti procedere.* & orat. 5. contra Arianos prope med. ita ſcribit: *Ex Patre eſſe, Filium eſt eſſe. Quis enim ex Patre eſt, niſi Verbum ex corde progreſſum, & ex vtero genitum.* Damaſc. lib. 1. fidei cap. 2. circa med. ſcribit, tres perſonas *vnum idemq; eſſe, præter ignaſcentiam, naſcentiam & proceſſionem.* Sed magis ex profeſſo id tractat lib. 1. fidei cap. 9. in cuius med. ait: *Solus Pater ingenitus, ſolus Filius genitus, ſolus Spiritus ſanctus ex Patris ſubſtantia procedens.* Similia ſcribit ſequent. cap. 10. & 11. Idem orat. 1. de Natiuitate B. Mariæ ſcribit: *Qui non gignit, ſed ſemper gignitur, cuiq; gigni perſonalis eſt proprietas.* Ac lib. de duabus Chriſti voluntatibus inter med. & fin. *Perſonæ eius proprium eſt Filium eſſe, à Patre generatum, nec cum Patrem ingenitum ac procreatorem.*

6 Anaſtaſius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmatibus inter princip. & med. *Ingenitum*, inquit, *& genitum & proceſſio ſanctam conſtituunt Trinitatem.* Similia repetit longe inferius ante med. Alter Anaſtaſius Patriarch. Theopolit. in compendiaria expoſitione fidei ſub init. ait: *Filius à Patre differt hypoſtaſi, quatenus Pater eſt ingenitus, Filius verò genitus, eſt enim à Patre. Et Spiritus ſanctus differt à Patre & Filio hypoſtaſi, quatenus procedit.*

7 Hilar. lib. 11. de Trinit. col. 4. Filium appellat *Innaſcibilis ſubſtantiæ Vnigenitam Natiuitatem.* & ſequenti lib. 12. col. 4. dicit: *Filius eſt Natiuitas.* eodémque nomine vtitur inferius propius ad med.

quàm ad princip. Concil. Toletan. Vndecimum in profess. fidei multo propius ad med. quàm ad fin. *Est*, inquit, *vnicuique personæ manens sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine natiuitate, Filius æternitatem cum natiuitate, Spiritus sanctus processionem sine natiuitate.* Idem probant alia testimonia referenda sect. sequenti.

8 *Quid est origo passiua.* Tertiò probatur ratione, quia tam in rebus creatis, quàm in diuinis, origo passiua est ipsamet entitas termini, qui producitur, non quidem quatenus est terminus in facto esse, siue in esse producto, sed quatenus est in fieri, vel in produci, tanquam via se tenens ex parte rei producendæ, non ex parte principij producentis; vt vidimus disput. præced. sect. 3. dicto 3. Quamobrem origo passiua Filij, videlicet, Natiuitas erit ipsamet entitas Filiationis, non qua ratione est terminus in esse producto, sed quatenus illius entitas est in produci, & quasi in fieri, quod ipsum est tanquam viam esse, quæ se tenet ex parte Filij generandi. Confirmatur, quia ratione passiuæ originis persona producta realiter distinguitur à persona producente: quamuis hæc distinctio non sit primaria & magis principalis: vt videbimus disp. 87. sect. 5.

9 *Secunda conclusio.* Secunda conclusio. Passiuæ origines, videlicet Natiuitas & Processio, realiter distinguuntur ab inuicem. Id quod apertè sequitur ex conclusione præced. Quoniam Filiatio, cum qua realiter adæquatè identificatur Natiuitas, distinguitur realiter à relatione Spiritus sancti, cum qua realiter adæquatè identificatur Processio, quæ est illius origo passiua.

10 *Tertia conclusio.* Vnde præterea deducitur conclus. 3. Quamuis origines passiuæ, prout in re sunt, distinguantur seipsis; quoniam in re sunt idem, quod entitas relatiua Filij, & entitas relatiua Spiritus sancti: nihilominus, in quantum per nostram considerationem præscinduntur à ratione formali relationum, origines passiuæ distinguuntur per relationes primariò, tanquam per terminos formales, & tanquam per relationes, quas fundant: licet etiam econuerso relationes distinguantur per origines, secundariò tamen. Sic D. Thomas de potentia quæst. 10. art. 2. corp. ad fin. *Solus*, inquit, *ordo processionum, qui attenditur secundum originem, processiones multiplicat, in quantum vna processio deriuatur ex alia priori processione, sicut processio Spiritus sancti deriuatur ex natiuitate Filij, quæ necessariò supponitur vt origo prior.*

11 Explicatur & confirmatur primò ex dictis disput. 68. sect. 4. Nam sola oppositio relatiua potest diuinis rebus afferre distinctionem realem. Ergo origines distinguuntur propter oppositionem relatiuam, quam licet formaliter non importent, illi tamen per se cohærent. Confirmatur secundò, quia licet origines distinguantur per principia formalia, & per terminos formales, ac per modos tendendi voluntatis & intellectus (vt ostendimus disput. 6. sect. 5. & seq. disput. 85. sect. 3.) Veruntamen hæc omnia non afferunt distinctionem realem, nisi quando relatiuam oppositionem afferunt. Propterea namque realiter identificantur generatio & spiratio actiua, quia non afferunt oppositionem relatiuam, quamuis earum principia formalia, & termini formales, & modi tendendi distinguantur non minus, quàm principia & termini & modi tendendi Natiuitatis & Processionis.

12 *Quarta conclusio.* Quarta conclusio. Natiuitas Filij ratione sui radicaliter & implicitè distinguitur à Processione, sed explicitè & formaliter non distinguitur, nisi per interpositam Filiationem & Spirationem actiuam ex vno extremo, at ex alio extremo Processio prout est origo, distinguitur realiter à Patre & Filio per interpositam relationem Spiritus sancti. Probatur, quia distinctio realis Filij à Spiritu sancto formaliter & explicitè consistit in spiratione actiua, sed in Filiatione non nisi radicaliter: vt vidimus disput. 68. sect. 8.

SECTIO II.

Originis actiuæ realis distinctio vel identitas cum relatione, vel cum alia origine.

1 *Prima conclusio.* PRima conclusio. Origo actiua realiter adæquatè identificatur cum relatione principij producentis; nimirum generatio realiter & adæquatè identificatur cum Paternitate: & origo actiua Spiritus sancti realiter adæquatè identificatur cum relatione principij spiratiui, quæ vtraque tam origo, quàm relatio vocari solet spiratio actiua.

2 *Secunda conclusio.* Secunda conclusio. Generatio actiua realiter distinguitur à Natiuitate; & origo actiua Spiritus sancti realiter distinguitur à Processione, prout est origo passiua Spiritus sancti, sicut etiam prout est relatio. Vtramque conclusionem esse mentem S. Thomæ, constat ex præsenti q. 40. art. 2. & sequentibus & q. 41. præsertim art. 1. ad 2. & lib. 1. sent. dist. 13. q. 1. art. 2. & de potentia q. 10. art. 3. Clariùs autem easdem conclusiones tradunt Albertus 1. p. q. 34. memb. 1. & q. 38. fine. S. Bonauen. 1. dist. 27. parte 1. potissimum art. 1. q. 1. quamuis idem doceat sequenti q. 2. & 3. & prius dist. 26. art. 1. q. 2. & 3. Durand. 1. dist. 13. q. 2. præsertim num. 34. & dist. 26. q. 1. post med. Scotus 1. dist. 28. q. 3. fine. Ægidius apud Carthusian. 1. dist. 26. q. 2. col. 5. Vbi etiam col. 2. idem tenet cum S. Thoma, & præcedenti q. 1. col. 5. idem cum S. Bonauent. Ricardus 1. dist. 26. art. 3. q. 2. & dist. 27. art. 1. q. 2. Henricus 2. p. summæ art. 60. q. 5. ad argum. (licet contrarium dixisse videatur in eodem art. 60. q. 2. potius consentit) Argentina 1. dist. 27. q. 1. artic. 3. Ocham dist. 26. q. 2. col. 3. & dist. 13. quæst. vnica versus finem. Gabriel dist. 26. q. 2. art. 2. & dist. 13. quæst. vnica versus finem. Gregor. eadem dist. 26. quæst. vnica col. penult. Maior. dist. 27. quæst. vnica conclus. 3. Marsil. in 1. quæst. 30. art. 3. præsertim notab. 3. & art. 4. Aureolus 1. dist. 5. art. 3. præsertim col. 3. §. *Est ergo.* & dist. 27. p. 1. art. 2. propos. 2. Capreol. dist. 26. q. 1. art. 1. & distinct. 27. q. 1. art. 1. conclus. 3. & 4. Ferrariens. 4. contra gent. cap. 26. §. vlt. Communiter expositores S. Thom. in seq. q. 41. art. 1. Vbi Caiet. Canarien. & Vazquez. Molina in præsenti q. 40. art. 2. disp. 2. memb. 3. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 1. & 2. Obscuriùs idem docuit Alexand. 1. p. q. 59. memb. 2. fine, & q. 42. memb. 2. post med. & memb. 3. art. 2. prope fin. Idem colligitur ex Magistro 1. dist. 26. cap. 2. & dist. 27. cap. *Nec tamen.* cuius sententiâ retulimus disp. præced. sect. 2. probat. 2. fine. Denique violenta est atque distorta declaratio, quam aliqui recentiores adhibent antiquioribus Scholasticis, vt defendant, formale significatum relationis realiter identificari cum origine.

3 Conclusionem vtramque probo primùm ex Patribus. Athanasius enim orat. 2. contra Arian. inter princip. & med. ait: *Quia genuit Pater est, & Filius quia aliunde genitus est.* Ac dialog. 1. de S. Trinitate contra Anomæum col. 3. *Nulla*, inquit, *est differentia Patris & Filij & Spiritus sancti nec in naturâ, nec in voluntate: sed in eo demum aliqua, quod gignere*

gignere & gigni emittere & procedere, siue emitti, inter se differunt. Et in medio eiusdem dialogi: *Nihil differt Pater à Filio respectu Dei, siue in Deum esse; sed in Patrem esse, & Filium esse; quoniam ille quidem genuit, hic verò genitus est.* Rursus lib. 1. de vnita Deitate inter med. & fin. *Nam quò tres sunt, quid aliud sentitur fuisse, quàm Pater verus vnus, qui genuit, idem non sit, qui & genitus ab ipso est?* Postea verò discrimen Spiritus sancti assignat, quia *nec genuit, nec genitus est, sed à Patre procedit.*

4 Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri c. 5. circa med. *Generare*, inquit, *Patris notio est. Pater igitur est, quia generat, Filius, quia generatur.* & sequent. cap. 6. prope finem docet, *Generationem actiuam esse inseparabilem ab hypostasi Patris.* Consequenter lib. 2. thesauri cap. 3. ferè inter princip. & med. ait: *Vt hypostasim, quæ generat, & quæ generatur, diuina Scriptura nominibus distingueret, Patris & Filij nominibus vsa est.* Ac dialogorum de Trinit. lib. 1. fine, ait: *Solitariè & verè Pater significatur, dum intelligitur quod genuit: solitariè autem & verè Filius, dum intelligitur quod genitus sit. Itaque proprium alteri quod eius est solius.* & sequenti lib. 2. col. 2. *Propriè Deum & Patrem, Patrem nominari & esse, per ea, quæ iam elaborata sunt, affirmauimus, & non ob aliam causam, quàm quod genuit ex seipso Filium. Propriè autem & Filium esse & nominari asseruimus, quia natus est ex Deo Patre.* Item lib. 7. dialogorum prope med. *Pater ostendit quod genuerit, & quod genitus sit, declaranit Filius.*

Sic habet textus Cyrilli.

5 Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 9. in med. monet; *Cum Filium dico, generatum significo. Cum Patrem quoque dico, generasse declaro. Non ergo hinc naturæ discretionem facias, cum sit hoc significatorium generantis & geniti.* Idem in symbolum Apostolor. cap. 2. ait: *Filius cuius erit Filius, si non origo sua referatur ad Patrem, vt sit ille qui genuit, & ille qui ex eo generatus est?* Præterea lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 2. propius ad med. quàm ad princ. *Inter Patrem & Filium generationis expressa distinctio est.* Quod si tota generatio, tam actiue quàm passiuè sumpta, resideret in Filio, nec esset duplex generatio, alia propria & peculiaris Patris, tanquam operantis, alia peculiaris Filij tanquam geniti; iam generatio non esset distinctio inter Patrem & Filium; sed oporteret ex parte Patris aliam rationem distinctiuam assignare. Insuper non verificaretur quod subiicit *hæc nomina esse operatricis virtutis indicia.*

6 Hilarius lib. 12. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad princip. ait: *Medium quid inter Natiuitatem Filij & Generationem Dei Patris nec ratio, nec sensus admittit: quia & in Generatione Natiuitas est, & in Natiuitate Generatio est.* Hæc autem tantua circuminsessio Generationis & Natiuitatis, probat eas realiter esse distinctas, sicut realiter distinguuntur personæ, inuicem immanentes. Vnde præterea sequitur, Generationem non identificari cum Filio, sed cum Patre. Alioqui non distingueretur realiter à Natiuitate, nec esset in illa.

7 Fulgentius ad 1. obiect. Arianorum sub init. docet, *Quod Generatio Patris, & Natiuitas Filij sit proprietas in vnoquoque personæ.* & lib. de fide ad Petrum cap. 1. fine. *Quia igitur aliud est genuisse, quàm natum esse, aliudá, procedere, quàm genuisse, vel natum esse, manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Quod idem repetit in principio sequentis capitis 2.

8 Secunda probatio sit testimonium magis Scholasticum, & magis expressum Bessarionis patriarchæ in orat. pro vnione, quæ ponitur post Concil. Florentin. cap. 6. multo propius ad med. quàm ad fin. dicentis: *Relatio & origo, etsi secundum modum intelligendi differunt (siquidem origo significatur per modum actus, vt generatio; relatio verò per modum formæ, vt Paternitas) re tamen non differunt.* & post pauca: *Non enim generare & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam: sed Paternitas & Filiatio, siue Patrem & Filium esse. Sed quia relatio & origo idem sunt re, & relatio consequitur originem,* &c. Manifestè igitur generationem, vt est origo, dicit, realiter identificari cum Paternitate, & realiter à Filiatione distingui. Hoc autem dicit exempli causa, vt idem proportionaliter intelligatur de origine actiua, per quam spiratur Spiritus sanctus.

9 Tertia probatio ab origine actiua Spiritus sancti ducitur ad Generationem sic. Spiratio, prout est origo actiua Spiritus sancti, realiter & adæquatè identificatur cum vnico principio spiratiuo, & consequenter distinguitur realiter à Spiritu sancto. Eadem ergo ratione Generatio identificabitur realiter & adæquatè cum principio generatiuo, distinguetúrque realiter à Filio. Antecedens deducitur ex Lugdunensi Concil. generali cap. vnico de summa Trinit. in sexto decernente, hanc esse doctrinam vniuersalis Ecclesiæ, *Quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit.* Quod idem ac totum definitum est à Patribus Concilij Florentini sess. 25. & ab Eugenio IV. in literis vnionis, vt fusiùs retulimus disp. 70. sect. 1. sub init.

10 Confirmatur primò, quia licet vnica spiratio possit intelligi vnica relatio, constituens principium spirativum (iuxta dicta in eadem disput. 70. sect. 4.) probabilius tamen videtur, intelligi spirationem sub ratione originis actiuæ: quoniam sicut Filius non procedit Paternitate, sed Generatione, (talis enim constructio non denotat relationem constitutiuam principij, sed originem actiuam vel passiuam) ita Spiritus sanctus non procedit spiratione, tanquam relatione constitutiua principij spiratiui; sed procedit spiratione, tanquam origine. Confirmatur secundò, quoniam vnitas relationis dicta erat, quando concilium illud asserit, esse vnicum principium. Hoc enim vnica relatione constituitur. Quapropter ad plenitudinem doctrinæ conuenientius erat dicere vnitatem spirationis, prout est origo.

11 Tertiò, quoniam hæc erat mens Patrum Florentinorum, vt facilè colligitur ex verbis Bessarionis, quæ probatione præcedente retulimus, & ex tota doctrina illius capitis sexti. Confirmatur quartò, nam ex dictis constat, in prædictis verbis conciliorum non passiuam originem sed actiuam intelligi, tum quia passiua origo Spiritus sancti ferè semper appellatur processio (vt ostensum est testimoniis relatis in hac & præcedenti sect.) vix autem appellatur spiratio, nisi addita declaratione, *passiua.* Tum etiam quoniam Græci & alij Schismatici, quos prædictæ definitiones corrigunt, nunquam dubitarunt, quin vnica esset spiratio passiua realiter identificata cum Spiritu sancto: sed contendebant, inferri duplicem spirationem actiuam, siue duplicem actum notionalem spirandi, si duplex erat persona spirans. Quos prædicta concilia corrigunt, decernendo, duas personas spirare tanquam vnicum principium, ad cuius vnitatem pertinet vnitas spirationis, quæ est actus & operatio spirandi.

SECTIO III.

Veritatis eiusdem aliæ probationes defenduntur, refutatis earum solutionibus.

1 SIt in ordine præcedentium quarta probatio, quia personæ non tantùm relationibus, sed originibus etiam realiter distinguuntur. Ergo oppositæ origines, quales sunt actiua & passiua, distinguuntur inter se realiter, sicut relationes oppositæ. Consequentia est manifesta, quia nisi realiter inter se distinguerentur origo actiua & passiua: non possent afferre distinctionem realem inter principium producens, & terminum productum. Vnde præterea sequitur, originem actiuam adæquatè identificari realiter cum relatione principij producentis, necnon passiuam originem identificari realiter & adæquatè cum relatione termini producti.

2 *Adæquatio realis identitatis quid sit.* Hæc posterior consecutio probatur, nam adæquatio realis identitatis in eo consistit, quod neutrum extremorum identificetur realiter cum alia re, nisi cum illa identificetur etiam alterum extremum, & consequenter distinguatur realiter à qualibet re, à qua realiter distinguitur alterum extremum. Quapropter adæquatio realis identitatis inter originem actiuam & relationem principij, consistit in eo, quod origo distinguatur realiter à qualibet persona, à qua realiter distinguitur illa relatio. Hoc autem necessariò reperitur, si realis distinctio personarum sumitur ab origine simul cum relatione; quamuis minus principaliter & consequenter sumatur ab origine.

3 Exemplo manifestatur hæc veritas, quia si Generatio actiua & Natiuitas realiter identificarentur: non possent esse rationes primariæ neque secundariæ, propter quas Pater & Filius realiter distinguerentur, sed potius, quantum ex se foret, afferrent realem identitatem, & opus esset ad distinctionem Patris & Filij concurrere aliam rem, quæ realiter distingueretur à Generatione actiua & passiua.

4 Primum verò fundamentum istius probationis, videlicet, Patrem & Filium distingui Generatione actiua & Natiuitate minus principaliter, priùs autem ac principaliùs distingui Paternitate, declarabitur magis & probabitur disput. 87. sect. 5. Quod ad præsens attinet potissimum est, originem esse rationem distinctionis (abstrahendo ab hoc, quod principalius vel minus principaliter; concurrente, vel non concurrente relatione.) Porrò sub hac vniuersalitate & abstractione, rationem distinctionis esse originem, satis apertè docent Patres omnes citati sect. 1. & 2.

5 Quibus consonat Ricard. Victorinus, probans, diuinas personas distingui secundum solam originem, quæ exclusiua non tollit proprietates seu relationes, ex origine prouenientes, sed potius illas includit. Ricardus itaque lib. 1. de Trinitate cap. 13. in med. ait: *Secundum solam rei originem est illa varietas existentiæ, quando pluribus personis est vnum idemq́, indifferens esse, inueniuntur tamen secundum originem mutuam ad inuicem differentiam habere. Secundum originem verò differunt, si vnus originem habet, alter origine caret; vel si originem habentium, origo vnius differt ab origine alterius.* Vnde cap. 15. in med. concludit: *Quoniam identitas substantiæ omnem qualitatis differentiam penitus excludit; differentes personarum proprietates circa solam originem quærere oportebit.* Et paulo inferius dicit, *Differentiam habere, si vnus extet à seipso, alter originem trahat ab alio.* Fateor tamen nondum ex Ricardo constare, quod ille constituat originem actiuam in suo principio realiter identificatam cum illo, quod tamen satis apertè colligitur ex cæteris Patribus in vtraque sectione citatis, potissimùm autem testimonio Bessarionis, quod retulimus sect. præcedenti.

6 *Euasio.* Aliqui tamen recentiores debiliorem reddunt hanc probationem, quia nonnulla ex prædictis testimoniis referentes, respondent ex aliorum sententia sic declarari posse, vt personæ distinguantur per originem, non tanquam per formam intrinsecam, sed tanquam per viam, quæ à principio procedit in terminum, quamuis non maneat in principio, sed in termino. Ita Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 2. Hæc euasio licet aliquibus testimoniis non satis apertè repugnet; aliis tamen repugnat apertè; quemadmodum illis verbis Athanasij, in eo demum ponentis differentiam personarum, *quod gignere & gigni, emittere & procedere inter se differunt.* & Cyrilli dicentis, *notionem Patris esse generare*, & omnibus, quæ ex Fulgentio retulimus sectione præcedenti. *Refutatur.*

7 Secundò & euidentius refutatur, quoniam Bessarion citatus in sect. præced. docuit expresè, relationem & originem esse rem eandem, soloque modo significandi esse distinctas. Nec potest exponi de identitate inadæquata, qualis est inter Deitatem & relationem. Nemo quippe theologorum dixit, aut sapienter dicere potuisset, personas distingui per Deitatem, aut per sapientiam vel bonitatem, quoniam realiter inadæquatè cum relationibus identificatur. At verò Bessarion eo dirigit realem identitatem originis cum relatione, vt inde colligat: *Ideo vtroque modo distinguuntur diuinæ personæ, prius tamen & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur.* Confirmatur verbis eiusdem Patriarchæ, relatis sectione præced. *Origo significatur per modum actus vt generatio, relatio verò per modum formæ, vt Paternitas, re tamen non differunt.* Vult, igitur Paternitatem & Generationem esse realiter idem, sicut est realiter idem Natiuitas & Filiatio.

8 Vnde sumitur refutatio tertia, quoniam Bessarion prædictam doctrinam accepit ex S. Thoma sequent. quæst. 41. art. 1. ad 2. (vltra alios Scholasticos referendos disput. 87. sect. 5. Qui prius vniuersaliter dicit: *Actus notionales secundum modum significandi tantum differunt à relationibus personarum, sed re sunt omnino idem.* Postea verò concludit: *Vnde cum in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio.* Sed personalis actio Patris non est alia nisi Generatio. Ergo Generatio nihil aliud est, quàm habitudo Patris ad Filium; quæ habitudo Paternitas est.

9 Confirmatur, quia iure optimo suam hanc sententiam S. Thomas citatus confirmat testimonio Magistri lib. 1. distinct. 26. Nam cap. 2. ita declarat verba Fulgentij lib. de fide ad Petrum (quæ sect. præcedente vidimus) *Id est, alia proprietas siue notio est Generatio, & alia Natiuitas, alia Processio, quæ aliis nominibus dicuntur Paternitas, Filiatio.* Manifestè igitur Magister constituit Generationem, vt notionem propriam Patris, realiter condistinctam à Natiuitate seu Filiatione. Idémque sequenti distinct. 27. cap. *Nec tamen*, ait: *Relationum vocabula, scilicet, Paternitas, Filiatio, Processio; vel gignere, gigni, procedere, ipsas tantùm relationes, non hypostases significant.*

Quartò

10 Quartò refutatur, quoniam aliud est distinctionem personarum prouenire ab origine, aliud est personas distingui non tantum per relationes, sed etiam per origines. Hoc enim secundum non potest verificari ex eo solum, quod relationes principij & procedentis à principio, prouenient ab originibus, tanquam ab extrinseca ratione fundandi. Nam cum hoc simul verificaretur, personas distingui per solas relationes formaliter & non per origines. Quapropter vt Pater non sola Paternitate, sed etiam generatione distinguatur à Filio, requiritur generationem esse rationem fundandi coniunctam & intrinsecam Patri, & condistinctam à Filio, à quo per illam distinguitur. Denique quoties assignatur ratio, per quam distinguuntur duo correlatiua, nó est assignanda ratio distinctionis in extrinseco termino, sed in realitate intrinseca relatiui, quod distinguitur.

11 *Quinta probatio.* Hactenus refutata est illa solutio. Redeo nunc ad prosequendas probationes eiusdem veritatis, traditæ in sectione præcedenti, & sit probatio quinta. Generatio & Paternitas non opponuntur, quin potius actualis generatio est de quidditatiuo conceptu Paternitatis, similitérque actualis origo spiratiua est de quidditatiuo conceptu relationis principij spiratiui. Ergo nec generatio potest realiter distingui à Paternitate: nec actualis origo spiratiua potest realiter distingui à principio spiratiuo. Rursus origines passiuas, manifestum est, identificari realiter cum terminis productis, & realiter distingui à principiis producentibus, tanquam inclusas in conceptu quidditatiuo relationis termini producti (vt magis constabit sect. seq.) Ergo generatio distinguitur realiter à Natiuitate, & origo spiratiua distinguitur realiter à Processione.

12 *Temerarium est oppositu.* Ex fundamentis huius & præcedentis sectionis colligitur gradus certitudinis, quem tenet identitas realis & adæquata originis actiuæ cum relatione principij, eiúsque realis distinctio ab origine passiua. Tanta quippe certitudo est, vt oppositum sit temerarium & non satis ab erroris periculo tutum. Quæ censura primariò comprehendit eam sententiam, quæ originem actiuam distinguebat realiter à persona producente, & eandem originem realiter & adæquatè identificabat cum persona producta, veluti generationem cum Filio. Licet eam excuset à temeritate Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 2. n. 7.

13 Censuræ ratio est, quoniam hæc sententia pugnat cum communi Scholasticorum, & cum prædictis Patrum testimoniis, ac præcipuè Bessarionis, cui magnam authoritatem conciliat tacita quædam approbatio Concilij Florentini, & cohærentia huius doctrinæ cum ea definitione vnius principij spiratiui, & vnius spirationis, ad quam explicandam destinatur oratio, & quam tanti fecit Concilium, de qua cohærentia diximus sect. præcedenti. Adde quod prædicta sententia nulla penitus authoritate fulcitur nisi distorta, & contra mentem authorum, vt videbimus sect. 5. præsertim corollario 2.

SECTIO IV.

Licet in creaturis actio & passio realiter identificentur, in diuinis tamen realiter distinguuntur origo actiua & passiua.

1 RAtionem à priori, propter quam origo actiua realiter & adæquatè identificetur cum suo principio, realitérque distinguatur ab origine passiua, reddemus, si plenè satisfecerimus argumento difficili contrariæ sententiæ, cuius hæ sunt præcipuæ vires. *Argumentū.* Actio in rebus creatis est idem realiter cum passione, ac proinde tam actio, quàm passio recipitur in termino producto (quod ex physica & metaphysica nunc supponitur.) Sed origo actiua *se habet* per modum actionis. Ergo origo actiua identificatur cum origine passiua, & accedit potius ad terminum productum, quàm ad personam producentem.

2 Confirmatur primò, quia diuinas formalitates præscindimus ad imitationem creaturarum, quæ nobis sunt magis notæ. Confirmatur secundò, quia rebus diuinis non debemus tribuere maiorem distinctionem, quàm rebus creatis, sed potius maiorem identitatem ac simplicitatem. Quapropter si actio passióque creata sunt ens realiter idem & simplex; potiori iure origo actiua & passiua erunt ens realiter idem & simplex, ac proinde non distinguentur realiter. Confirmatur tertiò, nam si existimes, in creaturis actionem identificari cum termino producto; clarius colligitur identitas originis actiuæ cum persona producta. Si autem existimes, in creaturis actionem non identificari cum termino producto: adhuc colligitur originem actiuam esse idem realiter cum persona producta; quatenus est idem realiter cum origine passiua, quæ identificantur adæquatè cum persona producta.

3 Ad hoc argumentum & omnes confirmationes respondeo, diuinas formalitates esse præscindendas ad imitationem creaturarū, detractis imperfectionibus. est autem imperfectio, contraria diuinæ simplicitati & idētitati, quod origo actiua realiter identificetur cum origine passiua. Pro cuius declaratione & probatione dico primò. Simplicitas infinita principij generantis, ac diuinæ generationis necessariò postulat realem & adæquatam identitatem generationis cum principio generante. Idem, seruata proportione, intellige de actiua spiratione respectu principij spiratiui. *Dictum primum.*

4 Probatur primò, quia de quidditate diuinæ essentiæ est actualitas existentiæ, idque proprium est Dei propter infinitam simplicitatem, actualitatem & perfectionem. Eadem quoque ratione diuina essentia quidditatiuè continet non potentiam intelligendi, sed ipsas actuales operationes intellectionem, videlicet, & amorem. Sed Paternitas in sua relatiua quidditate simplicitatem & actualitatem continet non minorem, quàm essentia. Ergo Paternitas in sua quidditate continet actualem generationem actiuam, vt ea ratione sit purus actus, & eius potentia non sit distincta realiter ab actu suo, sed tantum à termino producto, & consequenter ab origine passiua. *Purus actus quidditatiuè continet existentiam & operationem.*

5 Confirmatur primò, nam alioqui plenum & integrum principium generatiuum, expectabit suam perfectionem & complementum ab alia re distincta realiter, nec habebit ex intrinseca quidditate completam suam perfectionem & actualitatem, sed quidditatiuè habebit solum posse, quod ab actu præscissum, nondum est perfectum. Confirmatur secundò à contrario, nam in agentibus creatis sicut essentia non includit quidditatiuè existentiam, ita nec eorum potentia actiua quidditatiuè claudit actionem, sed illam elicit realiter distinctam à se.

6 Confirmatur tertiò, quia Natiuitas est de quidditate Filij, quamuis effectibus creatis non conueniat quidditatiuè passiua productio. Cuius ratio

est, quia sicut non est de quidditate huius hominis existere; sed potuit nunquam existere: ita potuit nunquam generari, propterea{que} non est de quidditate huius hominis generari; maximè cum potuerit per creationẽ produci. Contra verò Dei Filius sicut non potuit non subsistere in esse Filij, nec potuit per aliam operationem accipere subsistentiam Filij; ita non potuit non generari, & quidditatiuè claudit ipsam originem passiuam. Qua ratione simplicitas & actualitas Filij, ac simplicitas & actualitas Patris congruè sibi correspondent.

7 *Generatio præsupponitur ad relationẽ quasi prædicamentalem.* Probatur secundò, quia siue Pater constituatur per originem siue per relationem, debet quidditatiuè includere generationem, tanquam aliquid simpliciter requisitum, vt in eo distinguamus partiales formalitates personæ subsistentis, quę est principium *quod* generationis; & vt sic nondum intelligitur actualiter referri per relationem quasi prædicamentalem, quoúsque generet actu. Vnde prouenit vt plenus & explicitus conceptus Paternitatis non sit prior origine nec ratione, quàm generatio. At verò si generatio realiter identificaretur cum natiuitate; iam generatio foret origine posterior, quàm Paternitas. Antecedens constabit ex dicendis disp. 90. & 91.

8 Probatur tertiò, quia si generatio realiter identificaretur cum Natiuitate & Filiatione, realitérque distingueretur à Paternitate: sequeretur generationem esse entitatiuè productam à Patre, & formaliter esse productam, vt *quo*. Vnde præterea sequeretur, quod Paternitas esset aliquid productum, vel adquisitum. Nam quodlibet viuens realiter eliciens generationem, sibi adquirit Paternitatem ex generatione resultantem. At diuina Paternitas est aliquid prorsus improductum, & nihil productum supponens vt fundamentum, nec vt rationem fundandi nec alio modo.

9 *Dictum secundum. Gradus identitatis inter origines.* Dico secundò. Diuina generatio & natiuitas habent identitatem & simplicitatem maiorem, quàm actio & passio creata; licet istæ realiter identificentur, sed diuina generatio & natiuitas realiter distinguantur. Probatur, quiali cet realis distinctio sit maior, quàm distinctio rationis: & ex hoc capite sit maior distinctio & minor identitas generationis & natiuitatis: alio tamen ex capite longè maior est excessus identitatis inter generationem & natiuitatem, quatenus eadem essentialis intellectio realiter identificatur & quidditatiuè formalissimé{que} clauditur tam in generatione, quàm in natiuitate: vt vidimus præcedenti disput. 83. sect. 1. Insuper hæc identitas est quoad totam essentiam & existentiam & omnia prædicata illis tantum exceptis, quæ relatiuam oppositionem afferunt. At in creaturis identitas actionis & passionis in eo tantum consistit, quod idem motus siue mutatio, prout ab agente progreditur, est actio, & simul est passio, prout recipitur in subiecto, vel in termino producto, considerato per modum subiecti. Nihilominus actio & passio creata distinguuntur genere aut certè distinguuntur specie essentiali & absoluta, & à motu similiter distinguuntur.

10 *Gradus identitatis inter originem & suum terminum.* Atque inde sequitur, vt generationis identitas cum Filio, sit maior, quàm identitas actionis creatæ cum termino producto, quæ differunt sicut substantia & accidens: At verò diuina generatio & terminus, per eam productus, est substantia, & secundum formalissimam lineam est intellectio Filius, sicut etiam generatio est intellectio supra disp. 58. & 59. Confirmatur, quoniam formalis effectus, ad quem exhibendum requiritur identitas actionis creatæ cum passione, consistit in eo, quod terminum productũ afficiat actio, & eum constituat dependentem ab agente. Talis autem effectus formalis eminentiori quodam modo præstatur à generatione diuina, (secluſa imperfectione dependentiæ) quatenus generatio est in Filio, sicut ipsa Paternitas est in Filio per circuminsessionem. Vnde Filius verè & propriissimè formaliter & intimè in se habet, non inhærentem, sed subsistentem, illam Generationem actiuam, per quam procedit & recipit esse à Patre. *Formalis effectus actionis.*

11 *Dictum tertium.* Dico tertiò. Ex his declaratur & corroboratur ratio, quam S. Thomas quæst. 41. art. 1. ad 2. exhibet, propter quam origo actiua sit realiter idem cum principio producente, quia videlicet, *cum in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio.* Contra quam illationem obiici posset, quoniam exclusa qualibet ratione motus & mutationis, adhuc Filius intelligitur à Patre procedere per actum notionalem, qui proportione quadam respondet actionibus creatis. Ergo illa habitudo, quæ sublato motu restat in diuinis, debet esse identificata cum Filio, prout est procedens per actum notionalem Patris. Confirmatur, quia sicut in creaturis intelligitur eatum dependentia à creatore, quæ est actio transiens, per quam creantur; ita videtur aliquid huic proportionatum esse concedendum in Filio respectu Patris, quod sit origo actiua. *Obiectio.*

12 *Soluitur.* Quibus & aliis similibus obiectionibus respondendum est, obstare summam simplicitatem & actualitatem Patris, ne generatio realiter distinguatur à Patre, & aliunde magis intimè & per maiorem identitatem subsistere generationem in Filio, quàm actio recipiatur in creaturis: prout in præcedentibus assertionibus probatum est.

13 *Dictũ quartum.* Vnde infero & dico quartò. Non est necessarium recurrere ad exemplum creationis, ac dicere, nullam esse realem formalitatem creationis actiuæ. Sed tantum passiuæ in creaturis. Probatur, quia licet creaturis concedamus realem formalitatem creationis actiuæ, per quam intelligantur realiter à Deo pendere, & procedere: nihil debilitabuntur rationes positæ in præcedentibus assertionibus. Adde quod rationes metaphysicæ probabilius persuadent, etiam creationem actiuam, realiter inhærentem creaturis, esse formalitatem realem quamuis oppositum sentire videatur S. Thomas infra quæst. 45. art. 3. Vnde Canarienſis, Vazquez & alij Thomistæ q. 41. art. 1. colligunt prædictum modum explicandi & defendendi, quod origo actiua nihil aliud sit quàm relatio principij, sicut apud eos actiua creatio, nihil aliud est, quàm relatio Creatoris, secundum rationem existens in Deo.

14 *Dictũ quintum.* Dico quintò. Nec est vera, nec ad rem accommodata solutio, quam docti recẽtiores hoc exemplo declarant. Angelus, vt moueat cælum, habet in se immanentem actionem, videlicet, efficacem volitionem & imperium mouendi cælum; ex qua volitione & imperio resultat in cælo motus tanquam passio. Sic in Patre datur actiua generatio, & ex illa resultat passiua natiuitas in Filio.

15 Cæterùm falsitatem inuoluit hæc solutio. Primò, quia præter immanentem actionem, qua vult & imperat angelus motum cæli, datur actio transiens, verè & realiter recepta in cælo, & realiter identificata

identificata cum motu, & cum passione. Quare si proportio seruanda foret, aliqua generatio actiua concedenda fuisset in Filio, identificata realiter cum natiuitate, & realiter distincta ab alia generatione actiua, quæ ponitur in Patre. Quod inauditum est inter theologos, & rem maioribus difficultatibus implicat, quas notare longum esset.

16 Refutatur secundò, quia Verbum diuinum est terminus intrinsecus & immediatissimus operationis generandi seu dicendi. Foret autem mediatus terminus, si post generationem siue dictionem Patris, intercederet alia origo actiua, recepta in Filio, cuius terminus immediatus & intrinsecus esset Verbum. Confirmatur, nam ille modus producendi motum cæli, contrarius est actionibus immanentibus; & proprius actionibus transeuntibus.

17 Tertiò refutatur, nam in angelo volitio mouendi cælum, habet suum terminum intrinsecum, realiter productum, qui est qualitas volitionis, in voluntate angeli recepta & realiter distincta à motu cæli. Ergo similiter foret concedendus aliquis terminus, realiter productus per generationem, existentem in Patre, realiter distinctus à termino generationis, quasi transeuntis, & identificatæ adæquatè cum Filio. Quapropter forent duo Filij realiter distincti, maioréque difficultates recurrerent. Confirmatur, nam in prædicto exemplo duplex est actio realiter identificata cum duplici passione, & recepta in suo termino immediato. Ergo nihil iuuat ad explicandam rationem, ob quam origo actiua realiter distinguatur à passiua.

18 Aureolus tandem 1. distinct. 27. part. 1. art. 2. propos. 2. reddit aliam rationem ponendi generationem in Patre realiter distinctam à Natiuitate. Veruntamen principium petere videtur per ambages atque circuitus.

SECTIO V.

Realis identitas vtriusque originis actiuæ, & solutio aliorum argumentorum.

1 *Spiratio non distinguitur realiter à generatione.* COrollarium primum, quod ex præcedenti decisione deducitur, est duas origines actiuas, videlicet, generationem & spirationem inter se non distingui realiter, sed sola ratione. Quam illationem ita probo. Generatio est idem realiter & adæquatè cum Paternitate, similiter autem origo actiua Spiritus sancti, quæ vocatur spiratio, realiter & adæquatè identificatur cum relatione principij spiratiui. Sed hæc relatio principij spiratiui est idem realiter cum Paternitate (sicut etiam cum Filiatione supra disp. 17. sect. 2. & 3.) Ergo origo actiua Spiritus sancti realiter identificatur cum generatione. Confirmatur, nam generatio actiua & spiratio actiua nullo modo opponuntur mutua relatione: ergo non distinguuntur realiter.

2 Secundum corollarium est, omnes Patres, qui generationem cum Filio coniungunt, aut illius proprietatem appellant generationem, intelligere generationem passiuam, quæ est natiuitas, præsertim cum illorum aliqui locis adductis in sect. 2. satis apertè generationem actiuam assignauerint esse proprietatem Patris. Sic ergo generationem passiuam intellexit Hilarius lib. 9. de Trinit. in med. dicens: *Vnigenitus Deus ex perfecta atque inenarrabili natiuitate subsistens, Deus est, & vera progenies innascibilis Dei est & incorporalis naturæ generatio incorporalis.*

Nazianz. orat. 13. quæ est 2. de pace, propius ad med. quàm ad princip. *Nos*, inquit, *vnam & eandem Diuinitatis naturam agnoscimus principij vocatione, generatione ac processione cognoscibilem.* Vbi generationem ponit pro notione peculiari secundæ personæ. Quemádmodum etiam orat. 44. in sanctam Pentecost. paulo post med. num. 14. dicens: *Omnia quæcumque Filius habet, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis.* Quo sensu locutus fuisse videtur Alexander Alexandrinus epistola ad Alexandrum Constantinop. colum. 4. scribens: *De Verbi subsistentia ita locutus est spiritus propheticus: Generationem eius quis enarrabit?* 3

Damascen. lib. 1. fidei cap. 11. ad finem ait; *Patre non discedente ab ignascibilitate, quia genuit, neque Filio à generatione, quia sit ab ingenito; neque Spiritu cum Patre aut Filio coincidente, ob id ipsum quod procedit.* Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratian. in prologo prope med. ait: *Tria illa, id est, generatio, Filius Vnigenitus principaliter & propriè indicant ex Deo Filium.* Concil. Toletan. Vndecimum in professione fidei sub init. *Filius*, inquit, *à Patre generationem accepit.* 4

Tertium corollarium est expositio duorum Scholasticorum, quod solos contraria sententia cogit suos esse patronos. Alter S. Thomas q. 2. de potentia art. 5. ad vlt. ait: *Generatio Filij significat relationem per modum actionis; Filius autem per modum subsistentis hypostasis.* Respondetur, ex aliis locis eiusdem doctoris apertè constat vera sententia (vt vidimus sect. 2.) Aliunde quoque contextus argumenti & solutionis prædictæ manifestat S. Thomam in eis non agere de identitate hypostasis Filij cum generatione; sed tantum ostendere, quomodo possit dari potentia ad generationem, tanquam ad actionem, & ad Filiationem, tanquam ad hypostasim producendam, licet præcisè sub ea ratione, quatenus relatio est, non detur ad eam potentia. 5 *S. Thomas exponitur.*

Alter Scholasticus, quem pro se refert contraria sententia, est Ricard. 1. dist. 13. art. 1. quæst. 3. dicens, generationem & spirationem inter se distingui realiter: quæ distinctio non verificabitur, nisi spiratio sit realiter idem cum Spiritu sancto. Respond. Ricard. 1. dist. 26. art. 3. q. 2. & clarius dist. 27. art. 1. quæst. 2. ex professo probat, Paternitatem & generationem actiuam esse proprietatem eandem, per quam Pater distinguitur à Filio. Vnde sequitur euidenter, intelligere passiuam generationem, & passiuam spirationem, quando dixit realiter distigui. Fateor tamen, aliquos Scholasticos existimare quod realiter distinguantur generatio & spiratio actiua prout sunt duæ origines actiuæ. vt Henricus 2. part. art. 60. quæst. 1. & Argentina 1. dist. 13. q. 1. art. 2. cum Ægidio. 6

Quartum corollarium est solutio duarum obiectionum quæ restant. Altera, quoniam origo actiua opponitur personæ producenti: ergo distinguitur realiter ab illa. Antecedens probatur, quoniam à Patre non solum ergreditur Filius, sed etiam egreditur ipsa generatio Filij, similitérque à principio spiratiuo egreditur spiratio, prout est origo actiua. Confirmatur, quia nisi generatio actiua realiter distinguatur à Patre; non erit in Patre realis potẽtia ad generationem nec in principio spiratiuo realis potentia ad spirationem. 7 *Prima obiectio.*

Respondetur. Generatio non egreditur à Patre, propriè loquendo, sed est via, per quam Filius egreditur à Patre, & est ipse actus, quo Pater erumpit 8

erumpit in Filium, & eum ex se profert. Hæc enim inter alias est ratio, propter quam generatio actiua non est propriè actio, vt vidimus disp. 83. sect. 4. Ad confirmationem respond. Vt in Patre detur realis potentia ad generationem, satis est realis distinctio termini generandi, quamuis ipsa generatio non distinguatur reliter à Patre; vt videbimus disp. 99. sect. 2. & 3.

9 *Secunda obiectio.* Altera obiectio est, quoniam spiratio actiua, quatenus est relatio, subsequitur originem actiuam Spiritus sancti. Ergo non est idem realiter cum illa. Respond. de prioritate inter relationem & originem spiratiuam dicendum erit disp. 91. sect. 1. Nunc omisso antecedente, consequentia negatur. Quia prioritas vel posterioritas illius relationis & originis, non est à parte rei, sed tantum in consideratione nostra secundum rectum modum intelligendi. At prioritas & posterioritas, quæ non est realis, non requirit, nec infert distinctionem realem.

DISPVTATIO LXXXV.

Qualis sit illa distinctio rationis, per quam origines ab inuicem distinguuntur & à personis.

SECTIO I.

Vtrum ratione ratiocinata distinguantur origines à personis.

1 VM ex præcedenti disput. constet, origines actiuas realiter identificari cum personis producentibus, in præsenti quæritur, vtrum ab illis distinguantur saltem ratione ratiocinata; similiter autem vtrum origines passiuæ ratione ratiocinata distinguantur à suis personis productis, veluti Natiuitas à Filio & Processio à Spiritu sancto. Nam si permutentur istæ comparationes, distinctio realis erit originum à personis iuxta disputationem præcedentem. Sic enim generatio actiua realiter distinguitur à Filio & Spiritu sancto, & spiratio actiua realiter distinguitur à Spiritu sancto. Natiuitas autem realiter distinguitur à Patre & Spiritu sancto. Denique processio realiter distinguitur à Patre & Filio.

2 *Prima sententia.* Prima igitur sententia dicit, non ratione ratiocinata, sed sola ratione ratiocinante, sine fundamento in re, distingui actiuam originem à persona producente, similitérque passiuam originem à persona producta. Ita existimant Ocham 1. dist. 7. quæst. 1. versus medium probans primum dictum, & dist. 26. quæst. 2. col. 2. similiter autem Gabriel eadem dist. 26. quæst. 1. artic. 3. & dist. 7. q. 1. Molina in præsent. quæst. 40. art. 2. disput. 2. memb. 3. §. *his addendum.* Cui valde fauet modus loquendi Magistri & aliorum Scholasticorum, quos retulimus disp. præced. sect. 2. Pro eadem sententia referuntur Durandus & Scotus, cæterum illi nobis potius fauent, vt referemus conc. 1.

3 *Primum argumentum.* Primum argumentum est, quoniam si origines ratione ratiocinata distinguerentur à personis, eodem modo distinguerentur à relationibus personarum constitutiuis; vnde sequeretur, in diuinis esse octo vel decem relationes, distinctas ratione ratiocinata. Secundum, quia Concilia & & Patres multoties pro eodem accipiunt relationes & origines, videlicet, Paternitatem aut generationem, similitérque Natiuitatem aut Filiationem, & sic de aliis, ergo nullo modo distinguunt, nisi solo nomine, relationem ab origine.

Tertium argumentum, quia relatio diuina non 4
fundatur in origine: cessat ergo necessitas distinguendi relationem diuinam ab origine. Quartum, quia si relatio ratione ratiocinata distingueretur ab origine; sequeretur, originem in Deo esse aliquam formalitatem incompletam, & quasi viam ad terminum. Consequens autem propter imperfectionem videtur indignum Deo.

Nihilominus sit conclusio. Rationis ratiocinatæ distinctio est, per quam origo actiua distin- 5
guitur à persona producente, similitérque origo passiua distinguitur à persona producta. Hæc distinctio manifestè colligitur ex antiquioribus Theologis. Magister enim 1. dist. 27. cap. 2. docet. ideo Patrem semper esse Patrem, quia semper genuit, & sequenti cap. 3. generationem & Paternitatem distinguit à Patre, quia Pater est hypostasis siue persona, sed Paternitas, relatio, vel generatio non significant personas, sed hypostases. Idémque notat de aliis relationibus & originibus, dicens non esse omnino idem cum suis personis. *Ratione ratiocinata distinguuntur origines à suis personis.*

Bessarion Patriarcha in oratione pro vnione 6
concilij Florentini cap. 6. multo propius ad med. quàm ad finem. *Relatio,* inquit, *& origo secundum modum intelligendi differunt, siquidem origo significatur per modum actus, vt generatio; relatio verò per modum formæ, vt Paternitas.* Quod autem diuersitas hæc in modo significandi & intelligendi fundamentum in re habeat, & sit distinctio rationis ratiocinatæ, satis apertè colligitur ex eodem, quoniam ex prædicta distinctione colligit, personas constitui per relationes principaliter, at verò minus principaliter per origines. Quod si sola ratione ratiocinata distinguerentur, nullum esset fundamentum maioris aut minoris principalitatis.

Quoniam igitur hanc doctrinam Bessarion ac- 7
cepit ex antiquioribus Scholasticis, eosdem possumus pro nostra conclusione referre: veluti Albertum 1. part. quæst. 34. memb. 1. S. Thomam seq. quæst. 41. art. 1. ad 2. qui dicunt, relationem & originem distingui secundum modum intelligendi & significandi, alibi dicentes, relatione distingui personas principalius, quàm origine. S. Bonauent. 1. dist. 27. parte 1. art. 1. quæst. 1. & 2. dicit, Paternitatem & generationem distingui modo significandi, & generationem esse causam Paternitatis, & præintelligi generationem ante Paternitatem. Quibus similia docet Ricard. eadem dist. 27. art. 1. quæst. 2. & 3. Argentina 1. dist. 27. quæst. 1. art. 3. solutione ad 7. & in sequentibus. Capreol. eadem dist. 27. quæst. 1. art. 1. concl. 3. & 4. & art. 3. dum respondet ad argumenta contra illas. & quantum ad hanc conclusionem, non dissidet Aureolus in eadem dist. 25. parte 1. art. 3. propositione tertia (solummodo quippe negat distingui totales & plenas formalitates vt nos dicemus sectione secunda.)

Eadem conclusio colligitur ex aliis authoribus, 8
qui infra disp. 87. sect. 2. & sequentibus docent, personas relationibus potius, quàm originibus constitui. Quam ob causam pro nobis est Duran. 1. dist 26. q. 1. num. 14. (quamuis num. 18. faueat oppositæ sententiæ.) Eadémque conclusio supponitur à Scoto 1. dist. 7. dum respondet ad secundam viam de productionibus, & dist. 28. fine.

Probatur

9 Probatur primò, nam essentia distinctionis, quam appellamus rationis ratiocinatæ cõsistit in tribus, quę ad illam requiruntur & sufficiunt. Primum est pluralitas cõceptuum siue diuersus modus concipiendi. Secundum est, rebus cognitis realiter & ratione sui conuenire prædicata, quæ conceptibus illis significantur. Tertium, rem pluribus illis conceptibus intelligi penetratíque melius, quàm vnico illorum tantum: vt vidimus disp. 12. sect. 2. sub init.

10 Hæc autem omnia reperiuntur in præsenti, diuersimodè namque concipimus Generationem per modum actus, & Patrem per modum personæ subsistentis atque principij producentis, Paternitatem autem vt relationem. Sunt igitur tres distincti conceptus. Similiter diuersimodè concipimus Natiuitatem per modum processionis passiuæ, & Filium per modum personæ subsistentis atque termini producti, arque Filiationem per modum relationis. Sunt igitur tres distincti conceptus. Rursus quæ cognoscuntur his conceptibus, realiter & ratione sui conueniunt Patri & Filio. Denique tribus illis cõceptibus melius penetratur, & plenius intelligitur Pater, quàm vno illorum tantum; similitérque Filius alijs tribus conceptibus melius penetratur. Ergo formalitates, ijs conceptibus significatæ, distinguuntur ratione ratiocinata. Idem intellige de origine actiua Spiritus sancti comparatione Spiratoris, & de processione comparatione Spiritus sancti.

11 Probatur secundò, quia quæcumque diffinitione differunt, *eo ipso* distinguuntur ratione ratiocinata. Sed origo, persona & relatio definitione differunt. Nam Generatio, verbi gratia, est productio & via egrediens à Patre, vt à principio, & terminata in Filium, vt in personam productam. Paternitas autem est relatio quasi prædicamentalis actu referens, & constituens personam subsistentẽ. Pater autem est persona subsistens & quasi constituta ex essentia & relatione.

12 Vnde resultat probatio tertia, quia contradictoria prædicata verificãtur de origine, relatione, ac persona. Pater enim producit per Generationem. Sed Generatio non producit per Generationem, neque per Patrem, vt per suum actum. Item relatio est formaliter subsistentia constituẽs personam, sed Generatio non item. Deinde Filius producitur per natiuitatem. Natiuitas autem non producitur per natiuitatem, nec Filius producitur per Filiationem. Confirmatur, nã origo potest vocari continua, quoniam est actus, sine intermissione semper elicitus. Sic enim Ambros. in symbolum Apostol. cap. 4. ait: Processio *Spiritus sancti continua est.* At verò relatio siue persona non nisi valde incongruè vocabitur continua; quinetiam hoc nomen creatis relationibus, aut personis non bene quadrat.

13 *Obiectio.* Obiiciet aliquis. Deus & Deitas non distinguuntur ratione ratiocinata. Nihilominus Deus generat, Deitas non generat. Ergo contradictoria prędicata non prȯbant distinctionem rationis ratiocinatæ. *Soluitur.* Respond. Quando prædicata contradictoria verificantur ratione significati formalis tantum, & non ratione alterius suppositi, pro quo supponitur nomen: tunc probant distinctionem rationis ratiocinatæ. At Generare verificatur de Deo non ratione significati formalis, sed ratione Patris, in ea namque propositione Deus supponitur vel in communi pro supposito habente Deitatem, vel in particulari pro Patre, supra disput. 79.

SECTIO II.

Minimam esse distinctionem originis. Et solutio argumentorum.

1 TEmperatur conclusio sectione præcedenti probata, declarando, quod originis à sua persona seu relatione distinctio est minima inter distinctiones rationis ratiocinatæ. Probatur, nã hæc distinctio non distinguit duas quasi totales & integras formalitates diuersæ lineæ, sed tantum duas quasi partes eiusdem lineæ. Nam intra lineam & rationem Paternitatis diuinæ clauditur non modò relatio quasi prædicamentalis, & ratio subsistentiæ, sed etiam actualis Generatio. Similiter autem Natiuitas includitur intra rationem Filij, vt probatum est tota disp. 84. præsertim sect. 4. Idem proportionaliter intellige de principio & termino Spirationis.

2 *Ad primum.* Ad argumenta posita in sectione præcedenti. Respondetur ad primum. Licet origines ratione ratiocinata distinguantur à personis & à relationibus; non sequitur, relationes diuinas esse plures, quàm quatuor: Primò, quoniam origines formaliter nõ sunt relationes quasi prædicamentales, licet cum illis realiter identificentur. Secundò, quoniam origines respiciunt eosdem terminos, quos respiciunt relationes, & ad illas reducuntur quasi viæ tendentes ad illas. Quam solutionem fusiùs exposuimus disp. 83. sect. 3. ad 1. obiectionem.

3 *Ad secundũ.* Ad secundum consequentia negatur. Patres enim, cum hæreticis disputantes; ad ostendendam realem distinctionem, & oppositionem inter personas diuinas, indifferenter afferebant nũc relationem, nunc originem; quoniam simul obiecta relatio & origo, probat euidentius distinctionem & oppositionem. Inde tamen non infertur, Patres existimasse, relationem & originem non distingui conceptibus, sed tantùm nominibus synonimis. Quin potius ex varijs eorum testimonijs colligitur hæc distinctio, quoties diuersimodè loquuntur de actu Generationis & de relatione vel persona Patris, iuxta ea, quæ dicta sunt sect. præcedẽti in probationibus conclusionis. Clariùs autem hæc distinctio declarata fuit à Scholasticis ibidem citatis, & tacitè probata in Concil. Florentino.

4 Ad tertium. Negatur imprimis antecedens, quin potius diuina relatio intelligi debet quasi fundata in origine iuxta rectum modum intelligendi: vt ostendimus disp. 91. sect. 1. & 2. Respondetur secundò. Licet diuina relatio nõ fundaretur in origine; sufficerent diuersi modi concipiendi, definitiones diuersæ, atque contradictoria prædicata, vt constituerent distinctionem rationis ratiocinatæ: quemadmodum probatum est in sectione præcedenti.

5 *Incompletum præcisiuè, non est indignum Deo.* Ad quartum respondetur primò. Si origo foret realiter incompleta; foret imperfecta & indigna Deo. Cæterùm formalitatem aliquam Dei, per nostram considerationem à termino præscindi, & sub hac præcisione non habere complementum illud, à quo præscinditur, & ex se destinatam esse ad illud complementum obtinendum, & in hoc tantum sensu *esse incompletam* præcisiuè, non verò negatiuè: hoc non est indignum Deo; quia non est imperfectio Dei in se, sed imperfectio nostrorum conceptuum prout terminantur ad Deum. Alioqui foret etiam indignum Deo, concedere essentiam, ratione distinctam ab intellectione

lectione, & volitione, à subsistentia, & aliis perfectionibus diuinis. Quoniam essentia diuina quidditatiuè continere debet omnes perfectiones, & omnes operationes; & est quidditatiuè purissimus actus intelligendi, & amandi seipsum, & omnia propter se.

6 *Origo est quid completum,*

Secundò respondere poteris, originem esse formalitatem in suo quasi genere completam, licèt sit via ad terminum. Nam in rebus creatis formalitates actionis, & passionis non minùs completæ sunt, quàm formalitas relationis prædicamentalis, aut prædicamentorum *Vbi*, vel *Quando*.

SECTIO III.

Originum mutua distinctio, qualis sit, & vnde proueniat.

1 *Nulla distinctio qua propriè sit specifica in Deo.*

TRES difficultates hîc sunt breuiter expendendæ. Prima, Vtrùm origines ab inuicem specie distinguantur. In qua primò certum est, distinctionem, quæ propriè sit specifica, procul esse ab vniuersa Trinitate. Ideóque non quærimus, nisi distinctionem quasi specificam, qualem habent inter se diuinę relationes, similitérque diuinæ personæ modo explicato disp. 35. præsertim sect. 8.

2 *Quasi specie distinguitur origines.*

Dico secundò. Quælibet origo quasi specie distinguitur à qualibet alia origine, ita vt Generatio distinguatur specie à spiratione, prout est origo actua, & Natiuitas specie distinguatur à Processione, & quælibet origo passiua distinguatur specie à qualibet origine actiua, Hæc est mẽs S. Thomæ de potentia q. 10. art. 2. ad 12. Scoti. 1. dist. 7. quæst. vnica. §. *ad secundam viam, de productionibus*. Capreoli dist. 13. quæst. 2. art. 2. Colligitur efficaciter ex multis scholasticis, affirmantibus specificam distinctionem earum relationum, ad quas terminantur origines: quos retulimus disp. 17. sect. 4. ad 3. arg. Colligitur etiam ex authoribus referendis in difficultate sequenti, vbi etiam constabit istius distinctionis ratio.

3 Secunda difficultas est, quid sit illud, per quod origines distinguuntur. Quod attinet ad distinguendam Generationem à Processione, tractatum est disp. 6. sect. 5. Nunc autem idem vniuersalius quæritur de qualibet processione comparata cum qualibet alia. Ex illa tamen sect. nonnulla repetenda erunt, ne fiat obscura & onerosa resolutio, si Lectori relinquamus laborẽ tam multa requirendi ex superioribus disputationibus, & ad præsentem applicandi.

4 *Prima sententia, distingui se totis.*

Prima opinio dicit, diuinas origines non per principia, siue potentias, à quibus egrediuntur, neque per terminos productos, sed tantùm se ipsis, ac se totis esse distinctas. Ita multi & graues scholastici. 1. dist. 13. Vbi S. Bonauent. art. 1. quæst. 3. corpore & ad 4. Scotus quæst. vnica, præsertim §. *ad quæstionem*. Gregor. Arimin. quæst. vnica longe post medium. Durandus quæst. 2. prope fin. num. 34. Ocham. quæst. vnica, sub init. Gabriel quæstione vnica, art. 2. con. 3. Ægidius artic. 2. Quem fusiùs defendit Argentina eadem dist. 13. quæst. 1. art. 2.

5 *Secunda sententia, per principia & terminos,*

Secunda sententia docet, diuinas origines distingui penes distincta principia, terminósque distinctos. Ita S. Thom. de poten. q. 10. art. 2. corpore. & primo sent. dist. 13. art. 2. S. Bonau. eadem dist. 13. artic. 1. quæst. 2. ad 2. Henricus quodlib. 6. quæst. 1. & in summa art. 60. quæst. 1. Carthusian. 1. distinct. 13. quæst. 1. dum impugnat Ægidium & Scotum. Magis ex professo Bacon. 1. dist. 19. quæst. 1. art. 2. Capreol. distinct. 13. quæst. 1. artic. 1. Caietanus supra quæstione 27. art. 4. prope fin. Ferrariens. 4. contra gent. cap. 24. inter med. & fin.

6 *Tertia sententia.*

Maiori penetratione veritatem exponit opinio tertia, dicens, origines distingui se ipsis formaliter: veruntamen originaliter distingui per potentias generatiuam & spiratiuam, nec non per terminos productos: clarius tamen distingui, quoniam spiratio est per Generationem, Filio mediante. Ita Ricard. 1. dist. 13. art. 1. quæst. 3.

7 *Se totis distinguuntur origines.*

Pro concordia ferè omnium scholasticorum Dico primò. Se totis, atque se ipsis tanquam primo diuersæ distinguuntur origines, quemadmodum generalissima prædicamentorum, & quemadmodum vltimæ simplicissimæque differentiæ. Quod totum verificatur solummodo quantum ad hoc, quatenus in se ipsis & se totis origines habent rationem formalem distinguentem ipsas: & quoniam in qualibet differentia originum includitur tota quidditas originum, ita vt nó sit possibile abstrahere conceptum, illis ita communem, vt non transcendat vltimas differentias illarum, sicut ens transcendit vltimas differentias substantiæ, qualitatis, quantitatis ac cæterorum prædicamentorum.

8 *Propriè dicta differentia nõ est inter origines.*

Vnde præterea colligitur, quod sicut substantia, quantitas & qualitas non differunt per differentias propriè dictas, quæ non includant totam quidditatem illorum prædicamẽtorum; sic etiam origines non differunt per differentias propriè dictas, quia quælibet earum differentia totam includit quidditatem originis, quam distinguit. Quantum ad hęc, verum dixit prima sententia, & à nullo scholasticorum contradicitur illi. Illud tamen peculiare habent origines, propter quod minùs distinguuntur, quàm prædicamenta vel vltimæ differentiæ specierũ creatarum. His enim nulla realitas singularis & indiuidua est essentialiter communis. At originibus, sicut & relationibus essentia diuina realiter singularis & indiuidua, est essentialiter communis.

9 *Conceptus analogus originis in communi.*

Dico secundò. Origines non ita distinguuntur se totis, vt non detur aliquis conceptus abstrahibilis, qui communis sit omnibus, aut multis originibus, licet non vniuocè, sed quasi analogicè. Nam omnibus originibus communis est non modò Deitas realiter vna, sed etiam generalis & abstracta ratio originis, prout est via progrediens à principio viuente ad producendam personam viuentem & subsistentem in eadem natura diuina. Insuper actiuis originibus communis est ratio productionis actiuæ procedentis à principio viuente, & tendentis ad personam viuentem: & generalis ratio operationis immanentis per principium intrinsecum. At verò passiuis originibus est communis ratio processionis, vt quasi passiuè recipitur in termino producto. At istæ rationes abstractæ non sunt vniuocæ, quoniam transcendentaliter imbibuntur in vltimis differentijs originum. Quæ omnia sunt intelligenda sicut de communi ratione personæ diximus disp. 35. sect. 1. 2. & 3.

10 *Ordines ad principia & terminos sunt differentiæ originum.*

Ex dictis infero & Dico tertiò. Origines non ita distinguuntur per principia, siue per terminos productos, quasi principia vel termini sint ipsæ differentiæ, quæ formaliter constituant distinctionem originum: sed ita distinguuntur, vt ratio formaliter constituens distinctionem, quidditatiuè

ditatiuè respiciat principia producentia & terminos productos, quodam ordine transcendentali; proportione quadam ad actiones creatas, quæ distinguuntur per ordinem ad principia; & proportione ad passiones creatas, quæ distinguuntur per ordinem ad terminos productos: vt probatum est disputatione 6. sect. 5. non procul à principio.

11 Notandum tamen est, ad prædictam distinctionem in ordine ad principia pertinere, quod vna origo quasi procedat ab alia, & quidditatiuè supponat aliam, sicut origo passiua procedit ab actiua sibi correspondente, necnon spiratio actiua secundum rationem procedit non solum à Generatione sed etiam à Natiuitate, quatenus supponit esse productam personam Filij.

12 *Modus tendendi est differentia formalis.*

Dico quartò. Modus tendendi & respiciendi principia formalia & terminos productos, est, qui formaliter & intrinsecè constituit distinctionem originum. Probatur primò, nam principia quantumcumque formalia, & termini producti, & cætera omnia sunt extra formalem rationem originis: solus autem modus tendendi & respiciendi est intrinsecus, sicut in actionibus & passionibus creatis docent, qui rectè philosophantur. Probatur secundò, propterea namque Generatio quidditatiuè distinguitur à spiratione, quoniam Generatio ex vi sua formalissima, & intrinseco modo tendendi habet producere simile in natura: sed spiratio non item: vt communiter Scholastici docent ex mente sanctorum Patrum, & probatum est tota ferè disput. 6. & 7.

13 Tertiò probatur, nam actiua Generatio & Natiuitas cum sint ab eodem primo principio, videlicet, Patre, & ad eundem terminum, videlicet, Filium; non possunt distingui per illa principia & terminos, vt sic consideratos; sed addendus est modus tendendi ac respiciendi illos. Generatio enim respicit Patrem quasi actio immediatè egrediens ab illo; Filium autem respicit quasi mediante Natiuitate, procedente à Generatione & terminata in Filium. At verò Natiuitas respicit Patrem quasi mediatè, quoniam ab actiua Generatione procedit, & immediatè respicit Filium, quasi passio se tenens ex parte illius, vt recipientis esse per Natiuitatem. Confirmatur, nam in rebus creatis actio & passio genere differunt. Ergo in Deo saltem quasi specie distinguentur origo actiua & passiua; neque enim possunt concipi quasi eiusdem rationis, quæ concipiuntur ad instar formalitatum genere differentium.

14 Tertia difficultas est, vtrum origo actiua Spiritus sancti quidditatiuè includatur in generatione. Ratio dubitandi est, quoniam sicut se habet relatio Paterniratis ad relationem spiratoris; ita se habet Generatio ad originem actiuam Spiritus sancti. Sed Paternitas quidditatiuè claudit relationem spiratoris. Ergo Generatio quidditatiuè claudit actiuam originem Spiritus sancti. Minor probata est disput. 17. sect. 6.

15 *Vna origo actiua non includitur in alia.*

Respondeo videri probabilius, quod non includatur vna origo actiua in altera; quoniam Generatio intelligitur præcisè in ordine ad Filium genitum, in qua formalitate licet virtualiter contineatur etiam via & tendentia ad spirandum; cæterum formaliter non includitur. At verò Paternitas prout intelligitur quasi persona, plenè & integrè constituens Patrem, eum distinguit etiam à Spiritu sancto, propterea que claudit spirationem. vt fusius exposuimus dicta disput. 17. sect. 6.

Ruiz. de Trinitate.

in cuius obiectione 3. prædictum discrimen indicatum est.

DISPVTATIO LXXXVI.

Vtrum proprietatibus constituantur ac distinguantur diuinæ personæ.

SECTIO I.

Negantium quorundam error, & aliorum temeritas refutatur.

1 PRIMVM omnium est reiiciendum Raymundi Lullij delirium, dicentis, *Quod est vnicus distinctiuus & generatiuus respectu Filij, & hic est Pater: & vnicus distinguibilis, generabilis & producibilis respectu Patris, & hic est Filius: & vnicum distinguere per spirare & amare, & hic est Spiritus sanctus*. Ita putabat se demonstrare mysterium Trinitatis, vt refert Gabriel Vazquez 1. part. disput. 133. cap. 2. parum à principio.

2 In hoc plurima continentur absurdissima in philosophia, & errorem inducentia contra fidem ac theologiam. Primum est, quod ipsum distinguere sit persona subsistens, & realiter distincta à distinctiuo & distinguibili. Secundum, quod vna persona distinguatur per aliam, realiter distinctam à se, cum tamen sit necessarium, vt proprietates distinguentes, realiter identificentur, & quidditatiuè contineantur in persona, quæ per illas distinguitur. Tertium, quod in tribus personis realiter distinctis, non sit, nisi vnicum distinctiuum, cum tamen tria requirantur, sicut sunt tria distinguibilia tres personæ.

3 Quartum absurdum, quod Spiritus sanctus non sit producibilis respectu Patris, quoniam ait, solum Filium esse distinguibilem, generabilem, & producibilem respectu Patris. Singulare genus hæresis. Quintum, quod spirare & amare sit illud, per quod Filius est distinguibilis à Patre. Quod est erroneum, quia Pater & Filius sunt vnum in spirando & amando, & non distinguuntur nisi Paternitate & Filiatione. Sextum, in qualibet persona reperiri Trinitatem, videlicet, distinctiuum, quod est proprietas; distinguibile, quod est ipsa persona; & distinguere, quod est quasi formalis effectus distinctionis. Vnde tres trinitates inferuntur.

4 *Proprietates non supereueniunt personis constitutis.*

Secundò, non est ab errore tuta sententia, quæ dicit, proprietates superuenire personis, iam constitutis in sua quidditate. Quod existimare videtur Hugo Ætherianus lib. 3. de erroribus, quos Græci deuoluunt in Latinos, cap. 2. Loquitur autem de Paternitate, Filiatione, & Processione, quas ponere videtur extra quidditatem personarum, ad instar Gilberti Porretani, vt retulimus disp. 11. sect. 1. fine. Quapropter non indiget alia refutatione præter illas, quibus tota disp. 11. probatum est, relationes esse realiter idem cum essentia, & personas esse quid simplicissimum, nec habere relationes assistentes, aut superuenientes sibi.

5 Tertiò, Temerarium est oppositum extremum, ita fugiens distinctionem proprietatum à personis, vt propterea dicat, personas diuinas non constitui proprietatibus. Quam doctrinam prior

inuexit Præpositiuus, quem retulimus disput. 46. sect. 2. initio. Sed iamdiu ab scholis relegatam, reuocauit Gregorius 1. distinct. 26. & 27. quæstione vnica artic. 2. conclus. 3. Qui licet post 5. probationem §. *aduertendum*, & in cæteris argumentis videatur, tantummodo negare realem constitutionem, resultantem ex partibus realiter distinctis: nihilominus amplius aliquid significant conclusionis verba, quæ directè pugnant cum modo loquendi plurimorum Patrum & Scholasticorum, quos referemus sect. sequenti.

6 Præcipua argumenta Gregorij diluimus supra disput. 26. sect. 4. & disputat. 46. sect. 4. & aliqua etiam disputat. 13. sect. 4. Quibus ex locis duo præsertim ad præsens oportet recolere, quæ sunt ibidem probata. Primum. Quamuis essentia diuina quidditatiuè contineatur in relatione: adhuc persona diuina nostro modo intelligendi, constat ex essentia & relatione. Secundum est. Persona diuina, propriè loquendo, non est composita, neque reali compositione neque compositione rationis. Huic enim compositioni repugnat inclusio vnius formalitatis in alia.

7 *Argumẽtum.* Sed argumentum Gregorij, magis proprium rei præsentis, est huiusmodi. Res omnino simplex, se tota est, & se tota distinguitur ab alia: sed Pater est omnino simplex. Ergo Pater se toto est, & se toto distinguitur ab aliis personis: ac proinde non indiget proprietate, quæ Patrem in suo esse constituat, & ab aliis personis distinguat. Confirmatur primò, Paternitas enim se tota est, & se tota distinguitur ab aliis relationibus, nec indiget alia proprietate constituente ac distinguente, ne detur processus in infinitum. Sed Pater est non minus simplex, quàm Paternitas. Ergo Pater non indiget proprietate constituente ac distinguente. Confirmatur secundò, nam essentia diuina propter suam simplicitatem, non indiget proprietate constituente & distinguente. Pater autem est non minus simplex, quàm essentia diuina.

8 *Distinctio cum inclusione sufficit ad constitutionem.* Respond. Pater est omnino simplex, hoc est, nullo modo compositus; nihilominus constat duabus formalitatibus ratione ratiocinata distinctis, videlicet, essentia diuina, quæ communis est tribus personis, & Paternitate, quæ propria est Patris. Quam distinctionem probauimus tota disput. 12. Hæc autem distinctio sufficit, vt Paternitas dicatur constituere Patrem. Ad primam confirmationem respond. Pater ex modo significandi est minus simplex, quàm Paternitas, quantum ad hoc, quod Pater significatur quasi concretum, habens Paternitatem & præterea Deitatem. Paternitas autem ex modo significandi non affert Deitatem, sed tantum ex re significata.

9 Ad secundam confirmationem respond. Essentia diuina dici potest aliquo modo constitui ex ente & infinitate simpliciter. Sed licet essentia nullo modo constitueretur, peculiaris ratio persuadet personam constitui, quoniam persona includit essentiam siue Deitatem, realiter vnam in tribus, ratione cuius tres personæ sunt vnum, & vnus Deus; vnde prouenit necessitas assignandi aliquid aliud proprium & peculiare, quo singulæ personæ in sua peculiari quidditate constituantur & distinguantur.

SECTIO II.

Proprietatibus constituuntur, distinguunturq; personæ diuinæ.

1 COnclusio certa est, per aliquam proprietatem positiuam, quasi per formam determinantem ad esse tale incõmunicabile, vnamquamque personam esse constitutam, à cæterisque distinctam. Ita docet Magister 1. distinct. 26. & 27. valde frequenter vocans proprietates distinctiuas. & distinct. 33. cap. 1. & dist. 34. cap. *non ergo*. Alexand. 1. part. quæst. 68. memb. 2. & memb. 5. artic. 6. Albertus 1. part. quæst. 39. memb. 2. art. 1. circa medium. S. Thomas præsenti quæstione 40. artic. 2. & 3. & 1. distinct. 26. quæstione 2. artic. 2. & de potent. quæst. 8. artic. 3. Henricus part. 2. artic. 55. quæstione 1. ad 3. & sequentibus articulis præsertim artic. 56. quæstione 3. Communiter Scholastici 1. distinct. 26. Vbi S. Bonauent. artic. vnico quæst. 4. & distinct. 33. artic. 1. quæstione 1. & 2. Ricardus distinct. 26. artic. 3. quæst. 1. & 2. & distinct. 27. artic. 1. quæst. 1. Durandus distinct. 26. quæst. 2. num. 7. Vbi Scotus quæst. 1. Aureolus artic. 3. Carthusian. eadem distinct. 26. quæst. 1. & 2. & apud eum Ægidius, Petrus de Tarantasia & alij. Maior distinct. 26. quæstione vnica multo propius ad finem quàm ad med. Argentina ibidem quæstione vnica præcipuè art. 3. Ocham & Gabriel quæst. 1. & 2. Marsilius lib. 1. quæst. 31. art. 1. & 2. Capreolus 1. distinct. 26. quæst. 1. Ferrariens. 4. contra gent. cap. 26. à med. Caietan. Canarien. & cæteri recentiores, nemine contradicente, ad præsentem quæstionem 40. artic. 2. & 3.

2 Probatur imprimis communi Patrum consensu, pro cuius generali ponderatione recolendum est quod disputat. 68. sectione 8. probatum fuit, quamlibet personam diuinam distingui personaliter & realiter ab alia per eandem proprietatem, per quam constituitur in ratione talis personæ; licet spiratio actiua formaliter afferat distinctionem, quam virtualiter continet Paternitas & Filiatio, comparatione Spiritus sancti. Hinc igitur colligo, testimonia Patrum, quæ docent, personas distingui proprietatibus, eadem valere ad probandum, quod proprietatibus constituantur; sicut econtrario, quæ dicunt proprietatibus constitui, valebunt ad probandum, quod proprietatibus distinguantur.

3 *Patres asserẽtes personarũ distinctionem aut constitutionem per proprietates.* Dionysius igitur de diuin. nominibus cap. 2. inter princip. & med. ex professo distinguens ea, quæ singulis personis propria sunt, ab illis, quæ sunt communia, dicit: *Distincta & propria sunt, Patris nomen, quod essentiam superat, & res ipsa, Filiiq; ac Spiritus, cum nulla prorsus in his reciprocatio inducatur, aut communitas.* Frequenter autem inferius repetens *distinctiones*, & *proprietates*, adiungit propius ad medium quàm ad princip. *Ea, quæ sunt diuinæ fecunditatis inter se non reciprocari, sed solum Patrem fontem esse cœlestis Diuinitatis, ita vt non sit Pater Filius, nec Filius Pater, sed laudes sanctæ suas cuiq; personæ diuinæ proprietates conseruent.*

4 Basilius homil. 28. contra Sabellianos propius ad med. quàm ad princip. ait: *Vt igitur perspicua tibi sit personarum proprietas, & differentia: numera seorsum Patrem, seorsum quoque Filium.* Frequentius autem proprietates esse notiones, quibus vna persona distinguatur ab alia, repetit epistola 43. ad

ad Gregor. Nyssen. præsertim propius ad med. quàm ad princip. & iterum propius ad medium quàm ad finem. Notentur illa verba prope finem: *Non commutata, nec commixta, quæ in ipsis consideratur proprietate, quasi vel Patri Genitum, vel Filio ingenitum esse quis affingat.* & in fine totius epistolæ: *Manente, quæ in ipsis consideratur, vtriusque proprietate ad hoc, vt euidens sit hypostaseon, hoc est personarum discreta acceptio.*

5 Idem Basilius lib. 2. contra Eunom. propius ad finem, quàm ad medium. *Proprietates*, inquit, *ac notæ, quasi characteres quidam ac formæ, in substantia insectæ distinguunt quidem quod commune est appropriatis characteribus: communicationem verò substantiæ non amputant: vt verbi causa, Deitas communis est, proprietates autem Paternitas & Filiatio.* & post pauca: *Hæc enim proprietatum natura est, vt in identitate substantiæ distinctionem ostendant. Et ipsæ quidem inter se cum ex opposito distinguantur, contrario modo opponuntur.* Ac postquam generalem doctrinam illustrauit exemplis, reperit quod prius etiam asseruerat: *Genitum atque ingenitum specifica ac declaratiua quædam sunt proprietates.* Similia de proprietatibus distinguentibus scribit lib. vnico de Spiritu sancto cap. 18. inter princip. & medium. & homil. 15. de fide, & in alio tractatu de vera & pia fide inter medium & finem.

6 Athanasius dialogo 1. de S. Trinitate statim à med. *Hypostasis*, ait, *proprietatem habet minimè communem hypostasibus, quæ essentiæ subsunt. nec numeri multiplicationem admittit, cum sit vnica, & singularis. Quidquid verò numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet, & quod proprietatem habet, numerum admittit. Ipsa enim proprietas numerum inducit.* Proprietas ergo distinctionem realem inducit; nam ex distinctione resultat numerus. Et paulo inferius: *Pater est proprium Patris, Filius est proprium Filij, & esse Spiritum sanctum Dei est proprium Spiritus sancti.* Deinde sequenti col. *Quando tres hypostases dicimus Patris, Filij & Spiritus sancti, verè esse dicimus proprietatum differentiam in hypostasi, non autem in essentia.* Idem Athanasius in quæstionibus de natura Dei, quæ vocantur anonymæ, quæst. 5. *Omnia*, inquit, *æqualiter habet Pater Filius & Spiritus sanctus præter proprietates suas. Proprium enim Patris ingenitum esse, Filij verò genitum, Spiritus sancti procedere.* & quæst. 7. confitetur, *Tres personas esse tres subsistentias, tria propria, tria indiuidua, tres characteres.*

7 Gregorius Nyssenus libro ad Ablabium, *quod non tres dij*, propius ad principium quàm ad medium. *Hypostaseon*, inquit, *ratio per eas, quæ in vnoquoque considerantur, proprietates dispertitionem admittit, & iuxta compositionem in numero consideratur.* Ac libro de differentia essentiæ & hypostaseos colum. 2. definit, hypostasim esse subsistentiam, *quæ id, quod & commune & indescriptum est, per id, quod de quadam re dicitur, per apparentes nimirum in ea proprietates subijcit, circumscribit, atque definit.* Et multo propius ad medium quàm ad principium de Spiritu sancto dicit: *Hoc signum continet, quo eam, quæ circa hypostasim consideratur, proprietatem agnoscamus.* Rursus in medio: *Nec communio, quæ circa essentiam consideratur, proprietatem insignium tollit.* Denique non longè ante fin. *Neque commiscentur ea, quæ in ijs consideratur, proprietas, vt vel Patri Natiuitas, vel Filio absque natiuitate esse assignetur.*

Ruiz. de Trinitate.

8 Nazianzenus oratione 1. numero 71. *Tres personas*, ait, *confiteri necesse est, cum sua vnamquamque proprietate.* & oratione 23. in laudem Heronis multo propius ad finem quàm ad medium, post numerum 32. *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit, Filij quod genitus, Spiritus sancti quod procedit.* Rursus oratione vigesimaquinta ad Arianos, & de seipso prope finem, numero 52. profitetur, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, *vnam naturam in tribus proprietatibus intelligentibus, perfectis, per se ac separatim subsistentibus.* Vbi proprietatum nomine personas ipsas intelligens, satis aperte significat, quàm sit intima & intrinseca proprietas in quidditate peculiari vniuscuiusque personæ. Deinde oratione vigesimanona de dogmate & constitutione Episcoporum prope medium. *Tres*, inquit, *hypostases siue personæ confitendæ, vnaquæque cum sua proprietate.* & paulo inferius: *Ita nobis proprietatum ratio constabit, si Patrem quidem principij expertem, & principium cogitemus.* Subiungit autem in orationis progressu Filij generationem & Spiritus sancti processionem.

9 Apertiùs autem proprietatibus distingui personas, docuit oratione 32. ad centum quinquaginta Episcopos, multo propius ad medium quàm ad finem, dicens: *Quid vobis hypostases volunt, aut vobis personæ? Nimirum tria esse, quæ diuidantur non naturis, sed proprietatibus. Optimè.* & oratione 37. quæ est 5. de Theologia, inter principium & medium. *Vnum est tria, si proprietatum rationem habeas.* Et propius ad fin. quàm ad medium: *Colamus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, tres proprietates, vnam Diuinitatem.* Denique oratione 39. in sancta lumina circa medium, ante numerum 24. illas Apostoli particulas *Ex quo, per quem, & in quo*, notat, *vnius & inconfusæ naturæ proprietates exprimere.*

10 Cyrillus Alexandrinus dialogorum de Trinitate libro 1. inter medium & finem, præcipit ita coaptari sermonem de identitate naturæ, vt simul explicet *in Patre & Filio differentiam, & valde egrè diiudicabilem proprietatem vtriusque.* & in fine. *Solitariè & verè Pater significatur, dum intelligitur, quod genuit; solitariè autem & verè Filius, dum intelligitur, quod genitus sit. Itaque proprium alteri, quod eius est solius.* Sequenti libro 2. colum. 5. repetit aliquoties *proprias subsistentias*, aut, *existentias proprias.* Similiter libro 6. colum. 4. ac lib. 3. dialogorum colum. 1. fine. *Habitudinem Patris & Filij* vocat *naturalem proprietatem geniti & gignentis.* Denique dialogorum libro 7. prope medium, docet, *Substantiarum proprietatibus, personarumque differentijs dilatatam esse* diuinam naturam.

11 Sophronius Patriarcha Constantinopolitanus in sexta Synodo actione 11. colum. 3. Deum appellat, *subsistentijs, proprietatibus intellectualibus semotum, subsistentibus, numero diuisibilibus.* Deinde colum. 4. rationem ob quam Spiritus sanctus non est Pater, nec Filius, esse dicit, *Propter alterificas horum trium proprietates, propterq; dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfusè vnamquamque figurant personam. Sicut ergo esse Deus vnaquæque inconuertibiliter possidet, ita & proprietatem, per quam ipsa persona figuratur, immutabilem & immobilem obtinet, quæ eidem soli est insita, & ab ipsis alijs personis eam discernit.* Obserua metaphoram in verbo *figurandi*. *Figurari pro distingui.* Nam vt quantitas proprio termino clauditur, eo ipso quod figuratur, & à qualibet alia quantitate

separatur; sic vnaquæque persona terminatur ac constituitur proprietate, distinguiturque à qualibet alia persona.

12 Theodoretus dialogo *immutabilis*, colum. 2. *Hypostasim*, ait, *personam & proprietatem idem significare dicimus, ea, quæ à sanctis Patribus sunt definita, sequentes.* Perpende quod supra in Nazianzeno, quam intrinsecam, & conuertibilem cum persona proprietatem esse putet. Vnde paulo inferius addit: *Quæ hypostases significant, ea non sunt vtique sanctæ Trinitatis communia, sed sunt illius hypostasis, cuius sunt propria. Quemadmodum hoc nomen Pater & Ingenitus sunt Patris propria.* Quod idem continuò docet de Filio Vnigenito, & Verbo: necnon de Spiritu sancto & Paracleto. Rursus libro 2. de principiis colum. penult. de diuinis suppositis docet, esse *proprietate differentia.* Tandem Hebræos 1. ad illud. *Figura substantia dicit, Filium esse alium à Patre, quod attinet ad rationem proprietatis.*

13 Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus inter principium & medium, ait: *Ingenitum, Genitum, & ipsa Processio, quæ sanctam constituunt Trinitatem.* & longè inferius ante medium distinguit, quia *Pater non est Filius nec Spiritus sanctus.* & ait: *Id, quod vt proprium personis tribuitur, vnam ab altera signatè distinguit personam: vt est ingenitum esse peculiariter conuenit Patri.* Sic habet eius textus.

14 Isidorus Peluſiota libro 2. epistola 142. *Trinitatem*, ait, *personarum qualitate, atque hypostaseon proprietate distinguentes, per essentiæ identitatem, eam rursum in vnum contrahimus.* Similia scribit in sequent. epistola 143. ad finem. & libro 3. epistola 141. *Verbum subsistens quiddam est, ac peculiarem proprietatem habet.* & in eodem libro 3. epistola 149. *Diuinum numen proprietatum ratione distinguitur.*

15 Claudat Græcorum ordinem Damascenus, qui libro 1. fidei cap. 9. inter principium & medium, ait: *Omnia quæ habet Pater, Filij sunt, præter ignascendi proprietatem.* Sed libro 3. fidei, capite 5. 6. & 7. frequenter repetit *Characteristicas proprietates.* Eademque phrasi in epistola de Trisagio prope medium, docet, *Solum hypostasibus, & characteristicès vniuscuiusque hypostaseos proprietatibus separari* Patrem, Filium & Spiritum sanctum. & oratione 1. de Natiuitate beatæ Mariæ. *Qui non gignit, sed semper gignitur, cuiq; gigni personalis est proprietas.*

16 Præterea libro de duabus Christi voluntatibus sub initium: *Cum hypostasis*, ait, *hypostasi eiusdem generis comparatur, distare inter se dicuntur, sibi insignitis proprietatibus.* & vniuersaliter libro de decretis primæ institutionis capite 1. & 3. docet, quod *Res illa, qua natura à natura, species à specie, atque hypostasis ab hypostasi, alia ab alia distat, tum differentia, tum qualitas, tum proprietas dicitur.* & cap. 4. proprietatem naturalem, specificam, siue essentialem distinguit à proprietate, quam vocat *hypostaticam & characteristicam*, id est, *insignitam.*

SECTIO III.

Latinorum Patrum testimonia, subiunctis aliys, quæ minus expresè testantur eandem veritatem.

1 Ambrosius in symbolum Apostolorum c. 10. sub init. ita exponit verba Christi Domini. Ioan. 10. *Vnum dixit propter naturam Deitatis: sumus propter personarum proprietates.* & sequenti cap. 11. in med. *Nos*, inquit, *Deitatis personas in proprietatibus suis distinguentes, vnitatem tamen sanctæ Trinitatis inseparabilem confitemur.*

2 Hilarius lib. 4. de Trinitate inter med. & fin. de Patre & Filio sic loquitur: *Vterque itaque vnus solus est, proprietate, videlicet, innascibilitatis & originis.* Quod autem proprietas, constituens vnum & solum, eadem à quolibet alio distinguat, sic docet Hilar. libro 11. de Trinitate sub init. *Vnus vterque est, non vnione, sed proprietate, dum & vnicuique proprium est, vt vnus sit, vel Patri esse quod Pater est, vel Filio esse quod Filius est: & id quod vterque in proprietate sua vnus est.* Sequentique libro 12. in med. *Vt igitur Deo Patri proprium est sine natiuitate; ita Filio debitum est per natiuitatem semper esse.*

3 Augustin. lib. 3. contra Maximinum cap. 10. ad finem, ait: *Propter vniuscuiusque proprietatem tres personæ sunt.* & serm. 38. de tempore ſtatim à med. *Habent singula in Trinitate personæ aliquid proprium, quo inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem.* & paucis interiectis: *Tria essentialiter tria, habentia proprietates suas.* Cuius loci contextus apertè significat, personas distingui proprietatibus. Item lib. 83. quæstionum quæst. 69. parum à principio: *Multa*, inquit, *secundum proprietatem personæ, excepto quod attinet ad susceptionem hominis, de illo ita dicuntur, vt Patrem non aliud, quàm Patrem, & Filium non aliud quàm Filium intelligi oporteat.*

4 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. inter princ. & medium. *Pater*, inquit, *Filius & Spiritus sanctus personarum sunt ab inuicem proprietate distincti.* Et respondens ad primam obiectionem Arianorum sub init. ait: *Dum vera Patris Generatio, & vera Filij Natiuitas prædicatur, in vno genitore & in vno genito, non solùm vnitas substantiæ, verum etiam in vnoquoque proprietas possit agnosci personæ.* Et post pauca: *Non enim ipse est Pater, qui Filius, quoniam in vtroque personarum proprietas reseruatur.* Ac prope finem eiusdem primæ responsionis: *In Patre Deo, & Filio Deo personarum proprietate seruata*, &c.

5 Ioannes Papa I. lib. de duabus naturis contra Eutychetem non longè à princip. cum Augustino dicit: *Trinitas sit propter proprietatem personarum*, &c. Deinde cum Nazianzeno dicit esse *tria secundum vniuscuiusque proprietates*, &c. Lateranense Concil. cap. *Firmiter*, de summa Trinit. ait: *Secundum proprietates personales discreta*, scilicet, Trinitas.

6 Ioannes Latinorum nomine in Concil. Florentino sessione 18. post med. §. *diuina substantia*, ait: *Persona ex substantia proprietatibusq; consistit.* & sessione 19. fine, similiter docet, *personam diuinam ex substantia proprietateq; constare.* Qui modus loquendi notandus est obiter contra nonnullos Thomistas, qui recusant, personas ex essentia & proprietate constituere, dicentes, sola proprietate constitui, de quo diximus disput. 32. sect. 9. versus finem. Marcus denique Græcorum nomine in eadem sess. 19. fine: *Per suas proprietates*, inquit, *re ipsa differunt personæ.*

Concil.

7 Concil. Toletan. Vndecimum in professione fidei multo propius ad med, quàm ad finem. *Est*, inquit, *vnicuique personæ manens sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine natiuitate, Filius æternitatem cum natiuitate, Spiritus sancti processionem sine natiuitate.* Imitatur autem Hilarium suprà citatum ex lib. 12. de Trinitate. Anselmus de Incarnatione Verbi cap. 3. propius ad princip. quàm ad med. docet, esse *propria Pater Genitor, Verbum Filius*, ac sæpe repetit *proprietates & propria*, subiungens, *relationes esse proprias.*

8 Magis apertè constitutionem atque distinctionem personarum per proprietates, docet Ricard. Victorinus lib. 4. de Trinitate cap. 15. & multis sequentibus, præsertim cap. 17. illis præsertim verbis: *In illa absque dubio Trinitate oportet tot personales proprietates esse, quot sunt personæ. Proprietas personalis est, ex qua vnusquisque habet esse is, qui ipse est. Personalem proprietatem dicimus, per quam quilibet vnus est, ab omnibus alijs discretus.* & prope finem capitis: *Proprietatibus incommunicabilibus differunt personæ.* Consequenter autem toto ferè libro 5. discutit proprietates, quibus vnaquæque persona constituitur ac distinguitur, præsertim cap. 13. 14. 15. 17. & 20.

9 Eadem veritas colligitur ex aliis Patribus, qui *propria*, seu *proprietates* commemorant, non alio fine, quàm explicandi quidditatem & distinctionem vniuscuiusque personæ. Iustinus quæst. 17. ad orthodoxos: *Tres consistentiæ*, inquit, *proprijs nominibus sunt tres: ac quam consistentiam vocamus Patrem, non iam eandem vocamus Filium, sed aliam.* Epiphanius hæresi 73. prope med. semel & iterum dicit, *Proprietates personarum subsistentium.* Eodem proprietatis nomine sub eadem significatione vtitur Concil. Constantinopolit. Primum, quod est secunda Synodus generalis, in epistola ad Damasum. & ipse Damasus, (aut alter eius nomine) in symbolo apud Hieronymum tomo 4.

10 Cyprianus lib. de cardinalibus Christi operibus cap. de natiuitate, multo propius ad fin. quàm ad medium. *Spiritum*, inquit, *infundens discipulis, Generationis & Processionis intimans rationes, subtiliter astruens personarum proprietates.* Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 11. fine, obseruat esse varia testimonia Scripturæ, quæ *Vnamquamque personam in sua proprietate constituunt.* Bernardus denique lib. 5. de consideratione ad Eugenium paulo post medium. Supponendo potius, quàm asserendo fauet constituendis ac distinguendis personis per proprietates. Magis autem in epist. 190. ad Innocent. colum. 2. cuius verba referemus disput. 87. sect. 3.

11 Ratio theologica præsentis dogmatis est, quoniam in quibuscumque pluribus inuenitur aliquid commune, oportet quærere aliquid distinctiuum. Vnde cum tres personæ conueniant in eadem essentia, necesse est quærere aliquid, quo distinguantur, vt possint esse plures. Rursus earum distinctionem necesse est intelligi per aliquid intrinsecum illis. Quoniam si distinguantur tantum per aliquid extrinsecum, manentibus eisdem omnibus intrinsecis, iam non erunt plures & distinctæ personæ; sed vna persona pluribus accidentibus, vel extrinsecus adiacentibus affecta.

Opus est intrinseco distinguente.

12 Quemadmodum autem physicum corpus materia constat & forma: sed quæ constituit, est forma, quoniam speciem tribuit, & distinguit à cæteris corporibus, eadem materia constantibus

Ruiz. de Trinitate.

(ad instar cuius concipitur constitutio metaphysica, facta per differentiam, quæ genus contrahit & determinat) sic etiam, licet minus propriè, substantia & accidens considerantur quasi constituta & distincta modis essendi per se & in alio. Eadem igitur ratione diuinæ personæ constituuntur in sua quidditate intrinseca, & ab inuicem distinguuntur per aliquas reales formalitates, quas merito proprietates vocant Theologi, vt ea ratione distinguant illas à cæteris perfectionibus Dei, quæ non vni tantum personæ peculiares, sed omnibus sunt communes.

Confirmatur, quia propter prædictam analogiam ad physicam constitutionem, forma, quæ concipitur in abstracto, constituit illud concretum, cuius est forma. Sed Paternitas concipitur in abstracto tanquam forma Patris. Ergo Paternitas constituit Patrem. Idem intellige de reliquis personis. Porrò has proprietates in abstracto concipi quasi formas personarum, satis constat ex dictis tota disput. 46. Peculiariter autem nomen formarum proprietatibus tribuit Basilius lib. 2. contra Eunom. propius ad fin. quàm ad med. Cuius verba posuimus sectione præced. Idémque lib. 4. contra Eunom. cap. 2. appellat *formas proprias personarum notas & characteres.* 13

Iuxta formæ appellationem Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 2. fine dicit, *esse tres, non substantia, sed forma; non gradu, sed specie.* Characteres etiam sunt figuræ, destinatæ ad distinguendas res corporeas: vnde *characteres*, & *characteristicæ* dicuntur proprietates à Basilio vtroque loco citato necnon ab Athanasio & Damasceno citatis in sect. præced. 14

SECTIO IV.

Vtrum sit realis constitutio personæ diuinæ.

1 Rationes dubitandi sunt. Prima, quoniam constitutio personæ diuinæ ex essentia & proprietate relatiua, traditur à Patribus accurato studio, vt vidimus sect. 2. & 3. Ergo est constitutio realis. Consequentia probatur, nam constitutio non realis, sed rationis, est ficta per intellectum, propterea quæ videtur indigna tam accurato Patrum studio, quasi nihil conferens ad ipsam rei veritatem penetrandam.

2 Secunda, quoniam personæ diuinæ quantum ad Deitatem in re ipsa sunt prorsus vnum; deinde verò realiter & in re ipsa distinguuntur quantum ad personales proprietates. Ergo realiter constituuntur distinctæ personæ per proprietates. Confirmatur primò, quia proprietates non alia ratione distinguunt personas, nisi quatenus eas constituunt in tali quidditate, quæ realiter non est alia quidditas. Ergo distinctio non poterit esse realis, nisi constitutio sit realis. Confirmatur secundò, quia non videtur esse maior ratio, propter quam distinctio sit realis, potius quàm constitutio. Ergo realis erit constitutio *sicut* distinctio personarum.

Secũda ratio dubitandi.

3 Tertia ratio, nam si constitutio est ens rationis; etiam constitutum erit ens rationis. Sed constitutum non est ens rationis. Est enim persona diuina realis, atque realiter subsistens. Ergo constitutio illius non est ens rationis. Confirmatur, quia non modò totum illud constitutum est ens reale, sed etiam formalis ratio constitutiua personæ est ens reale; vt probatum est disput. 32. sect. 5. & relatio secundum vltimam rationem

Tertia ratio dubitandi.

relationis, id est, secundum *esse ad*, est realis, vt probatum est disput. 9. præsertim sect. 5. & 6.

4 Nihilominus sit vnica conclusio bimembris. In sensu materiali non absurdè vocari potuisset realis constitutio personæ diuinæ: proprius tamen & magis scholastico sensu vocari debet constitutio rationis ac per intellectum, & non realis. Primum membrum probatur, quia Pater non ita constituitur in ratione personæ, vel in ratione Patris, sicut constituitur in ratione creatoris & domini per relationem rationis, siue denominationem extrinsecam à creatura sibi subiecta: quam ob causam esse creatorem & dominum, non est formaliter aliquid reale, sed ens rationis. At verò realissimum & infinitum ens est formaliter esse Patrem aut esse Filium, aut esse talem personam cum tali peculiari quidditate, & reale quid est essentia diuina, realis quoque Paternitas, qua diuina essentia determinatur ad esse Patris.

Realis est constitutio in esse materiali.

5 Secundum membrum, videlicet, formaliter esse constitutionem rationis, secundum considerationem intellectus, minus expresè traditur à Capreolo 1. distinct. 26. quæst. 1. artic. 3. ad argumenta Gregorij contra primam conclusionem. Magis apertè tamen traditur à Ferrarien. 4. contra gent. cap. 26. post med. §. *ad euidentiam.* & sequenti. Caietano in præsenti quæstione 40. art. 2. circa responsionem ad 1. Vbi Canarien. in 3. parte commentarij, & in art. 4. parte 2. commentarij. De his tribus authoribus vereor, ne forte conclusione præsenti significare voluerint, quod alibi manifestè docuerunt, relationem diuinam, secundum *esse ad*, quod est vltima ratio relationis, non esse ens reale, sed merum ens rationis. Hoc enim esse periculosum & errori proximum disputatione 9. sect. 6. fine deduximus ex superioribus sectionibus.

Constitutio formaliter est ens rationis.

6 Recentiores tamen authores, admittentes formalissimam rationem relationis esse realem, nihilominus asserunt constitutionem personæ non esse realem, sed rationis: vt Molina in præsenti quæstione 40. artic. 2. disput. 1. versus fin. Valentia sua quæstione 14. puncto 2. sub init. & in progressu. Vazquez disputatione 158. cap. 2. num. 5. Suarez lib. 7. de Trinitate cap. 3. Colligitur efficaciter ex D. Thoma tota quæstione 40. præsertim artic. 2. & 3. imo ex omnibus Scholasticis citatis sect. 2. Omnes enim non realiter, sed sola ratione ratiocinata relationem, proprietatem, siue notionem distinguunt ab essentia diuina, nec non à persona, quam constituit: vt vidimus etiam disp. 11. & 12. atque disput. 46. sect. 5.

7 Ex quo fundamento consurgit efficax ratio conclusionis, quia constitutio actualis requirit aliquam distinctionem inter duas res, constituentem, videlicet, & constitutam. Quapropter vbi distinctio realis est, sicut inter materiam & formam; ibi constitutio realis est, videlicet corporis physici. Contra verò si res constituens ante operationem intellectus est prorsus idem, quod res constituta: non potest inter eas ante intellectus operationem constitutio interuenire. Restat ergo, vt constitutio sequatur, postquam intellectus conceperit rem constituentem, quasi distinctam à re constituta, & quasi formalitatem vnius tantum personæ, condistinctam à cæteris formalitatibus, quæ omnibus personis conueniunt. Quocirca constitutio pendebit ab operatione intellectus.

8 Ad rationes dubitandi respond. Ad primam. Non est fictum quod Deo tribuitur cum fundamento in re, secundum rectum & exactum modum intelligendi: propterea que non est indignum accurato studio Patrum. Cuius veritatis sufficiat exemplum diuinæ substantiæ, naturæ vel essentiæ, quam esse communem tribus personis, accuratissimè tradunt, atque defendunt. Quamuis enim communitas ipsa, formaliter sumpta, sit ens rationis: vt ostendimus disputat. 13. sect. 4. illius tamen reale fundamentum erat vna simplicissima Diuinitas, tribus personis identificata, quam ostendere necessarium erat, vt Patres defenderent, non esse tres deos, sed vnum Deum. Tales igitur distinctiones rationis ratiocinatæ sunt aprimè necessariæ confutandis erroribus, aperiendis fallaciis argumentorum, & diuinis rebus melius penetrandis. Quam ob causam in Conciliis celeberrima fuit differentia vsiæ & hypostasis: vt vidimus disput. 31. & tribus sequentibus, præsertim disputat. 32. sect. 6. quæ differentia secundum nostram considerationem tantum est, & ex illa prouenit constitutio secundum rationem.

Magnum est momentum in distinctione rationis ratiocinatæ.

9 Ad secundam respond. In Deo realis est vnitas essentiæ, realis est Paternitas, Filiatio & Processio, realis quoque distinctio illarum ab inuicem. Nihilominus quod Pater, Filius & Spiritus sanctus ita sint vnum quoad essentiam, vt non se totis atque totaliter sint vnum; atque insuper; quod ita distinguantur ab inuicem, vt non se totis, & adæquatè distinguantur: hoc per nostram considerationem humano modo concipitur cum fundamento in re; quatenus concipimus illud, in quo sunt vnum, quasi distinctum ab ea formalitate, secundum quam non sunt vnum.

10 Vnde ad primam confirmationem respond. hac explicatione antecedentis. Proprietates distinguunt personas, quatenus eas constituunt fundamentaliter, hoc est, quatenus vnaquæque proprietas est quidditas vnius personæ ita peculiaris, vt non sit quidditas alterius personæ. At verò quatenus formalis & explicita ratio constitutionis conuenit proprietatibus, vt sic nō distinguunt personas; sed realis illarum distinctio fuit occasio, vt noster intellectus conciperet constitutionem. Ad secundam confirmationem respond. Maior est ratio, propter quam realis esse debeat distinctio, quoniam respicit terminum realiter distinctum, qui respectus est realis. At vero respectus ad terminum sola ratione distinctum, & pendens à distinctione rationis, non potest esse realis. Huiusmodi autem est constitutio formaliter sumpta.

11 Ad tertiam cum confirmatione respond. Constitutum ex essentia & proprietate personali, sub ratione formali constituti, non est ens reale, sed ens rationis. Hæc enim formalitas per nostram considerationem addit ur supra personam, quæ sub ratione personæ, & sub ratione relationis est ens realissimum. Quemadmodum etiam homo sub ratione formali hominis, est ens reale. Cæterum ens rationis est hominem esse constitutum genere ac differentia, vel definitum esse per illa.

SECTIO V.

Vtrum omnis proprietas constituat, atque distinguat personam diuinam.

1 MAius negotium hæc quæstio nobis faceſſeret, nisi præcipua difficultas illius fuisset iam superata disput. 47. sect. 5. Vbi ostendimus, apud

apud antiquos Patres & authores Scholasticos esse tres acceptiones istius nominis *proprietas*. Extenditur enim quandoque, vt comprehendat omnes notiones, videlicet non modo tres relationes Paternitatem, Filiationem & Processionem, sed etiam innascibilitatem, & spirationem.

2 *Dictum primum.* Sub hac igitur latitudine sumendo proprietatem dicendum est primò. Quæcumque proprietas distinguit personas, non quæcumque proprietas constituit. Quod attinet ad distinctionem probatur, nam tres suprà dictas relationes distinguere, manifestum est; insuper innascibilitatem esse notionem, qua distinguatur Pater à Filio & Spiritu sancto, satis apertè docent Patres, citati sect. 2. & 3. Sed magis directè tractatum est supra disput. 47. sect. 2. Denique spirationem actiuam esse notionem, qua Pater & Filius distinguantur à Spiritu sancto, probatum est eadem disput. 47. sect. 3.

3 Alterum assertionis membrum, videlicet, non omnes proprietates constituere personam aliquam, probatur, quoniam imprimis innascibilitas non potest constituere personam realem & positiuam, cum innascibilitas formaliter consistat in negatione seu priuatione, quamuis pro reali fundamento habeat Paternitatem: vt probatum est tota disp. 53. Vnde cessat prorsus illa quæstio Scholasticorum in 1. dist. 28. Vtrum innascibilitas constituat personam Patris. Deinde verò spiratio actiua, licet sit realis relatio, non constituit, sed intelligitur superuenire personis iam constitutis: vt probatum est disp. 17. sect. 6. & disp. 70. sect. 3.

4 *Dictū secundum.* Secunda proprietatis acceptio restringitur ad eas tantum, quæ vni personæ conueniunt, iuxta quam spiratio actiua non est proprietas, quoniam duabus personis est communis. De hac igitur acceptione dico secundò. Non omnis proprietas constituit. Siquidem innascibilitas soli Patri conuenit, & non constituit Patrem, vt dictum est.

5 *Dictum tertium.* Tertia magis contracta proprietatis acceptio solas tres relationes complectitur, Paternitatem, Filiationem & Processionem. Iuxta quam acceptionem Dico tertiò. Quæcumque proprietas constituit atque distinguit. Quod ex præcedentibus sectionibus constat, & magis constabit sequentibus disputationibus. Denique pro hac & sequentibus disputationibus admoneo, nunc non tractari, nisi de formali & vltimo constitutiuo personæ. Nam quod persona constet non tantum proprietate relatiua, sed etiam essentia siue substantia, quam de materiali claudit, iam vidimus disput. 32. sect. 9. versus finem.

DISPVTATIO LXXXVII.

Vtrum relationibus, aut originibus constituantur, ac distinguantur personæ.

SECTIO I.

De proprietate absoluta & origine plures opiniones.

1 *Prima sententia.* PRIMA docuit, diuinas personas absolutis proprietatibus esse constitutas atque distinctas; veruntamen eas proprietates non multiplicari, nisi media origine, quæ fundat relationem. Hoc enim temperamento putat explicari posse Patres, qui docent, diuinas personas distingui per origines ac relationes. Huius author fuit imprimis Guillerm. Parisien. in tractatu de Trinit. cuius verba refert Carthusian. 1. sentent. disp. 26. q. 2. post med.

2 Eandem sententiam refert, & fusè corroborare nititur, ita vt in eam magis, quàm in aliam propendere videatur, Scotus 1. disput. 26. quæst. 1. §. *tertia opinio.* & sequentibus. Atque in eius margine citatur etiam Ioannes de Ripa. Tribuitur etiam hæc sententia Linconiensi & Licheto; dubito tamen an verè vel falsò tribuatur. Falsò namque tribuitur S. Bonauenturæ cuius mentem referemus opinione sexta. Tribuitur item Henrico. Sed ille directè contrarium docet 2. parte summæ art. 54. quæst. 3. præsertim dum impugnat sententiam Alexandri, & artic. 58. quæst. 4. post med. Huius sententiæ fundamenta postulant examen peculiare ac magis exactum, cuius locus erit tota disp. 91. præsertim sect. 3. & sequentibus.

3 *Alioriū sententia.* Hanc erroneam esse censuit Carthusianus 1. dist. 26. quæst. 2. §. penultimo. Canarien. Zumel & alij recentiores ad præsentem quæst. 40. Vbi Bañez hæresim appellat. Mitigant verò censuram Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 5. num. 5. asserens esse satis, notari, vt improbabilem & contrariam sensui theologorum. & Vazquez disp. 158. cap. 3. dicens, non ita planè posse damnari quod ad constitutionem attinet; tametsi lapsi fuerint ij doctores quantum ad distinctionem.

4 *Magis excusabilis Scotus.* Ego verò præmitto magnam excusationem Scoto fauere potius, quàm Guillermo. Asseuerauit enim simpliciter, atque decreuit Guillermus, quod non est ausus Scotus, sed tantum ostendere modum probandi & defendendi eam opinionem, nihil asseuerando. Adde quod Guillermus negauit omnino relationes reales in Deo & creaturis, quas concedit Scotus. vt vidimus disp. 9. sect. 1.

5 *Errori proxima sententia, quæ personæ constituit proprietatibus absolutis.* Nunc igitur saluo personarum honore, (nam & Guillerm. fuit valde pius & doctus) prædictam eius sententiam, existimo, vt minimum, esse proximam errori. Quoniam satis aperta testimonia Conciliorum & Patrum, partim citata disp. præced. sect. 2. & 3. plenius autem referenda in sectionibus sequentibus, confirmant relationibus non modò distingui, sed etiam constitui diuinas personas. Ergo absolutæ proprietates non constituunt saltem primaria constitutione. Consequentia probatur, implicat enim contradictionem, proprietatibus absolutis fieri primariam constitutionem, si fit proprietatibus relatiuis. Relationes enim inuenient primariam constitutionem iam factam per absolutas proprietates, quæ priores erunt, quàm relatiuæ. Sicut omne absolutum in Deo prius est quàm relatiuum.

6 Quod autem Patres asseruerint, primariam constitutionem ac distinctionem fieri per relationes, inde manifestè colligitur, quia nullam mentionem faciunt de proprietatibus absolutis, nec de cōstitutione secundaria; sed ad constitutionem ac distinctionem solummodo proferunt relationes, & insuper origines, de quibus sect. 5.

7 Confirmatur primò, quia si prima persona constitueretur proprietate absoluta; sequeretur, primæ personæ conuenire aliquam proprietatatem realem, quæ non conuenit Filio; vltra hoc quod est esse Patrem, cuius oppositum videbimus sect. 4. probat. 7. Secundò, nam sequeretur, aliquid absolutum non esse commune tribus personis. Cuius oppositum docent Concilia & Patres re-

ferendi sect.2. & 3. Aliáque sequerentur absurda contra testimonia Patrum referenda tribus sectionibus sequentibus.

8 *Secunda sententia temeraria & non tuta.*

Propter easdem rationes temeritate periculóque non vacat secunda sententia, dicens, dabilem esse viam negandi respectus omnes, non tantum in creaturis, sed etiam in Deo; si dicamus personas diuinas non constitui per relationes, sed per proprietates absolutas. Hanc conditionalem docuit Ocham. 1. dist.30. tota quæst. 4. præsertim à med. Vbi Gabriel eadem quæst.4. art.1. præsertim concl.5. A quibus in re ipsa *non* discrepat Gregorius 1. dist.28. tota quæst. 2. prout fusius explicui disp.9. sect.1. in errore 2.

9 *Tertia sententia erronea.*

Tertiò, quantum periculi fuerit in prædictis sententiis declarauit euentus, nam earum authoritate freti recentiores aliqui theologi, non modò dixerunt, personas constitui proprietatibus absolutis, sed etiam à parte rei nihil amplius in Deo esse præter absoluta. Negarunt igitur planè relationes reales in Deo. Quem esse errorem fidei contrarium, probatum est tota disp.9.

10 *Quarta sententia.*

Quartò ad prædictas sententias proximius accedunt, qui dicunt, diuinam personam constitui relatione, non quidem vt relatio est, sed prout est hypostatica forma, quam referemus & impugnabimus disp.89. sect.1. *Quinta sententia.* Quintò accedunt etiam, qui dicunt personam diuinam constitui per conceptum, formaliter abstrahentem à relatiuo & absoluto, quam referemus & impugnabimus eadem disp.89. sect.2. sentent.3.

11 *Sexta sententia.*

Hactenus retulimus opiniones, quæ recedunt à relatione, vt accedant ad absolutum constitutiuum. Sequuntur opiniones, quæ per originem constituunt. Sit ergo sexta sententia quæ docet, personam diuinam constitui personaliter ac distingui proprietate personali, non prout est relatio, sed prout est origo. Ita existimat S.Bonauen. 1. disp. 26. quæst. 2. & 3. & tota disp.27. si bene conferantur quæ tractat in illis, clarius tamen de distinctione, quàm de constitutione loquitur. Aureolus autem licet aliter loquatur, in re tamen idem sensit dist.26.art.2.col.2. & 3. nec nondum respondet *ad tertiò obiecta & ad quartò obiecta.*

12 *Septima sententia.*

Fundamentum est, quia licet hæc sententia fateatur, in conceptu proprietatis includi relationem & originem: priorem tamen existimat esse originem, posteriorem verò relationem, quoniam origo sit ratio fundandi relationem. Hæc sententia refutabitur sect. 5. Prioritas autem inter originem & relationem examinabitur dispur. 91. sect.2. ad 3. Septima sententia concedit, *promiscuè dici posse*, personas diuinas constitui & distingui relationibus & originibus, quandoquidem relatio & origo sunt idem prorsus re & ratione formali. Hanc docuit Gabriel 1. dist.26.quæst.1. art.3. Molina in præsenti quæst.40. art.2. disp.2. memb.3. coroll. 3. Sed non indiget alia refutatione, præter eam, quæ resultat ex disp.85.sect.1. Vbi probatum est, originem & relationem distingui ratione ratiocinata. Corruit igitur fundamentum, quo sublato nulla ratione poterit illa sententia sustineri.

SECTIO II.

Relationibus personaliter constituuntur, ac distinguuntur tres diuinæ personæ.

1 HVius veritatis declaratio maior multiplici conclusione tradetur sequentibus sectionibus ac disputationibus. Quarum omnium solidissimum fundamentum est vnica conclusio, quæ sub hac generalitate manifestè probatur ex sacris literis è Patribus. Conclusio autem est, quæ continetur in titulo sectionis. Eam docet maior & nobilior Scholasticorum numerus, quos citabimus sect.5. sub initium. Et quantum ad hanc conclusionem præcisè consentiunt etiam S. Bonau. Aureolus & Molina citati sect. præced. sententia 6. & 7.

2 Probatur primò, quia sacræ literæ nunquam diuinas personas appellant, nisi nominibus, significantibus relationem, vel originem. Cuiusmodi sunt, Pater, Filius, Vnigenitus, Verbum, imago, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, & *quem ego* (ait Filius) *mittam vobis à Patre.* vt constat Ioan. 15.16.17. 1. Ioan.5. Matthæi 28. Roman.8. Galat.4. & alibi sæpe.

3 *Euasio.* *Excluditur.*

Respondebit aliquis, hoc argumentum ab authoritate negatiuè procedere; propterea que nullam, vel exiguam vim habere. Quam euasionem excludo, quoniam hoc argumentum non est ab authoritate negatiuè; sed affirmatiuè. Christus enim Dominus ea nomina personis imposuit, quæ optimè quadrant in illas, prout à nobis in hac vita possunt concipi, atque distingui. Sed hæc nomina ex natura & primaria impositione significant relationem, non verò formalitatè aliquam absolutam. Ergo non formalitas absoluta, sed relatio est propria & peculiaris nota, seu notio cuiusque personæ: ac proinde persona per illam primariò principalitérque distinguitur; vnde consequens est, vt per eandem constituatur. Sapienter enim Nazianz.orat.37.quæ est 5. de Theolog. col.5.ait: *Mutuæ eorum relationis differentia, diuersa quoque ipsis nomina procreauit*, nimirum Patris & Filij.

Personarum nomina relatiua sunt.

4 *Discrimen aliorum nominum.*

Confirmatur primò, simúlque refutatur solutio, quam adhibet Scotus, quoniam *Rex, Dux,* aliáque similia nomina non significant personas in ratione personæ, sed tantum in ratione muneris: ideóque necessarium est alia priora nomina conuenire personis, quæ veræ sint illis propria ratione quidditatis potius quàm ratione muneris. Nec inueniuntur alia nomina priora, magisque propria, nisi prædicta nomina relatiua. Vnde Chrysost. homil.5. de incomprehensibili Dei natura col.2. sic distinguit nomina Dei *propria, vt personarum denotetur proprietas, Pater namque & Filius nomen personæ proprium est: Deus verò & Dominus commune.*

5 Confirmatur secundò, nam cætera nomina tribuuntur aliquãdo tribus personis, aut Deo, quantum ad essentiam communem; ideóque non accipiuntur pro particulari persona, nisi propter adiunctam aliquam declarationem. In quo genere sapientiæ nomen, quoties accipitur pro Filio, habet in contextu declarationem ex eo, quod dicatur esse concepta vel nata, vel esse apud Deum, & cum Deo.

6 Hanc igitur fuisse rationem, propter quam Christus Dominus, prætermissis nominibus essentiæ diuinæ, qualia sunt *incorruptibilis, & ingenitus, Baptizare iusserit in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Nimirum, quia *collegit, & præ aliis præposuit nomina, distinctissimè nobis constituentia vniuscuiusque significati propriam existentiam,* notat Cyrillus Alexand. Dialog. de Trinit. lib.2. col.5. Quod inferius confirmans adiunget, Scripturam sacram vnicuique personæ *distribuere conueniens nomen*, iuxta propriam subsistentiam vniuscuiusque

que: prout retulimus disputatione 9. sectione 2. probat.1.

7 Symbolum verò sub nomine Damasi (inter opera Hieronymi tomo 4. prope medium ait: *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti vnum confitemur Deum, quod nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est Patri Pater: & proprium nomen est Filio Filius: & proprium nomen Spiritui sancto est Spiritus sanctus.*

8 Confirmatur tertiò, nam prædicta probatio robur maximum accipit ex eo, quod de mysterio Trinitatis cognoscere nihil possumus, nisi per reuelationem supernaturalem. Quapropter asseritur temere & cum manifesto deceptionis periculo quælibet proprietas personarum, quæ nec traditur in Scriptura, nec ex illa colligitur. Quartò, nam Spiritus sanctus qui relationum nomina nos docuit in sacris literis, ad distinguendas dignoscendásque singulas personas; idem sacros Ecclesiæ doctores impulit, vt perspicuè manifestéque docerent, diuinas personas relationibus esse constitutas atque distinctas.

9 *Præoccupatur solutio.*

Quinta confirmatio sit præoccupatio solutionis. Quamuis enim non modò relationum, sed etiam originum vocabula reperiamus in sacris literis, veluti *generare, concipi, genitum esse, procedere, exire.* Veruntamen hæc non assignantur tanquam nomina personarum, sed tanquam nomina productionum. Ideóque non primariò constituunt origines; vt videbimus sect.5.

10 Probatur secundò ex Conciliis. Nam in Florentino sess.18.post med.§.*diuina substantia*, Ioannes Theologus Latinorum, tacitè approbante Concilio, quod eius nomine disserebat, ex sententia Græcorum Patrum præcipuè Gregorij Nazianzeni oratione 39. in sancta lumina, quam vocat sermonem Epiphaniæ, probat, *Proprietates nequaquam communicabiles esse, quod ex relationis vi creditur euenire.* Paulóque inferius adiungit: *Nil nisi principij habitudo est, in quo hæc duo considerantur, à quo aliquid & ad quod aliquid.*

11 Et quod euidentius est in sequenti §. *dixi equidem.* concludit: *Sola relatio apud omnes Græcos & Latinos doctores diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa à quo & ad quod, de quibus suprà dictum est, conueniunt. Siquidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt non alia ratione, quàm vi relationis, Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant, quem quidem in modum etiam Spiritus ab alio est,* &c.

12 Eiusdem Florentini Concilij tacitam approbationem habet oratione pro vnione, quæ ponitur post illius finem, in cuius cap.6. multo propius ad med. quàm ad fin. colum.8. & 9. Bessarion Patriarcha, præmissa reali identitate relationis & originis, infert: *Ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ, prius tamen & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur diuinæ personæ,* &c. Et paucis interiectis: *Vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ, sed principalius relatione, siue proprietatibus.*

13 Concil. Toletanum Vndecimum, tacita Summorum Pontificum, & Theologorum authoritate munitum, in confessione fidei cap.1. *In relatiuis*, ait, *personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus sanctus ad vtrosque refertur. Quæ cum relatiuè tres personæ dicantur; vna tamen natura per substantiam creditur.* Et non longè inferius: *In relatione personarum numerus cernitur.* Et post pauca: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Eadem verba reperiuntur in Concilio VVormacienſi prouinciali in professione fidei sub init.

14 *Soluitio.* *Refutatur.*

His aliisque similibus respondent nonnulli Theologi, nihil in illis tractari de constitutione personarum per relationes, sed tantum de distinctione personarum per relationes. Veruntamen hoc est falsum; & licet verum esset; non eneruaret prorsus argumentum. Quod probo primò, quoniam Bessarion Verbis proximè citatis expressè dicit; *Per quas etiam constituuntur.* & subiicit: *Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam, sed Paternitas & Filiatio.*

15 Refutatur secundò, nam in Concil. Florentino prædictus Ioannes Theologus sess.19. fine, docet, *Personam diuinam ex substantia proprietateq; constare.* Quemadmodum etiam præcedenti sess. 18. post med. §. *diuina substantia*, dixerat: *Persona ex substantia proprietatibusq; consistit.* & paulo inferius in §. *Dixi equidem*, probat, hanc proprietatem esse relationem principij, & procedentis à principio omnium Græcorum & Latinorum consensu; quemadmodum paulo superius retulimus. Portò cum hoc fuerit vnum ex præcipuis fundamentis, quibus probatum est, etiam Filium esse principium Spiritus sancti, nec aliter ab eo posse distingui, habet hoc authoritatem fidei proximam. Tertiò refutatur, eadem quippe proprietas, quæ personam constituit, eam distinguit à cæteris siue formaliter siue radicaliter: quod ipse etiam Scotus propugnator constitutionis per absolutas proprietates, fatetur: vt vidimus disp.68. sect.8.

Authoritas fidei proxima.

16 Refutatur quartò, quia si tres personæ constituerentur proprietatibus absolutis, licet fingas per illas non distingui personas: adhuc necessariò sequitur, absolutas proprietates esse realiter distinctas. Sequela probatur, quia proprietas constitutiua vnius personæ, non potest constituere aliam personam, nec realiter identificari cum proprietate constituente aliam personam. Quapropter erunt tres proprietates absolutæ realiter distinctæ. Cuius oppositum expressum est in verbis adductis ex Concil. Tolet. Vndecimo: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Quod idem repetit multiplici phrasi. Quintò, quia personæ constituuntur proprietatibus, vt probatum est disputatione præcedenti. Sunt autem idem proprietates & relationes in diuinis iuxta modum loquendi omnium Patrum; vt ostendemus sect.4. probat.6.

17 Tandem istę refutationes adhibeantur ad præmuniendas probationes, in hac & sequent. sect. afferendas. Nam dictis refutationibus præcluditur aditus euasionibus, quas quærunt authores contrariæ sententiæ. Manétque constituta regula declarandi quæcumque testimonia loquuntur de distinctione, vt virtualiter idem de constitutione dixisse putentur.

18 Tertiò probatur ex Patribus Græcis. Nazianz. oratione 37.quæ est 5.de Theologia col.5. *Ex his verbis*, ait, *quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, effectum est, vt alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur: atque ita inconfusa trium personarum distinctio in vna Diuinitatis natura conseruetur.* Totus insuper illius loci contextus indicat, sola relationis differentia distingui personas diuinas. Idem orat.39. in sancta lumina, circa med.

med. adductis verbis Apostoli 1.Corinth.8. quibus tres propositiones *ex quo*, *per quem*, & *in quo* singulas distinctis personis accommodat, vocat eas *proprietates & verborum ordines*. post pauca subinferens, eas proprietates non posse *moueri seu mutari*, videlicet vt Pater desinat esse Pater, aut sit Filius, vel Filius desinat esse Filius, aut fiat Pater. Quo vno fundamẽto Ioannes Theologus in Concil. Florentino sess. 18. post med. refert ex Nazianzeno verba, quæ probatione 2. retulimus, *Proprietates nequaquam communicabiles esse, quod ex relationis vi creditur euenire.*

19 Gregorius Nyssenus lib. ad Ablabium, *quod non tres dij*. prope finem. *Eam*, inquit, *quæ circa causam & causatum considerat, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus. Nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa.* Vbi postquam Filium à Spiritu sancto distinxit, eo quod immediatè procedit à Patre Filius, quo mediante procedit Spiritus sanctus à Patre (modo declarato supra disp. 69. sect. 3. & 4.) subiungit: *Causam autem, & id quod ex causa est, dicentes, non naturam per hæc nomina significamus (nec enim aliquis eandem causæ & naturæ rationem reddiderit.) Sed eam, quæ est secundum aliqualiter esse, differentiam indicamus.* Quapropter hæc differentia non pertinet ad substantiam, sed ad modum existendi substantiæ. Nullus est autem alius modus existendi substantiæ diuinæ, nisi relatio, iuxta phrasim antiquorum Patrum, quem vidimus disp. 12. sect. 6.

20 Vnde in fine eiusdem libri concludit: *Quoniam igitur hypostaseis sanctæ Trinitatis causæ ratio discernit, aliud quidem absque causa, aliud verò ex causæ esse postulans; diuina autem natura & variationis & diuisionis expers est*, &c. Causam & causatum siue ex causa Nyssenus dicit more Græcorum, quod Latini dicunt principium, & procedens à principio, siue, *à quo aliquid*, & *ad quod aliquid*. Has autem formalitates esse habitudines ac relationes, pro certo docent disputatores Florentini Concilij sess. 18. post med. §. *diuina substantia.* & §. *dixi equidem*, in cuius medio vocant istam *habitudinem principalem*, quia est inter principium, & rem procedentem à principio. & §. *vsu venit*, confirmant, esse habitudinem *à quo aliquid, & ad quod aliquid.*

21 Confirmatur, quia Nyssenus expresè fatetur rationem Patris & Filij esse relatiuam. Rursúsque docet alibi, Spiritum sanctum distingui à Patre, quia non est Pater, & quia est ex principio; cæterum à Filio distinguitur, quia Filius vt vnigenitus est productus à solo Patre. Ergo Nyssenus intelligit relationes principij & procedentis à principio, quando distinguit personas per causam & illud quod est ex causa. Prima pars Antecedentis probatur, quia Nyssenus epistola contra Apollinarem de imagine & similitudine, multo propius ad fin. quàm ad med. de Patre & Filio sic loquitur: *Vt infiniti relatas inter se ac mutuo connexas proprias habent appellationes. Vbi enim quis Patrem nominauerit, certum est, cum Filij cuius piam significationem intulisse.* Perpende Patris & Filij appellationes esse vnicuique proprias, non communes vtrique, & esse relatiuas.

22 Altera pars antecedentis constat ex eodem Nysseno lib. 1. contra Eunomium, (qui nondum euulgatus extat inter Latinos) Bessarion autem in prædicta oratione pro vnione c. 6. inter princ. & medium refert illius hæc verba: *Spiritus Patri coniunctus secundum quod vterq; increatus est; rursus ab eo distinguitur, eo quod non est Pater, prout ille est, Filio verò & secundum quod vterque increatus est, & secundum quod vterque ex primo principio suam subsistentiam habet, coniunctus est, distinguitur ab eo sua proprietate, quæ est, quod nec vt vnigenitus ex Patre productus est, & quod per ipsum Filium sit manifestatus*, id est, productus, vt rectè probat idem Bessarion.

Multo plura & magis aperta præsentis dogmatis testimonia tulit Cyrillus Alexand. Qui lib. 2. thesauri cap. 3. propius ad princ. quàm ad med. *Cum simplex*, ait, *natura Deitatis sit: nunquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inuenirentur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem.* Idem lib. 7. thesauri cap. 1. paulo post med. *sola diuersitate relationis, quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur.* Rursus in lib. 11. thesauri cap. vnico non longè ante fin. admonet, esse aliqua Dei nomina, quæ *relationem quandam ad exprimendam distinctionem ostendunt.* Quod paulo inferius ita exponit: *Pater genitorem Filij demonstrat, à quo distinguitur, quia Pater, non Filius est.* Ergo distinguitur Paternitate, quæ formaliter est relatio.

Damascenus 1. fidei cap. 11. ante med. *Vnum*, inquit, *agnoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus Paternitatis, Filiationis & Processionis secundum causam & causale, & personalem perfectionem, id est, existentiæ modum, differentiam intelligimus.* Et lib. 3. de fide cap. 5. 6. & 7. vocat eas characteristica idiomata. Idem probatur ex epistola de Trisagio in medio, cuius verba referemus disput. 88. sect. 2. fine.

Denique Dionysius ea ratione distinguens Patrem à Filio, quoniam Pater non est Filius, nec Filius est Pater, & has vocans, *suas vniuscuiusque personæ proprietates*, satis apertè significat, relationes Paternitatis & Filiationis esse proprietates, quibus distinguuntur duæ personæ. Sic enim de diuinis nominibus cap. 2. post med. ait: *Ea quæ sunt diuinæ fœcunditatis in se non reciprocari, sed solum Patrem esse fontem cælestis Diuinitatis; ita vt non sit Pater Filius, nec Filius Pater, sed laudes sancte suas cuique personæ diuinæ proprietates conseruent.*

SECTIO III.

Latinorum Patrum clariora testimonia.

QVarta probatio continet plures syllogismos, eodem fundamento subnixos. Primus. Nulla proprietas constituens vnam personam, est communis omnibus personis. Sed omnis proprietas absoluta est communis omnibus personis. Ergo nulla proprietas absoluta est constituens vnam personam. Secundus syllogismus. Eadem forma fieri potest de proprietate distinguente personam, quæ non potest esse communis aliis personis, à quibus distinguit.

Tertius syllogismus sit. Quod vnam personam constituit, non conuenit omnibus personis. Sed sola relatio non conuenit omnibus personis. Ergo sola relatio constituit personam. Eadémque forma probari poterit solam relationem distinguere personas, quia sola relatio non conuenit omnibus personis.

Horum syllogismorum Maior est euidens ex terminis. Minor verò, videlicet, omnẽ proprietatem absolutam esse communem omnibus personis, & solam relationem non esse communem omnibus personis, probatur imprimis ex Augustino,

1

2

3 *Omne absolutũ est communẽ, solare-latio non est communis.*

stino, qui constanter, vbique docet, Patrem, Filium & Spiritum sanctum non esse tres, sed vnum tantùm, secundum ea omnia, quæ substantialiter dicuntur, qualia sunt Diuinitas, essentia, sapientia, bonitas, potentia, & alia eiusmodi: cæterum quoad ea solummodo, quæ relatiuè dicuntur, non esse vnum, sed tres, nec prædicari de se inuicem. Vnde colligit, Patrem non esse Filium, & vtrumque non esse vnum Verbum, nec vnam imaginem. Ita docet lib. 5. de Trinit. cap. 8. à princ. & cap. 11. à princ. Fusius autem lib. 7. cap. 2. & cap. vlt. inter med. & fin. & per epilogum lib. 8. cap. 1. initio. & lib. 11. cap. 10. prope med. Idem frequenter repetit serm. 38. de tempore præsertim inter princ. & med. & propius ad med. quàm ad princ. & paulo post med. & propius ad finem, quàm ad med. Hanc Augustini doctrinam recipiunt Magister & communiter Scholastici 1. dist. 22. cap. *Sciendum.* & cap. *Deus.*

4 *Expositio violenta.* Veruntamen Scotus 1. dist. 26. quæst. 1. circa med. §. *ad illa.* respondet, quod Augustinus loquitur de his, quæ sunt ad se, ita vt nec sint relatiua, nec sint referibilia, sed insuper sint opposita relationi. At proprietates absolutæ, quas ipse ponit in personis, licet non sint relationes, sunt tamen referibiles per relationes. Hanc verò fuisse mentem Augustini, suadere conatur ex illius verbis 7. de Trinit. cap. 4. Vbi probat, Deum ad se subsistere, non verò relatiuè.

5 *Refutatur.* Hæc solutio refutatur primò, quoniam reddit prorsus inutilem, ac nugatoriam regulam, quam Augustinus, & omnes ferè Theologi post eum, præscribunt ad dignoscenda prædicata communia tribus personis, & prædicata, quæ non sunt communia, sed vnius tantum personæ sunt propria. Quæ regula lucem affert, si quoties formale significatum alicuius prædicati constituerit non esse relationem, sed absolutum, toties sit concedendum tribus personis absque discrimine. Cæterum si postquam constituerit formale significatum illius prædicati non esse relationem, vlterius restat quærendum, an sit referibile, hoc est, vtrum adiunctam habeat relationem, per quam multiplicetur; iam nulla est vtilitas huius regulæ, sed nugatoria redditur, perinde ac si dixisset Augustinus, illa prædicata esse communia tribus personis, quæ ita sunt absoluta, vt non sint peculiaria vnius personæ.

6 Vnde refutatur secundò, quia tanti doctoris verba per hanc solutionem redduntur adeo imprudenter dicta, vt ex vi sua, & non ex ignorantia legentium, omnes ferè Thelogos adduxerint ad existimandum, quod nulla proprietas absoluta, sed sola relatiua est peculiaris vni personæ. Quod autem Scotus attulit ex August. 7. de Trinit. c. 4. declaratum est fusè disput. 34. sect. 4. arg. 3. Nunc satis est intellexisse actualem existentiam substantiæ vocabulo subsistendi.

7 *Altera expositio distorta.* Eisdem ferè rationibus impugnari potuisset quod Ochamus 1. dist. 30. quæst. 4. post med. ait, respondeti posse, quod Augustinus loquitur de illis absolutis, quæ nobis sunt nota; cæterum absoluta, quæ personas constituunt, sunt nobis ignota. Quapropter explicantur nominibus relationum, quæ nobis sunt nota. At certè Augustinus & cæteri Theologi generaliter dicunt, omnia absoluta communicari, non excipiendo aliqua, quæ sint nobis ignota; atque inde generalem excluſuam inferunt, solam relationem, non esse communem, sed peculiarem vni personæ. Itaque prædicta expositio violenter comprimit, doctrinam Augustini, & imprudentiæ redarguit, quatenus occasionem errandi theologis præbuit.

8 Boëtius lib. de Trinitate sub init. profitetur, eius fructus ex Augustini seminibus prouenire. Quapropter versus finem multa differens de proprietate relationis, quæ sola non facit alteritatem naturæ, cum tamen absolutæ proprietates distinctæ debuissent variare naturam diuinam, concludit: *Quoniam nulla relatio ad se ipsum referri potest, idcirco quod ea secundum se ipsum est prædicatio, quæ relatione caret: facta est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis: sed seruata est substantiæ vnitas in eo, quod est indifferentia vel substantiæ, vel operationis, vel omnino eius quæ secundum se dicitur, prædicationis. Ita igitur substantia continet vnitatem; relatio multiplicat Trinitatem. Atque ideo sola sigillatim proferuntur, atque separatim quæ relationis sunt.* Quibus consequentia scribit in sequenti opusculo de prædicatione personarum. Vnde meritò grauissimos inter Scholasticos illud axioma circumfertur, tanquam à Boëtio traditum: *Sola relatio multiplicat Trinitatem.*

9 *Expositio repugnans textui.* Respondet Scotus dist. 26. quæst. 1. circa med. Boëtium accipere *relationem* pro origine, & *multiplicare* non pro formaliter distinguere, sed pro distinguere quasi principiatiuè, & correspondenter principio effectiuo. Veruntamen hæc expositio repugnat superiori contextui; primò, quoniam manifestè loquitur de multiplicatione, prout fit per differentias.

10 Secundò, quoniam singula decem prædicamenta discutiens Boëtius, colligit solum prædicamentum substantiæ, & prædicamentum relationis Deo conuenire, vt vidimus disp. 10. sect. 4. & 5. etiam ex Augustino. Ergo Boëtius & Augustinus loquuntur de relatione formaliter, propriè, & more dialecticorum seu philosophorum, prout *ad aliquid* condistinguitur à substantia & ab actione vel passione, ad quarum imitationem concipimus origines.

11 Tertiò refutatur, nam omnia exempla, quæ profert Boëtius ad explicandum, quod relatio non adducit differentiam in substantia, manifestè sunt illa eadem quæ Aristoteles proponit in prædicamento *ad aliquid*, & in eis explicat easdem conditiones. Quæ omnia non possunt quadrare in originem, nisi origo sumatur formaliter pro relatione originis.

12 Anselmus de incarnatione Verbi cap. 3. propius ad princ. quàm ad med. scribit: *Non sic Pater & Filius sunt duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.* Et paulo post medium eiusdem capitis: *Relatio nullatenus est, nisi secundum hoc, quod alij sunt ab inuicem.* Realis igitur rerum istarum distinctio tam adæquatè correspondet relationi, vt neque relatio sine distinctione sit, neque distinctio sine relatione tam propriè támque formaliter intellecta, vt in ea non intelligatur expresè substantia personarum.

13 In epistola verò de processione Spiritus sancti plurima dicit Anselmus, ex quibus omnibus & singulis euidenter infertur axioma, quod ex Anselmo circumferunt Scholastici: *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* vt cap. 2. post med. & cap. 3. non longè à princ. & iterum in med. & cap. 6. post med. & aliis sequentibus, & cap. penultimo prope finem, & cap. vltimo post med. Quorum verba retulimus disp. 9. sect. 5. post med.

14 *Expositio cõtra mentem authoris.* Respondet Scotus dicta quæst. 1. circa med. ad distinctionem satis esse obuiare relationem radicaliter,

caliter, licet non formaliter; eóque modo distinguerentur personæ, sit forent absolutæ, quoniam in illis radicantur relationes oppositæ. Veruntamen hoc esse contra mentem Anselmi, constabit legenti, quoniam eius omnia verba significant, se loqui formaliter de relatione, non radicaliter. Qualia sunt illa capitis tertij in prædicta epistola: *Relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem & Filium & Spiritum sanctum de inuicem dici, & propria singulorum aliis attribui.* Quibus similia multa sunt in capitibus citatis. Aliter Anselmi mentem detorquent alij scholastici, quorum expositionem ex professo refutauimus disput. 68. sect. 6. argum. 6.

Alij detorquent aliter.

15 Fulgentius ad primam obiectionem Arianorum in fine: *Discernamus*, ait, *quid ad relationem, quid ad substantiam pertinere noscatur. Relationis enim sunt nomina, Pater & Filius: substantiæ verò nomen vnum est, quod dicitur Deus. Relationis ergo nomina singuli retinent* (id est non communicant inuicem nomina relationis) *substantiæ verò nomen vnum communiter possident: quia licet vnus dicatur Pater & alter Filius, sic tamen est Filius Deus, sicut Pater est Deus.* & post medium eiusdem obiectionis dixerat, *Relatiua nomina diuersitate sui ad personarum significationem maximè pertinere; illud autem nomen semper esse Patri Filioq; commune, non quo relatio personalis ostenditur, sed quo substantialis proprietas demonstratur.* Euidenter igitur Fulgentius, Augustini per omnia discipulus, docet, sola relatiua nomina non communicari omnibus personis: & quæcumque non sunt relatiua, pertinere ad substantiam, propterea quæ personis omnibus esse communia.

16 Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus c. 2. ait: *In relatione personarum Trinitas est, in substantia verò naturæ vnus est Deus.* Bernard. epist. 190. ad Innocen. colum. 2. ita disserit de summo bono Trinitatis: *Totum, vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim summum bonum, quod sunt inter se particulariter diuidunt; quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sunè designatio est, non vnitatis diuisio. Licet namque alter & alter, id quidem requirentibus proprietatibus personarũ, sobriè Catholicèq; dicatur,* &c. Habes igitur, solas relationes esse proprietates, quibus designentur, hoc est, distinguantur personæ. Cætera omnia non esse diuisa & distributa inter personas, sed omnibus ac singulis esse communia.

SECTIO IV.

Aliæ probationes ex authoritate & ratione.

1 QVinta probatio sit, quoniam personæ diuinæ distinguuntur, & constituuntur proprietatibus. Sed proprietates præcipuæ sunt relationes, & omnes relationes sunt proprietates. Ergo relationibus constituuntur ac distinguuntur diuinæ personæ. Maior probata est præced. disp. 86. sect. 2. & 3. Minor verò, scilicet, relationes esse proprietates, & eas nomine proprietatum à Patribus censeri, probatur ipsorum testimoniis, supponendo quod probatum est sect. 2. & sequenti probat. 6. magis constabit, Patrem & Filium formaliter esse relationum nomina.

2 *Relationes à Patribus cẽsentur nomine proprietatum.*

Dionys. ergo cap. 2. de diuin. nomin. inter prin. & med. nomen & rem Patris & Filij vocat *propria & proprietates*, ratione quarum Pater non est Filius. Nazianz. orat. 25. ad Arianos, & de se ipso prope fin. num. 52. & orat. 37. quæ est 5. de Theol. propius ad fin. quàm ad med. Patrem, Filium & Spiritum sanctum vocat *tres proprietates.*

Basilius homilia 15. de fide in med. *Filius*, inquit, *& Pater. Has mihi proprietates probè custodi.* & homil. 28. contra Sabellianos propius ad med. quàm ad princip. *Vt igitur perspicua tibi sit personarum proprietas & differentia, numera seorsum Patrem, seorsum quoque Filium.* Similiter in tractatu de vera & pia fide inter medium & fin. *Tria nomina seorsum singula suam peculiarem proprietatem apertè significant, quæ piè considerari potest in ipsis. Atque in Patre quidem proprietas Patris, in Filio verò proprietas Filij, in Spiritu sancto postremò sua quædam à duobus diuersa proprietas.* Præterea lib. 2. contra Eunom. propius ad fin. quàm ad med. *Deitas*, inquit, *communis est, proprietates autem Paternitas & Filiatio.*

3

Athanasius dialogo 1. de sancta Trinitate non longè post med. *Pater*, inquit, *est proprium Patris, Filius est proprium Filij*, &c. Damascen. lib. 1. de duabus Christi voluntatibus inter med. & fin. ait: *Personæ eius proprium est Filium esse à Patre genera-tum, nec eum Patrem ingenitum aut procreatorem.* Hilarius lib. 11. de Trinitate sub init. de Patre & Filio, *Vnus*, inquit, *vterque est, non vnione, sed proprietate, dum & vnicuique proprium est, vt vnus sit, vel Patri esse quod Pater est, vel Filio esse quod Filius est: & id quod vterque in propriate sua vnus est.*

4

Vt propterea non immerito tanquam communem sententiam antiquorum Patrum retulit Thalasius hecacontade 4. num. 87. dicens: *Appellant diuinarum hypostaseon proprietates Paternitatem, Filiationem & Processionem, & quæcumque alia propriè dicuntur.* Hæc *alia* videtur esse innascibilitas & spiratio. Clarius autem relationem esse proprietatem, constat ex Bessarione in oratione pro vnione cap. 6. cuius verba posuimus suprà sect. 2. probat. 2. Fulgentio ad obiect. 1. Arianor. & Bernardo epist. 190. Quorum verba posuimus sect. 3. prope finem.

5

Probatur sextò, quia proprietas constitutiua & distinctiua personarum est, quam significant nomina propria. Sed Paternitas & Filiatio est; quam significant nomina propria: ergo Paternitas & Filiatio est proprietas constitutiua & distinctiua. Rursus Paternitas & Filiatio est relatio. Ergo relatio est proprietas constitutiua & distinctiua. Vtramque Minorẽ, videlicet, Paternitatem ac Filiationem esse quam significant nomina propria personarum; & Paternitatem ac Filiationem esse relationem, docent Patres. Athanas. dialogo 2. de S. Trinit. contra Anomœum propius ad med. quàm ad fin. *Spiritus*, inquit, *veritatis Patrem nobis & Filium prædicauit, quæ nomina relationes in diuina essentia nobis indigitant.* & dialogo 1. contra Macedon. in principio. *Nomina Patris & Filij relatiua sunt*, quod idem obseruat alibi sæpe.

6

Patres qui dicunt, nomina propria personarum significare relationem.

Gregor. Nyssen. epist. contra Apollinarem de imagine & similitudine multo propius ad fin. quàm ad med. de Patre & Filio ait: *Vt infiniti relatas inter se, ac mutuo nexas & proprias habent appellationes. Vbi enim quis Patrem appellauerit, certum est, eum Filij cuiusptam significationem intuliſſe.* Obserua *proprias & relatas appellationes.* Basilius lib. 2. contra Eunom. propius ad med. quàm ad fin. notat, *Patris & Filij nomina solam, quam inter se habent, habitudinem ostendere.* Denique relationes significari nominibus Patris & Filij, docet Augusti.

7

Augusti. 5. de Trinitate cap. 5. & serm. 38. de tempore, & aliis in locis citatis sect. præced. Fulgent. tota ferè responsione ad primam obiectionem Arianorum.

8 Confirmatur ex Patribus asserentibus, referri Patrem ad Filium; & Filium ad Patrem: loquuntur enim de illis, qua ratione sunt ab inuicem distincti, non quatenus sunt vnus Deus. Sic Nazianzenus oratione 1. longè ante med. num. 71. *Filius*, inquit, *ad Patrem tanquam ad causam refertur.* Idem oratione 13. quæ est 2. de pace in med. & iterum longè post medium repetit, *Relationem inter se habere personas.* Similiter oratione 29. de dogmate & constitutione Episcoporum prope med. docet, *Filium ad Patrem tanquam ad authorem referri.* Rursus oratione 35. quæ est 3. de theolog. *Nec enim essentiæ nomen est Pater, nec actionis; sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem.* Denique oratione 37. quæ est 5. de theologia colum. 4. ait: *Secundum excelsiorem quandam relationem Filius est Filius.* Qui modus loquendi reduplicat rationem formalem Filij.

9 Eadem est sententia Basilij non tantùm in lib. 2. contra Eunom. propius ad princip. quàm ad med. sed etiam epistol. 43. ad Gregor. Nyssen. in qua potissimùm obserua, sparsas esse voces illas: *Filij ad Patrem habitus. Connaturalem habitudinem Vnigeniti ad Patrem. Naturali habitudine simul referatur & Pater.* Epiphanius hæresi 73. in med. *Patris*, ait, *& Filij nomen cognationem ad aliquid, & relationem significat. Quare etiam si Patrem solum nominauerimus, habemus in nomine subintellectam notionem Filij: Pater enim Filij Pater dicitur.* Quod idem continuò docet de Filio.

10 Anastasius Sinayta de rectæ fidei dogmatibus lib. 1. inter princip. & medium. *Non enim*, ait, *qui pronunciauit Patrem, mox significauit eius substantiam, sed solum omnino eius habitudinem. Quod si hæc dictio Pater habitus est, nimirum per eam Filius intelligitur.* Nota dictionem illam, *mox*, in præsenti valere idem quod formaliter, & explicitè; hoc enim modo relatio significatur nomine Patris; substantia tamen virtualiter, & implicitè continetur in eadem significatione.

11 Augustinus in Psalm. 68. initio, & tract. 39. in Ioan. notat, *Filium ad Patrem dici, Deum autem ad seipsum; sicut Pater ad Filium dicitur Pater, ad se dicitur Deus.* & epistola 66. ad Maximum medicum similiter docet, Patris & Filij nomina *non significare naturam, sed alterius ad alterum significare personas.* Vnde probat non natura, sed sola relatione siue persona distingui, quia Pater non est Filius.

12 Probatur septimò, nam Pater vniuersa, quæ habet, Filio dedit præter esse Patrem, ita vt Filius sit prorsus vnum & idem per omnia, quod Pater, eo tantùm excepto, quod non est Pater. Ergo ratio formalis, qua constituitur Pater in esse Patris, est, quæ distinguit Patrem à Filio. Antecedens traditur communi consensu Doctorum Ecclesiæ, cæterorúmque Patrum, quorum testimonia protulimus disputatione 19. sectione 2. & disputatione 50. sectione 5. & 6. Confirmatur, quia si dicas, primam personam non constitui formaliter per hoc, quod est esse Patrem, sed per aliam formalitatem absolutam: hæc formalitas constitutiua Patris, non poterit conuenire Filio: propterea que Pater non erit per omnia prorsus idem cum Filio, præter esse Patrem: siquidem præter esse Patrem, restat illa formalitas absolu-

13 Octauò. Ad has omnes probationes corroborandas plurimum conducent quatuor sequentes disputationes, quibus probabitur, relationem constituere in ratione personæ, idque præstare sub proprio conceptu relationis quasi prædicamentalis.

14 Nonò. Rationem à priori, quæ per se sola sufficienter confirmet, personarum constitutionem & distinctionem exhiberi relationibus, impossibile est inuenire, quoniam mysterium est omnino supernaturale; quemadmodum disputat. 41. & 43. probatum est. Redditur autem congruentia non contemnenda, quoniam in Deo quæcumque res absoluta non potest esse distincta realiter ab alia re absoluta, quia neque distinguetur propter limitationem sui esse, cum sit infinita; neque distinguetur ratione oppositionis. Siquidem res absoluta non opponitur alteri, nisi oppositione contrarietatis, ad quam requiritur repugnantia simul existendi in eodem subiecto. At verò omnis res diuina necessariò conuenit Deo; consequentérque nulla res diuina repugnat simul cum altera existere in Deo.

Congruentia pro constitutione personarum per relationes.

15 Confirmatur, nam absolutæ proprietates non opponerentur contradictoriè, nec priuatiuè, cum vtrumque extremum foret positiuum; nec opponerentur relatiuè, cum sint absolutæ. Restat igitur, vt opponerentur tantùm contrariè. At contrarietas imperfectionem inuoluit, quia supponit subiectum non esse capax habendi simul vtrumque contrarium, ideóque necessariò priuandum esse contrariorum altero. Has rationes fusiùs corroborauimus disput. 1. sect. 4. & 5. Ex quarum omnium discursu concluditur, solam relationem superesse, quæ valeat in Deo reali ab alia relatione distingui. Relatio namque licet non distinguatur ratione limitationis, cum sit infinita; distinguitur tamen ratione oppositionis relatiuæ.

16 Decimò probatur, nam in rebus absolutis, quæcumque sunt eadem vni tertio singulari, sunt eadem inter se. At relationes licet realiter identificentur cum vno tertio absoluto, possunt inter se realiter distingui, manente identitate substantiæ. Quia relationes non addunt nec minuunt, nec mutant esse rei ad se, quippe quæ solummodo se habent in comparatione ad terminum. vt ex Boëtio, Athanasio, Cyrillo & aliis ostendimus disputatione 15. sect. 3. parum à principio. Confirmatur, nam si personæ diuinæ distinguuntur relatione originis, redditur commoda ratio, propter quam sint tres personæ, non plures, nec pauciores: de qua disput. 33. sect. 2. Quæ ratio vel omnino cessat, vel debilitatur non parum; si absoluta proprietas, relatione prior, constituit ac distinguit personas.

17 Alias rationes consulto prætermitto, quas refert, & soluit Scotus 1. distinctione 26. quæstione 1. circa medium. §. *ad rationes secundæ opinionis.* Peculiariter admoneo falso fundamento niti rationem Caietani supra quæstione 33. artic. 4. Suarez libro 1. de Trinitate cap. 4. numero 11. aliorúmque recentiorum: quia omnis proprietas incommunicabilis non est perfectio simpliciter simplex: at omnis proprietas absoluta est perfectio simpliciter simplex. Ergo proprietas absoluta non potest esse incommunicabilis. Huius syllogismi Maior est falsa: nam proprietatem incommunicabilem esse perfectionem sim-

pliciter simplicem, ostendimus disputatione 30. sect. 9. & 10.

SECTIO V.

Per relationes prius, & principaliter constituuntur, ac distinguuntur personæ; posterius autem & consequenter per origines.

1 HAnc conclusionem, & eius rationem à priori, tradit Bessarion in oratione pro vnione Concilij Florentini cap. 6. multo propius ad med. quàm ad finem his verbis: *Relatio & origo etsi secundum modum intelligendi differunt (siquidem origo significatur per modum actus, vt generatio: relatio verò per modum formæ, vt Paternitas) re tamen non differunt. Ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ; prius tamen & principaliter, secundum modum intelligendi, per relationes, per quas etiam constituuntur diuinæ personæ: consequenter autem per diuersum processuum modum, siue per originem. Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam: sed Paternitas & Filiatio, siue Patrem & Filium esse, quod relationis est. Sed quia relatio & origo idem sunt re, & relatio consequitur originem; ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ, sed principaliùs relatione, siue proprietatibus.*

2 Didicit Bessarion hanc doctrinam ex D. Thoma in præsenti quæst. 40. artic. 2. & de potentia quæst. 8. artic. 3. (cui concordat 1. distinctione 26. quæst. 2. art. 2.) Eandem sequuntur plerique Scholasticorum 1. distinct. 26. Vbi Durandus quæst. 1. num. 14. Ricardus artic. 3. quæstione 2. Ægidius quæst. 2. Ocham quæst. 1. post med. & quæst. 2. Gabriel quæst. 1. art. 2. & 3. & quæstione 2. Carthusianus quæst. 2. colum. 4. & quæst. 3. Capreolus quæstione 1. art. 1. Henricus parte 2. artic. 56. quæst. 3. corpore, ad finem, & ad argum. præsertim ad 4. (ideo quod artic. 60. quæst. 5. dicit, Spiratio passio constituit, sed non spiratio actio de relatione spirationis actiuæ intelligit.) Eandem sententiam docent Marsil. 1. quæstione 29. artic. 1. dub. 1. & 2. Ferrariens. 4. contra gent. cap. 26. à med. Caietanus in præsenti quæstione 40. artic. 2. Vbi communiter alij expositores. Canariens. in 3. parte commentarij. Vazquez disputatione 185. cap. 4. & 5. Suarez lib. 7. de Trinitate cap. 6. Ab eadem sententia parum dissidet Valentia 1. parte quæstione 14. de Trinitate puncto 2. præsertim ad finem.

3 Colligitur ex Alberto 1. part. quæst. 38. fine & quæst. 39. Clariùs autem ex eodem in 1. sentent. distinct. 27. artic. 2. (cuius verba refert Carthus. supra citatus) & ex Alexandro 1. parte quæst. 46. memb. 8. & quæst. 48. memb. 4. artic. 3. §. 3. in *sed contra*. Valde consonat Magister 1. distinct. 27. cap. 1. 2. & 3.

4 Claritatis causa conclusionem in titulo sectionis præfixam, in quatuor membra, quatuor assertionibus distribuo. Dico igitur primò. Personæ productæ, videlicet, Filius & Spiritus sanctus formaliter & intrinsecè, priùs ac principaliùs constituuntur per relationes, non verò per origines.

Personæ productæ constituuntur principaliùs per relationes.

5 Probat S. Thomas aliique authores citati, quia licet solo modo intelligendi relatio differat ab origine; nihilominus relatio, ex proprio formalissimóque conceptu, apta est, vt formaliter & intrinsecè constituat terminum in esse producto, potius quàm origo. Huius autem ratio est, quoniam, secundum rectum modum intelligendi, rei permanentis in facto esse, siue in esse producto, constitutiuum concipi debet, vt forma permanens & quasi in facto esse habens iam esse fixum, non quasi viam & tendentiam ad illud esse. Hæc autem conditio non conuenit origini: concipitur enim vt via tendens ad esse, & veluti fieri: est enim ipsum actualiter produci. Ergo non potest origo formaliter & intrinsecè constituere personam productam, sed tantùm relatio.

Constitutiuum, non vt via tendens, sed fixum.

6 Confirmatur, quia persona concipitur vt res; quæ iam habet suum esse fixum & permanens in esse producto. Ergo non potest constitui per formalitatem viæ tendentis, & quasi in fieri. Confirmatur secundò, quia quando intelligimus, alicui rei conuenire suum constitutiuum, tunc & non antea, nec aliter intelligimus, illam rem esse constitutam. Sed quando intelligimus Filium, vt genitum in esse fixo permanenti, & quasi in facto esse, tunc intelligimus, Filio conuenire suum constitutiuum, non autem quando intelligimus generari Filium. Ergo Filiatio, quasi in facto esse concepta, est constitutiuum Filij: non verò generari, quasi in fieri conceptum, quia tunc nondum intelligitur constitutus esse Filius, sed tendere ad constitutionem, sicut tendit ad esse. Idem argumentum fieri potest de Spiritu sancto.

7 Dico secundò. Pater constituitur formaliter & intrinsecè prius ac principaliter per relationem Paternitatis, non per originem actiuam, quæ est Generatio. Probatur primò, eadem ratione, qua præcedens assertio, Pater enim est persona, quasi in facto esse constituta in esse fixo & permanenti. Ergo debet constitui per formam fixam & permanentem, qualis est Paternitas, non verò per formalitatem viæ fluentis atque tendentis ad aliquem terminum producendum.

Patrù constitutio per relationem.

8 Probatur secundò, quia ratio, constituens suppositum, debet intelligi per modum actus primi, non per modum actus secundi, emanantis à supposito. At verò Generatio intelligitur per modum actus secundi, emanantis à supposito iam constituto, videlicet, Patre. Ergo Generatio non est ratio constituens Patrem. Probatur tertiò, nam Generatio nō destinatur ad tribuendum esse Patri, sed Filio. Vnde si quam personam constituere posset, ea non esset persona Patris, sed persona Filij. Hanc autem non constituit, quoniam est via tendens ad illam, atque in illa fortius militat ratio præcedentis assertionis.

9 Dico tertiò. Diuinæ personæ aliquo modo constituuntur & distinguuntur per origines. Hanc assertionem efficaciter probant omnia testimonia sanctorum Patrum, quæ retulimus disput. 83. sect. 2. & disputatione 84. sect. 1. 2. & 3. Nam ex illis aliqua dicunt expressè, quod genitum esse, vel procedere constituunt personas. Alia dicunt, distingui Filium quia genitus est, & Spiritum sanctum quia procedit. Alia dicunt, Patrem ideo Patrem esse, quia generat, & Filium ideo Filium esse, quia generatur. Alia dicunt, generari esse proprium aut proprietatem Filij, similiter autem spirari Spiritus sancti. Qui autem proprietatem dicit, constitutiuum dicit, vt constat ex disput. præced. Alia dicunt prædictas origines esse notiones; notio verò est ratio distinguendi, supra disput. 46.

Aliquo modo per origines constituuntur personæ.

10 Quod autem constitutio distinctióque per originem, non excludat distinctionem & constitutionem per relationes, apertè colligitur ex eisdem Patribus,

Patribus, conferendo quæ retulimus dicta disp. 83. & 84. cum his, quæ retulimus disputat. præsenti sect. 2. 3. & 4. Ex quorum collatione manifestum erit, eosdem Patres, nunc originibus, nunc verò relationibus adscribere constitutionem aut distinctionem personarum, aut nomen proprietatis vel notionis. Vnde constat, quod propter eximiam coniunctionem, & identitatem adæquatam, quam in re habent relationes & origines, pro eodem reputant, Patres relatione vel origine declarare constitutionem ac distinctionem personarum. Sed quando relatione declarant, loquuntur magis formaliter & scholasticè; quando verò declarant distinctionem origine, rudioribus aperiunt faciliorem viam intelligendi; proteruis autem magis expeditè resistunt.

11 Clariùs autem hoc significant Patres, qui simul in eodem contextu coniungunt originem & relationem, tanquam rationem distinctiuam, & tanquam notionem ac proprietatem vniuscuiusque personæ. Quemadmodum Athanas. dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomæum in med. ait: *Nihil differt Pater à Filio respectu Dei, siue in Deum esse, sed in Patrem esse & Filium esse: quoniam ille quidem genuit, hic verò genitus est.*

12 Cyrillus dialog. de Trinitate lib. 7. prope med. *Quænam*, inquit, *spiritus natura sit, operæpretium est scrutari, allata huc nominum proprietate, non quæ Diuinitatem indicet, sed quæ bene significet, quis modus existentiæ singulorum nominatorum à nobis intelligatur. Nam Pater ostendit, quod genuerit, & quod genitus sit, declarauit Filius. Insuper quod Spiritus sit ex Deo Patre, propriusq; ipsius Filij.* Idem Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 3. ferè inter princip. & med. *Vt hypostasim*, ait, *quæ generat, & quæ generatur, diuina Scriptura notionibus distingueret, Patris & Filij nominibus vsa est.*

13 Alexander Alexandrinus epistol. ad Alexand. Constantinopol. col. 6. *Illud*, inquit, *ex vtero ante luciferum genui te, perspicuè ostendit naturalem, quæ in Filio est, paternæ generationis proprietatem, quam propriæ naturæ vi consecutus est. Proinde Vnigenitus Patris Filius hanc proprietatem, qua Filius est, formam immutabilem tenet.* Eandem verò superius col. 5. vocauerat *Filialitatem, qua Filius est.* Vnde sequitur, indifferenter isthic pro constitutiuo poni passiuam originem & relationem.

14 Basilius tractatu de vera & pia fide inter med. & fin. *In Patre quidem*, ait, *proprietas Patris, in Filio verò proprietas Filij, in Spiritu sancto postremo sua quædam à duobus diuersa proprietas: cum nec Spiritus sanctus à seipso loquatur, nec Filius à semetipso faciat quidquam: ac Pater quidem Filium mittat, Filius verò Spiritum sanctum.* Quibus in verbis obserua priùs relationes Patris & Filij & Spiritus sancti esse proprietates constitutiuas; deinde verò actiuam originem mittentis, & passiuam originem personarum, quæ sicut ab alio principio sunt, ita etiam ab alio principio habent, vt loquantur & operentur, & in hoc sensu nihil à seipsis loquuntur aut faciunt: de quo infra disputatione 110. sect. 2. 3. & 4. Gregorius Bœticus lib. de Trinitate propius ad med. quàm ad fin. ait: *Hoc solo differens à Patre Filius, quod ille Pater est, & hic Filius, id est, quod ille genuit, hic natus est.*

15 Hilarius lib. 4. de Trinitate inter med. & fin. de Patre & Filio: *Vterque vnus*, inquit, *& solus est proprietate, videlicet, in vnoquoque & innascibilitatis & originis.* & lib. 6. in medio: *Natiuitas proprietas est.* & lib. 7. inter medium & finem. *Inuicem sunt, cum vnus ex vno est.* Relatio est inuicem

Ruiz. de Trinitate.

esse, origo autem est vnum ex vno esse. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 9. in med. ita scribit: *Cum Filium dico, generatum significo. Cum Patrem quoque dico, genuisse declaro.* Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 2. ait: *In relatione personarum Trinitas est.* & proximè sequenti cap. 3. initio: *Inter personam*, inquit, *Patris & Filij & Spiritus sancti ita secernitur, quod Pater nec genitus est nec procedens, Filius ex Patre genitus, non procedens, Spiritus sanctus ex Patre & Filio non genitus, sed procedens.*

16 Adhuc autem clarius instituto præsenti suffragantur, Patres, qui dicunt, originem esse relationem. Sic enim Anselmus epistola de processione Spiritus sancti cap. 2. post medium. *Hæc*, inquit, *sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem: sed alij sint ab inuicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio.* Nota, originem esse Deum de Deo, & hanc esse relationem modo explicato disputatione 83. sect. 2. In eadem autem epist. sequenti cap. 3. non longè à princip. ait: *Supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia prædictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum de inuicem dici.* Bernardus autem epistol. 190. ad Innocent. colum. 2. ait: *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio est.* Vide disiunctiuam originis & relationis.

Qui dicunt, originem esse relationem.

17 Ratione scholastica probatur primò, quia sicut origo est via ad personam, ita est via ad constitutionem ac distinctionem personæ. Sicut enim per originem producitur persona, ita per eandem producitur cōstitutio distinctióque personæ. Quæ ratio generalis est omnibus personis productis, siue creatis siue increatis. Quæ sequuntur rationes, diuinis personis peculiares sunt.

18 Secunda ratio est, quoniam in diuinis non possunt esse plures personæ ingenitæ, ne sint plures dij, quemadmodum demonstratum est disp. 52. sect. 3. & 4. Vnde consequens est, vt personæ diuinæ non possint aliter multiplicari, nisi per originem producantur à persona ingenita. Sicut fusiùs est demonstratum disput. 1. sect. 3. & sequentibus. Origo igitur est simpliciter necessaria ad constitutionem ac distinctionem personarum, procedentium ab ingenita.

19 Tertia ratio. Nam proprietas constitutiua diuinarum personarum, est relatio originis, quæ quidditatiuè connectitur cum origine ad instar relationum prædicamentalium, quæ fundantur in actione & passione. Vnde prouenit, vt non solum personæ productæ non constituerentur, si defuisset illis origo, sed neque ipsa persona ingenita constitueretur Paternitate, nisi conueniret illi Generatio actiua.

20 Quarta & potissima ratio. Nam intra lineam & rationem vniuscuiusque relationis diuinæ claudit origo propria illius personæ, vt probatum est tota disput. 84. præsertim sect. 4. & disput. 85. sect. 2. Ideo quam constitutionem ac distinctionem præstat tota & integra formalitas relationis, eandem præstat origo, veluti partialis quædam formalitas, inclusa in relatione. Quibus accedit alter modus constituendi ac distinguendi, quatenus origo est clarius, & magis notum indicium, nobis explicans constitutionem ac distinctionem personarum.

21 Ex quibus tandem infero, & dico quartò. Minus principaliter & quasi consequenter origines

constituunt, atque distinguunt diuinas personas. Quod expresè docuerunt Bessarion & Scholastici initio citati. Probatur, quoniam origines non constituere neque distinguere principaliter prius formaliter & intrinsecè, constat non solùm ex rationibus nuper adductis, sed etiam quia relationis munus est constituere ac distinguere principaliter prius formaliter & intrinsecè. Cum igitur aliunde probatum sit, origines aliquo modo constituere atque distinguere; reliquum est, vt constituant atque distinguant minus principaliter, & quasi consequenter.

ARTICVLVS III.

Vtrum abstractis per intellectum relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases.

DISPVTATIO LXXXVIII.

Vtrum relatio constituat, non solum in ratione personæ, sed etiam in ratione subsistentis, vel hypostasis.

SECTIO I.

Negatiuæ sententiæ.

1 *Prima sententia.*

PRima opinio antiquorum asseruit, hypostases, siue subsistentia suppositа originibus constitui; personas autem constitui relationibus: vnde consequenter intulit, abstractis per intellectum relationibus, non manere personas; manere autem diuinas hypostases, id est, suppositа subsistentia. Ita refert D. Thom. in præsenti quæst. 40. art. 3. Fauere videtur S. Bonauent. 1. distinct. 26. art. 1. sed valde parum.

2 *Secunda sententia.*

Secunda sententia fuit Scoti quodl. 4. §. *ex istis duabus*. existimantis, remotis personalibus relationibus, adhuc manere, saltem vnam personam, Patris videlicet, quia prima persona intelligitur à nobis vt fœcunda & potens generare, antequam intelligatur actu generare. In eam inclinat Vazquez in comment. præsent. art. 3. Sed aduersus illam expressa est sent. D. Thom. in præsenti art. 3. ad 3. Huius & aliarum sententiarum refutationes non aliæ requiruntur vltra probationes conclusionis, afferendas in sect. sequent.

3 *Tertia sententia.*

Tertia sententia dixit, personam in ratione subsistentis non constitui per relationem, prout ratione distinctam à Deitate, sed per ipsam Deitatem. Sic Capreolus 1. distinct. 26. quæst. 1. art. 1. conclus. 3. præsertim in fine. Ferrariensis 4. contra gent. cap. 26. inter med. & fin. §. *attendendum tertiò*. Quam videtur sequi Bellarmin. tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 15. & 16. Probabilem dicit Bañez in sequent. art. 4. dub. 2. conclus. 4. Colligitur autem per euidentem illationem ex antiquioribus Scholasticis, qui tres subsistentias relatiuas negant, & vnicam tantùm absolutam subsistentiam agnoscunt, suprà disput. 34. sect. 1.

4 *Primum argumentum.*

Primum fundamentum est, quia relationes diuinæ, prout sunt relationes, distinguunt personas; quas tamen constituunt in ratione subsistentis, quatenus relationes identificantur cum essentia. Quod S. Thom. apertè docuit multis in locis, quæ retulimus & explicuimus disput. 34. sect. 9.

5 *Solutio.* *Cõstituere in ratione subsistentis, vnde habeant relationes.*

Nunc breuiter Respondeo. Relationes ex generali formalitate relationis habent distinguere & constituere relatiuum in ratione relatiui: sed constituere in ratione subsistentis, non habent, nisi ex peculiari differentia quasi specifica relationis diuinæ: quæ peculiaris differentia, quoniam prouenit à Deitate quasi à radice, propterea dicitur relationes diuinas, in quantum identificantur cum essentia, constituere in ratione subsistentis. Itaque in ratione formalissima diuinæ relationis, in quantum talis relatio est, dantur duæ quasi partes eiusdem formalitatis: altera constituendi personas in ratione subsistentis: altera distinguendi: vtraque tamen alteram includit implicitè.

6 *Solutio vltimitur.*

Secundum fundamentum erat, quoniam Pater æternus maneret ingenitus etiam si Filium non genuisset: vt docet Augustin. lib. 5. de Trinitate cap. 6. in princip. *Non enim*, ait, *hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere: quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum.* Sed in ea hypothesi deesset primę personæ Paternitas: ergo maneret ratio personæ sine relatione Paternitatis. Veruntamen huic obiectioni satisfecimus disput. 53. Alia faciliora fundamenta prætermitto.

7 *Quarta sententia.*

Quarta sententia Aureoli 1. distinct. 26. artic. 3. proposit. 1. fuit, constitutionem suppositi non esse formalem effectum relationis, sed ex essentia & relatione copulatis, quasi ex fundamento, resultare suppositum, quia resultat negatio, quam significat ens per se ac solitarium, in qua consistit formalis ratio suppositi. Hæc sententia cum aliis, similiter existimantibus, negatiuam esse rationem suppositi, satis refutata manet suprà disput. 32. sect. 5. vbi probatum est, realem esse rationem formalem, quæ suppositum aut personam constituunt.

SECTIO II.

Decisio quæstionis, & testimonia Patrum.

1 *Non maneret hypostasis, ablatis relationibus.*

PRima conclusio sit. Relatio personam constituit, non tantum in ratione personæ, sed etiam in ratione subsistentis hypostasis seu suppositi: quapropter ablatis per intellectum relationibus personalibus, non maneret in Deo hypostasis sub proprio & explicito conceptu hypostasis diuinæ. Hanc conclusionem tradunt S. Thom. in præsenti q. 40. art. 3. & de potentia q. 8. art. 4. latè, & 1. sentent. distinct. 26. q. 1. art. 2. Alexander 1. p. q. 46. memb. 8. Albertus 1. p. q. 41. memb. 2. art. 3. Ricardus 1. distinct. 26. art. 2. q. 1. & 2. præsertim in fine. Durandus 1. distinct. 27. tota fere quæst. 1. cum Altisiodorensi & aliis Scholasticis. Carthusianus 1. distinct. 26. q. 3. Marsilius quæst. 29. art. 3. Caietanus, Canarienſis, Molina & Vazquez in præsenti quæst. 40. artic. 3. Valentia 1. p. quæst. 14. de Trinitate, punct. 3. Eiusdem sententiæ fuit in re S. Bonauent. vel certè parum ab ea distat 1. dist. 26. artic. 1. quæst. 3. præsertim dum respondet ad argumenta.

2

Colligitur apertè ex quibusdam aliis Scholasticis, vt Argentina 1. distinct. 26. quæstione vnica artic. 3. præsertim ad argumenta, & Gabriele eadem distinctione quæst. 1. artic. 3. dub. 4. Præterea colligitur

colligitur ex omnibus authoribus, qui concedunt tres subsistentias relatiuas; siue reiiciant subsistentiam absolutam, siue illam admittant simul cum subsistentiis relatiuis. Hos citauimus disput. 34. sect. 1. Denique colligitur ex omnibus, qui disputatione præcedenti sect. 2. 3. & 5. personas constituunt ac distinguunt per relationes. Loquuntur enim formaliter in ratione personæ & hypostasis: siquidem non sunt capaces constitutionis aut distinctionis personæ diuinæ, nisi sub formali ratione personarum & suppositorum subsistentium.

3 *Subsistentias diuinas in relatione constituere.*

Probatur primò testimoniis Patrum. Iustinus quæst. 17. ad orthodox. *Tres*, inquit, *consistentiæ proprijs nominibus sunt tres: ac quam consistentiam vocamus Patrem, non iam eandem vocamus Filium, sed aliam.* Recole, Patrem & Filium esse relationem formaliter vt ostendimus disputat. præced. sect. 4. probat. 6. Quo supposito, consistentia, quam appellamus Patrem, consistit in relatione Paternitatis: similitérque consistentia, quam appellamus Filium, consistit in relatione Filiationis. Idem existimandum est de consistentia Spiritus sancti. Quæ consistentiæ *proprijs nominibus sunt tres*, id est, in suo esse constituuntur ac distinguuntur propriis illis nominibus Patris, Filij & Spiritus sancti.

4 Idem Iustinus in expositione fidei de Trinitate pag. 2. *Voces*, inquit, *hæ, ingenitus, genitus, procedens, non essentiam, sed subsistentias significant: valent enim ad discernendas personas Patris, Filij, sancti Spiritus, & indicandas nobis singulorum proprias subsistentias.* Rursus non longè ante med. eiusdem tractatus. *Vnum*, inquit, *Deum confiteamur in Patre, Filio, Spiritúq; sancto agnitum, quatenus Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnius Deitatis dignoscendo subsistentias, quatenus autem Deus, essentiam communem subsistentiarum intelligendo.*

5 Gregorius Nyssenus, lib. de fide ad Simpl. propius ad fin. quàm ad med. enumeratis plurimis perfectionibus absolutis, ita concludit: *Omne denique pretiosum & honorabile nomen, tam de Spiritu sancto, quàm de Patre & Filio dicitur: exceptis iis, per quæ hypostases perspicuè, clarè, & absque confusione ab inuicem separentur. Dico autem quod neque Pater, neque Filius dicitur Spiritus sanctus; cætera verò quibuscunque nominibus Pater & Filius appellantur, ea Spiritui quoque sancto à Scriptura adaptantur.*

6 Cyrillus Alexandrinus libro 1. thesauri cap. 8. fine. *Pater in Filio est, & Filius in Patre, non tamen vt idem numero. Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est; hæc enim solum differentia inter ipsos est, nam Pater in se est, & Filius similiter in se, neque Pater Filius est, neque Filius Pater, & hæc sola distinctio in eis est.* Pondera primò, quod esse in se nihil aliud est quàm subsistere: & esse in sua proprietate valet idem, quod per suam proprietatem subsistere. Rursus hac sola distinctione distingui, est distingui relatione subsistente. Quapropter eadem est mens Cyrilli ac si diceret, circumincessionem, qua vna persona est in alia, non obstare, quominus vnicuique personæ sit propria subsistentia, quæ non est alia, nisi sola Paternitas & Filiatio.

7 Idem Cyrillus sequenti lib. 2. thesauri cap. 3. propius ad princip. quàm ad medium. *Cum simplex*, inquit, *natura Deitatis sit, nunquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia, non secundum essentiam sed secundum relationem; & quasi extrinsecus intellecta, per quam vtriusque persona in propria hypostasi constituitur.* Videli-

Ruiz. de Trinitate.

cet, Patris & Filij. Præterea lib. 7. thesauri cap. 1. paulo post medium. *Quoniam sola diuersitate relationis, quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur; relationes autem consubstantialium diuersæ, nominaq; ipsarum relationum diuersa, non possunt (vt exemplo dominus) naturalem coniunctionem delere.* Quod si sola relatione, nec alia vlla re distinguuntur Pater & Filius, nihilominus tamen distinguuntur hypostasi, personalitate seu suppositalitate ac subsistentia: necessariò sequitur subsistentiam, personalitatem siue hypostasim non esse aliam rem vllam, nisi relationem ipsam.

8 Non modò Cyrillus sed etiam Synodus Alexandriæ epistola ad Nestorium columna 7. (Extat in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14.) *Spiritus*, inquit, *in propria persona subsistit, eatenusq; in seipso consideratur, quatenus Spiritus est, non Filius.* Formalissimam constitutionem denotant illa verba reduplicatiua, *eatenusq; in seipso consideratur quatenus Spiritus est.* Distinctionem verò denotant verba sequentia, *& non Filius.* Hæc autem omnia Spiritus sanctus habet quatenus subsistit in propria persona, nam eatenus Spiritus est.

9 *Enypostate, id est, subsistentes.*

Damascenus epistola de Trisagio in medio. *Verbum*, inquit, *& Spiritus virtutes sunt Patris, virtutes autem enypostatæ inseparabiles à Patre, ex quo & in quo sunt, & ad quem vt ad causam referuntur. Neque enim voluntate, aut potestate separantur, neque aliquo eorum, quæ de Deo dicuntur, nisi solum hypostasibus, & characteristicis vniuscuiusque hypostaseos proprietatibus.* Vnde colligo primùm, personas distingui relationibus causæ, vel ad causam: deinde distingui subsistentia & hypostasi per easdem relationes.

SECTIO III.

Rationes theologicæ, cum alijs conclusionibus.

1 *Probatur primò.*

EAdem conclusio, posita in principio sectionis præcedentis, ratione probatur primò, quia quæcumque ratio formalis distinguendi personas diuinas, tribuitur à relationibus: vt constat ex disput. præced. sect. 2. & sequentibus. Sed personæ diuinæ distinguuntur in ratione subsistentis hypostasis vel suppositi. Ergo ratio subsistentis hypostasis vel suppositi tribuitur à relationibus. Minor probatur, quia si personæ non distinguerentur in ratione subsistentis hypostasis vel suppositi: sequeretur, non esse tres subsistentias, siue tria suppositа, sed vnicam subsistentiam, hypostasim vel suppositum vnicum. Consequens autem est contra fidem, vt plurimis testimoniis Conciliorum & Patrum ostendimus disput. 31. & tribus sequentibus.

2

Confirmatur primò, quia non tantum subsistentiæ in concreto, vt sunt id, quod *subsistit*, sed etiam subsistentiæ in abstracto, vt sunt rationes constitutiuæ subsistentis, sunt tres distinctæ realiter: vt ostendimus disputatione 34. præsertim sect. 4. Sed sola relatio est, quæ multiplicatur in tres, vt vidimus disputatione præcedenti sect. 3. & 4. Ergo sola relatio est ratio constitutiua subsistentis. Confirmatur secundò, quia subsistentia est incommunicabilis, & propria vnius tantùm personæ: vt docent Concilia & Patres citati disput. 32. sect. 6. & citati disputatione 34. Ergo Deitas communis tribus personis, non potest esse ratio constitutiua subsistentiæ siue hypostasis, sed sola proprietas peculiaris personæ, videlicet

relatio, erit ratio conſtitutiua ſubſiſtentiæ vel hypoſtaſis.

3 Secundò probatur, nam vnio humanitatis cum Verbo, facta eſt in ſubſiſtentia Verbi, non in natura vel eſſentia Verbi: vt Concilia definiunt ſupra diſputatione 34. præſertim ſect. 2. 3. & 4. Ergo ſubſiſtentia Verbi eſt ratio peculiaris Verbo, & condiſtincta à natura ſiue eſſentia diuina: & conſequenter illa ſubſiſtentia eſt relatio; quia ſola relatio condiſtinguitur à natura ſiue eſſentia diuina.

4 Probatur tertiò. Patres enim & Concilia quandoque definiunt, Deum eſſe vnum quantum ad eſſentiam, ſed quantum ad perſonas eſſe Trinum; indifferenter dicunt, eſſe Trinum quoad ſubſiſtentias, ſiue hypoſtaſes, ſiue quoad perſonas: vt conſtat ex teſtimoniis adductis diſputat. 31. & tribus ſequent. Sed perſona conſtituitur per relationem, vt probatum eſt diſput. 32. præſertim ſect. 7. & 8. Ergo etiam ſubſiſtentia ſiue hypoſtaſis conſtituitur per relationem. Confirmatur, quamuis enim aliquid addat perſona ſupra ſubſiſtentiam vel hypoſtaſim: hoc tamen non eſt aliquid peculiare vnius perſonæ, ſed commune tribus perſonis, videlicet, quod ſit hypoſtaſis naturæ intellectualis. Ergo relatio, quæ conſtituit talem perſonam in ratione talis perſonæ, eadem conſtituit in ratione ſubſiſtentis vel hypoſtaſis. Quod autem perſona ſupra hypoſtaſim vel ſubſiſtentiam nihil aliud addat, niſi dignitatem intellectualis naturæ, conſtat ex diſput. 32. ſect. 2. 3. & 4.

5 Probatur quartò, quia ſi relatiua proprietas non conſtitueret in ratione ſubſiſtentis & hypoſtaſis: ſequeretur, fallaces eſſe rationes, quibus Patres & Concilia probant, Filium eſſe coæternum Patri, eo quod Pater & Filius, vtpote correlatiui, debent eſſe ſimul natura & cognitione. (cuiuſmodi plurima teſtimonia vidimus diſput. 9. ſect. 3. & 4.) Diceret enim aliquis, Patrem & Filium eſſe ſimul natura & cognitione, quantum ad Paternitatem & Filiationem, non quantum ad perſonalitatem ſubſiſtétiam vel hypoſtaſim; quoniam hæc non eſt relatio, ſed quid præſuppoſitum ad relationem: ſi vera eſt ſententia quam impugnamus. Manet igitur adhuc nondum probata coëxiſtentia hypoſtaſis Verbi cum prima hypoſtaſi, quantum eſt ex virtute prædictæ rationis. Eadem tandem veritas corroboratur ex tribus diſput. ſequentibus.

6 *Confuſus & generalis cõceptus hypoſtaſis manet, ablatis relationibus.*

Secunda concluſio. Nihilominus ablatis per intellectum relationibus, manent adhuc in Deo ſubſiſtentiæ vel hypoſtaſes, ſub generali & confuſo conceptu diuinarum hypoſtaſum ſiue ſubſiſtentiarum, ad eum modum quo philoſophi per naturale lumen rationis cognoſcunt hypoſtaſim & ſubſiſtentiam diuinam, abſtrahendo ab hoc, quod ſit relatiua vel abſoluta. Hanc concluſionem expreſsè docuerunt Alexander, Altiſiodorenſis, Aureolus, Marſilius, Canarienſis & Vazquez citati ſectione præced. & ſect. 1. prope finem. A cæteris autem in eadem ſect. 2. citatis minimè negatur.

7 Ratio manifeſta eſt, quia conceptus ſubſiſtentiæ vel hypoſtaſis ita generalis & abſtractus, præſcindi poteſt à relationibus; nihilominus tamen veriſſimè conueniet Deo; ſicut conceptus entis, quamuis abſtractiſſimus ſit, veriſſimè conuenit Deo. Cæterum non bene Canarienſis ad finem commentarij præſentis art. 3. notauit, quod in ea præciſione relationum, eſſentia foret perſona vnica ſubſiſtens, ad eum modum, quo Iudæi intelligebant vnicam perſonam Diuinam. Hoc, inquam, falſum eſt, quia tali relationum præciſione facta, non modò manet eſſentia, ſed etiam communis & abſtracta ratio perſonalitatis, ſubſiſtentiæ, ſiue ſuppoſiti, quæ verè poteſt conſiderari vt multiplex, abſtrahendo ab hoc, quod ſit abſoluta vel relatiua. *Generalis ille conceptus abſtrahit à relatiuo & abſoluto.*

Tertia concluſio. Origo non primariò & principaliter, ſed ex conſequenti & ſecundariò conſtituit hypoſtaſim in ratione ſubſiſtentis. Probatur primò, quia ratio conſtitutiua ſubſiſtentis debet ſignificari per modum formæ in eſſe producto, & iam quieto, non adhuc in via & in producti: vt de conſtitutiuo perſonæ dictum eſt diſp. præced. ſect. 5. Probatur ſecundò, quia relatio eſt conſtitutiua diuinæ perſonæ in ratione ſubſiſtentis: vt in hac & præced. ſect. probatum eſt. Igitur origo non conſtituit primariò & principaliter in ratione ſubſiſtentis. 8 *Origo ſecundariò conſtituit in ratione ſubſiſtentiæ.*

DISPVTATIO LXXXIX.

Vtrum relatio, ſub proprio conceptu relationis, conſtituat perſonam.

SECTIO I.

Concluſio affirmatiua probatur, eo quod non ſit alius conceptus hypoſtaticæ formæ, niſi conceptui proprius relationis.

1 *Explicatur concluſio.*

ONCLVSIONEM affirmatiuam ſtatuo tanquam certam, & ita explico. Paternitas ſecundum proprium conceptum talis relationis, prout refertur ad Filium, conſtituit Patrem, non ſolum in eſſe Patris, ſed etiam in eſſe perſonæ ſubſiſtentis. Similiter Filiatio ſecundum proprium conceptum talis relationis, prout refertur ad Patrem, conſtituit Filium, non ſolum in eſſe Filij, ſed etiam in eſſe perſonæ ſubſiſtentis. eadémque proportione relatio Proceſſionis conſtituit Spiritum ſanctum. Ita exiſtimant Durandus 1. diſtinctione 26. quæſt. 1. num. 15. & ſequent. præſertim num. 17. diſtinct. 27. quæſt. 1. Gabriel diſtinct. 26. quæſt. 1. art. 3. dub. 4. & quæſt. 2. Scotus 1. diſtinct. 28. q. 3. §. *ad quæſt.* & §. *ad primum argumentum principale*, & quodlib. 4. ad argum. princip. Henricus 2. p. ſummæ art. 56. quæſt. 3. ſub initium corporis, quamuis alibi faueat ſequenti ſententiæ. Carthuſianus 1. diſtinct. 26. q. 2. circa med. Colligitur apertè ex Beſſarione, S. Thom. aliiſque Doctoribus, qui ſupra diſput. 87. ſect. 2. 3. & 5. exiſtimant, perſonas primariò & principalius conſtitui relationibus.

2 Summa probationis conſiſtit in eo, quod nullus alius conceptus, nullâve formalitas conſtituere poſſit perſonam, niſi formalitas, & conceptus proprius relationis: vt conſtabit diſcurrendo per ſingulos conceptus & formalitates, quas aliqui Scholaſtici reduplicant, vt ſint conſtitutiui perſonarum iuxta ſequentes opiniones.

3 *Prima ſententia.*

Prima igitur ſententia cenſuit, perſonas diuinas, quamuis diſtinguantur relatione, prout relatio eſt; nihilominus non conſtitui relatione, prout relatio eſt, ſed relatione prout eſt forma hypoſtatica ſubſiſtens. Ita Capreolus 1. diſtinctione 26. quæſtione 1. artic. 3. poſt med. reſpondens ad 1. eorum, quæ tertio loco inducuntur. Ferrarien

Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 26. inter medium & finem. Marſilius 1. quæſt. 29. art. 1. dub. 1. concl. 1. vſque ad 3. quamuis in quæſt. 30. art. 3. ad 1. & 2. & art. 4. ad 13. minus conſequenter dicat, Paternitatem eſſe priorem generatione: de quo dicemus diſput. 91. ſect. 1. initio. Hanc eſſe probabilem cenſuit Canarienſis in præſenti q. 40. art. 4. p. 3. commentarij circa med. vbi Bañez idem ſentire videtur. Valde fauent Albertus 1. p. q. 34. memb. 1. & Alexander 1. p. quæſt. 59. memb. 3. nam ſentire videntur, perſonam diuinam conſtitui relatione, non ſub propria ratione relationis, ſed ſub alia priori formalitate. Fauet etiam Henricus 2. p. ſummæ art. 58. quæſt. 4. corpore, & artic. 56. quæſt. 3. & 4.

4 *Refutatur.*

Huius opinionis primaria refutatio ſit, quoniam relabitur in aliam ſententiam, quam prius ijdem doctores tanquàm improbabilem reieceràt. Quia ſi relatio conſtituit perſonam, non ſecundum conceptum proprium relationis, ſed ſecundum conceptum formæ hypoſtaticæ ſubſiſtentis: conſequens eſt, hunc conceptum hypoſtaticæ formæ ſubſiſtentis non eſſe formaliter relatiuum; ſubindéque formaliter eſſe quid abſolutum. Vnde præterea ſequitur, diuinas perſonas non conſtitui relationibus, ſed proprietatibus abſolutis. Hoc autem conſequens tanquam errori proximum reiecimus diſp. 87. Confirmatur primò, quia conceptus hypoſtaticæ formæ ſubſiſtentis, ſi non eſt formaliter conceptus relationis, prout relatio eſt; ratione ratiocinata diſtinctus erit ab eodem conceptu relationis: at verò diſtinctio rationis ratiocinatæ ſufficit, vt verificetur, perſonam diuinam non conſtitui relatione; ſi formaliter conſtituitur alio conceptu diſtincto.

5 Confirmatur ſecundò, quia doctores qui ſupra diſp. 87. ſect. 1. exiſtimant, perſonas conſtitui formaliter proprietatibus abſolutis: fatentur, eas proprietates in re eſſe idem cum relationibus. Nihilominus eorum doctrina meritò exploditur, propterea quod exiſtimant proprietates conſtitutiuas non eſſe formaliter relationes, ſed ratione ratiocinata diſtinctas à relationibus. In hoc verò inconueniens deuoluitur ſententia quam in præſenti refutamus. Confirmatur tertiò, quia ſi dicas, relationem ſub conceptu formæ ſubſiſtentis hypoſtaticæ, non diſtingui ratione ratiocinata à relatione ſub conceptu relatiuo: conſequens erit, perſonas conſtitui relatione, ſub conceptu proprio relationis, ſicut conſtituitur relatione ſub conceptu formæ hypoſtaticæ. Quapropter hoc ipſo fateberis noſtram concluſionem initio poſitam.

6 Vnde ſumitur ſecunda refutatio, quia relatio conſtituit in ratione ſubſiſtentis hypoſtaſis vel ſuppoſiti, atque ita conſtituit, vt abſtracta per intellectum formalitate relationis, non maneat proprius & explicitus conceptus diuini ſuppoſiti, vel hypoſtaſis ſubſiſtentis: vt probatum eſt diſp. præcedenti ſect. 2. & 3. Ergo conceptus hypoſtaticæ formæ ſubſiſtentis in Deo non eſt alia formalitas, quàm ipſa formalis ratio relationis, prout ralatio eſt. Refutari tandem poteſt, inſtaurando omnia argumenta, quæ ſupra diſp. 87. ſect. 2. 3. & 4. probant, omne prædicatum abſolutum eſſe commune tribus perſonis, ſolámque formalitatem relationis eſſe incommunicabilem, ac peculiarem ſingulis perſonis. Vnde ſola ratio formalis relationis, vt talis relatio eſt, poteſt eſſe conſtitutiua talis perſonæ.

7 Nihilominus aliquid veritatis continet prædicta ſententia quantum ad hoc, quod proprietatis nomen ex natiua impoſitione magis accommodatum eſt ad ſignificandam conſtitutionem: ſicut econtrario relationis nomen ex primitiua impoſitione magis accommodatum eſt ad realem diſtinctionem ſignificandam. Quod obſeruauit Marſilius in 1. q. 30. art. 4. initio.

SECTIO II.

Non minus ſiniſter & obliquus eſt intellectus, quo detorquent formalitatem relationis alij doctores.

1 *Secunda ſententia.*

A Præcedenti ſententia parum diſtat ſecunda opinio, dicens, perſonas conſtitui per relationem, prout conceptam, non prout exercitam: inſuper relationem Paternitatis, prout conceptam, eſſe priorem generatione (quoniam Paternitas vt ſic non poſtulat exiſtentiam termini, producti per generationem.) Cæterum relationem Paternitatis prout exercitam, & actu referentem, eſſe poſteriorem generatione. Ita Caietanus præſenti q. 40. art. 4. propius ad finem quàm ad med. reſpondens ad ſecundam difficultatem. Atque in idem redit ſententia Canarienſis in eodem art. 4. p. 3. colum. penult. dicentis, perſonas conſtitui per relationem, non prout eſt actu referens, ſed prout relatio ſumitur pro eſſentia relationis, quæ eſt forma & ratio conſtitutiua relatiui.

2 Huius ſententiæ variæ ſunt explicationes à recentioribus inuentæ; de quibus vtrum ſint ad mentem Caietani, diſputare nihil intereſt; quoniam ſatis eſt oſtendere, hanc ſententiam eſſe falſam, qua parte diſcrepare videtur à concluſione conſtituta initio præcedentis ſectionis. Hoc autem probatur primò, quia licet in cauſa efficiente actus primus ſit ratione prior, quàm actus ſecundus: at verò in ratione formali conſtitutiua, diſtinctio talis eſt impoſſibilis. Neque enim poſſumus intelligere, formam in aliquo priori exiſtere in proprio ſubiecto, cui tamen non præbeat in eodem priori ſuum effectum formalem. Sic enim non poteſt intelligi albedo, quaſi exiſtens in pariete, & conſtituens parietem in aliquo eſſe proprio & peculiari albedinis, quin intelligamus albedinem conſtituere parietem in eſſe albi. Ergo relatio paternitatis non poteſt intelligi prout actu exiſtens in prima perſona, & conſtituens illam in aliquo eſſe proprio & peculiari, quin intelligatur eandem perſonam conſtituere in eſſe relatiuo Patris actualiter reſpiciétis Filium. Confirmatur, quia relatio prout exercita, idem eſt, quod actuale exercitium referendi: hoc autem exercitium non eſt vllo modo diſtinctum ab effectu formali, quem relatio præſtat, conſtituendo relatiuum. *Nõ poteſt intelligi forma exiſtere in aliquo, quin ei præbeat ſuũ effectum formalem.*

3 Probatur ſecundò, quia relatio prout concepta, & non prout exercita, ſi præſcinditur à reſpectu termini, eſt ratio prorſus abſoluta vel ſaltem abſtrahit à relatiuo & abſoluto. At formalitas, abſtrahens à relatiuo & abſoluto, non poteſt conſtituere perſonam: vt oſtendemus contra ſequentem opinionem tertiam. Si autem relatio prout concepta, non præſcinditur à reſpectu termini: iam eo ipſo eſt relatio actu referens, ac proinde eſt relatio vt exercita. Confirmatur, quia relatio *in communi* quidditatiuè refertur ad terminum in communi: & tali ſpecifica ratio relationis quidditatiuè refertur ad terminum ſibi peculiarem. Ergo relatio Paternitatis quidditatiuè

refertur ad Filium. Quapropter contradictionem implicat, quod Paternitas constituat Patrem in esse Patris; sed tamen non constituat secundum suam quidditatem actualiter referendi ad Filium. Plura contra hanc sententiam scribit Ferrariensis 4. contra gentes cap.26.colum. penult. §. *Sed hæc interpretatio.*

4 *Tertia sententia improbabilis.* Tertia sententia quorundam Thomistarum asseruit, personas constitui per proprietates, abstrahentes à relatione & absoluto. Quam tenuit Heruæus 1. dist.26. quæst. 1. apud Aureolum in eadem dist.26.art.2. colum.3. vbi eam refutat & meritò. *Refutatur.* Nam improbabilem esse, probatur primò, quod enim abstrahit à relatiuo & absoluto; consequenter abstrahit ab incommunicabilitate & oppositione quæ simpliciter necessaria est ad constitutionem personæ diuinæ: nam hæc incommunicabilitas & oppositio tribuitur per solam formalitatem relationis: vt probatum est disp.87. sect.2.3. & 4.

5 Probatur secundò, quia proprietas, abstrahens à relatiuo & absoluto, non est quidditatiuè formaliterque relatio: quemadmodum animal abstrahens ab equo & leone, non est quidditatiuè & formaliter equus. Ergo absolutè loquendo, personæ diuinæ non constituerentur formaliter per relationes; si constituerentur per proprietatem, abstrahentem à relatiuo & absoluto. At prorsus est improbabile, diuinas personas non constitui relationibus: vt ostendimus disp.87.

6 Tertiò probatur, quia vnaquæque persona diuina, cum singularis sit, debet constitui per proprietatem singularem, ac sibi peculiarem. Hanc autem abstrahere à relatiuo & absoluto contradictionem implicat: quia relatiuum & absolutum differentiæ sunt, ens immediatissimè diuidentes: vnde non poterit ens contrahi ad talem proprietatem singularem & incommunicabilem, quin prius contrahatur per vniuersaliores alias differentias relatiui vel absoluti.

7 Confirmatur, quia si prædicta proprietas abstrahit à relatione, non tanquam superius ab inferiori; sequitur abstrahere eo modo, quo Deitas abstrahit à relatione: propterea quæ sequitur, proprietatem hanc esse simpliciter absolutam: siquidem absolutum est quidquid secundum suam vltimam & singularem rationem non est relatiuum. Si autem prædicta proprietas abstrahit tanquam superius ab inferiori; iam non constituit personam singularem & prorsus incommunicabilem: superius enim communicatur inferioribus, & non est singulare.

8 *Quarta sententia.* Quarta sententia fuit, personam diuinam in ratione subsistentis constitui per relationem secundum *esse in*, non secundum *esse ad*. *Refutatur.* Ita Bañez q.40. art.4. Hæc tamen solo modo loquendi discrepat à præcedentibus sententiis. Nam si relationem præscindas ab *esse ad*, non remanet relatio, sed remanet solus conceptus absolutus, iam impugnatus sect.1. vel remanet aliquid abstrahens à relatiuo & absoluto, quod impugnatum est nuper in sententia proximè præcedenti.

9 His quatuor sententiis præcipuum fundamentum fuit authoritas S.Thom. in præsenti q.40. art.2.& 4. apud quem relatio paternitatis, vt relatio, posterior est sua origine, videlicet, generatione actiua: nihilominus eadem relatio, prout est constitutiua personæ, prior est eadem origine. *Expositio doctrinæ S.Thomæ remittitur.* Cuius rationem reddit S.Thom. quoniam relatio Paternitatis, prout relatio est, fundatur in generatione: sed tamen prout est forma, constituens personam, prærequiritur ad operationem personæ, quæ est generatio. Ergo relatio, prout relatio est, non constituit personam. Veruntamen huius solutio fusius explicabitur disp.91. sect. 3. & in eadem disput. sect.4. 5. & 6. soluentur argumenta cætera.

Fuit etiam eisdem authoribus erroris occasio 10
siniſter ille conceptus de formalissima ratione relationis, quam existimabant, non esse realem secundum *esse ad*. Hoc tamen impugnatum est satis tota disput.9.

DISPVTATIO XC.

Vtrum relatio constituat personam, inquantum est relatio transcendentalis, vel prædicamentalis.

SECTIO I.

Constituit relatio, non vt merè transcendentalis, quamuis eius perfectionem includat.

PRIMA sententia existimat, personam Patris constitui per relationem, quasi aptitudinalem, quæ reddit Patrem subsistentem, & proximè potentem generare: ac proinde radicaliter continet Paternitatem. Ita docet Henricus 2. parte summæ art.58. quæst.4. Eadem videtur esse mens Alexandri 1.parte q.48. memb.4. art.3. §. *tertiò quæritur*: Ait enim, rationem constitutiuam Patris esse veluti potentiam materiæ vel actum formæ. 1 *Prima sententia.*

Huius sententiæ fundamentum est, quia persona potens generare, prior est, quàm generatio actualis, Imo quâuis intelligatur cessare ab actuali generatione, intelligitur subsistens eadem persona. Cæterum huic argumento satisfaciemus sequenti disput.91. sect.5. arg.5. 2

Nunc ad explicandam veritatem suppono, personã Patris dupliciter concipi posse. Primò namque concipitur imperfectè, & quasi semiplenè constituta per relationem transcendentalem suppositi, potentis generare. Et quantum ad hunc conceptum rectè sensit Henricus nuper citatus: vt dicemus disput.91. sect.2. concluſ.2. Secundo modo concipitur persona Patris plenè & adæquatè constituta. De hac igitur constitutione disputamus in præsenti. 3 *Dupliciter concipitur persona Patris.*

Prima concluſio sit. Persona prima non constituitur plena constitutione per relationem merè transcendentalem, & quasi potentialem personæ potentis generare: sed præter hanc formalitatem, vt plenè constituta sit persona, requiritur actualis relatio ad Filium, actu existentem: quæ relatio est ad instar relationis prædicamentalis, vt videbimus sect.2. Idem seruata proportione, intelligendum est de reliquis personis, Filio nimirum & Spiritu sancto. Ita existimat Scotus 1. dist.28. quæst.3. §. *ad quæstionem*, & quodlibet.4. §. *ex dictis duabus*. Et pro eadem referri possunt Durandus, Gabriel, Carthusianus citati disp. præcedenti sect.1. 4 *Transcendentalis relatio nõ plenè constituit sed prædicamentalis.*

Probatur primò, quia relatio purè transcendentalis, est ens simpliciter absolutum. Constat enim, materiam & formam substantialem esse res simpliciter absolutas, quâuis quidditatiuè mutuo se 5 *Relatio purè transcendentalis est formalitas simpliciter absoluta.*

se respiciant ordine transcendentali. Similiter transcendentalis ordo quidditatiuus est potentiis, actibus & obiectis; quamuis illa sint entia simpliciter absoluta. Imo etiam in Deo intellectio, volitio, & omnipotentia sunt attributa simpliciter absoluta; quamuis quidditatiuè includant ordinem transcendentalem ad creaturas: vt in propriis singulorum locis ostendimus. Quapropter si Patris persona constitueretur per relationem purè transcendentalem ac potentialem: constitueretur per proprietatem simpliciter absolutam: quam constitutionem improbabilem esse, satis constat ex disp.87.88. & 89.

6 Confirmatur, quia quod hæc relatio potentialis virtualiter contineat Paternitatem, non obest, quominus sit absoluta simpliciter, si non est relatio prædicamentalis. Nam etiam Deitas continet virtualiter & radicaliter relationes diuinas; cum tamen ipsa sit absoluta. Imo in rebus etiam creatis fundamentum continet virtualiter relationem, sicut animal, præditum potentia generatiua, continet virtualiter Paternitatem; cum tamen animal & eius potentia generatiua sit ens simpliciter absolutum.

7 Probatur secundò, nam animal, prout constitutum potentia generatiua prius tempore, quàm generet, non est constitutum in ratione patris, sed in ratione potentis esse pater. Ergo prima persona, prout est constituta præcisè per potentiam generatiuam, non est plenè constituta in ratione Patris; ac proinde non constituitur plenè in ratione talis personæ; nam talis persona in quantum persona, est Pater; vt ostendimus disp.87. & duabus sequentibus.

8 Probatur tertiò, quia persona Patris quidditatiuè respicit Filium, conformiter ad quidditatem Filij: sed Filius diuinus quidditatiuè est actu existens per actualem generationem. Ergo persona Patris quidditatiuè respicit Filium, prout quidditatiuè existentem per actualem generationem. Vnde sequitur vlterius, quod persona Patris quidditatiuè respicit Filium, non solo respectu potentis generare, sed actuali respectu personæ generantis actualiter. Confirmatur, etenim constitutio Patris & Filij debent inter se proportionem seruare: sed Filius non constituitur per relationem personæ, quæ potest generari, abstrahendo ab hoc, quod actu generetur: sed potius constituitur per relationem, quidditatiuè postulantem actu generari. Ergo similiter Pater constituitur per relationem, quidditatiuè postulantem actu generare.

9 Quartò denique probatur, quia prima persona constituitur plenè & adæquatè per relationem quasi prædicamentalem, vt ostendemus sect. sequenti.

10 *Obiectio.* Sed contra tertiam probationem obiicies. Licet Spiritus sanctus constituatur non per potentialem, sed per actualem relationem spirati: nihilominus Pater & Filius non constituuntur per actualem relationem spirantis, sed per radicalem & quasi potentialem relationem: vt vidimus disput.68. sect.8. Ergo licet Filius constituatur per actualem relationem geniti: nihilominus Pater poterit præcisè constitui per relationem potentis generare.

11 *Solutio.* Respondetur, negando consequentiam, quia relatio spirationis actualis est communis duabus personis, quas propterea supponit iam esse constitutas, vt se mutuo diligant: iuxta ea quæ probata sunt disput.73. & 74. Ideo prædicta relatio non potest esse constitutiua alicuius personæ, licet aliquo modo perficiat & compleat primariam & radicalem constitutionem. At verò relatio Paternitatis est quæ primariò constituit personam primam, cuius est propria: vt ostendimus tribus disputationibus proximè præcedentibus. Quapropter ab exemplo supradicto potius deducitur oppositum. Nam personalitas Patris est, per quam prima persona formaliter actúque distinguitur à Filio, sicut relatio spirationis actiuè est, per quam formaliter distinguitur à Spiritu sancto vt vidimus in prædicta disp.68. sect.8. Vnde sicut relatio spirationis actiuæ debuit esse actualis relatio ad Spiritum sanctum: ita etiam relatio constitutiua primæ personæ, debuit esse actualis relatio ad Filium. *Quantum ad constituendã & distinguẽdã personam comparatur spiratio cum aliis relationibus.*

Secunda concluſio. Prædicta relatio actualis, quæ constituit primam personam, in sua ratione formali complectitur totam perfectionem relationis transcendentalis, licet non solam. Probatur primò, quia relatio, quæ merè prædicamentalis est, non includens perfectionem relationis transcendentalis, non potest constituere suppositum subsistens. Imo quamuis relatio suppositum inueniat constitutum, non potest illud reddere potens generare, nec potens generari. Ratio est, quia relationis prædicamentalis totum esse est ad aliud se habere iuxta Philosophum in cap. *ad aliquid*, receptum ab omnibus Philosophis & Theologis; vt vidimus disput.9. sect. 3. Ergo relationis prædicamentalis esse, si fuerit omnino separatum à perfectione relationis transcendentalis, non poterit constituere suppositum subsistens, nec potens generare; quoniam harum formalitatum esse totum, non est ad aliud se habere: quemadmodum in creaturis est manifestum. Suppositum enim pertinet ad prædicamentum substantiæ, potentia verò generatiua pertinet ad prædicamentum qualitatis, non ad prædicamentum relationis. 12 *Perfectio relationis transcendentalis continetur in constitutiuo personæ.* *Non constituerat suppositũ, nisi contineret perfectionem relationis transcendentalis.*

Vnde nascitur secunda probatio, quia relatio merè prædicamentalis terminum correlatiuum non respicit, quasi principium producens, neque respicit quasi terminum productum, sed respicit purè vt terminum; vt explicuimus in prædicamentis. Aliud est enim esse formaliter & quidditatiuè causam, vel esse formaliter & quidditatiuè effectum; quod in creaturis est quidditas absoluta, & transcendentalis relatio, super quam fundatur relatio prædicamentalis. Aliud autem est ipsa relatio prædicamentalis causæ ad effectum, vel effectus ad causam, cuius totum esse, est ad aliquid quodammodo se habere. 13

Propterea Cyrillus in notione constitutiua Patris, transcendentalem relationem potentis generare, copulauit cum relatione actualis generationis, lib.1. thesauri cap.6. circa medium dicens: *Notio perfectionis fœcunditas est.* Nihilominus præcedentis cap.5. & toto cap.6. & sequentibus notionem Patris assignat actualem generationem veluti cap.5. circa medium illis verbis: *Generare Patris notio est, Pater igitur est, quia generat, Filius quia generatur.* Et cap.6. colum. penult. sæpe repetit; *Pater dicitur ad Filium, sicut Deus dicitur ad creaturas.* Addit tamen, Deum dici à potestate creandi, sed Patrem non dici, nisi actualiter generet. Ac subdit: *Quod generare potest, nondum actu generat: posse igitur Patrem generare, non est esse Filij: sed quia Deus Pater est, ideo ex ipso Filius esse intelligitur, per quem Deus Pater est.* 14 *Sic habet textus.*

Simul

Simul ergo Pater est Deus & cum ipso Filius, vt seruetur in Deo quod Pater sit.

SECTIO II.

Propius accedit ad prædicamentalem relatio, quæ constituit personam diuinam.

1 *Vltimam & summam rationẽ actualiter referendi formaliter affert relatio constituens personam.*

POstrema conclusio, disputationis titulo satisfaciens, est. Relatio quæ constituit personam diuinam, quamuis non sit prædicamentalis, (quia nihil diuinum capitur intra prædicamentum,) propiùs tamen accedit ad relationem prædicamentalem. Propinquitas autem & analogia consistit in eo potissimum, quod prædicta relatio affert vltimam & summam rationem actualiter referendi.

2 Probatur primò, quia relatio constituit personam diuinam: vt probatum est disp. 87. & duabus sequentibus. Ergo vel constituit relatio merè transcendentalis, vel constituit relatio habens etiam perfectionem relationis actualis, & quasi prædicamentalis: Sed non constituit relatio merè transcendentalis, vt probatum est sectione præcedenti. Ergo constituit relatio actualis & quasi prædicamentalis. Confirmatur, quia non est propriè relatio, sed merum ens absolutum, relatio, nisi fuerit quasi prædicamentalis & actualis. Hæc enim sola condistinguitur à cæteris omnibus prædicamentis, quæ simpliciter sunt absoluta, licet essentialiter imbibant innumeras relationes transcendentales.

3 Probatur secundò, nam in rebus creatis pater, reduplicatiuè vt pater, est relatiuum prædicamentale. Ergo Pater in diuinis, reduplicatiuè vt Pater, erit relatiuum, quasi prædicamentale. At verò Pater, reduplicatiuè vt Pater, constituit personam subsistentem, similitérque Filius reduplicatiuè vt Filius. Quemadmodum Iustinus in expositione fidei de Trinitate, non longè ante med. ait: *Vnum Deum confiteamur in Patre, Filio Spiritu{que} sancto agnitum; quatenus Pater & Filius & Spiritus sanctus vnius Deitatis dignoscendo subsistentias; quatenus autem Deus, essentiam communem subsistentiarum intelligendo.* Quibus similia scribit q. 17. ad Orthodoxos, quæ retulimus disp. 88. sect. 2. Sicut & alia testimonia Patrum.

4 Confirmatur, quia Paternitas diuina refert personam, non solum vt suppositum subsistens, poténs{que} generare, neque solum vt generatio in via, in produci, & quasi in fieri: sed refert vt Paternitas iam actu referens Patrem, & actualiter respiciens Filium iam actu existentem. Itaque Paternitas diuina, seclusis imperfectionibus, continet quidquid perfectionis habet prædicamentalis relatio Paternitatis in creaturis.

5 *Definitio relationis prædicamentalis.*

Probatur tertiò, quia prædicamentalia relatiua sunt, *quibus hoc ipsum esse, est ad aliquid quodammodo se habere.* Vt definit Aristoteles in eo prædicamento. vnde communiter Philosophi & Theologi colligunt, totum esse relationis in hac habitudine consistere. Propterea Basilius ad melius explicandam quidditatem relationum diuinarum lib. 2. contra Eunomium propius ad princip. quàm ad medium variis exemplis ostendit, *quæcumque ad alia dicuntur, hæc ad ea quæ dicuntur, habitudinem solum ostendere.* Deinde verò propius ad med. quàm ad fin. eiusdem libri notat, *Patris & Filij nomina solam, quam inter se habent, habitudinem ostendere.* Ergo Patri & Filio conuenit definitio relatiuorum prædicamentalium. Rursus persona Patris constituitur relatione Paternitatis, & persona Filij constituitur relatione filiationis, vt probatum est disp. 87. præsertim sect. 4. probatione 6. Ergo relationibus, personarum constitutiuis, conuenit definitio relationis prædicamentalis.

6 Confirmatur primò, nam vt Augustinus obseruat lib. 5. de Trinit. cap. 5. *Quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei Filius, & Filius non dicitur, nisi ex eo, quod habet Patrem; non secundum substantiam hæc dicuntur.* Ergo Pater & Filius solam habitudinem dicunt: ac proinde sunt relatiua quasi prædicamentalia.

7 Confirmatur secundò, quia cum sit eadem proprietas constituens, quæ distinguit personas supra disput. 68. sect. 8. Si sola relatio Paternitatis & Filiationis distinguit Patrem & Filium; consequens est, vt ea sola relatio constituat Patrem & Filium. At verò solam eiusmodi relationem esse, quæ distinguit Patrem & Filium, docet Cyrillus Alexand. lib. 12. thesauri cap. 15. ferè inter med. & fin. dicens: *Nulla differentia est inter Patrem & Filium, nisi sola personalis, quia hic Pater est, ille Filius: quomodo Filius erit creatus, quem Pater increatus sit? præsertim cum relatiua nomina alterum ad alterum dicantur, & vno dicto, alterum statim intelligat? nam qui Patrem dixit, Filium illico intellexit: & qui Filium appellauit, ad Patrem confestim retulit.* *Sola relatio Paternitatis & Filiationis distinguit Patrem & Filium.*

8 *Proprietates relationis prædicamentalis.*

Vnde accipitur probatio quarta, quia tres illæ proprietates relatiuorum: videlicet simul esse natura; simul cognitione seu definitione; nec non ad conuertentia dici, conueniunt peculiari modo solis & omnibus relationibus prædicamentalibus; quemadmodum etiam Cyrillus Alexand. obseruauit lib. 2. thesauri cap. 3. à medio. Nam vtitur ferè tota doctrina Aristotelis, tradita in prædicamento *ad aliquid*, vt retundat futilem obiectionem Eunomij, inter alia dicens: *Quæ ad aliquid sunt, & natura & ratione simul sunt: & alterum ex altero infertur.* Et post pauca: *Quæ ad aliquid sunt, sicut vno posito, alterum ponitur; sic vno interempto, alterum interimitur.* Hoc autem admonet ad confirmandam & explicandam quidditatem relationum diuinarum, de quibus inter prin. & medium eiusdem capitis dixerat: *Vt hypostasim, quæ generat, & quæ generatur, diuina Scriptura notionibus distingueret, Patris & Filij nominibus vsa est.*

9 *Simultanea coëxistentia.*

Quod attinet ad simultaneam coëxistentiam frequenter assumunt Patres, vt probent, Filium esse coæternum Patri, quia relatiua sunt simul natura. Sic Alexand. Alexandrinus epistol. ad Alexandrum Constantinopol. colum. 5. (1. tom. Concil. lib. 1. actor. ante Concil. Nicæn.) ait: *Necessariò sequitur, Patrem semper fuisse: atque est Pater semper, cum habeat Filium, ob quem vocatur Pater.*

10 Athanas. orat. 2. contra Arianos, præsertim circa medium ita obseruat discrimen inter potentialem & actualem relationem. *Opifex quidem & duci & esse poterit, etiam si nondum opera existant: Pater verò neque dici, neque esse poterit, si non sit ei Filius.* Plura testimonia ex eisdem aliisque Patribus allata sunt disput. 9. sect. 3. Quorum aliqui ponderant ad hoc idem probandum, quod 1. Ioan. 2. traditur: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.*

11 *Simul cognitione & definitione.*

Postremò, quod attinet ad simultaneam & inseparabiliter coniunctam cognitionem ad definitionem relatiuorum prædicamentalium, diuinis relatio

relationibus accommodat Cyrillus lib. 1. de fide ad Theodos. col. 11. vbi producto testimonio Ioannis nuper citato, *Qui negat Filium, nec Patrem habet*, &c. subiungit: *Vterque est enim per vtrumque & vterque rursum, cum ab angelis, tum à nobis quoque in altero esse dignoscitur.* Et infra: *Neque quid sit Filius intelligi à quoquam facile queat, nisi quod Pater genuerit, liquidò apud se constituat.* Sed huius proprietatis relatiuorum testimonia multo plura vidimus disp. 9. sect. 4.

12 Denique notandum est, quod diuina relatio, quatenus est ad instar relationis prædicamentalis, respicit terminum purè vt terminum: veruntamen considerata secundum se totam, non respicit purè vt terminum, eo quod includit perfectionem relationis transcendentalis, sicut probatum est sect. 1.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actus notionales præintelligantur proprietatibus.

DISPVTATIO XCI.

Relationis quidditas, & attributa varia quomodo cum personarum constitutione consentiant.

SECTIO I.

De prioritate inter relationem & originem opiniones.

1 *Prima sententia.*

PRIMA sententia, cæteris improbabilior, asserit, Patrem concipi in esse Patris prius quàm generet: & Filium concipi in esse Filij prius quàm genitus sit. Ita Marsil. lib. 1. quæst. 30. art. 3. ad 1. & 2. & art. 4. ad 13. Probat, quoniam esse constitutam personam supponitur vt operetur. Cui respondebimus sect. 5. præsertim arg. 5. Huius opinionis partem aliquam amplectuntur, qui dicunt, Paternitatem esse priorem generatione. Quod ex professo probat Argentina 1. dist. 27. quæst. vnica art. 3. Capreol. in eadem dist. 27. q. 1. art. 1. concl. 4. remittens ad ea, quæ dixerat præcedent. dist. 26. q. 1. artic. 1. præsertim concl. 4. Sic etiam Alexand. 1. p. quæst. 59. memb. 3. corp. & ad 1. dicit, Paternitatem esse rationem generandi, & non esse posteriorem generatione.

2 *Secunda sententia.*

Secunda sententia, extremè distans à præcedenti docet, generationem esse priorem Paternitate, & ideo, primam personam esse Patrem, quia generat. Hanc magis ex professo, quàm alij Scholastici, docuit Aureolus 1. dist. 17. part. 1. a. 34. & generaliter, quod actus notionalis sit prior relatione, quæ fundatur in illo, docet S. Thomas in præsenti quæst. 40. artic. 4. corp. Cui rectè consonat, quod relatio consequatur Dei actionem intelligendi se ipsum; vt asserit S. Thom. frequenter veluti 1. p. quæst. 28. art. 1. ad 4. (vbi Caietanus.) & lib. 4. contra gent. cap. 14. ad rationem 8. (vbi Ferrarien. col. 3.) & de potentia quæst. 8. art. 1. corp.

3 Quod prima persona non ideo generat, quia est Pater; sed ideo est Pater, quia generat, docet S. Bonauent. 1. distinct. 27. p. 1. art. 1. tota quæst. 2. vbi Ricard. tota quæst. 3. Colligitur ex Patribus, qui veluti causam aut rationem relationis assignant originem: vnde significant, secundum rectum modum intelligendi, originem esse priorem relatione. Quemadmodum Athanas. orat. 2. contra Arianos inter princip. & medium ait: *Quia genuit Pater est, & Filius quia aliunde genitus est.* *Ideo Pater, quia generat.*

4 Similia multoties notat Cyrillus Alex. veluti dialogor. de Trinit. lib. 2. colum. 2. & lib. 4. colum. 5. dicit: *Pater quidem, quia genuit.* & lib. 1. thesauri cap. 5. circa medium. *Pater est quia generat; Filius quia generatur.* Nazianzen. orat. 37. de Theologia verò 5. col. 5. *Ex his verbis*, ait, *quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, effectum est, vt alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur.* Ambros. 1. de fide ad Gratianum c. 2. circa med. *Filius*, inquit, *quia genitus ex Patre.* Vt propterea rectè Magister 7. dist. 27. sub init. dixerit: *Ideo est Pater, quia genuit; ideo est Filius, quia genitus est.*

5 Idem colligitur ex omnibus ferè Patribus asserentibus, propterea Filium esse vel appellari verbum, quoniam genitus est, siue conceptus, aut procedens ex mente, vel ex cogitatione, vel ex ratione, vel ex sensu, vel ex vi enunciatiua. Quorum loca citauimus disput. 58. sect. 1. pro conclus. 1. Sed eorum verba retulimus disp. 2. sect. 2. & disp. 44. sect. 6. Veruntamen hi Patres & Scholastici veniunt intelligendi iuxta conclus. 2. statuendam sect. sequenti.

6 *Tertia sententia.*

Tertia sententia, præcedenti proxima, dicit, Paternitatem, quatenus est constitutiua & distinctiua personæ subsistentis, esse priorem generatione: sed in quantum eadem Paternitas refertur ad Filium, esse posteriorem generatione. Ita Albertus 1. p. quæst. 34. membr. 1. Vdalricus, & Petrus de Tarantasia, quorum verba refert & probare videtur Carthusian. 1. dist. 27. quæst. 2. Ad eam sententiam reuocari possunt, qui personam constituunt per generatiuum in potentia proxima: quam formalitatem, asserunt esse priorem actu generandi, & hunc esse priorem Paternitate. Ita Henricus 2. p. summæ, art. 58. quæst. 4. corp. circa med. & Albertus & Alexand. locis nuper citatis.

7 *Quarta sententia.*

Quarta sententia Thomistarum est, apud quos relatio, sub eo conceptu, quo personam constituit, est prior origine: sed sub alio conceptu relationis actu referentis vel exercitæ, posterior est quàm origo, iuxta modum magis explicatum supra disp. 89. sect. 1. in prima sententia, & sect. 2. in secunda sententia. Hanc tenet Capreol. 1. distinct. 26. quæst. 1. artic. 3. post medium respondens ad primum eorum, quæ tertio loco inducuntur. Ferrariensis 4. Contra gentes c. 26. col. vltima. §. *ad cuius.* Caietanus in præsenti quæst. 40. art. 4. propius ad fin. quàm ad medium respondens ad secundam difficultatem, & quæst. 42. art. 3. §. *ad euidentiam.* Canariens. in eodem art. 4. p. 3. colum. penultima.

8 *Fundamentum diluitur.*

Præcipuum fundamentũ est authoritas S. Thomæ, cuius verba sententiam hanc sonare videntur. Veruntamen solummodo probant secundam concl. explicandam in sect. sequenti. Vide etiam quæ dicemus sect. 5. argum. 2.

9 Quinta sententia, propius ad veritatem accedens, existimat Paternitatis relationem, neque intelligi, vt priorem generatione, neque vt posteriorem,

steriorem, sed simul. Ita Durandus 1. dist.26.q.1. num.18. & dist.27. quæst.1. Idem ferè Scotus 1. dist.28. q. 3. §. *ad quæstionem.*& §. *ad argumentum principale.* & quodlibet 4. ad argumentum principale. & cum Ochamo Gabriel 1. dist.26. quæst.1. art.3.dub.4.prope finem,& quæst.2. licet ex falso fundamento negandi rationis ratiocinatæ distinctionem inter relationem & originem. Hanc sententiam magis probare videtur Carthusianus, vltimo loco referens sententiam Durandi,1.dist.27. quæst.2. fine.

SECTIO II.

Relationes & origines sunt quodammodo simul, & quodammodo priores, & sub alia ratione posteriores ad inuicem.

1 COncordia præcedentium sententiarum explicatur sequentibus conclusionibus, quæ singulis concedunt,quod argumentorum iure sibi vendicant. Prima conclusio. Paternitas & generatio sub pleno & explicito conceptu simul sunt, ita vt neutra possit intelligi quasi prior ratione, quàm altera. Idem intellige de Filiatione comparata cum natiuitate: & de relatione Spiritus sancti, comparata cum sua origine passiua, videlicet processione. Probatur,quia relatio quidditatiuè clauditur in origine sibi propria; vicissim etiam origo clauditur in relatione, ita vt vnius quidditas non possit plenè & explicitè percipi intra suam lineam præcisam, nisi intra illam intelligatur esse quidditas alterius, vt constat ex dictis, & vidimus disp.85. sect.2.

Simultas absque prioritate rationis.

2 Quantum ad hanc primam conclusionem est vera postrema sententia, posita in sect. præced. sed reliquæ priores sententiæ non sunt veræ,quatenus huic conclusioni contradicunt.

3 Secunda conclusio. Si Paternitatem intelligas imperfectè, secundum partialem rationem illius, videlicet præcisè, quatenus constituit primam personam, præditam tali perfectione positiua, propter quam non indiget principio producente, sed potius ipsa fœcunditate pollet, vt sit potens producere reliquas personas, abstrahendo ab hoc, quod de facto producat,aut generet, & ab hoc, quod de facto referatur ad Filium: Paternitas ita concepta est prior quàm generatio. Veruntamen generatio rursus est prior,quàm Paternitas sub alio imperfecto & partiali conceptu Paternitatis, quatenus actu refertur ad Filium, non explicando magis distinctè,quàm perfecto modo referatur, neque ad quàm perfectum Filium referatur.

Mutua prioritas generationis & Paternitatis secundum partialem rationem.

4 Hæc conclusio vera erit, etiam si prædictos conceptus singularizes ad hanc Paternitatem, & ad hanc generationem; dummodo in illis nihil amplius explices, quàm quod supra dictum est. Hanc conclusionem docet S.Thomas in præsent. quæst.40. art.2. & artic.4. corpor. & de potentia quæst.10. artic.3. & lib.1. sentent. dist.13. quæst.1. art.2. fine. & dist.27. quæst.1.art.2.

5 Quantum ad alteram partem conclusionis rectè sentiunt Scholastici, dicentes: Generationem esse priorem Paternitate, & primam personam ideo Patrem esse, quia generat. Quod etiam Patres dixerunt citati sectione præcedenti. Quantum ad alteram verò partem rectè sentiunt Scholastici, dicentes; Paternitatem esse priorem generatione: propterèaque primam personam generare, quia Pater est. Propius autem ad hanc conclusionem accesserunt authores quartæ sententiæ, quatenus distinguunt alteram rationem, quæ sit prior, & alteram quæ sit posterior.

6 Totam conclusionem probant argumenta, fusiùs examinanda sectionibus sequentibus. Etenim aliquem conceptum Paternitatis concedere priorem generatione, compellit ratio suppositi & principij, quod est prius operatione sua. Deinde verò rationem alteram Paternitatis concedere posteriorem generatione, compellit quidditas relationis istius, cui est veluti ratio fundandi generatio: vt videbimus sect. sequenti.

7 Tertia conclusio. Vtraque origo passiua,nimirum, Natiuitas & Processio simpliciter prior est, quàm relatio Filij & relatio Spiritus sancti: si prædictæ relationes incompletè intelligantur secundum partialem rationem personæ & relationis, præscindendo à sua productione. Ita intelligendus est S. Thomas in præsenti quæst. 40. art. 4. corpor. cum ait: *Origines passiuæ significatæ simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium etiam personales. Quia origo passiuè significata significatur, vt via ad personam proprietate constitutam.* Idem docet de potentia quæst.10. artic.3. corpor. fine & lib.1. sententiarum distinct.27. quæst. 1. artic.2. ad 4.

Origo passiua prior relatione sua.

8 Quantum ad hanc conclusionem rectè sentiunt authores in sect. præced. citati pro secunda sententia,quatenus dicunt,originem esse priorem relatione: melius autem Thomistæ citati pro quarta sententia, quatenus distinguunt partialem formalitatem ralationis, quæ sit posterior origine. Melius adhuc & clarius secundam & tertiam conclusionem tradidere docti recentiores, vt Vazquez disp. 159. cap.5. & Suarez lib.7. de Trinit. cap.7.

9 Rationem conclusionis rectè docuit S. Thomas citatus, quoniam origines intelliguntur tanquam viæ ad personas producendas, vt probatum est disput.83. præsertim sect.4. & disput. 85. Sed via intelligitur vt prior, quàm terminus in esse producto. Ergo origines intelliguntur prius, quàm persona producenda,& consequenter prius quàm eius relatio constitutiua. Peculiariter autem aduersus primam sententiam Marsilij confirmatur, quia frustra intelligitur via, postquam intelligitur terminus iam acquisitus: ergo frustra intelligitur generari persona, postquam intelligitur esse Filius: & consequenter inordinatè concipitur Filius in esse Filij prius, quàm concipiatur vt genitus.

10 Quarta conclusio. Vtraque origo passiua quodammodo posterior est, quàm persona Filij & Spiritus sancti, prout origo exigit personam productam, & quasi pendet ab illa, velut à suo termino, & velut à supposito, in quo est. Quo etiam modo relatio Filij imperfectè concepta,potest intelligi, vt quodammodo posterior, quàm persona Filij, quatenus relatio intelligitur esse in persona, supra disp.46. sect.2.

Quodammodo posterior est origo passiua, quàm sua relatio.

11 Quinta conclusio. Origo actiua Spiritus sancti est prior, quàm relatio spiratoris. Ita S.Thomas in præsenti quæst.40. artic. 4. & cæteri Scholastici sine controuersia. Habet enim hoc peculiare sola relatio spirationis actiuæ, vt supponat personas iam constitutas, quæ sint principium originis actiuæ, siue operationis notionalis, ad quam veluti ad rationem fundandi consequatur prædicta

Origo actiua Spiritus sancti prior quàm sua relatio.

prædicta relatio. Itaque in relatione spirationis actiuæ non est locus distinguendi partiales formalitates, quarum vna sit prior, & altera sit posterior, quàm origo.

SECTIO III.

De fundamento & ratione fundandi relationes.

1 VNum ex præcipuis argumentis,quæ contendunt, personam non posse constitui relatione, nascitur ex generali quidditate relationis. Omnis enim relatio supponit fundamentum; vnde sequitur primum fundamentum relationis esse debere absolutum (alioqui processus infinitus dabitur, si omnis relatio fundatur in alia relatione.) Rursus fundamentum diuinæ relationis non potest esse Diuinitas, nec aliquid commune tribus personis, quia debet esse peculiare illi relationi, quam fundat (vt ostendemus statim:) ergo fundamentum debet esse persona: ac proinde per aliquid absolutum erit formaliter constituta, vt possit esse fundamentum relationis: ideóque non erit constituta per relationem, vt relatio est.

Argumentum.

2 Deinde contra decisionem præcedentis sectionis occurrit argumentum; quoniam omnis relatio supponit rationem fundandi, & peculiariter relationes causæ siue principij supponunt actionem seu operationem, vt rationem fundandi. Huiusmodi autem sunt relationes diuinæ. Confirmatur, nam in creaturis ratio fundandi Paternitatem est generatio: ergo similiter in diuinis.

Secúdum argumentum.

3 Multiplex est dicendi modus de relationis diuinæ fundamento, vel de ratione fundandi. Primò namque Henricus apud Carthusianum libro primo distinctione 26. quæstione 8.docuit, quod relatio fundatur in essentia, tanquam in primo fundamento, sed in persona fundatur, tanquam in re constituta & distincta per ipsam relationem. Quod temperat & exponit Carthusianus, vt essentiâ, quatenus est singularis & communis tribus personis, fundet relationes; non in quantum est peculiaris vni personæ. Verumtamen author vterque non videtur intelligere fundamentum propriè dictum, sed impropriè & quodammodo.

Primus modus dicendi.

Exponitur.

4 Secundus dicendi modus est, quorũdam theologorum, qui simpliciter essentiam vocant fundamentum relationum. In qua sententia planè videretur fuisse Suarez lib. 8. de Trinitate cap. 1. num. 7. & sequentibus: nisi contrarium expresè docuisset lib.7. capite quinto num.13. Primum eius argumentum accipitur à sufficienti partium enumeratione; quia nullum aliud fundamentum relationis excogitari potest,nisi essentia.

Secúdus modus dicendi.

Primum argumentum.

5 Secundum, nam vnaquæque natura substantialis est sufficiens fundamentum proximum suæ personalitatis,sibi connaturalis, idque iuxta modum existendi illius naturæ in tali persona. Vrget autem magis hoc argumẽtum circa primam personalitatem, quæ, quoniam absque reali productione conuenit naturę Diuinæ,non potest aliunde prouenire, nec aliud fundamentum habere, nisi naturam ipsam. Confirmatur, quia propter communicabilitatem & fœcunditatem Diuinæ naturæ non potuit prima eius personalitas esse absoluta: debuit igitur esse relatiua, & consequenter accommodata intimæ operationi, & communicationi talis naturæ: propterèaque debuit esse relatio principij producentis per intellectum.

Secúdum argumentum.

6 Tertius modus dicendi pro ratione fundandi Paternitatem (de qua maior est difficultas) assignat intelligere essentiale. Dicunt enim recentiores nonnulli, Diuinitatem prius ratione,quàm determinetur ad personas, esse per se intelligentem, & seipsam actu actualiter comprehendere. Ex hac intellectione actuali,putant,pullulare Paternitatem non realiter, sed secundum modum intelligendi.

Tertius modus.

7 Huius fundamentum fuisse videtur,quia relatio Paternitatis constituit principium productiuum per intellectum: ergo verisimile est hanc relationem consequi & suo modo fundari in actu intelligendi. Confirmari potest primò, quia nulla ratio magis accommodata, quam hæc, poterit inueniri, propter quam relatio Paternitatis Diuinitati coniuncta sit prius, quàm quælibet alia relatio. Confirmatur secundò, nam spiratio actiua consequitur actum diligendi. Ergo similiter Paternitas consequetur actum intelligendi.

Fundamentum.

8 Quartò & postremò, rationem fundandi Paternitatem esse generationem actualem, existimare videntur sanctus Bonauent. imo etiam S. Thomas, Ricard. & nonnulli Patres, qui sect.1. sentent.2. dicunt, Paternitatem esse posteriorem generatione; atque ideo Primam personam esse Patrem, quia generat. Huius fundamentum est argumentum secundum initio propositum.

Quartus modus dicendi.

9 Nihilominus sit prima conclusio. Essentia Diuina non potest esse propriè simplicitérque fundamentum Diuinarum relationum.Ita existimant Vazquez disput. 154. cap. 4. Suarez lib.7. cap. 5. num.13. Et alij docti neoterici. Probatur primò,quia fundamentum est primum, in quo veluti recipitur relatio: propterèaque fundamentum relationis debet esse subsistẽs prius ratione,quàm relationem recipiat: alioqui non erit aptum, vt recipiat,& quasi sustentet relationem. Sed essentia Diuina non subsistit prius ratione, quàm relatione terminetur:siquidem per relationem constituitur formaliter in esse subsistentis, supra disput. 88. nec habet essentia subsistentiam absolutam & communem, ratione cuius sustentet relationes,vt probatum est disp.34. sect.5. & sequentibus. Ergo relatio non fundatur in essentia.

Essentia non est fundamẽtum relationum.

10 Cõfirmatur, propriùs enim essentia dicitur esse in tribus hypostasibus, siue subsistentiis relatiuis (vt loquuntur communiter Concilia & Patres, citati in eadem disput.34. sect.2. & sequentibus.) At verò minus propriè dicuntur relationes esse in essentia. Ergo relationes non fundantur in essentia.

11 Probatur secundò, quia fundamentum relationis per illam refertur ad terminum, & ipsum etiam fundamentum terminat oppositam relationem. At verò essentia Diuina non refertur per relationem, sed ipsa relatio est, quæ refertur, vt *quod*, & vt *quo*; similitérque ipsa relatio est quæ terminat relationem oppositam, vt videbimus sect.sequenti.

12 Secunda conclusio, nec ipsum intelligere essentiale, neque aliquis alter conceptus essentialis esse potest fundamentum, aut ratio fundandi relationem Paternitatis,propriè loquendo. Quod non possit esse fundamentum, probatur eisdem rationibus allatis pro conclusione præcedenti. Quod autem non sit ratio fundandi, propriè loquendo, probatur primò, quoniam intelligere

Nullus conceptus essentialis fundat relationem diuinam.

essentiale reperitur etiam in Filio & Spiritu sancto, in quibus tamen non est ratio fundandi relationem aliquam.

13 *Solutio.* Respondent aliqui, licet eadem natura Diuina sit in Patre, Filio; aliter tamen & aliter. In Patre namque sine productione est, propterea que fundat primam relationem, videlicet Paternitatem: sed in Filio est essentia diuina, vt communicata per generationem: ideóque fundat relationem Filiationis, non verò Paternitatis. Ita Suarez lib. 8. de Trinitate cap. 1. num. 8. *Refutatur.* Veruntamen hæc solutio relabitur in idem inconueniens, quod prius refutauerant eius authores, & nos impugnabimus infra conclusione quinta. Quoniam essentia; prout communicata per generationem, iam non est essentia præcisa secundum esse absolutum, sed inuoluit originem, vel relationem, & hanc dicit esse rationem vltimam constitutiuam fundamenti proximi, & determinatæ rationis fundandi. igitur hæc sententia verè & in re ipsa, non essentiam absolutam, sed aliquid relatiuum dicit esse fundamentum aut rationem fundandi.

14 Probatur secundò, quia fundamentum, verè propriéque subsistens, supponitur ante operationem, quæ sit ratio fundandi relationem. Sed ante intellectionem essentialem non supponitur essentia Diuina subsistens, neque aliquod suppositum, cui superueniat tanquam ratio fundandi: ergo intellectio essentialis esse nequit ratio fundandi relationem aliquam.

15 *Essentia quodammodo fundamentū relationis.* Tertia cõclusio. Nihilominus impropriè ac secundum quid appellari potest essentia fundamentum relationum; & ratio fundandi Paternitatem essentialis intellectio: similitérque ratio fundandi spirationem actiuam essentialis dilectio. Quod totum probant argumenta secundi & tertij modi dicendi.

16 *Persona quodãmodo fundamentum.* Quarta conclusio. Persona non est fundamentum relationis, propriè loquendo: quia persona non intelligitur subsistens & constituta prius ratione, quàm intra se habeat relationem: siquidem relatio est veluti forma constitutiua personæ. Nihilominus quodammodo persona consideratur tanquam subiectum in quo est relatio.

17 *Nullum est fundamẽtum nec ratio fundãdi relationem Paternitatis.* Ex præcedentibus infertur quinta conclusio. Paternitatis nullum est fundamentum, nec ratio fundandi, propriè loquendo. Quod nullum sit fundamentum, deducitur à sufficienti diuisione, quia nihil est in Deo, nisi essentiale vel notionale. Quod autem nihil essentiale sit fundamentum, aut ratio fundandi, probatum est conclus. 1. & 2. Rursus, nihil notionale fundamentum esse, probatur, quia neque persona ipsa fundamentum est, vt vidimus conclus. 4. neque aliquid personale distinctum à persona, quia nihil distinctum à persona significatur vt suppositum subsistens, quod in se possit veluti recipere ac sustentare relationem. Præcipuè tamen probatur, quia relationes infinitæ sunt ipsa suppositа subsistentia: ergo non indigent fundamento, quo sustententur & fulciantur.

18 *Nulla ratio fundandi.* Nullam esse rationem fundandi Paternitatem, probatur primò, quia si aliqua foret, maximè generatio. Hæc autem non est ratio fundandi; quia generatio quidditatiuè clauditur & imbibitur in relatione Paternitatis, & non est prior, quàm Paternitas; imò secundum aliquam rationem incompletam Paternitatis, posterior est generatio, quàm Paternitas: vt vidimus sect. 2. conclusione 1. & 2.

Probatur secundò, nam actualis Generatio non potest Deo cõuenire ratione solius essentiæ, præscindendo à personalitate: quoniam essentia, ita præcisa, non generat, nec est principium *quod* generandi: vt probatum est disput. 80. sect. 3. & sequentibus. Igitur vt generatio Deo conuenire possit, debet supponi essentia terminata, subsistensque per aliquam personalitatem: nec potest essentia, prius quàm generet, aut simul origine cum generatione, concipi terminata subsistensque per aliam personalitatem, nisi per primam, quæ est Paternitas. Iam ergo generatio non est prior, quàm Paternitas: propterea que nequit esse ratio fundandi Paternitatem. 19

Sexta conclus. Origines passiuæ peculiari quadam analogia sunt rationes fundandi relationes personarum, quæ per illas producuntur. In hoc enim concipiendi modo minor est improprietas, quàm si conciperetur generatio, veluti ratio fundandi Paternitatem. Vt autem hæc improprietas sit minor, causa est, quoniam Natiuitas & Processio sunt simpliciter priores, quàm relationes Filij & Spiritus sancti: vt vidimus sect. 2. concl. 3. 20 *Origines passiuæ quodammodo sunt relationes fundandi suas relationes.*

Veruntamen hoc non sufficit, vt propriè sint rationes fundandi; quoniam relationes sunt suppositа subsistentia, in quibus potius quasi recipiuntur & sustentantur origines. Confirmatur, quia nulla est ratio fundandi, vbi nullum est fundamentum. At verò nullum est propriè fundamentum relationum Diuinarum: vt vidimus conclusione 5. 21

Septima conclusio propter eandem rationem origo actiua, quę est productio Spiritus sancti, peculiari quadam analogia requiritur, vt ratio fundandi spirationem actiuam: quoniam supponit duas personas iam constitutas, quæ non possent referri ad Spiritum sanctum nisi producerent illum. Cærerum non est propriè ratio fundandi. 22

Ad argumenta initio proposita respondetur, distinguendo Maiorem. Omnis enim relatio finita supponit fundamentum, quoniam est accidens indigens supposito sustentante. Sed relatio infinita non indiget fundamẽto, quoniam est ipsa primum fundamentum, ratione sui ac per se subsistens, insuper ratione cuius omnia reliqua subsistunt. Ad secundum argumentum respondetur. Propter eandem infinitatem, & subsistentiam Diuinarum relationum, sicut illis repugnat habere propriè fundamentum, in quo fundentur; ita repugnat, illis habere propriè rationem fundandi. Quod enim non fundatur, non habet rationem vt fundetur: quemadmodum dicebamus in vltima conclusione. Inde constat solutio confirmationis, propter apertum discrimen infinitæ Paternitatis à finita. 23 *Ad primum argumẽtum.* *Ad secũdum argumẽtum.*

Ad argumenta posita in secundo modo dicendi, respond. Ad primum. Supponit falsum: quia nullum est fundamẽtum Diuinarum relationum: vt vidimus conclus. 5. Ad secundum respond. Natura etiam creata non est propriè fundamentum suæ personalitatis, quia personalitas non est relatio, neque accidens, sed modus substantialis. Multominus Diuina personalitas, quoniam est ipsum suppositum subsistens, poterit habere pro fundamento essentiam; quamuis essentia sit veluti radix relationum, præcipuè Paternitatis: vt vidimus disput. 52. sect. 5. Inde constat solutio confirmationis. 24 *Ad secũdum modum dicendi.*

Ad tertium modum dicendi respondetur, quodammodo fundari Paternitatem in actu intelligendi: sed hunc esse valde impropriè rationem fundandi. 25 *Ad tertium modum dicendi.*

fundandi. Ad primam confirmationem respond. Vt relatio Paternitatis priùs & potiùs, quàm alia relatio, sit immediatè coniuncta cum essentia Diuina; non incongrua ratio est actualis intellectio. Sed hoc non sufficit, vt propriè sit fundamentum, aut ratio fundandi.

26 Ad secundam cõfirmationem respond. negando antecedens. Imo potius oppositum probari potuisset, quoniam diligere, prout intelligitur prius, quàm omnes relationes, non potest esse ratio fundandi relationem Spiritus sancti: diligere namque sic acceptum, est prius ratione, quàm Paternitas: Deinde Paternitas & Filiatio sunt priùs origine, quàm relatio Spiritus sancti. Consequens igitur est, vt secundum rectum intelligendi modum, actualis dilectio non sit immediatè coniuncta cum relatione Spiritus sancti. At verò ratio fundandi propriè dicta debet esse immediatè coniuncta cum relatione, quam fundat.

SECTIO IV.

De termino relationis & productionis argumenta duo.

1 *Primum argumentum.* ADuersus constitutionem personarum per relationes, sub ratione relationis: Primum argumentum sit, quia persona Patris, quatenus distincta realiter à Filio, terminat relationem Filij: sed persona Patris, non secundum esse relatiuum: imò secundum esse absolutum, terminat relationem Filij. Ergo persona Patris per aliquod esse absolutum constituitur in esse personæ, distinctæ realiter à Filio. Minor probatur, quoniam omne relatiuum formaliter refertur ad absolutum, & non ad relationem. Ergo terminus relationis Diuinæ, secundum esse absolutum, terminat suam relationem, à qua respicitur, & non terminat secundum esse relatiuum.

2 *Solutio.* Respond. ex his, quæ diximus de termino relationis in logica. In rebus creatis, quemadmodum id quod refertur, est res absoluta, verbi gratia, Petrus, & ratio, sub qua refertur, est relatio, verbi gratia, Filiatio: sic etiam id quod terminat relationem, est res absoluta, verbi gratia, Ioannes; & ratio, sub qua terminat, est relatio, verbi gratia, Paternitas. Cuius à priori ratio est, quia creata relatio non est subsistens ratione sui, sed indiget supposito substantiali, cui inhæreat, & in quo sustentetur.

3 *Infinita relatio est quod terminat, & ratio sub qua terminat correlatiuæ relationem.* At verò relatio infinita, cum sit substantialis, & subsistens ratione sui; eadem est, quæ refertur, *vt quod*, ac simul est ratio referendi *sub qua*. Propterea similiter eadem relatio terminat oppositam relationem, tanquam id, quod terminat; & simul est ratio, sub qua terminandi. Consequens igitur est, vt persona Patris, sub formalissima ratione relationis Diuinæ, terminet relationem Filij: & ex opposito Filius secundum formalissimam rationem relationis, terminet relationem Patris: & propter eandem rationem Spiritus sanctus, sub formalissima ratione relationis, terminet relationem spirationis actiuæ.

4 *Conuenientia & differentia relationis creatæ & increatæ.* Atque in hoc maximè conueniunt vel potius exemplar sunt relationes Diuinæ comparatione relationis creatæ: quoniam Diuina relatio principij producentis terminatur ad ipsummet terminum productum. Sed in creaturis terminus productus non est relatio, sed aliquid absolutum: contra verò in Deo terminus productus non est aliquid absolutum, sed relatio. Pari quoque ratione tam in creaturis, quàm in Deo, relatio termini producti terminatur ad principium producens *vt quod*: veruntamen in creaturis hoc principium non est relatio, sed absolutum: contra verò in Deo non est absolutum, sed relatio. Ex quibus omnibus efficitur, vt præcipua lex, assignandi terminum omnibus relationibus creatis & increatis, eadem ipsa compellat cum prædicta conuenientia subiungere differentiam nuper explicatam.

5 *Difficultas.* Restabat dicere de termino, qui terminat relationem Spiritus sancti. Nam ex recentioribus aliqui putant, istius relationis terminum non esse relationem spirationis actiuæ, sed personam Patris & Filij, sub ratione vnius principij spiratiui; quod existimant, constitui, non relatione spirationis actiuæ, sed spirandi virtute, quæ de formali dicens voluntatem vel amorem absolutum, connotet relationes duas Paternitatis & Filiationis, tanquam conditionem requisitam in principio. Ita Suarez lib. 5. cap. 8. num. 11. & 12.

6 *Relatio cõstituens Spiritũ sanctum terminatur ad relationem spirationis actiuæ.* Nihilominus principium spiratiuum formaliter constitui relatione spirationis actiuæ probatum est disput. 70. sect. 4. Ideo relatio processionis, quæ constituit Spiritum sanctum cum cæteris relationibus conuenit in eo, quod terminatur ad relationem, & cum relatione Filij conuenit in eo, quod terminatur ad relationem principij producentis. In eo tantum habet aliquid discriminis, quod aliæ tres relationes terminantur ad oppositas relationes, constitutiuas personarum; sed relatio processionis, non terminatur ad relationem constitutiuam personæ; quoniam spiratio actiua supponit duas personas iam esse constitutas.

7 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum aduersus præcedentem solutionem, & contra constitutionem relatiuam insurgit, quod enim est formaliter relatione constitutum, non potest esse terminus, per se productus per aliquam productionem. Sed Filius & Spiritus sanctus termini sunt per se producti per vtramque productionem, videlicet generationem & spirationem: ergo Filius & Spiritus sanctus non constituuntur formaliter per relationes. Vnde præterea sequitur, quod terminus, *vt quod* terminans relationem principij producentis, sit aliquid absolutum & non relatio: quia relationem principij producẽtis terminat *vt quod* illud suppositum, quod est productũ ab illo principio. Maior, videlicet, illud quod est formaliter relatione constitutum, esse non posse terminum per se productum per aliquam productionem, deducitur ex axiomate recepto Philosophorum. *Ad relationem non est per se motus.* Quod accipiunt ex Aristotele lib. 5. Physicorum text. 10. cap. 2. init. vbi ait: *Neque in hisce, quæ sunt ad aliquid esse motum.*

8 *Diuina relatio per se & ratione sui est producibilis.* Respond. Ad creatam relationem non est per se motus, quoniam est imperfectissimum accidens, non producibile ratione sui, sed resultans ad productionem alterius. Quam rationem reddit Aristoteles loco citato: *Altero enim subeunte mutationem, alterum mutationem non subiens, verè dici potest: quare motus ipsorum per accidens est.* At verò relatio Diuina non resultat ad productionem alterius, sed per se ac ratione sui producibilis est, eo quod sit perfectissima subsistantia per se subsistens. Denique relatio Diuina, non admittens imperfectionem relationis prædicamentalis, eius

tamen perfectionem retinés, complectitur etiam perfectionem relationis transcendentibus: vt vidimus disput. præced. præsertim sect. 1. Quo circa Diuina relatio per se & ratione sui potest esse terminus productus; & consequenter potest *vt quod* terminare relationem principij producentis.

SECTIO V.

Ex eo quod relatio videatur esse posterior, quàm persona vel origo, nonnulla argumenta.

1 *Primum argumentum.* PRimum sit, quia relationes diuinas concipimus ad instar relationis creatæ. Hæc autem nunquam constituit primariam distinctionem extremorum, quæ referuntur adinuicem; sed potius supponit creata suppositа distingui, prius quàm illis superueniat relatio. Ergo secundum nostrum modum concipiendi, relationes Diuinæ supponunt, personas Diuinas distingui prius ratione, quàm illis adueniant relationes. Non igitur distinguuntur per relationes, subindéque non constituuntur per illas. Confirmatur, quia res, quæ refertur, existit prius, quàm referatur: sed res, quæ refertur, est persona Diuina (Deitas enim siue essentia non est, quæ refertur:) Ergo persona Diuina existit prius, quàm referatur; & consequenter existit constituta prius, quàm intelligatur habere relationem.

2 *Solutio.* Respond. Relationes Diuinas concipimus ad instar relationis creatæ quantum ad omnia, quæ non repugnant infinitati, & peculiari quidditati relationis per se subsistentis. At verò infinitudo, & peculiaris quidditas relationis per se subsistentis, postulat, nullam distinctionem extremorum supponere; sed potius extremorum distinctionem formaliter constituere; quoniam constituit suppositа incommunicabilia: vt ostendimus quatuor disputationibus proximè præcedentibus. Vnde ad confirmationem respond. Res finita, quæ refertur existit prius, quàm referatur: sed res infinita, quæ refertur, non existit prius, quàm referatur; quoniam propter suam infinitatem est suppositum subsistens, relatione constitutum.

Relatio infinita non supponit distinctionem extremorum, sed constituit.

3 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum accipitur ex authoritate sancti Thomæ in præsenti quæstione 40. artic. 4. ad fin. corporis ita distinguentis: *Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter. Vno modo, vt est relatio, & sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem. Quia relatio inquantum huiusmodi fundatur super actum. Alio modo, secundum quod est constitutiua personæ. & sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* Eandem sententiam scripserat de potentia quæst. 10. artic. 3. & lib. 1. sentent. distinct. 13. quæst. 1. artic. fine & distinct. 27. quæst. 1. artic. 2. Ergo relatio, prout relatio, non constituit personam Patris sed supponit prius ratione constitutam; siquidem est constituta persona prius quàm generet, atque prius generat, quàm relatio intelligatur in esse relationis.

4 *Solutio.* Respond. Relatio Paternitatis, secũdum vnum conceptum incompletum & minus perfectum, supponit originem: at vero secundum alterum conceptum etiam incompletum & minus explicitum formæ constituentis personam, est prior, quàm origo. Cæterum explicitus & completus conceptus relationis & originis est simul, neque vnus est prior, neque posterior altero: quæ omnia membra probata sunt sect. 2. per varias conclusiones. Sic igitur intelligendus est S. Thomas.

5 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum sit, quoniam per relationes prius, quàm per origines constituuntur & distinguuntur personæ: quemadmodum ex D. Thoma. Bellarione & communi sententia scholasticorum dictum est disput. 87. sect. 5. Ergo relationes omnes sunt priores simpliciter, quàm origines. Consequens autem esse falsum constat ex dictis sect. 2. Ergo personæ non constituuntur per relationes, prius quàm per origines. Confirmatur: nam origines passiuæ simpliciter priores sunt, quàm relationes, quæ per illas producuntur supr. sect. 2. concl. 3. ergo origines passiuæ constituunt prius, quàm relationes.

6 Respond. Quantum ad constitutionem ac distinctionem relatio dicitur esse prior, quoniam ipsa formaliter, in quantum est relatio, constituit & distinguit; non in quantum est origo. Propterea prioritas hæc solam constitutionem ac distinctionem personarum respicit; in ordine ad quam propterea dicitur, originem esse posteriorem, & personas consequenter distingui per originem: quoniam constitutio distinctióque per origines, deducitur per illationem ex primaria & formalissima constitutione per relationes. De cætero num relatio sit prior, aut posterior, aut simul cum origine, nihil tractatur à prædictis authoribus in locis adductis in ea disputatione 87. sect. 5.

7 Ad confirmationem respond. negando consequentiam. Origo quippe non potest constituere, quia non habet esse fixum & quietum, sed est via tendens ad terminum: vt vidimus in eadem disput. 87. sect. 5. Quapropter origo non intelligitur habere rationem constituiui, nisi per attributionem ad relationem constituentem, in quantum origo est via ad relationem.

8 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum, quia prima persona, productiua Filij, prior est ratione, quàm Filius. Paternitas autem sub conceptu relatiuo, non est prior ratione, quàm Filius, sed simul cum Filio. Ergo Paternitas sub conceptu relatiuo, non constituit primam personam productiuam Filij.

9 *Simul natura & prius origine potest esse relatio diuina.* Respond. negando Minorem, quia relationes Diuinæ, propter suam infinitudinem, non solùm habent hanc perfectionem, quasi prædicamentalium relationum, quod requirunt actualem coexistentiam termini in eodem instanti durationis; & quod vnum relatiuum intelligi non possit absque altero: sed insuper complectuntur aliam perfectionem relationum quasi transcendentalium, quod vna relatio Diuina est principium alterius; & consequenter, vna relatio est prior origine, quàm altera. De quo dicemus iterum in argum. 6.

10 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum. Persona potens generare, prior est, quàm generatio: rursus generatio prior est, quàm relatio Paternitatis, tanquam ratio fundandi Paternitatem. Ergo persona potens generare, constituta est ante relationem Paternitatis; ac proinde non per relationem Paternitatis, sed per aliquid absolutum constituitur. Confirmatur primò, quia omne principium, inquantum potés producere, prius est, quàm actualiter producat; & consequenter est prius, quàm relatio producentis actualiter.

11 Confirmatur secundò; quoniam vnicuique rei conuenit existere priùs, quàm operari: ergo prima

ma persona existit constituta priùs quàm generet. Confirmatur tertiò; quia licet prima persona intelligatur cessare ab actuali generatione: adhuc intelligetur subsistere persona eadem, quæ modò Pater est.

12 *Solutio.* Respond. Persona potens generare, prior est, quàm generatiõ; si fuerit persona finita: non verò si fuerit infinita persona; quoniam hæc quidditatiuè continet actualem generationem: vt vidimus disput. 85. sect. 2. Similiter quoque finita generatio prior est, quàm relatio Paternitatis finitæ; sed infinita generatio non est prior, quàm relatio Paternitatis infinitæ, secundum plenum & adæquatum conceptum Paternitatis: vt probatum est sect. 2. concluſ. 1. Totius autem discriminis inter relationem infinitam & finitam, à priori ratio constat ex hac & præcedent. sectionibus.

13 Ad primam & secundam confirmationem respond. eadem distinctione principij finiti vel infiniti. Ad tertiam confirmationem respond. Si prima persona intelligatur cessare ab actuali generatione; non intelligetur subsistere plenè, adæquatè & explicitè, sed incompletè, inchoatè, diminutè, & confusè: imò intelligetur mõstruum, sibi ipsi repugnans, siquidem intelligetur res cessare à sua quidditate, seu partem intrinsecam suæ quidditatis amittere.

14 *Sextum argumentum.* Sextum argumentum. Relatiua sunt simul natura: ergo Paternitas & Filiatio sunt simul natura. Sed Filiatio posterior est generatione: ergo Paternitas etiam est posterior generatione. Rursus persona generans non est cõstituta posterius, quàm sit actualis generatio: ergo persona generans non constituitur Paternitate. Vltima consequentia probatur, quia nulla res constituitur per id, quod est posterius ipsa re constituta.

15 *Eminentia relationis infinitæ est prioritate originis conungit simultatem naturæ.* Respond. Finitæ relationes mutuæ simul natura sunt per eiusmodi coëxistentiam, vt neutra relatio possit esse principium alterius. At verò relationes infinitæ simul natura sunt altiori genere coëxistentiæ, quod patitur, vel potius exigit, vt in eodem instanti durationis & cognitionis, vna sit principium alterius; & consequenter sit prius origine quàm altera. Quod prouenit ex eminentia, complectente perfectionem relationum transcendentalium simul cum tota perfectione relationum prædicamentalium. Quamuis igitur Filiatio sit absolutè posterior, quàm generatio; non sequitur, Paternitatem esse posteriorem generatione: quia Paternitas est origine prior; quàm Filiatio; licet cum ea simul natura coëxistat quantum ad hoc, quod in nullo instanti durationis, aut cognitionis, Paternitas existere, vel intelligi possit, nisi existente & intellecta Filiatione.

16 *Septimũ argumentum.* Ex eodem principio soluitur septimum argumentum. Paternitas est prior, quàm persona Patris; sed Paternitas est simul cum Filiatione: ergo Filiatio est prior, quàm persona Patris. Maior probatur, quoniam omnis forma constituens est prior, quàm res constituta per illam. Cum autem Filiatio non possit esse prior, quàm persona Patris; consequens est: vt persona Patris non constituatur per Paternitatem.

17 *Paternitas non est prior quàm persona Patris, nisi quodãmodo.* Respondeo & dico primò. Paternitas secundùm explicitum & plenum conceptum, non est prior quàm persona Patris. Probatur, quia Paternitas secundùm plenum & explicitum conceptum, affert totam integram personam Patris, propterea quod relationes Diuinæ sunt integra suppositа subsistentia, quemadmodum sæpe diximus. Confirmatur, quia Paternitas secundum plenum & explicitum conceptum, non solum est ratio referendi; sed etiam est id, quod refertur ad Filium, tanquam subsistens principium illius.

18 Dico secundò. Paternitas, secundum incompletum & imperfectum conceptum, est quodammodo prior, quàm persona Patris, eo quod intelligitur quasi forma constituens Patrem. Tertiò, inde tamen non infertur, Filiationem esse priorem persona Patris: quia Filiatio est origine posterior, quàm persona Patris: quamuis coëxistentia durationis & cognitione non sit posterior illa: vt diximus ad præced. argum.

SECTIO VI.

Quæ restant argumenta contra constitutionem personæ per relationem, in quantum relatio est.

1 *Primum argumentum.* PRimum argumentum. Si Pater & Filius constituerentur relationibus Paternitatis & Filiationis; sequeretur, esse nobis satis notum nomen Dei Patris & Filij. Sed eorum nomina sunt nobis ignota. Ergo non constituuntur relationibus Patris & Filij. Minor traditur Prouerb. 30. *Quod est nomen eius, & quod nomen Filij eius si nosti.*

2 *Solutio.* Respond. Hoc testimonium significat, nobis in hac vita non esse possibile nomen, quod exactè & adæquatè, prout in se est, repræsenret Patrem aut Filium. Quo modo loquendi de Diuin. nomin. cap. 13. Dionysius docet, nullum prorsus nomen esse, quod proprio conceptu Deum sine Trinitatem explicet: vt vidimus disput. 42. & 43. Sic ergo nomen Patris & Filij non significat nobis exactè & adæquatè, prout in se sunt, Diuinas personas; quippe quas significat per conceptus connotatiuos creaturarum. Nam Patrem & Filium æternum intelligimus per analogiam ad creatum patrem & filium, remouendo imperfectiones eorum.

Nomina Patris & Filij non significãt personas, prout in se sunt.

3 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum. S. Thomas supra q. 29. artic. 4. corpor. & ad primum docet, quod persona Diuina significat relationem ex parte rei significatæ; sed non significat illam per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis. Ergo persona Diuina non constituitur per relationem, prout relatio est. Respond. oppositum potius colligi. Nam si ex parte rei significatæ persona significat relationem, quasi primarium & formale significatum: consequens est, vt persona in re ipsa constituatur per relationem; quamuis modus significandi vocis huius *persona* offerat magis expresè cõceptum hypostasis substantialis, & minùs expresè conceptum relationis; eo quod hæc vox desumpta fuerit à personis creatis, quæ non constituuntur relationibus: vt fusiùs explicuimus disputat. 32. sect. 7. & sequentibus.

Solutio.

4 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum. Forma constituens personam Diuinam, prout constituit, est perfectio: sed relatio, prout relatiuè concepta, non est perfectio. Ergo relatio, prout relatiuè concepta, non constituit personam Diuinam. Respond. relatio, vt relatiuè concepta, est perfectio: vt probatum est disput. 29. & 30.

Solutio.

5 *Quartũ argumentum.* Quartum argumentum. Si persona Patris constituitur formaliter per relationem Paternitatis, vt relatio est; sequeretur, Patrem non generare.

Consequens autem est hæreticum. Ergo antecedens est falsum. Sequela probatur, nam relatio Paternitatis, prout relatio est, in eo formaliter consistit, quod Pater habeat Filium. Ergo Pater ex se, ratione solius personæ, habet Filium: quo circa nihil opus habebit generatione, vt per illam producat Filium.

6 *Solutio.* Respond. Negando sequelam: ad cuius probationem respõdeo. Relatio paternitatis finitæ consistit in eo præcisè, quod pater habeat filium, & referatur ad filium, supponendo generationem illius: ideóque postquam aliquis est pater, non habet opus generatione. Cæterum relatio Paternitatis infinitæ complectitur, non solum perfectionem relationis actualis, & quasi prædicamentalis, prout habet Filium, ad quem actu referatur; sed etiam perfectionem relationis transcendentalis, prout constituit suppositum subsistens & potens generare, & actu generans, vt ostendimus tribus disputationibus proximè præced. maximè verò disput. 90. sect. 1.

7 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum Scoti. Si Spiritus sanctus procederet per intellectum, quasi Filius; Paternitas esset proprietas, communis duabus personis spirantibus; ac proinde non esset ratio constitutiua Patris. Ergo de facto Paternitas non est constitutiua primæ personæ. Consequentia probatur, quia sicut in eo casu Paternitas intelligeretur superuenire duabus personis constitutis; ita nunc intelligitur superuenire primæ personæ constitutæ.

8 *Solutio.* Respond. In eo casu Paternitas intelligeretur superuenire duabus personis: & simul intelligeretur eadem Paternitas non superuenire duabus personis, sed vnicam personam constituere. Nam ex eo præcisè, quod est procedere per intellectum, sequitur, quod persona producens constituatur per Paternitatem: at ex eo, quod sit Spiritus sanctus illa persona, quæ procedit, sequitur, quod procedat à duabus personis iam constitutis, antequam habeant relationem Paternitatis. Denique in eo casu relatio Paternitatis foret alterius generis, longè diuersi à Paternitate, quæ modo est: quia non esset ratio subsistendi, neque proprietas personalis, sed aduenire personis iam subsistentibus. Propterea nihil inferri potest contra constitutionem primæ personæ per Paternitatem: quoniam prædicta absurda & impossibilia sequuntur ex eo præcisè, in quo paternitas illa chimærica deficit à vera ratione paternitatis.

Sextum argumentum. Sextum argumentum. A formis constitutiuis non potest abstrahi ratio communis, propter summam earum simplicitatem: sed à relationibus Diuinis potest abstrahi communis ratio relationis. Ergo relationes Diuinæ non sunt constitutiuæ.

Solutio. Respond. Hoc argumento probare potuisset Scotus, Diuinam personam non constitui personalitate absoluta; quoniam ab illa potuisset abstrahi communis ratio personæ absolutæ. Falsa igitur est Maior, nam à formis constitutiuis & summo gradu simplicibus, potest abstrahi ratio communis, quæ tamen transcendat earum differentias: vt vidimus disput. 35. sect. 1. 2. & 3.

QVÆSTIO XLI.

De personis in comparatione ad actus notionales.

ARTICVLVS I.

Vtrum actus notionales sint attribuendi personis.

DE hoc disseruimus satis tota disputatione 83. 84. & 85.

ARTICVLVS II.

Vtrum actus notionales sint voluntarij.

DISPVTATIO XCII.

Vtrum actus notionales sint liberi, vel potius necessarij ac naturales.

SECTIO I.

Sola vocis æquiuocatione, non re dissentiunt Scholastici.

VISSET simpliciter liber, non verò naturalis ac necessarius vterque actus notionalis generandi & spirandi: si verum fuisset, quod Ariani & Eunomiani cõtendebant, Filium esse genitum voluntate consilióque Patris: quod eo sensu dicebant, vt Pater pro sua libertate potuerit non generare Filium, quemadmodum potuit quamlibet creaturam non condere. Referemus hunc errorem seq. disput. 93. sect. 1. 1

Catholici tamen authores longè diuerso sensu libertatẽ concedunt Spirationi, per quam producitur Spiritus sanctus, sed non generationi. Liberum enim accipiunt, vt sit prorsus idem quod spontaneum, seu voluntarium, prout opponitur necessitati coactionis, ignorantiæ vel indigentiæ, de quibus infra sect. 4. Propterea sola voce, quantum ad præsens attinet, Scholastici nonnulli recedunt à communi sensu Catholicorum: re tamen ac mente Catholicum dogma profitentur apertè: quamuis circa libertatis indifferentiam, quæ requiritur ad imputandum meritum aut demeritum, bonum opus aut peccatum, iustificationem aut perseuerantiam in illa, non pauci dissentire videantur. Sed de hoc alibi fusiùs. 2

Imprimis ergo S. Thomas de poten. quæst. 10. artic. 2. ad 5. *Liberè*, ait, *Spiritus sanctus procedit, non tamen possibiliter, sed ex necessitate.* Vbi libertatem à coactione violẽta, quamuis cum naturali necessitate copulatam & cum impossibilitate partis alterius, appellauit libertatem, sine vllo addito. Quod magis explicat Capreolus 1. dist. 10. q. 1. art. 1. concluſ. 3. 3

Hunc

4 *S. Thomas correxit loquẽdi modũ.* Hunc tamen loquẽdi modum correxit in præsenti quæst. 41. art. 2. corp. probans, Spiritus sancti processionem esse naturalem: *Quia voluntas & natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad vnum: sed voluntas non est determinata ad vnum.* Vnde post pauca infert: *Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic, vel aliter esse, eorum autem, quæ non possunt, nisi sic esse, principium natura est.* Quod idem alio modo repetit ad tertium dicens; *Deus naturaliter vult, & amat se ipsum. Sed circa alia à se voluntas Dei se habet ad vtrumque quodammodo.* Propter negationem igitur indifferentiæ ad vtrumque, non potuit esse libera; sed naturalis euasit processio Spiritus sancti. Quod ipsum circa dilectionem, qua Deus amat seipsum, explicuerat fusiùs 1. p. quæst. 19. art. 3.

5 *Indifferentia voluntatis, qua requiritur ad libertatem.* Alibi tamen frequenter S. Thom. docet constanter, indifferentiam voluntatis ad vtramque partem contradictionis, videlicet, vt possit agere, vel non agere, simpliciter necessariam esse ad libertatem. Quemadmodum supra quæst. 19. art. 12. ad 3. & art. 10. corpor. & infra quæst. 82. art. 1. ad 3. & toto art. 2. & seq. quæst. 83. art. 1. & 4. & quæst. 105. art. 4. corp. & ad 2. & 3. & 1. 2. quæst. 1. art. 2. corp. & quæst. 9. art. 3. corp. & ad 1. & art. 4. & art. 6. fine. & quæst. 10. art. 4. corp. & quæst. 15. art. 2. corp. & quæst. 109. art. 6. corp. Præter alia quam plurima ex quæstionibus disputatis, quodlibetis & libris sententiarum, quorum verba ponderauimus in peculiari libro de libertatis indifferentia.

6 Secundò S. Bonauent. 1. dist. 6. art. 1. quæst. 1. docet, Filium procedere *necessitate immutabilitatis.* Et subdit ad finem corporis. *Hæc autem necessitas non repugnat libertati voluntatis, sed solum vertibilitati, qualis non est in Deo.* Eodem sensu librimam generationem Filij vocat Argentina dist. 6. quæst. 2. art. 4. ad 1. instantiam. Laxiorem tamen hanc significationem vocabuli corrigit S. Bonauentura aliis in locis, ad libertatem exigens indifferentiam, quæ possit agere & non agere, nec patiatur necessitatem vnius partis, aut impossibilitatem alterius. Vt videre est lib. 2. sent. dist. 25. p. 1. art. vnico quæst. 1. 3. & 6. & p. 2. art. vnico quæst. 1. & 2.

7 Tertiò Alexand. 1. p. quæst. 43. memb. 3. art. 2. corpor. & ad argumenta libertatem vocat eam liberalitatem amoris gratuiti simul atque necessarij, per quem procedit Spiritus sancti. Vocat autem *liberalem & gratuitum* more Ricardi Victorini, non quia sit possibile negare talem amorem, neque quia personæ Spiritus sancti non debeatur tanquam ad illius quidditatem pertinens; sed quoniam Spiritus sancti persona accipit ab aliis, & nulli alteri personæ tribuit esse. Quod autem Alexand. alibi propriè & exactè, libertatem, intellexerit, esse potestatem vtriusque partis, constat ex 1. p. quæst. 26. memb. 4. art. 3. & quæst. 40. memb. 4. ad 3. & 2. p. quæst. 29. mem. 1. art. 2. & 3. & quæst. 73. mem. 3. art. 3. & quæst. 74. mem. 2. 3. 4. & 6. & quæst. 75. mem. 5.

8 Quartò refert solet sententia, quæ dixerit, spirationem ratione sui præcisè non esse naturalem, sed liberam quamuis sit naturalis, quatenus comitatur amorem, quo se mutuò Pater & Filius necessariò ac naturaliter diligunt. Ita ferè se habet opinio, quam suppresso nomine authoris refert & impugnat Scotus 1. dist. 10. quæst. 1. §. *quantum ad secundum*, aliique doctores exponunt esse opinionem Henrici. Henricus autem 2. p. summæ art. 45. quæst. 3. in fin. corp. & art. 47. quæst. 5. dixerat, Dei amorem erga se ipsum esse simul necessarium atque liberum.

Veruntamen in art. 54. quæst. 3. solutione ad sextum circa fin. solutionis voluntatem *absolutè liberam* distinguit à libero arbitrio, dicens, voluntatem absolutè liberam non contradicere necessitati, cui tamen contradicit liberum arbitrium. Deinde verò art. 60. quæst. 1. fol. 1. docet, incommutabilem esse necessitatem, qua diuina voluntas elicit actum spirationis, & tendit ac terminatur ad Spiritum sanctum. Ad prædictæ libertatis explicationem & probationem fundamenta congerit Henricus, quibus Scotus opponit obiectiones. Iis verò solutiones, in gratiam Henrici, Carthusianus adhibet in eadem dist. 10. quæst. vnica colum. 12. Omnia prætermitto, ne sint oneri potius, quàm doctrinæ. Hanc denique libertatis acceptionem esse diuersam ab ea, quæ requiritur ad iustificationem vel ad culpam, constat ex plerisque locis eiusdem Henrici, veluti quodlib. 1. quæst. 16. & quodlib. 3. quæst. 17. & quodlibet. 9. quæst. 5. versus fin. & quodlib. 12. quæst. 26. & 27. 9

10 Quintò, Scotus lib. 1. dist. 10. quæst. 1. §. *aliter dico.* Et quodlib. 16. art. 2. & 3. concedit, processionem Spiritus sancti esse necessariam etiam ex parte principij, ita vt impossibile fuerit, Spiritum sanctum non procedere: addit nihilominus, eandem processionem non esse naturalem sed liberam. Eius argumenta cum solutionibus dabimus sect. 4. & sequentibus.

11 Quid autem circa libertatis indifferẽtiam certo constantérque decreuerit Scotus, inueniri non potest: quoniam necessitatem & impossibilitatem oppositi simul cum libertate concedit non solum vtroque loco citato, sed etiam lib. 1. sent. dist. 2. quæst. 1. & 2. & dist. 8. quæst. 4. & dist. 39. §. *tertia propositio.* & §. *Viso de contingentia.* & dist. 41. §. *Sed contra istud arguitur.* Aliis tamen in locis expresè docet indifferentiam libertatis ad vtramque partem contradictionis, itaut à libertate reiiciat quamcumque necessitatem antecedentem, etiam illam, quæ à diuino concursu prædeterminante proueniret, veluti 1. sent. dist. 1. quæst. 4. & lib. 2. tota dist. 25. & dist. 37. quæst. vnica §. *ad solutionem istorum*, & lib. 4. dist. 49. quæst. 6. post §. *Dico ergo.* *Indifferentia libertatis.*

12 Sextò, suum Magistrum secuti magis explicuere Scotistæ. Quemadmodum Ioannes Bassolis 1. sent. dist. 10. quæst. vnica, art. 3. dicit, Processionem Spiritus sancti necessariam esse simul & liberam. Nihilominus in fin. dist. eiusdem, admonet, ad meritum vel demeritum esse requisitam libertatem vtriusque partis, & potestatem contradictionis absque necessitate partis vnius. Quod idem multo clarius expressit Francisc. Maironis in eadem dist. 10. quæst. 1. dum respondet ad argumenta, & in 1. difficultate, fine. & seq. difficult. 2. & Guilielmus de Rubione in eadem dist. 10. quæst. 2. Qui licet absolutè pronuncient, esse liberam processionem Spiritus sancti: exponunt tamen esse liberam à coactione, non à necessitate. Libertatem autem à necessitate, & potestatem agendi & non agendi requirunt ad iustificationem & imputabilitatem actuum humanorum; non modò locis citatis, sed etiam alibi fusiùs: quemadmodum Maironis 1. dist. 38. q. 3. & dist. 40. quæst. 2. & in 2. sent. dist. 25. Et Rubione 1. dist. 38. tota quæst. 1. & dist. 47. quæst. 1. & lib. 2. sent. dist. 25. quæst. 2. art. 1. post medium.

13 Sunt etiam authores alij, qui non circa notionales actus in mysterio Trinitatis, sed circa libertatem Christi Domini, aut beatorum, siue damnatorum aut confirmatorum in gratia, circa beatitudinis appetitum, aut circa res alias, coniungunt libertatem simul cum necessitate. Alibi tamen rectè de libertatis indifferentia requirente possibilitatem vtriusque partis, positis omnibus requisitis ad operandum, rectè sentiunt, quorum testimonia referimus libro superiùs citato.

SECTIO II.

Notionales actus necessarij sunt, & non liberi.

1 *Simpliciter necessaria est generatio & spiratio.* PRima conclusio de fide est, vtrumque actum notionalem, scilicet, generationem & spirationem, esse simpliciter necessarium, ita vt semper fuerit impossibile aliquem illorum actuum non existere, vel aliter esse quàm est. Probatur primò, quia tam Filius quàm Spiritus sanctus est essentialiter Deus. Ergo est essentialiter ens necessarium, ita vt implicet contradictionem non fuisse. Rursus non potuit Filius existere, nisi productus per generationem: itémque Spiritus sanctus non potuit existere, nisi productus per spirationem. Ergo generatio & spiratio sunt actus simpliciter necessarij.

2 Confirmatur primò, quia si possibile fuisset, Patrem non generare; possibile fuisse Filium non existere: parique ratione si possibile fuisset, Patrem & Filium non spirare; possibile fuisset Spiritum sanctum non existere. Sed impossibile est, Spiritum sanctum aut Filium non existere. Ergo impossibile est Patrem non generare: Et impossibile est Patrem & Filium, non spirare. Ex hac autem impossibilitate per euidentissimam illationem sequitur necessitas generationis & spirationis; quia simpliciter necessarium est omne illud, cuius negatio est simpliciter impossibilis. Confirmatur secundò, quia sicut Pater; quia non potest non esse Pater, non potest non generare: sic etiam Pater & Filius non possunt non spirare; quia non possunt non esse spiratiuum principium: hæc enim relatio spirationis pertinet ad eorum integram atque plenam quidditatem & potestatem; vt vidimus disp. 17. præsertim sect. 6.

3 *Non possunt aliter esse, quàm sunt actus notionales.* Eodem argumento probatur, notionales actus non posse aliter esse, quàm sunt; ne personæ, per eos productæ, possint aliter esse, quàm sunt: ac proinde aliquis modus, de facto existens in persona diuina, potuerit non fuisse in ea: vnde sequeretur, illum modum non esse increatum neque substantialem, sed creatum & accidentalem, quod diuinæ perfectioni repugnat.

4 Probatur secundò, quia actus notionales sunt æterni, non participata, sed quidditatiua æternitate. Ergo sunt prorsus immutabiles: ac proinde tam actus ipsi, quàm quilibet modus eorum prædicti sunt intrinseca necessitate essendi; hæc enim est prima ratio æternitatis. Probatur tertiò, quia quidquid est simpliciter naturale, simpliciter necessarium est; sed vterque actus notionalis & quilibet modus illius est simpliciter naturalis, vt probabitur sect. sequenti. Ergo vterque actus notionalis & quilibet modus illius est simpliciter necessarius.

5 Probatur quartò, quia simpliciter necessarium est Deum esse beatum: eius autem beatitudo primariò consistit in operatione intellectionis, qua Deus se ipsum intuetur & comprehendit; completur autem amore ac fruitione seu gaudio voluntatis (aut secundum omnem sententiam in altera, vel in vtraque operatione intellectionis & volitionis beatitudo consistit; vt præsens fundamentum sit positum extra controuersiam.) Ergo contradictionem implicat, Deum cessare à cognitione & amore sui; quia si cessauerit ab vtraque operatione, definet totaliter esse beatus: si verò cessauerit ab vna tantùm operatione; beatitudinis partem amittet.

6 Consequens igitur est, necessitas producendi Verbum, quod est terminus intrinsecus per se requisitus, & necessariò cohærens cum operatione intellectionis (vt vidimus disput. 59. & sequentibus.) & necessitas producendi amorem spiratum, qui est terminus intrinsecus per se requisitus, & necessariò cohærens cum amore essentiali; vt vidimus disp. 73. & 74. Confirmatur primò, quia Deus est purissimus & perfectissimus actus: propterea{que} quidditatiuè conuenit illi semper esse in actu intelligendi & volendi. Confirmatur secundò, quia nulla perfectio simpliciter simplex potuit deesse Deo.

7 *De generatione probatur quintò.* Prædictæ rationes vtrique notionali actui sunt communes: quibus accedunt aliæ rationes singulis actibus peculiares. Imprimis enim generationem esse necessariam, probatur quintò, quia nulla operatio est contingens, nisi propter intrinsecam libertatem potentiæ elicientis, aut imperantis; aut propter extrinsecam causam impedientem. At generatio diuina non potest impediri ab vlla causa extrinseca; siquidem creatura non potest violentiam siue coactionem inferre Deo: rursus generatio non potest impediri propter intrinsecam libertatem diuinæ potentiæ, elicientis aut imperantis generationem: quoniam essentia & intellectio, Paternitati coniuncta, prout est potentiua generatiua, nullo modo est libera, neque voluntaria, neque vllo modo subiacet imperio vel motioni diuinæ voluntatis; vt constabit disput. 93. & 94.

8 *Probatur sextò necessitas Spirationis.* Deinde spirationem esse necessariam, probatur sextò, quia si necessarius est amor, quo Pater & Filius inuicem diligunt; necessarius est terminus intrinsecus, qui cum eo amore magis per se coniungitur, quàm cum illuminatione lumen, aut cum calefactione calor. Porrò prædictum amorem simpliciter necessarium esse, constat, quia summum bonum, clarè visum, rapit necessariò voluntatem, ita vt non possit se continere ab illius amore.

9 Confirmatur primò, quoniam angeli & homines non possunt diuinum bonum comprehendere, sed infinito interuallo semper à comprehensione distant: nihilominus ex eo solum, quod Deum intuitiuè cognoscant, necessariò & inseparabiliter capiuntur summi boni pulchritudine. Ergo fortiori necessitate capietur ipse Deus, tum propter euidentiorem ac pleniorem cognitionem; tum etiam propter adæquatam bono propensionem siue appetitum insitum ac naturalem, infinita vehementia ad hoc erumpentem. Confirmatur secundò, recepto communiter axiomate: *Amabile bonum, vnicuique autem proprium.* Quod sumitur ex Aristotele lib. 9. Ethicorum cap. 8. Sed diuinum bonum ipsi Deo magis proprium est, quàm cuilibet angelo vel homini. Ergo Deo erit magis amabile, ac proinde magis necessariò rapiens ad amorem.

10 Probatur septimò, quia Deus non potuit se liberè continere ab amore suæ bonitatis: ad hanc enim

enim omissionem nulla ratio boni mouere poterat. Nam quidquid boni potest amari à Deo, id totum Deus, amando seipsum, melius amat; quoniam in se formaliter aut eminenter reperit omne bonum, quod est absolutè bonum; & per sui amorem consequi poterit, quidquid efficaciter voluerit, multo melius, quàm sine sui amore.

11 *Nec est libera, nec sub deliberationem cadit generatio nec spiratio.* Secunda conclusio sequitur ex præcedēti. Tam generatio, quàm spiratio non est actus liber, neque sub deliberationem cadit. Ideo Athanasius orat. 4. contra Arianos sex columnis ante finem: *Verbum,* inquit, *ex natura gignens non prædeliberat; cum Pater in Verbo reliqua omnia, quæ voluntate decernit, & faciat & condat, quemadmodum Iacobus Apostolus docuit, Volens progenuit nos verbo veritatis.* Nec longè inferius colum. sequenti. *Filius autem proprium germen substantiæ Patris, non aliunde est, sed à Patre, ideóque de illo non deliberatur, ne & de seipso deliberare videatur.* Quia nimirum si decreuisset Pater, non habere Filium, eo ipso decreuisset, vt ipse non esset Pater, ac subinde simpliciter non esset.

12 Eadem verò ratione sequitur, Patrē & Filium non deliberare de Spiritu sancto, ne de seipsis deliberare videantur. Si enim à Filio non procederet Spiritus sanctus; sequeretur, Filium non esse, & consequenter neque Patrem esse; vt ostendimus disput. 68. sect. 2. Cyrillus. Alex. eodem ferè modo ratiocinatur lib. 1. thesauri cap. 8. prope med. illis verbis, *Videbitur ipse, Filius, seipsum fecisse, & qui nondum factus erat, secundum hæreticos, de seipso deliberasse.*

13 Idem colligitur ex omnibus Patribus, qui disp. sequenti docent, Filium non consilio, neque voluntate productum esse. Consilium atque deliberationem excludere voluit Basilius orat. aduersus eos, qui calumniantur, quod tres deos colamus, post med. dicens: *Quemmodum non ratione Pater, sic nec ratione Filius.* Epiphanius etiam in ancorato multo propius ad med. quàm ad fin. expressè negat, præcessisse deliberationem ante Filij generationem.

14 *Non gratia productus Filius, nec Spiritus sanctus.* Ricard. Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 1. fine. ex negatione libertatis rectè colligit negationem gratiæ, siue gratuitæ donationis in diuinis productionibus, dicens: *In diuina natura nihil est vel esse potest ex operante gratia. Quod enim est ex sola operatione gratiæ pro authoris beneplacito potest esse, vel non esse. Sed tale aliquid non potest esse in ipsa diuinitate. Alioqui mutabilitas ei ineesset, nec veram æternitatem haberet. Nihil itaque ibi est iuxta donum largientis gratiæ, sed totum iuxta proprietatem exigentis naturæ. Sicut enim ignascibili naturale est ab alio non procedere, sic sanè ei naturale est de se procedentem habere.* Gratiam obscuriùs exclusit Basilius lib. 4. contra Eunomium sub init. dicens: *Pater natura, non concessione.* Quod obseruant etiam citandi sect. sequenti.

15 Ratione probatur, non esse liberos actus notionales. Primò, quia necessitas absoluta directè repugnat libertati; hæc enim requirit indifferentiam ad vtrumuis. Sed tam generatio, quàm spiratio sunt actus simpliciter necessarij, qui non potuerunt non esse: & consequenter eorum principium non erat indifferens ad vtrumlibet: vt probatum est conclus. præced. Ergo tam generatio, quàm spiratio non sunt actus liberi.

16 *Absoluta necessitas libertatem excludit.* Maiorem de libertatis indifferentia, quæ sit expedita vinculo necessitatis absolutæ, docēt tam Græci quàm Latini Patres perpetua doctrinæ serie ab apostolis vsq; deriuata, Clemens Romanus epist. 3. de officio sacerdotis & clericorum col. 4. & epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini prope fin. & lib. 1. recognitionum pag. 3. & lib. 4. pag. 2. & pag. 4. Dionysius de cælesti hierarch. cap. 9. post med. & de diuinis nominibus cap. 3. prope init. & cap. 4. prope fin. Ignatius epist. 3. ad Magnesianos ante med. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 71. & 72. Iustinus in quæstionibus ad Gentiles præsertim quæst. 8. 9. & 46. & in apolog. 2. pro Christianis ad Antoninum paulo post med. Athenagoras Iustini æqualis in apolog. ad Imperatorem Antoninum. Clemens Alexand. lib. 1. stromatum circa med. & lib. 2. pag. 3. & 5. & iterum prope med. libri. & lib. 4. tribus pag. ante fin. & lib. 7. pag. 3. & lib. 1. pædagogi, cap. 6. inter prin. & med. & cap. 9. prope fin. Origenes homil. 4. in Cantic. longe ante med. & iterum post med. & in Numeros hom. 12. à med. & lib. 1. Periarchon cap. 1. à med. & lib. 3. Periarchon cap. 1. & lib. 2. contra Celsum ante med. Antonius Magnus epistol. 2. ad Asenoitas colum. vlt. Ephrem Syrus sermon. de vita religiosa atque monastica pag. 4. fine. & sermone de timore Dei ad imitationem prouerbiorum prope fin. Athanasius orat. contra idola non procul à prin. & lib. de humanitate Verbi eiusque corporali aduentu non longè à princ. Chrysostomus in Genes. cap. 4. hom. 19. prope init. & hom. 22. in Genes. colum. 2. & sequent. homil. 23. col. vlt. & homil. 4. de laudibus Pauli prope init. & sequenti homil. 5. de conuersione Pauli colum. 3. & homil. 9. de laudibus Pauli fine. Methodius Martyr lib. de libero arbitrio apud Turrianum lib. 4. pro epistolis Pontificum cap. 2. inter med. & fin. Atque iterum in fragmento quod aduersus Origenem Epiphanius refert hæres. 64. ante med. fragmenti. Atque idem Epiphanius hæres. 16. & hæres. 24. post med. Basilius homil. 9. quod Deus non sit author malorum longè post med. & in Isaiam cap. 14. in med. & illa verba: *Semen reprobum præparat filios.* Et lib. 3. contra Eunomium versus med. & lib. de Spiritu sancto prope medium. Gregorius Nazianzenus in apologetico siue orat. 1. colum. 8. & orat. 16. de pauperum amore, longè post med. & orat. 38. de Christi natiuit. circa med. & orat. 42. in Pascha inter princ. & med. Gregor. Nyssenus lib. de beatitudinibus, beatitudine 5. de misericordia paulo post med. & orat. de dormientibus longè post med. & lib. de opificio hominis cap. 16. post med. & orat. 5. in Cantica, inter med. & fin. & orat. catechetica cap. 5. versus fin. & cap. 31. & lib. de vita Mosis propius ad med. quàm ad princ. & in Ecclesiastem hom. 2. colum. 2. & homil. 8. in med. Nemasius Episcopus Emissenus in eo lib. qui frequenter citatur ab antiquioribus Scholasticis sub nomine Nysseni cap. 35. 36. 39. 40. 41. 44. & 45. Cyrillus Alex. lib. 3. contra Iulianum colum. 3. & 4. & lib. 8. contra eundem sub fin. & in Ioannem, lib. 2. 44. Cyrillus Hierosolimitanus catechesi 4. titulo. de statu hominis. Eusebius Cæsariensis de præparatione Euangelica lib. 6. cap. 5. & cap. 6. post med. & cap. 7. prope med. & cap. 8. prope init. & cap. 9. circa med. & lib. 4. demonstrationis Euangelicæ cap. 1. ante medium. & cap. 6. prope finem. Damascenus lib. 2. de fide cap. 26. & cap. 22. circa medium & toto cap. 25. & 27. Et in dialogos contra Manichæos paulo propinquius ad finem quàm ad medium.

17 Quam plurimos alios tam Græcos, quàm Latinos eximiæ authoritatis consultò prætermitto, quoniam omnium verba sigillatim pondero multis

tis disputationibus in alio volumine de libertatis indifferentia.

18 *Antecedens necessitas libertati repugnat.*

Confirmatur primò, Quoniam antecedens necessitas directè repugnat libertati: est autem necessitas antecedens illa, quam voluntas auferre nullo modo potest. Talis autem est necessitas generandi & spirandi, quam diuina voluntas nullo modo potest auferre; vt probatum est conclusione precedenti. Fudamentum illud de necessitate antecedẽti sumitur ex Aristotele 1. perihermenias cap. 8. post med. & prope fin. Clarius autem & copiosius, quàm cæteri, docuit Anselm. lib. de concordia liberi arbitrij cum prædestinatione & gratia cap. 1. colum. 2. & sequentibus. & cap. 2. & libro 2. cur Deus homo cap. 18. prope medium, & in elucidario in med. Quam doctrinam confirmant quam plurima loca Augustini & aliorum Patrum. Clarior autem explicatio fere omnium Scholasticorum, quos omnes afferimus in prædicto volumine.

19 *Determinatio repugnat libertati.*

Confirmatur secundò, quia quod est indifferens ad vtrumlibet, non est determinatum ad vnum. Sed Deus est determinatus ad generandum & spirandum: ergo non est indifferens ad hos actus; quod ipsum est non esse liberum. Minor probatur, quia sicut Deus est quidditatiuè determinatus, vt intelligat & vt sit Pater: ita etiam est quidditatiuè determinatus, vt Verbum producat qui sit Filius: eadémque ratione sicut quidditatiuè determinati sunt Pater & Filius, vt inuicem diligant, & sint vnum principium, ita determinati sunt, vt spiret amorem productum.

20 *Libertas in sola volũtate formaliter.*

Secunda ratio peculiariter probat, generationem non esse liberam, quia libertas in sola voluntate formaliter residet; sed in intellectu non nisi radicaliter (vt in prædicto volumine probauimus) quapropter operatio, nullo modo proueniens à voluntate, tanquam à principio, non potest esse libera. Sed diuina generatio nullo modo prouenit à voluntate, tanquam à principio. Ergo non potest esse libera.

21 *Spõtaneum à coactione solutũ non sufficit libertati.*

Tertiò. Præcedens ratio non obstat, quominus spiratio potuisset esse libera, quoniam à voluntate procedit tanquam à principio. Cæterum obstat, necessitas absoluta & antecedens superius explicata. Confirmatur peculiariter contra Scotum, quia si delectatio seu gaudium, & spontaneus motus ab omni coactione solutus, satis esset, vt aliquis amor censeretur absolutè liber: sequeretur, motus primo primos concupiscentiæ, vel cuiuslibet tentationis esse imputabiles ad culpam, quæ foret quandoque mortalis. Imo etiam sequeretur, plurimos amores brutorum esse simpliciter liberos, nam ad illos brutorum appetitus mouetur à forma apprehensa: in quo videtur Scotus constituere rationem libertatis.

22 *Spiratio non potest in deliberationem venire.*

Restat ex præcedentibus deducere rationem, propter quam spiratio non possit in deliberationem cadere; nam consilium siue consultatio atque deliberatio non potest esse de rebus necessariis, neque de impossibilibus, sed tantum de futuris contingentibus, id est, operationibus, quas agere vel non agere positum est in potestate deliberantis & consultantis. Vt expresse docet Aristot. lib. 3. Ethicorum cap. 3. & 5. & 6. Ethicorum cap. 1. & 2. Athanas. orat. 4. contra Arianos quinque columnis ante finem. quem referemus sect. 4. Damascenus lib. 2. fidei cap. 25. prope fin. & cap. 26. ante medium & cap. 27. prope init. Nemesius dicto libro de natura hominis cap. 34. ante med. & cap. 39. 40. & 41. S. Thomas. 1. 2. quæst. 14. art. 3. & omnes Scholastici variis in locis.

SECTIO III.

Notionalis actus est naturalis vterque; sed spiratio propinquior libertati.

1 *Naturalis est generatio & spiratio.*

PRima conclusio. Non modo generatio, sed etiam spiratio est actus naturalis. Probatur primùm ex Patribus, qui frequentius hoc docent de generatione, sed nõ rarò de spiratione. Concil. Nicænum lib. 2. circa med. §. *quomodo* in fin. *Dei Patris sapientia*, inquit, *Deus verè sit ex ipso Deo, æternus ex æterno, verus ex vero, cum sit naturâ Filius æterni Dei & Patris.* Alex. Alexandrinus epistol. ad Alex. Constantinop. colum. 6. *Illud*, ait. *Ex vtero ante luciferum genui te*, perspicuè ostendit *naturalem, quæ in Filio est Paternæ generationis proprietatem, quam propria naturæ vi consecutus est.*

2 Athanas. orat. 2. contra Arianos propius ad med. quàm ad princ. *Filium esse*, dicit, *ex Patre naturale genimen, & naturalem fœtum & partum.* Et orat. 3. contra Arianos pag. 2. docet: *Ex natura Patrem esse sui Verbi.* Deinde pag. 6. *Naturalem generationem* appellat. sequentique pag. 7. *Cum Filius*, inquit, *natura sit Vnigenitus.* Rursus orat. 4. sex columnis ante fin. inuehitur aduersus Arianos, quoniam Deo necessitatem adscribunt (videlicet coactionis) atque subiungit: *Id enim quod oppositum est voluntati, animaduerterunt: id autem quod maius est, altiúsque non conspexerunt. Vt enim opponitur voluntati id, quod est præter animi sententiam: ita altius est priúsque voluntate, id quod secundum naturam est.* Præterea col. penult. eiusdem orationis probat, *non licere cogitare de Patre, quod posset non velle sibi Filium esse, & de Filio vicissim, quod & is potuisset non esse. Impia ista audacia est, quæ pertingit vsque ad Patris substantiam. Simile enim est ac si dicas, poterat enim Pater non esse bonus, sed quemadmodum bonus semper natura: ita semper genitabilis natura Pater.* Et prope finem orationis eiusdem: *Discant ab ipsis* (videlicet hominibus) *non voluntate generari Filium, sed natura & veritate.* Item sequenti orat. 5. init. *Ex ipso principio per naturam existit Filius.*

3 Basilius hom. 28. contra Sabellianos ante med. *Ex Patre Filius non mandato factus, sed ex illius natura genitus est.* Præterea *Generationem connaturalem ad Patrem* dicit Basilius lib. 2. contra Eunom. multo propius ad med. quàm ad princ. & lib. 5. contra Eunom. paulo post med. Et iterum inter med. & fin. docet, *Patrem natura & essentialiter genuisse.* Epiphanius in Ancorato versus med. ait: *Genuit natura supra voluntatem.* Plura ex eodem referemus disp. sequenti sect. 1.

4 Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 6. col. penult. *Dignitatem*, ait, *ipse Filius habet à natura, vt videlicet Deus Pater suus naturaliter sit.* Et col. vlt. *Generatio Patris sicut actiua est, sic naturalis & substantialis & inseparabilis ab hypostasi Patris.* Eodémque lib. 1. cap. 8. col. 3. *Credant*, inquit, *Patrem secundum naturam esse generatiuum, sicut naturaliter bonus est.* In summa Cyrillus totis quatuordecim libris thesauri multoties & ex professo probat, Filium esse genitum, *naturaliter*, siue *naturâ*, & *essentialiter*, siue *essentiâ* & *inseparabiliter*, vt excludat omnino libertatem non tantum prædicto lib. 1. sed etiam lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 2. ad med. & lib. 4. cap. 2. & lib. 5. cap. 5. & 7. & lib. 10. cap. 1. & 8. & lib. 12. cap. 5. & lib. 13. cap. 1. Et dialog. de Trin. toto lib. 2.

Cyrillus

5 Cyrillus Hierosolymitanus cateches. 7. col. 2. *Est*, inquit, *Deus multorũ abusiuè dictus Pater: Vnius verò & solius naturâ & veritate Vnigeniti Filij, Domini verò N. Iesu Christi Pater.* Idem notat catech. 11. inter med. & fin. Damascenus lib. 1. fidei c. 8. in med. *Impossibile*, inquit, *est Deum esse destitutum naturæ fœcunditatis partu.* Et paulo inferius: *Generatio sine principio, & æterna, naturæ opus est.* Et paucis interiectis. *Creatio verò à Deo cum volũtatis opus sit, non coæterna Deo est.*

6 Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. propius ad med. quàm ad fin. *Sicut bonus Pater*, ait, *non aut ex volũtate est, aut necessitate, sed super vtrumque, hoc est natura: ita non generat ex voluntate aut necessitate Pater.* Similia notat lib. 10. in Lucam. capite vltimo in medio, & lib. 3. de Virginibus multo propius ad medium quàm ad finem. Hieronymus in commentario ad Ephesios ad illud capitis 3. *Ex quo omnis Paternitas. Deus*, inquit, *Pater Domini nostri Iesu Christi, iuxta substantiam Pater est, & Vnigenitus non est adoptione Filius sed naturâ.*

7 Hilarius lib. 6. de Trin. propius ad med. quàm ad princ. multoties docet, *Natiuitatem Filij esse ex natura Patris.* Peculiariter notãda sunt illa verba: *Demonstratur enim natura, vnde natiuitas est.* Et paulo inferius: *Ex se Vnigeniti sui naturalis docetur natiuitas.* Fusiùs autem lib. 11. de Trinit. col. 5. & sequentibus. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 20. notat, *Esse Filium naturæ, non voluntatis.* Idem dogma tradit tract. 121. in Ioannem non longè post med. Denique communiter Patres obseruant Ioan. 20. propterea distinxisse Christum Dominum atque dixisse *Patrem meum & Patrẽ vestrum*, vt significaret, suum Patrem esse naturâ, nostrum verò gratiâ, quos citauimus disputat. 51. sect. 3. probat. 3.

8 *Modus agẽdi naturæ proprius qualis sit.*

Ratione probatur, quia modus agendi proprius naturæ, prout est natura, consistit in eo quod operatio procedat à principio intrinseco, determinato ad vnum, propterea que necessario operante. Sed generatio & spiratio procedit à principio intrinseco, determinato ad vnum, & necessario operante, vt ex superioribus constat. Ergo generatio & spiratio est actus naturalis. Confirmatur, quia certius erit, actum eiusmodi naturalem esse, si perficiat & compleat suum principium. Constat autem, Patrem perfici Filio, & spiratium principium perfici Spiritu sancto: vt ostendimus disp. 29. sect. 3. & sequentibus.

9 *Naturalitas in generatione manifestior, quàm in spiratione.*

Præcedens conclusio circa generationem manifestior est, quàm circa spirationem, quia generatio per se & formalissimè communicat naturam ex vi processionis formaliter, producendo simile in natura; vt vidimus tota disp. 6. & 7. Quam rationem respexisse videntur Patres supra citati, vt asserent generationem esse naturalem.

10 *Distat à dissentaneo & nociuo, & libero.*

Confirmatur, quoniam omnis operatio, à principio intrinseco egrediens, quanto longius distat à libero, nec non à dissentaneo, & nociuo; tanto perfectius retinet rationem naturalis operationis. Sed generatio distat à libertate magis, quàm spiratio: quia generatio nullo modo procedit à voluntate, à qua procedit spiratio. Præterea generatio, secundum rationem formalem & explicitam, distat magis à dissentaneo naturæ, quatenus ex vi suæ rationis formalis communicat similitudinem in eadem prorsus natura, quam tamen spiratio non communicat ex vi suæ rationis formalis, sed quasi de materiali. Vnde spiratio de materiali habet distantiam à dissentaneo tantam, quantam de formali habet generatio.

11 *Spiratio per modũ voluntatis, generatio per modũ naturæ.*

Nihilominus circa spirationem obscurior est mens antiquorum scholasticorum. Plerique namque ea ratione distinguunt spirationem à generatione, quod generatio sit per modum naturæ, sed spiratio sit per modum voluntatis. Ita Albertus quæst. 30. memb. 3. art. 1. & quæst. 31. memb. 2. & quæst. 42. memb. 3. Alex. 1. p. quæst. 43. mem. 1. fine. & quæst. 45. memb. 7. S. Thomas in 1. dist. 6. quæst. vnica art. 3. & dist. 13. quæst. 1. art. 2. & 3. Et fusiùs de potentia quæst. 10. art. 2. corp. & ad 7. & 11. S. Bonauent. 1. dist. 6. art. 1. quæst. 1. & 2. & dist. 10. quæst. 1. & dist. 13. art. 1. quæst. 2. ad 1. Henricus in summa art. 53. quæst. 9. & art. 60. quæst. 1. Scotus in 1. distinct. 10. quæst. vnica §. *quantum ad primum.* Et distinct. 2. quæst. 4. §. *dico tunc.* Et longè inferiùs dum respondet ad tertiam instantiam. Ricard. 1. dist. 6. art. 1. quæst. 1. & 2. & dist. 10. quæst. 1. & 3. & dist. 13. art. 1. quæst. 3. Carthusian. (& apud eum Ægidius) 1. dist. 6. quæst. vnica & distinctione 10. quæstione 1. & distinctione 13. quæstione 1. præsertim ad primum. Capreolus 1. dist. 13. quæst. 1. sub init. vbi Deza præsertim art. 3. notab. 3. Sed longè diuerso sensu, singulari & improbabili *modum naturæ* concedit generationi & negat spirationi. Durandus 1. dist. 4. quæst. 1. num. 8. & latiùs disput. 6. quæst. 2. præsertim num. 17. Quem refutauimus disp. 8. sect. 2. sententia. 3.

12 *Spiratio est simpliciter naturalis.*

Veruntamen his non obstantibus sit secunda conclusio. Spiratio est simpliciter naturalis. Proterea Cyrillus Alex. lib. 13. thesauri c. 1. sub init. *Spiritus*, inquit, *Sanctus in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex eo procedit.* Quemadmodum autem essentia est natura; sic etiam *essentialiter esse in Deo*, valet idem quod naturaliter esse. Vnde prouenit inseparabilitas. Ideo seq. cap. 2. non longè à princ. dicit, Spiritum sanctum *ex ipso Filio & in ipso naturaliter existentem.* Et paulo inferius versus med. *Non est igitur aliud Spiritus à Deitatis essentia, sed ex ipsa & in ipsa naturaliter sicut & digitus in manu, & manus in corpore:* Et post med. *Spiritus S. naturaliter ex Patre in Filio est*, & prope fin. capitis appellat: *Ex ipsa essentia Deitatis naturaliter emissum.* Sequentique capite 3. eiusdem lib. 13. sub init. *Spiritus S. in ipsa diuina essentia est, & ex ipsa inseparabiliter prouenit.* Rursus dialog. de Trin. lib. 2. col. 5. dicit, Spiritum sanctum *naturaliter profundi à Deo Patre per Filium.*

13 Ratione probatur, quoniam spiratio est à principio determinato ad vnum, atque diuinæ naturæ valde consentanea est, quemadmodum simul de vtroque actu notionali dictum est conclusione 1. Confirmatur primò, nam spirationem esse voluntatis operationem, nihil obest, ne sit actus naturalis. Voluntas enim (id est volitionis actus) diuidi solet in naturalem & liberam; vt latius tractat S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 1. & 2. vbi sentiunt idem communiter Theologi. Confirmatur secundò ex Damasceno lib. 2. de fide cap. 22. versus fin. dicente: *Trium hypostaseon, quia vna natura, vna quoque est naturalis voluntas.* At Spiritus sanctus per hanc naturalem voluntatem procedit.

14 *Plures amores necessarij quoad specificationem.*

Confirmatur tertiò. Etenim omnium Philosophorum & Theologorum sententiâ naturalis est amor vltimi finis & boni seu beatitudinis in communi, & amor veritatis ac scientiæ. Insuper amorem vitæ *naturalem voluntatem hominis* appellant Basil. & Cyrillus, quos refert & sequitur

Nicetas

Nicetas lib.3. thesauri cap.19. Vnde sic arguitur. Prædicti amores, quamuis sint liberi quoad exercitium; quia tamen sunt necessarij quoad specificationem,& naturæ consentanei, merito dicuntur naturales. Multo igitur propriùs dicetur naturalis quæcumque volitio; & illius operatio, quæ non solum fuerit naturæ consentanea, sed etiam fuerit prorsus necessaria, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem. Huiusmodi autem est diuina spiratio.

15 *Exponuntur scholastici.* Neque oppositum huius conclusionis docere intendebant scholastici paulo superius citati. Solummodo namq; notabant peculiarem rationem naturæ, repertam in generatione potius, quàm in spiratione; quia generatio formalissimè communicat naturam, quam spiratio non communicat,nisi de materiali.Sic eorum mentem explicuimus disp.6.sect.4. Atq; hoc discrimen magis confirmatum est nuper ante cõclusionem secundam.

16 Alioqui prædicti scholastici fatentur, diuinam voluntatem se habere per modum naturæ ad spirandum. Vnde S.Thom. in præsent.q.41. artic.2. ad 3. docet, Spiritum sanctum naturaliter procedere, quia procedit per voluntatem, vt est determinata ad vnum, videlicet, ad amorem summi boni clarè visi & comprehensi. Quæ doctrina clarior erit legentibus eundem Angelicum doctorem 1.2. quæst.10. art.1.& 2. Aegidius item & Carthusianus dist.6.quæst.vnic.seipsos explicant, asserendo, processionem Spiritus sancti esse per modum voluntatis, vt natura est. S.Bonauent. & Ricar.ante secundam conclusionem citati dicunt, procedere per modum voluntatis, comitante natura. Talia docent reliqui scholastici citati.

17 Sed magis apertè,Spiritum sanctum procedere naturaliter per voluntatem, vt natura est, docent Gregorius 1. dist.10. quæst.1. & 2. Capreolus 1. dist.6.quæst.1.art.1.concl.5.& art.2. in solutionibus argumentorum,& dist.10.q.1.art.1.conclus.2. & 3. Communiter expositores ad præsentem art. secundum, vbi Caietanus & Canariensis in 2. p. commentarij, Molina disputat.3. Vazquez disputatione 161. cap.3. Suarez lib. 6. de Trinit. cap.3. numero 6.

18 *Gradus infimus naturalitatis.* Ex his colligitur tertia conclusio. Spiratio est in tertio & infimo gradu eorum prædicatorum, quæ Deo naturalia sunt, & non libera. Explico & probo, supponẽdo primò ex Boëtio lib.de duabus naturis prope init. & Aristotele 5. metaphys. *Natura acceptiones.* text. 5. naturam accipi quandoque pro principio intrinseco motus in rebus naturalibus, quemadmodum 2. physicorum cap.1. text.4. quandoque verò naturam accipi pro substantia,aut etiam pro quolibet ente. Vnde, quod cuilibet rei per se & ratione suæ quidditatis inest, appellatur naturale: vt explicat S.Thomas 1. 2. quæst. 10. artic. 1. Sed de huius nominis explicatione plura ex Athanasio, Nazianzeno, Damasceno & aliis, vidimus disput.20.sect.5.

19 *Primus gradus naturalium.* Secundò hinc sequitur, Deo esse naturalia in primo & summo gradu attributa omnia, & illa præsertim, quæ non consistunt in operatione,cuiusmodi est immensitas, æternitas, infinitudo, & omnipotentia; quia non modò prout sunt in re, sed etiam quoad nostrum modum intelligendi, constituunt naturam quasi in actu primo ante *Secũdus gradus.* omnem operationem. In secundo gradu est operatio intellectus, siue essentialis siue notionalis. Hæc enim quodammodo præsupponit Dei naturam,iam constitutam in actu primo;vt potentem intelligere:ideóque recedit à primo gradu. Cæterum non descendit ad tertium gradum, quia operatio intellectus non est spontanea, procedens à principio, mouente se ipsum: siquidem intellectus diuinus à sua infinita veritate, tanquam ab obiecto formali,& à sua essentia, tanquam à specie necessariò rapitur, vt se ipsum sciat, independenter à voluntate sciendi: vt constabit disput.sequenti sect.1.& disp.94.sect.2.

20 *Tertius gradus.* Quapropter in tertio & infimo gradu naturalitatis erit volitio Dei & spiratio; quoniam est actus spontaneus, libenter, delectabiliter & quasi eligibiliter volitus(vt probabitur disp.95. procedens à principio, se ipsum mouente in bonum, præsupposita illius cognitione perfectissima;non sicut agentia naturalia mouẽtur à superiori agente, cognoscente finem, proportionémque mediorum ad finem: quam ob causam agentia naturalia dicuntur agi, potius quàm agere.

21 *Libertatis propinquior ratio.* Vnde præterea deducitur quarta cõclusio.Spiratio est libertati propinquior, quàm generatio: ideóque appellatur quodãmodo libera à D. Thoma & aliis scholasticis citatis sect.1.Probatur primò, propter rationem spontanei à principio se ipsum mouente, quod nuper explicatum est.

22 Probatur secũdò,quia spiratio est amor. Amor autem ex sua ratione specifica, & ex peculiari modo tendendi in proprium obiectum, est præditus indifferentia, vt circa obiecta creata, quoniam sunt bona finita, possit efficaciter versari aut non versari.Quamuis autem hęc indifferentia non possit exerceri circa formale obiectum,quod est summum & infinitum bonum: nihilominus propter obiectum formale debetur huic amori prædicta indifferentia, respiciens obiecta materialia & creata, in quibus exerceatur. De alia libertate secundum quid, quæ non minus generationi, quàm processioni conuenit, dicemus sect. seq. Duas præcedentes conclusiones respexisse videntur Scotus & alij citati sect.1,quando dixerunt,spirationẽ simul esse liberam & necessariam.

SECTIO IV.

Duplex genus necessitatis exponit testimonia Patrum, qui negant, necessitate generari Filium.

1 *Necessitas immutabilitatis.* QVod ad præsens attinet duplex genus necessitatis distinguunt communiter scholastici doctores.Alia est necessitas perfectionis & immutabilitatis,quam propterea sic appellant, quia cõsistit in quidditatiua perfectione rei, quã aliter se habere sit impossibile. Huiusmodi necessitate generationem & spirationẽ esse necessariam, ostendimus sect.2.& 3. Alia verò necessitas, aut est imperfectio,aut habet inseparabiliter adiunctam imperfectionem & mutabilitatem. Hoc secundum genus necessitatis subdiuiditur in plura membra, secundum varia genera causarum.

2 *Necessitas violentiæ aut coactionis.* Prima est necessitas violentiæ,quę prouenit ab efficiente extrinseco, & mouente contra naturalẽ inclinationem. Secunda est necessitas coactionis, proueniens ab efficiente extrinseco,mouente contra voluntatem liberam;de qua vel de participatione quadam illius Apostolus 2. Cor. 9. dicit: *Non ex tristitia, aut ex necessitate;hilarem enim datorem diligit Deus.* Et ad Philemonẽ:*Ne velut ex necessitate bonum tuũ esset,sed voluntarium.* Tertia necessitas est naturalis corruptionis, quæ partim prouenit ab extrinseco efficiente, partim verò à materia;vt morbus,mors,fames,sitis,frigus, & æstus.

De

De qua necessitate 1.Ioann.3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere,* &c.

3 *Quarta.* Quarta necessitas prouenit ex imperfectione formæ: quemadmodum in hominibus necessitas ignorandi,& saltem aliquando venialiter peccandi. De qua videtur agere Psalm.24. *De necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam & laborem meum; & dimitte omnia peccata mea.* *Quinta.* Quinta necessitas est mediorum ad finem, siue finis obtinendi per media: quæ necessitas appellari potest indigentiæ vel vtilitatis. De hac Lucæ 10. fin. *Porro vnum est necessarium.*

4 Hæc omnia membra necessitatis secundi generis repugnant diuinis processionibus, quippe quæ nec ab extrinseco efficiente possunt impediri, nec à materia, nec possunt ab imperfectione formæ contrahere defectum,nec sunt media destinata ad finem, nec propriè sunt finis, consequendus per vlla media. Quod si necessitas actuum notionalium reducenda sit ad genus alicuius causæ; pertinebit ad formam: quia quidditas rei & intrinseca connexio prædicatorum consideratur à nobis quasi forma constituens. Quamuis Albertus & Alexand. locis statim referendis reducant ad finalem causam. *Necessitas actuũ diuin. reducitur ad necessitatem formæ.*

5 *Coroll.1. Libertas secundum quid.* Ex quibus infertur primò, vtrumque notionalem actum esse quodammodo liberum; quoniam immunis est necessitatis prouenientis à coactione,violentia,seruitute,ignorantia,infirmitate, indigentia, vel qualibet alia imperfectione. Quia ob causam vterque actus vocatur liber, id est liberaliter & libenter factus.

6 Totus præcedens discursus accipitur ex variis Doctoribus, quamuis non totus ex singulis, sed totus ex omnibus. Ij sunt S.Thomas in præsent. q.41.art.2.fine, vbi Caietanus & communiter expositores, maximè recentiores. Præpositiuus & Altisiodorensis quos refert & sequitur Albertus 1.p.q.30.memb.3.art.2. particula.1. Alexand.1.p. q.42. memb.5. artic.1.ad 3. S.Bonauent. 1.dist.6. artic.vnico q.1. Ricardus dist.6.art.1. q.1.2.& 3. Carthusianus eadem dist.6. quæst.vnica cum Petro de Tarantasia,Vdalrico & aliis. Henricus fusè & egregiè 2.parte summæ art.54.q.3.ad 6. singula necessitatis membra colligens ex verbis Patrum, quæ referemus in hac & seq.sect.& disput.93.

7 *Coroll.2. Exponuntur Patres.* Ex eodem discursu deducitur secundò intellectus ad testimonia Patrum, quæ videntur negare generationis necessitatem, quam probauimus sectione 2.& 3. Negant enim solummodo posterius illud genus necessitatis, quod habet inseparabiliter adiunctam imperfectionem ac mutabilitatem, & consequenter illius omnia membra reiiciunt, maximè coactionem, aut violentiam, spontaneo repugnantem.

8 *Dubium.* Dubitabis autem, quare Patres non pauci necessitatem in generatione diuina simpliciter refutauerint;cum potuerint illam admittere vero sensu superius explicato præsertim sect.2. Respond. *Solutio.* Duæ potissimùm rationes ad hoc impulerunt.Prima, quoniam vox, *necessitas*, non modo generalis est ad vtrumque genus necessitatis perfectionis & imperfectionis, ex qua generalitate contrahit ambiguitatem;sed etiam in Sacris litteris & apud authores profanos semper imperfectionem denotat,neque vnquam inducitur ad significandam perfectionem diuinam. Aliunde suppetebat in promptu nomen nullo modo cõprehendens violentiam aut coactionem,sed potius illi repugnãs, videlicet, *natura* & *naturale*. Propterea præferebant istius nominis vsum.

Ruiz. de Trinitate.

9 Secunda ratio fuit, quoniam Patres respondebant ad sensum hæreticorum, qui ex negata necessitate coactionis inferre volebant liberam voluntatem;vt referemus disput.seq.sect.1. Propterea necessitatis vocem excludendo, declinabant periculosas & captiosas ambiguitates illorum. Fuit ergo solutio Patrum,ac si dixissent,fallax esse argumentum,quod ex negata necessitate coactionis aut violentiæ,colligit,Filium esse genitum libera voluntate: quia datur aliud altius operationis principium,quod nec est voluntas, neque necessitas coactionis aut violentiæ, sed est natura. Euidentius autem, argumenti fallaciam ostendunt retorquendo & interrogando, vtrum Deus sit Deus, aut sit bonus & sapiens, necessitate coactionis, aut libera voluntate.

10 Sic Athanasius orat.4.contra Arianos quinque columnis ante fin. *Dicant nobis,* ait, *quod bonus est, & misericors Deus, ex voluntate ne hoc illi adest, an non? Si ex voluntate, ergo ante oculos patet eum incepisse bonum esse, ac fieri posse, vt non sit bonus. Nam deliberare diligereq; in vtramque partem, momenta sua habet, & ea affectio in naturam rationalem cadit. Quod si propter ista absurda, concedi non debet, vt ex voluntate bonus aut misericors habeatur, audiant ipsi ergo,quorsum illorum ratiocinationes tendant: sequitur enim, vt ex necessitate inuitusq; bonus sit. At quis est, qui illi hanc necessitatem imposuerit?* &c. Ita probat, quod paulo superius dixerat & retulimus sect. 3. parum à princ. *Altius esse priusq; voluntate id, quod secundum naturam est*; ac rursus,*Si naturà bonus est, multo magis veriusq; Filij sui Pater natura extiterit, non voluntate.*

11 Cyrillus lib.1. thesauri cap.8. col.2. *Quid prohibet*, inquit, *nos quoque ipsos interrogare, vtrum bonus, misericors, sanctus, volens Pater sit, an præter voluntatem? Nam si volens, huiusmodi Deus est, voluntas autem præcedit semper ad omnia, quæ voluntate eliguntur: erat quoque tempus, vel aliquod spatium & duratio, quando hæc Deus non erat, sed de istis deliberabat. Quod si præter voluntatem bonus, cæteraque eiusmodi est, quis eum ad hæc coëgit?* Concludit autem, in naturalibus nec voluntatem, nec coactionem præcedere, subiungens prope fin. capitis,generationem *non subiici necessitati, sed esse supra necessitatem.* Eodem modo retorquet argum. Cyrillus dialogor.de Trinitate lib.2. multo propius ad finem quàm ad med.

12 Epiphanius autem in ancorato versus med. *Neque volens genuit, neque non volens* (id est neque positiuo actu volens non generare) *sed per excellentiam naturæ, excedit enim diuina natura consilium, neque necessitate ducitur.*

13 Augustinus lib.15. de Trinitate cap. 20. retorquet idem argumentum, dicens: *Acutè sanè quidam respondit hæretico versutissimè interrogati, vtrum Deus Filium volens an nolens genuerit: vt si diceret nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur: si autem volens, continuo quod intendebat velut inuicta ratione concluderet, non naturæ esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissimè vicissim quæsiuit ab eo, vtrum Deus Pater volens an nolens sit Deus: vt si responderet nolens, sequeretur illa miseria quam de Deo credere magna insania est: Si autem diceret volens, responderet ei, ergo & ipse Deus est sua voluntate, non natura.* Idem inuenitur insertum in libr. 65. quæstionum ad Orosium quæst.7.apud August. tomo 4.

14 Syrmica Synodus canone 25. & 26. & in eorum expositione Hilarius lib. de Synodis post med.decernunt,nec voluntate Patris,nec necessitate naturali, cum nollet generare, genitum esse

Filium vt videbimus disput.seq. sect.4. Concil. Toletan. Vndecimum in professione fidei col. 1. *Deus Pater*, inquit, *nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est; quia nec necessitas in Deum cadit, nec voluntas sapientiam præuenit.*

15 Videtur aliquantulum excessisse Anselm. lib.2. *Cur Deus homo.* cap.10.post med. cum ait: *Impropriè dicitur necessitas, vbi neque coactio est, neque prohibitio. Quapropter quoniam Deus à se habet quidquid habet, ille maximè laudandus est de bonis quæ habet & seruat, non vlla necessitate, sed propria & æterna immutabilitate.* Quibus in verbis Anselmus necessitatis nomen restrinxit in malam partem, ad quam torquebatur ab hæreticis, & quam citati Doctores negabant. Cæterum apud Philosophos & Theologos scholasticos propriè dicitur necessitas cuiusque rei, quæ non potest non esse, sed immutabiliter existit, vt constat apud Aristotelem lib.2.perihermenias cap.3.& sequentibus. & lib.9.metaphys.cap.4.

SECTIO V.

Argumenta quæ volunt, libertatem cum necessitate copulare in dilectione Dei & spiratione.

1 PEr aliud contrarium extremum tentant oppugnare veritatem traditam sect.2. & 3. Scotus & quidam alij, contendentes, posse libertatem in eadem operatione simul cum necessitate conuenire, quorum argumentis accessio fiet aliarum similium obiectionum; vt omnes præoccupentur: sed in præsent. sect. quæ sumi possunt ex Augustino, Anselmo & aliis, ceteras enim obiectiones in sequentem sectionem reiicimus.

2 Primum argumentum. Quoniam August. in *Primum argumentum.* Enchirid.cap.105. de beatitudinis statu sic loquitur: *Postea verò sic erit, vt malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo nunc etiam anima nostra nolle infœlicitatem, ita tunc nolle iniquitatem, semper habitura est.* Quæ verba recipiunt Magister & communiter Scholastici 2.sentent.dist.7.

3 Rursus in postremo cap. librorum omnium de ciuit.videlicet lib.22.cap.30.prope med. ait: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem nouissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit.* Eandémque sententiam paulo inferius semel & iterum repetit. Itémque lib.de natura & gratia cap.46. *Perquàm absurdum est*, inquit, *vt ideo dicamus, non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus. Nescio qua & bona constitutione naturæ, nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.*

4 Non aliter Anselmus dialogo de libero arbitrio cap.1. *Libertatem*, inquit, *arbitrij non puto esse, potentiam peccandi, & non peccandi. Quippe si hoc eius esset definitio: nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas est dicere.* Et paulo inferius: *Non pertinet ad definitionem libertatis arbitrij, posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas.* Et post pauca: *Qui sic habet quod decet, & quod expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere: & ad hoc quod dedecet, & non expedit, valeat adduci.* Hanc sententiam in eodem & in sequent. cap.2. repetit. Eamque recipiunt Magister & communiter Scholastici lib. 2. distinct. 24. & 25.vbi S.Bonauent.distinct.25.dubio literali 3. & art.1.quæst.1. & Durand.quæst.3.

5 Ex his quatuor testimoniis, aliisque similibus, constat, cum impossibilitate vnius partis permanere posse libertatem alterius partis: Vnde sequitur, eandem operationem simul esse necessariam & liberam, quoniam ex impossibilitate omittendi aliquam operationem, infertur necessitas eiusdem operationis. Eadémque ratione vbi asseritur impossibilitas malæ voluntatis, asseritur etiam necessitas perseuerandi absque culpa. Cum igitur prædicti Patres asserant, libertatem simul manere cum impossibilitate peccandi; consequenter asserunt, libertatem manere simul cum necessitate perseuerandi in bono. Inde tandem ad rem præsentem infertur, quod actus amandi & spirandi poterit esse liber in Patre & Filio, se mutuo diligentibus; quamuis idem actus sit absolutè necessarius, nec fuerit possibile, dilectionem hanc & spirationem omittere.

6 Respond. Duo capita sunt in hoc argumento. *Solutio. Volitio boni in communi quomodo necessaria.* Alterum est amor beatitudinis seu complacentia boni in communi, quæ viatoribus etiam ita necessaria est, vt ab illa cessare non possimus, quamdiu vigilamus. Veruntamen hic amor siue complacentia, qui necessarius est, non est singularis actus in indiuiduo, sed est ratio communis volitionis, conueniens omnibus volitionibus, quantumcumque differentibus specie (vt alibi fusiùs probauimus.) Quapropter quælibet volitio, si libera est secundum rationem specificam & indiuidualem; non est necessaria quoad eandem rationem specificam & indiuidualem, sed tantùm quoad rationem genericam volitionis in communi.

7 Alterum caput pertinet ad libertatem Dei & *Indifferentia circa bona, quæ non necessario cohæret cum summo bono.* beatorum. In quibus aliud est esse liberos ad malum & bonum; aliud est; etiam resecata imperfecta potestate & libertate ad malũ, adhuc manere perfectè liberos ad hoc & illud bonum eligendum, aut non eligendum, quando bona sunt eiusmodi, vt non cohæreant necessariò cum summo bono. Intendunt ergo Augustinus, Anselmus cæterique Doctores, etiam sublata libertate ad malum, perfectiorem manere libertatem circa bona hæc aut illa eligenda, vel non eligenda in particulari, non obstante necessitate retinendi summum bonum.

8 Vnde sequitur prædictos Patres necessitatem & libertatem copulare in eadem potentia voluntatis, sed non circa eundem actum volitionis, quantum ad rationem specificam aut singularem, nec circa idem obiectum in particulari. Alij Augustinum & Anselmum exponunt de sola libertate à coactione: sed non ad mentem eorum.

9 Secundum argumentum accipitur ex eodem *Secundũ argumentum.* Augustino lib.5. de ciuit. cap.9. propius ad med. quàm ad fin. Quoniam ita causam diuidit: *Est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria.* Ergo operatio voluntaria non est naturalis. Sed spiratio est voluntaria operatio: ergo non est naturalis ac proinde neque necessaria. Respond.primò. Eam diui- *Prima solutio.* sionem Augustinus non tradit ex propria sententia, sed ex verbis Ciceronis in lib.de fato, vt eum conuinceret argumento ad hominem.

Secundò

10 Secundò respond. Naturalem causam in ea di- *Secunda solutio.* uisione vocari eam, quæ semper & circa quodlibet obiectum operatur naturaliter & nunquam liberè. Quomodo diuina voluntas non est naturalis causa, sed voluntaria. Quippe quæ licet circa summum bonum operetur per modum naturæ ac necessariò, eadem tamen circa creaturas liberè versatur; atque ex hac potestate operandi ad extra, aut non operandi, rectè condistinguitur à causa merè naturali. *Tertia solutio.* Tertiò dici potuisset, illam diuisionem esse tantummodo causarum, in quibus diuina voluntas non est, quia comparatione dilectionis sui ipsius & spirationis non est propriè causa, sed principium; vt explicatum est disput.49. sect.3.

11 Tertium argumentum. Quoniam Augustinus *Tertium argumentum.* lib.6.de Genesi ad literam cap.15.fine de Adamo, in ætate virili creato, sic loquitur: *Quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamuis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito Creatoris, cuius voluntas rerum necessitas est.* Ex quibus postremis verbis inferri videtur, etiam liberos actus huic necessitati diuinæ voluntatis subiacere: propterea quæ necessitas libertati non *Solutio.* repugnabit. Respond.negando consequentiam. Augustinus enim eo cap. non agit de operationibus libertatis creatæ, sed solummodo de rebus, quas solus Deus independenter à creata libertate condiderat.

12 Quartò. De eodem rerum genere tractabat Augustin. in eodem lib.6. de Genes. ad literam cap.17. in princip.vbi futurorum necessitatem ita docet: *Hoc necessariò futurum est, quod ille vult; & ea verè futura sunt, quæ ille præsciuit. Nam multa secundum inferiores causas futura sunt, sicut ibi sunt: sed si ita sunt, & in præscientia Dei, verè futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, vbi qui præscit, falli non potest.* Et paulo inferius: *Cuius præscientia falli non poterat: & ideo quod præsciebat, necessariò futurum erat.* Et post pauca: *Ibi enim erat non solum vt ita fieri posset, verumetiam vt ita eum fieri necesse esset.*

13 Quintò visum est alias obiectiones ex Augustino prætermittere, ne nos immergant in concordiam libertatis humanæ cum diuina præscientia & gratia, de quibus alibi disseruimus abunde. Qualis ad rem præsentem accipi potuisset ex lib. de correptione & gratia cap. 12. versus med. & cap.14. Sed non est prætermittendum, quamplurimis in locis Augustinum ex professo probauisse, quod libertas requirat potestatem operandi & non operandi, solutam vinculo necessitatis, & indifferentem. Sic enim docet libro de natura & gratia cap. 65. & de libero arbitrio lib.1. cap.12. & 13. & lib. 3. de libero arbitrio cap.1. ad fin. & cap.2.3.4. & 5. & cap.15.16.& 18. & lib.de prædestinatione sanctorum cap.5. fin. & lib. de prædestinatione & gratia cap.9. & lib.2. de peccatorum meritis & remissione cap. 18. ante med. & lib.2. actorum cum Fœlice Manichæo cap.3. post med. & cap. 4. init. & in Enchiridio cap.107. & in Psalmum 124.ad illum versum *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* & serm. 47. de sanctis prope finem. & in libris retract. non semel veluti lib.1.cap.9. & sequenti cap.10. & cap. 22. prope finem. & lib.2. cap.8.

SECTIO VI.

Quæ restant obiectiones ex authoritate Philosophi & ratione.

SIt primum argumentum, quoniam Aristoteles 1 lib.2.perihermenias cap.3.inter med. & fin. & *Primum argumentum.* lib.2.physicorum cap.5.text.48.& sequentibus. & lib.9.metaphysic. cap.5.text.10. distinguit potentiam in rationalem & irrationalem: definitque, irrationalem esse potentiam, quam necesse est agere aut pati, si actiuum applicetur passiuo: sed ra- *Rationalis potentia non necessariò operatur, positis omnibus requisitis.* tionalem potentiam agere aut pati nõ est necesse; quia rationalis potentia plurium & contrariorum est, cum non sit ad vnum determinata. Vnde sic arguitur. Voluntas diuina non est potentia irrationalis, sed rationalis: ergo eam operari amando & spirando, non est necessarium sed liberum.

Respond. primò. Aristoteles ibi tractat de po- 2 tentiis hominum & reliquorum entium natura- *Prima solutio.* lium: non verò de intelligentiis separatis à materia, quas semper ac necessariò operari, videtur existimare locis statim citandis. At nulla voluntas humana necessitatur omnino ad aliquam determinatam speciem operationis, præterquam ad visionem beatificam, aut aliam supernaturalem illustrationem ac inspirationem, quam ignorauit Aristoteles. Nihil ergo dixit de voluntate diuina.

Respond.secundò. Prædicta definitio rationa- 3 lis potentiæ quadrat etiam in voluntatem diui- *Secunda solutio.* nam: quia non est necesse illam agere circa obiecta creata; licet ponantur omnia requisita ad operandum: sed indifferens est, vt efficaciter amet, vel non amet creaturas: id quod sufficit ad definitionem potentiæ rationalis verificandam; quamuis alioqui voluntas diuina operetur necessariò circa proprium & formale obiectum, videlicet, bonum diuinum. Hanc solutionem ex Aristotelis mente depromptam esse constat ex lib. 12. metaphys. text. 30. & 51. vbi primam intelligentiam & primum principium, dicit, esse substantiam, quæ necessariò sit actus, ita vt non possit non esse actus. Consequenter autem lib.7. ethicorum cap.4. fine docet, Deum gaudere vna simplici & immutabili voluptate. Agnouit igitur Aristoteles aliquam potentiam rationalem, id est, intellectualem, quæ circa aliquod obiectum operetur necessariò.

Secundum argumentum. Eidem potentiæ con- 4 uenire non possunt oppositi modi operandi, ac *Secundũ argumentum.* præsertim modus operandi naturaliter, & modus operandi liberè, quippe qui maximè distant; ac proinde primariò diuidunt actiuam potentiam. Sed diuinæ voluntati conuenit modus amandi & operandi liberè: ergo eidem voluntati diuinæ non potest conuenire modus amandi & operandi naturaliter. Quapropter amor, quo Pater & Filius se mutuò diligunt & operatio spirandi non erit naturalis, sed libera. Confirmatur, quia si respondeas, esse potentias duas, quasi specie diuersas, voluntatem, qua Deus seipsum diligit, & voluntatem, qua diligit efficaciter creaturas: incurris in grauius absurdum, concedens, eam potentiam, quæ diligit media propter finem, non posse diligere ipsum finem: quod non minus est impossibile, quàm intellectum, assentientem conclusioni propter principia, non posse assentiri principiis.

Respond. Modus operandi naturaliter, & mo- 5 dus operandi liberè, tanc simpliciter opponuntur, *Solutio.* & specie distinguunt potentias, quando aliqua potentia prorsus naturaliter operatur circa omnia

obiecta semper & omnes operationes. At verò, quando modus operandi naturaliter est limitatus solummodo circa obiectum formale & primarium, relicta libertate circa reliqua obiecta: tunc modus operandi naturaliter & modus operandi liberè non modò non opponuntur, sed etiam vnus necessariò prærequiritur ad alium, ita vt contradictionem implicet libertatem aliquam reperiri, nisi præsupposito modo operandi naturaliter & necessariò circa aliquod obiectum.

Modus operandi necessariò circa primarium obiectum, præsupponitur ad libertatem circa cætera bona.

6 Ratio est, nam in vnaquaque re omnia illa, quæ non per se insunt, reducuntur ad aliquid, quod per se ineſt, sicut primum; & hoc principium appellatur naturale & necessarium. Sic principia nostri discursus sunt naturaliter nota, quamuis conclusiones, ex illis inferendæ, nostra industria discurrendo, adquirantur per eundem intellectum, quo principia naturaliter cognoscimus. Eadem ratione, voluntas creata naturaliter & necessariò diligit bonum in communi, vt ex hoc firmo & immobili principio moueri possit ad liberè diligenda particularia bona. Hæc scilicet est præmotio Dei ad omnes operationes liberas prærequisita, cui similis est præmotio præuenientis gratiæ per complacentiam necessariam & indeliberatam boni supernaturalis. Sed de hoc ex professo tractamus alibi. Potest videri S. Thomas 1.2.quæst.10. art.1. Voluntas ergo diuina diligit naturaliter & necessariò suam bonitatem, quo amore suppositο, potest obiecta finita & creata liberè diligere: vt ostendimus tractantes de voluntate Dei circa quæst.19. S.Thomæ.

Liberè reducitur ad aliquid necessarium.

Præmotio.

7 Tertium argumentum. Libertas est perfectio operationis maior, quàm necessitas: ergo libera est operatio, qua Pater & Filius se mutuo diligunt, & producunt Spiritum sanctum. Antecedens probatur, quia liberè operari proprium est substantiarum spiritualium; sed necessariò operari commune est omnibus agentibus corporeis. Confirmatur primò, quia dominium ad continendam operationem est maxima perfectio: ergo non est neganda perfectissimo amori, quo Deus seipsum diligit.

Tertium argumentum.

8 Confirmatur secundò, quia voluntas perfectissima circa obiectum perfectissimum, cognitione perfectissima sibi propositum, debet operari modo perfectissimo: ac proinde, si pertinet ad perfectionem diuinæ voluntatis operari liberè circa creaturas, quæ sunt imperfectiora obiecta, potiori iure pertinebit ad eius perfectionem liberè operari circa perfectissimum obiectum, videlicet amando liberè suam bonitatem.

9 Respond. Libertas est perfectio operationis maior, quàm necessitas omnimoda circa quodcumque obiectum eiusdem potentiæ: præsertim si non de cognoscitiua potentia, sed de appetitiua tantum agamus. Cæterùm necessitas circa primarium & formale obiectum, ac præsertim circa summum bonum, comprehensiuè cognitum, est maior perfectio, quàm libertas circa summum bonum amandum. Imo hæc comparatio est abusiua: quia libertas circa summum bonum comprehensiuè cognitum, est impossibilis; ac proinde non est perfecta: quin potius ex suppositione quod existeret; contumeliam inferret summo bono clarè viso, quasi denotans, eius pulchritudinem non esse tantam, quæ necessariò raperet voluntatem: aut certè diuinæ voluntatis inclinatio fuisset tam vilis & ignaua, vt propterea non inhiaret auidissimè in summum bonum.

Solutio.

Quæ necessitas sit perfectior libertate.

10 Ad primam confirmationem respond. Dominium continendi eam operationem, quæ nihil perfectionis affert, neque detrahit operanti, est maxima perfectio operantis. Sic dominium continendi amorem efficacem creaturarum, est maxima perfectio Dei. Non tamen est perfectio, sed imperfectio dominium continendi eam operationem, qua completur fœlicitas operantis, imo completur etiam eius essentia & subsistentia: quia nullius perfectio est, posse carere vel deponere perfectionem suæ essentiæ vel subsistentiæ. Huiusmodi autem operatio est summus amor diuinæ bonitatis, quo diuina essentia completur, & per quem producitur tertia subsistentia Dei, nimirum Spiritus sanctus.

11 Ad secundam confirmationem respond. Absolutè perfectior est modus operandi necessariò; ideóq; debetur voluntati perfectissimæ circa perfectissimum obiectum, perfectissima cognitione propositum; circa quod intolerabilis imperfectio foret libertas, vt nuper ostendi.

12 Quartum argumentum. Libertas operationis diuinæ infert necessitatem: ergo non pugnat cum necessitate, ac proinde eadem operatio poterit esse simul libera & necessaria. Antecedens probatur, nam ex eo, quod aliqua formalitas sit perfectio, sequitur, quod necessariò debeat conuenire Deo: siquidem illi nulla perfectio deesse potest. Sed libertas est perfectio: ergo ex libertate sequitur, necessariò conuenire Deo talem operationem liberam.

Quartum argumentum.

13 Respond. Ex eo quod libertas sit perfectio simpliciter simplex, rectè colligitur necessitas, vt diuina volitio, liberè versetur circa partem alteram ex duabus contradictoriis, verbi gratia, creandi, aut non creandi mundum. Sed ex eadem perfectione non infertur necessitas circa partem vnam determinatè & in particulari, verbi gratia, non infertur necessitas creandi mundum, quin potius in decreto creandi mundum necessitas pugnaret cum libertate, & eam excluderet: sicut è contrario, necessitas amoris Dei erga seipsum excludit libertatem eiusdem amoris, de quo diximus agentes de voluntate Dei.

Salutio.

DISPVTATIO XCIII.

Vtrum generatio sit voluntaria.

SECTIO I.

Nec præcedente voluntate, nec deliberatione seu consilio, generatio est voluntaria.

PATREM, quia voluit, habuisse vim generandi Filium, & propagandi Spiritum sanctum, docuit Valentinus Gentilis ætate nostra, probante Caluino, vt vidimus disputat. 20. sect. 3. inter medium & finem. Arius autem in epist. ad Eusebium, quam refert Epiphan. hæresi 69. pag. 2. dicit: *Voluntate & consilio subsistit ante tempora & ante sæcula plenus Deus vnigenitus*, &c. Simulat ergo veram fidem Diuinitatis Filij, quam tamen aliunde negat, dicens: *Voluntate & consilio subsistere.* Quemadmodum & seq. epistol. ad Alexand. repetit: *Deum genuisse Filium, & substituisse propria voluntate immutabilem creaturam Dei perfectam*, &c. Et infra: *Voluntate Dei esse & viuere à Patre accepisse, ita vt Pater substituerit illi glorias.*

1 *Errores.*

Non

2 Non aliter Eunomius dicebat: *Substantiam Filij esse natam ante omnia Patris voluntate.* Refert Basilius lib.2. contra Eunomium inter princip.& med. Eosdem errores referunt Cyrillus lib.3.& 4. thesauri, & lib.8. cap.1. Hilarius lib.4. de Trinit. col.2. & lib.6.col.2.& 3. Nazianz. Athanas. Ambrosius & alij infra citandi.

3 Sophisma verò, quo prædictum errorem probare conabantur, ita refert Nazianz.orat.35. quæ est 3. de theologia col.4. num.20. *Vel volens, inquiunt, Filium genuit, vel nolens. Ac deinde nexibus, vt quidem ipsi putant, vtrinque aduersarios colligant, non tamen firmis, sed per quam etiam imbecillis. Si enim nolens, inquiunt, vim ergo ei allatam necesse est. Et quisnam est, qui vim intulit? quoque modo, cui vis allata est, Deus esse potest? Si autem volens, ergo Filius, voluntatis est Filius. Quo igitur modo ex Patre progenitus est? Ita nouam quandam matrem, voluntatem, Patris loco comminiscuntur.*

Dilemma hæreticorum.

4 Prædictum sophisma solius voluntatis meminit. Alteram illius partem de consideratione & consilio, præcedente generationem, Cyrillus Alexand. lib.1. thesauri cap.8. init. ita refert: *Vtrum (inquiunt) absque consideratione Pater Filium genuit, an considerans, atque volens? Nam si neque considerans neque volens, aliquid passus est quod nolebat: sin autem, quoniam necesse est consideranem & voluntatem ante rem esse, quæ secundum voluntatem consideratur, Patrem quoque Filio præfuisse necesse est: voluntas enim & consideratio necessariò generationem præcessit.* Eadem obiectiones refert iterum Cyrillus dialog. de Trinit. lib. 2. multo propius ad fin. quàm ad med. Athanasius orat.4.contra Arianos multo propius ad fin. quàm ad med. Ambrosius lib.4.de fide ad Gratianum cap.4.propius ad med. quàm ad fin.

5 Retorquet autem obiectionem Nazianzenus loco citato, interrogans: *Pater vel volens Deus est, vel nolens: si volens, quando velle cæpit? non enim prius quàm esset?* & post panca: *Quid autem afferri poterit quin iuxta tuam argumentandi rationem, ipse quoque voluntatis fœtus sit? Quod si nolens, quis eum coëgit vt esset?* Ab hoc ferè nihil differt modus retorquendi obiectionem, quem ex aliis Patribus retulimus disput.92. sect.4.

Retorquetur argumentum.

6 Scholastici omnes cum Magistro circa præsentem difficultatem distinguunt duplicem voluntatem. Prima voluntas appellatur præcedens, siue antecedens, siue voluntas vt principium, siue voluntas efficiens. Qualis est in Deo voluntas creandi mundum: & in homine voluntas loquendi aut ambulandi. Huiusmodi voluntate non esse voluntariam æternam Filij generationem, omnes constanter affirmant. Secunda voluntas appellatur comitans siue concomitans & voluntas complacentiæ, & voluntas generationis, obiectiuè tantum, & non effectiuè, tendens ad generationem. Qualis est in Deo voluntas, qua vult esse Deus & infinitus: & in me voluntas, qua volo esse homo. Huiusmodi voluntate voluntariam esse generationem æternam, omnes constanter affirmant. Ita S.Thomas in præsent.q.41.art.2. & lib.1.sentent. dist.6. art.1.2.& 3. & de potentia q.2. art.3. Præpositiuus, & Guillelmus Altisiodorensis, quos refert & sequitur Albertus 1.p.q.30.memb.3. art.2. partic.1. Alexand. 1.p. q.42. memb.5. art.1.ad 2. Magister 1. distinct. 6. vbi communiter Scholast. S.Bonauentura art.1. q.2. Ricardus eodem artic. & quæst. Ægidius, Petrus & alij, quos refert & sequitur Carthus. in eadem dist.6.quæst.vnica. Marsil. 1. q.10. art.3. Capreolus 1.sentent. dist.6. q.1.

Non voluntate antecedente, sed cõcomitãte voluntaria est generatio.

Ruiz. de Trinitate.

art.1.præsertim concluſ.3.& 6. Gregor.distinct.6. quæst.vnica art.3. Maior & Gabriel dist.6. quæst. vnica conclus.3.& sequentibus. Ferrariens.4.contra gent.cap.11. inter med.& fin. §. *Vtrum autem.* Caietanus, Canariens. & reliqui omnes expositores S.Thomæ ad præsentem art.2.

Quantum ad hoc nihil discrepat Durand.dist.6. q.2. imò neque Scotus in eadem dist.6.q.1. art.2. Quamuis dicat, voluntatem esse priorem generatione, sed non vt principium illius: de quo tractabit disputatio sequens. Denique quantum ad rem ipsam non est diuersa sententia quorundam Nominalium, dicentium, Patrem voluntate generare, si ablatiuus *voluntate* accipiatur aduerbialiter, vt sit idem quod voluntariè generare: si autem prædictus ablatiuus accipiatur vt casus effectiuus, sic negant Patrem voluntate generare. Ita Ocham.distinct.6.q.1.col.vltima. Argentina verò in prædicta distinct.6.q.2.art.4. licet per ambages & circumlocutiones, euadit tandem ad eandem sententiam.

7

Nunc sigillatim probanda sunt singula membra præsentis dogmatis in hac & seq. sect. Sit igitur prima conclusio. Generatio non est voluntaria voluntate præcedente tanquam principio generandi. Ita Doctores omnes nuper citati. Probatur primò ex Patribus, qui vniuersaliter negant, Filium voluntate fuisse productum. Quamuis enim hoc probent, quia voluntate produci est proprium creaturarum: ea tamen ratio efficax est, supposito, quod generatio non est operatio elicita per voluntatem, sicut spiratio. Vnde generatio non poterit esse à voluntate diuina, nisi tanquam operatio imperata: quemadmodum in ratione dicemus.

8 *Non esse voluntariè voluntate præcedente, probatur.*

Sic Athanas. dialogo 1. de sancta Trinit. contra Anomœum pag.4. & 5. declarat, quomodo Pater non inuitus sed volens, est Pater & generat, prius ratione, quàm velit generare & independenter à voluntate, sicut vult esse immortalis, & est independenter à voluntate. Sequenti quoque dialogo 2. de S.Trinit. contra Anomœum pag.4. *Vnigenitum*, inquit, *esse fateberis, qui solus ex essentia genitus sit. Nam si & ipse voluntatis Filius est, nempe non est vnigenitus. Quum multa sint, quæ peperit voluntas. Scriptum est enim: Volens genuit nos verbo veritatis.* Idem fusiùs repetit propiùs ad med. quàm ad principium eiusdem dialogi, & orat.4. contra Arianos multo propiùs ad fin. quàm ad med. cuius verba retulimus disput. præced. sect.2. concl.2. & sect.4. post med.

9 *Iacobi 1.*

Cyrillus Alexand. dialog. de Trinit. lib.2. multo propiùs ad fin. quàm ad med. *Ratiocinatio est*, inquit, *quod in operabilibus quidem, volitio & nolitio locum habeant, in generatione autem non item: & causam quærentibus respondeti solet, quod quibusdam celebre est ac decantatum. Natura consulebat, cui leges non sunt curæ: additur autem, quod consilium, inconsiderantiamq; nihil curat.* Quasi diceret. Principium, quod non operatur per artem opus factibile, sed tantùm operatur per naturam, non operatur per consilium, deliberationem, aut voluntatem. Vnde paulo inferius colligit, *Quod nihil præcesserit Filij natiuitatem, neque prius orta sit voluntas, quàm is qui genuit: fuerit autem simul Pater Deus, & volens, vt esset Pater.* Hoc nimirum sensu lib. 1. thesauri cap.8. ex professo probat, Neque volente, neque nolente, aut inuito Patre, Filium genitum esse. Et concludit, *Non per voluntatem factum esse Filium, neque per deliberationem, aut consilium, & Filium Dei non esse natum, quia Pater ita voluit.*

10

11 Basilius homil.15.de fide in med.ait: *Filius non nasci iussus, sed ex potestate splendens.* Et homil. 28. contra Sabellianos ante med. *Ex Patre Filius non mandato factus, sed ex illius natura genitus est.* Epiphanius hæres.69. pag.7. *Neque igitur volens genitus, nec inuitus, sed natura supra consilium. Natura enim ipsi est Deitas, neque consilio opus habens, nec sine consilio quid faciens, sed simul ex seipso omnia habens.* Et propius ad fin.quàm ad med.iterum.*Neque volens,* ait,*genuit, neque non volens, sed in natura consilium transcendente. Natura enim est Deus consilium excedentis*, &c. Solutionem eandem tradit in ancorato multo propius ad med. quàm ad princip. Et Ambros.lib.4.de fide ad Gratianum cap.4.propius ad med.quàm ad princip. cuius verba referemus disput.sequenti sect.2.

12 Apud Hilarium lib.de Synodis post med. Syrmiensis Synodus contra Photinum congregata ait: *Si quis voluntate Dei tanquam vnum aliquid de creaturis Filium factum dicat, anathema sit.* Hieronymus in id Ephes.1. *Qui prædestinauit nos.* ait: *De Filio scriptum est, quod semper cum Patre fuit, & nunquam eum, vt esset, Paterna voluntas præcesserit.* Denique Patrem,neque voluntate,neque necessitate generare, docent Augustinus & Concil.Tolet.Vndecimum,citati disput.92.sect.4.versus fin. Apertè colligitur ex Damasceno lib.1.fidei cap.8. inter med. & fin. constituente discrimen inter diuinam generationem & creationem,quoniam *Generatio æterna natura opus est, & ex substantia eius profecta. Creatio verò à Deo cum voluntatis opus sit, non coæterna Deo est.*

13 Ex prædictis Patribus aliqui perspicuè loquuntur de voluntate, quæ sit principium, vel productio Filij, vel præcedat generationem. Cæteri verò, qui solummodo negant,voluntate genitum esse Filium, non possunt intelligi de voluntate concomitante: quoniam Patrem generare voluntate concomitante, probabitur sect. sequenti ex eorundem sententia. Restat igitur, intelligendos esse de voluntate præcedente vt principio.

14 *Generatio nec elicitur nec imperatur à voluntate.* Secundò probatur ratione, quia si voluntas Dei præcederet generationem, quasi principium illius; sequeretur, generationem esse actum, elicitum à voluntate diuina, vel saltem ab illa imperatum. At vtrumque est impossibile. Imprimis enim generatio est productio Verbi intellectualis supra disput.2.sect.2. & tota disput.6. Insuper Filius est personaliter Verbum, vt demonstratum est disput.47. Ergo generatio est actus elicitus ab intellectu,prout distinguitur à voluntate: ac proinde non est elicitus à voluntate. Vnde præterea sequitur, generationem nullo modo subiacere posse diuinæ voluntatis imperio vel motioni; quia diuinus intellectus, independenter ab omni operatione voluntatis, habet quidquid requiritur ad cognoscendas omnes veritates perpetuas. Intellectus enim diuinus est potentia necessaria, & expedita quolibet impedimento operationis; insuper ex natura sua non subordinatur alteri potentiæ. Rursus essentia diuina in ratione obiecti, & in ratione speciei intelligibilis, naturaliter habet vim determinandi ad intellectionem, independenter à quolibet imperio vel motione voluntatis. Ac denique intellectio prout est fæcunda propter Paternitatem, in qua subsistit, est principium *quo* generationis, & est ipsa generatio.

15 Confirmatur primò,quamuis enim per impossibile diuina voluntas imperaret suo intellectui, vt non consideraret actualiter, siue vt ignoraret aliquam veritatem: adhuc intellectus diuinus necessariò consideraret actualiter quidquid est verum: vt ostendimus circa quæstionem 14. sancti Thomæ de scientia Dei. Ergo actualis cognitio diuina non pendet ab imperio suæ voluntatis. Confirmatur secundò, quia si diuina sapientia pendere posset à diuina voluntate, tanquam ab imperante, vt esset vel non esset sapientia: sequeretur, à diuina voluntate pendere quoque diuinam omnipotentiam,æternitatem,immensitatem & alia attributa: proindéque à diuina voluntate imperante pendere, quod Deus esset Deus. Hoc autem est absurdissimum; vt ex Athanasio,Cyrillo & Augustino retulimus disput. præced. sect.4. & ex Nazianzeno in præsenti sectione. Confirmatur tertiò,quia quæcumque potentia,ex se sufficienter determinata ad vnum, & habens omnia requisita ad operandum, operatur independenter ab imperio voluntatis.

Tertiò. Præcedenti ratione præsupposita, vim habet alia ratio S. Thomæ in præsenti quæst. 41. artic.2. quia voluntas non est principium eorum, quæ necessaria sunt; sed eorum, quæ possunt sic vel aliter esse. Vnde non potest esse principium generationis diuinæ, sed tantummodo creaturarum. Quartò probatur, qui generatio est prior voluntate diuina vt ostendemus disp.seq.sect.2. 16

17 *Consilium & consultatio non præcessit generationem.* Ex præcedenti sequitur secunda conclusio. Generatio non est deliberata præcedenti consilio, siue consultatione tanquam principio generandi, vel tanquam aliquo prærequisito ad generationem. Ita docent Cyrillus,Basilius & Epiphanius pro conclusione 1.citati. Atque iterum Athanas. Cyrillus & Basilius citati disputat.præced. sect.2. pro concluss. 2. Consecutionis euidentia manifesta est, quoniam consilium, consultatio,siue deliberatio non præcedit, neque prærequiritur ad operationes merè naturales,prout condistinguuntur à voluntariis & liberis; sed tantùm ad operationes, procedentes à voluntate, tanquam à principio eliciente vel imperante. Quapropter istius conclusionis ratio manifestior est & vrgentior, quàm illa, quæ probat,Spirationem non pendere, neque procedere à deliberatione siue consilio supra disputat.92. sect.2. fine: quamuis illa quoque ratio sit euidens.

SECTIO II.

Concomitante voluntate generatio est voluntaria, & quodammodo etiam voluntate præcedente vt principio.

1 SIt prima conclusio. Generatio est voluntaria voluntate concomitante. Ita docent omnes Scholastici, citati sectione præcedenti. Probatur primò, quia Filium à patre diligi, traditur in Noùo testamento multis in locis,vt Ioannis 3.& 5. & 10. & 15. Nec non Colossen.1. & Ephes.1. Filius autem non tantùm vt homo, sed multo magis inquantum Verbum est ab æterno genitum, amatur à Patre; hæc enim Filiatio est formalis & primaria ratio dilectionis, prout per illam Pater versatur circa Filium.

2 Confirmatur primò, quia Pater non potest diligere propriam quidditatem, quæ consistit in Paternitate; nisi diligat generationem & Filium: proptereáque dum amore summo complacentiæ diligit Filium, se ipsum in Filio diligit Pater: iuxta illud Matthæi 3. fine. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Confirmatur secundò,nam eadem ratione Filius æterna dilectione diligit

ne diligit Patrem, in quantum Patrem, iuxta illud Ioan.14. fine, *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem.* Vnde necessariò diligit etiam generationem, sine qua neque Filius neque Pater subsisteret. Confirmatur tertiò, quoniam alioqui non esset reciprocus amor Patris erga Filium, & erga Patrem Filij; nisi vnaquæque persona diligeret in altera, non modo Diuinitatem, sed etiam personalem relationem & originem, & quidquid notionale est in altera persona. Reciprocum autem amorem esse inter Patrem & Filium ostendimus disp.73. & 74.

3 Secundò probatur, quoniam illud Prouerbiorum 8. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.* Septuaginta sic legunt: *Ego eram, cui adgaudebat quotidie*, aut *iocundabar in facie eius*, &c. Qua lectione plurimi Patrum antiquorum confirmant amorem Patris erga Filium, & complacentiam & gaudium in eodem. Quemadmodum Alexander Alexand. epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum. Extat lib.1. Actor. ante Concilium Nicænum. Iustinus dialogo contra Triphonem non longè ante med.

4 Athanas. orat. 2. contra Arianos propius ad med. quàm ad princip. *Deus,* inquit, *ipse eius imaginis genitor est, quam contuendo exhilaratur, vt ipse Filius dicit: Ego eram,in quo gaudebat.* Et non longè post med. eiusdem orationis secundæ sic Arianos vrget: *Quomodo si Filius perfectus non erat, Pater in eo sibi gratulabatur? aut si nunc tandem melioratus est, quomodo antea potuit oblectari coram Patre?* Similiter orat.3. contra Arianos, propositis eisdem verbis Prouerbiorum: *Ego eram, cui aggratulabatur; quotidie autem exhilarabar in conspectu eius.* Post pauca subdit: *In quo porrò lætatur Pater, nisi cum intuetur seipsum in sui ipsius imagine, quod est Verbum eius?* Et paucis interpositis: *Quomodo Filius exhilarari posset, nisi eo modo, quo se intuetur in Patre?* Rursus orat.4. fine,prædictum locum, *ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum Filijs hominum*, ita exponit, *Vt ex hilaritate in Filio, qui est imago, causam trahat exhilaratio in hominibus, conditis ad imaginem Dei.*

5 Eusebius Cæsariensis lib.5.demonstrat.Euang. cap.1. prope fin. de æterna generatione intelligit, & ita legit: *Ego eram apud quam gaudebat, quotidie verò lætabar in vultu eius.* Tertullianus autem lib.contra Praxeam cap.6.sub init.de sophia, quæ est Filius, ita refert ea, quæ loquitur Prouerb.8. *Ego eram cum illo compingens, ego eram ad quam gaudebat: quotidie autem oblectabar in persona ipsius.* Obserua dilectionem cum gaudio non circa solam Diuinitatem, sed etiam circa personam.

6 Probatur tertiò, nam alij Patres magis apertè docent,voluntatem Patris,quæ generationem comitatur. Sic enim Basilius orat.aduersus eos, qui calumniantur nos,quod tres Deos colamus in fin. *Apud nos*, inquit, *non quod vult pater generat. At verò Deus, concurrentem voluntati habens potentiam, genuit dignum seipso, velut ipse nouit.*

7 Athanas. orat.4.contra Arianos col.penultima. *Sicut Pater volens cupitorq́, est suæ essentiæ, ita quoque Filius qui ex substantia illi proprius est, non est illi inuito superinductus. Diligatur igitur Filius à Patre,* &c. Et paulo inferius:*Aliud est si dicas, Filium voluntate esse factum; aliud autem si dicas,quod eum,qui iam natura est Filius, diligat ac velit*, &c. Consequenter igitur in dialogo 1.de S.Trinit.contra Anomæum pag.4. & 5. probat, quod Pater non inuitus, sed volens est Pater, sicut volens est immortalis.

8 Cyrillus Alex. dialogo de Trinit. lib.2. multo propius ad fin. quàm ad med. postquam negauerat voluntatem, quæ generationem præcesserit, & ad illam impulerit, adiungit: *Est enim non absque voluntate* (generatio) *quæ est naturaliter, cum voluntas cum natura eius simul currat, vt sit quæ est.* Et paulo inferius: *Fuerit autem simul Pater Deus, & volens, vt esset Pater.* Cyrillus Hierosolym. catches.11. ante med. & post med. repetit: *Pater genuit Filium sicut nouit.* & videtur etiam dicere, quod sicut voluit, *Sed non in tempore deliberans.* Respuit ergo consilium ac deliberationem antecedentem,admittens consilium & scientiam concomitantem, vt euadat inconueniens, quod inferebant Ariani, Patrem ignoranter genuisse Filium. Vt constat ex contextu Cyrilli.

9 Clemens Roman. lib.7. constitut. cap.42. in Symbolo recitando à baptizandis ait: *Vnigenitum ante sæcula volente Patre genitum,* siue vt alij legunt: *Beneplacito Patris genitum.* Iustinus dialogo cum Triphone non longè ante med. *Volente Patre prognatum* vocat Filium. Referrur etiam à fide dignis Hippolytus Mart. homil. contra Noërianos dicens: *Quem volens Deus Pater genuit, & voluit.*

10 Sic etiam intelligi potest, quod Nazianz. dixit,Deo generationem esse fortasse ipsam gignendi voluntatem; vt explicuimus sect.1. Et longè inferius in eadem orat. 35. de Filio post num.30. quærentibus, *quomodo genitus sit Filius?* respondet: *Vt scit Pater, qui progenuit, & Filius qui progenitus est.* Vbi sicut scientia Filij non antecedit generationem tanquam principium illius, sed comitatur: ita etiam scientia, qua Pater scit, quomodo gignendus sit Filius non præcedit, nec generationem dirigit tanquam ars aut consilium generandi, sed tantum comitatur.

11 Confirmatur denique, quoniam ea, quæ Iacobus, Athanas. Eusebius, Ephræm, Syrmiensis Synodus, Hilarius, August.Tolet.Concilium & alij Patres referendi sectionibus sequentibus, dicunt: *nullam admittunt explicationem, veritati consentaneam, nisi intelligantur de voluntate concomitante.*

12 Ratione probatur quartò, quoniam Deo necessariò complacet tota plenitudo propriæ bonitatis & perfectionis, ac quælibet quasi pars illius. Sed non esset plena diuina perfectio, si defuisset fæcunditas generationis, vt ostendimus disp.29. sect.3. & sequentibus. Ergo Deo necessariò complacet generatio. Confirmatur, quia non solum essentialia & absoluta prædicata Dei, sed etiam notionalia & relatiua, sunt obiectum formale diuinæ dilectionis, Dei voluntatem necessariò rapiens ad amandum, vt ostendi supra circa quæst. 19. de voluntate Dei, art.2.

13 Notandum est igitur, dilectionem, quæ comitatur generationem, non esse volitionem absolutam & efficacem ex modo tendendi (quæ frustra versaretur circa operationem, sibi nullo modo subiacentem) sed esse simplicem complacentiam, qualis est, qua Deus gaudet se Deum esse. Propterea Prouerb.8. & Patres probat. 2. citati, vocabulis gaudij,oblectationis,applausus, aggratulationis, & delitiarum aptè significarunt simplicem complacentiam boni, quod non causatur, neque vllo modo pendet ab illa. Magis expressè Scholastici citati sect. 1. notarunt, voluntatem concomitatem esse simplicem complacentiam. Peculiariter Gregorius, Maior, Ocham, & Gabriel.

14 *Voluitas quodammodo præcedit generationem.* Secunda conclusio. Voluntas generandi est quodammodo præcedens, vt principium generationis;

tionis; propterea quodammodo verum est, Filium genitum esse per voluntatem, aut per charitatem. Hanc conclusionem qui negauerit, non poterit plenè satisfacere testimoniis Iacobi, Athanasij, Eusebij, Ephræmi, Syrmiensis Synodi, Hilarij, Augustini, Concilij Tolet. & aliorum, quæ veniunt explicanda in sect.4. & 5. Imò ex eadem conclusione deducitur commodior intellectus ad verba Christi Domini Ioann. 5. de quibus agendum est sect. sequenti. Ex doctoribus Scholasticis nemo, quem sciam, meminit huius conclusionis. Eam tamen intendere videntur Scotus, & Caietanus sua illa prioritate, quam referemus disput. sequenti sect.1. Fauet etiam Argentina 1. sent. dist.6. quæst.2. art.4. concl.2.

15 Explicatur & probatur conclusio, quia principium *quo* generandi est integra natura diuina, prout est fœcunda per sui cognitionem, primæ personalitati coniunctam. Sed integra natura diuina essentialiter includit voluntatẽ generandi, id est, complacentiam & charitatem Patris erga Filium; sicut includit cæteras omnes perfectiones absolutas. Ergo principium, quo generatur Filius, est etiam cum aliis perfectionibus hæc voluntas & charitas, quatenus includitur essentialiter in natura diuina: non verò prout voluntas seu charitas consideratur quasi formalitas præcisa, & operatio peculiaris condistincta ab intellectione.

16 Id nimirum significare voluit Hilarius lib.3. de Trinit. sub init. dicens: *Vnigenitum procreauit, omne, quod Deus est, per charitatem atque virtutem natiuitati eius impartiens.* Obserua, *Omne quod Deus est*, comprehendere charitatem, voluntatem, consilium, & hoc totum fuisse principium *quo* generationis, & communicatum Filio per generationem. Vnde post pauca subiungit: *Vt voluit, qui potuit, vt sit qui genuit: quod in Patre est, hoc & in Filio est.* Sic habet textus Hilarij.

17 Qui rursus lib. de Synodis prope med. explicans extrema verba confessionis Synodi Sardicensis: *Natiuitatis*, ait, *adeo perfecta natura est, vt qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio eius ac voluntate nascatur, non ex corporalis passione naturæ.* Quasi diceret, ex infinita Dei perfectione sequi, vt quoniam eius natura complectitur consilium & voluntatem simul cum cæteris omnibus perfectionibus absolutis: Filius nascatur etiam ex voluntate & consilio, quibus repugnat necessitas, ex imperfectione proueniens, qualis est, quæ prouenit ex corporalis passione naturæ. In eodem præterea lib. de Synodis propius ad med. quàm ad fin. explanans canonem 24.& 25. Syrmicæ Synodi notat, eos fuisse conditos, *Ne secundum voluntatem tantum: non etiam secundum naturam haberet essentiam* Filius: & paucis interiectis: *Nec voluntas sola genuit Filium.* Genuit ergo voluntas simul cum aliis attributis, quorum collectio diuinam essentiam constituit. Sed de his & similibus ex Hilario in lib. de Synodis, dicemus iterum sect.4. in testimenio 6.7. & 8.

18 Confirmatur primò, nam ex vi generationis formaliter Filio tribuit Pater plenissimam similitudinem (supra disp.6.) proindeque communicat ei vniuersa prædicata communia, quorum vnum est amor seu complacentia generationis & Filij. Confirmatur secundò, peculiaris enim est ratio, quæ probat, Patrem Filio communicare voluntatem, quæ non militat in cæteris attributis: quia nimirum nisi Pater prius origine voluntatem habeat, eámque Filio communicet: non generabit Filium, potentem spirare per voluntatem: vnde non erit Filius, quia non erit omnino similis Patri: vt ostendimus disp.68. sect.2.

Confirmatur tertiò, quoniam amor peculiari 19
ratione communicandus est de Filio, vt per eundem amorem rependat, quod per generationem accepit à Patre: ad generationem ergo supponitur, Patrem habere amorem, quem per generationem communicet. Huic rationi fauent illa verba Ricardi Victorini lib.5. de Trinit. cap.17. *Quid quasi ex debito exigere possunt à Patre personæ procedentes, qui ipsum debitum amorem, quem gratuito dilectori rependunt, ab eius dono accipiunt.*

Tertia conclusio. Si fuerit absolutè ac sine di- 20
stinctione loquendum; non debemus concedere, *Propositiones negandæ, vel explicandæ.*
sed negare sequentes propositiones & similes earum. *Pater voluntate generat. Volendo generat. Vt vult generat. Per voluntatem* aut *charitatem generat. Voluntas genuit voluntatem. Voluntas præcedens est principium generationis.* Quamuis enim apud nonnullos Patres referendos sect.4. & 5. legantur aliquæ propositiones eiusmodi: nihilominus indigent explicatione, non parum coacta: quia secundum vim & proprietatem sermonis, significant, voluntatem formaliter, vt est operatio distincta & præcisa ab intellectione, principium esse generationis. Confirmatur, nam earum propositionum sonitus fauet Arianorum errori, dicentium: Filium esse voluntate factum, supra sect.1. in princip.

SECTIO III.

Duæ obiectiones ex cap.3. & 5. Ioannis.

EX sacra Scriptura duo tantum occurrunt, 1
quæ indigent explicatione, videntur enim probare, dilectionem Patris erga Filium esse rationem & principium generandi. Aliud Ioan.3. aliud verò Ioan. 5. & hoc quidem difficilius vbi Christus Dominus de Patre sic loquitur: *Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit; Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* In quo suppono expositionem, communi- *Expositio adhibita.*
ter à Patribus ac recentioribus receptam, & contextui maximè congruentem esse, vt Christus Dominus suam Diuinitatem confirmet ab omnipotentia & operatione, quæ nulla inæqualitate vel dissimilitudine discrepet à potentia & operatione Patris. Pater autem eatenus Filio demonstrat omnia quæ ipse facit, quatenus creandarum rerum notitiam per generationem communicat. Ita docet ibi Chrysostomus homil. 37. in Ioan. inter med. & fin. Cyrillus lib.2. in Ioan.cap.136. & 137.& lib.1. thesauri cap.8. post med. Athanas. orat.4.contra Arianos col. penult. Hilarius lib.7. de Trinit. colum.9.& sequentibus, & lib.8. longè post med. Augustinus tract.21.in Ioan.

Confirmatur primò, nam totus discursus, qui 2
præcedit & sequitur hæc verba Ioannis 5.destinatur, vt Christus Dominus suam Diuinitatem probet, quoniam eadem opera, quæ Pater facit, ipse etiam *similiter* & eodem modo facit. Quod authoritate Patrum probauimus disput. 54. sect.5. argum.3. Ergo verba quæ tractamus in præsenti, cum sint intermedia illius contextus, pertinent etiam ad Diuinitatem Filij.

Confirmatur secundò, nam immediatè præce- 3
dunt hæc verba. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Hæc autem

Scientiam nõ à seipso habet Filius, sed à Patre.
autem Patres intelligunt de scientia diuina, quam Filius non habet ingenitam à se ipso, sed à Patre communicatam per generationem. Hoc enim sensu nihil facit à se ipso, sed quod viderit Patrem facientem. Ita Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de theologia prope med.num.39. & sequentibus. Basilius epist. 141. ad Cæsarianos inter med. & fin. Athanas. dialogo 2. de Trinit. contra Anomæum inter princ. & med. Et iterum post med. atque iterum propius ad fin.quàm ad med.& lib. 3. de assumptione hominis col. 2. Cyrillus lib.5. thesauri cap.3. Damascen.lib.4.fidei cap.19. multo propius ad princ. quàm ad med. Hilarius multoties vt lib.7. de Trinit. propius ad med. quàm ad princ. & iterum in medio: & lib.9. post med. & lib.11. inter princ. & med. & lib. de Synodis propiùs ad fin. quàm ad med. Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap.3. & sequenti lib.5.c.6. init. Augustinus tract.40. in Ioann. circa med. & lib. contra sermonem Arianorum cap.14. & 15. & lib.15. de Trinit. cap. 14. Idacius lib. contra Varimadum cap.15. Sed de hoc plura disput.110. sect.2. & sequentibus.

4 Confirmatur tertiò, quia correlatiua sunt illa duo, quod Filius videat Patrem facientem, & Pater demonstret Filio quæ facit. Ergo si de Filij Diuinitate intelligitur videre Patrem facientem, non potest non intelligi de eadẽ Diuinitate, quod Pater illi demonstret quæ facit. Inconsequens igitur erit expositio, quæ demonstrationem hanc retulerit ad solam humanitatem, cum tamen visionem illam retulerit ad Diuinitatem.

5 Hoc supposito vis argumenti posita est in illa coniunctione causali *enim*, quæ denotat, dilectionem Patris erga Filium esse rationem, propter quam Pater Filio per generationem communicat potentiam & operationem, vt eadem similiter faciat: & per eandem generationem communicat practicam notitiam, quod est demonstrare illi opera, quæ facit.

6 Prima solutio, licet priora verba de operatione Patris & Filij pertinere putet ad Diuinitatem: cæterum posteriora de dilectione ac demonstratione operum, existimat pertinere ad Christum Dominum, inquantum est homo, cui non inquantum Deus, sed inquantum homo est, Pater *demonstrabit maiora opera.* Ita intelligunt Maldonat ibi. Et Suarez in 3. partem tom.2.q.59.art.1. prope finem commentarij.

7 Veruntamen separationẽ hanc repugnare contextui iam probatum est nuper confirmat. tertia, quoniam necessarium est, eandem personam, secundum eandem naturam esse, quæ videt Patrem facientem, & cui Pater demonstrat opera. Præsertim cum tot Patres, citati pro fundamento argumenti, manifestè prædicta verba referant ad Diuinitatem Filij: licet eorum aliqui citentur quasi explicuerint de humanitate. Poterit autem humanitas intelligi, dummodo non excludatur primarius sensus de persona Verbi: vt videbimus disp.110. sect.3.

8 Dico primò. Dilectio, quæ prædictis verbis *Dictum primum.*
significatur, non est antecedens nec quasi causa, vel ratio, propter quam Pater Filio per generationem communicat scientiam suorum operum & eandem potestatem operandi. Sic Athanas.orat. 4. contra Arianos col. penult.vt ipse lòquitur ait: *Pater diligit Filium, & omnia Filio suo ostendit. Vt enim bonus esse, non ex voluntate incepit, cum tamen non inuitus nolensq; bonus sit: nam hoc ipsum quod est, cum voluntate sua est: ita quoque quod Filius ille sit, etsi non ex voluntate principium ductum est, non tamen inuito illi, & præter sententiam Filius extitit.* Et post pauca: *Nam & Filius, voluntate, qua vult illum Pater, ea & ipse diligit, & vult, & honorat Patrem: estq; vna eademq; voluntas,* &c.

Eadem est doctrina Cyrilli lib.1. thesauri c.8. 9
post med. dicentis: *Vereantur, oro, ipsum Saluatorem dicentem: quia Pater diligit Filium. Nam sicut bonus & omnipotens est, quæ quamuis non habeat præcedente voluntate ac electione consilij, non tamen inuitus hæc habet, vult enim id esse quod est: sic licet non ex voluntate genuerit Filium, non tamen inuitus habet eum, sed diligit, vt scriptum est. Et sicut hypostasis Patris est, non quia ipsam esse voluit, sed quia est, nec ipsam esse non vult: sic & Filius ex Patre non inuito nascitur, nec tamen voluntas generationem eius præcedit.* Idem constat ex Epiphanio paulo inferiùs referendo.

Dico secundò. Causalis dictio, *enim*, sicut ali- 10
bi frequenter, ita nunc potest significare causam *Dictum secundum.*
non rei secundum se, sed cognitionis nostrę, id est, argumentum à signo deductum. Amor enim est indicium similitudinis & communicationis intimæ: vnde summus amor summi Patris erga perfectissimum Filium, erit firmissimum argumentum summę communicationis, quoad notitiam & cooperationem omnium operum. Sed vtrum amor iste causa sit communicationis, vel communicatio causa sit amoris, non oportuit tunc proteruis & rudibus amplius explicari. Ita ferè intelligit S. Thom. de potent. quæst.2. art.3. ad 9. Toletus ad prædicta verba Ioan.5. Salmeron tom. 8. tract.11. col.17.

Dico tertiò. Probabilius est, Christum Domi- 11
num non tantum egisse de dilectione, qua Filius, *Dictum tertium.*
inquantum æternus & increatus Filius est, diligitur ab æterno Patre: sed etiam dilectionem attulisse tanquam rationem ac veluti causam, propter quam Pater omnium creaturarum administrationem cum Filio communicet. Quamuis enim generatio Filij & communicatio scientiæ simplicis intelligentiæ atque omnipotentiæ, sit absolutè prior dilectione Filij, & ratio diligendi Filium: nihilominus eadem *dilectio Filij* est absolutè prior, & quasi ratio, propter quam Pater decreuit, vniuersa creare, & administrare per Filium: & consequenter est ratio propter quam de facto, quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter faciat: & propter quam Pater vniuersa quæ facit, Filio demonstret, communicando scientiam visionis omnium veritatum contingentium, quæ absolutè posterior est generatione: vt vidimus disp.63. sect.4. & 5.

Obiicies. Nihil potuit agere Pater sine Filio, 12
per quem omnia facit, Ioan.1. Hæc autem impos- *Obiectio.*
sibilitas nullo modo pendet à dilectione Filij. Ergo dilectio Filij nullo modo est causa vel ratio operandi per Filium. Respondeo, negando con- *Soluitur.*
sequentiam. Potuit enim Pater omnino nihil operari per Filium, omittendo cuiusque creaturæ productionem. Vt autem voluerit Pater, vniuersa producere per Filium, impulit eum amor Filij, qui idem est amor sui ipsius. Nam, vt Dionysius ait, cap.4. de diuin. nomin. prope med. *Hic amor Deum non permisit in se ipso manere sine germine*, id est sine productione creaturarum ad extra.

Declarationem, in præsenti assertione tradi- 13
tam, intendisse videtur Hilarius lib.7. de Trinit. col.9. dicens: *Demonstrata enim ei potius opera Patris esse ait, quàm ad operationem eorum naturam virtutis adiectam: vt demonstratio ipsa natiuitatis esse substantiæ*

substantia doceretur, cui per dilectionem Patris, operum Paternorum, quæ per eum effici vellet, esset cognata cognitio.

14 *Dictũ quartum.* Dico quartò. Plenior & exactior exponendi ratio postulat, non obstante primario intellectu de Filio secundum Diuinitatem, simul etiam prædicta verba intelligere de Filio in quantũ est homo. Hanc exponendi regulam in generali probauimus disput. 50. sect. 1. Sectionibus verò sequentibus quam plurimis exemplis confirmabimus, potissimùm verò disp. 110. sect. 3. Ideo non sibi contradicit Epiphanius, sed plenam expositionem assequitur hæresi 69. prope fin. vbi ponderat in Geneſi ante Incarnationem dictum esse, *faciamus*, & non dictum esse, *Ades hic, faciam & ostendam quomodo opereris*. Sed post Incarnationem dictum *demonstrat*. Qua notatione videtur Epiphanius intelligere, Filio, inquantum est homo, *Pater opera demonstrat*.

15 Nihilominus ibidem Epiphanius primariò intelligit Filium, inquantum est Deus, ab illis præcipuè verbis: *Volens reducere mentem, vt ne humanitati ipsius solum attenderet, dixit: nihil facit Filius, nisi viderit Patrem facientem: vt ostendat, opus Filij esse opus Patris, & Patrem complacentiam habere in ipsius totius operationis dispensatione*. Obserua primò, non excludere humanitatem, sed tantum prohibere ne *humanitati solùm mens attendat*. Præterea dispensationis nomine potissimum intelligitur tota collectio operum Christi Domini simul cum incarnatione, in quibus alia sunt solius Diuinitatis, alia etiam humanitatis opera. Hoc sensu perpende distributionem illam *totius operationis dispensatione*, in qua dicit, Patrem habere complacentiam, quam paucis interpositis probat, *quia Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei*, &c.

16 *Alter locus Ioan. 3.* Venio tandem ad alterum locum explicandum Ioan. 3. prope fin. vbi Baptista dicit: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius*. Hæc eundem intellectum admittunt, qui datus est nuper ad verba Ioan. 5. Si enim cum Cyrillo lib. 2. in Ioannem cap. 73. in explicatione priori, dilectionem intelligas Filij, quatenus æternus & increatus Filius est: dilectio poterit esse ratio non quidem communicandi substantiam, potentiam & dominium in actu primo; sed communicandi dominium in actu secundo, producendo per Filium creaturas, & per eundem illas administrando, primariò inquantum Deus est; secundariò etiam inquantum factus homo redemit mundum.

17 Veruntamen huius loci contextus dilectionem ac dominium Filij, quatenus homo est, libentius admittit, quàm ille locus Ioan. 5. vt obseruant Tolet. ibi. Salmeron tom. 8. tract. 10. versus fin. Nos verò notauimus disp. 19. sect. 2. fine. & disp. 59. sect. 6. assert. 5.

SECTIO IV.

Explicantur Patres, qui videntur asserere, Patrem voluntate genuisse.

1 PRimò Iacobus frater Ioannis Zebædei apud Clementem Rom. lib. 8. constitutionum c. 12. prope initium, sic alloquitur æternum Patrem, *Ipsum verò ante omnia sæcula genera sti voluntate, potentia & bonitate sine vllo medio, Filium vnigenitum*. Et eodem lib. c. 16. non multum à princ. *Ante omnia sæcula genuisti voluntate, virtute & bonitate immediatè Filium, Vnigenitum Verbum, Deum, sapientiam viuentem.*

Respond. Iacobus Apostolus, vt ostenderet, Patris voluntatem, potentiam & bonitatem ad generandum Verbum habere se modo longè altiori, quàm ad creaturas producendas, addidit illam vocem, *sine medio*; quæ significat, nullo interiecto discrimine naturæ inter Patrem & Filium, nulla interposita operatione transeunte, nullo intercedente durationis interuallo, imo nec ipsa voluntate concurrente vt principio effectiuo, productum esse Filium, ad eius productionem concurrentibus omnibus attributis, quoniam concurrit natura diuina, quæ omnia attributa essentialiter complectitur. Nomina autem attributa, quæ Deum magis amabilem & propitium nobis reddunt, cætera virtualiter subintelligens. Quod autem non formaliter per illa, sed per intellectionem procedat Filius, significauit, eum vocans *Verbum, sapientiam viuentem*. 2 *Explicatio.* *Quid sit sine vllo medio genuisse.*

Hæc expositio probatur, quia prædictum modum loquendi fuisse antiquissimorum Patrum Ecclesiæ, verisimile est. Cyrillus enim Alexandrin. lib. 1. thesauri cap. 8. prope med. probat, Filium non esse voluntate genitum, *Quia nullum medium inter Patrem & Filium intelligitur*, & quia, *quæ per voluntatem facta sunt, secundum naturam distant*. Ergo Iacobus dicens *sine vllo medio & immediatè* significat, Filium non esse productum concurrente voluntate generandi, tanquam principio, sed tantum concurrente voluntate, prout includitur in essentia cum cæteris attributis. Confirmatur, nam & Nazianzenus orat. 25. quæ est 3, de theologia col. 4. post num. 23. colligit, creaturas *intermedia voluntate à creatore distungi* ex eo, quod Deus volens illas creauerit. Defendit autem, in generatione Filij tale medium non interuenisse. 3

Notandum tamen est, in alio sensu negari medium apud eundem Clementem lib. 7. Constitutionum cap. 35. quando dicit, *Opus Dei esse sine medio*, tũc enim significat, sine ministerio alterius instrumenti Deum produxisse creaturas. De prædictis verbis erudirè scribit Turrianus in explanationibus ad lib. 8. Clementis cap. 12. Extant tom. 1. Conciliorum. 4

Secundò, Athanasius in Euangelium de sanctissima Deipara inter princ. & med. scribit, Verbum *esse ex voluntate Paterna*. Respond. Contextus euidenter ostendit, hoc ideo dixisse, quoniam Filius ex substantia Patris est: voluntas autem sicut intellectus, potentia & cætera attributa, est ipsa substantia Dei. 5

Tertiò, Eusebius Cæsarienſis demonst. Euang. lib. 4. cap. 3. ante med. hoc discrimen constituit inter splendorem & Filium, quod *Splendor non ex proposito & voluntate luminis splendet, sed secundum quiddam, quod ad essentiam illius inseparabiliter accidit. Filius verò ex sententia & proposito imago Patris existit. Volens enim Deus Filij Pater extitit, & alterum lumen sibi ipsi simile substituit*. Et prope fin. eiusdem capitis ait, quod Filius *De Patris consilio ac virtute essentiam fuit nactus*. Respond. Quamuis hic author non sit omnino liber à suspicione Arianismi, nondum vsque ad fæces exinaniti: piè tamen explicari potest, vt loquatur de consilio, proposito & voluntate concomitante, quæ non comitantur splendorem corporeum ex lumine procedentem. 6

Quartò, Ephræm Syrus tom. 3. in fusiori opusculo de confessione, & sui ipsius reprehensione, propius ad med. quàm ad princip. ait: *Quoniam præuidit, nihil eorum, quæ fecit, ipsum capere posse, produxit* 7

produxit Filium sine principio ex substantia sua, & Spiritum sanctum nõ ex necessitate vel causa aliqua. Et post pauca subdit: *Voluntas necessitatem exterminauit, vt non asseramus voluntate necessitati subiecta naturaliter genitum esse Dei Filium. Aliumq; Pater consortem volens, non genuit, sed produxit Spiritum sanctum*.

8 Respond. Contextus indicat manifestè, præcognitionem & voluntatem non alia ratione poni, quàm vt excludat indigentiam, coactionem, ignorantiam & casualem siue fortuitum euentum. Ad hunc verò finem nõ requiritur cognitio & voluntas, quæ fuerit principium aut ratio generandi, sed satis est quæ comitetur generationem. Vnde causalis illa oratio; *quoniam præuidit*, non reddit causam volendi generare, sed reddit rationem, qua probatur, Patrem non ignoranter, neque fortuitò, sed scienter & præcognita creaturarum omnium insufficientia, produxisse personas ad intra.

9 Quintò. Possent similiter opponi Basilius, Athanas. vterque Cyrillus, Iustinus & Hippolytus & alij qui supra sect. 2. citati sunt pro voluntate concomitante generationem. Sed illis eadem explicatio satisfacit.

10 Sextò. Hilarius lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad princ. proximè ante exemplum fidei Syrmicæ: *Natiuitatis*, inquit, *in eo adeo perfecta natura est, vt qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio eius ac voluntate nascatur. Ex voluntate enim atque consilio, non ex corporalis passione naturæ, essentiæ Dei, de essentia Dei genitæ, absoluta perfectio est*. Respond. Hilarij mens constat ex multis aliis locis, non solum eiusdem libri de Synodis, sed etiam duodecim librorum de Trinit. quibus probat, Verbum, non adoptione aut libera voluntate, sed natura Filium Dei esse, vt retulimus disp. 4. sect. 3. & sequentibus.

11 Septimò. Ad expositionem superioris testimonij valet canon. 24. & 25. Syrmicæ Synodi, quos refert, & exponit Hilarius in eodem lib. de Synodis, multo propius ad med. quàm ad fin. *Si quis voluntate Dei, tanquam vnum aliquem de creatura, Filium factum dicat, anathema sit. Si quis, nolente Patre, natum dicat Filium, anathema sit. Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium, sed mox vt voluit, sine tempore & impassibiliter eum ex se genitum demonstrauit*. In cuius commentario Hilarius ait: *Nec voluntas sola genuit Filium*. Et iterum: *Pater*, inquit, *ex naturæ suæ essentia, impassibiliter volens, Filio dedit naturalis naturitatem essentiæ*.

12 Respond. ex S. Thoma in præsenti quæst. 41. artic. 2. ad 1. Concilij & Hilarij mentem esse, à diuina generatione remouere quodlibet genus necessitatis, prouenientis ab imperfectione, præcipuè verò necessitatem prouenientem à coactione, vel à materia & forma corporis corruptibilis, qualis est insita nobis necessitas esuriendi, ægrotandi, senescendi, & moriendi. Propterea Synodus & Hilarius toties repetunt, Patrem impassibiliter & non inuitum genuisse. Rursus vt constaret, neque inuitum fuisse impeditum à generatione, additur illud membrum, *mox vt voluit*. Quod autem Hilarius dixit, *Non voluntate sola genuisse*, ita intelligendum est, vt tota natura diuina, quæ omnes perfectiones absolutas, ac proinde voluntatem etiam complectitur, fuerit principium, quo Filius genitus est per cognitionem; vt vidimus sect. 2. concl. 2.

13 Sequitur ex dictis, neque necessariam, neque veram esse quorundam theologorum responsionem, qui prædictos Canones, existimant, nullius esse momenti, quoniam Syrmiense Concilium fuit aliquando Arianum; quod proinde in hac, sicut in plerisque aliis definitionibus, expressit errorem Arij. Hæc tamen solutio non est ad rem. Quia licet formula quædam fidei, Latinè composita in prædicto Concilio, plena sit aperta blasphemia contra Filium, propterea que reprehendatur ab Hilario in eodem lib. de Synodis non procul ab initio: fuit tamen altera fidei formula, Græcè composita per Marcum & Arethusium Martyrem, quæ creditur esse eadem, quam Hilarius loco citato commentariis explanauit & corroborauit, vt sanam atque Catholicam. Hæc igitur communi theologorum consensu tacitè confirmata est: vt eruditè ostendit Bellarminus tom. 1. controuer. 4. lib. 1. cap. 7. §. 2. Denique non possunt prædicti Canones tanquam Ariani refutari, nisi refutentur etiam similes aliæ sententiæ Hilarij, quas adiungit in eorum commentario.

Octauò. Sequitur etiam ex dictis intellectus ad aliud testimonium Synodi Sardicensis in confessione fidei, cuius extrema verba sunt: *Quod neque consilio, neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat sancta & Catholica Ecclesia*. Vt refert Hilarius lib. de Synodis prope med. Respond. enim, consilio & voluntate concomitante genitum esse Filium, non per coactionem, ignorantiam, temeritatem, casum, aut naturalis passionis necessitatem, vt obiiciebant Ariani. Quod probatum est sect. 2. 14

Nonum testimonium afferri posset ex Hilario lib. 2. de Trinit. sub init. Veruntamen hoc explicatum fuit sect. 2. prope fin. 15

Decimum testimonium est Dionys. cap. 4. de diuinis nomin. circa med. dicentis: *Amor non dimisit Deum sine germine in se ipso manere*. Respond. Ex contextu Dionysij aperte constat, agere non de productione diuinarum personarũ immanentium, sed de productione per excessum, transeuntem ad creaturas, ad quas impellit diuinus amor. 16

SECTIO V.

Quòd voluntas melioris boni probet generationem æternam, & voluntas genuerit voluntatem, quo sensu Patres affirmauerint.

1 PRimò Cyrillus Alex. lib. 2. thesauri cap. 1. sub init. ita redarguit Arianos: *Si ex Patre nascitur, quære consubstantialis non est? vtrum quia talem generare non potuit, an quia noluit? Nam si non potuisse dixerint, impudenter impotentiam Patri attribuent; si noluisse, turpissimam illi pigritiam imponent*. Et post pauca: *Quia & omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius*.

2 Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 50. *Deus*, inquit, *quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, nihil enim Deo melius, generare debuit æqualem. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est: si potuit & non voluit, inuidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium*. Eadem ratiocinatione, lib. 3. contra Maximinum cap. 7. & 15. ex eo quod Pater est omnipotens, & non inuidet Filio, Augustinus colligit, minimè noluisse, producere æqualem: ac proinde Filium æqualem produxisse. Quod argumentum recipitur à Magistro & communiter Scholasticis 1. distinct. 20. à med. vbi S. Bonauentura magis explicat dubio

dubio literali 2. & in eodem lib.1. dist.44. init.

3 *Obiectio.* Vnde, quod ad præsens attinet, obiicitur, quoniam inuidia non pertinet nisi ad ea bona, quæ per voluntatem possunt communicari vel impediri. Ergo supponit Augustinus per voluntatem Patris impediri potuisse æqualitatem Filij. Confirmatur, quia si generationis perfectio nullo modo procedit à voluntate generandi: nihil opus erat meminisse voluntatis ad probandum genuisse æqualem, quoniam potuit & voluit. Melius erat solius potentiæ meminisse, quæ propter infinitam perfectionem necessariò determinata est ad producendum æqualem sibi Filium.

4 *Prima solutio.* Respond. primò, Cyrillum & Augustinum argumentari non ex veris, sed ex concessis ab aduersario, (quod vocatur argumentum ad hominem.) Maximinus enim & Ariani cæteri volebant, Filium productum esse per liberam voluntatem & consilium Dei; vnde rectè inferebatur, esse inæqualem. At verò Patres citati huius assertionis implicationem ostendunt, quoniam aliunde sequitur ex eodem impossibili, Filium esse productum æqualem Patri. Nam supposita productione per voluntatem liberam, inæqualitas Filio non potuit euenire, nisi vel quia Pater non potuit æqualem producere, vel quia noluit aliam personam sibi esse æqualem, quod est inuidiæ.

5 *Secunda solutio.* Respond. secundò. Potest etiam idem argumentum intelligi, tanquam procedens ex principiis absolutè veris: ac si prædicti Patres dixissent, Deus meliora semper vult, & sine vlla inuidia. Ergo Deus voluntate concomitante complacentiam habet in eo, quod sibi nascatur æqualis Filius: quam complacentiam si non habet, non potest aliunde prouenire, nisi quia non potuerit æqualem producere. Hunc sensum habere videtur solutio Scoti 1. dist.6. q. vnic. prope fin.

6 Secundum testimonium est Concilij Tolet. decimiquinti in confessione fidei dicentis: *secundum essentiam voluntas genuit voluntatem. Filius est voluntas ex voluntate.* Quas propositiones Benedictus Papa secundus viua voce reprobauerat priùs, sed postea, audita defensione Iuliani Archiepiscopi Toletani per literas & legatos, ab eodem Concilio missos, approbauit; vt refert Rodericus Toletanus Archiepiscopus lib.3. cap.13. apud Loaysam notatione 3. ad Concil. Toler. decimumquintum.

7 Neque mirandum est Concilium ita fuisse locutum, approbante summo Pontifice; cum Augustinus lib.15. de Trinit. cap. 20. Filium Dei appellet *Consilium de consilio, voluntatem de voluntate.* Vbi quamuis obscuritas contextus prohibeat, ne satis constet, vtrum hanc locutionem approbet aut reprobet Augustinus: nihilominus tanquam ex mente Augustini recipitur à Magistro 1. dist.5. §. *prædictis autem.* & à S. Thoma de potentia q.2.art.3.arg.vlt. Atque idem August. tract.25. in Ioan. propius ad med. quàm ad fin. de Filio ait: *Ipsa voluntas est ipse, qui loquitur.*

8 *Verbum esse voluntatem Dei dixerunt Patres antiqui.* Quin etiam antiquiores Patres Verbum Dei dixerunt esse voluntatem Dei. Sic enim Athanas. orat.3. contra Arianos col.3. *Si Patris voluntas,* inquit, *efficax est, eaq; per se sufficit ad res procreandas: & Verbum eius vim faciendi creandiq; in se possidet. dubium non fuerit, quin Verbum sit Patris viuida voluntas, Paternaq; substantiæ insita efficacia & ratio.* Iterum autem in eadem orat.3. non procul ante med. *Est Verbum Domini architectus, & rerum author, & est Patris voluntas.*

9 Insuper orat.4. contra Arianos quatuor colum. ante fin. *Cum ipse sit propria Patris ratio, fieri non potuit, vt ante ipsum vlla voluntas ratiocinata sit: quippe, qui ipse sit viua voluntas Patris, ac potestas.* & paulo inferius: *Quis igitur potest Verbum, quum sit voluntas expetitiog; Patris, voluntate & expetitione, vt cetera, fieri?* Et in sequenti contextu vsque ad fin. orationis multories repetit, Filium esse voluntatem Patris.

10 Cyrillus Alexand. lib.1. thesauri cap. 8. prope init. *Ipse Filius,* inquit, *est in quo vult, & per quem omnia facit.* Atque infra: *solus Filius sapientia Patris est, ipse quoque voluntas eius est: in sapientia enim Dei velle ipsius est.* Et colum.3. *Filius voluntas Patris æternaliter erat in Patre.* Inde tamen infert Cyrillus: *Filium non esse natum voluntate Patris, neque ex voluntate.* In eodem lib.1. cap.9. *Filius,* inquit, *est viuens voluntas genitoris.* Rursus lib. 5. thesauri cap.3. propius ad fin. quàm ad med. *Si verbo, secundum voluntatem Patris ipsa opera sunt: Verbum profectò est viuens, subsistensq; Patris voluntas, quæ in Patre est, & in qua Pater est.* Denique lib.7. c.2. in med. *Verbum est Patris voluntas & sapientia.*

11 *Quo sensu Filius dicatur voluntas de voluntate, &c.* Respondeo igitur, prædictas propositiones Patrum & Concilij Tolet. verificari secundum inclusionem transcendentalem & essentialem: ita videlicet, vt Pater, qui est ipse sua voluntas, consilium, sapientia & cæteræ perfectiones; genuerit Filium, qui non minus essentialiter, quàm Pater est eadem voluntas, consilium, sapientia & cæteræ perfectiones. In hac veritate propterea tantopere prædicti Patres insistunt, quoniam ex ea necessariò sequitur vtrumque membrum contrarium dilemmati Arianorum, videlicet, Filium non esse genitum per liberam voluntatem Patris, nec tamen genitum esse contra voluntatem Patris, aut præter illam. Idque confirmant, quoniam Filius est ipsum Verbum, quo Pater exprimit, intimat, & exequitur liberam voluntatem operandi: ideóque præsupponitur ante quodcumque productum per liberam voluntatem.

12 Rectè igitur prædictum Tolet. Decimumquintum post confess. fidei cap.1. exponit, ita dici Filium voluntatem de voluntate, sicut dicitur *natura de natura, quoniam secundum Athanasium non aliud est voluntas, aliud natura Patris.*

13 *Vitanda sunt illa propositiones.* Nihilominus eiusmodi locutiones non sunt vsurpandæ, nisi addita declaratione, quoniam secundum sensum formalem & magis proprium significant Filium procedere per voluntatem, vt voluntas est, sicut procedit Spiritus sanctus. Nec ita propriè Filius dicitur voluntas de voluntate, sicut dicitur sapientia de sapientia, vel natura de natura: licet æqualem esse proprietatem illius propositionis contendat Loaysa annot.4. ad prædictum Concil.

14 Tertium testimonium sit Ricardi Victor. multis libris de Trinit. qui se demonstrare putat processionem vtriusque personæ, quoniam Deus habere voluit æqualem sibi dilectum Filium, & condilectum, videlicet, Spiritum sanctum. Cuius omnia verba si referenda forent; multas paginas oporteret implere: sed frustra, quoniam sufficit adnotare libros & capita, nimirum lib. 3. de Trinit. à cap.2. vsque ad 20. præsertim cap.6. & lib.5. c.7. post med. & cap.17. præsertim ad fin. & cap.18. & 19. Et lib.6.c.6. & 7. & cap.17. In hoc authore declarando laborant docti recentiores. Mihi verò dubium non est, quin Ricard. Victorinus à vera theologia recesserit, existimans vtramque processionem Filij & Spiritus sancti esse per voluntatem, vt ostendi supra disp.2. sect.1. à princ.

Si

15 Si tamen adhuc malueris, Ricardum exponere; dicito, fuisse locutum de voluntate complacētiæ, approbantis generationem: quemadmodum in primo testimonio solut.2. declarauimus Cyrillum & August. Sed quam violenter Ricardus trahatur ad hunc sensum, non oportet amplius immorando probare. Illud tamen aduertendum est longè distare Ricardum ab Arianis, non modo propter æqualitatem & consubstantialitatē Filij, sed etiam quoniam expressè notat, generationem Filij non esse per liberam voluntatem, sed per naturam, quemadmodum ex lib. 6. de Trinit. cap.1. retulimus disp.92. sect.2. atque idem lib.5. cap.22. dicit, generationem esse *operationem naturæ.*

DISPVTATIO XCIV.

Vtrùm generatio diuina sit prior, quàm voluntas generandi.

SECTIO I.

Duæ sententiæ negatiuè respondent.

1 PRima sententia voluntatem generandi cōstituit in priori quodam signo rationis, & in alio posteriori signo generationem: asseritq; proinde, generandi voluntatem esse priorem generatione, secundum considerationem intellectus: quamuis hæc voluntas non sit principium generandi. Ita Scotus 1. distin.6. quæst.1. colum. 2. quem sequitur Caietanus in præsenti quæst.41. artic.2.

2 *Primum argumentum.* Primum fundamentum est, quia velle generare, quod ex se est, prædicatum est absolutum & essentiale. Sed omnia prædicata absoluta sunt priora notionalibus, vt docet S. Thom. supra quæst.33. artic.3. ad 1. Ergo velle generare est prius, quàm generare. Confirmant, quia datur essentialis volitio generandi, distincta ab alia volitione generandi, per quā producitur Spiritus sanctus: quemadmodum datur essentialis intellectio, distincta ab intellectione notionali, per quam producitur Filius.

3 *Secūdum argumentum.* Secundum fundamentum, quia Pater in aliquo instanti, antequam actu generet, consideratur vt potens generare & spirare: siquidem iam intelligitur perfectè beatus per fruitionem sui perfectam. Ergo in eodem instanti, antequam generet, diligit seipsum, & suam generationem. Tertium fundamentum, quia prædicta voluntas generandi est velut desiderium: est enim complacentia de actu generationis, considerato vt possibili, & quasi futuro, hoc est, abstrahendo ab eius actuali existentia.

Tertium argumentum.

4 *Secunda sententia.* Secunda sententia dicit, voluntatem generandi neque præcedere, nec subsequi, sed tantum comitari generationem. Hanc significant communiter Scholastici cum Magistro & D. Thoma, dicentes, generationem esse voluntariam nō voluntate præcedente, sed comitante: quorum loca citauimus præcedent. disput.93. sect.2. prope init. Nihilominus omnes illi doctores admittunt commodam explicationem dicendam sect.3. ad argumenta secundæ sententiæ.

5 Alij tamen doctores, impugnantes apertè primam opinionem Scoti, non solum negant prioritatem principij, sed etiam quamlibet prioritatem secundum rationem. Ita Gregorius 1. distinct.6. q.vnic.art.3. Aureol. dist.6. ar.2. propos.3. Capreolus eadem dist.6.q.1.art.1.concl.6. & art.2. ad argumenta cōtra conclusionem 6. Carthus. 1. dist.6. quæst.vnica præsertim prope fin. dum refert & reprobat opinionem Scoti. Ferrariensis 4. contra gentes cap.11. fol.pen. §. *vtrum autem.* Canarien. in præsenti q.41. artic.2. in 3. parte commentarij. Valde fauet S. Thom. de poten. q.2. art.3. ad 2. dicens: *Respectu generationis non est voluntas præcedens neque tempore, neque intellectu, sed solum voluntas concomitans.* Fateor tamen superiori contextu aperiri viam intelligēdi solam prioritatem principij *quo,* quæ secundum intellectum est, vt non improbabiliter explicat Caietanus. Sed solidius hanc explicationem refutant Ferrarien. & Canarien. citati. Idem sentire videtur S. Tho. 1. dist.6. q. vnica artic.2. corp. ad fin.

6 Denique Magister 1. dist.6. fine ait: *Non prius volens, quàm generans, neque prius generans quàm volens.* Sed explicari potest de prioritate durationis, aut principij *quo.* De hac enim disputabat. Eundem modum loquendi reperies apud Alex. 1. p.q. 42. memb.2. art.1. ad 2. & ad 4. & apud alios Scholasticos distinct.6.

7 Plures rationes adducuntur pro hac opinione, ex quibus aliquæ nihil aliud probant, nisi voluntatem generandi non esse priorem generatione. Huiusmodi rationes adducentur statim sect. seq. pro concl.1. propterea quæ solutione nō indigent, nisi duo tantum argumenta, quæ contendunt, generationem non esse priorem voluntate generandi, sed esse omnino simul cum illa.

8 *Primum argumentum secundæ sententiæ.* Primum argumentum sit, quoniam voluntas generandi vocatur cōcomitans ab omnibus Scholasticis cum Magistro & S. Thoma supra disp. 93. Quod si generatio foret prior voluntate generandi; iam voluntas esset posterior & subsequens, non verò concomitans generationem. Secundum argumentū Ferrariensis est, nam si duo actus indiuisibiles naturali necessitate, & nullo modo impedibili prouenīāt à natura alicuius suppositi; neuter illorū actuum erit prior altero secundum rectum modum intelligendi. Quod probat, quia nihil potest præintelligi naturæ ipsius suppositi. Vnde infert, nihil etiam posse præintelligi cuilibet illorum actuum: propterea que neutrum esse priorem altero.

Secūdum argumentum.

SECTIO II.

Generatio est absolutè prior, & quodammodo posterior voluntate generandi.

1 *Generatio prior omni volitione.* PRima conclusio. Generatio est secundum rationem prior, quàm voluntas generandi, imò prior, quàm omnis volitio. Ita sentiunt Henricus in summa art.58.q.2. ad 1. & colligitur ex eodem art.54.q.3. ad 6. post med. solutionis & quodlibet. 5. q.4. Tribuitur etiam Gotfredo quodlib.5. q.5. Magis ex professo eam tradūt Vazquez disp. 160. cap.3. Suarez lib.6. de Trinit. cap.4. num.3. Molina in præsenti quæst.41. art.2. disput.2. probat.2. Fauent Ferrariensis 4. contra gent. cap.11. fol. pen. §. *vtrum autem* & Valent. 1. p. quæst.15. de Trinit. punct.4. dub.2.

2 Probatur imprimis ex Patribus, quoniā apertè docent, voluntatem generandi non fuisse priorem generatione. Quorum nonnulli, quamuis asserant apertè, posteriorem esse voluntatem generandi; alij tamen apertè docent, esse posterio-

rem generatione. Præterea, licet omnes Patres aduersus Eunomium & Arium agant præcipuè de prioritate temporis, sicut voluntas creandi, prior est quibusliber creaturis: adhuc tamen eorũ propositiones vniuersales videntur omnem prioritatem, etiam secundum rationem excludere.

3 Præ cæteris omnibus magis apertè conclusionem docuit Athanas. dialogo 1. de S. Trinit. pag. 4. dicens: *Voluntatem transcendit imago hypostaseos. Prius enim oportet animo concipere imaginem hypostaseos, & postea velle & nolle. Filius enim est soboles hypostaseos & imago prorsus inuariata. Ante voluntatem concipe animo imaginem hypostaseos.* Manifestè igitur Athanasius existimat, Filium nó modo non esse durationè posteriorẽ; sed etiã esse concipiendi modo priorem qualibet volitione Dei. Quapropter etiam generatio Filij prior erit: cum generatio non possit esse posterior Filio, nec Filius concipi possit absque generatione.

4 Inde igitur coniecturam accipe, non minus vniuersaliter prioritatem generationis intellexisse Athanasium aliis in locis, vbi simpliciter docet esse priorem voluntate. Quemadmodum orat. 3. contra Arianos col. 2. *Nimirum*, inquit, *ex natura sua Patrem esse sui Verbi, prius quiddam esse & sublimius voluntate.* Et orat. 4. contra Arianos sex columnis ante fin. ostendens, generationem non esse posteriorem voluntate generandi, sed priorem, adiungit: *Vt enim opponitur voluntati id, quod est præter animi sententiam: ita altius est, priusq́ voluntate id, quod secundum naturam est.*

5 Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. propius ad med. quàm ad fin. *Nihil*, ait, *in sempiterna generatione præcedit, nec velle, nec nolle: ergo nec inuitum dixerim, nec volentem: quia generatio non in voluntatis possibilitate est, sed in iure quodam & proprietate Paterni videtur esse secreti. Nam sicut bonus Pater non aut ex voluntate est, aut necessitate, sed super vtrumque, hoc est natura: ita non generat ex voluntate aut necessitate Pater.* Subintellige, sed ex natura supra necessitatem & voluntatem.

6 Qui verò non exprimunt prioritatem generationis: sed illius tantummodo posterioritatem negant, sunt qui sequuntur. Cyrillus Alexand lib. 1. thesauri cap. 8. prope init. *Si voluntas Patris*, ait, *Filij generationem præcessit; cur non ita loquitur Scriptura de Filio, sicut de creaturis? Faciamus hominem. Omnia quæcumque voluit fecit. De generatione autem Filij nullibi tale quid legitur, sed erat, & est apud Patrem solummodo audiuimus.* Et toto illo capite probat, *Non ideo Patrem generare, quia vult; sicut non ideo est hypostasis Patris, quia vult.*

7 Epiphan. in ancorato multo propius ad med. quàm ad princ. proposito dilemmate aduersariorum interrogantium, vtrum Pater genuerit volens aut non volens, adiungit: *Si dixerimus volens, damus quod erat voluntas ante Verbum:* Et licet contextus sequens apertè tractet de prioritate temporis: attamen vniuersaliter negat prioritatem voluntatis respectu generationis. Quemadmodum etiam Hieronymus in id Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos*, ait, *nunquam Filium, vt esset, Paterna voluntas præcessit.* Author libri quæstionum sexaginta quinque ad Orosium, (apud August. tom. 4.) quæst. 7. inde probat, Patrem non genuisse voluntate, quia *Præire voluntas sapientiam non potuit.* Similiter Concilium Tolet. Vndecimum in confessione fidei eandem comparationem voluntatis cum generatione tractans, *Neque voluntas*, inquit, *sapientiam præuenit.*

8 Ratione vt probem, suppono primò in quibuscumque formalitatibus diuinis, siue fuerint absolutæ siue relatiuæ, prioris & posterioris ordinem nihil aliud esse, nisi exigentiam & quasi dependentiam vnius formalitatis ab alia. Qua propter, quando pronuncias huiusmodi voces; hæc formalitas est prior quàm illa: tuus conceptus non debet esse alius, nisi qui clarius significatur his verbis: hæc formalitas exigitur ab illa. Et quando pronuncias huiusmodi voces: hæc formalitas est posterior, quàm illa: tuus conceptus non debet esse alius, nisi qui clariùs significatur his verbis: hæc formalitas exigit illam, & quasi pendet ab illa. Quilibet autem vlterior conceptus prioritatis erit chimæricus, ac sine fundamento. *Prioritas vnius quid sit.*

9 Secundò suppono, multiplex esse genus exigentiæ, seu quasi dependentiæ, quo formalitas vna in Deo exigit, & quasi dependet ab alia. Quædam enim formalitates pendent ab alia, velut à radice: sicut æternitas pendet ab immutabili necessitate Dei: & possibilitas volendi pendet à possibilitate intelligendi. Aliæ formalitates diuinæ pendent ab altera, quasi à proponente obiectum, & tanquam à conditione. Sicut volitiones diuinæ pendent ab intellectionibus eorundem obiectorum; quamuis ab intellectionibus aliorum obiectorum aliquando non pendeant: ac proinde comparatione illorum neque sint priores, neque posteriores, neque simul; sed impertinenter, id est sine ordine ad illas se habeant. Aliæ formalitates pendẽt veluti ab ipso obiecto: sicut diuina cognitio, intuitiua proprij decreti liberi, pendet ab ipso decreto libero. Hæc fusius explicata & probata tractauimus ad q. 23. de prædestinatione disp. 2. *Multiplex genus exigentiæ.*

10 His suppositis, prima ratio conclusionis est. Omnis volitio alicuius boni est posterior, quàm cognitio eiusdem boni. Ergo volitio generationis est posterior, quàm cognitio generationis. Sed cognitio generationis in Deo est ipsamet generatio, quæ nihil aliud est, quàm cognitio comprehensiua Dei, in quantum est fæcunda propter Paternitatem; vt ostendimus disp. 59. & 60. & disp. 84. & 85. Ergo volitio generationis est posterior, quàm generatio.

11 Confirmatur primò, quia volitio boni præsupponit cognitionem eiusdem boni, iam plenè & perfectè elicitam quasi in facto esse: ac proinde supponit, iam intellectũ apud se dixisse Verbum, & per illud expressisse bonũ illud, quasi per imaginem eiusdem boni. Hoc autem potiori iure necessarium erit in Deo, cuius volitio, quoniam est infinitè perfecta, supponere debet propositionem eiusdem boni, summa perfectione factam, non modò per notitiam, quæ secundum rationem notitiæ præcisa sit à dictione, sed etiam per dictionem, quæ est productio Verbi & imaginis perfectissimæ illius boni, quod est diligendum. Confirmatur secundò, quia sic melius intelligitur vis illius rationis, qua theologi probãt, Spiritum sanctum debere procedere, non tantum à Patre, sed etiam à verbo; quia videlicet, necesse est, volitionem à verbo procedere: vt rectè S. Thom. supra q. 36. art. 2. Et vidimus disp. 67. sect. 8. post med. *Velle generationem supponit eius cognitionem.*

12 Secunda ratio est, quia volitio generandi est amor simul & gaudium siue fruitio generationis & Filij. At verò gaudium & fruitio quidditatiuè supponit bonum præsens, vt præsens, & iam existens. Ergo diuina volitio, prout plenè versatur circa generationem & Filiũ, est posterior illis.

13 Inde sumitur tertia ratio, ad impugnandum illud quasi desideriũ siue complacentiam generationis, quasi futuræ, abstrahendo ab illius actualis existen

existentia, quod in sect. 1. dicebat prima sententia fundamento 3. Ratio autem sic habet. Omnis actus desiderij secundum eam peculiarem differentiam, qua distinguitur à fruitione rei præsentis, supponit imperfectionem in obiecto desiderato. Ergo implicat contradictionem, Deo conuenire desiderium generationis secundum eam differẽtiam, qua desiderium distinguitur à fruitione: At verò secundùm rationem communem, in qua desiderium non distinguitur à fruitione, præscinditur à respectu boni tãquam futuri, vel tanquam præsentis: contrahitur autem peculiari differentia fruitionis, quæ supponit existentiam boni præsentis. Antecedens probatur, nam inter desiderium & fruitionem hæc est differentia, quod desiderium fertur ad bonum absens, cuius consecutio est possibilis, sed non est præsens, & actu existens. Hæc autem absentia rei vel consecutionis est imperfectio in obiecto volito, quippe quod aut non existit aut eius consecutio non existit. *Desiderium generationis Deo repugnat.*

14 Confirmatur primò, quia non solum est simpliciter necessaria actualis existentia cuiuslibet perfectionis aut prædicati diuini; sed etiam est simpliciter necessaria eorũ omnium actualis consecutio, & quasi possessio. Confirmatur secundò, quoniam imperfecto modo seipsum Deus intelligeret; si aliquod prædicatum suum per intellectionem abstraheret ab intrinseco & necessario modo illius prædicari. Ergo imperfecto modo Deus intelligeret; si aliqua eius intellectio versaretur circa generationem æternam, abstrahendo ab actuali & necessaria existentia, quæ est de quidditate eiusdem generationis. Quare propter eãdem rationem imperfecto modo diligeret Deus, si diligeret suam generationem abstrahendo ab eius naturali & necessaria existentia. Confirmatur tertiò, nam eiusmodi abstractiones creato intellectui, & maximè humano sunt possibiles; quia possibilis est illi aliqua cognitio & aliquis amor tam imperfectus, vt inadæquatè & sine comprehensione tendat in obiectum.

15 Obijcies primò. Diuinus amor præscindit entitatem peccati à malitia, quam inseparabiliter habet adiunctam: insuper communem rationem volitionis & entis præscindit à particulari ratione talis entis & volitionis monstruosæ (vt ostendimus supra circa quæst. 19. tractantes de obiecto voluntatis diuinæ.) Ergo diuinus amor absque defectu & imperfectione præscindere poterit ab actuali existentia generationis. *Obiectio 1. Vtrum amor diuinus præscindat formalitates.*

16 Respond. Propriè loquendo, non præscindit amor diuinus quando prædicto modo versatur circa materialem entitatem peccati. Tunc enim amor diuinus comprehensiuè complectitur quidquid esse potest obiectum diuini amoris. At malitia peccati nó potest esse obiectum diuini amoris; nec esse potest illius obiectũ differentia particularis mõstruosæ volitionis, nisi sub communi ratione, in quantum est ens & volitio (vt ibidem ostendimus.) Alioqui dicere poteris, corporeos sensus præscindere; quia sic percipiunt colorem & alias qualitates, vt non percipiant earum inhærentiam actualem, neque aptitudinalem. *Solutio.*

17 Obijcies secundò. Noster intellectus considerare potest volitionem diuinam præcisè, quatenus vult generationem diuinam, ita vt noster intellectus non concipiat, vtrum Deus velit generationem, quasi iam actualiter existẽtem, vel eam velit quasi possibilem. Sed diuina volitio generandi, per intellectum nostrũ ita præcisa, non supponit existentiam generationis. Ergo diuina volitio *2. Obiectio.*

ita præcisa poterit esse prior per modum desiderij rei futuræ.

18 Respondeo, negando consequentiam: quia diuina volitio, sic considerata per intellectum nostrum, abstrahitur à ratione desiderij circa bonum futurum, & à ratione fruitionis circa bonũ præsens. Quapropter, licet in hac ratione volitionis ita præcisa, non eluceat posterioritas, quæ sumitur ex peculiari differentia fruitionis: adhuc tamen elucet in ea posterioritas altera, quæ sumitur ex eo, quod volitio supponit necessario intellectionem boni, & illius expressionem per Verbum; vt in 1. ratione dicebamus. *Solutio.*

19 Secunda conclusio. Voluntas generandi est aliquo modo prior, quàm generatio, ídque triplici genere prioritatis. Explico & probo, supponendo inter diuinas formalitates multoties reperiri mutuam prioritatem in diuerso genere: sicut efficax intentio alicuius finis, & electio medij vnici, sine quo nó potest obtineri finis ille, sunt in Deo sibi mutuo priores & posteriores in diuerso genere, quia mutuo se exigunt, & quasi pendent ab inuicem. Quapropter nihil mirum erit, si voluntas generandi, quamuis sit absolutè posterior generatione; nihilominus sit quodammodo prior alio prioritatis genere; quemadmodum fusiùs explicuimus in tract. de prioritatibus supra citato. *Voluntas aliquo modo prior generatione. Mutua prioritas.*

20 Quo supposito, primum genus prioritatis in voluntate generãdi reducitur ad prioritatem originis: quia pertinet ad principium *quo* generationis. Voluntas enim generandi continetur essentialiter in totali & adæquato principio *quo* generationis; vt ostendimus disput. 93. sect. 2. concl. 2. Sed non est simpliciter prioritas originis. Talis enim non est propriè, nisi quæ versatur inter duo realiter distincta, quorum vnum realiter ab alio producitur; vt videbimus disputatione 105. sect. 4. & 5.

21 Secundum genus prioritatis est in ratione obiecti comparatione cognitionis intuitiuæ. Nam generatio est per se & quidditatiuè cognitio intuitiua voluntatis generandi, iuxta ea, quæ probauimus disput. 61. præsertim sect. 2. & 3. At verò cognitio intuitiua præsupponit existentiã sui obiecti, præsertim primarij atque formalis; vt ostendimus disputantes de essentia visionis beatæ circa quæst. 12.

22 Obijcies, inde sequi, volũtatem generandi esse absolutè priorem generatione, qua ratione generatio est scientia intuitiua voluntatis generandi. Respondeo, non sequi prioritatem simpliciter, sed tantum secundum quid: nam illa voluntas generandi supponit perfectam & comprehensiuam cognitionem generationis, iam vltimo terminatam verbo expressiuo eiusdem generationis; vt in concluſ. 1. & 1. illius rationc dicebamus. Hæc autem dependentia voluntatis à generatione, maior est quàm dependentia generationis ab ipsa voluntate quasi ab obiecto cognitionis intuitiuæ. Nam eodem ferè modo cognitio intuitiua mundi prærequirit actualem existentiam mundi in aliqua differentia temporis: cum tamen mundus sit infinito tempore posterior, quàm cognitio intuitiua Dei: de quo diximus disput. 61. sect. 5. præsertim ad 2. argum. *Obiectio.*

23 Tertium genus prioritatis est illi simile, quod Aristoteles in postprædicamentis appellat prius subsistendi consequentia. Quomodo vniuersalia sunt priora singularibus: ex eo enim quod existat Petrus, sequitur hominem existere, sed non è contrario. Potest enim existere homo, non existente *Soluitur.*

Petro. In præsenti verò valet hæc consequentia. *Hæc persona diuina generat: ergo vult generationem.* Sed è contrario non valet: *Hæc persona diuina vult generationem: ergo generat.* Nam Filius & Spiritus sanctus generationem vult, per eandem volitionem, qua Pater vult, & amat generationem: attamen neq; Filius, neque Spiritus sanctus generat. Confirmatur, nam isto prioritatis genere prædicata cuncta essentialia sunt priora notionalibus; quia sunt communia omnibus personis: quemadmodum etiam volitio seu amor generationis est communis tribus personis.

24 *Prima obiectio.* Sed occurrit Canariensis primò in præsent. q. 41. art. 2. part. 3. in solut. ad 1. existimans prædictam volitionem esse notionalem, quia Spiritus sanctus non vult generare, neque Filius vult generare. Respondeo & confirmo præcedentem discursum, quoniam si Filius vellet generare, & Spiritus sanctus vellet generare, vnicuique personæ esset peculiaris volitio notionalis, discrepans à volitione Patris. Aliter autem se res habet, quia tres personæ volunt, vt Pater solus generet; itaque Pater vult, vt Pater generet: Filius vult, vt Pater generet: Spiritus sanctus vult, vt Pater generet. Est igitur in eis summa consensio & vnitas, omnino nihil discrepans in voluntate generandi: quapropter tota est essentialis, & nihil habet notionale, nisi obiectum, circa quod versatur.

Solutio.

25 *Secunda obiectio.* Secundò poteris obijcere, quoniam ablato priori & principio, aufertur id, quod posterius est. Ergo si generādi voluntas est aliquo modo prior & principium generationis; ablata voluntate generandi, auferetur generatio. Consequens autem est falsum, quia licet per impossibile Pater noluisset generare, adhuc generaret: ergo falsum est etiam antecedens, videlicet prioritas voluntatis generandi,

26 Respond. Si per impossibile Pater noluisset generare: sequeretur vtrumque, videlicet, quod adhuc generaret, & quod non generaret. Nam ex eo, quod esset Pater, licet careret voluntate generandi, sequeretur, quod generaret: quia voluntas generandi neque est principium totale, neque principium formale generandi, sicut est intellectio. Aliunde tamen ex eo, quod Deus careret voluntate generandi, sequeretur esse diminutum, ac destitutum aliqua perfectione suæ naturæ: quapropter vel prorsus non generaret, vel diminutum Filium generaret.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta posita in sect. 1.

1 *Ad primum.* AD argumenta primæ sententiæ respond. Ad primum. Omnia absoluta & essentialia sunt priora notionalibus aliquo genere prioritatis, ac præsertim primo & vltimo genere prioritatis, adducto pro concl. 2. præced. sectionis. Nam essentialia omnia pertinent ad complementum principij, quò producuntur notionalia; & sunt veluti radix notionalium; & ab illis non conuertitur subsistendi consequentia, sicut ibidem explicatum est. Nihilominus eadem absoluta & essentialia cuncta sunt in alio genere posteriora notionalibus; à quibus quasi pendent, quoniam in illis subsistunt & sine illis non subsisterent, vt probatum est disp. 34. sect. 5. & sequentibus.

Essentialia quomodo sint priora notionalibus.

2 Peculiari tamen ac præstantiori genere prioritatis generatio & Filius est prior, quàm voluntas generandi, quatenus ad amorem, ac volitionem, necessariò præsupponitur obiecti cognitio completa, & terminata per Verbum: insuper quatenus fruitio supponit obiecti præsentiam; vt ostendimus sect. præcedenti, probantes conclusionem primam.

3 Alij doctores respondent, illa essentialia, quæ referuntur ad notionalia, tanquam ad obiecta, esse posteriora notionalibus. Ita Ferrariens. citatus sect. 1. pro 2. sententia & Vazquez, ac Suarez citati sect. 2. Quæ doctrina, vt sit vniuersaliter vera, debet intelligi de prioritate secundum quid. Nam cognitio, qua Pater cognoscit Verbum & Spiritum sanctum, est absolutè prior Verbo & Spiritu sancto, licet sit aliquo modo posterior. Itaque prædicta solutio, nisi ad nostram reducatur, non satisfacit argumento.

4 Ad confirmationem respond. Non datur intellectio essentialis, distincta ab intellectione notionali; neque datur volitio essentialis, distincta à volitione notionali; sicut explicatum & probatum est disp. 59. sect. 1.

5 *Ad secundum argum.* Ad secundum respond. Instantia prioritatum, à Scoto aliisque doctoribus conficta, impugnauimus saris in supra citata disput. de prioritatibus diuinarum formalitatum: nisi prædicta instantia limitentur & exponantur, vt solam connexionem exigentiæ & quasi dependentiæ significent, vt dictum est sect. præcedenti pro concluſ. 1. probat. 1. Hoc igitur sensu concedo, ad generationem prærequiri Patrem, constitutum in actu primo, prout potens est generare: ac proinde præsupponitur Pater iam in seipso plenè & perfectè beatus per cognitionem & dilectionem sui: quapropter ad generationem præsupponitur dilectio generationis ipsius, quia nisi Pater diligat generationem, non potest seipsum diligere. Cæterum hæc non est prioritas simpliciter, sed secundum quid: quoniam eadem dilectio posterior est absolutè propter rationes adductas sectione præcedenti pro concluſ. 1.

6 *Ad tertium.* Tertij fundamenti falsitas constat ex his, quæ diximus in 3. ratione 1. conclusionis sect. præced.

7 *Ad argumenta secundæ sententiæ.* Ad argumenta secundæ sententiæ respond. Ad primum. Voluntas generandi à Scholasticis appellatur concomitans triplici ratione. Prima, quia duratione non præcessit, sicut voluntas creandi præcessit creationem. Secunda, quia non præcessit origine, tanquam principium aut rario generationis. Quod sufficit, vt absolutè falsa sit hæc propositio causalis: *Propterea Pater generauit, quia voluit generare.* Imo quamuis per impossibile Pater noluisset generare, nihilominus genuisset: vt diximus disp. 93. sect. 1. probat. 2. Tertia ratio est, quoniam hæc voluntas quidditatiuè postulat versari circa generationem presentem, vt præsentem, tanquam fruitio illius, vt diximus sect. præcedenti ratione 2. pro concl. 1.

8 *Concomitantia voluntatis quid sit in præsenti.* Hæc autem concomitantia nihil pugnat cum prioritate rationis, secùdùm quam generatio prærequiritur ad voluntatem generandi. Confirmatur primò. Nam apud S. Thom. in præsent. art. 2. corp. voluntate concomitantiæ sum homo mea voluntate: cum tamen hæc volũtas sit multo tempore posterior mea humanitate. Ex quo aliisque pluribus indiciis sancti Thomæ & aliorum Scholasticorum, constat, vocem concomitantiæ eo destinari, ne voluntas præcedat generationem, vel sit principium aut ratio generandi: quidquid sit vtrum secundum rationem subsequatur. Concomitantiæ namque vox in præsenti sortitur acceptionem

ptionem similem concomitantiæ, quæ tribuitur ignorantiæ. Nam à theologis & philosophis concomitans ignorantia vocatur, quæ neque est causa, neque effectus peccati: licet in aliis multa sint discrimina.

9 Ad secundum respond. negando antecedens. Imo subordinatos esse oportet duos actus naturæ perfectissimæ: volitio namque perfecta, quidditatiuè subordinatur intellectioni perfectæ. Quin etiam intra lineam intellectionis prius est intelligere essentialiter, quàm dicere, quod est producere Verbum: vt vidimus disp. 59. & 60. eademque ratione amare essentialiter est prius, quàm spirare, vt vidimus disp. 73. & 74.

DISPVTATIO XCV.

Vtrum Spiratio voluntaria sit, ac posterior spirandi voluntate.

SECTIO I.

Spiratio per seipsam intrinsecè voluntaria est.

1 *Non ideo spirat, quia vult spirare.* PRIMA cōclusio. Spiratio seu productio Spiritus sancti nō ita est voluntaria, vt Pater & Filius propterea spiret, quia vult spirare seu producere Spiritum sanctum. Quapropter voluntas diuina, quatenus versatur circa spirationem, non est voluntas efficax, sed complacentia simplex, & gaudium siue fruitio. Explicatur & probatur conclusio, quia voluntas efficax non est, nisi de obiecto, ad quod producendum aliquid prodesse potest voluisse illius obiecti productionem. Hoc autem prorsus repugnat spirationi Diuinæ: quia licet per impossibile Pater & Filius ignoraret; Spiritum sanctum esse terminum necessariò producendum per amorem mutuum; aut sciens & prudens omitteret voluntatem spirandi, retento amore mutuo personarum; imo quamuis expresè positiua volitione, quantum ex se fuisset, efficaci vellet non producere Spiritum sanctum: adhuc ex eo tantum, quod Pater & Filius se mutuò diligerent; necessariò producerent Spiritum sanctum: quamuis ex hypothesi sequeretur etiam Spiritum sanctum esse diminutum aut non esse productum: vt dicemus sect. 3. obiect. 1.

2 Declaratur amplius exemplo rustici, qui licet prorsus ignoraret, se producere atque recipere in sua voluntate spiritualem qualitatem, quæ est volitio in facto esse, quoties amat filios vel sumit, cibum, vel incedit liberè, vel exercet terram: imo quamuis efficacissimè, quantum ex se foret, detestaretur talem qualitatem, & eius productionem, nolendo ad eam concurrere: adhuc tamen eā necessariò produceret ex eo solummodo, quod amaret aliquod obiectum, aut vellet aliquid exterius operari. Sic ergo Pater & Filius, ex eo solum, quod infinita sua bonitate allecti se mutuò diligunt, necessariò producerent terminum dilectionis, videlicet, Spiritum sanctum: etiam si per impossibile tota plenitudine suæ voluntatis vellent, illum non producere.

3 *Spiratio est voluntaria intrinsecè.* Secunda conclusio. Spiratio est voluntaria intrinsecè per seipsam. Explico & probo, notando discrimen spirationis à generatione diuina: nā generatio diuina est voluntaria per volitionē, quasi *Ruiz. de Trinitate.*

specie distinctam à generatione, & terminatam ad personam realiter distinctam: sed spiratio est voluntaria per seipsam: spiratio namque voluntas est quasi in fieri; & Spiritus sanctus est voluntas quasi in facto esse. Vnde August. lib. 15. de Trinitate cap. 20. ait: *Voluntas Dei si propriè dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui sancto competit sicut charitas. Nam quid est aliud charitas, quàm voluntas?*

4 Amplius explicatur addito discrimine volitionum creatarum. Multoties enim creatæ volitiones sunt obiectum aliarum volitionum, realiter distinctarum, per quas sunt volitæ: sed spiratio non est volita per aliam volitionem, realiter distinctam (quia nulla talis est in Deo) sed per seipsam. Magis adhuc explicatur, quanta perfectione voluntaria sit spiratio, quia dilectio, qua se mutuò diligunt Pater & Filius, nihil prorsus habet admixtum inuoluntarij, sed habet summam rationem spontanei & voluntarij: quoniam est suauissima, cum infinito gaudio, circa summum bonum, comprehensiuè cognitum, summè proprium, & perfectissimè possessum. *Summa ratio spontanei & voluntarij.*

5 Ad eandem conclusionem probandam adduci possunt omnes Patres & Scholastici, qui supra disput. 73. & 74. docent, Spiritum sanctum esse amorem productum, quo se mutuo diligunt Pater & Filius: & qui supra disput. 2. sect. 2. & 3. docent, Spiritum sanctum procedere per volitionem. Quod idem supponunt omnes doctores, citati disput. 92. & sequentibus.

SECTIO II.

Spiratio est voluntaria tanquam obiectum volitum.

1 NOn obstante decisione præcedentis sectionis, restat difficultas circa modum, quo spiratio est voluntaria. In qua supponitur tanquam certum, spirationem esse voluntariam, prout est volitio, & consequenter est formalis ratio constituens volentē Deum, & per quam omnia obiecta extrinsecè denominantur volita: sicut quælibet nostra volitio est voluntaria etiā illa, quæ non est reflexè volita. Quo supposito quæritur, vtrum præterea spiratio actiua sit etiam voluntaria, tanquam obiectum reflexè volitum per seipsam.

2 *Exponitur Cyrillus.* Negare videtur Cyrillus lib. 13. thesauri cap. 1. prope med. Discrimen processionis Spiritus sancti à creaturis, ita notans: *Nam Spiritus sanctus in Deo & ex Deo inseparabiliter est: creaturæ verò ad extra per voluntatem Dei productæ.* Videtur ergo negare, Spiritum sanctum esse productum per voluntatem, qua Deus voluerit producere Spiritum sanctum. Sed manifestum est intelligere de voluntate libera, quæ sola non fuit inseparabilis à Deo, cum Deus potuerit non voluisse quod liberè voluit. Propterea namque præmisit, Spiritū sanctum *inseparabiliter ex Deo & in Deo esse.*

3 *Explicantur Scholastici.* Præterea negare videtur S. Bonaventura 1. distinct. 10. artic. 1. quæst. 1. ad 1. & Ricard. ibidem. Et Caietanus in præsent. quæst. 41. artic. 2. §. *circa has differentias.* Sed explicari possunt, ita vt esse volitionem atque rationem formalem, quæ constituit volentem, sit illud, quod per se & primariò requiritur, & sufficit ad spirandum: sed tamen esse obiectum volitum conuenit spirationi, sicut conuenit generationi, quātum ad hoc, quod sicut generatio in ratione generationis non constituitur ex eo, quod sit obiectum volitum; ita

neque ſpiratio in ratione ſpirationis conſtituitur ex eo, quod ſit obiectum volitum.

4 Alia eſt enim ratio volitionis, reflexiuè volentis ſe ipſam: & hæc per ſe conuenit ſpirationi, vt ſequentibus concluſionibus oſtendemus. Alia verò eſt ratio obiecti reflexiuè voliti per ſe ipſum, quoniam obiectum eſt ipſa volitio: & hæc ratio quaſi per accidens conuenit ſpirationi, ſicut generationi & Paternitati.

5 *Spiratio vult ſeipſam.* Sit igitur prima concluſio. Diuina ſpiratio explicitè & perfectiſſimè vult ſe ipſam, tanquam partem obiecti primarij, ita vt virtute volitionis huius, ſpiratio ipſa ſit obiectum volitum non minus, quàm Paternitas aut Filiatio. Hoc ſenſu poteſt accipi, quod Ephræm Syrus tom. 3. opuſc. fuſiori de *confeſſione & ſui ipſius reprehenſione*, propius ad med. quàm ad princ. ſcripſit: *Aliúmque Pater conſortem volens, non genuit, ſed produxit Spiritum ſanctum.* Qui tamen proximè ſuperius dixerat, voluntate naturaliter genitum eſſe Dei Filium. Quod explicuimus diſput. 93. ſect. 4. Probatur primò, quia ſpiratio rationem habet infiniti boni, rapientis voluntatem diuinam, non minus, quàm Paternitas & Filiatio.

6 Secundò, quia niſi ſpiratio diuina ſeipſam explicitè & perfectiſſimè vellet: Pater & Filius non diligerent Spiritum ſanctum tam expreſsè, neque tam perfectè; ſicut ſe mutuò diligunt. Quare foret inæqualitas comparatione Spiritus ſancti. Hanc vero inæqualitatem concedere, foret impium; cum Spiritus ſanctus ſit perſona non minus perfecta, nec minus amore digna, quàm Pater & Filius.

7 Probatur tertiò, quia cum ſit omnibus rebus inſitus proprius vniuſcuiuſque amor: conſequens eſt, vt ſaltem Spiritus ſanctus ſe ipſum diligeret expreſsè, tanquam obiectum amatum: vnde præterea ſequitur, Patrem & Filium eodem amore diligere Spiritum ſanctũ, quoniam amor eſt eſſentialis, propterea{que} Patri, Filióque communis. Quartò denique, quia diuina volitio per ſimpliciſſimam, eminentiſſimámq; tendentiam præſtat, quidquid præſtaret infinitæ volitiones, realiter diſtinctæ, in ſe inuicem reflectentes, & ſe mutuo tanquam obiecta amantes: vt oſtendimus circa quæſt. 19. diſputantes de voluntate Dei.

8 *Reflexio per ſe requiſita ad ſpirãdum.* Secunda concluſio Prædicta reflexio volitionis, ſeu amoris ſupra ſeipſum, & ſupra ſpirationem, complacendo in ſpiratione, ſicut complacet in vniuerſa Trinitate: hæc inquam reflexio per ſe requiritur ad ſpirandum: ac proinde ſpiratio per ſe habet eſſe rationem volendi ſe ipſam; ſicut per ſe habet eſſe rationem volendi totam Trinitatem.

9 Probatur, quoniam ad producendum Spiritum ſanctum per ſe requiſitus eſt amor comprehenſiuus totius infiniti boni, & conſequenter trium perſonarum ſimul cum eſſentia. Perſonalitates enim, ſiue relationes per ſe requiruntur ad complendam & perficiendam infinitam bonitatem & perfectionem Dei, vt oſtendimus diſput. 29. & 30. Confirmatur, quoniam ad proceſſionem Verbi per ſe requiritur comprehenſiua cognitio, non tantùm eſſentiæ, ſed etiam trium perſonarum. Ergo pari ratione ad proceſſionem Spiritus ſancti per ſe requiritur amor comprehenſiuus, non tantùm eſſentiæ, ſed etiam trium perſonarum.

Antecedens & conſequens huius entymematis probatum eſt fuſiùs tota diſput. 61.

SECTIO III.

Spiratio eſt prior in aliquo genere, & in alio poſterior ſpirandi voluntate.

1 VOluntatem ſpirandi eſſe priorem ſpiratione, dicerent à fortiori Scotus & Caietanus, qui præcedenti diſp. 94. ſentent. 1. dixerunt, etiam generandi voluntatem eſſe priorem generatione. *Extrema ſententia.* E contrario tamen ſpirandi voluntatem eſſe poſteriorem ſpiratione, tenent Henricus, Gotphredus, aliíque doctores citati præced. diſp. 94. ſect. 2. init. ſiquidem exiſtimant, quantum ad hoc, eandem eſſe rationem, quæ probat, voluntatẽ ſpirandi, eſſe poſteriorem ſpiratione, & illa, quæ probat voluntatem generandi poſteriorem eſſe generatione: quam rationem explicuimus in eadem ſect. 2.

2 Veluti media eſt via, quam ſequũtur alij Scholaſtici, dicentes, neque priorem, neque poſteriorem eſſe voluntatem generandi: quod idem dicerent de voluntate ſpirandi, videlicet, Gregorius, Aureolus, Capreolus, Carthuſianus, Ferrarienſis & Canarienſis citati præcedenti diſput. 94. ſect. 1. pro ſecunda ſententia. *Media via.*

3 Ego tamen exiſtimo, ſpirationem eſſe in aliquo genere priorem voluntate ſpirandi; ſed in alio genere poſteriorem: & hoc genus poſterioritatis videri præſtantius. Imprimis enim ſpiratio eſt prior, quàm voluntas ſpirandi in ratione obiecti per ſe requiſiti: quatenus voluntas ſpirandi eſt amor & fruitio boni præſentis: vnde conſequens eſt, vt exiſtentia ſpirationis ſupponatur ad voluntatem ſpirandi; iuxta dicta præced. diſput. 94. ſect. 2. ratione 2. *Spiratio eſt prior in ratione obiecti.*

4 Secundò. Voluntas ſpirandi eſt prior quàm ſpiratio, ſicut complementum per ſe requiſitum in amore, vt ſit fœcundus, ita vt per eum producatur Spiritus ſanctus. Etenim reflexio amoris ſupra ſeipſum, & ſupra ſpirationem, eſt per ſe requiſita ad productionem Spiritus ſancti: vt vidimus in fine ſectionis præcedentis. Confirmatur, quia cognitio reflexa, qua Pater intelligit ſuam intellectionem & Verbum, eſt prior productione Verbi ſecundum hoc genus prioritatis. *Voluntas ſpirãdi eſt prior vt complementum, &c.*

5 Tertiò. Spirandi voluntas eſt prior ſubſiſtendi conſequentia, quemadmodum omnia prædicata eſſentialia & communia ſunt priora cunctis notionalibus; vt diximus in eadem diſp. 94. ſect. 2. prope finem. *Alia prioritas.*

6 Objicies primò. Ablato priori & per ſe requiſito, aufertur poſterius, ab illo dependens: ſed ablata volitione ſpirandi, non aufertur ſpiratio. Ergo voluntas ſpirandi non eſt prior, neque per ſe requiſita ad ſpirationem. Minor probatur, quia licet Pater & Filius, per impoſſibile, vellent non ſpirare; nihilominus ex ſuppoſitione, quod ſe mutuo diligerent, neceſſariò ſpirarent: vt vidimus ſect. 1. non procul à princ. *Obiectio prima.*

7 Reſpond. diſtinguendo conſequens. Voluntas non eſt prior, neque per ſe requiſita ad ſpirationem diminutam & incompletam; qualis foret, ſi Pater & Filius ſe mutuo diligerent, non diligendo ſpirationem, neque Spiritum ſanctum. Nihilominus ad completum & perfectum Spiritum ſanctum, & conſequenter ad completam & perfectam ſpirationem eſt per ſe requiſita volũtas ſpirandi: ſicut cognoſcere Verbum & generationem illius, eſt per ſe requiſitum ad generationem Verbi, ſupra diſput. 61. ſect. 4. & 5. *Solutio. Diminuta foret ſpiratio, ſi non diligeretur.*

8 Objiciunt ſecundò recẽtiores aliqui, quoniam volun- *Obiectio ſecunda.*

voluntas ſpirandi & ſpiratio eſt idem actus. Ergo non licet in eo diſtinguere actum priorem & poſteriorem. *Solutio.* Reſpondeo. Licet realiter ſit idem actus; attamen formaliter diſtinguitur eo modo, quo ſcientia diſtinguitur à generatione, & eſt prior quàm generatio. Imo ſicut in ipſa ſcientia diſtinguimus plures quaſi partes priores & poſteriores: inter quas ſimplex intelligentia prior eſt, quàm viſio: ita in volitione Dei poſſibilium creaturarum amor prior eſt, quàm amor exiſtentium. Sed de hoc nihil attinet ad præſens.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus notionales ſint de aliquo.

DISPVTATIO XCVI.

Vtrum Filius & Spiritus ſanctus producantur ex nihilo, vel potius ex aliqua ſubſtantia.

SECTIO I.

Hæreticorum blaſphemiæ circa hunc articulum.

1 VOD *ex nihilo eſt* Vnigenitus, ſe dicere fatetur Arius epiſt. ad Euſebiũ apud Epiphanium hæreſ. 69. col. 5. Hilarius autem lib. 4. de Trin. col. 2. hæc Arij verba recitat: *In ſimilitudinem eum Dei creatum, & ex nihilo, vt cætera, in æterni illius creatoris ſui imaginem conſtitiſſe: Verbo videlicet de non extantibus iuſſum eſſe ſubſiſtere.* Et colum. 6. *Memorant*, Ariani, *Filium Dei neque ex aliqua ſubiacente materia genitum eſſe, quia per eum creata omnia ſunt: neque ex Deo eſſe, quia decedere ex Deo nihil poſſit: ſed ex ijs, quæ non erant, id eſt, creaturam Dei perfectam, verumtamen non ſimilem cæteris creaturis.* Eadem totidem ferè verbis repetit Hilarius lib. 6. de Trinit. colum. 2. 3. & 4. Et quod attinet ad nomen creaturæ, fatetur idem Arius dicta epiſt. ad Euſebium apud Epiphanium hæreſ. 69. colum. 5. & 6.

2 Volebant autem Catholicorum offenſionem mitigare, dicendo, Filium eſſe creaturam, ſed non ſicut vnam de cæteris creaturis, genituram, ſed nõ ſicut vnam de genituris. Quod refert atque confutat Ambroſ. lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 7. pag. vlt. Epiphan. dicta hæreſ. 69. col. 5. Et alij Patres inferius citandi. Propterea quatuor prærogatiuas inter cæteras creaturas Filio concedebant Ariani. Primò, quod Pater fecerit & creauerit Filium, ſed Filius fecerit & creauerit Spiritum ſanctum ac cæteras creaturas. Ita dicebant Eunomiani, vt refert Philaſtrius, verbo *Eunomiani.*

3 Secundò, quod Pater ſolum Filium produxerit, vt ipſe crearet cætera cuncta, ſcribere auſi ſunt Euſebius (videlicet Nicomedienſis) Arius & Aſterius, vt refert Athana. orat. 3. contra Arianos paulo propius ad princ. quàm ad med. Et refutatur à Nazianzeno & aliis Patribus. Fuſiùs autẽ à Cyrillo lib. 4. dialog. de Trinit. à med. vſque ad fin.

4 Tertiò, ſimul dicebant eſſe genitum à Deo Filium vnigenitum, non in apparentia, ſed in veritate immutabilem, inalterabilem. Vt conſtat apud Epihanium ſæpe citatum, & Hilarium lib. 4. de Trinit. col. 7. & lib. 6. colum. 2. & ſequentibus. Inde ſumebant prætextum ſubdolè profitẽdi Catholicum dogma, concedendo Filium non eſſe factum: animo tamen intelligentes non eſſe factum, ſicut creaturæ cæteræ ſunt factæ. Ita refert Nazianzenus orat. 49. de fide prope med.

5 Quartam prærogatiuam Filio concedebant, dicentes ante tempora & ante ſæcula fuiſſe factum ſiue creatum. Nihilominus intelligebant ante ſæcula & tempora, quæ cæperunt cum aliis creaturis. Nam alioqui ſimul affirmabant, Filiũ non eſſe coëternum Patri, & non fuiſſe antequam gigneretur, vt conſtat ex prædicta epiſt. Arij apud Epih. hæreſ. 69. col. 6. Hilarium lib. 4. de Trin. col. 7. & lib. 6. col. 2. & 3. & apud Theodoretum hæreticarum fabul. lib. 4. ſub init. Qui magis ex profeſſo hunc errorem enarrat lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 8. Ex Athanaſio epiſt. ad Africanos Epiſcopos. Extat autem hoc ex Theodoreto inſertum in Concilio Nycæno tom. 2. colum. ante penult. Paulo fuſiùs eundem errorem exponit Ambroſius lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 1. 2. & 3. Breuius autem lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 3. & 4.

6 Ad ſignificandum quod aliqua duratio præceſſiſſet, in qua Filius non extitiſſet, dirigebatur illud canticum frequens in ore Arianorum: *Erat quando non erat.* Quas voces tanquam ſacrilegas, ac verè profanas nouitates hæreticis exprobrant Patres citati diſput. 21. ſect. 2. 3. & 4.

7 Alij plures errores cum iſto neceſſariò cohærent, velut qui dicit, Filium eſſe non eiuſdem naturæ, ſubſtantiæ, eſſentiæque cum Patre. Cujus authores retulimus diſp. 20. quatuor prioribus ſectionibus. Deinde, qui negat in Deo quamlibet proceſſionem ad intra, quem refutauimus diſp. 1. Præterea, qui Trinitatem oppugnant, eos retulimus diſput. 36. ſect. 1. Eos verò, qui Ieſum Chriſtum Dominum eſſe putauerunt hominem tantum, quia nihil ante Incarnationem fuerit, referẽdos magis in particulari relinquo in materiam de Incarnatione. Tales fuerunt Ebionitæ, Cerinthus, Carpocrates, Theodotus, Berillus, Marcellus, Photinus, Neſtorius. Et ex recentioribus Gregorius Danid, Michaël Seruetus, Caluinus, & alij præſertim Seueriani.

8 Occaſionem ſuæ blaſphemiæ Arius arripuit ex ſequentibus potiſſimum ſcripturæ teſtimoniis. Prouerb. 8. *Dominus creauit me*, vbi Vulgatus legit, *Dominus poſſedit me.* Eccleſiaſtici 24. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* Ioan. 1. *Poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus*, &c. Actuum 2. *Dominum & Chriſtum ipſum fecit Deus.* Hebræos 1. *Tanto melior angelis effectus.* Hebræos 3. *Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei qui fecit illum.* Accumulabat alia teſtimonia, quæ ſignificare videntur, Filium eſſe minorem aut ſubiectum & obedientem Patri, aut velut indigentem alieno ſubſidio recipere vel adiuuari, & nihil propria virtute poſſe. Quibus & aliis plurimis ſatisfecimus diſp. 50. præter alia quàm plurima, quæ declarata ſunt ſparſim per cæteras diſputationes, præcipuè diſput. 20. & multis ſequentibus.

9 Prædictis obiectionibus reſpondet Epiphanius hæreſ. 64. & hæreſ. 69. & 73. & hæreſ. 76. præſertim ad cap. 30. & 41. Aërij. Fuſius autem toto lib. ancorato. Hilarius lib. 4. præſertim col. 6.

& sequentibus. Gregorius Bœticus toto lib. de Trin. & fide. Cyrillus Alex. lib. 3. & 4. & 5. thesauri & alij Patres citati.

10 Quod attinet ad Spiritum sanctum, illum esse creatum & factum à fortiori censent hæretici suprà nominati: maximè cum illorum aliqui dixerint, Spiritum sanctum non à Deo, sed ab alia creatura primaria (quam putabant esse Filium) esse creatum ea dignitate ac præcedentia, quod ante cæteras creaturas fuerit creatus à Filio. Consequenter asserebant, Spiritum sanctum esse administrum Filij. Nonnulli etiam asserebant non fuisse ante Saluatoris aduentum, vt Petilianus, Cresconius & alij Donatistæ. Hæc & alia deliria contra Spiritum sanctum fusiùs exposui disp. 66. sect. 2.

11 Nouum tandem errorem inuexit Abailardus apud Bernardum epist. 190. ad Innocentium colum. 1. post medium, dicebat enim: *Spiritum sanctum procedere quidem ex Patre & Filio, sed minimè de Patris esse Filique substantia. Nam si esset*, inquit, *de substantia Patris, profectò genitus esset, & duos Pater Filios haberet.*

SECTIO II.

Non ex nihilo, sed ex substantia genitoris est generatio.

1 COnclusio de fide. Filius non est ex nihilo productus, sed ex substantia Patris, siue de substantia Patris, siue ex Patre, aut de Patre, siue ex Deo, aut de Deo genitus & non factus. Quod dictum est de substantia debet intelligi etiam de natura vel essentia diuina, siue Diuinitate. Hæc conclusio definita est à plurimis Conciliis & summis Pontificibus. Exemplum Nicænæ fidei extremis verbis ita decernit: *Eos autem qui dicunt, erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur non erat, & quia ex nullis substantibus factus est, aut ex alia subsistentia vel substantia dicunt esse, aut conuertibilem vel mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.*

2 Hæc refert Eusebius Cæsariensis lib. 10. histor. Eccles. cap. 6. & histor. Tripartita lib. 2. cap. 5. Extat etiam in concil. Nicæno lib. 2. fine ex Ruffino lib. 1. hist. eccles. cap. 7. Eodem sensu retento cum exiguo discrimine verborum eandem Nicænam fidem referunt Nazianzenus tract. de fide, qui est orat. 49. init. Ambros. lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 9. quod est vltimum init. Hilarius lib. de synodis quinque colum. ante fin. Concilium Carthag. sextum celebratum annis centum post Nicænum prope init.

3 Præterea Nicænum Concil. lib. 2. actorum ante constitutionem decretorum col. 9. Arianis dicentibus, Filium esse factum ex nihilo, *Nostri Episcopi*, inquit, *consubstantialem esse Filium Patri obiecerunt, hoc est, ex substantia Patris genitum.* Repetitur autem paulo post med. eiusdem libri 2. §. *sæpenumero.* fine. Quam definitionem notat Athanasius in epist. ad Episcopos Africæ præsertim pagina 4. & in compendio de Spiritu sancto in med. Synodus Alexandrina epist. ad Cyrillum Alex. colum. 2. (extat tom. 4. Cyrilli & est epist. 10.) *Vnigenitus*, inquit, *Dei sermo ex ipsa Patris substantia genitus.*

4 Sardica synodus anathematizat eos, qui credunt, *Filium de non extantibus esse, vel ex alia substantia, & non ex Deo esse.* Quem canonem Hilarius lib. de synodis prope med. referens, explicat, *Filium non esse productum ex nihilo, neque ex aliena substantia.* Damasus in profess. fidei quam scripsit ad Paulinum Thessalonicensem Episcopum, ita decernit: *Siquis non dixerit Filium natum de Patre, id est, de substantia diuina ipsius, anathema sit.* Idem definitur in concil. Toletano Tertio, Quarto, & Vndecimo.

Probatur primò Psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* vnde Sixtus Papa II. colligit, *Non aliunde Filium, quàm ex Patre natum.* Clarius Augustinus in expositione ad eum versum notat, Ioan. 1. *Dictum esse: Qui est in sinu Patris enarrauit. Qui est autem sinus, ipse est vterus, & sinus & vterus pro secreto positus est. Quid est ex vtero? Ex secreto, ex occulto, de me ipso, de substantia mea, hoc est, ex vtero: quia generationem eius quis enarrabit?* Idem notat Prosper in commentario ad eundem versum.

Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. inter principium & medium. *Est quidam vterus*, inquit, *Paternæ arcanum substantiæ, interiúsque secretum, quod non aliqua creaturarum potuit penetrare natura. Cum Patre enim semper & in Patre semper & Filius.* Hilarius lib. 6. de Trinit. colum. 7. ait: *Cum significatur ex vtero, interrogo an credi possit esse natus ex nihilo; cum natiuitatis veritas per corporalium efficientiarum nomina reueletur.* Eandem metaphoram magis ex professo tractans lib. 12. de Trinit. colum. 4. & sequentibus Arianos ita redarguit: *Si creatio est vnigenitus Deus: & quid sibi vult significatio intelligentiæ, quæ per consuetudinem natiuitatis humanæ intelligentiam diuinæ generationis ostendit?* Et non longè inferius: *Nonne significatio, qua ex vtero Deus Deum genuit, veræ natiuitatis ostensio est?* Et paucis interpositis: *Quia per significationem vteri, verè ex se genuerit, quem genuit.*

Basilius lib. 5. contra Eunomium pag. 2. *Non quoniam Deus vterum habeat, verùm quoniam propriæ suæ, & non nothæ genituræ ex vtero parentum nascuntur.* Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus multo propiùs ad med. quàm ad prin. notat quod Psalmista *Nomine vteri intelligit arcanam illam & indicibilem essentiam.* Sic etiam Gregor. Bœticus lib. de Trinit. paulo post med. *ex vtero*, & illius significatione deducit, Filium *ex Patre & de Patre natum esse.*

Cyrillus Alex. lib. 12. thesauri cap. 5. in med. *Quomodo Pater*, ait, *si ex se ipso non genuit? Quin nomen id propriè hoc ipsum significet. Quoniam ergo Pater ad Filium verè dicit, Ex vtero ante luciferum genui te: & genuit eum ex se ipso (hoc enim significat ex vtero) non erit creatura Filius, quia ex Deo, sicut ex Patre naturaliter prodit.* Similiter *ex vtero* significare *ex substantia Patris*, notat dialog. de Trinit. lib. 2. longè post med.

Fulgentius ad obiectionem 9. Arianorum prope init. *Nomen*, inquit, *vteri translato vocabulo dictum est, quo ipsa diuina significaretur natura.* Et paulo inferius: *Quem audimus ex vtero genitum, à natura Patris nullus æstimet alienum.* Et lib. 2. ad Trasimundum cap. 4. post med. *Si de vtero Patris, hoc est, de substantia Patris, non est genitus, falso (quod absit) nomine Deus verus dicitur.* Isidorus lib. 1. contra Iudæos cap. 1. inter princ. & med. *Ex vtero*, inquit, *est, id est, ex illa intima & incomprehensibili Patris substantia: siue ex illo diuino atque immenso Paterni pectoris arcano, quo Pater genitor de corde bonum eructat Verbum: sicut & ipse aliàs ait: Eructauit cor meum Verbum bonum.*

Tolet.

10 Tolet. Concilium Vndecimum in confess. fidei. *Neque enim*, ait, *De nihilo neque de alia aliqua substantia, sed de Patris vtero, id est, de substantia eius genitus vel natus esse credendus est.* Plurimos alios Patres citauimus disp. 4. sect. 1. qui præsentem versum Psalmi 109. de Verbi generatione secundum Diuinitatem intelligunt, ex quibus aliqui declarant, *ex vtero* significare ex substantia Patris.

Probatur secundò, Psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* De quo Nazianzenus orat. 49. propius ad med. quàm ad princ. *Vides*, inquit, *hoc verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde, quàm de Paterno pectore & de vtero cordis Dei credimus extitisse.*

11 Athanasius disput. contra Arium habita in Nicæno Concil. multo propius ad med. quàm ad fin. *Quum igitur, Scriptura dicit, ex vtero genitum esse Filium, tum ex diuina substantia ingenuitatem Filij declarat: ne autem imbecille genus humanum, humano more Christi natiuitatem intelligeret, hanc formulam sermonis concedit. Eructauit cor meum Verbum bonum. Verum ne rursus quispiam ausit asseuerare, hoc dicto, Verbum, quod ore effertur, indicari, mentionem ortus ex vtero fecit, quo vel ita desisterent à prauo intellectu.* Et quæ sequuntur. Similem ponderationem inuenies orat. 5. contra Arianos paulo post medium.

12 Origenes homil. 2. in varios circa illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, col. 3. *Cor*, inquit, *Patris est sua propria substantia, de qua genita est Filij propria substantia.* Tertullianus contra Praxeam c. 7. sub init. *Vnigenitus*, inquit, *vt solus ex Deo genitus: propriè de vulua cordis ipsius, secundum quod & Pater ipse testatur: Eructauit cor meum sermonem optimum.* Et præcedentibus sequentibusque capitibus hoc & aliis testimoniis probat, Filium non esse creatum, sed ex substantia Patris productum. Huc etiam pertinet Isidori testimonium paulo superius adductū probat. præcedenti. Denique quàm plurimos Patres de persona Verbi diuini, procedente per intellectionem diuinam ex eius mente, declarantes prædictum versum Psalmi 44. citauimus disput. 58. sect. 1.

13 " Probatur tertiò, nam *Vnigenitus est in sinu Patris.* Ioan. 1. perinde sicut in vtero. Sic enim ad rem præsentem exponit Augustinus paulo superius citatus. Cyrillus autem in Ioan. lib. 1. cap. 22. *Vnigenitum*, inquit, *Filium appellauit, & in sinu Patris esse affirmauit, vt ab omni creatura eum dissepararet; & ex Patre propriam substantiam habere, & in Patre esse ostenderet.* "

14 Probatur quartò, quia quidquid exit ab aliquo, fuerat prius in illo, saltem secundum aliquid sui. Sed Filius exiuit à Patre per æternam generationem. Ergo prius origine, quàm esset genitus, fuerat in Patre secundum suam substantiam. Neque enim secundum suam personam esse poterat prius origine, quàm generaretur: & multo minus poterat præfuisse ratione materiæ, vel alicuius partis. Hæc enim Deo repugnant.

15 Minor probatur, Ioan. 13. *Sciens quia à Deo exiuit.* Et cap. 16. *Credidistis quia à Deo exiui. Exiui à Patre & veni in mundum.* Et cap. 17. *Cognouerunt verè, quia à te exiui.* Quæ verba, licet ad Incarnationem & temporalem aduentum Christi Domini nonnunquam referantur à Patribus: semper tamen primarium intellectum referunt ad æternam generationem, vt *exire à Patre* sit de Patris substantia procedere, tanquam Filium ei consubstantialem; vt notat Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 9. in priori expositione. Nazianzenus orat. 49. de fide circa medium, Hilarius lib. 6. de Trinit. post medium ferè vsque ad fin. valde fusè. Augustinus in Ioan. tract. 102. fine. Theophilactus & Euthymius Ioan. 16. S. Thom. quæst. 42. art. 5. ad 2.

16 Confirmatur primò ex contextu, quia si sola Incarnatio, non autem æterna generatio, significaretur Verbo *Exiui*, nihil erat, cur adiungeret, *Et veni in mundum.* Nam in mundum venire est incarnari. Confirmatur secundò, sicut Ambrosius acutè lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 7. non longè post medium, ratiocinatur: *Sin verò generationis ipsius proprietatem requirimus, ex Deo exiuit. Nam cum in vsu nostro id sit exire, quod iam sit, & ex interioribus secretis prodire videatur, quod exire perhibetur: angustis licet sermonibus proprietatem diuinæ generationis aduertamus, vt non ex loco aliquo videatur exisse, sed vt Deus ex Deo, Filius ex Patre. Nec videatur cæpisse ex tempore, qui ex Patre nascendo prodijt, vt dixit ipse qui natus est: Ex ore Altissimi prodij.*

17 Vnde sumitur confirmatio tertia, quoniam eadem natiuitas æterna significatur Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Sic enim exponunt plurimi Patres citati disput. 4. sect. 1. probat. 5. Confirmatur quartò Micheæ cap. 5. *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Quod de æterna simul & temporali generatione Hieronymus & Theodoretus exponunt in commentarijs ad eum locum, & Isidorus lib. 1. contra Iudæos cap. 2. Conferentes cum generatione *ex vtero*, de qua prædicto Psalm. 109.

18 Probatur quintò, quia definitio generationis hoc postulat vt Filius producatur tanquam viuens ex ipsa viuente substantia generantis. Sic enim Athanas. orat. 3. contra Arianos multo propius ad med. quàm ad fin. ratiocinatur: *Si enim creatura esset, nunquam dixisset, genuit me: nam creaturæ nihil essentiæ creatoris habent: quippe, quæ dumtaxat sint opera. Verum, genitum esse, non extraordinarium quiddam, quale opus est, denotat: sed quiddam proprium, quod è substantia Patris emersit.* Eandem rationem notat præced. orat. 2. propius ad med. quàm ad princ. Et Cyrillus nuper citatus circa generationem ex vtero.

19 Confirmatur primò ex discrimine inter genitum & factum, quod adnotauit Aristoteles 8. Ethicor. cap. 12. Melius autem Damascenus lib. 1. fidei cap. 8. circa med. ita definiens: *Generatio est, ex substantia gignentis proferri quod gignitur, simile secundum substantiam. Sed creatio & factio est extrinsecus, & non ex substantia creantis & facientis, fieri quod creatur; & efficitur, & dissimile prorsus secundum substantiam.* Rectè igitur Basilius lib. 4. contra Eunomium sub init. *Quod generatur*, ait, *ex ipsa substantia est eius, qui generat: quod fit non est ex substantia eius, qui facit.*

20 Discrimen hoc attigit Nazianzenus non procul ante med. ad cuius numerum 71. & 72. Elias Cretensis clarius exponit; vt vidimus disput. 6. sect. 6. Sed Scripturæ testimoniis corroborauit Athanasius orat. 3. nuper citata multo propius ad medium quàm ad finem post prædicta verba continuò subiungens: *In mundi creatione non dixit Moses: In principio genuit Deus, neque in principio erat: Sed in principio fecit Deus cœlum & terram. Neque ad eum modum Iob: Manus tuæ genuerunt me, sed fecerunt me, & formauerunt me, locutus est: vbique hoc Verbum, fecit, in rebus creatis vsurpans. Omnia contra in diuersum obseruantur,*

vbi

vbi de Filio fit mentio. Non enim ibi dicitur, fecit, sed genuit, & eructauit cor meum Verbum bonum. Et in rerum creatione. In principio, inquit, *fecit: de Filio autem, In principio erat Verbum.*

23 Probatur sextò, quia propterea Filius appellatur *Vnigenitus* Ioan. 1. & 3. & 1. epist. Ioannis cap. 4. quoniam solus ex essentia Patris est naturaliter genitus. Quemadmodum aduersus sinistram expositionem hæreticorum plurimi Patres obseruarunt, quorum testimonia retulimus disputat. 4. sect. 2. probat. 2. Septimò possent ad idem probandum afferri omnia testimonia Scripturæ, rationésque theologicæ, quibus supra tota disput. 54. probata fuit Filij Diuinitas, & æqualitas cum Patre.

24 Postremò, quod Filius genitus fuerit ex essentia Patris, vel de substantia Patris, & non ex nihilo factus, ex professo & fusè probat Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. tribus prioribus columnis. Et lib. 15. de Trinit. cap. 13. fine. & cap. 19. fine. & cap. 20. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. & in symbol. Apostol. cap. 11. circa medium. Hilarius lib. 5. de Trinit. colum. penult. & lib. 6. multo propius ad med. quàm ad fin. & lib. 7. multo propius ad med. quàm ad fin. & in lib. de Synodis multoties. Athanasius lib. 1. de vnita Deitate ante medium, & lib. 6. de beatitudine Filij Dei in med. & dialogo 1. contra Anomeum colum. 4. Chrysostomus Hebræos 1. homil. 2. prope morale, & homil. 1. in Symbol. Apostol. prope medium. Cyrillus Alexand. vbique veluti lib. 2. thesauri cap. 1. inter princip. & med. & cap. 2. inter med. & fin. & lib. 3. cap. 1. & magis ex professo cap. 3. & lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. 1.

SECTIO III.

Spiratio quoque non est ex nihilo, sed ex substantia Spiratoris.

1 COnclusio de fide est. Spiritus sanctus & eius processio non est ex nihilo, sed ex Deo siue de Patre & Filio. Productus est enim ex substantia Spiratoris, siue de essentia Spiratoris, siue de Spiratore: quemadmodum de Filio dictum est sect. præcedenti. Huius conclusionis non ita diffusa, nec ita frequens disputatio reperitur in conciliis & veteribus authoribus. Cuius ratio fuit occupatio maior & vrgentior in Ariano bello, pro Diuinitate & consubstantialitate Filij, vt vidimus disput. 20. sect. 7. probat. 3. Accessit præterea quod in sacris literis de Spiritu sancto minùs frequens, & minus perspicua mentio fiat, quàm de Filio. Tametsi non defuerit in eis doctrina sufficiens, præsertim cum ex processione Filij de substantia Patris non esset difficile colligere, Spiritum sanctum procedere similiter ex substantia Spiratoris.

2 Probatur igitur primò, Ioan. 15. fine. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Significat enim Spiritum sanctum procedere de substantia Dei, propterea que non esse creaturam. Vt ponderat Chrysostomus homil. de Spiritu sancto colum. 2. Cyrillus lib. 13. thesauri cap. 3. propius ad med. quàm ad fin. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. Cui consonat illud 1. Corinth. 2. *Spiritus qui ex Deo est.* Quod ponderans Chrysost. hom. 3. de Spiritu S. quæ incipit, *Heri à nobis*, adiungit: *Ex Deo autem nihil dicitur, nisi quod est ex substantia eius.*

Probatur secundò, quia processionem Spiritus 3
sancti non esse alienam, sed ex propria substantia Filij spirantis, significare voluit Christus Dominus, quando Ioan. 20. *Insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Quemadmodum obseruarunt Athan. Basilius, Anastasius Synaita, Cyrill. Alex. Augustinus, Beda, Anselmus, & Marius Victorinus, quos citauimus disp. 65. sect. 3. sub init.

Probatur tertiò Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia* 4
de meo accipiet, id est, procedet à me, communicante quod ego sum, sicut mihi Pater communicauit, quod Pater est. Hoc enim explicuit continuo subiungens: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet.* Hoc sensu ponderari verba supra dicta communi Patrum consensu, vidimus disp. 67. sect. 2.

Probatur quartò, quia si Spiritus sanctus fuis- 5
set productus ex nihilo; fuisset creatura non creator: At verò Spiritum sanctum esse creatorem, constat ex sacris literis. Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quem locum plurimorum Patrum authoritate munitum posuimus disput. 36. sect. 5. Iob 33. *Spiritus Dei fecit me.* Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Sapien. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia*, &c. Vbi continere est conseruare, ne ad nihilum defluant creaturæ. 1. Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Hæc & multa similia testimonia ponderantur à Conciliis & Patribus, vt probent, Spiritum sanctum esse Deum & eiusdem substantiæ cum Patre & Filio. Quorum loca citauimus disp. 66. sect. 4.

Quintò ad hoc probandum adduci possunt 6
omnia, quibus supra disputat. 20. sect. 7. probatum est, Spiritum sanctum esse consubstantialem. Et omnia, quibus Diuinitas Spiritus sancti probata fuit disput. 66. sect. 3. & sequentibus, & tota disput. 67. probatum fuit, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere.

Sextò probatur ex Patribus. Iustinus in expo- 7
sitione fidei de Trinit. sub init. ait: *Pater è propria essentia genuit Filium, & ex eadem produxit Spiritum sanctum.* Athan. lib. 1. de vnita Deitate ante med. *De sola substantia Patris est Filius & Spiritus sanctus.* Clarius *Ex substantia Patris & Filij Spiritum sanctum esse*, scribit Cyrillus Alex. lib. 13. thesauri cap. 1. ante med. Et iterum in fine, & sequent. cap. 2. prope fin. Et lib. 13. cap. 3. & 4. & lib. 14. cap. 3. & 4. Et dialog. de Trin. lib. 1. propius ad fin. quàm ad med. Et lib. 2. in med. Et lib. 3. ad fin. & lib. 4. prope medium. Et lib. 7. colum. antepenult. Et in expositione Symboli Nicæni colum. 4. & iterum colum. vlt.

Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. 8
in princ. præmittit: *De substantia Patris esse Spiritum sanctum sicut & Filium.* Et non longè inferius adiungit: *Spiritus sanctus non de aliqua materia, vel de nihilo, sed inde est, vnde procedit.* Bernardus epist. 190. ad Innocentium colum. 1. post med. Abailardum dicentem, quod Spiritus sanctus non esset de substantia Patris & Filij, ita redarguit: *Vnde ergo? anne forte ex nihilo, sicut & vniuersa quæ facta sunt? Nam & ipse ex Deo esse non diffiteretur Apostolus, nec veretur dicere, Ex quo omnia.* Roman. 11.

Probatur septimò, quoniam dicere, quod Spi- 9
ritus sanctus à Patre procedat, vel à Deo procedat, idem est atque dicere, quod procedat de substantia vel essentia Patris. Quæ significatio probatur

probatur ex professo in Concilio Florentino sessione 18. versus fin. & sess. 19. præsertim col. 3. At verò passim occurrit testimonia Patrum, asserentium, quod Spiritus sanctus à Patre, vel à Deo procedat. Multa reperies disp. 66. & sequentibus.

SECTIO IV.

Totius substantiæ productio, quomodo non sit creatio.

1 COntra dogma, præcedentibus sectionibus probatum, duæ præsertim obiectiones occurrunt, ambæ pertinentes ad creationem. Sed altera sumitur ex testimoniis scripturæ, quæ videntur asserere, Filium esse creatum vel factum: quibus satisfacere maioris erit negotij, tractandúmque sectionibus sequentibus.

2 Breuiùs expedietur altera obiectio, quę sumitur ex intrinseca ratione creationis. Contender enim aliquis ostedere, Filium esse factum ex nihilo; quia quæcumque res producitur quoad totam sui substantiam, nullo alio præsupposito; eo ipso producitur ex nihilo. Sed à Patre producitur Filius, quo ad totam sui substantiam, nullo alio præsupposito: ergo Filius producitur ex nihilo: ac proinde creatur. Maior argumenti ex terminis certa videtur, eámque tradit S. Thomas in præsenti quæst. 41. art. 3. corp. cum ait: *Dicitur Deus facere ex nihilo, non quod nihilum cedat in substantiam rei, sed quia ab ipso tota rei substantia producitur nullo alio præsupposito.*

3 Minor probatur, quia nisi tota substantia Filij produceretur; necessarium esset aliquid illius substantiæ produci, & aliquid non produci. Vnde consequens esset Filij substantiam constare duabus partibus, altera producta, altera improducta & ingenita. Rursus, si tota substantia Filij producitur; nihil illius præsupponitur ad productionem: ac proinde Filius producitur quoad totam suam substantiam, nullo alio præsupposito.

4 Confirmatur obiectione Arianorum, quia si Pater Filium produxerit, non ex nihilo, sed ex sua substantia: sequitur, partem suæ substantiæ transfudisse in Filium; partem verò retinuisse sibi, quam transfusionem præcedet decisio partis, consequetur autem fluxio atque corruptio perinde, vt generationem humanam. Eodem argumento contendere posset hæreticus, Spiritus sancti productionem esse creationem ex nihilo. Quod autem in solutione de Filio dixerimus, idem intelligendum erit etiam de Spiritu sancto.

5 Respondeo & dico primò. Sine dubio totus Filius est genitus & ex toto Patre, totáque substantia Patris: similitérque totus Spiritus sanctus procedit ex toto Spiratore, ac de tota substantia siue essentia illius. Quod probandum erit disput. 98. sect. 5.

6 *Ideo nõ ex nihilo, quia ex tota substantia Patris producitur Filius.*

Dico secundò. Quamuis ad generationem non præsupponatur tota substantia Filij, quatenus est substantia Filij: Cæterùm, quatenus est substantia Patris, tota eadem substantia præsupponitur ad generationem prioritate originis: idque satis est, vt Filius producatur ex aliqua substantia præsuppositа, & non ex nihilo. Propterea siquidem Hilarius lib. 3. de Trinit. colum. 2. ait: *Pater Vnigenitum ex his, quæ ingenita in se erant, procreauit.* Videlicet, ex omnibus attributis essentialibus, quæ prout in Patre præfuerant, neque erant genita, neque per generationem communicata: cæterùm Filio communicantur per generationem: quamuis non sint genita, neque prout sunt in Filio, vt ostendimus disp. 80. sect. 5. dubio 2.

In eandem sententiam Hilarius lib. 5. de Tri- 7
nit. circa fin. ait: *In illis ipsis subsistit ille, qui genitus est, in quibus totus est ipse qui genuit: quia non est aliunde qui genitus est.* Quod subinde magis explicat, quia naturam eandem, quam Pater habet Filius accipit per generationem.

Confirmatur, quoniam Anselmus in mono- 8
logio cap. 8. discutiens, quo sensu verificetur, Deum omnia fecisse de nihilo, ait: *Dicitur aliquid esse factum de nihilo, cum intelligimus esse quidem factum: sed non esse aliquid, vnde sit factum.* At intelligimus aliquid vnde sit productus Filius & Spiritus sanctus. Ergo non potest esse factus de nihilo. Cui consonat Augustinus lib. de natura boni contra Manichæos cap. 26. dicens: *Quod autem non de se, vtique de nihilo. Non enim erat aliquid vnde faceret* Deus.

Dico tertiò. Poterit eadem solutio magis ex- 9
plicari, & corroborari, distinguendo Maiorem primarij syllogismi. Verè producitur ex nihilo & creatur quæcumque res ita producitur quoad totam sui substantiam, vt substantia, prout præscindi potest à personalitate, verè sit producta; nec denominetur producta tantum modo quatenus essentialiter includitur in persona producta. Quando verò non alia ratione verificatur, rem aliquam esse productam quoad totam sui substantiam, nisi quoniam persona simplicissima producitur, includens essentialiter substantiam; cum tamen ipsa substantia, prout præscindi potest à persona, non producatur, sed tantùm communicetur: tunc eiusmodi productio longius distat à creatione, quàm naturalis generatio ex præsuppositа materia. Est autem infinitum interuallum istius distantiæ: quoniam essentia diuina, quæ præsupponitur ad vtramque productionem Filij & Spiritus sancti, simpliciter infinito entitatis excessu præcellit entitatem materiæ, quæ sola supponitur ad physicam generationem, vel cuiuslibet substantiæ creatæ, quę supponitur, vt subiectum ad quamlibet alterationem aut operationem corpoream vel spiritualem.

Ideo nõ creatur, quia substantia non producitur, licet producatur persona.

SECTIO V.

Scripturæ testimonia, quæ Verbum esse creatum, videbantur asserere, declarantur.

FIlium esse creatum, his potissimùm testimo- 1
niis Ariani persuadere conabantur, quæ de persona Verbi, sub nomine Sapientiæ, leguntur in sapientalibus. Nam Prouerb. 8. Sapientia sic concionatur: *Dominus creauit me principium viæ suæ ad opera sua*: siue, *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua.* Sic enim secundum originalem linguam, & interpretationem Septuaginta, legunt plerique Patres infra citandi. Chaldæus autem Paraphrastes pro *creauit*, legit, *formauit*, Similiter Eccles. 1. *Prior omnium*, ait, *creata est sapientia, & intellectus sapientiæ ab æuo.* Et paulo inferius: *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & effudit illam super omnia opera sua.* Ecclesiastici 24. *Ab initio & ante sæcula creata fuit.* Et infra: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.*

De

2 De his copiosissimè disseruere Patres, qui videtur in varias expositiones esse diuisi: verè tamen ex omnibus eorum sententiis, velut ex membris aptè congruentibus eidem corpori, coalescit integer & plenus intellectus. Summa igitur solutionis & expositionis est, prædicta verba creandi proferri à Spiritu sancto, non solùm ad significandam productionem sapientiæ, quam confert angelis & hominibus, ac præcipuè denotandam Incarnationē, in quibus propriè verificatur actio creationis: Sed etiam ad significandam æternam generationem Verbi, de qua creandi vocabulum verificatur in alia significatione prouerbiali, vt statim declarabimus per singula membra, incipientes ab æterna generatione. Nam de Incarnatione, ac de sapientia angelorum & hominum dicemus sect. sequenti.

3 Inter expositores qui prædicta loca intelligunt de Verbi generatione, multiplex est & varius modus emolliendi Verbum *creare*. Primò Hieronymus in expositione Psalmi 89. epist. ad Cyprianum presbyterum propius ad med. quàm ad princ. *Nullum*, ait, *debet verbum creationis mouere, cum in Hebræo non sit creatio, quæ dicitur, Bara, sed possessio; ita enim scriptum est, Adonai, Canani, quod in lingua nostra exponitur, Dominus possedit me. Inter possessionem autem & creationem multa diuersitas est. Possessio significat, quod semper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit. Creatio autem eius, qui prius non erat conditionis exordium.*

Non esse legendum creauit, *sed* possedit.

4 Eadem notat Hieronymus in epist. ad Ephes. cap. 2. ad illud *Ipsius factura, creati in operibus bonis*. Et Ephes. 5. ad illud, *Vt innoteſcat principibus*, &c. & in Micheam lib. 2. init. Quam interpretationem alteri præferens Vulgatus interpres legit *Dominus possedit me*. Rectè igitur Basilius lib. 2. contra Eunomiū paulo post med. refert, *Nonnullos interpretum, qui melius Hebraicam linguam tenuerunt, possedit me, pro creauit edidisse*.

5 Secundus modus parum à præcedenti differt. In eo quippe cum illo conuenit, quia vocem originalem, dicit, non significare creationem: veruntamen minus probat, quod interpretabantur alij *possedit*. Ipse verò ait: *Adonai Canani, hoc est Dominus instar pulli excludit me*. Sic Epiphanius hæres. 69. colum. 16. & sequentibus. Et in Ancorato propius ad med. quàm ad princ. Nec te moueat varietas quorundam exemplarium. Quorum aliqua legunt *excudit*, sine l. ante v. Nam apud Latinos authores *excudere* quandoque significat idem, quod *excludere pullos*. Fortassis hac metaphora significatur diuturna permanentia generationis, nec minus perpetua immanentia Patris in Filio, quibus, præter alia multa, à quolibet homine, qui Pater est, distat æternus Pater.

Interpretatur Epipha. Dominus excludit me.

6 Vterque dicendi modus non plenè satisfacit præsenti difficultati (quamuis non parum vtilitatis afferat, vt videbimus infra conc. 2.) Primò, quoniam Ecclesiastici cap. 1. & cap. 24. citra controuersiam in originali legitur verbum creandi. Hunc autem librum ex Hebræo Græcum reddidit Iesus, filius Sirach, vt constat ex eius prologo. Secūdò, quoniam inde sequitur, esse verisimilius, quod verbum in Hebræo positum Prouerb. 8. licet aliud sit, quàm in Ecclesiastico; nihilominus admittat eandem interpretationem creandi. Manifestum est enim totum Ecclesiasticum esse imitationem Prouerbiorum Salomonis, præsertim, quando sapientiæ laudes prædicat. Tertiò, quia communior antiquorum & recētiorum sententia probat, & explicat creandi verbum etiam Prou. 8.

Tertius modus est Dionysij Romani, quem refert Athanasius lib. de decretis Nicænæ Synodi inter med. & fin. dicentis. Græcam vocem positam Prouerb. 8. *Eſtiſe*, non valere idem, quod facere ex nihilo, sed potius significare idem, quod *præficere*, vt sit sensus: *Dominus præfecit me*. Fecitque, vt ego essem principium siue initium, vel caput primatium omnium suorum operum, sicut ab Apostolo vocatur *primogenitus omnis creaturæ*, Colossens. 1. 7

Dominus præfecit me.

Quartus modus præcedenti similis respondet: licet æterna sapientia, quæ Verbum est, creata non fuerit vt existeret in se ipsa: *Sed cum initium viarum dicat, initium motus operis alicuius ostendit: vt hoc initium habeat sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia*. Ita Nazianzenus orat. 49. de fide propius ad med. quàm ad princ. Similiter Gregor. Bœticus lib. de Trin. propius ad fin. quàm ad med. notat, non esse dictum simpliciter, *creauit me*, sed cum addito, *Creauit me initium in opera sua*, quia non fecit vt simpliciter existeret; sed fecit, vt esset initium operum, & ad illa cooperaretur cum Patre. Quemadmodum in Psalmis multories Deus dicitur esse *factus*, adiutor, protector, refugium, & his similia. 8

Dominus fecit, vt Filius esset initium creandi omnia.

Ad quam explicationem pertinet, quod Origenes lib. 1. periarc. cap. 2. sub init. exponit, creatam esse sapientiam, quatenus *continet, & præformat in semetipsa vel initia, vel formas, vel species* rerum creandarum. 9

Nihilominus sit prima conclusio. Prædictis in locis creatio ponitur pro generatione. Alienatur autem vocabulum à propria significatione ad figuratā, qua prouerbialiter denotetur ab æterna generatione remouendam esse quamlibet imperfectionem generationis creatæ. 10

Æterna generatio quare prouerbialiter creatio dicatur.

Pro cuius declaratione & probatione notandum est primò, in Prouerbiis plurimas esse locutiones figuratas plus quàm in Historialibus aut Prophetalibus libris: quoniam in hoc consistit proprietas, decor, & energia parabolarum & prouerbiorum. Quod ad rem præsentem obseruant Patres. Athanas. orat. 3. contra Arianos, post med. *Prouerbia sunt*, inquit, *& prouerbiali schemate dicuntur. Quæ autem in prouerbijs dicuntur, non de plano dicuntur, sed aliquid abstrusi subindicant, quemadmodum Christus Dominus ait: Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar, sed palam de Patre meo annunciabo vobis, (& discipuli) Ecce nunc palam loqueris & prouerbium nullum dicis.* 11

Figurata illi prouerbiorum locutiones & anigmatica.

Ioann. 16.

Basilius lib. 2. contra Eunomium non longè post medium. *Ego*, inquit, *cum multa de voce hac habeam dicere, primum, quod semel in omnibus scripturis dicta est: deinde quod in volumine cuius sensus plurimum latet, & per prouerbia & similitudines, per obscuros sermones & ænigmata vt plurimum procedente: vt nihil non ambiguum, nihil clarum ab ipso capi possit.* Et lib. 4. contra eundem pag. penult. *Nec propheta est, qui dixit: sed prouerbiorum scriptor. Prouerbia verò imagines aliorum sunt, non ipsa quæ dicuntur.* 12

Epiphan. item hæres. 69. colum. 16. *Totus*, inquit, *liber prouerbia sunt, quidquid autem prouerbialiter dicitur, non idem est potestate, sed alia quidem ratione recensetur, alia verò potestate allegoricè accipitur.* Hanc rationem intelligendi prouerbiales locutiones fusiùs exequitur Cyrillus Alex. lib. 5. thesauri cap. 4. & 6. 13

Secundò notandum est, idem omnino sentiendum esse de libro Ecclesiastici. Totus enim est parabolicus ad imitationem prouerbiorum Salomonis. 14

Salomonis. Vt propterea mirum non sit à pluribus comprehendi sub parabolis Salomonis: alios verò suspicari, quod ex illius sententiis fuerit diligenter collectus.

15 Nihilominus Patres in præsenti controuersia nullam mentionem fecerunt Ecclesiastici: quin etiam Basilius, nuper citatus, asseruit, semel tantum in omnibus scripturis de sapientia dictam esse vocem *creauit*: ideo nimirum, quoniam ex Ecclesiastico nihil obiecerant Ariani, fortassis in hoc secuti Iudæorum sententiam (sicut in Diuinitate Filij blasphemanda) qui Ecclesiasticum inter sacros libros non connumerabant. De quo videri potest Bellarminus libro 1. de Verbo Dei cap. 14.

16 Tertiò notanda est ratio, propter quam Spiritus sanctus impulerit scriptores sacros, vt obscurè & parabolicè loquerentur: nam vt omittam generalem prouidentiam circa prædestinatos & reprobos, vt isti permittantur excæcari: & illorum fides exerceatur in effodiendo thesauro abscondito: valde necessarium fuit propria verba generandi, concipiendi, atque dicendi, temperari per alia verba, quantumuis minus propria. Quia vocabula cuncta sunt à creaturis ad Deum elenata: quæ proinde multas imperfectiones inuoluent, nisi per alia vocabula, quamuis minus propria corrigantur.

Ratio parabolicè loquēdi de generatione Verbi.

17 Quod ad rem præsentem sic applicat Hilarius lib. de Synodis colum. 8. explicans 5. canonem Orientalium *Creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus speciem & consuetudinem, sine imminutione aliqua ac demutatione sui creauit, ex seipso quod genuit. Creantis enim opus non habet passionem, aut permixtionis aut partus.* Et post pauca: *Indemutabilem Patris naturam in creatione significat, & legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ suæ ostendit esse substantiam. Atque ita perfectæ natiuitatis intelligentiam, creationis & generationis attulit sermo: cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est.* Eandem rationem significandi, puritatem & perfectionem diuinæ generationis, in verbo creandi, latè & bene ponderauit Eusebius Cæsariensis lib. 1. demonstr. Euangel. cap. 1.

Creatio dicitur ad significandam immutabilitatē Patris & indiuisibilem puritatē generationis.

18 Confirmatur primò, nam vt sapienter admonuit Athanasius orat. 3. contra Arianos prope init. *Ne igitur ex verbis controuersias capient; si sancti alicubi pro vocabulo gignere, creare subiciunt, cum in istiusmodi locis significatio non variet: non enim dictiones naturam perimunt, sed potius natura dictiones ad se trahit & commutat.* Quod ipsum exemplorum copia confirmat, ostendens, in Sacris litteris quandoque filios appellari seruos; patres vocari dominos; & adultos appellari pueros ratione conditionis seruilis; vbi necessarium est sensum accommodari personis, licet discrepet à communi significatione verborum.

Res significatæ trahunt ad se significationem vocis.

19 Confirmatur secundò, nam Scriptura nonnunquam indifferenter vtitur verbo creandi & generandi. Quapropter sicut ea quæ propriè sunt creata vocantur genita, potuit sapientia genita vocari creata. Propterea Cyrillus lib. 5. thesauri cap. 6. sub init. *De creaturis*, ait, *de quibus nulla dubitatio est, hoc ipsum verbum dici reperies. Filios*, inquit, *genui & exaltaui*. Et rursus: *Deum qui te genuit, dereliquisti*. &, *Quis est qui genuit glebas roris? Nec roris certè Patrem naturaliter dicemus: quare in vnum, genuit & creauit verba, sensum reducuntur. Indifferenter vtique verbis nonnunquam Ruiz. de Trinitate.*

Generare ponitur pro creare.

Exod. 32. Esai. 1. Iob 38.

vti scripturam, hoc est abuti, non negauerim: nec tamen potestatem ipsam singulorum ignorare concesserim.

Confirmatur tertiò, per omnia, quæ dicenda sunt in sequentibus conclusionibus. Diriguntur enim ad præcedentem corroborandam & conciliandam cum cæteris dicendi modis. 20

Secunda conclusio. Diuino consilio factum est, vt verbum ambiguum & varias admittens interpretationes, poneretur, Prouerb. 8. ne lector ita penitus adhæreret vni sensui, vt prorsus reiiceret alium: sed potius vtrumque complecteretur se mutuò temperantem & corrigentem ab imperfectionibus operationum creatarum. 21

Varia significationes se mutuo tēperant.

Primò namque *possidendi* translatio Vulgata, sine dubio consonat originali, tanquam sensus, quem simul cum aliis admittit. Nec mirandum, nam in Scriptura sacra *possidere* significat aliquando *generare*, quemadmodum Genes. 4. init. Eua *concepit & peperit Caim dicens: Possedi hominem per Deum*. Imo nonnunquam copulatur cum verbo creandi, faciendi, & generandi, quemadmodum Deuteron. 32. *Numquid non ipse est Pater tuus: què possedit te, & fecit & creauit te?* At Patri directè respondet operatio generandi, de qua paulo inferius: *Deum, qui te genuit, dereliquisti: & oblitus es Domini creatoris tui*. 22

Secundò. *Excludendi* verbum, quod Epiphanius transtulit, non parum confert ad melius intelligendam perfectionem generationis; vt vidimus in modo secundo declarandi. Tertiò. Quod Dionysius Rom. exposuit verbo *præficiendi* significat etiam generationem Verbi secundum eam perfectionem, qua quidditatiuè respicit creaturas iuxta dicta disput. 62. & 63. Denique in ordine ad easdem creaturas dicitur Sapientia condita vel creata, vt sit initium viarum Dei, tanquam exemplar continens ideas, & tanquam Verbum, quo Pater imperat omnia fieri. Hanc perfectionem rectè notauit Nazianzenus, Bœticus, & Origenes, citati pro 4. modo. 23

Tertia conclusio. Non minus sapienti consilio directus est Salomon & author Ecclesiastici, vt siniſtrum intellectum præcauens, in eodem contextu verba diuersarum significationum interponeret, quibus lector, à pietate non alienus, excitaretur, vt creationis vel conditionis rigorem mitigaret adhibitis vocabulis, generationis, & æternitatis. Sic enim Prouerb. 8. ait: *Ante quam quidquam faceret à principio*, quo significaret sapientiam non esse factam. Deinde: *Ab æterno ordinata sum*, id est, constituta tanquam ratio & ordo proprius intellectionis & Verbi, quo Pater omnia disponit. Æternitas autem omnibus creaturis negatur in Sacris litteris. Præterea: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*. Vide conceptionem intellectualem. Insuper: *Ante omnes colles ego parturiebar*. Et infra: *Cum eo eram cuncta componens*. Quibus & aliis significatur actio creandi, quam genita sapientia communem habet cum Patre. Rursus Ecclesiastici 1. init. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum*. Et post pauca: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*. Quibus & aliis inter se collatis efficitur hic de sapientia dici, quod Ioann. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud eum*; & iterum: *Erat lux vera*, &c. Denique cap. 24. Ecclesiastici: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen*, &c. 24

Creandi verbū mitigatur generandi & æternitatis vocabulis adiunctis.

25 Confirmatur primò, nam aliquid perfectionis denotant ſingulæ voces. *Conceptio* ſiquidem magis explicat, intimam eſſe & immanentem in mente Patris productionem. *Generatio* magis explicat, integram atque perfectam fuiſſe vim operationis, tanquam à Patre, qui non indigeat adiutorio matris. *Parturitio* magis explicat, Filium ſemper fuiſſe perfectum, atque per ſe ſubſiſtentem: non ſicut hominum filij, qui poſt conceptionem & ante natiuitatem propter vitium defectum indigent contineri intra vterum, & reputantur velut vna perſona cum matre, quia nequeunt ſeparati ſubſiſtere. *Ordinatio* magis explicat productionem eſſe per rationem ac mentem. Quibus addita *creatio* magis explicat, nec materiam, nec diſpoſitiones præſupponi: nec mutationem, defluxionem aut diminutionem eſſe in principio generante, ſicut non ſunt in principio creante, ſed generationem eſſe operationem, non minus Deo dignam, quàm creationem.

26 Confirmatur ſecundò, quia propter ſupradictam concatenationem & cohærentiam multarum ſignificationum, potuerunt Orientales Epiſcopi canon. 5. apud Hilarium lib. de Synodis colum. 8. eum anathematizare, qui non intelligit Prouerb. 8. verbum illud *creauit*, vel *condidit*, idem valere, quod *genuit*. Alij quoque Patres pro verbo *creauit* legunt verbum *genuit*, vel generationem cum creatione coniungunt. Sic enim Euariſtus Papa epiſt. 1. ad omnes Epiſcopos Africæ, vt probet æternam Verbi generationem, ita citat Eccleſiaſtici verba: *Qui genuit me, requieuit in tabernaculo meo*, mentem potius, quàm voces referens. Alexander Alexand. epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopol. col. 4. dicit, *Verbi generationem creationémque*. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 7. & ſequentibus abundat eiuſmodi locutionibus, Filium appellãs, *conditum, factum, generatum* ab æterno Patre, qui eum *creauit, condidit, fecit & genuit*. Hilarius lib. 3. de Trinit. col. 2. dicit: *Vnigenitum procreauit*.

27 De generatione Verbi tandem intelligunt prædicta loca S. Thomas in præſent. quæſt. 41. art. 3. fine. Et 4. contra gentes cap. 8. prope fin. Lyra Eccleſiaſtici 1. Ianſen. Prouerb. 8. Pererius lib. 1. in Geneſim diſput. vltima ante med. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Chriſto cap. 18. Salmeron tom. 2. de Verbo tract. 9. argum. 6.

SECTIO VI.

Incarnationis myſterium, & omnium iuſtorum ſapientia ſignificatur etiam, quoties ſapientia dicitur eſſe creata.

1 *De Verbo incarnato.* DIco primò. Verba, quæ retulimus ex Prouerbiis & Eccleſiaſtico præcedentis ſect. initio, iidem & alij Patres intelligunt etiam de Sapientia Patris, quæ eſt Verbum diuinum: non quatenus procedit à Patre per actionem immanentem, ſed quatenus *Verbum caro factum eſt*, & quatenus Dei Filius *factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Roman. 1. Nam eodem ſenſu dici poteſt Verbum caro creatum eſt, & factum eſt.

2 *Creatio rerũ præexiſtentiũ, eſt tranſlatio ad excellens eſſe.* Sapienter enim obſeruant Hieronymus Epheſ. 2. Fuſiùs autem Cyrillus lib. 5. theſauri à cap. 4. vſque ad 8. in Scripturis ſacris creationem, quando refertur ad res præexiſtentes, non ſignificare productionem ex nihilo, ſed tranſlationem in aliud nouum & excellens eſſe. Vt Pſalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus*. Epheſ. 2. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*. & cap. 4. *Nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*. 2. Corinth. 5. & Galat. 6. *Noua creatura*. Iſaiæ 45. *Ego Dominus creaui eum*. Et Ieremiæ 31. iuxta Hebræum & Septuaginta: *Creauit Dominus ſalutem nouam*. Vtraque prophetia prædicit Saluatorem, vt Hieronymus notat vtrobique. Addit autem Cyrillus in fine capitis 4. Chriſtum dici fuiſſe factum pro nobis maledictum & peccatum, Galat. 3. & 2. Corinth. 5. Ergo facilius & promptius poterit appellari creatus ratione humanitatis.

3 Huius explicationis ſubſtantiam, docuit traditio antiquiſſimorum Patrum Eccleſiæ, vt referunt Patres Concilij Nicæni, multis reſponſionibus datis per Euſebium Pamphili, lib. 2. illius Concilij in med. quam tacitè probat vniuerſus Epiſcoporum conſenſus. Luculentiùs eam ediſſerit Athanaſius orat. 1. contra Arianos inter med. & fin. & orat. 3. poſt med. ferè vſque ad fin. Et in decretis Nicænæ Synodi contra Arium multo propius ad med. quàm ad princip. Et dialogo 1. de Trinitate contra Anomæum pag. 8. Et in compendio de Spiritu ſancto prope fin. ait: *Eum*, ſcilicet Filium, *creatum eſſe dicamus, quatenus homo ſit factus*.

4 Nazianzenus oratione 36. quæ eſt 4. de theologia paulo poſt princip. *Sapientia ſecundum inferiorem*, inquit, *generationem, creata, ſecundum autem primam illam magiſq; incomprehenſibilem, genita dicatur*. Gregorius Nyſſenus lib. de fide ad Simplic. inter princip. & med. de Filio ſic loquitur: *Quemadmodum cum Verbum ſit, propter nos caro factus eſt: & Deus cum ſit, homo factus eſt: ita creator cum ſit propter nos creatura factus eſt, quippe cum caro res creata ſit. Quemadmodum igitur per Prophetam* Iſai 45. *dixit, ſic dicit Dominus: Qui formauit me ex ventre ſeruum ſuum, ita etiam dixit illud per Salomonem: Dominus creauit me principium viarum ſuarum, ad* Prouerb. 8. *opera ſua*. Cui conſonat quod inter fragmenta Nyſſeni refertur tom. 3. bibliothecæ prope med. ſub titulo Dauidis, & Iob & Zachariæ.

5 Sic etiam ſecundum humanitatem exponunt Baſilius libro 4. contra Eunomium pag. penult. Et epiſt. 141. ad Cæſarianos paulo poſt medium. Chryſoſtomus ſerm. de ſancta Trinitate propius ad med. quàm ad finem. Cyrillus Alexand. lib. 5. theſauri cap. 4. & 5. & dialog. lib. 4. inter medium. & finem. Epiphanius hæreſ. 69. colum. 16. Et in Ancorato multo propius ad medium quàm ad principium. Gregorius Bœticus lib. de Trinitate propius ad finem quàm ad medium. Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 19. inter principium & medium. Hilarius libro 12. de Trinitate inter medium & finem. Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 7. ſub init. Et fuſiùs lib. 3. toto cap. 4. & cap. 5. poſt med. & libro 2. de Spiritu ſancto cap. 8. Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 12. & lib. 7. cap. 4. init. Hieronymus locis notatis ſub init. huius ſectionis. Fulgentius ad obiectionem 3. Arianorum Concil. Hiſpalen. ſecundum, actione 13. col. 1. & col. penult. Gloſſa in Eccleſiaſticum cap. 1. & 24. S. Thomas in præſenti quæſt. 41. art. 3. ad 4.

6 Sed vtrum euitanda ſit ea locutio, ſecundum quam aliqui Patres citati dicunt, Verbum eſſe factum creaturam, examinandum remitto in tertiam partem quæſt. 16. art. 6.

7 *Prima obiectio.* Obiicies primò, quoniam in eiſdem locis Prouerb. & Eccleſiaſtici dicitur, huiuſmodi creationem fuiſſe ab initio & ante ſæcula, & initium viarum Domini, antequam quidquam faceret à principio & ab æterno. Sed Verbum caro factum eſt in tempore. Ergo prædicta teſtimonia non poſſunt verificari de Verbo ratione Incarnationis, ſed tantùm ratione natiuitatis æternæ.

8 *Prima ſolutio.* Reſpondeo primò ex aliquibus Patribus ſupra citatis, præſertim ex Athanaſio & D. Thoma. Illa omnia verificari poſſunt de Incarnatione, quatenus decretum & præuiſio Incarnationis fuit ab æterno: deinde verò quatenus fuit prius dignitate initium & caput cuiuſlibet operis faciendi: ac denique prius in intentione, antequã aliquid aliud facere decerneret. *Secunda ſolutio.* Secundò reſponderi poteſt, illa propterea fuiſſe ſubiuncta, quibus lector compelleretur non ſolum Incarnationem, ſed cum ea ſimul æternam generationem intelligere: vt plurimi Patres intelligunt.

9 *Secunda obiectio.* Obiicies ſecundò, quoniam eodem contextu Sapientia ſe iactat primogenitam, conceptam, ſeu genitam & parturitã, aſſiſtentémque Patri, quando mundum creabat. Sed hæc omnia non poſſunt verificari de Chriſto Domino ſecundum naturam humanam. *Solutio.* Huius ſolutio parum differt à ſolutione præcedẽtis obiectionis. Dicendum eſt enim, de vnica & eadem perſona Verbi ſecundum duas illius naturas, diuerſa pronunciari eiſdem capitibus, ſapientiſſimo Dei conſilio, quo legentium intellectus excitatur ad quærendas diuerſas naturas vnus eiuſdémque perſonæ. Quapropter tantum abeſt, vt hæc Arianis faueant, vt potius probent duas naturas in vna perſona Sapientiæ Patris, quæ Verbum eſt.

10 *De Sapientia Angelorũ & hominum.* Dico ſecundò. Prædicta teſtimonia Eccleſiaſtici poſſunt etiam intelligi *de Sapientia creata, quam Deus indidit creaturis, de qua Eccleſiaſtici* 1. *Ipſe creauit eam in Spiritu ſancto, & effudit illam ſuper omnia opera ſua. Neque eſt inconueniens vno eodemq; contextu ſcripturam loqui de Sapientia genita & creata; quia Sapientia creata eſt participatio quædam Sapientiæ increatæ*. Sunt hæc verba S. Thomæ in præſenti quæſt. 41. art. 3. ad 4. Atque idem notat lib. 4. contra gentes cap. 8. prope fin. Nazianz. orat. 36. quæ eſt 4. de Theologia ſub init. refert & approbat ex nonnullis antiquioribus eandem expoſitionem, quam ſimul cum aliis duabus tradit etiam Epiphan. hæreſ. 69. col. 16. Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 2. fine. & cap. 4. init.

11 Ab eadem parum diſtant reſponſiones aliquæ, datæ per Euſebium Pamphili in Concil. Nicæno lib. 2. in med. §. *quid profunda*, & §. *ſi mundus*. Intelligunt enim humanam ſapientiam, quæ fuit prior in intentione & propoſito Dei; licet in creatione ipſa fuerit poſterior.

12 Confirmatur, nam eiſdem omnino verbis Veteris & Noui Teſtamenti plurimis in locis promittitur mittendus, effundendus & dandus: vel refertur eſſe miſſus, effuſus, ac datus Spiritus ſanctus & eius dona creata. Ergo quemadmodum toties ſine controuerſia intelligimus ſimul ſignificari perſonam Spiritus ſancti & eius dona creata: debemus etiam, exigente contextu, ſimul intelligere perſonam Verbi & Sapientiam creatam, ratione cuius participamus perſonam Verbi, ſicut ratione donorum participamus perſonam Spiritus ſancti.

13 *Dictum 3.* Ex quibus omnibus infero & Dico tertiò, melius eſſe tres ſupradictas expoſitiones non per diſiunctionem vnam vel alteram admittere, quaſi non ſint compoſſibiles: ſed copulatiuè ſimul omnes amplecti, tanquam partes, integrantes plenum

Ruiz. de Trinitate.

& adæquatum intellectum, iuxta rationem exponendi, generaliter traditam diſput. 50. ſectione 1. plurimis autem exemplis ſcripturarum confirmatam in eadem diſput. per ſequentes ſectiones decem. Dico quartò. Supradictis deberent adiungi Scripturæ teſtimonia quæ probare videntur, Spiritum ſanctum fuiſſe creatum aut factum: niſi iam fuiſſent expoſita diſput. 66. ſect. 7.

SECTIO VII.

Quæ factum eſſe Filium, videntur aſſerere, declarantur.

1 IN hoc genere primum, quod Ariani obiiciebant, erat illud Actuum 2. *Certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël, quia Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum*. Reſpondetur. Senſus eſt, Deus fecit, vt Ieſus eſſet Chriſtus Redemptor & Dominus, quando videlicet fecit, vt in rerum natura exiſteret in quantum homo, qui prius erat verus Deus, & quando declarauit, eum eſſe verum Deum & Dominum, ſiue promouit, & aſſumpſit hunc hominem ad illam dignitatem.

2 Nec mirandum eſt hoc ſenſu dici factum, ſiquidem 1. Paralip. 17. ad fin. dicitur: *Tu Domine factus es Deus eius*. Exod. 15. *Adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem*. Pſalm. 30. *Eſto mihi in Deum protectorem*. Ita ſcilicet factum ſecundum carnem & ſecundum dignitatem & munus redemptionis, intelligunt communiter Patres. Athanaſ. orat. 3. contra Arianos col. 9. Baſilius lib. 2. contra Eunomium pag. 1. & lib. 4. pag. penult. & epiſtol. 141. ad Cæſarianos paulo poſt med. Nazianzenus orat. 36. quæ eſt 4. de theologia col. 2. Chryſoſtomus homil. 6. in acta prope morale. & in cap. 1. Ioannis homil. 2. prope med. Gregorius Bœticus lib. de Trinitate propius ad fin. quàm ad medium. §. *inter cætera*. Cyrillus lib. 9. theſauri cap. 2. & 3. Ambroſius libro 1. de fide ad Gratianum cap. 7. Et de obitu Satyri fratris. Alcuinus libro 2. de Trinitate.

3 Secundum teſtimonium eſt Hebræos 3. *Conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum*. Siue vt aliqui Patres legunt, *creauit illum*. Reſpond. Eundem omnino ſenſum eſſe, quem præcedenti teſtimonio dedimus, videlicet, à Patre factum eſſe Ieſum in quantum eſt homo, & quatenus eſt creatus pontifex, & declaratus Dei Filius. Alioqui Ieſum eſſe Filium Dei, creatorem mundi, Dominúmque non famulum, manifeſtè docet proximè ſequens contextus eiuſdem capitis, quod idem fuſiùs probauerat Apoſtolus in eiuſdem epiſtolæ cap. 1.

4 Cui expoſitioni conſonat, quod ſubiicit in cap. 5. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu*. Ita intelligunt Athanaſ. orat. 3. contra Arianos col. 5. & ſequentibus. Epiphanius hæreſ. 69. prope med. Chryſoſtomus ad Hebræos homil. 5. col. 3. & ſerm. de Trinit. propius ad med. quàm ad fin. Cyrillus Alexand. lib. 9. theſauri cap. 2. Theodoretus & Ambroſ. in commentario.

5 Tertiò. Senſus idem adhibendus eſt aliis ſimílibus locis, quemadmodum Hebræos 1. *Tanto melior Angelis effectus*. Quod de Filio, quatenus ſecundum carnem factus eſt *honorabilior, celebrior, & præclarior* Angelis, intelligit Chryſoſtomus ibi homil. 1. prope morale. Vbi etiam Theophylactus. Cyrillus Alexand. lib. 8. theſauri cap. 2. propius ad princip quàm ad medium. Athanaſius oratione 2.

contra Arianos versus finem. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5.

6 Quartò. Sensum eundem habet, quod in eadem epist. cap. 7. versus fin. dicitur: *Excelsior cœlis factus:* de quo Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratian. cap. 5. Quintò. Ioan. 1. Baptista de Saluatore dicit: *Ante me factus est*, id est, mihi præpositus & prælatus, *Quia prior me erat*, nimirum duratione atque dignitate personæ. Ita intelligunt expositores ibi, vt Chrysostomus, Cyrillus, Theophilactus, Augustinus, à quibus vix dissidet Ambros. lib. 3. de fide cap. 5. sub init. Et iterum Chrysostomus Hebræos 1. homil. 1. prope morale.

7 Ad confirmationem præcedentium omnium explicationum valet non parum vsitata Scripturæ phrasis, iuxta quam dicitur fieri, quod iudicatur aut pronunciatur, aut declaratur esse tale: quemadmodum Ioann. 8. *Quem te ipsum facis?* & cap. 5. *Æqualem se faciens Deo.* Matthæi 12. *Facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum.* 1. Corinth. 1. *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Et eiusmodi plurima. Hoc ad præsentes explicationes obseruant Athanasius oratione 3. contra Arianos pag. 9. & Cyrillus Alexandrinus libro 9. thesauri cap. 3.

8 Notandum est præterea, intelligi posse, quòd Filius sit factus, etiam in quantum est ab æterno genitus, eodem modo, quo superiori sectione 5. æterna Sapientia vocatur creata. Sic enim Dionysius Alexand. referente & approbante Athanasio in epistol. de sententia; Dionysi Alexand. inter med. & fin. ait: *Tametsi obiter à me Deus Filij sui creator nominetur, tamen vel ita quoque res non caruerit sua defensione. Nam Græci sapientes sese suorum verborum, quorum parentes genitoresq; sint, factores appellant. Quin etiam motuum nostrorum ex nostro corde prodeuntium factores nos appellat, factores etiam legis,* &c. Nec aliter apud Latinos authores, quàm apud Græcos, qui loquitur, dicitur *verba facere.* Quapropter in eo sensu, Pater fecit Verbum, id est, locutus est, & protulit Verbum.

9 Hac eadem ratione poterimus Eusebium excusare, licet libro 4. demonstrationis Euangel. cap. 2. ante med. Filium appellauerit, *Opificium, & fabricationem.* Inde etiam potuisset exponi, quod in variis editionibus Athanasij legitur oratione 2. contra Arianos circa medium. *Filius æternus factus est substantia Patris.* Cæterum non dubito, negligentiam fuisse Typographi potius, quàm interpretis. Nam in originali Græco scriptum est *Genema*, quod Latinè redditur genimen, & ita legitur in aliis plerisque locis Athanasij, quæ citauimus disputat. 4. sect. 4. post dictum 4. Aliunde constanter & seriò tam in eadem orat. 2. quàm in aliis orationibus & libris Athanasius defendit, Filium non esse factum, sed genitum: cuius multa citauimus in sect. 2. & sequentibus. Nunc sufficiat Athanasij symbolum: *Non factus nec creatus, sed genitus.*

10 Quoniam Primogenitus omnis creaturæ vel ante omnem creaturam, vel inter omnes fratres, vocatur Dei Filius; Ariani contendunt, esse reducendum in ordinem creaturarum, & cum illis adnumerandum, vt filium adoptiuum inter fratres suos. Veruntamen hæc obiectio copiosè refutata fuit disputat. 4. sect. 7.

DISPVTATIO XCVII.

Vtrum materiale principium, vel formale denotetur præpositionibus de *&* ex, *quando iunguntur diuinis personis.*

SECTIO I.

Præmissis notabilibus, referuntur errores, ac refutantur.

PRo hac & sequenti disput. notandum est primò, quæ dicenda sunt de his duabus præpositionibus *de* & *ex*, intelligenda fore de aliis similibus præpositionibus *è*, vel *à*, vel *ab*. Solent enim ad exprimendas processiones & earum principia indifferenter à theologis vsurpari, de quo iterum disputatione 98. sectione 2. & 4. 1

Secundò notandum est, præpositiones suprà dictas aliquando præponi personæ diuinæ, aliquando verò præponi substantiæ. Personæ diuinæ præponuntur, cum dicimus, Filium esse vel procedere de Patre, vel de Deo, vel Spiritum sanctum esse vel procedere de Patre, vel de Filio, vel de Deo. Sed diuinæ substantiæ præponuntur, quando dicimus: Filius vel Spiritus sanctus est, aut procedit *de substantia Dei*, vel *de substantia* Patris, vel *de natura*, vel *de essentia Dei* vel Patris. Atque idem erit si dicas esse *de Diuinitate*. Rursus siue dicas, *de eadem essentia*, siue non excludendo pronomen *eadem*, dicas esse *de essentia*, vel *natura*, vel *substantia*, idem erit. Atque in his omnibus propositionibus exempla poni possunt mutando præpositionem *de* in præpositionem *ex*, vel *à*, vel *ab*, vel *è*. 2

Tertiò notandum, non esse contemnendum, vel negligenter considerandum examen harum præpositionum, quoniam in illis est magnum momentum ad eruenda dogmata fidei, & theologiæ, vt præ cæteris Basilius admonuit lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 1. & referemus disputatione 110. sect. 1. Nunc verò ex eodem libro cap. 2. & 3. supponendum est, apud philosophos materialem causam frequenter significari præpositionibus istis *ex*, *è*, atque *de*. vt constat apud Aristotelem libro 1. physicorum cap. 5. 6. & 7. 3

Eandem verò significationem exercent aliquando in Scriptura. Nam Genes. 6. *Fac tibi arcam*, ait, *de lignis læuigatis*. & in Exodo capite 36. & tribus sequentibus inuenies arcam factam *de lignis setim. Candelabrum ex auro*, multam supellectilem de *hyacintho*, *purpurâ*. & alia ex aliis materiis. Quin etiam 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis.* 4 *Materialem causam aliquando denotant illa præpositiones.*

Errores autem, qui materiam in diuinis processionibus introducunt, sunt qui sequuntur. Primò, Manichæus existimauit, Filium esse partem vnius substantiæ Patris, ex illo deductam, quæ apparuerit in carne, vt refert Hilarius lib. 6. de Trinitate propius ad princip. quàm ad medium. Vnde rapuit Arius prætextum negandi, Filium esse consubstantialem, ne concederet, ex parte substantiæ 5 *Errores de materiali causa in diuinis.*

substantiæ paternæ fuisse genitum, vt constat ex eius epistola ad Alexandrum, quæ extat apud Epiphanium hæresi 69. non procul à princip.

6 Secundò Manichæum imitatus Melanchthon, asseruit, *aliquid essentiæ diuinæ mitti, quando mittitur Spiritus sanctus*, vt refert Gregor. de Valentia 1. part. quæst. 1. de processione personar. puncto 1. §. 24. col. 1.

7 Tertiò Arianos dixisse, *materiam designari, quando dicitur, ex illo, & tanquam ex natura Dei esse materiam, vt si dicas, ex ligno arcam esse factam.* scribit Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 10. post medium. Cui consequens est, quod Hilarius lib. 4. de Trinitate colum. 2. refert, Arianos interpretatos fuisse per calumniam, *Enunciationem homousij significare, quod rei anterioris atque alterius communio sit duobus, & tamen prior substantia vel vsia materiæ alicuius extiterit, quæ participata duobus, & in vtroque consumpta, vtrumque illum & naturæ anterioris, & rei esse testetur vnius. Atque idcirco improbare se homousij, aiunt, confessionem.*

8 Nihilominus certa fide Catholicis omnibus Doctoribus exploratum est, substantiam diuinam non esse materiam, neque principium materiale Generationis, aut Spirationis; propriè loquendo. Probatur primò, quia materia, propriè dicta, est pars physica, quæ realiter à forma distinguitur, & per physicam & realem vnionem verè componit totum physicum. At verò diuina substantia, non est pars realiter distincta ab alia parte, neque componit: repugnat enim Deo compositio (vt vidimus disputatione 38.) Consequenter aurem non est possibilis in Deo realis vnio, requirit enim extrema realiter & adæquatè distincta, quæ per illam copulentur. *Non est materiale principium diuinarum processionum.*

9 Probatur secundò, quia materia, propriè dicta, est pura potentia, quæ non est actu, nisi per formam actuantem; ideóque indiget actu siue forma, & est imperfectior quàm forma. Sed econtrario diuina substantia est purus actus, infinito perfectionis interuallo distans à pura potentia: ideóque per seipsam & non per aliquam formam actuantem est, & constituitur in actu; neque est imperfectior, quàm actus. Confirmatur, quia nihil magis distat à pura potentia, quàm purus actus, completissimus & perfectissimus, ita vt non solùm contineat omnem perfectionem possibilem, sed etiam sit ipsamet actualitas existentiæ completæ, atque ipsamet actualis operatio perfectissima. At verò substantia Patris hanc totam actualitatem Filio & Spiritui sancto præstat per seipsam formaliter, absque alia forma. Ergo substantia Patris non est materia comparatione Filij vel Spiritus sancti producendi de illa.

10 Probatur tertiò, quia principium materiale non potest esse tota substantia & essentia rei, imo neque præcipua pars essentiæ. At verò substantia & essentia Patris est tota substantia Filij, totáque essentia Filij: ita vt nihil amplius essentiæ Filius habeat, quàm essentiam Patris. Quamuis enim addatur illi relatio Filiationis, qui veluti modus est, constituens quidditatem huius personæ: vocaríque potest quidditas relatiua; simpliciter tamen & absolutè loquendo, tota substantia siue tota essentia Filij prorsus eadem est, quæ substantia vel essentia Patris.

11 Probatur quartò, quia materiæ propter suam imperfectionem, non sufficit actuari per formam relatiuam, sed requirit formam absolutam. nec sufficit actuari per subsistentias, sed requirit aliquid complens essentiam, cui superueniat subsistentia completa. At verò substantiæ diuinæ sufficit actuari per subsistentias relatiuas immediatè, quia nihil prærequirit ad cõplementum essentiæ.

SECTIO II.

Quasi materiam esse substantiam, de qua producuntur personæ, quodammodo tantum verificatur.

HEnricus quodlibet. 8. quæst. 9. pag. 2. & in summa, artic. 54. quæst. 3. dum respondet ad quoddam argumentum, petens, an Deus de nihilo, vel de aliquo producat Deum, quod inter solutiones septimo loco ponitur, sed inter obiectiones est 9. Insuper Durandus 1. distinct. 5. tota q. 2. tanquam Catholici supponunt, Dei substantiam non esse propriè materiam: nihilominus existimant, quoties dicitur Filius esse, vel generari *de substantia Patris*, præpositionem *de* significare circunstantiam quasi materiæ, quasi subiecti generationis, & quasi potentiæ. 1

Eorum argumenta sunt. Primum, quia sicut in rebus creatis materia est subiectum generationis, in quantum est in potentia ad formam, & per hoc ad compositum generandum de ea: sic essentia diuina est quasi subiectum generationis æternæ, ac velut aliquid in potentia (licet necessariò semper coniuncta actui,) ad generandum de ea personam, constitutam ex essentia & proprietate. Confirmat Henricus, quoniam Augustinus in sermone de Symbolo dixit: *Deus cum Verbum genuit, id quod ipse est genuit; nec de aliqua facta conditáve materia, sed de seipso.* Vbi satis esset dixisse: *Non de materia*, nec opus fuisset addere *factæ conditáve*, nisi subintelligeret esse genitum de materia increata & diuina. 2 *Primum argumentum.*

Secundum argumentum. Illud quod secundum nostrum modum intelligendi præexistit Filio producendo, & inexistit iam producto, se habet ad Filium vt materia: nam hæc est materiæ conditio, vt præexistat rei gignendæ, & inexistat in re iam genita. Sic autem se habet substantia Patris comparatione Filij secundùm nostrum modum intelligendi: nam prius origine substantia existit in Patre, posterius autem origine in Filio & Spiritu sancto. 3 *Secundũ argumentum.*

Tetium argumentum, quia quandocunque aliquid constituitur ex pluribus, oportet quod vnum illorum se habeat secundum rationem materiæ & perfectibiliter, & alterum secundum rationem quasi actus perficientis. Sed Filius constituitur ex essentia & proprietate relatiua: oportet ergo, quod alterum illorum se habeat secundum rationem materiæ, & alterum in ratione actus. Inter hæc autem essentia videtur se habere in ratione materiæ, potius quàm relatio, quia intelligitur quasi substare relationi, & non econuerso. Quartum, quia puro actui non repugnat, sed necessariò conuenit esse in potentia ad relationes, quæ non realiter, sed tantum secundum intellectum distinguantur à puro actu, nec illi de nouo superueniant, sed illi necessariò coniunctæ sint. 4 *Tertium argumentum.* *Quartum argumentum.*

Gotfredus autem apud Scotum 1. dist. 5. q. 2. col. 2. non solum existimat, substantiam Dei significari quasi materiam, sed insuper addit, quod essentia diuina dicitur generari subiectiuè. Quod enim subiicitur generationi, potest dici generari subiectiuè. Addit autem argumenta, quorum solutio facilè constabit ex infra dicendis, & videri potest apud Scotum citatum. 5

6 Nihilominus sit prima conclusio. Prædicta sententia, simpliciter est falsa, quoniam tres illius authores, nullam mentionem faciunt similitudinis, quam diuina substantia habet cum forma, sed tantùm cum materia. Quapropter existimant, totam aut ferè totam similitudinem esse cum proprietatibus materiæ; sed nullam, aut ferè nullam cum proprietatibus formæ: cum tamen veritas econtrario præferat formam, vt multo magis similem diuinæ substantiæ; proindéque simpliciter loquendo, sit asserendum, quod Filius producitur de substantia Patris, quasi de forma: vt videbimus sect. sequenti.

7 Secunda conclusio. Quantum ad aliquas materiæ conditiones ac proprietates, diuina substantia similior est materiæ, quàm formæ, quodammodóque dici potest, quod se habeat quasi materia, de qua producitur Filius. Hanc conclusionem tantùm probant argumenta Henrici & Durandi posita in sect. præcedenti, quæ magis vrgere possumus ad robur præsentis conclusionis. Primò, quia substantia Patris ad productionem Filij vel Spiritus sancti, præsupponitur, non tantùm vt principium quasi actiuum & formale *quo*, ratione cuius formalitatis præcisè non exigitur eius communicatio personæ productæ: sed etiam vt principium ita communicandum personæ productæ, vt in ea manere debeat intrinsecum, vtque per illud formaliter persona producta constituatur consubstantialis personæ producenti. At iste modus præsuppositionis aliquam habet similitudinem materiæ, quæ præfuit in genitore, & manet in genito, ratione cuius genitum est de substantia generantis.

Diuina substantia quadam similitudine cum materia.

8 Confirmatur primò, nam in generationibus creatis materiæ pars eadem numero, quæ fuerat in generante, communicatur & manet intrinseca genito: diuina verò substantia tota communicatur à generante, & manet in genito. Secundò confirmatur authoritate S. Thomæ 1. sent. distinct. 5. quæst. 2. art. 1. corp. dicentis: *Filius est de essentia sicut de principio generationis communicato: vnde accedit ad similitudinem materiæ; si à materia remoueatur totum, quod est imperfectionis, & remaneat hæc sola de conditionibus materiæ, quod est manens in re, & per eam res subsistit: & præcipuè res artificiata, quæ est in genere substantiæ propter suam materiam, & non propter suam formam; vt dicit commentator in secundo de anima.* Habet itaque materia perfectiones suas, licet magis admixtas imperfectionibus, quàm forma, præcipuè verò materia rerum artificialium, tribuens illis esse substantiale.

9 Confirmatur tertiò, nam & S. Bonauent. eadem dist. 5. artic. 1. quæst. 2. argumento penultimo & eius solutione supponit, quod habitudo nonnulla materiæ significetur, quando Filius dicitur de substantia Patris, ait enim, *Non tantum dicit habitudinem principij actiui, nec tantum habitudinem principij passiui.* Sic etiam Caietanus in præsenti art. 3. §. *ad hæc.* fatetur, secundum quid habere aliquam conditionem materiæ. Fusiùs autem Carthusian. 1. dist. 5. quæst. 2. post med. defendens Henricum & Durand. & referens ita locutos esse Guillermum Parisiensem, Alanum & alios. Simul tamen retinens doctrinam S. Thomæ & aliorum.

10 Sed quoniam theologi nonnulli respondent, tam formæ, quàm materiæ commune esse præsupponi ante rem producendam, & in re producta manere, tanquam aliquid intrinsecum & essentiale: sicut ad hominem producendum per resurrectionem supponitur anima: imo in generatione hominis prius natura existit anima, quàm homo: propterea diuinam essentiam in prædicta præcedentia originis esse similem materiæ potius, quàm formæ, probandum est.

Sit igitur probatio secunda, quoniam ex natura rei materia præsupponitur ad omnem illam 11
formam, quæ non aduenit de foris, sed educitur de potentia materiæ, & quæ non potest existere nec operari, nisi materiæ coniuncta, efficiat integrum aliquid cum illa. At verò constituiuum personæ Filij de foris non aduenit, sed potius educitur, exit, & progreditur à Patre, in cuius substantiæ fæcunditate ac virtute latebat prius origine secundum nostrum modum intelligendi congruentem rerum naturis: rursus idem constituiuum Filij non potest existere, nec operari, nisi coniunctum cum Patris substantia constituat integram personam.

Tertiò probatur ac simul refutatur exemplum 12
adductum in præcedenti solutione. Nam quod ante resurrectionem ad hominem producendum supponatur prius existens forma rationalis, hoc non prouenit ex quidditate formæ, sed ex quidditate supernaturalis operationis Dei, causantis resurrectionem: quapropter inde nulla potest colligi similitudo inter propriam quidditatem formæ atque diuinam substantiam. Aliunde verò licet anima rationalis existat prius natura, quàm homo naturaliter generetur, quatenus generatio quidditatiuè supponit animam, sed anima, quod ex se est, potest existere sine homine: attamen anima existit posterius natura, quàm materia sit vltimò disposita ad animam rationalem. Quia Deus secundum ordinatam prouidentiam, conuenientem rerum naturis, non producit animam, nisi eam exigente dispositione materiæ. Quamobrem vniuersaliter materia disposita est prior natura, quàm forma: sic ergo substantia diuina est secundum rationem prior, quàm Filiatio qua constituitur persona producta.

Quartò, quia præpositio *de*, quando non denotat principium quasi actiuum; denotat aliquid 13
intrinsecum rei productæ, quod semper aut ferè semper est materia. Respondet S. Thomas in præsenti quæst. 41. art. 3. ad 2. aliquando denotari principium formale, *In ijs dumtaxat, in quibus ipsæ formæ sunt subsistentes, & non aduenientes alteri. Possumus enim dicere, quod angelus aliquis est de natura intellectuali.* Addunt alij, in resurrectione dici posse, hominem fieri de anima.

Nihilominus negare poterit nemo, quin eius- 14
modi locutiones sint insolitæ & impropriæ. Quamuis enim vtramque partem hominis exprimendo simul, dicere possemus, hominem fieri de anima & corpore: Cæterùm alteram solummodo partem hominis explicando, minus propriè dicemus, hominem fieri de anima. Propria tamen erit locutio, si dicamus, hominem fieri de materia tali. Sic enim Genes. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Nec dicitur, Deus formasse hominem de spiraculo vitæ, vel de anima viuente; sed additur; *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.*

Confirmatur, nam ille modus loquendi; *Filius* 15
est de substantia Patris, &; *Spiritus sanctus de substantia Dei*, & cæteri tales, inspirante Deo sunt à Patribus inducti eo fine, vt quomodo Filius non ex nihilo, sed de aliqua substantia genitus sit, explicarent humano more, & accommodatè ad captum hominum. Ergo phrasis illa respicit analogiam ad nostras proprias & vsitatas locutiones: nam ex analogia ad locutiones prorsus impro-

prias & inusitatas, obscuraretur potius, quàm explicaretur illa veritas. Quocirca diuinæ substantiæ concedere debemus analogiam aliquam comparatione causæ materialis, seclusis imperfectionibus.

16 Quinta probatio sit, quoties enim duæ formalitates concurrunt ad constituendum aliquid integrum; illa formalitas se habet vt materia, quæ est communis & indifferens, accipítque determinationem ab altera formalitate: porrò formalitas, quæ determinat, & constituit rem omnino incommunicabilem & singularem, se habet vt forma. Atqui substantia diuina communis est & indifferens ad tres personas: determinatur autem, & fit incommunicabilis per relationes personales; ergo istæ se habent vt forma, substantia verò se habet vt materia.

17 Confirmatur primò, sic enim logici & metaphysici docent, genus se habere vt materiam, eo quod indifferens est, determinatur autem à differentia, quæ se habet vt forma. Similíque ratione natura specifica se habet vt materia comparatione differentiæ numericæ, per quam determinatur & completur. Porrò diuinam essentiam se habere velut speciem, personas autem velut illius individua, communi Patrum doctrina probatum est dispur. 32. sect. 6. & dispur. 35. sect. 5. & sequentibus. Quamuis hæc omnia tèmperentur, per ea quæ dicenda sunt sect. 3. & 4.

18 Confirmatur secundò, quia relationes diuinæ sunt quasi specie distinctæ; vt vidimus dispur. 17. sect. 4. Confirmatur tertiò, quia res modificata est materia & subiectum, in se recipiens suum modum, qui est veluti forma actuans illam. At verò diuina substantia se habet vt res modificata, quam afficiunt relationes, tanquam illius modi: vt vidimus dispur. 12. sect. 5.

SECTIO III.

Formæ potius, quàm materiæ, similis est diuina substantia, quatenus de illa producitur Filius & Spiritus sanctus.

1 *In diuinis processionibus præpositio de non significat materiale principium.*

SIt prima conclusio. Simpliciter loquendo, præpositio *de* non significat materiale principium, nec quasi materiale, quando Patres dicunt, Filium generari de substantia Patris. Hæc enim non est principium materiale nec quasi materiale Filij. Semper autem idem intelligo de Spiritu sancto quod in hac dispur. de Filio dixero. Hanc conclusionem tradunt reliqui omnes Scholastici præter Henricum, Durandum & Gotfredum citatos in sect. præcedenti. Sed illorum aliqui solummodo dicunt in generali Filium & Spiritum sanctum esse productos de substantia Patris, non tamen de aliqua materia siue subiecto passiuo: & quod præpositio *de* significat ordinem originis & consubstantialitatem, non verò causam materialem. Ita Magister 1. dist. 5. cap. *his verbis*, & cap. *ostenditur*. Alexand. 1. p. q. 42. memb. 3. art. 1. ad 4. rationem, & memb. 4. art. 2. Albertus 1. parte q. 30. memb. 3. artic. 2. part. 3. S. Bonauentura 1. distinct. 5. artic. 1. quæst. 2.

2 Alij paulo clarius reiecerunt quasi materiam, quoniam dixerunt, Filium esse de substantia Patris quasi de forma. vt S. Thomas in præsenti quæst. 41. art. 3. ad 2. At verò perspicuis verbis aduersus Henricum alij Scholastici probarunt, non modò, non materiam, sed nec quasi materiam denotari, quando dicitur Filius esse de substantia Patris. Quod fusè & acutè persequitur Scotus distinct. 5. q. 2. vbi Gregor. quæst. 2. art. 1. Ricard. artic. vnico quæst. 3. ad 2. Ocham quæst. 2. Gabriel quæst. 2. art. 2. Capreol. q. 1. art. 1. conclus. 2. & 4. Ægidius eadem distinct. 5. part. 2. q. 1. Argentina quæst. 1. artic. 4. satis ex professo. Maior quæst. 1. post med. dubitatione 1. & 2. Aureolus eadem distinct. 5. artic. 2. propositione 2. Marsilius lib. 1. quæst. 9. art. 2. argum. 8. & sequentibus, ac solutionibus eorum Caietanus, Canarienſ. & communiter expositores S. Thomæ ad prædictum art. 3. quæstionis 41. Vbi Molin. disputat. 2. Vazquez dispur. 162. cap. 1. Suarez lib. 6. de Trinitate cap. 6. præsertim à num. 4. Valentia 1. p. q. 15. de Trinit. punct. 3. à medio.

Probatur primò, quoniam vt rectè notauit Scotus supra citatus, antiqui Patres in generatione Filij non sunt ausi nominare materiam, nec quasi materiam; imo quasi blasphemum referunt materiæ nomen, ab hæreticis obiectum, vt retulimus sect. 1. Peculiariter autem Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. col. 1. fine dicit: *Non de aliqua materia, vel de nihilo est Dei Filius, sed de quo est genitus. Item, Spiritus sanctus non est de aliqua materia vel de nihilo, sed inde est, vnde procedit.* & cap. 7. post med. dixerat: *Non ex nihilo vel ex aliqua materia factus, sed ex ipso natus est.* 3

Secundò probatur ratione, quia licet in diuina substantia respectu processionum eluceat aliqua perfectio similis materiæ; vt probatum est sect. præcedenti: multò plus atque perfectius est illud, in quo distat ab imperfectionibus materiæ, multóque propius accedit ad analogiam formæ, quàm materiæ: imo potius complectitur perfectiones vtriusque principij materialis & formalis; vt videbimus conclusione sequenti. 4

Secunda conclusio. Diuina substantia significatur esse principium intrinsecum personæ productæ, quod eminentiori modo contineat quidquid perfectionis est in forma & in materia: sed multo magis assimiletur formæ, quàm materiæ: quando dicitur Filius esse de substantia Patris. Probatur, nam imprimis, quod prepositio *de* significet principium intrinsecum personæ productæ, ratione cuius sit consubstantialis producenti, probabitur dispur. sequent. sect. 2. & 3. Deinde quod aliquam materiæ perfectionem contineat, probatum est sect. præcedenti. 5

Principiũ intrinsecũ eminentius continens perfectiones formæ & materiæ.

Sed quod diuina substantia multo magis assimiletur perfectionibus formæ, quàm materiæ, quantum attinet ad vtramque productionem Filij & Spiritus sancti, apertè docet S. Thomas in præsenti artic. 3. ad 2. fine. Vnde Caietanus in §. *ad hæc*, dicit *simpliciter* affirmandum esse, Filium generari de substantia Patris vt forma, non vt materia. Scotus autem distinctione 5. quæst. 2. §. *ita tenendo*, dicit hac præpositione *denotari, quod Filius habet eandem substantiam & quasi formam cum Patre.* Idem existimant clariùs recentiores ad prædictum art. 3, S. Thomæ quæstione 41. Vbi Canarienſ. Molina dispur. 2. Vazquez dispur. 162. cap. 2. §. *mihi*. Suarez lib. 6. cap. 6. numero 6. & 8. Valentia 1. part. quæst. 15. de Trinitate punct. 3. post med. 6

Postremum hoc conclusionis membrum probatur primò, quia forma longè perfectior est, quàm materia. Ergo cum substantia diuina sit vtrique similis; multo similior erit formæ, quæ propter maiorem perfectionem minus recedit ab infinita perfectione Dei. 7

8 *Formà totalis est diuina substantia.*

Secundò probatur magis in particulari, quia totalis natura, constituens aliquam rem in suo esse substantiali, consideratur vt forma totalis, quatenus vltimò actuat & vltimò perficit; nec relinquit rem indifferentem ad aliud esse substantiale. At verò diuina substantia est totalis natura, constituens Filium in esse substantiali Dei, & vltimò actuat & perficit illum in ratione Dei, nec relinquit Filium indifferentem, vt non sit Deus, vel sit Deus alterius essentiæ.

9

Confirmatur primò, nam eapropter essentia diuina vocatur forma Dei, Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset.* Vbi Patres communiter essentiam diuinam intelligunt: quos retulimus disput. 54. sect. 6. Confirmatur secundò, nam eadem ratione plurimi Patres docent, vnicam esse formam trium personarum, quos retulimus disp. 24. sect. 6. Quod si substantia se haberet vt materia, cui tanquam forma superueniret relatio, seu personalitas personæ productæ; iam non vnica, sed plures formæ personarũ concedendæ forent. Confirmatur tertiò, nam ratio, definitio & species, magis assimilatur formæ quàm materiæ: diuina verò substantia est vnica ratio, definitio, & species trium personarum; vt probatum est eadem disp. 24. sect. 5.

10

Tertiò probatur, quia diuinæ substantiæ propriissimum est, esse purissimum actum. Ita vt sit ipsamet actualitas existentiæ completæ, atque operationis perfectissimæ. Hoc autem incomparabiliter similius est formæ, quàm materiæ. Confirmatur, quia licet diuina substantia concipiatur quasi in potentia ad relationes, vltimò terminantes & actuantes: attamen ad illas non est in potentia merè receptiua, & quasi passiua; sed in potentia quasi actiua; nam ad producendas relationes Filij & Spiritus sancti, quas solas dicimus, esse de substantia Dei, essentia diuina concurrit vt formale ptincipium *quo*. Munus autem huiusmodi principij, licet non sit idem formaliter, quod munus formæ; cæterum supponit perfectionem formæ, & ex illius perfectione procedit in creaturis: & licet hoc pertineat ad formam personæ generantis, attamen ab illa communicatur personæ genitæ.

11

Quartò probatur, quia substantia Patris, prout communicatur Filio, est terminus formalis generationis, vt probabitur disp. 98. sect. 6. 7. & 8. Ergo substantia non potest esse quasi subiectum & materia, sed magis accedit ad perfectionem formæ. Consequentiam probat Scotus, quia quod est quasi materia & subiectum, est in potentia ad terminum formalem; sed essentia non est in potentia ad seipsam: ergo non est materia & subiectum in ordine ad terminum formalem generationis, ac subinde nec ad generationem ipsam.

12

Quintò, quia nihil productum dicitur esse de substantia producentis propter materiam tantùm, aut principaliter; sed principaliter propter formam eiusdem speciei. Nec enim vermes ab equo vel homine producti, dicuntur esse de substantia hominis aut equi. Principaliter autem dicitur animal esse productum de substantia alterius, propter formam eiusdem speciei. Quapropter in Deo significabitur principaliter identitas quasi formæ, quando dicitur aliqua persona produci de substantia alterius.

13

Confirmatur, quia nisi res ita se haberet; Patres non existimarent, esse firmiter constitutam & probatam identitatem Diuinitatis, & æqualitatem inter Patrem & Filium, ex eo quod profiterentur, Filium esse de substantia Patris. Nam si de illa foret quasi de materia tantum; posset Filius à Patre substantialiter & specificè differre per aliud, quod esset quasi forma. Supponentes autem identitatem speciei & formæ contineri in sola confessione productionis de substantia Patris; eo ipso supponunt, substantiam esse quasi speciem & formam.

14 *Temerarius & male sonans modus loquendi.*

Tertia conclusio. Essentia diuina non generatur subiectiuè, neque formaliter: & ille modus loquendi Gotfredi citati sect. 2. concedentis, essentiam generari subiectiuè, malè sonat, & temerarius est, quoniam affinitatem habet cum errore dicentium, essentiam diuinam generare & generari; quem satis impugnauimus disp. 80. Nec aliquis Scholasticorum ausus est dicere, subiectiuè generari diuinam essentiam; nec fundamentum rationis habet ea propositio; tum quia diuina substantia potius vt forma, quàm vt materia se habet: tum etiam, quoniam apud philosophos etiam insolens est propositio: *materia subiectiuè generatur*. Quidquid contendat ille author ex Aristotele deducere, quod totum remitto ad Scotum 1. dist. 5. quæst. 2.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta posita in sectione secunda.

1

Licet omnibus sufficere potuisset generalis solutio, concedens probare, quod aliquo modo quasi de materia Filius dè substantia Patris generetur; simpliciter autem potius quasi de forma: abundantius tamen robur veritatis afferet singulorum solutio in particulari. Ad primum ergo dicendum. *Ad primum.* Diuina essentia non est quasi subiectum generationis æternæ, nec est velut aliquid in potentia, sed potius est veluti totalis actualitas & totalis forma, constituens Filium in esse Dei: quemadmodum in præcedenti sect. probatum est. Quod autem essentia diuina sit in potentia ad relationem, multo minoris considerationis est, quàm prædicta totalitas & actualitas quidditatis specificæ.

2

Ad confirmationem respond. Illa verba nondum reperire potui apud Augustinum licet quærierim diligenter. Aliunde verò cum expresse negauerit materiam absque vlla limitatione loco citato sect. præced. pro conclusione prima facilis est solutio, dicendo, *conditam* vel *creatam* appellasse materiam, vt hoc ipsum esset ratio & declaratio veritatis; quia cum omnis materia sit creata, conditáue; Verbum non poterat esse genitum de illa.

3

Ad secundum respond. Materiæ conditio est, vt præexistat rei gignendæ & inexistat in re iam genita veluti pars minùs principalis essentiæ, & in potentia ad actum & terminum formalem. Econtrariò tamen essentia diuina præexistit Filio gignendo, & inexistit in Filio genito, tanquam totalis eius essentia, continens actualiter omnem perfectionem illius, & ipsa est terminus formalis, non in potentia ad terminum formalem.

4

Ad tertium respond. Quando neque realiter, neque secundum rationem interuenit compositio inter duas formalitates, eo quod vna transcendenter imbibatur in altera; non oportet vnam illarum se habere vt materiam, & alteram vt formam. Nulla verò compositio neque secundum rationem interuenit inter essentiam diuinam & relationem;

relationem; vt vidimus disp. 38. Quod si volueris adhuc aliquam rationem formæ & materiæ inuenire: dicito potius, relationem se habere vt materiam, quatenus est suppositum, in quo subsistit natura, quæ est totalis forma constituens, & quatenus relatio suum esse totum recipit ab essentia, quam transcendenter imbibit; sicut materia recipit esse à formâ licet eam non imbibat transcendenter.

5

Ad quartum respond. Licet puro actui non repugnet quodammodo esse in potentia ad relationes; repugnat tamen non esse totalem actum, quo relationes ipsæ actuentur & recipiant suum esse totale.

6

Quod ex Gotfredo retulimus, iam refutatum est sectione præcedenti, conclusione vltima. Reliquæ verò rationes, quibus in eadem sectione secunda probauimus, quod aliquo modo diuina substantia se habeat vt materia, per ea, quæ dicta sunt in hac & præcedenti sectione: mitigantur, ne probent, materiæ magis, quàm formæ similem esse diuinam substantiam.

DISPVTATIO XCVIII.

Quid propriè significetur prædictis propositionibus ex & de, *num terminus* à quo *vel* ad quem.

SECTIO I.

Vtrum in diuinis productionibus propriè detur aliquis terminus à quo.

1 *Prima ratio dubitandi.*

RATIONES dubitandi sunt. Prima, quoniam vbi est terminus *ad quem*, est etiam terminus *à quo*. Sed in diuinis productionibus propriè datur terminus *ad quem*: ergo dabitur etiam propriè terminus *à quo*. Maior probatur, quia terminus *ad quem* est alterum extremum viæ, cui necessariò correspondere debet alterum extremum oppositum *à quo* proficiscitur via.

2 *Secunda ratio.*

Vnde nascitur secunda ratio dubitandi, nam omnis via siue tendentia versatur inter duos terminos *à quo* & *ad quem*. Sed processio diuinarum personarum est via siue tendentia, quæ prout est origo actiua, se tenet ex parte producentis, & tendit ad personam producendam. Sed prout est origo passiua, potius se tenet ex parte personæ productæ, prout egredientis à persona producente: vt vidimus disp. 83. sect. 3. assert. 3. & disput. 85. sect. 1. probat. 2. Ergo processio diuina versatur inter terminum *à quo* & *ad quem*.

3

Confirmatur, nam ea de causa S. Thomas in præcedenti quæst. 40. & in præsenti quæst. 41. & alij Scholastici frequenter processionem, dicunt, esse quasi viam; & quod caput est ipsum Verbum *procedere* primæua significatione motum & tendentiam denotabat; vnde translatum est ad significandam productionem, quoniam est quasi via & tendentia ad aliquem terminum. Quapropter Ioannes Theologus in Florent. sess. 18. col. 2. §. *ex tua*, definit, *Processio videtur esse via ab vno in aliud*. Obserua illud *ab vno*, quod denotat terminum *à quo*.

4 *Tertia ratio.*

Tertia ratio non dissimilis præcedenti, nam *exire, prodire*, vel *egredi*, est processio, respiciens terminum *à quo* exit, siue prodit, & quasi proficiscitur ad alium terminum. Sed Filius in Euangelio dicitur exire à Patre. Supponitur ergo Patrem esse veluti terminum *à quo* exit, quoniam prius origine continebatur intra Patrem quodammodo latens: vt vidimus disput. 96. sect. 2. probat. 4. Sunt autem ad præsens obseruatione digna verba Ambrosij, quæ retulimus ibi. Nam in secretis debuit esse, vt exire dicatur in exteriora.

Confirmatur, aduerbia namque localia, quæ denotare solent frequentius terminum *à quo*, pronuntur aliquando ad explicandas diuinas processiones. Sic enim Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. col. 1. fine dixit, Spiritum sanctum *esse inde, vnde procedit*. Rursus hæc propositio Basilij, Spiritus sanctus est *non aliunde, quàm ex Patre*, sæpe repetitur, & ita explicatur; non aliunde nec ex alia substantia quàm ex substantia Patris, in Florentino sess. 18. §. *Magnus Basil.* & §. *dixi equidem.* post med. & sess. 19. à princip. per multos parraphos. Sophronius item in sexta Synodo actione 11. epistola professionis fidei col. 2. de Filio ait: *Nec aliunde, quàm ex Patre, ipsam substantiam habet.* Hilar. lib. 5. de Trinit. circa fin. *Non est aliunde qui genitus est*, videlicet, *nisi ex illis omnibus in quibus est ipse, qui genuit.*

Quarta ratio, quia terminus *à quo* diuinarum productionum vel est aliquid, vel nihil (inter hæc enim non datur medium.) Sed terminus *à quo* non est nihil, siquidem personæ diuinæ non producuntur ex nihilo. Ergo terminus *à quo* est aliquid. Nec potest assignari aliud, quàm diuina substantia. Confirmatur, nam Ecclesiæ Patres eo fine decernunt, Filium esse genitum de substantia Patris, vt excludant immediatè productionẽ ex nihilo; sed in productionibus ex nihilo terminus *à quo* est ipsum nihil, ergo quod additur ad eum terminum excludendum, debet etiam esse terminus *à quo*. Maiorem docent Patres citati disp. 96. sect. 2. & 3. Quemadmodum Athanasius lib. 6. de beatitudine Filij Dei in medio ait: *Non ex nihilo, sed de substantia Patris.* Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. propius ad princip. quàm ad med. premit eum hoc argumento. Aut de nihilo aut de aliqua substantia natus est Filius. Non ex nihilo: ergo de aliqua substantia.

7 *Terminus à quo, non propriè sed impropriè diuinis productionibus conuenit.*

Nihilominus sit prima conclusio. Propriè loquendo *terminus à quo* nullus interuenit in productionibus Filij & Spiritus sancti. Ita docet S. Thomas 1. dist. 5. q. 3. ad 1. Capreolus in eadem dist. quæst. 1. art. 1. concl. 2. Cæteri tamen authores supponunt potius, quàm dicunt. Probatur, nam vt constat ex Aristotele lib. 1. physicorum cap. 5. textu 42. & sequentibus. & cap. 7. textu 64. & sequentibus necnon cap. 8. textu 75. *Terminus à quo* nihil aliud est, quàm priuatio illius formæ, quæ per nouam productionem seu mutationem adquiritur. Vnde prouenit, vt post illam productionem non maneat terminus *à quo* seu priuatio. At verò nulla priuatio personarum, quæ producuntur, potest in Deo concipi, & nihil est quod per productionem diuinarum personarum extinguatur, & non maneat in Deo.

8

Vnde clarius constat, diuinam substantiam non esse terminum *à quo*, quia nec est priuatio, nec excluditur per productionem personarum, sed potius in illis essentialiter manet.

9

Secunda conclusio. Terminus *à quo*, secundum quid & impropriè dictus, in diuinis productionibus concipi potest, non quidem intelligendo priuationem, sed meram præcisionem intellectus, ratione

ratione cuius essentia diuina, quatenus concipitur esse in Patre prius origine, quàm generetur Filius, nondum concipitur hanc essentiam esse Filium, & illi communicari per generationem: at postquam concipitur esse genitus; iam essentia diuina concipitur esse Filius, & illi communicata per generationem. Quapropter secundum rationem intelligitur essentiæ diuinæ veluti quidam transitus de nondum concipi vt Filium, ad concipi quasi Filium per realem identitatem cum illo. Eandem conclusionem probant aliquæ rationes dubitandi initio propositæ. Sed quoniam amplius aliquid probare videntur, & fallaciæ nonnihil habent admixtum, oportebit eas soluere.

10 *Ad primam.* Ad primam negatur Maior. *quoniam terminus à quo* quidditatiuè continet imperfectionem, id est, priuationem perfectionis. Sed terminus *ad quem* potest à cunctis imperfectionibus esse liber & immunis: sicut à cunctis imperfectionibus liberatur illius productio. Quapropter in creaturis solummodo necessarium est sibi correspondere terminum *à quo* & *ad quem*.

11 *Ad secundam & tertiam.* Inde constat solutio secundæ, tertiæque rationis cum suis confirmationibus. Nam via, tendentia, exire, prodire, & illa aduerbia *inde, vnde*, cæteráque consequentia illis, terminum *à quo* respiciunt in productionibus creatis, non autem in productionibus increatis: in illis enim solummodo respiciunt productiuum principium, in cuius virtute quasi continetur occulta persona producenda: respiciunt etiam diuinam substantiam, quatenus considerata prius origine præcisè prout est in Patre, similitudinem quandam induit termini *à quo* prout dictum est concl. 2.

12 *Ad quartæ.* Ad quartam respond. esse fallaciam æquiuocationis. In eo quippe sensu verificari potest, nihil esse terminum *à quo* diuinarum productionum, ac si diceres, diuinæ productiones nullum habent terminum *à quo*. Cæterum ea propositio vitanda est, quoniam habere potest sensum hæreticum, videlicet, diuinas personas esse productas ex nihilo, sicut creaturæ producuntur.

13 Ad confirmationem respond. Terminus *à quo*, qui est nihil, non tantum excluditur, introducto alio termino *à quo*: sed multo melius & magis contradictoriè reiicitur introducta tota substantia & essentia, de qua Filius producitur. Cuius euidens ratio est, quoniam ex nihilo fieri, directè negat materiam & formam & multo magis totam essentiam, de qua fiat terminus productus, ac denique negat quidquid est intrinsecum termino producto. Quapropter directè contradicitur productioni ex nihilo, non introducendo alium terminum *à quo*, sed introducendo totam substantiam, quæ continet eminentiori modo perfectiones materiæ & formæ: vt vidimus disputatione 96. sect. 4.

SECTIO II.

Præpositio de *frequentius ex vi sua significat consubstantialitatem cum principio producente, quam ex vi sua non significat præpositio* ex.

1 MOrosa & implicata difficultas est examinare, quodnam discrimen significationis intersit inter has duas præpositiones *ex* & *de*, præsertim cum apud authores, qui Græcas, vel Latinas dictiones explicandas susceperunt, non reperiatur discrimen; imo nec in vsu Vulgati interpretis, nec in Græcorum Patrum interpretibus, nec in multis Patribus vt infra constabit. Quapropter decisionis fundamentum accipere debemus ex vsu & doctrina doctorum Ecclesiæ circa mysterium sanctissimæ Trinitatis.

2 Sit ergo prima conclusio. Vis & propria significatio præpositionis, *de*, magis apta est, vt frequentius & ex vi sua significet consubstantialitatem producti & producentis. Probatur primò, quia præpositionem *ex* significare tantum ordinem ad causam producentem, non significando consubstantialitatem: at verò præpositionem *de* significare præterea consubstantialitatem rei productæ cum principio producente, supponit apertè Nazianzenus orat. 49. de fide ante med. sic notans Arianorum infidiosa vocabula: *Quia lumen Pater, & lumen Filius, rectè lumen de lumine credimus. Tu autem non lumen de lumine, sed lumen ex lumine ita asseris, quasi à Patre, qui verè lumen est, aliud lumen sit factum, quod de ipsa Patris substantia non sit, sed sicut aliud quodlibet lumen, quamquam à Deo sit factum, longè tamen aliud sit ab eo, qui fuerit: & ideo lumen ex lumine, non de lumine dicis.*

3 Declaratur, & confirmatur primò, quia prædictam generalitatem significationis, abstrahentis à consubstantialitate, contrahi & determinari ad significandam consubstantialitatem, quando præpositio *ex* coniungitur cum *essentia* siue *substantia* Patris aut Dei; colligitur apertè ex verbis Nicæni Concilij, quæ refert Athanas. epist. ad epis. Africæ pag. 4. Theodoretus lib. 1. histor. Ecclesiast. cap. 8. ponitúrque in Nicæno Concil. lib. 2. prope finem. Nam Arianorum princeps Eusebius Nicomediensis, & eius fautores in Concil. Nicæno simulabant se Catholicæ fidei consentire, concedentes, *Filium ex Deo esse. Etenim nos quoque ex Deo sumus. Vnus namque Deus ex quo omnia.* Sic Ariani. Sed Catholici Episcopi, *astutia eorum, & fraudulento conatu exploratè cognito, planius explicarunt illud: Ex Deo esse, vt tum creaturæ, propterea quod non ipsæ ex se, aut sine causa ortæ sint, sed principium ortus sui habeant, ex Deo esse dicantur: tum Filius solus existimetur ex Patris essentia constare: hoc enim Vnigeniti & veri Verbi Dei Patris proprium est. Quod autem ab Episcopis scriptum est, ex Patris essentia, hæc causa fuit.* 1. Corinth. 1. fine & 1. Corinth. 8.

4 Declaratur & confirmatur secundò, nam ex præcedentibus consequens est, vt quoties consubstantialitatis discrimen fuerit positum inter præpositionem *ex* atque *de* sit intelligendum, constituendo præpositionem ex cum Patre, vel cum Filio, vel cum Deo; non verò dicendo, *ex essentia* vel *ex substantia*, vel *ex vtero*, vel *ex corde, ex ore, ex meo.* Propterea quippe consubstantialitas denotatur Psalm. 109. *Ex vtero ante lucif.* &c. & Eccles. 24. *Ex ore Altissimi prodiui.*

5 Secundò probatur, Augustinus enim lib. de natura boni contra Manichæos cap. 26. notat: *Ex ipso autem non hoc significat, quod de ipso. Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso: non autem omne quod ex ipso est, rectè dicitur de ipso. Ex ipso enim cælum & terra, quia ipse fecit ea; non autem de ipso, quia non de substantia sua. Sicut aliquis homo si gignat Filium, & faciat domum; ex ipso Filius, ex ipso domus; sed Filius de ipso, domus de terra & ligno.* Quam Augustini sententiam recipit Magister 1. dist. 36. cap. penult. Quem sequuntur communiter Scholastici non solum ea dist. 26. sed etiam dist. 5. locis citatis in disputatione præcedenti sect. 3. sub init. S. Thomas 1. dist. 5. quæst. 2. art. 1. corpore, & in præsenti quæst. 41. art. 3. ad 2. Vbi communiter eius

eius expositores. Henricus in summa p. 2. art. 54. ad argumentum, quod tractat, vtrum Deus producat Deum ex nihilo, præsertim ad finem solutionis.

6 *Obiectio.* Probatur tertiò, simúlque diluitur obiectio quorundam Theologorum. Nam contra prædictum discrimen insurgit Driedo lib. 3. de regulis & dogmatibus Scripturæ sactæ prope fin. versiculo, *verum hæc doctrina.* vbi probare contendit oppositum ex Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* & in Symbolo Apostolorum *conceptus est de Spiritu sancto.* & in Symbolo Nicæno, *Incarnatus est de Spiritu sancto.* Quæ verba de Christo Domino secundum humanitatem dicuntur, secundum quam non est consubstantialis Spiritui sancto, præsertim cum de persona Verbi nullo modo verificari possit, quod sit de Spiritu sancto, sed potius de ipso sit Spiritus sanctus.

7 Driedonis sententiam probant docti recentiores, vt Vazquez disput. 162. cap. 2. sub init. Nam quod adiungit, apertè denotari consubstantialitatem, quando dicitur Filius esse vel produci *de substantia Patris*, hoc etiam conuenit præpositioni *ex*, vt nuper retulimus ex Concilio Nicæno.

8 *Solutio.* Respondetur tamen, & sit probatio tertia, quoniam obiectionē supradictam præoccupauit Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. prope finem, tractans illud Matth. 1. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Notat enim: *Licet pleriq; habeant, de Spiritu; Græcus tamen, vnde transtulerunt Latini, dixit, ex Spiritu sancto. Quod enim ex aliquo est, aut ex substantia eius est, aut ex potestate eius. Ex substantia, sicut Filius, qui ait: Ex ore Altissimi prodiui: sicut Spiritus, qui à Patre procedit. Ex potestate autem, sicut illud est: Vnus Deus Pater, ex quo omnia.* Infert autem, Mariam sanctissimam habuisse ex Spiritu sancto non ex substantia, sed ex potestate. Quapropter apertè supponit, quod præpositio *de* consubstantialitatem determinatè significat; sed ad eam significandam, aut non significandum indifferens est præpositio *ex*. Alioqui frustra recurreret ad Græcum, in quo posita erat præpositio *ex*, non *de*. Eccles. 24. Ioann. 16. 1. Corint. 8.

9 Confirmatur primò, quia consonat Athanasius dialog. 3. de sancta Trinitate multo propius ad fin. quàm ad med. ita referens verba Matthæi: *Inuenta est grauida ex Spiritu sancto.* Expositores quoque in eum locum obseruant, præpositionem *ex*, magis ad verbum respondere Græco vt Maldonatus Matth. 1. Salmeron tom. 3. tract. 30. propius ad fin. quàm ad med.

10 Confirmatur secundò, quia verisimilius est, Basilium in originali Græco iuxta Græcam editionem scripsisse *ex Spiritu sancto est*, lib. 5. contra Eunom. cap. 2. quamuis interpres Basilij, secutus interpretationem Euangelij, legerit *de Spiritu sancto est.* Cuius rei aliud est etiam vehemens indicium, quoniam ex professo declarat generalitatem, quam diximus conuenire præpositioni *ex*, vt significet principium eiusdem vel diuersæ naturæ, præsertim ab illis verbis: *Quod ex alio est, vel creatione, vel generatione, vel natura, ex ipso est.* Concludit autem, corpus Christi Domini fuisse ex Spiritu sancto, *sicut eius creaturam.*

11 Probatur quartò, nam licet oppositum extremum videatur tenuisse Chrysostomus propter translationem, præcedentibus similem, verè tamen probat nostram conclusionem. Siquidem hom. 3. de Spiritu sancto quæ incipit, *Heri à nobis*, sub initium. Spiritus sancti Diuinitatem Patri consubstantialem probat verbis Apostoli 1. Corinth. 2. *Spiritum, qui ex Deo est. Ex Deo autem nihil dicitur, nisi quod est ex substantia eius.* Vbi Græcus codex habet præpositionem *E K* videlicet eandem, quam tertia probatione notauit Ambrosius circa verba Matthæi 1. significare, quod apud Latinos *ex*.

12 Aliunde nó est credibile, Chrysostomum, adeo versatum in Scriptura, præsertim in Paulo, vel ignorasse, vel oblitum fuisse Roman. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.* & 1. Corinth. 1. fine. *Ex ipso autem vos estis.* & 1. Corinth. 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia.* præter alia id genus non pauca. Verisimilius itaque videtur esse, Chrysostomum in prædicta homil. 3. de Spiritu sancto legisse, *Spiritum, qui de Deo est*, & propterea subintulisse: *de Deo autem nihil dicitur, nisi quod est de substantia eius.*

13 *Obiectio.* Quintò probatur, obiectionem aliam præoccupando, quæ posset aduersus prædictum discrimen occurrere; propterea quod Patres & concilia videntur indifferenter vti præpositionibus istis *de, ex, è, à*, vel *ab*, loquentes de processionibus diuinarum personarum. Cui respondemus, diuino Consilio Patres & Concilia variasse multoties præpositiones ac modos exponendi consubstantialem processionem, vt quod vna præpositione minus apertè denotatur per aliam magis apertè declaretur. Nam præpositio *de* multoties non significat principium productiuum, sed tantum principium intrinsecum siue materiam, veluti cum dicimus statuam esse de marmore vel ære. At præpositio *ex* magis quadrat in principium productiuum, vt supra vidimus. Ideo Patres vt magis apertè commendarent vtrumque principium; adhibent simul aut successiuè præpositiones varias, vt vna magis explicet, quod in alia fuerat minus apertum.

14 Sic exemplum Nicænæ fidei, quod refert Euseb. Cæsar. lib. 10. historiæ Ecclesiast. cap. 6. profitetur: *De Patre natum Vnigenitum, id est, de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero.* Eodem modo fidem Nicænam refert Epiphanius in ancorato ad finē & Hilarius lib. de Synodis quinque columnis ante finem. Sed aliquantulum Latinæ dictiones discrepant apud Nazianz. orat. 50. de fide Nicæna, vbi sic eam legimus: *Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno.*

15 Ecclesia Latina Nicænum Symbolum permutatis præpositionibus effert. *Ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo,* &c. & inferius de Spiritu sancto. *Qui ex Patre Filioq; procedit.* Regula fidei, Thaumaturgo diuinitus tradita, apud Greg. Nyssenum in eius vita: *Solus,* inquit, *ex solo, Deus de Deo.* Sic etiam Nazianzenus, ad significandam processionem Filij vel Spiritus sancti, præpositiones supradictas variat, vt videre licet orat. 13. quæ est 2. de pace, post med. & orat. 29. de dogmate & constitutione episcoporum post med. & orat. 32. ad centum quinquaginta episc. paulo post med. & orat. 33. 36. & 37. quæ de theologia sunt 3. & 4. & 5. & orat. 49. de fide.

16 Eandem variationem reperies in expositione fidei Ecclesiæ Antiochenæ, apud Hilarium lib. de synodis propius ad med. quàm ad princ. & apud eundem Hilarium tam eodem libro, quàm duodecim libris de Trinitate. Insuper & apud Cyrillum in expositione symboli Nicæni, & quatuordecim libris thesauri, & septem libris dialogorum. Necnon apud Ambrosium in symbolum Apostolor. & quinque libris de fide ad Gratianum,

num, & tribus libris de Spiritu sancto præsertim lib.2. cap. 10. post med. vbi prædictas præpositiones exponit nullum inter eas discrimen assignans. Idem reperies vsu receptum apud Athanasium & alios Patres.

17 Ex quibus colligo & sit secunda conclusio. Non est tantus rigor exigendus in prædictis præpositionibus, nec tanta religio seruanda, vt non liceat eas aliquando permutare siue restringendo significationem in *ex* ad denotandam consubstantialitatem, siue ampliando significationem in *de*, qua comprehendat etiam ea, quæ non sunt consubstantialia. Talis enim ampliatio vel restrictio dictionum vltra rigorosam illarum vim, euenit frequenter in nominibus & verbis.

18 Vnde non dubito, quin apud Ioannem præsertim in canonicis epistolis in Græco præpositio eadem, quam diximus significare consubstantialitatem, reperiatur dicta de creaturis procedentibus à Deo; nec mirum, siquidem iusti vocantur filij, geniti & nati ex Deo. Econtrariò quod *ex* multoties denotet consubstantiale, constat ex testimoniis supra relatis. Veruntamen quando *ex* præponitur *substantiæ, naturæ* vel *essentiæ* vel *vtero* vel *ori*, semper significat consubstantialitatem: vt vidimus sub initium præsentis sectionis & magis constabit sectione sequenti.

SECTIO III.

Vtrum efficiat diuersum sensum, qui dicit, ex Patre, *vel qui dicit*, ex substantia Patris.

1 *Primum argumentum.* AFfirmatiua pars probari potest primò, nam in Concil. Florent. sess. 18. à med. fusè defenditur, idem esse dicere, *ex Patre*, vel, *ex persona Patris*, atque dicere, *ex substantia Patris*, eo quod persona & substantia sunt realiter idem.

Secùdum argumentum. Secundò probatur, quia Nicæni Patres, quod prius dixerant in professione fidei, *Vnigenitum ex Patre natum*, exponunt postea, *id est ex substantia Patris*. Ergo idem valent hæc duo.

2 Nihilominus dico primò. Ratione materiæ, in qua ponitur præpositio *ex*, significat idem, qui dicit *ex Patre*, ac si diceret, *ex substantia Patris*. Veruntamen hoc significatum est magis implicitum, & indigens clariori explicatione; propterea que subiungitur à Patribus explicatio.

3 Dico secundò, præscindendo à materia subiecta, & considerando secundum se vim præpositionis *ex*, qui dicit, *ex Patre*, solummodo significat producens principium; sed qui dicit *ex substantia Patris*, significat non solum principium producens, sed etiam consubstantialem esse terminum productum: vt constat ex præcedenti sect. & infra magis constabit.

4 Dico tertiò. Illud habet peculiare præpositio *de*, quod ex vi sua significat consubstantialitatem, licet tantum duas, *de Patre*, vt probatum est sectione præcedenti. Licet oppositum dixerint Alexander & Petrus de Tarantasia, apud Carthusian. locis referendis in assertione sequenti. Quam sententiam significat etiam S. Bonauent. ibidem citandus.

5 Sed pro maiori declaratione notandum est, quod Magister 1. sentent. dist. 5. cap *his verbis*. & cap. *ostenditur*, exponit, Filium esse genitum *de essentia Patris*, id est, *de Patre essentia*, confirmátque verbis Augustini lib. 15. de Trinitate cap. 12. vel 13. *Tale est quod dico, de Patris scientia vel de Patris essentia, ac si expressiùs dicerem, de Patre scientia vel de Patre essentia.* Hanc expositionem insufficientiæ redarguit S. Thom. in præsenti art. 3. ad 2. & alij plerique Scholastici, quoniam dicere possumus, creaturam esse ex Deo essentia, non tamen ex essentia Dei.

6 Miror tamen hanc insufficientiam imponi Magistro, cum ille prædictis capitibus perspicuè non semel explicuerit, illis propositionibus significari non tantum, quod Filius sit de Patre, qui est essentia, sed etiam quod Filius sit eadem essentia & substantia. Quapropter apertè Magister notauit non solam habitudinem actiui principij, sed præterea communicationem eiusdem substãtiæ, significari prædicto complexo *ex essentia*, vel *ex substantia*. Merito igitur alij Scholastici defendunt Magistrum.

7 Dico igitur quartò. Licet Scholastici non nihil discrepent circa propriam vim & significationem earum præpositionum, quas tractamus: omnes tamen in eo conueniunt, quod *ex substantia Patris*, vel *de substantia Patris*, siue *essentia*, vel *natura*, significat consubstantialitatem simul cum habitudine ad principium productiuum. Ita Magister nuper citatus. Alexand. 1. p. quæst. 42. memb. 3. art. 1. ad 4. Albert. 1. p. quæst. 30. memb. 3. art. 2. particula 3. S. Thomas in præsenti art. 3. ad 2. & 1. sent. dist. 5. quæst. 2. art. 1. S. Bonauentura eadem dist. 5. art. 1. corpore quæst. 2. Henricus 2. p. summæ art. 54. quæst. 7. ad argum. 7. vel 9. secundum aliam numerationem. Marsil. lib. 1. q. 9. art. 2. argum. 8. & sequent. Cæteri Scholastici 1. dist. 5. vbi Durand. quæst. 2. Scotus item quæst. 2. necnon Gregor. quæst. 2. art. 1. Ricard. articulo vnico q. 3. ad argumenta. Ocham. quæst. 2. Gabriel q. 2. art. 2. Carthusian. tota ferè quæst. 2. Ægidius parte 2. quæst. 1. Argentina q. 1 art. 4. conc. 1. Maior quæst. 1. post med. dubitat. 1. & 2. Aureolus art. 2. præposit. 2. & sequent. Capreol. quæst. 1. art. 1. concl. 2. & 4. Caietanus, Canarien. & cæteri expositores ad præsentem art. 3. vbi Molina disp. 2. Vazquez disp. 162. cap. 2. Valentia 1. p. quæst. 15. de Trinit. punct. 3. à med. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 6.

8 *Prima difficultas.* Ex his deducitur solutio ad varias difficultates occurrentes. Prima est, quoniam, vt inquit Anselm. in epistola de processione Spiritus sancti cap. 3. statim à med. *Nec natura permittit, nec intellectus capit, existentem de aliquo esse de quo existit, aut de quo existit esse existentem de se.* Quo principio nititur in præcedentibus, sequentibúsque capitibus probãdam distinctionem personarum per originem. Sed Filius est substantia & essentia eadem quæ Patris est. Ergo Filius esse nequit de substantia Patris.

9 *Solutio.* Respondetur cum Alexandro, Bonau. Ricard. aliísque citatis. Quando præpositio *de* vel *ex* ponitur inter duo tantum extrema non addendo aliquid amplius; tunc planè significatur realis origo, & realis distinctio vnius extremi ab altero. Cæterum quando post ablatiuum *substantia*, vel *essentia*, subiungitur genitiuus *Patris* vel *Filij*; tunc satis est personam procedentem esse realiter distinctam à Patre, vel à Filio. Nam ablatiuus *substantia*, vel *essentia* tantum significat modum procedendi per communicationem eiusdem essentiæ.

10 *Secunda difficultas.* Secunda difficultas est, vtrum dicere liceat, Patrem esse de essentia Filij, vel Spiritus sancti, aut Filium esse de essentia Spiritus sancti. Communis consensus theologorum eiusmodi propositiones non admittit, quoniam significant non modò

modò Patrem esse consubstantialem, & eiusdem essentiæ cum Filio & Spiritu sancto, sed etiam ab illis procedere tanquam à principio productiuo, iuxta declarationem supra datam. Ita Alexander, S. Bonauentura, Scotus, Ocham, Gabriel. Carthusian. & Canarien sis citati pro dicto 3. & apertè colligitur ex Augustino, S. Thoma, & aliis referendis diff. seq.

11 *Tertia difficultas.* Tertia difficultas est de his propositionibus: *Pater est de essentia diuina*, vel *Filius est de essentia diuina*. vel, *Tres personæ sunt de essentia diuina*, vel *ex eadem essentia.* Respond. eas propositiones esse negandas, authore Augustino lib. 7. de Trinitate cap. 6. circa med. Vbi, *Tres personas*, ait, *ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud quod persona.* Quam rationem magis explicat S. Thomas in præsenti art. 3. ad 3. & 1. sentent. distinct. 5. quæst. 2. art. 1. fine, quia videlicet, in his propositionibus non ponitur aliquid, respectu cuius possit verificari realis distinctio per originem, quæ significatur per præpositionem. Vnde facile colligi potest concordia cum ea doctrina quam S. Thomas tradiderat supra quæst. 39. art. 2. ad 5. Augustinum sequitur Magister 1. dist. 5. prope finem (licet ambiguè loquatur.) Clariùs autem Henricus 2. p. summæ art. 54. quæst. 3. ad 7. (quod alioqui numeratur vt 9. argumentum) & omnes expositores S. Thomæ.

12 Cæterum Vazquez disput. 162. cap. 2. fine obiicit, quoniam S. Thomas in præsenti art. 3. ad 2. asserit, posse dici, *quod Angelus aliquis est de natura intellectuali.* Respond. Inter Angelum & naturam intellectualem, in vniuersali consideratam, reperitur aliquod genus distinctionis realis, non modò quoniam Angelus in particulari est suppositum, includens subsistentiam realiter distinctam à natura, sed etiam quoniam intellectualis natura complectitur innumeras realitates Angelorum, quæ realiter distinguunt ab hoc Angelo: propterea que verificatur realis distinctio; quamuis non verificetur origo: propterea que propositio illa sit inusitata & minus propria.

13 *Quarta difficultas.* Quarta difficultas est, quoniam Filius est sapientia de sapientia, substantia de substantia, essentia de essentia, lux de luce, gloria de gloria. Quemadmodum ex Augustino variis in locis, ex Epiphan. Athanasio, Nysseno & aliis retulimus disput. 80. sect. 1. argum. 3. confirmatione 1. & 2. & tamen sapientia non distinguitur realiter à sapientia, nec substantia à substantia, nec ducit originem ab illa. Veruntamen in eadem disput. 80. sect. 7. respondimus, abstracta illa per figuratam & emphaticam locutionem accipi pro persona, quasi dicerent Patres, Filius qui est substantia, sapientia, lux & gloria, est de Patre, qui est eadem substantia, sapientia, lux & gloria. Sed illæ locutiones non sunt in vsum recipiendæ.

Solutio.

SECTIO IV.

Quid propriè denotent præpositiones è, à, *vel* ab.

1 HEnricus 2. parte summæ art. 54. quæst. 3. ad 7. vel 9. argum. in fine solutionis inter omnes quinque præpositiones discrimen constituit; licet agnoscat alias pro aliis vsurpari multoties.

Dictum primum. Nihilominus dico primò. Præpositio *e* videtur idem prorsus valere, quod *ex*, proprereáque significare principium, non verò consubstantialitatem, nisi ratione materiæ. Rarior autem est apud Pa-

Ruiz. de Trinitate.

tres istius præpositionis vsus; vt apud Iustinum lib. de Trinitate non procul à princip. *Pater è propria essentia genuit Filium:* Ambrosius 1. de fide ad Gratian. cap. 7. parum à med. dicit: *Verus Deus, verus è vero.*

2 *Dictum secundum.* Dico secundò. Præpositione *à*, secundum rigorem sermonis accepta, non denotatur consubstantialitas, sed tantum ordo originis: proprereáque minus congruè diceres, Filium esse *à substantia Patris*, vel *ab essentia Patris*. Id obseruant S. Bonauent. 1. distinct. 5. art. 1. quæst. 2. prope finem, & Henricus initio citatus. Cæterum ratione subiectæ materiæ consubstantialitatem denotare possunt. vt Ioan. 13. & 16. *à Deo exiui.* & cap. 17. *Exiui à Patre.* Symbolum Athanasij *Filius à Patre solo est*, &c. *Spiritus sanctus à Patre & Filio.* Athanas. orat. 50. de fide Nicæna, hæc inter alia refert de Filio: *Perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno.* Nazianzen. orat. 13. quæ est 2. de pace, paulo post med. num. 16. dicit, *Ea quæ à principio manant*, videlicet Filius & Spiritus sanctus.

3 *Dictum tertium.* Dico tertiò. Præpositio *ab* significatione nihil omnino differt à præpositione *à*, sed tantum constructione; quoniam vna præponitur nominibus incipientibus litera vocali, sed altera præponitur literæ consonanti. Quapropter præpositionis *ab* vix reperietur vsus, nisi quando Patres dicunt, Spiritum sanctum *ab vtroque* procedere. Discrimen autem, quod assignat Henricus citatus, nullum est. Sic enim Hilarius lib. 8. de Trinitate propius ad med. quàm ad princip. de Filio ait: *Quod est, & ab eo est, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ dissimilitudinem separatur.* & lib. 3. de Trinitate col. 2. *Ab ingenito, perfecto æterno, à Patre, Vnigenitus & perfectus, & æternus est Filius.*

SECTIO V.

Terminus ad quem, *& quod est de Patre, vel de Filio, est tota persona producta.*

1 QVod per notionales actus producitur, esse personam: sicut quod generatur est Filius & quod est de Patre, siue de substantia Patris: ac similiter quod spiratur, est Spiritus sanctus, qui est de Patre & Filio, siue de substantia Patris & Filij: & consequenter personam esse terminum totalem & adæquatum, qui terminat diuinas processiones vt *quod*, non vt *quo*, satis perspicuum manet ex dictis in hac & præcedenti disput. quin etiam ex aliis plurimis. Quo supposito venire posset in mentem dubitatio, num persona producatur in eo sensu, quod sola relatio producatur: siquidem substantia, natura, vel essentia non producitur; vt probatum est tota disput. 80.

2 *Tota persona est totalis terminus ad quem.* Nihilominus dogma fidei est, aut valde proximum fidei, quod non possit absque errore negari, totam & integram personam, secundum totum esse quod habet esse productionis terminum *ad quem*, totalem, & vt *quod* producitur. Ita vt generationis terminus sit Filius secundum se totum, non secundum præcisam relationem Filiationis; Spirationis terminus sit Spiritus sanctus secundum se totum, non secundum præcisam relationem processionis.

3 Probatur primò perspicuis Conciliorum & Patrum testimoniis. Nicæna quippe fides, apud Nazianzenum oratione 50. Filium appellat, *Perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno.* & post pauca Nazianzenus ait: *In Patre totum, quod inest,*

totum genuit Filium. Idem asseruerat in præcedenti oratione 49. de fide, colum. 3. *Totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto.* Quod repetens inter med. & finem, confirmat Colossens. 2. *In quo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.*

4 Antiochena Ecclesia in professione fidei, quam exponit ac defendit Hilarius libro de Synodis inter principium & medium, eadem habet, quæ nuper retulimus ex Concilio Nicæno, videlicet *Totum ex toto, perfectum de perfecto.* Ambrosius ad verbum transcribens, quod scripserat Nazianzenus in prædicta oratione 49. sic loquitur lib. de Filij Diuinitate, cap. 7. sub init. *Tantus est Filius, quantus videbitur esse Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta consummataq; virtute;*
Coloss. 2. *sicut Apostolus dicit: In quo omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter habitat.* Idem lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 3. inter medium & fin. ait: *Ex Patre totus est Filius.* Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. prope finem. *Tantum genuit, quantus est ipse: quia de seipso genuit verum Filium, & perfectam genuit plenitudinem Diuinitatis.* Et epist. 66. ad Maximum ait: *Integrum ex integro.* Idem serm. 125. de tempore initio, *Genuit Filium,* ait, *totum à toto, perfectum à perfecto, plenum à pleno.*

5 Frequentior & copiosior cæteris, est Hilarius in hoc dogmate confirmando. *Nam totum ex toto, perfectum à perfecto,* Filium à Patre procedere, multoties repetit lib. 2. de Trinitate propius ad med. quàm ad princip. & lib. 3. colum. 2. initio probat, *Quia plenitudo Deitatis in Filio est.* & lib. 6. ferè inter princip. & medium. Præterea lib. 7. propius ad med. quàm ad finem, ait: *Omne in se Filius Dei habet nascendo, quod Dei est: & idcirco opus Filij opus Patris est: quia natiuitas nec extra naturam eam est, ex qua manat, & naturam eam in se habet, unde subsistit.* Sequentique lib. 8. colum. penult. *Vnum,* inquit, *ex uno, & totum à toto Deum & Filium, neque per natiuitatem Patri ademisse quod totus est, neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse.* Denique lib. 9. quinque columnis ante finem libri: *Viuens natura naturæ viuenti indifferens est, quippe quæ ex totâ tota sit.* Quin etiam lib. 4. de Trinit. col. 5. scribit: *Nihil nisi natum habet Filius.* Quod explicat Magister 1. distinct. 5. §. *huic verò,* & nos supra disput. 80. sect. 8.

6 His consonant quæ de plenitudine Diuinitatis attulimus disputatione 8. sect. 5. post medium. & disputatione 14. sect. 2. probatione 2. vsque ad finem. & disputatione 38. sect. 3. fine. Phæbadius autem lib. contra Arianos prope med. loquitur eadem phrasi: *Totus de toto, perfectus de perfecto,* &c. Subiungitque, *Totus,* videlicet Pater, *dedit totum, vt secundum spiritus virtutem totus esset in toto.*

7 Hæc omnia licet de Filio dicta sint, non exprimendo Spiritum sanctum, nihilominus propter omnimodam identitatem rationis, intelligenda sunt etiam de Spiritu sancto, de quo Florentinum Concil. sessione 18. colum. 2. communi consensu Latinorum & Græcorum per Ioannem & Marcum statuit, *Processionem esse, qua Spiritus sanctus accipit esse, ac illud totum, quo est, quoque propriè Spiritus sanctus nuncupatur.*
Idem intelligendum de Spiritu sancto.

8 Secundò probatur ratione ducta ex verbis Christi Domini: quia viuere viuentibus est esse, maximè verò diuinis personis, quæ secundum se totas viuunt. Sed Filius per generationem à Patre producitur, vt viuat. Ergo totus Filius, & secundum se totum producitur à Patre. Confirmatur illatio, quia vita est aliquid commune tribus personis & absolutum; ideóque si vita non excipitur ab illa totalitate; nihil est excipiendum.

Minor verò probatur, Ioan. 6. *Ego viuo propter Patrem.* Vbi dictio *propter,* planè significat principium productiuum. Cui concordat illud Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Quod esse primariò intelligendum de æterna generatione: licet etiam secundariò referatur ad Incarnationem plurimis testimoniis Augustini, Ambrosij, Hilarij, Cyrilli, Leonis, Idacij & Cœlij Florentini ostendimus disput. 50. sect. 6. initio. Nunc verò, iuxta generalem regulam exponendi, quam probauimus eadem disput. 50. sect. 1. & plurimis exemplis corroborauimus vsque ad finem eiusdem disputationis, intelligendum est, primariò significari, quod Filius Dei, quatenus Deus est, viuat propter Patrem, vt propter principium, à quo producitur totus Filius, & totum illius esse: licet significetur etiam secundariò, quod hic homo propter Patrem habet, vt sit Deus per vnionem hypostaticam personæ genitæ.
De totâ persona Verbi & simul de humanitate dictum est: Viuo propter Patrem.

Ideo Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 15. propius ad med. quàm ad finem. *Viuere,* inquit, *propter Patrem dicitur, non quia particeps vitæ, sicut nos, sit; sed quia omnia Paternæ substantiæ propria naturaliter in ipsum, sicut in Filium transeunt. Proprium autem Patris est viuere: vel, vt apertius dicam, ipse essentialiter vita est: hoc igitur & Filius est propter Patrem, quoniam ex eo nascitur.* Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 5. post quam prædicta verba declarauit de humanitate Christi Domini, subdit ad finem capitis: *Si ad Diuinitatem referunt: propter Patrem viuit Filius, quod ex Patre Filius est: propter Patrem, quod vnius substantiæ cum Patre: propter Patrem, quod eructatum Verbum ex Patris corde, quod à Patre processit,* &c.

Hilarius lib. 7. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad finem ita exponit: *Cum ait: Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; docuit, vitam in se per viuentem Patrem inesse.* & lib. 8. propius ad med. quàm ad princip. *Per Patrem viuit, dum natiuitas non alienam ei intulit, diuersamq; naturam, dum quod est, & ab eo est,* &c. Rursus lib. 12. col. 2. *Non per se est, qui per natiuitatem est.* Chrysostom. in Ioan. homil. 46. colum. 1. fine, ita exponit: *Viuo ego, & Pater, & ne ingenitum arbitrareris, addidit, propter Patrem.* Et paucis interpositis: *Quid ergo signat, propter Patrem? causam tantùm.* Id est principium.

Augustinus tract. 26. in Ioan. sub finem, norat ideo dictum esse: *Viuo propter Patrem, quia ipse de illo, & non ille de ipso est.* Similiter etiam de æterna Generatione prædicta verba Ioan. 6. Damascenus intelligit lib. 4. fidei cap. 19. multo propius ad princip. quàm ad med.

Quamobrem tam multi Patres præponderant vni Basilio, qui lib. 4. contra Eunom. inter med. & finem ratiocinando colligit, oportere intelligi de humanitate; videtur autem excludere intellectum prædictum de persona Verbi.

Probatur tertiò prædictum dogma, quia Patrem Filio fuisse principium substantiæ ac Diuinitatis, & Filium esse productum ad esse, docent Ecclesiæ Doctores. Nazianzenus enim oratione 1. non procul ante med. num. 71. de Patre sic loquitur: *Diuinitatis & bonitatis illius causa est, quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur.* & orat. 26. de moderatione in disputationibus seruanda col. 3. dicit, *Spiritum sanctum ex Deo substantiam habere.* & orat.

& oratione 29. de dogmate & constit. Episcopor. prope med. *Paruorum certè & indignorum author fuerit, si Diuinitatis author non sit, eius, inquam, quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur.*

15 Basilius lib. 2. contra Eunom. circa med. *Filius,* inquit, *coëxistens Patri, à quo etiam habet substantiæ causam. Quando igitur ad esse productus est? Ex quo Pater fuit.* Et post pauca sic exponit versum Psalmi 109. *Verbum, genui, causam, ex qua essendi principium habet, significat.* Deinde libro 3. sub init. *Causa essendi Pater est Filio.* Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 1. colum. 2. *Ipsum,* inquit, *esse Filij ex substantia Patris prodit.* & lib. 9. cap. 4. prope fin. de Filio ait: *Inde naturaliter scientiam omnium habet, vnde ipsum etiam esse habet.* Quibus similia scribit sequenti lib. 10. cap. 2. non longè à princip.

16 Sophronius Constantinopolit. in sexta Synodo actione 11. epist. professionis fidei col. 2. de Filio dicit: *Nec aliunde, quàm ex Patre ipsam substantiam habet.* Sic etiam quod Spiritus sanctus *substantiam habet ex Patre,* docet Theodoretus epitome diuinor. decretor. lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto initio & ante medium & in commentario 1. Corinth. 2. ad illud, *sed Spiritus, qui ex Deo est.*

17 Hilarius lib. 5. de Trinit. propius ad med. quàm ad princip. ita præcipit: *Nemo ambigat, naturam authoris in Filij natiuitate connasci.* & lib. 3. col. 2. *Omne quod Deus est, per charitatem atque virtutem natiuitati eius impartiens.* Damascen. lib. de duabus Christi voluntatibus inter principium & medium. *Habet,* inquit, *à Patre & statum suum, & quæ habet omnia.* Vides igitur, quanto fundamento antiquitatis in literis vnionis Concilij Florentini sessione vltima paulo post medium literarum decernitur. Quod Spiritus sanctus *essentiam suam, suumq; esse subsistens habet ex Patre simul & Filio.*

18 Confirmatur primò, quoniam ad significandum, quod Pater non produxerit solam relationem seu personalitatem; sed totum Filium, quantus, quantus est, produxerit; vtuntur Patres multis locutionibus emphaticis & minus propriis, dicendo, genitam esse substantiam, siue naturam & essentiam; quarum exempla plurima posuimus disputat. 80. sect. 2. Confirmatur secundò, nam exceptio firmat regulam in contrarium; sed Pater gignendo dedit Filio quidquid est ipse Pater, sola paternitate exceptâ. Ergo gignendo dedit totum esse, diuinum, quod Filius habet commune cum Patre. Minor testimoniis Scripturæ & Patrum probata fuit disputatione 19. sect. 2. & disput. 50. sect. 5. & 6.

19 Quartò probatur ex Augustino lib. 1. de symbolo ad catechumenos cap. 2. initio, dicente: *Quod est, hoc genuit.* Et post pauca: *Tene ergo fortiter & fideliter, quia hoc genuit Deus Pater, quod est ipse omnipotens.* Sed Pater est totus & integer Deus: ergo genuit totum & integrum Deum Filium.

20 Quintò probatur ratione theologica, quia Filius non est compositus, sed omnino indiuisibilis: ergo si generatur; totus generatur: maximè cum generatio & quælibet realis productio terminetur ad rem, prout existit à parte rei, non secundum præcisiones humanæ rationis. Ita ratiocinatur Hilarius lib. 9. de Trinitate propius ad fin. quàm ad med. *Dum non ex portione compositus est, sed ex simplicitate perfectus est: necesse est, vt secundum quod est Pater, ipse sit omnium suorum ei, quem ex se genuit, Pater totus, dum eum Patrem ex suis omnibus natiuitas Filij perfecta consummat.*

Ruiz. de Trinitate.

SECTIO VI.

Formalem terminum productionis non esse diuinam substantiam, contendunt authores aliqui.

EXpedito iam termino, qui producitur & est totalis terminus *ad quem,* (de quo diximus in sectione præcedenti) restat inuestigandus alter, videlicet, formalis terminus *ad quem,* vtrum ille sit essentia diuina. Supponitur autem, quod essentia non est terminus, qui producitur, sed qui communicatur, vt probatum est disput. 80. peculiariter sect. 6. de communicatione. 1

Duas solum opiniones inuenio contra terminum formalem. Prima fuit Henrici, Durandi & Gotfredi, qui dicentes, essentiam diuinam esse tanquam materiam, virtualiter negarunt esse terminum formalem. Contra quos disseruimus disp. præcedenti. 2 *Prima sententia.*

Secunda sententia dicit duo. Primum est, totam personam, id est, Filium & Spiritum sanctum esse terminum formalem, qui formaliter producitur. Secundum est, si terminus formalis accipiatur, vt condistinctus à termino, qui per se producitur, nullum esse terminum formalem diuinæ productionis: ac subinde substantiam siue naturam diuinam non esse formalem terminum generationis, nec spirationis. Ita prior docuit Ocham 1. distinctione 5. quæst. 3. quem vt authorem secutus est Gabriel in eadem distinct. 5. quæstione 3. artic. 2. fusiùs autem probatur ab Aureolo 1. sentent. distinct. 5. quæstione vnica artic. 2. propositione 3. & art. 3. colum. 3. Cuius fundamenta refutat ex professo Gregorius in eadem distinct. 5. quæst. 2. artic. 2. nihilominus propter alias rationes eandem sententiam tenet conclusione 2. Colligitur etiam ex S. Bonauentura, quoniam dist. 5. artic. 2. quæstione 1. corpor. & distinctione 13. artic. 1. quæstione 2. ad 2. docet Generationem non terminari ad essentiam diuinam, sed ad personam. 3 *Secunda sententia.*

Primarium & generale fundamentum istius sententiæ est, quia de quidditate formalis termini est, suum esse suámque realitatem accipere per illam productionem, ita vt ex vi talis productionis existat. Hoc autem repugnat essentiæ diuinæ: vt constat ex disputatione 80. Fundamentum hoc probat Aureolus. Primò, discurrendo per singulas productiones, quia si albedo non acciperet esse per dealbationem; non esset terminus formalis dealbationis: si forma ignis non acciperet esse per ignitionem; non esset terminus formalis ignitionis. 4 *Primum argumentum.*

5 *Secundum argumentum.* Secundò, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed terminus, qui producitur accipit esse propter formalem terminum; ergo ipse formalis terminus accipit esse magis, quàm terminus, qui producitur. Minorem probat, quia terminus formalis est, quo producitur res producta, sicut formale principium est illud, quo producens producit. Confirmari potest, quia terminus formalis est ratio constituens formaliter in esse producti terminum totalem. Quod autem non est productum, non potest constituere formaliter in esse producti.

6 *Tertium argumentum.* Tertiò subiungit testimonium Commentatoris 7. metaphys. comment. 31. dicentis, quod agens non generat subiectum, nisi quia generat formam, & in lib. 2. physic. text. 14. vbi Aristoteles ait, quod generatio est via ad formam, Commentator ait, esse viam, vt forma fiat.

7 *Quartum argumentum.* Quartò, quia terminus, qui producitur, accipit suam realitatem formaliter ex vi termini formalis: sed Filius non accipit formaliter suam realitatem ex vi essentiæ, sed ex vi Filiationis, quæ est sua personalis proprietas. Ergo essentia non est terminus formalis.

8 *Quintum argumentum.* Quintò quod vni communicatur, præexistens in altero, non est formalis terminus generationis. Vnde quantitas & qualitates symbolicæ, quæ præfuerunt in corrupto, & communicantur genito, non dicuntur generari. vt notat Commentator lib. 1. de cælo comment. 15. Confirmatur, quoniam anima non est formalis terminus nutritionis, licet communicetur partibus alimenti, & per eam accipiant esse partes animalis: idque propterea, quia per nutritionem non producitur anima, sed vnitur & communicatur.

9 *Sextum argumentum.* Sextò, nam in communi resurrectione non erit terminus formalis anima, quia non accipiet esse per resurrectionem, sed iam antea præexistens, reunietur. Confirmat Ochamus, quoniam si anima intellectiua foret creata prius, & postea crearetur materia, vniretúrque animæ; non diceretur quod anima esset terminus formalis illius productionis.

10 *Septimum argumentum.* Septimò, quia realis ordo debet esse inter principium producens, & terminum formalem; hic autem intercedere non potest inter Patrem & essentiam, quia non distinguuntur realiter. Ergo essentia non est terminus formalis. Confirmatur, quoniam essentia est formale principium *quo*; ergo non potest esse formalis terminus *quo*. Alia minutiora congerunt Aureolus & Ochamus, quæ sua sponte ruent, adhibita solutione præcedentium argumentorum.

11 *Primum argumentum.* Postremò Gregorius hæc omnia fundamenta refutans, nihilominus eandem conclusionem tenet propter alia argumenta. Primum est, quia si res aliqua simplex causatur à Deo, non assignatur terminus formalis, distinctus à termino per se creationis, nimirum, ab eo quod creatur: hoc autem non alia ratione, nisi propter simplicitatem: sed Filius est simplicissimus; ergo non potest in eo assignari terminus formalis distinctus ab ipso Filio, qui generatur.

12 *Secundum argumentum.* Secundum argumentum accipit Gregorius ex sua illa generali doctrina, qua negat diuinas personas constitui proprietatibus & essentia diuina, excludens inter illa distinctionem rationis ratiocinatæ. Sed hoc tanquam temerarium refutauimus disputat. 86. sect. 1. & disput. 46. sect. 4. & disput. 46. sect. 4.

13 His addere possumus alias rationes dubitandi. Prima sit, quia terminus formalis primariò & radicaliter tribuit speciem productionibus diuinis, *Prima ratio dubitandi.* eásque distinguit: vt probatum est disp. 6. sect. 5. Sed essentia diuina non tribuit speciem, neque distinguit generationem à processione: cum essentia eadem communicetur per vtramque productionem. Ergo essentia non est terminus formalis. Secunda, quia communiter à Doctoribus *Secunda ratio.* dicitur, Verbum esse terminum intellectionis diuinæ; sicut Spiritus sanctus est terminus amoris. Sed neuter est terminus materialis, cum sit vltimò constitutus & plenus; ergo est terminus formalis.

SECTIO VII.

Essentiam esse terminum formalem.

1 NOn de re theologica, sed tantum de modo loquendi totum, aut ferè totum dissidium est inter Scholasticos. Siquidem nemine discrepante, supponunt omnes vt exploratum, totam personam esse terminum *ad quem*, tanquam id, quod producitur: essentiam verò non produci, sed communicari personæ. Quo supposito, quidam Doctores ampliant nomen termini formalis, vt comprehendat etiam id, quod non producitur, sed essentialiter communicatur: alij verò restringunt, ne terminus formalis appellari possit quod non producitur, licet communicetur.

2 Congruentior tamen loquendi modus esse videtur eorum, qui dicunt, essentiam esse termi- *Essentia diuina est terminus formalis.* num formalem. Ita loquitur S. Thomas 1. sentent. distinct. 5. quæst. 3. artic. 1. corpor. quem sequitur Capreolus distinct. 5. quæst. 1. art. 1. conclusione 2. (Sed Caietanus in præsenti artic. 3. nihil meminit de termino formali; quamuis pro illo citetur à multis.) Eundem terminum formalem, videlicet, essentiam assignant Scotus 1. distinct. 5. quæst. 2. §. *contra istam.* & paulo ante solutionem argumentorum. Cuius sententiam referens, tacitè probat Carthusianus ibidem quæst. 2. versus finem. §. *Nunc restat.* Eidémque consentiunt quæ refert ex Ægidio col. penult. Copiosior ac diligentior in ea defendenda fuit Argentina 1. distinct. 5. quæst. 1. art. 3. Vbi Maior quæst. 1. col. penult. Canariensis & recentiores communiter hic q. 41. artic. 3. Vbi Vazquez disputat. 162. cap. 3. Suarez lib. 6. cap. 6.

3 Pro cuius declaratione suppono, posse concipi rationem aliquam communem & abstractam, secundum quam essentia diuina conueniat cum formali termino cuiuslibet productionis creatæ; cum quo tamen non conueniat persona producta, neque personalitas siue relatio illius: & illa communis ratio conuenienter appellabitur terminus formalis, quoniam ita conuenit termino formali creatarum productionum, vt tamen nulli conueniat termino totali, qui producitur *vt quod*, & est terminus *ad quem* non formalis.

4 Probatur, possumus enim concipere formam, siue specificam essentiam, quæ per productionem *Qualiter præscindendus sit conceptus termini formalis.* inducitur, vt essentialiter includatur in termino, qui producitur *vt quod*, & per quam formaliter accipit suum esse substantiale (vel accidentale in productionibus accidentium) terminus, qui producitur *vt quod*; ita vt sine illa forma non possit intelligi habere suum esse substantiale. Hæc ratio sic concepta non conuenit vlli termino creato, qui producitur *vt quod*, nec conuenit personæ diuinæ, vel personalitati aut relationi; sed soli essentiæ diuinæ. Nam sola essentia est quasi specifica forma

forma Deitatis, quæ per generationem & spirationem inducitur, vt essentialiter includatur in Filio & Spiritu sancto, quorum vterque producitur *vt quod*. & per eandem essentiam formaliter accipit suum esse substantiale Filius & Spiritus sanctus, ita vt sine essentia diuina non possit intelligi Filius nec Spiritus habere suum esse substantiale.

5 Confirmatur, nam à generatione resecamus omnes defectus creaturarum proprios, & concipimus communem aliquam & abstractam rationem productionis viuentis à viuente per principium coniunctum in similitudinem naturæ: & hanc fatemur meritò vocari generationem in sacra Scriptura, Conciliis & Patribus. Et eadem arte præscindimus Paternitatem, spirationem & alia nomina Trinitatis. Ergo similiter licebit abstrahere prædictam rationem termini formalis, imperfectiones creaturarum resecando.

6 *Dictum primum.* Inde infero & Dico primò. Iuxta theologicum modum ratiocinandi de rebus diuinis secundum analogiam ad res creatas, conuenienter & vtiliter essentia diuina vocatur formalis terminus ad quem generationis & spirationis. Probatur primò, quia soli essentiæ, non verò personæ vel relationi conuenit illa ratio communis & abstracta, quæ propria est termini ad quem; vt nuper explicuimus.

7 Probatur secundò, quia nisi diuina substantia sit formalis terminus diuinæ productionis; non ita conuenienter explicatur, quomodo productio Verbi sit generatio; nam secundum Philosophum 5. physic. textu 4. generatio distinguitur à cæteris productionibus & mutationibus, eo quod terminatur ad substantiam. Et quamuis responderi posset, esse satis, quod terminus productus Filius & Spiritus sanctus sit essentialiter substantia: conuenientiùs tamen & plenius verificatur illa differentia generationis propria, si substantia ipsa & essentia diuina formaliter productionem terminet.

8 Confirmari potest primò, quoniam illud est aliquo modo terminus productionis, in quod terminatur primaria & finalis intentio producentis. Sed intentio finalis & primaria genitoris, vt genitoris, est producere tam perfectam imaginem, vt in essentia nihil omnino differat ab exemplari. Ergo similitudo & identitas in essentia est terminus formalis generationis. Confirmatur secundò, nam idem affirmari poterit de spiratione cum eo tantùm discrimine, quod spiratio non ex vi sua formalissima, sed ex vi sua quasi materiali tendit ad identitatem essentiæ communicandam: vt explicuimus disput. 7. & 8.

9 Probatur tertiò, nam hæc locutio melius consonat testimoniis Euangelij & Sanctorum, quæ vidimus sect. 5. Etenim Ioan. 5. Christus Dominus dicens, Patrem *dedisse Filio vitam habere in semetipso*, & cap. 6. *Ego viuo propter Patrem*, significauit, totum esse Filij, totámque Diuinitatem & essentiam ex vi generationis prouenire Filio, vt magis apertè docent Patres ibidem relati. Ergo generatio aliquo modo terminatur ad essentiam & Deitatem. Confirmatur, quoniam generatio tendit ad hoc, vt Filius sit idem Deus cum Patre, & spiratio tendit ad hoc, vt Spiritus sanctus sit idem Deus cum Patre. Ergo Diuinitas est aliquo modo terminus istarum productionum: non terminus, *vt quod*: ergo terminus *vt quo* siue formalis.

10 Quartò probatur, quia forma potissimùm est, atque vocatur natura, eadem autem est terminus ad quem *proficiscitur* & tendit generatio. At formæ similior est essentia diuina, vt probatum est præced. disp. 97. sect. 3. & 4. Rationes alias apud authores reperio, quæ vel principium petunt, vel supponunt falsum, & philosophicis potius, quàm theologicis difficultatibus implicant.

11 *Dictum secundum. Quo sensu nullus sit terminus formalis diuinarum processionum.* Dico secundò. Non incongruè, nec contra regulas philosophiæ aut theologiæ restringi potest nomen *termini formalis ad quem*, vt illi tantum formæ conueniat, quæ producitur, & tribuit esse composito producto. Atque in hac acceptione nullus est formalis terminus diuinarum productionum, qui se habeat *vt quo*, distinguatúrque à termino totali, qui producitur *vt quod*. Hanc assertionem probant argum. Aureoli & Ochami, quæ retulimus sect. præced. Veruntamen fallacia sunt, quatenus ab authoribus dirigunrur ad probandum, quod essentia nullo modo sit terminus formalis: & ideo soluenda sunt in sect. seq.

SECTIO VIII.

Soluuntur argumenta, posita in sect. 6.

1 AD generale fundamentum respond. Si consideretur quidditas formalis termini, magis vniuersalis & abstracta, non est de quidditate formalis termini suum esse suámque realitatem accipere per productionem, aut ex vi talis productionis existere: licet hoc sit de quidditate formalis termini magis strictè sumpti, iuxta dictum secundum. Vnde respond. ad primam probationem. Licet albedo non acciperet esse per dealbationem, sed prius existeret, ac postea vniretur corpori: adhuc albedo foret terminus formalis per dealbationem iuxta magis abstractam & amplam acceptionem huius vocis: similitérque forma ignis, licet non produceretur per ignitionem; esset terminus formalis.

2 Ad secundum respond. primò illud axioma: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, non posse verificari de formalitatibus diuinis, in quibus non est magis & minus. imo nec in omnibus creaturis verificatur, nec in omni genere causæ; vix enim verificatur in exemplari causa, cuius participatione alia dicuntur talia, & in causa finali, propter quam amantur cætera. Quod ad præsens attinet, etiam in creaturis non verificatur in causa formali. Nam propter animam rationalem Petrus est homo: nihilominus anima non est magis homo, quàm Petrus. Respond. secundò. Si argumentum aliquid probat, tantummodo probat, quod essentia diuina magis & prius habeat esse, quia propter illam accipit esse terminus, qui producitur.

3 Ad confirmationem respond. Nec in Deo, nec in creaturis terminus formalis est ratio formaliter constituens in esse producti. Quin potius in creaturis hæc ratio est de prædicamento passionis & accidentalis: forma verò substantialis non est de prædicamento passionis.

4 Ad tertium concedimus, illud totum verificari de termino formali magis strictè sumpto simul cum imperfectionibus creaturarum; inde tamen impugnari nullo modo poterit illa communis ratio termini formalis, abstrahens ab imperfectionibus creaturarum, quam commentator impius scire non potuit.

5 Ad quartum respond. negando Minorem. Quin potius Filius accipit suam realitatem formaliter ex vi essentiæ. Quatenus essentia formaliter constituit

stituit Filium in esse Dei, sine quo esse Dei essentialiter imbibito, nihil esset Filiatio: quamuis Filiatio sit quasi forma constituens in esse Filij. Quæ forma pertinet ad terminum totalem, qui producitur, *vt quod*; nam *vt quo* est essentia propter rationem dictam.

6 Ad quintum respond. distinguendo Maiorem. Quod vni communicatur præexistens in altero, non est formalis terminus generationis, quando conuenit accidentaliter illi; sicut quantitas & qualitates symbolicæ, quæ præfuerunt in corrupto, & manent in genito. Si tamen substantialiter conuenit, vt forma rei genitæ, formalis terminus est, licet præexiterit in alia re priori. Ad confirmationem respond. In nutritione viuentium irrationalium nulla difficultas est, quoniam pars formæ substantialis denuò producitur in nutritione, quæ pars est terminus formalis strictè sumptus. At in nutritione hominis anima terminus formalis est, iuxta latiorem & vniuersaliorem acceptionem.

7 Ad sextum eodem modo respondetur. In resurrectione terminus formalis erit anima, forétque licet foret creata prius quàm materia, cui postea vniretur. Nec audiendi sunt, qui dicunt, terminum formalem esse vnionem, quoniam vnio non est, quæ tribuit formaliter esse hominis, sed hoc tribuit anima dependenter ab vnione. Consequenter igitur anima est terminus *quo* tribuitur homini per productionem, vt sit homo.

8 Ad septimum respond. Terminus formalis, strictè sumptus, requirit realem ordinem & realem distinctionem à principio producente, quia producitur ab illo. Sed terminus formalis, acceptus magis vniuersaliter & abstractè, non requirit realem ordiné aut realem distinctionem. Ad confirmationem consequentia negatur, quoniam essentia, non prout est in Filio, sed prout in Patre, rationem habet principij formalis *quo*. Vnde sicut non repugnat generatione communicari eandem essentiam, vt Filius per eam sit Deus; ita etiam non repugnat eandem essentiam esse terminum formalem generationis.

9 Ad argumentum Gregorij respond. Si res aliqua simplex causatur à Deo, licet non assignetur terminus formalis, realiter distinctus à termino, qui creatur *vt quod:* assignatur tamen terminus ratione distinctus, quando res illa propter suam perfectionem capax est plurium conceptuum, quorum vnus sit essentia, & alter sit habens essentiam. Nam de rebus, quæ propter summam imperfectionem simplicissimæ sunt, vt punctus, nihil curo, quid philosophandum sit ea hypothesi data.

10 Ad alias duas rationes dubitandi respond. Ad primam respond. primò. Non quilibet terminus formalis speciem tribuit productionibus, sed terminus formalis productus. Vnde prouenit, vt productio creata non à suppositalitate, sed à natura sumat speciem, & distinctionem, eo quod natura creata producitur. Id quod euidentius cernitur in temporali generatione Christi Domini, cuius persona non fuit ea generatione producta, sed sola natura humana. Sed in productionibus diuinis non producitur natura, sed persona. Propterea persona, secundum formalissimam rationem, sub qua producibilis est, tribuit speciem productionibus diuinis: vt fusius explicatum est disput. 6. sect. 5.

11 Respond. secundò. Si malueris adhuc à termino formali, licet non producatur, sed communicetur, accipere distinctionem & speciem productionum: dicere poteris, quod essentia sub ratione intellectionis perfectè assimilantis, est terminus formalis generationis; sed processionis formalis terminus est essentia sub ratione dilectionis perfectissimè vnientis.

Ad secundam rationem dubitandi. Verbum & 12
Spiritus sanctus est terminus formalis, qui producitur vt *quod*, nec est terminus materialis: cæterum non est terminus formalis, *quo*, nec enim potest idem sub eadem ratione formali terminare vt *quod* & vt *quo*.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

DISPVTATIO XCIX.

Vtrum realis sit ac positiua potentia producendi diuinas personas.

SECTIO I.

Negantium placita.

VNus Aureolus 1. distinct. 7. parte 1. artic. 2. propositione 1. & 2. docet, in diuinis esse impossibilem potentiam generandi vel spirandi, quæ verè sit principium productiuum. Sed potentiam generandi esse talem, qualis est potentia, qua Deus potest esse Deus, & Pater potest esse Pater, & Filius potest esse Filius. Potuisset autem in suam sententiam vocare Ambrosium, qui lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. prope initium ait: *Generatio Paterna proprietatis est, non potentiæ.* Et paulo inferius: *Generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* & inter med. & fin. *Generatio in Paterna proprietate, non in iure est potestatis.* Videtur eidem sententiæ fauere Cyrillus lib. 2. dialogorum tribus columnis ante finem, probans, repugnare Deo, quod sit potentia pater, & potentia sit ad generandum; quoniam Deus est purus actus. 1

Aureolus autem coaceruat argumenta plurima, quorum hæc sunt præcipua capita. Primum, quoniam vbi productiones non sunt elicitæ, nulla est potentia productiua, nec principium producendi. Sed productiones diuinæ non sunt elicitæ: quod manifestius ostenditur de generatione, hæc enim realiter identificata cum Patre, debet esse ingenita, sicut ipse Pater. Confirmatur, quoniam inter potentiam elicituam & actionem elicitam requiritur realis distinctio. Idémque fusius probatum est disp. 83. sect. 4. concl. 1. 2 *Primum argumentum.*

Secundum argumentum. Posse esse Patrem, non est posse potentiæ productiuæ, sed est posse connexionis necessariæ, eo modo quo homo potest esse animal. Sed eadem est potentia, qua Pater potest generare, & qua Pater potest esse Pater: ergo posse generare non est posse potentiæ productiuæ, sed est posse necessariæ connexionis. Maiorem probat, quia si posse esse Patrem caderet sub aliqua potentia productiua; Pater produceretur in esse Patris, quod est erroneum. Minorem autem probat, quia generare & Paternitas sunt eadem res, qua Pater est Pater: ergo eadem est potentia, qua Pater potest generare, & qua Pater potest esse Pater. Confirmat, quia in omnibus eadem est potentia, qua quis potest generare, & qua potest se facere Patrem. 3 *Secundū argumentum.*

4 Tertium, quia si daretur in Patre aliqua potentia productiua, quæ verè esset principium; illa foret aliqua perfectio simpliciter simplex. Ergo in Patre foret aliqua perfectio simpliciter simplex, quæ non est in Filio. Quartum, nam vt Augustinus ait lib. 3. contra Maximin. c. 12. fine, *Filius non genuit, non quia non potuit, sed quia non oportuit.* Quod Magister dist. 7. exponit, quod nulla impotentia, seu negatio potentiæ est non posse generare. Ergo posse generare non est potentia. Confirmat, quia in Filio non posse generare non est impotentia, sed impossibilitas: ergo in Patre posse generare non est potentia, sed possibilitas. *Tertium argumentum.* *Quartum argumentum.*

5 Quintum, quia negatio alicuius potentiæ, debitæ speciei, dicitur priuatio secundum Arist. 5. metaph. text. 17. & 9. metaphys. cap. 1. fine. Vnde si possibilitas generandi foret potentia cum illius negatio conueniat Filio; sequetur Filium esse priuatum potentia & impotentem. Addit autem ad finem dicti articuli secundi esse impossibile euadere hæreticorum argumentum, probantium, Patrem esse potentiorem Filio; nisi dicendo non esse potentiam, sed possibilitatem. Sextum argumentum, quia nec Paternitas sola, nec essentia sola, nec tota persona est potentia productiua. Ergo nulla est potentia productiua. Probationem antecedentis tractabimus disp. sequenti. *Quintum argumentum.* *Sextum argumentum.*

6 Septimum. Quod est purus actus, non habet potentiam ad agendum ex Aristotele simul cum commentatore 12. metaph. textu 30. Sed æternus Pater est purus actus, nihil habens admixtum potentiæ respectu generationis: ergo non habet potentiam ad generandum. Confirmari potest, nam hac ratione non conceditur in Deo potentia comparatione intellectionis & volitionis; ergo nec comparatione generationis aut spirationis. *Septimum argumentum.*

7 Secunda sententia refertur à nonnullis, quæ dixerit, in Deo non esse potentiam realem respectu actuum notionalium, sed tantum respectu personæ productæ. Tribuitur autem Gregorio, Caietano, & Canarienſi, dum respondent ad argumenta Aureoli. Veruntamen illi rectè sentiunt de potentia Dei tam respectu actuum notionalium, quàm respectu personæ productæ, vt constabit sect. sequenti conclusione secunda. Nullum itaque reperio patronum istius sententiæ, tametsi nonnihil fauere videatur Molina in præsenti art. 4. post med. Tertiò Gregorius 1. dist. 7. quæst. 1. art. 2. concl. 1. docet potentiam siue principium productiuum, *vt quo*, non esse distinctum à principio productiuo *vt quod*. Veruntamen de hac identitate vel distinctione dicemus sect. 4. *Secunda sententia.*

SECTIO II.

Realem & positiuam esse potentiam, non modò respectu personæ producendæ, sed etiam respectu productionis ipsius.

1 PRima conclusio. In Deo realis est, ac positiua potentia generandi Filium & spirandi Spiritum sanctum. Probatur primum ex Patribus, quia tribuunt Deo *potestatem, virtutem, potentiam facultatem* seu *vim* generandi, quæ voces simpliciter dictæ, denotant aliquid positiuum & reale, quod simpliciter sit potentia; nam possibilitas illa secundum rationem, quam Aureolus affirmat, non est simpliciter potentia: propterea quæ nemo sanctorum Patrum asseruit, in Deo esse virtutem, vt sit Deus, vel vt sit æternus, & immensus, aut aliquid simile. Deinde, quoniam ijdem Patres asserunt, hanc potentiam essentialiter conuenire Deo; cui nihil essentialiter conuenire potest, nisi positiuum & reale. Postremò, quoniam hanc potentiam præferunt potentiæ creandi, quæ sine dubio realis est. *Prima conclusio.*

Sunt autem ij Patres, qui sequuntur. Nazianzen. orat. 49. de fide col. 3. ait: *Secundum diuinæ naturæ potentiam, quæ in materia non est, & nominum personas verè constare dicimus, & vnitatem Diuinitatis esse testamur.* Athanasius dialogo 1. de sancta Trinitate contra Anomæum col. 6. dicit: *Vterum audiens, generandi vim; & os audiens docendi facultatem intelligito.* Iterum autem prope med. dialogi. *Vteri nomine genitricem vim ipsius hypostaseos intelligito.* Atque iterum inter med. & finem. *Hypostasis*, ait, *declarat esse, vterus gignendi vim, os ipsam docendi facultatem.* 2 Psalm. 109. Psalm. 32.

Basil. homil. 15. de fide in medio: *Filius*, inquit, *non nasci iussus, sed ex potestate splendens.* & oratione aduersus eos, qui calumniantur, quod tres Deo colamus, in fine: *Deus, occurrentem voluntati habens potentiam, genuit.* Epiphan. hæresi 73. multo propius ad med. quàm ad princ. *Vox Pater*, inquit, *plus est, quàm nomen ingeniti. In ingenito enim non apparet Patris potentia*, quæ videlicet apparet in Patre, alioqui non probaret, quod Pater esset plus, quàm ingenitus. Cyrillus Hierosolym. cateches. 7. sub init. admonet, esse impium Deo negare *facultatem gignendi.* 3

Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri cap. 7. prope fin. appellat *Generatiuam virtutem & generatiuam essentiam Dei.* & sequent. cap. 8. prope fin. dicit: *Generandi vim naturaliter Pater habet, creandi etiam per Filium vim habet, nec idcirco compositus est: hæc enim omnia in natura sunt.* Præterea dialogorum de Trinitate lib. 1. col. penult. notat Arianorum blasphemiam, quoniam Deum Patrem *spoliant gignendi facultate.* Damascen. lib. de duabus Christi voluntatibus inter princip. & med. *Omnia quæ habet Pater*, inquit, *sunt Filij, sola gignendi vi excepta.* 4

Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 2. propius ad med. quàm ad princip. Patrem & Filium dicit, *non esse nuda nomina, sed operatricis virtutis indicia:* quia nimirum indicant, Deo conuenire virtutem generandi. Rursus lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 7. sub init. asserit Filium esse *perfectum de perfecta consummataq; virtute*, videlicet, generatiua, quam Pater habet. Hilarius lib. 5. de de Trinitate col. penult. de Filio ait: *Ex virtute naturæ in naturam eandem natiuitate subsistit.* Ac lib. 11. col. 3. *Natiuitas*, inquit, *in naturæ eius sit virtute quæ genuit.* Virtutem eandem appellat authoritatem lib. de Synodis multo propius ad fin. quàm ad medium, dicens: *Substantiam natiuitatis Filius non habet; nisi de Paterna authoritate naturæ.* 5

Secundò probatur, nam Ariani redarguuntur à Patribus, quod negantes Deo potentiam generandi Filium ab æterno, Deum faciunt impotentem: & aliunde probant; Deum potuisse generare, quoniam est omnipotens. Supponunt ergo, potentiam generandi esse veram, positiuam & realem potentiam. Ita Basilius lib. 2. contra Euno- 6 *Ex eo quod Deus non sit impotens, sed omnipotens, generatio probatur à Patribus.*

mium propius ad med. quàm ad princip. *Si bonum*, inquit, *si pulchrum est diuinæ bonitati Patrem esse; quomodo ergo à principio quod decebat ipsi non aderat? At enim melioris ignoratione aut impotentia hunc fuisse defectum ratiocinabimur.* Et lib. 4. longè à principio. *Si Deus non generat, quia non potest; minor est, quàm generans & perfecta natura: cum ad hoc etiam imbecillitas insit.*

7 Athanasius lib. 5. de vnita substantia Trinitatis in med. eos qui dicebant, non potuisse Filium ab æterno generari, redarguens, ait: *Si omnipotenti tanquam homini egenti per ordinem dignitas crevit, prius iam omniporens non fuisse cognoscitur.* Dignitatis incremẽtum vocat denuo aduenientem Deo potestatem generandi Filium. Vnde paulo inferius infert. *Vides, omnipotentem esse Dei Filium, sicut & Patrem? Ideo nihil accessit in vnita Diuinitate sempiternæ omnipotentiæ Patri & Filio. Sanè neque omnipotenti Deo sancto Spiritui aliquid accessisse cognoscitur, quoniam de vnita omnipotentia substantia est.* Insuper oratione contra Gregales Sabellij multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Cum Dei potestas Filius sit, ideoq; plenè & ad perfectum potens est Pater, quoniam Pater potestatis est.*

8 Cyrillus Alex. lib. 2. thesauri cap. 1. non longè à princip. potentiæ Patris attribuit quòd genuerit Filium consubstantialem. *Nam si non potuisse dixerint, impudenter impotentiam Patri attribuent.* Et post pauca: *Quia igitur omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius.* Et sequenti cap. 2. inter med. & finem Aëtium dicentem, quod Filius non fuit naturaliter productus, ita redarguit: *Quoniam Filius & sapientia & virtus Patris est: non erit natura Pater sapiens, & virtute pollens, & sapientia & virtus non erit sibi connaturalis, quod absurdissimum est.* Eodem modo ratiocinatur lib. 12. thesauri cap. 6. prope medium.

9 Hilarius lib. 6. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad finem. ita Deum Patrem alloquitur: *Omnipotentem te scio, nec conscia tibi tantum atque ipsi Vnigenito tuo natiuitatis inenarrandæ expecto rationem. Impossibile enim tibi nihil est & genitum à te Filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim iam omnipotentem te negabo.*

10 August. lib. 3. contra Maximinum cap. 12. prope fin. *Absit autem*, ait, *vt quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem: Neque enim non potuit, sed non oportuit.* Et in eodem lib. 3. cap. 7. post med. *An forte dare non potuit? Vbi est omnipotentia Dei patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, vt Deus pater æqualem sibi gignere filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus: Si noluit, inuidus inuenitur. Sed vtrumque hoc falsum est. Patri ergo Deo filius verus æqualis est.* Similiter inferius cap. 15. prope finem: *Homo si posset*, ait, *filium mox generare æqualem, nec expectaret annos, per quos in forma filij posset voluntas eius impleri. Deus ergo cur non æqualem genuit filium, cui nec anni necessarij fuerunt, nec omnipotentia defuit?* &c.

11 Fulgentius ad obiectionem 5. Arianorum ante med. dicit: *Genitori (quod nefas est) potentia naturalis adimitur, si Filio Paternæ substantiæ æqualitas abnegetur.*

12 Probatur tertiò ratione sancti Thomæ. Quia potentia nihil aliud significat, nisi principium, quo producitur aliquid per actum. Sed in diuinis Patrem intelligimus, vt principium productiuum Filij; nec non Patrem & Filium intelligimus, vt principium productiuum Spiritus sancti. *Quid sit potentia.*

Ergo datur in diuinis aliquid, quo principium istud producat; Quapropter istud erit principium quo Pater & Spirator producit, & consequenter erit potentia productiua.

Confirmatur primò, nam omne generans, aliquo generat; sed id quo generat, est potentia generatiua: ergo generans omne generat potentia generatiua: eadem autem ratione quodcumque principiũ spirans spirat potentia spiratiua. Confirmatur secundò, nam Arist. lib. 9. metaphys. cap. 2. & 3. probat, ad omnem actum præsupponi potentiam, quæ sit principium illius, & existat tunc etiam, quando non existit illius actus. 13

Huius rationis fundamentum, videlicet, Patrem esse principium generandi Filium, multorum Patrum testimoniis probatum est disput. 48. sect. 1. & 2. Colligitur autem ex illo versu Psalm. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum. Ex vtero ante luciferum genui te.* Vbi Patrem intelligunt principij nomine Nazianzen. Cyrillus. August. Prosper, Phæbadius, & Rupertus. Quos in eadem sect. 1. citauimus. Confirmatur primò, nam eadem ratio principij significatur à Patribus Græcis, quando Pater dicitur esse causa: nec non à Græcis & Latinis, quando vocatur author. Quarum locutionum exempla plurima vidimus disp. 49. 14

Confirmatur secundò, quia præsens ratio fortiùs vrget in principio productiuo Spiritus sancti. Fides enim Catholica docet, Patrem & Filium non esse duo principia, sed vnicum principium Spiritus sancti. Quemadmodum ex Gregorio decimo in concil. Lugdunen. & Eugenio Quarto in concil. Florent. Gregorio Nyssen. Nazianz. Athanas. Cyrillo, Hilario, Augustino, Isidoro, Anselm. & aliis probatum est disput. 70. sect. 1. At verò Pater & Filius, non solum prout sunt principium in actu secundo, sed etiam prout sunt principium in actu primo, sunt vnicum principium (erraret enim valde periculosè, qui diceret esse duo principia in actu primo) ergo potentiam spiratiuam habent vnicam. Consequentia probatur, quia Pater & Filius non sunt principium vnicum ratione suppositorum, à quibus habent, vt sint principium *quod*, sed vnitatem principij in actu primo recipiunt ab vnitate formæ (sicut de cæteris nominibus substantiuis dictum est disp. 77. sect. 2. & 3.) forma verò constituens in actu primo principium spiratiuum *vt quod*, est potentia spiratiua; quæ est principium spiratiuum *vt quo*. Sed de his plura diximus prædicta disp. 70. præsertim sect. 5. 15 *Vnicũ principium spiratiuum cõstituitur vnica potentia spiratiua.*

Confirmatur tertiò, refutando solutionem Aureoli, qui prædicta dist. 7. par. 1. artic. 3. col. penult. dum respondet ad 8. eorum, quæ primò obiecta sunt, & distinct. 29. art. 2. & 3. docet, in Deo non aliter esse principium, nisi sumendo principium pro ipsamet generatione, ex qua potest inferri generari. Hoc autem alienũ esse à ratione Theologica & à mente S. Patrum, probatur primò, quia formalitas principij secundum omnium conceptionem distinguitur à formalitate generationis. Hæc enim est operatio & via ad terminum, quæ proficiscitur à principio: vt vidimus disp. 83. & 84. & 85. Sed principium est id, à quo proficiscitur hæc via, & quod operatur. 16 *Solutio.* *Refutatur.*

Hæc prima refutatio, confirmatur, quia generatio non generat, neque est principium generatiuum: at verò principium generatiuum generat: ergo sunt diuersæ formalitates principij & generationis. Qua distinctione supposita, necessarium erit in Patre, distinguere duos conceptus, alterum 17

alterum suppositi subsistentis, ratione cuius distinguitur tanquam *quod* à potentia, quæ est principium, *quo* per quam formaliter constituitur non in ratione subsistentis, sed in ratione potentis, & productiui. Quapropter sicut distinctæ formalitates sunt subsistere & posse producere: sic etiam distinctæ formalitates erunt principium vt *quod*, & principium vt *quo* siue potentia: sicut dicemus sect. 4.

18 Impugnatur secundò, quia planè veram principij quidditatem Aureolus negat prædictis in locis: quoniam non alia ratione passiuum generari deducit ex actiuo generare, nisi quoniam correlatiua sunt. Vnde sequitur, non magis, neque propriùs Patrem esse principium Filij, quàm Filius sit principium Patris: quoniam illatio reciproca reperitur æqualis in vtroque. Quod si Pater habet aliquid peculiare, ratione cuius sit principium Filij; sed Filius non sit principium Patris (vt fides Catholica docet) consequens est eam rationem principij constituendam esse formaliter per potentiam modo nuper explicato.

19 Refutatur tertiò, nam omnia ferè argumenta, quibus Aureolus probare contendit, in Deo non esse potentiam productiuam, eâdem, aut potiori ratione probant in Deo non esse principium, quod verè realiter & propriè sit principium, non modò comparatione generationis vel spirationis, sed etiam comparatione termini producti. Cuius exempla sint hæc argumenta. Pater potest producere Filium: ergo potest seipsum facere Patrem. Item posse producere Filium aut esse principium illius est perfectio simpliciter simplex, quæ deest Filio. Præterea in Filio esset priuatio huius authoritatis & perfectionis. Insuper principium productiuum in actu primo, licet sit principium vt *quod* sine principio *quo*, præcinditur ab actu, & ideo non est ipse actus. Hæc & similia possunt ex argumentis Aureoli retorqueri ad probandum, quod Pater verè, realiter & propriè non sit principium *quod* etiam comparatione Filij vel Spiritus sancti. Consequens autem est erroneum, igitur fallacia sunt eius argumenta.

20 Refutatur quartò, quia perspicuè dicit Aureolus, quod potentia generandi est sicut potentia qua Deus potest esse Deus, & Pater potest esse Pater, & Filius potest esse Filius. Sed Deus non est sibi principium, vt sit Deus, nec Filius est sibi principium, vt sit Filius. Consequens igitur est, vt neque Pater sit principium generandi Filium.

21 Sit prima probatio principalis, quoniam pleríque Patres essentiæ diuinæ siue Deitati concedunt potentiam generandi, & eiusdem essentiæ operationem esse, dicunt, generationem: vt videbimus disp. sequenti sect. 2. At verò Deitas vel essentia non potest esse principium, quod generat; vt probatum est disp. 80 sect. 3. & 4. Restat igitur, vt Diuinitas vel essentia sit principium *quo* siue potentia, per quam Pater generat. Confirmari potest plurimis Patrum testimoniis, asserentium huiusmodi propositiones: Deitas vel natura vel essentia generat, vel producit: item, essentiam de essentia, vel Filium esse à Deitate. Qualia retulimus prædicta disp. 80. sect. 1. Possunt autem probabiliter explicari, vt significent, Deitatem vel essentiam esse potentiam generatiuam.

22 Quintò probari potest eadem conclusio rationibus quibus disp. sequenti sect. 2. & 5. probabitur essentiam esse potentiam sicut principium *quo*. Postremò probatur omniũ Scholasticorum consensu, solo Aureolo excepto. Nimirum ita pro certo docent Magister dist. 7. Albertus 1. part. quæst. 30. memb. 3. art. 1. ad 8. Alexand. 1. part. quæst. 47. memb. 2. & 3. & quæst. 69. prope fin. totius quæst. sanctus Bonauen. Ricard. Scot. Durand. Gregor. Argenti. & cæteri dist. 7. 23

Ex quibus omnibus colligo, temerariam, periculosam & errori proximam esse doctrinam Aureoli, quam hactenus impugnauimus. *Censura.*

Secunda conclusio. Non modò respectu Filij, vel Spiritus sancti producendi; sed etiam respectu notionalium actuum, videlicet, generationis & spirationis, est in Deo realis & positiua potentia. Cæterùm non est potentia elicitiua generationis, & spirationis (quemadmodum potentiæ creatæ suas operationes eliciunt) sed est potentia, quæ realiter producit Filium per generationem, & non per spirationem, neque per creationem; & est potentia, quæ realiter producit Spiritum sanctum per spirationem non per generationem, neque per creationem. 24 *Non tantum respectu personæ productæ, sed etiã respectu notionalis actus, est in Deo potentia.*

Vnde fit, vt in diuinis potentia generandi non sit principium generationis, secundum se consideratæ, independenter à termino producto: sed est principium *quo* generationis in quantum per generationem realiter producitur Filius. Vt acutè declarat Caiet. in præsenti artic. 4. §. vltim. Et quantum ad mentem & rem, significatam, eadem est sententia Capreoli 1. dist. 7. quæst. vnica, dum respondet ad 1. argum. Aureoli. Imò vix dissidet mens Gregorij in eadem dist. 7. quæst. 1. art. 1. ad 1. & 5. & 9. Sunt in eadem sent. recentiores vt Vazquez disp. 163. cap. 2. Valent. 1. part. quæst. 15. de Trinit. punct. 1. Suar. lib. 4. de Trinit. cap. 8. A quibus ferè nihil discrepat Molina in præsenti art. 4. §. *hoc ita.* Hæc sine dubio fuit mens S. Thomæ in præsenti quæst. 41. art. 4. corpore & ad 3. & de pot. quæst. 2. art. 1. & 1. sentent. distinct. 7. quæst. 1. art. 1. 25

Et verè non contradicit S. Thomas 1. parte quæst. 25. art. 1. ad tertium. vbi solum dicit, in Deo non esse potentiam, qua realiter producat, vel eliciat intellectiones, aut volitiones. Sed vtrum sit potentia, realiter eliciens actionem creationis, non est huius loci disputare. Mihi tamen non est dubium, quin realiter producta sit actio transiens, quæ recipitur in rebus creatis; licet non sit elicita operatio immanens volitionis & imperij, per quam Deus creat. 26

Conclusio probatur primò, quia Patres, sectione præcedenti citati, manifestè dicunt generandi potentiam, vim, facultatem, virtutem, siue potestatem. Ergo potentia non est respectu Filij præscindendo à generatione, sed respectu Filij, prout est producendus per generationem; ac proinde respectu generationis, prout per eam producendus est Filius. 27

Probatur secundò, quia de fide est, per generationem produci Filium, & non Spiritum sanctum vt vidimus disp. 4. 6. & 7. Sed ad producendum Filium datur in Deo realis & positiua potentia; vt demonstratum est concluſ. 1. Ergo realis & positiua potentia datur ad producendum Filium per generationem, & non per spirationem, creationem, aut aliam productionem. Confirmatur, quia sicut implicat contradictionem, quod aliquis terminus realiter producatur, & non producatur per productionem realem, sibi debitam: ita contradictionem implicat, dari potentiam realem & positiuam comparatione termini producendi; & non esse potentiam eandem comparatione 28

paratione productionis, quatenus per eam potest produci terminus, & sine illa productione produci non potest. Idem argumentum fieri potest de potentia spirandi, quoniam per spirationem non potest produci Filius, sed solus Spiritus sanctus, qui non potest produci per creationem, aut generationem; sed tantum per spirationem.

29 Probatur tertiò, quia licet in creaturis necessaria sit realis distinctio inter potentiam & operationem, quoniam illa est realiter elicita: cæterum in Deo non requiritur hæc distinctio. Quod à fortiori probatur, quoniam ratio fortior erat, vt productio distingueretur realiter à principio producente *vt quod*, quàm à principio producente *vt quo*, siue potentia, quæ proximior & immediatior est productioni. Sed in Deo productio non distinguitur realiter à principio producente *vt quod*. Generatio namque realiter identificatur cum Patre: & nihilominus Pater est principium generandi. Ergo licet productio non distinguatur realiter à potentia productiua, poterit esse principium *quo* respectu productionis, in quantum per eam producendus est terminus.

30 Confirmatur primò, nam in Deo potentia, qua parte dicit essentiam, vel intellectionem aut volitionem, non distinguitur realiter à termino producto: ergo non est inconueniens potentiam non distingui à productione. Confirmatur secundò, quia potentia non dicit relationem realem, nisi qua parte includit aliquid notionale, vt videbimus disp. seq. sect. 3. & sequentibus. Illud autem notionale realiter respicit terminum productum, & illum respicit media productione realiter identificata. Nam ad realem relationem satis est realis distinctio termini producti, qui solus terminat relationem principij producentis vt *quod*. Sed productio ipsa non est terminus, ad quem refertur relatio principij: propterea non requiritur realis distinctio productionis à principio producente, siue vt *quod*, siue vt *quo*.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta, posita in sectione prima.

1 AD testimonium Ambrosij respondeo, sensum illius hunc esse. Quod Pater potiùs, quàm Filius generet, hoc non est potentiæ, quam peculiarem sibi Pater habeat: siquidem potentia generatiua propria est essentiæ, quam eandem cum Patre Filius habet. Exerit autem suas vires, prout est in Patre ad Filium generandum, non vt Filius generet, quoniam hoc est alienum à Filiatione, & proprium Paternitatis.

2 Hanc verò fuisse mentem Ambrosij, constabit clarius consideranti quod addit ad confirmationem illius doctrinæ. Dicit enim, hominibus non esse defectum potentiæ neque imperfectionem non posse generare, nec habere Filios. Quod manifestum est non verificari de remotione impedimentorum, ac dispositionibus corporis, quæ requiruntur ad generandum. hæc enim est imperfectio maxima: consequens igitur est, verificari de virtute essentiali naturæ humanæ, quæ cunctis hominibus æqualiter conuenit. Sic essentialis virtus generandi cunctis personis essentialiter conuenit in Deo, in quo non potest aliunde reperiri inæqualitas, quoniam ad generandum non requirit accidentales dispositiones, aut potentias accidentales.

Ad Cyrillum respondetur. Ex eodem contextu manifestè constat, solam negare potentiam, 3
quæ aliquando caruerit actu, vel carere potuerit, ita vt prius potuerit generare, posterius verò durationе genuerit. Hæc sola potentia repugnat puro actui, sed potentia necessariò coniunctum habens actum, non repugnat puro actui.

Ad argumenta Aureoli respond. Ad primum. 4
Maior est adeo falsa, vt parum distet ab errore contra fidem. Ex illa quippe colligitur, in Deo non esse principium Filij, neque principium Spiritus sancti, quoniam productiones illorum non sunt elicitæ. Inde constat solutio confirmationis.

Ad secundum, negatur Minor. Potentia nam- 5
que, qua Pater potest esse Pater, est sola possibilitas connexionis necessariæ, sicut potest esse Deus vel æternus: sed potentia, qua potest generare, est potentia realiter productiua termini realiter distincti à se ipso. Ad probationem Minoris respond. Licet generatio & Paternitas sint realiter idem, satis est distinctio formalis, vt generatio sit origo actiua & productio Filij, non verò Pater: & consequenter Pater eo ipso, quod habeat potentiam producendi Filium, realiter distinctum, habeat etiam potentiam, qua possit generare. Quemadmodum sectione præcedenti probatum est.

Ad confirmationem respond. negando Ante- 6
decens. Quin potius, propriè loquendo, nullus habet potentiam, vt se faciat Patrem, licet habeat potentiam generandi. Nam homines non modò non faciunt in se ipsis potentiam generandi, sed neque relationem ipsam prædicamentalem, qua constituitur pater in ratione patris: sed ea relatio per resultantiam necessariam consequitur, supposito fundamento potentiæ, & per eos posita ratione fundandi, quæ est generatio: At in Deo non est ista resultantia posterior generatione; sed persona Patris est constituta prius origine, quàm Filius sit genitus; quamuis ad modum relationis prædicamentalis non intelligatur actualiter referri quoúsque Filius sit genitus. Deus igitur generando nullo modo se facit Patrem, neque directè seipsum generando, nec per resultantiam, generando Filium, vnde sibi resultet esse Patrem.

Ad tertium respond. imprimis retorquendo 7
argumentum, quia negare non potest Aureolus, quin esse Patrem & esse principium, generans Filium, sit perfectio non minor, quàm potentia generatiua; ideóque si potétiam generatiuam esse putat perfectionem simpliciter simplicem, non minori ratione tenetur concedere, Paternitatem & formalitatem principij generantis esse perfectionem simpliciter simplicem. Cum igitur illa non sit in Filio; consequens erit aliquam perfectionem simpliciter simplicem deesse Filio.

Ad argumentum igitur directè respondendo, 8
concedimus, potentiam productiuam in diuinis esse perfectionem simpliciter simplicem. Illa tamen est in Filio, non solum quoniam in Filio est essentia, intellectio & volitio; sed etiam quoniam in Filio est Pater, & tota potentia, & tota ratio principij, quam habet Pater; licet in Filio non sit eodem modo, quo in Patre. Nam in Patre Paternitas & ratio principij generantis est quidditas illius: sed in Filio non est illius quidditas, sed est perfectio, necessariò conueniens per circuminsessionem: vnde prouenit, vt Paternitas Filiatio & Processio non sint tres perfectiones, sed vnica tantùm perfectio simpliciter simplex: quemad

quemadmodum explicatum est fusiùs, & probatum tota disp. 30. præsertim sect. 9. & 10.

9 Ad quartum respondetur, oppositum potius ex Augustino deduci & ex Magistro dist. 7. vt vidimus sect. præcedenti, probantes primam conclusionem. Nam ibidem Augustinus supponit, esse potentiam in Patre, quam explicuit clarius in eodem lib. 3. contra Maximinum cap. 7. & c. 15. vt ibidem retulimus. Ideo autem in Filio non posse generare non est impotentia seu priuatio potentiæ; quoniam Filius in se habet totam potentiam Patris modo nuper explicato, & magis explicando disp. 101. Inde constat solutio confirmationis, negando consequentiam. In Filio namque non posse generare propterea non est impotentia, sed impossibilitas; quia Filius in se habet totam potentiam, qua Pater generat: impossibilitas autem consistit in eo, quod ipse sit quidditatiuè Filius, propterea que non possit esse Pater, & ipse sit terminus adæquatus potentiæ generatiuæ, vltra quem non est possibilis vlterior terminus; nec ipse potest generare seipsum.

10 Ex eodem principio constat solutio argumenti quinti. Filio namque non conuenit priuatio potentiæ, quoniam in se continet totam perfectionem potentiæ, per quam generat Pater: licet non contineat notionale determinatiuum illius potentiæ, de quo dicemus disp. 100. sect. 3. & sequentibus. Illud quod adiungit Aureolus de impossibilitate euadendi argumentum hæreticorum, ad pusillanimitatem & ignauiam pertinet, quæ se præcipitat in grauiora pericula præ timore puerili periculi leuioris. Grauius enim periculum imminere, negando potentiam productiuam, ostendimus sectione præcedenti conclusione prima. Ad sextum. Solutio constabit disputatione sequenti.

11 Ad septimum respond. Quod est purus actus, non habet ad agendum potentiam, actu carentem aliquando, vel quæ possit actu carere; sed habet potentiam, necessariò & inseparabiliter cohærentem cum actu. Ad confirmationem respond. negando Antecedens. In Deo namque comparatione intellectionis & volitionis essentialis propterea non est realis & positiua potentia, sed tantum secundum considerationem intellectus; quia per intellectionem & volitionem essentialem non producitur aliquid realiter distinctum à principio producente. At verò per generationem producitur aliquid realiter distinctum à principio generante: & per spirationem producitur aliquid realiter distinctum à principio spirante: ideo ad generandum & spirandum requiritur realis & positiua potentia.

SECTIO IV.

Potentiam productiuam esse ratione distinctam à principio producente vt quod.

1 *Sententia negans distinctionem.* GRegorius Ariminen 1. dist. 7. quæst. 1. art. 2. col. 2. conclus. 1. ferè recedit ab ea veritate, quam prius efficaciter probauerat, videlicet, in diuinis esse potentiam productiuam. Hanc enim postea conflat, vt sit prorsus idem, atque principium *quod*, ita vt neque re nec ratione ratiocinata distinguatur ab illo. Ideo clarius locutus Maior in eadem dist. 7. quæst. vnica sub init. dicit, nullum esse principium quo, sed tantum principium quod generat. Primum illorum argumentum est, quia principium producens Filium, seipso primo producit: igitur non est aliquod principium *quo*, aliud à principio *quod* producit. Consequentia probatur, si enim sit aliquod principium, *quo* producens producit: & aliud principium ipsum producens; iam non à se ipso primo producit, sed alio principio. *Primum argumentum.*

Secundum argumentum, quia si Pater produ- 2
ceret per aliquam potentiam à se distinctam; illa *Secundū argumentum.*
foret aliquo modo causa propter quam Pater esset Pater. Consequens autem est falsum. Sequela probatur, quoniam omne, quod agit per aliquid aliud, habet aliquo modo esse per illud, per quod agit. Vnde nisi foret ignis calidus per calorem, non posset calefacere.

Tertium argumentum, nam si aliqua forma 3
simplex (substantialis vel accidentalis) per se se- *Tertium argumentum.*
parata diuina virtute, vel naturaliter existens, ageret: ipsa seipsa primò ageret, non aliquo alio principio *quo* siue potentia. Deus autem eodem modo se habet, vt forma substantialis & simplicissima. Confirmat, quia distinctio rationis inter personam & essentiam siue potentiam operatiuam, non est ad propositum: quia conceptus vel ratio intellectus nostri non est principium *quo*, nec principium *quod* generandi Filium, sed tantummodo res existens extra animam. Alioqui posset etiam in forma simplici creata designari principium *quo*, distinctum à principio *quod*.

Nihilominus certa conclusio est, potentiam 4
productiuam ratione ratiocinata distinctam esse *Conclusio.*
à principio producente *vt quod*. Hanc conclusionem vt certam supponunt omnes Scholastici locis citatis sect. 2. pro conclusione 1. & 2. Magis expresè illam attingunt Molina in præsenti art. 4. §. *Alia fuit*. & Vazquez disp. 164. cap. 1. sub init. Apertè colligitur ex authoribus citatis disput. 111. sect. 3. initio, quatenus docent distinctionem rationis ratiocinatæ, per quam relatio distinguatur ab essentia: nec non ex authoribus citatis disp. 46. sect. 2. & 3. quatenus aduersus Gregorium & alios docent, notiones ratione ratiocinata distinctas esse à persona & ab essentia.

Nobis in præsenti sufficit ea ratio, quam attu- 5
limus sectione præcedenti pro conclusione prima, quia secundum rectum modum concipiendi cum fundamento in re, formalitas principij producentis *vt quod*, est distincta à formalitate potentiæ, per quam producit. Potentia namque primariò & principaliter affert essentiam & intellectionem seu volitionem; quod si præterea notionale quidpiam affert, non habet illud in ratione subsistentis, sed sub alia partiali formalitate. Principium verò *quod* primariò dicit rationem subsistentis atque personæ, quæ in se habet potentiam productiuam.

Vnde instaurantur illæ rationes, quibus prædi- 6
ctis in locis probauimus distinctionem relationis & notionis ab essentia, & illa potissimùm ratio, quoniam distinctio rationis ratiocinatæ reperitur, quoties duæ conditiones concurrunt. Altera vt res aliqua duobus conceptibus penetretur & explicetur magis & melius, quàm vnico illorum tantùm. Altera vt verè ac realiter obiecto cognito conueniat, quod per vtrumque conceptum significatur. Has autem conditiones concurrere in formalitate potentiæ productiuæ, & formalitate principij *quod*, facilè constat ex præcedentibus sectionibus.

Ad primum argumentum Gregorij respond. 7
distinguendo consequens. Principium quippe, *quo* producitur Filius, non est aliud tanquam realiter

realiter distinctum à principio *quod*, sed est aliud tanquam sola ratione distinctum. Hæc autem distinctio non obstat, ne simpliciter verum sit, principium producens *Filium*, se ipso primò producere. Tum, quoniam Pater à seipso & non ab alio habet potentiam productiuam, quidditatiuè contentam in sua persona, tam ratione essentiæ, quàm ratione relationis. Tum etiam, quia licet Deus intelligat per intellectionem ratione ratiocinata distinctam ab essentia; nihilominus seipso primo intelligit: similitérque seipso primò vult, etiamsi velit per amorem formaliter distinctum ab essentia: & Pater se ipso est ingenitus & est Pater, licet per notiones, quæ ratione ratiocinata distinguuntur à persona Patris.

8 Ad secundum respond. Potentia productiua est veluti causa formalis, *per* quam Pater constituitur in ratione *potentis* producere Filium. Sed quoniam hæc potentia quidditatiuè continetur in Patre, nec distinguitur ab illo, nisi tanquam explicitus conceptus ab implicito; ideo Pater non ab alio, *sed à se ipso* habet hoc esse.

9 Ad tertium negatur consequentia, quòniam in eo casu forma simplex, quæ per seipsam foret potentia, & separata foret à suo principio *quod*, eo ipso foret aliquid mancum & diminutum in ratione principij producentis: quoniam deficeret illi principium *quod*, virtute cuius operatur quæcumque potentia quantumcumque simplex. Deus autem in eo casu supernaturaliter suppleret defectum illius principij *quod*. Naturaliter autem contradictionem implicat existere potentiam aliquam sine principio *quod*. In diuinis denique maiorem contradictionem implicat dari principium *quo* siue potentiam sine principio *quod*; quia magis repugnat Deo prædictus defectus principij diminuti ac velut acephali.

10 Ad confirmationem respond. negando Antecedens. Quamuis enim conceptus nostri intellectus non sit principium *quod*, nec principium *quo* generationis æternæ, sed res ipsa, quæ Deus est: nihilominus ipse Deus in seipso verè habet illas perfectiones, quæ repræsentantur à nobis per duos distinctos conceptus principij *quod* & principij *quo*. Has autem duas perfectiones non haberet forma simplex creata, propter rationem dictam in solutione præcedenti.

SECTIO V.

Potentia generandi & spirandi comparatur cum potentia creandi, quantum ad analogiam prioritatis & perfectionis.

1 DVbitari posset in præsenti, num ratio potentiæ sit analoga comparatione potentiæ productiuæ diuinarum personarum ad intra, & potentiæ productiuæ creaturarum ad extra. Veruntamen affirmatiua pars probata manet ex dictis disp. 48. sect. 2. præsertim assertione 2. & 3. quibus explicata fuit analogia transcendentiæ, per quam ratio principij conuenit principio productiuo personarum ad intra, & principio productiuo creaturarum ad extra. Restat nihilominus quod in hunc locum remisimus, vtrum ratio potentiæ siue principij priùs atque perfectiùs conueniat potentiæ atque principio notionali personarum ad intra, quàm potentiæ vel principio creaturarum.

2 *Prima sententia.* Non desunt, qui existiment, rationem potentiæ vel principij conuenire prius atque perfectius principio creatiuo, quàm principio generatiuo vel spiratiuo: paritérque rationem potentiæ prius atque perfectius creatiuæ, quàm generatiuæ conuenire. Ita Durandus 1. dist. 29. quæst. 1. num. 9. Suarez tomo 1. metaph. disp. 12. sect. 1. num. 23. & 24.

3 *Primũ fundamentum.* Primum fundamẽtum est, quia ibi per prius inuenitur ratio potentię & principij productiui, vbi producitur per potentiam vel principium simpliciter aliud vel alterum: ibi verò inuenitur per posterius, vbi producitur secundum quid aliud vel alterum. Quod patet ex duobus; primo, ex eo quod simpliciter, præcedit secundum quid; secundo, quia tam potentia, quàm principium productiuum dicitur aliud (vt patet ex diffinitionibus eorum) sed in productione creaturarum à Deo producitur simpliciter aliud per potentiam seu principium creandi: in productione verò personæ à persona non producitur simpliciter aliud per principium seu potentiam generandi vel spirandi: ergo principium & potentia per prius dicuntur de principio & potentia creandi respectu creaturarum, quàm de principio & potentia generandi vel spirandi.

4 *Secũdi fundamentum.* Secundum fundamentum est, quia potentia Dei respectu creaturarum est ad emanationem transeuntem, re ipsa distinctam, & non necessariò fluentem à tali potentia: & ideo illa est propriissimè potentia, & actus primus respectu talis emanationis: at verò potentia generandi vel spirandi est secundum processionem immanentem, quæ in re non potest esse tantum impotentia, sed semper in actu, nec potest esse in re distincta ab eo, quod à nobis concipitur per modum potentię, quantum ad absolutam perfectionem eius.

5 *Tertiũ fundamentum.* Tertium fundamentum, quoniam ad excellentiam diuinæ potentiæ simpliciter acceptæ, pertinet, vt neque ex necessitate sit coniuncta suæ actioni, nec etiam possit habere actionem sibi adæquatam seu eiusdem ordinis: atque ita fit, vt imperfectio, quam essentialiter includit productio seu dependentia creaturæ, non solùm non diminuat perfectionem & proprietatem potentiæ Dei ad agendum extra se, sed etiam sit manifestum indicium infinitę perfectionis eius. E contrariò verò excellentia internarum originum indicat summam & infinitam perfectionem & proprietatem actuum immanentium Dei, & consequenter aliquo modo minuit proprietatem potentiæ in actu primo, vt declaratum est.

6 *Quartũ fundamentum.* Quibus addere possumus quartum, quoniam essentialia videntur ex propriis & explicitis conceptibus esse perfectiora notionalibus: sed potentia creandi essentialis est: potentia verò generandi & spirandi notionalis: ergo perfectior est potentia creandi, quàm potentia generandi vel spirandi.

Quintũ fundamentum. Quintum, quia Deus appellatur omnipotens propter potentiam productiuam creaturarum *ad extra*, non propter potentiam generatiuam aut spiratiuam: ergo prius & principalius potentia dicitur de potentia productiua creaturarum.

7 *Conclusio.* Nihilominus sit conclusio. Tam ratio generalis principij, quàm ratio potentiæ priùs atque perfectiùs reperitur comparatione processionum *ad intra*, quàm comparatione productionis creaturarum *ad extra*. Ita S. Thomas 1. dist. 29. q. 1. art. 2. versus finem. & de potentia quæst. 2. art. 6. fine. Consonátque 1. p. q. 33. art. 2. ad 4. & art. 3. dicens, per prius esse Paternitatem & generationem *ad intra*, quàm Paternitatem & generationem

nem *ad extra*. Albertus 1. p. quæst. 41. memb. 1. art. 1. fine. Alexander 1. p. quæst. 70. memb. 1. §. 1. sanctus Bonauentura 1. dist. 29. artic. 1. quæst. 2. fine. Ricardus eadem dist. 29. art. 1. quæst. 2. corpore, Scotus quæst. vnica §. *ad istam*, Capreolus distinct. 29. quæst. 1. artic. 1. conclusione 2. Vbi Carthusianus similiter quæst. 2. & dist. 7. quæst. 2. cum Ægidio, Petro & aliis. Argentina distinct. 29. quæst. vnica art. 2. conclusione 2. Marsilius lib. 1. quæst. 31. artic. 3. dub. 4. Canarien. supra quæst. 33. artic. 1. vbi Molina disput. 1. ad finem, Vazquez disp. 139. cap. 5. & Suarez 1. p. lib. 6. de Trinit. cap. 5. num. 2.

8 Probatur primò, quia principium & potentia productiua quidditatiuè constituitur in ordine ad terminum producendum, inquantum est producendus; & in ordine ad productionem illius. Quapropter excellẽtia, dignitas & perfectio principij vel potentiæ productiuæ sumitur ex dignitate, excellentia & perfectione termini producendi & productionis. Sed terminus producendus ad intra, & immanens productio sine controuersia sunt perfectiores & excellentiores, à quibus infinito interuallo distãt productio transiens, & terminus producendus extra Deum. Ergo principium & potentia productionum immanentium in diuinis excellentior est, dignior atque perfectior, quàm principium & potentia productiua creaturarum ad extra formaliter sumpta.

9 Confirmatur authoritate Patrum inter quos Athanasius orat. 2. contra Arianos paulo post medium. *Religiosius*, inquit, *& verius esset, Deum potius Filio denotare, eumq; Patrem dicere, quàm ex solis operibus innuere, ac eum ingenitum, hoc est, increatum dicere. Id enim vel singula duntaxat, vel publicè omnia, quæ voluntate Dei per Verbum sunt condita, significatione ostendit: cæterum Pater in solo Filio intelligitur & consistit. Quantum porrò Verbum Dei à creatis differt, tantum quoque differentia est in hac appellatione, si eum Patrẽ nomines, ab illa, si eum ingenitum voces.* Vides igitur, Athanasium excellentiam, dignitatem & perfectionem maiorem principij, producentis Filium, colligere ex maiori dignitate & perfectione Filij, superantis infinitè perfectionem creaturarum.

10 Eodem modo ratiocinatur Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri cap. 6. col. penult. ex illo Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Vides*, inquit, *hinc Patrem ad Filium dici, Deum ad creaturas. Si ergo creaturæ secundo loco sunt post generationem Filij; per prius Pater est, quàm Deus.* Quam prioritatem dignitatis & perfectionis iterum atque iterũ repetit ibidem. Intelligit autem Deum, inquantum creare potest & gubernare creaturas, quod notat significari illis verbis *Deũ vestrum*. Idem colligi potest ex aliis Patribus. Plurimi namque ponderantes eadem verba Ioan. 20. colligunt, Dei Paternitatem comparatione Verbi perfectiorem & excellentiorem esse, quàm Paternitas Dei comparatione iustorum, aut aliarum creaturarum: quos retulimus disput. 51. sect. 3.

11 Probatur secundò, nam principij producentis atque potentiæ perfectio colligitur etiam ex modo producendi: Præterea principium productiuum inquantum productiuum debet essentiam communicare termino producto. Est autem imperfecta diminutáque communicatio per participationem infinitè distantẽ & realiter distinctam: qualis est communicatio per quam creator communicat essentiam rebus extra se productis: perfectissima verò communicatio est, qua Pater eandem numero essentiam totã atque totaliter communicat Filio: sicut etiam principium spiratiuum communicat Spiritui sancto.

12 Probatur tertiò, quoniam potentia productiua diuinarum personarũ omnino requiritur, vt Deus subsistat, qui nulla subsistentia subsisteret; nisi potẽtia productiua suas vires exeruisset. Nam & ipse Pater non esset Paternitate præditus, si generare non posset; & Verbum non esset Filius, neque per relationem Filiationis subsisteret, si non esset genitus; eadémque ratione non subsisteret Spiritus sanctus: præsertim, cum absoluta subsistẽtia, communis tribus personis nulla sit; sed Deus tantummodo subsistat tribus subsistentiis relatiuis: vt probatum est disput. 34. sect. 5. & sequentib.

13 Probatur quartò, quia principium & potentia productiua personarum per se requisita sunt, vt creatiua potentia possit exire in actum: cum tamen è contrario potentia creatiua non sit per se requisita ad principium & potentiam generandi & spirandi. Rationem ita reddit S. Thomas infra quæst. 45. artic. 6. corpore post med. *Deus est causa rerum per suum intellectum & voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum, operatur. Vnde & Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, & per suum amorẽ, qui est Spiritus sanctus.* Vnde ad primum colligit, processiones diuinarum personarum esse causam creationis: de quo tamen fusius agendum erit disput. 111.

14 *Enasio.* Occurrit tamen Durand. distinct. 29. quæst. 1. num. 13. dicens, non semper nomen, commune causæ & effectui, cõpetere per prius causæ, quàm effectui. Sanum quippe dicitur de medicina tanquam de causa, & de animali tanquam de effectu: nihilominus animal dicitur sanũ per prius, quàm medicina. Similiter autem calidum per prius igni conuenit, quàm soli: nihilominus sol est causa caloris existentis in igne.

15 *Reijcitur.* Hæc autem solutio nihil eneruat vires argumenti, quoniam in prædictis exẽplis animal causa est, & ratio propter quam sanitatis nomen conuenit medicinæ per attributionẽ ad animal. Nam si foret è contrario medicina formaliter & ratione sui sana, causarétque sanitatẽ in animali, quatenus ei tribueret suæ sanitatis participationem; tunc verè medicina foret sana per prius, quàm animal. Vniuersaliter autem quidquid habens formaliter aliquam formalitatem communem, est causa vel ratio, propter quam eadem formalitas conueniat alteri: eo ipso per prius & perfectius obtinet illam formalitatem communem.

16 Probatur quintò, quia necessitas operandi talis, vt potentia non possit ab actu cessare, indicium est magnæ perfectionis nõ solùm in re producta: sed etiam in principio potentiáque producente: sicut è contrario propterea est in Deo perfectio potestas non operandi creaturas ad extra, quoniam operatio transiens *nihil* interest ad perfectionem Dei; cum tamen operatio ad intra plurimum intersit, vt nuper explicatum est. Sextò, fauet etiam prioritas durationis, quatenus æternitas diuinarum personarum indicat maiorem perfectionem non tantum ipsarum, sed etiam principij atque potentiæ, per quam producuntur.

SECTIO VI.

Satisfaciens fundamentis contrariæ sententiæ, positis sectione præcedenti.

1 *Ad primum.* AD primum negatur Maior. Et ad primam illius probationem respondetur. Ad productionem simpliciter dictam, non est necessarium, quod principium sit aliud subſtantiuè dictum in neutro genere, prout hac terminatione significatur distinctum in essentia siue natura: alioqui sequeretur diuinas origines non esse productiones, simpliciter dictas, sed tantum secundũ quid: quod esset erroneum. Eadem igitur ratione potentia productiua, simpliciter dicta, non requirit aliud aut alterum esse principium, id est, distinctum in essentia; satis est principium & terminum productum esse alium & alium qui producit, & qui producitur, vel aliam personam, aut aliud suppositum, quod producit. Quin potius potentia seu principium, quo generãs generat, esse debet commune genito & generanti, & tanto perfectiori communicatione, quanto perfectior fuerit generatio. Proptereáque diuina generatio communicat eandem numero naturam, quæ est principium *quo*, vt sapienter S. Thom. hìc art. 5. ad 1.

2 Ad secundam probationem respond. Illa definitio principij, nisi sit solius creaturæ propria, Deóque repugnans, intelligi debet, vt principium sit aliud adiectiuè, videlicet aliud suppositum aut alia persona; sicut Pater est alius à Filio.

3 *Ad secũdum.* In secundo fundamento copulantur simul duo discrimina. Et quantum ad primum, si potentia generandi respiceret solam immanentem actionem emanationis, ita vt per illam non produceret aliquid realiter distinctum à producente: non esset realis & positiua potentia. Cæterum supposita reali distinctione termini producti à suo principio; nihil obest perfectioni potentiæ, realis identitas actionis, sed potius indicat infinitã perfectionem illius, quæ complectitur secum identificatum, quidquid non implicat realiter identificari. Alterum autem discrimen prouenit ex eodem perfectionis excessu. Nam quòd operatio nunquam possit esse in potentia, sed necessariò semper sit in actu, sicut euidens indiciũ est perfectionis in operatione; sic etiam infert potentiæ perfectionem maiorem, quàm si posset ab actu cessare, sicut dicemus ad tertium.

4 *Ad tertium.* Ad tertium respond. Imprimis nequaquã pertinet ad perfectionem potentiæ contingentia vel libertas, ratione cuius potentia non sit necessariò coniuncta suæ actioni: quin potius hæc libertas prouenit ex imperfectione actionis & termini producti. Quamuis autem imperfectio quam essentialiter includit productio creaturæ, sit manifestum indicium infinitæ perfectionis diuinæ: illam tamen perfectionem multo magis secundum perfectiorem formalitatem explicitam indicant infinitæ productiones ad intra, propter rationes adductas sect. præced. maximè propter primam.

5 Præterea, licet ad excellentiam diuinæ potentiæ, simpliciter acceptæ, pertineat, vt non possit habere actionem sibi adæquatam, seu eiusdem ordinis, producendo res extra se; quoniam extra Deum non est possibile quod adæquet perfectionem Dei: cæterum pertinet multo magis ad excellentiã diuinæ potentiæ, vt immanentem actionem seu operationem possit habere adæquatam & eiusdem ordinis. Perfectior enim potentia est, quæ plus & perfectius potest producere. Confirmatur, quoniam potẽtiæ productiuæ, quatenus est productiua, perfectio est suã essentiam & perfectionem producto communicare: magis autem & melius communicat per actionem adæquatam & eiusdem ordinis; vt vidimus sectione præced. probat. 1. & 2.

6 *Ad quartũ.* Ad quartum respond. distinguendo notionalia. Quædam enim formaliter solam relationem ita præcisam afferunt, vt explicitè nihil essentiale dicant; veluti Paternitas, Filiatio, generatio. De his probabile asseri potest, esse minus perfecta, quàm essentialia, secundum modum intelligendi. Alia tamen sunt notionalia, quæ simul includũt essentialia vel principaliter, vel æquè primò, sicut persona: & hæc sunt euidenter perfectiora nudis & præcisis essentialibus. In hoc genere multo potiori iure ponenda est potentia productiua, quoniam sine dubio claudit essentiam, intellectionem & volitionem, siue solam, primariò, & in recto, siue æquè primò simul cum relatione, vt videbimus disputatione sequenti.

7 *Ad quintũ.* Ad quintum respond. licet omnipotentiæ nomen aliquando restringatur ad productionẽ creaturarum; non rarò tamen ampliatur, vt primariò comprehendat generationem & spirationem, vt videbimus disput. 101. sect. 4. & sequentibus. Fateor tamen *omnipotentiã* prius, quasi de notiori, fuisse dictam respectu productionum transeuntium extra Deum. Sed hæc non est prioritas dignitatis & perfectionis: prouenit enim ex imperfectione cognitionis naturalis.

ARTICVLVS V.

Vtrum potentia generandi significet relationem, & non essentiam. QVÆST. 41.

DISPVTATIO C.

Vtrum formaliter sit aliquid relatiuum, vel absolutum potentia productiua diuinarum personarum.

SECTIO I.

Solam relationem esse potentiam productiuam, opinio paucorum est.

1 NICA sententia reiecit prorsus ab essentia & qualibet absoluta formalitate, solámque relationem Paternitatis esse, dicit, potentiam generandi, quæ est principium, *quo* generans generat. Ita S. Bonauent. 1. dist. 7. artic. 1. q. 1. Vbi Durand. 2. num. 29. & sequent. Carthus. q. 1. prope finem. Primarium illius argumentum est, *Primum argumentum.* quia principium, *quo* generans generat, necessariò debet esse suppositum realiter distinctum, à supposito, qui est terminus productionis. Quod probatur, quia nihil est impossibilius, quàm vt idem producat seipsum (sicut ex Aug. & aliis Patribus ostẽsum est disp. 19. sect. 4. probat. 2. & ex Scholast. disp. 80. sect. 3.) Sed producens est totaliter producẽs ratione principij *quo* producit: ergo principiũ *quo* debet realiter distingui à termino producto.

Confir

2 Confirmatur primò, quia si terminus productus esset idem realiter cum principio *quo* siue potentia, sequeretur, terminum productum existere in Patre, sicut existit in Patre potentia. Consequens autem est impossibile, quoniam nihil productum existit in Patre. Confirmatur secundò, quoniam ex Aristot. 1. Physic. cap. 7. text. 57. principiũ & principiatũ sunt multa & non vnum, ideóque realiter distinguuntur: sed per prius & verius dicitur principium illud, *quo* producens producit, quàm suppositum, quod producit. Ergo principium *quo*, distinguitur realiter à termino producto. Minor probatur, quia propter quod vnumquodq; tale, & illud magis: sed principium *quod*, dicitur & est principium ratione formæ, per quam producit, ergo per prius & magis est principium forma, quæ est potẽtia siue principiũ *quo*.

3 Confirmatur tertiò, nam & qualitas, à supposito separatur, vt in Sacramento Altaris: sed suppositũ nullo modo posset agere, nisi haberet qualitatem vel formam, per quam ageret: ergo principium *quo* siue potentia per prius & verius est principium, quàm principium *quod*. Confirmatur quartò, quia principium *quo* se toto est principium, sed suppositum non est principium se toto, sed solum ratione potentiæ siue principij *quo*. Confirmatur quintò, quia potentia de sui ratione dicit habitudinem secundum originem: habitudo autem siue relatio requirit extrema realiter distincta.

4 *Secũdum argumentum.* Secundum argumentum. Quandocunque aliquis actus ineſt alicui suppositò, & repugnat alteri, ineſſe debet per illã rationem formalem, per quam vnum differt ab alio, nõ per illam, qua conuenit cum ipso. Sed generare conuenit Patri, repugnat autem Filio; ergo generare cõuenit Patri per illã rationem formalem, per quam distinguitur à Filio, videlicet, per Paternitatem non verò per essentiam. Maior, explicatur & probatur exẽplo Aristotelis 1. ethic. cap. 7. Vbi probat, beatitudinem non esse operationem sensitiuæ partis, sed intellectiuæ, quia beatitudo ineſt homini, & non bruto, quod sensitiua parte cõuenit cum homine, differt autem carentia partis intellectiuæ.

5 Confirmatur primò, quia effectus communis requirit communem causam: ergo effectus proprius & peculiaris requirit causam propriam & peculiarem. Confirmatur secundò, quia potentia generatiua nihil aliud est, quàm fœcunditas ad actũ generationis: hæc autem est propria personæ Patris. Ergo consistit in eo quod est propriũ Patris, videlicet, in relatione non in essentia.

6 *Tertium argumentum.* Tertium. Imperfectionis est in aliqua forma, quod actũ secundum tribuere nequeat, post quam tribuit actum primum, ergo foret imperfecta Paternitas, si postquam tribuit Patri rationem principij *quod*, in actu primo, nó possit tribuere actualem generationem, sed ea tribuẽda foret ab essentia. Confirmatur, quia quod est alicui ratio, vt sit, est etiam, vt operetur propriam operationem, sed Paternitas est Patri ratio vt sit Pater; ergo est etiam ratio vt generet.

7 *Quartum argumentum.* Quartum, quia principium adæquatum actui, non excedit suum actum. At potentia generatiua est adæquata generationi: ergo non excedit generationem. Excederet autem, si potẽtia generatiua competeret Filio & Spiritui sancto, quibus non competit generare. *Quintum argumentum.* Quintum, quia si sola essentia ponitur esse principium, *quo*, non potest reddi ratio, propter quam diuinæ productiones non sint plures, quàm duæ: nam qua ratione essentia vna existens est principium duarũ productionum, eadem ratione poterit esse principium plurium vel infinitarum.

8 Sextum, quoniam actiua potentia est principium agendi secundum Philosoph. 5. Metaphys. text. 17. Sed in diuinis principium respectu personæ dicitur notionaliter: ergo potentia dicitur notionaliter. Septimum, nam vt idem Philosophus ait 3. Physic. textu 32. *In perpetuis non differunt posse ac esse.* Ergo in diuinis non differunt posse & actualiter agere. Sed actualiter generare est quid notionale: ergo posse generare est notionale. Octauum, quoniam vt Aug. ait 5. de Trini. cap. 6. & 7. Filius eo Filius, quo genitus: ergo similiter eo Pater, quo generat. Sed Pater Paternitate est Pater: ergo Paternitate generat.

SECTIO II.

Essentiam sine dubio pertinere ad rationem formalem potentiæ, siue principij quo.

1 NOn intendimus præsenti sectione discutere gradum & modum, quo natura vel essentia pertinet ad rationẽ formalem potentiæ nimirum, an sola & præcisa essentia, vel simul cum relatione copulata: rursus an æquè primò cum relatione, vel principalius essentia, sed minus principaliter relatio: Vtrum altera illarum in recto, & altera in obliquo, vel potius vtraque in recto. Hæc enim examinanda erunt sectionibus sequentibus, & ab illis omnibus præscindit præsens assertio, vt prius statuat illud, quod omnes Scholastici decernunt vnanimi consensu (solis Bonauent, & Durando, & Carthusiano reclamantibus) essentiam pertinere ad formalem rationem potentiæ.

2 Concordes, inquam, in hac conclusione sunt, licet in aliis dissideant, Magister 1. distinct. 7. cap. penult. & vlt. Alexander 1. parte quæst. 42. memb. 3. art. 2. præcipuè prope finem. Albertus 1. parte quæst. 30. memb. 3. artic. 1. ad 8. & memb. 4. particula. 1. ad primum, & quæst. 48. memb. 3. ad 3. & particula. 2. ad primum. Henricus 1. par. artic. 35. quæst. 8. corp. prope finem & ad 1. & 2. parte, art. 58. quæst. 1. ad 3. & quodlibeto. 3. quæst. 3. S. Thomas in præsenti quæst. 41. artic. 5. & lib. 4. contra gentes cap. 13. col. 2. & lib. 1. sentent. distinct. 7. quæst. 1. art. 2. & de potentia quæst. 2. art. 2. Scotus 1. dist. 7. q. 1. §. *ad quæstionem* & colum. vlti. §. *quia autem.* Vbi Ricard. artic. 1. quæst. 1. Ochamus & Gabriel eadem dist. 7. q. 1. 2. & 3. & Argentina q. 1. art. 1. & 2. Ægidius apud Carthusian. dist. 7. q. 1. col. 8. & 9. & col. pen. Marsil. li. 1. q. 11. art. 2. concl. 3. & 4. Capreol. 1. dist. 7. q. 1. art. 1. concl. 2. & 3. Ferrar. 4. cõtra gentes cap. 11. inter princ. & med. §. *considerandum*, & sequenti Caiet. Canarien. & alij recentiores ad præsentẽ art. 5. vbi Molina disp. vnica concl. 1. & 2. Vazquez disp. 164. cap. 1. & 3. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 5. num. 6. Valentia 1. p. sua quæst. 15. de Trinit. punct. 2.

3 Probatur primùm ex Patribus, qui virtutem, potentiam, fœcunditatem, seu facultatem generandi naturæ vel essentiæ diuinæ solent adscribere. Dionys. enim de diuinis nominib. cap. 2. paulo post med. docet, *Patrem esse fontanam Diuinitatis: Iesum autem & Spiritum sanctum fœcundæ Diuinitatis, si ita fas est loqui, gemmæ seu germina.* Ergo Diuinitati fœcunditatem germinãdi & producendi Filium & Spiritum sanctum, tribuit Dionysius. Ignatius autem idem significat epist. ad Magnesianos propius ad med. quàm fin. quando de Verbo

diuino dicit: *Non locutio articulata vocis, sed operatio Deitatis, substantia, scilicet, genita.*

4 Nazianzenus orat.49. de fide col.3. *Secundum diuinæ naturæ potentiam*, inquit, *quæ in materia non est, & nominum personas verè constare credimus, & vnitatem Diuinitatis esse testamur.* Athanasius dialogo 2. de S.Trinit. contra Anomæum. *Si Filius*, inquit, *eo quod sit gennetos, non gignit, ne Pater quidem quia agennetos est, gignit, sed quoniam Deus est ipsáque maiestas, splendorem habet, eum videlicet, quem genuit Deum in se subsistentem.* Obserua, gignendi rationem esse, *quoniam Deus est:* at ratio gignendi est potentia generatiua. Basilius lib.5. contra Eunom. paulo post med. ait: *Filius natura & essentialiter ab ipso*, videlicet Deo, *genitus est.* Et inter med. & fin. *Pater natura diuina proprium Filium genuit.*

5 Cyrillus Alexand. lib. 1. thesaur. cap. 7. prope finem dicit, *Generatiuam virtutem, & generatiuam essentiam Dei.* Sequenti verò cap. 8. prope finem ait: *Generandi vim naturaliter Pater habet, creandi etiam per Filium vim habet, nec idcirco compositus est: hæc enim omnia in vna natura sunt.* Itaque sicut potentia creatiua consistit in natura & essentia diuina, sic etiam potentia generatiua, Præterea dialogorum de Trinitate, lib. 1. colum. penult. blasphemiam Arianorum ita reprehendit: *Ipsam Dei Patris naturam in hoc simul dehonestant; quandoquidem contendunt, non esse fructiferum, & spoliant eum gignendi facultate.* Quod si facultas gignendi non consisteret in natura Patris, non dehonestaretur natura, negando facultatem gignendi. Idem clariùs supponit sequenti lib. 2. dialogorum, multo propius ad fin, quàm ad medium, videlicet, quatuor colum. ante fin. dicens: *Si Deus ac Pater non habet naturam generatiuam, volitione autem mouetur ad hoc vt possit gignere; tunc iam dicendum quodammodo, quod ipse demonstretur, suam fecisse naturam generatiuam.* Damascenus lib. 1. fidei cap. 8. inter med. & fin. *Generatio*, inquit, *sine principio, & æterna, naturæ opus est, ex substantia eius profecta.*

6 Hilarius lib.5. de Trinitate colum. penultima, *Non per defectionem*, inquit, *aut protensionem, aut per derivationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturæ in naturam eandem natiuitate subsistit.* Sequenti verò lib.6. multo propius ad medium quàm ad finem. Sic Deum Patrem alloquitur: *Genitum à te Filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim iam omnipotentem te negabo.* Rursus lib. 11. de Trinit. colum. 3. *Natiuitas in naturæ eius sit virtute, quæ genuit.* Loquitur autem de natura æterni Patris. Ac denique lib. de Synodis multo propius ad fin. quàm ad med. *Substantiam natiuitatis Filius non habet, nisi de Paternæ authoritate naturæ.* Authoritatẽ autem vocat potentiam, per quam constituitur principium & author Filij, iuxta declarata disp.49.sect.1.

7 Leo Mag. serm. 5. de Natiuit. Domini cap. 3. post med. ait: *Si ideo Patri impar est Genitus, quia vt tibi videtur, generando eum, qui non erat, genuit; imperfecta erat etiam generantis essentia, quæ adhibendo quod non habuit, generando perfecit.* Ricard. Victorin. lib. 6. de Trinit. cap. 2. fine deducit ex discursu illius & præcedenti capitis, quod Verbi generatio *est processio vsquequaque immediata, & secundum principalem procedendi ordinem, & secundum naturæ operationem.*

8 Secundò potest conclusio probari plurimis testimoniis Patrum qui dicunt, essentiam siue naturam diuinam generare seu producere: vel dicunt, Verbum esse Filium essentiæ vel substantiæ diuinæ. Nam omnes, aut saltem illorum aliqui voluerunt significare facultatem, virtutem, atque potentiam essentiæ diuinæ: quemadmodum exponit S.Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum cap.4. & 5. Notauimus autem disput. 80. sect. 7. inter generales solutiones quinta solut. Testimonia verò Patrum posuimus eadem disp. 80. sect. 1. Nunc sufficiat illud Concilij Toletani Vndecimi in confess. fidei sub init. *Pater essentia ineffabilis, substantia sua Filium genuit.*

9 Tertiò probatur ratione simul & authoritate, nam illud propriè dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit. Omne autem producens aliquid, per suam actionem producit sibi simile, quantum ad formam, qua agit. Id quod potissimùm verificatur in generatione viuentium. Propterea namque filius euadit similis in natura humana, quia pater virtute naturæ humanæ potest generare hominem. Vnde consequens est, vt illud sit potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum assimilatur generanti. Cum igitur Filius Dei euadat similis Patri in natura diuina, sequitur, naturam diuinam in Patre, esse potentiam generandi in ipso. *Potẽtia qua id, quo agens agit.*

10 Vtitur hac ratione S. Thomas in præsenti art. Ad cuius declarationem ex Caietano ibidem notandum est, *illud, quo agens agit*, in præsenti non intelligi conditiones agendi, nec instrumenta, sed formam, quæ primariò, radicaliter & principaliter constituit agens in ratione potentis producere. Quod licet verificetur etiam suo modo in agentibus per artem, ad præsens sufficit manifestè verum esse in agentibus naturaliter. Ignis enim per formam suam agit, quoniam in ea sibi assimilat ignem productum. Explicatur *id quo* agens agit,

11 Rationem ita intellectam corroborant imprimis innumera testimonia Patrum, asserentium, ex substantia, vel essentia, vel ex natura, siue de substantia essentia, vel natura Patris produci Filium, aut Spiritum sanctum. Cuius generis non pauca vidimus disput. 97. & 98. Etenim illæ præpositiones *ex*, *de*, similésque denotant non modò materiam aut formam, sed etiam principium producens: vt vidimus disp. 98. sect. 2. 3. & 4. Sed non possunt denotare, substantiam vel essentiam esse principium producens *vt quod*, ergo denotant esse principium producens *vt quo*. Hac igitur ponderatione subintellecta, perspicies, opportunum, & ad rem esse testimonium, quod S. Thom. adiúgit ex Hilario lib. 2. de Trin. non procul à fine & lib. 5. ad fin. *Natiuitas Dei non potest eam, ex qua perfecta est, non tenere naturam: nec enim aliud, quàm Deus, subsistit, quod nõ aliunde, quàm de Deo subsistit.*

12 Secundò magis apertè confirmant rationem præcedentem, quæ de Spiritu sancto scribit Anselmus in monolog. cap. 52. *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & Filius; sed ex eo, in quo vnum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt (alia est enim relatio Patris, alia Filij:) sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.*

13 Eandem identitatem Deitatis in ratione potentiæ spiratiuæ, multoties repetit Ansel. in epist. de process. Spiritus sancti, vt cap.6. & 10. & seq. cap. 11. & cap. 16. Peculiariter notandum occurrit, quod cap.6. (aliàs cap.5.) inter med. & fin *Spiritum sanctũ* ideo *esse de Patre, quia est de Deo*, & non è contrario ideo *esse de Deo, quia est de Patre*: quoniam aliàs sequeretur, quod *diuina essentia erit in Spiritu sancto non de Deitate Patris, sed de relatione, quod*

quod stultissimum est dicere. Nota censuram, quam aliis verbis repetit Anselm. cap. 10. (aliàs 9.) inter princ. & med. dicens: *Nisi forte quis dicat, Spiritum sanctum non procedere de Deitate Patris, sed de Paternitate: nec per Deitatem Filij, sed per Filiationem: quæ opinio sua se patenti fatuitate suffocat.*

14 Tertiò magis scholasticè confirmatur in Concil. Florent. sess. 18. longè post med. §. *dixi equidem.* in cuius initio Ioannes Theologus, *Ita*, inquit, *vt persona sit producens & generans: principium autem quo ipsa persona generet, sit id quod solum communicabile est. Pater ergo generatiuum principium est, & suppositum quoddam significat: diuina verò substantia, quæ cum Patre realiter idem sunt, non quidem generat, sed est principium, quo generatio sit.* Quod statim declarat exemplo hominis, in quo natura humana, quæ per generationem communicatur, est principium *quo* generationis. *Non aliter*, inquit, *de diuinis personis intelligere possumus. Nam Patris persona suppositum est, atque generans: diuina verò natura generatiuum principium, quo Pater Filium generat: qui quidem Pater Filio suam naturam neguaquam communicat; cum tantum eius natura & substantia communicabilis sit.*

15 Eodem exemplo rem explicat sess. 19. propiùs ad med. quàm ad princip. §. *vt exemplum*, vbi peculiariter obseruanda sunt illa verba: *Patris verò substantia principium est, per quod generat Pater, quodq; per generationem Filio tradit, atque communicat.* Atque inter med. & finem eiusdem sessionis 19. §. *in genere. Hæc substantia (vt ita dixerim) absolutè simpliciterq; considerata; quæ generandi potestas est, principium est quo, vel per quod, quod quidem à Patre Filio communicatur.* Quod fusiùs exponens, & amplians ad productionem sancti Spiritus, concludit admonens: *Hanc doctrinam doctores omnes tradiderant, orationes has exponentes: Filius est ex substantia Patris, & sanctus Spiritus ex Patris Filijq; substantia.*

16 Quartò probatur, quia Verbum diuinum producitur per intellectionem; vt probatum est disput. 2. illiúsque productio, notionaliter accepta, est dictio, quæ essentialiter includit intellectionem; supra disp. 59. Ratio verò, propterquam Deo conuenit intellectio, est essentia diuina, non relatio. Ergo essẽtia diuina est ratio propter quam Pater intelligendo dicat, & producat Verbum: & hoc ipsum est esse potentiam generatiuam.

17 *Proportio potentia generatiua ad potentiam qua producimus nostrum verbũ mentale.* Confirmatur, nam in angelis & hominibus essentia substantialis est radicale ac remotum principium *quo* siue potentia productiua verbi mentalis, proxima verò potentia est intellectus, actio verò est intellectio. Ergo in Deo similiter quasi radicalis ac remota potentia, seu principium *quo* fuerit essentia diuina, proxima verò erit intellectio; siquidem non est in Deo intellectus, prout ab actuali intellectione distinguitur. Eadem ratio est de Spiritu sancto, supponendo, processionem illius esse amorem modo explicato disp. 73. & 74. Alias rationes consulto prætermitto, quoniam minus solidæ sunt.

SECTIO III.

Formalitas aliqua notionalis complet ac determinat rationem potentiæ productiuæ.

1 POtentiam, productiuam personarum, esse nudam & præcisam essentiam absque relatione seu proprietate, tam in recto, quàm in obliquo, & consequenter absque vllo respectu ad personalitatem seu suppositalitatem, existimat solus Ocham cum sectatore suo Gabriele, & vterque 1. dist. 7. q. 1. fine. Cui consonant etiam q. 3. Tribuitur S. Thomæ in præsenti art. 5. apud Scorum & Aureolum. Et apud alios quosdam authores tribuitur Magistro sentent. distinct. 7. Verumtamen aliter opinatos fuisse Magistrum & S. Thomam infra constabit sect. 5.

Probant Ocham. & Gabr. Primò, quia vanè & superfluè ponũtur respectus, determinantes essentiam, vt sit generatiua in Patre, & sit spiratiua in Patre & Filio, & sit generationis terminus in Filio, & terminus spirationis in Spiritu sancto. Probant autem hos respectus esse inutiles, quia cum essentia sit vnica, respectus verò sint plures, oportebit, vt ad hos respectus essentia determinetur per alios respectus, & sic ibitur in infinitum: aut si potest essentia ex se determinari ad plures respectus, eâdem ratione poterit ex se determinari ad tales actus, independenter à talibus respectibus, & illis omnino sublatis. 2 *Primum argumentum.*

Hoc argumentum est fallax, propter discrimen inter actus atque respectus. Etenim prius ratione, quàm intelligantur actus, opus est cõcipere principium *quo* siue potentiam, vltimo completam, vt possit in actum prodire. At verò non potest in actum prodire, nisi determinata sit in se ipsa in ratione potentiæ, prius ratione, quàm intelligatur operari. Nec opus erit in infinitum abire, quoniam essentia immediatè coniungitur prius Paternitati, & illam respicit modo infra declarando, deinde verò Filiationem & processionem. 3 *Solutio.*

Secundum eorum argumentum erat, quia nullus respectus rationis esse potest principium eliciti vum, aut determinatiuum potentiæ ad realem productionem, vt ex terminis est euidens. Aliunde verò nullus realis respectus potest esse principium determinatiuum potentiæ ad producendũ, quia nullus realis respectus est in Patre, nisi proprietas personalis, videlicet, Paternitas: hæc autem est idem omnibus modis ex natura rei, quod generatio; ideóque Paternitas non potest esse respectus determinatiuus ad generationem, ne idem determinet ad seipsum. Respondetur. Errant authores prædicti, negantes distinctionem rationis ratiocinatæ inter personalitatem & originem, quam probauimus disp. 85. sect. 1. & 2. Porrò distinctio rationis ratiocinatæ sufficit inter principium *quo*, siue potentiam, & productionem, prouenientem ab illa, imò etiam inter principium *quod* & productionem: vt vidimus præced. disp. 99. præsertim sect. 3. & 4. 4 *Secũdum argumentum.* *Solutio.*

Sit igitur conclusio. Potentia productiua personarum non est essentia nuda prorsus atque præcisa à qualibet formalitate notionali, quin potius aliquid proprium ac peculiare principij productiui, complet ac determinat essentiam in ratione potentiæ. Probatur primò, quia *nullum* indeterminatum, prout præcisum à quolibet determinante, potest determinatè concurrere ad hunc terminum producendum potius, quàm alium, nisi prius determinetur. Sed essentia, prout præscinditur à qualibet formalitate notionali, est prorsus indeterminata ad generationem vel spirationem. Ergo non poterit in Patre concurrere ad generandum potius, quàm ad spirandum, nisi per aliquid proprium Patris determinetur, quod non sit in Filio, nec in Spiritu sancto. Maior probatur, nam vnum, inquantum vnum & idem, non potest facere, nisi vnum & idem. 5 *Conclusio. Notionali formalitate determinatur essentia vt sit potentia productiua. Indeterminatũ non potest operari, nisi determinetur.*

Declaratur amplius, & cõfirmatur primò, quia siue 6

siue potentia consideretur, prout constituit principium in actu primo potens, & productiuum; (quod præstat velut in genere causæ formalis) siue consideretur, prout est principium, *quo* actualiter producitur persona diuina (quod præstat velut in genere causæ efficiẽtis) sub vtraque consideratione requirit aliquam formalitatem, determinatam ad vnum potius quàm ad aliud. Pater enim non intelligitur esse formaliter constitutus in ratione principij, quod in actu primo sit potens generare; nisi formaliter habeat potentiam, quæ in ratione potentiæ sit determinatè generatiua per aliquam formalitatem, distinctam ab ea, per quam cõstituit spiratiuum principiũ in Patre & Filio. Eadémque ratione diuina essentia nõ est principium, *quo* actualiter à solo Patre producatur Filius per generationem, *potius* quàm Spiritus sanctus per processionem, nisi in ratione potẽtiæ sit determinatè generatiua Filij per aliquam formalitatem, distinctam ab ea, virtute cuius Spiritum sanctum producunt Pater & Filius.

7 *Solũ exemplum retorquetur in aduersarios.* Confirmatur secundò, quia manifestè falsum est, quod respondet Ochamus dicta distinct. 7. quæst. 1. colum. penult. ad dubium 5. Essentiam diuinam esse sicut sol, qui plures effectus ita producit, vt sit indeterminatus ad illos, nec debet ad aliquem illorum determinari. Imo potius hoc ipso exemplo redarguitur. Sol enim est causa vniuersalis respectu diuersorum effectuum, quod nullo modo produceret, nisi concursus illius determinaretur à causa particulari & dispositionibus subiecti, in quod agit. Aliunde verò nullus effectus naturaliter producitur, nisi per causam omnino determinatam ad talem effectum. Quocirca si diuinam essentiam cõsiderare velis, prout est vniuersalis ad generationem & spirationem, indiget aliqua formalitate determinante, sicut sol indiget determinatione causarum particularium. Si verò melius cõsideres essentiam diuinam quasi potentiam determinatè generatiuam in Patre (ad instar causæ totalis & adæquatæ, non vniuersalis) vt sic necessarium est intelligere aliquid proprium principij generatiui in ordine ad Filium generabilem.

8 *Indeterminatio propria libertatis repugnat potentiæ, naturaliter operanti.* Confirmatur tertiò, quoniam liberæ potentiæ proprium est, vt quandiu intelligitur in actu primo constituta cum omnibus requisitis ad operandum, intelligatur indifferens ad vtrumlibet, donec potentia seipsam determinet, actualiter & liberè eligendo vnum potius, quàm aliud. At verò potentia productiua diuinarum personarum, non est libera, sed omnino naturalis & necessaria: vt probatum est disput. 92. & 93. Ergo potentia productiua personarum, non potest intelligi constituta in actu primo cum omnibus requisitis ad operandum, quandiu concipitur, vt indifferens ad generandum & spirandum.

9 Vnde refutatur quod Aureolus respondet distinct. 7. parte prima artic. 3. prope finem ad obiecta quartò. Quod Pater per generare determinatur ad Filium, & per spirare ad Spiritum sanctum. Hoc enim si contigisset principio productiuo vel potentiæ per quam producit; eo ipso fuisset principium formaliter liberum ad vnam vel alteram productionem, in vna vel duabus personis, prius aut posterius origine constituendam.

10 Sit igitur probatio secunda, quia quando aliquid plura producere potest immediatè, & sine ordine; non potest assignari ratio, propter quam producat vnum prius, quàm aliud. Ergo si essentia diuina in ratione potentiæ immediatè & sine ordine respiceret Filij generationem & processionem Spiritus sancti: non posset assignari ratio, propter quam prius origine constitueret Patrem in ratione principij generatiui, vt per eam generaret prius origine; posterius autem per eamdem spiraret Pater & Filius. Contradictionem autem implicat non dari rationem huius ordinis.

11 Probatur tertiò, nam cuicumque competit tota potentia productiua, potest actualiter producere: sed Spiritus sanctus non potest actualiter producere: ergo non competit ei tota potentia productiua. Sed Spiritui sancto competit tota essentia diuina: ergo tota essentia diuina non est totalis potentia productiua personarum diuinarum; sed ea potentia continet aliquid, quod Spiritui sancto non competat, ac proinde sit notionale. Idem argumentum fieri potest de sola potentia generatiua, quæ non competit Filio, dicente Damasceno lib. de duabus Christi voluntatibus inter princ. & med. *Omnia, quæ habet Pater, sunt Filij, sola gignendi vi excepta.* Ergo gignendi vis notionalis est aut totaliter, aut ex aliqua sui quasi parte.

12 Probatur quartò, testimonio Florentini Concilij sessione 19. inter medium & finem §. *in genere*, post medium, vbi Ioan. Theologus postquam dixerat, substantiam esse potentiam seu potestatem principium *quo* vel *per quod* Pater generat (vt retulimus sect. 2.) subiungit: *Propterea tamen non sequitur, vt hæc substantia secundùm suum esse commune & absolutum, principium sit per quod.* At verò si non secundum esse commune & absolutum; restat, vt secundum esse proprium & relatiuum seu notionale diuina substãtia sit principium *per quod* Pater generat. Eodem sensu paulo superius dixerat: *Non tamen secundùm absolutam eius considerationem.* In hoc, sicut in cæteris, Ioannes Theologus sequitur doctrinam S. Thomæ magísque receptam à nobilioribus scholasticis, quos citabimus sectionibus sequentibus.

13 Quintò fauet Ambrosius valde, generandi vim referens ad proprietatem personæ Patris, negánsque pertinere ad essentialem Dei omnipotentiam, intellige, nudam atque præcisam omnino à proprietate personæ; quando libro 4. de fide ad Gratian. cap. 4. prope init. ait: *Generatio paterna proprietatis est, non potentiæ.* & paulo inferiùs: *Generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* Obserua proprietatẽ, quam nuper appellauerat *paternam*, hic copulari cum natura. Itaque nec sola proprietas paterna, nec natura sola, sed vtrumque simul aliquo modo copulatum, esse debet vis generatiua. Denique inter med. & fin. eiusdem capitis: *Generatio*, inquit, *in paterna proprietate, non in iure est potestatis.*

14 Confirmatur, quia natura diuina, prout constituta est per hypostha sim Patris in ratione potentiæ principium est, *quo* Pater genuit, apud Ephræm Syrum tomo 3. opuscul. de confessione, & sui ipsius reprehensione propius ad med. quàm ad principium. Ait enim: *Naturâ, quam per suam constituit hypostasim, Pater genuit.* *Natura* ponitur in auferendi casu, tanquam *id, quo* genuit.

SECTIO

SECTIO IV.

Non æquè primò, nec in recto relatio seu personalitas continetur in formalitate potentiæ productiuæ.

1 QVi dixerunt essentiam & proprietatem ex æquo pertinere ad rationem potentiæ productiuæ, diuiduntur in duos modos opinandi. *Primus modus opinandi.* Primus est eorum, quos refert Durand. 1. dist. 7. q. 2. num. 18. & sequentibus. Apud hos, in generatione Filij essentia Patris habet rationẽ potentiæ, quantum ad formalitatem communicationis naturæ: sed quantum ad formalitatem productionis, Paternitas est potentia seu principium *quo*.

2 *Refutatur primò.* Hanc sententiam meritò refutat Durand. n. 23. quoniam vnius & eiusdem actionis non sunt distincta principia. Sed communicatio essentiæ, & productio Filij est vnica generationis actio, ergo non sunt distinctæ potentiæ communicationis & productionis. Confirmatur, nam essentia non communicatur Filio, nisi ex vi productionis, per quam simpliciter esse tribuit illi Pater. Ergo quod est principium *quo*, siue potentia productiua, idem omnino erit potentia communicandi naturam.

3 Refutatur secundò, quia si potentia communicandi tantoperè distingueretur à potentia producendi; similiter etiam distingueretur principium, *quod* per illam potentiam constituitur in ratione communicantis naturam, vt *quod*. Cuius oppositum supponunt omnes Patres & Scholastici, dicentes, Patrem esse, qui producit & communicat, dans & tribuens quidquid habet ipse. Quod apertè colligitur ex sacris literis alibi sæpe relatis.

4 Refutatur tertiò, quia licet communicatio, fundamentaliter accepta, sit eadem actio, quæ est productio; si tamen præscindere velis communicationem à productione, non remanebit actio realis, sed tantùm ens rationis, intellectum per modum actionis: vt ostendimus disput. 80. sect. 6. conc. 2. & 3. Ergo respectu communicationis, vt præscinditur à productione, non est possibilis potentia realis, sed tantum secundum rationem; & illa debet esse potentia eadem, quæ principium est fundamenti, videlicet, productionis realis. Quartò ad eandem sentẽtiam refutandam valent omnia, quibus statim contra secundum modum probabimus, relationem seu personalitatem non esse principium *quo* siue potentiam.

5 *Quid veri obtineatur in illa sententia.* Aliquid tamen veri continet ea sententia, quatenus communicatio naturæ magis correspondet essentiæ, quàm personæ, secundùm proportionem vnitatis. Sed productio magis correspondet personæ secundum exigentiam distinctionis realis inter principium & terminum productum.

6 *Secũdus modus dicendi.* Secundus dicendi modus in principio *quo* siue potentia comprehendit non tantùm essentiam, sed etiam relationem siue proprietatem ac personalitatem in recto, non minus principaliter, quàm essentiam, imò dicit, ad rationem potentiæ relationem seu personalitatem pertinere potius & principalius, quàm essentiam, quia relatio constituit vltimò rationem potentiæ. Ita docet Henricus quodlib. 3. quæst. 3. corp. & 2. parte summæ art. 58. quæst. 1. ad 3. Cui consonat 1. p. art. 35. quæst. 8. corp. prope fin. & ad primum. Quantum ad substantiam, eadem est sententia Ricardi 1. dist. 7. art. 1. quæst. 1. corp. & dist. 13. art. 1. quæst. 3. nec non Petri de Tharantasia apud Carthusianum *in eadem* dist. 7. quæst. 1. inter med. & finem.

7 *Fundamẽtũ.* Fundamẽtum exponit fusiùs Henricus in prædicto quodlibeto, cuius summa est, quoniam existimat, etiam in creaturis non modò naturam, sed etiam personalitatẽ concurrere, quasi potentiam productiuam, principalius autem personalitatem, quia ratione illius producens distinguitur à termino producto. At, inquit, in generatione magis præcipuum est terminari ad distinctum, vt simile est, quàm terminari ad simile, vt distinctum est. Ergo in generatiua potentia Dei præcipuum est proprietas Patris, ratione cuius attenditur distinctio inter generans & genitum.

8 *Conclusio.* Nihilominus sit conclusio. Potentia productiua Dei non includit relationem seu personalitatem & essentiam ex æquo, & in recto, nec principalius includit relationem seu personalitatem. Probatur primò, quia sola distinctio rationis ratiocinantis foret inter potentiam & principium *quod*, si potentia relationem seu personalitatem includeret ex æquo & in recto cum essentia, vel si formalius & principalius diceret relationem seu personalitatem. Hoc enim est proprium personæ, quæ est principium quod, vt dicat quidem essentiam, sed simul etiam in recto dicat subsistentiam, personalitatem seu relationem æquè primò, aut principalius, quàm essentiam. At verò distinctionem rationis ratiocinatæ versari inter potentiam productiuam & principium *quod*, ostendimus disp. 99. sect. 4.

9 Confirmatur, quoties enim in re cognita non est illud, quod per nostros conceptus distinctos intelligitur; non est distinctio rationis ratiocinatæ, sed tantùm ratiocinantis; vt quando Deũ concipis vt subiectum, & vt prædicatum propositionis. Nec maior foret distinctio licet essentiam & relationem simul conciperes vt potẽtiam & vt principium quod; siquidem in re cognita non est illud, quod per conceptum potentiæ intelligitur; si non datur aliqua formalitas realis distincta à relatione seu personalitate, cui conuenire possit nomen & ratio potentiæ, prout distinguitur à principio *quod*.

10 *Nullum agẽs agit per suã suppositalitatem.* Secundò probat S. Thomas in præsenti art. 5. quia nullum agens agit per suam suppositalitatem, neque per suam differentiam indiuidualem, vt per potentiam & principium *quo*. Sed relatio vt Paternitas se habet ad personam Patris quasi suppositalitas illius, & quasi differẽtia indiuidualis, constituens indiuiduum incommunicabile. Ergo persona Patris non agit per relationem Paternitatis, neque per suam suppositalitatem, vt per potentiam, aut principium *quo*. Minor probata est disput. 32. sect. 6. Maiorem verò probat S. Thomas, quia illud est potentia productiua, in quo productum assimilatur producenti. Sed productũ non assimilatur producenti in suppositalitate, seu differentia numerica (sic enim ex Petro non generararetur nisi Petrus.) Ergo suppositalitas seu differentia numerica non est potentia, per quam agens agit.

11 Vtitur hac ipsa ratione breuius Ioannes in Concil. Florent. sess. 18. longè post med. §. *dixi equidem*, à principio, & sess. 19. propius ad med. quàm ad princip. §. *vt exemplum*. Atque idem fundamentum corroborauimus magis sect. 2. probatione 3.

12 *Henrici fundamentum euertitur.* Ex quibus infero, non esse verum fundamentum Henrici supra positum. Distinctio namque

veluti consequitur entitatem principij producentis & termini producti; præcipuũ autem in vtroque est integra quidditas illius, qua totaliter & plenè constituitur in suo esse. Hoc autem competit potentiæ ratione essentiæ simul cum aliquo notionali declarando in sect. sequenti. At verò principio *quod* suum esse conuenit ratione essentiæ principaliùs, sed vltimò atque formaliùs ratione relationis: de quo supra disput. 32. sect. 7. & sequentibus.

13 Aliorum rationes pro conclusione nostra prætermitto, quoniam fallaces sunt. Nam quod ex 5. physic. textu 10. sumunt, quia relatio non est principium producens, nec terminus productus, fallit in Deo, quoniam illius relationes substantiales, & subsistentes sunt; eadémque ratione fallit in Deo, quod relatio non dat principium essendi, nec agendi, quia supponit fundamentum: & multo magis à veritate recedit quod addunt, relationem non afferre perfectionem aut bonitatem, sed solam negationem communicabilitatis.

SECTIO V.

Quomodo potentia productiua significet in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.

1 EX præcedentibus sectionibus per euidentem illationem sequitur conclusio, quam in titulo probandam & explicandam proponimus, videlicet, naturam diuinam in recto, sed in obliquo relationem significari nomine potentiæ generatiuæ aut spiratiuæ in Deo. Nam sect. 2. probatum est, essentiam pertinere ad rationem potentiæ, cui aliquam formalitatem notionalem adiunximus sect. 3. Cum igitur ea formalitas notionalis non sit relatio seu personalitas æquè primò, vel principalius importata, sicut probatum est sectione 4. restat, vt sit relatio vel personalitas in obliquo, vt magis explicabitur postea.

2 Sententiam hanc aliis verbis docuit imprimis Magister in 1. dist. 7. cap. penult. & vlt. & ita fatentur non solùm illius sectatores vt S. Thomas, sed etiam S. Bonau. eadem dist. 7. art. 1. quæst. 1. opin. 2. dicit euidenter apparere in litera Magistri & esse satis probabilem, quod idem fatetur Durand. ibidem quæst. 2. num. 26. Magistri doctrinam in hoc articulo sequuntur Alexander 1. p. quæst. 42. memb. 3. art. 2. præcipuè ad finem & Albertus 1. p. q. 30. mem. 3. art. 1. ad 8. & memb. 4. particula 1. ad primum. Clariùs autem quæst. 48. mem. 3. ad 3. & 5.

3 Cæterum eisdem verbis *naturam in recto, & relationem in obliquo*, dixit S. Thomas in præsenti art. 5. in fine corporis, & aliis locis notatis sect. 2. sub initium. Quem sequitur etiam Argentina 1. dist. 7. tota quæst. 1. (consonat autem aliis verbis eius author Ægidius, apud Carthusian. dist. 7. quæst. 1. colum. 9. & col. penult.) Sequitur etiam expresè Marsilius lib. 1. quæst. 11. art. 2. concl. 3. & 4. Capreolus Ferrarien. Caietanus, Canarien. Molina, Vazquez, Suarez, & Valentia locis allegatis in sect. 2. non procul à prin. quamuis in modo declarandi non nihil differant.

4 Ab hac sententia parum, aut nihil discrepat mens Scoti 1. dist. 7. quæst. vnica colum. vlt. §. *quia autem*. Asserit enim, esse conditionem requisitam, vt essentia sit in supposito conueniente ad talem productionem, & alioqui potentiam, quæ est essentia, non posse prodire in actum. Vnde hunc dicendi modum, simul cum sententia S. Thomæ supra dicta copulatum, amplectuntur Molina hic art. 5. concl. 3. & 4. & Suar. lib. 6. de Trinit. cap. 5. num. 7.

5 *Partialis formalitas relationis cõtinetur in potẽtia productiua.*

Sed pro maiori declaratione Dico primò. Partialis aliqua formalitas relationis, continetur in ratione quidditatiua potentiæ generatiuæ, tanquam vltimum constitutiuum, ac determinatiuum illius. Atque idem intelligo de potentia spiratiua. Probatur, quia cum notionalis aliqua formalitas necessaria sit ad constituendam vltimò, determinandámque potentiam generatiuam: vt probatum est sectione 3. & ea non sit relatio seu personalitas in recto, & æquè principaliter importata: aliunde verò nulla sit in Deo realitas notionalis, nisi solius relationis seu personalitatis realitas: restat, vt necessarium sit ex eadem realitate per intellectum præscindere formalitatem aliquam veluti partialem, quæ compleat & vltimatè constituat potentiam generatiuam.

6 *Duplex modus inclusionis in obliquo & de connotato.*

Confirmatur primò, quoniam in rebus significatis per voces & conceptus, nihil potest esse in obliquo siue de connotato; nisi quatenus aliqua realis formaljtas dicit ordinem ad aliquem terminum, qui est obliquus illius (quemadmodum Pater dicit ordinem ad Filium) vel quatenus vna formalitas est veluti pars alterius formalitatis, necessariò & per se cohærens cum illa (quemadmodum realis formalitas, fundans negationem cuiuslibet productionis passiuæ, necessariò & per se cohæret cum Paternitate, veluti pars illius: vt vidimus disputat. 53. sect. 4. & 5.) At verò realis potentia generatiua non potest in obliquo & de connotato Paternitatem includere priori modo: quia non potest realem ordinem habere ad formalitatem sola ratione distinctam. Quod si concipiatur aliquis ordo potentiæ ad Paternitatem, ille est merum ens rationis; quod proinde nihil attinere potest ad constitutionem ac determinationem potentiæ realis; quia nihil confert ad realiter producendum. Restat igitur, vt potentia generatiua Paternitatem in obliquo & de connotato contineat, quatenus in recto & de formali constituitur per aliquam formalitatem notionalem, quæ sit veluti pars Paternitatis, per se ac necessariò cohærens cum illa.

7 Confirmatur secundò, quia nihil melius, quàm hoc, intelligere possunt doctores citati, quoties dicunt potentiam generatiuam esse essentiam, *prout est Patris*, vel *prout est in Patre*. Nam eiusmodi reduplicationes in obiecto, significato per conceptus, reperiri nequeunt, nisi propter aliquam realem formalitatem, illi conuenientem.

8 Probatur secundò, nam hæc formalitas sufficit, vt potentia, siue principium *quo*, realiter distinguatur à termino producto, quam distinctionem probant argumenta S. Bonau. & Durandi posita in sect. 1.

9 *Concordia sententiarũ.*

Probatur tertiò. Sic enim ad concordiam reuocari possunt Henricus & Ricardus, citati sect. præcedenti, vt hanc formalitatem, quæ pars est Paternitatis, & aliquid illius, intellexerint nomine relationis & personalitatis, quando dixerunt, in recto, non in obliquo, pertinere ad constitutionem potentiæ generatiuæ. Potest etiam ad concordiam reuocari, quod Scotus nuper citatus, & qui sequuntur illum, dicunt, esse conditionem requisitam, vt essentia sit in supposito conuenienti

conuenienti ad talem productionem: ita tamen, vt exigentia conditionis huius sit realis illa formalitas notionalis, necessariò cohærens cum Paternitate. Alioqui ex parte obiecti merum ens rationis erit exigentia illa suppositi conuenientis. At ens rationis realem potentiam ad realem operationem determinare non poterit.

10 *Qua sit partialis formalitas, sub qua Paternitas constituit potẽtiam generatiuam.*

Ex dictis colligo & dico secundò. Potentia generatiua, præter essentiam, includit etiam entitatem propriam & peculiarem Patris, realiter distinctam à Filio; sed non includit eam sub ratione relationis quasi prædicamentalis, & actualiter referentis, nec sub ratione subsistentiæ vel suppositalitatis, sed tantummodo, prout entitas illa vis quædam est, vel potius vltimum constitutiuum virtutis & potentiæ generatiuæ. Quod autem iste conceptus sit possibilis, demonstratur, etenim prius ratione, quàm Pater actu generet, nondum refertur actualiter ad Filium relatione quasi prædicamentali: nihilominus in illo priori concipitur in actu primo constitutum vltimatè potens producere Filium, eo quod essentiam habeat cum sua notionali entitate, nondum concepta per modum relationis actualis; & consequenter nondum constituente personam in ratione subsistentis; constituitur enim per relationem: vt vidimus disputat. 88.

11 *Ad potentiã spiratiuã applicatur eadẽ doctrina.*

Colligo præterea, & dico tertiò. Potentia spiratiua, præter essentiam, includit etiam entitatem realiter vnicam relationis actiuæ spirationis, realiter distinctam à Spiritu sancto, & realiter identificatam cum Patre & Filio: sed non includit eam sub ratione relationis quasi prædicamentalis, & actualiter referentis, atque actualiter distinguentis principium spiratiuum à persona spirata: sed tantummodo prout entitas illa constituit, & vltimo determinat virtutem producendi Spiritum sanctum. Quibus rectè consonant, quæ de vtraque potentia diximus disp. 59. sect. 5. & disputat. 70. sect. 4. & disputat. 83. sect. 1. & 2.

12 Colligo tandem, ac dico quartò. Minus formaliter ac minus propriè dictum esse à quibusdam doctoribus, essentiam, prout est in Patre & Filio, esse potentiam spiratiuam. Propriùs namque formaliúsque dixissent essentiam, prout est in vno principio spiratiuo, quod vnica relatione spirationis constituitur, cum illa quippe cohæret immediatè formalitas illa partialis, quam diximus. est enim realiter vna in Patre & Filio, sicut relatio spirationis: & non realiter duplex, sicut Paternitas & Filiatio.

13 *Potentia proxima & potẽtia remota quomodo distinguitur.*

Dico quintò. Notionalis formalitas, quæ complet ac determinat essentiam in ratione potentiæ productiuæ minus proximæ (sicut in præcedentibus assertionibus explicatum est) eadem & eodem modo complet atque determinat intellectum siue intellectionem, in ratione potentiæ proximæ ad generandum Verbum: aliáque similis formalitas notionalis determinat voluntatem seu volitionem in ratione potentiæ proximæ ad spirandum Spiritum sanctum prout de singulis productionibus declaratum & probatum est disp. 59. sect. 5. & disp. 70. sect. 4. & disp. 83. sect. 1. & 2.

14 Ratio breuiter est, quoniam Verbum immediatè non producitur, nisi per intellectionem; & Spiritus sanctus nonnisi per amorem. Atque ita potentiam proximam esse intellectionem & volitionem, docet expresè S. Thom. 4. contra gentes cap. 13. colum. 2. Vbi Ferrariensis inter principium & medium. §. *considerandum*. & sequenti. Capreolus dist. 7. quæst. 1. tribus postremis columnis, dum respondet ad argumenta Scoti & alias obiectiones. Caietanus, in præsenti art. 5. §. *circa propositionem*. Vbi Canariensis in commentario, Molina concl. 2. Vazquez disput. 164. cap. 3. §. 1. post medium, Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 5. §. vlt. Valen. sua quæst. 15. de Trinit. punc. 2. colum. 2.

15 Quibus quantum attinet ad intellectionem, siue memoriam fœcundam includendam in formali ratione potentiæ generatiuæ, voluntatem verò includendam in ratione potentiæ spiratiuæ, consentiunt Scotus primo dist. 7. quæst. vnica & sectatores illius. Repugnant verò Gabriel & Ochamus 1. dist. 7. quæst. 2. & Gregorius dist. 13. quæst. vnica. quoniam existimant intellectionem aut volitionem ab essentia non distingui. Veruntamen eorum sententiam refutauimus tota disputat. 2.

16 Denique recolendum est, intellectionem implicitè contineri in essentia; similiter autem essentiam implicitè contineri in intellectione, vt dictum est disput. 8. sect. 5. & sequentibus. Quapropter essentia diuina in ratione potentiæ generatiuæ, non est ita remota, vt non sit implicitè proxima, prout implicitè claudit essentialiter intellectionem: Sed est remota solum quoad conceptum explicitum, intellectio verò quantum ad explicitum est magis proxima potentia. Idem intellige de volitione comparatione potentiæ spiratiuæ.

SECTIO VI.

Satisfit argumentis contrariæ sententiæ positis in sect. 1.

1 GEneralis solutio est. Si quid probant illa argumenta, non amplius probant, quàm à termino producto realiter distinctam esse potentiam, quantum ad formalitatem notionalem vltimò constitutiuam illius, quæ declarata est sect. præced. licet non distinguatur realiter quantum ad substantiam virtutis & fœcunditatis, primariò & principaliter importatam in ratione potentiæ.

2 *Ad primum.*

Id potuisset sufficere ad solutionem primi argumenti. Cui tamen præterea respondetur, negando Antecedens. Et ad eius probationem concessa Maiori, negatur Minor: quia principium producens, licet constituatur formaliter ratione potentiæ, quæ est principium *quo*, veruntamen includit præterea suppositum sub ratione formali suppositi, in quo formaliter consistit realis distinctio producentis à producto.

3 Ad primam confirmationem respond. primò, negando sequelam. Si consequens illius ita intelligatur, vt terminus productus existat in Patre, tanquam eius quidditas propria, sicut in Patre existit potentia generatiua. Existit tamen in Patre Filius per circuminsessionem. Respond. secundò. Terminus productus non est idem realiter cum potentia totaliter & complerè considerata, quoniam vt sic includit notionalem quandam formalitatem, explicatam in sectione præcedenti.

4 Ad secundam confirmationem respond. Potentia siue principium *quo*, realiter distinguitur à termino producto secundum vltimum complementum

plementum potentiæ. Nec opus est realiter distingui secundum primariam substantiam potentiæ. Quamuis enim tota potentia rerum creatarum realiter distinguatur à termino producto: oppositum in diuinis necessariò sequitur infinitam perfectionem productionis ad intra. Quoniam infinita perfectio postulat, vt eadem numero natura, quæ est in principio producente communicetur termino producto, ratione cuius fiat perfectissima communicatio & similitudo. Aliunde tamẽ non tantùm in creaturis, sed etiam in Deo conuincit ratio, probans, naturam & essentiam esse potentiam siue principium, *quo* agens producit; vt probatum est sect. 2. & 3.

5 Ad tertiam confirmationem respond. Qualitas à supposito separata non operatur, nisi quatenus est virtus supposiri, atque in virtute illius, à quo habet esse. Vnde sequitur, suppositum siue principium *quod* per prius, & verius esse principium, quàm principium *quo*: licet non possit operari sine illo, quoniam potentia magis immediatè attingit terminum productum, eo quod suppositum agit per illam potentiam. Ad quartam confirmationem respond. negando Minorem. Suppositum enim se toto est principium *quod*, quemadmodum potentia se tota est principium *quo*.

6 Ad quintam confirmationem respond. Potentia quantum ad sui complementum, dicit aliquam formalitatem, per se ac necessariò cohærentem cum habitudine secundum originem: Quod est dicere relationem in obliquo, prout explicatum est sect. præced. Quantum ad hoc igitur potentia debet esse realiter distincta: licet realiter identificetur cum termino producto, quantum ad primariam substantiam potentiæ. Quapropter, si potentia consideretur secundum præcisam formalitatem potentiæ, condistinctam à supposito, quod producit; vt sic non relatione reali, sed relatione tantum rationis, refertur ad terminum productum; quamuis realiter referatur, inquantum est idem cum supposito producente, quod est quidditatiuè relatiuum in ratione principij.

7 *Ad secundũ argumẽtum.* Ad secundum argumentum respond. distinguendo Maiorem. Quandocunque aliquis actus ineſt alicui supposito, & repugnat alteri ratione naturæ: tunc ineſſe debet actus per illam rationem formalem, per quam vnum suppositum differt ab alio: quemadmodum efficaciter ostenditur exemplo beatitudinis, conuenientis homini ratione partis intellectiuæ, qua differt à bruto. Nihilominus quando aliquis actus ineſt alicui supposito, & repugnat alteri, non ratione naturæ, sed tantùm ratione suppositalitatis: tunc ineſſe debet actus primariò & principaliter per illam rationem formalem, in qua vnum suppositum communicat cum alio. Cuius exemplum in rebus creatis reperiri non potest.

8 Ad primam confirmationem respond. Effectus proprius & peculiaris requirit causam propriam & peculiarem, siue peculiare principium *quod*: cæterum non requirit peculiare principium *quo*, siue potentiam, quando communicanda est eadem numero natura. Adde quod aliquo modo peculiaris est potentia generatiua, & distincta à potentia spiratiua: quia potentia generatiua dicit essentiam sub ratione intellectionis, prout est in Patre dicente: sed potentia spiratiua dicit essentiam sub ratione dilectionis, prout est in principio spiratiuo. Ad secundam confirmationem respond. Fæcunditas est propria Patris, quantum ad vltimum notionale determinatiuum illius: cæterum, quantum ad primariam & substantialem rationem virtutis & facultatis, non est propria personæ Patris, quia continetur in essentia communi.

9 *Ad tertium argumẽtum.* Ad tertium respond. supponere falsum. Paternitas enim, prout consideratur præcisa ab essentia, non tribuit Patri totam rationem principij *quod* in actu primo: quin potius ea ratio tribuitur per essentiam in ratione potentiæ simul cum Paternitate in ratione suppositalitatis. Hæc igitur est integra forma, quæ sicut tribuit actum primum, tribuit etiam actum secundum. Inde constat solutio confirmationis. Quod est alicui totalis ratio, vt totaliter sit, est etiam totalis ratio, vt operetur propriam operationem. Sed quod non est totalis ratio totius esse licet sit ratio constituens suppositum; id non est ratio per quam operatur propriam operationem, sed tantum est ratio constituens suppositum in ratione principij *quod* operari possit. Huiusmodi est Paternitas comparatione Patris & generationis.

10 *Ad quartum argumẽtum.* Ad quartum respond. Potentia generatiua completè & vltimatè constituta per formalitatem notionalem Patris propriam, non competit Filio, nec Spiritui sancto. Vt sic considerata potentia generatiua est adæquata generationi: non autem si consideretur sola substantia primariæ virtutis, hæc enim est communis tribus personis, vt videbimus disputat. sequenti sect. 1. 2. & 3. Ad quintum respond. Sufficiens ratio redditur, propter quam diuinæ productiones non sint plures, quàm duæ, videlicet, quoniam non sunt in Deo plures operationes, quàm duæ, intellectio scilicet ac volitio, in quibus consistit proxima potentia generatiua & spiratiua: quemadmodum fusius probatum est tota disput. 3.

Ad quintum argumẽtum.

11 *Ad sextum argumẽtum.* Ad sextum respond. In diuinis respectu personæ dicitur notionaliter principium *quod*, non verò principium *quo*, siue potentia, quantum ad primariam substantiam virtutis, licet aliquam formalitatem notionalem includat, vt vltimum complementum. Ad septimum respond. Aristoteles tantummodo voluit significare, quod in rebus perpetuis quidquid est possibile, eo ipso debet actualiter esse, nec est aliquid possibile, quod non sit actu. Sed de identitate vel distinctione rationis inter potentiam & actum, in diuinis, nunquam meminit, nec meminisse. potuit de potentia generatiua, quam penitus ignorauit. Nihilominus licet argumentum hoc non probet, concedimus aliquid notionale contineri in generatiua potentia.

Ad septimũ argumẽtum.

12 *Ad octauum argumẽtum.* Ad octauum respond. Sicut Filius eadem entitate notionali est genitus & est Filius, distincta verò partiali formalitate passiuæ originis & relationis: sic etiam Pater eadem entitate notionali Pater est, qua generans est, distincta verò partiali formalitate originis actiuæ & relationis. Alia verò formalitas est, qua tanquam potentia & principio *quo* Pater generat, & hæc primariò dicit essentiam, licet entitatem Paternitatis aliquo modo includat.

***

ARTICV

ARTICVLVS VI.

QVÆST. 41. *Vtrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.*

DISPVTATIO CI.

Vtrum omnes personæ sint æquales in qualibet potentia productiua.

SECTIO I.

Vtrum potentia generandi & spirandi conueniat omnibus personis.

1 *Stultus error.* INSOLENS & inauditum fuit delirium Raymundi Lullij libro de contemplatione, dicentis: *Tantum sunt tres personæ diuinæ in vnione* (id est vsque adeo sunt vnitæ) *quod nulla illarum trium potest aliquid agere intrinsecè sine alijs: quia nec generare, nec spirare.* Item ait ibidem: *Generatio & processio non possunt esse in diuinis per vnam vel duas personas solum, minus de omnibus tribus.* Ij sunt vigesimus tertius & vigesimus quartus errores apud Eymericum in direct. Inquis. p. 2. quæst. 9.

2 *Arianorum obiectio.* Ariani verò dicebant: Si Filius imago est similis Patri per omnia; debet fieri alicuius filij pater: vicissimque, qui ex eo genitus est, debet filios procreare: idque per ordinem vsque in infinitum. Hanc obiectionem refert Athanasius orat. 1. contra Arianos circa medium & argumentum retorquet, dicens: Magis similem esse Filium & perfectè imaginem; *Vt enim Pater semper est Pater, neque vnquam fuerit Filius alterius Patris: ita quoque Filius semper est Filius, neque vnquam fuerit Pater. In eo enim sigillum & imago Patris euidentissimè ostenditur.*

Retorquetur.

3 Eodem modo retorquet obiectionem Cyrillus lib. 3. thesauri cap. 2. sub initium. *Propter hoc,* inquit, *mirabilis imago Patris in Filio est. Sicut enim Pater immutabilis est, quia semper Pater & nunquam Filius: sic Verbum suum ex ipso prodiens, immutabile permanet Patris Verbum, & semper Filius, & nunquam Pater. Similis igitur genitori in hoc quoque est.* Ambrosius item lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. hanc refert hæreticorum obiectionem, dicentium: *omnipotentem Filium non esse, eo quod generare non potuit.* Cui præter aliam solutionem (quam referemus sect. 6. propius ad princip. quàm ad medium sectionis) respondet Ambrosius propius ad medium quàm ad finem dicti capitis quarti: *Cur inquiunt,* Ariani, *Filius Pater non est? Quia & Pater Filius non est. Cur non iste generauit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet Filius quia Pater non est, nec Pater minus habet quia Filius non est. Dixit enim Filius: Omnia, quæ Pater habet, mea sunt. Adeo generatio in Paterna proprietate, non in iure est potestatis.*

4 *Tertius error.* Abaylardus apud Bernardum epist. 199. ad Innocent. colum. 2. & 3. licet fateretur, Filium & Spiritum sanctum esse consubstantiales Patri; nihilominus tribuebat Patri *Omnipotentiam, tam in generando, quàm in discernendo:* Filio *semipotentiã in discernendo per sapientiam;* Spiritui sancto *nullipotentiam, sed benignitatem.* Idem etiam docuit Arnoldus Brixiensis vt refert Otto Frisingensis de rebus gestis Federici Primi cap. 49. apud Coccium pag. 330. tom. 1. Sed de hoc errore dictum est supra disput. 82. sect. 2. initio.

5 *Quid certũ sit & quid in controuersia.* Aduersus errores istos tanquam certum de fide supponendum est, non omnes personas diuinas generare, neque omnes spirare. Filius enim generare non potest; sicut non potest esse Pater: Spiritus verò sanctus nec generare, nec spirare potest; sicut non potest esse Pater, neque Filius spirator. Nihilominus potentiæ defectus nullus est in Filio, neque in Spiritu sancto. Quo supposito, laborant scholastici doctores in explicanda summa perfectione & æqualitate potentiæ Filij & Spiritus sancti cum Patre: cuius difficultas eos impulit in varias sententias, vel potius loquendi modos.

6 *Prima sententia.* Prima sententia dicit, in Filio non esse potentiam generatiuam, neque in Spiritu sancto potentiam spiratiuam. Ita planè sentiunt S. Bonauentura, Durandus & Carthus. citati disputat. præcedenti sect. prima, quoniam potentiam productiuam personarum, existimant, esse meram relationem ac personalitatem. In eadem sententia sunt Henricus, Ricard. & Petrus de Tarantasia, citati sect. 4. disput. præcedentis. Quia potentiam productiuam ad intra, conflantes ex relatione simul & essentia, imo principalius in eius constitutione relationem affignantes, non possunt totam potentiam productiuam tribuere personæ productæ, sed tantum illius partem, videlicet, essentiam.

7 Idem loquendi modus, qui negat Filio potentiam generatiuam, arridet magis aliquibus etiam eorum authorum, qui disp. præced. sect. 4. dixerunt, relationem non pertinere ad potentiam productiuam personarum, nisi de connotato & in obliquo; quia solam essentiam in recto significari putant nomine potentiæ generatiuæ & spiratiuæ. Nihilominus absolutè pronunciant, Filio non conuenire potentiam generatiuam, ex eo solum quod illi non conueniat notionalis proprietas connotata. Eadémque ratione Spiritui sancto negant potentiam spiratiuam. Ita Vazquez disputat. 164. cap. 4.

8 *Primum argumentum.* Potest hæc sententia probari sequentibus argumentis. Primum, quia Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus inter princ. & med. ait: *Omnia quæ habet Pater, sunt Filij, sola gignendi vi excepta.*

Secũdum argumentum. Secundum, quia potentia generandi non est nuda essentia, sed determinata proprietate personali Patris. Sed Filio non conuenit essentia determinata personali proprietate Patris. Ergo Filio non conuenit potentia generatiua.

9 *Tertium argumentum.* Tertium, quia si potentia generatiua conueniret Filio & Spiritui sancto, Filius & Spiritus sanctus generarent. Quodlibet enim suppositum, potentia siue principio productiuo instructum, potest prodire in actum producendi, nisi obstet impedimentum. At nullum impedimentum obstare potest infinitæ potentiæ. Confirmatur primò, quia vbicumque aliqua potentia suaptè natura postulat esse, nequit habere impedimentum ex natura rei: alioqui natura sibi ipsi contraria foret. Atqui essentia diuina suaptè natura postulat esse in Filio & Spiritu sancto: ergo in illis non potest habere impedimentum ex natura rei. Accidentarium autem impedimentum, & ab extrinseco prouenies, nullum esse potest aduersus infinitam potentiam. Ergo in omni persona

sona non potest illi deesse conditio quæuis requisita ad operandum.

10 Confirmatur secundò, quia si potentia generatiua requireret aliquam conditionem, vt prodiret in actum generationis; eam conditionem postularet, & afferret secum in quacumque persona, cui conueniret potentia generatiua.

11 *Quorundam exemplum nõ est ad rem.* Confirmatur tertiò, quia non videtur ad rem esse, quod aliqui authores respondent: Quemadmodum si idem calor esset in igne, & in aqua, ignis per eum calefaceret, non tamen aqua: præterea, si eadem potentia videndi esset in oculo, & in osse, videret oculus, non os: sic etiam eadem essentia existens in Patre & Filio, in Patre generat, in Filio non generat. Hoc, inquam, exemplum non est aptum. Calor enim in aqua est, vt in subiecto præter naturam, & semper est virtus ignis: ideo caloris operatio non deriuatur ab aqua violenter affecta calore, sed ab igne. At essentia diuina non violenter, sed naturaliter & quidditatiuè postulat, Filio & Spiritui sancto conuenire. Quapropter, operatio, proueniens ab essentia, tanquam à potentia, conueniet etiam Filio & Spiritui sancto. Denique, potentiam visiuam in osse constitui, non est possibile, nisi supernaturaliter, & contra particularem exigentiam potentiæ visiuæ: quamuis conforme sit generali propensioni potentiæ obedientialis omnium creaturarum. Quod si potentia visiua naturaliter postularet ossibus conuenire; postularet etiam naturaliter in illis, nullum habere perpetuum impedimentum.

12 *Quartum argumentum.* Vnde sumitur argumentum quartum, quia cuicumque supposito conuenit aliqua natura, eo ipso conuenit radicalis potentia, & conuenire potest actus proprius illius naturæ. Sed Filio & Spiritui sancto non conuenit generatio: Ergo non conuenit illis radicalis potentia generatiua: Quamobrem essentia diuina non erit radicalis potentia generatiua; siquidem essentia diuina conuenit Filio & Spiritui sancto.

Quintum argumentum. Quintum, quia Filius non potest generare, potest autem generari: habet igitur potentiam, vt generetur, non vt generet. Aliud autem est generare, & aliud generari. Cum ergo potentiæ distinguantur penes obiecta; non erit eadem potentia Patris & Filij: propterea quæ potentia generatiua non conueniet Filio, sed alia potentia, per quam Filius est generabilis.

13 *Sextum argumentum.* Sextum. Actio & passio reducuntur ad diuersa principia: siquidem in rebus creatis efficiens, agit ratione formæ, patitur verò ratione materiæ. At verò generare & generari significantur per modum actionis & passionis: oportet igitur ad diuersa principia reuocari. Vnde præterea fit, non esse potentiam vnicam, qua Pater generat, & qua Filius generatur, & consequenter in Filio non

Septimum argumentum. esse potentiam eandem, quæ est in Patre. Septimum, quoniam vnitas essentiæ, in qua radicatur vtraque potentia, non sufficit ad vnitatem potentiæ. Nam potentia calefaciendi & desiccandi radicantur in vno subiecto, scilicet, in igne: nihilominus non est vna & eadem potentia. Alia enim potentia est calor principium *quo* calefaciendi: alia verò siccitas principium *quo* desiccandi.

14 *Octauum argumentum.* Octauum argumentum eisdem illationibus ostendit, potentiam proximam concipiendi Verbum, non conuenire Filio: propterea que intellectionem non esse potentiam proximam concipiendi Verbum: quia Filius est perfectè sapiens & intelligens, qui tamen non concipit Verbum. Idem, proportione seruata, dictum sit de amore, prout est potentia proxima spirandi.

15 *Secunda sententia.* Secunda sententia simpliciter affirmat, Filio conuenire potentiam generatiuam, & Spiritui sancto potentiam spiratiuam. Ita putant in primis authores, qui disputat. præcedent. sect. 3. initio dicunt, potentiam productiuam personarum esse nudam essentiam & præcisam à qualibet relatione. Quemadmodum Ochamus & Gabriel 1. dist. 7. quæst. 1. & 3. Obiectionibus autem respondent, hanc potentiam in Filio non generare, quoniam est perpetuo impedita.

16 Parum ab hac sententia discrepant Scotus & eius sectatores, qui disputat. præcedent. sect. 5. parum à princ. simpliciter concedunt Filio potentiam generatiuam, dicentes, ideo non generare, quia deest illi conditio necessaria, videlicet, essentiam esse in supposito apto ad generandum. Cæteros autem supergressus Marsilius lib. 1. quæst. 11. art. 3. dicit, siue actiuè siue passiuè aut impersonaliter accipiatur illud gerundium generandi, potentiam generandi esse in qualibet trium personarum & in omnibus tribus. Quod propterea discrepat non solum ab aliis, sed etiam ab eodem authore, quoniam in fine præcedentis articuli 2. conclusione 4. dixerat, potentiam generandi connotare respectum ad personam Patris. Quædam Augustini verba lib. 3. contra Maximinum huic sententiæ fauere videntur: sed explicabuntur sect. sequenti probatione 3.

17 *Tertia sententia.* Tertia sententia media inter vtramque, propius tamen accedens ad secundam sententiam, in potentia productiua personarum distinguit duas quasi partes, vt quantum ad essentiam primariò & in recto significatam, potentia generatiua sit in Filio & Spiritu sancto sed non sit in eis, quantum ad notionem connotatam in obliquo, quæ propria est personæ Patris. Ita docuit magis expresse S. Thom. in præsenti quæst. 41. art. 6. ad primum. Cui consonat quæst. 42. art. 6. ad 3. & lib. 4. contra gentes cap. 13. & de potentia quæst. 2. art. 5. & 6. & quæst. 9. art. 9. ad 2. 3. & 4. Et sentent. dist. 7. quæst. 2. art. 1.

18 Quantum ad rem & mentem idem, licet aliis verbis docuerunt antiqui, vt Magister 1. dist. 7. cap. penult. cuius præcipuè consideranda sunt finalia verba. Alexander 1. p. quæst. 42. memb. 3. art. 2. præcipuè ad finem. Albertus 1. p. quæst. 30. memb. 3. art. 1. ad 8. & memb. 4. particula 1. ad primum & quæst. 48. memb. 3. ad 3. & particula 2. ad 1. Clariùs prædictam sententiam D. Thomæ sequuntur. Capreolus 1. distinct. 7. quæstione 1. art. 1. conclus. 3. & art. 3. ad tertium argumentum Aureoli Ferrariensis 4. contra gentes cap. 13. inter principium & medium, §. *considerandum*. & sequentibus. Caietanus in præsent. quæst. 41. art. 5. Vbi communiter expositores Sancti Thomæ. Canariensis in 2. p. commentarij fine. Molina conc. 3. Suarez lib. 4. de Trin. cap. 10. num. 7. & sequent. Et lib. 6. c. 5. num. 9. Valentia 1. p. quæst. 15. de Trin. punct. 2. post. assertionem secundam.

19 *Potentia generandi non conuenit Filio nec Spiritui sancto.* Hanc sententiam, quia veram existimo, sic explico & dico primò. Simpliciter & absque maiori declaratione loquendo, potentia generandi non conuenit omnibus personis, sed soli Patri, non Filio nec Spiritui sancto sicut & potétia spirandi non conuenit Spiritui sancto. Ratio est, quoniam vt disput. præcedenti sect. 3. 4. & 5. declaratum & probatum est, potentia generatiua non

non solum essentiam primariò includit, sed etiam in obliquo relationem connotat; & eo ipso continet in recto notionalem aliquam formalitatem, quæ sit veluti pars relationis, per quam vltimatè potentia determinetur, vt sit generatiua. Cum igitur Filio & Spiritui sancto non conueniat formaliter & ratione sui (sed tantum per circumincessionem) illa formalitas notionalis, quæ veluti pars est Paternitatis; non potest eisdem personis conuenire potentia simpliciter & absolutè dicta, quia non conuenit secundum se totam. Eadem igitur ratione potentia spiratiua simpliciter & absolutè non conuenit Spiritui sancto.

20 *Impropriè dici potest potentiæ generandi Filio conuenire.* Dico secundò. Propositiones istæ: *Potentia generandi est in Filio, siue conuenit Filio: & potentia spirandi est in Spiritu sancto* possunt habere sensum aliquem verum, licet improprium: propterea, quando reperiuntur apud Scholasticos, declarandæ sunt, non absolutè damnandæ. Verus sensus earum propositionum esse potest, accipiendo gerundium *generandi*, vt sit verbi passiui, non verò verbi actiui. Quo sensu, potentia generandi est potentia, vt Filius generetur. Potest etiam accipi tanquam gerundium verbi impersonalis, vt sit sensus: Potentia, quæ suapte natura destinata est ad generationem (abstrahendo à generatione actiua vel passiua) conuenit Filio. Idem intellige de potentia spiratiua in Spiritu sancto. Hos intellectus in huiusmodi propositionibus admittunt S. Thomas, Alexander, Albertus, & alij citati pro tertia sententia. A quibus voce tenus discrepat, sed in re docet idem prorsus Magister distinctione 7. cap. penult. & vlt. Confirmatur, nam eadem est potentia, per quam Pater generat & Filius generatur, vt explicabimus sectione sequenti.

21 Improprietas autem earum propositionum est manifesta, quoniam apud Latinos authores maximè verò theologos, vt plurimum eiusmodi gerundium cuiuslibet verbi actiui sumitur in sensu actiuo, non in sensu passiuæ vocis, nisi valde raro.

22 *Generatiua potentia nec impropriè cõuenit Filio.* Vnde infero & Dico certiò. Nullo modo, nec impropriè concedendum est, in Filio esse potentiam, vt generet, siue potentiam generatiuam; quoniam terminationes istæ non patiuntur sensum verbi passiui, nec impersonalis, sed apertè significant, Filium generare posse. Eadem ratione non est concedenda Spiritui sancto potentia productiua personæ alicuius ad intra. Ad argumenta primæ sententiæ respondebimus sect. 3.

SECTIO II.

Vtrum eadem sit potentia, per quam Pater potest generare, & Filius potest generari.

1 QVod dictum fuerit de potentia generandi, propter rationis paritatem, veniet intelligendum de identitate potentiæ, per quam Pater & Filius spirare potest, & Spiritus sanctus potest spirari.

2 *Prima sententia.* Potentiam, per quam Pater generare potest, in ratione potentiæ, distinctam esse ab illa potentia, per quam Filius potest generari, tenent doctores, qui præcedenti sectione opinione 1. dixerunt, non esse in Filio potentiam generatiuam. Videlicet S. Bonauent. Durandus, Carthusianus, Henricus, Ricardus. Ad eandem magis accedunt Vazquez disputatione 166. cap. 1. colum. 1. & 2. Et hoc præcipuè contendunt argumenta,

quæ in fauorem eiusdem sententiæ proposuimus sectione 1.

3 *Secunda sententia.* Econtrario tamen eandem esse potentiam Patris, qua generare possit, & Filij, qua possit generari, docent non solum illi doctores, qui potentiam generatiuam dicunt esse nudam essentiam præcisam à relatione, consequentérque concedunt esse in Filio potentiam generatiuam, videlicet Ochamus & Gabriel, sed etiam, qui sect. præcedenti sententia 3. distinguunt aliquid potentiæ, quod non sit in Filio: nihilominus enim absolutè decernunt, esse eandem potentiam Patris & Filij sub diuerso tamen respectu: in Patre nimirum est potentia, vt generet, sed in Filio eadem est potentia, vt generetur. Explicant autem exemplo. Sicut eadem Diuinitas sub diuerso respectu est, per quam prima persona est Deus Pater, & secunda persona est Deus Filius.

4 Vnde simpliciter affirmant: quidquid potest Pater, potest Filius. Sed inde non sequitur, Filium posse generare, quia mutatur *quid* in *ad aliquid*, id est, mutatur absolutum in relatiuum: nam *quidquid potest* significat potentiam alicuius rei absolutæ, non relatiuæ; sed cum additur *potest generare*, significatur relatio. In hac igitur variatione dicunt illius argumenti fallaciam consistere. Cæpit hæc doctrina sub aliis verbis à Magistro 1. distinct. 7. cap. penult. & vlt. Clariùs tradita est ab Alexandro 1. p. quæst. 42. memb. 3. artic. 2. præcipuè prope fin. & quæst. 47. memb. 2. & 3. Et Alberto 1. part. quæst. 30. memb. 3. artic. 1. ad 8. & memb. 4. particula. 1. ad 1. & quæst. 48. memb. 3. ad 3. & partic. 2. ad 1. Idem magis ex professo docent S. Thomas in præsenti quæst. 41. artic. 5. ad 3. & sequenti quæst. 42. artic. 6. ad 3. & 4. contra gentes cap. 13. colum. 2. & de potentia quæst. 9. artic. 9. ad 3. & 1. sentent. distinctione 7. quæstione 2. artic. 1. & 2. Quem sequuntur Capreolus, Ferrariens. Caietanus, Canariens. Molina, Suarez, Valentia sect. præced. citati. Idem sentire videtur Bellarminus tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 10. §. 2.

5 Eandem sententiam sequitur Marsilius lib. 1. quæst. 11. artic. 4. init. sed multo fusius quæst. 23. præsertim artic. 2. vbi totam difficultatis solutionem reducit ad hoc, quod relatio non est ens, neque perfectio, nisi propter essentiam absolutam. Vnde, sicut sequitur esse vnum ens & vnicam perfectionem Patris & Filij: sic etiam sequitur esse vnicam potentiam. Veruntamen aliquid falsitatis in hoc fundamento contineri, aperiemus statim.

6 *Conclusio.* Ad explicationem ergo prædictæ sententiæ sit vnica conclusio: eadem est potentia, per quam Pater potest generare & Filius potest generari, & Pater & Filius potest spirare, & Spiritus sanctus potest spirari: in omnibus itaque personis eadem est potentia, non solum comparatione creaturarum ad extra, sed etiam ad intra. *In omnibus personis eadem potentia.*

7 Probatur primò. Sic enim verificatur, vnam personam ab alia non superari potentiâ, quod ex Augustino probat ex professo Magister 1. dist. 20. vbi communiter Scholastici. Quod si foret potentia distincta; sequeretur, Spiritum sanctum à Patre & Filio superari potentiâ, quoniam Pater potest generare & spirare, Filius, licet non possit generare, potest generari & potest insuper spirare: cum tamen Spiritus sanctus nec generare, nec generari, nec spirare possit, sed tantum spirari. Confirmatur, quia tres personæ, simul & collectiuè sumptæ, non sunt maioris potentiæ, quàm

vnica persona sigillatim accepta. Nam si collectio personarum esset maioris potentiæ; foret etiam maioris perfectionis; contra doctrinam Patrum & Scholasticorum, traditam disputat. 30. sect. 2. Quod si distinctæ potentiæ forent distinctarum personarum; plus potentiæ contineret tota collectio.

8 Probatur secundò, quia potentia est attributum absolutum, & ideo non multiplicatur pro numero relationum siue personarum: quemadmodum non multiplicatur sapientia, neque misericordia siue iustitia. Confirmatur, quia non quæcumque differentia obiectorum sufficit ad multiplicandas potentias, sed requiritur differentia secundum rationem formalem, & in eodem genere. At verò differentia inter generare & generari non est differentia in genere potentiæ, sed in genere relationis. Vnde prouenit, vt materialiter se habeat comparatione potentiæ, nec possit eam multiplicare.

9 Tertiò declaratur ampliùs, & probatur, recolendo discrimen inter prædicata transcendentia, & attributa non transcendentia. Nam prædicata transcendentia multiplicari possunt pro numero personarum. Concedere quippe licet tres entitates siue realitates, & quodammodo etiam tres vnitates, tres veritates, & alia eiusmodi; vt ostendimus disputat. 26. & sequentibus. Quin etiam disputat. 29. probatum est, formalissimam rationem relationis, in quantum est ad aliquid, esse perfectionem: ideóque si præscindantur ab inuicem diuinæ relationes, sunt distinctæ perfectiones in suo genere, sicut explicatum est disputatione 30. sectione 4. conclus. 3. & 4. Cæterum attributa non transcendentia, qualis est potentia, non multiplicantur pro numero personarum; vt probatum est disputatione 77. Et quod ad præsens attinet, ratio discriminis est, quia relatio Paternitatis, verbi gratia, licet in ratione Paternitatis & relationis dicat realitatem & perfectionem: in ea tamen ratione vltima sicut non dicit sapientiam, neque misericordiam; ita non dicit potentiam, sed aliquid potentiæ determinatiuum velut in alio genere, non in genere potentiæ. Hac igitur ratione non multiplicat potentiam.

10 Hoc significant illa verba Augustini libro 3. contra Maximinum cap. 12. prope fin. toties à Scholasticis in disceptationem adducta: *Absit autem, vt quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem: Neque enim non potuit, sed non oportuit.* Vult igitur Augustinus, Filio defuisse nihil, pertinens ad rationem formalem potentiæ: quamuis aliquid in Filio sit, ratione cuius neque expediat, nec sit possibile, Filium generare; sed illud est extra rationem potentiæ.

11 Quartò. Profundiorem rationem, & magis à priori S. Thomas attigit 4. contra gentes cap. 13. colum. 2. quia cum in diuinis generatio sit Verbi conceptio per intellectionem: consequens est, vt potentia generandi proportionem aliquam habeat cum potentia intelligendi. Rursus potentia, per quam persona intelligens, & dicens concipit Verbum, eadem ipsa est potentia, per quam Verbum concipitur à principio intelligente ac dicente, quando vnica est intellectio, quæ constituit illud principium in ratione intelligentis, ita vt intelligere sit illius essentia; & eadem intellectio est essentia constituens Verbum in ratione sapientiæ & imaginis intellectualis, addita sola relatione originis, distinguente Verbum à suo principio. Idem, proportione seruata, de Spiritu sancto & amore, per quem procedit, intelligendum est.

Quintò probari potest, quia dato, quod relationes, sub formalissima ratione relationis, afferrent rationem potentiæ, quemadmodum afferunt rationem perfectionis & bonitatis transcendentalis (licet verè non afferant rationem potentiæ, vt vidimus probatione 2. & 3.) adhuc non essent tres potentiæ, propriè loquendo, sed impropriè; sicut non sunt tres perfectiones, aut transcendentales bonitates. Ratio est, quia quælibet persona per suam potentiam in ratione potentiæ, postulat, in se continere potentiam alterius personæ, secum identificatam in natura, & in se manentem. Quemadmodum persona dicens in ratione dicentis postulat, Verbum à se productum esse immanens in persona dicente. Idcirco totam potentiam aliarum personarum alio modo & ordine continet persona quælibet: sicut de perfectione dictum est in simili disputat. 30. sect. 5. vsque ad 10. Quantum ad hoc verificatur illa paritas inter vnitatem potentiæ, & vnitatem perfectionis, quàm tradit S. Thomas locis citatis, sed fusiùs Capreolus distinctione 7. quæstione 1. art. 3. ad 3. Aureoli. 12

Confirmatur, quia generatiua potentia, sicut & spiratiua, quidditatiuè continet infinitatem simpliciter in ratione potentiæ, sine qua non posset producere personam simpliciter infinitam in genere entis. At infinitudo simpliciter in ratione potentiæ, continet in se quamlibet rationem potentiæ, nulla excepta. Consequens igitur est, vt nulla potentia restet, quæ distinguatur ab hac potentia simpliciter infinita in ratione potentiæ: quemadmodum in simili ratiocinati sumus de aliis perfectionibus, includentibus infinitatem simpliciter supra disput. 27. & 28. 13

SECTIO III.

Satisfit argumentis, quæ sectione prima contendunt, distinctas esse potentias Patris & Filij.

AD primum respond. Damascenus agit de virtute totaliter determinata per vltimum complementum, quod est notionalis formalitas. Ad secundum respond. distinguendo consequens. Filio non conuenit proprietas personalis, determinans potentiam, vt sit generatiua: nihilominus Filio conuenit quidquid formaliter pertinet ad rationem potentiæ, nihilque deficit illi, quod formaliter sit in genere potentiæ, sed tantum in genere modi, determinantis & referentis potentiam. 1 *Ad secũdum.*

Ad tertium respond. Suppositum Filij non est instructum potentia generatiua cum vltima formalitate notionali, complente ac determinante ad generandum: ideo non potest prodire in actum generandi; vt magis constabit ex sequentibus solutionibus. 2 *Ad tertium argumẽtum.*

Ad primam confirmationem respond. Natura diuina non habet impedimentum, nec repugnat sibimetipsi; quamuis potentia productiua non possit efficere, vt productum, in quantum productum, non sit producens, licet ei communicetur eadem potentia. Productum, in quantum productum, & genitum, in quantum genitum, est Filius: Filius autem, vt Filius, esset Pater & producens, si generaret: quia relatione originis generandi constitueretur eius persona (sub illa hypothesi) quæ constituitur etiam relatione Filiationis. Nullam igitur repugnantiam, sed potius consonantiam summam retinet secum natura diuina, licet Filius, habens eandem potentiam, generare non possit. 3 *Nõ repugnat sibi natura diuina, licet Filius per eã generare nequeat.*

4 Ad secundam confirmationem respond. Nihil est curandum, vtrum appelletur conditio, vel vltimum complementum, determinatiuum potentiæ, quod in persona requiritur, vt generet. Nam quomodocumque vocetur, distinguendum est Antecedens. Si potentia generatiua requireret aliquam conditionem, aut determinatiuum, vt prodiret in actum generationis; eam conditionem aut determinatiuum postularet, & afferret secum in quacumque persona, quæ non esset terminus productus per generationem, neque procederet ab eodem termino genito. Alioqui potentia repugnaret sibi. Veruntamen potentia sibi constat, & optimè consonat suæ naturæ non postulans neque afferens secum in persona genita conditionem, aut determinatiuum requisitum ad generandum. Ad tertiam confirmationem respond. De illo exemplo parum interest disputare. Valet tamen aliquid à longè, quantum ad generalem rationem verificandi, quod existere possit tota potentia, deficiente aliquo requisito ad operandum.

5 *Ad quartum argumẽtum.* Ad quartum argumentum respond. Cuicumque suppositio conuenit aliqua natura, conuenire potest actus proprius illius naturæ, nisi suppositum illud sit productum per eundem actum. Aliter respondet S. Thom. de potentia quæst. 9. artic. 9. ad 2. distinguit enim actum proprium naturæ secundum se, prout abstrahitur à suppositis: & huiusmodi proprium actum concedit omnibus personis conuenire. Cæterum generare non est actus proprius naturæ diuinæ secundum se, prout abstrahitur à suppositis, sed potius vt est in supposito Patris.

6 *Ad quintum argumẽtum.* Ad quintum argumentum respond. Potentia vt Pater generet, & potentia vt Filius generetur, quodammodo distinguuntur extra genus & rationem formalem potentiæ, quatenus includunt duo complementa determinantia, quæ realiter distinguuntur. Sed non distinguuntur in ratione potentiæ: quia non quælibet obiectorum distinctio potentias distinguit in ratione potentiarum, sed tantum formalis distinctio obiectorum in eodem genere. At verò generare & generari non est in eodem genere potentiæ, quia sunt relatiua, sed potentia est absolutum quid & essentiale. Ita respondet S. Thom. de potentia quæstione 9. artic. 9. ad 3.

7 *Ad sextum.* Ad sextum argumentum respond. Si per productionem communicatur eadem natura; eadem habet potissimùm rationem formæ, sed præterea quodammodo sortitur rationem materiæ, sicut explicatum est disput. 97. sect. 2. & 3. Eadem quoque natura est principium *quo*, & terminus formalis quasi patiendi productionem. Quapropter hoc potius confirmat vnitatem potentiæ, per quam Pater generat & Filius generatur: quia sicut in creaturis natura eiusdem speciei est actiuum principium & passiuum *quo*, seu terminus formalis generationis: ita in Deo eadem numero natura subit vtrumque munus. Discrimen igitur inter naturam creatam & increatam, quantum ad hoc, non est aliud nisi vnitas numerica naturæ diuinæ pro vnitate specifica naturæ creatæ.

Ad septimum argumentum respond. Vnitas essentiæ, in qua radicantur potentiæ, non sufficit ad vnitatem illarum, quando potentiæ distinguuntur ab essentia, in qua radicantur. Cæterum quando potentiæ sunt idem realiter cum essentia, tunc vnitas essentiæ, in qua radicantur, inferre potest identitatem potentiarum propter rationes supradictas. Ad octauum respond. Filius non concipit Verbum, eo quod est ipsum Verbum, & propter alias rationes, dicendas disputatione sequenti. 8

SECTIO IV.

Potentiam generandi & spirandi sub omnipotentia, communi tribus personis, comprehendunt Patres.

OMnes theologi tanquam fidei dogma supponunt, omnipotentiam omnibus & singulis conuenire personis: ita, vt Filius sit omnipotens, non minus quàm Pater; & Spiritus sanctus æqualiter sit omnipotens, vt Pater & Filius. Sic profitemur fideles omnes Athanasij symbolo: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.* Concil. Nicæn. lib. 2. inter principium & medium, §. *Si vt tu dicis*, ait: *Filius æquè potens vt Pater, creator cum Patre.* Quam æqualitatem potentiæ absque subiectione & inferioritate instrumenti confirmat Concil. multis capitibus sequentibus. 1 *Singulas personas esse omnipotentes.*

Augustinus lib. 8. de Trinitate cap. 1. sub init. ait: *Nec tamen tres dij, aut tres domini, aut tres omnipotentes; sed vnus Deus, Dominus, Omnipotens ipsa Trinitas.* Eandem doctrinam repetit sermone 38. de tempore inter princip. & med. & paulo post med. & iterum col. sequenti. Deindeque paulo propius ad fin. quàm ad med. Idem lib. 2. de symbolo ad catechumenos cap. 4. prope fin. *Non audemus*, inquit, *dicere tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres inuisibiles, nec tres immortales.* & lib. 11. de ciuit. cap. 24. ante med. *Non tres omnipotentes sed vnus omnipotens.* Gregorius Bœticus lib. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad fin. de Patre & Filio ait: *Non duo omnipotentes, sed vnus omnipotens.* 2

Gregorius Nyssenus orat. catechetica cap. 1. à med. probat, totam Dei potentiam, absque vlla impotentia, Verbo, sicut Patri conuenire. Vnde prope fin. eiusdem capitis, explicata distinctione personali Patris à Verbo, sic proponit omnimodam identitatem in subsistentia. *Siue bonitas, siue potentia, siue sapientia*, &c. *siue quid aliud eiusmodi, sit signum, quo comprehenditur Pater, per eadem signa inuenies Verbum quoque, quod ex illo consistit.* Idem epistol. de imagine & similitudine contra Apollinarem col. penult. *Vna*, inquit, *& similis Patris & Filij & Spiritus sancti efficacitas, vna virtus, vna potestas.* Et lib. de Trinit. ad Eustathium post med. *Sin autem veram & Patris & Filij & Spiritus sancti intellexerimus esse efficaciam & operationem in nulla re quicquam differentem aut variantem*, &c. 3

Athanasius serm. de sanctissima Deipara col. 2. *Vnum*, inquit, *Deum in tribus subsistentijs prædicantes, in quibus vna sit substantia, vis & efficacia, & quæcumque huius generis circa substantiam considerari possunt.* Hæc autem exponit statim enumerans attributa, nominatim autem *omnipotentiam*, atque subiiciens, *Non ad vnam tantummodo personam, sed* 4

æquè ad quamlibet ex Trinitate pertinere. Rursus lib. 6. de beatitudine Filij Dei & præscriptione sectæ pessimæ prope fin. maledicit ei, qui confitetur *tres omnipotentes.*

5 Vnam esse virtutem Patris & Filij & Spiritus sancti, docent communiter Patres. Chrysostomus in Psalmum 107. ad illud *Saluum fac dexteram tuam.* Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri cap. 9. in med. & lib. 2. cap. 2. prope fin. & lib. 12. cap. 1. sub init. & lib. 14. cap. 2. fine. & sequentibus vsque ad 6. & dialog. de Trinit. lib. 3. inter med. & fin. Anastasius Theopolitanus in explicat. fidei inter princ. & med. atque post med. Ambrosius quinque libris de fide ad Gratian. veluti lib. 2. cap. 3. propius ad med. quàm ad princ. dicens: *Ergo eum, qui omnia*
Ioan. 16. *habet, quæ Pater habet (scriptum est enim: Omnia quæ Pater habet, mea sunt) omnipotentem esse dubitare non possumus.* Eandem omnipotentiam defendit lib. 4. cap. 4. & lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 8. 9. & 10. Isidorus lib. 7. etymol. cap. 2. & 3. & lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 5. & lib. de natiuit. Domini cap. 4. versus fin.

6 Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. circa med. *Nemo alium,* inquit, *aut præcedit æternitate aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater est.* & cap. 2. propius ad med. quàm ad fin. de Filio comparatione Patris ait: *Æqualiter sapiens atque omnipotens.* Præterea, *vnam potestatem & vnum regnum* trium personarum docet idem Fulgentius in quæst. 4. ad Ferrandum post med. & in fine frequenter. Sophronius Patriarc. Constantinopol. in sexta Synodo act. 11. epist. profess. fidei col. 4. *Nos,* inquit, *vnum principium vnius nouimus Deitatis, vnum imperium, vnam potestatem, vnam virtutem, vnam operationem, vnum consilium, vnam voluntatem creatricem & conseruatricem,* &c. Et subiungit eam esse in tribus personalibus subsistentiis. Ricardus Victorin. vbique omnipotentiam, dicit, esse vnam & communem tribus personis, quoniam est ipsa essentia diuina: veluti lib. 1. de Trinit. cap. 21. & 25. & lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 22.

7 Magister & omnes Scholastici 1. dist. 20. cum Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 7. & 12. & 15. ex verbis Ioan. 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt,* probant, omnipotentiam æqualem & eandem Filio communicari: propterea que Filium esse omnipotentem non minùs, quàm Pater.

8 Hoc fidei fundamento præsuppositio, varietas
Quorundam sententia. est in modo atque ratione declarandi ac defendendi omnipotentiã Filij & Spiritus sancti. Nam Scholasticorum aliqui putant, non aliter posse defendi, nisi generatiua spiratiuáque potentia resecata, limitetur omnipotentia, vt solummodo referatur ad creaturas producendas ad extra, nec comprehendat aliquam productionem personarum ad intra. Huius sententiæ authores & fundamenta referemus sect. 6. In præsenti namque veram conclusionem statuimus tanquam corollarium, illatione manifesta deductum ex doctrina sectionum præcedentium.

9 Sit ergo prima conclusio. Potentia generatiua,
Potentia generatiua quomodo continetur in omnipotentia. quantum ad illud totum, quod habet rationem potentiæ, quidditatiuè continetur in omnipotentia, quæ communis est tribus personis: ac proinde Filius & Spiritus sanctus non esset omnipotens; nisi haberet essentialiter totum illud, quod in generatiua potentia habet rationem potentiæ. Propterea que Filius & Spiritus sanctus est omnipotens, quia totam potentiam continet, per quam solus Pater generat. Idem, proportione seruata, de spiratiua potentia sentiendum est.

Probatur primò, quia multi Patres absolutè 10
dicunt, ad omnipotentiam Dei pertinere quod Pater generare potuerit: ex cuius potentiæ negatione, notant, necessariò sequi negationem omnipotentiæ propter admixtum defectum potentiæ. Athanasius enim lib. 5. de vnita substantia Trinitatis in med. tractans de potentia generandi, quam si Pater non habuisset ab æterno, sed in tempore genuisset; sequeretur in tempore creuisse perfectionem Dei, omnipotentia denuo superueniente, ait: *Si omnipotenti tanquam homini egenti per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur.* Vnde paulo inferius infert: *Vides, omnipotentem esse Dei Filium, sicut & Patrem? ideo nihil accessit in vnita Diuinitate sempiternæ omnipotentiæ Patri & Filio. Sanè neque omnipotenti Deo sancto Spiritui aliquid accessisse cognoscitur, quoniam de vnita omnipotentiæ substantia est.* Vbi omnipotentia formaliter ponitur, quoniam est potentia, per quam Pater & Filius producunt Spiritum sanctum de sua substantia. Idem Athanasius oratione contra Gregales Sabellij multo propius ad med. quàm ad principium. *Cum Dei potestas,* inquit, *Filius sit, ideoq; plenè & ad perfectum potens est Pater, quoniam Pater potestatis est.* Plenè & ad perfectum potens idem omnino valet, quod omnipotens.

Cyrillus Alexand. lib. 2. thesauri cap. 1. non longè à princ. inter alia dicit: *Quia igitur omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius.* Hilarius lib. 6. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad fin. hanc orationem dirigit ad Patrem: *Omnipotentem te scio, nec conscia tibi tantum atque ipsi Vnigenito tuo natiuitatis inenarrandæ expecto rationem. Impossibile enim tibi nihil est, & genitum à te Filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim iam omnipotentem te negabo.* Quid clarius ad præsentis conclusionis confirmationem Hilarius potuit scribere?

Non aliter Augustinus lib. 3. contra Maximi- 12
num cap. 7. post med. scribit: *An forte dare non potuit? Vbi est omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, vt Deus Pater æqualem sibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit infirmus: si noluit, inuidus inuenitur. Sed vtrumque hoc falsum est. Patri ergo Deo Filius verus æqualis est.* Agit autem de æqualitate nominatim in omnipotentia. Deinde verò cap. 15. eiusdem libri 3. prope fin. concludit: *Deus ergo cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarij fuerunt, nec omnipotentia defuit?* &c.

Confirmatur primò, quia licet aliis in locis 13
iidem & alij Patres de omnipotentia tractent, nulla mentione facta productionum ad intra diuinarum personarum, sed tantùm explicando potentiam in ordine ad creaturas liberè producendas & gubernandas; atque in hoc sensu dicant, omnipotentiam esse communem tribus personis: quemadmodum loquuntur Nicæni Patres, & Gregorius Nyssenus, Cyrillus & Sophronius locis citatis in fundamento præsuppositio ante conclusionem: nihilominus non contradicunt suis, vel aliorum testimoniis, expressè commorantibus, potentiam generatiuam, & ex illius negatione colligentibus omnipotentiæ negationem.

Propterea confirmatur secundò ex Patribus, 14
qui defectum potentiæ, vel impotentiam colligunt ex eo, quod Deus non potuerit generare.

At omnipotentia excludit omnem impotentiam: excludit igitur defectum potestatis generandi, & consequenter includit potestatem generandi. Maior probatur. Basilius enim lib. 2. contra Eunomium propius ad med. quàm ad princ. *Si bonum,* inquit, *si pulchrum est diuinæ bonitati Patrem esse, quomodo ergo à principio quod decebat ipsi non aderat? At enim melioris ignoratione, aut impotentia hunc fuisse defectum ratiocinabimur.* & lib. 4. longè à princ. *Si Deus non generat, quia non potest; minor est, quàm generans & perfecta natura: cum ad hoc etiam imbecillitas insit.*

15 Cyrillus Alexand. lib. 2. thesauri cap. 2. inter med. & fin. *Quoniam Filius,* inquit, *& sapientia & virtus Patris est: non erit natura Pater sapiens, & virtute pollens.* Nimirum si Filius non fuit naturaliter genitus à Patre, sicut concedebat Aëtius. Quemadmodum etiam lib. 12. thesauri cap. 6. prope med. ex eadem blasphemia deducit: *Necesse erit confiteri insipientem aliquando, & impotentem Patrem Deum fuisse.* Et post pauca: *Virtute & sapientia ante productum Filium, caruisse.* Fulgentius ad obiectionem 5. Arianorum ante med. dicit: *Genitori (quod nefas est) potentia naturalis admittur, si Filio Paternæ substantiæ æqualitas abnegetur.*

16 Confirmatur tertiò, quia Patres generandi vim in Deo vocant *potentiam, virtutem, facultatem & potestatem;* vt Nazianzenus, Athanasius, Basilius, Epiphan. vterque Cyrillus, Damascenus, Ambrosius, & Hilarius, locis adductis disput. 99. sect. 2. sub initium. Sed omnipotentia continet omnem potentiam: ergo continet etiam vim generandi. Quam illationem magis corroborabimus sect. sequenti probat. 3.

17 Ex prædictis testimoniis vnicum tantum Augustini lib. 3. contra Maximinum referunt authores contrariæ sententiæ (falsóque nonnulli citandi cap. 14. cum nõ habeantur illa verba, nisi cap. 7. & 15. supra citatis) Scotus igitur 1. dist. 20. quæst. vnica §. *ad argumenta.* & quodlib. septimo inter
Violenta expositio ad testimonia Augustini. med. & fin. Respondet, illud argumentum Augustini non valere ratione formæ, nec per locum intrinsecum, quasi posse generare, sit aliquod posse: valere tamen per multas propositiones subintellectas, multósque syllogismos, inferendo prius defectum potentiæ in Patre, si generando Filium, non potuit eum æqualem generare, sed minorem: vnde præterea sequitur, non esse infinitam Deitatem Patris, ac subinde non esse omnipotentem, quoniam omnipotentia supponit infinitatem: quemadmodum etiam colligi posset, Deum non esse omnipotentem ex eo, quod non posset intelligere, quamuis posse intelligere non sit pars omnipotentiæ.

18 Hæc expositio violenter intorquet illationem Augustini. Ille namque immediatè & sine prædictis ambagibus ex eo, quod non potuerit æqualem generare, colligit defuisse potentiam, & non esse omnipotentem. Confirmatur, nam illum discursum (sicut & alios) Augustinus accepit ab antiquioribus Patribus supra citatis, apud quos prædictæ consecutiones reperiuntur immediatè simplicitérque prolatæ contra alios Arianos. Non est autem verisimile toties cum aduersariis egisse, supplendo, & reticendo vires plurium syllogismorum, & solummodo proferendo, quod facile posset ab aduersariis refutari. Consequens igitur est, vt omnes Patres citati putauerint, bonam illationem esse per locum intrinsecum & immediatum: *Pater non potuit generare: ergo non fuit omnipotens.*

Ruiz. de Trinitate.

Gregorius 1. distinct. 20. art. 2. ad fin. respondet, 19
illam consequentiam non esse bonam simpliciter: cæterum valere tanquam argumentum ad hominem: quia Maximinus concedebat simul, *Altera expositio non minùs violenta.* Filium Dei esse naturalem Filium, & tamen esse factum & creaturam. Vnde sequitur, quod aliquis filius Dei fuit factibilis, qui foret æqualis patri (sicut inter creaturas omnis filius potest esse æqualis patri) ergo Pater non fuit omnipotens, si non potuit facere hunc Filium æqualem & factibilem.

Hæc solutio non minus, quàm præcedens, alie- 20
na est ab Augustini mente, sicut & cæterorum Patrum, propter rationem nuper expositam contra Scotum. Adde quod antiquiores Patres aduersus alios Arianos differebant, qui non concedebant, esse Filium naturalem Dei, sed dicebant, libera voluntate fuisse productum & adoptatum, vt cæteros filios adoptiuos, licet inter eos principatum haberet. Postremò fine fundamento Gregorius maiorem efficaciam tribuit suis illationibus, quàm immediatæ consequentiæ sanctorum Patrum. Facilius enim responderet Maximinus, esse impossibilem Filium, qui simul esset creatura factibilis, & tamen esset æqualis ingenito Deo.

Propterea docti recentiores, licet existiment, 21
potentiam generandi non contineri sub omnipo- *Tertia solutio.* tentia; fatentur tamen, Augustinum in eo lib. 3. contra Maximinum, ampliasse vocabulum omnipotentiæ, vt comprehenderet plenam & fœcundam potentiam ad producendas personas. Ita Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 10. fine. Vazquez disp. 165. cap. 2. fine. Veruntamen, cum alij Patres *Refutatur.* citati, nomen omnipotentiæ sumpserint, eodem prorsus modo, sicut Augustinus: consequens est, eam acceptionem omnipotentiæ non esse violenter extensam aut inusitatam, sed esse legitimam & receptam, atque conformem formalitati diuinæ, quæ per omnipotentiam significatur.

Obiter etiam obseruandum est, prædictam il- 22
lationem Augustini & aliorum Patrum non supponere, quod Filius æqualis Deo esset possibilis. Hoc enim neque Maximinus, nec Ariani alij concedebant. Quapropter nonnulli theologi, qui putant Augustini rationem nullius esse roboris, nisi supponendo prædictam possibilitatem: eo ipso dicunt prorsus inutilem & nullius roboris esse consequentiam Augustini, & aliorum Patrum, quam defendimus.

SECTIO V.

Post alias probationes eiusdem veritatis additur secunda conclusio.

PRima conclusio, præced. sectione posita, pro- 1
batur secundò authoritate Scholasticorum. Imprimis enim non obscurè colligitur ex Magistro 1. dist. 7. cap. penult. & vlt. & tota dist. 20. & tota dist. 42. Semper enim defendit, totam Patris potentiam & omnipotentiam Filio communicari, notans, eandem esse potentiam, qua Pater potens est gignere, & qua Filius potens est gigni. Atque ita soluit argumentũ, quod aduersus æqualitatem omnipotentiæ opponitur, quoniam Filius generare non potest. Idem magis apertè colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 41. art. 5. ad 3. & sequenti q. 42. art. 6. ad 3. & 4. contra gentes cap. 13. col. 2. & de potentia q. 9. art. 9. ad 3. Nec contradicit aliis in locis, quæ declarabuntur ad fin. sect. sequentis.

Et consequenter idem colligitur ex Capreolo, Caietano, Ferrariensi, Molina locis citatis disput. 100. sect. 1. & 2.

2 Præterea omnipotentiam (sub hoc ipso nomine omnipotentiæ) qua generat Pater, conuenire Filio, sed non vt generet Filius, & vtrique, sicut & Spiritui sancto communem esse hanc eandem omnipotentiam, ex professo docent Alexand. 1. p. quæst. 21. memb. 1. art. 3. Albertus 1. p. quæst. 77. memb. 1. quæst. incidente partic. 1. ad 2. & partic. 2. initio. Perspicuis verbis, in omnipotentia, simpliciter & absolutè considerata, comprehendi potentiam generandi; eandémque comprehendi in omnipotentia Filij, & omnipotentia Spiritus sancti, quorum vna & eadem est omnipotentia, docent Ægidius, quem sequitur & defendit Argentina 1. distinct. 20. quæst. vnica art. 1. concl. 1. & 2. Marsilius 1. quæst. 23. art. 2. part. 2. post med. & part. 3. Heruæus apud Argentinam dicta dist. 20. post med. Idem supponere videtur Canariens. quæst. 42. toto art. 6.

3 *Potentia perfectior debet potiori iure contineri sub omnipotentia.* Probatur tertiò, quia potentia generatiua & spiratiua Dei est vera, realis & positiua potentia, vt probatum est disput. 99. sect. 2. Deinde potentia generatiua & spiratiua perfectior est, quàm potentia creandi, vt probatum est eadem disp. 99. sect. 5. & 6. Ergo sub omnipotentia continetur generatiua & spiratiua potentia potiori iure, quàm potentia creatiua.

4 Confirmatur primò, quia signum vniuersale distributiuum non excludit, sed potius includit præstantissimum inferius illius vniuersalis, quod distribuitur. Cum enim dixeris, omne animal; homo potissimum includitur, sed omnipotentia est velut vniuersale distributum, ac si dixeris, *omnis potentia*. Ergo omnipotentia includit præcipuam potentiam, videlicet, generandi & spirandi. Confirmatur secundò, nam sub omni ente possibili continetur præstantissimum ens, videlicet Deus: & sub omni productione continetur præstantissima productio, quæ est diuina generatio & spiratio. Ergo sub omnipotentia continetur præstantissima potentia generatiua & spiratiua.

5 *Eadè potentia, vt Pater generet, & vt Filius generetur.* Probatur quartò, nam in Patre, Filio & Spiritu sancto quantum ad origines actiuas & passiuas, eadem est potentia secundum illud totum, quod habet potentiæ, ita vt potentia, quæ in Patre est vt generet, eadem sit in Filio potentia vt generetur: eadem quoque sit in Patre & Filio potentia vt spirent, atque in Spiritu sancto potentia vt spiretur: quemadmodum probatum est præcedenti sect. 2. & 3. Ergo in tribus personis eadem est omnipotentia non solum, qua parte respicit creaturas, sed etiam qua parte respicit diuinas personas producendas.

6 *Omnipotentia respicit ea tantum, quæ non implicat contradictionem.* Quintò, eandem conclusionem probat Ægidius & Argentina 1. distinct. 20. quæst. vnica post med. quoniam omnipotentia respicit ea tantum obiecta, quæ fieri non implicat contradictionem. Vnde nihil minuitur omnipotentiæ virtus, licet producere nequeat ea, quæ contradictionem implicant, sed à Filio Dei alium filium generari contradictionem implicat. Ergo nihil minuitur omnipotentia Filij, quamuis non possit alium filium generare. Consequens igitur est, vt pertinere possit ad omnipotentiam. Quod Pater potuerit generare Filium vnicum, & eadem omnipotentia communicetur Filio & Spiritui sancto, licet illi generare nequeant, ne producat secundum filium, qui contradictionem implicat. Eadem ratio fieri potest, vt integra maneat omnipotentia in Spiritu sancto, licet non possit spirare alium spiritum sanctum.

7 Confirmant, quia illud tantùm dicitur carere potentia, quod non habet formam, ex se idoneam ad operandum; atque hoc modo prima persona caruisset potentia, si non potuisset generare; quoniam eius impotentia non proueniret ratione personalitatis, neque ex eo, quod Filius esset iam genitus: vnde sequeretur, hanc impossibilitatem prouenire defectu naturæ. At in Filio impossibilitas generandi non ex defectu naturæ prouenit, sed quia Filius generans vel seipsum vel secundum filium generaret, quod implicat.

8 *Impugnatio prima.* Prædictam rationem Ægidij acriter oppugnant Aureolus 1. distinct. 20. artic. 1. Durandus eadem distinct. 20. quæst. 1. num. 6. Scotus ibidem quæst. vnica §. *respondeo.* & multi recentiores. Præcipua impugnatio est, quoniam omnipotentia dicitur respectu eorum omnium, quæ non implicant contradictionem simpliciter in seipsis, præciso respectu efficientis: nam si omnipotentia respiceret ea tantum obiecta, quæ non implicant contradictionem comparatione suppositi efficientis: omnes creaturæ, vel saltem earum omnes species forent omnipotentes, quia possunt quidquid comparatione ipsarum non implicat contradictionem, quamuis non possint quod earum comparatione contradictionem implicat, vt optimè ratiocinatur S. Thomas supra quæst. 25. art. 3. corpore, colligens inde quidditatem omnipotentiæ.

9 *Diluitur.* Hoc tamen argumentum non eneruat vires supradictæ rationis, sed potius occasionem præbet illas explicandi magis. Quamuis enim obiectum ipsum in se nullam inuoluat contradictionem, non est possibile creaturis. Quemadmodum equo non est possibile ratiocinari; nec Angelo est possibile creare, licet creatio & ratiocinatio in seipsis nullam inuoluant contradictionem. At verò quodcumque obiectum fingatur ab intellectu, quando tractat, vtrum Filius generare possit, illud ipsum in se & ratione sui contradictionem inuoluit: licet hæc contradictio necessariò sequatur ex eo, quod generatio comparetur cum Filio. Nam alius filius contradictionem implicat; & ipse filius à seipso generabilis contradictionem implicat. Manet igitur vera omnipotentiæ ratio, quia potest omnia possibilia absolutè, quæ videlicet ex habitudine terminorum non inuoluunt repugnantiam. Confirmatur, quia nec Pater potest generare secundum filium, nec spirare secundum spiritum sanctum. Aliter respondet Argentina ex Ægidio, sed non plenè satisfacit.

Filium generare contradictionem inuoluit ratione sui.

10 *Secunda impugnatio.* Secunda impugnatio est, quia si Filium & generationem accipiamus generaliter, abstrahendo ab hoc vel illo suppositio, quod possit generare: simpliciter est possibilis Filius, & eius generatio. Ergo respectu illius, vt sic, est aliqua potentia. Quapropter cum ea potentia repugnet omnipotentiæ Filij; consequens est non contineri sub omnipotentia simpliciter dicta. Respond. Si consideretur omnipotentia, non prout est Filij, sed cum eadem abstractione, qua consideratur Filius in Antecedenti: sic eidem omnipotentiæ, quæ conuenit Filio, non repugnat generare Filium: generat enim Pater per illam eandem omnipotentiam. Cæterum postquam omnipotentia consideratur, prout est in Filio, non potest cum ea comparari Filius & actus generationis cum illa præcisione, quæ ponitur in Antecedenti, sed iam eo ipso determinatur ad hoc quod est generare secundum filium, vel generare seipsum.

Diluitur.

Sextò,

11 *Alia explicatio rationis eiusdem.* Sextò, eandem ferè rationem Ægidij aliter explicat Ricardus 1. dist. 20. art. 1. quæst. 1. corp. & ad 3. quoniam omnipotentia non comprehendit, nisi actus, quos posse est posse. At verò posse generare, quamuis in Patre sit posse, in Filio tamen non esset posse, quia includeret ipsum non esse perfectum Filium, & adæquatum terminum totius generationis possibilis. Confirmat, quia non sequitur: Deus est omnipotens: ergo Deus potest currere: quæ consequentia propterea fallit, quia posse currere non est posse respectu Dei, eo quod inuoluit negationem alterius melioris potentiæ, ratione cuius Deus necessariò sit vbique præsens, & sit Spiritus simplicissimus.

12 *Obiectio contra definitionem omnipotentiæ.* Vnde facilè colligitur solutio obiectionis, quæ solet opponi contra definitionem omnipotentiæ superius traditã, videlicet, quia visio corporea, vel discursus intellectualis, aut quælibet alia vitalis actio creaturarum in se nõ implicat contradictionem: nihilominus Deus non potest corporaliter videre, nec discurrere, aut alias actiones vitaliter elicere. Ergo omnipotentia non comprehendit omnia obiecta, quæ in se non implicant contradictionem absolutè, sed ea tantum obiecta, quæ non implicant respectu ipsius omnipotentiæ.

13 *Prima solutio.* Respond. enim primò. Obiecta quæ in seipsis formaliter inuolunt negationẽ alterius melioris potentiæ, non comprehenduntur in omnipotentia: quemadmodum infinitudo simpliciter in genere entis, quæ Deo propria est, necessariò complectitur omnem entitatem & perfectionem simpliciter simplicem: nihilominus non complectitur eas entitates & perfectiones, quibus excluduntur aliæ meliores perfectiones: ideóque Deus neque est sol corporeus, neque est angelus, neque ratiocinatur, nec loco mouetur: quamuis istæ sint entitates & perfectiones creaturarum.

Secunda solutio. Secundò respondet Scotus, Visionem corpoream, discursum, & alias actiones, licet Deus non possit vitaliter producere (nec possit se solo producere) potest tamen eas producere simul cum animali aut homine, vitaliter cooperante. Hoc autem sufficit, vt omnipotentia Dei tanquam obiecta respiciat etiam operationes vitales, & quidquid in seipso & absolutè contradictionem non implicat.

14 *Secunda conclusio. In omnipotentia non continetur notionale complementum potentiæ generatiuæ & spiratiuæ.* Hactenus de probationibus primæ conclusionis positæ in sect. præced. Nunc sit secunda conclusio. Illud notionale complementum, quod vltimò determinat potentiam generatiuam & spiratiuam, non continetur in omnipotentia. Ratio est, quia formaliter & præcisè ratione sui, non habet rationem potentiæ, quemadmodum explicatum est disp. 100. sect. 3. & sequentibus.

15 Confirmatur, quoniam omnipotentia communis est tribus personis, tanquam attributum essentiale & absolutum (omnium Patrum & Scholasticorum sententia) sed illud notionale nec absolutum, nec essentiale, nec tribus personis commune potest esse: maximè cum ratione illius eueniat, vt solus Pater possit generare, non Filius nec Spiritus sanctus, & tantum Pater & Filius spirare possint, sed non Spiritus sanctus. Denique hoc tantum probant argumenta contrariæ sententiæ, quæ referemus sectione sequenti. Et quantum ad hoc præcisè rectè sentiunt authores ibidem referendi.

16 In hoc sensu verificatur quod S. Thomas asseruit de potentia quæst. 2. art. 5. corp. potentiam generandi pertinere ad omnipotentiam Patris, non autem omnipotentiam simpliciter. Vbi vox illa *simpliciter* propterea negatur, quoniam potentia generandi sumitur secundum se totam, prout includit etiam notionale, quod est proprium Patris. Nam aliunde quidquid habet rationem potentiæ simpliciter, remanet in Filio & Spiritu sancto, etiam præciso illo notionali, quod est proprium Patris, quibus consonat idem doctor Angelicus 1. dist. 20. quæst. 1. art. 1. Cuius doctrinam magis explicat Capreol. in eadem dist. 20. quæst. 1. Ab his parum discrepat limitatio, quam suæ conclusioni secundæ subiungit ex Ægidio, Argentina dist. 20. quæst. vnica art. 1. (Vbi pro eadem sententia refert Heruæum) & Marsilius dicta quæst. 23. art. 2. part. 2. prope fin.

SECTIO VI.

Diluuntur argumenta sententiarum, quæ contrahunt omnipotentiam ad solas creaturas.

1 *Prima sententia periculosa.* TRes inuenio dicendi modos in hac limitatione omnipotentiæ. Primò namque Aureolus lib. 1. sent. dist. 20. art. 3. propos. 1. & 2. defendit, generandi potentiam non contineri sub omnipotentia, quia putat, non esse propriè realitérque potentiam productiuam, sed meram possibilitatem; quemadmodum Deus potest esse Deus. Veruntamen improbabilitatẽ ac periculum istius fundamenti satis ostendimus disp. 99. sect. 2.

2 *Secunda sententia non minùs periculosa.* Secundò. Durandus 1. dist. 20. quæst. 1. n. 14. relabitur in prædictam sententiam Aureoli, cuius oppositum docuerat dist. 7. quæst. 1. num. 5. vbi perspicuè concludit, necesse esse in diuinis ponere potentiam realiter productiuam Filij & Spiritus sancti. Sed tamen dist. 20. citata, propterea dicit, actus notionales, scilicet generare & spirare, non cadere sub omnipotentia, quia Deus non dicitur potens à potentia passiua, sed ab actiua, & omnipotens ab omnipotentia actiua. Potentia autem actiua non est actiua per comparationem ad esse illius rei, cuius est potentia actiua. Tale autem est generare respectu Patris, quia omnino idem est realiter generare, & esse Patrem. Ideo sicut posse esse Patrem non est potentia; ita posse generare non est potentia, neque continetur in omnipotentia.

3 *Refutatur.* Refutatio tamen istius fundamenti constat ex dictis eadem disput. 99. sect. 2. & 3. & ex eodem Durando dist. 7. quæst. 1. dicto num. 5. quia potentia generatiua Patris, licet non sit realiter productiua generationis; est tamen realiter productiua Filij, realiter distincti à generãte, propterеáque vocari potest potentia actiua, vel quasi actiua, iuxta dicta disp. 83. sect. 4. Nec sine temeritate ac periculo limitari potest, vt sit solum possibilitas essendi, sicut Pater potest esse Pater.

4 *Alterũ fundamentum eiusdem sententiæ.* Eadem ratione diluitur alterum fundamentum eiusdem authoris num. 17. quoniam potentia, quæ est verè & propriè actiua, est transmutatiua vel productiua eius quod est verè & propriè aliud vel alterum: sicut pater ex propria ratione potentiæ actiuæ, quæ ponitur 5. metaph. cap. 12. Respondetur autem, Aristotelem ignorasse productiones personarum, realiter distinctarum à principio producente, quæ recipiant eandem omnino naturam sui principij; propterеáque non sint aliud nec alterum, sed vnum & idem cum suo principio producente. Productio autem realis & vera requirit potentiam productiuam & quasi actiuam.

Diluitur.

5 *Tertia sententia probabilis.*

Tertia sententia probabiliter dicit, attributum omnipotentiæ comprehendere solummodo potentiam creatiuam & gubernatiuam creaturarum ad extra: quamuis concedat veram, positiuam & realiter productiuam esse potentiam generandi & spirandi. Ita sentiunt Scotus 1. dist. 20. quæst. vnica. Vbi Gregorius quæstione similiter vnica art. 2. Ochamus & Gabriel eadem dist. 20. quæst. vnica. Maior dist. 42. quæst. 1. sub init. Carthusianus cum Alberto, Vdalrico, D. Thoma & aliis in 1. dist. 7. quæst. 3. & dist. 20. præsertim in fine ex Alexandro. Cui consonat dist. 42. q. 1. Vazquez disp. 165. cap. 2. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 10. num. 3. & sequentibus. Valentia 1. p. q. 16. de Trinit. puncto 2. Fauet etiam Caietanus supra quæst. 25. artic. 3. dum respondet ad primum dubium, vbi decernit, obiectum omnipotentiæ esse causabile & factibile, propterea que Deum non esse obiectum omnipotentiæ. Henricus vero 2. p. summæ art. 58. quæst. 1. ad 3. ita distinguit, vt solus Pater sit omnipotens, quantum ad posse producere omnem personam & omnem relationem: nihilominus tres personæ sint omnipotentes, quantum ad posse producere creaturas ad extra.

6 *Primum argumentum.*

Primum argumentum afferri potuisset, quoniam Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum c. 4. parum à princ. *Non est*, inquit, *natura, non est potentia in Christo aliqua quod non generauit infirmitas, quia generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ. Nam si ideo omnipotens Pater quia Filium habet, omnipotentior ergo esse potuit, si plures haberet. An verò potentia eius in vna generatione defecit?* Similiter lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap. 8 init. & cap. 9. in med. & cap. 10. fine defendit, Filium esse omnipotentem æqualem Patri, quamuis generare non possit. *Quia generatio non est potestatis, sed naturæ.*

7 *Solutio.*

Respond. Mens Ambrosij fuit, non esse formaliter potentiam, neque partem omnipotentiæ illud notionale, quod Patrem constituit, & non constituit Filium; quamuis illud sit vltimum determinatiuum, requisitum, vt prima persona generet: quemadmodum declaratum est præcedenti disp. 100. sect. 3. & sequentibus. Neque aliquid amplius significare voluisse Ambrosium, ostendimus disp. 99. sect. 3. sub init.

8 *Secundum argumentum. Omnipotentia probatur creaturarum productione.*

Secundum argumentum. Omnipotentia Dei Patris, vel omnipotentia Filij probatur & ostenditur creaturarum productione & gubernatione: igitur omnipotentia non respicit productionem personarum ad intra, quæ non ostenditur nec probatur productione seu gubernatione creaturarum. Antecedens probatur, nam Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 3. propius ad med. quàm ad princ. *Potens*, inquit, *etiam Dei Filius. In Patre enim laudatur & Filius. Certè ostendat aliquis, quid sit quod non possit Dei Filius. Quis ei adiutor, cum cœlum faceret, fuit? Quis adiutor cum conderet mundum? An qui in constitutione angelorum & dominationum adiutore non eguit, eguit vt hominem liberaret?* Vnde concludit: *Ergo omnipotentem probaui.*

9

Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. non procul à princ. ait: *In eo Dei omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque inuisibilem de nihilo fecit.* Sic etiam ex creaturis & operibus ad extra Patris aut Filij probare solent omnipotentiam Patres locis citatis sect. 4. à princ. & disp. 54. sect. 5.

10 *Solutio.*

Respond. Consequentiam non esse bonam. Etenim, quæ Dei perfectiones ostendunt & probant, ea sunt tantummodo, quæ sensibus exposita sunt, aut naturali discursu colliguntur ex eis. Inde tamen non sequitur, obiectum diuinorum attributorum nihil aliud esse præter ea, quæ naturali ratione capiuntur. Deum quippe sapientem esse, ostendit gubernatio mundi & sapientia communicata hominibus & angelis: inde tamen non sequitur, diuinæ sapientiæ obiectum non esse diuinam essentiam, vel diuinas personas, aut earum processiones ad intra, Deum esse omnipotentem ostendit productio & gubernatio mundi, quæ non ostendit, Deum posse producere visionem beatificam, aut gratiam: inde tamen non sequitur, visionem beatificam, aut gratiam non esse obiectum omnipotentiæ.

11

Sed quoniam authores contrariæ sententiæ recentiores solummodo proferunt prædictum testimonium Fulgentij: consideremus contextum præcedentem atque sequentem. Ait enim: *Æternitas sine initio naturalis agnoscitur, quia quædam ita fecit, vt cum esse quidem caperint, tamen non esse aliquando non possint.* Vnde tamen colligi non potest, æternitatem esse infinitam solummodo quantum ad excludendum finem essendi; non autem quantum ad durationem sine initio. Sic etiam bonitatem dicit ostendi productione creaturarum; nec propterea negabit theologus diuinæ bonitatis esse diligere seipsam, & tres personas, earúmque processiones.

12 *Tertium argumentum.*

Tertium argumentum accipi potest ex Magistro & communiter Scholasticis 1. sentent. tota dist. 42. præsertim cap. *ex quibusdam*, vbi cum Augustino in Enchirid. cap. 96. & lib. de Spiritu & litera, cap. 31. & Chrysostomo homil. quadam de expositione Symboli concludit, *Quod Deus ex eo tantum dicatur omnipotens, quod omnia potest, quæ vult, non quia omnia possit.* S. verò Thomas supra quæst. 25. art. 3. docet, omnipotentiæ quidditatem esse potentiam non passiuam, sed actiuam omnium rerum, quæ non implicant contradictionem. Qui omnes videntur agere de illis tantummodo rebus, quæ per liberam Dei voluntatem fieri possunt, aut non fieri.

13 *Solutio.*

Respond. Magister S. Thom. & cæteri Scholastici prædictis in locis tractabant illud solummodo, quod poterat inuestigari per naturalem rationem de omnipotentia Dei, vt est vnus; nihil agendo de processionibus Trinitatis, quas proprio in loco tractantes, satis apertè significauerunt, esse operationes omnipotentiæ, vt vidimus sect. 5. sub initium.

14 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum Scoti, quoniam obiectum actiuæ potentiæ est ens possibile, non tamen possibile tale, quod opponitur simpliciter impossibili: quia si quælibet diuina persona est ens possibile, quin etiam personam Patris non est impossibile esse, & tamen non potest esse terminus actiuæ potentiæ: ergo obiectum actiuæ potentiæ erit possibile, quod opponitur ei, quod est formaliter necessarium. Cum igitur quamlibet diuinam personam sit formaliter necesse esse; consequens est, quod omnipotentia non potest esse respectu alicuius diuinæ personæ ad intra. Vnde præterea sequitur, potentiam generandi non pertinere ad omnipotentiam: hæc enim est solummodo potentia actiua.

15 *Solutio.*

Respond. Omnipotentia est potentia actiua, vel quasi actiua: comprehendit enim omnem productiuam potentiam. Eius igitur obiectum non est omne possibile, quod opponitur simpliciter impossibili, nec solummodo est illud possibile, quod

Obiectū omnipotentiæ est omne producibile tā necessariò, quā liberè.

quod opponitur necessariò; sed eius obiectum comprehendit omne producibile, siue necessariò producibile sit, quemadmodum necessariò & naturaliter producuntur personæ diuinæ; siue producile sit contingenter & liberè, quemadmodum creaturæ producuntur. Denique si bene perpendatur discursus Scoti distinct. 20. §. *quantum ergo*, dum probat actiuæ potentiæ correlatiuum esse possibile, prout opponitur ei, quod non est necessarium; manifestè relabitur in sententiam Aureoli, negantis realem & propriè dictam potentiam producendi personas ad intra: cuius oppositum ipse docuerat dist. 7. quæst. vnica.

16 *Quintum argumentum. Solutio.*

Quintum argumentum. Filio conuenit omnipotentia tota & integra: Sed tamen ei non conuenit potentia generandi: ergo potentia generandi non est omnipotentia, neque pars omnipotentiæ. Solutio constat ea distinctione, quæ duabus conclusionibus declarata est sect. 4. & 5. videlicet, Filio conuenit omnipotentia tota & integra, quantum ad illud omne, quod habet rationem potentiæ: non verò quantum ad illud, quod vltimo determinat ad generandum, vel ad spirandum. Quod vltimum, quia non conuenit Filio, verificatur simpliciter, ei non conuenire potentiam generandi, licet ei conueniat totum, quod habet rationem potentiæ, etiam in generandi potentia.

17 *Sextum argumentum. Solutio. Potentia, quæ non reducatur ad actum in aliqua persona.*

Aureolus, Durandus & alij plura congerunt argumenta, ex quibus præcipua subiicimus. Sextum igitur sit. Inconueniens esse videtur, *aliquod posse* conuenire aliqui personæ, quod tamen nunquam reducatur ad esse: sed potentia generandi, quam habet Pater, in nulla alia persona reducitur ad esse generandi. Ergo potentia generandi non cõuenit alteri personæ, præter Patrem. Respond. Non est inconueniens, *aliquod posse* conuenire alicui personæ, quod tamen nunquam reducatur ad esse per eam personam, tanquam per principium; si ea persona est terminus adæquatus, productus per illam potentiam; ita vt deberet producere seipsum, vel alium terminum eiusdem rationis, si reduceret ad actum illud posse. Quemadmodum explicatum est in sect. præced. Talis conditio potentiæ, quia nunquam reperitur in creaturis: propterea in illis semper & absque limitatione verificatur Antecedens argumenti.

18 *Septimum argumentum.*

Septimum. Si lumen idem, quod est in sole ad illuminandum & calefaciendum, communicaretur alteri corpori, non ad calefaciendum, sed tantum ad illuminandum; illud corpus non diceretur æquè potens sicut sol. Ergo licet in Filio sit eadem essentia, quæ in Patre; quia tamen in Patre est ad generandum & spirandum, sed in Filio non est ad generandum, sed tantum ad spirandum; Filius non erit æquè omnipotens, sicut Pater.

19 *Solutio.*

Respond. consequentiam non esse bonam. Disparitas est, quoniam essentia in Filio propterea non est ad generandum, quia ipse Filius est terminus genitus per eandem potentiam, nec potest producere seipsum; nec est possibilis alius filius. At verò corpus illud cui communicaretur idem lumen solis, non propter has rationes, sed propter defectum alicuius potentiæ, vel propter impedimentum illius retineretur ne calefaceret eodem lumine, quo sol calefacit.

20 *Octauum argumentum.*

Octauum argumentum est. Quando non ex impedimento, sed ex natura talis essentiæ prouenit, quod illa in vno supposito non possit esse principium alicuius actus; cuius principium esse potest in alio supposito; tunc non est prorsus eadem & æqualis potentia in vtroque supposito. Sed ex natura essentiæ diuinæ (non ex aliquo impedimento, quod in diuinis est impossibile) prouenit, quod essentia diuina possit esse principium generationis in Patre, non autem in Filio. Ergo in Filio non est eadem nec æqualis potentia, vel omnipotentia, quæ in Patre; licet essentia sit eadem. Confirmatur, quoniam essentia non est potentia præcisè & formaliter sub ratione essentiæ; sed in quantum est principium *quo*, eliciendi actum: ergo essentia, quæ in distinctis suppositis non habet eandem formalitatem principij *quo*, eliciendi actum, non habet in eis eandem rationem potentiæ.

21 *Solutio.*

Respond. distinguendo Antecedens. Quando ex natura talis essentię prouenit, quod in vno supposito non possit esse principium alicuius actus, quoniam illud suppositum est terminus adæquatus, quem illa potentia potest producere; tunc eadem & æqualis esse potest potentia in eo supposito, in quo non producit, & in supposito, in quo producit. At verò si propter aliam causam eueniat, quod in vno supposito non possit esse principium alicuius actus; tunc non est eadem, nec æqualis potentia. Ad confirmationem respond. Essentia diuina est potentia, non in quantum actualiter exercet operationem, vt principium *quo*, sed inquantum esse potest principium, *quę*, quantum ex se est. Hanc autem formalitatem essentia diuina retinet etiam in Filio & Spiritu sancto; licet prout est in Filio, non generet, nec spiret, prout est in Spiritu sancto.

22 *Nonum argumentum.*

Nonum argumentum. Quia minus perfecta potentia est illius supposiți, cui deest aliqua conditio, requisita ad operandum. Sed Filio deest aliqua conditio, requisita ad generandum, scilicet, Paternitas; & Spiritui sancto deest conditio, requisita non solum ad generandum, sed etiam ad spirandum. Ergo potentia Filij & Spiritus sancti minùs perfecta est, quàm potentia Patris; ac subinde non perueniet ad rationem omnipotentiæ; quoniam hæc debet esse vndique perfecta.

23 *Solutio.*

Respond. si conditio requisita ad operandum, sit aliquid distinctum à termino, producendo per operationem; tunc erit minus perfecta potentia, cui talis conditio defuerit. Si verò conditio requisita ad operandum est, vt principium producens, non producat seipsum, neque producat suum principium, à quo producitur: tunc non est minus perfecta potẽtia, sed potius æquè perfecta, cui non conuenit talis conditio ad operandum.

24

Nunc igitur Filio non aliter deficit conditio requisita ad generandum, nisi quoniam implicat generare seipsum; & alter filius non est possibilis. Spiritui sancto similiter non conuenit conditio ad spirandum, quoniam implicat spirare seipsum, & aliter spiritus est impossibilis: eidem verò spiritui non conuenit conditio requisita ad generandum, ne generet suum principium, à quo producitur. Denique quotiescumque & in quocũque supposito sit potentia, quæ suum adæquatum terminum semper actualiter producit, non est minùs perfecta, quamuis non producat, prout est in vno supposito, sed prout est in alio.

25

Decimum argumentum. Omnis potentia productiua respicit aliquem terminum possibilem, qui possit per eam produci; quamuis eum non possit producere propter negationem alicuius conditionis requisitæ. Quapropter si potentia generandi foret in Filio, respiceret aliquem filium possibilem,

possibilem, qui posset per eam generari simpliciter & absolutè, quamuis ob defectum conditionis generari non posset: Vnde præterea sequeretur, violenter & contra naturam impeditam esse illius filij productionem.

26 Respond. Potentia generandi, quæ est in Filio & in Spiritu sancto respicit eundem Filium, vt terminum, qui potest per eam produci, sed non ab ipso Filio, nec à persona, quæ procedit à Filio. Nullum itaque filium alium, vt producibilem, respicit potentia generatiua in Filio & Spiritu sancto, nisi eundem Filium, quem respicit existens in Patre, & prout existens in Patre.

27 *Vndecimum argumentū.* Vndecimum argumentum. Eodem modo nunc Deus dicitur omnipotens, sicut dicebatur olim, prius quàm reuelaretur mysteriū sanctissimæ Trinitatis: tunc autē dicebatur omnipotens propter solam potentiam producendi creaturas ad extra, non propter potentiam producendi personas diuinas, quæ tunc erat ignota. Ergo nunc etiam omnipotentia non comprehendit potentiam producendi personas diuinas.

28 *Solutio.* Respond. Apud eos homines, quibus nondum erat reuelatum mysterium Trinitatis, Deus dicebatur omnipotens, eo quod posset producere, quidquid est producibile: sicut dicebatur omnisciens, quia sciret omne scibile. Vnde sicut tunc ignorabatur ab hominibus, Deum scire tres personas diuinas: nihilominus hoc ipsum continebatur in generali nomine scientis omne scibile: sic etiam licet tunc ignoraretur potentia generatiua, nihilominus hæc ipsa comprehendebatur in generali nomine potentis producere quidquid est producibile. Nunc igitur per reuelationem Trinitatis explicitè cognoscitur, quod vniuersaliter & implicitè prius credebatur, & naturali ratione demonstrabatur.

29 *Duodecimū argumentū.* Duodecimò nonnulli argumentantur, quoniam potentia producendi personas diuinas, & potentia producendi creaturas, quasi specie differunt in ratione potentiæ (vt constat ex dictis disput. 99. sect. 5. & 6.) Ergo non comprehenduntur ambæ sub omnipotentia, quippe quæ videtur esse vna simplex formalitas & perfectio Dei.

30 *Solutio. Vtrum differāt quasi specie potentia generatiua, & creatiua.* Respond. Potentia producendi personas diuinas, & potentia producendi creaturas quasi specie differunt ratione terminorum, qui producuntur, & ratione immediati principij. Creaturæ namque producuntur per imperium intellectus suppositа libera electione mouente, quarum operationum diuinarum terminus extrinsecus sunt creaturæ: Filius autem est terminus intrinsecus & necessarius solius intellectionis, independenter à volitione libera & Spiritus sanctus est terminus intrinsecus ac necessarius volitionis, independenter à libertate & imperio. Nihilominus vtraque potentia continetur sub infinitate simpliciter in genere potentiæ, quæ complectitur omne producibile. Quapropter omnipotentia quodammodo se habet vt genus subalternum, continens sub se plures species inæquales eo modo, quo diuinis perfectionibus conuenire potest inæqualitas & specifica distinctio. De distinctione rationis inter potentiam generandi & creandi videri possunt præsertim S. Thom. de potentia quæst. 2. art. 6. S. Bonauent. 1. distinct. 7. artic. 1. quæst. 3. Vbi Ricard. art. 1. quæst. 4.

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus notionalis ad plures personas terminari possit. QVÆST. 41.

DISPVTATIO CII.

Vtrum potentia productiua Dei extendatur ad personas plures, quàm duas.

SECTIO I.

Plurium vltra duas potentia productiua repugnat non modò sacris literis, sed etiam vnitati Dei.

POTENTIAM Dei non esse productiuam personarum plurium, quàm duarum, fides docet eadem, qua credimus, de facto non esse productas plures personas quàm duas. *In perpetuis enim non differunt posse ac esse*: vt loquitur Aristoteles 4. physic. tex. 32. At verò de facto non esse productas personas plures, quàm duas, ex sacris literis apertè constat, asserētibus Vnigenitum Filium, & vnicum Spiritum sanctum, & præterea nullam aliam personam. Et de Vnigenito quidem Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Et paulo inferius: *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Et iterum: *Quia non credit in nomine Vnigeniti Filij Dei.* 1. Ioan. 4. *Filium suum Vnigenitum misit Deus in mundum.* Vnde Nicænum Symbolum ac cæteri Patres credunt in Filium Dei Vnigenitum; vt vidimus disp. 4. sect. 2. probat. 2. 1 *Vnicus Filius & vnicus Spiritus.*

Rursus de Spiritu sancto 1. Corint. 12. sub init. *Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Et paulo inferius: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus.* Et infra: *In vno Spiritu omnes nos, in vnum corpus baptizati sumus.* Et iterum: *Omnes in vno Spiritu potati sumus.* Ephes. 4. sub init. *Vnum corpus, vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Denique tota Scriptura præsertim Ioannis Euangelium, & epistolæ Pauli semper de Spiritu sancto, quasi de vnico & singulari, nunquam autem vt de pluribus loquitur. 2

Confirmatur primò, nam illud 1. Ioan. vltimo. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Aliáque plurima Scripturæ testimonia, quæ probant Trinitatem Patrem, Filium & Spiritum sanctum supra disput. 36. sect. 2. 3. 4. & 5. eo ipso probant, non esse plures personas quàm tres. Quilibet enim affirmans certum ac determinatum numerum, affirmat eo ipso, non esse plures, neque pauciores res illius generis, quæ numerantur. Confirmatur secundò, quia non esse plures personas in Deo quàm tres, probatum est disp. 33. sect. 2. Ex illis autem vnam necessariò præsupponi cæteris priorem, & illarum principium, quæ non sit ab alia producta, probatum est disp. 1. sect. 3. 4. & 5. disp. 52. sect. 4. Restat igitur, duas tantùm personas esse productas, neque plures, neque pauciores. 3

Ex prædictis igitur disputationibus, nuper commemoratis, satis constare poterant aliæ rationes, quibus probari solet, potentiam productiuam ad intra non posse terminari ad plures filios, siue plura verba, neque ad plures spiritus sanctos, neque ad alias vllas personas alterius cuiusque rationis, aut nominis producendas. Nihilominus ad ostendendam indissolubilem connexionem præsentis dogmatis cum aliis de Trinitate, maximè verò cum vnitate Diuinitatis, & Trinitate personarum: insuper & conciliandam authoritatem rationibus S. Thomæ & aliorum Scholasticorum, operæ pretium erit, aliquas earum afferre munitas testimoniis antiquorum Patrum. 4

Mensura probabilitatis in huiusmodi rationibus quærenda. Pro quibus recolendum est, in huiusmodi rebus probandis inueniri non posse demonstrationis euidentiam, vt constat ex dictis disp. 41. & 43. Quapropter tanquam probabiles congruentias, eas defendere promptum erit. Quemadmodum est etiam superuacuus labor eorum, qui conantur eas ita defendere, quasi nulla via sit possibilis ad earum vim declinandam. Excedunt igitur in hac re propugnatores; sed maior est excessus eorum, qui tales congruentias impugnant, eo solum quod aliquas solutiones aut euasiones admittere potuissent. Cum ipsi postea subiiciant alias rationes, nihilo fortiores, imo maiori ex parte debiliores. 5

Possibiles essent plures dij, si possent produci plures, quàm duæ personæ. 6 In hoc genere prima ratio sit, quoniam vt personæ diuinæ non sint plures dij, sed vnicus Deus, necessarium est, non esse nisi vnicum Patrem, vnicum Filium & vnicum Spiritum sanctum. Propterea namque personæ realiter distinctæ, non habent distinctam Diuinitatem & essentiam: quia Pater Filio per generationem communicat eandem Diuinitatem, quam præterea Pater & Filius communicat Spiritui sancto; sine qua communicatione per originem, impossibile foret, eandem esse Diuinitatem trium personarum, vt ex Origene, Tertulliano, Dionysio Romano, Nicæno Concilio, Nazianzeno multis in locis, Athanasio, Damasceno, Hilario, Lactantio, Fulgentio & aliis Patribus probatum est disp. 22. sect. 6. Talis autem communicatio per originem eiusdem Diuinitatis foret impossibilis in Deo, si plures essent patres, aut plures filij, aut plures spiritus sancti.

7 In sacris literis fundamentum habet hæc ratio, veluti 1. Corinth. 12. sub init. *Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus:* scilicet Filius Iesus Christus. *Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus.* scilicet Pater. Et Ephes. 4. sub init. *Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Quibus in locis profundiori quodam argumento defenditur vnitas Dei & fidei, atque spei nostræ, proposita vnitate personarum, ita vt non sint plures patres, nec plures filij, nec plures spiritus sancti.

8 Quod amplius explicauere Patres, inter quos primus Ignatius epist. ad Philippen. parum à princum Paulo 1. Corinth. 8. & Ephes. 4. dicit: *Vnus est enim omnium Deus Pater Christi, ex quo omnia, & vnus Dominus noster Iesus Christus Filius Dei Vnigenitus, dominator vniuersorum, per quem omnia. Vnus autem etiam Spiritus sanctus.* Et post pauca: *Vnus ergo Deus Pater, & non duo vel tres. Vnus scilicet, qui est, & non est præter eum solum verus. Dominus* Deuter. 6. *enim (inquit) Deus tuus, Deus vnus est. & iterum:*

Nomine vnus Dominus creauit nos, & vnus Pater est omnium nostrum? Vnus quoque Filius Deus Verbum, &c. Et adductis præterea verbis Pauli 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. pro vnitate Spiritus, concludit: *Ergo neque tres sunt patres, neque tres filij, sed neque tres paracleti, sed vnus Pater, & vnus Filius, & vnus Paracletus.* Ignatius igitur obseruat, pertinere ad vnitatem Dei, quod non sunt plures patres, nec plures filij, nec plures paracleti. Malac. 2.

Nicænum Concilium lib. 2. paulo post med. §. *sæpenumero. Vnus*, inquit, *ingenitus Deus & Pater: Vnus ex eo genitus Vnigenitus Filius Deus Verbum. Sicut non est alter deus cum Deo & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior nec posterior filius, diuersus à Deo Vnigenito Filio eius.* Athanasius orat. contra Gregales Sabellij prope med. ait: *Neque duo sunt dij, quum nō duo sint patres, neque diuersa substantiæ sit genitor à genitore. Qui enim duo principia introducit, is duo numina prædicat.* Introduceret autem duo principia, qui duos patres affirmaret. Vnde post pauca subinfert: *Vbi autem vnum principium, ibi vnum ex eo germen, ibi imago absolutissima & naturalis, nimirum genita ex eo.* 9

Basilius lib. 3. contra Eunomium prope fin. *Sic etiam*, inquit, *in Trinitate vnitatis ratio conseruabitur, si vnum Patrem profiteamur, vnum Filium, vnum Spiritum sanctum.* Iterum atque iterum repetens; *vnum Vnigenitum, & vnum Spiritum.* Deinde lib. 5. contra eundem sect. seu cap. 12. post med. *Vt vnus*, inquit, *sit Pater Deus, semper Pater permanens: vnus verò Filius æterna generatione natus.* Et post pauca: *Dicta hæc & bene dicta sunt, sicuti sunt ijs, qui absque curiosa inuestigatione credunt in Deum, & Verbum, & Spiritum vnam Deitatem solam adorabilem, vt nusquam aditus multitudini fiat, sed quilibet in Trinitate vnum ens cognoscatur, vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus.* 10

Ad eandem ratiocinationem pertinet quod Cyrillus Alexand. lib. 3. thesauri cap. 2. sub init. *Propter hoc*, inquit, *mirabilis imago Patris in Filio est. Sicut enim Pater immutabilis est, quia semper Pater, & nunquam Filius: sic Verbum suum ex ipso prodiens, immutabile permanet Patris Verbum, & semper Filius, & nunquam pater. Similis igitur genitori in hoc quoque est.* Epiphanius hæres. 69. inter princ. & med. *Pater*, inquit, *& Filius & Spiritus sanctus vnus Deus Trinitas in veritate, & monas in vnitate. Propterea enim vnus Deus, quia non duo patres, neque duo Filij, neque duo spiritus sancti.* Et in Ancorato col. 5. *Nec enim*, ait, *si dixerimus Filium & Patrem Deum, duos deos dicimus.* Et post pauca: *Nec enim est multitudo deorum in Deo. Verum per tria nomina vna Deitas, Patris & Filij & Spiritus sancti. & non duo filij, Vnigenitus enim vnus ipse Filius.* Eandem rationem reddit Eusebius demonstrat. Euang. lib. 4. cap. 3. cuius verba referemus sect. sequenti circa med. 11

Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. prope med. *Manentem*, inquit, *semper accipimus Patrem, semper Filium, semper Spiritum sanctum non duos patres, non duos filios, non duos spiritus. Vnus* 1. Corinth. 8. *enim Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus Dominus Iesus, per quem omnia, & nos per ipsum. Et vnus Spiritus sanctus, vt idem Apostolus* 1. Corinth. 12. *dixit.* Et inferius: *Cur, inquiunt* (Ariani) *Filius Pater non est? Quia & Pater filius non est. Cur non iste generauit? Quia nec ille genitus est.* 12

Hilarius lib. 5. de Trinit. inter med. & fin. illud Deut. 32. *Ego sum Dominus, & non est Deus præter me*, ita ponderat: *Est enim Vnigenitus Deus: neque consortem Vnigeniti nomen admittit, sicut non recipit* 13

recipit innascibilis, in eo tantum quod est innascibilis, participem. Est ergo vnus ab vno. Neque præter innascibilem Deum deus innascibilis alius est. Neque præter vnum Vnigenitum Deum vnigenitus deus quisquam est. Vterque itaque vnus & solus est, &c.

14 Fulgentius lib. ad obiectiones Arianorum, obiect. 1. prope med. ait: *Si ambo vocarentur patres, essent profectò natura dissimiles. Vnusquisque enim ex semetipso constaret, & communem substantiam cum altero non haberet, nec Deitas vna esset, quibus vna natura non esset. Consequens autem fuit, vt duo patres duos filios gignerent; quoniam nisi vera de singulis proles existeret, paterni nominis in nullo veritas appareret.* Iterum autem ad 5. obiectionem sub init. *Duo quippe ingeniti non possunt vnam habere naturam, vbi nec vnius in vno veram ex se generationem inuenit, nec vnus ex vno verè in se substantiam natiuitatis agnoscit. Nos autem Patrem & Filium nec duos ingenitos dicimus, nec duos genitos appellamus.* Et paucis interpositis: *Vnus vnum genuit, vnus de vno natus est.*

15 Anselmus in monolog. cap. 61. *Vnus ergo Pater*, ait, *non plures patres, vnus Filius non plures filij, vnus procedens Spiritus, non plures procedentes spiritus sunt in summa essentia. Qui cum ita tres sint, vt nunquam Pater sit filius aut procedens spiritus: nec Filius aliquando sit pater, aut spiritus procedens, nec vnquam Spiritus Patris aut Filij sit pater, aut filius: Et singulus quisque sic sit perfectus, vt nullo indigeat: id tamen quod sunt sic est vnum: vt sicut de singulis pluraliter dici non potest, ita nec de tribus simul.*

SECTIO II.

Numerus immanentium operationum, & perfectio terminorum probat, non esse productas plures personas, quàm duas.

1 AD eundem articulum fidei, positum in sect. præced. secunda ratio valde probabilis est. quia personæ diuinæ cum in essentia conueniant, multiplicari non possunt, nisi per relationem originis (sicut probatum est disp. 1. sect. 3. 4. & 5.) Has autem originis relationes oportet accipere non secundum processionem, ad exteriora tendentem (sic enim procedens non esset coëssentiale suo principio producenti.) Necessarium igitur est, diuinarum personarum processionem esse immanentem intra Deum. Rursus immanentes processiones intra suum principium prorsus abstractum à materia & sensibus, non inueniuntur aliæ, nisi operationes intellectus & voluntatis, vt probatum est disput. 2. & 3. Ideo personæ diuinæ multiplicari non possunt, nisi secundum quod exigit processio intellectus & voluntatis in Deo.

2 *Vnica tantum processio per intellectū est possibilis in Deo.* Aliunde tamen impossibilis est in Deo processio secundum intellectum, nisi vnica tantùm. Quod probatur, quia diuinum intelligere est vnum & simplex & perfectum; propterea quod Deus intelligendo seipsum, intelligit omnia alia, & sic non potest esse in Deo, nisi vnica processio vnici Verbi. Confirmatur primò, quoniam vnicum Verbum exhaurit & adæquat totam vim & latitudinem intellectionis, eo quod sit infinitum in ratione Verbi, & per illud vnicum Pater loquatur & dicat, quæcumque dicere potest. Confirmatur secundò, nam Filiatio quoque perfectionem infinitam habet in ratione Filiationis, quapropter adæquat & exhaurit totam vim generatiuam Patris: sicut etiam in ratione imaginis totam repræsentabilitatem exemplaris.

3 *Vnica processio per amorem.* Similiter autem oportet processionem amoris esse tantùm vnicam, quia diuinum velle est vnum simplex & perfectum, eo quod Deus, amando seipsum, amat omnia cætera. Confirmatur, quoniam vnicus terminus amoris, qui est Spiritus sanctus exhaurit & adæquat totam vim & latitudinem diuinæ volitionis & amoris: eo quod sit infinitus in ratione talis termini & per illum vnicum Pater & Filius amet quæcunque potest amare, atque gratuito donet quidquid est donabile.

4 Consequens igitur est, vt Deo non sint possibiles, nisi duæ productiones; vna Verbi per modum intellectus, & alia Spiritus sancti per modum voluntatis. Accipitur hic discursus ex S. Thoma 4. contra gentes cap. 26. §. 2. & in præsenti quæst. 41. artic. 6. corpore. & de potent. quæst. 9. art. 9. corpore. & quæst. 10. art. 2. corpore. necnon ex aliis Scholasticis referendis sect. 3. fine.

5 Rectè igitur Patres contumeliam diuini Verbi, & imperfectionis notam inferunt ex pluralitate verborum in Deo. Quemadmodum Athanas. obseruauit aduersus Eusebium Nicomediensem & Arium, dicentes, *Multa verba profert Deus*, in epist. de decretis Nicænæ Synodi ferè in ipso med. sic redarguens: *Quasi vnum ex Deo Verbum non sufficiat, quod vniuersam mundi ex voluntate Patris creationem, curamq; & prouidentiam sustineat. Si enim Deus multa verba loquitur, hoc ipsum in iudicio est, in omnibus eius verbis esse quandam imbecillitatem. Contra autem si vno Verbo vtatur, vt reuera vtitur, id eius potentiam, & Verbi, ex eo nati, perfectionem declarat.* Vnde iterum infert: *Non enim multa verba sunt, ne vnumquodque eorum insufficiens habeatur, sed vnum Verbum, vt illud solum perfectum esse intelligatur. Et quandoquidem vnus est Deus, necessarium est quoque vnam esse imaginem, quæ ipsius est Filius.* Sic habent exemplaria duo.

6 Consonat Basilius hom. 16. circa illud. *In principio erat Verbum*, post med dicens: *Cur Verbum? Quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem diducens, & perfecta in se existens: quemadmodum ferè verbum nostrum, quod totius nostræ cogitationis imaginem refert.* Vnde paucis interpositis infert: *Tantum igitur profluens est, quantum id, vnde profluit*, &c. In eo igitur Basilius verbum humanum comparat cum Verbo diuino, quod sicut humanum verbum vnicum prorsus exhaurit & adæquat illam vnicam cogitationem cordis, per quam procedit: sic etiam diuinum Verbum vnicum exhaurit & adæquat diuinam intellectionem, per quam procedit. Cum igitur aliunde discrimen sit, quoniam Deo est impossibilis, nisi vnica tantum intellectio: licet angelis & hominibus sint possibiles plures intellectiones: consequens est, vt Deo non sit possibile Verbum, nisi vnicum, quamuis angelis & hominibus singulis possibilia sint plurima verba.

7 Cyrillus Alex. lib. 1. thesauri cap. 7. propius ad fin. quàm ad med. *Intelligendum est*, inquit, *sic ex Patre natum Filium, vt sapientia ex mente, quæ quodammodo esse à mente per expressionem ipsius videtur, & in ipsa verè est. Nec defluxum mens passa est aliquem, quia sapientiam genuit, sed tota mens in sua natura conseruata est, & tota sapientia depingitur, & in ea videtur.* Eandem adæquationem Verbi cum mente significauit Cyrillus lib. 2. dialog. de Trin. inter med. & fin. cum dixit, Verbum esse *rejectum mente*. Et non longè inferius: *Mentem, quæ genuit, in se habebit, sufficientissimeq; & manifestè demonstrabit.* Eusebius

8 Eusebius Cæsariensis lib. 4. demonstrat Euang. capite 3. initio. *Cum vnus*, inquit, *sit Pater, Filium quoque vnum, non plures esse oportet, vnumq; perfectum solum genitum, Deum de Deo, non autem plures. In pluribus enim diuersitas erit ac differentia, deteriorisq; introductio. Quare vnus Deus, vnius Filij perfecti atque vnici, non plurium deorum neque filiorum Pater.* Et circa med. eiusdem cap. *Quomodo verò illius item, quod vnum est imago fuerit, si non vna ipsa quoque sit? Vt videlicet non solum essentiæ eius, quod primum est, sed etiam eius, qui ad quantitatem pertinet, numeri similitudinem indicat? Ita quidem vt vnius sempiterni luminis vnum sit perfectum lumen, non autem diuersa & plura, id quod primum & vnicum genitum, editumq; est, ipsum vtique illud perfectum bonum*, &c. Quam vnitatem Verbi seu Filij, pluralitate refutata, confirmat eodem cap. 3. & sequenti cap. 4.

9 Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. sub init. *Tanquam seipsum dicens*, ait, *Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè perfecteq; dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quàm in ipso. Ibi summè illud agnoscitur, est est, non non: & ideo Verbum hoc verè veritas est, quoniam quicquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est. Quod autem in ea non est, nec in ipso est.* Et epist. 66. ad Maximum ante med. *Neque enim Pater, vt haberet Filium de seipso, minuit seipsum, sed ita genuit de se alterum se, vt totus maneret in se, & esset in Filio tantus, quantus & solus. Similiter & Spiritus sanctus integer de integro, non præcedit vnde procedit, sed tantus cum illo, quantus ex illo, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo.* Adæquat igitur & exhaurit totam perfectionem & amplitudinem intellectionis diuinæ Verbum Dei.

10 Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. post med. *Nec minus*, inquit, *aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quàm est mens de qua nascitur: quia quanta est mens, quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea verbum non sit; ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est.* Quod licet vniuersaliter de quolibet verbo creato vel increato dictum sit: attamen dirigitur ad probandam adæquationem vnici Verbi diuini, propter argumentum paulo superius in Basilio ponderatum.

11 Anselmus in proslog. cap. 23. sub init. *Non potest*, inquit, *aliquid maius vel minus te esse in Verbo tuo, quo te ipsum dicis, quoniam Verbum tuum sic est verum, quomodo tu veritas.* Idem in monolog. c. 34. init. *Cum constet*, ait, *quia Verbum consubstantiale est illi, & perfectè simile; necessariò sequitur, vt omnia, quæ sunt in illo, eadem & eodem modo sint in Verbo eius.* Et paucis interpositis: *Quoniam autem idem est summo Spiritui scire quod intelligere, siue dicere: necesse est quod eodem modo sciat omnia, quæ scit, quo ea dicit aut intelligit.* Deinde cap. 57. à med. *Totam*, inquit, *suam memoriam summus intelligit Spiritus & amat.* Et cap. 60. Per vnicum Verbum omnia dici, probat, quia per vnicam sapientiam omnia sciuntur.

12 Denique de perfectione termini spirati, per quam exhaurit & adæquat totam volitionem Dei, idem quod de Verbo, dixissent Patres; si controuersia cum hæreticis ita postulasset, sicut compulit de Verbo dicere.

13 Præcedens discursus confirmatur primò, quia quæcumque probant, diuinas processiones non esse plures, quàm duas supra disp. 3. sect. 2. Eo ipso probant, personas productas non esse plures, quàm duas. Quia plures personæ non possunt produci per plures actus diuersæ rationis, & quasi specie distinctos: cum in Deo, præter intellectionem & volitionem, nullus actus sit possibilis. Nec possunt produci per actus eiusdem rationis, solo numero distinctos; quoniam vnica est intellectio, & vnica volitio, frustráque multiplicarentur. Postremò per eundem numero actum non potest nisi terminus vnicus produci.

14 Confirmatur secundò, quia si plures personæ producerentur per eundem numero actum, vel per actus plures, solo numero distinctos; sequeretur, personas productas solo numero distingui, cum earum personalitates sint prorsus eiusdem rationis. Consequens autem est impossibile. Quoniam imperfectissima est numerica distinctio sub eadem ratione formali specifica & infima; est enim quasi materialis extensio duarum partium eiusdem rationis.

15 Confirmatur tertiò, quia numerica distinctio nunquam prouenit, nisi à materia, vt alibi probauimus in metaphysica & theologia. Propterea que merito tanquam prima ratio ponitur à S. Thoma in præsenti quæst. 41. artic. 6. & de potentia quæst. 10. art. 2. corpore. Confirmatur quartò, quia nullo termino clauditur indiuiduorum multitudo, solo numero distinctorum: sed vbi sunt possibilia duo, sunt possibilia infinita. Quod in personis diuinis esse absurdissimum constabit magis sect. sequenti. Rationem, quæ tangit indiuiduationis principium, impugnat ex professo Aureolus 1. dist. 7. part. 2. art. 1. à princip. & Scotus quodlib. 2. quæst. 1. Eam verò fusiùs defendit Capreolus 1. distinct. 7. quæst. 2. Caietanus & quidam alij expositores in præsent. art. 6. Sed res est aliena ab instituto præsenti.

16 *Prima obiectio.* Primariam verò rationem, initio sectionis positam, debilitare conantur Scotus & Aureolus citati, quorum præcipuæ obiectiones duæ sunt. Prima, quoniam eadem ratione probaretur, vnicam tantum personam esse productam, quia vnicus tantum est actus Dei volitio & intellectio. *Solutio.* Respondetur. Quamuis intellectio & volitio sit actus realiter vnus; nihilominus sunt duæ rationes formales producendi quasi specie distinctæ, quæ necessariò postulant terminos realiter distinctos, quoniam Verbum non potest esse amor spiratus, eo quod amor spiratus necessariò requirat à Verbo procedere, sicut probatum est disputatione 67. sect. 8.

17 *Secunda obiectio.* Secunda obiectio. Sicut scientia & voluntas in Deo sola ratione distinguuntur, sic etiam alia quædam attributa, sicut potentia & bonitas. Consequens igitur erit, vt propter rationis paritatem, aliæ personæ producendæ sint per alia attributa. *Solutio.* Respondetur. Non sufficit esse attributa diuina, sed opus est immanentes operationes esse, per quas producantur personæ diuinæ. Non sunt autem plures operationes immanentes, vt vidimus dicta disput. 3. sect. 2. peculiariter versus finem ad obiectionem secundam.

SECTIO III.

Rationes aliæ suadent eandem veritatem.

1 TErtia ratio persequitur varios modos, quibus excogitari posset esse productas plures personas quàm duas. Primò namque fingere quis posset, esse plures filios productos à pluribus patribus.

Ruiz. de Trinitate.

tribus. Tunc autem interrogo, vtrum omnes illi patres sint ingeniti: vel vnus tantum eorum sit ingenitus, reliqui verò sint producti. Omnes illos patres esse ingenitos, contradictionem implicat. Demonstratur enim vnicam tantùm personam esse possibilem in Deo, quæ sit ingenita, & à qua cæteræ producantur supra disput. 1. sect. 3. & 5. & disput. 52. sect. 4.

2 *Non possunt fingi plures patres producti.*

Si verò præter vnum patrem ingenitum, reliqui patres finguntur esse geniti vel producti: tunc aut illi plures procedunt ab eodem vno & solo ingenito, vel procedunt etiam ab aliis personis. Rursus, si ab vno & solo ingenito procedunt: vel cum subordinatione originis, vel sine vlla subordinatione procedunt. Si procedunt cum subordinatione originis: inde sequitur non procedere ab vno & solo ingenito: quia postquam supponitur vna persona producta prius origine, quàm producatur alia: necessarium est, illam personam productam concurrere ad productionem aliarum, quæ sunt origine posteriores: quoniam illa persona prius origine communicatam habet eandem essentiam & potentiam productiuam Patris ingeniti: quemadmodum theologi probant, necessarium esse, vt Filius simul cum Patre fuerit principium Spiritus sancti propter identitatem essentiæ atque potentiæ, prius origine communicatam Filio, supra disput. 67. sect. 8.

3 *Infinita multitudo personarum sequeretur.*

Si verò vnus ingenitus simul & absque prioritate & subordinatione originis produceret plures personas: eadem ratione produceret infinitas, quia non esset maior ratio sistendi & imponendi finem in tertia, vel quarta productione, potius quàm in prima: cum illæ productiones non sint diuersæ rationis. At infinita multitudo etiam in rebus creatis est absurda, sed multo magis in Deo, vt notat Basilius lib. 5. contra Eunomium sect. 12. init. Sed magis ex professo demonstrant impossibilitatem infinitæ multitudinis in Deo. S. Bonauent. 1. distinct. 2. art. 1. quæst. 3. & Albertus 1. p. quæst. 42. memb. 3. ad argumenta.

4 *Non distinguerentur illæ personæ.*

Confirmatur, quia nulla ratio distinctionis realis inueniri potuisset inter personas eo modo productas, siue filij, siue quocunque alio nomine vocarentur. Quia personæ diuinæ non distinguuntur ab inuicem, nisi per originem vnius ab alia (quod probatum est disput. 68. sect. 4. & sequentibus.) Et quamuis aliquis voluisset, eas personas inter se distinguere per solam relationem originis ab vno principio: non inueniret vllum distinctionis fundamentum. Quia si vnica & sola persona producta, vel vt vnico partu fundit personas plures: inter eas non est ratio, propter quam diuersimodè respiciant principium, à quo producuntur.

5 Item siue personæ plures producantur ab vnico & solo ingenito Patre, siue producantur ab illo simul cum aliis personis concurrentibus ad productionem, vtroque modo sequitur, personas productas habere inter se cognationes non tantùm inauditas in Sacris literis, sed etiam indignas Deo. Nam si Filius simul cum Patre producit alium filium; erit compater: si solus Pater producit plures filios, erunt illi confratres: si Filius solus producit alium filium, ille nepos erit Patris.

6 Ad hæc absurda vitanda monuit Athanasius lib. 3. de Trinit. cui titulus est de assumptione hominis in fin. *Vnigenitum dum Scriptura refert, secundum Diuinitatem indicat, quia in Deitate Vnigenitus à Deo Patre omnino fratres non habet.* Taliáque fusius obseruat orat. 3. contra Arianos inter med. & finem. & epist. 2. de Spiritu sancto ad Serapionem, quæ incipit *Versatus sum.* & dialogo 1. contra Macedonium propius ad med. quàm ad finem. & dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomæum propius ad med. quàm ad fin. & alibi semper admonens, nullum esse fratrem Verbi secundum Diuinitatem, nullúmque nepotem Patris productum à Filio.

7 Basilius etiam homil. 15. de fide in med. & homil. 28. contra Sabellianos obseruat, in Deo non esse fratres. Idémque lib. 5. contra Eunomium sect. 12. post med. *Dicimus*, inquit, *si quis Filium ex Filio diceret, in suspicionem multitudinis Trinitatem Deitatis hominibus adducebat: facilè namque suspicari erat, quod si Filius ex Filio natus est, ex hoc alius vtique natus esset, ac rursus alius, & deinceps ad multitudinem.* Epiphanius item multoties admonet, in Deo non esse fratrem, siue confratrem, neque compatrem, aut patruum, aut neporem: quemadmodum hæres. 62. versus med. & hæres. 69. pap. 5. & hæres. 73. propius ad fin. quàm ad med. & hæres. 74. multo propius ad fin. quàm ad med. & hæres. 76. ad cap. 29. & cap. 36. Aëtij. & in Ancorato col. 7.

8 *Personarum constitutio tolleretur.*

Confirmatur, nam vtroque modo producantur illæ personæ, consequens erit, vt neque Pater constituatur Paternitate, neque Filius constituatur Filiatione. Sequela probatur, quia Paternitas erit communis non solum primæ personæ, sed etiam aliis personis, siue producant Filium singulæ per se solæ, siue concurrant simul cum Patre ad filiorum productionem. Clarius autem constat, Filiationes esse pluribus filiis communes; vnde sequeretur, Filiationem non esse constitutiuam personæ, siquidem persona singularis est & incommunicabilis: at verò Filiatio foret pluribus communis.

9 *Sequerentur plures paternitates.*

Præterea, si prima persona improducta produceret plures filios, vel per se sola, vel concurrentibus aliis personis; sequeretur in eadem persona plures paternitates concurrere, quæ forent eiusdem rationis, si sola prima persona produceret, aliis non concurrentibus. Forent autem in eadem persona paternitates diuersæ rationis, si primum filium produceret sola; deinde verò secundum filium produceret, concurrente primo. At paternitates plures siue sint eiusdem siue diuersæ rationis, concurrere ad constitutionem vnius personæ simplicissimæ, manifestam repugnantiam inuoluit. Ac denique sublata constitutione Patris & Filij per relationes Paternitatis & Filiationis, non restant relationes aliæ quibus constituantur; vnde necessarium erit, absolutis proprietatibus constitui personas atque distingui. Hoc autem esse impossibile probatum est disp. 1. sect. 4. & disput. 87. sect. 2. & sequentibus.

10 Præcedens discursus ferè totus, seruata proportione, poterit accommodari ad probandum, non esse possibiles plures spiritus sanctos.

11 Quarta ratio sit, quam assignat S. Thomas in præsent. art. 3. & de potent. quæst. 2. artic. 4. quia personæ diuinæ naturaliter producuntur, & non liberè, sicut probatum est disput. 92. Natura verò semper est ad vnum determinata, saltem secundum speciem: neque enim potest in contraria vel diuersa se conuertere, quemadmodum potest libera potentia. Quod discrimen libertatis à natura notauit Aristoteles libro 9. metaphysic. cap. 2. text. 3. & text. 10. cap. 5. Et lib. 1. politicorum cap. 1.

Rationes

12 Rationes alias ex summa concordia, suauitate, charitatis proportione perfecta, circulo diuinarum operationum, aliisque congruentiis accipere poteris ex disput. 3. sect. 2. & disputat. 33. sect. 2. 3. De his tandem, aliisque rationibus videri possunt Scholastici. S. Thomas magis ex professo de potentia quæst. 2. art. 4. & quæst. 9. art. 9. ad priora argumenta. & 1. sentent. distinct. 2. quæst. 1. artic. 4. Alexander 1. part. quæst. 43. memb. 5. & quæst. 45. memb. 7. Albertus 1. part. quæst. 42. memb. 3. & quæst. 30. memb. 1. S. Bonauent. 1. distinct. 2. art. 1. quæst. 4. & distinct. 7. art. 1. quæst. 2. Ricard. dist. 2. art. 2. quæst. 2. Henricus quodlib. 6. tota quæst. 1. & in summa artic. 43. quæst. 8. & 9. & art. 54. q. 2. Ægidius 1. distinct. 10. quæst. 3. Carthus. 1. dist. 2. quæst. 6. vbi Argentina quæst. 2. art. 1. init. Marsilius lib. 1. quæst. 6. art. 1. concl. 3. Maior 1. dist. 10. quæst. 2. Capreolus fusè distinct. 7. q. 2. Caietanus, Canarien. & alij in præsenti quæst. 41. art. 6. Ferrarien. 4. contra gentes cap. 26.

QVÆSTIO XLII.

De æqualitate & similitudine diuinarum personarum ad inuicem.

ARTICVLVS I.

Vtrum æqualitas locum habeat in diuinis.

DISPVTATIO CIII.

Quid sint & quomodo distinguantur in Deo relationes æqualitatis, similitudinis, & quæ consequuntur ex illis.

SECTIO I.

Errores inter se pugnantes de æqualitate ac similitudine.

1 PRIMVS error eorum fuit, qui eo sensu dicebant, Filium esse similem Patri, quo significarent, Patrem & Filium esse vnicam personam. Hos ita damnat Octauus canon Orientalium apud Hilarium lib. de Synodis inter princip. & medium. *Si quis intelligens similem secundum essentiam Filium, eius, cuius & Filius intelligitur, eundem dicens Filium, quem Patrem*, &c. *anathema sit.* Sed personarum realis distinctio satis probata est tota disput. 19.

2 Secundus error fuit Eunomij & aliorum Arianorum, qui dicebant, Filium Patri nec æqualem esse, nec similem. Hunc refert Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 4. in princip. Theodoretus etiam hæret. fabular. lib. 4. colum. 4. refert Eunomium & Aëtium auxisse blasphemias Arij, dicentes, Filium esse *in omnibus dissimilem Patri, qui genuerat.* Basilius verò lib. 1. contra Eunomium propius ad fin. quàm ad med. refert, eum hoc argumento probasse suam blasphemiam. *Nec æqualis, nec similis*, Filius, *quoniam nec quantus est, & absque qualitate est.* Vbi eum ita redarguit: *Ego verò in hoc ipso pono similitudinem, quoniam sicut Pater ab omni compositione liber est, ita Filius simplex omnino & incompositus. Et similitudinem non formarum qualitatis identitate, sed ipsa substantia perspici arbitror. Nam quibuscumque forma vel figura adiacet, iis identitate qualitatis inest formarum similitudo: quæ verò sine forma & sine figura natura est, reliquum est vt similitudinem in substantia ipsa, & æqualitatem nõe in mensura magnitudinis, sed identitate virtutis possideat.* Vide quanto antea Basilius præoccupauit rationem, quam magis scholasticè tradit S. Thomas in præsenti art. 1. ad 1. *Retorquetur argumentum Eunomij.*

3 Anomæi quoque præsertim Aëtius asserebant, Filium esse dissimilem Patri, vtpote creaturam, quos refert & ex professo reputat Epiphanius hæres. 76.

4 Tertius error similitudinem Filio concessit, eo tamen fine, vt illi negaret æqualitatem. De cuius authoribus, videlicet, Semiariis, Nazianzen. tract. de fide, qui est orat. 29. inter princip. & med. ita scribit: *Sublato Homousion, id est, vnius substantiæ vocabulo, similitudinem genitoris posuerunt, cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est*, &c.

5 Huiusmodi similitudinem refutat Nazianzenus, non eam, quæ fundetur in omnimoda identitate substantiæ. Sicut & Basilius epist. 82. prope fin. *quandam essentiæ similitudinem*, quam aduersus Homousion multi per varias Ecclesias tanquam fidei formulam prædicabant. Anastasius item Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmatibus in med. Eandem similitudinem refutat Epiphanius hæresi 73. prope fin. aduersus duos hæreticos nomine Basilium & Georgium, aliósque Semiarios, qui concedebant, Filium esse essentiam similem: negabant autem, esse coëssentialem siue eiusdem essentiæ: quemadmodum refert in princip. eiusdem hæresis.

6 Constituebant autem prædictam similitudinem in sola vnione voluntatis & operationis, quatenus Filius vult idem, quod Pater, atque idem operatur; licet non sit eiusdem substantiæ cum illo. Prout referunt, & impugnant Epiphanius dicta hæres. 73. prope med. & in med. Hilarius lib. de Synodis propius ad princ. quàm ad med. exponens canonem 6. & 7. Orientalium. Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 9. & toto sequenti lib. 2. & lib. 3. cap. 1. 2. 3. & 4. & lib. 4. cap. 1. & 2. & lib. 6. cap. 2. & lib. 10. cap. 1. & lib. 12. cap. 13. & lib. 13. cap. 1. 2. & 3. Nunc autem peculiari refutatione non est opus, cum abundè superius probata fuerit identitas substantiæ, ratione cuius Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vnum, non voluntatis concordia tantùm, sed etiam identitate naturæ disp. 20. sect. 6. & sequentibus, & disputatione 21. 22. 23. & 24.

7 Ad prædictam similitudinem introducendam, qua reiiceretur Homousion, introductum est *Omœusion* authore Macedonio, vel ante illum Marathonio, cui vocabulo propterea constantissimè restiterunt Ecclesiæ Patres; vt vidimus disput. 21. sectione 5. Quartus error fuit eorum, qui licet faterentur, Filium & Spiritum sanctum increatos & æternos esse; nihilominus dignitate priorem & præstantiorem asserebant esse Patrem. Quos referemus disputatione 105. sect. 1.

SECTIO II.

Æqualitas & similitudo perfectißima diuinarum personarum.

1 PRima conclusio. Fides Catholica docet, Filium & Spiritum sanctum prorsus æquales esse Patri, & perfectißimè similes. Atque imprimis æqualitatem Filij legimus expressam in Sacris literis, & frequenter à sanctis Patribus propugnatam supra disput. 54. sect. 6. & sequentibus. Rursus æqualitatem Spiritus sancti (quamuis non hoc ipso vocabulo *æqualitatis*) satis apertè significant Sacræ literæ, quando testantur Diuinitatem, immensitatem, æternitatem, omnipotentiam & omnisapientiam Spiritus sancti. Clarius autem expressêre Patres, vt vidimus tota disput. 66. præsertim sect. 6. 7. & 8.

2 Ratione probat S. Thomas in præsenti artic. 1. corp. Primùm, quia secundum Philosophum 10. metaphys. text. 15. 16. & 17. Æquale dicitur quasi per negationem maioris & minoris. Non autem possumus in diuinis personis ponere aliquid maius & minus. Quia vt Boët. dicit in lib. de Trinitate parum à princip. *Eos differentia*, scilicet, Deitatis) *comitatur, qui vel augent vel minuunt, vt Ariani, qui gradibus numerorum Trinitatem variantes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt.*

Commensurabilia sunt æqualia, si nullū est maius altero.

3 Quamuis autem æqualitatis affirmatio non semper inferatur ex negatione maioris & minoris (vt constat in puncto respectu lineæ, & in quibuscumque rebus incommensurabilibus) nihilominus semper ac necessariò sequitur, supposita quantitate simul cum reali distinctione extremorum. Propterea S. Thomas tam in corpore, quàm ad primum diligenter exposuit quantitatem perfectionis, siue magnitudinem spiritualem ex Augustino lib. 6. de Trinit. cap. 8. circa med. dicente, quod *in his, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.*

4 Attenditur autem quantitas perfectionis non modò secundum essentiam, sed etiam secundum potentiam & operationem. Vt propterea Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. ante med. dixerit: *Nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec Filio nec Spiritu sancto, quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater est: nec Filij æternitas, atque immensitas, velut anterior aut maior Spiritus sancti immensitatem æternitatemq; aut præcedere aut excedere naturaliter potest.* Perpende Fulgentium eodem argumento nuper explicato deduxisse affirmationem æqualitatis ex negatione inæqualitatis & excessus, suppositâ quantitate & magnitudine perfectionis in omnibus personis.

Quantitas perfectionis attenditur secundum essentiam & attributa.

5 Secundam rationem adhibet S. Thomas in præsenti quæst. 42. art. 4. quia in hominibus ac cæteris animantibus filiorum inæqualitas prouenit ex imperfectione principij generationis, & ex imperfectione rerum generabilium & corruptibilium, quæ non possunt à principio perfectionem habere, sed ad illam debent successiuè tendere. At imperfectio talis esse non potuit in principio generante Verbum, nec in principio spirante Spiritum sanctum. Vtraque verò persona non indiguit successiuo perfectionis incremẽto. Ergo tam Filius quàm Spiritus sanctus æqualis Patri fuit ab æterno. Rectè namque Hilarius lib. de Synodis inter med. & fin. dixit: *Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus ixiium, tolle dolores & omnem humanam necessitatem: omnis filius secundum naturalem natiuitatem æqualitas Patris est, quia est similitudo naturæ.*

Inæqualitas filiorum vnde prouenit.

Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 7. post med. scribit: *Deus Pater æqualem sibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus: si noluit, inuidus*, &c. Et cap. 15. *Deus ergo cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarij fuerunt, nec omnipotentia defuit?* &c. Idem sequitur Magist. distinct. 20. cap. *item.* Cui consonant Cyrillus & Athanas. supra disput. 101. sect. 4. 6

Tertiam congruentiam ex perfectione charitatis Ricardus Victor. lib. 3. de Trinitate cap. 7. init. tradit his verbis: *Sicut charitas vera exigit personarum pluralitatem, sic charitas summa exigit personarum æqualitatem.* Quod postquam explicuit, à med. capitis addit: *Plenitudo charitatis exigit, vt vterque ab altero sit summè dilectus, & consequenter secundum prædictam discretionis normam, vterque sit summè diligendus. Vbi autem vterque est æquè diligendus, oportet vt vterque sit æquè perfectus. Oportet itaque vtrumque esse æquè potentem, æquè sapientem, æquè bonum, æquè beatum: sic summa plenitudo dilectionis in mutuè dilectis, exigit summam æqualitatem perfectionis.* 7

Summa dilectio requirit æqualitatem.

Eandem æqualitatem probat cap. 21. vsque ad 25. peculiariter autem cap. 24. probat, quoniam identitas diuinæ substantiæ ratio est non solum, vt vna persona sit æqualis alteri, sed etiam vt vna sit æqualis duabus, aut etiam tribus personis. Quam rationem accepit ex Augustino lib. 7. de Trinitate cap. vltimo propius ad med. quàm ad finem. Concilium quoque Toletanum Sextum in professione fidei ante med. *In hac*, inquit, *Trinitate tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat. Nec minor in singulis, quàm in omnibus: nec maior in omnibus, quàm in singulis personis manet.* Sed de hoc plura diximus disput. 30. sect. 2. 8

Contra æqualitatem Filij magis directè solet opponi, quod Christus Dominus ait Ioan. 14. *Pater maior me est*, & alia, quæ subiectionem, obedientiam, indigentiam, aut aliam inferioritatem significant. Quibus omnibus satisfecimus tota disput. 50. præter alia, quæ pertinent ad operationem transeuntem in creaturas, de quibus dicemus disput. 110. & sequentibus. Alia quoque non pauca sparsim per plures disputationes tractata sunt tam de Filio, quàm de Spiritu sancto contra cuius æqualitatem obiectiones solutæ sunt peculiariter disput. 35. sect. 7. 9

Ad varia loca remittuntur obiectiones plurimæ.

Solet etiam ab antiquioribus Scholasticis aduersus æqualitatem opponi, quoniam Euclides definit æquale illud esse, quod in terminis, neque excedit neque exceditur: at diuinæ personæ non habent terminos, quibus claudantur. Confirmatur, nam ea, quæ propter infinitatem sunt incommensurabilia, nec sunt æqualia, nec inæqualia; quemadmodum lib. 3. physicorum ostendimus, multitudinem punctorum, quæ reperiuntur in circulo maiori esse incommensurabilem multitudini punctorum circuli minoris. Idémque de diametro & costa, & quibuscumque infinitis probatum est. At verò tres personæ sunt vnus Deus immensus: ergo sunt incommensurabiles. 10

Obiectio. Definitio æqualis.

Respondent Alexand. 1. p. q. 47. memb. 1. ad 3. Albertus eadem q. 47. memb. 2. corp. S. Bonauent. 1. dist. 31. art. 1. q. 1. fine. Ricardus 1. dist. 19. art. 1. quæst. 1. Ex quibus & aliis Dico primò. Termini non sunt necessarij ad æqualitatem, vbi est summa identitas magnitudinis, quæ est quantitas virtutis. 11

Solutio.

Dico

Summa æqualitas sine termino, & sine commensuratione.

Dico secundò. Commensurabilitas non requiritur ad æqualitatem perfectissimam, quæ consistit in omnimoda vnitate magnitudinis spiritualis; licet requiratur ad æqualitatem extremorum, habentium magnitudines, numero distinctas, vel specie.

12 Dico tertiò. Suo modo commensurabiles sunt diuinæ personæ, non obstante immensitate, quatenus obiectorum omnium collectio quodammodo mensurat scientiam, volitionem, potentiam. Vnde tres personæ habent eandem mensuram collectionis omnium obiectorum, quæ sciunt, volunt, & possunt. Insuper immensitas quodammodo mensuratur omni spatio possibili, sicut etiam æternitas omni tempore seu durationi possibili.

Commensurabiles sunt aliquo modo diuinæ personæ.

13 Secunda conclusio principalis. Reciproca similitudo diuinarum personarum est non minùs certa, quàm earum æqualitas. Et quamuis in Filio similitudo reciproca non sit eadem formalitas, quæ constituit rationem imaginis, in ea tamen necessariò continetur quidquid requiritur, vt exemplar & imago se inuicem respiciant mutua similitudine. Hanc igitur efficaciter ostendunt omnia, quæ supra disput. 64. probarunt, Filium esse perfectam imaginem Patris. Imago namque non est aliud, quàm similitudo ad repræsentandum procedens ab exemplari, vt in eadem disp. 64. sect. 1. 2. & 4. demonstratum est. Colligitur etiam ex tota disput. 6. & 7. quoniam Filiationis & generationis quidditas exigit perfectam similitudinem in natura.

Similitudo reciproca triũ personarum.

14 Præterea Spiritum sanctum esse perfectissimè similem Patri & Filio (quamuis non ex vi formalissima processionis, sed quasi de materiali) necessariò sequitur ex vnitate naturæ, & processione diuina, sicut nuper probata est eius æqualitas. De quo plura diximus disputat. 7. præsertim sect. 4. Propter hanc perfectissimam similitudinem aliqui Patres eo processerunt, vt Spiritum sanctum appellarent formam & imaginem Filij, quemadmodum ex Athanasio, Basilio, Cyrillo Alexand. Epiphanio & Damasceno retulimus disput. 64. sect. 6.

15 Philosophiæ fundamentum aperuit Aristoteles lib. 5. metaphys. cap. 15. prope med. text. 20. *Eadem*, inquit, *sunt, quorum substantia vna. Similia verò, quorum qualitas vna. Æqualia autem, quorum quantitas vna.* Inde communiter Scholastici, tractantes de relationibus istis diuinarum personarum, colligunt, fundari relationem æqualitatis in vnitate quantitatis, relationem similitudinis in vnitate qualitatis, & relationem identitatis in vnitate naturæ.

Quæ vnitas constituit æqualia vel similia.

16 Vt inde videas, quam exactè iuxta philosophiæ regulas Basilius sub init. præsentis sect. relatus, probauerit æqualitatem Filij ex identitate perfectionis (quæ est quantitas spiritualis) similitudinem autem ex identitate qualitatis. Nam attributa diuina concipimus per modum qualitatis, vt sapientiam, bonitatem, potentiam & similia. Propterea symbolum Athanasij *Qualis Pater*, ait, *talis Filius, talis Spiritus sanctus.* Atque idem Athanasius quæstionibus de natura Dei, quarum prima est, *Quid est Deus*, quæst. 9. ait: *Filius dicitur quasi similis & æqualis. Qualis enim Pater, talis & Filius.*

17 Sic etiam: *Filium esse similem Patri, & talem qualis Pater*, scribit Beda Ioan. 14. ad illud: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Hilarius lib. 3. de Trinitate inter med. & fin. *Eandem*, inquit, *in vtroque*

virtutis similitudinem, & Deitatis plenitudinem confitemur. Et paulo inferius: *Qui dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: inuicem esse sui similes, in eo quod similitudinem nostram dicat, ostendit.*

Porrò diuina essentia significatur per modum formæ, propterea quæ illius vnitas fundat similitudinem, vt notauit S. Thomas in præsenti art. 1. argum. 2. Forma namque subit modum qualitatis. Propriè igitur atque philosophicè locutus est Athanasius oratione 1. contra Arianos inter med. & finem, quando similitudinem probans, vsus est nomine formæ potius, quàm substantiæ, naturæ vel essentiæ, dicens: *Quatenus est Verbum & sapientia Patris, omnia habet quæ sunt Patris, æternitatem, immutabilitatem, & per omnia & in omnibus eandem similitudinem; vt nec prius nec posterius sit, sed cum Patre coëxistat, & ipsissima sit forma paternæ Deitatis. Cum enim secundum substantiam Patris, Patri sit similis*, &c. 18

Postremò considerandum est, illam similitudinem, quam Filio concedebant hæretici supra commemorati, multo plus dissimilitudinis habere, quàm similitudinis. Nam apud illos essentia Filij distabat ab essentia Patris, quantum creatura distat à creatore: propterea quæ distantia dissimilitudóque erat infinita: similitudo verò finita. Sed è contrario catholici profitemur infinitam similitudinem absque vlla dissimilitudine, quæ non potest nisi cum æqualitate reperiri. Quamuis similitudo non infinita nec omnimoda, sed permixta dissimilitudini multoties cum inæqualitate contingat, vt videbimus sectione 8. differentia 1. 19

Plus dissimilitudinis continebat similitudo Semiarianorum.

SECTIO III.

Aliqui non esse relationes sed negationes, alij verò reales esse relationes æqualitatis & similitudinis opinantur.

1 AVreolus 1. distinct. 31. art. 3. propositione 3. ita decernit: Æqualitas & similitudo in diuinis personis nullam habitudinem ponunt, nec realem, nec rationis, sed vnitatem absolutam, & indistinctionem quantitatis & magnitudinis virtualis, ac quantitatis essentialis. Totum illius fundamentum ad hoc reuocatur, quod relatio æqualitatis siue conformitatis aut similitudinis requirit extrema distingui in illa etiam quantitate, seu qualitate, secundum quam referenda sunt. Ideóque non potest intellectus concipere conformitatem, adæquationem aut aliquam huiusmodi relationem, nisi inter extrema prædicto modo distincta. Sed Pater & Filius in magnitudine, perfectione, & essentia non sunt distincti. Ergo non potest intellectus ponere inter eos relationem conuenientiæ aut conformitatis, aut qualitatis: sed concipit, quod personæ non distinguuntur essentia, & quantitate perfectionis, nec se inuicem excedunt.

Prima sententia.

Confirmat testimonio Fulgentij (sub nomine Augustini) lib. de fide ad Petrum, quod retulimus sect. 2. non procul à princip. Eidem sententiæ fauere videtur Magister in eadem distinctione 31. cap. *hoc idem.* Alexander quæst. 47. memb. 1. ad 2. & 3. Albertus in eadem quæst. 47. memb. 1. ad 1. Verè tamen admittunt relationem rationis, vt referemus sect. sequenti. 2

3 *Secunda sententia.* Extremum oppositum tenuit secunda sententia, concedens, æqualitatem & similitudinem in diuinis esse relationes reales. Hanc sententiam aliis verbis, idem valentibus, docuit S.Bonauent. 1.distinct.31. artic.1.quæst.1. & 2. sed perspicuis & apertis verbis Scotus in eadem distinctione 31. quæst.1.& quodlib.6. art.2. Eidem adhærere videtur Carthus.1.distinct.19.quæst.1.referens sententiam S.Bonauenturæ, & vltimo loco sententiam Scoti; nec amplius explicans propriam sententiam.

4 Obseruandum autem est, iuxta sententiam Scoti prædictas relationes esse distinctas ante opus intellectus & ex natura rei, sicut earum fundamenta: insuper esse posteriores relationibus originum, quibus extrema, videlicet, personæ prius sint constitutæ atque distinctæ, quàm recipiant relationes æqualitatis aut similitudinis, vt Scotus monet dicto quodlib.6.art.2. §.*Secundò contradicitur*, & §.*Dico ergo*. Denique prædicta distinct.31. quæst.1.col.penult.versu, *ad secundum potest*. ingenuè fatetur ex sua sententia sequi tot esse relationes reales æqualitatis ac similitudinis, quot sunt *in Deo* perfectiones, seu magnitudines distinctorum attributorum.

5 *Primum argumentum.* Primum argumentum est, quoniam ad æqualitatem & similitudinem realem in Deo reperiuntur omnia, quæ requiruntur ad relationem realem. Primò namque realiter distinguuntur extrema, videlicet diuinæ personæ. Secundò, fundamentum est reale, videlicet, essentia diuina illiúsque magnitudo, seu spiritualis quantitas: insuper realis est vnitas illius. Tertiò, similitudinis & æqualitatis relatio consurgit ex natura prædicti fundamenti.

6 Confirmatur primò, quoniam ad realitatem diuinarum relationum non requiritur realis distinctio in fundamento proximo illarum: quandoquidem in diuinis Paternitas & Filiatio sunt relationes reales: & tamen earum fundamentum, nempe natura diuina, idem numero est in vtroque extremo. Confirmatur secundò, nam si duobus corporibus inesset idem numero candor; realis esset eorum similitudo in candore. Ergo relatio potest esse realis, quamuis immediatum fundamentum sit realiter idem, dummodo realiter distinguantur suppositа, habentia fundamentum illud.

7 *Secúdum argumentum.* Secundum argumentum. Sicut se habet magnitudo corporeæ quantitatis ad suam æqualitatem: ita se habet magnitudo virtualis & spiritualis ad æqualitatem sibi correspondentem, sed æqualitas est realis proprietas, quæ semper ac necessariò comitatur magnitudinem corpoream, cuius passio est æqualitas, vel inæqualitas. Ergo vbicumque reperitur spiritualis & virtualis magnitudo, reperietur etiam realis æqualitas aut inæqualitas. Cum igitur personæ diuinæ non habeant relationem inæqualitatis, necessariò habebunt relationem realem æqualitatis.

8 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum. Si quod minus videtur inesse, inest, & id quod magis. Sed minus videtur inesse realitas Paternitati & Filiationi, suppositа identitate fundamenti: quoniam sunt relationes alterius rationis, quas vocant disquiparantiæ. Nihilominus Paternitati & Filiationi realitas inest simul cum identitate fundamenti. Ergo à fortiori poterit æqualitas esse realis relatio inter personas diuinas, cum sit æquiparantiæ & rationis eiusdem. Idem intellige de similitudine. Confirmatur, quia facilior redditur realitas æqualitatis & similitudinis, eo quod præsupponunt suppositа iam constituta & distincta per relationes originis. Quam distinctionem extremorum, quia non supponunt relationes originis, difficilior esse videbatur realitas earum.

9 *Quartum argumentum.* Quartum argumentum. Æqualitas fundatur in vnitate magnitudinis, suppositа reali distinctione extremorum. Ergo quanto maior fuerit vnitas magnitudinis, tanto verior & prior erit æqualitatis relatio, consurgens ex illa. Sed Pater & Filius non modò sunt extrema realiter distincta, sed etiam habent magnitudinem realiter vnam: cum tamen in corporibus æqualibus vnitas magnitudinis non sit realis vnitas, sed tantum secundum rationem. Ergo Pater & Filius habent relationem æqualitatis veram & propriam magis, quàm quæcumque corpora æqualia.

10 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum. Secluſa operatione intellectus conuenit personis diuinis quantitas perfectionis: & ante operationem intellectus vna persona diuina neque est maior neque minor quàm alia. Ergo ante operationem intellectus æqualis est alteri. Quapropter realis erit hæc relatio; cum sit ante operationem intellectus. Confirmatur, quoniam in subiecto capaci, videlicet, habente magnitudinem, non datur medium inter æquale & inæquale, vt sect.2.dicebamus ex S.Thoma. Sed ante opus intellectus personæ non sunt inæquales: ergo ante opus intellectus sunt æquales.

11 *Sextum argumentum.* Sextum argumentum. Quod Filio conuenit ex vi productionis, necessariò est reale: quia nullum ens rationis producitur ex vi productionis realis. Sed æqualitas & similitudo conuenit Filio ex vi suæ productionis: ergo est realis. Minorem docet Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap.7. & 15. probans æqualitatem Filij ex omnipotentia generantis, vt vidimus sect.2. ratione 2. Idque clarius constat ex quidditate generationis, quam probauimus disput.6. sect.2.

12 *Septimum argumentum.* Septimum argumentum. Æqualitas & similitudo realis est in creaturis. Sed æqualitas & similitudo multo perfectius est in diuinis, quàm in creaturis: ergo multo fortius probatur esse realis relatio similitudinis & æqualitatis in Deo. Minor probatur ex Augustino libro 6.de Trinitate: nam cap.4.& 5. vbi summam æqualitatem personarum probat ex summa simplicitate illarum, & cap.10. parum à princip.de imagine, quæ Filius est, ita loquitur: *Vbi iam est tanta congruentia & prima æqualitas, & prima similitudo, nulla in re dissidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte dissimilis, sed ad identidem respondens ei, cuius imago est.*

13 *Octauum argumentum.* Octauum argumentum, quia nullum ens rationis est perfectio simpliciter: sed æqualitas est perfectio simpliciter, dicente Augustino lib. de quantitate animæ cap.9. fine: *Inæqualitati æqualitatem iure præponis, nec quisquam omnino est, vt opinor, humano sensu præditus, cui non id videatur.* Ergo æqualitas in diuinis est relatio realis. Confirmatur, quia nullum ens rationis adoratur: sed æqualitas adoratur; ergo æqualitas non est ens rationis. Minorem ex Gregorio recipit Ecclesia in præfatione Missæ sanctissimæ Trinitatis. *Et in maiestate adoretur æqualitas.*

14 *Nonum argumentum.* *Decimũ argumentum.* Nonum argumentum. Arius enim damnatus est, quia negauit æqualitatem personarum; sed non fuisset damnatus, nisi negaret aliquid realiter existens in Deo: ergo æqualitas realiter & positiuè Deo conuenit. Decimum, quoniam æqualitas si non est realis, sed tantum secundum rationem;

tionem; non est verè, propriè, ac simpliciter æqualitas, sed fictè, impropriè atque secundum quid.

15 *Tertia sententia.* Tertia sententia, licet cum præcedenti conueniat in eo, quod asserit, æqualitatem ac similitudinem in diuinis non esse relationem rationis, sed realem: in eo tamen valde dissidet, quoniam asserit, non esse distinctas à relationibus originis, quæ personas constituunt. Ita docent Ocham 1. dist. 31. quæst. vnica sub init. quem sequitur Gabriel in eadem dist. atque quæst. art.3. Primum fun- *Fundamentum primum.* damentum est, quia quolibet intellectus opere circumscripto, ex eo præcisè, quod essentia diuina sit eadem in Patre & Filio, Pater & Filius sunt æquales. Confirmatur, quoniam ad relationem rationis requiritur comparatio intellectus, qui rem vnam alteri conferat: sed hac comparatione secluſa; Pater & Filius manent æquales.

16 *Secundũ fundamentum.* Secundum fundamentum est, quoniam prædicti doctores existimant, tam in Deo, quàm in creaturis, relationem realem nihil aliud esse, nisi duo extrema vnum in recto & aliud in obliquo; atque hoc modo existimant esse reales etiam illas relationes, quæ Deo conueniunt ex tempore respectu creaturarum; vt constat ex eisdem authoribus in præced. dist.30.

SECTIO IV.

Relatio rationis est æqualitas & similitudo secundum vltimam rationem formalem.

1 HÆc quasi est communis sententia Scholasticorum. Imprimis enim Magister 1. dist.31. cap. *hoc idem.* quamuis asserat includere negationem excessus & inæqualitatis: addit tamen *appellationem tantum esse relatiuam.* Appellatio verò supponit conceptum mentis, intelligentis æqualitatem & similitudinem quasi relationem. Alioqui etiam appellatio non esset relatiua. Confirmatur primò, quia paulo superius in eadem distinctione cap. 1. similitudinem & æqualitatem esse relationem, probauerat ex Hilario lib. 3. de Trinit. propius ad fin. quàm ad med. dicente: *Similitudo non sibi est.* Vnde meritò colligit Magister, esse relationem tam similitudinem, quàm æqualitatem. Confirmatur secundò, nam ita Magistrum intelligunt S.Thom. in vtroque loco statim citando & alij Scholastici.

2 Ab hac sententia Magistri nihil discrepant Alexander 1.p.quæst.47. memb.1. ad 2. & 3. Et Albertus in eadem quæst.47. memb.1. ad 1. Cæterum magis aperte non esse realem, sed esse relationem rationis æqualitatem in diuinis, docent S.Thom. in præsenti quæst.42. artic.1. ad 4. & 1. sentent. dist.31. quæst.1. art.1. Henricus 1. part. art.35. quæst.8. corp. versus med. & 2.p. art.55. quæst.6. corp. & art. 62. quæst. 4. Cui consonat quodlib.5. quæst. 2. inter med. & fin. Ricard.1. dist.31. artic.1. quæst. 2. Vbi Ægidius & cum eo Argentina quæst.1. art. 2. & 3. Durandus eadem dist.31. quæst.1. & dist.28.quæst.3.ad 2. Capreol. dist.31. quæst.1. art.1. conc.3. Marsil.1. quæst.33. art.2. concl. 2. & notar.8. Caietan. Canarien. & cæteri expositores S.Thomæ ad præsentem art.1. Vbi Molina disp.2. Vazquez disp.166.cap.2.Suarez lib.4. de Trinit. cap.15. num.8. Valentia 1.p. quæst.16. puncto 1.

3 Duas rationes attigit S. Thomas locis citatis. Prima est, quia sine distinctione reali fundamentorum, quæ priùs & immediatiùs referuntur, non potest esse realis relatio (nam eiusdem ad seipsum non est relatio realis. At verò fundamenta, quæ priùs & immediatiùs referuntur per æqualitatem, sunt duæ magnitudines, siue duo magna, in quantum sunt duo magna. Quapropter æqualitas non poterit esse relatio realis, nisi magnitudines duæ realiter distinguantur, & consequenter distinguantur realiter, in ratione magnorum, duo suppositа referenda. Constat autem, diuinis personis vnicam tantùm inesse magnitudinem, & in ratione magni omnes esse vnum. Igitur non potest inter illas intercedere relatio æqualitatis, quæ formaliter sit realis, quamuis reale sit fundamentum illius, videlicet, vna magnitudo & realis distinctio personarum. *Vbi non sunt duo magna, non est realis æqualitas.*

Confirmatur primò, nam æquale vel inæquale formaliter, primò & immediatè conuenit quanto, prout quantum est: ergo quantum, prout quantum est, refertur æqualitate vel inæqualitate. At referri non potest realiter idem ad seipsum, sed ad terminum realiter distinctum: ergo realis relatio æqualitatis non potest esse, nisi duo magna, prout magna sunt, & in ipsa magnitudine realiter distinguantur. Huc pertinet illud discrimen inter æqualitatem trium creaturarum & æqualitatem trium personarum Dei, quod obseruat Ricard. Victor. lib.3. de Trinit. cap.23. 4

Confirmatur secundò, quia saltem æqualia, prout æqualia sunt, debent realiter distingui. Igitur habere debent realiter distinctas relationes æqualitatis. At non possunt esse realiter distinctæ relationes æqualitatis, fundatæ in eadem magnitudine: quippe cum immediatè recipiantur in illa, sed personis non conueniant, nisi quatenus priùs & immediatè conueniunt magnitudini: consequens est, vt ab vnica magnitudine recipiant identitatem realem, nec possint realem distinctionem recipere à suppositis, quibus conueniunt, in quantum sunt idem in magnitudine: præsertim cum eiusmodi relationes non habeant oppositionem originis, neque oppositionem disquiparantiæ. Implicat autem contradictionem, tres personas vnica relatione æqualitatis realiter ad inuicem referri: sic enim realiter idem seipsum realiter respiceret, in quantum est realiter idem. *Nõ potest esse vnica relatio æqualitatis trium personarum.* 5

Confirmatur tertiò, quia dato, quod forent tres relationes æqualitatis, realiter distinctæ in tribus personis: alia quoque sequeretur implicatio, nimirum, quod Spiritus sanctus tanquam æqualis respiceret Patrem aut Filium, tribus relationibus æqualitatis, realiter distinctis, & non magis, neque prius vna relatione, quàm altera. Sequela probatur, quia tres illæ relationes primò & immediatè conuenirent essentiæ diuinæ, prout est quantitas perfectionis. Quapropter Spiritui sancto non conuenirent, nisi ratione essentiæ diuinæ. Cum igitur essentiæ diuinæ conueniant æquè primò tres illæ relationes; conuenient etiam Spiritui sancto absque discrimine: ideóque constituetur æqualis, & respiciens Patrem & Filium, non magis vna relatione, quàm altera. Idem intellige de Patre vel de Filio comparato cum cæteris personis. 6

Quartò explicatur exemplo, nam si Deus eundem numero candorem constitueret in Petro, Paulo, & Ioanne: nihilominus autem (vt vult contraria sententia) tres essent relationes reales similitudinis: inde sequeretur, Ioannem tribus relationibus similitudinis realiter referri ad Petrum & Paulum, & non magis referri vna relatione, *Quid si candor idem poneretur in tribus corporibus* 7

ne, quàm altera: ſimiliter autem eiſdem omnino relationibus, Petrum referri ad Paulum & Ioannem. Quapropter fruſtra multiplicarentur tres relationes, cum ſufficeret vna, ſi illa æqualiter & eodem modo conuenire debet Petro & Paulo & Franciſco. Deberet autem eodem modo conuenire, quia non conuenit illis, niſi ratione vnius candoris, in quo immediatè recipitur, tanquam in ſubiecto prædicta relatio ſimilitudinis, conuenit autem Petro, Paulo & Ioanni in quantum ſunt tria ſubiecta vnius candoris.

8 Prædicta ratio, ſicut & ſequentes, claritatis cauſa ponitur in ſola perſonarum æqualitate. Cæterum tam illa, quàm omnes aliæ rationes, eodem modo poſſunt formari circa ſimilitudinem vel identitatem, aut alias rationes, infra commemorandas.

9 *Vna relatio non refertur per aliam.* Secunda ratio S. Thomæ fuit, quoniam vna relatio non refertur ad aliam relationem per aliam tertiam ſuperadditam relationem. Daretur enim proceſſus in infinitum, ſi poſſet vna relatio eſſe fundamentum alterius. Huius rationis robur, vt meliùs intelligatur, notandum eſt primò, quod attinet ad creaturas, relationes diuerſimodè reſpicientes, & quæ ſunt diuerſæ rationis, poſſe fundari ſuper aliis relationibus diuerſæ rationis, ac diuerſimodè reſpicientibus. Quemadmodum realis relatio diſtinctionis fundari poteſt ſuper relatione prædicamentalis cauſæ & effectus, vel æqualitatis aut inæqualitatis corporeæ. Cæterum relationes fundari non poſſunt in aliis relationibus eiuſdem rationis, & eodem modo reſpicientibus: ideóque duæ ſimilitudines parietum in albedine non poſſunt eſſe fundamentum aliarum ſimilitudinum in prædictis ſimilitudinibus: ſic enim non manifeſta foret illatio proceſſus in infinitum.

10 Nunc igitur relationes diuinæ perinde ſe habent, ac ſi forent relationes æqualitatis, ne poſſint fundare alias relationes æqualitatis, quia relationes diuinæ propter infinitatem in genere relationis, eminentiſſimè continent omnem modum referendi poſſibilem: ac proinde, ſi forent poſſibiles reales relationes æqualitatis; illæ continerentur in ipſa quidditate & eminentia relationum originis.

11 *Si realis eſſet æqualitas, nõ diſtingueretur à relationibus perſonalibus.* Vnde ſequitur, quod ſecundò notat Caietanus §. *ad euidentiam*, videlicet, ſi magnitudines diſtinguerentur realiter in diuinis perſonis, in ea hypotheſi quamuis realis eſſet æqualitatis relatio inter Patrem & Filium; illa tamen non eſſet relatio diſtincta à Paternitate & Filiatione, ſed eſſet eadem relatio: quemadmodum de oppoſitione ac *diſtinctione* reali dicendum erit ſect. 8. difficult. 3. Poſtremò, quæ ſit ratio diſcriminis ob quam ſpiratio actiua poſſit eſſe realis relatio, licet relationibus ſuperueniat, videbimus ſect. 8. difficult. 2.

12 *Plurimæ ſuppoſitalitates ſequerentur.* Tertia ratio ſit, quoniam ſi relationes æqualitatis inter diuinas perſonas eſſent reales: ſequeretur eſſe tres alias ſuppoſitalitates ac perſonalitates, realiter inter ſe diſtinctas, & ſaltem ratione ratiocinata diſtinctas à Paternitate, Filiatione & Proceſſione. Vnde præterea ſequeretur eſſe tres alias ſuppoſitalitates ac perſonalitates realiter inter ſe diſtinctas, videlicet, tres ſimilitudines: inſuper alias tres ſuppoſitalitates, quæ forent relationes conuenientiæ in eadem eſſentia, ſiue coniunctionis & communionis. Forent igitur, vt minimùm, duodecim ſuppoſitalitates, ſeu perſonalitates, quæ ratione ratiocinata diſtinguerentur à primariis ſuppoſitalitatibus; ſed inter ſe realiter diſtinguerentur. Sequela probatur, nam ſingulæ relationes æqualitatis, cum non eſſent accidentales, forent neceſſariò ſubſtantiales: inſuper incommunicabiles eſſent, & ſingulares ac indiuiduæ rationalis naturæ, nempe diuinæ. Ergo forent ſuppoſitum ac perſona, vel ſaltem ſuppoſitalitates ac perſonalitates. Hoc autem quàm ſit abſurdum & contrarium doctrinæ theologorum omnium, non indiget probatione.

13 Quarta ratio ſit, quoniam in Deo quatuor tantùm eſſe relationes reales, communi ſententia Scholaſticorum, & ratione probatum eſt diſp. 18. Quod ſi reales eſſent relationes æqualitatis & ſimilitudinis: multo copioſior euaderet numerus relationum. Nam ſupra quatuor primarias adderentur tres æqualitates, tres ſimilitudines, tres conuenientiæ in eſſentia, tres diſtinctiones reales, tres intellectus & voluntatis concordiæ: imo quot ſunt attributa, tot eſſent ſimilitudines in eis (iuxta ſententiam Scoti.) Vnde forent plus quàm triginta relationes reales. *Multitudo relationum.*

14 Quintò peculiariter aduerſus tertiam ſententiam Ochami & Gabrielis, poſitam in fine ſectionis 3. probatur relatio rationis: quoniam æqualitas non conſiſtit formaliter in relationibus originis, ſed ab illis diſtinguitur ratione ratiocinata. Diuerſus enim conceptus eſt æqualitatis & Filiationis, ſiquidem Patri & Spiritui ſancto conuenit totus conceptus æqualitatis; cum tamen illis repugnet conceptus Filiationis. Confirmatur, nam eadem prorſus eſt ratio quaſi ſpecifica æqualitatis mutuæ in tribus perſonis, in quibus tamen rationes originis diſtinctas habent rationes quaſi ſpecificas ſupra diſp. 35. ſect. 8. *Diſtinctio inter æqualitatem, & relationes originis.*

15 Sextò refutatur eadem ſententia, quoniam rectus & obliquus non ſunt in rebus ſignificatis, ſed tantum in conceptibus aut vocibus ſignificantibus. Ergo relationes, quas Ochamus & Gabriel ponunt, non exiſtunt realiter & formaliter in diuinis perſonis, ſed illis conueniunt per denominationem extrinſecam à noſtris conceptibus & vocibus, quatenus vnam perſonam conſideramus in recto, quaſi habentem eandem magnitudinem alterius perſonæ, quam per hunc conceptum intelligimus in obliquo. At extrinſeca denominatio in perſonis diuinis non eſt ens reale, ſed ens rationis. *Refutantur relationes cõſiſtẽtes in recto & obliquo.*

16 Vnde refutatur ſeptimò, quia iuxta prædictam ſententiam æqualitas Filij non erit tota in Filio, ſed pars illius erit in Filio, videlicet, quod importatur in recto: ſed quod importatur in obliquo, erit ipſe Pater & Spiritus ſanctus, quibus æqualis eſt Filius. Aliud enim eſt in vno tantùm extremo conſtituere totum ordinem ad alterum extremum: aliud autem eſt ipſum terminum formaliter coniungere cum alio extremo, abſque alio ordine mediante, vt volunt authores prædicti.

17 Octauò, quia falſum eſt generale fundamentum eiuſdem ſententiæ. Nam ex illo ſequitur omnino nullum eſſe prædicamentum relationis, diſtinctum à cæteris prædicamentis: Imo relatio non erit ens reſpectiuum, ſed merè abſolutum. Nam duæ quantitates ſunt ens merè abſolutum, poſitum in prædicamento quantitatis, & nihil aliud eſt æqualitas vel inæqualitas, quàm illæ duæ quantitates. Idem intellige: de qualitatibus fundantibus ſimilitudinem, de ſubſtantiis fundantibus identitatem, ſiue conuenientiam ſubſtantialem, de actione & paſſione fundantibus relationem cauſæ & effectus: de diuerſis *vbi* fundantibus relationem propinquitatis. Denique magis ex

ex profeſſo prædictam ſententiam impugnat Durandus 1. diſt. 30. quæſt. 2.

SECTIO V.

Satisfit argumentis aliarum opinionum, poſitis in ſect. 3.

1 AD fundamentum Aureoli reſpond. Relatio rationis non requirit, quantitates aut qualitates, in quibus fundatur, eſſe realiter ſimpliciterque diſtinctas: ſatis enim eſt, quodammodo diſtingui noſtris conceptibus. Sic ergo magnitudo infinita, prout eſt in Patre, diſtinguitur à ſeipſa, prout eſt in Filio: quoniam intellectus quaſi duo extrema concipit, & vnum cum altero comparat. Fundamentum igitur Aureoli ſolummodo probat, æqualitatem & ſimilitudinem in diuinis non eſſe relationem realem. Ad confirmationem ex Fulgentio reſpond. Nihil aliud probat, niſi negationem exceſſus, & inæqualitatis eſſe principium, ex quo per euidentem illationem æqualitas colligatur.

2 *Ad primum.* Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpond. Ad primum. Antecedẽs negatur. Extrema quippe, primariò & immediatè referenda, non diſtinguuntur realiter, ſed ſola ratione: nam hæc extrema ſunt infinita magnitudo perfectionis, prout eſt in tribus perſonis, vel (quod idem eſt) tres perſonæ, prout habent eandem magnitudinem perfectionis; quoniam perſonæ ſub hac ratione ſunt vnum realiter, ſicut ſunt vnus Deus, & ſola ratione diſtinguuntur.

3 Ad primam confirmationem reſpond. eſſe diſcrimen inter illas relationes. Quia Paternitas & Filiatio conſtituunt ipſa ſuppoſita, quæ realiter diſtinguuntur, & illorum vnum realiter producit aliud: vnde fit earum relationum fundamentum, propriè loquendo, non eſſe naturam diuinam, neque intellectionem, aut aliquam aliam formalitatem eſſentialem. Imo nihil omnino neque eſſentiale nec notionale poteſt eſſe fundamentum, aut ratio fundandi prædictas relationes niſi quodammodo & impropriè. Quod explicatum magis & probatum eſt diſp. 91. ſect. 3. Cæterum relationes æqualitatis, ſi realiter exiſterent in diuinis, cum perſonas ſupponant iam realiter conſtitutas, propriè ſimpliciterque fundarentur in magnitudine diuinæ perfectionis, & immediatè primariòque referrent magnitudinem illam ad ſeipſam qui reſpectus non poteſt eſſe realis.

4 Ad ſecundam confirmationem reſpond. Si duobus corporibus ineſſet idem numero candor, eorum ſimilitudo non eſſet realis, vt probatum eſt ſectione præcedenti ratione 1. præſertim confirm. 4. Canarienſis ergo concedens in eo caſu relationem realem, recedit à recta philoſophia & à ſententia Capreoli, Caietani & aliorum, quos ſupra retulimus.

5 *Ad ſecundũ argumẽtum.* Ad ſecundum argumentum reſpond. Æqualitas aut inæqualitas ſemper ac neceſſariò comitatur magnitudines corporeas, realiter diſtinctas: vnica verò magnitudo corporea comparatione ſui ipſius eſſe non poteſt realiter æqualis, nec inæqualis, ſed tantùm ſecundum rationem, concipientem ad inſtar duarum quantitatum. Eadem igitur ratione ſpiritualis magnitudo ſimpliciſſima & vnica non poteſt fundare relationem realem æqualitatis.

6 *Ad tertium argumẽtum.* Ad tertium reſpond. Supponit falſum. Nam vt ad primam confirmationem diximus, nihil eſt propriè ſimpliciterque fundamentum, nec ratio fundandi tres relationes originis. Propterea nulla identitas fundamenti, neque rationis fundandi potuit obſtare diſtinctioni reali Paternitatis, Filiationis & Proceſſionis. At verò, ſi realis eſſet æqualitatis relatio; propriè, ſimpliciterque fundaretur in magnitudine perfectionis. Ad confirmationem reſpond. negando antecedens. Imo quoniam æqualitas & ſimilitudo præſupponuntur iam conſtituta diſtinctáque ſuppoſita; propterea propriè ſimpliciterque fundarentur in eorum vnica magnitudine. Vnde ſequitur, eſſe impoſſibilem realitatem illarum.

7 *Ad quartum argumẽtum.* Ad quartum negatur conſequentia prima: quia fundamenta ſunt etiam extrema referenda: propereáque ſimul in eis requiritur vtraque conditio realis diſtinctionis, ſaltem numericæ, ſimul cum vnitate ſecundum rationem ſpecificam aut genericam, vel ſimul cum vnitate menſuræ.

8 *Ad quintum argumẽtum.* Ad quintum ſimul cum confirmatione reſpond. Quamuis ante operationem intellectus exiſtat in diuinis perſonis quantitas perfectionis, & vna perſona non ſit maior quàm alia: non ſequitur realis æqualitas, ſed tantum relatio rationis, quia ſubiectum immediatum non eſt capax duarum relationum realium. Hoc enim ſubiectum immediatum eſt quantitas perfectionis eſſentialis.

9 *Ad ſextum argumẽtum.* Ad ſextum argumentum reſpond. Duplex eſt ſimilitudo. Altera propria imaginis, reſpicientis exemplar, & conſequenter propria ſolius Verbi, non reciproca, neque relatio æquiparantiæ. Hæc igitur realis eſt, & ipſa proprietas conſtitutiua Filij, vt vidimus rota fere diſp. 64. Altera eſt ſimilitudo reciproca, quæ eſt relatio æquiparantiæ, & eiuſdem rationis codémque modo conueniens tribus perſonis. Hæc Filio non conuenit ex vi ſuæ productionis, niſi fundamentaliter tantùm, in quantum Filius ex vi ſuæ productionis habet eandem omnino naturam & perfectionem Patris.

10 *Ad ſeptimũ argumẽtum.* Ad ſeptimum reſpond. Prima, ſumma, & perfectiſſima æqualitas eſt in diuinis, quantum ad totum id, quod eſt perfectio ſimpliciter, videlicet quantum ad perfectiſſimam & ſimpliciſſimam vnitatem infinitæ magnitudinis. Cæterum relatio realis æqualitatis non eſt perfectio ſimpliciter: inuoluit enim realem diſtinctionem magnitudinum & alias imperfectiones, notatas in ſectione præced. Idem intellige de ſimilitudine.

11 *Ad octauum argumẽtum.* Inde conſtat ſolutio ad octauum. Æqualitas enim, vt eſt formaliter relatio, non eſt perfectio ſimpliciter, ſed eſt perfectio creata, conueniens quantitatibus corporeis & earum figuris, de quibus tantum planè diſſerebat Auguſt. in illo cap. 9. de quantitate animæ. Poteſt autem eius doctrina ſic accommodari perſonis diuinis, vt æqualitatem illarum, id eſt, vnitatem magnitudinis, abſque vllo exceſſu præponamus inæqualitati.

12 Ad confirmationem reſpond. primò. Fundamentalis æqualitas adoratur, videlicet, ſumma perfectio & excellentia vnius Diuinitatis; non adoratur relatio rationis, quę eſt formaliter æqualitas. Reſpond. ſecundò. Ens rationis etiam adoratur, quatenus aliquod ſubiectum adoratur ratione illius, ſicut ſacris vaſis honorem exhibemus propter conſeruationem, & regi vel iudicibus propter dominium & poteſtatem. Imò Deum etiam propter dominium adoramus, quamuis dominium formaliter ſit ens rationis.

13 Ad nonum reſpondet S. Thomas 1. diſt. 31. q. 1. art. 1. ad 2. Quamuis æqualitas formaliter ſit relatio

latio ſecundum rationem, ſupponit tamen realiſſimum & perfectiſſimum fundamentum, videlicet, omnimodam identitatem ſubſtantiæ, perfectionis, ac Diuinitatis. Hanc vnitatem negabat Arius, propterea que meritò damnatus eſt.

14 Ad decimum reſpond. negando antecedens. Quemadmodum enim Deus propriiſſimè, realiſſiméque Dominus eſt, creator & cauſa omnium: quamuis relationes dominij, creatoris, & cauſæ, non ſint in Deo reales, ſed tantùm extrinſecæ denominationes: nam ex vſu Theologorum ac Philoſophorum his nominibus potiſſimùm ſignificatur, omnes creaturas realiter eſſe productas à Deo, eidémque ſubiectas, & ab eo dependere, tanquam à prima & vniuerſaliſſima cauſa, nihil curando de formalitate relationis, Deo ſuperuenientis per productionem creaturarum; ſic etiam diuinæ perſonæ propriiſſimè, veriſſimè, realiſſiméque ſunt æquales, quamuis relatio æqualitatis formaliter *non ſit* realis ſed relatio rationis: nam ex vſu theologorum hoc nomine potiſſimùm ſignificatur vnicam & ſimpliciſſimam eſſe magnitudinem diuinę perfectionis, propterea que perſonis omnino repugnaret quemlibet exceſſum aut inæqualitatem, nihil curando de relatione rationis ſuperueniente.

15 *Ad primum fundamentũ tertiæ ſententiæ.* Ad argumentum tertiæ ſententiæ reſpond. Ad primum. Circunſcripto quolibet intellectus opere, Pater & Filius ſunt æquales formaliter, quantum ad formalitatem, quam primariò ſignificat hoc nomen ex vſu Theologorum, vt explicuimus nuper ad argum. 10. Sed quantum ad formalitatem relationis, quam multoties ſignificat æqualitatis nomen (præſertim creaturis attributum) Pater & Filius non ſunt formaliter æquales, circunſcripto quolibet intellectus opere. Sunt tamen fundamentaliter æquales, quoniam eſſentialiter habent eandem magnitudinem.

16 Ad confirmationem reſpond. Circa relationes rationis, & earum exiſtentiam ante operationem intellectus Canarienſis & Molina diſſidẽt à Caietano & antiquioribus Thomiſtis, exiſtimantes, quoties adeſt fundamentum & ratio fundandi relationem rationis, illam eſſe ſimpliciter ac formaliter in obiecto, ſecluſa operatione intellectus: & eo modo relationem æqualitatis eſſe in diuinis. Veruntamen vniuerſaliter de relatione rationis quomodo recipiat ſuam exiſtentiam per operationem intellectus, diximus in Logica ſatis. Quo ſuppoſito, reſpondemus ad confirmationem. Secluſa comparatione intellectus, Pater & Filius manent æquales, quantum ad identitatem magnitudinis infinitæ, quæ fundamentum eſt aptum ad relationem rationis: ſed non manent æquales formaliter quantum ad ipſam relationem rationis. Ad ſecundum fundamentum reſpond. illius falſitatem ſatis probatam eſſe ſect. præced. probat. 5. & ſequentibus.

SECTIO VI.

Num æqualitas ſit etiam in relatiuis perſonalitatibus, & ratione illarum.

1 *Difficultas.* ADuerſus primariam rationem, poſitam in ſect. 4. difficultas oritur ex eo, quoniam perſonæ diuinæ, ſunt quantitates ſiue magnitudines perfectionis realiter diſtinctæ: ergo ſecundum perſonalem perfectionem poſſunt eſſe realiter æquales, & realiter ſimiles: ſiquidem immediata fundamenta ſunt realiter diſtincta. Antecedens probatur, nam vnaquæque perſona, ſecundum peculiarem rationem talis perſonæ, realis entitas eſt, realiſque perfectio diuina: ſicque Paternitas, in quantum Paternitas, eſt realis perfectio, paríque ratione Filiatio, in quantum Filiatio, realis perfectio eſt, & in ratione perfectionis vnaquæque magna eſt.

Confirmatur primò, nam vbi quantitas eſt ſiue 2
magnitudo, & nullus eſt exceſſus aut inæqualitas, neceſſariò conſequitur æqualitas (quemadmodum cum Ariſtotele & D. Thoma ratiocinabamur ſupra ſect. 1.) Sed relatiuæ perſonalitates ſunt magnitudines perfectionis, & in illis nullus eſt exceſſus aut inæqualitas (quoniam *In hac Trinitate nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*) Ergo tres illæ magnitudines relatiuæ ſunt realiter æquales. Confirmatur ſecundò, quia perſonæ diuinæ realiter conueniunt in communi perfectione relationis & perſonalitatis, vnde, quantum ad hoc, vnum ſunt in quantitate perfectionis relatiuæ ac notionalis, & conſequenter ſecundum illam æquales & pariter ſimiles.

Confirmatur tertiò quia ſi quis reſpondeat, in 3
relationibus non poſſe fundari relationes alias, iuxta ſecundam probationem, poſitam in ſect. 4. nihilominus illa ratio non prohibet, quominus æqualitates ſint reales, & identificatæ cum tribus relationibus originis, quemadmodum adnotauimus ibidem.

Confirmatur quartò, quia peculiaris æqualitas 4
inter Patrem & Filium fundari poterit in relatione ſpirationis actiuę, quæ vna eſt in vtroque, ſicut æqualitas Deitatis fundatur in eſſentia vnica.

Relationes diuinas, in quantum relationes 5
ſunt, æquales eſſe, concedit vnus aut alter Scholaſticus, non explicans, vtrum ſint relationes reales vel rationis. Ita Gregor. 1. diſt. 19. quæſt. 1. art. 1. fine. Maior eadem diſt. 19. quæſt. vnica dum ſoluit obiectiones.

Fuere videntur Nazianz. & Theodoretus. Ille 6
namque orat. 36. quæ eſt 4. de theologia propius ad fin. quàm ad med. expoſita ratione imaginis, quæ Filio conuenit, ait: *Huiuſmodi namque ſimplicium rerum natura eſt, vt non partim inter ſe ſimiles ſint, partim diſſimiles, ſed totæ totas repræſentent, eademq; potius ſint, quàm ſimiles.* Theodoretus autem in epitome diuinor. decretor. lib. 5. cap. 2. de Filio verſus fin. dicit, eum eſſe *in omnibus ſimilem* Patri.

Nihilominus bene conſideranti conſuetam 7
phraſim eorundem vel aliorum Patrum, facile conſtabit, illam, vniuerſalitatem *omnium* & *totius* intelligi de perfectionibus eſſentialibus, de quibus etiam Patres dicunt, Patrem & Filium eſſe totaliter & in omnibus vnum, excipiendo tamen expreſsè vel tacitè Paternitatem & Filiationem, quibus deſtinguuntur.

Communis tamen ſententia docet, æqualitate 8
ratione eſſentiæ tantummodo, non verò ratione perſonalium proprietatum, conuenire diuinis perſonis. Ita Magiſter 1. diſt. 31. cap. 1. & diſt. 20. cap. vltimo. S. Thom. in præſent. quæſt. 42. art. 4. ad 2. Alexand. 1. p. quæſt. 46. memb. 1. ad 2. 3. & 4. & membr. 4. ad 3. Albertus 1. p. eadem quæſt. 47. memb. 3. ad 3. Henricus 2. p. ſummæ art. 62. q. 3. præſertim ad arg. 2. & reliqui doctores citati ſect. 4. pro relatione rationis. Sed magis ex profeſſo difficultatem hanc diſcutiunt. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 15. §. vltimo. Valentia 1. p. ſua q. 16. de Trinit. puncto 1. ad 4.

Æqualitas tantùm in abſolutis perfectionibus.

Probatur

9 Probatur imprimis authoritate Patrum. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 6. ad finem. *Quia Filius*, inquit, *non ad Filium relatiuè dicitur, ſed ad Patrem, non ſecundum hoc quod ad Patrem dicitur, æqualis eſt Filius Patri, reſtat vt ſecundum id æqualis ſit, quod ad ſe dicitur. Quidquid autem ad ſe dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur. Reſtat ergo vt ſecundum ſubſtantiam ſit æqualis.* Et ſequenti lib. 6. cap. 4. poſt med. *Satis eſt*, inquit, *videre nullo modo Filium æqualem eſſe Patri, ſi in aliquo ſcilicet, quod pertineat ad ſignificandam eius ſubſtantiam, inæqualis inuenitur, ſicut iam oſtendimus. Apoſtolus autem dixit æqualem, in omnibus ergo æqualis eſt Patri Filius, & eſt vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ.*

Philip. 2.

10 Præterea lib. 3. contra Maximin. cap. 18. poſt med. *Quod ſi dixeris, eo ipſo maior eſt Pater Filio: quia de nullo genitus, genuit tamen æqualem: citò reſpondebo. Imo ideo non eſt maior Pater Filio, quia æqualem genuit, non minorem. Originis enim quæſtio eſt, quis de quo ſit; æqualitatis autem, qualis aut quantus ſit.* Vnde meritò S. Thomas præſent. quæſt. 42. dicto art. 4. ad 2. colligit æqualitatem & ſimilitudinem attendi, non ſecundum diſtinctionem relationum, ſed tantùm ſecundum magnitudinem perfectionis eſſentialis & abſolutæ.

11 Hac igitur ratione Auguſtinus lib. 9. de Trinit. cap. 1. circa med. vocat perſonas *æqualis eſſentiæ*. Non quia eſſentia ſit ſubiectum iſtius relationis ſeu denominationis: ſed quia ſecundum eſſentiam ſolam attenditur æqualitas. Athanaſ. ſerm. de ſanctiſſima Deipara col. 3. *Hinc*, ait, *perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus ſanctus, quoniam ſinguli non deſtituuntur plenitudine Deitatis, ſed æqualitatem habent omnium earum proprietatum, quibus æqualiter plenitudo Diuinitatis intelligatur. Quibus enim æqualis ſubſtantia eſt, diuerſis interim proprietatibus, ea æqualia ex æqualitate vſiæ nominantur.* Exceptionem illam obſerua, *diuerſis interim proprietatibus*, vt æqualitas attendatur tantummodo ſecundum vſiam & plenitudinem Diuinitatis. Quam veritatem confirmat alluſione quarundam Græcarum dictionum.

12 Cyrillus item Alex. vbique ſimilitudinem & æqualitatem Patris & Filij conſtituit in identitate naturæ, veluti lib. 1. theſauri toto cap. 9. & toto lib. 2. in cuius cap. 3. ſub init. adductis teſtimoniis Philip. 2. & Ioan. 5. de æqualitate Filij ad Patrem infert: *Quomodo ergo alienæ ſubſtantiæ eſt, cui æqualis eſt? Nam quæ naturaliter æqualia ſunt, eiuſdem penitus ſubſtantiæ ſunt; vt homines.* Et infra ferè inter princip. & med. *Æqualitatem*, inquit, *atteſtatur* (Scriptura) *ne vlla in eſſentia Patris & Filij diſſimilitudo & differentia reperiatur. Quamuis ergo ſecundum rationem ſubſtantiæ Patris, æqualis & penitus ſimilis ſit, maior tamen ipſo Pater eſt, in hoc ſolummodo, quia ex eo Filius eſt.* Maioritas hæc declaranda eſt diſp. 50. ſect. 2.

13 Hilarius lib. de Synodis col. 7. & ſequentibus refert atque corroborat Orientalium canonem 3. & 4. 5. 6. 7. & 8. quibus decernitur, Filium Patri *ſimilem eſſe iuxta eſſentiam*. Præcipuè canone 6. & 7. damnantur, qui ſolam efficaciæ & efficientiæ ſimilitudinem admittebant, negando ſimilitudinem eſſentiæ. Imo *ſimilitudinem eſſentiæ ad eſſentiam ſignificari*, dixerat in eodem lib. de Synodis, explicans quartum canonem Orientalium, quibus verbis eſſentiam, prout eſt Filij, comparat cum eadem eſſentia, prout eſt Patris.

14 *Nec ſecundum rationẽ æqualitas eſt in perſonalitatibus.* Secundò probatur & explicatur ſupponendo, non modò realem æqualitatem, ſed etiam relationem rationis in perſonalitatibus relatiuis negari ab authoribus citatis pro communi ſententia. Quoniam eandem ipſam relationem æqualitatis, quam concedunt in diuinis, dicunt eſſe tantummodo ſecundum eſſentiam, non ſecundum relationes ſeu perſonalitates. At in diuinis tantummodo concedunt æqualitatem, quæ ſit relatio non realis, ſed rationis. Ergo relationem etiam rationis negant eſſe ratione perſonalitatum, ſiue relationum.

Quo ſuppoſito, primaria ratio, & velut à prio- 15
ri eſt, quoniam æqualitas, non ſecundum quid, ſed abſolutè & ſimpliciter intellecta, fundatur in magnitudine totaliter & ſimpliciter conſiderata: quemadmodum qui duo corpora ſimpliciter affirmat eſſe æqualia, comparat totam quantitatem vnius cum tota quantitate alterius: alioqui ſi partem vnius cum alia tota quantitate, vel cum variis illius partibus comparet inæqualem reperiret, aut æqualem pro libito. Cum igitur totalis & integra magnitudo diuinarum perſonarum, & quæ ſimpliciter vocatur magnitudo perfectionis, ſit vnica tantum in diuinis perſonis (vt probatum eſt diſp. 28. ſect. 1. & diſp. 30. ſect. 3.) Conſequens eſt, nullum eſſe fundamentum æqualitatis in perſonis, quatenus relationibus diſtinguuntur, ſed tantummodo fundare æqualitatem, quatenus coaleſcunt in vnam totalem ac plenam magnitudinem perfectionis.

Confirmatur primò, nam propterea tres rela- 16
tiones non ſunt inæquales, nec vna poteſt alteram excedere, quoniam omnes ſunt infinitæ, non tantum in genere relationis, ſed etiam in genere entis, quatenus eſſentialiter & tranſcendenter imbibitam habent eſſentiam in vltima differentia cuiuſlibet relationis. Igitur tota ratio æqualitatis eſt vnitas eſſentiæ. Confirmatur ſecundò, nam licet per intellectum conſiderari poſſit æqualitas in perſonalitatibus, ab inuicem præciſis, illa non erit æqualitas ſimpliciter, de qua loquuntur Patres & Scholaſtici citati, ſed erit æqualitas ſecundum quid, vt ſtatim dicemus.

Vnde reſpond. ad difficultatem initio propoſi- 17
tam. Perſonæ diuinę ſunt quantitates ſiue magnitudines perfectionis realiter diſtinctæ, loquendo impropriè & ſecundum quid (quemadmodum oſtendimus diſput. 28. ſect. 2. & diſput. 30. ſect. 4.) Conſequenter igitur in illis immediatè fundari non poteſt æqualitas ſimpliciter dicta, ſed tantùm ſecundum quid: quoniam, vt diſtinguantur earum magnitudines, opus eſt per intellectum in plures quaſi partes diſtribuere totalem perfectionem ac plenitudinem Diuinitatis, quæ ſecundum ſe totam eſt vnica) vt probatum eſt diſputationibus citatis.) Vnde ad probationem reſpond. Paternitas, in quantum Paternitas, eſt realis perfectio; ſed in vnam & eandem perfectionem coaleſcunt cum Filiatione & Proceſſione, ſicut explicatum & probatum eſt tota diſp. 30.

Ad primam confirmationem reſpond. Vbi 18
quantitas eſt ſiue magnitudo totalis & integra, & nullus eſt exceſſus, neceſſariò conſequitur æqualitas ſimpliciter dicta. Sed magnitudines quaſi partiales, id eſt, non integræ neque totales, non ſufficiunt ad æqualitatem ſimpliciter dictam, ſed tantum ſecundum quid. Ad ſecundam confirmationem ex eodem principio reſpond. Conuenientia & vnitas in quantitate perfectionis relatiuæ, non eſt totalis & plena conuenientia totius quantitatis. Ideo non ſufficit ad æqualitatem ſimpliciter dictam, ſed tantùm ſecundum quid. Quod attinet

attinet ad ſimilitudinem operæpretium erit recolere, quamuis perſona perſonæ ſimilis ſit, non tamen eſſe ſimilem in perſonali proprietate: quemadmodum probatum eſt diſput. 6. ſect. 9. & diſp. 4. ſect. 7. obiect. 4.

19 Ad tertiam confirmationem reſpond. Fateor illam ſolutionem non plenè ſatisfacere. Cæterum ab illa nihil dependet veræ ſententiæ fundamentum à nobis explicatum. Ad quartam confirmationem bene reſpondet Henricus 2. p. art. 62. quæſt. 3. in ſolutione arg. 2. & 4. propterea non poſſe fundari relationem æqualitatis in ſpiratione actiua, quia non conuenit ſoli Patri ſigillatim accepto, nec ſoli Filio, quemadmodum Pater ſigillarim acceptus eſt Deus & Filius eſt Deus. At verò Pater ſigillatim acceptus non eſt ſpirator, nec Filius ſigillatim acceptus, eſt ſpirator, ſed vtérque ſimul eſt vnum principium ſpiratiuum. At verò relatio æqualitatis requiret extrema diſtincta, quorum quodlibet per ſe ſumptum habet illam magnitudinem. Adde quod magnitudo ſpirationis actiuæ non eſt totalis & adæquata magnitudo, ſicut nuper dicebamus.

20 *Alia ſolutio.* Aliter ad generalem hanc difficultatem reſpondent docti recentiores, propterea non eſſe realem æqualitatem diuinarum perſonalitatum in quantum notionales ſunt & relatiuæ: quoniam illarum conuenientia non eſt vnitas formalis, ſpecifica, vel generica, ſed proportionalis quædam *Rnjcitur.* æſtimatio. Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit. Quoniam inter perſonalitates diuinas, etiam in ratione relationis, vnitas & conuenientia maior eſt, quàm inter ſpecies eiuſdem generis: quæ tamen dicuntur inæquales, quoniam inæqualiter participant rationem genericam, & ſine dubio dicerentur æquales, ſi potuiſſent illam æqualiter participare.

21 Præterea non eſt ſufficiens ratio dicendi, non eſſe formalem vnitatem in generali conceptu diuinæ reletionis aut perſonalitatis; niſi forte, quia non pertinet ad naturam ſiue ſubſtantiam, ſed ad perſonalitatem. Veruntamen hoc non obſtat æqualitati. Concedimus enim omnes animas hominum, quantum ad hæceitatem & indiuidualem differentiam eſſe pares. Et quamuis aliqui putent, inæquales eſſe; fatentur tamen ſuppoſitalitatem ac differentiam numeralem eſſe capacem æqualitatis & inæqualitatis.

SECTIO VII.

Reciprocam & triplicem eſſe relationem æqualitatis, atque relationem ſimilitudinis.

1 PLures adhuc reſtant difficultates aduerſus relationem æqualitatis aut ſimilitudinis, & contra fundamentum illius, hactenus declaratum: ex quibus expedientur in præſenti ſectione duæ, reliquæ verò ſect. ſequentibus. *Prima difficultas.* Prima difficultas eſt. Æquale dicitur æquali æquale, propterea que relatio æqualitatis eſt mutua ſiue reciproca, & eiuſdem denominationis in vtroque extremo: Ergo ſi perſonis diuinis æqualitas conueniret; ſequeretur, eas eſſe ſibi inuicem æquales. Conſequens autem videtur eſſe falſum; nam vt Auguſt. ait lib. 6. de Trinit. cap. 10. parum à principio: *Imago, ſi perfectè implet illud, cuius eſt imago; ipſa coæquatur ei, non illud imagini ſuæ.* At imago Patris eſt Filius: ideóque, licet Filius coæquetur Patri, Pater tamen coæquatur Filio.

2 Confirmatur ex eodem Auguſtino lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 5. fine dicente: *In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu ſancto vnitatis æqualitatiſq; concordia. Et hæc tria vnũ omnia propter Patrem, æqualiter propter Filium, connexa omnia propter Spiritum ſanctum.* Æqualitas ergo ſolius Filij perfectio eſt. Auguſtini ſententiam recipiunt Ricardus Victor. in opuſculo ad S. Bernardum de prædictis appropriationibus cap. 1. Magiſter 1. diſt. 31. & communiter Scholaſtici locis citatis diſp. 82. ſect. 4.

3 *Solutio.* Communis & vera ſolutio præſentis difficultatis ſupponit, æqualitatem eſſe duplicem. Alia enim eſt æqualitas imitationis, procedentis ab exemplari, cui coæquatur. (Idem intellige de ſimi- *Æqualitas duplex.* litudine.) Huiuſmodi æqualitas ſeu ſimilitudo propria eſt imaginis: ideóque repugnat exemplari, conſequenter autem non eſt mutua neque reciproca, neque eiuſdem denominationis aut equiparantiæ. Alia eſt æqualitas, ſeu ſimilitudo reciproca, fundata ſolummodo in vnitate magnitudinis, aut vnitate qualitatis, non requirens imitationem, neque peculiarem quidditatem imaginis. Hoc ſuppoſito, reſpondet, priorem æqualitatem eſſe notionalem, & peculiarem Filio, quatenus procedit ab exemplari, cui coæquatur: & de hac eſſe locutum Auguſtinum locis in obiectione citatis: nihilominus eſſe communem tribus perſonis æqualitatem & ſimilitudinem reciprocam, fundatam in eſſentia abſoluta Diuinitatis, prout eſt infinita magnitudo, & infinita bonitas ſeu qualitas.

4 Quantum ad ſubſtantiam iſtius ſolutionis omnes Scholaſtici conueniunt, nemine diſcrepante, licet diuerſos habeant explicandi modos. Ita S. Thomas in præſenti quæſt. 42. art. ..., ad 3. S. Bonauent. 1. diſt. 31. p. 1. art. 1. q. 3. fine. Henric. 2. p. ſummæ artic. 68. quæſt. 2. ad 2. & 3. Ricardus 1. diſt. 19. art. 1. q. 2. Vbi Durandus quæſt. 1. art. 2. & 3. Scotus quæſt. 1. ad 3. Capreolus diſt. 19. quæſt. 2. art. 1. Ferrarienſis 1. contra gentes cap. 29. Caietanus, Canarien. & cæteri expoſitores in præſent. quæſt. 42. art. 1. Vbi Molina diſput. 1. §. vltimò. Vazquez diſp. 166. cap. 5. Imò etiam Aureolus 1. diſt. 15. part. 2. art. 6. verſus fin. ſolummodo namque diſſidet, oppugnando diſcrimen inter nomen & verbum ſignificans æqualitatem, aut ſimilitudinem, vt videbimus ſtatim.

5 *Diſcrimẽ inter æqualitatem vtramque.* Ex prædicta ſolutione ſequitur, priorem illam æqualitatem & ſimilitudinem non modò ſuppo- nere quãtitatem & qualitatem eandem, ſed etiam ſuper hanc identitatem addere relationem originis, & perſonalitatem procedentis à principio. Tum, quoniam hoc afferunt quidditatiuè imago & imitatio: tum etiam, quia paſſiuè quaſi adæquatus & aſſimilatus ab alio dicitur ille, qui priori modo ſimilis eſt & æqualis. Hãc verò relationem originis & quaſi paſſiuam adæquationẽ non affert æqualitas & ſimilitudo reciproca, quæ eſt relatio æquiparantiæ. Diſcrimen iſtud magis expreſsè docuit S. Bonauent. ſed à cæteris tangitur aut ſupponitur tanquam certum locis nuper citatis.

6 Reciprocam æqualitatem non modò Filio, ſed etiam Patri, ſecundum identitatem ſubſtantiæ, conceſſit expreſsè Auguſtinus quatuor locis adductis in ſect. præced. Præterea ſerm. 11. de verbis Domini in medio: *In Patre authoritas*, inquit, *in Filio natiuitas, in Spiritu ſancto Patris Filijq; communitas, in tribus æqualitas.* Quod autẽ Auguſtinus locis init. citatis minimè negauerit reciprocam æqualitatem, ſed tantùm æqualitatem imitationis & imaginis, oſtendit ipſe modus loquendi, quæ bene ponderat S. Thom. in præſenti a. 1. ad 3.

Duplicitẽ

7 Dupliciter namque ſignificatur æqualitas vel ſimilitudo. Primò per nomina, quæ non connotant actionem aut paſſionem, ſiue productionem aut motum & tendentiam, per quam aliquis terminus productus æqualitatem ac ſimilitudinem accipiat à principio producente ſiue ab exemplari. Quamobrem modus ſignificandi nominum *Reciproca æqualitas nominibus, non reciproca verbis aptius ſignificatur.* accommodatus eſt ad ſignificandam reciprocam æqualitatem aut ſimilitudinem potius quàm ad ſignificandam ſimilitudinem & æqualitatem imitationis & imaginis, procedentis ab exemplari: quamuis hanc etiam non impropriè ſignificent. Sed è contrario verba ſignificant æqualisatem vel ſimilitudinem, connotando actionem aut paſſionem, ſiue productionem aut motum & tendentiam, per quam aliquis terminus productus æqualitatem ac ſimilitudinem accipiat à principio producente, ſiue ab exemplari. Qua de cauſa verba ſignificantia ſimilitudinem aut æqualitatem, quod ex ſe eſt, accommodata ſunt ad ſignificandam æqualitatem & ſimilitudinem imitationis & imaginis, potius quàm ad ſignificandam reciprocam æqualitatem aut ſimilitudinem. Propterea Auguſtinus dicto libro 6. de Trinitate cap. 10. dixit, imaginem *coæquari*, negauit autem exemplar *coæquari*; ſed minimè negauit eſſe ſimile nec æquale. Sic in vnam ſua ſponte concurrunt atque conflantur, non ſolum prædicta ſolutio S. Tomæ, ſed etiam quæ multis videtur eſſe diuerſa, & traditur à Scoto 1. diſtinct. 19. quæſt. 1. fine.

8 *Obiectio prima.* Contra prædictum diſcrimen obiicies primò, quia creatura conceditur eſſe aliquo modo ſimilis Deo: ſed nullo modo concedendum eſt, Deum eſſe ſimilem creaturæ, iuxta Dionyſium de diuinis nominibus cap. 9. à medio: præſertim illis verbis: *Hæc quidem Deo ſimilia dicenda ſunt, & ad diuinam imaginem ſimilitudinemq; ficta: neque enim eis Deus ſimilis dicendus eſt, quòd ne homo quidem ſimilis eſt ſuæ imagini. Nam ea quidem quæ ſunt eiuſdem ordinis; fieri poteſt, vt & inter ſe ſimilia ſint, & vtrinque reciprocetur ſimilitudo, & ſint ambo ſimilia æquè ex principali ſpecie. In cauſa autem & effectis non approbabimus reciprocationem.* Quod inferius magis explicat. Idémque docent S. Thomas ſupra quæſt. 4. artic. 3. fine. & in præſenti quæſtione 42. art. 1. ad 3. & 1. contra gentes cap. 29. S. Bonauent. 1. diſtinct. 31. p. 1. artic. 1. quæſt. 3. fine. Henricus, Ricardus & alij Scholaſtici citati pro communi ſolutione. Ergo non modò verbis, ſed etiam nominibus ſignificatur imitationis ſimilitudo, quæ reciprocari nequeat.

9 *Solutio.* Reſpond. Subiecta materia, videlicet res diuerſi ordinis, quales ſunt Deus & creatura, homo & illius imago depicta, determinant vim & poteſtatem nominis; quamuis illud, quod eſt ex ratione nominis, magis accommodatum ſit ad ſignificandam reciprocam ſimilitudinem.

10 *Obiectio ſecunda.* Secundò contendit Aureolus dicta diſtinct. 19. part. 2. art. 6. non procul à princip. non eſſe verum illud diſcrimen nominis à verbo. Primò, quia de duabus lineis verbaliter & nominaliter affirmare poſſumus, vnam alteri coæquari, vel æqualem eſſe. Conſtat autem, quod vna linea non accipiat æqualitatem ab alia. Secundò, quia conſuetum eſt dicere, aliquem hominem aſſimilari alteri, nec propterea ſignificatur, quod vnus homo ſimilitudinem acceperit ab alio. Quemadmodum etiam aliquid dicitur lucere, nec propterea ſignificatur accipere ſimilitudinem. Tertiò, quia coæquari ſignificat æqualitatem, quaſi in actu & exercitio; ſed Pater habet æqualitatem in actu & exercitio: ergo Pater coæquatur Filio. Quartò, quoniam Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana citatus ſub init. præſentis ſectionis, æqualitatem appropriat Filio, non vſus verbo coæquandi, ſed nomine æqualitatis.

11 *Solutio.* Reſpond. Hæc omnia ſolummodo probant, æqualitatis & ſimilitudinis tam nomina, quàm verba poſſe ſine improprietate & abuſu quandoque ſignificare reciprocam ſimilitudinem, quandoque verò non reciprocam. Inde tamen non infertur, modum ſignificandi verborum non eſſe magis accommodatum ad ſignificandam æqualitatem & ſimilitudinem imitationis, procedentis ab alio. Quemadmodum è contrario modus ſignificandi nominum magis accommodatus eſt ad reciprocam ſimilitudinem. Et de prima difficultate hactenus.

12 *Secunda difficultas.* Breuior eſt ſecunda difficultas. Vtrum æqualitatis relatio ſit vnica tantùm in tribus perſonis. Affirmat enim Ricardus 1. diſtinctione 19. artic. 1. quæſt. 3. probans, quia numerica relationis vnitas accipitur à fundamento, quod eſt immediatum ſubiectum illius. Cum igitur, vnica ſubſtantialis magnitudo ſit fundamentum æqualitatis: ea relatio erit tantùm vna numero. Confirmat primò, quia tres perſonæ non fundant æqualitatem, niſi quatenus eſt vnica illarum magnitudo. Confirmari poteſt ſecundò, quia fauere videntur Auguſtinus, Hilar. & Cyrillus, citati ſect. 6. vocant enim eſſentiam æqualem.

13 *Tres ſunt relationes æqualitatis, & tres ſimilitudines, in tribus perſonis.* Nihilominus ſine dubio tres ſunt relationes æqualitatis in tribus diſtinctis perſonis (idem intellige de ſimilitudinibus.) Probatur, nam ſi realis eſſet æqualitas; contradictionem inuolueret vnica numero ſimilitudo, per quam extrema realiter diſtincta ſe inuicem reſpicerent, tunc enim idem, in quantum idem, ſeipſum realiter reſpiceret. At verò relationes rationis conſiderantur à nobis ad inſtar relationum realium, ideóque debent multiplicari, ſicut exigunt multiplicari relationes reales.

14 Confirmatur primò, quia diſtinctos conceptus formamus, quando concipimus Patrem in recto quaſi æqualem Filio in obliquo; & iterum, quando concipimus Filium in recto quaſi æqualem Patri in obliquo. Confirmatur ſecundò, diluendo fundamentum contrariæ ſententiæ, quia magnitudo, prout eſt in Patre, concipitur à nobis quaſi diſtincta ab eadem magnitudine, prout eſt in Filio. Hæc autem diſtinctio fundamenti ſatis eſt ad diſtinctionem numericam inter relationes rationis.

SECTIO VIII.

De ſimilitudine, comparata cum æqualitate, de Spiratione actiua, necnon de relatione diſtinctionis, tres difficultates.

1 PRima difficultas eſt, quia videtur eſſe ſimilitudinem, & non æqualitatem illam relationem conuenientiæ, quæ intercedit inter diuinas perſonas. Probatur, quia conuenientia in forma non conſtituit æqualitatem, ſed ſimilitudinem: at diuinæ perſonæ conueniunt in forma: conueniunt enim in eſſentia, quæ ſignificatur per modum formæ, quoniam conſtituit Deum in ratione Dei. Augetur autem difficultas, quia ſaltem videtur, eandem omnino relationem eſſe ſimilitudinis & æqualitatis, quoniam vtraque fundatur

in vnitate essentiæ. Confirmatur, nam ita sentire videtur Hilarius lib. de Synodis inter med. & finem, cuius verba referemus infra.

2 *Dictum primum.* Nihilominus Dico primò. Distinctæ relationes sunt inter diuinas personas æqualitas & similitudo, diligentiúsque defendenda est æqualitas illarum, quàm similitudo. Probatur, quoniam Ariani personarum æqualitatem multo plus oderunt, quàm similitudinem, propterea nunquam concedentes æqualitatem, licet similitudinem aliquando concesserint, imò similitudinem induxerint ad excludendam æqualitatem; vt vidimus sectione 1.

Æqualitas personarũ defendẽda diligentius quàm similitudo.

3 Ratio autem, quæ prædictos hæreticos ad oppugnandam, & Catholicos Doctores ad defendendam æqualitatem potius, quàm similitudinem, impulit, hæc est, quoniam æqualitas aliquid amplius perfectionis requirit, quàm similitudo: æqualitas enim excludit quemlibet excessum & superioritatem perfectionis vnius personæ supra aliam, quam non excludit similitudo. Vnde prouenit, vbi non est quantitas molis & corporea, sed sola quantitas virtualis & spiritualis, omnia æqualia esse similia, sed è contrario non omnia similia esse æqualia. Etenim quæcumque participant eandem formam siue naturam, licet inæqualiter eam participent, similia sunt, sed non æqualia: quemadmodum Angelus inferior non est æqualis superiori, licet ei similis sit, quoniam eandem naturam intellectualem & spiritualem participat. Oportuit ergo, constanter defendi æqualitatem, qua denotaretur, non vtcumque Filium & Spiritum sanctum conuenire cum Patre in natura diuina; sed æquè perfectè illam communicatam habere.

4 *Similitudo sine æqualitate, sed nunquam æqualitas sine similitudine.* Discrimen hoc Augustinus obseruauit serm. 38. de tempore prope fin. dicens: *Melius esse videtur æqualitatem de diuinis dicere personis, quàm similitudinem; quanquam vtrumque inueniatur: quia vna qualibet substantia, secundum quod substantia est, non sit alia vt sit similis ad aliam. Nec enim in S. Trinitate substantia substantiæ similis est, sed vna & ipsa eadem substantia est: non est alia Patris & Filij & Spiritus sancti, nec sunt tres substantiæ similes, sed vna trium æqualiter.* Sic se habet textus apud Augustinum.

5 Ricardus Victor. lib. 3. de Trinitate cap. 7. prope fin. *Vt sint*, ait, *per omnia æquales, oportet, vt sint per omnia similes. Nam similitudo potest haberi sine æqualitate, æqualitas verò nunquam sine mutua similitudine. Qui enim in sapientia nihil similitudinis habent, quomodo in ea pares esse valent? Quod autem dico de sapientia, idem dico de potentia, idem verò inuenies in cæteris omnibus si curras per singula.* Magis explicuit hanc doctrinam S. Thomas in præsenti q. 42. art. 1. ad 2. Henricus 2. p. summæ art. 70. quæst. 1. ad 3. & alij.

6 *Dictum secundum. Omnimoda similitudo conuertitur cum æqualitate.* Ex dictis colligo, & Dico secundò, Similitudo, si fuerit omnimoda, videlicet in omnibus absque permixtione dissimilitudinis alicuius; tunc conuertibiliter inferet æqualitatem, ita vt quidquid est simile, sit æquale; & quidquid est æquale, sit etiam simile, vt notauimus sectione 2. fine. Propterea Hilarius lib. de Synodis inter medium & finem, dixit: *Numquid non id est esse simile, quod æquale?* Et post pauca: *Quid differunt similis & æqualis, vt ab vno iterum discernatur æqualis? Non sunt itaque dissimiles æquales. Et quid aliud possunt esse similes, quàm æquales; cum in dissimilibus non sit æqualitas? Prædicantes itaque fratres charissimi similem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quàm æqualem prædicamus: perfectæ æqualitatis habet significantiam similitudo, & hoc ex sanctis Scripturis intelligendum est.*

7 *Discrimen æqualitatis à similitudine.* Hoc idem fusiùs persequitur inferius ex affectu reuocandi ad sanam mentem atque concordiam cum Catholicis eos, qui decreuerant, Filium esse similem Patri. Quo fine non sine prudenti consilio necessariam connexionem & mutuam illationẽ omnimodæ similitudinis & æqualitatis expressit, supprimens distinctionem formalem æqualitatis à similitudine. Nam æqualitas formaliter fundatur in magnitudine infinita, quæ concipitur per modum quantitatis; & reiicit excessum in illa: similitudo verò, licet sit omnimoda, fundatur in alia formalitate perfectionis seu bonitatis, quæ concipitur per modum qualitatis: vt ex præcedentibus sect. constat.

8 *Potius est identitas quàm similitudo, vel æqualitas.* Dico tertiò id, quod ex præcedentibus sectionibus infertur. Licet verè sit æqualitas & similitudo diuinarum personarum: nihilominus potius est identitas, quàm similitudo vel æqualitas. Ideo Nazianzenus oratione 36. quæ est 4. de theologia, propius ad fin. quàm ad med. obseruauit, eam esse rerum simplicium naturam, *Vt totæ totas repræsentent, eademq; potius sint, quàm similes.*

9 Ambrosius quoque libro 1. de fide ad Gratian. cap. 4. fine. *Similitudo*, inquit, *hæc non diuersitatis, sed vnitatis est.* Idem lib. de mysterio Incarnationis Dominicæ cap. vltimo sub init. *Quæ non vnius*, inquit, *naturæ sunt, diuersæ sunt vtique atque distantis: & quæ distantis naturæ, consequens est, vt similia esse non possint, nisi forte secundum speciem similia dicas, dissimilia secundum veritatem.* Et paucis interpositis: *Quomodo ergo isti similem dicunt Patrem & Filium, qui vnitatem substantiæ negant?* Et paulo inferius: *Consequens est, vt si ex parte similis pro parte dissimilis, non in toto est, pro parte sit Dei imago composita*, &c.

10 Quibus consonat Ricardus Victor. libro 2. de Trinit. cap. 20. & lib. 3. cap. 22. præsertim in fine dicens: *In singulis itaque*, personis, *summa simplicitas, in omnibus simul vera & summa vnitas, vtrobique autem (si bene attendas) miranda identitas.*

11 *Secunda difficultas de Spiratione actiua.* Secunda difficultas est, quia videtur ex superioribus fundamentis inferri, spirationem actiuam non esse relationem realem; siquidem supra sect. 2. ratione 4. probatum est, æqualitatem & similitudinem non esse reales in diuinis personis ea de causa, quoniam vna relatio non potest referri per aliam superadditam relationem realem: cum igitur Pater & Filius constituantur relationibus Paternitatis & Filiationis; non poterunt referri per aliam superadditam relationem realem Spirationis actiuæ.

12 *Discrimina inter spirationẽ & alias relationes superuenientes personis.* Respond. negando consequentiam, propter disparitates plurimas inter Spirationem actiuam & cæteras omnes relationes, quæ fundantur in personis iam constitutis. Nam propter hæc discrimina processus in infinitum diuinarum relationum non sequitur ex realitate Spirationis actiuæ, licet inferatur ex realitate cæterarum relationum, vt vidimus sect. 4. ratione 2. Primò namque Spirationis actiuæ totale fundamentum non est vnica relatio simul cum identitate essentiæ, imò nec duæ relationes Paternitatis & Filiationis collectiuè sumptæ simul cum essentia sufficiunt, sed requiritur vlterius origo siue productio realis, vt vidimus disput. 91. sect. 3. conclusione 7. Porrò ex origine noua atque distincta non sequitur processus in infinitum.

Secundum

13 Secundum discrimen ex præcedenti sequitur, quoniàm vnaquæque relatio diuina deberet habere peculiarem sibi relationem æqualitatis ad alias (idem intellige de cæteris relationibus:) at verò Paternitas sola non potest habere peculiarem sibi relationem Spirationis actiuæ, nec Filiatio sola, sed Paternitas simul & Filiatio vnam & eandem habere debent relationem Spirationis. Quapropter non sequitur processus in infinitum, quia non est eadem ratio, vt in Spiratione actiua fundetur vlterior & superaddita relatio realis. Tertium discrimen sit, quoniam in operationibus immanentibus non datur processus in infinitum, licet vna præsupponat aliam. Quocirca, licet Pater & Filius per intellectionem productus, præsupponatur ad Spirationem actiuam, quasi fundatam in volitione & amore mutuo; non sequitur, in ipsa Spiratione fundari posse relationem vlteriorem, quoniam non est possibilis vlterior operatio immanens vltra volitionem & intellectionem. Ex his colligi possunt alia discrimina, quæ lectoris ingenio deducenda relinquo.

14 *Tertia difficultas de relatione distinctionis.* Tertia difficultas est, vtrum relatio distinctionis & oppositionis sit relatio superaddita Paternitati, Filiationi, Spirationi ac Processioni. Cæterum hoc superius tractatum est. Etenim non esse superadditam relationem, sed quidditatiuè contentam in prædictis quatuor relationibus, dictum est disput. 18. sect. 4. circa med. & disput. 37. sect. 5. sub init. Sic enim docuit S. Thomas in præsenti art. 1. ad 4. quem sequuntur Caietanus, Canariensis & alij Thomistæ. Vazquez disput. 166. cap. 5. init.

15 *Realis est relatio distinctionis.* Propterea realem esse relationem distinctionis & oppositionis relatiuæ manifestè sequitur ex inclusione supradicta: quoniam in ente reali non potest quidditatiuè contineri, nisi formalitas realis. Cæterum de hac realitate plura diximus disput. 19. sect. 6.

16 Occurrit tamen ex aduerso Molina præsenti quæst. 42. art. 1. disput. 2. col. 4. §. *illud*, probare contendens, relationem oppositionis relatiuæ non esse eandem relationem cum Paternitate & Filiatione, sed longè diuersam vtpote relationem rationis. *Primum argumentum.* Primum eius argumentum est, quia relationes Patris & Filij sunt relationes inæqualis comparationis (quas Logici vocant disquiparantiæ.) Cum tamen oppositionis relatio sit æqualis comparationis & æquiparantiæ. At æqualis & inæqualis comparationis relationes non possunt esse eiusdem speciei, nedum eadem relatio.

17 Respond. Relatio relatiuæ oppositionis inter Patrem & Filium similis est relationi æquiparantiæ, quatenus præscinditur & abstrahitur à differenti comparatione Patris & Filij; sicut etiam communis ratio relationis diuinæ præscinditur à peculiari quasi differentia Paternitatis & Filiationis. Nihilominus contradictionem implicat intelligere Paternitatem & Filiationem, nisi intelligendo quod quidditatiuè claudit communem rationem mutuæ relationis realis: at in mutua relatione reali quidditatiuè continetur realis oppositio, realisque distinctio: vel potius hæc oppositio atque distinctio est ipsissima ratio communis mutuæ relationis realis.

18 *Secundum argumentum.* Inde soluitur argumentum secundũ, acceptum à simili. Quemadmodum enim quando dicimus, contraria secum pugnare, mutuóque se expellere à subiecto; sermo est de contrariis materialiter sumptis, in quibus fundatur relatio contrarietatis, v. g. de calore & frigore; nec agitur de relatione contrarietatis mutuæ: sic etiam in proposito quando Theologi dicunt, Paternitatem & Filiationem constituere personas distinctas & relatiuè oppositas; sermo est de oppositione relatiua fundamentali, hoc est, de relationibus, quæ mutuò sese respiciunt, non verò de formalitate ipsa oppositionis relatiuæ.

19 *Solutio.* Respond. disparem esse rationem. Quidditas enim caloris aut frigoris (idem intellige de cæteris) non includit communem rationem relationis. Hæc enim est prædicamentum distinctum à prædicamento qualitatis, ad quod pertinent calor & frigus, cæteráque contraria. Veruntamen Paternitas & Filiatio sicut quidditatiuè claudit communem rationem mutuæ relationis realis, ita quidditatiuè claudit realem oppositionem relatiuam ac distinctionem.

SECTIO IX.

De cæteris relationibus, societate, consortio, communione, consonantia & vnione.

1 PErfectiones huiusmodi multoties commemorantur à Patribus, vt explicent magis vnitatem essentiæ, voluntatis & iudicij. Tres enim personas habere *communionem & societatem in Deitate*, dicit Gregor. Nyssen. lib. de Trinitate ad Eustathium paulo ante med. & post med. & lib. de differentia essentiæ & hypostaseos sub init. & iterum propius ad med. quàm ad princip. atque iterum circa med. & in med. *Socium naturæ diuinæ* Filium appellat Basilius homil. 15. de fide in med. & lib. vnico de Spiritu sancto cap. 18. circa med. *Filius*, inquit, *Patri in tantum vnitus est, quantum consortij habet vnitas cum vnitate. Sed neque hinc solum probatur naturæ communio.* Et aliquoties ibidem repetit quod iterum cap. 19. inter princip. & med. docet *esse naturæ consortium* Patri, Filio & Spiritui sancto. Præterea *societatem arctissimam sancti Spiritus cum Patre & Filio*, scribit in eodem lib. vnico cap. 16. fine.

2 *Socium in Deitate* Filium appellat Cyrillus Alexand. dialog. de Trinitate lib. 3. propius ad med. quàm ad princip. & iterum multo propius ad fin. quàm ad med. dicit *indissolubilem societatem.* Damascen. lib. de duabus Christi voluntat. non longè à princip. inde probat, Deum non esse *solum, quoniam quod vnum est, & solum, à societate & communione abhorret, ac insuaue est: societate autem coniungi cum ijs, quæ eiusdem sunt generis, iucundum & suaue: ob eam causam prima hæc & principio carens natura tribus in personis perspicitur.* Colligitur idem ex plurimis Patribus, asserentibus, *Deum non esse solum*, nec *solitarium*, nec *singularem*, nec *vnicum*, quos retulimus disput. 40. sect. 1. & 2.

3 Ambrosius libro 1. de Spiritu sancto cap. 15. *Communicationem*, inquit, *& Patris & Filij esse manifestum est, quia scriptum est: Et communicatio nostra cum Patre & Filio eius Iesu Christo. Et alibi: Communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis. Si igitur vna communicatio est Patris & Filij & Spiritus sancti: vna certè operatio est.* 1. Ioan. 1. 2. Cor. 13. Deinde *communionem* personarum *individuam & inseparabilem* repetit sequenti lib. 2. cap. 12. ante med. & libro 3. cap. 2. Atque in prædicto lib. 2. de Spiritu sancto cap. 10. dicit etiam *societatem & consortium* Spiritus sancti cum Patre & Filio. Inde *consors naturæ* cum Patre Filius & Spiritus sanctus vocatur ab Ambrosio in symbolum Apost. cap. 5. ante med. & cap. 12. sub init. & lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4.

sub init. Eiusdem authoris est hymnus ab Ecclesia receptus *Consors Paterni luminis*, &c. Similiter *personarum consortium* affirmat Hilarius lib. 4. de Trinitate prope medium. Atque *societatem amoris & consonantiam* cum eodem Hilario concedit S.Thomas 1.distinctione 24.quæstione 2. artic.1. corpor. fine.

Consonantia.

4 *Relationes rationis.*

De his omnibus Dico primò. Societas,consortium, communio, consonantia, & vnio siue concordia diuinarum personarum sunt relationes rationis. Quoniam in eis militant fortius illæ rationes,quæ supra sect.4. probant, æqualitatem & similitudinem esse relationem rationis secundum vltimam formalitatem. Dico secundò. Prædictæ relationes fundantur in vnitate scientiæ ac volitionis. Propterea quæ reducuntur ad relationem similitudinis, veluti partes aut species illius: quoniam scientia & volitio concipiuntur per modum qualitatis. At vnitas in qualitate fundat similitudinem, vt rectè obseruauit Henricus 2.p.summæ art.62.quæst.3.fine.

Fundatur in vnitate scientiæ & volitionis.

5 Notandum est denique,communionem, prout in præsenti sumitur,esse distinctam à communione, prout est notionalis & propria quidditas Spiritus sancti modo explicato disput.71.sect.1. probatione 2. & disput.76.sect.2.

ARTICVLVS II.

Vtrum persona procedens sit coæterna suo principio, vt Filius Patri.

1 PERSONARVM æqualitatem in æternitate tractat Angelicus Doctor in hoc articulo. De qua variis in disputationibus abunde tractatum est,quod attinet ad rem ipsam. Diuinitas enim & æqualitas Filij cum Patre probata fuit disput.50. præsertim sect.6. & sequentibus: necnon Spiritus sancti Diuinitas & æqualitas probata est disput.66. præsertim sect.6. Præterea relationes Patris & Filij Spiritus sancti coexistere simul natura, nec potuisse Paternitatem existere ab æterno, nisi cum ea simul existeret ab æterno Filiatio, probatum est disputat. 9. sect.3. & 4. Cum igitur diuinæ personæ constituantur Paternitate, Filiatione, & processione (sicut probatum est disput.86.& 87.) consequens est,vt prima persona ingenita non potuerit ab æterno subsistere, nisi esset Pater,& consequenter simul cum eo Filius subsisteret ab æterno.

Ad hæc, quod Pater fuerit semper Pater,& Filius similiter semper Filius, vidimus disputat.51. sect. 2. Postremò naturaliter & non liberè processisse diuinas personas, ideóque non potuisse non procedere ab ipso instanti æternitatis, in quo subsistebat earum principium productiuum cum omnibus requisitis ad producendum, probatum est disput. 92. & sequentibus. Restat igitur solummodo sequenti disput. tractare de modo loquendi, quem attigit S.Thom. in præsenti quæstione 42. artic.2. ad 4.

DISPVTATIO CIV.

Vtrum æternitas diuinarum processionum conuenientiùs significetur verbo præsentis temporis, quàm verbo præteriti vel futuri.

SECTIO I.

Post hæreticorum argumenta, præmittuntur quæ certa sunt.

1 DICEMVS peculiariter de generatione Filij; de illa namque Patres & Scholastici peculiariter agunt, quoniam illa magis & prius impugnata fuit ab hæreticis. Cæterum quæcumque de Filio dixerimus,volumus etiam intelligi de modo significandi processionem Spiritus sancti per verba præsentis, præteriti vel futuri.

2 *Primum argumentum hæreticorum.*

Aduersus æternitatem Filij sic argumentabantur hæretici primò. Quando Filius genitus est,vel erat, vel non erat. Si erat, quare genitus est? Si non erat, ergo aliquando Filius non fuit. Vnde Eunomius apud Basil. lib.2. contra illum propius ad med.quàm ad princ. dicebat, stoliditatem omnem superari, si quis dicat *existentem Filium gigni*, qui enim est, generatione non indiget. Similem obiectionem refert Epiphan.hæres.69.multo propius ad fin. quàm ad med.

3 Secundò.Vel Filius semper gignitur,vel semper est genitus,vel aliquãdo gignebatur,& aliquando fuit genitus: si semper gignitur, nunquam terminum & perfectionem vltimã assequetur;si semper fuit genitus,quo pacto ad terminũ sine via peruenit? si aliquando gignebatur,& aliquando fuit genitus:non semper eodem modo se habuit,sed mutatus est. Tertiò.Vel Filius præfuit in Patre actu, vel potẽtia,vel nullo modo:si actu,ergo fuit antequã gigneretur;si potentia,ergo in Deo est potentia passiua;si nullo modo,ergo ex nihilo factus est.

Tertium argumentum.

4 *Nullo verbo nostro significatur exacta duratio æternitatis.*

Ad pleniorem explicationem veritatis supponendum est primò, nullo verbo nostro durationem æternitatis exactè significari:quodlibet enim connotat tempus limitatum ad differentiam præteriti,vel præsentis,aut futuri. Propterea Gregor. lib.23.moral.c.11.post med.exponẽs illud Iob 33. *Semel loquitur Deus*, id est, *Verbum aliud præter Vnigenitum non habet*,adiungit: *Quod autem non ait locutus est, sed loquitur,non videlicet tempus præteritum nec futurũ ponens: liquet omnibus,quia Deo nec præteritum tempus congruit nec futurum. Tantò ergo in eo quodlibet tempus ponitur liberè, quantò nullum verè. Neque enim quodlibet liberè dici poterat, si saltem vnum propriè diceretur. Inde itaque dici in Deo tempus audaciter quodlibet licet, vnde in eo dici propriè nullum licet.*

5 Fauet etiam, quod Damascenus lib.1. de fide cap.8.fine,concludit: *Generat ergo Deus,qui semper est, suum Verbum perfectum, existens sine principio & sine fine: vt non in tempore generet Deus, qui tempore superiorem habet naturam & substantiam.*

6 *Per verba cõnotantia differẽtias temporis explicamus processiones diuinas.*

Secundò. Nihilominus expedit per verba,quæ connotant differentias temporis, explicare diuinas processiones & totum esse diuinum. Nam vt docuit Boëtius de consolatione lib.5.prosa 4.inter med.& fin. *Omne quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehẽditur facultatem.* Cuius rationem reddit in fine eiusdem prosæ: *Vides ne igitur, vt in cognoscendo cuncta, suæ potius*

potius faculatæ, quàm eorum, quæ cognoscuntur, vtantur? Neque id iniuria, nam cum omne iudicium iudicantis actu existat; necesse est suam quisque operam non ex aliena, sed ex propria voluntate perficiat. Cum igitur nostræ rationi secundum statum viæ connaturale sit intelligere res cum tempore,propterea quod nostra cognitio pendet à sensibus, quæ in tempore sunt, & sentiunt dependenter à tempore: consequens est, vt non possimus enuntiationes formare, nisi per verba, quæ connotant tempus, licet simul reflectendo iudicemus, Deum esse superiorem omni tempore. Quod sapienter obseruauit S.Thom.1.dist.8.q.2.art.3.corpore.

7 Tertiò. Si petas, quid significent verba diuersorum temporum,quando de perfectionibus diuinis dicuntur? Respondeo. Consignificant *nunc* æternitatis, non absolutè atque præcisè, sed in quantum coëxistit diuersis partibus temporis, videlicet præterito, præsenti, vel futuro. Vt rectè docuit Scotus distinct.9.quæst.vnica prope fin.

8 *Verba cuiuslibet temporis simul posita cõgruunt magis processionibus diuinis.*

Quartò. Ex prædictis infertur pleniùs & congruentiùs explicari perfectiones diuinas per verba cuiuslibet temporis simul posita, quàm per vnum aut alterum verbum illorum: quemadmodum si dicamus: Pater Filium genuit,& gignit,& generabit. Ita Augustinus tract.99. in Ioan. colum.3. tractans illud Ioannis 16. *Quæcumque audiet loquetur. Nec te moueat*, inquit, *quod verbum futuri temporis positum est, non enim dictum est, quæcumque audiuit, aut quæcumque audit, sed quæcumque audiet loquetur: illa quippe audientia sempiterna est,quia sempiterna est scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio & sine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, siue præteriti, siue præsentis,siue futuri,non mendaciter ponitur.* Et paulo inferius concludit: *Proinde cum secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cuiuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus sanctus,quia semper scit. Ergo & sciuit,& scit,& sciet ac per hoc & audiuit,& audit, & audiet; quia sicut iam diximus, hoc est illi audire, quod scire,& scire illi hoc est quod esse.*

9 Huic doctrinæ maiorem authoritatem conciliat aliorum theologorum frequens consensus. Prosper enim hanc selegit in lib. sententiarum ex Augustino sent.367. Eandem Beda descripsit suo commentario in Ioan. cap.16. ad prædicta verba: *Non loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur.* Eandem explicat Magister 1.dist.8. cap.2. recipiuntque communiter Scholastici.

10 Vnde sumitur hæc ratio. In his, quæ producuntur non per motum, nec per mutationem instantaneam, nec per actionem nouam,sed per indiuisibilem & perpetuam productionem; semper sunt simul fieri & factum esse & futurum esse.Sed Filius & Spiritus sanctus producuntur per operationem indiuisibilem & perpetuam. Ergo in productione Filij & Spiritus sancti semper sunt simul produci & productum esse,ac forte producẽdum. Consequenter igitur istæ productiones debent per hæc omnia tempora simul explicari, & non per alterum illorum tantum: atque adeo dicendum est plenius, semper natus est Filius, semper nascitur,& semper nascetur. Eodémque modo loquendum erit de Processione Spiritus sancti.

11 Confirmatur, quoniam indiuisibilis & perpetua productio perfecta est, quandocumque est, & nihil de perfectione sua expectat in posterum. Ideo,quod per eam producitur, rectè dicitur semper esse productum propter perfectionem & complementum productionis; sed propter coëxisten-

tiam ad præsens instans, dicitur semper produci; & propter permanentiam nullo tempore defuturam dicitur etiam esse producendum.

12 *Quare Scriptura vtatur verbis omnium temporum.*

Propter hanc perfectionem explicandam Spiritus sanctus disposuit, vt in Sacris literis omnium temporum verba distribuerentur per varios libros, vt quod in vno tantum non fuerat expressum,clariùs intelligeretur ex aliis. Scripturæ loca referemus sectionibus sequent.

SECTIO II.

Quanta sit conuenientia verborum præsentis, aut præteriti temporis.

1 *Verba præsentis temporis in Scriptura & Patribus.*

PRæsentis temporis verbo diuinam processionem meliùs & congruentiùs explicari, colligi potest ex aliquibus locis Scripturæ sacræ. Veluti Ioan.6. *Ego viuo propter Patrem.* Ioann.7. *Ex ipso sum.* Ioan.15. *Paraclitus qui à Patre procedit.* 1.Corinth.2. *Spiritum qui ex Deo est.*

2 Clariùs idem probant non pauca testimonia Sanctorum & eorum in primis,quorum verba retulimus disput.8. sect.5. & disput. 25. sect.1. dum ponderant illud Exodi 3. *Ego sum qui sum. Qui est misit me ad vos*, notant enim prædictis verbis optimè significari subsistentiam æternam, indiuisibilem, & à nulla causa dependentem.

3 Peculiariter autem Nazianzenus orat. 42. quæ est 2.in Pascha col.2.num.7. *Deus*, inquit, *& semper erat,& est, & erit,vel,vt rectiùs loquar, semper est. Nam erat, & erit, huius nostri temporis, fluxæq; & caducæ naturæ, segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, cum in monte Mosi oraculum edit. Vniuersum enim esse in seipso complectitur, quod nec principium habuit, nec finem habiturum est.* Eadem verba leguntur in orat. 38. de natiuitate inter princip.& med.

4 Augustinus similiter prædicto tractatu 99. in Ioan.col.3. *Quamuis enim*,ait,*naturam illa immutabilis & ineffabilis non recipiat, fuit, & erit, sed tantùm est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest, & ideo illi tantum conuenerat dicere, Ego sum qui sum: &, Dices filijs Israël, Qui est misit me ad vos: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus,& fuit,& erit,& est. Fuit in præteritis seculis,est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit: erit,quia nunquam deerit: est, quia semper est. Neque enim velut qui iam non sit cum præteritis occidit, aut cum præsentibus velut qui non maneat labitur, aut cum futuris velut qui non fuerat, orietur.* Eandem sententiam ex Augustino transcribunt Prosper,Beda,& Magister citati sect.1.prope fin.

5 Ex Hieronymo in epist.ad Damasum.Hæc verba refert Magister 1.dist.8. cap.1. *Deus solus, qui exordium non habet, veræ essentiæ nomen tenet: quia in eius comparatione qui verè est, quia incommutabilis est: quasi non sint quæ mutabilia sunt. De quo enim dicitur fuit, non est: & de quo dicitur erit, nondum est. Deus autem tantum est, qui non nouit fuisse vel futurum esse. Solus ergo Deus verè est: cuius essentiæ comparatum nostrum esse,non est.* Ab aliis citantur hæc verba ex Isidoro lib.7.etymolog. cap.1. Veruntamen in neutro doctore reperitur totus iste contextus, sed conflatus est partim ex Hieronymo tom.2.epist.57.ad Damasum post med. & in commentario ad Ephes.ad illud capitis 3.*Ex quo omnis Paternitas.* Partim verò ex Isidoro lib. 7. etymolog.cap.1. §. *sextum nomen.* Eadem verba describit Rabanus ad illud Exodi 3. *Qui est misit me.*

6 Chrysostomus Hebræos 1. homil. 2. proximè ante morale ait: *Quod verò dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te, nihil aliud manifestat, nisi quia ex ipsa essentia Patris est genitus. Sicut enim existens dicitur à præsenti tempore (hoc quippe magis Deo conuenit.) Ita quod dictum est hodie, præsentis est temporis.* Origenes in Ieremiam ad illud capitis 11. *Reuersi sunt*, homil. 6. *Saluator*, inquit, *noster est sapientia Dei. Sapientia verò & splendor æternæ lucis. Saluator ergo noster splendor est claritatis. Splendor autem non semel nascitur, & desinit: sed quoties ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur, toties oritur etiam splendor claritatis. Sic ergo saluator semper nascitur. Vnde ait in lib. Sapient. Ante omnes colles generat me Dominus: non, vt quidam malè legunt, generauit.*

7 Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmat. inter princip. & med. postquam dixerat, Filium *esse genitum*, adiungit: *Imo semper gigni magis propriè dicitur.* Gregor. lib. 23. moral. cap. 11. post med. notauit, Deo *nec præteritum, nec futurum tempus congruere*, cuius verba retulimus sect. 1. fundam. 1. Fauet etiam Damascenus ibidem citatus.

8 *Verbum præsentis temporis magis congruit æternitati.* Ex prædictis testimoniis deducuntur rationes, quæ probant, verba præsentis temporis esse magis accommodata rebus diuinis. Æternitas enim nunquam præterit, nec expectatur futura, sed in quolibet instanti & in quocumque tempore præsens est: sed vtraque productio diuinarum personarum est æterna: ergo conuenientius exprimitur per verbum præsentis temporis, quod in quocumque instanti, & in quocumque tempore præsens est. Confitmatur, quia licet nunc in præsenti tẽpore non existeret diuina generatio, dummodo fuisset aliquando, verum esset dicere: Filius genitus est, non tamen verificaretur, Filius generatur: verbum enim præsentis temporis discurrit per omnia tẽpora, quæ successiuè fiunt præsentia; cum tamen verbum præteriti temporis nõ habeat hanc vim discurrendi per successiua tempora.

9 Secunda ratio sit, quia Deus optimè nouit suam æternitatem explicare: sed eam verbo præsentis temporis explicuit Exodi 3. dicendo: *Ego sum qui sum*, &: *Qui est misit me ad vos.* Modus igitur optimus & conuenientissimus explicandi productiones diuinas erit per verbum præsentis temporis. Confirmatur, quoniam diuinis productionibus conuenit æternitas non minus, quàm Deo, & illius substantiæ: propterea quæ semper Pater actualiter generat, & Pater & Filius actualiter spirat; nec minus impossibile est, ab his productionibus cessare, quàm ab existentia suæ substantiæ.

10 *Prima conclusio. Verba præteriti temporis magis apta processionibus diuinis.* Nihilominus sit prima conclusio. Simpliciter & omnibus pensatis verba præteriti temporis ad significandas diuinas productiones magis accommodata sunt, quàm verba temporis præsentis: maximè verò cum additur aduerbium *semper*, vel alia dictio, quæ perpetuitatem denotet. Ita sentiunt Hugo Victor. eruditionis theolog. summæ sentent. tract. 1. cap. 7. fine, cum Diuo Gregorio statim referendo. Magister 1. distinct. 9. cap. *hic quæri* & sequentibus, præsertim cap. penult. S. Thom. in præsenti quæst. 42. art. 2. ad 4. & 1. sentent. dist. 9. quæst. 2. art. 2. Alexander 1. p. q. 42. memb. 5. art. 2. Albertus 1. p. q. 30. memb. 4. post med. Carthusianus 1. distinct. 9. dubio literali 8. (cui consonat in art. 1. quæst. 4.) Durandus (licet magis sub dubio) in eadem distinct. 9. q. 4. fine. Vbi Ægidius p. 2. q. 3. cuius verba refert & sententiam amplectitur Carthusianus distinct. 9. quæst. 1. col. 9. Scotus dist. 9. quæst. vnica, fine. Ricardus distinct. 9. art. 3. q. 1. Henricus 2. p. art. 54. q. 3. ad 8. in fine solutionis. Aureolus 1. dist. 9. p. 2. art. 4. licet nonnihil variet.

11 Probant primò ex Augustino, qui lib. octuagintatrium quæstionum tota quæst. 37. sic conclusionem probat: *Melior est semper natus, quàm qui semper nascitur: quia qui semper nascitur, nondum est natus: & nunquam natus est, aut natus erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc nunquam Filius, si nunquam natus: Filius autem quia natus, semper est Filius: semper igitur natus.* Fauet etiam Augustinus in Psalmum 2. ante med. commentarij, commendans illud verbum; *Ego hodie genui te. Hodie*, inquit, *quia præsentiam significat, atque in æternitate, nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantum: quia quidquid æternum est, semper est: diuinius accipitur secundum id dictum, hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, qui est Vnigenitus Filius, fides syncerissima & catholica prædicat.*

12 Secundò probant, quia Gregor. lib. 29. moral. cap. 1. init. *Dominus*, inquit, *Iesus Christus in eo, quod virtus & sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est: vel potius, quia nec cœpit nasci, nec desiit, dicamus verius semper natus. Non autem possumus dicere, semper nascitur: ne imperfectus videatur. At verò vt æternus designari valeat & perfectus, semper dicamus & natus: quatenus & natus ad perfectionem pertineat, & semper ad æternitatem: vt quocumque modo illa essentia sine tempore, temporali valeat designari sermone: quamuis hoc ipso quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deuiamus: quia quod factum non est, non potest dici perfectum. Et tamen infirmitatis nostræ verbis Dominus condescendens, ait: Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis* Marc. 5. *perfectus est.* Quod totum ex Gregorio recipiunt Hugo Victorinus, Magister sententiarum & alij Scholastici pro conclusione citati; necnon commentarius in librum Boëtij de Trinit. propius ad fin. quàm ad med. videlicet col. antepenult. Extat apud Bedam tom. 8. fine col. 1118.

13 Tertiò fauent eidem sententiæ nonnulla verba sacrarum literarum. Nam Psalm. 2. *Ego*, inquit, *hodie genui te.* Psalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita*, &c. Ioan. 5. *Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Denique quod potissimum est Ioan. 7. *Ego ex Deo processi.*

14 Quartò probatur ratione, quam præcipuè respexerunt Augustinus & Gregorius nuper citati, quia verbo præsentis temporis significatur productio, non quasi perfecta & plenè consecuta suum terminum: imo quantum est ex vi sermonis, indifferens est, vt verificetur, licet productio sit inchoata, & nondum terminata, neque perfecta. Verbum verò tempotis præteriti, quantum est ex sua proprietate, significat productionem quasi iam terminatam atque perfectam.

15 Confirmatur, quoniam aduerbio *semper* adiuncto corrigitur & suppletur quod desiderabatur in verbo præteriti temporis, videlicet, significare productionem quasi coëxistentem cuicumque differentiæ temporis. Quapropter aduerbium illud *semper* intelligendum est afficere productionem, sed non afficere præteritionem. Ad quod significandum est magis opportunum dicere, Filius *semper natus est*, quàm dicere, Filius *semper natus fuit*, nam verbum *fuit* videtur efficere vt aduerbium *semper* referatur ad præteritionem, quasi natiuitas semper fuerit præterita, nunquam verò præsens.

Quintò.

16 Quintò. Ratione aliam adiungit Magister dist. 9. c. *sed nc*, quæ probatur multis Scholasticis citatis; quoniã prædicta locutione præteriti temporis versutis hæreticis obstruitur omnis aditus calumniandi generationis æternitatem: facile namque concedebant, Filium nasci, vel aliquando natum esse, dummodo non semper fuisset natus.

17 *Secunda conclusio.* Secunda conclusio conciliat primam sententiam, & eius argumenta soluit. Discrimen est inter verba significantia productionem, & verba significantia quietum esse, quodcumque sit illud: nam verba, significantia productionem, quantum est ex modo significandi, non denotant productionem existere in esse quieto & in termino, siue in esse producto, sed in fieri & in motu. Quam ob causam in eiusmodi verbis potius quàm in aliis, opus est verbo seu participio præteriti temporis, quod denoter, productionem esse terminatam & perfectam. Alia tamen verba, quæ significant esse quietum, maximè verò substantiuum *sum*, aut *est*, ex modo significandi non denotant prædictam imperfectionem. Ita præ cæteris obseruarunt S. Thomas 1. dist. 8. q. 2. art. 3. & 4. & dist. 9. q. 2. art. 2. corp. fine. S. Bonauent. 1. dist. 9. dubio literali 8.

Quæ significant productionem, indigent casu præteriti, non quæ significãt esse quietum.

18 Hanc conclusionem efficaciter probant testimonia Scripturæ & Patrum, quæ pro verbo præsentis temporis adducta sunt in principio sectionis, præsertim Nazianzen. August. Prosper, Hieronymus & Isidorus. Chysostomus autem magis fauet communi sententiæ Scholasticorum, collaudat enim particulam *hodie*, coniunctam cum verbo *genui*, quod est præteriti temporis, vt præsens perficiat & compleat significationem præteriti, quod magis apertè significatur aduerbio *semper*. Origenes autem, licet asserat, Saluatorem semper nasci, non postponit alium modum loquendi, *semper natus est*. Itaque solus Anastasius videtur fuisse magis apertè contrarius communi sententiæ.

19 *Tertia conclusio.* Sit tertia conclusio. Si respiciamus quidditatem æternitatis, conuenientem productionibus diuinis, magis conuenienter explicantur verbo præsentis temporis, quando non adiungitur aduerbium *semper*, aut alia particula, significans perpetuitatem. Ita magis expressè notarunt Ricardus 1. dist. 9. a. 3. quæst. 1. Vbi Scotus quæst. vnica fine. Henricus 2. p. summæ art. 54. quæst. 4. ad 8. prope fin. solutionis. Atque idem supponunt alij Scholastici. Hanc conclusionem tantummodo, nihil verò contrarium primæ conclusioni, probant 3. & 4. ratio adductæ pro prima sententia.

SECTIO III.

Præteritum imperfectum quibus in verbis, & quousque sit præferendum.

1 RAtio dubitandi est, quia præteritum, quod Grammatici vocant imperfectum, videtur esse præferendum cæteris casibus verborum, quoniam Ioannes in principio Euangelij cæteros omnes Scripturarum libros superauit altitudine locutionis. Ille verò diuini Verbi æternitatem melius explicandam duxit casu præteriti temporis imperfecti sæpius repetito: *In principio erat Verbum, &, Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Quod Nicænum Concil. lib. 2. multo propius ad med. quàm ad fin. §. *ne quæras*; ita ponderat: *Illud erat, non habet aliquid præcedens, tollit quod non erat.*

2 Basilius lib. 2. contra Eunom. propius ad med. quàm ad princ. notat illud *erat* ad omnia tempora & æternitatem ampliari. Vnde subiungit in medio: *Verbum erat, intemporalem eius, & æternam subsistentiam significat.* Idem homil. 16. ad prædicta verba Ioannis 1. ponderat per has voces refutari quæstiones Arianorum, qui obijciebant interrogantes; vbi erat Filius antequam esset genitus? & affirmabant: *Erat, quando non erat.* Præterea lib. vnico de Spiritu sancto cap. 6. prope med. *Hæc vox erat*, inquit, *nullum cogitationi præbet exitum, quemadmodum principium non dat transitum humanæ mentis cogitationi. Quamuis enim cogitatione curras ad anteriora, non excedis, erat.*

3 Magis ex professo Chrysost. in Ioannem hom. 2. & 3. expendit proprietatem & energiam illius *erat*, vt significet æternam existentiam absque principio. De qua similiter Epiphan. hæres. 76. ad primum caput Aëtij dicit: *Quomodo exscindetur hoc: Deus erat, cum tempus admittat diuisionem facere vocis erat, ne in vulgari quidem re? Cognoscens autem quod principio carens Deus genuit*, &c. Cyrillus Alexand. lib. 12. thesauri cap. 15. sub init. *Hinc*, ait, *intelligere possumus Filium ex Patre, & in Patre, æternaliter esse, nullo tempore intellecto. Nam Verbum, erat, sic nos intelligere cogit.* Eodem modo ponderat Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmat. colum. 5.

4 Ambros. in Symbol. Apostol. cap. 4. in med. ait: *Ergo qui erat, non cœpit: & quia apud Deum erat, non cœpit: & quia Deus erat, non cœpit.* Ac lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 5. non longè à princ. *Ecce quater erat. Vbi impius inuenit, quod non erat? Quod erat in principio. Indefinitè tenditur erat. Quidquid excogitaueris, erat Filius.* Hilarius lib. 2. de Trinit. in med. *Quod erat*, inquit, *non potuit non fuisse: erat enim, non habet in tempore non fuisse.* Consonat illud Prouerb. 8. *Ante omnes colles ego parturiebar.*

5 *Dictum primum. Præteritum imperfectum præfertur in verbo substãtiuo tantùm.* Huius difficultatis solutionem ex præcedenti sectione deducens, dico primò. Verbum substantiuum, positum in casu præteriti imperfecti, maiorem vim habet, vt æternitatem significet, quam in casu præteriti perfecti: quoniam ex ratione verbi substantiui significat existentiam non velut in fieri & in motu, sed tanquam in esse quieto, & aliunde ratione casus denotat permanẽtiam nondum terminatam atque finitam, quam non denotat præteritum perfectum, cuius verificationi non repugnat interitus rei præteritæ finisque durationis illius. Hanc assertionem rectè probat ratio dubitandi sumpta ex principio Euangelij Ioannis & supradictæ ponderationes Patrum.

6 *Dictum secundum.* Dico secundò. Nihilominus verbum substantiuum in eodem casu præteriti imperfecti non significat æternitatem melius, quàm in casu præsentis, nisi quatenus supponitur vt manifestior, & ab infidelibus etiam concessa præsens existentia Filij, & ea præsupposita, declaratur, quod magis occultum erat & ab infidelibus negatum, videlicet, hanc existentiam Filij fuisse sine principio durationis coæternam suo principio productiuo.

7 Dico tertiò. Verba, quæ significant productiones diuinas tanquam in fieri & in motu, minus bene perpetuitatẽ illarum explicant in casu præteriti imperfecti, quàm in casu præteriti perfecti, qui significat earum perfectionem, vt vidimus sectione præcedenti. Ita existimat S. Thom. 1. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 5. Vnde illud Prouerb. 8. *Parturiebar*, propterea magis exactè positum est, quoniam præmiserat author verba præteriti perfecti, di-

cens: *Dominus possedit me*, &: *Ego iam concepta eram.* Quibus adde, prouerbiales locutiones non teneri legibus Scholastici rigoris.

SECTIO IV.

Num liceat verbo futuri temporis loqui de productionibus diuinis.

1 INdubitatum est, futuri temporis verbum conuenienter & vtiliter poni cum aliis casibus præsentis & præteriti, vt vidimus sect. 1. notabili 4. & vltimo. Quapropter dubium solummodo restat, quando solum verbum futuri ponitur sine præsenti nec præterito. De hoc Scholastici, quamuis dissidere videantur non rei veritate dissident, sed duntaxat modo loquendi. Quidam enim existimant, non esse conueniens dicere, *Filius semper generabitur.* Itaque futuri casum reprobant etiam cum aduerbio *semper*, quod poterat illum corrigere. Sic Alexand. 1. p. q. 42. memb. 5. art. 2. fine Albertus 1. p. q. 30. memb. 4. fine.

2 *Dictum primum.* Nihilominus dico primò. Futurum, præ cæteris casibus verborum, maximè distat à significanda perfectione æternitatis; quippe quod, quantum est ex vi propriæ significationis, patitur rem significatam nondum actualiter existere, neque vnquam extitisse, nisi tantum in potentia: quocirca maximè distat hoc verbum ab actuali perfectione.

3 *Dictum secundum.* Dico secundò. Nihilominus expedit aliquoties (licet rarò) verbum futuri temporis adhiberi: quoniam ex vi suæ significationis longius distat à deficiendo, finem durationis excludens: quod melius præstat adiuncto aduerbio *semper*; tunc enim explicat æternitatem à parte post. Hæc fuit sententia S. Gregorij cuius testimonium attulimus sect. 1. fundamento 1. ait enim, *In Deo quodlibet tempus ponitur liberè.* Magis expresse hanc assertionem tradunt S. Thomas 1. dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad vltim. Henricus 2. p. art. 54. quæst. 3. ad 8. in fine solutionis. Ricardus 1. dist. 9. art. 3. q. 2. Cum quo & cum Ægidio Carthusianus idem existimat in eadem dist. 9. quæst. 1. col. 8.

4 *Dictum tertium.* Dico tertiò. Conuenientior vsus verbi de futuro tunc erit, quando tractatur de productionibus diuinis, non præcisè consideratis, sed prout coniunctas habent operationes temporales ad extra. Propterea namque fuit conuenientissimus modus loquendi, quem diuino Concilio Christus Dominus elegit Ioan. 16. *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Vbi potissimùm obseruanda sunt illa duo futura *audiet*, *accipiet*. Nam illis significari substantialem & æternam processionem sancti Spiritus à Patre & Filio, probatum est disp. 67. sect. 2.

5 Huic autem significationi non obstare verbum futuri temporis, obseruarunt Augustinus & Beda in Ioannem ad prædicta verba Christi Domini, & Prosper in sententiis ex Augustino, sententia 367. Magister 1. dist. 8. cap. 2. & communiter Scholastici, prout fusiùs retulimus sect. 1. non procul ante fin.

6 Eundem loquendi modum imitatur Apostolus 1. Corinth. 15. cum ait: *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.* Quibus originis ordo & processio à Patre simul cum inferioritate & subiectione perfecta totius corporis mystici, denotatur: propterea que ponitur verbum futuri temporis, quoniam cum æterna processione Filij coniungitur perfecta subiectio corporis mystici, futura post vniuersalem resurrectionem. Quod probatum est fusiùs disput. 50. sect. 8.

SECTIO V.

Soluuntur hæreticorum argumenta posita in sectione prima.

1 AD primum respond. Sophisticam & æquiuocam interrogationem distinguendo. Filius non erat, quando genitus est, in eo sensu, quem obiiciunt Ariani, videlicet, absque generationis influxu Filium extitisse, prius quàm generaretur in aliqua duratione, quæ præcessisset generationem: nulla quippe duratio potuit æternitatem præcedere. Nihilominus Filius erat quando genitus est in eo sensu, quod in quolibet tempore & illius instanti, sicut in indiuisibili æternitatis instanti simul Filius generabatur & genitus erat. Atque in eodem sensu Filius existens gignitur, non quidem existens prius independenter à generatione, sed existens virtute generationis ipsius. Hoc enim est proprium productionis indiuisibilis & instantaneæ, quod etiam in creaturis cernitur. Quemadmodum lumen existit quando producitur per illuminationem; sed non existit independenter à productione, quæ est illuminatio quapropter indiget hac productione, qua producitur, quando est. *Quo sensu nõ erat Filius, antequã gigneretur.*

2 Denique, licet Filius non fuerit, antequam gigneretur, non sequitur aliquando non extitisse; quoniam Filius semper genitus est, ac subinde semper existit. Propterea Basilius 2. contra Eunom. multo propius ad medium quàm ad princip. amentiæ figmentum esse dicit inquirere, num *ante suam generationem Filius erat*, quia nulla duratio præcessit generationem: additque non minus stultum esse, *quàm si de Patre quæreret, vitium ante suam subsistentiam fuerit*, vel si quis interroget, quid futurum sit post obitum immortalis.

3 *Ad secundũ argumẽtum.* Ad secundum. Caluinus lib. 1. institutionum cap. 13. §. vltimò (apud Bellarminum lib. 2. de Christo cap. 11. prope med.) respondet, Filium semel genitum fuisse, iam verò non generari: additque stultè fingi in Deo continuum actum generandi. Veruntamen hoc delirium satis refutatum manet ex dictis tota disput. præsenti. Peculiariter autem Augustinus epist. 174. ad Pascentium colum. penult. *Quid ergo dicemus?* ait, *Si natus est Filius Dei de Patre, iam Pater destitit gignere: & si destitit, cœpit. Si autem cœpit gignere, fuit aliquando sine Filio: sed nunquam fuit sine Filio, quia Filius eius sapientia eius est, quæ candor est lucis æternæ. Ergo semper gignit Pater & semper nascitur Filius.*

4 *Semper gignitur Filius.* Ad argumentum igitur respond. Semper gignitur Filius, & nihilominus terminum & perfectionem vltimam assequitur; præterea fuit semper genitus, ac nihilominus ad terminum non peruenit sine via, sed per viam, quæ est generatio. Nam in productionibus indiuisibilibus & instantaneis simul est produci & productum esse: quapropter, quod semper producitur, semper est productum, & semper assequitur terminum & perfectionem vltimam. Itaque via & terminus non separantur duratione, nisi in productionibus successiuis.

5 *Fieri & factum esse diuinarũ processionum.* Cæterum quantum ad modum loquendi notandum est Durandum 1. dist. 9. quæst. 4. concedere, fieri & factum esse simul coëxistere in perpetuo indiuisibili. Sed Alexander 1. p. quæst. 42. memb. 5. art. 2. corp. & Carthusianus 1. distinct. 9. quæst. 1. colum. 7. dicunt æternam generationem non esse in fieri nec in facto esse, sed in esse, qui modus loquendi magis exactus est ad explicandam æternitatem. Nihilominus *fieri & factum esse* necessarium est multoties ad explicandas melius solutiones argumentorum. Quando verò quæritur, vtrum generatio sit terminata? Facilè doctores respondent explicata vocis æquiuocatione. Generatio est terminata, id est, tota sua perfectione completa; sed non est terminata fine suæ durationis, quasi non sit vlterius duratura. Sic Bonauent. 1. dist. 9. art. 1. quæst. 4. Carthusian. eadem distinct. quæst. 1. colum. 7. & 8. Henricus 1. part. artic. 54. quæst. 3. ad 8. in principio solutionis.

6 *Ad tertium. Quomodo Filius præfuit in Patre.* Ad tertium respondeo, & dico primò. Filius in Patre non præfuit actu, quoniam illa præpositio *præ* significat aliquam prioritatem, aut durationis aut originis, & in prioritate originis Filius in Patre non fuit actu, sed potentia, quod ipsum est dicere, Patrem fuisse principium fæcundum, & potens generare Filium prius origine, quàm Filius generaretur, sed non prius tempore.

7 *Sic habent varia exemplaria.* Sapienter enim ad hoc sophisma respiciens Chrysost. inter varias homilias in Ioannem homil. 1. de fide in Christum, non procul à princip. *Prius*, inquit, *quàm nasceretur Vnigenitus, in suo iam genitore generandus manebat, non habens distantiam temporis, sicut impij dicunt.* Et post pauca: *Nam si etiam homini inest antequam generet, & id quod ex eo generandum est secundum, est secundum naturam, & antequam generet non aliunde mutatur, vt seminet progeniem, quam generaturus est: quanto magis in Deo Patre omnipotente ista ratio cernanda est, vt æquè inconuertibilis & sempiternus Filius in æterno atque incommutabili Patre semper fuerit: qui secundum naturam inseparabilis substantia est.*

8 Dico secundò. Filius, quantum ad totam suam substantiam & essentiam, actu præfuit in Patre; quoniam tota substantia Patris communicatur illi. Nihilominus in eo sensu, quo totus Filius est terminus, qui producitur per generationem (vt probatum est disp. 98. sect. 5.) in eodem totus Filius præexistit in potentia generatiua Patris: quam potentiam esse realem & aliquo modo notionalem, ostendimus disp. 99. & disp. 100. Manifestum autem est Filium non præfuisse in potentia Patris tanquam in potentia materiæ, cuius imperfectio distat infinitum à Deo.

9 Denique, licet Filius fuerit in potentia productiua Patris, non sequitur, Filium esse in potentia passiua propriè loquendo, sed abusiuè, quatenus id quod producitur, eo ipso est producibile; producibilitas autem abusiuè vocari potest potentia passiua; quoniam ipsum *produci*, grammaticaliter appellatur passio, non theologicè; licet ob penuriam vocabulorum, ac necessitatem distinguendi relationes & origines, soleamus dicere spirationem actiuam & passiuam. Sed de hoc supra disput. 83. sect. 4. concl. 3.

ARTICVLVS III.

Vtrum in diuinis personis sit ordo naturæ.

DISPVTATIO CV.

Vtrum aliqua prioritas dignitatis aut naturæ vel originis in ordinem redigat personas diuinas.

SECTIO I.

De ordine dignitatis.

1 PRÆTERMISSIS eorum erroribus, qui Filium & Spiritum sanctum creatos aut factos esse putabant, ad præsens institutum magis directè pertinent illi, qui concedentes, Filium & Spiritum sanctum increatos & æternos esse, nihilominus asserunt, Patrem esse dignitate priorem & præstantiorem, quàm Filium & Spiritum sanctum. Primò namque Origenes tom. 13. in Ioan. tradit, Patrem tanto superiorem esse Filio ac Spiritu sancto, quanto hi superiores sunt creaturis, sicut refertur in collectanea de Origenis vita, quæ præmittitur eius operibus cap. 6. tit. 2. de Spiritu sancto.

2 Secundò Valentinus Gentilis & illius sectatores dixerunt, Patrem esse longè eminentiorem cæteris, itaut ipse foret essentiator, sed Filius & Spiritus sanctus essentiati dici debeant, vt refert Bellarm. lib. 1. de Christo c. 2. ante med. Consequeter autem dixerunt, solum Patrem esse immensæ substantiæ, Filium verò pro generationis modulo circumscriptibilem genitum, vt refert Genebrardus lib. 2. de Trin. non longè à princ. §. *ex his igitur.*

3 Tertium errorem inuenit Clichtouæus, author alioqui apprimè Catholicus, in Damascenum lib. 1. cap. 11. inter princ. & med. dicens, modum existendi Patris esse principaliorem & perfectiorem, ac subinde personas inæquales esse perfectione relatiua; licet sint eiusdem essentiæ, & quantum ad illam æquales. Hunc refutauimus peculiariter disp. 30. sect. 1. initio. Sequenti verò sect. 2. disputationis eiusdem posuimus Augustini testimonia, quibus non solum in essentia, sed etiam in relatiua perfectione constituit æqualitatem vniuscuiusque personæ cum tota Trinitate & omnibus personis collectiuè sumptis. Quod magis ponderatum fuit ad fin. prædictæ sect. 2.

4 *Æqualitas dignitatis.* Nihilominus Catholica fide tenemur credere, tres personas esse prorsus æquales dignitate, sicut sunt æquales & eiusdem perfectionis & essentiæ: propterea que nullam personã esse dignitate priorem aut posteriorem altera, vt constat ex disp. 54. præsertim sect. 6. & sequentibus, & disp. 66. præsertim sect. 6. 7. & 8. & disput. 103. sect. 2. Veruntamen hæc oportuit obiter attingere in præsenti, quibus plenior euaderet cuiuslibet prioritatis disputatio, notarentúrque difficultates, quæ circa dignitatis excellentiam possunt occurrere.

5 *Quæ videntur Patrem præponere Filio, remittuntur.* Primò namque plurima testimonia Scripturæ Filio & Spiritui sancto videntur præponere Patrem vocando maiorem & caput, dicendóque Patrem dare sed Filium accipere, subiectum esse, seruare

seruare mandata atque præcepta Patris, obedire, non suam sed Patris doctrinam tradere: quibus similia multa non solum sacræ literæ, sed etiam Patres dixerunt. Quæ omnia declarata sunt ex professo tota disp. 50.

6 Secundò. Peculiariter ad præsens attinere videntur, qui Patrem appellant *principem naturam, præcipuum, eximium, formam principalem, verticem & principem, in quem consummatur Trinitas, principalem causam.* Atque Patri concedunt *authoritatem*, & inter personas admittunt *gradus causalitatis.* Quæ omnia retulimus disput. 50. sect. 4. dicto 2. & explicuimus, his & aliis similibus verbis tantummodo significari prioritatem originis, ratione cuius Pater est principium, & author Filij & Spiritus sancti.

7 Tertiò. Maiorem difficultatem potuisset afferre quod Nazianzen. orat. 26. de moderatione in disputationibus, colum. 3. dixit: *Spiritum sanctum hoc solo nomine cedentem Patri, quod ingenitus non sit; hoc item Filio, quod genitus sit; cætera autem eiusdem omnino naturæ, dignitatis, honoris, & gloriæ.*

8 Veruntamen inde non licet colligere, Spiritum sanctum esse minoris dignitatis, honoris & gloriæ quantum ad personalem proprietatem, sed tantum colligitur, non esse eiusdem omnino dignitatis, honoris & gloriæ quantum ad personalem proprietatem, sicut est eiusdem dignitatis, honoris & gloriæ quantum ad naturam: quoniam innascibilitas & Paternitas ac Filiatio sunt quidditatiuè dignitas, honor & gloria, quæ non conuenit quidditatiuè Spiritui sancto, cui quidditatiuè conuenit processio, seu passiua spiratio, quæ quidditatiuè dignitas est, honor & gloria non minor, quàm Paternitas & Filiatio, vt vidimus disp. 29. sect. 2. prope fin. Itaque Spiritus sanctus Patri cedit & Filio non quasi maioribus inferior, sed quasi principio suo, qui procedit ab illo, & consequenter est posterior origine.

Quo sensu dicatur vna persona cedere alteri.

9 Quartò. Athanas. lib. de communi essentia Patris, Filij & Spiritus sancti inter princip. & med. sub titulo. *Quod Spiritus sedeat*, post med. ait: *Filio certè scimus eximiam sedendi rationem propriamq; nimirum ad dextram Patris, attributam esse. Tribus igitur apud Abraham sedentibus, ad sinistram videlicet Spiritus sanctus sedebat, ille enim illi attributus est locus, quatenus ad Filium dixit. Sede à dextris meis:* Psalm. 109. *Ex eo autem, quod Filius sedet ad dextram, intelligere licebit, quod per consequentiam dixerit suo Spiritui, sede à sinistris. Vocabulum autem sessionis, dignitatis significationem præsefert.*

10 Veruntamen tantum abest, vt per sinistram Athanasius intellexerit, dignitatem Spiritus sancti minorem esse, quàm Filij, vt potius hoc attulerit ad probandam, vnam & eandem esse dignitatem Spiritus sancti cum Patre & Filio, sicut est vna & communis essentia.

11 Quapropter si Origenes nunquam alibi detraxisset dignitati & perfectioni Spiritus sancti: non foret reprehendendus, licet in commentariis ad Zachariam (qui non extant) cap. 4. duas oliuas interpretatus fuerit Filium & Spiritum sanctum: Filium à dextris, & Spiritum sanctum à sinistris, mediam verò lampadem Deum Patrem. Quam expositionem, authoris nomine supresso, referens Hieronymus in Zachariam cap. 4. prope finem. *Nescio*, inquit, *quomodo absque blasphemia alterum à dextris, alterum accipiunt à sinistris.* Excessit tamen, vt rectè obseruauit Genebrardus in collectanea de Origenis vita, quæ præmittitur eius operibus cap. 6. tit. 1. de Trinitate. §. *tertio.*

Quintò. Nonnulli Patres asserentes, Filium ministrare Patri, vel esse instrumentum illius, explicabuntur disp. 110. sect. 6. & 7. Sextò. Filium secundum, & Spiritum sanctum esse tertium à Patre tam veteres theologi, quàm Scholastici concedunt. Præcipuè verò Basilius ait: Spiritum sanctum *esse tertium dignitate, ordine & natura.* Verum hæc omnia nullam inæqualitatem honoris & dignitatis significare, constabit sectione 4. & 5. 12

SECTIO II.

De ordine rationis & naturæ, præscindendo à prioritate.

1 *Essentialia priora notionalibus.* QVod in præsenti solet ab aliquibus explicari de ordine inter omnia prædicata absoluta & essentialia ex vna parte, cunctásque relatiuas & notionales formalitates ex alia parte: non indiget explicatione maiori præter eam, quæ tradita fuit tota disput. 94. & disp. 95. sect. 3. & disp. 63. sect. 4. ad 3. Ex quibus vniuersaliter constat constat aliquo genere prioritatis essentialia & absoluta notionalibus esse priora subsistendi consequentia: quemadmodum vniuersalia siue communia dicuntur esse priora particularibus. Sed alio genere prioritatis relatiuæ formalitates sunt priores essentialibus quibusdam prædicatis, quæ nequeunt esse sine illis.

2 *Ordo quid sit in præsenti.* Veniamus igitur ad ordinem inter personas. In quo notandum est primò, vocabulum, *ordo*, in præsenti disputatione non idem significare, quod relatio generaliter accepta: sic enim etiam illæ res, quæ sunt confusæ & inordinatæ relatiuum ordinem habent; atque ordinem in hac acceptione conuenire diuinis personis probatum est supra tota disp. 9. Ordo igitur in præsenti est aliqua specialis relatio, quæ est habitudo plurium ad vnum principium.

3 *Naturæ ordo cur appelletur.* Notandum est secundò, ordinem in præsenti vocari *naturæ*, non quoniam afficiat naturam diuinam & illam constituat ordinatam, sed propter alias rationes. Prima est, quia consistit in origine naturali, prout distinguitur contra liberum, vt admonet S. Thomas in præsenti artic. 3. ad 3. Quo sensu disp. 92. 93. & 94. probatum est, actus notionales non esse liberos, imo nec voluntarios, sed naturales ac necessarios. Ordo igitur consistens in eo quod Filius sit à Patre, sed non Pater à Filio, & quod Spiritus sanctus sit ab vtroque, quatenus per absolutam & omnimodam necessitatem, consequitur ex intrinseca quidditate personarum: sub hac ratione meritò vocatur *ordo naturæ.* Secunda ratio est, quoniam ipsamet essentia seu natura diuina prædictum ordinem postulat, scilicet, vt immediatè sit in Patre sine vlla processione, sed Filio per primam processionem à solo Patre; postremò in Spiritu sancto per processionem ab vtroque.

4 *Ordinem inter personas negare videtur aliqui Patres.* Quibus suppositis, inter diuinas personas nullum ordinem esse, probari posset primò, quoniam Chrysostom. tom. 5. versus fin. orationis de illo Abrahami: *Pone manum tuam subter femur meum*, inter princ. & med. *Nec quisquam arbitretur*, ait, *dignitatem suo loco moueri, & violari: si primo loco Spiritus mentionem facimus, deinde Filij, postea Patris. Non enim ordinem diuinæ personæ habent, nec velut confusæ sunt; sed omnem ordinem longè excedunt.*

Secundò,

5 Secundò, quoniam Eusebius Cæsarien. *In diuinis*, ait, *est numerus, sed non ordo:* vt refert S. Bonauentura 1. distinct. 20. art. 2. quæst. 1. Tertiò, quoniam vt August. scribit lib. 19. de ciuitate cap. 13. sub init. *Ordo est parium, disparium q; rerum, sua cuique loca tribuens dispositio:* ergo ordo includit disparitatem, quæ diuinis personis repugnat. Quartò Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. prope med. ponderans illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, ait: *Nescit enim vnitas ordinem, gradum nescit æqualitas.*

6 *Originis ordo conceditur.* Nihilominus omnes Scholastici locis, quæ referentur in sequenti sectione communi consensu concedunt ordinem originis inter diuinas personas. Quamuis eorum aliqui moneant, non esse concedendum ordinem simpliciter, sed cum limitatione ordinem originis, vt Alexander, quem sequitur Carthusian. 1. dist. 20. quæst. 2. Veruntamen nihil dissentiunt à cæteris Scholasticis. Omnes enim explicant, in diuinis esse tantum ordinem originis.

7 Probatur, quoniam August. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. propius ad med. quàm ad fin. *Non genitorem*, inquit, *ab eo quem genuit, sed genitum à genitore mitti oportebat: verum hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ab altero.* A fortiori colligitur ex Patribus, qui sectionibus sequentibus prioritatem naturæ vel originis concedunt. Nam prioritas est ordo. Et ex Patribus, qui dicunt ibidem, Filium secundum & Spiritum sanctum esse tertium.

8 *Ordo per cõparationem ad principium.* Ratione probat S. Thom. quoniam ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. Sed omnium personarum ac totius diuinitatis Pater principium est supra disput. 48. & 49. Ergo per comparationem ad Patrem, Filius & Spiritus sanctus habent ordinem: insuper Spiritus sanctus ordinem habet comparatione Filij, qui cum Patre principium est illius. Confirmat, quoniam vbicumque pluralitas est sine ordine, confusio turbat numerum. At in diuinis personis non potest esse confusio, cum sit imperfectio: consonátque illud Symboli. *Non confundentes personas.*

9 *Explicantur Patres.* Quapropter Chrysost. & Eusebius minimè negant ordinem originis & naturæ, sed tantùm ordinem dignitatis, perfectionis aut durationis. Augustinus autem in illo cap. 13. tractat de ordine magis strictè sumpto, qui per supremum iudicem constituitur in omnibus creaturis, quo reducantur ad pacem.

SECTIO III.

Nullam esse prioritatem naturæ vel originis inter personas diuinas, suadere videntur aliquæ probationes.

1 *Omnem prioritatem Patres negare videntur.* PRimò namque Patres omnem prioritatem absque vlla exceptione reiiciunt. Nicænum Concil. lib. 2. propius ad medium quàm ad fin. §. *siquidem. Nihil*, ait, *in ea prius aliquando sed semper & eodem modo existentem indiuiduam & consubstantialem Trinitatem.* Athanas. in Symbolo: *Et in hac*, inquit, *Trinitate nihil prius aut posterius*, &c. Idémque in quæstionibus de natura Dei quæst. 13. dicit: *In sancta Trinitate nemo primus & nemo postremus, sed simul Pater, simul Filius, simul Spiritus sanctus.*

2 Nazianzenus orat. 37. de Spiritu sancto quæ est 5. de theologia non longè ante med. de diuinis suppositis ita loquitur: *Nec enim hoc magis, illud minus est Deus, neque hoc prius, illud posterius.* Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 6. ante medium ex Verbis Ioann. 1. *In principio erat Verbum*, probat, Quod *Ne cogitatione quidem hominum, possit quis Filium dicere Patre recentiorem, non ob id modò, quod simul intelliguntur iuxta naturam eorum, quæ dicuntur ad aliquid*, &c.

Apud Epiphan. hæres. 69. pag. 2. Alexander Episcopus Alexand. dicebat: *Simul Pater, simul Filius; coëxistit Filius ingenito cum Deo, semper genitus ingenito genitus, neque cogitatione, neque momento præeminet Deus Filio.* Hæc fuisse, quibus contradicebat Arius, propterea eiectus ab Ecclesia, refert idem Arius epist. ad Eusebium apud Epiphan. citatum, atque in sequenti epist. ad Alexand. profitetur Arius, *Filium non esse simul cum Patre, quemadmodum ea, quæ ad aliquid appellantur.* Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 149. *Trinitas*, inquit, *nec prius, nec post, nec primum & secundum & tertium admittit.* 3

Ambros. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 6. propius ad med. quàm ad fin. examinans quomodo Filio conueniat, quod Rom. 11. tanquam Dei proprium commendatur: *Quis prior dedit illi?* Respondet: Apostolus non denegauit, *accepisse per naturam à Patre Filium, sed priorem non posse dici inter Patrem & Filium declarauit: quia esse Pater dedit Filio; non tamen quasi posteriori dedit: quia increata & inæstimabilis Trinitas, quæ vnius est æternitatis & gloriæ, nec tempus, nec gradum vel posterioris recipit vel prioris.* Augustin. lib. 3. contra Maximin. cap. 14. cuius verba posita sunt in sectione præcedenti manifestè dicit, quod *alter non est prior altero*, videlicet Pater Filio, *licet alter sit ex altero.* 4

Secundò probari potest, quoniam Hæretici volebant, Filium post Patrem asserere secundum, & Spiritum sanctum tertium. Sed è contrario Patres secundum & tertium esse negabant: ergo negabant quamlibet prioritatem. Cyrillus enim Alexand. lib. 2. thesauri cap. 1. multo propius ad princip. quàm ad med. hanc obiectionem Eunomij refert: *Quod ex principio est, & natum ex aliquo, secundum est ab illo, à quo esse habet: secundus ergo erit Filius à Patre, & idcirco non consubstantialis.* Et Cyrillus quidem, contentus probare consubstantialitatem & æqualitatem Filij, nihil respondet aduersus appellationem *secundi*: quapropter videri potest tacitè consensisse, quod ipse manifestè concedit in alio loco inferiùs referendo. Eodem sensu Eunomius & Aërius contendebant, Patrem, Filium & Spiritum sanctum appellandos esse *primum, secundum & tertium*, vt refert Basilius lib. 3. contra Eunomium statim à principio, & libro de Spiritu sancto cap. 18. 5 *Secundum & tertium negabant Patres.*

Hos autem hæreticos redarguunt Sancti Patres, quoniam aliquibus in locis Scriptura sacra Spiritum sanctum commemorat prius, quàm Patrem aut Filium; & alibi Filium nominat prius quàm Patrem, vt nobis significet inter eas personas non esse fixum & immutabilem ordinem enumerationis. Cuius doctrinæ testimonia posuimus disp. 66. sect. 7. obiect. 9. 6

Sufficit in præsenti, quod Chrysostomus tom. 5. orat. 2. de Trinitate & de serpente, &c. post med. damnat eos, qui dicebant: *Primus Pater, secundus Filius, tertius Spiritus sanctus* (videlicet existimantes, eorum inæqualem esse naturam & honorem) 7

honorem) atque subiungit: *Paulus vocabulorum ordinem conuertit: vt simul & veritatis vim patefaciat, & improborum opinionibus respondeat.* Idem Chrysostomus in Ioan. homil. 1. in med. circa init. Euangelij quæstionem proponit, Quare *prima causa omissa, ad secundam quamprimùm transit:* & respondet: *Primum quidem & secundum in hac re dicere prætermittamus. Non enim nostra hæc. Nam & numero & omni temporum consequentia diuinitas prior est & superior.*

8 Item tom. 5. versus fin. orat. 9. de illo Abrahami, *Pone manum tuam*, &c. inter princip. & med. *Si quis*, ait, *audeat in Ecclesia dicere: Christus vobis benedicet, & Pater eius nequaquam confundere personas inter se existimandus est, quia radicem non præposuit, deinde fructum adiunxit. Ergo & si quis dixit: Filius nos seruabit & Pater, confusionem nullam introducit, neque ordinem peruertit: sed hoc imperitis & iniquis rerum æstimatoribus, ita videtur. Nam si veritas iudicet, & Apostolica sententia, quæ inuicta est, obtineat: nihil interest & Filij primum meminisse, & Patris & sancti Spiritus.* Videtur ergo Chrysostomus significare, nullam esse prioritatem inter diuinas personas, propterquam vna vocetur prima, sed alia secunda vel tertia. Quod ipsum eadem ratione colligitur ex Athanasio, Theodoreto & Ambrosio multis in locis, quæ notauimus prædicta disputatione 66. sect. 7. prope finem.

9 Basilius denique primo aspectu negare videtur primum, secundum & tertium: verè tamen potius concedit, vt videbimus sectione sequenti probatione 2.

10 Tertiò probari potest eadem sententia, quia Filium esse natum de Patre, non est prius, quàm Spiritum sanctum ab vtroque procedere: ergo Filius ipse non est prior Spiritu sancto. Consequentia manifesta est, quia Filius existit cum primum natus est: & Spiritus sanctus non existit quousque procedat à Patre & Filio. Ergo si natiuitas non est prior processione; Filius non potest esse prior Spiritu sancto. Antecedés autem docuit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. init. dicens: *In illa summa Trinitate quæ Deus est, interualla temporum nulla sunt, per quæ possit ostendi, aut saltem requiri, vtrum prius de Patre natus sit Filius, & postea de ambobus processerit Spiritus sanctus.* Vnde post med. capitis adiungit: *Nunquid ergo possumus quærere, vtrum iam processerat de Patre Spiritus sanctus, quando natus est Filius: an nondum processerat, & illo nato de vtroque processit.* Et post pauca: *Non possunt prorsus ibi ista quæri, vbi nihil ex tempore inchoatur, vt ex consequenti perficiatur in tempore. Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem Filij de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de vtroque.* Vnde Magister 1. dist. 12. cap. 2. colligere videtur, negandam esse prioritatem in diuinis.

11 Quartò probatur, quia S. Thomas prioritatem naturæ vel originis, & vniuersaliter prioritatem absque limitatione non esse concedendam inter diuinas personas, docet multis in locis. velut in præsenti quæst. 42. art. 3. & supra quæst. 36. art. 1. ad 4. & 1. sent. dist. 9. quæst. 2. art. 1. & distinct. 12. quæst. 1. art. 1. & art. 2. ad 1. & 3. & distinct. 15. quæst. 4. artic. 12. ad 2. & de potentia quæst. 10. art. 1. ad 10. & art. 3. corp. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 2. sub init. & cap. 3. Consequenter eisdem & aliis in locis sanctus Thomas docet, nomine principij non significari prioritatem inter diuinas personas, cuius verba refert, & sequitur Capreolus 1. dist. 29. quæst. vnica art. 1. concl. 4. Violenter igitur à quibusdam recentioribus exponitur S. Thomas, vt minimè negauerit prioritatem originis aut naturæ, cum hoc addito, sed tantum negauerit prioritatem simpliciter dictam. Quoniam S. Thom. in præsenti art. 3. corp. & ad 2. & 4. atque aliis in locis simul concedit ordinem naturæ & originis sine prioritate, nimirum, naturæ vel originis, quorum ordinem concedit sine prioritate.

Quintò. Nobiliores Scholastici, rem ex professo discutientes, ordinem naturæ libenter admittunt, sed prioritatem naturæ negant. Sic Alexand. 1. part. quæst. 46. memb. 2. fine Albertus 1. p. quæst. 41. memb. 2. art. 1. ad 5. & art. 3. ad fin. S. Bonauentura 1. dist. 20. artic. 2. quæst. 1. & 2. præsertim in fin. Ricardus eadem distinct. 20. art. vnico quæst. 3. & 4. Durand. 1. distinct. 9. tota q. 2. & dist. 12. quæst. 1. num. 15. & sequentibus. & dist. 20. quæst. 2. ad 1. Carthus. 1. dist. 12. tota q. 2. & distinct. 20. quæst. 2. Henricus 2. part. art. 52. quæst. 3. corp. fine (licet aliter loquatur art. 54. quæst. 5. vt referemus sectione sequenti.) Eandem sententiam S. Thomæ sequuntur Caietanus, & multi recentiores in præsenti art. 3. Vbi Molina satis ex professo, breuius Valentia 1. part. quæst. 17. puncto 4. Suarez lib. 4. de Trinitate cap. 15. num. 7.

Ratione probat S. Thomas in præsenti art. 3. ad 2. Durandus dicta dist. 9. & alij. quóniam in diuinis duo tantummodo concurrunt ad constituendum suppositum, scilicet, essentia & relatio; quapropter si nec ratione essentiæ, nec ratione relationis Pater est prior Filio: manifestè sequitur nullo modo esse priorem. At Pater Filio non est prior ratione essentiæ, quoniam hæc est in vtroque penitus vna: prius autem & posterius secundum rem, necessariò supponit extrema realiter distincta. Rursus ratione relationis non potest esse Pater prior Filio; consequentérque non potest esse prior ratione essentiæ, prout est sub tali relatione, vel tali persona: quoniam relationes oppositæ sunt simul natura & intellectu: propterea quæ Paternitas & Filiatio, quibus solummodo Pater & Filius distinguuntur, sunt simul natura & intellectu, sicut probatum est disp. 9. sect. 3. & 4.

Secundam rationem adiungunt alij Scholastici, discurrendo per omnes modos prioris & posterioris, quos enumerat Aristoteles lib. 5. metaph. toto c. 11. prope finem. cuius, videlicet textu 16. peculiariter ponderant illa verba: *Priora & posteriora dicuntur quædam secundum naturam, & substantiam; quæcumque contingunt absque alijs esse, ista verò sine illis minimè, qua diuisione vsus est Plato.* Nam inde videtur colligi, nihil esse prius natura, nisi quod potest existere sine posteriori. Sed Pater non potest existere sine Filio tanquam suo correlatiuo. Ergo Pater non est prior natura, quàm Filius.

Tertia ratio, propter quam licet ordinem concedant & primum, secundum & tertium; nihilominus recusant, prioritatem concedere; quoniam ordo videtur solam perfectionem significare, quæ confusioni repugnat: prioritas verò significat excessum, & consequenter in correlatiuo posteriori defectum. Accedit affectus discedendi à modo loquendi hæreticorum, qui contendebant, Patrem esse priorem dignitate & duratione.

SECTIO

SECTIO IV.

Prioritatem originis aut naturæ Patrum & Scholasticorum authoritas, & rationes aliquæ probant.

1 PRimò Basilius lib. 1. contra Eunom. propius ad fin. quàm ad med. inter Patrem & Filium concedit *ordinem naturalem* iuxta quem est *prius & posterius non positione nostra, sed naturali quadam rerum consecutione.* Vnde post pauca infert: *Nos autem secundùm habitudinem causarum ad ea, quæ ex ipsis sunt, Patrem Filio præponi dicimus: naturæ verò diuersitate nequaquam, neque temporis excessu.* Cum dicit, non positione nostra, sed naturali consecutione prius & posterius esse, manifestè, significat, hunc prioritatis ordinem esse realem & non solum ex modo concipiendi, vel certè concipiendi modum esse fundatum in ipsa quidditate personarum.

Prioritas naturalis causæ, principij originis, &c.

2 Nazianzenus orat. 29. de dogmate & constitutione episcoporum inter med. & fin. ait: *Simul atque Pater ingenitè erat, Filius quoque genitè erat. Ita concurrit essentia Patris cum vnigeniti generatione, qui ex ipso est, non post ipsum, aut saltem sola principij cogitatione. Principium autem hic pro causa accipio.* Manifestè igitur cõcedit, Filium esse post Patrem sola principij cogitatione, non intelligens, hanc prioritatem solius cogitationis esse iuxta modum concipiendi, sed intelligens, esse tantùm prioritatem originis, quæ consistit in formali conceptu principij. Idem orat. 35. quæ est 3. de theolog. inter med. & finem apertè concedit, quod Pater Filio sit maior origine & *maior causæ natura.* Vbi maioritas nihil aliud significare potest, nisi prioritatem originis & eaùsæ natura.

3 Chrysostomus inter varias homil. in Ioan. homil. 1. de fide in Christo nõ procul à princ. *Prius*, inquit, *quam nasceretur vnigenitus, in suo genitore generandus manebat, non habens distantiam temporis.* Prærerea tom. 5. versus fin. orat. 9. de illo Abrahami *pone manum tuam*, &c. inter princ. & med. *Patrem*, inquit, *primò nomino, non qui ordine primus sit, sed ratione & sententia; siquidem ille vnigeniti Filij genitor existit: siquidem radix ille est sancti illius fructus: siquidem Filius æternum lumen, æterni luminis soboles.* Concedit ergo Chrysostomus, Patrem esse primum ratione originis, licet non sit primus ordine dignitatis. Origenes homil. 2. in *varios* circa illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, col. 3. ait: *Præcedit Pater Verbum, non natura, sed causa. Audi ipsum Filium dicentem: Pater maior me est. Substantia eius causa est meæ substantiæ. Pater*, inquit, *præcedit Filium causaliter.* Quibus in verbis non est ratio sufficiens Arianismum interpretandi: cum Nazianzenus paulo superius relatus maioritatem causæ natura concesserit.

Ioan. 14.

4 Ephræm Syrus tom. 3. in longiori opusculo de sui ipsius reprehensione propius ad med. quàm ad princ. *Quod post Filium*, inquit, *Spiritum sanctum dicimus, id non temporis, sed personæ est significatiuum; cum Spiritus & Verbi vna & eadem sit principij expers essentia atque substantia.* Docet ergo significari notionalem aliquam proprietatem personæ Spiritus sancti, ratione cuius postulat numerari post Filium. Quæ sententia concinit alteri, quam paulo superius ex Chrysostomo retulimus. Author libri de triplici habitaculo cap. 6. ante med. (apud Augustinum tom. 9.) *Tunc iustis*, ait, *manifestum erit, quomodo Pater non præcessit Filium tempore, sed origine, nec Spiritum sanctum.*

Ruiz. de Trinitate.

5 Augustinus in quæstionibus Veteris & Noui testamenti quæst. 122. ad fin. ait: *Nihil planè differt in substantia, quia verus Filius est: differt autem in causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est.* Et post pauca: *Apostolus Paulus. Vnus*, inquit, Rom. 11. *Deus Pater, ex quo omnia & nos in ipso: & vnus Dominus Iesus, per quem omnia & nos per ipsum: vt primus gradus sit, ex quo sunt omnia: secundus, per quem omnia: tertius, in quo omnia. Et quia nullus ex his degener est, in vnitate Dei significati sunt, dicente Apostolo, quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Gradus autem primus, secundus & tertius manifestè prioritatem aliquam denotant; vt propterea S. Bouent. similia verba referens ex lib. 9. confessionum (vbi non inueniuntur) respondeat Augustinum impropriè fuisse locutum.

Gradus in Trinitate.

6 Contrarium tamen scripsit Author expositionis symboli ad Damasum (quem sequitur Magister 1. dist. 25. cap. vltimo) dicens: *Non est prorsus aliquis in Trinitate gradus, nihilq; quod inferius superiusve dici possit.* Et Ambros. citatus sect. 2. arg. 4. dixit; *Gradum nescit æqualitas.* Quamuis Tertull. infra referendus *Gradum* admittat sicut Augustinus.

Qui gradum negant.

7 Magis apertè, quàm cæteri doctores, naturæ prioritatem asseruit Ricardus Victorinus nam lib. 5. de Trinit. c. 7. in med. tractans de prioritate secundæ personæ comparatione tertiæ, *Quod non potest*, inquit, *esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter, & eo ipso naturaliter.* Sequentique lib. 6. cap. 7. sub init. *Prius*, inquit, *Et posterius hoc loco intelligi volumus non temporum successione, sed ordine naturæ.* Et post pauca: *Quantum ad ordinem naturæ prior est dualitas, quàm Trinitas. Nam vbi est Trinitas non potest deesse dualitas, potest autem dualitas esse etiam vbi contingit Trinitatem deesse. Constat itaque naturaliter priùs dilectum esse, quàm condilectum habere.* Dilectum intelligit Filium, condilectum verò Spiritum sanctum: sic enim apertè loquitur in eo, sicut in aliis multis capitibus.

Prioritas naturæ.

8 Secundò probari potest ex Patribus, qui personas diuinas appellant primam, secundam & tertiam. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 18. fine, postquam retulerat blasphemum sensum, iuxta quem Aërius & sequaces contendebant, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse *primum, secundum, & tertium*, vt subnumerando denotarent, Filium esse inferiorem Patre, & Spiritum sanctum inferiorem vtroque, adiungit: *Sed nobis sufficit à Deo præscriptus ordo, quem qui confundit, non minus peccabit, quam peccat istorum impietas.* Ordo autem à Deo præscriptus est: *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Quapropter primum, secundum ac tertium Catholico sensu tacitè concedit Basilius, solummodo refutans eas voces iuxta mentem hæreticorum.

Prima, secunda & tertia persona.

9 Quemadmodum etiam lib. 3. contra Eunom. à princ. refutat, quod ille dicebat, Spiritum sanctum esse *tertium dignitate, ordine & natura*, & adiungit Basilius: *Quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo & causa essendi Pater ipse est; natura verò nullo modo secundus, quoniam in vtroque vna est Deitas; ita videlicet & Spiritus sanctus & si dignitate & ordine secundus à Filio est: non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ inde consequetur.* Et non longè inferius: *Spiritus sanctus dignitate quidem ordinis tertius est. Accepimus enim ipsum tertium à Patre & Filio numeratum.*

10 Quod autem Basilius asserit, Filium esse *dignitate secundum à Patre*, nec non Spiritum sanctum

esse *dignitate secundum à Filio.* Græcorum nomine Marcus in Concilio Florentino sess. 22. circa med. contendebat, non esse pronunciatum ex propria sententia Basilij, sed datum Eunomio, cum quo disputabat, notando ea prioritate data, non sequi naturæ diuersitatem. Sed è contrario Ioannes Latinorum nomine probauit, tam illis, quàm aliis similibus verbis, secundum Ambrosij expositionem, Basilium ex propria sententia concessisse *dignitate secundum & tertium,* vt constat post med. illius sessionis 22. §. *vt veritas*, & sequentibus. Quin etiam docet, antiquiores alios Patres ita sensisse.

11 *Dignitatem* igitur in his locis Basilius intelligit authoritatem principij producentis, quo sensu Patrem esse maiorem Filio, quamplurimi Patres intelligunt supra disp. 50. sect. 2. ita Basil. exponit S. Thomas opusc. 1. cap. 2. fine.

12 Athanasius in epist. ad Serapion. apud S. Thomam opusc. 1. cap. 2. initio. *Spiritus sanctus,* inquit, *tertius est à Patre, à Filio tamen est secundus.* Et apud eundem cap. 32. titulo 31. sub init. Athanasius in epistol. ad Serapionem: *Equidem,* ait, *sicut qui caput catenæ trahit, medium & aliam extremitatem trahit; sic & qui in Spiritum blasphemat scilicet tertiam personam & in Filium medium & in Patrem extremum, id est, principium, caput catenæ tertij discreti inconfusi ordinis diuini blasphemat: Sicut & è conuerso, qui Spiritum credit & recipit Deum, recipit & Filium eius, à quo est, sicut qui tenet vnum caput catenæ ad se trahens, medium eius tenet, & per medium aliud caput apprehendit.*

Catenæ similitudo.

13 Chrysostomus tom. 5. orat. 2. de Trinit. & serpente paulo post med. dicit: *Conuenientia illa, & quasi harmonia gloriæ, quæ Deo tribuenda est, non disturbatur. cum pro nominibus S. Trinitatis vel primum, vel secundum vel tertium ponitur. Namque primum, secundum & tertium, nullam naturæ diuinæ differentiam: sed theologicæ doctrinæ institutionem quandam, quæ omni confusione vacet, declarat.* Probat igitur Chrysostomus, & tanquam vtilem Theologicæ doctrinæ commendat modum significandi Patrem, Filium & Spiritum sanctum, dicendo *primum, secundum & tertium.*

14 Epiphanius hæres. 62. versus med. *Spiritus sanctus,* ait, *tertius nomenclatura, æqualis Deitate.* & hæres. 74. multo propius ad fin. quàm ad med. *Tertius nomenclatura, nam Trinitas est Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Idem in Ancorato col. 7. *Spiritus sanctus in medio Patris & Filij ex Patre & Filio tertius nomenclatura.* Præterea Spiritum sanctum esse lumen tertium à Patre, refert ex Epiphanio S. Thomas opuscul. 1. contra errores Græcorum cap. 3. Tertull. lib. contra Praxeam cap. 2. prope fin. & sequentibus capitibus, præsertim 8. 9. & 10. vocat Filium *secundum* & Spiritum sanctum *tertium*, & asserit esse *gradum secundum & tertium.*

15 Hilarius lib. 12. de Trinit. quatuor col. ante fin. ait: *Et quidem confessione communi, secunda quidem ab authore natiuitas est, quia ex Deo est, non tamen separabilis ab authore.* & col. penult. de Filio sic Patrem alloquitur: *Dum ex te est, secundus à te est.* Ambrosius etiam *tertiam personam* Spiritum sanctum appellat in symbolum Apostol. cap. 1. fin. Atque Augustinus similiter li. 12. de Trinit. cap. 5. & lib. 10. de ciuitate cap. 24. ad med. & serm. 38. de tempore colum. 3. Phœbadius lib. contra Arianos prope fin.

16 Tertiò magis vrgent eorum Patrum testimonia, qui vocant Filium *medium* & Spiritũ sanctum *extremum*, aut *terminum*, quæ sunt velut species prioritatis & posterioritatis. Athanas. enim epist. ad Serapion. apud S. Thomam dicto opusc. 1. cap. 32. tit. 31. ante med. *Spiritum*, inquit, *paracletum dicimus terminum beati & superessentialis diuini ordinis, qui ineffabiliter terminet proprium finem in se sua hypostasi, sicut & Pater tenet ipsius ordinis caput & fontale principium imprincipiatus ipse. Medium autem extremitatum ordinis, veraciter tenet Filius inter Patrem & Spiritum sanctum.* & paulo post. *Pater à se principio trini ordinis diuini per medium Filium genitum terminat ipsius ordinis finem naturali proprietate in tertio spirato Spiritu.* Considera voces illas *naturali proprietate:* & superius, *Proprium finem in sua hypostasi.* Denotant enim, realem & quidditatiuum esse hunc ordinem, iuxta quem Spiritus sanctus est finis & terminus diuini ordinis.

Medius Filius, sed Spiritus sanctus extremus seu terminus vocatur.

17 Cyrillus item in lib. thesaurorum apud S. Thomam in eodem loco nuper citato dicit: *Spiritum sanctum sanctæ Trinitatis existentem.* Et inde ratiocinatur: *Si hoc ita est, Deus ergo ex Deo Filio Spiritus sanctus est. Si enim Spiritus sanctus non esset à Filio, non magis Spiritus sanctus esset terminus Trinitatis, quàm Filius, nec ordo Trinitatis assimilaretur catenæ, sed magis triangulo.* Cyrillus itaque non voluntariam pro libito, sed necessariam & intrinsecam pro quidditate processionis, iudicat esse posterioritatem, ratione cuius Spiritus sanctus est terminus Trinitatis & postremus anulus catenæ.

18 Gregor. Nyssen. lib. ad Ablabium *quod non tres dij*, prope finem. Patrem appellat *primum*, & Filium *medium*, vnde consequens est, Spiritum sanctum esse *vltimum.* Cui consonat Damascen. epist. de Trisagio in med. dicens: Filium *esse medium Patris & Spiritus.* Videtur autem hoc ex Epiphanio recitare. Nec mente sed verbo tenus contradicit Chrysostomus, quãdo tom. 5. orat. 2. de Trinit. & serpente, tractans illud 1. Corinth. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, &c. notat *Spiritus primò meminisse, vt manifestum euadat, quod etiam si vltimo loco Spiritum nominarit, non propterea vltimum faciat & extremum.*

19 Quartò, non pauci doctores Scholastici prioritatem concedunt inter diuinas personas; licet inter se non omnino consentiant. Primò namque inter personas & inter ipsas origines seu processiones prioritatem naturæ concedit Henricus 2. part. art. 54. quæst. 5. corp. post med. ita vt Pater sit natura prior quàm Filius; & Filius natura prior quàm Spiritus sanctus, atque generatio sit prior natura quàm processio. Nec alium reperio, qui naturæ prioritatem admittat.

20 Secundò, quod Pater sit prior, quàm Filius, non natura, sed tantùm origine: quoniam hæc prioritas non est aliud, quàm Patrem esse id, à quo est Filius, & Filium esse id, quod est à Patre, docent Ocham. & Gabriel 1. dist. 9. q. 3. vbi Maior q. vnic. Marsil. in 1. q. 13. art. 2. concl. 1. & 2. Scotus 1. dist. 12. q. 2. & dist. 28. q. 3. §. *ad quæstionem* & quodlib. 4. art. 1. §. *contra ista arguitur.* Quem sequitur Canariensis in præsenti q. 42. art. 3. Magis ex professo Vazquez disp. 167. cap. 2.

21 Tertiò, videntur in eadem prorsus opinione fuisse, qui dicunt, Patrem esse priorem origine, quàm Filium, non affirmando, neque expresè negando prioritatem naturæ. Ita Gregorius 1. dist. 9. quæst. 1. art. 2. concl. 2. dicit, Patrem esse *priorem causalitate, seu producibilitate, seu origine.* Aureolus autem 1. dist. 1. pag. 85. col. 2. obiter concedit prioritatem originis. Quartò Argentina distinct. 9. q. vn. art. 4. & dist. 12. q. vnic. art. 1. valde ex professo probat inter Patrem & Filium, quatenus intelliguntur ad modum creaturarum interuenire prioritatem rationis, non verò prioritatem realem, neque realem præsuppositionem.

22 Illud autem peculiare contra cæteros Scotus habet, quod in eodem instanti temporis plura distinguit instantia naturæ, & in eodem instanti naturæ distinguit multa instantia originis; ex quibus in quodam instanti originis sit Pater, & in alio posteriori instanti originis sit Filius, & in tertio instanti originis sit Spiritus sanctus. Horum instantium distinctionem ac prioritatem ex professo refutant Ocham. Gabriel, Gregorius & aliqui recentiores locis nuper citatis. Sed quia controuersia generalis est ad omnes modos assignandi prioritatem, inter quaslibet formalitates diuinas: ideo non est instituti præsentis: alibi tamen fusè disseruimus de illa.

23 *Prioritas originis aut naturæ probatur. Primum argumentum.* Quintò, veniamus igitur ad rationes, quibus probari solet inter personas diuinas prioritas originis aut naturæ. Prima sit, quoniam vbi est primum, secundum & tertium, ibi prioritas & posterioritas est in eo saltem genere, & sub ea ratione, sub qua datur primum & secundum. Sed Pater est primus, Filius secundus & Spiritus sanctus est tertius secundum originem. Ergo inter Patrem, Filium & Spiritum sanctum datur verè prioritas & posterioritas originis. Maior probatur, quia licet Aristoteles non cognouerit productionem, retenta identitate naturæ producentis & producti; propterea que non potuerit expresè constituere prioritatem originis, quam tractamus: nihilominus inter prioritatis modos, quos enumerauit lib. 5. metaphys. cap. 11. text. 16. *Quædam*, inquit, *secundum motum* (scilicet priora sunt) *quod enim propinquius primo mouenti est, prius est: vt puer, viro.* Primum mouens intelligit primum producens, quod in diuinis est Pater, cui ratione productionis propinquior est Filius secundus, quàm Spiritus sanctus tertius.

24 *Quid sit esse primum.* Confirmatur, quoniam philosophari licebit etiam ad analogiam primi principij demonstrationis, de quo Aristot. lib. 1. posteriorum cap. 5. text. 14. decernit, esse primum, per quod aliquid conuenit alteri, sed sibi nõ conuenit per alterum, sed ratione sui. At verò Patri non conuenit esse per alterum, sed ratione sui, cum tamen Filio & Spiritui sancto conueniat esse propter Patrem. Ergo Pater est verè primum principium.

25 Vnde minor etiam probatur, quia licet aliqui Patres citati sect. 3. probat. 2. negauerint primum, secundum & tertium ad mentem hæreticorum, qui dignitate, perfectione vel duratione distinguere volebant hos gradus; nihilominus iidem aliique Patres omnésque theologi, nemine discrepante, fatentur ordinem originis, iuxta quem Pater sit primus, Filius verò secundus, & Spiritus sanctus sit tertius & ratione demonstratur, quoniam ordo est habitudo plurium ad vnum principium. Principium autem eo ipso primum est ex Aristot. 1. post text. 5. & quod est immediatè à principio, eo ipso secundum est: quod autem est à primo & secundo, eo ipso tertium est.

25 *Primus, medius & extremus.* Confirm. primò, nam prius dicitur à primo, siue à principio. Ergo quod est primum & principium, eo ipso prius est, quàm tertium. Confirm. secundò, quoniam extremũ, siue vltimum aut finis & terminus, eo ipso posterius est sub ea ratione, sub qua terminus est & finis vltimus & extremus; similitérque mediũ est posterius primo, sicut est prius extremo, sub ea ratione, qua medium est. Sed Filius est *medius* & Spiritus sanctus extremus, finis & terminus in ratione originis, vt asserunt Patres citati probat. 3. Ergo Pater est prior Filio, & Filius est prior Spiritu sancto, tanquã posterioribus in ratione originis. Nec obstat Nazianzenus orat. in sancta lumina, siue de Epiphania, vocans Spiritum sanctum *medium*, non enim agit de mediatione originis, sed indicat Spiritum sanctum esse nexum amoris mutui inter Patrem & Filium, vt rectè S. Thom. opusc. 1. cap. 9.

Totus discursus corroboratur ostendendo non satisfacere solutiones, quæ solent adhiberi. Primò namque S. Tho. opusc. 1. cap. 2. Patres exponit vt *primum, secundum & tertium* non alio sensu dicant, quàm in numerando. Quæ solutio vires eneruaret argumenti præcedentis, si quidditas personarum, & realis earum origo, nó postularet peculiari quadã ratione prius numerari Patrem, secundò Filium, tertiò Spiritum sanctum; sed pro suo libito numerans posset non minus aptè dicere Spiritum sanctum primum & Patrem secundum vel tertium. At personarum quidditas & realis earum origo peculiari ratione postulat, vt persona, quæ est principium sine principio, appelletur prima; & persona, quæ est principium de principio, dicatur secunda; persona verò procedens ab vtraque, & quæ non est alterius principium, dicatur tertia & vltima.

26 *Prima solutio refutatur.*

A quidditate personarũ postulatur, vt hæc dicatur esse prima, alia secunda & illa persona tertia.

Secundò. Durand. 1. dist. 20. q. 2. prope fin. respondet primum, secundum & tertium significare tantum ordinem, sed prius & posterius excessum atque defectum. Veruntamen pro libito constituitur istud discrimen, sicut enim primum, secundum & tertium in numero creato dicit imperfectionem, à qua præscinditur, quando elevatur ad significandas personas diuinas: eadem omnino ratione prius & posterius potest à qualibet imperfectione præscindi: atque hæc præcisio significatur quoties & posterioritas limitatur, vt sit tantùm originis.

27 *Secunda solutio reijcitur.*

Tertiò, propter eandem rationem non satisfacit, quod merè gratis respõdet Henric. 2. p. art. 52. quæst. 4. ad 1. ex primo, secundo & tertio non sequi prioritatem in his suppositis, quæ sola relatione distinguuntur, sed tota essentia absoluta sunt idem. Sed quare non sit prioritas, saltem in præcisa relatione, secundum quam distinguuntur, non dicit Henricus. Secundum argumentum sit, quoniam verè Pater præsupponitur ad Filium, quãtum est ex præcisa & formali quidditate producentis, atque isto modo Filius non præsupponitur ad Patrem; præsupponitur autem ad Spiritum sanctum, qui nequaquam præsupponitur in ratione producentis ad Patrem & Filium. Ergo considerata præcisa & formali ratione producentis & producti, Pater est prior Filio, & vterque prior est Spiritu sancto.

28 *Tertia solutio reijcitur.*

Secũdum argumentum.

Tertium argumentum ad hominem, quoniam S. Thomas supra quæst. 40. art. 4. corp. fine docet, proprietatem personalem Patris posse considerari secundũ quod est constitutiua personæ; atque hoc modo præintelligitur generationi, sicut persona agens præintelligitur actioni. At verò Filius intelligitur post generationem tam actiuam, quàm passiuam; vt ibidem S. Thomas docet, & fusiùs tractatum est disput. 91. sect. 1. & 2. Ergo proprietas personalis Patris, vt est constitutiua personæ, prior est quàm Filius.

29 *Tertium argumentum.*

Quartum argumentum sit, quoniam vt Aristoteles ait in postprædicamentis cap. de modis prioris post med. quintus modus prioritatis reperitur

30 *Quartum argumentum.*

ritur etiam inter illa, *quæ conuertuntur essendi consequentia: alterum enim quod est causa quouis modo, vt alterum sit, prius natura non incongruè dici potest.* Vnde manifestè sequitur, in philosophia contingere posse prioritatem naturæ, etiam inter ea, quæ propter aliam rationem sunt simul natura; ita vt propter diuersas rationes in eisdē suppositis concurrant & se inuicem compatiantur prioritas & simultas. Quapropter à fortiori diuinis personis propter earum infinitam eminentiam non repugnabit, esse priores & posteriores in ratione producentis & producti, quamuis prout relatiua sunt, omnimodam habeant simultatem.

31 Confirmatur, quia licet totum esse absolutum vnius personæ non sit principium productiuum *vt quod*, nec esse absolutum alterius personæ sit productum *vt quod*; nihilominus totū esse vnius personæ, cōstans ex absoluto & relatiuo, est principium productiuum *vt quod*; & totum esse alterius personæ, constans similiter ex absoluto & relatiuo, producitur *vt quod*. Ergo quantum ad hoc præcisè formalitérque sumptum verificatur analogia prioritatis inter ea, quæ conuertuntur essendi consequentia; quoniam neutrum esse potest sine altero: nihilominus vnum est principium productiuum alterius.

SECTIO V.

Decisio quæstionis, vtramque sententiam concilians.

1 SOlis vocabulis dissidere prædictas sententias, prior docuit Caietanus in præsenti quæst. 42. artic. 3. §. *circa hanc*, quem sequuntur cæteri expositores S. Thomæ. Probat, quoniam assertores prioritatis vocant prius origine, *à quo alius*, & posterius origine, *quia ab alio*. Vnde in huiusmodi propter sanctorum doctorum reuerentiam, qui his vocabulis vsi non sunt, & ad tollendas erroris occasiones sententiam, inquit, teneant, sed linguam cohibeant.

2 *Controuersia est de re, non de solis vocibus.* Nihilominus dico primò. Patres vsi sunt non raro prædictis vocabulis, vt constat ex præcedenti sectione: præterea dissidium vtriusque sententiæ non est tantum de vocabulis sed multum habet de re, solidóque modo cōcipiendi. Probatur primò, nam esse primum, secundum & tertium non est merum vocabulum, sed realis formalitas, conueniens personis secundum realem proprietatem vniuscuiusque. At esse primum, secundum & tertium species quædam sunt prioritatis & posterioritatis, vt dicebamus sectione præcedenti. Ergo prioritas & posterioritas, de quibus disputatur, nō sunt mera vocabula: nec authores de solis vocabulis dissident quando vnus negat & alter concedit prioritatem.

3 Probatur secundò, quia res ipsa vertitur in cōtrouersiam, quando quæritur, vtrum aliquis conceptus distinctus ab aliis, verificetur de aliqua re. At verò cōceptus prioritatis est distinctus à conceptu ordinis principij producentis, & termini producti. Ergo quamuis authores primæ sententiæ concedant ordinem principij producentis & termini producti: nihilominus negando prioritatem originis, de re ipsa dissident ab authoribus, qui concedunt. Minor probatur, quia prioritas est ratio communis inclusa in ordine originis: qua propter quemadmodum, qui concedit, angelum esse intellectiuum, & negat esse incorporeum, de re dissidet ab vera theologia, quæ docet, angelum esse incorporeum; quamuis spiritualitas ista sit ratio communis, essentialiter inclusa in conceptu substantiæ intellectiuæ: sic etiam prædicta distinctio conceptus vniuersalis & particularis est satis ad differentiam de re ipsa. Confirmatur, quoniam in creaturis prioritas est formalitas distincta ab ordine originis. Possumus autem, sublatis imperfectionibus, eosdem conceptus ad diuinas personas eleuare, vt magis constabit assertione 4.

4 *Non est prioritas in personis sub pleno conceptu.* Dico secundò. Pater sub pleno conceptu Patris non est prior Filio: similitérque spirator sub pleno & formali conceptu spiratoris nō est prior Spiritu sancto, quoniam hæc sunt correlatiua, propterquæ sunt simul natura & cognitione. Hanc assertionem sufficienter probāt fundamenta primæ sententiæ, posita in sect. 3. & præterea confirmatur, quia Pater sub pleno conceptu Patris consideratus, iam genuisse concipitur, non verò quasi principium potens generare. Quapropter vt sic concipitur, vt iam coëxistens simul cum Filio, non vt prior Filio.

5 *Pater & Filius priores Spiritu sancto.* Dico tertiò. Pater & Filius etiam sub pleno conceptu Patris & Filij (præscindendo tamen ab explicito conceptu spiratoris) sunt priores origine, quàm Spiritus sanctus. Hanc assertionem à fortiori probat ratio, quæ adducenda est ad probandam assertionem sequentem.

6 *Prioritas secundum quid sub partiali conceptu.* Dico quartò. Pater sub aliquo quasi partiali ac semipleno conceptu consideratus, est prior origine, quàm Filius. Quæ proinde non est prioritas simpliciter, sed tantum secundum quid. Probatur, quoniam Pater intelligi potest præcisè, prout constitutus in ratione primæ personæ per talem perfectionem positiuā, propter quam non potest ab alio principio produci, sed potius ipse pollet fœcunditate, qua potens est, producere personas alias, abstrahendo ab hoc, quod de facto producat aut generet, & ab hoc quod de facto referatur ad Filium. At verò Pater ita conceptus est prior, quàm generatio. Sic enim S. Thom. docuit, proprietatem personalem Patris, prout est constitutiua personæ, priorem esse, quam generatio, supra q. 40. art. 2. & art. 4. corp. fine, & de potentia q. 10. art. 3. & lib. 1. sentent. dist. 13. q. 1. art. 2. fine, & dist. 27. q. 1. art. 2. Quem sequuntur eius discipuli Capreolus, Ferrarien. Caietan. & Canarienſis citati supra disput. 91. sect. 1. pro quarta sententia. Rursus generatio actiua prior est, quàm Filius, vel certè nō est posterior quam Filius. Ergo Pater sub illo conceptu semipleno & imperfecto, saltem secundum rationem prior est, quàm Filius. Hæc autem prioritas alia nequit esse, quàm originis, vt magis constabit ex sequentibus assertionibus.

7 Vt autem non simpliciter & absolutè prior appellandus sit Pater, sed tantum cum addito minuente, atque significante prioritatem secundum quid, videlicet, tantùm secundum originem; ratio est, non solum quia prioritas simpliciter & sine addito dicta, videtur significare durationis anteceſſionem. (Quam ob causam scandolosa est illa propositio: *Deus Pater est antequā Deus Filius.* quæ inter errores Raymundi Lullij numeratur vndecimus in directorio inquisitorum par. 2. q. 9.) Sed potissimum, quia prioritas nulla conuenit Patri ratione totius substantiæ absolutæ, nec ratione relationis, conceptæ sub pleno & adæquato conceptu relationis, actualiter & quasi prædicamentaliter referentis; sed tantum conuenit considerato semipleno & inchoato conceptu personæ primæ, sicut explicatum est nuper.

Priori

8 Prioritatem ita explicatam sufficiéter probant testimonia & rationes adductæ præcedenti sect. 4. Quamuis illius sententiæ nonnulli authores excedant; non modò qui vocant prioritatem naturæ, sed etiam qui vocantes prioritatem originis aut producibilitatis, nō distinguunt in Patre formalitatem quasi partialem: ideóque Patrem sub pleno & adæquato conceptu relationis priorem facere videtur: quod magis expressè, quàm cæteri, probare nititur vnus aut alter ex authoribus illius sententiæ. Consonant etiam huic assertioni nonnulli Scholasticorum, negantium prioritatem supra sect. 3. Veluti Caietanus in præsenti quæst. 42. artic. 3. §. *ad euidentiam.* Argentina 1. distinct. 9. quæst. vnica artic. 4. colum. 2. ad 1. à quibus in re ipsa non differt Molina in præsenti art. 3. col. penult. & vltim. licet Caietanum impugnare videatur.

9 *Occurritur obiectionibus Durandi.* Durandus autem 1. distinct. 9. quæst. 2. num. 7. & sequentibus, contendit, in diuinis non posse intelligi Paternitatem, præscindendo à formalitate relationis; nec posse intelligi producēs esse prius producto. Cuius probationes omitto breuitatis causa; satis enim est respondere, concedendo, Paternitatem formaliter, vt paternitas est, absq: formalitate relationis nō intelligi pleno & adæquato conceptu. Nihilominus prima persona sub ratione primæ personæ subsistentis, & potentis producere potest concipi præscindendo ab explicito conceptu producentis actualiter, & quasi prædicamentaliter relati: sicut in assertione declaratum est. Nec contrarium probare possunt obiectiones Durandi.

10 *Realis est prædicta prioritas.* Dico quintò. Realis est prædicta prioritas, licet sit secundum quid. Ita colligitur ex Patribus citatis sect. 4. præsertim ex Basil. lib. 1. contra Eunom. vt in illius initio pōderauimus; & ex Athanasio, & Cyrillo quorum verba ponderata sunt in eadem sect. 4. probatione 3. Eandem sufficienter probat prima ratio, posita in eadem sect. 4. longè post med.

11 Nec obstat realitati, quod hæc prioritas conueniat primæ personæ, prout per intellectū præscinditur ab actuali relatione: siquidem negari non potest, quin prima persona sit realiter subsistens à se, independenter à quolibet producente, sitq; realiter fœcunda, realitérque potens producere alias personas: quamuis hæc non conueniant primæ personæ secundum formalitatem relationis actualiter relatæ, sed præscindendo ab illa. Denique nostri intellectus præcisio sicut non facit Patrem subsistentem & fœcundum; ita non facit prioritatem; sed inuento fundamento in re, distinguit, sub qua ratione conueniat aliquid, & sub qua ratione non conueniat. Alioqui dicendum foret generationem non esse realiter per intellectionem potius, quàm per volitionem: quoniam intellectio & volitio distinguuntur in Deo sola ratione.

12 Dico sextò. Realis hæc prioritas non est relatio distincta à quatuor relationibus Paternitate, Filiatione, spiratione & processione: nec enim sunt in Deo plures relationes, quàm istæ quatuor (vt probatum est disput. 18. sect. 4. præsertim probatione 3.) Sed est communis quædam formalitas, quidditatiuè conueniens duabus proprietatibus personalibus Patris & Filij: sicut realis posterioritas originis est etiam cōmunis quædam formalitas, conueniens proprietatibus Filij & Spiritus sancti. Sic enim S. Thom. in præsenti artic. 3. ad 1. & S. Bonauent. 1. dist. 20. art. 2. q. 1. ad 4. exi-

Ruiz. de Trinitate.

13 Ex dictis colligitur generalis solutio ad omnia fundamenta vtriusque sententiæ. Nam Patres, qui sect. 3. initio, dicunt, in Trinitate nihil esse prius nec posterius, excludunt potissimùm eam, quam Ariani blasphemabant, prioritatem durationis, perfectionis ac dignitatis: quod magis apertè constat in quorundam contextu. Præterea simul intendisse videntur illi Patres, excludere quamlibet prioritatem, quæ simpliciter & absolutè prioritas sit, & quæ repugnet coëxistentiæ, ratione cuius relatiua sunt simul natura & cognitione secundum plenum & adæquatum conceptum relatiuorum. Atque hoc præcipuè intendunt Basil. & Alexander Alexandrinus.

14 Ad secundam probationem ex Patribus, negantibus primum, secundum & tertium, solutio constat ex eadem probatione; quoniam dignitatis & perfectionis gradus negabant: alibi concedentes origine primum, secundum & tertium; vt vidimus sect. 4. Ad tertiam probationem resp. Ex illo contextu Augustini manifestè constat, agere de prioritate durationis. Ad quartum ex Scholasticis respond. Rectè sentiunt, quantum ad excludendam prioritatem simpliciter.

15 Ad primam rationem respond. Ratione relationis, non sub pleno & adæquato conceptu relationis, sed sub partiali conceptu superius explicato, Pater est prior, licet sub pleno conceptu relationis simul sit, & non prior. Ad secundam rationem respond. concedendo, Patrem non esse prius natura, quàm Filiū; est tamen origine prior, quem modum prioritatis ita præscissum ignorauit Aristoteles, vtpote supernaturalem. Ad tertiam respond. Prioritas præscindi potest ab imperfectionibus modo superius explicato.

16 Tandem ad omnia testimonia & argumenta, quæ sect. 4. probant prioritatem, Respond. solummodo probare prioritatem secundum quid, realem tamen, vt explicatum est.

DISPVTATIO CVI.

Vtrum origines inter seipsas habeant ordinem prioris & posterioris.

SECTIO I.

Ordinem naturæ recipiunt omnes; sed de prioritate valde dissident.

1 NE fortè similitudo cognatióque difficultatum lectorem confundat, vel suspicionem injiciat inutilis repetitionis, aut malè cohærentis doctrinæ: necessarium est admonere, supra disput. 91. sect. 1. & 2. solummodo tractatam esse prioritatem ac posterioritatem cuiuslibet originis comparatione personarum: sed inter se mutuo nondum comparatæ sunt origines quantum ad prioritatem & posterioritatem.

2 Hoc igitur est proprium præsentis disputationis, quoniam ex præcedenti facilè potest inferri, naturæ ordiné inter processiones reperiri, quem-

admodum inter personas & ratione personarum, omnes Scholastici pro certo supponunt, aliqui tamen magis expresè notarunt, vt S.Thomas 1. dist.12.q.vnica art.1.corp.S.Bonau.1.dist.12.art.1. q.4. Durand.eadem dist.q.1. Henricus 2.p.art.60. quæst.3. Ratio est, quoniam origines, sicut non sunt propter seipsas, sed propter personas, ad quas producendas destinantur à principio producente, & quæ cum personis realiter identificantur, sic etiam ratione personarum earundem sortiuntur ordinem naturæ. Confirmatur, quoniam ordo naturæ secundum August. & alios theologos citatos disput. præced. sect.2. consistit in eo, quod aliquis sit ex alio & alius sit à quo aliquis. At verò processio est à generatione actiua & passiua, sicut Spiritus sanctus est à Patre & Filio: Ergo inter generationem & processionem est ordo naturæ.

3 Quod attinet ad prioritatem inter origines, illam absolutè negat Magister 1. distin.12. cap.2. cum Augustino cuius verba posuimus præcedéti disp.105. sect.3. probat.3. Veruntamen agere videtur tantummodo de prioritate durationis.

4 Quantum ad alias prioritates, imprimis Henricus concedit generationem esse natura priorem processione 2. part.summæ artic. 54. quæst.5. corpore post med. Cui consonat artic. 60. quæst.3. Alexander etiam 1.part. quæst.46. memb. 7. post med. concessit naturæ prioritatem inter generationem & processionem; addidit tamen, non esse prioritatem *re vel tempore*. Quapropter videtur magis fauere sententiæ quartæ quæ dicit solam esse rationis prioritatem.

5 Secundò, Ochamus & Gabriel 1. distin.9.q.3. prope fin. dicunt, generationem actiuam & passiuam, esse priorem spiratione passiua, prioritate originis seu producibilitatis eodem modo, quo Pater & Filius sunt priores Spiritu sancto, vt probatum est sect. præced. Tertiò magis expresè Vazquez disput.168.cap.2. non longè à principio dicit esse realem hanc prioritatem.

6 Quarta communiórque sententia solam prioritatem rationis admittit inter generationem & processionem. Hanc tenet S. Thomas 1. dist.12. quæst.vnica artic.1. & distinct.15. quæst.4. artic.2. ad 2. S. Bonauent. 1. distinct.12. artic.1. quæst.4. Durand. eadem distinct.12. quæst.1. valde diffusè præsertim n.15. & in fine. Ricard. dist.12. articulo vnico q.4. Argentina 1. dist.9.q.vnica.art.2. Carthus. 1. dist.12. quæst.2. Molina in præsenti q.42. artic.3. fine. Hæc sententia vera est, sed indiget declaratione maiori per varias conclusiones, ex quibus in sect. sequenti constabunt illius fundamenta solidiora.

SECTIO II.

Variæ prioritates originum iuxta varias earum comparationes.

1 *Generatio & natiuitas cõparãtur cum spiratione actiua.*

PRima conclusio. Generatio tam actiua quàm passiua nequit esse realiter prior, quàm spiratio actiua. Probatur, quoniam origo, quæ est spiratio actiua realiter identificatur in Patre cum generatione actiua, & realiter identificatur in Filio cum natiuitate seu generatione passiua, nulla verò realis prioritas est possibilis inter extrema, quæ non distinguuntur realiter. Antecedens constat ex dictis disp.84. sect.1. & 2.

2 Secunda cõclusio. Generatio tam actiua, quàm passiua est secundum rationem prior, quàm origo actiua, quæ est spiratio. Probatur, quia Pater & Filius in ratione Patris & Filij sunt prius ratione, quàm intelligatur spiratio actiua siue in ratione originis siue in ratione relationis: vt constat ex dictis disput. 70. At verò generatio actiua non est posterior, quam Pater, sed simul; & generatio passiua non est posterior, quàm Filius, sed potius aliquo modo prior; ita vt nec Pater possit intelligi, nisi prius, aut simul intellecta generatione actiua; nec Filius, nisi prius intellecta generatione passiua; vt probatum est disp.91. sect.2. *Secundum rationem prioritas.*

Nec obstat quod obijciunt aliqui, dicentes: Nihil Patris est posterius Filio: at origo actiua spirandi est aliquid Patris. Respondetur namque. Nihil Patris sub præcisa ratione Patris, est posterius, quàm Filius vllo modo: cæterum quod Patri, iam constituto in ratione Patris quasi superuenit, vt sit vnum principium simul cum Filio, hoc posterius est, quàm Filius, non realiter, sed tantum ex modo concipiendi. 3 *Obiectio dilluitur.*

Tertia conclusio. Realis est prioritas, qua generatio, tam actiua quàm passiua, prior est quàm processio siue origo passiua Spiritus sancti. Nihilominus hæc non est prioritas simpliciter, sed tantùm secundum quid. Probatur, quia Pater & Filius, simul sumpti sub pleno conceptu Patris & Filij, præscindendo à spiratione actiua, sunt aliquid realiter prius, quàm Spiritus sanctus, cum quo realiter identificatur spiratio passiua; licet hæc prioritas sit tantum secundum quid. Eadem autem est ratio de generatione realiter identificata cum Patre, & de natiuitate realiter identificata cum Filio. 4 *Processio passiua realiter posterior secundũ quid.*

Confirmatur primò, nam hæc prioritas necessariò cohæret cum ordine originis. At verò constat, spirationem passiuam esse à generatione actiua & passiua, quatenus est à Filio, qui non existeret, nisi per generationem actiuam & passiuam; & quatenus est à Patre, qui nisi generaret, non esset Pater. Confirmatur secundò, quoniam origines istę nõ opponuntur immediatè & formaliter oppositione relatiua; ideóque non habent illud impedimentum prioritatis, quod habet Pater, ne sit prior Filio, & Spirator, ne sit prior Spiritu sancto. de quo disp. præced. præsertim sect.5. 5

Vnde infero & sit quarta conclusio. Generatio actiua realem aliquam prioritatem habet comparatione natiuitatis: quia formaliter & præcisè ratione sui generatio non opponitur relatiuè natiuitati; ac proinde quantum est ex hoc capite non sunt simul natura; cum tamen aliunde natiuitas sit à generatione actiua, propterea quod Filius est à Patre generante. Idem intellige de origine actiua Spiritus sancti comparatione originis passiuæ, quæ est processio. 6 *Generatio prior natiuitate.*

Foret hæc prioritas magis certa; si Paternitas, prout est relatio secundum plenum conceptum Paternitatis, esset posterior, quàm generatio: quę admodum existimarunt S.Thom. & S.Bonauent. & multi alij Scholastici, fauéntque Patres, asserentes, primam personam ideo esse Patrem, quia genuit; vt vidimus disp.91. sect.1. sentent.2. & 3. Nihilominus quoniam in eadem disp. 91. sect. 2. conclusione prima probatum est, nullam prioritatem rationis interuenire inter generationem & Paternitatem conceptam pleno, explicito & adæquato conceptu Paternitatis: inde nascitur contra præcedentem conclusionem hæc obiectio. Paternitas nõ est prior quàm Filiatio, sed simul cum illa. Rursus generatio non est prior quàm Paternitas, sed simul cum illa: ergo generatio non est 7 *Obiect.2.*

prior

prior quàm Filius, sed simul cum illo. Deinde verò Filius non est prior, quàm eius natiuitas: Ergo generatio non est prior, quàm natiuitas.

8 *Soluitur.* Respond. Prædictus modus arguendi concludit semper circa prioritatem durationis; at verò circa prioritatem originis aut naturæ non semper concludit, sed tantùm quando seruatur idem modus respiciendi se inuicem extrema. Nam simultas tota consistit in eo, quod relationes mutuæ sunt simul natura & cognitione, qua formalitate præcisa, prætualet prioritas originis ratione cuius vnum est à quo aliud procedit. Hoc autem verificatur in generatione actiua comparatione natiuitatis, vt vidimus in conclusione.

9 *Altera obiectio.* Sed vrget adhuc Durand. 1. dist. 12. quæst. 1. num. 15. quoniam vbi personæ constituuntur per origines, si per personæ sunt correlatiuæ, & simul natura & cognitione: non possunt origines esse priores aut posteriores. Respond. Personæ prius ac principaliter constituuntur per relationes, posterius autem & consequenter per origines,: vt probatum est disputat.87. præsertim sect.5. Ideo licet personæ sint formaliter correlatiuæ simúlque natura & cognitione: nihilominus origines non habent hanc simultatem. Quod si personæ prius & principaliter constituerentur per origines; eo ipso non essent formaliter correlatiuæ, neque simul. Quapropter illud Antecedens inuoluit repugnantiam. *Soluitur.*

SECTIO III.

Prædictum ordinem & prioritatem per se conuenire processionibus diuinis.

1 DVrandus 1. dist. 12. quæst. 1. præsertim num. 8. & sequentibus prolixè probare contendit, ordinem originis inter generationem Filij & spirationem Spiritus sancti, non per se & directè, sed indirectè, concomitanter & quasi per accidens conuenire, sicut per accidens potest in diuinis reperiri.

2 Deceptionis huius occasio fuit, quoniam Durandus existimabat, Filium propriè non procedere per intellectum, neque Spiritum sanctum per voluntatem, vt vidimus disput. 2. sect. 1. sentent. 2. quam refutauimus ibidem sectionibus sequentibus. Insuper inter essentiam diuinam & eius relationes Durandus constituit distinctionem ante opus intellectus, vt vidimus disput. 11. sect. Consequenter ad hæc existimabat Durandus, Filium non esse per se requisitum ad spirandum, imò nec Patrem, sed quemlibet illorum absque altero spirare potuisse.

3 *Argumẽtum.* Præcipuum verò argumentum illius est, quia si Filius existeret & haberet vim spiratiuam; licet non existeret per generationem, adhuc spiraret: ergo generari seu natiuitas Filij non per se requiritur ad spirandum Spiritum sanctum. Eodem modo de Patre argumentatur, quia si Pater existeret & haberet vim spiratiuam, licet non generaret, adhuc spiraret Spiritum sanctum, ergo generatio actiua non per se requiritur ad spirandum, sed per accidens.

4 *Solutio.* Respond. Vt existat Filius, & vt habeat vim spiratiuam, summa perfeitate requiritur natiuitas, quia sine natiuitate non esset Filius. Propterea ex suppositione illa, quod Filius existeret & haberet vim spiratiuam, licet non per generationem, vtrumque sequitur, & quod spiraret, & quod non spiraret. Quoniam ex negata generatione, summa perfeitate collectionis infertur, quod nec esset verè Filius, sed fictitius, nec veram haberet vim spirandi. Similiter vt existat Pater, & vim spiratiuam habeat, summa perfeitate requiritur actiua generatio, sine qua sicut non existeret Filius; ita non existeret Pater eius correlatiuus. Propterea si Pater existeret, & non generaret; contradictio sequeretur, similis præcedenti.

Dico igitur primò. Generatio, inquantum generatio, & natiuitas, inquantum natiuitas, non est immediatè & proximè requisita ad spirandum. Probatur, quia Pater, inquantum Pater, & Filius, inquantum Filius, non dicunt rationem formaliter constitutiuam spiratoris, sed tantùm radicaliter. 5

Dico secundò. Generatio, inquantum generatio, & natiuitas, inquantum natiuitas, per se atque formalissimè requiruntur, vt Pater sit Pater, & Filius sit Filius: at verò Pater & Filius per se & formalissimè requiruntur, vt radicale principium spirandi per spirationem actiuam, cui correspondet spiratio passiua. Ideo summa perfeitas est per omnes anulos concatenationis inter generationem & spirationem, ita vt nullus intercedat nexus per accidens. Probatur, quoniam Spiritus sanctus per se, & ex vi suæ processionis formaliter requirit, vt illius principium sint duæ personæ realiter distinctæ, quarum vna sit Pater, & altera sit Filius, procedens per intellectionem, quæ per se prærequiritur ad volitionem, per quam procedit Spiritus sanctus. Hoc fundamentum ex professo probatum fuit tota disputat. 71. 6 *Perfeitas, qua generatio & natiuitas prærequiritur ad spirationem.*

Inde igitur manifestè sequitur, ordinem & prioritatem per se conuenire generationi & natiuitati cõparatione spirationis passiuæ. Quoniam omne per se requisitum ad aliud, eo ipso est per se prius aliquo modo quàm illud. 7

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius sit æqualis Patri secundùm magnitudinem.

PLVRIMA sunt, quæ S. Thomas in hoc articulo tangit: sed nihil eorum restat in repræsenti tractandum, quoniam variis in locis exposita sunt. Nam æqualitas omnimoda Filij probata est disput. 54. præsertim sect. 6. & sequentibus; sicut æqualitas Spiritus sancti disp. 66. præsertim sect. 6. & 7. nec non disp. 103. sect. 2. Rursus æqualitatem esse non solum ratione naturæ, sed etiam ratione personalitatum, probatum est disp. 30. & disp. 103. sect. 6. 1 *Plurima quæstiones remittuntur.*

Quod in argumento *sed contra* tangitur de verbis Apostoli Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, fuit expositum disp. 54. sect. 6. & 7. Testimonia verò, quæ subiectionem Filij significant (& tanguntur in arg. 1.) declarata sunt disp. 50. sect. 8. & sequentibus, ac in eadem disput. sect. 2. & 3. declaratum est quo sensu Filius dixerit: *Pater maior me est*, quod tangitur in argum. 1. sed quod obiicitur in argum. 2. Paternitatem deesse Filio, tractatum est disput. 30. sect. 10. ad primum. atque in eadem disput. sect. 2. probatum est, tres personas non esse plus, neque maius aliquid, quàm vna, quod tangitur in argumento 3. & eius 2

solutione. Vbi etiam agitur de toto vniuersali, quod in Trinitate quomodo reperiatur, vidimus disput. 35. & 38.

ARTICVLVS V.

Vtrum Filius sit in Patre, & è conuerso.

DISPVTATIO CVII.

Vtrum circumsessio diuinis personis conueniat secundum se totas.

SECTIO I.

Contra circumsessionem errores & argumenta.

1 *Primus error.*

ARIANI dicebant, Filium esse in Patre, quemadmodum omnes creaturæ sunt in Deo, iuxta illud actorum 17. *In ipso viuimus, mouemur. & sumus. Quomodo enim aliter Filius maiorem se ipso Patrem capere poterit? aut quomodo Filius minor maiorem Patrem replere poterit?* Hoc argumentum refert, ac refutat Cyrillus lib. 3. thesauri cap. 1. initio, & præter alia, notat esse discrimen, quia, *Nos gratia & participatione in Deo viuimus, & mouemur, & sumus: Filius verò secundum naturam, quasi à fonte semper viuo ex substantia Patris emanans.* Vnde post pauca infert: *Non ergo vt nos in Deo viuit, & est, sed naturaliter ipse vita est, & in Patre naturaliter est, vnum cum ipso secundum identitatem essentiæ.*

Discrimen quo creaturæ sunt in Deo.

2 *Alter error.*

Illud autem argumentum, quoniam minor maiorem nec capere potest, nec replere; alludit ad alium errorem eorum, qui putabant, *Filium intrare in Patrem, & vt vas in vase inesse.* Hos suppresso nomine refert Philiastrius in 2. catalogo hæreseon sub Apostolis num. 4. Augustinus autem lib. de hæresibus cap. 58. vocat eos *Metangismonitas*, id est, *Transuasantes*, quia dicebant, *Filium vt vas minus, intrare in vas maius.* Prateolus eosdem facit antiquiores Ario, quam antiquitatem significat ordo, quo referuntur à Philiastrio multo prius, quàm Sabelliani & Ariani: licet eos Ario posteriores esse voluerit Sanderus lib. 7. de visibili monarchia sub Constantio imperatore & Iulio Pontifice.

3 *Immanentia non est transfusio, nec transuasatio.*

Hunc errorem notat Athanasius orat. 4. contra Arianos sub initium, dicens: *Nec enim vt illi arbitrantur, vicissim in se transuasantur, dum ait: Ego in Patre, & Pater in me est. quasi vasa inania alter in alterum refusius*, &c. Aliique Patres frequenter admonent, mutuam immanentiam personarum non esse transfusionem, aut refusionem, vt Hilarius lib. 7. de Trinit. inter med. & fin. *Filius*, inquit, *in Patre non per transfusionem refusionémque mutuam, sed per viuentis naturæ perfectã natiuitatem.*

4 *Primum argumentum.*

Reiectis igitur hæreticis venio ad argumenta, quæ Catholicis occurrunt, vt eorum solutione melius explicent circumsessionem. Primum argumentum. Aristot. 4. Physic. cap. 3. textu 23. octo, vel nouem enumerat modos, quibus aliquid esse in alio dicitur (quos retulimus disp. 36. sect. 8. sub init.) nullus autem illorum conuenire potest Patri, vt sit in Filio, nec vt in se manentem habeat Filium: ergo Pater non est in Filio, nec Filius in Patre.

5 *Secundum argumentum.*

Secundum argumentum. Quod exiuit ab aliquo, non manet in eo: sed Filius ab æterno exiuit à Patre. Ergo Filius non manet in Patre. Minor probatur Michææ 5. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Ioan. 13. *Quia à Deo exiuit & ad Deum vadit.* & cap. 16. *Credidistis quia ego ab eo exiui. Exiui à Patre*, &c. Et post pauca: *In hoc credimus, quia à Deo existi.*

6 *Tertium argumentum.*

Tertium argumentum. Si vna persona est in altera, vel est ratione substantiæ, vel ratione relationis, vel ratione vtriusque. Non ratione substantiæ, quoniam omnes personæ sunt vnum & idem ratione substantiæ: at qua ratione sunt vnũ & idem, non potest vna esse in altera, quia quatenus vnum sunt, non est vna & altera persona, sed tantùm est vna substãtia. Præcipuè cum idem in se ipso esse non possit secundum Philosophum 4. Physic. dicto cap. 3. Rursus vna persona non est in alia ratione relationis, quoniam vt sic, opponuntur: oppositum autem in: oppositio non potest existere, qua ratione oppositum est. Atque inde colligitur, neque ratione vtriusque, videlicet, substantiæ & relationis, vnam personam esse in alia.

7

Confirmatur, quia de diuinis personis nihil dicitur, nisi secundum substantiam, aut secundum relationem: at verò Filium in Patre, vel in Filio Patrem existere, non dicitur secundum substantiam, neque secundum relationem: ergo nullo modo dicitur de diuinis personis. Minor probatur, quia quæ secundum substantiam dicuntur, tribus personis æqualiter & eodem modo conueniunt: quapropter sicut Filius est in Patre, ita Pater erit in Patre, & sicut Pater est in Filio, ita Filius erit in Filio, & Spiritus sanctus erit in Spiritu sancto, sicut Pater & Filius est in Spiritu sancto. Quę cum sint absurda; consequens est, vt non secundum substantiam dicatur Pater esse in Filio. Nec dicitur secundum relationem propter oppositionem supradictam.

8 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum, quia si Pater est in Filio; cum Pater sit Deus, & Filius sit idem Deus, Deus erit in eodem Deo. Consequens autẽ est falsum, quoniam idem in se ipso nequit esse, sicut nuper ex Philosopho referebamus. Quinrò arguitur ex eodem principio, quia si Pater est in Filio & Filius in Patre; sequitur, Patrem esse in Patre. Sequela probatur, nam quidquid prædicatur de aliquo subiecto; prædicatur de omni eo, de quo prædicatur illud subiectum: ergo similiter si aliquid est in aliquo, necesse est, quod in eodem sit omne, quod est in eo. Quapropter si Filius est in Patre, omne, quod est in Filio, erit in Patre: sed Pater est in Filio: ergo Pater erit in Patre.

Quintum argumentum.

9 *Sextum argumentum.*

Sextum, quoniam ex eadem inexistentia circulari sequeretur, quamlibet personam esse aliam, v.g. Patrem esse Filium. Sequela probatur, nam ille Filius est in quo est Filiatio; sed in Patre est Filiatio: ergo Pater est Filius. Minor probatur, quia non est Filius, nisi vbi est Filiatio, sed in Patre est Filius: ergo in Patre est Filiatio. Confirmatur, quia simili ratione sequeretur, Patrem esse natum de Patre, quia cui conuenit Filiatio, conuenit natiuitas seu generatio passiua.

10

Septimum argumentum. Quæcumque conueniunt essentiæ diuinæ, prout distinguitur à personis, non dicuntur de personis: sed esse in Patre vel filio, vel in Spiritu sancto, conuenit essentiæ diuinæ, prout distinguitur à personis: ergo non dicitur de personis: ac proinde non poterit verificari, quod Pater sit in Filio & Spiritu sancto, & è conuerso. Maior probatur, nam essentiæ diuinæ, prout distinguitur à personis, conuenit esse vnam numero, communem tribus personis, & de essentia personarum: at verò Pater non est vnus numero, nec communis tribus personis, nec de essentia personarum. Idem intellige de Filio & de Spiritu sancto.

11 *Octauum argumentum.*

Octauum argumentum, sequeretur enim maxima confusione permisceri cuncta diuina; si personæ singulæ mutuo forent in singulis. Etenim eorum singula, quæ vni personæ insunt, deberent inesse similiter in aliis personis. Quapropter, quæcunque sunt diuinarum personarum, omnia inessent omnibus. Vnde in diuinis non esset summa discretio & distinctio personarum, & personalium proprietatum, sed illa confusio Anaxagoræ, ponentis omnia in omnibus.

12 *Nonum argumentum.*

Nonum argumentum. Si substantiæ vnitas esset ratio sufficiens, vt Pater esset in Filio; sequeretur non alio modo Patrem esse in Filio, nisi quemadmodum substantia est in Patre & Filio. Consequens autem est falsum, quia substantia est in Patre & Filio essentialiter & realiter identificata cum illis: at verò Pater nec est de essentia Filij nec realiter identificatur cum illo. Sequela probatur, quia quidquid ineſt alicui per alterum, non potest ineſſe illi aliter, quàm secundum modum illius; veluti si illud ineſt per se & intrinsecè, & istud similiter insit per se & intrinsecè.

13 *Decimũ argumentum.*

Decimum argumentum. Quando dicitur esse Pater in Filio, vel Filius in Patre, quæritur; an importetur eadem habitudo, vel diuersa. Si eadem; cum Filius sit in Patre tanquam in principio; similiter Pater esset in Filio tanquam in principio, quod est manifestè falsum. Si verò denotatur habitudo diuersa; sequitur, non esse propriè circumsessionem: siquidem genus dicitur esse in specie, & species in genere, secundum Aristotelem 4. physic. dicto cap. 3. & tamen illa non dicetur esse circumsessio.

14

Confirmatur primò, quia non eodem modo Filium esse in Patre, quo Pater est in Filio, satis indicant plerique Patres, referendi sect. 3. & 6. Velut Hilarius lib. 3. de Trinit. col. 2. dicens: *Pater in Filio, quia ex eo Filius: Filius in Patre, quia non aliũde quod Filius: Vnigenitus in ingenito, quia ab ingenito Vnigenitus. Ita in se inuicem, quia vt omnia in ingenito perfecta sunt, ita omnia in Filio Vnigenito perfecta sunt.* Confirmatur secundò, quia si modus in se inuicem existendi foret idem in omnibus personis: sequeretur, aliquam relationem esse communem tribus personis: nam circumsessio relatio est, siquidem requirit realem distinctionem.

15

Vndecimum argumentum. Quamuis Filius sit apud Patrem Patrem, inde non sequitur, Patrem esse apud Filium, aut apud Spiritum sanctum, nec Filium esse apud Spiritum sanctum: ergo pari ratione, licet Filius sit in Patre, non sequetur, Patrem esse in Filio, nec Filium esse in Spiritu sancto, vel è contra. Confirmatur, quia Fulgentius lib. 3. ad Monim. cap. 7. initio. *Cum dicitur*, ait, *Verbum erat apud Deum, non aliud intelligi debere, quàm Verbum erat in Deo.* Ergo sicut Deus Pater non est apud Verbum, ita Deus Pater non erit in Verbo, nec reciproca erit inexistentia.

SECTIO II.

Circumsessio personarum omnium probatur esse de fide.

1 *Nominis origo & ratio.*

NOminis istius origo cæpisse videtur à Dionysio, licet illud non reperiatur expressum, nisi tantùm apud scholasticos, etiam antiquos. Dionysius enim de diuin. nomin. cap. 2. inter princ. & med. *Primarium*, inquit, *principaliúmque personarum (si ita dicendum est) aliarum in aliis omnino coniuncta, & nulla cum parte confusa mansio & sedes.* A *sede sessio*, & ex eo, quod sit aliarum personarum in aliis sessio, dicta fuit *circumsessio.* Vnde Damascenus lib. 1. fidei cap. 19. ante med. *Immanentia & stabilitas*, inquit, *hypostaseon inuicem est: nam ipsæ, inseparatæ & inabscedentes sunt abinuicem, inconfusam habentes inuicem circuitionem: non quod commisceantur aut confundantur, sed quod inuicem inhabitentur.* Obserua *circuitionem inuicem*, & immanentiam stabilem, atque inhabitationem, vt videas meritò vocari circumsessionem.

2 *Pater in Filio & Filius in Patre.*

Sed veniamus ad rem ipsam. De qua Filium esse in Patre & Patrem esse in Filio perspicuis verbis testantur sacræ literæ, sed de Spiritu sancto, nihil tale reperitur scriptum, vt statim videbimus. Ioannis 10. *Operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Quod bene ponderat Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 15. propius ad fin. quàm ad med. Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Quin etiam illud. Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, hoc est, in Patre Filius, exponunt Athanas. Cyrillus, Greg. Nyssenus & Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, Origines, Augustinus, Prosper, & alij Patres citati disput. 48. sect. 1. non procul à princ. Sub alia formalitate significatur existentia Filij in Patre, cum dicitur in eodem cap. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* De quo testimonio plura ex Patribus retulimus disput. 96. sect. 2. Ioan. 17. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Ioan. 13. *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso.* Vnde circumsessionem probat Hilarius lib. 9. de Trinit. paulo post med. dicens: *Eum, quem glorificauit, in sese inesse demonstrat, cum eum glorificat in sese.* Quod fusiùs confirmat, adhibens supradictum testimonium ex Ioanne 14.

3

Nec obstat Euangelij contextus Ioannis 13. tractans de Filio hominis & de futura clarificatione: propterea namque tam excellens debebatur clarificatio Filio hominis, quoniam idem erat Filius Dei, existens in Deo Patre in quo clarificatus erat, vt splendor gloriæ: sicut Ioan. 17. postulat: *Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quàm mundus esset, apud te.*

Colost. 2. *In quo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Vnde Athanasius lib. 5. de vnita substantia Trinitatis prope fin. *Inenarrabilis est*, inquit, *hæc plenitudo substantiæ indiuisæ Trinitatis, sicut ipse Deus Dei Filius indicat: Ego in Patre, & Pater in me. Sed & Spiritus sanctus in Patre & Filio inuicem, & inse consistens est, sicut scriptum est: Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus, qui in ipso est? Ita quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* 1. Corinth. 2.

4

Hilarius lib. 9. de Trinit. sub init. ait: *Apostolo corporaliter habitantis Diuinitatis plenitudinem in Christo*

Christo docente; abscissa est omnis impiæ temeritatis assertio; cum naturalem vnitatem incorporalis Diuinitatis, habitatio corporalis efficeret: vt id quod non solus Filius est, sed quod in eo manet Pater, neque solum manet, sed & operatur & loquitur, nec solum operatur & loquitur, sed & videtur. Quam ponderationem fusiùs corroborat. Eandem plenitudinem Diuinitatis ponderauerat proximè præcedenti lib. 8. col. vltima, dicens: *Natura in eo Dei ex Deo significat veritatem, dum in eo Deus est, non aut per dignationẽ, aut per voluntatem, sed per generationem verus & totus corporalis secundum sui plenitudinem manens: dum quod ipse est, id etiam per natiuitatem Dei in Deum natum est.* Quibus consonant Cyrillus & Ambros. eodem modo plenitudinem Diuinitatis intelligentes, vt vidimus disp. 30. sect. 6.

6 Præterea 2. Corinth. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quod ita exponit Ambrosius in commentario: *Non sicut fuit in prophetis, sic intelligi potest fuisse & in Filio. Filius enim naturaliter natus est Patris Dei. Vnde dicit: Quia Pater in me est, & ego in Patre. Pater enim per ia intelligitur esse in Filio, quod vna eorũ sit substantia. Ibi enim est vnitas, vbi nulla est differentia: ac per hoc inuicem sunt, quia & imago & similitudo eorum vna est: vt videns Filium videre dicatur Patrem, sicut & ipse Dominus ait: Qui me videt, videt & Patrem meum. Rectè ergo dicitur: Deus erat in Christo, hoc est, Pater in Filio.* Cui explicationi, licet magis obscurè, consonat Chrysostomus 2. Corinth. 5. hom. 11. colum. 4.

7 Sapiẽtia genita sui productionem absque corruptione fuisse significans Ecclesiastici 24. dicit: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Quem locum per alios, de circuminsessione loquentes, Euaristus Papa declarat epist. 1. ad omnes episcopos Africanos col. 2. *Pater in Filio, à se inenarrabiliter genito, mansisse ac requieuisse monstratur ipso Filio in propheta loquente: Qui me genuit, requieuit in tabernaculo meo, & in Euangelio, Pater in me manens ipse facit opera.* Ioan. 14.

8 Quod Isaias cap. 45. scribit: *Tantum in te est Deus, & non est Deus absque te:* Sic ad circuminsessionem refert Athanasius in compendio de Spiritu sancto circa med. *Quis est hic Deus, in quo est Deus, nisi Filius ipse? Qui de se inquit: Ego in Patre, & Pater in me.* Refertur autem in aliis codicibus tanquam epist. ad Serapionem, & incipit: *Ego quidem.*

9 Hilarius item lib. 4. de Trin. multo propius ad fin. quàm ad med. eadem Isaiæ verba ponderans: *Habitantem,* inquit, *ab eo, in quo habitat discernens, personæ tamen tantum distinctione, non generis. Deus enim in eo est: & in quo est Deus, Deus est. Non enim Deus in diuersæ atque alienæ à se naturæ habitaculo est, sed in suo atque ex se genito manet Deus in Deo, quia Deus ex Deo est.* Hieronymus Isaiæ 45. colum. 3. *Deus,* inquit, *in quo est Deus: Dominus noster Iesus Christus rectius intelligitur, & verius: qui in euangelio loquitur: Ego & Pater vnum sumus. & : Ego in Patre, & Pater in me est.* Cui expositioni non contradicunt, sed consonant Patres, qui prædictis in verbis Isaiæ Filij Diuinitatem intelligunt supra. disput. 54. sect. 3. Ioan. 10. & 14.

10 Eodem modo, quod Deuter. 32. dicitur: *Et non sit Deus præter me,* de Filio sic exponit Hilar. lib. 5. de Trin. col. pen. *Nam cum ipse Deus sit, tamen etiá per naturæ virtutem in eo Deus est: & per id quod ipse Deus, & in eo Deus est, non est Deus præter eum: Cum non extet aliunde quod Deus est, & in eo Deus sit, habens in se & quod ipse est, & ex quo ipse subsistit.*

11 Denique Isaiæ 26. vbi Vulgata legit: *Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* In Hebræo originali, & Græca interpretatione Aquilæ legimus: *Confidite in Domino vsque in sæculum, quia in Domino Dominus, qui firmauit sæcula.* Hæc igitur verba referens Epiphanius hæres. 76. colum. 6. ex illis confirmat, Filium esse in Patre & Patrem in Filio tanquam coëssentiales & consubstantiales.

12 Supradicta omnia Patris & Filij, sed nullam Spiritus sancti mentionem expressam faciunt. Videtur autem inexistentia & circuinsessio Spiritus sancti magis expresè significari 1. Corinth. 2. post med. dicente Apostolo: *Quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Vbi consequens erat, vt diceret: *Spiritus Dei, qui in ipso est,* sicut dixerat: *Spiritus hominis, qui in ipso est.* Quam ob causam supplendum hoc putauit Athanasius, tanquam implicitè dictum ab Apostolo. Nam in ea epist. ad Serapionem, quæ incipit. *Versatus sum,* circa med. legit: *Spiritus Dei, qui est in ipso.* Comparatque cum verbis supradictis Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* *Spiritus sancti circuminsessio.*

13 Cæterum, quamuis nullum esset testimonium, expresè formalitérque significans, Spiritum sanctum esse in Patre & Filio, viciſſimque Patrem & Filium in Spiritu sancto: rationis identitas omnimoda satis esset, vt omnes fideles tenerentur credere, veritatem hanc implicitè virtualiterq; contineri eisdem in verbis, quæ manifestè loquuntur de Patre & Filio. Nam vnitas essentiæ processióque conuenit Spiritui sancto non minus, quàm Filio: rursus habitudo Spiritus ad Spiratorem, est non minus correlatiua & reciproca, quam habitudo Filij ad Patrem. Has autem esse præcipuas rationes, propter quas Filius est in Patre, & viciſſim Patrem in se habet, videbimus sect. 5. & sequentibus.

14 Idcirco mutuam immanentiam Spiritus sancti, tanquam exploratum dogma simul cum immanentia Patris & Filij, Patres accuratè tradiderunt. Dionysius prope init. præsentis sect. citatus de omnibus personis generaliter loquitur. Sed magis expresè Athanasius longiori epist. ad Serapionẽ, quæ incipit *literæ*, non valde procul ante med. *Vbicumque Pater dicitur,* inquit, *vna est cum eo & ipsius Verbum, & in Filio Spiritus. Si autem Filius nominatur, in Filio est Pater, nec Spiritus est extra Verbum.* Rationem reddit, ex identitate Deitatis & operationis, & adiungit, Paulum *non didicisse separare Spiritum à Filio, qui ita in Christo erat vt Filius in Patre.* Et post quatuor columnas non longè post med. eiusdem epistolæ: *Vt enim,* ait, *Filius qui in Patre est, & Pater viciſſim, qui in eo est, creatura non est, sed ex propria substantia sui Patris: ita quoque Spiritum, qui est in Filio; & viciſſim Filius in eo, nefas est creaturis coniungere, aut separare à Verbo, & imperfectam Trinitatem construere.*

15 Eandem circuminsessionem metaphorica locutione significauit Athanasius in exposit. fidei ad fin. dicens: *Spiritus sanctus progressio Patris semper est in manibus Patris, qui eum mittit, & in manibus Filij, qui eum gestat.* Nazianzenus orat. 50. de fide Nicæna: *Spiritum sanctum,* ait, *Patris & Filij semper in Patre & Filio coæternum veneramur.* Greg. Thaumat. in regula fidei tradita diuinitùs (apud Nyssenũ in eius vita) dicit: *Neque verò deest vnquá Filius in Patre; nec in Filio Spiritus: sed immutabilis, & inalterabilis eadem semper Trinitas est.* Idem verò Nyssenus orat. cateche. cap. 2. fine: *Spiritus,* inquit, *in Deo est,* videlicet in Patre & Filio.

16 Cyrillus Hierosol. cateches. 17. propius ad prin. quàm

quàm ad med. ait: *Vnus tantum est, atque idem Spiritus sanctus veniens, & subsistens, qui vbique Patri & Filio adest, non qui ab ore & labijs Patris & Filij formetur,* &c. Cyrillus Alexand. in commentariis ad duodecim prophetas minores Ioëlis cap. 2. vers. 34. ad illud. *Effundam de spiritu meo,* circa med. *Quatenus,* inquit, *est Deus, & ex Deo, secundum naturam Filius (ex Deo enim, & Patre natus est) proprius ipsius, & in ipso, & ex ipso Spiritus est, quemadmodum nempe idem Spiritus, & in ipso Deo ac Patre intelligitur.*

17 Idem Cyrillus Alexan. in anathematismis editis ac declaratis, hortãte Concilio Ephesino, tom. 5. actorum eiusdem concilij cap. 1. anathematismo 9. de Verbo sic loquitur: *Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, tanquam proprium peculium possidens diuinæ potentiæ signa operabatur.* Rursus lib. 13. thesauri cap. 1. prope med. docet: *Spiritum ita vnum esse cum Verbo, vt quamuis in propria hypostasi sit, in ipso tamen Verbo sit, & Verbum in ipso.* Quod idem docet cap. 2. & 4. imo toto lib. 13. & 14. thesauri & toto lib. 7. dialogor. de Trinit. nunc vnam, nunc alteram personam nominando repetit, Spiritum sanctum esse *in Deo,* vel *in Patre,* vel *in Filio.*

18 Damascenus lib. 1. fidei cap. 10. sub init. Spiritum sanctum vocat *ex Patre procedentem, & in Filio requiescentem.* Et inferius vocat, *inseparabilem, indigressibilem Patre & Filio.* Et iterum ad finem eiusdem capitis, *Has tres hypostases,* inquit, *in se inuicem astruimus, vt non multitudinem, & quandam deorum turbam inducamus. Per tres quidem hypostases, incompositum & inconfusum: per consubstantialem verò, & immanentiam in se inuicem hypostaseon & identitatis, & voluntatis, & operationis, & virtutis, & potestatis & motus (vt sic dicam) inseparabilitatem, & vnum esse Deum deprehendimus.*

19 Ambros. in symbol. Apostol. cap. 2. *Pater,* inquit, *in Filio, & in Spiritu sancto intelligitur & sentitur. In illo, id est in Filio, velut Verbo, virtute, & sapientia: in hoc autem velut spiritu à spiritu procedente.* Frequentiùs autem Spiritum sanctum esse in Patre & Filio, nec non Patrem & Filium esse in Spiritu sancto, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre est, obseruat Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto præsertim cap. 10. & lib. 3. de Spiritu sancto cap. 1. post med. *Secundum Diuinitatem,* inquit, *non semper Christum est Spiritus, sed in Christo: quia sicut Pater in Filio, & Filius in Patre: ita Dei Spiritus, & Spiritus Christi & in Patre est & in Filio, quia oris* Psalm 32. *est Spiritus. Manet enim in Deo, qui ex Deo est, sicut* 1. Corinth. 2. *scriptum est: Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est. Et manet in Christo, quia à Christo accepit, & in Christo est, quia iterum scriptum est: Ille de meo accipiet.* Ioan. 16.

20 Fulgentij duo manifestissima testimonia ex lib. de fide ad Petrum cap. 1. prope med. & responsione ad tertiam quæstionem Ferrandi propius ad med. quàm ad princ. referemus sect. 3. Martinus Turonensis in confessione fidei sub initium, (tom. 4. bibliot.) *Spiritus,* inquit, *vnus in duobus, & vterque in id ipsum. Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu sancto.* Quod ipsum iterum repetit in fine confessionis. Anselmus in monolog. cap. 57. initio. *Iocundum est,* inquit, *intueri in Patre & Filio & vtriusque Spiritu, quomodo sint in se inuicem tanta æqualitate, vt nullus alium excedat.* Cuius immanentiæ rationem tradit inferius toto cap. Idem dogma tanquam exploratum suponunt omnes scholastici, citandi in sectionibus sequentibus.

SECTIO III.

Quælibet persona secundum se totam est in alia tota persona.

1 DVas partes complectitur dogma propositum in titulo. Prima est: Totus Pater est in Filio, ita vt non solum essentia, sed etiam relatio seu proprietas Paternitatis sit in Filio & in Spiritu sãcto: idémque viciſſim intelligatur de Filio & Spiritu sancto. Secunda pars est: Pater est in toto Filio, ita vt nõ solum sit in essentia Filij, sed etiam in relatione seu proprietate Filiationis: idémque viciſſim intelligatur de Patre vel Spiritu sancto, vt secundum se totum sit persona, in qua est alia persona.

2 Primam partem docuere Patres, vt Cyrillus Alexand. lib. 1. thesauri, quia præsertim cap. 6. 7. & 8. docet, *hypostasim Filij esse in hypostasi Patris, sicut solis splendor est in sole.* Atque in fine prædicti capitis 8. concludit: *Pater igitur in Filio est, & Filius in Patre, non tamen vt idem numero: Pater enim in sua & Filius in sua proprietate est.* Ac lib. 3. thesauri cap. 1. sub init. *Filius in Patre, & Pater in Filio est, sicut character, sicut imago, sicut splendor atque similitudo Patris.* Quæ voces omnes pertinent ad relatiuam proprietatem constitutiuam Filij. Præterea dialogor. de Trinit. lib. 3. colum. 4. *Quoniam,* inquit, *Filius ex Dei & Patris substantia processit. Exstitit quidem ipse in suo Patre, demonstrat autem in se ipso, per identitatem naturalem suam, & eius quæ genuit.* *Patres qui docent, non tantum essentiam, sed etiã relationem vnius personæ esse in alia.*

3 Damascenus lib. 1. fidei cap. 10. *Tres hypostases in se inuicem astruit, & immanentiam in se inuicem hypostaseon.* Quam repetit cap. 19. ante med. Cum igitur hypostases non secundariò vel per accidens, sed primariò, per se & magis explicitè ac formaliter, quam essentiam, importent relatiuam proprietatem: consequens est, vt non sola essentia, sed tota persona cum sua relatiua proprietate sit in alia persona. Quod magis explicuit in epist. de Trisagio prope med. dicens: *Verbum & Spiritus virtutes sunt Patris; virtutes autem enypostatæ* (id est subsistentes) *inseparabiles à Patre, ex quo & in quo sunt, & ad quem, vt ad causam referuntur.* Itaque quatenus subsistentes sunt per proprietatem relatiuam, qua referuntur ad suum principium, & quatenus sunt virtutes, per quas operatur Pater, Verbum & Spiritus sunt in Patre.

4 Hilarius frequentius & clarius iterat huius dogmatis explicationem, nam lib. 3. de Trinit. colum. 2. scribit, Patrem esse in Filio, quoniam ex eo procedit Filius, & propter eandem processionem Filium esse in Patre, prout ad verbum retulimus sect. 1. argumento 10. Et lib. 5. de Trin. colum. penultima illud Deuter. 32. *Et non sit Deus præter me.* Ita de Filio ponderat, vt *habeat in se & quod ipse est, & ex quo ipse subsistit.* Quibus verbis manifestè denotat relationem originis, vt per eam Pater sit in Filio, & Filius habeat in se Patrem. Quemadmodum etiam lib. 6. de Trinit. multo propius ad med. quàm ad princ. Patrem alloquitur: *Cognoui te in Deo Deum, non ex permixtione confusum, sed ex virtute naturæ: dum quod tu Deus es, in eo qui ex te est, inesses. Non vt idem tu esses & inesses: sed inesse te in eo, qui ex te esset, perfectæ natiuitatis veritas edoceret.* Obserua illud. *Non vt idem,* &c. vt videas, inesse Patrem in Filio secundum id, in quo distinguitur Pater à Filio, & quod est principium, à quo nascitur Filius.

Vnde

Vnde toto ferè ſequenti lib.7. de Trinit. circuminſeſſionem reducit ſemper ad natiuitatem & vnitatem naturæ, negando *tranſfuſionem refuſionémque mutuam*, vt ſignificet diſtinctionem perſonarum ſeruari & exerceri quatenus Pater eſt in Filio, & Filius eſt in Patre. Idem lib.10. de Trinitate colum. 4. docet: *In Patre ſignificari atque eſſe Filium, dum in eo & natura Patris & nomen eſt: in Filio verò Patrem intelligi ac manere, dum Filius neque dici poteſt, niſi ex Patre, neque eſſe.*

5 Ambroſius etiam ad immanentiam Spiritus ſancti pertinere putat ordinem originis, quando lib.3. de Spiritu ſancto cap. 1. poſt medium. *Sicut Pater*, inquit, *in Filio, & Filius in Patre: ita Dei Spiritus & ſpiritus Chriſti & in Patre eſt & in Filio, quia oris eſt Spiritus. Manet enim in Deo, qui ex Deo eſt, ſicut ſcriptum eſt: Nos autem non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt; & manet in Chriſto, quia à Chriſto accepit, & in Chriſto eſt, quia iterum ſcriptum eſt: Ille de meo accipiet.* Inſuper ex Ambroſio hymnum canit Eccleſia: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Ac denique colligitur idem ex verbis Ambroſij 2. Corinth.5, quæ retulimus ſectione 2.

Pſalm.32. 1.Corinth.2. Ioan.16.

6 Fulgentius ad quæſt. 3. Ferrandi propius ad med. quàm ad princ. *Spiritus*, inquit, *ille totus eſt Patris, totus eſt Filij, quia vnus naturaliter eſt Spiritus Patris & Filij. Proinde totus de Patre procedit & Filio, totus in Patre manet ac Filio; quia ſic manet vt procedat, ſic procedit vt maneat. Vnde naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum Patrem habeat, totúmque Filium, ipſéque totus habeatur à Patre, totus habeatur à Filio.* Idem lib. de fide ad Petrum cap. 1. prope med. *Propter vnitatem*, inquit, *naturalem totus Pater in Filio & Spiritu ſancto eſt, totus Filius in Patre & Spiritu ſancto eſt, totus quoque Spiritus ſanctus in Patre & Filio eſt. Nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt, propter diuinæ naturæ vnitatem.* Quod recipit Magiſter 1.diſt.19. cap. *Et inde*, & ibidem communiter ſcholaſtici, nemine contradicente.

7 Anſelmus in monolog.cap.57. prope med. *Eſt*, inquit, *totus Pater in Filio & communi Spiritu, & Filius in Patre & eodem Spiritu, & idem Spiritus in Patre & Filio: quia memoria ſummæ eſſentiæ tota eſt in eius intelligentia & amore, & intelligentia in memoria & in amore; & amor in memoria & intelligentia.*

8 Præterea cuncti Patres, qui ſect. 6. dicunt, propterea Filium eſſe in Patre, & Spiritum ſanctum in Patre & Filio, quoniam procedunt tanquam operationes immanentes: eo ipſo ſignificant, in Patre non eſſe ſolam eſſentiam, ſed totum Verbum cum ſua relatione Verbi, & totum Spiritum ſanctum cum ſua relatione amoris producti eſſe in Patre & Filio. Denique Patres omnes citandi pro ſecunda parte ſectionis, affirmant à fortiori primam.

9 Secunda pars aſſertionis erat, in toto Filio & in toto Spiritu ſancto eſſe Patrem, & in toto viciſſim Patre Filium eſſe, atque in toto Patre & Filio eſſe Spiritum ſanctum. Hoc igitur dogma non prætermiſerunt Patres. Nam Dionyſius de diuinis nominibus, cap. 2. inter principium & medium, admonuit, *Diuina cœleſtiáque lumina tota in totis* eſſe, videlicet, tres perſonas. Gregorius Nyſſenus orat. de Deitate Filij, & Spiritus ſancti multo propius ad med. quàm ad princ. *Totus*, inquit, *Pater in toto Filio eſt, & totus Filius in toto Patre.* Baſilius epiſt. 43. ad Gregor. Nyſſenum fine, ait: *Totus Filius in Patre manet, & totum viciſſim in ſe ipſo Patrem habet.*

Non ſolum in eſſentia ſed etiã in relatione vnius perſonæ eſſe aliam.

Athanaſ. orat. 4. contra Arianos, ex profeſſo diſputans, quomodo ſit Pater in Filio, & Filius in Patre, non procul à princ. ait: *Eſt Pater in Filio, eo quod quidquid eſt Filius, id vniuerſum ſit proprium ſubſtantiæ Patris.* Cyrillus Alex. lib.3. theſauri cap.1. colum.3. dicit: *Quia omnia Patris Filii ſunt, conuerſim quoque: vere dicit: Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Vnde non longè inferius infert, *totum Patrem eſſe in toto Filio, & totum Filium in toto Patre.* 10

Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 10. in fine totius libri ait: *In ſumma Trinitate tantùm eſt vna, quantum tres ſimul ſunt; nec plus aliquid ſunt duæ, quàm vna, & in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in ſingulis, omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.* Ad quam rationem æqualitatis omnimodæ verificandam opus eſt, vt in vnaquaque perſona ſecundum ſe totam, ſit quælibet alia perſona ſecundùm ſe totam, vt magis explicabimus ſtatim. 11

Fulgentius lib.3. ad Monimum cap. 7. in med. poſtquam dixerat, *Sic eſſe Verbum apud Deum, ſicut eſt in mente verbum, ſicut in corde conſilium.* Adiungit: *Sicut de tota mente naſcitur Verbum, ſic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non eſt eius aliquid, vbi in ea Verbum non ſit: Ideo Verbum tantum eſt, quanta eſt mens ipſa, de qua eſt, & cum apud illam eſt, in illa eſt, & quanta illa eſt, tantum etiam Verbum eſt, quia de tota & in tota eſt.* 12

Anſelmus in monol.dicto cap.57.fine, mutuam immanentiam perſonarum ita concludit: *Tanta igitur Pater & Filius & vtriuſque Spiritus, æqualitate ſeſe complectuntur, & ſunt in ſe inuicem, vt eorum nullus alium excedere, aut ſine eo eſſe probetur.* Æqualitas autem in ſe inuicem exiſtendi, conſiſtit in eo, quod totus Pater ſit in toto Filio & è conuerſo totus Filius in toto Patre; ſimilitérque Spiritus ſanctus ſe habeat. 13

Colligi poteſt imprimis hæc veritas ex verbis Chriſti Domini Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum: an non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* At verò, qui videt Filium, non videret Patrem, ſi ſolummodo videret eſſentiam communem: ſed opus eſſet inſuper videre perſonam Filij, & in ea videre perſonam Patris. Igitur non tantùm eſſentia, ſed etiam perſonalitas Patris tota cernitur & exiſtit in tota perſona Filij. 14

Secundò probari poteſt alia ratione theologica, quoniam ad vniuſcuiuſque perſonæ perfectionem ſimpliciter infinitam in genere entis, requiritur, vt in vnaquaque perſona ſit non ſolum eſſentia communis, ſed etiam tota perfectio relatiua reliquarum perſonarum, vt vidimus diſputat.28. ſect.1. & 2. & diſputat.30. præſertim ſect.9. 15

Tertia ratio ſit, quoniam vnaquæque perſona ſigillatim accepta tantæ perfectionis & magnitudinis eſt, vt non ſint aliquid maius vel perfectius tres perſonæ ſimul ſumptæ: quemadmodum probatum eſt diſp.30. ſect.2. Hoc autem dogma non alia ratione verificari, niſi quoniam vnaquæque perſona continet in ſe ipſa exiſtentes perfectiones relatiuas aliarum perſonarum (licet ordine modóque diſtincto) probatum eſt in eadem diſp. 30.ſect.5.& 6.quod ſatis indicauit Auguſtinus citatus paulo ſuperius. Denique rationes afferendæ ſect. ſequenti contra Henricum & Durandum à fortiori probant dogma præſentis ſect. 16

SECTIO

SECTIO IV.

Vtrum primò & per ſe non tantum eſſentia, ſed etiam relatio perſonalis vniuſcuiuſque perſonæ ſit in alia.

1 COnueniunt Scholaſtici omnes in eo, quod vna perſona tota ſit in alia tota perſona, ita vt non ſolùm eſſentia, ſed etiam relatio, perſonaliſque proprietas vnius perſonæ exiſtat in alia tota perſona, ſicut probatum eſt ſect.præcedenti. Quod expreſsè profitentur etiam Henricus & Durandus, licet à quibuſdam authoribus antiquis & recentioribus falsò citentur, quaſi dixerint aliquid contrarium Henricus & Durandus.

2 *Prima ſententia.* Prima igitur ſententia rationem, propter quam vna perſona eſt in alia, diſtinguit à ratione, propter quam vna perſona continet aliam, in ſe exiſtentem. De prima ratione dicit exempli gratia: Pater eſt in Filio primò & per ſe ratione ſubſtantiæ communis vtrique, propter quam totus Pater eſt in Filio: cæterum primò & per ſe non eſt Pater in Filio ratione Paternitatis, ſed quod Paternitas ſit in Filio conſequitur ex eo, quod ſubſtantia Patris ſit in Filio. De ſecunda ratione dicit exempli gratia: Filius ratione ſui totius, ac ſubinde non tantùm ratione Deitatis, ſed etiam ratione Filiationis eſt perſona, continens Patrem, & in qua eſt Pater primò & principaliter ratione totius Filij. Ita exiſtimant Henricus 2. p. ſummæ art.53.quæſt.10. præſertim in poſtrema parte corporis. Durandus 1. diſtinct.19. quæſt. 3. licet ab Aureolo falsò referantur tanquam in ſecunda ratione diſſidentes.

3 *Primum argumentum.* Præcipuum fundamentum Henrici fuit, quia continens, in quantum eſt primò & per ſe continens, quaſi excedit contentum, ſecundum quod primò & per ſe continetur, & conſequenter continens eſt, quaſi extra contentum, & continet per aliquid, quod differt à contento. Cum tamen è conuerſo contentum ſit quaſi intra continens, & non contineatur primò & per ſe, niſi per aliquid, in quo conuenit cum continente. Probat autem ex Hilario lib. 3. de Trinitate in principio dicente: *Affert pleriſque obſcuritatem ſermo Domini, cum dicit: Ego in Patre & Pater in me: & non immeritò. Natura enim intelligentiæ humanæ rationem dicti iſtius non capit: videtur namque non poſſe effici, vt quod in altero ſit, aquè id ipſum extra alterum ſit. Et cum neceſſe ſit ea, de quibus agitur, non ſolitaria ſibi eſſe, numerum tamen ſuum, in quo ſint conſeruantia, non poſſe ſe inuicem continere, vt qui aliquid aliud intra ſe habeat, atque ita maneat, manenſq; ſemper exterior, ei viciſſim quem intra ſe habeat, maneat aquè ſemper interior.*

4 Partem huius fundamenti breuiùs & clariùs tradit Durandus dicta quæſt. 3. num. 7. nam illud, in quo eſt aliud, debet excedere, vel eſſe plus aliquid, quàm illud, quod eſt in ipſo: ſícque Pater ratione totius Patris excedit, & eſt plus aliquo modo, quàm Filius, prout exiſtens eſt in Patre ratione ſolius eſſentiæ: ſimiliter autem è conuerſo Filius ratione totius Filij excedit, & eſt plus aliquo modo, quàm Pater, prout exiſtens eſt in Filio ratione ſolius eſſentiæ.

5 Secundum argumentum, quia ſi aliquid ſecundum ſe totum primò & per ſe eſt in alio; quælibet pars illius æquè primò eſt in alio. Ergo ſi Pater ſecundum ſe totum æquè primò eſt in Filio; quælibet pars Patris æquè primò erit in Filio: propterèaque Paternitas æquè primò ſicut Deitas erit in Filio. Vnde ſicut Filius eſt Deus propter Deitatem, quæ eſt in eo; ita Filius erit Pater propter Paternitatem, quæ eſt in Filio æquè primò ſicut Deitas. Tertium argumentum, nam eſſe ad aliquid, & eſſe in aliquo, ſunt habitudines diuerſæ: at verò Patris ad Filium habitudo ſecundum relationem eſt ſolummodo habitudo ad aliquid, videlicet ad Filium. Ergo ratione relationis Pater non eſt in Filio.

6 Quartum argumentum, quia quod nõ eſt commune duabus perſonis, non poteſt eſſe ratio, propter quam vtraque perſona ſit in altera: ſed Paternitas & Filiatio non ſunt communes Patri & Filio, ſed potius per illas realiter diſtinguuntur. Ergo non poſſunt eſſe rationes, propter quas Pater ſit in Filio vel Filius in Patre.

7 *Secunda ſententia.* Quantum ad primum membrum præcedentis ſententiæ, cum ea concordat ſecunda, quæ dicit, naturam Patris eſſe per ſe in Filio, Paternitatem verò quaſi per accidens eſſe in Filio ex eo præcisè, quod Paternitas eſt in Patre, Pater autem eſt in Filio. Ita exiſtimat Ricard. 1.diſtinct.19. art.2. quæſt.3.ad 1.& ad 3. Carthuſ.eadem diſtinct.q.2. ad 3. licet parum conſequenter ad ea, quæ dixerat, acriter reprehendens ſententiam Durandi.

8 *Relatio perſonalis primario & per ſe eſt in alia perſona.* Nihilominus ſit prima concluſio. Per ſe primo & ratione ſui tota perſona eſt in alia tota perſona; ita vt perſonalis relatio non quaſi per accidens & ex conſequenti, ſed primariò & per ſe ſit in alia perſona, & in eius relatione perſonali. Hanc concluſionem magis expreſsè docuerunt Scholaſtici, qui referentes opinionem Henrici vel Durandi, eam impugnauerunt. vt Scotus 1.diſtinct.19.quæſt.2. col.2. Aureolus eadem diſt.19. parte 1. art.1. & 2. Carthuſianus diſtinctione 19. quæſt.2.poſt med. Capreolus diſtinct.19.quæſt.1. colum.vlt. reſpondens ad argum. Henrici & Durandi. Deza ibidem quæſtione vnica. Caietanus in præſenti artic. 5. Suarez libro 4. de Trinitate cap.16. num.8. Vazquez diſput.169.cap.2. Magis in generali Torres in præſent. quæſt. 42. artic. 5. prope finem.

9 Eadem concluſio eſt mens antiquiorum, qui dixerunt, Patrem eſſe in Filio non tantùm ratione vnitatis in natura, ſed etiam ratione relationis & originis. vt Albertus apud Carthuſian. diſt.19. quæſt.2. ſub init. & apud eundem Ægidius Vdalricus, & Petrus de Tarantaſia. S. Thomas in præſenti quæſt.42. art.5. in fine corpor. & ad argum. & 1.diſtinct.19.quæſt.3. artic.2. Vbi S.Bonauent. parte 1. artic.vnico quæſt. 4. in argumentis initio propoſitis, & in ſolutione argumentorum in contrarium. Ocham quæſt.2. & magis apertè Gabriel eadem diſtinct.19. quæſt.2. art.3.fine. Ferrarienſ. 4. contra gent. cap.9. §. *ad euidentiam*, & ſequentibus. Marſilius 1.quæſt.22. art.2. & clariùs dum reſpondet ad argumenta colum. penult. & vlt. Molina quæſt.42.artic.5. Videtur etiam idem ſentire Argentina diſtinct. 19. concluſione 4. vſque ad finem.

10 Huic concluſioni fauent imprimis Scripturæ verba, citata ſect. 2. Cum enim ſimpliciter doceant, Filium eſſe in Patre, & Patrem in Filio; pleniùs hoc & perfectiùs verificatur; ſi totus Pater per ſe primò ratione ſui totius ſit in toto Filio: magis enim diminutus eſt ille modus exiſtendi in Filio, quem aſſignant priores ſententiæ.

11 Secundò & fortiùs probatur ex Patribus, citatis in ſect. præcedenti: nam aſſerunt, totum Patrem eſſe in Filio. Quod ſi per accidens & ex conſequenti Pater eſſet in Filio ea tantùm ratione,

quoniam eſſentia Patris per ſe primò eſt in Filio; ſequeretur, Patrem eſſe in Filio non ſecundùm ſe totum, ſed tantum ſecundùm alteram veluti partem ſui, videlicet, eſſentiam; at verò ſecundum relationem Paternitatis manere extra Filium, ita vt Paternitas non ſit in Filio, niſi ſola denominatione, proueniente ab eius eſſentia. Quod explicari ſolet exemplo duorum hominum, quibus dimidium corpus inferius eſſet idem; nam eorum alter eſſet in altero ratione partis; ſed caput & pectus vnius hominis non eſſet in alio homine.

12 Confirmatur primò, nam hypoſtaſis relatiuam proprietatem dicit magis principaliter, magiſque formaliter, quàm eſſentiam, (vt vidimus diſp. 32. ſect. 7. & ſequentibus.) Sed Patres præcedenti ſect. citati perſpicuè docent, hypoſtaſim eſſe in hypoſtaſi; ergo docent, hypoſtaſim, etiam quantum ad relatiuam proprietatem, principaliter & formaliter eſſe in hypoſtaſi.

13 Confirmatur ſecundò, quia formalitas, quæ reduplicatur, vt ratio, propter quam aliquid conuenit; non per accidens, nec ſecundariò ſe habet ad illud. At verò Patres citati reduplicant relatiuas proprietates, quando dicunt, vnam perſonam eſſe in alia: dicunt enim, Filium eſſe in Patre, ſicut characterem, ſicut ſplendorem, ſicut imaginem; & Spiritum eſſe in Patre ſicut ſpiritum oris: quæ dictiones non tam ponuntur ad explicãdam ſimilitudinem, quàm ad denotandam reduplicationem formalitatis, ſecundum quam vna perſona poſtulat eſſe in altera. Confirmatur tertiò, nam Patres, referendi ſectione 6. dicunt, Filium & Spiritum ſanctum eſſe in Patre tanquam operationem immanentem in ſuo principio; & tanquam Verbum in loquente: hæc enim ratione proprietatis, qua realiter diſtinguuntur à principio, à quo procedunt, poſtulant immanere in eodem, vt videbimus ſect. 6.

14 Tertiò probatur, quoniam vnam perſonam eſſe in alia, non eſt formalitas merè abſoluta & purè eſſentialis, (vt ex terminis conſtat.) ergo per ſe ac quidditatiuè continet aliquid relatiuum & notionale. Vnde neceſſariò ſequitur, per ſe & quidditatiuè conuenire perſonis, etiam ſecundum relatiuam proprietatem. Confirmatur, quia licet eſſentia dicatur eſſe in perſona, & notio ſeu relatio dicatur eſſe in perſona ſine reali diſtinctione extremorum: at iſte modus exiſtendi in alio, non eſt realis; ſicut nec modus quo ſpecies dicitur eſſe in genere, & genus in ſpecie. Veruntamen immanentia, ſecundum quam Pater eſt in Filio, & Filius eſt in Patre realis eſt, & vt talis traditur à Patribus & Scholaſticis. Realiter autem non eſt vnus in alio, niſi realiter ſit vnus & alius; ac proinde ſint duo realiter diſtincti Pater & Filius. Ideóque ſecundum id, in quo realiter diſtinguuntur, vnus erit in altero.

Realis immanentia.

15 Quartò probatur, quoniam hæc immanentia vnius in altero, formaliter eſt intima præſentia ſuppoſitorum indiſſolubiliter coniunctorum ratione conſubſtantialitatis, & immenſitatis (vt oſtendemus ſect. 7.) At verò Paternitas ipſa intimè præſens eſt non tantum eſſentiæ, ſed etiam Filiationi, & indiſſolubiliter coniuncta cum illa ratione conſubſtantialitatis. Ergo etiam Paternitas primo & per ſe eſt in Filio.

Quid ſit circuminſeſſio.

16 Secunda concluſio. Per ſe primò & ratione ſui tota perſona eſt id, in quo eſt alia perſona: ita vt perſonalis relatio non quaſi per accidens & ex conſequenti, ſed primariò & per ſe contineat in ſe aliam perſonam. Hanc concluſionem etiam Henricus & Durand. admittunt, & eam vt exploratam ſupponunt cæteri Scholaſtici. Colligitur etiam ex Patribus eiſdem illationibus, quibus præcedens concluſio; quia non ſolum dicunt, totam perſonam eſſe in alia, ſed etiam dicunt, eſſe in tota perſona: & ſicut hypoſtaſim dicunt *eſſe in*, ſic etiam dicunt *eſſe in hypoſtaſi*. Ac denique eſſe in principio producente denotat relationem, in qua ſit.

Perſonalis relatio per ſe continet in ſe aliam perſonam.

17 Aliæ verò probationes, tertia & quarta, quæ ſumuntur ex realitate immanentiæ, & intima præſentia, æqualiter militant mutuóque extremo, videlicet, in perſona, quæ eſt in alia, & in perſona, in qua eſt alia.

18 Ad argumenta Henrici & Durandi reſpond. Ad primum. Licet corpus, continens aliud corpus, tanquam vas, aut tanquam exterior locus illius, debeat excedere contentum: at verò neque corporeum *vbi* excedit, nec exceditur à corpore; licet in illo ſit corpus tanquam in loco intrinſeco: nec ſpatium, quod occupatur à corpore, excedit, nec exceditur; licet in illo dicatur eſſe corpus. Quin etiam totum eſt in partibus, & partes ſunt in toto, iuxta modum loquendi Ariſtotelis lib. 4. phyſicor. cap. 3. textu 23. & tamen partes ſimul ſumptæ non excedunt, nec exceduntur à toto.

Ad primum. Nulla inæqualitas requiritur, vt vna res ſit in alia.

19 Cum igitur ne in creaturis quidem verificetur eſſe neceſſarium, vt excedat, & ſit plus aliquid continens, in quo eſt aliud; multominus verificabitur in diuinis perſonis, quarum modus in ſe inuicem immanendi eſt altior & ſupernaturalior, ac nullum habens exemplum in rebus creatis. Eadem igitur ratione non eſt neceſſarium, vt continens ſit extra contentum ſecundum aliquid ſui, niſi ſolummodo ſignificetur, debere diſtingui realiter ab illo, ſecundum aliquid ſui. Nec Hilarius oppoſitum aſſeruit, ſed tantùm propoſuit rationem dubitandi, quæ naturali diſcurſui poterat occurrere.

20 Ad ſecundum reſpond. Paternitas æquè primò, ſicut eſſentia, eſt in Filio, ſed non eſt eodem modo; nam Paternitas eſt in Filio non tanquam eſſentia Filij, ſed tanquam ſuppoſitalitas, conſtituens principium immanenter productiuum, & intimè indiſſolubilitérque coniunctum & præſens Filio. Vnde non ſequitur, Filium eſſe Patrem propter Paternitatem, quam in ſe habet; licet ſit Deus propter Deitatem.

Ad ſecundū.

21 Tertium argumentum ſolummodo probat, relationem non eſſe rationem formalem ipſam, in qua formaliter & expreſsè conſiſtit immanentia vnius perſonæ in alia: nihilominus cum relationibus diuinis, in quantum conſtituunt perſonas realiter diſtinctas in eadem eſſentia, per ſe coniuncta eſt, & implicitè incluſa habitudo exiſtendi in ſe inuicem; vt magis conſtabit ſectione 8. ad argumentum 10. Ad quartum negatur Antecedens. Imo completa & adæquata ratio, propter quam vna perſona ſit in altera, debet æquè primò conſtare tam ex ea formalitate, quæ communis eſt vtrique perſonæ, quam ex illis formalitatibus, quibus ab inuicem realiter diſtinguuntur propter rationes ſupradictas.

Ad tertium.

SECTIO

SECTIO V.

Ex vnitate ſubſtantiæ rectè probatur circuminſeſſio perſonarum.

1 FRequentior eſt apud Patres hæc ratio circuminſeſſionis adeo, vt nunquam aut ferè nunquam alias rationes reddant ſine iſta; multoties autem hanc rationem abſque aliis reddant. Colligitur non obſcurè ex Ioan. cap. 10. vbi Chriſtus Dominus ad confirmandum, quod dixerat: *Ego & Pater vnum ſumus*, ſubiecit. *Quia Pater in me eſt & ego in Patre.* & Ioan. 17. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te.* Hoc nimirum Scripturæ fundamento Patres rationem aſſignant. Nazianz. orat. 49. de fide in med. *Hoc erit*, ait, *homouſion, hoc eſt vnius eſſentiæ cum Patre: ſicut ipſe Dominus ait: Ego in Patre & Pater in me. Ego & Pater vnum ſumus, &, Ego de Deo Patre exiui. &, Qui me videt, videt & Patrem meum: non immerito, quia Filius Dei de Deo Patre natus eſt, & ideo de vnitate ſubſtantiæ, & de maieſtate Diuinitatis vnum ſunt.*

Vnitas eſſentiæ eſt ratio circuminſeſſionis.

2 Athanaſ. orat. contra Arian. 1. & 2. & 3. frequenter adducit illud Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem: an non credis, quia ego in Patre & Pater in me eſt?* Vt inde colligat, Filium eſſe ex ſubſtantia Patris, & in eius ſinu, & perfectam illius imaginem, eſſéque vt ſplendorem in ſole, vt aquam in fonte, &c. Conſequenter itaque in dialogo 2. de S. Trinit. contra Amomæum inter princip. & med. ait: *Quatenus eſt Deus, habet Patrem in ſemetipſo, dicens: Ego in Patre & Pater in me eſt: Ego & Pater vnum ſumus.* Et in compendio de Spiritu ſancto non procul à princ. ait: *Ideo Filius in Patre & Pater in Filio, quia quæ Patris ſunt, eadem ſunt in Filio, ac vice verſa: Et quæ vides in Patre, vides in Filio.*

3 Eodem modo ratiocinatur non ſolùm Athanaſ. lib. 4. de aſſumptione hominis inter med. & fin. & lib. 5. de vnita ſubſtantia Trinitatis prope fin. Sed etiam Baſilius multoties, præſertim lib. 1. & 2. contra Eunom. Qui etiam lib. vnico de Spiritu ſancto, cap. 18. ante med. ait: *Filius in Patre, & Pater in Filio, quandoquidem hic talis eſt, qualis ille, & ille qualis hic: atque hac quidem in parte vnum ſunt.* Idem ſumitur ex Gregor. Nyſſen. orat. catech. c. 2. prope fin.

4 Ideo Cyrillus lib. 13. theſauri cap. 1. prope med. ait: *Spiritum ita vnum eſſe cum Verbo, vt quæmuis in propria hypoſtaſi ſit, in ipſo tamen Verbo ſit & Verbum in ipſo.* Idem lib. 9. in Ioan. cap. 39. ita exponit verba Ioan. 14. *Credite, quia ego in Patre*, &c. *Conſubſtantialis enim Patri eſt, nulla re penitus interpoſita, nec intermedio vllo intellecto, quod ſubſtantiam à ſubſtantia & naturam à natura diſſeparet, vnum enim cum ipſo eſt.* Quam explicationem confirmat fusiùs in eo & in ſequenti capite.

5 Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 19. ſub medium. *Nam ſi Filius*, inquit, *in Patre & Spiritu, & Spiritus in Patre & Filio, & Pater in Filio & Spiritu, nulla quidem facta contractione, commixtione, aut confuſione: & eſt vnitas & identitas motionis; nam vna eſt proſilitio, & motus vnus, trium perſonarum (quod quidem in creata natura conſpicere impoſſibile eſt) quoniam diuina effulgentia, & operatio vna ſubſtantia eſt.* Idem lib. 3. cap. 5. ſub initium. *Vnaquæq́* (ſcilicet hypoſtaſis) *ſecundum ſe ipſam ſubſiſtit, id eſt, perfecta eſt hypoſtaſis, & ſuam proprietatem, id eſt, exiſtentiæ modum differentem poſſidet: ſed vnitæ ſunt ſubſtantiâ & naturalibus proprietatibus: & eo quod non diſtant, neque diſcedunt à Paterna hypoſtaſi, & vnus Deus, & ſunt & dicuntur.*

Ruiz. de Trinitate.

Ambroſ. 2. Corinth. 5. relatus ſupra ſect. 2. inter princip. & med. dixit: *Pater per id intelligitur eſſe in Filio, quod vna eorum ſit ſubſtantia.* Hilarius lib. 3. de Trinit. col. 2. *Qui ab eo, qui habet omnia, accepit omnia, Deus à Deo, Spiritus à Spiritu, lumen à lumine, conſidenter ait: Pater in me & ego in Patre. Quia vt Spiritus Pater, ita & Filius Spiritus; vt Deus Pater, ita & Filius Deus; vt lumen Pater, ita & Filius lumen*, &c. Et libr. 4. multo propius ad finem, quàm ad medium. *In quo eſt Deus, Deus eſt. Non enim Deus in diuerſæ atque alienæ à ſe naturæ habitaculo eſt.* 6

Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. prope med. *Propter vnitatem*, iniquit, *naturalem totus Pater eſt in Filio*, & cætera, quæ poſuimus ſect. 3. Anſelmus in monol. cap. 57. init. *Iocundum*, inquit, *eſt intueri in Patre & Filio, & vtriuſque Spiritu, quomodo ſint in ſe inuicem tanta æqualitate, vt nullus alium excedat. Præter hoc enim, quia vnuſquiſque eorum ſic eſt perfectè ſumma eſſentia, vt tamen omnes tres ſimul non ſint, niſi eſſentia vna ſumma: quæ nec ſine ſe, vel extra ſe, nec maior vel minor ſe ipſa eſſe poteſt.* 7

Ad vnitatẽ eſſentiæ reuocatur probatio, quam Chriſtus D. affert ex vnitate operationis, Ioan. 10. prope fin. dicens: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio; & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt & ego in Patre.* Et Ioan. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite.* Vbi Auguſt. tractat. 71. in Ioan. poſt med. *Nec enim*, ait, *ſi ſeparati eſſemus, inſeparabiliter operari vlla ratione poſſemus.* 8 *Vnitas operationis & voluntatis.*

Cyril. Alexand. lib. 3. theſauri cap. 1. propius ad med. quàm ad princ. docet, *Patrem eſſe in Filio, & Filium in Patre, quoniam quæ Pater vult, etiam & Filius vult*, &c. Et confirmat Ioan. 17. prope fin. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* 9

Propterea Damaſcenus verbis ſuperius citatis ex lib. 1. de fide cap. 19. dixit: *Vna proſilitio, & vnus motus*, ſignificans, operationem, & tendentiam in obiectum, eſſe vnam, & ex ea probari circuminſeſſionem. Clariùs autem in eodem lib. 1. cap. 11. circa med. *Non enim*, ait, *localem diſtinctionem (ceu in nobis) poſſumus in incircunſcripta aſſignare Deitate: nam immanentes, & in ſe inuicem perſonæ exiſtunt, non quòd confundantur, ſed quòd ſe inhabitent quidem, ſecundum Domini ſermonem inquientis: Ego in Patre, & Pater in me: neque voluntatis differentiam, aut conſilij, aut operationis, aut virtutis, aut cuiuſuis alterius, quæ re ipſa & per totum aggignunt in nobis diſtinctionem. Quapropter neque tres Deos dicimus*, &c. 10

Poſſunt denique ad hanc probationem corroborandam adduci plura ex iis, quæ retulimus ſectio. 2. & 3. quin etiam omnes Patres citati diſput. 54. ſect. 2. probat. 5. Omnes tandem Scholaſtici, nemine contradicente, fatentur, circuminſeſſionem probari ſufficienter ex vnitate ſubſtantiæ. Diſſident autem in duobus articulis. Alter pertinet ad modum formandi probationem: alter verò ad alias probationes admittendas vel reiiciendas, vt maneat vnica & ſingularis probatio ex vnitate ſubſtantiæ. 11

Probationem ex identitate ſubſtantiæ ſic formatam S. Thomas non ſolùm 1. diſtinct. 19. quæſt. 3. artic. 2. & 4. contra Gentes cap. 9. à med. ſed etiam in præſenti quæſtione 42. artic. 5. corpore. Pater eſt ſua eſſentia, & communicat ſuam eſſentiam Filio non per aliquam ſui tranſmutationem. Cum igitur eſſentia Patris ſit in Filio, ſequitur quod in Filio ſit Pater; & ſimiliter cum Filius ſit ſua eſſentia; 12 *Diſcurſus S. Thomæ.*

tia; sequitur quod sit in Patre, in quo est eius essentia.

13 *Primum argumentum.* Hunc discursum irrationabilem esse dicit Aureolus dist. 19. p. 1. art. 1. sub init. Primum eius argumentum est, quoniam Filius est in Patre, sicut subsistens in subsistente (vt Patres docent locis citatis sect. 3.) sed essentia non est in Patre, sicut subsistens in subsistente, sed sicut natura in supposito. Ergo Filius non est in Patre, propterea quod Filius est sua essentia, quæ est in Patre.

14 *Solutio.* Respond. negando consequentiam. Quin potius infertur oppositum, nam vt essentia, identificata cum Filio, probet, Filium esse in Patre, necessarium est alio modo essentiam esse in Patre, & alio modo Filium esse in Patre. Quemadmodum anima rationalis est ratio, vt homo sentiat & vegetetur; anima tamen non vegetatur, neque sentit eo modo, quo vegeratur & sentit homo. Insuper anima rationalis est *ratio*, propter quam talis figura, & tale temperamentum est in homine; sed figura temperamentum non est eodem modo in anima rationali.

15 Secundum argumentum est, quia si Filius esset in Patre, propterea quod essentia Filij est in Patre; sequeretur, Filium esse in Filio, quoniam essentia Filij est in Filio. Respond. negando consequentiam, quoniam, vt aliquid in alio dicatur esse, requiritur aliqua distinctio, saltem secundum rationem, vt S. Thom. docuit 1. sent. dist. 33. artic. 3. quæst. 1. ad 1. Insuper quando realis est immanentia, secundum quam aliquid est in alio, requiritur realis distinctio. Sic enim Hilar. lib. 7. de Trinitate colum. penult. notat: *Manere in Filio Patrem, non est singularis atque vnici.* Vnde ex hac immanentia realem distinctionem personarum colligit tam eo lib. 7. quàm præcedenti lib. 6. multo propius ad med. quàm ad princ. Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 8. fine, & lib. 3. cap. 1. col. 2. Damascen. lib. 1. fidei cap. 11. circa med. & alij quos retulimus disput. 19. sect. 2.

16 *Realis distinctio suppositorum requiritur ad circuminsessionem.* Propterea non tantum vnitatem essentiæ, sed etiam realem distinctionem suppositorum esse requisitam, vt vna persona sit in alia, notant communiter Scholastici. S. Bonauentura, Ocham. Gabriel, fusius quàm cæteri Argentina: insuper Capreolus, Ferrariens. Caietan. Marsilius & alij locis citatis in sect. 4. Tunc igitur valet illa consecutio, quando supponitur requisita realis distinctio subsistentis à subsistente, in quo est. Cuius accommodatum exemplum adhibuit S. Bonauent. 1. distinct. 19. part. 1. art. 1. quæst. 4. ad 1. Nam si Petrus est similis Paulo, similis est etiam cuicumque, cui Paulus similis est in eadem qualitate: nihilominus inde non sequitur, Petrum esse similem sibi, quia deficit conditio distinctionis.

17 *Vndecimum argumentū.* Vnde soluitur tertium eiusdem authoris argumentum, quoniam hæc consequentia non est bona: Pater est sua essentia, Filius est in Patre: ergo Filius est in essentia. Eadem ergo ratione non erit bona prædicta consequentia S. Thomæ.

Solutio. Respond. omittendo nunc disputare, num proprie dici possit, Filium esse in essentia, siue in subsistentia diuina: sic enim Apostolus ait Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset.* Loquimur enim de modo reali, secundum quem subsistens est in alio subsistente realiter distincto. Cum igitur hæc conditio distinctionis realis deficiat inter Filium & essentiam; non sequitur, Filium esse in essentia, quamuis sequatur, Filium esse in Patre,

SECTIO VI.

Quidditas relationis & operationis immanentis sunt etiam rationes circuminsessionis.

1 SEcundam rationem circuminsessionis assignat S. Thom. in præsenti art. 5. corp. & 1. sentent. distinct. 19. dicta quæst. 3. art. 2. quia secundùm relationes vnum oppositorum relatiuè est in altero secundùm intellectum.

2 *Primum argumentum.* Contra quam rationem argumentatur Aureolus distinct. 19. p. 1. art. 1. col. 2. Primò, quia Pater & Filius, in quantum referuntur ad Spiritum sanctum, sunt vnum; vnde referuntur ad ipsum, in quantum vnus spirator, non in quantum Pater, aut in quantum Filius. Sed constat, quòd sunt in Spiritu sancto secundum suam totam personalitatem; vnde est in Deo Pater cum Paternitate sua, & Filius cum Filiatione. Ergo illud, quo spirant, non est causa, quod Pater & Filius fuerit in Spiritu sancto. Secundò: Habitudo *ad*, & habitudo *in*, non sunt eædem habitudines, sed relatio est causa, quod vnum relatiuum dicatur ad aliud. Ergo non est ratio, quòd vnum sit in alio.

Secundum argumentum.

3 *Tertium argumentum.* Tertiò: Inter Patrem, & Filium in creaturis est verissima relatio Paternitatis, & Filiationis, sed propter hoc Petrus non est in Paulo, licet Petrus sit Filius Pauli: ergo relationes Paternitatis & Filiationis non probant, Filium esse in Patre, & è conuerso. Quartò: Terminus relationis, sic relationi opponitur & ipsam terminat, vt non contineatur in relatione, neque in ipsa existat realiter: quod autem relatio non possit intelligi sine suo termino, non sufficit ad circuminsessionem.

Quartum argumentum.

4 *Omnium argumentorum vna solutio.* Capreolus 1. distinct. 19. quæst. 1. post med. his omnibus argumentis hac vna solutione respondet. Sanctus doctor ex parte relationis non intendit probare, quod vna persona sit in alia secundum esse, sed secundum intellectum. Quod non solùm expressit in præsenti artic. 5. sed etiam clarius in 1. distinct. 19. quæst. 3. art. 2. ad 2. rationem reddens, *Quia in vna relatione intelligitur alia.* Eodem modo respondent Caietanus in præsent. art. post med. & alij expositores.

5 *Persona diuina necessariò continet in se quidquid ad sui definitionē & cognitionē requiritur.* Veruntamen, licet prædicta ratio immediatè non inferat realem existentiam vnius relationis in alia; nihilominus eam mediatè & vltimatè probat sufficienter, eo quod persona diuina non potest definiri & comprehendi per aliquam rem existentem extra ipsam personam, sed in se ipsa continere debet quidquid per se primò & quidditatiuè pertinet ad eius comprehensionem ac definitionem. Confirmatur primò, quoniam æqualis est necessitas cognoscendi Filium ad comprehendendum Patrem, & cognoscendi Patrem ad comprehendendum Filium: ergo duæ relationes Patris & Filij se inuicem definiunt tāquam æquales in perfectione cognoscibilitatis. Hæc autem æqualitas requirit æquale cognoscibile non esse extra, sed intra aliud æquale. Nam si foret extra, foret alterius naturæ, & consequenter creatura.

6 Confirmatur secundò ex S. Bonauent. dist. 19. p. 1. artic. 1. quæst. 4. sub init. nam omne cognitum est in cognoscente vel per veritatem, vel per similitudinem. Sed Pater cognoscendo seipsum, necessariò cognoscit Filium quantum ad hypostasim & proprietatem: ergo Filius est in Patre, aut quantum ad veritatem, aut quantum ad similitudinem

tudinem veritatis. Non quantum ad similitudinem, quia tunc esset Filius in Patre sicut creatura: ergo quantum ad veritatem, eadem ratione Pater in Filio.

7 Confirmatur tertiò, nam alioqui non bene seruari poterit apta cohærentia verborum Christi Domini Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Quod ab omnibus accipitur de existentia secundum esse. Vnde Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 7. col. penult. *Propriam*, inquit, *habet hypostasim ipse* (Filius) *quamuis non separatam à Patre, sed in Patre, & cum Patre intellectam.*

8 Cuius rationis complemētum est altera Chrysostomi tom. 5. versus fin. orat. 9. de illo Abrahami: *Pone manum tuam sub femur meum*, propius ad med. quàm ad princip. ita ponderantis prædicta verba Ioan. 14. *Filius enim sine Patre non apparet: quemadmodum mens in sermone, & sermo in mente consideratur. Vndenam ego tuam mentem scire queam, quam per sermonem interpretem? Sermo nempe tuus mentem tuam declarat & in apertum profert. Et vicissim mens tua sermonis tui interpres existit.* Hilarius autem lib. 7. de Trinit. quatuor col. ante fin. *Quod ergo imago est*, inquit, *eo proficit, vt Deum Patrem Vnigeniti Dei significet natiuitas. Significet autem, vt forma & imago inuisibilis Dei, & per hoc non amittat naturæ vnitam similitudinem, quia nec careat virtute naturæ, & hinc illud est: Qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?*

9 Ad argumenta Aureoli respond. Ad primum. Pater & Filius, in quantum Pater & Filius, virtualiter & radicaliter referuntur ad Spiritum sanctum, licet formaliter non referantur, nisi quatenus sunt vnus Spirator. Propterea, nec inquantum vnus Spirator, nec inquantum Pater & Filius sunt, possunt quidditatiuè, & multominus comprehensiuè cognosci, nisi cognito Spiritu sancto, ad quem referuntur.

10 *Ad tertium & quartum argumētum.* Ad secundum respond. Relatio præcisè & vniuersaliter, vt relatio est, non est sufficiens ratio, vt vnum relatiuum sit in alio. Cæterùm relatio diuina est sufficiens ratio: quoniam in se continere debet illud, per quod per se necessarióque cognoscitur tanquam per æquale cognoscibile, vt nuper explicatum est. Inde constat solutio tertij & quarti argumenti.

11 *Verbi productio est operatio immanēs: ideo Verbum manet in Patre.* Postremam probationem circuminsessionis assignat S. Thom. in præsenti artic. 5. & distinct. 19. supra citata, quia processio Verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam quod Verbo dicitur, in Verbo continetur. Eadem autem est ratio de Spiritu sancto. Huic rationi frequentius, quàm præcedenti Patres adstipulantur. Athenagoras, proximus Apostolorum ætati, legatione pro Christianis col. 7. *Cum Pater*, inquit, *& Filius vnum sint; ita vt Filius sit in Patre, & Pater in Filio, per vnionem & potentiam Spiritus, si quidem mens & Verbum Dei, Filius Dei est*, &c.

12 Cyrillus Alexand. lib. 13. thesauri cap. 2. paulo post med. ait: *Spiritus sanctus quasi operatio naturalis, ac essentialis: in propria tamen hypostasi ex ipso prodiens Deo, & in ipso manens.* Et in fine eiusdem cap. dicit: *Spiritum sanctum esse in Filio, & ex ipso sicut operatio quædam naturalis in propria hypostasi.* Rursus dialogor. de Trinitate lib. 2. inter med. & fin. *Est*, inquit, *Verbum semper ex mente & in mente, insuper etiam mens in Verbo. Vel si dixerint, quod secus sit, & mens sine Verbo erit, & Verbum sine mente,* *Ruiz. de Trinitate.*

& id quod ambo hoc quod sunt intelligi facit, vanum quodammodo euanescet & in nihilum abibit. Mens enim semper verbi radix & origo, mentis autem verbum fructus & proles, & illa quidem sine verbo minimè, tametsi verbum pariat, hoc autem gignentis qualitatem & speciem quasi naturam propriam sortitum est.

13 Et non longè inferiùs interroganti, *Quomodo Patri & Filio poterimus exemplum accommodare?* Respondet: *Quia Verbi quidem ex mente enunciatio, etiam natiuitas est passionis expers, & genitum non diuidetur, manet autem magis in mente, quæ genuit, & mentem quæ genuit in se habebit, sufficientissimeq; & manifestè demonstrabit.* Denique lib. 1. in Ioan. cap. 5. paulo post med. *Filius*, inquit, *appellatur Verbum, ac sapientia, quoniam ex intellectu immediatè atque indiuisibiliter est. Et propter istarum rerum (vt ita dixerim) reciprocam immissionem: mens enim & intellectus in Verbo, si sapientia est, & Verbum rursus ac sapientia in intellectu consticiuntur.*

14 Ad eandem rationem respexisse videtur Damascenus lib. 1. fidei cap. 6. sub init. dicens, esse *Verbum intimè subsistens, viuens, absolutum, non extra ipsum, vt separabile euagans, sed in ipso semper immanens.*

15 *Processio est ratio immanentia.* Hilarius lib. 3. de Trinitate colum. 2. *Pater*, inquit, *in Filio, quia ex eo Filius: Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius: Vnigenitus in ingenito, quia ab ingenito Vnigenitus.* Et lib. 4. multo propius ad fin. quàm ad med. *Manet*, inquit, *Deus in Deo, quia Deus ex Deo est.* Et tam lib. 5. quam toto lib. 7. Circuminsessionem Patris & Filij probat ex natiuitate simul cum vnitate naturæ.

16 Ambrosius in symbol. Apostol. cap. 2. *Pater*, inquit, *in Filio, & in Spiritu sancto intelligitur & sentitur. In illo, id est, in Filio, velut verbo, virtute, & sapientia: in hoc autem velut Spiritu à Spiritu procedente.* Idem lib. 3. de Spiritu sancto cap. 1. post med. *Dei Spiritus*, inquit, *& Spiritus Christi & in Patre est & in Filio, quia oris est Spiritus. Manet enim in Deo, qui ex Deo est,* Psalm. 32.

17 Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. circa medium illud Euangelij: *Verbum erat apud Deum*, explicat per illud: *Ego in Patre, & Pater in me est*, & adiungit: *Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente Verbum, sicut in corde consilium.* Quam similitudinem ita prosequitur: *Sicut de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea Verbum non sit. Ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est, & cum apud illam est, in illa est.* Cuius rationem paulo inferius reddit: *Nec enim sic de illa Verbum nascitur, vt ab ea localiter secernatur. Natiuitas quippe illa, qua ostendit, quid sit, & de qua sit, ipsa ostendit, quod extra eam, de qua natum est, esse non possit, sed in ipsa.*

18 Anselmus in monolog. cap. 57. *Totus*, inquit, *Pater est in Filio, & communi Spiritu, & Filius in Patre & eodem Spiritu, & idem Spiritus in Patre & Filio: quia memoria summæ essentiæ tota est in eius intelligentia & amore, & intelligentia in memoria & in amore, & amor in memoria & intelligentia.*

19 Nihilominus Aureolus præsentem probationem, quæ ducitur ex origine, putat irrationabilem tribus argumentis. Primum, quia Commentator 4. physic. commento 24. dicit, esse remotiorem & imperfectiorem modum essendi in alio, illum secundum quem res est in suo principio agente; sed modus ille, quo Filius est in Patre, & vna persona est in alia, est perfectissimus & summus: ergo non assimilatur illi, quo principiatum est in principio.

20 *Solutio.* Reſpond. Vniuerſaliter acceptus modus, quo res exiſtit in ſuo principio efficiente imperfectus eſt, quoniam efficiens per actionem tranſeuntem non in actu, ſed in potentia tantùm intra ſeipſum continet effectum producendum. Cæterùm perfectus eſt modus, ſecundùm quem vitalis operatio & terminus per illam productus manet in operante. Quæ perfectio ſummum gradum obtinet in Verbo & Spiritu ſancto.

21 *Secùdum argumentum.* Secundum argumentum, quoniam immanentia termini producti in ſuo principio producente, non eſt reciproca. At verò immanentia diuinarum perſonarum eſt reciproca. Ergo immanentia diuinarum perſonarum non probatur per originem vnius perſonæ ab altera.

22 Reſpond. Immanentia termini producti in ſuo principio producente tunc ſolummodo debet eſſe reciproca, quando terminus productus quidditatiuè poſtulat intra ſeipſum habere ſuæ vitæ principium, & illi propter infinitam perfectionem repugnat à principio extra ſe exiſtente recipere vitam. Quoniam igitur Pater dat Filio vitam habere in ſemetipſo Ioannis 5. ideo neceſſariò debet in Filio Pater eſſe: & propter eandem rationem Pater & Filius in Spiritu ſancto. Præterea quoniam perfectio principij generantis Filium non conuenit Filio tanquam eius quidditas, debet eſſe in eo per circuminſeſſionem: alioqui defuiſſet illa perfectio Filio. Similitérque defuiſſet Spiritui ſancto tota perfectio principij, niſi Pater & Filius eſſent in Spiritu ſancto, quibus illius perfectio redditur infinita ſimpliciter; vt vidimus diſput. 30. ſect. 5. & ſequentibus.

23 Tertium argumentum, quoniam S. Thomas ſupradicta probatione ſcribit, Patrem in Verbo contineri tanquam id, quod dicitur Verbo: ſed vniuerſam mundi machinam Pater dixit Verbo ſuo, (quemadmodum probatum eſt diſput. 63.) igitur vniuerſa mundi machina erit in Filio, tanquam id quod dicitur Verbo.

24 Reſpond. magnum eſſe diſcrimen, quia Pater eſt obiectum primarium & formale, quod dicit ſuo Verbo, & dicendo format alterum ſe, vt vidimus tota diſputat. 61. Huiuſmodi autem obiectum eſt ratio formalis, perfectionem & quaſi ſpeciem tribuens Verbo diuino, propterea{que} nequit eſſe, niſi intra ipſum Verbum: maximè quoniam non cognoſcitur per ſpeciem intentionalem, ſed per ſeipſum intimè vnitum cognitioni & Verbo. At verò creaturæ dicuntur Verbo tanquam obiectum materiale illius (vt vidimus diſput. 62. & 63.) & cognoſcuntur non per ſeipſas, ſed per eſſentiam diuinam vt per ſpeciem repræſentatiuam illarum. Eodem tandem euadunt ſolutiones, quas adhibent Caiet. in fine præſentis articuli 5. & Capreol. diſtinct. 19. quæſt. 1. ad argumenta tertio loco poſita ab Aureolo.

SECTIO VII.

Vtrum circuminſeſsio quidditatiuè formaliterq; conſiſtat in vnitate naturæ, vel potius in præſentia ſecundum immenſitatem inſeparabilem.

1 *Prima ſententia, circuminſeſſionem conſiſtere in conſubſtantialitate.* FErrarienſ. 4. contra gentes cap. 9. prope finem, dicit: Patrem eſſe in Filio, eſt, Patrem, diſtinctum realiter à Filio, eſſe illi conſubſtantialem. Sed magis ex profeſſo Aureolus 1. diſt. 19. part. 1. artic. 3. prope fin. contendit, inexiſtentiam vnius perſonæ in alia quidditatiuè formalitérque conſiſtere in identitate ſeu connexione ſuppoſitorum in quadam ſubſtantia, quæ nec realiter, nec per intellectum poſſit ab illis diſtingui, ita vt iſte modus eſſendi nihil aliud ſit formaliter, quàm prædicta identitas.

Conatur id probare verbis Chriſti Domini Ioan. 10. & 14. Veruntamen inde potius colligitur oppoſitum, vt ſtatim videbimus. Præterea probat, quoniam Hilarius lib. 3. de Trinitate ait, quod Patrem eſſe in Filio, & Filium in Patre, non eſt aliud, quàm hoc eſſe in Filio, quod eſt in Patre, &c. Nihilominus Hilarius dicto lib. 3. col. 2. vbi ſcribit ea verba, quæ refert Aureolus, non dicit: *Non eſt aliud*, ſed rationem reddit per cauſalem *quia*. Cuius integra verba poſuimus ſect. 1. argum. 10. & ſect. 6. prope finem. 2 *Eius argumenta diluuntur.*

Tertiò probat Aureolus, quoniam Hilarius lib. 7. de Trinitate colum. penult. docet, Patrem eſſe in Filio, non per coniunctionem, ſed per naturæ vnitam ſimilitudinem, dum res non differt, dum non aliquid ex Deo, quàm Deus naſcitur. Reſpond. Hæc verba ſic habentur apud Hilarium: *Deus in Deo non per duplicem conuenientium generum coniunctionem.* Igitur à formalitate circuminſeſſionis non excludit coniunctionem generaliter dictam, ſed tantùm coniunctionem diuerſorum generum. Alioqui, coniunctionem inſeparabilem eſſe de ratione circuminſeſſionis, docet in eodem contextu, ſicut referemus inferius. In eodem etiam relationem imaginis & originem natiuitatis multoties repetit ad explicãdam quidditatem circuminſeſſionis. 3 *Tertium argumentum.* *Solutio.*

Quartò, quod adducit ex Damaſceno libro 1. cap. 11. nihil aliud probat, quam ex vnitate ſubſtantiæ & operationis efficaciter inferri circuminſeſſionem, vt vidimus ſect. 5. Denique potuiſſet pro ſua ſententia referre Nazianzenum orat. 49. cuius verba retulimus ſect. 5. ſub init. Veruntamen nihil aliud intendit, quàm quod ibi probatum eſt. 4 *Quartum argumentum.* *Quintum argumentum.*

Hæc igitur ſententia ſingularis eſt, atque diſſona doctrinæ antiquorum Patrum. In primis enim quod aſſerit, neque ſecundum rationem eſſe diſtinctum ſuppoſitum ab eſſentia diuina; falſum eſſe, probatum eſt tota diſput. 12. quamuis in hoc articulo mens Aureoli ſit minus abſurda, quàm modus loquendi: quemadmodum explicuimus diſput. 12. ſect. 1. non procul à principio. 5

Quod autem inſtituti præſentis eſt proprium, videlicet, circuminſeſſionis quidditas, quæ nihil aliud ſit, quàm identitas ſubſtantiæ diſtinctorum ſuppoſitorum: refutatur primò, quoniam inde ſequitur, eiuſdem omnino ſignificationis, & merè ſynonymas eſſe duas illas propoſitiones: *Ego & ſio. Pater vnum ſumus*, & *Ego in Patre & Pater in me eſt.* Conſequens autem eſt falſum. Primò, quia minuit perfectionem altitudinémque doctrinæ. Secundò, quoniam à Chriſto Domino probatur altera propoſitio per alteram. Tertiò, quoniam additur ad pleniorem notitiam myſterij. Quoties autem melius penetratur aliqua res duobus conceptibus, quàm vno; toties formalitates illæ diſtinguuntur ratione ratiocinata, vt vidimus diſput. 12. ſect. 2. ſub init. Quartò, quoniam omnes theologi tam veteres, quàm Scholaſtici tanquam diuerſas veritates accipiunt *Vnum ſumus*, & *Ego in Patre*, atque vnam per alteram viciſſim probant. 6 *Nõ in ſola & præciſa conſubſtantialitate conſiſtit circuminſeſſio.*

Refutatur ſecundò, quia præſentia inſeparabilis ſecundum immenſum *vbi* formalitas eſt, quæ ratione ratiocinata diſtinguitur ab identitate naturæ. 7

naturæ. Sed in huiuſmodi præſentia quidditatiuè formalitérque conſiſtit immanentia circuminſeſſionis, vt ſtatim explicabimus. Ergo circuminſeſſionis immanentia non eſt idem formaliter, quod vnitas naturæ.

8 Tertiò, quoniam identitas ſubſtantiæ cum tribus ſuppoſitis non variatur per diuerſos modos identitatis. At verò circuminſeſſionis immanentia per diuerſos modos variatur in Patre & Filio & Spiritu ſancto, vt dicemus ſectione ſequenti ad argum. 10. Ergo identitas ſubſtantiæ non eſt idem formaliter quod circuminſeſſio. Quartò, quia circuminſeſſio concipitur à nobis ſecundum analogiam ad creaturas, quarum vna exiſtit in alia: ſed identitas perſonarum non ita concipitur. Ergo diuerſus eſt conceptus formalis vtriuſque.

9 *Circuminſeſſio conſiſtit in tali præſentia.* Sit igitur concluſio prima. Circuminſeſſio quidditatiuè formalitérque conſiſtit in præſentia, intima & inſeparabili, atque perpetua ſecundum immenſum *vbi*. Præſentiam intimam cum conſubſtantialitate eſſe rationem formalem circuminſeſſionis docuit Scotus 1. diſtinct. 19. quæſt. 2. præſertim art. 3. Ocham. eadem diſt. 19. quæſt. 2. in med. Vbi Gabriel quæſt. 2. art. 1. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 16. num. 11.

10 *Per quas negationes declaratur poſitiua quidditas circuminſeſſionis.* Probatur primò, propterea namque Patres vnam perſonam eſſe in altera, declarant per negationem localis diſtantiæ, & coniunctionem inſeparabilem & indiuiſibilem, & per immiſſionem vnius perſonæ in alteram. Sic enim Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 11. circa med. ſectione præcedenti relatus, dixit, *Non localem diſtinctionem, nam immanentes in ſe inuicem perſonæ exiſtunt.* & lib. 3. c. 5. ſub init. dixit, eſſe *vnitas, eo quod non diſtant, neque diſcedunt à Paterna hypoſtaſi*; & prius dixerat, eſſe *diſcretas, ſed indiſtanter.*

11 Cyrillus in præced. ſect. relatus dicit *immediatè & indiuiſibiliter eſſe*, & immanentiam vocat *immiſſionem reciprocam*: propterea quod intimè quaſi ſe immittit vna perſona in alteram. Fulgentius in eadem ſect. 6. relatus circuminſeſſionem explicat, dicens, *Non localiter ſecernitur.*

12 Hilarius item lib. 7. de Trinit. col. antepenult. *Inſeparabiles*, inquit, *eſſe per naturalem ſimilitudinem Patrem & Filium, non poſſumus aliis verbis docere, niſi Filij.* Videlicet: *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* & col. vltima: *Naturæ virtute vterque in ſe eſt, & neuter ſine altero eſt.* & ad finem libri notat: *Ita eſſe ac ſubſiſtere, vt in ſubſiſtente inſit: ita verò ineſſe, vt & ipſe ſubſiſtat. Nam vterque ſubſiſtens, per id non ſine alio eſt, ſecundum generationem & natiuitatem ſubſiſtentis, natura non alia eſt.* Itaque fundamentum poſitiuum iſtius negationis, quæ eſt non eſſe ſine alio, nec diſtare, nec ſeparari ab alio, eſt formalitas immanentiæ, ſecundum quam vna perſona eſt in alia.

13 *Perpetuitas verbo manẽdi ſignificatur.* Confirmatur, nam perpetuitas iſtius præſentiæ ſignificatur *manendi* verbo, quod à Chriſto Domino traditum Ioan. 14. cum ait: *Pater in me manens*, frequentant antiqui Patres, & explicant metaphora ſedendi & inhabitandi. Quemadmodum Dionyſ. relatus ſect. 2. ſub init. dixit, *Coniuncta manſio & ſedes.* Inhabitari verò dixit Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 11. & cap. 19. relatus ſect. 5. Hilarius quoque lib. 4. de Trinit. multo propius ad fin. quàm ad med. *Habitantem*, inquit, *ab eo, in quo habitat diſcernens* (Iſaias) *perſonæ tantùm diſtinctione, non generis. Deus enim in eo eſt, & in quo eſt Deus, Deus eſt. Non enim Deus in diuerſa atque alienæ à ſe naturæ habitaculo eſt.* cap. 43. & 45.

14 Probatur ſecundò, maiori explicatione concluſionis, cuius occaſionem præbent impugnationes Aureoli aduerſus Scotum. Prima eſt, quoniam intima præſentia perſonarum ad inuicem ſaluari poſſet abſque ſubſtantiæ vnitate & æqualitate perſonarum: at verò circuminſeſſio requirit identitatem eſſentiæ & æqualitatem perſonarum, vt vidimus ſect. 5. Reſpond. Intima præſentia perſonarum ad inuicem, quæ foret inſeparabilis, ac ſimpliciter neceſſaria, ſecundum immenſum *vbi*, ratione cuius implicet contradictionem vnam perſonam eſſe alicubi, niſi ibidem exiſtente ac proinde præſente alia perſona: hæc, inquam, præſentia ſaluari non poſſet abſque ſubſtantiæ vnitate & æqualitate perſonarum. *Primum argumentum.* *Solutio.*

Secunda impugnatio. Præſentialitas eſt relatio, importans diſtinctionem eorum, quæ præſentialiter aſſiſtunt: ſed tota perſona non diſtinguitur à perſona ſecundum eſſentiam. Ergo ſecundum eſſentiam vna perſona non erit præſens alteri. Rurſus perſonæ ſecundum eſſentiam ſunt in ſe inuicem, vt probatum eſt ſect. 5. Ergo perſonas eſſe in ſe inuicem non eſt ſibi præſentes eſſe. Reſpond. vt vna perſona verè realitérque dicatur intimè præſens alteri perſonæ, ſecundum ſe totam, non requiritur realis diſtinctio eſſentiæ, ſatis eſt realis diſtinctio perſonarum. Sic enim tota perſona Filij generatur, & tota perſona Spiritus ſancti ſpiratur; quamuis iſtæ productiones requirant diſtinctionem realem, & perſonæ non diſtinguantur ſecundum eſſentiam. 15 *Secùdum argumentum.* *Solutio.*

Tertia impugnatio, quia mutua penetratio & mutuus illapſus repugnant diuinis perſonis. Reſpond. Penetratio, propriè dicta, propria eſt corporum, quæ locum occupant. Illapſus autem vltra præſentiam intimam affert influxum primæ cauſæ, efficienter mouentis creaturam, in quam illabitur. Reſecatis autem iis imperfectionibus, manet præciſa præſentia intima, qualis Deo conueniret reſpectu creaturarum, licet per impoſſibile non influeret in illas, vel conueniret duobus angelis, ſi forent adæquatè præſentes eidem prorſus ſpatio. Cæterum, vt diximus, hæc præſentia non ſufficit ad circuminſeſſionem, niſi addita inſeparabilitate, quam nuper explicuimus. 16 *Tertium argumentum.* *Solutio.*

Redeo ad probandam concluſionem primam, & ſit probatio tertia, quia mutua inexiſtentia non eſt idem, quod identitas ſubſtantiæ (ſicut in principio ſectionis præſentis aduerſus Aureolum probauimus) nec etiam eſt noua vnio realis inter perſonas addita ſupra vnitatem naturæ: ſiquidem talis vnio compoſitionem inferret: nec excogitari poſſet qualis eſſet ea vnio, vel quare, quóue fine & vtilitate conſtitueretur. Supereſt ergo ſola præſentia ſupradicta, quæ ſit mutua inexiſtentia. Aliunde verò perſonas eſſe ſibi mutuo præſentes intimè non modò ſecundum eſſentiam, ſed etiam ſecundùm proprietates perſonales, manifeſtum eſt, quoniam etiam proprietates perſonales, ſicut ſunt æternæ, ſunt immenſæ & vbique præſentes. Vnde neceſſarium eſt ſibi mutuo coëxiſtere ſecundùm immenſum *vbi*. 17

Secunda concluſio. In prædicta præſentia, prout eſt quidditatiua formalitas circuminſeſſionis, continetur quidditatiua perſonarum arctiſſimáque coniunctio, & quaſi concatenatio & cognatio, ratione cuius vnius perſonæ perfectio nec eſſet plena, nec ſimpliciter infinita, niſi contineret in ſe manentem aliam perſonam, in qua viciſſim ipſa maneret, vt quælibet aliam compleat & ornet, ac viciſſim compleatur & ornetur ſecundùm modum vnicuique proprium. Probatur 18 *Qualis cõcatenatio contineatur in circuminſeſſione.*

primò, quia ſic redditur ratio, propter quam circuminſeſſio requiratur, vt in vnaquaque perſona non deſideretur perfectio alterius perſonæ; proptereáque ſimpliciter infinita ſit, quoniam non modò ſua, ſed etiam aliarum perſonarum perfectionibus ornatur, licet alio & alio modo. Quod explicatum eſt ac probatum diſp.30. ſect.5. & ſequenti. Ad hoc autem non ſufficit ſola præſentia intima quantumque immenſa, niſi comitetur illam prædicta coniunctio & concatenatio.

19 Probatur ſecundò, nam inde ſimiliter intelligitur, quam ob cauſam ad rationem circuminſeſſionis pertineat modus, quod Verbum eſt in mente, & Spiritus in ore (iuxta doctrinam Patrum, quam vidimus ſectione præcedenti) nimirum, quoniam illi modi coniunctionem & quaſi concatenationem ac cognationem afferunt.

SECTIO VIII.

Soluuntur argumenta poſita in ſect.1.

1 *Ad primum.* AD primum. S. Thomas, S. Bonauentura & cæteri Scholaſtici, citati ſect.4. tanquam exploratum ſupponunt, in creaturis & vniuerſa philoſophia naturali nullum inueniri modum, quo res aliqua ſit in alia, qui perfectè & exactè ſimilis exiſtat circuminſeſſioni perſonarum. Sapienter enim Hilarius lib.7. de Trinit. prope finem. *Non eſt,* inquit, *corporalium naturarum iſta conditio (imo nec ſpiritualium) vt inſint ſibi inuicem: vt ſubſiſtentis naturæ habeant perfectam vnitatem, vt manens Vnigeniti natiuitas, à Paterna Diuinitatis ſit inſeparabilis veritate.*

2 Nihilominus per analogiam ad aliquam ex modis, quos homines in creaturis notos & exploratos habent, Chriſtum Dominum explicuiſſe, in in Patre ſe manere, & Patrem in ipſo, probat efficax ratio, quoniam illa verba Chriſti Domini dirigebantur ad inſtruendos omnes fideles, quibus non omnibus, ſed pauciſſimis infunditur ſcientia, quæ ſit independens ab analogia creaturarum: quapropter foret prorſus inutilis illa doctrina, niſi exiſtentiam mutuam perſonarum intelligere poſſemus ad inſtar alicuius modi, quo creatura vna exiſtit in altera, eleuando altius cognitionem, & reſecando imperfectiones. Inde tamen non ſequitur neceſſariò, prædictam analogiam eſſe referendam ad aliquem ex octo modis, enumeratis ab Ariſtotele 4. phyſic.cap.3. nam vltra illos reperiuntur alij plures modi, ſecundum quos dicere ſolemus vnam rem eſſe in alia. Quod magis explicuimus diſp.36. ſect. 9. præſertim dicto 2. & 4.

3 *Analogia ad modos, quibus vna creatura dicitur eſſe in altera.* Adhuc tamen ex illis octo modis Ariſtotelicis tres ſunt habentes aliquam analogiam (licet infinitè diſtantem) cum circuminſeſſione. Primò namque præſentiæ ſecundum immenſum *vbi* quodammodo ſimilis eſt exiſtentia rei in loco ſiue in ſpatio, quod replet. Secundò quantum attinet ad vnitatem eſſentiæ, propter quam Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, huic immanentiæ ſimilis eſt ille modus, quo ſpecifica natura dicitur eſſe in ſuppoſito: qui modus reducitur ad illum, quo genus eſt in ſpecie. Tertiò, qua ratione Verbum eſt in dicente, & Spiritus in ore ſpirante, circuminſeſſioni ſimilis eſt ille modus, ſecundum quem effectus dicitur eſſe in efficiente, qui perfectiori modo conuenit effectis immanentibus; vt vidimus ſect.6. Poſtremam analogiam notauit S.Thomas in hoc art. 5. ad 1. cui ſecundam de genere & ſpecie coniunxit 1. diſtinct.19. quæſt.3. art.2. ad 1.

4 *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum reſpond. Quod exiuit ab aliquo per motum localem, aut per actionem tranſeuntem, non manet in eo. At verò Filius à Patre non exiuit, niſi per immanentem & interiorem productionem ex ipſa ſubſtantia Patris. Hanc enim ſignificat Verbum exeundi, vel egrediendi, ſicut ex Nazianzeno, Baſilio, Cyrillo, Hilario, Ambroſ. Auguſt. Hieronymo, Theodoreto, Iſidoro, Theophylac. & Euthymio retulimus diſp.96. ſect. 2. & in præſenti notat S.Thomas art.5. ad 2.

5 *Ad tertium argumẽtum.* Ad tertium reſpond. Vna perſona eſt in altera ratione ſubſtantiæ, & ratione relationis, & ratione vtriuſque, ſicut explicatum eſt ſect. 4. 5. & 6. Porrò diuinæ perſonæ, quatenus ſunt vnum & idem ratione ſubſtantiæ, poſtulant, vt vna ſit in altera, ſuppoſita conditione prærequiſita diſtinctionis realis inter vtramque perſonam. Itaque quatenus identitas ſubſtantiæ ſumitur vt ratio circuminſeſſionis, realis diſtinctio ſe habet tanquam conditio prærequiſita. Nihilominus ſecundum aliam conſiderationem relationes ipſæ realiter diſtinctæ, ſunt ratio circuminſeſſionis, nec obſtat oppoſitio relatiua, ſed potius infert circuminſeſſionem, vt probatum eſt ſect.2.

6 Ad confirmationem reſpond. Aliqua dicuntur de diuinis perſonis ſecundum ſubſtantiam & relationem ſimul. Sic enim vocantur conſubſtantiales, aut æquales, aut ſimiles, ad quas denominationes non ſufficit ſola ſubſtantia, quoniam ſupponunt realem diſtinctionem; nec ſufficit ſola relatio, quoniam ſupponunt identitatem eſſentiæ. Sic igitur circuminſeſſio dicitur ſecundum ſubſtantiam & relationem ſimul, vt obſeruauit S.Bonauentura 1. diſt.19. art.1. quæſt.4. ad 4.

7 *Ad quartũ.* Ad quartum reſpond. Hæc propoſitio ſimpliciter eſt falſa: *Deus eſt in eodem Deo:* ſicut hæc eſt falſa: *Deus genuit eundem Deum,* vel *ſeipſum Deum:* vt probatum eſt diſp.79. ſect. 4. & 5. Nihilominus ſicut hæ ſunt ſimpliciter veræ, *Deus eſt de Deo,* vel *Deus genuit Deum:* quoniam in eis nomen Deus ſupponitur pro perſona Patris & Filij (quod probatum eſt eadem diſp.79. ſect.1.2.& 3.) ita ſimpliciter vera eſt hæc propoſitio: *Deus eſt in Deo.* & in ea Deus ſupponitur pro vna perſona à parte ſubiecti, & pro altera à parte prædicati. *Deus eſt in Deo, ſed non eſt in eodem Deo.*

8 Hanc verò locutionem in verbis Iſaiæ 45. rectè obſeruarunt Athanaſius in compendio de Spiritu ſancto. Hilarius lib.4. & 5. de Trinitate & Hieronym. in idem caput Iſaiæ 45. col.3. quorum verba poſuimus ſect. 2. poſt med. ibidem etiam relatus Athanaſ. ex epiſtola ad Serapionem, quæ incipit: *verſatus ſum,* dixit: *Spiritus Dei, qui eſt in ipſo.* Gregor. verò Nyſſenus oratione catchet.c.2. ad finem: *Spiritus in Deo eſt.* Quod etiam dixit Cyrillus non ſemel toto lib.13. theſauri & toto lib.14. & dialogor. de Trinitate toto lib. 7. Frequentius autem hanc locutionem iterat Hilarius non modo lib.4. & 5. citatis, ſed etiam lib.6. & 7. de Trinitate maximè quatuor poſtremis columnis.

9 *Præoccupatur obiectio.* Sed obiici poteſt Baſilius, qui homil.16. ad illud: *In principio erat Verbum.* inter med.& fin. ponderat, *Non dixiſſe, in Deo, ne auferendæ hypoſtaſeos occaſionem daret.* Veruntamen hæc verba non ſunt reprobantis modum loquendi, ſed admonentis, clariorem vim & ſignificationem hypoſtaſeos afferri præpoſitione *apud,* Nam eſſe in Petro dicuntur etiam accidentia, quæ non ſunt hypoſtaſes: attamen apud Petrum eſſe non dicuntur, niſi perſonæ ſiue hypoſtaſes. *Apud, quomodo differat à præpoſitione in.*

10 *Ad quintũ.* Ad quintum reſpond. Si aliquid eſt in aliquo, in eodem eſt omne, quod eſt in eo, ſuppoſita conditione realis diſtinctionis. Cuius cõditionis defectu Pater non eſt in Patre; quemadmodum ſect.5. prope finem dicebamus ad 2. Aureoli. *Ad ſextum.* Ad ſextum reſpond. Non eſt Filius perſona, in qua Filiatio eſt per immanentiam, & præſentiam inſeparabilis immenſitatis: ſed illa tantum perſona eſt Filius, in qua Filiatio eſt tanquam proprietas conſtituens, & realiter identificata cum perſona. Vnde conſtat ſolutio confirmationis.

11 *Ad ſeptimũ.* Ad ſeptimum reſpond. Eſſe in Patre vel in Filio eo modo, quo eſſentia diuina eſt in illis, non conuenit perſonis, nec dicitur de illis: quamuis ex eo quod eſſentia ſit in Patre & Filio realiter identificata cum illis, tanquam à radice proueniat, quod Pater ſit in Filio, tanquam ſubſiſtens, in ſubſiſtente realiter diſtincto, viciſſimque Filius in Patre.

12 *Ad octauũ.* Ad octauum reſpond. Licet in vna perſona ſint aliæ duæ cum omnibus & ſingulis, quæ inſunt eiſdem perſonis; nulla ſequitur confuſio: quia realis earum diſtinctio reſeruat vnicuique perſonæ qnidquid illius proprium eſt, ne identificetur cum alia perſona. Ideo plerique Patres, docentes, vnam perſonam eſſe in alia, monent, *Abſque confuſione circuminſeſſio.* abſque confuſione perſonarum eſſe, id eſt, abſque identitate reali: vt Dionyſius cap.2. de diuin. nomin. inter princip. & med. Damaſcenus 1. fidei cap. 11. propius ad med. quam ad fin. & cap.19. circa med. frequentius autem Hilarius in libris de Trinitate præſertim 6. verſus med. & 7. poſt med. vſque ad finem.

13 *Ad nonum.* Ad nonum negatur ſequela: & ad illius probationem reſpond. Quod ineſt alicui per alterum, ferè ſemper ineſt illi aliter, quam ſecundum modum illius. Sic enim creſcere, ſentire, ac progredi per animam rationalem ineſt homini: ſed non ineſt ſecundum modum animæ rationalis; ſed modo longè diuerſo. Deinde homini conuenit diſgregare viſum per albedinem: nihilominus homini per accidens conuenit, albedini verò per ſe. Vix autem reperietur quando verificetur illud, niſi quando prædicatum ineſt alicui ſubiecto, ratione alterius prædicati eſſentialis: tunc enim quod per ſe ineſt prædicato, per ſe ineſt etiam illius ſubiecto.

14 *Ad decimũ. Vtrum idem modus immanẽtiæ perſonis omnibus conueniat.* Ad decimum communior Scholaſticorum doctrina reſpondet, omnes perſonas inuicem eſſe aliam in aliis vniformiter eodem modo, & eadem habitudine, communi omnibus perſonis. Ita S.Bonau. 1. diſtinct.19. parte 1. art.1. quæſt.4. ad 5. Vbi Scotus quæſt.2. §. *contra iſtud.* Henricus 2.p.ſummæ art.53. quæſt.10. ad arg.15. Marſil. 1. quæſt.22. col. vltima ad 4. Suarez lib.4. cap.16. num.12. Probant, quia modus, quo perſona quælibet eſt in alia, eſt ratione vnitatis ſubſtantiæ, ſuppoſita diſtinctione reali. Confirmatur, nam immenſitas præſentiæ, quam ſectione præcedenti diximus, eadem eſt in omnibus.

15 Vera tamen ſolutio diſtinguit, atque concedit, eundem eſſe modum circuminſeſſionis in omnibus perſonis, quatenus vna conſideratur eſſe in alia præciſè ratione communis & eiuſdem eſſentiæ vel ratione immenſitatis. Nihilominus vna perſona eſt etiam in alia tanquam terminus productus in ſuo principio, aut tanquam vitæ principium in eo, cui vitam præbet, ſicut probatum eſt ſect.6. Quapropter ſecundum hanc conſiderationem non eſt idem modus, quo Pater eſt in Filio, & Filius in Patre. Ita docuit Albertus, cuius verba refert Carthuſ.1. diſt.19. quæſt.2. col.2. & S.Thomas eadem diſt.19. quæſt.3. art.2. fine. Nihil autem obſtat circuminſeſſioni diuerſitas modi, dummodo reciproca ſit inexiſtentia realis. At verò non eſt realis inexiſtentia generis in ſpecie, nec ſpeciei in genere. Adde quod circuminſeſſionis nomen denotat, eſſe perſonas, quæ in ſe inuicem veluti ſedent permanẽter atque morantur.

Hinc conſtat ſolutio primæ confirmationis.

16 *Circuminſeſſionũ ſit realis relatio.* Ad ſecundam confirmationem S. Thomas nuper citatus conſequenter docet, eſſe relationem rationis, quatenus circuminſeſſio conſideratur ratione communis eſſentiæ, ſicut æqualitas eſt relatio rationis & cæteræ relationes, quæ perſonis iam conſtitutis ſuperueniunt, eo quod ſint eiuſdem eſſentiæ; vt vidimus diſp.103. ſect. 4. & ſequentibus. Cæterum qua ratione circuminſeſſio conſideratur ſecundum ordinem originis, eſt relatio realis & quaſi partialis quædam formalitas, imbibita in vnaquaque perſonalitate, diuerſificatáque ſecundũ quidditatem vniuſcuiuſque perſonalitatis: vt diximus diſp.18. ſect.4. probat.3. fine.

17 *Ad vndecimum. Pater non eſt apud Filium, ſed in Filio.* Ad vndecimum negatur conſequentia propter diſcrimen ſignificationis, quam habet vtraque præpoſitio. Nam ſicut inter homines, qui propriam domum inhabitat, non dicitur manere apud Filium ſuum, ſed potius eius filius, iam adultus & emancipatus, dicitur manere apud Patrem: ita quoniam Pater diuinitatem & totum eſſe non habet à Filio, ſed à ſeipſo, non dicitur manere apud Fium; licet Filius maneat apud Patrem. Propterea S. Thomas in Ioan. cap.1. ad illud: *Verbum erat apud Deum,* obſeruauit, hac præpoſitione denotari ſubſiſtentiam, coniunctionem & authoritatem principij. Cui doctrinæ conſonat S.Bonau.1. diſt.19. part.1. art.1. quæſt.4. prope fin. Clariùs autem Aureol. in eadem diſtinct. part.1. art.3. ante ſolutionem obiectionum. At verò præpoſitio *in* magis vniuerſaliter denotat præſentiam & coniunctionem inſeparabilem, quæ contrahitur quaſi per differentias ad coniunctionem principij cum termino producto, & ad coniunctionem termini producti cum ſuo principio.

18 *Spiritus ſanctus apud Patrem eſt.* Inde colligo, rectè dici poſſe Spiritum ſanctum eſſe *apud Patrem;* ſed minus bene apud Filiũ, quoniam licet ſit illius principium vnum cum Patre; attamen non eſt à ſeipſo, ſicut Pater. At nullo modo dicendum eſt Filium eſſe apud Spiritum ſanctum & multo minus Patrem eſſe apud Filium & Spiritum ſanctum.

19 Ad confirmationẽ reſpond. Fulgentium ibi reſpexiſſe ſolummodo ad intimam coniunctionem perſonæ conſubſtantialis, quam propugnabat; nec meminiſſe prędicti diſcriminis, quoniam inſtituto ſuo non erat neceſſarium. Quod tamen libenter admitteret, ſi poſtularet occaſio diſputationis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Filius ſit æqualis Patri ſecundum potentiam.

1 QVOD attinet ad potentiam productiuam perſonarum *ad intra,* & illius æqualitatem, tractatum eſt ſatis diſp.101. Veruntamen æqualitas poteſtatis producendi & gubernandi

nandi creaturas ad extra, conueniens tribus personis, tractabitur disp. 110. & sequentibus. Denique, quod agitur hic de obedientia Filij erga Patrem, explicatum est disp. 50. sect. 8. & sequentibus. Itaque nihil omnino restat in hoc articulo disputandum.

QVÆSTIO XLIII.

De missione diuinarum personarum.

ARTICVLVS I.

Vtrum alicui personæ diuinæ conueniat mitti.

ARTICVLVS II.

Vtrum missio sit æterna, vel temporalis tantum.

DISPVTATIO CVIII.

An sit missio, & quibus personis conueniat.

SECTIO I.

Mittuntur ipsæ personæ Trinitatis, & non tantum earum dona.

1 PRIMA conclusio de fide sit, Filium & Spiritum sanctum esse missos à Deo Patre: quod ita perspicuè constat ex sacris literis, vt hæreticorum nemo fuerit ausus negare missionem: sed eam detorquere conatus fuerit ad impugnandam diuinitatem personæ, quæ mittitur, vt videbimus statim.

2 Clariora testimonia sunt in Nouo testamento. *Mittitur Filius.* Matth. 10. *Qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Lucæ 20. *Mittam Filium meum dilectum.* Ioan. 3. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Et cap. 3. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Deinde cap. 6. *Vt credatis in eum, quem misit ille.* Et infra: *sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* & cap. 7. *Est verus qui misit me.* & rursus: *Ab ipso sum, & ipse me misit.* & cap. 8. vers. 42. *A me ipso non veni, sed ille me misit.* Ioan. 10. *Quem Pater sanctificauit & misit in mundum.* cap. 11. *Vt credant, quia tu me misisti.* cap. 12. *Qui videt me, videt eum, qui misit me.* Quam plurima sunt alia testimonia in cap. 5. Ioannis & sequentibus vsque ad cap. 17. Romanor. 8. *Deus Filium suum mittens.* Galat. 4. *Misit Deus Filium suum.* 1. Ioan. 4. *Vnigenitum misit Deus in mundum.*

3 Atque in Veteri testamento sapient. 9. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Præterea multoties in Veteri testamento vocatur angelus, quo significetur esse missus, quemadmodum Malac. 3. *Ecce veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis.* & Isaiæ 9. vers. 6. iuxta Septuaginta: *Vocabitur nomen eius magni consilij angelus.*

4 De Spiritu sancto Ioan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo.* & cap. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre.* & cap. 16. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Galat. 6. *Misit Deus Spiritum Filij sui.* 1. Petri 1. *Spiritu sancto misso de cœlo.* Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* *Spiritus sanctus mittitur.*

5 Ex talibus igitur testimoniis Ariani colligebant, Filium & Spiritum sanctum inferiores & subiectos esse Deo, quoniam persona mittens superior est, potens imperare, & facultatem tribuere personæ, quæ mittitur. Quibus Patres respondent, diuinarum personarum missionem non inæqualitatem inferre, sed tantum ordinem originis & destinationem ad aliquem effectum, sicut explicabitur. sect. sequentibus. *Arianorum obiectio.* *Solutio Patrum.*

6 Augustinus lib. 4. de Trinit. prope fin. totius libri. *Non ideo*, inquit, *minorem Filium, quia missus est à Patre, nec ideo minorem Spiritum sanctum, quia & Pater eum misit & Filius, sufficienter quantum arbitror demonstratum est. Siue enim propter visibilem creaturam siue potius propter principij commendationem, non propter inæqualitatem, vel imparilitatem, vel dissimilitudinem substantiæ in scripturis hæc posita intelliguntur.*

7 Quin potius ex ipsa missione Christus Dominus accipit argumentum, quo probet æqualitatem inter missum & mittentem. Ioan. 5. *Vt omnes*, inquit, *honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Vbi aduerbium *sicut*, æqualitatem honoris significat. Quamuis enim relatum ad ea, quæ sunt diuersi generis, multoties denotet inæqualem imitationem: nihilominus inter ea, quæ sunt eiusdem generis, æqualitatem significat. Porrò Pater & Filius, eo ipso quod sunt Pater & Filius, necessariò sunt eiusdem generis. Atque ita hunc locum aduersus Arianos ponderauit Cyrillus lib. 2. in Ioann. cap. 141. Cui consonat Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti col. 5. & dialogo 2. de S. Trinit. contra Anomæum tribus col. ante finem. *Missione probatur æqualitas personarum.*

8 Ex aliis locis Veteris testamenti missionem simul cum æqualitate personæ, quæ mittitur, rectè probat Ambros. lib. 3. de fide ad Gratian. c. 4. inter princ. & med. dicens: *Considera, quia Dominus noster Iesus Christus in Esaia locutus est, ab Spiritu sancto esse se missum. Numquid ergo Spiritu minor Filius?* Confirmat autem testimonio Esaiæ 48. *Manus mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos.* Et post pauca: *Ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me & Spiritus eius. Vtique, qui cœlum fecit & terram, ipse dicit, à Domino & à Spiritu eius esse se missum. Videte ergo, quod simplicitas sermonis, non iniuria missionis sit.* Esaiæ 61. init.

9 Eadem Isaiæ testimonia ponderans lib. 3. de Spiritu sancto cap. 1. fine: *Quis est*, ait, *qui dicit: Misit me Dominus Deus & Spiritus eius, nisi qui venit à Patre, vt saluos faceret peccatores? Quem vt audis, & Spiritus misit: ne cum legis, quia Filius Spiritum mittit, inferioris esse Spiritum crederes potestatis. Ergo & Pater Filium misit & Spiritus, Spiritum quoque & Pater misit & Filius. Pater misit, quia scriptum est: Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Filius misit, quia dixit: Cum venerit autem Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis. Si ergo se inuicem Filius & Spiritus mittunt, sicut Pater mittit, non subiectionis iniuria, sed communitas potestatis est.*

10 Ratione probatur, diuinis personis conuenire missionem, quoniam illis conuenit eius definitio tradenda in sectionibus sequentibus.

11 *Obiectio, quia superiores angeli nõ mittuntur.* Inde tamen consurgit difficultas, quoniam angeli superiores nunquam ad exterius ministerium mittuntur, (quod cum Dionysio cap. 8. de cælesti hierarchia circa princip. docet Gregor. hom. 34. in euangelia paulo post med. S. Thomas infra q. 112. art. 2. Magister & communiter Scholastici 2. sent. dist. 10. cap. vltimo.) Sed quælibet diuina persona superior est, & dignior quolibet angelo. Ergo nulla diuina persona mittitur ad exterius ministerium.

12 *Solutio.* Respond. negando consequentiam; quoniam in angelis, quantocúmque superiores sint, aliquid indignitatis, mutabilitatis & imperfectionis inuoluitur, & exercetur, quando mittuntur; mouentur enim localiter, vt sint vbi prius non erant, & ministrent vtilitatibus eorum, ad quos mittuntur, non propter seipsos, sed propter gloriam mittentis, distinctam à gloria angelorum. Persona verò diuina sine loci mutatione mittitur, cum vbique præsens adsit; nec aliena, sed eiusdem personæ voluntate mittitur ad suam ipsius gloriam, quæ eadem est cum gloria mittentis. Denique redemptionis & iustificationis effectus, ad quos diuina persona mittitur, nulla persona creata potest producere immediatè & propria virtute. At superiorum angelorum ministeria suplere possunt inferiores angeli.

13 *Non tantùm dona creata sed etiã ipsa persona Filij vel Spiritus sancti mittitur.* Secunda conclusio. Non tantùm dona creata, quæ appropriantur Filio, vel Spiritui sancto, sed etiam ipsas personas Filij vel Spiritus sancti missas esse, significant supradicta testimonia Scripturæ sacræ, & quæ referemus in sectionibus sequentibus ex verbis antiquorum Patrum & Scholasticorum. Hæc conclusio est contra nonnullos antiquorum, dicentes, Spiritum sanctum non ipsum Deum dari, sed dona eius tantum, quos supresso nomine refert Magister 1. distinct. 4. cap. *sunt autem.* Videtur equidem id sensisse Theophylac. in Ioann. ad illud capitis 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, & iterum Ioan. 7. ad illud: *Nondum erat Spiritus datus*, &c. Quo in loco idem docuisse Leontium & Theodorum Heracleensem refert Maldonatus ibi. Alij verò Patres, qui fauere videntur, sectione sequenti declarabuntur.

14 Nunc verò secunda conclusio probatur primò, quia si non mitteretur ipsamet persona diuina, sed tantum eius donum, non toties, neque tam seriò sacræ literæ docerent, personam esse missam, sed potius assererent, missum esse donum illius; hoc enim erat promptum, verum ac proprium magis ad dicendum, & ad intelligendum erat magis apertum fidelibus.

15 Confirmatur, quia per singula Scripturæ loca superius citata discurrentes inueniemus verba non pauca, quæ manifestè denotant ipsammet personam esse missam. Vnum aut alterum ponderare sufficiet. Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*, &c. At munus aduocati, consolatoris atque magistri, docentis & suggerentis non exercet accidentarium munus & creatum, sed personam subsistens & increata.

16 Quemadmodum & sequent. cap. 15. ad fin. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me:* Idem itaque, qui procedit à Patre, quippe per infallibilem authoritatem testimonium perhibet de Filio, ille idem mittitur à Filio simul & à Patre. Denique donum creatum non est obiectum beatificans angelos, sed tantùm personæ diuinæ: at Spiritus sanctus idem qui mittitur, est obiectum, angelos beatificans 1. Petri 1. *Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere.*

17 Probatur secundò, quia non tantùm dona creata, quæ appropriantur Spiritui sancto, sed etiam ipsa persona sancti Spiritus datur hominibus. Ergo non tantum dona creata, sed etiam ipsa persona sancti Spiritus mittitur ad homines. Consequentia probatur à fortiori, quoniam ipsam personam Spiritus sancti datam esse, verificatur ex eo, quod incæperit in anima præsens esse nouo modo per suam operationem, ac dona, propter quæ peculiari modo possidetur & habetur Spiritus sanctus. Hæc autem omnia sufficiunt, vt verificetur, eandem ipsam personam Spiritus sancti fuisse missam, dummodo superaddatur eius æterna processio. Missio namque supra dationem addit solummodo processionem æternam, quæ non potest dono creato conuenire, sed tantum eidem ipsi personæ diuinæ. Quapropter quæcumque persona datur, si procedit à persona dante, eo ipso mittitur: vt constabit sect. 7. prope finem. Vbi tractabitur etiam quæ sit cõuenientia & differentia missionis à datione diuinarum personarum.

18 *Dari personam ipsam Spiritus sancti.* Nunc autem antecedens, videlicet, ipsam personam Spiritus sancti nobis dari, & non tantùm eius dona, probatur primùm ex sacris literis. Nam Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vbi manifestè dicitur esse datus spiritus ipse, qui distinguitur à charitate dono creato, tanquam author illius, per quem charitas creata diffunditur in cordibus nostris.

19 Confirmatur primò, quia similiter Actorum 1. superueniens spiritus distinguitur à creata virtute, quam communicat, cum ait: *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Confirmatur secundò, quia quando Charitas accipitur non pro dono creato, sed pro ipso Deo, tunc etiam dicitur manere in hominibus iustis. Vnde sequitur fuisse datam personam quæ manet. Sic enim 1. Ioan. 4. *Deus Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

20 Confirmatur tertiò, quia templum non dicatur donis creatis; siquidem dicare templum est cultus latriæ, soli Deo tribuendus. At verò datur nobis ille idem Spiritus, cuius templum esse debemus 1. Corinth. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo.* Ergo non tantùm dona creata, sed etiam ipsum Spiritum sanctum, honore latriæ dignum, habemus à Deo, datum à Patre & Filio.

21 Idem Antecedens probatur ex Patribus. Melchiades enim PP. epistola ad certos quosdam & ad omnes Hispaniæ episcopos, post med. affirmat, eundem Spiritum sanctum venire, descendere, effundi, & donari, de quo Ioan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, &c. & infert: *Vides, quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.* Athanasius longiori epistola ad Serapion. multo propius ad med. quàm ad finem, dicit Spiritum sanctum *esse donationem, quæ à Patre dicitur procedere, quoniam à Verbo Patris desumit, & mittitur, & donatur.*

Idem

Idem igitur Spiritus datur, qui procedit à Patre, & à Filio desumit essentiam sibi communicatam, iuxta illud: *De meo accipiet.*

22 Augustinus lib.15. de Trinitate cap. 26. non procul à principio. *Eundem*, inquit, *Spiritum sanctum datum, cum insufflasset Iesus, de quo mox ait: ite, baptizate omnes gentes in nomino Patris & Filij & Spiritus sancti, vbi maximè commendatur hæc Trinitas, ambigere non debemus. Ipse est igitur, qui de cœlo etiam datus est die Pentecostes. Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Immo quantus Deus est, qui dat Deum?* Vide quàm apertè docuerit, ipsum Spiritum, qui est tertia in Trinitate persona, in cuius nomine baptizamur, & quæ verè Deus est, fuisse datum die Pentecostes. Tunc autem pleniùs fuit impleta promissio mittendi Spiritum sanctum, quam præcedenti probatione retulimus ex cap.14. & 15. Ioannis. Consequens igitur est, vt idem Spiritus fuerit mittendus atque promissus, qui die Pentecostes fuit personaliter datus.

23 Idem August. tractatu 74.in Ioan. sub init.tractans illud Ioan.14. *Alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Hic est*, inquit, *in Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri & Filio consubstantialem & coæternum fides catholica confitetur: ipse est de quo dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Eodem modo Spiritum intelligit, quem Ioan.7. *Accepturi erant credentes in eum.* tractatu 32. in Ioan. ante med. Rursus serm.43. de verbis Domini secundum Ioan.col.2. *Magna est*, inquit, *misericordia Dei. Donum dat æquale sibi, quia donum eius Spiritus sanctus est, & vnus Deus tota Trinitas, Pater, & Filius & Spiritus sanctus.* Confirmat autem Apostoli verbis Roman.5.*Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

24 Quem locum similiter ponderans Ambros.lib. 1. de Spiritu sancto cap.5. inter princ.& med.ait: *Quid autem dubitem dicere, quia dulcis est & Spiritus sanctus, cum scriptum sit: Gratia Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis?* & post med.eiusdem capitis de eodem Spiritu ait: *Qui cum sit inaccessibilis natura, receptabilis tamen propter bonitatem suam nobis est, complens virtute omnia, sed qui solis participetur iustis.*

25 Sed multo plura ex sacris literis argumenta reperies conglobata in præcedenti cap.4.eiusdem libri primi de Spiritu sancto, quorum singula probant, ipsam increatam Spiritus sancti personam hóminibus mitti, atque donari. Præcipua sunt, quæ sub initium illius capitis scribit: *Ipsum Spiritum Christi appellauit, sicut habes: Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* & infra: *Quod si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis. Ipse est ergo Spiritus Dei, qui Spiritus Christi. Ipse est Spiritus vitæ, sicut ait Apostolus: Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Quem ergo Spiritum vitæ Apostolus dixit, ipsum Dominus in Euangelio Paracletum nominat, ipsum Spiritum veritatis, sicut habes: & rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum Spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere.*

Roman.8.

Ibidem.

Ioan.14.

26 Et post med.eiusdem capitis: *Ipsum igitur vnum Spiritum & Apostoli & prophetæ sunt consecuti. Sicut etiam vas electionis, doctor gentium dicit: quia vnum Spiritum potauimus, quasi eum qui non queat scindi, sed infundatur animis, & sensibus illabatur, vt sæcularis sitis restinguam ardorem. Non ergo sanctus Spiritus de substantia corporalium, hic enim corporalibus incorpoream infundit gratiam: sed nec de substantia inuisibilium creaturarum est: nam & ille sanctificationem huius accipiunt, & per hunc reliquis mundi operibus antecellunt, siue angelos dicas, siue dominationes, siue potestates, omnis creatura expectat sancti Spiritus gratiam.*

Leo magnus tribus sermon. de Pentecoste præsertim serm.2. cap.2. & sequentibus ostendit, Spiritum sanctum consubstantialem & æqualem esse Patri & Filio: eundem verò, subiungit, fuisse missum & datum apostolis. Nec minus faciunt ad rem præsentem quæ scribit Bernardus tribus sermon. de Pentecoste aliique Patres de hac festiuitate tractantes, ac denique Ricard. etiam Victorin. lib.6. de Trinit. cap.14.

27

Clariùs autem hanc doctrinam expressit Magister 1. sentent. cap. *sunt autem*, vbi communiter Scholastici. Alexand.1.p.quæst.73.memb.4.art.1. Albert. q.32. memb.1.ad 6. & 7. argum S.Thom. in præsenti quæst.43. art.3. ad 1. Cæteri Scholastici 1. dist.14. Vbi magis copiosè Gregor. quæst. vnica art. 1. concl.1. Oppositum autem meritò vocat errorem S.Thomas in prædicto art.3.arg.1. Quem alij sequuntur.

28

Tertiò probatur conclusio, quia si tantummodo mitteretur donum, & non ipsa persona Spiritus sancti; sequeretur, Spiritum sanctum non posse dari ratione suæ personæ, subindéque persona Spiritus sancti non esset quidditatiuè ac personaliter donum, angelis & hominibus donabile, sed tantum esset donator & author donorum. Consequens autem esse falsum constat ex disp.75. probante, sanctum Siritum esse donum propriè ratione suæ proprietatis personalis. Confirmatur, quia licet in tempore, quando mittitur Spiritus sanctus, non producatur eius persona; cæterùm producitur gratia, per quam Spiritus sanctus animam inhabitat, & nouo modo supernaturali præsens adest, possidetur à nobis, & fit noster, vt probat Augustinus lib.5.de Trinit.cap.14. à med. receptus à Magistro & communiter Scholasticis 1. dist.18. de quo diximus eadem disp.75. sect.4. difficult.5. & dicemus disp.109. sect.3.

29

Persona Spiritus sancti quidditatiuè donum.

Quartò probatur, nam ipsam Filij personam esse missam, est magis apertum, vt constabit ex conclusione sequenti.

30

Tertia conclusio. Persona Filij dupliciter denominatur missa. Primò ratione naturæ humanæ per communicationem idiomatum, quemadmodum dicitur Dei Filius crucifixus & mortuus. Secundò. Missa dicitur ipsa persona Verbi secundum suam entitatem increatam. Vtrumque conclusionis membrum acutè distinxere Patres Nazianzenus orat.38.colum.penult. num.22. *Missus est*, inquit, *verum vt homo (duplici enim natura erat) siquidem & fatigatus est, & fame ac siti laborauit, & angore affectus est, & lachrymas fudit, vt corporis lex fert. Quod si etiam vt Deus, quid propterea? Beneplacitum Patris missionem esse existima: cui sua quoque adscribit, tum vt principium, temporis expers, honore afficiat, tum ne Dei aduersarius esse videatur.* Missionem vtramque fusius declarauit Nicetas ad eandem orat.38. Nazianzeni num.22.

31

Persona Filij dupliciter denominatur missa.

Cyrillus Alexand. lib.4. in Ioan.cap.42.versus finem: *Non enim*, ait, *seruilis hæc missio est, quamuis merito ita dici possit, quia formam serui accepit: sed mittitur etiam, vt verbum ex mente, vt splendor solis ex sole, ac generaliter fulgor ex refulgente. Quibus* similia

32

similia sunt prorsus, quæ scribit lib.12. thesauri cap.15.propius ad med.quàm ad fin.

33 Augustinus lib.4. de Trinit. cap.20. initio. *Si secundum hoc missus à Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius, nullo modo impedit, vt credamus, æqualem Patri esse Filium & consubstantialem, & coæternum, & tamen à Patre missum Filium.* Et paucis interpositis infert: *Secundum hoc iam potest intelligi, non tantùm ideo dici missum Filium, quia Verbum caro factum est, sed ideo missum, vt Verbum caro fieret, & per præsentiam corporalem illa quæ scripta sunt operaretur: id est, vt non tantum homo missus intelligatur, quod Verbum caro factum est, sed & Verbum missum vt homo fieret: quia non secundum imparem potestatem, vel substantiam, vel aliquid, quod Deo Patri non sit æquale, missus est, sed secundum id, quod Filius à Patre est, non Pater à Filio.* Eadem ferè sunt, quæ docet lib. vnico contra serm.Arianorum cap.4.à princip.

34 Præterea præcisa communicatione idiomatum Filij personæ conuenire missionem, manifestè colligitur ex dictis inter probationes præcedentis conclusionis, quoniam personæ Spiritus sancti conuenit esse missam, & non per communicationem idiomatum, quia nullam naturam assumpsit ad hypostaticam vnionem, quæ sola potest afferre communicationem idiomatum. Nihil ergo prohibet, eodem modo missionem conuenire personæ Filij. Idem colligitur ex Patribus, qui sect.2. & 3. missionem referunt ad processionē æternam, vel ad illam simul cum processione temporali. Colligitur etiam ex Patribus, asserentibus, ante Incarnationem fuisse visibiliter missum Filium ad Patriarchas. quos referemus seq.disp.109.sect.9.

35 Contra secundam & tertiam conclusionem sentire videntur Chrysostomus, Gregor. Nyssenus, & alij, dicentes, non personam diuinam mitti, sed eius donum. Eos tamen explicabimus sect. sequenti opinione 2.

SECTIO II.

De quidditate missionis variæ sententiæ.

1 *Prima sententia, Filium appellari missum secundum æternam generationem.* Philipp.2.

PRima fuit, Filium appellari missum secundum æternam generationem. Hanc suppresso nomine authorum, refert Magister 1.dist.15. cap. *ad quod dicimus.* Fauent illi nonnulli Patres, vt Cyrillus lib.12.thesauri c.15.multo propius ad med. quàm ad fin. dicens: *Missum se Filius dicit à Patre, aut secundum Incarnationis modum, quia seipsum exinaniuit; aut quia sicut ex sole lux emittitur, vel ex igni calor, sic inseparabiliter ex Patre emanat.*

2 Hilarius lib.5.de Trinit.col.7.ait: *Missi & mittentis significatio hic non aliud, quàm Patrem & Filium docet: cæterum veritatem non adimit naturæ, neque in Filio perimit natiuæ Diuinitatis proprietatem, quia nemo ambigat naturam authoris in Filij natiuitate connasci.*

3 Gregor.Magn.homil.26. in Euangelia parum à princip. sic explicat illud Ioan. 20. *Sicut misit me Pater. Quamuis mitti etiam inxta naturam Diuinitatis possit intelligi. Eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur. Nam sanctum quoque Spiritum, qui cum sit coæqualis Patri & Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se Filius mittere perhibet dicens: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre. Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus proculdubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est. Sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & Fi-*

lius non incongruè mitti dicitur, quia generatur.

Veruntamen ij Patres explicari debent, vt æternam processionem, non existimauerint, esse completam & adæquatam quidditatem missionis, sed esse veluti partem ac fundamentum requisitum, vt mittatur persona procedens. Alioqui non modò processionem æternam, sed etiam temporalem operationem effectus creati pertinere ad quidditatem missionis, ostendemus sect.3. & sequentibus.

4 *Exponitur mens illorum Patrum.*

Contrarium extremum tenuit secunda sententia, putans, solam operationem temporalem ad extra pertinere ad quidditatem missionis absque æterna processione. Hæc tribuitur Magistro 1.distinct.15. nec sine fundamento, quoniam cap.1. & 2.dicit, idem esse dare seipsum, & seipsum mittere. At verò nulla persona procedit æternaliter à seipsa. Quibus consequenter loquitur cap.*ex prædictis*, & quatuor sequentibus; atque in præcedenti dist.14. c.2. cum Beda. Aliunde tamen Magister eadem dist.15. cap.penult. & vlt. cum Augustino docet, authoritatem principij producentis conuenire personæ mittenti, Patrémque non mitti, quoniam à nullo procedit. Quomodo autem hæc inter se consentiant, explicare maioris erit laboris, quàm vtilitatis.

5

Fauent huic sententiæ nonnulli Patres. Hyginus epist.decret.1.sub init. *Filius*, inquit, *non secundum Deitatem solam à Patre missus est, sed secundum carnem, quam assumere dignatus est.* Chrysost.tom.2. orat.2. ad illud *In principio erat Verbum*, quæ est de serpente & de Trinitate, propius ad med. quàm ad princip. *Si igitur*, inquit, *ex vi verbi, Pater Filium in mundum misit: manifestum est eum, qui misit separatum, & distinctum esse: & quidem loco, ab eo qui missus est. Atqui non oportet ita seruiliter verbis nos addictos esse.* Et post multa circa missionis explicationem, ita concludit: *Vt exactè intelligas hæc verba: à Deo missum esse, non interpretari de vno loco in alium locum secessionem, sed patefactionem diuinæ illius dispensationis & œconomiæ: de Ioanne Baptista Euangelicæ literæ aiunt: Fuit homo missus à Deo. Nunquid è cœlis ad nos descendit? Non de vno loco in alium sese contulit, sed illi mysterij dispensatio est mandata.* Hæc de missione Filij, post quæ missionem Spiritus sancti, probat eodem modo esse intelligendam.

6

Quod ipsum exequitur non minùs ex professo tom.3.homil.3.de Spiritu sancto, quæ incipit *heri à nobis*, postremis duabus columnis. Peculiariter obseruentur illa verba: *Mittam vobis Spiritum sanctum non secundùm Deitatem accipias. Deus enim non demittitur.* Et paulo inferius: *Vt discatis, quod donum mittitur, Spiritus autem non mittitur, Saluator dicit Apostolis: Manete in Hierusalem, donec induamini virtute ex alto, & sumetis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos. Alia est virtus, quæ conceditur, & alius est Spiritus, qui concedit, diuidens singulis, prout vult. Igitur tu non potes ostendere mitti Spiritum sanctum à puræ Deitate.*

7

Lucæ 24.

Nihilominus ad fin.eiusdem homiliæ concedit, Spiritum sanctum, æqualis honoris cum Patre & Filio, datum esse ab illis, & à fidelibus accipi. Quapropter superiora verba veniùt sic intelligenda, vt Filius & Spiritus sanctus per Diuinitatē præcisam à quolibet dono creato nec mitti, nec dari valeant.

Exponuntur prædicta testimonia.

9 Eadem est mens Gregorij Nysseni orat.de Deitate Filij & Spiritus sancti prope med. dicentis: *Penitus enim perspicuum esse arbitror, diuinam potentiam atque naturam, quum vbique sit, ac per omnia penetret, & res vniuersas complexa sit, mitti haud rectè dici: non enim extra eam aliquid vacuum & inane est, quò, cum prius ibi non esset, posteaquam missa fuerit, accedat,*

sed quum conseruatrice vi sua res vniuersas coërceat atque contineat, non habet quò transeat.

10 Continuò tamen seipsum exponit, concedens, diuinam personam esse missam, quatenus per assumptam humanitatem apparuit. Ait enim: *Descensus igitur Filij Dei ad nostram humilitatem & infirmitatem, qui voluntate Patris accidit, missio dicitur. Nam ab immortali natura ad nostram vitam migratio, non de loco ad locum motum Domini significat, sed ab altitudine gloriæ ad humilitatem carnis indicat descensum. Descendit igitur & apparuit, non nudum Verbum, sed caro factum: non Dei forma per sese, sed in forma serui apparens.* Perpende dictiones illas *non nudum Verbum per sese.*

11 Psal.103. Eodem sensu Basil. lib.5.contra Eunom. sect.2. ait: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Nec ipse seipsum mittit. Missionem autem vocat exitum ad opus, non de loco in locum migrationem. Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Cyrillus autem lib.11. in Ioan. cap.25. ad finem, ait: *Missum se in mundum dicit, non aliud per missionem intelligens, quàm quod homo factus, spirituq; perunctus prophetici similitudine mysterij, magni fuit consilij angelus.*

12 Athanas.orat.5.contra Arian.prope fin. *Ex Verbi missione per Iesum,* inquit, *coniunctionem illam intelligi conuenit, qua Verbum cum Iesu Mariæ Filio in vnam personam coaluit, cuius vocabuli etymon Saluatorem significat. Nihil autem aliud hoc dicto indicatum voluit, quàm se Dei Verbo coadunitum fuisse, dum ait: Qui misit me Pater, & à me non veni, sed Pater me misit. Vnitionem enim cum homine, quo hominibus inuisibilis natura Dei per visibilem innotescere posset, missionem nominauit. Non enim Deus locum mutat nostro more,* &c. *Sed quia se in carne præsentem sistebat, ideo sancti viri vocabulo missionis vti voluerunt.*

13 Galat.4. August. lib.2. de Trinit.cap.5.propius ad med. quàm ad princip. *Cum itaque ait, Misit Deus Filium suum factum ex muliere, satis ostendit, eo ipso missum Filium, quo factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat. Quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus aduenit.* Hoc ipsum confirmare pergit toto seq.cõtextu. Atque inter med. & fin. istius locutionis rationem reddit: *Quoniam illa quæ coram corporeis oculis foris geruntur, ab interiore appartu naturæ spiritalis existunt: propterea conuenienter missa dicuntur. Forma porrò illa suscepti hominis, Filij persona est, non etiam Patris. Quapropter Pater inuisibilis vnà cum Filio secum inuisibili, eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est.*

14 Vnde ad fin.capitis infert: *Iam in promptu est intelligere etiam de Spiritu sancto, cur missus & ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus.* Et post pauca: *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est.* Idem August.lib.4.de Trinit.c.19.initio: *Ecce,* inquit, *ad quod missus est Filius Dei, imo verò ecce, quid est missum esse Filium Dei? Quæcumque propter faciendam fidem, qua mundaremur ad contemplandam veritatem in rebus ortis ab æternitate prolatis, & ad æternitatem relatis, temporaliter gesta sunt, aut testimonia missionis huius fuerunt, aut ipsa missio Filij Dei.* Nihilominus August. in ratione missionis constituit processionem æternam, vt videbimus sect.sequenti.

15 Ambrosius lib.5.de fide ad Gratian.cap.3. inter princip.& med. *Ideo missum,* inquit, *intelligere debemus, quod ex illo incomprehensibili, inenarrabiliq; secreto maiestatis profundæ dedit se comprehendendum pro captu nostro mentibus nostris Dei Verbum, non solum cum se exinaniret, sed etiam cùm habitaret in nobis.* Idacius Clatus lib.3. aduersus Varimadum cap.3. præmittẽs, Christum Dominũ secundum Diuinitatem à semetipso venisse, notat, secundum humanitatem dixisse: *Non à me ipso veni, sed ille me misit.* Ioan.8.

16 Beda lib.2. homiliarum homil.11. Dominicæ primæ post Ascensionem ita loquitur: *Cum gratia Spiritus sancti datur hominibus, profectò mittitur Spiritus à Patre, mittitur & à Filio: procedit à Patre, procedit & à Filio: quia & eius missio est ipsa processio.* Vbi potest intelligi processio temporalis per gratiam: quamuis etiam possit intelligi æterna processio. Huius denique sententiæ refutatio constabit sect. 3. & sequentibus. Vbi probabimus in quidditate missionis cõtineri processionem æternam, saltem sub aliqua partiali formalitate.

17 *Tertia & quarta sententia.* Tertia & quarta sententia in eo conueniunt aduersus præcedentes, quod missionis quidditatem veluti compositam esse, dicunt, ex æterna missione simul cum productione doni creati, ratione cuius persona diuina nouo & peculiari modo sit in homine vel in angelo, vel illis manifestatur. Dissident autem, quia tertia sententia manifestationem creatam principaliter vel in recto, sed processionem æternam minus principaliter vel in obliquo dicit esse de quidditate missionis.

18 Quarta verò sententia dicit, in quidditate missionis contineri processionem æternam in recto siue primariò; sed in obliquo aut secundariò productionem doni creati, vel manifestationis. Vtriusque sententiæ authores & varios loquendi modos referemus sect.6.

SECTIO III.

Processionem æternam esse de quidditate missionis.

1 Svnt & aliæ laxiores & impropriæ acceptiones missionis, quas explicabimus sect.9.10. & 11. Nunc verò de missione propriè dicta loquimur, & in eius quidditate contineri processionem æternam, probatur primò ex sacra Scriptura. Propterea namque missio cum processione coniungitur, vt per eam explicetur & facilius intelligatur. Veluti Ioan.6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* Et sequenti cap. 7. *A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.*

2 Ioan.14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Vbi *nomen* significat Diuinitatis essentiã atque virtutẽ, quemadmodum in forma baptismi, quæ præscribitur Matth.vltimo, Patres obseruant locis citatis disp.36. sect.3. Ideo Athanas. in epist. longiori ad Serapionem multo propius ad med.quàm ad fin. Processionẽ Spiritus sancti à Filio colligit ex hoc loco, dicens: *Spiritum sanctum,* inquit, *quem mittet Pater in nomine meo. Quum igitur istiusmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filiũ, qualem Filius habet ad Patrem,* &c. Præterea Ioan.15.cum dicit: *Quem ego mittã vobis à Patre.* per illam præpositionem *à*, denotat processionem à Patre, nec quidquã aliud potest significari per superadditã modificationem, seu declarationem *à Patre.* Porrò de significatione præpositionis istius dictum est disp.98.peculiariter sect.4.

3 Confirmatur primò, nam ex tribus angelis, quos tanquam vnum adorauit Abrahamus, duo tantum peruenerunt ad Lot Genes.19.atque dixerunt: *Delebimus locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Vbi recolenda sunt quæ disput.36. sect.4. ponderauimus

rauimus ex eodem capite 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulfur & ignem à Domino de cœlo.* Nam Dominus à Domino est Deus de Deo, videlicet, Filius de Patre procedens, vt quam plurimi Patres obseruant locis, quæ notauimus in eadem sect.4. circa med.

4 Quin etiam ex eo indicio, quod illi duo angeli se missos esse, dixerint, rectè Patres colligunt, per illos non fuisse repræsentatam personam Patris, sed tantùm personam Filij & Spiritus sancti: quoniam Pater, sicut à nullo procedit, à nullo mittitur: ipse tamen mittit Filium & Spiritum sanctum, quemadmodum fusè & acutè deducit Athanasius dialogo 3.de S.Trinitate contra Macedon. longè post init. vsque ad med. ac probabilius reputat Augustin. lib.2.de Trinit.cap.12. fine, quem sequitur Isidorus lib.7. etymologiar. cap.3. §. 4. Confirmatur secundò. Propterea namque Pater nunquam omnino legitur esse missus in Sacris literis, cum tamen aliarum personarum missionem adeo frequenter repetant, vt vidimus sect.1. Ponderant hoc Augustinus & alij sect.8.referendi.

5 Secundo probatur authoritate Patrum. Nazianzenus orat.37.multo propius ad fin.quàm ad med. post num. 59. inter se confert illa verba Christi Domini. *Rogabo Patrem, & alium Paracletum mittet vobis,* cum illis: *Quem ego mittam vobis à Patre.* Notátque dictum esse: *Mittam: Vt propriam authoritatem ostendat.* Authoritas autem significat rationem principij producentis, vt vidimus disp.49. sect.1. Simul etiam obseruat, quando dixit Dominus: *Pater mittet,* addidisse: *In nomine meo,* ad idem significandum. Rursus in eadem orat.37. col.penult.num.72. *Quod detur,* inquit, *mittatur, distribuatur, charisma etiam, donum, insufflatio, pollicitatio, intercessio, ac si quid aliud huiusmodi, ne singula commemorem, ad primam causam referri debent, vt, ex quo sit, ostendatur.* Fauet etiam in sequenti orat. 38. col.penult.num.22. cuius verba retulimus sect.1. pro conclus.3.

6 Nicetas ad orat.38.Nazianzeni num.22. prope med. *Carnalis,* inquit, *præsentia, & submissio illa, qua ex incorporea magnificentia ad corporis vilitatem se se deiecit, missio nominata est. Atque vt etiam hoc demus, eum, vt Deum, missum esse, non tamen hinc eum Patre inferiorem esse colligitur. Nam quatenus Patri Filium incarnari placuit, hactenus eum misisse dicitur: atque etiam eodem modo, quo solem radium suum misisse dicimus.* Reddítque rationem, quoniam Christus Dominus omnia refert ad Patrem, vt ad causam siue principium.

7 Hilarius lib.6.de Trinit.multo propius ad med. quàm ad fin.ait: *Exisse ex Deo, quid sit requiro. Non vtique dici potest, id ipsum ex Deo exire, quod & venisse, nam vtrumque significat: Quoniam à Deo exiui & veni. Et ostendens, quid esset à Deo exiui, & quid esset, & veni, continuò subiecit: Nec enim à me veni, sed ille me misit. Non à se sibi esse originem docuit, cum ait: Nec enim à me veni. Et rursum se ex Deo exisse, & ab eo missum esse testatur.* Et post pauca: *Exisse enim ad incorporalis natiuitatis retulit nomen.* Et paulo inferius commendat meritum fidei, quæ *Natum ex Deo Filium, missumq; confitetur. Natiuitas itaque eius & aduentus ostenditur, cum absolutissima significandæ proprietatis veritate.* Et iterum: *Vt exitio illa à Deo, natiuitas significata esse intelligeretur ex Patre, à Patre se in hunc mundum professus est venisse. Alterum itaque in dispensatione, alterum in natura est.* Hæc ad ponderanda verba, quibus Christus Dominus exiuisse dicitur Ioann.13. 16. & 17. in qua doctrina confirmanda ponit Hilarius quod restat vsque ad fin. eiusdem lib. 6. Quibus adde quod ex lib. 5. col.7.retulimus præced.sect.2.

8 Non aliter Cyrillus Alex. lib.11.in Ioan.cap.9. in med. *Exiuisse,* inquit, *à Deo nihil aliud est, nisi natum esse, effulsisseq; ex substantia Patris eo processu, quo est, & in propria intelligitur subsistentia. Quamuis non omnino disseparetur à Patre: in Filio enim Pater, & in Patre Filius secundum naturam est. Aut exiuisse à Patre dicit, id est, homo factus sum, & ad vestram naturam descendi. Quasi enim locus omnium rerum, sua natura est, à qua exire videntur, quum aliud quid, quod non habeant, assumant.* Hunc autem exitum à Patre pertinere ad quidditatem missionis, manifestè significat prope fin. eiusdem capitis, admonens, ideo Christum Dominũ affirmasse, *se à Deo exijsse,* quoniam Pharisæi putabãt, eum *non à Deo missum.* Cui consonãt, quæ sect.2.init.retulimus ex lib.12. thesauri cap.15.propius ad med.quàm ad fin.

9 Damascenus lib.4.fidei cap.19.inter princip.& med.enumerans generales modos eorum, quæ dicuntur de Christo Domino notat, quædam esse significatiua *Beneplaciti Paterni per ipsius operationem impleti, non veluti per instrumentum aut seruum, sed vt per substantiale & hypostaticum eius Verbum, & sapientiam & virtutem, propterea quod in Patre & Filio vna contemplatur motio. Vt, Omnia per ipsum facta sunt. Et, Quod misit Verbum suum, & sanauit eos. Et, Vt cognoscant, quoniam tu me misisti.*

10 Ioan.15. August. lib.4. de Trinit.cap.20. propius ad fin. quàm ad med. *Quod ergo ait Dominus,* inquit, *Quem ego mittam vobis à Patre: ostendit Spiritum & Patris & Filij: quia etiam cum dixisset, quem mittet Pater: addidit, in nomine meo: non tamen dixit, quem mittet Pater à me: quemadmodum dixit, quem ego mittam vobis à Patre: videlicet ostendens, quod totius Diuinitatis, vel si melius dicitur, Deitatis, principium Pater est.* Et sequenti cap.21.ad finem totius libri quarti, postquam dixit, in Scripturis Filium vel Spiritum sanctum appellari missum *propter principij commendationem,* siue *propter visibilem creaturam,* adiungit: *Si voluisset Deus Pater per subiectam creaturam visibiliter apparere, absurdissimè tamen aut à Filio, quem genuit, aut à Spiritu sancto, qui de illo procedit, missus diceretur.* Idem probant alia verba eiusdem libri 4. de Trinit.quæ posuimus sect.1.prope fin.

11 Gregor.Magnus homil.26. in Euangel. positus in sect.præced.sub init. satis apertè generationem vel spirationem constituit in ratione missionis Filij vel Spiritus sancti. Idem significat Anastas. Sinayta lib.1.de rectæ fidei dogmat. inter med.& fin. *Spiritus,* inquit, *oris eius, liquet dici de Spiritu sancto & Deo, qui os est Vnigeniti. Rursum ipse Spiritus & ab ipso procedit & mittitur, non à Patre solo, sed & à Filio, quemadmodum ait ipse Dominus: Paracletus autem, quem mittet vobis Pater.* Et rursus: *Si abiero, mittam eum ad vos.* Vide quomodo processionem, putet, esse coniunctam cum missione.

12 Clariùs loquitur Anselmus epist.de processione Spiritus sancti cap. *consideremus,* quod est septimum in med. *Cum vtique Filius,* inquit, *tanta diligentia ostendat, vnam esse missionem Patris & suam: vt nec Pater mittat, nisi cum Filius mittit: nec Filius mittat, nisi cum mittit Pater. Quid vult significari, aut quid vult intelligi, nisi quia non aliter se habeat ad Patrem Spiritus sanctus: & aliter ad Filium: nec magis est vnius, quàm alterius? Quamobrem nimis difficile, imò impossibile est ostendere, quomodo non procedat ab vtroque. Vnde enim Filio cum Patre dare simul vel mittere Spiritum sanctum & hunc esse vtriusque, si simul non est de vtroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum sanctum quàm Spiritus sanctus Filium?*

Aut cur magis Spiritus sanctus est Filij, quàm Filius Spiritus sancti: nisi quia Filius non est ita de Patre simul & de Spiritu sancto, sicut Spiritus sanctus est de Patre simul & de Filio? Obiter obserua, apud Anselmum requiri productionem ac processionem æternam non tantùm, vt persona mittatur, sed etiam vt detur. De quo dicemus sect.7.

13 Ioannes Theolog.in Concil.Florentino sess.24. ante med. perpendens illud Ioann.15. *Quem ego mittam vobis*, ait: *Mittam,quid aliud, obsecro significat,quam quod ex aliquo mittitur? Qui verò quippiam mittit, is suum mittere videtur,& id quod mittitur,ex ipso dicitur esse, vt si præfectus prouinciæ quicquam fecerit, is non ex se,verùm Imperatoris iussu id fecisse videtur. Ita etiam Filius, qui cum in generatione à consubstantiali Patre Spiritum sanctum accepisset, eandem & paternam facultatem ac naturam habens, eundem Spiritum mittere creditur.*

14 Eidem sententiæ videntur adhæsisse cæteri Patres Concilij tacitè vel expresè.Peculiariter enim sequenti sessione 25.post med.Gregor.Scholarius §. *quid equidem.* inter med. & fin. & inferius alij §. *ego ab ineunte,* notant, Spiritus sancti processionem ab antiquis Patribus fuisse significatam verbo *mittendi*,vel *emittendi*,præter alia quædam verba. Propterea Clemens Roman. lib.3. constit. Apostolic. cap.17. quando Patrem appellat emissorem, nihil aliud significare videtur, nisi principium, à quo Filius & Spiritus sanctus substantialiter procedit & temporaliter mittitur. Potest etiam de substantiali processione intelligi Beda sect.præced.citatus pro secunda sententia.

15 Probatur tertiò,quoniam exire à Patre quidditatiuè claudit æternam processionem à Patre: ergo eandem includit à Patre missum esse. Consequentia probatur, nam exitus quidditatiuè clauditur in ipsa missione, vt magis constabit sect. sequenti: licet quandoque sumatur pro ipsa missione, quemadmodum August. ait, 2. de Trinitate cap.5.sub init. *A Patre exire & venire in hunc mundum, hoc est mitti.* Vtroque autem modo necessarium est, quidquid est de quidditate exitus; esse consequenter de quidditate missionis.

16 Antecedens probatur ex Patribus. Nam vltra Cyrillum & Hilarium in præced. probatione citatos, Nazianzenus orat. 49. de fide propius ad

Ioann.16. med. quàm ad princip. ait: *Cum ipse Dei Filius in Euangelio dicat: Ego de Deo Patre exiui, iure & merito Deum de Deo profitemur, quia in Deo Patre Filium Dei Deum verum de Deo vero natum esse cognoscimus.* Quod iterum inferius circa med.orationis

Exire à Patre continet processionẽ æternam. eiusdem. August. tract.102. in Ioan. fine. *Exijt à Patre, quia de Patre est, & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit.*

17 Ambrosius acutè lib.1. de fide ad Gratian. c.7. non longè post med. ratiocinatur: *Sin verò generationis ipsius proprietatem requirimus, ex Deo exiuit. Nam cum in vsu nostro id sit exire, quod iam sit, & ex interioribus secretis prodire videatur, quod exire perhibetur: angustis licet sermonibus proprietatem diuinæ generationis aduertamus, vt non ex loco aliquo videatur exisse, sed vt Deus ex Deo, Filius ex Patre. Nec videatur cæpisse ex tempore, qui ex Patre nascendo prodijt, vt dixit ipse qui natus est: Ex ore Altissimi prodij.*

18 Anastasius Sinaytá lib.1.de rectæ fidei dogmat. inter princip. & med. docet, idem significare in Euangelio *Exiui*, & *processi*. Epiphan. etiam hæres.69.longe post med. illud: *A Patre exiui*, refert ad generationem æternam. Damascenus item lib.4.fidei cap.19.non longè à princip. notat præ-

dictis verbis: *A Patre exiui*, significari tanquam ex causa habere esse.

Confirmatur,nam & illud Micheæ 5. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis*, de generatione æterna simul & temporali Hieronymus & Theodoretus in commentariis intelligunt & Isidorus lib.1. contra Iudæos cap.2. Ratio veritatis huius tradetur sequenti sect. commodiùs, quando probabitur vterque respectus inclusus in quidditate missionis. 19

SECTIO IV.

Productionem alicuius doni creati vel manifestationem personæ requiri ad complendam quidditatem missionis.

PRobatur primò, nam id colligitur ex verbis Christi Domini Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Et cap.6. *Descendi de cœlo,non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me,Patris: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Ioann. 9. *Me oportet operari opera eius,qui misit me.* Vbi manifestè ostendit suam missionem esse destinatam, vt opere compleret voluntatem Patris, vtque nobis eam manifestaret nomine Patris, quemadmodum Ioan.14. *Sermonem,* inquit, *quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me,Patris.* Sic etiam in eodem cap.14.& 15. Missio Spiritus sancti destinatur ad docendum, suggerendum & testificandum. Colligitur idem ex orat. qua postulatur missio Verbi Sapient. 9. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.* 1

Secundò probatur ex Patribus, qui manifestationem personæ, vel productionem alicuius doni creati,ponunt in declaratione missionis; siue cum illa copulantes processionem æternam, siue prætermissa mentione processionis:quorum omnium testimonia posita sunt in sect.2. & 3. Nam sect.2. pro sententia prima positus est Gregorius Magnus, & pro sententia 2. Chrysostomus,Nyssenus,Basil. Cyrill.Athanas.August.Ambros. Idacius & Beda; necnon in sect. 3. proximè præcedenti Nicetas, Cyrillus & Damascenus. 2

Tertia probatio per rationem quasi à priori monstrat, eam esse quidditatem missionis in Deo, quæ complectatur simul æternam processionem à suo principio & exitum extra Deum ad ostensionem sensibilem vel aliam operationem transeuntem. Rationis summa hæc est. Missio in communi (abstrahendo à creata & increata) quidditatiuè dicit exitum à principio mittente,simúlque tendentiam,qua peruenitur ad terminum, ad quem mittitur res,quæ mittitur. Hæc autem duo non aliter conuenire possunt diuinæ personæ, nisi quatenus procedit à suo principio producente, recipiens ab eo virtutem, authoritatem & motum ad aliquam operationem transeuntem extra Deum. 3

Missio in cõmuni quidditatiuè quid sit.

Pro cuius declaratione notandum est primò quæcumque de Trinitate cognoscimus,non posse concipi neque explicari, nisi per analogiam ad res creatas, earum imperfectionibus resecatis. Sic enim Paternitatem intelligimus, Filiationem, generationem, spirationem, relationem, personam, numerum, Verbum, imaginem & alia multa, quæ variis disputationibus explicuimus. Missionem igitur diuinarum personarum & illius quidditatem venari debemus per analogiam ad missiones creatas. Porrò. Creata missio est motio, egressio vel exitus alicuius rei ab alia in ordine ad aliquem terminum siue locum,aut effectum. Ideo creata missio duplicem habitudinem constituit in re missa: per alteram enim respicit illud principium,à quo mittitur,per alteram verò respicit terminum, ad quem mittitur. 4

Creata missio quid sit.

Secundò. Prior habitudo ad principium mittens dissimilis est in duplici missione. Nam illa, quæ magis propriè frequentiúsque dicitur missio, non est physica, sed moralis tantum processio. Secundum hanc homo missus ab alio homine, procedit ad illud tantummodo secundum imperium,sicut seruus à Domino, vel legatus à summo Pontifice. Procedere potest etiam secundum consilium, sicut rex ad Bellum procedit à consiliario missus. 5

Moralis missio non requirit substantialem processionem, sed tantum secũdum imperium.

Tertiò. Inde colligo, de quidditate missionis vniuersaliter acceptæ,non esse substantialem processionem à mittente. Inter homines enim & Angelos semper vnus mittitur ab alio, à quo substantialiter non procedit, nisi filius mittatur à suo patre, quod per accidens contingit humanæ missioni. Quin etiam quamuis aliquis homo intelligeretur, à nullo principio substantialiter procedere; posset nihilominus intelligi quasi missus per imperium ab alio homine vel Angelo. Quapropter licet homini quidditatiuè cõueniat esse creaturam, quæ substantialiter procedat à principio creante: cæterum hæc formalitas accidentaria videtur esse comparatione missionis creatæ. 6

Rectè proinde S.Thom. 1.distinct.15. quæst.1. art.2. corp. dixit: *Missio secundum rationem sui nominis non dicit exitum ab aliquo, sicut à principio, à quo missus habeat esse, sed solum in ordine ad effectum missionis ponitur authoritas alicuius ad missum. Seruus enim, qui mittitur à Domino, non exit ab ipso secundum esse, sed sicut à principio mouente ipsum per imperium ad hunc actum.* Quod idem aliis verbis explicuit S. Bonauent. in eadem dist. 15. parte 1. art.1.quæst.1.corp. 7

Quartò. Nihilominus altera missio creata non est moralis, sed physica, continet enim quidditatiuè processionem ab aliqua causa efficiente, quæ tribuit intrinsecum esse rei, quæ mittitur, vel tribuit illi virtutem & motum. Altero modo flores & fructus mittuntur ab arboribus, & herba mittitur à campo, splendor mittitur à sole; necnon ab aromatibus mittitur odor. Hæc & similia mittuntur à principio, quod physicè tribuit intrinsecum esse. Sagitta verò vel lapis ab homine mittitur tanquam à principio physicè tribuente virtutem perueniendi ad locum distantem. 8

Physica missio requirit substantialem processionem, aut physicam efficientiam.

Quintò. Rursus in missione creata, secunda illa habitudo ad terminum ostenditur, vel quia res missa secundum locum mouetur, vt existat præsens,vbi antea non erat: vel quia nouo modo, id est, cum noua potestate operandi, incipit esse vbi prius erat sine illa potestate. Veluti quando persona existens Hispali, denuo commissam accipit potestatem à summo Pontifice, vel à Rege. In creaturis igitur missio plures continet imperfectiones. Imprimis enim mutatur persona, quæ mittitur, vt præsens sit vbi antea non erat. Vnde fit,vt desinat esse præsens,vbi prius erat. Inde sequitur separari personam missam à persona mittente. Supponitur etiam subiectio ad imperium alterius vel imperfectio prudẽtiæ indigentis consilio, vel imperfectio potestatis dependentis ab alterius potestate. 9

Imperfectiones creatæ missionis.

Sextò. Resecatis igitur imperfectionibus creaturarum, restat in Filio respectus vterque, videlicet processionis à principio, & peruentionis ad terminum. In vtroque consistit missio Filij, per altissimam eminentiam in se continens quidquid perfectionis excogitari potest tam in physica, quàm in morali missione. Nam Filius realiter, substantialiter ac physicè producitur à Patre, & exit ab illo,quemadmodum ex verbis Christi Domini docuere Patres citati sect.præced. probatione 3. Propterea congruenter ad explicationem diuinæ missionis à Patribus & Scholasticis afferuntur exempla naturalium agentium, physicè producentium suos effectus;quemadmodum ignis aut sol mittit splendorem, aut arbor flores. Quibus analogiis vtitur Cyrillus citatus sect. 2. sub init. Nicetas citatus sect.3.ad orat.38.Nazianzeni. August. lib. vnico contra sermon. Arianor. cap.3. post med. & cap.4.prope finem.S.Thom.in præsenti quæst.43.art.1.corpor.S.Bonauentura 1. distinct.15.part.1. art.1.quæst.1.corp. & alij plerique citandi sect.6.dubitatione 1. 10

Duplex respectus missionis ad principium & ad terminum.

Cum hac verò physica quidditate missionis,altiori quadam eminentia Filius continet etiam totam perfectionem missionis moralis, quatenus à Patre per generationem accipit consilium, potestatem,authoritatem,determinationem,& voluntatem exequendi manifestationem & operationem ad extra, quæ sit aliquo modo propria illius personæ, nimirum quatenus Pater communicando suam essentiam, communicat etiam determinationem, vt Filius incipiat esse in mundo nouo modo per Incarnationem, aut per collationem donorum. Attigit hanc eminentiam melius quàm cæteri S.Bonauentura nuper citatus. 11

Confirmatur primò, quia Filius per generationem accipit à Patre non modò volitionem necessariam, sed etiam quamlibet liberam determinationem voluntatis. Hæc enim prius origine fuit in Patre, quàm in Filio, qui sicut à Patre recipit, vt sit Deus, sic etiam ab eodem recipit, vt liberè se determinet. Hoc enim probatur verbis Christi Domini dicentis, se non suam, sed Patris voluntatem facere, vt vidimus disput.50. sect.9. 10.& 11. Falsum igitur est, quod aliqui volunt,in decretis liberis non seruari ordinem originis, sed omnes personas simul quasi vno impetu se liberè determinare. 12

Confirmatur secundò, quia Filius non potest alio modo mitti, nec alio modo exire extra Patrem; siquidem loco non potest ab illo discedere, nec imperium subire tanquam subiectus. Confirmatur tertiò, quia nisi missio diuinæ personæ processionem æternam includeret: quælibet persona & Pater ipse mitteretur à se, vel à *Filio*, vel Spiritu sancto. Quod esse falsum constabit sect.8. Deinde verò nisi missio contineret etiam manifestationem,& transeuntem operationem: missio maneret intra Deum, & esset ab æterno: consequentérque Filius non esset missus in mundum ad homines. Cuius oppositum constat ex Sacris literis. 13

Quartò confirmatur,quoniam ex hac doctrina facilè soluuntur obiectiones Aureoli,& aliæ difficultates occurrentes,quarum explicatio corroborat præcedentem rationem.Denique quæcumque de Filio diximus,eadem sunt intelligenda de Spiritu sancto,seruata proportione ad propriam illius processionem, ostensionem,& communicationem. 14

SECTIO V.

Soluuntur Aureoli obiectiones, & aliæ nonnullæ.

1 AVreolus 1.distinct.15. art.1. parum à princ. putat irrationabilem doctrinam S.Thomæ. Primùm in eo quod ait, missionem importare processionem secundum originem eo modo, quo dicitur florem ab arbore mitti. Primum illius argumentum est. Missio, prout de ea hic loquimur,non est idem,quod productio, nec missus est idem, quod productus; imo missio sumitur pro legatione, & missus dicitur legatus, sicut de Filio dicitur Abdiæ primo initio: *Auditum audiuimus à Domino,& legatum ad gentes misit.* Sed flos non dicitur legari ab arbore,nec originari est legari. Ergo missio, prout hic accipitur, non importat habitudinem originis.

Primum argumentum.

2 Respond. Imprimis prædictum locum Abdiæ Hieronymus ita exponit,vt Christus Dominus sit legatus ad gentes missus: licet Theodoretus longè aliter intelligat. Deinde quod Aureolus reprehendit in doctrina S.Thomæ, militat aduersus Patres citatos sect.2. & 3. Denique directa solutio manifestè deducitur ex præcedenti sect. nam missio diuina, prout in præsenti sumitur, eminentissima perfectione complectitur non tantùm legationem,quæ est missio moralis,sed etiam substantialem productionem,quæ est missio physica, per quam diuinæ personæ cum essentia communicatur consilium,potestas, authoritas,voluntas & determinatio, in quibus consistit, Filium esse legatum Patris, aut Spiritum sanctum esse legatum Patris aut Filij. Quæ legatio non posset illis conuenire nisi per substantialem processionẽ.

Solutio.

Legationis coherentia cum productione.

3 Secundum argumentum. Missio non importat processionem ab aliquo secundùm rationem consilij, vel imperij, sed potius secundùm acceptionem potestatis, authoritatis & dominij: vnde legatus dicitur in humanis, qui potestatem & authoritatem accipit à legante. Sed in diuinis Filius & Spiritus sanctus accipiunt authoritatem & potestatem à Patre, ille quidem nascendo, sed iste procedendo: ergo quamuis ibi sit habitudo originis, non tamen secundum eam dicetur persona legari, seu mitti, sed secundum acceptionem authoritatis & potestatis. Confirmat, quia si esset origo absque hoc,quod communicaretur authoritas,sicut est in flore,qui oritur ab arbore: talis origo non induceret missionem. Et econtrario si esset authoritatis communicatio absque origine, sicut est in humanis: saluaretur vera legationis ratio.

Secundum argumentum.

4 Ad argumentum respond.negando antecedens. Quin potius in diuinis vnica missio continet eminenter substantialem processionem & in illa communicationem consilij,potestatis, authoritatis & dominij: ideóque persona dicitur legari seu mitti non modo quatenus accipit authoritatem & potestatem, sed etiam quatenus esse substantiale recipit per originem.

Solutio.

5 Ad confirmationem respond. Si per impossibile daretur processio diuinæ personæ, per quam nulla cõmunicaretur authoritas (sicut arbor emittens florem,nullam ei authoritatem communicat) talis origo foret verè & propriè missio physica, quam explicuimus sect.præcedenti: sed non esset missio moralis, qualis est legatio. Econtrario tamen si diuinæ personæ communicaretur authoritas sine substantiali processione (sicut communicatur hominibus) retineretur vera legationis ratio,quæ est missio moralis,sed esset imperfecta & diminuta missio diuinæ personæ, cuius infinita eminentia necessariò complectitur perfectionem vtriusque missionis moralis & physicæ.

6 Tertium argumentum.Si Filius diceretur mitti à Patre secundum rationem illam, qua flos emittitur ab arbore; missio Filij foret ab æterno. Respond. Si tantummodo propter eam rationem diceretur mitti; missio foret ab æterno. Sed quoniam missio non modò processionem æternam, sed etiam temporalem manifestationem & operationem complectitur, vt vidimus sect.præcedent. propterea non æterna sed temporalis est missio vt videbimus sect.7.

Tertium argumentum.

Solutio.

7 Quartum argumentum. Aureoli contendit, de ratione missionis non esse, quod missus incipiat nouo modo existere in termino, ad quem mittitur; quoniam sufficit prius existentem ibidem,accipere de nouo authoritatem; imo satis est, licet prius habuerit ibidem authoritatem, denuo inchoare vsum illius authoritatis. Nam existenti Parisiis potest summus Pontifex authoritatem committere causam aliquam ventilandi & decidendi,& talis quidem diceretur legatus, non quia de nouo veniret Parisios,sed quia iam ibi existens, de nouo authoritatem acciperet. Similiter etiam si authoritate accepta,mandaretur sibi de nouo,vt ea vti inciperet,non dubium,quod diceretur quodammodo de nouo legari. Sic ergo in proposito non est de ratione personæ diuinæ, quando legatur, quod de nouo esse incipiat, sed quod accepta authoritate de nouo vtatur. Respond. Totum hoc argumentum contradictionem inuoluit,quoniam eius author ignorabat, quid impræsentiarum sit nouo modo esse alicubi, Nam quicumque denuo potestatem accipit, vel incipit de nouo vti potestate prius accepta; eo ipso nouo modo existit moraliter præsens ibi, vbi prius non erat illo, sed alio modo.

Quartum argumentum.

Solutio.

Quid sit nouo modo existere.

8 Quintum argumentum occurret alicui, quia persona, quæ mittitur, non incipit esse nouo modo in creatura ex vi suæ processionis, sed ratione effectus, quem tota Trinitas operatur: ergo processio secundum originem non est de ratione missionis.Consequentia probatur,ad rationem quippe missionis, sufficit illud, ratione cuius persona incipit nouo modo esse in creatura. Respond. Illud non sufficit ad rationem missionis. Hæc enim requirit exire ab aliquo principio,tribuente substantiam, & cum illa tribuente consilium, potestatem, authoritatem, determinationem & voluntatem operandi talem effectum, ratione cuius persona, quæ mittitur, incipiat esse nouo modo in creatura per effectum, sibi potius, quàm aliis personis, appropriatum.

Quintum argumentum.

Solutio.

9 Sextum argumentum. Nuncius dicitur à Rege missus ad aliquem effectum, etiamsi nihil illius exequatur. Ergo licet diuina persona nihil operaretur extra Deum, potuisset appellari missa: ac proinde operatio transiens ad creaturas non est de ratione missionis. Respond. Homo dicitur missus,eo quod denuò potestatem accipit & mandata, denuóque mouetur ad locum,ad quem mittitur: ideo potest appellari missus,licet reipsa nihil exequatur illius negotij,ad quod mittitur. At diuina persona non accipit denuò potestatem & mandata, nec denuo mouetur localiter, nec vlla ratione alia procedit extra Deum ad creaturas, nisi quatenus in creaturis nouum operatur effectum, ratione cuius sit, vbi non erat. Eodem fere modo

Sextum argumentum.

Solutio.

modo respondet Alexand. 1.p. quæst.73. ad 2.

10 Septimum argumentum, quia de potentia absoluta potuisset Spiritus sanctus denuo existere in anima hominis, licet nullum effectum denuo causaret in illa. Ergo quidditas missionis non requirit productionem effectus noui. Consequentia probatur, quia quidditas alicuius rei non potest mutari, neque de potentia absoluta. Antecedens verò probatur,quia peccatoris anima de potentia absoluta potuisset iustificari per extrinsecam condonationem peccatorum, & extrinsecam acceptationem ad amicitiam & gloriam absque productione alicuius doni inhærentis & realis. Tunc autem Spiritus sanctus denuo habitaret in anima, & consequenter ad illam mitteretur à Patre & Filio. Respond. in eo casu non foret missio simpliciter & propriè dicta; sed analogicè & impropriè, ac secundum quid appellari potuisset missio. Verùm de hoc tractabimus ex professo disp. sequent. sect.7.

Septimum argumentum.

Solutio.

11 Octauum argumentum, quia videtur saltem, ex prædicta quidditate missionis inferri,non propriè, sed tantùm metaphoricè diuinis personis conuenire, quod vna mittat aliam, aut ab illa mittatur. Etenim Verbum æternum exire à Patre, & venire in mundum, & nouo modo esse in mundo,metaphoræ sunt; quales esse clarius constat in missione inuisibili Filij & Spiritus sancti per gratiam; sicut & metaphoricus aduentus & mansio, de quibus Christus D. Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

12 Inter primarios huius ætatis authores non defuit, qui metaphoricam vocet missionem diuinarum personarum, licet huius appellationis non reddat rationem. Et negari non potest, quin missionis nomen, prout conuenit creaturis, non nisi metaphoricè Deo conueniat. Nihilominus si quispiam expresè diceret simpliciter & absolutè, missionem diuinis personis non propriè, sed tantùm metaphoricè conuenire; is non tantum improbabilitatis, sed etiam temeritatis nota dignus esset. Cuius ratio est, quam frequenter de aliis pertinentibus ad Trinitatem diximus in præcedentibus disputationibus: quia temerarium est ad improprios & figuratos sensus detorquere verba Christi Domini, aut Apostolorum: quando nec ratio Theologica cogit ad improprietatem, nec proprietati resistit alter locus Scripturæ, nec Patres aut Scholastici notant improprietatem: sed simpliciter accipiunt verba, vt sonant.

Temerarium esset asserere nõ propriè sed metaphoricè missionẽ conuenire diuinis personis.

13 Hæc autem omnia concurrunt in missione personarum diuinarum: omnes enim Patres & Scholastici, tanquam de proprio significato tractant de quidditate missionis locis adductis in sectionibus præcedentibus, & adducendis in sequentibus. Expresè tamen S.Bonaventura dist.15. parte 1. art.1. quæst.1. corp. dixit: *Missio completissimè est in diuinis.* Ricard. autem in eadem distinct. artic. 1. quæst.1. ad 2. dixit verè & propriè mitti personas diuinas. Idem planè supponunt cæteri Scholastici.

14 Confirmatur primò, quoniam Euangeliorum libri magis distant à metaphoris, quàm aliæ Scripturæ (quales sunt sapientiales, Iob, Psalmi & similes.)Maximè verò sermo cænæ, quando discipuli dixerunt: *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.* Rursus centies ab ore Christi Domini repetitum mittendi verbum, indicat, id non metaphoricè, sed magis exactè, vt accuratè dictum, & intelligendum esse magis proprio & vero sensu.

Confirmatur secundò, nam à creaturis abstrahi potest vniuersalis quædam missionis ratio, resecatis imperfectionibus, quæ veriùs & propriùs Deo conueniat, quàm creaturis: Eam verò rationem satis explicuimus in sectione præcedenti probatione 3. Alioqui neque generatio,Filiatio, & Paternitas,nec verbum, imago, relatio, persona, numerus & alia eiusmodi, propriè sunt in diuinis, sed tantum metaphoricè; quod est erroneum. Quæ ratio magis vrget in dono, quod esse proprium & personale Spiritus sancti absque metaphora, probatum est disput.75. Donum autem est, quia potest angelis vel hominibus donari, quando mittitur ad illos.

15

Vnde ad octauum argumentum respond. Exeundi,veniendi & mansionem faciendi metaphoræ reuocantur ad proprietatem, quando ab illis abstrahitur communis ratio processionis, per quam persona mittens communicat missæ suam substantiam, consilium, authoritatem, potestatem, determinationem, & voluntatem efficaciter exequendi tale opus in tempore, quo persona missa peculiariter manifestetur, vel quod illi personæ approprietur, & hoc significatur propriè mittendi verbo, quando dicitur de personis diuinis.

16

SECTIO VI.

Vtrum importet missio principaliter & in recto processionem æternam: ideoque sit notionalis, Filio & Spiritui sancto communis.

1 TRes dubitationes expediuntur in præcedenti sectione. Prima est, quid formaliter in recto & principaliter importet missio propriè dicta. Nam cum ex præcedentibus constet,duplici quasi parte constare missionem, videlicet, æterna processione, & temporali operatione transeunte ad creaturas:restat examinare num æquè primò pars vtraque pertineat ad missionem, vel potius vna principalius, vel in recto, siue de formali: alia verò minus principaliter, aut in obliquo, siue de materiali.

Primæ difficultas.

2 Huius quæstiunculæ decisio consultò prætermittitur à nonnullis Scholasticis, quia nihil, aut prope nihil ad fidem & solidam theologiam interesse videtur vnam partem missionis alteri præferre,vel æqualiter & primariò constituere vtramque:dummodo retineatur veritas superioribus sectionibus probata,videlicet,in quidditate missionis debere simul concurrere processionem æternam, & productionem transeuntem alicuius effectus creati. Nihilominus vt satisfiat desiderio lectoris, breuiter exponimus decisionem ex parte conciliando sententias,quæ parum re ipsa & mente doctorum, licet multum loquendi modo dissidere videantur.

3 Prima sententia videtur æquè primò partem vtramque missionis constituere, quoniam explicato vtroque respectu, non præfert vnum alteri, nec mentionem facit materialitatis aut obliqui. Ita S.Thom. in præsenti quæst.43. art.1.& 2.& 4. contra gentes cap. 23. ad 3. rationem, vbi etiam Ferrariens. S.Bonauentura 1. dist.15. p.1. art.1. quæst.1. & 2. Quibus magis adhærere videtur Carthusianus 1. dist.15. probans sententias eorum. Clarius autem idem omnino quod S.Thom. in præsent. art.1. & 2. sequuntur eius expositores Caietanus Canariens. (licet hic in art.1. concl.3.

Prima sententia.

nonnihil variet, vt dicemus infra) Molina & Valentia sua quæst.17. puncto 1.

4 *Secunda sententia.* Secunda sententia dixit, missionem in recto & principaliter esse processionem æternam, sed in obliquo & minus principaliter includere creatum effectum manifestationis aut gratiæ. Ita Alexand.1.p. quæst.71. memb.2. 3. & 4. & tota quæst.72. Breuiùs idem docet Albertus 1.p.q.32. memb.2. art.1.corp. Eiusdem ferè sententiæ sunt Vazquez disput.170. cap.2. & Suarez lib. 12. de Trinit. cap.1. num.6.

5 Veruntamen ij doctores parum ac prope nihil à prima sententia recedunt : quoniam effectus creatus ea tantùm ratione potest in obliquo contineri, quatenus est terminus alicuius relationis, respicientis eum terminum. Hæc autem relatio non in obliquo, sed in recto debet in missione contineri. Relatio namque nunquam continetur in obliquo, nisi forte quando ipsa fuerit terminus alterius relationis, quæ continetur in recto. Restat igitur, vt authores prædicti voluerint in quidditate missionis principaliter constituere processionem æternam, sed minus principaliter ordinem ad effectum creatum & manifestationem. Quod ipsum expresè recipit S. Thom.1. dist.15. quæst.1. art.1. & 2. sed præsertim artic.2. corp. fine. & Alexand.1.quæst.71. mem.3. prope fin. & Albert. loco nuper citato. & videtur eiusdem sententiæ Ocham.eadem dist.15.q.vnica.

6 *Tertia sententia.* Tertia sententia contrario modo procedens, in quidditate missionis prius in recto constituit operationem transeuntem ad creaturas, manifestando personam, vel communicando donum illius : sed processionem æternam constituit tantum in obliquo. Ita existimant Ricard.1. dist.15. art.1. quæst.1.in *sed contra.*& corpore, vbi Scotus quæst. vnica §. *videtur*, & §. *licet autem.* Argentina quæst. vnica ad 2. Significat etiam Maior eadem dist.15. quæst. vnica sub init.

7 *Quarta sententia.* Ad eandem sententiam reuocari potest quarta, iuxta quam missio principaliter dicit processionem temporalem, siue respectum rationis ad effectum creatum,connotando processionem æternam, quam minus principaliter dicit. Ita Marsil. 1. sentent. quæst.18. art.1. Gabriel.1. distinct.15. quæst. vnica parum à princ. Quibus consonat

Quinta sententia. quinta sententia, quæ processionem æternam in quidditate processionis constituit de materiali; sed de formali tanquam vltimum constitutiuum adhibet relationem ad creatum effectum manifestationis aut gratiæ. Ita Durandus 1. distinct.15. quæst.2. num.7. Capreol. eadem dist.15. quæst.1. art.1. ad argumenta Aureoli. Idem sentire videtur Canariens. in præsenti quæst.43.art.1.conc.3.

8 Sit igitur vnica conclusio. Æterna processio minus principaliter ac de materiali : sed relatio ad creatum effectum principaliter & de formali constituit quidditatem missionis. In hac conclusione conueniunt tres præcedentes sententiæ, ita vt parum aut nihil, nisi verbo tenus, dissidere videantur.

Relatio ad creatum effectũ de formali constituit missionem. Rationem exponit bene Durandus n.8. sic. Quando duo includuntur in aliquo, & vnum est quasi ratio completiua & formalis respectu alterius, & aliud quasi materiale præsuppositum; illud quod est formale,principalius est:sed in missione respectus ad effectum creatum gratiæ vel manifestationis, est quasi completiuum & formale quippiam respectu processionis æternæ. Ergo in missione prædictus respectus ad effectum creatum principalius includitur, quam æterna processio.

Minor probatur, quia processio, quantum ex se fuit, prorsus erat indifferens, vt haberet rationem missionis, vel non haberet. Hoc enim pendebat à libera Dei voluntate, qui potuit nihil omnino creare vel nullam personam peculiariter hominibus manifestare, vel nulli communicare supernaturalia dona,ratione quorum persona dicitur esse missa. Consequens igitur est, vt determinatio ad producenda supernaturalia dona, vel manifestationem, sit vltimum complementum, determinans & constituens personam in ratione missæ : propterea̅que se habeat quasi formale, sed æterna processio se habeat tanquam materiale præsuppositum. 9

Confirmatur primò, nam inter formalitates creatas, quæ terminum *à quo* respiciunt, vt ab eo tendant ad terminum *ad quem*, magis formalis censetur esse respectus ad terminum *ad quem:*comparatione cuius respectus ad terminum *à quo*,censetur esse quasi materialis. Confirmatur secundò, verbis Augustini lib.4. de Trinit.cap.20.circa med. vbi concludit. *Non ergo eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius : sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum:vnde dicit : Exiui à Patre, & veni in hunc mundum : vel eo quod ex tempore cuiusque mente percipitur, sicut dictum est: Mitte illam, vt mecum sit, & mecum laboret.* Secunda dubitatio, vtrum missio sit formalitas essentialis, aut notionalis. 10

Missionis respectus, quem dicit ad creatum effectum,essentialis appellatur ab omnibus Scholasticis supra citatis, non quia sit de essentia Dei vel alicuius personæ (cum sit relatio rationis in tempore superueniens Deo sicut relatio creatoris & Domini) sed appellatur essentialis, quia conuenit tribus personis propter communem essentiam absolutam, ratione cuius quidquid creatum producit vna persona, cæteræ quoque producunt. Ideo Athanas.lib.3.de assumptione hominis prope fin. admonet : *Memento reciprocam esse hanc naturæ virtutem mittentis & missi,*& post pauca : *Discetandem aliquando, vnitam esse hanc naturæ Diuinitatem mittentis & missi, dum qui nunc in Euangelio quamuis missurum se Spiritum Paracletum testatus sit, tamen se ipse ab eo iam prius missum per inclytum Isaiam professus est.* Isai.48. 11

Clariùs id expressit Augustinus lib.2.de Trinit. cap.5. in medio cuius aliqua verba recitat Magister 1. dist.15. cap. *quod autem.* Inde namque probat Augustinus, Filium non tantùm à Patre, sed etiam à seipso, & à Spiritu sancto fuisse missum: quoniam Incarnationis opus à tribus personis factum fuit, licet vna tantùm fuerit hypostaticè vnita. Idem sentiunt Alexand. 1. p. quæst. 71. memb.3. corp. Albert.1. p. quæst. 32. memb. 2. art.2. corpore. S.Thom. & cæteri Scholastici locis nuper citatis. 12

Missio partim est notionalis, sed principalius & formalius essentialis. Hoc supposito facile colligitur ex dictis in præcedenti dubitatione, quidditatem missionis esse partim notionalem, sed principaliùs & formaliùs essentialem, & ita simpliciter appellari posse. Probatur primò,quoniam vt nuper ostendimus, persona, quæ mittitur, relatio ad effectum creatum, est quasi formale constitutiuum missionis. 13

Secundò, quoniam vnumquodque compositum denominatur à parte minus perfecta (sicut homo denominatur corpus & non Spiritus.) At verò relatio rationis ad effectum creatum est infinito interuallo minoris perfectionis,quàm æterna processio : quamuis in quidditate missionis principa 14

principalior sit eadē relatio rationis. Confirmatur, nam ea ratione missio dicitur esse temporalis, vt videbimus sect.7. Consequens igitur est,vt appelletur essentialis sensu declarato nuper, quasi conueniens ratione communis essentiæ, sicut relatio creatoris & domini.

15 Ideo essentialem esse quidditatem missionis existimat Durandus 1. dist. 15. quæst. 2. num.6. Scotus eadem dist.15. quæst. vnica §. *videtur*, & §.*licet autem.* Gabriel quæst. vnica. Marsil.1. sent. q.18. art.1. Sed notionalem simpliciter dicit esse missionem Albertus 1. p. quæst.32.memb.2.art.1. corp. Alexand.supra citatus. S.Thomas 1.dist.15. quæst.1.art.2.corp.Carthus.dist.15.quæst.2.col.3. & Vazquez disp.170. cap.3.§.vltimo.

16 *Tertia dubitatio. Nō vna numero missio.* Tertia dubitatio. Vtrum vna relatio missionis sit Filio & Spiritui sancto communis. Respond.& dico primò. Non datur vna numero ratio missionis, quæ sit communis Filio & Spiritui sancto, quemadmodum vna numero spiratio actiua est communis Patri & Filio, & vna numero substantia est communis tribus personis. Alioqui darentur notiones plures, quàm quinque, & relationes plures, quàm quatuor, quantum ad eam partem, quæ realis est & æterna in missione.

17 *Abstracta ratio missionis.* Dico secundò. Per abstractionem intellectus fit vna ratio missionis, quæ communis est Filio & Spiritui sancto.Etenim ratio processionis vel originis passiuæ per abstractionem intellectus efficitur vna communisque generationi & spirationi. Eadem autem ratio processionis est, quæ continetur in quidditate missionis. Aliunde verò respectus ad creatum effectum, quem includit missionis quidditas, est relatio rationis, communis tribus personis, & peculiari quadam appropriatione conueniens personæ, quæ mittitur. Ita existimant Alexand.1.p.q.71.memb.3.ad 2.S.Thom. 1. dist.15. q.1. art.2. fine. & in præsent.quæst.43. art.4.ad 3. Vbi Carthus. quæst.2. fine. Notandum itaque, partem illam missionis, quæ notionalis est, non esse formalissimè relationem, sed esse rationem originis passiuæ, quæ quodammodo distinguitur à relatione, & à persona : de qua distinctione diximus disp.85.

18 *Mitti conuenit eodē modo Filio & Spiritui sancto.* Dico tertiò. Ratio missionis, quantum ad intrinsecam quidditatem, non diuersificatur in Filio & Spiritu sancto,sed illis eōdem modo conuenit. Tum quoniam missionis quidditas principalius & formalius consistit in relatione rationis ad effectum creatum (vt probauimus dubitatione 1.) Hæc autem relatio rationis eadem est in tribus personis. Tum etiam,quia processio, quæ minus principaliter continetur in quidditate missionis, non pertinet ad illam secundum peculiares differentias generationis & spirationis. Missioni namque,prout missio est, solummodo per se conuenit substantialiter prodire à principio communicante sibi consilium, potestatem, authoritatem, determinationem & voluntatem effectus, per quem ostenditur vel communicatur talis persona. Cæteræ differentiæ per accidens se habent comparatione missionis,vt bene probat Alexand.1.p.q.73. memb.2. art.2.

19 Fateor tamen aliquid peculiare conuenire Spiritui sancto secundum realem & personalem quidditatem illius. Quoniam realiter & personaliter Spiritus sanctus est donum, ratione cuius formalitatis sicut illi ab intrinseco magis conueniens est, vt detur; ita peculiarem habet proportionem, vt mittatur; quod vidimus supra disput.75. sect.4. difficult.3.

SECTIO VII.

Non est æterna, nec increata missio, sed temporalis & creata potius, quàm datio.

Dico primò, Missionem esse temporalem & non æternam, omnes Scholastici fatentur locis citatis in sect. præced. dubit.1. tam illi, qui principaliter in ratione missionis constituunt processionem æternam, quàm illi, qui minus principaliter & in obliquo. Probatur primò Galat.4. *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Confirmatur,quia quod est æternum,non promittitur *in futurum*; sed missio Filij promissa est Patriarchis vt futura, Malach.3. & Isaiæ 9. vt vidimus sect. 1. & missio Spiritus sancti promissa est vt futura Ioan.14.15. & 16. vt in eadem sect.1. retulimus. Ergo tam missio Filij quàm Spiritus sancti non est æterna. 1

Secundò probatur. Augustinus enim lib.4. de Trinit.cap.20.in med. *Quod ergo natum est,*inquit, *ab æterno, æternum est : candor est enim lucis æternæ. Quod autē mittitur in tempore,à quoquam cognoscitur. Sed cum in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundū missus est in plenitudine temporis.*Et post pauca:*Cum autem ex tempore cuiusque profectus mēte percipitur, mitti quidem dicitur,sed non in hunc mundum.* 2 Sapient.9.

Vt ratione probetur hæc veritas,obiicio contra illam primò. Sicut missio includit aliquid temporale, videlicet, relationem ad effectum creatum, sic etiam includit aliquid æternum, videlicet processionem à principio producente. Ergo sicut missio vocatur temporalis propter relationem ad effectum, sic etiam vocari debet æterna propter æternam processionem. Vrget autē ratio magis in eorum sententia,qui principalius,aut saltem æquè principaliter æternā processionem constituunt in quidditate missionis sect.præced. dubit.1.Nihilominus respond. in quacumque sententia non valere consequentiā,quia quod non existit ab æterno, sed incipit existere in tempore, non est æternum, sed temporale. Missio verò non existit, nisi quando tota & integra illius ratio existit; ac proinde quando existit non solum æterna processio, sed etiam simul coëxistit temporalis & creatus effectus : hic autem non existit nisi in tempore. 3 *Obiectio.* *Solutio.*

Exemplum accommodatum est in Cæsare. Licet enim materia constet, quæ à principio mundi creata fuit; ipse tamen Cæsar non dicitur fuisse à principio mundi,sed à tempore, in quo anima rationalis creata fuit, & vnita eius materiæ. Rursus vnione soluta per mortem, licet maneat anima & materia, non dicitur manere Cæsar, quia deficit aliquid pertinens ad eius quidditatem. Confirmatur, quamuis enim homo constet anima, quæ non est corporea; simpliciter tamen appellatur corporeus, accepta denominatione ab ignobiliori parte. Frequentior enim est hic modus denominandi compositum ab imperfectiori parte. 4

Instabit autem aliquis secundò. Licet Christus Dominus constet non tantùm persona diuina,sed etiam humanitate,quæ temporalis est : nihilominus de illo simpliciter verum est dicere, fuisse ab æterno, & esse æternum ratione Verbi diuini.Ergo licet missio diuinæ personæ claudat aliquid temporale, quia tamen includit etiam aliquid æternum,ratione illius poterit æterna vocari. Respond. negando consequentiam. Discrimen est. Christus Dominus supponitur pro supposito diuino,quod est æternum:propterea̅que simpliciter appellari potest æternus. At verò missio non supponitur 5 *Secunda obiectio.*

ponitur pro æterna processione, sed pro coniuncto ex processione æterna & temporali productione gratiæ, vel manifestationis.

6 Obiicies tertiò, quia duplex est processio Verbi diuini, temporalis vna, & altera æterna, vt ex Augustino & Beda scribit Magister 1. dist. 14. cap. 1. & 2. Duplex igitur erit etiam missio, temporalis vna & altera æterna. Respond. quamuis entitatiuè sint longè diuersæ processiones temporalis & æterna: cæterum in ratione missionis coalescunt in vnicam processionem, constantem ex illis duabus partibus. Cuius vnitas est moralis tantummodo comparatione finis, ad quem destinatur missio; quamuis in esse physico duæ illæ processiones non possint efficere vnum ens per se, sed tantum vnum per accidens. Prædictam vnitatem docent Albertus 1.p.quæst. 33. memb. 2. toto art. 2. S. Bonau. 1. dist. 14. art. 1. quæst. 2. corp. post med. quatenus ait, vnam processionem in alia claudi. Cui consonat Durand. eadem dist. 14. quæst. 2. & clarius explicant aliqui recentiores.

In ratione missionis est vnica temporalis & æterna processio.

7 Dico secundò. Missio est aliquid creatum absolutè loquendo. Ita docent omnes doctores, citati sect. præcedenti dubitatione 1. quoniam hoc necessariò sequitur ex eo, quod missio sit temporalis, & eisdem rationibus probatur, quibus probatum fuit esse temporalem & non æternam.

Missio est creata.

8 Propterea singulariter & inconsequenter locutus fuisse videtur Alexand. 1.p.q.71. memb. 2. corp. & ad 1. decernens, missionem tam actiuam, quàm passiuam esse quid increatum, quia quod principaliter importat, est increata processio: cum tamen in eadem quæst. memb. 4. corp. & ad argumenta fateatur, missionem esse temporalem & contingentem. Fortasse tamen ea tantum ratione recusauit appellare creatam, quoniam relatio rationis, per quam persona diuina cõstituitur manifestata, & nouo modo existens per gratiam, est aliquid diuinum, quod non potest creaturis conuenire, sicut relatio creatoris & primæ causæ atque supremi Domini.

9 Pro sequenti assertione notandum est, quod *mittere* atque *dare*, sicut etiam *mitti* & *dari*, nonnunquam à Theologis accipiuntur pro eodem. Sic enim loquitur Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. propius ad fin. quàm ad med. Anselm. epist. de processione Spiritus sancti cap. 7. post med. quorum verba posuimus sect. 3. Magister 1. dist. 15. c. 1. & 2. & Alex. 1.p. q. 71. & duabus sequent. frequenter, potissimum q. 73. mem. 2. art. 2. fine. Albert. 1. part. tota q. 33. S. Thom. in præsent. q. 43. art. 4. ad 1. Cui consonat etiam in art. 2. corp. Probari etiam potest ex Athanasio, longiori epist. ad Serapionem multo propius ad med. quàm ad fin. dicente: *Filius à Patre mittitur, ita enim inquit; Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3. Nihilominus communior acceptio theologorum discrimen cõstituit inter missionem & dationem.

10 Dico igitur tertiò. Missio non est totaliter & ex omni parte creata, temporalis & contingens; sicut datio, quæ nihil increatum, æternum & necessarium includit, sed totaliter est temporalis, contingens & creata, quia datio non requirit authoritatem principij producentis in dante, neque requirit processionem in persona data, (quidquid dicant aliqui recentiores. Vnde fit, vt quælibet persona diuina detur à seipsa (supra disp. 75. sect. 3. sub init.) Hoc discrimen docent Albert. 1.p.q. 32. memb. 2. partic. 2. & ad 1. in contrarium. & art. 3. & memb. 3. S. Thom. 1. dist. 15. quæst. 1. art. 1. corp. quem sequitur Capreol. ibidem q. 1. art. 1. conc. 3. Vbi Scotus q. vnica præsertim in fine. Durand. eadem dist. 15. quæst. 1. num. 6. Ricard. 1. dist. 14. art. 1. q. 3. Aureol. art. 1. proposit. 3. & communiter recentiores, vt Molina q. 43. art. 3. post concl. 3. Canariens. in eodem art. 3. in 3. p. comment. ad finem. Ideo supra disp. 75. sect. 2. diffic. 2. probatum est, Patrem donari, licet à nullo procedat, necnon essentiam diuinam donari & dari.

Datio totaliter est temporalis. ideo eadem persona dat seipsã, &c.

Obiicies tamen. Donum est æternum in Deo, 11
quia est ipsa persona Spiritus sancti, vt probatum est disp. 75. Ergo datio non est temporalis, & consequenter nequè missio. Respond. negando consequentiam, quia licet esse donum aptitudine & potestate donabilitatis sit realitas increata, æterna & necessaria: nihilominus actualiter donari est quid creatum, contingens & temporale: vt vidimus eadem disp. 75. sect. 2. difficult. 4.

SECTIO VIII.

Non Pater, sed tantùm Filius & Spiritus sanctus mittitur, atque illorum alter aliquando sine altero.

FIlium & Spiritum sanctum esse missos, proba- 1
tum est sect. 1. & sequentibus: itaque dicendum restat de solo Patre. De quo sit prima conclusio. Patrem nunquam esse missum, imo neque posse mitti, concors est theologorum sententia. Colligitur ex Athanasio dialogo 3. de S. Trinit. contra Macedon. longè post init. ac versus med.

Prima conclusio. Pater nõ potest mitti.

Clariùs autem loquitur Augustinus lib. 2. de Trin. 2
cap. 5. inter princ. & med. *Pater solus nusquam legitur missus.* & lib. 4. cap. 20. post med. *Pater*, inquit, *cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat.* & sequenti cap. 21. ad fin. totius libri 4. *Si voluisset Deus Pater per subiectam creaturam visibiliter apparere, absurdissimè tamen aut à Filio, quem genuit, aut à Spiritu sancto qui de illo procedit, missus diceretur.* Idem lib. vnico contra fermon. Arianor. cap. 4. in med. *Solus Pater*, ait, *non legitur missus, quoniam solus non habet authorẽ, à quo genitus sit, vel à quo procedat. Non enim splendor aut feruor ignem, sed ignis mittit splendorẽ siue feruorem.* Isidorus lib. 7. etymolog. c. 3. §. 4. ait: *Pater nunquam legitur esse missus.*

Idem docent Magister 1. dist. 15. cap. penult. 3
Alexand. 1.p.q.73. memb. 2. art. 1. Albert. 1.p.q. 32. memb. 2. art. 1. partic. 3. S. Thom. in præsent. q. 43. art. 4. & 1. dist. 15. q. 2. art. vnico. Vbi S. Bonau. p. 1. art. 1. q. 3. Scotus q. vnica. Ricard. art. 2. q. 2. Durand. quæst. 1. num. 6. Argentina q. vnica art. 3. Cartus. q. 1. Ocham. & Gabriel q. vnica. Marsil. lib. 1. q. 18. art. 3. Capreol. 1. dist. 15. quæst. 1. art. 2. concl. 1. Caietenus, Canariens. & cæteri expositores S. Thomæ q. 43. art. 4. Vazquez disp. 170. c. 3. initio. Suarez lib. 12. de Trinit. c. 2. Ratione probatur, quoniam missionis quidditas includit processionem ab alio principio, communicante substantiam, consilium, determinationẽ, potestatem & cætera, vt probatum est sect. 3. & sequentibus. Sed Pater à nullo principio procedit; nec communicatam accipit substantiam, consilium, &c. Ergo Patri non potest passiua missio conuenire, sed tantummodo duabus personis procedentibus, videlicet, Filio & Spiritu sancto.

Quod si obiicies. Filius mittit seipsum, atque 4
Spiritus sanctus seipsum mittit, vt videbimus sect. 9. & 10. Ergo Pater etiam poterit seipsum mittere. Respond. Impropriè dicitur vna persona seipsam mittere, quia cooperatur ad productionem effectus,

Obiectio.

Diluitur.

effectus, ratione cuius propriè mittitur à suo principio producente. Sic Filius dicitur seipsum mittere, quia cooperatur ad Incarnationem, ratione cuius propriè dicitur missus à Patre, vt in prædicta sect. 9. videbimus. At verò Pater neque secundùm illam improprietatem loquendi poterit appellari missus à seipso, quoniam à nulla persona, propriè loquendo, mittitur, ad cuius missionis effectum ipse Pater cooperetur.

Nec impropriè dicitur missus Pater.

5 Sequitur ex dictis esse singularem, improbabilem & malè tutam doctrinam Antonij à Corduba, quam sub dubio tradit lib. 1. quæstionarij q. 41. post med. in fine solutionis ad 3. Forte, ait, rectè & catholicè concederetur, quod Pater mittitur à seipso, sicut & datur à seipso: sicut & in actiua significatione Pater dat, mittítque seipsum temporaliter ad nos, sicut & Filius & Spiritus sanctus temporaliter dant, mittúntque seipsos ad nos. Existimat enim hic author, neque de connotato significari processionem verbo mittendi, sicut neque verbo dandi: proptereáque toti Trinitati conuenire ratione essentiæ.

Improbabilis & malè tuta sententia.

6 Incidit in hoc inconueniens Corduba propter aliam sententiã, quam docuerat in principio eiusdem quæstionis 41. videlicet, Spiritum sanctum nunquam mitti sine Filio, nisi sola appropriatione. Probat, quia mitti sine Filio conuenire ei non potest ratione alicuius relationis realis, quæ ad solam personam Spiritus sancti terminetur, sicut vnio humanitatis terminatur ad Verbum: sed solum est ibi relatio rationis, per quam signum sensibile (veluti columba vel ignis) appropriatione quadam repræsentat Spiritum sanctum. Aliunde verò missio per gratiam, vel per aliud donum aut effectum, non est aliud quàm donare seipsum, acceptando creaturam ad collationem gloriæ. Hoc autem conuenit primò & immediatè Deo ipsi ratione essentiæ communis & consequenter omnibus personis.

Argumẽtum.

7 Huius argumẽti fallacia cõstat ex dictis. Primò, quoniam vt quælibet persona diuina mitteretur, non sufficit quamlibet cooperari ad donum siue effectum, & per illum venire in animam & illi donari; sed præterea requiritur processio personæ quæ mittitur, vt probatum est. Secundò, quia, ratione alicuius effectus aliqua persona peculiari modo dicitur esse, vbi nõ est eodẽ modo alia: sicut Spiritus sanctus in colúba vel igneis linguis, quoniam in illis apparuit & manifestata est personalis proprietas Spiritus sancti peculiari modo, quo nõ apparuit ibi, nec manifestatus est Pater aut Filius.

Fallacia detegitur.

8 Contrarium extremum tenuit sententia, simpliciter concedens, vnam personã sine alia quandóque mitti, non tantũ missione visibili, sed etiam inuisibili secundum dona supernaturalia. Ita docet Alexand. 1.p.q.73. memb. 2. art. 2. & memb. 4. art. 2. & 3. Aureolus 1. dist. 15. art. 2. post med. Ad quam proximè accedit Ricardus eadem dist. 15. art. 4. q. 2. dissidens in eo tantùm, quod missionem inuisibilem secundum dona gratiæ gratis datæ, & non gratum facientis, secundum quam Spiritus sanctus mittitur sine Filio, vocat missionem impropriè dictam & secundum quid.

Sententia extremè contraria.

9 Sit igitur secunda conclusio. Missione visibili sine dubio mittitur vna persona sine altera. Ita concedunt non solum Alexander, Aureol. & Ricard. citati, sed etiam supponere videntur doctores citandi pro concl. sequenti. Sed magis apertè tradit S. Thom. in præsenti q. 43. art. 7. ad 3. & est aperta mens Augustini lib. 2. de Trinit. c. 5. versus finem. & lib. 4. c. 20. post med. & alibi sæpe. Probatur, nam Filius per Incarnationem missus est in mundũ, in quo fuit peculiari modo, quo non fuit in mundo persona Spiritus sancti: & consequenter Spiritus sanctus non fuit missus ea missione visibili. Econuerso tamen non fuit missus Filius per columbam aut linguas igneas, per quas apparuit & missus est Spiritus sanctus, vt nuper aduersus Cordubam dicebamus.

Inuisibilis missio vnius personæ sine altera.

Confirmatur primò, nam Ioan. 14. 15. & 16. pro- 10
mittitur missio Spiritus sancti, non promittendo missionem Filij; ideóque promittitur quasi separata & existens sine missione Filij, quantum ad aliqua dona præsertim visibilia, licet non quantum ad inuisibile gratiam. Confirmatur secundò, nam id significat peculiare festum, quod Ecclesia celebrat missioni Spiritus sancti quasi personę, quę visibiliter missa fuerit sine aliis. Tertiò confirmat S. Thomas citatus, sicut enim diuersis nominibus significatur Filius & Spiritus sãctus, & ideo potest vnus eorum significari sine alio; ita potest vnus sine alio manifestari quocumque signo sensibili.

Tertia conclusio. Secundum inuisibilem mis- 11
sionem gratiæ nunquam Filius mittitur sine Spiritu sancto, neque Spiritus sanctus mittitur sine Filio. Ita existimant Albert. 1.p.q.33. memb. vnico prope fin. S. Thomas in præsenti q. 43. art. 5. ad 3. & 1. sentent. dist. 15. q. 4. art. 2. corp. fine. S. Bonau. eadem dist. 15. part. 2. art. 1. q. 2. Vbi etiam Ricard. art. 4. q. 2. Durand. q. 4. art. 3. n. 8. & 9. Petrus de Tarantasia, quem cum aliis refert & sequitur Carthusianus 1. dist. 15. q. 1. col. 3. 4. & 5. Capreol. eadem dist. 15. q. 1. art. 3. concl. 3. Vazquez disp. 170. cap. 3. §. *quarto*. Apertè colligitur ex Magistro 1. dist. 15. cap. *ad quod*. & cap. *ecce distinctè*. & cap. *præterea*. vt magis constabit confirm. 2.

Inuisibilis missio nunquam vnius personæ sine altera.

Ratione probatur, quia per dona gratię tota Tri- 12
nitas inhabitat mentem secundũ illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus.* Huic igitur aduentui coniuncta processione cõstituitur inuisibilis missio vtriusque personæ procedentis.

Confirmatur primò, quia licet fides, & quædam 13
alia dona, pertinentia ad intellectum, tribuantur multoties sine gratia iustificante, vel illa recedente perseuerent, vt in Salomone post idololatriam: nihilominus non dicitur Filius mitti ratione illorum, sed tantum secundum eam institutionem & institutionem intellectus, quę prorumpat in amorem, vt dicitur Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Huiusmodi namque notitia appropriatur diuino Verbo, de quo Augustinus lib. 9. de Trinit. c. 10. circa fin. *Verbum*, inquit, *quod insinuare intendimus cum amore notitia est.* De quo plura S. Thomas dicto art. 5. præsertim ad 2. & dicemus disp. sequenti sect. 1. 2. & 3.

Confirmatur secundò, quoniam Spiritus san- 14
ctus nunquam inuisibiliter mittitur, nisi per gratiam gratum facientem (vt videbimus disp. seq. sect. 1. & 3.) Per eandem verò mittitur Filius; vt ex sapientiæ 7. deducit Aug. lib. 4. de Trinit. c. 20. post med. dicens: *Emitte illam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, id est, doceat me laborare, ne laborem. Labores enim eius virtutes sunt. Sed aliter mittitur, vt sit cum homine, aliter missa est, vt ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, & amicos Dei, & prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos Angelos.* Quod autem hæc missio Sapientiæ genitæ sit inuisibilis, docet non longè inferius dicens: *Cum autem ex tempore cuiusq; profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum. Nec enim sensibiliter apparet.*

Confirmatur tertiò, quia propterea vtriusque 15
personæ

personæ præsentiam, habitationem & operationem simul fide viua & charitate copulauit Apost. Ephes.3. postulans à Deo Patre, vt tribuat, *Virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati.*

16 *Improprie dicta missio vnius personæ sine alia.*

Quarta conclusio. Secundum quid & impropriè missus esse dicitur Filius, non misso Spiritu sancto, quando sine gratia iustificante communicantur alicui fides & dona intellectus, atque illa præsertim, quibus peculiariter cognoscitur persona Filij. Ita Scholastici referendi seq. disp. sect. 1. concl. 2. Probatur, nam, vt August. ait lib. 4. de Trinit. cap. 20. circa med. *Tunc inuisibiliter Filius cuiquam mittitur, cum à quoquam cognoscitur atque percipitur.* Quam veluti definitionem missionis ex professo declarat Alexand. 1. p. quæst. 73. toto memb. 1. ad missionem Filij non requirens actualem cognitionem, sed tantùm productionem effectus, per quam possit cognosci Filius vt procedens à Patre: licet hanc cognitionem & perceptionem strictiùs & perfectiùs limitet S. Thomas citatus. Denique quantum ad huiusmodi missionem impropriam & secundum quid, rectè locuti sunt Alexand. Aureol. & clariùs Ricardus supra citati.

SECTIO IX.

Vtrum seipsam miserit aliqua persona diuina.

1 *Patres aliqui docent quod Filius seipsum miserit.* Philip. 2.

QVod Filius seipsum miserit, affirmant aliqui Patres, Hyginus epist. 1. decretali sub init. ait: *Nam. quod semetipsum (exinanita maiestatis sua potentia) idem Filius miserit, Apostolus contestatur, & dicit: semetipsum exinaniuit*, &c. adductis autem aliis testimoniis Scripturæ de Redemptoris aduentu, concludit ante med. epistolæ: *Nunquid in his tantis ac talibus testimonijs, quibus se Filius Dei à semetipso venisse testatus est, poterit quis dicere, ab alio, & non à semetipso, venisse? Dum manifestum est, quod qui carnem nostram dignanter assumpsit, voluntariè, & non ab alio missus, venerit. Nam qui in Patre manens, vbique potentia sua consistit, vbi quò à Patre mitteretur, omnimodo non habuit, quoniam nulla pars cœlorum ac terræ à conspectu Patris excipitur, vbi secundum vos à Patre Filius mitteretur.*

2 Obscuriùs hoc ipsum significat Nazianzenus orat. 38. colum. penult. missionem conferens cum resuscitatione quantum ad hoc, quod vtraque tribuitur Patri; & alibi tribuitur etiam Filio tanquam illius causæ: *Beneplacitum*, inquit, *Patris missionem esse existima: cui sua quoque adscribit, tum vt principium, temporis expers, honore afficiat, tum ne Dei aduersarius esse videatur. Quandoquidem vt traditus fuisse dicitur, ita seipsum quoque tradidisse scribitur: atque vt à Patre ad vitam reuocæus & ad supera susceptus fuisse, ita seipsum quoque à mortuis excitasse, rursusq; in cœlum ascendisse prædicatur. Illa beneplaciti: hæc potestatis.*

3 Clariùs idem argumentum exponit Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. prope med. *Fortasse*, inquit, *aliquis cogat, vt dicamus, etiam à seipso missum esse Filium, quia ille Mariæ conceptus & partus operatio Trinitatis est, qua creante omnia creantur. Et quomodo iam, inquit, Pater eum misit, si ipse se misit? Cui primum respondeo, quærens vt dicat, si potest, quomodo Pater eum sanctificauit, si se ipse sanctificauit?* Ioan. 10. *Vtrumque enim idem Dominus ait: Quem Pater, inquit, sanctificauit & misit in mundum*, &c. *Alio autem loco ait, Et pro eis sanctifico me ipsum.* Ioan. 17.

4 Et postquam eandem quæstionem excitauit ex eo, quod Pater dicitur tradidisse Filium, Rom. 8. & Filius tradidisse seipsum, Galat. 2. respondet, *Quia vna voluntas est Patris & Filij, & inseparabilis operatio. Sic ergo intelligat illam Incarnationem, & ex Virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur missus vna eademq; operatione Patris & Filij inseparabiliter esse factam, non vtique inde separato Spiritu sancto.* Cuius veritatis explicationem simul & probationem continuò subiungit: *Enodatius fortassis quod dicimus apparebit, quomodo misit Deus Filium suum. Iussit, vt veniret, atque ille inuenti obtemperans venit, an rogauit, an tantummodo admonuit? Sed quodlibet horum sit, verbo vtique factum est. Dei autem Verbum, ipse est Dei Filius. Quapropter cum eum Pater Verbo misit, à Patre & Verbo eius factum est, vt mitteretur. Ergo à Patre & Filio missus est idem Filius, quia Verbum Patris est ipse Filius.* Quod vlterius sequenti contextu confirmat.

5 Concil. Toletanum Vndecimum in profess. fidei col. vltima. *Filius*, inquit, *non solum à Patre, sed etiam à Spiritu sancto missus credendus est, in eo quod per Prophetam dicitur. Et nunc Dominus misit me & Spiritus eius. A seipso quoque missus accipitur pro eo quod inseparabilis non solùm voluntas, sed & operatio totius Trinitatis agnoscitur.* Isai. 48.

6 Magister 1. dist. 15. cap. 1. fine, & cap. 2. init. docet, Spiritum sanctum à seipso mitti, & à seipso temporaliter procedere, *Nam processio temporalis Spiritus sancti vel missio, ipsius est donatio, & ipsa Dei operatio.* Quo fundamento Spiritum sanctum à seipso mitti colligit ex Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 19. probante, quod Spiritus sanctus seipsum dat. Cuius verba retulimus disp. 75. sect. 3. sub init. Quod autem Filius à seipso sit missus, probat eadem dist. cap. *deinde*. & tribus sequentibus, referens quæ nuper posita sunt ex Augustino lib. 2. de Trinit.

7 *Nulla persona potest à seipsa mitti.* Psalm. 103.

Econtrario nullam personam posse mittere seipsam, sed ab alia mittendam esse, colligitur primò ex Basilio lib. 5. contra Enom. sect. 2. dicente: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Nec ipse seipsum mittit. Missionem autem vocat exitum ad opus, non de loco in locum migrationem.*

8 Secundò colligitur ex Hieronymo lib. 5. in Ezechielem in posteriori parte capitis 16. colum. antepenult. circa illa verba: *Et conuertam restituens eas*, nam in fine illius commentarij sic ponderat illud Exod. 15. *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam. Quod enim coniunctum est, & in vno corpore copulatum, mitti non potest, sed illud quod extra corpus est: Verbi gratia: lancea, telum, sagitta, gladius.* Quæ verba recipiuntur etiá à Glossa ordinaria in eundem locum Ezechielis. Oportet igitur inter mittentem & missum intercedere separationem aliquam, vel distinctionem, quæ sit vt minimum personalis. Quapropter nulla persona poterit seipsam mittere, sed tantùm mittere poterit personam realiter à se distinctam.

9 Tertiò probari potest, quia mittens & missus dicuntur relatiuè. Sed relatio requirit distinctionem realem. Ergo persona mittens debet esse realiter distincta à persona, quam mittit: ac proinde nulla persona mittit seipsam. Confirmatur primò, quoniam actiuè *mittere* significat authoritatem in persona mittente; consequentérque passiuè *mitti* significat subauthoritatem in persona missa. Sed nulla persona respectu sui ipsius habere potest authoritatem nec subauthoritatem.

Ergo

Ergo nulla persona potest seipsam mittere, sed tantùm potest mittere distinctam personam, cuius ipsa sit author & principium.

10 Confirm. secundò, quoniam *mittere* & *mitti* significant idem, licet vnum actiuè, aliud verò passiuè: sed *mitti* passiuè significat aut connotat productionem passiuam, siue originem; vt probatum est sect. 3. & sequentibus. Ergo *mittere* actiuè significat aut connotat productioné siue originem actiuam. Confirm. tertiò, quoniam actiua & passiua missio non seruabunt exactè correlatiuam oppositionem, nisi claudat actiua missio productionem actiuam. Hæc enim est correlatiua productionis passiuæ, quam claudit passiua missio. Quartò confirmari potest illo axiomate. Si oppositum de opposito, & propositum de proposito: sed *mittere* & *mitti* sunt opposita: cum igitur *mitti* sit produci personam; consequens erit, vt *mittere* sit producere personam.

11 *Persona dicitur operari per eã, quam mittit.*

Quartò probatur, quia persona mittens dicitur operari per eam, quam mittit, sicut Pater dicitur mundum redemisse & recõciliasse sibi per Filium, & per Spiritum sanctum perfecisse, & sanctificasse. Sed nulla persona dicitur operari per aliam, nisi quatenus est principium cõmunicans illi substantiam, potẽtiam, & voluntatem operandi. Ergo nulla persona mittit seipsam, sed illam tantùm, cuius est principium. Quintò, quia sic melior & exactior ratio redditur, propter quam Pater à nulla persona mitti possit, neque à seipso.

12 *Fallax argumentum Magistri.*

Sextò, quoniam argumentum Magistri, quo dist. 15. cap. 1. probat, Spiritum sanctum mittere seipsum, fallax esse videtur; ait enim. Si Spiritus sanctus seipsum dare nõ potest, & eum Pater dare potest, & Filius: potest vtique Pater dare aliquid & Filius, quod non potest Spiritus sanctus. At eadem ratione probare posset, quod Spiritus sanctus generat Filium, & spiret Spiritum sanctũ, nec Pater aliquid possit & operetur, quod Spiritus sanctus nec possit, nec operetur. Cuius argumenti solutio tradita est disput. 100. & 101.

13 Septimò probatur, quia nulla prorsus authoritas Scripturæ suadet cõcedere, personam aliquam mittere seipsam. Aliunde quoque Patrum testimonia, superius allata, quæ manifestè docent, Filium esse missum, non tantum à Patre, sed etiam à seipso commodam & textui congruentem expositionem admittunt, vt Verbum ratione Diuinitatis miserit seipsum ratione solius humanitatis. Cui expositioni congruunt exempla sanctificationis, traditionis in mortem & resuscitationis ab eisdem Patribus allata.

14 Pro cuius declaratione recolẽdum est ex dictis sect. 1. concl. 3. personam Filij dupliciter denominari missam. Primò ratione naturæ humanæ per meram communicationem idiomatum: quemadmodum Dei Filius dicitur in mortem traditus, resuscitatus, aut sanctificatus: quæ prædicata nullo modo conueniunt ratione personæ, sed ratione naturæ assumptæ. Hoc igitur sensu locutos fuisse Patres illos, præsertim Hyginum & Augustinum, constat ex eorum contextu. Secundò Filius denominatur missus ratione personæ increatæ, quæ procedens à Patre, recipit ab eo potestatem, authoritatem & voluntatem se manifestandi & communicandi dona supernaturalia. Nihil autem est in prædictis Patribus, quod persuadeat, hoc sensu dixisse, Filium misisse seipsum.

Ruiz. de Trinitate.

Cum igitur aliunde ratio resistat; non sunt ita intelligendi.

15 *Prima sententia.*

Propter hæc argumenta nõnulli doctores existimant, nullam personam mittere seipsam, sed tantùm mittere posse personam, quæ principium est, à quo procedit persona mittenda. Ita existimant Altisiodoren. lib. 1. summæ (apud Carthus. 1. dist. 15. quæst. 1. fine.) Durandus acriter & fusè eadem dist. 15. quæst. 3. Probabilem reputat Scotus eadem distin. quæst. vnica §. *videtur*. & §. *licet*. In eam magis inclinat Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 2. num. 3. & cap. 3. num. 6. & sequentib. Vazq. disp. 170. cap. 2. initio & cap. 3. §. *quarto*.

16 *Secunda sententia probabilior. Seipsum mittit Filius & Spiritus sanctus.*

Antiquorum tamen communis sententia simpliciter & absolutè concedit, quod Filius seipsum mittit, ac similiter Spiritus sanctus seipsum mittit: addit tamen, hanc acceptionem actiuæ missionis esse minus propriam & strictam, quia propriè & strictè mittere conuenit tantũmodo personæ producenti personam missam. Ita existimant Magister 1. dist. 15. capitibus supra citatis. Alexand. 1. p. quæst. 72. memb. 2. Albert. tota quæst. 33. S. Thom. 1. dist. 15. q. 3. artic. 1. Cui consonat etiam in præsenti q. 43. art. 8. fine. S. Bonauent. 1. dist. 15. par. 1. art. 1. q. 4. vbi Ricard. art. 3. q. 1. Scotus q. vnica §. *licet*. Argentina q. vnica art. 3. Ocham & Gabriel q. vnica, Marsil. 1. dist. 18. art. 2. & 4. Carthus. 1. dist. 15. quæst. 1. post med. referens pro eadem sentẽtia Petrum de Tarantasia, Ægidium & Vdalricum. Aureolus dist. 15. p. 1. art. 1. propos. 2. & artic. 3. §. *propterea*. Capreol. q. vnic. art. 2. concl. 2. Ferrariens. 4. contra Gentes cap. 23. §. *sed occurrit*. & sequent. Caiet. in præsen. quæst. 43. art. 8. vbi Canariens. in commentario col. 2. initio & alij expositores.

17 *Acceptio vocis ex causa rationabili.*

Hanc igitur sententiam probabiliorem existimo, præcipuè propter authoritatem tot & tam nobilium theologorum, quæ sola sufficeret theologicis vocibus tribuere significationem & vsum. Nec rationabilis causa defuit, propter quam induceretur hæc acceptio missionis actiuæ. Promptior enim est & facilior, vt aduersus hæreticos defendat, æqualem esse perfectionem personæ missæ atque mittentis, quoniam persona missa per eandem potentiam, voluntatem & operationem simul cum persona mittente seipsam mittit. Hac vtilitate sublata, foret congruentius actiuam missionem non nisi propriè & strictè sumere, ita vt sola persona producens mitteret.

18 *Relatio rationis in missione.*

Vnde respondetur ad probationes contrariæ sententiæ. Ad primam & secundam. Basil. & Hieronym. loquuntur de missione, magis propriè & strictè sumpta. Ad tertiam respond. Relatio rationis non requirit distinctionem realem. At inter personam mittentem & missam, quãdo missio sumitur minus propriè, non est relatio realis, sed tantum relatio rationis, quæ potest esse eiusdem personæ quasi causantis donum aut manifestationem ad seipsam quasi manifestatam, aut nouo modo existentem in anima.

19 *Quam authoritatem exerceat persona seipsam mittens.*

Ad primam confirmationem respond. Actiua missio largè & impropriè sumpta significat in persona mittente quamdam authoritatem, non æternæ productionis: sed operationis temporalis, ratione cuius talis persona manifestatur, aut nouo modo existit in anima. Quod explicari potest primò verbis August. lib. 4. de Trinit. cap. 20. circa med. *Mittit, qui genuit; mittitur, quod genitum est. Et tunc vnicuique mittitur, cum à quoquam cognoscitur atque percipitur quantum cognosci & percipi potest pro captu*, &c. Quapropter ipse Filius faciens, vt ipse cognoscatur & percipiatur, eo ipso mittit se

ipsum, saltem aliquo modo. Secundò, quoniam etiam in personis creatis actiua missio potest largius & minus propriè sumi, vt non sit communicatio & cõmissio potestatis & authoritatis, sed sit tantummodo determinatio, qua legatus seipsum determinat ad vtendum potestate & authoritate, quam accepit ab alia persona mittente propriùs & strictiùs. Sicq; legatus seipsum mittit minus propriè.

20 *Quomodo sibi correspõdeant adæquate actiua & passiua missio.*

Ad secundam confirm. respond. Actiua & passiua missio possunt accipi largiùs & impropriùs, ita vt sibi correspondeant, connotando processionem personæ, quæ mittitur. Ita vt actiuè mittere Filium, sit manifestare, quod Filius procedit à Patre: & passiuè mitti Filium, sit manifestari, quo Filius procedat à Patre. Cum igitur Filius & Spiritus sanctus manifestent Filium à Patre procedere; consequens est, vt actiuè mittant Filium. Item actiuè mittere Filium, est, Filium determinare ad vtendũ authoritate recepta à Patre, Filius autem seipsum determinat ad hoc & Spiritus sanctus etiam determinat eadem potentia & operatione Patris, concurrentes ad manifestationem & dona supernaturalia producenda.

21 Ad tertiam confirm. respond. Sufficienter seruatur correlatiua oppositio prædicto modo intelligendo passiuam & actiuam missionem. Fateor tamen, esse magis exactã & propriam oppositionem correlatiuam, si missio actiua propriè sumatur, connotando productionem æternam. Inde constat solutio ad 4. confirm.

22 Ad quartam probationem respond. Persona, quæ propriè & strictè mittit, propriè & strictè dicitur operari per aliam personã missam. Sed persona, quæ largiùs & impropriùs mittit, largiùs & impropriùs dicitur operari per seipsam, vel per aliam personam, quam non producit. Ad quintam respond. Etiam in hac acceptione redditur conueniens ratio, propter quam Pater neque à seipso, neque ab alia persona mittitur: quia non manifestatur procedere Patrẽ ab aliqua persona, nec determinatur ad vtendũ potestate & authoritate, recepta ab alio principaliter & propriè mittente.

23 Ad sextam. Fateor, esse fallacem illam rationem Magistri, nisi supponendo, mittendi operationem nihil includere notionale, quod est supponere cõclusionem probandam. Ad septimam respond. Patres initio citati non parum fauent huic acceptioni missionis, quatenus simpliciter & absolutè pronunciant, quod Verbum seipsum misit, quatenus ad suam Incarnationem cooperatum est. At verò per Incarnationem ipsa persona Verbi missa est, vt caro fieret.

SECTIO X.

Vtrum Spiritus sanctus actiuè miserit Filium, ac subinde tota Trinitas.

1 *A Spiritu sancto missus Filius, vt homo.*

Filium, saltem inquantum est homo, missum fuisse à Spiritu sancto licet non sit de fide, certitudinem tamen habet fide proximam, ita vt negari non possit absque magna temeritate & periculo. Probatur primò Isaiæ 48. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* Quod de ipso propheta Isaia fuisse dictum, existimabant Hebræi, quorum expositionem Catholicorum aliqui sequuntur. Cyrillus autem Alex. in Isaiam lib. 4. orat. 3. exponit, Cyrum excitatum fuisse in Regem Babylonis, vt Dominum Deum Israëlis agnosceret, & populi captiuitatem relaxaret Esdræ 1.

2 Cæterum quamuis litteræ cortex fortasse fuerit significatiuus Cyri: nihilominus dubitari non debet, quin interior & solidior sensus litteralis contineat Christum Dominum missum à Patre & Spiritu sancto. Nam hoc euidenter colligitur ex præcedentibus verbis. *Ex tempore antequam fieret, ibi eram.* Quibus significatur æternitas Verbi, vt sapienter ponderat Hieronym. lib. 13. in Isaiam ad prædicta verba.

3 Eodem modo de Filio, quem miserit Pater & Spiritus sanctus, intelligunt Athanasius orat. 2. cõtra Arianos paulo propius ad fin. quàm ad med. & in longiori epist. ad Serapion. quæ incipit *Litteræ*, col. 4. & longè inferius multo propius ad med. quàm ad princ. & lib. 3. de assumptione hominis per dialogũ cum hæretico prope fin. Chrysost. tom. 3. homil. 3. de Spiritu sancto quæ incipit *Heri, à nobis*, col. vltima, & serm. de Trinit. col. penult. Basil. lib. 3. contra Eunom. in med. Ambros. in Symbol. Apostol. cap. 6. & lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. inter princ. & med. & lib. 3. de Spiritu sancto cap. 1. fine. August. serm. 6. de tempore, qui est 2. de natiuit. in med. & lib. 2. de Trinit. cap. 5. prope med. Euseb. Cæsar. demonstrat. Euang. li. 5. cap. 6. à med. Anastas. Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmat. inter med. & fin. Isidor. Hispalensis lib. de natiuit. Domini cap. 4. post med. Cõcil. Tolet. Vndecimum in professione fidei col. vltima, cuius verba posuimus sect. præcedenti.

4 Certius est, intelligendum esse de Christo Domino quod Isaias cap. 61. *Spiritus*, inquit, *Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Nam hoc de seipso dictũ esse, testatur ipse Redẽptor ac Dominus Luc. 4. subiungẽs: *Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Sed licet ita certum sit, eam scripturam agere de persona Christi, minus exploratum est, personam Spiritus sancti misisse. Nam aliqui Patres nõ tertiam personam Spiritus sancti, sed ipsam Filij Diuinitatem intelligunt esse Spiritum, qui miserit Christum Dominũ. Ita videtur sentire Hilar. li. 8. de Trini. propius ad med. quàm ad prin. Cypr. li. 2. aduersus Iudæos cap. 10. Euthy. in cõment. Luc. 4.

Ratio dubitandi.

5 *Solutio.*

At verò tertiam personam Trinitatis hoc loco Patres communiter intelligunt. Vt Irenæus lib. 3. cap. 10. & cap. 20. Athanas. orat. 2. contra Arian. paulo propius ad fin. quàm ad med. & longiori epist. ad Serapionem propius ad fin. quàm ad med. & homil. de sancto Spiritu, quæ incipit *Heri à nobis*, col. 2. & iterum circa med. Euseb. demonstrat. Euang. lib. 9. cap. 10. in med. Cyrillus Alex. lib. 5. in Isaiam, tom. 5. ad caput 61. sub init. Ambr. Luc. 4. August. tract. 74. in Ioan. post med. Hieronym. in commentario Isaiæ 61. Phœbadius lib. contra Arian. circa med. Ruffin. in expositione Symboli. Quibus consonat Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. post medium, probans Christum Dominum in quantum homo est, fuisse vnctum Spiritu sancto per Incarnationem. Quod idem ostendit lib. 3. contra Maximin. cap. 16. post med. Colligitur ex ipsis verbis Isaiæ propter illud complexum *Spiritus Domini*, significat enim relationem personæ procedentis per spirationem, vt probatum est disput. 67. sect. 3. prope fin.

6 *Status quæstionis.*

Difficultas igitur in eo tantummodo restat, vtrum Filius solũmodo ratione humanitatis fuerit missus à Spiritu sancto denominatione missionis communicata Verbo: vel ipsum etiã Verbum à Spiritu sancto missum fuerit, vt per Incarnationem appareret hominibus, & exequeretur voluntatem totius Trinitatis.

Aliqui

7 *Quidam Patres negare videntur.*

Aliqui Patres tacitè videntur negare. Verbum fuisse missum à Spiritu sancto ratione suæ personæ; quoniam missionem hanc accuratè restringunt ad Christum Dominum prout homo est. Ita procedit Athanas. orat. 2. contra Arian. paulo propius ad fin. quàm ad med. Hieron. Isaiæ 48. lib. 13. & lib. 17. ad caput 61. sub init. August. serm. 6. de tempore, qui est 2. de Natiuit. in medio, & homil. 74. in Ioan. post med. Cyril. lib. 5. in Isaiam orat. siue tom. 5. ad prædicta verba Isai. 61. Chrysost. homil. 3. de Spiritu sancto quæ incipit: *Heri à nobis*, circa medium. Cui expositioni magis fauet Ambrosius Lucæ 4. & lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. propius ad med. quàm ad fin. probans ex Apostolo Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Fauet etiam Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 10. post med. (quamuis cap. 20. ante med. videatur referre missionem ad ipsam personam Verbi) nec minus fauet Eusebius lib. 9. demonstrat. Euang. cap. 10. in med.

8 Quin etiam Athanas. apertè in serm. 3. Nicæni Concilij apud S. Thom. opuscul. 1. contra errores Græcorum cap. 14. init. dixit: *Non vt asserunt alienati à gratia Euangelij* (videlicet Ariani) *Spiritus gratificat, & mittit Filium, propter hoc, quod audierunt, & nunc Dominus misit me & Spiritus eius. Et alibi: Spiritus Domini super me.* Colligitur idem ex Basil. hom. 17. in S. Baptisma, dicente: *Non enim à Spiritu vel Patrem vel Filium accipimus, quemadmodum à Filio Spiritum.* Ergo Spiritus non dat nobis, neque mittit Filium.

9 *Spiritus etiã sanctus misit personã Verbi, vt incarnaretur.*

Nihilominus ipsam personã Verbi fuisse missam à Spiritu sancto, vt naturam humanam assumeret, docent aliqui Patres, & illi præsertim, qui dicunt, reciprocam esse missionem inter Filium & Spiritum sanctum, vt inde colligant æqualitatem personæ mittentis & missæ. Sic enim Athan. lib. 3. de assumpt. hominis per dialog. cũ hæretico prope fin. *Memento*, inquit, *reciprocam esse hanc naturæ virtutem mittentis & missi, dum hic, qui nunc missus est* (videlicet Spiritus sanctus) *ipse iam pridem misisse*

Isai. 48. *mittentem inueniatur. Denique per S. Esaiam Deum Dei Filium accipe testãtem: Accedite ad me, & audite hæc. Non ab initio in occulto locutus sum, cum fierent illic eram. Et nũc Dominus misit me, & Spiritus eius. Discite tandem aliquando, vnitam esse hanc naturæ Diuinitatem mittentis & missi, dum qui nunc in Euangelio quamuis missurum se Spiritum Paracletum testatus sit, tamen se ipse ab eo iam prius missum, per inclytum Isaiam professus est.*

10 Cui consonat in lõgiori epist. ad Serapion. quæ incipit. *Litteræ*, col. 4. & lõgè inferius multo propius ad med. quàm ad princ. ex prædictis verbis Isa. 48. probans Diuinitatem Spiritus sancti videlicet, quia si non esset Deus, non habuisset authoritatem mittẽdi Filium. Eodem indicio colligendi Spiritus sancti Diuinitatem ex eo, quod Filiũ miserit, prædictam sententiam significant Chrysost. serm. de Trinit. col. penult. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmat. inter med. & fin. Euseb. lib. 5. demonstrat. Euang. cap. 6. à medio.

11 Clarius autem loquitur Ambr. lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. inter princ. & med. *Considera*, in-

Esai. 61. quit, *quia D. N. Iesus Christus in Esaia locutus est, ab Spiritu sancto esse se missum. Nunquid ergo Spiritu*

Esai. 48. *minor Filius?* Confirmat autem testimonio Esa. 48. *Cum fierent, illic eram: & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius. Vtique qui cœlum fecit & terram, ipse dicit, à Domino & à Spiritu eius esse se missum. Videte ergo quod simplicitas sermonis, non iniuria missionis sit.* Et lib. 3. de Spiritu sancto cap. 1. fin. Quis est, ait, qui dicit: *Misit me Dominus Deus & Spiritus eius, nisi qui venit à Patre, vt saluos faceret peccatores? Quem, vt audis, & Spiritus misit: ne cum legis, quia Filius Spiritum mittit, inferioris esse Spiritum credereris potestatis. Ergo & Pater Filium misit & Spiritus, Spiritum quoque & Pater misit & Filius. Pater misit, quia scriptum est: Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo. Filius misit, quia dixit: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis. Si ergo se inuicem Filius & Spiritus mittunt, sicut Pater mittit: non subiectionis iniuria, sed communitas potestatis est.*

12 Augustinum existimasse, ipsam etiã personam Filij à Spiritu sancto fuisse missam, vt incarnaretur, refert S. Thom. in præsenti quæst. 43. art. 8. & alij Scholastici infra citandi. Non desunt huius indicia in Augustino. Nihilominus non est euidens quid in hac ambiguitate decreuerit quandoquidem vtriusque partis indicia præbet lib. 2. de Trinit. cap. 5. Nam prope med. ait: *Quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus aduenit. Proinde mitti à Patre sine Spiritu sancto non potuit: non solum quia intelligitur Pater, cum eum misit, id est, fecit ex fœmina, non vtique sine Spiritu suo fecisse: verum etiam quod manifestissimè atque apertissimè in Euangelio dicitur Virgini Mariæ quærenti ab angelo, quomodo fiet istud? Spiritus sanctus superueniet in te,* Lucæ 1. *& virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Matth. dicit: Matth. 1. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Quamquam & apud Esaiam Prophetam ipse Christus intelligitur de aduentu suo futuro dicere, & nunc Dominus misit me & Spiritus eius.* Esai. 48.

13 Hæc qua parte missionem actiuam constituunt in productione humanitatis Christi Domini: videntur non aliter eam missionem Spiritui sancto tribuere, nisi quatenus hic homo missus est à principio producente naturam humanam. Aliunde tamen significare videntur, quod Spiritus sanctus miserit ipsam personam Verbi; quoniam eodem modo eundémque Filium à Spiritu sancto missum esse significãt, sicut missus est à Patre, qui non potuit Filium mittere sine Spiritu sancto, sicut nec sine ipso Verbo.

15 Eadem ambiguitas inuenitur paulo post med. eiusdem capitis, illis in verbis: *Sic ergo intelligat illam Incarnationem, & ex Virgine natiuitatem, in qua Filius intelligitur missus vna eademque operatione Patris & Filij inseparabiliter esse factam, non vtique inde separato Spiritu sancto, de quo apertè dicitur, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Denique toto sequenti contextu declarat, Patrem ea ratione misisse, quoniam fecit, vt Filius, ex se inuisibilis, visibilis appareret, quod fecit etiam ipse Filius & Spiritus sanctus.

16 Fortius argumentum foret, si dixisset Augustinus, quod ex eo refert S. Thom. in præsenti q. 43. art. 8. corp. Spiritum sanctum misisse se ipsum. At verò nullibi dixit August. sed tantùm lib. 15. de Trinit. cap. 19. docuit, Spiritum sanctum dedisse seipsum. Sed quia Magister putauit, idem esse *dare* atque *mittere*, collegit, Spiritum sanctum se ipsum mittere, vt vidimus sectione præced. non valdè procul à princ. Sanctus verò Thomas ex Magistro desumpsit hoc, quod retulit tanquam Augustini sententiam. Non minor est ambiguitas in verbis Concilij Toletani Vndecimi, quæ retulimus in eadem sect. præced. non procul à principio.

17 Propter hæc fundamenta communis antiquorum sententia simpliciter & absolutè concedit, quod persona procedens mittitur à qualibet persona Trinitatis, etiam ab illa, à qua non procedit:

Persona procedens mittitur à qualibet persona.

ac subinde quod ipsa persona Verbi mittitur à Spiritu sancto, notando tamen, hanc acceptionem esse minus propriam. Ita Magister 1. distinct. 15. multis capitibus S. Thom. in præsenti q. 43. art. 8. & 1. sentent. dist. 15. q. 3. art. 1. & opusc. 1, cap. 14. S. Bonauent. 1. dist. 15. p. 1. artic. 1. q. 4. Albert. 1. p. q. 33. quæ non distribuitur in membra. Alexander magis ex professo 1. p. q. 72. memb. 1. & 3. Ricard. 1. dist. 15. art. 3. q. 2. vbi Argentina q. vnica artic. 3. Scotus q. vnica §. *licet*. Capreol. q. vnica art. 2. concluſ. 2. Carthuſ. q. 1. Aureol. eadem distinct. 15. p. 1. art. 3. §. *propterea*. Ocham. & Gabriel q. vnica. Marſil. q. 18. artic. 2. & 4. Ferrarienſ. 4. contra Gentes cap. 23. §. *ſed occurrit*. & ſequenti. Caiet. in præſenti art. 8. vbi etiam Canarienſis.

17 *Tota Trinitas etiã Spiritus ſanctus miſit perſonam Filij.*

Sit igitur cõcluſio. Filius appellari poteſt ſimpliciter & abſolutè miſſus à Spiritu ſancto, non tantùm, quoniam in quantum homo miſſus fuerit ab illo, & per communicationem idiomatum hominis miſſio tranſierit ad perſonam diuinam (ſicut paſſio & mors) ſed etiam quoniam Spiritus ſanctus, ac ſubinde tota Trinitas miſerit perſonam Filij, cooperando ad Incarnationem, per quam hominibus apparuit.

18

Præcipuum fundamentum eſt authoritas aliquorũ Patrum & plurium Scholaſticorum, quos nuper retulimus. Hæc enim ſufficit vt theologicum verbũ *mittendi*, laxiùs amplietur ad aliquam minùs propriam ſignificationem, maximè verò fauente nõ improbabili ratione. Nam vt vidimus ſect. 6. relatio rationis, quâ perſona mittens habet ad creatum effectũ, quo perſona miſſa manifeſtatur, eſt, quæ principaliter ac de formali conſtituit quidditatem miſſionis. Æterna verò proceſſio minus principaliter & de materiali continetur in miſſione. Propterea non fuit opus magna violentia detorquere ſignificationem verbi, dicendo, quod Spiritus ſanctus mittat Filium, quatenus intelligitur Spiritus ſanctus ſimul cũ Patre & Filio, tanquam vnum principium efficiens vnionem hypoſtaticam, & efficiens, vt Verbum ſit factum homo.

SECTIO XI.

Doctrina præcedentis ſectionis explicatur, ſolutis obiectionibus, præſertim de creatura non mittente perſonam diuinam.

1 NEmo Scholaſticorum negauit, perſonã Filij fuiſſe miſſam à Spiritu ſancto, niſi Durand. 1. distinct. 15. quæſt. 3. In quam ſententiam magis inclinant Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 3. §. 6. & ſequentibus. Vazquez diſput. 170. cap. 2. init. & cap. 3. §. *quinto*. Huius ſententiæ argumenta ſunt eadem ferè, quæ ſoluta ſunt ſect. 9.

2 *Primum argumentum.*

Primum & præcipuum eſt, quoniam miſſio requirit proceſſionẽ perſonæ miſſæ à perſona mittente. Confirmatur, quia ſi Spiritus ſanctus mittit Filium, quia cooperatur ad creatum effectum, per quem oſtenditur Filius, aut nouo modo exiſtit in anima: poterit etiam concedi, quod Spiritus ſanctus mittat Patrem, quatenus cooperatur ad creatum effectum, per quem oſtenditur Pater, aut nouo modo exiſtit in anima. Veruntamen præcedenti ſectione declarauimus, hanc eſſe impropriam acceptionem miſſionis, ſecũdum quam requiritur, vt perſona miſſa manifeſtetur procedere ab aliqua perſona, quæ magis propriè mittat. Itémque perſona miſſa determinetur ad vtendum authoritate, recepta à ſuo principio produ-

Solutio.

cente. Quæ non poſſunt conuenire perſonæ Patris, quoniam non procedit ab alia perſona nec recipit authoritatem ab illa.

3 *Secũdum argumentum. Solutio.*

Secundum argumentum eſt, quia Scriptura non cogit, vt concedamus, perſonam Filij fuiſſe miſſam à Spiritu ſancto, niſi tantùm prout eſt homo. Reſpond. Plenior & ſimplicior erit intellectus ad duo teſtimonia Iſaiæ, poſita in ſectione præced. ſi concedamus vtrumque, præſertim, quoniam Athanaſius, Ambroſius, & Auguſt. in præcedenti ſectione citati ſic intelligunt: nec omnino reſiſtunt alij Parres prius citati, quamuis ad humanitatem reſtringant: fortaſſis enim voluerunt, ipſam perſonam Verbi nõ poſſe vocari miſſam à Spiritu ſancto ratione ſolius Diuinitatis & proceſſionis æternæ, niſi concurrente ſimul relatione ad cauſandam vnionem hypoſtaticam. Denique Patribus antiquis ſemper morale fuit, ea quæ ſonant aliquam inferioritatem in Filio, nunc ad ſolum hominem, nunc verò ad perſonã ipſam Verbi profundiori ſenſu referre: cuius artis exempla quam plurima vidimus tota diſp. 50.

4 *Tertium argumentum.*

Tertium argumentum quia concedendo, Filiũ eſſe miſſum à Spiritu ſancto debilitatur prorſus argumentum, quo nonnulli Patres probant, Spiritum ſanctum procedere à Filio, quoniam à Filio mittitur, Ioan. 14. & 15. Huius argumenti authores citauimus diſput. 67. ſect. 3. circa med. & ad idem probandum pertinent verba multorum Patrum, quæ poſuimus in præſenti diſput. 108. ſect. 3. probatione 2. Confirmatur, nam Spiritus ſanctum *per Filium mitti*, vel *dari*, vel *oſtendi*, vel *manifeſtari*, vel *procedere*, docent plerique Patres ad ſignificandam proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, vt vidimus diſput. 69. ſect. 3. Ergo miſſio non eſt extendenda tam amplè, vt Filius mittatur per Spiritum ſanctum, à quo non procedit.

5 *Solutio.*

Reſpond. Fateor, non adeo manifeſtam manere vim illius argumenti per hanc impropriam acceptionem actiuæ miſſionis. Nihilominus non non eneruatur omnino; quoniam verbum *mittendi*, propriè & in rigore ſumptum, ſignificat ſaltem de materiali authoritatem principij producentis perſonam miſſam. At in prædictis locis Ioan. 14. & 15. Filio tribuitur authoritas mittendi Spiritum ſanctum tanquam perſonæ habenti nomen & potentiam mittendi, eodem modo, quo Pater mittit. Quam identitatem magis explicat ſequens caput 16. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet.* Quæ ponderauimus diſput. 67. ſect. 2.

6 *Quintum argumentum. Quod nulla creatura poſſit mittere Spiritũ ſanctum, nec Filium. Solutio.*

Quartum argum. quia ſi perſonam diuinam mittere poſſet alia perſona, à qua non procedit; ſequeretur, quod Spiritum ſanctum aut Filium mittere poſſet aliquis homo, quando cooperatur quocumque modo ad iuſtificationem alterius hominis. Reſpondent omnes Scholaſtici cum Auguſtino, negando ſequelam: & ſimpliciter affirmando, quod ſolus Deus mit tit vel dat Spiritum ſanctum: nulla verò creatura poteſt mittere nec dare Spiritum ſanctum neque Filium.

7 Actor. 8.

Et Auguſtinus quidem lib. 15. de Trinit. cap. 26. inter princ. & med. *Quomodo*, inquit, *Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? Imo quantus Deus eſt, qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum eius dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia. Denique & Simon Magus offerens Apoſtolis pecuniam, non ait, date & mihi hanc poteſtatem, vt*

vt dem Spiritum ſanctum: ſed cuicumque, inquit, *impoſuero manus, vt accipiat Spiritum ſanctum. Quia neque ſcriptura ſuperius dixerat, videns autem Simon, quod Apoſtoli darent Spiritum ſanctum: ſed dixerat, videns autem Simon, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus.*

8 Actor. 2. *Nec Chriſtus Dominus, vt homo miſit Spiritũ ſanctum.*

Confirmat autem à fortiori, quoniam neque Chriſtus Dominus vt homo, ſed vt Deus miſit, aut dedit Spiritum ſanctum, poſt med. eiuſdem cap. 26. dicens: *In eo etiam, quod de illo ſcriptum eſt, quod acceperit à Patre promiſſionem Spiritus ſancti & effuderit, vtraque natura monſtrata eſt, & humana ſcilicet & diuina: accepit quippe vt homo, effudit vt Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro; effundere autem ſuper alios non vtique poſſumus, ſed vt hoc fiat, Deum ſuper eos, à quo hoc efficitur, inuocamus.*

9 *Obiectio. Solutio.*

Obijcit Magiſter 1. ſentent. distinct. 14. §. vltimo, quoniam Galat. 3. Apoſtolus de ſe loquens ait: *Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis.* Reſpondet autem cum eodem Auguſtino tomo 4. in explanatione eiuſdem epiſtolæ cap. 3. non aliter Apoſtolum tribuiſſe Spiritum ſanctum, niſi prædicando fidem Chriſti, quam illis recipientibus, monſtrabatur ſignis ſenſibilibus, quod in eis eſſet Spiritus ſanctus. Eodẽ modo reſpondet S. Thom. Galat. 3. lect. 2. poſt med. referens Gloſſam. Probabilius autem eſt, Apoſtolum ibi non de ſeipſo locutum fuiſſe, ſed de principali cauſa tribuente Spiritum & virtutem operandi miracula, videlicet Deo. Ita exponit ibi Chryſoſtomus.

10

Summa igitur deciſionis eſt, Deum ſolum mittere ſeu dare Spiritum ſanctum, quoniam ille ſolus eſt principalis cauſa, efficiens gratiam, ratione cuius Spiritus ſanctus exiſtit in anima: & quoniam ille ſolus dominium & poteſtatem habet liberam conferendi Spiritum ſanctum. Etenim in verbo dandi libertas, &, quæ ſupponit illam, liberalitas denotatur, vt conſtat ex Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. 19. inter med. & fin. cuius verba poſuimus diſput. 75. ſect. 3. ſub init. Dominium autem dico, non ſuperioris in perſonam inferiorem, ſed eiuſdem perſonæ tam ad ſe ipſam, quàm ad aliam æqualem, de qua poteſt diſponere, ſicut de re ſua. Cum igitur creatura deſtituta ſit prædicto dominio & libera poteſtate, atque virtute principaliter cauſandi gratiam; non poteſt mittere vel dare Spiritum ſanctum ſimpliciter, ſed tantùm quodammodo; videlicet, prædicando, diſponendo, miniſtrando Sacramenta; vel impetrando per orationes.

11

Ita cum Auguſtino citato docet Magiſter primo distinct. 14. cap. *hic quæritur*, & ſequentibus. S. Thom. in præſenti quæſt. 43. artic. 8. fin. & Galat. 3. lectione 2. poſt med. & 1. ſentent. distinct. 14. quæſt. 3. Alexand. 1. parte quæſt. 72. memb. 4. Albert. 1. parte quæſt. 32. memb. 1. quæſt. incidente 2. S. Bonauent. 1. distinct. 14. artic. 2. quæſt. 2. vbi Ricard. artic. 2. quæſt. 3. Durand. quæſt. 3. Carthuſ. poſt quæſtionem ſecundam in expoſitione quarumdã quæſtiuncularum. & omnes alij Scholaſtici, vel cum Magiſtro dicta distinct. 14. vel cum S. Thoma in præſenti art. 8. vbi Canarienſis col. 2. Suarez lib. 12. cap. 3. §. 2, 3. & 4.

12

Obijcies. Miniſter ſacramentorum tanquam efficiens cauſa, phyſicè producit gratiam. Ergo per illam mittit ac tribuit Spiritum ſanctum. Confirmatur, quia ſic loquuntur aliqui Patres, vt Innocentius epiſt. 1. ad Decentium. epiſt. cap. 3. relatus de conſecratione distinct. 4. cap. presby-

teris. *Solis*, ait, *debetur epiſcopis, vt tradant Spiritum paracletum*, videlicet, in ſacramento Confirmationis. De quo etiam tractans Rabanus lib. 1. de inſtitutione clericorum, cap. 30. relatus de conſecratione distinct. 5. cap. *Nouiſſimè*, quod eſt quintum, ait: *A ſummo ſacerdote per impoſitionem manus Paracletus traditur baptizato.*

Reſpond. Miniſter Sacramentorum non concurrit effectiuè ad gratiam, ſed tantùm effectiuè producit verba, & adhibet materiam ſacramentorum, quæ tanquam inſtrumenta eleuantur à Deo ad producendã gratiam. Ideóque ſicut Deus ſolus eſt, qui per ſacramenta producit gratiam, ita Deus ſolus eſt, qui mittit aut tribuit Spiritũ ſanctum. Quapropter illi Patres intelligunt, epiſcopum in ſacramento Cõfirmationis tradere ſeu dare Spiritum ſanctum, tãquam miniſtrum qui conficit ſacramentum, quod Deus eleuat, vt mittat & tradat Spiritum ſanctum. 13

Quidam etiam fortaſſe loquuntur de communicatione Spiritus ſancti extra ſacramentum, per ſpecialiſſimam gratiam prædicationis & impetrationis, in qua præter alias rationes Chryſoſtomus in Ioannem homil. 50. prope med. conſtituit rationem diſcriminis, ob quam Ioan. 7. dicitur, nondum fuiſſe datum Spiritum: quia nimirum, *Antiquitus Spiritum habebant, ſed alijs non largiebantur; Apoſtoli autem innumeros implebant.* Quæ verba tranſcribit Theophylact. Ioan. 7. ad illud: *Nondum erat datus Spiritus ſanctus*, &c. Idem tamen Theophyl. Ioan. 3. ad illud Baptiſtæ: *Qui habet ſponſam ſponſus eſt*, &c. *Nullus*, inquit, *alius dator eſt bonorũ, quàm ſolus Dominus, alij autẽ omnes mediatores ſunt, & miniſtri bonorum, quæ à Domino dantur.* 14

ARTICVLVS III.

Vtrum miſsio inuiſibilis diuinæ perſonæ ſit ſolum ſecundùm donum gratiæ gratum facientis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Patri conueniat mitti.

ARTICVLVS V.

Vtrum Filio conueniat inuiſibiliter mitti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum miſsio inuiſibilis fiat ad omnes, qui ſint participes gratiæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Spiritui ſancto conueniat viſibiliter mitti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit aeternaliter.

EX præcedentibus articulis quartus & quintus explicatus fuit disput. præced. sect. 8. Octauus verò in eadem disput. 108. sect. 9. 10. & 11. Restant igitur in sequenti disput. declarandi solùm articulus 3. 6. & 7.

DISPVTATIO CIX.

Missionis inuisibilis & visibilis quodnam sit subiectum, quisue modus, aut terminus ad quem.

SECTIO I.

Sola gratia gratum faciens est effectus & terminus, ratione cuius persona diuina simpliciter & plenè mittitur.

1 *Quænam sit inuisibilis, & quæ visibilis missio.*

INVISIBILIS missio dicitur illa, cuius effectus nullo sensu percipitur, eo quod sit tantummodo spiritualis & inuisibilis. Veluti quando Spiritus sanctus per gratiam iustificantem mittitur in animam cuiuslibet iusti. Visibilis autem missio dicitur illa, cuius effectus aliquo sensu percipi potest, quoniam est sensibile signum, manifestatiuum personæ, nouo modo venientis atque præsentis. Huiusmodi fuit missio Spiritus sancti in specie columbæ ad Christum Dominum post baptismum, & ad Apostolos in die Pentecostes.

2 *Gratia iustificans sufficit inuisibili missioni.*

De inuisibili missione sit prima cõclusio. Quotiescunque datur alicui gratia, gratum faciens siue sanctificans, mittitur inuisibiliter ad eum persona diuina. Itaque gratia iustificans est effectus sufficiens, ac dispositio, secũdum quam fiat inuisibilis missio personæ diuinæ. Probatur primò, nã qui gratiam sanctificantem, seu gratum facientem habet, diligit Deum & seruat Dei mandata (siue actualiter, sicut adulti; siue habitualiter, vt infãtes baptizati.) At verò *qui diligit me, sermonem meum seruabit*, ait Dominus, *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. Et quamuis Pater veniens non mittatur, quia non procedit ab alia persona, vt vidimus disput. præcedenti sect. 8. Filius tamen & Spiritus sanctus eo ipso, quod per donum gratiæ veniunt, mittuntur à suo principio productiuo; quia concurrunt in eis duo requisita missionis, videlicet æterna processio & productio alicuius doni creati, in quibus missionis quidditas consistit, vt vidimus disput. præced. sect. 3. & sequentibus.

3 Confirmatur primò, nam 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Deus autem, procedens à Deo, & manens in habente charitatem, eo ipso missus est ad eum. Confirmatur secundò, nam *charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rursus Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio: at omnis persona, quæ procedit à principio, & datur hominibus, eo ipso mittitur ad illos.

4 *In creaturis Deus existit dupliciter.*

Secundò probat S. Thomas in præsenti art. 3. corpore, quoniam diuina persona mittitur, quatenus nouo modo existit in aliqua creatura: datur autem persona diuina quatenus habetur & possidetur ab aliqua creatura. Vtrumque verò semper, sufficientérque præstatur per gratiam gratum facientem. Et primùm quidem probatur, distinguendo duplicem modum, quo Deus existit in creaturis. Alter enim est cõmunis omnibus creaturis, & alter specialis. Communis modus est, quo Deus in omnibus rebus existit per essentiam, potentiam & præsentiam, sicut causa in effectibus, participantibus bonitatem ipsius: qui magis declaratus est à D. Thoma 1. parte quæst. 8. præsertim art. 3.

5 Secundus verò modus specialis conuenit soli naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Rursus, quia cognoscendo & amando, creatura rationalis sua operatione Deum ipsum attingit: propterea secundum istum specialẽ modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* & cap. 6. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* & 2. Corinth. 6. *Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Leuit. 26.

6 Dari tandem & haberi personam diuinã quotiescumque confertur gratia iustificans, probatur, nam illud habere dicimur, quo liberè possumus vti vel frui, tanquam re nostra. At verò gratia gratum faciens confert potestatem vtendi & fruendi ipso Spiritu sancto, tanquam re nostra, sicut probatum est disput. 75. sect. 4. fine, & magis constabit sectione tertia & sequentibus. Hæc secunda probatio confirmatur, quoniam excellens missio diuinæ personæ ad rationalem creaturam, attenditur secundum proprium & supremum gradum rationalis creaturæ. Hic autem est supernaturaliter Deum cognoscere & amare, siue actualiter siue habitualiter, quod totum confertur per gratiam.

7 Probatur tertiò, testimonio Bedæ lib. 2. homiliar. homil. 11. Dominicæ 1. post Ascensionem, dicentis: *Cum gratia Spiritus sancti datur hominibus, profectò mittitur Spiritus à Patre & Filio.* Clariùs autem idem constat ex August. lib. 15. de Trinit. cuius verba referemus pro conclus. 2.

8 *Vtrum sine gratia gratum faciente fiat aliquando missio inuisibilis.*

Sed difficultas restat: Vtrum gratia gratum faciens simpliciter necessaria sit ad missionem inuisibilem, ita vt hæc missio nunquam fiat, nisi per donum gratiæ gratum facientis. Caietanus in præsenti quæst. 43. articulo 3. §. *ad secundum vero* (quamuis obscurè) concedit, inuisibilem missionem fieri per donum informis fidei, aut per prophetiam, clariùs autem & vniuersaliùs absque limitatione personam diuinam mitti per quæcunque dona intellectus aut voluntatis affirmat Aureol. 1. dist. 15. art. 2.

9 *Primum argumentum.*

Multa possunt ad huius sententiæ probationem afferri, quorum præcipua sunt hæc. Primum, quia fides etiam informis includit piam affectionẽ erga Deum, quam etiam cõtinet prophetia, & ideo per illam non tantum cognoscitur, sed etiam amatur Deus aliqua dilectione inchoata & imperfecta. Ergo per hæc dona Deus incipit esse in anima, sicut cognitum in cognoscẽte & amatum in amante, qui est proprius terminus missionis. Confirmatur primò, quoniam actus fidei vel spei, etiam informis, ac timor seruilis, attritio, imo etiam quælibet illustratio aut inspiratio, & cuncti denique supernaturales actus in homine peccatore, sunt gratiæ quæ iustificant inchoatè & secundum quid: erenim ratione illorum incipit homo gratus esse Deo quodammodo, quatenus tales actiones Deo placent, & hominem disponunt ad gratiam simpliciter iustificantem, vt suo loco probauimus.

10 Confirmatur secundò, nam per eiusmodi supernaturales actus Deus ab homine colitur. Ergo per illos Deus incipit esse in animæ tanquam in templo, suo cultui dedicato. Confirmatur tertiò quoniam ad quamlibet operationem supernaturalem (siue fiat in nobis sine nobis, siue fiat à Deo nobiscum) Deus illabitur in animam. Illapsus autem est velut aduentus intimè penetrans & mouens animam: aduentus verò est missio, si fuerit personæ procedentis ab alia.

11 *Secũdum argumentum.*

Probatur secundò, nam vt Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. prope med. de Filio scribit: *Tunc vnicuique mittitur, cum à quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci & percipi potest pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfectè in Deo animæ rationalis.* Vbi notanda est disiunctiua, *vel proficientis in Deum*, &c. significat enim non requiri perfectionem gratiæ iustificantis, sed sufficere cognitionem, qua mens proficit in Deum, tendens ad iustificationem per actus fidei, vel donum scientiæ aut pias meditationes. Vnde post pauca subiungit: *Missus dicitur Filius, vel eo quod ex tempore cuiusque mente percipitur, sicut dictum est: Mitte illam vt mecum sit & mecum laboret*, Sapient. 9.

12 Confirmatur, quia Filius mittitur ad illuminandum intellectum, sicut Spiritus sanctus vt accendat affectum: sed hæc illuminatio multoties adest sine gratia gratum faciente: Ergo missio Filij potest fieri sine gratia gratum faciente.

13 *Tertium argumentum.*

Tertiò, quoniam sacerdotibus mittitur Spiritus sanctus, quantum ad potestatem remittendi peccata. Missio namque significatur, quando verbis Christi Domini Ioan. 20. Pontifex dicit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Contingit autem non rarò, potestatem hanc dari carentibus gratia iustificante. Mittitur ergo Spiritus sanctus sine gratia iustificante.

14 *Quartum argumentum.*

Quartò, quia lib. 1. Regum cap. 19. prope fin. *Factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat.* Tunc autem Saul perseuerabat in odio & voluntate interficiendi Dauidem, ac proinde carebat gratia iustificante: nihilominus ad eum missus est Spiritus sanctus per prophetiam. Accipi potest idem argumentum ex historia Samsonis Iudic. 14. 15. & 16. quia post matrimonium cum filia Philistinorum, & post consuetudinem cum meretricibus alienigenis, adhuc dicitur *Spiritus Domini irruisse in illum* ad opera fortitudinis, nec dicitur *recessisse ab eo Dominus*, quousque *ab eo fortitudo discesserit* tonso capite. Sed non vacat in his immorari.

15 *Quintum argumentum.*

Quintò, quia per gratias gratis datas dicitur esse missus Spiritus sanctus, siue datus hominibus, præscindendo à gratia gratum faciente. Quod probatur, nam in Actis Apostolorum aliquoties dicitur esse datus Spiritus sanctus per gratias, quæ sensibus percipiebantur exterius, ita vt infideles etiam, aut iniqui iudicarent, Spiritum sanctum esse datum, siue Deum adesse præsentem. At illi non poterant intueri gratiam iustificantem, imo neque de illa curabant. Quemadmodum Simon Magus Act. 8. *Cum vidisset, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus*, &c. Et Actor. 10. prope fin. *Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant Verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro*, &c. *Audiebant enim illos loquentes linguis.* 1. Corinth. 14. post med. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit.*

16 *Sextum argumentum.*

Sextò probari potest testimonio Leonis Magni serm. 2. de Pentecoste cap. 4. init. dicentis: *Ipsi quoque beati Apostoli ante passionem Domini Sancto spiritu non carebant, nec potentia huius virtutis aberat ab operibus Saluatoris. Et cum discipulis daret infirmitatum curationem, & eiciendorum dæmonum potestatem, eius vtique Spiritus largiebatur effectum*, &c. At inter Apostolos erat etiam Iudas, de quo Christus Dominus Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi? & vnus ex vobis diabolus est?* Luc. 11.

17 Cõfirmatur, nam eiusmodi gratias gratis datas, sine gratia gratum faciente nonnũquam reperiri, constat Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos.* Constat etiam 1. Corinth. 13. linguarum donum, prophetiam & virtutem miraculorum sine charitate posse reperiri.

18 Septimò, quoniam in eodem serm. 2. cap. 5. init. Leo Magnus *Omnes*, ait, *qui in Dominum Iesum crediderant, infusum sibi habebant Spiritum sanctum.* Quod infert ex 1. Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Quapropter agere videtur de quacumque fide supernaturali, qua fidelis credit in Deum, sicut oportet. Hæc enim requirit supernaturale auxilium Spiritus sancti, quamuis sit in homine peccatore.

19 *Quodãmodo mittitur persona diuina per quemlibet actũ aut habitum supernaturalem.*

Propterea hæc sit conclusio secunda. Diuina persona secundum quid & quodammodo mittitur per quemliber actum aut habitum supernaturalem, in quo tanto plus erit de veritate & perfectione missionis quanto propius accesserit ad gratiam iustificantem. Hanc conclusionem satis indicat Magister 1. dist. 15. cap. *ad quod dicimus*, & duobus sequentibus, & S. Thom. in præsenti quæst. 43. art. 3. in fine solutionis ad 4. Magis apertè illam docet Alexan. 1. p. quæst. 73. mem. 4. art. 2. S. Bonau. 1. dist. 15. parte 2. art. 1. quæst. 1. Durandus, nonnihil discrepans ab aliis, dist. 14. quæst. 3. num. 4. & sequentibus. Ricard. dist. 15. art. 4. quæst. 2. & art. 5. quæst. 2. Vazquez in commentario prædicti art. 3. vbi Molina in explicatione primę conclusionis prope fin. Suarez lib. 12. de Trin. cap. 5. §. 7. Hanc denique conclusionem sufficienter probant argumenta præcedentia.

20 *Simpliciter & plenè non fit missio inuisibilis sine gratia iustificante.*

Tertia conclusio. Simpliciter, ac plenè, siue perfectè non fit inuisibilis missio, nisi tantum per gratiam gratum facientem. Ideo quoties non fuerit additum aliquid diminuens aut limitans missionem, absolutè dicendum erit, personam diuinam non mitti, nisi secundum gratiam gratum facientem. Ita docent Magister 1. dist. 17. cap. *tunc enim.* Alexand. 1. p. quæst. 73. memb. 4. art. 2. Albert. quamuis obscurius 1. p. quæst. 33.

memb. vnico præsertim ad particulam secundam & tertiam. S.Thomas in præsenti quæst.43.art.3. & supra quæst.8.art.3. S.Bonauentura 1.dist.14. art.2. quæst.1. & dist.15.parte 2. artic.1.quæst.1. Ricardus eadem dist.15. art.4. quæst. 2. & art. 5. quæst.2.Argentina distinct.14.quæst. vnica art.4. conclusione 2. Ocham eadem dist. 14. quæst. 2. post med. Vbi Gabr. quæst.2. art.2. fine & art. 3. Carthusianus dist.15.quæst.3. Marsil.1.sent.q.17. art.1. post med. Capreolus dist.15. quæst.1.art.3. conc.2. & 3. Nec dissentit Caietanus, sed potius apertè consentit in fine præsentis articuli 3. vbi Canarienſis, Molina, Vazquez & alij expositores.Suarez dicto lib.12.de Trinit.cap.5.§.7.

21 Probatur primò, nam diuina persona non distat longè, nec fugit, sed potius existit & habitat animam, ad quam mittitur, vt vidimus in conc.1. Sed è contrario. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Sapient.1. Confirmatur primò, quia *Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.* Sapient. 7. prope fin. Ergo quicumque non diligitur à Deo, non inhabitat cum sapientia. Sed absque gratia gratum faciente, nemo diligitur à Deo. Ergo absque gratia gratum faciente nemo inhabitat cum sapientia, subindéque non habet illam ad se missam.

22 Confirmatur secundò, nam vt scribitur in eodem loco: *Sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit.* Ergo qui non constituitur sanctus & amicus Dei, non habet sapientiam ad se translatam atque missam. Confirmatur tertiò, nam qui mortaliter peccat, recedit à Deo, & facit, vt Deus ab ipso recedat, & longè sit quandiu manet in peccato. Ergo tunc nõ habet in anima personam diuinam ad se missam. Antecedens constat plurimis Scripturæ testimoniis, veluti Prouerb.15. *Longè est Dominus ab impijs.* Ecclesiastici 15. *Longè abest à superbia & dolo.* Iob.21. *Qui dicunt Deo: Recede à nobis.* Hierem.17. *Recedentes à te, in terra scribentur.*

23 Probatur secundò, quamuis enim aliqua persona detur, quæ tamen non mittitur: nihilominus quæcumque persona non datur, non mittitur; quia missio totum includit quod datio, & aliquid præterea: vt vidimus disput.præced.præsertim sect.7. Sed nulla persona Trinitatis datur hominibus, nisi quibus datur charitas. Ergo nulla persona diuina mittitur nisi ad eos, quibus datur charitas. Minorem apertè docet Augustinus lib.15. de Trinit. cap.18. init. *Dantur,* inquit, *& alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistra non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem.* Ergo non datur, ac subinde non mittitur Spiritus sanctus propriè, nisi propter charitatem.

24 Quod ex 1. Corinth. 13. confirmat Augustinus, quia cætera dona sine charitate nihil prosunt. Et Galat. 5. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Vnde concludit August. *Dilectio igitur, quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Ergo quæliber persona Trinitatis non inhabitat nos, ac proinde non mittitur ad nos, nisi per charitatem. Rursus, Spiritum sanctum simul à Patre & Filio *procedere ad sanctificandam creaturam*, docet in eodem lib. 15. de Trinitate cap. 27. propius ad fin. quàm ad med. Procedere autem ad creatum effectum est mitti.

Vnde sumitur tertia probatio, correspondens 25
probationi primæ conclusionis, quia nullus alius effectus nullúmque donum absque charitate potest esse ratio, propter quam in creatura rationali Deus esse dicatur nouo modo speciali, sicut cognitum in cognoscente & amatum in amante simpliciter & absolutè: nam sine charitatè quilibet amor Dei est secundum quid & quodammodo, non absolutus & efficax amor: & quæliber supernaturalis cognitio Dei caret perfectione sibi debita, ad quam destinatur ab intrinseco, quæ est amor & cultus summi boni.

Confirmatur primò, quia sine charitate non 26
est plenè atque perfectè persona dicata diuino cultui: proptereáque, simpliciter loquendo, non est templum, quod Deus inhabitat, licet aliquando cultus ei offeratur, veluti quando sacrificabatur olim extra templum aut tabernaculum. Confirmatur secundò, quia realis præsentia Dei non infertur nouo & strictissimo titulo amicitiæ, sicut sequitur ex charitate & gratia iustificante modo explicando in sect.3.

Probatur quartò, quia sine charitate & gra- 27
tia iustificante, nemo potest vti vel frui persona diuina tanquam sua & propria. Ergo nulla persona diuina est data illi, ac subinde neque missa.

SECTIO II.

Solutio argumentorum, inseparabilitas & distinctio missionum Filij & Spiritus sancti, naturalium verò donorum indignitas.

TRia corollaria deducuntur ex præcedenti 1
sect. Primum est generalis solutio ad argu- *Generalis solutio.*
menta cuncta, posita post conclusionem secundam quæ videbantur pugnare contra conclusionem tertiam. Nihil enim amplius probant, nisi conclusionem secundam, videlicet, personam diuinam secundum quid & quodammodo mitti per quodlibet donum supernaturale, cui defuerit gratia gratum faciens, quatenus per illud donum persona procedens incipit secundum quid & quodammodo esse præsens in anima, tanquam in templo. Nec amplius voluit Augustinus, citatus in argu.2.ne sibi contradicat in altero testimonio, quod attulimus pro conclusione 3. probatione 2.

Denique tam Augustinus, quàm Leo Magnus 2
(& si qui sunt alij) quando dicunt, Filium vel Spiritum sanctum mitti per cognitionem, aut per gratiam sanitatum, aut per fidem, aut aliud quodcumque donum, intelligendi sunt præsupposita gratia iustificante. Cuius indicium manifestatiuum, est gratia gratis data; iuxta illud 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem,* & quæ sequuntur. Cuius est etiam alia ratio, quam ponderauit Augustinus paulo superius citatus, quia cuncta dona non censentur esse simpliciter aliquid sine charitate: ideóque simpliciter dicta cognitio aut fides, multoties 3
intelligitur informata per charitatem. *Inseparabiles sũt Filius & Spiritus sanctus quãtum ad inuisibilẽ missionem.*

Secundum corollarium est inseparabilitas Filij & Spiritus sancti, quantum ad missionem inuisibilem, ita vt quotiescunque mittitur inuisibiliter Spiritus sanctus, mittatur etiam inuisibiliter

liter Filius: & econtrario quoties Filius inuisibiliter mittitur, etiam mittatur Spiritus sanctus. Quod magis ex professo tractauimus disput.108. sect.8.conc.2.3.& 4.

4 Nunc solummodo restat addenda missionis
Missio Filij quomodo distinguitur à missione Spiritus sancti. vtriusque distinctio, quæ non confunditur per inseparabilem illam coniunctionem. Etenim cum importet missio non tantum originem personæ, sed etiam habitationem per gratiam: vt vidimus disput. præced. sect. 3. & 4. & in præced. sect. 1. Quantum ad originem realiter distinguuntur illæ missiones; sicut realiter distinguuntur Filius & Spiritus sanctus. Sed quantum ad inhabitationem per gratiam, illæ missiones quodammodo distinguuntur realiter, & quodammodo sola ratione. Nam in radice gratiæ gratum facientis communicat vtraque missio, cæterùm Filio correspondet; inquantum affert illuminationem intellectus siue actualem siue habitualem: at Spiritui sancto correspondet, inquantum affert inflammationem affectus, siue actualem siue habitualẽ, qui effectus realiter distinguuntur. Sed quoniam ij omnes simul & collectiuè requiruntur, vt tota Trinitas inhabitet, & nulla persona potest inhabitare sine alia; propterea distinctio missionum, quantum ad inhabitationem per gratiam, non est realis, sed tantùm secundum rationem & appropriationem quandam. Præsertim, quoniam illa etiam illuminatio intellectus, qua ratione donum est merè gratis datum, appropriatur Spiritui sancto; & econtrario inflammatio affectus, quatenus constituit vel perficit filiationem adoptiuam, appropriatur Filio. Denique nullum est donum gratiæ, in quo non possimus distinguere formalitates, quæ missioni Filij & missioni Spiritus sancti possint appropriari. De hoc S.Thomas in præsen. quæst.43.art.5.ad 3. S.Bonau. fusiùs 1.dist.15.part.2.art.1.quæst.2. vbi Ricardus art.4. quæst.1.

5 Tertium corollarium, quod etiam ex doctrina
Per naturalia dona nulla persona mittitur. præcedentis sectionis apertè deducitur, est, per dona merè naturalia nullam personam diuinam mitti, neque simpliciter neque secundum quid & imperfectè, si propriè loquendum est. Ratio est, quoniam per dona merè naturalia, quæ nihil habeant supernaturalitatis, non incipit diuina persona esse in anima, nouo modo inhabitando illam quasi templum.

6 Quod explicatur ex discrimine inter dona me-
rè naturalia & gratias gratis datas, siue fidem, spem, attritionem, aliáve dona recepta in homine peccatore. Nam hæc inchoant iustificationem, & ad illam disponunt, ideóque per illa, persona diuina venire incipit in animam vt in templum. At per dona merè naturalia sicut nullum affertur iustificationis initiũ; ita nullo modo neque secundum quid incipit venire aut mitti persona diuina, vt animam inhabitet tanquam templum.

7 Confirmatur, quia licet personæ procedentes
incipiant esse in anima, quando creatur, in qua non erant prius: nihilominus per animæ creationem non dicuntur ad illam mitti; quia missio propriè dicitur ad rem siue personam, prius existentem ante missionem. Deinde per actus vel habitus aut quamlibet aliam perfectionem, quæ pertinet ad ordinem naturæ, non dicitur propriè mitti diuina persona: tum quoniam hæc sunt velut appendices, consequentes ex vi creationis, & aliquo modo debita propter illam. Vnde fit vt nõ censeatur Deus denuo venire ad animam, sed in illa existens generali modo per essentiam, præsentiam & potentiam, perficere & complere creationem, conseruationem & gubernationem, pertinentem ad ordinem naturæ.

Ita pro certo supponunt omnes scholastici, ci- 8
tati sect.præced. pro con.3. Sed magis ex professo Ricard.1.dist.15.art.5.q.2. Canarienſ.in præsenti q.43.art.3.in 1.p. commentarij.vbi etiam Molina & Vazquez.Suarez lib.12. de Trin.cap.4. num.2. & 3. Vazquez quæst.43. art. 3. in commentario. Canarienſ.quæst.43. art.6.

Falsum igitur, aut valde improprium est, quod 9
Aureolus 1.dist.15. art.2. præsertim in fine dicit, Verbum Dei mitti per quamlibet cognitionem veritatis, licet non sit supernaturalis. Non ita longè recessit à veritate Durandus 1. dist.13. q.3. num.4.dicens, Spiritum sanctum dari creaturę rationali solum cum donis naturæ, sed imperfectè.

Propterea videri posset minus exactus ad theo- 10
logicam proprietatem, loquendi modus Bernardi serm.3.de Pentecoste prope fin. dicentis, *Spiritum sanctum hominibus inspirari ad vsum quidẽ vitæ bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona abundantissimè tribuentem.* Sed exponi potest eo sensu, quo etiam in creatione hominis Deus inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, non tamen vt illa sit propriè missio Spiritus sancti.

SECTIO III.

Declaratur magis ille modus specialis veniendi ad animam ratione charitatis & gratiæ.

ADuersus hanc missionem, donationem & 1
aduentum occurrit difficultas, quia videtur ex illa sequi, quod non ipsamet persona diuina; sed tantùm illius dona creata mittantur, tribuantur & veniant in animam. Cuius difficultatis argumentum est, quia realis existentia Dei in anima non adquiritur per charitatem & gratiam iustificantem: quia iam prius ab instanti creationis animæ, fuit illa realis existentia & præsentia Dei in anima: nec potest illa augeri; quoniam totus Deus toti animæ secundum se totam fuit intimè præsens, & realiter coëxistens secundum essentiam: nec ille modus realis præsentiæ potest suscipere magis aut minus. Ergo per charitatem & gratiam non mittitur nec datur ipsa persona diuina, sed tantùm eius donum.

Confirmatur primò, quia Deum esse in anima 2
sicut obiectum cognitum & amatum, nihil aliud est, quàm esse in anima cognitionem, quæ supernaturali modo terminatur ad Deum, & repræsentat illum tanquam obiectum: & in anima similiter esse amorem, ratione cuius voluntas inclinatur in Deum, vt in summum bonum. Hoc autem totum est aliquid creatum, videlicet supernaturales operationes intellectus & voluntatis, aut habitus inclinantes ad illas, aut denique habitus ipse gratiæ iustificantis. Ergo nihil est ratione cuius persona diuina realiter & verè existat in anima nouo modo, sed tantùm noua dona creata.

Confirmatur secundò, quia Deum esse in ani- 3
ma sicut obiectum cognitum & amatũ, & sicut in templo, vbi colitur, est mera denominatio extrinseca in Deo, quæ non requirit ex vi sua realem existentiam Dei intra hominem: Sic enim obiectum longissimè distans esse potest in anima tanquam cognitum, amatum & honoratum. Tertiò

quia

quia si per impossibile Deus non esset immensus nec esset realiter præsens in anima viatoris iusti, sed tantum in cælo: Deus adhuc esset in homine sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Tunc autem diuina persona non veniret ipsa, nec ipsa mitteretur ad animam, sed tantùm eius dona. Ergo nec modò mittitur, nec venit diuina persona ratione cognitionis & amoris.

4 Confirmatur quartò, quia licet Deus operetur denuo supernaturales effectus gratiæ: hoc pertinet ad modum existendi in creaturis per potentiã, qui modus quasi extensiuè augetur, producendo nouum effectum supernaturalem. Ergo propter hoc præcisè non additur Deo nouus & specialis modus existendi in anima, qui sit distinctus à generalibus modis existendi in qualibet creatura per essentiam, præsentiam, & potentiam: nec videtur sufficere vt Deus ipse venire dicatur aut mitti, alioqui Deus veniret ad dæmones, & ad illos mitteretur; quoniam illos supernaturaliter alligat, & torquet, mitteretur etiam ad peccatores obstinatos, imo etiam ad irrationales creaturas; quoties in illis operatur aliquid miraculosum & supernaturale.

5 Confirmatur quintò, quia non videtur satisfacere, quod aliqui respondent, dona supernaturalia postulare intimam & realem Dei præsentiam, ita vt si per impossibile non fuisset antea præsens sed absens ab anima, per illa dona veniret, & mitteretur ad illam Spiritus sanctus. Hoc, inquam, non videtur satisfacere, quia cuiusque effectus, quantumcunque imperfecti & dissentanei productio postulat intimam & realem Dei præsentiam, ita vt licet antea non fuisset præsens, veniret ad illum producendum. Etenim primæ causæ perfectissima efficientia requirit realem & intimam præsentiam ad quemlibet effectum producendum.

6 Sextò, minus satisfacit, quod alij respondent, diuinas personas venire ad nos tanquam obiecta, quæ attingimus, & quæ ratione fidei, & charitatis, sunt in nobis obiectiuè, nimirum ea phrasi loquendi, qua id quod de nouo cognoscimus, dicitur in mentem nostram venire, noscque dicimur attingere & tenere, quod intelligimus, & mente assequimur. At hoc totum videtur esse metaphoricum, & ideo non sufficere ad defendendam veram propriam missionem personæ diuinæ per realem præsentiam.

7 *Dictum primum.* Nihilominus dico primò. Modus, ratione cuius non tantum dona creata, sed etiam ipsæ diuinæ personæ mittuntur, dantur & veniunt ad animam, consistit in eo, quod diuinæ personæ de nouo existant in anima, tanquam obiectum supernaturaliter cognitum, & efficaci dilectione dilectum, & sicut Deus in templo suo, sicut rector, protector, magister, &c. Ita existimant non modò S. Thomas, sed etiam cæteri scholastici locis notatis in sectione prima, tam qui per alia dona sine charitate & iustificatione Spiritum sanctum mitti, darique peccatoribus concedunt, quàm qui simpliciter id negant. Atque iste modus & ratio præsentiæ & nouæ existentiæ in anima colligitur ex Augustino lib. 15. de Trinitate, capite 18. cuius verba posuimus sect. 1.

8 *Dictum secundum.* Dico secundò. Quamuis nulla realis, intima & immediata præsentia diuinarum personarum necessariò comitaretur infusionem gratiæ iustificantis & charitatis: adhuc verè propriéque diceretur non tantum Dei dona, sed ipsas etiam personas diuinas venire, donari & mitti per charitatem & gratiam. Probatur primò, nam verè propriéque diceretur datus & missus tutor ad puerum, licet non esset illi realiter & immediatè præsens, sed absens illius negotia gereret, atque disponeret. Præterea propriè diceretur missus ad ciuitatem defendendam dux, qui licet illam non ingrederetur, exterius tamen propulsaret impetus hostium, idque voluntate ac determinatione imperatoris. Propriéque dicitur esse missus legatus ad regem, licet nunquam præsens ore ad os, sed per litteras aut internuntios negotia transigat ex commissione Summi Pontificis vel alterius Regis.

9 Vnde sic arguitur: In his aliisque plurimis exemplis non solùm effectus causatus à persona creata, sed etiam ipsamet persona creata propriè dicitur data: & missa ad alios homines absque reali & intima præsentia. Ergo realis & intima præsentia non requiritur, vt personæ diuinæ propriè veréque mittantur & dentur hominibus.

10 Probatur secundò, quia præcedens ratio magis vrget, quando persona iam prius erat præsens, & denuo tribuitur facultas vtendi & fruendi ea persona. Nam si prius apud te foret Petrus alienus seruus, & postea tibi daretur dominium illius, vt illo vtereris tanquam tuo; tunc rectè & propriè diceretur tibi missus Petrus in seruum, nec solum exteriores literæ donationis, sed etiam ipsa persona Petri data foret tibi. Potiori iure puellæ diceretur esse missus & datus sponsus, & illius ipsa persona, qui licet antea præsens foret in eadem domo, non tamen datus erat cum potestate amplexandi, & vniendi se illi tanquam sponso, ad fructum matrimonij procreandum. Idem confirmari potest aliis exemplis legati, tutoris, & magistri, qui prius erant præsentes, sed nondum erant ad illud munus destinati.

11 *Dictum tertium.* Dico tertiò. Maior adhuc & perfectior est proprietas in modo, ratione cuius ipsæ diuinæ personæ veniunt, mittuntur & dantur, & non solum earum dona. Quoniam ratione supernaturalis amicitiæ, & participationis diuinæ naturæ nouum vinculum fortius & strictius additur ad realem præsentiam Dei in anima; nam ex vi huius denuo veniret realiter ad animam Spiritus sanctus, & realem præsentiam denuo quæreret; etiam si per impossibile prius non esset præsens per essentiam, præsentiam & potentiam.

12 Probatur, nam amor amicitiæ non tantum affectus vnit in genere causæ formalis, sed etiam impellit ad procurandam realem præsentiam amati. Sapienter enim cum Augustino libro 8. de Trinitate, capite 10. parum à princip. scripsit S. Thom. 1.2. quæst. 28. articulo 1. corpore: *Amor est quasi iunctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem, scilicet, & quod amatur. Quod enim dicit copulans, refertur ad vnionem affectus, sine qua non est amor: quod verò dicit, copulare intendens, pertinet ad vnionem realem.* Sic Augustini sententiam exponit S. Thomas. Dionys. autem cap. 4. de diuinis nomin. parte 1. versus finem & parte 2. docet, quemlibet amorem esse *virtutem vnitiuam.*

13 Confirmatur primò, quia *Nihil est tam proprium amicorum, quàm viuere simul.* vt scribit Aristoteles 8. Ethicorum cap. quinto circa med. Prius autem

autem dixerat: *Si diuturna absentia fuerit, amicitiæ quoque videntur obliuionem efficere.* Et 2. Polit. cap. 2. post med. refert ex Aristophane desiderium amãtium vt simul conuersentur & colloquãtur. Quod in spirituali amicitia expletum esse, docet Apostolus Philip. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Et Prouerb. 8. Sapientia genita dicit: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*, videlicet, amicorum. Confirmatur secundò, quoniam animæ iusti Christus adhæret tanquam sponsus sponsæ, iuxta illud Ephes. 5. *Adhærebit vxori suæ. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* Et 1. Corinth. 6. ex verbis Genes. 2. *Erunt duo in carne vna*, infert Apostolus. *Qui autem adhæret Domino, vnus Spiritus est.*

14 Vnde sumitur probatio secunda, quæ declarat vim & proprietatem communis sententiæ, positæ in assertione prima. Quoniam in anima iusti personæ diuinæ habitant, non qualitercunque tanquam obiectum cognitum & amatum & honoratum: Sed tanquam obiectum præsens, quod, licet obscurè per fidem, intuetur anima, & auditu percipit & tactu, & tanquam præsens amplexatur vt sponsum, eidémque tanquam præsenti Deo cultum exhibet, ei soli adhærens tanquam firmissimo protectori, auxiliatori, & summo bono. Confirmatur, nam per obscuritatem fidei gratia viatoribus præbet initium & pignus perfectissimæ præsentiæ per apertam visionem, quam amicitia præstabit in patria.

15 Tertiò probatur exemplo, quia Verbum diuinum cuilibet humanitati est intimè realitérque præsens propter immensitatem, & eodem modo fuisset per immensitatem præsens humanitati Christi Domini; licet illi non fuisset hypostaticè vnitum. Nihilominus propriissimè dicitur Verbum ipsum esse missum in mundum per vnionem hypostaticam: quoniam illius vnionis tanta vis est, vt necessariò realem præsentiam afferret denuo; si per impossibile Deus non esset ibi realiter præsens per immensitatem. Ergo nouum & supernaturale vinculum intimæ præsentiæ, quod solum per se sufficeret ad eam afferendam, est sufficiens ratio concedendi, missam esse personam ipsam, & non solùm esse missam eius vnionem creatam, aut eius donum. Idem igitur sentiendum erit de vnione per amicitiam supernaturalem, cum eo tamen discrimine, quod hypostatica vnio seipsa formaliter & physicè præstat realem præsentiam personæ verbi: sed vnio gratiæ non formaliter & physicè, sed per moralem efficientiam, inclinando Deum, vt illabatur in animam, & illi præsens assistat.

16 Ex his constat solutio ad rationes dubitandi initio propositas. Ad primarium argumentum respond. primò negando consequentiam. Quamuis enim denuo non incipiat, nec augeatur realis existentia & præsentia Dei in anima: nouo tamen & stricti ori titulo perfectissimæ amicitiæ roboratur, quæ sola vim haberet, vt Deum adduceret ad conuiuẽdum cum anima, licet distantissimè recessisset, maiorémque vim, quàm generalis titulus præsẽtiæ in omnibus rebus. Respond. secundò. Licet per impossibile Deus distaret localiter, & non esset realiter præsens: adhuc diuina persona simpliciter & absolutè mitteretur & daretur ad effectus supernaturales causandos & protegendos: vt probatum est in assert. 2.

17 Ad primam confirmationem, consequentia negatur ob easdem rationes. Primò namque licet amor & cognitio Dei, & omnes actus & habitus supernaturales sint aliquid creatum: attamen inferunt necessariò realem præsentiam diuinarum personarum: vt in assert. 3. probatum est. Aliunde verò licet non inferrent præsentiam intimam in eodem loco; sufficeret ad missionem personas procedentes fuisse datas ad auxilium & alios effectus modo explicato in assert. 2.

18 Eodem modo respondetur ad secundam & tertiam confirmationem. Quamuis denominatio prorsus extrinseca, nihil ponens in Deo, cognitum & amatum obiectum esse, atque habitare in anima, tanquam in templo: nihilominus ea denominatio extrinseca Deo necessitatem & obligationem afferret (quam ipse sibi voluit imponere legibus amicitiæ) veniendi ad animam per realem præsentiam modo dicto. Insuper absque reali præsentia in eodem loco potuisset intelligi missio diuinæ personæ: sicut in assert. 2. dictum est.

19 Ad quartum & quintum confirmat. respond. Efficientia Dei, qua producit dona supernaturalia cognitionis & amoris, præcisè considerata sub ratione efficientiæ, vt sic & formaliter, non est sufficiens ratio, propter quam diuinæ personæ censeantur nouo modo & specialiter venire & esse præsentes & mitti, sicut in illis confirmationibus rectè probatur. At verò quatenus per illos actus & habitus Deus constituit amicitiam intimam animæ tanquam filiæ & sponsæ: per quandam resultantiam obligationis necessariò sequitur præsentia realis & conuictus. Hoc autem modo non sequitur ex eo, quod Deus causet alios effectus in peccatoribus, vel in dæmonibus, aut rebus irrationalibus.

20 Ad Sextum. Fateor non esse satis illam metaphoram, qua dicimus in mentem venire, attingi atque teneri, quod cognoscitur vtcunque: sed requiri præterea rationem amicitiæ modo sæpius explicato.

SECTIO IV.

Vtrum per augmentum gratiæ fiat inuisibilis missio.

1 *Affirmativa sententia.* PRima sententia simpliciter & absque vlla dist. concedit, ratione augmenti gratiæ gratum facientis mitti Spiritum sanctum. Ita loquitur Ricard. 1. dist. 15. art. 5. quæst. 2. ad 2. vbi Durandus quæst. 4. fine Carthus. quæst. 3. prope finem. Corduba lib. 1. quæstionarium q. 41. fine. Suarez lib. 12. de Trin. cap. 5. §. 18. Colligitur ex Magistro 1. dist. 17. cap. *his itaque.* nam asserit, Spiritum sanctum magis dari, quando charitas augetur. Ergo magis mittitur: nam persona procedens ab alia quotiescumque datur, eo ipso mittitur.

2 *Primum argumentum.* Probari potest primò, quoniam Augustinus in Ioan. tract. 74. à med. *Constet*, ait, *sine Spiritu sancto Christum nos diligere, & mandata eius seruare nõ posse, & id nos posse atque agere tanto minus, quanto illum percipimus minùs: tanto autem amplius, quanto illum percipimus amplius. Proinde non solum non habenti, verum etiam habenti non in cassum promittitur; non habenti quidem, vt habeatur, habenti autẽ, vt amplius habeatur: nam nisi ab alio minus, ab alio amplius haberetur, Sanctus Helisæus sancto Heliæ non diceret, Spiritus qui est in te, duplex sit in me: quãdo autem ait* 4. Reg. 2. *Ioannes Baptista; Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, de ipso Dei Filio loquebatur, cui non est datus Spiritus ad mensuram, quia in illo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis.* Et post pauca confirmat, Ioan. 3. dicens:

dicens: *Cæteris autem ad mensuram datur, & datus additur, donec vnicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur.* Cum igitur quæcumque persona procedens ab alia mittatur, quotiescumque datur: & Spiritus sanctus detur magis per per augmentum gratiæ (vt in præsenti docuit August.) consequens est, vt per augmentum gratiæ magis mittatur Spiritus sanctus.

3 Confirmatur, quoniam *Cum gratia Spiritus sancti datur hominibus, mittitur Spiritus sanctus*, vt scripsit Beda relatus disp. præcedenti sect. 2. prope fin. Sed quoties augetur gratia, datur gratia (nam quilibet gradus superueniens, habet specificam quidditatem qualitatis præexistentis.) Ergo quoties augetur gratia, mittitur Spiritus sanctus.

4 *Secundū argumentum.* Secundum argumentum sit, quoniam est maioris momenti, maiorémque affert vnionem cum Deo quodlibet augmentum gratiæ iustificantis & charitatis, quàm extensio ad gratias gratis datas. Sed per extensionem ad gratias gratis datas, supposita gratia iustificāte, mittitur Spiritus sanctus, quemadmodum ad Apostolos iam prius iustificatos missus est Spiritus sanctus in die Pentecostes. Ergo per quodlibet augmentum gratiæ iustificantis & charitatis mittitur Spiritus sanctus.

5 *Tertium argumentum.* Arguitur tertiò, nam Augustin. lib. 4. de Trin. cap. 20. prope med. concedit, Filium *Tunc vnicuique mitti, cum à quoquam cognoscitur atque percipitur quantum cognosci & percipi potest pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfecta in Deo anima rationalis.* Sed per augmentū gratiæ iustificantis anima proficit & perficitur in Deum. Ergo per idem augmentum mittitur Filius.

6 *Quartum argumentum.* Arguitur quartò, quia per Sacramentum confirmationis datur ac mittitur Spiritus sanctus ad corroborandos in gratia eos, qui iam per baptismum iustificati sunt: nec licitum erit hoc Sacramentum accipere cum conscientia peccati mortalis, nondum deleti saltem per contritionem. Ergo Spiritus sanctus datur & mittitur per augmētum gratiæ corroborantis.

7 *Per confirmationem mittitur Spiritus sanctus.* Antecedens traditur à Melchiade Papa epist. decretali ad certos quosdā & ad omnes Hispaniæ episcopos paulo post med. (cuius aliqua verba referuntur cap. *Spiritus sanctus*, quod est 2. de consecrat. dist. 5.) *Scriptum est*, Iohēl. 2. *In diebus illis, dicit Dominus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Aduertamus summas diuitias bonitatis Dei. Quod in confirmādis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credētium populos, donauit vniuersis.* Et paulo inferius: *Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinē tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Obserua datum augmentum post iustificationem. Quod autem ad augmentum hoc tribuendū mittatur Spiritus sanctus, ostendit paulo inferius, dicens: *Quid Apostolis profuerit aduētus Spiritus sancti, ipse Dominus eis euidenter exponit: Quæ dico,* Ioan. 16. inquit, *vobis, non poteritis ea portare modò. Cum autē venerit ille Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnem veritatem. Vides, quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.*

8 Innocentius Papa epist. prima ad Decentium episcop. cap. 3. (relatus de consecratione dist. 4. cap. *presbyteris*, quod est 119.) *Frontem*, inquit, *ex eodem oleo consecrato signare, solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Rabanus lib. 1. de institut. clericor. cap. 30. (relatus cap. *nouissimè*, quod est 5. de consecrat. dist. 5.) *Nouissimè*, inquit, id est, post Baptismum & omnes eius ceremonias, *à summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum sanctum.*

Confirmatur primò, quia Sacramentum confirmationis institutum est non exhibendo, sed promittendo Ioan. 16. *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, vt constat ex D. Thoma 3. p. quæst. 72. art. 1. & sequentibus. Ergo mittitur Spiritus sanctus per Sacramentum confirmationis, augentis gratiam iustificatis. 9

Confirmatur secundò, nam vt Beda in Ioan. ad cap. 1. (relatus cap. *quærendum*, quod est 6. de pœnitētia dist. 2.) *Notandū*, inquit, *quod in Domino manserit Spiritus sanctus: in sanctis autem hominibus, quandiu mortale corpus gestauerint, partim maneat in æternum, partim rediturus secedat.* Et post pauca: *Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curādi, mortuos suscitādi, dæmones eiciendi, vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet semper, vt possint habere virtutes, & vt mirabiliter ipsi viuant. Venit ad tempus, vt etiam alijs per miraculorum signa, quales sint intus, effulgeant.* Ergo Spiritus sanctus etiam ad homines perseuerantes in gratia venit, & mittitur. 10

Confirmatur tertiò, quia Bernardus serm. 3. de Pentecoste prope finem de Spiritu S. sic loquitur: *Infunditur ad salutem, cum in toto corde reuertimur ad Deum. Ad auxilium, datur cum in omni collectatione adiuuat infirmitatem nostram. Datur etiam ad feruorem, cum in cordibus perfectorum validum ignem charitatis accendit*, &c. 11

Vera tamen sententia constat duplici membro; concedit enim primò simpliciter & potissimùm fieri missionem inuisibilem per illud augmentum gratiæ, quo proficit iustus ascendens ad aliquem nouum statum gratiæ, veluti ad statum prophetię vel miraculorum, vel ad feruorem charitatis, per quem exponit se martyrio, vel religionem ingreditur, vel aggreditur quodcumque opus arduum sanctitatis. Atque hoc efficaciter probant argumenta superiùs adducta. 12 *Per augmentū gratiæ ad nouū statum fit missio inuisibilis.*

Secundò nihilominus quodammodo & minus propriè dicitur fieri missio inuisibilis per quodcunque augmentum gratiæ iustificantis, licet non euehat iustum ad altiorem statum. Hæc autem improprietas probatur, Filius enim & Spiritus sanctus dicitur mitti, non quia existat, vbi antea non existebat, sed quoniam alio modo existat, quo prius non existebat. Sed per augmentum gratiæ, sine gradu ad superiorem statum, Spiritus sancti non existit in anima nouo modo, quo prius non existebat (magis propriè loquendo) quamuis nonnulla nouitas sit propter augmētum charitatis & gratiæ, ratione cuius magis cognoscitur, amatur & possidetur Spiritus sanctus. 13 *Quodāmodo fit missio per aliud augmētum gratiæ.*

Ita existimant, parum inter se dissidentes Alex. 1. p. q. 73. mem. 4. art. 3. S. Thom. in præsenti q. 43. art. 6. ad 2. & 1. sent. dist. 15. quæst. 5. art. 1. post med. S. Bonauent. eadem dist. 15. p. 2. art. 1. quæst. 3. Canarien. dicta quæst. 43. art. 6. circa solutionem ad 2. Vazquez in commentario ad prædictum art. 6. Vbi tacitè consentit Caietanus. 14

Ex dictis infertur primò, ad beatos in ipso principio beatitudinis fieri præstantissimam & perfectissimam missionem Spiritus sancti. Quoniam nouo modo & perfectissimo incipit in eis existere Spiritus sanctus, tanquam obiectum perfectissimè cognitum, amatum & possessum ad fruendum. Confirmatur, quoniā in eo instanti beati euehuntur ad altissimum statū gratiæ, de quo Rom. 6. fine. *Gratia autem Dei vita æterna.* Accipiūt enim *gratiā pro gratia* Ioan. 1. Ita existimant S. Thom. in prædicto art. 6. ad 3. & 1. dist. 15. dicta q. 5. a. 1. post med. & alij 15 *In principio beatitudinis fit præstantissima missio Spiritus sancti.*

& alij Scholastici citati præsertim Durand. 1. dist. 14. quæst. 3.

16 *Post diem iudicij nullæ missiones.* Infertur secundò, nouam missionem inuisibilem ad beatos fieri, quoties denuo reuelantur illis aliqua mysteria. Fit enim extensio quædam cognitionis Dei, per quam nouo modo Deus in eis incipit esse. Quapropter post diem iudicij nullæ missiones erunt, quoniā nullum dabitur augmentum cognitionis aut gratiæ. Infertur tertiò, quoties aliquod sacramentum dignè recipitur, minus impropriè fieri missionem inuisibilem, quàm per augmentum gratiæ sine sacramento; quoniam cuiuslibet sacramenti gratia destinatur ad peculiarem effectum, in ordine ad quem peculiari modo Spiritus sanctus existit in anima. *Quando sacramentum recipitur.*

SECTIO V.

Vtrum ad omnes participes gratiæ fiat inuisibilis missio.

1 *Vtrum ad Christū Dominum facta fuerit inuisibilis missio.* ANte cæteros occurrit Christus Dominus, de quo dubitari potest, vtrum ad eum facta fuerit inuisibilis missio Spiritus sancti vel Filij. Prima ratio dubitandi est, quia missio diuinæ personæ requirit nouum modum existendi in homine, quo prius non erat, videlicet, per nouum effectum, præcipuè sanctificationis & gratiæ (vt constat ex præcedentibus sectionibus & ex disp. 108. sect. 4. & sequentibus.) At Spiritus sanctus & Verbum diuinum in Christo Domino nunquam fuit nouo modo, neque per nouum effectum. Quoniam ab Incarnationis instanti fuit plenus omnibus partibus gratiæ creatæ, quæ non repugnabant illius perfectioni: propterea quæ per nullam gratiam creatam potuit ad eum denuo mitti Spiritus sanctus.

2 Confirmatur, quia Christi Domini gratia nec intensiuè potuit augeri, nec extensiuè ascendendo ad nouum & altiorem quemdam gradum: quoniam omnem potestatem ad quælibet opera, tam gratiæ gratis datæ, quàm gratiæ gratum facientis, quantumcunque altissima, & perfectissima, recepit humanitas Christi Domini ab ipso instanti Incarnationis.

3 Secunda ratio dubitandi est, quia missio non fit, nisi ad personam, præexistentem ante missionem (vt sect. 2. dicebamus) sed persona Christi Domini, prout erat homo, non præexistebat, antequam illi præberetur tota plenitudo diuinæ gratiæ. Ergo ad personam Christi Domini, prout erat homo, non est facta missio Spiritus sancti, quando in ipso conceptionis instanti data est illi plenitudo gratiæ creatæ.

4 *In solo conceptionis instanti facta est inuisibilis missio ad Christū Dominum.* Nihilominus Dico primò. Ab instanti conceptionis posterius tempore, nullam inuisibilem missionem fuisse factam ad Christum Dominum: nihilominus in ipso conceptionis instanti factam fuisse missionem inuisibilem, concedunt, & merito Scholastici. Alexand. 1. p. quæst. 73. memb. 3. art. 3. ad 2. (quamuis in corp. eiusdem articuli generaliter negasset) S. Thomas in præsent. q. 43. art. 6. ad 3. & art. 7. ad 6. & 1. sentent. distinct. 15. quæst. 5. art. 1. & distinct. 16. quæst. 1. art. 3. S. Bonauent. distinct. 16. artic. 1. quæst. 1. fine. Durand. eadem distinct. 15. quæst. 4. §. vlt. Vbi Ricard. art. 5. quæst. 1. ad 2. Carthus. quæst. 4. Canarien. q. 43. art. 7. parte 2. commentarij.

5 Ratio est, quia Christus Dominus à principio suæ conceptionis fuit plenus omni sapientia & gratia, non tantùm increata per vnionem ad Verbum, sed etiam creata per infusionem habituum & actuum omnium, quibus homo, Deum clarè videns, potuit ornari. Per hæc verò dona cœpit Spiritus sanctus nouo modo inhabitare animam Christi Domini, quo modo non inhabitaret, si non darentur illa dona creata; licet vnio hypostatica permaneret, ratione cuius alio perfectiori modo Spiritus sanctus inhabitaret eandem animam, non tamen isto modo.

6 Confirmatur primò, nam vt sæpe diximus, quoties datur persona procedens, toties mittitur. Sed in primo instanti conceptionis Christo Domino datus est Spiritus sanctus. ergo tunc etiam missus est Spiritus sanctus. Minor constat Ioan. 3. prope fin. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Ei, videlicet, quem misit Deus. Confirmatur secundò, quia visibilis missio (tunc potissimùm, quando destinatur ad præbendum testimonium de persona, cuius verbis Deus vult adhiberi fidem) est signum inuisibilis missionis. Fuit autem Spiritus sanctus visibiliter missus ad Christum Dominum in Iordane Ioan. 1. & Matth. 3. & Lucæ 3. Supponebatur ergo prius fuisse Spiritum sanctum inuisibiliter missum ad Christum Dominum, vt hoc significaretur visibili missione.

7 *Dictum secundum. Ipsa quoque persona Verbi tūc missa fuit inuisibiliter.* Dico secundò. Per ea dona creata non modo persona Spiritus sancti, sed etiam ipsamet persona Verbi missa fuit: tum quia nouo modo veniebat & inhabitabat etiam Verbum per illa dona, quo non inhabitabat per vnionem hypostaticam: licet per illam substantialiter & perfectissimè inhabitaret. Tum etiam quoniam inuisibili missione gratiæ non potest mitti vna persona sine alia; vt vidimus disput. præced. sect. 8. concluſ. 3.

8 *Ad rationes dubitandi.* Ad primam rationem dubitandi, sponte concedimus id, quod solum probat, nimirum toto sequenti tempore post instans conceptionis, nullam inuisibilem missionem fuisse factam ad Christum Dominum.

9 *Satis est exititisse prius natura, quàm fieret missio ad Christum Dominum.* Ad secundam. Prius natura, quàm anima Christi Domini repleretur sapientia & gratia creata, præexistebat vnita Verbo diuino, in quo priori naturæ nondum intelligebatur illis dōnis ornata formaliter, sed tantùm radicaliter & originaliter. Ad personam igitur ita præexistentem prius natura, facta est missio Spiritus sancti & Verbi per dona creata. Quod autem hæc prioritas sufficiat, efficaciter colligitur, quoniam alias dicendum foret, nec ad animam Beatissimæ Virginis in instanti conceptionis, nec ad angelos in creationis instanti, nec ad primos parentes in eodem creationis instanti fuisse missum Spiritum sanctum: licet tunc fuerit illis data gratia gratum faciens. Quod esset absurdum & improbabile.

10 *Ad angelos missio.* Dico tertiò. Ad angelos facta est inuisibilis missio Spiritus sancti & Verbi. De illis enim Cyrillus Alexand. lib. 5. in Isaiam tomo 5. exponens illud capitis 16. *Spiritus Domini super me*, ait: *Cum naturā Deus existat Vnigena, cumq; ex se procedentem Spiritum immittat superis potestatibus.* Augustinus autem lib. 4. de Trinit. cap. 20. inter princip. & med. de æterna sapientia sic loquitur: *Aliter mittitur, vt sit cum homine; aliter missa est, vt ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei & prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos angelos.*

11 Vnde meritò Magister 1. distinct. 15. cap. *Ecce distincti.* probat, Filium Dei fuisse missum etiam ad angelos. S. Thomas 1. distinct. 15. q. 5. art. 1. post med. S. Bonauent. 1. dist. 15. part. 2. dubio literali 4.

Alexander 1.parte quæstione 73.memb.3.artic.2. Durand. dicta distinct.15. quæst.4. §.vltimo. Vbi Ricard.artic.5. quæst.1. ad 3. Carthusianus cum Alberto & aliis ibidem quæst.4. col.2. & cæteri Scholastici vel expresse fatentur, vel pro certo supponunt.

12 *Ad beatos.* Quartò, ad quoslibet beatos in principio beatitudinis, siue quando nouas reuelationes accipiunt, fieri missionem inuisibilem, vidimus sect. præcedenti prope finem. Quintò, ad quoslibet *Ad iustos.* iustos viatores quoties intensiuè seu extensiuè crescit gratia, quomodo fiat missio, dictum est tota sect.præced.

13 *Ad Patres Veteris testamenti.* Dico sextò. Patribus Veteris testamenti facta fuit inuisibilis missio, quando iustificati sunt, aut quando feruorem charitatis aut gratias gratis datas acceperunt. Ita Magister 1.distinct.15.cap. *Ad quod dicimus.* & cap. *Ecce distincti.* S.Thom.in præsenti artic.6.ad 1. & 1.distinct.15.quæst.5.artic.1. S.Bonauent.fusius distinctione 15. parte 2.dubio literali 3. Ricardus dicto art.5. quæstione 1.ad 1. Carthus.quæst.4. Durandus quæst.4. §.vlt. & alij communiter.

14 Probatur primò ex Augustino lib.4. de Trinit. cap.20. versus finem, vbi simul occurrit obiectioni, quæ sumi poterat ex verbis Ioan. 7. *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat clarificatus. Quomodo intelligitur,* inquit Augustinus, *nisi quia certa illa Spiritus sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat. Nec enim antea nulla erat, sed talis non fuerat. Si enim antea Spiritus S. non dabatur: quo impleti prophetæ locuti sunt? Cum apertè Scriptura multis locis ostendat, Spiritu sancto eos locutos fuisse: cum & de Ioanne Baptista dictum sit, Spiritu sancto replebitur iam inde ab vtero matris suæ: & Spiritu sancto repletus Zacharias inuenitur Pater eius.* Confirmat præterea Simeonis exemplo de quo Lucas 2. cap. *Spiritus,* inquit, *sanctus erat in eo & responsum acceperat à Spiritu sancto,* &c. Eodem modo Euangelistæ verba declarat August. tract.32. in Ioan. *Lucæ 1.*

15 Secundò, Leo Magn.serm.2.de Pentecoste c.3. post med. *Cum in die Pentecostes,* ait, *discipulos Domini Spiritus S. impleuit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam & Patriarchæ & Prophetæ, & Sacerdotes omnesq; sancti, qui prioribus fuêre temporibus, eiusdem sunt Spiritus sancti. sanctificatione vegetati: & sine hac gratia nulla vnquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: vt eadem semper fuerit virtus charismatum, quamuis non eadem fuerit mensura donorum.* Eadem est sententia Chrysostomi, Cyrilli, Theophylact. & Bedæ quos infra citabimus.

16 Tertiò demonstratur ratione theologica, quoniam Spiritus sanctus datur potissimùm per gratiam gratum facientem, & per eius feruorem, & extensionem ad opera heroica, & ad gratias gratis datas, vt vidimus sect.1.3.& 4. At verò Patribus olim ante Incarnationem Verbi datam fuisse gratiam gratum facientem, & prædictum feruorem & extensionem, constat ex omnibus libris Veteris testamenti.

17 *Quis fuerit modus missionis, quæ data non fuit ante resurrectionē Christi Domini.* Postremò, quisnam fuerit ille modus missionis, quo *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus,* intelligitur ex verbis proximè præcedentibus apud Ioann. cap.7. *Iesus clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem acceperuri erant credentes in eum.* Scriptura verò, cuius testimonium profert Christus Dominus, est illud Ioëlis 2. quod etiam citatur Actuum 2. *In diebus illis effundam de Spiritu meo super omnem carnem,* &c.

18 Quatuor autem sunt capita singularis perfectionis in missione Spiritus sancti post Christi Domini glorificationem. Primum est abundantia & intensio, quæ significatur metaphora fluminum & effusionis: vt ponderat Chrysostom. homil.50.in Ioan. Secundum est extensio ad omnes nationes, quæ significatur illis verbis *super omnem carnem,* & illo præconio generaliter inuitantis: *si quis sitit,* &c. Tertium est extensio ad singularia opera gratiæ gratis datæ, maximè verò locutionem omnium linguarum, antea prorsus inauditam in Veteri testamento. Quartum visibilis insolita significatio venientis Spiritus. Quæ sapienter obseruant August.lib.4.de Trinit. dicto cap.20.fine. Chrysost.homil.50.in Ioan. colum.2. Hieronym.epist.150.ad Hedib.quæst.9. post med. Magis ad rem Cyrillus lib.5. in Ioan. cap.10. post medium. Theophylact.ad prædicta verba Ioan.7. Vbi etiam Beda. S. Thomas Ioann. 7. lectione 5. & 1.sentent. distinctione 15.quæstione 5. artic.2. Vbi S. Bonauent. parte 2. dub. literali 3. & alij Scholastici.

19 Ex quibus omnibus deducitur id, quod directè respondet quæstioni propositæ in titulo sectionis. Dico igitur septimò. Ad omnes participes gratiæ fit inuisibilis missio Spiritus sancti secundum varios modos superius explicatos. Ita S. Thomas, Durandus, Ricardus, Carthusian. & alij locis citatis. *Dictum primum.*

SECTIO VI.

Vtrum ad creaturam irrationalem mittatur diuina persona.

1 *Primum argumentum.* PArtem affirmatiuam suadere videntur hæc argumenta. Primum, quia missio Spiritus sancti destinatur ad sanctificandam creaturam: sed non solùm rationalis; sed etiam irrationalis creatura sanctificatur: ergo missio Spiritus sancti fit etiam ad irrationalem creaturam. Minor probatur, nam in Veteri testamento quæ sacrificabantur, sanctificabantur, & tabernaculum atque sancta sanctorum sanctificabantur Dei singulari præsentia: maximè verò templum à Salomone ædificatum: vt constat Exodi 29. præsertim ver. 33. & 44. & Leuit.5. & 21. & lib.3.Reg. cap.7. 8. 9. & 15. atque alibi multoties. Rursus in Nouo testamento materia sacramentorum sanctificatur; vt constat ex orationibus Ecclesiæ benedicentis fontem Baptismatis in Vigilia Pentecostes: præterea calices, chrisma & templa consecrantur.

2 *Secundum argumentum.* Secundum argumentum. Nam vbi Deus nouo & speciali modo sedere & habitare dicitur, quo non est in aliis rebus, illuc mittitur persona procedens: vt colligitur ex dictis sectione 1. Sed in templo Deus nouo & speciali modo sedet, atque habitat: vt constat 2.Regum cap.7. ver.5. & 3.Regum cap.6. ver.13. præsertim ex 3.Regum cap.8. cum ait Salomon: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula. Ædificans ædificani domum inhabitaculum tuum.*

3 *Tertium argumentum.* Tertium, quoniam Spiritus sanctus mittitur per virtutem & effectum. At hæc virtus mittitur etiam ad res irrationales: sic enim precatur sacerdos benedicens fontem Baptismatis, & cereum in aquam mergens. *Descendat in hanc plenitudinem fontis aquæ virtus Spiritus sancti.* Confirmatur,

matur, quia sine dubio peculiari modo Deus adest Sacramentis, quo non adest cæteris creaturis; ea scilicet eleuando ad supernaturalem efficientiam gratiæ & characteris. Vnde Leo Magn.serm. 2.de Pentecost.cap.3. *Omnes,* inquit, *sancti eiusdem sunt Spiritus sanctificatione vegetati: & sine hac gratia nulla vnquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria.*

4 *Conclusio negatiua.* Nihilominus certa conclusio theologorū omnium est missionem personæ diuinæ non fieri ad creaturam irrationalem. Ita Magister 1. dist. 17. cap. *Cumq;.* Vbi communiter Scholastici. Alexand. 1.parte quæstione 73. memb.3. artic.1. S.Thom. in præsenti quæstione 43. artic. 6. fine. & lib. 1. sentent.distinctione 15.quæst.5.artic.1. Vbi Carthusian. quæst.4. Ratio est, quia missio non dicitur fieri, nisi ad terminum, ad quem destinatur. Sed creatura irrationalis non est terminus, sed quasi medium, via, & instrumentum, per quod Spiritus sanctus in animam venire disponit. Ergo Spiritus sanctus non mittitur ad creaturam irrationalem.

5 Confirmatur primò, quia solam creaturam irrationalem Deus inhabitat propter seipsam, tanquam templum viuum, sine quo nihil omnino curat de materiali templo, quod ad istud destinatur. 2.Machab. 5. *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit. Ideo & ipse locus particeps factus est populi malorum,* &c. Confirmatur secundò, quoniam persona mittitur, vt existat tanquam obiectum cognitum & amatum in cognoscente & amante; vt vidimus sectione 1. & 3. Sic autem non existit in creaturis irrationalibus.

6 Hinc constat solutio argumentorum, quia sanctitas, consecratio, habitatio, Dei gratia, & quælibet operatio Spiritus sancti non datur templis, aut sacris vasis, aut Sacramentis propter ipsa, neque tanquam termino, ad quem mittitur Spiritus sanctus; sed tanquam instrumento atque viæ. Vnde prouenit vt sicut sanitas non est formaliter in medicina, nec in cœlo vel aëre salubri, sed tantùm in animali: sic etiam sanctitas, consecratio, gratia & Spiritus sanctus non veniat, nec habitet formaliter & propriè, nisi in creatura rationali, per attributionem ad quam cætera dicuntur esse talia. In illis enim omnibus sanctitas est denominatio prorsus extrinseca, sicut etiam eleuatio ad causandam gratiam.

SECTIO VII.

Vtrum de potentia absoluta possit Spiritus sanctus inuisibiliter mitti sine productione alicuius doni realis, per denominationem prorsus extrinsecam.

1 *Affirmatiua sententia.* HVius missionis possibilitatem affirmat Gregorius magis ex professo, quàm cæteri 1. distinct.14.quæst.vnica artic.1.concluſ.3.& art.2. ad 2. breuiter autem Ocham eadem distinct. 14. quæst. 2. ad 1. cui planè consensisse videtur Gabriel eadem distinct. & quæstione artic.3. dub. 3. dicens, id pertinere ad quæstionem de possibilitate remittendi peccatum, & iustificandi sine reali dono, per denominationem prorsus extrinsecam. Hoc enim esse possibile de potentia absoluta Gabriel affirmat lib.4.sentent.distinctione 4. quæstione 1.artic.1. post medium. & distinct.14.

Ruiz. de Trinitate.

quæstione 1. artic.1. notab.2. & 4. & artic.2. post 5.concluſ.

2 *Primum argumentum.* Primum argumentum esse potest, quia missus venit Spiritus sanctus quotiescunque venit simpliciter ad hominem & habitat in eo. Veniret autem & habitaret, quotiescunque homo transiret ab inimicitia ad amicitiam Dei. Hæc enim est vis amicitiæ, vt afferat amici præsentiam & conuictum: vt ostendimus sect. 3. Potuisset autem homo de potentia absoluta de inimicitia transire ad amicitiam: quia Deus posset peccata remittere, & ad suam amicitiam eleuare per denominationem prorsus extrinsecam à suo æterno decreto de hac extrinseca gratia & condonatione conferenda in tali tempore. Confirmatur, quia saltem fuit possibile creari hominem in puris naturalibus, non eleuatum ad gratiam. Tunc autem absque dubio potuisset illi remitti peccatum, & acceptari ad gloriam absque infusione realis gratiæ, per denominationem prorsus extrinsecam. Ergo saltem eo modo fuisset possibile Spiritum sanctum *mitti* sine reali aliquo dono.

3 *Secundum argumentum.* Secundum argumentum est Gregorij. Quodcunque donabile potest Deus donare, licet nihil aliud tribuat realiter distinctum ab illo dono, quod non est de essentia illius. Sed Spiritus sanctus est donabilis; & quodcunque donum creatum est realiter distinctum à Spiritu sancto, & non est de essentia Spiritus sancti. Ergo Deus potest donare Spiritum sanctum, licet nullum donum creatum tribuat.

4 Confirmat primò, quoniam hoc non implicat contradictionem. Secundò, quia omne factibile potest à Deo fieri, licet non fiat aliud realiter distinctum, quod non est de essentia illius. Ergo similiter omne donabile potest donari à Deo, licet non donetur aliud realiter distinctum, quod non est de essentia illius. Confirmat tertiò, quia donum creatum non requiritur, vt simul cum Deo det nobis Spiritum sanctum nec datus Spiritus sanctus necessariò tribuit nobis donum creatum, sed liberè. Ergo potest dari Spiritus sanctus, licet nullum donum creatum detur.

5 *Negatiua sententia.* Secunda sententia simpliciter negat, id esse possibile etiam de potentia absoluta. Hanc prior tenuit Capreol. 1.sentent. distinct.14. artic.vnico col.vltima ad argum. Gregorij contra 4.concluſ. Molina in præsenti quæst.43. artic.3.fine. Suarez lib.12.de Trinitate cap.5.num.3. & 4. Primum argumentum est, quia missio non est in Deo denominatio realis & intrinseca, sed prorsus extrinseca. Ergo persona diuina non mittitur per mutationem realem sui, sed per mutationem realem creaturæ, in qua incipit habitare nouo modo. Hæc autem mutatio realis creaturæ non potest intelligi sine productione alicuius doni creati. Confirmatur, quoniam extrinseca condonatio peccati non sufficit, vt Spiritus sanctus intelligatur realiter existens in homine, nouo modo. *Primum argumentum.*

6 *Secundum argumentum.* Secundum argumentum, quia si persona diuina mitteretur per solam extrinsecam acceptationem hominis ad amicitiam & gloriam; sequeretur, illam missionem esse ab æterno. Consequens autem est falsum; siquidem omnium theologorum consensu missio est temporalis: vt vidimus disputatione præcedenti sect. 7., Sequela probatur, quia decretum illud acceptandi ad amicitiam in hac vita, & postea conferendi gloriam, fuisset ab æterno: & nihil aliud temporale datur in hac vita, ratione cuius Spiritus sanctus censeatur

esse missus ad hunc hominem, nisi decretum illud æternum.

7 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum, quoniam in eo casu daretur quædam veluti promissio mittendi Spiritum sanctum ad hominem, quando ei collata fuerit gloria: hæc tamen non est præsens missio Spiritus sancti ad hominem, adhuc manentem in via; respicit enim solummodo missionem futuram in patria.

8 *Per actus supernaturales sine vllo habitu potest mitti Spiritus sanctus de potentia absoluta.* Duo supponuntur ab omnibus tanquam certa. Primum est, de potentia absoluta posse mitti Spiritum sanctum ad hominem, licet non infundatur ei gratia, residens in essentia animæ, imo licet non infundantur habitus charitatis & aliarum virtutum, dummodo eleuetur ad actus cognitionis supernaturalis Dei & charitatis, aut pœnitentiæ perfectæ, & ratione illorum acceptetur ad amicitiam: quia iam interuenit in homine realis mutatio, ratione cuius intelligatur Spiritus S. denuo venire, & nouo modo habitare in illo.

9 *Possibilis remissio peccati sine reali dono.* Secundò supponitur tanquam valde probabilis possibilitas remittendi peccatum, & acceptandi ad amicitiam absque quacunque realitate creata, per meram denominationem extrinsecam ab æterno decreto Dei, relato ad tale tempus. De quo non est modo disputandum, quia propriam sedem habet inter disputationes de gratia iustificante, vel de necessitate pœnitentiæ ad remissionem peccati. Quapropter in præsenti solummodo discutienda restat consecutio missionis, videlicet, vtrum eo casu dato, Spiritus sanctus mitteretur ad hominem.

10 *Realiter & propriè non esset missio.* Dico igitur primò. Realiter & propriè non mitteretur Spiritus sanctus per illam extrinsecam acceptationem absque reali dono: sed ita mitti cõtradictionem inuoluit. Probatur primò, quia contradictionem inuoluit aliquam rem existere sine sua quidditate. Porrò quidditas missionis principaliter & in recto consistit in productione alicuius effectus temporalis & creati: vt probatum est disput. præced. sect. 4. 6. & 7.

11 Probatur secundò, quia persona diuina dicitur esse missa, quatenus existit in anima nouo modo, tanquam obiectum cognitum & amatum; vt probatum est sect. 1. & 3. Hoc autem non est possibile sine reali cognitione & amore, quem Deus cum homine supernaturaliter causet. Probatur tertiò, quia persona, quæ mittitur, eo ipso datur homini ad vtendum & fruendum: vsus autem & fruitio sunt operationes reales, & sine illis impossibilis est vsus & fruitio, ergo contradictionem implicat mitti personam diuinam, nisi saltem reales operationes intellectus & voluntatis homini concedantur.

12 *Missio secundum quid & impropriè.* Dico secundò. In præsenti casu concedi potest quædam inuisibilis missio, quæ secundum quid & impropriè participaret rationem missionis quadam imitatione & analogia realis missionis & propriè dictæ. Declaratur & probatur, quoniam in prædicto casu possibili remittitur culpa, & acceptatur homo ad amicitiam (siue simul acceptetur ad visionem Dei suo tempore futuram, siue non acceptetur ad illam.) At illa condonatio culpæ, & extrinseca amicitia, licet non sint entia realia, sunt entia moralia magnæ dignitatis, & pertinent ad ordinem supernaturalem merè gratuitum, quia superant omne meritum humanum. Ergo solus Deus censetur illa causare moraliter, & tribuere per Spiritum sanctum quod est donum, per quod omnia dona distribuuntur. Quapropter non incongruè, ratione illius effectus moralis & supernaturalis, censebitur adesse præsens Spiritus sanctus ad illum causandum, & vt per illum se coniungat homini tanquam amico.

Confirmatur, quoniam hæc missio nonnihil 13
participat de obiecto cognito & amato, tum quia delet imputabilitatẽ cuiuslibet omissionis amandi vel cognoscendi Deum, seruando legem illius; tum etiam, quia Deus ita se habet moraliter ad hominem, ac si homo cognouisset atque dilexisset Deum, & paratus esset semper diligere.

Ad argumenta primæ sententiæ respond. pro- 14
bare tantummodo secundam assertionem. Veruntamen in quantum videntur etiam pugnare contra primam, respondetur. Ad primum negatur *Ad primum.*
Minor. Etenim licet realis amicitia vim habeat afferendi realem præsentiam, realémque conuictum amici: cæterum amicitia, quæ merum ens rationis est, & sola extrinseca Dei acceptatio, non habet eam vim, sed tantum afferendi quandam præsentiam impropriè dictam, & secundum quid, *Præsentia impropriè dicta.*
vt in assertione 2. dictum est. Ad confirmationem consequentia negatur propter eandem rationem.

Ad secundum argumentum respond. primò, 15
Maiorem esse falsam, siue tractet de sola persona *Ad secũdum.*
diuina, siue de quocunque dono creato. Imprimis enim diuina persona nequit donari vel mitti per intrinsecam sibi mutationem: proptereáque requiritur mutatio realis personæ cui donatur & mittitur. Quemadmodum Verbum diuinum non potest dari humanitati ad illam suppositandam, nec ad illam in eo genere mitti, nisi humanitas realiter & intrinsecè afficiatur per realem vnionem ad Verbum: quamuis nec humanitas nec vnio sint de essentia Verbi.

Deinde verò creaturæ quamuis aliquando mit- 16
tantur & tribuantur per intrinsecam mutatio- *Nec in humanis est possibilis missio sine reali mutatione hominis ad quem.*
nem; non possunt etiam de potentia absoluta donari vel mitti ad creaturam rationalem, nisi habeat ille cui donatur, aliquam cognitionem & volitionem, qua donum acceptet & nouerit se posse illo vti vel frui, quando voluerit. Alioqui si homini, penitus ignaro donationis & missionis, per alterius voluntatem contingeret donatio & missio; non haberet completam & firmam quidditatem missionis & donationis, quamdiu rem donatam nec cognosceret, nec acceptaret ad vsum vel fruitionem. Hoc autem vltimum, quod complet missionem & donationem creaturarum, est illud vnum, in quo præcipuè consistit donatio & missio diuinæ personæ.

Hinc deducitur secunda solutio, distinguendo 17
Minorem. Quamuis enim nullum donum creatum sit de essentia Spiritus sancti, prout est donabilis; attamen est de essentia illius, prout est actualiter donatus & missus. Ad primam confirmationem respond. Implicat contradictionem, sicut in assertione prima probatum est. Ad secundam confirmationem consequentia negatur. Discriminis autem ratio constat ex dictis. Nam omne quod fit per intrinsecam & realem sui mutationem transit ad esse: proptereáque non indiget alia re. Cæterùm diuina persona non mittitur per intrinsecam sui mutationem; ideo necessarium est mutari personam ad quam mittitur.

Ad tertiam confirmationem respond. Donum 18
creatum non requiritur, tanquam donans Spiritum sanctum, sed tanquam dispositio & realis forma, per quam Spiritus sanctus extrinsecam denominationem habeat missi & dati, cogniti & amati.

amati. Quamuis autem liberè possit Spiritus sanctus non dare quodcumque donum; tamen eo ipso, quod liberè vult dare seipsum, quidditatiuè necessariòque clauditur in hoc obiecto volito dare creatum donum, ratione cuius mittatur & donetur Spiritus sanctus.

19 *Ad argumẽta secundæ sententiæ.* Ad argumenta secundæ sententiæ quatenus pugnare videntur contra secundam assertionem, respond. Ad primum cum confirmatione, distinguendum est consequens. Persona diuina, missione propriè simplicitérque dicta, non mittitur, nisi per realem mutationem creaturæ, in qua incipit habitare per nouum effectum realem. Nihilominus, missione secundum quid & impropriè dicta, mittitur per moralem & extrinsecam mutationem creaturæ, cui prius imputabatur peccatum, & erat inimica, postea verò remittitur peccatum, & acceptatur ad amicitiam. Hæc igitur extrinseca denominatio sufficit, vt Spiritus sanctus non realiter, sed moraliter intelligatur existens in homine, nouo modo.

20 *Ad secũdum.* Ad secundum sequela negatur; quamuis enim fuisser ab æterno diuinum decretum hominem hunc acceptandi ad amicitiam: nihilominus illo eodem decreto designatum esset tempus, ante quod non esset remissa culpa, sed imputaretur huic homini; & post quod non imputaretur culpa, sed iste homo fuisset acceptatus ad amicitiam. Pro illo igitur tempore, designando per diuinum decretum, intelligeretur fieri prædicta missio, secundum quid & impropriè dicta: ideóque temporalis esset, sicut istius hominis transitus de inimico ad amicum est temporalis.

21 *Ad tertium.* Ad tertium in eo casu, quo remitteretur culpa, & acceptaretur homo ad gloriam tribuendam post mortem: quamuis in hac vita nihil reale tribueretur: duplex esset missio. Nam realis simpliciter & propriè dicta missio fieret post mortem in patria: sed in via fieret missio secundum quid & impropriè dicta, quæ foret morale quoddam ius ad illam realem missionem. At verò si nunquam foret tribuenda gloria, nec aliquid reale supernaturale: tunc non esset nisi vnica missio secundum quid, & impropriè dicta, sicut in assert. 2. fuit declarata.

SECTIO VIII.

Visibilis missionis quidditas & partes quæ sint.

1 *Partes missionis visibilis.* Dico primò. Visibilis missio tribus partibus velut essentialibus constat. Primò namque propter communem & quasi genericam rationem missionis, includit æternam processionem personæ, quæ mittitur; includit, inquam, saltem in obliquo; vt vidimus disputat. præced. sect. 3. & 6. Addit autem secundò sensibile signum illius processionis manifestatiuum, siue actu manifestet, siue tantùm aptitudine, quoniam licet homines actualiter non cognoscant, possunt tamen per illud signum in cognitionem venire. Tertiò visibilis missio quidditatiuè respicit præsentem sanctitatem hominis ad quem peruenit: destinatur enim ad manifestandam habitationem illius personæ per gratiam.

2 *Descriptio missionis visibilis.* Inde primò colligi potest hæc descriptiua definitio. Visibilis missio est diuinæ personæ destinatio ad aliquem hominem sub signo sensibili, quo manifestari possit non tantùm personæ illius æterna processio, sed etiam inhabitatio per gratiam & sanctitatem in homine, ad quem mittitur. Secundò colligitur discrimen visibilis missionis ab apparitione, quoniam missio visibilis includit apparitionem: addit autem alias partes. Vnde fit, vt licet Pater æternus olim apparuerit, aut Deus in ratione Dei; non fuerit missio visibilis: quoniam nec manifestabatur æterna processio, nec destinabatur ad manifestandam sanctitatem & habitationem Dei in homine: vt videbimus sect. sequenti. *Apparitio cõtinetur in missione visibili.*

Tota præcedens doctrina, licet aliis verbis, tra- 3
ditur ab omnibus Scholasticis, quorum primarij sunt Alexand. 1. p. quæst. 74. memb. 1. & 2. S. Thomas 1. distinct. 16. quæst. vnica art. 1. corp. & ad 4. Idémque manifestè sumitur ex præsenti art. 7. ad 4. & ad 6. Clariùs id docet S. Bonauent. 1. dist. 16. art. vnico quæst. 1. Vbi Ricard. eodem artic. & q. 1. Argentina quæst. vnica art. 1. Durand. q. 1. art. 1. Scotus quæst. vnica corp. Carthusian. q. 1. & apud eum Petrus de Tarantas. Ægid. & Albert. & Vdalricus. Marsil. in 1. q. 19. art. 1. Aureol. dist. 16. art. 1. præsertim in fine. Maior q. vnica post med. Torres q. 43. art. 7. in 1. parte comment. notab. 3. Suarez lib. 12. de Trinit. c. 4. num. 8. & sequentib. & cap. 6. Sumitur apertè ex Magistro 1. dist. 16. cap. 2.

Sed aduersus hæc potest obiici primò, quo- 4
niam Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. prope fin. *Obiectio prima.*
de Filio sic loquitur: *Si ergo missus dicitur, in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spirituali semper occultus est; iam in promptu est intelligere, etiam de Spiritu sancto cur missus & ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus,* &c. Et post pauca: *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est.* Videtur ergo S. Augustinus nihil amplius ad visibilem missionem requirere, quàm apparitionem personæ per aliquod sensibile signum. Confirmatur, nam sequenti lib. 3. cap. 2. post med. de Filio & Spiritu sancto dicit: *Hoc eis fuisse mitti, ad aspectum mortalium in aliqua forma corporea de spirituali secreto procedere.*

Respond. Iam ibi & alibi declarauerat Augu- 5
stinus, ad communem quidditatem missionis re- *Solutio.*
quiri processionem æternam, vt vidimus disput. præced. sect. 3. Insuper lib. 15. de Trinitate cap. 18. docet, Spiritum sanctum non mitti sine charitate: vt vidimus sect. 1. concluf. 3. Consequens igitur est, vt in prædictis verbis solummodo posuerit illud, quo missio visibilis distinguitur ab inuisibili: supponens cætera, quæ pertinent ad communem rationem missionis.

Obiicies secundò. Angelus mittitur ad homi- 6
nem, quotiescumque visibiliter apparet, licet eius *Obiectio secunda.*
sensibile signum non manifestet processionem angeli, nec manifestet gratiam & sanctitatem hominis, ad quem mittitur, nec inhabitationem angeli in homine. Ergo persona diuina poterit etiam appellari missa ratione solius appatitionis per signum sensibile; licet non sit manifestatiuum processionis æternæ, nec gratiæ iustificantis & inhabitantis Dei.

Respond. partim negando antecedens, partim 7
verò negando consequentiam. Primò namque *Solutio.*
quotiescumque mittitur angelus ad homines, manifestat, se venire missum à Deo, Dei iussu & au- *Discrimen missionis diuinæ personæ ab Angelo.*
thoritate, qui modus processionis est proprius creatæ missionis, repugnat autem personæ diuinæ; quæ proinde non potest aliter esse missa, nisi quatenus essentiam, consilium, authoritatem, exequendi potentiam & voluntatem accipit ab

alia persona, quod est procedere ab illa: vt vidimus disput. præced. sect. 3.

8 Secundò, quantum ad manifestandam habitationem, discrimen est, quoniam angelus, non vt Dominus, nec vt donum, nec vt sponsus mittitur, sed vt minister præparans aliquid ad sui Domini missionem & aduentum. Ideo signum visibile missionis angelorum solummodo manifestat aliquid, deseruiens ad habitationem præsentem vel futuram Spiritus sancti per gratiam, iuxta illud Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* At verò persona diuina mittitur tanquam Dominus, sponsus, amicus, & donum, vt videlicet habitet & maneat ad vtendum & fruendum modo explicato in sect. 3. Adde, quod angelus localiter mouetur, ideóque localiter est præsens, vbi prius non erat; & ea ratione venire dicitur & mitti: contra verò diuina persona non potest esse præsens, vbi prius non erat, sed tantùm potest nouo modo præsens esse, vbi prius non erat illo modo. Hic autem modus non est simpliciter & absolutè, nisi per gratiam, vt vidimus sect. 1. & 3.

9 *Missio visibilis claudit inuisibilem.* Dico secundò. Missio visibilis semper supponit missionem inuisibilem per inhabitãtem gratiam. Ita docent omnes Scholastici citati pro assert. 1. & ex illa manifestè deducitur, quoniam visibilis missio destinatur ad manifestandam inuisibilem.

10 Vnde colligo & Dico tertiò. Missio inuisibilis non in recto, sed tantum in obliquo clauditur intra quidditatem missionis visibilis: hoc est ordo siue respectus ad missionem inuisibilem, non ipsamet inuisibilis missio, pars est quidditatis, in qua consistit missio visibilis. Ita intelligendus est S. Thomas 1. distinct. 16. quæst. 1. art. 1. corp. dicens, missionem visibilem non esse aliam essentialiter à missione inuisibili; sed illam includere, & addere manifestationem illius per visibile signum. Probatur primò, nam missio visibilis manifestat inuisibilem, vt docet S. Thom. in præsenti art. 7. corpor. & ad argum. necnon in prædicta dist. 16. quæst. 1. art. 2. & 3. cum cæteris Scholasticis supra citatis; ergo sunt *distinctæ* missiones, & consequenter vna non est pars essentialis alterius.

11 Probatur secundò, & efficacius, quia nulla res existit, quando non existunt partes suæ essentiæ, licet antea præterierint. Sed missio visibilis existit, quando non existit missio inuisibilis, sed præteriit multis retro annis. ergo missio inuisibilis non est pars essentiæ missionis visibilis. Minor constat in Christo Domino ad quem baptizatum facta est præstantissima missio Spiritus sancti in specie columbæ: quod signum non poterat ostendere missionem inuisibilem Spiritus sancti, (talis enim nulla fuit eo tempore) sed missionem ante triginta annos factam in ipso conceptionis instanti: vt vidimus supra sect. 5. dicto 1. & 2. Vnde missio visibilis, quamuis ferè semper manifestet, eodem ipso tempore factam missionem inuisibilem: in Christo tamen non præsentem, sed præteritam manifestauit: vt notat S. Thom. in præsenti art. 7. ad 6. & 1. sentent. distinct. 16. art. 2. fine, & art. 3. corp. Vbi S. Bonauent. art. 1. quæst. 1. fine. Durand. quæst. 2. fine. Carthusian. quæst. 3. sub init. cum S. Thom. Alexander 1. p. quæst. 74. memb. 1. versus fin. Canarien. in præsenti quæst. 43. art. 7. parte 2. post med. Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 4. præsertim num. 8. & sequentibus.

12 *Analoga est vocatio missionis.* Colligo præterea & Dico quartò. Non vniuoca, sed analoga per attributionem est ratio missionis. Hæc enim primariò conuenit inuisibili missioni; quæ retineret integram & veram quidditatem missionis, licet nunquam daretur vlla missio visibilis, & absque vllo respectu ad illam. At verò visibilis non habet missionis quidditatem, nisi per attributionem ad inuisibilem, tanquam illius signum; ideóque sublata missione inuisibili, non maneret vera quidditas missionis, in missione visibili.

13 *Redundãs ad vtilitatẽ Ecclesiæ missio inuisibilis, manifestatur visibili.* Dico quintò. De facto & de lege ordinaria missio visibilis, non manifestat qualemcunque mediocrem & vulgarem missionem inuisibilem per gratiam; sed repræsentat superabundantem & redundantem ad vtilitatem Ecclesiæ. Ita docent Alexand. 1. p. quæst. 74. memb. 2. corp. S. Thomas in præsenti art. 7. ad 6. & 1. dist. 16. quæst. 1. art. 2. corp. & art. 3. corpor. Vbi S. Bonauent. artic. vnico quæst. 2. Ricard. art. vnico quæst. 3. corp. Durand. quæst. 1. art. 2. num. 7. Aureolus artic. 2. & 4. Carthus. quæst. 1. prope fin. cum Petro de Tarantas. & quæst. 3. Marsil. 1. sentent. quæst. 19. artic. 4. dub. 7. Canarien. in præsenti art. 7. part. 2. post medium. Colligitur ex 1. Corinth. 12. *Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem*, videlicet, vniuersalem fidelium: quia propter peculiarem & priuatam vtilitatem iusti nihil opus erat eius sanctitatem aliis manifestari.

14 Probatur etiam inductione per singulas insigniores missiones visibiles. Ideo namque missio visibilis ad Christum Dominum non est facta ante Baptismum, quoniam ab ipso Baptismo sumebat exordium eius prædicatio, cui authoritatem præbere debuit missio Spiritus sancti, & testimonium Patris. Hanc verò corroborauit missio sub specie nubis lucidæ in die Transfigurationis cum illo præcepto: *Ipsum audite.* Ad Apostolos autem missus est Spiritus sanctus sub specie flatus, Ioan. 20. quando collata est eis potestas communicandi gratiam aliis per absolutionem sacramentalem. Celebrior autem & abundantior fuit missio in die Pentecostes, à quo sumendum erat Euangelicæ prædicationis exordium.

15 Dico sextò. Non est de quidditate missionis visibilis significare prædictam exuberantiam gratiæ, redundantem ad vtilitatem aliorum; sed tota quidditas huius missionis saluaretur integra, si visibile signum manifestaret inuisibilem missionem gratiæ personalis & priuatæ. Atque ita potuisset à Deo præberi missio de potentia absoluta. Sed vtrum aliqua talis de facto fuerit, alij disputent, mihi non vacat.

SECTIO IX.

Vtrum visibiles missiones diuinarum personarum Patribus Veteris testamenti factæ fuerint.

1 *Primum argumentum.* NOn desunt argumenta quæ partem affirmatiuam probare possent. Primum. Tres diuinæ personæ apparuerunt Abrahæ; & ex illis duæ procedebant à prima. Ergo personæ procedentes mittebantur. Consequentia probatur, quia quælibet apparitio personæ, procedentis ab alia, est missio visibilis. Antecedens constat Genesis 18. quando Abrahæ *apparuit Dominus*, & post pauca: *Apparuerunt ei tres viri*, quos tamen ipse tanquam vnum adorauit, & allocutus est. Vbi quam plurimi Patres obseruant, fuisse reuelatum mysterium trium personarum, quæ sint vnus Deus. Quorum loca testimoniáque posuimus disput. 36. sect. 4. num. 11. & sequentibus.

Secundum

2 *Secundum argumentum.* Secundum & fortius argumentum accipitur ex sequenti cap. 19. versu 13. vbi duo illi, qui vocantur angeli, dixerunt: *Eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus eos.* Vbi missionem perspicuè legis in verbo *misit*, quam obscuriùs indicauerat nomen angelorum, ab opere missionis acceptum, & attributum personis duabus, quæ vocantur ibidem *Dominus à Domino*, id est, Deus de Deo, quoniam sunt personæ procedentes à Patre: vt obseruant quam plurimi Patres, citati in eadem disput. 36. sect. 4. num. 15. & sequentibus. Peculiariter autem August. lib. 2. de Trinit. cap. 12. fine dicit, forte congruentius esse intelligere duas personas Filij & Spiritus sancti: *Missos enim se dixerunt, quod de Filio & Spiritu sancto dicimus, nam Patrem missum nusquam scripturarum nobis notitia occurrit.*

3 *Tertium argumentum.* Tertiò Verbum Dei, quod est eius facies, apparuisse Iacobo Genesis 32. fine, quando dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* docent Clemens Roman. lib. 5. Apostolic. constitut. cap. 21. ante med. & Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagogi cap. 7. post med. Athanas. orat. 4. contra Arian. propius ad princ. quàm ad med. Cyrill. Alexand. lib. 3. thesau. cap. 1. col. 7. & in expositione Symboli Nicæni paulo post medium. Eusseb. demonstrationis Euang. lib. 1. c. 5. post med. & lib. 5. cap. 10. & 11. Basil. lib. 2. contra Eunom. in medio Theodoretus in genes. q. 91. Iustinus in dialogo cum Triphone. Tertullian. lib. contra Praxeam. cap. 14. citatur etiam lib. 2. contra Marcionem Nouatianus apud Tertullian. lib. de Trinitate cap. 9. Hilar. lib. 4. de Trinit. inter med. & finem & lib. 12. propius ad finem quàm ad med. Cyprian. lib. 2. aduersus Iudæos cap. 5. Ambrosius in Psalm. 43. col. 3. & Colossen. 1. col. 2. ad illud: *Qui est imago Dei*, &c. Concil. Syrmien. canone 13. aliàs 15. apud Hilar. lib. de Synodis circa med. Leo Mag. epist. 13. ad Pulcheriam prope med. Sed Augustinus dubitat lib. 2. de Trinit. cap. 13.

4 *Quartum argumentum.* Quartò sub generalitate, Filium Dei hominis specie apparuisse Abrahamo & aliis patriarchis, docent ex Gregorio Nysseno & Nazianzeno Cyparisiotus decade 6. cap. 6. Clemens Rom. loco citato. Iustinus in dialogo cum Tryphone paulo post med. Nicephorus lib. 1. historiæ cap. 2. sub finem & cap. 3. sub finem. Augustinus lib. contra Adamantium cap. 9. Leo Mag. epist. 13. ad Pulcheriam prope med. Hilarius lib. 4. de Trinit. inter med. & fin. & lib. 12. propius ad finem quàm ad med.

5 Quintum argumentum peculiariter vrget, quoniam in eisdem & in aliis locis Veteris & Noui testamenti vocatur multoties angelus idem ipse, qui vocatur Dominus & Deus & apparuisse refertur. Vbi nomen angeli non naturam, sed missionem & adnunciandum significat, vt obseruant plerique Patres. Iustinus dialogo cum Tryphone paulo post med. & apolog. 2. pro Christianis inter med. & fin. Tertullian. lib. de carne Christi cap. 14. Athanas. orat. 4. contra Arian. propius ad princ. quàm ad med. Basil. lib. 2. contra Eunom. in med. Chrysost. hom. 80. in Ioan. & homil. 16. in acta Apostol. prope morale. vbi etiam Theophylac. Euseb. demonstrationis Euangel. lib. 1. cap. 5. & 28. & lib. 6. cap. 10. & lib. 7. cap. 4. & lib. 9. cap. 8. Theodor. quæst. 5. in Exod. Beda tomo 8. lib. quæstionum quæst. 9. post med. Cyprian. lib. 2. aduersus Iudæos cap. 5. & sub dubio August. lib. 2. de Trinitate cap. 13.

6 Verùm ij Patres fortasse non intelligunt, Filij missionem esse factam ad Patriarchas, per figuram hominis tunc apparentem; sed missionem factam per Incarnationem: quamuis melius intelligantur de vtraque missione: de qua loquuntur magis apertè Hilarius & Isidorus. Hilarius enim lib. 5. de Trinitate propius ad princ. quàm ad med. inter se confert apparitiones Dei & Angeli, factas ad Agar, Genes. 16. versu. 8. & 13. & Genes. 21. vers. 17. & 18. atque inter alia dicit: *Volens Deus personam paterni nominis intimare, Dei Filium angelum Dei locuta est, id est, nuncium Dei. Significationem enim officij testatur in nuncio: naturæ autem veritatem confirmauit in nomine, cum Deum dixit.* Atque in præcedenti lib. 4. inter med. & fin. notauerat, in eiusmodi apparitionibus nomine *Angeli Dei*, significari processionem eius ex Deo Patre. Quod etiam confirmat lib. 12. propius ad fin. quàm ad med.

7 Isidorus tomo 2. lib. 1. contra Iudæos, qui est de Natiuitate Domini, cap. 1. à med. explicans apparitionem factam, Danielis 3. quando Nabuchodonosor obstupuit, dicens, *& species quarti similis Filio Dei*, cum tamen multo prius in eodem capite retulisset Daniel: *Angelus Domini descendit in fornacem*, &c. ita rationem reddit: *Christus enim in eo, quod à Patre genitus est, Filius Dei vocatur: in eo, quod sæpe à Patre missus ad nunciandum Patribus legitur, angelus nominatur.* Hic apertè vides Filium Dei esse missum ad Patres testamenti Veteris. Idem Isidor. lib. 1. sentent. de summo bono c. 10. prope finem. *Vbicumque in Scripturis*, ait, *pro Deo angelus ponitur, non Pater, non Spiritus sanctus, sed pro Incarnationis dispensatione solus Filius intelligitur*, vt videlicet illa præstantissima & subsistantialis missio fuerit ratio, propter quam missus olim fuerit ad Patres, sub specie naturæ, quam assumpturus erat.

8 Confirmatur, quia Filium Dei apparuisse Nabuchodonosori Danielis 3. præter Isidorum nuper citatum docent Tertullian. lib. 4. contra Marcion. textu 117. & lib. contra Praxeam. textu 101. Augustinus *in cõcione ad Catechumenos* aduersus Paganos, Iudæos & hæreticos cap. 15. Hippolytus & Rupertus lib. 6. de Victoria Verbi Dei cap. 21. Quorum verba referunt Pererius Danielis 3. & Thyræus lib. 1. de apparitionibus Veteris testament. cap. 23. in med. Quibus adde Ambrosium lib. 1. de fide cap. 5. multo propius ad fin. quàm ad med.

9 *Sextum argumentum.* Sextum argumentum, quoniam Exodi 3. dicitur Dominus apparuisse Moysi in rubo & igne, & Exodi 19. locutum fuisse Dominum cum Moyse in monte Syna. Nihilominus Actor. cap. 7. Stephan. inquit: *Apparuit illi in deserto montis Syna Angelus in igne flammæ rubi, & facta est ad eum vox Domini: Ego sum Deus Patrum tuorum.* Hic planè se manifestat esse Deum idem, qui vocatur angelus, id est, missus. Quapropter hoc loco non Patrem, sed Filium apparuisse Moysi, docent Tertull. lib. contra Iudæos cap. 9. post med. textu 114. Clemens Roman. lib. 5. Apostolic. constit. cap. 21. ante medium. Iustinus in dialogo cum Tryphone paulo post med. & apologia 2. pro Christianis inter med. & finem, Basil. lib. 2. contra Eunom. in medio, Chrysost. hom. 16. in Acta Apost. prope morale, vbi etiam Theophylact. Eusebius lib. 5. demonstrationis euangelicæ cap. 11. post med. & cap. 13. vsque ad 16. Hilar. lib. 4. de Trinit. inter med. & fin. & lib. 12. propius ad fin. quàm ad med. Verum de hac, & aliis visionibus, vtrum in eis fuerit ostensa persona Filij, dubius manet

Auguſt.lib.2.de Trinitate cap.13. & ſequentibus, præſertim 18. fine & lib.3. cap.1.

10 *Non fuerunt propriè miſſiones viſibiles in Veteri teſtamento.*

Nihilominus ſit prima concluſio. Diuinarum perſonarum viſibiles apparitiones, factæ Patribus Veteris teſtamenti, non poſſunt propriè vocari miſſiones viſibiles; quia non deſtinabantur ad deſignandam inhabitationem diuinæ perſonæ per gratiam, ſed ad aliquid aliud manifeſtandum. Ita docuit Alexander obiter 1.p.q.74. memb.3. ad 1. Sed clarius S.Thomas in præſenti q.43.art.7.fine, & 1. ſentent. diſt.16. quæſt.1. art.2. & art. 3. ad vlt. Vbi S.Bonau. diſt.16. art.1. q.2.fine corporis Ricard.art.1.quæſt.3.ad 1. Durand. quæſt.2.art.1. Maior quæſt. vnica circa med. Carthuſ. quæſt.2. cum Alberto, Vdalrico. Marſil. in 1. ſent. q. 19. art.4.dub.7.Aureol.1.diſt.16.art.4. Suarez lib.12. de Trinitate cap.6. num.23. Caharien. quæſt.43. art.7. parte 2. fine.

11 Auguſtinum pro hac concluſione nonnulli referunt ex lib.2. de Trinitate cap.17. Sed nihil ad rem expreſsè dictum inuenio tam ibi, quàm alibi: fauet autem ſequenti rationi, per quam declaratur & corroboratur ratio, quæ tangitur in ipſa concluſione.

12 Ratio igitur eſt, quoniam in teſtamento Veteri quæcumque apparitiones ſignificabant vnam perſonam tanquam diſtinctam ab aliis; non fuerunt deſtinatæ ad ſignificandam inhabitationem diuinæ perſonæ per gratiam, ſed ad aliquid aliud manifeſtandum. Quemadmodum apparitio duarum perſonarum ad Loth liberandum, & euertendas vrbes illas, de quibus dictum eſt in 2. arg. & Danielis 7. viſus eſt Antiquus dierum, dans regnum, & Filius hominis, ab eo accipiens poteſtatem & regnum, qui ſine dubio eſt Chriſtus Dominus, vt omnes intelligunt, & quaſi manifeſtum obſeruat Auguſtinus lib. 2. de Trinitate cap.18. ſub init. & Iuſtinus dialogo cum Tryphone paulo poſt med. Tertullian. lib.de carne Chriſti cap.14. Quæ viſio deſtinabatur ad reuelandum futurum regnum Chriſti & ſupremum Iudicium.

13 *Aliæ apparitiones non ſignificabant gratiam, aliæ non ſignificabant proceſſionem.*

At econtrario quibuſdam apparitionibus videtur ſignificata ſingularis amicitia & gratia illius, cui tribuebantur: veruntamen per illas non ſignificabatur vna perſona ſecundum illam proprietatem, qua diſtinguitur ab alia. Quemadmodum ad Noë dixit Deus: *Te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus.* Vbi nulla perſona diſtinguitur. Geneſ. 18. magna ſignificatio data fuit amicitiæ præſertim à verſu 17. *Num celare potero*, &c. Veruntamen generaliter tantum ſignificatæ ſunt tres perſonæ, & vnus Deus, non verò diſtinctè ſignificatum fuit an vna eſſet Filius, alia Spiritus ſanctus. de quo ratiocinatur Auguſtinus 2. de Trinit. cap.10. poſt med, & cap.11.

14 Iacob etiam Geneſis 32. accepit amicitię ſigna, proptereáque merito dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Veruntamen perſona Filij non ita fuit illi repræſentata, vt ipſe perciperet diſtinctionem Filij à Patre: quemadmodum ſtatim adnotabimus in confirmatione. Tandē Exodi 33. *Loquebatur Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum.* Et iterum atque iterum infra refertur, *inueniſſe gratiam coram Deo.* Cæterum ibi nulla Trinitatis perſona, tanquam ab aliis diſtincta ſignificabatur.

15 Confirmatur præcedens diſcurſus, ſimúlque datur generalis ſolutio ad argumenta. Quia licet tanquam veram admittamus doctrinam eorum Doctorum, qui ſupra dixerunt, non perſonam Patris, nec Spiritus ſancti, ſed Filij, Patribus Veteris teſtamenti apparuiſſe ſub humana ſpecie: eam tamen ſic debemus intelligere, vt apparitiones illæ fuerint valde obſcuræ, nec ipſi Patres per illas diſtinctè cognouerint Filium in ratione Filij, ſeu Verbi diuini, quemadmodum reuelatus eſt in Nouo teſtamento, ſed tunc adumbratum fuit myſterium, vt poſtea fideles Noui teſtamenti deprehenderent, quod illis vmbris præfigurabatur: vt notauimus ſupra diſp.36. ſect.2.

Additur à doctoribus ratio congruentiæ, tum 16
quia prius perfici debuit miſſio viſibilis Filij per Incarnationem, quàm fieret alia miſſio viſibilis Filij vel Spiritus ſancti. Tum etiam, quoniam viſibilis miſſio de potentia ordinaria deſtinatur ad ſignificandam gratiæ redundantiam exuberantis in commune bonum Eccleſiæ, vt dictum eſt ſect. præced. At illud tempus teſtamenti Veteris non erat ſtatus plenitudinis redundantis. Quamuis enim ſingularibus quibuſdam perſonis collata fuerit abundans gratia, quæ proximis etiam profuerit: hoc tamen non erat ex ratione propria illius ſtatus, ſicut in Nouo teſtamento.

17 *Miſſiones ſecūdum quid in Veteri teſtamento.*

Secunda concluſio. Quædam ex illis apparitionibus, enumeratis in argumentis initio poſitis, appellari poſſunt miſſiones ſecundum quid & impropriè: tum quoniam aliquo modo ſubobſcurè ſignificabant perſonam, procedentem ab alia perſona: tum etiam quoniam conferebant aliquam cognitionem ſupernaturalem vtilem ad ſalutem. Hoc enim ſufficit ad miſſionem ſecundum quid: vt vidimus ſect.1. concl.2. & aliquo modo ſupponebant familiaritatem Dei cum homine vidente.

18 Tertia concluſio. Nulla nota dignus erit, qui ſimpliciter & abſque aliqua maiori declaratione dixerit, Filium fuiſſe viſibiliter miſſum humana ſpecie ad Patres Veteris teſtamenti. Probatur, nam huic propoſitioni fauet Scriptura, clarius autem Patres: vt vidimus in argumentis, & explicari poteſt concluſio, viſibilem miſſionem latius intelligendo, quàm eam reſtingunt Scholaſtici doctores.

19 *Apparuit perſona Patris in Veteri teſtamento.*

Quarta concluſio ſit. Perſona Patris licet nunquam miſſa fuerit, quoniam à nulla procedit (vt vidimus diſput.præced. ſect.8.) nihilominus viſibiliter apparuiſſe Patribus Veteris teſtamenti tantæ certitudinis eſt, vt Auguſt.teſte lib.2.de Trinit. c.17. ad finem: *Nimis temerarium ſit dicere, Deum Patrem nunquam Patribus aut Prophetis per aliquas viſibiles formas apparuiſſe.* Quod ſequenti cap.18. initio confirmat viſione Danielis cap.7.vbi Antiquus dierum dabat, & Filius hominis accipiebat regnum. Vnde inter med. & fin. eiuſdem capitis aſſerit: *Nemo ſani capitis affirmare debet, nuſquam perſonam Patris per aliquam ſpeciem corporalem vigilantium oculis demonſtratam.* Hanc concluſionem fuſiùs diſcutit Alexand.1.p.q.74.memb.3. breuius S.Bonau.1.diſt.16.art.1. q.2. corp. poſt med. Vbi Ricard. art. vnico quæſt.3.

SECTIO X.

Vtrum angelorum miniſterio factæ fuerint rerum ſpecies, ſub quibus diuinæ perſonæ viſibiliter mittebantur.

1 *Prima ratio dubitandi.*

RAtiones dubitandi ſunt. Prima, quia non diuina perſona, ſed tantùm angelus appareret, ac mitteretur; ſi diuina perſona non operabatur nec mouebat immediatè res illas, quibus repræſentari debebat. Etenim ille Spiritus cenſetur apparere in cordibus aſſumptis, qui format & mouet illa corpora. Nec enim aliter vnitur illis, niſi tanquam efficiens & mouens.

2 *Secunda ratio.*

Secunda, quoniam miſſio principaliter importat productionem aliquam ſupernaturalem: vt vidimus diſp. præced.ſect.4.& 6. At aliqua miſſio fuit, per quam interius nihil fuit productum in perſona, ad quam facta fuit (veluti miſſio columbæ ad Chriſtum Dominum.) Ergo neceſſarium fuit aliquid exterius produci ſupernaturaliter à Spiritu ſancto, qui mittebatur.

3 *Tertia ratio dubitandi.*

Tertiò peculiariter antiquorum aliqui, quos ſuppreſſo nomine refert Alexand. & S. Thomas infra citandus (inclinat autem in eorum ſententiam Aureolus 1. diſtinct.15.art.5. Conſtituebant diſcrimen inter apparitiones Veteri & Noui teſtamenti, quoniam illæ per angelos, iſtæ verò per diuinam perſonam immediatè, ſine angelorum miniſterio factæ ſunt. Quod probant primò, quoniam in apparitionibus Veteris teſtamenti frequenter fit angelorum mentio, non autem in Nouo, ſed tantùm perſonæ diuinæ. Secundò ex Paulo ad Hebr.2. cuius verba ſic ponderat Auguſt. lib.3.de Trinit. cap.11. non procul à princ. *Quia tunc per angelos, nunc autem per Filium ſermo factus eſt conſequenter aperteq́ demonſtrans, inquit: Si enim qui per angelos dictus eſt, ſermo factus eſt firmus*, &c. *Vt oſtenderet, ſe de Nouo teſtamento iam dicere, id eſt, ſermone, qui non per angelos, ſed per Dominum factus eſt.*

4 *Angelorum miniſterio fiebāt rerum ſpecies apparentes.*

Nihilominus ſit prima concluſio. Angelorum miniſterio fiebant, & mouebantur omnes rerum ſpecies, ſub quibus apparebat, aut mittebatur viſibiliter aliqua diuina perſona. Ita docent Alex.1. p. quæſt.74. memb.4. S. Thom. in præſenti q.43. art.7. ad 5. & 1. ſent. diſtinct.16. quæſt. 1. art.4. S.Bonau. eadem diſt.16. art.1. quæſt.1. corp. poſt med. Vbi Ricard. art. vnico quæſt.4. Argentina quæſt. vnica art.4. Carthuſian. quæſt.3. col.4. & 5. cum Vdalrico, Ægidio & aliis Marſil.1. q.19. art.4. dub.8. Caietan. Canarien. & alij expoſitores in præſenti artic.7. Suarez lib. 12. de Trinit. cap.6. poſt med. Vazquez 1.p. diſput.185. cap.2. Molina 1.p.quæſt.51.art.2. Valentia 1.p.diſp.4.de angelis quæſt.2. punct.2. §. *ſecunda quæſtio.* Thyræus de apparitionibus Veteris teſtam. lib.1.c.24. & ſequentibus & lib.2.de vocali apparitione c.15. Pererius in Geneſim tomo 4. capit.32. verſ. 23. diſp.1. & in Daniel. lib. 8. poſt med. & communiter expoſitores in commentariis ad ſequentia teſtimonia Scripturæ.

5 Concluſio igitur probatur primò ex Scriptura Galat. 3. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſſionem poſita eſt, ordinata per angelos in manu mediatoris*, videlicet Moyſi. & Hebr.2. *Qui per angelos factus eſt ſermo.* Actor. 7. *Apparuit illi, in deſerto montis Syna angelus in igne flammæ rubi.*

6 Secundò probatur teſtimoniis Patrum. Auguſtinus enim lib. 3. de Trinitate cap. primo, quæſtionem proponit, cuius ſolutionem incipit explanare cap.4. & ſequentibus. Vnde concludit in cap.11. ſub initium. *Omnia, quæ Patribus viſa ſunt, cum Deus illis ſecundum diſpenſationem temporibus congruam præſentaretur, per creaturam facta eſſe manifeſtum eſt. Et ſi nos latet quomodo ea miniſtris angelis fecerit; per angelos tamen eſſe facta, non ex noſtro ſenſu dicimus*, &c. *Extat enim authoritas Scripturæ.*

7 Adductiſque plurimis Scripturæ locis, epilogum his verbis concipit prope finem totius libri tertij: *Iam ſatis, quantum exiſtimo, pro captu noſtro diſputatum & demonſtratum eſt, & firmitate authoritatis quantum de Scripturis ſanctis diuina eloquia patuerunt, quod antiquis Patribus ante Incarnationem Saluatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ ac ſpecies corporales per angelos factæ ſunt: ſiue ipſis loquentibus vel agentibus aliquid ex perſona Dei, ſicut etiam Prophetas ſolere oſtendimus: ſiue aſſumentibus ex creatura quod ipſi non eſſent, vbi Deus figuratè demonſtraretur hominibus.*

Idem omnino repetit lib.4. cap. vltimo prope 8
med. Atque poſt med. ait: *Si autem quæritur poſt Incarnationem Verbi, quomodo facta ſit vel vox Patris, vel ſpecies corporalis, qua Spiritus ſanctus demonſtratus eſt; per creaturam quidem iſta facta non dubito.* Et poſt pauca: *Quomodo tamen iſta ſine rationali vel intellectuali creatura potuerunt fieri, non video. Nec adhuc locus eſt explicare, cur ita ſentiam.*

Nec oppoſitum docet Auguſtinus epiſt.111.ad 9
Fortunatium col.2. & ſequentibus, quando teſtimoniis Hieronymi, Athanaſij, Gregorij, Nazianzeni & Ambroſij probat, Deum aliquando Patribus viſum fuiſſe materiæ conſpicabilis aſſumpta diſpoſitione. Vbi licet non explicet miniſterium angelorum, minimè tamen negat illud interueniſſe.

Gregorius autem lib. 28. moral. cap.2. prope 10
med. & vſque ad finem, diſtinguens varios modos locutionis Dei, factos in Veteri Nouóque teſtamento, vel imaginibus ante corporeos oculos ad tempus ex aëre aſſumptis, vel etiam verbis omnes apparitionis modos adſcribit miniſterio angelorum. Peculiariter notentur ea, quæ profert ex Nouo teſtamento verſus medium illius capitis: *Verbis namque per angelum loquitur Deus, cum nihil in imagine oſtenditur, ſed ſuperna verba locutionis audiuntur, ſicut dicente Domino: Pater clarifica Filium tuum, protinus reſpondetur: Clarificaui, & iterum clarificabo.* Ioan. 17. & longè poſt med. *Aliquādo cæleſtibus ſubſtantijs per angelos loquitur Deus: ſicut baptizato Domino ſcriptum eſt: quia de nube vox ſonuit*, &c. Matth.3.

Hieronym. Galat.3. ita ſcribit: *Quod dit Apoſtolus: Lex per angelos, hoc vult intelligi, quod in* 11
omni Veteri teſtamento, vbi angelus primum viſus refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur, angelus quidem verè ex miniſtris pluribus quicumque ſit viſus; ſed in illo Mediator loquatur, qui dicit: Ego ſum Deus Abraham, &c.

Tertiò probatur ratione theologica ſimul & 12
authoritate Dionyſij. Nam ordinatiſſima Dei prouidentia poſtulat, inferiores creaturas gubernari & illuminari per ſuperiores & non immediatè per ipſum Deum. Vnde & inferiores angeli per ſuperiores illuminantur, teſte Dionyſio cap.7. & 8. de cæleſti hierarch. & de diuinis nomin.cap.4. parum à princip. dicit, angelos eſſe quaſi diuini ſilentij interpretes. *Prouidentia Dei per ſuperiores creaturas illuminat inferiores.*

Magis autem ad rem præſentem cap. 4. de cæ- 13
leſti hierarch. prope med. *Per angelos*, inquit, *nobis donatæ ſunt diuinæ reuelationes, & glorioſos ante legem, & poſt legem Patres ad diuinum reducebant.* Præmiſerat autem: *Angelorum præcipuè nomine appellantur, propterea quod propriè in eis inſit diuinæ illuſtratio, ac per eos ad nos perueniant eæ, quæ naturam noſtram ſuperant, patefactiones.* Et inferius: *Theophaniæ autem Sanctis factæ ſunt ſecūdum docentes Deum, perq́ quaſdam ſacras, videntibus proportionabilium viſionum manifeſtationes.* Et poſt pauca: *Docet autem ſapienter Theologia, per angelos eam ad nos peruenire, tanquam diuino legali ordine, illud legaliter ponente, ea quæ ſecundum locum obtinent, ab his quæ primum, ad Diuinitatem erigi & excitari.*

Confirmatur à maiori, quia ſupremum opus 14
Incarna

Incarnationis supremæ personæ creatæ supremo tempore nunciatum fuit angeli ministerio, nec fuit immediatè reuelatum à Deo Beatissimæ Virgini. Rursus ad excitandas & promouendas inte-
Ministerium angelorum ad maxima quaque. riores actiones sanctitatis & iustificationis, Deus vtitur angelorum ministerio in omnibus, ad quæ possunt concurrere, videlicet, ad mouendas cogitationes conuenientes in sensibus internis, atque temperandum & rectè disponendum appetitum sensitiuum, & totum corpus. Igitur à fortiori visibiles apparitiones, quæ sensibus ignobilioribus & externis exhibentur ad alia non maiora, & multoties ad minora mysteria docenda, non dabuntur à Deo immediatè sine ministerio angelorum.

15 Quartò probatur, quia nemo Patrum expressè
Patres exponuntur. negat ministerium angelorum in Dei apparitionibus: paucos verò, qui negare videntur, verisimilius est, nihil aliud voluisse, quàm vt angelus non repræsentaret suam personam, nec ad seipsum repræsentandum faceret, ac ostentaret visibiles rerum species, aut voces; nihil autem meminisse de concursu effectiuo angelorum ad fingenda corpora & mouenda, vocésque formandas, vt diuinam personam immediatè repræsentaret. Ita possunt explicari Euseb. lib. 1. demonstrat. Euangel. cap. 5. & lib. 5. cap. 10. & 11. Chrysost. in Acta Apost. cap. 7. homil. 16. ad illud: *Expletis annis quadraginta.* & Theophylac. ibidem. Nec multum distat ministerium quod angelis concedit Chrysost. ad Hebr. 2. homil. 3. col. 6. *personandi buccinis, & faciendi fumum, ignem & nebulas.* Quod idem admittit Theophylact. Galat. 3. ad illud: *Ordinata per angelos.*

16 Secunda conclusio. Non tantùm in Veteri, sed
Ministerium angelorum etiã in Nouo testamento. etiam in Nouo testamento ministerium angelorum interueniebat, vt fierent & mouerentur corpora & voces, quibus Spiritus sanctus mittebatur, aut Pater apparebat, & ostendebatur. Ita docent omnes Scholastici, pro prima conclusione citati, potissimùm agentes de visibilibus missionibus Spiritus sancti factis ad Christum Dominum, sub specie columbæ, vel ad Apostolos sub specie linguarum ignis, & spiritus vehementis, aliisque Noui testamenti missionibus. Atque id expressè docuit August. lib. 4. de Trinitate cap. vlt. & Gregorius Mag. relati pro conclusione prima. Quin etiam Dionys. idem significat illis verbis: *Ante legem & post legem*, & illis: *eam ad nos*, &c. Nos enim sumus in testamento Nouo.

17 Ratio tandem ordinariæ prouidentiæ, quæ nuper adducta est pro conclusione præcedenti, non minorem vim habet in testamento Nouo quàm in Veteri; præsertim cum repræsentatio diuinæ personæ, quæ visibiliter mittitur, non impediatur, licet corpora repræsentantia fiant & moueantur angelorum ministerio; vt videbimus statim.

18 Sit igitur tertia conclusio. In illis rebus, quæ
Verè ac propriè mittebãtur diuinæ personæ, &c. ministerio angelorum fiebant & mouebantur, verè ac propriè mittebantur diuinæ personæ Filij vel Spiritus saancti; quoniam in illis erant tanquam obiectum repræsentatum in signo, quod illius aduentum & præsentiam demonstrabat. Ita docent Magister 1. sentent. dist. 16. cap. 2. ad fin. Alexand. 1. p. quæst. 74. memb. 4. & 5. S. Thomas in præsenti art. 7. arg. 2. & solutione, & ad 5. & 1. sentent. dist. 16. quæst. 1. art. 1. ad 1. & art. 4. Vbi S. Bonau. art. vnico quæst. 1. corp. & ad 1. & q. 3. ad 3. Durand. quæst. 1. fine. Ricard. art. vnico q. 4. Argentina quæst. vnica art. 1. fine, & art. 4. Carthus. & apud eum Ægidius quæst. 1. col. 2. & 3. Marsil. 1. quæst. 19. post art. 4. dum respondet ad 1. & 2. rationem principalem, Caietanus, Canarien. & alij recentiores citati pro concl. 1.

Huic etiam adiungere poteris alium modum, 19
quo persona diuina continebatur in rebus illis, sub quarum specie mittebatur & apparebat, nimirum tanquam prima & principalis causa in suo effectu supernaturaliter causato; quatenus angelis dedit speciale mandatum formandi, mouendíque talia corpora; & illis adhibuit generalem concursum, supplendo quod angelorum potentia naturalis attingere non poterat.

Vnde respond. ad rationes dubitandi, positas 20
in princ. Ad primum negando sequelam; & ad probationem, Antecedens negatur. Nec enim ille Spiritus apparere censetur in corporibus assumptis, qui format & mouet illa corpora; sed qui repræsentatur in illis, & cuius nomine loquuntur aut agunt. Imo propriè loquendo, non sunt ab angelis assumpta corpora, quæ formant & mouent; nisi destinentur ad ipsos repræsentantes tanquam suo priuato nomine, & non in Dei persona loquentes. Vnde August. lib. contra Adamant. cap. 9. *Quemadmodum*, inquit, *Verbum Dei, quod est Christus, in propheta loquitur veritatem; sic etiam in angelo ipse loquitur, quando veritatem angelus annunciat. Et rectè dicitur: Deus dixit: & Deus apparuit: & item rectè, Angelus dixit, & Angelus apparuit; cum illud dicatur & persona inhabitantis Dei, hoc ex persona seruientis creatura.* Quod idem exemplo declarat lib. 3. de Trinit. cap. 11. parum à principio. *Cum verba iudicis præco pronunciat, non scribitur in gestis: Ille præco dixit, sed ille iudex.*

Ad secundam respond. concedendo totum. 21
Cæterum satis est Spiritum sanctũ esse principalem causam, imperantem & vtentem Angelorum ministerio, & cum illis generaliter concurrentem, ad producendum illud visibile signum eiusdem Spiritus sancti.

Ad tertiam constat ex conclusione prima, non 22
esse verum illud discrimen. Et ad primam probationem illius respond. Fateor, propter euidentiorem demonstrationem diuinæ personæ missæ, necnon ob maiorem dignitatem Noui testamenti, non fieri mentionem angelorum in missionibus & apparitionibus diuinarum personarum: cæterum, occultum eorum ministerium adhibebatur in omnibus. Ad probationem alteram respond. Augustinus ibi non loquitur, nisi tantum de summo discrimine, quoniam in nouo testamento Dei Verbum caro factum hominibus visibiliter apparuit, illósque docuit ore proprio.

SECTIO XI.

Signa missionis visibilis nec vniebantur hypostaticè nec diuinam substantiam in se ipsa ostendebant.

TRia dubia sunt in præsenti tractanda. Pri- 1
mum de vnione hypostatica, quia Tertullian. lib. de carne Christi cap. 3. fine putat, columbam, quæ apparuit Christo baptizato, fuisse hypostaticè vnitam personæ Spiritus sancti, ait enim: *Qui Spiritus cum hoc esset, tam verè erat & columba, quam & Spiritus: nec interfecerat substantiam propriam assumpta substantia extranea.* Indéque probat, Verbum potuisse carnem assumerè.

Pamelius in eundem librum annotat. 29. refert 2
eiusdem sententiæ fuisse authorem libri de agone Christiano

Christiano inter opera Augustini cap. 22. ea forta-
sse ratione deceptus, quoniam in prædictis verbis Tertulliani non intellexit vnionem hypostaticam (sine qua non posset verificari Spiritum sanctum fuisse columbam tam verè, quàm fuit Spiritus) sed tantùm intellexit, columbam fuisse verum & viuum animal, quod solum indicat ille liber de Agone Christiano: quamuis neque hoc dicat expressè.

3 Nihilominus tanquam certum ab omnibus Ca-
Nullũ signũ missionis fuit vnitum hypostaticè, præter humanitatem. Censura. tholicis traditur, præter naturam humanam assumptam à Verbo, nullam aliam naturam fuisse hypostaticè vnitam alicui personæ diuinæ: peculiaritérque columbam non fuisse hypostaticè vnitam Spiritui sancto. Vnde contrarium existimo dignum erroris nota. Probatur primò ex August. qui lib. 2. de Trinit. cap. 6. parum à princ. notat, *Ideo nusquam scriptum esse, quod Deus Pater maior sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Patre: quia non sic est assumpta creatura, in qua apparet Spiritus sanctus sicut assumptus est Filius hominis.*

4 Et lib. 4. de Trinit. cap. 21. sub init. de colum-
ba & linguis igneis ait: *Cum ad eius personæ vnitatem, sicut caro, quod Verbum factum est, non copularetur.* Ac post med. eiusdem capitis: *Quis hoc dixerit, vt quidquid illud est creatura, per quod sonuit vox Patris, ita sit Deus Pater; aut quidquid illud est creatura, in quo per columbæ speciem, vel per linguas igneas Spiritus sanctus demonstratus est, ita sit Spiritus sanctus sicut est Dei Filius homo ille, qui de Virgine factus est.* Denique tract. 99. in Ioan. propius ad princ. quàm ad med. tanquam de fide docet, à nulla persona diuina, præter Filium, assumptam fuisse hypostaticè naturam aliquam creatam; ideóque Spiritui sancto nec columbam, nec ignem fuisse hypostaticè vnitum.

5 Hanc Augustini sententiam vt certam sequun-
tur omnes Scholastici, & expositores sacræ Scripturæ, Magister 1. distinct. 16. cap. 3. S. Thomas in præsenti art. 7. ad 2. & dist. 16. quæst. 1. art. 1. ad 1. Vbi S. Bonau. quæst. 3. ad arg. Scotus quæst. vnica ad 1. Ricard. art. 1. quæst. 5. ad 3. Argentina quæst. vnica art. 2. Carthusian. q. 3. Aureolus ad finem totius distinct. 16. dum soluit arg. Marsil. quæst. 19. art. 3. Torres in præsenti quæst. 43. art. 7. parte 2. sub init. Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 6. §. 19. & 20.

6 Colligitur etiam ex Euangeliis inter se collatis,
capite Matthæi 2. Lucæ 3. Marci 1. & Ioan. 1. in quibus Baptista vidit *Spiritum Dei descendentem sicut columbam*, siue, *quasi columbam, corporali specie.* quæ denotant, vt minimum, Spiritum sanctum non fuisse columbam, sed apparuisse sub imagine columbæ. Quidquid sit, an illa columba fuerit viuum & verum animal, quod est alterius negotij: dicemus aliquid sect. 12. ad finem.

7 Ratione probatur primò, quia res tanti mo-
menti, quanti est vnio hypostatica, non est asserenda, sine testimonio Scripturæ. Secundò, quia non est conueniens, vt Deus in vnitatem personæ assumeret irrationales naturas, nedum inanimes; vt multis rationibus ostendunt Theologi de Incarnatione tractantes.

8 Tertiò, quia semel admissa vnione hypostatica
columbæ, consequens erit, propter rationis paritatem, in cæteris apparitionibus Veteris & Noui testamenti fuisse hypostaticè assumpta corpora, sub quorum specie apparebant diuinæ personæ. Vnde multo plura sequuntur inconuenientia. Quartò, quoniam post vnionem hypostaticam continuò dimitti res illas & destrui, non expediebat. Quintò, quoniam vnio hypostatica non requirebatur ad finem illarum apparitionum siue missionum; sufficiebat enim vnio rei significatæ cum suo signo; vt vidimus sect. præced. concl. 3. Sextò, quoniam plurimæ rationes, quæ probant necessitatem Incarnationis, nullum locum habent ad probandam necessitatem incorporationis Spiritus sancti: vt constabit singulas consideranti in materia de Incarnatione.

Secundum dubium est, vtrum in illis appari- 9
tionibus visa sit ab hominibus ipsamet substantia Filij vel Spiritus sancti. Affirmabant enim Ariani quidam, eo quod existimabant, solum Patrem esse inuisibilem: vt refert August. lib. 2. de Trinit. cap. 9. & sequentibus. inter quos erat Maximinus, probans 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali & inuisibili soli Deo.* & cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* Quem errorem confutat Augustin. lib. 2. contra Maximin. cap. 3. & sequentibus, & lib. 3. cap. 9. & sequentibus.
Substantia Filij vel Spiritus sancti non fuit visa in apparitionibus.

Atque in eiusmodi propositionibus exclusiuis 10
includi tres personas æqualiter, vt Filius & Spiritus sanctus sit immortalis & inuisibilis non minus, quàm Pater, ostendimus disp. 40. præsertim sect. 6. Quod etiam dogma docet Magister lib. 1. sent. dist. 16. cap. 2. cum Augustino lib. 2. de Trinitate cap. 5. prope finem. Idémque docet lib. 2. sentent. dist. 8. cap. *Cæterum.* & vtrobique omnes Scholastici.

Sed inde nascitur dubium tertium, quid prosit 11
corporeum & visibile signum, quandoquidem ipsa diuina persona venire non cognoscitur, nisi per interiorem mentis illuminationem. Respond. quatuor esse potissimùm illius vtilitates. Prima, quoniam intellectualis nostra cognitio non fit, nisi per conuersionem ad phantasmata, & per conceptus connotatiuos rerum sensibilium. Ideo supernaturalis etiam cognitio suauius & congruentiùs excitatur per sensibilia signa. Rectè namque August. lib. 2. de Trinit. cap. 5. fine dixit: *Vt exterioribus visis hominum corda commota, à temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis conuerterentur.*
Vtilitates visibilis signi.

Secunda vtilitas est certitudo miraculi exterio- 12
ris atque sensibilis, quod veram esse confirmat interiorem illustrationem & inspirationem de aduentu diuinæ personæ. Tertia vtilitas est gaudium & alacritas, quæ per illam sensibilem apparitionem in totum corpus diffunditur, ratione cuius promptissimum & aptissimum redditur, vt seruiat ministeriis spiritualibus, per quæ possit gratiam & sanctificationem in alios diffundere.

Quarta vtilitas est analogia signi sensibilis, 13
quod tanquam hieroglyphycum proponitur multis, vt coniiciant ex eo finem & proprietates rerum, quæ per illud significantur. Plura de hoc videri possunt apud Alexand. 1. p. q. 74. memb. 2. S. Thom. in præsenti art. 7. corp. & 1. sent. dist. 16. a. 1. ad 6. Vbi S. Bonau. art. vnico tota q. 2. Scotus q. vnica fine. Ricard. a. 1. q. 2. Argentina q. vnica a. 1. circa finem Carthus. q. 1. præsertim cum Vdalrico.

SECTIO XII.

De qualitatibus & circunstantijs rerum, quæ sentiuntur in missione visibili.

PRimò requiritur esse tales res, in quibus de- 1
prehendatur aliquod miraculum, superans
Requiritur miraculum.
vires

vires naturæ; nam alioqui non excitabit mentem, ad cognoscendam præsentiam diuinæ personæ; vel certè non magis, quàm omnes res naturales excitant.

2 *Repente fieri debet non ad alium finem quàm ad significandum,*

Inde sequuntur secundò, res præexistentes, licet Christum aut Spiritum sanctum significauerint aliquando, non esse sufficientes ad missionem siue apparitionem, sed opus esse *repente*, vel *ex tempore*, fieri tantùm ad significandum: vt apertè deducitur ex Augustino lib. 2. de Trinitate cap. 5. prope finem, & c. 6. fine. & idem docet S. Thom. in præsenti art. 7. ad 2. & cæteri Scholastici.

3 Propterea Cassianus lib. 2. de Incarnatione paulo post med. tractans illud ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei. Hoc*, inquit, *rectissimè apparuisse dicitur, quod subita quasi apparitionis luce monstratur. Sicut in Euangelijs apparuisse stellam Magis orientalibus legimus. In omnibus enim visionibus sacris hoc vtendum vel maximè verbo, Scriptura existimauit, vt apparuisse hoc diceret, quæ insolita claritate refulgerent*, &c. Vnde Glossa in illud Actorum 1. *Per dies quadraginta apparens eis. Apparere dicitur*, inquit, *quod insolitum est.* Cum igitur omnis missio visibilis includat apparitionem, addens insuper aliud (vt vidimus sect. 8.) Consequens est, vt repentina, inopinata, & non sperata tunc temporis, species rerum sensibus offeratur, quando fit missio visibilis.

4 *Per sacramenta visibilia missio non fit.*

Tertiò sequitur, per quæcumque sacramenta Nouæ legis, aut veteris, non fuisse factas, nec fieri missiones visibiles Spiritus sancti; quamuis illa sint visibilia & sensibilia signa gratiæ, per quæ Spiritus sanctus inuisibiliter mittitur in animam. Ratio igitur est: prima, quoniam in illis nihil repentinum & miraculosum occurrit sensibus, quo tanquã signo monstretur aduentus Spiritus sancti.

5 Secunda ratio est, quoniam visibilem missionem Spiritus sancti semper comitatur, aut præcessit inuisibilis missio; vt vidimus sect. 8. At verò signa sensibilia sacramentorum multoties conferuntur sine missione inuisibili Spiritus sancti, propter obicem, quem apponit recipiens effectui sacramentorum. Itaque non significant infallibiliter aduentum Spiritus sancti sicut missio visibilis. Ideo nec ad Eucharistiam, nec per Eucharistiam ad animam est missio visibilis diuini Verbi, quandiu sensibus externis occurrit nihil insolitum & miraculosum: præsertim cum eius effectus possit impediri.

6 Vniuersaliter ergo visibilem missionem ad sacramenta non fieri, nec per sacramenta ad suscipientes, docent Scholastici, nemine contradicente. Alexand. 1. p. quæst. 74. memb. 5. corp. & ad 1. S. Thom, in præsenti art. 7. in solutione ad 2. prope fin. & 1. sent. dist. 16. quæst. 1. art. 1. ad 3. Vbi Ricard. art. vnico quæst. 1. ad 2. Carthusian. q. 1. colum. 2. Canarien. in præsenti art. 7. parte 1. notab. 2. Suarez lib. 12. de Trinitate cap. 6. num. 12. & 13.

7 *Ad missionem requiritur res perceptibilis exteriori sensu.*

Quartò sequitur, missiones visibiles non fieri per imaginatiuas visiones, quæ tantum interioribus sensibus repræsentantur: sed continere corpora realia, sensibus externis perceptibilia præsertim visu & auditu, quibus iidem sensus realiter immutentur. Ita docet expresè August. lib. 2. de Trinit. cap. 6. à med. S. Thomas in præsenti art. 7. ad 2. & dist. 16. quæst. 1. art 3. ad 1. Vbi Ricard. art. vnico quæst. 5. Durand. quæst. 3. num. 9. & 10. Maior quæst. vnica post med. Argent. quæst. vnica art. 3. (licet sub dubio.) Carthusian. quæst. 2. circa med. Aureolus art. 5. Marsil. quæst. 19. art. 4. & ad argumenta. Canarien. & cæteri recentiores in præsenti art. 7. nemine contradicente.

8 Ratio est, nam exterioribus sensibus visas, vel auditas, aut tactu perceptas esse res, quæ apparuerunt in missionibus visibilibus, planè simplicitérque significant Scripturæ verba, quibus referuntur singulæ missiones. Quarum omnium historiam expendere longum esset, & alienum à disputationibus de Trinitate. Proprium autem munus erit expositorum ad singula loca Scripturæ declaranda. Satis est nunc obseruare quod omnibus est generale, nimirum ea cuncta, quæ simul videntur vel audiuntur à plurimis hominibus, non esse visiones imaginarias singulorum hominum: sed exterius realiter eorum sensibus proponi.

9 *Opus non est res esse naturæ, cuius apparent esse.*

Quintò sequitur ex dictis, ad rationem visibilis missionis non esse necessarium, res illas, quæ sensibus obiiciuntur, esse veras eiusdem naturæ, cuius apparent. itaque nec fuit necessarium, columbam fuisse verum & viuum animal, quando Spiritus sanctus descẽdit sub specie columbæ; nec fuit necessarium, veras & viuas linguas fuisse, quæ apparuerunt in Pentecoste. Hoc itaque necessarium non esse pro certo supponunt omnes Scholastici; quamuis dubitando discutiant, vtrum de facto fuerint illæ res veræ, vel tantum apparentes. Quemadmodum S. Thom. 3. p. quæst. 39. art. 6. & 7. & 1. sentent. distinct. 16. quæst. 1. art. 3. ad 3. Vbi Durand. quæst. 3. num. 11. Ricard. art. vnico quæst. 5. Maior quæst. vnica post med. Carthus. quæst. 3. col. 7. & sequent. Aureol. art. 5. Marsil. q. 19. art. 4. fine Canarien. art. 7. parte 3. Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 6. num. 14. & sequentibus.

10 *Quare Spiritus sanctus non est missus sub specie creaturæ rationalis.*

Sed quod attinet ad factum, satis erit præsentiarum generalem regulam præscribere; vt quæ commodè promptéque fieri possunt ab angelis ex elementis aut mixtis imperfectis (quas vocant meteorologicas impressiones) ea verè sint illius naturæ, cuius apparent: cætera verò non sint vera, sed tantum apparentia, propterea-que nec columba fuerit viuum animal, nec linguæ veræ fuerint partes animalium.

11 In his occurrunt plurima circa potestatem angelorum adaptandi vel producendi corpora, circa materiam corporis adaptandi, & omnes qualitates corporis apparentis. Verum hæc proprio in loco disputauimus vbi de angelis 1. p. quæst. 51. art. 2. Quæ pertinent ad columbam & ad vocem Patris propriam sedem habent circa historiam vitæ Christi Domini 3. parte. & apud expositores Euangeliorum.

SECTIO XIII.

De congruentijs in particulari singularum missionum visibilium, attinguntur & remittuntur præcipua capita.

1 PRimò de missione visibili generaliter, quid afferat vtilitatis & congruentiæ, dictum est satis in sect. 11. dubio 3. Secundò Spiritum sanctum visibiliter mitti non sub specie creaturæ rationalis aut intellectualis, sed sub specie creaturæ irrationalis, & aliquãdo etiam insensibilis; quamuis Filius fuerit missus secundum dignissimam creaturarum corporalium, videlicet, naturam humanam: hanc, inquam, inæqualitatem adhiberi missionibus personarum prorsus æqualium, fuisse conuenientissimum, probant omnes illæ rationes congruentiæ, quibus Theologi probare solent,

solent, fuisse conuenientissimum, vt non persona Patris, nec Spiritus sancti; sed tantùm persona Verbi naturam humanam assumeret, vt satisfaceret ad æqualitatem, doceret, & adoptionem filiorum communicaret. Spiritus verò sanctus non erat mittendus, visibiliter; nisi ad significandam superefluentiã sanctitatis. Hæc autem significatio dari potuit sine vnione hypostatica; vt vidimus sect. 11. dub. 1.

2 At verò sine vnione hypostatica non expediebat, naturam rationalem assumi ad significandum Spiritum sanctum. Primò, ne videretur alia Incarnatio fuisse facta. Secundò, ne daretur honor creaturæ, quæ ratione sui capax est honoris & laudis; sed daretur creaturæ, quæ ratione sui est incapax; inde namque constaret clarius, honorem illi deferri propter solam repræsentationem Spiritus sancti.

3 *Ad beatissimam Virginem missiones visibiles.*

Tertiò, quia non oportuit longo tempore durare signum aduenientis Spiritus sancti, sed subito apparens postmodum euanescere: hoc autem non expediebat fieri in homine vero: at in homine apparente per ministerium angelorum, non erat maior dignitas, quàm in linguis. Nam lingua significat illud, quod præstantissimum est in creatura rationali, videlicet potestatem explicandi conceptus & affectus. Videri potest. S. Thom. in præsenti artic. 7. ad 4. & 1. sentent. dist. 16. q. 1. art. 3. ad 2. vbi S. Bonauent. artic. vnico tota q. 3. & alij Scholastici ibidem.

4 Tertiò. Beatissimæ Virgini datam fuisse visibilem missionẽ Spiritus sancti die Pentecostes cum omnibus Apostolis, omnes Scholastici pro certo supponunt, & planè colligitur ex sacro textu Act. 1. collato cum cap. 2. Sed vtrum alias visibiles missiones Spiritus sancti Beatissima Virgo sibi peculiaris acceperit, doctores dubitant. S. Thom. 1. distinct. 16. quæst. 1. artic. 2. ad 4. negat, quia Beatissima Virgo non ordinabatur ad plantandam Ecclesiam per doctrinam, & administrationem Sacramentorum: sicut Apostolus 1. Timoth. 2. præscribit: *Docere mulieri non permitto.* & 1. Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui.* Quam sententiam sequitur Vdalricus apud Carthusian. statim citandum.

5 Nihilominus pium, & probabilius est, alias peculiares sibi missiones visibiles datas fuisse Beatissimæ Virgini, quibus manifestaretur eius authoritas ad docendos Apostolos & Euangelistas, aliósque sui temporis discipulos (licet non ad publicè concionandum;) fuit enim sine dubio superexcellens magistra fidei post suum Filium Dominum nostrum. Ita sentiunt Carthusian. 1. dist. 16. quæst. 2. à med. Vbi Aureolus art. 4. prope fin. Marsil. 1. quæst. 19. art. 4. dub. 4.

6 *Conueniens fuit species columbæ.*

Quartò. Fuisse conueniens, missionem visibilem Spiritus sancti ad Christum Dominum fieri, non in conceptionis instanti, nec toto tempore vitæ ante Baptismum, sed in Baptismo, dictum est sect. 8. prope finem. Addimus in præsenti conuenientem fuisse columbæ speciem, quæ significaret fœcunditatem regenerandi per Baptismum eos, qui renascuntur ex aqua & Spiritu sancto cui conuenienter additur illa vox Patris. *Hic est Filius*, &c. vt omnes allicerentur ad filiationem adoptiuam per Baptismum obtinendam. Præterea suauitas morum, cãdor atque simplicitas, mansuetudo, ardentissima quoque dilectio erga vnicam sponsam Ecclesiam significatur in columba. *Nubes in Transfiguratione.* In Trãsfiguratione nubes lucida significauit exuberantiam doctrinæ. Sic in cæteris missionibus congruentias breuiter tangit S. Thom. in præsenti art. 7. ad 6. Copiosius autem tractant Patres & cæteri expositores Matthæi 2. Marci 1. Lucæ 3. & Ioan. 1. necnon vbi Transfigurationem exponunt vel caput 2. Actorum, & in homiliis de mysteriis eisdem.

DISPVTATIO CX.

Vtrum æqualis, eademque sit operatiua virtus, & operatio trium personarum.

SECTIO I.

Sequentium disputationum necessitas, & errores aduersus æqualitatem operationis.

1 NAm non agimus de immanentibus operationibus Patris & Filij, qui sunt actus notionales, nec de potentia elicitiua illorum: de quibus dictum est satis à disput. 92. vsque ad 102. Sed agimus de transeuntibus operationibus, quibus creaturæ producuntur & gubernantur, & de virtute seu potentia sic operandi.

2 *Necessitas harum disputationum.*

Videbimur alicui fortasse, iam prætergredi metas instituti nobis propositi de mysterio Trinitatis; quoniam operationes istæ procedunt à Deo, qua ratione Deus vnus est, non qua ratione trinus. Veruntamen ad pleniorem explicationem eiusdem mysterij valde necessarias esse, quas ordior, disputationes, animaduertet quicunque legerit eas attentè. Valent enim imprimis ad probandam Filij & sancti Spiritus æqualitatem & consubstantialitatem cum Patre; consequentérque ad refutandas plurimas blasphemias Arianorum. Secundò, ad ostendendam perfectionem vniuscuiusque personæ, non modò quatenus Deus est, sed etiam quatenus est talis persona, tali relatione constituta. Tertiò valent, vt constet, vnamquamque personam, ratione personalis proprietatis, esse per se requisitam ad productionem creaturarum, ita vt sine vna persona nihil efficere possent duæ reliquæ.

3 Propter has igitur & alias rationes multies in præcedentibus disputationibus lectorem remisimus ad præsentes, & ad testimonia Patrum in eis referenda. Tenemur ergo fidem liberare promissi. Delegimus autem hunc locum, non modò quia S. Thomas aliquid de his attingit sequentibus quæstionibus 44. & 45. quod suo loco referemus; sed præcipuè quoniam personarum consideratio in ordine ad creaturas, ex se postulat esse posterior cæteris: & cognata est considerationi missionum, quæ duas præcedentes disputationes occupauit.

4 *Primus error.*

Primus error fuit Arianorum dicentium, solum Filium, sine vlla cooperatione Patris aut Spiritus sancti, creasse vniuersas creaturas, atque ad eum finem prius fuisse Filium à Deo Patre conditum siue productum. Hunc refert Athanasius oratione 3. contra Arianos paulo propius ad princip. quàm ad med. his verbis: *Deum volentem creatitiam naturam producere, cum vidisset, eam puritatis suæ & architectationis participem esse non posse, condidit primus, & fecit vnus vnum, eumq; appellauit suum Filium & Verbum, vt eo condito, reliqua*

per eum condi possent. Hæc non solum dixere, sed & & scribere ausi sunt Eusebius (Nicomediensem intelligit) *& Arius, & qui idolis sacrificauit Asterius.* Quorum mentem fuisse, quam diximus, constat clariùs ex superiori & inferiori contextu Athanasij.

5 Faciebant igitur illi Filium inferiorem Patre, non solum quia factus & creatus esset à Patre, sed etiam quoniam illi committebatur cæterarum rerum creatio, tanquam personæ minoris puritatis & architectationis, eo quod aliæ creaturæ non possent esse participes puritatis & architectationis Dei. Hoc ipsum intendebat defendere philosophus ille, pro Ario disputans in Concil. Nicæno lib. 2. prope med. quando dixit, *Instrumentum esse præparatum Filium, vt per ipsum omnia crearet Deus.* Quod refutant Patres ibidem §. *dicitur*, & §. *non ita.*

6 *Refutatur.* Breuiter autem expugnat eundem Augustinus libro vnico contra sermonem Arianorum cap. 3. sub init. *Vellem*, ait, *vt isti dicerent, vtrum duos constituant creatores. Quod si non audent, vnus est enim, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: Quid est quod ipsi dicunt, iubente Patre omnia creasse Filium, tanquam Pater non creauerit, sed per Filium creari iusserit?* Eotlem tendunt, quæ Maximinus respondebat Augustino, cum eo disputanti, lib. 1. contra illum, col. 2.

7 Clariùs autem Cyrillus Alexand. lib. 1. thesaur. cap. 2. initio scribit *Cum voluisset*, inquiunt Ariani, *Deus creaturas de nihilo euocare: quoniam non potuissent mevam illius virtutem sufferre, Filium primò creauit, (quem Verbum appellauit) talem, vt virtutem suam ei totam infuderit, vt per ipsum tanquam per medium cætera fierent. Erat enim alioquin etiam indecens ineffabilem Dei virtutem ad hæc minima peruenire.* Hunc ex professo confutat Cyrillus in eo cap. 2. & 3. necnon dialogorum de Trinit. lib. 4. à medio vsque ad fin.

8 *Secundus error.* Secundus error, in quem præcipitati sunt, vt priorem pertinaciter defenderent, sic habebat. *Creatura Filius est, & tamen creat, quia id à Deo quasi à magistro atque artifice didicit, vt esset minister ad opera sua.*

9 *Tertius error.* Tertius errot, in præcedentibus virtualiter inclusus, fuit, *Filium esse primam & eximiam Patris creaturam: Spiritum autem sanctum ante alias creaturas à Filio fabricatum esse.* Theodoretus refert hæretic. fabularum lib. 4. colum. 4. Cui consequens est, quod Eunomius dicebat, Spiritum sanctum esse facturam solius Vnigeniti, ita vt eum non produxerit Pater. Quod refert Basil. lib. 2. contra Eunomium prope finem. & commemorauimus etiam disputat. 66. sect. 2. & disputat. 96. sectione 1.

10 *Quartus error.* Quartus error, præcedentibus consonus, asserit, per Christum omnia esse facta, veluti per causam instrumentalem ac minorem causa principali. Legimus hunc apud Origenem tomo 2. in Ioannem; cui fortasse fuit ab Arianis insertus contra mentem Origenis, vt tractatum est disputatione 20. sectione 4. Theophylact. ad illud Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, ex professo refutat Arium exponentem, *Tanquam* per instrumentum.

11 Hunc imitatus Lutherus in primum caput Geneseos Filium appellat *instrumentum Patris.* Verùm neque hoc absolutè concedunt Transyluani lib. 2. cap. 6. Dicunt enim, Christum nihil egisse in mundi creatione; si tamen deberet aliquid concedi, non posse plus concedi, quàm vt instrumentum fuerit Patris. ita refert Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 9. col. 2. §. *Ariani.*

Ministrum autem fecit Eunomius, dicens: *Idcirco Vnigenitus, quoniam à solo natus & creatus, perfectissimus factus est minister.* Hæc refert Basil. lib. 2. contra Eunom. paulo post med. Illum imitatus Melanethon lib. contra Stancarum & in epistola ad electorem Brandeburgensem, *Filius*, inquit, *minister est Patris*; loquitur autem secundum personam & naturam eius præcipuam, non secundum humanitatem assumptam. Valentinus Gentilis protheſi 24. dicit. Solum Patrem esse principalem authorem cœli & terræ, Filium autem fuisse ministrum Patris in creatione: apud Bellarm. loco nuper citato. 12

Quintò, iuxta prædictos errores, omnino nihil causalitatis confert Spiritus sanctus ad creationem vel gubernationem rerum, neque vt instrumentum aut minister Patris aut Filij; nedum vt principalis causa. Nihilominus Maximinus Arianorum Episcopus dicebat, Filium illuminare per Spiritum sanctum, & Spiritum sanctum illuminare per Filium. Addebat tamen Spiritum sanctum esse subiectum Filio; vt videre est apud Augustinum libro 1. contra Maximin. colum. 2. & 3. 13

Prædictos errores Ariani probant omnibus Scripturæ testimoniis, quibus Diuinitatem Filij vel æternam generationem, vel æqualitatem oppugnant. Quæ toto præsenti volumine declarata sunt variis disputationibus præcipuè 4. & 50. 54. & 96. sect. 5. & 6. Vbi declaratum est illud Prouerb. 8. iuxta Septuaginta: *Dominus creauit me principium viæ suæ ad opera sua.* Horum enim verborum sonitus videbatur magis directè probare, Filium fuisse primo creatum, vt Patri ministraret in aliarum rerum creatione. 14

Huc etiam pertinent multa, quibus Scriptura significat, Patrem dedisse, Filium verò accepisse à Patre, non tantum quod est, sed etiam quæ loquitur & operatur. Quæ omnia declarata sunt disput. 50. sect. 5. & 6. Quemadmodum alia, quæ tractant de mandatis siue præceptis, quæ Filio Pater imposuit, & quibus Filius obedit, exequens voluntatem Patris, & illius doctrinam, & non aliam prædicans, declarata sunt eadem disput. 50. sect. 9. & 10. Alia demum, in quibus dicitur, Patrem operari per Filium siue per Verbum, quasi per brachium aut manum, vel per Spiritum sanctum quasi per digitum, aut operari cum Spiritu sancto, tractabuntur in hac & sequentibus disputationibus. 15

Posset aliquem commouere, quod Genita Sapientia dicit Ecclesiastici 24. *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Hoc sicut ab Arianis non fuit obiectum; ita nec ab antiquis Patribus non fuit enarratum; maximè quoniam ex hæreticis plurimi librum illum vt canonicum non recipiebant. Hoc igitur iuxta rationem exponendi, quam probauimus tota disputat. 50. sic est intelligendum, vt non modo Christus Dominus, secundum humanitatem Patri ministrauerit in eius ædificanda domo, quæ est Ecclesia, de qua continuò subiungit: *Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui.* Vbi quæ sequuntur, agunt de congregatione sanctorum: veruntamen simul etiam, atque potissimum intelligatur æternam sapientiam, prout est Verbum genitum, fuisse cooperatam æqualiter ac similiter cum Patre ad creationem & administrationem omnium pertinentium ad hanc habitationem Patris. 16 *Præoccupatur obiectio.*

Græcum

Græcum enim verbum significat publica munera & ministeria obire, præcipuè magistratus, rempublicam gubernando (vt Iansenius ibi notat) Filius autem omnia *portat verbo virtutis suæ*, hoc est gubernat, illique peculiari ratione tribuitur magisterium, directio, & sapientia Ecclesiæ communicata. Quod autem præmiserat paulo superius: *Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium.* intelligi debet, quemadmodum cætera de præceptis à Patre datis Christo Domino declarauimus disput. 50. sect. 9. & 10.

17 Restant igitur exponenda duo potissimùm, quæ diuinarum personarum operationem, in creaturas transeuntem apertè directéque loquuntur, sed tamen inæqualitatem sonare videntur. Alterum pertinet ad personam Spiritus sancti, tractabitur autem sect. 4. postquam sect. 2. & 3. tractauerimus quod pertinet ad personam Filij.

SECTIO II.

AEqualitatem & identitatem operationis non impugnat, sed efficaciter probat, quod Filius non operetur à seipso, Ioan. 5. & 8.

1 CEterùm aduersus Catholicos erigebãt Ariani, iactantes illud Ioann. 5. *Amen amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Quod statim applicatur ad opus viuificandi mortuos, & iudicandi, continuóque repetitur: *Non possum ego à me ipso facere quidquam. Sicut audio, iudico.* Et paulo inferius: *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea*, &c. Deinde cap. 8. circa medium. *Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Et post pauca: *A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor.*

2 *De ipsa persona Verbi tractare prædicta testimonia.* Hæc licet inferioritatem, indigentiam, ac dependentiam sonare videantur; propterea que facilius intelligi possint de Christo Domino, ratione humanæ naturæ, non ratione personæ diuinæ (sicut aliqui Patres exponunt, referendi sect. 3. ad finem) nihilominus de ipsa persona Verbi fuisse potissimum dicta, persuadent efficaciter rationes. Prima, quoniam his similia dicuntur de Spiritu sancto, quæ declarabimus sect. 4. At Spiritui sancto non inest aliqua natura creata, hypostaticè vnita, ratione cuius illa verificentur. Secunda, quoniam alia pene innumera, quæ sonant inferioritatem Filij, declaranda sunt non tantùm de humanitate, sed etiam simul atque potissimùm de persona Verbi; sicut probatum est tota disput. 50. Tertia potissimáque ratio est, quoniam, vt acutissimè viderunt Patres infra citandi, non modo præcedens, & sequens contextus, sed etiam ipsa verba, quibus Ariani decipiuntur, validissimè probant, identitatem naturæ & operationis, idque plurimis argumentis, quæ virtualiter inclusa latent in altitudine profundissimæ responsionis, datæ ad obiectiones Iudæorum.

3 *Ad colligendã identitatẽ naturæ & operationis primum argumentum. Creatura quid à seipsa possit.* Primum argumentum est, quia persona, quæ non potest à seipsa facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, non potest esse alterius distinctæ naturæ vel operationis, sed prorsus eiusdem naturæ & operationis cum Patre. Quælibet enim creatura potest aliquid ex se ipsa facere. Si enim sit creatura rationis compos, pec-

care potest, atque mentiri, quod ex propriis & ex se ipsa loquitur & facit. Si verò sit irrationalis creatura, habet à se ipsa defectum, ratione cuius assequi non potest operationem Patris. Itaque à se ipsa potest defectuosam & imperfectam facere operationem, quam Pater non facit esse defectuosam, quantum est ex parte Patris.

4 At verò Filius non potest à seipso facere quidquam: ideóque neque potest ab vnitate diuinæ voluntatis & operationis recedere, nec peccatum aut mendacium à seipso loqui, nec potest defectuosè operari. Propterea Dominus Ioan. 8. postquam dixerat: *A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor*, adiungit: *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud Patrem vestrum facitis.* & quæ sequuntur vsque ad illud: *Vos ex Patre diabolo estis*, & illud: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Vnde Concil. Arausicanum authoritate Leonis Magni canone 22. ait: *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.*

5 Attigit hoc argumentum Basil. epistol. 141. ad Cæsarianos inter med. & fin. obiectioni, *Quod Filius non potest à seipso facere quidquam*, ita respondens: *Mihi verò hoc dictum potissimum hoc indicat, quod eiusdem cum Patre naturæ sit Filius. Si enim vnaquæque creaturarum aliquid potest ex seipsa facere, creatura non est Filius.*

6 Clariùs autem idem argumentum confirmant alij Patres. Chrysostomus in Ioan. c. 5. homil. 37. inter med. & fin. *Nos*, inquit, *quibus nihil vilius vel abiectius, sæpenumero à nobisipsis operamur, malitiam reiecta virtute deligimus. Quod si nullam haberemus potestatem, neque peccando gehennæ supplicio torqueremur, neque regnum cœlorum bene operando consequeremur. Quomodo ergo intelligitur, non posse Filium à seipso quicquam facere? Quoniam quod nulla in re est Patri contrarium, nihil ab eo alienum potest facere: quod maximam æqualitatem & conuenientiam ostendit.* Explicat autem continuo non imbecillitatis, sed infinitæ potentiæ propriam esse hanc impossibilitatem. Quemadmodum Hebr. 6. *Impossibile est mentiri Deum.* & 2. Timoth. 2. *Negare seipsum non potest.* Vnde concludit: *Ita hoc in loco, Non possum à me ipso facere quicquam: hoc est, impossibile est, vt Patri contrarium faciam.*

7 Cyrillus Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 135. col. 1. ait: *Non honorari à me sabbatum putatis, quia hominem eo die curaui? sed ego nunquam id feciſſem, nisi hæc à Patre quoque fieri viderem, qui per me mundum etiam die sabbati gubernat. Impossibile*, inquit, *est, quum Filius eius, & ex eo naturaliter sim, me aliud velle aut aliud facere, quàm quod Pater & velit, & faciat.* Quod idem argumentum confirmat fusiùs versus finem eiusdem capitis ab illis verbis: *Quoniam in ægrotum hominem die sabbati misericors fuit, ac propterea Iudæi, vt iniquum persequebantur, reconciliare illos his verbis voluit, & ita Deum Patrem etiam in sabbato misericorditer facere affirmat.* Vnde post pauca infert: *Quoniam*, inquit, *semper, in sabbato quoque similiter, misericordem esse Patrem video, idcirco etiam ego in sabbato misericorditer facio. Non enim possum substantiam Patris commutare, quum vnum atque idem cum Patre secundum naturam sim.*

8 Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 3. inter medium & finem. *Per inseparabilem*, inquit, *vnitatem nihil à se facit Filius, quoniam nihil vult quod Pater nolit. Quod vtique non infirmitatis sed vnitatis est. Ergo nec contumax Filius. Nihil enim consiliarius Filius facit, quod cum Patris non conueniat voluntate.*

9 Hilarius lib. 7. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad princip. ait: *Ad violati sabbati obiectum sibi reatum dixerat: Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor: vt vsurpasse hoc ex authoritate intelligeretur exempli: significans tamen hoc quod ipse ageret, Patris esse opus intelligendum, quia ipse in se operaretur operante.* Et inferius in med. libri. *Ne qui Dominus*, ait, *sabbati est, impiè operari sabbato crederetur, cuius opus per natiuitatis naturam paterni in se operis esset authoritas.* Consequenter autem lib. 9. propius ad med. quàm ad fin. *Si paternæ*, inquit, *in se naturæ authoritate quod gerit, gerente Patre agit, qui vsque modò operatur in sabbato: extra crimen operis est Filius, in quo paternæ operationis præfertur auctoritas. Non enim ad infirmitatem retulit, non potest, sed ad auctoritatem.* Quod in sequentibus confirmat fusius.

10 Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. ante med. *Falsum*, inquit, *habere aliquid hoc Verbum nunquam potest, quia immutabiliter sic se habet, vt se habet de quo est. Non enim potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas, quia falsa esse non potest veritas.* Et lib. vnico contra sermonem Arianorum cap. 14. fin. *Posset*, inquit, *Filius facere, quod non vidisset Patrem facientem; si posset peccare. Hoc autem quia non potest, non deficienter potest, sed potenter.* Confirmatur iste discursus, quia sicut Filius nihil potest facere contrarium voluntati Patris: sic etiam non potest vnquam cessare ab opere, quod Pater operatur. Vt in eodem contextu manifestè continetur, & bene ponderat Augustinus tract. 20. in Ioan. col. 2.

11 *Secundum argumentum ex eisdem verbis desumptum.* Secundum argumentum, in eisdem verbis contentum est, quoniam singulariter Filius appellatur, tanquam vnicus & naturalis & consequenter eiusdem naturæ. Quod ponderat Hilarius vtroque lib. nuper citato præsertim verò lib. 7. in med. dicens: *Filius est, quia à se nihil potest: Deus est, quia quæcumque Pater facit, & ipse eadem facit: vnum sunt, quia ex æquatur in honore, & eadem facit, non alia.*

12 Damascenus lib. 4. fidei cap. 19. multo propius ad princip. quàm ad med. *Non potest*, inquit, *Filius à seipso facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: nam nisi Pater est, non est Filius: ex Patre enim Filius, & in Patre, simul cum Patre, & non post Patrem. Similiter & quæ facit ab ipso & cum ipso facit: nam vna & eadem, non similis, sed eadem Patris & Filij & Spiritus sancti voluntas, actioq; atque virtus.*

13 Confirmatur, sic enim responsio Christi Domini melius retundit calumniam Iudæorum, quærentium *interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Hoc enim non arrogantis blasphemiæ, sed veritatis causa dictum esse, confirmat identitate & inseparabilitate operationis, quæ consequitur identitatem naturæ, communicatæ per generationem.

14 *Tertium argumentum.* Tertium argumentum ex eisdem verbis accipitur, quia propterea Filius non potest à seipso facere quidquam, quia non est à seipso, sed à Patre generante, à quo sicut naturam & esse; sic etiam recipit operationem, quoniam in Deo idem est operari quod esse. Breuiter hoc argumentum attigit Athanas. orat. 4. contra Arian. paulo post med. & dialogo 1. de S. Trinit. contra Anomæum inter med. & fin. & disput. contra Arium habita, Laodicææ propius ad fin. quàm ad med.

15 Fusius autem Augustin. tract. 20. in Ioan. col. 3. illis præsertim verbis: *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: hoc est, quidquid Filius habet vt faciat, à Patre habet vt faciat: quare habet à Patre vt faciat? Quia à Patre habet vt Filius sit. Quare à Patre habet vt Filius sit? quia à Patre habet vt possit, Filio enim hoc est esse quod posse.* Et quæ sequuntur. Idem August. lib. vnico contra sermonem Arianorum cap. 14. *Ideo dictum est*, inquit, *quod non faciat aliquid Filius à se, quia non est à se: & ideo quidquid facit, Patrem videt facientem; qui videt ex ipso faciendi se habere potentiam, ex quo se videt existendi habere naturam.*

16 Cyrillus Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 135. col. 1. *Impossibile*, inquit, *est, cum Filius eius, & ex eo naturaliter sim, me aliud velle aut aliud facere, quàm quod Pater & velit, & faciat; non quia quasi exemplo quodam didicerim, aut quia voluntate imitandum esse Patrem iudicauerim: sed quia naturæ legibus ad eandem operationem atque consilium conscendo.*

17 *Filius per se agit licet non à se.* Declaratur & confirmatur amplius idem argumentum. Sic enim Filius à se non agit vt tamen per se agat: quoniam vt quidditatiuè continet eandem essentiam Patris, ita quidditatiuè ratione suæ essentiæ & proprietatis personalis continet eandem virtutem & operationem. Ideo Hilarius lib. 9. de Trinit. longè post med. contrarium errorem ita redarguit: *Naturæ hæc vnitas est, vt ita per se agat, ne à se agat: & ita non abs se agat, vt per se agat. Intellige agentem Filium, & per eum agentem Patrem. Non abs se agit, cum Pater in eo manere monstratur. Per se agit cum secundum Filij natiuitatem agit ipse quæ placita sunt.* Quod fusiùs confirmat licet familiari obscuritate.

18 Propter hoc Hilarij testimonium Magister 1. distinct. 42. cap. vlt. docet, quod Verbum licet non operetur à se, operatur tamen per se propriáque virtute. Quem sequitur Alexander 1. p. quæst. 21. memb. 1. art. 3. Albert. 1. p. q. 77. memb. 1. quæst. incid. part. 1. ad 1. S. Thom. 1. part. quæst. 42. art. 6. Scholast. eadem distinct. 42. Alij dist. 20. 1. sentent. Vbi Argentina quæst. vnica. Carthusian. quæst. 1. Idem verò colligitur ex dictis disput. 101. sect. 4. & 5. de omnipotentia communi tribus personis.

SECTIO III.

Quod Ioannis 5. & 8. Demonstrat Pater, & docet, Filius autem videt & audit, *operationis identitatem probat. Vbi etiam explicatio secundum humanitatem.*

1 PErgimus ad argumenta reliqua, quibus probetur idem dogma, quod cæpimus præcedenti sectione. Sit igitur quartum argumentum, quia Pater non prius facit opera solus, quæ postea Filio demonstret, vt illis tanquam exemplaribus visis addiscat operari: sed demonstrandi vocabulo significantur ideæ, quas intelligendo Pater concipit, & per intellectionem generando communicat Verbum. *Quartum argumentum. Demonstrandi vocabulo significantur ideæ.*

2 Athanas. igitur in disp. contra Arium, habita in Concil. Nicæno, col. 3. premit eum interrogando, *quodnam cœlum & mare fecerit Deus in principio? ac deinde quid Filius, quum ea condita vidisset, vt ipse quoque similiter*, &c. Veritatis euidentia fatetur Arius: *Nefarium puto asseuerare, primum mundum à Deo conditum esse, alterum autem à Filio, re ipsa apud omnes manifesta, nõ alium esse mundum, quàm qui conspicitur.* Vnde continuo subintulit Athanasius: *Igitur ex se Filius creauit omnia*, id est per se, vt dictum est in fine præcedentis sectionis. Premit autem euidentius quod addit dialogo 2. contra Anomæum propius ad med. quàm ad princip. dicens: *Si ex eadem tua sententia illud Euangelistæ explices. Quæcumque fecit Pater, similiter etiam facit Filius, faciet etiam Filius alium Filium, vt omnia similiter faciat atque Pater.*

3 Nazianz. autem orat. 36. quæ est 4. de theolog. circa med. num. 39. *Quomodo illud accipiendum*, inquit, *quod Patrem facientem videre dicitur, atque ita facere? An vt qui formas & literas pingunt, eo quod veritatem aliter assequi nequeant, nisi exemplar suum intueantur, atque inde velut manu ducantur? Pater ne alium mundum ante hunc coagmentauit, atque alium rursus in posterum coagmentabit, quos Filius ante oculos proponens, alterum quidem iam procreauit, alterum autem procreaturus sit.* Alludit nimirum Gregor. ad illud Isaiæ 65. *Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam.*

4 Ostendit igitur consequentis absurditatem, ac refutationem aliam adiungit, quia nunquam prius à Patre facta fuerant plurima ex miraculis Christi Domini, vt ex illis exemplaribus addisceret Filius. Colligit ergo declarationem, & ait: *Nonne perspicuum est, eorundem rerum formas à Patre quidem velut designari, à Filio autem peragi, non seruiliter atque indoctè, sed peritè & heriliter, atque vt aptius loquar, paternè. In hunc quippe sensum verba hæc accipio: Quæcunque Pater facit, eadem & Filius similiter facit: non quia similia sint vtriusque opera, sed quod par sit vtriusque potestas atque auctoritas.*

5 Vbi Gregorius *rerum formas intelligit exemplaria* siue ideas, quæ à Patre *velut designantur*, id est, intelligendo concipiuntur, & per generationem Filio communicantur. Sed *peraguntur* à Filio, quatenus Filius est ipsum Verbum, quo Pater iubet, vt fiant: iuxta illud Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt*, &c. Ab hac explicatione verborum Nazianzeni non nihil discrepare videtur Elias Cretensis num. 41. Veruntamen illius mens eodem prorsus euadit.

6 Epiphanius hæresi 69. prope fin. eandem Arianorum obiectionem refellens: *Pater*, inquit, *non prius fecit, & postea Filius struxit. Quod enim cœlum fecit per seipsum Pater, vt de forma primi cœli accepta similitudine Filius ita operaretur? In principio enim fecit Deus cœlum & terram. Et simul in principio dicit: faciamus hominem*, &c. *& non dixit, Ades huc, faciam & ostendam quomodo opereris.* Deinde verò ait: *Et fecit Deus hominem: & non dixit, fecit & ostendit Filio quomodo oportet facere hominem. Neque enim in ignorantia erat Filius, vt postquam didicit artem, tunc ea quæ eius sunt, operetur.* Eodem argumento vtitur in Ancorato inter principium & medium.

7 Cyrillus in Ioan. lib. 2. cap. 135. fin. *Quod si contendunt*, inquit, *expectari à Filio Patris operationem, vt eam imitari possit: ostendant nobis, absque Filio à Patre vnquam aliquid esse factum, aut quod ad rem pertinet, aliquem dissolutum membris à Patre absque Filio curatum afferant, vt possint per imitationem Patris à Filio hunc hominem curatum fuisse nobis persuadere.*

8 Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 3. inter med. & finem ait: *Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem quod bona est. Numquid hic dixit Pater: Fiat talis lux, qualem ipse feci? sed fiat lux, quæ ante non fuerat. Aut Filius qualem faceret interrogauit? sed fecit vt voluit, qualem Pater vsque eo voluit, vt probaret.* Hilarius lib. 7. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad princip. ait: *Non de aliquo operis corporalis exemplo, vt aliquid prius Pater faceret, ad quod postea Filius facturus esset: sed cum natura Dei in naturam Dei substitisset, id est, ex Patre Filius natus esset, per virtutis ac naturæ in se paternæ conscientiam, nihil ab se, nisi quod Patrem facientem vidisset, Filium facere posse testatus est.*

9 Augustinus in Ioann. tract. 20. col. 4. *Fecit Deus Pater lucem*, ait: *Quam aliam fecit Filius? Fecit Deus Pater firmamentum, cœlum inter aquas & aquas, vidit eum Filius secundum intelligentiam tuam tardam & grossam, quia vidit Filius Patrem facientem firmamentum, & dixit, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Da mihi alterum firmamentum.*

10 *Quintum argumentum.* Quintum argumentum supponit Filium esse Patris sapientiam, vt constat variis Scripturæ testimoniis, quæ ponderauimus disput. 58. sect. 4. & 5. iterúmque videmus disput. sequenti sect. 4. Vnde colligit, Filium videre & audire non insipienter, vt discat, sed æqualiter cum Patre sapientem, ab æterno communicatam accepisse cum generatione notitiam.

11 Sic Hilarius lib. 7. de Trinitate multo propius ad med. quàm ad principium. *An ne demonstratio operum*, inquit, *aliud hic nobis præter quam natiuitatis fidem ingerit, vt subsistentem Filium ex subsistente Deo Patre credamus? nisi forte per ignorationem credendus est vnigenitus Deus doctrina demonstrationis eguisse.* Et non longè inferius: *Demonstrata enim ei potius opera Patris esse ait, quàm ad operationem eorum naturam virtutis adiectam: vt demonstratio ipsa natiuitatis esse substantia doceretur, cui per dilectionem Patris operum paternorum, quæ per eum effici vellet, esset connata cognitio.* Quam hic appellat connatam cognitionem, frequentius tam in hoc lib. quàm in 9. vocat conscientiam, sub quo nomine verbis aliis instruit argumentum idem lib. 9. post med.

12 Chrysostomus in Ioann. homil. 37. inter med. & fin. obseruat, Christum Dominum *non dixisse, quæ vidit Patrem facere, ea facit: sed, nisi quod viderit facientem, temporis continuationem significans. Vestra autem sententia semper eadem discet.* Notat igitur Chrysostomus, visionem Filij coëxistere cum scientia Patris, & non subsequi, sed præcedere, priusquam Pater operetur in tempore.

13 Cyrillus Alexand. in Ioan. lib. 2. cap. 135. prope medium. *Quid dicis*, ait: *ô omnium hominum audacissime? tu figuras quasdam operationis paternæ colligere Filium credis, & hoc modo Deum appellari putas? Doctrina quadam ergo, & non natura Deus esse videbitur, & scientia quadam, & arte more humano Patrem imitabitur.* Vnde cap. 137. in med. *Pater Filio demonstrat quæ ipse facit, non quasi depicta in tabulis, nec quasi ignorantem doctrina iuuans: sed totum seipsum in natura Filij sic pingens, vt quæcumque in se habeat, in Filio demonstret.*

14 Augustinus tract. 40. in Ioan. circa med. ad illud cap. 8. *A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor*, ait: *Incorporaliter Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium, nec eum sic docuit, quasi indoctum genuerit, sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse. Si enim simplex est natura veritatis, hoc est Filio esse, quod nosse. Ab illo ergo habet vt noverit, à quo habet vt sit.*

15 Sextum argumentum continetur in illo aduerbio *similiter*, quod refertur non ad alia opera, sed ad eadem, quæ Pater facit. Septimum argumentum nititur in supremo & nulli subiecto Dominio Filij viuificantis quos vult. Verùm hæc & alia tractabimus sect. 5. & sequentibus.

16 *Ad humanitatē posse referri verba, quæ tractamus.*

Nunc ad humanitatem simul cum persona Filij referri posse prædicta verba Ioan. 5. & 8. notant aliqui ex Patribus in hac & præcedenti sect. citatis. Epiphanius hæresi 69. prope finem postquam de diuina persona docuit intelligenda verba Ioan. 5. subiungit: *Ne humanitati ipsius solum attenderet, mens auditorum, dixit: Nihil facit Filius, nisi viderit Patrem facientem: vt ostendat opus Filij esse opus Patris, & Patrem complacentiam habere in ipsius totius operationis dispensatione.*

17 Eodem modo illud: *A me ipso non loquor.* Secundum humanitatem intelligit Chrysostomus tomo 3. prope finem serm. ad illud 1. Corinth. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia tunc & ipse Filius subijcietur*, &c. Cyrillus in Ioan. dicto lib. 2. cap. 135. inter med. & fin. ait: *Quia serui formam assumpsit, propterea dispensando ita loquitur, vt Deum & hominem simul deceat; & hæc quidem ratio vera est, illa verò etiam acutior.* Nimirum Filium non posse à se facere quidquam, quia non est à se, sed à Patre.

18 Sic etiam Ambros. lib. 5. de fide ad Gratian. c. 6. init. illud Ioann. 12. ad fin. *Ego ex meipso non sum locutus*, sed *qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio, quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor.* Exponit esse dictum vel secundùm humanitatem vel propter identitatem diuinæ sententiæ, voluntatis & operationis, quæ continetur in vnitate naturæ, Filio communicatæ. Augustinus denique cum altera expositione de persona Verbi, coniungit hanc expositionem de Christo Domino prout est homo tract. 40. in Ioann. inter princ. & med. & tract. 99. colum. 1.

SECTIO IV.

Quoniam Spiritus sanctus non à semetipso loquitur, sed quæ audit, colligitur identitas & æqualitas operationis.

1 HOc testimonium Pneumatomachi contra Spiritum sanctum obiiciebant: quemadmodum contra Filium Ariani, quod non operaretur à semetipso. Multa nihilominus argumenta ex eisdem verbis Euangelij desumpta, probant efficaciter omnimodam æqualitatem vsque ad identitatem scientiæ, locutionis & operationis eodem prope modo, quo præcedenti sect. 2. & 3. de verbis similibus circa Filium disseruimus. Rectè namque Augustinus, Chrysostomus, Basilius, Didymus & alij infra citandi, notarunt eandem esse vim & significationem in iis, quæ de Filio, & in iis, quæ dicuntur de Spiritu sancto.

2 Ioannis 16. Christi Domini verba sunt. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* In his ergo pro dogmate, quod tractamus, totidem ferè sunt argumenta quot verba. Primum, propterea quippe non à se loquitur, quoniam à se non est. Etenim à Patre & Filio rerum omnium scientiam & locutionem diuinam & infallibilem accipit, sicut accipit essentiam. *Primum argumentum.*

3 Ideo August. tractatu 99. in Ioan. in med. *Sic debemus*, inquit, *accipere quod de Spiritu sancto dictum est, Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, vt intelligamus, non eum esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est.* Cuius processionem postquam explicuit magis, adiungit: *Ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi scire est: scire verò esse, sicut superius disputatum est. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo, a quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud, quàm scientia.* Occurrit autem obiectioni continuò, quæ nascitur ex modo loquendi temporis futuri, *Accipiet*, qui repugnare videtur æternitati diuinæ processionis. Sed huic satisfecimus disputat. 104. sect. 4. Insistit in eadem ponderatione Augustin. non tantùm in sequenti contextu, sed etiam tract. 100. Cuius sententiam sequitur, vt solet, Beda Ioan. 16. videlicet tomo 5. col. 773.

Basilius lib. 5. contra Eunom. cap. 16. in med. 4
Quod si dicant, ait, *Non loquitur à semetipso Spiritus, sed quæcumque audiet loquetur. Dicemus, ipsis, quod nec Filius à seipso loquitur, sed qui me misit Pater, inquit, ille mihi dixit, quid dicam, & quid loquar: Quæcumque enim Spiritus & Filius loquuntur, Dei verba sunt: & propterea omnis scriptura diuinitus inspirata, & vtilis est, quam locutus est Spiritus.*

Didymus lib. 2. de Spiritu sancto paulo post med. ait: *Non enim loquetur à semetipso: hoc est non sine me, & sine meo & Patris arbitrio: quia inseparabilis à mea & Patris est voluntate: Quia non ex se est, sed ex Patre, & me est: hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, à Patre & me illi est* Quod fusius confirmat inferiùs, & adiungit: *Loqui ergo Patrem, & audire Filium: vel econtrario, Filio loquente audire Patrem, eiusdem naturæ in Patre & Filio consensus, & significatio est.* Idem argumentum fusiùs, licet obscuriùs tractat Hilarius lib. 8. de Trinitate versus med. 5

Secundum argumentum, quoniam Spiritus sanctus non loquetur à semetipso, sicut aliqui prophetarum, qui quandoque dicebant, *Hæc dicit Dominus*: quandoque verò non Dei verba referebant, sed ipsi loquebantur ad Deum, vel ad populum proprio nomine: cum tamen econtrario necessarium omnino sit, vt quæcumque loquitur Spiritus sanctus, loquatur Deus, quoniam Spiritus sanctus est Deus de Deo. Vtitur hoc argumento Basilius dicto lib. 5. contra Eunom. sect. 16. post med. & infert: *Non enim aliquando sua, aliquando quæ Dei sunt, loquitur; id namque creaturæ est, verum Spiritus verba, Dei verba sunt similiter & Filij. Propterea nec Filius à seipso loquitur.* Et post pauca: *Quæcumque Pater loquitur per Filium, in Spiritu loquitur.* 6 *Secundum argumentum.*

Præcedenti cognatum est argumẽtum tertium, quod admodum latè perpendit Chrysost. tomo 3. homil. 3. de Spiritu sancto, quæ incipit, *Heri à nobis*, à medio, cuius neruos breuiter colligam ex his, quæ scribit inter med. & finem eiusdem homiliæ: *Vnde hoc*, inquit, *quod à seipso loquens pseudopropheta est, vel quod loqui à seipso pseudoprophetam indicat? Dicit Ezechiel: Viuo ego, dicit Dominus ad prophetas, qui seducunt populum meum, non misi eos: à seipsis loquuntur.* Quod Vulgatus interpres ita legit: *Prophetantes de corde suo, qui sequuntur spiritum suum.* Ezechiel. 13. initio, & post med. 7 *Tertium argumentum.*

Inde Chrysostomus infert, Christum Dominum, *à suspicione seductoris se purgasse, dicendo, Ego à me ipso non sum locutus.* vt vidimus sectione 2. & 3. Quod paulo inferius confirmat, quia Diabolus, *quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, Ioan. 8. Vnde concludit: *Sicut igitur Saluator purgans se à suspicione, dicit: Ego à me ipso non loquor, sicut deceptores: sic etiam de Spiritu sancto.* 8

Vnde

Vnde in sequentibus colligit, euidens indicium esse, quod aliqui non habeant Spiritum sanctum, quamuis se iactent illius nomine, quia non loquuntur Euangelica, quæ Christus Dominus docuit, sed à semetipsis: cum tamen Spiritus sanctus non à semetipso, sed à Filio & Patre loquatur.

9 *Quartum argumentum.*

Quartum argumentum est, quoniam appellatur *Spiritus veritatis*, quod illi nomen conuenire non posset, nisi per processionem à Filio, qui est veritas, acciperet eandem scientiam eandémque locutionem & operationem Filij. Rectè siquidem Didymus lib. 2. de Spiritu sancto paulo post med. (apud Hieronymum.) *Ad Deum Patrem*, ait, *quidam allegans preces loquitur: Dirige me in veritate tua, hoc est, in Vnigenito tuo, propria voce testante: Ego sum veritas. Quam perfectionem tribuit Dominus, mittens Spiritum veritatis, qui credentes in totam dirigat veritatem.* Et non longè inferiùs: *Spiritus veritatis, Spiritus sapientiæ non potest, Filio loquente, audire quæ nescit: cum hoc ipsum sit, quod profertur à Filio, id est, procedens à veritate.* Consonat Hilarius lib. 8. de Trinitate circa med. Psalm. 34. Ioann. 14.

10 *Quintum argumentum.*

Quintum sequitur ex præcedentibus, quoniam eandem esse scientiam Spiritus sancti, quæ Patris & Filij, significatur dicendo: *Non loquetur à semetipso.* Sic enim exponit Chrysost. homil. 77. in Ioan. circa med. *Nihil contrarium, nihil aliud, quàm so locuturum significat. Quemadmodum enim de se locutus, inquit, à me ipso non loquor, id est, nihil præter Patris voluntatem, nihil alienum: ita & de Spiritu. De meo accipiet, hoc est, quæ ego scio & cognosco, vna enim mea & Spiritus scientia.*

11 1. Corinth. 2. Vulg. *Sensum Christi.*

Cyrillus Alexand. lib. 13. thesau. cap. 3. sub initium. *Mens*, inquit, *Filij Spiritus est secundum Paulum. Nos autem mentem Christi habemus inquit. Non ergo potest Spiritus alia loqui, quàm ille, cuius mens est. Nihil ergo ex seipso locuturum Spiritum dixit, quasi diceret: Ego ipse rursum locuturus vobis sum; quemadmodum si humana mens de prodeunte ab ipsa sermone diceret: Nihil loquetur à se ipso, sed loquetur quæ audiet.* Eandem explicationem repetit sequenti cap. 4. ante med. & dialogor. de Trinit. lib. 7. col. penult. & lib. 10. in Ioan. cap. 41. fine.

12 Ambrosius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 5. sub init. (alias cap. 6.) *notat. Non loquetur à semetipso, sed quæ audit loquetur.* esse dictum, *vt aduerteremus, quod quidquid Spiritus loquitur, loquitur & Filius: & quidquid loquitur Filius, loquitur & Pater, quia vna sententia & operatio Trinitatis est.*

13 *Sextum argumentum.*

Sextum argumentum est præscientia futurorum, quæ propria est solius Dei: continetur autem in illis verbis. *Quæ ventura sunt, annunciabit vobis.* Quod Basilius lib. 5. contra Eunom sect. 16. post med. confirmat Apostoli testimonio 1. Corinth. 2. *Nullus scit quæ hominis sunt, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est; sic & ea quæ Dei sunt, nullus nouit nisi Spiritus Dei. Et rursus. Spiritus enim scrutatur etiam profunda Dei.*

14 Cyrillus autem lib. 10. in Ioan. cap. 41. fin. ait: *Quum quasi mens mea sit, ea quæ mea sunt, reuelabit. Hæc à Saluatore dicuntur, non vt ministri locum habere Spiritus videatur, vt imperitè à nonnullis prædicatur: sed vt eiusdem esse cum Filio substantiæ confirmetur. Propterea præmisit: quia etiam ventura annunciabit vobis, ac si diceret: id signum vobis sit, ex mea illum substantia esse, & mentem esse quasi meam, quia futura, vt ego, vobis prædicet. Quod facere minimè posset, nisi in me esset: & cum per me procedat, eiusdem mecum substantiæ sit.*

15 Generalis verò confirmatio præcedentium argumentorum elucet in postremis verbis præsentis testimonij: *Omnia quæ habet Pater mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet.* Inde namque processionem æternam Spiritus sancti non tantum à Patre, sed etiam à Filio, merito probant pletique Patres supra disp. 67. sect. 2. & 3. In quo argumento magis insistit Hilarius lib. 8. de Trinit. circa med.

Aduertendum est tandem, Spiritum sanctum, 16
licet non à se loquatur; nihilominus per se loqui: quemadmodum Filius licet à seipso nihil faciat; nihilominus per se facit, vt vidimus sect. 2. fine. Rectè igitur Damascen. lib. 1. fidei cap. 10. ante med. dicit, *Spiritum sanctum per semetipsum creantem, & ad essentiam deducentem vniuersa, & sanctificantem.* Obserua illud, *per semetipsum.*

SECTIO V.

Filius eadem, quæ Pater, similiter operatur, vt Dominus agendi quæ vult.

AD Filium nos iterum vocant ea, quæ restant 1
expendenda in verbis Ioan. 5. quæ posuimus initio sect. 2. In quibus aduerbium illud, *similiter*, sufficere potuisset, ad hæreticorum audaciam refrænandam: siquidem non alia opera, nec aliter operatur Filius, quàm Pater; sed potius *quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Id quod grauiter obseruauit Nazianz. citatus sect. 3. sub initium.

Marcellinus Papa epist. 1. ad Salomonem epis- 2
copum in med. *Quod autem*, ait, *communem operationem habeant Pater & Filius, hoc modo docetur, dum primi hominis plasma Deus ad imaginem Dei communi operationis virtute fecisse fertur, Scriptura dicente:* (*Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*) *item ibi:* (*descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*) *Et pluit Dominus à Domino ignem & sulfur super Sodomam. Et in Euangelio:* (*Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Similiter & opera quæ ego facio, non sunt mea, sed eius qui misit me, Patris:*) *Quæ omnia non discretam Patris & Filij potentiam monstrant, sed vnam Diuinitatis operationem annunciant.* Genesis 1. Ioann. 5. Genes. 11. Ioann. 5. Genes. 1. Ioann. 5.

Basilius autem lib. 4. contra Eunom. non pro- 3
cul. à princ. *Quorum eadem*, inquit, *sunt operationes, eorum est substantia vna: operatio verò Patris & Filij vna est. Vt illud: Faciamus hominem, & rursum: Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Vna est ergo substantia Patris & Filij.*

Ad eadem verba respexit Gregor. Nyssenus, 4
& eorum authoritate fretus epistola contra Apollinarem, de imagine & similitudine contra Apollinar. colum. penult. dixit: *Vna & similis Patris & Filij & Spiritus sancti efficacitas, vna sententia. Quæcumque siquidem fecerit Pater, indiuulsus cooperator est Filius, & quæcumque fecerit Filius aut Spiritus sanctus omnino cooperatur indiuisè Pater: nec enim Filius sine Patre à se ipso per se solus quid facit, nec vllo modo Pater sine Filio & Spiritu sancto, nec rursus Spiritus sine Filio & Patre quippiam operatur.*

Athanasius eandem similitudinem ponderat 5
disputatione contra Arium habita in Concil. Nicæno col. 3. & dialogo 2. de sancta Trinitate contra Anomæum propius ad med. quàm ad princip. in cuius medio *Vnigenitum*, inquit, *esse Patri suo coessentialem, audiuimus ipsummet his verbis dicentem, omnia quæ facit Pater, ea Filius facit similiter. Quorũ enim eadem actio siue efficacitas, eadem quoque*

est essentia. Similiter eadem verba ponderat lib. 3. de assumptione hominis col. 2. Chrysostomus autem homil. 37. in Ioan. propius ad med. quàm ad fin. obseruat *prorsus tolli sententiam* Arianorum verbis illis. *Hæc & Filius similiter facit.*

6 Cyrillus Alexand. in Ioan. lib. 2. cap. 135. non procul à princ. *In eo,* inquit, *quod omnia potest similiter sicut Deus Pater facere, identitas substantiæ confirmatur. Similiter enim operantur, quæ omnino eiusdem naturæ sunt. Quæ autem diuersas essendi habent rationes, in ijs idem operationis modus esse non potest. Sicut igitur Deus verus ex Deo vero, eadem Patri similiter facere potest.* Didymus lib. 2. de Spiritu sancto paulo post med. *Quod si operante Patre & Filio,* ait, *non iuxta ordinem primi & secundi, sed iuxta idem tempus operandi eadem & in dissimilia subsistunt vniuersa quæ fiunt, & Filius non potest à semetipso quicquam facere, quia à Patre non potest separari: sic & Spiritus sanctus nequaquam separatus à Filio, propter vnluntatis, naturæq; consortium, non à semetipso creditur loqui.*

Ioann. 16.

7 Hilarius lib. 9. de Trinit. post med. *Exprobra,* inquit, *infirmitatem Dei Filio, adime quoque naturæ æqualitatem: si non quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter: si discrimen aliquod paternæ virtutis atque operationis admittitur.* Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 3. paulo post med. *Nec enim,* ait, *similiter potest quisquam facere idem opus, quod alius fecerit, nisi qui & inæqualitatem non habeat operationis, & naturæ eiusdem habeat vnitatem.*

8 Augustinus tract. 20. in Ioan. propius ad med. quàm ad fin. ponderat, non dixisse Christum Dominum. *Quæcumque facit Pater; facit & Filius alia similia: sed quæcumque, inquit, Pater facit, hæc eadem & Filius facit similiter.* Explicat autem à dissimili, quoniam idem verbũ facit corporea lingua, quod facit animus hominis: sed animus imperando, lingua verò tanquam instrumentum exequendo, propterea quæ non similiter. At verò Filius idem opus quod Pater similiter facit vt Pater. Vtitur eodem argumento August. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 2. & lib. 2. cap. 3. Leo Mag. serm. vnico de Transfig. cap. 6. post med.

9 *Dominiũ & libertas operandi quæ vult Filius.* Postremum argumentum ex his, quæ continentur in discursu Christi Domini Ioan. 5. quantum ad verba nobis proposita sect. 2. initio. Si Filius opera Patris operaretur, vt minister, & non vt Dominus; sequeretur Filium non agere arbitratu suo quod vult & liberè eligit, cum potestate nõ eligendi. Sed agere ex imperio Patris determinatum aliena voluntate imperantis. Consequens autem manifestè repugnat illis verbis: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat; sic & Filius, quos vult, viuificat.* Vbi diuino consilio fuit additum *quos vult*, non in priori membro, quoniam Patris dominium exploratum erat omnibus; sed in membro secundo, fuit additum, quoniam aduersus Filij supremum dominium erat pugnatura Arianorum blasphemia.

10 Vnde Chrysost. homil. 4. in Ioan. prope med. ait: *Quod ex opificij & generationis dignitate nihilo sit Patre inferior, audi ipsum loquentem: sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: Sic & Filius, quos vult, viuificat.* Rursus homil. 37. in Ioan. inter med. & fin. *Illa,* inquit, *particula sicut Pater suscitat mortuos, indiscretam potestatem: illa autem, Quos vult, æqualem demonstrat.* Eisdem verbis Christi Domini comparabilem esse Patri, & vnius naturæ & communis operationis, deducit Athanas. dialogo 2. de S. Trinitate tribus colum. ante finem & lib. 3. de assumptione hominis ferè inter princ. & med. & lib. de natura humana susceptа non longè post med.

11 Cyrillus Alexand. lib. 2. thesau. cap. 2. prope fin. & lib. 4. cap. 2. inter med. & fin. ita prædicta verba ponderat: *Non enim aliter Pater, quàm Filius viuificat: sed sicut Pater, ita & Filius: eandem semper sibi & Patri operationem attribuens.* Theodoretus in epitome diuinorum decretorum lib. 5. cap. 2. de Filio versus finem. *Quod autem,* inquit, *& ei qui genuit æquales habet vires, & in omnibus æqualis est, & similis, ex Domini doctrina facile sciri potest. Pater enim meus, inquit, vsque modo operatur, & ego operor. Et sicut Pater excitat mortuos, & viuificat, ita etiam Filius, quos vult, viuificat.*

12 Confirmatur primò, nam Arianorum etiam sententia, Filius non est minor, quàm Spiritus sanctus. Sed Spiritus sanctus pollet supremo dominio libertatis ad operandum: ergo etiam Filius. Minor probatur 1. Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat,* &c. *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* & 2. Corinth. 3. ad fin. *Dominus autem Spiritus est, & vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Quibus testimoniis operationem Spiritus sancti prorsus eandem esse, quæ Patris & Filij Basilius probat lib. 5. contra Eunom. pag. 2. 3. & 4. & lib. de Spiritu sancto cap. 16. & homil. 17. in S. Baptismã sub init. Athanasius dialogo 2. sancta Trinitate contra Anom. propius ad fin. quàm ad med. & sequenti dialogo 3. post med. & propius ad fin. quàm ad med. & iterum fusius prope fin. & dialogo 1. contra Maced. post med.

13 Gregor. Nyssenus oratione catechetica cap. 2. post med. *Quomodo,* inquit, *Dei verbum putauimus vim habere eligendi essẽ, operans & omnipotens: ita etiam Spiritus sanctus ad Verbi similitudinem est in hypostasi, eligendi vi prædita, per se mobili, operante, & semper bonum eligente, & ad omne propositum cum voluntate concurrentem habente potentiam.* Quod supremum dominium Spiritus sancti confirmat Nyssenus de oratione Dominica homil. 3. col. vltima referens, quod Matth. 6. dicitur. *Adueniat regnum tuum.* Lucæ 11. dicit: *Adueniat sanctus Spiritus tuus super nos, & purificet nos.* Vnde infert, Spiritum sanctum esse regnum, & ideo nulli regno subditum esse. Veruntamen vulgata eodem modo legit apud Lucam, sicut apud Matth. *Adueniat regnum tuum.*

14 Chrysostomus ad prædicta verba 1. Corinth. 12. homil. 29. prope morale: *Operatur,* inquit, *agendo, non operatur patiendo: & operatur vt vult, non vt iubetur. Sicut enim de Patre dicit Filius, quod excitat mortuos & viuificat: similiter etiam de se, quod quos vult viuificat. Ita etiam de Spiritu, alicubi quidem quod cum potestate omnia facit, & nihil est quod prohibeat. illud enim, vbi vult spirat; etiam si dictum sit de vento, hoc confirmat: hic autem quod omnia operatur, prout vult.* Epiphanius hæresi 74. propius ad fin. quàm ad med. *Spiritus,* inquit, *sanctus cooperatur Filio & Patri, & æqualiter facit, donans ac largiens, prout vult.*

15 Eundem locum Apostoli Theodoretus in epitome diuinorum decretorum lib. 5. cap. 3. de Spiritu sancto prope med. ita ponderat: *Non enim seruilis ministerij, sed Dominicæ authoritatis est sanctissimus Spiritus: nec ad opus exequendum subseruit, sed cooperatur, & vt dominus operatur.* Quod in fine eiusdem cap. & sequentis initio confirmat. Ambrosius autem lib. de Spiritu sancto cap. 1. initio. *Non enim,* ait, *Spiritus sanctus aut potestati alienæ est*

est subiectus, aut iuri, sed suæ libertatis arbiter, omnia pro authoritate propria voluntatis, diuidens singulis prout vult.

16 Confirmatur secundò, nam omnimodã æqualitatem trium personarum in conferenda vita per spiritualem generationem, rectè Greg. Nyssenus ex sacris literis deducit oratione catechet. cap. 39. non procul à princ. *In Euangelio,* inquit, *tres sunt personæ & nominæ, per quæ ijs, qui credunt, origo fit ac generatio: generatur autem ex æquo qui in Trinitate generatur à Patre & Filio & Spiritu sancto. ita enim de Spiritu dicit Euangelium, quod id quod est generatum ex Spiritu, est Spiritus, & Paulus gignit in Spiritu, & Pater omnium est pater.* Peculiariter obserua illam dictionem *ex æquo.*

17 Confirmatur tertiò, quia nullibi legimus, Patrem imperasse Filio rerum creationem, sed econtrario legimus, Filium imperando fecisse. Quemadmodum Baruch 3. de Christo Domino *qui in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est,* dicitur: *Qui emittit lumen & vadit; vocat illud, & obedit ei cum tremore; stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus, & luxerunt ei in iucunditate, qui fecit illas.* Marci 9. *Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi,* &c. & Lucæ 4. *increpauit dæmonium, & imperauit febri.* & Matth. 8. *imperauit ventis & mari.*

SECTIO VI.

Exponuntur testimonia Patrum, quæ vocibus instrumenti, vel ministrantis, aut seruientis significare videntur inferioritatem in operando.

1 NOuorum Arianorum primarium testimonium desumitur ex lib. 8. constitutionum Apostolic. apud Clementem cap. 17. initio. *Vnigenitus,* inquit, *Filius tuus Deus Iesus Christus in omnibus ministrauit tibi Deo ipsius, & Patri in vario opificio creaturarum, & in earum conuenienti prouidentia.* Sic habet antiquior diuisio capitum atque translatio: nam alia recentior hoc ipsum habet lib. 8. cap. 12. paulo post med. his verbis: *Tibi Deo suo, & Patri per omnia inseruiens, tum in varia creatione rerum, tum in prouidentia,* &c. Hæc non possunt ad hominem referri; nam quatenus homo est, nondum erat quando creata sunt omnia, nec ad ea, quæ denuò creantur, & per prouidentiam naturalem administrantur, concurrit humanitas, sed sola persona diuina. Restat igitur, vt persona Verbi seruiat & ministret Patri.

2 *Ministrare & inseruire Patri, quid significet.* Nihilominus hæc & similes locutiones intelligendæ sunt solummodo significare in Patre authoritatem primi principij totius Deitatis, in Filio verò potestatem operandi receptam à Patre per generationem: quemadmodum illud Ioan. 14. *Pater maior me est.* & alia multa, quæ Patrem Filio præponere videntur, exposuimus tota disput. 50. Est autem aliqua peculiaris ratio significandi talem ordinem in operationibus ad extra; quoniam eas Pater per verbum dicit, imperat & exequitur, & tanquam architectus ordinat per ideam. Ideo qua figura dictionis Isai 63. scribitur: *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* cum tamen indignatio Dei sit ipse Deus: eadem Apostoli potuerunt dicere, Verbum ratione sapientiæ & idearum ministrasse Patri, vel fortasse in originali non est aliud verbum, quàm illud quod Ecclesiast. 24. *Et in habitatione sancta coram ipso ministraui.* Cuius honorificum intellectum dedimus sect. 1. prope finem.

3 Denique cum in eisdem verbis obiectionis asseratur Filius esse Deus, idémque repetatur passim in eodem, aliisque capitibus constitutionum; euidens est, nihil obstare vnitati Deitatis & essentiæ diuinæ, quam eædem constitutiones profitentur; & consequenter non obstare identitati potentiæ & operationis. Videri potest lib. 6. constitut. c. 14. fin. & lib. 8. cap. 22. & sequent. vsque ad 28. & Clementis epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini col. 10. Quod autem asseritur, Patrem esse Deum Filij, declaratum est disp. 78. sect. 4.

4 Iustinus in dialogo cum Triphone refertur à fide dignis appellasse *ministeria* opera Filij. Veruntamen ibi Diuinitatem & æqualitatem Filij probat ex professo.

5 Clemens Alexand. oratione adhortatoria ad gent. pag. 2. in med. apertè dicit, *Verbum esse instrumentum concinnum, aptum & sanctum.* Verumtamẽ paulo inferius apertè profitetur, esse Deum, & per illud omnia esse facta. Quapropter abutitur instrumenti nomine, quo significet illud suppositum, quod à primo principio recipit operandi virtutem per quod primum illud Diuinitatis principium operatur. Quod autem *Administrum* appellat Verbum Clemens Alexand. lib. 3. pædagogi cap. 12. prope finem, intelligendum est, quemadmodum nuper explicatus est Clemens Romanus. Nam æqualitatem Diuinitatis expresè testatus fuerat lib. 1. pædagogi cap. 6. sub init. asserens, Verbum esse Deum & perfectum. *Neque quis Verbo maior fuerit.*

Instrumentũ quid significet in præsenti.

6 Præterea ministerium & famulatum aliquando significare cooperationem prorsus æqualem absque vlla inferioritate: manifestum est, quando Spiritus sanctus dicitur ad Incarnationem Filio famulari. Quemadmodum Eutychianus Papa epist. 1. ad Episc. Bæticæ col. 1. *Dei Filius,* inquit, *natus ex Virgine & Spiritu sancto ipso sibi in hac operatione famulante, & sua (Dei videlicet) inumbrante virtute.*

7 Irenæum Catholicis obiiciunt Transyluani, quoniam lib. 3. aduersus hæreses cap. 8. inter med. & fin. ait: *ipse præcepit & creata sunt: ipse dixit & facta sunt. Cui ergo præcepit? Verbo scilicet: per quod,* Psalm. 32. *inquit, cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Veruntamen omnimodam æqualitatem Filij cum Patre ac Diuinitatem illius testatur Irenæus in eodem lib. 3. cap. 6. 8. 10. 12. 16. & 20. nec non lib. 3. cap. 11. & lib. 5. cap. 18. Consequens igitur est vt præcipiendi vocem acceperit Irenæus eodem sensu, quo Christum Dominum variis in locis accepisse, probatum est disp. 50. sect. 9. videlicet, significando, scientiam & voluntatem efficacem creandi Patrem Filio per æternam generationem communicasse. Rursus lib. 4. cap. 14. prope fin. dicit Irenæus: *Omnia Filius administrans Patri perficit ab initio vsque ad finem.* Et in eodem lib. 4. cap. 37. circa med. *Deus Pater ostenditur Spiritu quidem operante, Filio verò administrante, Patre verò comprobante, homine verò consummante ad salutem.* Cæterum hoc verbum administrandi faciliorem explicationem habet iuxta dicta sub initium sectionis.

Præcipere quid in præsenti significet.

8 Basilius lib. de Spiritu sancto c. 16. inter princ. & med. *Cogita mihi Patrem,* ait: *principalem causam eorum, quæ sunt, dein conditricem* (scilicet causam,) *Filium, perfectricem Spiritum sanctum, vt voluntate quidem Patris sint administratorij Spiritus, Filij verò operatione perducantur vt sint, Spiritus autem aduentu perficiantur.* Patrem appellat *principalem causam*, quia est principium, Filio & Spiritui sancto communi

communicans suam potentiam & operationem. Causam verò *conditricem* vocat Filium per appropriationem, inde natam, quoniã Verbo Pater præcipit, vt omnia fiant. Causam verò *perfectricem* vocat Spiritum sanctum, cui appropriatur sanctitas & perfectio: vt videbimus sect. 11.

9 Aliunde verò quamlibet inæqualitatem, aut subiectionem in operando, multoties Basilius negat locis citatis in sectionibus præcedẽtibus. Præsertim verò in eodem lib. de Spiritu sancto cap. 8. paulo post med. dixerat: *Neque quod ipsi, Filio, particularibus mandatis vniuscuiusque operis ministerium commissum sit: Nam istud quidẽ seruile est, & à diuina dignitate immenso semotum interuallo: sed Verbum plenum paternis bonis, & à Patre splendens, omnia facit ad similitudinem eius.* Confirmat autem, quia, *Quorum æqualis est essentia & potentia, æqualis est operatio.*

10 Allegant etiam pro suo errore Transyluani Concilium Syrmien. can. 3. cuius verba sunt: *si quis vnum dicens Deum, Christum autem Deum ante sæcula Filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur, anathema sit.* & can. 27. qui est vltimus, anathematizat eum, qui *Filium Dei ante sæcula subsistentem, & ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat.*

11 Docti recentiores respondent, hoc Concilium esse toleratum potius, quàm approbatum. Nihilominus negari nõ potest, quin veluti Catholicum saltem sub explicatione Hilarij recipiatur à Theologis communiter: vt vidimus disp. 93. sect. 4. Hilarius igitur lib. de Synodis multo propius ad med. quàm ad fin. ita prædictum canonem exponit: *Non præstantem quenquam cuiquam genere substantiæ, sed subiectum alterum alteri natiuitate naturæ: Patrem in eo maiorem esse, quod Pater est; Filium in eo non minorem esse quòd Filius est. Significationem interesse, non interesse naturam.* Et non longè inferius: *Patri subiectus est, vt authori: nec se per rapinam Deo, cuius in forma manebat, æquauit.*

12 Quin etiam ipsum Hilarium obedientiam, obsequium & præceptum dixisse, videmus. Nam lib. de Synodis propius ad fin. quàm ad med. discutiens illud Ioan. 5. *Non potest Filius*, &c. dicit: *Authorẽ discreuit, cum ait: Non potest à se facere. Obedientiam significat, cum addit: Nisi quod viderit Patrem facientem. Non enim virtutis differentia est, non posse, nisi videat: quia virtutẽ magis præstat natura, quàm visus. At verò obsequela est, tunc posse cũ videt. Atque ita per id, quod tunc potest, cum videt, significat, non ex visu se accipere virtutem, sed authoritate visus præsumere potestatem. Nõ ergo differt natura virtus in Patre & Filio: cui hoc posse, quo Pater possit, non ex incremento aliquo naturæ profectus tribuat, sed authoris exemplum.*

13 Videant igitur Transyluani manifestum exemplum, quo Hilarius obedientiam & obsequium Filij coniungit, & consentire facit cum æqualitate atque identitate potestatis & operationis. Quemadmodum etiam consentire vult & concordare præceptum Patris lib. 4. de Trinit. in med. ponderans illud Genesis 1. *Et vidit Deus, quia bona sunt.* dicens: *Placere Patri opera sua gaudet Filius per se ex præcepto eius effecta.* Nihilominus in eodem lib. paulo superius notauerat, *In eo quod dicitur, faciamus, & iussio exæquatur, & factum.* Id est, æqualis virtutis & perfectionis est hominis creationem facere, vel iubere.

14 Sic etiam sequenti lib. 5. col. 4. *Deus est*, inquit, *per quem facta sunt omnia, hoc mihi de eo creatio mundi locuta est. Exæquatur Deus Deo nomine, exæquatur veritati veritas opere*, quod magis cõfirmat col. seq. Nihilominus paulo post medium ejusdem libri 5. Filium appellat, *In creando mundo obedientem dictis Dei Deum, & in figurando homine communis secum & Dei imaginis Dominum creatorem.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. & Catechesi 11. non procul à fine. *Patre volente*, ait, *omnia extruere, Patris nutu Filius omnia creauit, vt nutus custodiat Patris authenticam potestatem.* Et post pauca: *Non quod Pater destituatur in creaturarum gubernatione. Sed quod regnare voluit Filium in his, quæ ab illo facta sunt, ipse exhibens illi rerum creaturarum administrationem.* Prius illud membrum solummodo significat, creandi voluntatem à Patre tanquam primo principio & authore fuisse profectam, & Filio communicatam. Posterius verò membrum non constituit libertatem Patris in eo, quod regnare voluerit Filium, & administrare creaturas ex suppositione, quod creantur: sed in eo, quod Pater liberè potuit velle non creare, & consequenter non regnare Filium, nec administrare creaturas: ideóque liberè voluit, illum regnare & administrare: sicut etiam ipse Filius & Spiritus sanctus hoc ipsum liberè voluit, voluntate sibi per processionem communicata. Alioqui Filium æqualiter cum Patre regnare & operari, satis indicauit Hierosolymitanus catechesi 4. c. 3. in medio dicens: *Cum Patre simul regnans, & omnium per Patrem opifex.*

16 Eodem modo intelligendi sunt alij qui Deo Patri *iubere* tribuunt, sed Filio *facere*. vt Gregor. Nyssen. lib. de Trinit. aduersus Iudæos colum. 2. Hieronym. Amos 6. longè post med. ad illud: *Quia ecce Dominus mandauit.*

17 Epiphanius hæresi 73. multo propius ad med. quàm ad princ. ait: *Ex eo quod ex Patre genitus est, & Patrem audit, & Patri ministrat, ipsum esse habet.* Nihilominus hoc ministerium intelligere sine vllo inæqualitatis vestigio, constat ex illius verbis sequenti hæresi 54. propius ad finem. quàm ad med. *In superioribus per multa testimonia ostensum est, quod Vnigenitus communiter cum Patre facit & æqualiter in omnibus perficit ac largitur.* Rursus in Ancorato inter princip. & med. ait: *sæpe audiui quosdam dicentes, quod Filius fecit nihil, sed per ipsum facta sunt, quæ facta sunt. Si per ipsum facta sunt, etiam ipse fecit. Nam principalis artifex Verbum omnia fecit.* Principalitatem autem æqualem Patri probat ex cap. 1. Genesis, & Ioan. 5. eodem modo, quem ex 69. hæresi retulimus sect. 3. non procul à principio.

Nazianz. orat. 13. quæ est 2. de pace ferè in med. n. 13. de Patre sic loquitur: *Primæ causæ magnificentius est Diuinitatis, quàm rerum creatarum principium esse, ac per interpositam Deitatem ad res creatas venire.* Hoc perfunctoriè consideranti, videbitur fauere primo errori, quem retulimus sect. 1. dicentium, Patrem nihil immediatè creare, sed totam creationem Filio committere. Veruntamen quàm rectè Nazianzenus senserit de æqualitate & identitate operationis Patris & Filij, satis apertè constat ex eius orat. 36. circa med. cuius verba posuimus sect. 3. sub init. Sensus igitur Nazianzeni prædicta orat. 13. fuit non aliter potuisse Patrem dicendo & imperando facere creaturas nisi prius naturaliter erupisset in productionem Verbi, quo djceret & imperaret; atque in productionem Spiritus sancti, quo tanquam amore producto diligeret efficaciter creaturas. Ideo Verbum & Spiritus sanctus appellantur Deitas interposita, per quam primum principium Pater ad res creatas possit venire: vt magis constabit disputatione sequenti.

18

Author

19 Author libri de Trinitate & vnitate (apud Augustinum tom. 4.) cap. 5. sub initium ait: *Dicitur Filius Dei ex voluntate & præcepto Patris visibilia & inuisibilia ex nihilo fecisse.* Et paulo inferius: *In faciendo in omnibus expectans Patris iussionem.* Veruntamen hic author in aliis describens ex Augustino fragmenta, recessit in hoc à modo loquendi Augustini. Potuit autem imitari Patres, quos supra retulimus. ibidem tamen apertè Diuinitatem & æqualitatem Filij testatur.

20 Eusebius Cæsarien. demonstrationis Euangelicæ lib. 4. cap. 2. post med. docet, Theologicis oraculis affirmari Filium *bonum administrum à Patre suffectum esse, vt quasi per vnum penitus sapiens, viuensq; instrumentum, artificialemq; ac omnis scientiæ vim in se habentem regulam, vniuersa ab ipso administrarentur.* & cap. 4. initio. Optimus Pater *vnum iudicauit vnicum ac dilectum Filium omnium rerum, quæ creandæ essent, opificio præfici oportere.* & paulo inferius iterum repetit Filium Patris *animatum & viuum instrumentum omnis essentiæ & naturæ productum esse.* Consonátque lib. 5. demonst. cap. 5. circa med. dicens, Verbum susceptisse mandatum de creando mundo. Citant etiam Transyluani librum 1. historiæ Ecclesiast. cap. 1. & 2. Sed in cap. 2. nihil est ad rem præsentem. At in cap. 1. non procul à principio propositis verbis Psalm. 148. *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt.* Adiungit: *In quibus cuidenter mandantis personam Patris & Filij operantis expressit.*

21 Veruntamen in his omnibus capitibus & alibi sæpe probat ex professo, consubstantialem & æqualem Patri Filium esse. Fateor tamen, à suspicione non esse prorsus immunem Eusebium, nec enim satis constat, euomuisse penitus omnes reliquias Ariani veneni, quod aliquando biberat, præsertim quoniam Arius epist. ad alium Eusebium Nicomediensem, & epistola ad Alexandrum aliquoties dicit, quod Pater substituit Filium & substituit illi suas glorias, apud Epiphanium hæresi 69. pag. 2. videtur autem *suffectum* & *præfectum* idem esse quod substitutum.

22 Citatur etiam sub nomine Tertulliani liber de Trinitate. Verùm illius author fuit Nouatianus antequam laberetur in hæresim, & tunc etiam exiguæ vel nullius authoritatis. Lactantius denique lib. 4. diuinarum institut. cap. 6. in fine concludit ex philosophis & Trismegisto & Sybillis, Deum Patrem vsum fuisse Filio tanquam consiliario & manibus, quibus mundum fabricaretur. Quod intelligit absque inæqualitate, sicut cætera sunt explicata.

SECTIO VII.

Filium non vt instrumentum, nec vt ministrum aut seruum operari testantur alij Patres, vbi etiam de Spiritu sancto.

1 QVamuis hoc sufficienter probatum maneat præcedentibus sectionibus, placuit aliorum Patrum proferre testimonia, qui manifestis ac perspicuis verbis ab operatione Filij prædictas imperfectiones reiiciunt. Concilium Nicænum lib. 2. propius ad med. quàm ad princip. §. *Non ita Philosophe: Manifestum est*, inquit, *quod verè Deus natura sit, & non instrumentum, vt ais, neque creatura neque factura nec Patre posterior.* Et producto testimonio Isaiæ 9. concludit: *Audi Philosophe, Dominum eum esse prædicatum, non autem ministrum, vt vos dicitis.* & sequenti §. *Quid profunda.* multis Scripturæ testimoniis de rerum creatione, quæ Filio tribuitur, confirmat, non fuisse *instrumentum*, quam vocem reperies prope finem illius §. Iterum autem in eodem lib. 3. paulo post med. & §. *in lib. Iob.* Confirmat, æqualem & eandem esse virtutem & operationem Patris, Filij & Spiritus sancti.

2 Antiochena Prima Synodus in professione fidei, missa ad Paulum Antiochenum §. 2. semel & iterum dicit, Filium in creatione mundi *impleuisse voluntatem Patris.* Sed expresè addit: *Per quem omnia fecit Pater non tanquam per instrumentum, neque tanquam per scientiam non per se existentem.*

3 Videri potest hac de re potissimùm Athanasius contra Arianos orat. 1. 2. & 3. & in 3. quidem eos vrget acutissimis argumentis, ostendens inconsequentiam & repugnantiam erroris, asserentis, quod Pater ad creandum Verbum non indiguerit instrumento & Verbo: sed hoc instrumento & Verbo indiguerit ad reliqua opera facienda: quasi Verbum fuerit imperfectius & facilius factu, proptereáque potuerit sine instrumento & sine Verbo fieri. Cuius consequentis absurditas est manifestissima.

4 Breuiùs idem argumentum ponderat Cyrillus Alexand. lib. 5. thesau. cap. 2. sub initium dicens: *si capi non poterat Dei virtus à natura creaturarum, quomodo creatus à nihilo Filius, capax eiusdem secundum vos est? Et quomodo meram Patris virtutem, cum creatura sit, vt vos dicitis, sustinuit? Necesse enim est, vt vel si Filius hoc potuit, quamuis sit creatura, vniuersa id possit creatura: vel si alia id non possunt, quoniam creata sunt, nec ipse possit, quoniam creatus secundum vos sit.*

5 Et prope fin. eiusdem capitis: *si quia virtutem Patris ferre creaturæ non possent, creatus est Filius secundum vos: quoniam & ipse totius virtutis Paternæ vt creatura, capax non erit, necesse est vt aliud medium fingatis, quod totam operationem Paternam potuerit capere. Deinde aliud atque aliud, quod ad infinitum simul atque impossibile exit, & totam creationem rerum euertit.* Vnde toto sequenti cap. 3. probat, non tanquam per instrumentum, sed tanquam per principalem creatorem, per Filium creare Patrem in Spiritu sancto. Quod etiam confirmat dialogor. de Trinitate lib. 4. propius ad fin. quàm ad med.

6 Alia ratione Basilius redarguit eundem errorem lib. 4. contra Eunom. circa med. *Si Patris virtus*, ait, *per Filium creauit: Pater creator est, non Filius: sicut instrumentum non est artifex.* At ex sacris literis constat Filium esse creatorem. ergo Filius non est instrumentum, sed æqualiter creator cum Patre. Rursus creatorem esse Filium & Spiritum sanctum sicut Patet, probat ex Scriptura Basilius sequenti lib. 5. pag. 2. 3. & 4. Nunc sufficiat illud Baruch 3. *Qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam pecudibus & quadrupedibus: qui emittit lumen, & vadit: vocauit illud, & obedit illi in tremore*, &c. *Hic est Deus noster.* & post pauca: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quod ad hunc finem ponderat Nicænum concil. lib. 2. prope med. §. *Quid profunda.*

7 Perpende præterea quod Ioan. 1. *Mundus per ipsum factus est.* Quod autem non seruiliter tanquam per ministrum aut instrumentum, sed tanquam per Dominum & principalem artificem fuerit mundus factus, constat ex sequentibus

verbis:

verbis: *Et mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* At verò instrumentum vel ministeroperis non facit, vt sua sint & propria sibi opera, sed illius opera, propria sunt principalis artificis, aut Domini præcipientis, vt fiant.

8 Maximè verò quod Apostolus ponderat Hebræos 1. *Ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos*
Psalm.103. *suos Spiritus & ministros suos flammam ignis. Ad*
Psalm.44. *Filium autem: Thronus tuus Deus in seculum seculi,* &c. Perpende discrimen Filij, qui est Deus & non minister, ab angelis qui sunt ministri. De Filio igitur subiungit: *Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli.* De angelis autem: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi?* Discrimen ergo inter Filium & angelos est, quoniam Filius non est minister, sed Dominus & creator.

9 Eadem ratio Basilij confirmatur primò, quoniam artifex non est instrumentum: sed Dei Verbum est omnium artifex, iuxta illud Sapient. 7. *Omnium artifex sapientia docuit me.* Vnde Sardicen. Concil. generale, qua parte Catholicum & approbatum est, epist. ad omnes episc. in professione fidei prope finem, probat, Filium *esse opificem archangelorum, angelorum & mundi.*

19 Confirmatur secundò, quoniam artificis sapientia non est instrumentum, nec minister obediens, sed potius dirigit opus & imperat, estque principalis causa operis. At Filius est illa, de qua sapientiæ 9. dicitur: *Est tecum Sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ affuit tibi cum faceres orbem terrarum, & ipsa nouit quid sit placitum coram oculis tuis.* Hæc enim merito de Filio & Verbo intelligit Fœlix PP. Primus epist. 3. ad Benignum prope init. cui concinit illud Prouerb. 8. *Quando præparabat cælos, aderam,* &c.

11 Confirmatur tertiò Ecclesiast. 24. *Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens.* Et post pauca: *Gyrum cœli circuiui sola.* Circumeundi metaphora significat vniuersalissimum ambitum potentiæ & operationis, quæ penetret omnia totius mundi, itaut nihil omnino possit eius vires effugere. Illa verò exclusiua *Sola*, verificari non posset: si Filius aliena virtute, vt instrumentum, vel alterius auxilio vel imperio, sicut minister aut discipulus operaretur. Quia nō operatur solus, qui habet herum imperantem opus, aut magistrum docentem & dirigentem, aut principalem causam, à qua moueatur vt instrumentum. Consequens igitur est sua tantum authoritate, voluntate & virtute Verbum operari. Veruntamen *sicut non obest Filio, cum*
1. Timoth. 6. *solus dicitur Pater lucem inaccessibilem habitare: ita non obest Patri, cum Sapientia, quæ est Filius, dicitur gyrum cœli sola circuire.* Verba sunt Euaristi PP. epist. 1. ad omnes episc. Africanos. constat autem hæc regula ex dictis disp. 40. sect. 4. & sequentibus. Plura de operationibus Filij vidimus disput. 54. sect. 6. præsertim argum. 4.

12 Damascenus lib. 4. fidei c. 19. propius ad princ. quàm ad med. notat, quædam Scripturę loca significare, per operationem Filij fuisse impletum beneplacitum paternum: *Non veluti per instrumentum aut seruum, sed vt per substantiale & hypostaticum eius verbum & sapientiam & virtutem, propterea quod in Patre & Filio vna contemplatur motio.* Sic etiam per Filium omnia fuisse facta *non tanquam per instrumentum*, probat Theophylac. Ioan. 1. & Elias Cretensis in 1. orationem Nazianz. n. 169. verbo *Factoris.*

13 Præterea, Spiritum sanctum nō esse instrumentum, neque ministrum, sed principalem causam, constat apertè ex dictis disp. 66. sect. 4. à num. 6. vsque ad 13. & in præsenti disput. sect. 4. & infra sect. 10. Sed quoniam hæretici neque instrumenti vel ministri nomine dignabantur Spiritum sanctum cui totam creaturarum operationem eripiebant: ideo Patres contenti sunt probare, Spiritum sanctum omnia operari, quæ Pater & Filius operantur, & eorum omnium eandem esse virtutem & operationem; non ita expresè refutantes nomen instrumenti & ministri circa personam Spiritus sancti; quemadmodum circa personam Filij.

Cyrillus tamen id non omisit, qui lib. 13. thesauri c. 1. fine: *Si creatura Spiritus sanctus est,* inquit, 14
quomodo totam operationem Dei habet? Non enim puto posse aliquos adeo insanire, vt audeant dicere, Deum verum organis atque instrumentis aliquibus operationes suas ad extra emittere.

Quod autem non quasi per ministrū, sed æquè principaliter per Spiritum sanctum, atque per Filium operetur Pater, probat Cyrillus dialogor. de Trinitate lib. 3. colum. 5. & 6. & lib. 7. non longè ante med. ait: *Nonne Deus Spiritus est, qui transmutat ad Deum, non quod per gratiam quasi minister,* &c. & à medio vsque ad finem eiusdem libri probat, quod Spiritus sanctus non vt minister, nec vt seruus, nec participata virtute, sed propria sibi & æquali cum Patre & Filio cuncta producat.

SECTIO VIII.

Deum Patrem, non interposita creatura, sed immediatissimè seipso creare, & facere, quæcumque fiunt, est euidentissimum. Vbi quòd nulla creatura possit creare.

QVamuis in aliis articulis attentione maiore 1
sit opus, vt cernendo deprehendatur facies Ariani mendacij: vix aliqua requiritur in præsenti, quem nullus pingit veritatis fucus, vt mentiatur saltem illius similitudinem. Dicunt enim Ariani Deum Patrē nihil creasse neque fecisse immediatè, nisi solum Filium; vt vidimus sect. 1. Quapropter apud eos, non aliter ille, qui solus est Deus creauit cælum & terram & omnia, quæ in eis sunt; nisi præcipiendo creationem ad eum modum, quo Rex, in suo regali solio sedens, dici potest debellare hostes, aut agros colere, vel ædificare palatia, quatenus hæc opera, mandat ducibus, agricolis, architectis.

Huius prima refutatio sit, quia sicut nihil prius, 2
ita etiam nihil clarius occurrit in Scriptura, quàm illud: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quod autem Deus non præceperit tantum, sed etiam re ipsa & immediatè fuerit executus, quod præcipiebat, constat ex illis verbis: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum.* & infra: *& fecit Deus bestias terræ.* Atque in fine capitis primi. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Itaque non complacuit in operibus alterius artificis, alienæ naturæ, & artis inferioris; sed complacuit sibi Deus in propriis operibus, quæ fecerat ipse: Quapropter ad hoc probandum afferri possunt innumera ex variis libris Scripturæ testimonia, quibus asseritur Deus creasse mundū, hominem, animantia, vel alias res: quod

quod toties repetitum, requirit simplicem & planam intelligentiam, vt non præcipiendo tantùm, sed exequendo creauerit.

3 Confirmatur primò, nam eadem Scriptura referens: *Dixit Deus, Fiat lux. Et facta est lux.* & Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* satis apertè significat, protinus ipso Dei præcepto fuisse facta quæcunque præcepit, nec opus fuisse alio artifice distinctæ inferioris; naturæ atque virtutis, cui præciperet. Huic enim deberet imperare *fac*, vel *facito*, vel, *crea*: nam *fiat*, est imperium, quod solam rem faciendam respicit, nec loquitur ad factorem. Quod si nonnunquam homines suis seruis imperant, dicendo *fiat istud*: at non semper ita loquuntur, sed frequentius dicunt, *fac*, vel *facies istud*, aut *facito*. præsertim quando nulla peculiari ratione mouentur ad vtēdum illa figura dictionis, *fiat*. Rectè igitur Cyrillus lib. 5. in Ioan. cap. 3. prope med. *Si nutu*, ait, *& sola voluntate omnino Deus operatur: quid opus est medio? nonne supernacaneus Filius videbitur?*

4 Confirmatur secundò, nā quando Pater significare voluit alias personas ad creationis opus cooperari, non dixit: *Facite*, neque Filio dixit: *Fac.* Sed dixit: *Faciamus.* Quod ad probandam identitatem essentiæ & operationis in tribus personis, plurimi Patres ponderant, quos citauimus disput. 36. sect. 4. Vbi similiter ponderatum est illud Genes. 11. *Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum.*

5 Refutatur secundò, etenim Ecclesiastici primò. *Vnus est altissimus creator omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis.* Et vbicumque nomen creatoris ponitur, non effertur in numero plurali, sed tantùm in singulari. At verò secundum prædictum errorem duo sunt creatores, infinito interuallo perfectionis distantes. Alter creator est Deus, qui creauit Filium; alter verò creator erit Filius reliquarum rerum creator, & creatura Patris.

6 Confirmatur primò, nam expresè docet Scriptura, quod solus Deus, absque quolibet alio factore, qui non sit idem Deus, fecerit cælum & terram. Isai. 44. *Ego sum Dominus, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum* & Iob. 9. *Qui extendit cœlos solus.* Quod si faceret tantum imperando, vt Filius creet, tanquam minister Patris, non faceret solus, sed aliquis diuersæ naturæ cum illo concurreret, vt executor mandati. Confirmatur secundò, quia iuxta prædictum errorem nullus est creator omnium. Pater enim solius Filij creator est, Filius autem non est creator Filij, sed aliarum rerum. At verò Deus *Omnium creator* vocatur. Ecclesiastici 24. & 2. Machab. 1.

7 Refutatur tertiò, quia Pater nō cessauit à creando, & operando, sicut isti fabulantur, creato Filio: *Nam Pater meus*, ait, *vsque modò operatur, & ego operor.* Ioan. 5. Quod argumentum bene ponderat Cyrillus lib. 5. in Ioan. cap. 3. ante med.

8 Quartò, nam inuidæ, stolidæ atque superbæ mentis est, cogitare Deo indignum esse creare cætera, præter Filium, & eorum curam perfectissimam agere. Etenim de volatilibus cæli Matth. 6. *Pater*, inquit, *vester cælestis pascit illa.* Ac de passeribus exigui valoris, Matth. 10. *Vnus illorum non cadit super terram sine Patre vestro. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Iob 10. *Manus tuæ fecerunt me. Memento quæso quod sicut lutum feceris me,* &c. *Ossibus & neruis compegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Et 2. Machab. 7. vers. 22. *hac fide mater armauit septem filios ad martyrium.* & Paulus actorum 17. *In ipso*, scilicet Deo, *viuimus. mouemur, & sumus.*

Confirmatur, nam & ipsis etiam Ethnicis naturæ lumine fuit euidens, primæ & vniuersalissimæ causæ munus esse Deo dignissimum, & prorsus nihil fieri posse sine cōcursu primæ causæ, quæ vel operetur sola, vel primò & principaliter, intimiùs & immediatiùs operetur, quàm particulares causæ, quas mouet ad operandum. Quapropter primæ causæ concursus immediatissimus, est vniuersalissimus in causando quolibet ente non minus, quàm entis vniuersalissima ratio, communis est rebus omnibus in prædicando. 9

Hanc fuisse doctrinam Græcorum sapientium 10
(excepto Platone de quo infra) probat Cyrillus Alexand. lib. 2. contra Iulian. inter med. & fin. potissimùm testimonio Hermetis ter maximi lib. de natura vniuersi ad Asclepium. cuius illa præsertim obseruanda sunt: *Vna est ipsi gloria facere omnia, & hoc est opus Dei. At facienti nihil vel mali vel fœdi imputamus. Hæc enim sunt affectiones generata sequentes, sicut rubigo æs, vel macula corpus sequitur: sed nec ærarius rubiginem patitur,* &c. Sapienter enim August. lib. 12. de ciuitate cap. 25. inter med. & fin. ait: *Dei occulta potentia, cuncta penetrans incommutabili præsentia, facit esse quidquid aliquo modo est, inquantumcunque est, quia nisi faciente illo vt tale vel tale esset, prorsus esse non posset.* Idem confirmat sequen. cap. & lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. & lib. 9. super Genes. ad lit. cap. 15. Sed de concursu primæ causæ alibi disseruimus ex professo.

Quintò refutatur, quia creatio, propter muta- 11
tionem effectus à nihilo ad aliquid, tantam potentiæ, virtutisque supereminentiam in sua causa requirit, vt nequeat vlli creaturæ communicari, neque tanquam instrumentali causæ. Quod fundamentum probatur ex Patribus. Nam Ariani non asserebant, Filium creare tanquam principalem causam, sed tanquam instrumentum Patris, & esse creaturam illius, vt vidimus sect. 1. Nihilominus refutantur, eo quod *Virtutem creatiuam susci-* *Creatura nō potest creare, nec tanquam instrumentalis causa.*
pere creatura non potest. Vt argumentatur Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 2. fine. colligens inde, Filium non esse creaturam, cum sit qui creat.

Rationem verò sic reddit lib. 5. thesau. cap. 3. 12
sub init. *Non est officium artis, ex nihilo creaturas producere, sed ineffabilis atque creatiuæ virtutis. Artis enim est ea, quæ sunt, quasi per subiectam materiam solummodo immutare: creandi autem virtus ipsam rerum substantiam à nihilo ad esse producit.* Quam rationem paulo inferius confirmat, quoniam *inuidiæ vitium inurunt Patri ita dicentes: si-quidem poterat creandi artem multos docere, & non fecit. Quid enim prohibebat, si doctrinā creatio datur, multos esse creatores, sicut multos angelos, atque archangelos.* Magis explicant eandem rationem sequenti lib. 6. thesau. cap. 2. in medium dicens: *Nulla creatura vnquam substantiam à nihilo producere poterit: finitæ namque id virtutis esse non potest.* & lib. 12. cap. 15. colum. 2. *Nihil factum creandi virtutem (quæ infinita est) suscipere potest.*

Idem præterea Cyrillus lib. 2. contra Iulian. 13
propius ad med. quàm ad fin. *Hoc*, inquit, *maximè contra diuinam gloriam militat, etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere. Non enim fas est dicere, quod ea, quæ diuinæ & ineffabilis naturæ propria & eximia sunt, naturaliter possint inesse quibusdam ab ipsa factis.* Et paucis interiectis; *Eorum, quæ propriè sunt solius Dei; vnum esse, dicit, efficaciter*

operari posse vt creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant, videlicet, secundum se totas, sicut prius dixit, *ex nihilo*. Et post pauca: *Si autem creare naturæ magnificæ operatio est & virtus, & vltra mensuram creaturæ, digna Deo; cur summæ naturæ dignitatem detrahunt, & generationi & corruptioni obnoxijs donant?* Nimirum Plato & sequaces, inter quos erat Iulianus, angelis, quos Deus produxerat, & annihilare poterat, concedebant mundi creationem.

14 Athanas. orat. 3. contra Arian. multo propius ad med. quàm ad princ. *Condere*, ait, *& creare solius Dei est, eiusque Verbi & sapientiæ. Ideóque in condendi ratione non alium inueneris, nisi solum Dei Verbum.* Et epist. ad Africanos, multo propius ad med. quàm ad princ. *Si Verbum*, inquit, *per quod omnia facta sunt, & ipsum quoque creatura fuerit, sequitur, vt illud se ipsum creauerit. Sed qui quæso, id quod creatur, creare, aut quod conditur condere poterit?* Et longè inferius inter med. & fin. repetit, nullam creaturam posse creare.

15 *Solum Deum esse, qui creat*, etiam Macedonianus fatetur apud Athanasium dialogo 3. de S. Trinit. propius ad fin. quàm ad med. Et in epistola ad Serap. quæ incipit *Admirabere*, paulo post med. ita raciocinatur: *Quod si quia conditor est Filius, quemadmodum Pater, ideo non est creatura; manifestum est, ne Spiritum quidem esse creaturam, quandoquidem de illo scriptum est* Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Eadem ratione Diuinitatem Spiritus S. probat in disp. contra Arium, habita Laodiceæ, inter princ. & med. imo & Concil. Nicænum, & tres Gregorij Nazianz. Nyssen. & Bœticus, nec non Basil. & Epiphanius locis citatis disput. 66. sect. 4. circa med.

16 Confirmatur, quia Saturninus, vel aliàs, Saturnilus, ac Basilides hæretici cum plurimis aliis delyriis miscebant, mundum & hominem à septem angelis fuisse factum. Quorum errorem refert Irenæus lib. 1. cap. 22. & breuiter reiicit lib. 2. cap. 66. ad finem, quoniam in Scripturis vnus solus Deus asseritur esse creator omnium. Fusiùs aduersus illos disseruit Epiphan. hæresi 23. & 24. Breuius autem Damasc. lib. 2. fidei cap. 3. fine ait: *Quicumque dicunt, angelos conditores esse cuiusq́ substantiæ, ipsius diaboli sunt, eorum quidem patris. Creatura enim cum sint, non sunt conditores. Obserua rationem.*

17 Cæpit autem error ille à Platone, vt videre est apud Cyrill. lib. 2. contra Iulian. in med. & Augustinum lib. 12. de ciuitate cap. 24. & duobus sequent. Qui c. 24. post med. *Nec enim fas est*, inquit, vllius *naturæ quamlibet minimæ mortalisq́ creatorem, nisi Deum credere.* & seq. cap. 25. & 26. atque lib. 3. de Trinit. c. 8. & 9. necnon lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 15. confirmat, nullam creaturam, nec angelos malos nec bonos, sed solum Deum posse creare.

18 Præsens autem dogma valde efficaciter infertur ex locis Scripturæ suprà citatis, præsertim refutatione 2. & eius confirmationibus. Quibus concordant alia plurima sacrarum literarum; constanter enim semper solum Deum appellant creatorem, nunquam in plurali, sed tantùm in singulari numero: atque vt propria Dei excellentia propriúmque munus, quo verus & vnicus Deus discernendus sit à dæmonibus & falsis diis, ponitur creationis opus. Et, quod admirabilius est, licet Dei nomen significet eius naturam infinitam & increatam: participatione tamen communicatur prophetis, sacerdotibus, iudicibus, qui in sacris literis vocantur dij: Creatoris autem nomen nullibi communicatur alicui creaturæ. Quod sapientissimo Dei consilio factum est propter vitandum maius periculum adscribendi creationem alicui creaturæ.

Postremò notandum est, supra dictis testimoniis Patrum valde probabiliter roborari sententiam eorum, qui putant nullam creaturam eleuari posse à Deo tanquam instrumentum ad creandum. Nam, vt supra dixi, Arius & sequaces Filium, quem dicebant esse creaturam, non faciebant principalem causam, sed instrumentum Patris ad creandum: vt vidimus sect. 1. Hoc igitur est, quod Patres impossibile dicunt in prædictis testimoniis ad eum errorem refutandum. 19

Responderi posset, Arium negasse immediatum concursum Patris, qui tamen necessarius est apud omnes Catholicos, quoties Deus supernaturaliter eleuat aliquod instrumentum ad actionem, quam non potest naturaliter efficere: insuper Arius hanc virtutem creandi tribuebat Filio tanquam insitam & connaturalem, ac propriam illius, non ex supernaturali eleuatione. Propter hæc non est euidens illatio, quam dixi: perseuerat tamen eius magna probabilitas propter vniuersalitatem, qua prædicti Patres voluerunt præcludere Ario quamlibet effugiendi viam, omnino negantes, fieri potuisse, vt creatura crearet. Quod si potuisset Arius effugere vim argumentorum, dicendo, Verbum esse instrumentum, supernaturaliter eleuatum; id propterea libentius assereret; quoniam viliorem redderet naturam & potentiam Verbi; sicut in simili dicemus etiam sectione sequenti, fine. 20

SECTIO IX.

Si Verbum Dei non esset æqualis virtutis & operationis cum Patre; non fuissent omnia facta per ipsum.

IN hoc, vt in aliis plurimis, pugnantia secum inuoluunt Ariani: quoniam omnia per Verbum fieri, compulsi testimonio Euangelico fatentur: nihilominus asserunt, Verbum esse factum inæqualis & inferioris virtutis atque operationis, quàm Deus Pater, vt vidimus sect. 1. Huius repugnantia duplici ratione manifestatur. Prima sit, quia si Verbum fuisset à Patre factum necessitate naturæ, sicut à sole fit lumen: Verbum esset coæternum Patri, & non factum per liberam electionem Patris. At Ariani nec æternum esse permittunt, sed dicunt: *erat quando non erat* (vt vidimus disput. 96. sect. 1.) nec independens à libera electione Patris, quin potius Patris voluntate factum esse contendunt (vt vidimus disp. 93. sect. 1.) Quo supposito nulla ratione negare possunt, quin ad faciendum Verbum, opus fuerit alio Verbo: quoniam omnia, quæ libera voluntate fiunt, præcedente intellectione fiunt, & præcedente imperio quod sequatur electionem liberam, aut in ipsa consistat. At imperium non est possibile sine verbo: quemadmodum etiam impossibilis est intellectio, quæ non terminetur verbo. 1

Inter se pugnant Arianorum placita.

Si liberè factum est Verbũ, alio verbo factũ fuit, vel seipso.

Meritò igitur Patres hoc argumento premunt Arianos, quia si Verbum est factum: per seipsum factum fuerit: tum quoniam *omnia per ipsum facta sunt*: tum etiam, quoniam nihil à Deo fieri potest nisi imperando & dicendo, *fiat*. Nec potest excipi Verbum propter rationem nuper explicatam. Ac denique quoniam *quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit*, vt vidimus sect. 5. Aliunde tamen 2

tamen in eo contradictionem inuolui, quod Verbum factum fuerit per seipsum, Patres communiter probant, quia sequeretur, idem esse prius & posterius seipso, & extitisse in rerũ natura, priusquam existeret, vt sibi nondum existenti conferret existentiam.

3 Sic Athanasius epistola ad Africanos post med. arguit: *Quod si omnino creatura est Filius, & fecit eum Pater; planè sequetur, vt seipsum quoque fecerit Filius, cum possit omnia facere quæ facit Pater, vt ipse de se testatur. Sed id prorsus absurdum, & nulla ratione consistere potest: nemo enim sui condendi potestatem habet.* Idem dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæum propius ad med. quàm ad principium: *Si fateris*, ait, *omnia ex Patris voluntate per Filium esse facta, & vna cum alijs Filium quoque factum esse dicis: concedas etiam oportet, à seipso factum esse, quod absurdissimum est.*

Ioann. 5.

4 Cyrillus Alexand. lib. 5. thesaur. cap. 1. in med. *Si creatura esset Filius*, inquit, *seipsum ipse crearet; omnia enim Pater per ipsum creat, quod dictu stultissimum est: sequeretur enim, vt aliquid esset, quando ipsum non esset.* Deinde lib. 10. thesaur. cap. 4. inter princ. & med. *Si omnia*, inquit, *quæ creata sunt per ipsum facta sunt; ipse seipsum creauit; si creatura secundum hæreticos est; quod omnino impossibile inuenitur.*

5 Gregor. Bœticus lib. de Trinitate col. 3. vtitur eodem argumento: *Si ipse factus est, quomodo per ipsum omnia facta sunt? non enim cum fieret, potest author esse, qui non fuit. Atque ideo infectus credendus est, quia vanum est & absurdum, vt ipse, cum non extaret, factus per se esse dicatur.*

6 Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 6. inter princ. & med. *Si lectum est*, inquit, *quod per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, numquid ipse se fecit? Si lectum est quod negari non potest, quia Deus in sapientia fecit omnia, numquid verisimile videri potest, quia à seipsa est facta sapientia?* Similiter lib. 3. de fide cap. 3. ad fin. ponderans idem testimonium Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti*, subinfert: *Christus autem, cum Dei sapientia sit; si facta est sapientia, iam deteriore conditione facta est, quàm omnia, eo quod sapientia fieri per seipsam non potuit.* Sola proinde sapientia fuisset insipienter facta.

Psalm. 103.

7 August. lib. vnico contra serm. Arianor. cap. 2. à med. *si dicant*, ait; *Filium à Patre ex nihilo constitutum, quærant, per quem factus sit à Patre ex nihilo Filius. Non enim per seipsum fieri potuit, tanquam iam esset antequam fieret, vt esset ipse, per quem fieret idem ipse. Et quid opus erat vt fieret, qui iam erat? Aut quomodo fiebat, vt esset, qui iam erat, antequam fieret? Porrò si per aliquem alium factus est, quis est ipse alius, cum omnia per ipsum facta sint? Si autem à Patre per neminem factus est, quomodo per neminem aliquid à Patre factum est, cum per Filium, hoc est per eius Verbum facta sint omnia?* Idem 1. de Trinitate cap. 6. non longè à princip. *Liquidò constat*, inquit, *ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia.*

8 Præterea tractatu 1. in Ioan. post med. *Si Verbum*, inquit, *ipsum factum est, per quod aliud verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est verbum Verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego vnicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum Verbi: concede non factum, per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit.* Et paulo inferius: *Poterat dicere Euangelista, In principio factum est Verbum: sed quid ait, in principio erat Verbum. Si erat, non est factum, vt ista omnia per ipsum fierent, & sine ipso nihil.*

9 Anselm. in monolog. cap. 28. circa med. ait: *Locutio Dei per se fieri non potuit. Nihil quippe per seipsum fieri potest, quia quidquid fit posterius est eo, per quod fit: & nihil est posterius seipso.*

Colligitur ex aliis Patribus, qui ad aliud dogma probandum docent, nihil posse seipsum producere. Sic enim Clemens Alexand. lib. 8. stromat. pag. vlt. ait: *Non est aliquid ipsum sui ipsius causa, neque est aliquis Pater suus: nam sic primum futurum esset secundum.* Excedit autem, qua parte postulat prioritatem temporis inter causam & effectum. Eodem fundamento Tertull. libro contra Praxeam cap. 10. probat, impossibile fuisse, quod Deus seipsum fecerit. Quod Bernardus lib. 5. de considerat. ad Eugen. prope med. confirmat his verbis: *Nisi forte quis putauerit, quod non erat, dare sibi potuisse, vt esse inciperet, aut fuisse aliquid antequam esset. Quod vtrumque, quia ratio non consentit, constat nihil sibi extitisse principium.* Plura de hoc scribit Ricard. Victor. lib. 1. de Trinit. cap. 6. à med. & cap. 8. à med. 10

Ratione Theologica probatur à fortiori. Minor enim distinctio requiritur inter generans & genitum, quàm inter faciens & factum. At verò nihil potest generare seipsum, sed generare debet aliquid realiter à se distinctum (vt probatũ est disp. 80. sect. 3.) ergo nihil potest seipsum facere seu curare; sed creare seu facere debet aliquid realiter distinctum à se. Verbum ergo non est factum per seipsum. 11

Inferuntur ex dictis corollaria duo. Primum est, eandem rem non posse concurrere ad sui productionem, etiam tanquam instrumentum, supernaturaliter eleuatum à Deo (nisi res illa supponatur prius tempore vel natura existens virtute alterius actionis: quemadmodum Christus Dominus supponitur existere prius tempore, quàm concurrat ad sui productionem transubstantiatiuam in Eucharistia.) Ratio est, nam Arius & sequaces dicebant, omnia per Verbum esse facta, non quasi per causam principalem, sed quasi per instrumentũ, vt vidimus sect. 1. nihilominus multi Patres nuper citati redarguunt, quoniam nec hoc modo possibile fuit, vt per Verbum fieret ipsum Verbum. Existimant igitur esse impossibile rem aliquam produci per seipsam etiam tanquam per instrumentum. Quod si liceret Ario respondere, Verbum mentis esse instrumentum supernaturaliter eleuatum ad sui productionem: libenter id asseruisset; & eluderet prædictum argumentum sanctorum Patrum: sicut in simili dictum est sect. præced. fine. 12

Secundum corollarum est, negatiuè intelligendum esse, quod Lactantius lib. 1. diuinar. institut. cap. 7. videtur dicere, Deum à seipso procreatum esse, id est non ab alio: quemadmodum alij Patres dicunt, sanctum Patrem à seipso: vt vidimus disp. 53. sect. 6. 13

SECTIO X.

Vnitas naturæ virtutis & operationis per illationem reciprocam se inuicem probant.

GRegor. Nyssen. lib. de Trinitate ad Eustathium paulo post med. præmittens, potuisse colligi diuersas operatrices naturas diuinarum personarum; si diuersæ operationes ab illis proficiscerentur, adiungit: *Sin autem vnam & Patris & Filij & Spiritus sancti intellexerimus esse efficaciam & operationem, in nulla re quidquam differentem; necesse est; vt ex pari eademq́ efficacia atque* 1

operatione vnionem naturæ ratione colligamus. Quam sententiam sæpius repetitam confirmat exemplis operationum ex omni genere: quoniam pariter Pater, Filius & Spiritus sanctus creat, sanctificat, viuificat, &c. Idem confirmat lib. ad Ablabiũ *quod non tres dij*, circa med. & orat. catechet. cap. 4. Fusiùs hoc probat Athanas. in Euang. de Sanctissima Deipara non procul à princ.

2 Basil. autem lib. 4. contra Eunom. non procul à princ. *Quorum*, inquit, *eadem sunt operationes, eorum est substantia vna: operatio verò Patris & Filij vna est.* Vt illud: *Faciamus hominem.* Et rursum: *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Vna est ergo substantia Patris & Filij.* Quod ipsum ratiocinatur de Spiritu sancto lib. 3. contra Eunom. à med. & homil. 27. de Spiritu sancto ad fin. & homil. 17. in S. Baptisma post med. Nititur eodem fundamento Chrysost. tom. 1. in Psal. 107. ad illum versum: *Saluum fac dextera tua.* & tom. 3. hom. 3. de Spiritu sancto quæ incipit, *Heri à nobis* circa medium. Ioan. 5.

3 Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 9. in med. *Patris*, inquit, *& Filij vna operatio est, & eadem virtus consubstantialis. Ergo Filius Patri consubstantialis est.* Eandem rationem repetit seq. lib. 2. cap. 2. prope fin. & fusiùs lib. 4. cap. 2. inter med. & fin. Ac lib. 12. cap. 1. sub init. *Quorum virtus*, inquit, *& operatio vna & eadem penitus est; eorum vna & eadem natura est.* Quam rationem ad Spiritus sancti naturam & operationem speculatiuè applicat lib. 4. Thesau. cap. 2. fin. & cap. 3. ante med. & cap. 4. 5. & 6. & dialogor. de Trinit. lib. 3. inter med. & fin. ac in expositione symboli Nicæni col. 5. Anastas. Sinayta lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus col. 6.

4 Fusiùs autem, æqualitatem in operando conuenire tribus personis, colligit ex vnitate substantiæ Ambros. quinque libris de fide ad Gratian. præcipuè lib. 1. cap. 1. à med. & cap. 7. post med. & lib. 2. cap. 3. latè. & cap. 4. propius ad princ. quàm ad med. & lib. 3. cap. 5. ad fin. & lib. 4. cap. 5. & 6. & lib. 5. cap. 1. & li. 1. de Spiritu sancto præsertim. cap. 7. circa med. & cap. 13. & 14. & lib. 2. de Spiritu sancto. cap. 4. 5. 8. & multis seq. fusiùs autem cap. vlti. & lib. 3. de Spiritu sancto atque aliis in locis. Quod etiam egregiè præstitit Idacius Hispan. lib. aduersus Varimadum, quatuor postremis foliis.

5 Confirmatur primò, nam eandem esse operationem trium personarum, & indiuisas atque inseparabiles operationes Trinitatis, docent alij Patres. Dionys. de Diuin. nomin. cap. 2. non longè à princ. *Omnia*, inquit, *quæ sunt Patris, eius*, videlicet Filij, *sunt omnia, diuino Spiritui communiter & coniunctè tribuit diuina opera, venerationem, primam perpetuamq; causam, optimorum munerum tributionem.* Et infra connumerans ea quæ toti Trinitati communia sunt, ait: *Quibus adduntur ea quæ causæ rationem habent.*

6 Damasus P P. Primus in professione fidei, & anathematismis aduersus hæreses Apollinaris, Arij, Sabellij, &c. anathematis. 13. damnat eum, qui non dixerit; *Tres personas omnia viuificantes, omnia facientes, omnia saluantes.* Agatho P P. in epistol. quæ habetur in Sexta Synodo actione 4. cõfitetur Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse *vnius naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis*, &c. & synodica suggestio centum viginti quinque episcoporum, quæ in eadem actione continetur & tanquam fides Catholica recipitur ab eadem synodo act. 17. *Vna*, inquit, *essentialis eiusdem sanctæ & inseparabilis Trinitatis voluntas & operatio, quæ omnia condidit, dispensat & continet.*

7 Iustinus in expositione fidei de Trinitate propius ad med. quàm ad princ. ait: *Imo ne in mundi quidem opificio Filij Spiritusq; operam à Patre semouent diuina oracula. Id quod ex Dauide licet discere: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Prædictam vnitatem & æqualitatem in operando tradit etiam antiquissimus Athenagoras legat. pro Christianis propius à medium quàm à princ. Sophron. Constantinopol. in Sexta Synodo act. 11. epist. professionis fidei col. 4. Damasc. lib. 1. fidei cap. 10. ante med. sed ad fin. præcipuè. Psalm. 32.

8 Confirmatur secundò, quia communiter Patres admonent, tres personas esse vnum principium & non plura. Ita Nazianzen. Athanas. Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, Prosper, Ansel. Magister & cæteri Scholastici locis citatis disput. 48. sect. 4. num. 13. Definitur autem cap. *Firmiter* de summa Trinitate sub init. Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse *vnum principium creaturarum omnium, qui sua omnipotenti virtute vtramque de nihilo condidit creaturam.* & infra: *Tandem Vnigenitus Dei Filius à tota Trinitate communiter incarnatus.*

9 Confirmatur tertiò, nam *inseparabilia esse opera Trinitatis*, frequenter repetit August. in Ioan. homil. 20. à med. Consequentérque Leo Magnus serm. 2. de Pentecost. cap. 2. & 3. *Trinitas*, inquit, *indiuisa & indiscreta in opere.* Quod repetit sequenti serm. 3. cap. 1. fine & cap. 2. initio. Concil. Tolet. Sexrum cap. 1. post med. *Cum tota Trinitas*, inquit, *cooperata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis.* & Toletan. Vndecimum, in professione fidei post med. de tribus personis, ait: *Nulla sine alia extitisse, vel quippiam operata esse aliquando creditur: inseparabiles enim inueniuntur in eo, quod sunt, & in eo, quod faciunt.* *Inseparabilia opera Trinitatis.*

10 Pulchra verò similitudine digitorum explicat Isidorus Hispalen. lib. contra Iudæos, siue de Natiuitate Domini ad Florentiam cap. 4. versus fin. *Totam*, inquit, *Trinitatem in digitorũ numerum comprehendens, sic prædicat Isaias: Quis mensus est pugillo aquas, & cælum palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ? In tribus quippe digitis propheta trinam Diuinæ omnipotentiæ æqualitatem sub quadam mysterij lance librauit: & paritate virtutis cooperationem potentiæ, & vnitatem substantiæ in tribus digitis declarauit.* Quam identitatem virtutis & operationis sub analogia brachij, manus, & digiti tradit lib. 7. etymolog. cap. 2. & 3. & lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 5. Isa. 40.

SECTIO XI.

Non obstant operationes, quæ tribuuntur vni personæ potiùs, quàm alijs duabus.

1 IN sacris litteris & Patribus reperimus, per appropriationem & accommodationem vni personæ diuinæ potius, quàm aliis duabus attribui nonnullas operationes, vt vidimus disp. 82. sect. 6. & 7. Vnde constat, id non obstare, quominus omnes illæ operationes æqualiter procedant ab omnibus & singulis personis.

Creatio tribuitur Patri, perfectio, virtus, renouatio Spiritui sancto.

2 Sic intelligenda sunt quæcunque creationem accommodant Patri & Filio; sed creaturas perficere, vel illis tribuere virtutem, aut incorruptionem, aut illas renouare, tribuunt Spiritui sancto. Basil.

Basil. lib. 3. contra Eunom. à med. inquirit: *Operationes verò Spiritus sancti quales?* ac respondet: *Verbo*, inquit, *Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vt ergo Deus Verbum creator cœlorum est: sic Spiritus sanctus firmam ac stabilem virtutem cœlestibus præbet potestatibus.* Rursus Iob: *Spiritus Domini, qui fecit me, non de creatione, vt arbitror, sed de humanæ virtutis perfectione dicens.* Sic etiam lib. 5. contra Eunom. præsertim circa med. & lib. vnico de Spiritu sancto multoties tanquam operationem Spiritus sancti propriã enarrat perfectionem, & magis ex professo cap. 16. inter princ. & med. Iob 33.

3 Euidens tamen est, Basilium non ignorasse illud Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, & alia quæ vidimus disput. 66. sect. 4. num. 7. Quin etiam in eisdem aliisque libris Basilius expressè fatetur, vnam & eandem operationem productiuam creaturarum esse communem Patri & Filio & Spiritui sancto. Quapropter solummodo voluit Basilius, Iob eo loci non esse locutum de creatione, quæ non ita peculiariter appropriatur Spiritui sancto, quamuis illi verè conueniat, & tribuatur in aliis scripturæ locis.

4 Eiusdem autem operationis formalitates per appropriationẽ distribuit singulis personis Gregor. Nyssen. lib. ad Ablabium *quod non tres dij*, circa med. dicens: *Omnis actio ad creaturam à Deo prouenies, quæ secundum varias notiones, atque considerationes nomen accipit, à Patre proficiscitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu sancto perficitur.* Quod propterea dicit, quoniam potestas, & libera voluntas operandi conuenit Patri quasi primo principio, & fonti Diuinitatis: ab illóque deriuatur in Filium, & à Patre ac Filio communicatur vltimo Spiritui sancto, ita vt in eo compleatur vltimatè tota perfectio diuinæ communicationis. *Initium, progressus & perfectio appropriatur.*

5 Cyrillus Alexand. lib. 13. thesaur. cap. 3. propius ad princ. quàm ad medium. *Creaturarum*, inquit, *per Spiritum perfectio est.* idque probat, quoniam Genes. 2. Formato homine *insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ.* & Ioan. 20. *Insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Et sequenti cap. 4. in medio de Spiritu sancto ait: *Creaturas per suam participationem sanctificando perficit.* Et paulo inferiùs: *Creaturas sanctificat atque perficit.*

6 Ambros. in symbolum Apostol. cap. 4. fine ait: *Spiritus sanctus perfectionem præstat & sanctificat.* & cap. 5. *Deus per Verbum fecit & per Spiritum sanctum animauit.* Qui tamen plurimis in locis, quos citauimus sectione præcedenti, discurrens per singulas operationes creandi, gubernandi, iustificandi, trahendi ad Deum, & cæteras omnes, probat in Scriptura sacra tribui non solum Patri & Filio, sed etiam Spiritui sancto. Similem appropriationem continent verba S. Cæciliæ apud Metaphrastem in vita ipsius, ait enim, Patrem produxisse Filium, vt produceret reliqua, Spiritum sanctum vt viuificaret omnia. Sed notandum, dictionem, *vt*, non significare intentionem mouentem ad producendum Filium, sed fructum inde secutum erga creaturas.

7 Incorruptionem autem ac renouationem peculiariter Spiritui sãcto tribui Basilius lib. 5. contra Eunom. pag. 2, colligit ex Psalm. 103. *Auferes spiritum eorum & deficient. Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ.* Præterea. *Quoties sacræ litteræ aut narrare, aut probare aliquid eorum, quæ naturæ vires superant, instituunt, omne illud Spiritus sancti potestati acceptum ferunt.* Ita Ruiz. de Trinitate.

Scribit Chrysostomus tom. 5. orat. 2. ad illud: *In principio erat Verbum.* Quæ est de Trinitate simul & de serpente, parum à medio. Vbi nihilominus docet eandem operationem æqualiter fieri à Patre & Filio & Spiritu sancto.

Sunt denique nonnullæ operationes, ratione quarum vnica tantum persona dicitur hominibus apparere, vel mitti ab aliis personis: propterèaque tali personæ apparenti vel missæ peculiariter adscribuntur: nihilominus æqualiter fiunt ab omnibus personis. Quod eleganter obseruauit Ambrosius in symbolum Apostol. cap. 9. sub init. dicens: *Incarnationem Verbi Trinitas fecit, & tamen non pertinet Incarnatio, nisi ad Verbum. Vocem de cœlo super Filium post baptismum Trinitas fecit, & tamen non pertinet nisi ad Patrem.* Inquit enim: *Tu es Filius meus dilectus. Descensum itidem Spiritus sancti supra Filium in columbæ specie Trinitas fecit, & tamen non pertinet nisi ad Spiritum sanctum. Et descendit*, inquit, *Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Quam trium operationem in vnitate manentem comprobat beatus Apostolus, dicens: diuisiones gratiarum sunt, vnus autem Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, vnus autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, vnus autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Tria hæc vnam credentibus tribuunt gratiam, quia non ex alia atque alia substantia sunt sanctæ inseparabilis Trinitatis personæ, nec alius operationis. Cum ergo sigillatim Pater & Filius & Spiritus sanctus aliquã operari dicuntur, omnia pariter tres personæ operantur.* 8

DISPVTATIO CXI.

Vtrum persona Verbi & Spiritus sancti per se requirantur, vt Pater operetur, ita vt sine illis non posset operari.

SECTIO I.

Refutatur practica intellectio & volitio, quæ non sit absoluta & essentialis: ac proponitur sententia, quæ simpliciter negat requiri pluralitatem personarum.

1 DVÆ sunt extremæ sententiæ: tertia verò, mediam viam tenens, attigit veritatis scopum, quam exponemus sectionib. sequentib. Prima sent. fuit Henrici de Gandauo quodlib. 6. tota quæst. 2. (cui consonat secunda parte summæ artic. 73. quæst. 3. corp. propius ad finem quàm ad med. littera T) asserentis, non solum processiones diuinarum personarum esse causam productionis creaturarum, sine qua non producerentur: sed etiam intellectionem Dei merè essentialem non esse satis ad producendas creaturas: quoniam, vt ipse ait, est notitia simplex, & tantum speculatiua. At verò notitia, producta per actum dicendi, est declaratiua, manifestatiua, dispositiua, ordinatiua ad opus, ac proinde practica. Hæc autem, notitia est verbum. Eodem modo seruata proportione ratiocinatur de duplici amore, altero simplici, & altero notionali & producto, qui sit dispositiuus & ordinatiuus rerum producendarum & practicus. Notat autem prædictam intelle- *Prima sententia de practico notionali.*

ctionem productam & practicam simul cum prædicto amore producto esse *principium formale* producendi creaturas.

2. *Censura.* Hæc sententia temeraria est, & parum in fide tuta; à multis autem appellatur erronea. Videri potest Molina 1.p.q.45.artic.6. inter med. & fin. & Valentia 1.p.q.2.de product. rerum punct. 3. post med. Refutatur autem primò, quoniam practica cognitio, ars, & ideæ, quatenus sunt practicæ & principia operandi, vt sic formaliter, non dicunt relationem originis. Ergo sunt perfectiones essentiales & communes tribus personis. Similiter amor, prout est practicè impulsiuus & applicatiuus ad opus, erit essentialis, & communis tribus personis. Consequentia probatur, quoniam in Deo omnia sunt vnum, & essentiale commune tribus personis, vbi non obuiat oppositio relatiua secundum originem: vt probatum est disput. 9. sect. 5. & disputione 87. sect. 2. & sequentibus.

Practica cognitio & practicus amor ast communis tribus personis.

3 Refutatur secundò, quoniam ex prædicta sententia sequitur, Spiritum sanctũ producere creaturas, nec esse principium illarum immediatum, sed solum Patrem. Consequens autem est hæreticum. Sequela probatur, quia Spiritus sanctus nec est Verbum, nec producit Verbum: ergo nec est notitia practica & ars siue idea: neque producit notitiam practicam & artem siue ideam, ac proinde non habet vnum ex requisitis sine quibus non possunt creaturæ produci, videlicet, practicam cognitionem artem & ideam.

4 Confirmatur primò, quoniam Patres & Concilia, citati tota disput. præcedenti præsertim sect. 10. docent tres personas æqualiter & eadem operatione concurrere, vt sint vnum principium creaturarum, ita vt indiuisa sint omnia opera Trinitatis. Confirmatur secundò, quoniam integra potentia creandi clauditur in omnipotentia: rursus integra potentia creandi continet in se practicam cognitionem, artem & ideam atque amorem impulsiuum & applicatiuum ad opus. Quapropter omnipotentia non esset attributum essentiale & absolutum: si non essent essentiales & absolutæ practica cognitio, ars, & idea, nec non amor, prout est applicatiuus ad opus.

5 Refutatur tertiò, quoniam ex eadem sententia sequitur, Patrem non esse practicè sapientem & artificem, nisi per practicam sapientiam genitam. Hoc autem est contra rationem theologicam & doctrinã Augustini receptam ab omnibus Scholasticis supra disput. 74. sect. 4. & 5.

6 *Sententiam retractauit Henricus.* Melius ergo sensit idem Henricus, tacitè sententiam reuocans in summa artic. 54. quæst. 6. in solutione ad vndecimum argumentum, & art. 60. quæst. 6. ad secundum, concedens, quod tres personæ creant, prout sunt omnino vnus, ita vt non requiratur earum distinctio, sicut requiritur distinctio Patris & Filij ad spirandum.

7 *Secunda sententia.* Secunda igitur sententia simpliciter & absolutè docet, pluralitatem personarum non esse per se requisitam ad productionem creaturarum: sed potius eodem modo potuisse Patrem solum, absque Filio & Spiritu sancto, creaturas omnes producere: sicut potuisset, si Deus esset vnica tantùm persona, quemadmodum arbitrabantur Ethnici. Necessitas itaque concurrendi tres personas oritur tantùm ex inseparabili concomitantia personarum, non ex quidditate causalitatis quæ postulet distinctas personas. Ita Scotus quodlib. 8. art. 1. præsertim in fine. Durandus (quamuis sub dubio) 1. distinct. 29. prope fin. Henricus nuper citatus. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 27. prope finem ad rationem secundam Græcorum. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 11. Vazquez obiter. 1.p. disp. 152. num. 5. initio. Molina 1.p.q.45. artic. 6. §. vlti. Lorinus in Psal. 32. vers. 6. ad illud *Verbo Domini cæli firmati sunt*, &c. Eiusdem sententiæ videtur esse Caietanus 1.p. quæst. 45. artic. 6. fine. Fauet etiam Capreol. 2. distinct. 1. quæst. 3. artic. 3. versus finem, licet magis faueat veræ sententiæ vt videbimus sect. seq.

8 Fundamentum præcipuum horum doctorum consistit in prædictis refutationibus sententiæ Henrici de Gandauo. Nam eam totam explodunt, postquam posteriorem eius partem falsam esse concludunt. Peculiariter autem argumentantur. Primò, quia Pater esset imperfectus & indigens: mendicaret enim creandi virtutem à Filio & Spiritu sancto si non potuisset creare sine illis. Confirmatur, quia Pater sine Filio & Spiritu sancto non esset omnipotens: si non posset creare sine illis. *Primum argumentum.*

9 Sit secundum argumentum, quoniam ad producendas creaturas, sufficit diuina sapientia dirigendo, & diuina volitio siue amor impellendo, seu liberè determinando, nec non omnipotentia exequendo: sed ista perfectè conueniunt Patri prius ratione atque origine quàm generet Filium & spiret Spiritum sanctum. Ergo Deus creare posset, licet fuisset vnica tantùm persona. Confirmatur, nam eadem ratione conuincitur Filium sine Patre & Spiritu sancto posse creare, similitérque Spiritum sanctum posse creare sine Patre & Filio: quoniam vnicuique personæ perfectè conuenit sapientia, volitio libera, & potentia. *Secũdum argumentum.*

10 Tertium argumentum, quia non est maius producere creaturam, quàm producere personam increatam & consubstantialem Patri: sed sola persona Patris absque Filio & Spiritu sancto habet totalem vim & potentiam producendi Filium increatum & consubstantialem. Ergo sola persona Patris absque Filio & Spiritu sancto habet totalem vim & potentiam producendi creaturas. *Tertium argumentum.*

11 Quartum argumentum, quoniam essentialia sunt priora notionalibus; sed esse creatiuum est perfectio essentialis: ergo est prior processionibus & proprietatibus notionalibus. Consequens igitur est, vt creatio non requirat per se procedere à distinctis personis, sed solus Pater absque aliis personis creare possit. Alioqui potentia creandi penderet, ac necessariò præsupponeret pluralitatem personarum, & ea ratione potentia creandi foret posterior notionalibus processionibus & proprietatibus. *Quartum argumentum.*

12 Quintum argumentum, quia si Filius esset per se requisitus ad productionem creaturarum: foret prærequisitus tanquam Verbum ad imperandum & gubernandum: sed non requiritur hoc modo: ergo nullo modo requiritur. Minor probatur, nam Hebr. 1. Filius *omnia portat Verbo virtutis suæ:* sed Filius non habet aliud Verbum, præter cognitionem essentialem & communem. Ergo talis intellectio absque alio Verbo personali, realiter distincto, realitérque producto, satis est, vt diuina persona creaturas portet, producat, conseruet atque gubernet. Confirmatur, quia licet requiratur Verbum prout Verbum est; non requiritur tanquã persona subsistens atque realiter distincta: similitérq; amor non requiritur prout est persona subsistens atque realiter distincta. Ergo pluralitas personarum non per se, sed per accidens concurrit ad productionem creaturarum. *Quintum argumentum.*

Sextum

13 *Sextum argumentum.* Sextum argumentum, quia si creaturarum productio per se necessariò; supponeret plures personas: sequeretur Philosophos naturali cognitione potuisse deuenire in cognitionem Trinitatis. Consequens autem esse impossibile, vidimus disputat. 41. Sequela probatur, quia Philosophi naturaliter potuerunt cognoscere dependentiam creaturarum à prima causa; quapropter si prima causa necessariò requiritur subsistens in tribus personis: cognoscent, tres personas esse requisitas, vt primum principium creaturarum.

14 *Septimũ argumentum.* Septimum, quoniam aliqui Patres videntur asserere, non esse per se requisitam personam Verbi, nec personam Spiritus sancti ad productionem creaturarum. Sic enim Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 8. paulo post medium, illud Ioan. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea*, notat, propterea dictum esse, *quod ipsi*, Filio, *à Patre condendi authoritas prouenit: non quod Pater ad operandum Filij auxilio sit vsus.* Et in eodem lib. cap. 16. inter princ. & med. *Nec Pater*, inquit, *imperfectam habet operationem, neque Filius inconsummatam creationem, nisi à Spiritu perficiatur. Hoc pacto nec Pater opus habebit Filio, sola voluntate creans: attamen vult & solet creare per Filium: nec Filius egebit auxilio, iuxta Patris similitudinem operans, sed & Filius vult solétque per Spiritum perficere.* Videtur itaque Basilius significare liberum fuisse Patri creaturas producere, non concurrente Filio, similitérque liberum fuisse Filio, non concurrente Spiritu sancto producere creaturas.

15 Chrysost. tomo. 3. homil. 3. de Spiritu sancto quæ incipit *Heri à nobis*, circa med. ait: *Non quod non possit Deus Verbum sanctificare creaturam, quam assumpsit. Nam si hunc concesseris sermonem, superuacuus Filius. Sufficiebat enim Pater ad sanctificandam carnem. Non Pater quasi infirmus coassumit Filium. Non quasi infirmus Filius assumit Spiritum, sed quia vna natura est, quæ omnia in omnibus operatur.* Idem Chrysost. in Ioan. cap. 16. homil. 77. in med. *Pater*, inquit, *totum facere potest & Filius & Spiritus sanctus.* Et post pauca: *Nam quod Filius per se ipsum possit, quæ in baptismate cum Patre potest, atque etiam Spiritus sanctus, manifestè illinc patet. Iudæis enim dicebat; Vt sciatis, quia potestatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata.* Adducitque alia testimonia Scripturæ, in quibus Filio vel Spiritui sancto tribuitur viuificare, vel aliquid aliud ad iustificationem operari. Præterea Hebræ. 1. homil. 2. colum. 2. declarat illud *Per quem fecit & sæcula, non tanquam per aliquod instrumentum, neque tanquam facere non posset, si ei non porrexisset dexteram Pater.* Vnde sententiam eandem accepit Magister 2. sent. dist. 13. cap. *Hic quæri*, & cap. vlt.

SECTIO II.

Patrem non potuisse operari, nisi per Verbum, & in Spiritu sancto, declaratur.

1 VEra sententia est, personam Verbi & personam Spiritus sancti per se requisitas esse vt Pater operetur, ita vt sine illis non posset operari. Pro cuius declaratione distinguenda sunt plura, quæ in præsenti difficultate inuoluuntur & ambiguam reddunt aliquorum authorum decisionem. Primò namque diuinas processiones esse causam exemplarem processionis creaturarum, tanquam aliquid primum & perfectissimum in genere processionis quod est mensura cæterorum sui generis; ab omnibus, nemine discrepante conceditur. Consequenter autem processio Verbi, peculiariter est exemplaris causa quarumcumque processionum intellectualium, & processio Spiritus sancti peculiariter est exemplaris causa quarumlibet processionum, emanantium per voluntatem. *Causa exemplaris omnis processionum.*

2 Secundò, neque persona Verbi, neque persona Spiritus sancti potest esse ratio formalis quæ Deum aut Patrem formaliter constituat in esse potentis creare, seu facere aliquid ad extra: nec constituit in ratione actualiter creantis seu producentis creaturas, sicut in sectione præcedenti contra Henricum probatum est.

3 Tertiò. Non est in Deo notionalis ars neque scientia practica, quæ sit propria & personalis quidditas Verbi, non communis Patri & Spiritui sancto. Similiter autem nullus est amor, personalis & proprius Spiritus sancti, qui sit quasi practicus, & applicatiuus ad opus, & non sit communis Patri & Filio: quemadmodum aduersus Henricum probatum est sect. præcedenti.

4 Quartò. Quælibet trium personarum habet totalem potentiam & sufficientem ad creandum, atque immediatè creat, nec vna persona creat mediante alia, nec vna habet diuersam causalitatem, nec alio modo creat, nec alia actione, nec est aliud principium: sed omnes personæ æqualiter eadem actione, eodem modo & causalitate, tanquam vnum principium concurrunt ad creandum & quamlibet operationem transeuntem vt constat ex tota præcedenti disput.

5 Quintò igitur restat, vt ad creandum & quamlibet operationem transeuntem non aliter sit requisita persona Verbi per se & formaliter, pro vt Verbum est, nisi quatenus eius personalis quidditas terminat intellectionem. Vnde fit, vt Pater sine Verbo non possit esse loquens, nec possit dicere vel mandare, vt res fiant: imò nec ipsa intellectio possit existere sine suo termino intrinseco. *Verbũ requisitum est vt Pater loquatur & iubeat.*

6 Eadem proportione seruata non aliter Spiritus sancti persona requiritur ad quamlibet operationem transeuntem nisi quatenus ex sua quidditate personali sic terminat diuinum amorem, vt Deus spirator non possit esse completè atque perfectè donator respectu creaturarum, nisi producendo Spiritum sanctum, qui est personaliter donum: imò nec amor ipse possit existere si careat intrinseco termino, qui est Spiritus sanctus. Vtraque necessitas explicabitur magis in hac & sequentibus sectionibus. *Spiritus sanctus requisitus est, vt Deus sit donator.*

7 Hoc sensu veniunt intelligendi Doctores, qui sobriè sentiunt & docent, Verbum & Spiritum sanctum esse per se requisitos ad productionem creaturarum, ita vt Pater absque illis non posset producere. Hæc fuit mens satis expressa D. Thomæ opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 7. & 1. parte quæst. 33. art. 3. ad 1. & quæst. 45. art. 6. corp. & 4. contra gent. cap. 13. post med. & de potentia quæst. 1. art. 3. ad 6. & quæst. 10. art. 2. ad 19. & de verit. quæst. 4. art. 4. Frequentiùs autem lib. 1. sent. veluti dist. 14. quæst. 1. art. 1. corp. & quæst. 2. art. 2. corp. & dist. 26. quæst. 2. art. 2. ad 2. & dist. 27. quæst. 2. art. 3. ad 6. & dist. 32. quæst. 1. art. 3. corp. Ex his locis aliqua verba recitabimus in hac & sequentibus sect. Oportuit autem omnia conglobare, quoniam ex omnium collatione resultat verus & genuinus intellectus ad singula, vt proinde non satis eorum mentem assequantur Caietanus & alij, citati sect. præced.

pro secunda sententia. Colligitur idem ex S. Bonauent. 1. dist. 6. art. 1. quæst. 3. corp. & ad arg. 2. (vbi citat in eandem sententiam Altisiodorensem) & dist. 27. part. 2. art. 1. quæst. 2. corp. & lib. 2. sent. dubio litterali 3. & ex Alexand. 1. p. quæst. 62. memb. 1. art. 3. & 4. & Albert. 1. p. quæst. 35. memb. 3. art. 2. ad fin. & art. 4. ad 2.

8 Magis expressè prædictam sententiam docuit Scotus 2. sentent. dist. 1. tota quæst. 1. præsertim §. *ad quæstionem.* licet à Capreolo & aliis referatur quasi contrariæ sententiæ fuerit. Verùm ille non refutat, nisi sententiam Henrici, quam vidimus sect. præced. Eadem est sententia Henrici 2. p. summæ art. 73. quæst. 3. corp. propius ad fin. quàm ad med. lit. T. vbi prætermittit ea, quibus excesserat in quodlibeto 6. Capreolus 2. dist. 1. quæst. 3. art. 1. conclus. 2. & art. 3. tribus postremis columnis, respondens ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem, licet quibusdam verbis tenere videatur secundam sententiam, quam retulimus in sect. præcèdenti: verè tamen hanc sententiam docet, non tantùm quoniam admittit non pauca testimonia Sancti Thomæ ex locis nuper citatis præsertim 4. contra gent. cap. 13. sed etiam, quoniam ad primum ait: Verbum diuinum confert rei artificiatæ quod procedat ab artifice, concedit etiam inferius alia ex quibus eadem sententia colligi potest. Eandem sententiam sequitur Ferrarien. 4. contra gent. cap. 13. colum. 4. & 5. & Carthusianus 1. dist. 32. quæst. 1. colum. penult. quatenus refert, & tacitè approbat sententiam S. Thomæ. Fusiùs quàm cæteri præsentem quæstionem discutit Ricardus 1. dist. 13. art. 1. tota quæst. 5. vbi licet problematicè defendat vtramque partem: magis tamen inclinare videtur in nostram sententiam, quam vltimo loco refert. Valentia denique 1. p. quæst. 2. de rerum productione puncto 3. §. *Secundo,* & §. *Tertio,* tenet eandem sententiam.

9 Colligitur autem per efficacem illationem ex sacris literis & Patribus. Primò, quoniam ad dicendum & imperandum, vt creaturæ fiant, per se requisitum est Verbum. Secundò, quoniam ad dirigendam & ordinandam rerum productionem & gubernationem per se requisita est ars, sapientia atque potentia, non tantùm, prout sunt absolutæ perfectiones, sed etiam prout peculiari quadam ratione continentur in quidditate personali Verbi diuini secundum eius rationem formalem. Tertiò, quoniam Verbũ ex sua quidditate personali, peculiari ratione secundũ lineam explicitam est imago, idea, & exemplar rerum factibilium.

Septẽ capita rationũ, propter quas ex sacris literis colligitur hæc sententia.

10 Quartò, quoniam Spiritus sanctus est volitio efficax in facto esse, & est donum, ratione cuius omne bonum donatur creaturis. Quintò, quia Verbum & Spiritus sanctus sunt operationes immanentes in facto esse. Sextò, quia iuxta sacras litteras, & earum expositores antiquissimos, Verbum & Spiritus sanctus sunt brachium, manus, aut digitus Dei ad operandum. Septimò confirmant eandem veritatem theologicæ rationes. Sed hæc omnia capita figillatim tractabuntur sectionibus sequentibus.

SECTIO III.

De necessitate Verbi ad dicendum & imperandum, vt creaturæ fiant.

1 VNa ex rationibus, & fortasse præstantissima, propter quam Spiritus sanctus inspirauit illud exordium Euangelicum: *In principio erat Verbum,* ea fuit, vt ostenderet, Filium esse creatorem, facta mirabili consonantia & consensu inter initium vtriusque testamenti. Nam Vetus in exordio multoties repetit: *Dixit Deus: Fiat.* Nouum autem præfatur, in principio fuisse Verbum, vt subiungat omnia per ipsum esse facta, nimirum quatenus Deus Verbo *dixit & facta sunt; mandauit & creata sunt. Nam Verbo Domini cœli firmati sunt & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psalm. 32. quod satis vtiliter ad veritatem quam probamus exponunt communiter Patres citati disputat. 36. sect. 5. Quibus concinit Sapient. 9. *Fecisti omnia Verbo tuo.* Iudith. 16. *Dixisti & facta sunt, misisti Spiritum tuum, & creata sunt.* 2. Petri 2. *Terra de aqua & per aquam consistens Dei Verbo.* Et infra: *Eodem Verbo reposita sunt.*

Augustinus ergo tractatu 1. in Ioan. post med. ita ponderat verba Moysi Geneseos 1. *Omnia sic enumerat. Dixit Deus, fiat, & factum est. Si dixit, quis dixit? Vtique Deus. Et quid factum est? Creatura aliqua. Inter dicentem Deum & factam creaturam quid est per quod factum est, nisi Verbum? quia dixit Deus, Fat, & factum est.* Et tractatu 20. in Ioan. propius ad med. quàm ad princ. *Per Verbum,* inquit, *facta sunt omnia, quando dixit, & facta sunt, per Verbum facta sunt, per Christum facta sunt, In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt. Si omnia per Verbum facta sunt: dixit Deus, fiat lux, & facta est lux: in Verbo fecit, per Verbum fecit.* Et sequenti tractatu 21. inter princ. & med. de creaturis faciendis ait: *Nihil dixit Deus, quod non dixit in Filio.* 2

Præterea contra sermonem Arianorum lib. vnico cap. 3. ante med. ita redarguit: *Cogitent qui carnaliter sapiunt, quibus alijs verbis iusserit Pater vnico Verbo. Formant enim sibi phantasmate cordis sui quasi duos aliquos, etsi iuxta inuicem, in suis tamen locis constitutos, vnum iubentem, alterum obtemperantem. Nec intelligunt ipsam iussionem Patris, vt fierent omnia, non esse nisi Verbum Patris, per quod facta sunt omnia.* Quibus consonat cap. 12. & 13. 3

Quod Ecclesiastici 37. vers. 20. Vulgata legit: *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te.* Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 11. inter med. & fin. aliter legit & ait: *Animaduertenda est in hoc ænigmate etiam ista Verbi Dei similitudo, quod sicut de illo Verbo dictum est: Omnia per ipsum facta sunt, vbi Deus per vnigenitum Verbum suum prædicatur vniuersa fecisse: ita hominis opera nulla sunt, quæ non prius dicuntur in corde. Vnde scriptum est, initium* Eccle. 37. *omnis operis Verbum: sed etiam hic cum verum Verbum est, tunc est initium boni operis,* &c. 4

Idem Augustinus lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 3. prope finem. *Æternum,* inquit, *est quod dixit Deus; Fiat lux, quia Verbum Dei Deus apud Deum Filius vnicus. Quamuis Deo hoc in æterno Verbo dicente, creatura temporalis facta sit.* Et seq. lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 6. post medium. *Vnum,* inquit, *Verbum ille genuit, in quo dixit omnia prius, quàm facta sunt singula,* Et post pauca: *Cum ergo audimus: Et dixit Deus: Fiat, intelligamus, quod in Verbo Dei erat, vt fieret.* Ac denique lib. 11. confess. cap. 7. fine, sic Deum alloquitur: *Verbo tibi coæterno simul & sempiternè dicis omnia, quæ dicis, & fit quidquid vis, vt fiat.* Quod idem probat duobus capit. sequentibus. 5

Ambrosius lib. de Filij Diuin. cap. 6. prope med. *Verbum,* inquit, *nũcupatur, quia ex proprio diuino ore processit, & nihil Pater sine eo aut iussit, aut fecit.* 6

Origenes

7 Origenes hom. 2. *in varios* circa illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum* col. 3. *Quid est,* inquit, *per ipsũ omnia facta sunt, nisi eo nascente ante omnia ex Patre, omnia cum ipso, & per ipsum omnia facta sunt? Nam ipsius ex Patre generatio, ipsa est causarum omnium conditio, omniumque quæ ex causis in genera & species procedunt operatio, & effectus: per generationem quippe de Verbi ex Deo principio facta sunt omnia.* Idque confirmat ex Psalm. 104. *Omnia in sapientia fecisti.* Et post pauca subiungit, *Tria itaque credere & intelligere debemus, Patrem loquentem, Filium genitum, & ea quæ efficiuntur per Verbum. Pater loquitur, Verbum gignitur, omnia efficiuntur. Audi prophetam: quia ipse dixit, & facta sunt: hoc est Verbum suum genuit per quod facta sunt omnia.* Psalm. 32. & Psalm. 148.

8 Athanasius orat. 3. contra Arianos non procul ante med. ait: *Pater veluti per manum in Verbo suo operatus est omnia, & sine eo nihil facit. Dixit igitur Deus: Fiat lux,* &c. Et paulo inferius: *Non relatum est à Scriptura, eum vel audisse aliquo modo, vel respondisse, aut qualia tandem ea fieri vellet, percunctatum fuisse: sed potius dixit, Deus: Fiat, & subintulit: Et ita factum est. Nam quod placuit, & voluit, id statim Verbo perfectum atque absolutum fuit.* Rursus in lib. de decretis Nicænæ Synodi in med. probat, non multis Verbis, sed Vnico Patrem loqui, & dicere quæcumque pertinent ad creaturarum prouidentiam & administrationem. Et dialogo 3. de S. Trinit. contra Macedonianum propius ad fin. quàm ad med. *Veluti mens,* inquit, *per sermonem docet, ita Pater per Filium creat,* videlicet, tanquam per sermonem seu Verbum.

9 Clarius autem, Patrem sine Verbo non posse creare, docuit Athanasius orat. 3. contra Arianos prope init. dicens: *Si non sit Filius, quomodo Deus creator esse dici poterit? si quidem per Verbum in sapientia omnia fiunt, sine quo nihil fieri poterit.* Et versus medium eiusdem orationis: *Creaturas certè impossibile erat sine Verbo fieri: vt enim lux radijs suis omnia illuminat, & sine eius radijs nihil illuminari quierit; ita quoque Pater veluti per manum in Verbo suo operatus est omnia, & sine illo nihil facit.* Confirmat autem verbis Geneseos *Dixit Deus: Fiat.* Et Psalm. 32. *Ipse dixit & facta sunt.* Hanc Verbi necessitatem, vt Pater operetur per ipsum ita vt sine ipso nihil operari possit, probat Athanasius tota orat. 2. 3. & 4. contra Arianos.

10 Denique *Quod Pater non potuit creare creaturam, nisi per Verbum: & deificandis creaturis se non potest communicare, nisi per idem Verbum. Et similiter nec Filius nisi in Spiritu sancto.* Ex eodem Athanasio in epist. ad Serapionem refert, atque defendit S. Thomas opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 7. post med. fortasse non verba sed mentem authoris colligens. Et quidem sumi potuit ex variis epistolis ad Serapionem præsertim ex longiori quæ incipit *Litteræ* col. antepenult.

11 Cyrillus lib. 1. thesauri cap. 5. in med. ait: *Dicere quod fuerit aliqua duratio, quãdo Filius non erat, non est aliud, quàm ipsum Deum dicere aliquando non fuisse creatorem, sed postea quando creatur Filius. Nam sine ipso factum est nihil. Sin verò semper & secundum naturam Deus Pater creator est, erat cum ipso Verbum, id est Filius, per quem creator est.* Et lib. 2. thesauri cap. 1. propius ad princ. quàm ad med. *Non potest,* inquit, *esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat: nec potest esse creator Deus absque Filio, per quem omnia fiunt.* Et lib. 10. thesauri cap. 6. fine ait: *Vna cum Patre semper Filium (per quem omnia facit, per quem loquitur) intelligi necesse est.*

Præterea lib. 12. thesauri cap. 9. versus finem, ex verbis Apostoli ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei.* Concludit: *Verbo diuino, id est, per Filium Dei, ipsa quoque sæcula facta, Scripturis dicentibus credimus.* Tandem lib. 2. in Ioan. cap. 135. ad finem. *Quomodo seorsum (vt ita dicam) ac solus absque Filio Pater operabitur: cum virtus eius, qua operatur, sit Filius, qui æternaliter inest, & voluntatis eius, notionisque (vt ita dixerim) in agendo expressissimus?* 12

Gregor. Nyssen. lib. de Trin. & aduentu Domini contra Iudæos col. 2. *Quod per sermonem,* ait, *omnia creauerit Deus, perspicuum est ex eo, quod vnicuique creaturæ ascripta est hæc clausula: Et dixit Deus: Fiat significante Scriptura eam, quæ per sermonẽ effecta est creationem. Nisi enim hoc esset; satis fuisset dicere: Et fecit Deus,* &c. Nazianz. orat. 49. de fide multo propius ad med. quàm ad fin. *Verbũ,* inquit, *nuncupatur, quia semper in Patre & de Patre, & nihil sine eo Pater iussit aut fecit.* Quibus consonat Philo Carpatiorũ Episcopus, Anselmus, & Glossa, quorum verba retulimus disp. 60. sect. 4. versus finem. 13

Antiquorum ergo vestigiis insistens Angelicus Doctor lib. 4. contra gent. cap. 13. post medium, scribit: *Fecit Deus omnia per Verbum suum,* quod est ratio rerum factarum ab ipso. *Hinc est quod dicitur à Ioanne: Omnia per ipsum facta sunt. Cui consonat quod Moyses mundi originem describens, in singulis operibus tali vtitur modo loquendi: Dixit Deus: Fiat Lux,* &c. *Dicere enim est Verbum producere. Sic ergo intelligendum est, quod Deus dixit & facta sunt, quia Verbum producit, per quod res in esse produxit, sicut per earum rationem perfectam.* Idque confirmat Psalm. 32. & Hebræos. 1. 14

SECTIO IV.

Vt Pater operari possit, necessarium est Verbum, tanquam sapientia vel ars ordinans & dirigens, atque potentia exequens.

EX dictis aduersus Henricum sect. 1. suppono, sapientiam & artem, non modo speculatiuam, sed etiam practicam esse perfectionem absolutam & essentialem: ac proinde non esse personalem & peculiarem Verbi. Nihilominus sapientia vel ars diuina non posset existere, nisi terminaretur Verbo producto per illam, per quod diceretur, ordinaretur & iuberetur quidquid sapiẽtia vel ars dictaret, sic vel aliter esse faciendum. Quapropter Verbũ sua quidditate personali formalissimam, & summa perfeitate coniunctam necessitudinem habet cum sapientia & arte absoluta. Vnde & ipsum Verbum notionaliter dicitur ars & sapientia genita, vt vidimus disp. 58. sect. 4. 5. & 6. Vocatur etiam virtus seu potentia Patris 1. Corinth. 1. quoniam Verbo Pater mandat fieri quidquid operatur ad extra: vt vidimus eadem disp. 58. sect. 5. fine. 1

Hoc igitur sensu Patres Filium concurrere ad productionem creaturarum, probant ex eo, quod sit sapientia, virtus, & ars. Ita Nicænum concilium lib. 2. in med. §. *sæpenumero. Christus,* inquit, *est Dei virtus & Dei sapientia, iuxta modum suæ ineffabilis Deitatis, ex Deo veris Deus Verbum, Verbo enim Domini cœli firmati sunt,* &c. 2

Verbi proprium esse, vt per ipsum, & in ipso Pater operetur omnia, tanquam per rationem & sapientiam, docet Athanasius millies in orationibus quinque contra Arianos & in aliis operibus, 3

adducens

adducens sacræ Scripturæ testimonia, quæ tractant de Verbo siue sapientia Dei in ordine ad opera facienda. Sic orat. 1. contra Arianos circa med. & post med. adducit illud Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, &c. Et Hebræos 2. *Propter quem omnia & per quem omnia.* Deinde orat. 2. inter princ. & med. ait: *Omnia in sapientia fecisti.* Psalm. 103. *Et Salomon ait: Dominus Sapientia fundauit terram, expediuit cœlos prudentia. Sapientia ista Verbum est.* Et infra: *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per eum.* Et orat. 3. versus finem ad idem probandum profert testimonium Apostoli ad Hebræos 4. *Viuidum est enim Verbum Dei & efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti.* Et in eadem ratione 3. versus med. repetit ea quæ retulimus ex orat. 1. & 2. Quibus consonat disp. contra Arium habita in concilio Nicæno, col. 4. ponderans illud 1. Corinth. 1. *Christum Dei virtutem & Dei Sapientiam*, vt conuincat, Deum creasse per Verbum, quod est Sapientia. Prouerb. 3. 1. Corinth. 8.

4 Rursus potentiam seu virtutem Patris esse Verbum, ex eodem loco Pauli ponderat Athanasius orat. 1. contra Arianos post med. & orat. 2. multo propius ad princip. quàm ad med. & iterum post med. & orat. 3. multo propius ad med. quàm ad princ. & orat. 4. versus finem. Quibus in locis virtutem siue potentiam Patris notionaliter accipit Athanasius ad eum modum, quo Sapientia genita supponitur pro Verbo. Sic enim solet etiã dicere, Filium seu Verbum esse *rationem opificem rerum*, vel *architectatricem rationem*: quemadmodum orat. 2. contra Arianos inter prin. & med. & iterum multo propius ad med. quàm ad princ.

5 Gregor. Nyssenus orat. Cathet. cap. 5. sub init. *Si dederint*, inquit, *Verbum seu rationem & sapientiam non fuisse ducem rerum creationis, statuent rationis & artis egestatem fuisse in principio vniuersitatis. Sin autem hoc constat, esse planè absurdum & impium: Verbum & sapientiam rerum fatebuntur esse ducem.* At verò principiũ vniuersitatis creare non potuit cum egestate rationis & artis: ergo creare non potuit, nisi duce Verbo quod est sapientia.

6 Consonat his Nazianz. orat. 35. quæ est 3. de Theologia inter med. & fin. & orat. 49. de fide propius ad med. quàm ad finem ita scribit de Verbo: *Virtus dicitur, quia propriè de Deo Patre est, & omnis potestas Patris in ipso consistit.* Et ante med. orationis frequenter repetit omnia facta fuisse per Verbum siue *per sapientiam* & *in sapientia.* Et in carmine arcano 1. post medium, de Verbo ait: *Mens Patris & robur.*

7 Cyrillus Alex. Dialog. de Trinit. lib. 4. multo propius ad fin. quàm ad med. ait: *Condidit Pater omnia per Filium, tanquam per sermonem & sapientiam & potentiam, quæ est in illo. Omnia enim hæc sunt Filius Patri.* Et post pauca: *Si dixerimus Patrem opificem sequitur omnino, quod neque impotens, neque insipiens existat, neque etiam sine Verbo condat. Nam* Psalm. 103. *psaltes dicit: Omnia in sapientia fecisti. Hieremias autem propheta clarius vniuersi natiuitatem enarrans* Hierem. 51. *clamauit, dicens: Dominus qui fecit terram in virtute sua, qui stabuit orbem terrarũ in sapientia sua, & sensu suo extendit cœlum.* Similia scribit in expositione Symboli Nicæni col. 5. & lib. 2. in Ioan. cap. 133. post med. ait: *Omnia Deus Pater non aliter, quam per virtutem & sapientiam suam, qui Filius eius est, peragit.*

8 Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 3. inter med. & fin. exponens inseparabilem cooperationem Filij cum Patre: *Nihil enim*, ait, *Pater sine virtute atque sapientia sua condidit, qui omnia in sapientia fecit, sicut scriptum est: Omnia in sapientia fecisti. Nihil etiam Deus Verbum sine Patre fecit.* In sequenti lib. 5. cap. 7. inter princ. & med. *Omnia*, inquit, *in sapientia Pater fecit, id est, omnia per Filium fecit, qui est virtus Dei & sapientia. Sapientia autem id conuenit, vt suorum operum & virtutes norit & causas.* Similia scripserat lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 6. inter princ. & med. & lib. 3. cap. 3. ad finem. Psalm. 103. Psalm. 103. 1. Corinth. 1.

Prosper lib. sententiarum ex Aug. sent. 141. *Si quærimus*, inquit, *quis fecerit? Deus est. Si per quid fecerit? Dixit, & facta est. Si, quare fecerit? quia bona est. Nec author excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei Verbo: nec causa melior, quàm ut bonum crearetur à bono.* 9

Epistola sex Episcoporum ad Paulum Samosatenum, antequam deponeretur, inter alia sic habet: *Generante Patre Filium, tanquam viuentem energiam, & personam operantem omnia in omnibus, sicut scriptum est. Apud eum eram cuncta componens.* Hæc Turrianus refert circa Synodum Antiochenam tom. 1. Conciliorum. Sed eorumdem Episcoporum professio fidei missa ad Paulum Antiochenum inter prin. & med. docet: Omnia per Verbum creasse Patrem *tanquam per scientiam per se existentem.* 10

Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. prope finem docet, *Patrem quæcumque facit per Vnigenitum eius, non vt per instrumentum seruile, sed vt per virtutem naturalem & substantialem facere.* Explicat autem similitudine ignis, lucentis per lucem tanquam per naturalem virtutem, quæ ab ipso est. Et in epist. de Trisagio pag. 2. inter ea quæ sunt. *Ostensiua vnius hypostaseos, & nequaquam in altera hypostasi, vel in communi Deitatis locum habent*, numerat hæc: *Filius Dei, Verbum, sapientia, & virtus.* 11

Augustinus ad illud Psalm. 61. *Semel locutus est Deus*, probat, omnia fuisse in Verbo diuino *tanquam in arte, per quam facta sunt.* Et lib. 6. de Trin. cap. 10. post med. *Verbum*, inquit, *perfectum, cui non deest aliquid, & ars quædam omnipotentis Dei, plena omnium rationum viuentium commutabilium, & omnes vnum, in ea.* Quod recipitur à Magistro & Scholasticis 1. dist. 31. cap. 1. 12

Postremò S. Thomas 1. p. quæst. 45. artic. 6. corpore à medio. *Deus*, inquit, *est causa rerum per suum intellectum & voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per Verbum in intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum, operatur. Vnde & Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, & per suum amorem, qui est Spiritus sanctus. Et secundum hoc processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, inquantum includunt essentialia attributa, quæ sunt scientia & voluntas.* Vbi licet recurrat ad attributa essentialia: minimè negat, sed potius explicat & confirmat, per se requisitam esse personam Verbi quatenus sine illa non posset existere scientia, vel existeret muta & impotens imperandi; & per se requisitam personam Spiritus sancti propter rationem amoris, proportionatam Verbo, sicut explicuimus sectione secunda. 13

Quod autem in processionibus Diuinis non sit sola causalitas exemplaris, nec appropriatio sola, magis apertè declarauit primo sententiarum distinct. 32. quæst. 1. art. 3. corp. vbi præter communem efficientiam Trinitatis, distinguit peculiarem rationem efficientiæ, *non quidem ex parte efficientis, sed ex parte effectorum*: secundum quam 14

quam propriè Verbum sit ratio creaturarum, quatenus exeunt à Deo per Verbum & artem; Spiritus verò sanctus habeat etiam peculiarem rationem efficientiæ, prout creaturæ exeunt à Deo per libertatem voluntatis. Atque inde colligit, non efficientiam ipsam, sed rationem efficientiæ ex parte creaturarum denotari, quando dicitur: *Pater & Filius creaturas diligunt Spiritu sancto.* Cui consonant alia loca S. Thomæ, quæ retulimus sect. 2.

SECTIO V.

Sine Verbo nequit operari Pater, quoniam est imago, idea, exemplar & ratio cuiuslibet operis.

1 SIt hæc probatio tertia veritatis, quam explicuimus sect. 2. quia nullus artifex potest opus artificiosum efficere, nisi dirigatur præconcepta idea & imagine operis, quæ sit exemplaris causa, & ratio rei faciendæ. At verò formalitas imaginis, exemplaris, ideæ atque rationis quamuis absoluta sit, peculiari ratione secundùm suam explicitam lineam continetur in personali proprietate Verbi, & per illam terminatur; vnde fit, vt Patris operationem dirigere non possent, sine Verbo, quod est, idea, exemplar, & ratio genita, & quasi completa in facto esse atque subsistens. Propterea quod tanquam idea, imago, & exemplar requiratur Verbum ad productionem creaturarum, Patres non obscurè significant.

2 Basilius lib. 5. contra Eunomium inter princip. & med. videlicet sect. 6. *Omnium*, inquit, *imago, quæ creatur, à primitiuo ad materiam transmutata, similitudinem capit, & charactere participat per artificis mentem, & manus confirmationem: sic pictor, sic lapidum sculptor, sic qui auream aut eneam statuam fingit, materiam cepit, in exemplar respexit, recepit rei quam speculatus est figuram, hanc in materiam impressit. Quod si hominibus non possunt ad similitudinem informari materia, nisi idea ipsorum participent: quomodo ad similitudinem Dei creatura ascenderet, nisi diuino charactere participarit? Diuinus verò character viuens est & verè ens imago, imaginis efficiens.* Videlicet Christus Dominus. Et prope med. eiusdem lib. 5. videlicet sect. 13. post med. notat, creationis omnium principium auferri, si Verbum auferatur: vt videbimus sectione sequenti. Consonat lib. 2. contra Eunom. paulo post med. proposita quæstione: *Quomodo per Filium sunt omnia.* Et respondens: *Quoniam diuina voluntas, tanquam à fonte primæ causæ profecta, per suam imaginem, id est, per Verbum ad actum prodit.*

3 Athenagoras in legatione pro Christianis propius ad med. quàm ad princ. ait: *Filius Dei est Verbum Patris in idea & efficacia. Ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, cum Pater & Filius vnũ sint.* Et iterum: *Primigenia est Patris progenies; quæ non vt facta, sed vt rerum cunctarum idea & perfectio foret, progressa est. Hoc enim indigebat informis illa natura, terra, & cætera elementa, quæ diuinitus digeri, perficiq; opus erat: orationi nostræ propheticus etiam Spiritus assentitur: Dominus enim, inquit, creauit me, initium progressionis ad opera sua.* Prouerb. 8.

4 Eusebius Cæsarien. præparationis Euangelicæ lib. 4. cap. 4. sub initium, potissimum verò cap. 5. ad fin. hanc scribit sententiam cum aliis etiam verbis, quæ sensum nihil mutant: *Talem vnicum Filium ipsius, Deus, & parens primum omnium genuit, per illum & in illo eorum, quæ futura erant, opifices rationes efficiens, seminaq; constitutionis, gubernationisq; vniuersi in illo iniecta habens.*

Augustinus sermone 18. de verbis Domini secundum Ioan. col. 1. de Verbo sic disserit: *Est enim forma quædam forma non formata, sed forma omnium formatorum, forma incommutabilis*, &c. Prædictam sententiam Augustini recipiunt S. Thomas, Alexander, Albertus, S. Bonauentura, Ægidius, Ricardus & Carthusianus citati disput. 62. sect. 2. num. 9. 5

Idem Augustinus lib. 2. de Genesi ad literam cap. 6. à med. ait: *Quia ergo nihil creare posset siue ante tempora; quod quidem non est creatori coæternum, siue ab exordio temporum, siue in aliquo tempore, cuius creandi ratio, si tamen ratio rectè dicitur, non in Dei Verbo Patri coæterno coæterna vita viueret: propterea Scriptura priusquam insinuet vnamquamque creaturam ex ordine, quo condita dicit, respicit ad Dei Verbum, prius ponens, & dixit Deus, Fiat illud. Non enim inuenit vllam causam rei creandæ, quam in Verbo Dei non inuenit creari debuisse. Non enim Deus totiens dixit, fiat illa vel illa creatura, quotiens in hoc libro repetitur, & dixit Deus. Vnum quippe Verbum ille genuit, in quo dixit omnia priusquam facta sunt singula.* Sic etiam Verbum esse *rationem omnium viuentium*, scripsit lib. 6. de Trinitate quod retulimus sectione præcedenti. Facit ad idem probandum Anselmus in Monologio cap. 28. præsertim verò cap. 33. & 34. 6

SECTIO VI.

Sine Spiritu sancto qualibet productio creaturarum foret impossibilis, non minus quàm sine Verbo.

PRobat Augustinus 1. simul agens de Verbo & Spiritu sancto ex sententia Moysi in exordio Geneseos. Nam lib. 11. de Trinit. cap. 24. post med. *Pater*, inquit, *intelligitur Verbi, qui dixit vt fiat. Quod autem illo dicente factum est, proculdubio per Verbum factum est. In eo verò quod dicitur, vidit Deus quia bonum est: satis significatur, Deum nulla, necessitate, nulla sua cuiusquam vtilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia æqualiter bonum, & quod Spiritus sanctus simul & Patris & Filij bonum est. Quod ideo posteaquam factum est, dicitur, vt res, quæ facta est, congruere bonitati, propter quam facta est, indicetur. Quæ bonitas si Spiritus sanctus rectè intelligitur, vniuersa nobis Trinitas in suis operibus intimatur.* 1

Eodem modo ratiocinatur lib. 2. de Genesi ad literam cap. 6. Vnde quod attinet ad Verbum, retulimus ad finem sectionis præcedentis: nunc verò in fine capitis eiusdem ait: *Cum audimus, & vidit Deus, quia bonum est: intelligimus in benignitate Spiritus eius, non quasi cognitum posteaquam factum est, placuisse, sed potius in ea bonitate placuisse, vt maneret factum, vbi placebat, vt fieret.* 2

Secundò, magis apertum est Basilij testimonium lib. 5. contra Eunom. prope med. *Qui Filium tollit, is creationis omnium principium abstulit, principium enim est substantiæ omnium Dei Verbum, per quod omnia facta sunt. Qui Spiritum aufert, perfectionem eorum, quæ sunt, abscindit. Nam quæ fiunt, emissione & participatione Spiritus fiunt.* 3

Tertiò probatur, quia sine virtute operatiua nemo potest operari: sed Spiritus sanctus est virtus operatiua Patris & Filij. Ergo sine Spiritu sancto Pater & Filius non poterit operari. Minorem licet proposuerim verbis Cyrilli, & 4

& Damascẽi statim referendis, prius tamen explico, Spiritum sanctum non ita esse virtutem, vt per eam formaliter constituatur potens Filius aut Pater (hoc enim formaliter tribuitur per absolutam & essentialem potentiam.) Sed Spiritus sanctus ex sua proprietate personali terminat, & subsistere facit formalissimè volitionem, per quam absoluta potentia applicatur ad opus. In hoc igitur sensu Spiritus sanctus est virtus, sine qua Pater & Filius operari non possent. *Quomodo Spiritus sanctus sit virtus.*

5 Ita Cyrillus lib.3. thesauri cap.2.post med. *Spiritus*, inquit, *sanctus qui naturaliter ex Patre in Filio est: & totam ipsius habet operationem. Verbum autem per Spiritum sanctum vincit, vtitur enim ipso, vt propria virtute.* Consequenter autem lib.14. thesauri cap.1. fin. cum Apostolo Rom.15. dicit: *Neque enim quidquam loqui eorum, quæ non perfecit Christus per me in obedientiam gentium verbo & opere, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti. Si ergo prodigia & signa per Paulum Christus operatur in virtute Spiritus sancti, naturalis quædam virtus, & viuens, & (vt ita dicam) qualitas Deitatis Filij Spiritus sancti est.* Intendit ergo significare, non minus per se requisitum esse Spiritum sanctum, vt Pater & Filius operentur ad extra, quàm in creaturis qualitas, quæ est virtus actiua, requiritur, vt operetur causa principalis.

6 Eodem sensu Damascenus epistola de Trisagio pag.4. Verbum & Spiritum sanctum appellat *virtutes subsistentes*, propter notionales ordines transcendentales ad creaturarum productionem, qui peculiares sunt personæ Verbi, & personæ Spiritus sancti, quos explicuimus disp.62.& 63.& disp. 75. Quapropter hæc Damasceni verba non indigent correctione, quam adhibuit Turrianus in explanationibus ad 3. librum Clementis de constitutionibus Apostolicis cap. 17. fine. Imo Damascenus ibidem prope med. epist. manifestissimè ostendit, notionales rationes Filij & Spiritus sancti esse virtutes Patris modo dicto, ait enim: *Verbum & Spiritus virtutes sunt Patris, virtutes autem enypostatæ (id est subsistentes) inseparabiles à Patre, ex quo, & in quo sunt, & ad quem vt ad causam referuntur.*

7 Ambrosius autem singulas tres personas, probat, esse virtutem non tantum propter communem essentiam, sed etiam propter personalem proprietatem vniuscuiusque personæ, diuersimodè tamen. Nam Pater est virtus, vt dicens: Fiat. Filius est virtus, vt Verbum, quo dicitur, vt fiat. Spiritus sanctus est virtus, vt amor, liberè determinans & applicans potentiam, vt fiat. Sic melius intelligitur Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto. cap.1. fine dicens: *sicut Pater virtus, ita & Filius virtus, & Spiritus sanctus est virtus. De Filio legisti,* 1.Corinth.1. *Christum Dei virtutem esse & Dei sapientiam. Legimus etiam: Videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei. Hic vtique virtutem Patrem dixit, cuius ad dexteram Filius sedet, sicut habes; dixit* Matth.26. Psalm.109. *Dominus Domino meo; sede ad dexteram meam. Virtutem etiam Spiritum sanctum ipse Dominus nuncupauit, dicens: Accipietis virtutem aduenientem in vos Spiritum sanctum.* Actor.1.

8 Quartò probatur, quia nullus artifex operari poterit exterius, nisi prius eliciat immanentes operationes intellectus & voluntatis, ex quibus procedant operationes transeuntes. Spiritus verò sanctus est Patris & Filij operatio immanẽs, quasi in facto esse subsistens; est enim amor productus per voluntatem supra disp. 73. & 74. Hoc igitur *Operationes immanentes in artifice requiruntur ad operationes transeuntes.*

sensu Cyrillus lib.13. thesauri cap. 2. paulo post med. *Non est*, inquit, *alienus à Deitatis essentia Spiritus sanctus sed quasi operatio naturalis, ac essentialis: in propria tamen hypostasi ex ipso prodiens Deo, & in ipso manens, omnia, quæ Dei sunt operatur.* Quod iñ in fine eiusdem cap. confirmat, dicens: *Spiritum sanctum non alienum à substantia Filij, sed esse in ipso Filio, vt ex ipso sicut operatio quædam naturalis in propria hypostasi: & ideo omnia facere posse, quæ vult, sicut & Filius.* Eodémque lib.3. cap. 4. in med. *sanctus Spiritus dicitur, quia sanctus essentialiter est. Naturalis enim & viua & subsistens Dei operatio est, quæ creaturas per suam participationem sanctificando perficit.*

Simili modo loquendi Antiochena prima Synodus tempore Dionysij Papæ in professione fidei, missa ad Paulum Antiochenum §. 2. ait: *Generauit Pater Filium tanquam actum viuentem; & per se existentem, & omnia in omnibus operantem*, &c. Ignatius item epist. ad Magnesianos non longè post med. de Verbo ait: *Est operatio Deitatis substantia scilicet genita.* 9

Quintò probatur, quoniam Spiritus sancti persona, sicut in substantia non est inferior Patre & Filio, sic non est inferior in cooperatione ad producẽdas creaturas: sed huius cooperationis æqualitatem Scriptura & Patres significant, quoties eodem modo loquuntur de Spiritu sancto comparatione creaturarum, sicut loquuntur de Verbo & de Patre. Cum igitur aliunde constet, Verbi cooperationem ita fuisse necessariam, vt sine illa Pater non potuerit operari (sicut probatum est tribus sectionibus præcedentibus) consequens est, vt non minus necessaria sit cooperatio Spiritus sancti. 10

Maior probatur Psalm.32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psalm.103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Iudith.16. *Dixisti & facta sunt; misisti Spiritum tuum, & creata sunt.* Iob.33. *Spiritus Dei fecit me.* Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* 1. Corinth.12. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* 11

Propter hæc & alia Scripturæ testimonia Patres, absque discrimine, vel vlla inæqualitate, productionem creaturarum adscribunt Spiritui sancto non minus, quàm Filio vel Patri, vt videre licet in concilio Nicæno lib.2. toto c. *in libro Iob*, Nazianz. orat. 44. in sanctam Pentecostem inter med. & fin. *Hic Spiritus*, inquit, *& cum Filio rerum creationem ac resurrectionem fabricatur, quemadmodum his Scripturæ locis comprobatur.* Profert autem ea, quæ nuper adduximus ex Psalm.32. & 103. & Iob.32. & Ioan.3. 12

Greg. Nyssen. lib. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos in principio prædictum versum Psalm.32. ita ponderat: *Tria intellige, iubentem & imperantem Dominum: creantem sermonem, siue Verbum: firmantem & solidantem, hoc est, Spiritum.* Chrysostomus tomo 3. versus finem sermone de Trinit. sub init. ita ponderat illud Geneseos 1. *Faciamus*, &c. *loquitur ad coopificem Filium & sanctum Spiritum. Et vt veritas hæc tibi persuadetur, audi psaltem dicentem: Verbo Domini cœli firmati sunt, &* Psalm.32. *Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* 13

Epiphanius in Ancorato multo propius ad princip. quàm ad med. *Cum dicat, Faciamus. De Filio ac sancto Spiritu vtique eum dicere, dixerim, sic enim dicit Scriptura Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eis*, &c. Et hæresi 74. propius ad fin. quàm ad medium. *Spiritus sanctus cooperatur Filio* 14

Filio & Patri, & æqualiter facit, donans ac largitus, prout vult. Item hæresi 76. colum. 8. prope libellum Aëtij. *Per Filium*, inquit, *& sanctum suum Spiritum, qui ex ipso processit, & de Filio accepit, fecit & formauit omnia. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu*, &c.

15 Gregorius Bœticus lib. de Trinitate prope fin. *Spiritus sanctus Patri & Filio in omni conditione consors inuenitur. Accipe vel vnum testimonium: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et per hoc ergo ostenditur Spiritus sanctus non esse creatura; siquidem ipse cum Patre & Filio conditor approbatur.*

SECTIO VII.

Metaphora brachij, manus ac digitorum significat, sine Filio & Spiritu sancto non esse possibilem productionem creaturarum.

1 HOc à fidelibus intelligi voluit Author sacrarum literarum, & illuminator antiquorum Patrum, quando inspirauit metaphoram brachij, manus, dexteræ, vel digitorum, roties attributam Filio, vel Spiritui sancto; videlicet, nullum opus à Deo fieri posse sine Verbo & Spiritu sancto: quemadmodum artificiosum opus hominis fabricari nequeunt nisi concurrente brachio & manu præsertim dextera simul cum digitis.

2 Filium in Scriptura sacra vocari *dexteram*, sed Spiritum sanctum appellari *manum* & *brachium* propter cooperationem supradictam, fusè docet Nicæna Synodus lib.2. propius ad med. quàm ad fin. §. *in libro Iob.* & sequenti §. *sufficiunt.* Quod *Pater veluti per manum in Verbo suo operatus est omnia.* Iam ex Athanasio in oratione 3. contra Arianos retulimus sectione 3. & in eadem oratione propius ad fin. quàm ad med. confirmat verbis Scripturæ, Isaiæ 66. *Manus mea fecit hæc omnia.* & Psalm.101. *Opera manuum tuarum sunt cœli.* & oratione 5. contra Arianos idem intentum confirmat ex Psalm.73. *Vt quid auertis manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?* videlicet Vnigenitum, qui est in sinu Patris. Idem Athanasius epist. de decretis Nicænæ Synodi circa medium notans in Scripturis Filium appellari *manum*, adiungit: *Si Filium potentiam Dei aut manum appelles, verum denuo proprietatem substantiæ eius significaueris.*

3 Basilius lib. 5. aduersus Eunom. non procul à princip. sic inter se confert varia Scripturæ loca: Psalm.18. *Opera manuum eius annunciat firmamentum.* Et in Psalm.101. alio Psalm. *Et opera manuum tuarum sunt cœli. Et quænam erunt incorporei Dei manus incorporeæ, quæ firmamentum & cœlos creauerunt? ille ipse propheta explanat cum dicit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Confirmat autem Basilius Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me.* & Iob 33. *Spiritus Domini, qui fecit me.*

4 Cyrillus Alexandrinus lib.1. thesaur. cap.1. inter principium & medium. *Quemadmodum*, inquit, *Sol nunquam sine splendore ac luce sua lucere poterit: sic nihil vnquam operabitur Pater, nisi per Verbum suum. Omnia enim per ipsum facta sunt. Et sine* Ioann.1. *ipso factum est nihil. Ideo & dextra & brachium Dei nominatur, quia quasi per manum omnia Deus per ipsum operatur.* Præmiserat autem, Deum potuisse nihil creare, si voluisset. *Quum tamen creare Deus voluerit, per Verbum necessariò creabit.* Præterea lib.5. thesaur. cap.3. inter principium & medium, & cap.7. inter medium & finem, Filium esse *dexteram* siue *manum*, confirmat Isaiæ 66. *Manus mea omnia fecit.* Deinde lib.13. thesauri cap.2. propius ad med. quàm ad principium. *Brachium*, inquit, *& dexteram Dei, Filium Dei Scripturæ vocant. Saluauit enim inquit, dextera eius, & brachium sanctum eius.* Et rursus: *Domine sublime est brachium tuum & nescierunt. Quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniaq; facit, quæ* Psalm.97. Isaiæ 53. *menti videntur*, &c.

Chrysostomus tom.1. in Psalm. 107. ad illud: *Saluum fac dextera tua. Dexteram*, inquit, *Dei probum afflatum vocat, aut etiam Spiritum sanctum quoniam etiam Dei digitus appellatur; quod videlicet Trinitas vnam essentiam, virtutem & operationem habeat.* 5

Sic etiam Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap.2. ante med. & cap.3. & 6. docet, Filium appellari *dexteram*, Spiritum verò sanctum *Dei digitum*, ad explicandam vnitatem non modò Diuinitatis, sed etiam operationis. Deinde verò eodem lib. 3. de Spiritu sancto cap.18. non longè à princip. Spiritum sanctum esse *manum Patris & Filij*, probat; quia Ioann. 10. de eisdem electis, de quibus ait: *Nemo poterit rapere de manu Patris mei.* Dicit etiam: *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* 6

Eodem modo manum & digitum intelligi Filium & Spiritum sanctum, obseruat Anastasius Sinayta lib.1. de rectis fidei dogmatibus propius ad med. quàm ad finem. Leo Magnus sermone 8. de natiuitate prope fin. Filium ratione Diuinitatis esse dexteram Patris, probat Exodi 15. *Dextera tua glorificetur in nobis.* & Isaiæ 53. *Brachium Domini cui reuelatum est?* Lactant. diuinar. institt. lib.4.cap.29.prope med. *Cum igitur à prophetis idem & manus Dei & virtus & sermo dicatur.* 7

Isidorus lib.7. etymolog. cap.2. circa med. de Filio ait: *Manus Dei est, quod omnia per ipsum facta sunt. Hinc & dextera propter effectum operis totius creaturæ, quæ per ipsum formata est. Brachium, quia ab ipso omnia continentur. Virtus pro eo, quod omnem potestatem Patris in semetipso habeat: & omnem cœli terræq; creaturam gubernet, contineat, atque regat.* Et sequenti cap.3. post med. *Spiritus sanctus ideo digitus Dei dicitur, vt eius operatoria virtus cum Patre & Filio significetur.* Similia notat lib. de differentiis spiritualibus cap.1. circa med. Denique Spiritum sanctum appellari digitum Dei, probatum est disput.76. sect.1. 8

SECTIO VIII.

Veritas eadem probatur, ostendendo fallaciam argumentorum opinionis aduersæ.

1 EA tantum argumenta pugnare videntur aduersus doctrinam, huc vsque probatam, quæ posita sunt sect.1. pro secunda sententia, quamuis ab eius authoribus pauciora proferantur. Ad primum. Sequela negatur. Imo potius euidenter ostenditur, non imperfectionem & indigentiam esse, verùm eximiæ perfectionis, Patrem nõ posse creare, nisi per Filium, & in Spiritu sancto. Primò, quia Pater solus sine Verbo, non potuisset producere Spiritum sanctum. Hoc autem non est imperfectionis, sed eximiæ perfectionis, vt constat ex tota disput.71. Ergo nullius imperfectionis est illa personarum trium concatenatio, ratione cuius vna non posset creaturas producere sine altera. *Ad primum.* *Non esse imperfectionem sed perfectionẽ, quod vna persona non possit operari sine altera.*

2 Probatur secundò, quia de fide est, Filium nihil posse creare sine Patre, iuxta illud Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Itaque nisi actualiter fecerit Pater, non potest Filius facere. Quod fusiùs tractatum est disputatione præcedenti sectione 2. & sequentibus. Nec minus est de fide nullam esse imperfectionem & indigentiam in Filio. Ergo licet Pater operari non possit absque Filio, nullius hoc erit imperfectionis aut indigentiæ. Idem argumentum fieri potest de Spiritu sancto, qui loqui non potest à semetipso, sed illa tantùm, quæ audit à Patre & à Filio; & tamen æqualis perfectionis est in operando cum Patre & Filio; vt ostendimus disputatione præced. sectione 4. & 7.

3 Probatur tertiò, quia non est imperfectio sed eximia perfectio supremi dominij, per intellectum & voluntatem exerciti, quod Deus non possit creare, nisi liberè decernat creare, quo decreto mouente, dicat & imperet rebus, vt fiant. At dicere & imperare est impossibile sine Verbo; & liberum decretum creandi non est possibile, nisi Spiritus sanctus sit terminus intrinsecus diuinæ volitionis, & sit primum donum, ratione cuius omnia donantur, vt vidimus sect. 6. Hoc autem nullius est imperfectionis.

4 Probatur quartò, quia prima persona non esset Pater, si defuisset illi Filius; & consequenter nec esset talis persona, sed nulla persona vel alia. Rursus etiam in quantum Deus, esset imperfectus Pater, ac subinde non esset Deus, si defuisset illi Verbum & Spiritus sanctus. Nihilominus inde non colligitur, Patrem nunc de facto esse imperfectum & indigentem: quæ omnia probata sunt disputatione 29. sectione 3. & sequentibus, & tota disputatione 30. præsertim sect. 7. ad 2. & ad 7. Ergo licet Pater non possit creare sine Filio & Spiritu sancto: non colligitur inde Patrem esse imperfectum aut indigentem in ratione creatoris. Consequentiæ vis est à maiori ad minus. Magis enim videbatur, imperfectionem & indigentiam arguere, quod requiritur ad personalem subsistentiam & ad essentiam Diuinitatis, quàm quod requiritur ad transeuntem operationem creandi.

5 Confirmatur, quoniam ratio, propter quam imperfectio, vel indigentia nulla sequitur ex eo, quòd Pater non posset subsistere, nec posset esse perfectus Deus absque Filio: non minorem vim habet in præsenti. Ratio enim est, quoniam Pater in seipso & à seipso habet Filium & Spiritum sanctum, & quidquid requiritur ad sui perfectionem, non modò tanquam formaliter constituens Deum aut sapientem aut potentem, sed etiam tanquam terminus intellectionis & Verbum, & tanquam terminus volitionis & personale donum. *Illud enim propriè est indigens, cui in se considerato aliquid deest ad suam perfectionem.* vt sapienter obseruauit S. Thomas opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 7. sub initium, probans, inde nullam imperfectionem aut indigentiam Patris inferri, licet verum sit quod scripsit Athanasius: Pater non esset Deus perfectus, nec posset creare, si Verbo careret: vt superioribus sectionibus probatum est. Sed de hoc fusiùs prædicta disput. 29. tota sect. 5. & disput. 30. sect. 6. præsertim ad 2. & ad 6.

6 Probatur quintò, quoniam contraria sententia, plus nimio timens indigentiam & defectum perfectionis in Patre: maiùs & verius inconueniens incurrit superfluitatis duarum personarum. Sic enim Patrem constituit integrum Deum & integrum creatorem, vt nullius vtilitatis sit superaddi Filium & Spiritum sanctum: sine quorum concursu nec minus perfectè, nec minus integrè crearentur omnia: & sine quorum existentia Deus esset non minus perfectus, quàm verè est. Hæc autem superfluitas, sine negatio necessitatis duabus personis productis contumeliam affert sine dubio maiorem, quàm Patri posset excogitari ex eo præcisè, quod non possit creare sine Filio, quem de sua substantia generat, & intra seipsum immanentem habet, itavt nihil ab alio principio, nec extra seipsum emendicare cogatur. Constat igitur non esse bonam consequentiam argumenti primi.

7 *Ad confirmationem primi argumenti.* Ad eiusdem argumenti confirmationem similiter negatur sequela. Tota quippe potentia creatiua, & productiua cuiuscunque rei, conuenit Patri ex eo præcisè & formaliter, quod est Deus infinitæ sapientiæ & infiniti amoris, præscindendo per intellectum à Filio & Spiritu sancto. Nam Filius non requiritur tanquam potentia, sed tanquam applicans potentiam, dicendo & imperando: quoniam est Verbum. Ideóque quodammodo similis est *conditioni, sine qua non*: hæc enim non cõtinetur intra potentiam causæ creatæ, sed contingit, totam potentiam integram & perfectam in causa retineri, deficiente conditione, *sine qua non*. Idem intellige de Spiritu sancto, qui potentiam creatiuam Dei ad operandum applicat determinando per liberum amorem, in facto esse productum, sicut explicatum est sectione 2. Fuit igitur hæc mens S. Thomæ 1. d. 32. quæst. 1. artic. 3. corp. quando dixit, Verbum esse rationem efficientiæ *ex parte effectorum, non ex parte efficientis*: vt retuli sectione 4. versus finem.

8 *Ad secundum.* Ad secundum argumentum cum confirmatione respondetur. Ad producendas creaturas sufficit diuina sapientia dirigendo, & diuina volitio, seu amor impellendo, seu determinando, necnon omnipotentia exequendo. Hæc inquam attributa sufficiunt in ratione causæ integræ atque completæ: sed non sufficiunt in ratione conditionis *sine qua non*, siue applicationis ad operandum: nam in hoc genere requiruntur Verbum & Spiritus sanctus, vt hactenus probatum est. Adde quod sapientia diuina non posset existere, nisi subsisteret in Verbo, tanquam in termino producto per ipsam: nec diuinus amor posset existere, nisi subsisteret in Spiritu sancto, tanquam in termino producto per ipsum.

9 *Ad tertium.* Ad tertium respond. negando consequentiam: nam ex illo antecedenti potius infertur oppositum. Creaturarum enim imperfectio causa est, propter quam potuerint non existere, sintque subiectæ libertimo dominio diuinæ voluntatis, vt eas non producat, si velit. Inde prouenit vt creaturæ non possint produci, nisi concurrente Verbo dicentis & imperantis, vt fiant & concurrente gratuito dono, quod est Spiritus sanctus ratione cuius liberè donantur, quæcumque perfectiones creaturis communicantur. At econtrario Verbum à Patre producitur naturali necessitate, ideóque non indiget gratuito dono, neque electione libera, nec indiget imperio dicentis. Eadem proportionaliter est ratio, propter quam Spiritus sanctus, naturali necessitate procedens per amorem Dei necessarium, non indigeat liberali & gratuito dono, vt

Quare productio creaturarum indiget tribus personis: cum productio Verbi non indigeat nisi Patre.

vt producatur, nec imperio dicentis, vt producatur.

10 *Ad quartum.* Ad quartum S. Thomas supra quæst. 33. art. 3. ad 1. ait: *Communia, quæ important respectum ad creaturam, per posterius dicuntur, quàm propria, quæ important respectus personales: quia persona procedens in diuinis, procedit vt principium productionis creaturarum. Sicut enim Verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice, quàm artificiatum, quod producitur ad similitudinem Verbi concepti in mente: ita per prius procedit Filius à Patre, quàm creatura, de qua nomen filiationis dicitur secundum quod aliquid participat de similitudine Filij vel Patris.* Itaque potentia creatiua quodammodo posterior est Verbo & Spiritu sancto, quatenus illos exigit, vt applicetur ad opus, quamuis alia ratione sit prior, quatenus continetur in essentia Diuinitatis. Sed de ordine prioritatis inter essentialia & notionalia prædicata, diximus disputatione 94. sectione 3. & disputatione 105. sect. 2. initio.

Ordo prioritatis inter potentiam creatiuã & Verbum, ac Spiritum sanctum.

11 *Ad quintum.* Ad quintum negatur Minor. & ad eius probationem respond. negando consequentiam, quia nisi daretur in Deo Verbum aliquod, propriè veréque productum per intellectionem: neque essentialis locutio haberet proprium sibi terminum, ideóque foret diminuta: nec posset effectum sortiri transeuntis operationis. Cæterum aliquo Verbo dato, quid verè & propriè fuerit productum per intellectionem; non solum Pater producens illud, sed ipsum etiam Verbum potest dicere & imperare plenè atque perfectè: consequentérque potest effectum sortiri transeuntis operationis. Confirmatur, quia non solum Pater Verbo loquitur, sed ipsum etiam Verbum seipso loquitur, eodémque Verbo loquitur Spiritus sanctus totáque proinde Trinitas: vt ostendimus disput. 60. sect. 4. 5. & 6.

12 *Perfectas secundum quam exigitur Verbum & Spiritus sanctus.* Ad confirmationem respond. Immediata primariáque perfectas necessitatis in eo consistit, quod Verbum & Spiritus sanctus requirantur ad exterius operãdum, quatenus terminant & complent intellectionem & volitionem diuinam: vnde si per impossibile diuinum Verbum non subsisteret, quasi persona distincta realiter à persona loquente, dummodo Deus verè loqueretur, & imperaret Verbo, creare potuisset (idem intellige de volitione.)

13 Nihilominus mediata secundariáque perfectas necessitatis exigit Verbum, realiter distinctum, realitérque productum à persona loquente, subsisténsque peculiari subsistentia, propterea quod Verbum diuinum per se, qua ratione Verbum diuinum est, postulat esse suppositum re aliter productum per intellectionem, & consequenter distinctum personaliter à supposito loquente, quæ tota quidditas Verbi per se postulatur ad creandum. Idem proportionaliter intellige de volitione & Spiritu sancto. Atque ita consonant quæ de spiratione, comparata cum creatione, dicta sunt disput. 71. sect. 3. ad 4. argum.

14 *Agit ars diuina, non ars creata.* In hoc igitur, sicut in aliis innumetis, differt infinitus & increatus artifex ab artifice creato & finito, & *Verbum Dei hoc differt à ratione, quæ est in mente artificis* (creati) *quia Verbum Dei Deus subsistens est: ratio autem artificiati in mente artificis non est res subsistens, sed solum intelligibilis forma.* Vt rectè notauit S. Thomas 4. contra gentes cap. 13. paulo post medium, inde colligens, quod rationi, existenti in mente artificis creati, non conuenit propriè agere, sed tantum esse formam, per quam artifex operatur. At verò diuino Verbo conuenit propriè agere, quoniam subsistens est.

Ad sextum negatur sequela. Quia Philosophi 15
licet potuerint naturali ratione demonstrare, primam causam agere per intellectionem & volitionem: attamen naturali ratione non potuerunt assequi conditionem & quidditatem intellectionis diuinæ, postulantis terminari Verbo realiter producto per ipsam: nec quidditatem diuinæ volitionis, postulantis terminari Spiritu sancto, realiter producto per ipsam. Cuius ratio est, quoniam licet creaturæ repræsentent sapientiam infinitam & liberalitatem infinitæ volitionis: cæterùm prædictam earum quidditatem, quæ postulet terminos realiter distinctos, nullo modo repræsentant creaturæ. Propterea manifestatur euidenter huius argumenti fallacia, quia probaret etiam, Philosophos potuisse naturaliter cognoscere mysterium Trinitatis ex eo solum, quod scirent, Deum intelligere & velle: quoniam Verbum & Spiritus sanctus necessariò naturalitérque consequuntur diuinam intellectionem & volitionem. Consequentis autem falsitas demonstrata est disput. 41.

Ad septimum respond. Basilius, Chrysostomus, & Ambrosius aliis in locis, quos allegauimus in sectionibus præcedentibus, satis apertè docuerunt, Verbum & Spiritum sanctum esse per se requisitos ad productionem creaturarum. Quo supposito, mens eorundem Patrum in verbis adductis pro septimo argumento, ne dissentiat à seipsa, & à plurimis aliis Patribus, quorum testimonia continent sectiones præcedentes, sic intelligenda est, vt Pater essentialiter habeat totam integram & completam potentiam creandi, & exterius operandi, & totam atque integram operationem immanentem, quæ ad hoc requiritur, videlicet, intellectionem & volitionem: ita vt Verbum & Spiritus sanctus non requirantur ad complendam potentiam creandi & operandi, neque ad supplendam eius imperfectionem: licet requirantur in quantum Verbum est terminus intrinsecus intellectionis, quo Pater constituitur formaliter dicens & imperans: Spiritus verò sanctus requiratur in quantum est terminus intrinsecus volitionis, quo Pater formaliter constituitur donator, non quidem actu, sed aptitudine. 16

DISPVTATIO CXII.

Quid propriè significent præpositiones Per, Cum, & In, *adunctæ Filio, vel Spiritui sancto.*

SECTIO I.

Necessitas huius rei, & errores circa illam.

IN modo loquendi de mysterio 1
Trinitatis, quã necessaria sit cautio atque modestia, vidimus disputatione 39. sectione 1. Nunc verò magnum esse momentum in perscrutanda peculiari significatione syllabarum,

etiam minutissimarum, probat ex professo Basilius libro de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 1. quod inter alia sic confirmat: *Ne, & Non, syllaba duæ sunt. Attamen quæ rerum omnium potentissima est, veritas, & quæ extrema malitiæ linea est, mendacium, frequenter his minutis verbis comprehenditur. Sed quid hæc commemoro? cum iam si quis vel capite annuat testimonijs de Christo prolatis, totam pietatem expleuisse iudicetur.* Et post pauca: *Si ex lege nec vnum iota, nec apex vnus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit vel minutissima transiliſſe?*

2 *De aliis præpositionibus, vbi fuerit tractatum.*

De aliis præpositionibus alibi dictum est ex professo: quemadmodum disputatione 97. & 98. probata est vis & propria significatio præpositionum *Ex, De, E, A*, vel *Ab*. de præpositione *Propter* dictum est disputatione 98. sect. 5. à num. 9. Ac denique de præpositione *Apud* dictum est disputatione 19. sect. 4. probatione 3. Præterea de præpositione *Per* quatenus Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium, egimus disputat. 69. sect. 3. Nunc igitur de præpositione *Per*, atque præpositionibus *Cum* & *In* agimus, quatenus referuntur ad transeuntes operationes, veluti cum dicimus Pater creat per Filium in Spiritu sancto. Quamuis etiam aliquid sit dicendum de gloria & diuinitate, quæ vni personæ communis est cum aliis.

3 *Contrarius modus errãdi circa* Per, & Cum.

Circa prædictas præpositiones contrarius erat errandi modus apud Arianos. Nam rectè fatebantur præpositionem *Per* aptius conuenire Filio, & præpositionem *In* Spiritui sancto magis congruere. Nihilominus adulterabant earum vim & proprietatem, asserentes, significare subiectionem & inferioritatem, aut aliam imperfectionem vt statim referemus. Econtrario tamen aduertentes præpositionem *Cum* significare æqualitatem: errabant asserentes non esse glorificandum cum Patre Filium, vel Spiritum sanctum.

4 Arius igitur apud Athanasium disputatione habita in Concilio Nicæno colum. 3. quod solus Pater creauerit, probat ex Apostolo 1. Corinth. 8. *Vnus Deus, ex quo omnia*, cui continuo subiungitur: *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Dicebat enim Arius præpositionem *Per* significare instrumentum, sicut præpositio *Ex* significat principalem causam. Refellit autem Athanasius ibi, quoniam etiam Christo Domino coniungitur præpositio *Ex* Ephesios 4. *Qui est caput Christus, ex quo totum corpus*, &c. De quo plura dicemus sectionibus sequentibus.

5 Aërius similiter & eius sequaces, ad probandam diuersitatem naturæ inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum, dicebant præpositionem *Ex quo*, de solo Patre dici, de Filio verò *Per quem*, de Spiritu sancto *In quo*. Vnde sic argumentabantur. *Quemadmodum voces se habent inter sese, eodem modo se habebunt & rerum significatarum naturæ. Sed inter se discrepant, Per quem, & Ex quo: dissimilis est igitur Patri Filius.* Hæc refert Basilius libro de Spiritu sancto cap. 2. post pauca verò subiungit: *His syllabis, Ex quo, mundi conditorem volunt significari: rursus his, Per quem, operis minstrum ac instrumentum: his denique, In quo, tempus aut locum declarari.* Eadem, quæ Basilius, refert etiam Ambrosius libro 2. de Spiritu sancto cap. 10. post medium.

6 Ex quibus inferebant hæretici, Christum Dominum esse merum instrumentum, veluti malleum aut ferram: at verò Spiritum sanctum rebus creandis nihil amplius contulisse, quàm tempus & locus conferre potest rebus producendis. Ita refert Basilius lib. de Spiritu sancto dicto c. 2. & magis explicat sequenti cap. 3. & 4. Eundem errorem hac tempestate Transyluani renouarunt, apud Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 9. colum. 2. §. *argumentum.*

His erroribus consequens erat, quod Theodoretus de Ario refert hæreticarum fabularum lib. 4. sub initium. *Is etiam gloriæ diuinæ detrahendæ legibus prætermissis, quas qui ab initio viderunt, & Verbo inseruierunt, tradiderant, aliam formam introduxit, docens eos, quos deceperat, glorificare Patrem per Filium in Spiritu sancto. Et quæ in diuino quidem sit Baptismate inuocationem, propter nimis apertam transgressionem, mutare non ausus est.* 7

Liceret autem Catholico cuilibet *glorificare Patrem per Filium in Spiritu sancto*, dummodo cantaret libentius cum Ecclesia gloriam Patri & Filio & Spiritui sancto; fateretúrque, Filium & Spiritum sanctum eadem gloria simul cum Patre venerandos esse. Sed econtrario dicebant Ariani: *Per Filium gloriari Patrem: cum Filio autem, non pati eum, se gloriari.* His verbis hunc errorem refert Ecclesia per Illyricum in epistola ad Symmachum Papam multo propius ad finem quàm ad medium. 8

Basilius quoque lib. de Spiritu sancto cap. 6. sub initium ita refert eundem errorem: *Per Filium gloriam Patri esse tribuendam, sed cum Filio nequaquam: eo quod hæ voces cum Filio æqualitatem declarent honoris: per Filium verò ministerium significant. Rursus nec Spiritum sanctum oportet cum Patre & Filio collocare, sed sub Filio & Patre.* Iterum autem Spiritum sanctum non esse glorificandum *cum Patre & Filio*, sed tantùm esse glorificandum *in Deo*, contendebant Ariani, apud Basilium eodem libro de Spiritu sancto cap. 25. initio. Eadem refert Ambrosius libro secundo de Spiritu sancto, capite decimo, inter principium & medium. 9

Eiusdem erroris suspicione non vacat varietas & discrimen significationis, quod inter præpositiones *Ex*, *Per*, & *In*, Origenes inuenit Romanorum cap. 3. libro 3. columna penult. ponderans illud: *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Nam inter alia notat Ioannem, *Quum de Verbo Dei dicat: Omnia per ipsum facta sunt, vitam non per ipsum, sed in ipso factam esse testatur, dicens: Quod factum est in ipso, vita erat.* 10

Et paucis interpositis: *Cum dicitur ex ipso, principale aliquid huius præpositionis indicio videtur ostendi. Cum verò per illum dicitur, sequentis causa, id est eius quæ post principale est, intelligentia, designatur. Vt, verbi gratia, dicamus quod ait: Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso primæ creationis omnium, & quod hoc ipso quod sunt, ex Deo esse cæperunt, significantiam dedit. Per ipsum, quod ea quæ prius facta fuerant, reguntur & dispensantur per eum, à quo subsistendi initium trahunt. In ipso, quod hi qui iam correcti & emendati sunt, in ipsius perfectione consistunt. Sic ergo hæc plenissimæ rationis tenere differentias edocemur, vt quod subsistimus ex Deo habere dicamur: quod dispensamur & regimur, per ipsum fieri designetur: quod verò in summa perfectionis consistimus, in ipso esse declaretur.* 11 Rom. 11.

Videtur itaque Origenes significare, factã esse vitam intrinsecam, quæ est in Verbo, & qua viuit idem Verbum. Præterea significat, per Verbum omnia 12

omnia facta esse non tanquam per causam principalem, sed tanquam per causam sequentem, quæ post principalem est, & cuius non fuerit munus creare, vel primum esse tribuere, sed tantummodo prius facta regere, & dispensare. Consequenter autem significat, Spiritum sanctum non esse causam principalem, sed inferiorem & vltimam, cuius officium sit continere creaturas in debita perfectione. Si tamen hæc apud aliquem sanæ fidei doctorem inuenirentur; potuissent explicari quasi per accommodationem vel appropriationem dicta. Quemadmodum aliqua Patrum testimonia declarauimus disput. 110. sect. 11.

13 Nonnulli tandem ex Catholicis olim Basilium suggillabant, quod aliquando diceret in officio diuino: *Per Filium*, vel *Cum Filio*, vel *Cum Spiritu sancto* plus nimio recedere cupientes à prædicto errore Arianorum. Id refert Basilius dicto libro de Spiritu sancto cap. 1. fine.

SECTIO II.

Præpositiones Per *&* In, *adiunctæ cuilibet diuinæ personæ, significant causalitatem, nullo perfectionis gradu minorem, quàm præpositiones* Ex, De, E, *vel* A.

1 CVm æqualitas & identitas potestatis & operationis trium personarũ satis probata fuerit duabus disputationibus præcedentibus.: restat solummodo refutare modum exponendi præpositiones *Per* & *In*, ostendendo significare non quidem instrumentalem causam, aut ministrantem, sed causam principalem eodem perfectionis gradu, qui significatur præpositionibus, *Ex*, *De*, vel *A*, vel *E*.

2 *Ex quo, per quem, & in quo, possunt intelligi de omnibus personis, vel de vna tantùm.*

Primum igitur argumentum sumitur ex Basilio dicto libro de Spiritu sancto cap. 5. Nam *Ex quo*, & *Per quem*, & *In quo*, siue *In quem*, dicuntur aliquando de eadem persona diuina: ergo non significant diuersitatem naturæ, nec potentiæ, nec operationis: Antecedens probatur, Rom. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum*, siue *in ipso* sunt omnia. Quæ pronomina referuntur ad *Dominum*, de quo præcedens contextus agebat.

3 Vnde Basilius hoc dilemma conficit. Vel Paulus loquitur de Domino, qui est Deus Pater, vel de Domino qui est Filius. Si loquitur de Domino, qui est Pater; inde conuincitur, hanc vocem *Per quem*, Deo Patri congruere: ideóque non significare naturam inferiorem Patre, nec minus perfectam potentiam vel operationem, quando Scriptura dicit *Per Verbum*, aut *Per Filium* omnia fieri. Si verò Paulus loquitur de Domino Filio; consequens est, hanc particulam *Ex quo* quadrare Filio, sicut Patri. Quapropter licet alibi Filio coniungatur dictio *Per quem*, non significabitur inferioritas aliqua naturæ, potentiæ vel operationis. Eodem modo ratiocinari licebit de præpositione *In*, quæ frequentiùs tribuitur personæ Spiritus sancti.

4 Alij tamen Patres ad totam Trinitatem & singulas personas referunt prædictas præpositiones Apostoli Roman. 11. Quemadmodum Dionysius de diuinis nominibus cap. 2. non longe à princip. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & omnia in ipso constant*, probat intelligendum esse de tota Trinitate, Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et in eodem libro cap. 13. circa med. de vnitate trium personarum ita loquitur: *Ad eam rectè referuntur, eiq; tribuuntur omnia, à qua, ex qua, per quam, & in qua sunt omnia.* Chrysostomus etiam in secundum caput Geneseos homil. 14. colum. 2. & in Ioann. homil. 4. circa med. eandem Diuinitatem significari putat verbis Apostoli *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia.*

Hic autem exponendi modus non est contrarius alteri plurimorum Patrum, qui distinctis personis accommodant illa membra *Ex ipso*, *per ipsum*, & *in ipso*, quos citabimus sect. 3. Nam distinctis personis propterea conuenire possunt, quoniam sunt eiusdem essentiæ virtutis & operationis cum sola distinctione originis, quæ significatur per illas dictiones: vt videbimus sect. 3. & 4. 5

Dedit autem euidens argumentum huius concordiæ & consonantiæ vtriusque modi declarandi, quando simul vtrumque copulauit Ambrosius in symbolum Apostolorum cap. 3. init. *Dicamus*, inquit, *sicut beatus Apostolus ait: Vnus est Deus Pater, ex quo omnia: & vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia: & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia. Hoc ipsum autem quod dicimus, Ex quo, & Per quem, & In quo omnia, non naturam secamus, sed vnitatem naturæ, & voluntatis & operationis confitemur. Vnus ergo Deus in ijs tribus, & hæc tria vnus est Deus. Quod ita esse idem comprobat Apostolus, dicens: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.* 6 1. Corinth. 8.

Idem colligitur ex Hilario lib. 8. de Trinitate propius ad med. quàm ad finem. Ait enim, prædicta verba Roman. 11. *Ad vnius naturæ significationem referri:* nihilominus tamen *specialiter Deo Patri adscribi, vt ex eo omnia, & proprium Christo deferri, vt per eum omnia.* 7

Conclusio igitur præcedentis discursus hæc est, Quocunque modo declarentur illa membra *Ex ipso*, *Per ipsum* & *In ipso*, retineri summam æqualitatem atque identitatem virtutis & operationis, per quam omnia producuntur. Confirmat primò Basilius, quia de Filio dicitur alibi frequenter *Ex quo* & *de quo* sicut dicitur de Patre quemadmodum Ephes. 4. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus*, &c. Colossens. 2. *Non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus*, &c. Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Ioan. 16. *De meo accipiet.* Lucæ 8. *Noui virtutem ex me exiisse.* 8

Secundò confirmat Basilius eodem libro de Spiritu sancto cap. 5. post med. nam econtrario de Patre dicitur *per quem.* Vt 1. Corinth. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius.* & 2. Corinth. 1. & Ephes. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* Galatas 4. *Quod si filius & hæres per Deum.* Rom. 6. *Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris.* 9

Tertiò confirmat Basilius in eodem cap. 5. nam etiam Spiritui sancto coniungitur præpositio *Per.* Quemadmodum Isaiæ 30. *Ordiremini telam, & non per Spiritum meum.* 1. Corinth. 2. *Nobis reuelauit Deus per Spiritum suum.* 2. Timoth. 1. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum.* 1. Corinth. 12. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ.* Quibus adde Hebr. 9. *Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* 10

Quartò confirmatur, quia *Per Deum*, dicitur aliquando; nec tamen significatur causa instrumentalis, nec minus principalis. Vt Genes. 4. *Possedi hominem per Deum.* Quintò, nam & Spi- 11

ritus sanctus *per Filium* procedit à Patre, vt vidimus disput.69.sect.3. nihilominus Filius non minus principaliter nec posterius,sed æqualiter tanquam vnum principium cum Patre producit Spiritum sanctum. Ergo præpositio *Per*,nihil minuit perfectionem causalitatis, aut concursus, quando diuinis personis adiungitur.

12 Sextò confirmatur, quia plurimi Patres in Sacris literis obseruarunt prædictam indifferentiam vtendi præpositionibus *Ex*, *De*, vel *Per* aut *In*, eas omnes tribuendo nunc Patri,nunc Filio,nunc verò Spiritui sancto, vel Deo communi tribus personis. Quapropter Nazianzenus oratione 37. quæ est 5. de theologia, non longè post medium contra aduersarium Spiritus sancti sic disserit: *His præpositionibus Ex quo, Per quem, & In quo, tu nomen illud cœleste ad artis præscriptum exigis, primam scilicet Patri, alteram Filio,tertiam Spiritui sancto assignans. Quid enim fecisses, si qualibet ex his præpositionibus vnicuique personæ constanter tribueretur: cum tametsi omnes cum omnibus promiscuè construantur, vt studiosis & accuratis lectoribus perspicuum est, tantam ipse per eas & dignitatis & naturæ diuersitatem inducas?*

13 Multa scripturarum exempla ex iis, quæ supra retulimus, profert ad hoc probandum Athanasius libro de communi essentia Patris,Filij & Spiritus sancti, circa medium sub illo titulo *Aduersus eos, qui discrimen ponunt inter Ex quo & Per quem*, &c. Et inter alia scribit: *De Filio Paulus dixit.* Roman.11. *Quoniam ex eo, & per eum & in eum omnia. Quod si hic contradicat hæreticus, & de Patre hoc pronunciatum dicat, aquè tamen hæc vox (Per quem) pari dignitate attribuenda est Filio. Idem Apostolus* Ephesios 4. *ad Ephesios: Veraces in dilectione crescemus, amplificabimus in eum ad omnia, ex quo omne corpus sua ratione ac modulo coaptatur,&c. Ad Colossenses, ad eos qui non habent notitiam Vnigeniti, dictum est: Quod qui caput tenet id est Christum, ex quo omne corpus per iuncturas & colligaturas,* &c. Atque post alia testimonia subiungit. *Quod si illud, Ex quo, imperantis est, hoc est, Patris, quo quæso illud referet; Non factus* 1.Cor.11. *est vir ex muliere, sed mulier ex viro? An scilicet hic Deum virum appellabimus?*

14 Eodem modo redarguit Chrysostomus in Ioan. homil.4. circa med. dicens: *Verbum, Ex quo, quod tanquam dignum quoddam & præcipuum soli Patri attribuis, Filio quoque proprium his verbis ostendit:* Coloss. 2. *Ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei. Neque hoc solo contentus, aliunde etiam nobis os obstruxit, cum illud verbum, per quem, quod diminutionem significare arbitraris, Patri attribuat. Fidelis* 1.Cor.1. *enim Deus,* inquit,*per quem vocati estis in societatem* Ibidem. *Filij eius.* Et item: *Per voluntatem eius.* Et alibi; *Quod ex ipso & per ipsum, & ad ipsum omnia.*

15 Acutè non minus, quàm efficaciter argumentatur Chrysostomus ad Galatas homil.1.colum.4. *Obiter hæreticorum obturat ora,* Paulus, *cum ait: Per Iesum Christum & Deum Patrem. Etenim quoniam aiunt hanc vocem, velut inferioris dignitatis adiectam Filio: eam Patris vocabulo præponit.* Subindéque probat, ea dictione, *per*, nullum essentiæ vel operationis discrimen induci. Quod idem confirmat in secundum caput Geneseos homil.14. col.2.

16 Cyrillus Alexandrinus lib.1.in Ioannem cap.5. fine. *Quod si putant*, inquit, *quoniam per ipsum scriptum est, ad ministri locum à Patre assumi Filium, atque ideo à naturali Patris æqualitate decidere; quid de ipso Patre dicent, cum particula, per, ei* 2.Cor.2. *quoque à Scripturis accommodetur? Fidelis enim, inquit, Deus per quem vocati estis. Et rursus: Paulus* Ephes.1. *Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei. Et alibi:* Galat.4. *Si Filius & hæres per Deum. Hæc enim omnia ad personam Patris referuntur,& nemo adeo insanit, vt propter particulam, per, ad ministri locum Patrem deducat: indifferenter enim plerumque dictionibus,abusionis modo, diuina Scriptura ita vtitur, vt probè res grandes, quantum possibile homini est, verbis significet.*

Multo fusiùs de præpositionibus *ex*, *per*, & *in* 17 egit Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap.10. post medium ex variis Scripturæ locis concludens: *Non igitur tanquam compugnantes syllabæ istæ, sed tanquam sociæ atque concordes sunt, vt etiam* Rom.11. *vni sæpe conueniant, sicut scriptum est: quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quibus similia notat sequenti lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. longè post medium.& lib.4. de fide ad Gratianum toto cap.6. Vbi de persona Filij putat intelligendum illud Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Hilarius lib. de Trinitate ferè inter med. & 18 fin. illud 1. Corinth.8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia.* Sic ad præsens institutum ponderat: *Quid habuit necessitatis memorasse, quod quæ ex Deo sunt, per Christum sint, nisi quod vnum idemq; est per Christum esse, & ex Deo esse? Sed quemadmodum Dominum & Deum vtrique eorum, vt mutuum esset,ascriptum est: ita ex quo & per quem relatum ad vtrumq; est, & ad demonstrationem vnitatis vtriusque, nec ad intelligentiam singularis.* Quapropter distinctio præpositionum admbetur ad infinuandam distinctionem personarum; sic tamen, vt quælibet præpositio conueniat tribus personis æqualiter, licet vni tantùm personæ præponatur.

Præterea longe inferius in eodem libro 8. co- 19 lumna antepenult. multa Scripturarum testimonia, in quibus legitur præpositio *Per* ita complectitur: *Dicens enim se per loquentem loqui,& per operantem operari, & per iudicantem iudicare, & per visum videri, & per reconciliantem reconciliari, & manere se in eo, qui in se maneret: quæro quo alio ad intelligentiæ nostræ sensum expositionis suæ vti poterit apertiori sermone, vt vnum esse intelligerentur, quàm isto, quo per natiuitatis veritatem, & naturæ vnitatem quidquid Filius ageret, & diceret, in Filio Pater & loqueretur, & ageret?*

Augustinus lib.1.de Trinitate cap.6.paulo post 20 med. *Quæro*, inquit,*de quo dicat: Quoniam ex ipso,* Rom.11. *& per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum amen? Si enim de Patre & Filio & Spiritu sancto, vt singulis personis simul attribuantur: Ex ipso, id est, ex Patre; per ipsum,id est, per Filium, in ipso, id est, in Spiritu sancto: manifestum est, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus Deus est.quando singulariter intulit: Ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Quod argumentum confirmat ex præcedenti contextu,quia non dixerat Apostolus:O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Patris aut Filij aut Spiritus sancti: sed dixerat: sapientiæ & scientiæ Dei. *Quis cognouit sensum Domini?* &c. Progreditur autem ad alteram partem cæpti dilemmatis, dicens: *Si autem hoc de Patre tantummodo intelligi volunt, quomodo ergo omnia per Patrem sunt, sicut hic* 1.Corinth.8. *dicitur: Et omnia per Filium? sicut ad Corinthios vbi ait: Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Et sicut in Euangelio Ioannis: Omnia per ipsum facta sunt.*

Theophylactus in Ioan. cap.1. ad illud. *Omnia* 21 *per ipsum facta sunt*, refert obiectionem Arianorum, interrogantium: *Quomodo non dixit, quod ipsum*

ipsum Verbum fecerit omnia, sed vsus est præpositione per? Respondet autem Theophylactus aliis in locis affirmari, quod Verbum ipsum fecerit omnia: quemadmodum Psalmo 101. & Hebræos 1. *Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Respondet secundò. *Quod si præpositio per, diminutionem tibi inducere videtur; quid dices, cum Paulus apponat hanc Pa-* 1.Corinth.1. *tri? dicit enim; Fidelis Deus, per quem vocati sumus in societatem Filij sui. Non instrumentum hoc loco* Ephes.1. *facit Patrem? & iterum, Paulus Apostolus per voluntatem Dei.*

22 Huc etiam pertinet Damascenus lib. 1. fidei c.9. prope finem, cuius verba posuimus disp.111. sect.4. versus finem. & Magister lib. 2. sententiarum distinct.13. cap. *Hic quærit.*

SECTIO III.

Filio magis,quàm Patri congruit præpositio Per, *denotans ordinem originis.*

1 Licet multoties Patri præponatur dictio *per*, vt vidimus sectione præcedenti, tunc que nihil amplius, quàm principalem causalitatem significet: nihilominus sicut frequentius,ita congruentius præponitur Filio, significando quidem principalem causalitatem, simul autem ordinem originis connotando. Quemadmodum Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* & infra: *Mundus per ipsum factus est.* Rom.1. *per quem accepimus gratiam & Apostolatum:* & post pauca: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum.* Rom. 5. *Pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam.* Colossenses 1. *Omnia per ipsum creata sunt,* Hebræos 2. *Per quem omnia.* & 1.Corinth.8. *Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per eum.*

2 Propter hæc obseruauit Basilius dicto libro de Spiritu sancto cap.7. & 8. dictionem *per quem* esse magis propriam Filij, tum ad agendas per eum Patri gratias, tum etiam ad recipienda per eum dona, præcipuè familiaritatem Dei.

3 Propter eandem rationem plerique Patres in in tres distinctas personas distribuunt illa membra, quæ præcedenti sectione tractauimus *ex ipso, per ipsum, & in ipso:* atque in illis probant mysterium Trinitatis. Vt Ignatius, Martialis, Basilius, Chrysostomus, Origenes, Ambrosius, Hilarius, Augustinus, Fulgentius locis notatis disput.36. sect.3. pro testimonio nono. Peculiariter autem Basilius lib.5. contra Eunomium sect.14. *Trium*, inquit, *nominum acceptio Trinitatem enumerat, & Trinitatis vnionem habet cuiuslibet nominis significatio, Sicut illud: ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia, in vnum nomen colligit Patris & Filij & Spiritus* 1.Corinth.8. *sancti proprietatem. Vnus enim Deus est, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia: vnus verò Spiritus, in quo omnia, secundum* Rom.8. *quod dicitur: Vos non estis in carne, sed in Spiritu: si Spiritus Dei habitat in vobis. Quamobrem & illud: in Deo viuimus & mouemur & sumus, apertè Spiritus est proprietas in Deo figurata.*

4 Iacobus Apostolus frater Ioannis apud Clementem lib. 8. Constitutionum Apostolicarum præfertim cap.5.6.7.12.13. & 16. frequenter vitur hoc modo loquendi: Pater *per Vnigenitum* aut *per Verbum* siue *per Christum fecit* angelos & vniuersas creaturas. Idémque prope Baptismum profitebantur in Symbolo catechumeni lib. 7. constitutionum cap.42. Marcus Euangelista in liturgia plurimas orationes terminat, petendo, gratias agendo, & glorificando Patrem per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem, & cum quo, & in quo est Deo Patri gloria, &c.

Ex sacris ergo literis, & Apostolorum doctri- 5 na manauit vsus Ecclesiæ, quæ in præfatione missæ solet *gratias agere Per Christum Dominum nostrum.* & orationes frequentius terminat *Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.*

Sed quam ob causam orationes ita claudan- 6 tur, interrogat Ferrandus in quæstione 4. proponens dubitandi rationem, quoniam hæc verba videntur diminuere Spiritum sanctum, vt *regnantes adunare, non cum illis regnare videatur.* Respondet autem Fulgentius quæstionibus ad Ferrandum quæstione 4. quod attinet ad Filium, rationem esse, quoniam mediator Dei, & hominum factus est nec non sacerdos & pontifex: vnde concludit Apostolus Hebræos 13. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Sed plures rationes attulimus disp.82.sect.7.

Quod autem dicitur Filius regnare in vnitate 7 Spiritus sancti Fulgentius respondet, eo destinari, vt significetur, Spiritum sanctum esse charitatem, qua vniuntur Pater & Filius modo superius explicato disputat.73. & 74. Attamen inde nihil minuitur dignitas, & regnum Spiritus sancti, ne simul & æqualiter cum Patre Filióque regnet: quoniam *Deus charitas est*; ideóque Spiritus sanctus Deus est, licet sit charitas vniens Patrem & Filium.

Veniamus ad eos Patres, qui rationem red- 8 dunt, propter quam Filio magis, quàm Patri, congruat præpositio *Per*: quoniam operandi virtutem, & operationem ipsam à Patre recipit, & operatur secundus origine,licet in omnibus æqualis genitori. Propterea Chrysostomus in Ioan. *Ordinem originis denotat per.* homil. 4. prope medium notat; *Per ipsum hoc in loco nulla alia ponitur gratia, quàm ne ingenitum quispiam susp icaretur. Nam quod ex opificij & generationis dignitate nihilo sit Patre inferior, audi ipsum loquentem: sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat.* Quod idem pluribus confirmat.

Idem rursus Hebræos 1. homil.2. colum.2. il- 9 lud, *Per quem fecit & sæcula*, notat, non esse intelligendum, *Tanquam per instrumentum. Sicut enim neminem iudicat, sed dicitur iudicare per Filium, quem iudicem genuit: sic etiam dicitur operari per Filium,quia eum constat opificem genuisse.Sic enim causa eius Pater est,secundum quod Pater est:multo amplius eorum causa est, quæ per Filium facta declarantur. Quando ergo vult ostendere, quia ex illo est, necessariò, quæ sunt humilitatis eloquitur.*

Ordinem primi,medij & vltimi secundum ori- 10 ginem inter diuinas personas significauit Gregorius Nyssenus libro ad Ablabium, *quod non tres dij*, quando dixit: *Omnis actio ad creaturam à Deo peruenies, quæ secundum varias notiones atque considerationes nomen accipit, à Patre proficiscitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu sancto perficitur.*

Clarius ad præsens institutum loquitur Augu- 11 stinus lib. quæstionum Veteris & Noui testamenti quæst.122.ad fin. *Filius differt in causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est, & in sub-*

stantia minor non est Filius : authoritate tamen maior est Pater, ipso Domino testante, & dicente : si
Ioan.14. *diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Pa-*
Rom.11. *trem, quia Pater maior me est. Quem etiam modum custodiens Apostolus Paulus. Vnus, inquit, Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso : & vnus Dominus Iesus, per quem omnia & nos per ipsum : vt primus gradus sit, ex quo sunt omnia : secundus, per quem omnia: tertius, in quo omnia. Et quia nullus ex his degener est, in vnitate Dei significati sunt, dicente Apostolo, quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum.*

12 Theophylactus Ioan. 1. ad illud : *Omnia per ipsum*, ait : *Vsus est propositione, per, vt ne suspiceris illum ingenitum, & absque principio esse Filium, & Deo aduersarium. Eius gratia dixit, quod Pater per Verbum fecerit omnia.* Explicat autem exemplo regis, constituentis ciuitatem per Filium. Sed ex creaturis nullum exemplum potest esse simile, nisi cum infinito discrimine.

13 Rectè igitur S. Thomas supra quæst. 39. art. 8. colum. vltima. & infra, quæst. 45. art. 6. ad 3. admonet, præpositionem *per* non significare instrumentum, *sed causam mediam siue principium de principio*: sed ad Rom. 11. lectione 5. post medium fusiùs explicat discrimen significationis inter præpositiones *ex*, *per*, & *in*, peculiariter autem de præpositione *per* obseruat, quando coniungitur Filio, significare, quod Filius operatur per virtutem, quam accipit à Patre, principalem tamen & æqualem. Denique discrimen istud & appropriationem harum dictionum *ex quo*, *per quem*, & *in quo*, tradunt S. Thomas supra quæst. 39. art. 9. colum. vltima. Alexander 1. p. q. 67. memb. vltimo. Albertus 1. p. quæst. 50. memb. vltimo. Consonat Magist. 1. distinct. 36. cap. *proinde*, Vbi communiter Scholastici. S. Bonauentura dubio liter. 4.

14 Nihilominus *per Spiritum sanctum*, sacræ literæ dicunt, vt vidimus sectione precedenti confirm. 3. notauitque Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 5. Quem modum loquendi Patres imitantur aliquando, quemadmodum Epiphanius hæresi 76. colum. 8. *Per Filium*, inquit, *& sanctum suum Spiritum fecit*, &c. Et Cyrillus lib. 3. thesauri c. 2. post med. ait : *Verbum per Spiritum sanctum vincit.*

SECTIO VI.

Num Filius operetur per Patrem, aut Spiritus sanctus per Filium.

1 EX præcedenti sectione redditur euidentior solutio ad obiectionem Arianorum, dicentium. Si præpositio *per* significat principalem causam ; consequens erit, vt quemadmodum Scriptores sacri dixerunt, Patrem operari per Filium, debuissent similiter dicere, Filium operari per Patrem, aut Spiritum sanctum operari per Filium, aut per Patrem. At hoc nullibi reperitur in literis sacris.

2 Cui bene respondet Magister 2. sententiarum dist. 33. cap. penultimo. *Ideo illud dictum esse, & non istud, vt in Patre monstraretur authoritas. Non enim Pater à Filio, sed Filius à Patre operatur, & Spiritus sanctus ab vtroque. Ideoque etiam Filius per Spiritum sanctum legitur operari, quia cum Spiritu sancto operatur, hoc ipsum à Filio habente, vt operetur.* Eadem ratio traditur à Scholasticis communiter.

3 Potest autem explicari magis, & confirmatur primò, quoniam Filius est Verbum Patris ; cum autem dicendo & imperando res producat ; consequens est, vt per Verbum dicat & imperet, ac subinde per Verbum producat. Econtrario tamen Verbum non dicit & imperat per Patrem, sed per seipsum. Similiter autem quoniam Spiritus sanctus est terminus amoris & donum ; rectè per illum dicitur Pater & Filius tribuere rebus omnibus esse ; quod minus propriè significaretur dicendo : Spiritus sanctus per Patrem aut per Filium creat.

Cæterum non esset contra fidem, neque contra dignitatem Patris dicere ; *Filius creat per Patrem*, intelligendo, tanquam per eum, à quo Diuinitatem, omnipotentiam & operationem recipit, quemadmodum *dicitur Balliuus operari per regem* apud S. Thomam supra quæst. 36. art. 3. ad 4. & Roman. 11. lect. 5. post medium. Ita Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 4. cap. 3. in medio de Filio ait : *Cum Patre simul regnans, & omnium per Patrem opifex.* 4

S. Thomas autem opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 15. *Dubium est*, inquit, *quod Basilius dicit in libro contra Eunomium, quod Spiritus sanctus verè per Filium operatur. Quod quidem videtur esse falsum. Nam persona dicitur operari per illam, qua ab ipsa est, sicut Pater per Filium, & non è conuerso. Sed dicendum, quod Spiritus sanctus dicitur operari per Filium secundum naturam humanam, non autem secundum diuinam.* Nihilominus potuisset etiam, minùs propriè loquendo, dixisse operari Spiritum sanctum per Filium etiam præscindendo ab humanitate. 5

SECTIO V.

Præpositio in *peculiariter exponitur.*

1 PRæpositionem *in* denotare identitatem essentiæ simul & operationis, docuit Athanasius oratione contra Gregales Sabellij propius ad fin. quàm à med. dicens : *Cum omnia agantur à Deo per Christum in Spiritu sancto, indiuisam conspicio operationem Patris & Filij & Spiritus sancti. Cæterum non ob hoc complicans in vnum ista omnia, ex quo, per quem, in quo, adnitor ex Trinitate, vnitatem facere.* Id est, non facio vnam personam ex tribus, vt Sabellius, quamuis certò credam, esse indiuisam operationem Patris, Filij, & Spiritus sancti, quæ significatur illis tribus præpositionibus, *Ex quo*, *per quem*, *in quo*. Fusiùs id probat Athanasius in vtraque epistola ad Serapionem Episcopum, de Spiritu sancto.

Sed adhuc magis ex professo Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 5. vnde primum argumentum sumitur, nam *in ipso*, siue *in ipsum*, dicitur de eodem Domino, de quo prius dictū erat *ex ipso & per ipsum* vt vidimus sect. 2. non procul à principio, & confirmant Patres ibidem citati. Ergo dictio, *in*, non significat imperfectam naturam, nec imperfectum modum concurrendi ad opera, sed æquè perfectum vt dictio *ex quo*. Confirmatur, quia de eodem Christo Domino dicitur *in quo*, & *ex quo*. Ergo quando dictio *in* præponitur Spiritui sancto, non significat, eius naturam aut operationem minus perfectam esse, quàm significaret præpositio *ex quo*. Antecedens probatur Ephesios 4. *Crescamus in ipso per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus*, &c. Et Coloss. 1. *In ipso condita sunt vniuersa.* & iterum ; *omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & omnia in ipso constant.* 2

Secundò

3 Secundò probat Basilius in eodem cap. 5. post medium, quoniam de eodem Spiritu sancto dicuntur præpositiones *In*, *De*, & *Ex*. Ergo præpositio *In*, attributa Spiritui sancto, non significat minorem perfectionem essentiæ vel operationis, quàm præpositiones *De*, vel *Ex*. Antecedens probatur Galatas 6. *Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* 1. Ioan. 4. *De spiritu suo dedit nobis.* Matth. 2. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ioan. 3. *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Quæ testimonia ad idem institutum corroborandum profert Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti circa medium cap. *inuenimus.*

4 Tertiò probat Basilius in eodem cap. 5. longè post med. & Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto c. 10. inter princip. & med. quoniam de eodem Deo Patre syllabam *In* Scriptura sacra frequenter vsurpat, de quo nullus etiam hæreticorum dubitat, quin sit principalis causa. Quemadmodū Psal. 13. *Non est salus ipsi in Deo eius.* Psal. 17. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Ioan. 3. *Vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* 2. Thessal. cap. 1. *In Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* 2. Gorinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Reperiuntur eiulmodi plurima.

5 Confirmari potest, quoniam 1. Corinth. 12. prius dicitur : *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum : alteri fides in eodem Spiritu : alij gratia sanitatum in vno Spiritu.* Postea verò subiungitur : *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Quod absolutum, & omnino liberum voluntatis arbitrium non exerceret Spiritus, nisi foret causa principalis operandi prædicta supernaturalia dona. Consequens igitur est, vt illæ dictiones *Per* & *In* omnino nihil minuant perfectionem operationis, & causæ principalis.

6 Quarrò probat Basilius in eodem libro de Spiritu sancto cap. 26. ostendens varias significationes præpositionis *In*, quando præponitur creaturis imperfectioribus. Veluti Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo.* Ioannis 16. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ioannis 14. *Apud vos manebit & in vobis erit.* scilicet Spiritus sanctus. Et post pauca : *Vos in me & ego in vobis.* Et alibi : *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et 1. Ioannis 4. *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Et post pauca : *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo.*

7 Nihilominus eadē præpositio sine dubio consubstantialitatem significat, quoties dicitur Pater esse in Filio, vel Filius in Patre, vel adorari, vel glorificari, vel operari dicitur Pater in Filio. Quemadmodum Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum : an non credis quia ego in Patre, & Pater in me est ?* Et ibidem : *Pater in me manens ipse facit opera.* Et Ioannis 17. *Sicut tu Pater in me & ego in te.* De quo fusiùs dictum est disput. 107. præsertim sect. 5. & sequentibus.

8 Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto toto cap. 10. Eadem ferè testimonia, quæ præcedentibus probationibus retulimus, ponderat, vt probet præpositionem *In* non derogare diuinitati Spiritus sancti, sed significare vnitatem virtutis & operationis. Quod etiam confirmat lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. longè post med. & lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 6.

Notandum est nihilominus, magis propriam & strictam significationem istius præpositionis *In* quadrare in Spiritum sanctum potius, quàm in alias personas. Ita Chrysostomus in Ioannem homil. 4. in med. postquam ostenderat, tribus personis attribui præpositiones easdem *Per*, & *Ex*, de præpositione *In* subiungit : *Hoc verbum, in quo, quamuis Spiritus sancti sit proprium, id tamen Deo attribuere non recusat propheta, cum inquit : In Deo faciemus virtutem.* Psalm. 59. *Et iterum Christo attribuit Paulus dicens : in Christo Iesu. Et huiusmodi frequenter verba indifferenter accepta inuenientur : quod minimè fieret, nisi vbique eadem esset substantia.* Galatas 5. Insuper Patres citati sect. 3. sic exponunt verba Rom. 11. *vt in ipso*, dicatur peculiariter de persona Spiritus sancti ; sicut *Per ipsum*, dicitur de persona Filij, & de persona Patris *Ex ipso.* 9

Hæc igitur causa fuit, propter quam Scriptura & Patres Spiritui sancto frequentius, quàm aliis personis, hanc dictionem accommodant. Constitutiones Apostolicæ lib. 8. cap. 3. fine. *Per quem sit tibi gloria & adoratio, in sancto Spiritu.* Eodem modo terminatur cap. 6. 8. 10. 14. & alibi frequenter Ecclesia plurimas orationes ita concludit : *Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.* S. Martialis Apostolorum discipul. epist. 1. ad Burdegalen. cap. 10. fine. *Vnus*, inquit, *idemq; Deus, qui cuncta creauit, Pater ; & vnus & idem Dominus, per quem omnia facta sunt, Filius eius Iesus Christus ; & vnus idemq; Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt.* Augustinus tract. 20. in Ioan. propius ad med. quàm ad fin. *Vnus*, inquit, *mundus factus est à Patre per Filium in Spiritu sancto.* 10

Fundamentum autem appropriationis suprà dictæ præbuit primitiua & vulgaris significatio præpositionis *In*. Quoniam corpora dicuntur esse in illis, à quibus continentur, vel in quibus sustentantur : ad cuius imitationem dicitur etiam esse anima in corpore. Altius ad res spirituales eleuata est analogia, quando res dicitur esse in eo, qui habet liberam potestatem faciendi, & non faciendi, continendi & sustentandi, vel non continendi. Quo sensu dixit alter : 11

Non est in medico semper, releuetur vt æger.

Et Iob 6. *Ecce non est auxilium mihi in me*, id est, in mea libera potestate. Sed econtrario Esther 13. *Domine Rex omnipotens*, inquit, *in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Quoniam igitur Spiritus sanctus procedit per voluntatem, cuius est liberum dominium sui, & aliarum rerum libera dispositio : propterea conuenienter Spiritui sancto frequentius, quàm aliis personis accommodatur præpositio *In*. *Ratio propter quam præpositio In appropriatur Spiritui sancto.*

Huius etiam est alia ratio, quoniam Dei bonitas magis ostenditur in rerum conseruatione atque protectione, virtute cuius suam perfectionem, & vltimum finem consequuntur : ideo dici possunt res omnes in Dei bonitate sustentari, contineri & seruari. Bonitas autem appropriatur Spiritui sancto, vt vidimus disput. 65. sect. 4. fine. Sumuntur hæc ex S. Thoma supra quæst. 39. artic. 8. col. vlt. & Roman. 11. lect. 5. col. vlt. Alexand. 1. p. q. 9. memb. 3. fine, melius tamen q. 67. memb. 4. fine, & Alberto 1. p. q. 50. memb. 4. 12

Quibus adde rationem tertiam, quam S. Bonauentura distinct. 36. dub. literali 4. fine notauit, eadémque deducitur ex præcedentibus fundamentis, quoniam præpositio *In* denotat ordinem 13

vltimi,

vltimi, in quo res aliqua sistit per quietem. At Spiritus sanctus est vltima persona, in qua sistit, nec vlterius progreditur diuina processio; & consequenter in ea sistit postremò, & quasi quiescit virtus productiua, & voluntas producendi, quæ ex Patre proficiscitur & per Filium progreditur, & in Spiritu sancto perficitur, vt supra sect. 3. dicebat Nyssen. Hanc reor esse causam, ob quam Philosophus 4. physic. textu 23. inter alios modos dicendi aliquid esse in aliquo, numerat eum, quo res in suo fine dicitur esse, quoniam in eo quiescit. Habet autem rationem finis bonitas, quæ appropriatur Spiritui sancto. Sed de vi & significatione præpositionis huius dicta sunt plura disput. 36. sect. 8. & disput. 46. sect. 2.

SECTIO VI.

Probatur vsus præpositionis Cum.

1 DE præpositione *Cum*, aliter, quàm de suprà dictis *Per*, & *In*, Ariani dissidebant. Fatebantur enim æqualitatem denotare, sed inde colligebant, non esse glorificandum Patrem cum Filio & Spiritu sancto; vt vidimus sect. 1. Ad cuius refutationem satis esse possent plurimæ disputationes, quibus suprà probatum est, Filium & Spiritum sanctum æquales esse Patri. Sed quoniam aliqui Catholicorum offendebant ad eandem præpositionem, minus probantes illius vsum, vt vidimus sect. 1. fine; fuerit operæpretium de illius authoritate nonnihil dicere.

2 S. Iacobus frater Domini in liturgia §. 1. Deum Patrem orans ait; *In Christo Iesu Domino nostro, cum quo benedictus es, vna cum sancto & bono & viuificatore, & consubstantiali tibi Spiritu.* Filium verò sic orat §. 3. *Quem vnà cum æterno Patre tuo, ac modis omnibus sancto, bono, & viuifico Spiritu tuo gloria decet*, &c. Eandémque præpositionem in aliis quamplurimis orationibus adiungit indifferenter omnibus personis. Constitutiones Apostolicæ lib. 8. caput 22. sic terminant: *In Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & cultus & sancto Spiritui.* Eodem modo terminatur caput 24. 25. 26. 27. & 28.

3 Hymnum Angelicum Missæ sic terminat Ecclesia: *Tu solus altissimus Iesu Christe cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris.* Plurimas autem orationes ita claudit: *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat*, vel, *Qui viuis & regnas cum Deo Patre*, & in præfatione Missæ de Trinitate. *Qui cum Vnigenito Filio tuo & Spiritu sancto vnus es Deus.* Et ad Hymnum trium puerorum addit Ecclesia: *Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu.* Hippolytus martyr homil. de consummatione mundi in fine dicit: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patrem eius, initio carentem, cum sancto, bono & viuifico Spiritu decet gloria & adoratio*, &c.

4 Nazianz. orat. 44. in sanctam Pentecost. inter med. & fin. *Hic Spiritus*, inquit, *& cum Filio rerum creationem, ac resurrectionem fabricatur.* Et, quod caput est, Nicænum Concilium in symbolo de Spiritu sancto ait: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.*

Expresè tamen errorem prædictum refutant 5
Basilius & Ambrosius. Basilius quidem lib. vnico de Spiritu sancto cap. 25. circa med. quia dictio *Cum* significat totum illud, quod coniunctio &, ita vt glorificare Patrem & Filium cum Spiritu sancto sit glorificare Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Sed præterea maior vis inest in præpositione *Cum*, quoniam *Eximium*, inquit, *habet sempiternæ communionis, & cum Deo coniunctionis testimonium. Nam qui dixit, cum Patre Filium esse, simul & personarum proprietatem & inseparabile consortium expressit.* Consequenter itaque Basilius in eodem lib. cap. 27. propius ad fin. quàm ad med. repetit: *Præpositio cum exprimit communionem Spiritus cum Deo.*

Ambrosius autem lib. 2. de Spiritu sancto c. 10. 6
inter princ. & med. *Cum Christus*, inquit, *velit esse nobiscum, sicut ipse dixit: Pater, quos dedisti mihi, volo,* Ioan. 14.
vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum: dedignetur esse cum 1. Corinth. 5.
Spiritu? Scriptum est etiam: Congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini Iesu. Ergo nos cum virtute Domini conueniemus; & audemus dicere, quod nolit Dominus Iesus cum Spiritu conuenire, qui non dedignatur conuenire nobiscum? Notat insuper hanc esse syllabam coniunctionis, & concludit: *Quid igitur te mouet, vt dicas, quia gloria est Deo Patri, vel Christo eius in Spiritu sancto; & nolis dicere, cum Spiritu sancto?*

Confirmat præterea Basil. dicto lib. de Spiritu 7
sancto cap. 27. quia modus iste glorificandi licet in Scriptura non reperiatur, antiquissima tamen Ecclesiæ traditione roboratur, quam postea c. 29. probat testimoniis Dionysij Alexandrini, Clementis Romani, Irenæi, Origenis, Eusebij, Palæstini, Africani Historici, Gregorij Thaumaturgi, Meletij Magni, & diuersarum Ecclesiarum, præcipuè totius Occidentis. Quorum verba reperies apud eundem Basilium.

Opus tandem istud *precatione* melius, quàm 8
disputatione concludam cum Augustino lib. 15. de Trinitate cap. 17. fine, & cap. 18. Vnde pauca describo, cætera mente dicens: *Domine Deus, coram te est scientia & ignorantia mea. Vbi mihi aperuisti, suscipe intrantem. Vbi clausisti, aperi pulsanti. Multæ sunt cogitationes meæ tales, quales nosti cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Dona mihi non* Psalm 93.
eis consentire, & si quando me delectant, eas non probare, nec in eis veluti domitando immorari. Quæcunque dixi de tuo agnoscant & tui: si qua de meo, & tu ignosce & tui. Amen. Et cùm Nazianzeno oratione 32. ad centum quinquaginta Episcopos prope finem. *Vale Trinitas, meditatio mea & decus meum. His velim seruieris, & hos seruа.*

F I N I S.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVÆ IN HOC OPERE ALIQVA ratione explicantur: ea enim omnia colligere quæ citantur, nimium sanè fuisset.

Littera D, significat Disputationem; S, Sectionem; N, Numerum margini adscriptum; F, Folium.

Genesis.

CAP. 1. ACIAMVS hominem, &c. d. 19. s. 2. n. 4. f. 168. d. 36. s. 4. n. 1. & seqq. f. 323
Ad imaginem Dei fecit illum. d. 64. s. 5. n. 13. f. 543.
2. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus, &c. d. 65. s. 3. n. 9. f. 552
3. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. d. 36. s. 4. n. 9. f. 324
8. Crescite & multiplicamini. d. 4. s. 1. n. 14. f. 23
11. Venite descendamus, & confundamus linguam eorum. d. 36. s. 4. n. 9. & 10. f. 324
19. Venerunt duo Angeli, &c. d. 36. s. 4. n. 15. f. 324
Pluit Dominus à Domino. ibid. & n. 18. 20. & 21. f. 325. & d. 108. s. 3. n. 3. f. 854. & 855
22. Tolle Filium tuum vnigenitum. d. 4. s. 2. n. 16. fol. 26
32. Vidi Dominum facie ad faciem. d. 109. s. 9. n. 3. f. 883. n. 14. f. 884

Exodus.

Cap. 3. Ego sum Deus Abraham, &c. d. 36. s. 4. n. 27. f. 326
8. Digitus Dei est hic. d. 76. s. 1. n. 1. f. 631
15. Adiutor & protector factus est mihi in salutem. d. 36. s. 7. n. 1. f. 759

Deuteronomium.

Cap. 9. Tabulas lapideas scriptas digito Dei. d. 76. s. 1. n. 1. f. 631
32. Et non sit Deus præter me. d. 76. s. 2. n. 10. f. 838

Paralipomenon liber I.

Cap. 17. Tu Domine factus es Deus eius. d. 96. s. 7. n. 1. f. 759

Job.

Cap. 6. Ecce non est auxilium mihi in me. d. 112. s. 5. n. 11. f. 925
9. Qui extendit cœlos solus. d. 40. s. 3. n. 12. f. 366

Psalmorum liber.

Psal. 2. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. d. 57. s. 1. n. 8. f. 483. & s. 5. n. 8. f. 490
19. Tecum principium in die virtutis tuæ, &c. d. 48. s. 1. n. 6. f. 414
24. De necessitatibus meis erue me. d. 92. s. 4. n. 3. fol. 733
30. Illustra faciem tuam. d. 64. s. 8. n. 5. f. 547
Esto mihi in Deum protectorem. d. 96. s. 7. n. 2. f. 759
32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorũ. d. 2. s. 4. n. 7. f. 15. d. 36. s. 5. n. 1. & seqq. f. 326. d. 65. s. 3. n. 5. f. 552
35. Apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. d. 27. s. 7. n. 9. f. 239
44. Eructauit cor meum Verbum bonum. d. 58. s. 1. n. 12. & seqq. f. 492. d. 1. s. 6. n. 2. f. 9. d. 2. s. 2. n. 14. f. 12. d. 96. s. 2. n. 10. f. 753
66. Benedicat nos Deus, Deus noster: benedicat nos Deus. d. 36. s. 4. n. 27. f. 326
79. Ostende faciem tuam. d. 64. s. 8. n. 5. f. 547
82. Tu solus Altissimus super omnem terram. d. 40. s. 3. n. 9. f. 366
103. Omnia in sapientia fecisti. d. 110. s. 9. n. 6. f. 903
106. Misit Verbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. d. 57. s. 2. n. 12. f. 485
109. Ex vtero ante Luciferum genui te. d. 4. s. 1. n. 5. 6. & seqq. f. 22
118. Attraxi spiritum. d. 9. s. 3. n. 13. f. 88
138. Substantia mea in inferioribus terræ. d. 21. s. 2. n. 18. f. 189
Quo ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam. d. 64. s. 6. num. 16. & 17. f. 545. & s. 8. n. 3. f. 547

Prouerbia.

Cap. 4. Vnigenitus coram matre mea. d. 4. s. 6. n. 14. f. 34
8. Dominus possedit me. Nondum erant abyssi & ego iam concepta eram. d. 2. s. 2. n. 30. f. 14. d. 4. s. 1. n. 24. & seqq. f. 24
Dominus creauit me. d. 4. s. 1. n. 27. & 29. f. 24. & 25
Ego iam concepta eram. d. 4. s. 5. n. 29. f. 33
Dominus creauit me principium viæ suæ ad opera sua. d. 96. s. 5. n. 1. & seqq. f. 755. 756
Ab æterno ordinata sum. d. 96. s. 5. n. 24. f. 757
Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo, omni tempore. d. 93. s. 2. n. 3. 4. 5. f. 739

Deliciæ

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. d.109. ſ.3.n.13.f.875
30. Quod eſt nomen eius, & quod nomen Filij eius ſi noſti. d.91.ſ.6.n.1.& 2.f.725

Eccleſiaſtes.

Cap.7. Dixi, ſapiens efficiar: & ipſa longiùs receſſit à me multo magis quàm erat. d.41.ſ.3.n.7.f.375

Sapientia.

Cap.7. Omnium artifex ſapientia docuit me. d.110.ſ.7.n.9.f.900
9. Eſt tecum ſapientia tua quæ nouit opera tua. *vſque* coram oculis tuis. d.110.ſ.7.num.10. fol.900
16. Neque herba neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia. d.56. ſ.2.n.12.f.485

Eccleſiaſticus.

Cap.1. Vnus eſt Altiſſimus creator omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis. d.110. ſ.8.n.5.f.901
Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis. d.55. ſ.4.n.9.f.478
3. Non eſt tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis. d.5.ſ.2.n.5.f.39
Altiora te ne quæſieris, &c. diſput.4.ſ.3.n.8. fol.375
15. Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui. d.50.ſ.6.n.14.f.433
24. Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens. Gyrum cœli circuiui. d.110.ſ.7.n.11. f.900
Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. d.1. ſ.6.n.2.f.9. d.2. ſ.2.n.30.& 32.f.14. d.2. ſ.4.n.7.f.15. d.96. ſ.2.n.17.f.753

Iſaias.

Cap.6. Quem mittam? aut quis ibit nobis? d.36. ſ.4.n.9.& 10.f.324
26. Speraſtis in Domino in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. d.107. ſ.2.n.11.f.833
28. Manda, remanda. d.50.ſ.9.n.13.f.437
44. Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum. d.40.ſ.3.n.12.fol.366. d.110. ſ.8.n.6. fol.901
45. Tantùm in te eſt Deus & non eſt Deus abſque te. diſput.19.ſ.2.n.5.fol.168. d.107.ſ.2.n.8. fol.838
48. Ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius. d.36. ſ.5.n.12.f.327
Et nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius. d.108.ſ.10. n.1.11. & 12. f.866.867. d.67. ſ.3.n.10.f.570
53. Generationem eius quis enarrabit? d.4. ſ.1. n.16.f.23.d.5.ſ.1.n.8.f.37

Oſeas.

Cap.1. Saluabo eos in Domino Deo ſuo. d.36. ſ.4.n.19.& 25.f.325

Amos.

Cap.4. Ego Dominus formans tonitruũ, & creans ſpiritum. d.66.ſ.7.n.6.f.564

Michæas.

Cap.5. Ex te mihi egredietur qui ſit Dominus Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. d.96.ſ.2.n.17.f.753. & d.108. ſ.3.n.19.f.856

Matthæus.

Cap.1. Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. d.98.ſ.2.n.8.f.767
3. Hic eſt Filius meus dilectus. d.4.ſ.2.n.16.f.26
Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne. d.76.ſ.4.n.6.f.633
6. Panem noſtrum ſuperſtantialem da nobis hodie. d.21.ſ.2.n.13.f.189
11. Nemo nouit Filium niſi Pater: & Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. d.40.ſ.6.n.2.f.370. & ſ.3.n.2. f.374
Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. d.19. ſ.2.n.19.& 28.f.169. & 170. d.30.ſ.5.n.6. f.262
16. Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus. d.41.ſ.3.n.4.f.374
19. Nemo bonus niſi vnus Deus. d.40.ſ.5.n.17. f.369
20. Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed, &c. d.50.ſ.11.n.1.f.439
22. Non reſpicis perſonam. d.64.ſ.8.n.1.f.547
24. De die illa nemo ſcit, nec Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater. d.40.ſ.4.n.11.f.367. & ſ.6. n.5.f.370. d.50.ſ.12.n.2.f.439
vlt. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. d.36.ſ.3.n.1.f.321

Marcus.

Cap.10. Nemo bonus niſi vnus Deus. d.40. ſ.5. n.17.f.369
12. Adhuc habens vnum filium chariſſimum. d.4. ſ.2.n.17.f.26
Neque vides in faciem. d.64.ſ.8.n.1.f.547

Lucas.

Cap.1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te & virtus Altiſſimi, &c. d.36.ſ.3.n.9.f.321
2. Peperit filium ſuum primogenitum. d.4.ſ.7. n.26.f.36
18. Nemo bonus niſi ſolus Deus. d.40.ſ.3.n.4.5. 6.f.366. & ſ.5.n.17.f.369.& 370
20. Mittam Filium meum dilectum. d.4.ſ.2.n.17. fol.26
24. Quo vſque induamini virtute ex alto. d.76. ſ.4.n.1.f.633

Ioannes.

Cap.1. In principio erat Verbum. d.30.ſ.6.n.1. f.263. d.55.ſ.4.n.2.f.477. d.65.ſ.3.n.8. f.552. d.104.ſ.3.n.1.f.823. d.107.ſ.2. n.2.f.837
Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. d.66.ſ.7.n.3.& 4.f.564
Mundus per ipſum factus eſt. diſput.110.ſ.7.n.7. fol.899

Gloriam

Gloriam quaſi Vnigeniti. d.4.ſ.2. n.10. & 14. fol.26
Vnigenitus eſt in ſinu Patris. d.96. ſ.2. n.13. f.753. & n.23.f.754
Ante me factus eſt. d.96.ſ.7.n.6.f.760
Quia prior me erat. ibidem.
3. Quod audiuit & vidit, hoc teſtatus eſt. d.60. ſ.5.n.7.f.513
Quem miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſurã dat Deus ſpiritum. d.109. ſ.5.n.6.f.877
Spiritus vbi vult ſpirat. d.66.ſ.1.n.7.ſ.555
Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. d.50.ſ.12.n.20.f.441
Sic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum Vnigenitum daret. d.2. ſ.4.n.5. f.15. d.82. ſ.5.n.1.f.679
Pater diligit Filium & omnia dedit in manu eius. d.93.ſ.3.n.16.f.742
5. Nam omne iudicium dedit Filio. d.50. ſ.12. n.18.f.441
Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. d.19.ſ.4. n.9.f.172. d.50.ſ.6.n.3.f.432
Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio. d.50.ſ.6.n.5.f.432
Demonſtrat Pater & docet, Filius autem videt & audit. d.110.ſ.3.f.892
Quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolùm ſoluebat Sabbatum, ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. d.54.ſ.7.n.1.& ſeqq.fol.473
Pater teſtimonium perhibet de me, *vſque* huic vos non creditis. d.64.ſ.8.n.7.f.547
Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me. d.36.ſ.3.n.10.f.321
Quæcunque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit; Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit. d.93.ſ.3. n.1.2.3.& ſeqq.f.740.& 741
Amen, amen dico vobis: Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, *vſque* quæ ipſe facit. d.110.ſ.2.n.1.f.891.& ſ.6.n.12.f.898
Vt omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem, *vſque* miſit illum. d.108.ſ.1. n.7.f.850
Æqualem Deo ſe faciens. diſput.96. ſ.7. n.7. fol.760
6. Ego viuo propter Patrem. d.98.ſ.5.n.9.f.770
Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt ex Deo, hic vidit Patrem. d.40.ſ.6.n.3. fol.370
Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. d.50.ſ.10.n.5.f.438
7. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. d.50.ſ.10.n.8.f.438
Spiritus nondum erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. d.109.ſ.5.n.14.& 17. fol.878
8. Ego ex Deo proceſſi. d.1.ſ.6.n.1.f.9. d.19.ſ.4. n.10.f.172
Quem teipſum facis? d.96.ſ.7.n.7.f.760
Principium qui & loquor vobis. d.60.ſ.5.n.7. fol.513
10. Operibus credite, vt cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt & ego in Patre. d.107. ſ.2.n.2.f.837
Hoc ait mandatum accepi à Patre meo. d.50. ſ.9 n.1.& ſeqq.f.436
Ego & Pater vnum ſumus. *Lege* ſect.6. d.20. f.183. d.19.ſ.2.n.2.& ſeqq.f.168
12. Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me. diſput.50.ſect.10. n.10. fol.439
Qui me miſit, mandatum dedit mihi quid dicam aut quid loquar. d.50.ſ.9. n.1. & ſeqq. f.436.& 437
13. Sciens quia à Deo exiui. d.96. ſ.2. n.15.16. fol.753
Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. d.67.ſ.9.n.1.& 2.f.579
14. Pater in me manet. diſp.107.ſect.7. num.13. fol.847
Ille vos docebit omnia. diſput.2.ſ.4.n.7.& 11. fol.16
Qui videt me, videt & Patrem meum. d. 64. ſ.4. n.4.& 6.f.540. & ſ.8.f.547. d.107.ſ.2. n.2.f.837. & ſ.3.n.14.f.840.& ſ.5.n.2.f.843. & ſ.6.n.7.f.845
Quem mittet Pater in nomine meo. d.19.ſ.4. n.11.f.172. d.67.ſ.3.n.8.f.570
Ego in Patre & Pater in me eſt. d.19. ſ.2. n.2. & ſeqq.f.168.& 169
Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, &c. d.36.ſ.3.n.11.f.322
Pater maior me eſt. d.50.ſ.2.f.427. d.103.ſ.2. n.9.f.808
Sermonem quem audiſtis, non eſt meus. d.57. ſ.5.n.9.f.490
Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo. d.108.ſ.3.num.2. fol.854
Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. d.50.ſ.9.n.1.& ſeqq.f.436.& 437
15. Paraclitus qui à Patre procedit. d.1. ſ.6. n.1. f.9. d.19.ſ.4.n.10.f.172
Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. d.96.ſ.3.n.2.f.754
Quem ego mittam vobis à Patre. *Lege* ſect.5. d.108.f.854.855.& 856
Sicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui & maneo in eius dilectione. d.50. ſ.9. n.1. & ſeqq. f.436.& 437
Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. d.50.ſ.12.n.6.f.440
16. Non enim à ſemetipſo loquetur; ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. d.67.ſ.2. f.567.568.& 569. d.60.ſ.5. n.9.f.513. d.50.ſ.1.n.2.f.426. d.96.ſ.3.n.4. f.754. d.50. ſ.7.n.1. f.433. d.7. ſ.1.n.15. & 16.f.57. & ſ.4.n.11.f.61
Omnia quæ Pater habet mea ſunt. *Lege* ſect.2. d.19.præſertim n.29.f.169.& 170. d.30.ſ.5. n.6. f.262
Docebit vos omnem veritatem. d.2.ſ.4.n.7.& 11.f.16. d.50.ſ.12.n.7.f.440
Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo. ibidem.
Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, *vſque* annunciabit vobis. d.110.ſ.3.num.2. & ſeqq. f.894
Credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à Patre & veni in mundum. diſput.96. ſ.2. n.15.16. fol.753
Spiritus ſanctus non loquitur à ſemetipſo. d.66.ſ.7.n.10.f.564.& 565

17. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. d.66.ſ.7.n.11.f.565. d.40.ſ.5.n.1. & ſeqq.f.368
Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus. d.19. ſ.2.n.13.f.169. d.20.ſ.6.f.183
Cognouerunt verè, quia à te exiui. d.96. ſ.2. n.15.16.f.753
20. Dominus meus & Deus meus. d.54.ſ.3.n.5. fol.467
Inſufflauit & dixit: Accipite Spiritum. d. 67. ſ.2.n.16.f.571
Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. d.51.ſ.9. n.6.f.444
Dic fratribus meis: Vado ad Patrem meum & Patrem veſtrum. d.4.ſ.7.n.29.f.37
Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c. d.109.ſ.1.n.13.f.871

Actus Apoſtolorum.

Cap.1. Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti. d.76.ſ.4.n.2.f.633
2. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit. d.36. ſ.3.n.15.f.322
Certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël, quia Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum. d.96.ſ.7.n.1.f.759
Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis. d.76.ſ.4.n.5.f.633
Apparuit illi in deſerto montis Syna Angelus in igne flammæ rubi, &c. diſp.109.ſ.9.n.9. fol.883
17. In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. d.107. ſ.1.n.1.fol.836

Pauli epiſtola ad Romanos.

Cap.1. Factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. d.96.ſ.6.n.1.f.758
5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. d.108.ſ.1.n.23.24.f.852
8. Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. d.66.ſ.7.n.7.& 8.f.564
Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. d.67.ſ.3.n.11.f.570
11. Ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. diſput.36.ſ.3.num.21. fol.222
16. Soli ſapienti Deo. d.40.ſ.3.n.11.f.366

Ad Corinthios prima.

Cap.1. Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. d.2.ſ.2.n.31.f.14
2. Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. d.82.ſ.5.n.5.f.679
8. Vnus inquit Deus Pater ex quo omnia & nos in illum. d.40.ſ.5.n.18.f.370
11. Caput Chriſti Deus. *Lege* ſect. 4. diſput.50. fol.430
Sicut enim mulier de viro, ita & vir per mulierem. d.4.ſ.5.n.25.f.33
12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, dinidens ſingulis prout vult. d.36. ſ.3. n.17. f.322. d.66.ſ.7.n.17.f.565
15. Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia. d.104.ſ.4.n.6.f.824
Sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cœleſtis. diſput.64.ſ.6.n.11. fol.545
Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia vt ſit Deus omnia in omnibus. *Lege* ſect.8.d.50.f.434

Ad Corinthios ſecunda.

Cap.1. Qui vnxit nos Deus, qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. d.64.ſ.6.n.13.f.545
3. In eandem imaginem transformamur. d. 64. ſ.6.n.11.f.545
4. Licet is qui foris eſt noſter homo, corrumpatur; tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. d.32.ſ.2.n.14.f.280
5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians. d.107.ſ.2.n.6.f.838
vlt. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. d.82.ſ.5.n.1.f.679

Ad Galatas.

Cap.1. Continuò non acquieui carni & ſanguini. d.41.ſ.3.n.5.f.374
Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum ac Deum Patrem. d.54.ſ.3.n.11.f.467
3. Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis. d.108.ſ.11.n.9.f.869
4. Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater. d.36.ſ.3.n.16.f.322. d.67.ſ.3.n.11.f.570

Ad Epheſios.

Cap.1. In quo credentes ſignati eſtis in diem redemptionis. d.64.ſ.6.n.12.f.545. d.76. ſ.3.n.2.f.632
6. Gladius Spiritus, quod eſt Verbum Dei. d.57. ſ.4.n.18.f.489

Ad Coloſſenſes.

Cap.1. Tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ. d.73.ſ.1.n 6.f.614
3. Qui renouatur in agnitione ſecundum imaginem eius, qui creauit illum. diſp.64.ſ.6. n.11.fol.545

Ad Timotheum prima.

Cap.1. Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo. d.40. ſ.3.n.7.f.366. d.28.ſ.3. n.13.f.244
5. Teſtor coram Deo & Chriſto Ieſu, & electis Angelis vt hæc cuſtodias. d.66.ſ.7.n.11.12. fol.565
6. Beatus & ſolus potens Rex Regum & Dominus dominantium qui ſolus habet immortalitatem. d.40.ſ.3.n.9.f.366
Qui ſolus habet immortalitatem. d. 28. ſ.3. n.13.f.244

Ad

Ad Hebræos.

Cap.1. Portans omnia Verbo virtutis ſuæ. d.60. ſ.5.n.1.f.513
Character ſubſtantiæ eius. d.23.ſ.3.n.2. & 10. f.204.& 205. d.64. ſ.3.n.5.6. f.538. & 539. & n.17.f.540
Figura ſubſtantiæ. ibidem.
Tanto melior Angelis effectus. d.96.ſ.7.n.5. fol.759
3. Conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei qui fecit illum. d 96.ſ.7.n.3.f.759
4. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite. Et diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis coram eo. d.82.ſ.5.n.4.f.679

Petri epiſtola prima.

Cap.1. Paratos ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos de ea quæ in vobis eſt ſpe. d.4.ſ.2.n.10.& 11.f.39

Ioannis epiſtola prima.

Cap.1. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & ij tres vnum ſunt. d.2.ſ.2.n.7.f.12
4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum Vnigenitum miſit Deus in mundum. d.4.ſ.2.n.10.f.26
Charitas ex Deo eſt. diſp.73. ſect.1. num.45. fol.614
5. Tres ſunt qui teſtimonium, &c. diſput.55.ſ.4. n.7.f.478. d.57.ſ.2.n.7.f.485. d.66.ſ.3.n.5. fol.558
Hi tres vnum ſunt. d.18.ſ.2.n.13.f.164
Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt. diſput.57. ſ.2. num.6.fol.485

Apocalypſis.

Cap.19. Nomen eius Verbum Dei. d.2.ſ.2.n.7. fol.12
Vocabat nomen eius Verbum Dei. Habens nomen quod nemo nouit niſi ipſe. d.55.ſ.4. n.8.fol.478
Veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocabatur nomen eius Verbum Dei. d.57.ſ.2. n.8.fol.485

Finis Indicis locorum ſacræ Scripturæ.

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM.

A

Abailardus.

BAILARDI crassissimus error. d.82.s.2.n.1.f.676

Abraham.

Abrahæ tres viri apparuerũt. d.36. d.36.s.4.n.11.f.324

Absolutum.

Absolutum omne est commune, sola relatio non est communis. d.87.s.3.n.3.f.706

Abstractum.

Abstracti multiplicatio sequitur ex concreto substantiuo multiplicato. d.34.s.4.n.2.f.33

Abstracta melius significant simplicitatem & distinctionem. d.46.s.3.n.7.f.402

Abstracta de abstractis aut de concretis qui Patres prædicent. d.11.s.6.n.9.f.110

Abstracta cum reduplicatione prædicantur. d.13. s.1.n.15.f.123

Abstracta transcendentia quæ multiplicentur. d.77.s.1.n.1.f.634

Abstracta non transcendentia singulariter non pluraliter efferuntur. ibid.n.2

Abstracta, ex modo significandi, affectant significare minus quàm concreta. d.13.s.3.num.15. fol.126

Abstracta pro concretis ad significandam identitatem. d.80.s.7.n.1.f.668

Abstractorum prædicatio requirit identitatem realem. d.11.s.6.n.1.f.110

ad prædicationem Abstractorum requiritur inclusio. d.13.s.1.n.7.f.122

Abstractorum prædicationes, quæ traduntur à Patribus. ibidem.

Abstractorum vsus aduersus hæreses inductus. d.13.s.1.n.14.f.123

Abstractorum prædicatio requirit identitatem. d.8.s.7.n.1.f.76

Abstractorum suppositio. *Lege* sect.5.d.80.f.666

Accidens.

Accidentis vox latè sumpta. d.14.s.2.n.10.f.131

Accipere.

vox *Accipere* Spiritui sancto peculiariter accommodatur à Christo Domino, & Patribus. d.7. s.1.n.16.f.57

Actio, Actus.

Actio & passio in creaturis licet identificentur, in diuinis tamen distinguuntur origo actiua & passiua. *Lege* sect.4.d.84.f.691

Actio libera Dei interior an per se prædicetur. d.14.s.8.n.11.f.139

Actio quæ fundat communicationem, est realis. d.80.s.6.n.12.f.668

Actionis prædicamentum an in Deo? d.10.s.5. n.1.f.100

Actiones ac generationes omnes circa singulare sunt. d.80.s.5.n.5.f.666

Actiones sunt suppositorum. d.80.s.3.n.11.f.664. & d.33.s.2.n.2.f.294

ab Actionibus sola ratione distinctis passiones realiter distinctæ. d.17.s.4.n.12.f.158

Actus notionalis est naturalis vterque, sed spiratio propinquior libertati. d.92.s.3. fol.730. & 731

Actus dicendi, & actus spirandi, quid sunt formaliter. d.2.s.5.n.3.f.17

Actus & potentia coalescunt in vnum. d.11.s.5. n.12.f.108

Actus intelligendi, prout est actus intelligendi, est processio Verbi: & actus amandi, prout est actus amandi, est processio Spiritus sancti. d.2. s.5.n.1.f.17

an Actus intelligendi & amandi sit principium *quo* producendi, vel ipsa productio. ibid.n.4

Actus primus quidditatiuè continet existentiam & operationem. d.84.s.4.n.4.f.691

per Actum aut habitum supernaturalem mittitur quodammodo persona diuina. d.109.s.1.n.19. fol.871

per Actus supernaturales sine vllo habitu potest mitti Spiritus sanctus de potentia absoluta. d.109.s.7.n.8.f.880

Actus notionales necessarij sunt & non liberi. d.92.s.2.f.728.729

Actuum diuinorum necessitas ad necessitatem formæ reducitur. d.92.s.4.n.4.f.733

Adamus.

Adamus, Eua, Seth diuerso modo producti, & eiusdem naturæ. d.44.s.5.n.1.f.390

Adami similitudo imperfecta. disput.6.s.6.n.17. fol.50

Adiectiua.

Adiectiuorum & substantiuorum discrimen. d.77. s.3.n.3.f.637

Vide Nomen.

Adoratio.

Adoratio est quædam species honoris exhibiti. d.29.s.6.n.10.f.255

Æquale, Æqualitas.

Æquale quid sit. d.103.s.2.n.2.& 10.f.808. & s.7. n.1.f.816

Æqualia sunt commensurabilia si nullum est maius altero. d.103.s.2.n.2.f.808

Æqualia vel similia quâ vnitate constituantur. d.103.s.2.n.15.f.809

Æqualitas tantum in absolutis perfectionibus. d.103.s.6.n.8.f.814

Æqualitas nunquam sine similitudine. d.103.s.8. n.4.f.818

Æqualitas, similitudo, & identitas sunt tantùm relationes rationis. d.18.s.4.n.7.f.166

Æqualitas & similitudo sunt distinctæ relationes, sed defendenda potius æqualitas quàm similitudo. d.103.s.8.n.2.f.818

Æquali

Æqualitas summa sine termino & commensuratione. d.103.s.2.n.11.f.809

Æqualitas reciproca nominibus, non reciproca verbis aptiùs significatur. d.103.s.7.n.7.f.817

Æqualitas personarum defendenda potius quàm similitudo. d.103.s.8.n.2.3.f.818

Æqualitatis à similitudine discrimen. ibid.n.7

Æqualitas personarum, missione probatur. d.108. s.1.n.7.f.850

Æqualitas non est realis vbi nõ sunt duo magna. d.103.s.4.n.3.f.811

Æqualitatis trium personarum non potest esse vnica relatio. ibid.n.5

si Æqualitas esset realis, non distingueretur à relationibus personalibus. d.103.s.4.n.11.f.812

Æqualitas Filij cum Patre. d.54.s.6.n.18.f.472

Æqualitatem etiam testatur Christus Dominus. *Ioan.*5. & plurimi Patres. *Lege* sect.7. disp.54. fol.473

Æqualitas Filio quare attributa. d.82.s.4.num.9. fol.678

Æqualitas secundum rationem non est in relatiuis personalitatibus. d.103.s.6.n.14.f.815

Æqualitas duplex. d.103.s.7.n.3.f.816. discrimen inter vtramque. ibid.n.5

Æqualitatis & relationum originis distinctio. d.103.s.4.n.14.f.812

Æqualitatis relatio reciproca & triplex. d.103. s.7.f.816.& 817

Æqualitatem requirit summa dilectio. d.103.s.2. n.7.f.808

Æqualitatem, similitudinem & imaginem quomodo distinguat D.Augustinus. d.64.s.2.n.1. fol.536

de Æqualitate & identitate operationis personarum diuinarum. *Lege* disput.110.f.889.890. & seqq.

Æternitas.

Æternitas Patri cur peculiariter appropriari possit. d.82.s.3.n.3.f.677

ad Æternitatem & immensitatem supponitur infinitudo in genere entis. d.27.s.2.n.8.f.231

Æternitatis duratio nullo verbo nostro significatur. d.104.s.1.n.4.f.820

Æternitati magis cõgruit verbum præsentis temporis. d.104.s.2.n.8.f.822

an tres Æternitates in Deo? d.27.s.1.n.5.f.229

Affirmatio.

Affirmatio & negatio eiusdem prædicati nõ probat realem distinctionem relationis aut essentiæ. *Lege* sect.7.d.15.f.146

Agens.

Agens ad similitudinem suam patibile componit. d.7.s.5.n.1.f.61

nullum Agens agit per suam suppositalitatem. d.100.s.4.n.10.f.787

Airani, vel *Æranistæ.*

Airani, seu Æranistæ, quid senserint de Spiritu sancto. d.66.s.2.n.8.f.557

Alienatio.

Alienationis voces in diuinis negantur à Patribus. d.39.s.3.n.8.s.362

Aliquid.

quidquid est *Aliquid*, est res. d.26.s.1.n.7.f.225

ad *Aliquid* non mutatur in substantiam. d.9.s.7. n.14.f.95. *Vide* Relatio.

Aliud, Alius.

Aliud, alius; alter, alterum, quomodo intelligantur. *Lege* sect.4.d.39.f.350

Aliud neutraliter aliquando Patres de Filio dixerunt sensu Catholico. d.39.s.6.n.4.f.354.

Ruiz. de Trinitate.

Alius ab alio realiter distinguitur. d.19.s.4.n.27. fol.173

Alius quomodo significet diuersitatem in substantia. d.39.s.5.n.20.f.355

Alium masculinè negantes exponuntur. d.39.s.6. n.7.f.354

Alogij.

Alogij cur ita dicti. d.55.s.2.n.5.f.475

Alteratio.

Alterationis nomen an in diuinis admittendum. d.39.s.13.n.7.f.362

Amare, Amicitia, Amor.

Amare notionaliter quid sit, & in qua ratione formali consistat. d.73.s.2.n.3.f.615

qualis in Amicitia similitudo. disput.7.s.5.n.12. fol.62

Amor amicitiæ non tantum affectus vnit in genere causæ formalis, sed etiam impellit ad procurandam realem præsentiam amati. d.109. s.3.n.12.fol.874

Amor procedit à cognitione boni. d.67.s.8.n.8. fol.579

Amor est imago Spiritus sancti. d.44.s.7.n.12. fol.394

Amor non est repræsentatio sed vnio. d.7.s.5. n.11.f.62

Amor est etiam vita. d.8.s.5.n.22.f.73

Amor mutuus requirit duas personas. d.71.s.1. n.7.f.607

Amor est essentialis ferè semper. d.73.s.1.num.1. fol.614

Amor aliquando intelligitur essentialis. ibidem. num.2

Amor diuinus sit-ne duplex, alter essentialis, & alter notionalis. d.73.s.2.n.5.f.616

Amor diuinus an præscindat formalitates. d.94. s.2.n.15.f.747

Amoris mutui nomine quid significetur. d.71.s.3. n.8.f.611

Amoris linea non affert similitudinem in natura. d.7.s.2.n.4.f.58

per Amorem creaturarum an procedat Spiritus sanctus. *Lege* sect.5.d.63.fol.532

Amoris & cognitionis discrimen & similitudo. ibid n.4.& 5

Amoris infiniti tres esse modos in Deo, & non plures, expedit. d.33.s.2.n.12.f.295

Amores necessarij multi quoad specificationem. d.92.s.3.n.14.f.731

Analogia.

Analogia ad modos quibus vna creatura dicitur esse in alia. d.107.s.8.n.3.f.848

Anarchos.

Anarchos quid sit. d.48.s.3.n.12.f.416

Angelus.

Angelus non habet duas existentias. d.25.s.3. n.18.f.220

Angelus naturaliter Deum cognoscit in ordine ad res creatas. d.41.s.5.n.11.f.377

Angelus per solas vires naturæ Deum cognoscens potest efficere distinctionem rationis. d.12. s.8.n.5.f.120

Angeli nullo modo sciunt diem iudicij. d.50.s.12. n.12.f.440

ad Angelos facta est inuisibilis missio Spiritus sancti & Verbi. d.109.s.5.f.877

Angelorum ministerio fiebant rerum species apparentes. d.109.s.10.n.4.f.885

Angelorum ministerium ad maxima quæque. d.109. s.10.n.14.f.886. etiam in Nouo Testamento. num.16

Anima.
Anima rationalis præ ſe fert imaginem Trinitatis ſecundum operationes intellectionis & volitionis conſideratas ac diſtributas diuerſimodè à diuerſis Patribus. d.44.ſ.7.n.6.f.394
Anima ſeparata non eſt perſona, quia non eſt completa. ibid.n.9
Animam ſeparatam eſſe perſonam, opinio. d.32. ſ.2.n.5.f.279. hæc opinio reiicitur. ibid.n.9
Anima figuratè vocari poteſt perſona. d.32.ſ.2. n.15.f.280
ad Animam quomodo veniant perſonæ diuinæ. *Lege* ſect.3.d.109.f.873.& 874
Apparitio.
Apparitio continetur in miſſione viſibili. d.109. ſ.8.n.2.f.881
in Apparitionibus non fuit viſa ſubſtantia Filij vel Spiritus ſancti. d.109.ſ.11.n.9.f.887
de Apparitionibus in Veteri Teſtamento. *Lege* ſect.9.d.109.f.882.883.884
Appellatio.
variatio Appellationis frequentior in diuinis. d.15.ſ.6.n.4.f.145
Apprehenſio.
Apprehenſio & inquiſitio Trinitatis cuiuis intellectui etiam Angelico, impoſſibilis eſt; niſi reuelatione aliqua ſuppoſita. d.41.ſ.5. n.15. fol.378
Appropriari, Appropriatio.
Appropriari poſſunt omnia eſſentialia prædicata. d.82.ſ.1.n.11.f.676
Appropriantur vni plura & pluribus vnum. ibid. num.13
Appropriata quandoque vocantur propria. ibid. n.14.& 15
Appropriatur potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto. *Lege* ſect.5.d.82.f.676. & 677
Appropriatio fuit conueniens. diſput.82.ſ.1.n.1. fol.675
Appropriatio denotat diſtinctionem perſonarum. ibid.n.2
Appropriationis ratio duplex. ibid.n.5.& 6
Appropriatio partim eſt naturalis, partim voluntaria; ſed magis eſt voluntaria, quàm naturalis. d.82.ſ.1.n.8.f.675.& 676
Appropriationes D. Auguſtini. *Lege* ſect.4.d.82. fol.678
Aqua.
Aqua vocatur Spiritus ſanctus. diſput.76.ſ.4.n.4. fol.635
Arbor.
ab Arbore ducitur ſimilitudo Trinitatis. d.44. ſ.3.n.10.f.389
Argumentum.
Argumentum ab authoritate negatiuè quando ſit minoris ponderis. d.16.ſ.3.n.12.f.151
Arius, Ariani, Arianiſmus.
Arius non eſt auſus mutare formam Baptiſmi. d.36.ſ.3.n.6.f.321
Arius duo Verba diſtinguebat. diſput.55.ſ.2.n.11. fol.476
Ariani negabant Verbum. d.55.ſ.2.n.9.f.476
Ariani ſtolidiores rudioréſque Iudæis. d.20.ſ.6. n.16.fol.184
Ariani ſignificationem egregiam Homouſion admittebant. d.21.ſ.3.n.12
Ariani confundebant *genema* & *poiema*. d.4.ſ.4. n.4.f.30
Ariani quomodo Filium eſſe in Deo dicebant. d.107.ſ.1.fol.836
Ariani contendebant rationem Ingeniti ſiue Innaſcibilis eſſe de quidditate Dei. d.14.ſ.2.n.16. fol.131
Arianiſmum Origeni tribuunt aliqui Patres. d.20.ſ.4.n.3.f.186
probabilius numquam ſcripſiſſe. n.11.f.181
Attributa.
Attributa conſtituunt naturam diuinam. d.8.ſ.4. n.12.fol.71
Attributi cognatio cum proprietate perſonali, eſt ratio principalior appropriationis. d.82.ſ.1. n.5.f.675
Attributa quædam exiſtentiam includunt peculiari ratione. d.25.ſ.1.n.10.f.216
Attributa non ſunt tranſcendentia. d.26.ſ.4.n.21. fol.229
Attributa omnia, omnéſque perfectiones abſolutæ quidditatiuè conueniunt cuilibet relationi diuinæ ſeu proprietati perſonali. d.13. ſect.2. n.17.f.124
Attributorum incluſio mera. d.13.ſ.2.n.15.f.124
mutua Attributorum incluſio non infert mutuam incluſionem eſſentiæ & relationis. d.14. ſ.6.n.6.fol.136
Attributorum diſtinctio minor, quàm diſtinctio relationis. d.12.ſ.4.n.4.f.117
Attributorum diſtinctio, vt ſint principia diſtinctarum operationum. d.6.ſ.7.n.11.f.51
Vide Proprietas. Perfectio.
Auus.
Aui nomen diuinis perſonis niſi per blaſphemiam tribui non poteſt. d.4.ſ.5.n.15.f.32
Author.
Authoris nomen conuenit Patri & Filio. *Lege* ſect.1.d.49..f.421
Autotheos.
Autotheos quo ſenſu Filius. d.50.ſ.5.n.13.f.432
Autotheon vocat Filium Epiphanius & quomodo. d.1.ſ.4.n.4.f.4
Autotheanorum proceſſiones negantium errores. d.1.ſ.1.n.1.f.3. ſoluuntur eorum argumenta. ſect.2.f.4

B

Baptiſmus.
Baptiſmi formam mutare non auſus eſt Arius. d.36.ſ.3.n.6.f.321
Beati, Beatitudo.
Beatorum conceptum, ſicut eſt, non poſſumus explicare, ſed ſicut nos concipimus. d.15.ſ.8.n.8. fol.147
in principio Beatitudinis ſit perfectiſſima miſſio Spiritus ſancti. d.109.ſ.4.n.15.f.876
Beneficium.
Beneficium ſi referatur, interit atque finitur. d.75. ſ.1.n.13.f.625
Bonum, Bonitas.
Boni communicatio. d.3.ſ.1.n.11.f.18
Boni volitio in communi quomodo neceſſaria. d.92.ſ.5.n.6.f.734
Bona non ſunt omittenda propter abuſum iniquorum. d.21.ſ.4.n.7.f.192
circa Bona, quæ non neceſſariò cohærent cum ſummo bono, indifferentia. diſput.92.ſ.5.n.7. fol.734
Bonitas & aliæ perfectiones in abſtracto prædicantur de natura diuina. diſput.8.ſect.7.n.3. fol.76
Bonitas, ſapientia, potentia, quo pacto Trinitatem repræſentent. d.44.ſ.4.n.3.f.390

Bonitas non minus quàm ſapientia conſtituit naturam diuinam. d.8.ſ.5.n.28.f.73
Bonitas & benignitas Spiritui ſancto appropriatur. d.82.ſ.2.n.8.f.677
Bonitatis diuinæ perfectio in vera & perfecta charitate conſiſtit. d.3.ſ.1.n.10.f.18
Brachium.
Brachij, manus ac digitorum metaphora ſignificat ſine Filio & Spiritu ſancto non eſſe poſſibilem productionem creaturarum. d.111.ſ.7. fol.913
Brachij nomine an intelligatur Spiritus ſanctus. d.76.ſ.1.n.9.f.631

C

Caluinus.
CAluinus vnde colligebat, Angelos ſcire diem iudicij, ſed non ad dicendum. d.50.ſ.12. n.12.fol.440
Candela.
à Candela ducta ſimilitudo ad Trinitatem indicandam. d.44.ſ.3.n.15.f.390
Candor.
Candoris nomen quomodo conueniat Filio. d.64.ſ.8.n.18.f.548
Cauſa.
Cauſæ nomen reſpectu perſonarum diuinarum euitare conuenientius & tutius eſt. d.49.ſ.3. n.1.f.424
Cauſa denotat dependentiam. d.49.ſ.3.n.9.f.425
Cauſa prior natura. ibid.n.10
Cauſa ſuperior cauſato. ibid.n.11
Cauſa exemplaris omnium proceſſionum quæ ſit. d.111.ſ.2.n.1.f.907
Cauſa materialis denotatur aliquando præpoſitionibus *De* & *Ex*. d.97.ſ.1.n.4.f.760
Character.
Character quomodo conueniat Filio, & quid ſit. d.64.ſ.8.n.12.13.14.f.548
Characteris analogia. d.64.ſ.6.n.14.f.545
Charitas.
Charitas cui peculiariter approprietur. d.82.ſ.5. n.1.& 2. f.679
Charitas perfecta requiritur ad perfectionem diuinæ bonitatis, felicitatis & gloriæ. d.3.ſ.1. n.10.fol.18
Chriſtus Dominus.
Chriſtus Dominus nomina perſonis diuinis impoſuit quæ optimè quadrant in illas prout à nobis in hac vita poſſunt concipi atque diſtingui. d.87.ſ.2.n.3.f.702
Chriſtus Dominus propria authoritate miracula patrabat. d.54.ſ.5.n.1.f.469
Dedit gratiam miraculorum. ibid.n.3
Intima cordium penetrabat. ibid.n.4
Futura prædicebat. ibidem.
Vbique ſuæ diuinitatis teſtimonium, conſiſtens in operibus præfert aliis teſtimoniis. n.8. fol. 470
Chriſtus Dominus eſt aliud & aliud, non alius & alius. d.39.ſ.5.n.1.f.351
Chriſtus Dominus æqualitatem teſtatur, *Ioan.*5. & plurimi Patres. *Lege* ſect.7.d.54.f.473. Item & ſect.8. f.474
Chriſtus Dominus quomodo ſubiectus dicitur eſſe Patri. *Lege* ſect.8.d.50.f.474
Chriſtus Dominus vt homo non miſit Spiritum ſanctum. d.108.ſ.11.n.8.f.869
Chriſtus Dominus non eſt duo filij. d.77.ſ.6. n.15.fol.643
Chriſti prædicatione Deus eſt manifeſtatus ſub ratione Patris & Filij. d.36.ſ.2.n.3.f.320
Chriſti caput Deus. *Lege* ſect.4.d.50.f.430
Chriſti Domini generatio. d.4.ſ.1.à n.6. ad 37. f.22.23.24.& 25
Chriſtum Dominum eſſe Deum à ſeipſo non à Patre dixerunt Autotheani. diſput.50.ſ.1.n.4. fol.3
ad Chriſtum Dominum in ſolo conceptionis inſtanti facta eſt inuiſibilis miſſio. d.109.ſ.5.n.4. fol.877
Chriſto Domino quid dederit Pater. *Lege* ſect.6. d.50.f.432
in Chriſto Domino vnica ſubſiſtentia. d.34.ſ.3. n.9.fol.300
Circulatio.
Circulatio quædam eſt in operationibus intellectus & voluntatis. d.3.ſ.1.n.9.f.18
Circumſeſſio.
Circumſeſſio quid ſit. d.107.ſ.4.n.15.f.842
Circumſeſſio probat ſimplicitatem. d.38.ſ.1. n.16.f.340
Circumſeſſio perſonarum inuicem immanentium complet in vnaquaque perſona plenitudinem perfectionis. *Lege* ſect.6.d.30.f.263
Circumſeſſio eſt ratio vt vna perſona ſit tam perfecta quàm alia. d.30.ſ.6.n.10.f.264
Circumſeſſio perſonarum omnium probatur eſſe de fide. d.107.ſ.2.f.837.& 838
Circumſeſſio quidditatiuè formalitérque conſiſtit in præſentia intima & inſeparabili atque perpetua ſecundum immenſum vbi. d.107.ſ.7. n.9.f.847
in Circumſeſſione qualis concatenatio contineatur. d.107.ſ.7.n.18.f.847
Circumſeſſionis relatio. d.18.ſ.4.n.8.f.166
Circumſeſſioni ſimilia ſunt tria lumina. d.44. ſ.2.n.20.f.388
Circumſeſſionis ratio eſt vnitas eſſentiæ. d.107. ſ.5.n.1.f.843. & quidditas relationis & operationis immanentis. ſ.6.f.844.& 845
ad Circumſeſſionem requiritur diſtinctio realis ſuppoſitorum. d.107.ſ.5.n.16.f.844
Circumſeſſionum ſit-ne realis relatio. d.107. ſ.8.n.16.f.849
Coëxiſtentia.
Coëxiſtentiam liberam quæ affirment. d.63.ſ.4. n.14.f.532
Cogitatio.
Cogitationis nomen Verbo diuino propriè non conuenit. d.55.ſ.6.n.11.f.481
Cognitio.
Cognitio naturalis à ſenſibus incipit & pendet. d.41.ſ.4.n.1.f.375
in Cognitionem Dei per inueſtigationem creaturarum tripliciter aſcenditur. d.41.ſ.4.n.6. fol.376
Cognitio practica, & practicus amor eſt communis tribus perſonis. d.111.ſ.1.n.2.f.906
Cognitio euidens abſtractiua eſſentiæ diuinæ diſcutitur. d.42.ſ.1.n.2.& 3.f.378.& 379
Cognitio Trinitatis euidens quodammodo naturalis, & quodammodo ſupernaturalis, eſt impoſſibilis. ibid.n.5
Cognitio abſtractiua circa *quid eſt* Trinitatis, eſt impoſſibilis. *Lege* ſect.2.d.42.f.379
Cognitio diuinarum perſonarum naturali ratione attingi non poteſt, ſine reuelatione. d.41. ſ.3.n.1.& ſeqq. f.374
Cognitio intuitiua quod obiectum ſupponit exiſtere. d.61.ſ.5.n.7.f.521

Cognitionis intuitiuæ in quo sit posita ratio. ibid.n.9
Cognitio comprehensiua prior ratione, quàm productio Verbi. d.59.ſ.2.n.3.f.502
Cognitio intuitiua trium personarum per se requisita est, vt per eam procedat Verbum diuinum. *Lege* sect.2.d.61.f.516.& 517
Cognitio essentiæ & attributorum per se requiritur. d.61.ſ.1.n.4.f.515
Cognitionis Dei, & amoris efficacis, differentia & similitudo. d.63.ſ.5.n.4.& 5.f.532

Columba.

sub Columbæ specie cur missus Spiritus sanctus. d.109.ſ.3.n.6.f.889

Communicare, Communicatio, Communio.

Communicare non est actio realis, sed est quasi actio secundum rationem. d.80.ſ.6.n.9.f.668
Communicatio fundata per actionem realem, non est realis. d.80.ſ.6.n.12.f.668
Communicationis & originis discrimen. d.85. ſ.3.n.6.f.685
Communicatio denotatur aliquando per præpositiones *De* & *Ex*. d.80.ſ.7.n.13.f.669
Communio & vinculum est Spiritus sanctus. d.71.ſ.1.n.16.f.608

Communitas.

Communitas siue communicabilitas fundamentaliter accepta conuenit essentialiter Deitati. d.13.ſ.4.n.5.f.127
Communitas formaliter sumpta est ens rationis. d.13.ſ.4.n.15.f.128

Compater.

Compatris nomen diuinis personis nisi per blasphemiam tribui non potest. d.4.ſ.5.n.15.f.32

Complementum.

Complementum Trinitatis esse Spiritum sanctum scribit Cyrillus. d.76.ſ.2.n.3.f.632

Compositum. Compositio.

Compositum quid sit. d.38.ſ.3.n.1.f.342
Compositioni sufficit distinctio modalis. d.11. ſ.5.n.8.f.108
Compositio pro constitutione.d.38.ſ.2.n.5.f.341
binarius est Compositionis numerus. d.3.ſ.1. n.13.f.18
Compositionem contra Trinitatem obiiciebant hæretici. d.38.ſ.1.n.1.f.339

Comprehensio.

Comprehensio creaturarum potest esse abstractiua, non verò Dei comprehensio. d.61.ſ.3.n.8. fol.519
Comprehensio requirit cognitionem omnium. d.61.ſ.2.n.14.f.517

Conceptio, Conceptus.

Conceptio, Generatio, Parturitio, Ordinatio, Creatio, denotant singulæ aliquid perfectionis. d.96.ſ.5.n.25.f.758
an Conceptus vnicus relationis abstrahi possit. d.9.ſ.7.n.18.f.96

Concilium.

Concilium Ephesinum quare non discussit processionem à Filio. d.64.ſ.9.n.7.f.580
Concilium Nicænum quoad nomen *Homousion*. *Lege* disput.21.f.187.188.& seqq.
Concilium Ariminense deceptum ab Arianis. d.21.ſ.4.n.1.f.191.non fuit legitimum. n.2
Concilia solent à metaphoris & improprietatibus abstinere. d.70.ſ.1.n.20.f.599

Concretum.

Concretum in diuinis nó includit amplius quàm eius abstractum. d.13.ſ.2.n.3.f.123
Concreta quomodo significẽt. d.46.ſ.3.n.11.f.402
Concreta substantiua,quæ significant aliquid absolutum, singulariter tantùm de tribus personis & non pluraliter prædicantur. d.77.ſ.2. fol.635
Concretorum de abstractis, & abstractorum de concretis,& abstractis,prædicatio mutua,probat relationes diuinas & essentiam non distingui. d.11.ſ.6.n.1.& seqq.f.110.& 111

Confirmatio.

per Confirmationem mittitur Spiritus sanctus. d.109.ſ.4.n.7.f.876

Coniunctio.

Coniunctio diuinæ generationis maior. d.6. ſ.8. n.3.f.52
Coniunctionis infimus gradus. ibid.n.4. medius. n.5. supremus. ibidem.
Coniunctio & vnio personarum an admittenda. *Lege* sect.2.d.38.f.341.& 342

Connexio.

Connexio & concordia Spiritui sancto cur peculiariter attributa. d.82.ſ.4.n.5.f.678

Consanguinitas.

Consanguinitatis aut cognationis nomina, diuinis personis nisi per blasphemiam tribui non possunt. d.4.ſ.5.n.15.f.32

Consistere, Consistentia.

Consistere apud Patres maximè Græcos sumitur pro *subsistere*, & *consistentia* pro subsistentia. d.14.ſ.6.n.4.f.135
Consistentia pro subsistentia. d.34.ſ.1.n.3.f.296

Consortium.

Consortium, communio, consonantia, & vnio siue concordia diuinarum personarum, sunt relationes rationis, fundatæ in vnitate scientiæ & volitionis. d.103.ſ.9.n.4.f.820

Constantinus.

Constantinus quo zelo reprehenderet Homousion. d.21.ſ.4.n.8.f.192

Constituere, Constitutio, Constitutiuum.

Constituere in ratione subsistentis,vnde habeant relationes. d.88.ſ.1.n.5.f.712
Constitutio personæ productæ principalius per relationes,non per origines.d.87.ſ.5.n.4.f.710
Constitutio personæ diuinæ materialiter est realis, formaliter est ens rationis. d.86.ſ.4.n.4.5. fol.702
ad Constitutionem sufficit distinctio cum inclusione. d.86.ſ.1.n.8.f.698
pro Constitutione personarum per proprietates, congruentia. d.87.ſ.4.n.14.f.709
Constitutiuum non vt via tendens, sed fixum. d.87.ſ.5.n.5.f.710

Consubstantialitas.

Consubstantialitas & processio Spiritus sancti à Patre per Filium metaphora digiti significantur. d.76.ſ.1.n.4.f.631
Consubstantialitas,societas,consortium & communio personarum, sunt relationes rationis. d.18.ſ.4.n.8.f.166
Consubstantialitas Spiritus sancti ab Apostolis vsque. d.20.ſ.7.n.6.f.185
Consubstantialitas Patris, Filij & Spiritus sancti probatur peculiariter ex verbis Ioan.10. *Vnum sumus*. *Lege* sect.6.d.20.f.183
Consubstantialitatem cum principio producente, præpositio *De* frequentiùs ex vi sua significat, quàm ex vi sua non significat præpositio *Ex*. d.98.ſ.2.f.766

Contiguitas.

Contiguitas obstat simplicitati & vnitati. d.38. ſ.2.n.4.f.341

Continuata.

Continuata.

Continuata non sunt multa licet realiter distinguantur. d.77.ſ.7.n.1.f.644

Cor.

Cor & cerebrum spiritus principium. d.65.ſ.4. n.2.f.553

Correlatiuum.

Correlatiuum vnum non comprehenditur sine altero. d.61.ſ.2.n.16.f.518

Creare, Creatio, Creatura.

Creare non potest creatura, nec tanquam instrumentalis causa. d.110.ſ.8.num.11.12.& seqq. fol.901
Creandi verbum mitigatur generandi & æternitatis vocabulis adiunctis. d.96.ſ.5.num.24. fol.757
Creatio tribuitur Patri,perfectio,virtus, renouatio Spiritui sancto. d.110.ſ.11.n.2.f.904
Creatio dicitur ad significandam immutabilitatem Patris & indiuisibilem prioritatem generationis. d.96.ſ.5.n.17.f.757
Creatio rerum præexistentium est translatio ad excellens esse. d.96.ſ.6.n.2.f.758
Creatura quid à seipsa possit. d.110.ſ.2.n.3.f.891
Creatura non est ab intrinseco donum. d.75.ſ.2. n.14.f.627
Creaturæ quomodo in Deo. d.107.ſ.1.n.1.f.836
in omni Creatura est aliqua trinitas. d.44.ſ.4. n.2.f.390
Creaturarum comprehensio potest esse abstractiua, non verò Dei comprehensio. d.61.ſ.3.n.8. fol.519
Creaturarum productio tribus gradibus deficit à perfectione generationis. d.51.ſ.3.n.2.f.444
Creaturarum productio cur indiget tribus personis cum productio Verbi non indigeat nisi Patre. d.111.ſ.8.n.9.f.914
Creaturis rationalibus donatur Spiritus sanctus. d.75.ſ.3.n.10.f.628
Creaturas amant Pater & Filius Spiritu sancto. d.74.ſ.3.n.8.f.620
ad Creaturas loquitur Pater eodem Verbo. d.6. ſ.4.n.17.f.512
ad Creaturas producendas & gubernandas, Verbum est per se requisitum,in quantum est Verbum & imperium siue iussio.d.62.ſ.2.n.8.f.524

D

Datio, Datum.

Datio totaliter est temporalis, ideo eadem persona dat seipsam. d.108.ſ.7.n.10.f.862
Datum esse quomodo conueniat Filio. d.2.ſ.4. n.6.f.15

Delectatio.

Delectatio, pulchritudo, & origo acutè Trinitari accommodantur ab Augustino. d.44.ſ.4.n.3. fol.390

Deus, Deitas, Diuinitas.

Deus est vnicus. d.40.ſ.1.n.10.f.363
Deus in creaturis dupliciter existit. d.109.ſ.1.n.4. fol.870
Deus non est singularis. d.22.ſ.1.n.11.f.194.quo sensu.ſ.5.n.6.f.199
Deus cognoscit quæ significantur nostris propositionibus, sed non eo modo cognoscit quo significantur. d.12.ſ.8.n.6.f.120
an Deus rem vnam vt plura cognoscat. d.12.ſ.8. n.10.f.121
Deus nullam efficit distinctionem intelligendo. d.12.ſ.6.n.11.f.119
Deus non esset fœcundus sine relationibus. d.29. ſ.3.n.3.f.250
Deus fuisset sine sapientia si non esset Verbum. d.29.ſ.3.n.5.f.250
Deus est in Deo,sed non est in eodem Deo.d.107. ſ.8.n.7.f.848
Deus, absque præcisione, quibus vocibus significetur. d.15.ſ.8.n.5.f.147
Deus non genuit aliũ Deum, nec seipsum Deum. d.79.ſ.4.f.656.& 657
Deus est vnicus, quia Deitas & essentia est vnica & singularis. d.22.ſ.6.n.1.f.199
Deus ab æterno & in æternum semper ac necessariò Pater est æterni Filij. d.51.ſ.2.num.9. fol.443
an Deus ratione priùs sit creaturarum pater.d.51. ſ.3.n.11.f.445
Deus est iustorum pater minus propriè quàm homines suorum filiorum. ibid.n.13
Deus essentialiter & quidditatiuè est vita intellectualis, & intellectio seu sapientia in actu secundo. d.8.ſ.5.n.5.f.72
solus Deus est à seipso necessariò & immutabiliter. ibidem.
eius natura complectitur quidquid est esse. ibid.n.8
Deus non est in prædicamento. d.10.ſ.4.num.11. fol.100
Deus & Deitas quid differant. d.80.ſ.3.num.11. fol.664
Deus est absolutè singularis, licet aliquo modo communis. d.79.ſ.2.n.8.f.654
Deus non potest dici numero plurali. d.77.ſ.2. n.3.f.636
Deus totus existens mens, & totus existens logos, quomodo id intelligendum. d.57.ſ.1. n.10.f.484.& ſ.5.n.14.f.490
Deus caput Christi ratione vtriusque generationis. d.50.ſ.4.n.3.f.430
Deus nullo modo duo principia. d.70.ſ.2.n.23. fol.601
Deus solus est,qui deber omnino nulli,donárque mera causa exercendæ liberalitatis & misericordiæ. d.75.ſ.1.n.14.f.625
Deus est individua substantia. d.32.ſ.4.n.2.f.281
Deus est incommunicabilis existentia. ibid.n.5. fol.282
Deo perfectiùs conuenit ratio personæ, quàm creaturis. ibid.n.9
Deus Pater non interposita creatura, sed immediatissimè seipso creat & facit quæcunque fiũt. d.110.ſ.8.f.900
Deus sine Verbo aut sine Spiritu sancto creare non posset. d.29.ſ.4.n.10.f.252
Deus non participat ab alia re. d.11.ſ.5.num.10. fol.108
Deus Christi prædicatione sub ratione Patris & Filij manifestatus est. d.36.ſ.2.n.3.f.320
Deus est suum esse. d.38.ſ.1.n.17.f.340
cur Deus credendum proposuit Trinitatis mysterium adeo superans omnem facultatem intellectus humani. *Lege* sect.5.d.43.f.385
Deus loquitur de Deo sicut de alia persona.d.36. ſ.4.n.25.f.325
Deus de se loquitur in numero plurali. d.36.ſ.4. n.9.f.324
Deus non esset perfectus sine relationibus. d.34. ſ.10.n.4.f.309
Deus,absolutè loquendo, non est triplex,nec triplicitas,nec multiplex,nec multiplicitas. d.38. ſ.4.n.2.f.344

Deus & Deus,& Deus; sed non alius Deus. d.39. ſ.7.n.17 f.356
Idem Deus eſt Filius. & Idem Deus cum Filio & Spiritu ſancto,ſint-ne veræ propoſitiones. d.39.ſ.8. n.6. f.357
totus Deus ingenitus. d.14.ſ.2.n.23.f.132
quidquid eſt Deus,eſt eſſentialiter Deus. d.13.ſ.2. n.4.fol.123
an Deus poſſit appellari *ſolus* aut *ſolitarius*. *Lege* ſect.2.d.40.f.364
ſi Deus eſſet vna tantùm perſona, perſonalitas eſſet eſſentialis illi. d.14.ſ.6.n.8.f.136
Deus vel *hic Deus* pro duabus aut tribus perſonis aliquando ſupponitur. *Lege* ſect.5.d.78.f.650
Deus generat Deum. & Deus non generat Deum,ſint-ne veræ propoſitiones. *Lege* d.79. f.653. 654. & ſeqq.
Hic Deus quomodo ſingularis & communis.d.78. ſ.2.n.16.f.648
Hic Deus priùs ratione intelligitur quàm perſonæ. d.78.ſ.3.n.1.f.648. & cognoſcitur.n.3
poteſt ſupponi pro perſonis. num.4
quandoque nullam perſonam determinat. n.5
Hic Deus, quod ex ſe eſt præcisè, non ſignificat diſtincta, nec relativa. d.78.ſ.2.n.1.f.646
ab adiuncto trahitur vt ſupponatur pro perſonis. ibid.n.3
quidquid ſignificat, naturali ratione demonſtratur. n.4.f.647
Hic Deus,quod ex ſe eſt præcisè ſignificat de materiali ſiue de connotato ſuppoſitum aut perſonam in communi, vel indifferenter & vagè. n.6.f.647
Deus vel *hic Deus* cum addito notionali ſupponitur pro perſonis. d.78.ſ.3.n.7.f.649
Deus pro perſona Patris. ſ.4.n.1.2.3.f.649
Deus Chriſti vocatur Pater. num.4
Deus pro perſona Filij. n.8.f.650
nomen *Deus* aut *Dominus* nullibi reperitur ſupponi peculiariter pro perſona Spiritus ſancti. d.78.ſ.4.n.10.f.650
Deus eſt Trinus, an vera propoſitio. d.36.ſ.8.n.13 & 17. f.332
Deus in concreto non ſignificat vnam ſingularem ſubſiſtentiam. d.34.ſ.10.n.15.f.310
Hic Deus eſt hic Deus, ſit-ne propoſitio vera. *Lege* ſect.6.d.78.f.651.& 652
Dei ſumma ſimplicitas. d.8.ſ.7.n.13.f.77
Dei nomen appropriatur multoties perſonæ Patris. d.82.ſ.5.n.3.f.679
Dei forma ſignificat diuinam ſubſtantiam, eſſentiam, ſiue naturam. d.54.ſ.6.n.2.f.471
Dei eſſentia non conſiſtit in eo quod ſit ingenitus. d.52.ſ.6.n.2.f.452
libera Dei actio *ad intra* an per ſe prædicetur. d.14.ſ.8.n.11.f.139
maior eſt Dei ſimplicitas ſi Deitas eſſentialiter includitur in relatione. d.13.ſ.2.n.13.f.124
ad integritatem Dei pertinere relationes qui Patres dixerunt. d.30.ſ.7.n.2.& ſeqq. f.265
ex Dei ſimplicitate colligitur à Patribus identitas naturæ cum proprietate perſonali.d.11,ſ.5. n.15.f.109
Deo non conueniunt plures exiſtentiæ, ſed vnica tantùm, & vnicum eſſe; quamuis habeat tres modos exiſtendi, hoc eſt tres proprietates relatiuas. d.25.ſ.3.n.2.f.218
Deo conuenit propriè res ſignificata,non modus ſignificandi. d.9. ſ.2. n.1. f.85. & d.10.ſ.4.n.9. fol.99
Deo propriè conuenit prædicamentum relationis & ſubſtantiæ. d.10.ſ.4.n.1. f.99. quo ſenſu. n.13.f.100
Deo tribuendum non eſt vocabulum *triplus*.d.38. ſ.4.n.19.f.346
Deum eſſe ſubſtantiam qui negare videntur.d.10. ſ.4.n.6.fol.99
Deum non eſſe vnicum & ſingularem quo ſenſu dixit Hilarius. d.22.ſ.5.n.6.f.199
Deum à ſeipſo fuiſſe procreatum, error eſt, qui impoſitus fuit Lactantio. d.53.ſ.6.n.1.f.464
Deum vel Patrem de facto nunc imperfectum & indigentem eſſe, colligere ex eo quod foret imperfectus ſi non haberet Filium; eſt mala conſequentia. *Lege* ſect.5.d.29.f.253
Deum cognoſcendi modus triplex ex creaturis. d.41.ſ.4.n.6.f.376. *Lege* etiam ſect.5. eiuſdem diſput.f.377
Deum naturaliter cognoſcit Angelus in ordine ad res creatas. d.41.ſ.5.n.11.f.377
in Deo omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relativa. d.17.ſ.2.n.16.f.155. & d.68.ſ.4. n.3.f.584
in Deo nec vniuerſalitas nec indiuiduatio eſt omnimoda. d.22.ſ.5.n.8.f.199
in Deo habens & quod habetur, idem. d.11.ſ.5. n.9.fol.108
in Deo realis eſt ac poſitiua potentia non tantum reſpectu perſonæ productæ,ſed etiam reſpectu notionalis actus. d.99.ſ.2.n.2.f.777
in Deo ſunt propriè atque ſimpliciter relationes. *Lege* ſ.2.d.9.f.85
in Deo realis eſt ac poſitiua potentia generandi Filium & Spirandi Spiritum ſanctum. d. 99. ſ.2.n.1.f.775
in Deo non eſt ponenda diſtinctio niſi in prædicatis,in quibus repugnat identitas.d.1.ſ.4.n.5. fol.6
in Deo qualitas non eſt accidentalis. ibid.n.7
in Deo ſola relatio originis. d.1.ſ.4.n.15.f.7
in Deo non ſunt tres æternitates nec tres immenſitates. d.27.ſ.1.n.5.f.229
in Deo poſſibilis eſt vnica tantùm proceſſio per intellectum, & vnica tantùm per amorem. d.102.ſ.2.n.2.3.f.804
in Deo tria ſingularia quo ſenſu hæretica. d.35. ſ.2.n.5.f.314
in Deo non eſt paſſio. d.83.ſ.4.n.8.f.686
in Deo vnicum tantùm intelligere, & vnica notitia. d.59.ſ.1.n.7.f.500
in Deo non eſt propriè radicale intelligere. d.8. ſ.10.n.2.f.82
in Deo nec totum numerale nec partes numerales. d.38.ſ.3.n.13.f.344
in Deo modi amoris infiniti tres & non plures. d.33.ſ.2.n.12.f.295
in Deo nulli defectus. d.54.ſ.8.n.3.f.474
in Deo ſunt notiones ſeu proprietates in abſtracto ſignificatæ. *Lege* ſect.2.d.46.f.399
cur non duo Dij? d.22.ſ.7.n.1.f.201
Dij plures eſſent poſſibiles, ſi poſſent produci plures quàm duæ perſonæ. diſput.102.ſ.1.n.6. fol.803.
Deitas eſt ſumma ſubſtantia. d.8.ſ.5.n.33.f.74
Deitas & ſubſtantia quandoque ſumitur pro tota re diuina. d.14.ſ.4.n.9.f.134
Deitas non eſt propriè ſpecies, nec vniuerſalis. d.35.ſ.6.n.3.f.316
Deitas eſſet relativa ſi clauderet relationes. d.4. ſ.3.n.8.f.133
Deitas & relatio diſtinguuntur ratione ratiocinata, d.12.ſ.2.n.5.f.114

Deitas

Deitas eſt Trinitas, qualis propoſitio. d.14.ſ.8.n.3. fol.138
Deitas eſt Paternitas, ſit-ne prædicatio per ſe. *Lege* ſect.7.f.136.& 137
Deitatis nomen collectiuum eſt quodammodo. d.14.ſ.5.n.10.f.135
de quidditate Deitatis non ſunt relationes. d.14. ſ.2.n.5.f.130
Deitatis & naturæ multiplex acceptio. d.14. ſ.2. n.6.f.130
Deitatis author & principium Pater. d. 80. ſ. 2. n.12.f.662
Deitatis imago quomodo in homine. d.44. ſ.7. n.2.f.393
plus Deitatis eſſet in tribus perſonis quàm in vna, niſi realiter vna & ſingularis Deitas eſſet. d.22.ſ.4.n.5.f.598
Deitatis completa diſtributio. d.15.ſ.5.n.9.f.144
Deitatis ſubſtantia tota communicatur. d.14.ſ.2. n.20.f.132
Diuinitas ſingularis, indiuidua & vna numero. d.22.ſ.2.n.3.f.195
Diuinitas ipſa & abſoluta ſubſtantia foret imperfecta ſi defuiſſent relationes. *Lege* ſect.4. d.29. f.251.& 252
Diuinitas eſſentialiter includit exiſtentiam vnicam, abſolutam & communem tribus perſonis. d.25.ſ.1.n.3.f.216
Diuinitas à relationibus præciſa præſcinditur à perfectione in genere entis. d.30.ſ.4.num.11. fol.260
Diuinitas tranſcendit vltimam differentiam cuiuſcunque perſonalitatis, ſed non eodem modo quo tranſcendit ens. d.7.ſ.4.n.9.f.60
Diuinitatis plenitudo eſt Verbum. d.8. ſ.5.n.29. fol.74
Diuinitatis principium & fons eſt Pater. d. 48. ſ.5. n. 5. f.419. dupliciter id intelligitur. *Lege* ſect.6.ibidem, & f.418
Diuinitatem Filij probant opera illius. *Lege* ſ.5. d.54.f.469
Diuinum dicere. *Vide* dicere.

Defectus.

Defectus in Deo non ſunt,ex quibus prouenit inæqualitas inter filios & parentes. d.54.ſ.8.n.3. fol.474

Definitio.

Definitio Dei propriè non eſt. d.24.ſ.4.n.5.f.214
tres Definitiones an admittendæ in Deo. *Lege* ſect.5.d.24.f.213.& 214

Dependentia.

Dependentia non valde impropria. d.9. ſ.2. n.3. fol.97
Dependentiæ imperfectiones. ibid.n.7
Dependentia licet ſit mutua continet imperfectionem & indigentiam alieni auxilij. d. 10. ſ.3.n.6.f.99
Dependentia non ſine diuerſitate eſſentiæ. d.10. ſ.2.n.10.f.98.
Dependentia propriè inter effectum & cauſam. ibid. num.11

Determinatio.

Determinatio repugnat libertati. d.92. ſ.2. n.19. fol.730

Dicere, Dici, Dictio.

Dicere Dei eſt intelligere. d.2.ſ.2.n.7.f.12
Dicere diuinum,vel loqui diuinum,quomodo accipiatur in ſcriptura. d.57. ſ.1. n.12. f.484. & ſ.5.n.15.f.490
Dicere eſſentialiter acceptum eſt idem quod intelligere. d.59.ſ.4.n.4.f.506
Dicere eſſentialiter eſt commune tribus perſonis. ibid.n.8
Dicere notionaliter acceptum claudit intellectionem. ibid.n.10
Dicere duplex eſt,aliud eſſentiale, aliud notionale. d.60.ſ.1.n.1.& ſeqq.f.507
Dicere eſſentiale eſt commune tribus perſonis. n.5.f.508
Dicere propriè ſumptum,eſt producere Verbum. ibid.n.8
Dicere & Verbum ſibi correſpondent. ibid.n.14
Dicere realiter identificatur cum Patre non cum Filio. d.60.ſ.1.n.20.f.509
Dicere nó ſignificat communicationem ſubſtantialium. d.60.ſ.2.n.13.f.510
Dicere impropriè ſumptum eſt eſſentiale. d.60. ſ.3.n.2.f.510
non correſpondet illi verbum niſi impropriè dictum. ibid.n.3
Dicere eſſentiale, ſeu loqui,habet plurima creata verba ſibi correſpondentia, ſed non eſſentialia Deo. d.60.ſ.3.n.6.f.511
inter Dicere & ſpirare ac generare proportio. d.74.ſ.3.n.3.f.619
inter Dicere & amare diſcrimen. n.4.f.620
an Dicatur Verbum, vel potius obiectum intellectum. d.60.ſ.2.n.1.f.509
Dici propriè eſt produci per intellectionem.d.60. ſ.7.n.1.f.514
Dici largè idem quod intelligi Verbo.ibid.n.2
Dictiones excluſiuæ & exceptiuæ quid propriè ſignificent in diuinis. *Lege* d.40. fol.363.364. & ſeqq.
Dictiones reduplicatiuæ non ſolum à Philoſophis ſed etiam à Theologis vſurpantur interdum ſummo rigore. d.14.ſ.8.n.2.f.138
poſſunt adhiberi propoſitionibus per ſe. ibid. num.1

Dies.

Diem iudicij an à ſeipſo ſciat Filius. *Lege* ſect.12. d.50.f.439

Differentia.

Differentia & differre poteſt concedi in diuinis. d.39.ſ.10.n.1.
Differentia multoties pro diſtinctione perſonali. ibid.n.2

Digitus.

Digitus Dei. *Lege* ſ.1.d.76.f.630.& 631
Digitorum, manus & brachij metaphora denotat, ſine Filio & Spiritu ſancto non eſſe poſſibilem creaturarum productionem. d.111. ſ.7. fol.913

Diligere, Dilectio.

Diligere notionaliter eſt ſpirare amorem productum. d.73.ſ.2.n.4.f.615
Diligere Spiritu ſancto notionaliter accipitur. d.74.ſ.2.n.5.f.618
Dilectio ſumma requirit æqualitatem. d.103.ſ.2. n.7.f.808.
Dilectio ſemper aut ferè ſemper eſſentialis in ſacris litteris. d.73.ſ.1.n.1.f.614
Dilectio aliquando perſonalis. ibid.n.2.f.614
Dilectionis excellentia nomine Vnigeniti explicatur. d.4.ſ.2.n.16.f.26
Dilectionis mandatum cur nouum à S. Matthæo dictum. d.21.ſ.3.n.14.f.191

Diſcernere, Diſcretio.

Diſcernere intima cordis, appropriatur Filio. d.82.ſ.5.n.4.f.679
Diſcretio & diſcretum inter diuinas perſonas an admitti poſſint. *Lege* ſect.12.d.39.f.361

Diſtinctio.

Distinctio.
Distinctio personarum est realis etiam de fide. d.19.s.6.n.1.f.174.& 175.quo sensu.n.15.f.176
Distinctio personalis est realis. n.8.f.175
Distinctio realis requiritur ad realem formalitatem. d.19.s.6.n.13.f.175
Dictinctio personarum per solam originem.d.15. s.2.n.6.f.142
Distinctio tota in personis, nulla in substantia. d.14.s.3.n.2.f.132
non omnis Distinctio est perfectio. d.19.s.7.n.13. fol.177
Distinctio personarum est infinita. ibid.n.14
Distinctio realis personarum est minima. d. 19. s.7.n.4.fol.176
minima est & extensiuè & intensiuè. ibid.n.10
Distinctio relationum diuinarum non est propriè specifica, sed quasi specifica. d.17.s.4.n.7.8. & 9. f.158
Distinctio cum inclusione sufficit ad constitutionem. d.86.s.1.n.8.f.698
Distinctio notionis à persona, siue Paternitatis à Patre, maior est quàm distinctio Deitatis à Deo. d.46.s.4.n.14.f.404
Distinctio notionis à persona minor est quàm distinctio notionis à Deitate. ibid.n.15
Distinctio ad notionem requisita, quæ sit. d.47. s.4.n.12.f.411
Distinctio rationis sufficit ad prædicata contradictoria. d.15.s.7.n.8.f.146
Distinctio rationis an ab Angelo possit effici. d.12.s.8.n.5.f.120
Distinctio rationis ab æterno. d.12.s.6.n.8.f.219
non potest eam Deus efficere intelligendo. ibid.n.11
qui eam efficit, potest componere. ibid.n.13
Distinctio rationis minor est inter Spirationem actiuam, & Paternitatem siue Filiationem, quàm distinctio Deitatis à Paternitate siue Filiatione vel Spiratione actiua. d.17.s.5.n.5. fol.159
comparatur eadem Distinctio cum distinctione Paternitatis à Filiatione. ibid.n.6
Distinctio rationis in creaturis maior quàm in Deo. d.12.s.4.n.3.f.117
Distinctio Deitatis à relatione maior est quàm distinctio voluntatis ab intellectu diuino vel cuiuslibet attributi ab altero.d.12.s.4.n.4.f.117
Distinctio relationis à persona minor est quàm distinctio relationis à Deitate. d.12. s.4.n.6. fol.117
Distinctio rationis ratiocinatæ satis est, vt notio dicatur esse in persona. d.46.s.4.n.10.f.403
Distinctio rationis tribuitur attributis diuinis. d.8.s.7.n.9.f.77.& sect.19.per totam.f.80.& 81
Distinctio rationis sufficit ad contradictoria prædicata. d.2.s.2.n.3.f.11
Distinctio fundamentalis qualis. d.12.s.2.num.3. fol.114
Distinctio modalis sufficit compositioni. d. 11. s.5.n.8.f.108
Distinctio ratiocinata multipliciter significatur. d.12.s.3.n.1.& seqq.f.115
Distinctio formalis & quidditatiua generationis actiuæ à spiratione actiua, & generationis passiuæ à spiratione passiua vnde proueniat. d.6. s.5.n.9.f.47
Distinctionis nomen Theologis omnibus probatur ad comparandas inuicem diuinas personas differentia verò & diuersitas, vt suspecta vitatur à multis. *Lege* sect.9.d.39.f.357
Distinctionem supponunt reduplicatiuæ dictiones. d.12.s.3.n.17.f.116
Distinctio per intellectum facienda inter Deitatem & relationes, inuenit in re fundamentum maius quàm quælibet alia distinctio rationis facienda in creaturis vel etiam in Deo. d. 12. s.4.n.1.f.116
ad Distinctionem rationis ratiocinatam tria requiruntur. d.12.s.2.f.113
Distinctionem intelligere, & distinguere actualiter, non idem. d.12.s.8.n.12.f.121
Distinctionem realem varia nomina significantia. d.19.s.6.n.4.f.175
Distinctionem æqualem inter essentiam & intellectionem & cætera attributa docent Magister & antiqui Scholastici. d.8.s.9.n.14.f.82
in Distinctione rationis ratiocinatæ magnum est momentum. d.86.s.4.n.8.f.702
Distinctum substantiuè non admittendum in diuinis. d.39.s.9.n.6.f.357
Distributio.
Distributionis plenæ defectus. d.15.s.5.n.7.f.144
Distributionis discrimen in rebus creatis. ibid. num.8
Distributio Deitatis completa quæ sit. ibid.n.9
Diuersitas.
Diuersitas & differentia in diuinis an admittantur à Theologis.*Lege* sect.9.d.39.f.357.& s.11. fol.368
Diuisio.
Diuisio personarum diuinarum an concedenda. *Lege* sect.12.d.39.f.361
Docere, Doctrina.
Docere præsupponit intellectionem, & quomodo in Euangelio accipiatur. d.2.s.4.n.7. & 11. fol.16
Doctrinam Patri quo pacto Filius attribuat. *Lege* sect.10.d.50.f.438
Dominus.
Dominus pro duabus personis diùisiuè. d.78.s.5. n.4.f.650
Donatio, Donator, Donum.
Donatio est rei licitæ, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio. d.75.s.1.n.12.f.625
Donatoris nomen significat Spirationẽ actiuam. d.17.s.3.n.7.fol.156
Donatoris & doni voces accommodantur processioni Spiritus sancti. d.7.s.1.n.17.f.57
Donum impropriissimè conuenit Patri. d.75.s.2. n.6.f.626
Donum realiter distinguitur à donatore Patre & Filio. d.75.s.3.n.2.f.627
Donum verè & propriè Spiritus sanctus. d.75. s.1.n.3.fol.623
Donum quid sit. n.12.f.625
an Donum conueniat Filio. s.2.n.1.f.625
Donum est ab æterno Spiritus sanctus. d.75.s.2. n.11.f.626
an Donum sit subiectum donatori & accipienti. d.75.s.2.n.9.f.626
Doni relatio. d.18.s.4.n.7.f.166
Doni respectus ad creaturas est secundarius.d.75. s.3.n.16.f.629
in Dono quatuor proprietatis aut improprietatis gradus. d.75.s.2.n.8.f.626
Dona naturalia, quæ tribuuntur à Deo, non habent perfectissimam rationem doni. d.75.s.1. n.14.f.625
Dona creata,appropriata Filio vel Spiritui sancto non tantum mittuntur, sed etiam ipsa persona Filij vel Spiritus sancti. d.108.s.1.n.13.f.851

per

per Dona merè naturalia, nulla persona diuina mittitur.d.109.s.2.n.4.f.873
Durandus.
Durandi sententia de processionibus diuinis.d.2. s.1.n.5. & seqq.f.11. examinatur & impugnatur tanquam temeraria, periculosa, imò & erronea.s.3.f.14.& 15
Duratio.
Duratio & vbicatio sunt prædicata non perfectè transcendentia.d.27.s.2.n.4.f.230
Duratio est ipsa fixio existentiæ.n.7.f.231
Duratio discrepat ab existentia.ibid.n.12

E

Ecclesia.
in Ecclesiæ definitionibus infallibilitatis modus.d.80.s.4.n.8.f.665
Elohim.
Elohim nomine pluralitas personarum significatur. d.77.s.5.n.1.f.640
Elohim singularis numeri quando sit.d.77.sect.5. n.3.f.640
Eloha singularis numeri proprium.ibid.n.4
Elohim singularis & pluralis est numeri.ibid.n.5.
in Elohim nomine Dei consilium. ibid.n.6
Elohim multoties concordat cum verbo & adiectiuo singularis numeri.n.8.f.641. alibi cum verbis & adiectiuis pluralis numeri.n.9
creauit Elohim, non est figurata nec impropria locutio.d.77.s.5.n.17.f.641
creauit Elohim, non est efficax testimonium ad probandam Trinitatem.n.18.f.642
Eloquium.
Eloquium non est dicendum Verbum diuinum. d.55.s.6.n.6.f.480
Emanare.
modus Emanandi per modum naturæ & per modum voluntatis.d.3.s.1.n.6.f.17
Emittere. Emitti.
Emittere & emitti an conueniat Spiritui sancto. d.7.s.1.n.14.f.57
Ens rationis.
Ens rationis quare in solo prædicamento relationis.d.9.s.7.n.4.f.94
Ens rationis est ratio formalis proprietatis.d.27. s.5.n.19.f.413
Entitas.
Entitatem totam an Pater communicet Filio. *Lege* s.4.d.26.f.227.& 228
Errores.
Errores contra circuminsessionem.d.107.s.1.f.836
Errores de materiali causa in diuinis. d. 97. s.1. n.5.f.760
Errores aduersus æqualitatem operationis trium personarum.d.110.s.1.f.889
Errores inter se pugnantes de æqualitate & similitudine diuinarum personarũ.d.103.s.1.f.807
Errores extremi de cognitione diuinarum personarum. *Lege* s.1.d.41.f.372
Errores multorum contra Spiritum sanctum. *Lege* s.1.& 2.d.66.f.554.555.556 &.557
Errores Raymundi Lullij, Arianorum, & Abaylardi contra potentiam generandi & spirandi. d.101.s.1.f.79
Essentia. Essentialia. Essentiator. Essentiatus.
Essentia dicitur ab esse.d.25.s.3.n.12.f.219
Essentia generalior quàm substantia vel natura. d.20.s.5.n.1.f.182
Essentia diuina nõ generat subiectiuè neque formaliter. d.97.s.3.n.14.& s.4.n.1.f.764
Ruiz de Trinitate.
Essentia, vel natura diuina non dicitur propriè seipsam actiuè communicare,sed propriè passiuè communicari.d.80.s.6.n.14.f.668
Essentia, substantia, & natura Dei significant idem.d.20.s.5.n.8.f.182. ratio huius significationis. num.10
Essentia & substantia non erat in vsu antiquioribus Latinis.d.20.s.5.n.9.f.182
Essentia non generatur prout est in Filio. d.80. s.5.n.7.f.666
Essentia non esset communis, si relationes includeret.d.14.s.3.n.9.f.133
Essentia, & natura radix est proprietatum. d.24. s.3.n.8.f.212
Essentia & natura non solet referri ad modum rei,sed ad rem.d.24.s.3.n.9.f.212
Essentia & natura supponitur pro persona, licet eam non significet.d.24.s.4.n.3.f.212
Essentia diuina & relatio non possunt de se inuicem negari. d.11.s.7.n.3.f.112
Essentia diuina quidditatiuè includitur in relationibus.d.13.s.1.n.2.f.121. non tamen explicitè.n.6.f.122
Essentia cómunis est personis.d.13.s.2.n.5. f.123
Essentia diuina subsistit per relationes. d.34. s.8. n.18.f.307
Essentia diuina non est propriè simplicitérque fundamentum relationum diuinarum.d.91.s.3. n.9.f.721
Essentia absoluta non existit formaliter per relatiuas existentias.d.25.s.5.n.2.f.221
Essentia est quidditas abstracta à singularitatibus & suppositalitatibus.d.24.s.3.n.1.f.211
Essentia & relatio diuersæ definitionis sunt.d.12. s.2.n.6.f.114
Essentia diuina & relationes non distinguuntur ex natura rei nec ante opus intellectus. d.11. s.3.n.1.f.104.& 105
Essentia diuina est terminus formalis productionis.d.98.s.7.f.772
Essentia diuina neque per accidens generat, nec generat prout est in Patre.d.80.s.5.n.9.f.666
Essentia communicatur à Patre & Filio, sed ipsa non se communicat.d.80.s.6.f.667
Essentia prior relationibus.d.59.s.2.n.12.f.503
Essentia quomodo fundamentum relationum. d.91.s.3.n.15.f.722
Essentia de essentia Filius. d. 24. sect.1. num.19. fol.209
an Essentia diuina sit imago. *Lege* s.5.d.64.f.542. & 543
eadem Essentia est sua cognitio & volitio. d.15. s.2.n.10.f.141
Essentia diuina est Paternitas, sitne propositio per se. *Lege* s.7.f.136.& 137
Essentia generat, Essentia generatur, sint ne veræ propositiones.*Lege* d.80.f.659.& 660
Essentiæ quomodo conueniat esse ingenitam. d.52.s.6.n.4.f.452
Essentiæ diuinæ non esset summa vnitas, nisi numerica & indiuidualis.d.22.s.4.n.1.f.197. eius infinitudo id probat.n.4.f.198
Essentiæ visio sine personis. d.14.sect.6.num.11. fol.136
Essentiæ diuinæ, naturæ, substantiæ, & Deitatis acceptio varia. d.14. sect.2. num.6.& 7. f.130. & 131
Essentiæ à relationibus distinctio poneret in Deo quaternitatem.d.11.s.4.n.11.f.106
Essentiæ & attributorum cognitio per se requiritur.d.61.s.1.n.4.f.515

Essentiæ operationes an distinguantur. d. 80. s.7. n.16.fol.670
Essentiæ vnitas est ratio circuminsessionis personarum.d.107.s.5.n.1.f.843
Essentiæ diuinæ vnitatem esse realem & numericam atque indiuiduam. *Lege* s.2.d.2.f.195
an Essentiæ diuinæ,vt speciei intelligibili,assimiletur Verbum. d.6.n.17.f.55
Essentiam diuinam esse vnam specie tantùm, videntur asserere Patres.d.22.s.5.n.2.f.193
non esse indiuiduam dicunt aliqui. num. 16. fol.194
Essentiam in Paternitate contineri, euidentius ostenditur.d.13.s.2.n.8.f.124
Essentiam vel naturam pro quidditate personæ propria nonnunquam Patres accipiunt. d.24. s.1.n.8.f.208
Essentiam, imò & relationem vnius personæ esse in alia, qui Patres docent. d.107.s.3. num.2. fol.839
tres Essentias relatiuas, seu naturas relatiuas non expedit concedere.d.24.s.3.n.10.f.212
Essentialia quomodo priora notionalibus. d.94. s.3.n.1.f.748.d.105.s.2.n.1.fol.826
voces illæ *Essentiator* & *Essentiatus* exponuntur d.1.s.2.n.2.f.4

Eteruſion.

Eteruſion quid ſit. *Lege* s.5.d.2.f.192

Exemplar.

ab Exemplari procedere debet imago. d.61.s.4. n.3.f.519

Exigentia.

Exigentia ſine dependentia an aliquando reperiatur.d.10.s.2.n.13.f.98
Exigentia relationum diuinarum mutua. d. 10. s.2.n.1. & seqq.f.97
Exigentiæ genus multiplex.d.94.s.2.n.9.f.746

Existere. Existentia.

Existere est de quidditate Deitatis. d.25.s.2. n.5. fol.217
Existere nouo modo quid sit.d.108.s.5.n.7.f.858
Existentia est actualitas rei. d.25.s.5.n.9.f.222
Existentia vnica,absoluta & essentialis Deo conuenit.d.25.s.1.n.3.f.216
Existentia significatur verbo *est*. ibid.n.4
Existentia communis nomine *qui est* denotatur. ibid.n.5
Existentiam includunt, peculiari ratione, quædam attributa.d.25.s.1.n.10.f.216
Existentia adæquatur essentiæ.d.25.s.4.n.9.f.221
Existentia relatiua est de quidditate relationis diuinæ.d.25.s.5.n.21.f.223
Existentia absoluta num existat per existentias absolutas.d.25.s.6.n.2.f.223
Existentia Deitatis quomodo sola sufficiat. d.25. s.6.n.6.f.224
Existentia distinguitur ab essentia. d.25.s.2.nu.8. f.218. etiam in Deo. ibid.n.10
Existentia relatiua creatis relationibus conuenit. d.25.s.5.n.20.f.223
Existentia est de essentia immensitatis. d.25.s.1. n.12.f.217
Existentiæ relatiuæ tres.14.s.6.n.9.f.136
Existentiæ congruentior acceptio. d.25.s.3.n.13. fol.219
Existentiæ inusitata acceptio.d.32.3.n.5.f.281
Existentiæ pro quidditate acceptio. d.25. s.4.n.3. fol.220
Existentiæ acceptio denotãs processionẽ.ibid.n.4
tres Existentiæ relatiuæ in Deo,sine vlla nota vel reprehẽsione cõcedi posſüt.*Lege* s.5.d.25.f.221

Extrema.

Extremorum identitas cum vno tertio non est possibilis in rebus finitis sine identitate inter se.d.15.s.3.n.13.f.142
Extremorum inter se talis est idẽtitas qualis cum vno tertio.d.15.s.2.n.4.f.141

Eua.

Euæ productio, cum fuerit de substantia Adami & in similitudinem naturæ, cur non fuerit generatio.d.6.s.6.n.11.f.49

Eunomius.

Eunomij error contra Verbum Dei. d.55.s.2. n.13.f.476

F

Facies.

FAcies Dei vocatur Spiritus sanctus à Cyrillo.d.76.s.2.n.2.f.632
Facies pro persona vel hypostasi.d.64.sect.8.n.11. f.547
Facies pro imagine Patris.ibid.n.2
Faciei metaphora Filio congruit aptius quàm Spiritui sancto.d.64.s.6.n.17.f.545

Fides.

an Fides possit cum naturali ratione pugnare. n.3.f.1
Fidei subiiciendus intellectus in argumentis mysterij Trinitatis.d.15.s.1.n.3.f.139
Fidem magis explicabant concilia, necessitate exigente.d.67.s.5.n.9.f.574
in Fidei contumeliam quando cedat, rationes ad probandum Trinitatis mysterium adducere. *Lege* s.3.d.43.f.382

Figura. Figurari.

Figuræ nomen Verbo diuino tribuitur. d.64. s.8. n.19.f.548
Figurari pro distingui.d.86.s.2.n.11.f.699

Filius. Filiatio.

Filius vnicus,& vnicus Spiritus.d.102.s.1.num.1. fol.802
Filius non est solus.d.19.s.4.n.4.f.171
Filius in Patre.d.107.s.2.n.2.f.837
Filius qua ratione ingenitus.d.52.s.2.n.9.f.448
Filius an Verbum de Verbo. d.57. s.1. n.9.f.484. & s.5.n.11.f.490
Filius sapientia de sapientia, essentia de essentia. d.24.s.1.n.19.f.209
Filius quomodo missus à tota Trinitate, etiã Spiritu sancto.d.108.s.10.n.17.f.868
Filius quo sensu non erat antequam genitus est. d.104.s.5.n.1.f.824.
Filius semper gignitur. ibid.n.4
Filius quomodo præfuit in Patre.n.6.f.825
Filius non eodem modo & ordine habet totam entitatem Patris.d.26.s.4.n.14.f.228
Filius est totus de toto, plenus à pleno. d.14. s.2. n.21.f.132
Filius naturæ quo sensu.d.2.s.4.n.20.f.16
Filius ingenitus secundum aliquos Patres. d.52. s.7.n.1.f.454
Filium ingenitum vocare non licet sine declaratione.d.52.s.7.n.3.f.454
Filius, vt homo, missus à Spiritu sancto. d. 108. s.10.n.1.f.866
Filius alter à Patre, non alterum. d.39.s.4. n.14. fol.351
Filius non est alius Deus à Patre, sed potius est vnus & idem Deus.d.39.s.8.n.2.f.355
Filius quo sensu Paracletus.d.39.s.7.n.12.f.356
Filius Dei conuenienter appellatur ratio Patris. d.55.s.6.n.4.f.480

Filius totus à toto, plenus à pleno. d.8.s.5. n.32. fol.74
Filius est voluntas, & virtus, & potentia Patris. d.8.s.6.n.8.f.75
Filius per filiationem à Spiritu sancto distinguitur radicaliter seu virtualiter & implicitè; verùm explicitè formaliter & actualiter non distinguitur ab illo nisi per spirationem actiuam. d.62.s.8.n.13.f.591
Filius est lumen de lumine. d.27.s.6.n.3.f.237
Filius absolutè vocatur Deus & Dominus. d. 54. s.4. num.1.f.468
Filius à Patre per generationem accipit non solum vt actu sit Deus sed etiam vt actu sit Filius, Verbum, & imago. d.25.s.5.n.19.f.223
Filius à seipso non habet scientiam.d.93. s.3.n.3. fol.751
Filius quomodo speculum.d.64.s.8.n.11.13.f.548. quomodo character.ibid.n.12
quomodo sigillum, signaculum,candor,splendor,lumen, figura substantiæ, forma. num.14. & seqq.
quia Filius est Verbum, congruens fuit vt esset interpres voluntatis paternæ, assumendo humanitatem.d.55.s.3.n.11.f.477
Filius Dei omnia portat Verbo virtutis suæ.d.57. s.4.n.13.f.488.& 489.n.16
Filius non est maior Spiritu sancto. d.50.s.3.n.9. fol.429
Filius obedientiam, voluntatem, sermonem, doctrinam, quomodo attribuat Patri. *Lege* s.10. d.50.f.438
Filius est author Spiritus sancti.d.49.s.1. num.8. fol.421
Filius propter Patrem spirat. d.69.s.3.n.1.f.593
Filius est virtus Dei.d.58.s.5. n.12.f.497
Filius est voluntas Patris. ibid.n.14
Filius est iustitia Dei.ibid.n.15
Filius quo sensu dicatur essentia Patris. num.16. fol.498
Filius, in quantum imago, respicit Patrem, tanquam proprium terminum, & exemplar eiusdem imaginis: Essentiam verò respicit relatione tantum rationis. d.64.s.3.n.15.f.539
Filius est principium licet sit à principio. d.48. s.4.n.2.f.417
Filium à Patre & Spiritu sancto Nazianzenus distinguit nomine principij.d.48.s.4.n.5.f.418
Filius est principium de principio.ibid.n.9
Filius insufflans dedit Spiritum.d.67.s.3.num.16. f.571
Filius mittitur.d.108.s.1.n.2.f.850. & n.13.851
Filius an sit fons diuinitatis.d.48. s.6. n.10.f.420
Filij & Spiritus sancti Pater est author. d.49.s.1. n.1.f.421
Filius est donum laxioti acceptione. d.75.s.2.n.3. fol.625
Filius est fons de fonte, à quo profluit Spiritus sanctus. d.49.s.1.n.14.f.422
Filius & Spiritus sanctus quomodo ex ore procedant. d.2. s.4.n.7.f.15
Filius ideo Verbum quia procedit ex mẽte. d.58. s.1.n.10.f.491
Filius quo sensu autorheos. d.50.s.5.n.13.f.432
Filius cuiusque animalis quomodo procedit ab eo tanquam ab exemplari. d.64.s.2.n.13.f.538
Filius scit diem iudicij non à seipso, sed à Patre, tanquam à principio. d.50.s.12.f.439
Filius & Spiritus sanctus non sunt principiati. d.48. s.3.n.25.f.417
Filius quomodo mittitur à Spiritu sancto. d.67. sect.3.n.6.7.& 10.f.570
Filius per se agit licet non à se. d.110. s.2. nu.17. f.892
Filius eadem, quæ Pater, similiter operatur, vt Dominus agendi quæ vult.d.110.s.5.f.895
Filius à Patre procedit, & ab illo habet essentiam & omnes perfectiones. disp.1.s.1.n.5.f.3
Filius & spiritus quomodo distinguantur. d. 84. s.1.n.3.f.687
Filius nõ est ex nihilo productus, sed ex substantia Patris, siue de substantia Patris. d. 99. s.2. f.752
Filius quomodo habet Patrem in se. d.30.sect.5. n.17.fol.263
Filius quo sensu dicatur voluntas de voluntate. d.93.s.5.n.11.f.744
Filius non est sanctus sanctitate spirata, propriè loquendo.d.74.s.5.n.6.f.623
Filius quo sensu creatus & factus. d.96. s.6.f.758 & s.7.f.759
Filius non gratia productus. d.92. s.2. num.14. fol.729
Filius & Spiritus sanctus quantum ad inuisibilem missionẽ,sunt inseparabiles.d.109.s.2.n.3.f.872
Filius non vt instrumentum,nec vt minister, aut seruus operatur.*Lege* s.6.& 7.d.110.f.897.898. 899.& 900
Filius an opificium & fabricatio iuxta Eusebium. d.96.s.7.n.9.f.760
Filius quo sensu Patri subiectus.d.50. s.8.num.4. fol.434
Filius est Patris, non essentiæ.d.6.s.9.n.19.f.55
Filius & Spiritus sanctus mittuntur tantùm, atque illorum alter aliquando sine altero. *Lege* sect.8.d.108.f.862.& 863
eo Filius quo Verbum.d.8.s.4.n.7.f.70
Filius Dei vocatur à Patribus sermo, ratio, cogitatio.d.2.s.2.n.34.f.14
Filius non minus quàm Pater est fons essendi quibuslibet creaturis, & quomodo habeat essentiam à seipso.d.1.s.2.n.6.f.4
Filius non precario Deus. ibid.n.7
an Filius habeat principium.d.48.s.3. n.11.12. & seqq. f.416
an Filius debeat Patri. d.59.f.5.s.7. num.5.6.& 7. f.434
an Filius, quia non potest à semetipso quidquam facere, pendeat à Patre. d. 10. sect.3. num.2. fol.98
an Filius operetur per Patrẽ,aut Spiritus sanctus per Filium.d.112.s.4.f.920
ex eo quod Filius sit Verbũ, Patres communiter inferunt procedere ex mente Patris.d.2.sect.2. n.8.f.12
num Filius Dei appellandus sit potius sermo, quàm Verbum. *Lege* s.5.d.55.f.479
quando Filius dicitur habere omnia quæ Pater, excipiuntur proprietates. d.30. sect.5. num.2. fol.261
si Filius in tempore natus esset, & non extitisset ab æterno, creuisset diuina potentia & perfectio.d.29.s.3.n.17.f.251
Filij processio quomodo sit intellectio. d.2. s.2. n.1.f.11
Filij diuinitatem & æqualitatem cum Patre, negantium commemorantur errores. *Lege* s.1. d.54.f.469
Filij diuinitas probatur ex locis Scripturæ, multipliciter exponentibus intimam & summam coniunctionem Filij cum Patre. *Lege* s.2. d.54.f.465.& 466. item & s.3.f.467

Filij æqualitatem cum Patre probat locus Philippens. 3. *Qui cum in forma Dei esset*, &c. *Lege* sect. 6. d. 54. f. 471
Filij opera probant diuinitatem illius. *Lege* sect. 5. d. 54. fol. 469
Filij productio quomodo non sit creatio. d. 96. s. 4. f. 755
Filij persona dupliciter denominatur missa. d. 108. s. 1. n. 31. f. 852. & s. 9. n. 14. f. 865
Filij perfectio quomodo non deest Patri. d. 30. s. 8. n. 1. fol. 266
Filij perfectio magna est habere talem Patrem realiter à se distinctum. d. 30. s. 8. n. 5. f. 267
Filij & Verbi relatio vnica, quasi partialiter per intellectum distincta. *Lege* s. 3. d. 58. f. 494
quæ Filij inferioritatem sonant, simul intelliguntur de vtraque natura, sed diuersimodè. d. 50. s. 1. n. 2. f. 426
Filij mentio quandoque prætermittitur, sicut & Spiritus sancti. d. 66. s. 7. n. 12. f. 565
Filio sapiētia communicatur immediatius quàm natura diuina. d. 8. s. 4. n. 5. f. 70
Filio communicatur natura diuina magis immediatè quàm Spiritui sancto. d. 8. s. 4. n. 10. f. 70
Filio non conuenit, etiam impropriè, generatiua potentia. d. 101. s. 1. n. 22. f. 793
Filio congruit potiùs quàm Spiritui sancto faciei metaphora. d. 64. s. 6. n. 17. f. 545
Filio magis quàm Patri congruit præpositio *per* denotans ordinem originis. d. 112. s. 3. f. 919
Filio *datum esse* quomodo conueniat. d. 2. s. 4. n. 6. fol. 15
Filio data sunt omnia creata per generationem æternam, & aliter per temporalem generationem. d. 50. s. 6. n. 11. f. 433
quam vitā Filio dederit Pater. d. 19. s. 4. n. 9. f. 172
quæ Filio tribuantur. *Lege* d. 82. à f. 675. ad 681
Filium generare contradictionem inuoluit ratione sui. d. 101. s. 5. n. 9. f. 798
Filium ad Patrem dici quomodo intelligat D. Augustinus. disp. 1. s. 2. n. 9. f. 4
Filium esse de essentia Spiritus sancti, an liceat dicere. d. 98. s. 3. n. 10. f. 768
Filium generari de substantia Dei. d. 6. s. 8. n. 2. fol. 52
Filium verè & propriè esse Dominum nostrum Iesum Christum, negant hæretici, dicentes voluntate & consilio genitum esse. d. 4. s. 3. n. 1. & seqq. f. 27
Filium Dei quibus nominibus significare liceat. d. 4. s. 4. à n. 1. ad 13. f. 29. & 30
Filium Dei esse Iesum Christum Dominum nostrum, quænam Scripturæ loca probent. d. 4. s. 2. n. 4. f. 25
Filium Dei non debere *genituram* appellari, aliqui Theologi notant. d. 4. s. 4. n. 1. f. 29
Filium esse imaginem, quot & quæ nomina indicent. *Lege* s. 8. d. 64. f. 547
Filium esse autotheon quo pacto intelligat Epiphanius. d. 1. s. 2. n. 4. f. 4
Filium à Verbo quidam distinguebant. d. 55. s. 2. n. 6. f. 475. & n. 8. f. 476
Filium à seipso missum, qui patres docent. d. 108. s. 9. n. 1. 2. 3. f. 864. & n. 16. f. 865
Filium esse alium à Patre de fide est. d. 39. s. 4. n. 1. f. 350
Filium ad Patrem dici, Deum autem ad seipsum, quomodo intelligat D. Augustinus. disp. 1. s. 2. n. 9. fol. 4
Filium esse propriè & exactè imaginem. f. 64. s. 7. n. 2. f. 545
Filium nemo videt nisi Pater. d. 40. s. 6. num. 2. fol. 370.
ad Filium Pater eodem ipso Verbo loquitur. d. 60. s. 4. n. 2. f. 511
sine Filio & Spiritu sancto impossibilè esse creaturarum productionem, ostendit metaphora brachij, manus & digitorum. d. 111. s. 7. f. 913
Filiorum inæqualitas in hominibus vnde oriatur. d. 54. s. 8. n. 3. fol. 474. d. 103. sect. 2. num. 5. fol. 808
Filiatio & processio non rectè considerantur vt resultantes immediatè ab essentia. d. 52. s. 5. n. 10. f. 452
Filiatio naturalis excedit obiectiuas. d. 4. s. 3. n. 18. fol. 28
Filiatio diuina confertur cum filiatione naturali hominum. d. 4. s. 3. n. 22. f. 28. 29
Filiatio adoptiua similitudinem affert. d. 6. s. 1. n. 6. f. 41
ex Filiatione naturali infertur generatio. d. 4. s. 2. n. 1. & seqq. f. 25

Finitum.

Finitum & infinitum opponuntur sine medio. d. 28. s. 2. n. 8. f. 242

Fons.

Fontis similitudo ad Trinitatem indicandam. d. 44. s. 3. n. 1. f. 389
Fontis nomen an conueniat Patri & Filio. *Lege* s. 1. d. 49. f. 421. & 422

Forma. Formalitas.

Forma pro imagine. d. 64. s. 8. n. 19. f. 548
Forma pro figura substantiæ. d. 54. s. 6. num. 10. fol. 472
Forma Dei essentia. d. 21. s. 2. n. 16. f. 189. d. 54. s. 6. n. 2. f. 471
Formæ significationes. ibid. n. 6
Forma semper pro natura ponitur. ibid. n. 7
Forma pro figura substantiæ. d. 24. s. 6. num. 6. fol. 215
Forma syllogistica nō violatur sed perficitur mysterio Trinitatis. d. 15. s. 5. n. 1. & seqq. f. 144
Forma creata quæ communicatur. d. 80. s. 6. n. 6. fol. 667
Forma non potest intelligi existere in aliquo quin ei præbeat suum effectum formalem. d. 89. s. 2. n. 2. f. 715
Formæ potius, quàm materiæ, similis est diuina substantia, quatenus de illa producitur Filius & Spiritus sanctus. d. 97. sect. 3. f. 653
Formæ pluralitas non satis est vt substantiuum concretum pluraliter prædicetur nisi cum ea concurrat pluralitas suppositorum. d. 77. s. 6. n. 7. f. 642
tres Formæ relatiuæ an admittendæ in Deo. d. 24. s. 6. n. 7. f. 215
Formæ syllogisticæ fundamentum non est identitas cum vno tertio. d. 15. s. 4. n. 3. f. 143
Formalitas partialis sub qua Paternitas constituit potentiam generatiuam, quæ sit. d. 100. s. 5. n. 10. f. 789
Formalitates partiales in Patre & Spiritu sancto. d. 58. s. 3 n. 13. & 14. f. 495
vocis Formaliter acceptio minus stricta. d. 7. s. 2. n. 11. f. 58. & s. 4. n. 6. & 11. f. 60. & 61

Frater.

Fratris nomen diuinis personis non nisi per blasphemiam tribui potest. d. 4. s. 5. n. 15. f. 32

Fundamentum.

Fundamentum & ratio fundandi relationes. *Lege* s. 3. d. 91. f. 721. & 722

Generare.

G

Generare. Generatio. Gennema.

GEnerare pro creare. d. 96. s. 5. n. 19. f. 757
Generandi potentiā Filio conuenire impropriè an dici possit. d. 101. s. 1. n. 20. 21. 22. f. 793
Generari per accidens quid sit. d. 80. s. 5. n. 5. f. 666
Generat & concipit idem Pater. d. 4. s. 5. n. 21. f. 32
Generatio est secundum rationem prior quàm voluntas generandi, imò prior quàm omnis volitio. d. 94. s. 2. f. 745
Generatio æterna quare prouerbialiter creatio dicatur. d. 96. s. 5. n. 10. f. 756
Generatio non ex nihilo sed ex substantia Genitoris est. d. 96. s. 2. f. 752
Generatio actiua realiter distinguitur à natiuitate; & origo actiua Spiritus sancti realiter distinguitur à processione, prout est origo passiua Spiritus sancti, sicut etiam prout est relatio. d. 84. s. 2. n. 2. f. 688
Generatio non est actus liber, neque sub deliberationem cadit. d. 92 s. 2. n. 11. f. 729
Generatio diuina & natiuitas an magis identificentur quàm actio & passio creata. d. 84. s. 4. n. 9. f. 692
Generationis identitas cum Filio maior, quàm identitas actionis creatæ cum termino producto. ibid. num. 10
Generatio naturalis est. d. 92. s. 3. n. 1. f. 730
Generatio magis naturalis quàm spiratio. d. 92. s. 3. n. 9. f. 731
Generatio per modum naturæ, spiratio per modum voluntatis. ibid. n. 11
Generatio æterna quidditatiuè & formalissimè est intellectio seu sapientia actualis. d. 83. s. 1. n. 11. f. 682
Generatio & spiratio non distinguuntur realiter. d. 84. s. 5. n. 1. f. 693
Generatio præsupponitur ad relationem quasi prædicamentalem. d. 84. s. 4. n. 7. f. 692
Generatio & spiratio simpliciter necessariæ. d. 92. s. 2. n. 1. f. 728
Generatio voluntaria est non voluntate antecedente, sed concomitante. d. 93. s. 1. n. 6. f. 737.
Generatio nec elicitur, nec imperatur à voluntate. d. 93. s. 1. n. 14. f. 738
Generatio non est deliberata tanquam præcedenti consilio, vel tanquam aliquo prærequisito ad generationem. ibid. n. 17
Generatio est voluntaria voluntate concomitante & quodammodo etiam voluntate præcedente, vt principio, *Lege* s. 2. d. 93. f. 738. 739
Generatio diuina confertur cum cęteris. d. 4. s. 3. n. 41. f. 29
Generatio diuina est magis vniuoca quàm spiratio. d. 7. s. 5. n. 6 f. 61
Generatio Verbi frequenter explicatur à Patribus per similitudinem splendoris, lucis ac radij. d. 27. s. 7. n. 11. f. 293
Generatio propriè, non metaphoricè dicta, manifestè colligitur ex filiatione naturali. d. 4. s. 3. n. 16. f. 28
Generatio & natiuitas comparantur cum spiratione actiua. d. 106. s. 2. n. 1. 834
Generatio prior natiuitate. ibid. n. 6
Generatio in quantum generatio, & natiuitas in quantum natiuitas non est immediatè & proximè requisita ad spirandum. d. 106. s. 3. num. 5. f. 835. per se & formalissimè requiruntur vt Pater sit Pater, & Filius sit Filius. ibid. n. 6
Generatio probatur à Patribus, ex eo quod Deus non sit impotens sed omnipotens. d. 99. s. 2. n. 6. f. 775
Generatio prior spiratione. d. 17. s. 4. num. 14. f. 158
Generatio monstruosa. d. 6. s. 6. n. 18. f. 50. æquiuoca & vniuoca. ibid. n. 21
Generationis diuinæ quidditatiua differentia accipitur non solum à formali principio producente, sed potissimùm à termino producto, formalitérque consistit in modo producendi. d. 6. s. 5. n. 4. & seqq. f. 47
Generationis definitio. d. 6. s. 1. n. 24. f. 42. & s. 6. n. 3. f. 48
Generationis formale constitutiuum est notionale. d. 83. s. 2. n. 2. f. 683
Generationis æternitas denotatur particula Psalmi 109. *ex vtero*. d. 4. s. 1. n. 6. f. 22
Generationis diuinæ oppugnatores. d. 4. s. 1. n. 1. & seqq. f. 21
Generationis materia non est substantia diuina, propriè loquendo. d. 97. s. 1. n. 8. f. 761. & s. 2. f. 761. & 762
à Generationis perfectione deficit tribus gradibus creaturarum productio. d. 51. s. 3. num. 2. f. 444
Generationis & processionis conuenientia & differentia. d. 7. s. 2. n. 1. & 2. f. 58
Generationis propria & rigida significatio. d. 7. s. 3. n. 8. f. 59
Generationis à spiratione discrimina varia à Patribus & scholasticis allata. *Lege* s. 1. d. 8. f. 63. 64. & 65
à vero Generationis & processionis discrimine dissidentes nonnullę antiquorum Patrum sententiæ examinantur. *Lege* s. 2. d. 8. fol. 66. & 67
Generationis acceptio duplex. d. 6. s. 6. & seqq. n. 1. f. 48
Generationis ratio ex perfecta similitudine. d. 6. s. 1. n. 9. f. 41
Generationis à processione discrimen. d. 6. s. 1. n. 2. fol. 40
Generationis terminus ad quem formalis est essentia diuina. d. 98. s. 7. n. 6. f. 773
Generationis vniuocæ ratio quid postulet. d. 6. s. 9. n. 10. f. 54
Generationis diuinæ coniunctio maior. d. 6. s. 8. n. 3. fol. 52
Generationi diuinæ tribui non possunt nisi per blasphemiam nomina consanguinitatis aut cognationis. d. 4. s. 5. n. 15. f. 32
Generationem velle supponit eius cognitionem. d. 94. s. 2. n. 11. f. 746
Generationis desiderium Deo repugnat. d. 94. s. 2. n. 13. f. 747
Generationem esse operationem intellectus, spirationem autem esse operationem voluntatis, semper dicit Ricardus. d. 6. s. 4. num. 9. fol. 46
Generationem æternam probat gemina quidditas filiationis naturalis. d. 4. s. 2. n. 1. & seqq. fol. 25
ad Generationem non exigi formalissimam vim processionis, argumenta probantia soluuntur. *Lege* s. 3. d. 7. f. 58. & 59
ad Generationem requiritur formaliter similitudo ex vi processionis. *Lege* s. 7. f. 49.
per Generationem accipit Filius vt actu sit Filius & Verbum. d. 25. s. 5. n. 19. f. 223
de Generatione Verbi, ratio parabolicè loquendi. d. 96. s. 5. n. 16. f. 757

Generationes ſunt circa ſingulare. d.8.ſ.5.n.5. f.666
Genuiſſe ſine medio quid ſit.d.93.ſ.4.n.2
Gennema latinè idem quod genimen, ſeu germen, fœtus, fructus, progenies.d.4.ſ.4.num.1. fol.29
Gennema abutebantur hæretici.n.2.f.30
Genuinus.
Genuinus valet idem quod natiuus & peculiaris. d.4.ſ.3.n.14.f.28
Genus.
Generis neutrius & aliorum generum diſcrimen nititur proprietati ſermonis. d.39.ſ.5.num.16. fol.353
neutrum accipitur ſubſtantiuè. ibid.n.17
neutrum magis aptum eſt ad communitatem. num.19
an tria Genera ſint in Deo. d.24. ſ.5.n.13.f.214. & n.17.f.215
Germanus.
Germānus quando non ſignificat fratrem, eodem patre eademque matre genitum, valet idem quod *verus* atque *ſincerus*, d.4.ſ.3.n.14.f.28
Gladius.
Gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei,quid hoc ſit. d.57.ſ.4.n.18.f.489
Gradus.
Gradus infimus coniunctionis. d.6. ſ.8.n.4. f.52. medius & ſupremus.n.5
Gradus ſupremi culmen & apex eſt coniunctio diuinæ operationis vitalis, quæ eſt intellectio vel amor. d.6.ſ.8.n.6.f.52
Gratia.
Gratia iuſtificans ſufficit miſſioni viſibili.d.109. ſ.1,n.2.f.870
Gratia productus nec Filius nec Spiritus ſanctus. d.92.ſ.2.n.14.f.729
Gratia cui perſonæ approprietur. d.82.ſ.5. n.12. f.679
per augmentum Gratiæ an fiat miſſio inuiſibilis.d.109.ſ.4.f.875.& 876
ſine Gratia gratum faciente an fiat aliquando miſſio inuiſibilis. d.109.ſ.1.n.8. & 20. f.870
Gratiarum diuiſio ſub vnitate ſpiritus digiti nomine ſignificata d.76.ſ.1.n.7.f.631

H

Habere. Habitus.
Habendi à ſe duplex modus. d. 50.ſ.5.nu.7. f.431
Habitus prædicamentum an conueniat Deo. d. 10.ſ.5.n.15.f.102
ab Habitu & vitalibus ſpiritibus animalium an fuerit accepta Spiritus ſancti appellatio. d.65. ſ.3.n.1. & ſeqq. f.551.& 552
Hæretici.
Hæretici contra Trinitatem obiiciebant compoſitionem.d.38.ſ.1.n.1.f.339
Hæretici negantes realem diſtinctionem perſonarum, ſeu relationem in Deo, qui ſint. *Lege.* ſ.1.d.19.f.166.& 167
Hæretici Filium voluntate & conſilio genitum eſſe dicebant.d.4.ſ.3.n.1.f.27
Hæretici vetuſtiores aſſerentes plures Deitates aut plures eſſentias diuinarum perſonarum. *Lege.* ſ.2.d.20.f.178
Hæretici iuniores variis modis multiplicant eſſentias diuinas. *Lege.*ſ.3.d.20.f.179.
Hæretici negant verba, Hi tres vnum ſunt. d.20. ſ.7.n.3.f.185
Hæretici nominibus vtuntur non ſolùm alienis à Scriptura, ſed etiam contrariis. d. 21. ſ.2. n.17.ſ.189
Hæreticorum odium contra Trinitatem.d.36.ſ.6. num.328
Hæreticorum argumenta aduerſus æternitatem Filij. d.104.ſ.1.n.1. & 2. f.820. ſoluuntur.ſ.5. f.824
Hæreticorum blaſphemiæ contra Filium & Spiritum ſanctum.*Lege* ſ.1.d.96.f.751
Hæreticorum inconſtantia.d.55.ſ.2.n.9.f.476
Halitus reſpirationis quomodo nos deducat in cognitionem Spiritus ſancti. *Lege.*ſect.4.d.65. fol.553
Homœuſion.
Homœuſij author.d.21.ſ.5.n.1.f.192
contra Homœuſion Catholicorum ſententia. d.21.ſ.5.n.3.f.192
Homo.
Homo non tam imago quàm ad imaginem & cur.d.64.ſ.1.n.12.f.536
Homo factus eſt ad imaginem Trinitatis, & peculiari ratione ad imaginem Filij.d.64.ſ.5.n.9. & 10
Homo proper rationem & libertatem ad imaginem Dei factus.d.64.ſ.5.n.5.f.542
Homo factus ad imaginem trium perſonarum & non ſolius Filij.d.44.ſ.7.n.14.f.394.
Homo factus eſt ad imaginem Dei etiam vt Trini.d.44.ſ.7.n.4.f.394
in Homine dominium & principatus eſt etiam imaginis ratio.d.64.ſ.5.n.5.f.542
Homouſion.
Homouſion ſignificationem egregiam fatebantur Ariani. d.21. ſ.3.n.12.f.190
Licet fuiſſet inuentum à Nicæno Concilio, non fuiſſet nouum quantum ad rem ſignificatam.n.13.f.191
Homouſion quo zelo reprehenſum ab Imperatore Conſtantino.d.21.ſ.4.n.8.f.192
Homouſion nomẽ quàm vtile.*Lege.*ſ.1.d.21.f.187
Homouſion non poterat eludi ab Arianis. d.21. ſ.1.n.6.f.188
Homouſion contra Sabellianos ſimul & Arianos. ibid.n.8
Homouſion ex ſacris litteris depromitur. d. 21. ſ.2.n.2.f.188
Homouſion antiquiſſimorum Patrum vox erat. d.21.ſect.3.n.2.f.19
Honor.
Honor eſt reuerentia alicui exhibita in teſtimonium virtutis & excellentię bonitatis.d.29. ſ.5.6.n.10.f.255
Humanitas.
Humanitas & ſubſiſtentia non ſunt in Petro duæ eſſentiæ.d.24.ſ.2.n.5.f.211
Humanitatis aſſumptæ minoritas ſignificatur ſimul cum prioritate originis. *Lege.* ſect.3. d.50.f.428
Hypoſtaſis.
Hypoſtaſis quomodo definiatur à Patribus.d.32. ſ.9.n.13.291
Hypoſtaſis nomen tanquam nouum,prophanum & improprium Ariani abiiciunt. d.31. ſ.1.n.1. fol.271
Hypoſtaſis pro accidentibus. d.31.ſ.1.n.2.f.271
Hypoſtaſis pro entitate reali. ibid.n.4
Hypoſtaſis variæ ſignificationes. ibid. n.5. nouitas.n.6.author.n.7
Hypoſtaſis pro eſſentia. ibid.n.11.& ſect.3.f.272.
Hypoſtaſis ex Scriptura & antiquiſſimis Theologis ac Philoſophis authoritatem habet. *Lege* ſect.2.d.31.f.272
Hypoſtaſis pro natura an accepta à Cyrillo.d.31. ſ.3.n.11.f.274
Hypoſtaſis pro ſuppoſito debet accipi. d.31.ſ.4. n.1.f.274
tres Hypoſtaſes eſſe Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. *Lege* ſect.4.d.31.f.274.275.& 276
Hypoſtaſis Latinis doctoribus probatur, & eius ſignificatio reſtringitur.*Lege* ſect.5.d.31.f.276. & 277
Hypoſtaſis nomine aliqui Patres ſubſtantiam intelligunt.d.23.n.11.f.205
Hypoſtaſim vnam quando Patres dicunt, eodem ſenſu negant tres hypoſtaſes.d.34.ſ.8. num.10. f.307
Hypoſtaſes Græci cur indiuiduas ſubſtantias vocauerunt.d.23.ſ.3.n.19.f.206
Hypoſtaſis non maneret, ablatis relationibus. d.88.ſ.2.n.1.f.702

I

Idea.
IDeæ verbo *demonſtrandi* ſignificantur.d.110.ſ.3. n.1.f.872
Idem. Identitas.
Idem & diuerſum opponuntur ſine medio. d. 79. ſ.4.n.7.f.657
Idem & diuerſum non habent medium in creaturis.ibid.n.10
Identitas realis extenditur ad omnia diuina.d.11. ſ.3.n.1.f.104. docetur à Patribus. n.8.f.105
Identitatis adæquatio realis quid ſit. d.84. ſ.3. n.2.f.690
Identitas diuinarum perſonarum potius quàm ſimilitudo vel æqualitas. diſp.103. ſ.8. num.8. f.818
Identitatis gradus inter origines. d.84.ſ.4. n.9. f.692
Identitatis gradus inter originem & ſuum terminum. ibid.n.10
de Identitate extremorum cum vno tertio. *Lege* ſect.2.& 3.d.15.f.140.141.& 142
Ignis.
Ignis ad explicandam Trinitatem. d.44. ſ.2. n.15. f.388
Ignis nomen cur tribuatur Spiritui ſancto. d.76. ſ.4.n.5.6.f.633
Ignorantia.
Ignorantiam qui tribuebant Filio. d.50. ſ.12.n.1. f.439
Imago.
Imago quid ſit.d.64.ſ.2.n.14.f.538
Imaginis ratio formalis in Deo non eſt abſoluta & eſſentialis, ſed relatiua & notionalis. d. 64. ſ.3.n.1.f.538
Imago refertur ad perſonam Patris tamquam ad exemplar.d.64.ſ.3.n.8.f.539
Imago relatione rationis reſpicit eſſentiam.d.64. ſ.3.n.15.f.539
Imago deitatis in homine.d.44.ſ.7.n.2.f.393
Imago non eſt propriè niſi realiter diſtinguatur ab exemplari.d.19.ſ.4.n.26.f.173
Imago peculiari ratione reſpicit Filium.d.44.ſ.7. n.15.f.395
Imago Trinitatis propriè dicta non eſt in homine ſecundum corpus, ſed ſecundum mentem. d.44.ſ.5.n.8.f.391
Imago requirit originem vel proceſſionem.d.64. ſ.2.n.1.f.536
Imago, æqualitas & ſimilitudo, quomodo ab Auguſtino diſtinguantur. ibid.
Imago ſi perfectè implet illud, cuius imago eſt, ipſa æquatur ei,non illud imagini ſuæ.d.64.ſ.7. n.6.f.546
Imago in diuinis, de materiali dicit intellectionem. n.9.ibid.
Imago ſecundum quam relationem attenditur. ibid.n.10
Imago & exemplar dicit perfectionem. d.29.ſ.2. n.20.f.249
Imago communis tribus perſonis.d.64.ſ.5.n.2.& 7.f.542.& 543
ad Imaginem Dei homo propter rationem & libertatem factus eſt.d.64.ſ.5.n.5.f.542
ad Imaginem Trinitatis homo factus. num.9. f.543
ad Imaginem Filij peculiari ratione.ibid.n.20
Imago procedere debet ab exemplari. d.61.ſ.4. n.3.f.519
Imaginis relatio. d.18.ſ.4.n.5.f.165
Imaginis relatio ad exemplar quod eſt perſona. d.23.ſ.3.17.f.206
Imaginis an poſſit eſſe imago. d.64. ſ.4. num.19. f.542
Imaginis nomen impropriè ſumptum. d.64. ſ.6. n.8.f.544
Imaginis quidditas de Filio propriè & exactè verificatur.d.64.ſ.7.n.2.f.545
Imaginem eſſe Filium, multa nomina ſignificant, & quæ. *Lege* ſect.8.d.64.f.547.& 548
Imaginem Patri & Spiritui ſancto cõuenire, ſtadentia teſtimonia exponuntur. *Lege* ſect. 6.d. 64.f.544
ad Imaginem neceſſaria eſt ſimilitudo naturæ. d.64.ſ.1.n.2.f.535
Immanentia.
Immanentia perſonarum realis eſt.d.107.ſ.4.n.14. f.842
Immanentiæ ratio eſt proceſſio. d. 107. ſ.6. n.15. f.845
Immanentiæ modus idem an omnibus perſonis conueniat.d.107.ſ.8.n.14.15.f.849
Immediatio.
Immediatio proceſſionis Spiritus ſancti à Patre & Filio.d.6.ſ.4.n.7.f.596
Immenſitas.
Immenſitas æternitatem ſupponit.d.27.ſ.1.n.12. f.230
Immenſitas eſt Deum vbique præſentem adeſſe, ſiue exiſtere, & eſt vnica. d.25. ſect.1.num.12. f.217
Immenſitates in Deo non tres.diſp.27.ſ.1.num.5. f.229
ad Immenſitatem ſupponitur infinitudo in genere entis.d.27.ſ.2.n.8.f.231
Immortalitas.
Immortalitas quæ Deo propria.d.28.ſ.3.num.10. f.243
Immortalitas diuina in quo conſiſtat.ibid.n.11
Immortalitas,& incorruptibilitas ſupponit æternitatem.d.27.ſ.1.n.11.f.230
Immutabilitas.
Immutabilitas & immortalitas eſt attributum eſſentiale conueniens tribus perſonis.d.25.ſ.1. n.11.f.216.& 217
Immutabilitatis perfectio realis. d.28. ſ.3.num.8. f.243
Impaſſibilitas.
Impaſſibilitas quæ Deo propria.d.28.ſect.3.n.12. f.243

Imperfectio.
Imperfectio intellectus est facere distinctionem. d.12.s.6.n.16.f.120
Imperfectiones obiectorum non contrahit intellectio Dei.d.12.s.6.n.17.f.120
Imperfectionis remotio est ratio appropriationis.d.82.s.1.n.6.f.675
Impositor.
Impositores nominum intendebant significare rerum differentiam.d.7.s.3.n.6.f.59
Impossibile.
ex quo Impossibili non sequitur quodlibet aliud impossibile.d.68.s.1.n.5.f.582
Impossibilia dicuntur ingenita. d.52.s.2.num.10. f.448
Inæqualitas.
Inæqualitas filiorum in hominibus vnde proueniat.d.54.s.8.n.3.f.474
Inæqualitas filiorum vnde prouenit. d. 103. s. 2. n. 5.f.808
Inæqualitas non requiritur vt res vna sit in alia. d.107.s.4.n.18.f.842
Incarnatio.
Incarnationis mysterium & omnium iustorum sapientia significatur etiam quoties sapientia dicitur esse creata.d.96.s.6.f.758
Inclusio.
Inclusio quidditatiuæ essentiæ diuinæ in relationibus.d.13.s.n.2 f.121
Inclusio requiritur ad prædicationem abstractorum. d.13.s.1.n.7.f.122
sine Inclusione Diuinitatis non esset infinita relatio.d.13.s.2.n.16.f.124
Incompletum.
Incompletum præcisiuè, non est indignum Deo. d.85.s.2.n.5.f.695
Increabilitas.
Increabilitas Paternitatis propria. d.28. s.3. n.2. f.243
Increabilitas propria Filij & Spiritus sancti.ibid. num.3
Increabilitatis perfectio in quo consistit.ibidem. num.6
Indeterminatum. Indeterminatio.
Indeterminatum non potest operari nisi determinetur.d.100.s.3.n.5.f.785
Indeterminatio propriæ libertatis repugnat potentiæ naturaliter operanti. d.100. s.3. num.8. f.786
Indifferentia.
Indifferentia voluntatis quæ requiritur ad libertatem.d.92.s.1.n.5.f.727
Indifferentia libertatis. ibid.n.11
Indifferentia circa bona quæ non necessariò cohærent cum summo bono. d.92.s.5.n.7.f.734
Indiuiduum.
Indiuiduum vagum quid significet. d.35. s.4.n.3. f.315
Indiuidui vagi cum persona non est omnimoda similitudo.ibid.n.5
Indiuiduum Diuinitatis concretum , videlicet, *hic Deus*, intelligitur priùs ratione quàm personæ diuinæ. d.78. s.3.n.1. f.648. *Vide* nomen *Deus*, vel *hic Deus*.
Indiuidui,suppositi,& personæ comparatio.d.32. s.3.n.11.f.281
Infallibilitas.
Infallibilitatis modus in Ecclesiæ definitionibus. d.80. s.4.n.8.f.665
Infallibilitatem moralem quæ affirment. d. 63. s.4.n.23.f.532
Infinitas. Infinitudo.
Infinitas Patri peculiariter attribuitur , & cur. d.82.s.3.n.2.f.677
Infinitudo in genere entis obstat reali distinctioni essentiæ à relationibus. disp.11.sect.4.n.19. f.107
Infinitudo in genere entis supponitur ad æternitatem & immensitatem.d.27.s.2.n.8.f.231
Ingenium.
Ingenium esse non est essentia Dei. d.52.s.6.n.1. 2.& seqq.452
Ingenitum aliquando non est contradictorium geniti.d.52.s.8.n.11.f.455
Ingenitum & innascibile formaliter dicit negationem hanc quod Pater à nullo principio procedat.d.53.s.2.n.457
Ingenito aliquid priuationis admixtum est. d.53. s.3.n.4.f.459
Ingeniti nomen potest accipi pro quacunque formalitate non genita.d.74.s.4.n.6.f.621
Ingenitum non est priuatio propriè & strictè sumpta , sed magis accedit ad puram negationem.d.53.s.3.n.9.f.460
Ingeniti nomen à quo inuentum. d. 52. s.1. n. 1. f.445.cur suspectum,& exosum antiquis patribus. n.5.f.446
Ingeniti significationes variæ.d.52.s.2.n.3.f.447
Ingeniti vocabulum quo sensu conueniat creaturis.d.52.s.2.n.7.f.448
Ingenitus qua ratione Pater.ibid.n.8
Ingenitus quo sensu Spiritus sanctus, item & Filius.ibid.n.9
Ingenitum esse est proprietas personalis solius Patris. *Lege* sect.3.d.52.f.448.& 449
Ingenitum cum positiua repugnantia generationis non conuenit essentiæ. d.52. s.6. num.10. f.453
Ingenitum per indifferentiam conuenit essentiæ. ibidem.n.12
Ingenitum & genitum eiusdem essentiæ. disp.52. s.7.n.6.f.457
Ingeniti rationem esse de quidditate Dei contendebant Ariani.d.14.s.2.n.16.f.131
Ingeniti rationem quænam realis formalitas immediatè fundet. *Lege* sect.4.d.53.f.460.& 461
Ingenitam esse vnicam personam , ratione demonstratur.d.52.s.4.n.1.& seqq.f.450
Ingeniti duo forent duo Dij.52.s.4.n.2.f.450
Ingignentia.
Ingignentiam fundat partialis quidam conceptus Paternitatis. d.53.s.5. n.1. f.462. Illa Paternitas non est relatio rationis.n.13.f.463
Innascibilis. Innascibilitas.
Innascibilem à seipso procedere realiter contradictionem implicat magis quàm ab alio procedere.d.53.s.6.n.1.& seqq.f.464
si essent duo Innascibiles, essent duo Dij. disp.1. s.3.n.11.f.5
Innascibiles duo natura differrent.ibid.n.14
Innascibilitas est negatio.d.47.s.2.n.5.f.407
Innascibilitas viam aperit ad dignitatem Patris cognoscendam ibid.n.9
Innascibilitas à Patribus non prorsus omissa. n.17. f.408
Innascibilitatem commemorantes , omittunt Paternitatem.ibid.n.18
Innascibilitas est perfectio simpliciter simplex. d.1.s.3. n.13.f.5
Inspirabilitas.
Inspirabilitas non est notio. d.47. sect.5. num.4. f.410

Integrum.
Integrum, plenum & perfectum, idem. d. 30. s.3. n.13.f.259
Intelligere. Intellectio. Intellectus.
Intelligere in Deo est vnicum. disp.59.sect.1.n.7. f.500
Intelligere & velle quomodo sint actus notionales.d.2.s.4.n.12.f.16
Intelligere & velle quomodo distinguantur.ibid. n.15
Intelligere radicale non est propriè in Deo. d. 8. s.10.n.2.f.82.est improprie.ibid.n.5
discrimen quodcunque inter radicale Intelligere & radicale Velle quantum ad identitatem cum essentia diuina, vel constitutionem illius falsum est.d.8.s.10.n.6.f.82
Intellectio in ratione notitiæ essentialis (abstrahendo à ratione actionis) est principium *quo* proximum generandi. d.59.s.5.n.2.f.506
Intellectio est actio productiua.ibid.n.4
Intellectio abstrahitur ab actione & termino. d.59.s.5.n.7.f.507
Intellectio creata in quo consistat.ibid.n.9
Intellectio sub qua præcisione communicatur. d.8.s.4.n.13.f.71
Intellectio actualis est imago Verbi. d.44. sect.7. num.12.f.394
Intellectionis fœcunditas.d.2.s.4.n.16.f.16
Intellectionis & volitionis circulatio.d.3.s.1.n.9. f. 18
Intellectionis & volitionis diuersa ratio ad productionem.d.3.s.2.n.8.f.20
Intellectionis imperfectio est facere distinctionem.d.12.s.6.n.16.f.120
Intellectio Dei non contrahit imperfectiones obiectorum.d.12.s.6.n.17.f.120
Intellectioni & volitioni quam distinctionem tribuat S.Thomas.d.8.s.9.n.3.f.80
Intellectus fit intelligens assumptione intelligibilis.d.8.s.9.n.12.f.81
Intellectus fidei submittendus in disputatione de Trinitate. d.15.s.1.n.3.& seqq.f.139
Intellectus humanus frequenter deluditur apparentiis inter se pugnantibus.n.3.f.1
Interfectio.
Interfectio cui approprietur. *Lege* sect.7. disp.82. f.680
Iris.
Iridis similitudo ad explicandam Trinitatem. d.44.s.2. n.21.f.388
Isaac.
Isaac cur Abrahami dictus Vnigenitus. d.4. s.6. n.17.f.34
Iudæi.
Iudæi naturæ identitatem intellexerunt.d.20.s.6. n.16.f.184
Iudicium.
Iudicij diem nemo scit nisi solus Pater. d.40. s.6. n.5.f.370
Iudicium extremum an sciat Filius. *Lege* sect.12. d.50.f.439
nullo modo scitur ab Angelis , contra opinionem Caluini.n.12.f.440
Iudicium & potestatem dedit Verbo & homini Pater.d.50.s.6.n.5.f.432

L

Lactantius.
Lactantio error impositus à Genebrardo , sed excusatur à Patribus.d.53.s.6.n.1.&6.f.464
Legatio.
Legationis cohærentia cum productione. d.108. s.5.n.2.f.858
Liberum. Libertas.
Liberum reducitur ad aliquid necessarium. d. 92. s.6.n.6.f.736
Libertas in sola voluntate formaliter.disp.92.s.2. n.20.f.730
Libertas secundum quid.d.92.s.4.n.5.f.733
Libertatem cum necessitate copulare in dilectione Dei & spiratione , quænam argumenta velint.d.92.s.5.f.734
Libertas non cadit in generationem & spirationem.d.92.s.2.n.11.f.729
Libertas absoluta necessitate excluditur. ib.n.16
Libertatis indifferentia.d.92.s.1.n.11.f.727
Libertati non sufficit spontaneum à coactione solutum.d.92.s.2.n.21.f.730
Libertati repugnat antecedens necessitas. d. 92. s.2.n.18.f.730. & determinatio. ibid.n.19
an Libertate sit necessitas perfectior. d. 92. s.6. n.9.f.736
à Libertate magis distat generatio quàm spiratio.d.92.s.3.n.10.f.731
Locutio.
Locutionis figuratæ vel impropriæ tria indicia. d.64.s.7.n.4.f.546
Locutioni essentiali correspondent plurima Verba.d.60.s.3.n.6.f.511. *Vide* dicere.
Locutiones quibus Pater Filio præponitur. *Lege* sect.4.d.50.f.430
Locutiones generales à circunstantiis limitantur. d.50.s.12.n.7.f.440
Locutiones emphaticæ non extendendæ. d. 58. s.4.n.2.f.495
Locutiones Prouerbiorum figuratæ sunt & ænigmaticæ. d.96.s.5.n.11.f.756
Logos.
Logos minùs commoda vox Latinis, quàm Verbum.d.55.s.6.n.1.f.480
Loth.
Loth historia , Trinitatis mysterium indicatur. d.36.s.4.n.15.f.324
Lucerna.
Lucernæ similitudo quomodo Triniratem indicet.d.44.s.3.n.12.f.389
Lumen de lumine Filius.d.27.s.6.n.3.f.237
Lumen aut lux an diuinis personis proprie & sine metaphora conueniat. d.27. s.6.n.5.f.237
Luminis propria significatio in Deo. d.27. sect.6. n.14.f.238
Luminis nomine significatur origo sine corruptione.d.27.s.7.n.7.f.238
Lumen de lumine, siue lux de luce , tribuitur Filio Dei.d 64.s 8.n.18 f.548
Lumina tria circuminsessioni similia. d.44. s.2. n.20.f.388
Lucis & radij similitudine frequenter vtuntur Patres ad explicandam generationem Verbi. d.27.s.7.n.11.f.239

M

Mandatum.
Mandatum quomodo detur per æternam generationem.d.50.s.9.n.2.f.436
Mandati significationes quatuor prout datur personæ Verbi.n.11.& seqq.f.437.& 438
Manus.
Manus nomine an intelligatur Spiritus sanctus. d.76.s.1.n.9.f.631

Manus, digitorum & brachij metaphora significat sine Filio & Spiritu sancto impossibilem esse creaturarum productionem. d.111.sect.7. f.913
in Manu datum esse aliquid, quid significet.d.50. f.6.n.12.f.433

Mater.

Matris nomen diuinæ generationi non nisi per blasphemiam tribui potest. d.4.f.5.n.15.f.32.
imperfectionem denotat. n.18.eius à patre discrimina.n.22,& n.25.f.33

Materia.

Materia, forma & vnio Trinitati explicandæ quomodo accommodentur. disput.44.f.4.n.6. f.390
Materia Generationis aut Spirationis, sitne substantia diuina. d.97.f.1.num.8. f.761.& sect.2. f.761.& 762
Materiæ conditio est *vt præexistat rei gignendæ* & inexistat in re iam genita. d.97.f.4. num.2. f.764
an Materiæ similior substantia diuina quàm formæ. d.97.f.2.n.7.f.762

Mediatio.

an Mediatio minuat perfectionem immediationis.d.69.f.4.n.10.f.596

Membra.

Membra separata ab homine, sintne supposita & substantiæ.d.32.f.2.n.17.f.280

Memoria.

Memoria quomodo imago Patris. d.44.f.7.n.11. f.394

Mens.

Mentis acceptio triplex.d.44.f.6.n.5.f.392
Mens pro Patre.ibid.n.4
Mens pro Spiritu sancto.ibid.n.7
Mens pro volitione aliquid significandi. ibidem. n.10
Mens appellatur Spiritus sanctus.d.76.f.2.num.1. f.631

Mensura.

Mensura, numerus & pondus, quo pacto Trinitati accommodentur. d.44.f.4.n.4.f.390

Metaphora.

à Metaphoris & improprietatibus abstinèt Concilia.d.70.f.1.n.20.f.599

Ministrare.

Ministrare & inseruire Patri, quid significet. d.110.f.6.n.2.f.897

Miraculum.

Miracula patrabat Christus Dominus propria authoritate. d.54.f.5.n.1.f.469
Miraculorum dedit gratiam.ibid.n.3
Miraculorum circunstantiæ quatuor insigniores. ibid.n.13.f.470

Mirandulanus.

Mirandulani licentia poëtica dicentis: *Vnum in triplici numine numen habet.* correctione theologica digna est.d.38.f.4.n.20.f.346

Missio.

Missio non conuenit Patri. d.108.f.8.n.1.f.862
Missio formaliter constituitur relatione ad creatum effectum.d.108.f.6.n.8.f.860
Missio partim est rationalis, sed principaliùs & formaliùs essentialis.ibid.n.13
Missio non vna numero.n.16.f.861
Missio per abstractionem est vna, quæ communis est Filio & Spiritui sancto.ibid.n.17
Missio conuenit eodem modo Filio & Spiritui sancto. ibid.n.18
Missio non est æterna, nec increata, sed temporalis & creata potius, quàm datio. f.7.f.861.& 862
Missio secundum quid & impropriè.d.109.sect.7. n.12.f.880
Missio vnius personæ sine alia impropriè dicta. d.108.f.8.n.16.f.864
Missio diuinarum personarum est propria, non metaphorica.d.108.f.5.n.12.f.859
Missio prout conuenit creaturis, metaphoricè Deo conuenit.ibidem.
an Missio sit proprietas personalis Spiritus sancti vel Filij.d.75.f.4.n.6.7.f.629.& 630
Missionis quidditas. *Lege* sect.2.3.& 4. disp.108. f.853.854.& seqq.
Missio in communi quidditatiuè quid sit. d.108. f.4.n.3.f.856
Missio creata quid sit. n.4. f.857. eius imperfectiones.ibid. n.9
Missio moralis non requirit substantialem processionem sed tantùm secundum imperium. d.108.f.4.n.5.f.857
Missio physica requirit substantialem processionem aut physicam efficientiam.ibid.n.8
Missionis respectus duplex ad principium & ad terminum.ibid.n.10
Missionis cohærentia cum productione.f.5.n.2. f.858
Missionis diuinæ personæ ab Angelo discrimen. d.109.f.8. n.7.f.881
Missio visibilis claudit inuisibilem.d.109.f.8.n.9. f.882
Missio inuisibilis redundans ad vtilitatem Ecclesiæ, manifestatur visibili.ibid.n.13
Missionis ratio est analoga. d.109. f.8.n.12.f.882
Missiones non propriè fuerunt visibiles in veteri testamento.d.109.f.9.n.10.f.884
Missio visibilis, & inuisibilis, quæ dicantur. 2.109.f.1.n.1.f.870
Missioni inuisibili sufficit gratia iustificans. ibid. num.2
Missio visibilis non fit per sacramenta.d.109.f.12. n.4.f.888
Missio actiua & passiua quomodo sibi adæquatè respondeant.d.108.f.9.n.20.f.866
Missio in humanis non est possibilis sine reali mutatione hominis ad quem. d.109. f.7. n.16. f.880
Missio Filij quodammodo distinguitur à missione Spiritus sancti.d.109.f.2.n.4.f.873
Missionis visibilis quidditas & partes quæ sint. d.109.f.8.f.881
Missionis visibilis signum nullum fuit vnitum hypostaticè præter humanitatem. d.109. f.11. n.3.f.887
Missione visibili mittitur vna persona sine altera. d.108.f.8.n.9.f.863. inuisibili nunquã. ib.n.11
ad Missionem visibilem quæ requirantur. *Lege* sect.12.f.887.& 888
an Missio fiat ad creaturas irrationales. d.109.f.6. f.878
an Missio inuisibilis fiat ad omnes gratiæ participes.d.109.f.5.f.877
an Missio inuisibilis fiat aliquando sine gratia, gratum faciente.d.109.f.1.n.8.f.870
an Missio inuisibilis fiat per augmentum gratiæ. d.109.f.4.n.12.13.f.876
quantum ad Missionem inuisibilem, inseparabiles sunt Filius & Spiritus sanctus. d. 109. f. 2. n.3.f.872
Missione probatur personarum æqualitas. d. 108. f.1.n.7.f.850

in Mis

in Missione Spiritus sancti post Christi Domini glorificationem, quatuor sunt capita singularis perfectionis. d.109.f.5.n.18.f.878
ex Missione reali distinctio. disp.19.f.4. num.11. f.172
Missiones ad beatissimam Virginem visibiles. d.109.f.13.n.3.4.5.f.889
Missiones secundum quid in Veteri testamento. d.109.f.9.n.17.f.884
Missionum visibilium singularum congruentiæ. d.109.f.13.f.888.& 889
Missiones nullæ post diem Iudicij. d.109. sect.4. n.16.f.877
Mittitur quodãmodo persona diuina per quemlibet actum aut habitum supernaturalem. d.109.f.1.n.19.f.871

Modus.

Modus, species, & ordo ad explicandam Trinitatem. d.44.f.4.n.2.f.390
Modus *secundum quid & simpliciter.* d.37. f.3.n.2. f.335
Modus operandi naturaliter & modus operandi liberè, quando simpliciter opponantur. d. 92. f.6.n.5.f.735
Modus operandi necessariò circa primarium obiectum præsupponitur ad libertatem circa cætera bona.ibid.f.736
Modus tendendi & respiciendi principia formalia & terminos productos est differentia formalis originum.d.85.f.3.n.12.f.697
Modus producendi distinctus. d. 6. sect.5. n.12. fol.48
Modus producendi per modum naturæ, per modum voluntatis.d.3.f.1.n.6.f.17
& per modum artis.f.2.n.11.f.20
Modi essendi & existendi.d.25.sect.3. n.14. & 15. f.220

Morphi.

Morphi semper pro natura ponitur. d.54.f.6.n.7. f.471

Motio.

Motio Dei efficax vocatur mandatum. d.50. f.9. n.15.f.438

Multiplex.

Multiplex & multiplicatas sint ne in Deo. d.38. f.4.n.2.f.344.& n.11.f.345

N

Natiuitas.

NAtiuitas & Processio quomodo distinguantur.d.84.f.1.n.9.& 10.f.688
Natiuitas formaliter & in recto importat entitatem propriam & peculiarem Filij.d.83.f.3.n.8. f.685
Natiuitas sitne prior relatione Filij. d.91.f.2.n.7. & 10.f.720

Natura. Naturalitas.

Natura strictè pro rebus physicis. d. 19. f.5.n.4. f.182
Natura pro qualibet essentia.ibid.n.6.
Natura Dei, essentia & substantia significant idem.ibid.n.8.ratio huius significationis. n.10
Naturæ acceptiones. disp.92.f.3.num.18. & seqq. f.732
Natura & essentia supponitur pro persona licet eam non significet.d.24.f.4.n.3.f.212
Natura non accipitur pro hypostasi.ibid.n.9
Natura princeps, innascibilis, ingenita, & natura genita vel vnigenita. disp. 24.sect.1. n.16. f.209
Natura pro subsistentia.ibid.num.21
Natura vt opponitur gratuito & libero. ibidem. num.23
Natura pro tota Trinitate.ibid.n.26
Natura Deo tribuitur in scriptura. d.24.f.1.n.2. f.208
Natura diuina quomodo ex se subsistat.d.34.f.10. n.10.f.310
Natura assumpta, non subsistentia. d.24.f.3. n.6. f.211
Natura & essentia radix est proprietatum. d. 24. f.3.n.8.f.212
Natura & essentia non solet referri ad modum rei sed ad rem.d.24.f.3.n.9.f.212
Natura diuina nullo Dei nomine à nobis prolato significatur,sed aliquid circa Dei naturam, videlicet attributum ratione distinctum. d.8.f.7. n.9.f.77
Natura diuina non est passa nec mortua. d.15.f.8. n.13.f.148
Natura diuina tota in singulis personis. d.14.f.2. n.22.f.132
Natura diuina Filio magis immediatè communicatur quàm Spiritui sancto.disp.8.f.4. num.10. f.70
Natura diuina in Filio non generatur neque per se neque per accidens. d.80.f.5.n.4.f.666
Natura diuina non minus bonitate constituitur quàm sapientia.d.8.f.5.n.18.f.73
Natura diuina per attributa constituitur. d.8.f.4. n.12.f.71.& f.5.n.6.f.72
Natura Dei complectitur quidquid est esse. d. 8. f.5.n.8.f.72
Natura diuina non se communicat actiuè, sed communicatur passiuè.disp.80.sect.6.num.14. f.668
Natura diuina non sibi repugnat, licet Filius per eam generare nequeat.d.101.f.3.n.3.f.794
Natura denotat principium operationis quæ nec libera sit,nec voluntaria,sed penitus necessaria.d.80.f.7.n.7.f.669
tres Naturas relatiuas, siue essentias relatiuas non expedit concedere. disp.24. sect.3. n.10. f.212
Naturæ, deitatis, substantiæ vel essentiæ diuinæ multiplex accepto, disp. 14.f.2. num. & seqq. f.130
Naturæ communicatio per originem est ratio propter quam tres personæ non sunt tres Dij. d.22.f.6.n.2.f.199
Naturæ similitudo requiritur ad imaginem. d.64. f.1.n.2.f.535
Naturæ similitudo cur requisita ad generationem. d.6.f.6.n.12.f.49
Naturæ pro persona acceptio.disp.80.f.7. num.2. f.668
Naturæ modus agendi proprius, qualis. d.92.f.3. n.8.f.731
Naturam diuinam in recto, relationem in obliquo quomodo significet potentia productiua. d.100.f.5.f.788
Naturæ siue substantiæ frequentior acceptio magis præcisa.d.14.f.5.n.10.f.134
Naturam Verbi incarnatam qui Patres dicunt. d.24.f.4.n.10.f.213
Naturalitas in generatione manifestior quàm in spiratione.d.92.f.3.n.9.f.731
distat à dissentaneo & nociuo & libero.ibid. num.10
Naturalium gradus. disput. 92. sect. 3. num. 18. f.732

Necessa

Necessarium. Necessitas.
ad Necessarium an reducatur liberum. d.92. f.6. n.6.f.736
Necessitas absoluta libertatem excludit. d.92.f.2. n.16.f.729
Necessitas antecedens libertati repugnat. d. 92. f.2.n.18.f.730
Necessitas immutabilitatis. d. 92.f.4. n.1.f.732. mutabilitatis.ibidem.
Necessitas violentiæ aut coactionis.ibid.n.2
Necessitas naturalis corruptionis.ibidem.
Necessitas proueniens ex imperfectione formæ. ibid.n.3.f.733
Necessitas mediorum ad finem. ibidem.
Necessitas actuum diuinorum reducitur ad necessitatem formæ. ibid.n.4
quæ Necessitas sit perfectior libertate. d.92.f.6. n.9.f.736

Negatio.
Negationes multiplicantur entitate multiplicata.d.27.f.3.n.18.f.233

Nepos.
Nepotis nomen diuinis personis nisi per blasphemiam tribui non potest.d.4.f.5.n.15.f.32

Nomen.
Nomina diuina partim communia, partim propria.d.13.f.4.n.10.f.127
Nomina per vniuersalitatem abstracta ab imperfectionibus creaturarum, Deo tribuuntur in sacris litteris.d.4.f.4.n.7.f.30
Nomina propria personarum significare relationem,quinam Patres asserant. d.87. f.4. num.6. f.708
Nomina adiectiua licet significent aliquid absolutum, possunt de tribus personis pluraliter prædicari.d.77.f.4.f.639
Nomina adiectiua & substantiua quî differant. d.77.f.3.n.f.637
Nomina, quibus significare liceat Filium Dei, quæ sint. *Lege* sect.4.d.4.f.29.& 30
Nomina separationis, distantiæ, alterationis, *alienationis*, dissimilitudinis, & inæqualitatis in diuinis an concedenda. *Lege* sect. 13. d.39.f.362
Nomina substantiua, communia tribus Personis diuinis non possunt multiplicari dicendo *alius & alius*, d.39.f.7.n.16.f. 56
Nomina personarum ex rebus nobis notis. d.65. f.3.n 11.f.552
Nomina communiora meliùs in Deum quadrãt. d.49.f.3.n.12.f.425
Nomina personarum relatiua sunt, eorúmque author est Christus Dominus. d.87.f.2.num.3. f.704
Nomina consanguinitatis aut cognationis longè distant à perfectione diuinæ generationis, ideóque diuinis personis, nisi per blasphemium tribui non possunt.d.4.f.5.n.15.f.32
an Nomina concreta singulariter tantum enuncientur, quotiescunque est vnica forma tantum quam significant. *Lege* disput.77.fol.634. 635.& seqq.
Nomina Patris & Filij non *significant* personas prout in se sunt.d.91.f.6.n.2.f.725
Nominum impositores intendebant significare rerum differentiam.d.7.f.3.n.6.f.59

Notio.
Notio, proprietas, & relatio quomodo distinguantur. d.47.f.5.n.17.f.413
Notio formalis vel obiectiua. disput. 46. sect. 1. num.2.f.398
Notio strictè sumpta est cognitio distinguens. ibid.n.3
Strictissimè sumpta tantùm personas distinguit.n.5
Notio obiectiua totidem modis accipitur quot formalis. ibid.n.7
Notio quid sit.ibid.n.10.& 11
Notio conuenienter, & propriè fuit à Theologis accommodata ad significandas insigniores notas diuinarum personarum.d.46.sect.1.n.12. f.399
Notio quomodo sit in persona.d.46.f.4.num.10. f.413
Notio est, licet sit communis duabus personis. d.47.f.3.n.5.f.409
an sit Notio negatio productionis actiuæ, in Spiritu sancto. d.47.f.4.n.3.f.410
Notioni satis est si ducat in cognitionem dignitatis, licet ipsa formaliter sit negatio.d.47.f.2. n.6.f.407
ad Notionem quæ distinctio requiratur.d.47.f.4. n.12.f.411
Notiones à personis non distinguuntur ante opus intellectus. *Lege* sect.5.d.46.f.409
Notiones sunt quinque, nec plures, nec pauciores.d.47.f.1.n.2.f.405
Notiones quomodo possent esse plures quàm quinque.d.47.f.1.n.8.f.406
Notiones seu proprietates in abstracto significatæ, quibus persona vna dignoscitur ab alia, in Deo conceduntur.d.46.f.2.n.5.f.400
Notionalibus essentialia quomodo priora. d. 94. f.3.n.1.f.748
Notionales actus sunt naturales, sed spiratio ad libertatem magis accedit.d.92.f.3.f.730
Notionales actus non possunt aliter esse quàm sunt.d.92.f.2.f.728

Nouitas.
Nouitas vitanda in rebus Theologicis. d.21.f.3. n.1.f.190
Nouitas in mandato dilectionis. d.21.f.3.n.14. f.191
Nouitas contra nouitatem. ibid.num.15. non est profana.n.17

Nubes.
Nubes in Transfiguratione significauit exuberantiam doctrinæ.d.109.f.13.n.6.f.889

Numerus.
Numerus ternarius in Deo.d.27.f.3.n.20.f.233
Numerus in diuinis non solam negationem significat.d.37.f.4.n.3.f.336
Numerus in diuinis formaliter consistit partim in positiuo, partim in negatione. d.37.f.4.n.5. f.337
quis Numerus includat res numeratas. ibid.n.9
Numeri diuini constitutiua ratio est realis. d.37. f.5.n.3.f.338
Numerus quarundam rerum ad libitum numerantis; aliarum rerum ex natura. ibidem & n.4.& 5
Numerus quantitatiuus est ens per accidens. d.37.f.6.n.1.f.338
Numerus in Deo est ens per se vnum. ibid.n.3
Numero personarum quæ finitudo conueniat. n.7.f.339
Numerus Trinitatis sitne omnino simplex, compositionis & partium expers. *Lege* disput.38. f.339.& seqq.
Numerus in diuinis simpliciter, non est concedendus,nisi explicando quantum ad personas. d.37.f.3.n.1.f.335

Numerus

Numerus non est nisi inter res multas. d. 26. f.1. n.9.f.225
Numerus an compositus.d.38.f.3.n.3.f.343
Numerus, pondus & mensura, ad explicandam Trinitatem.d.44 f.4.n.4.f.390
Numeri ternarij perfectio. *Lege* f.3.d.33.f.295

O

Obedientia.
OBedientia Christi Domini refertur potissimùm ad hominem non ad personã Verbi.d.50.f.10.n.2.f 438

Obiectum.
Obiecti formalis ratio supponitur ad perfeitatem.d.63.f.2 n.3.f.528
Obiecta directè intelligimus, non cognito verbo.d.59.f.2.n.20.f.503

Odor.
Odor vocatur Spiritus sanctus à Patribus. d.76. f.3.n.4.f.632

Oleum.
Oleum cur vocetur Spiritus sanctus à Patribus. d.76.f.3.n.1.f.632

Omnipotentia.
Omnipotentia respicit ea tantùm quæ non implicant contradictionem.d.101.f.5.n.6.f 798
Omnipotentia probatur creaturarum productione.d.101.f.5.n.8.f 800.
Omnipotentiæ obiectum est omne producibile tam necessariò quàm liberè.d.101.f.6.num.15. f.801
in Omnipotentia nõ continetur notionale complementum potentiæ generatiuæ & spiratiuæ. d.101.f.5.n.14.f.799
in Omnipotentia quomodo continetur potentia generatiua.d.101.f.4.n.9.f.796

Operatio. Opus.
Operationis trium personarum æqualitatem & identitatem non impugnat,sed efficaciter probat, quod Filius non operetur à seipso.Ioan.5. & 8.d.110.f.2.f. 291
Operationes quæ tribuuntur vni personę potius, quàm aliis duabus, non obstant quo minus æqualiter procedant ab omnibus & singulis personis.d.110.f.11.f.904.& 905
Operationes immanentes in artifice requiruntur ad operationes transeuntes.d.111.f 6.n.8.912
Operationum immanentium numerus & perfectio terminorum probat, non esse productas plures quàm duas personas.d.102.f.2.f.804
Operationes subtiliores digito exequimur. d.76. f.1.n 6.f.631
inter Operationes quæ tribuuntur essentiæ discrimen.d.80.f.7.n.16.f.670
Operum testimonium præstantius aliis. d.54.f.5. n.8.f.470
Opera Filij probant diuinitatem illius. d.54. f.5. per totam.f.469

Oppositio.
Oppositio relatiua multiplicat prædicata superiora.d.26.f.3.n.19

Oratio.
Oratio peculiariter ad Patrem dirigenda & cur. d.82.f.7.n.2.680

Ordo
Ordo, modus, & species Trinitati explicandæ deseruiunt. d.44.f.4.n.2.f.390

Origenes.
Origenes metaphoricam esse vult significationem *Verbi*, cui Patres aliqui fauere videntur. *Ruiz. de Trinitate. Lege* sect.3.d.55.f.476. & 477
an Origenes negauerit substantialitatem personarum. *Lege* f.4.d.20.f.180
Origenis error cauendus.d.44.f.7.n.17.f.395

Origo.
Origo, pulchritudo & delectatio ad Trinitatem explicandam.d.44.f.4.n.3.f.390
Origo tria significat. d.83.f.1.n.2.f.681
Origo pro principio.ibid.n.2
Origo pro sobole.n.5.f.682
Origo frequentius pro productione siue actiua siue passiua.n.6.f.682
Origo actiua formaliter & in recto relationem importat. *Lege* f.2.d.83.f.682.& 683
Origo incompleta sit ne digna Deo.d.85.f.2.n.5. fol.695
Origo est quid completum.d.85.f.2.n.6.f.696
Origo quælibet quasi specie distinguitur à qualiber origine.d.85.f.3.n.2.f.696
Origines se totis distinguuntur.d.85.f.3.n.7.f.696
inter Origines non est differentia propriè dicta. ibid.n.8
Originum *in communi* datur conceptus analogus.ibid. n.9
Originum differentiæ sunt ordines ad principia & terminos.ibid.n.10
Origo & communicatio differunt. d.83. f.3. n.6. fol.685
Origo passiua quid sit. ibid.n.8. explicatur.n.10. eius descriptio respuitur.n.11
Origo actiua non est actio propriè & in rigore dicta.d.83.f.4.n.1.f.685
Origo actiua in diuinis simpliciter & absolutè potest vocari actio.d.83.f.4.n.5.f.686
Origo passiua in diuinis non est passio, simpliciter & absolutè, sed grammaticaliter. ibid.n.8
Origo passiua realiter adæquatè idẽtificatur cum relatione personæ productæ. d.84. f.1.num.2. f.687
Origo passiua prior est relatione sua.d.91.f.2.n.7. f.720. & quodammodo posterior.ibid.n.9
Origo actiua Spiritus sancti prior quàm sua relatio.d.91.f.2.n.11.f.720
Origo passiua quid sit.d.84.f.1.n.8.f.688
Origines passiuæ realiter ab inuicem distinguuntur.d.84.f.1.n.9.f.688
Origo actiua & passiua in diuinis realiter distinguuntur, licet in creaturis actio & passio realiter identificentur.d.84.f.4.f.691
Origo vna actiua non includitur in alia.d.85.f.3. n.15.f.697
Origo sine corruptione significatur nomine luminis.d.27.f.7.n.7.f.238
Origo actiua cur realiter idem cum principio producente. d.84.f.4.n.11.f.692
Origo secundariò constituit hypostasim *in ratione* subsistentis.d.88.f.3.n.8.f.714
Originis ordo non est in Patrem & Filium vt spirant.d.69.f.2.n.1.f.593
Originis actiuæ realis distinctio vel identitas cum relatione, vel cum alia origine. *Lege* f.2. d.84.f.688.& 689
Originis relatio sola in Deo.d.1.f.4.n.15.f.7
absque Origine non est possibilis distinctio relatiua.ibid.n.17
Originis distinctio est minima.d.85.f.2.f.695
Originis actiuæ, quæ est spiratio, quodnam sit vltimum & formale constitutiuum. d. 83. f.2. n.15.f.684
Originum prioritates variæ iuxta varias earum comparationes.d.106.f.2.f.834.835

Originem esse relationem, qui dicant. d.87. s.5. n,16.f.711
Origines actiuæ, nempe generatio & spiratio identificantur.d.84.s.5.n.1.f.693
Origines actiuæ ratione ratiocinata distinguuntur à suis personis.d.85.s.1.n.5.f.694
an per Origines priùs & principalius constituantur & distinguantur personæ diuinæ, quàm per relationes.d.87.s.5.f.710
Origines passiuæ quodammodo sunt rationes fundandi suas relationes.d.91.s.3.n.20.f.722

Os.

Os in rebus spiritualibus nihil est aliud quàm intellectus.d.2.s.4.n.7.f.15
ex Ore nostro duo valde distincta procedunt.d.2.s.4.n.9.f.16

P

Paracletus.

PAracletus notionale aliquid significat. d,39.s.7.n.11.f.356
Paracletus Filius. ibid.n.12
Paracletus Spiritus sanctus.ibid n.13
Paracleti ratio diuersa.ibid.n.14
Paracletus non est adiectiuum.ibid.n.15
Paracletus notionaliter acceptus. d.79. s.5. nu.1. fol.657

Pars.

Partium imperfectio.d.38.s.1.n.18.f.341
Partibus posterius est compositum.ibid.n.20

Passio.

Passio sit ne in Deo.d 83 s.4.n.8.f.686
Passiones realiter distinctæ, ab actionibus sola ratione distinctis.d.17.s.4.n.12.f.158

Participia.

Participia, quoniam vt plurimum adiectiuè sumuntur,subeunt multiplicationem adiectiuorum.d.77.s.3.n.5.f.637

Pater.

Pater non est apud Filium sed in Filio. d.107.s.8. n.17.f.849
Pater non indiget, quoniam à seipso habet. d.29. s.5.n.10.f.253. peculiariter non indiget. n.12. fol.254
Pater dicitur rectè radix & fons Filij & Spiritus sancti.d.49 s 1.n.12.f 422
Pater est principium Filij & Spiritus sancti. *Lege* s.1.d.48.f.414
Pater amabilis in quantum Pater, & Filius in quantum Filius.d.29.s.6.n.17.f.255
Pater vt Pater non esset integrè Deus, si relationes essent de quidditate Deitatis.d.14.s.2.n.17. f.131
Pater ad Verbum quomodo loquatur.d.57.sect.1. n.8.f.483. & s.5.n.8.f.490
Pater est Deitatis author & principium. d.80.s.2. n.12.f.662
Pater nunquam missus, imò neque potest mitti. d.108.s.8.n.1.f.862
Pater non est Verbum propriè.d.2.s.4.n.1.f.15
Pater in Filio.d.107.s.2.n.2.f.837
Pater nunquam pro nobis orare, vel postulare, vel intercedere dicitur.d.83.s.7.n.8.f.681
Pater & Filius quomodo prærequirantur ad spirationem.d.106.s.3.n.6.f.835
Pater quomodo prior Filio & Spiritu sancto. d.105.s.5.n.4.5.6.f.832.
Pater & Filius non duo principia. d.48. s.4.n.11. f.418
Pater est totius diuinitatis principium & fons. d.48.s.5.f.419. & quomodo.s.6.n.4.f.420
Pater non potuit operari nisi per Verbum & in Spiritu sancto.d.111.s.2.f.907
Pater impropriissimè donum est.d.75.sect.2. n.6. f.626
Pater Filio dat vitam,substantiã, essentiam:Pater & Filius communicãt essentiam siue diuinitatem Spiritui sancto. d.80.s.6.n.1.& 2.f.667
vt Pater operari possit, necessarium est Verbum tanquam sapientia vel ars ordinans & dirigens atque potentia exequens.d.111.s.4.f.909
Pater non potest operari sine Verbo,quoniam est imago, idea,exemplar & ratio cuiuslibet operis.d.111.s.5.f.911
Pater quomodo prædicatus veteri testamento. d.36.s.2.n.8.f.320
Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres hypostases.d.31.s.4.n.1.f.274
Pater vt Pater correlatiuus Verbi. d.58.s.2.nu.1. fol.493
Pater vt Pater est subsistens.d 9.s.6.n.6.f.93
Pater & Paternitas distinguuntur ratione ratiocinata duplici discrimine.d.46.s.4.n.7.f.403
Pater ita, vt non possit esse Filius. d.51.s.2.n.10. f.443
Pater, Filius & Spiritus sanctus vna essentia,substantia, natura, in nominatiuo; in genitiuo, vnius essentiæ, substantiæ, naturæ; in accusatiuo, vnum secundum naturam; in ablatiuo, vnum in natura; adiectiuialiter, substantialiter vnum sunt. *Lege* s.8 d.20 f.186 & 187
Pater vt generans & spirans non est duo principia.d.70.s 2 n.23 f.601
Pater non esset Pater nisi realiter distinctum Filium generaret.d.19 s.4.n.5.f.171
Quam vitam Filio dederit.n.9.f.172
Pater & Filius non distinguerentur realiter à Spiritu sancto, nisi eum relatione reali respicerent.d.16.s 2.n.12.f.150
Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt tres personæ. *Lege* s.1.d.33 f.292.& 293
Sint ne tria prosopa, vel tres vsioses, vel tres naturæ.ibid.n.14
Non esse plures personas quàm tres, ratione probatur. *Lege* s.2.d.33.s.f.294
Pater quo sensu vnio.d.22.s.6.n.7.f.200
Pater & Filius sunt omnino idem, ea tantùm exceptione, quod Pater non est Filius, nec Filius est Pater. d.17.s.3.n.1.155
Pater Filio communicat spirationem actiuam. d.17.s.3.n.12.f.156
Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto. d.74.s.3.n.8.f.620
Pater non est sapiens sapientia genita. d. 74. s.4. f.621
Pater non est potens potentia genita, nec est sanctus sanctitate spirata. d.74.s.5.f.622
Pater vt est principium Filij per æternam generationem, dat illi mandata, quæ seruat ille ratione personæ genitæ, aliter autem ratione humanitatis assumptæ. *Lege* sect.9. d.50. f.436.& 437
Pater docet communicando suam sapientiam. ibid.n.13
Pater non est Verbum. d.57.s.4.n.4.f.488
Pater est verè Pater,& Filius esse verè Filius.d.27. s.4.f.235
Pater est lumen.d.27.s.6.n.3.f.237
Pater & Filius in ratione amantis essentialiter non constituuntur Spiritu sancto.d.74.s.1.n.5. f.616

Pater & Filius se diligunt Spiritu sancto.d.74.s.2. n.1.f.618. vel per Spiritum sanctũ.n.11. f.619
Pater Filio communicat suam spirationem. d.18. s.2.n.17.f.164
Pater est infinitus in genere entis. d.30.s.10.n.5. fol.269
Pater quomodo ingenitus.d.52.s.2.n.8.f.448
solus Pater scit diem iudicij.d.40.s.6.n.5.f.370
ideo Pater quia generat.d.91.s.1.n.3.f.719
Pater Filio dat essentiam & Filiationem.d.30.s.9. n.14.f.268
Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum lumen, non tria lumina, simpliciter & propriè loquendo.d.27.s.6.n.7.f.237
Pater ad seipsum, & ad Verbum & ad Spiritum sanctum, imò etiam ad creaturas, æterno suo Verbo loquitur. *Lege* s.4.d.60.f.511
Pater quomodo maior Filio. *Lege* s.2.d.50.f.427
Pater non minus immediatè quàm Filius spirat Spiritum sanctum, & Spiritus sanctus non magis immediatè procedit à Filio quàm à Patre.d.69.s.4.n.9.f.596
Pater & Filius non sunt duo principia, sed vnum principium Spiritus sancti. d.70. n.1. & seqq. f.597
Pater propterea perfectè potens & beatus, quia Filium habet ab æterno. d.29.s.3.n.14.f.251
cur Pater peculiariter dicatur solus. d.40. s.5.n.9. fol.369
omnia quæ Pater habet, Filio dedit præter esse Patrem.d.19.s.2.n.20.f.169
Pater cur vnio vocetur à Nazianzeno. d. 76. s.2. n.5.f.632
Pater est author Filij & Spiritus sancti. d.49.s.1. n.1.f.421
Pater Filio dat vitam & omnia per æternam generationem.d.50.s.6.n.2.f.432
Pater est verius & propriùs quàm homines.d.51. s.2.n.1.f.442
Pater non esset integer nisi haberet immanentes relationes Filij & Spiritus sancti. d.30.s.7.n.5. fol.265
an Pater sit initium Filij.d.48.s.3.n.5.f.416
an Pater sit causa Filij & Spiritus sancti. *Lege* s.2. 3. & 4.disp.49.f.422.423.& seqq.
Pater non est duo principia.d.77.s.6.n.17.f.643
an Pater & Filius sint idem principium Spiritus sancti.d.70.s.2.n.10.f.600
an Pater sit Spiritus sancti.d.4.s.6.n.3.f.33
num Pater Filio communicet totam entitatem. d.26.s.4.n.1. & seqq. f.227.& 228
Patris ratio conuenienter appellatur Filius. d.55. s.6.n.4.f.480
Patris vox metaphoricè est Verbum.n.14.f.481
Patris lingua sit ne Verbum.ibid.n.16
Patris & Filij nomina non significant personas prout in se sunt.d.91.s.6.n.2.f.725
Patris, & Filij, & generationis vocabula priùs imposita fuere ad res humanas significandas, & quomodo rebus diuinis quadrare possint. d.4.s.3.n.6.f.27
Patris à Filio distinctio specifica secundum relationes non obstat similitudini.d.6.s.9.n.5.f.54
Patris quidditas vera & propria in ordine ad verum & proprium Filium.d.4.s.3.n.15.f.28
Patris definitio est Verbum.d.8.s.4.n.6.f.70
sola Patris persona est ingenita.d.1.s.3.n.2.f.4
Patris constitutio per Paternitatem.d.13.s.3.n.16. f.126
Patris constitutio per relationem. d.87.s.5. nu.7. f.710. aliquo modo per originem.ibid.n.9

Ruiz. de Trinitate.

Patris operatio Spiritus sanctus. d.66. s.1. n.17. fol.556
omnia Patris esse Filij dicunt aliquando Patres sine limitatione.d.3.s.5.n.8.f.262
Patri vel Spiritui sancto conuenire rationem imaginis, testimonia suadentia declarantur. *Lege* s.6.d.64.f.544
sermonem Patri quomodo tribuat Filius. *Lege* s.10.d.50.f.438
quæ Patri approprientur. *Lege* d.82. f.675. 676. 677.678.679.& 680
Patrem & Filiũ esse simul natura. d.9.s.3.n.8.f.87
Patrem nemo videt nisi Filius. d.40.s.6.n.3.f.370
Patrem & Verbum frequentius tradiderunt Philosophi.d.45.s.1.n.13.f.396
esse Patrem an sit esse Deum.d.13.s.3.n.8.f.125
Patrem voluntate genuisse,quinam patres asserere videantur, & quomodo explicandi.d.93.s.4. fol.742
Patrem appellare *lumen*, & duas personas ab eo procedentes appellare *splendores*, aut *radios*, aut *iubar*, tutior loquendi modus.d.27.s.7. nu.16. fol.239
Patrem esse de essentia Filij, vel Spiritus sancti, an liceat dicere.d.98.s.3.n.10.f.768
Patrem esse verè & propriè conuenit primæ personæ, absque vlla metaphora, vel addito minuente, vel improprietate.d.51.s.1.n.6.f.442
Patrem esse sic propriè conuenit Patri, vt nulli alteri personæ conuenire possit.ibid.n.12
Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse consubstantiales, probant peculiariter illa verba Ioannis 10. vnum sumus. *Lege* sect. 6. d.20. fol.183
Patrem & Filium se diligere Spiritu sancto non dixit Augustinus.d.74.s.1.n.2.f.616
Patrem esse imaginem, quinam videantur asserere.d.64.s.6.n.1.& seqq.f.544
esse Patrem est melius quàm non esse. d.30. s.9. n.6.f.268
aliud est Patrem esse, aliud esse Deum. d.25. s.5. n.6.f.222
in Patre & Spiritu sancto partiales formalitates. d.58.s.3.n.13.& 14.f.495
in Patre & Filio nulla subsistentia realiter vna. d.70.s.3.n.4.f.602
quidquid est in Patre,totum dicitur per Verbum. d.61.s.2.n.12.f.517
dicens *ex Patre*, vel *ex substantia Patris*, an efficiat diuersum sensum.d.98.s.3.f.768

Paternitas.

Paternitas est realis entitas.d.9.s.6.n.3.f.92
Paternitas est incõprehensibilis.d.28.s.2.n.6.f.241
Paternitas perfectior in ordine ad Verbum,quàm in ordine ad creaturas.d.51.s.3.n.1.f.444
Paternitas & Filiatio in suo conceptu formali non explicitè sed implicitè claudunt spirationem.d.17.s.6.n.3.& 5.f.160
Paternitas & Filiatio magis differunt ab inuicem quàm à spiratione. d.17.s.5.n.9.f.159
Paternitas & Filiatio constituunt subsistens.d.34. s.4.n.4.f.301
Paternitas & spiratio sunt vna res relatiua. d.18. s.4.n.11.f.166
Paternitas æterna.d.51.s.2.n.9.f.443
Paternitas est veluti forma tribuens aliquod esse. d.25.s.5.n.14.f.222
Paternitas non est prior quàm persona Patris nisi quodammodo.d.91.s.5.n.17.18.f.725
Paternitas & generatio sub pleno & explicito conceptu sunt simul.d.91.s.2.n.1.f.720

Paternitas non est communis fundamentaliter. d.13.ſ.4.n.22.f.128
Paternitas quæ fundat ingignentiam, non est relatio rationis.d.53.ſ.5.n.13.f.463
Paternitas ſecundum rationem emanat ab eſſentia.d.52.ſ.5.n.8.f.452
Paternitas & Filiatio non ſunt realiter principium ſpirationis actiuæ.d.17.ſ.4.n.17.f.158
an Paternitas toto ſuo eſſe diſtinguat Patrem à Filio.d.13.ſ.3.n.11.f.125
ſi Paternitas eſſet de eſſentia Deitatis,eſſet etiam de quidditate Filij & Spiritus ſancti. d.14.ſ.2.n.13.f.131
Paternitatis exiſtentia concipitur, vt immediatè actuans quidditatem paternitatis. d.25.ſect.5.n.13.fol.222
Paternitatis ratio, definitio,formalitas, an ſit ratio, definitio & formalitas Deitatis. d.15.ſ.8.n.9.f.148
Paternitatis nomen apud Paulum pro cognatione.d.51.ſ.2.n.4.f.443
Paternitatis diuinæ perfectiones quinque , & quæ.d.51.ſ.2.n.6.8.9.10.12.f.443.& 444
Paternitatis cum Filiatione coexiſtentia non eſt omnino ſimultanea.d.61.ſ.5.n.14.f.521
Paternitatis nullum eſt fundamentum, nec ratio fundandi, propriè loquendo.d.91.ſ.3.num.17. fol.722
Paternitatis à Patre diſtinctio maior quàm Deitatis à Deo.d.46.ſ.4.n.14.f.404
Paternitatis à Patre diſtinctio minor , quàm Paternitatis à Deitate.ibid.n.15
Paternitatis conceptus quidam formalis fundat ingignentiam.d.53.ſ.5.n.1.f.462
in Paternitate contineri eſſentiam , euidentiùs oſtenditur.d.13.ſ.2.n.8.f.124
Paternitatem eſſe aliquo modo productam, opinio fuit.d.52.ſ.5.num.1. f.451. erronea eſt illa opinio , propter inconuenientia quæ ſequuntur.ibid.n.3.& ſeqq.

Peccatum.

Peccati remiſſio poſſibilis ſine reali dono. d.109. ſ.7.n.9.f.880

Penetrare.

Penetrare intima Filio appropriatur.d.82.ſ.5.n.4. fol.679

Perfectio. Perfectum.

Perfectio alia ſimpliciter , alia ſecundum quid. d.30.ſ.4.n.1.f.259
Perfectio ſimpliciter non eſt paſſio entis.ibid.n.3
Perfectio tranſcendentalis in Deo eſt perfectio ſimpliciter.d.30.ſ.4.n.7.f.260
Perfectio ſimpliciter ſimplex quid requirat.d.30. ſ.9.n.3.f.267.& n.17.f.269
Perfectio abſoluta eſt realiter vna & ſingularis. d.22.ſ.5.n.10.f.199
Perfectio eſt paſſio entis.d.29.ſ.6.n.8.f.255
Perfectio Patris habere talem filium realiter diſtinctum.d.30.ſ.8.n.5.f.267
Perfectio Spiritui ſancto appropriatur à Patribus.d.82.ſ.6.n.4.f.679
Perfectionum diuinarum nulla eſt actualis diſtinctio ſecũdum relationem ab æterno, comparatione diuini intellectus, ſed tantum eſt diſtinctio virtualis , fundamentalis , & in potentia, comparatione intellectus creati. d.12.ſ.6.n.11
ad Perfectionem diuinæ bonitatis , felicitatis & gloriæ requiritur vera & perfecta charitas. d.3.ſ.1.n.10.f.18
inter Perfectionem & imperfectionem non eſt medium.d.29.ſ.6.n.6.f.254
Perfectionem Dei quamlibet ratio probandi optima.d.25.ſ.2.n.3.f.217
Perfectiones diuinæ nõ ſunt inæquales,quia non differunt ſpecie adæquata.d.30.ſ.10.n.8.270
Perfectiones aliquæ Dei nec ſolùm abſolutæ nec ſolùm relatiuæ.d.30.ſ.7.n.6.f.265
Perfectionum ſimpliciter ſimplicium collectio naturam diuinam conſtituit.d.8.ſ.5.n.6.f.72
in Perfectionibus abſolutis Patres generaliter prohibent numerum pluralem. d.77.ſ.2.nu.7. f.636
in Perfectionibus abſolutis æqualitas tantum eſt.d.103.ſ.6.n.8.f.814
Perfectum eſt id, extra quod nihil eſt.d.30.ſect.3. n.10.259
Perfectum, integrum, & plenum idem. d. 30. ſ 3. n.13.f.259

Perpetuum.

in Perpetuis idem eſt poſſe & eſſe. d.43.ſ.2.n.12. fol.382

Perſeitas.

Perſeitas cognoſcendi creaturas,& perſeitas procedendi per cognitionem illarum,æqualis eſt. d.63.ſ.1.n.7.f.527
Perſeitas comparatione cuiuſque termini conſideranda eſt , ſuppoſita ratione formali cuiuſque termini.d.63.ſ.2.n.3.f.528
Perſeitas qua Verbum diuinum poſtulat procedere per cognitionem creaturarum poſſibilium, conſideranda eſt , ſuppoſita ratione veri entis in creaturis.d.63.ſ.2.n.4.f.528
Perſeitas, qua Verbum diuinum cognoſcit creaturas, eſt æqualis perſeitati , qua procedit per illarum cognitionem.d.63.ſ.1.n.7.f.527

Perſona.

Perſonæ initium & etymologia.d.32.ſ.1.n.1.f.277
Perſonæ nomine, facies ſignificata.n.3.f.278
Perſonæ nomen temerariè vſurpauit Valla. ibid. n.6.7
Perſonæ nomen in Scriptura pro ſuppoſito rationali.n.9.f.278. eſt analogum.n.13
Perſonæ definitio,& vtrum animæ ſeparatæ conueniat. *Lege* ſ.2.f.279
Perſonæ definitiones plures tradit Ricardus Victorinus. *Lege* ſ.3.d.32.f.280.& 281
Perſonæ ratio nec vniuoca nec analoga.d.35.ſ.3. n.4.f.314
Perſonæ ratio non eſt propriè analoga comparatione trium perſonarum.n.9.f.315
Magis accedit ad analogiam tranſcendentiæ. ibid.n.11
Perſonæ ratio eſt perfectio.d.29.ſ.6.n.1.f.254
Perſonæ diuinæ conſtitutio in ſenſu materiali realis ; in ſenſu formali eſt ens rationis. d.86. ſ.54.n.4.& 5.f.702
Perſonæ res & ratio Deo perfectiùs conuenit quàm creaturis.d.32.ſ.4.n.9.f.282
Perſona eſt quid perfectiſſimum. d.32.ſ.4.num.7. f.282
Perſonæ nomen antiquiſſimum.n.13.f.283
Perſonæ ratio conſtitutiua ſecundum ſe totam eſt realis.d.32.ſ.5.n.13.f.285
Perſonæ nomen relationem quaſi ſubſiſtentem primariò ſignificat.d.32.ſ.7.n.3.f.288
Perſona diuina formaliter , in recto & primario ſignificat ſubſtantiam, id eſt rem ſubſiſtentem; atque illam ſignificat per modum ſubſtantiæ potius quàm per modum relationis. d.32. ſ.7. n.16.f.289
Perſona de materiali relationem dicere quomodo intelligatur.d.32.ſ.8.n.1.f.290

Perſona

Perſona pro ſingulari proprietate. ibid.num.5
Perſona non multiplicaretur , ſi formale ſignificatum eſſet eſſentia.d.32.ſ.9.n.2.f.290
Perſona naturam ſignificat in obliquo & de materiali.n.11.f.291
in eius ſignificato Patres aliquando naturam includunt.ibid.n.12
Perſonæ ratio communis poteſt abſtrahi à Deo & creaturis : ſimiliterque communis ratio perſonæ diuinæ poteſt abſtrahi à tribus perſonis diuinis , quæ illis quidditatiuè conueniat. d.35.ſ.1.n.7.f.312
Perſona diuina prout abſtrahitur à tribus, non eſt propriè vniuerſalis ad illas , nec eſt genus aut ſpecies.d.35.ſ.2.n.2.f.313
Perſona quomodo fundamentum relationum. d.91.ſ.3.n.16.f.722
Perſona tanquam ſingularis eſt eſſentia tanquam vniuerſalis. d.32.ſ.6.n.5.f.286
Perſona ab eſſentia per quid diſtinguatur. n.20. fol.287
Perſona vna quo ſenſu dicatur alteri cedere. d.105.ſ.1.n.8.f.826
Perſona vna quomodo det alteri , alia verò recipiat. *Lege* ſ.5.d.50.f.431
Perſona quælibet ſecundum ſe totam eſt in alia totali perſona.d.107.ſ.7.f.839
Perſona ingenita priùs , veriùs ac propriùs Pater eſt quàm homines ſunt patres filiorum quos naturaliter generant. d.51. ſ.2.n.1.f.442
Perſona diuina non mittitur per dona naturalia. d.109.ſ.2.n.5.f.873
Perſona diuina neceſſariò continet in ſe quidquid ad ſui definitionem & cognitionem requiritur.d.107.ſ.5.n.16.f.844
Perſona Patris apparuit in veteri teſtamento. d.109.ſ.9.n.19.f.884
Perſona Filij dupliciter denominatur miſſa. d.108.ſ.1.n.31.f.852.& ſ.9.n.14.f.865
an Perſona Verbi & Spiritus ſancti per ſe requirantur, vt Pater operetur , ita vt ſine illis non poſſet operari. d.110.ſ.2.f.907
Perſona Spiritus ſancti quidditatiuè donũ.d.108. ſ.1.n.29.f.852
Perſona quælibet videtur excedere aliam ; ideo æqualis illi.d.30.ſ.10.n.12.f.270
quod vna Perſona non poſſit operari ſine altera, non eſt imperfectio ſed perfectio. d.111. ſ.8. n.1.f.913
Perſona non plenè conſtituitur relatione tranſcendentali , ſed prædicamentali. d.90.ſ.1.n.4. f.716
Perſona Patris dupliciter concipitur.d.90.ſ.1.n.3. f.716
Perſona quomodo ſit aliud à natura.d.39.ſ.6.n.11. f.354
Perſona conſtituitur ſub proprio conceptu relationis.d.89.ſ.1.f.714.& 715
vnaquæque Perſona dupliciter poteſt ſigillatim ac per ſe conſiderari.d.30.ſ.7.n.11.f.266
Perſona, ſuppoſitum , & indiuiduum comparantur.d.32.ſ.3.n.11.f.281
an Perſona diuina mittatur ad creaturas irrationales.d.109.ſ.6.f.878
an aliqua Perſona ſeipſam miſerit. d.108. ſ.9. f.864.865
Perſona dicitur operari per eam quam mittit. ibid.n.11
Perſona ſeipſam mittens quam authoritatem exercet.ibid.n.19
quælibet Perſona diuina habet quamlibet perfectionem alterius perſonæ,ſed ordine ac modo diſtincto.d.30.ſ.5.n.5.f.261.& 262.n.13
vna Perſona non poteſt diſtingui per abſolutam proprietatem,alia verò per proprietatem relatiuam. d.1.ſ.4.n.13.f.7
vnaquæque Perſona ſigillatim accepta non eſt Triſagios.d.36.ſ.5.n.11.f.327
Perſona quomodo ſit quaſi indiuiduum vagum. *Lege* ſ.4.d.35.f.315
quomodo vnaquæque Perſona ſit plenitudo diuinitatis. d.14.ſ.5.n.1.f.134
de eſſentia Perſonæ non eſt dicenda relatio. d.12. ſ.4.n.7.f.117
inter Perſonam & notionem nulla diſtinctio ante opus intellectus.d.46.ſ.5.n.9.f.405
Perſona Patris eſſet compoſita,ſi ſpiratio realiter diſtingueretur.d.17.ſ.3.n.14.f.157
an Perſona diuina per quamcunque proprietatem conſtituatur,& per quamcunque proprietatem diſtinguatur. *Lege* ſ.5.d.86.f.702.& 703
Perſona procedens mittitur à qualibet perſona. d.108.ſ.10.n.16.f.868
tota Perſona per ſe primo & ratione ſui eſt in alia tota perſona.d.107.ſ.4.n.8.f.841
Vnicam eſſe Perſonam ingenitam , ratione demonſtratur. *Lege* ſ.4.d.52.f.450
ad Perſonam requiritur proprietas realis.d.32.ſ.5. n.10.f.284
in vnaquaque Perſona plenitudinem perfectionis complet circuminſeſſio perſonarum inuicem immanentium.d.30.ſ.6.f.263
Perſonæ creatæ & increatæ quî differant. d. 80. ſ.8.n.7.f.671
Perſonæ diuinæ non dependent propriè ab inuicem, etiam ſecundum formalem rationem relationis.d.10.ſ.2.n.5.f.97
Perſonæ diuinæ non propriè differunt numero. d.35.ſ.5.n.2.f.316
ſint ne propriè indiuidua. *Lege* ſ.6.ibid.
Perſonæ diuinæ prout relationibus conſtituuntur realiter diſtinguuntur.d.19.ſ.6.n.9.f.175
Diſtinguuntur vt res à re.ibid.n.11
Earum diſtinctio conſiſtit in ipſa reali entitate & quidditate relationis diuinæ, prout opponitur ſuo relatiuo.ibid.n.12
Perſonæ ſola relatione diſtinguuntur. d.9. ſect.5. n.7.f.90
tres Perſonæ diuinæ ſi aſſumpſiſſent eandem humanitatem, non eſſent tres homines. d.77.ſ.3. n.11.f.638
tres Perſonæ diuinę ſunt vna ſapientia,ſiue ſcientia, vna voluntas, &c.ibid.n.13.
tres perſonæ ſimul ſumptæ non ſunt aliquid perfectius quàm vnaquaque perſona ſigillatim. *vide* ſ.2.d.30.f.256.& 257
Sunt æquales non ſolum quantum ad abſolutam, ſed etiam quantum ad relatiuam perfectionem.ibid.n.11
tres Perſonæ ſimpliciter dici poſſunt tres vnitates.d.27.ſ.3.n.5.ſ.232
tres Perſonæ diuinæ ſunt tres vnitates non prædicamentales, ſed tranſcendentales , & inadæquatam pluralitatem habentes. ibid.n.7
tres Perſonæ non ſunt tres ſubſtantiæ , ſed vna tantùm, abſolutè loquendo. *Lege* ſect.2.d.23. f.202
an tres perſonæ ſint tria lumina. *Lege* ſect.6.& 7. d.27.f.237.238.& 239
tres Perſonæ cur non tres dij?d.22.ſ.6.n.2.f.199
tres Perſonæ quomodo tria , nullo adiecto ſubſtantiuo.d.26.ſ.3.n.3.f.226

ſi Perſonæ plures quàm duæ poſſent produci, poſſibiles eſſent plures dij. d.102.ſ.1.n.6.f.803
tres Perſonæ non ſunt plenè & adæquatè plures. d.27.ſ.3.n.13.f.233
tres Perſonæ ſunt realiter vnũ. d.11.ſ.4.n.1.f.106
tres Perſonæ ex eadem eſſentia dici non poſſunt, & quare. d.20.ſ.8.n.12.f.187
Perſonæ diuinæ non poſſunt relationibus diſtingui niſi præſupponatur origo. d.1.ſ.4.n.17.f.7. 8.& 9
Perſonæ diuinæ relationibus perſonaliter conſtituuntur, ac diſtinguuntur. d.87.ſ.2. fol.704. & 705
Perſonæ diuinæ per relationes prius & principaliter conſtituuntur ac diſtinguuntur; poſterius autem & conſequenter per origines. d.87.ſ.5.f.710
Perſonæ diuinæ verè ac propriè mittebantur. d.109.ſ.10.n.18.f.886
Perſonæ diuinæ non ſunt propriè tria ſubiecta. d.35.ſ.7.n.3.f.317
minus propriè, vel adhibita declaratione poterunt appellari tria ſubiecta. n.6.f.318
non propriè ſunt ſpecies, nec propriè differunt ſpecie. ſ.8. nu.6.f.318. non prædicabiles. n.7. non ſubiicibiles. n.8. quaſi ſpecies ſunt. num.10
Perſonæ diuinæ cur non tres dij. d.1.ſ.3.nu.3.f.4. d.77.ſ.2.n.3.4.5.fol.635
Perſonæ infinitæ non poſſunt deeſſe perfectiones duæ. d.30.ſ.3.n.4.f.258
Perſonæ diuinæ ſunt tres res. d.26.ſ.1.nu.3.f.225. ſint ne tria entia adiectiuè & tres entitates ſubſtantiuè. *Lege* ſ.2. eiuſdem.diſp.f.225
an Perſonæ diuinæ ſint tres increabilitates, immutabilitates, immortalitates, & impaſſibilitates. *Lege* ſ.3.d.28.f.242.& 243
Sint ne tres incorporeitates ſiue immaterialitates, & tres indiuiſibilitates, inuiſibilitates, incomprehenſibilitates, ineffabilitates. *Lege* ſ.4.d.28.f.244.& 245
an Perſonæ diuinæ realiter & perſonaliter diſtinguantur eiſdem proprietatibus, quibus conſtituuntur. d.68.ſ.8.n.6.f.590
Perſonæ ſingulæ ſunt omnipotentes. d.101.ſ.4. n.1.f.795
an Perſonæ, prout in ſe ſunt, ſignificentur nominibus Patris & Filij. d.91.ſ.6.n.2.f.725
Perſonæ pertinent ad integritatem obiecti primarij. d.61.ſ.5.n.16.f.522
Perſonæ diuinæ eodem Verbo loquuntur. d.60. ſ.6.n.4.f.514
tres Perſonæ ſunt tres dicentes. ibid.n.9
eodem amore producto diligunt. ibid.n.10
Perſonæ productæ, videlicet Filius & Spiritus ſanctus, prius & principaliter per relationes conſtituuntur, poſterius & conſequenter per origines. d.87.ſ.5.n.4.5.6.f.710
Perſonæ diuinæ ſunt aliquo modo commenſurabiles. d.103.ſ.2.n.12.f.809
Perſonæ diuinæ ſunt vnius ſubſtantiæ, ſiue eſſentiæ. d.14.ſ.3.n.1.f.132
ſingulæ Perſonæ ab intrinſeco habent omnia. d.10.ſ.2.n.8.f.97
tres Perſonæ ſunt vna veritas tranſcendentalis. d.27.ſ.4.n.4.n.4.f.234
Perſonæ diuinæ ſunt vnum, infinitæ perfectionis, nihil creatum habentes. *Lege* ſect.4. d.11. fol.106
Perſonarum diuinarum æqualitas & ſimilitudo perfectiſſima. d.103.ſ.2.f.808
Perſonarum pluralitas ſignificata *Elohim* nomine. d.77.ſ.5.n.1.640
Perſonarum nomina relatiua ſunt. d.87.ſ.2.nu.3. f.702. diſcrimen aliorum nominum.n.4
Perſonarum nomina propria ſignificare relationem, qui Patres dicant. d.87.ſ.4.n.6.f.708
Perſonarum pluralitatem occultandi rationes ante Euangelium. d.35.ſ.2.n.6.f.320
Perſonarum æqualitas miſſione probatur. d.108. ſ.1.n.7.f.850
Perſonarũ ſeparatio, ſola conſideratione intellectus. d.19.ſ.3.n.4.f.171
Perſonarum diuinarum diſtinctio aut identitas quibus vocabulis ſignificetur. *Lege* d.39.f.346. 347. & ſeqq.
Perſonarum diuinarum ſocietas, conſortium, communio, conſonantia, & vnio ſiue concordia ſunt relationes rationis. d.103.ſ.9.n.4.f.820
Fundãtur in vnitate ſcientię & volitionis. ibid.
Perſonarum diuinarum identitas potius quam ſimilitudo vel æqualitas. d.103.ſ.8.n.8.f.818
Perſonarũ diſtinctionem eſſe realem eſt de fide, ita vt hæreſis eſſet dicere, non eſſe realem. d.19.ſ.6.n.1.f.174.& 175. quo ſenſu. n.15.f.176
an trium Perſonarum ſint tres quidditates, rationes. diffinitiones, ſpecies &. tria genera. *Lege* ſ.5.d.24.f.213.& 214
Perſonarum diuinarum diuiſio ac diſcretio an admittenda. *Lege* ſ.12.d.29.f.361
Perſonarum connexio quantum ad æternitatem. d.27.ſ.1.n.9.f.230
Perſonarum conſubſtantialitas, ſocietas, conſortium & communio, quæ relationes. d.18.ſ.4. n.8.f.166
Perſonarum diſtinctionem realem ſeu relationem in Deo quinam hæretici negent. *Lege* ſ.1. d.19.f.166. & 167
Perſonarum vnitas non excederet captum humanum ſi non eſſet realis & numerica. d.22. ſ.4.n.7.f.198. ea vnitas ex immaterialitate. num.10
Perſonarum diuinarum numerus tranſcendentalis concedendus eſt ſimpliciter, ſed tamen inadæquate *Lege* ſ.2.d.37.f.333
Perſonarum diuinarum diſtinctionem aut conſtitutionem per proprietates, quinam Patres aſſerant. d.86.ſ.2.n.3.& ſeqq f.698.& 699.& ſ.3. f.700.& 701
Perſonarum conſtitutio plena quidditatiuè claudit in Paternitate & Filiatione. d.17. ſ.6.n.7. fol.160
Perſonarum diuinarum diſtinctio realis eſt minima. d.19.ſ.7.n.4. f.176. eſt minima non ſolum extenſiuè. ſed etiam intenſiuè. n.10. quomodo intenſiuè. n.11. eſt infinita. n.14
Perſonarum pluralitas probatur per *Vnum ſumus*. d.19.ſ.2.n.7.f.168
trium Perſonarum non ſunt tres formæ, abſolutè loquendo. *Lege* ſ.6.d.24.f.215
Perſonarum nomina ex rebus nobis notis. d.65. ſ.3.n.11.f.552
trium Perſonarum vna eſt eſſentia, vel ſubſtantia d.20.ſ.8.n.8.f.187
Perſonarum circuminſeſſio rectè probatur ex vnitate eſſentiæ. d.107.ſ.5.f.843
Perſonas diuinas eſſe partes affirmabant aliqui. d.38.ſ.1.n.3.f.339
Perſonas ſola ratione diſtingui, quo ſenſu dixerint aliqui Patres. d.19.ſ.3.n.6.f.171
tres Perſonas realiter diſtingui probatur variis teſtimoniis Scripturæ. *Lege* ſ.4.d.19.f.171

plures

plures Perſonas in Deo diſtingui proprietatibus abſolutis, eſt impoſſibile. d.1.ſ.4.n.4.f.6
Perſonas diuinas non conſtitui proprietatibus abſolutis, probant Latinorum patrum teſtimonia. d.87.ſ.3.f.706.& 707
tres diuinæ Perſonæ non ſunt tres eſſentiæ ſiue naturæ. *Lege* ſect.2.d.24.f.210
tres Perſonas eſſe tres veritates relatiuas, affirmant aliqui. d.27.ſ.4.n.10.f.235
tres Perſonas dicere tres Deos aut Iudices pugnat cum ratione. d.77.ſ.5.n.15.f.641
tres Perſonas vnica relatione æqualitatis realiter ad ſe inuicem referri, implicat contradictionem. d.103.ſ.4.n.5.f.811
Perſonas vnitas & coniunctas dicere, non eſt in vſu Latinis. d.38.ſ.2.n.13.f.342
tres Perſonas æternas ſcripſere quidam Philoſophi. d.45.ſ.1.n.5.f.395
Perſonas diuinas eſſe tres & non plures, ratione probatur. *Lege* ſect.2.d.33.f.294
an ad Perſonas plures quàm duas extendatur potentia productiua Dei. *Lege* diſp.102. fol.802. 803.& ſeqq.
tres Perſonas eſſe tres ſubſtantias dicunt aliqui Patres, idque duplici ſenſu. *Lege* ſect.4. d.23. f.206
Perſonis diuinis attribui nequeunt, niſi per blaſphemiam, nomina conſanguinitatis aut cognationis. d.4.ſ.5.n.15.& ſeqq.f.32
an Perſonis diuinis ſecundum ſe totas conueniat circuminſeſſio. *Lege* diſp. 107. fol. 836. 837. & ſeqq.
in tribus Perſonis tres ſunt relationes æqualitatis & tres ſimilitudines. d.103.ſ.7.n.13.f.817
Perſonis ſingulis optimè quadrant nomina. d.9. ſ.2.n.3.f.85
an omnibus Perſonis conueniat idem modus immanentiæ. d.107.ſ.8.n.14.15.f.849
in Perſonis tota diſtinctio, nulla in ſubſtantia. d.14.ſ.3.n.2.f.132
in diuinis Perſonis an concedendæ notiones ſeu proprietates. *Lege* ſect.2.d.46.f.399. & 400
in ſingulis Perſonis tota natura diuina. d.14.ſ.2. n.22.f.132

Perſonalitas.

Perſonalitas etiam vnius perſonæ tota eſt in alia. d.30.ſ.6.n.13.f.264
Perſonalitas non eſt realiter modus diuinæ ſubſtantiæ. d.12.ſ.5.n.2.f.117
Perſonalitas eſt modus diuinæ ſubſtantiæ ſecundum rationem & rectum ordinem intelligendi. d.12.ſ.5.n.3.f.117
cur appelletur modus. ibid.n.4.& ſeqq.
Perſonalitas non includitur ex æquo, nec in recto in formalitate potentiæ productiuæ. d.100. ſ.4.f.787
in Perſonalitatibus non eſt æqualitas ſecundum rationem. d.103.ſ.6.n.14.f.815
Perſonalitas eſſet eſſentialis Deo, ſi Deus eſſet vna tantùm perſona. d.14.ſ.6.n.8.f.136
tres Perſonalitates ſiue tres relationes ſunt tres realitates ſimpliciter. d.26.ſ.1.n.12.f.225
Perſonalitas non diſtinguitur ab eſſentia diuina, per intellectionem diuinam, propriè loquendo. d.12.ſ.6.n.11.f.119
Perſonalitates diuinæ ſunt perfectio ſimpliciter ſimplex. d.30.ſ.9.n.5.f.268
non tres perfectiones ſimpliciter ſimplices, niſi valde impropriè. n.20.& 21.f.269
Perſonalitates & relationes realiter identificantur cum eſſentia diuina, & ante operationem intellectus non diſtinguuntur. *Lege* ſect. 4. d.11.f.106

Philoſophi.

Philoſophi antiqui qualem & quantam noritiam Trinitatis adepti fuerint. *Lege* diſp.45. f.395. & ſeqq.

Pictura.

Pictura non habet propriè rationem imaginis, ſed analogicè. d.64.ſ.1.n.11.f.536

Pili.

Pilorum productio non eſt generatio. d.6. ſect.6. n.25.f.50

Plenum.

Plenum, integrum & perfectum, idem. d.30.ſ.3. n.13.f.259

Pluralitas.

Pluralitati obſtat non tantùm vnitas formæ, ſed etiam vnio formarum. d.77.ſ.7.n.4.f.644

Pneumatomachi.

Pneumatomachi cur ita dicti. diſp.66. ſect.2.n.7. f.557

Pondus.

Pondus, menſura, numerus quo pacto Trinitatem indicent. d.44.ſ.4.n.4.f.390

Porphyrius.

Porphyrius Verbum Dei redarguebat. d.55.ſ.2. n.5.f.475

Potentia.

Potentia quid ſit. d.99.ſ.2.n.12.f.776
Potentia eſt id quo agens agit. d.100.ſ.2.num.9. f.784
Potentia eſt in Deo non modò reſpectu Filij ſed etiam reſpectu notionalis actus. d.99.ſ.2.n.24. f.777
Potentia productiua ratione ratiocinata diſtincta eſt à principio producente *vt quod*. d.99. ſ.4.n.4.f.779
Potentia generandi & ſpirandi comparatur cum potentia creandi quantum ad analogiam prioritatis & perfectionis. d.99.ſ.5.f.780
Potentia in omnibus perſonis eadem. d.101.ſ.2. n.6.f.793
Potentia diuina creuiſſet, ſi filius natus eſſet in tempore. d.29.ſ.3.n.17.f.251
Potentia proxima, & potentia remota, quomodo diſtinguantur. d.100.ſ.5.n.13.f.789
Potentia & actus coaleſcunt in vnum. d.11.ſ.5. n.12.f.108
Potentia generandi non conuenit Filio, nec Spiritui ſancto. d.101.ſ.1.n.19. f.792.& num.22. f.793
Potentia generandi Filium, & ſpirandi Spiritum ſanctum, in Deo realis eſt ac poſitiua. d.99.ſ.2. n.1.f.775
Potentia generandi & ſpirandi ſub omnipotentia, communi tribus perſonis, comprehenditur à Patribus. d.101.ſ.4.f.795
Potentia rationalis non neceſſariò operatur, poſitis omnibus requiſitis. d.92.ſ.6.n.1.f.735
Potentia quæ non reducatur ad actum in aliqua perſona. d.101.ſ.n.17.f.801
an Potentia generatiua & creatiua quaſi ſpecie differant. d.101.ſ.6.n.30.f.802
Potentia Dei non eſt productiua perſonarum plurium quàm duarum. d.102.ſ.1.n11.f.802
Potentia Patri cur appropriata. d.82.ſ.1. num.6. f.675.& ſ.2.n.4.f.677
Potentia Filio etiam appropriatur nec non Spiritui ſancto. d.82.ſ.2.n.6.f.677
Potentia perfectior debet poriori iure contineri ſub omnipotentia. d.101.ſ.5.n.3.f.798

Potentia productiua quomodo significet in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem. d.100.ſ.5.f.788
Potentia productiua Dei non includit relationem ſeu perſonalitatem & eſſentiam ex æquo & in recto, nec principalius.d.100.ſ.4.num.8. f.787
Potentia productiua perſonarum determinatur notionali aliqua formalitate.d.100.ſect.3.n.5. f.785
Potentiæ generatiuæ proportio ad potentiam, qua producimus noſtrum verbum mentale. d.100.ſ.2.n.17.f.785
Potentia, ſapientia, bonitas quomodo Trinitati accommodentur.d.44.ſ.4.n.3.f.390
vnica Potentia ſpiratiua conſtituitur vnicum principium ſpiratiuum. d.99.ſ.n.15.f.776
Potentiæ naturaliter operanti repugnat indeterminatio propriæ *libertatis*. d.100. ſ.3. n.8. f.786

Præceptum.

Præceptum Chriſto Domino ſecundum humanitatem.d.50.ſ.9.n.16.f.438

Præciſio.

Præciſio noſtra quomodo relinquat imperfectum Deum.d.29.ſ.5.n.7.f.253

Prædicamentum. Prædicatio. Prædicatum.

Prædicamentum ſubſtantiæ & relationis quo ſenſu Deo conueniant. diſput.10.ſect.4.n.13. f.100
quid de cæteris Prædicamentis. ibidem.num.15. & ſeqq.
quæ Prædicamenta Deo repugnent. d.1. ſ.4. n.6. & ſeqq.f.6. & 7
Prædicatio relatiua quomodò nihil rei addit.d.9. ſ.7.n.11.f.95
Prædicatio mutua concretorum de abſtractis, & abſtractorum de concretis & abſtractis, probat relationes non diſtingui ab eſſentia. *Lege* ſect.6.d.11.f.110
Prædicatio per ſe vnde nomen accipiat. d.14.ſ.7. n.8.f.137
Prædicationes per ſe vel per accidens. *Lege* ſect.7. & 8.d.14.f.136.137.& 138
Prædicatum negatiuum non directè, ſed reductiuè ac per diſcurſum reuocatur ad idem genus ſui affirmatui.d.79.ſ.3.n.5.f.653
Prædicata contradictoria de eodem homine ratione diuerſarum humanitatum. d.77. ſ.7.n.7. f.644
Prædicata quædam negantur de ſpiratione quæ affirmantur de paternitate & filiatione. d. 17. ſ.5.n.4.f.159
ad Prædicata contradictoria diſtinctio rationis ſufficit.d.2.ſ.2.n.3.f.11
ad Prædicata contradictoria ſufficit diſtinctio rationis. d.15.ſ.7.n.8.f.146
an Prædicata eſſentialia, communia tribus perſonis, poſſint vni peculiariter appropriari. d.82.ſ.1.n.10.& ſeqq. f.676

Præpoſitiones.

Præpoſitio *apud* quomodo differat à præpoſitione *in*. d.107.ſ.8.n.9. f.848
Præpoſitio *apud* quando non denotet realem diſtinctionem.d.19.ſ.4.n.25.f.173
Præpoſitio *in* peculiariter exponitur. d.112. ſ.5. f.829
Præpoſitionis *cum* vſus.d.112.ſ.6.f.922
Præpoſitio *per* quando denotat cauſam æquè principalem.d.69.ſ.3.n.3.f.594
Præpoſitiones denotantes ordinem originis præponuntur eſſentiæ vel naturæ. d. 80. ſect.11. n.12.f.660
Præpoſitiones *cum* & apud diſtinctionem realem connotant.d.19.ſ.4.n.12.f.172
Præpoſitiones *in* & *apud* an idem valeant. d. 19. ſ.4.n.16.f.172
Præpoſitiones *per, cum* & *in*, adiunctæ Filio, vel Spiritui ſancto,quid ſignificent. *Lege* diſp.112. f.915.916.& ſeqq.
Præpoſitiones *de* & *ex* communicationem denotant aliquando.d.80.ſ.7.n.13.f.669
Præpoſitiones *è, à*, vel *ab*, quid propriè denotent. d.98.ſ.4.f.769
Præpoſitionum vis in myſterio Trinitatis diligenter obſeruandæ.n.6.f.2
Præpoſitionibus *de* & *ex* quid propriè ſignificetur. *Lege* diſp.98.f.765.766.& ſeqq.
an Præpoſitionibus *de* & *ex*, quando iunguntur diuinis perſonis,denotetur materiale principium vel formale. *Lege* diſp.97. f.760.761. & ſeqq.
an Præpoſitionibus *de,ex, è, à*, vel *ab* indifferenter vtantur Concilia & Patres, loquentes de diuinis proceſſionibus.d.98.ſ.2.n.13.f.767

Præſentia.

Præſentia impropriè dicta.d.109.ſ.7.n.14.f.880

Præteritum.

Præteritum imperfectum quibus in verbis, & quouſque ſit præferendum, ad ſignificandam æternitatem.d.104.ſ.3.f.823

Primogenitura. Primogenitus.

Primogenitura duplicem affert relationem Dei Filio.d.4.ſ.7.n.29.f.37
Primogenitus duo dicit.d.4.ſ.7.n.6.f.35
Primogenitus ratione vtriuſque generationis ſimul.ibid.n.7
Primogenitus omnis creaturæ, non primocreatus,dixit Apoſtolus.ibid.n.10.& ſeqq.
Primogenitus ad humanitatem quo ſenſu relatus à Patribus. n.20.& ſeqq.f.36
Primogenitus, licet nihil crearetur. ibid.n.25
Primogenitus ex mortuis. d.4. ſ.7. n.28.f.37
Primogenitus naturaliter quomodo.ibid.n.29

Primus.

Primum eſſe quid ſit.d.105.ſ.4.n.24.f.831

Principium.

Principium intrinſecum eminentiùs continens perfectiones formæ & materiæ. d.97. ſ.3. n.5. f.763
Principium vnum conſtituitur vna relatione. d.18.ſ.2.n.14.f.164
an omne Principium ſit cauſa apud Ariſtotelem. d.49.ſ.4.n.4. f.425
Principium coniunctum cur requiratur ad generationem.d.6.ſ.6.n.7.8.& 9.f.49
Principium non eſt connotatiuum.d.70.ſ.2.n.21. f.601
Principium ſpiratiuũ eſt ſingulare realiter vnum. d.70.ſ.3.n.12.f.603
Principium ſpiratiuum quid ſignificet. d.70. ſ.2. n.4.f.599
Principium ſpiratiuum *vt quo* relatione conſtituitur.d.70.ſ.5.n.3.f.606
Principij generatiui & ſpiratiui diſcrimen. d.70. ſ.5.n.2.f.605
Principij ſpiratiui identitas eſt ratio ne priùs ſpiret vnus.d.69.ſ.2.n 4.f.593
Principij *ad intra* & *ad extra* diſcrimen. d. 9. ſ.7. n.16.f.95
Principij ratio quomodo conueniat Deo. *Lege* diſp.48.f.414.415.& ſeqq.

Princi

Principij expers nomen & ſolius Patris. d.52.ſ.3. n.16.f.449
an Principiis metaphyſicis ac dialecticis de identitate cum vno tertio, forma ſyllogiſtica & contradictionibus, repugnet myſterium Trinitatis. *Lege* diſp.15.f.139.& ſeqq.

Prioritas.

Prioritas in Deo quid ſit.d.61.ſ.5.n.10.f.521
Prioritas inter Paternitatem & filiationem. ibid. num.14
Prioritas & poſterioritas ſecundum diuerſum ordinem rationis inter Spirationem & Paternitatem, & Filiationem.d.17.ſ.6.n.16.f.161
Prioritas rationis quid ſit. diſp.94. ſect.2.num.8. f.746
Prioritas mutua inter diuinas formalitates multoties reperitur. diſp.94.ſect.2.num.19.20.21. f.747
Prioritatis ordo inter potentiam creatiuam & Verbum ac Spiritum ſanctum. d.111.ſ.8.n.10. f.915
Prioritatis modus inter hunc Deum & perſonas ſigillatim conſideratas, duplex.d.78.ſ.3.n.2. & 3.f.648
Prioritatis ordo nullus eſt non modò durationis ſed neque ratione originis in ſpirando Spiritum ſanctum.d.69.ſ.2.n.1.f.593
Prioritas in perſonis ſub pleno conceptu non eſt. d.105. ſ.5. n.4.f.832. ſed ſecundum quid ſub partiali conceptu. ibid. n. 6. ſitne realis. n.10. non eſt diſtincta à quatuor relationibus,Paternitate, Filiatione, Spiratione & Proceſſione. num.12
Prioritates originum variæ iuxta varias earum comparationes.d.106.ſ.2.f.834.835

Priuatio.

an Priuatio ſit poſterior habitu. d.53. ſ. 3. n.11. f.460
Priuationis aliquid admixtum eſt ingenito.d.53. ſ.3.n.4.f.459

Procedere. Proceſſio.

Procedere per modum naturæ, & per modum voluntatis quid ſit.d 6.ſ.4.n.2.f.46
Procedere realiter à ſeipſo, vel produci Deum vel perſonam Patris, implicat contradictionem.d.53.ſ.6.n.2.f.464
Procedere per intellectum & per intellectionem ſeu per operationem intelligendi, idem prorſus eſt,ſicut etiam idem prorſus procedere per voluntatem, ſiue per volitionem, aut amorem, ſiue per operationem volendi. diſp.2. ſ.2.n.2.f.11
Proceſſio eſt incnarrabilis. diſp.9. ſect. 1. num.1. f.56
Proceſſio æterna, per quam Spiritus ſanctus totum eſſe ſuum accipit à Filio ſimul cum Patre, ſignificatur illis verbis. *De meo accipiet*. d. 50. ſ.7.n.2.f.414
Proceſſio eſt ratio, vt non ſint tres Dij. diſp.1. ſ.3.n.3.f.4
Proceſſio æterna minus principaliter ac de materiali, conſtituit miſſionem. diſp.108. ſect.6. n.8.f.860
Proceſſio eſt ratio immanentiæ. d.107.ſ.6.n.15. f.845
Proceſſio æterna eſt de quidditate miſſionis. d.108.ſ.3.f.854
Proceſſio ſecundæ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis verè & propriè eſt generatio. diſp.4. ſect.1. n.5.f.22.& 23
Proceſſio eſt ad modum actionis. d.6.ſ.5.n.8.f.47
Proceſſio diuina meliùs & congruentiùs explicatur verbo præſentis temporis. d.104. ſ.2. n.1.f.821.822
Proceſſio & Filiatio non rectè conſiderantur quaſi reſultantes immediatè ab eſſentia. d. 52. ſ.5.n.10.f.452
Proceſſio Verbi vt ſimilis obiecto cognito. d.6. ſ.9.n.13.f.55
Proceſſio paſſiua communis Filio & Spiritui ſancto, non eſt peculiaris notio.d.47.ſ.3. num.11. f.410
Proceſſio requirit realem diſtinctionem. d.53.ſ.6. n.3.f.464
Proceſſio Filij definitur in Conciliis. ibid. n.8. & ſ.5.& 6.f.573.574.& 575
vnica Proceſſio temporalis & æterna, in ratione miſſionis.d.108.ſ.7.n.6.f.862
Proceſſio Spiritus ſancti à Filio quare non diſcuſſa ab Epheſino Concilio. d.67.ſ.9.n.7.f.580
Proceſſio Spiritus ſancti ſitne prior relatione. d.91.ſ.2.n.7.& ſeqq.f.720
Proceſſio ſequeretur ex reali diſtinctione relationum ab eſſentia.d.11.ſ.4.n.18.f.107
Proceſſio per intellectionem infertur ex eo quod Filius ſit Verbum.d.2.ſ.2.n.8.f.12
Proceſſio per intellectum vnica tantùm eſt poſſibilis in Deo.d.102.ſ.2.f.804
Proceſſio per amorem etiam vnica tantùm. ibid. num.3
Proceſſionis nomen communiter reſtringitur ad productionem Spiritus ſancti. d.7. ſ.1. num.3. & ſeqq.f.56
Proceſſionis nomen addere perfectionem peculiarem, quo ſenſu dixerint aliqui. d.7. ſ.1. n.9. f.56
Proceſſionis diuerſitas. d.69.ſ.5.n.4.f.597
Proceſſionis & generationis conuenientia. d.7. ſ.2.n.1.f.58.differentia.ibid.n.2
Proceſſionis diſcrimen à generatione non oſtenditur euidenter.d.5.ſ.1.n.22.f.38
vtrique Proceſſioni communia. d. 6. ſ.8. num.1. f.52
Proceſſionem Spiritus ſancti à Filio quæ Synodus prima decreuerit perſpicuis verbis. d. 67. ſ.4.n.4.f.572
Proceſſionem Verbi non eſſe generationem, quæ probare contendunt, argumenta ſoluuntur. *Lege* ſect.9.f.53.& 54
in Proceſſione Verbi per intellectum, conſiſtit formaliſſima ratio proceſſionis,vt imago ſimilis in natura. *Lege* ſect.2.f.43
abſque Proceſſione non poſſe diuinas perſonas multiplicari, ratio naturalis oſtendit. d.1. ſ.4. n.1.& ſeqq.f.6
ſine Proceſſione non eſt realis diſtinctio in diuinis.d.17.ſ.2.n.16.f.155
Proceſſiones ſunt de fide.diſp.1.ſ.1.n.5.f.3
Proceſſiones negant Autotheani. d.1. ſ.1.f.3
Proceſſiones ad intra Deo realiter & propriè conueniunt cum ſubordinatione originis inter ipſas proceſſiones. d.1.ſ.6.n.1.& ſeqq.f.9. & 10
Proceſſiones analogicè diſtinguuntur.d.3. ſect.1. n.20.f.19
Proceſſiones non ſunt multitudine infinitæ. d.3. ſ.2.n.1.f.19
non ſunt plures quàm duæ.ibid.n.2.
Proceſſiones diuinæ per verba connotantia temporis differentias explicantur à nobis. d.104. ſ.1.n.6.f.820
Proceſſiones diuinæ non ſunt immediatè per eſſen

essentiam diuinam vt ab intellectu & voluntate distinguitur, sed quidditatiuè sunt operationes intelligendi & volendi. d.2. f.2. num.5. f.12
Processiones seipsis distingui. d.6.sect.5.n.1. f.46
Processiones esse duas, an ratione naturali demonstrari possit.d.3.f.1.n.3.& 4.f.17
Processionum distinctio.d.3.f.1.n.2.f.17
Processionum distinctio per terminos. d. 8. f. 2. n.9.f.67
Processionum distinctio qualis sit. disp.3. sect.1. n.15.f.18
Processionum necessitas ad multiplicandas personas.d.1.f.3.n.1.& seqq.f.4.& 5
Processionum diuinarum non est materiale principium.d.97.f.1.n.8.f.761
Processionum diuinarum fieri & factum esse. d.104.f.5.n.5.f.824
Processionum diuinarum quo sensu nullus sit terminus. d.98.f.7.n.11.f.773
Processionibus diuinis repugnat productio per modum artis.d.3.f.2.n.11.f.20
Processionibus diuinis congruunt magis verba cuiuslibet temporis simul posita.d.104. sect.1. n.8.f.821
in Processionibus diuinis præpositio *de* non significat materiale principium. d.97.sect.3.n.1. f.763

Producere. Productio.

Producendi modus distinctus.disp.6.sect.5. n.12. f.48
Producendi verbum nonnulli accommodant processioni Spiritus sancti.d.7.f.1.n.17.f.57
Productio increata terminatur ad personam.d.7. f.3.n.3.f.59
Productio Euæ non fuit generatio,& cur.d.6.f.6. n.11.f.49
Productio creata naturam producit , increata personam.d.6.f.5.n.11.f.47
Productionis ratio communis quam similitudinem afferat.d.7.f.5.n.2.f.61
Productio partim æquiuoca,partim vniuoca.d.7. f.5.n.4.f.61
vtraque Productio plus habet de vniuocatione quàm de æquiuocatione.d.7.f.5.n.5.f.61
Productio vtriusque personæ diuinæ se habet ad modum actionis, & ad modum passionis. d.6. f.5.n.8.f.47
an Productionem creaturarum per se requiritur Verbum vt exemplar, & vt iussio,& directio. d.62.f.2.n.8.f 524
Productiones diuinas seipsis differre, sententia asserens discutitur.d.6.f.5.n.14.f.48
an Productionibus diuinis conueniat terminus *à quo*. d.98.f.1.n.7.f.765

Propitiatio.

Propitiatio cui approprietur. *Lege* sect. 7. d.82. f.660.& 661

Proportio.

Proportio permutata quando seruanda. d.17.f.4. n.5.f.157

Propositio.

Propositio scandalosa , *Deus Pater est antequam Deus Filius* d.105.f.5.n.7.f.832
Propositio hæc , *Deus generat Deum.* sitne vera. d.78.f.1.n.1.& seqq.
quid de illa, *Deus non generat.* ibid.f.2
Propositio hæc , *Pater est Deus, &, idem Deus est Filius*, an admittenda.d.39.f.8.n.3.f.357
quid de hac : *Pater est idem Deus cum Filio & Spiritu sancto.* ibid.n.6
an Propositiones istæ : *Deus est tres personæ* ; vel, *Essentia est tres personæ* ; vel, *Deus*, aut, *Essentia est Trinitas*, & aliæ similes, sint veræ.*Lege* disp.81. f.671.672.& 673
Propositiones generales limitationem à circunstantiis accipiunt.d.50.f.12.n.7.f.440
Propositiones quædam conditionales exponuntur.d.53.f.5.n.18.f.463.& 464
Propositiones quædam veræ. *Lege* sect. 5. d. 80. f.666
Propositiones Raymundi Lullij temerariæ. d.80. f.4.n.11.f.665.& 666
Propositiones quædam quoad generationem negandæ vel explicandæ.d.93.f.2.n.20.f.740
Propositionibus per se possunt adhiberi dictiones reduplicatiuæ.d.14.f.8. n.1.f.138

Propriè. Proprietas.

Propriè aduerbium quadrupliciter accipitur.d.51. f.1.n.2.f.441
Proprietas accipitur essentialiter aliquando.d.47. f.50.n.1.f.412
Proprietas notionaliter accepta.ibid.n.5
Proprietates quinque.ibid.n.6
Proprietas personæ an personalis. ibid.n.7
Proprietatis acceptio strictior ibid.n.8
Proprietatis acceptio strictissima pro tribus relationibus.d.47.f.5.n.10.f.413
Proprietates numero pauciores,quàm relationes. ibid.n.16
Proprietas, notio, relatio quomodo differant. d.47.f.5.n.17.f.413
Proprietatis ratio formalis est ens rationis. ibid. num.19
Proprietas absoluta vnius tantùm personæ est impossibilis.d.1.f.4.n.13.f.7
Proprietas constituens distinguit.d.68.sect.8.n.6. f.590
an omnis Proprietas constituat atque distinguat personam diuinam. *Lege* sect.5. disp.8. fol.702 & 703
Proprietas personalis est persona.d.13.sect.2.n.1. f.123
Proprietati personali,seu relationi diuinæ, cõueniunt quidditatiuè omnia attributta, omnesque perfectiones absolutæ. d.13. f.2. num.17. f.124
Proprietates in abstracto significatas , diuinis personis tribuunt Patres.d 46.f.3.n.2.f.401
Proprietates excipiuntur , quando dicitur Filius habere omnia quæ Pater.d.30.f.5.n.2.fo.261
Proprietates non superueniunt personis constitutis.d.86.f.1.n.4.f.697
Proprietatum collectio distinguit personam ab essentia.d.32.f.6.n.20.f.287
Proprietatum radix est essentia & natura. d. 24. f.3.n.8.f.212
Proprietatum nomine veniunt relationes,ex sententia Patrum.d.87.f.4.n.2.f.708
Proprietatibus absolutis non possunt multiplicari personæ.d.1.f.4.n.4.f.6
Proprietatibus constituuntur , distinguuntúrque personæ diuinæ.d.86.f.2.f.698

Prosopon.

Prosopon , Res naturæ , & Vsiosis quid valeant. *Lege* sect.10.d.32.f.292

Prouerbia.

Prouerbiorum locutiones figuratæ sunt,& ænigmaticæ.d.96.f.5.n.11.f.756

Prouidentia.

Prouidentia Dei per superiores creaturas illuminat inferiores.d.109.f.10.n.12.f.885

Pulchritu

Pulchritudo.

Pulchritudo, origo & delectatio , Trinitati explicandæ deseruiunt.d.44.f.4.n.3.f.390

Q

Qualitas.

QValitas in Deo non potest esse accidentalis. d.1.f.4.n.7.f.6
Qualitatis nomen tribuitur Spiritui sancto.d.76. f.4.n.3.f.633
Qualitatis prædicamentum an in Deo. d.10. f.5. n.5.f.100

Quando.

prædicamentum *Quando* an in Deo ? d.10. sect.5. n.13.f.101

Quantitas.

quæ Quantitas Deo repugnet.d.1.f.4.n.6.f.6
Quantitas perfectionis attenditur secundum essentiam & attributa.d.103.f.2.n.4.f.808
Quantitatis prædicamentum an in Deo ? d. 10. f.5.n.5.f.100

Quaternitas.

Quaternitas in Deo sequeretur ex reali distinctione essentiæ à relationibus. d.11. f.4. n.11. f.106

Qui est.

an nomen *Qui est* conueniat Filio.d.54.sect.4.n.8. f.469

Quid est, & Quis est.

de in terrogatione *Quid est*, neutraliter, vel *Quis est*, masculinè. *Lege* sect.3.d.39.f.349

Quidditas.

Quidditas vniuscuiusque creaturæ integra est licet non includat aliam. d.30. sect.7.num.13. f.266
tres Quidditates relatiuæ an admittantur in Deo.d.24.f.5.n.1.f.213

R

Ratio.

RAtio naturalis nunquam peruenire posset ad cognitionem diuinarum personarum sine reuelatione. *Lege* sect.3.d.41.f.374
Ratio humana sæpe fallitur.n.3.f.1
Ratio naturalis neque euidenter, neque probabiliter Trinitatem probare potest , etiam præsupposita fide. *Lege* sect.2.d.43.f.381
Ratio fundandi relationes. *Lege* sect. 3. disp. 91. f.722
an Ratio dici possit Filius Dei. d.55. f.6. num.3. f.480
Rationis distinctio ab æterno.d.12.f.6. n.8.f.219
non fit à Deo, intelligendo.n.11.qui eam efficit,componere potest.n.13

Raymundus Lullius.

Raymundi Lullij delirium quoad proprietates personarum diuinarum. d.86.f.1.n.1.f.697
Raymundi Lullij censura.d.19.f.7.n.2.f.176
Raymundi Lullij periculosæ assertiones. *Lege* sect.3 f.20. & 21
Raymundi Lullij error contra Spiritum sanctum. d.4.f.5.n.1.f.31

Realitates diuinæ.

Realitates diuinas solo numero distingui , inauditum. d.18.f.2.n.18.f.164

Reduplicatio.

Reduplicatio dictionum *tanquam* , *vt* , *sicut*, non dicit improprietatem.disp.70. sect.1. num.19. f.599
Reduplicatio dictionum supponit distinctionem. d.12.f.3.n.17.f.116
Reduplicatiuæ dictiones possunt adhiberi propositionibus per se.d.14.f.8.n.1.f.138

Relatio.

Relatio realis requirit realem distinctionem. d.13.f.4.n.15.f.128
Relatio realis consurgit , vbicunque concurrunt omnia requisita.d.16.f.3.n.3.f.151
Relatio realis mutua inter principium & terminum eiusdem ordinis.d.16.f.3.n.1.f.150
Relatio diuina non est realiter modus. d.25. f.5. n.10.f.222
Relatio infinita est quod terminat , & ratio sub qua terminat correlatiuam relationem. d. 91. f.4.n.3.f.723
Relatio creata & increata quomodo conueniant & differant.ibid.n.4
Relatio constituens Spiritum sanctum terminatur ad relationem spirationis actiuæ. d.91.f.4. n.6.f.723
Relatio diuina per se & ratione sui est producibilis.ibidem.n.8
Relatio producentis se solo & cum alio,d.17.f.4. n.14.f.158
Relatio Imaginis , Verbi , Doni, Circuminsessionis. *Lege* sect.4.d.18.f.165.& 166
Relatio Spiritus sancti est simul natura,& cognitione cum relationibus Patris & Filij.disp.16. f.2.n.10.f.149
Relatio spirationis est origine prior quàm Spiritus sanctus.d.18.f.3.n.3.f.165
Relatio ad Patrem & Filium quidditatiuè conuenit Spiritui sancto. d.72. f.1. num.1.& seqq. f.612
Relatio in obliquo, natura diuina in recto quomodo per potentiam productiuam significetur. disp.100.f.5.f.788
Relatio , propriè loquendo, per intellectionem non distinguitur ab essentia diuina : nec Deus potest efficere distinctionem rationis in aliquo obiecto creato, nec increato. d.12.sect.6. n.11. f.119
Relatio non esset infinita sine inclusione Deitatis.d.13.f.2.n.16.f.124
Relatio quomodo distinguatur à substantia Dei. d.10.f.5.n.11.f.101
Relatio diuina non propriè dependet , sed exigit aliam. *Lege* sect.2.d.10.f 97
Relatio diuina distinguitur à Deitate ratione ratiocinata. *Lege* sect.2.d.12.f.113.& 114
Relatio non est dicenda de essentia personæ.d.12. f.4.n.7.f.117
Relatio est modus secundum rationem,& quare. d.12.f.6.n.3.& 4.f.117
Relatio non est realiter modus diuinæ substantiæ.d.12.f.5.n.2.f.117
Relatio spirationis actiuæ realis est,d.16.f.2.n.1. & seqq.f.149
Relatio Verbi ad creaturas nulla realis nisi quæ transcendentalis est. disp.62.sect.1.n.9.& seqq. f.523
Relatio ad creaturas Verbo diuino conuenit non ratione solius sapientiæ essentialis neque ratione solius proprietatis personalis , sed ratione vtriusque simul. d.62.f.2.n.4.f.524
Relatio Verbi & Filij vnica est , quasi partialiter distincta per intellectum. *Lege* f.3. d.58. f.494
Relatio nec æquè primò, nec in recto continetur in formalitate potentiæ productiuæ. d. 100. f.4.f.787

an Re

an Relatio distinctionis & oppositionis sit relatio superaddita Paternitati, Filiationi, ac Processioni. d.103.s. 8.n.14.& 15.f.819
Relatio constituens personam diuinam propiùs accedit ad relationem prædicamentalem.d.90. s.2.n.1.f.718
Relatio prædicamentalis quid sit. ibid. n.5. eius proprietates. ibid.n.8.& seqq.
sola Relatio Paternitatis & Filiationis distinguit Patrem & Filium.d.90.s.2.n.7.f.718
Relatio personalis per se continet in se aliam personam.d.107.s.4.n.16.f.842
Relatio personalis primariò & per se est in alia. d.107.s.4.n.8.f.841
Relatio infinita non supponit distinctionem extremorum, sed constituit.d.91.s.5.n.2.f.724
Relatio diuina potest esse simul natura & priùs origine.ibid.n.9
Relationis infinitæ eminentia coniungit simultatem naturæ cum prioritate originis. d.91.s.5. n.15.f.725
Relatio vna non refertur ad aliam per aliam. d.103.s.4.n.9.f.812
Relatio æqualitatis, & similitudinis reciproca & triplex.d.103.s.7.f.816.& 817
Relatio, notio, proprietas quomodo distinguantur.d.47.s.5.n.17.f.413
Relatio diuina prout est in re, est infinita simpliciter & in genere entis. d.28.s.1.n.13.f.240
Relatio transcendentalis non plenè constituit personam, sed prædicamentalis. d. 90. s.1.n.4. f.716
Relatio purè transcendentalis est formalitas simpliciter absoluta. ibidem.n.5
an Relatio spirationis actiuæ constituat principium spitatiuum in ratione principij. *Lege* sect.4.d.70.f.604
Relatio spirationis non est totale constitutiuum. s.5.n.1.s.605
Relatio dominij differt à relationibus personalibus. d.9.s.6.n.4.f.93
Relatio diuina quidditatiuè atque implicitè claudit in se Deitatem siue essentiam diuinam, sicut rationalitas quidditatiuè claudit entitatem. d.13.s.1. n.2.f.121. non explicitè.num.6. f.122
Relatio termini producti constituit Verbum. d.58.s.1.n.9 f.491
Relatio non est absoluta.d.13.s.3.n.6.f.125
Relatio quo sensu est substantia.ibid.n.7
Relatio & essentia diuersæ sunt definitionis. d.12.s.2.n. 6.f.114
Relatio personam constituit non tantum in ratione personæ sed etiam in ratione subsistentis. d.88.s.2.n.1.f.712
in Relatione consistunt subsistentię diuinæ.d.88. s.2.n.3.f.713
Relatio non est communis, omne absolutum est commune.d.87.s.5.n.3.f.706
Relatio Spiritus sancti ad creaturas quæ sit.d.75. s.3.n.13.& 14.f.628
Relatio principij *ad intra* & *ad extra*.d.9.s.7.c.16 f.95
Relatio in Trinitate quomodo similis relationi identitatis.d.9.s.7.n.15.f.95
Relatio originis sola in Deo.d.1.s.4.n.15.f.7
Relatio creata propriam existentiam habet.d.25. s.6.n.8.f.224
Relatio rationis est æqualitas & similitudo secundum vltimam rationem formalem. d.103. s.4.f.811
Relatio prioritatis & posterioritatis secundum originem.d.18.s.4.n.8.f.166
Relationis esse est esse ad terminum.d.18.s.4.n.10. f.166
Relatio non potest abstrahere ab ente reali & rationis.d.9.s.6.n.11.f.93
Relatio consequitur propriam operationem.d.9. s.6.n.9.f.93
Relatio in quantum relatio quo sensu realis. d.9. s.7.n.2.f.94
Relatio & essentia non possunt de se inuicem negari. d.11.s.7.n.3.f.112
in solo Relationis prædicamento cur constituatur ens rationis.d.9.s.7.n.4.s.24
vbi non obuiat Relationis oppositio, in diuinis omnia sunt vnum.d.68.s.4.n.3.f.584
an Relationis aut essentiæ distinctio realis probetur per affirmationem aut negationem eiusdem prædicati. *Lege* sect.7.d.15.f.146
Relationis actualitas est existentia relationis. d.25.s.5.n.9.f.222
Relationis maior est distinctio quàm attributorum.d.12.s.4.n.4. f.117
Relationis à Deitate distinctio maior quàm distinctio eiusdem relationis à persona. ibid. num.6
Relationis diuinæ ratio formalissima est quidditatiuè perfectio & bonitas. *Vide* sect.3. d.29. f.247
Relationis transcendentalis perfectio continetur in cõstitutiuo personæ.d. 90.s.1.n.12.f.717
Relationis creatæ discrimen quantum ad durationem distinctam à fundamento. d.27.sect.2. n.14.f.232
Relationis ratio etiam formalissima non dependet.d.10.s.2.n.14.f.98
an Relationis vnicus conceptus abstrahi possit, d.9.s.7.n.18.f.96
Relationis & essentiæ mutua inclusio non infertur ex mutua inclusione attributorum. d. 14. s.6.n.6.f.136
Relationi diuinæ omnia attributa, omnesque perfectiones absolutæ quidditatiuè conueniunt.d.13.s.2.n.17.f.124
Relationem significari nominibus propriis personarum,quinam Patres asserant. d.87.s.4.n.6. f.708
Relationem distingui ab essentia ante opus intellectus quidam scholastici tradunt. *Lege* sect.2.d.11.f.103.& 104
Relationem ab essentia non distingui nisi per conceptus, probat simplicitas, compositioni repugnans.*Lege* sect.5.d.11.f.107.& 108
Relationem ab essentia distinguere vt rem à re, error est.d.11.sect.7.n.1.f.112
Relatione sola distinguuntur personæ. d. 9. s.5. n.7.f.90
Relationes an adorentur. d.29.s.6.n.10.f.255
Relationes præter Paternitatem non rectè considerantur vt resultantes ab essentia. d. 52. sect.5.n.10.f.452
Relationes diuinæ & essentia realiter & ante operationem intellectus, sunt idem & nullo modo distinguuntur. *Lege* sect.3. d.11. f.104. & 105
Relationes consistentes in recto & in aliquo refutantur.d.103.s.4.n.15.f.812
Relationes & origines sunt quodammodo simul, & quodammodo priores, & sub alia ratione quodammodo posteriores adinuicem. *Lege* sect.2.d.91.f.720

Rela

Relationes diuinæ sintne tria lumina. *Lege* sect.6. &.7.d.27.f.237.238.& 239
Relationes diuinæ sunt perfectio simpliciter simplex d. 30. sect.9. num.5. f.268. non tres perfectiones simpliciter.n.20.f.269. nisi valde impropriè.n.21
tres Relationes diuinæ non sunt tres veritates nisi impropriè,nec tres intelligibilitates. *Lege* s.5.d.27.f.235
Relationes à Patribus censentur nomine proprietatum.d.87.s.4.n.2.f.708
Relationes vnde habeant constituere in ratione subsistentis. d.88.s.1.n.5.f.712
Relationes diuinas esse creatas sequeretur ex reali distinctione ab essentia.d.11.s.4.n.20.f.107
Relationes in Deo voce tenus ab aliquibus admissæ.d.9.s.1.n.6.f.84
Relationes pertinere ad integritatem Dei dixere Patres.d.30.s.7.n.2.f.265
Relationes infinitæ creatæ non adæquant diuinam.d.28.s.2.n.7.f.242
Relationes diuinæ sunt ad conuertentia. d.9.s.4. n.10.f.89
Relationes Dei ad intra sunt reales secundum vltimam rationem constitutiuam in esse relationis. *Lege* s.5.f.89
Relationes Deo conueniunt simpliciter & propriè.d.9.s.2.n.3.f.85
tres Relationes diuinæ sunt tres infinitates secundum quid, eodémque modo tres magnitudines. *Lege* s.2.d.28.f.241.& 242
tres Relationes nõ sunt tres perfectiones nec tres bonitates transcendentales. *Lege* s.3.d.30.f.258
an tres Relationes diuinæ sint tres incorporeitates, siue immaterialitates, & tres indiuisibilitates, inuisibilitates, incomprehensibilitates, ineffabilitates. *vide* s.4.d.28.f.244.& 245
an tres Relationes sint tres increabilitates, immutabilitates, immortalitates, & impassibilitates. *Lege* s.3.d.28.f.242.243.& 244
tres Relationes diuinæ possunt dici simpliciter tres vnitates.d.27.s.3.n.5.f.232
Sunt tres vnitates non prædicamentales, sed transcendentales, & inadæquatam pluralitatem habentes.ibid.n.7
tres Relationes diuinæ non sunt tres durationes, neque tres vbicationes, siue præsentiæ locales. *Lege* s.2.d.27.f.230.& 231
Relationes sunt quatuor tantùm, quia origines sunt duæ tantùm.d.18.s.4.n.2.f.165
Relationes seu personalitates non sunt de quidditate Deitatis, aut naturæ, vel essentiæ diuinæ. *Lege* s.2.d.14.f.130.& 131
Relatio & substantia quo sensu conueniant Deo. d.10.s.4.n.13.f.100
Relationes diuinæ sunt tres res & tres realitates. *Lege* s.1.d.26.f.224.sunt etiam tres entes adiectiuè, & substantiuè tres entitates; non tria entia. *Lege* s.2.d.26.f.225.& 226
si Relationes essent de quidditate Deitatis, Pater vt Pater non esset integrè Deus.d.14.s.2.n.17. f.131
Relationes diuinæ sunt quatuor, Paternitas, Filiatio,Spiratio & Processio.d.18.s.1.n.10.f.163
Relationes, etiam in creaturis, sola ratione distinctæ,respiciunt terminos realiter distinctos. d.17 s.4.n.1.f.157
Relationes diuinæ non in sola comparatione intellectus existunt.d.9.s.6.n.8.f.93
an per Relationes priùs & principaliter constituantur& distinguantur personæ diuinæ; an verò per origines. *Lege* s.5.d.87.f.710
Relationes diuinas à Deitate distingui quinam asseruerint. *Lege* s.1.d.11.f.102.& 103
quatuor Relationes non sunt quatuor res. d.26. s.4.n.22.f.229
Relationum fundamentum. *Lege* s.3.d.91.f.721
Relationum distinctio non est propriè specifica. d.17.s.4.n.7.f.158
est quasi specifica.ibid.n.9
Relationum diuinarum exigentia mutua. d. 10. s.2.n.1.f.97
Relationum realitas à quibus impugnata. *Lege* s.1.d.9.f.83.& 84
Relationum producentis & producti realis identitas.d.17.s.4.n.13.f.158
Relationibus personaliter constituuntur ac distinguuntur tres diuinæ personæ. d.87. sect.2. f.704.& 705
Relationibus proprium distingui,manente identitate substantiæ.d.15.s.3.n.3.f.142
Relationibus ablatis, confusus & generalis manet conceptus hypostasis. d.88.s.3.n.6.f.714
abstrahit à relatiuo & absoluto.ibid.n.7
Relationibus creatis conuenit existentia relatiua. d.25.s.5.n.20.f.223
sine Relationibus Deus non esset perfectus.d.34. s.10.n.4.f.309
sine Relationibus imperfectus esset Deus non solum in quantũ Pater, sed etiam in quantum Deus,ac subinde non esset Deus. *Lege* s.3.d.29. f.250.& 251

Relatiuum.

Relatiuum esse melius est quàm non esse. d.30. s.9.n.6.f.268
Relatiuorum diuersitatis expositio. *Lege* sect.4. d.39.f.350
Relatiuorum definitio.d.9.s.3.n.3.f.87
conuenit Patri & Filio.ibid.n.4
Relatiuorum proprietates. ibid. n.5. & seqq. & sect.14.n.1.f.88.& n.10.f.89
ex Relatiuorum definitione,& prima eorum proprietate, probatur diuinas esse simpliciter ac propriè relationes. *Lege* sect.3.d.9.f.86.& 87

Reparatio.

Reparatio est propria Filij. d.82. s.6.n.3.f.679

Res.

Res naturæ quid sit. d.32.s.10.n.2.f.292
vt Res vna sit in alia, an necessaria sit inæqualitas. d.107.s.4.n.18.f.842
Res vna indæquatè cum tribus identificatur. d.26.s.4.n.16.f.228
non producitur nisi Res distincta à producente. d.26.s.1.n.10.f.225
quidquid est aliquid, est Res.d.26.s.1.n.7. f.225
Res significata Deo conuenit,non modus significandi.d.9.s.2.n.1.f.85.& d.10.s.4.n.9.f.99
Res significatæ trahunt ad se significationem vocum.d.96.s.5.n.18.f.757

Respectus.

Respectus Verbi ad creaturas clauditur in proprietate personali.d.62.s.3.n.6.f.526

Respiratio.

Respirationis halitus proprietates & officia quibus ducimur in cognitionem Spiritus sancti. *Lege* sect. 4. d.65.f.513

Rex.

Rex vnus, licet regna plura possideat. d.77.s.6. n.18.f.644
Rex,Dux,& similia nomina non significant personas in ratione personæ, sed in ratione muneris.d.87.s.2.n.4.f.704

Ruiz. de Trinitate.

§

Sabelliani.

Sabellianorum argumenta contra distinctionem personarum retorquentur aduersus ipsos. *Lege* s.2.d.19.f.168

Sabellianorum Verbum.d.55.s.2.n.12.f.476

Sacramentum.

quando Sacramentum recipitur, quæ missio fiat. d.109.s.4.n.16.f.877

per Sacramenta missio visibilis non fit. d.109. s.12.n.4.f.888

Salomon.

Salomon vnigenitus dicitur non propriè, sed figurata locutione.d.4.s.6.n.15.f.34

Saluator.

Saluatoris nomen proprium Dei est.d.54.s.4.n.9. f.465

Sanctificare. Sanctitas.

Sanctificare & viuificare tribuitur Spiritui sancto. d.82.s.6.n.5.& 6.f.680

Sanctitas cur tertiæ personæ approprietur. d.74. s.5.n.7.f.623

Sanctitatis nomen cur approprietur Spiritui. d. 65.s.4.n.11.f.554

Sapientia.

Sapientia multoties supponitur pro ipsa persona Verbi.d.58.s.4.n.2.f.495

Sapientia, potentia, bonitas quomodo Trinitatem indicent. d.44.s.4.n.3.f.390

Sapientia Filio appropriatur.d.82.s.2.n.7.f.677

Sapiétia immediatius communicatur Filio quàm natura diuina.d.8.s.4.n.5.f.70

quoties Sapientia dicitur esse creata, significatur Incarnationis mysterium, & omnium iustorum sapientia.d.96.s.6.f.758

Sapientiæ ratio posterior quàm substantiæ. d. 8. s.5.n.27.f.74

Sapientiam includit Verbum ex formalissima ratione.d.58.s.5.n.18.f.498

Satisfactio.

Satisfactio appropriatur Filio. d.82. s.7. num.1. f.680

Scire. Scientia.

Scire oportet non solum quid sit credendum, sed etiam quomodo & piis opuletur, & contra impios defendatur.d.5.s.2.n.15.f.40

Scientia visionis qua Deus scit suos actus liberos.d.63.s.4.n.8.f.531

an per Scientiam conditionatam procedat Verbum.d.63.s.4.n.22.f.532

Scientia Dei ab essentia distinguitur secundum modum intelligendi & secundum diuersas conceptiones.d.8.s.9.n.6.f.81

Scientiam à Patre Filius habet.d.93.s.3.n.3.f.741

Scriptura Sacra.

Scripturæ mos.d.50.s.1.n.8.f.427

Scriptura quare vtatur verbis omnium temporum.d.104.s.1.n.12.f.821

Scripturæ verba nonnunquam figurato vel improprio sensu fuisse prolata, significant tria potissimùm indicia.d.64.s.7.n.4.f.546

Scripturæ verba quando non nisi proprio sensu liceat exponere.d.9.s.2.n.5.f.85

Scripturæ testimonia quoad Trinitatem quomodo exponenda.n.8.f.2

Scripturæ sacræ verba quomodo accipienda.d.4. s.6.n.16.s.34

Scripturæ testimonia, quæ Verbum esse creatum, videbantur asserere, declarantur. d.96. sect.5. f.755.756.& 757

Scrutari.

Scrutari profunda Dei & hominum appropriatur Spiritui sancto.d.82.s.5.n.5.f.679

Separatio.

Separationis atque distantiæ nomina sint ne in diuinis admittenda. *Lege* s.13.d.39.f.362

Sermo.

num Sermo potiùs quàm Verbum appellandus sit Filius Dei. *Lege* s.5.d.55.f.479

Seruetus.

Serueti error contra Verbum Dei. d.55. s.2. n.14. fol.476

Sicut.

dictio *Sicut* inæqualitatem significat aliquando. d.20.s.6.n.12.f.184

Sigillum. Signaculum. Signum.

Sigillum analogũ nomen est.d.64.s.6.n.14.f.545

Sigilli nomen an conueniat Filio. d.64.s.8. n.14. fol.548

Sigilli ratio quotuplex.ibid.n.16

Sigillum cur dicatur Spiritus sanctus. d. 76. s.3. n.1.f.632

Signaculum an idem quod sigillum. d.64. sect.8. n.17.f.548

Signaculum confessionis dicitur Spiritus sanctus Epiphanio.d.76.s.2.n.4.f.632

Signa missionis visibilis nec vniebantur hypostaticè, nec diuinam substantiam in seipsa ostendebant.d.109.s.11.f.886.887

Significare. Significatio.

Significandi modus non propriè conuenit Deo sed res significata.d.9.s.2. n.1. f.85. & d.10.s.4. n.8.f.99

Significationem vocum trahunt ad se res significatæ.d.96.s.5.n.19.f.757

Significationes variæ se mutuò temperant. d.96. s.5.n.21.f.757

Singulare. Singularitas.

Singulare realiter vnum est principium spiratiuum.d.70.s.3.n.12.f.603

Singularia tria in Deo, quo sensu hæretica. d.35. s.2.n.5.f.314

Singularitas diuinæ substantiæ non mera & omnimoda.d.22.s.2.n.1.f.195

Singularitatis nomen in diuinis an admittendum.d.40.s.1.n.4.f.363

Singularitatis perfectio.d.35.s.6.n.8.f.317

Similia. Similitudo.

Similia quæ vnitate constituuntur. d.103. sect.2. n.15.f.809

Similitudo duplex.d.103.s.7.n.3.f.816

discrimen inter vtramque. ibid. n.5

Similitudo sine æqualitate, sed nunquam æqualitas sine similitudine. d.103.s.8. n.4.f.818

Similitudo omnimoda conuertitur cum æqualitate.ibid.n.6

Similitudinis ab æqualitate discrimen.ibid.n.7

Similitudo realis & naturalis, propriè dicta, realem distinctionem supponit.d 6.n.17.f.55

Similitudo expressa, non realiter producta, non sufficit Filiationi nec generationi.d.6.s.9.n.21. fol.36

Similitudo naturæ cur in generatione requiratur.d.6.s.6.n.12.f.49

Similitudo Adami imperfecta. d.6.s.6.n.17.f.50

Similitudo requiritur formaliter ad generationem ex vi processionis. *Lege* s.7.f.49

Similitudo in natura requiritur, nec sufficit intentionalis.d.8.s.2.n.3.f.66

Similitudo reciproca trium personarum. d. 103. s.2.n.13.f.809

Simili

Similitudo splendoris & lucis ac radij ad explicandam generationem Verbi frequens apud Patres.d.27.s.7.n.11.f.239

Similitudo in amicitia qualis.d.7.s.5.n.12.f.62

Similitudo est formalissima ratio Verbi. d.6. s.8. n.7.f.52

Similitudo in natura ex formalissima ratione Verbi.d.6.s.8.n.10.f.53

Similitudo in natura non ex formalissima ratione Spiritus sancti.ibid.n.12

Similitudo Verbi non tantum intentionalis est, sed etiam substantialis.ibid.n.13

Similitudo inter cognitionem & amorem creaturarum.d.63.s.5.n.5.f.532

Similitudo non requiritur in proprietate personali.d.64.s.4.n.13.f.541

Similitudo speciei vel figuræ non sufficit ad rationem imaginis, sed præterea requiritur origo vel processio.d.64.s.2.n.1.f.536

Similitudinem in natura non significat spiritus. d.6.s.1.n.4.f.41

Similitudinem affert adoptiua etiam filiatio.ibid. num.6

ex Similitudine perfecta, ratio generationis.d.6. s.1.n.9.f.41

Similitudo reciproca, & similitudo disquiparantiæ, quæ dicantur.d.64.s.7.n.6.f.546

Similitudo non significat originem.d.21.s.5.n.8. f.193

Similitudo, quam Filio concedebant Semiariani, plus habet dissimilitudinis, quàm similitudinis.d.103.s.2.n.19.f.809

Similitudo naturæ requiritur ad imaginem.d.64. s.1.n.1. & seqq.f.535

Similitudini non obstat distinctio Patris à Filio secundum relationes.d 6.s.9.n.5.f.54

Similitudo à fonte, arbore, lucerna, fragantia, ad mysterium Trinitatis indicandum. *Lege* s.3. d.44.f.389

Similitudinis, æqualitatis, & imaginis distinctio, ex D.Augustino.d.74.s.2.n.1.f.536

Similitudo ex vi processionis formaliter requiritur ad imaginem.d.64.s.2.n.8.f.537

Similitudinis intellectualis duplex est terminus. d.6.s.9.n.19.f.55

Similitudinis relatio reciproca & triplex.d.103. s.7.f.816.817

in Similitudinibus, & earum vsu, quatuor pericula cauenda.d.44.s.1.n.8.f.387

Similitudines acceptæ à luminosa substãtia Solis, vel ignis, aut Iridis, ad explicandas veritates Trinitatis. *Lege* s.2.d.44.f.387

Simplicitas.

Simplicitas Dei summa.d.8.s.7.n.13.f.77

Simplicitas Dei maior est, si Deitas essentialiter clauditur in relatione.d.13.s.2.n.13.f.124

Simplicitas Trinitatis est absoluta & essentialis. d.38.s.5.n 2.f.346

est perfectio formaliter ab vnitate distincta per intellectum.n.3

Simplicitas excludit compositionem & possibilitatem illius.ibid.n.4

Simplicitas, compositioni repugnans, probat relationem ab essentia nõ distingui nisi per conceptus. *Lege* s.3.d.11.f.107.& 108

ex Simplicitate Dei colligũt Patres realem identitatem naturæ cum proprietate personali.d.11. s.5.n.15.f.109

Spatium.

Spatium imaginarium est reale vbi possibile. d.9. s.7. n.7.f.95

Ruiz. de Trinitate.

Species.

Species intelligibilis duplex.d.6.s.9.n.17.f.55

Species apud Latinos authores significat effigiem, faciem & imaginem. d.64.s.8.n.6.f.547

ad Speciei appellationem reuocari potest specimen. n.10.f.548

Species, modus & ordo ad indicandum Trinitatis mysterium.d.44.s.4.n.2.f.390

Species Filio cur approprietur.d.82.s.3.n.5.f.678

tres Species in Deo an admittendæ. d.24.s.5.n.9. 10.11.& 12.f.214

Specificatio.

quoad Specificationem plures amores necessarij. d.9. s.3.n.14.f.731

Speculum.

Speculum Filio qui tribuant. d.64.s.8.n.11.f.548

Societas.

Societas, consortium, communio, consonantia, & vnio siue concordia diuinarum personarum sunt relationes rationis.d.103.s.9.n.4.f.820.in quo fundentur.ibid.

Sol.

Solis similitudo ad indicandam Trinitatem. *Lege* s.2.d.44.f.387

Solus.

nomina *Solus* aut *solitarius* an & quomodo in diuinis concedenda. *Lege* s.2.& 3. d.40. f.364. 365.& 366

Sophismata.

Sophismata quædam.d.13.s.3.n.17.f.126

Fallunt appellatione variata.ibid.n.18

Spirare. Spiratio. Spiratiuum.

Spirandi potentia non conuenit Spiritui sancto. d.101.s.1. num.19.f.792. impropriè conuenit. n.20.f.793

ad Spirandum propter quam rationem formalem requirantur duæ personæ.d.71.s.2.n.3.f.610

Spiratio est dilectio.d.83.s.1.n.12.f.682

Spiratio est necessaria. d.92.s.2.n.8.f.728

Spiratio non ex nihilo, sed ex substantia Spiratoris.d.96.s.3.f.754

Spiratio est voluntaria intrinsecè per seipsam. d.95.s.1.n.3.f.749

Spiratio est voluntaria tanquam obiectum volitum.d.95.s.2.f.749

Spiratio est prior in aliquo genere, & in alio posterior spirandi voluntate. d.95.s.3.750

Spiratio quantum ad constituendam & distinguendam personam comparatur cum aliis relationibus.d.90.s.1.n.11.f.717

Spiratio non est actus liber, neque sub deliberationem cadit.d.92.s.2. n.11. f.729. & num.22. fol.730

Spiratio diuina differt à Paternitate, & Filiatione, quasi specie incompleta. d.17.s.4. num.11. fol.158

Spiratio in quo gradu naturalium prædicatorum. d.92.s.3.n.18.f.732

Libertati propinquior est quàm generatio. ibid.n.21.& 22

Spiratio foret diminuta si non diligeretur. d.95. s.3.n.7.f.750

Spiratio per modum voluntatis, generatio per modum naturæ.d.92.s.3.n.11.f.731

Spiratio est simpliciter naturalis.ibid.n.12

Spiratio non distinguitur realiter à generatione. d.84.s.5.n.1.f.693

Spiratio activa non includit implicitè & quidditatiuè Paternitatem & Filiationem. d. 17. s.6. n.1.f.160. clauditur à Paternitate & Filiatione non explicitè, sed implicitè.ibid.n.3

Spiratio quomodo superueniat personis constitutis.ibid.n.11
Spiratio clauditur in generatione & natiuitate. d.18.s.6.n.14.f.161
an Spiratio actiua prædicari possit de Paternitate vel de Filiatione,& è conuerso. *Lege* s.7. d.17. fol.161
Spiratio actiua est vnica simplex entitas simpléxque relatio.d.18.s.2.n.7.f.163
Spiratio actiua distinguitur ratione ratiocinata à Paternitate & Filiatione.d.17.s.5.n.2.f.159
negantur de ea prædicata quædam, quæ affirmantur de Paternitate & Filiatione.ibid.n.4
Spiratio actiua donatoris nomine significatur. d.17.s.3.n.7.f.156
nec esset producta nec improducta, si distingueretur ante opus intellectus.ibid.n.8
cur Spiratio actiua non numeretur à Patribus inter proprietates personales. d.16. s.3. num.11. fol.151
Spiratio actiua non prius est quàm generetur Filius.d.69.s.2.n.7.f.593.
Spiratio actiua fuit antiquis Patribus nota. d.47. s.3.n.2.f.409
Spiratio actiua realiter & ante opus intellectus non distinguitur à Paternitate & Filiatione. *Lege* s.2.d.17.f.153
Spiratio quomodo posterior Spiritu sancto.d.18. s.3.n.5.f.165
Spirationis fundamentum integrum Pater & Filius.d.18.s.3.n.6.f.165
Spirationis relatio est origine prior quàm Spiritus sanctus.d.18.s.3.f.165
Spirationis principium *quod* & *quo*. *Lege* s.5.d.70. f.605.& 606
Spirationis actiuæ relatio realis est.*Lege* s.2.d.16. fol.149
Spirationis materia, vel principium materiale, sit ne substantia diuina. d.97.s.1.n.8.f.761. & s.2.f.761.& 762
ad realem Spirationis actiuæ relationem requiritur virtus spiratiua. d.16.s.3.n.5.f.151
ad Spirationem quomodo prærequirantur Pater & Filius.d.106.s.3.n.6.f.835
ad Spirationem quomodo restringatur processionis nomen. *Lege* s.1.d.7.f.56. & 57
Spirationem actiuam negare, temerarium & periculosum.d.16.s.4.n.1.f.152
inter Spirationem actiuam & Paternitatem & Filiationem distinctio rationis est minor quàm distinctio Deitatis à Paternitate, siue Filiatione, vel Spiratione actiua.d.17.s.5.n.5.f.159
Comparatur eadem distinctio cum distinctione Paternitatis à Filiatione.ibid.n.6
inter Spirationē & alias relationes superuenientes personis discrimina.d.103.s.8.n.12.f.818
à Spiratione actiua non tam differunt Paternitas & Filiatio quàm ab inuicem. d.17. s.5. num.9. fol.159
Spiratiuum infinitum in sua ratione.d.28.s.2.n.2. fol.241
Spiratiuum principium *vide* principium.

Spirator.

Spirator quam rationem suppositi dicat. d.78. s.2.n.12.f.647
Spirator neque est aliud, neque alius à Patre & Filio.d.17.s.3.n.6.f.156
Spiratoris & spirati cognatio.d.16.s.3.n.6

Spiritus.

Spiritus quandoque sumitur pro affectibus bonis aut malis.d.65.s.1.n.2. & 5.f.549
Spiritus acceptio frequentior in bonam partem pro affectu & motione inclinante ad bonum. ibid.n.3
Spiritus pro cognitione supernaturali & profunda.d.65.s.1.n.4.f.549
Spiritus pro halitu respirationis.ibid.n.5.
Spiritus pro vita, & pro aëre impulso.ibid.
Spiritus pro substantia incorporea.ibid.n.6
analogia harum acceptiqnum.n.7.f.550
Spiritus nomen, ex se commune tribus personis, reseruatum est tertiæ.*Lege* s.2.d.65.f.550
Spiritus sanctus quando significetur, ex adiunctis colligitur.n.10.f.551
Spiritus sancti appellatio an ab halitu & vitalibus spiritibus animalium fuerit accepta. *Lege* s.3.d.65.f.551.& 552
Spiritus descriptio vt abstrahitur ab halitu & à tertia persona.d.65.s.4.n.1 f.553
Spiritus principium cor & cerebrum.ibid.n.2
Spiritum sanctum non esse personam, aut non à Patre Filióue distinctam,quinam existimarint. *Lege* s.1.d.66.f.554.& 555
Spiritus sanctus cur ita dictus. d.65. s.4. n.11. & 12.f.554
Spiritui sancto quinam diuinitatem eripiant licet eum subsistere ac personam esse concedant. *Lege* s.2.d.66.f.556
Spiritus sancti Diuinitas probatur Scripturæ locis magis apertè significantibus substantiam & Diuinitatem. *Lege* s.3.d.66. & 557.& 558
Spiritus sancti attributa essentialia, operationes, & superioritas, probant diuinitatem ipsius;& quænam illa sint. *Lege* s.4.d.66.f.560.& 561
Spiritus sancti diuinitatis doctrina ab Apostolis perpetua successione deriuata est. *Lege* sect.5. d.66.f.562
Spiritus sancti consubstantialitas & æqualitas Patri & Filio. *Lege* s.6.d.66.f.563
obiectiones contra Diuinitatem illius soluuntur.s.7.d.66.f.563.& 564
Spiritus sanctus quomodo interpellat & postulat.d.66.s.7.n.7.f.564
Spiritus sancti mentio aliquando prætermittitur sicut & Filij.d.66.s.7.n.12.f.565
Spiritus sanctus aliquando ponitur priùs quàm aliæ personæ.d.66.s.7.n.17.f.565
an Spiritus sanctus à Patre Filióque procedat.*Lege* d.67.f.566.567.& seqq.
Spiritus sanctus natus idem est ac productus.d.4. s.6.n.4.5. & 6.f.33
Spiritus sanctus non est filius Filij. d.4. s.6. n.8. f.34. non est Verbum.ibid.n.13
Spiritus sanctus non respicit Filium tanquam personam, cui donatur Spiritus sanctus à Patre, nec Patrem respicit vt personam cui donatur Spiritus sanctus à Filio.d.75.s.3. num.5. fol.628
Spiritus sanctus creaturas rationales respicit tanquam personas quibus donari potest à Patre & Filio.ibid.n.10
qua relatione respiciat creaturas.ibid.n.13. & 14. & seqq.
Spiritus sanctus non eo donum quo Deus. d.75. s.4.n.5.f.629
Sit ne donum per quod dantur omnia dona. n.8. f.630
Spiritus sanctus est magis datum nostrum quàm donum nostrum. d.75. s.4.n.13.f.630
Spiritus sancti nomina metaphorica quæ sint, & quid reale ac proprium significent. *Lege* d.76.f.630.631.632.& 633

Spiritus

Spiritus sanctus non metaphoricè nec impropriè, sed verè & propriè donum est ratione suæ personalis relationis.d.75.s.1.1.n.3.f.623
Spiritus sanctus quomodo procedat.d.61.s.6.n.1. & seqq. f.522
Spiritus sanctus licet amet, non spirat amorem. d.73.s.2.n.1.f.615
Spiritus sanctus procedit per amorem comprehensiuum Deitatis & omnium personarum. d.73.s.2.n.6.f.616
an procedat per amorem creaturarum.ibid.n.8
Spiritus sanctus per Confirmationem mittitur. d.109.s.4.n.7.f.876
Spiritus sancti missio præstantissima in principio beatitudinis.d.109.s.4.n.15.f.876
Spiritus sanctus mittitur. d.108.s.1.n.4. f.850. & n.13.18.f.851
Spiritus sanctus mittit seipsum.d.108. s. 9. n.16. fol.865
an Spiritus sanctus de potentia absoluta possit inuisibiliter mitti sine productione alicuius doni realis per denominationem prorsus extrinsecam.d.109.s.7.f.879
Spiritus sanctus procedit per amorem simplicis complacentiæ creaturarum omnium vt possibilium.d.63.s.5.n.2.f.532
Spiritus sanctus absolutè non postulat procedere per liberum decretum, sed tantum ex suppositione.d.63.s.5.n.6.f.532
si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo. *Lege* s.4.d.68.f.584
Spiritus sanctus etiam est character.d.64.s.6.n.12. fol.545
Spiritus sanctus quo sensu ingenitus. d.52.sect.2. n.3.f.448
Spiritus sanctus paracletus cur appellatus. d.39. s.7.n.13.f.356
Spiritus sanctus ingenitus vocatur à quibusdam Patribus.d.52.s.8.n.1.f.454
Spiritus sanctus non est ingenitus, simpliciter loquendo.d.52.s.8.n.6.f.455
potest appellari ingenitus. ibid.n.9
Spiritus sanctus complet Trinitatem.d.29.sect.4. n.8.fol.252
Spiritus sanctus non est instrumentum, nec minister,sed causa principalis.d.110.s.7.n.13.f.900
Spiritus sanctus quomodo sit virtus. d.111.s.6. n.4.f.912
Spiritus sanctus est etiam intellectio, sapientia & veritas.d.8.s.6.n.7.f.75
Spiritus sanctus est vnum cum Patre & Filio, & illis consubstantialis.*Lege* s.7.d.20.f.185
an Spiritus sanctus seipso diligat seipsum aut Patrem & Filium.d.74.s.3.n.6.f.620
Spiritus sanctus sit ne apud Patrem & Filium. d.107.s.8.n.18.f.849
Spiritus vnicus.d.102.s.1.n.1.& 2.f.802
quod Spiritus sanctus non à semetipso loquitur, sed quæ audit, colligitur identitas & æqualitas operationis.d.110.s.4.f.894
Spiritus sanctus non gratia productus. d. 92. s.2. n.14.f.729
Spiritus sanctus quare non est missus sub specie creaturæ rationalis.d.109.s.13.n.1.f.888
Spiritus sanctus & eius processio non est ex nihilo, sed ex Deo siue de Patre & Filio. d.96. s.3.n.1.f. 754
Spiritus sanctus est lumen de lumine.d.27.sect.6. n.4.f.237
Spiritus sanctus requisitus est, vt Deus sit donator. d.111.s.2.n.9.f.907

Ruiz de Trinitate.

Spiritus non significat similitudinem in natura. d.6.s.1.n.4.f.41
Spiritus sanctus ab æterno donum est. d.75.s.2. n.11.f.626
Spiritus sanctus cuinam personæ donatur. d.75. s.3.n.3.& seqq.f.627
an Spiritus sanctus actiuè miserit Filiū, ac subinde tota Trinitas.d.108.s.10.f.866.867. & 868
Spiritus sanctus potest donari à suo principio à quo procedit.d.75.s.1.n.15.f.625
Spiritus sanctus an sit ingenitus. d.4. s.6.n.1.f.33
Spiritus sancti an sit Pater. d.4.s.6.n.3.f.33
Spiritus sanctus non est verbum propriè. d.2. s.4. n.3.f.15
Spiritus sanctus quomodo ex ore procedat. ibid. num.7
Spiritus sanctus per volitionem procedit. d. 2. s.3.n.5.f.14
Spiritus sanctus non procedit perfectiùs à Patre quàm à Filio, sed æquè perfectè procedit ab vtroque.d.69.s.1.n.1.f.591
non priùs procedit ab vno quàm ab alio. ibid. num.2
Spiritus sanctus principaliter & propriè, sed non principaliùs & propriùs à Patre procedit.d.69. s.1.n.8.f.592
non magis per se procedit à Patre quàm à Filio. ibid,n.12
non priùs à Patre quàm à Filio. *Lege* s.2.f.593
Spiritus sanctus per se & formaliter requirit,duas ac realiter distinctas esse personas spirantes, quæ coeant in vnum principium spiratiuum. d.71.s.1.n.5.f.607
Spiritus sanctus est perfectissimè similis Patri & Filio.d.103.s.2.n.13.f 809
Spiritus sanctus procedit à Patre mediatè simul & immediatè. *Lege* s.4.d.69.f.595
eodem modo procedit à Patre & Filio.s.5.n.2. f.596
an Spiritus sanctus operetur per Filium.d.112.s.4. fol.920
Spiritus sanctus est communio & vinculum.d.71. s.1.n.16.f.609
Spiritus sanctus medius inter Patrem & Filium. ibid.n.20
Spiritus sanctus non est Verbum. *Lege* s.4. d.57. f.487.& 488
an Spiritus sanctus possit appellari Verbum Filij. d.57.s.4.n.12.f.488
Spiritus sanctus non est principiatus.d.48.sect.3. n.25.f.417
Spiritus sanctus & tota Trinitas loquitur & dicit non solum ad extra, sed etiam ad intra ad seipsam, ita vt quælibet persona loquatur ad alias duas & ad seipsam.d.60.s.6. n.1.f.513. & n.6.f.514
an Spiritus sanctus, quia non potest à semetipso loqui,pendeat à Patre & Filio.d.10.s.3.n.2.f.98
cur Spiritus sanctus non sit imago, sed solum Verbum sit imago, explicat S. Bonauentura. d.6.s.4.n.5.f.46
Spiritus sanctus à Patre per Filium procedit.d.69. s.3.n.2.f.594
illud *Per Filium* explicatur.n.seqq.
an Spiritus sanctus procedat ex Filio per Patrem. d.69.s.3.n.10.f.595
Spiritus sancti principium vnum.d.70. n.1. f.597
Spiritus sanctus est similis suo principio,sed nō ex vi processionis formaliter. d.64.s.4.n.10.f.541
Spiritus vt Spiritus correlatiuus Verbi. d.58.s.2. n.3.f.493

Spiritus sanctus quo sensu dicatur accipere, vel debere, aut pendere, sicut & Filius. *Lege* s.7. d.50.f.433. & 434
Spiritus Filij & veritatis procedit ab illo. d.67. s.3.n.11.f.570
Spiritus sanctus ex vi formalissima processionis non habet similitudinem in natura. *Lege* s.2. d.7.f.57.& 58. argumenta contraria soluuntur in s.4.f.59. & 60
Spiritus sancti processio in quo conueniat cum generatione Filij.d.7.s.2.n.1.f.58. in quo differat ab eadem. ibid.n.2
Spiritus sancti processioni quæ nomina accommodentur. *Lege* s.1.d.7.f.56.& 57
Spiritus sancti sit ne vnus spirator & author. d.70.s.2.n.13.f.600
Spiritus sancti relatio est simul natura & cognitione cum relationibus Patris & Filij.d.16.s.2. n.10.f.149
non distinguerentur ab eo Pater & Filius, nisi relatione reali eum respicerent.n.12.f.150.
Spiritus sancti processio non minus inenarrabilis est quàm generatio Verbi.d.7.s.1.n.1.f.56
Spiritus sancti processionem à Filio decreuerunt Concilia summique Pontifices. *Lege* s.4. fol.571
Spiritus sancti persona quidditiuè donum. d.108. s.1.n.29.f.852
Spiritus sancti relatio ad Patrem & Filium sit ne mutua. *Lege* s.2.f.612.& 613
Spiritus sancti processio duplex.d.44.s.6.num.18. fol.393
Spiritus sancti processio non est generatio, ideóque Spiritus sanctus nec est filius, nec conceptus, nec genitus.d.4.s.5.n.4.f.31
Spiritus sancti circuminsessio probatur. d.107. s.2.n.12.f.838
Spiritus sancti proprium est docere. d.2. s.4. n.7. f.15.& 162
Spiritui sancto quidditatiuè conuenit relatio ad Patrem & Filium. d.72.s.1.f.612
quæ Spiritui sancto approprientur. *Lege* d. 82.à f.675.ad 681
Spiritum sanctum mitti, quid sit. d.67. s.3. nu.7. f.570
Spiritum sanctum esse imaginem, contendit Durandus.d.64.s.6.nu.3. f.544. ei faucre videntur Græci Patres.ibid.n.4
Spiritum sanctum ex vi processionis formaliter esse similem, sententia concedens refutatur,& negans esse imaginem. *Lege* s.3. d.8.f.68.& 69
Spiritum sanctum esse inferiorem, sonare videntur aliqua verba Scripturæ. d.50.s.1.n.5.f.426
ad Spiritum sanctum & creaturas Pater loquitur eodem Verbo.d.60.s.4.n.9.f.511
Spiritu sancto se diligunt Pater & Filius. d.74. s.2.n.1. & 5. f.618. vel per Spiritum sanctum. n.11.f.619
sine Spiritu sancto quælibet productio creaturarum foret impossibilis, non minus quàm sine Verbo.d.111.s.6.f.911
pro Spiritu sancto quæ nomina supponantur, d.78.s.4.n.10.f.650
in Spiritu sancto duę partiales formalitates.d.58. s.3.n.14.f.495
Spiritus animales à principio motus. d.65.sect.4. n.4.f.553

Splendor.

Splendoris nomen an significet Filium. d.64. s.8. n.18.f.548
Splendoris similitudine vtuntur sæpe Patres ad explicationem generationis æternæ. d.27. s.7. n.11.f.239

Spontaneum.

Spontaneum à coactione solutum non sufficit libertati.d.92.s.1.n.21.f.730
Spontanei & voluntarij summa ratio. d. 95. s.1. n.4.f.749

Statua.

Statua non propriè imago, sed analogicè. d.64. s.1.n.11.f.536

Sterilis.

Sterilis non est qui generationem tribuit.d.4.s.1. n.18.f.23

Subiectio. Subiectum.

Subiectio procedentis à principio cum æqualitate. d.50.s.8.n.4.f.434
Subiectio quantum ad humanitatem.n.6.f.435
Subiectio totius corporis mystici.ibid.n.7
Subiecto vnum sint ne diuinæ personæ. d.35. s.7.n.1.& seqq.f.317

Subordinatio.

Subordinatio inter Processiones. d.1.s.6. num.8. fol.10

Subsistere. Subsistentia.

Subsistendi verbum pro existere. d.34.s.8. nu.19. f.308
Subsistentia est perfectio ratione sui.d.29.s.6.n.4. f.254
Subsistentia in Christo Domino vnica. d.34.s.3. n.9.f.300
Subsistentia non existit in alio tanquam in supposito.d.34.s.7.n.1.f.305
Subsistentia est vltimus terminus.ibid.n.3
Subsistentia absoluta superfluit.ibid.n.6
Subsistentiæ acceptio nimis ampla. d.34.s.1. n.1. f.296
Subsistentia absoluta nulla est.n.11.f.297. probatur authoritate. *Lege* s.5.d.34.f.301
Subsistentiæ relatiuæ tres probantur. d. 34. s. 2. n.1. & seqq.f.297
Subsistentia apud Patres idem est quod hypostasis vel persona. *Lege* s.3.d.34.f.299
Subsistentia & humanitas in Petro non sunt duæ essentiæ.d.24.s.3.n.5.f.211
nulla datur subsistentia realiter vna Patri, Filióque communis.d.73.s.3.n.4.f.602
Subsistentiæ diuinæ in relatione consistunt. d.88. s.2.n.3.f.713
Subsistentiæ siue hypostasis conceptus confusus & generalis, ablatis per intellectum relationibus, manet.d.88.s.3.n.6.f.714
Subsistentiæ tres in abstracto, id est, tres subsistendi rationes,probantur. *Lege* s.4.d.34.f.300

Substantia.

Substantia Deo propriè conuenit. d.10.s.4.nu.1. f.99. qui negare videntur eam Deo.ibid.n.6
Substantia pro essentia & definitione. d. 23. s.2. n.22.f.204
Substantia vt distinguitur ab accidente. d. 23. s.2.n.24.f.204
Substantia pro suppositio, subsistentia, siue persona.d.23.s.3.n.1.f.204
Substantia quandoque significat idem quod apud Latinos hypostasis.ibid.n.2
Substantia pro persona Patris.ibid.
Substantia, essentia & natura Dei significant idem.d.20.s.5.n.8.f.182. ratio huius significationis.ibid.n.10
Substantia Dei est realiter vna numero, singularis, & indiuidua, nec illius vnitas fit per intellectum abstrahentem, sicut humanitas fit vna, sola vnitate rationis.d.22.s.2.n.3.f.195
Substantia diuina non est materia, neque principium materiale generationis aut spirationis, propriè loquendo.d.97.s.1.n.8.f.761. & sect.2. f.761.& 762
Substantia diuina est tota formalis. d.97. s.3.n.8. f.764
Substantia diuina, quatenus de illa producitur Filius & Spiritus sanctus, similis est formæ potius quàm materia.d.97.s.3.f.763
Substantia Dei quomodo differat à relatione. d.10.sect.5.n.11.f.101
Substantia Dei quo sensu non sit indiuidua.d.22. s.5.n.7.f.199
Substantia anteperfecta quo sensu.d.30.s.7.n.15. f.266
Substantia Filij, vel Spiritus sancti non fuit visa in apparitionibus.d.109.s.11.n.9.f.887
Substantia & Deitas quandoque sumitur pro tota re diuina.d.14.s.4.n.9.f.134
Substantia Deitatis tota communicatur. d. 14. s.2.n.20.f.132
Substantiæ ratio prior quàm sapientiæ.d.8.sect.5. n.27.f.74
Substantiæ duplex acceptio. d.10.sect.5.num.11. f.101
Substantiæ acceptio præcipua. d. 19.s.5. num.3. f.182
Substantiæ acceptiones.d.23. s.1.n.6.f.202
Substantiæ, naturæ, Deitatis, essentiæ diuinæ acceptio multiplex.d.14.s.2. num.6.& 7.f.130. & 131
Substantiæ totius productio, quomodo non sit creatio.d.96.s.4.f.755
Substantiæ diuinæ similitudines quædam cum materia.d.97.s.2. n.7.f.762
Substantiæ diuinæ vnitas rectè probat circuminsessionem personarum.d.107.s.5.f.843
Substantiam accipiendo pro hypostasi, tres personæ sunt tres substantiæ.d.23. sect.4.num.13. f.207
Substãtiam accipiendo vt abstrahitur ab absoluto & relatiuo, sunt tres substantiæ.ibid.n.17
Substantiæ primæ quo sensu dicantur. d.23. s.4. n.14.f.207
Substantiam communicare non est actio realis. d.80.s.6.n.9.f 668
Substantiam pro hypostasi transtulit Vulgatus. d.23.s.3. n.18.f.206
Substantiam & subsistentiam Latini aliquando pro eodem accipiunt.d.23.s.3.n.19.f.206
nulla in Substantia distinctio, tota in personis. d.14.s.3.n.2 f.132
tres Substantias dicunt aliqui Patres. d. 23. s.4. n.2.f.206

Substantiuum.

Substantiuum concretum vt pluraliter prædicetur, quid requirat. d.77.s.6.n.7.f.642
Substantiui nominis pluralitas vel singularitas attenditur secundum formam significatam, habita ratione vnionis, quæ obstat multitudini.d.77.s.7.n.4.f.644
Substantiua & adiectiua quî differant. d. 77. s.3. n.3.f.637
Substantiua verbalia tenentur generali lege substantiuorum,ne pluraliter prædicentur quando forma fuerit vnica.d.77.s.3.n.10.f.638
Vide Nomen.

Suppositalitas. Suppositio. Suppositum.

Suppositalitas aliquid reale addit supra naturam indiuiduam.d.32.s.5.n.7.f.284
Suppositio eiusdem nominis quæ sit.d.70.s.2.n.5. f.600
Suppositi,indiuidui & personæ habitudo & comparatio.d.32.s.3.n.11.f.281
Suppositorum distinctio realis requiritur ad circuminsessionem. d.107.s.5.n.16.f.844

Syllogismus.

Syllogismus expositorius fundatur in identitate cum vno tertio.d.15.s.4.n.5.f.144
Syllogismorum classes variæ. *Lege* sect. 5. & 6. d.15.f.143.144.& 145

Symbolum.

Symbolum Nicænum à quibus Conciliis receptum.d.21.s.1.n.2.f.187.recipitur etiam à summis pontificibus.ibid.num.3. eius expositores. n.4.f.188
Symbolo Nicæno, quam ob causam addita particula *Filioque*. s.5.d.67.f.573

Synusion.

Synusion quid sit. *Lege* sect.5. disput.21.fol.192. & 193

T

Terminus.

Terminus *à quo* non propriè, sed impropriè diuinis productionibus conuenit. d. 38. s.1.n.7.f.765
Terminus *ad quem*, & quod est de Patre vel de Filio, est tota persona producta. disp.9. sect.5. f.769
quo sensu nullus sit Terminus formalis diuinarum processionum.n.11.f.773
Termini formalis conceptus qualiter præscindendus.d.98.s.7.n.4.f.772
Terminum formalem productionis diuinæ non esse diuinam substantiam contendunt aliqui. d.98.s.6.fol.771. soluuntur eorum argumenta. s.8.f.773

Theologus.

Theologus tenetur sobrie & humiliter quærere rationem & modum ostendendi, doctrinam fidei non repugnare lumini naturæ, nec veræ philosophiæ.d.15.s.1.n.10.f.140

Tempus.

Tempus imaginarium est reale tempus possibile. d.9.s.7.n.7.f.95

Testamentum.

Testamento vetere quomodo prædicatus Pater. d.36.s.2.n.8.f.320
Testamenti veteris Parribus an factæ fuerint visibiles missiones diuinarum personarũ. d.109. s.9.f.882.883.& 884

Testimonium.

Testimonium operum præstantius aliis. d.54.s.5. n.8.9 & seqq.f.470

Totum.

Totum numerale, partesque numerales, non admittuntur in Deo.d.38.s.3.n.13.f.244
Totum pro perfecto, Deo conuenit. ibid.n.14

Transfiguratio.

in Transfiguratione quid significabat nubes lucida.d.109.s.13.n.6.f.889

Trinitas.

Trinitas est perfectio simpliciter simplex. d. 29. s.4.n.7.f.252
Trinitas non est trina. disput.36. sect.8. num.17. f.332
Trinitas est simpliciter & propriè numerus transcendentalis personarum. d.37. sect.2. num.2. f.333

non est totalis & adæquata ratio numeri transcendentalis. ibid.n.14.f.334
an in Trinitate formalis ratio numeri sit ens reale. *Lege* sect.5.d.37.f.337.& 338
contra Trinitatem obiiciebatur ab hæreticis compositio.d.38.s.1.n.1.f.339
Trinitas an maior quàm vna persona secundum pluralitatem.d.38.s.3.n.7.f.343
Trinitas in Baptismo Christi Domini. d.36. s.3. n.8.f.321.in Incarnatione.n.9
Trinitas cognosci non potest naturaliter,sine reuelatione. *Lege* sect.3.d.41.f.374
Trinitatis vox à tempore Apostolorum,d.36.s.6. n.2. f.328
Trinitas trium vnitas.ibid.n.10
Trinitatis significatum & modus significandi. *Lege* sect.7.d.36.f.329.& 330
Trinitas aliquo modo collectiuus terminus.ibid. n.23
Trinitas tota quomodo loquatur. *Lege* sect. 6. d.60.f.513.& 514
an Trinitatis simplicitas sit prædicatum relatiuum vel absolutum ab vnitate distinctum. *Lege* sect.5.d.38.f.346
Trinitatis cognitio supra naturæ vires.*Lege* Proœmium.f.1
Trinitatis mysterium cur in veteri testamento à 70.interpretibus occultatum.disp.36.s.2.n.10. f.321
probatur noui Testamenti testimoniis.ibidem.
per totam sect.3
Trinitatis notitia post Ascensionem Christi Domini fuit clarior. d.36.s.2.n.2.f.320
Trinitatis impossibilitas non potest demonstrari supposita fide supernaturali.d.43.s.1.num.5. f.380
Trinitatis demonstratio impossibilis est, etiam reuelatione supposita. disp.43. sect.2. num.2. f.381
Trinitatis possibilitas non potest demonstrari etiam supposito lumine fidei.ibid.n.8
rationes ad probandam Trinitatem inuentæ, solutionibus debilitantur. *Lege* sect. 4. d. 43. f.383
Trinitatis mysterium adeo superans omnem facultatem intellectus humani, cur Deus credendum proposuit. *Lege* sect.5.d.43.f.385
Trinitatis similitudines à creaturis acceptæ licet infinitè distent, adhibendæ, & quæ sint. *Lege* disp.44. f.386.3.87.& seqq.
Trinitatis opera sunt inseparabilia. d.110.s.10. n.9.f.904
Trinitatis cognitio euidens, quæ sit quodammodo naturalis, & quodammodo supernaturalis, est impossibilis. *Lege* sect.1.d.42.f.378
Trinitatis personæ mittuntur & non tantùm eorum dona.d.108.s.1.f.850
Trinitatis vestigium sitne in omni creatura. *Lege* sect.4.d.44.f.390
Trinitatis mysterio non repugnat principium illud: Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. *Lege* sect.2. d.15.f.140. & 141
Trinitatis vniculum Spiritus sanctus vocatur ab Epiphanio. d.76. s.2.n.4. f.632. & coniunctio. num.5
Trinitatis vnam esse communem imaginem.d.64. s.5.n.2.f.542
Trinitatis numerus est simplicissimus, nullam omnino compositionem inuoluens, non modò partium,sed neque alterius cuiusque rei vel modi componentis.d.38.s.1.n.6.f.340
si esset composita Trinitas,non esset vnica essentia,ibid.n.11
de Trinitatis cognitione quid senserit Athanasius.d.41.s. 2.n.10.& seqq.f.373.&.374
de Trinitate, nulla cognitio certa viribus naturæ.*Lege* sect. 5.d.41.f.377
Trinitatis similitudo, vel imago,num reperiatur in hominibus secundum corpus. *Lege* sect. 5. d.44.f.390.& 391
Trinitatis similitudinem in anima rationali,multiplex assignandi modus.d.44.s.6.per tot.f.391. & s.7.n.6.f.394
Trinitatis cognitionem qualem & quantam adepti fuerint antiqui Philosophi. *Lege* d.45. f.395.396.& seqq.
Trinitatis euidentia quo vsque possit supernaturaliter communicari, circa quæstionem an est. *Lege* sect.3.d.42.f.380
Trinitatis imago, an exterior visio.d.44.s.7.n.13. f.394
Trinitatis mysterium est ens rationis.d.9.s.6.n.1. f.92
Trinitatem in vnitate dicunt Patres.d.36.s.8.n.1. f.331
Trinitatem significat trina repetitio Deitatis. d.19.s.2.n.3.f.168
ad probandam Trinitatem non est efficax testimonium *creauit Elohim*. disp.77. s.5. num.18. f.642
de Trinitate quo modo loquendum.n.6.f.1
in Trinitatis studio gnauiter & strenuè laborandum.n.5.f.1
de Trinitate quomodo disputandum, & quæ vitia cauenda de hoc mysterio tractantibus. *Lege* sect.2.f.39.& 40
de Trinitate sobriè & humiliter disputandum. *Lege* sect.1.d.154.f.139
de Trinitate loquendi modestia cautissima. d.39. s.1.n.1.f.346
in Trinitate nihil maius aut minus.d.30.s.2.n.12. f.258

Trinus. Triplex Triplus.

vocis *Trinus* etymologia & significatio. d.36.s.6. n.12.f.329
Triplex & triplicitas sintne in Deo. d.38. s.4.n.2. f.344.n.11.f.345
an *Triplus* vocabulum Deo tribuendum.d.38.s.4. n.19.f.346

Trisagios.

Trisagios probat Trinitatem.d.36.s.5.n.5.f.327
Trisagij miraculum. ibidem.n.9
circa Trisagion hæresis.n.10
Trisagasios non est vnaquæque persona sigillatim accepta.ibid.n.11

V

Valentinus.

VAlentini somnium circa Verbum Dei. d.55.s.2.n.1.f.475

Vbi. Vbicatio.

prædicamentum *Vbi* an Deo conueniat. d.10. s.5. n.13.f.101
Vbi est essentialiter fixum.d.27.s.2.n.6.f.230
Vbicatio & duratio sunt prædicata non perfectè transcendentia. disp. 27. sect.2. num.4. & 13. f.230.& 231

Velle.

Velle & intelligere quomodo sint actus nationales,& quomodo distinguantur. d.2.s.4.n.12.& seqq.f.16

Velle radicale an sit in Deo. d.8.s.10. num.2.& 5. f.82

Vide Volitio. Voluntas.

Veracitas.

Veracitas non multiplicatur.disp.27. s.4. num.2. f.234

Verbum.

Verbum exhaurit omne dicibile. d.3. s.2. num.2. fol.19
Verbum & donum quo differant. d.75. s.4. n.9. f.630
vox Verbum melius quadrat in Euangelium Ioannis quàm sermo.d.55.s.5. n.9.f.480
Verbum enunciatiuum scriptura semper refert ad alios docendos.d.56.s.2.n.6.f.483. quid sit. ibidem.
Verbum esse idem quod sapientia, qui dixerint. d.57.s.1.n.2.f.483
Verbum esse quid essentiale appropriatum Filio, sensit Durandus. ibid.n.3
Verbum esse personale, an verum.d.55. s.1.n.11. f.484
Verbi ratio non est essentialis sed personalis, ita vt verbum sit eadem persona quæ Filius. *Lege* sect.2.& 3.d.57. f.484.485.486. & 487
Verbum procedit ex mente Patris.d.2. s.2. n.8.& seqq.f.12
Verbum est verè ac propriè Filius. d.4.s.3.num.5. fol.27
Verbi significatio multiplex. *Lege* sect.1. disp.55. f.474
Verbum Dei dupliciter accipitur. disp.55.sect.1. n.4.f.475
contra Verbum Dei, errores multi. *Lege* sect.2. d.55.f.475
Verbum requisitum est, vt Pater loquatur & iubeat. d.111.s.2.n.5.f.907
Verbum pro iussu.d.57.s.4.n.13.f.488
Verbum procedit vt simile obiecto cognito. d.6. s.9.n.13.f.55
Verbum Dei quo sensu absolutum appellat Damascenus.d.57.s.1.n.10.f.484. & sect.5. n. 12. f.490
Verbum magis verè magisque propriè Filius est, quàm omnes homines sunt filij suorum parentum naturaliter generantium. disp.4. s.3. n.22.f.28.& 29
Verbum expressa est similitudo. d.58.s.1. num.8. f.491
Verbum constituit relatio termini producti.ibid. num.9
Verbum ideo Filius,quia procedit ex mente.ibid. num.10
Verbum eructare quid sit. ibid.n.12.f.492
Verbum infinitum in ratione Verbi. d.28.sect.2. n.2.f.241
Verbum est plenitudo diuinitatis.d.8.sect.5.n.29. fol.74
Verbum est totus à toto, plenus à pleno. d.8.s.5. n.31.f.74
Verbum an filia? d.4.s.5.n.29.f.33
Verbum absolutè dicitur vnigenitus.d.4.s.6.n.16. fol.34
Verbum propriè dictum non esse nomen personale Filij, sed tantum esse nomen essentiale Dei, error est affirmare.d.57.s.4.n.5.f.488
Verbum essentialiter posse sumi, quo sensu tolerabile.ibid.n.6.7.8.9.& 10.f.488
Verbum esse factum, quæ testimonia Scripturæ asserere videntur, explicantur. disp.96. sect.5. f.755
an Verbum dicatur, vel potius obiectum intellectum.d.6.s.2.n.1.f.509
Verbum est magis verè, magisque propriè Filius Dei,quàm Angeli aut homines iusti sunt filij Dei.d.4.s.3.n.18.& seqq.f.28
Verbum diuinum non est idem prorsus quod sapientia, notitia vel intellectio.d.58.sect.5.n.3. f.497
Verbum est voluntas Patris. *ibid.n.14*
Verbum diuinum procedit per intuitiuam cognitionem trium personarum. *Lege* sect. 2. d.61.f.516.& 517
Verbum quid per generationem accipit? d. 25. s.5.n.19.f.223
Verbum creatum est prouocatiuum amoris.d.17. s.6.n.8.f.160
Verbum haberet rationem primogeniti, quamuis non fuisset incarnatum, nec vllos haberet fratres, imo licet nihil omnino crearetur.d.4. s.7.n.26.f.36
Verbum Dei dicit & loquitur *vt quod*, non alio verbo nisi se ipso *vt quo*.d.60.s.5.n.2.f.513
Verbum loquitur peculiari proprietate. ibidem. num.8
Verbum etiam ad extra loquitur se ipso. ibidem. num.10
Verbum esse diuinæ substantiæ Filium, progeniem, germen, & sobolem dicunt Patres.d.80. s.1.n.7.f.659
Verbum esse genitum & Filium. *Lege* sect.8.f.52
solum Verbum est imago. *Lege* sect.4. disput.64. f.540
Verbum non est imago sui ipsius d.64. s.4. n.11. f.541
Verbum non est imago creaturarum.d.63.s.7.n.7. f.534
Verbum quomodo sit cum amore notitia. ibid. num.8
Verbum creatum non dicit relationem prædicamentalem.d.5.8.s.6 n.7.f.499
Verbi creati ad diuinum proportio. ibid.n.8
Verbum vt exemplar & vt iussio,& directio, requiritur per se ad creaturarum productionem. d.62.s.2.n.8.f.524
Verbum Dei non est prolatiuum subsistens in Deitate. *Lege* sect.1.56.f.481.& 482
an aliquo sensu posset dici prolatiuum. *Lege* sect.2.ibid.
Verbum propriè ac verè esse Filium. *Lege* sect.4. d.55.f 477.& 478
Verbum mentale est propriè Verbum. d.55. s.4. n.16.f.479
Verbum mentale significatum est hoc nomine verbum,ibid.n.20
Verbum diuinum non est dicendum eloquium. d.55.s.6.n.6.f.480.nec propriè cogitatio. n.11. f.481.sitne vox Patris. ibid. n.14. sit ne lingua Patris,ibid.n.16
Verbum assumens tres humanitates,non tres homines sed vnicus esset.d.77.s.6.n.7.f.642
Verbum diuinum est aliquo modo practicum. d.63.s.1.n.8.f.527
Verbum diuinum procedit per cognitionem non entium, impossibilium & malorum. d.63. s.1. n.10.f.528
eo Verbum quo Filius.d.8.s.4.n.7.f.70
Verbum esse imaginem Spiritus sancti, & sui ipsius, non sequitur ex eo, quòd procedat per cognitionem vtriusque. *Lege* sect.4.d.61.f.519
Verbum quare non procedit à se ipso.d.61.sect.5. n.2.f.528

Verbum non eſt natura genita licet ſit ſapientia genita, diſput.8. ſect.6. num.9. fol.76

Verbum diuinum procedit per cognitionem creaturarum, in quantum poſſibilium, & eius proceſſio per ſe requirit cognitionem creaturarum. d.63.ſ.1.n.3.f.527

Verbo diuino conuenit relatio ad creaturas non ratione ſolius ſapientiæ eſſentialis, neque ratione ſolius proprietatis perſonalis, ſed ratione vtriuſque ſimul.d.62.ſ.2.n.4 f.524

Verbum diuinum eſt ratio & exemplar creaturarum in mente Patris, ad cuius imitationem diſpoſitionem & directionem fiunt quæcunque fiunt.d.62.ſ.2.n.9.f.525

Verbo diuino conueniunt tres tituli reſpiciendi creaturas. d.62.ſ.3.n.2.f.526

Verbi reſpectus ad creaturas clauditur in proprietate perſonali. d.62.ſ.2.n.6.f.526

Verbum Dei non eſt verbum *creaturarum* propriè loquendo.d.62.ſ.2.n.7.f.526

Verbum ex formaliſſima ratione ſapientiam includit. d.58.ſ.n.18.f.498

Verbum diuinum quæ magis materialiter importet. *ibid.n.21.*& ſeqq.

Verbum ponendi ad ſupplendam præſentiam obiecti, fictitia neceſſitas. diſput.59. ſ.2. n.15. f.503

Verbum ſolum eſt Filius, & ſola eius proceſſio eſt generatio. d.4.ſ.3.n.32.f.29

ſi non eſſet Verbum, Deus fuiſſet ſine ſapientia. d.29.ſ.3.n.5.f.250

ſi Verbum Dei non eſſet æqualis virtutis & operationis cum Patre, non fuiſſent omnia facta per ipſum.d.110.ſ.9.f.902

Verbum eſſe voluntatem Dei, dixerunt antiqui Patres. d.93.ſ.5.n.8.f.744

cur Verbum ſolum ſit imago, ſed Spiritus ſanctus non ſit imago, rationem aſſignat S.Bonauentura.d.6.ſ.4.n.5.f.46

Verbum non procedit per ſcientiam viſionis creaturarum exiſtentium. d.63.ſ.3. n.7.f.350. & ſ.4.n.11.f.531

Verbum, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, per ſe poſtulat procedere per cognitionem contingentium veritatum. *Lege* ſect.4.d.63.f.530. & 531

cum nomine *Verbum* conferuntur cætera vocabula. *Lege* ſect.6.d.55.f.480

an Verbum aſſimiletur eſſentiæ diuinæ vt ſpeciei intelligibili.d.6.ſ.9.n.17.f.55

ad Verbum Pater loquitur eodem ipſo Verbo. d.60.ſ.4.n.2.f.511

Verbum eſt neceſſarium tanquam ſapientia vel ars ordinans & dirigens, atque potentia exequens, vt Pater operari poſſit. diſp.111. ſect.4. f.909

Verbi neceſſitas ad dicendum & imperandum vt creaturæ fiant.d.111.ſ.3.f.908

Verbi & Spiritus ſancti imago ſunt non tam potentia intellectus vel voluntatis, quàm actualis intellectio & amor. d.44.ſ.7.n.12.f.394

Verbi humani generatio duplex ad explicandam æternam & temporalem Chriſti Domini generationem.d.44.ſ.6.n.14.f.393

Verbum idem multorum in auribus. ibid.n.19

Verbi relatio. d.18.ſ.4.n.5.f.165

Verbi diuinitas & æqualitas. *Lege* diſp. 54. præſertim ſect.8.à fol.465.ad 474. incluſiuè.

Verbi perſonam miſit Spiritus ſanctus, vt incarnaretur.d.108.ſ.10.n.9.f.866

Verbi productio non indiget niſi Patre; creaturarum productio tribus perſonis,& cur.d.111. ſ.8.n.9.f.914

Verbi & Filij relatio vnica, quaſi partialiter diſtincta per intellectum. *Lege* ſect.2.d.58. f.494

Verbi & Spiritus ſancti proceſſiones habent probationes communes.d.2.ſ.3.n.6.f.14.& 5

Verbi productio deſtinatur vt exiſtat.d.25.ſect.5. n.15.f.223

Verbi ſignificationem metaphoricam eſſe vult Origenes, à quo Patres aliqui ſtare videntur. *Lege* ſect.3.d.55.f.476.& 477

Verbi proportio cum termino volitionis. d.73. ſ.2.n.3.f.615

Verbi ratio formaliſſima eſt ſimilitudo. d.6. ſ.8. n.7.f.52

Verbi productio eſt operatio immanens, & ideo Verbum manet in Patre.diſp.107. ſ.6.num.11. f.845

Verbi ad creaturas nulla relatio quaſi prædicamentalis.d.62.ſ.1.n.4.f.523

Verbi ad creaturas relatio tranſcendentalis. ibid. num.9

Verbi proceſſionem non eſſe generationem, argumentorum, quæ probare contendunt,ſolutio. *Lege* ſect.9.f.53.54.& 55

Verbi correlatiuum eſt Pater, nec non Spiritus ſanctus. *Lege* ſect.2.d.58.f.493

Verbo futuri temporis num liceat loqui de productionibus diuinis.d.104.ſ.4 f.824

Verbo noſtro ſignificari non poteſt æternitatis duratio.d.104.ſ.1.n.4.f.820

Verbo Dei quidditatem imaginis impropriè conuenire quænam obiectiones contendant. *Lege* ſect.7.d.64.f.545.& 546

Verbo & homini iudicium & poteſtatem Pater dedit.d.50.ſ.6.n.5.f.432

Verbo non cognito,obiecta directè intelligimus. d.59.ſ.2.n.10.f.503

Verbum creatum non eſt obiectiua ratio propter quam priùs cognitam intelligatur alia res cuius eſt verbum, *Lege* ſect.3.d.59.f.504

ſine Verbo nequit operari Pater, quoniam eſt imago, idea, exemplar, & ratio cuiuſlibet operis. d.111.ſ.5.f.911

Verba duo diſtinguebat Arius. d.55.ſ.2. num.11. f.476

Verbum ſubſtantiuum, poſitum in caſu præteriti imperfecti, præfertur ad ſignificandam æternitatem.d.104.ſ.3.n.5.f.823

Verbum actiuum præter accuſatiuum gaudet ablatiuo.d.74.ſ.2.n.3.f.618

Verba diuerſis rebus accommodata diuerſimodè ſignificant.d.4.ſ.1.n.13.f.23

Verba omnia præter ſubſtantiuum *ſum,es,fui*,ſunt adiectiua.d.77.ſ.3.n.5.f.637

Verba præſentis aut præteriti temporis magis explicant proceſſiones diuinas. *Lege* ſect. 2. f.821.822

Verba cuiuſlibet temporis ſimul poſita congruunt magis proceſſionibus diuinis. d. 104. ſ.1.n.8.f.821

Verbis omnium temporum cur vtatur Scriptura. ibid.n.12

Verba quæ ſignificant productiones diuinas tanquam in fieri & motu, minus bene perpetuitatem illarum explicant in caſu præteriti imperfecti quàm in caſu præteriti perfecti.d.104. ſ.3.n.7.f.823

Verba ſignificantia productionem,indigent caſu præteriti, non quæ ſignificant eſſe quietum. d.104.ſ.2.n.17.f.823

per

per Verba connotantia differentias temporis explicamus proceſſiones diuinas. d.104.ſ.1.n.6. f.820

Veritas.

Veritas Filio quare approprietur.d.82.ſ.4.num.6. f.678

Veritas primaria in intellectu.d.27.ſ.4.n.1.f.234. ſecundaria eſt in rebus per comparationem ad intellectum verum cui poſſunt conformari. ibid.n.2

Veritas tranſcendentalis.n.3

Veritas propriè dicta non eſt perfectè tranſcendens.d.27.ſ.5.n.7.f.235

Veritas Dei includit tres perſonas. d.27.ſ.5.n.8. f.236

Veritas vnica conſtituit Trinitatem veram.d.27. ſ.5.n.14

Veritas in repræſentando propria Verbi. ibidem. num.18

Vinculum.

Vinculum Trinitatis & ſignaculum confeſſionis Spiritum ſanctum appellat Epiphanius. d.76. ſ.2.n.4.f.632

Virgo beatiſſima.

ad beatiſſimam Virginem miſſiones viſibiles. d.109.ſ.13.n.3.f.889

Virtus.

Virtus ſeu potentia minus materialiter continetur in Verbo.d.58.ſ.5.n.24.f.498

Virtus Altiſſimi vocatur Spiritus ſanctus. d. 76. ſ.4.n.1.f.633

Virtus ſpiratiua requirit realem relationem ſpirationis actiuæ. d.16.ſ.3.n.5.f.151

Virtus operatoria digiti metaphora ſignificatur. d.76.ſ.1.n.5.f.631

Virtutes enypoſtatæ quæ dicantur. d.88.ſ.2. n.9. f.713

Viſio.

Viſio beata non diſtinguit in Deo formalitates. d.12.ſ.8.n.1.f.120

Viſiones diſtinctæ efficiunt diſtinctionem in Deo.d.12.ſ.8.n.4.f.120

Viſio eſſentiæ ſine perſonis.d.14.ſ.6. n.11.f.136

Viuere. Vita.

Viuere eſt operari à ſe. d.8.ſ.5.n.22.f.73

Viuentis ratio conſiſtit in hoc quod ſe moueat ad agendum.d.6.ſ.8.n.3.f.52

Viuo Propter Patrem, explicant Cyrillus, Hilarius, Auguſtinus. d.98.ſ.5.n.9.10.11.12.f.770

Vita peculiari ratione appropriatur Filio. d. 82. ſ.5 n.6.f.679

Vita æterna & lux pro Filio. d.78. ſect.4. num.8. f.650

Vita intellectualis rectè & adæquatè diuiditur in contemplatiuam & actiuam.d.8.ſ.5.n.23.f.73

Vita eſt eſſentialis, abſoluta & communis tribus perſonis.d.25.ſ.4.n.13.f.217

Vitam accipiens quomodo dependeat. d.10. ſ.3. n.1.f.98

quam Vitam Pater Filio dederit. d.19.ſ.4.num.9. f.172

Vitia.

quæ Vitia contingant in diſputatione de Trinitate.d.5.ſ.2.n.1.& ſeqq.f.39

Vnificatio.

Viuificatio & ſanctificatio Spiritui ſancto appropriantur.d.82.ſ.6.n.5.6.f.680

Vnctio.

Vnctio, vnguentum & oleum Spiritus ſanctus vocatur à Patribus. d.76.ſ.3. num.1. & ſeqq. f.632

Vnigenitus.

Vnigenitus nonnunquam in ſcriptura dicitur vir habens plures fratres, ex eiſdem parentibus ortos.d.4.ſ.6.n.14.f.34

Vnigenitus aliquandoper tropum ſignificat vnicè dilectum.d.4.ſ.2.n.18.f.26

Vnigenitus Abrahami cur dictus Iſaac. d.4.ſ.6. n.17.f.34

vocem *Vnigenitus* ſemel tantùm Scriptura ſacra per figuratam locutionem vſurpat. diſp.4. ſ.6. n.17.f.34

Vnigeniti nomen manifeſtè ſignificat generationem vnici Filij.d.4.ſ.2.n.10.f.26

Vnigeniti rationem exponunt Patres.ibid.n.13

Vnigeniti nomine excellentiâ dilectionis explicatur.ibid.n.16

Vnigeniti ficta profeſſio ab hæreticis Franciſco Dauid & Serueto.d.4.ſ.2.n.19.f.26

Vnto. Vnitas.

Vnio ſubſtantialis an ex vi productionis formaliter. d.7.ſ.5.n.17.f.63

Vnio perſonarum quomodo accipiatur à Patribus. *Lege* ſect.2.d.38.f.341.& 342

Vnio Pater eſſe dicitur quo ſenſu.d.22.ſ.6.num.8. f.200

Vnio obſtat multitudini d.77.ſ.7.n.4.f.644

Vnitas ſubſtantiæ ſignificatur nomine Trinitatis.d.36.ſ.7. n.13. f.330. ſed materialiter & in obliquo.n.16

Vnitas Eſſentiæ trium perſonarum quibus caſibus conuenienter ſignificetur. *Lege* ſect. 8. d.20.f.186

Vnitas operationis & voluntatis probat circuminſeſſionem perſonarum. d.107. ſ.5. n.8. f.843

Vnitas eſſentiæ eſt ratio circuminſeſſionis.d.107. ſ.5.n.1.f.843

Vnitas naturæ, virtutis & operationis per illationem reciprocam ſe inuicem probant.d.110. f.10.f.903.& 904

Vnitas nomine digiti ſignificatur. d.76. ſ.1. n.2. f.631

Vnitas Patri quare appropriata. d.82. ſ.4. num.2. f.678

Vnitas quomodo Trinitatem includat. d.14. ſ.6. n.3.f.135

Vnitas diuinæ ſubſtantiæ eſt vna numero, ſingularis & indiuidua. d.22.ſect.2. n.3.f.195. *Lege* etiam ſect. 3. & 4. ad maiorem probationem. f.195.196.& 197

Vnitatis naturæ humanæ & diuinæ paritatem omnimodam eſſe, Patres non intellexerunt. d.22.ſ.5.n.1.f.198.indendebant ſolum probare non eſſe naturam diuerſi generis in Filio. n.2. f.199. prudenter tacebant in illo argumento numericam vnitatem.ibid.n.3

quæ Vnitas conſtituit æqualia vel ſimilia. d.103. ſ.2.n.15.f.809

quando dixeris tres Vnitates,ſimul eſt dicendum eſſe vnicam Vnitatem. d.27.ſ.3. n.21. f.233

Vnita per ſe, ſunt vnum & non multa. d.77.ſ.7. n.2. f.644

Vnus. Vnum.

per vocem *Vnus* aliquando ſignificatur idem quod ſolus.d.40.ſ.5.n.17.f.369

Vnum eſt ens indiuiſum in ſe,& diuiſum ab aliis. d.27.ſ.3.n.11.f.233

Vnum caret plurali numero.d.27.ſ.3.n.1.f.232

vt Vnum ſit in alio, nulla requiritur inæqualitas.d.107.ſ.4 n.18.f.842

Vnum ſubiecto quid ſit.d.35.ſ.7.n.1.f.317

Vocabula. Voces.

Vocabula à rebus creatis ad Deum eleuata. d.4. ſ.3.n.6.f.27

Vocabula, quibus identitas aut diſtinctio diuinarum Perſonarum exactè & propriè ſignificatur, quæ ſint. *Lege* diſp.39. f.346.347. & ſeqq.

Voces aliæ ſignificant rem cum præciſione, aliæ ſine illa.d.15.ſ.8.n.4.f.147

quibus Vocibus ſignifi :etur Deus abſque præciſione.ibid.n.5

Vocum ſignificationem trahunt ad ſe res ſignificatæ.d.96.ſ.5.n.18.f.757

Volitio. Voluntas.

Volitio & ſapientia eodem modo identificantur cum natura diuina.d.8.ſ.6.n.3.f.75

Volitionis & ſapientæ identitatem ſimplicitas & ratio entis æqualiter probant. d.8.ſ.6.n.6.f.75

Volitio boni in communi quomodo neceſſaria. d.92.ſ.5.n.6.f.734

Volitionis & intellectionis diſtinctionem æqualem poſuit S.Thomas. d.8.ſ.9.n.3.f.80

Voluntas quodammodo præcedit generationem. d.93.ſ.2.n.14.f.739

Voluntas præcedens ſiue antecedens: & voluntas comitans ſiue concomitans,quæ ſint. d.93. ſ.1.n.6.f.737

Voluntas de voluntate quo ſenſu Filius. d.93.ſ.5. n.11.f.744

an Voluntas generandi ſit prior quàm generatio diuina.diſp.94.ſ.2.num.1.f.745.& n.19.f.747

Voluntas ſpirandi eſt prior quàm ſpiratio. d.95. ſ.3.n.4.f.750

Voluntas quatenus ſimul communicabilis & communicata eſt principium Spiritus ſancti. d.71. ſ.3. n.15.f.611

quod Voluntas melioris boni probet generationem æternam, & voluntas genuerit voluntatem, quo ſenſu patres affirmauerint. d. 93. ſ.5. f.743

Voluntatis concomitantia quid ſit. d.94. ſ.3.n.8. f.748

Voluntatis indifferentia, quæ requiritur ad libertatem.d.92.ſ.1.n.5.f.727

Voluntatem ſuam non facere, ſed Patris,quo pacto Filius dicatur. *Lege* ſect.10.d.50.f.438

Vſioſis. Vſioſides.

Vſioſis quid ſit.d.25.ſ.3.n.7.f.219

Vſioſis vel vſiodes an pro perſonâ, & naturâ ſumantur. diſp.32. ſect.10. n.4.f.292

Vſus.

Vſus Spiritui ſancto cur appropriatus. d.82.ſ.3. n.6.f.678

F I N I S.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA